

MAGNVM BVLLARIVM ROMANVM.





BVLLARIVM ROMANVM

a B. Leone Magno, vsq; ad S.D.N. INNOCENTIVM X.

Opus absolutissimum, Laërtij Cherubini Præstantissimi I.C. Romani, & à D. Angelo Maria Cherubino Monacho Cassinensi denuò illustratum & recensitum

EDITIO NOVISSIMA.

Quatuor tomis distributa, vitis & Iconibus æneis omnium Pontificum exornata.

LVGDVNI

Sumpt. Phil. Borde, L. Arnaud & Cl. Rigaud.

M D C. LV. Cum Privil. Regis

L. Spirinx sculp.







MAGNVM BVLLARIVM ROMANVM,

A B. LEONE MAGNO VSQVE AD S·D·N· INNOCENTIVM X·

OPVS ABSOLVTISSIMVM LAERTII CHERVBINI præſtantiſſimi Iuriſconſulti Romani; Et à D. Angelo Cherubino Monacho Caſſinenſi nunc denuò Illuſtratum & Recenſitum.




EDITIO NOVISSIMA.

Quatuor tomis diſtributa: Vitis & Iconibus æneis omnium Pontificum decorata: In qua non ſolùm Conſtitutiones omnes S. D. N. VRBANI VIII. *quotquot reperiri potuerunt, ordine temporis inſertæ, Appendicéſque duæ ſuis locis reſtitutæ; verùm &* S. D. N. INNOCENTII X. *Conſtitutiones vſque ad hanc diem emanatæ, ſunt ſuperadditæ, ſuis Rubricis & Scholiis conuenientibus, ſummariiſque marginalibus exornatæ, ac tandem vberioribus quàm antea Indicibus locupletatæ.*

TOMVS PRIMVS.







LVGDVNI,
Sumptib. Philippi Borde, Laur. Arnaud, & Cl. Rigaud,
M. DC. LV.



Illuſtriſſimo Reuerendiſſimóq; Dom.

D. CAMILLO DE NEVFVILLE, ARCHIEPISCOPO,

Et Comiti Lugdunenſi, Galliarum Primati, & in Prouincia Lugdunenſi Legato Regio.

NOVAM lucem appetunt Bullæ Pontificum, ARCHIEPISCOPE, ET PRIMAS ILLVSTRISSIME; Quid enim illuſtrius, quàm vtrumque hominem, Politicum & Chriſtianũ ſic implere meritis, vt in vtroq; ſis cumulatiſſim⁹, deſideres nihil. Sanè Politicũ te non modò ciuitas hæc noſtra ampliſſima, ſed vniuerſa quanta eſt Gallia demiratur. Tibi iam ab annis pluſculis incumbit munus regendæ Prouinciæ, quo ita fungeris, vt Vigilantia multiplicibus curis ſufficiat, cunctis & ſingulis par ſit Humanitas, impeditiſſimis rebus Prudentia, difficillimis Fortitudo, obſcuris Iuſtitia; nec te vllæ illecebræ à

Tempe

Temperantiæ cursu demoueant. Inde ille Lugdunensium in te amor summus, vt patrem patriæ in Prorege agnoscant, & vota pro felicitate publica in eum conferant, gnari te sospite, integram fore publicam rem atque incolumem. Iam ad Christianum quod spectat, diu & quod pietatem eximiam colebas priuatim & in Abbate Pontificias dotes recondebas; sed Deus, tantæ virtuti scenam aperuit; amplissimis Infulis te ornauit, vt illas ornares, & quæ latebant in postscenio virtutes palàm produceres. Inde admirabilis illa & noua diligentia in Diœcesi lustranda, vt inter susceptum & lustratum gregem nihil intersit, Téque oues Pastorem alimentis citiùs quàm famâ nouerint. Inde Politicæ illæ ad Christi cultũ dotes adhibitæ, vt Tibi idem in regia dignitate & Pontificia constes, eandémque fidem Deo præstes & Regi, nec diuersa munera in te opponantur, qui Regi incumbis ardentiùs, quia Dei es. Sed & aliud est, quod Pontificium opus vindicet Tibi; nempe quòd Romæ Pontificia vrbe natus es, quòd à summo Pontifice & nomen habes, & inaugurationem ad fidem, quòd in sanctissima Martyrum terra primum cælum transieris, vt iam ortus in te Pontificius sit; nec mirum, adoleuisse virtutes in te tantoperè, quæ ab cunis in mentem insitæ, continuo annorum cursu magnitudinem suam impleuerint. Nec, si qua fides auguriis, hac spe deiicimur, fore vt aliquando in libri calcem coniiciaris, cuius frontem ornas; & Imago tua cæteras augeat, quæ iam Tuorum animis meritorum cælo insculpta est. Sanè id Francorum & Lugdunensium votum, non tam sibi quàm Ecclesiæ studentium, & in tua Dignitate publicum omnium bonum spectantium cumulet votum Deus optimus maximus; beatosque faciat, qui sunt maximè omnium

Tibi addictissimi & obsequentissimi,

PHILIPPVS BORDE, LAVRENTIVS ARNAVD, & PETRVS BORDE.



Beneuolo, & Amico Lectori

D. ANGELVS MARIA

Cherubinus Monachus Cassinensis.



RODIT iam nunc tertiò, Benigne Lector, opus Magni Bullarij Romani Laërtius Cherubinus Genitor incepit olim; non publico, sed priuato vsui: sed postea Sixto Quinto duce, & auspice ferè coactus in lucem emisit. Studiosè adauxit post primam impressionem opus suum iam acclamatum Pater meus, proindéque fecundis curis, vigiliisque innumeris penè sanctioribus locupletatum Paulo V. demùm obtulit. Effluxerunt post secundam impressionem posttema Pauli, necnon Gregorij XV. ac sanctissima VRBANI VIII. diplomata, quæ dum sedulò recolligeret, à Deo Opt. Max. è viuis euocatus, opus perficere, & diligentiæ suæ fructus percipere minimè potuit. Ego qui & origine filius, & institutione discipulus, defuncti desideria prosequens, collecta digessi, plura cumulaui, typis commisi. Nunc verò, quando totum opus paternum insimul, & meum, nouis typis euulgandum erat; præstiti quod potui, Lector, quod debui. Appendicem suis sedibus collocaui, rubricas adauxi, indices in meliorem ordinem, ampliorémque redegi, vt facillimè quidquid compertum velis, promptum habeas; Vitas omnium Pontificum, & Icones, vt nonnullorum votis satisfacerem, apposui. Æqui boníque consule, Beneuole Lector, & labores meos quales quales, hilari excipe animo: nam si ex labore isto fructus laudationum tuarum recolligere animaduertam, lucubrationes non absimiles breui expecta, quas forsan propter vtilitatem & studiorum compendium, grato animo excipies; Vale.

Bibliopolæ huius vltimæ Editionis

AD LECTOREM.



VA certè interest, Lector Beneuole, *nouissima hac Bullarij Magni Editio: vtpotè qui antea parcens nimijs sumptibus, quos Editiones extranea, præsertímque Romana, secum innexerant, nunc demùm possis æquiori pretio hoc Opus Lugdunensis Impressionis comparare. Et quidem per omnem modum hæc tibi datur optio: nam & nostri typi longè venustiores, quàm exterorum Bibliopolarum, qui præ vetustate nedum legi non possunt, sed multis in locis, in marginibus scilicet, & rubricis nec apparere quidem videntur: præterea accuratissimè emendari curauimus innumera, quæ priùs irrepserant, errata; vnde tu, qui antehac nonnisi ad singulas periodos hærere poteras, iam possis inoffenso totum hoc Volumen percurrere vestigio: Et quod acceptius fore sperauimus, permultas SS. D. N. Vrbani VIII. Constitutiones adiunximus, Appendicesque duas suis locis iuxta seriem temporum inseruimus, necnon & SS. D. N. Innocentij X. Constitutiones omnes vsque nunc promulgatas apposuimus. Quid vltra? nouam addidimus appendicem Pontificiarum Constitutionum mirabili solertia Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopi Viguanensis repertarum, & pro singulari eiusdem beneuolentia ad nos transmissarum; quas quidem ad quarti Tomi calcem adiecimus. Tu tantum nostris congaude curis, perfruere laboribus, & enixis apud Deum votis instanter incolumitatem nostram exopta, quatenus nos in dies tuis in hæc re commodis propensius incumbamus. Vale.*

INDEX NOMINVM

Bis centum & quadraginta ROMANORVM PONTIFICVM,

Quorum Imagines in toto hoc opere habentur, ordine alphabetico vnà cum numero digestus.

1 Donus

Index Nominum Romanorum Pontificum.

INDEX

Nominum ducentorum & quadraginta Romanorum Pontificum quorum Imagines in toto hoc opere habentur iuxta Temporum seriem vnà cum numero dispositus.

39 Siricius

IN SECVNDO TOMO.

IN TERTIO TOMO.

IN QVARTO TOMO.

INDEX
SEXAGINTA VNIVS
ROMANORVM PONTIFICVM,
Quorum Conſtitutiones iuxta Temporum ſucceſſiones continentur in hoc primo Tomo.



SVMMA

SVMMA PRIVILEGII

Regis Christianissimi.



VDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate sancitum est, ne quis in regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis nouæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quovis modo & ratione conetur librum, qui Inscribitur, (MAGNVM BVLLARIVM ROMANVM nouiter editum multis constitutionibus adauctum, & Iconibus æneis omnium Pontificum exornatum,) præter PHILIPPVM BORDE, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti BORDE. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 15. Nouembris 1666.

De mandato Regis;

Signatum;


BOCTOIS.

Hæc vltima Editio Lugdunensis desiit excudi, die quarta Septembris, 1668.

S. SIMON PETRVS PRIMVS PONTIFEX MAXIMVS,

ANNO DOMINI XXXIII.





SIMON PETRVS Ionæ filius, Andreæ Apostoli frater, natione Galilæus, Patriâ Bethsaida, Piscator, dum ad mare Tiberiadis retia reficeret, à Christo Domino vocatus, ac inter discipulos adscriptus, hominum Piscator factus est. Vxorem habebat, ex qua creditum est filiam Petronillam suscepisse, cuius memoriam Catholica celebrat Ecclesia: Sed Christi obsequio addictus, perpetuò coniugali copulâ, donec vixit, abstinuit. Ita autem fidei constantiâ viguit, ita feruenti erga Dominum dilectionis exarsit affectu, vt facilè discipulos omnes superarit. Ipse præ cæteris Christum Dominum Vnicum Dei viui Filium audacter confessus est, ipse vt ad Magistrum suum perueniret, turbulentissimo pelago se pedibus committere non dubitauit, vtque è Pharisæorum manibus eriperet, aliis præ timore fugientibus gladium exemit, militémque percussit. Quapropter dignus habitus est, cui Pastor æternus vices suas committeret in terris, oues crederet, Cælorum traderet claues, ligandi, atque soluendi concederet potestatem; vt non immeritò Cephas, quod est Caput, & Petra, firmissimum videlicet, ac post Christum solidissimum Ecclesiæ fundamentum, fuerit appellatus; Hinc Christus Dominus pedes Apostolis loturus, ad Petrum primùm, vti eorum Principem accessit, ac post carnis resumptionem mulieribus apparens iniunxit, vt id discipulis nunciarent, subdens, Et Petro, vt eum à cæteris ob dignitatis excellentiam quodammodo segregatum intelligerent. Accepta autem ab Apostolis per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, Petrus iniuncti sibi muneris haud immemor, ad imbuendum Euangelio Mundum, eos per varias orbis partes distribuit, ipséque populis, qui ex circumcisione crediderant, eruditis, Antiochenáque Ecclesiâ fundatâ, Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, Asiâ, Bithiniâ peragratâ, Vrbem Romam omnium Gentium Caput, & Dominam, Apostolorum Princeps, ibi perpetuam sibi, ac successoribus Sedem fundaturus, legibus Euangelicæ prædicationis aggreditur, quinto decimo Kalendas Februarij, Anno Domini quadragesimo quarto; Claudij verò Imperatoris, anno tertio, vbi cùm plurima ob Christi prædicationem à Gentibus pertulisset, latéque fidem per Occidentalem plagam propagasset, tandem vnà cum Paulo carceri mancipatus, virgisque cæsus, Paulus quidem capite truncatur ad aquas Saluias extra portam Trigeminam tertio ab Vrbe milliario; Petrus autem in summitate Ianiculi montis, qui Vaticanus appellatur, cruci affixus, Magistri sui mortem imitatus, tertio Kal. Iulij, Anno Christi sexagesimo octauo, Neronis verò Imperatoris anno tertiodecimo vitam finiuit, cùm sedisset Ierosolymis annos quinque, Antiochiæ annos septem, in Romano verò Pontificatu annos vigintiquatuor, menses tres, dies duodecim. Eius corporis formam Nicephorus, ex antiquis monumentis descriptam, ac penè delineatam reliquit; Non crassâ eum staturâ corporis fuisse, sed quæ aliquantò esset erectior, facie subpallida, & alba admodùm, capilli capitis, & barbæ crispi, & densi erant, sed non admodùm prominentes, oculi quasi sanguine respersi, & nigri, supercilia propè euulsa: Nasus autem longior ille quidem, non tamen in acumen desinens, sed pressus, symúsque magis. Clemens verò ab Hieronymo relatus, addit eum fuisse caluum. Ordinauit Episcopos 53. Presbyteros in Vrbe decem, Diaconos septem. Non vacauit per eius obitum Romana Sedes.



SANCTVS LINVS PAPA II.
ANNO DOMINI LXVIII.



SAnctus Linus, natione Italus, prouinciâ Toscus, patriâ Volaterranus, parte Herculano, primus Beato Petro in Romano Pontificatu successit. Creatus pridiè Kalendas Iulij, Anno Domini 68. Sedit annos vndecim, menses duos, dies 23. Creauit Episcopos quindecim, Presbyteros decem & octo. Martyrio affectus est nono Kalend. Octobris, Anno Domini 79. Eius corpus in Vaticano, iuxta Beatum Petrum sepultum fuit. Non vacauit Sedes.

SANCTVS CLETVS PAPA III.
ANNO DOMINI LXXIX.



SAnctus Cletus, patriâ Romanus, ex vico Patricij, Patre Æmiliano, à Beato Petro Apostolo ad fidem Christi conuersus, deinde Presbyter, móxque Coëpiscopus, cum Lino ab eodem Petro ordinatus. Creatus nono Kalendas Octobris, Anno Domini 79. Vixit annos vndecim, menses septem, dies duos. Ordinauit Presbyteros vigintiquinque. Obiit, sexto Kalendas Maij. Corpus in Vaticano iuxta memorias sanctorum Petri, & Lini sepultum fuit. Vacauit Sedes dies viginti.

SANCTVS CLEMENS I. PAPA IV.
ANNO DOMINI XCI.



SAnctus Clemens Primus, Romanus Faustini filius, à Beato Petro Apostolo baptizatus, & Diaconus sibi assistens, deinde Presbyter, mox Episcopus ordinatus. Creatus die 21. Maij, Anno Domini 91. Sedit annos nouem, menses sex, dies quatuor. Creauit Episcopos quindecim, Presbyteros decem, Diaconos duos. Traiani iussu anchorâ ad collum ligatâ prope Ciuitatem Chersonesum in mare submersus est, nono Kalendas Decembris, Anno Domini 100. posteà translatus fuit Romam, in Ecclesiam sui nominis ad Cœlium Montem. Vacauit Sedes dies viginti duos.

SANCTVS ANACLETVS I. PONT. V.
ANNO DOMINI C.



S. Anacletus Primus, Antiochi filius, Athenienſis, Græcus, S.R.E. primùm Diaconus, deindè Presbyter, & tandē Summus Pontifex creatus 18. Kalend. Ianuarij, Anno Domini 100. Vixit annos nouem, menses duos, dies viginti octo. Creauit Episcopus sex, Presbyteros quinque, Diaconos tres, Traiani iussu capite cæsus, Romæ martyrio coronatur, tertio Idûs Iulij, Anno Domini 110. iuxta Beati Petri corpus, in Vaticano sepultus est. Vacauit Sedes dies tredecim.

S. EVA

S. EVARISTVS PONTIF. VI.
ANNO DOMINI CX.



SAnctus Euaristus, Iudæ, Iudæi filius, Bethlehemites, Syrus, Creatus 6. Kal. Augusti anno 110. Sedit annos 8. mens. 1. dies 28. Creauit Episcopos quinque, Presbyteros sex, Diaconos duos. Sub Hadriano Imperatore capitis abscissione occubuit, septimo Kalendas Nouembris, Anno Domini 118. Sepultus fuit iuxta Beati Petri Apostoli corpus, in Vaticano. Vacauit Sedes dies 19.

S. SIXTVS I. MART. PONTIF. VIII.
ANNO DOMINI CXXIX.



SAnctus Sixtus, Romanus, de Regione septima, via Lata, Pastoris filius, Creatus septimo Idûs Iunij, Anno Domini 129. Sedit annos nouem, menses decem. Creauit Episcopos quatuor, Presbyteros vndecim, Diaconos tres. Martyr occubuit octauo Idûs Aprilis, Anno Domini 139. eius corpus in Vaticano sepultum est. Vacauit Sedes dies duos.

S. ALEXANDER I. MART. PONT. VII.
ANNO DOMINI CXVIII.



SAnctus Alexander Primus, Romanus, Alexandri filius, Creatus pridiè Idûs Nouembris, Anno Domini 118. Sedit annos decem, menses quinque, dies viginti vnum. Creauit Episcopos quinque, Presbyteros sex, Diaconos duos. Adriani iussu septimo ab Vrbe lapide martyrio coronatur, ibique sepelitur, tertia die Mensis Maij, Anno Domini 129. Vacauit sedes dies quinque.

S. TELESPHORVS MART. PONTIF. IX.
ANNO DOMINI CXXXIX.



Sanctus Telesphorus, patriâ Thuriensis, hodiè Terra noua, in Calabria, Anachoretæ filius, Creatus quinto Idûs Aprilis, Anno Domini 139. Sedit annos decem, menses octo, dies 27. Creauit Episcopos tredecim, Presbyteros duodecim, Diaconos octo. Martyrium subiit Nonis Ianuarij, Anno Domini 150. Corpus eius in Vaticano sepultum est iuxta corpus Sancti Petri. Vacauit Sedes dies septem.

S. HYGINVS MART. PONTIF. X.
ANNO DOMINI CL.



SAnctus Hyginus, aliàs Iginius, Græcus, Philosophi filius, Atheniensis, Creatus idibus Ianuarij, Anno Domini 150. Sedit annos tres, menses vndecim, dies viginti octo. Creauit Episcopos sex, Præsbyteros quindecim, Diaconos quinque. Sub Antonino martyrium consummauit, tertio idûs Ianuarij anno 154. Sepultus fuit in Basilica Vaticana iuxta corpus Beati Petri. Vacauit Sedes diem vnum.

SANCTVS PIVS PAPA PONTIF. XI.
ANNO DOMINI CLIV.



SAnctus Pius Primus, Aquileiensis, Creatus 18. Kalendas Februarij, Anno Domini 154. Sedit annos vndecim, menses quinque, dies 27. Creauit Episcopos duodecim, Presbyteros decem & octo, Diaconos viginti vnum. Obiit Romæ quinto idûs Iulij, Anno Domini 165. Corpus eius in Vaticano sepultum. Vacauit Sedes dies tredecim.

S. ANICETVS PAPA, ET MART. PONT. XII.
ANNO DOMINI CLXV.



SAnctus Anicetus, natione Syrus, de vico Humisia, Ioannis filius, Creatus octauo Kalendas Augusti, Anno Domini 165. Sedit annos nouem, menses octo, dies 24. Creauit Episcopos nouem, Presbyteros 17. Diaconos quatuor, Martyrium subiit quintodecimo Kalendas Maij, Corpus eius via Appia in cœmeterio, quod posteà Callisti appellatum est ad Catacumbas, secundo ab Vrbe milliario sepultum est. Vacauit Sedes dies decem & septem.

SANCTVS CONCORDIVS PONT. XIII.
ANNO DOMINI CLXXV.



SAnctus Cornelius Soter, Concordij filius, Fundis in Campania ortus, ex Presbytero Sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Pio Papa facto, Creatus tertio nonas Maij, Anno Domini 175. Vixit annos septem, menses vndecim, dies decem & septem. Creauit Episcopos vndecim, Presbyteros decem, & octo, Diaconos nouem. Obiit Romæ decimo Kalendas Maij, Anno Domini 182. Sepultus fuit via Appia in cœmeterio Callisti, posteà translatus fuit in Ecclesiam S. Syluestri, & Martini in fontibus titulo, Equitij. Vacauit Sedes dies 21.

S.ABVN

S. ABVNDIVS ELEVTHERIVS PONT. XIV.
ANNO DOMINI CLXXXII.



SAnctus Abundius, Neapolitanus, ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub Pio Papa Presbytero Cardinali, Creatus pridie Idus Maij, Anno Domini 182. Sedit annos 13. dies 13. Creauit Episcopos quindecim, Presbyteros duodecim, Diaconos octo. Obiit septimo Kalendas Iunij 195. In Vaticano sepultus. Vacauit Sedes dies quinque.

VICTOR I. PONTIF. XV.
ANNO DOMINI CXCV.



VIctor, Felicis filius, Afer, Creatus 2. Kalend. Iunij, Anno Domini 195. Sedit annos nouem, mensem vnum, dies viginti sex, Creauit Episcopos duodecim, Presbyteros quatuor, Diaconos septem, Martyrium subiit sub Seuero Imperatore quinto Kalendas Augusti, Anno Domini 203. Sepultus fuit iuxta sanctum Petrum in Vaticano. Vacauit Sedes dies vndecim.

Bullar. Mag. Tom. I.

ZEPHYRINVS PONTIF. XVI.
ANNO DOMINI CCIII.



ABundius Zephyrinus, Romanus, Abundij filius, Creatus septimo Idus Augusti, Anno Domini 203. Sedit annos decem & octo, dies totidem, Creauit Episcopos tredecim, Presbyteros totidem, Diaconos septem. Obiit septimo Kalendas Septembris, Anno Domini 221. Sepultus fuit, via Appia in cœmeterio à se constructo, iuxta Catacumbas. Vacauit Sedes dies sex.

DOMITIVS CALLISTVS I. PONT. XVII.
ANNO DOMINI CCXXI.



DOmitius Callistus, Domitij filius, Romanus, de vico Castrorum Rauennatum, Creatus quarto Nonas Septembris, Anno Domini 221. Sedit annos quinque, mensem vnum, dies duodecim. Creauit Episcopos octo, Presbyteros decem & octo, Diaconos quatuor: martyrium consumauit sexto Kalendas Octobris, Anno Domini 227. Sepultus via Aurelia, in cœmeterio Callipodij tertio ab Vrbe milliario. Vacauit Sedes dies sex.

VRBANVS I. PONT. XVIII.
ANNO DOMINI CCXXVII.



VRbanus Primus, Romanus, Pontiani filius, Creatus Kalendis Octobris, Anno Domini 227. Sedit annos sex, menses septem, dies quatuor. Creauit Episcopos octo, Presbyteros nouem, Diaconos quinque, pro Ecclesia Dei multa passus, tandem captus, & ceruicibus via Nomentana abscissis, Martyrij Lauteã adeptus est, die 25. Maij, Anno Domini 233. Sepultus in via Appia, in cœmeterio Callisti, cum B. Cæcilia, Tiburtio, & Valeriano, & Maximo, quos viuens Christo lucrifecerat. Vacauit Sedes dies triginta.

ANTERVS PONTIF. XX.
ANNO DOMINI CCXXXVII.



ANterus natione Græcus, patriâ Petilianus, ex Petilia vrbe quondam Magnæ Græciæ, nunc Calabriæ dictæ, patre Romulo, Creatus in Sardinia, vbi vitam Monasticam ducebat vndecimo Kal. Decembris, Anno Domini 237. Episcopum vnum creauit, tertio Nonas Ianuarij 238. capite cęsus martyrio coronatur, & via Appia lapide ab Vrbe tertio sepelitur, deindè in Templum sancti Siluestri in Campo Martio translatus fuit. Vacauit Sedes dies tredecim.

CALPVRNIVS PONTIANVS PONT. XIX.
ANNO DOMINI CCXXXIII.



CAlpurnius Pontianos, Romanus, Calpurnij filius, Creatus octauo Kalendas Iulij, Anno Domini 233. Sedit annos quinque, dies duos. Creauit Episcopos sex, Presbyteros totidem, Diaconos quinque, & post multas calamitates, & grauia tormenta, pro fide Christi in Sardinia passa, fustibus mactatus Martyrium consummauit, tertiodecimo Kalendas Decembris, Anno Domini 237. Corpus à Sardis Christianis decenter conditum, triennio fermè insulam decorauit, quod sanctus Fabianus Papa, ex Sardinia Romam aduectum, in cœmeterio Callisti, via Appia, sepeliuit. Vacauit Sedes diem 1.

FABIANVS PONTIF. XXI.
ANNO DOMINI CCXXXVIII.



FAbius Fabianus, Romanus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Fabij filius, Creatus die 17. Ianuarij, Anno Domini 238. Sedit annos quindecim, dies quatuor. Creauit Episcopos vndecim, Presbyteros vigintiduos, Diaconos octo. Martyrio coronatur tertiodecimo Kalend. Februarij, Anno Domini 253. in cœmeterio Callisti, via Appia sepultus, & tandem in sanctorum Syluestri, & Martini in Montibus translatus. Vocauit Sedes annum vnum, dies quatuor.

COR

CORNELIVS PONTIF. XXII.
Anno Domini ccliv.



COrnelius Rom. Castini filius, ex S.R.Ecclesiæ P.Card. Creatus pridie Kal.Maij, Anno Domini 254. Sedit ann.2. mens.4.dies 8. Creauit Episc.8.Diac.4. Plumbatis cæsus, capite truncatur 18.Kal.Octob. anno 256. Sepultus fuit à B.Lucina in quadam Crypta arenaria, in prædio suo, prope Cœmeterium Callisti via Appia. Vacauit Sedes mensem 1.dies 5.

Schisma primum in Romana Ecclesia, inter S. Cornelium Papam, & Nouatianum Antipapam.

Nouatianus Romanus S.R.E.Presb.Card.Pseudopontifex, Sedit contra Cornelium, aliósque post eum Rom.Pont.annos circiter sex, à quo secta Nouatianorum exorta est.

LVCIVS I. PONTIF. XXIII.
Anno Domini cclvi.



LVcius Romanus, Porphirij filius, Creatus duodecimo Kal. Decembris, Anno Domini 256. Sedit annos duos, menses tres, dies tredecim. Creauit Episcopos septem, Presbyteros quatuor, Diaconos totidem. Martyrio coronatus quarto Nonas Martij 258. in cœmeterio Callisti, via Appia sepelitur. Vacauit Sedes mensem vnum, dies quinque.

STEPHANVS I. PONTIF. XXIV.
Anno Domini cclviii.



IVlius Stephanus, Romanus, Iulij filius, ex Sanctæ Romanę Ecclesię Archidiacono, Creatus octauo idus April. Anno Doñi 258. Sedit annos tres, menses tres, dies 26. Creauit Episcopos tres, Presbyteros sex, Diaconos quinque. Valeriani iussu decollatus, martyrium compleuit quarto Nonas Augusti anno Domini 260. Corpus, cum Sede sanguine eius conspersa, in crypta, quæ est in cœmeterio Callisti, via Appia, tertio ab Vrbe milliario sepelitur. Vacauit Sedes dies viginti duos.

SIXTVS II. PONTIF. XXV.
Anno Domini cclxi.



SIxtus Secundus, iunior, natione Græcus, patria Atheniensis, Philosophi filius, Creatus nono Kalendas Septembris, Anno Domini 261. Sedit menses vndecim dies decem & octo. Creauit Episcopos duos, Diaconos septem, Martyrio coronatur die sexta Augusti, anno 261. Vacauit Sedes mensem vnum, dies quinque.

DIONYSIVS PONTIF. XXVI.
ANNO DOMINI CCLXI.



Dionysius ex Turia, Calabriæ vrbe, Monachus Græcus, seu potiùs Anachoreta, Presbyter Cardinalis Ecclesiæ Romanæ, Creatus quarto Idus Septemb. Anno Domini 261. Sedit annos vndecim, menses tres, dies quatuordecim, Creauit Episcopos septem, Presbyteros duodecim, Diaconos sex. Obiit Septimo Kalendas Ianuarij, Anno Domini 272. Sepultus est in cœmeterio Callisti, via Appia, tertio ab Vrbe milliario. Vacauit Sedes dies quinque.

EVTYCHIANVS PONTIF. XXVIII.
ANNO DOMINI CCLXXV.



Evtychianus Etruscus, patriâ Lunensis, Marini filius; Creatus pridie Nonas Iunij, Anno Domini 275. Sedit annos octo, menses sex, dies quatuor, Creauit Episcopos nouem, Presbyteros quatuordecim, Diaconos quinque. Martyr occubuit septimo Kalendas Augusti, Anno 283. Corpus eius sepultum est in cœmeterio Callisti, via Appia, tertio ab Vrbe milliario. Vacauit Sedes dies nouem.

FELIX I. PONTIF. XXVII.
ANNO DOMINI CCLXXII.



Felix Primus, Romanus, Constantij filius, Creatus Romæ pridie Kalendas Ianuarij, Anno Domini 272. Sedit annos duos, menses quatuor, dies 29. Creauit Episcopos quinque, Presbyteros nouem, Diaconos quinque, Martyrio coronatur tertio Kalendas Iunij, Anno Domini 275. Corpus eius, via Aurelia, milliario ab Vrbe secundo sepultum, in Basilica, quam antea in honorem Dei ipse condiderat. Vacauit Sedes dies quinque.

CAIVS PONTIF. XXIX.
ANNO DOMINI CCLXXXIII.



Caius, Caij Maximi filius, Dalmata, patriâ Salonitanus, Creatus Romæ 16. Kalendas Ianuarij, Anno Domini 283. Sedit annos duodecim, menses quatuor, dies sex. Creauit Episc. quinque, Presbyteros viginti quinque, Diaconos octo, martyrium consummauit decimo Kalendas Maij, Anno Domini 296. Sepultus in cœmeterio Callisti, via Appia, tertio ab Vrbe milliario. Vacauit Sedes dies 25.

MAR

MARCELLINVS PONTIF. XXX.
Anno Domini CCXCVI.



MArcellinus, Proiecti filius, Romanus, Creatus Kalendis Iulij, Anno Domini 296. Sedit annos septem, menses nouem, dies 27. Creauit Episcopos quinque, Presbyteros quatuor, Diaconos duos. Sub Maximiano Imperatore Martyrio coronatur sexto Kalendas Maij, Anno Domini 304. Vacauit Sedes menses sex, dies 25.

MARCELLVS I. PONTIF. XXXI.
Anno Domini CCCIV.



MArcellus Primus, Benedicti filius, Romanus de regione septima, via Lata, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Creatus die vigesimo primo Nouembris, Anno Domini 304. Sedit annos quinque, mens. sex, diem vnum & viginti. Creauit Episc. viginti vnũ, Presbyteros viginti quinque, Diaconos duos Martyr. occubuit 17. Kalendas Februarij, Anno Domini 310. Cuius corpus B. Lucina sepelinit, in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, Vacauit Sedes dies viginti.

EVSEBIVS PONTIF. XXXII.
Anno Domini CCCX.



EVsebius, natione Græcus, patre Medico, Creatus Nonis Februarij, Anno Domini 310. Sedit annum vnum, menses septem, dies viginti vnum. Creauit Episcopos quatuordecim, Presbyteros tredecim, Diaconos tres. Obiit Kalendis Octobris, Anno Domini 312. Vacauit Sedes Pontificia dies septem.

MILTIADES PONTIF. XXXIII.
Anno Domini CCCXII.



MIltiades, vel Melchiades natione Afer. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Creatus quarto Idûs Octobris, Anno Domini 312. Sedit annos tres, menses duos, dies viginti vnum. Creauit Episcopos duodecim, Presbyteros quatuordecim, Diaconos quinque. Obiit quarto Idûs Decembris, Anno Domini 315. Corpus eius via Appia in Calisti cœmeterio sepultum est. Vacauit Sedes dies 17.

S. SYLVESTER I. PONTIF. XXXIV.
ANNO DOMINI CCCXV.



SAnctus Syluester, Rufini filius, Romanus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Creatus quinto Kalend. Decembris, Anno Domini 315. Sedit annos 21. dies quatuor. Creauit Episcopos 65. Presbyter. 42. Diac. 26. Constantiũ in Magnum Imperatorem baptizauit, ab eoq; Italiæ dominio donatus fuit. Obiit pridiè Kalendas Ianuarij, anno 335. ius corpus sepultum in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, tertio ab Vrbe milliario, posteà translatũ fuit ad Ecclesiã, ab ipso yluestro fundatã, sub titulo Equitij, nunc S. Syluestri in Monbus, & sub altare maius reconditum. Vacauit Sedes dies 15.

MARCVS PONTIF. XXXV.
ANNO DOMINI CCCXXXVI.



MArcus Romanus, Prisci filius, Sanctæ Romanæ Ecclesia Diaconus Cardinalis, Creatus 17. Kalendas Februa- Anno Domini 336. Vixit menses octo, dies viginti duos, auit Episcopos quinque, Presbyteros septem, Diaconos nque. Obiit eodem anno, nonis Octobris, Sepultus est in meterio Balbinæ, viâ Ardeatinâ, quod ipse construxerat. cauit Sedes dies viginti.

IVLIVS I. PONTIF. XXXVI.
ANNO DOMINI CCCXXXVI.



IVlius Primus, Romanus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, à sancto Syluestro factus, Creatus die 26. mensis Octobris, Anno Domini 336. Sedit annos quindecim, menses quinque, dies decem & septem. Creauit Episcopos nouem, Presbyteros decem & octo, Diaconos tres. Obiit Romæ, pridiè idûs Aprilis, Anno Domini 352. in cœmeterio Calepodij, tertio ab vrbe lapide sepultus. Vacauit Sedes dies viginti quinque.

LIBERIVS PONTIF. XXXVII.
ANNO DOMINI CCCLII.



LIberius, Roman. Augusti filius S.R.E. Diac. Card. à beato Syluestro Papa ordinatus. Creatus 8. Idûs Maij, anno 352. Sedit annos 15. menses 4. dies 17. Creauit Episc. 19. Presb. 18. Diac. 5. Obiit Romæ 8. Kal. Octob. anno 367. Sepultus viâ Salariâ, in cœmeterio Priscillæ. Vacauit Sedes menses 4. dies 17.

Schisma secundum in Romana Ecclesia inter Liberium Papam, & Felicem Antipapam.

Felix, Romanus, Pseudopontifex, Patre Anastasio, Diac. Card. Sedit contra Liberium, in exilium iussu Constantij Imperatoris eiectum, annum 1. mens. 3. dies 2. Eodem iubente Constantio, quem excommunicauerat ceruice abscissa, si falsus vixit Pontifex, verus martyr occubuit.

DAMASVS PONTIF. XXXVIII.
ANNO DOMINI CCCLXVII.



DAmasus Hispanus, ex Oppido Lusitaniæ, Vimarẽsi, Diœcesis Braccarensis, Antonij filius, Presb. Card. creatus, & coosecratus Romæ 18. Kalend. Octobris, Anno Domini 367. Vixit An. 17. mens. 2. dies 27. Creauit Episc. 62. Presb. 31. Diac. 31. Obiit 4. Idûs Decembris, anno 304. Sepultus est via Ardeatina, translatus postea fuit in Ecclesiam S. Laurentij, quam ipse condiderat ad Theatrũ Pompeij. Vacauit Sedes dies 31.

Schisma tertium in Romana Ecclesia inter Damasum legitimum Pontificem, & Vrsicinum Antipapam.

Vrsicinus S. R. E. Diac. ægrè ferens Damasi electionem, collecta seditiosorum hominum manu Romanum Episcopum se fieri extorsquet, & tandem cædibus vtrinque perpetratis, Vrsicinus ab Vrbe eiectus, Romæ Damaso pacifico Pont. remanente.

ANASTASIVS I. PONTIF. XL.
ANNO DOMINI CCCXCVIII.



ANastasius Primus Romanus, Maximi filius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis creatus, & consecratus pridiè Idûs Martij, Anno Domini 398. Sedit annos quatuor, mensem vnum, dies tredecim. Creauit Presbyteros octo, Diaconos quinque, Episcopos decem. Obiit, quinto Kalendas Maij, Anno Domini 402. Sepultus est in cœmeterio suo, ad Vrsum Pileatum, via Portuensi, posteà à Sergio iuniore translatum est in titulum Equitij. Vacauit Sedes dies viginti vnum.

SIRICIVS PONTIF. XXXIX.
ANNO DOMINI CCCLXXXV.



SIricius Romanus, ex patre Tiburtio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Sanctæ Pudentianæ, titulo Pastoris creatus, & coosecratus pridiè Idûs Ianuarij, Anno Domini 385. Vixit annos tredecim, mensem vnum, dies quatuordecim. Creauit Episcopos triginta duos, Presbyteros vnum & triginta, Diacooos decem & nouem. Obiit, Anno Domini 398. Sepultus est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria. Vacauit Sedes dies viginti.

INNOCENTIVS I. PONTIF. XLI.
ANNO DOMINI CCCCII.



INnocentius Primus, patriâ Albanus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis creatus, & coosecratus octauo Idûs Maij, Anno Domini 402. Vixit annos quindecim, menses duos, dies decem. Creauit Episcopos 54. Presbyteros triginta, Diaconos quindecim. Obiit, sexto Kalendas Augusti, Anno Domini 417. Corpus eius sepultum in cœmeterio ad Vrsum Pileatum, ad S. Vibianam, posteà translatum fuit ad titulum Equitij. Vacauit Sedes dies 22.

ZOSIMVS PONTIF. XLII.
ANNO DOMINI CCCCXVII.



ZOsimus, natione Græcus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ab Innocentio Papa factus, quintus Papa Regnicola, Creatus, & Consecratus tertiodecimo Kalendas Septembris, Anno Domini 417. Vixit annum vnum, menses quatuor, dies sex. Creauit Episcopos octo, Presbyteros decem, Diaconos tres. Obiit septimo Kalendas Ianuarij, Anno Domini 418. Corpus eius sepultum fuit, via Tiburtina, in Basilica sanctorum Martyrum Laurentij, & Stephani, extra muros, iuxta cryptam, prope corpus sancti Laurentij Martyris. Vacauit Sedes diem vnum.

BONIFACIVS I. PONTIF. XLIII.
ANNO DOMINI CCCCXVIII.



BOnifacius I. Romanus, S.R.E. Card. Secundi Presb. filius. Creatus, & Consecratus 5. Kal. Ianu. Anno Domini 418. Sedit annos 4. mens. 9. dies 24. Creauit Presbyter. 13. Diac. 2. Episc. 36. Obiit octauo Kal. Nou. anno 423. Sepultus est via Salaria in cœmeterio S. Felicitatis m. vacauit Sedes dies. 9.

Schisma quartum in Ecclesia Romana contigit anno 420. Eulalius enim Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus post electum Bonifacium, in Basilica Lateranen. eligitur. Synodus autem Rauennæ, iussu Honorij Imperatoris coacta Eulalium deposuit, qui post tres menses, dies quindecim, Nonis Aprilis male dignitati ita coactus abdicauit, & Bonifacius Pont. remansit.

CÆLESTINVS I. PONTIF. XLIV.
ANNO DOMINI CCCCXXIII.



CÆlestinus Primus, Romanus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, Prisci Filius, Creatus, & Consecratus nonis Nouembris, Anno Domini 423. Sedit annos octo, menses quinque, dies tres, creauit Episcopos sexaginta duos, Presbyteros triginta duos. Diaconos duodecim. Obiit, octauo Idûs Aprilis, Anno Domini 432. Sepultus via Salaria. Vacauit Sedes dies vigiori vnum.

SIXTVS III. PONTIF. XLV.
ANNO DOMINI CCCCXXXII.



SIxtus Tertius, Romanus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Sixti filius, Creatus, & Consecratus quatro Kalendas Maij, Anno Domini 432. Sedit annos septem, mensem vnum. Creauit Episcopos 52. Presbyteros viginti duos, Diaconos duodecim. Obiit, quinto Kalendas Aprilis, Sepultus via Triburtina ad S. Laurentium, extra muros in crypta, iuxta corpus eius. Vacauit Sedes mensem vnum, dies sexdecim.

S.LEO

LEO PRIMVS PONTIF. XLVI.
ANNO DOMINI CCCCXL.



SAnctus Leo Mag. Quintiani filius, Natione Tuscus, S.R.E. Archidiac. creatus, & consecr. 4. idus Maij die Dom. vixit an. 20 mens. 10 dies 28. Creauit Presbyteros 81. Diac. 31. Epis. per diuersa loca 185. Obiit die 11 Aprilis 461. & primus omnium Pontificum sepultus in Basilica S. Petri Principis Apostolor. Vacauit Sedes dies 18

I. De rebus Ecclesiæ non alienandis.

Hanc prohibitionem latius edixit hic idem Pontifex in eius rescripto ad Gallia Metropolitanos die 11. Decembris. & Agapitus Primus ad Cæsarium Episcopum Arelatensem. Necnon plerique alij Pont. in Decret. & Sex. atque Clem. Et notabo etiam infrà in const. 5. Pauli ij. Ambitiosæ.

Iste autem Pontifex inter Sanctos relatus fuit, eiúsque festum agitur die 11. mensis Aprilis.

Constitutionem de non infeudandis Ciuitatibus, Terris, & locis S.R.E. edidit Pius V. quam habes infr. tom. 2. n. 35. Admonet, eam confirmauit S.D.N. Vrb. VIII. Const. 4. Sacro-sancti infr. tom. 4. Bona verò Iurisdictionalia ad Ecclesias, & loca pia spectantia, in feudum, aut emphyteusim dare, vel vltra triennium locare, seu huiusmodi concessiones renouare, aut prorogare prohibuit idem S.D.N. Vrb. VIII. Const. 51. Humanæ infr. d. tom. 4.

Edita An. D. 447.

LEO PAPA VNIVERSIS EPISCOPIS, per Siciliam constitutis in Domino salutem.

Exordium.



OCCASIO specialium querelarum, curam nobis prouidentiæ generalis indicit, vt quod in duabus Prouinciæ vestræ Ecclesiis improbè gestũ, iniustéq; præsumptum est, id constitutione perpetua ab omni Episcoporum vsurpatione resecemus.

Causa huius Constit.

** aliàs Tauromenitanis.*

§. 1. Tautominitanis * enim Clericis, Ecclesiæ deplorantibus nuditatem; eò quòd omnia eius prædia, vendendo, donando, & diuersis modis alienando, Episcopus dissiparet, etiam Panormitani Clerici, quibus nuper est ordinatus Antistes, similem querimoniarum, in sancta Synodo, cui præsidebamus, de vsurpatione prioris Episcopi, causam detulerunt.

Prohibitio alien. bona Ecclesiæ.

§. 2. Quamuis ergo ordinatum à nobis sit, quemadmodum vtriusque Ecclesiæ vtilitatibus consulatur; ne tamen hoc perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum, cuiquam post hac fiat imitabile, hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam, quâ sine exceptione decernimus, vt ne quis Episcopus de Ecclesiæ suæ rebus, audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere. Nisi fortè ita aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atq; consensu, id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum.

Pœna contrauenien-tium.

§. 3. Nam Presbyteri vel Diaconi, aut cuiuscumque ordinis Clerici, qui conniuentiam in Ecclesiæ damna miscuerint, sciant se & ordine & communione priuandos: quia plenum iustitiæ est, fratres carissimi) vt non solùm Episcopi, sed etiam totius Cleri studio, Ecclesiasticæ vtilitatis incrementa seruentur, & eorum munera illibata permaneant, quæ pro animarum suarum salute, fideles de propria substantia, Ecclesiis contulerunt.

Dat. P. A. 5. die 22. Oct.

Dat. 11. Kalendas Nouembris Alipio V.C. Cons.

II. Confirmatio Sacri, & quarti Oecumenici Concilij Chalcedonensis, in his dumtaxat quæ ad fidei causam spectant. Et comprobatio actorum in Sacro primo & Oecumenico Concilio Nicæno.

Ista Synodus Chalcedonensis congregata fuit, authoritate huiusmet Pontificis, qui de hoc egit cum Theodosio Imperatore in epist. data die 13. Octob anni 449. à me hic sedulò prætermissa.

Hanc eamdem Synodum 4. loco S.R.E. veneratur, Nicænam verò primo loco, vt in cap. 2. & seqq. dist. 15. & 16. & plenè de eo agit Gelas. I., in constit. seq. & Eug. IV. infr. in eius constit. 23. Cantate. §. 20.

Edita. An. D. 452.

LEO EPISCOPVS. Sanctæ Synodo apud Chalcedonem habitæ.

Exultatio de peracto Concilio Chalc.

OMnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitiones sanctæ Synodi; quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonensi ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum: quia nulla sinebat ratio, vt qui vnitatem Catholicæ fidei dolebam ab hæreticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum redisse gauderem.

Approbatio d. Concilij.

§. 1. Hoc autem non solùm ex ipso beatissimæ consensionis affectu, sed etiam in epistolis meis, quas post reditum meum ad Constantinopolitanæ vrbis Antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem Sedis Apostolicæ manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrum quæ in Synodo Chalcedonensi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem; hæc ad omnes fratres, & Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi; gloriosissimus & clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, vt & fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum iunisse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod sæpè dicendum est) propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari; damnatis hæreticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri IESV-CHRISTI incarnatione dubitatio.

Damnatio sectatorum Nestorij, Eutychetis, & Dioscori.

§. 2. Vnde si quis, vnquam ausus fuerit, vel Nestorij perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, à Catholicorum communione resecetur, nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem, fratres carissimi.

Comprobatio actorum in Synodo Nicæna.

§. 3. De custodiendis quoque Sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inuiolabilibus sunt fixa decretis, obseruantiam vestræ sanctitatis admoneo, vt iura Ecclesiarum, sicut ab illis trecentis decem & octo Patribus diuinitus inspirata sunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit quidquid à prædictorum Patrum Canonibus discrepauit. Quorum regulis Apostolica Sedes quàm reuerenter vtatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, me, auxiliante Domino nostro, & Catholicæ fidei, & paternarum traditionum esse custodem.

Dat. P. A. 13. die 21. Martij.

Dat. 12. Kal. Aprilis, Opilione viro clariss. Cons.

HILARIVS PRIMVS PONT. XLVII.
ANNO DOMINI CCCCLXI.



Hilarius Sardus, Calaritanus, Crispini filius, S.R.E. Diaconus Cardinalis, creatus, & coosecratus fuit 3. Kal. Maij. Sedit ann. 6. menses tres, dies 10. Creauit Episcopos passim 22. Presbyteros 25. Diaconósque 6. Obiit die 6. Kalend. Augusti anno 467. sepultus est ad S. Lausentium in, Crypta. Vacauit Sedes dies 10.

SIMPLICIVS PRIMVS PONT. XLVIII.
ANNO DOMINI CCCCLXVII.



Simplicius Castini, aliàs Castoris filius, Tiburtinus, creatus anno 467. sedit in Pontificatu anoos 15. menses 7. & dies 7. Creauit Presbyteros 58. Diaconos 11. Episcopos per diuersa loca 36. Obiit 6. Non. Martij, Anno Domioi 483. Vacaoit Sedes dies 6.

FELIX II. DICTVS III. PONT. XLIX.
ANNO DOMINI CCCCLXXXIII.



Felix II. dictus III. Romanus, ex Patre Feliee itidem genitus, Presbyter Cardinalis de domo Anicia, vixit annos 8. meoses 11. dies 18. Creauit Presbyteros 28. Diaconos.... Episcopos per diuersa loca 31. Obiit Anno Domini 492. 5. Kalend. Martij. Vacauit Sedes dies quinqoe.

GELASIVS PRIMVS PONTIF. L.
ANNO DOMINI CCCCXCII.



Gelasius Primus, ex Patte Valerio Episcopo Africano, creatus, & consecratus v. Nonas Martij, Anno Domini 492. sedit in Pontificia Sede annos 4. menses 8. dies 19. Creauit Presbyteros 22. Diaconos 2. Episcopos 67. Obiit 11. Kalend. Decembris 496. sepultus ad S. Petrum Apostolum, Vacauit Sedes dies v.

De

1. De authoritate Summi Romani Pontificis, in damnandis à fide Catholica deuiantibus: Retractandísque malè actis Conciliis, & benè gestis approbandis.

Consonat Leon. IX. infrà Const. 2. incipiens Cum ex vbi notabo.

Hic autem Pont. inter Sanctos relatus est, eiúsque festiuitas agitur die 21. mensis Nouembris.

Extra. Ann. Dom 495.

GELASIVS EPISCOPVS Vrbis Romæ ad Dardanos.

Eutychianæ hæresis sectatores, à Sancto R. E. traditionibus deuiant.



VALDE mirati sumus, quòd vestra dilectio, quasi nouam veluti difficilem quæstionem, & adhuc tanquam inauditum quippiam nosse desiderat, quòd Eutychianæ pestilentiæ communicatores, non habentes quid pro suæ perditionis obstinatione respondeant, frequenti iam ratione conuicti, misera contentione submurmurant, non quia sit alicuius momenti, quæ garriunt, sed quia non inueniunt penitus quid loquantur. Vbi magis eos, qui Catholicis sensibus instituti sunt, adhuc hærere miramur, quàm illos, qui à veritate exciderunt, & ab antiqua Ecclesiæ traditione sunt deuij, profanasque vocum nouitates, & ineptias caducæ peruersitatis obtendunt, quibus eos vestra dilectio retulit iactitare. Ideóque Acacium non putare iure damnatum, quòd non speciali Synodo videatur fuisse deiectus; & insuper dementiam suæ vanitatis accumulant, pueriliter adiicientes præcipuè Pontificem regiæ Ciuitatis.

Cuius authore Euthychio semel iã dãnato, in Conc. Calced. omnes eius sequaces damnati censentur, nec de d. dãnatione retractatione agi vnquam potest.

§. 1. Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, perquirere vos oportet ab ipsis Beatis Apostolis, & considerare prudenter, quoniam Patres nostri Catholici, doctique Pontifices, in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica, atque Apostolica, secundùm scripturarum tramitem, prædicationémque maiorum facta semel congregatione sanxerant, inconuulsum voluerunt, deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuò quæ præfixa fuerant, retractari, qualibet recenti præsumptione permiserint, sapientissimè præuidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores, stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidiuis, omnis integra diffinitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere; quid fieret si subinde fas esset perfidis inire Concilium? cum, quantumlibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat & falsitas, tametsi ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen contentione non cedens. Quæ maiores nostri diuina inspiratione cernentes, necessariò præcauerunt, vt contra vnamquamque hæresim coacta Synodus, pro fide, communione & veritate Catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent post hæc nouis retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi, sed auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere iudicauerunt, vt quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci.

Ideoque damnato Sabellio, eius sectatores pro damnatis habiti sunt.

§. 2. Et vt priora taceamus, quæ diligens inquisitor facilè poterit vestigare, Sabellium damnauit Synodus, nec vt sectatores eius posteà damnarentur, necesse fuit, in singulos viritim Synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquæ, cunctos qui vel prauitatis illius, vel communionis extitere participes, vniuersalis Ecclesia duxit esse refutandos.

Idem de Ario.

§. 3. Sic propter blasphemias Arij, forma fidei communionisque Catholicæ, Nicæno prolata conuentu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem, siue consensu, siue communione deciderit, sine retractatione conclusit.

Idem de Eunomio, Macedonio, & Nestorio.

§. 4. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium Synodus semel gesta condemnans, vlteriùs ad noua Concilia venire non siuit, sed vniuersos quocumque modo in hæc consortia recidentes, tradito sibi limite Synodali, refutauit Ecclesia, nec vnquam rectè cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, nouis ausibus quæ fuerint salubriter constituta, temerasse.

Resipiscentibus & ab Ario discedentibus à Sancta R. E. recepti fuere.

§. 5. Propterea in tempestate quoque persecutionis Arianæ, plurimi Catholici Sacerdotes de exilio pace reddita, respirantes, sic cum Catholicis nihilominus fratribus Ecclesias composuere turbatas, vt non tamen illius Synodi Nicænæ quicquid de fide & communione Catholica & Apostolica definierat, immutarent, nec nouâ quemquam prolapsum damnatione percellerent; sed illius tenore decreti, nisi resipuissent, censerent esse damnatos.

Sedis Apostolicæ auctoritas est; concilia approbare.

§. 6. Quibus conuenienter (vt dictum est) ex paterna traditione perpensis, confidimus, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.

Quia Sedes Acacium ad se reducere multis literis tentauit.

§. 7. Hæc dum Acacium certis comperisset indiciis à communione Catholica deuiasse, diutius ista non credens, quippe quem nouerat executorem sæpe necessariæ dispositionis suæ contra hæreticos extitisse, per triennium ferè literis distinatis, eumdem monere non destitit, sicut per diuersos missa frequenter scripta testantur. Quibus ille cùm * debito silentio diu non respondere proponeret, Episcopalis quoque directa legatio est, ac nihilominus pagina destinata, quæ præmoneret, cum suorum ante meminisset gestorum, & quæ primitus pro fide Catholica desudasset, oportere respicere. Contestans & blandiendo pariter & minando, ne se à corpore Catholicæ vnitatis abscinderet, simulque quoniam hunc Ioannes, secundæ Sedis Antistes, grauibus pulsaret obiectis, ad primæ Sedis audientiam cohortatus est, vel venire debere, vel mittere. Licèt enim Synodus iteranda non esset, tamen congrueret, vt cuiuslibet Ciuitatis Episcopus, primæ Sedis iudicium non vitaret, ad quod conuenerat secundæ Sedis Antistes, qui nisi à prima Sede non posset audiri, præcipuè qui præiudicatis animis nulla Synodo à Græcis fuisset exclusus, etiam apud eos causam suam, nec posset omninò dicere, nec deberet, quia ab inferioribus Episcopis potior nisi à prima Sede (sicut dictum est) vel discuti potuisset, vel si ita ratio postulasset, addici etiam, cunctis orientalibus Episcopis cum ipso Acacio in Petri communione recidentibus, cùm secundæ Sedis Episcopus Catholicus ab externæ communionis hominibus esset nullatenus iudicandus.

Acacius intentum d. Sedem Apostolicam despexit, & peiora commisit.

§. 8. Sed Acacius non solùm despexit satisfacere postulatis, verùm etiam ipsam legationem Sedis Apostolicæ, blandimentis, præmiis, perturiisque deceptam, quibus ei cum Imperatore promisit, integram Præsulis Apostolici causam de omnibus esse seruandam Petri communione pollutam redire perfecit, in tantum Sedis Apostolicæ despiciens potestatem, vt non solùm eius auctoritati non cederet, sed etiam potiùs in consortium communionis externæ, per legatos suos niteretur abducere, fieretque Apostolicæ Sedi necessitas eos ipsos, quos direxerat Sacerdotes, honore pariter & communione priuare, ne tali contagione videretur infecta, satísque monstraret, non se Acacij specialiter odisse personam, sed respuere fœdera perditorum, quæ etiam in suis Pontificibus detestata conuenienter horreret, nihilominus autem literis suis Acacius indicarat, & in Alexandrini Petri se communionem, quem ex petita Sedis Apostolicæ auctoritate, executor ipse quoque damnauerat, sine eiusdem Apostolicæ Sedis consultatione, promptissimè recidisse, & accusationem Ioannis, laudésque Petri proprio sermone deferre, de quibus, si vtique confidebat, magis vel venire, vel mittere debuisset, vt & præsentem de mendacijs quæ dicebat, posset confutare Ioannem,

& præconia Petri quæ digesserat, rationabiliter allegaret. Quod cum minimè fecerit, satis euidenter ostendit, nec Ioannem se posse conuincere, nec legitimè receptum Petrum habere fiduciam perdocendi, solúmque sibi monstrauit inesse propositum lacerandi Catholicos, hæreticosque laudandi, seseque eorum potiùs, quos laudabat, docuit esse participem, quàm Catholicorum quos nitebatur decolorare, consortem, tulitque de se ipse iudicium, cum damnati hominis communione pollutus, damnationis eius factus est particeps. Ita & Sedes Apostolica, quod ad necessariam diligentiam respiceret, nil omisit, & Acacius secundùm formam Synodi Chalcedonensis, qua error, cui communicauit, elisus est, sicut de hæretico homine scriptum est, suo iudicio condemnatus apparuit, iustéque. Sedes Apost. quæ vtique se Alexandrinum Petrum damnasse, non etiam soluisse memorat, ne per Acacij pristinam communionem, Petri quoque Collegium, cui Acacius communicauerat, incideret, ipsum competenter Acacij à sua communione submouit. Quapropter vtrum errori, vel præuaricationi communicauerit Acacius, quid opus erat noua discussione cognoscere? cum iam literis suis esset ipse confessus, ac sicut scriptum est, Ore tuo iustificaberis, & ore tuo condemnaberis, verborum suorum vinculis, & reus teneretur, & iure plectendus.

Ad eiusque iudicium venire contempsit, sed Anatolius legatos misit.

§. 9. Cur ipse in noua causa, quam Synodus nulla præcesserat, Ioannem, quem suis literis impetebat, qualemcumque secundæ Sedis Episcopum, in primæ Sedis B. Petri Apostoli iudicio confutare despexit, & vt causam diceret, seu per se, seu per alium, vel venire vel destinare contempsit? indignum habens cuiuslibet Ciuitatis Antistites ad primæ Sedis venire iudicium, ad quod Secundæ Sedis cerneret venisse Pontificem, quod Anatolius Constantinopolitanæ Vrbis Episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse monstratur. Ecce etiam in hac parte vocem non habent conquerentes. Ecce inquam ad legitimum est vocatus examen, vbi vel suas partes iustis allegationibus defensaret. Si ille Apostolicæ Sedis refugit examen in Ioannis Catholici Pontificis negotio vestigando, quemadmodum Sedes Apostolica de receptione Petri hæretici sua auctoritate resoluti, Acacij fuerat secutura iudicium? An Sedem Apostolicam congruebat, Parœciæ Heraclinensis Ecclesiæ, idest Constantinopolitani Pontificis, vel quotumlibet aliorum, qui cum eodem, vel propter eum fuerant congregandi, iudicium præstolari? cum Apostolicam eiusdem primæ Sedis audientiam Constantinopolitanus Episcopus declinaret, qui vtique etiamsi Metropolitani esset iure suffultus, etiamsi inter Sedes haberet locum, primæ tamen Sedis cognitionem fas non habuit refutandi, ad quam secundùm Canones, appellante secundæ Sedis Antistite, vocabatur ad nostrorum causam.

Acacius itaque se reum fassus est, & non iure ad legitimum recusauit comparere Sedis Apost. iudicium, & etiā literis suis conuincitur communicator erroris in Concil. Calcedonensi Cōcisso damnati.

§. 10. Hoc ipso satis ostendit, reum se esse confessum, qui ad legitimum iudicium postulatus, adesse contempsit; nec poterat vltra differri, ne sicut dictum est, antiqua illius communione durante, cùm se se iam sociasset externè, Sedes quoque Apostolica per eum pollueretur contagiis perfidorum; dignumque esset, vel præuaricatorem, vel contemptorem iudicij competentis manifestissimè scilicet de suo negotio desperantem, à Catholica atque Apostolica integritate & communione secludi. Hic si examinatio quæritur, iam iudicio non erat opus posteaquam & literis suis ipse confessus est, & ad legitimum iudicium vocatus adire pertimuit. Si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonensis Synodi tenor, cum Apostolica Sede consentiens, & illius definitionis exequutio, reperitur condemnati illic erroris communicator effectus; præfixæ nihilominus ibidem particeps damnationis apparuit. Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, participe quolibet prauæ communionis effecto, & exsecrationem sui gestat, & pœnam. Hoc tenore etiam Timotheus Hillurus, atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundùm certè Sedem quoquo modo tacuisse videbantur, non repetita Synodo, sed auctoritate tantummodo Sedis Apostolicæ, ipso quoque Acacio postulante, vel exequente, probatur esse damnatus. Nunc autem ipsi doceant legitimè fuisse Petrum purgatum, & ab omni hæreticorum contagione ritè discretum, cùm ei communicauit Acacius si eius communicatorem putant Acacium aliquatenus excusandum, aut si, quod magis est verum, conuenienter atque legitimè Petrum probare non poterunt expiatum, propter quod etiam ad Apostolicæ Sedis iudicium Acacius vel venire, vel destinare non ausus est, restat vt in eius communicatione fuerit, & qui ei communicauit, infectus.

Sedes Apostolica omnes iudicat, & à nemine iudicatur, nec vllo modo ab ea appellatur.

§. 11. Non reticemus autem, quòd cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpotè quòd de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter cum satis constet, Acacium nullum habuisse pontificium, sententia Sedis Apostolicæ damnatum, sine vlla eius notione soluendi, dicant certè qua Synodo hoc ille præsumpsit, quod nec sic quidem absque Apostolica Sede fas habere efficere? cuius Sedis Episcopus? cuius Metropolitanæ Ciuitatis Antistes? nonne Parœciæ Heracliensis Ecclesiæ? Si illi certè licuit sine Synodo sententiam Apostolicæ Sedis abrumpere, nulla eius consultatione quæsita, itáne verò non licuit primæ Sedi Chalcedonensis Synodi constituta, sicut decuit exequenti huiusmodi præuaricatorem sua auctoritate detrudere?

Damnáque & absoluit omnes siue præcesserit Synodus quæ malè iudicauerit, siue nō.

§. 12. Sed nec illa præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, vt dictum est, more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & absoluendi quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.

Athanasium in Synodo dānatum absoluit.

§. 13. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat quem tamen exceptū Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit.

Ioannē Constātinopolitanum itidem absoluit.

§. 14. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Constantinopolitanum, Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnaret, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit.

Flauianum quoque liberauit, & Dioscorum condemnauit, ac Ephesinā Synodum malè secundo loco actam improbauit.

§. 15. Itémque sanctæ memoriæ Flauianum, Pontificum Congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit, potiúsque qui illic receptus fuerat Dioscorum secundæ Sedis Præsulem sua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo submouit, ac pro veritate, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit, in qua Pontificibus innumeris qui latrocinio corruerant Ephesino veniam poscentibus, sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostrauit, quam, Congregatio quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est sequuta. Quoniam sicut id quod prima Sedes non probauerat, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit.

Synodus Calcedonensis, & Synodū Ephesinam iure dānauit, quā vniuersalis Ecclesia rationabiliter approbauit.

§. 16. Vbi etiam consequenter ostenditur, quia malè gesta Synodus, id est, contra scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota meritò Ecclesia non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probauit per benè gestam Synodum, id est, secundùm scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas, pro fide Catholica, & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobauit, vt debuerit, & potuerit immutari. Benè verò gestam Synodum iuxta supradictum modum, noua Synodo nullatenus immutandam. Proinde si Eutychen fatentur hæreticum, malè gestam apud Ephesum Synodum, qua est receptus, pariter fatebuntur, & per bene gestam, Synodum Chalcedonensem, quod Eutyches, vel cum eo sentientes talia, sunt reiecti, velint, nolíntque consentiunt, atque ideò bene gestam Synodum nouis exagitationibus retractari non licuisse cognoscant. Qui si forsitan dixerint, eo tenore Ephesinam quoque Synodum non licuisse mutari, rursus hæc eadem quæ suprà deprompsimus, planius repetita perpendantur, id est, quia contra fidem, contra veritatem, communionémque Catholicam, veréque Christianam, non rectè gesta Synodus, legitima Synodo pro fide, veritate, communionéque Catholica, veréque Christiana modis omnibus secludenda est, & iniusta Synodus, iusta Synodo submouenda.

§. 17.

Synodus semel bene acta nusquam retractatur, & ab ea deuiantes damnati censentur.

§. 17. Pro fide autem & veritate & communione Catholica, bona Synodus, veréque Christiana, semel acta, nulla nec potest, nec debet, nouæ Synodi iteratione conuelli; sed secundùm benè gestam Synodum, rectéque præfixam, si quis ab eius tramite deuiarit, consequenter, ac sufficienter eius definitione plectendus, meritóque illius subiacet constitutis. Nec opus est per singulos quosque deuiantes, rursque plectendos, nouas rursus Synodos introduci, cùm ex illius tramite, quæ auctorem cum errore damnauit, quisquis quolibet modo, quolibet titulo complex eiusdem fuerit factus erroris, vt qui eius se contagione polluerit, competenter, & particeps eiusdem damnationis existat, eiusque pœna puniatur obstrictus, cuius maluit inire consortium.

Eutychen negantes fuisse hæreticum, Eutychiani sunt & damnati cum ipso Eutyche.

§. 18. Quæro ergo ab his, quid de Eutyche sentiant? fuisséne hæreticum, an asserunt non fuisse? si non fuisse contendunt, quid ambagibus agunt? quid circuitionibus præstigiisque se contegunt? palàm se Eutychianos esse pronuncient, vt in eius sacrilego furore conuicti, veritatis molibus obruantur, apertéque cognoscant, non solùm hæc ipsa pestis Eutychiana, quantùm Christiano dogmati probetur inimica, sed quantas alias hæreses, eásque grauissimas, in sua prauitate contineat, vt in quibus foueis voluentur, & in quod præcipitium baratrúmque mergantur, intelligant. Simul autem si Eutychen hæreticum negant, & omnimodis publicatur, quod ideò de omnibus Eutychianæ pesti communicantibus, suppresso veluti hoc ipso errore contendunt, vt nos per talium hominum, quod absit, insidias captiosasque tendiculas, in Eutychetis insaniam nitantur inducere; quod quidem etiamsi non negent, siue scientes, siue nescientes facere confutantur.

Eundem hæreticum esse fatentes, d. Synodum Ephes. illū recipientem, improbam fuisse admittunt, ac Synodū Chalcedonens. eundē cum Dioscoro damnātē iustā fuisse supponunt ideoque iure à Sede Apost. comprobatam fatentur.

§. 19. Sin verò & Eutychen hæreticum negare non audent, restat vt contra Catholicam fidem, non Synodum nuncupandam, sed conspirationem potiùs perditorum fuisse consentiant, quæ apud Ephesum, Eutichete reducto, peculit Sanctæ memoriæ Flauianum, cunctósque qui illic aderant Sacerdotes, militari terrore compulerit tanto sceleri præbere consensum. Atque ideò nobis necesse est, prauam peruersamque conspirationis illius, & latrocinalem fuisse perhibeant actionem, eamque debuisse modis omnibus aboleri, & ideò iustam, bonam, veraciter Christianam Chalcedonensem Synodum processisse definiant, in his quibus Eutychete depulso, cum suo fautore Dioscoro, hæresim eorum errorémque damnauit. Hanc ergo Synodum (vt dictum est,) bonam, veram, iustam, Christianámque esse non dubitant, per quam illa noxia sit remota.

Et ideo deuiantes à d. Synod. Calcedonensi, vel eis communicantes damnati sunt.

§. 20. Perspiciant ergo tandémque concedant, quod quisquis ab eius iustæ, Christianæ, veræque Synodi fide, communione & veritate deuiarit, vel ab ea deuiantibus communionem miscuerit, sufficienter atque competenter secundùm ipsius definita, teneatur obstrictus, quoniam mala Synodus, bona debuit submoueri. Bona verò Synodus, nulla causa est, cur alia debeat Synodo retractari, ne ipsa retractatio eius constitutis deroget firmitatem.

Et sectatores Eutychetis eadem damnatione ligantur.

§. 21. Proinde quicumque Congregationis Ephesinæ tenentur affectu, quid adhuc Acacij tantummodo nomen obtendunt, & non palàm se sectatores Eutychetis; qui illic receptus fuerat, profitentur?

Illum verò execrātes, Synod. Calcedonensem non iterandā, sed exequendam esse cognoscunt.

§. 22. Qui si refugiunt, atque Eutychen se perhibent execrari, simul ergo & Ephesinam qua malè receptus est, conspirationem iure cessatam, & Chalcedonensem Synodum, qua reiecta est, meritò consentient institutam, atque ita Synodum, quæ pro fide Catholica sit præfixa, secundùm vestram formam, sicut dictum est, perspicient, nouellis nō potuisse quęstionibus ventilari, sed iuxta eius tenorem semel legitimè, iustéque depromptum, & iura probari recta sectantes, & sentientes contraria refutari, quod Sedes Apostolica, sicut decuit antiqua traditione custodiens, non Synodum duxit iterandam, sed in eis præuaricatore pellendo, hanc eamdem Synodum potius exequendam.

Acacius itaque improbè Calceden. Synodi retractatione tentauit.

§. 23. Quapropter si quis adhuc secundum Calcedonensem Synodum hæc ab Apostolica Sede gesta reprehendit, præterquam quod & hac qua superius astruximus & multiplici potest ratione conuinci, multo magis tamen Acacio non licuisse fatebitur ista tentare.

Ioannem namque antistitē Catholicum improbè expulit, & Petrum hæreticum subrogari permisit.

§. 24. Dicat ergo qua ipse Synodo Ioannem secundæ Sedis Antistitem qualemcumque, certè Catholicum, & à Catholicis ordinatum, nec de Catholica fide & communione aliquatenus impetitum, duxerit excludendum & hæreticum manifestum Petrum, sua quoque executione damnatum, Pōtifici Catholico permiserit subrogandum? Cùm etiamsi reus manifestus esset Ioannes, post eum saltem Catholicum conuenisset præfici Sacerdotem, sicut ipse quoque suis factis sanctæ memoriæ Timotheo Catholico in Alexandria faciendum promisisse legitur Imperator. Qua Synodo tertiæ Sedis Episcopum Calendionem idem expelli fecit Acacius, nihilominus eumdem Petrum tam hæreticum manifestum, vt eidem palàm necesse communicare prætenderet, sua passus est dispositione substitui? Qua denique per totum Orientem Synodo eiectis Orthodoxis nullo crimine maculatis, prauos quosque, & criminibus inuolutos, sua prouisione supposuit? Qua Synodo tot aliena priuilegia nefandus populator inuasit?

Aliaque enormia patrauit.

§. 25. Sed sibi non sufficient, si tragœdias eius, quas per Ecclesias totius Orientis exercuit, sigillatim scribere moliamur. An illud ipsius argumentum nobis existimant opponendum, quo facinora sua in imperialem nisus est iactare personam? Cur igitur, quando, voluit obstitit Basilisco tyranno certè & hæretico vehementer infesto? Cur ipsi Imperatori Zenoni, quia palàm Antiocheno Petro noluit communicare, suam non subdidit voluntatem? Ecce potuit, & in aliis resultare, si vellet. Sed vt ea quæ latiùs explicanda sunt, omittamus, quidquid ipse Zenon Imperator suis literis profitetur, cuncta sese ex Acacij gessisse consilio, nec hoc eum fallere literis suis, ipse pariter testatur Acacius, qui & eum nihilominus vniuersa rectè gessisse conscripsit, & suo consilio hæc eadem gesta non tacuit. Quasi verò tantùm in Alexandrini Petri communione Acacius præuaricator extiterit, & non in omnibus vel fecit, depulsis Catholicis Pontificibus tanquam Tyrannus, Ecclesiis quibusque præponi, vel taliter præpositis peruersa communione permixtus est, qui hoc ipso secundùm Canones fuerant ab Ecclesiastica communione pellendi, quod se passi sunt successores viuis Sacerdotibus adhiberi. Quis autem non perspiciat Christianus, quòd Catholicis Pontificibus propria Sede deiectis, non his hæretici potuerint introduci; quibus tamen cunctis, vel auctor fuit Acacius subrogandis vel subrogatis communicator accessit. His vtique qui à communione hæreticorum nullatenus discrepabant. Cur ergo vel cum hæc fieri videret Acacius, non, sicut sub Basilisco iam fecerat, ad Apostolicam Sedem referre curauit? vt si solus ipse non poterat, iunctis cum eadem consiliis, atque tractatibus, apud Imperatorem possent quæ Religioni competerent allegari. Nam si Basiliscus, vt dictum est, tyrannus & hæreticus, scriptis Apostolicæ Sedis vehementer infractus est, & à plurimis reuocatus excessibus, quantò magis legitimus Imperator, qui se Catholicum videri volebat, potuit cum Apostolica Sede cunctorum quoque Pontificum moderata suggestione mitigari? præcipuè cum eiusdem Acacij esset specialis fautor & amator, & qui literis suis tam ipsum Acacium, quàm sanctæ memoriæ Papam Simplicium magnis laudibus extulisset; doceretur quòd hæreticis constantissimè restitisset. Cur tanto tempore Acacius inter ista conticuit? nisi quia præpediri nolebat vllatenus, quæ pro hæreticis desiderabat impleri. Ponamus tamen etiamsi nulla Synodus præcessisset, cuius Apostolica Sedes rectè fieret executrix, cum quibus erat de Acacio Synodus ineunda? nunquid cum his, qui iam participes tenebantur Acacio, & per Orientem Catholicis Sacerdotibus violenter exclusis, perque exilia diuersa relegatis, socij euidenter existebant communionis externæ, priùs se ad hæc consortia transferentes, quam Sedis Apostolicæ scita consulerent? Cum quibus ergo erat Synodus ineunda? Catholici Pontifices fuerant vndique iam depulsi, solique remanserant socij perfidorum, cum quibus iam nec licebat habere conuentum, quia moris Ecclesiastici omninò non esset cum his qui pollutam communionem tenerēt, permixtámque cum perfidis, vllum miscere consilium. Propheta quoque dicente, non sedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non

Introibo. Odiui Congregationem malignorum, & cum impiis non sedebo. Rectè igitur per Chalchedonensis Synodi formam huiusmodi præuaricatio repulsa est potiùs, quàm ad Concilium, quod nec opus erat post primam Synodum, nec cum talibus habere licebat, adducta est. Nam & quid ageretur de fide Catholica, si intelligere voluissent, ignorare non poterant, cùm viderant Catholicos Pontifices nulla Synodi discussione, nullo Concilio, præcipuè cùm nouas causas esse perpenderent, toto Oriente depelli, & cæteri quid cauerent, ea illorum discera qualitate potuissent. Restat igitur vt illius partis eos fuisse sit clarum, cui se post tot experimenta dediderunt, meritóque ab Apostolica Sede, cæterisque Catholicis non iam consulendi erant potius, sed notandi.

Constantinopolitanā Ecclesiam prætendebat aliis esse maiorem ob imperatoris præsentiam. c.

§. 26. Risimus autem quòd prærogatiuam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit regiæ Ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Syrmium, apud Treuiros, multis temporibus non constitit Imperator? Nunquid harum Vrbium Sacerdotes vltra mensuram sibimet antiquitùs deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt? Nunquid Acacius, vt Ioannem qualemlibet hominem, Catholicum tamen, à Catholicis ordinatum de Alexandria excluderet, Petrúmque in hæresi iam detectum atque damnatum, absque Sedis Apostolicæ consultatione reciperet, aliqua Synodo saltem illis habita, hoc audacter arripuit, vt Calendionem de Antiochia pelleret, hæreticúmque Petrum, quem ipse quoque damnauerat, absque notitia Sedis Apostolicæ rursus admitteret, aliqua Synodo id fecisse monstratur? Si certè de dignitate agitur Ciuitatum, secundæ Sedis & tertiæ, maior est dignitas Sacerdotum, quàm eius Ciuitatis, quæ non solum inter Sedes minimè numeratur, sed nec inter Metropolitanorum iura censetur. Nam quod dicitis regiæ Ciuitatis, alia potestas est Regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua Ciuitas prærogatiuam præsentis Regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara Vrbs illa potestate præsentis Imperij, Religio tunc sub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta consistit, si potius hoc præsente propriam teneat sine vlla perturbatione mensuram. Postremò, si sibi de Imperatoris præsentia blandiuntur, & inde putant Constantinopolitanæ Ciuitatis Episcopi potiorem fieri posse personam; audiant Martianum eiusdem Principem Ciuitatis, posteaquam pro augmento Vrbis ipsius Sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, Sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium eiusdem Sedis antistitem, clerum potius Constantinopolitanum, quàm se tentasse talia confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum B. Papam Leonem Sedis Apostolicæ præsulem, cuius Synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quicquid vltra quam ab eodem pro fide & communione Catholica, atque Apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem Congregationis illius præter Nicænos Canones noua videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. Eaque nihilominus etiam sub Sanctæ memoriæ Papa Simplicio, Legatum Sedis Apostolicæ Sanctæ memoriæ Probum Canusinæ Vrbis Episcopum, Leone Principe tunc petente præsente, docuisse nullatenus posse tentari, neque hic prorsus præbuisse consensum. Atque ideò non ad Ciuitatis cuiuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis Ecclesiasticæ, paternæ traditione firmatum conuenienter obseruent.

Ipsúmque pro religione Catholica apud Imperatorem nihil egisse demonstrat.

§. 27. Dicatur autem de Alexandrino, & Antiocheno Episcopis certis ex causis Principem magis illa quæ gesta sunt, non Acacium percepisse, sed Principi Christiano decuerat suggerere Sacerdotem maximè cuius familiaritate & fauore fruebatur, saluam fore de eiusdem iniuria contumeliáque vindictam, tantùm vt Ecclesiæ sineret Christianus Princeps regulas custodiri, quia & noua in vtroque Pontifice causa esset exorta, & nouam discussionem consequenter inquireret, & sicut semper esset effectum, ac diuinæ pariter leges, humanæque censerent, vt Sacerdotali Concilio de Sacerdotibus iudicia prouenirent, non à sæculari viderentur qualescumque Pontifices, etsi errore humanitùs accedente, non tamen religionem vllatenus excedentes potestate percelli. An adhuc iusta ratione Principi suggerenda non erat Regiæ Ciuitatis honore sublimis? si factus erat in regia Ciuitate sublimior, tantò magis in his suggerendis debuit esse constantior. Si autem in his quæ pro religione fuerant exercenda, extitit contemptibilis, & aut segnis, aut fiduciam non habens intimandi, in quo per regiam Ciuitatem maior effectus est? an vt per ea suæ præuaricationis exerceret potiùs tyrannidem, quàm causas religionis legitimæ procuraret?

Nathan Propheta exemplum contra ipsum Acacium adducit.

§. 28. Nathan Propheta, palàm publicéque in facie Regi Dauid, & commissum pronunciauit errorem, & ipsum commisisse non tacuit, & confessione correctum consequenter absoluit.

Et S. Ambrosij aliud exemplum.

§. 29. Beatæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis Sacerdos Ecclesiæ, maiori Theodosio Imperatori communionem publicè palámque suspendit, atque ad pœnitentiam redegit regiam potestatem.

Leonis, que PP.

§. 30. Beatæ memoriæ Papa Leo, sicut legitur, Imperatorem Theodosium iuniorem, Ephesino latrocinio liberè coarguit, excedentem.

Hilarij etiam Papæ.

§. 31. Sanctæ memoriæ quoque Papa Hilarius Anthemium Imperatorem, cùm Philotheus Macedonianus eius familiaritate suffultus, diuersarum conciliabula noua sectarum in Vrbem vellet inducere, apud Beatum Petrum Apostolum palàm ne id fieret, clara voce constrinxit, in tantum vt non ea facienda cum interpositione Sacramenti idem promitteret Imperator.

Simplicij quoque & Felicis Pontificum.

§. 32. Sanctæ memoriæ nihilominus Papa Simplicius, & post eum Sanctæ memoriæ Papa Felix, non solùm Basiliscum Tyrannum, sed etiam Imperatorem Zenonem, pro iisdem ipsis excessibus, auctoritate libera sæpius increpasse noscuntur, flectique potuisset, * nisi Constantinopolitani Præsulis accenderetur instinctu, qui particeps externæ communionis effectus, necessariò in quod inciderat, iam fouebat; malens in suæ præuaricationis obstinatione persistere, quàm curandus ad salubria remeare, sicut ipse rerum probauit euentus.

** aliàs potuissent.*

Eugenij Episcopi Carthaginensis.

§. 33. Ecce nuper Honorico Regi Vandalicæ nationis, vir magnus & egregius Sacerdos Eugenius Carthaginensis Episcopus, multique cum eodem Catholici Sacerdotes, constanter restiterunt sæuienti, cunctáque extrema tolerantes, hodiéque persecutoribus resistere non omittunt.

Ipsi insunt Th. ipsius alia exempla adducit.

§. 34. Nos quoque Odoacri barbaro hæretico Regnum Italiæ tunc tenenti, cum aliqua non facienda præciperet, Deo præstante, nullatenus paruisse manifestum est.

Acacium verò non Imperatori restitisse, sed potius fauisse ostendit.

§. 35. Hic autem vir bonus Acacius, & Sacerdos eximius, in tantùm se & suggerere potuisse monstrauit, & noluisse deprompsit, imò fauisse patefecit, vt & Imperator cuncta se ex eius gessisse consilio non taceret, & ipse Imperatorem magnis præconiis eleuaret ista facientem, seseque prodidit his agendis rebus fuisse participem.

Imperator inconsultè deiecit Antistites absque aliqua Synodo.

§. 36. Sed esto, Calendion Imperatoris nomen abstulerit, Ioannes Principi mentitus fuisse iactetur, quæ tamen cùm nouæ essent causæ, noua debuit Ecclesiastica præuenire discussio? an qui in hominem Imperatorem peccasse dicebantur, nulla interueniente Synodo deiici debuerunt?

Acacius autē iustè absque Synodo à Papa damnatur.

§. 37. Et in Deum qui summus & verus est Imperator, Acacium delinquentem, sincerámque communionem diuini Sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundùm Synodum, qua hæc est damnata, perfidia, non oportebat expelli?

Qui Acacius Sacerdotum depressionem videns, Synodi celebrationem proponere debebat. Ideoque tacens, consensisse dicitur.

§. 38. Quid de innumeris per totum Orientem Catholicis Sacerdotibus propriâ Sede depulsis, & indubitanter hæreticis intromissis? Nouæ certè erant causæ, & his consequenter noua Synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem vt in talibus causis peteretur à Principe, saltem qualiscumque Synodus celebranda? vt quocumque vel colorato iudicio traditionis Ecclesiasticæ, passim Pontifices viderentur excludi non solùm quarumcumque Vrbium Sacerdotes, sed Metropolitani

incun

incunctanter Antistites? His omnibus cùm non restitit suggestione quà potuit, consenuit Acacius communicando cunctis, qui in Catholicorum locum, hæretici fuerant subrogati. Apostolus autem dicit. Non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, reos indubitanter adscribi.

Et propterea Acacius iuxta secundam Synodi Calcedonensem pro eius communione cum Intimicis d. Synodi à Papa damnatus est.

§.39. An hæc licuit sæculari potestati, & actis talibus Acacio consentiente absque vlla Synodo, quam ipsa rerum nouitas exigebat, absque Sedis Apost. consultatione perficere, & Sedi Apostolicæ non licuit secundùm tenorem Synodi Chalcedonensis, in veteri vtique causa, & veteri constituto iuxta diffinitionem damnata, inimicis Synodi Chalcedonensis Acacium communicantem à sua communione depellere?

§.40. Sed inquiunt, Acacius Principi obuiare non potuit: cur Basilisco, quia voluit, obuiauit? Cur ipse Zenoni, ne palàm Petro Antiocheno (quamuis latenter hoc fuerit) communicare videretur, non commodauit assensum; Ecce resultanti non institit Imperator, ecce vim nolenti non intulit, ecce refugienti contagia manifesta concessit. Postremò, cur tanto tempore, cum ista gererentur, vel gerenda cognosceret, non ad Sedem Apostolicam, à qua sibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre maturauit, sed prius laudator factus est ipse gestorum, quàm vel præmoneret talia esse tentanda, vel ne tentarentur obsisteret, sicut sub Basilisco iam fecerat; Cur illis cæteris communicare consensit, qui depulsis Catholicis Sacerdotibus, indubitanter hæretici singulis Vrbibus fuerant substituti? Postremò, ille defuit suis partibus, & quæ Sacerdoti Catholico competerent, agere fastidiuit: ideò Sedes Apostolica, quod ad eamdem pertinebat vel potuit vel debuit præterire. Quolibet igitur modo hæreticorum complicem refutauit, & consortem communionis externæ à sua communione dimouit.

Nec Papa damnationē Acacij debuit intimare Episcopis Orientis, quia communicauerāt Acacio & ideo vti eius sectatores dānati quoque sunt.

§.41. Nec opus fuit noua Synodo, cùm veteris constituti sufficienter hæc forma præscriberet, nec opus fuit, vt hæc scienda Orientis Episcopis intimaret, quos expulsione Catholicorum, quæ agebantur in causa fidei, non ignorasse manifestum est, & communicando hæreticis subrogatis, facto tali consensisse non dubium est, etiam cum externæ communionis effectis, nec potuisse, nec debuisse Sedis Apostolicæ scita tractari. Ecce agnouerunt in eorum professione, qui constantissimè perdurarunt, quod fidei communionique Catholicæ deberetur. Ecce agnouerunt quemadmodum à talibus recedendo, imo talibus contra moliendo, à fide & communione Catholica deuiarit Acacius, seque pariter cum eodem, errori subdiderint. Ecce agnouerunt quàm iustis ex causis, pro fide & communione Catholica atque Apostolica (cui, & illi qui in ea persisterant, congruebant; & hi, qui pro stantibus obuiabant, ab eadem docebantur alieni) Sedis Apostolicæ auctoritate sit remotus Acacius, ad cuius præcipuè vocatus examen, vel venire vel mittere non curauit, vt se de his omnibus, vt confidebat, absolueret, eiusque pariter quicumque complices extiterunt, atque ab illa merito cum his communione discretus, à qua se ipse primùm cum suis consortibus Catholicis Pontificibus discrepando, cognoscitur separasse. Iuréque sententiam ille damnationis excepit, cæterisque consortes cum suis consortibus promulgandam, qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recidisse perfidiæ, ad Apostolicam Sedem missis literis est professus. Cui Acacio, si communicauerant Orientales Episcopi; antequam huc referret, pari vtique reatu, sine dubio probantur inuolui, iureque per illum transgressionis sententiam susceperunt, tanquam facti cum eodem communionis exteræ, qui vtique non consuli, tanquam nostræ communionis homines, iam deberent, sed tanquam in contrario positi, in consortio refutari. Si verò non communicauerant antequam Acacius huc referret, & communicantem notare debuerant, & ipsi de eodem potius huc referre, atque Apostolicæ Sedis vigore perculsum, merito comprobaret, cumque ea Sede Apostolica, tantisque illis Catholicis Pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate desciuerant, & eorum successoribus communicasse delegerant, ideò cum Sede Apostolica minimè congruebant, quia in sortem reciderant præuaricatoris Acacij, & illius se sine dubio præuidebant sententia consequenter astringi; ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem præuaricatione damnatos, in qua hodie quoque manere persistunt. Sed sicut ij simili conditione constricti, complicem suum non possunt indicare non iure damnatum, neque reum possent competenter absoluere; sic illo iustè præuaricatore damnato; ipsi quoque pari iacent damnatione prostrati, neque ipsi resipiscentes poterunt prorsus absolui, Quia sicut per vnum scribentem, eorum omnium vulgata transgressione, qui in eamdem perfidiæ reciderant actionem; sic in vno eodémque qui pro omnibus scripserat, vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressione punita, pariter quoque, cum eodem vel in eodem, est complicium transgressio punita cunctorum.

Solus ergo Pontifex d. damnationis sententiam tulit in Acacium.

§.42. Quæ tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo Præsulis Apostolici, cuius erat vtique potestatis legitimæ, probatur esse deprompta, præcipuè cùm secretò dirigenda videretur, ne custodiis vbique prætensis, dispositio salutaris, quibuslibet difficultatibus impedita, necessarium habere non posset effectum.

Quæ plurimorum Italiæ Sacerdotum congregatione probata fuit.

§.43. Tamen, quia Orthodoxis vbique deiectis, & hæreticis tantummodo, eorumque consortibus, iam relictis in Oriente, Catholici Pontifices, aut residui omninò non essent, aut nullam gererent libertatem, plurimorum in Italia Catholicorum Congregatio Sacerdotum, rationabiliter in Acacium sententiam cognouit fuisse prolatam. Quæ Congregatio, facta Pontificum, non contra Chalcedonensem, non tanquam noua Synodus contra veterem primamque cognouit, sed potiùs secundùm tenorem veteris constituti, particeps Apostolicæ executionis effecta est. Vt satis appareat Ecclesiam Catholicam, Sedémque Apostolicam, quia alibi iam omnino non posset, vbi potuit, & cum quibus potuit, nihil penitus omisisse, quod ad fraternum pertineret, pro intemerata, & sincera communione, tractatum.

Quæ omnia Orientales cognoscentes & obdurati persistentes, à salutis via aberrant.

§.44. Quæ cùm vniuersa nouerint, qui videntur Ecclesiis orientalibus nunc præesse, propterea Christianam reparari legitima curatione refugiunt vnitatem, quia occasionem dissensionis huius, suis ambitionibus suffragantem, deponere iam recusant, quia sine auctoritate Sedis Apostolicæ omnium Ecclesiarum passim iura confundunt, magis eligentes in errore persistere, quàm præsumptionum suarum perdere facultatem, plus vsurpationum suarum licentiam diligentes, quàm diuini iudicij tenentes corde respectum. In quo necesse est, velint nolint, tam de fidei communionisque Catholicæ sinceritate neglecta, quàm de paternis Canonibus euidenter irruptis, recipiant quod merentur, nisi dum hic tempus admittit, hæc damnationis æternæ pericula, correctis mentibus studeant declinare, vt possint non tales permanere, quibus insolubilis est lata sententia, sed à talibus recedentes, ab eadem sententia non teneri. Quæ sicut in errore durantibus nunquam soluenda præfixa est, sic ab his erit aliena qui extiterint puniendæ prauitatis immunes.

Hortatur illos Pont. Dardanos, vt hæc omnibus patefaciant.

§.45. Hæc verò ad institutionem vestræ dilectionis, satis abundéque sufficere iudicamus, quamuis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere, quatenus & fidelium quisque cognoscat, nihil Apostolicam Sedem (quod absit) præproperè censuisse, & non habere quod iustè possit opponere, peruersa doceatur improbitas. Rectè autem faciet vestra dilectio, si ista quæ scribimus, pariter Catholicis, & contraria sapientibus innotescat, quo & sanis necessaria firmitas, & malè sanis competens medicina præbeatur.

Dat P. An. 4. die 1. Feb.

Dat. Calendis Februarij, Victore viro clarissimo Consule.

ANASTASIVS II IVNIOR PONT. LI.
ANNO DOMINI CCCCXCVII.



ANastasius Secundus, Iunior, Petri filius, Roman. de Regione Exquilina, de vico, in quo eodem Papa Alexander I. est natus, Caput Tauri cognominato. Creatus, & consecratus 5. Kal. Decembris, Anno Domini quadringentesimo, nonagesimo septimo, sedit annum vnum, mens. vndecim, dies vndecim. Creauit Presbyteros duodecim, Episcopos per diuersa loca sexdecim. Obiit 13. Kal. Decemb. anno quadringentesimo, nonagesimo nono, sepultus ad Sanct. Petrum. Vacauit Sedes dies tres.

COELIVS HORMISDA PONT. LIII.
ANNO DOMINI DXIV.



COElius Hormisda, natione Campanus, patriâ Venafranus, filius Iusti de Frusinone ex Diacono Cardinale creatus septimo Kalendas Augusti, Anno Domini 514. sedit in Petri Cathedra annos nouem, dies 21. Creauit Presbyteros 21. Diaconos 10. Episcopos per diuersa loca 55. Obiit, Anno Domini 523. Corpus eius in Basilica Beati Petri Apostoli ad Vaticanum sepultum est. Vacauit sedes Romana dies 6.

COELIVS SYMMACHVS PONT. LII.
ANNO DOMINI CCCXCIX.



COElius Symmachus, Fortunati filius, Natione Sardus, patria Simageusis, hodie Symagis dicta, oppidulo nunc 40. ędium Diœcesis Arborensis Creatus, & consecratus x. Kal. Decembr. ex Diacono Cardinale S.R.E. An. 499. in Basilica Constantiniana, sedit annos 15. mens. 7. dies 28. Creauit Presbyteros 92. Diac. 16. Episcopos per diuersa loca 117. Obiit 14. Kal. Augusti Ann. 514. & sepultus fuit in Basilica S.Petri. Vacauit sedes dies 7.

[illegible] hisma quintum in Romana Ecclesia inter Symmachum legitimum Papam, & Coelium Laurentium Spurium.

IOANNES PRIMVS PONTIF. LIV.
ANNO DOMINI DXXIII.



SAnctus Ioannes I. Constantij filius, Tuscus S.R.E. Presbyter Cardinalis, SS. Ioannis, & Pauli, Titulo Pammachij, à Gelasio Papa factus. Creatus, & consecratus pridie Idûs Augusti, Anno Christi 523. sedit annos 2. menses 9. dies 16 Creauit Episcopos 15. Obiit, Anno Domini 526.6. Kal. Iunij. Corpus eius ad Vrbem Rauenna delatum. Vacauit sedes mensem 1. dies 28.

FELIX III. DICTVS IV. PONT. LV.
ANNO DOMINI DXXVI.



FElix III. Dictus IV. Castorij fimbrij Samnis, Beneuentanus, S.R.E. Presbyter Cardinalis S. Syluestri in Esquiliis tit. Equitij ab Hormisda Papa factus, creatus, & consecratus 8. Kal. Augusti, Anoo Christi 526. sedit annos 4. menses duos, dies 18. Creauit Presbyteros 55. Diaconos 4. Episcopos per diuersa loca 29. Obiit Romæ 4. Idus Octobris 530. Corpus eius in Basilica Principis Apostolorum sepultum est. Vacauit sedes dies tres.

IOANNES SECVNDVS PONT. LVII.
ANNO DOMINI DXXXI.



IOannes II. Iunior cognomento Mercurius, Profecti filius, Romanus de Regione Cælij Montis S.R.E. Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis, creatus, & consecratus Romæ 12. Kalend. Febr. Anno Christi 535. sedit ann. 2. menses 4. dies 6. Creauit Episcopos 21. Presbyteros 25. Diacon. ..... Obiit Romæ 11. Kal. Iunij Anno Christi 534. Sepultus in Basilica Principis Apostolorum ad Vaticanum. Vacauit Sedes dies 6.

BONIFACIVS II. IVNIOR PONT. LVI.
ANNO DOMINI DXXX.



BONifacius II. Iunior Sigisuuldi, vel aliàs Sigisbundi filius Romanus S.R.E. Presbyter, Cardinalis, tit. S. Cæciliæ licèt natus Romæ, genere tamen fuit Gothus, creatus, & consecratus Romæ 17. Kal. Nouembris anni 530. non sine contentione, sedit annum vnum, dies duos. Obiit 16. Nouembris 532. Sepultum. Corpus eius in Basilica Principis Apostolorum. Vacauit Sedes menses 3. dies 5.

Schisma sextum in Romana Ecclesia inter Bonifacium secundum Papam, & Dioscorum Antipapam.

AGAPETVS PRIMVS PONT. LVIII.
ANNO DOMINI DXXXIV.



SAnctus Rusticus Agapetus, Gordiani Presbyteri Cardinalis SS. Ioan. & Pauli, tit. Pammachij, ex legitimo matrimonio filius Romanus, S.R.E. Archidiaconus Presbyter Cardinalis in Basilica SS. Duodecim Apostolorum, creatus, & consecratus Romæ prid. nonas Iunij, Anno Christi 534. sedit menses 11. dies 19. Creauit Diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca vndecim, defunctus est Constantinopoli 11. Kal. Iunij anno 536. cuius Corpus in loculo plumbeo translatum est Romam, vsque ad Basilicam S. Petri vbi sepultum est 12. Kal. Octobris.

COELIVS SILVERIVS PONT. LIX.
ANNO DOMINI DXXXVI.



COElius Siluerius Hormisdæ de Frusinone Papæ, ex legitimo Thoro natus, Abella, seu Auella Ciuitate Campaniæ felicis, vulgò Troia editus S.R.E. Subdiacon. regionarius, creatus 13. Kal. Augusti, consecratus verò die Dominico 17. Kal. Ianu. Anno Domini 536. sedit ann. tres, & dies 11. Creauit Presbyteros 13. Diac. 5. Episcopos per diuersa loca 19. Siluerius exagitatus aduersariorum calumniis, & relegatus in Insulam Palmariam, iuxta Pontiam suam, consumptus ærumnis, atque inediâ, diem tandem clausit extremum 12. Kal. Iul.

VIGILIVS PONTIF. LX.
ANNO DOMINI DXXXVII.



VIgilius ex nobilissimo genere ortus Io. Consularis viri filius, S.R.E. Archid. creatus 6. Kal. Maij, & consecratus die Domin. 18. Kal. Iunij viuente prædecessore suo Siluerio. Huius Vigilij ingressus parum legitimus fuit. Sedit à creatione annos 18. mens. 7. dies 15. à consecrat. annos 16. menses 6. dies 28. & cum duas Ordinationes fecisset, creauit Episc. 81. & Presbyteros 16. & Diac. 16. Siracusis, Constantinopoli rediens Romam. 4. Idûs Ianuarij ex calculi dolore moritur, An. Dom. 556. Corpus eius Romam relatum, sepultum est in via Salaria, in Sacello S. Marcelli, Vacauit Sedes mens. 3. dies 5.

Schisma septimum in Romana Ecclesia inter Silverium Papam, & Vigilium Antipapam.

PELAGIVS PRIMVS PONT. LXI.
ANNO DOMINI DLV.



PElagius, Ioannis Vicariani filius, Romanus, S.R.E. Archidiaconus, consecratus 16. Maij, die Dominico Paschæ, sedit annos quatuor, menses 10. dies 18. Hic fecit Ordinationes duas per mensem Decembrem Presbyterorum 25. Diaconorum 9. Episcoporum per diuersa loca 49. Qui etiam obiit 2. mensis Martij, & cessauit Episcopatus eius menses tres, dies 25.

IOANNES TERTIVS PONT. LXII.
ANNO DOMINI DLIX.



IOannes III. Catellinus cognomento, ex Patre Anastasio viro illustri, creatus 4. Kal. Iunij, consecratus die Dominico 16. Kal. Augusti, Anno Dom. 559. sedit annos 13. dies 16. Hic fecit Ordinationes duas per mensem Decem. Presbyterorum 38. Diaconorum 12. Episcoporum per diuersa loca 16. Moritur 3. Idûs Iulij, Anno Christi 574. sepultus in Basilica S. Petri Apostoli, cessauit Episcopatus eius menses 10. & dies 3.

BENEDICTVS PRIMVS PONT. LXIII.
ANNO DOMINI DLXXIV.



BEnedictus I. cognomento Bonosus, natione Italus patriâ Rom. ex parte Bonifacio, creatus 16. Kal. Iun. consecratus die Diminico 4. Nonas Iunij, sedit in Petri Cathedra ann. 5. mens. 2. & dies 15. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decẽb. Presbyterorum 15. Diac. 3. Episcoporum per diuersa loca 21. Mortuus est pridiè Kal. Augusti An. Dom. 579. & sepultus in Basilica B. Petri Apostoli. Vacauit Sedes Romana menses 3. dies 10.

PELAGIVS SECVNDVS PONT. LXIV.
ANNO DOMINI DLXXIX.



SAnctus Pelagius II. Iunior, VVinigildi filius, Romanus, quanquam, ex nomine parentis, eum potiùs genere Gothum, quàm Romanum coniicimus, creatus 3. Idûs Nouembris, quæ incidunt in diem 11. eiusdem mensis, Anno Domini 579. consecratus die S. Andreæ Apostoli, pridiè Kal. Decembris, sedit annos 10. menses 2. dies 29. Ordinationes duas mense Decembri fecit Episcoporum 48. Presbyterorum 82. & Diaconorum 8. defunctus 6. Idûs Februarij ex peste, anno 590. sepultus ad S. Petrum. Vacauit Sedes menses 6. dies 25.

Damnatio conciliabuli Constantinopolitani 3: non iure conuocati à Ioanne Episcopo Constantinopolitano, Vniuersalis Ecclesiæ Episcopi nomen sibi perperam vindicante.

PELAGIVS PAPA SECVNDVS, Dilectissimus Fratribus, vniuersis Episcopis, qui illicita vocatione Ioannis Constantinopolitani Episcopi, ad Synodum Constantinopolim conuenerant. *Edita A. D. 589.*



MANIFESTO, sicut optauimus gratiam Dei, lumine Euangelicæ veritatis ab vniuersali Ecclesia, perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino. Sed non modico contristamur mœrore; quia ea, quæ olim calcata fuerant, & funditus damnata, nec vnquam fieri debuerant, rediuiuis radicibus germinant, atque pullulant. Et quoniam multa, quæ pœnitudinem possunt generare, proueniunt, necesse est ea cassare, quæ contra ordinem, & omnem auctoritatem facta esse noscuntur. *Exordium*

§. 1. Vnde fratres reiecta penitùs audacia, quæ contra Apostolicam Sedẽ, & contra ipsam Domini Saluatoris vocem, qua dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, sumpta est disputandi contra Domini præcepta, vana errantium corda conquiescant, nec liceat defendi quod non licuit agere. Relatum est ergo ad Apostolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, Vniuersalem se scribere, vosque ex sua præsumptione ad Synodum vocare generalem, cum generalem Synodum conuocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta. *Concilium Constantinop. tertium absque Papa assensu actum fuit.*

§. 2. Quapropter quicquid in prædicto vestro conuenticulo, (quia Synodus taliter præsumpta esse non potuit) statuistis, ex auctoritate Sancti Petri Apostolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua B. Petro potestatem ligandi atque soluendi ipse Saluator dedit, quæ etiam potestas in Successoribus eius indubitanter transiuit, præcipio omnia quæ ibi statuistis, & vana & cassata esse, ita vt deinceps nunquam appareant, nec ventilentur. Etenim ipse Saluator Beato Apostolo Petro, tanquam ipsa per se veritas loquitur, dicens: Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis, multis denuò Apostolicis, & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Quapropter, vt iam dictum est, rectè non Concilium, sed vestrum Conuenticulum, vel Conciliabulum cassatur: & quicquid in eo actum est, irritum habetur & vacuum. *Illud ergò irr. Pont. irritat & damnat.*

§. 3. Vos quoque deinceps, vt nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis. Modò verò ideo suspenditur vltio, vt locum possit habere correctio. *Et patres à similibus abstinere monet.*

§. 4. Prædecessores verò Ioannis, & ipse Ioannes, non semel, sed sæpissimè, epistolas atque libellos, propria manu subscriptos, Sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Deo protestati sunt, nihil vnquam proteruè contra Apostolicam Sedem agere, nec de illius, aut aliorum priuilegiis, quicquam vsurpare. Qui hactenus in Archiuio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub sigillis ac chirographis eorum roborati, habentur integri. In ipsis enim epistolis, vel libellis, anathematis vinculo se, & successores constrinxerunt, si vnquam aliquod contra eos præsumpsissent, aut contra Apostolicam, vel vllius alterius Episcopi Sedem, quicquam aduersi, quoquomodo essent moliti. Iddircò eos non est necesse excommunicare, aut anathematizare; quia ipsi anathematis vinculo, propriis manibus professiones suas, suáque scripta roborando, constrinxerunt. Sciat se tamen, & ipse Ioannes, nisi errorem suum citò correxerit, à nobis *Ioan. Episc. Constantinopolitanum ipsum excommunicatum esse ostendit. & à se etiam nisi se correxerit, excommunicandum indicat.*

excommunicandum fore, & Apostolicæ Sedis, atque omnium Sanctorum Episcoporum commonione carere.

Vniuersalis Episcopi nomen, soli Papa conuenit. Hæc pars huius tantum est in capit. nullus, distinct. 97.

§. 5. Vniuersalis quoque nomen quod sibi illicitè Cousurpauit, nolite attendere, nec vocatione eius ad Synodum, absque auctoritate Sedis Apostolicæ vnquam venire, si Apostolicæ Sedis, & cæterorum Episcoporum communione vultis frui. Nullus enim Patriarcharum hoc tam profano vocabulo vnquam vtatur: quia si Summus Patriarcha vniuersalis dicitur: Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cuiusquam mente, hoc sibi vel velle quempiam arridere, vnde honorem fratrum suorum imminuere, ex quantulacumque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam suis in epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum. Aduersarios namque noster diabolus, qui contra humiles sæuiens, sicut leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, non iam, vt cernimus, caulas circuit, sed ita validè in quibusdam Ecclesiæ necessariis membris dentem figit, vt nulli sit dubium, quin, nisi vnanimiter, fauente Domino, cunctorum prouida pastorum turba concurrat, omne (quod absit) citius ouile dilaniet.

Ioannes præsumit aduersionem à bono, & peruersionem ad malū dolenter enarrat.

§. 6. Perpendistis fratres carissimi, quid & vicino subsequatur, cum & in Sacerdotibus erumpunt tam peruersa primordia? Quia enim iuxta est ille de quo scriptum est: Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ (quod non sine graui dolore dicere compellor, dum frater & Coepiscopus noster Ioannes, mandata dominica, & Apostolica præcepta, regulasque despiciens, eum præ elatione præcurrere conatur in nomine,) vestræ beatit. indicet omnipotens Deus, quam graui, considerationis huius, gemitu torqueor; quod ille quondam mihi notissimus, ille omnibus dilectus, ille qui eleemosynis, orationibus atque ieiuniis videbatur occupatus, & ex eo quo fœtebat cinere, ex ea quam prætendebat humilitate iactantiam tantam sumpsit, ita vt vniuersa sibi tentet ascribere, & omnia, quæ vni soli capiti cohærent, videlicet Christo, per electionem pompatici sermonis, eiusdem Christi sibi studeat membra subiugare. Nec mirum quòd ille tentator, qui initium omnis peccati scit esse superbiam, & nunc ea in primo homine ante omnia vsus est, & nunc eam, in quibusdam hominibus ponit in fine virtutum, & qui aliquatenus, bonis vitæ studiis, videbantur crudelissi. manus eius effugere, eis in ipsis meris boni operis, & in ipsa quodammodo apponat perfectionis conclusione tendiculum.

Monet itaque omnes, vt illū auertant & reducant ad viam veritatis, eamque ipsi quoque sectentur.

§. 7. Vnde magnoperè orandum est, & omnipotens Deus assiduis precibus implorādus, vt hunc à mēte illius auertat errorem, hoc ab vnitate atque humilit. Eccl. malum superbiæ & confusionis amoueat, & fauente Deo, omnibus viribus concurrendum, atque prouidendum, ne vnius veneno sermonis, viuentia in Christi corpore membra moriantur. Si enim dici hoc licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur, & forsasse is in errore perit, qui vniuersalis dicitur, & nullus iam Episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. Oportet ergo, vt constanter ac sine præiudicio seruetis, sicut accepistis Ecclesias, & nihil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ vsurpationis ascribat. State fortes, state securi: Scripta quæ vniuersalis nominis falsitate condemnata sunt, nec dare vnquam, nec accipere præsumatis. Omnes Episc. curæ vestræ subiectos ab huius adulationis inquinatione prohibete, vt vniuersa vos Ecclesia, Patriarchas non solum in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscat. Si qua autem forsitan aduersa subsequantur, vnanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damno generalitatis, nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Audiamus quod primus omnium Apostolorum dicit. Si quid patimini propter iustitiam, beati eritis. Mihi enim credite, quia honorem, quem pro prædicanda suscepimus veritate, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem veritate relinquimus, quam tenemus. Orate fratres, vt honor Ecclesiasticus nostris diebus non euacuetur: nec vnquam Rom. Sedes, quæ instituente Domino caput est omnium Ecclesiarum, priuilegiis suis vsquam careat, aut expolietur. Confidimus autem de vobis carissimi, meliora atque viciniora salutis, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia, (magistro gentium docente) poterit nos separare à caritate D.N. IESV Christi, & quæ in ipso est, recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est ad colluctationes aduersariorum, quatenus fidem intemeratam vsque in finem conseruantes, repromissionem percipiamus, quam repromisit his qui legitimè certare deproperant. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit. Ecce enim Iudex ante ianuam assistit, coronam hilariter promittens his, qui pro eo passionibus submittuntur. Quòd siquis se subtraxerit, non placebit animæ meæ, sed cadet de promissione, propter negationem. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem animæ. Propter quod assumite arma Dei, vt possitis resistere in die malo aduersùs omnes inimicos sanctæ Dei Eccles. & vestros, & induite loricam iustitiæ, calceati pedes in præparationem euangelij pacis, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia iacula nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem, radicati & fundati in solatio fratrum pro Christo IESV D.N. Sed & nunc fratres commendamus vos omnes Domino, & verbo gratiæ eius qui potest perficere, & dare hæreditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem Deus pacis & consolationis, det vobis idipsum sapere in alterutrum, vt vobis inuicem succurratis, & non sitis diuisi, vt vnanimes, vno ore, & vno corde honorificemus eum in concordiam & consolationem fratrum, qui potens est confirmare vos secundùm Euangelium eius, & iuxta reuelationem mysterij æternis temporibus taciti, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summoperè etiam considerare debetis, quòd hi, qui fratribus inuident, eósque damnare aut perdere cupiunt, per se & sua dogmata destruuntur. Dicit enim, Dominus, Omne regnum in se diuisum non stabit, & omnis scientia, & lex aduersùm se diuisa non stabit. Ideóque necesse est, vt concorditer salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus pareatis, & in nullo patiamini prouidentissima canonum decreta violari, quatenus & Nicæn. canonum constituta, & quæ à nobis, vel à prædecessoribus nostris sunt prouidè & salubriter decreta, intemerata permaneant in futuro. Et in Apocalypsi Dominus per Ioannem loquitur, dicens: Nolite timere, Ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis & inferni. Et paulò post: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Item idem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Et iterùm. Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo ei potestatem super gentes, & reget illas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur. Item idem: Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum Patre meo in throno eius. Vos fratres, si non vultis cum eo damnari (quia non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, rei sunt) hortamini eum, & monete recedere à præfatis illicitis, & memor sit vnde exciderit, & agat pœnitentiam, & prima opera faciat. Sin minus, non mea loquar verba, sed ipsa D. Saluatoris, quæ per prædictum Ioannem in iam dicto lib. locutus est, replicans aio: Veniam & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Ipse enim magis tenet doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalū coram filiis Israël, sicut iste docet vos scandalizare Sanctam matrem Ecclesiam, & vniuersum cœtum, tam sacerdotum, quàm religiosorum Christianorum atque Fidelium. Vnde & in supradicto libro continetur ita: (semper enim potiùs vos verbis Domini Saluatoris ferire

&

& instrui cupio, quàm meis, licèt & ipsa Apostolicæ auctoritatis sint ponderibus plena.) Noui opera tua nouissima plura prioribus, sed habeo aduersùs te, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetam, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis: & dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis: & filios eius interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda & renes, & dabo vnicuique vestrum secundùm opera vestra. Hæc fratres valdè cauenda sunt, & præcepta Domini, atque sanctæ Sedis Apostolicæ, quæ vice Domini Saluatoris legatione fungitur, monita fideliter amplectenda & peragenda.

§. 8. De cætero fratres super Prouinciæ causa, vnde Sedem Apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis sufficienter tractatum à sanctis prędecessoribus nostris. Sed quia denuò nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis, scitote, certam Prouinciam esse, quæ habet decem vel vndecim Ciuitates, & vnum Regem, & totidem minores Potestates sub se, & vnum Episcopum, aliósque suffragatores decem vel vndecim Episcopos. Iudices ad quorum iudicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum ac Ciuitatum causæ referantur, vt ab his omnibus iustè consona voce discernantur, nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his, qui iudicandi sunt, appellatum. Vnde non oportet vt degradetur, vel dehonoretur vnaquæque Prouincia, sed apud semetipsam habeat Iudices, Sacerdotes & Episcopos, singulos videlicet iuxta ordines suos. Et quicumque causam habuerit, à suis Iudicibus iudicetur, & non ab alienis, idest à suæ iustis Iudicibus Prouinciæ, & non ab externis, nisi vt iam prælibatum est, à iudicatis fuerit appellatum. Si verò in qualibet Prouincia ortæ fuerint quæstiones, & inter ipsius Prouinciæ Episcopos discrepare cœperit ratio, atque inter ipsius dissidentes non conuenit; ad maiorem tunc Sedem referantur. Et si illæ, facilè & iustè non discernuntur, vbi fuerit Synodus regulariter congregata, canonicè & iustè iudicentur. Maiores verò, & difficiles quæstiones, vt sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad Sedem Apostolicam semper referantur.

Pastoralemq; admonitionē subnectit.

§. 9. Cæterùm Sanctorum Patrum statuta sequentes, Synodali auctoritate omnes qui aduersus patres armantur, vt patrum inuasores & mactatores, infames esse censemus, quoniam ea vulnera, quæ fomentis non sanantur, ferro abscindi, vel curare necesse est. Vnde fratres cessent iniustæ æmulationes, cessent insidię, cessent falsæ criminationes, ne infirmus quisquam, propter quem Christus mortuus est, talibus laceretur insidiis, ne ouis pretio Christi redempta, lupinis à fratre saucietur morsibus. Meritò ergo causa nos respicit, si talibus fauere cœperimus. Corripiantur semper talia, nec illis, qui hæc exercere conantur, aut patribus vel fratribus insidiantur, liberè loqui concedatur, aut pro voluntate sermo proferri permittatur. Liquet omninò, quòd conueniant illis, quia talia eos loqui permittunt, quoniam occurreret veritas, si falsitas & calumnia displiceret vel odium. Desinat igitur falsitas incessere veritatem, desinat suspicio, quæ iustè repellitur, insidiari, desinat odium & inimicitia prosequi patres vel fratres; desinat conspiratio, quæ ab omnibus est repudianda, infestare magistros. Horum igitur vitiorum accusatores vel patratores, non sunt in accusatores Pontificum recipiendi, sed penitus repellendi, quoniam iubent Canonica decreta Patrum, vt accusatio, vel testimonium eorum, qui odio quolibet insequuntur, vel qui inimici aut suspecti habentur, nullo modo recipiantur. Quorum statuta & nos firmantes, eadem omnibus inuiolabiliter futuris temporibus tenere censemus. Quicquid autem super hac causa, Patres nostri decernendum duxere dignum, vt condecet, necesse est, cum labefactari vel infirmari cœperit, Apostolica denuo auctoritate firmari

D P. An. 10. 1. Martij. ac renouari, fratribusque dari.

Dat. Calendis Martij, indictione quinta.

Bullar. Mag. Tom. I.

GREGORIVS PRIMVS MAGNVS PONT. LXV.
ANNO DOMINI DLXXXX.



SAnctus Gregorius Magnus Ecclesiæ Doctor, Gordiani Saluatoris, & Siluiæ, sanctissimæ Matronæ filius, Romanus, nobilissima, & antiquissima Anciorũ familia Monachus, S.R.E. Archidiaconus, & Apocrisarius Constantinopoli apud Imperatorem, creatus Christianorum Pontifex, Anno Domini 590. Ordinatus die Dominico 3. Non. Septemb. sedit ann. 13. mens. 6. dies 8. Fecit Episcopos 62. Presb. 39. Diaconos 15. migrauit 3. Idûs Martias, sepultus fuit in extrema portica, ante Basilicam S. Petri Apostoli in loco quod nunc dicitur S. Mariæ de Febre, cuius Corpus posteà Gregorius 4. intra Basilicam transtulit, & sub Andreæ Apostoli Altare collocauit.

SABINIANVS PRIMVS PONT. LXVI.
ANNO DOMINI DCIV.



SAbinianus, Boni filius, Bleranus, Tuscus, Diac. Card. & Apocrisarius Apostolicæ Sedis Constantinopoli apud Imperat. à S. Papa Gregorio missus, creatus Kal. Septemb. consecr. die Dominico, Idibus Septemb. sedit. mens. 5. dies 19. cùm ordinationē vnā mense Septembri 26. Episc. fecisset. Obiit a. Kal, Martias, funúsq; eius à palatio Lateranensi ad Basilicam D. Petri defertur. Vacauit Sedes diē 1.

HONORIVS PRIMVS PONT. LXXI.
Anno Domini dcxii.



HOnotius I. Petronij de la Mata, Viti Consulatis filius, Campanus, Decimus Papa Regnicola, creatus,& consecratus die Dominico, 7. Idûs Nouembris, Anno Domini 612. sedit in Petti Cathedra annos 12. menses 11. dies 7. Cùm ordinationes tres Episcoporum 81. Presbyterorum in Rom. Vrbe 13. & Diaconorum 11. fecisset, obiit 3. Idûs Octobris, anno 635. sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes vsque ad Consectationem annum vnum, menses 7. dies. 18.

IOANNES QVARTVS PONT. LXXIII.
Anno Domini dcxxxix.



IOannes IV. Venantij Scholastici filius, Dalmata, Iaderensis, S.R.E. Diaconus Cardin. consecratur 8. Kal. Ianoarij, die Natalis Domini, incuote Anno Christi 639. sedit annum vnum, menses 9. dies 18.

SEVERINVS PRIMVS PONT. LXXII.
Anno Domini dcxxxvii.



SEuerinus, Labieni filius, Romanus, creatus, & consecratus Kal. Iunij, die Dominico anni 637. sedit annum vnum, menses duos, dies tres. Creauit Episcopos 9. Obiit 4. Nonas Augusti, sepultos ad S. Petrum, Anno Domini 638. Vacauit Romana Sedes vsque ad nonam consectationem, menses 4. dies 22. Pontificatu Seuerini obiit Mahometus impostor, & falsus Propheta, cui successit Calipha, & post Hali.

Bullar. Mag. Tom. I.

THEODORVS PRIMVS PONTIF. LXXIV.
Anno Domini [illegible]



THeodorus, Theodori Episcopi filius, Hierosolymis oriundus, Græcus, consecratus 6. Kalen. Decembris, die Domioico, sedit annos sex, menses 5. dies 19. Ordinationem vnam mense Decembti Episcoporum 46. Presbyterorum 21. Diaconorum 4. fecit. Obiit Romæ pridiè Idûs Maij, Anno Domini 647. & ad S. Petrum sepelitur. Vacauit Sedes mensem vnum, dies 21.

MARTINVS PRIMVS PONTIF. LXXV.
ANNO DOMINI DCXLVII.



MArtinus I. Fabritij filius, Tudetto Ciuitate, quæ nunc vulgò Todi in Tuſcia appellatur, creatus pridiè Nonas Iulij, conſecratus 16. Kalend. Octobris, ſedit in Pontificatu annos ſex, menſes 4. dies 17. Creauit Epiſcopos 33. Presbyteros vndecim, & Diaconos 5. Obiit pridiè Idûs Nouembris, Anno Domini 653. Cherſonæque ſepultus, vbi exul deceſſerat.

EVGENIVS PRIMVS PONT. LXXVI.
ANNO DOMINI DCLIV.



EVgenius, Rufiniani filius, Romanus, de regione prima Auentina, creatus, & conſecratus die Dominico 4. Idûs Augusti, Anno Domini 654. ſedit in Pontificia ſede annos duos, menſes 9. dies 14. fecit Epiſcopos 22. Obiit Romæ 4. Non. Iunij. Sepultus ad S. Petrum, Anno Domini 657. Vacauit ſedes Rom. menſem 1. dies 27.

VITALIANVS PRIMVS PONTIF. LXXVII.
ANNO DOMINI DCLVII.



VItalianus I. natione Italus, natus in Suernia, Castro Aprutij, filius Anaſtaſij Pontratij, 11. Papa Regnicola, ſedit in Pontificatu annos 14. menſes quinque, dies vigintinouem. Ordinationes quatuor, Epiſcoporum nonaginta ſeptem, Presbyterorum 22. Diaconorum 10. fecit. Obiit Romæ 6. Kal. Febr. Anno Domini 672. ſepultus ad S. Petrum. Vacauit ſedes menſes 2. dies 14.

ADEODATVS PRIMVS PONT. LXXVIII.
ANNO DOMINI DCLXXII.



ADeodatus, natione Italus, Iouiani filius, patriâ Romanus, ex Monacho S. Eraſmi in Cœlio Monte, Ordinis S. Benedicti, creatus, & conſecratus 3. Idûs Aprilis, die Dominico, ſedit annos 4. menſ. 5. dies 16. fecit Epiſcopos 46. Presb. quatuordecim & Diaconos 2. Obiit 6. Kalend. Iulij, Anno Christi 676. ſepultus ad S. Petrum. Vacauit ſedes menſes 4. dies 6.

DONVS,

DONVS, VEL DOMNVS PONT. LXXIX.
ANNO DOMINI DCLXXVI.



DOnus, vel Dominus, Mauritij filius, Romanus, consecratus die Dominico 4. Nonas Nouembris, Anni 676. sedit annos 2. menses quinque, dies 10. Fecit Episcopos 6. Presbyteros 10. Diaconos 5. Obiit Romæ 3. Idûs Aprilis, anno 679. sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes menses 2. dies 28.

AGATHO PRIMVS PONTIF. LXXX.
ANNO DOMINI DCLXXIX.



AGatho Pannonij Amonis filius, Aquilani Castro vallis Sicilianæ, in prouincia vlterioris Aprutij, Monachus Ordinis S. Equitij S.R.E. Presbyter Cardinalis. Consecratus 7. Idûs Iunij, die Dominico, Anno Christi 679. sedit annos, duos, menses 6. fecit Episcopos 18. Presbyteros decem, & Diaconos quinque. Obiit 4. Idûs Ianuarij, Anno Christi 681. sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes menses 7.

Bullar. Mag. Tom. I.

LEO SECVNDVS PONT. LXXXI.
ANNO DOMINI DCLXXXIII.



LEo II. iunior dictus, ex Cedella territorio vallis Sicilianæ, in Prouincia vlterioris Aprutij, Patre Paulo Mentio Medico, ex Canonico regulari, S.R.E. Presbyter Cardinalis 13. Papa Regnicola. Creatus 3. Idûs Augusti, anni 682. sedit in Pontificatu menses 10. dies 19. Obiit 4. Kalen. Iulij Romæ, Anno Christi 683. Corpus eius in Basilica Principis Apostolorum sepultum est collacrymantibus omnibus. Vacauit sedes menses 11. dies 21.

BENEDICTVS SECVNDVS PONT. LXXXII.
ANNO DOMINI DCLXXXIV.



BEnedictus II. iunior dictus, Ioannis filius, Romanus, ex Canonico regulari Lateranensi, S.R.E. Presbyter Cardinalis, consecratus 15. Kal. Iulij, die Dominico, Anno Christi 684. sedit menses 10. dies 27. Obiit Idibus Maij, Anno Domini 685. Vacauit sedes menses 2. dies 9.

IOANNES QVINTVS PONT. LXXXIII.
ANNO DOMINI DCLXXXV.



IOannes V. Cyriaci filius, Antiochenus, Syrus, S.R.E. Archidiaconus, Creatus 8. Kal. Augusti, & consecratus 3. Kal. eiusdem mensis, Sedit in Petri Cathedra annum 1. dies 9. fecit Episcopos 13. Obiit 4. Nonas Augusti, anno 686. sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes menses 2. dies 18.

SERGIVS PRIMVS PONT. LXXXV.
ANNO DOMINI DCLXXXVII.



SErgius I. Tiberij Mercatoris filius, patriâ Antiochenus, Presbyter Cardinalis, tit. S. Susannæ, Theodoro, S.R.E. Presbytero Cardinali, & Paschali, S.R.E. Archidiacono in schismate quod nouum fuit, de Pontificatu, vi, & armis contendentibus, Creatus 12. Kal. consecratus 8. Kal. Ianuarij, die Natalis Domini, ineunte anno 787. Sedit annos 13. menses 8. dies 23. Creauit Episcopos 96. Presbyteros 18. Diaconos 4. Obiit 6. Idûs Septembris, anno 701. in Basilica S. Petri sepultus fuit. Vacauit sedes mensem 1. dies 20.

CONON PONTIF. LXXXIV.
ANNO DOMINI DCLXXXVI.



COnon Trax, Benedicti filius, patriâ Tomitanus, S.R.E. Presbyter Cardinalis, depulsis Petro, & Theodoro, per schisma, quod octauum fuit, electus, Creatus, & consecratus 12. Kal. Nouembris, die Dominico, Anno Christi 686. Sedit. menses vndecim. Episcopos per diuersa loca num. 16. creauit. Moritur 5. Kalend. Octobris, anno 687. Sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes menses .... dies 25.

IOANNES SEXTVS PONT. LXXXVI.
ANNO DOMINI DCCI.



IOannes VI. Græcus patriâ, & genere fuit, Paterni, aliàs Petronij filius, Creatus 4. Kalend. consecratus 3. Kalendas Nouembris, Sedit in Pontificatu annos 3. menses duos, dies duodecim, cum ordinationem vnam Episcoporum quindecim, Presbyterorum nouem, & Diaconorum duorum fecisset. Obiit Romæ septimo Idûs Ianuarij, Anno Christi 705. indictione tertia, sepultus ad sanctum Petrum. Vacauit sedes mensem vnum, dies decem & octo.

IOAN

IOANNES SEPTIMVS PONT. LXXXVII.

ANNO DOMINI DCCI.



IOannes Septimus, Platone Ianidi ga patre natus, Rossani Magnæ Græciæ, Calabria dictæ, ortus, 14. Papa Regnicola, Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ, Creatus, & consecratus die Dominico Kalendis Martij, Sedit annos duos, menses 7. dies 17. Ordinationem vnam Episcoporum 15. Præsbyterorum 9 Diaconorum 2. fecit. Obiit 16. Kal. Nouembris, Anno Christi 707. indictione septima, sepultus ad S. Petrum, ante Altare S. Dei Genitricis Virginis Mariæ, quod nunc Sudarij dicitur, quod ipse struxerat. Non vacauit sedes.

SISINNIVS PRIMVS PONTIF. LXXXVIII.

ANNO DOMINI DCCVII.



SIsinnius, Ioannis filius, Syrus, Creatus 15. Kal. consecratus 10. Kal. Nouembris, Episcopum vnum in Corsica creauit. Verùm dum magna, & ingentia molitur, subita morte correptus, Pontificatus sui die 20. perficere, quæ cogitauerat, non potuit. Moritur octauo Idûs Nouembris, anni 707. sepultus ad sanctum Petrum. Vacauit sedes mensem vnum, dies sexdecim.

CONSTANTINVS PONT. LXXXIX.

ANNO DOMINI DCCVIII.



COnstantinus, Ioannis filius, Syrus, Creatus 10. Kal. Ianuarij, consecratus octauo Kalend. die Natalis Domini ineunte Annô 708. Sedit annos 8. mensem 1. dies 20. Ordinauit Episcopos 64. Presbyteros 10. Diaconos 2. Obiit Romæ tertio Idûs Februarij, anno 716. indictione quartadecima, sepultus ad sanctum Petrum Principem Apostolorum Vacauit sedes mensem vnum, dies decem.

GREGORIVS SECVNDVS PONT. XC.

ANNO DOMINI DCCXVI.



GRegorius II. iunior, Romanus, Marcelli filius, ex Monacho S. Benedicti S.R.E. Diaconus Cardinalis, Creatus 12. Kal. consecratus 11. Kal. Aprilis, Sedit annos 14. menses 10. dies 21. Ordinationes 9. mense Septembris fecit, & vnam mense Iunio, quibus Episcopos 149. Presbyteros 35 & Diaconos 14. creauit, 3. Idûs Februarij, anno 731. supremum vitæ diem expleuit. Sepultus ad Sanctum Petrum. Vacauit sedes dies 21.

GREGORIVS TERTIVS PONT. XCI.
ANNO DOMINI DCCXXXI.



GRegorius Tertius, Ioannis filius, Syrus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, creatus tertio Nonas Martij, consecratus quintodecimo Kalendas Aprilis, Anno Domini 731. omnium consensu pontificatum iniit. Sedit annos decem, menses octo, dies vigintiquatuor. Obiit quatto Kalendas Decembris 741. Sepultus ad sanctum Petrum Principem Apostolorum. Vacauit sedes dies octo.

STEPHANVS SECVNDVS PONT. XCIII.
ANNO DOMINI DCCLII.



STephanus Secundus, natione Italus, patriâ Romanus, S. R.E. Presbyter Cardinalis, Creatus octauo Kalend. Aprilis, qui quarta die creationis suæ, graui somnolentia oppressus est, postridie cùm experrectus res familiæ componere aliquando instituisset, subitò mente alienatus, vocem amisit, & postridie eius diei apoplexia correptus, expirauit, ante adeptam consecrationem, quinto Kalendas Aprilis. Vacauit sedes diem vnum.

ZACHARIAS PONTIF. XCII.
ANNO DOMINI DCCXLI.



ZAcharias, Policronij Pǒtinij filius, Sibitenæ magnę Grecię, nunc Calabria dictæ, vrbe natus, Canonicus regularis, deinde Monachus sancti Benedicti, mox S.R.E. Presbyter Cardinalis, quintusdecimus Papa Regnicola, creatus Kalend. Decemb. consecratus tertio nonas eiusdem mensis, Anno Domini 741. sedit annos decem, menses tres, dies 16. Fecit Episcopos 85. Presbyteros 30. Diaconos quinque. Obiit idibus Martij Romæ, anno 752. Sepultus ad sanctum Petrum. Vacauit Sedes dies octo.

STEPHANVS III. DICTVS II. PONT. XCIV.
ANNO DOMINI DCCLII.



STephanus Tertius, dictus Secundus, iunior, Constantini filius, Romanus, ex Canonico Regulari Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis à Zacharia Papa factus, Creatus quarto Kalendas Aprilis, consecratus quarto nonas Aprilis, sedit annos quinque dies 29. Ordinatione vna facta mense Martio Episcoporum quatuor, Presbyterorum duorum, & Diaconorum duorum, obiit sexto Kalendas Maij, Anno Domini 757. Vacauit sedes mensem vnum, dies duos.

PAV.

PAVLVS PRIMVS PONTIF. XCV.
ANNO DOMINI DCCLVII.



PAulus, Constantini filius, Romanus, Stephani iunioris Papæ frater Germanus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, creatus, & consecratus quarto Kalendas Iunij, Anno 757. sedit annos decem, mensem vnum. Iste autem Pontifex ordinatione vna mense Decembri facta, Episcoporum trium, Presbyterorum duodecim, & Diaconorum duorum, Obiit in Monasterio sancti Pauli, via Ostiensi, quarto Kalend. Iunij, anno 767. sepultus ad sanctum Petrum. Vacauit sedes annum vnum, mensem vnum, dies septem.

STEPHANVS IV. DICTVS III. PONT. XCVI.
ANNO DOMINI DCCLXVII.



STephanus Quartus, dictus Tertius, è Tossinæ Castro vallis Sicilianæ, in vlteriori Aprutij prouincia, Patre Olibrio Rosamitano natus, sextus decimus Papa Regnicola, ex Canon. Regulari, posteà monach' Benedictin' monast. S. Chrysogoni, S. Romanæ Eccl. Præsb. Card. tituli S. Cæciliæ à Zacharia Papa factus, creatus nonis Aug. consecr. 7. Idûs Aug. ann. Christi 768. sedit in Pontificatu ann. tres, mens. quinq; dies 27. Ordinauit Episc. aliquot, Presb. quinque Diac. 4. Obiit Romæ pridie Kal. Feb. ann. 772. sepult. ad S. Petrũ. Vacauit Sedes dies 8.

Terminauit schisma x1. in Ecclesia, & maximè turbulentum, anno 768.

ADRIANVS PRIMVS PONT. XCVII.
ANNO DOMINI DCCLXXII.



ADrianus Primus, Theodori filius, Romanus, de regione via Lata, propè S. Marcum, nobilissimo genere ortus, Clericus, Notarius Regionarius, & Subdiaconus à Paulo I. factus, post S.R.E. Diaconus Cardinalis, creatus, & consecratas quinto Idûs Februarij, die Dominico, Anno 772. sedit Annos 23. menses 10. dies 17. Ordinationes duas mense Martio fecit Episcoporum 185. Presbyterorum 24. & Diaconorum septem. Obiit septimo Kalen. Ianuarij, anno 795. finiente. sepultus ad sanctum Petrum. Non vacauit sedes.

LEO TERTIVS PONTIF. XCVIII.
ANNO DOMINI DCCXCVI.



LEo III. Azzupij filius, Romanus, ex Canonico regulari Monachus Ordinis S. Benedicti, S.R.E. Presbyter Cardinalis, tit. S. Susannæ ad duas domos, creatus 7. Kal. Ianuarij, consecratus, Anno Christi 796. sedit, Annos 20. mens. 3. dies 18. Ordinationes 3. fecit Episcoporum 126. Presbyterorum 30. & Diaconorum 16. Obiit Romæ pridie Idûs Iunij, Anno Christi 816. sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes dies 21.

A dextris sunt Insignia pia, quibus vtebatur Leo III. ex Patriarchio Lateranensi in aula, quæ dicitur Caroli Magni.

A sinistris sunt insignia gentilitia d. Leonis in Patriarchio Lateranen. in aula Caroli Magni.

STEPHANVS V. DICTVS IV. PONT. XCIX.
ANNO DOMINI DCCCXVI.



STephanus V. dictus IV. Iulij Marini filius, nobili genere ortus, Romanus, S.R.E. Diaconus Cardinalis, creatus v. Nonas Iulij, sedit menses 6. dies 23. Fecit Episcopos 5. Presbyteros 9. & Diaconos 4. Obiit 8. Kal. Februarij, tertio, quàm Romam redierat, nondum transacto mense. Sepultus in Basilica S. Petri. Vacauit Sedes dies duos.

PASCHALIS PRIMVS PONT. C.
ANNO DOMINI DCCCXVII.



PAschalis I. Maximi Bonosi filius, Monachus Benedictinus Abbas S. Stephani propè S. Petrum, S.R.E. Presb. Cardinalis, tit. S. Praxedis, creatus 5. Kalend. Februarij, sedit ann. 7. mẽses tres, dies 17. Ordinationes duas fecit Episcoporũ 15. Presbyterorum 7. & Diaconorum 7. Obiit pridie Idûs Maij, Anno Domini 824. in Basilica S Petri sepult. Vacauit Sedes dies 4.

A dextris sunt insig pia Paschalis PP. I. ex Eccles. S. Praxedis, & S. Caecilia trans Tiberim, & ex S. Maria in Dominica.

A sinistris sunt Insignia gentilitia eiusdem Paschalis Codice Caesareo.

EVGENIVS SECVNDVS PONT. CI.
ANNO DOMINI DCCCXXIV.



EVgenius II. Iunior, Boëmundi filius, Romanus, S R.E. Archipresbyter Cardinalis, tit. S. Sabinæ, creatus 18. Kal. & coosecratus 12. Kal. Iunij, sedit annos 3. menses 6. dies 24. Obiit pridiè Idûs Decembris, Anno 827. collacrymantibus omnibus: sepelitur autem in Basilica S. Petri Apostolorum Principis. Vacauit Sedes diem vnum.

VALENTINVS PRIMVS PONT. CII.
ANNO DOMINI DCCCXXVII.



VAlentinus I. Leontij filius, Romanus, S.R.E. Archidiaconus Cardinalis, creatus 19. Kal. Ianuarij, consecratus postridie, sedit mensem vnum, dies decem, expirauit 10. Kal. Februarij, Anno Christi 828. sepultus in Basilica S. Petri, conquerentibus omnibus. Vacauit post eius mortem Romana Sedes dies tres.

GREGORIVS QVARTVS PONT. CIII.
ANNO DOMINI DCCCXXVIII.



Gregorius IV. Ioannis filius, Romanus, ex Monacho Monasterij Fossæ nouæ, Ordinis S Benedicti, S.R.E. Card. tit. S. Marci, creatus 17. Kal. Februarij, Anno Domini 828. sedit annos 16. & cùm fecisset per quinque ordinationes Episcopos, Presbyteros, & Diaconos 185. obiit Romæ 8. Kal. Februarij, Anno Domini 844. sepultus ad Sanctum Petrum. Vacauit Sedes dies tres.

LEO QVARTVS PONTIF. CV.
ANNO DOMINI DCCCLV.



Leo IV. Rodulphi filius, Romanus, fuit vir insignis, ex Canonico regulari, Monachus Monasterij SS. Syluestri, & martini in Montibus Congregationis primæ Benedictinæ, S.R.E. Presbyter Card. tit. SS. Quatuor Coronatororũ, creatus prid. Idûs April. consecratus 6. Kal. Iunij, die Dominico, sedit an. 8. mens. 6. dies 6. Creauit Episc. 63. Presbyt. 19. & Diac. 8. Obiit 6. Kal. Augusti, Ann. 855. sepultus ad S. Petrum. Vacauit Sedes dies sex, & vsque ad consecrationem mens. 2. & dies 12.

A dextris sunt insignia pia Leonis PP. IV. Rom. in Ecclesia sanctorum Martyrum Nerei, & Archillei, in apside. A sinistris sunt insignia gentilitia eiusdem Leon. PP. IV. Rodulphorum.

SERGIVS SECVNDVS PONTIF. CIV.
ANNO DOMINI DCCCXLIV.



Sergius II. Iunior, Sergij filius, Romanus, de Regione quarta, ex Illustri Familia ortus, nequaquam à maioribus degenerauit, ex Canonico regulari, S.R.E. Archipresbyter Card. SS. Syluestri, & Martini in Montibus tit. Equitij, creatus, & consecr. 4. Idus Februarij, Anno Domini 844. sedit ann. tres, menses duos & dies tres. Creauit Episc. 23. Presbyteros 8. & Diaconos tres. Obiit prid. e Idus Aprilis, anno 848. Sepultus fuit in Basilica S. Petri. Vacauit Sedes dies quindecim.

Insignia pia Sergij Papæ II. Rom. in Ecclesia SS. Syluestri & Martini in Montibus.

BENEDICTVS TERTIVS PONT. CVI.
ANNO DOMINI DCCCLV.



Benedictus III. Petri filius, Romanus, ex Canonico regulari, S.R. E. Presbyter Card. S. Mariæ Transtiberim, tit. Callisti, à Leone IV. Papa factus. Electus in schismate 9. Kal. Aug. Res turbatæ fuerunt vsq; ad 3. Kal. Oct. quo sedato schismate consecratus est. Sedit ab electione annos duos, menses octo. dies 16. à consecr. annos duos, menses sex, dies decem. Creauit Episc. 10. Presb. 6. & Diac. 1. Obiit Romæ 6. Idus April. Anno 858. sepultus ad S. Petrũ. Vacauit Sedes dies 15.

Insignia Benedicti Papæ III. ad Ecclesiam sancti Martini in Montibus in subterraneis.

NICO

ICOLAVS MAGNVS PONT. I CVII.
ANNO DOMINI DCCCLVIII.



Icolaus I.cognomento Magnus, Theodori filius, Romanus, S.R.E. Diaconus Cardinalis, creatus, & conse-s 8.Kal.Maij, anno 858. sedit annos 9. menses sex, dies reauit Episcopos 65. Presbyteros septem, & Diaco. quatuor. Obiit Romæ Idibus Nouembris, Anno Chis. 7. sepultus ante fores Basilicæ S. Petri. Vacauit Sed. s ptem.

DRIANVS SECVNDVS PONT. CVIII.
ANNO DOMINI DCCCLXVII.



Adrianus II. Iunius, Romanus, Talari Episcopi, ex legitimis nuptiis filius, S.R.E. Archipresbyter Cardinalis Marci, creatus 11. Kal. Decembris, & consecratus 9. ecembris, Anno 867 sedit annos quatuor, menses 11. . Obiit Romæ Kal. Nouembris, Anno 872. sepultus ad am. Vacauit sedes mensem vnum, dies 12.

IOANNES OCTAVVS PONT. CIX.
ANNO DOMINI DCCCLXXII.



IOannes VIII. Gundi filius, Romanus, S. R.E. Diaconus Card. creatus, & consecratus 19. Kal. Ianuarij, anno 872. sedit annos 10. dies 2. Obiit 18. Kal. Ianuarij, Anno 872. sedit annos 10. dies 2. Obiit 18. Kal. Ianuarij 882. sepultus ad S Petrum. Vacauit sedes dies 3.

CONSTANTINVS MARINVS I. PONT. CX.
ANNO DOMINI DCCCLXXXII.



COnstantinus Marinus I. Palumbi Presbyteri, ex legitimo matrimonio filius, Galesinus faliscus, S.R.E. Diaconus Cardinalis, creatus 14 Kal. Ianuarij anni 882. consecratus die Natalis Domini, sedit annum vnum, mensem vnum. Obiit 15. Kal. Februarij anno 884. sepultus ad S. Petrum. Vacauit Sedes dies duos.

HADRIA

HADRIANVS TERTIVS PONT. CXI.
ANNO DOMINI DCCCLXXXIV.



HAdrianus 3. Patria Romanus, Agapitus anteà vocatus, Benedicti filius, de Regione Viæ Latæ, creatus 12. Kal. Februarij, Anno Domini 884. consecratus 7. Kalend. Februarij, sedit annum vnum, menses 3. dies 19. decessit 7. Idûs Maij, anno 885. sepultus fuit in Basilica S. Petri collacrymantibus omnibus.

STEPHANVS SEXTVS DICTVS V. PONT. CXII.
ANNO DOMINI DCCCLXXXV.



STephanus VI. dictus V. Romanus, Basilius anteà vocatus, Hadriani filius, de Regione Viæ Latæ, creatus 3. Idûs Maij, Anno Domini 885. sedit annos 6. dies 9. Obiit 12. Kalend. Iunij anno 891. sepultus ad Sanctum Petrum. Vacauit sedes dies 5.

FORMOSVS TERTIVS PONT. CXIII.
ANNO DOMINI DCCCXCI.



FOrmosus, Leonis filius, Ciuis, & Episcopus Portuensis, ex Canonico Regulari, à Nicolao Papa factus, creatus 6. Kalendas Iunij, sedit annos 4. menses 6. dies 18. Obiit 19. Kalend. Ianuarij, anno 895. sepultus ad Sanctum Petrum. Vacauit sedes dies duos. Iste Pont. ex Pulchritudine, Scientia, atque Sanctitate laudatissimus.

BONIFACIVS SEXTVS PONT. CXIV.
ANNO DOMINI DCCCXCV.



BOnifacius VI. Hadriani Episcopi, ex legitimo matrimonio filius, Romanus, ex Tuscia oriundus, creatus 16. Kalend. Ianuarij, Anno Domini 895. sedit dies quindecim. Obiit Romæ pridie Kalend. Ianuarij, ineunte anno 896. sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes dies 5.

STEPHANVS VII. DICTVS VI. PONT. CXV.
Anno Domini dcccxcvi.



STephanus VII. dictus VI. Ioannis Presbyteri, ex legitimo matrimonio filius, Romanus, Epiſcopus Anagninus, creatus 8. Idûs Ianuarij, anno 896. ſedit annum vnum, menſes duos, dies 19. Obiit 9. Kalendas Aprilis, anno 897. ſepultus ad Sanctum Petrum. Vacauit ſedes dies tres, ſi Panuinio credas.

ROMANVS PONTIF. CXVI.
Anno Domini dcccxcvii.



ROmanus, Conſtantini Marini Papæ fratris filius, Galleſinus, Faliſcus, ex Vrbe, quæ hodie Monteſiaſcon appellatur, creatus 5. Kalendas Aprilis, ſedit menſes 4. dies 23. Obiit 14. Kalendas Septembris, anno 897. ſepultus ad Sanctum Petrum. Vacauit ſedes diem vnum, ita Panuinius in Chron.

THEODORVS SECVNDVS PONT. CXVII.
Anno Domini dcccxcvii.



THeodorus II. Iunior, Photij filius, Romanus, Creatus 13. Kalendas Septembris, ſedit dies 20. Obiit Romæ 6. Idûs Septembris, ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit Sedes diem vnum.

IOANNES NONVS PONT. CXVIII.
Anno Domini dcccxcvii.



IOannes IX. Rampoaldi filius, Prouincia Latio, Patria Tiburtinus, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, creatus quinto Idûs Septembris, anno 897. ſedit annos duos, dies 4. Obiit 9. Kalend. Octobris, Anno Christi 899. ſepultus ad S. Petrum. Vacauit ſedes diem vnum.

Sergius III. Benedicti filius, Romanus, ex Comitibus Tuſculanis, Presbyter Cardinalis in ſchiſmate, contra Ioannem IX. ſedit dies aliquot.

BENE

BENEDICTVS QVARTVS PONT. CXIX.
ANNO DOMINI DCCCXCIX.



Benedictus IV. Mamoli filius, Romanus, ex Canonico regulari Lateranensi, creatus 8. Kalend. Octobris, sedit annos 3. menses 6. dies 15. Obiit Romæ 6. Idus Aprilis, anno 903. sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes dies 6.

LEO QVINTVS PONTIF. CXX.
ANNO DOMINI DCCCCIII.



Leo V. è villa Priapi, agri Ardeatini, in Latio, ex Monacho Benedictino Cardinalis, creatus 17. Kalend. Maij, sedit mensem vnum, dies decem. Coactus abdicauit 9. Kalend. Iunij, & vitam monasticam repetiit, & non multò post interiit. Laterani in Basilica Constantiniana sepultus. Non vacauit sedes.

CHRISTOPHORVS PRIMVS PONT. CXXI.
ANNO DOMINI DCCCCIII.



Christophorus I. Patria Romanus, ex patre Leone, S.R.E. Presbyter Cardinalis comprehenso Leone, Pontificem se fecit 9. Kalend. Iunij, anno 903. Sedit in Petri Cathedra, menses 8. E sede deiicitur 9. Kalendas Ianuarij, anno 903. & tandem vinculis mancipatus, vitam finiuit. Sepultus ad S. Petrum.

Schisma in Romana Ecclesia 15 inter Leonem 5. & Christophorum, & Sergium 3. anno 903.

SERGIVS TERTIVS PONT. CXXII.
ANNO DOMINI CMIV.



Sergius III. Benedicti filius, Romanus, ex Comitibus Tusculanis, S.R.E. Presbyter Cardinalis, Creatus 8. Kalendas Ianuarij, die Natalis Domini, ineunte anno 904. sedit annos 7. menses 16. moritur v. Idus Aprilis anno 911. ad S. Petrum sepultus. Vacauit sedes dies 4.

ANASTASIVS TERTIVS PONT. CXXIII.
ANNO DOMINI CMXI.



ANaſtaſius III. Luciani filius, Romanus, creatus 17. Kalendas Maij, anno 911. ſedit ann. duos, menſem vnum, dies 22. Obiit pridie Nonas Iunij, Anno Domini 913. ſepultus ad S. Petrum. Vacauit ſedes dies 15.

LANDVS, VEL LANDO PONT. CXXIV.
ANNO DOMINI CMXIII.



LAndus, Tami filius, Sabinus, Patriâ Herebo, ex Canonico Regulari Lateranenſi, creatus 7. Idus Iunij, Anno Domini 913. ſedit menſes 6. dies 22. Obiit Romæ v. Kalend. Ianuarij, ineunte anno 914. ſepultus ad S. Petrum. Vacauit ſedes dies 26.

IOANNES DECIMVS PONT. CXXV.
ANNO DOMINI CMXIV.



IOannes X. Ioannis filius, ex Epiſcopo Bononienſi Archiepiſcopus Rauennas, de familia Cynthia, quæ hodie vocatur Cincia, Romanus, creatus 9. Kalendas Februarij, ſedit annos 14. menſes duos, dies 16. Vidonis Tuſciæ Comitis dolo captus, ceruicali ſuper os impoſito, ſuffocatur 8. Idus Aprilis 928. Laterani ſepultus. Vacauit ſedes dies duos.

LEO SEXTVS PONT. CXXVI.
ANNO DOMINI CMXXVIII.



LEo VI. Chriſtophori Primicerij S.R.E. filius, Romanus, ex familia Gemina, quæ poſtea ſanguinea dicta eſt, creatus 5. Idus Aprilis, ſedit menſes ſex, dies quindecim. Obiit 20. Kalendas Nouembris, anno 928. ſepultus ad S. Petrum. Vacauit ſedes diem vnum.

STEPHANVS VIII. DICTVS VII. PONT. CXXVII.
ANNO DOMINI CMXXVIII.



STephanus Octauus dictus Septimus Tendemundi filius, Romanus, creatus 9. Kal. Nouemb. sedit annos 2. mens. 1. dies 15. Obiit sexto Idûs Decembris, anno 930. sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes dies 2.

IOANNES VNDECIMVS PONT. CXXVIII.
ANNO DOMINI CMXXX.



IOannes XI. Sergij Pont. (vt aiunt) filius, Romanus, ex Comitibus Tusculanis, qui iidem sunt, cum Comitibus Signiæ, de Comitibus postea dicti, creatus 3. Idûs Decembris, sedit annos 4. menses 10. dies 15. Obiit 8. Kalend. Nouembris anno 935. Lateraoi sepultus. Vacauit sedes diem vnum.

LEO SEPTIMVS PONT. CXXIX.
ANNO DOMINI CMXXXV.



LEo Septimus Romanus, creatus 6. Kal. Nouembris, sedit annos 3. menses sex, dies 10. Obiit Romæ pridie Nonas Maij, anno 939. sepultus in Basilica Sancti Petri principis Apostolorum. Vacauit sedes meosem vnum.

STEPHANVS IX. DICTVS VIII. PONT. CXXX.
ANNO DOMINI CMXXXIX.



STephanus Nonus, dictus Octauus, Romanus, creatus septimo Idûs Iunij, sedit anoos tres, menses quatuor, dies qoindecim, creauit Cardinalem vnum. Obiit Romæ 2. Kalendas Nouembris anno 942. Cospus eius in Basilica Principis Apostolorum sepultum est. Vacauit Romana sedes dies decem.

MARINVS SECVNDVS PONT. CXXXI.
ANNO DOMINI CMXLII.



MArinus II. Iunior, Romanus, creatus Kalendis Nouembris, anno 942. sedit annos tres, menses sex, dies quatuordecim. Obiit anno Domini 946. & in Basilica S. Petri sepultus est. Eius morte tres dies sedes Romana vacauit.

IOANNES XII. PONT. CXXXIII.
ANNO DOMINI CMLVI.



IOannes XII. Romanus, Octauianus ante Pontificatum vocatus, ex Comitibus Tusculanis, Alberici Rom. Principis filius, de regione Viæ latæ, S.R.E. Diaconus Cardinalis, creatus v. Idûs Ianuarij. Sedit annos 8. menses 4. dies 6. Obiit pridie Idûs Maij, & in Lateranensi Basilica sepultus est. Non vacauit sedes.

AGAPETVS SECVNDVS PONT. CXXXII.
ANNO DOMINI CMXLVI.



AGapetus Secundus, Iunior, Romanus, creatus quinto decimo Kalendas Iunij, Anno Domini 946. sedit annos nouem, menses sex, dies decem. Obiit Romæ sexto Kalendas Ianuarij, ineunte anno Domini 956. Corpus eius sepultum est in Basilica Lateranensi. Vacauit sedes Apostolica dies duodecim.

BENEDICTVS QVINTVS PONT. CXXXIV.
ANNO DOMINI CMLXIV.



BEnedictus V. Diaconus Cardinalis, defuncto Ioanne statim in loco eius Pontifex à Populo, & à Clero Romano eligitur. Sedit mensem vnum, dies aliquot. Per vim remotus, & ad Hamburg relegatus, ibid. moritur, v. Nonas Iulij 965.

Leo Antipapa dictus 8. Ioannis Protoscriniarij filius, consecratus 6. Idûs Decembris, Anno Christi 963. sedit contra dictum Ioannem, & Benedictum, annum 1. menses 3. dies 12.

IOAN

IOANNES XIII. PONT. CXXXV.
ANNO DOMINI CMLXV.



IOannes XIII. Romanus, Ioannis Episcopi filius ex legitimo matrimonio procreatus, Episcopus Narniensis, creatus 6. Octobris, Anno Domini 965. sedit annos sex, menses 2. dies quinque. Obiit octauo Idus Septembris, anno 972. sepultus in Basilica S. Pauli Apostoli extra Vrbem, via Ostiensi. Vacauit sedes dies 13.

DONVS, ALIAS DOMNVS, aliàs Domnio II. PONT. CXXXVI.
ANNO DOMINI CMLXXII.



DOnus, aliàs Domnus, aliàs Domnio II. Iunior, Romanus, creatus 12. Kalendas Octobris, sedit menses 3. obiit 14. Kalend. Ianuarij, Anno Domini 972. Non vacauit sedes.

BENEDICTVS SEXTVS PONT. CXXXVII.
ANNO DOMINI CMLXXII.



BEnedictus VI. Hildebrandi filius, Romanus, creatus 13. Kalendas Ianuarij, sedit in Petri Cathedra annum vnum, menses tres. Coactus abdicauit 14. Kalend. Aprilis, & non multò post in Adriani mole strangulatur.

BONIFACIVS VII. PONT. CXXXVIII.
ANNO DOMINI CMLXXIV.



BOnifacius Septimus, Franco anteà dictus, Ferrutij filius, Sanctæ Roman. Eccles. Diaconus Cardinalis, creatus tertio Kalendas Aprilis, sedit annum vnum, mensem vnum, dies duodecim. Coactus abdicauit, ex Vrbe pulsus, quinto Idus Maij, Anno Domini 975. Deinde reuersus Benedicto mortuo, Pontificatum iterum vi tenuit menses 4. dies 6. Obiit 12. Kalend. Augusti, anno 985. sedes dies 20.

NEDICTVS VII. PONT. CXXXIX.
ANNO DOMINI CMLXXV.



Enedictus VII. ex Comitibus Tusculanis, Romanus, Deusdedit filius, Episcopus Suttinus, creatus 4. Kal. Iunij, fugato Bonifacio Septimo. Sedit annos nouem, mensem 1. dies 10. Romæ obiit sexto Idus Iulij, anno Domini 984. sepultus ad S. Crucem in Hierusalem. Vacauit sedes dies 5.

OANNES XIV. PONT. CXL.
ANNO DOMINI CMLXXXIV.



Ioannes XIV. Papiensis, Petrus antea vocatus, à Cæsare noua dictus Episcopus Papiensis, creatus 17. Kal. ... sedit menses 8. Pontificatu exactus à Bonifacio VII. ... urbem reuerso 17. Kalendas Aprilis. Obiit 17. Kalendas Aprilis, Corpus eius in Basilica S. Petri sepultum, anno Domini 985. Vacauit sedes dies...

... clusina 17. inter Bonifacium VII. & Benedictum VII. ... um VI. & Ioannem XIV.

IOANNES XV. PONT. CXLI.
ANNO DOMINI CMLXXXV.



Ioannes XV. Romanus, Leonis Presbyteri ex legitimo matrimonio filius, de vico Gallinæ albæ, creatus Kal. Augusti, anno Domini 985. sedit annos 9. menses 6. dies 10. Obiit Romæ v. Idus Februarij, anno 995. sepultus ad S. Petrum principem Apostolorum. Vacauit sedes diem 1.

Canonizatio S. Vdalrici, Episcopi Ciuitatis Augustanæ.

Huius Sancti Festiuitas hic non designata, celebratur in ea Ciuitate die 4. Iulij.

IOANNES EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus in Gallia, & Germania commorantibus, salutem in Domino, & Apostolicam Benedictionem. *Edita A. D. 993.*

CVM Conuentus esset factus in Palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarias, residente Ioanne Sanctissimo Papa, cum Episcopis, & Presbyteris, astantibus Diaconibus, & cuncto Clero, surgens Reuerendiss. Liutholphus, Augustæ Episcopus inquit, Domine Sanctissime Præsul, si vobis placet, & omnibus Episcopis, & Presbyteris hic residentibus, libellus quem præ manibus habeo coram vobis legatur, de vita & miraculis Venerabilis Vdalrici sanctæ Augustanæ Ecclesiæ dudum Episcopi, & quid libitum vobis fuerit, decernatur. Quia Spiritus sancti testatur præsentia, & Congregatio Sacerdotum certum esse, quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius in Euangelio ista est sententia: Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cùm ita sit, nec huic tàm breui numero Spiritus sanctus deest; quantò magis eum nunc interesse credamus, quando in vnum conuenit turba Sanctorum. Sanctum namque est pro debita veneratione Collegium. *Lectus fuit liber vitæ Vdalrici, coram Papa, & alijs.*

§. 1. Cùmque perlecta esset vita prædicti sanctissimi Episcopi, ventum est ad miracula, quæ siue in corpore, siue extra corpus gesta sunt, videlicet cæcos illuminasse, dæmo *Et etiam miraculorum.*

dæmones ab obsessis corporibus effugasse, paralyticos curasse, & quamplurima alia signa gessisse, quæ nequaquam calamo, & atramento illustrata sunt.

Papæ decretum de Canonizatione.

§. 2. Quæ omnia lepida satis vrbanitate exposita recepimus, & communi consilio decreuimus, memoriam illius, idest Vldalrici Episcopi affectu piissimo, & deuotione fidelissima venerandam. Quoniam sic adoramus, & colimus reliquias Martyrum, & Confessorum, vt eum cuius Martyres, & Confessores sunt, adoremus. Honoramus seruos, vt honor redundet in Dominum, qui dixit: Qui vos recipit, me recipit. Ac proindè nos, qui fiduciam nostræ iustitiæ non habemus, illorum precibus & meritis apud clementissimum Deum iugiter adiuuemur; quia diuina saluberrima præcepta, & Sanctorum Canonum, ac Venerabilium Patrum instabant efficaciter documenta omnium Ecclesiarum, pio considerationis intuitu, imò Apostoli moderaminis annisu, vtilitatum communitatem atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Vldalrici iam præfati Venerabilis Episcopi diuino cultui dicata existat, & in laudibus Dei deuotissimè persoluendis semper valeat proficere.

Contrauenientium pœna.

§. 3. Si quis intereà (quod non credimus) temerario ausu contra ea, quæ hac nostra authoritate piè, ac firmiter per hoc priuilegium constituta sunt cõtra ire tentauerit, vel hæc quæ à nobis in laudem Dei, & pro reuerentia dicti Episcopi statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, sciat se auctoritate B. Petri Principis Apostolorum, cuius immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum.

Obseruatoribus benedictio.

§. 4. At verò qui pio intuitu obseruator extiteris, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur.

Registrus d. Decreti.

§. 5. Scriptum est per manum Stephani Notarij Regionarij, & Scriniarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Februario, indictione sexta, anno nongentesimo nonagesimo tertio.

Papa subscriptio.

Ego Ioannes S. Roman. Cathol. & Apostol. Ecclesiæ Episcop. huic decreto à nobis promulgato consensi, & subscripsi.

Episcoporum, & Cardinalium subscriptio.

Ioannes Episcopus S. Anagninæ Ecclesiæ consensi.
Benedictus Episcopus S. Pipernensis Ecclesiæ consensi.
Dominicus Episcop. S. Ferentinæ Ecclesiæ consensi.
Crescentinus Episcop. S. Siluæ candidæ Ecclesiæ consensi.
Anniso Episc. S. Cerensis Ecclesiæ consensi.
Bonizo Archipresb. & Cardinalis S. Luciæ consensi.
Benedictus Presbyter & Card. S. Stephani consensi.
Leo Presbyter & Cardinalis S. Nerei consensi.
Ioannes Presbyter, & Cardinalis S. Damasi consensi.
Leo Presbyter, & Cardinalis S. Sixti consensi.
Ioannes Presby. & Card. SS. Apostolorum consensi.
Ioannes presbyter & Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum consensi.
Ioannes Presbyter, & Card. S. Clementis consensi.
Crescentius Presbyter, & Card. S. Callisti consensi.
Benedictus Archidiaconos.
Ioannes Diaconus, & Oblationarius.
Benedictus Diaconus.
Ioannes Diaconus. Hi omnes consenserunt, & subscripserunt.

Dat. P. An. 8. die 3. Febr.

Dat. 3. Kalendas, aliàs Nonas Februarij per manum Ioannis Episcopi S. Nepesinæ Ecclesiæ, & Bibliothecarij Sanctæ Sedis Apostolicæ Anno Pontificatus Domini nostri Ioannis Sanctissimi XV. Papæ Octauo, Mense dicto, & Indictione sexta.

IOANNES XVI. PONTIF. CXLII.

ANNO DOMINI CMLXXXXV.



IOaones XVI. Roberti filius, Romanus, creatus 3. Idus Februarij, sedit menses 4. moritur quinto Idus Iunij, Anno Domini 995. sepultus ad Sanctum Petrum Principem Apostolorum. Vacauit sedes dies 6.

GREGORIVS QVINTVS PONT. CXLIII.

ANNO DOMINI CMLXXXXV.



GRegorius V. Saxo Germanus, Bruno anteà dictus Othonis Saxoniæ, & Sueuiæ Ducis filius, Matre Iuditha, ex Vrbe Vangia, Presbyter, & Capellanus Imperatoris, Verdensis creatus Antistes, Pontifex declaratus xvi. Kalend. Iulij, die Dominico, Anno Domini 995. sedit in Petri Cathedra annos 2. menses 7. dies 18. Obiit Romæ 12. Kal. Martij, anno 998. sepultus ad S. Petrum, iuxta sepulchrum Beati Gregorij. Vacauit sedes dies 15.

Schisma in Ecclesia Romana XVIII. inter Ioannem Antipapam, dictum XVII. & Gregorium V.

.VESTER SECVNDVS PONT. CXLIV.
ANNO DOMINI CMXCVIII.



'lueſter II. Iuniot, Aquitanus, Gallus, Gerebertus inteà vocatus, Flotiacenſis Monachus, Abbas Bobien- ex Aichiepiſcopo Rhemenſi, Rauennas etiam factus, tus Kal. Nouembris, Anno Domini 998. ſedit in Pon- atu annos 4. menſes 6. dies 12. Obiit quarto Idus Maij 3. ſepultus Lateiani. Vacauit ſedes dies 25.

OANNES XVII. PONT. CXLV.
ANNO DOMINI MIII.



)annes XVII. Sicco nominatus, Romanus, de Vico iberatica eteatus 7. Idus Iuoij (nam eius Ioannis, qui chiſmate eum Gregorio V. creatus fuit, ratio habita eſt in nominis numero.) Sedit menſes quatuot, dies Obiit Romæ, pridie Kalendas Nouembris, Anno Do- i 1003. ſepul . in Eccleſia Monaſterij Sancti Sabbæ Cella Noua. Vacauit ſedes dies 15.

IOANNES XVIII. PONT. CXLVI.
ANNO DOMINI MIII.



IOannes XVIII. Faſanus, vel Fanaſſus, Romanus, de vico portæ Mathodij, creatus 12. Kalend. Decembris, ſedit annos 5. menſes 7. dies 29. Obiit Romæ 15. Kalendas Auguſti, Anno Domini 1009. ſepultus ad S. Ioannem in Laterano. Vacauit ſedes dies 30.

SERGIVS QVARTVS PONT. CXLVII.
ANNO DOMINI MIX.



SErgius IV. Petri Martini filius, Romanus, ex Caſtro Lunæ, Monachus anteà Benedictus, cteatus 15. Kal. Septembris, Anoo Domini 1009. ſedit annos 2. menſes 9. dies 12. Obiit 4. Kalendas Iunij, 1012. ſepultus Laterani. Vacauit ſedes dies 8.

BENE

BENEDICTVS VII. DICT. VIII. PONT. CXLVIII.

Anno Domini MXII.



BEnedictus VII. dictus VIII. Romanus, ex Comitibus Tusculanis, Gregorij filius, creatus die 20. Maij 1012. sedit annos 11. menses 8. dies 21. Obiit Romæ 3. Kal. Martij 1024. sepultus ad S. Petrum. Vacauit Sedes diem 1.

Schisma in Ecclesia Romana XIX. inter Benedictum VIII. & alium quendam Antipapam, cuius nomen ignoratur.

BENEDICTVS VIII. DICTVS IX. PONT. CL.

Anno Domini MXXXII.



BEnedictus VIII. dictus IX. Romanus, ex Comitibus Tusculanis, Theophylactus anteà vocatus, Alberici filius, Diaconus Cardinalis, creatus 3. Idùs Nouembris, Sedit annos 12. menses 4. dies 20.

Syluester III Romanus, Ioannis Laurentij filius, Episcopus Sabinus, in schismate contra Benedictum Pontifex creatus, sedit mensem 1. dies 19. creatus 11. Kalend. Feb. Pontificatu à Benedicto exactus est v. Idùs Martij ann. 1045. quo pulso Benedictus iterum sedit mensem 1. dies 21. ex ante diem 6. Idùs Mart. vsque ad Kalendas Maij eius anni, quo die sponte abdicauit.

IOANNES XIX. PONT. CXLIX.

Anno Domini MXXIV.



IOannes XIX. Romanus, ex Comitibus Tusculanis, qui & Signiæ, & de Comitibus dicti sunt, Gregorij filius, Benedicti VIII. Prædecessoris sui frater Germanus, Episcopus Portuensis, creatus pridie Kal. Martij, sedit annos 8. menses 9. dies 9. Obiit 6. Idùs Nouembris, anno 1032. sepultus ad Sanctum Petrum. Vacauit sedes dies 2.

GREGORIVS SEXTVS PONT. CLI.

Anno Domini MXLV.



GRegorius VI. Romanus, S.R.E. Archipresbyter Cardinalis S Ioannis ante Portam Latinam, Creatus Kalend. Maij, sedit annum 1. mensem 7. dies 20. coactus in Concilio Sutrij, pro tollendo schismate in Sancta Romana Ecclesia exorto abdicauit 13. Kalend. Ianuarij, anno 1046. & ad Monasterium Cluniacense relegatur. Vacauit sedes dies 4.

CLEMENS SECVNDVS PONT. CLII.
ANNO DOMINI MXLVII.



CLemens II. Iunior, Germanus, Saxo, Suidgerus anteà vocatus, Bambergensis Episcopus creatus 12. Kalend. Ianuarij, vixit menses 9. dies 15. Obiit anno Domini 1047. Idibus Octobris, sepultus in Ecclesia Bambergensi.

DAMASVS SECVNDVS PONT. CLIII.
ANNO DOMINI MXLVIII.



DAmasus II. Iunior, Germanus, Bauarus, Popo Baguarius anteà vocatus, Episcopus Brixinensis, & Patriarcha Aquileiensis, consecratus, & coronatus Romæ 16. Kalend. Augusti, die Dominico, anno 1048. sedit dies 23. Obiit 6. Idus Augusti, sepultus in Ecclesia S. Laurentij extra muros. Vacauit Sancta Romana Sedes menses 6. & dies 15.

LEO NONVS PONTIF. CLIV.
ANNO DOMINI MXLIX.



LEO IX. Francus, Gallus, Bruno anteà vocatus, Comes Dasprug, aliàs Egghisein, Hugonis filius, Tullēsis in Leucis Episcopus, creatus, & consecratus pridie Idus Febr. 1049. sedit annos 5. menses 2. dies 8. Creauit Cardinales 20. Episcopos sex, Presbyteros 9. Diaconos 5. Obiit 16. Kalend. Maij, anno 1054. sepultus ad S. Petrum propè Aram S. Andreæ, & Gregorij. Vacauit sedes menses 15. dies 24.

Contra inuadētes domos Episcoporum defunctorum, bonáque diripientes eorundem. I.

Habes contra offendentes eorum personas constit. Alexand. ij. in cap. si quis deinceps 17. q. 4. & Alex. 3. in cap. Ad aures, de Pæn. Nec non anathematizationem quotannis à Rom. Pont. in die Cœna Domini pronuntiari solitam, cuius vltimum exemplar vide inf. tom. 3. in Pauli V. constit. 63. Pastoralis.

Nouissimam verò Bullam in die Cœnæ Domini legi solitam vide in S. D.N. Vrb. VIII. Const. 62. Pastor. inf. tom. 4.

L E O E P I S C O P V S, *Edita, An. D. 1051.*
Seruus Seruorum Dei: Dilectis in Christo filiis omnibus Auximanis, Clero, & Populo salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QVIA Auctore Deo sic nobis vnius Ecclesiæ cura specialiter est commissa, vt per dignitatem Apostolicæ Sedis etiam cæterarum Ecclesiarum generalis sit prouisio delegata, nostro competere videtur officio, non solùm quæ hactenus aduersùs easdem Ecclesias temerariis ausibus sunt vsurpata, corrigere; sed etiam ne rursus eadem præsumantur in posterum, prouidere.

§. 1. Peruersam autem, & prorsus execrabilem quarundam plebium consuetudinem fama vulgante cognouimus, vt videlicet suo defuncto Episcopo, domũ Episcopi hostiliter irrũpentes inuadant, facultates eius prædonum more diripiant, prædiorũ domos incendant, vites insuper, & arbusta bestiali immaniores feritate succidāt. *Abusus inuadendi domos defunctorum Episcoporum, & diripiendi bona eorundem.*

§ 2. Quod nimirum, nisi Ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum, haud dubium quin regionibus illis repentini furoris immineat gladius. Si enim honorare parentes primùm dicitur in repromissione mandatum, si *Qui vir adeundum permissus coërcendus est.*

male

maledicens patri, vel matri mulctari morte præcipitur, cuius animaduersionis sententia digni sunt, qui non carnales genitores persequi gestiunt, sed ipsam Matrem, suam Ecclesiam, in qua, ex aqua, & SpirituSancto regenerati sunt, vt vlperinum genus dissipare contendunt; Etsi enim Sacerdos quilibet ex debito humanæ conditionis obiit, sed Christus qui animarum nostrarum Episcopus est, ex virtute diuinitatis in æternum viuit. Sicut enim Paulus dicit, Plures facti sunt Sacerdotes secundùm legem, eo quod morte prohiberentur permanere. Iesus autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Deum ergo inhonorare conuincitur, qui mortali Episcopo viuente, terrena pressus formidine, ab Ecclesiæ se læsione cohibuit. Defuncto autem eo, ad iniuriam Christi, qui immortalis Ecclesiæ Sponsus est, fel odij, & virus malitiæ quod caterus occultabat, effundit. Et fortassè Episcopus in vita sua aliquem læsit, sed Christus, qui Ecclesiæ Custos relictus est, quid peccauit? Si ergo illi, qui nocuit, malum pro malo non redditur, cur æterno Pontifici qui nobis bona pro malis reddidit, reuerentia non habetur? Veruntamen si Ecclesiæ prædo, Dei filium immortalem proculdubio Pontificem videret, si eum vbique præsentem omnia nosse, ac posse consideraret, coram eius oculis admittere tàm impium, tam sacrilegum facinus non auderet. Sed verò in illu completur quod per Psalmistam dicitur. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Porrò si illi qui bona sua Ecclesiæ conferunt, proprij reatus absolutionem fœlici commercio promerentur, subsequenter autem illi, qui Ecclesiasticas facultates barbarica feritate diripiunt, in æternæque damnationis voraginem cadunt: qui nimirum nouo, & incomparabili criminis genere sic Iudaicam perfidiam superant, vt non modo gentilium errorem, sed & hæreticorum prauitatem detestabiliores excedant, à quibus videlicet Christus iterùm crucifigitur, & corpus eius, quod est Ecclesia crudeliter laceratur.

Prohibetur itaque à inuasio & direptio.

§. 3. Deprimatur ergo ausus illicitus, & nefarius diabolicæ instigationis cohibeatur excessus, abstineat manus audax ab Ecclesiastico Patrimonio, ne victus pauperum pereat, ne quod ex oblatione fidelium iam Deo factum est sacrificium, præda raptorum fiat.

Sub excommunicationis & anathematis pœna.

§. 4. Quisquis autem huius nostri decreti improbus temerator extiterit, ex parte Dei Omnipotentis, & auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli anathematizandum esse decernimus, & vt reucea putridum membrum excommunicationis ferro à Sanctæ Ecclesiæ corpore detruncamus. Sit igitur nisi resipiscat Anathema, Marantha, omnésque maledictiones Hebal super caput suum descendisse cognoscat.

Obseruatoribus gloria indicatur.

§. 5. Obseruatoribus autem gloriam, & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Amen.

II. Quòd conuocatio Conciliorum generalium, & depositio Episcoporum, solius est Romani Pontificis.

Hoc idem de eiusmodi Conciliis conuocandis, & declarandis, censuit Concilium Tridentinum, sess. 25. ad fin. Et dudum habetur in cap. 1. & seq. distinct. 17. Quinimò, & de eis retractandis idem tradit Gelas. I. in eius constit. 1. Valde fol.... Et super interpretatione dicti Concily Trident. Sixtus V. constituit Congregationem Cardinalium infr. eius constit. 74. Immensa.

Contra appellantes à Mandatis Roman. Pont. ad futurum Concilium extat excommunicatio in Bulla Cœnæ Domini, de qua vide præcadent. Rubricam.

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Thomæ Confratri charissimo, & Coepiscopo salutem.

Edita An. Di 1053.

Discordia inter Christianos perstrin.

§. 1. CVm ex Venerabilium Canonum auctoritate tecolimus CCV. Episcopos Concilio interfuisse Carthaginensi, & nunc à tua fraternitate audimus quinque vix Episcopos superesse in tota Africa, vtique tertia huius corruptibilis mundi parte; compatimur tantæ vestræ imminutioni totis viribus animi. Cùm autem ipsas Christianitatis reliquias ediscimus interna & mutua distensione discindi, & dispergi, & aduersùs se inuicem zelo, & contentione Principatus inflari, nil aliud nobis primò dicendum occurrit, quam illud S. Amos vatis: Parce Domine, parce obsecro, quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?

Pro ea igitur tollenda ad Sedem Apostolicam recurritur.

§. 2. Sed quamuis in tali tantoque defectu religionis plurimùm doleamus, multùm tamen gaudemus quia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matris vestræ sententiam requiritis, & expectatis super quæstionibus vestris, & quasi riuulis ab vno fonte erumpentibus, & in suo se cursu per diuersa spargentibus, ad ipsius fontis primam scaturiginem reuerti debere optimum putatis, vt inde resumatis directionis vestigium, vnde sumpsistis totius Christianæ Religionis exordium.

Et licèt Episcopus Carthaginensis sit maior in tota Africa.

§. 3. Noueris ergo proculdubio, quia post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus: nec quicumque sit ille Gummitanus Episcopus, aliquam licentiam consecrandi Episcopos, vel deponendi, seu Prouinciale Concilium conuocandi habet sine consensu Carthaginensis Archiepiscopi, cuiuslibet dignitatis aut Potestatis sit, exceptis his, qui ad propriam Parochiam pertinent; cætera autem, sicut & alij Africani Episcopi, consilio Carthaginensis Archiepiscopi aget. Vnde charissimi Confratres nostri, & Coëpiscopi Petrus & Ioannes rectè sentiunt de Carthaginensis Ecclesiæ dignitate, nec consentiunt errori Gummitani Ecclesiæ.

Papa tamen solius auctoritas est Concilia generalia conuocanda, & Episcopos deponendi.

§. 4. Hoc autem nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis vniuersale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi; etsi quia licet vobis aliquos examinare, diffinitiuam tamen sententiam absque consulto Romani Pontificis, vt dictum est, non licet dare, quod in Sanctis Canonibus statutum, si quæritis, potestis inuenire. Quamuis enim omnibus generaliter Apostolis dictum sit à Domino. Quæcunque ligaueritis in Terra, ligata erunt & in Cœlo, & quæcunque solueritis in Terra soluta erunt & in Cœlo. Tamen non sine causa specialiter, & nominatim dictum est Beato Apostolorum Principi. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum; Et in alio loco, Confirma fratres tuos, scilicet quia omnium Ecclesiarum maiores & difficiliores causæ per sanctam & principalem B. Petri Sedem à successoribus eius sunt diffiniendæ. Iam verò quia ad interrogata, etiam Confratrum nostrorum Petri & Ioannis Episcoporum decreuimus respondere, optamus vt sanctam tuam fraternitatem iugiter inuigilantem vtilitatibus Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, atque deuotè pro nobis orantem, sancta, & indiuidua Trinitas semper conseruet, charissime Frater.

Dat. Pont. A. 5. die 17. Decembris.

Dat. xvi. Calendas Ianuarij. Anno Domini Papæ Leonis Noni quinto, indictione septima.

VICTOR SECVNDVS PONT. CLV.
ANNO DOMINI MLV.



VIctor II.Natione Germanus, Prouincia Sueuia, ex Comitibus Calbensibus, Castello Hisprug. ortus, Patrem habuit Arduigum, Matrem Vitzelam, Creatus feria 5.in Cœna Domini, Idib. Apr.1055. Vixit annos 2. menses 3.dies 16.Creauit Episcopos 2.& Presb.1. Obiit Florentiæ 5.Kal.Aug.1057.Eius corpus in Ecclesia Cathedrali S.Reparatæ sepultum est.Vacauit sedes dies 4.

STEPHANVS X. DICTVS IX. PONT. CLVI.
ANNO DOMINI MLVII.



STephanus IX.Lotharingus, Fridericus anteà vocatus, Gozzelonis Ducis filius, & Gothifredi I.V. Magni Ducis frater, Abbas Cassinensis, Card.tit.S.Chrysogoni, Creatus 4.Non.Aug.1057.Sedit menses 7.dies 28.Creauit Episc.2.Presb.2. & Diac.2.Obiit.Florentiæ an.Dom. 1058.4.Kal Apr.cuius corpus ibidem in Ecclesia Cathedrali S.Reparatæ sepultum est, propè aram S. Zenobij. Vacauit sedes dies 28.

Benedictus IX.dictus X.Antipapa ex Comitib. Tusculanis, Mincius anteà vocat.Creat.Nonis Apr.an. 1058.

NICOLAVS SECVNDVS PONT. CLVII.
ANNO DOMINI MLIX.



NIcolaus II. Gerardus Allobrox, cognomento Burgundio, Episcopus Florentinus, Creatus 3. Nonas Ianuarij, anno Domini 1059. Sedit annos 2. menses 6. diem 1.multos Cardinales, ex Monachis præsertim, creauit Episcopos 2. Presbyteros 4. Diaconos 2. Obiit Florentiæ 5.Nonas Iulij, anno Domini 1061. & in Cathedrali Ecclesia sepultus fuit. Vacauit sedes, propter subsecutum schisma menses 2.dies 26.

ALEXANDER SECVNDVS PONT. CLVIII.
ANNO DOMINI MLXI.



ALexander II. Anselmus de Bedagio anteà vocatus, Mediolanensis, Canonicus Regularis, Episcopus Lucensis, Creatus pridie Kal.Octobris die Dominico anno 1061. Sedit annos 11.menses 6.dies 22.Card.30. ab hoc Pont. creati sunt, id est, Episcopi 8. Presbyteri 16. Diaconi 6.Obiit Romæ in Palatio Lateranensi, die Dominico, x.Kal.Maij, anno 1073. sepultus est in Basilica Constantiniana, Non vacauit Sedes.

Honorius II Antipapa, Episcopus Parmensis, Cadaolus Pallauicinus antea vocatus, contra Alexandum II.

Appro

I. Approbatio Congregationis Monachorum Eremitarum Camaldulensium, aliàs Campi Amabilis, Ordinis Sancti Benedicti.

Istam Congregationem fortiùs vniuit Alexander iiij inf. in sua constit. 11. Officij. Omnésque alios recipere posse, concessit Greg. x. in const. 1. Fernor. Ei addidit aliam Congregationem, Leo X. in constit. 2. Et si à. Electionem Prælatorum, eorúmque munus disposuit idem Leo ibid. Ac Paul. III. in const. 47. Exponi. Et Greg. XIII. in const 86. Cum interna. Ambitum prohibuit Clemens VIII. in Const. 43. Ambitiosam. Priuilegia autem vide in constitut. 18. Gregor. XIV. Ex iniuncto.

Edita An. D. 1062.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Rustico Priori, & cunctæ eius Congregationi, de loco qui dicitur Campus Amabilis, in perpetuum.

Proœmium.



Vlli fidelium venit in dubium, quin Sedes Apostolica, eo quòd Princeps existat omnium Ecclesiarum, omnibus hoc iure, & debita sollicitudine, Ecclesiis præesse debeat, vt non solùm eas Catholicæ Religionis vnitate concludat, sed generaliter ab his, quæ extrinsecus promouentur sua auctoritate saluet, & muniat. Inter quas tamen complures inueniuntur, quæ speciali & propria commendatione, in tutelam eiusdem Sedis Apostolicæ se contulere, & speciali charitate & studio suæ matris amplexæ, securiores & liberiores ab omni infestatione, consisterent. Quas vt dignum erat, ita in suo sinu, Romana suscepit Ecclesia, tantaque protexit vndique diligentia vt omnibus ornamenta, præsidia, nonnullis quoque & gratiam conferret † amplificationis. Cuius rei nobis plurima exempla Sanctissimi Viri prædecessores nostri reliquere, qui ante nos in ea, quam diximus, Apostolica Sede fulgentes, pro honore Ecclesiarum Dei, & earum exaltatione, magis quàm pro vita aut salute sua, solliciti fuere. Nouimus Monasteria plurima, & cætera Ecclesiastica bona, quæ à religiosis Viris, ad patrocinium & defensionem Apostolicæ Sedis sunt delata, cum summa charitate ab illis suscepta, & Priuilegio Apostolicæ defensionis quasi muro munita firmissimo. In qua re quàm sanctè fecerint, & illorum nobis ostendit gloria, & ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cùm Oratoria in pace & tranquillitate consistunt, Ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt, laus Deo condigna depromitur, & remedia peccatorum tam viuis, quàm defunctis piè impenduntur.

† conferret.

Susceptio Eremi sub tutela Sedis Apostolicæ.

§. 1. Vnde nos in eadem Apostolica Sede, non nostris meritis, sed diuina locati gratia, Oratorium Sancti Saluatoris in Campo Amabili constructum, & omnes Cellas ipsi adhærentes, & circumcirca adiacentes, & omnia ad ipsum pertinentia, communi rogatione Fratrum, in tutelam Apostolicæ auctoritatis, & nostram, successorumque nostrorum, suscipimus defensionem; salua quidem suæ matricis Ecclesiæ debita & canonica reuerentia. Volentes vt tam pia fidelium animarum deuotio, à quibus idem Oratorium fuit inceptum, & adhuc vsque productum, Deo crescat, & illis eorumque posteris & successoribus, ad salutem corporis & animæ proficiat. Sic denique ipsum Oratorium & prædictum locum, cum omnibus Cellulis & hospitiis suis, seu vniuersis rebus ad eum pertinentibus, in nostram defensionem suscipimus, vt tam illa quæ modo habere, & tenere videntur: quàm quæ in anteà Deo largiēte iustè acquirere poterit, vbicumque posita fuerint, sub Apostolicæ Sedis custodia, & tuitione consistant.

Enunciatio locorum Eremi.

§. 2. Primò itaque loco ponimus Eremum & Oratorium situm in loco, qui dicitur Campus Amabilis. Secundò, Hospitium eius, quod dicitur Fons Bonus. Tertiò Cœnobium quod est constructum in loco qui dicitur Cerreto, qui est infra comitatum Vulterensem. Quartò in loco qui dicitur Agna, Quintò, in loco, qui dicitur Monte, & Socl. Sextò in loco qui dicitur Arcina. Septimò, in loco, qui dicitur Chaliano & Punna. Octauò, in loco, qui dicitur in Chio, & Ecclesia S. Sauini. Nonò, in loco, qui dicitur Fogiano.

Iussio quòd à nemine perturbentur.

§. 3. Sancimus igitur hoc nostro priuilegio, vt neque Rex, Imperator, Dux, Comes, aut Pontifex, aut aliqua persona, idem Oratorium, aut Fratres ibi Deo seruientes, eiusque Territoria, aut al qua sibi iustè, modò aut anteà pertinentia, inuadere aut molestare, vel aliquo modo inquietare præsumat. Libertatem vel licentiam Ecclesiastici iuris, quam hucusque habere visi sunt, seu quam iustè in anteà habere poterunt, in hac eadem serie confirmamus, & perpetuam fore statuimus. Ne quis etiam malas consuetudines super inducat, quibus idem Oratorium à sua Religione turbetur, Apostolica auctoritate prohibemus.

Et in celsitudine contemplationis perseuerent.

§. 4. Ita tamen volumus & constituimus, vt iam dictum Oratorium cum Cellis suis, omni tempore, eo modo atque tenore, quo priùs inchoatum est, & ad nostra vsque tempora productum, maneat in suo vigore atque stabilitate, scilicet vt semper Eremitico tramite, contemplatiuæ vitæ celsitudine perseueret. Nec liceat cuiquam vnquam, aut Abbatem ibi ponere, aut Cœnobium facere, sed semper solitariæ vitæ locus ipse sit deditus, & firmitate continua dedicatus.

Licentia recipiendi ordines, à viciniori Episc. si ordinarius sit Canonicè impeditus.

§. 5. Hoc quoque, vestra charitate rogante, & huic Apostolicæ sedis Priuilegio annectimus, vt si quando opportunum fuerit, aliquem ex vestra Congregatione in Ecclesiasticos gradus ordinari, & Episcopus, ad cuius Parochiam iam pertinet prædictum Oratorium S. Saluatoris, seu aliqua ex Ecclesiis, vel Cellulis vestris in antea pertinebit, Simoniaca hæresi fuerit depravatus, vt ritè, & Canonicè Episcopale non possit implere officium; Tunc libera facultas, & licentia pateat vobis, adire Catholicum & benè viuentem Episcopum vbicumque in vestra, vel proxima Prouincia inueniri potuerit, vt ab ipso Ecclesiasticis gradibus, & officiis ordinari ex vestra Congregatione dignus esse possit. Sacris enim Canonibus, & bonis congruit moribus, vt sicuti qui ordinandi sunt, bonæ vitæ, rectæque scientiæ existere debent, sic iuxta Apostoli sententiam, illi qui manus ordinandis imponunt, irreprehensibiles, & absque crimine inueniantur.

Excommunicatio in perturbatores huius indulti.

§. 6. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra huius nostræ Apostolicæ auctoritatis confirmationis seriem, agere tentauerit, sciat se esse excommunicatum à B. Petro Apostolorum Principe, & nostra Apostolica auctoritate.

Gratia illud obseruantib.

§. 7. Qui verò custos, & obseruator huius nostri priuilegij extiterit, benedictionis gratiam, & vitam æternam à Domino Deo consequi mereatur.

D. P. An. 5. die 29. Octo.

Dat. Lucæ iiij. Kalend. Nouembris, per manus Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardin. ac Bibliothecarij, anno duodecimo Pontificatus ipsius Domini Alexandri Papæ II.

GREGORIVS SEPTIMVS PONT. CLIX.
ANNO DOMINI MLXXIII.



GRegorius VII. Hildebrandus anteà vocatus, natione Etruscus, patriâ Soanensis, patre Bonicio, creatus decimo Kalend. Maij 1073. vixit annos 13. multos Cardinales creauit, sed 21. tantùm nomina supersunt; Episcopos 3. Presbyteros 11. & Diaconos 7. Obiit Salerni 8 Kalend. Iunij 1085. & sepultus fuit in Ecclesia Cathedrali S. Matthæi, eiusdem Ciuitatis. Vacauit sedes annum 1. menses 4. & dies 27.

Clemens III. Parmensis, Gilbertus de Corrigia anteà vocatus Archiepiscopus Rauennas ab Alexandro II. factus, Antipapa contra Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum II. & Pasch. II. sedit annos 21. dies aliquot. Obiit Romæ in arce S. Angeli post Kal. Septemb. 1101. sepultus Rauennæ.

I.

aliàs Regis Imperatoris nuncupati.

Depositio iterataq; excommunicatio Henrici Quarti Imperatoris, Absolutioque Vassallorum à iuramento fidelitatis, & confirmatio electionis Ducis Rodulphi in Regem Theutonicorum.

GREGORIVS PAPA VII. &c.

Edita An. D. 1076. & 1080.

BEATE Petre Apostolorum Princeps, inclina quæsumus pias aures tuas nobis, & audi me seruum tuum, quem ab infantia nutristi, & vsque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt, & odiunt. Tu mihi testis es, & Domina mea Mater Dei, & Beatus Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quòd tua Sancta Romana Ecclesia me inuitum ad sua gubernacula traxit, & ego non rapinam arbitratus sum ad Sedem tuam ascendere, potiusque volui vitam meã in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria Mundi, sæculari ingenio arripere. Et ideò ex tua gratia non ex meis operibus, credo, quòd tibi placuit, & placet, vt populus Christianus tibi specialiter commissus, mihi obediat, specialiter pro vita tua mihi commissa, & mihi, tua gratia, est potestas à Deo data ligandi, atque soluendi io Cœlo, & in Terra.

Imploratio diuini auxilij.

aliàs vice tua.

Depositio Henrici Regis.

§. 1. Hac itaque fiducia fretus, pro Ecclesiæ tuæ honore, & defensione, ex parte Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, per tuam potestatem, & auctoritatem, Henrico regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Theutonicorum, & Italiæ gubernacula contradico.

§. 2. Et omnes Christianos à vinculo iuramenti, quod sibi faciunt, & facient, absoluo & vt nullus ei, sicut Regi seruiat, interdico. Dignum est enim, vt qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorem amittat, quem videtur habere.

Absolutio Vassallorum à iuramento fidelitatis.

§. 3. Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Dominum rediit, quem dimisit, participando excommunicatis, meaque monita, quæ pro sua salute sibi misi (te teste) spernendo, seque ab Ecclesia tua, tentans eam scindere, separando, vinculo eum anathematis vice tua, alligo, & sic eum ex fiducia tua alligo, vt sciant gentes, & comprobent, quia Tu es Petrus, & super tuam petram Filius Dei viui ædificauit Ecclesiam suam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, &c.

Excommunicatio eiusdem Henrici Regis.

Actum Anno ab Incarnatione Domini 1075. Indictione decimaquarta.

Dat. P. A. 3.

Sequitur Monitio ad Episcopos de curanda conuersione dicti Regis Henrici.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Omnibus dilectis in Christo fratribus, & Coepiscopis, Ducibus, Comitibus, vniuersis quoque Fidem Christianam defendentibus in Regno videlicet Theutonico habitantibus salutem, & omnium peccatorum absolutionem per Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 1077.

SI litteras quibus Henricus dictus Rex in Sancta Synodo iudicio Sancti Spiritus excommunicatus est, diligenter perpenditis, quid de eo debeat fieri, indubitanter cognoscetis. Ex illis enim intelligitur cur sit anathematis vinculo alligatus, & à Regia dignitate depositus, & quod omnis populus quondam sibi subiectus, à vinculo iuramenti eidem promissi, sit absolutus. Sed quia nos contra eum non mouit (Deo teste) sæcularis superbia, nec vana mundi cupiditas, sed Sanctæ Sedis, & vniuersalis Matris Ecclesiæ sollicitudo, & disciplina; monemus vos in Domino IESV, & rogamus sicut carissimos fratres, vt eum benignè si ex toto corde ad Deum conuersus fuerit, suscipiatis, & erga eum non tantùm iustitiam, quæ illum regnare prohibet, sed misericordiam, quæ multa delet scelera, ostendatis. Estote quæso memores humanæ conditionis, & communis fragilitatis, nec vos prætereat pia, & nobilis memoria patris eius, & matris, quibus non possunt nostra ætate ad Imperij gubernacula inueniri æquales. Sic tamen adhibere vulneribus eius oleum pietatis, ne vino disciplinæ neglecto, cicatrices eius in peius (quod absit) putrescant, & honor Sanctæ Ecclesiæ, Romanique Imperij nostra negligentia magnæ ruinæ fatiscat. Procul ab eo praui remoueantur Consiliarij, qui pro simoniaca hæresi excommunicati, non erubuerunt Dominum suum propria lepra contaminare, & per diuersa crimina eum seducendo, ad scindendam Sanctam Ecclesiam prouocare, & in viam Dei, & Sancti Petri impellere. Adhibeantur illi Consiliarij, qui non sua tantùm, sed eum diligant, & sæculari lucro per omnia Deum præponant. Non vltra putet Sanctam Ecclesiam sibi subiectam, vt ancillam, sed prælatam, vt dominam. Non inflatus spiritu elationis, consuetudines superbiæ contra libertatem Sanctæ Ecclesiæ inuentas, defendat; sed obseruet Sanctorum Patrum doctrinam, quam pro salute nostra eos docuit potestas diuina. Quòd si de his, & aliis iure ab eo exigendis, nos securos, modis quibus oportet reddiderit; statim volumus per vestros idoneos Legatos de omnibus informari, vt quid debeat fieri communi consilio, Deo aspirante, valeat inueniri.

Monitio ad Episcopos & alios, vt studeant conuersionem Regis Henrici.

§. 1. Illud autem inter omnia ex parte B. Petri interdicimus, vt nullus vestrûm eum præsumat ab excommunicatione absoluere, quousque eis quæ prædiximus, nobis indicatis, Apostolicæ Sedis consensum, & iteratum responsum recipiatis. De diuersorum quidem diuersis consiliis dubitamus, & humanam gratiam, vel timorem suspicioni habemus.

Et interim ab eius absolutione abstineant.

§. 2. Quòd

Regno ad Ecclesiam non redeunte, alter Rex idoneus eligatur.

§. 2. Quòd si ea ingeniribus multorum peccatis (quod non optamus) ea corde non fuerit ad Deum conuersus; talis ad Regni gubernacula (Deo fauente) inueniatur, qui ea quæ prædiximus, & cetera quæ videntur Christianæ Religioni, & totius Imperij saluti necessaria, certa ac indubitabili promissione se obseruaturum promittat.

Quem se confirmaturum habita informatione asserit.

§. 3. Vt autem vestram electionem, si valdè opottet, vt fiat, Apostolica auctoritate firmemus, & nouam ordinationem nostris temporibus corroboremus, sicut à Sanctis nostris Patribus factum esse cognoscimus, negotium, personam, & mores eius quantocius potestis nobis indicare, vt sancta, & vtili intentione incedentes, mereamini Apostolicæ Sedis fauorem per diuinam gratiam, & Beati Petri Apostolorum Principis, per omnia benedictionem.

De iuramento Imperatrici præstito, quid agendum consulit.

§. 4. De iuramento autem quod factum est carissimæ filiæ nostræ Agneti Imperatrici Augustæ, si filius ea hac vita ante ipsam migraret, non est opus adhuc dubitare, quia si nimia pietate circa filium ducta, iustitiæ fauens, vt abiiciatur à Regno consenserit, quid restet vos ipsi comprehendite. Hoc tamen videtur laudabile, postquam certum fuerit apud vos, & omninò firmatum, quod eius à Regno remoueatur, consilium ab ea, & à nobis requiratur de inuenta persona ad regni gubernacula. Tunc, aut nostro communi consilio assensum præbebit, aut Apost. Sedis auctoritas omnia vincula, quæ videntur iustitiæ contradicere, remouebit.

De excommunicatorum absolutione licentiam datam confirmat.

§. 5. De excommunicatis, autem, iam me vobis dedisse licentiam, qui Fidem Christianam (vt decet Episcopos) defenditis, vt absoluatis recordor, & adhuc hoc idem confirmo, si re vera resipuerint, & humiliter pœnitentiam egerint.

Dat. die 3. Sept.

Dat. Laurentij iij. non. Septemb. Indict. incipiente. xv.

Sequitur absolutio dicti Regis.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, cæterisque Principibus Regni Theutonicorum Christianam fidem defendentibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

*Henric. tandem ad obedientiam S. R. E. rediens, humillimam publicè pœnitentiam egit. * constitutum.*

QVoniam pro amore iustitiæ communem nobiscum, in agone Christianæ militiæ, causam & periculum suscepistis, qualiter Rex humiliatus ad pœnitentiam, absolutionis veniam impetrauerit, & quomodo tota causa post ingressum eius in Italiam hucusque deducta sit, vestræ dilectioni sincera caritate indicare curauimus, sicut constitutum * fuit cum Legatis, qui ad nos de vestris partibus missi sunt. In Lungobardiam venimus circiter viginti dies ante terminum, in quo aliquis Ducum ad Clusas nobis occurrere debuit, expectantes aduentum illorum, quatenus ad partes illas transire possemus. Verùm cùm iam decurso termino, hoc nobis nunciaretur, his temporibus, quæ multis (quod nos quidem credimus) difficultatibus, ducatum nobis obuiam mitti non posse, nec aliundè copiam ad vos transeundi haberemus, non parua sollicitudine, quid potissimùm nobis agendum foret circumuenti sumus. Interim verò Regem aduentare certè cognouimus, qui etiam priùs quàm intrasset Italiam, supplices ad nos Legatos præmittens, per omnia se satisfacturum Deo, & S. Petro, ac nobis obtulit, & ad emẽdationem vitæ suæ, omnem se seruaturũ obedientiam repromisit, dummodo apud nos absolutionis, & Apost. benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod cùm diu multis consultationibus differentes, acriter eum de suis excessibus, per omnes qui intercurrebant nuncios redarguerimus; tandẽ per semetipsum, nihil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusij, in quo morati sumus, cum paucis aduenit. Ibique per triduum ante portam Castri, deposito omni Regio cultu, miserabiliter, vtporè discalceatus & laneis persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium, & consolationem implorare destitit, quàm omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille peruenit ad tantam pietatem, & compassionis misericordiam mouit, vt pro eo multis precibus, & lacrymis intercedentes, omnes quidem insolitam nostræ mentis duritiam mirarentur, nonnulli verò in nobis, non Apostolicæ seueritatis grauitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent.

Quem ideo Pont. ipse ab excommunicatione absoluit.

§. 1. Denique instantia compunctionis eius, & tanta omnium qui ibi aderant supplicatione deuicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam, & sinum Sanctæ Matris Ecclesiæ recepimus, acceptis ab eo securitatibus, quæ inferius scriptæ sunt. Quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis, & filiarum nostrarum Mathildis, & Comitissæ Adelaiæ, & aliorum Principum, Episcoporum, & Laïcorum, qui nobis ad hoc vtiles visi sunt, recepimus.

Et pro firmanda pace Regni, se Germaniam iturum pollicetur.

§. 2. His itaque sic peractis, vt ad pacem Ecclesiæ, & concordiam Regni (sicut diu desiderauimus) omnia pleniùs, Deo adiuuante, cooptare possimus, ad partes vestras data primum opportunitate, transire cupimus. Hoc enim dilectionem vestram indubitanter scire volumus, quoniam (sicut in descriptis securitatibus cognoscere potestis) ita adhuc totius negotij causa suspensa est, vt & aduentus noster, & consiliorum vestrorum vnanimitas, permaximè necessaria esse videantur.

Hortaturque Episcopos, & alios, vt in fide, & amore iustitia perseuerent.

§. 3. Quapropter in ea fide, quam cœpistis, & amore iustitiæ, omnes permanere studete; scientes nos non aliter Regi obligatos esse, nisi quod puro sermone (sicut mihi mos est) in his eum de nobis sperare dixerimus, in quibus eum ad salutem, & honorem suum, aut cum iustitia, aut cum misericordia, sine nostræ & illius animæ periculo adiuuare possimus.

Sequitur promissio eiusdem Regis.

Promissio eiusdem Henrici Regis.

§. 4. EGo Henricus Rex de murmuratione, & dissensione, quam nunc habent contra me Archiepiscopi, & Episcopi, Duces, Comites, cæterique Principes Regni Theutonicorum, & alij qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem Dominus Papa Gregorius constituerit, aut iustitiam secundùm iustitiam eius, aut concordiam secundùm consilium eius faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit, quo transacto ad peragendum idem paratus ero. Item si idem Dominus Papa Gregorius, vltra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mea parte, & eorum quos constringere potero, ab læsione vitæ, & membrorum eius, seu captione, tam ipse, quàm qui in eius conductu, & comitatu fuerint, seu qui ab illo mittuntur, vel ad eum de quibuscumque terrarum partibus venerint, ineundo, & ibi morando, seu in redeundo. Neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit. Et si quis ei fecerit, cum bona fide, secundùm posse meum, illum adiuuabo. Actum Canusiæ, 5. Kal. Februarij, Indictione decimaquinta.

Sequitur iterata excommunicatio eiusdem Regis.

Edita A.D. 1080.

BEate Petre Princeps Apostolorum, & tu B. Paule Doctor gentium dignamini quæso aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire.

Hic idem Pontif. excommunicationes prosert aduersus eundem Henricum.

§. 1. Quia veritatis estis discipuli & amatores, adiuuate vt veritatem vobis dicam, omni remota falsitate, quam omnino detestamini, vt fratres mei melius mihi acquiescant, & sciant & intelligant, quia ex vestra fiducia post Dominum, & Matrem eius semper Virginem Mariam, prauis, & iniquis resisto, vestris autem fidelibus auxilium præsto. Vos enim scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & inuitus vltra montes cum D. Papa Gregorio abij, sed magis inuitus cum D. meo Papa Leone ad vestram specialem Ecclesiam redij, in qua vtcumque vobis deseruiui. Deinde valdè inuitus, cum multo dolore & gemitu, ac planctu, in throno vestro valdè indignus sum collocatus. Hæc ideò dico, quia non ego vos, sed vos elegistis me, & grauissimum pondus vestræ Ecclesiæ supra me posuistis. Et quia super montem excelsum me iussistis ascendere, & clamare,

atque annunciare populo Dei scelera eorum, & filiis Ecclesiæ peccata eorum; membra Diaboli contra me ceperunt insurgere, & vsque ad sanguinem præsumpserunt in me manus suas inijcere. Astiterunt enim Reges terræ, & Principes sæculares, & Ecclesiastici, aulici, & vulgares conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs vos Christos eius, dicentes. Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Et vt me omninò morte, vel exilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere. Inter quos specialiter Henricus quem dicunt Regem, Henrici Imperatoris filium, contra vestram calcaneum erexit Ecclesiam, facta cum multis Episcopis vltramontanis, & Italicis conspiratione, anniteos, me deiiciendo, eam sibi subiugare. Cuius superbiæ, vestra restitit auctoritas, eamque nostra destruxit potestas, qui confusus & humiliatus ad me in Longobardiam veniens absolutionem ab excommunicatione quæsiuit.

Quem aliàs humiliatum ipse Pontif. absoluit vt suprà, sed ad Regnum non reintegrauit vt inter eum, & Episcopos, & Principes pax componeretur.

§. 2. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de suæ vitæ emendatione, solam ei communionem reddidi, non tamen in Regno, à quo eum in Romana Synodo deposueram, instauraui, nec fidelitatem omnium qui sibi iurauerant, vel erant iuraturi, à qua omnes absolui in eadem Synodo, vt sibi seruaretur, præcepi. Et hæc ideo detinui, vt inter eum & Episcopos vel Principes vltramontanos, qui ei, causa iussionis vestræ Ecclesiæ restiterant, iustitiam, fauorem, vel pacem componerem, sicut ipse Henricus iuramento per duos Episcopos mihi promisit.

Sed Henrico promissa non obseruante, suit ab illis inscio Papa electus in Rege. Dux Rodulphus, qui Papæ fidelitatem vouet.

§. 3. Prædicti autem Episcopi, & Principes vltramontani, audientes illum non seruare mihi, quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio, (vobis testibus,) elegerunt sibi Rodulphum Ducem in Regem. Qui Rex Rodulphus festinanter admisso Nuncio, indicauit se coactum Regni gubernacula suscepisse, tamen sese paratum mihi omnibus modis obedire. Et vt hoc veriùs credatur, semper ex eo tempore eundem mihi semper misit sermonem, adiiciens etiam filio suo obside, & fidelis sui Ducis Bertoldi filio, quod promittebat firmare.

Henrici, & Rodulphi causa ad Papam deuoluta est, vt in Synodo iudicaretur.

§. 4. Intereà Henricus cœpit me precari, vt illum contra, prædictum Rodulphum adiuuarem, cui respondi, me libenter facere, audita vtriusque partis ratione, vt scirem cui iustitia magis faueret. Ille verò putans suis viribus eum posse deuincere, meam contempsit responsionem. Postquam autem præsensit se non posse, sicut sperauit agere, duo Episcopi, Virduoensis videlicet, & Osemborgensis, de consentaneis suis Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici, me vt ei iustitiam facerem, rogauerunt, quod & Nuncij Rodulphi fieri laudauerunt.

Papa de hoc in Germania colloquiũ fieri statuit. illudque impedientes excommunicauit.

§. 5. Tandem aspirante Deo (sicut credo) statui in eadem Synodo, in partibus vltramontanis fieri colloquium, vt illic aut pax statueretur, aut cui ampliùs iustitia faueret, cognosceretur. Ego enim (sicut vos mihi testes estis Patres & Domini) vsque hodie nullam partem disposui adiuuare, nisi eam cui plus iustitia faueret. Et quia putabam quod iniustior pars colloquium nollet fieri, vbi iustitia suum locum seruaret excommunicaui & anathemate alligaui omnes personas siue Regis siue Ducis, aut Episcopi, seu alterius cuiusuis hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, vt non fieret.

Henricus autem illud impediuit, excommunicationem incurrit, & Regni desolationi se dedit.

§. 6. Prædictus autem Henricus cum suis fautoribus, non timens periculum inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, colloquium impediendo, excommunicationem incurrit, & seipsum, anathematis vinculo alligauit, magnamque multitudinem Christianorum morti tradit, & Ecclesias fecit dissipari, & totum penè Theutonicorum Regnum desolationi dedit.

Ille igitur Pont. iterato Henricũ eiusque fautores excõmunicat.

§. 7. Quapropter confidens de iudicio, & misericordia Dei eiusque purissimæ Matris semper Virginis Mariæ, fultus vestra auctoritate, sæpè nominatum Henricum quem Regem dicunt, omnésque fautores eius excommunicationi subiicio, & anathematis vinculo alligo.

Deponitque à Regno, & Vasallo à iuramento fidelitatis absoluit.

§. 8. Et iterum Regnum Theutonicorum, & Italiæ ex parte Omnipotentis Dei & vestra, interdicens ei, omnem potestatem & dignitatem illi Regiam tollo, & vt nullus Christianorum ei sicut Regi obediat, interdico, omnesque qui ei iurauerunt, vel iurabunt de Regni dominatione, à iuramenti promissione absoluo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli, nullas vires nullamque in vita sua victoriam obtineat.

Rodulphi autem electionẽ confirmat.

§. 9. Vt autem Rodulphus Regnum Theutonicorum regat, & defendat, quem Theutonici elegerunt sibi in Regem, ad vestram fidelitatem, ex parte vestra, dono, largior, & concedo omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, vestramque benedictionem in hac vita, & in futura, vestra fretus fiducia largior. Sicut enim Henricus pro sua superbia, inobedientia, & falsitate, à Regni dignitate iustè abiicitur, ita Rodulpho pro sua humilitate, obedientia, & veritate potestas & dignitas Regni conceditur.

BB. Petri, & Pauli auxilium implorat.

§. 10. Agite nunc quæso Patres & Principes Sanctissimi, vt omnis Mundus intelligat & cognoscat, quia si potestis in cælo ligare, & soluere, potestis in terra Imperia, Regna, Principatus, Marchionatus, Ducatus, Comitatus, & omnium hominum possessiones pro meritis tollere vnicuique & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus frequenter tulistis prauis, & indignis, & religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis, quid de sæcularibus non posse credendum est? & si Angelos dominantes omnibus superbis principibus iudicabitis, quid de illorum seruis facere potestis? Addiscant nunc Reges, & omnes Sæculi Principes, quanti vos estis, quid potestis, & timeant paruipendere iussionem Ecclesiæ vestræ; & in prædicto Henrico tam citò iudicium vestrum exercere, vt omnes sciant, quia non fortuitò, sed vestra potestate cadet. Confundetur vtinam ad pœnitentiam, vt spiritus sit saluus in diem Domini.

Acta Romæ, nonis Martij, Indictione tertia.

D. P. An. 7. die 7. Martij.

VICTOR TERTIVS PONT. CLX.
ANNO DOMINI MLXXXVI.



VIctor III. ante Pontificatum Desiderius, in sæculo Dauferius vocabatur, Beneuenti in Sammio, patre eius Ciuitatis principe, natus est. Abbas Cassinensis, & Cardinalis tituli S. Cæciliæ, creatus Anno Domini 1086. sedit ab electionis exordio annum vnum, à consecratione menses 4. dies 7. Nullos creauit Cardinales. Obiit 16. Kal. Octobris, anno 1087. Corpus eius ex Capitulo Cassinate ad Sacellum S. Bertarij Martyris, translatum est. Vacauit Sedes menses quinque, dies 22.

VRBANVS SECVNDVS PONT. CLXI.
ANNO DOMINI MLXXXVIII.

VRbanus II. Gallus, ex oppido Castellionis diœcesis Rhemensis, Otho anteà dictus, Milonis filius, Canonicus Regularis Lateranensis, Monachus posteà Cluniacensis, & S.R.E. Cardinalis Episcopus Ostiensis, creatus Terracinæ die 15. Martij 1088. sedit annos 11. mens. 3. & dies decem & octo. Creauit Card. Episc. 7. Presbyteros 16. & Diac. 13. Obiit quarto Kal. Augusti anno 1099. sepult. ad S. Petrum. Vacauit sedes dies 14.

I. Approbatio Congregationis Monachorum Vallis Vmbrosæ, Ord. S. Benedicti, eiusque susceptio sub protectione Sedis Apost.

Istam Congregationem instituit Ioannes Gualbertus, quem in Sanctorum numerum coaptauit Cælest. III. vt inf. in eius constit. 2. Gloriosus. Eamdem sub vno Abbate stabiliuit Innoc. VIII. & ordinationes ei constituit in eius Bulla 2. Alio. Priuilegia confirmarunt aliaque tribuerunt Iul. II. in const. 23. Militantis, ac Pius V. in const. 41. Et si mendicantium.

Edita, An. D. 1090. VRBANVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Dilectissimis filiis Vniuersæ Vallis Vmbrosanæ Congregationis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Exordium. CVm Vniuersis Sanctæ Ecclesiæ filiis ex Apostolicæ Sedis Auctoritate, ac beneuolentia debitores existamus, illis præcipuè locis atque personis quæ specialiùs, ac familiariùs Romanæ adhærent Ecclesiæ, quique ampliori religionis gratia eminent, propensiori nos conuenit charitatis studio imminere.

Susceptio Cænob. Vallis Vmbrosæ, in protectionem Sedis Apost. §. 1. Quia igitur diuina propositum vestrum præueniente ac subseqoente clementia, Religionis vestræ simplicitas, bonæ opinionis odorem io locis, & propè, & longè positis aspirauit; Nos vestro prouectui, annuente Domino, prouectus adiungere cupientes, Cœnobium vestrum pro B. Mariæ semper Virginis reuerentia, cui dicatum est, in Romanæ Ecclesiæ proprietatem, & tutelam, atque protectionem Apostolicæ Sedis accipimus; & Apost. illud auctoritatis priuilegio munientes, ab omnium personarum iugo, liberum permanere decernimus.

Indultum d. Cænobij quæcumque bona possidendi. §. 2. Per præsentem igitur nostri priuilegij paginam, Apostolica auctoritate statuimus, vt quæcumque hodie vestrum Cœnobium iure possidet, siue io crastinum, concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium iustè atque canonicè poterit adipisci, firmata vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Illis successoribus dico qui eumdem Religionis ritum, & fidei constantiam, conseruare, & strenuè omnipotenti Domino in eodem proposito deseruire satagerint.

Ordinationes à quocumque Antistite recipiendi. Vide Concil. Trid. sess. 23. c. 12. §. 3. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, siue Basilicarum, ordinationem Clericorum, liceat vobis à quocumque volueritis Catholico Episcopo Romanæ Ecclesiæ gratiam atque communionem obtinente percipere, qui nostra fultus auctoritate quæ postulantur, indulgeat.

Nemo Cœnobium eiusque personas perturbet. §. 4. Ad hæc, censemus atque statuimus, ne vlli omninò hominum liceat idem Cœnobium temerè perturbare, aut ei subditas possessiones auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt, vsibus profutura.

Episcopi non eos excommunicent. Vide Conc. Trident. sess. 25. c. 12. §. 5. Nec vlli Episcopo potestas sit excommunicationem, aut interdictionem vobis ingerere, vt qui inspeciales estis filij Apostolicæ Sedis assumpti, nullius vlteriùs iudicio temere exponamini.

Hæc priuilegia aliis locis d. Congregationis communicantur. §. 6. Quia verò plura iam Monasteria, Congregatio videlicet Sancti Salui, iuxta Florentiam, Sancti Fidelis de Serumis, Sancti Saluatoris de Sophena, Sanctæ Mariæ de Nerana, Sancti Cassiani de Monte Stalario, Sancti Angeli de Passiano, Sancti Saluatoris de Siculis, Sancti Angeli iuxta Pistoriam, Sancti Saluatoris de Vagiano, Sancti Petri de Mustiera, Sancti Pauli de Reguolo, Sanctæ Reparatæ de Fauentina Diœcesi, & Congregatio de Riois Cæsaris, & Congregatio de Fontana Taonis, & Congregatio de Monte armato in Bononiensi Diœcesi, inspirante Domino in eandem vobiscum formam consenserunt Religionis? Nos & ipsis & omnibus, qui se in crastinum eidem Religionis vsui, ex integro sociare voluerint, præsentis priuilegij libertatem Apostolica auctoritate concedimus, quamdiu in eadem Religionis, & consuetudinis vnitate persistere procurauerint.

Caput constituitur Monast. Vallis Vmbrosæ. §. 7. Constituimus autem, vt eorum omnium caput, vestrum, quod in Valle Vmbrosana situm est Monasterium habeatur.

Abbas ad regimen Congregationis est eligendus. Intellige iuxta Concil. Trid. sess. 25. c. 8. §. 8. Sanè cùm terminus vitæ Pastori vestro diuina dispositione contigerit, qui eius loco substituendus fuerit, quia & vobis, & aliis omnibus præesse debebit, omnium qui cæteris præest Monasteriis consensu, & iudicio eligatur. Quod si fortè ex ipsis Abbatibus quilibet, Domino disponente, ad hoc generale regimen electus fuerit, ad vestrum principale Cœnobium principaliter transeat. Et eius mox iudicio, sicut in diebus Venerandæ mem. Ioannis, primi Abbatis vestri factum constat, cetera omnia vnita vobis Monasteria disponantur.

Hortatio Pastoralis ad Congregationem. §. 9. Vos igitur filij in Christo dilectissimi, nolite negligere gratiam quæ in vobis est, quæ data est vobis per vnitatem sanctæ conuersationis & religionis. Hæc meditamini, in his estote, vt profectus vester manifestus sit omnibus. Participes enim Christi effecti estis, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineatis. Mementote quod Dominus ait. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Itaque sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in Cælis est. Ad indicium autem perceptæ huius à Romana Ecclesia libertatis per annos singulos duodecim sagi :::: Laterano Palatio persoluetis.

Pœna in perturbatores. §. 10. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, aut Iudex, aut persona quælibet magna, vel parua potens, aut impotens, huius nostri priuilegij paginam sciens contra eam venire temere tentauerit, secundò, tertióve commonitus, si non satisfactione congrua emendauerit, à Christi & Ecclesiæ corpore, cum auctoritate potestatis Apostolicæ segregamus.

Pax pro Cœnobij conseruatoribus. D. P. An. 3. die 6. Apr. §. 11. Conseruantibus autem, pax à Deo, & misericordia præsentibus, ac futuris sæculis conseruetur, Amen. A. A.

Dat. Romæ per manus Ioannis S.R.E. Diac. Cardinalis. Anno Dominicæ Incarnationis 1090. Indictione 13. viij. Idus Aprilis Pont. Domini Vrbani P. Secundi Tertio.

PASCHALIS SECVNDVS PONT. CLXII.
ANNO DOMINI MIC.



PAschalis Secundus, Italus, ex oppido Bledæ, in Prouincia Hetruriæ, Rainerius antea dictus, Crescentij filius, Canonicus Regularis Lateranen. deindè Monachus Cluniacensis, post Abbas Vuspergensis, creatus Idibus Augusti 1099. vixit annos 18. menses 5. dies 9. Creauit Cardinales 93. moritur Romæ apud S. Mariam Transpontinam, 12. Kalen. Februarij, & sepultus fuit in Basilica S. Ioannis in Laterano.

Sub hoc Pontificatu fuerunt tres Pseudopontifices, id est, Albertus Atellis, anno 1101. Alberto Atellano 1102. & Aginulfus Monachus Abbas Farfensis.

I. *Monasterium Cistercij Monachorum S. Benedicti, in diœcesi Cabilonen. nuper institutum, sub Sedis Apostolicæ protectione suscipitur.*

Hinc emanauit Ordo Cisterciensis, de cuius laudibus agit Clem. 4. infrà in const. 3. Paruus. & Bened. 12. in const. 5. Fulgens. Et pro bono eius regimine, multa decreuit Eugen. 3. infrà in const. 2. Sacrosancta, ac Clem. 4 & Bened. 12. mox citati, & cæteri quos indicabo in Gregorio 13. constit. 18. Superna.

Priuilegia eidem Ordini concesserunt Greg. IX. infrà in const. 7. Quia. Innoc. IV. in const. 4. Deuotionis. Eugen. IV. in const. 16. Regularem. & const. 14. An vniuersalis. & Innoc. VIII. in const. 9. Ad Roman. Et illa confirmarunt Sixtus V. & alij indicati in eius const. 34. Pontifex Habitum præsumuit Sixtus IV. in const. 9. Et si cunctis. post Bened. XII. ibi allegatum. Et circa Spolia Monachorum specialem decisionem statuit Pius V. infrà in eius const 46. Decet. Adde etiam quod huius Ordinis particularis est Congregatio in Italia, quæ S. Bernardi nuncupatur, vt infrà in Alex. VI. const. 7. Plantatus.

In Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Maioricarum, ac Nauarræ, & Cataloniæ principatu, huius Ordinis Congregationem sub perpetua obedientia Abbatis, & Capituli generalis Cistercij instituit Paul. V. const. 95. Pastoralis inf. tom. 3.

PASCHALIS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Venerabili filio Alberico noui Monasterij Abbati, quod in Cabilonen. Parochia situm est, eiusque successoribus regularibus substituendis in perpetuum. *Edita, A. D. 1100.*

Exordium.

DEssiderivm, quod ad religiosum propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua est dilatione complendum.

Vndè nos ô filij in Domino dilectissimi citra difficultatem, omnem vestrarum precum petitionem admittimus, quia Religioni vestræ paterno congratulamur affectu.

Monast. Cisterc. sub protectione Sedis Apost. suscipitur.

§. 1. Locum igitur illum quem inhabitandum pro quiete monastica elegistis, ab omnium mortalium molestiis tutum, ac liberum fore sancimus, & Abbatiam illic perpetuò haberi, ac sub Apostolicæ Sedis tutela specialiter protegi, quamdiu vos & successores vestri, in ea quam hodie obseruatis disciplinæ, ac frugalitatis obseruantia permanseritis, salua Cabilonen. Ecclesiæ canonica reuerentia.

Perturbari prohibetur.

§. 2. Præsentis itaque decreti pagina interdicimus, ne cuiquam omnino personæ liceat, statum vestræ conuersationis immutare, neque vestri quod nouum dicitur Cœnobij Monachos, sine regulari commendatione suscipere, neque Congregationem vestram astutiis quibuslibet, aut violentiis perturbare.

Concordia cum Monast. Molismen confirmatur.

§. 3. Eam sanè controuersiæ decisionem, quam inter vos, & Molismensis Claustri Monachos frater noster Lugdun. Episcopus, tunc Apostolicæ Sedis Vicarius cum Prouinciæ suæ Episcopis, aliisque religiosis viris, ex præcepto prædecessoris nostri Apostolicæ memoriæ Vrbani II. impertiuit, nos tanquam rationabilem, ac laudabilem confirmamus.

Hortatio Pastoralis.

§. 4. Vos igitur filij in Christo dilectissimi, ac desideratissimi, meminisse debetis, quia pars vestri, sæculares latitudines, pars, ipsas etiam Monasterij laxioris minus austeras angustias reliquisti. Vt ergo hac semper gratia digniores censeamini, Dei semper timorem, & amorem in vestris cordibus habere satagite, vt quantò à sæcularibus tumultibus, & deliciis liberiores estis, tantò amplius placere Deo totius mentis, & animæ virtutibus anheletis.

Pœna contrauenientium.

§. 5. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes. Iudex aut Ecclesiastica quælibet, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temerè venire tentauerit secundò tertioue commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat.

Benedictio fautorum d. Monast.

§. 6. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax D. N. IESV CHRISTI, quatenus & hic fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Papæ subscriptio.

Ego Paschalis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Dat. P. Anno 1100 die 18. Apr.

Dat. Troiæ per manum Ioannis S.R.E. Diaconi Cardinalis, Kalendis Maij indictione octaua, Incarnationis Dominicæ anno 1100. Pontificatus autem Domini Paschalis Secundi.

II. Sacrosancta Lateranensis Ecclesia, Canonicis Regularibus Ordinis sancti Augustini perpetuo conceditur, cum priuilegiorum elargitione.

Ista Ecclesia est cæteris Vrbis & Orbis Ecclesiis maior ex diffinitione Greg. XI. & aliorum Pont. vt videre est infrà in ipsius const. 1. Super. Et in ea hoc

hoc tempore residebant Canonici regulares, vt infr. liquet ex constit. 1. Anast. IV. Potestatem, qui eos ibidem confirmauit post Alex. II. & de eis loquitur Clem. 3. in cap. 4. de statu Monach. & Can. regul. & Innoc. III. in c. subseq. & Clem. 1. eod. tit. Quorum constit. vti insertas in corpore iuris, hic de more prætermisi. Sed tandem ij de hac Ecclesia abierunt, tempore Sixt. IV. qui pro eis in Vrbe templum B. Mariæ de Pace denominatum construxit.

Istorum Canonicorum statum præfiniuit Bened. XII. in sua constit. 6. Ad decorem. Sed eos sparsim degentes vniuit Mart. V. in eius constit. 7. Solicitudinis. Eorumque sic vnitorum vnam Congregationem Lateranensis denominatam constituit, & priuilegia concessit Sixt. IV. in eius const. 10. Dum ad. Eorumdem habitum si promoueantur ad Episcopatum, præfiniuit Leo X. in const. 34. Dudum. Præcedentiamque cum aliis regularibus declarauit Pius IV. & Pius V. vt in ipsius Pij V. const. 116. Cum ex. vbi notabo.

Huic Congregationi Lateranensi priuilegia confirmauit, & alia concessa Congregationi Casinensi Ordinis S.P.N. Benedicti, à Congregatione Canonicorum Regularium S. Saluatoris Bononiensis, communicauit Greg. XV. const. 33. iniuncti infrà tom. 4.

Edita An. D. 1106.

P A S C H A L I S   E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Rocio Priori Venerabilis Basilicæ Saluatoris eiusque fratribus, tàm præsentibus, quàm futuris, Regularem vitam professis in perpetuum.

Lateranen. Ecclesia locus venerabilis.

QVantò Lateranensis Ecclesia amplioris dignitatis, ex antiqua institutione esse cognoscitur, tantò magis eundem Venerabilem locum, in maiori reuerentia decet haberi, & ad eius incrementum, tam spiritualiter, quàm temporaliter, à nobis, & aliis Dei fidelibus operam dari. Nec dubium, quod si Religiosorum virorum petitionibus paterna benignitate annuimus, nostris opportunitatibus clementem Dominum reperimus.

Cuius fines designantur & pro his Canonicis approbantur.

§. 1. Ea propter dilecti in Domino filij, ob reuerentiam Saluatoris, beatique Ioannis Baptistæ, concedimus & confirmamus vobis, vestrisque successoribus in perpetuum, totam, & integram Parochiam, vt in vita nostra, & post obitum, specialis oratio iugiter fiat pro nobis ad Dominum, videlicet ab Ecclesia S. Nicolai de Forma per viam, quæ venit à S. Stephano in Cælio Monte, & vsque ad supradictam nostram Basilicam Saluatoris, & à porta Monasterij Sanctorum Quatuor Coronatorum descendente per cliuum in via maiori, & exinde per stratam ex vtraque parte, vsque ad Campum Lateranensem. Et reuoluente suprà Ecclesiam SS. Marcellini, & Petri, vsque ad Ecclesiam S. Bartholomæi de Capite Merulanei, & deinde ad S. Danielem, & exinde descendente ad portam Vrbis, & vertente ante Ecclesiam S. Nicolai de Hospitali ad supradictam Basilicam Saluatoris.

Eximitùrque ab omni superioritate.

§. 2. Statuimúsque atque etiam auctoritate Sedis Apostolicæ stabilimus, vt Parochia ipsa deinceps nulli alij Ecclesiæ, vel Monasteriis, aut piis locis, de spiritualibus, atque diuinis rebus teneatur penitus respondere, sed quietè ac liberè, sub præfatæ basilicæ Saluatoris iure, nomine Parochiali in perpetuum maneat. Saluo tamen iure hæreditario, quod infrà supradictos fines ad præfatas Ecclesias, vel Monasteria, aut pia loca pertinere dignoscitur.

Et inibi alia pia loca construi prohibentur.

§. 3. Præcipimus itaque vt nulli personæ fas sit, in supradicta Parochia Ecclesias ædificare, aut altare erigere, vel aliquam religionem ibidem instituere, præter supradictam Saluatoris Basilicam.

Sanctio in perturbatores.

§. 4. Statuentes Apostolica censura, sub diuini iudicij obsecratione, & anathematis interdicto, vt nullus vnquam nostrorum Successorum, vel alia quælibet magna paruaque persona huius nostri priuilegij donum infringere, aut inquietare præsumat. Si quis præterea, quod non credimus, contra hoc nostrum Apostolicum præceptum venire, aut agere tentauerit, anathematis vinculo sit innodatus, & Regno Dei, Domini nostri IESV-CHRISTI sit alienus.

Benedictio erga obseruatores.

§. 5. Qui verò pio intuitu, custos, & obseruator huius nostri priuilegij extiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur, in sæcula sæculorum. Amen, Amen, Amen.

Papa subscribit, pro Card subscriptionem.

Ego Paschalis Cathol. Ecclesiæ Episcopus.

Ego Lambertus Ostien. Episcopus interfui, & subscr.
Ego Vincentius Portuen. Episcopus subscripsi.
Ego Cinthius Sabinen. Episcopus interfui, & subscripsi.
Ego Denigo Tusculanus Episcopus interfui, & subscripsi.
Ego Conradus Prænestinus Episcopus subscripsi.
Ego Leo Albanen. Episcopus interfui, & subscripsi.
Ego Benedictus Presbyter Cardinalis tit. Eudoxiæ interfui, & subscripsi.
Ego Theobaldus Presbyter Card. tit. Pamachii subscr.
Ego Raynerius Presb. Card. tit. S. Eusebij subscripsi.
Ego Arnaldus Presb. Card. tit. S. Clementis interfui, & subscripsi.
Ego Raynerius Presbyter Cardinalis tit. SS. Marcelli, & Petri subscripsi.
Ego Otho Presb. Card. tit. Pastoris subscripsi.
Ego Petrus Presb. Card. tit. Equitum subscripsi.
Ego Amicus Presb. Card..... interfui, & subscr.
Ego Paulus Presb. Card. S. Sixti subscripsi.
Ego Ionatas Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani subscr.
Ego Theodinus Diaconus Card. S. Mariæ in Porticu interfui, & subscripsi.
Ego Gregorius Card. Diac. S. Angeli subscripsi.
Ego Ioannes Diac. Card. S. Adriani subscripsi.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sanctæ Luciæ interfui, & subscripsi.

Dat. P. A. 7. die 27. Decembris.

Dat. Lateranen. per manus Ioannis S.R.E. Card. ac Bibliothecarij 6. Kal. Ianuarij, Indictione xv. Incarnationis Dominicæ 1106. Pontificatus autem D. Paschalis ij. Papæ anno 7.

Canonizatio S. Petri Episcopi Ciuitatis Anagninæ, in Prouincia Campaniæ, eiusque ascriptio in numerum SS. Confess. III.

Huius Sancti Festum agitur die 3. Mensis Augusti.

Edita, A.D. 1110.

P A S C H A L I S   E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus, Episcopis Anagnino, & aliis per Campaniam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Petrus miraculis clarus; SS. Confessorum numero ascribitur.

DOminum excelsum habentes præ oculis, qui in Sanctis suis laudatur, & benedicitur, & considerantes propterea strenuæ, probatæque vitæ merita, quibus vir sanctus Petrus, quondam Anagninus Episcopus, de Regula Monachorum assumptus in pastorali officio purè, simpliciter, solerti vigilantia & exemplo, Deo deseruiuit. Admirantes etiam miraculorum insignia quibus Sanctum suum ante, post obitum diuina gratia decorauit, prout per Brunonem Signensem Episcopum fideliter adnotatur, & vsque ad nostra tempora decorare non desinit, auctoritate præsentium, vobis licere volumus & mandamus, quatenus iij. Nonas Augusti diem natalis eiusdem Confessoris & Præsulis numerandi Sanctorum Catalogo congruè celebrem recolatis, quatenus in præsenti gratiam, & in futuro opitulante diuina clementia, piis eius intercessionibus mereamur gloriam sempiternam.

Dat. P. A. 10. die 4. Iun.

Dat. Signiæ secundo Nonas Iunij. Pontificatus nostri anno 10.

GELA

GELASIVS SECVNDVS PONT. CLXIII.
ANNO DOMINI MCXVIII.



GElasius II. Ioannes Caetanus anteà vocatus, Monachus Casin. Creatus Romæ 8.Kalen.Februarij, consecratus,& coronatus Kalendis Martij. Vixit annum vnum,& dies quinque,creauit Cardinalem vnum. Obiit Cluniaci, anno Domini 1119. quarto Kalen.Februarij. Vacauit sedes biduo.

CALLISTVS SECVNDVS PONT. CLXIV.
ANNO DOMINI MCXIX.



CAllistus II. Gallus, Guido anteà vocatus, Guilielmi Burgundiæ Comitis filius, Archiepiscopus Viennensis,creatus die 1. Feb.1119.in Monasterio Cluniac. in Galliis, consecratus, & coronatus, pridie Idus Octobris eodem anno, sedit annos quinque,menses decem,dies 13.Creauit Cardinales 23.Obiit Romæ in Patriarchio Lateranensi,Anno Domini 1124. Idibus Decembris. Corpus eius in Basilica Constantiniana sepultum. Vacauit sedes diem 1.

Gregorius VIII. Antipapa Anno Domini 1118.

Reconciliatio Henrici V. Imperatoris, cum Sancta,& Catholica Ecclesia Romana. I.

CALLISTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Charissimo in Christo filio Henrico glorioso Romanorum Imperatori Augusto, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita A.D. 1122.*

§. 1. OMNIPOTENTI Domino Deo nostro auctori omnium bonorum laudes, & gratias agimus, qui per immensam bonitatis suæ clementiam, cor tuum aspiratione sui spiritus illustrauit,& te iam dudum nimium reluctantem, nunc tandem ad Ecclesiæ gremium reuocauit. *Lætatur Pontifex de reconciliatione Henrici V. Imperat.* Siquidem prout dilecti filij nostri,& Diaconi Cardinalis,& fidelium nunciorum tuorum relatione,ac litterarum lectione percepimus, sano vsus consilio, nostris,& Ecclesiæ Catholicæ salutaribus monitis humiliter obedisti, & nos ergo in Beati Petri filium paternæ affectionis brachiis,te suscipimus,& personam tuam,& Imperium tanto deinceps amplius,& benignius diligere, ac diuina præeunte gratia honore optamus; quantò deuotius præ tuis modernis prædecessoribus Romanæ Ecclesiæ obedisti, & quantò specialius carnis es nobis consanguinitate coniunctus. Age ergo fili carissime, vt, & tu nobis,& nos te fruamur in Domino. Perpendat Imperialis excellentia tua, quantùm diuturna Ecclesiæ,Imperiique discordia,Europæ fidelibus intulerit detrimentum,& quantùm nostra pax afferre poterit boni fructus,Domino cooperante incrementum. Sane de statu nostro nouerit tua dilectio, quia licet nos grauiter quandoque infirmi fuerimus, tunc tamen per Dei gratiam incolumes sumus,& tuam tam animæ, quàm corporis sanitatem per omnia desideramus. De iis autem quæ viua voce referenda prædictis fidelibus tuis Nunciis commisisti,per eosdem quid nobis,& nostris videatur fratribus,respondemus. Legatos itaque nostros qui apud vos sunt,beneuolentiæ vestræ attentiùs commendantes rogamus, vt quia Concilium indictum à nobis accelerat, citò eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos verò Legatos ita instructos dirigas,vt iuxtà promissum tuum regalia in integrum Ecclesiæ Romanæ restituant. Ad hæc,pro nepote nostro Metensi Episcopo, & fratribus eius gratias tuæ benignitati referimus,quoniam in iis primitias bonitatis tuæ cognouimus. Illa enim bonæ voluntatis pax esse conspicitur,ex qua bonę voluntatis opera demonstrantur. Fratres enim Episcopi, Cardinales,& totus Romanus Clerus vna nobiscum te, & Principes,& Barones tuos salutant,diuinæ maiestatis misericordiam deprecantes,vt vos ad honorem suum,& Ecclesiæ suæ in longum custodiat.

Data Laterani. Idibus Decembris. *Dat. die 13. Decembr.*

Sequitur restitutio inuestiturarum ab Henrico Imp. facta.

IN nomine Sanctæ,& Indiuiduæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei,& Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,& Domini Papæ Callisti,& pro remedio animæ meæ,dimitto Deo, & Sanctis eius Apostolis Petro, & Paulo, & Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ omnem inuestituram per annulum, & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem,& liberam consecrationem: possessiones,& regalia Beati Petri, quæ à principio huius discordiæ vsque ad hodiernam diem siue tempore patris mei, siue etiam meo,ablata sunt,quæ habeo, eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, vt restituantur fideliter adiuuabo. *Henrici Imper. restitutio inuestiturarum Ecclesiarum omnium.* Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum tam Clericorum, quàm laicorum, consilio Principum & iustitia, quas habeo,vt reddantur fideliter iuuabo. Et do veram pacem D.Papæ Callisto,S.R.Ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt,vel fuerunt. Et in quibus Sancta Romana Ecclesia auxilium postulauerit, fideliter iuuabo,& in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam sibi iustitiam faciam.

Adalbertus

Subscriptiones Principum. Adalbertus Moguntinus Archiepiscopus.
Fridericus Coloniensis Archiepiscopus.
Ratisponensis Episcopos.
Otho Bambergensis Episcopus.
Bruno Spirensis Episcopus.
A. Augustensis Episcopus.
G. Traiectensis Episcopus.
V. Constantiensis Episcopus.
E. Abbas Fuldensis.
Northmannus Dux.
Fridericus Dux.
Bonifacius Marchio.
Theobaldus Marchio.
Cynulphus Comes Palatinus.
Obertus Comes Palatinus.
A. Berengarius Comes.
Godefridus Comes.
Ego Fridericus Coloniensis Episc. & Cancellarius recognoui.

Subsequitur Calisti Papæ II. restitutio regaliorum Henrico Imperatori facta.

Calist. Papa II restitutio regaliorum. EGo Calistus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio suo Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum, & Abbatum Theutonici Regni, qui ad regnum pertinent in præsentia tua fieri, absque simonia, & aliqua violentia, vt siqua inter partes discordia emerserit, Metropolitani, & Prouincialium consilio, vel iudicio, saniori parti assensum, & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperij consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, & auxilium postulaueris, secundùm officij mei debitum, auxilium meum præstabo: Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore huius discordiæ.

Dat. P. A. 4. die 23. Sept. Data Anno 1122. nono Kalendas Octobris.

HONORIVS SECVNDVS PONT. CLXV.
ANNO DOMINI MCXXIV.



HOnorius II. patria Bononiensis, Lambertus de Fagnanis anteà dictus, Archidiaconus Ecclesiæ Bononiensis, deindè Episcopus, Cardinalis Ostiensis, creatus 21. Decembris 1124. consecratus, & coronatus apud Sanctum Petrum duodecimo Kal. Iannarij, Anno Dñi 1124. Vixit annos,... Creauit Cardinales 29. Obiit ann. Dom[illegible] 1130. 14. Kal. Martij, & in Basilica Lateranensi sepultus fuit. Vacauit sedes diem 1.

Eodem die creatus fuit Theobaldus Buccapecus, Presbyter Card. tit. S. Anastasiæ, qui appellatus est Cælestinus II. eodem die, quo creatus fuit abdicauit.

Damnatio prauarum consuetudinum Regni Britanniæ, circa direptionem bonorum naufragantium, ac rerum mobilium à maritis, & vxoribus decedentibus relictorum. 1.

Quòd bona naufragantium Christianorum, publicatur annis singulis Bulla Cœnæ Domini, vt notabo ad Bullam 53. Pauli V. Pastoralis inf. tom. 3.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Turonensis Metropolis suffraganeis Episcopis, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. Di 1130.*



ARISSIMVS frater noster Hildebertus Turonensis Episcopus, sicut bonus Pastor pro grege suo vigilans, euocatis fratribus sapientibus & aliis religiosis viris, quemadmodum ex suarum literarum inspectione cognouimus, in Nauetensi Ciuitate, de more Metropolico, Concilium celebrauit. Ibique de incæstis nuptiis, & de spuriis Sacerdotum filiis, & de his qui quasi hæreditaria successione Ecclesiastica petebant beneficia, & de aliis diligenter pertractans, corrigenda correxit, & statuenda constituit. Vniuersitati ergo vestræ mandamus, quatenus ea quæ ab ipso, iuxta Sanctorum Patrum decreta, ibi ad honorem Domini, & salutem populi statuta esse noscuntur, irrefragabiliter obseruetis. Sicut enim in humani compage corporis, membra famulantur, & obediunt capiti tanquam supremo & prouisori, vt sic persona seruetur incolumis; ita fidelium mentes vnius effectæ voluntatis, pro custodienda vnitate Fidei, & Statu Ecclesiæ suis debent humiliter parere Prælatis. *Episcopus Turonensis prouinciale Concilium egit, quod ipse Pontif. obseruari mandat.*

§. 1. Ad hæc, prauas illas consuetudines à Comite Britanniæ carissimo, in manu præfati Archiepiscopi in conspectu Synodi refutatas, quarum vna fuit quòd maritis vel vxoribus decedentibus, bona eorum mobilia à potestate sæculari diripiebantur. Altera qua illis, qui naufragium euaserant, etiam quæ in portu postmodum inuenta erant, auferebantur, damnamus, & nequis ea futuris temporibus renouare præsumat, auctoritate Apostolica interdicimus. Iniquum enim censemus esse, vt quem diuinæ clementiæ magnitudo à sæuientis pelagi voracitate exinit, hominum sæua rapacitas audeat spoliare. *Damnat istas prauas Britanniæ consuetudines de quibus in rubr.* *Approbat quas leges Imperatorias, circa bona naufr.*

§. 2. Piorum namque Imperatorum emanauit auctoritas, vt etiam rerum, quæ in tempestate maris, leuandæ nauis causa eiiciuntur, non amittatur dominium. Non enim eas aliquis eo animo abiicit, quod habere nolit, sed quò periculum effugere possit. Et qui res ipsas lucrandi animo abstulerit, furtum committit. *Has leges affa Paul. 1. & l. qui leuand. ff ad l. Rod. de Iac. & l. 1. & l. ne quid. ff. de Incend.*

Dat. Lateran. 13. Kalendas Iunij. *D. P. An. 5 die 20. Maij.*

INNO

INNOCENTIVS SECVNDVS PONT. CLXVI.
ANNO DOMINI MCXXX.



INnocentius II. Romanus, Gregorius anteà dictus, Ioannis de Papareschis filius, S.R.E. Diaconus Cardinalis, tit. S. Angeli, Creatus 15. Kalend. & coronatus 10. Kalend. Martij 1130. Sedit annos 13. menses 7. dies 8. Creauit in sex Ordinationibus Card. 53. Episc. 9. Presb. 24. & Diac. 20. Obiit anno 1143. 8. Kal. Octob. in Patriarchio Lateranensi, corpus eius in eadem Basilica Lateranensi positum. Vacauit sedes diem 1.

Anacletus II. Antipapa, Petri Leonis filius, Creatus anno 1130. sedit contra Innocentium annos 7. menses 9. dies aliquot. Obiit anno 1138. & in eius locum Victor IV. creatus post mortem Anacleti contra Innocentium sedit menses 5. dies aliquot.

I. Enunciatio Canonizationis Sancti Hugonis Episcopi Gratianopolitani.

Huius S. Festum agitur die prima mensis Aprilis.

Edita, A. D. 1134. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Guidoni Priori Carthusien. Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Hugo Episc. Gratianopolitanus relatus iam fuit ab isto Pont. inter Sanctos. DIuinis respondentes beneficiis, cognita vita, & auditis, quæ per B. Hugonis merita fiunt miraculis, supernę maiestatis clementiam collaudauimus, & Archiepiscoporum, Episcoporum, & Cardinalium atque aliorum, qui nobiscum adstant, communicato Consilio, ipsum inter Sanctos & electos honorari præcepimus, & diem eius assumptionis cum gaudio solemniter celebrari.

Et modò idem Pont. eius vitam & miracula describi mandat. §. 1. Quia igitur ipsius vita, quam piè duxit in corpore, & miraculorum coruscatio, qua Deus eum facit apud homines præfulgere, tuæ maximè dilectioni non extant incognita, auctoritate B. Petri & nostra, tibi mandamus, quatenus ea, quæ tibi super hoc nota fuerint, diligenter describendo posterorum memoriæ tradas, vt & Deus honoretur in Sancto, & Clerus legens, & populus audiens, gratias agant Domino, atque ipsius intercessione, peccatorum veniam percipere mereantur. Orantes pro nobis, dilectos filios nostros Carthusienses fratres, per te in Domino salutamus, ac benedicimus.

Dat. P. An. 5. die 22. Apr. Dat. Pisis x. Kalendas Maij.

II. Contra Petrum Abaëlardum, & Arnaldum de Brixia, nouarum hæresum sectatores.

Edita, A. D. 1139. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Venerabil. fratribus Samsoni Rhemensi, Henrico Senonensi Archiepiscopis, & charissimo in Christo filio Bernardo Claræuallis Abbati, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

§. 1. PEr præsentia scripta fraternitati vestræ mandamus, quatenus Petrum Abaëlardũ, & Arnaldum de Brixia peruersi dogmatis fabricatores, & Catholicæ fidei impugnatores, in Religiosis locis, vbi vobis melius visum fuerit, separatim faciatis includi, & libros erroris eorum, vbicumque reperti fuerint, igne comburi. *Damnatio supradictorũ hæreticorum.*

Dat. Laterani 17. Kal. Augusti. *Dat. P. A. 10. die 16. Iuly.*

CÆLESTINVS SECVNDVS PONT. CLVII.
ANNO DOMINI MCXLIII.



CÆlestinus II. natione Tuscus, de Castro S. Felicitatis propè Typhernum, Magister Guido de Castello antea vocatus. Creat. 8. Kal. Oct. an. Dom. 1143. Vixit mens. 5. dies 13. creauit Card. 14. Obiit an. 1144. 7. Idûs Martij sepultus est in Basilica Lateranensi. Vacauit sedes dies 2.

LVCIVS SECVNDVS PONT. CLXVIII.
ANNO DOMINI MCXLIV.



LVcius II. Bononiensis, Gerardus anteà dictus, de familia Caccianimicorũ, patre Alberto, ex Canonico Regulari Monasterij S. Crucis in Hierusalem Congregationis

tionis S. Fridiani Lucensis, creatus ... Martij, An. Dom. 1154. coronatus eodem anno die Dominico 8. Kal. Aprilis, sedit in Petri Cathedra menses 11. dies 24. creauit Cardinales 9. Obijt Romæ in Monasterio S. Andreæ, & Gregorij in Cliuo Scauri, 5. Kalend. Martij, anno 1145. & Laterani sepultus. Vacauit sedes diem 1.

EVGENIVS TERTIVS PONT. CLXIX
ANNO DOMINI MCXLV.



EVgenius III. Italus, ex oppido Montis-Magni, Diœcesis Pisanæ, in prouincia Hetruriæ, Petrus Bernardus antea vocatus, Abbas Sanctorum Vincentij, & Anastasij ad Aquas Saluias, creatus 6. Kal. Aprilis, anno 1145. vixit annos 8. menses 4 dies duodecim. In tribus ordinationibus mense Decembri factis, creauit Cardinales 27. Obiit 7. Idûs Iulij, anno salutis 1153. Corpus eius ante aram maximam in Basilica Vaticana conditum est. Vacauit sedes dies 21.

I. Canonizatio S. Henrici primi Romanorum Imperatoris.

Huius Sancti Festum agitur die 14. Iulij.

Edita A. D. 1152.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabili fratri Egelberto Episcopo, & dilectis filijs, Canonicis Bambergensis Ecclesiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Dispo Pontificis de inquirenda vita S. Henrici, per Legatos Apostolicos.

SIcvt per literas, & Nuncios vestros vobis mandasse meminimus, venerabiles fratres nostros, N. Sanctæ Ruphinæ Episcopum, & N. Presbyterum Cardinalem, pro diuersis negotiis ad partes illas de nostro latere delegauimus, eisque viua voce iniunximus, vt ad Ecclesiam vestram accederent, atque de vita, & miraculis Henrici Regis, rei veritatem diligenter inquirerent, & literis suis nobis significarent.

Legatorum relatio, & aliorum attestatio, de meritis ipsius Henrici.

§. 1. Nunc autem eorumdem fratrum nostrorum & multorum religiosorum, & discretorum virorum attestatione, de castitate ipsius, de fundatione Bambergensis Ecclesiæ, & multarum aliarum, quarumdam quoque Episcopalium sedium reparatione, & multiplici eleemosynarum largitione, de conseruatione Regis Stephani, & totius Hungariæ, Domino cooperante, per eum facta; de glorioso etiam ipsius obitu, pluribusque miraculis post eius obitum, ad ipsius corporis præsentiam diuinitus ostensis, multa cognouimus. Inter quæ illud præcipuum & memorabile plurimum attendentes, quòd cum diadema, sceptrumque Imperij suscepisset, non Imperialiter, vixit. In thoro etiam legitimo positus (quod paucorum fuisse legitur) integritatem castimoniæ vsque in finem vitæ conseruauit.

Canonizatio eiusdem Sancti, ab ipso Pontifice pronunciatur.

§. 2. Quæ quidem nos omnia simul perpendentes, atque deuotionem vestram, & Ecclesiæ Bambergensis, quæ S.R.E. soli subesse dignoscitur, diligenter considerantes, tametsi huiusmodi petitio nisi in generalibus Conciliis admitti non soleat, auctoritate tamen S.R.E. quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus. Atque eiusdem memorabilis viri, cuius exaltationem requiritis, fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato Concilio, memoriam inter Sanctos de cætero fieri censemus, & anniuersarium ipsius diem solemniter celebrari constituimus. Vestra itaque interest, sic in S. R. E. obedientia, & fidelitate persistere, & ei dignæ deuotionis obsequiis respondere, vt ampliori, Beati Petri & nostra gratia digni inueniamini.

Datum Trans Tyberim 2. Idûs Martij. *Dat. P. An. 8. die 14. Martij.*

Confirmatio Constitutionum (quæ Charta Charitatis appellantur) ab Ordine Cisterciensi Monachorum S. Benedicti, pro suo bono regimine editarum. II.

Alias ordinationes similes statuerunt alij Pont. quas tibi indicauero infrà in Greg. XII. const. 18. Superna.

Institutionem vero huius Ordinis, & alia, attenta sup. in Const. 1. Paschal. II. Desiderium fol.

Edita A. D. 1152.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Gothonio Cistercien. ac cæteris fratribus ac Monachis, tàm præsentibus, quàm futuris, regularem vitam, & Cistercien. Ordinis statuta professis in perpetuum.

Exordium.

SAcrosancta Romana Ecclesia sic in Beato Petro Apostolorum Principe à Domino promissionem obtinuit, quòd Vniuersalis Ecclesiæ fundamentum existeret, & præceptum accepit, vt Christianæ fidei professores, in fide, religione, omnique sanctimonia confirmaret. Itaque vniuersarum Ecclesiarum profectibus, solicitam se semper exhibuit, & de instituendo, conseruando, & promouendo in omnibus Ecclesiis cultu Sacræ Religionis, fuit omni tempore studiosa; vt & ab ea, sicut à fonte, ad vniuersos Ecclesiæ filios sit religio deriuata; & quod ab aliis, qui spiritus primitias acceperunt, religiosè ac salubriter institutum est, per eamdem immutabilem acceperit firmitatem.

Confirmatio Statutorū Ordinis Cistercien. inter quæ continetur quod,

§. 1. Inde est dilecti in Domino filij, quòd sacræ Religionis vestræ opinione, tanquam odore agri pleni, cui benedixit Dominus, prouocati, religiosis postulationibus vestris benignum impertimur assensum, & regulares institutiones vestras auctoritate Apostolica confirmamus. In quibus sub certis capitulis quæ interius annexa sunt decreuimus exprimenda.

Abbatia non erigatur absque Episcopi confirmatione.

§. 2. Statuistis equidem inter vos, ne in alicuius Antistitis diœcesi Ordinis vestri Abbatia fundetur, donec ipse Antistes, decretum, quod inter Ecclesias Ordinis vestri ad custodiam disciplinæ firmatum est, ratum se habere promittat.

Regula S. Benedicti in omnibus Monasteriis vniformiter obseruetur, & eid. cantus, & alia Ordinis instituta.

§. 3. Et vt in omnibus Monasteriis de Ordine vestro sicut in Cistercien. Ecclesia, B. Benedicti Regula perpetuis temporibus obseruetur, & in lectionem ipsius, nullus Ordinis vestri professor, præter simplicem & communem intelligentiam, quemlibet alium sensum inducat, sed vniformiter, & sicut quæque diffinita noscuntur, intelligatur ab omnibus, & inuiolabiliter obseruetur. Easdemque penitus obseruantias, eumdem cantum & eosdem libros, qui ad officium Ecclesiasticum pertinent,

Nullum quis contrarium priuilegium postulabit.

Capitulum generale Cistercij singulis annis celebretur, & in eo conueniant Abbates hoc non excepti.

per vniuersas Ecclesias vestri Ordinis teneatis. Nec aliqua omnino Ecclesia, vel persona Ordinis vestri, aduersùs cõmunia ipsius Ordinis instituta, priuilegiũ à quolibet postulare audeat, vel obreorũ quomodolibet retinere.

§. 4. Ordinatum est etiam inter voa, vt omnes Abbates de Ordine vestro, singulis annis ad generale Capitulum Cisterciense, omni postposita occasione conueniant, illis solis exceptis, quos à labore viæ, infirmitas corporis retardauerit. Qui tamen idoneum nũcium delegare debebunt, per quem necessitas remorationis illorum valeat Capitulo nunciari. Et illis item exceptis, qui in remotioribus partibus habitantes, sine grandi, & euidenti difficultate, se nequiuerint Capitulo præsentare. Qui nimirum eo termino venient, qui eis in ipso fuerit Capitulo constitutus.

Abbatum culpa vel controuersia, in Capitulo, diffiniatur.

§. 5. Prætereà si aliqua controuersia inter quoslibet Abbates de Ordine vestro emerserit, vel de aliqoo illorum tam grauis culpa fuerit propalata, vt suspensionem, aut depositionem etiam mereatur, quicquid inde à Capitulo fuerit canonicè definitum, sine retractatione aliqua obseruetur.

Abbas non eligatur de alio Ordine.

§. 6. Personam autem de aliquo Ordine nulla Ecclesiarum vestrarum sibi eligat in Pastorem, prout nec vestri Ordinis aliquam Monasteriis aliis statuistis ordinari posse Abbatem.

Omnia alia statuta ordinus, & signãter contenta in Charta Charitatis cõfirmentur.

Tu vide tenorem huius Charta hic in fine.

§. 7. Hæc nimirum dilectissimi filij de multis institutionibus Ordinis vestri excerpsimus, & propriis curauimus Capitulis designare. Quia verò singula, quæ ad Religionis profectum, & animarum salutem regulariter ordinastis, præsenti abbreuiationi nequiuerunt annecti, nos cum his quæ præscripta sunt, omnia quæ continentur in Charta vestra, quæ appellatur Caritatis, & quæcumque inter vos Religionis intuitu regulariter statuistis, auctoritate Apostolica roboramus; & vobis, vestrisqoe successoribus, & omnibus qui ordinem vestrum professi fuerint, inuiolabiliter perpetuis temporibus decernimus obseruanda.

Loca Ordinis non perturbari iubetur.

§. 8. De cætero quia propositum firmum haberis, habitationis vestræ loca, extra conuersationem sæcularium eligẽdi, grangias vestras, sicut & atria Ecclesiarum, à prauorum incursu ac violentia, liberas & quietas fore statuimus, & vt nullus ibi hominem capere, spoliare, verberare, aut rapinam exercere præsumat in virtute Sancti Spiritus inhibemus.

Cõmunia interdicta non impediant celebrationem diuinorum.

§. 9. Sancientes etiam vt propter communia interdicta Terrarum, nulla Ecclesiarum vestrarum à dininis compellatur officiis abstinere. Sed liceat omnibus de ordine vestro, excommunicatis & interdictis eiectis, clausis ianuis, submissa voce fratribus suis diuina celebrare solemnia.

Monachi non trahantur ad iudicium sæculare.

§. 10. Interdicimus item ne aliqua omnino persona, Fratres Ordinis vestri audeat ad sæcularia iudicia prouocare; sed si quisquam sibi aduersùs eos aliquid crediderit de iure competere, sub Ecclesiastici Iudicis examine experiendi habeat facultatem.

Sanctio pœnalis in contrauenientes.

§. 11. Decernimus ergo, vt nulli aliquando liceat his quæ in hac pagina ex auctoritate Apostolorum Principis à nobis confirmata, & constituta sunt, ausu temerario contraire, ac nostræ huius sanctionis vigorem, aliqua præsumptione infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, & culpam suam satisfactione congrua contempserit emendare, diuino animaduersionis iudicio se nouerit subiacere.

Benedictio pro obseruantibus.

§. 12. Cuncta autem ista seruantibus, sit gratia, & pax à Deo, ac Domino nostro IESV CHRISTO, quatenus, & ac fructum piæ deuotionis, & actioois bonæ percipiant, & apud supremum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Papa subscriptio.

Ego Eugenius Catholica Ecclesia Episcopus subscripsi.

Ego Imarus Tusculanus Episcopus subscripsi.

Ego Hugo Hostien. Episcopus subscripsi.

Cardinalium subscriptiones.

Ego Vbaldus Presbyter Card. tit. S. Praxedis subscripsi.

Ego Aribertus Presbyter Cardinalis tit. S. Anastasiæ subscripsi.

Ego Rolandus Presbyter Card. tit. S. Marci subscripsi.

Ego Gerardus Presbyter Cardinalis tit. S. Stephani in cœlo monte subscripsi.

Ego Ioannes Presbyter Cardinalis tit. SS. Ioannis, & Pauli subscripsi.

Ego Henricus Presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei, & Achillei subscripsi.

Ego Ioan. Presbyter Card. tit. S. Equitij subscripsi.

Ego Otho Diaconus Cardinalis S. Georgij ad Velum aureum subscripsi.

Ego Guido Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu subscripsi.

Ego Ioannes Diacoous Card. SS. Sergij, & Bacchi subscripsi.

Ego Ildebrandus S.R.E. Diaconus Card. subscripsi.

Ego Gerardus S.R.E. Diaconus Card. subscripsi.

Ego Odo Diacoous Card. S.R.E. subscripsi.

Ego Bernardus S.R.E. Diaconus Card. subscripsi.

Datum Signiæ, per manum Bosonis S.R.E. Scriptoris Kalen. Augusti, Indictione decimaquinta Incarnationis Dominicæ Anno 1152. Pontificatus verò D. Eugenij Papæ III. Anno. 8. *Dat. P. Au. 8. die 1. Aug.*

Subsequitur Charta Charitatis superiùs confirmata.

Exactio nulla Abbatiis imponatur per Abbatem Cistercij.

QVia vnius veri Regis & Domini & Magistri nos omnes seruos, licet inutiles, esse cognoscimus, idcircò Abbatibus & Cõfratribus nostris Monachis, quos per diuersa loca Dei pietas per nos miserrimos hominum, sub regulari disciplina ordinauerit, nullam terrenæ commoditatis, seu rerum temporalium exactionem imponimus. Prodesse enim illis omnibusque S.E. filiis cupientes, nihil quod eos grauet, nihil quod eorum substantiam minuat, erga eos agere disponimus. Ne dum nos abundantes de eorum paupertate esse cupimus, auaritiæ malum, quod secundùm Apostolum idolorum seruitus comprobatur, euitare non possimus.

Si illi ab obseruantia regula declinãt, per eundem ad eam reducantur.

§. 1. Curam tamen animarum illorum, gratia charitatis retinere voluimus, vt si quando à sancto proposito & obseruantia Sanctę Regulę declinare, quod absit, tentauerint, per nostram solicitudinem ad rectitudinem vitæ redire possint.

Regula S. Benedicti ab omnibus obseruatur.

Hoc specialiter continetur in præinserta const. Eug. 3.

§. 2. Nunc ergo volumus, & illis quoque præcipimus, vt Regulam Sancti Benedicti per omnia obseruent, sicut in nouo Monasterio obseruatur. Non alium inducant sensum in lectione Sanctæ Regulæ, sed sicut antecessores nostri Sancti Patres, Monachi videlicet noui Monasterij intellexerunt & tenuerunt, & oos hodie intelligimus & tenemus; ita & isti intelligant & teneant.

Idem cantus, mores & instituta vbique teneantur.

Hoc quoque est in eadem const.

§. 3. Et quia omnes Monachos ipsorum ad nos venientes, in claustro nostro recipimus, & ipsi similiter nostros in claustris, idcircò opportunum nobis videtur, & hoc volumus etiam, vt mores & cantum & omnes libros ad horas diuinas & nocturnas, & ad Missam necessarios, secundùm formam morum & librorum noui Monasterij possideant, quatenus in actibus nostris nulla sit discordia, sed vna charitate, vna regula, similibúsque viuamus moribus.

Nullum priuilegium contrarium postuletur.

§. 4. Nec aliqua Ecclesia, vel persona Ordinis nostri, aduersùs cõmunia ipsius Ordiois instituta, priuilegium à quolibet postulare audeat, vel obtentum quolibet modo retinere.

Hoc etiam est in d. const. Abbas Cistercij visitet omnia Ordinis Monasteria.

§. 5. Cùm verò Abbas noui Monasterij ad aliquod horum Cœnobium visitandi venerit gratia; illius loci Abbas Ecclesiam noui Monasterij suæ esse Ecclesiæ Matrem recognoscat, & cedat ei in omnibus locis Monasterij. Et ipse Abbas adueniens, locum illius loci Abbatis, quandiù ibi manserit teneat, excepto quòd non in Hospitio, sed in Refectorio cum fratribus propter disciplinam seruandam comedat, nisi Abbas loci illius defuerit. Similiter & omnes superuenientes nostri Ordinis Abbates faciant. Quòd si plures superuenerint, & Abbas loci defuerit, Prior illorum in Hospitio comedat. Ex hoc excipitur, quòd Abbas loci illius, & in præsentia maioris Abbatis, Nouitios suos post regularẽ probationẽ benedicit.

Personas corrigat, sed de bonis nihil adimat absque consensu Fratrum & Abbatis locorum.

§. 6. Abbas quoque noui Monasterij caueat, ne quidquam præsumat tractare, aut ordinare, aut contingere de rebus illius loci ad quem venerit, contra Abbatis vel fratrum voluntatem. Si autem præcepta Regulæ, vel Ordinis nostri intellexerit in eodẽ loco præuaricari, cum consilio

consilio præsentis, Abbatis charitatiuè studeat fratres corrigere. Si verò Abbas loci illius non affuerit, nihilominus quod sinistrum inuenerit, corrigat.

Visitetque singulis annis.

§. 7. Quemlibet per annum visitet Abbas Maioris Ecclesiæ, vel per se, vel per aliquos de Coabbatibus suis, omnia Monasteria, quæ ipse fundauerit. Et si fratres amplius visitauerit, inde gaudeant magis.

Monasterium Cistercij visitatur à quatuor primis Abbatibus.

§. 8. Domum autem Cisterciensis simul per se ipsos visitent quatuor primi Abbates de Firmitate, de Pontiniaco, de Claraualle, & de Morimundo, die qua inter se constituerint, præter annuum Capitulum, nisi fortè aliquem eorum grauis ægritudo detineat.

Abbates venientes ad Monasterium Cistercij, quid agant.

§. 9. Cùm autem aliquis nostri Ordinis Abbas ad nouum Monasterium venerit, reuerentia Abbati exhibeatur congrua, stallum Abbatis illius teneat, in Hospitio comedat, si tamen Abbas defuerit. Si verò præsens fuerit nihil horum agat, sed in Refectorio comedat. Prior autem loci negotia Cœnobij disponat.

Abbates alibi conuenientes, quid seruent inter eos.

§. 10. Inter Abbatias illas quæ se non genuerunt alterutras ista erit lex: Omnis Abbas in omnibus locis sui Monasterij Coabbati suo cedet aduenienti, vt impleatur, Honore inuicem præuenientes. Si duo, aut eo amplius conuenerint, qui prior de aduenientibus erit locum superiorem tenebit. Omnes tamen præter Abbatem præsentis loci, in Refectorio comedent, vt suprà diximus. Aliàs autem vbicumque conuenerint secundùm tempus Abbatiarum ordinem suum tenebunt, vt cuius Ecclesia fuerit antiquior, ille sit Prior. Vbicumque verò consederint, humilient sibi mutuo.

Ecclesia si Cœnobium de nouo construxerit, quid faciendum.

§. 11. Cùm verò aliqua Ecclesiarum nostrarum, Dei gratia adeò creuerit, vt aliud Cœnobium construere possit, illam diffinitionem quam nos inter nostros Confratres tenemus, & ipsi inter se teneant, excepto quòd annuum inter se Capitulum non habebunt.

Capitulũ Cistercien. quotannis celebratur.

§. 12. Sed omnes Abbates de Ordine nostro, singulis annis ad generale Capitulum Cisterciense omni postposita occasione conueniant; illis solis exceptis quos corporis infirmitas retinuerit; qui tamen idoneum nuncium delegare debebunt, per quem necessitas remorationis eorum valeat Capitulo nunciari. Et illis item exceptis, qui in remotioribus partibus habitantes, eo termino venient, qui eis fuerit in Capitulo constitutus. Quod si quis, alia quacumque occasione quandoque remanere à nostro generali Capitulo præsumpserit, sequentis anni Capitulo pro culpa veniam petat, nec sine graui animaduersione transeat.

De salute animarum, obseruãtiaque reg. &c. ibi tractetur.

§. 13. In quo Capitulo de salute suarum animarum tractent. In obseruatione Sanctæ Regulæ, vel Ordinis, si quid est emendandum vel corrigendum ordinent. Bonum pacis & charitatis inter se confirment.

Ac de Abbatum vitiosorum correctione agatur.

§. 14. Si quis verò Abbas minus in regula studiosus, vel sæcularibus nimis intentus, vel in aliquibus vitiosus repertus fuerit, ibi charitatiuè clametur, veniam petat, pœnitentiam pro culpa sibi indictam adimpleat. Hanc verò clamationem non nisi Abbates faciant.

Omnium quæ culpa corrigãtur, ibid.

§. 15. Si fortè aliqua controuersia inter quoslibet Abbates emerserit, vel aliquorum illorum tam grauis culpa propalata fuerit, vt suspensionem, aut etiam depositionem mereantur, quicquid inde à Capitulo fuerit diffinitum, sine retractatione obseruetur. Si verò pro diuersitate sententiarũ, in discordiam causa deuenerit, illud inde irrefragabiliter teneatur, quod Abbas Cisterciensis, & hi qui sanioris consilij, & magis idonei apparuerint, iudicabunt. Hoc obseruato vt nemo eorum ad quos specialiter causa respexerit diffinitioni debeat interesse.

Monasteriorum paupertati subuenitur, ibid.

§. 16. Quòd si aliqua Ecclesia paupertiem intolerabilem incurrerit, Abbas illius Cœnobij corã omni Capitulo, causã nuntiare studeat. Tunc singuli Abbates maximo charitatis igne incensi, illius Ecclesiæ penuriã rebus à Deo sibi collatis, prout abũdauerint sustẽtare festinẽt.

Electio Abbatis cuiusque Monasterij quomodo agenda.

§. 17. Si qua domus Ordinis nostri Abbate proprio fuerit destituta, Maior Abbas de cuius domus illa exiuit, omnem curam habeat ordinationis illius, donec in ea Abbas alius eligatur. Et præfixa die electionis, etiam ex Abbatibus, si quos domus illa genuit, aduocentur, & consilio ac voluntate Patris Abbatis, Abbates & Monachi domus illius Abbatem eligant.

Electio Abbatis Cistercij quo pacto peragenda.

§. 18. Domui autem Cisterciensi quæ Mater est omnium nostrûm, dum proprio caruerit Abbate, quatuor primi Abbates, scilicet de Firmitate, & de Pontiniaco, de Claraualle, & de Morimundo prouideant, & super eos sit cura domus illius, donec Abbas in ea electus fuerit & statutus. Ad electionem autẽ Cisterciensis Abbatis, præfixa, & prænominata die ad minus per quindecim dies, conuocentur ex Abbatibus, qui ex domo de Cistercio exierunt, & ex aliis quos prædicti Abbates, & fratres Cistercienses idoneos nouerunt, & congregati in nomine Domini, Abbates & Monachi Cistercienses eligant Abbatem.

Persona Abbatis non eligatur de alio Ordine, nec alteri Ordini detur.

§. 19. Liceat autem cuique Matri Ecclesiæ nostri Ordinis, non solùm in Monachis filiarum suarum Ecclesiarum, sed de ipsis quoque Abbatibus earum, liberè sibi, si necesse fuerit, assumere Abbatem. Personam verò de alio Ordine nulla de Ecclesiis nostris sibi eligat in Abbatem, sicut nec nostrum aliquem licet aliis Monasteriis, quæ non sunt de Ordine nostro, dari.

Hoc idem habetur in prox inserta const. Eugenij.

Quando Abbas sit ad suã instãtiam ab onere Abbatiæ relaxandus.

§. 20. Siquis Abbas pro inutilitate, seu pusillanimitate sua, à Patre suo Abbate domus illius, vnde sua exiuit, postulauerit vt ab onere Abbatiæ suæ relaxetur, caueat ille, ne facilè & sine rationabili causa, & multum necessaria acquiescat. Sed & si qua tanta fuerit necessitas, nihil per se inde faciat, sed conuocatis aliquibus Abbatibus aliis nostri Ordinis, eorum consilio agat quod pariter nouerint oportere.

Vel vti præuaricator Ordinis, remouendus & deponendus.

§. 21. Siquis verò Abbatum, contemptor Sanctæ Regulę, aut Ordinis esse præuaricator, vel commissorum sibi fratrum vitiis consentiens innotuerit, Abbas Matris Ecclesiæ per se ipsum vel Priorem suum, aut quomodo opportunius potuerit, de emendatione eum admoneat vsque quater. Quòd si nec ita correctus fuerit, nec spontè cedere voluerit, congregato aliquanto numero Abbatum nostræ Congregationis, transgressorem Sanctę Regulæ ab officio suo amoueant, ac deinceps alter qui dignus sit, consilio & voluntate maioris Abbatis, & Monachis illius Ecclesiæ simul & Abbatibus, si qui ad eam pertineant, sicut suprà dictum est, eligatur.

Si depositus vel eius Monachi sint rebelles coerceãtur.

§. 22. Si autem ille qui deponitur, aut Monachi eius (quod Deus auertat) contumaces & rebelles esse voluerint, vel sententiis minimè acquiescant, ab ipso Abbate Matris Ecclesiæ, & à cæteris Coabbatibus eius, excommunicationi subdantur, ac deinceps ab eo coërceantur, prout fieri potuerit, & cognouerint expedire. Ex hoc sane si quis illorum ad se reuersus de morte animæ suæ resurgere, & ad matrem suam redire voluerit, tanquam filius pœnitens recipiatur. Nam sine hac causã multo semper studio deuitanda, nullus Abbas Monachum alterius cuiusquam Abbatiæ Ordinis nostri, sine eius voluntate inter suos ad habitandũ Monachos introducat.

Abbas Cistercij quomodo sit corrigendus, & quid agendum sit si ipse & Monachi Cistercij recalcitrauerint.

§. 23. Eodem etiam modo si fortè (quod absit) Abbates nostri Ordinis, Matrẽ nostram Cisterciensem Ecclesiã in sancto proposito languescere, & ab obseruatione Regulæ, vel Ordinis nostri exorbitare cognouerint, Abbatem eiusdem loci per quatuor primos Abbates, scilicet de Firmitate, de Pontiniaco, de Claraualle, & de Morimundo, sub cęterorum Abbatum nomine, vsq; quater, vt corrigatur ipse & alios curet corrigere, admoneãt. Et cætera quæ de aliis dicta sunt Abbatibus, si incorrigibiles apparuerint, circa eum studiosè adimpleant, Excepto quòd si spontè cedere noluerint, nec deponere, nec contumaci dicere anathema potuerunt; donec, aut in generali Capitulo, aut si illud fortè iam visum fuerit expectari non posse, in Conuentibus aliis conuocatis Abbatibus, qui de Cistercio exierun, & aliquibus aliorum, virum inutilẽ ab officio suo deponant, & tam ipsi, quam Monachi Cistercienses idoneum Abbatem eligere studeant. Quòd si Abbas ille & Monachi Cistercienses, cõtumaciter recalcitrare voluerint, gladio excommunicationis eos ferire minimè vereantur. Postea verò, si quis horum præuaricatorum tandem, resipiscere, & animam suam saluare cupiens, ad quamlibet quatuor nostrarum Ecclesiarum siue ad Firmitatem, siue ad Pontiniacum, siue ad Clarãuallem, siue ad Morimundum confugerit, sicut domesticus, & cohæres Ecclesiæ cum regulari satisfactione recipiatur, quoad vsque propriæ

Ecclesiæ, sicut iustum fuerit, reconciliatæ, quandoque reddatur. Interim autem, annuum Abbatum Capitulum, non apud Cistercium, sed vbi à quatuor supra notatis Abbatibus prouisum fuerit, celebrabitur.

III. Indictio belli, & Cruciatæ contra Paganos pro defensione Terræ Sanctæ Hierusalem, cum Indulgentiarum, & Priuilegiorum concessione pro Cruce signatis.

Ad hæc vide notata infrà ad Const. 1. Gregorij VIII. Audita tremendi.

Edita, A. D. 1145.

EVGENIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Charissimo filio Ludouico Illustri, & glorioso Francorum Regi, & dilectis filijs Principibus, & vniuersis Dei fidelibus per Galliam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Pont. multum laborarūt pro liberatione Orientalis Ecclesiæ.

§. 1. QVantum prædecessores nostri Romani Pontifices pro liberatione Orientalis Ecclesiæ laborauerint, & antiquorum relatione didicimus, & gestis eorum scriptum reperimus.

Vrbanus II. magno promoto exercitu Hierusale, ne alias Ciuitates expugnauit Francorū præsertim fretus auxilio.

§. 2. Prædecessor etenim noster fel. mem. Papa Vrbanus, tanquam tuba intonuit, & ad ipsius deliberationē, S.R.E. filios de diuersis mundi partibus sollicitare curauit. Ad ipsius siquidem vocem Vltramōtani, & præcipuè Francorum Regni fortissimi, & strenui bellatores, & illi etiam de Italia charitatis ardore succensi conuenerunt, vt maximo congregato exercitu, non sine magna proprij sanguinis effusione, diuino eos auxilio comitāte, Ciuitatē illam, in qua Saluator noster pro nobis pati voluit, & gloriosum ipsius sepulchrū passionis suæ nobis memoriale dimisit, & quamplures alias, quas prolixitatem vitātes, memorare supersedimus, à Paganorum spurcitia liberarent. Quæ per gratiam Dei, & patrum vestrorū studium, qui per interualla tēporum eas defendere, & Christianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, vsque ad nostra tempora à Christianis detentæ sunt, & aliæ Vrbes infideliū ab ipsis viriliter expugnatæ.

Sed postea earum aliquas Pagani occuparunt.

§. 3. Nunc autem nostris, & ipsius populi peccatis exigētibus (quod sine magno dolore, & gemitu nos proferre non possumus) Edessa Ciuitas, quæ nostra lingua Rohais dicitur, quæ etiam vt fertur, cùm quondam in Oriente tota terra à Paganis detineretur, ipsa sola sub Christianorum potestate Domino seruiebat, ab inimicis Crucis Christi capta est, & multa Christianorū Castella ab ipsis occupata, ipsius quoque Ciuitatis Archiepiscopus cum Clericis suis, & multi alij Christiani ibidem interfecti sunt, & Sanctorum reliquiæ infidelium conculcationi datæ sunt, & dispersæ.

Quod Christianorū maximo cedit detrimento.

§. 4. In quo quantum Ecclesiæ Dei, & toti Christianitati periculum immineat, & nos cognoscimus, & prudentiam vestram latere non credimus. Maximum namq; nobilitatis, & probitatis indicium fore cognoscitur, si ea, quæ patrum strenuitas acquisiuit, à vobis filijs strenuè defendantur; verumtamen si (quod absit) secus contigerit, patrum fortitudo in filiis imminuta probatur.

Hic ideo Pōt. auxilium Regis ac Principum Regni Franciæ implorat pro subuentione Occidentalis Ecclesiæ.

§. 5. Vniuersitatem itaque vestram in Domino commonemus, rogamus, atque præcipimus, & in peccatorum remissionem iniungimus, vt qui Dei sunt, eo maximè potentiores & nobiles, viriliter accingantur, & infidelium multitudini, quæ se tempus victoriæ super nos adeptam lætatur, sic occurrere, & Ecclesiam Orientalem tanta patrum vestrorum (vt prædiximus) sanguinis effusione ab eorum tyrannide liberam, ita defendere, & multa captiuorum millia confratrum nostrorum de ipsorum manibus eripere studeatis, vt Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, & vestra fortitudo, quæ per vniuersum mūdum laudatur, integra, & illibata seruetur. Sit vobis etiam in exemplum bonus ille Mathathias, qui pro paternis legibus conseruandis, seipsum cum filiis & parentibus suis morti exponere, & quicquid in mundo possidebat relinquere nullatenus dubitauit, atq; tandem diuino cooperante auxilio, per multos tamen labores, tā ipse, quàm sua progenies de inimicis viriliter triūphauit.

§. 6. Nos autem vestrorum quieti, & eiusdem Ecclesiæ destitutioni paterna sollicitudine prouidentes, illis, qui tam sanctum, tamque pernecessarium opus, & laborem deuotionis intuitu suscipere, & perficere decreuerint, illam peccatorum remissionem, quam præfatus prædecessor noster Papa Vrbanus instituit, auctoritate nobis à Deo concessa, concedimus, & confirmamus.

Indulgentiā ab Vrbano PP. institutā elargitur hoc opus perficientibus.

§. 7. Atque vxores, & filios eorum, bona quoque, & possessiones sub S. Ecclesiæ, nostra etiam, & Archiepiscoporum, & Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione manere decernimus.

Eos filios, & vxores, ac bona sub protectione Sedis Apost. recipit.

§. 8. Auctoritate etiam Apostolica prohibemus, vt de omnibus, quæ cùm Crucem acceperint, quietè possederint, nulla deinceps quæstio moueatur, donec de ipsorum reditu, vel obitu certissimè cognoscatur.

Litibus post acceptā Crucem vexari prohibet.

§. 9. Præterea quoniam illi, qui Domino militant, nequaquam in vestibus pretiosis, nec cultu formæ, nec canibus vel accipitribus, vel aliis, quæ portentant lasciuiam, debent intendere, prudentiam vestram in Domino commonemus, vt qui tam sanctum opus incipere decreuerint, ad hæc non intendant, sed in armis, equis, & cæteris quibus infideles expugnent, totis viribus, studium, & diligentiam adhibeant.

Luxum, & lasciuiam vetat.

§. 10. Quicumque verò ære premuntur alieno, & tam sanctum iter puro corde conceperint, de præterito vsuras non soluant, & si ipsi, vel alij pro eis occasione vsurarum adstricti sunt, Sacramento, vel fide, Apostolica eos auctoritate absoluimus.

Vsurarum are eosdem liberat.

§. 11. Liceat eis, terras, siue cæteras possessiones suas, postquam commoniti propinqui, siue Domini, ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare, aut noluerint, aut non valuerint, Ecclesiasticis, vel aliis quoque fidelibus, liberè sine vlla reclamatione impignorare.

Feudalia bona certo modo pignorare permittit.

§. 12. Peccatorum remissionem, & absolutionem iuxta præfati prædecessoris nostri institutionem, Omnipotentis Dei, & beati Petri Apostolorum Principis auctoritate nobis à Deo concessa talem concedimus, vt qui tam sanctum iter deuotè incœperit & perfecerit, siue ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, de quibus corde contrito & humiliato, confessionem susceperit, absolutionem obtineat, & sempiternæ retributionis fructum ab omnium remuneratore percipiat.

Peccatorum remissionem hoc opus proficientibus, vel in eo morientibus, si præuia contritione confessi fuerint, elargitur.

Dat. Vetrallæ, Kal. Decembris.

Dat. P. An. 1. 1. Decembr.

ANASTASIVS QVARTVS PONT. CLXX.
ANNO DOMINI MCLIII.

ANastasius IV Romanus, Conradus de Suburra, antea vocatus, Benedicti filius, Canonicus Regularis, Episcopus Cardinalis Sabinus, ab Honorio II. Papa factus. Creatus, & consecratus 6. Idus Iulij, Anno 1153. Vixit an. 1. mens. 4 dies 24. Creauit Episc. 2. Presb. totidem. Obiit Romæ in Patriarchio Lateran. 3. Nonas. Dec. 1154. Corpus eius in Basilica Cōstātiniana cōditū est. Vacauit sedes diē 1.

Confirmatio

I. Confirmatio Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, in Sacrosancta Lateranen. Ecclesia, cum gratiarum elargitione.

Ad hæc videnda omnino est const. 2. Paschal. supra folio 53. Quanto, cum ibi notatis in rub.

Edita, A. D. 1154.

ANASTASIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Dilectis filijs Ioanni, Priori Sacrosanctæ Patriarchij Basilicæ Saluatoris Domini, quæ Constantiniana vocatur, pariterque Ioan. Baptistæ, ac Ioannis Euangelistæ; eiusque fratribus Canonicis tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Pontificiæ potestatis enarratio.

POTESTATEM ligandi, atque soluendi tam in cœlis, quàm in terra, Beato Petro, eiusque Successoribus auctore Deo principaliter traditam, illis Ecclesia verbis agnoscit, quibus Petrum est idem Dominus alloquutus. Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Ipsi quoque & propriæ firmitas, & alienæ fidei confirmatio, eodem Deo auctore præstatur, cùm ad eum dicitur. Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu conuersus aliquando confirma fratres tuos. Oportet igitur nos, qui (licet indigne) Beati Petri residemus in loco, prout diuina nobis clemẽtia, & scire, & posse donauerit, praua corrigere, recta firmare, & in eius Ecclesia, sic ad arbitrium iudicij disponenda disponere; vt de vultu eius iudicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Æquum est ergo, ac rationabile, vt suus vnicuiq; honor Ecclesiæ, ac dignitas conseruetur. Et sicut in humani corporis compage, naturalis ratio singulis quibuscumq; membris ad salutẽ prouidens, speciales & proprios actus edocet; nobilioribus verò suã dignitatem conseruat; ita in corpore Ecclesiæ, Apostolica prouidentia secundùm sacrorum institutiones canonum, vniuersas regit Ecclesias, digniores autem & famosiores in sui status prærogatiua custodit.

Confirmatio de qua in rub.

§. 1. Huius itaque rationis debito prouocati; licèt omnium Ecclesiarũ nobis solicitudo & cura immineat, prædictæ tamen sanctæ Lateranen. Ecclesiæ, per quam datur vt inuigilare cæteris omnibus debeamus, quæ specialiùs, ac familiariùs ad Romani Pontificis ordinationem spectare dignoscitur, ampliori, & attentiori nos conuenit studio prouidere. Ea propter vobis in Domino filijs, Ecclesiam ipsam in qua diuino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri beatę memoriæ Alexandri Papæ Secundi, Apostolicæ Sedis Priuilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, vt ordo Canonicorum, qui secundùm Deum, & B. Augustini regulam ibi noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter conseruetur.

Licentia quæcumque bona acquirendi.

§. 2. Præterea quoscumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum, iustè, & canonicè possidet, aut in posterum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, Medietatem omnium oblationum principalis altaris, in integrum sine dispendio aliquo. Dationem, seu redditum qui Glandaricum dicitur, vel Herbaricum ex nostris porcis, & pecoribus; seu omnem fruitionem ab eodem prædecessore nostro ipsi Ecclesiæ collatam.

Forma eligendi futurorum Priorem. Ad quod vide etiam cõst. 7. Mar. II. Sollicitudinis.

§. 3. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia, seu violentia præponatur; sed fratres in aliqua persona de vestro collegio, si idonea reperta fuerit; vel de alio religioso conuentu, prius conueniant: & postmodum cum consilio, deliberatione, & iudicio Romani Pontificis eligant. Electus autem nulli, nisi tantùm ipsi Romano Pontifici de obedientia, vel subiectione aliqua teneatur.

Licentia alios in religione recipiendi. Tũ intellige iux. Bullam Six. V. Cum de. n. 71.

§. 4. Liceat vobis præterea Clericos è sæculo fugientes, vel laicos liberos vndecumque sint, nisi excommunicati vel interdicti sint, absque alicuius cõtradictione, ad conuersionem suscipere. Et qui suscepti fuerint, cum communi consilio Prioris & fratrum, nulli de obedientia teneantur, nisi Romano Pontifici, & Priori eiusdem Ecclesiæ. Et si quid scriptum contra hoc nostrũ priuilegium, aliquo tempore apparuerit, id irritũ ducimus.

Fratres ne discedant de claustro, absque licentia Prioris.

§. 5. Prohibemus autem, vt nulli fratrum post factam in eodem loco professionem, sine Prioris sui licentia, fas sit de claustro discedere; discedentem verò absque huiusmodi litterarum cautione, nullus audeat retinere.

Ecclesia Lateranen. exempta ab omni superioritate.

§. 6. Adhibentes suggestione, & voluntate fratrum nostrorum Cardinalium Episcoporum sanximus, vt eadem Ecclesia tanquam Principalis, Mater, & Domina omninò libera sit, & nulli penitus, nisi soli Romano Pontifici sit subiecta, atque eidẽ Episcopi salubri prouidentia veluti cooperatores & Vicarij nostri, ipsius Venerabilis Basilicæ vtilitatem, & honestatem prouideant.

Sacra à quibus tangi possint.

§. 7. Illud verò quod à memorato prædecessore nostro Alexandro statutum est, maximè obseruare præcipimus, videlicet vt vasa, seu vestes altaris, & cuncta sacri mysterij ornamenta, non tangantur, vel proferantur, seu reponantur, aut etiam qualescumq; oblationes, desuper altari, à non sacratis Deo ministris, tollantur.

Episcopis celebrantibus quid agendum.

§. 8. Porrò celebrantibus ibidem Episcopis sacra Missarum solemnia, in Clericalibus tunicis præsentes sitis, cantum imponatis, & ex vobis Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, atque Acolytũ semper prouidere curetis.

Missarum celebratio quomodo.

§. 9. Præterea minus quatuor fratribus assisten. missa in eadẽ Ecclesia, etiam diebus priuatis minimè celebretur. Diebus verò Dominicis, & in Sãctorũ festiuitatibus, quantuscumq; fuerit plenarius vester adsit conuentus.

Capitulum qualibet hebdomada celebrandum.

§. 10. Vt autem in Ecclesia ipsa regularis ordinis & disciplinæ vigor inuiolabiliter auxiliante Deo custodiatur & seruetur: vnumquemque prædictorum Cardinalium Episcoporum, qui sunt ad principalis altaris seruitiũ deputati, semel in hebdomada de obseruantia Regulæ cum fratribus ipsius loci, Capitulum tenere, & si quid graue corrigendum fuerit, cum communi consilio Prioris, & fratrum, per ipsos vice nostra emendari statuimus.

Sanctio pœnalis.

§. 11. Siqua igitur in posterum Ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis, & confirmationis paginam sciens, contra eam ausu temerario venire tentauerit; secundò, tertióve commonita, si non satisfactione congrua emendauerit; potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iura seruantibus sit pax Domini IESV CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternę pacis inueniãt.

Dat. Pontificatus anno secundo 1154. *Dat. P. A. II.*

II. Hospitalis, & Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani, sub Sedis Apostolicę protectione susceptio, cum priuilegiorum elargitione.

Alia & maxima quidem alij Pont. priuilegia concesserunt, vt videre est inf. in Ioan. 22. const. 5. Exhibita, & latiùs in Pij 4. const. 9. Circumspecta. & in alia n. 29. Romani.

Ad huiusmodi priuilegiorum intelligentiam moderationemque & respectiuè extensionem, attende infra Pij V. const. 77. Et si cuncta, & aliã n. 136. Exposcit. Necnon & const. 60. Greg. XIII. Quo magis, & aliam n. 67. Circumspecta, ac aliam n. 82. Controuersia. Et pariter in const. 43. Six. V. Æquom. & const. 5. Greg. XIV. Quanta, & Clem. VIII. const. 37. Æqua.

Demum omnia hęc priuilegia, & alia quomodolibet cõcessa, huiusmodi Hospitali, ac Religioni confirmauit, & approbauit S. D. N. Vrban. VIII. in sua const. 15. Vniuersalis, inf. tom. 4. Attende etiam quod emanauit Decretum à Sacra Tridentini Concil. Interpretum

Congregatione, quo cauetot Constitutinnem Greg. XV. de Iudicibus Conseruatoribus editam, quæ est in dicto tom. 4. intet dicti Greg. Const. num. 9. non afficete hanc Religionem, & illud confirmauit idem S.D.N. Vrb. VII. in const. 78. Exponi inf dicto tom. 4. Et alia statuit de electione Magni Magist. const. 86. in specula d. tom. 4.

Edita, A.D. 1154.

ANASTASIVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Raymundo Magistro Xenodochij Ciuitatis Hierosolymitanæ, &c.

Hospitalitatis commendatio.

CHristianæ fidei religio hoc piè credit, & veraciter confitetur, quòd Dominus & Saluator noster IESVS CHRISTVS, cùm omnium diues esset, pro nobis est paupet effectus. Vndè etiam ipse suis imitatoribus opportunę consolationis præmia repromittens, Beati (inquit) pauperes, quoniam vestrum est Regnum Cœlorum. Idemque pater orphanorum, refugium pauperum, ad hospitalitatem, & beneficentiam noa hortans in Euangelio ait: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quique ad comprobandum tantæ bonitatis excellentiam, etiam pro calice aquæ frigidæ se mercedem redditurum asseruit.

Hospitalis Hierosolymitani, sub protectione Sedis Apostolicæ susceptio.

§. 1. Nos igitut, quibus ea iniuncto officio imminet, his qui longè, & his qui propè sunt, paterna sollicitudine prouidere, deuotionem vestram debita benignitate complectimu, & quemadmodum postulatur, ad exemplar prædecessorum nostrorum fel. mem. Innoc. I. Celestini, Lucij, Eugenij, Romanorum Pontificum, Hospitale, & Domum Sanctæ Ciuitatis Hierusalem, sub B Petri tutela suscipimus, atque personas siue res ad eum pertinentes Apostolicæ Sedis priuilegio communimus.

Bonorum etiā stabilium acquisitorum promissio.

§. 2. Statuentea vt quascumque possessiones, quæcumque bona, ad sustentandum peregrinorum & pauperum necessitatem, & Hierosolymitanæ Ecclesiæ, vel aliarum Ecclesiarum Parochiis & Ciuitatum Territoriis, pet tuæ prouidentiæ vigilantiam eidem Xenodochio rationabilitet acquisita, seu à quibuslibet viris oblata, aut in futurum, concessione Regum, vel Principum, largiente Domino, offerri, vel aliis iustis modis acquiri contigerit; quæque à Venerabilibus fratribus Hierosolymitanæ Sedis Patriarchis legitimè concessa sunt, tam tibi, quàm successoribus tuis, & fratribus peregrinorum curam gerentibus, quieta semper, & integra conseruari præcipimus.

Hospitalia que & cet. construendi. Tu ad hoc vide formam nouiter prascriptam à Clem. VIII. in const. 99. Quoniam.

§. 3. Si quis verò loca fuerint eidem Venerabili Domui ab aliquo deuotione collata, liceat vobis ibidem villas ædificare, Ecclesias & Cæmeteria ad opus hominum ibi morantium fabricare. Ita tamen vt vicina Abbatia, vel religiosorum virorum Collegium, non existat, quæ ad hoc valeaot perturbari. Cùm autem terræ datæ vobis quolibet iusto titulo conferentur, facultatem, & licentiam habeatis ibidem Oratoria constituendi, & Cœmeteria faciendi ad opus peregrinorum, & tantummodo fratrum qui de nostra fuerint mensa.

Receptores non impediantur.

§. 4. Decernimus ergo vt receptores vestrarum fraternitatum, siue Collectarum saluo iure Dominorum suorum, in B. Petri, & nostra protectione consistant, & per terras in quibus fuerint pacem habeant.

Receptio Ecclesiastica sepultura non negetur.

§. 5. Simili modo sancimus, vt quicumque in vestra fraternitate fuerit receptus, si fortè Ecclesia ad quam pertinet; à diuinis officiis fuerit prohibita, eumque mori contigerit, eidem sepultura ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus vel nominatim fuerit interdictus.

Collectorum & receptoris aduentus promittitur etiam tempore interdicti.

§. 6. Prætetea siqui fiatrum vestrorum ad tecipiendum easdem fraternitates, & collectas, à vobis fuerint missi, ad aliquam Ciuitatem. Castellum, vel vicum aduenerint, si fortè locus ille à diuinis officiis sit interdictus, pro omnipotentis Dei reuerentia, in eorum iucuodo aduentu, semel in anno aperiantur Ecclesiæ, & exclusis excommunicatis, diuina ibi officia celebrentur.

Exemptio à Decimis conceditur.

§. 7. Quia verò omnia vestra, sustentationibus peregrinorum, & pauperum debent cedere, ac per hoc nullatenus aliis vsibus ea conuenit applicari, constituimus, vt de laboribus, quos vestris sumptibus colitis, nullus omnino clericus, vel laicus decimas à vobis exigere præsumat.

Ad hoc vide const. hic in Rub. indicatas.

Indultum celebrandi tempore generalis interdicti intellige iuxta Concil. Trid. sess. 25. cap. 12.

§. 8. Statuimus vt nulli Episcopo, in Ecclesiis à vobis subditis, interdicti vel suspensionis excommunicationis sententiam liceat promulgare. Verumtamen si generale Interdictum fuerit in locis illis prolatum, exclusis excommunicatis, & nominatim interdictis, clausis ianuis, absque campanarum pulsatione, planè diuina officia celebrentur.

Facultas recipiendi in Ecclesiis Clericos & Sacerdotes aliis Ordinib. non obnoxios.

§. 9. Vt autem ad plenitudinem salutis, & curam animarum vestrarum, nihil vobis desit, atque ecclesiastica Sacramenta, & diuina officia vobis & Christi pauperibus commodius exhibeantur, sancimus, vt liceat vobis Clericos, & Sacerdotes, habito prius tamen de eorum honestate, & ordinatione, quantum ad vestram scientiam pertinet, per literas siue testes conuenientes, & testimonia, vndecumque ad vos venientes suscipere, & tam in principali domo vestra, quam etiam in obedientiis sibi subditis, vobiscum habere, dummodo, si è vicino sunt, eos à propriis Episcopis..... iidemque nulli alij professioni vel Ordini teneantur obnoxij Quòd si Episcopi eosdem vobis concedere fortè noluerint, nihilominus tamen auctoritate S.R.E. eos suscipiendi, & retinendi licentiam habeatis. Iidem verò Clerici nulli personæ extra vestrum Capitulum, nisi Romano Pontifici sint subiecti.

Et recipiendi etiam quoscumque laicos.

§. 10. Laicos verò liberos ad conuersationem & pauperum Christi seruitium, absque alicuius contradictione suscipiendi nihilominus vobis concedimus facultatem.

Professis non liceat ab ista ad aliam se transferre Religionem.

§. 11. Fratribus verò vestris semel in ..... atque in sacro vestro Collegio receptis, post factam professionem, & habitum Religionis assumptum, reuertendi ad Sæculum interdicimus facultatem. Nec alicui eorum fas sit, post factam professionem semel assumptam Crucem Dominicam, & habitum vestræ professionis, abiicere, vel ad alium locum, seu etiam Monasterium maioris seu minoris Religionis, obtenta, inuitis siue inconsultis fratribus aut eo qui Magister extiterit, licentia transmigrare. Nullique ecclesiasticæ sæculari que personæ ipsos suscipiendi aut retinendi licentia pareat.

Licentia sacros ordin. à quocumque Antistite recipiendi recusante diœcesano.

§. 12. Consecrationes verò altarium, seu basilicarum ordinationes Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, & cetera Ecclesiastica sacramenta, à diœcesano suscipiantur Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam siue communionem Apostolicæ Sedis habuerit, & ea gratis absque aliqua prauitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quemcumque malueritis adire Antistitem, qui nimirum nostra suffultus auctoritate, quæ postulantur indulgeat.

Prouisoris Hospitalis electio, spectat ad Fratres.

§. 13. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Prouisore, atque Præposito, nullus ibi qualibet subreptione, astutia, seu violentia proponatur, nisi quem fratres ibidem, secundùm Deum elegerint.

Corroboratio acquisitorum omnium pro Hospitali.

§. 14 Præterea honores omnes, siue possessiones, quas idem, Xenodochium vltra seu citra mare, in Asia, vel in Europa, aut in præsenti iustè habet, vel in futurum rationabilibus modis Deo propitio poterit adipisci, vobis pro hospitalitatis studio enitentibus, & per vos iam dicto Xenodochio confirmamus. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 2. die 21. Oct.

Dat. Lateranen. per manum Rolandi S.R.E. Presbyteri Cardinalis, & Cancellarij, 12. Kalend. Nouembris, indictione quarta, Incarnationis Dominicæ 1154. Pontificatus Domini Anastasij Quarti, Anno Secundo.

HADRIA

HADRIANVS QVARTVS PONT. CLXXI.
ANNO DOMINI MCLIV.

HAdrianus IV. Natione Anglicus, Nicolaus antea dictus, Roberti filius, ex villa Mahuesbiria, oppidi Virulamij, aliàs S. Albani, Batoniensis diœcesis, Episcopus Albanensis, creatus Romæ Nonis Decembris 1154. Vixit annos 4. menses 8. dies 28. creauit Cardinales 16. Obiit Anagniæ, Anno Domini 1159. Kalend. Septemb. cuius Corpus Romam deuictum, in Ecclesia S. Petri conditum est. Vacauit sedes Romana dies tres.

ALEXANDER TERTIVS PONT. CLXXII.
ANNO DOMINI MCLIX.

ALexander III. fuit natione Tuscus, patria Senensis, familia nobili Bendinella, quæ posteà Papatona dicta est, Rolãdus anteà vocatus, Raynerij filius, Canon. Regul. Presbyter Card. tit. S. Marci, & Apost. Sedis Cãcell. creatus quinto Nonas Septẽb. 1159. Coron. die Dominico 12. Kal. Octob. Vixit an. 21. menses 11. dies. 23. Creauit Card. 44. Obiit 6. Kal. Septemb. Anno Dõi 1181. sepultus in Basil. S. Ioann. Lateran. Vacauit sedes dies 1.

Victor IV. Antipapa sedit contra Alex. annos 4. menses octo, ante eius obitũ Paschalis III. Pseudopontifex designatus, sedit annos circiter quinque, in eius locum Callistus III. creatus cùm sedisset an. octo, tandem Alex. III. vt verum Pont. veneratus anno 1178.

Canonizatio S. Eduardi Regis Angliæ, eiúsque ascriptio in numerum Sanctorum Confessorum. I.

Huius Sancti Festum agitur die 5. Ianuarij.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Venerab. Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus aliisque Ecclesiarum Prelatis per Angliam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita A. D. 1162.*

Exordium. ILLIVS deuotionis constantiam, & fidei firmitatem, quam circa Matrem vestram Sacrosanctam Romanam Ecclesiã exhibetis, diligentius attendentes, in id propositum voluntatis adducimur, vt vos sicut carissimos fratres, & speciales Ecclesiæ filios sincera charitate in Dño diligamus, propensius honoremus, & postulationes vestras quantũ cum Deo possumus libenti animo admittamus.

Henricus Rex Angliæ & Prælati illius Regni institerunt apud hunc Pontificem pro Canonizatione S. Eduardi. §. 1. Inde vtique fuit, quòd super petitione, quam de Eduardo glorioso quondam Rege Anglorum, canonizando, & in Sanctorum Cathalogo ascribendo, tam carissimus in Christo filius noster Henricus, Illustris Anglorum Rex, quàm vos ipsi, nobis instantius porrexistis, sollicitam cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quæ dum in carne mortali viueret, & postquam de præsenti sæculo est assumptus, omnipotens Dñs per suam misericordiam declarauit. Visis etiam literis antecessoris nostri piæ record. Innoc. Papæ, vestris quoque testimoniis inde receptis; quãuis negotium tam arduum & sublime, non frequenter soleat nisi in solemnibus Conciliis de more concedi.

Hic ergo Pontifex attentis eius meritis ac miraculis SS. Confessorum ascribit numero. §. 2. De communi tamen fratrum nostrorum consilio, iuxta votum & desiderium prædicti filij nostri Regis, ac vestrum, corpus ipsius Confessoris ita glorificandum censuimus, & debitis præconiis adorandum in terris, sicut eundem Confessorem Dominus per suam gratiam glorificauit in cœlis. Vndè videlicet inter sanctos Confessores de cetero numeretur, qui hoc ipsum apud Deum signis meruit, ac virtutibus obtinere.

Hortaturque Prælatos ad eiusdem venerationem. §. 3. Quia igitur decet honestatis vestræ prudentiam, eum piè colere, & toto studio venerari, quem auctoritate Apostolica venerandum, vestra postulauit deuotio, & colendum; Vniuersitatem vestram per Apostolica scripta monemus, & exhortamur in Domino, quatenus cum ita deinceps studeatis debitis obsequiis honorare, vt ipsius intercessionibus apud districtum Iudicem, mereamini veniam obtinere, & gloriosum in æterna beatitudine præmium inuenire.

Dat. Anagniæ 7. Idus Februarij. *D. F. An. 62. die 7. Feb.*

Canonizatio S. Bernardi, primi Abbatis Clareuallensis, & institutoris Ordinis Monachorum Cisterciensium S. Benedicti, eiúsque relatio in numerum Sanctorum Confessorum, cum institutione suæ festiuitatis. II.

Alias similes literas ad Regem Franciæ, alias ad Abbates Ordinis Cistercien. alias quoque ad Abbates Clareuallenses, sub hac eadem die, hic Pont. dedit, quas tamen vti minùs necessarias hîc inserere prætermisi.

Huius Sancti Festiuitas celebratur die 20. Mensis Augusti. Et huius Ordinis materia est tibi indicata sup. in Pasch. II. const. 1. Desiderium fol.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Venerabilibus fratribus vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & Dilectis filijs Abbatibus, aliisque Ecclesiarum Prælatis, in Regno Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita A. D. 1174.*

COntigit olim dum essemus Parisiis constituti, vt magni quidam, ac Venerabiles Viri, de canonizãdo

Plurimorum instantia pro Canonizatione Bernardi Abb. Clareuallis.

sanctæ record. Bernardo, quondam Clareuallensi Abbate facerent mentionem; optantes vtique, & piis nobis precibus suggerentes, vt in Concilio quòd de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic, & laudabili voto, celerem daremus effectum. Cùmque nos eidem negotio, fauorabili satis intéderemus affectu, superuenit multitudo & frequentia petitorum, qui in diuersis Prouinciis rem similem postulabant. Vndè cùm videremus non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit pro scandalo deuitando, etiam in hoc differri.

Cuius virtutes & merita hic indicantur.

§. 1. Nuper autem ex instantia & deuotione Clareuallis fratrum, & aliarum sublimium personarum, eisdem apud nos precibus innouatis, reduximus ad memoriam nostram, eiusdem B. Viri sanctam & venerabilem vitam, qualiter ipse singularis gratiæ prærogatiua suffultus, non solùm in se ipso sanctitate, ac Religione præfulserit, sed etiam in vniuersa Ecclesia Dei, fidei & doctrinæ lumine radiarit. Fructum verò quem in domo Domini, & verbo operatus est & exemplo, nullus fere terminus sanctæ Christianitatis ignorat, cùm vsque ad exteras quoque & barbaras nationes, sanctæ Religionis instituta transmiserit, atque Monasteriorum fundationem extenderit, & infinitam multitudinem peccatorum per viæ sæcularis latitudinem incedentem, ad spiritualis vitæ rectitudinem reuocarit. Specialiter autem Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cui auctore Deo præsidemus, ita quondam sub grauis persecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quàm datæ sibi cœlitum sapientiæ studio sustentauit, vt dignè quidem & nobis, & omnibus eiusdem Ecclesiæ filiis, in memoria habendus sit, & deuotione perpetua venerandus. In afflictione verò corporis sui, vsque adeò sibi Mundum, seq; Mundo reddidit crucifixum, vt confidamus Martyrum quoque eum merita obtinere sanctorum, quem confessionis ordine, & parsimonia vitæ tam longum constat duxisse martyrium.

Hic ideo Pontifex SS. Confessorum cathalogo illum ascripsit eiusque festum agi iubet.

§. 2. Quibus omnibus pia consideratione pensatis, & in Concilio Fratrum nostrorum expositis, confisi de misericordia Dei, cui perseueranter & fideliter militauit, necnon & de Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & eiusdem Beatissimi Confessoris meritis præsumentes, eum Apostolicæ Sedis auctoritate Cathalogo Sanctorum adscribi mandauimus, & commemorationis suę Festum decreuimus modo publicè celebrandum.

Hortatur Prelatos ad venerationem huius Sancti.

§. 3. Vos ergo qui & eiusdem Sedis Apostolicæ instituta suscipere, & Deum in Sanctis suis consueuistis gloriosiùs honorare, sic memoriam Sancti huius celebretis in terris, vt precibus eius & meritis, digna præmia recipiatis in cœlis.

Dat. Anagniæ 15. Kalendas Februarij 1164. — *D. P. A. 5. die 18 Ian.*

III. De reconciliatione Regum Franciæ, & Anglię à Sedis Apostolicæ Legatis de latere ad hoc destinatis, omni studio & æqua lance curanda, vnà cũ reconciliatione Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis cũ eodẽ Rege Anglię.

Edita A. D. 1168.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Dilectis filiis Vuillelmo Sancti Petri ad Vincula Presbytero, & Oddoni S. Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali & Apostolica Sedis Legatis; Salutem & Apostolicam benedictionem.

Aduertens hic Pont. mala euentura ex dissensione inter Regem Francorum, & Regem Anglorum.

QVanta Vniuersæ Dei Ecclesiæ, & præsertim Romanæ & Orientali detrimenta & incommoda ex discordia & dissẽsione, quæ inter charissimos in Christo filios nostros Illustres Francorum, & Anglorum Reges per humani generis contigit inimicum, poterunt euenire, nostram decet discretionem aduertere, & tantò diligentiùs ad ea extinguenda intendere, quantò ea inde maiora (quòd Deus auertat) pericula formidamus.

Mandat Cardin. Sedis Apost. Legatis, vt eam æqua lance tractare curent.

§. 1. Quocirca discretionem vestram per Apostolica scripta, monemus, mandamus atque præcipimus, quatenus ad pacem inter eos & concordiam reformandam modis omnibus per vos & per alios Religiosos discretos viros vtriusque Regni intercedere studeatis, & ad hoc tota diligentia & totis viribus laboretis. Modis omnimodis præcauentes, ne ad petitionem vel fauorem vnius aliquid statuatis, vnde alter scandalizari debeat, aut quoquomodo turbari.

Prohibetque ne intrent Regnum Angliæ, nisi præuia reconciliatione Thomæ Archiep. Cantuariensis, cum Rege Angliæ.

§. 2. Ad hæc, vobis districtiùs prohibemus, ne vterque vestrûm, vel alter Regnum Anglorum intrare, vel de negotiis eiusdem Regni tractare, & præsertim de consecrationibus Episcoporum aliquid vnquam efficere, vel ordinare præsumat, nisi priùs venerabilis Frater noster Thomas Cantuariensis Archiepiscopus iã dicto Anglorum Regi ex integro reconcilietur. Quod per studium, & operam vestram, operante Domino, ad effectum posse perduci, confidimus, & omnino speramus. Sicut enim ex literis multorum discretorum virorum accepimus, nihil est, vnde præfatus Francorum Rex, & tota terra ipsius, amplius commota fuerit vel turbata, quàm ex iis quæ Ioannes Saresberiensis Decanus, à nobis rediens, in partibus illis dicitur disseminasse.

Dat. Beneuenti, 11. Kalend. Septembris. — *D. P. A. 9. die 22. Aug.*

IV. Canonizatio S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, eiusque adscriptio in Cathalogo SS. Martyrum.

Celebrat S. Romana Ecclesia Festiuitatem huius Sancti die 29. Decembris.

Edita A. D. 1173.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis aliis Ecclesiarum Prælatis & vniuerso Clero, & populo per Angliam constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

S. Thomæ Cãtuariẽsis merita & miracula.

Sciasq; Henricus VIII Rex Angliæ sæuire non erubuit in ossa huius Sancti, vt insc. in Pauli iij. const. 7.

Eius qui.

REdolet Anglia fragantia, & virtute signorum, quæ per merita illius sancti & venerabilis viri Thomæ quondam Cantuariensis Archiepiscopi, Omnipotens Dominus operatur. Et vniuersa lætatur vbique fidelium Christiana Religio, pro eo quòd ille, qui est mirabilis & gloriosus in Sanctis, Sanctum suum post mortem clarificauit, cuius vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum & tandem martyrio consummata est certaminis gloriosi. Quamuis autem de Sanctitate ipsius dubitare non possit, qui eius vitam, & laudabilem conuersationem attendit, & gloriosam considerat passionem; voluit tamen Saluator, & Redemptor noster, eius sanctitatis insignia, magnificis irradiare miraculis. Vt qui pro Christo, insuperabili virtutis constantia, necessitates & pericula pertulit, sui laboris & certaminis in æterna Beatitudine cognoscatur ab omnibus percepisse triumphum.

Canonizatio eiusdem.

§. 1. Nos verò, audita innumeris & magnis miraculis, quę iugiter per illius Sancti viri merita fieri. Vniuersitas narrat fidelium, & super his non sine magno gaudio per dilectos fratres nostros Albertum tit. S. Laurentij in Lucina, & Theodinum tit. S. Vitalis Presbyteros Cardinales, atque Apostolicæ Sedis Legatos (qui eadem miracula tantò perspicaciùs didicerunt, quantò amplius sunt loco vicini) præcipuè certiores effecti, & plurium aliarũ personarum testimonio, fidem sicut debuimus adhibentes, prædictum Archiepiscopum, solemniter in Ecclesia magno Collegio ibidem Clericorum, & Laïcorum præsente, in capite ieiunij deliberato fratrũ nostrorum consilio, canonizauimus, ipsúmque decreuimus Sanctorum Cathalogo adscribendum.

Iussit celebrãdi natale ipsius.

§. 2. Vniuersitatem itaque vestram monemus, & auctoritate qua fungimur, districtè præcipimus, vt natalem prædicti gloriosi Martyris diem passionis suæ solemniter singulis annis celebretis, & apud ipsum votiuis orationibus satagatis veniam promereri. Vt qui pro Christo, in vita exilium, & in morte virtute constantiæ, passionis martyrium pertulit, fidelium iugi supplicatione pulsatus, pro nobis apud Dominum intercedat.

Datum Signiæ 4. Idus Martij. — *D. P. An. 14. die 12 Mar.*

V. Approbatio Ordinis, seu Militiæ S. Iacobi de Spatha, in Regnis Hispaniarũ nuper institutæ, cum gratiarũ & priuilegiorũ elargitione.

Admini

Administrationem huius Militiæ, Regi Hispaniarum perpetuò concessit Adrian. VI. inf. in eius const. 1. Dum intra. Et eorum priuilegia, vide in const. 32. Clem. VII. Ex. Apostolica.

Edita A. D. 1175.

ALEXANDER EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Petro Ferdinando, Magistro militiæ S. Iacobi eiusque fratribus clericis, & laicis, tàm præsentibus, quàm futuris, communem vitam professis, in perpetuam rei memoriam.*

Prœmium.

BEnedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui Ecclesiam suam bona semper prole fœcundat. Et sicut pro patribus filios in ea facit exurgere, sic à generatione in generationem notitiam nominis sui, & lucem fidei Christianæ diffundit. Vt sicut ante ortum solis, stellæ sese ad occasum in firmamento sequuntur, ita in Ecclesiasticis gradibus, generationes iustorum (antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & tenebras nostras veri solis splendor illuminet) per tempora sibi succedant. Et sicut multi sæpe per caudam Draconis deiiciuntur in terram, ita per adoptionem spiritus, quotidiana fiat reparatio perditorum, & de profundo inferni ad quærenda multi cælestia eriganeur. Et ita corpora teneantur in terra, vt tanquam ciues sanctorum, & domestici Dei cogitatione, ac desiderio conseruentur in cœlis.

Quidam nobiles in Hispania, Deo militare volentes, vnā militiam sub vno eorum Magistro instituerunt.

§. 1. Hoc sane temporibus nostris, in partibus Hispaniarum, de diuino factum munere gratulamur, vbi nobiles quidam viri peccatorum vinculis irretiti, & miseratione illius qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, superna gratia sunt afflati. Et tacti, super multis transgressionibus suis, dolore cordis intrinsecus, & præteritorum agentes pœnitentiam peccatorum, non solùm possessiones terrenas, sed & corpora sua statc in extrema quæque pericula pro Domino decreuerunt. Et ad exemplum Domini nostri IESV CHRISTI, qui ait Non veni facere volūtatem meam, sed eius, qui misit me patris, in habitu, & conuersatione Religionis, sub vnius Magistri statuerunt obedientia commorari. Eo vtique moderamine propositum suum & ordinem temperantes, vt quia vniuersa turba fidelium in coniugatos, & continentes distinguitur, & Dominus IESVS CHRISTVS non solùm pro viris, sed & pro fœminis quoque, de fœmina nasci voluit, & cū hominibus conuersari, habeantur in ipso ordine, qui cœlibem ducant vitam, & consilium Beati Pauli sequantur, qui dicit: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, cōsilium autem do. Sint etiam qui iuxta institutionem Dominicam, ad procreandam sobolem, & incontinentiæ præcipitium euitandum, coniugibus suis vtantur, & vna cum eis ad incolatum supernæ patriæ de conualle lacrymarum, & terrena transite peregrinatione mcantur, & lacrymis diluant, & operibus pietatis reatus. Quibus supra fundamentum suum (quod CHRISTVS est) pro cura carnis & affectibus liberorum, ligna, fœnū, stipulam ædificare contingit, cum aliis expeditiores & continentes, ædificent aurum argentum, & lapides pretiosos. Et isti tamen & illi militent vni Regi, & super vnum fundamentum cœlestem vnam ædificēt mansionem, promissione Psalmistæ in Domino roborati, qui minora quoq; membra Ecclesiæ confortat, & dicit: Imperfectum meum viderunt oculi mei, & in libro tuo omnes scribentur.

Qui Magister & milites Papæ supplicarunt, vt sub sua protectione susciperet.

§. 2. In horum autem fidelium CHRISTI collegio, tu dilecte in Domino fili Petre Ferdinande per voluntatem Dei magisterium super alios, & prouidentiam suscepisti. Qui cum quibusdam fratrum tuorum ad præsentiam nostram accedens, cum humilitate qua decuit, à Sede Apostolica requisiti, vt vos, tanquam peculiares filios in defensionem nostram, & locum in quo caput ordinis factum fuerit, in ius & proprietatem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ recipere deberemus.

Papa ergo eos sic recipit, & eorum ordinem confirmat.

§. 3. Vnde nos deuotionem vestram & bonum in Domino desiderium attendentes, de communi fratrum nostrorū consilio, in speciales & proprios sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filios vos recipimus. Ordinem vestrum auctoritate Apostolica confirmantes præsentis scripti priuilegio communimus.

Bonorum acquisitionē & retentionē con. edit.

§. 4. Statuentes, vt quascumque possessiones, quæque bona in præsentiarum iustè & legitimè possidetis, aut in posterum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma & vobis & vestris successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Lodium & monasterium, cum cauto & pertinentiis suis. Burgum de ponte Nunij contra Lodium, cum suis pertinentiis. Crescente cum cauto & suis pertinentiis. Quintanilla de Petro Fernandez, cum cauto & suis pertinentiis. Batria cum cauto & suis pertinentiis. Lentamo, cum suis pertinentiis. Sanctum Saluatorem del Estriana, cum cauto & suis pertinentiis. Moncoot, cum cauto & suis pertinentiis. Penagosen cum suis pertinentiis. Sancta Maria de Pinel, cum suis pertinentiis. Veles, cum suis pertinentiis. Alfarella, cum suis pertinentiis. Otella cum suis pertinentiis. Mora, cum suis pertinentiis. Moraocia, cum suis pertinētiis. Decimæ de Valera, & Portadgo, cum suis pertinentiis. Estremera, cum suis pertinentiis. Alazar, cum suis pertinentiis. Almodoua, cum suis pertinentiis. Latunda, cum suis pertinentiis. Lazarza, cum suis pertinentiis. Sancimus præterea ne occasione antiquæ detentionis, siue scripturę, quisquam vobis possit auferre, quæ vltra memoriam hominum, sub Sarracenorum detenta fuor potestate, & de munificentia Principum, seu vestro studio & labore, aut iam obtenta sunt, aut in futurum, auxiliante Domino, poteritis obtinere. Cum enim vnica sit vobis intentio, & singularis cura semper emineat pro defensione Christiani nominis decertare, non solùm res, sed personas ipsas pro tuitione fratrum incunctanter exponere, plurimum posset hoc pium opus & laudabile studium impediri, si labores, & stipēdia vestra, quæ in commum proficiūt, præripiantur ab aliis; & otiosi, ac desides, atque in laboribus sitis, non quæ IESV CHRISTI, sed quæ sua sunt requirentes, emolumenta illa perciperent, quæ pro tantis laboribus, vobis, & pauperum CHRISTI vsibus sunt prouisa, dicente Apostolo, qui non laborat, non manducet.

Proprietatem eiusdem vetat.

§. 5. Inter ea sanè, quæ professionis vestræ in ordine statutum est obseruari, primum est, vt sub vnius Magistri obedientia in omni humilitate atque concordia, sine proprio viuere debeatis, illorum fidelium exemplum habentes, qui ad fidem Christianam Apostolorum prædicatione conuersi, vendebant omnia, & ponebant pretium ad pedes illorum, diuidebaturque singulis, prout cuique opus erat, neque aliquis illorum qui possederat, suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia.

Matrimoniū permittit.

§. 6. Ad suscipiendam quoque prolem, quæ in timore Domini nutriretur, & infirmitatis humanæ remedium iuxta institutionem Domini, & indulgentiam Apostoli, qui ait: Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat, & similiter mulier virum suum; qui continere nequiuerit, coniugium sortiatur, & seruet inuiolatam fidem vxori, & vxor viro, ne thori coniugalis continentia violetur. Si autem viri præmortui fuerint, & relictæ vxores quæ ordinem susceperunt, nubere voluerint, denuncient hoc Magistro, siue Commendatori, vt cum illius licentia cui mulier ipsa vult nubat, secundùm verbum Apostoli dicentis; Mortuo viro soluta esse intelligitur mulier à lege viri, cui vult nubat, tantùm in Domino. Quod etiam de viris intelligitur obseruandum, vna etenim vtrique lege tenentur.

Discessum à Religione prohibet.

§. 7. Statuimus quoque vt nullus fratrum, siue sororum post susceptionem ordinis vestri, & promissam obedientiam, vel redire ad sæculum, vel ad alium Ordinem, sine Magistri licentia, audeat se transferre, cum sint in Ordine vestro loca statuta, vt quisque districtus valeat conuersari. Discedentem verò nullus audeat retinere, sed ad Ordinem suum per censuram Ecclesiasticam, qui discesserit cogatur.

Capituli generalis tempus, & electionis Magistri generalis formam præscribit.

§. 8. Vt autem in Ordine vestro, cum maiori omnia deliberatione tractentur, statutum est inter vos, vt locus aliquis ordinetur, in quo per singulos annos in solemnitate omnium Sanctorum, generale Capitulum teneatur, & sit ibi clericorum conuentus & Prior, qui illorum, & aliorum clericorum qui de Ordine vestro fuerint, cu-

ram

ram possit babere, ac fratrum, cùm necesse fuerit, prouideat animabus. Sint autem tredecim in Ordine fratres, qui Magistro, cùm opus fuerit, in consilio, & dispositione domus assistant, & eligendi Magistri curam habeant competentem. Prior siquidem clericorum, cum Magister migrauerit de hac luce, de Domo, & Ordine, solicitudinem gerat. Cui sicut Magistro Ordinis obedientes existant, donec per prouidentiam Tredecim prædictorum fratrum magistri electio celebretur. Is (cum transitus Magistri fuerit auditus & cognitus) Tredecim illos fratres, sine dilatione aliqua conuocabit, & si quisquam eorum, infirmitate vel alia ex causa, infra quinquaginta dies adesse nequiuerit, cum aliorum consilio, qui præsentes fuerint, alium absentis loco constituet, vt Magistri electio ex aliquorum absentia minimè differatur. Illi verò Tredecim fratres (si Magister, qui pro tempore fuerit, perniciosus aut inutilis apparuerit) cum consilio Prioris clericorum, & sanioris partis Capituli, Maioribus domus corrigendi, aut etiam amouendi eum, habeant potestatem. Et, si inter eum & Capitulum emerserint quæstiones, debitum eis finem imponant, ne per aliena iudicia, vel dilabatur Ordo, vel temporalis substantia dissipetur. In nullam autem ex hoc fratres illi superbiam eleuentur, sed Magistro suo deuoti & obedientes existant. Et si quis eorum ex hac vita transierit, vel pro culpa, seu alia quacumque fuerit occasione mutandus, Magister cum consilio reliquorum maioris partis, alium loco eius substituat. In Capitulo autem, quod diximus annis singulis celebrandum, Tredecim isti fratres & Commendatores domorum, nisi euidens & magna eos necessitas detinuerit, ad statutum locum incunctanter accurrant, & communiter tractent, quæ ad profectum Ordinis, animarumque salutem, & sustentationem corporum fuerint statuenda. Vbi præcipuè ad defensionem Christianorum intendere moneantur, & districtè præcipiatur, vt in Sarracenos, non mundanæ laudis amore, non desiderio sanguinis effundendi, non terrenarum rerum cupiditate, bellum tractent, sed id tantum in pugna sua intendant, vt vel Christianos ab eorum tueantur incursu, vel ipsos ad culturam possint Christianæ fidei prouocare.

Visitatorum electionem & munus indicat.

§.9. Eligantur & tunc Visitatores idonei, qui domos fratrum per anni circulum fideliter visitent, & quæ ibi digna correctione inuenerint, aut ipsi corrigant, aut ad generale Capitulum ipsi deferant corrigenda.

Clericorum & Prioris vitam & vestitum designat.

§.10. Clerici prætereà vestri Ordinis, per villas & oppida simul maneant, & Priori, qui super eos fuerit ordinatus, obedientes existant. Et filios fratrum qui eis à Magistro fuerint commissi, instruãt scientia literarum. Et fratribus, tam in vita quàm in morte spiritualia subministrent. Induentur autem superpelliciis, & conuentum, & claustrum sub Priore suo tenebunt, & humiliter facient, quod ab ipso illis, secundùm Deum fuerit imperatum. Vbi fratres quoque, de quibus Magistro visum fuerit, conuersentur, & non sint otiosi, sed vacent orationi, & aliis operibus pietatis. Clericis verò de laboribus, & aliis bonis à Deo præstitis decimæ reddantur à fratribus, vnde libros & congrua faciant Ecclesiarum ornamenta, & in necessitatibus corporum cõuenienter sibi prouideant. Et si aliquid superfuerit, secundùm prouidentiam Magistri, in vsus pauperum erogetur.

Commendatoris munus præscribit.

§.11. Vt autem concordia charitasque inter vos seruetur, & à peccato detractionis & murmurationis cuncti debeant abstinere, qui Commendator in quolibet loco fuerit constitutus, pro facultate domus, in sanitate, & ægritudine, quodcumque opus fuerit, cum ea solicitudine ac beneuolentia subministret, vt neque in substantia parcitatem, neque in verbo amaritudinem gerere videatur.

Hospitum & indigentium curam committit.

§.12. Sit vobis præcipua cura hospitum, & indigentium, & necessaria illis pro facultate domus liberaliter conferantur.

Prælatorum venerantiam, & c. præcipit.

§.13. Exhibeatur Prælatis Ecclesiarum honor & reuerentia. Subministretur Christi fidelibus Canonicis, Monachis, Templariis, Hospitalariis, aliisque in sanctæ Religionis obseruantia positis, consilium & auxilium, quorumlibet & indigentia, si facultas fuerit, subleuetur, vt Deus in vestris glorificetur operibus, & alij qui viderint, humilitatis, & caritatis vestræ prouocentur odore.

Bonorum acquirendorum pacificam possessionem admittit, sine præiudicio Episcoporum, præterquam in Terris Sarracenorum.

§.14. Ad hæc adiiciendum decernimus, vt si locus aliquis in quo Episcopus esse debeat in vestram venerit potestatem, sit ibi Episcopus, qui cum Ecclesiis & clero suo designatos sibi redditus & possessiones, & spiritualia iura percipient. Reliqua verò cedant in vsus vestros, & in vestra dispositione, sine cuiusdam contradictione, persistant. Profectò in Parochialibus Ecclesiis, quas babent, nolumus Episcopos suo iure fraudari. Si autem in locis desertis, aut in ipsis terris Sarracenorum, de nouo Ecclesias construxeritis. Ecclesiæ illę plena gaudeant libertate: ne aliqua per Episcopos decimarum, aut alterius rei exactione grauentur. Liceatque vobis, per clericos vestros idoneos, easdem Ecclesias, cum suis plebibus gubernare, neque interdicto per Episcopos, vel excommunicationi subdantur: sed fas sit vobis, tam in maiori Ecclesia, quæ caput fuerit Ordinis, quàm in illis, aliis excommunicatis & interdictis exclusis, diuina semper officia celebrare.

Personas eorum interdici vetat.

Tu attende Conc. Trid. sess. 25. c. 12.

§.15. Prætereà, ne humanis vexationibus & calumniis, à defensione Christianorum retrahi valeatis, Apostolica auctoritate decernimus, ne personas vestras præter Legatum Apostolicæ Sedis à Latere Romani Pontificis destinatum, interdicere quisquam, & excommunicare præsumat. Quod etiam de familiis, & seruientibus vestris statuimus, qui stipendia vestra percipiunt, donec iustitiam parati sint exhibere. Nisi fortè talis fuerit culpa, ex qua ipso facto Ecclesiasticam censuram incurrant.

Ordinationes ab Episcopis denegari prohibet.

§.16. Chrisma verò, & oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, à diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, & ea gratis, & absque vlla prauitate vobis debeat exhibere. Alioquin liceat vobis quem malueritis Antistitem adire, qui nostra fultus auctoritate, quod postolatur indulgeat.

Oratoria construendi facultatem concedit.

Tu vide const. 99. Clem. vij.

§.17. Liceat prætereà vobis in locis vestris, vbi quatuor fratres, vel plures fuerint, Oratoria construere in quibus fratres, & familiæ vestræ tantùm, & diuinum audire officium, & Christianam possint habere sepulturam. Ita enim volumus necessitati vestræ consulere, vt non debeant ex hoc adiacentes Ecclesiæ iniuriam sustinere.

Celebrãdi quo tempore interdicti.

§.18. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce diuina officia celebrare.

Violenter manus in eos inicientes excommunicationi supponit.

§.19. Nihilominus præsenti decreto sancimus, vt si quis in aliquem vestrum, fratrem videlicet, vel sororem violentas manus iniecerit, excommunicationis sententiæ sit adstrictus. Et illud idem pro tutela vestra, tam in sententia quam in pœna seruetur, quod sub felicis memoriæ Papa Innocentio prædecessore nostro, de tuitione clericorum generali Concilio noscitur institutum.

Perturbari quoquomodo prohibet.

§.20. Decernimus ergo vt nulli hominum liceat, iura vel possessiones vestras temere perturbare, aut bona vestra auferre, vel ablata retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia & integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate.

Annuum Sedis Apost. recognitionem dare iubet.

§.21. Ad indicium autem huius à Sede Apostolica perceptæ liberalitatis, decem Malachinos nobis nostrisque successoribus annis singulis persolueritis.

Cõtrauenientibus pœnam imponit.

§.22. Si qua igitur secularis Ecclesiasticavè persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentauerit, secundò, tertiove monita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione reuocauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini nostri Redemptoris Iesv Christi aliena sit, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat.

Benefactoribus pacem indicat.

§.23. Cunctis autem vobis vestra iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesv-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Vias tuas Domine demonstra mihi.

Papa subscriptio.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episc.

Ego

Cardinalium subscriptiones.

Ego Gualterus Galnam Episcopus.
Ego Ioannes Presbyter Cardinalis SS. Ioannis & Pauli tituli Pammachij.
Ego Ioannes Presbyter Cardinalis tit. S. Anastasiæ.
Ego Albertus Presb. Card. tit. S. Laurentij in Lucina.
Ego Basso Presb. Card. S. Pudentianæ tit. Pastoris.
Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.
Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Sabinæ.
Ego Iacinthus Diaconus Card. S. Mariæ in Cosmedin.
Ego Corditio Diaconus Card. S. Theodori.
Ego Cynthius Diaconus Card. S. Adriani.
Ego Vitellus Diac. SS. Sergij, & Bachi.
Ego Laborans Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.
Ego Rainerius Diac. Card. S. Georgij ad Velabrum.
Ego Vivianus Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.

D. P. An. 16. die 3. Iulij.

Dat. Ferentin. per manum Gratiani S.R.E. Subdiaconi, & Notarij, tertio Nonas Iulij, Indictione octaua, Incarnationis Dominicæ anno 1175. Pontificatus verò D. Alexandri Papæ III. Anno sextodecimo.

VI. Approbatio Ordinis Monachorum S. Basilij magni, in Monasterio S. Saluatoris Messanensis, in Prouincia Siciliæ, omniumque largitionum Regis Rugerij.

Huius Ordinis statuta quadam vide infrà const. 26. Eug. iv. Inter curas; Exemptiones & gratias vide const. 4. Calix. iij. Vrget. & Gregor. xiij. const. 58. Benedictus. Hunc ordinem sub vnius Abbatis generalis regimine reduxit Greg. prædictus ibidem. Ac de eorum habitu in d. const. Greg. Et de erectione Nouitiatuum in Italia, inspice Clem. 8. const. 50. Cum ad.

Congregatio autem Reformatorum Monachorum fuit instituta, cuius ordinationes vide in Clem. 8. const. 103. Altissimi.

Edita, A.D. 1175.

ALEXANDER EPISCOPVS, Onuphrio Archimandritæ S. Saluatoris Messanensis eiusque fratribus, tam præsentibus, quam futuris Regularem vitam professis in perpetuum.

Exordium.

APostolicæ Sedis, cui, quanquam immeriti, prouidente Domino præsidemus, auctoritate debitoque nostri officij cõpellimur, viros Religiosos sincera charitate diligere, & ne cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à suo proposito reuocet, aut robur, quòd absit, sacræ Religionis infringat, Apostolico ipsos præsidio communire.

Susceptio Monasterij S. Saluatoris Messanensis sub protectione Sedis Apost.

§. 1. Ea propter precibus charissimi in Christo filij nostri GG. Illustris Siciliæ Regis, benignius inclinati, & vestris postulationibus fauore gratuito annuentes, præfatum Monasterium, in quo diuino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

Approbatio Ord. & Regula S. Basilij.

§. 2. In primis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secũdùm Deum & B. Basilij Regulam, quæ in eodem Monasterio antiquitus instituta esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Approbatio largitionum Regis Rugerij.

§. 3. Præterea, quascumque possessiones, quæcumque bona, quascumque obedientias, & Abbatias Rex Rugerius recol. mem. eidem Monasterio per priuilegium suum, Bulla aurea cõmunitum, concessit, omnem quoque honorem, dignitatem, consuetudines, & quicquid aliud vobis vestrisque Successoribus contulit, sicut in priuilegio suo pleniùs continetur, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant.

Enumeratio aliquorum locorum, in Sicilia, & Calabria.

§. 4. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. In Sicilia quidem obedientias has. Ecclesiam S. Leonis de Messana, Ecclesiam S. Stephani de Messana; Ecclesiam S. Nicolai de Ysc; Ecclesiam S. Ioannis de Psichro; Ecclesiam S. Nicolai de Pelleta; Ecclesiam S. Mercurij de Trama; Ecclesiam S. Nicolai de Canneto; Ecclesiam S. Nicandri de S. Neio; Ecclesiam S. Barbati de Menna; Ecclesiam S. Iacobi de Calo, Ecclesiam S. Matthæ de Mallimacho, Ecclesiam S. Petri de Largo Flumine; Ecclesiam S. Veneris de Venillis; Ecclesiam S. Theodori de Insula Milasij; Ecclesiã SS. Annæ, & Nicolai de Monte Fori; Ecclesiam S. Georgij de Troilo; Obedientiam de Agro, Obedientiam de Salice. In Calabria autem obedientias has; Ecclesiam S. Pancratij de Ebriatico; Ecclesiam S. Theodori de Nicoteta; Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani; Ecclesiam S. Nicolai de Droso, Ecclesiam S. Viti cum tenimentis de Buzano; Ecclesiam S. Ierusalem; Ecclesiam S. Canonis; Ecclesiam S. Ioannis de Frulluzano; Obedientiam de Catuna; Obedientiam de Kecusilli cum terria Argilli; Obedientiam de Tuchi cum omnibus pertinentiis & tenimentis eorum. Monasteria autem in Sicilia hæc. Monasterium S. Richardi de Messana; Monasterium S. Saluatoris de Presbytero Scolario; Monasterium S. Mariæ de Massa; Monasterium S. Philippi de Messana; Monasterium S. Petri de Giuala, Monasterium S. Petri de Agro; Monasterium S. Saluatoris de Placa; Monasterium S. Eliæ de Embola; Monasterium S. Basilij de Traina; Monasterium S. Philippi de Demanna; Monasterium S. Pancratij; Monasterium S. Angeli de Brolo; Monasterium S. Mariæ de Gala; Monasterium S. Georgij de Gipso. In Calabria verò Monasterium S. Eliæ noui; Monasteriũ S. Ioannis de Laurea; Monasterium S. Fantini, Monasterium S. Pancratij de Salla, cum omnibus obedientiis eorum.

Authoritas Archimãdritæ instituendi Abbates in dictis locis.

§. 5. In supradictis siquidem Monasteriis omnibus, debes tu fili Archimandrita ac tui post te Successores, Abbates instituere, consilio & consensu qui in eis fuerint Monachorum. Et si quis Abbatum indignus fuerit, Abbatia cui præest, tu illum & tui Successores iustè & canonicè amouere debetis, & alium substituere in loco eius, quem dignum præuideritis, iuxta Dei timorem & Regulam Monasterij vestri.

Iudicandique de Monachis & Laicis tam in temporalibus, quam spiritualibus.

§. 6. Liceat quoque vobis in supradictis omnibus Monasteriis, & Obedientiis examinare & iudicare Abbates, Monachos, & Laïcos eorum, tam de spiritualibus, quam temporalibus, & causas eorum iustè, & canonicè definire. Ipsi verò tibi tuisque Successoribus debent obedientiam, & reuerentiam debitam exhibere, tanquam Patri & Archimandritæ eorum, & iustitias vobis soluere constitutas.

Licentia acquirendi quæcumque bona, de quibus ctiã sive hic enunciatus Archiepisc. Messanensi est persoluendus.

§. 7. Ad hæc, quascumque possessiones, quæcumque bona, tam de piscationibus, oliuetis, nemoribus, molendinis, terris, vineis, canneris, & pomariis, quàm de hominibus, & quibuscumque aliis, idem Monasterium in præsentiarum vbique iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, ipsa vobis, & ipsi Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus. Eo tenore quod Messanensi Archiepiscopo & Successoribus eius, tam tu fili Archimandrita, quàm Successores tui, viginti solidos, centum libras ceræ, viginti incensi, & totidem cadosæ, olei, pro censu annuatim soluere debeatis.

Exemptio à Decimis. Vnde qua notatur in const. 4. Calist. iij. Vrget.

§. 8. Sanè noualium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de quibuscumque aliis prouentibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis vel ab hominibus vestris, decimas exigere vel extorquere præsumat.

Licentia aliqs recipiendi.

§. 9. Liceat quoque vobis, Clericos, vel Laicos, liberos & absolutos è sæculo fugientes, ad Monasterium vestrum recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibitio discedendi à Religione.

§. 10. Prohibemus insuper vt nulli fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro professionem, fas sit de eodem loco, nisi arctioris Religionis obtentu, absque Archimandritæ sui licentia discedere. Discedentem verò absque communium literarum cautione nullus audeat retinere.

Prohibitio de Monasterium & eius membra interdicendi.

§. 11. Prohibemus etiam, vt nullus ipsum Monasterium interdicere audeat, vel Monasteria, aut obedientias eius, seu homines eorum.

Confirmatio antiquarum immunitatũ.

§. 12. Libertates quoque & immunitates antiquas, & rationabiles consuetudines Monasteriis vestris concessas & hactenus obseruatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere censemus.

§. 13. Ob

Electio Archimandr. ca ad Fratres d. Monasterij spectat.

§.13. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Archimandrita, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem Fratres Monasterij, communi consensu, vel fratrum maior pars consilij sanioris secundùm Dei timorem, & Monasterij Regulam, de se ipsis prouiderint eligendum.

Prohibitio perturbandi d. Monast.

§.14. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat, præfatum Monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu qoibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia & integra conseruentur; eorum pro quorum gubernatione, & sustẽtatione concessa sunt, rebus (aliàs vsibus) omnimodis profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Messanẽsis Archiepiscopi, sicut suprà dictum est anouo censu.

Sanctio pœnalis in perturbatores.

§.15. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisvè persona, præsentis constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò tertióve commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei, ac Domini Redemptoris nostri IESV-CHRISTI aliena fit, atque in extremo examine districtè vltioni subiaceat.

Benedictio pro fautoribus.

§.16. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri IESV CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.

Dat. P. A. 17. die 21. Oct.

Dat. Anagniæ per manum Gratiani S.R.E. Subdiaconi, & Notarij, 14. Kalendas Nouembris, Indictione 9. Incarnationis Dominicæ 1175. Pontificatus verò D. Alexandri Papæ III. An. 17.

VII. Approbatio Ordinis Fratrum Carthusianorum, cum elargitione gratiarum.

Aliis hic Ordo priuilegiis donatus fuit, quorum aliqua vide infrà in const. 3. Honor. III. cum dilecti. Greg. IX. const. 3. Quoties Vrb. V. const. 2. Sincera. Et signanter exemptionem à iurisdictione Ordinariorum & aliorum concessit Bonif. IX. in const. 3. Sacrosancta. Et exemptionem à decimis dedit Mart. V. in const. 4. Fons.

Huius Ordinis obedientia perpetuò esse debet sub Priore Maioris domus Carthusiæ, & Definitorum Capituli generalis, ex const. 17. Iulij II. Dum ad fructus.

Priuilegia omnia, indulta, exemptiones, & gratiæ tàm in spiritualibus, quam in temporalibus concessa, & concedenda quibusuis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinibus communicauit huic Ordini Greg. XV. in const. Ad vberes 42. inf. tom. 4. Et S. Brunonis Confessoris dicti Ordinis Fundatoris Festiuitatem sub ritu semiduplici die 6. Octob. vbique terrarum celebrandam instituit idem Greg. dicto tom. 4. constit. 44. Domini nostri.

Edita An. D. 1176.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Guidoni Priori Carthusien. eiusque Fratribus tàm præsentibus, quàm futuris in perpetuum, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CVm vos per Dei gratiam, multa promereatis gloria meritorum, & vitam solitariam eligentes, diuinæ contemplationi arctius intendatis, bonus odor Religionis vestræ id ad nos induxit, vt communi, & speciali debito, quieti vestræ debeamus intendere, & iura vestra Summopere conseruare.

Confirmatio Ordinis.

§.1. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clemẽter annuimus, vestramque & alias domos Ordinis vestri, cum omnibus bonis, pascuis, & possessionibus, quas in præsentiarum iustè, & canonicè possidetis, aut in futurum iustis modis, præstante Domino poteritis adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, & terminos, quos rationabiliter statuistis vobis, & domibus vestris auctoritate Apostolica confirmamus.

Prohibitio Ordinis perturbationis.

§.2. Ad hæc, auctoritate Apostolica arctius interdicimus, & sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis infra terminos vestros, vel domorum vestrarum, hominem capere, furtum, seu rapinam committere, vel homicidium facere audeat, aut homines ad domos vestras venientes, vel ab eis redeuntes, quomodolibet perturbare, vt ob reuerentiam Dei & locorum vestrorum infra hos terminos, non solum vos, & fratres vestri, sed etiam alij plenam pacem habeant, & quietem.

Aly Religiosi nihil prope loca d. Ordinis acquirant.

§.3. Adiicientes quoque statuimus, vt infra dimidiam leucam, à terminis possessionum, quas habetis nulli Religioso liceat, quodlibet ædificium constituere, vel possessiones acquirere.

Nemo Ordini inferat molestiam.

§.4. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat, vos super possessionibus, vel pascuis vestris, temerè perturbare, aut super his vobis molestiam, vel grauamen inferre, vel eas ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed illibata omnia, & integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate.

Alioquin pœnis hic indicatis subiaceat.

§.5. Si qua igitur in futurum, Ecclesiastica, Sæcularisvè persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò tertióve commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione, correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri IESV-CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat.

Pax autem fautoribus Ordinis datur.

§.6. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri IESV-CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Papa subscriptio. Cardinalium subscriptiones.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus subscripsi.
Ego Ioannes SS. Ioannis, & Pauli Presb. Card. subscr.
Ego Albertus Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentij in Lucina subscripsi.
Ego Ruot. Presb. Card. S. Petri ad Vincula subscripsi.
Ego Boso Presb. Card. S. Prudentianæ subscripsi.
Ego Ioannes Presb. Card. tit. S. Marci subscripsi.
Ego Theodinus Presb. Card. tit. S. Vitalis subscripsi.
Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Cæciliæ subscripsi.
Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Susannæ subscripsi.
Ego Hyacinthus S. Mariæ in Cosmedin. Diaconus Cardinalis subscripsi.
Ego Cinthius Diac. S. Adriani subscripsi.
Ego Hugo Cardinalis Diac. S. Eustachij iuxta templum Agrippæ subscripsi.
Ego Laborans Diac. Card. S. Mariæ in Porticu subscripsi.
Ego Raynerius Diaconus Card. S. Georgij ad Velum aureum subscripsi.

Dat. P. A. 17. die 2. Sept.

Dat. Anagniæ per manum Gratiani S.R.E. Subdiaconi, & Notarij, quarto Non. Septembris. Indictione nona, Incarnationis Dominicæ Anno 1176. Pontificatus verò D. Alexandri Papæ III. Anno 17.

VIII. De pace cum Friderico Imperatore Venetiis inita, eiusque absolutione.

Easdem ferè literas hic idem Pontifex ad Petrum Abbatem Casinensem, & Capuanum Archiepiscopum sub die 24. huius mensis Iulij conscripsit. Et alias eiusdem Exempli ad Richardum Cantuariensem Episcopum, eiusque suffraganeos direxit. Sed eas vti huic similes prætermisi.

Edita An. D. 1177.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus Rogero Eboracensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, & Hugoni Dunelmensi Episcopo; Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Certioratio felicis successus Pacis.

EXigunt gratissimæ deuotionis obsequia, quæ nobis & Ecclesiæ tam deuotè, quàm laudabiliter exhibuisse noscimi

noscimini, vt felices successus Ecclesiæ vobis, sicut specialibus & deuotis Ecclesiæ filiis spiritualibus deseribamus, cum dignum sit & cōueniens, & honestum, vt quos ita habuimus in nostra deuotione firmos, & stabiles, de prosperitate nostra, & ipsius Ecclesiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vna nobiscum gratias Omnipotenti Deo, qui habitat in altissimis, & humilia respicit de supernis, de cuius munere venit, vt sponsa sua Sacrosancta Ecclesia diu & grauiter procellosis fluctibus, & validissima tempestate quassata, nunc tandem portum salutis attigerit, & pacatis sæuientibus procellis, debita & desiderata tranquillitate Letetur.

Qua die 21. Iulij firmata fuit cū Principibus Frederici Imperatoris.

§. 1. Sanè duodecimo Kalendas instantis mensis Augusti, de mādato charissimi in Christo filij nostri, Friderici Illustris Romanorum Imperatoris, præsentibus Principibus Ecclesiasticis, & etiam Sæcularibus Theuthonici Regni, publicè in anima eius, in præsentia nostra, coram innumerosa hominum multitudine præstiterunt, tactis Sacrosanctis Euangeliis, iuramentum, quod postquam idem Imperator venit Venetias, omni quæstione, & contradictione sopita, pacem Ecclesiæ, sicut per fratres nostros & Principes suos disposita est & tractata, & pacem charissimi in Christo filij nostri Vuillelmi Illustris Siciliæ Regis, vsque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum, vsque ad sex annos, in anima sua, & etiam à Principibus suis faceret, sicut in scripto pacis, & treguæ continetur, iuramento firmari. Et Principes Teuthonici Regni, scilicet Venerabiles fratres nostri Magdeburgensis, Coloniensis, & Christianus dictus Moguntinus Archiepiscopi, & quidam alij in anima sua pro se iurare fecerunt.

Et die 24. idē Imp. Schismati renunciauit, & absolutus fuit.

§. 2. Nono verò Kal. Augusti præfatus Imperator, sicut tractatum fuerat & dispositum, venit ad Ecclesiam B. Nicolai, quæ per vnum milliare distat à Venetiis, & ibi tā ipse, quàm Archiepiscopi, Episcopi, & alij Principes Teuthonici Regni abrenuntiantes Schismati, per fratres nostros Episcopos & Cardinales de mādato nostro, præsētibus quibusdam aliis absolutionis beneficium meruerūt.

Obedientiamque hunc Sūmo Pontifici exhibuit.

§. 3. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante Ecclesiam B. Marci prædictus Imperator, innumera multitudine virorum, & mulierum præsente, & alta voce reddente gratias & laudes Altissimo, nobis sicut Summo Pontifici obedientiam, & reuerentiam humiliter & reuerenter exhibuit, & recepto à nobis pacis osculo, nos deuotè dextrauit, & cùm reuerentia qua decuit, & deuotione, vsque ad altare in Ecclesiam introduxit.

Ac subseq. die 25. Idem Pōtifex solemniter Missam celebrauit, & Imperator astitit, & reuerentiā præstitit.

§. 4. Sequenti vero die, in Festo B. Iacobi, ab eodem Imperatore rogati, ad prædictam Ecclesiam S. Marci solemnia celebraturi Missarum accessimus. Et nobis illuc venientibus præfatus Imperator extra Ecclesiam obuiam venit, & dextro latere nostro deuotè suscepto, nos in Ecclesiam introduxit. Et peractis Missarum solemniis, nos vsque ad ipsius Ecclesiæ portam dextrauit. Et cùm ascenderemus palefredum nostrum ibi paratum, stapham tenuit, & omnem honorem & reuerentiam nobis exhibuit, quam prædecessores eius nostris consueuerunt antecessoribus.

De ea ergo zelatores Domus Dei congaudere.

Deoque gratias agere debent.

§. 5. Erit itaque sollicitudinis vestræ, nobis & Ecclesiæ in prosperis successibus congaudere, & effectum pacis aliis deuotis Ecclesiæ filiis aperire, vt hi quos zelus Domus Domini tangit, de pacis munere diuinitus dato, in Domino gaudeant, & exultent.

Dat. Venetiis in Riuoalto, 7. Kalend. Augusti.

Dat. P. A. 18. die 26. Iulij.

IX. Indictio XI. Sacri & Generalis Concilij Lateranensis III. post Anno 1179.

Edita An. D. 1178.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Pisano Archiepiscopo, & vniuersis Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus per Tusciam constitutis. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Hic Pontifex ob causas his enunciatur.

QVoniam in agro Domini, qui est Ecclesia, tanquam spinæ & tribuli nascuntur quotidie, & pullulāt germina vitiorum, cum videlicet, quia proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua, tum quia inimicus homo de malitia sua, zizania superseminare non cessat, & germen bonum nititur suffocare, necesse est diligentiam adesse cultorum, & nunc euellere & amputare iam nata, nunc etiam nascituris nociuis grauaminibus * proficiendi aditum obserare; subsequenter autem, & inserere fructiferum germen, & seminare semen bonum, quod trigesimum, sexagesimum, & centesimum fructum secundante Deo possit afferre. Nam & hæc, verba illa dominica sonare videntur, quibus Hieremiam Prophetam, & in eo Euangelicum Sacerdotem instruxit dicens: Dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Id autem licèt vniuersis Ecclesiarum Rectoribus incumbat, multo tamen fortius imminet Romanæ Vrbis Antistiti, qui à Domino IESV CHRISTO, vt caput esset Ecclesiæ in B. Petro accepit, & de pascendis Dominicis ouibus, & fratribus confirmandis, expressum & speciale noscitur habuisse mandatum.

* *germinibus.*

Ad emendationē & respectiue profectum Christifidelium.

§. 1. Inde siquidem est quòd nos, licet insufficientes meritis, ad prouidentiam Apostolicæ Sedis, & Ministerium vniuersalis Ecclesiæ à Deo, quo (vt ipsi placuit) disponente vocati, quia in Ecclesia Dei correctione videmus quamplurima indigere, tam ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quàm ad promulganda, quæ saluti fidelium visa fuerint expedire, de diuersis partibus personas Ecclesiasticas decreuimus euocandas. Quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria statuantur, & quod bonum secundùm consuetudinem antiquorum Patrum prouideatur, & firmetur à multis. Quod si particulariter fieret, non facile posset plenum robur habere.

Indicit Concilium Lateran. generale, in futura Quadragesima celebrandum.

§. 2. Quocirca per Apost. vobis scripta mandamus, qualiter huic nostræ dispositioni plenis desideriis cooperari curetis, & prima Dominica aduenientis Quadrages. ad Vrbem Romam, ducente Domino veniatis, vt cooperante S. Spiritus gratia; tum in corrigendis enormitatibus, tum in statuēdis, quæ Deo grata fuerint, communi studio, quod fuerit agendum agatur, & vno humero sublenemus Arcam Domini, atque vno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri IESV CHRISTI.

Dat. Tusculi, vndecimo Kalend. Octob.

Dat. P. A. 19. die 21. Octob.

LVCIVS TERTIVS PONT. CLXXIII. ANNO DOMINI MCLXXXI.

LVcius III. Lucensis, Hetruscus, Vbaldus Allucingolus, Bonagiuntæ Mordi filius, ex Canonico Lucensi, Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis ab Innoc. II. & Episcopus Ostiensis & Veliternus ab Hadriano IV. factus, Creatus Romæ quart. Kalend. Septembris, & coronatus 3. Kalend. anno 1181. Sedit annos quatuor, menses duos, dies 28. Creauit Cardinales 15. Obiit Veronæ 7. Kalend. Decembris 1185. Corpus eius in Cathedrali Ecclesia sepultum. Non vacauit sedes.

VRBANVS TERTIVS PONT. CLXXIV.
ANNO DOMINI MCLXXXV.



VRbanus III. Mediolanensis, Lambertus Cribellus anteà vocatus, Ioannis Cribelli filius, Ecclesiæ Mediolanensis Archidiaconus, mox Presbyter Cardinalis ab Alexandro III. factus, creatus Veronæ 7. Kalend. Decemb. & coronatus 8. Kalendas Ianuarij 1185. Sedit annum 1. menses 10. dies 25. Creauit Cardinales duos. Obiit Ferrariæ 14. Kalendas Nouembris, anno 1187. cuius corpus in Cathedrali Ecclesia Ferrariensi sepultum est. Vacauit sedes diem vnum.

I. Approbatio Ordinis Fratrum Cruciferorum, in Hospitali Ciuitatis Bononiæ.

Hunc Ordinem à B. Cleto institutum, & ab Alex. III. dudum fuisse reformatum, inquit Greg. XIV. infr. in eius const. 13. Romanus, vbi ipsius priuilegia confirmauit, & gratias Ordinum Mendicantium concessit. Sed nec d. Alex. III. nec Pij II. qui habitum coloris cærulei eidem Ordini dedit, constitutiones, pacto aliquo inuenire potui. Reformauit Ordines Pius V. multis de antiquo eius statu relatis, vt inf. in eius const. 59. Nihil. Et ambitum interdixit Clem. VIII. in const. 109. Quoniam.

Edita A. D. 1187.

VRBANVS EPISCOPVS, &c. Dilectis filiis Ben. Magistro & Fratribus Cruciferis, Hospitalis Domus Bononiensis tam præsentibus, quam futuris, communem vitam ducentibus in perpetuum.

Approbatio Ordinis Cruciferorum, in Ecclesia Hospitalis Bononia.

CVM Antecessor tuus fili Prior à prædecessore nostro fel. mem. Alexandro Papa lapidem primarium ad Ecclesiam construendam accepetit, in territorio Bononiẽsi vbi domus vestra nunc constructa dignoscitur, nos vestris postulationibus inducti, eamdem Ecclesiam in qua diuino estis & pauperum obsequio mancipati, in ius & proprietatem B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, vt quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia vestra cum hospitali in præsentiarum, iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum hospitale, & Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis.

Exemptio à solutione decimarum.

§. 1. Sanè noualium vestrorum, quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, siue de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Licentia recipiendi ad Relig.

§. 2. Liceat quoque vobis personas liberas, & absolutas, è sæculo fugientes, ad conuersionem & pauperum Christi seruitium recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere.

Attende const. 72. Sixt. V. Cum de.

Prohibitio molestandi Fratres Cruciferos.

§. 3. Inhibemus autem ne aliqua Ecclesiastica, sæcularisuè persona, in domum vestram quemquam intrudere, aut aliquem fratrum vestrorum de ipsa domo audeat ejicere violenter. Clerici etiam, qui ad domos vestras ordinati fuerint, & assumpti, nulli alij, quam tibi, fili Prior, præstare obedientiam compellantur. Prohibemus insuper ne cui liceat vos, aut domos vestras interdicto, vel excommunicationi, sine manifesta & rationabili causa, & legitima citatione subiicere. Præsenti pagina decernentes, vt nullus Ecclesiarũ Prælatus à domibus vestris quicquam exigere, præter libram ceræ, audeat, vel etiam extorquere. Saluis censibus illis, qui nunc in quibusdam domibus vestris constituti sunt de consensu Episcoporum annuatim percipiendi.

Licentia fabricandi Cœmeteria, &c.

Ad hoc attende const. 90. Clem. VIII. Quoniam.

§. 4. Nihilominus etiam vobis duximus indulgendum, vt in domibus vestris, vbi tot fratres assiduè commorantur, quibus sit Ecclesia necessaria, liceat vobis Oratoria erigere, & Cœmeteria fabricare. Quorum sepulturam liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Chrisma, & alia Sacramenta ab Episcopo recipiendi.

§. 5. Chrisma quoque, Oleum sanctum, Dedicationes Ecclesiarũ, Ordinationes Clericorum, qui ad sacros fuerint ordines promouendi, & cætera Ecclesiastica Sacramenta à quocumque malueritis Catholico recipiatis Episcopo, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur impendat.

Annua præstationis designatio, pro Sede Apost.

§. 6. Ad indicium autem quod eadem domus vestra, specialiter B. Petri existat, duodecim imperiales nostrisque successoribus annis singulis persoluatis.

Sanctio pœnalis in perturbatores.

§. 7. Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam, & hospitale temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integrè conseruentur, eorum pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisvè persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertióve commonita, nisi reatũ suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reúmque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris Nostri IESV-CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat.

Benedictio in benefactores.

§. 8. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus pax Domini nostri IESV-CHRISTI, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia pacis inueniant. Amen.

Ad te Domine leuaui animam meam.

PP. subscriptio.

Ego Vrbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Henricus Albanen. Episcopus.
Ego Paulus Prænestinus Episcopus.
Ego Theobaldus Hostien. & Velletren Episcopus.

Card. subscriptiones.

Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Susannæ.
Ego Laborans Presbyter Cardinalis S. Mariæ Trans Tiberim tit. S. Calisti.
Ego Pandulphus Presb. Card. tit. XII. Apostolorum.
Ego Melior Presb. Card. SS Io. & Pauli tit. Pamachij.
Ego Adelardus tit. S. Marcelli Presb. Card.
Ego Iac. Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.
Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.

Ego

Ego Roland. S. Mariæ in Porticu Diac. Card.
Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tullian. Diac. Card.
Ego Rad. S. Georgij ad Velum aureum Diac. Card.

Dat. Veronæ per manum Moysi Lateranen. Canonici, Vicegentia Cancellariæ 7. Kalendas Aprilis, Indictione quinta, Incarnationis Dominicæ Anno 1187. Pontificatus verò D. Vrbani Papæ III. Anno Secundo.

GREGORIVS OCTAVVS PONT. CLXXV. ANNO DOMINI MCLXXXVII.



GRegorius VIII. Beneuentanus, Albertus anteà dictus, Sertorij à Mora alias Spanadrionis filius, Monachus Ordinis S. Benedicti, Vigesimus Papa Regnicola, Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentij in Lucina, Creatus Ferrariæ 13. Kalend. & coronatus 8. Kalend. Nouembris 1187. Sedit mensem vnum, dies 27. non creauit Cardinales. Obiit Pisis 18. Kalend. Ianuarij 1187. & in Cathedrali Ecclesia Pisana sepultus est. Vacauit sedes dies 20.

I. Indictio belli, & Cruciatæ pro recuperatione Terræ Sanctæ Hierusalem, cum indultis, & Indulgentiis pro Cruce signatis ad illud proficiscentibus. Et cum præcepto ieiunij hac de causa seruandi.

Simile bellum indixit Vrban. II. & seq. anno sub Cælestino I. liberata fuit Hierusalem Anno 1099. Et cùm Saladinus Paganorum Dux hoc anno 1187. eam expugnasset, sæpius tentata fuit posteà eius recuperatio, vt hic legitur, & in constit. 12. Innoc. 3. Ad liberandam.

Prout anteà de eius defensione egerat Eugenius 3. hic sup. in eius const. 3. Quantum pag. 58. Et tandem pro eius recuperatione generale Concilium Viennense conuocauit Clemens V. inf. in eius const. 1. Regnans.

Edita, A. D. 1187. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus ad quos litera ista peruenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Excidium Hierusalem lachrymosa recensit. §. 1. AVdita tremendi seueritate Iudicij, quod super terram Hierusalem diuina manus exercuit, tanto sumus Nos & fratres nostri horrore confusi, tantisque afflicti doloribus, vt non facilè nobis occurreret, quid agere, aut quid facere deberemus, nisi quod Psalmista deplorat, & dicit: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, inquinauerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ, & escas volatilibus cæli, &c. Ex occasione quippe dissensionis, quæ malitia hominum ex suggestione diaboli facta est nuper in terra, accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas, & occurrentibus eis Rege, & Episcopis, Templariis, & Hospitalariis, Baronibus ac militis cum populo terræ, & Cruce Dominica (per quam ex memoria & fide passionis Christi qui pependit, & genus humanum redemit, certum solebat esse tutamen, & contra Paganorum incursus desiderata defensio) facta congressione inter eos, & superata parte nostrorum, capta est Crux Dominica, trucidati Episcopi, captus est Rex, & vniuersi ferè aut occisi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi, ita vt paucissimi per fugã dicantur elapsi, ipsi quoque Tẽplarij, & Hospitalarij in eius oculis decollati. Superato autem exercitu, qualiter subsequenter inuaserint & rapuerint vniuersa, ita vt non nisi pauca loca remansisse dicantur quæ in eorum non deuenerint potestatem, non credimus nostris literis explicandũ. Nos autem licet cum Propheta dicerẽ habeamus: Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo nocte ac die interfectos populi mei; Non tamen adeò nos deiicere debemus, vt in diffidentiam decidamus, & credamus Deum ita populo suo iratum, vt quod, communium faciente multitudine peccatorum fieri permisit iratus, non citò per misericordiam pœnitentia placatus alleuiet, & post lacrymationem & fletum, exultationem inducat. Quisquis sanè in tanta lugendi materia si non corpore, saltem corde non lugeat, non tantum fidei Christianæ (quæ cum omnibus dolentibus docet esse dolendum) sed ipsius & humanitatis nostræ oblitus, cum ex ipsa periculi magnitudine, ac feritate barbarica, Christianorum sanguinem sitiente, ac totam suam in hoc apponente virtutem, vt prophanare sancta, & titulum Dei valeant auferre de terra, quod nos tacemus, discretus quisque valeat æstimare. Sanè cum Prophetæ toto prius studio laborauerunt, postmodum Apostoli & sequaces eorum, vt diuinus cultus esset in terra illa & ad omnia climata Mundi ex ea deflueret, imò quod maximum & ineffabile est, Deus qui voluit incarnari, per quem facta sunt vniuersa, per ineffabilem sapiẽtiam, & incõprehensibilem misericordiam suam, per infirmitatem carnis, esuriem, sitim, crucem, & mortem, & resurrectionem, salutem nostram ibi voluit operari, iuxta quod dicitur: Qui operatus est salutem in medio terræ, per seipsum ad hoc dignatus est laborare, nec lingua dicere, nec sensus cogitare potest, quantũ nobis, & vniuerso dolendum sit populo Christiano, quod id nunc perpessa est terra illa, quod sub veteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus, quòd ex iniustitia Iudicis ferientis, sed ex iniquitate potius populi delinquentis, ista promouerunt, cùm legamus, quod quandò populus conuertebatur ad Dominũ, persequebatur vnus mille, & duo fugabant decẽ millia; imo ipso populo quiescente, exercitum Sennacherib, Angelica manu consumptum. Sed & terra illa deuorauit habitatores suos, nec diu habere quietum statum, nec transgressores legis diuinæ potuit retinere, doctrinam & exemplum tribuens illis, qui ad cælestem Hierusalem intenderent, quod non possunt ad eam nisi per exercitium boni operis, & per tentationes plurimas peruenire. Potuerunt aut ista teneri iampridem, quando Arroasia & alia terra in potestatem transiit Paganorum, & fuisset benè prouisum, si populus qui remansit ad pœnitentiam rediisset, & Deum quem præuaricatione offenderat conuersione placasset. Nec enim subitò venit ira eius, sed & vltionem differt, & tempus tribuit pœnitenti, tandem verò qui in misericordia iudicium non amittit, vindictam suam, ad pœnam transgredientium & cautelam saluandorum exercet.

Hortatur Christi fideles ad pœnitentiam, & ad recuperationem Terræ Sanctæ. §. 2. Porrò nos, qui in tanta terræ illius contritione, non solùm peccatum habitatorum illius, sed & nostrum & totius populi Christiani debemus attendere, ac vereri, ne quod reliquum est illius terræ depereat, & in alias etiam potestas eorum desæuiat regiones, cum ex omnibus partibus inter Reges, & Principes, Ciuitates

& Ciuitates dissensiones audiamus,& scandala,& lugere cum Propheta,& dicere valeamus: Non est veritas,non est scientia Dei in terra,mendacium, homicidium,& adulterium inundarunt, & sanguis sanguinem tetigit. Vnde hoc vniuersis & cogitandum imminet & agendum, vt peccata nostra castigatione voluntaria emendantes, per pœnitentiam & opera pietatis conuertamur ad Dominum Deum nostrum,& in nobis primò quod malè gestimus emendemus; deinde feritatem & malitiam hostium attendamus, & quod illi contra Deum attentare non timent,nos pro Deo agere nullatenus hæsitemus. Cogitate itaque filij, qualiter in hunc mundum venistis, & qualiter exituri estis,& qualiter transeant vniuersa, & pariter transeatis & vos, ac pœnitendi, ac bene agendi tempus quantùm spectat ad vos,cum gratiarum actione recipite, & date vestra,date post vosipsos, quia non estis ex vobis, nec quicquam à vobis habetis, qui nec pulicem vnum potestis facere super terram. Nec dicimus dimittite, sed præmittite in cæleste horreum,quæ habetis, & deponite apud eum,apud quem ærugo ea non demolitur,aut tinea, nec fures effodiunt, & furantur,laborantes ad recuperationem Terræ illius in qua pro salute nostra veritas de terra orta est,& sustinere pro nobis Crucis patibulum non despexit,& nolite ad lucrum, vel gloriam temporalem attendere,sed voluntatem Dei, qui pro fratribus animas in se ipso docuit esse ponendas,& ei vestras commendate diuitias, quas siue volentes siue nolentes, nescitis tandem quibus hæredibus sitis relicturi. Non est equidem nouum, quòd terra illa iudicio diuino percutitur, sed nec insolitum, vt flagellata, & castigata, misericordiam consequatur. Poterat Dominus quidem sola eam voluntate seruare,sed non habemus ei dicere cur ita fecerit, voluit enim forsitan experiri,& in notitiam ducere aliorum, si quis sit intelligens,aut requirens Deum,qui oblatum sibi pœnitentiæ tempus,hilariter amplectatur,& animam ponendo pro fratribus,consumetur in breui, & compleat tempora multa. Attendite qualiter Machabæi zelo diuinæ legis accensi pro fratribus liberandis extrema quæque pericula sunt experti,& non solùm substantias,sed & personas pro fratrum docuerint salute ponendas, & hortantes se ipsos, atque dicentes: Accingimini, & estote filij potentis,quoniam melius est nobis mori in bello , quàm videre mala gentis nostræ,& sanctorum. Et quidem illi sub vna constituti lege fuerunt,vos per incarnationem Domini nostri IESV-CHRISTI ad lucem veritatis adducti, & multis exemplis instructi Sanctorum sine trepidatione aliqua faciatis, & non timeatis dare terrena,& pauca,& breuiter duratura,quibus illa bona promissa sunt,& reposita, quæ nec oculus vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis ascendunt , & de quibus dicit Apostolus , quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Indulgentias illis elargitur.

§. 3. Eis autem, qui corde contrito, & humiliato spiritu,itineris huius laborem assumpserint,& in pœnitentia peccatorum,& fide recta decesserint,plenam suorū criminum indulgentiam , & vitam pollicemur æternam. Siue superuixerint , siue mortui fuerint, de omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fecerint , impositæ satisfactionis relaxationem,de Omnipotentis Dei misericordia,& Apostolorum Petri,& Pauli auctoritate & nostra,se nouerint habituros.

Eorumque bona,& familias sub protectione Sedis Apostolicæ recepit.

§. 4. Bona quoque ipsorum , ex quo Crucem acceperint,cum suis familiis,sub S.R.E. nec non & Archiepiscoporum,& Episcoporum,& aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consistant.

Litibus receptæ Cruce vexari prohibet.

§. 5. Et nullam de his,quæ in susceptione Crucis quietè possederunt,donec de ipsorum reditu,vel obitu certissimè cognoscatur,sustineant quæstionem,sed bona eorum integra interim maneant,& quieta.

Vsurarum onus tollit.

§. 6. Ad dandas quoque vsuras,si tenentur alicui , non cogantur.

Ostentationē, & lasciuiam vetat.

§ 7. Nec eant in vestibus pretiosis,& cum canibus,siue auibus,aut aliis,quæ ostentationi potius,& lasciuiæ,quam necessariis videantur vsibus deseruire, sed in modesto apparato,& habitu,in quo pœnitentiam potius agere,quàm inanem affectare gloriam videantur.

Dat P. An 1. die 29. Octob.

Dat. Ferrariæ 4. Kal. Nouemb. Indictione 6.

Sequitur indictio ieiunij seruandi ad pacandam Dei iram, pro recuperatione Hierusalem.

Edita, A. D. 1187.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos litera ista peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium.

NVnquam melius superni Iudicis ira pacatur , quàm cùm ex mandato ipsius, carnalia in nobis desideria extinguuntur.

Indictio ieiunij qualibet sexta feria ad quinquennium.

§. 1. Proinde quia Hierosolymitanæ terræ discrimen, quod irruentibus Saracenis nuper euenit, ex peccato maximè habitatorum terræ,& totius populi Christiani accidisse non dubitamus. Nos de fratrum nostrorum communi consilio,multis Episcopis approbantibus, statuimus, vt omnes vsque ad quinquennium, saltem per omnes sextas ferias in cibo Quadragesimali ieiunent.

Missa decantanda ad Nonam ab Aduentu vsque ad Natale Domini.

§. 2. Et Missa vbi cantanda fuerit , ad Nonam cantetur, quod ab Aduentu Domini vsque ad Natale Domini statuimus obseruandum.

Abstinentia à carnibus Feria 4. & Sabbato.

§. 3. Feria verò quarta,& Sabbato,omnes indifferenter, qui bene valent,à carnibus abstineant.

Et etiam Feria 2. pro ipso Papa,& Cardinalibus.

§. 4. Nos autem, & Fratres nostri, in secunda quoque Feria ,nobis & familiis nostris vsum carnis interdicimus, nisi fortè, aut infirmitas, aut magna solemnitas , vel alia euidens causa visa fuerit impedire.

Ad pacādam Dei iram.

§. 5. Sperantes quòd sic vobis ignoscet Dominus , & relinquet post se benedictionem.

Transgressor d. ieiunij dicatur præuaricator ieiunij quadrag.

§. 6. Hoc igitur adeo statuimus obseruandum , vt quicumque transgressor extiterit , quasi præuaricator Quadragesimalis ieiunij habeatur.

Dat. Ferrariæ, 4. Kal. Nouemb.

CLEMENS TERTIVS PONT. CLXXVI. ANNO DOMINI MCLXXXVIII.

D.P. A. 1. die 28. Octob.



CLemens III. Romanus, de Familia Regionis Pineæ, quæ Scholaris vocabatur, Patre Ioanne, Paulus anteà vocatus, Episcopus Cardinalis Prænestinus, creatus Pisis in Cathedrali Ecclesia 8. Idûs Ianuarij, die Epiphaniæ, & sequenti die coronatus, anno 1188. Sedit annos 3. menses 2. dies 20. Creauit Cardinales 22. Obiit Romæ 8. Kalendas Aprilis 1191. Sepultus in Basilica Constantiniana ante Chorum antiquum Canonicorum. Vacauit sedes dies tres.

COELE

COELESTINVS TERTIVS PONT. CLXXVII.
ANNO DOMINI MCXCI.



COelestinus III. Romanus, Hyacintus, anteà vocatus Petri de Bubonibus filius, S.R.E. Diaconus Cardinalis tit. S. Mariæ in Cosinedin, creatus, & consecratus Romæ 4. Kal. Aprilis, anno 1191. Sedit annos sex, menses nouem, dies 11. Creauit Cardinales 11. Obiit Romæ 6. Idus Ianuarij 1198. Corpus eius in Basilica S. Saluatoris iuxta aram S. Salonini sepultum est. Non vacauit sedes.

I. Canonizatio S. Vbaldi Episcopi Eugubini, eiusque relatio in numerum SS. Confessorum, cum institutione suæ festiuitatis pro die 16. mensis Maij.

Huius Sancti festiuitatem renouauit Paul. V. in eius Const. 7. Ex iniuncto. pag. tom. 3.

Edita An. D. 1192. COELESTINVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Venerabili fratri B. Episcopo, & dilectis filiis B. Priori, Clero, & Populo Eugubino. Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Vbaldus Religiosam vitam duxit, & miraculis claruit. BEnedictvs Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui secundùm multitudinem miserationũ suarum, illis qui natura fuerunt filij iræ, spiritũ adoptionis, in quo clamamus Abba Pater, indulget. Et homines ex lutea materia constitutos, in cõsortium Angelorum & gloriam, sua pietate, assumit, Sicut factum est temporibus nostris de sanctæ recordat. Vbaldo Pontifice vestro. Qui cum pius & iustus dum in carne viueret, haberetur, post transitum, à vicinis & longè positis, propter miracula quæ per merita eius operatus est Deus, Sanctus meruit existimari. Impletum est in ipso, quod Propheta dixit in Psalmo. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui Domine. Tu autem frater Episcope, apud Sedem Apostolicam constitutus, opportunè, & importunè in humilitate qua decuit, institisti, vt memoriam prædicti Pontificis canonizare, & ipsum adscribere Sanctorum Catalogo auctoritate Apostolica deberemus, consideratione habita ad religiosam vitam ipsius, & ad multa miracula, quæ per eum postquam migrauit à sæculo, Omnipotens dignatus est operari.

§. 1. Nos verò opus istud intuentes sensum, & intelligentias nostras excedere, quia potius est diuini iudicij, quam humani, cùm ipse solus plenè nouerit, qui sunt eius; suspendimus desiderium tuum aliquandio, vt nobis & fratribus nostris, quid potius agendum esset Spiritus Sancti gratia reuelarit. Tua igitur tandem pia supplicatione inducti, & multorum Episcoporum, & aliorum testimoniis inclinati non de propriis meritis, sed de misericordia Creatoris potissimùm confidentes, de communi Fratrum consilio acquieuimus votis vestris. Et canonizantes prædictum Sanctum, auctoritate BB. Apostolorum Petri & Pauli, qua fungimur, licet immeriti, decreuimus vt festum transitus ipsius, sicut beatissimi Confessoris apud vos perpetuò habeatur. *Et ideo id est SS. Confessorum Catalogo ascribitur.*

§. 2. Quapropter Vniuersitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, quatenus, non in vacuum gratiam istam recipiatis, sed exemplo B. Viri, renouemini spiritu mentis vestræ, & in reuerentia Dei, & prædicti Sancti, & omniũ aliorum, feruentiores solito existatis. Et festum eius, xvij. Kalend. Iunij hilariter annis singulis celebrantes, sollicitè operemini, quòd vestra circa diuinum cultum deuotio profecisse merito videatur. Et alij de facto vestro exemplum profectus assumant, & ipse vestris motus precibus, pro totius Ecclesiæ statu, apud Omnipotentem Dominum intercedat. *Festumque pro die 16. Maij celebrari præcipitur.*

Dat. Laterani IV. Nonas Martij 1192. Pontificatus nostri Anno primo. *D.P. A. 1. die 4. Martij.*

Canonizatio S. Ioãnis Gualberti Abbatis & Institutoris Congregationis Vallis Vmbrosæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, eiusque relatio in numero Sanctorum Confessorum. II.

Commemorat S.R.E. hunc Sanctum Confessorem die 12. mensis Iulij.

De Congregatione autem Monachorum Vallis Vmbrosæ, notaui sup. in Const. 1. Vrb. II. Cum vniuersis, fol.

Edita A. D. 1193. COELESTINVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis, Abbati & Conuentui Vallis Vmbrosæ, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Prooemium GLoriosus Deus in sanctis suis, & in maiestate mirabilis, ministros suos, qui sibi veraciter & sincerè ministrant, non solum immarcescibili brauio, & æterno remunerat, verumetiam in præsenti vita per exhibitionem plurium miraculorum, commendabiles reddit, & secundùm propheticum verbum, eos facit in æterna esse memoria, & ab omnibus celebriter venerari. Nec enim quisquam Catholicus ambigit, cum & hoc Scriptura Sacra testetur, quòd in sanctis suis laudatur Dominus, & qui honorat eos, ipsum Dominum prorsus honorat; ipso attestante, qui dicit, qui vos honorat, me honorat, & qui vos recipit, me recipit. Et idem, quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis. Et quidem rationi consentaneum esse probatur, vt quando quidem Omnipotens Pater, Filij sui cohæredes, eo quo ipsum honore voluit insigniri, ipso orante, & dicente. Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Et rursum, siquis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis est. Homines qui ex lutea materia sunt, ipsius memoriam celebrent & venerentur in terris, cuius nomen creditur scriptum esse in cœlis.

§. 1. Hac nimirum consideratione inducti, cùm preces dilectorum filiorum nostrorum Georgij Abbatis, & Conuentus Passinianensis Monasterij, vestrumque testimoniũ recepissemus & literas, & inclitæ recordationis Ioannem quondam Abbatem Vallis Vmbrosanæ Congregationis institutorẽ, qui creatoris sui seruus prudẽs extitit, & fidelis, & familiæ sibi commissæ in tempore tritici mensuram impendit; & quem, quia fuit super pauca fidelis, pòst obitum suum super multa dominus ipse constituit, & multis miraculorum priuilegiis insigniuit, istis etiam tempo- *Supplicatio Congregationis Vallis Vmbrosæ pro Canonizat. Ioannis Gualberti viui prouidi Abbatis.*

 ribus,

ribus, vt dicitur incessanter illustrat, sanctorum Cathalogo annumerare, & consociare vellemus.

Canonizatio eiusdem prœmissis huius Pontificis verificatione de sanctitate & miraculis suis.

§. 2. Visum itaque est nobis, & communi consilio fratrum insedit, & vicinorum Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ, deberemus de conuersationi eiusdem boni viri, & miraculis, testimonia præstolari. Demum verò eum Episcoporum, Abbatum, Priorum, Archidiaconorum, Plebanorum, Præpositorum Ecclesiasticorum, & Monasticorum Conuentuum, atque aliorum, super eiusdem ministri IESV CHRISTI, vita & conuersatione, atque miraculis recepissemus testimonia & preces, super canonizando eodē, fratrum nostrorum conuenientia requisita & habita, referentes gratias Creatori, qui Ecclesiam suam semper noua prole multiplicant, & tam rosarum, quàm librorum flore decorat, prænominatum B. Ioannem canonizauimus, & numero Confessorum CHRISTI decreuimus adiungendum. Confessorum omnium Regem prece humili deposcentes, vt eiusdem Confessoris, qui sibi propter lucidas & conspicuas placuit actiones, precibus & meritis recolendis, ab instantibus periculis eruamur, & in nostris necessitatibus ipsius patrocinium sentiamus.

Iussio celebrandi eius festiuitatem die 1. Oct. Sed Clem. 8. iussit eam fieri die 12. Iulij, vt in rub. dixi.

§. 3. Vestræ itaque deuotioni per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus de tanti Patroni suffragio, quem genuit & nutriuit ipsa Italia spiritualiter gratulemini, & eius memoriam certo die inter alios Confessores veneratione celebri recolatis, ipsius festiuitatem colere studeatis, in eo diuinam omnipotentiam exaltantes. Si enim attestante voce Dominica, Deum diligere comprobatur, qui mandata eius obseruat, à fructibus prænominati Sancti viri cognoscitur, quòd apud Deum possit & debeat pro peccatoribus efficaciter exaudiri. Qui Euangelicæ prædicationis, non surdus auditor, mundi gaudia, tanquam stercora reputans dereliquit, & sequens CHRISTI vestigia, non solùm in vestro Monasterio monasticam Religionem instituit, verumetiam septem Monasteria fabricauit, & ad vltimum Passinianense Monasterium reparans, in eo præsentem vitam laudabili decessu finiuit.

Relatio miraculi de inclinatione Crucifixi.

§. 4. Illud tamen inter eius miracula primum & præcipuum inuenitur, quod pro quodam opere misericordiæ cuidam in se delinquenti, ante ipsum in modum Crucis prostrato, prouidè & clementer exhibito, Imago Crucifixi, ei adhuc in sæculari militia existenti, caput dicitur inclinasse.

D. P. A. 3. die 6. Octob.

Dat. Laterani secundo Non. Octobris, Pontificatus nostri Anno tertio.

III. Approbatio Congregationis Monachorum Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti.

Exemptiones & priuilegia huius Congregationis, vide infra in Const. 6. Vrb. IV. Ecclesia, & Six. V. Const. 85. Dudum.

Edita A. D. 1197.

COELESTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Gabrieli, Abbati Monasterij S. Mariæ Montis Virginis, eiusque Monachis tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Exordium.

RElligiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium; ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quòd absit) sacræ Religionis infringat.

Susceptio Monasterij sub protectione Sedis Apost.

§. 1. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuentes, præfatum Monasterium Sanctæ DEI Genitricis, & Virginis MARIÆ de Monte Virgine, in quo diuino estis mancipati obsequio, ad exemplar Prædecessorum nostrorum fœl. rec. Alexandri III. & Lucij III. Romanorum Pontificum, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

Iussio obseruantiæ Regulæ S. Bened.

§. 2. Imprimis siquidem statuentes, vt ordo Monasticus, qui secundùm Dominum, & B. Benedicti regulam, in eodem Monasterio esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Licentia obtinendi, & retinendi bona.

§. 3. Propterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in præsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Enumeratio bonorum quæ nunc possidet. Alias vide similes approbationes & bonorum specificationes, hanc tamen Bullam vti antiquiorem ponere consensum fuit.

§. 4. Locum Ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Iuliani, cum Hospitali in Territorio Auellini, & in eodem Territorio terras, vineas, castanera, & hortos. In Territorio Castri Submontis, terras, vineas, & castaneta. Castrum Mercuriani cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesias S. Nicolai, & S. Basilij. Ecclesiam Sanctæ Margaritæ tam in oblationibus, quàm in possessionibus. In tenimento Auellini Ecclesias Sancti Marci, & S. Damiani Quicqoid iuris habetis in Ecclesia S. Nicolai; & homines, & possessiones quas ibi habetis in eodem tenimento. Possessiones, quas habetis in Monte Porti: In tenimento Attipaldæ Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Agello, & alias possessiones, quas ibidem habetis. Homines, & alias possessiones, quas habetis in Candida. Possessiones quas habetis in Crypta. In territorio Cicalæ Ecclesiam S. Mariæ de Plesco, & homines, & possessiones, quas ibi habetis, Homines, & possessiones quas habetis in casali Baiani. In tenimento Palmæ, Ecclesiam Sanctæ Crocis, & homines, molendinum, & alias possessiones quas ibi habetis. In tenimento Sancti Seuerini, Ecclesiam S. Andreæ, homines, molendinum, & alias possessiones quas ibidem habetis. Homines, & possessiones, quas habetis in tenimento Monitorij. Domos & possessiones, quas habetis in Salerno. Possessiones, quas habetis in tenimento Auersæ, & in casali Casccimiani. Possessiones, quas habetis in tenimēto Theani. Possessiones quas habetis in tenimento Capuæ. Possessiones quas habeatis in tenimento Montis Fuscui. Ecclesiā S. Ioannis, Ecclesiā Sanctæ Mariæ, & Ecclesiam S. Bartholomæi cum hominibus & possessionibus quas ibidem habetis. Homines, molendinum & alias possessiones quas habetis in tenimento Tuphi. Possessiones quas habetis in tenimento Argentij. Possessiones quas habetis in Limatula. Homines, & possessiones quas habetis in tenimento Parolisij. Homines, domos, & possessiones quas habetis in Castro Ceruinariæ. In Beneuentana Ciuitate Ecclesiam Beatorum Apostolorum Philippi, & Iacobi, domos, vineas, & alia tenimenta quæ ibidem habetis, Ecclesiam S. Mariæ de Petra Pollicina cū hominibus, & possessionibus & pertinentiis suis, & alia tenimenta, quæ ibidem habetis. Ecclesiā S. Petri à Palmaria cum pertinentis suis, & alia tenimenta, quæ ibidem habetis. In tenimento Lapisij Ecclesiam S. Marthæ, & homines, & possessiones quas ibidem habetis. In tenimento Tautasis molendinum & alias possessiones. In tenimento Frequenti, Ecclesiam S. Nicolai, & homines, & possessiones, quas ibidem habetis. In tenimēto Vici, Ecclesiam S Ioannis: homines, molendinum, & balcatoria, & alias possessiones. In tenimento Bisacciæ Ecclesiam S. Petri, & aliss possessiones. In tenimento Afculano, Ecclesiam S. Petri, & alias possessiones. Io tenimento Amandi, Ecclesiam S. Marci, & alias possessiones, domos, videlicet & vineas. In Maula denteticij, Ecclesiam S. Mariæ, & alias possessiones. In Castello magno Ecclesiam S. Christophori, & alias possessiones. Homines, molendinum, & alias possessiones, quas habetis in tenimento Montellæ, & in Ciuitate Troiana. Domum, Vineas, & terras, in loco, qoi dicitur Sclani. Ecclesiam Sancti Mauri. cum possessionibus, quas ibidem habeatis. In tenimento Celentiæ, Ecclesiam Sancti Spiritus, cum omnibus pertinentiis suis. In tenimento Massæ Ecclesiam S. Honuphrij, cum molendinis, vineis, & aliis possessionibus, & cum omnibus pertinentiis. In tenimento Corneti Ecclesiam Sancti Heliæ, domos, vineas, & alias possessiones, quas ibidem haberis. Possessiones, quas haberis in tenimento Dianæ. In tenimento Turbiæ Ecclesias S. Margaritæ, & S. Mariæ de Oliuis, molendinum, vineas, & alias possessiones, quas ibi habetis. In tenimento Sancti Clerici Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Angelis, homines, vineas,

&

& alias possessiones, Ecclesiam S. Mariæ de Fontibus, vineas & alias possessiones, quas ibi habetis. In tenimento Albani, & Tricatici, Ecclesiam S. Leonis, Christophori, atque Iconij, domos, vineas, & possessiones: Ecclesiam S. Helenæ, cum vineis, & aliis possessionibus: Ecclesiam S. Martini cum possessionibus suis. In Castro S. Agathæ de Apulia domos, molendinum, oliuetum, vineas, & alias possessiones, quas ibidem habetis. In Castro Cryptæ domos, & alias possessiones. In Ciuitate Ariani domos, vineas, & alias possessiones. Ecclesiam S. Syluestri, in tenimento frequenti. In tenimento Rochæ Sancti Felicis: Ecclesiam S. Cæsarij, & Ecclesiam Sancti Nicolai, & homines, & possessiones, quas ibidem habetis.

Exemptio à decimis. §. 5. Sanè noualium vestrorum quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere, aut extorquere præsumat.

Licentia recipiendi venientes ad Ordinem. §. 6. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos & absolutos è sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibitio discedendi ab eo. §. 7. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro professionem, fas sit absque sui Abbatis licentia de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere.

Indultum per tempora interdicti. Vide Concil. Trid. sess. 25. cap. 6. §. 8. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare.

Ecclesiastica que Sacramenta ab Episcopo recipienda. §. 9. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promouendi, & alia Ecclesiastica Sacramenta à Diœcesano suscipietis, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine prauitate qualibet exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatis impendant.

Mortuos sepeliendi. Vide etiam Bull. 22. Leo. I. Dum intra. §. 10. Libertatem quoque quam in donatione Ecclesiarum vestrarum, & receptionem mortuorum ad sepulturam bonæ memoriæ Ioannes Auellinensis Episcopus, cum suorum Clericorum assensu rationabili dispositione concessit, nos etiam auctoritate Apostolica confirmamus, & firmam in posterum decernimus permanere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salua videlicet iustitia illarũ Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Abbatemque eligendi. Vide Concil. Trid. sess. 25. cap. 6. §. 11. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia ponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars, maioris & sanioris consilij, secundùm Dei timorem, B. Benedicti Regulam prouiderint eligendum.

Sanctio pœnalis. §. 12. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monasteriũ temerè perturbare, vel possessiones auferre, vel ablata retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicę auctoritate, & diœcesani eius, in quo fuerit, iustitia: Si qua ergo in futurum Ecclesiastica, sæcularisvè persona hanc temere constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentauerit, secundò, tertióve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui omni tempore careat; reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate agnoscat: & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri IESV CHRISTI, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri IESV CHRISTI, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicẽ præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Papæ subscriptio. *Ego Cælestinus Cathol. Ecclesiæ Episc.*

Card. subscriptiones.
Ego Octauianus Hostien. & Velletren. Episcopus.
Ego Petrus Portuen. & S. Ruffinæ Episcopus.
Ego Petrus S. Cæciliæ Presb. Card.
Ego Ioan. tit. S. Clementis Card. Viterbien. & Tusc. Episc.
Ego Guido Sanctæ Mariæ Trans Tyberim tit. S. Callisti Presbyter Cardinalis.
Ego Chrana. tit. S. Laurentij in Lucina Presb. Card.
Ego Ioan. tit. S. Priscæ Presb. Card.
Ego Gratianus Presb. Card.
Ego Gregorius Presb. Card.
Ego Nicolaus Presb. Card.
Ego Berardinus Presb. Card.
Ego Lotharius Presb. Card.
Ego Gregorius Presb. Card.

Datum Lateran. per manũ Centij S. Luciæ in Orthea Diac. Card. Domini Papæ Camerarij II. Non. Nouemb. Indictione tertia, Incarnationis Dominicæ anno 1197. Pontificatus Domini Cœlestin. anno 7. *Dat. P. An. 7. die 4. Nou.*

INNOCENTIVS TERTIVS PONT. CLXXVIII.

ANNO DOMINI MCXCVIII.



INnocentius III. ex Ciuitate Anagniæ, in Prouincia Campaniæ, Ioan. Lotharius antea dictus Transimundi de Comitibus Signiæ filius, Canonicus Regularis Lateranensis, & S.R.E. Diaconus Cardinalis SS. Sergij, & Bacchi, creatus Romæ sexto Idûs Ianuarij, anno 1198. 8. Kal. Martij consecratus, & coronatus est. Vixit annos 18. menses 6. dies 9. Creauit Cardinal. 39. Obiit Perusiæ 13. Kal. Augusti, Anno Domini 1216. Corpus eius in Cathedrali S. Laurentij sepultum est. Vacauit sedes diem 1.

Constitutio Regulæ Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum.

Hanc regulam mox obseruare cœperunt Fratres dicti Ordinis Reformati, seu Discalceati in Hispania, vt videre est inf. in Clem. VIII. Const. 62. Ad militantis. Cæteri verò Fratres obseruant istam Regulam non simpliciter vt iacet, sed mitigatam & declaratam inf. à Clem. iiij. in sua Const. 9. in ordine.

Hunc Ordinem approbauit hic idem Pont. in Const. 9. Operante, Priuilegium quærendi eleemosynas confirmauit Clem. VII. in Const. 7. Gratum exemptiones & & gratias locorum Ordinis in Prouincia Castellæ, Legionis, Bethicæ, & Portugalliæ cõmunicauit Paul. III. inf.

inf. in Conſt.2. Inter. Prælatis Ordinis benedicendi paramenta,&c.auctoritatē dedit Greg.XIII.in Conſt. 31. Expoſcit. Modum publicandi Indulgentias præſcripſit Clem. VIII.in Conſt.85.Decret.Fratribuſque ad conuerſionem infidelium euntibus,&c. priuilegia conceſſit Paul.V. in Conſt.40.Ex omnibus.Eſt prætereà ſciendum quòd in Italia Archiconfraternitas B. Mariæ Conſolationis de vrbe opus eiuſmodi redemptionis exercet vt infrà in Conſt.69.Greg.XIII. Chriſtianæ. Et generaliter huic operi incumbunt etiam Fratres B. Mariæ Redemptionis captiuorum,vt inf.in Conſt 9. Greg. IX. Deuotionis.

Gratias,Priuilegia,& indulta tam ſpiritualia, quàm temporalia conceſſa Ordini,& Fratribus iſtis confirmauit. Greg.XV.in Conſt. Iniuncti 22.inf.tom.4.

Edita, An.D. 1198.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei : Dilectis filijs Ioanni Miniſtro,& Fratribus Sanctæ Trinitatis. Salutem , & Apoſtolicam benedictionem.*

Exordium.



OPERANTE Diuinæ diſpoſitionis clementia,in Sedis Apoſtolicæ ſpecula conſtituti, piis debemus affectibus ſuffragari, & eos, cū à charitatis radice procedunt, producere ad effectum,præſertim vbi quod quæritur,IESV CHRISTI,eſt,& priuatæ communis vtilitas anteferrtur.

P. Ioannes Miniſter inſtitutionem huius Ordinis Pont. ſignificauit.

§.1. Sanè cum tu dilecte in Chriſto fili, Frater Ioannes Miniſter, ad noſtram olim præſentiam acceſſiſſes, & propoſitum tuum, quod ex inſpiratione diuina creditur proceſſiſſe,nobis humiliter ſignificare curaſſes, intentionem tuam poſtulans Apoſtolico munimine confirmari.

Quam præuie examinatā hic Pōt. confirmat,dādo ei regulam hic inſertam.

§. 2. Nos , vt deſiderium tuum in Chriſto fundatum (præter quem poni non poteſt ſtabile fundamentum) plenius noſceremus, ad venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum , dilectum filium Abbatem S. Victoris Pariſien.cum noſtris te duximus literis remittendum : vt per eos,vtpotè qui deſiderium tuum perfectius nouerant,de intentione tua & intentionis fructu, ac inſtitutione Ordinis, & viuendi modo inſtructi, aſſenſum noſtrum tibi poſſemus ſecutius & efficacius impartiri.Quia igitur(ſicut ex eorum literis cognouimus euidenter) Chriſti lucrum appetere videmini pluſquam veſtrum volentes, vt Apoſtolicum vobis adſit præſidium , Regulam iuxta, quam viuere debeatis (cuius tenorem dicti Epiſcopus,& Abbas ſuis nobis incluſum literis tranſmiſerunt,cum his quæ de diſpoſitione noſtra & petitione tua; fili Miniſter, duximus adiungenda)præſentium vobis,& ſucceſſoribus veſtris auctoritate concedimus,& illibata perpetuò manere ſancimus. Quorum tenorem , vt euidentius exprimamus,inferius duximus annotari.

CAP. I.

De tribus votis , nomine Prælati, diuiſione bonorū, & redemptione captiuorū Hic ſupplet Clem. IV. citat.in rubr.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.Fratres domus ſanctæ Trinitatis,ſub obedientia Prælati domus ſuæ (qui Miniſter vocabitur) in caſtitate,& ſine proprio viuant. Omnes res vndecumque licitè veniant,in tres partes diuidant æquales. Et in quantum duæ partes ſufficient,exequantur ex illis opera miſericordiæ,cum ſui ipſorum & eis neceſſariò famulantium moderata ſuſtentatione. Tertia verò pars reſeruetur ad redemptionem captiuorum, qui ſunt incarcerati pro fide Chriſti à Paganis, vel dato pretio rationabili,pro redemptione ipſorum vel pro redemptione Paganorum captiuorum, vt poſtea rationabili commutatione,& bona fide, redimatur Chriſtianus pro Pagano,ſecundùm merita & ſtatum perſonarum.

Circa hoc aliquid immutauit Clem. IV. citat. in rub.in cap. 2.

Cum verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud,licet ſpecialiter & propriè detur aliquid ; ſemper de conſenſu illius , qui dederit , tertia pars ſeparetur , & aliter non recipiatur;exceptis terris,pratis, vineis, nemoribus, ædificiis , nutrituris , & huiuſmodi. Fructus enim inde exeuntes , deductis expenſis, ſcilicet medietate remota pro expenſis, in tres partes diuidantur æquales. Sed qui paucas vel nullas recipiunt expenſas, omnes diuidantur. Cum verò panni,vel calceamenta,vel minuta huiuſmodi (quibus neceſſe ſit vti,quæ vendi,vel conſeruari non expedit) data fuerint, vel à ſeipſis habuerint, non diuidantur , niſi Miniſtro domus & fratribus viſum fuerit expedire.De quibus ſingulis Dominicis diebus(ſi fieri poteſt) in Capitulo delibieretur.Si tamen prædicta,vt panni,terræ, nutrituræ, ſeu minuta venderentur , pretium inde proueniens, in tres partes (vt ſupra) diuidatur.

CAP. II.

De Titulo Monaſteriorū, numero Fratrum ieſiſque ac veſtimentis,& equitatis.

Omnes Eccleſiæ iſtius Ordinis , intitulentur ſanctæ Trinitatis,& ſint plani operis.Fratres poſſunt eſſe in vna cohabitatione,tres clerici & tres laïci : & prætereà vnus qui Procurator ſit. Qui non Procurator, ſed Miniſter,vt dictum eſt,nominetur, vt frater N. Miniſter Sanctæ Trinitatis. Cui fratres,repromittere ac impendere obedientiam teneantur. Omnibus fratribus ſuis , ſicut ſibimet, Miniſtet fideliter adminiſtret. Veſtimenta ſint lanea, & alba. Et liceat eis habere pelliceas, ſingulis ſingulas , & bracchas,quas iacentes non deponant. Iaceant in laneis, ita quòd plumea, fulcra,vel culcitras, niſi in ægritudine laborantes in domibus propriis minimè habeant.

Illud caput in multis ſupplet idē Clem. IV.

Ceruical verò, ad ſuſtentationem capitis, permittatur habere. In cappis fratrum imponantur ſigna. Equos non aſcendant , nec etiam habeant, ſed aſinos tantùm liceat aſcendere, datos,vel accommodatos,vel de propriis nutrituris ſuſceptos.

CAP. III.

De abſtinentia , ieiunijs. & modo itinerandi. In iſtis multa immutauit & mitigauit Clem. IV. cit. in rubr. in 3. cap.

Vinum ſumendum à fratribus taliter temperetur, vt ſobriè ſumi valeat. Ieiunent ab Idibus Septembris, ſecunda,quarta,& ſexta feria,& Sabbato,niſi ſolemnis feſtiuitas interuenerit,vſque ad Paſcha.Sic tamen vt ab Aduentu vſque ad Natiuitatem Dominicam,& à Quinquageſima vſque ad Paſcha, (exceptis Dominicis diebus) in cibo Quadrageſimali ieiunent:& alia ſimiliter ieiunia,quæ conſueuit Eccleſia celebrare. Poteſt tamen quandoque Miniſter ieiunium cum diſcretione relaxare propter ætatem,vel viam,& aliam iuſtam cauſam; vel facultate inſpecta , etiam augmentare. Carnibus datis ab his qui foris ſunt, vel ſumptis de propriis nutrituris, veſci liceat tantùm in Dominicis diebus,à Paſcha vſque ad Aduentum Domini,& à Natali vſque ad Septuageſimam, & in Natiuitate,& Epiphania Domini,& in Aſcenſione Domini, & Aſſumptione,& Purificatione B.Mariæ, & in Feſtiuitate Omnium Sanctorum. Nihil emant ad victum, præter panem & pulmentum, ſcilicet fabas, & ipſa,& huiuſmodi legumina,&olera,oleum,oua,lac,caſeos,& fructus. Sed neque carnes,neque piſces,ſiue vinum liceat emere, niſi ad neceſſitatem infirmorum , vel pauperum, aut in magnis ſolemnitatibus.Liceat nutrituras emere & nutrire. Cum verò in itinere, ſiue peregrinatione fuerint, liceat eis,ſed parcè,vinum emere,& piſces in Quadrageſima,ſi neceſſe fuerit. Et ſi quid eis datum fuerit,inde viuant,& reſiduum in tres partes diuidant. Tamen ſi fuerint in via profecti ad redimendos captiuos,quicquid eis datum fuerit,totum debent ponere in redemptione captiuorum præter expenſas. In ciuitatibus, in villis,ſiue caſtellis,in quibus proprias domos habuerint,nihil omnino extra domos illas (niſi fortè in domo Religionis) etiamſi à quouis rogentur,comedant,vel bibant,niſi fortè aquam in domibus honeſtis. Nec pernoctare præſumant extra huiuſmodi domos. Nunquam in tabernis vel huiuſmodi locis inhoneſtis habitent, comedant , vel bibant.Qui autem hoc præſumpſerit,iuxta arbitrium Miniſtri,graui vindictæ ſubiaceat.

CAP. IV.

De Charitate Fratrum interſe, & erga infirmos & hoſpites.

Talis ſit charitas inter fratres,clericos,& laïcos;vt eodem victu,veſtitu,dormitorio,refectorio,& eadem menſa vtantur. Infirmi ſeorſim dormiant, & comedant. Ad quorum curam habendam,conuerſus aliquis, laïcus ſiue clericus,deputetur,qui ea quæ neceſſaria fuerint, inquirat & miniſtret,ſicut fuerit miniſtrandum. Moueantur tamen infirmi ,vt lauta ſiue nimium ſumptuoſa cibaria non requirant , commoda potius& ſalubri moderatione contenti. Cura hoſpitum & pauperū,& omniū euntium & redeūtium, vni de diſcretioribus fratribus iniungatur, qui audiat eos, & vt expedire viderit,charitatis ſolatium adminiſtret. Requirat tamen ab illis,quos crediderit admittendos, ſi eis, quæ fratribus apponuntur, velint eſſe contenti. Ad lauta quidē & ſumptuoſa cibaria,non oportet quemquam admitti. Quæcumque tamen præſtanda ſunt, cum hilaritate præſtentur : & nulli maledictum pro maledicto reddatur.Si quis,& maximè Religioſus ad hoſpitandum

picandum adnenetie, benignè suscipiator, & charitatiuè iuxta posse domus, illi subministretur. Auena tamen, vel aliud in loco auenæ, hospitibus non detur, si fueriot io ciuitate, vel oppido, vel vbi venalis inueniatur, nisi fortè Religiosi sint hospites, vel tales, qui ad manus non habeant, & non emere possiut. Si autem hospites venalem inuenerint, & in domo qua suscepti fuerint inueniatur, congruenter eis præbeatur. Nullos frater laïcus vel clericus sit (si fieri potest) sine proprio officio. Si quis verò laborare noluerit, & potuerit, locū ipsum deserere cōpellatur, cū Apostolus dicat: Qui oon laborat, nō manducet.

Circa hoc, aliquid addidit Clem. IV. cit. in rub.

Cap. V.

De Silentio & honestate. Hæc in multis supplet idem Clem. IV. c. 5.

Silentium obseruent semper in Ecclesia sua, semper io refectorio, & semper in dormitorio. De necessariis tamen liceat loqui, in aliis locis, temporibus aptis & remissa voce, humiliter & honestè, & extra prædicta loca vbique sermo eorum si honestus, & sine scandalo: similiter & eorum omnis status, gestus, vita, actio, & omnia alia, honesta in eis reperiantur.

Cap. VI.

De Capitulo cuiusque domus Ordinis ac etiam Capitulo generali, & correctione Fratrum.

Capitulom si fieri potest, singulis Dominicis diebus in singulis domibus, Minister cum Fratribus suis teneat: & de negotiis domus, & domui, siue fratribus datis, vt ad redemptionem captiuorum, tertia pars deputetur; Fratres Ministro, & Minister fratribus rationē fideliter reddant non solùm Fratribus, sed & familiæ pro capacitate sua. Similiter singulis Dominicis diebus, si fieri potest, exhortatio fiat, vt quid credere, aut agere debeant simpliciter moneantur. De omnibos rebus, & clamoribus, fratres in Capitulo iudicentor. Nullus Frater fratrem suum in publico accuset, nisi bene possit probare. Qui autem hoc fecerit, pœnam subeat, quam reus subiret, si conuinci potuisset, nisi Minister ex causa cum eo dispensare voluerit. Si quis scandalum, vel aliquid huiusmodi fecerit, vel (quod absit) se inuicem percusserior, iuxta arbitrium Ministri, maiori vel minori vindictæ sobiaceat. Si quis frater in fratrem peccauerit, scilicet, idem eo solo sciente, qui iniuriam passus est, sustineat patienter, licet sit innocens. Et cum quieuerit commotio animorum, benignè ac fraternè commoneat eum, vsque ter, inter se & ipsum solùm, & pœnitentiam agere de commisso, & à similibus in posterum abstinere. Quòd si non audierit, dicat Ministro, & ille corripiat eum secretò, secundùm quod viderit saluti eius expedire. Qui verò scandalum mouit, si per se emendare voluerit, totum ante pedes scādalizati, petens veniam, se extendat. Et si semel non sufficit, vsque ter illud idem faciat. Si verò hoc in publicum venerit, quæcumque secutura fuerit pœnitentia, hæc sit prior, scilicet ante pedes Ministri petendo veniam totius corporis extensione, & postea secundùm eius arbitrium emendetur. Generale Capitulum semel in annu celebretur, quod fieri debet in octauis Pentecostes. Si pro necessitate domus, debitum aliquod fuerit contrahendum, prius in Capitulo Fratribus proponatur, & cum eorum fiat consilio & assensu, vt sic suspiciones & murmurationes euitentur. Si quisque de substantia domus violentiam fecerit, & ad Iudicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quàm charitatiuè ille à fratribus primò, post ab aliis vicinis similiter moneatur.

Hic nonnulla supplet idem Clem. IV. cit. in rub.

Cap. VII.

Electione Ministri, eiusque munere & qualitatibus, ac depositione.

Electio Ministri, per commune Fratrum consilium fiat: nec eligatur secundùm dignitatē generis, sed secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Ille verò, qui eligitur, Sacerdos sit, vel clericus ordinibus aptus. Minister verò, siue maior, Sacerdos sit. Maior Minister, confessiones Fratrum omnium Congregationum eiusdem Ordinis audire potest; Minister verò minor, omnium fratrum suæ domus audiat confessiones, dummodo verecundia repetiti excessus occasionē minimè præbeat tardius Prælatis suis, vel minùs purè quam deceat confitendi. Solicitè verò Minister prouideat, vt præcepta Regulæ, sicuti cæteri Fratres, per omnia teneat. Postquam verò electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per maiorem Ministrum, conuocatis tribus vel quatuor Ministris minoribus deponatur, & alius qui dignus sit, loco eius subrogetur. Si verò pro remotione terrarum, vel alia causa rationabili, maior Minister, hoc facere non potuerit, Ministris minoribus, magisque religiosis committat, & quod illi fecerior, auctoritate Maioris ratum habeatur. Maior verò Minister, si pro excessibus corrigendus, vel deponendus sit, per quatuor, vel quinque Ministros eiosdem Ordinis magis religiosos hoc fiat, qui tamen auctoritate Capituli generalis eligi ad hoc debent.

Addit quædā idem Clem. IV. cit. in rub.

Cap. VIII.

De Nouitiis & eorum receptione.

Si quis huius Ordinis frater esse voluerit, primò per annum cum expensis suis, præter victum, habitu suo, & omnibus suis retentis, in Ordine pro Deo seruiat. Et post annum, si bonum & conueniens videatur Ministro domus, & fratribus, & illi & locus vacauerit, recipiatur. Nihil tamen pro receptione sua exigatur, si quid tamen gratis dederit, recipiatur, dum tamen tale sit, de quo non videatur Ecclesiæ litigium imminere. Si verò de cuiusdam moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo probario habeatur. Si ante receptionem aliquis se iotemperanter habuerit, & impatiens disciplinæ, ad arbitrium Ministri non emendauerit mores suos, tribuatur ei modestè licentia, cum omnibus quæ attulit, recedendi. In Ordine verò aliquis oon recipiatur, antequam annum videatur vigesimum compleuisse. Professio verò ad arbitrium Ministri reliquatur.

Tu ad hoc vide Bullam Sixt. V. n. 71: Cum de, & Cle. & VIII. Bullam 83. In supremo

Cap. IX.

De Orationibus communi, & aliis præceptis.

Hæc aliqualiter mutauit Clem. IV. cit. in rub. c. 9.

Pignora non accipiant, nisi decumas, cum licentia sui Episcopi, de manu laici. Iuramenta non faciant, oisi in magna necessitate, & cum licentia Ministri, vel iussi ab Episcopo suo, vel ab alio vices Apostolicas gerēte, & hoc pro honesta & iusta causa. Si quod vitium in re, quæ venditur, notum fuerit, indicetur emptori. Depositum auri, vel argenti, vel pecuniæ, non liceat eis suscipere. Ipsa die qua infirmus venerit, vel asportatus fuerit: de peccatis suis confiteatur, & communicet. Omni secunda feria, præterquam in octauis Paschæ, & Pentecostes, & Natiuitatis Domini, & Circumcisionis, & Epiphaniæ, & præterquam io festiuitatibus, quæ ad colendum prononciantur, finita Missa pro fidelibus, fiat absolutio fidelium defunctorum in cœmeterio. Singulis quoque noctibus, ad minus in hospitali, coram pauperibus, pro statu & pace Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, totius Christianitatis, & pro benefactoribus, & pro his pro quibus generalis Ecclesia consueuit orare, communis fiat oratio.

Cap. X.

Horis canonicis & rasura.

In regularibos horis, morem B. Victoris obseruent, nisi fortè pausationes, vel aliæ prolixitates, & vigiliæ, occasione laboris, & paucitatis seruiētium, de consilio plorum & religiosorum virorū fuerint remittendæ. Propter paucitatem etenim suam taotas pausationes io psallendo facere non tenebuntur, nec ita tēpestiuè surgere. In rasura similiter ordinem S. Victoris sequantur clerici: laïci verò barbas non radant, sed eas crescere modestè promittant.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 1° die 17. Decembris.

Datis Lateranæ, decimosexto Calendas Ianuarij, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo, centesimo oonagesimo octauo, Pontificatus nostri anno primo.

Canonizatio S. Homoboni Cremonēsis, eiusq; adscriptio in Cathologo Sanctorum Confessorum, cum institutione suæ festiuitatis. II.

Dies festinitatis hic non designatus, est 13. in mense Nouembris.

Edita. A. D. 1198.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Dilectis filijs, vniuerso Clero & Populo Cremonen. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

QVia pietas promissionem habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ, iustus & misericors Dominus fideles suos, quos prædestinauit, ad vitam, frequenter in hac vita glorificat, & semper in futuro coronat. Quibus & per Prophetam promittit: Dabo vos in laudem & gloriam & honorem in cunctis populis; & per se pollicetur: Fulgebunt

bunt iusti sicut Sol, in Regno Patris eorum. Mirabilis enim in se ipso Dominus, mirabilia in sanctis, mirabilis in cunctis operibus suis, verum nobis exhibet suæ virtutis iudicium, & frigescētem in pluribus charitatis igniculum, mirabilium suorum signis accendit, assumptis his in gloriam suam, qui certauerunt legitimè in hoc mundo, ad memorias eorum innouat signa, & mirabilia, iuxta Prophetam immutat, vt qui sanctus est apud ipsum, sanctus etiam ab hominibus habeatur; & in hoc præsertim hæreticorum confundatur peruersitas, cùm ad Catholicorum tumulos diuina viderint prodigia pullulare.

Opera pietatis in vita, & miraculorum signa post mortem, ad reputandum aliquem Sanctū in Ecclesia militante requiruntur.

§. 1. Licèt autem iuxta testimonium veritatis, sola finalis perseuerantia exigatur, ad sanctitatem animæ in Ecclesia Triumphante, quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit; duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus signorum, opera scilicet pietatis in vita, & miraculorum signa post mortem, vt quis reputetur Sanctus, in militante Ecclesia requiruntur. Nam quia frequenter Angelus Sathanæ se in lucis Angelum transfigurat, & quidam faciunt opera sua bona, vt videantur ab hominibus, quidam etiam coruscant miraculis, quorum tamen vita meritò reprobatur, sicut de Magis legitur Pharaonis, & etiam Antichristo, qui electos etiam, si fieri potest, inducet suis miraculis in errorem, ob id nec opera sufficiunt sola, nec signa. Sed cum illis præcedentibus, ista succedunt, verùm nobis præbent indicium sanctitatis, nec immeritò nos ad illius venerationem inducunt, quem Dominus suis ostendit miraculis venerandum. Hæc autem duo ex verbis Euangelistæ plenius leguntur, vbi de Apostolis loquens ait: Illi autem profecti prędicauerunt, vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. In eo namque quod ait, cooperante, eos operarios esse demonstrans, & in eo quod sequitur, sequentibus signis, eos exponens, imo Dominum in eorum miraculis claruisse. Hoc etiam Dominus vsque hodie operatur in Sanctis, & potentiam suam signis euidentibus manifestat, dum viuorum curat ægritudines ad memoriam mortuorum, & eos plus posse post mortem, & feliciùs viuere mortuos, qui in Domino moriuntur, quàm qui viuunt in mundo demonstrat.

Homobonus re & nomine, & virtutibus & miraculis claruit.

§. 2. Sanè veniens ad præsentiam nostram Venerabilis frater noster Sicardus Episcopus vester, multis viris Religiosis, & aliis honestis personis de sua Diœcesi comitatus, cuiusdam B. Viri & re & nomine Homoboni, vitam & actus, necnon & modum transitus eius humiliter nobis aperuit, in quibus & sanctæ ipsius degustauimus conuersationis odorem, Deumque mirabilem, & omnia opera eius in fide cognouimus, & prædicauimus gloriosa. Idem etenim Sanctus tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore suo, provt eorundem nobis assertio facta, tam viua voce, quàm aliorum plurium honestorum literis patefecit, adeo in lege Domini meditabatur die, ac nocte, vt ei seruiens in timore & secundùm Prophetam; Media nocte surgens ad confitendum ei, matutinis semper laudibus interesset. Missæ quoque officium, & alias horas, cum summa deuotione frequentans, ita assiduis orationibus insistebat, vt in certis horis, aut incessanter oraret, aut horas ipsas aliquando præueniret: nisi fortè ipsum sollicitudo quam super pace reformanda per Ciuitatem tanquam pacificus vir gerebat, aut occasio eleemosynæ pro pauperibus acquirendæ, seu alia iusta causa in aliis operibus misericordiæ detineret. Qui nimirum ante Crucem Dominicam ex assuetudine se prosternens, opus quodlibet faciendo, stando, sedendo, iacendo ad orationem labia mouere continuè videbatur. Inter alia verò pietatis opera, quæ tam circa pauperes, quos secum in propria domo tenebat, curabat, & pariter procurabat, quam circa alios indigentes, quibus viuentibus humanitatis officium, & mortuis sepulturæ beneficium consueuerat deuotus impendere, diligentiùs exercebat, ipse à sæcularium hominum consortio segregatus, inter quos virebat quasi lilium inter spinas, hæreticorum quorum pernicies nimium partes illas infecit, austeriùs extitit aspernator. Ducto autem sic vitæ sanctæ curriculo, cum ad matutinale officium provt dictum est, in festiuitate S. Bricij surrexisset, circa Missæ primordia, idem se ante Crucem Dominicam more solito in oratione prosternens, dum cantaretur hymnus Angelicus, beato fine quieuit. Quæ verò, quot, & quanta miracula fuerint consecuta, & quot aduenientibus ad sepulchrum eius, sanitatis beneficia sint impensa, cùm longum sit enumerare per singula, vnum inter cætera ad assertionem Catholicæ fidei duximus expressius adnotandum. Cùm enim quædam dæmoniaca mulier ad sepulchrum eius deducta fuisset, ne aliqua fraus lateret, eadem primò fuit aqua non benedicta respersa: quæ se patienter aspergi permittens, aquam secundò respuit benedictam. Et vt res euidentiori experimento pateret, oblatam non consecratam absque aliqua præscientia sibi recipiens præsentatam Eucharistiam, consecratam consequenter abhorruit nec recepit, quæ & meritis eiusdem Sancti liberata recessit. Vt autem virtus morum, provt & superius prælibatum, licet omnis dubitatio amoueri ex subsecutione signorum per diuinum iudicium videretur, fide apud nos clarescerer pleniori, ne miraculorum etiam virtus, aliqua fraude posset, vel figmento iuuare, veritatem rei solicitiùs duximus inquirendam. Fidem namq; quam super conuersationem ipsius absque figmento hypocrisis fraudulento, diuinum iudicium, provt dictum est, manifestè ostendere videbatur, per testimonium dilecti filij Oberti Presbyteri S. Ægidij Cremonensis, præsentis cum Episcopo memorato, recepto ab eo firmauimus iuramento. Sub cuius obtestatione, videlicet iuramenti ipse qui parrinus eius existens per viginti annos & amplius, confessionem eius sæpe receperat, quæ de illius sancti conuersatione præmisimus, cum ipso Episcopo, & aliis supradictis iuratis similiter asseruit esse vera. Et de obedientia, quam in orationibus, vigiliis, & aliis pœnitentiæ fructibus, in qua sibi ab eo imposita erat, plus iniuncto satisfaciens exhibebat, nos reddidit certiores. Ea etiam quæ de miraculis ipsis fuerant nobis exposita, per iuramentum omnium prædictorum, qui propter hoc venerant, fide suscepimus; pleniori assertione ipsius Episcopi sub firmo verbo sacerdotis requisito in virtute obedientiæ concurrente, vt sic diuinum & humanum secuti iudicium, cum maiori procedere securitate possemus.

Hic idem Pōt. prædictorum verificatione habita, SS. Cathalogo illum adscribit.

§. 3. Cum igitur hæc omnia tam de probitate morum, quàm virtute signorum, ad fauorem petitionis, pro qua Episcopus memoratus, & alij supradicti ex parte vestra vehementer instabant, concurrere videremus, de Fratrum nostrorum consilio post multam deliberationem habitam, cum eisdem Archiepiscopis, Episcopis, quos super hoc ad consilium nostrum admisimus, de diuina misericordia, & eiusdem Sancti meritis confidentes, ipsum Sanctorum Cathalogo conscribendum duximus.

Eiusque festiuitatem celebrari statuit.

§. 4. Statuentes vt in die depositionis ipsius, eiusdem festiuitas deuotè à vobis, & aliis Christi fidelibus annis singulis de cætero celebretur.

Ad d. Sancti venerationem hortatur.

§. 5. Inde est, quòd Vniuersitatem vestram rogamus in Domino, & monemus per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus eiusdem Sancti memoria, provt dictum est, cum celebritate debita venerantes, eius apud Deum suffragia humiliter imploretis, per cuius merita ad gaudia æterna perrigere valeatis.

Dat. Laterani, 11. Kalen. Ian. Pont. nostri Anno 1.

Dat. P. An. 1. die 22. Decembris.

Hortatur Gregorium Catholicum Armenorū, ad perseuerantiam in fide Christiana, & deuotione Sedis Apostolicæ, subuentionemque terræ sanctæ Hierusalem. III.

INNOCENTIVS PAPA III. Gregorio Catholico Armenorum.

Edita An. D. 1199.

Gregorius Catholicus Armenorum B. Petri primatum agnoscit.

§. 1. Ex eo te radicatum in fide Catholica, & esse Catholicum non tam nomine, quàm merito experimur, quòd Apostolicę Sedis magisterium recognoscis, eam Ecclesiam omnium matrem, & nos caput vniuersorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie literarum. Nosti etenim priuilegium Petri, quod sibi Dominus vniuersas oues suas pascendas vocabulo tertio repetito, commisit; Pasce (inquiens) oues meas, & super vniuersas ei ligandi, & soluendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcumque ligaueris super terram, erit

ligatum

ligatum & in Cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis. Nosti etiam prærogatiuam Apostolicæ Sedis, quæ per merita B. Petri, etsi non tempore, auctoritate tamẽ inter Apostolicos primi, non constitutione Synodica, sed diuina, inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit, & primatus fundamenta super immobili fundamento, de quo Paulus inquit Apostolus. Fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, & de quo Veritas in Euangelio inquit ad Petrum: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni nõ præualebunt aduersùs eam. Petrus siquidem post Christum potest intelligi Pastor vnus, & Ecclesia vniuersalis Ouile vnum, de quibus Dominos in Euangelio protestatur, Alias, dicens, oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum Ouile, & vnus Pastor. Sanè lapis ille angularis, quem reprobauerunt ædificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens vtraque vnum, Iudæorum populos, & gentium nationes in vnitate Christianæ fidei coniunxit, Ecclesiam ex vtrisque constituens, non habentem maculam, neque rugam; quæ ne post Ascensionem eius secaretur in partes, & ne vnitum in eius fide diuideretur ouile, vni commisit Apostolorum Principi gubernandam, quem solum sibi Dominus, & in officio Vicarium, & in magisterio constituit successorem.

Et Papam Catholicæ Ecclesiæ caput confitetur, & Episcopos eius esse membra recognoscit.

§. 2. Hoc autem tua fraternitas diligenter attendens, ac sciens quod secundùm Apostolum. Omnes vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nos quos Dominus, licet immeritos, Vicarios suos esse voluit, & Apostolorum Principis successores, caput Ecclesiæ confiteris, & te ac fratres, & Coëpiscopos tuos, partem nostri corporis recognoscis, sciẽs quòd sicut palmes non potest fructum facere à semetipso, nisi manserit in vite, sic & membrum & sensu caret, & actu, si non in corporis permanserit vnitate.

De his ergo secum lætatur Pontifex iste.

§. 3. Gaudemus ergo non modicum quòd in fide catholica perseuerans, circa nos piæ geris deuotionis affectum, & filium te esse Apostolicæ Sedis innuis, dũ eam esse Matrem omnium protestaris recognoscens à nobis magisterium Ecclesiasticæ disciplinæ, quam etsi receptam longo tempore priùs, ex parte tamen per Ven. fratrem nostrum Maguntinum Archiepiscopum, Episcopum Sabinen. vnum ex septem Episcopis, qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, suscepisse te gaudes, & desideras obseruare. Fuit autem & est magnum tuæ deuotionis indicium, quòd eundem Archiepiscopum magnificè recepisti, & curasti non modicum honorare, sicut, & tuæ literæ continebant, & ipsius nobis relatio patefecit.

Monet eundem ad perseuerantiam.

§. 4. Monemus igitur fraternitatem tuam, & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in deuotione Sedis Apostolicæ firmiter perseueres, & in lege Domini die mediteris, & nocte, quæ sanæ doctrinæ congruunt prædicans, & quæ prædicaueris, quantùm Dominus permittit adimplens, vt in te, nec opera verbis, nec verba operibus contradicant. Esto circa subiectos Magister, vt doceas vt corrigas Pater; Mater vt foueas; doceas minùs doctos; superbos corrigas; humiles foueas & deuotos; iustitiam misericordia temperans; & æquitatem in iudicio non relinquens.

Hortaturque ad subuentionem Terræ Sanctæ Hierusalem.

§. 5. Super subuentione verò Hierosolimitanæ Prouinciæ nosse te volumus, quòd iam per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi Crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defensionem orientalis Prouinciæ opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex fratribus nostris, de manibus nostris viuificæ Crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citiùs forsitan, quàm credatur, orientalis Prouincia subsidium sentiet expectatum.

Dat. P. An. 2. die 23. Nouembris.

Datum Laterani, nono Kal. Decembris, Anno secundo.

IV.

Approbatio Coronationis Leonis Regis Armenorum, cum adhortatione ad recuperationem Terræ Sanctæ.

Pro hac recuperatione hic idem Pont. bellum indixit, vt hic in inf. const. 12. Ad liberandam.

Armenorum verò discordantiam ab Ecclesia Romana, vnionem de infra in Eugen. IV. constit. 19. Exultate.

INNOCENTIVS PAPA III. &c. Illustri Regi Armenorum.

Sancta Romana Ecclesia, eiusque Summorum Pontificum

IS Ecclesiam suam congregatam ex gentibus, non habentem maculam, neque rugam, super gentes, & regna constituit, is extendit palmites eius vsque ad mare, & vsque ad terminos terræ ipsius propagines dilatauit, cuius est Terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in ea. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solum vniuersis fidelibus prętulit, sed super cęteras etiam Ecclesias exaltauit, vt cæteræ ab ea non tam viuendi normam, & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam Catholicæ documenta reciperent, & eius seruarent humiliter instituta. In Petro enim Apostolorum Principe, cui excellentiùs aliis Dominus ligandi & soluendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, Ecclesia Romana Sedes eius, & seniores ipsius Romani Pontificis Successores Petri, & Vicarij IESV CHRISTI, sibi inuicem per successiuas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus, & cunctis Ecclesiarum Prælatis, imo etiam fidelibus vniuersis, & Domino primatum, & magisterium acceperunt; vocatis sic cæteris in partem sollicitudinis, vt apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro, & cum Petro singulare illud priuilegium exspirauit, quod Successoribus eius futuris, vsque in finem mundi Dominus in ipso concessit, sed præter vitæ sanctitatem, & miraculorum virtutes, par sit in omnibus iurisdictio successorum, quos etsi diuersis temporibus, eidem tamen Sedi, & eadem auctoritate Dominus voluit præsidere.

Coronatio Regis Armenorum acta per Archiepiscopum Maguntinum.

§. 1. Gaudemus autem, quòd tu, sicut Princeps Catholicus Apostolicæ Sedis priuilegium recognoscens, venerabilem fratrem nostrum Maguntinum Archiepiscopum, Episcopum Sabinensem, vnum ex septem Episcopis, qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benignè, ac hilariter recepisti. Et non solùm per eum institutis salutaribus es instructus, quibus iuxta continentiam literarum tuarum, totum Regnum tuum, licèt amplissimum desideres informari, & vniuersos Armenos ad Ecclesiæ Romanæ gremium reuocare; sed ad honorem, & gloriam Apostolicæ Sedis, quam constitutam esse nouisti super gentes, & regna, diadema Regni recepisti de manibus eius, & eum curasti deuotè, ac humiliter honorare, & nos per ipsum, & literas tuas, ad Orientalis terræ subsidium inuitasti.

Confirmationem Pontifex.

§. 2. Ei ergo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tantæ humilitatis animum inspirauit, rogamus Seren. Regiam & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in timore Domini, & Apostolicæ Sedis deuotione persistens, ad expugnandam barbariem paganorum, & vindicandam iniuriam Crucifixi, tantò potentiùs, & efficaciùs studeas imminere; quantò fraudes, & versutias hostium viciniùs positus meliùs agnouisti. Non in exercitus multitudine aut virtute, sed de ipsius potius miseratione confidens, qui docet manus ad prælium, & digitos mouet ad bellum, qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos.

Adhortatio ad bellũ contra Saracenos.

§. 3. Iam enim per Dei gratiam ad commonitionem nostram, multi Crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient in defensionem orientalis Prouinciæ, opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex fratribus nostris, de manibus nostris viuificæ Crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citiùs forsitan, quàm credatur, Orientalis Prouincia subsidium sentiet expectatum.

Dat. P. An. 2. die 23. Nou.

Datum Lateran. 7. Calendas Decembris Anno secundo.

Creatio

V. Creatio Coloioannis in Regem Bulgarorum & Blachorum, cum donatione insignium regalium, & potestate cudendi monetam. Et facultas Archiepiscopi Innouitan. ipsius Regis pro tempore Successores, Apostolica auctoritate coronandi.

Edita A. D. 1204.

INNOCENTIVS PAPA III. Coloioanni Ill. Bulgarorum & Blachorum Regi, eiusque posteris, ei tam in Regno, quàm in deuotione Sedis Apostolicæ successuris in perpetuum.

Enarratio sublimitatis Summi Apostoli & Romanorũ Pontificum successorum.

REx Regum, & Dominus dominantium IESVS CHRISTVS Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, cui dedit omnia Pater in manu, pedibus eius subiicieos vniuersa; cuius est terra & plenitudo eius, Orbis terrarum & omnes habitantes in eo, imò cui flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum, Summum Apostolicæ Sedis, & Romanæ Ecclesiæ Pontificem, quem in B. Petro, sibi Vicarium ordinauit, super gentes & regna constituit, euellendi, destruendi, dispendendi, & dissipandi, & ædificandi, & plantandi ei conferens potestatem, loquens ad eum in Propheta qui fuit de Sacerdotibus Anathot: Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Vt autem id expressiùs demonstraret, non per alium, sed per se ipsum, cum pro hominibus carnem assumpsisset humanam, & calceamentum suum extendisset in Idumæam, vt ei Allophyli subderentur, & oues suas, quæ de hoc ouili non erant adduceret, & fieret vnum Ouile, & vnus Pastor, in se qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vniuersali Ecclesiæ posuit fundamentum, eiusque Apostolorum Principi Petro magisterium contulit & primatum, dicens ad eum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, Vbi etiam consequenter adiecit: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutũ & in cœlis Post passionẽ quoque suam ascensurus in cælum. Ouile suum, videlicet Ecclesiam, ei committens, & commendans in ouibus, dixit ei: Pasce oues meas, vocabulo tertio repetito, per hoc patenter ostendens, quod ad eius Ouile non pertinent oues illæ, quæ se commissas & subiectas esse B. Petro contumaciter denegarint, & eius noluerint erudiri doctrina, & magisterio subiacere. Siquidem Ecclesia est Arca illa, in qua paucæ animæ, pereuntibus cæteris in diluuio sunt saluatæ. Vnde sicut omnes quos Arca non cœpit, in diluuio perierunt, sic omnes qui extra Ecclesiam inuenti fuerint, in iudicio damnabuntur. Arca enim Ecclesiam, cathaclysmus iudicium, & Pastorem Ecclesiæ Petrum, Noë Rectorem Arcæ figurat. Ille cum Domino legitur ambulasse, hic autem super vndas maris, quod hunc Mundum significat, ad Dominum scribitur peruenisse. In quo etiam expressè notatur, quòd Petro non specialiter aliqua specialis Ecclesia, sed totus mundus commissus fuerit, & Ecclesia generalis. Nam sicut aquæ multæ, sunt populi multi; sic mare magnum & spatiosum, Mundum significat vniuersum. Vnde vocatis cæteris in partem sollicitudinis, hunc assumpsit Dominus in plenitudinem potestatis, cum loquit ad eum: Tu vocaberis Cephas, quod Petrus interpretatur, & caput, vt Petrum caput Ecclesiæ demonstraret. Qui sicut vnguentum quod à capite Aaron descendit in barbam, in membra diffunderet, vt nihil sibi penitus deperiret, quoniam in capite viget sensuum plenitudo, ad membra verò pars eorum aliqua deriuatur. Insuper quærenti Petro si quoties peccaret in eum frater eius dimitteret ei vsque septies, Dominus legitur respondisse: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Sanè cum omne tempus, septem dierum numero concludatur, multiplicatus in se septenarius, in hoc loco notat vniuersorum vniuersa peccata, cum solus Petrus, non solùm omnia, sed omnium possit crimina relaxare. Ipsi enim & non alij dictum à Domino repetitur: Tu me sequere, id est in veri Pastoris officio, & potestatis Ecclesiasticæ plenitudine imitare. Quia cum in officio Vicarium sibi substituit Dominus, & in magisterio successorem, sic hæreditatem, in cuius Prælatis funes eius ceciderant, transferens in eundem, vt aliis post eum, & sub eo quasi partialia faceret de hæreditate legata.

Creatio Coloioannes in Regem.

§. 1. Cum igitur licèt immeriti eius vices geramus in terris, qui dominator in Regno hominum, & cui voluerit dabit illud, vtpote per quem Reges regnant, & Principes dominantur, cum Petro, & Successoribus eius, & nobis in eo, nouerimus esse dictum: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, sed tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, cum ex præcepto Domini oues eius pascere teneamur, Populis Bulgarorum, & Blachorum, qui multo iam tempore ab vberibus matris suæ alienati fuerant, in spiritualibus & temporalibus paterna sollicitudine prouidere volentes, eius auctoritate confisi, per quem Samuël Dauid in Regem iniunxit, Regem te statuimus super eos, & per dilectum filium L. tituli S. Crucis Presbyterum Cardinalem apud Sedem Legatum virum prouidum, & honestum, nobis inter cæteros fratres nostros acceptum, sceptrum Regni ac Regium tibi mittimus diadema, eius quasi nostris tibi manibus imponendum, recipiendo à te iuratoriam cautionem, quod nobis & Successoribus nostris, & Ecclesiæ Rom. deuotus & obediens permanebis, & cunctas Terras & gentes tuo subiectas imperio, in deuotione, & obedientia Sedis Apostolicæ conseruabis.

Concessio facultatis cudendi monetam.

§. 2. Ad petitionem insuper Venerabilis fratris nostri Blasij Brandi, Ziberen. Episcopi, quem ad Sedem Apostolicam destinasti, publicam in Regno tuo cudendi monetam tuo charactere insignitam, liberam tibi concedimus facultatem.

Concessio facultatis Archiepisc. Innouitan. & Regis successores, Apostolica auctoritate coronandi.

§. 3. Venerabili etiam Fratri nostro Archiepiscopo Innouitan. in terris quibus imperas vniuersis, priuilegium concedimus, primatus, Qui & successores ipsius, tuos in posterum successores, simili ab eis iuramento recepto, Apostolicæ Sedis auctoritate coronent, & in terra tua primatus obtineant dignitatem, eisque Metropolitani tam Bulgariæ, quàm Blachiæ Prouinciæ constituti subiaceant, & iuxta formam canonicam, reuerentiam primati debitam exhibeant, & honorem.

Hortatio ad perseuerandum in obedientia Sedis Apostolicæ.

§. 4. Si ergo fili charissime gratiam, quam Apostolica Sedes mater tua tibi facit agnoscas, sic retribuas nobis pro omnibus quæ tribuimus ipsi tibi, sic regnum tuum in Apostolicæ Sedis subiectione ac deuotione confirmes, vt cum sub Petro in illius petræ fuerit firmitate fundatum, de qua inquit Apostolus, Petra autem erat Christus, nec pluuiarum imbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incursus. Tu quoque præter auxilium Apostolicæ Sedis, quod iuxta deuotionem tuam senties in præsenti de temporali regno, ad regnum peruenias sempiternum.

Sanctio pœnalis.

§. 5. Decernimus ergo vt nulli omnino, &c. hoc priuilegium nostræ constitutionis, & concessionis infringere, vel ei, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. Agdie 24. Feb.

Datum Anagniæ per manus Ioannis S.R.E. Subdiaconi, & Not. 6. Calend. Martij, Indictione 7. Incarnationis Dominicæ, anno 1203. Pont. verò Domini Innocentij Papæ III. Anno septimo.

Quod Rex Bohemiæ, à Sede Apostolica Rex de cætero nominetur. VI.

INNOCENTIVS PAPA III. &c. N. Regi Bohemorum Illustri.

Edita An. D. 1204.

Romani Pontif. hucusque renuerunt Reges Bohemiæ Reges nominare.

LIcet ante tuæ promotionis tempora, multi fuerint in Bohemia, regio diademate insigniti, nunquam tamen potuerunt à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus obtinere, vt Reges eos in suis literis nominarent.

Et iste Pont. ex causis hic enunciatis idem fecit.

§. 1. Nos quoque tum Prædecessorũ nostrorum vestigiis inhærentes, tum cõsiderantes sollicitè, quod à Nob. Vi. Ph. Duce Sueuiæ te feceras coronari, qui cum coronatus legitimè non fuisset, nec te, nec alium poterat legitimè coronare, Regem te hactenus non duximus nominandum.

Nunc verò d. titulo de cæ-

§. 2. Verùm cum ad commonitionem Apostolicæ Sedis, & nostram, relicto Duce Sueuiæ, ad charissimum in

Christo

[margin: ... concedit.]

Christo filium nostrum Illustr. Regem Othonem in Romanum Imperatorem electum, te conuerteris, vsus consilio sanori, & ipse habeat te pro Rege, tam intuitu precum eius, quàm tuæ deuotionis obtentu. Regem te de cætero reputare volumus, & vocare.

[margin: Et ad agnitionem huius gratiæ ipsum hortatur.]

§. 3. Tu igitur taliter gratiam tibi factam agnoscas, & sic ingratitudinis vitium studeas euitare, vt tua deuotio mereatur, quod & gratia tibi detur ex gratia, & data gratis perpetuò conseruetur, prouisurus attentius, vt quam citius poteris, ab eodem Rege Othone te facias solemniter coronari.

[margin: D. P. A. 6. die 19. Apr.]

Dat. Lateran. 13. Kal. Maij, Anno septimo.

VII. Erectio Hospitalis apud S. Mariam in Saxia de Vrbe, ad egenos infirmos piè recipiendos & curandos, S.R.E. eleemosynis constructi. Et institutio Fratrum Ordinis S. Spiritus, regularem vitam ibi degentium. Præfinitioque muneris ipsorum Fratrum, ac auctoritatis eorum Magistri, cum exemptionum, ac priuilegiorum concessione.

Hoc Hospitale, denominatur Sancti Spiritus, vt inf. in Six. IV. Const. 14. Illius. & appellatur Archihospitale in Greg. XIII. Const. 24. Si inter. & alibi sæpe. Caputque omnium aliorum locorum Sancti Spiritus constitutum fuit, vt in Six. IV. Const. 12. Et si vniuersi. Eiusque Magister, seu Commendator generalis est omnium Magister, & beneficiorum d. Ordinis collator, vt ibid. In eoque recipiuntur etiam infantes ob paupertatem expositi. vt habetur in eiusdem Six. Const. 22. Religionis.

Eiusdem Archihospitalis membra enuntiat Nicol. IV. in Const. 4. Inter. Et in eo instituta etiam fuit Confraternitas piorum virorum, vt in d. Six. IV. Const. 12. Multaque sibi à Sede Apost. data sunt priuilegia, vt videre est in eiusdem Six. Const. 22. Religionis. cum ibi not. Et ad cognitionem suarum causarum, specialem iudicem delegit Clem. VIII. in eius Const. 118. Cum sicut. vbi notabo.

[margin: Edita A. D. 1204.]

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Guidoni Ministro Hospitalium S. Mariæ in Saxia, & Sancti Spiritus in Monte Pessulano, eiusque fratribus tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

[margin: Hospitalitatis commendatio.]

IN opera pietatis, quæ secundùm Apostolum promissionem habet vitæ, quæ nunc est pariter & futuræ, hospitalitatem nobis specialiter & frequenter diuina scriptura commendat, vtpotè quæ illa omnia comprehendit propter quæ Dominus in vltimæ discussionis examine remuneraturum se bonos, & malos asserit puniturum. Hæc enim pascit esurientes, sitientes potat, colligit hospites, nudos vestit, & non solùm infirmos visitat, sed eorum in se infirmitates assumens, infirmantium curam agit, in carcere positis subuenit, & quibus viuis in infirmitate communicat, participat in sepultura defunctis. Per hanc quidam Angelis receptis hospitio placuere, cum Abraham & Lot hospitalitati vacantes, Angelos meruerint hospitari, per quos Abraham iam senex futuræ sobolis promissionem accepit, & Lot fuit de incendio Sodomæ liberatus. Duo quoque Discipuli qui IESVM hospitio coëgerunt, quem in expositione scripturæ non nouerant, in panis fractione nouerunt. Per hanc superflua diuitum, quæ congregata forte seruarentur ad mortem, in necessitates pauperum erogantur ad vitam. Per hanc terrena in cœlestia, & transitoria in æterna fœlici commercio commutantur, dum per manus pauperum thesaurizamus in cœlis, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur, & facimus nobis de mammona iniquitatis amicos, qui cum defecerimus in æterna tabernacula nos admittant.

[margin: Constructio Hospitalis apud S. Mariam in Saxia de Vrbe, pro Fratribus S. Spiritus indicatur.]

§. 1. Hæc igitur attendentes, non solùm pro nostra sed prædecessorum, & Successorum, & fratrum nostrorum Episcoporum, Presbyterorum, atque Diaconorum Rom. Ecclesiæ Cardinalium, tam viuorum, quàm etiam defunctorum salute, apud S. Mariam in Saxia, locum vtique satis idoneum ad hospitalitatis officium exercendum, eleemosynis Ecclesiæ Rom. venerabile construximus Hospitale, in quo futuris temporibus, dante Domino, recipiantur, & reficiantur pauperes, & infirmi, & exhibeantur alia opera pietatis.

[margin: Quorum ordo ibidem institutus fuit.]

§. 2. Statuentes vt regularis Ordo, qui secundùm Deum & institutionem fratrum Hospitalis Sancti Spiritus in eodem loco per nos institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

[margin: Et qui specialiter pro viuis & defunctis orent, & spiritualia administrent, &c.]

§. 3. Hoc tamen adiecto vt in eadem Ecclesia quatuor semper ad minus sint Clerici regulam eiusdem Hospitalis professi, qui pro nobis & Prædecessoribus, ac Successoribus, & fratribus nostris, viuis pariter & defunctis specialiter orantes, omnia spiritualia libere administrent, & super iis nullius nisi Romani Pontificis correctioni subiaceant. Ad quem quoties expedierit, monitione præmissa, charitatiua fiat à fratribus proclamatio propter Deum, vt ipse cognita veritate, decernat quod suo prudenti consilio duxerit prouidendum.

[margin: Victúque habeant & vestitum, regimine Hospitalis totaliter remanente apud Magistrum. Hodie non Magister, sed Commendator appellatur.]

§. 4. Ipsi autem victu, & vestitu contenti, quem eis secundùm eandem regulam præcipimus exhiberi, diuinis vacent officiis, & intendant Ecclesiasticis Sacramentis, ita quod de aliis Hospitalis negotiis, præter concessionem Magistri, se nullatenus intromittant, sed omnia dispositioni tuæ fili Magister & Successorum tuorum, vel eorum qui per te, vel eos ad hoc fuerint deputati, sine contradictione, ac murmuratione relinquant.

[margin: Hospitale S. Mariæ in Saxia de Vrbe, & Hosp. S. Spiritus in Monte Pessulano vniuntur. Vide notata his in rub. & etiam in Const. 4. Nicol. IV.]

§. 5. Cæterum quoniam in Hospitali Sancti Spiritus diebus nostris per Dei gratiam hospitalitas valdè viget, illud isti, & istud illi, de consilio fratrum nostrorum vnimus, Vt & istud illi tantò vtilius munimenti impendat, quantò vicinius nobis existens, defensionem nostram illi facilius poterit implorare. Illudque isti tantò commodius subueniat in ministris, quantò personæ conuersantes in illo ad hospitalitatis sunt officium aptiores. Ita tamen per hanc vnionem, prædictum Sancti Spiritus Hospitale iurisdictione Magalonen. Ecclesiæ minimè subtrahatur, illa duntaxat constitutione seruata, quam inter eandem Magalonen. Ecclesiam, & prædictum Sancti Spiritus Hospitale decreuimus obseruandam.

[margin: Magister generalis vtrúmque Hosp. regat, cuiusque Magistri electio fiat iuxta formam hic positam. Hodie Magister, eligitur à Summo Pontifice.]

§. 6. Statuimus insuper, vt vnus tantùm Magister Hospitalibus præficiatur ambobus, qui vtrumque visitet annuatim, & quæ statuenda vel emendanda viderit, statuat & emendet, & transferendi fratres vbicumque fuerit, prout melius viderit expedire, liberam habeat facultatem. Qui si forsan apud Vrbem, vel vbilibet citra Montes, viam fuerit vniuersæ carnis ingressus, fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ in Saxia, fratribus Sancti Spiritus, eius non differant obitum nuntiare. Illique Romam, duos, vel tres de fratribus suis mittant, qui cum fratribus Hospitalis S. Mariæ in Saxia electionem celebrent regularem. Quod si forsan apud Montem Pessulanum obierit, vel vbilibet vltra Montes, per fratres Sancti Spiritus, fratribus S. Mariæ ipsius obitus nuntietur, qui vt prædiximus, duos vel tres de fratribus suis Montem Pessulan. transmittant, ad electionem regulariter celebrandam.

[margin: Exemptio à potestate quorumcumque Prælatorum.]

§. 7. Cæterum cum Ecclesia S. Mariæ in Saxia, & Hospitale constructum ibidem, ad nos nullo pertineant medio (saluo quod Clerici eiusdem Ecclesiæ debent ex nostro mandato Basilicæ Principis Apostolorum in Scrutinio, Baptismo, & Lætania) ne disparis conditionis homo præferatur eidem, & seruus, qui alij Domino stet, aut cadat præponatur Hospitali prædicto, quod nostræ tantùm est iurisdictioni subiectum; personam tuam fili Magister & Successorum tuorum à quorumlibet Prælatorũ eximimus potestate. Vt nullus in te, vel eos, interdicti vel excommunicationis sententiam, sine mandato Apostolicæ Sedis audeat promulgare. Quam si aliter prolata fuerit decernimus non tenere.

[margin: Eleemosynarum quærendarum à prædictis.]

§. 8. Licet autem prædicta Hospitalia vniamus, ne tamen huiusmodi vnio confusionem inducat, cum & si vnio Deo sit placita, discretio tamen ei nihilominus sit

Hospitalib. distributa. Sextus postea fuisse vnita omnia Hospitalia, & sine licentia eius Mag. eleemosynas nullibi colligi posse, vt inf in cost. 12. Six. IV.

accepta, priuilegio præsenti statuimus, vt fratres qui colligendis, eleemosynis pro pauperibus, Hospitalis S. Mariæ in Saxia fuerint deputati, tantùm Italia, & Sicilia, & Anglia, & Vngaria sint contenti, fratres autem Hospitalis Sancti Spiritus in Monte Pessulano liberè in Prouinciis aliis, eleemosynarum statuant Collectores, ita quod vtrique suis terminis sint contenti, nec inuadant alteri terminos aliorum. Nec eleemosynæ, quæ pro Hospitali S. Mariæ in Saxia collectæ fuerint, ad Hospitale Sancti Spiritus transferantur, nec quæ fuerint illi fidelium deuotione collatæ, occasione qualibet deferantur ad istud.

Forma quærendi eleemosynas etiam tempore interdicti Tu videas const. 84. Pij IV.

§. 9. Si qui verò fratrum vestrorum, qui destinati fuerint ad eleemosynas colligendas in quamlibet Ciuitatem, Castellum, vel Vicum aduenerint, si fortè locus ille à diuinis fuerit officiis interdictus, pro Omnipotentis Dei reuerentia, in eorum aduentu iucundo, semel in anno pulsatis campanis aperiantur Ecclesiæ, vt super eleemosynis acquirendis verbum exhortationis ad Populum in Ecclesia proponatur.

Collectores earum, sub protectione B. Petri consistunt.

§. 10. Decernimus insuper, vt receptores fraternitatum, siue collectarum vestrarum, saluo iure Dominorum suorum, in B. Petri & nostra protectione consistant, & pace in terris, in quibus fuerint potiantur.

Fratribus sepultura non denegetur etiamsi Ecclesia sit interdicta.

§. 11. Simili etiam modo sancimus, vt quicumque in vestra fuerit fraternitate receptus, si forsan Parochialis Ecclesia, cuius tempore Parochianus extiterit, à diuinis fuerit officiis interdicta, eumque mori contigerit, ipsi sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus, vel nominatim fuerit interdictus.

Exemptio à decimis. Vide priuil. Six. IV. in constit. 22.

§. 12. Decimas autem, de terris & vineis, quas ad opus infirmorum & pauperum propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium, seu de fructibus hortorum vestrorum, nullus exigere, vel extorquere præsumat.

Oratorij, & Cæmeterij permissio in locis Ord.

§. 13. Liceat autem vobis in domibus vestris, quas in præsentiarum habetis, vel in futurum eritis habituri ad opus vestrum & familiæ vestræ, necnon infirmorum & pauperum ibidem manentium, oratorium, & cæmeterium sine impedimento cuiuslibet contradictionis habere.

Fratres ab Episcopis ordines, &c. recipiant.

§. 14. Chrisma verò, Oleum Sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ordines fuerint promouendi, à diœcesanis suscipietis Episcopis, siquidem Catholici fuerint, & communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis sine prauitate aliqua voluerint exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postularis impendat.

Celebrareque possint etiam tempore interdicti. Tu formaConcil. Tridens. sess. 25. c. 12.

§. 15. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat in Ecclesiis vestris, clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare.

Et alios in religione recipere.

§. 16. Liceat quoq; vobis liberas & absolutas personas è sæculo fugientes ad conuersionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere.

Recepti autẽ post professionem inde non recedant.

§. 17. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum, post factam in locis vestris professionem, fas sit absque Magistri sui licentia, inde discedere, nisi arctioris religionis obtentu. Discedentem verò absque communium literarum vestrarum cautione, nullus penitus audeat retinere.

Magistri auctoritas eijciendi fratres turbatores, aut inutiles ab Ordine, cum consensu Capituli. & alios recipiendi præuia probatione.

§. 18. Si quis verò fratrum, post factam professionem turbatores religionis vestræ, vel inutiles fuerint forsitan inuenti, liceat tibi fili Magister, & successoribus tuis, eos cum assensu & consilio sanioris partis Capituli amouere, ipsisque dare licentiam ad alium Ordinem, vbi secundùm Deum viuere valeant transeundi, & loco eorum alios subrogandi, qui vnius anni spatio, in vestra societate probentur. Quo peracto, si mores eorum exegerint, & ipsi vtiles fuerint, ad seruitium Hospitalis inuenti, professionem faciant regularem.

Exemptio Hospit. ab homagiis, &c.

§. 19. Ad hæc, districtius inhibemus ne à te fili Magister, vel successoribus tuis, & fratribus Hospitalium eorundem, exigat vlla Ecclesiastica sæcularisvè persona fidelitates, homagia, iuramenta, vel securitates reliquas, quæ à laicis frequentantur.

Licentia decimas acquirendi.

§. 20. Postremò, decimas quas consilio & assensu Episcoporum à Clericis, vel Laicis potueritis obtinere, illasque quas consentientibus diœcesanis Episcopis, & Clericis ad quos pertinent, acquiretis, auctoritate Apostolica vobis confirmamus. Nulli ergo, &c.

Hortatio ad Pont. Successores, vt specialiter huius Hospitalis curam assumant.

§. 21. De cætero successores nostros obsecramus & obtestamur in CHRISTO IESV, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, vt loca vestra cum personis & rebus ad hospitalitatis officium deputatis, tanquam speciales patroni, specialiter foueant, & defendant. Quoniam & si cæteris piis locis teneantur ex Apostolicæ seruitutis officio prouidere, huic tamen Hospitali, quod de bonis Ecclesiæ Romanæ fundatum est, & donatum, & tam nostris, quàm successorum nostrorum diebus credimus ampliandum, curam debent impendere specialem. Si qua igitur, &c. Cunctis autem, &c.

Dat. P. An. 7. die 18. Iun.

Datum Lateran. per manum Ioannis S.R.E. Subdiaconi & Notarij, XIII. Kal. Iulij, Indictione VII. Incarnationis Dominicæ Anno 1204. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. Anno VII.

VIII.

Coronatio Regis Aragonum Romæ in Monasterio S. Pancratij, cum insignium regalium cõcessione, ac licẽtia, quod eius Successores de cætero per Archiepiscopũ Tarraconen. auctoritate Apostolica coronari possint.

Edita, A. D. 1206.

INNOCENTIVS PAPA III.
Seruus Seruorum Dei, Petro Illustri Regi Aragonum.

Coronatio.

CVm quanta gloria & honore, impendiis & applausu, Regium Romæ de manu nostra in Monasterio B. Pancratij susceperis Diadema, postquam per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Portuen. Episcopum in Regem te fecimus coronari, tua sublimitas non ignorat.

Insignium regalium concessio.

§. 1. Vt autem dilectionis affectum, quem ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis, euidentius monstraremus, regalia insignia vniuersa, Mantum videlicet, Colobium, Sceptrum, & Pomum, Coronam, & Mitram ad opus, dum non minus pretiosa quàm speciosa, fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donauimus, in signum gratiæ specialis.

Promissio Regis de annuo censu Sedi Apost. persoluendo.

§. 2. Tu verò tanquam Princeps, & Catholicus Rex, super altare B. Petri Apostolorum Principis, Regnum tuum nobis, & per nos Apostolicæ Sedi cum multo deuotionis affectu, per priuilegij paginam obtulisti, illud ei constituens in perpetuum censuale; firmiter promittendo, quod iuramentum fidelitatis & obedientiæ, in coronatione tua nobis exhibitum, inuiolabiliter obseruabis, & ad illud exhibendum, & conseruandum Successores tuos obligari volebas.

Indultum, quod huius Regis successores coronentur per Archiepisc. Tarraconen.

§. 3. Nos igitur gratiam tibi à nobis exhibitam, ad Successores tuos deriuari volentes, præsentium auctoritate concedimus, vt cum ipsi decreuerint coronari, coronam à Sede Apostolica requirentes, de speciali mandato per Tarraconensis Archiepiscopum apud Cæsaraugustam solemniter coronentur, præstita super prædictis idonea cautione. Et quoniam iure ciuili statutum est, vt mulieres maritorum honoribus decorentur, præsentium auctoritate concedimus, vt per manus eiusdem Archiepiscopi eas liceat coronari.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c. Si quis autem, &c. Dat. Ferentin. 15. Kal. Iulij, Pont. nostri An. 9.

Dat. P. An. 9. die 17. Iun.

IX.

Confirmatio Ordinis Fratrum Sanctissimę Trinitatis Redemptionis Captiuorum.

Hic idem Pontifex Regulam huic Ordini constituit vt supra in eius const. 1. Operante fol. 71. vbi plenè notaui de materia.

Confirmauit postea priuilegia, gratias, & indulta huic Ordini concessa, tam spiritualia, quàm temporalia Greg. XV. in Const. 22. Iniuncti inf. tom. 4.

INNO

Edita, An. D. 1209.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs, Ioanni Ministro, & fratribus Ordinis Sanctæ Trinitatis, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Exordium.

OPerante patre luminum (a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, etiam diebus nostris, in quibus peccatis exigentibus, abundat iniquitas, & multorum charitas refrigescit) nonnulli faciēte cum eis Domino signum in bonum (vnde inter alia beneficia quæ nobis misericorditer impertitur, ad gratiarum actiones propensius inuitamur) posteriorum obliti, ad anteriora cum Apostolo se extendunt. Et exuentes veterem hominem cum actibus suis, & nouum, qui secundùm Deum creatus est induentes, In vitæ transeunt nouitatem, cum relictis pro Deo, quæ possident, & non quæ sua sunt, sed quæ IESV CHRISTI, quærentes, voluntariam eligunt paupertatem, & diuinæ se subiiciunt seruituti. Quorum desideriis tantò est propensiùs annuendum, quantò per opera pietatis gratiorem præstant Altissimo famulatum.

Approbatio Ordinis Fratrum S. Trinitatis redemptionis Captiuorum.

§. 1. Licèt autem, secundùm Apostolum, nec qui plantat, nec qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus; plātationem tamen vestram nouellam, Apostolicæ protectionis præsidio disposuimus irrigare, quatenus Deo præstante misericorditer incrementum, fructum proferat exoptatum. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatū Ordinē Sanctæ Trinitatis, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, vt quascumque possessiones, quæcūque bona idem Ordo in præsentiarum iuste ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, siue aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci: firma vobis vestrisque Successoribus, & illibata permaneant.

Facultas ædificandi Monasteria. Tu ad hoc vide const. 112. Clem VIII. Quoniam Exemptio à decimis.

§. 2. Si quando verò loca deserta, fuerint eidem venerabili Ordini ab aliquo pia deuotione collata, liceat vobis ædificare Villas, Ecclesias, Cœmeteria ad opus hominum ibidem morantium fabricare. Ita tamen vt illic vicinia, Abbatia, vel Religiosorum Collegia non existant, quæ hoc valeat perturbare.

§. 3. Sanè noualium vestrorum quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum, hortorum, vel pomorum fructibus, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Facultas recipiendi fratres. Tu vide Bul. 71. Sixti V.

§. 4. Liceat quoque vobis, clericos vel laicos, liberos & absolutos à sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos sine contradictione aliqua retinere.

Prohibitio discedendi ab Ordine.

§. 5. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum post factam in Ordine vestro professionem, fas sit, absque Ministri sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem Ordine discedere. Discedentem verò absque cōmunium literarū cautione, nullus audeat retinere.

Licentia recipiendi sacros Ordines, & Sacramenta ab Ordinariis & alijs. Tu intellige hoc iuxta Conc. Trid. sess. 23. c. 12.

§. 6. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum vestrarum, ordinationes Clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, & cætera Ecclesiastica Sacramenta, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine prauitate qualibet exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumq; malueritis catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis, impendat.

Temporeque Interdicti celebrandi. Tu vide Conc. Trid. sess. 25. cap. 12.

§. 7. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare.

Mortuos in eorum Ecclesiis sepeliendi.

§. 8. Sepulturam præterea locorum vestrorum liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberauerint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Minister generalis à Fratrib. Ordinis eligatur.

§. 9. Obeunte verò te nunc eiusdem Ordinis Ministro, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrū pars consilij sanioris, secundùm Dei timorem, canonicè prouidērit eligendū.

Nemo istum Ordinem perturbet.

§. 10. Paci & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine prouidere volentes, auctoritate Apostolica districtius inhibemus, vt infra clausuram locorum vestrorum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Vel eius bona.

§. 11. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Ordinem temere perturbare, vel eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, omnia integra cōseruentur, eorū pro quorū gubernatione ac sustētatione cōcessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & diœcesani Episcopi canonica iustitia.

Contrauenientes puniantur.

§. 12. Si igitur in futurum, Ecclesiastica sæcularisvè persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè vti tentauerit, secundò, tertióve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatisque suæ careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri IESV CHRISTI aliena sit, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat.

Obedientes verò benedicuntur.

§. 13. Cunctis autem eidem loco sua iura seruientibus, sit pax Domini nostri IESV CHRISTI, quatenus & hic fructū bonæ actionis percipiāt, & apud districtū Iudicē præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.

Dat. V. A. 1209 die 18. Iunij.

Dat Viterbij per manum Ioannis S. Mariæ Cosmedin, Diaconi Card. S.R.E. Cancellarij, 14. Kal. Iulij, Indictione 2. Incarnationis Dominicæ Anno 1209. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ Tertij, Anno 12.

X.

Damnatio Constitutionis Henrici Constantinopolitani Imperatoris, contra libertatem Ecclesiasticam editæ, elargitionesque erga Ecclesias impedientis.

Edita A. D. 1212.

INNOCENTIVS PAPA III. Seruus Seruorum Dei; Cardicen. & Sidonien. Episcopis, & Archidiacono Daualien.

Henricus Imperator edidit constitutionem libertati Ecclesiæ contrariam.

AD nostram noueritis audientiam peruenisse, quod charissimus in CHRISTO filius noster, Henricus Constantinopolitanus Imperator Illustris, Constitutionem cum suis Baronibus edidit, quæ vergit in periculum animarum, & est contraria prorsus Ecclesiasticæ libertati, videlicet, vt nullus possit de suis possessionibus in vita, vel vltimo testamento, aliquid Ecclesiis elargiri.

Hic ideo Pontifex eam damnat.

§. 1. Cū igitur Constitutio huiusmodi, tā diuinis, quam humanis sit legibus inimica, discretioni vestræ per Apostolica scripta mādamus, quatenus ipsā auctoritate nostra decernatis, friuolam, & inanem, & nullo modo seruādam.

Dat. V. A. 1212 die 23. Maij.

Dat. Laterani 10. Kal. Iunij, Anno 15.

XI.

Indictio XIII. Sacri & Oecumenici Concilij Lateranensis, pro prima die Nouembris 1215.

Edita An. D. 1213.

INNOCENTIVS PAPA III. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filijs Abbatibus, & Prioribus, Decanis, & Archidiaconis per Teutonicas Prouincias constitutis.

Exordium.

VIneam domini Sabaoth, multiformes satagunt bestiæ demoliri; quarum incursus adeo inualuit cōtra ipsam, vt ex parte non modica, pro vitibus spinæ succreuerint, & quod gementes referimus, ipsæ iam vites proferant pro vua labruscā, infectæ multipliciter, & corruptæ.

Affectus Pontificis ad recuperationem Terræ Sanctæ & reformationem vniuersalis Ecclesiæ.

§. 1. Illius ergo testimonium inuocamus, qui testis est in Cælo fidelis, quod inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc sæculo principaliter affectamus, vt ad recuperationem videlicet Terræ Sanctæ, ac reformationem vniuersalis Ecclesiæ valeamus intendere cum effectu. Quorum vtrumque tantam requirit prouisionis instantiam, vt absque graui & grandi periculo vltra dissimulari nequeat, vel differri.

Eiusdem ad Deum supplicatio pro opportuno remedio.

§. 2. Vnde supplicationes, & lacrymas effundimus coram Deo, humiliter obsecrantes, quatenus super his suū nobis beneplacitum reuelaret, inspiraret affectum, accen-

deret desideriom,& propositum confirmaret,facultatem & oppottunitatem prȩstando,ad ea salubriter exeqoenda.

Constitutio conuocandi Concilium generale.

§. 3. Quapropter habito super his cum fratribus nostris, & aliis viris prudeotibus, frequenti & diligenti tractato,provt tanta sollicitudo exigebat,hoc tandem ad exequenda prædicta de ipsorum consilio prooidimus faciendum. Vt quia hæc Vniuersorū fideliom communem statum respiciunt, Concilium iuxta priscam consuetudinem Sanctorum Patrum conuocemus,propter lucra solùm animarum opporuno tempore celebrandum. In quo ad extirpandum vitia, & plantandas virtutes, corrigendos eacessus,& reformandos mores,eliminandas hæreses,& toboiandam fidem,sopiendas discordias, & stabiliendā pacem,comprimendas oppressiones,libertatem fonendam,inducendos Principes & popolos Christianos ad succursum & subsidium Sanctæ Terræ, tam à Clericis, quàm à laïcis impendendom, cum cæteris quæ perlongum esset per singula enomerare, prouidè statuantur inuiolabiliter obseruanda circa Prælatos, & subditos regulares, quæcumque de ipsius approbatione Concilij visa fuerint,eapedire,ad laudem & gloriam nominis eius, ad remedium & salutem animarum vestrarum, ac profectum & vtilitatem populi Christiani.

Destinatio proborum virorum ad explorandum interim negotium recuperationis Terra Sancta.

§. 4. Quia verò ante biennium vniuersale non posset Concilium commodè celebrari, disposuimos interim per viros prudentes in singulis Prouinciis pleniùs eaplorare, quæ Apostolicæ prouisionis limam eaposcant, & præmittere viros idoneos ad Terræ Sanctæ negotium procurandum, vt si exigente necessitate sactum Concilium approbauerit,nos ipsum negotium personaliter assumamus efficaciùs promouendum.

Indictio d. Concilij ad primam diem Nou. 1215.
** quod.*

§. 5. Credentes igitur hoc salutare propositum ab illo descendere,à quo est omne datum optimum,& omne donū perfectū, vniuersitati vestrȩ per Apostolica scripta præcipimus,* quo vos taliter præparetis,quod à prȩsenti Dominicæ Incarnationis MCCIII. anno, vsque ad doos annos,& dimidium,præfixos vobis pro termino Kal. Nouemb. ad Sedem Apostolicam accedatis cum modestia & cautela, ita quòd in vestra Prouincia,si necessitas postulauerit,duo vel tres de suffraganeis Episcopis valeant remanere, pro Christianitatis ministeriis eaequendis, & tam illi,quàm alij,qui canonica præpeditione detenti venire nequeunt, idoneos pro se dirigant responsales. Personarum,& eoectionum mediocritate seruata, quam Lateranense Concilium definiuit,vt nullus omnino plures, aut pauciores secum adducere possit. Nec quisquam faciat superfluas & pomposas, sed necessarias tantùm & moderatas eapensas,ostendendo se actu & habitu verum Christi cultorem,cum non sæcularis applausus,sed spiritualis profectus in hoc negotio sit requirendus.

Iussio vt interim quisque diligenter inquirat de peragendis in d. Concil.

§. 6. Interim aotem per vosipsos, & per alios viros prudeotes,vniuersa subtiliter inqniratis,quæ studio correctionis,aut reformationis indigere videntur,& ea fideliter conscribentes,ad Sacri Concilij præfati examen,erga subuentionem Terræ Sanctæ necessaria,vbi Deus noster Rex ante sæcula salutem in medio terræ operari dignatus est, opem & operam efficaciter impensuri, assistendo fideliter & prudenter, his quos ad hoc negotium duxerimus specialiter procurandum destinare.

Prohibitio excusationum proponenda.

§. 7. Nullus itaque fallaciter se excusando ab executione tam sancti operis subtrahat,si canonicam vult effugere vltionem. Nemo dissensionom obstacula, vel itinerum impedimenta causetur, quæ Domino faciente signum in bonum ea magna iam parte cessare cœperunt. Nam & quantò maiora imminent pericula,tantò potiora remedia conoenit adhiberi. Nunquam enim nauigabit per æquora,qui semper expectat, vt mare oon eaciter in se fluctus. Propter hæc autem ad vos dilectum filium N. com iussione Apostolica destinamus, quem habeatis pro reuerentia commendatum.

XII. Indictio belli & Cruciatæ contra Saracenos, pro recuperatione Terræ Sanctæ Hierusalē, cum Indulgentiarū & priuilegiorum cōcessione, pro Crucesignatis ad illud proficiscentibus, aut aliter subsidium præstantibus.

Pars huius Bulla in §. 13. est in cap. 17. de Iud. & Sarac. Et de Crucesignatis habes etiam inf. Innoc. IV. const. 19. Malitia, & Nicol. IV. const. 5. Illuminet, vbi agitur etiam de simili expeditione pro recuperatione Terra Sancta.

Aliam edidit Bullam Eug. III. quæ est hic sup. num. 3. incipiens quantum pag... Et alterā Greg. VIII. quæ etiam est hic sup. n. 1. incipiēs audita tremendi pag... Recordare autem quod hic idem Pont. ad hoc bellum adhortatos est Regem Armenorum, vt suprà in const. 4. Is Ecclesiam fol. 1. & Clem. V. ob id induxit Concilium Viennense generale, vt inf. in eius const. 1. Regnans.

INNOCENTIVS PAPA III. &c.

Edita A. D. 1215.
Indictio expeditionis de Lateran. Concil. assensu, & deputatio loci pro paranda classe, cum quo his Pont. profecturus est.

AD liberandam Terram Sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio aspirantes,de prudentum virorum consilio, qui plenè nouerunt circumstantias temporom & locorum, sacro approbante Concilio definimus,vt ita Crucesignati se præparent, quod io Kal. Iunij sequentis post proximum, omnes qoi disposuerunt transire per mare conueniāt in Regnū Siciliæ,alij sicut oportuerit & decuerit apud Brundusium,& alij apud Messanā, & partes vtrobiq; vicinas,vbi & nos personaliter, Domino annuente,disposuimus tunc adesse;quatenus nostro consilio & auxilio Exercitus Christianos salubriter ordinetur,com benedictione diuina & Apostolica profecturus.

Exercitusque terrestris cum quo Legatus de Latere destinabitur.

§. 1. Ad eundem quoque terminum se studeant præparare,qui proposuerunt per terram proficisci, significaturi hoc interim nobis, vt eis ad consilium & auxilium Legatum idoneum de nostro Latere concedamus.

Clericorum munus in d. exercitu praescribit.

§. 2. Sacerdotes autem,& alij Clerici, qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi quam Prælati, oratio ni & eshortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter & exemplo,vt timorem & amorem semper habeant diuinum ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod diuinam maiestatem offendat. Et si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram pœnitentiam moa resurgant,gerentes humilitatem cordis & corporis,& tam in victu,quàm iu vestitu mediocritatem seruantes, dissensiones & æmulationes omnino vitādo,rancore ac liuore à se penitus relegatis. Vt sic spiritualibus & materialib⁹ armis muniti,aduersùs hostes fidei securius prælientur, non de sua præsumentes potētia,sed de diuina virtute sperantes.

Eisdem fructuum perceptionem de beneficiis permittit.

§. 3. Ipsis autem Clericis indulgemus, vt beneficia sua integra percipiant per triennium,ac si essent in Ecclesiis residentes,& si necesse fuerit, ea per id tempus pignori valeant obligare.

Prælatorum officium esse iubet inducendi Cruce-signatos ad hanc expeditionem.

§. 4. Ne igitur hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, Vniuersis Ecclesiarum Prælatis districtè præcipimus,vt singuli per loca sua illos,qui signom Crucis disposuerunt resumere, ac tam ipsos quàm alios Crucesignatos,& qoos adhuc signare contigerit,ad reddendum vota sua Domino diligenter moueant & inducāt,& si necesse fuerit,per excommunicationis in personas,& interdicti sententias in Terras eorum, omni tergiuersatione cessante, compellant, illis dumtaxat exceptis, qoibus tale impedimentum occurrerit, propter quod secundùm Sedis Apostolicæ prouidentiam, votum eorum commutari debeat merito,vel differri.

Aliosque personaliter non accedentes inducendis ad conferendum certum numerum militum ad triennium.

§. 5. Ad hæc,ne quid in negorio IESV CHRISTI de contingentibus omittatur,volumus & mandamus,vt Patriarchæ,Archiepiscopi,Episcopi, Abbates,& alij,qui curam obtinent animarum, studiosè proponant sibi commissis verbum Crucis,obsecrantes per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum,vnum solùm verum æternum Deū, Reges,Duces,Principes, Marchiones, Comites, & Barones,aliosque Magnates, necnon Communitates Ciuitatum,Villarum, Oppidorum, vt qui personaliter non accesserint in obsidium Terræ Sanctæ, competentem conferant numerum bellatorum,cum expensis ad triennium necessariis,secundùm proprias facultates,io remissionem peccatorum suorum, provt in generalibus literis est eapressum, & ad maiorem cautelam etiam inferius exprimemus. Huius remissionis volumus esse participes, non solùm eos, qoi naues proprias eahibent, sed etiam illos, qui propter hoc opus,naues studuerint fabricare.

§. 6. Renuen

Renuentibus, quę commi nandi extremum Dei iudicium.

§. 6. Renuentibus autem, si qui fortè tam ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte Apostolica firmiter protestamur, vt se sciant super hoc nobis in nouissimo districti examinis die, coram tremendo iudicio responsuros. Prius tamen considerantes, quæ conscientia, quáue securitate confiteri poterunt coram vnigenito Dei filio IESV CHRISTO, cui omnia Pater dedit in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo seruire renuerint in hoc negotio quasi propriè sibi proprio, cuius munere viuunt, cuius beneficio sustentantur, quin etiam cuius sanguine sunt redempti.

Contributio huius Pontif. de pecuniario subsidio vltra nauigium.

§. 7. Ne verò in humeros hominum onera grauia & importabilia imponere videamur, quæ digito nostro mouere nolumus, similes illis qui dicunt vtique, sed non faciunt; ecce nos de his, quæ vltra necessarias & moderatas expensas potuimus reseruare, triginta millia librarum in hoc opus cōcedimus & donamus, præter nauigium, quod Cruce signatis de Vrbe atque vicinis partibus conferimus assignatur, nihilominus ad hoc ipsum tria millia marcarum argenti, quæ apud nos de quorundā fidelium eleemosynis remanserunt, aliis in necessitates & vtilitates prædictæ Terræ per manus fel. mem. Abbatis Hierosolymitani Patriarchæ, ac Magistrorum templi, & hospitalis fideliter distributis.

Contributio Clericorū ad triennium de 20. parte fructuum beneficiorum.

§. 8. Cupientes autem alios Ecclesiarum Prælatos, necnon Clericos vniuersos, & in merito, & in præmio habere participes & consortes, ex communi Concilij approbatione statuimus, vt omnes omnino Clerici, tam Subditi, quàm Prælati, vigesimam partem Ecclesiasticorum prouentuum vsque ad triennium conferant in subsidium Terræ Sanctæ, per manus eorum qui ad hoc Apostolicæ fuerint prouidentia ordinati. Quibusdam dumtaxat religiosis exceptis, ab hac prætaxatione merito eximendis. Illis similiter qui assumpto vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi.

Contributio S.R.E.Cardinalium de 10 parte eorundem fructuū.

§. 9. Nos autem & fratres nostri S. R.E. Cardinales plenariè decimā persoluimus, sciantque se omnes ad hoc fideliter obseruandum, per excommunicationis sententiā obligatos, ita quod illi qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Crucesignatorum exemptio à collectis, & aliis impositionibus, & susceptio sub protectione S. R. Ecclesiæ.

§. 10. Sanè quia iusto iudicio cœlestis Imperatoris obsequiis inhærentes, speciali decet prærogatiua gaudere, cum tempus proficiscendi annum excedat in modico, Crucesignati à collectis vel talliis, aliisque grauaminibus sint immunes. Quorum personas & bona post Crucem assūptam, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, vt sub Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prelatorum Ecclesiæ defensione consistant. Propriis nihilominus Protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita vt donec de ipsorū obitu vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta. Et si quisque contra præsumpserit, per censuram Ecclesiasticam compescatur.

Relaxio vsurarum pro eisdem Cruce signatis, cū dilatione soluēdi sortē principalem suorum debitorum.

§. 11. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas vsuras iuramento tenentur astricti, creditores eorum, vt remittant eis præstitum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit vsurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus. Iudæos verò ad remittendas vsuras per sæcularem impelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint ab vniuersis Christi fidelibus per excōmunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. His autem qui Iudæis debita soluere nequeunt in præsenti, sic Principes sæculares vtili dilatione prouideant, quod post iter arreptum, vsquequo de ipsorum obitu vel reditu certissimè recognoscatur, vsurarum incommoda non incurrant. Compulsis Iudæis prouētus pignorum, quos interim ibi perceperint, in sortem, expensis deductis necessariis computare; cum huiusmodi beneficium non multum videatur habere dispendij, quod solutionem sic prorogat, quòd debitum non absorbet. Porrò Ecclesiarum Prælati qui in exhibenda iustitia Crucesignatis & eorum familiis negligenter extiterint, sciant se grauiter puniendos.

Damnatio Piratarū impedientium

§. 12. Cæterum quia Cursarij, & Piratæ nimium impediunt subsidium Terræ Sanctæ, capiendo & expoliando transeuntes ad illā, & redeuntes ab ipsa, nos speciales adiutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus. Sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet aliquo venditionis, vel emptionis contractu, & iniungentes Rectoribus Ciuitatum & locorum suorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare peruersos, nihil aliud est quàm fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, in personas & terras eorum per Ecclesiarum Prælatos seueritatem Ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri.

d. subsidium eorumq; fautorum.

Excommunicatio Christianorum deferentium arma, &c. ad Saracenos.

Hoc latius vide dispositum in Bulla Cœnæ Domini quam indicabo infr. in Sanctiss. D. N. Pauli V. const. 45. Paulina.

§. 13. Excommunicamus præterea & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & populum Christianum Saracenis arma, ferrum & lignamina deferunt galearum. Eos etiam qui galeas eis vendunt, vel naues, quique in piraticis Saracenorum nauibus curam, & gubernationem exercent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt auxilium, consilium vel fauorem in dispendium Terræ Sanctæ, ipsarum rerum suarum priuatione mulctari, & capientium seruos fore censemus. Præcipientes vt per omnes Vrbes maritimas diebus Dominicis & festiuis huiusmodi sententia innouetur, & talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum quod ex substantia tam damnata perceperint, & tantundem de sua subsidium prædictæ Terræ transmiserint, vt æquo iudicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod si forte soluendo non fuerint, aliàs hic reatus talium castigetur, quod in pœnā ipsorum aliis interdicatur audacia similia præsumendi.

Prohibitio transmittendi naues in Terras Saracenorum.

§. 14. Prohibemus insuper omnibus Christianis, & sub anathemate interdicimus, ne in Terras Saracenorum, qui partes Orientales inhabitant vsque ad quadriennium transmittant, aut transeant naues suas, vt per hoc volentibus transfretare in subsidiū Terræ Sāctæ maior nauigij copia, præparetur, & Saracenis prædictis subtrahatur auxiliū, quod eis consueuit ex hoc non modicū prouenire.

Interdictio torneamentorum.

§. 15. Licet autem torneamenta sint in diuersis Conciliis sub pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negotium plurimum impeditur, nos illa sub pœna excommunicationis firmiter prohibemus vsque ad triennium exerceri.

Ad hoc habes prohibitionem Concil. Trid. & Bullā Greg. XIII. n. 78.

Indictio pacis vniuersalis inter Principes Christianos ad quadriennium.

§. 16. Quia verò ad hoc negotium exequendum, est permaximè necessarium, vt Principes & Populi Christiani ad inuicem pacem obseruent; sancta Vniuersali Synodo suadente statuimus, vt saltem per quadriennium in toto Orbe Christiano seruetur pax generaliter, ita quod per Ecclesiarum Prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treguam inuiolabiliter obseruandam. Et qui acquiescere fortè contempserint, per excommunicationem in personas & interdictum in terras arctissimè compellantur, nisi tanta fuerit iniuriarum malitia, quòd ipsi, tali non debeant pace gaudere. Quod si fortè censuram Ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immeritò formidare, ne per auctoritatem Ecclesiæ, circa eos tanquam perturbatores negotij Crucifixi, sæcularis potentia inducatur.

Indulgentia proficiscentiū ad subsidium Terræ Sanctæ aut aliterquomodo subuenientium, vel auxilium præstantium.

§. 17. Nos igitur omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis (licèt indignè) Deus ligandi atque soluēdi contulit potestatem, omnibus, qui laborē in propriis personis subierint & expensis, plenā suorum peccaminū, de quibus liberaliter fuerint corde contriti & confessi, veniā indulgemus, & in retributione iustorum, salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinauerint, & illis similiter, qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis, volumus, & concedimus esse participes, iuxta qualitatem subsidij, & deuotionis affectum, omnes qui ad subuentionem ipsius Terræ de bonis suis congruè ministrabunt, aut cōsilium & auxilium impenderint opportunū. Omnibus etiā piè proficiētibus in hoc opere, in cōmuni Vniuersalis Synod. omnium beneficiorū suorū suffragiū impartimur, vt eis dignè proficiat ad salutē. Amen.

Dat. Laterani 19. Kal. Ianu. Pont. nostri an. 18. *alias* 8. *Dat. P. A. 18. die 14. Dec.*

HONORIVS TERTIVS PONT. CLXXIX.
ANNO DOMINI MCCXVI.



HOnorius III. Romanus, Centius antea vocatus, Haymerici de Sabellis natus, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli tituli Pammachij, Creatus Peruſiæ die 1. Auguſti, & coronatus die Dominico 9. eiuſdem menſis Anno Domini 1216. Vixit annos 10. menſes 8. Creauit Cardinales 13. Obiit Romæ 15. Kalen. Aprilis 1227. ſepultus ante aram Præſepij in Baſilica S. Mariæ Maioris. Vacauit ſedes diem vnum.

I. Confirmatio legum pro immunitate, libertate, & iuriſdictione Eccleſiaſtica editarum, à Federico II. Romanorum Imperatore.

Eaſdem leges approbauit Bonif. VIII. in cap. Vt Inquiſitionis 18. de Hæretic. in 6. cum clauſula quatenus Dei & Eccleſiæ ſanctæ ſuæ honorem promouent, & hæreticorum exterminium proſequuntur, & ſtatutis canonicis non obſiſtunt. At ipſum Federicum Imperatorem Pontif. iſte coronauit, vt hic habetur in 3. §. Et leges idem Imp. promulgauit contra Hæreticos, quæ habentur inf. in conſt. 1. Innoc. IV. Sed poſtmodum à Pontificis & S. R. E. obedientia diſceſſit, proptereaque excommunicatus fuit à Greg. IX. & Innoc. IV. vt dicam infr. in ipſius Greg. IX. conſt. 13. Rationalis.

Alia de hac materia vide inf. in conſt. 4. Bonif. IX Iuſtis.

Edita, A. D. 1220. HONORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei.*

Confirmatio quæ in rub. HAs leges à Federico Romanorum Imperatore filio noſtro chariſſimo pro vtilitate omnium Chriſtianorum editas, laudamus, & approbamus tanquam in æternum valituras.

Sanctio contra inobedientes. §. 1. Et ſi quis auſu temerario, inimico humani generis ſuadente, quocumque modo has infringere tentauerit, indignationem Dei omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ſe nouerit incurſurum, &c.

Sequitur tenor dictarum legum Federici II.

Has leges habes in tit. de Stat. & conſuetud. poſt Codic. & eas in quibuſdam ſpecialiter confirmauit Innoc. IV. & Clem. IV. vt habetur inf. in d. Innoc. conſt. 9. Ad extirpanda.

§. 2. Federicus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, Marchionibus, Comitibus, cunctiſque populis, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, Salutem & gratiam. *Exordium.*

§. 3. In die qua de manu ſacratiſſimi Patris noſtri Summi Pontificis recepimus Imperij diadema, curauimus ad Dei & Eccleſiæ ſuæ honorem, edere quaſdam leges, quas in præſenti pagina iuſſimus annotari, per totum noſtrum Imperium publicandas, per Imperialia nobis ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus eas quiſque literas, in ſuo diſtrictu irrefragabiliter, & inconcuſsè ſeruet, & ſunt hæ leges. *Promulgatio legum hic contentarum.*

Lex 1. Damnatio omnium ſtatutorum contra libertatē Eccleſiaſticā, & perſonas Eccleſiaſticas editorum & edendorum. Ad decus & honorem Imperij, & laudem Romani Principis, nihil omnino magis videtur accedere, quàm vt expurgatis quibuſdam erroribus, & iniquis quorundam Statutis penitus deſtitutis, de cætero Eccleſia Dei plena quiete vigeat, & ſecura gaudeat libertate. Sanè adeo infidelium quorundam & iniuſtorum iniquitas abundauit, vt non dubitent contra Apoſtolicam diſciplinam, & ſacros Canones ſtatuta ſua confingere contra Eccleſiaſticas perſonas, & Eccleſiæ libertatem. Cùm ergo, diſpoſitione diuina fauente, nihil velit Eccleſia, quæ nihil debet præter bonum appetere, quod nobis eodem concurſu, & eadem non placet voluntate. Nos Federicus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, hac edictali lege irritamus & irrita nuntiamus omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ Ciuitates, vel loca, Poteſtates, Conſules, vel quæcumque aliæ perſonæ, contra libertatem Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticas perſonas edere, vel ſeruare, aduersùs Canonicas, vel Imperiales ſanctiones præſumpſerint. Et ea de capitularibus ſuis mandamus infra duos menſes poſt huius publicationem edicti, penitus aboleri. Et ſi de cætero ſimilia attentauerint, ipſo iure decernimus eſſe nulla, & eos ſua iuriſdictione priuatos, ſuperiori protinus applicanda. Necnon locum vbi deinceps talia præſumpta fuerint, banno mille marcarum præcipimus ſubiacere. Poteſtates verò, Conſules, Rectores, Statutarij, & ſcriptores dictorum Statutorum, necnon & Conſiliarij locorum ipſorum, qui ſecundùm ſtatuta, vel conſuetudines memoratas iudicauerint, ſunt ex tunc ipſo iure infames. Quorum ſententias & actus alios illegitimos præcipimus aliquatenus non tenere. Quòd ſi per annum huius noſtræ conſtitutionis inuenti fuerint contemptores, bona eorum per totum noſtrum Imperium, mandamus impunè ab omnibus occupari. Saluis nihilominus aliis pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis. *Aliam damnationem fecit Carolus IV. Imperator vt infr in Bonif. IX. conſt. cit. in rub. vbi notabo.*

Lex 2. Impoſitionis collectarum contra perſonas, & libertatem prædictas. Item nulla poteſtas, vel perſona, publica vel priuata, collectas ſiue exactiones, angarias, Eccleſiis vel aliis piis locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere, aut inuadere bona Eccleſiaſtica præſumat. Quòd ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia, vel ab Imperio, emendare contempſerint, triplum refundant, & nihilominus banno Imperiali ſubiaceant, quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur. Item quæcumque communitas, vel perſona per annum in excommunicatione facta propter libertatem Eccleſiæ perſtiterit, ipſo iure Imperiali banno ſubiaceat, à quo nullatenus extrahatur, niſi prius ab Eccleſia abſolutus fuerit.

Lex 3. Et Eccleſiaſticarum perſonarum moleſtationis in foro ſæcularium. Item ſtatuimus vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione vel ciuili, trahere ad iudicium ſæculare præſumat, contra conſtitutiones Imperiales & canonicas ſanctiones. Quòd ſi fecerit actor à iure ſuo cadat, & iudicatum non teneat, & Iudex ſit ex tunc iudicandi poteſtate priuatus. Statuimus etiam, vt ſi quis Clericis vel perſonis Eccleſiaſticis iuſtitiam denegare præſumpſerit, tertio requiſitus iuriſdictionem amittat.

Lex 4. Damnatio Hæreticorum cum confiſcatione bonorū. Gazaros, Patarenos, Leoniſtas, Speroniſtas, Arnaldiſtas, Circumciſos, & omnes hæreticos vtriuſque ſexus quocumq; nomine cenſeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus. Præcipientes vt bona talium

confiſcentur,

De qua cōfiscatione vid. inf. in cōst. 9. Innocent. IV. Ad extirpanda.

confiscentur, nec ad eos vlterius reuertantur, ita quod filij eorum ad successiones peruenire non possint, cum longe grauius sit æternam quam temporalem offendere Maiestatem. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles (nisi ad mandatum Ecclesiæ iuxta considerationem suspicionis, ac qualitatem personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint) tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur. Ita quod si sic per annum manserint, ex tunc eos sicut hæreticos condemnamus.

Lex 5. Præceptum quòd Terrarum Rectores, hæreticorum exterminationem curare iurent.

Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, vt Potestates, Consules, seu Rectores, quibuscumq; fungantur officiis, pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quòd de Terris suæ iurisdictioni subiectis, vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt. Ita quodámodo quandocumque fuerit quis in potestatem, siue perpetuam vel temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum iuramento firmare. Alioquin nec pro potestatibus, nec pro consulibus habeantur, & eorum sententias irritas ex tunc decernimus & inanes.

Lex 6. Dominus temporalis, vel Communitates, si eorum Terras hæreticis non expurgant post annum ab Ecclesia requisiti, eas occupent Catholici.

Si verò dominus temporalis, requisitus & admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, post annum à tempore admonitionis elapsum, Terram illius ipsis exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent. Saluo iure domini principalis, dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat. Eadem nihilominus lege seruata, contra eos, qui non habent dominos principales.

Lex 7. Dānatio fautorum hæreticorum. Hoc idem statuit Nic. III. inf. in eius const. 2. Noueris.

Credentes præterea receptatores, defensores, & fautores hæreticorum bannimus, firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit ab Ecclesia excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendum aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium, admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocumque, negotiis, id ipse aliis respondere cogatur. Quod si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam habeat firmitatem, nec causę aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per eum confecta, nullius penitus sint momenti. Nauigia quocumque locorum peruenerint, si quo casu contingenti rupta fuerint, vel aliter ad terram peruenerint, tam nauigia, quam nauigantium bona illis integrè reseruentur, ad quos spectabant antequam nauigium illud periculum incurrisset. Sublata omnium locorum penitus consuetudine, quæ huic aduersatur sanctioni, nisi talia sint nauigia quæ piraticam exerceant prauitatem, aut sint nobis, vel Christiano nomini inimica.

Lex 8. Transgressoribus pœnas infligit.

Transgressores verò huius nostræ constitutionis bonorum suorum publicatione mulctentur. Et si res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum nostrum modis aliis compescatur.

Lex 9. Peregrinorum & aduenarū libera receptatio, & de suis bonis disponendi facultas.

Omnes peregrini & aduenæ, liberè hospitentur vbi velint, & hospitati, si testari voluerint de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem, quorum ordinatio inconcussa seruetur. Si qui verò intestati decesserint, ad hospitem nihil perueniat, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci tradantur hæredibus (si fieri potest) vel in pias causas erogētur. Hospes verò si aliquid de bonis talium, contra hanc constitutionem nostram habuerit, triplum Episcopo restituat, cui visum fuerit assignandum, non obstante statuto aliquo, seu consuetudine, seu priuilegiis, quæ hactenus contrarium inducebant. Si qui autem, contra præsumpserint, eis de rebus suis testandi interdicimus facultatem, vt in eo puniantur, in quo deliquerint, aliàs prout culpæ qualitas exegerit puniendi.

Lex 10. Agricultorū securitas.

Agricultores, & circa rusticationem occupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint quacumque parte Terrarum, itavt nullus inueniatur tam audax, qui personas, vel boues, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit, quod ad operam rusticalem pertinet, inuadere, capere, aut violenter auferre præsumat. Si quis autem huiusmodi statutum ausu temerario violare præsumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamiam ipso iure incurrat imperiali animaduersione nihilominus puniēdus.

II.

Approbatio Ordinis B. Dominici sub regula S. Augustini.

Hic Dominicus Sanctorum Confessorum Catalogo adscriptus & Canonizatus fuit à Greg. IX. vt inf. in sua cōst. 8. Fons. Et hic Ordo à Sede Apost. ante alios Ordines Mendicantium approbatus fuit, illisque præcedit, vt in Pij V. const. 71. Diuina, vbi notabo. Multisque gratiis donatus fuit, vt inf. in const. 11. & 12. Clem. IV. Prouidētia & Ordinis & const. 4. Bonif. VIII. Ad augmentum, & latius in const. 7. Gregor. XI. Virtute, & constit. 7. Six. IV. Regimini, & alia const. 19. Sacri, & Pij V. const. 11. Dum ad vberes, cum ibi not.

Idem Ordo verè de Mendicantibus declaratur à Pio V. inf. in sua const. 44. Romanus. Eiusque Prælati latè dispensant cum suis Fratribus, vt in alia eius const. 132. Romani. Clemens VIII. habitum Ordinis præfiniuit in const. 104. Ex iniuncto. Et ambitum prohibuit, in const. 7. Religiosos. Habet idem Ordo Sorores & Fratres Tertij Ordinis, de quibus vide in constit. 1. Innocen. VII. Sedis, vbi notabo.

Contra extrahentes, seu permittentes vt extrahantur libri, aut quinternæ, vel folia manuscripta à Bibliothecis Fratrum dicti Ordinis excommunicationem, & alias pœnas statuit S.D.N. Vrb. VIII. vt in const. 54. Cum sicut inf. tom. 4. Et quomodo valeant dicti Fratres priuatim tractare de Conceptione B. Virginis Mariæ, vide ad Greg. XV. Const. 29. Sanctissimus d. tom. 4.

Edita, A. Dñi 1216.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Dilectis filiis Dominico Priori sancti Romani Tolosanensis, eiusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat.

Approbatio Ordinis S. Dominici.

§. 1. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam S. Romani Tolosanensis, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & B. Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Facultas quæcumque bona possidendi.

§. 2. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia, in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus, & illibata permaneant.

Specificatio quorundam locorum Ordinis.

§. 3. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Prulliano, cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Cassenolio, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariæ de Lescura, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale Tolosanen. quod dicitur Arnaldi Betardi, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Trinitatis de Lobens, cum omnibus pertinentiis suis. Decimas à Venerabili fratre nostro Fulcone Tolosanensi Episcopo, de assensu Capituli sui vobis pia & prouida liberalitate concessas, prout in eorundem literis pleniùs continetur.

Exemptio à Decimis.

§. 4. Sanè noualium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, siue de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Facultas recipiendi ad Ordinem.

§.5. Liceat quoque vobis, Clericos vel Laïcos, liberos & absolutos, è sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibitio inde discedendi.

§.6. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum, post factam in Ecclesia vestra professionem, fas sit sine Prioris sui licentia, de eodem loco, nisi arctioris Religionis obtentu discedere. Discedentem verò absque communi literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere.

Parochiales Ecclesias tenendi.

§.7. In parochialibus verò Ecclesiis quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Diœcesano Episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, vt ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus, debeant respondere.

Prohibitio imponendi Ordini nouas exactiones.

§.8. Statuimus præterea vt nulli liceat, Ecclesiæ vestræ nouas & indebitas exactiones imponere, aut in vos vel prædictam Ecclesiam vestram, sine manifesta & rationabili causa, excommunicationis vel interdicti sententias, promulgare. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare.

Licentia petendi Chrisma, &c. ab Ordinario, & deinde ab alijs.

§.9. Chrisma verò & Oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, à Diœcesano suscipiatis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine prauitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis, quemcumque malueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatis, impendat.

Mortuosque in Ecclesiis Ordinis sepeliendi.

§.10. Sepulturam quoque ipsius loci, liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint (nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint) nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Declarationē vide infr. in const. 7. Sixt. II. Regimini.

§.11. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia, præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars maioris & sanioris consilij, secundùm Deum, & B. Augustini regulam, prouiderint eligendum.

Licentia credidi alium Priorē obeunte ll. Dominico.

§.12. Libertates quoque & Immunitates antiquas, & rationabiles consuetudines, Ecclesiæ vestræ concessas, & hactenus obseruatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus.

Approbatio immunitatū Ecclesiæ Tolosana.

Sanctio pœnalis in Ordinis perturbatores.

§.13. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur, eorum pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, Salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesani Episcopi canonica Iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisvè persona hanc nostræ constitutionis paginam sciēs contra eam temerè venire tentauerit, secundò tertióve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & sacratissimo corpore, ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat.

Benedictio pro eius conseruatoribus.

§.14. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri IESV-CHRISTI: quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen.

Papæ subscriptio.

Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Cardinalium subscriptiones.

Ego Nicolaus Tusculanensis Episcopus.
Ego Guido Prænestin. Episcopus.
Ego Vgolinus Hostiensis & Velletrensis Episcopus.
Ego Pelagius Albanensis Episcopus.
Ego Cinthyus tit. S. Laurentij in Lucina Presb. Card.
Ego Leo tit. S. Crucis in Hierusalem Presb. Card.
Ego Robertus tit. S. Sixti in monte Cælio Presb. Card.
Ego Stephanus Basilicæ xij. Apostolorum Presb. Card.
Ego Gregorius tit. S. Anastasiæ Presb. Card.
Ego Petrus tit. S. Laurentij in Damaso Presb. Card.
Ego Thomas tit. S. Sabinæ Presb. Card.
Ego Guido S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card.
Ego Octauianus SS. Sergij & Bacchi Diac. Card.
Ego Ioannes SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.
Ego Gregorius S. Theodori Diac. Card.
Ego Raynerius S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card.
Ego Romanus S. Angeli Diac. Card.
Ego Stephanus S. Adriani Diac. Card.

Datum Romæ, apud S. Sabinam, per manum Raynerij Prioris S. Fridiani Lucanæ Diœcesis S.R.E. Vicecancellarij 11. Kal. Ianuarij Indictione 5. Incarnationis Dominicæ Anno 1216. Pontific. verò D. Honorij Papæ III. A.P. *Dat. P. An. 1. die 22. Nouemb.*

Quòd Fratres Ordinis Carthusiensis, ab eorum solitudine per neminem distrahantur, vel testimonium ferre, iuramentumvè calumniæ subire compellantur. III.

Hunc ordinem approbatum vide supr. in const. 7. Alex. III. Cum vos, fol. 64. vbi alia notaui.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis in quorum Diœcesibus sunt domus Carthusien. Ordinis constituta, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita, A. D. 1218.*

Nemo Carthusianos audeat impedire.

CVm dilecti filij Fratres Carthusiensis Ordinis, acceptis pennis columbæ in mentis solitudinem euolatur, illicque pro suis, & aliorum peccatis gemendis in ara cordis, mactatis carnalibus desideriis holocaustum offerentes Domino semetipsos, ne pedes quos lauerant cogantur iterum inquinare, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, quilibet vestrûm Parochianos suos, qui eos præsumpserint temerè molestare, vt super hoc eis debitam satisfactionem impendant, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota compellat.

Vel ad testificand. aut calumniæ iuramentum subeundum compellat.

§.1. Et quoniam iidem, vt credimus, ad calumniam proiecerunt, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis Priores, seu fratres Ordinis memorati subire compellat calumniæ Iuramentum, nec iidem ad ferendum testimonium cogantur inuiti.

Datum Lateran. Quinto Idûs Februarij, Pontificatus nostri Anno Secundo. *Dat. P. An. 2. die 9 Feb.*

Quòd Ecclesia S. Ioannis in Laterano de Vrbe, centenaria gaudeat præscriptione, sicut Ecclesia Romana. IV.

Eandem sanctionem edidit Greg. IX. die 23. Aprilis 1227. quam præterij, tanquam idem ferè ad verbum continentem.

Hanc Ecclesiam super omnes Vrbis, & Orbis Ecclesias præstare, aliaque indulta habere, notabo inf. in const. 5. Greg XI. Super.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis, Priori, & Conuentui Lateranen. Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita, A. D. 1221.*

Exordium.

SEdis Apostolicæ circumspectio, quæ circa omnes Ecclesias suæ prouidentiæ consueuit adhibere cautelam, illatum Indemnitatibus propensiori debet studio præcauere, quæ ipsi tanquam membra capiti cohærentes, specialis sibi necessitudinis vinculo sunt astrictæ.

Priuilegium centenariæ præscriptionis.

§.1. Inde est, quòd cùm Lateranensis Ecclesia speciale membrum Apostolicæ Sedis existat, statuimus, & sancimus, vt sicuti contra Romanam Ecclesiam, non, nisi centenaria, currit præscriptio, secundum Constitutiones Canonicas, & legitimas sanctiones, ita quoque ipsi Ecclesiæ minoris temporis præscriptio non obsistat. Nulli ergo omnino, &c. Si quis autem &c.

Dat. Lat. Nono Kal. Maij, Pontific. nostri Anno Quinto. *Dat. P. An. 5. die 23. Apr.*

Approbatio

V. Approbatio Regulæ & Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci.

Iste Franciscus Sanctorum Confessorum numero adscriptus fuit à Greg. IX. vt inf. in eius const. 5. Miro. Et tres Ordines instituti & vnicuique suam regulam constituit. Quorum primus Ordo est horum Fratrum Minorum, qui huius Regulæ stricta obseruãtia omissa, vixerunt iuxta priuilegia obtenta à Sede Apostolica, & nomen Conuentualium sortiti sunt tempore Innoc. IV. vt inf. in eius const. 7. Cum tanquam. Et multas d. Regulæ declarationes habuerunt, quas prætermisi, cum aliquæ sint inter Extrauagantes, & sunt comprehensæ inf. in const. 13. Mar. V. Cum generale, & in const. 103. Pij IV. Sedis. Prout & aliæ etiam sunt eorũ reformationes vltra prædictas Martin. & Pij, nempe Pij V. in const. 61. Ad extirpandos, & const. 66. Illa nos. Et ex istis Conuentualibus, aliqui Eremitæ effecti sunt, qui Capuccini nũcupantur, vt inf. in const. 21. Clem. VII. Religionis. Nonnulli autem sunt Reformati, de quibus vide in const. 68. Six. V. Apostolici. Multi verò redierũt ad obseruantiam d. primæ Regulæ, & seorsum stant à Conuentualibus, & dicũtur de Obseruantia, vt inf. in const. 6. Leon. X. Merentur, cum ibi not. Et ex istis etiam sunt plures, qui de strictiori Obseruantia dicuntur, licèt prædictorum de Obseruantia Prælatis subsint, vt inf. in const. 35. Clem. VII. In suprema, & in aliis Bullis ibi indicandis.

Alium & secundùm Ordinem, Regulamque Sororum, seu Monialium instituit, de quibus vide infrà in const. 12. Innoc. IV. Solet, & ibi notabo. Tertium verò Ordinem pro Sæcularibus instituit, qui Tertiarij nuncupantur, de quibus vide infrà in const. 2. Nicol. IV. Supra Montem, vbi pariter notabo. Sed ex his Tertiariis, Congregatio Regularium emanauit, vt infrà in Leo. X. const. 42. Inter cætera, vbi videas.

Adde, quod istis Conuentualibus, vt semel in mense prima die non impedita festo nouem lectionum, officium de ipso S. Francisco, prout in die festo eiusdem recitatur, recitare possint, indulsit Paul. V. in Const. 102. Domini nostri inf. tom. 3. Et eisdem ambitum interdixit idem Paul. in Const. 116. Admonemur d. tom. 3. Et Collegium pro studentibus dd. Cõuentualium in Insula Meleuitana sub inuocatione S. Antonij de Padua instituit idem Paul. in Const. 121. In supereminenti, & aliud in Ciuitate Pragæ sub titulo S. Bonauenturæ instituit Greg. XV. In const. 51. in supereminenti inf. tom. 4. Demum dicti Conuentuales in eorum Capitulo generali celebrato Anno 1655. multas ediderunt Constitutiones, quas Vrbanas appellatas confirmauit S.D.N. Vrb. III. Const. 88. Militantis inf. tom. 4. De Capucinis verò, & aliis tam de familia, quàm de Obseruantia, quam strictioris Obseruantiæ addam ad proprias vtrasque Bullas.

Edita A. D. 1223.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Dilectis filijs, Fratri Francisco, & alijs fratribus de Ordine Fratrum Minorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Confirmatio Regulæ Fratrũ Minorum d. Francisci.

SOlet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium desideriis fauorem beneuolum impartiri. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris piis precibus inclinati, Ordinis vestri regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus. Quæ talis est.

In Nomine Domini.

Incipit Regula, & Vita Fratrum Minorum.

CAP. I.

Regula & Vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri IESV CHRISTI sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiã domino Papæ Honorio, ac Successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ. Et alij fratres teneantur fratri Francisco, & eius successoribus obedire. *De Obseruantia Regulæ.*

CAP. II.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros prouinciales, quibus solummodo & non aliis, fratres recipiendi licentia concedatur. Ministri verò diligenter examinent eos de fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis. Et si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vsque in finem firmiter obseruare, & vxores non habeant, vel si habent, & Monasterium iam intrauerint vxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate Diœcesani Episcopi voto continentiæ iam emisso, & illius sint ætatis vxores, quòd non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Euangelij, quòd vadant, & vendant omnia sua bona, & ea studeãt pauperibus erogare. Quòd si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caueãt fratres, & eorum Ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, vt liberè faciant de rebus suis quicquid Dominus inspirauerit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri, mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Posteà concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine capucio, & cingulum, & brachas, & caparonem vsque ad cingulum, nisi eisdem Ministris aliud secundùm Deum aliquando videatur. Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitã istam, & Regulam semper obseruare. Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire iuxta mandatum Domini Papæ. Quia secundùm sanctum Euangelium nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro aptus est regno Dei. Et qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam sine capucio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur, & possint ea repeciare de saccis, & aliis petiis cum benedictione Dei. Quos moneo, & exhortor, ne despiciant, neque iudicent homines, quos mollibus viderint vestimentis, & coloratis indutos, vti cibis, & potibus delicatis; sed magis vnusquisque iudicet, & despiciat semetipsum.

De His qui vellẽt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant. Quatuor declarationes vide in Martin. V. cit. in rub. Et alia 17. Declarationes sunt in d. Bul. Pij IV. ibid. cit.

CAP. III.

Clerici faciant diuinum officium secundùm ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto psalterio, ex quo habere poterunt breuiaria. Laici verò dicãt vigintiquatuor Pater noster pro Matutino; pro Laudibus quinque. Pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum septem. Pro Vesperis autem duodecim; pro Completorio septem, & orent pro defunctis. Et ieiunent à festo omnium Sanctorum, vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania Domini vsque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto Ieiunio consecrauit, qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sint à Domino, & qui nolunt, non sunt adstricti, sed aliam vsque ad Resurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur fratres nisi feria sexta ieiunare: tempore verò manifestæ necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali. Consulo verò, moneo, & exhortor fratres meos in Domino IESV CHRISTO, vt quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent. Sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate cogantur. In quamcumq; domum intrauerint, primùm dicant, Pax huic domui. Et secundùm S. Euangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.

De Diuino Officio, & Ieiunio, & quomodo Fratres debeãt ire per mundum. Tres declarationes sunt in d. Bulla Mart. V. Et alia 17. sunt in d. Bulla Pij IV.

CAP. IV.

Præcipio firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo *Quod Fra-*

denarios,

... res non recipiant pecuniam. ... declarationes sunt in eadem Bulla Martin. V & aliæ in d. Bulla Pij IV.

denarios, vel pecuniam recipiant, per se vel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri tantum, & Custodes, sollicitam curam gerant secundum loca, & tempora, & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire. Eo semper saluo, vt, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

CAP. V.

Modo laborandi.
Vna est declaratio in eadem Bulla Martin. V & aliæ sex in d. Bulla Pij IV.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborẽt fideliter & deuotè, ita quòd excluso otio animę inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguãt, cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede verò laboris, pro se & suis fratrib⁹ necessaria corporis recipiãt, pręter denarios, vel pecuniã, & hoc humiliter, sicut decet seruos DEI, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

CAP. VI.

Quod nihil approprient sibi Fratres & de eleemosyna petenda, & de Fratribus infirmis.
Vnica extat declaratio in d. Bulla Pij IV.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos, hæredes & Reges Regni Cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit. Hæc sit portio vera, quæ perducit in terram viuentium, cui dilectissimi fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri in perpetuum sub cœlo habere velitis. Et vbicumque sunt, & se inuenerint Fratres, ostendant se domesticos inuicem inter se, & securè manifestet vnus alteri necessitatem suam. Quia si mater diligit & nutrit filium suum carnalem, quantò diligentius quis debet diligere, & nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei seruire, sicut vellent sibi seruiri.

CAP. VII.

De Pœnitentia Fratrib. peccantibus imponenda.
Vna est declaratio d. Martin. V. & aliæ decem d. Pij IV.

Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad Ministros Prouinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quam citius poterunt sine mora. Ipsi verò ministri si Presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis pœnitentiam. Si verò Presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundùm Deum melius videbitur expedire. Et cauere debent, ne irascantur, & conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira, & conturbatio, in se & in aliis impediunt charitatem.

CAP. VIII.

Electio generalis Ministri Fraternitatis, & de Capitulo Pentecostes. Sex sũt declarationes d. Martini V & aliæ septem d. Pij IV.

Vniuersi fratres vnum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere generalem Ministrum, & seruum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente electio successoris fiat à Ministris prouincialibus, & Custodibus in capitulo Pentecostes, in quo prouinciales Ministri teneantur semper in simul conuenire, vbicumque à generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum prouincialium, & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium, & communem vtilitatem fratrum, teneantur pręd. fratres quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum verò Pentecostes possint, si voluerint & eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodiis semel fratres suos ad Capitulum conuocare.

CAP. IX.

Prædicatoribus.
Quinque editis declarationes Mart. V in d. Bulla, & aliæ octo Pius IV. in Bulla præcit.

Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitùs audeat prædicare, nisi à Ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo officium prædicationis sibi concessum. Moneo quoque, & exhortor fratres, vt in prædicatione quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad vtilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia, & virtutes, pœnã, & gloriam, cum breuitate sermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

CAP. X.

Admonitio, & correctione Fratrum.
Nouem alibi declarationes d. Mart. IV. & aliæ quatuor d. Pius VI.

Fratres, qui sunt Ministri & serui aliorum fratrum, visitent, & moneant fratres suos, & humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, & regulam nostram. Fratres verò, qui sunt subditi, recordentur quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris, in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sint contraria animæ, & regulæ nostræ. Et vbicumque sunt fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant, & possint recurrere. Ministri verò charitatiuè, & benignè eos recipiant, & tãtam familiaritatem habeant circa ipsos, vt dicere possint eis, & facere sicut domini seruis suis; nam ita debet esse, quod Ministri sint serui omnium fratrum. Moneo quoque, & exhortor in Domino IESV CHRISTO, vt caueant fratres ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura, & sollicitudine huius sæculi, detractione, & murmuratione. Et non curent nescientes literas discere, sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, patientiam in persecutione, & in infirmitate, & diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt, & arguunt, quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum, qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

CAP. XI.

Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharũ.
Tres sunt declarationes apud d. Mar. & aliæ 7. apud d. Pium IV.

Præcipio firmiter fratribus vniuersis ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum. Et ne ingrediantur Monasteria Monacharum, præter illos quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occasione, inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.

CAP. XII.

Euntibus inter infideles.
Quatuor sunt decl. Mart. V. & aliæ duæ Pij IV.

Quicumque fratrum diuina inspiratione voluerint ire inter Saracenos, & alios Infideles, petant inde licentiam à suis Ministris prouincialibus. Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint idoneos ad mittendum.

Protectore Ordinis.
De hoc vide infra Bullam Greg. XI.

Ad hæc, per obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalibus, qui sit gubernator, & protector, & corrector istius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem Sanctæ Ecclesiæ stabiles in fide Catholica paupertatem, & humilitatem, & S. Euangelium Domini nostri IESV CHRISTI, quod firmiter promisimus, obseruemus.

Sanctio pœnalis.
D.P. A. 8. die 29. Nouemb.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c.

Dat. Laterani 3. Kal. Decemb. Pontific. nostri Anno 8.

Sequitur hic Testamentum B. Francisci.

Accessio ad Religionem.

§. 1. DOminus dedit mihi fratri Francisco ita incipere facere pœnitentiam, quia cùm essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos; sed ipse Dominus conduxit me inter ipsos & feci misericordiam cum ipsis: & recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis. Et postea paruum steti, & exiui de sæculo.

Oratoria in Ecclesias.

§. 2. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Ecclesiis, vt ita simpliciter adorarem & dicerem: Adoramus te sanctissime Domine IESV CHRISTE, & ad omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Veneratio Sacerdotum.

§. 3. Postea dedit mihi Dominus & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui viuunt secundùm formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ propter Ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius sæculi in Ecclesiis in quibus morantur, nolo prædicare vltra voluntatem ipsorum. Et ipsos & omnes alios volo timere, amare,

&

& honorare ſicut meos Dominos, & nolo in ipſos conſiderare peccatum, quia filium Dei diſcerno in eis, & Domini mei ſunt, & propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc ſæculo de ipſo altiſſimo Filio Dei, niſi ſanctiſſimum Corpus, & ſanctiſſimum Sanguinem ſuum quem ipſi recipiunt, & ipſi ſoli aliis adminiſtrant.

Sacramentorumque.

§. 4. Et hæc ſanctiſſima Myſteria ſuper omnia volo honorare & venerari & in locis pretioſis collocare.

Nominis & verborum Domini.

§. 5. Sanctiſſima nomina & verba ipſius, vbicumque inuenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo quòd colligantur, & in locis honeſtis collocentur.

Et Theologorum.

§. 6. Necnon omnes Theologos, qui miniſtrant nobis verba diuina, debemus honorare, & venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum, & vitam.

Reuelatio Regulæ.

§. 7. Et poſtquam dedit mihi Dominus de fratribus, nemo oſtendebat mihi quid deberem facere, ſed ipſe Dominus reuelauit mihi, quod deberem viuere ſecundùm formam ſancti Euangelij, & ego paucis verbis & ſimplicibus feci ſcribi.

Confirmatio Papæ.

§. 8. Et Dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendum vitam iſtam, omnia quæ habere poterant, dabant pauperibus, Et eramus contenti tunica vna, intus & foris repeciata qui volebant, & cingulo, & brachis.

Recitatio officij.

§. 9. Officium dicebamus nos Clerici ſecundùm alios Clericos. Laici dicebant Pater noſter, & ſatis libenter manebamus in Eccleſ. & eramus idiotæ & ſubditi omnibus.

Exercitium laborandi.

§. 10. Et ego manibus meis laborabam & volo laborare, & omnes alij fratres mei firmiter volo quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem. Et qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendam otioſitatem.

Petitio eleemoſynarum.

§. 11. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini petendo eleemoſynas oſtiatim.

Salutatio pacis.

§. 12. Salutationem mihi Dominus reuelauit vt diceremus, Dominus det tibi pacem.

Humilitas Monaſteriorum.

§. 13. Caueant ſibi fratres, vt Eccleſias & habitacula, quæ pro ipſis conſtruuntur, penitus non recipiant, niſi eſſent ſicut decet ſanctam paupertatem, quam in regula promiſimus obſeruare, ſemper ibi habitantes ſicut peregrini & aduenæ.

Prohibitio petendi indulta à Sede Apoſt.

§. 14. Præcipio firmiter per obedientiam fratribus vniuerſis, quod vbicumque ſunt, non audeant petere aliquam literam in curia Romana, per ſe, vel pro interpoſitam perſonam, neque pro Eccleſia, neque pro aliquo loco, neque ſub ſpem prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum; ſed vbicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam pœnitentiam cum benedictione Dei.

Obedientia Miniſtro & Guardiano.

§. 15. Et firmiter volo obedire Miniſtro generali huius fraternitatis, & illi Guardiano, quem ſibi placuerit mihi dare. Et ita volo eſſe captus in manibus eius, vt non poſſim ire vel facere contra voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt.

Recitatio diuinorum officiorum ſecundùm regulam.

§. 16. Et quamuis ſim ſimplex & infirmus, tamen volo ſemper habere Clericum, qui mihi faciat officium ſicut in regula continetur. Et omnes alij fratres teneantur per obedientiam obedire Guardianis ſuis, & facere officium ſecundùm regulam.

Correctio Fratrum vagantium.

§. 17. Et qui inuenti eſſent, quòd non facerent officium ſecundùm regulam, & vellent alio modo variare, aut non eſſent Catholici, omnes fratres vbicumque ſunt teneantur per obedientiam, quòd vbicumque inuenerint aliquem ipſorum, proximiori Cuſtodi illius loci, vbi ipſum inuenerint, debeant præſentare, & Cuſtos teneatur per obedientiam ipſum cuſtodire fortiter, ſicut hominem in vinculis, die noctuque ita quòd non poſſit eripi de manibus ſuis, donec repræſentet eum in manibus ſui Miniſtri. Miniſter verò teneatur per obedientiam mittere eum, per tales fratres, qui die noctuque cuſtodiant eum ſicut hominem in vinculis, donec repræſentet eum coram domino Hoſtienſe, qui eſt dominus protector & corrector iſtius fraternitatis.

Declaratio quod hoc teſtamentum, non eſt alia regula.

§. 18. Et non dicant fratres, hæc eſt alia regula, quia hæc eſt recordatio, admonitio, & exhortatio & meum teſtamentum, quod ego frater Franciſcus paruulus veſter facio vobis fratribus meis benedictis, propter quod, regulam quam Domino promiſimus, Catholicè obſeruemus.

Hoc etiam ſtatuit Mart. V. ut in rubr. Prohibitio gloſandi hanc regulam.

§. 19. Et Generalis Miniſter, & omnes alij Miniſtri, & Cuſtodes, teneantur per obedientiam, in iſtis verbis non addere vel minuere, ſed hoc ſcriptum ſemper habeat iuxta regulam, & in omnibus Capitulis, quæ faciunt, quando legunt Regulam, legant & iſta verba. Et omnibus fratribus meis Clericis & Laïcis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant gloſſas in Regula, nec iſtis verbis dicendo, ita volunt intelligi, ſed ſicut dedit mihi Dominus ſimpliciter & purè, dicere & ſcribere Regulam, & iſta verba, ita ſimpliciter & purè ſine gloſſa intelligatis, & cum ſancta operatione obſeruetis vſque in finem.

Benedictio eam obſeruantium.

§. 20. Et quicumque hæc obſeruauerit, in cælo repleatur benedictione altiſſimi Patris cœleſtis, & in terra repleatur benedictione Filij ſui, cum ſanctiſſimo Spiritu Paraclito, & omnibus virtutibus cælorum, & omnibus ſanctis.

Subſcriptio B. Franciſci.

Et ego Frater Franciſcus paruulus veſter, & ſeruus, quantumque poſſum confirmo vobis intus & foris, iſtam ſanctiſſimam benedictionem. Amen.

Exemptio Ordinis Ciſtercienſis, Monachorum S. Benedicti, à ſolutione decimarum. VI.

Approbatur hoc indultum à Mart. V. inf. in eius conſt 8. Militanti. Et ampliatur ab Innoc. VIII. in conſt. 9. Ad Rom. & Pio V. in conſt. 41. Et ſi mendicantium.

Alia huius Ordinis priuilegia attende in Conſtitutionibus Pontificiis, quas tibi indicaui ſuprà in conſt. 1. Paſchal. II. ſol. Deſiderium, vbi plenè notaui. Et de hoc Ordine habes huius Honor. III. diſpoſitiones alias, in cap. 3. de Statu Monachorum.

Edita An. Dñi 1224.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Officialibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos iſta litera peruenerint, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ordo Ciſtercienſis ad commonitionem Innoc. III. decreuit ſoluere decimas de terris acquirendis, his Eccleſiis quibus antea ſoluebantur.

CVm Abbates Ciſtercienſis Ordinis tempore Concilij generalis, ad commonitionem fælicis mem. Innocentij Papæ prædeceſſoris noſtri, ſtatuerint, vt de cætero fratres ipſius Ordinis, ne occaſione priuilegiorum ſuorum Eccleſiæ vlterius grauarentur, de alienis terris, & ab eo tempore acquirendis, ſi eas propriis manibus, aut ſumptibus colerent, decimas perſoluerent Eccleſiis quibus ratione prædiorum antea ſoluebantur, niſi cum eiuſdem Eccleſiis, aliter decernerent componendum, idē prædeceſſor noſter, quia ſperabat, vt Eccleſiarum Prælati proniores & efficaciores exiſterent ad exhibendum eis de ſuis malefactoribus iuſtitiæ complementum huiuſmodi, ratum habemus & gratum, hoc ipſum ad alios regulares, qui gaudent ſimilibus priuilegiis extendi voluit & mandauit.

Iſta commonitio, & ordinis ſtatutum, referuntur ab Innoc. III. in c. nouit. de Decim.

Prælati autem Eccleſiarum, diuerſimode ordinem moleſtarunt ſuper ſolutione decimarum.

§. 1. Sed quod dolentes referimus, in contrarium res eſt verſa, quia, ſicut ex allata querela Abbatum ipſius Ordinis frequenter audiuimus, nonnulli Eccleſiarum Prælati, & alij Clerici, eorum priuilegia temerè contemnentes, & contendentes malitioſè ipſorum peruertere intellectū, eos multipliciter inquietant. Nam cum ſit ipſis indultum, vt de nouailbus, quæ propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, ſiue de hortis, virgultis, & piſcationibus ſuis, vel de ſuorum animalium nutrimentis, nullus ab eis decimas exigere vel extorquere præſumat; quidam peruerſo intellectu confecto, dicentes quòd non poſſunt intelligi, niſi de his quæ ſunt ante dictum Concilium acquiſita, ipſos ſuper his multiplici exactione fatigant.

Hic ideo Pontifex exemptionem à decimis ordini concedit.

§. 2. Nos igitur eorum quieti paterna ſollicitudine prouidere volentes, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Abbates & fratres eiuſdem Ordinis, à præſtatione decimarum, tam de poſſeſſionibus habitis ante Concilium memoratum, & de nouailbus

fiue

Amplianis M wt.V.ett.an rub.

siue ante, siue post idem Concilium acquisitit, quæ propriis manibus, ac sumptibus excolunt, quam de hortis, virgultis, piscationibus suis, ac de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrûm omnino seruentur immunes.

D P.A. 1. die 9. Nouemb.

Datum Lateran. 5. Idûs Nouembris Pontificatus nostri Anno Nono.

Sequitur alia consimilis exemptionis concessio.

Edita. A.D. 1227.

HONORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Abbatibus & fratribus Cistercien. Ordinis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exemptio à solutione Decimarum.

CVm aliquando cogente necessitate, vel vtilitate propria requirente, terras vestras ante generale Concilium acquisitas, concesseritis aliis excolendas, ne pro eo quod de possessionibus post idem Concilium acquisitis, decimas soluitis, si ad manus vestras taliter concessæ redierint, à quoquam vexari possitis, vt nullus à vobis de huiusmodi terris, quæ ad vos taliter redierint, si eas manibus propriis aut sumptibus colitis, occasione Concilij memorati, decimas exigere, vel extorquere præsumat, auctoritate præsentium inhibemus. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D.P.A 9. die 25. Decemb.

Datum Lateran. septimo Kalend. Decembris Pontificatus nostri Anno nono.

VII. Canonizatio S. Laurentij Archiepiscopi Dublinensis, Regis ac Reginæ Hiberniæ filij, eiusq; relatio in numerũ Sanctorum Confessorum, & Festiuitatis eiusdem præfinitio pro die 14. mensis Nouembris quotannis celebrandæ.

Edita An. D. 1225.

HONORIVS EPISCOPVS, *Vniuersis Christi fidelibus in Rothomagen. Prouincia constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Omnipotens Deus Ecclesiam suam à principio miraculis illustrans, fidelium numerũ auxit.

INeffabilis prouidentia Dei, congruentia singulis quibusque temporibus ordinare dispensans, in splendoribus Sanctorum, Ecclesiam suam quasi ex vtero genuit, dum eos in exordio ipsius nascentis Ecclesiæ crebra miraculorum coruscatione mirificans, & in ipsorũ miraculorum fulgore obstupefaciens gentes, ac prædestinatos in fide generans IESV CHRISTI, in cuius hæc fieri nomine ac virtute videbant, ipsos filiorum adoptionis numero aggregauit.

Postea intermissis miraculis, suscitauit Doctores, qui fideles instruerent & virtutũ fructus fœcundarent.

§. 1. Deinde crescente fidelium numero, & multitudine, populi vocati de tenebris, ambulantes iuxta ipsius vaticinium in lumine Domini Dei sui, mirabilis dispensator in pluuiam fulgura sua fecit, dum signis siue miraculis, quæ non erant iam fidelibus necessaria, intermissis, super nuuos populos, Pastores qui eos pascerent scientia & doctrina, sicut per os Hieremiæ promiserat, suscitauit. Doctores Ecclesiæ scilicet, qui terram cordis fidelium imbre doctrinę complecterant, & extirpatis sentibus vitiorum, eam ad proferendum virtutum germen, & fructum huiusmodi operis fœcundarent.

Deinde ex causis hic indicatis miracula innouat in aliquot eorum fidelium, quos glorificat sunt in cœlis.

§. 2. Cæterum quia charitate frigescente ab exercitio huiusmodi boni operis torpet Catholicus, errore deuio abducente delirat hæreticus, cæcutit velamine adhuc super cor permanente Iudæus, & in tenebris ambulat sidere locis nondum sibi oriente paganus; misericors Dominus, qui neminẽ vult perire, signa interdum innouat, & mirabilia miseratus immutat, ex numero illorum, quos in Ecclesia triumphante glorificat, aliquorum fidem & merita in militante miraculis declarando. Vt per ea Catholici, mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur iustitiam, hæretici errore dimisso, ab inuio reducantur ad viam, Iudæi atque Pagani, vero lumine cognito, de tenebris & vmbra mortis, currant ad Christum, lucem, viam, veritatem, & vitam.

Quorũ vnus est Laurẽtius Dublinensis Archiepiscopus qui in terris, multis miraculis claruit, ideoque eius petitur canonizatio.

§. 3. Sanctæ igitur mem. Laurentio Dublinensis Archiepiscopo apud Ecclesiam S. Mariæ de Ango Rothomagensis Diœces. vbi corpus eius fœliciter requiescit, claris diuino numine coruscãtem miraculis, venerabilis frater noster Archiepiscopus, & Dilecti filij Capitulum Rothomagensis, vna cum Abbate & Conuentu Ecclesiæ supradictæ, multisque aliis Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibus & Religiosis viris, eius venerabilis vitæ insignia, & coruscantia miracula suis nobis literis intimantes, humiliter supplicarunt, vt ipsum Sanctorum Cathalogo adscribere curaremus, quatenus auctoritate Apostolica, dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sic claris signis & euidentibus argumentis apparet honoratus in Cœlis.

Hic ergo Pontifex super illius vita, & miraculis diligenter inquiri præcipit Prælatis hic nominatis.

§. 4. Licet igitur quos diuina honorat dignatio, humana deuotio promptiori affectu debeat honorare; volentes tamen in huiusmodi negotio, secundùm consuetudinem Apostolicæ Sedis cum digna maturitate procedere, præfato Archiepiscopo & N. Decano, & N. Thesaurario Rothomagensis dedimus in mandatis, vt super dicti viri vita & miraculis inquirerent diligentissimè veritatem, & eam nobis fideliter intimarent, vt ea plenè comperta, pio supplicantium desiderio, securiùs annuere valeremus.

Qui alia d. processum transmiserunt, & illi huic Pontif. eum trãsmiserunt.

§. 5. Ipsi autem mandatum nostrum cum diligentia exequentes, quia de præfati viri conuersatione, ac vita, per homines de partibus illis certificari nequibant, eo quòd per partes illas transitum faciens in Ecclesia prædicta correptus infirmitate decubuit, & infra octauum diem ab hac luce migrauit, scripsere Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Dublinensis, vt veritatem super hoc inquisitam, eis per suas literas intimaret. Qui citra mare Hibernicum Illostris Regis Anglorum negotiis occupatus, non valens inquirere id per se ipsum, Venerabilibus Fratribus nostris Parensis Episcopo suffraganeo suo, ac Priori Sanctæ Trinitati Dublinensis commisit in huiusmodi negotio vices suas. Ac demum eorum literas, sanctitatem vitæ, & conuersationis, sæpe dicti viri plenius continentes, suo & ipsorum sigillis munitas destinauit eisdem. Quas vna cum dispositionibus testium super miraculis receptorum, nobis sub sigillis propriis transmisere.

Qui Pontif. certior factus, quod virtutib. claruit.

§. 6. Collegimus autem ex ipsarum serie literarum, quod sæpè dictus vir, Regis & Reginæ Hiberniæ filius extitit, & ab infantia sacris literis eruditus, senilem gessit in iuuentute grauitatem, & mundanarum illecebras vanitatum, à se vltra quam ætas illa solebat, abdicauit.

Et Archiep. creatus oratione, maceratione, & eleemosynis incubuit.

§. 7. Deinde in Archiepiscopum Dublinensis assumptus, sic in virtutem de virtute profecit, vt in oratione assiduus, austerus in maceratione proprij corporis, ac in eleemosynarum largitione profusus, se totaliter Domino dedicarit.

Mortuusque multis miraculis clarnit.

§ 8. Per depositionem verò testium prædictorum constitit euidenter, sanctam vitam eiusdem esse tot sequentibus miraculis comprobatam, quot non patiuam texere historiam, qui volet ea singula scribere seriatim. Sed vt prætereamus quod claudi gressum, cæci visum, surdi auditum, muti loquelam, leprosi mundationem, & variis afflicti languoribus, sanitatem ad inuocationem eius nominis receperunt, & hæc sola quæ inter cætera emicuere miracula referamus.

Mortuos septẽ suscitauit.

§. 9. Idem Sanctus, imo Dominus ob ipsius merita gloriosa septem mortuos, quorum vnus triduanus erat mirificè suscitauit.

Hic ideo Pontifex ipsum Laurentium SS. Confessorum Cathalog. adscribit.

§. 10. De ipsius igitur sanctitate tantis certificati miraculis, diuinumque secuti indicium, per quod eius glorificatio nobis tam euidentibus innotuit argumentis, eundem beatum Virum Cathalogo Sanctorum adscripsimus, & annumerandum decreuimus Sanctorum Collegio Confessorum, ac inter eos à Christi fidelibus venerandũ.

Eiusque festũ die 14. mensis Nouẽbris celebrari decreuit.

§. 11. Statuentes vt eius veneranda festiuitas de cætero annis singulis Octauo decimo Kalendas Decembris solemniter celebretur. Monemus autem Vniuersitatem vestram, & hortamur in Domino, quatenus Deum deuotis mentibus collaudantes, & studentes proficere tantæ virtutis exemplo eiusdem gloriosissimi Confessoris apud Dominum suffragia humiliter imploretis.

Indulgentias etiã eius Ecclesiam visitãtibus elargitur.

§. 12. Nos autem de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad præfatam Ecclesiam in die solemnitatis eiusdem gloriosissimi Confessoris, vel infra octauas cum deuotione accesserint eius orationum suffragia petituri, viginti dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Dat. P. A 10. die 11. Dec.

Dat. Reate, 3. Idûs Decembris Anno decimo.

Appro

VIII. Approbatio Regulæ Ordinis Fratrum Eremitarum B. Mariæ, de Monte Carmelo.

Hanc Regulam primo mitigauit in quibusdam Innoc. IV. infr. in eius const. 6. Quæ honorẽ. Et eam obseruãt vtriusque sexus Carmelitæ illi, qui nomen Discalceatorum sortiti sunt, vt ibi notabo.

Eandem Regulam mitigarunt iterum Eugen. IV. infrà in sua const. 3. Romani, vbi notabo. Necnon & Pius II. ac Sixt. IV. vt habetur infr. in eiusdem Sixt. 11. Dum attenta. Et hanc mitigatam obseruant alij Carmelitę, qui ex hoc vocantur Mitigati. Vniuersus iste Ordo vtitur cappis albis, vt inf. in const. 3. Bonif. VIII. Iustis. Habet certam formã circa alienationẽ bonorũ à Greg XIII. in const. 34. Ex incumbenti. Oleum sanctũ ab Episcopis liberè cõsequitur ex Clem. VIII. const. 57. Exponi. Non iuuatur Cruciata vel alio indulto circa electionẽ Confessorum, ex altera constit. 64. Romani. Præcedit Ordini Fratrum de Mercede, ex alia const. 95. Decet. Non recurrit ad sæcularia Tribunalia, ex altera const. 110. Quoniam. Et habet exemptionem à quarta funeralium ex d. con. 64. Romani, & Pauli V. const. 4. Decet. Ambitusque ei interdictus est ex altera const. 23. Quoniam, eiusdem Clem. VIII.

Edita A. D. 1226. *HONORIVS EPISCOPVS. Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis de Monte Carmelo, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Approbatio Regulæ firmatæ à Patriarcha Hierosolymitano. VT viuendi normam, regulariter à bon. mem. Hierosolymitano Patriarcha editam, quam ante generale Concilium vos dicitis humiliter suscepisse, in posterum vos & Successores vestri, quantum cum Dei adiutorio poteritis, obseruetis, in remissionem vobis iniungimus peccatorum.

Dat. P. A. 10. die 30. Ianij. Dat. Reatæ 3. Kal. Februarij Pontificatus nostri an. 10.

Regulæ prædictæ tenor subsequitur.

Prologus Alberti Patriarchæ Hierosolymitani qui Regulam stabiliuit. ALbertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis in CHRISTO filiis, Brocardo & cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem, in Monte Carmeli morantur, salutem in Dño, & S. Spiritus benedictionem. Multifarie, multisq; modis SS. Patres instituerunt, qualiter quisq; in quocumq; Ordine fuerit, vel quẽcunq; modũ religiosæ vitę elegerit inobsequio IESV CHRISTI viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deseruire. Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositũ vestrum, tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

CAP. I.

De Priore Huic capiti aliquid addit Innoc. cit. in rub. Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem: qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare.

CAP. II.

Cellulis. Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrûm singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

CAP. III.

Mutatione cellularum. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris qui pro tempore fuerit, deputatum sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

CAP. IV.

Cellula Prioris. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat: & de arbitrio, & dispositione ipsius, postmodum quæ agenda sunt, cuncta procedant.

CAP. V.

Mansione in Cellulis. Mitigauit d. Innoc. in c. 7. Et Eug. cit. in rub. Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & orationibus suis vigilantes, nisi aliis iustis occasionibus occupentur.

CAP. VI.

Horis Canonicis Innoc. mitigauit cap. 8. Hi, qui literas nouerunt, & legere Psalmos, per singulas Horas eos dicant, qui ex institutione Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbata consuetudiné ad Horas singulas sunt deputati. Qui verò literas non nouerunt, vigintiquinque vicibus dicant Pater noster, in nocturnis Vigiliis. Exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum Vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur Pater noster vicibus Quinquaginta. Septies autem eadem dicatur Oratio in laudibus matutinis. In aliis quoque Horis septies similiter eadem sigillatim dicatur Oratio: præter Officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

CAP. VII.

Nullus Fratrum sibi dicat aliquid esse proprium: sed sint vobis omnia communia. Et ex his, quæ vobis Dominus dederit, distribuatur vnicuique per manum Prioris, id est, per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout vnicuique opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Ita tamen, vt sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quæ sibi distributa fuerint, singulariter viuant. *Proprietate. Innoc. addit cap. 9.*

CAP. VIII.

Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, vbi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commodè fieri poterit. *Oratorio & Missa.*

CAP. IX.

Dominicis quoque diebus, vel aliis, vbi opus fuerit, de custodia Ordinis tractetis. Vbi etiam excessus, & culpæ Fratrum, si qui de aliquo deprehensi fuerint charitate media corrigantur. *Capitulo & Correctione.*

CAP. X.

Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis, obseruatis, à festo Exaltationis S. Crucis vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis: nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem. *Ieiunio. Mitigarunt Innoc. Eug. & alij cit. in rub.*

CAP. XI.

Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, aut nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ. *Esu carnium. Mitigauit Innoc. c. 13. & d. Eug.*

CAP. XII.

Quia verò militia est vita hominis; & omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur; Aduersarius quoque vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, omni sollicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersùs insidias inimici. *Armis spiritualibus vtdebet.*

Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus sanctis. Scriptum est enim: Cogitatio sancta seruabit te. *Cingulo castitatis.*

Induenda est Lorica iustitiæ: vt Dominum Deum vestrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam vosmetipsos. *Munitione cogitat. Sanctorum. Lorica iustitia.*

Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra. *Scuto fidei.*

Galea quoque salutis imponenda est capiti, vt de solo Saluatore speretis salutem qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. *Galea spei.*

Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris. Et quæcumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant. *Gladio spiritus.*

CAP. XIII.

Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper vos diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquẽ intrandi aditũ ad animas vestras valeat inuenire. Habetis ad hoc B. Pauli Apostoli magisteriũ pariter & exemplũ, in cuius ore CHRISTVS loquebatur. Qui positus est, & datus à Deo prædicator, & doctor gẽtium in fide & veritate: quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore (inquit) & fatigatione fuimus inter vos nocte ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi nos non habeamus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandũ nos. Nam cùm essemus apud vos hæc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nõ manducet. Audiuimus enim inter vos quosdã ambulantes in quiete, nihil operantes. His autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Dño IESV CHRISTO, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Hæc via sancta, & bona: ambulate in ea. *Assiduitate operationis.*

Cap. XIV.

Silentio. Mitigauit idem Innoc. c. 16.

Commendat vobis Apostolus silẽtium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta testatur: Cultus iustitiæ, silentium est. Et rursum: In silentio, & spe erit fortitudo vestra. Ideóque statuimus, vt ab hora Vespertina vsque ad horam Tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi fortè necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat. Alio verò tempore, licet silentij non habeatur obseruatio tanta, diligẽtius tamen à multiloquio caueatur. Quoniam scriptũ est, & non minus experientia docet. In multiloquio non deerit peccatum: & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item, Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Et Dominus in Euangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & fręnos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus eius ad mortem. Custodiens cum Propheta vias suas, non delinquat in lingua sua. Et silentium, in quo cultus iustitiæ est, diligenter, & cautè studeat obseruare.

Cap. XV.

Humilitate Prioris.

Tu autem Brocarde, & quicumq; post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & seruetis in opere, quòd Dominus ait in Euangelio: Quicumq; voluerit inter vos maior esse frater, erit vester minister: & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

Cap. XVI.

Veneratione Prioris.

Vos quoque cæteri Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter: Christum potius cogitantes, quàm ipsum, qui posuit illum super capita vestra. Et Ecclesiarum Præpositis etiam ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem.

Finis d. Regula.

Hęc breuiter scripsimus, vobis cõuersationis vestrę formulã statuentes, secundùm quam viuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dñs cum redierit, reddet ei. Vtatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Dies data Regula.

Ex Achon, Id. Ian. Anno Domini MCLXXI.

GREGORIVS NONVS PONT. CLXXX. ANNO DOMINI MCCXXVII.



GRegorius IX. de Ciuitate Anagnię, in Prouincia Cãpaniæ, Vgolinus anteà dictus Tristerij de Comitib. Signiæ filius, Episcopus Ostiensis, & Veliternus, Innocentij Tertij Nepos, creatus Romæ 13. Kal. coronatus ad S. Petrum 5. Kal. April. 1227. Creauit Card. 13. Vixit annos 14. menses 5. dies 10. Obiit Romæ 11. Kal. Septembris anno 1241. Corpus eius in Basilica S. Petri sepultum est. Vacauit sedes mensem vnum.

Quod quicumque Religiosi ad Eremum Ordinis Camaldulensis transire possint. I.

Hanc potestatem ampliauit Greg. XIII. in const 99. Ea est quia obstabat Bulla Pij V. num. 89. Quæcunque. Cætera de hoc Ordine Camaldulensi notaui sup. in const. 1. Alex. II. Nulli. fol.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Priori Camaldulensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1227.*

Eremi bonum commendatur.

FERVOR & integritas Religionis, quæ in domo tua, & præsertim in Eremo, per beneplacitum Conditoris, vigere cognoscitur, inducit nos propensius, & hortatur, vt petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, prompto velimus animo exaudire.

Priuilegium de quo in rub. Quod ampliatum est, vt in d. rub. notaui.

§. 1. Hac itaque ratione inducti, Tibi & Fratribus tuis auctoritate Apostolica indulgemus, eos qui de aliis Congregationibus venientes in Eremo vestro, dummodo elegerint, & promiserint sub Ordine & habitu vestro, in Eremo perpetuo deseruire, libere sine cuiusq; contradictione, retinere possitis, ita tamen quod non permittantur in sacris ordinibus, nisi de ipsorum ordinatione certi fuerint, ministrare. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

Dat. Anagniæ IX. Kalendas Iulij. Pontificatus nostri anno primo. *D. P. A. 1. die 23. Iunij.*

Canonizatio S. FRANCISCI de Assisio, eiúsque relatio in numerum Sanctorum Confessorum, cum suæ Festiuitatis institutione, pro die quarta Octobris. II.

Iste Franciscus Stigmata IESV CHRISTI in corpore suo portauit, vt declarat hic idem Pont. infr. in const. 12. Confessor. & Alex. IV. in const. 4 Benigna. Tres Ordines instituit, vt notaui suprà in const. 5. Honor. III. Solet. fol. Et ipsius Festiuitatem de præcepto obseruandam esse censuit. Sixt. IV. infr. in const. 3. Præclara.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: &c. *Edita, An. D. 1228.*

Proœmium.

MIra circa nos diuinæ pietatis dignatio, & inæstimabilis dilectio charitatis, quia filiũ pro seruo tradidit redimendo, dona suæ miserationis non deserens, & vineã dextera eius plãtatam continuã protectione conseruans, in illam qui salubriter ipsam excolant, euellentes sarculo ac vomere, quo Samgar sexcentos Philistheos percussit, spinas & tribulos ex eadem, operarios etiam in vndecima hora transmittit, vt superfluitate palmitum resecata, & vitulaminibus spuriis radices altas non dantibus, necnon sentibus extirpatis, fructum suauem afferat, & iucundum, qui prælo patientiæ defæcatus, in æternitatis cellarium transferatur. Impietate profectò velut igne succensa, & frigescente charitate multorum, in eiusdem maceriæ ruderibus, irruentibus Philisthæis potione terrenæ cupiditatis dentibus voluptatis.

Franciscum de Assisio suscitauit Deus in mundo ad conuersionem multorum.

§. 1. Ecce in hora vndecima Dominus qui cum diluuij aqua terram deleret, iustum per lignum, contemptibilem gubernauit, super sortem iustorum virgam peccantium non relinquens, excitauit seruum suum Beatum FRANCISCVM, virum vtique secundùm cor suum, apud cogitationes diuitum lampadem quidem contemptam, sed paratam ad tempus statutum, illam in vineam suam mittens, vt ex ipsa spinas & vepres euelleret, prostratis illam impugnantibus Philisthæis, illuminando patriam, & reconciliari Deo, exhortatione sedula commonendo.

Qui simplici sua prædicatione multos ad viam salutis reduxit.

§. 2. Qui audita interius voce inuitantis amici, impiger surgens, mundi vincula blandientis, quasi alter Sãson, gratia diuina præuentus disrupit, & spiritu feruoris concepto, asiniq; arrepta mãdibula, prędicatione siquidem simplici, nullis verborum persuasibilium humanæ sapientiæ

colo

coloribus adornata, sed tamen Dei virtute potenti, qui infirma mundi eligit, vt fortia quæcumque confundat, non tantum mille, sed multa Philistinorum, eo qui tangit montes, & fumigant, faciente, prostrauit, & in spiritus seruitutem redegit, carnis illecebris antea seruientes. Quibus vitiis mortuis, & Deo viuentibus, iam non ipsis, quorum pars pessima petiit, ex mandibula ipsa egressa copiosa est aqua, reficiens, abluens, & fœcundans lapsos sordidos, & arentes, quæ in vitam æternam saliens absque argento, & commutatione aliqua potest emi, cuius riuuli longè latéque diffusi, vineam irrigant vsque ad mare palmites, & vsque ad flumen propagines extendentem.

Paupertem vitam eligit ieiuniis, vigiliis & nuditate carnem macerauit multisque virtutibus enituit. §. 3. Hic denique Patris nostri Abrahæ imitatus vestigia, mente de terra & cognatione sua, necnon domo patris eius egrediens, iturus in terram quam sibi Dominus, diuina inspiratione monstrarat, vt expeditiùs curreret ad brauium vocationis cœlestis, & per angustam portam posset faciliùs introire, sarcinam terrenæ substantiæ deposuit, se illi conformans, qui cùm diues esset, pro nobis factus est pauper, eamque dispersit, dedit pauperibus, vt sic eius iustitia in sæculum sæculi permaneret. Et in terram visionis accedens, super vnum sibi montium demonstratum, videlicet excellentiam fidei, carnem suam, quia filiam vnigenitam, quæ ipsum interdum deceperat, cum Iepte Domino in holocaustum obtulit, igne supposito charitatis, illam fame, siti, frigore, ac nuditate, vigiliis multis, & ieiuniis, macerando, qua cum vitiis, & concupiscentiis crucifixa, dicere poterat cùm Apostolo: Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Christus: quoniam iam non sibi vixerat, sed Christo potiùs, qui pro peccatis nostris mortuus est, & resurrexit propter iustificationem nostram, vt nullatenus peccato vlteriùs seruiamus. Vitia quoque supplantans, & contra mundum, carnem, & potestates aërias, luctamen assumens viriliter, vxore, villa, bobus, à cœna magna retrahentibus inuitatos, penitùs abdicatis, cùm Iacob Domino iubente surrexit, & gratia spiritus septiformis accepta, octoque sibi assistentibus Beatitudinibus Euangelicis, Bethel domum Dei, quam seipsum præparauit eisdem per quindecim gradus virtutũ, qui mysticè in psalterio continentur, ascendit. Et ibidem altare cordis Domino construens, aromata deuotarum orationum obtulit super eo, per manus Angelicas in conspectu Domini deferenda, conciuis Angelicus mox futurus.

Religionémque Fratrum Minorum, Monialiumq; ac Tertiariorum instituit, vt in rubr. §. 4. Ne verò sibi soli proficeret in monte, tantummodo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, sed sterili, ad Liæ interdictum descendit cubiculum, minaturus gregem gemellis fœtibus fœcundatum ad interiora deserti, pro vitæ pascuis perquirendis, vt illic vbi manna cœlestis dulcedinis reficit, à sæcularium strepitu segregatos, cum lacrymarum effusione semina sua mittens, cum exultatione manipulos, ad æternitatis horrea reportaret, eum populi sui principibus collocandus, corona iustitiæ coronatus. Qui nimirum non quæ sua sunt quærens, sed potiùs quæ sunt Christi, & eidem velut apis argumentosa deseruiens, necnon quasi stella matutina in medio nebulæ, ac quasi Luna plena in diebus suis, & sicut Sol in Ecclesia Dei fulgens, lampadem, & tubam in manus assumpsit, vt lucentium operum documentis humiles attraheret ad gratiam, & proteruos à noxiis tetraheret excessibus, dura increpatione terrendo. Ac sic virtute charitatis afflatus, in castra Madianitarum, Ecclesiæ iudicium declinantium, per contemptum, eo iuuante, qui dum virginali vtero clauderetur, mundũ suo circuibat imperio vniuersum, intrepidus irruit, & abstulit arma in quibus confidebat fortis armatus, atriũ suũ custodiens, & distribuit spolia quæ tenebat, eiusque captiuitatem captiuam, reduxit in obsequium Iesv Christi.

Et tandem obdormiuit in Domino. §. 5. Hoste itaque triplici in terra positus superato, Regno cœlorum vim intulit, & illud rapuit violenter, & post huius vitæ quamplura gloriosa certamina, mundum triumphans, fœliciter migrauit ad Dominum, multos præueniens scientia præditos scienter nescius, & sapienter indoctus,

Miraculisque pluribus claruit. §. 6. Sanè licet eius vita tam sancta, tam strenua, & præclara sibi sufficeret, ad obtinendum consortium Ecclesiæ triumphantis; quia tamen militans, quæ solummodo videt in facie, non præsumit de his, qui de suo foro non sunt, auctoritate propria iudicare, vt illos pro vita tantum venerando assumat, præsertim quia nonnunquam Angelus Satanæ in lucis Angelum se transformat, omnipotens & misericors Deus, de cuius munere venit, quod prædictus famulus Christi, dignè sibi & laudabiliter deseruiuit, tantam lucernam, absconsam sub modio remanere non patiens, sed eam volens super candelabrum collocari, his qui sunt in domo luminis, solatium præbituram, vitam eius sibi fuisse acceptam, & ipsius memoriam esse à militanti Ecclesia venerandam, multis & præclaris miraculis declarauit.

§. 7. Cùm igitur gloriosæ vitæ ipsius insignia ex multa familiaritate, quam nobiscum habuit in minori officio constitutis, plenè cognita nobis essent, & de miraculorum coruscatione multiplici, per testes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei misericordiam, nos & gregem nobis commissum, eius suffragiis adiuuari, & quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cœlis, habito fratrum nostrorum consilio & assensu, ipsum adscribi decreuimus sanctorum Catalogo venerandum. *Hic ideo Pontifex illum catalogo Sanctorum Confessorum adscribit.*

§. 8. Statuentes vt IV. Nonas Octobris, die videlicet quo à carnis ergastulo absolutus, ad æthérea Regna peruenit, ab vniuersali Ecclesia, natalitia eius deuotè ac solemniter celebrentur. *Eiusque festũ die 4. Octob. agi iubet.*

§. 9. Quocirca vniuersitatem vestram, rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipsius, diuinis laudibus alacriter insistentes, eiusdẽ patrocinia humiliter imploretis, vt ipsius intercedentibus meritis, ad eius mereamini consortium peruenire ab illo prestãte, qui est benedictus, in sæcula seculorũ. Amẽ. *Omnes ad illius venerationem hortantur.*

D. Perusij. XIV. Kal. Augusti, Põt. nostri Anno secũdo. *D. P. A. 2. die 19. Iulij.*

III. Oblati Ordinis Carthusiensis gaudent omnibus eiusdem Ordinis prærogatiuis & indultis.

Huius Ordinis institutionem, & alia attende sup. in const. 7. Alex. III. Cum vos fol. 64.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Priori, & Capitulo Carthusien. Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita A. D. 1232.*

Quoties à nobis petitur, quod Religioni & honestati conuenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & iustis petentium desideriis fauorem beneuolum impertiri. *Exordium.*

§. 1. Cùm igitur, sicut vestra petitio, nobis exhibita, continebat septem oblatos, qui redditi vulgariter appellantur, in qualibet domo vestri Ordinis habeatis agriculturæ vestræ operi deputatos, & ipsi relicto sæculo continentiæ voto adstricti, promissa loci stabilitate sub obedientias sine proprio viuere teneantur, Nos vestris precibus inclinati, eosdem sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, auctoritate vobis præsentium indulgentes, vt ipsi eisdem libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quibus gaudeant fratres Ordinis antedicti. *Oblati gaudẽt indultis Ordinis.*

§. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. *Sanctio pœnalis.*

Dat. Reatæ, III. Nonas Februarij, Pontificatus nostri Anno quinto. *Dat. P. An. 5. die 3. Febr.*

IV. Canonizatio S. Antonij Lusitani, de Padua nuncupati, professoris Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci, eiusque relatio in numerum SS. Confessorum, cum institutione eius festiuitatis pro die 13. mensis Iunij.

Hanc Festiuitatem duplici officio celebrari iussit Six. V. in eius const. 18. Immensa.

Edita A. D. 1233.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis, præsentem paginam inspecturis.

Sanctos quos Deus honorat in cælis, multiplicibus miraculis clarantes facit in terris.

CVm dicat Dominus per Prophetam. Dabo vos cunctis populis in laudem & gloriã & honorem; & per se polliceatur, quod iusti sicut Sol in conspectu Dei fulgebũt; pium & iustum est, vt quos Dominus meritò sanctitatis coronat, & honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris; cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in sæcula, & in sanctis. Vt enim suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, & nostræ salutis causam misericorditer operatur, fideles suos, quos semper coronat in cœlo, frequenter & honorat in sæculo, ad eorum memorias signa faciens & prodigia, per quæ prauitas confundatur hæretica, & fides Catholica confirmetur, fideles mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur instãtiam, hæretici depulsa in qua iacent cæcitatis caligine, ab inuio reducantur ad viam, & Iudæi atque Pagani verò lumine cognito, currant ad Christum, lucem, viam, veritatem, & vitam.

Inter quos est Antonius de Padua plurimis virtutibus, & miraculis clarus.

§. 1. Vnde nos charissimi, etsi non quantas debemus, quantas tamen possumus gratias agimus gratiarum omnium largitori, quòd diebus nostris ad confirmationem Catholicæ fidei, & ad confusionẽ, hæreticæ prauitatis euidenter innouat signa, & mirabilia potenter immutat, faciens illos coruscare miraculis, qui fidem Catholicã tàm corde, quàm ore, necnon & opere roborarunt. De quorũ numero sanctæ memoriæ Beatus Antonius de Ordine Fratrum Minorum, qui olim degens in sæculo, magis pollebat meritis, nunc viuens in cœlo multis coruscat miraculis, vt eius sanctitas certis indicijs comprobetur.

Paduani ergo instanterunt apud hunc Pont. pro illius Canonizatione.

§ 2. Cùm enim dudum venerabilis frater noster Episcopus, & dilectus filius N. Potestas, & Communitas Paduana nobis per nuntios suos, & literas humiliter supplicassent, vt cùm Dominus eidem Sancto tantam contulit gloriam; vt ad dandam scientiam primæ stolæ immortalitatis ipsius, & experimentum euidens de secunda, sepulchrum eius tot & tantis daret coruscare miraculis; quòd eius inter alios Sanctos non inuocari suffragia est indignum, de ipsius miraculis testes recipi mandaremus.

Et quia duo sunt necessaria, vt quis Sanctus habeatur apud homines, virtus scilicet morum, & veritas signorum.

§. 3. Nos attendentes, quòd licet ad hoc vt aliquis sanctus sit apud Dominum, in Ecclesia triumphãte, sola sufficiat finalis perseuerãtia, iuxta illud: Esto fidelis vsque ad mortẽ, & dabo tibi coronã vitæ: ad hoc tamen vt sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet, & miracula, vt hæc & illa sibi ad inuicem contestentur, cùm nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. Sed cùm merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, certum præbeant indicium sanctitatis, vt nos ad ipsius venerationẽ inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & signis subsequentibus exhibet venerãdum. Quæ duo ex verbis Euangelistæ plenius colliguntur, Illi autem profecti prędicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis; eidem Episcopo & dilect. fil Fratri Iordano S. Benedicti, & I. S. Augustini, Prioribus Ordinis Fratrum Prædicatorum Paduan. receptionem testium de miraculis eiusdem Sancti duximus committendam.

Hic ideo Pontifex processum desuper fieri commisit, vnde de prædictis certior redditus est, & modo SS. Catalogo eum adscribit.

§. 4. Nuper autem tàm per relationem prædictorum Episcopi & Priorũ, quàm per depositiones testium super hoc receptorum, de ipsius virtutibus & miraculorum insignijs certiores effecti, & experti aliquãdo per nos ipsos sanctitatem vitæ, & admirabilem conuersationem ipsius, vtpote qui apud nos fuit aliquãdiu laudabiliter conuersatus, eisdem Episcopo & Potestate & Communitate prędictis, per solemnes nuntios suos, & literas, nobis cum instantia denuo supplicantibus, quòd eundem Fratrem Sanctorum Catalogo adscribere curaremus, vt auctoritate sicut conuenit Apostolica, dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sicut claris signis & euidentibus argumentis apparet, honoratur in cœlis. Ipsum, qui corporaliter dissolutos, cum CHRISTO esse meruit in cœlestibus, ne illius honori debito & gloriæ detrahere quodammodo videremur, si glorificatũ à Domino permitteremus vlterius humana deuotione priuari, de Fratrum nostrorum consilio, & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicã existentium, Catalogo Sanctor. duximus adscribendum.

Eiusque festiuitatem instituit pro die 13. Iunij.

§. 5. Cùm igitur secundùm Euangelicam veritatem, nemo accendat lucernam, & ponat eam sub modio, sed super candelabrum, vt omnes qui in domo sunt, lumen videant, & prædicti Sancti lucerna sic arserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam iam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari, Vniuersitatem vestram rogamus, monemus, atque hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus deuotionem fidelium ad venerationem eius salubriter excitantes, festiuitatem ipsius Idibus Iunij annis singulis celebretis, & faciatis eadem die solemniter celebrari: vt eiusdem precibus Dominus exoratus, gratiam in præsenti, & gloriam nobis tribuat in futuro.

Indulg. eius sepulchrum visitantibus elargitur.

§. 6. Nos autem cupientes sepulchrum tanti Confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus & confessis, illud in festiuitate ipsius vsque ad octauum diem, annis singulis cum reuerentia debita visitantibus, de Omnipotentis DEI misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, annum vnum de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Dat. Spoleti, Kalend. Iunij, anno sexto.

Dat. P. An. 6. die 1. Iunij.

V.

Reformatio Monachorum Cluniacensium Ordinis S. Benedicti.

Huic reformationi multa detraxit & addidit Nicol. IV. inf in eius const 3. Regis, ibi videas. Vltra ea, quæ sunt in Decr. & Clem. de stat. Monach. & Conc. Trid. sess. 25. Cap. 11.

Edita A. D. 1235.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Abbati, & Conuentui Cluniacensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Causa huius reformationis.

BEhemoth non contentus quasi bos comedere paleas, sed escas electas auidè concupiscens, venatur instanter animas delicatas; non solùm simpliciter gradientibus ponendo pedicas, & laqueos in capturam, sed etiam contemplationis gratiã in solitudinem aduolantibus prætendendo decipulas, & retia extendendo. Sanè dolore confodimur in occulto, & rubore perfundimur in aperto, quia cùm Ordo Cluniacensis in Ecclesiæ Paradiso dextera diuina plantatus, à mari, vsque ad mare protensis palmitibus, gratos flores & vberes fructos producere soleret honestatis, nunc in amaritudinem alienæ vitis auersus, producit labruscas stuporem dentibus facientes, factus in laqueum & ruinam, in lapidem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israël, contemplatiuis videlicet, & actiuis. Domos quoque vestræ in multis locis desolatæ sunt sicut in vastitate hostili, & multæ derelictæ sunt sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & velut ciuitas quæ vastatur.

Capitulũ Generale quotannis fiat apud Cluniacũ iuxta formam hic traditam.

§. 1. Quare cupientes deformatum ordinem reformare, & instaurare collapsum, in primis statuimus, vt generale Capitulum Abbatum & Priorum tàm Conuentualium, quàm minorum Cluniacensis Ordinis, siue immediatè siue aliquo medio sint subiecti, apud Cluniacum annis singulis celebretur. Vbi sine personarum acceptione, secundùm Deum & B. Benedicti Regulam, & Cluniacensis Ordinis instituta, delinquentium corrigantur excessus, & de salute animarum, & de conseruatione Ordinis Cluniacensis, & domorum indemnitate tractetur, & statuatur quod fuerit regulariter statuendum. Nec in hoc Priores vel Camerarij inuicem sibi parcant, sed vnusquisque quod viderit in alio corrigendum, timorem Dei habens præ oculis, in capitulo publicè vel priuatim (prout melius viderit expedire) in charitate proponat. Et correctus hoc molestè non ferat; sed correctionem fratris accipiat patienter. In hoc autem Capitulo nullæ fiant exactiones ab aliquo, nulla dentur munera, vel accipiantur, seu etiam promittantur, sed omnia in sinceritate procedant, & adinstar Cisterciensis Ordinis celebrentur.

§. 2. Et

Definitores & Visitatores prouinciarum in eo eligantur.

§. 2. Et in eo Definitores de Abbatibus & Prioribus Cluniacensis Ordinis statuantur, & Visitatores per singulas Prouincias ordinentur, visitationis forma, & correctionis modo, iuxta Cisterciensem consuetudinem obseruatis. Huic quoque Capitulo tres Priores Cartusienses volumus interesse, non vt aliquam iurisdictionem exerceant, sed vt ipsos instruant & dirigant, & diligentiam ipsorum vel negligentiam rescribant Sedi Apostolicæ annuatim.

Causæ per Abbatem non diffinitæ ad Capitulū deferantur.

§. 3. Omnes causæ quæ inter personas Ordinis Cluniacensis emerserint, & per Abbatem Cluniacensem non fuerint terminatæ, delatæ ad Capitulum per Definitores statutos (prout fit in Cistercien. Capitulo) terminentur.

Ad restrictionem Ordinis, statuta ibidem fiant.

§. 4. Et ea statuantur, quæ prouenire ad conseruationem & restrictionem, non ad relaxationem Ordinis, vel regulæ videbuntur.

Capituli ordinationes bis in anno per Abbates recitentur.

§. 5. Omnes verò Abbates & Priores annis singulis ad Capitulum venientes, definitiones (si quæ factæ fuerint) in suo reditu habeant, bis in anno in suis Capitulis, & Visitationis tempore nihilominus recitandas, vt nullus prætextu ignorantiæ se valeat excusare.

Visitatores expensas moderatas, & nihil vltra recipiant.

§. 6. Visitatores etiam à personis, & locis quæ visitant, præter moderatas expensas victui necessarias recipere nihil omnino præsumant, sed excutientes ab omni munere manus suas, cum paucis incedant, secundùm quod in ipso Capitulo fuerit ordinatum.

Qui Abbates & Priores, & quādo ad Capitulum accedere debeant.

§. 7. Prima enim vice omnes Abbates & Priores conueniant ad Capitulum, recepturi reformationem præsentibus annotatam, & postmodum illi qui sunt vltra mare Angliæ, vel vltra Alpes vno anno intermisso, cum moderato familiæ, ac equitaturarum comitatu, ne domus ad quas eos venire continget, aggrauentur, accedant: super his in primo Capitulo superfluitate qualibet resecanda, & certo nihilominus moderamine adhibendo.

In d. Capit. alij quatuor probi viri eligantur, qui Clun. Monasterij, & eius correctionem curent.

§. 8. Statuimus insuper, vt quolibet anno in Capitulo per Definitores quatuor personæ discretæ ac Deum timentes, videlicet duo Abbates, & duo Priores Clun. Ordinis eligantur, qui semel in anno statuto termino ad Cluniacense Monasterium accedentes, tàm de persona Cluniacensis Abbatis, quàm de Monasteriorum & locorum circum adiacentium statu in spiritualibus & temporalibus diligenter inquirant, & quæ corrigenda inuenerint ad ipsorum consilium corrigantur. Ea verò quæ maiori consilio indigent, referantur singulis annis ad Capitulum Generale, vt Cluniacensis Ecclesiam bono statu per visitationem huiusmodi perseueret. Et si Abbatis exigerent merita (quæ celari non debent) per Visitatores moneatur, vt cedat, & liceat Visitatoribus, & Conuentui Cluniacensis huius recipere cessionem. Quòd si forte Abbas sibi cessionis remedio noluerit prouidere, quæ de ipso Visitatorum inquisitio comprehendet, ad Sedem Apostolicam referat.

Beneficia absque illicita pactione conferantur.

§. 9. Cæterùm quia ex mala ordinatione Prioratuum & obedientiarum, & frequenti mutatione Priorum multa euenisse detrimenta noscuntur, districtè præcipimus, vt Prioratus, Decanatus, & omnes aliæ administrationes conferantur gratis absque venalitate, ac aliqua pactione, & Prioratus Conuentuales non nisi sacerdotibus committantur. Hæc autem nolumus ad illas grangias, seu administrationes extendi, quæ curam animarum non habent, & laicis consueuere committi. Si quis autem propter hæc dedisse, vel recepisse aliquid conuictus extiterit, ex tunc nunquam in Ordine Clun. dignitatem habeat, vel honorem. Et si aduersus aliquē super hoc apud Visitatores, vel Definitores vehemens habeatur præsumptio, ipsum per eos à Prioratu, vel administratione sic obtenta volumus amoueri. Et si quis ponens carneum brachium suum, per interuentum sæcularium personarum committi sibi obedientiam, vel Prioratum poposcerit, nunquam illud obtineat, sed nec alterum infra annum.

Priores quomodo sint amouendi.

§. 10. Conuentuales quoque Priores quandiu in spiritualibus & temporalibus bene administrauerint, non nisi ex certis causis debent amoueri, videlicet si dilapidatores, vel inobedientes, aut rebelles, seu infames, vel incontinentes extiterint, seu ad maiorem dignitatem fuerint promouendi: quod etiam de minoribus Prioribus volumus obseruari. Nullusque literas confirmationis habeat, quod de suo Prioratu vel obedientia non debeat amoueri.

Abbates quomodo remouendi.

§. 11. In destitutione verò Abbatum, vel Priorum Conuentualium, videlicet octo Monachorum & supra, modus, forma & causa seruentur, quæ consueuerunt circa Abbates Cistercien. Ordinis obseruari, & qui remouetur se inclinet humiliter, nec appellet. Quod si absque iusta causa remotus extiterit, & hoc per alios innotescat, Capitulo Generali tam amouentes, quam consentientes more Cisterciensis Ordinis puniatur. Et quidem vt plenum adhibeatur huic morbo remedium, ita duximus prouidendum, videlicet quod singulis annis in Generali Capitulo Definitores scribant & retineant nomina singulorum Abbatum & Priorum, qui tunc in eodem fuerint congregati, & in sequenti Capitulo lectis eorum nominibus in quibus Ecclesiis sint Abbates, vel Priores mutati diligenter attendant, & qui mutauerint, causam mutationum proponant. Quæ si iusta fuerit, approbetur ab ipsis, alioquin mutatoribus pœna secundùm Cistercien. Ordinis consuetudinem infligatur. Si quis fuerit ab Abbatia vel Prioratu sua culpa remotus, ad illud Monasterium, in quo digne defleat quod commisit, Superioris prouidentia transmittatur. Et si propter senectutis defectum, aut aliam causam honestam spontaneus cesserit, reuertatur ad claustrum, illo sibi quod eligere maluerit deputato.

Institutio priorum Conuentualium qualiter fiat.

§. 12. Ad institutionem namque Priorum Conuentualium absque duorum Priorum Conuentualium consilio minime procedatur, quatenus talis præficiatur, qui nouerit & possit præesse pariter & prodesse, cùm in Cister. Ord. absque Abbatum consilio non instituatur aliquis in Abbatem. Verum quia interdum Monachi Abbatum, vel Priorum suorum delicta reuelare formidant, ne ad ignotas & remotas Prouincias quasi in exilium relegentur, huic morbo sic duximus prouidendum, quod videlicet Visitatores cum accesserint ad Monasteria visitanda, diligenter inquirant, si quis Monachus fuerit illo anno à Monasterio cui officium Visitationis impendunt emissus, & propter quam causam. Et si causa rationabilis extiterit, approbetur, alioquin & reuocetur Monachus, & qui eum emisit Visitatoris arbitrio puniatur.

Prioratuum pluralitas, aut eius cum Abbatia retentio prohibetur.

§. 13. Adhuc districtiùs inhibemus, vt nullus plures Prioratus, seu Prioratum cum Abbatia eiusdem Ordinis, vel alterius habere præsumat. Nec Abbas Cluniacensis, vel aliquis alius Abbas, vel Prior eiusdē Ordinis aliquem de subiectis sibi Prioratibus ad manum suam retineat, sed singulis Prioratibus Priores singuli deputentur.

Extraneis interdicitur Prioratus.

§. 14. Nec aliquis qui Ordinem Cluniacen. non fuerit professus hunc, eiusdem Ordinis Prioratum obtineat.

Prior absque socio in Prioratu nō commoretur.

§. 15. Nec in aliquo Prioratu vnus solus Monachus commoretur, sed ei qui solus est, vnus vel plures Monachi socij adiungantur, si loci suppetant facultates; alioquin reuocetur ad claustrum, prouiso quod in eodem loco diuina celebrentur honestè.

Cibus sit omnibus vniformis.

§. 16. Circa qualitatem verò ciborum & potus seruare præcipimus, vt omnes Monachi in vno reficiantur refectorio de eodem pane & potu, ac vna coquina, nisi fortè ipsorum aliquem comedere cum Abbate, vel Priore, seu in infirmaria contingat. Abbas autem vel Prior in refectorio cum fratribus comedat, nisi propter hospites mutet locum. Et in infirmaria nullus comedat nisi propter infirmitatem, vel debilitatem illuc fuerit destinatus.

Carnibus vesci prohibetur.

§. 17. Præcipimus etiam (iuxta quod in B. Benedicti regula continetur) vt nullus Monachus in quouis loco, vel domo Cluniacensis Ordinis, aut extra nisi tantùm in infirmaria (vt prædictum est) carnes manducare præsumat. Quòd qui præsumpserit, si claustralis fuerit graui pœnæ subdatur, vel si dignitatem, vel administrationem habuerit, priuetur eadem.

Habitus honestas præscribitur.

§. 18. Illud quoque obseruari præcipimus, vt Monachi sicut in claustro ita & foris honeste se habeant, nec incedant sine cuculla & floco, vel sine cuculla & capa regulari, non bloia non sumptuosa, sed tali quæ triginta solidorum pretium non excedat. Et nullus Abbas vel Prior sine postella & sella regulari, non tamen pretiosa, equitare præsumat, nec aliquis Monachus equitans capellis filtreis, vel aliis omnino capellis, seu calceis non corri-

giatis vtatur. Nec quisquam in quouis loco tunicis, vel coopertoriis de bruneto, aut pellibus siluaticis, seu camisiis, vel linteaminibus lineis vti præsumat, nec deferat vestes scissas ante vel retro, nec aliquis claustralis habere propriam capam pluuialem vel equitaturam sibi deputatam attentet.

§. 19. Circa equitaturas namque & familiam omnem superfluitatem amputare volentes, mandamus, vt Abbas Cluniacensis equitaturis sexdecim contentus existat: & alij Abbates eiusdē Ordinis, ac Prior de Charitate octo: Prior S. Martini sex: Priores alij Conuentuales tribus vel quatuor, & cæteri Priores minores duabus euectionibus sint contenti. Abbas vel Priores, seruientes non pueros, non nobiles, non vestibus sumptuosis siue diuersi coloris, sed maturos habeant & honestos.

Contrahendi, & rationis reddendæ norma præscribitur. §. 20. Quia verò ad desolationem domorum plurimum operatur laxa debita potestas contrahendi, & quòd ratio non reddatur de debitis vel receptis, præcipimus, vt singuli Abbates & Priores de consilio fratrum & familiæ quibus præsunt, cum testimonio bonorum virorum, qui ad locum pertinent, cùm contrahendum, vel innonandum est mutuum, ita id faciant diligenter, quod omnibus liqueat quanta summa, quibus personis, quibus conditionibus, quibus terminis debeatur, & in quos vsus contractum mutuum sit conuersum. Et vt domorum status certior habeatur, singulis duobus mensibus coram Abbate, vel Priore (si non est ibi Abbas) & senioribus, reddant singuli officiales de suis officiis rationem, de omnibus receptis & expensis computationem fideliter facientes. Abbas quoq; Cluniacensis, & cæteri Abbates & Priores, quater in anno statum suæ domus in suo Capitulo, & etiam coram Visitatoribus cùm venerint plenè declarent. Nec aliquis Abbas, vel Prior Prioratum, vel grangiam aliquam, venditionis, aut donationis seu aliquo alio titulo alienare absque Abbatis Patris, vel Patris Prioris & Conuentus sui de verbo, & consensu præsumat.

Proprietarij pœnis subiiciuntur. §. 21. Monachis proprietariis etiam pœna, iuxta morem Cistercien. Ordinis infligatur, & in proprietarios excommunicationis sententia promulgetur, nisi Monachus proprietarius deposita restituerit quæ suis fuerint Monasteriis resignanda.

Prælatis exactiones, & extorsiones interdicuntur. §. 22. Ad hæc, quoniam Abbas Cluniacensis, necnon Abbates, & Priores eiusdem Ordinis Prioratus sibi subiectos, exactionibus & extorsionibus consueuerunt adeo aggrauare, quod in eisdem Prioratibus antiquus & consuetus Monachorum numerus est nimium diminutus, nos id de cætero fieri sub attestatione diuini iudicij prohibemus, cùm liqueat prioratus ipsos non ad destructionem, sed ad conseruationem Ordinis & correctionem sibi esse subiectos, & eisdem Prioratibus pro sustentatione Monachorum inibi Domino famulantium, possessiones pia deuotione fidelium fuisse concessas.

Minores annis 15. ad religionem non recipiantur. Imò anno 10. Concil. Trid. sess. 25. c. 15. §. 23. Cæterùm quia non est in primogenito bonis statuendum, districtiùs inhibemus, ne pueri ante quintumdecimum annum completum in Monachos admittantur, illis dumtaxat exceptis, quibus in Cluniacen. Monasterio ex antiqua consuetudine, certum est officium deputatum.

Mulieribus Claustri, & Chori ingressus prohibetur. §. 24. Mulieribus ingressu claustri, vel chori penitùs interdicto.

§. 25. Et cum secundùm Euangelicam veritatem, qui mandata Dei propter traditiones transgrediuntur humanas, à Domino arguantur, strictissimè interdicimus, ne propter traditiones vel constitutiones nostras, regularia statuta B. Benedicti aliquatenus omittantur.

Regula S Bened. non prætermittatur. Hortatio ad obseruantiam huius reformationis. §. 26. Vt ergo mandatum lucerna sit vobis, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ, vniuersitatem vestram monemus attentè per Apostolica vobis scripta, & in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus quodcumque necesse est prouidè cupientes, præscripta statuta studeatis inuiolabiliter obseruare, vt ad frugem melioris vitæ conuersi, ascensionibus in corde dispositis, de gratia in gratiam, & de virtute proficiscentes salubriter in virtutem, bonus in omni loco efficiamini odor Christi. Nosque in vestris meritis delectati, ad profectus vestros meritò intendere debeamus.

D. P. A. 6. die 16 Ian. Dat. Auenione, Idibus Ianu. Pontificatus nostri, ann. 6.

Prohibitio alienandi Terras, Castra, & alia loca Sedis Apostolicæ, absque consensu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. VI.

Hæc prohibitio est admodum extensa à Pio V. inf. in const. 35. Admonet. vbi etiam remissiuè notabo alias similes materias alienationum. Et ante eum, huiusmodi alienationes vsque tunc factas reuocauit, Pius IV. vt inf. in eius constit. 104. Apostolica.

Dictam const Pij V. & alias successorum confirmauit S. D. N. Vrb. VIII. vt in const. 3. Sacrosancti inf. tom. 4.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Vniuersis scripta præsentia inspecturis, &c.* *Edita A. D. 1234.*

Exordium. Rex excelsus Summi Regis, Deus & homo CHRISTVS IESVS, quem legi necessitas non subiecit, factus est voluntate sub lege, formam relinquens Vicario, vt licet præ cæteris libertatem in excellentia dignitatis acceperit, recognoscat tamen cum cæteris quandam in officij debito seruitutem, sacratum obseruantiæ sanctionum, gratuito alligans vtrumque, necessitatem voluntariam, & necessariam voluntatem; vt dum prælationem sic subiicit, maior appareat ex huiusmodi subiectione prælatus. Auctoritatis est quoque posse statuere, sed virtutis, vt qui se subiiciat suo statuto, per alterum potens in subditis, per reliquum potentior in se ipso, Præsertim cùm efficacius statuat, dum exponit apertiùs suæ prosecutioni statutum, eo quòd lingua manus interpres quasi præco semitam verbo parat.

Symmac. Tot. alienat. ret. Eccles. prohibuit, in c. 6. hoc simili tit. Hic Pont. prohibet quod in rubr. §. 1. Sanè fœl. rec. Symmachus Papa volens quodammodo legi subiicere potestatem, in Ecclesiæ prædiis alienandi licentiam interdixit, vt quod licere non expedit, licitum non putetur.

§. 2. Nos autem super hoc illius vestigiis inhærentes, vnanimi Fratrum desiderio, & petitione concordi, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, vt de patrimonialibus sine communi Fratrum concilio & assensu, alienatio nulla fiat, sitque vni facultas, quod ex causa legitima obstaculum liberè contradictionis opponat. Quòd si fortè fuerit in alienatione processum, factum ipso iure non teneat, per Successorem, quatenus Prædecessor de facto processerit, & eo ipso quòd processum sic fuerit reuocandum, de alienantis vita consentientium numero & solemnitate scripturæ nullum adminiculum tali suscipiente contractu.

Et quædam loca specialiter designat. §. 3. Cæterùm ad cautelam quædam loca specialioris inhibitionis vinculo adstringenda speciali expressione nominum præsenti paginæ fecimus annotari, videlicet. In Campania Castrum Fumon. Palian. Serron. & Latian. In Maritima Aquam Putridam, Ostiam, quam Episcopus Ostien. tenet à Romana Ecclesia, in omnibus ipsius Episcopi iure saluō. Ariciam, Nympham Tolan. Coram, Cisternam, & Terracin. In Thuscia, Montem Flascon. Orlele, Montem Altum, Radicophanum, Pien. Aquam Pendentem, & Bulsen. cum tota Valle Laci. In Ducatu Spoletan. Roccam de Cesis, & Roccam de Gualdo. In Episcopatu Spoletan. Roccam Sacrati, Brusin. Lorin. & Roccam de Saxo. In Episcopatu Narnien. Castrum Sancti Gemini, Castrum Stronconis, Mirandan. & Castrum Oriculi. In Sabinia, Roccam Antiquam, & totam Sabiniam cum omnibus Castris, & Villis. In Marchia Anconitana, Roccam de Plorago, Serranalle, & Turrim de Parma. Nulli ergo, &c. nostræ constitutionis, &c. Si quis autem, &c.

D. P. An. 7. die 16. Ian. Dat. Lateranen. 17. Kalend. Februarij, anno septimo.

Quod Principes, aut Nobiles, seu Ecclesiarum Prælati, occasione Iurispatronatus Aduocatiæ, Custodiæ, aut aliter, à Monasteriis Ordinis Cisterciensis quicquam exigere, vel talliis grauare non possit. VII.

Ad hac vide infrà Constit. 9. Innoc. VIII. Ad Romani. vbi notabo.

Alia de hoc Ordine, require supr. in Constit. 1. Paschal. II. fol. Desiderium.

Edita An. D. 1234.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Abbati Cisterciij, & Vniuersis Coabbatibus Cistercien. Ordinis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

QVia refrigescente charitate multorum, adeo iniquitas abundauit, vt quorundam succensa velut ignis impietas, contra Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, tantò validiùs inflammetur, quantò rariores, qui eas tueantur, contra prauorum incursus, inuenit obiectores, nos, quibus ipsarum cura & sollicitudo incumbit, ibi fortiùs insurgere cogimur, vbi persecutorum immanitas periculosiùs exardescit.

Causa huius Constitutionis.

§. 1. Sicut enim nobis ex parte vestra grauis est oblata querela, nonnulli Principes, ac Nobiles, occasione Iurispatronatus, Aduocatiæ, siue Custodię, quàm in Monasteriis, Grangiis, Cellariis, vel domibus vestris, se habere proponunt, interdum etiam pro suæ libito voluntatis; & quidam Ecclesiarum Prælati à quibus deberetis non grauamen, sed solamen potiùs expectare, bladum, vinum, euectiones, animalia, & res alias, pro ædificatione, ac munitione castrorum & villarum, necnon pro tyrocinijs, torneamentis, expeditionibus, & alijs vsibus eorundem, à vobis exigunt, & extorquent, aliàs vos tallijs, & exactionibus indebitis multipliciter aggrauando; Præterea quidam ex ipsis, & alij, carnes comedere in vestris domibus, ac mulieres etiam easdem domos ingredi, contra instituta vestri Ordinis non verentur, propter quod, & quies Monastici Ordinis perturbatur, & graue commissa vobis Monasteriis imminet detrimentum. Quare nobis humiliter supplicastis, vt super his, paterna prouidere sollicitudine dignaremur.

Prohibitio de quarum rub.

§. 2. Nos igitur & vestræ prouidere quieti, & molestantium malitiis obuiare volentes, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, ne quis à vobis præmissa exigere, vel extorquere, aut in vestris domibus vti carnibus, seu mulierem aliquam eas intrare præsumat, contra Ordinis instituta. Nulli ergo, &c.

Dat. P. Ag. die 23. Ian.

Dat. Lateran. x. Kal. Febr. Pontificatus nostri anno septimo.

VIII. Canonizatio S. Dominici institutoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, sub Regula S. Augustini, eiusque adscriptio in Catalogum Sanctorum Confessorum, cum suæ festiuitatis institutione, pro die 5. mensis Augusti.

Hoc festum ex vrgenti causa, die 4. d. mens. celebrare iussit Paul. IV. inf. in eius Const. 15. Gloriosus.

De d. verò Ordine, vide sup. in Constit. 2. Honor. III. Religiosam, fol.

GEGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint.

Exordium.

FOns sapientiæ verbũ Patris Dominus IESVS CHRISTVS, cuius natura bonitas, opus misericordia, redimens, & renouans quos creauit: qui vineam, quam de Ægypto transtulit, vsque ad consummationem sæculi non relinquit, sapienter signa propter instabiles mentes innouat, & mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat. Dum in Ecclesiæ nascentis exordio post obitum Moysis, videlicet finem legis, ascensurus equos, & in Euangeliorum quadrigis, quæ verè sunt sanitas, arcu sacri eloquij, quem donec Iudæus infirmetur, intenderat; & iuramentis, quæ in Patribus nobis disposuerat suscitatis, confidentiam Iericho gloriam mundi, quem prædicationis fremitu obstupefactis gentibus vicerat, calcaturus, viam equis suis in mari faceret; & in Raab salutem latitudinis gentium signo coccineo figuraret, in prima quadrigarum quatuor egredientium in Zacharia de medio duorum montium æreorum protulit equos rufos populorum Principes, fontes terræ. Qui per obedientiam fidei Deo Abraham, patris credentium, in fundamentum noui fœderis adhærentes: ad Ducis instar tinctis de Bosra, id est, tribulationis angustia, vestibus, cuncta suæ signa militiæ rubricarũt. Vt pro futuræ gloriæ gaudio præsentem gladium non timentes, effecti martyres, id est, testes nouæ legis, libro confessionis voce subscriberent. Et forinsecis miraculorum signis ad stipulationum robur appositis, librum, & tabernaculum, quod, Deus, & non homo fixit, ac Euangelici vasa ministerij, non brutorum, sed rationabilium hostiarum sanguine tingerent. Et in vniuersam spatiosi maris faciem sagena prædicationis expensa, multiplicatam super numerum, de cunctis, quæ sub cœlo sunt nationibus, Ecclesiam congregarent.

Deus pro Clerißi fidelium salute diuersis temporibus, plures Sanctos permisit.

§. 1. Sed quia præsumptio multitudinem, & malitia subsecuta est libertatem, in quadriga secunda sub colore, qui lugentibus & pœnitentibus congruit, equestrem cuneum deputauit, qui ad claustrale desertum ductus per spiritum sub noui Israëlis auriga Sanctissimo Benedicto, velut sub altero Helisæo, filij prophetarũ communis vitę bonum, occasione multitudinis perditum, in iocundę cohabitationis grata, societate restituit. Et sic vnitatis scissũ rete reficiens, ac per opera pietatis, ad terram Aquilonis, vnde omne malum panditur, proficiscens, cùm fecit in ingressis thesauros niuis, & contritis corde quiescere, qui dedignatur in corpore peccatis subdito habitare. Post quos quasi lassum renouaturus exercitum, & redditurus iubilum post lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis, fratribus Cistercien. Ordinis, & Floren. velut tonsarũ greges geminę charitatis fœtibus, vberes de pœnitentię lauacro fecit ascendere, S. Bernardo ariete ouium in virtute spiritus, qua ex alto indutus extitit, & in abũdantia frumenti vallium præeunte, vt transeuntes, liberati per eum in fortitudine clament ad Dominum, dicant IESVM, & ponant castra Dei exercituum super mare.

Et his temporibus B. Franciscum, & B. Dominicum permisit.

§. 2. Nouo igitur Israële his tribus agminibus, turmis totidem, quas Philistim fecerant, occurrente hora vndecima, cùm dies iam declinasset ad vesperum, & propter iniquitatis abundantiam, charitate plurimum frigescente vergeret iustitiæ radius ad occasum: quia vineam ad quam paterfamilias operarios diuersis temporibus denarij conductos conuentione præmiserat, & quam sua dextera plantauerat, non solùm vitiorum vepres & spinæ peruaserant: sed iam propemodum vulpeculæ demolientes, conuertere in alienæ vitis amaritudine intendebant, aduersus infestissimam multitudinem, militiam adunare voluit promptiorem. Et sicut in præsentiarum cernimus post trium signis differentium tyrocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios, & robustos Prędicatorum & Minorum fratrum agmina cum electis ducibus simul in prælium directurus, spiritum sancti Dominici suscitauit. Et ei velut equo suæ gloriæ præbens fidei fortitudinem & feruorẽ, diuinæ prædicationis ignitum circumdedit collo eius. Qui gerẽs à pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligens viuere vitæ requisiuit auctorem, & Deo deditus, ac in Nazaræum sub B. Augustini regula cõsecratus sedulum, circa sancta, Samuelis imitatus obsequium in castigatione desiderij, piissimum Danielis continuauit affectum, iustitiæ semitas & Sanctorum vias strenuus athleta custodiens, & velut ad monumentum de tabernaculo Domini, de militantis Ecclesiæ magisterio ac ministerio non discedens, carnem spiritui, & sensualitatem subijciens rationi. Et factus vnus cum Deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, & sobriæ concionis studiis, à charitate proximi non recessit. Quo sagittante delicias carnium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultauit. Ætate crescente creuit & gratia, quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad eloquia Dei

Qui B. Dominicus sub reg. S. Augustini Ordinem Prædicatorum instituit.

De hoc Ordine vide sup. in const. 2. Honor. iij Religiosam fol. 44.

dedit animum, & per Euangelium Christi multos generans in conuersione tam strenuæ multitudinis, Euangelicæ dignitatis officium profitentis, nomen & opus in terra meruit obtinere maiorum. Pastor & Dux inclytus in populo Dei factus, nouum Prædicatorum Ordinem instituit meritis, ordinauit exemplis, nec miraculis confirmare desiit euidentibus & probatis.

Vitaque sanctitate & miraculis claruit.

§. 3. Nam præter opera sanctitatis & signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diuersorum curatis languoribus, loquela mutis, visu cæcis, surdis auditu, gressu paralyticis, & sanitate pristina multarum generibus inualitudinum restitutis, apertè patuit qualis spiritus in eiusdem sanctissimi gleba corporis habitauit. Cùm igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent, essétque postmodum de miraculorum veritate dictorum, facta nobis per testes idoneos plena fides.

Hic ideo Pontifex Catalogo SS. eum adscribit.

§. 4. Nos cum commisso nobis grege Domini confidentes eius posse suffragiis per Dei misericordiam adiuuari; vt cuius in terris solatium gratiosæ familiaritatis habere meruimus, eius in cœlis potenti patrocinio gaudeamus: ipsum de Fratrum nostrorum consilio & assensu, ac omnium tunc apud Sedem Apostolicam consistentium Prælatorum, Catalogo Sanctorum adscribi decreuimus.

Eiusque festũ pro die 5. Augusti instituit.

§. 5. Statuentes firmiter, ac Vniuersitati vestræ, præsentibus iniungentes, vt Non. Augusti, ante diem quo posita carnis sarcinia diues meritis penetrauit in sancta simul Sanctorum factus in gloria, eius natalitia celebretis, & faciatis solemniter celebrari, quatenus ipsius precibus Deus, quem viuens coluit, exoratus, gratiam in præsenti sæculo, & gloriam nobis tribuat in futuro.

Indulgẽtiam omnibus Sepulchrum visitantibus concedit.

§. 6. Nos verò tanti Confessoris venerabilem sepulturam, quæ miraculorum fulgoribus generalem illustrat Ecclesiam, cupientes dignis Christianæ deuotionis honoribus frequentari: verè pœnitentibus & confessis, illam in festiuitate præfata annis singulis cum deuotione, ac reuerentia debita visitantibus, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, vnum annum de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

D. P. An. 8. die 3. Iulij.

Dat. Reate, 5. Non. Iulij, anno octauo.

IX. Approbatio Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, sub Regula S. Augustini.

Huic Ordini priuilegium circa exhibitionem piorum Legatorum pro hac redemptione dedit Nicol. IV. infr. in const. 6. Ex parte. Exemptionem à Decimis per Sedem Apost. Regibus, vel alijs concedendis, indulsit Greg. XI. in const. 3. Dum salubria. De eorum transitu ad Mendicantes, vide const. 3. Calisti III. Super. & const. 46. Clem VIII. Nuper. De eiusdem Ord. facultate, statis diebus faciendi generalem benedictionem, habetur in eiusdem Clem. const. 4. Infirma. Formaque eam faciendi, est in alia eiusdem const. 79. Cùm nos. Ordinis verò reformationes sunt in prædictis Clem const. 30. Iis quæ, & in alia const. 98. Ex pastoralis &c. vbi notabo. Scias præterea huic redẽptioni, operam dare etiam Fratres Sanctissimæ Trinitatis redemptionis Captiuorum, vt plenè notaui sup. in const. 1. Inn. III. Operante. fol 71. Et in Italia idem opus curat Archiconfraternitas B. Mariæ Confalonis de Vrbe, vt infr. in const. 96. Gregor. XIII. Christiana.

Istis Fratribus recipere Fratres Reformatos eiusdem Ordinis absque Sedis Apostolicæ licentia prohibuit S. D. N. Vrb. VIII. const. 77. Iniũcti, inf. tom. 4. Et priuilegia confirmauit idem S. D. N. d. to. 4. const. 94. Ex clemẽti.

Edita An. D. 1235.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Magistro .. & fratribus domus S. Eulaliæ Barchinonen. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Approbatio Ordinis.

DEuotionis vestræ precibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt cùm nondum aliqua sit à vobis ex Religionibus approbatis assumpta, B. Augustini possitis Ordinem profiteri.

D. P. Ann. 8. die 17. Ian.

Dat. Perusij, xvj. Kal. Febr. Pontificatus nostri anno octauo.

X. Prohibitio ædificandi ac reædificandi Castra in terra Sabiniæ, Status Ecclesiastici, absque licentia Sedis Apostolicæ.

Edita A. D. 1235.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Vniuersis fidelibus nostris per Sabiniam constitutis.

Prohibitio.

CVm tota terra Sabiniæ, iuris & proprietatis B. Petri existat, de Fratrum nostrorum consilio præsenti cõstitutione sancimus, vt in ea nullum Castrum ædificari, vel reædificari de cætero valeat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, sub interminatione anathematis, & pœna mille librarum ædificantibus, ac viginti singulis operariis. Districtiùs inhibentes, ne quis contra statutum huiusmodi venire præsumat.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & inhibitionis, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, &c.

Dat. P. A. 8. die 18. Martij.

Dat. Perusij, xv. Kal. Aprilis, anno octauo.

XI. Canonizatio S. Elisabeth viduæ, Andreæ Regis Hungarorum filiæ, cum institutione suæ festiuitatis pro die 19. mensis Nouembris.

Edita, An. D. 1235.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint.

Exordium.

GLoriosus in maiestate sua Patris æterni Filius Redemptor noster Dominus IESVS CHRISTVS, de cœlorum summitate prospiciens conditionis humanæ gloriam, multo concursu miseriæ, cui primi parentis culpa dedit initium, deformatam, ineffabili dispositione prouidit, vt & virtutem suam sedentibus in vmbra mortis exponeret, & in exilio positos ad libertatis patriam reuocaret. Igitur quia nulli potius quàm sibi suæ facturæ redemptio competebat (eò quòd artifici sit, & decens & debitum, vt quocumque casu deperéat quod pulchriùs finxisse dignoscitur, in statum pristinum suæ virtutis studio restauretur) in exile vasculum, si tamen sit exiguum quod recepit hospitem super omnia spatiosum, scilicet in aulam Virginis refertam omni plenitudine sanctitatis, de regali throno se conferens, opus inde cunctis visibile protulit; per quod propulso tenebrarum Principe de suæ redemptione plasmatis triumphauit; certa relinquens instituta fidelibus, per quæ ipsis ad patriam redderetur transitus expeditus.

S. Elisabeth virtutes enũciantur.

§. 1. Huiusmodi quidem pietatis seriem Beata Elisabeth ex regali orta progenie, & Thuringiæ Lantgrauia gratiosa, solerti meditatione considerans, & iam dicta eligens instituta continuis obseruare studiis, vt dignam perceptione se redderet perpetuæ claritatis, quasi ab ortu vitæ vsque ad occasum, virtutum vacando cultui, nũquam desiit in charitatis amplexibus delectari. Nam in confessione veræ fidei, vitæque dedita sanctitati, cælestis Reginæ diligendo filium, per quem dulcedinem consequi posset cœlestium nuptiarum, ita dilexit & proximũ quod amœnum sibi constituens illorum familiarem habere præsentiam, quam eorum inimica corruptio cunctis suggerit

gerit effiel peregrinam se in multis sibi reddidit inopem, sollicitam fore pauperibus multiplicites affluetem. Quorum ab ætate tenera, nutrix esse desiderans & amatria, eò quòd sciret perennis vitæ præmium dilectorum Deo acquiri meritis egenorum, adeò conditionem ipsorum gratam sibi constituit, quam naturaliter sæcularis elatio vilipendit, quòd etiam licitis sibi deliciis quas offerebat status excellentia coniugalis, deductis pluries in contemptum, corpus delicatum & tenerum teddebat assiduæ parsimoniæ studio maceratum, tantò sibi meriti quaotitate proficiens, quantò quod sponte geritur, maioris gratiæ præmio muneratur. Quid vltra; Quæque iura sanguinis in supernæ desideriom transferens voluptatis, & imperfectum quid æstimans, si iam viri destituta præsidio, sic residuum vitæ decurreret, quòd se ad iugum obedientiæ (cuius sub lege posita maritali absque ipsius præiudicio amplexatrix exritetat) non arctaret, religionis habitum induit, sub quo Dominicæ passionis in se celebrare mysterium, vsque in diem vltimum non omisit. O felia mulier. O matrona mirabilis. O dulcis Elisabeth dicta Dei satoritas, quæ pro refectione pauperum, panem meruerit Angelorum. O inclyta vidua virturom fœcunda sobolē. quæ studens ex gratia coosequi, quod à natura non poterat indulgeri, ditis animæ hostibus per scutum fidei, loricam iustitiæ, gladium spiritus, salutis galeam, & hastam perseuerantiæ debellatis: sic amabilem immortali sponso se præbuit, sic Reginæ virginum se dilectione continua colligauit, suum deprimendo dominium, in ancillæ homilis famulatum sic sanctis Elisabeth antiquis processibus conformem se reddidit, dum in mandatis & iustificationibos Domini sine querela simpliciter ambulauit, Dei gratiam secreto mentis per affectum concipiens, & eandem per effectum patiens, ac nutrieos assiduè per profectum, qoòd salus omnium in se sperantium, & exaltatio in se qoorumlibet in humilitatis & innocentiæ vallibus positorum, in promissæ suis præmia retributionis exurgens, ipsam mortis nexibus expeditam prouexit ad solium luce inaccessibili luminosum.

Miracula eiusdem indicantur.

§. 2. De cuius stupenda & inexplicabili claritate procedit, quòd illius Spiritus, & in superni fulgoris abysso rutilat; & in huius profundo caliginis, multis corruscat miraculis gloriosis, quorum virtute catholicis, fidei, spei, & charitatis augmēta proueniunt, perfidis via veritatis exponitur, & hæreticis confusionis multæ materia cumulatur, dum stuporis turbine obuoluti, quòd dictæ Sanctæ meritis, qoæ dum carnis elaosa carcere teneretur, pauper spiritu, mitis mente, propria vel potiùs aliena peccata deplorans, iustitiam sitiens, misericordiæ dedita, muoda corde, verè pacifica, attrita persecutionibus, & opprobriis extitit lacessita; vita mortuis, lumen cæcis, auditus surdis, verbum mutis, & gressos claudis, cœlesti dextera con feruntur: partes Theutoniæ spatiosas, quas mortis dogmate gestiebant inficere, in doctrinæ cœlestis amplexibus cernunt multiplieiter exultare.

Verificatio eorum habita est.

§. 3. De hoiosmodi quidem & aliis eiosdem Sanctæ miraculis, quæ mentis inspecta ocolis vberiorem lætitiā proferunt, quasi diffusis distincta literis viderentur, facta nobis per testes idoneos tanta plenitudioe fidei, sicut debetur, & competit colendæ per omnia veritati.

Relatio in numerū Sanctorum subsequitur,

§. 4. Nos qoorum deposcit officiom bis continuè desodare studiis, per quæ augeatur gloria Redemptoris, d. Sanctam quam sibi ad intuitum placuit suæ maiestatis assumere, de Fratrum oostrorum consilio & assensu, ac Venerabiliom fratrum nostrorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum omnium, qui tunc apud Sedem Apostolicam existebant, Sanctorum Catalogo duximus adscribendam.

Institutioque eius solemnitatis pro die 19. Nouembris.

§. 5. Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenus 13. Kal. Decembris, die videlicet, quo eadem mortis absoluta vinculis, victura perenniter, ad fontem supernæ prodiit voluptatis, Festum eiusdem provt miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis, & faciatis solemniter celebrari, vt id nobis de thesauris cœlestibus eius pia intercessione proueniat, qood ipsā præstante CHRISTO percepisse dignoscitur, & possidere perpetuò gloriatur.

Et indulgentia pro visitantibus eius sepulchrum.

§. 6. Cæterùm, vt vniuersitati fidelium inuisibilis Aulæ consequendi delicias ex concessa nobis potestate desuper propitiante Domino sit facultas; quinimo & vt oomeo exaltetur Altissimi, si sponsæ suæ venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus honorari, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui se illuc annis singulis deuotionis aromata, & sinceritatis iosignia deferentes in memorato festo, & vsque ad Octauas ipsius contulerint, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies, de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Dat, Perusij, Kalend. Iunij, anno nono.

D. P. A. 9. die 5. Iunij.

Approbatio veritatis Sacrorum Stigmatum S. FRANCISCI de Assisio. XII.

Comprobauit hoc idem Alex. IV. in const. 4. Benigna & etiam Sixti, IV. vt ibidem notabo. Et sub inuocatione horum Stigmatum, Romæ instituta nuper est Archiconfraternitas, ad diuersa charitatis opera exercenda, de licentia Clem. VIII. habita die 2. Augusti 1602.

Canonizationem autem S. FRANCISCI, habes hîc sup. in constit. 2. Mira. fol. 84.

GREGORIVS EPISCOPVS, &c.

Edita A. D. 1237.

CONfessor Domini gloriosus Beatus FRANCISCVS, qualis vitæ meritis processerit ad Patriam perpetuę claritatis, explicare literis arbitramur fore superfluum, cùm id ferè peruenerit ad fidelium notitiam singulorum.

Approbatio veritatis Stigmatū S. Francisci.

§. 1. Veruntamen grande ac singolare miraculum, quo ipsum sanctorum splendore & gloria Dominus IESVS CHRISTVS mirabiliter decorauit, Vniuersitati vestræ tenore præsentium non indignè duximus exprimendum. Videlicèt, quòd idem Sanctus cùm adhuc spatium præsentis vitæ percurreret, & postquam illud fœliciter consummauit; manibus, latere, ac pedibus, specie Stigmatum diuinitùs extitit insignitus. Quo ad nostram & fratrum nostrorum deducto notitiam, & cum cæteris eiusdem miraculis per testes fide digoissimos probato, solemniter ea ipso specialem causam habuimus, quòd Confessorem eundem, de dictorum fratrum, & omnium Prælatorum consilio, qui tunc apud Sedem Apostolicam existebant, Sanctorum Catalogo duximus adscribendum.

Prohibitio aliter credendo.

Sed pœnam apposuit Alex. etc. in rub.

§. 2. Igitur cùm ab vniuersis fidelibus, & vobis præcipuè credi firmiter cupimus, deuotiones vestras rogamus, & hortamur in Domino IESV CHRISTO, io remissionem vestrorum peccatorum iniongendo, quatenus ab assertione contrarij aures de cætero penitùs auertentes, Confessorem eundem apud Dominum pia vobis reddatis veneratione propitium; vt eius precibus ac meritis, in præsenti à Domino prosperitatis gaudium, & in futuro fœlicitatis æternæ percepisse solatium, caoteris.

Dat. Viterbij 11. Kalendas Aprilis, Anno vndecimo Pontificatus nostri.

D. P. An. 1237 die 22. Maij.

Enuntiatio excōmunicationis in Fridericū II. Imperatorem, eiusque fautores promulgatæ, & liberatio subditorum ab eius Vassallagio. XIII.

His Fridericus antea Catholicus, leges pro libertate Ecclesiastica ediderat, vt videre est sup. in 1. const. Honorij III. Has leges fol. 78. & inf. in const. 1. Inn. IV. Cùm aduersus. At ipse aberrauit postea à Fide, & in sua perfidia permanens, ab isto Pont. excommunicatus fuit, Imperioque & Regnis priuatus à d. Innoc. IV. vt inf. in eius constit. 3. Ad Apostolica. Ideoque eius filium Corradum in Imperatorem eligi prohibuit idem Alex inf. in const. 7. Firma.

GREGO

Edita An. D. 1239.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Magistris Alberto Archidiacono, & Philippo de Assisio Nuntio nostro in Alemania commoranti. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

RAtionalis spiritus exulanti extra suos terminos naturæ compatitur, & à naturali potentia, frequenter rationis excidium deploratur. Sed cùm hæc duo deformationis vulnera sentiunt, de illatis sibi passionibus adinuicem conqueruntur; non quòd rationi, vel naturæ possit inesse deformitas, à qua Creator creaturam suam in creando facit penitus alienam, sed quod actiones proprias toties intentio praua deformat, quòd iam* corruptelæ vitiũ videatur naturæ priuilegiis insignitum. Vnde turbatur ratio, meritò natura conqueritur, nisi ius ab iniustitia prouocet, ab iniustitia vox innocentis appellet, ad tribunal recurratur supremi Iudicis, vbi affectus noxij, iustitiæ limitibus coërceantur.

** quoties.*

Friderici II. Imperatoris saua facinora.

§. 1. Quare Apostolica Sedes iustitiæ languẽti succurrere, sæuientis iniquitatis occursibus obuiare........ rigore Ecclesiasticæ reprimere disciplinæ. Hinc est quòd dolentes audiuimus, quòd quidam Friderico, dicto Imperatori (qui sicut Herodes Christianam Religionem, & in pectore fidelium, IESVM CHRISTVM conatur extinguere, & Fidem Catholicam, & Ecclesiasticam libertatem totis molitur viribus conculcare) contra DEVM, & Romanam Ecclesiam, consilium & auxilium, atque fauorem impendant. Isque (quod dolentes referimus,) praua mente, Imperio, cuius iura & honores ac Principum conseruari volumus & optamus illæsa, perniciosè incumbat, & incumbit, decorem Ipsius Imperij, & honorem Principum, Imperij lege contempta, & Principum priuilegio cancellato, quosdam de ipsorum maioribus, quòd actibus suis illicitis consentire renuunt, incarcerando, proscribendo, & proditoriæ necis gladio feriendo, ac paganorum, qui Assassini vocantur (quod inauditum est, de quolibet Principe Christiano) gladiis exponendo decurpat. Nonnullos Episcopos, præcones Christi, rectores fidei, pastores ouium, medicos languentium animarum, Spoliatos bonis Ecclesiasticis & mundanis, de Regno quod est B. Petri partimonium Episcopale, aliisque Terris Imperio Romano subiectis, proscriptione damnabili exulare compellit, sacrosanctas Ecclesias, sacrilega temeritate profanans, religiosos (quorum vnum de Ordine Fratrum Minorum, absque iuris ordine, & debita causæ cognitione horribili crudelitate combussit) pupillos, orphanos, pauperes, & viduas, tegmine vili nudatos, quasi sublatis desuper carnibus exossauit.

Despectio excommunicationis Summo Pontifice.

§. 2. Excommunicationis quoque ac anathematis latam contra se à nobis sententiam, contemptis Eccl. clauibus vilipendis, solemniter publicè sibi faciens celebrari, vel potius profanari diuina, necnon laqueo damnatæ hæresis se suspendens, eandem sententiam prædicat non seruandam.

Prohibitio Papæ de nullo Friderico auxiliũ præstando.

§. 3. Verùm, cùm ex hoc subsidio consilij, & fauore fidelium populorum dictus Fridericus reddidit se indignum, Venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, ac dilectos filios Abbates, Priores, Præpositos, & alios Ecclesiarum Prælatos, necnon nobiles viros, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & vniuersos alios Christi fideles per Alemaniam constitutos, rogandos duximus attentius & monendos, sub debito fidei Christianæ, quo tenentur D. Iesu Christo, districtè præcipiendo mandantes, vt præfato Friderico consilium vel iuuamen operæ, vel operam aliquatenus non impendant.

Iussio excommunicandi non parentes d. prohibitioni.

§. 4. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos, qui contra præscriptum mandatum nostrum venire præsumpserint, per excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo, à præsumptione huiusmodi compescatis. Constitutione de duabus dietis in generali Concilio edita non obstante. Quòd si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrûm ea nihilominus exequatur.

Dat. P. A. 13. die 24. Sept.

Datum Laterani 8. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno decimotertio.

Sequitur alia const. super eisdem.

Edita. A. D. 1239.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Magistris Alberto Archidiacono Patauiensi, & Philippo de Assisio, Nuntio nostro in Alemania commoranti, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Excommunicatio d. Friderici iã promulgata.

QVia Fridericus dictus Imperator, de multis & grauibus excessibus suis à nobis diligenter & frequenter admonitus, non solùm satisfacere non curauit, sed corde nequiter indurato, ingiter etiam deteriora committit, nos de fratrum nostrorum consilio, in eum, & in omnes illos, qui in huiusmodi excessibus, vel alias contra Rom. Ecclesiam sibi præstiterunt auxilium, consilium, vel fauorem, excommunicationis & anathematis sententiam duximus promulgandam.

Absolutio Vassallorum à iuramento fidelitatis.

§. 1. Omnes qui eis fidelitatis iuramento tenentur, decernendo ab obseruatione iuramenti huiusmodi absolutos, & firmiter prohibendo, ne sibi fidelitatem obseruent, iuxta canonicas sanctiones.

Interdictum locorum ad quæ ipse declinarit.

§. 2. Ad hæc, Ciuitates, Castra, Villas, & alia loca, ad quæ ipse peruenerit, quandiu ibi fuerit, Ecclesiastico supposuimus interdicto, ita quod publicè, vel secreto, nullum ibi officium diuinum celebretur: indulgentia vel priuilegio quomodolibet non obstante, omnesque qui eidem præsumpserint celebrare, vel potius profanare diuina, pœnæ depositionis decreuimus perpetuæ subiacere.

Iussio publicandi d. excommunicationem per Episcopos. &c.

§. 3. Vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per Alemaniam constitutis, nostris damus literis in præceptis, vt prædictam excommunicationis & anathematis sententiam, pulsatis campanis, accensis candelis, nec non alia, quæ continentur in ipsis, in singulis Ciuitatibus, Castris, ac Villis, & locis suarum diœcesum absque dilatione aliqua publicari solemniter, ac etiam nunciari singuli faciant eorundem.

Eiusque fautores excommunicandi.

§. 4. Et nihilominus omnes, tàm Clericos, quàm Laicos, qui ei aduersùs fidem Catholicam, & libertatem Ecclesiasticam, ac sponsam CHRISTI sacrosanctam Ecclesiam machinanti, cum armis, vel sine armis, auxilium præstiterunt vel fauorem, excommunicationis vinculo innodati.

Præceptum quòd Nuntij Sedis Apost. cogant Archiepiscopos ad prædicta exequenda.

§. 5. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti Archiepiscopi præceptum nostrum neglexerint adimplere, vos, eos ad id, per excommunicationis sententiam, appellatione remota, cogatis, constitutione de duabus dietis in generali Concilio edita non obstante. Quòd si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrûm ea nihilominus exequatur.

D. P. An. 13. die 23. Nou.

Datum Laterani, nono Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

XIV.

Destinatio Religiosorum virorum ad Germanũ Patriarcham Constantinopolitanum, cum explicatione Primatus S. R. Ecclesiæ, & cum pastorali adhortatione, vt ad Ecclesiæ gremium, & vnitatem reuertatur.

Dedit postea Dominus vnionem Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ in Concilio Florentino, vt videre est in Eugen. 4. Constit. 17. Lætentur hic inf. Cetera autem de Græcis indicata reperies inf. ad Const. 14. Innocent. 4. Sub Catholicæ, &c.

Edita A. D. 1232 & 1233.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiscopo Græcorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Hic Pont. recepta literis à Nuntio Patriarchæ Constantinopolitani, duos mit-

§. 1. FRaternitatis tuæ literis, nobis & fratribus nostris per tuum Nuntium præsentatis, qua decuit benignitate receptis; earumque tenore pleniùs intellecto, disposuimus viros Religiosos vitæ laudabilis, & probatæ

illum transmittes religiosos viros.

batæ scientiæ, ad tuam præsentiam destinante, qui verba vitæ deferent, & nostram & fratrum nostrorum plenius voluntatem exponent.

Eisque hanc dedit epistolā dicens.

§. 2. Verùm quia de comedente exiuit cibus, & de forti est egressa dulcedo, ne ex ore leonis mortui nō sine rubore scribentis à parte fauus exhibitus contemnatur, quædam duximus rescribenda, ne videantur scripta despici, si contigerit non rescribi, quia audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.

Quod licet Christus sit primum fundamentum fidei,

§. 3. Licèt autem Christus iuxta quod tuæ series epistolæ retexebat, primum sit & præcipuum fundamentum fidei, quod fatemur, præter quod aliud poni non potest.

Secunda tamen fundamenta fuerūt Apostoli & Prophetæ.

§. 4. Secunda tamen & secundaria fundamenta legimus Apostolos & Prophetas, quia fundamenta Ecclesiæ in montibus sanctis, & ciues supernæ Hierusalem, supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, super ædificati leguntur.

Quorum primus fuit B. Petrus.

§. 5. Inter quos primus & præcipuus Beatissimus Petrus non sine causa, sed ex prærogatiua speciali à Domino audire meruit: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur caput: vt sicut in capite sensuum plenitudo consistit, à quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tanquam à fonte riuulus deriuatur: sic tres fidelium ordines, in Ecclesia, Noë, Daniël, & Iob, Prælati videlicet continentes & coniugati, quos Ezechiel vidisse legitur in visione saluandos, à Petro petra, super quam non domum saltus Libani, non porticum columnarum, nec domum filiæ Pharaonis, sed Ecclesiam suam ædificauit Dominus fidelibus, velut de omni genere piscium in eius rete conclusis, tanquam à primate primatum, qui de fonte Dominici pectoris fluenta potauit, & suæ salutis debent postulare remedia, & cum omni potentia & doctrina non contentiosè vel superbè in aliquo resistentes, à mentis suæ tenebris dubietatis scrupulos remoueri.

Cui etsi Paulus restitisse dicatur, vnus tamen fuit vtriusq; zelus, Dei animas lucrandi.

§. 6. Nec obstat, quod asseris, si tempora locumque distinguas, Paulum Petro in faciem restitisse, cum dispensatiuè ab orthodoxis Patribus hoc factum esse legatur, dum Petrus legem Mosaycam profitendo, Iudæos, & Paulus circumcisionem euitans, totis viribus lucrifacere studuerit ex huiusmodi simulatione gentiles. Alioquin & Paulum perambulantem Syriam & Ciliciam cum peruenisset Derben & Listram, ex eo argues quod Timotheum ex patre gentili ortum fidelis viduæ filium circumcidit. Secundò autem & tertio, vel te vel Paulum reprehendes; qui cum nauigasset Syriam, & cum eo essent Priscilla & Aquila, & caput timore Iudæorum totondisset in Cenchris, quia comam quam ex voto nutrierat, quod Nazaræi qui secundo vouerant, iuxta præceptum Moysi facere consueuerant, ibidem totondit ex lege? Si frater charissimè dignitatis mysterium, & auctoritatis officium pleno intellectu distinguens, & Petri & Pauli zelum consideres, qui animas tantummodo sitiebant: eos nec in morte, quos eadem fides & passio verè fecit esse germanos, nec dum viuerent in doctrina inuenies fuisse discordes.

Vnaque doctrina vna fides & vnū baptisma.

§. 7. Licèt enim Petrus pro duræ ceruicis Iudaïco, & Paulus pro gentili populo, lac paruulis, & escam prouectis exhibens, diuersis linguis, & ritibus laborarint; cum iam plenitudo temporis aduenisset, vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma, & alios fidei articulos secundùm gratiam sibi collatam à Domino, in vno eodemque spiritu prædicauit vterque.

Paulus ipse Petrum Primatem recognoscit.

§. 8. Fuit enim Paulus ex verbo Domini, Petro & cæteris Apostolis vniuersaliter sic dicentis: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, cum Petro mysterium dignitatis exercens, & ex verbis eiusdem auctoritatis, singulariter Petro propositis: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, in Petro auctoritatis officium recognoscens, & ideo ad eum tanquam primatem & Euangelij Dominici fontem venit Hierosolymam, & postmodum cum ipso & aliis secundùm reuelationem contulit Euangelium, ne in vacuum curreret vel etiam cucurrisset.

Cuius Primatus veritas multifariam probatur.

§. 9. Quod iterum ex verbo Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccauerit, non tantùm septies, sed etiam septuagies septies præcipitur dimittendum, ipsi soli oues suas indistinctè committens, qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quòd per plateas in lectulis & grabatis positi ad vmbram eius sanabantur infirmi. Cuius auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressius roboratur, cum sibi soli dictum est: Duc in altum, & pluraliter subinfertur: Laxate retia in capturam. Si ergo Petrus propter excellentiam fidei, qua in vno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit, Tu es Christus Filius Dei viui, Claues regni cælestis in terris solus accepit, cum vnus sit Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnum principium, vnum corpus Ecclesiæ militantis, & corpus cum pluribus capitibus monstruosum, & sine capite acephalum censetur.

Successor ergo Petri Caput est Ecclesiæ, ad eumque omnis quæstio est referenda.

§. 10. Restat vt ad regimen generalis Ecclesiæ, quam ipse cum Paulo, & cæteris de gentibus, Græcis, Latinis, Barbaris, congregauit, caput eiusdem, suumque Dominus per ea quæ præmissa sunt, manifestè ostenderet successorem. Præuidens autem Dominus, quòd Ecclesia Dei conculcaretur à tyrannis, laniaretur, ab hæreticis, & à schismaticis scinderetur, ait: Pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ex quo colligitur euidenter, quòd ad sedem Petri omnis sit quæstio fidei referenda.

A cuius vnione, cum Græci discesserint in acerbissimum seruitutem inciderunt lapsi sunt.

§. 11. Sed quod dolentes referimus, vt epistolæ tuæ verbis vtamur, præsumptuosè quidem non per manus militum, sed Ecclesiasticarum personarum sensus, veri Ioseph talaris tunica & inconsutilis est passa scissuram. Sed quis sciderit videatur, cum enim Græcorum Ecclesia à Romanæ Sedis vnitate recessit, statim priuilegio caruit Ecclesiasticæ libertatis, & quæ fuerat libera, facta est sæcularis potestatis ancilla, vt iusto iudicio, quæ noluit diuinum recognoscere in Petro primatum, tolleret inuita sæcularæ dominium. Sub quo nòn modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & à fraterna charitate tepescens, licentius per campum licentiæ non refrænate discurrit, vt sine alienius reprehensione, licitum sub illicito palliaret, & à templo Petri recedens, à Domino quasi atrium foris eiicitur, quod virga sua Ioannes prohibente Domino non metitur, quoniam datum est illud gentibus, & hoc iam cognoscis visibiliter consummatum.

Samaria idē euenit.

§. 12. Quod Samaria, quæ à templo Domini, & à Iuda, ac veræ fidei confessione recedens, facta Idololatra præfigurans, bellorum cladibus continuatis attrita, & peccatorum grauata pondere, licèt Elias & Elisæus, tanquam magna luminaria ibi velut in loco caliginoso refulserint, data est gentibus, proiecta foras in vltionem fornicationis & idololatriæ, quibus se à Domino separauit.

Etsi Petrus peccauit, id Deus permisit, vt aliis pati & compati sciret aberrantes.

§. 13. Quòd si Paulum Græcorum Ecclesia se habere proponit, exhibeat, vel à successore Petri, & Vicario IESV CHRISTI in Apostolorum Basilica, quæ à Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. Officij etiam notauit mysterium, licet literis tuis, quasi sub forma reprehensionis insertum fuerit, quòd Petrus ab ostiaria ter commotus, ad galli cantum excitatus, factus est ostiarius paradisi, vt videlicet qui præesse deberet, pati sciret & compati, & ex auctoritatis officio, cui ter dictum est, singulariter, pasce, & non pascite, oues meas, non alienas, ad successores transmisso veri pastoris exemplo, subditorum excessus ad vnitatem Ecclesiæ redeuntium, in spiritu lenitatis corrigeret, & cultum Christiani nominis sponte professos, ab Ecclesia oberrantes exigente contumacia, iuxta verbum Apostoli, tradendo huiusmodi Satanæ in interitum carnis, ad ouile reduceret vel inuitos.

Hortatur erga eum Pontifex, vt Ecclesiam Romanam Caput & Magistram agnoscat.

§. 14. Si verò ex compassionis affectu ad Apostolicæ Sedis primatem & iudicem, tanquam vetus Israëlita recurris, & super contritione Ioseph de scissura tunicæ inconsutilis, mota sunt tuæ pietatis viscera, passioni tuæ compatimur, & dolori tuo cum Apostolo condolemus, eique ad grates assurgimus, qui aperuit oculos cæci nati, humiliter postulantes, vt qui per collirium ex felle piscis, Tobiæ illuminauit oculos, Ecclesiæ Græcorum corda cum tuo illuminet, & nostris tuisque temporibus ad

vnum

vnum ouile, vnumque pastorem prouidentia diuina reducat. Librum igitur de quo dictum est Ioanni in Apocalypsi; Accipe frater charissime, ac deuora illũ, & si amaricare faciat ventrem tuum, propter contritionum aculeos qui in principio pungunt; tamen in ore tuo erit dulcis tanquam mel, cùm sonus confessionis aduenerit dulcis ad instar mellis, iuxta verbum sponsi dicentis in Canticis; Sonet vox tua in auribus meis, vox tua dulcis, & suæ prudentiæ conscientiam sine aliqua superstitione tegat, & illuminatus inuenies, quòd Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum caput est & magistra, in speculo à te proposito, Euangelij videlicet, & Epistolarum, & doctrina aliorum Doctorum, nihil contrariũ inuenit, quod interpretatiuè vel dispensatiuè secundùm statuta sanctorum Patrum in vnitate fidei, & spiritus non concordet. In cuius libri apertione inuenies, quòd Romanus Pontifex omnibus omnia factus, vt omnes salui fiant, non turpis lucri causâ, vel voluntarie, sed à fratribus suis diuina inspiratione vocatus, statim seruus seruorum Dei effectus, murum pro fratribus & Coëpiscopis suis, eorumque subditis contra hæreticos, schismaticos, & tyrannos, ad tuitionem Ecclesiasticæ libertatis, cum suis fratribus se opponit. Et licèt aliqui latenter subrepant publicè tamen quasi ab omnium incursibus modernis temporibus, Ecclesia Romana respirat.

Malorum reminiscitur quæ Græci ob scissuram patiuntur.

§. 15. Sed si Græcorum Ecclesia patienter sustineat, vt tuis verbis vtamur, verba quæ mordeant, præter animarum pericula quæ ex eorum scissura prouenerunt, hactenus & prouenjunt; satis eis vexatio dedisse debuerat intellectum, in quorum manibus ordo Ecclesiasticus per aduersas Orientis nationes in diuersa partitus confunditur, Ecclesiastica libertas deprimitur, & Sacerdotalis dignitas conculcatur, nec est qui consoletur eam ex omnibus charis eius, quia tanquam acephali ad caput Ecclesiæ recurrere contempserunt.

Grauitérque eundem admonet, vt ad Ecclesiæ gremium reuertatur.

§. 16. Reuertere igitur Sunamitis, reuertere vt intueamur te, quia tunc rectè poterit frater à fratre iuuari, si filius, qui omnia consumpsit dissolutè viuendo, à Domino inspiratus surgat, & dicat: Pater peccaui in Cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Tunc enim pater non vt mercenario, sed vt filio reuertẽti occurrens, primam stolam proferet, occidetque vitulum saginatum, & generale conuiuium faciens, vniuersis Christi fidelibus cum exultatione annunciabit & gaudio, quod & frater, & filius qui mortuus fuerat iam reuixit, & drachma, quæ perierat est inuenta, & sic te in gremio matris Ecclesiæ cum honore recepto, veritatem manifestè videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia Latina seruat in fidei vnitate, quæ non recipit maculam, neque rugam.

D. P. A. 6. die 26. Iulij.

Datum Reat. 7. Kalend. Augusti, Anno sexto.

Sequitur altera ad eundem Epistola.

Edita An. D. 1233.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabili Fratri Archiepiscopo Græcorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

CVm iuxta testimonium veritatis, occasio sit errorum ignorantia scripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire, quia quæ in eis inspiratio diuina reposuit pro doctrina sequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum.

Signati schismatis Græcorum, ac multitudinis hæresiarcharum.

§. 2. Sanè sub Ieroboam qui peccare fecit, vt legitur, Israëlem, præsumpta diuisio tribuum patenter signat schisma Græcorum, & multitudo abominationum Samariæ, diuersas hæreses multitudinis à veneratione veri Templi Domini, Romanæ videlicet Ecclesiæ reuerentia separatæ. Quod Chrisostomus, Nazianzenus, magnus Basilius, & Cyrillus emicuerint in cætu dissentientium, eadem fuit cælestis altitudo consilij, qua degere voluit inter idololatras, Heliam, Helisæum, & filias Prophetarum.

Explicatio de vtroq; gladio Ecclesiæ, & eius vsu.

§. 2. Nunc igitur quia in aliis literis, quas dudum tibi remisimus, latius hanc & alias auctoritatum & rationum, quæ pro Romanæ primatu Ecclesiæ faciunt, materias explicimus, illud tantùm adiicimus, quod vtrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem, ex Euangelica lectione recolimus. Etenim loquente IESV discipulis de acquisitione gladij spiritalis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus dixit sufficere, ad cohibitionem videlicet spiritalis, & corporalis offensæ, Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quod in Matthæi Euangelio Dominus dicat Petro: Conuerte gladium tuum in locum suum, dicendo tuum, materialem signauit gladium, quo percusserat ille seruum principis Sacerdotum. De spiritali nemini venit in dubium, cum ei, id est, Petro per cuiusdam specialitatis apicem, ligandi & soluendi commiserit potestatem. Vterque igitur gladius Ecclesiæ traditur, sed ab Ecclesia exercendus est vnus, alius pro Ecclesia, manu sæcularis principis eximendus, vnus à Sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administrandus à milite. Propter hoc ergo & alia, quæ post diligentem veritatis indaginem, ordinatam te sentire faciant charitatem, latores præsentium, Hugonem, & Petrum de Prædicatorum; Aymonem, & Rodulphum de Minorum Ordinibus fratres, viros virtute, religione conspicuos, morum honestate præclatos, & scripturarum sacrarum scientia præditos, iuxta, quod tibi per memoratas literas intimare curauimus, ad te duximus destinandos, vt si cum eis de omnibus, quæ in quæstionem veniunt, tractare fideliter, & socialiter conferre decreueris; in rota, quæ infra rotam Ezechieli ostensa est, vocem poteris audire tonitrui, & in mari vitreo speculari, quod vnus Adam collocatus ad opus, & custodiam Paradisi, vnam est sortitus vxorem, vnum Dominum Iesum Christum, in iustitia, & veritatis sanctitate creatum, & vnicam sponsam eius Ecclesiam præfigurans, quod Lamech, qui humiliatum sonat, dum vxorem vnam diuisit in duas, sanguinarius factus est, & virum in suum vulnus occidit, quod alia præter vnam, arca non legitur, quæ cuncta vastante diluuio sub vnius Patriarchæ regiminis potentatu, paucas animas sub perfectionis numero reseruauit, quod legem Dominus secundo dedit, non alteram, sed eandem, quod duorum Cherubim, qui propitiatorium obumbrant, non aliorsum versi, sed respicientes erant vultus ad vnum. Et vnam Ioseph tunicam fuisse talarem, & nostri Saluatoris inconsutilem vestem vnam.

Et de diuerso ritu circa Sacramentum Eucharistiæ.

§. 3. Verumtamen si dubietatis sensum circa Eucharistiæ Sacramentum, vester diuersus à nostro ritus inducit, attende, quòd non sit aliud, nec diuersum vnius Domini Iesu Christi prius in assumpta propter nos carne passibilis, post sicut à morte sic ab omni passibilitate prorsus immunis, à Græcis pariter & Latinis nostræ salutis mysterium frequentatur. Græcus ad fidem cum discipulo iuniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus, illius dignationis, qua Deus compassus miseriæ humanæ homo voluit esse passibilis, eligens quotidie reminisci hostiam offerri constituit fermentatam, vt Apostolo dicente, quod ex fermento massa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui ante resurrectionem corpus Dominicum subiacere potuit, ostendatur. Latinus verò cùm Petro seniore secutus literæ monumentum, de qua procedit spiritualis sensus, prior introiuit, & linteamina posita quæ sacrosanctum Corpus, quod Ecclesiam signat, inuoluerant, separatumque sudarium quod fuerat super caput aspexit. Sacramentum glorificati Corporis celebrare mirificentius in azimis sinceritatis elegit. Sed vtique panis simplex ante sacrificium panis est. Transsubstantiatione verò facta per verba Dominica, panis non est. & ideo nec fermentatus, nec azimus dici potest. Sed ille potius creditur esse panis viuus, qui descendit de cœlo, & tribuit vitam mundo. Hæc & his similia docuit Petri sedem vnctio spiritus, & sanitas intellectus.

Hortatio ad vnitatẽ amplectendam.

§. 4. Vtinam & tu tandem aliquando iuniorem discipulum, qui vidit & credidit securus introeas, vt omnibus intellectis nobiscum verè psallas illud Dauidicum: Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.

D. P. A. 7. die 18. Maij.

Dat. Laterani 15. Kalendas Iunij, Pontificatus nostri Anno septimo.

COELESTINVS IV. PONT. CLXXXI.
ANNO DOMINI MCCXLI.



COelestinus IV. Prouincia Insuber, patria Mediolanensis, de familia Castillionea, Gaofridus Castillioneus anteà vocatus, Creatus Romæ nono Kal. Octobris 1241. Vixit dies 12. Obiit octauo Idûs Octobris eodem anno. Sepultus est in Basilica Principis Apostolorum. Vacauit Romana Sedes annum 1. menses 8. dies 15.

INNOCENTIVS QVARTVS PONT. CLXXXII.
ANNO DOMINI MCCXXXXIII.



INnocentius IV. Ianuensis, Sinibaldus Flicus anteà vocatus, Vgonis filius, Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina, Creatus Anagniæ 8. Kalendas Iulij. Anno Domini 1243. Vixit annos 11. menses 5. dies 14. Creauit Cardinales 15. Obiit Neapoli Idibus Decembris 1254. Corpus eius in Ecclesia Cathedrali ibidem sepultum. Vacauit sedes dies tredecim.

Bullar. Mag. Tom. I.

Approbatio legum à Friderico Imperatore, hactenus in obedientia S.R.E. persistente, contra hæreticos eorumque complices & fautores editarum.

Eandem approbationem fecit Alex. IV. die 18. Ian. 1258. & Clem. IV. die 22. Octobris 1265 sed eas tanquam eiusdem argumenti, consulto prætermisi.

Alias contra eosdem promulgauit leges hic idem Pontifex, vt inf. in const. 9. Ad extirpanda. Et prædictus Fridericus alias itidem leges tulit pro immunitate Ecclesiastica, quæ habentur sup. in fine const. 1. Honor. III. Has leges.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Potestatibus, Conciliis & Communitatibus Ciuitatum, aliorumque locorum Lombardiæ, Marchiæ, Teruisinæ, ac Romaniolæ. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita An. D. 1243.

CVm adoersus hæreticam prauitatem quondam Fridericus Romanorum Imperator promulgauerit quasdam leges, per quas ne perua. getur, compesci poterit pestis illa: nos illas volêtes ad robur fidei, ac salutem fidelium obseruari, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quorum tenores vobis mittimus insertos præsentibus, faciatis singuli in vestris capitularibus annotari, contra hæreticos sectæ cuiuslibet secundùm eas exacta diligentia processuri. Alioquin dilectis filiis Priori, Prouinciali & Fratribus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis Ordinis Prædicatorum in Lombardia, Marchia Teruisina, & Romaniola literis nostris iniungimus, vt vos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota cópellant.

Approbatio legum à Friderico Imper. editarum contra hæreticos & complices.

Sequuntur leges d. Frederici Imperatoris.

FRidericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus Hierusalem & Siciliæ Rex, dilectis Principibus suis, Venerabilibus Archiepiscopis, aliisque Prælatis Ecclesiarum, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Potestatibus, Sculteris, Burgauiis, Aduocatis, Iudicibus, Ministerialibus, Officialibus, & omnibus per totum Imperium constitutis, præsentes literas inspecturis fidelibus suis, Gratiam suam, & omne bonum.

Fridericus Imperator.

§. 1. Commissi nobis cœlitus cura regiminis & Imperialis, cui dante Domino præsidentes fastigium dignitatis, materialem quo diuisim à sacerdotio fungimur gladium aduersus hostes fidei & in exterminium hæreticæ prauitatis exigunt exercendum, vt perfidiæ vipereos filios contra Deum & Ecclesiam insultantes, tanquam materni vteri corrosores, in iudicio & iustitia persequamur, maleficos viuere non passuri, per quorum scientiam seducentem mundos inficitur, & in gregem fidelium per oues has morbidas grauior infligitur corruptela.

Leges edidit contra Hæreticos, & eorū complices, vt infra quod.

§. 2. Statuimus itaque sancientes; vt hæretici quocumque nomine censeantur, vbicumque per Imperium damnati fuerint ab Ecclesia, & sæculari iudicio assignati, animaduersione debita puniantur.

Damnati ab Ecclesia, Curiæ sæculari dentur.

§. 3. Si qui verò de prædictis postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis, redire voluerint ad fidei vnitatem, iuxta canonicas sanctiones ad agendum pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

Conuersi carceri mancipentur.

§. 4. Prætereà, quicumque hæretici reperti fuerint in Ciuitatibus, Oppidis, seu aliis locis Imperij per inquisitores ab Apostol. Sede datos, & alios orthodoxæ fidei zelatores, hi qui iurisdictionem ibidem habuerint, ad inquisitorum & aliorum Catholicorum virorū insinuationem eos capere teneâtur: & eos captos arctiùs custodire, donec per censuram Ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei sacramentâ & vitæ damnabant.

Vbique reperti, inquisitoribus consignentur.

§. 5. Simili quoque pœna plecti censemus omnes, quos ad fouendum hæreticorum errorem callidus hostis

Fautores puniantur.

fulcitat aduocatos, vel parat illicitos defensores; maxime cum facinus quos inquinat, æquat: nisi monitione præmissa destiterint, & eorum vitæ duxerint consulendum.

Transfugæ rapiantur.

§.6. Eos præterea qui conuicti in vno loco de hæresi, ad alia loca se transferunt, vt cautius possint effundere virus hæreticæ prauitatis, debitam censemus subire vindictam: vt super hoc per viros ab eodem errore conuersos ad fidem, necnon & per alios, qui eos de hæresi conuicerunt (quod & in hoc casu concedimus licitè faciendum) euidens testimonium habeatur.

Relapsi morte plectantur.

§.7. Item mortis sententiæ ducimus addicendos, si quos hæreticorum ad iudicium tractos, in extremæ vitæ periculo hæresim abiurantes, postmodum de falso iuramento constiterit, & fide mentita conuinci, ac eos contigerit eiusdem morbi spontaneam incurrere recidiuam: vt sibi damnabilius iniquitas sit mentita, & pœnam debitam mendacium non euadat.

Appellatio denegatur.

§.8. Omne insuper proclamationis & appellationis beneficium, ab hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorundem, penitus amouemus: volentes vt de finibus imperij, in quibus semper debet existere fida fides, hæreticæ labis germina modis omnibus deleantur.

Posteri officijs & beneficijs priuantur.

§.9. Cæterum quanto maiora diuinæ nutu miserationis accepimus, & altiorem locum præ filiis hominum obtinemus, tanto deuotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti, si quando in nostri nominis contemptores nostri culminis excandescit auctoritas, si reos læsæ maiestatis, in personis eorum & liberorum suorum exhæredatione damnamus, multò fortius, iustiusque contra Dei blasphematores nominis, & Catholicæ fidei detractores prouocamur, eorundem hæreticorum, receptatorum, fautorum, & aduocatorum suorum, hæredes & posteros, vsque ad secundam progeniem, beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis & honoribus, Imperiali auctoritate priuantes, vt in paterni memoria criminis continuo mœrore tabescant: verè scientes, quòd Deus zelotes est, peccata patrum in filios potenter vlciscens.

Reuelantes autem indemnes seruantur.

§.10. Nec quidem à misericordiæ finibus duximus excludendum, vt si qui paternæ hæresis non sequaces, latentem patrum perfidiam reuelauerint, quacumque reatus illorum animaduersione plectantur, prædictæ punitioni non subiaceant innocentiæ filiorum.

Inquisitoribus vbique fauendum.

§.11. Ad hæc, notum fieri volumus fratres Prædicatores de Ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus Imperij nostri contra hæreticos deputatos, cæteros quoque qui ad hæreticos iudicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab imperio fuerint proscripti, eundo, morando, & redeundo, sub nostri Imperij speciali defensione receptos, & quos apud omnes, sub ope ac recommendatione fidelium imperij esse volumus inoffensos. Vniuersitati vestræ mandantes, quatenus quandocumque, & apud quemcumque vestrum peruenerint, benignè recipiatis eosdem; & personas ab incursu hæreticorum eis insidiantium conseruantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis.

Hæretici vbique capiantur & custodiantur.

Et capiantur etiam in Ecclesiis, vt conf. in contr. 1. Ioan. 22.

§.12. Hæreticos verò, quos & ostenderint ipsi vobis in iurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinendos, donec post Ecclesiasticæ damnationis iudicium, pœnam subeant, quam merentur. Scituri quod in executione ipsius negotij, gratum Deo, & laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri imperij nouam & insolitam hæreticæ prauitatis, infamiam, opem, & operam, vna cum eisdem fratribus præstiteritis efficacem, & si quis foret exinde negligens & remissus, ac etiam inutilis, coram Domino & in conspectu nostro poterit meritò culpabilis apparere.

Dat. Paduæ.

Dat. Paduæ 22. Februarij, xij. Indictione.

FRIDERICVS DEI GRATIA &c.

Hic Imperator aduersus hæreticos & præsertim Patarenos statuit.

INconsutilem tunicã Dei nostri dissuere conantur hæretici, & vocabuli vitio seruientes, quod significationem diuisionis enuntiat, in ipsius indiuisibilis fidei vnitate nituntur inducere sectionem: & oues à Petri custodia, cui pascendæ à pastore bono sunt creditæ, segregare.

Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eo vsque mansuetudinem prætendentes ouium, quovsque ouile possint subintrare dominicum. Hi sunt Angeli pessimi. Hi sunt filij prauitatum, à patre nequitiæ, & fraudis auctore, ad animas simplices destinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt. Hi serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine, virus euomere. Vt vitæ cibum ministrare se simulent, à cauda feriunt, & mortis poculum velut quoddam durissimum venenum immiscent. Horum sectæ veteribus, vel ne in publicum prodeant, non sunt notatæ nominibus, vel (quòd est fortè nefandius) non contentæ, vt vel ab Arrio Arriani, vel à Nestore Nestoriani, aut à similibus similes nuncupentur: sed in exemplum martyrum, qui pro fide Catholica martyria subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Huiusmodi miseri Patareni, à quibus abest sancta credulitas diuinitatis æternæ, sub vno contextu nequitiæ insimul tres offendunt; Deum videlicèt, proximos, & seipsos. Deum, dum Dei fidem, & Filium non agnoscunt. Decipiunt proximos, dum ipsis sub spe spiritualis alimoniæ, hæreticæ prauitatis oblectamenta ministrant. Crudelius etiam sæuiunt in seipsos, dum post animarum dispendium, corpora denique seueræ mortis illecebris, quam per agnitionem veram & veræ fidei possent euadere, vitæ prodigi, & necis improuidi sectatores, inuoluunt: & (quod est ipso dictu durissimum) superstites etiam non terrentur exemplo.

Crimen hæresis, caterum est horribilius.

§.1. Contrà tales, sibi, Deo, & hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitæ vltionis in eos gladium exeramus: tantò ipsos instantiua persequentes, quantò in euidentiorem delusionem fidei Christianæ, propè Romanam Ecclesiam, quæ caput Ecclesiarum omnium iudicatur, superstitionis suæ scelera latius exercere noscuntur. Adeò quod ab Italiæ finibus præsertim à partibus Lombardiæ, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam latius abundare, iamque vsque ad Regnum nostrum Siciliæ, suæ perfidiæ riuulos deriuarunt. Quod acerbissimum reputantes, Statuimus in primis, vt crimen hæreseos, & damnatæ sectæ cuiuslibet, quocũque nomine censeantur sectatores, (prout veteribus legibus est indictum) inter publica crimina numerentur. Imo crimine læsæ maiestatis nostræ debet ab omnibus horribilius iudicari, quod in diuinæ maiestatis iniuriam noscitur attentatum, quamuis iudicij potestate alterum alteri non excellat. Nam sicuti perduellionis crimen personas admittit damnatorum, & bona, & damnat post obitum memoriam defunctorum: sic & in prædicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus obseruari.

Indagati igne comburantur.

§.2. Et vt ipsorum nequitia, qui (quia Dominum non sequuntur) in tenebris ambulant, detegatur: nemine etiam deferente, inuestigari volumus diligenter huiusmodi scelerum patratores, & per officiales nostros, sicut & alios malefactores inquiri. Ac inquisitione notatos, etsi leuis superstitionis argumento tangantur, à viris Ecclesiasticis, & Prælatis examinari iubemus. Per quos si inuenti fuerint à fide Catholica saltem in articulo deuiare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosi diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepta instantia perseuerent, præsentis nostræ legis edicto damnatos mortem pati. Patarenos aliosque hæreticos quocumque nomine censeantur, decernimus, quam affectant: vt viui in conspectu hominum comburantur, flammarum commissi iudicio. Nec dolemus, quòd in hoc ipsorum satisfacimus voluntati, ex qua pœnam solummodo, nec fructum alium consequuntur erroris.

Patrocinium denegatur.

§.3. Apud nos talibus nemo interuenire præsumat, quod qui fecerit, ipsum nostræ indignationis aculeos non immerito conuertemus.

Dat. Paduæ 22. Februarij, xij. Indictione.

Imperator Fridericus semper Augustus, &c.

Patarenorum fautores relegantur.

PAtarenorum receptatores, & complices, & quocumque modo fautores, qui vt à pœna alios possint eximere, de se velut improuidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus.

§.1. Et

Filij, honoribus priuātur.

§. 1. Et ipsorum filij ad honores aliquos nullatenus admittantur. Si tamen aliquis fautorum huiusmodi, detexeris aliquem Patarenum, de cuius perfidia manifestè probatur, in fidei præmium quam agnouit, famæ pristinæ de Imperiali clementia restitutionis beneficium in integrum consequatur.

Incipiunt Capitula constitutionis contra Patarenos edita per eundem Fridericum Illustrem virum, Romanorum Imperatorem, semper Augustum, Hierusalem, & Siciliæ Regem.

Cathari perpetua infamia damnātur, & bona confiscantur.

CAthatos, Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos, Iosepinos, Garatenses, Albanenses, Franciscos, Bagoarolos, Commixtos, Vvaldenses, Roncarolos, Communellos, Vuarinos, & Ortolenos, cum illis de Aquanigra, & omnes hæreticos vtriusque sexus quocumque nomine censeantur; perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus. Censentes vt bona talium confiscentur, nec ad eos vlterius reuertantur: ita quod filij eorum ad successionem peruenire non possint, cum longè sit grauius æternam, quàm temporalem offendere maiestatem.

Suspecti banniuntur.

§. 1. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiæ, iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint; tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur, ita quòd si per annum permanserint, ex tunc eos sicut hæreticos condemnamus.

Magistratus pro defensione fidei iuramentum præstant, &c.

§. 2. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, vt Potestates, & Consules, seu Rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione Fidei præstet publicum iuramentum, quod de terris suæ ditioni subiectis vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt. Ita quòd amodo quandocumque quis fuerit in perpetuam honestatē* vel temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum iuramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus, neque pro consulibus, seu consimilibus habeantur; eorumque sententias ex tunc decernimus inutiles & inanes. Si verò dominus temporalis, requisitus & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, post annum à tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponimus Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in Fidei puritate conseruent, saluo iure dominij temporalis; dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege seruata, contra eos qui non habent dominos principales.

** potestatem*

Credentes & fautores multas terras incurrant.

§. 3. Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum bannimus. Statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, & ad publica officia, seu consilia, vel ad aliquos eligendos huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus ei præterea super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, eius instrumenta confecta per manum ipsius nullius penitus sint momenti. Adiicimus insuper, quod hæreticus per hæreticum conuinci possit, & quod domus Patarenorum, receptatorum, & defensorum, & fautorum, siue vbi docuerint, siue vbi aliis manus imposuerint, destruantur, nullo tempore restituendæ. Dat. Paduæ 22. Februarij, xij. Indictione.

Apostatantes pœnis ligantur.

§. 4. Rex Regum apostatantes à fide Catholica penitus execramur, insequimur vltionibus, bonis suis omnibus spoliamus. Et vi à professione vel vita naufragantes, legibus coarctamus, Successiones tollimus, ab eis omne ius legitimum abdicamus.

D. P. A. 1. die 31. Octob.

Dat. Perusij, 2. Kal. Nouēb. Pontif. nostri Anno primo.

Hortatio ad Regem Franciæ, vt in suo Regno, concremari faciat librum Talmud, quo vtūtur Iudæi, eisque prohibeat nutrices, & seruientes habere Christianos. II.

Ampliorem prohibitionem circa librum Talmud, & alios Iudæorum libros, vide inf. in Iulij III. const. 23. Cum sicut, & Clem. VIII. const. 20. Cum Hebræorum. Et quoad dictas nutrices & seruientes, idem prohibuerat Clem. III. in cap. 9. & 13. de Iud. & postremo edita est const. 3. Pauli IV. Cum nimis, vbi notabo cætera de Iudæis.

INNOCENTIVS PAPA IV. *Edita A. D. 1244.*
Illustri Regi Franciæ.

Iudæorū mala in sunt iniquitates.

IMpia Iudæorum perfidia, de quorum cordibus propter immensitatem suorum scelerum Redemptor noster velamen non abstulit, sed in cæcitate, quæ contingit ex parte in Israël adhuc manere permittit, prout conuenit, non attendens, quòd ex sola misericordia, pietas ipsos Christiana recepit, & cohabitationem illorum sustineat patienter, illa committit enormia, quæ stupori audientibus, & referentibus sunt horrori. Ipsi enim ingrati Domino IESV CHRISTO, qui conuersionem eorum ex suæ longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam prætēdentes verecundiam culpæ suæ, nec reuerentes honorem fidei Christianæ, omissis seu contemptis lege Mosaica & Prophetis, quasdam traditiones suorum seniorum sequuntur. Super quibus eos in Euangelio Dominus obiurgat dicens: Quare vos transgredimini mandatum Dei, & irritum fecistis propter traditiones vestras, hominum doctrinas & mandata docentes.

Et signanter in lib. Talmude.

§. 1. In huiusmodi namque traditionibus, (quæ Talmud Hebraicè nuncupantur, & magnus liber est apud eos, excedens textum Bibliæ in immensum, in quo sunt blasphemiæ in Deum, & Christum eius, ac beatam Virginem manifestè, inextricabiles fabulæ, abusiones erroneæ, ac stultitiæ inauditæ) filios suos docent, ac nutriunt, & à legis & prophetarum doctrina reddunt ipsos penitus alienos. Verentes, ne veritate, quæ in eisdem Lege ac Prophetis est, intellecta, apertè de vnigenito Dei Filio venturo in carnem, testimonium perhibente, conuertantur ad fidem, & ad Redemptorem suum humiliter reuertantur.

Habentque nutrices Christianas.

§. 2. Et his non contenti, faciunt Christianas filiorum suorum nutrices in contumeliam fidei Christianæ, cum quibus turpia multa committunt. Propter quæ fidelibus est verendum, ne diuinam indignationem incurrant, dum eos perpetrare patiuntur indignè, quæ fidei nostræ confusionem inducunt.

Cancellarius Parisien. illū combussit fauente Rege Franciæ.

§. 3. Et licèt dilectus filius Cancellarius Parisiensis, & Doctores regentes Parisiis in sacra pagina, de mandato felicis recordationis G. Papæ prædecessoris nostri, tàm prædictum abusionis librum, quàm alios quosdam cum omnibus glossis suis perlectis in potestate, ac examinatos ad confusionem perfidiæ Iudæorum, publicè coram Clero, & Populo, incendio concremarint, prout in literis eorum perspeximus contineri, quibus tu tanquam Catholicus Rex & Princeps Christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum & fauorem, pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus, ac prosequimur actionibus gratiarum.

Quem idē Pont. rogat vt idem faciat in toto regno.

§. 4. Quia tamen nondum Iudæorum ipsorum abusio profana quieuit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celsitudinem regiam rogamus & obsecramus in Domino IESV CHRISTO, vt qui excessus huiusmodi detestabiles & enormes, commissos in contumeliam Creatoris, & iniuriam nominis Christiani, piè incepisti laudabiliter prosequendo, facias debita seueritate percelli. Et tam prædictos abusionis libros, reprobatos per Doctores eosdem, quàm generaliter omnes cum glossis suis, qui per ipsos examinati & reprobati fuerint, mandes per totum Regnum tuum, vbicumque reperiri poterunt, igne cremari.

Nutricesque & seruientes Christianos nō habeant.

§. 5. Firmiter inhibendo ne de cætero nutrices seu seruientes habeant Christianos, ne filij liberæ filiis famulentur ancillæ. Sed tanquam serui approbati à Domino, in cuius mortem nequiter conspirarunt, saltem per effectum operis, seruos se recognoscant illorum, quos CHRISTI mors & istos liberos, & illos constituit esse seruos: vt proinde sinceritatis tuæ zelum possimus in Domino dignis laudibus commendare.

Dat. P An. 1. die 9. Maij.

Dat. Lateran. 7. Idus Maij, Anno primo.

III. Damnatio & depositio Friderici II. Imperatoris, anathematis vinculo à Greg. IX. hactenus innodati.

Hanc posui constitutionem, quia eam non integram habemus in cap. 2. de sentent. & re Iudic. in sexto. Gregory autem anathematizationē in illum promulgatam, vide supra in eius const. 13. Rationalis.

Edita A. D. 1245.

INNOCENTIVS PAPA IV. sacro præsente Concilio ad rei memoriam sempiternam.

Proœmium.

AD Apostolicæ dignitatis apicem, licèt indigni dignatione diuinæ maiestatis assumpti, omnium Christianorum curam vigili, seduláque solertia gerere, ac intimæ considerationis oculo singulorum discernere merita, & prouidæ deliberationis statera librare debemus, vt quos iusti vigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus fauoribus, quos autem reos, pœnis debitis deprimamus: appendentes semper meritum, & præmium æqua lance, retribuendo cuique, iuxta qualitatem operis, pœnæ vel gratiæ quantitatem.

Pro habenda reconciliatione Frider. II. Imp. cum. S. R E destinauit ad eum Pontif. iste, Nuntios speciales.

§. 1. Sanè cum dira guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ prouincias diutius afflixisset, nos toto cupientes affectu mentis tranquillitatem, & pacem Ecclesiæ sanctæ Dei, ac generaliter cuncto populo Christiano restituere, ac reducere ad præcipuum Principem secularem huius dissensionis & tribulationis auctorem à fel. record. Gregorio Papa prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuntios magnæ auctoritatis viros, videlicet Venerabilem fratrem nostrum P. Albanen. tunc Rothomagensis Archiepiscopum, & C. * Sabinen. tunc quondam Mutin. Episcopum, ac dilectum filium nostrum Guill. Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, tunc Abbatem S. Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos, facientes sibi proponi per ipsos, quòd nos, & fratres nostri, quantum in nobis erat pacem per omnia secum habere, necnon cum omnibus hominibus optabamus, parati sibi pacem, & trāquillitatem dare, ac mundo etiam vniuerso, & quia Prælatorum, Clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captiuos, & omnium tam Clericorum, quàm Laïcorum, quos ceperat in Galeis restitutio, poterat esse pacis plurimum inductiua, tum vt illos restitueret, cum hoc idem tam ipse, quam suis Nuncij antequā ad Apostolatus vocati essemus officium, promisissent, rogari, & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem parati erant pro nobis audire, & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem, quam facere vellet Princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis adstrictus, & offerri præterea; quod si Ecclesia cum in aliquo cōtra debitum læserat, (quod non credebat) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare: & si diceret ipse, quod in nullo contra iustitiam læserat Ecclesiam, vel quod nos eum contra iustitiam læsissemus, parati eramus vocare Reges, Prælatos, & Principes tàm Ecclesiasticos, quàm Sæculares ad aliquē tutum locum; vbi per se, vel solemnes Nuntios conuenirent, eratque parata Ecclesia de consilio Consilij sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac reuocare sententiam, si quam contra ipsum iniustè tulisset, & cum omni mansuetudine, ac misericordia, quantum cum Deo, & honore suo fieri poterat, recipere de iniuriis, & offensis ipsi Ecclesiæ, suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso. Volebat etiam Ecclesia omnes amicos sibique adhærentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere vt nunquam hac occasione posset aliquod subire discrimen.

* *II. vel IV.*

At ille perstitit obstinatus.

§. 2. Sed licèt sic apud eum pro pace, paternis monitis, & precum insistere curauerimus lenitate, idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aspidis aures suas, huiusmodi preces, & monita, elata obstinatione, ac obstinata elatione despexit.

Et quamuis postea mediātib. eius Nūtiis iureiurādo huic Romano Pontifici obedientiā promisisset, eā effectu tamen hoc implere recusauit.

§. 3. Et licet processu temporis in die Cœnæ Domini proxima nuper præterita, præcedente coram nobis, & fratribus nostris Cardinalibus præsentibus charissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano Imper. Illust. cœtu quoque non modico Prælatorū, Senatoribus Populi Romani, & maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter solemnitatem ipsius de diuersi Mundi partibus ad Apostolicam Sedem conuenerant, quod staret nostris, & Ecclesiæ mandatis per Nobilem Virum Comitem Tolosanum, ac magistros P. de Vinea, & T. de Suessa Curiæ suæ Iudices, & Nuntios, & procuratores suos, speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, præstiterit iuramentum, postmodum tamen, quod iurauerat, non impleuit, quinimmo ea intentione ipsum præstitisse iuramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur euidentes, vt eidem Ecclesiæ, ac nobis illuderet potius, quam pareret, cum anno & amplius iam elapso, nec ad ipsius Ecclesiæ gremium reuocari potuerit, nec sibi de illatis ei damnis, & iniuriis curauerit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus:

Grauissimaque scelera patrauit.

§. 4. Propter quod non valentes absque graui Christi offensa eius iniquitates amplius tolerare, cogimur vrgente nos conscientia, iustè animaduertere in eundem, & vt ad præsens de cæteris eius sceleribus taceamus, quatuor grauissima, quæ nulla possunt celari tergiuersatione, cōmisit, deierauit enim multoties, pacem quondam inter Ecclesiam, & Imperium reformatam temere violauit, perpetrauit etiam sacrilegium, capi faciens Cardinales S. R. Ecclesiæ, ac aliarum Ecclesiarū Prælatos, & Clericos, Religiosos, & sæculares venientes ad concilium, quod idem prædecessor noster duxerat conuocandum. De hæresi quoque non dubiis, & leuibus, sed difficilibus, & euidentibus argumentis suspectus habetur; plura siquidem cum commisisse periuria satis patet. Nam olim cum in Siciliæ partibus morabatur, priusquam esset ad Imperij dignitatem electus, coram bo. mem. * C. S. Theodori Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato fælicis record. Innocentio Papæ prædecessori nostro, & Successoribus eius, Ecclesiæque Romanæ pro concessione Regni Siciliæ ab eadem Ecclesia sibi facta, fidelitatis præstitit iuramētum, & sicut dicitur, illud idem postquam ad eandem dignitatem electus extitit, & venit ad Vrbem, coram eodem Innocentio, suisque fratribus Cardinalibus, aliis multis præsentibus, ligium * hominum in eius faciens manibus innouauit. Deinde cum in Alemannia esset eidem I. & ipso defuncto, bon. me. Honorio Papæ prædecessori nostro, & eius successoribus, ac ipsi Ecclesiæ Romanæ, præsentibus Imperij Principibus, atq; nobilibus iurauit honores, iura, & possessiones Romanæ Ecclesiæ pro posse suo seruare, ac protegere bona fide, & quòd quæcunque ad manus suas deuenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis expressè dictis possessionibus in huiusmodi iuramentum: quod postmodum confirmauit, Coronam Imperij iam adeptus: sed horum trium Iuramētorum temerarius extitit violator, nō sine proditionis nota, & læsæ crimine maiestatis. Nam contra præfatū prædecessorē G. & fratres suos comminatorias literas eisdem fratribus destinare, ad dictū G. apud fratres ipsos, sicut apparet per literas ab eo tunc directas eisdem, & etiam prout fertur per vniuersum ferè orbem terrarum multipliciter diffamare præsumpsit, ac venerabilem fratrem nostrū O. Portuen. tunc S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalē, & bo. me. I. Prænest. in Episcopos, Apostolicæ Se- Legatos, nobilia, & magna Ecclesiæ Romanæ membra, personaliter capi fecit, & bonis omnibus spoliatos, ac per diuersa loca non semel ignominiosè deductos, carcerib. mancipati. Priuilegium insuper, quòd B. Petro, & successoribus eius in ipso tradidit Dñs IESVS CHRISTVS, videlicèt; Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum

* *homagium.*

&

& in Cælis : & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cælis; in quo vtique auctoritas, & potestas Ecclesiæ Romanæ consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi Ecclesiæ auferre sategit, scribens se præfati G. sententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum non solùm contemptis Ecclesiæ clauibus, non seruando, verum etiam per se, ac officiales suos, & illam, & alias excommunicationis, vel interdicti sententias, quas idem omnino contempsit, cogendo alios non seruare, Possessiones quoque præfatæ Romanæ Ecclesiæ, videlicet Marchiam, Ducatum, Beneuentum, cuius muros, & turres dirui fecit, ac alias, quas in Thusciæ, & Lombardiæ partibus & quibusdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas adhuc detinet occupatas : & tanquam ei non sufficeret, quod manifestè contra iuramenta præmissa præsumendo talia veniebat per se, vel suos officiales, earumdem possessionum homines deierare compulit, ipsos à iuramento fidelitatis, quibus Romanæ tenebantur Ecclesiæ, de facto, cum de iure non posset, absoluens, & faciens eosdem fidelitatem nihilominus abiurare prædictam, sibique fidelitatis huiusmodi iuramenta præstare. Pacis verò ipsum violatorem existere, planè constat, quia cum olim tempore pacis inter ipsum, & Ecclesiam reformatæ iurasset corã bon. mem. I. de Abbatisuilla Episcopo Sabinensi, & Magistro Th. tituli S. Sabinæ Presbytero Cardinali, præsentibus multis Prælatis, Principibus, & Baronibus, quod staret, & pareret præcise absque vlla conditione omnibus mandatis Ecclesiæ, super iis, pro quibus erat vinculo excommunicationis adstrictus, causis excommunicationis eiusdem expressis, per ordinem coram eo, tunc omnibus Theutonicis hominibus Regni Siciliæ, ac quibuslibet aliis, qui Ecclesiæ contra ipsum adhæserant omnem remittens offensam, & pœnam, & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos, pro eo quod Ecclesiæ adstiterant, præstari in anima sua per Comitem Acerrarum faciens iuramentum. Postmodum pacem, & iuramentum huiusmodi nequaquam erubescens irretite periurijs, non seruauit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus, tàm nobiles, quàm alios, postea capi, & incarcerari fecit, & eis bonis suis omnibus spoliatis, vxores eorum, & filios captiuari, ac insuper terras Ecclesiæ contra promissionem, quam eidem I. Sabinensi Episcopo, & Thomaro Cardinali fecerat, irreuerenter inuasit, licèt ipsi ex tunc in eum præsentem, si vllo modo prædictis articulis, aut conditionibus contraueniret, excõmunicationis sententiam promulgarant, & eum iidem Apostolica ei auctoritate* mandassent, vt nec per se, nec per alium impediret, quin postulationes, electiones, & confirmationes Ecclesiarum, & Monasteriorum in Regno præfato liberè de cætero fierent, secundùm statutum Concilij generalis, & quod nullas deinceps in eodem Regno viris Ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias, vel collectas, quodque nullos ibidem Clericus, vel persona Ecclesiastica de cætero in ciuili, vel criminali causa conueniretur coram iudice sæculari, nisi super feudis quæstio ciuiliter haberetur, ac Tẽplariis, Hospitalariis, & aliis personis Ecclesiasticis de damnis & iniuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter, ipse mandatum huiusmodi adimplere contempsit. Liquet namque vndecim, aut plures Archiepiscopales, & multas Episcopales sedes, Abbatias quoque, ac alias Ecclesiasticas ad præsens vacare in Regno prædicto, easque procurante ipso, sicut apertè patet, fuisse diutius Prælatorum regimine destitutas in graue ipsarum præiudicium, & periculum animarum. Et licet forte in aliquibus eiusdem Regni Ecclesiis electiones sint à Capitulis celebratæ, quia tamen per illa eiusdem familiares Clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius Regni, non solùm facultates, & bona fecit, prout voluit occupari, sed etiam Cruces, Thuribula, Calices, & alios sacrosanctum thesauros, & pannos sericos, velut cultus diuini contemptor auferri, licèt, vt dicitur ipsis Ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis, & talliis multipliciter affliguntur, non solùm trahuntur ad iudicium sæculare, sed, vt asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occidũtur, & patibulis cruciantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis, præfatis autem Templariis, Hospitalariis, & personis Ecclesiasticis non est de damnis illatis eisdem, & iniuriis satisfactum. Eum quoq; certum est, fore sacrilegij patratorem ; nam eum præfati Portuensis, & Prænestin. Episcopi, & complures Ecclesiarum Prælati, & Clerici, tam Religiosi, quàm sæculares ad Apostolicam Sedem pro celebrando Concilio, quod prius ipse petiuerat, conuocati per mare venirent, viis terræ, ipsis de mandato eius, omnino præclusis, idem destinato Enzio filio suo cum multitudine Galearum, & per alios complures longè ante serie præparatos in partibus Thusciæ maritimis insidiis positis contra eos, vt grauius posset virus vomere præconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam Prælatorum ipsorum, & aliis in huiusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis spoliatis omnibus, & de loco ad locum in Regnum Siciliæ opprobrosè deductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis, quorum aliqui maceratì squaloribus, & inedia pressi miserabiliter defecerunt.

§. 5. Meritò insuper contra eum de hæretica prauitate suspicio est exorta : cùm postquam excommunicationis sententiam à Præfatis I. Episcopo Sabinensi, & T. Cardinalibus prolatam incurrerit, & dictus G. Papa ipsum anathematis vinculo innodauerit, ac post Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, Prælatorum, Clericorum, ac aliorum etiam diuersis * [a] temporibus ad Sedem Apostolicam venientium captionem, Claues Ecclesiæ contempserit & contemnat * [b] sibi faciens celebrari vel potius, quantum in eo profanari diuina, & cõstanter asseruit, vt superius est narratum, se præfati G. Papæ sententias excommunicationis non vereri. Præterea cõiunctus amicitia detestabili Saracenis, nuncios & munera pluries destinauerit eisdem, & ab eis vicissim cũ honorificentia, & hilaritate receperit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis eius obsequiis, notabiliter secum tenens. Eorumdem etiam more vxoribus, quas habuit de stirpe regia descendentibus, Eunuchos Capuæ, quos, vt dicitur, fecit castrari fecerat, nõ erubuit deputare custodes, & quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, imo collusione verius cum Soldano Mahometi nomen in templo Domini diebus, ac noctibus publicè proclamari permisit, & nuper Nuncios Soldani Babyloniæ, postquam idem Soldanus Terræ sanctæ, ac Christianis habitatoribus ins per se, ac suos damna grauissima, & inæstimabiles iniurias irrogarat, fecit per Regnum Siciliæ cum laudibus ad eiusdem Soldani extollentiam, & sicut fertur, honorificè suscipi, & magnificè procurari. Aliorum quoque infidelium perniciosis, & horrendis obsequiis contra fideles abutens, & illis, qui damnabiliter vilipendentes Apostolicam Sedem ab vnitate Ecclesiæ discesserunt, procurans affinitate, ac amicitia copulari, claræ mem. Ducẽ Bauariæ specialẽ Ecclesiæ Romanæ deuotum, fecit, sicut pro certo asseritur Christiana Religione despecta per assassinos occidi, & Batatio Dei & Ecclesiæ inimico à communione fidelium per excommunicationis sententiam eum adiutoribus, consiliatoribus, & fautoribus suis, solemniter separato, filiam suam tradidit in vxorem. Catholicorum verò Principum actus, & mores respuens neglector salutis, & famæ, pietatis operibus non intendit, quinimo, vt de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, nõ curat oppressos misericorditer releuare, manu eius, vt decet Principem Christianum, ad eleemosynas in extenta cum destructione Ecclesiarum institerit Religiosas, ac alias Ecclesiasticas iugi atriuerit afflictione, & persecutione personas, nec Ecclesias, nec Monasteria, nec alia pia loca cernitur construxisse. Noone igitur hæc non leuia, sed efficacia sunt argumenta de suspicione hæresis contra eum, cum tamen hæreticorum vocabulo illos ius ciuile contineri asserat, & latis aduersus eos sententiis debere succumbere, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deuiare. Præter hæc, Regnum Siciliæ, quod est speciale patrimonium B. Petri, & idem Princeps ab Apostolica Sede tenebat in feudum, iam ad tantam in Clericis & laicis exinani

Proinde cum communicatus, horrenda crimina commisit.

a Partibus.

b illi.

exinanitionem, seruitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus, & omnibus eamde, probis fere eiectis, illos, qui remanserunt, ibidem, sub seruuli quasi conditione viuere, ac Romanam Ecclesiam, cuius principaliter sunt homines, & Vassalli, offendere multipliciter, & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod mille * squisatorum annuam pensionem, in qua pro eodem Regno ipsi Ecclesiæ Romanæ tenetur per nouem annos, & amplius soluere prætermisit.

** fatorum*

Illum ergo Pontifex isto modo deponit.

§. 6. Nos itaque super præmissis, & compluribus aliis eius nefandis excessibus cum fratribus nostris, & sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti, cum IESV CHRISTI vices, licèt immeriti teneamus in terris, nobisque in B. Petri Apostoli persona sit dictum. Quodcumque ligaueris super terram, &c. memoratum Principem, qui se imperio, & Regnis, omnique honore, ac dignitate reddidit tàm indignum, quippe propter suas iniquitates à Deo ne regnet, vel imperet, est abiectus, suis ligatum peccatis, & abiectum, omnique honore, & dignitate priuatum à Domino ostendimus, denuntiamus, ac nihilominus sententiando priuamus.

Vassallos ab eius obedientia liberat.

§. 7. Omnes, qui ei iuramento fidelitatis tenentur, adstricti, à iuramento huiusmodi perpetuo absoluentes auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori, vel Regi pareat, vel intendat, & decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut imperatori, ac Regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu fauorem, ipso facto excommunicationis vinculo subiacere.

Aliumque Imperatorem eligi permittit.

§. 8. Illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem. De præfato verò Siciliæ Regno prouidere curabimus cum eorundem fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.

D. P. A. 3. die 17. Iulij.

Dat. Lugdun. 16. Kal. Augusti, Anno tertio.

IV. Priuilegium Abbatis Monasterij Cisterciensis, & aliorum Coabbatum Ordinis Cisterciensis, succedendi in bonis Monachorum, in quibus ipsi successissent, si in sæculo remansissent.

Hoc Priuilegium in specie confirmauit Pius II. die 26. Iulij 1459. sed vti simpliciter confirmatorium prætermisi.

Alia de hoc Ordinaui indicaui suprà in Pasch. II. const. 1. Desiderium fol....

Edita A. D. 1246.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Abbati Cistercij eiusque Coabbatibus & Conuentibus Vniuersis Cisterciensis Ordinis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Priuilegium de quo in rubrica.

DEuotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt possessiones & alia bona mobilia & immobilia (exceptis feudalibus) quæ personas fratrum, ad Monasteria vestra è sæculo fugientium, & professionem facientium, in eisdem, si remansissent in sæculo, ratione successionis, vel quocumque alio iusto titulo contigissent, petere, ac retinere liberè valeatis, contraria consuetudine non obstante. Nulli ergo, &c. Si quis autem.

D. P. A. 4. die 22. Octob.

Datum Lugduni 11. Kalendas Nouembris, Pontificatus nostri, Anno quarto.

V. Confirmatio Congregationis Monachorũ Syluestrinorum in Eremo S. Benedicti de Monte Fano mox institutæ sub Regula S. Benedicti; & concessio gratiarũ & exemptionum.

Ad hoc vide infra constit. 38. Pauli III. Exposcit, cum ibi notandis.

Priuilegia Mendicantibus, & non Mendicantibus concessa communicauit Paul. V. huic Congregationi sub die 23. Nouembr. 1606. quam habes sub d. Paul. Const. 100. inf. tom. 3. incip. Sanctorum, quæ concedit Monasterium in Ciuitate Auximana pro ista Congregatione.

Edita A. D. 1247.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Priori Eremi de Monte Fano, eiusque Fratribus, tàm præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Exordium.

REligiosam vitam eligentibus, Apostolicum conuenit adhibere præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat.

Susceptio Ordinis sub protectione Sedis Apostolicæ.

§. 1. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Eremum S. Benedicti de Monte Fano Camerinensis Diœcesis, in qua diuino estis obsequio mancipati sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

Et Regula S. Benedicti.

§. 2. In primis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundùm Deum, & B. Benedicti Regulam in eadem Eremo institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Licentia consequendi & retinendi bona.

§. 3. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Eremus in præsentiarum iustè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Eremus sita est cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam Cryptæ Focilis cũ pertinentiis suis. Ecclesiam S. Bonifilij cum pertinentiis suis. Ecclasiam de Ripa alta, cum pertinentiis suis. Cum terris, pratis, vineis, nemoribus, vsuagiis, & pascuis, in boscho & plano, in aquis, & molendinis, viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus.

Exemptio à decimis.

§. 4. Sanè noualium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, siue de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Facultas recipiendi volentes ad Ord. Intellige iuxta const. 71. Sixt. V.

§. 5. Liceat quoque vobis, Clericos vel Laicos, liberos & absolutos, à sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibitio transeundi ad Ordinem non strictiorem

§. 6. Prohibemus insuper vt nulli fratrum vestrorum, post factam in Eremo vestra professionem fas sit, sine Prioris sui licentia, de eodem loco discedere, nisi arctioris Religionis obtentu. Discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere,

Indultum celebrandi tempore interdicti. Vide Concil. Trid. sess. 25. cap. 12.

§. 7. Cum autem generale Interdictum Terræ fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare, dummodo causam non dederitis Interdicti.

Sacramentaque & Ordines à Diœcesano Episcopo suscipiendi.

§. 8. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ordines fuerint promouendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine prauitate aliqua exhibere.

Prohibitio per alios construẽ nouam Ecclesiam intra &c. Vide Bullam Clem. VIII. n. 99.

§. 9. Prohibemus insuper, vt infra fines Parochiæ vestræ nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellam, seu Oratorium de nouo construere audeat saluis priuilegiis Pontificum Romanorum.

Prohibetur nouarum exactionum.

§. 10. Ad hæc, nouas & indebitas exactiones, ab Archiepiscopis & Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis sæcularibusvè personis, à vobis omnibus fieri prohibemus.

§. 11. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse

decer

Facultas sepeliendi mortuos. Intellige iuxta Bullar. 22. Leo X.

decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se in illis sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publicè vsurarij, nullus obsistat. Salua tamen Iustitia aliarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decimasque & possess. recup.

§. 12. Decimas præterea, & possessiones, ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laïcis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi, de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent reuocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas.

Abbas à Congregatione eligatur. Attende etiam Conc. Trid. sess. 25. cap..

§. 13. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi, qualibet subreptionis astutia, seu violentia, proponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel Fratrum maior pars concilij sanioris, secundùm Deum, & B. Benedicti Regulam prouiderint eligendum.

Prohibitio infra clausuras, sanguinis effundendi, &c.

§. 14. Paci quoque, & tranquillitati vestræ, paterna in posterum sollicitudine prouidere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, vt intra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Approbatio immunitatũ Congregationis.

§. 15. Præterea omnes libertates, & immunitates è prædecessoribus nostris Rom. Pont. Eremo vestræ concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus vel aliis fidelibus, rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

Prohibitio perturbandi Congregationem.

§. 16. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam Eremum temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesani Episcopi canonica iustitia.

Pœna perturbantium.

§. 17. Si qua igitur in futurum, Ecclesiastica, sæcularisvè persona, hanc nostræ Constitutiones paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundo, tertióve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni.

Præmia fautorum.

§. 18. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri IESV CHRISTI, quatenus & hîc fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Amen. Amen.

Notas mihi fac Dominæ vias Vitæ.

Papæ subscriptio.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Petrus Albanensis Episcopus subscripsi.
† Ego Petrus tit. S. Marcelli Presb. Card. subscripsi.
† Ego Vuiglelmus Basilicæ Duodecim Apostolorum Presb. Cardin. subscripsi.
† Ego Frater Ioannes tit. S. Laurentij in Lucina, Presb. Card. subscripsi.
† Ego Ioannes tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano, Diac. Cardinalis subscripsi.
† Ego Vuiglelmus tit. S. Eustachij, Diac. Card. subscripsi.

D. P. A. 5. die 27. Iun.

Dat. Lugduni, per manum magistri Martini S. R. E. Vicecancellarij, 5. Kal. Iulij, indictione 6. Incarnationis Dominicæ 1247. Pontificatus verò D. Innocentij Papæ IV. Anno quinto.

VI. Declaratio & mitigatio Regulæ Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, ab Honor. III. hactenus approbatæ.

Hanc Regulam ab Honor. III. approbatam supra in const. 8. Vt viuendi fol. & ab isto Pont. in paucis mitigatam, (vt hic & ibi in singulis Regula capit. adnotaui in margine) profitentur & obseruant multi Carmelitæ, qui nomen Fratrum Discalceatorum in Hispaniis primum sortiti sunt, vt habetur inf. in const. 64. Greg. XIII. Pia, & deinde in Italia, vt in const. 71. Clem. VIII. in Apostolica. Et tum prima Congregatio Hispanica, quam altera Italica, sunt penitus separatæ ab aliis Carmelitis profitentibus d. Regulam, iterum mitigatam ab Eug. IV. in eius const. 3. Romani. Quæ quidem separatio habetur inf. in const. 25. Clem. VIII. Pastoralis. Inter se quoque seiunctæ sunt Congregationes, Hispanica scilicet, & Italica, ex d. Clem. 71. Qui Clemens hos Discalceatos verè esse vnum de quatuor Ordinib. Mendicantium declarauit, in altera eius const. 101. Romanum. Noua loca erigere posse concessit Paul. V. in con. 10. Ad Ecclesia. Et pro eis erectum est in Vrbe Seminarium ad fidei propagationem, vt in alia eiusdem Pauli const. 78. Romani.

Huius Ordinis Discalceatorum fundatrix fuit B. Teresia, quam SS. Catalogo adscripsit Greg. XV. in const. 20. Omnipotens inf. tom. 4.

Edita An. D. 1247.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

QVæ honorem Conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidio sunt fulcienda perpetui: sed illa præcipuè, super quæ Apostolicæ Sedis auctoritas salubris prouidentiæ studium noscitur habuisse.

Hic Pont. requisitus de declaratione & approbatione Regulæ, illam commisit Cardinali Hugoni & Episcopo Anteradensi, qui eam stabilierunt; & ipse modo approbat.

§. 1. Cum itaque nos ad vestræ supplicationis instantiam, per dilectum filium Hugonem, tituli sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Venerabilem Fratrem nostrum Guillelmum Anteradensem Episcopum, quædam Regulæ vestræ dubia declarari, & corrigi, ac etiam quædam ipsius grauia misericorditer fecerimus mitigari, prout in literis inde confectis plenius continetur; Nos vestris piis desideriis annuentes, declarationem, & correctionem, ac mitigationem huiusmodi auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Eorumque literas hic inserit.

§. 2. Tenorem verò literarum ipsarum, de verbo ad verbum, fecimus præsentibus annotari, qui talis est.

Qui Cardinalis & Episcopus d. Regulam declaratam & mitigatam Priori & Fratribus obseruandam transmittunt.

§. 3. Frater Hugo miseratione Diuina tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Frater Guillelmus eadem miseratione Anteradensis Episcopus, charissimis in Christo filiis Religiosis viris, Priori Generali, & Definitoribus Capituli Generalis, Ordinis Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, Salutem in omni salutari. Accedentes ad Apostolicam Sedem Fratres Clerici, Rynaldus, & Petrus Ordinis vestri, ex parte vestra à Domino Papa humiliter postularunt, vt quædam, quæ in vestro Priuilegio, & Regula olim vobis à fœlicis memoriæ Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita continentur dubia, declarare, corrigere, & quædã grauia misericorditer mitigare dignaremur. Cùm igitur, Dominus Papa, eorum deuotis supplicationibus annuendo, nobis commiserit, vt declarationem, correctionem, ac mitigationem huiusmodi faceremus vice ipsius, secundùm quod bono statui Ordinis, & Fratrum salnti expediens videremus; Religioni vestræ, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam, & mitigatam, prout expedire vidimus, deuotè recipientes, eam firmiter obseruetis, & ad instar eiusdem alias vestras Regulas corrigatis, quam vobis per eosdem Fratres sub sigillis nostris mittimus in hac forma,

Prologus Regulæ.

Prologus Regulæ ab Alberto Patriarcha Hierosol. tradita.

Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis in Christo filiis, Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & be-

III formula, & à d. Cardinali & Episcopo confirmata Pont. mitigata.

cti Spiritus benedictionem. Multifarie, multisque modis sancti Patres instituerunt qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcumque modum vitæ Religiosæ elegerit, id obsequio IESV CHRISTI viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deseruire. Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

CAP. I.

De Priore & electione et promouendo. Item cap. addita sunt illa verba cum castitate, &c.

Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis Priorem habeatis, qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris, & sanioris partis, ad hoc officium, eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate & abdicatione proprietatis.

CAP. II.

Receptione locorum. Hoc cap totum additum est.

Loca autem habere poteritis in Eremis, vel vbi vobis donata fuerint, ad vestræ Religionis apta, & commoda secundùm quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

CAP. III.

Cellulæ. Nil additum.

Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

CAP. IV.

Refectorio totum additum.

Ita tamen, vt in communi refectorio, ea quę vobis erogata fuerint, communiter sumatis, vbi aliquam lectionem sacræ scripturæ audiri commodè poterit.

CAP. V.

Mutatione Cellulæ. Nil additum

Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris qui pro tempore fuerit, deputatum sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

CAP. VI.

Cellula Prioris. Nil additum.

Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eumdem locum primus occurrat: & de arbitrio, & dispositione ipsius, postmodum quæ agenda sunt, cuncta procedant.

CAP. VII.

Mansione in Cellulis Mitigauit Eug IV. cit. in rub.

Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi aliis iustis occasionibus occupentur.

CAP. VIII.

Horis Canonicis. Hoc est in aliquo diuersum à c. 6. reg. Hon. III. de qua in rub.

Hi, qui Horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundùm institutiones Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui verò eas non norunt, vigintiquinque vicibus Pater noster dicant in nocturnis Vigiliis exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum Vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur Oratio in Laudibus matutinis. In aliis quoque Horis septies similiter eadem sigillatim dicatur Oratio: præter Officia Vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

CAP. IX.

Proprio. Hoc differt aliquo à cap. 7. d. Reg.

Nullus Fratrum aliquid esse sibi proprium dicat, sed sint vobis omnia communia: & distribuantur vnicuique per manum Prioris, id est, per Fratrem ab eodem ad idem Officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Asinos autem, siue mulos, prout vestra expostulauerit necessitas.

CAP. X.

Oratio ac Missa Nil innouatum.

Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, vbi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commodè fieri potest.

CAP. XI.

Capi & Correctione, Nil innouatum.

Dominicis quoque diebus, vel aliis, vbi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis, vbi etiam excessus, & culpæ Fratrum, si quæ de aliquo fuerint deprehensæ, charitate media corrigantur.

CAP. XII.

Ieiunio, Mitigauit Eug. & Six. cit. in rub.

Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis, obseruetis à Festo Exaltationis sanctæ Crucis vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem.

CAP. XIII.

Esu carnium. Hic addita sunt ea verba. Et quia cum seqq. Et mitigauit. Eug. & Six. cit. in rub.

Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus. Sed & carnibus suprà mare vesci licebit.

CAP. XIV.

Armis spiritualibus.

Quia verò tentatio est vita hominis super terram, &c.

Omittitur residuum, quia est in d. Bulla Honor. III. cit. hic in rub. cap. 12. suprà fol.

CAP. XV.

Assiduitate operandi.

Faciendum est vobis aliquod operis, vt semper vos, &c.

Omittitur residuum eadem mox dicta ratione.

CAP. XVI.

Silentio. Hic est aliquid immutatum in vers. ideoque à Regula confirmata à d. Hon. III. cap. 14.

Commendas autem Apostolus silentium cum in eo præcipit operandum, Et quemadmodum Propheta testatur: Cultus iustitiæ silentium est. Et rursum: In silentio, & spe erit fortitudo vestra, Ideoque statuimus, vt dicto Completorio, silentium teneatis vsque ad Primam dictā sequentis diei. Alio verò tempore, licet silentij non habeatur obseruatio tanta, diligentius tamen à multiloquio caueatur. Quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet: In multiloquio non deerit peccatum: & Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item, Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Et Dominus in Euangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua & insanabilis casus eius sit ad mortem. Custodiens cum Propheta vias suas, vt non delinquat in lingua sua. Et silentium, in quo cultus iustitiæ est diligenter & cautè studeat obseruare.

CAP. XVII.

Humilitate Prioris.

Tu autem frater Brocarde, & quicumque post te institutus, &c.

Omittitur quia est idem capitulum cum cap. 15. d. Regulæ Honor. III. supra fol.

CAP. XVIII.

Veneratione Prioris.

Vos quoque cæteri Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter, &c.

Omittitur quia est, vbi mox dixi.

Finis d. Regula.

Ex Achon. Idibus Ianuarij, Anno Domini 1171.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 5. die 1. Sept.

Dat. Lugduni, Kal. Septemb. Anno Domini 1248.

Quòd Fratres Minores Ordinis S. Francisci, Cōuentuales denominentur. VII.

Hoc intellige, de Fratribus qui Regulam S. Francisci obseruant cum priuilegijs & dispensationibus à Sede Apost. impetratis. Alij autem aliis modis denominantur, vt dixi sup. in const. 5. Honor. III. Solet. fol. Conuentuales autē dicti sunt, quia hoc tēpore in Conuent. & Monasterijs insimul conuenire degereque cœperunt. De toto autem Ord. Franci. plene notaui sup. in const. præcit. Hon. III.

Edita A. D. 1250.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Causa concessionis.

CVm tanquam veri & fideles CHRISTI Ministri elegeritis vobis in domo domini mansiones, dignum esse credimus, vt habitacula vestra inter alias honorabiles congregationes fidelium statuamus.

Concessio de qua in rub.

§. 1. Hinc est igitur, quod vestris supplicationibus inclinati, præsentium auctoritate decernimus, vt Ecclesiæ vestræ omnes vbi Conuentus existunt, Conuentuales vocentur.

Et cœmeteriorum.

§. 2. Vobis nihilominus licentiam concedentes, vt in ipsis Ecclesiis, ad opus Fratrum & familiæ vestræ, habere liberè cœmeteria valeatis. Nulli ergo &c.

D. P. A. 7. die 5. April.

Dat. Lugduni, Nonis Aprilis, Pont. nostri Anno 7.

Hæretici eorumq; fautores & complices bāno exponantur, & eorum bona publicentur. VIII.

De his vide etiam inf. in const. seq. & in Alex. IV. const. 21. Discretioni.

Contra Hæreticos in locis Italiæ, Insularumque ei adiacentium quouis prætextu commorantes, eorumque fautores Constitutionem edidit Greg. XV. vt inf. tom. 4. const. 28. Romani.

Edita A. D. 1252.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Nobilibus viris vniuersis, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, ac Potestatibus, Rectoribus, Consulibus, & Communibus Ciuitatum, & aliorum locorum per Lombardiam, Marchiam Teruisinam, & Romaniolam constitutis, Salutem & Apost. benedictionem.

Hæretici, &c. banniantur.

CVm fratres Prædicatores generaliter in Lombardia, Marchia Teruisina, & Romaniola, contra hæreticos, & omnes sectas eorum quocumque nomine censeantur, ad extirpandam inde tam grauis contagij pestem, & malum tantæ prauitatis in Ecclesia Dei nimium pestilens, duxerimus deputandam Vniuersitatem vestram, rogandam & hortandam duximus attentè, & monendam, per Apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes, vt quatenus omnes illos, qui per Inquisitores eosdem, vel per alios de ipsorum mandato de hæresis crimine, vel pro defensione, seu receptatione aut fauore hæreticorum, excommunicationis innodati vinculo vel denunciati excommunicati publicè fuerint, bonis confiscatis ipsorum, banno publico exponatis, alias contra eos temporaliter, prout expedire videritis in fulcimentum Catholicæ fidei, potestate vobis tradita processuri. Alioquin noueritis nos eisdem Inquisitoribus nostris literis iniunxisse, vt vos ad id per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellant.

D. P. A. 9. die 11. Maij.

Dat. Perusij 5. Idus Maij, Pont. nostri Anno nono.

IX. Promulgatio legum & constitutionum, contra Hæreticos eorumque complices & fautores, à Magistratibus & Officialibus sæcularibus obseruandarum.

Has leges approbauit, mitigauit, & ampliauit Alex. IV. & latiùs Clemens IV. in ipsius const. 13. Ad extirpāda. Declarauit etiā §. 4. 9. & 21. 27. & 36. huius const. & sequentis ei annexæ, idem Alex. inf. in const. 2. Cum secundùm.

Pœnæ autem Hæreticorum videri possunt in Bullis à me Indicandis inf. in const. 19. Pauli IV. Cùm ex Apostolatus, & sup. in const. 1. Honor. III. fol. Et pro declaratione huius Bullæ, vide Alex. IV. const. 2. Cum secundùm.

Contra Hæreticos etiam agunt Bullæ in die Cœnæ Domini legi solitæ; cuius vltimum exemplar est S. D. N. Vrb. VIII. const. 62. Pastoralis inf. tom. 4.

Edita A. D. 1252.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Potestatibus, siue Rectoribus, Consilijs, & Communitatibus Ciuitatum aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & Marchiam Teruisinam constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Hic Pont. edidit constitutiones ad extirpationem hæreticorum.

AD extirpanda de medio populi Christiani hæreticæ prauitatis zizania, quæ abundantius solito succreuerunt, superseminante illa licentius, his diebus hominis inimico, tantò studiosius, iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quantò perniciosius negligeremus eadem in necem Catholici seminis peruagari. Volentes autem vt aduersus huiusmodi nequitiæ operarios, consurgant stentque nobiscum Ecclesiæ filij, ac orthodoxæ fidei zelatores, constitutiones quasdam ad extirpationem hæreticæ pestis edidimus à vobis vt fidelibus eiusdem fidei defensoribus exacta diligentia obseruandas quæ seriatim inferius continentur.

§. 1. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli constitutiones easdem conscribi vestris capitularibus facientes, nullis unquam temporibus abolendas, secundum eas contra omnem hæresim, se aduersus hanc sanctam Ecclesiam extollentem, sine omissione aliqua procedatis. Alioquin dilectis filiis Priori, Prouincialibus & Fratribus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis Ordinis Prædicatorum in Lombardia, Marchia Teruisina, & Romaniola, damus nostris literis in mandatis, vt singulos vestrûm ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram appellatione remota compellant.

Quas à Magistratibus sæcularibus obseruari præcipit.

Leges & constitutiones autem sunt hæ.

Tenor dictarum Constitutionum.

LEX I.

Iurent Magistratus seruare leges contra hæreticos, alioquin incidunt in pœnas hic mandatas.

Alias leges habes supr. in const. 2. Hon. III. Has leges fol. & const. 1 huius Pont. fol.

§. 2. STatuimus, vt Potestas, seu Rector, qui Ciuitati præest, vel loco alij ad præsens, aut pro tempore præfuerit in futurum, in Lombardia, Romaniola, vel Marchia Teruisina, inter præcise & sine tenore aliquo, attendere inuiolabiter & seruare, & facere ab omnibus obseruari toto tempore sui regiminis, tam in ciuitate, vel loco sui regiminis, quàm in Terris suæ ditioni subiectis, omnes & singulas tam infrascriptas, quàm alias constitutiones & leges, tam canonicas, quàm ciuiles, editas contra hæreticam prauitatem. Et super his præcisè obseruandis recipiant à quibuslibet sibi in potestate vel regimine succedentibus, iuramenta. Quæ qui præstare noluerint, pro Potestatibus vel Rectoribus nullatenus habeantur, Et quæ Potestates vel Rectores fecerint, nullam penitus habeant firmitatem. Nec vllus teneatur aut debeat sequi eos, etiamsi de sequela præstanda eis exhibuerint iuramentum. Quòd si Potestas vel Rector aliquis, hæc omnia & singula seruare noluerit, vel neglexerit, præter notam periurij & perpetuæ iacturam Infamiæ, ducentarum marcharum pœnam incurrat, quæ irremissibiliter exigantur ab eo, & in vtilitatem communis integra conuertantur, & nihilominus vt periurus & infamis, & tanquam hæreticorum fautor, de fide suspectus, officio & honore sui regiminis spolietur; nec vlterius Potestas seu Rector in aliquo habeatur, & de cætero ad aliquam dignitatem vel officium publicum nullatenus assumatur.

LEX II.

Hæreticos banno supponant & capere studeant.

§. 3. Idem quoque Potestas, seu Rector cuiuslibet Ciuitatis vel loci, in principio sui regiminis, in publica concione more solito congregata, bāno ciuitatis vel loci supponat tanquam pro maleficio, omnes hæreticos vtriusque sexus, quocumque nomine censeantur. Et teneatur bannum huiusmodi à suis prædecessoribus positum confirmare. Præcipuè autem quod nullus hæreticus vel hæretica de cætero habitet vel moretur, aut subsistat in Ciuitate, seu aliquo loco iurisdictionis, aut districtus eiusdem, & quicumque ipsum vel ipsam inuenerit, liberè capiat & capere possit impune, & omnes res ipsius vel ipsorum eis licenter auferre, quæ sint auferentium pleno iure, nisi auferentes huiusmodi sint in officio constituti.

Post verbum res, addidit nobiles Clem. IV. cit. in rub.

LEX III.

Ministros pro sancta Inquisitione instituant.

Alex. cit. in rub. declarat.

§. 4. Idem quoque Potestas, seu Rector infra tertium diem post introitum regiminis sui, duodecim viros probos & Catholicos, & duos Notarios, & duos Seruitores, vel quotquot fuerint necessarij instituere teneatur, quos Diœcesanus, si præsens extiterit, & interesse voluerit, & duo fratres Prædicatores, & duo Minores ad hoc à suis Prioribus, si Conuentus ibi fuerint eorundem Ordinum, deputati, duxerint eligendos.

LEX IV.

Qui hæreticorum capturæ studeant.

§. 5. Instituti autem huiusmodi, & electi, possint & debeant hæreticos & hæreticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hæc tam in ciuitate, quàm in tota eius iurisdictione atque districtu, plenariè adimpleri, & eos ducere, & duci facere in potestatem Diœcesani, vel Vicariorum eiusdem.

LEX V.

Eosque duci faciat Magistratus sumptibus Communis.

§. 6. Teneatur autem Potestas, seu Rector quilibet in expensis Communis, cui præest, facere duci eosdem hæreticos ita captos, quocumque Diœcesanus, vel eius Vicarij in iurisdictione, vel districtu diœcesani Episcopi, seu ciuitatis vel loci voluerit illos duci.

LEX VI.

LEX VI.

Officialibus Inquisitionis credatur Clē. hoc restrinxit, Alexād. IV. declaratur.

§.7. Officialibus verò prædictis plena fides de his omnibus habeatur, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur, aliquo speciali ter præstito iuramento, probatione aliqua in contrarium non admissa, vbi duo, vel tres, vel plures præsentes fuerint ex eisdem.

LEX VII.

Iurent in ingressu officij.

§.8. Porro cum Officiales huiusmodi eliguntur, iurent hæc omnia exequi fideliter, & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem, quibus ab omnibus, in his quæ ad officium eorum pertinent, plenius pareatur.

LEX VIII.

Potestas eorundem plenaria sit.

§.9. Et tam dicti duodecim, quam Seruitores & Notarij prætaxati, simul, vel diuisim, plenariam præcipiendi sub pœna & banno, quæ ad officium suum pertinent, habeant potestatem.

LEX IX.

Hic multa subdit Clem. Eorum præcepta seruētur.

§.10. Potestas autem vel Rector teneatur habere firma & rata omnia præcepta, quæ occasione officij sui fecerint & pœnas exigere non seruantium.

LEX X.

Immunes præseruentur.

§.11. Quod si dictis Officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit, in personis vel rebus, pro suis officiis exequendis, à communi ciuitatis vel loci, per restitutionem plenariam seruentur indemnes.

LEX XI.

Alibi non cōueniantur de concernentib. offitium.

§.12. Nec ipsi Officiales vel eorum hæredes possint aliquo tempore conueniri, de his quæ fecerint, vel pertinent ad eorum officium nisi secundùm quod eidem diœcesano & fratribus videbitur expedire.

LEX XII.

Eorum officiū sex mensibus expletur.

§.13. Ipsorum autem officium duret tantummodo per sex menses, quibus completis Potestas teneatur totidem subrogare officiales secundùm formam eandem, in aliis sex mensibus sequentibus exequantur.

LEX XIII.

Emolumenta in discessu quæ. Mutauit aliquid idem Clem.

§.14. Sanè ipsis Officialibus dentur de Camera Communis ciuitatis vel loci, quando exeunt ciuitatem aut locum pro hoc officio exequendo, vnicuique pro qualibet decem & octo Imperiales in pecunia numerata, quos Potestas vel Rector teneatur eis dare, vel dari facere infrà diem tertium postquam ad eandem redierint ciuitatem vel locum.

LEX XIV.

Salariū quod Addit Clem.

§.15. Et insuper habeant tertiam partem bonorum hæreticorum: quæ occupauerunt, & mulctarum ad quas fuerint condemnati, secundùm quod inferius continetur, & hoc salario sint contenti.

LEX XV.

Ad alia officia non compellendi.

§.16. Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat, vel impedire possit, vllo modo officium, vel etiam exercitium, compellantur.

LEX XVI.

Statutis non impediendi.

§.17. Nullum etiam statutum, conditum vel condendum, eorum officium vllo modo valeat impedire.

LEX XVII.

Quādo amouendi, & à quibus.

§.18. Et si quis horum officialium propter ineptitudinem vel inertiam vel occupationem aliquam vel excessum, diœcesano & fratribus supradictis visus fuerit amouendus, ipsum ad mandatum vel dictum eorum teneatur amouere Potestas aut Rector, & alium secundùm formam præscriptam substituere loco eius.

LEX XVIII.

Eorumdem delinquentiū pœna.

§.19. Quòd si quis eorum contra fidem & sinceritatem officij sui in fauorem hæresis deprehensus fuerit excessisse, præter notam infamiæ perpetuæ, quam tanquam fautor hæreticorum incurrat, per Potestatem vel Rectorem ad diœcesani loci, & dictorum fratrum arbitrium puniatur.

LEX XIX.

Clemens addidit & Inquisitorū post v. Fratrum. Omnes inquisitoribus faueant ad capiendum hæreticos.

§.20. Potestas prætereà militem suum vel alium assessorem, si Diœcesanus vel eius Vicarius, aut Inquisitores à Sede Apostolica deputati, seu dicti officiales petierint, cum ipsis officialibus mittere teneatur, & cum ipsis eorum officium fideliter exercere. Quilibet etiamsi præsens in terra vel requisitus fuerit, teneatur tam in ciuitate quàm in iurisdictione vel districtu quolibet, dare ipsis officialibus vel eorum sociis consilium, & iuuamen, quando voluerint hæreticum vel hæreticam capere, vel spoliare, aut inquirere: seu domum vel locum, aut aditum aliquem introire pro hæreticis capiendis, sub viginti-quinque librarum Imperialium pœna vel banno. Vniuersitas autem burgi, sub pœna & banno librarum centum; Villa verò librarum quinquaginta Imperialium pro qualibet vice soluenda in pecunia numerata. *Clem. restrinxit ad 50. & 25.*

LEX XX.

Impedientes puniātur iuxta leges Friderici Imperat. &c.

§.21. Quicumque autem hæreticum vel hæreticam, captum vel captam auferre de manibus capientium, vel capientis ausus fuerit, vel defendere ne capiatur: seu prohibere aliquem intrare domum aliquam vel turrim seu locum aliquem ne capiatur & inquiratur ibidem, iuxta legem Paduæ promulgatam per Fridericum tunc Imperatorem, publicatis bonis omnibus in perpetuum relegetur, & domus illa à qua prohibiti fuerint sine spe reædificandi funditus destruatur, & bona quæ ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si hæretici fuissent ibidem inuenti, & tunc propter hanc prohibitionem vel impeditionem specialem, burgus componat communi librarum ducentarum, & Villa librarum centum, & vicinia tam Burgi quam Ciuitatis librarum quinquaginta Imperialium, nisi infrà tertium diem ipsos defensores vel defensorem hæreticorum Potestati captos duxerint personaliter præsentandos.

Hanc destructionem mitigauit. Clem. IV. & antea declarauit Alex. IV. Alia hic immutauit & addit.

LEX XXI.

Hæretici capti custodiantur. Multa addit Clemens.

§.22. Teneatur insuper Potestas seu Rector quilibet omnes hæreticos vel hæreticas, qui capti amodo fuerint, per viros Catholicos ad hoc electos à diœcesano, si fuerit præsens, & fratribus supradictis, in aliquo speciali carcere tuto & securo, in quo ipsi soli detineantur, seorsum à latronibus & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum, sub expensis communis ciuitatis vel loci sui facere custodiri.

LEX XXII.

Assignantes non hæreticos pro hæreticis puniantur.

§.23. Si quandoque aliqui vel aliquæ non hæretici pro captis hæreticis, ipsis non contradicentibus fuerint assignati, vel si forsitan assignauerint, prædicti suppositi perpetuo carcere mancipentur, & hæretici nihilominus reddi & assignari cogantur, & qui hunc dolum fecerint, iuxta legem prædictam bonis omnibus publicatis in perpetuum relegentur.

LEX XXIII.

Hæretici capti per officiales præsententur inf. dies quindecim.

§.24. Teneatur insuper Potestas, & Rector quilibet cum bono & securo comitatu, omnes hæreticos & hæreticas, quocumque nomine censeantur, infra quindecim dies postquam fuerint capti, diœcesano, vel eius speciali vicario, seu hæreticorum inquisitoribus præsentare, pro examinatione de ipsis, & eorum hæresi facienda.

LEX XXIV.

Damnati recipiantur ad puniendum Clem. aliquid immutauit.

§.25. Damnatos verò de hæresi per diœcesanum, vel eius vicarium, seu per Inquisitores prædictos, Potestas vel Rector, vel eius Nuntius specialis eos sibi relictos recipiat, statim, vel infrà quinque dies ad minus, circa eos constitutiones contra tales editas seruaturus.

LEX XXV.

Cogantur que hæretici alios hæreticos & complices & bona detegere.

§.26. Teneatur prætereà Potestas seu Rector omnes hæreticos quos captos habuerit, cogere citra membri diminutionem & mortis periculum, tanquam verè latrones & homicidas animarum, & fures Sacramentorum Dei & fidei Christianæ, errores suos expressè fateri, & accusare alios hæreticos quos sciunt, & bona eorum, & credentes & receptatores, & defensores eorum, sicut coguntur fures & latrones rerum temporalium, accusare suos complices, & fateri maleficia quæ fecerunt.

LEX XXVI.

Domus vbi inueniuntur, destruantur & Domini, &c. puniantur. Alex. declarat. Et addit Clem. IV.

§.27. Domus autem in qua repertus fuerit aliquis hæreticus, vel hæretica, sine vlla spe reædificandi funditus destruatur: nisi dominus domus eos ibidem procurauerit reperiri. Et si dominus illius domus, alias domus habuerit contiguas illi domui, omnes illæ domus similiter destruantur, & bona quæ fuerint inuenta in domo illa, & in domibus illis adhærentibus, publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti. Et insuper dominus domus illius, præter notam infamiæ perpetuę, quam incurrat, componat Communi Ciuitatis,

vel

vel loci quinquaginta libras Imperiales in pecunia numerata, quam si non soluerit, in perpetuo carcere detrudatur. Burgus autem ille in quo hæretici capti fuerint vel inuenti, componat Communi Ciuitatis libras centum: & Villa libras quinquaginta, & vicina tam Burgi, quam Ciuitatis libras quinquaginta Imperiales in pecunia numerata.

LEX XXVII.

Fautorum eorundem, atque credentium pœna. Tu vide infr. alias pœnas in cōst. 2. Nicol. III. Nouerit.

§. 28. Quicumque verò fuerit deprehensus dare alicui hæretico, vel hæreticæ, consilium, vel auxilium, seu fauorem, præter aliam pœnam superius & inferius pręataxatam, ex tunc ipso iure perpetuum sit factus infamis, nec in publica officia, seu consilia, vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur, sit etiam intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocumque negotio, sed ipse alij respondere cogatur. Quòd si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio instrumenta confecta per ipsum, nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus hæreticorum tanquam hæretici puniantur.

LEX XXVIII.

Nomina eorum in quatuor lib. describantur.

§. 29. Teneatur insuper Potestas seu Rector, nomina virorum omnium, qui de hæresi fuerint infamati vel banniti, in quatuor libellis vnius tenoris facere annotari: quorum vnum Commune Ciuitatis vel loci habeat, & alium Diœcesanus, & tertium fratres Prædicatores, & quartum fratres Minores, & ipsorum nomina ter in anno, & in concione publica solemniter faciat recitari.

LEX XXIX.

De filiis & nepotibus eorum inquiratur.

§. 30. Teneatur quoque Potestas seu Rector, filios & nepotes hæreticorum & receptatorum, defensorum, & fautorum diligenter inuestigare, eosque ad aliquod officium publicum seu consilium nullatenus admittere in futurum.

LEX XXX.

Officiales purgent hæretic. &c. eorum loca.

§. 31. Teneantur præterea Potestas seu Rector, vnum de assessoribus suis, quem elegerit Diœcesanus si fuerit præsens, & Inquisitores prædicti ab Apostolica Sede dati, mittere cum eis quandocumque voluerint, & in iurisdictione Ciuitatis atque districtu. Qui assessor, secundum quod prædictis Inquisitoribus visum fuerit, ibi tres aut plures boni testimonij viros, vel totam viciniam, si eis videbitur, iurare compellat; quod si quos ibidem hæreticos sciuerint, vel bona eorum, quod si quos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, vel credentes, aut defensores, seu receptatores, vel fautores hæreticorum, eos dictis Inquisitoribus studeant indicare. Ipsa autem Potestas contra accusatos procedat secundùm leges quondam Friderici tunc Imperatoris Paduæ promulgatas.

LEX XXXI.

Et omnia hic contenta diligenter exequantur.

§. 32. Teneatur insuper Potestas seu Rector in destructionem domorum, & condemnationibus faciendis, & in rebus inuentis vel occupatis consignandis & diuidendis, de quibus superius dicitur, infra decem dies postquam accusatio facta fuerit, hæc omnia exequi cum effectu, & & condemnationes omnes in pecunia numerata infrà tres menses exigere, & diuidere illas sicut inferius continetur, & eos qui soluere nō poterint, banno maleficij supponere, & donec soluant, in carcere detinere: alioquin pro his omnibus singulis syndicetur sicut inferiùs continetur, & insuper teneatur vnū de assessoribus, quemcumq; Diœcesanus vel eius Vicarius, & dicti Inquisitores hæreticorum voluerint, ad hæc peragenda fideliter assignare, & mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportunum.

LEX XXXII.

Pœna non relaxetur.

§. 33. Omnes autem condemnationes, vel pœnæ, quæ occasione hæresis factæ fuerint, neque per concionem, neque per consilium, neque ad vocem populi vllo modo aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari.

LEX XXXIII.

Bona confiscata applic.

§. 34. Teneatur insuper Potestas, seu Rector omnia bona hæreticorum, quæ per dictos Officiales fuerint occupata seu inuenta, & condemnationes pro his exactas diuidere tali modo. Vna pars deueniat in Commune Ciuitatis vel loci. Secūda in fauorem & expeditionem Officij detur Officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint. Tertia ponatur in aliquo tuto loco, secūdùm quod dictis Diœcesano, & Inquisitoribus videbitur reseruanda, & expendenda per consilium eorundem in fauorem fidei, & ad hæreticos extirpandos, non obstante huiusmodi diuisionis statuto aliquo, condito aut condendo.

cantur vt hic. Quod ampliatur in const. hanc adiuncta. Et nonnulla addita idem Clem. IV.

LEX XXXIV.

Prohibitio aliquid de eiusmodi statutis immutandi.

§. 35. Si quis autem de cætero aliquod istorum statutorum, aut constitutionum attentauerit delere, diminuere, vel mutare, sine auctoritate Sedis Apostolicæ speciali, Potestas, seu Rector, qui pro tempore fuerit in illa Ciuitate vel loco, teneatur eum tanquam defensorem hæreticorum publicum & fautorem, secundùm formam præscriptam perpetuò publicè infamare, atque punire in libris quinquaginta Imperialium in pecunia numerata, quam si exigere non potuerit, eum maleficij banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi soluerit duplam dictæ pecuniæ quantitatem.

LEX XXXV.

Magistratus de eorum obseruantia syndicentur. Alex. IV est. in rub. declarat. Multa addit idem Clem. IV.

§. 36. Teneatur sanè Potestas seu Rector infra decem dies sui regiminis syndicare præcedentem proximè Potestatem, vel Rectorem, & eius etiam assessores, per tres viros Catholicos, & fideles, electos ad hoc per Diœcesanum si fuerit præsens, & per fratres Prædicatores, & Minores de omnibus his, quæ in statutis istis, seu constitutionibus & legibus contra hæreticos, & eorum complices editis continentur, & punire ipsos si excesserint in omnibus & singulis quæ omiserint, & cogere restituere de propria facultate; non obstante si per aliquem licentiam consilij vel alterius cuiuslibet à syndicatione fuerint absoluti.

LEX XXXVI.

Syndici prius iurent.

§. 37. Iurabunt autem prædicti tres viri bona fide syndicare præfatos de omnibus supradictis.

LEX XXXVII.

Statuta contraria tollantur & illa reuocentur.

§. 38. Cæterum teneatur Potestas seu Rector cuiuslibet Ciuitatis vel loci, delere, seu abradere penitus de statutis vel capitularibus communis, quodcumque statutū, conditum vel condendum, inuenianter contradicere istis constitutionibus, seu statutis & legibus quomodolibet obuiare: & in principio & in medio sui regiminis, hæc statuta, seu constitutiones, & leges in publica concione solemniter facere recitari: & etiam in aliis locis extra Ciuitatem suam vel locum, sicut Diœcesano seu Inquisitoribus & fratribus supradictis visum fuerit expedire.

LEX XXXVIII.

Et in 4. lib. describantur.

§. 39. Porrò hæc omnia statuta, seu constitutiones & leges, & si quæ aliæ contra hæreticos, & eorum complices, tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicæ condentur, in quatuor voluminibus vnius tenoris debeant contineri: quorum vnum sit in Statutario communis cuiuslibet Ciuitatis, secundum apud Diœcesanum, tertium apud Fratres Prædicatores, quartum apud Fratres Minores, cum omni sinceritate seruentur, ne possint per falsarios in aliquo violari.

Dat. Perusij Idibus Maij, Pont. nostri Anno nono.

D. P. A. 9. die 15. Maij.

Sequitur declaratio d. Constitutionis.

Edita A. D. 1254.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis fratribus Ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Prouincia Lombardiæ. Salutem &c.

Petitio declarationis.

CVm in constitutionibus nuper à nobis contra hæreticos promulgatis, inter alia contineri dicatur expresse, vt domus in qua hæreticus vel hæretica inuentus fuerit, ac ei contiguæ, si fuerint eiusdem domini, sine spe reparationis funditus destruantur, nostro petistis certificari responso, quid sit de turribus in casu huiusmodi obseruandum.

Declaratio: quæ respicit præf. const. in §. 27. & §. 34.

§. 2. Ad quod breuiter respondemus, quod nostræ intentionis extitit & existit, vt in eo casu, idem in turribus, & in domibus iudicium obseruetur.

§. 3. Lignamina verò, lapides, & tegulas domorum & turrium, quæ taliter destruentur, eo modo distribui decernimus,

Declarant Alex. & Clem. cit. in rub. decetnimus, quo res alias ibidem inuentas diuidi mandamus in constitutionibus antedictis.

D.P. A. 12. die 29. Iulij. Dat. Anagniæ, 4. Kal. Augusti, Pont. nostri Anno 12.

X. De cautione præstanda à fautoribus hæreticorum, ad fidem redeuntibus, & de applicatione pœnarum, in casu contrauentionis.

Hoc idem cauetur inf. in const. 14. Alex. IV. Super.

Edita An. D. 1253. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Priori Prouinciali Ordinis Prædicatorum, & Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Lombardia, Romandiola, Marchia Anconitana, & Teruisina, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Fautores hæreticorum caueant, &c. CVm Venerabilis frater noster Albanensis Episcopus auctoritate nostra super extirpatione prauitatis hæreticæ inter alia duxerit statuendum, vt Inquisitores hæreticorum in Prouincia Lombardia, à credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defensoribus hæreticorum ad obedientiam Ecclesiæ redeuntibus, sub pœna pecuniaria cautionem exigerent, quod fidem Catholicam firmiter teneant, & vlterius fauorem aliquem hæreticis non impendant, & nos statutum huiusmodi approbauerimus, ex abundanti vt firmior vester maneat in hac parte processus, prædicta vobis, & his quos in huiusmodi contigerit ministerio subrogari auctoritate præsentium duximus committenda.

Dat. P. A. 10. die 29. Ian. Dat. Perusij, 4. Kal. Februar. Pont. nostri Anno 10.

Sequitur declaratio circa pœnas contrauenientiũ.

Edita An. D. 1253. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis & Episcopis per Lombardiæ Prouinciam constitutis, præsentes literas inspecturis, Salutem & Apost. benedictionem.*

Iussio quoad pœnas contrauenientium exactionem & applicationem. Consonat ei. Alex. IV. sup. in rubr. citata. CVm per nostras vobis mandemus literas, vt hæreticorum credentes, fautores, receptatores, & defensores, qui post præstitam cautionem, quod fidem Catholicam firmiter teneant, & vlterius hæreticis fauorem aliquem non impendant, in id quod abiurauerant, sunt relapsi: & quos in posterum relabi fortè contigerit, ad soluendam pœnam ab ipsis promissam, iuxta ordinationem venerabilis fratris nostri Albanensis Episcopi auctoritate Apostolica factam, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellatis: fraternitati vestræ per scripta Apostolica mandamus, quatenus de his quæ taliter recipere vos continget, dilectis filiis Priori Prouinciali Ordinis Prædicatorum, & Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Lombardia, Romaniola, Marchia Anconitana, & Teruisina, & substituendis eisdem, in expensis prouidere curetis ad Inquisitionis huiusmodi officium opportunis.

D.P. A. 10. die 30. Ian. Dat. Perusij, 3. Kal. Februar. Pont. nostri Anno 10.

XI. Canonizatio S. Petri Martyris Veronensis, professoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, & institutio suæ Festiuitatis pro die 29. mensis Aprilis.

Hanc festiuitatem duplici officio celebrari iussit Six. V. vt infra in eius const. 30. Inuictorum.

Edita, An. D. 1253. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus fratribus Vniuersis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos litteræ istæ peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Præclara S. Petri acta & Sancta Ecclesia mirabiliter recensentur. MAgnis & crebris declarata prodigiis Christianæ fidei rectitudo, iam nouo, Sancti noui, decorata martyrio: signorum recentium fulgore coruscat; Et multis hactenus roborata portentis, nunc singularium miraculorum signis confirmatur. Ecce de instanti, & moderno fidei pugile, noua gaudia prodeunt, triumphalia signa notescunt, vox fusi sanguinis intonat, incliti Martyris tuba clangit, terra non silet sudans aspersione cruoris; resonat regio nobili prædita bellatore; ipsemetque gladius parricida proclamat. Hæc sunt certè certa Fidei sacræ indicia, hæc ipsius idonea testimonia, hæc eius dignissima munimenta, propter quod lætati sunt cæli, & terra in tanti perceptione gladij pariter exultauit. Grandis adest matri Ecclesiæ causa lætitiæ multa ei materia iucunditatis aduenit. Habet vnde Domino canticum nouum cantet; vnde immensæ laudis hymnum referat Deo suo. Habet plebs Catholica vnde plaudat, leuatis Altissimo manibus, sonoris iubilet vocibus, & lætis animis iucundetur. Habet Christiana concio, vnde deuotas Conditori concinat cantiones. De horto siquidem Fidei, nuper in mensam Regi æterno dulcis allatus est fructus. De vinea Ecclesiæ in regium calicem affluens nouiter liquor influxit. Quoniam fœcundus palmes hostili mucrone concisus, habuit plus humoris, quia cohæsit pressius viuæ viti. De Prædicatorum Ordine florido prodiit rosa rubens, quæ regalibus oblata conspectibus, intulit suauitatem odoris. De huius Ecclesiæ fabrica electus est lapis, qui pressura, & contusione politus, decenter supernis ædibus est insertus. In cœlesti quoque rosario flos amœnos, rubro colore rutilans, nunc est natus in mundo, & candido Sanctorum collegio, nouum munditiæ lilium est exortum. Vnde factum est magnum in cælo gaudium, exultantibus Sanctis omnibus, & solemnitatem agentibus tanti festi.

S. Petrus, Ordinis Fratrum Prædicatorum professor fuit. §. 1. Sanè B. Petrus de Ordine Fratrum Prædicatorum Lombardus origine, prudenter attendens dolosi Mundi fallacias, & deuia sæculi defluentis (cuius blanditiis quis læditur, cum lenitur) cũ ab his in adolescentiæ annis prouidè declinasset, vitæ semitam eligens tutiorẽ, vt à lubricis cautè pede retracto, firmis posset incedere gressibus, ad diuina obsequia se totaliter transtulit, in euangelicæ institutionis obseruantiam cuncta sua conuertens studia, & vniuersas dirigens actiones, rectum & lucidum callem sequens, salubrem videlicet ipsius Ordinis regulam, per quam regi valeret & dirigi, duci etiam & induci ad speratam requiem post laborem.

Multumque in profecit. §. 2. In qua vtique triginta ferè annorum spatio, fultus caterua virtutum, Fidei præambula. Spe astante, comite Charitate, sic præualuit & profecit, circa ipsius maximè defensionẽ Fidei (pro qua totus ardebat) quòd contra illius diros hostes, mente intrepida, feruentique spiritu, continuum certamen exercens, suum tandem agonem diuturnum (victrici superante martyrio) feliciter consummauit. Et sic ipse Petrus, firmus in petra fidei, petra demum passionis allisus, ad Petram CHRISTVM dignè laureandus ascendit. Porro ne sacra suorum actuum vos exempla prætereant, aliqua de vita eius ad instructionem & profectum audientium, referamus.

Virtutibus quamplurimis clarus. §. 3. Ipse namque veritatis filius, & bonitatis alumnus, conuersatione conspicuus, spectabilis fama, & opinione mirabilis, miro præfulsisse nitore munditiæ, virginitatem integre custodisse, nec mentis habuisse, nec corporis corruptelam & nullius mortalis criminis sensisse contractum, firma suorum Confessorum assertione monstratur. Et quia seruus delicatè nutritus proteruit in Dominum, carnem suam, assidua cibi & potus paruitate, restrinxit. Ne verò per otij desidium, hostilibus pateret insidiis, in iustificationibus Domini exercebatur assiduè, vt eo circa licita totaliter occupato, locum in ipso illicita non haberent, & à spiritualibus nequitiis tutus esset. Nocturna quidem silentia humanæ deputata quieti, post dormitionem breuem, decurrebat in studiis lectionum, & somni tempus vigiliis occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum, vel sedulis imminendo prædicationibus, vel confessionum audientiæ insistendo, aut hæreticum dogma pestiferum, validis rationibus confutando, in quibus specialis dono gratiæ noscitur claruisse. Deuotione insuper gratus, humilitate lenis, obedientia placidus, benignitate suauis, pietate compatiens, patientia constans, charitate præstabilis, & in cunctis morum maturitate compositus, alios profusis virtutum aromatibus attrahebat. Feruens quoque amator fidei, cultor præcipuus, propugnator ardentior, sic animo suo

illam

illam impresserat, sic se totum in illius mancipatat obsequium, quòd quæque ipsius verba & opera, virtutem fidei redolebant. Cuius dulcedinem, lingua eius velut redundans fauus, copiosè distillans, semper illius documenta suauia propinabat.

Martyrium pro fide Christiana apud Mediolanum passus est.

§. 4. Pro hac inquam mortem subire cupiens, hoc principaliter à Domino, attentis & crebris supplicationibus postulasse probatur, quòd non sineret eum ex hac luce migrare, nisi sumpto pro illa calice passionis. Vnde, quia meruit tantus athleta, specialem palmam de pugna tam strenua, reportare, ac in cœlestẽ patriam, sertis præsignitus roseis, introire, cùm de Ciuitate Cumana, vbi Fratrum sui Ordinis ibi morantium Prior erat, Mediolanum pergeret, pro exequenda inquisitione, contra Hæreticos sibi ab Apostolica Sede commissa, (sicut in publica prædicatione prædixerat) quidam de ipsorum hæreticorum credẽtibus, prece illorum inductus & pretio, in eum iter salutaris propositi prosequentem, funestus insilijt. In agnum vtique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum, & in modestum effrænus, profanus in Sanctum, præsumit insultum, exercet conatum, mortem intentat. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens, diris in ipso impressis vulneribus, & satiato sanguine iusti ense, venerandum illum non diuertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam & carnificis sustinentem in patientia truces ictus, dimisit (spiritu petente superna) in ipso loco passionis occisum. Ipso quoque sacrilego, percussuras in CHRISTI ministrum geminas inculcante, ille non querulosa voce murmurans, sed sufferens omnia patienter, suum Domino spiritum commendabat, dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, Symbolum etiam cœpit dicere Fidei, cuius nec in hoc articulo desijt esse præco, prout ipse nefandus, qui à fidelibus captus fuit, & quondam frater Dominicus, qui comes illius erat, & ab ipso lictore percussus, diebus aliquib⁹ superuixit, postea retulerũt. Sic granum frumenti cadens in terram, postea infidelium manibus compressum & mortuum, vberem consurgit in spicam. Sic botrus in torculare calcatus, liquoris redundat in copiam. Sic triticum attritum in area, in dominicum horreum, excussa palea, deportatur. Sic aromata pilo contrita, odorem plenius circumfundunt. Sic inquam Regnum Cælorum à violentis percipitur. Sic per fidem à Sanctis regna sublimia deuincuntur. O quàm insigne martyrium, quod titulus tam gloriosus illustrat. Pro defensione namque ac exaltatione Catholicæ Fidei, & assertione obedientiæ Romanæ Ecclesiæ, vir ille venerabilis acerrimam mortem tulit. Hic in Ecclesia tanquam sidus radians, & lumine fidei, & gratia prædicationis emicuit. Hic iam in Cælo, quasi luminare conspicuum, & splendore gloriæ, & multorum coruscatione signorum effulget. Quia non vult Dominus, ipsius abscondere sanctitatem, nec meritorum suorum virtutem supprimere in occulto; sed inter lucentia Sanctorum candelabra, manifestius exaltare, vt omnibus qui in Ecclesiæ domo habitant, proferat clarum lumen.

Miracula viuens emicat.

§. 5. Nam nec in vita latere sic potuit, quin miraculorum claritate pareret. Cuiusdam etenim nobilis filium, præ nimio & horribili totius gulæ tumore, nec loqui nec spirare valentem, leuatis ad Deum manibus, & Crucis in eum facto signaculo, illoque accipiente ipsius cappam, & infirmo supponente loco, sanauit. Idem quoque nobilis, vehementi postmodum corporis torsione grauatus, credens & metuens exinde sibi mortis imminere discrimen, cappam ipsam, quam ex tunc conseruauerat, reuerenter fecit afferre. Qua suo apposita pectori, mox vermem quendam duo habẽtem capita, & pilorum densitate villosum, euomuit, plena liberatione secuta. Cuidam etiam iuueni muto, immisso digito in os eius, suæque linguæ soluto ligamine, beneficium loquelæ concessit. Hæc & alia plura dum viueret dignatus est per eum Dominus operari.

Et etiam post mortem.

§. 6. Post mortem vero ipsius, lampades ad sepulchrum eius venerabile dependentes, plures per se ipsas absque omni humani studio & ministerio, diuinitus sunt accensæ. Quia conueniens nimis erat, vt quoniam igne ac lumine Fidei, excellenter claruerat, singulare de ipso, signis & luminis miraculum appareret. Quidam autem dum vesceretur cum alijs, & illius sanctitatem & miracula depraauaret, sumpto quodam sub hac attestatione morsello, quòd cum non posset, si circa hæc delinqueret transglutire, sensit mox ipsum gutturi suo sic hærentem, vt illum educere vel inducere non valeret. Qui se illico pœnitens, & iam vultus mutato colore, quasi sentiens vicinæ mortis euentum, facto intra se voto, quòd linguam de cætero ad talia non laxaret, fuit protinus illo euomito, liberatus. Hydropica quædam ad locum passionis ipsius, auxilio viri perueniens, fusa ibi oratione, sanitatem integram mox accepit. Obsessas a dæmonibus longo tempore mulieres, Martyr ipse, deiectis illis cum multo sanguinis vomitu de corporibus, liberauit. Febres expulit, languores curauit plurimos & diuersos. Cuiusdam sinistræ manus digitum, ex morbo fistulæ plurium foraminum concauitate defossum, mira consolidatione sanauit. Quidam insuper puer ex casu grauissimo sic oppressus, vt motu & sensibus penitus destitutus, tanquam mortuus defleretur,* mox apposita de terra suo pectori sacro eiusdem Martyris cruore contracta, incolumis exurrexit. Quædam cuius carnem cancer edax ledula corrosione vorabat, linitis huiusmodi terra vulneribus, est curata. Alij etiam diuersis infirmitatibus occupati, qui sepulchrum eius, in vehiculis & alijs sustentaculis adiecerunt, exinde postmodum plena incolumitate recepta, sine aliquibus subsidijs redierunt. Ad hæc, magna hæreticorum, & ipsorum credentium multitudo, cum tantum Fidei aduerterent efficaciam, & ad eam, tot certis & apertis signorum indicijs, tanquam quibusdam clamantibus præconibus vocarentur, nec possent quasi tam validæ illorum instantiæ non parere, ad ipsius lucem Fidei de sui erroris nubilo est conuersa. Quid pluraꝫ his & quàm multis alijs miraculis gloriosis, magnificauit Dominus Sanctum suum, & colendum exhibuit vniuersis.

** aliàs defleretur.*

Hinc vniuersa salus prodit fidelium lætitia.

§. 7. Lætetur itaque totus fidelium cœtus, & laudum carmina Deo concinat alta voce, quòd à suis tanquam Christi cohæredibus mansiones cœlicæ possidentur. Exultet mater Ecclesia, quòd palmes suus, quem in agro fidei plantauit & coluit, in cœleste plantarium est translatus. Gaudeat & insignis fratrum Prædicatorum Ordo, quòd ex eo prosilijt stella micans, cuius fulgentes radij, in lumen hic peregrinantium diffunduntur.

Et hæreticorum detegitur fallacia.

§. 8. Erubescant fallaces hæretici, Euangelicæ quidem falsarij veritatis, quòd sua mendacia commenta vilescunt, & conualescunt Catholica & Apostolica documenta. Obmutescant dolosa ipsorum labia, & impudentes frontes decidant iam confusæ, cum ille cuius veracem instructionem, & salutaria monita renuebant, cuique mortis intulere supplicium, in Cœlo iam regnet inter agmina Beatorum. Et mirum, cum apertè conspiciant Dei Ecclesiam talibus fulciri columnis, talibus parietibus circumcingi, talibus consurgere incremẽtis, talibus propugnaculis cõmuniri, talibus defensari patronis, talibus miraculis illustrari, quòd nihilominus in noctis tenebris, & mortis caligine gradiuntur, quódque à suis oculis, squamas non abijciunt cæcitatis, vt verum lumen videant & sequantur.

Ipsum igitur hic Pontif. Martyrum Catalogo ascribit.

§. 9. Cæterùm quia conuenit, vt quem Dominus in Cœlo magnificat, Mundus colat, Nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipsius Martyris inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem studiosam examinationem, & discussionem solemnem, plura & maiora de ipso comperimus, quam insinuata fuissent, cum de communi Fratrum nostrorum, & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicã existentiũ consilio & assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, ac nostra, Sanctorum Martyrum cathalogo duximus adscribẽdum.

Eiusque Festum die 29. Aprilis celebrari iubet.

§. 10. Ideoque Vniuersitatem vestrã monemus & hortamur attentè, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus tertio Kal. Maij Festum eiusdem deuotè ac solemniter celebretis, & faciatis à vestris subditis veneratione congrua celebrari. Vt pia eius intercessione, & hic à noxijs protegi, & in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis.

Indulgentiam eius sepulchrũ visitãtibus concedit.

§. 11. Et vt ad venerabile ipsius Sepulchrũ ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius

celebriùs eius Martyris colatur festiuitas, omnibus verè pœnitētibus & confessis, qui cum reuerentia illuc in eodem Festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri. de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorū eius, auctoritate confisi, annum vnum, & quadraginta dies, accedentibus verò annis singulis ad prædictum Sepulchrum infra eiusdem Festi quindenam, quadraginta dies, de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

D.P.A.10.die 24 Maij. Dat. Perusij, nono Kal. Apr. Pontificatus nostri ann. 10.

XII. Approbatio Regulæ à B. Francisco traditæ S. Claræ, & aliis Sororibus.

Hanc regulam mitigauit Vrb. IV. vt infr. in eius const. 7. Beata vbi hunc secundum Ordinem Sororum, à B. Francisco institutum Ordinem Sanctæ Claræ nuncupari iussit. Aliqua dubia dictæ Regulæ declarauit Eug. IV. inf. in const. 28. Ordinis. Nonnulla etiam declarauit Leo X. in const. 9. Cum sicut. Ac alia Pius IV. in const. 103. Sedis & huic Ordini priuilegium exemptionis à iurisdictione Ordinariorum, solutioneque contributionum, specialiter concessit Eugen. IV. inf. in sua const. 18. Licet. Et aliud de non ædificandis nouis Monasteriis prope eas, dedit Iul. II. inf. in const. 21. Exponi. Onusque celebrādi Missas ex piis testatorū dispositionibus eis iniunctum, certo modo relaxauit Clem. VIII. in eius cōst. 105. Ex debito.

HancVirginem canonizauit Alex. IV. vt inf. in eius const. 3. Clara. Materiamque de toto Ordine Franciscano, posui suprà in const. 5. Honor. III. Solet. fol....

Edita An. D. 1253. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis in Christo filiabus S. Claræ Abbatissæ, aliisq; Sororibus, Monasterij Sancti Damiani, Assisinatis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

B. Clara, & aliæ Sorores approbationē regulæ à B. Francisco eis traditam petierunt ab isto Pont.

SOlet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impartiri. Ex parte siquidem vestra nobis extitit humiliter supplicatum, vt vitæ formulam, iuxta quam, communiter in spirituum vnitate, ac voto altissimæ paupertatis, viuere deberetis, vobis à Beato Francisco traditam, à vobis spōte susceptam, Ven. Frater noster Ostiensis & Velletrensis Episcopus duxerit approbandam, secundùm quod in ipsius Episcopi literis plenius continetur, Nos curaremus Apostolico munimine roborare.

Qui eam approbat iuxta approbationē de ea factam ab Episcopo Ostiē. & Veletren. Cuius Episcopi approbatio hic ponitur.

§. 1. Deuotionis igitur vestræ precibus inclinati, quòd ab eodem Episcopo super hoc factum est, & ratum habētes, & gratum, illud auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem literarum ipsarum de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, qui talis est.

§. 2. Raynaldus miseratione diuina Ostiensis & Velletrensis Episcopus, charissimæ sibi in CHRISTO Matri & filiæ Dominæ Claræ, Abbatissæ S. Damiani Assisinatis, eiusque Sororibus, tàm præsentibus, quàm futuris, salutem, & benedictionem paternam. Quia vos, dilectæ in CHRISTO filiæ, mundi pompas, & delicias contempsistis, & ipsius CHRISSTI eiusque Sanctissimæ Matris sequentes vestigia, elegistis habitare inclusæ corpore & in paupertate summa deseruire, vt mēte libera possitis Domino famulari; Nos vestrum sanctum propositum in Domino commendantes, votis vestris, & sanctis desideriis libenter volumus affectu paterno fauorem beneuolum impartiri. Ea propter vestris piis precibus inclinati, formā viuendi, ac modum sanctæ vnitatis ac altissimæ paupertatis, quam vobis B. Pater Franciscus, verbo & scripto tradidit obseruandam, præsentibus annotatam auctoritate Domini Papę, & mea, vobis & omnibus in vestro Monasterio succedentibus, in perpetuum confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, quæ talis est.

CAP. I.

Incipit Regula, & forma vitæ Ordinis Sororum pauperum, quam B. Franciscus instituit. Quæ quidē est, sanctum Euangeliū Dñi nostri IESV CHRISTI obseruare, viuendo in obediētia, sine proprio, & in castitate. Clara indigna ancilla CHRISTI, & plantula Beatissimi Patris Frācisci, promittit obseruantiam & reuerentiam Dño Papæ Innocentio, & Successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ. Et sicut in principio cōuersionis suæ, vnà cum Sororibus suis promisit obedientiam Beato Francisco, ita eandem promittit inuiolabiliter obseruare Successoribus suis. Et aliæ Sorores teneātur semper Successoribus Beati Francisci, & Sorori Claræ, & aliis Abbatissis canonicè electis, ei succedentibus obedire. *De promissione obedientia.*

CAP. II.

Examine aliisque seruandis, in receptione Sororū ad Ordinem & professionem Tu aduerte de illis agi etiam in 2. Regula citata in rubr. c. 3. & 4. & in Conc. Trid. sess. 31. c. 15.

Si qua, diuina inspiratione, venerit ad vos, volens vitam istam accipere, Abbatissa Sororum omnium consensum requirere teneatur. Et si maior pars consenserit, habita licentia Domini Cardinalis Protectoris vestri, possit, eam recipere. Et si recipiendam viderit, diligenter examinet eam, vel examinari faciat de Fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis. Et si hæc omnia credat, & velit ea fideliter cōfiteri, & vsque in finem firmiter obseruare, & virum non habeat, vel si habet, & iam Religionem intrauit auctoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ iam emisso, ætate etiam longæua, vel infirmitate aliqua, seu fatuitate, ab huiusmodi vitæ obseruantia non impediente, diligenter, exponatur ei tenor vitæ vestræ. Et si idonea fuerit, dicatur ei verbum S. Euangelij. Quòd vadat, & vendat omnia sua, & ea studeat pauperibus erogare. Quòd si facere non potuerit, sufficit ei bona voluntas. Et caueant Abbatissa, & eius Sorores, ne sollicitæ sint de rebus suis temporalibus, vt liberè faciat de rebus suis quicquid Dominus inspirauerit ei. Si tamen consiliū requiratur, mittat eam ad aliquos discretos, & Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea capillis tonsis in rotūdum, & deposito habitu sæculari, concedant ei tres tunicas & mantellum. Deinceps extra Monasterium, sine vtili, manifesta, & probabili causa, eidem exire non liceat. Finito verò anno probationis, recipiatur ad obedientiam, promittens vitam & formam paupertatis vestræ in perpetuum obseruare. Nulla infra tempus probationis veletur. Mantellum etiam possint Sorores habere pro alleuiatione, & honestate seruitij, & laboris. Abbatissa verò de vestimentis discretè eis prouideat, secundùm qualitates personarum, & loca, & tempora, & frigidas regiones sicut necessitati viderit expedire. Iuuenculæ in Monasterio receptæ, infra tempus ætatis legitimæ tondeantur in rotundum. Et deposito habitu sæculari, induantur panno religioso, sicut visum fuerit Abbatissæ. Cum verò ad ætatem legitimam venerint, indutæ iuxta formam aliarum, faciant professionem suam. Et tam ipsis quam aliis Nouitiis, Abbatissa sollicitè Magistram prouideat de discretioribus totius Monasterij, quę in sancta conuersatione & honestis moribus iuxta formam professionis vestræ, eas diligenter informet, in examinatione, & receptione Sororum seruientium extra Monasterium, seruetur forma prædicta, quæ possint portare calceamenta. Nulla vobiscum residentiam faciat in Monasterio, nisi recepta fuerit secundùm formam vestræ professionis. Et amore sanctissimi & dilectissimi pueri, pauperculis panniculis inuoluti, in præsepio reclinati, & Sāctissimę Matris eius moneo, deprecor, & exhortor Sorores meas, vt vestimentis semper vilibus induantur.

CAP. III.

Diuino officio, ieiunio, confessione, & communione. Circa diuinū officium habetur etiā in d. 2. reg. c. 6. Et quoad officium mortuorū, habes declarationem Leo. X. in cōst. 9. Cum sicut.

Sorores literatæ faciant diuinum officium secundùm consuetudinem Fratrum Minorum, ex quo potuerint habere breuiaria, legendo sine cantu. Et quæ occasione rationabili, non possint aliquādo legēdo dicere horas suas, liceat eis, sicut aliæ Sorores, dicere Pater noster. Quæ verò literas nesciunt, dicāt vigintiquatuor Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima verò Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum septem; pro Defunctis dicant etiam in Vesperis septem Pater noster, & Requiem æternā, pro Matutino duodecim. Sorores literatæ teneantur dicere Officiū mortuorū. Quando verò Soror Monasterij vestri migrauerit, dicant quinquaginta P. noster. Omni tempore Sorores ieiunent, In Natiuitate Dñi, quacumq; die veneris, bis refici possint. Cū adolescentib. debili-

debilibus,& seruientibus extra Monasterium,sicut videbitur Abbatissæ misericorditer dispensetur.Tempore verò manifestæ necessitatis, non teneantur Sorores ieiunio corporali. Duodecim vicibus ad minus, de Abbatissæ licentia,confiteantur in anno.Et cauere debent,ne alia verba tunc inserant,nisi quæ ad confessionem&salutem pertinent animarum. Septem vicibus communicent, videlicet in Natiuitate Domini. In quinta feria maioris Hebdomadæ.In Resurrectione Domini.In Pentecoste.In Assumptione B.Virginis.In festo S.Francisci.Et in festo omnium Sanctorum. Pro communicandis infirmis Sororibus,Capellanis intus liceat celebrare.

CAP. IV.

Electione, depositione munere & qualitate Abbatissæ ac de Capituli conuocatione,& cōsiliariis Abbatissæ. Ad ac vide & obserua Conc. Trid. sess. 25. c. 6. & seq. Et quoad ieiunium atten. de declarationem Eug. IV. in const. 28. Ordinis.

In electione Abbatissæ,teneantur formam canonicam obseruare. Procurent ipsæ habere Generalem Ministrum vel Prouincialem Ordinis Fratrum Minorum, qui verbo Dei eas informet ad omnimodam concordiam, communem vtilitatem in electione facienda.Et nulla eligatur nisi professa.Et si non professa eligeretur, vel aliter daretur ei non obediatur,nisi priùs profiteatur formam paupertatis vestræ. Qua decedente electio alterius fiat Abbatissæ. Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Sororū, prædictam non esse sufficientem ad seruitium & communem vtilitatem ipsarū,teneantur prædictæ Sorores, iuxta formam prædictam,quàm citius poterunt aliam sibi in Abbatissam & Matrem eligere. Electa verò cogitet quale onus in se suscepit,& cui redditura est rationem de grege sibi commisso. Studeat etiam,aliis magis præesse virtutibus & sanctis moribus,quam ex officio,vt eius exemplo prouocatæ Sorores,potius ex amore obediant, quam timore. Priuatis amoribus careat,ne dum in parte plus diligit,in totum scandalum generet.Consoletur afflictas.Sit etiam vltimum refugium tribulatis,ne si apud eam remedia defuerint sanitatum,desperationis morbus præualeat infirmis. Communitatem seruet in omnibus, præcipuè autem in Ecclesia, dormitorio, refectorio, infirmaria, & vestimentis. Quod simili modo seruare eius Vicaria teneatur. Semel in hebdomada ad minus Abbatissa Sorores suas teneatur ad capitulum conuocare. Vbi tam ipsa, quàm Sorores,de omnibus & publicis offensis& negligentiis debeant humiliter confiteri.Et quæ tractāda sunt pro vtilitate & honestate Monasterij ibidem conferat cū omnibus Sororibus. Sæpe enim Dominus, quod melius est,minori reuelat. Nullum debitum graue fiat, nisi de communi consensu Sororum,& manifesta necessitate, & hoc per procuratorem.Caueat autem Abbatissa cum Sororibus suis,ne depositum aliquod recipiatur in Monasterio. Sæpe enim de iis turbationes & scandala oriuntur. Ad conseruandam autem vnitatem mutuæ dilectionis & pacis, de communi consensu omnium Sororum, omnes officiales Monasterij eligantur. Et eodem modo octo ad minus Sorores de discretioribus eligantur, quarum in iis quæ forma vitæ vestræ requirit, Abbatissa semper vti consilio teneatur. Possint etiam Sorores, & debeant, si eis vtile & expediens videatur, Officiales, & Discretas aliquando remouere,& alias loco ipsarum eligere.

CAP. V.

Silentij obseruantia, locution. ad crate,vel in locutorio eiusque qualitatibus & ostij clausura. Quoad clausurā attende const. 8. Filij V. circa & alias ibi indicandas. Quoad locutorium agitur etiā in 2. reg. cit. in rubr. c. 16. & 17. Quòd verò ad silentium habes ibid. c. 9. & 10. & inf. in const. 28. Eug. IV. Ordinis.

Ab hora Completorij vsque ad Tertiam,Sorores silentium teneant exceptis seruientibus extra Monasterium. Sileant etiam continuè in Ecclesia,Dormitorio,& in Refectorio tantùm dum comedunt,præterquam in infirmaria,in qua pro recreatione & seruitio infirmarum, loqui discretè semper Sororibus liceat.Possint etiam semper & vbique breuiter submissa voce,quod necesse fuerit insinuare.Non liceat Sororibus loqui ad locutorium, vel ad cratem,sine licentia Abbatissæ,vel eius Vicariæ.Et licentiatæ ad locutorium,loqui non audeant,nisi præsentibus & audientibus duabus Sororibus. Ad cratem verò non præsumant accedere,nisi præsentibus ad minus tribus per Abbatissam,vel eius Vicariam assignatis,de illis discretis, quæ sunt electæ ab omnibus Sororibus pro consilio Abbatissæ.Hanc formam loquendi teneantur pro posse Abbatissa,& eius Vicaria obseruare,& hoc de crate rarissimè. Ad portam verò nullatenus fiat. Ad cratem verò pannus interiùs apponatur,qui non remoueatur nisi cum proponitur verbum Dei,vel aliquod alicui loqueretur.Habeant etiam ostium ligneum diuersis vel duabus seris ferreis, valuis,& vectibus optimè coniunctum,vt nocte maximè duabus clauibus obseretur,quarum vnam habeat Abbatissa,aliam verò Sacrista.Et maneat semper obseratū,nisi cum auditum diuinum officium, & pro causis superius memoratis. Nulla ante solis ortum, vel post solis occasum,loqui ad cratem alicui vllatenus debeat. Ad locutorium verò semper pannus qui non remoueatur interius maneat. In Quadragesima Sancti Martini,& Quadragesima maiori, nulla loquatur ad locutorium,nisi Sacerdoti,causa confessionis, vel alterius manifestæ necessitaris, quod reseruetur in prudentia Abbatissæ,vel eius Vicariæ.

CAP. VI.

Paupertate & stabilibus bonis non habendis.

Postquam altissimus Pater cœlestis, per gratiam suam cor meum dignatus est illustrare, vt exemplo & doctrina beatissimi Patris nostri Francisci pœnitentiam facerem, paulò pòst cōuersionem ipsius,vna cum Sororibus meis obedientiam sibi voluntariè promisi. Attendens beatus pauper,quod nullam paupertatē, laborem,tribulationē, & contemptum sæculi timeremus,imò quòd pro magnis deliciis haberemus,pietate motus scripsit nobis formam viuendi in hunc modum. Quia Domini inspiratione fecistis vos filias & ancillas altissimi summi Regis Patris cœlestis,& Spiritui sancto vos desponsastis viuere secundùm perfectionem sancti Euangelij,volo & promitto per me & fratres meos,semper habere de vobis tanquam de ipsis curam diligentē,& sollicitudinem specialem, quod dum vixit diligenter impleuit,& à fratribus voluit semper impleri.Et vt nusquā declinaremus à sanctissima paupertate, quam cœpimus,nec etiam eis qui post venirent lateret,paulo ante obitum suum,iterum scripsit nobis vltimā voluntatem suam dicens:Ego frater Frācifcus paupercu1us,volo sequi vitam,& paupertatem altissimi Domini nostri IESV CHRISTI, & eius sanctissimæ Matris,& perseuerare in ea vsque ad finem. Et rogo vos omnes Dominas meas, & consilium do vobis,vt in ista sanctissima vita,& paupertate semper viuatis. Et custodite vos multū;ne doctrina,vel consilio alicuius,ab ipsa in perpetuū vllatenus recedatis.Et sicut semper sollicita fui,vnà cum sororibus meis, sanctam paupertatem quam Domino Deo & B.Francisco promisimus,custodire, sic teneantur Abbatissæ,quæ in officio mihi succedent,& omnes sorores,quæ in finem,inuiolabiter obseruare. Videlicet in nō recipiendo,seu habendo possessionem, vel proprietatem, per se,nec per interpositam personam, seu etiam aliquid quod rationabiliter proprietas dici potest, nisi quantum terræ,pro honestate,& renouatione Monasterij necessitas requirit. Et illa terra non laboretur nisi pro horto ad necessitatem ipsarum.

CAP. VII.

Modo laborādi,ac laboritio & eleemosynis & Abbatissæ cōsignandis. De his agitur etiā in d. 2. reg. c. 8.

Sorores,quibus dedit Dominus gratiam laborandi post horam Tertiam laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem & communem vtilitatem,fideliter & deuotè, ita quod excluso otio,animæ inimico,sanctę orationis ac deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire.Et id quod manibus operantur, assignare in Capitulo Abbatissæ,vel eius Vicariæ coram omnibus teneatur. Idem fiat de eleemosyna aliqua missa pro Sororum necessitatibus,ab aliquibus, vt in cōmuni pro eisdem recommendatio fiat.Et hæc omnia pro communi vtilitate distribuantur per Abbatissam,vel eius Vicariam de consilio Discretarum.

CAP. VIII.

Proprio non habendo,Muneribus non dandis. Infirmisque curandis.

Circa munerum largitionē attēde cōst. 28. Clem. VII. Religiosi. Quod verò ad infirmos, agitur etiam in d. reg. c. 12.

Sorores nihil approprient sibi,nec domum,nec locū, nec aliquam rem, sed tanquam peregrinæ & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes,mittant pro eleemosyna confidenter.Nec oportet eas verecundari,quia Dominus se fecit pro nobis pauperem in hoc mundo.Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis,quę vos charissimas sorores meas, hæredes & Reginas Regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit.Hæc sit portio vestra,quæ perducit in terrā viuentium. Cui dilectissimæ Sorores,totaliter inhęrentes, nihil aliud pro nomine Domini IESV CHRISTI, in perpetuū sub cælo habere velitis. Nec liceat alicui litteras mittere,vel aliquid recipere,aut extra Monasterium dare,sine licentia Abbatissæ.Nec quicquam liceat habere,quod Abbatissa nō dederit,aut permiserit.Et si à parétibus suis vel ab aliis aliquid mitteretur, Abbatissa faciat illi dare.Ipsa autem si indigeat vti possit;sin autem Sorori indigenti

indigenti charitatiuè communicet. Si verò aliqua pecunia transmissa fuerit, Abbatissa de consilio Discretarum de aliis quorum indiget, illis faciat prouidere. De infirmis Sororibus, tam in vtensilibus, quàm in cibariis, & aliis necessariis, quæ earum requirit infirmitas teneatur firmiter Abbatissa sollicitè per se, vel alias inquirere, & iuxta possibilitatem loci charitatiuè, & misericorditer prouidere. Quia omnes tenentur prouidere, & seruire Sororibus suis infirmis, sicut vellent sibi seruiri, si ab aliqua infirmitate tenerentur. Et securè manifestet vna alteri necessitatē suam. Et si vera mater diligit & nutrit filiam suam carnalem, quantò diligentiùs debet soror diligere & nutrire sororem suam spiritualem? Quæ infirmæ in saccis & paleis iaceant, & habeant ad caput capitalia cum pluma. Et quæ indigent pedeolis laneis, & culcitris, vti possint. Infirmæ verò prędictę cùm ab introeuntibus Monasteriū visitantur, possint singulę aliqua bona verba sibi loquentibus breuiter respondere. Aliæ verò sorores licentiatæ, Monasterium intrantibus, loqui non audeant, nisi pręsentibus & audientibus duabus discretis Sororibus per Abbatissam & eius Vicariam assignatis. Hanc formā loquēdi teneantur, pro se Abbatissa & eius Vicaria obseruare.

CAP. IX.

Pœnitentiæ per Abbatissam Sororib. iniungen.

Si qua Sororum, contra formam professionis nostræ mortaliter inimico instigante peccauerit, per Abbatissam, vel alias Sorores, bis vel ter admonita, si non se emendauerit, quot diebus contumax fuerit, in terra panem, & aquam coram Sororibus omnibus in refectorio comedat, & grauiori pœnæ subiaceat, si visum fuerit Abbatissę. Interim dum contumax fuerit, oretur, vt Dominus ad pœnitentiam cor illius illuminet. Abbatissa verò & eius Sorores, cauere debent, ne irascantur, vel conturbentur propter peccatum alicuius. Quia ira, & conturbatio in se, & in aliis impediunt charitatem. Si contigerit (quod absit) inter Sororem & Sororem, verbo vel signo occasionem turbationis, vel scandali aliquando suboriri, quæ turbationis causam dederit, statim antequam offerat munus Orationis suæ coram Deo, non solùm humiliter prosternet se ad pedes alterius, veniam petens, verùm etiam suppliciter roget, vt pro se intercedat ad Dominum, quòd sibi indulgeat. Illa verò memor illius verbi Domini: Nisi ex corde dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis, liberaliter Sorori suæ omnē iniuriam sibi illatam dimittat. Sorores seruientes extra Monasterium longam moram non faciant, nisi causa manifestæ necessitatis requirat. Et honestè debeant ambulare, & parum loqui, vt ædificari valeant semper intuentes. Et firmiter caueant ne habeant suspecta consortia, vel consilia aliquorum. Nec fiant commatres virorum, vel mulierū, ne hac occasione, murmuratio, vel turbatio oriatur. Nec præsumant rumores de sæculo referre in Monasterio. Et firmiter teneantur, de iis quæ intus dicuntur, vel aguntur, extra Monasterium aliquid non referre, quod possit aliquod scandalum generare. Et si aliqua simpliciter in his duobus offenderit, sit in prouidentia Abbatissæ misericorditer sibi pœnitentiam iniungere. Si autem ex consuetudine, vitiosa haberetur, iuxta qualitatem culpæ, Abbatissa de consilio Discretarum, illi pœnitentiam iniungat.

CAP. X.

Obedientia Sororum erga Abbatissam & eius potestate in illis visitandis & corrigendis. Dilectione quæ inter Sorores. Ac prohibitione Inuidia, Auaritia, &c.

De munere Abbatissa habetur etiam in d. 2. reg. c. 12.

Abbatissa moneat, & visitet Sorores suas, & humiliter & charitatiuè corrigat eas, non præcipiens eis aliquid quod sit cōtra animā suam, & vestræ professionis formā. Sorores verò subditæ recordentur, quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter suis Abbatissis obedire teneantur in omnibus his, quæ obseruare promiserunt, & non animæ contraria, & nostræ professioni. Abbatissæ verò tantam familiaritatem habeant circa ipsas, vt dicere possint eis, & facere, sicut Dominæ Ancillis suis. Nam ita debet esse, quod Abbatissa sit omnium sororū ancilla. Moneo verò, & exhortor in Domino IESV CHRISTO, vt caueant sorores ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura & sollicitudine huius sæculi, detractione & murmuratione, dissensione & diuisione. Sint verò sollicitæ semper ad inuicem seruare mutuæ dilectionis vnitatem, quæ est vinculum perfectionis. Et nescientes literas, non curent literas addiscere, sed attendant (quod super omnia desiderare debent) habere Spiritum Domini, & sanctam eius operationē, orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatē & patientiam in tribulatione, & infirmitate, & diligere eos qui nos reprehendunt, & arguunt. Quia dicit Dominus, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic, saluus erit.

CAP. XI.

Ostiaria munere & qualitatibus De hac habetur etiā infra d. 2. reg. cit. in rub. c. 14. Et quoad ostiariam videatur cōst. 8. Gregor. XIII. Dec.

Ostiaria sit matura moribus & discreta, sitque conuenientis ætatis, quæ ibidem in cella aperta, sine ostio in die resideat. Sit ei, & aliqua socia idonea assignata, quæ cum necesse fuerit, vicem eius in omnibus exequatur. Sit autem ostium duabus seris, & diuersis ferreis valuis, & vectibus optimè coniunctum. Et in nocte maximè, duabus clauibus obseretur. Quarum vnam habeat Portaria, aliā que Abbatissa. In die sine custodia minimè dimittatur, & vna claue firmiter obseretur. Caueant autem studiosissimè, & procurent, ne vnquam ostium stet apertum vbi minùs fieri poterit congruenter. Nec omnino aperiatur alicui intrare volenti, nisi concessum fuerit à Sūmo Pontifice, vel à Domino Cardinale. Nec ante Solis ortum Monasterium ingredi liceat, nec post Solis occasum sorores intus aliquem remanere permittant, nisi exigente manifesta rationabili, & ineuitabili causa. Si pro benedictione Abbatissæ vel pro aliqua in Monialē consecranda, vel alio etiam modo, concessum fuerit Episcopo alicui Missam intus celebrare, quam paucioribus, & honestioribus poterit, sit contentus sociis & Ministris. Cum autē intrat Monasterium ad opus faciendū necesse fuerit aliquos introire, statuat tunc Abbatissa sollicitè personā conuenientem ad portā, quatenus illis, non aliis ad opus deputatis aperiatur. Caueant studiosè omnes sorores, ne tunc ab ingredientibus videantur.

CAP. XII.

Visitatoris Capellani & Protectoris electione & officio. De Visitatore habetur etiam in d. 2. reg. c. 24. Et de Protectore habetur ibid. c. 21.

Visitator vester semper sit de Ordine Fratrum Minorū secundùm voluntatem & mandatum nostri Cardinalis. Et sit talis, de cuius honestate & moribus plena notitia habeatur. Cuius officium erit, tam in capite, quàm in mēbris corrigere excessus commissos contra formam professionis vestræ. Qui stans in publico loco, vt videri ab aliis possit, cum pluribus & singulis loqui liceat, quæ ad officium visitationis pertinent, secundùm quòd melius videbitur expedire. Capellanum etiam cum vno socio Clerico bonæ famæ, discretionis prouidæ; & duos fratres laicos sanctæ conuersationis, & honestatis amatores, in subsidium paupertatis vestræ, sicut misericorditer à prædicto Ordine fratrum Minorum semper habuimus, & intuitu pietatis Dei, & Beati Frācisci, ab eodem Ordine de gratia postulamus. Nec liceat Capellano, sine socio Monasteriū ingredi. Et intrantes in loco sint publico, vt se possint alterutrum, & ab aliis intueri. Pro confessione infirmarum quæ ad locutorium ire non possunt, pro communicandis eisdem, & pro Extrema Vnctione, & pro animæ recommendatione, liceat eisdem introire. Pro exequiis verò, & Missarum solemniis defunctarum, vel ad fodiendam, vel aperiendam sepulturam, seu etiam coaptandam, possint sufficientes idoneæ personæ, de Abbatissæ prouidentia introire. Adhæc, sorores teneantur semper habere illum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus pro vestro Gubernatore, Protectore, & Correctore, qui fuerit à Domino Papa fratribus Minoribus deputatus. Vt semper subditæ & subiectæ pedibus eiusdem S.R.E. stabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem Domini nostri IESV CHRISTI, & eius Sanctissimæ Matris in perpetuum obseruemus.

Dat. Perusij Kal. Octob. Pontificatus verò Domini Innocentij Tertij, Anno decimo. Nulli ergo, &c. *D. P. A 12. die 9 Aug.*

Dat. Assisij 5. Idus Aug. Pont. nostri anno vndecimo.

Canonizatio S. Stanislai Episcopi Cracouiensis in Polonia, eiusque adscriptio in numerum Sanctorum, cum eiusdem Festiuitatis institutione, pro die 8. Maij. XIII.

Hanc festiuitatem Clem. VIII. die 7. mensis, duplici officio vnius Pontificis Martyris celebrandam esse statuit, eò quod dies 8. solemnitati Apparitionis S. Michaelis Archangeli sit dicatus, vt inf. in eius const. 31. Quā ad.

INNO

Edita An. D. 1253.

INNOCENTIVS PAPA IV. *Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac Dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint. Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium.

OLim à gentilium oculis tenebrarum detersa caligine, & ab eorum cordibus, infidelitatis gelidę hyeme secedente, vernalis ex eo successit amœnitas redolentium florum venustate decora, quòd Ecclesiæ prius desertæ ac sterili, filij deuotione præcipui, valloque constantiæ præmuniti, nascuntur, qui vt flores primæui, & diffusam spirant suauitatem odoris, & vberioris per Dei gratiam fructum sibi proferunt honestatis. Sicque filiorum sibi multitudine prouenente innumera, suique loco à mari vsque ad mare tentorij dilatatio infrà ipsius inualuit terminos, vox turturis gemitus ac doloris, dum sæua mitescens tyrannorum crudelitas, idolis exterminio traditis ad lamenta pœnitentiæ, suffragante illo, cuius stupenda sunt opera, mirificè se conuertit. Gaudeat itaque ob hoc ipsa Ecclesia, quæ probrosæ detrimenta sterilitatis abiiciens, salubris incrementa fertilitatis suscepit, ac nuptiali fœdere nunc illi gratiosa coniungitur, à quo priusquam esset assumpta de gentibus, inuenerat se desertam. Lætetur igitur, æmulæque suæ de terrestri etiam eiectæ Hierusalem, Synagogæ videlicet, dudum sibi huiusmodi sterilitatis incommoda impingenti, secura respondeat, quòd iam suæ prolis fœcunditate, cœlestis muri Hierusalem cicatrix obducitur, & quæ antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt, ipsa suæ vniuersitatis illustrat præsentia fœlici, ...

Stanislaus Episc. Cracouiensis, Boleslaum Regem Polonorũ corripuit medicinali gladio Petri, vt ab immanib. flagitijs eum repelleret.

§. 1. Porro ne huiusmodi exuberante lætitia, quispiam in valle miseriæ morientium terra, requiem posset sibi polliceri continuam, cuius vita est, aduersus inimicorum ingruentia bella exterorum castra, militia super terram, ac ne prædicta Ecclesia, quæ Mater est cunctorum fidelium, maternæ conditionis expers existeret, si solitas, præsertim in partu quorundam filiorum suorum, matrum parientium molestias non subiret, interdum instauratur quodammodo sibi aduersitas opportuna; sicut in passione piæ memoriæ B. Stanislai Cracouien. Episcopi, cuius meritis præfata refulget Ecclesia, patuit euidenter. Cùm enim idem, in sortem Pontificalis ministerij digne vocatus à Domino, super gregis sibi commissi prudenter custodiam vigilaret, hostium sagaciter explorauit insidias, malignantium anticipauit consilia, æmulique nostri deprehendens laqueos, ipsius cautè retiacula * dissoluebat. Hic nempe pro suis omnibus cor suũ tradiderat ad vigilandum diluculo, vt si quem graui forte deprehenderet tentatione concussum, mox vbere consolationis adhibito, eum erigeret desolatum; & quem in bono proficientem aduerteret, eum gratulationis de vbere protinus confortaret, vt non minus per hoc deficientibus quam proficientibus subditis, se claris indiciis ostenderet esse matrem. Verùm cùm non sine internæ mentis angostia, Regem Polonorum nomine Boleslaum, in tantum horrendis voluptatibus subiici, carnisque nefandis illecebris cerneret eneruari, vt in passiones ignominiæ traditus, & inhumanis contumeliis afficiens, corpus mulierum mamillis, auulsis propriis exinde liberis, catulos apponeret miserabiliter educandos, ne execrandam fouere malitiam, & iniquitati eiusdem Regis videretur præfatus Pontifex per dissimulationem fauere, postquam ipsum à præmissis flagitiis, sedula & paterna correctione euocare non potuit, in ipsum consultè medicinalem Petri gladium exercuit in spiritu lenitatis, sperans vt percussus dolens, ad percutientem se in humilitate rediret, Dominum exercituum suppliciter requirendo.

** Retinacula.*

Ille autem deterior factus, ipsum Episc. Pontificalib. indutum per suos milites cruciari iubet.

§. 2. Sed ipse indurato corde medicinam exhorrens, & increpationem abominans disciplinæ, imò malleum velut stipulam reputans, non solùm nulla pœnitudine se correxit, verumetiam ad peiora in suæ damnationis cumulum prouocatus, iuxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, iussit Pontificalibus indutum Antistitẽ per suos satellites diris corporis cruciatibus deputari.

§. 3. Sed ipsi quoties in eum irruere tentant, toties compuncti, toties mansueti sunt prostrati.

Qui tamen semper compuncti remanent.

§. 4. Et tunc idem Rex, suæ inseruiens impetuosius tyrannidi, manus in eum conuertit sacrilegas, sponsum è gremio sponsæ, pastorem abstrahit ab ouili, patrem inter filiæ amplexus, & filium in visceribus penè obtruncauit maternis; faciens irritatus atrocitate ferali, ipsius (proh dolor) corpus inhumaniter in frusta concidit, velut singulis membrorum partibus pœnæ inflictio deberetur. Sed ille, apud quem patientia pauperum non peribit in finem, non solum rutilantibus huius Sanctissimi Corporis partes splendoribus illustrauit, verumetiam ipsum nullo in eo cicatricis apparente vestigio, integritati restituens, aquilarum suarum præsidio miraculosè, à ferarum morsibus præseruauit. Gustato denique acerrimo, ob zelum Iustitiæ calice Passionis, cum ab eodem Tyranno totaliter putaretur consumptus, ecce vt lucifer oritur, & quasi meridianus fulgor in firmamẽto consurgit, propter quod eius faciem nonnulli in suis necessitatibus deuotissime deprecantur. Ipse quidem defossus securus dormit, requiescit, & non est qui iam ipsum exterreat. Nec mirum, quia Ciuitatẽ illam honoris & gloriæ corona insignitus inhabitat, vbi est mãsio secura, populus sine murmure, ac patria totum id continens quod delectat.

Rex verò manus in eum mittit apposuit, & illius corpus in frusta concidi fecit.

Miraculis que multis coruscauit.

§. 5. Verùm ne militans Ecclesia, de tali, ac tanto Patrono sic atrociter sibi subtracto, inconsolabiliter quasi gemitus singultuosos emitteret, si beneficiorũ ipsius affluentia eam non contingeret sæpiùs delectabiliter irrigari, ecce gloriosus in Sanctis suis Dominus, volens eiusdem Patris plenitudinem gloriosè indiciis exprimere manifestis, & præstolanti Ecclesiæ grata conferre super hoc recreationis remedia, tot & tãtis fecit ipsum famosis miraculis coruscare (de quibus facta nobis & fratribus nostris prout debuit per testes idoneos plena fides extitit) quod eius inter sanctos cæteros implorare subsidium, reputauimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lumen cæcis, auditus surdis, verbum mutis, claudis gressus, epilepticis crebri robur, & dæmoniacis, immundis ab eis eiectis spiritibus, corporum requies, ad eius inuocationem nominis, cœlesti dextera subito conferuntur.

Hic propterea Pont. Cathalogo Sanctorum adscribit.

§. 6. Propter quod, ne huius rutilantem lucernam sub modio periculose abscondi contingeret; quam idem Dominus tot mirificis signis rectè disposuit super Ecclesiæ candelabrum honorificè collocari, præsertim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebræ, confundatur peruersum hæreticorum dogma, & fidelium beata credulitas augeatur; Nostrorum fratrum, necnon & Prælatorũ tunc apud Sedem Apostolicam existentium communicato consilio, prædictum B. Stanislaũm Episcopum, dignè Sanctorum Cathalogo duximus adscribendum.

Eiusque Festum die 8. Maij quotannis celebrari iubet.

§. 7. Quocirca Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta districtò præcipiendo mandamus, quatenus viij. Idus Maij (die videlicet quo mortis absolutus vinculo, victurus perenniter, ad fontem supernæ prodiit voluptatis) Festum eiusdem, prout mirãda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebreris, & faciatis solemniter celebrari. Vt id vobis de thesauris cœlestibus eius pia intercessione proueniat, quod ipse, præstante CHRISTO, percepisse dignoscitur, & possidere perpetuo gloriatur.

Tu sciat quòd Clem. VIII. die 7. hoc festum duplici officio vnius Martyris celebrari voluit, vt dixi in rub. Indulgẽtias etiã eam sepulturam visitantibus elargitur.

§. 8. Cæterùm vt Vniuersitati fidelium inuisibilis aulæ consequendi delicias ex concessa nobis potestate desuper propitiante Domino sit facultas, quinimò & vt nomẽ exaltetur Altissimi, si spontè suam Venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus frequentari, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad dictam sepulturam in memorato Festo, & vsque ad octauã ipsius causa deuotionis accesserint, annuatim ipsius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei, &c. vnum annum & quadraginta dies, accedentibus verò annis singulis ad prædictam sepulturam infrà eiusdem Festi quindenam, quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitẽtia misericorditer relaxamus.

Dat. Assisij xv. Kal. Oct. Pontificatus nostri, anno 12.

Dat. P. A. 11. die 17. Sept.

Definitio quorumdam articulorum, circa ritus Græcorum. XIV.

Aliam eiusmodi rituum definitionem, vide infrà in const. 34. Clem. VIII. Sanctissimus.

Græcorum verò vnionem cum Sancta Romana Ecclesia, vide infra in constit. 17. Eugen. IV. Lætentur. Eorumque subiectionem, iurisdictioni Ordinariorũ circa Diuinum cultum, & Sacramentorum administrationem, habes in constit. 74. Pij IV. Romanus. Eorumque licentias celebrandi Latino more reuocauit Pius V. in constit. 12. Prouidentia. Collegium pro eisdem in Vrbe instituit Gregorius XIII. vt in eius constit. 42. In Apostolicæ. Professionemque fidei ab eis emittendam præfiniuit idem Greg. in const. 33. Ego.

Edita An. D. 1254.

INNOCENTIVS &c. EPISCOPO Tusculano Apostolicæ Sedis Legato.

Pia Pontificis voluntas circa animarum salutem. SVb Catholicæ professione Fidei atque cultu, consistere, ac proficere vniuersos, ceteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tanquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, & ad hoc velot operatiuum salutis præcipuum, intimis affectibus anxiùs aspiramus. Hæc inquam vnio, siue connexio cordi inæstimabilis gaudij rorem infundere, si varias gentium nationes, e iusdem obseruantia fidei in vnum acceptabilem CHRISTO populum adunaret. Id vtique anxiæ nostræ mentis ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, si omnes, quos olim in vnum catholicum gregẽ ouile collegit Domini, cùm multi ab eo discesserint, in idem indiuiduum Collegium vnius Pastoris solidaret magisterium, & custodia communiret. O si Orientalibus Oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione, ipsos ad Catholicam seduceret vnitatem, vt cum reliquis orthodoxis in vnius aulæ collecti gremio, de matris Ecclesiæ vbere fluenta doctrinæ salutaris haurirent. Tunc ipsi Ecclesiæ prouenirer magnum & desiderabile salutare, tunc eius vterus sobole geminata concresceret, tunc Orientalibus oriretur supernæ illuminationis Aurora, tunc eis clarescerer Lucifer veritatis, tunc per vniuersam Ecclesiam inundantis gaudij erumperet plenitudo, tunc exultatione nimia clarescerer torus orbis, quia valde bonum & iucundum existeret, fratres simul in domo Domini habitare, tũc eadem Ecclesia, multiplicata lætitia, nouæ iucunditatis canticum personaret. Verùm quia nonnulli Græcorum iamdudum ad deuotionem Sedis Apostolicæ redeuntes, ei reuerenter obediunt & intendunt, licet & expedir, vt mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiæ Romanæ obedientia præseruemus. Quanquam in his, quæ animarum periculum parerent, vel honestati Ecclesiasticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Dissensio inter Episcopos Latinorum & Græcorum, super ritibus. §. 1. Sanè inter Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosieñ. & eius suffraganeos Latinos ex parte vna, & Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis, discordiam & turbationem fore subortam, & eorundem tenorem articulorum, ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis, vt melius possemus instrui super eis, plenè, ac prouide per tuas literas intimasti, sollicitè requirendo, vt prouidere super hoc Apostolica diligentia curaremus.

Papa consult. sup. §. 2. Nos autem literis ipsis affectuose receptis, earum seriem & ipsos articulos, ac responsiones easdem, & cætera, quæ continebantur in illis, vna cum Fratribus nostris perlegimus, & intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, & meditantes, ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

1. *Baptismo.* §. 3. Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit, vt Græci eiusdem Regni in vnctionibus, quæ circa baptisma fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant & obseruẽt. Ritus verò seu consuetudo, quam habere dicuntur vngendi per totum, baptizandorũ corpora, si tolli sine scandalo, vel remoueri non potest,

2. cùm, siue fiat, siue non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum, non multum referat, toleretur.

3. Nec refert etiam vtrum in frigida, vel calida aqua baptizent, cùm parem vim & effectum in vtraque baptismum habere, asseuerare dicantur.

4. *Chrismate.* Soli autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia huius vnctio non debet, nisi per Episcopos exhiberi. Quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repręsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur.

5. Singuli quoque Episcopi in suis Ecclesiis, in die Cœnæ Domini, possunt, secundùm formam Ecclesiæ, Chrisma conficere, ex balsamo quidem, & oleo oliuarum. Nam Spiritus sancti donum in Chrismatis vnctione confertur. Et Columba vtique, quæ ipsum designat Spiritum, oliuæ ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potius seruare voluerint, videlicet quòd Patriarcha vnà cum Archiepiscopis & Episcopis eius suffraganeis, & Archiepiscopi cum suffraganeis suis, simul Chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur.

6. *Sacra vnctione.* Nullus autem per Sacerdotes, vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ, vnctione aliqua solummodo inungatur. Infirmis verò iuxta verbum Iacobi Apostoli, vnctio exhibeatur extrema.

7. Porrò in appositione aquæ, siue

8. frigidæ, siue calidæ, vel tepidæ, in altaris sacrificio, suam si velint consuetudinem Græci sequantur, dummodo credant, & asserant, quòd seruata Canonis forma, conficiatur pariter de vtraque.

9. *Eucharistia.* Sed Eucharistiam in die Cœnæ Domini consecratam, vsque ad annum, prætextu infirmorum, vt de illa videlicet ipsos communicent, non reseruent. Liceat tamen eis, pro infirmis ipsis, Corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio, conseruare; ne per diutinam ipsius reseruationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licèt veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec vlla vnquam diuturnitate, seu volubilitate temporis euanescat.

10. *Missis.* In celebratione verò solemnium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione, formam verborum à Domino expressam, & traditam obseruent, & celebrando non transgrediantur horã nonam, suam sequi consuetudinem permittantur.

11. *Horis Canonicis.* Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo; sed Missam celebrare, priusquàm officium matutinale compleuerint, non præsumant.

12. *Promouendis.* Promouendi verò ad Sacerdotium, & Presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur; antea diligenter, si præcipuè de horis canonicis & Missarum officiis, secundùm distinctionem temporum exequendis, sint sufficienter instructi, vt ad hæc non nisi digni & idonei admittantur.

13. *Vestibus & alijs sacris.* Cæterùm vnusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solùm, aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis.

14. *Mulierũ seruitio ad altare.* Mulieres autem seruire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

15. *Ieiunio.* De ieiunio verò diei Sabbati Quadragesimali tempore, (quanquam honestiùs & salubrius Græci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, vt nec vnico die institutum ieiunium violarent) teneant & seruent pro libito morem suum.

16. *Sacerdotibus coniugatis.* Sacerdotes quoque coniugati, & alij, quibus parochiarum cura, vel Ecclesiarum parochialiũ regimen per Episcopos suos committitur, licitè ac liberè possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiã iniungere pro peccatis. Quia cui licet, vel conceditur quod est maius, competit nimirum, nec negari conuenit, quòd est minus.

17. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, viros alios idoneos coadiutores & cooperatores habere, in audiendis confessionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. Ipsisque in his per eorum diœceses, absque Sacerdotum ipsorũ præiudicio, & grauamine, committere vices suas, cùm propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quòd nequeant per easdem diœceses officium suum exequi per se ipsos.

18. *Fornicatione.* De fornicatione autẽ, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cùm tàm fornicarios, quàm adulteros à Regno Dei Apostolus asserat alienos.

19. *Ordinibus conferendis.* Ad hæc, volumus & expressè præcipimus, quod Episcopi Gręci septem ordines secundùm morẽ Ecclesiæ Romanæ

manæ de cætero conferant, cùm hucvsq; tres de minotibus circa ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui iam sunt taliter ordioati per eos, propter nimium ipsorum multitudioem, in sic susceptis ordinibus tolerentur.

20. *Secundis & vlterioribus nuptijs.* Quia verò secundùm Apostolùm, mulier mortuo viro ab ipsios est lege soluta, vt nnbendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas, & tertias, ac vlteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus; nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quæ alias licitè ad inuicem matrimonio iungi

21. possunt. Secundò tamen oubentes, Presbyteri nullatenus benedicant.

22. *Matrimonijs contrahendis.* Et qooniam apud eos consueuerunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem; octauo gradu, qui secundùm computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus. Districtè præcipientes, vt cùm in vlterioribus gradibus licitè matrimooia contrahantur; in prædicto quarto, consanguinitatis vel affinitatis grado; copulari vlteriùs noo præsumant, statutum io boc generalis Coocilij obseruantes. Illos tamen qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispensatiuè permittimus io sic contracto matrimonio remanere.

23. *Purgatorio.* Denique cùm veritas in Euangelio asserat, qoòd si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei: per quod datur intelligi quasdam culpas in præsenti, quasdam verò in futuro sæculo relaxari, & Apostolus dicat, quòd vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit, & cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, & ipsi Græci vere, ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur, animas illorum, qui suscepta poenitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato, cum venialibus tamen & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse suffragiis Ecclesiæ adiuuari. Nos, quia locum purgationis huiusmodi, dicunt noo fuisse sibi ab eorum doctoribus certo, & proprio nomine indicatum, illum quidem iuxta traditiones & auctoritates Sanctorum Patrum, Purgatorium nominantes, volumus quòd de cætero apud ipsos isto nomine appelletur. Illo enim transitorio igne peccata vtique, non tamen criminalia, seu capitalia, quæ priùs per poenitentiam oon fuere remissa, sed parua & minuta purgantur, quæ post mortem etiam grauant, si in vita fuerunt relaxata.

24. *Inferno.* Si qois autem absque poenitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuò cruciatur.

25. *Animabus paruulorum.* Animæ verò paruulorum, post Baptismi lauacrum, & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transuolant sempiternam.

26. *Monachorum institutis.* Ordinationes demum, & instituta regularia Sanctorum Patrū de vita & statu Monachorum, præcipimus ab Abbatibus, & Monachis Græcis inuiolabiliter obseruari.

§. 4. *Iussio prædicta exequendi.* Fraternitatem itaque tuam hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præmissa omnia Episcopis Græcis præfati Regni, seriatim, & diligenter exponi facias, districtè ipsis iniungens, vt ea sollicitè attendere, studiosè tenere, ac efficaciter obseruare procurent, & à suis faciant subditis obseruari. Memoratis autem Archiepiscopo Nicosień. & eius suffraganeis Latinis, firmiter auctoritate nostra præcipias, vt eosdem Græcos super præmissis contra huiusmodi prooisionem & deliberationem nostram, non inquietent aliquatenus, nec molestent. Contradictores, eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendo.

§. 5. *Derogatio contrariorum.* Non obstantibus si prædictis Archiepiscopo & suffraganeis, vel quibuscumque à Sede Apostolica sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas plenam & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. P. A. 11. die 6. Martij. Dat. Lateran. 2. Non. Martij, Anno vndecimo.

Quod Inquisitores hæreticæ prauitatis possint interpretari statuta Ecclesiastica, & sæcularia, contra hæreticos edita. Eosque * filios, ac nepotes, & adhærentes, aut ipsorum opera, beneficia & officia assequentes, illis priuare. Quodque accusatorum & testium nomina publicare non debeant. ** eorumque.*

Sollicitantes verò in confessionibus sacramentalibus, denuntiandos locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus voluit Greg. XV. in const. 34. Vniuersi. infr. tom. 4.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Fratribus Ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita, An. D. 1254.*

CVm negotium fidei Catholicæ aduersùs hæreticæ prauitatis errores, vobis vt vestra prudentia deprehendat vulpeculas demolientes vineam Domini, sub certa forma per alias literas, duximus committendum, vt commissum vobis ab Apostolica Sede tam salubre, ac vtile ministerium exequi liberiùs, ac exercere possitis efficaciùs, in hac parte, interpretaodi statuta Ecclesiastica & sæcularia contra hæreticos edita. *Facultas interpretandi statuta contra hæreticos.*

§. 1. Et hæreticorum filios, & nepotes, credentium quoque, fautorum, defensorum, & receptatorum ipsorum, dignitatibus, personalitatibus, & honoribus quibuscumque, ac beneficiis Ecclesiasticis, & publicis officiis. *Eorumque filios, nepotes, adhærentes, officijs, & beneficijs priuandi.*

§. 2. Illos etiam qui hæreticorum, vel aliorum prædictorum interuentu, intuitu, vel gratia, talia sunt adepti, vel in posterum assequentur, priuandi huiusmodi dignitatibus, personalitatibus, hoooribus, beneficiis, & officiis liberam vobis auctoritate præseotium concedimus potestatem. *Et eos qui illorum opera ea assequuntur.*

§. 3. Sane volumus, vt nomina tam accusantium prauitatem hæreticam, quàm testificantium super ea, nullatenus publicentur, propter scandalum, vel periculum, quod ex publicatione huiusmodi sequi posset. Et adhibeatur dictis huiusmodi testium nihilominus plena fides. Quòd si simul his non ioterfueritis exequendis, vnus vestrûm ea nihilominus exequatur. *Prohibitio publican. nomina accusatorum, & testium.*

Datum Lateranen. 7. Idus Martij, Pontificatus nostri anno vndecimo. *D. P. A. 11. die 9. Mart.*

XVI.

Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas procedendi contra hæreticos, eorumque fautores, & negotio Inquisitionis se opponentes, ac Prædicatores quæstuarios; Ac indulgentię pro audientibus prædicationem Inquisitorum, vel eis auxilium præstantibus.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Ministro, Custodibus, Guardianis, Conuentualibus, vel eorum Vicarijs, administrationis Sancti Francisci, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1254.*

QVia tunc potissimè acceptabile IESV CHRISTO exhibetur obsequium, cùm ei pro Catholicæ fidei conseruatione, cuius est ipse stabile, & perpetuum fundamentum, pura intentione seruitur; prouidimus specialiter in hoc ipsi, studiosum & placidum, eo cooperante, impendere famulatum, & præcipuè in Vrbe, in Patrimonio B. Petri, & aliis Terris Ecclesiæ, Regno Apuliæ, Lombardia, Romaniola, Marchia Teruisina, & Sclauonia, ac in Thuscia, cum ea quas debemus sollicitiùs vigilare, instantiùs, & validiùs satagere, contra eiosdem fidei diros hostes, vt cultura salubris, per nos agris dominicis impensa vicinis, vtilis sit longinquis; & verbi diuini semen fusum in proximis, fructificet etiam in remotis: Licèt Sedes Apostolica tales hostes vndique indefessa sollicitudine persequatur, nec vnquam ab huiusmodi exercitio cessauerit cura eius. *Studium Pontificis in extirpandis hæreticis.*

Conuenit namque, vt quia Inquisitores contra pestem hæreticam roborare, ac renouare per diuersas sæculi volumus regiones, id agere in Vrbe, ac Terris aliis supradictis, maiori opportunitate nunc habita, nullatenus omittamus. Cùm quantò propiùs nostris adsunt aspectibus, tantò iustiùs, nisi attentè saluti prospiceremus ipsorum, possemus argui de neglectu.

Facultas data Inquisitoribus contra eos & eorum fautores.

§. 1. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus tam per vos, quàm per alios idoneos Fratres vestræ curæ commissos, quibus negotium huiusmodi, quod principaliter residet cordi nostro, auctoritate nostra duxeritis committendum, totis assumentes affectibus, & feruentibus animis prosequentes, ad extirpandam de Prouincia tuæ fili Minister curæ commissa, prauitatem hæreticam solicitè, ac efficaciter laborantes, si quos ibi de prauitate ipsa culpabiles inueneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, nisi examinati velint absolutè mandatis Ecclesiæ obedire, contra ipsos, & receptatores, defensores, ac fautores eorum, humano timore postposito, iuxta sanctiones Canonicas, auctoritate Apostolica procedatis: Inuocato contra eos ad hoc, si opus fuerit auxiliu brachij sæcularis. Contradictores per censuram Ecclesiasticam compescendo.

Facultas eorundem Inquisitorũ absoluendi redeuntes ad Fidem.

§. 2. Si verò aliqui, hæretica labe penitus abiurata, redire voluerint ad Ecclesiasticam vnitatem, eis iuxta formam Ecclesiæ, absolutionis beneficium impendentes, iniungatis eisdem, quod iniungi talibus consueuit. Prouiso solerter ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & vos, imo potius se fallentes, sub agni specie gerant lupum.

Facultas coërcendi non fauentes officio Inquisitionis.

§. 3. Quod si fortè, quod non credimus, aliqui cuiuscunque conditionis, huic negotio se opponere, seu illud præsumpserint aliquatenus impedire, vt non possit per vos procedi liberè in eodem, imò nisi cùm requisiti fuerint, illud etiam iuuerint studiosè, contra eos secundùm sanctiones Canonicas, eadem auctoritate liberè procedatis.

Indulgentiásque concedẽdi audientibus Inquisitorum prædicationem.

§. 4. Vt autem prædicta possitis vtilius, & liberius exercere, vobis largiendi, viginti, vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad vestram prædicationem propter hoc faciendam accesserint, plenam tenore præsentium concedimus potestatem.

Indulgentia pro auxilium dantibus contra hæreticos, &c.

§. 5. Illis verò qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, vobis ex animo auxilium, consilium præstiterint, vel fauorem, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, trea annos de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus. Et si qui ex iis, ad prosecutionem huiusmodi negotij, contra prædictos hæreticos, fautores, receptatores, vel etiam defensores, personaliter iuerint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Facultas Inquisitorũ contra prædicatores quæstuarios.

§. 6. Compescendi quoque monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, prædicatores quæstuarios, quorum interest tantum charitatiua subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam fortè habent exponere, à prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, liberam vobis tribuimus facultatem. Quod si simul iis non interfueritis, vnus vestrum, ea nihiluminus exequatur.

D. P. A. 11. die 18 Martij.

Dat. Later. xv. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno 11.

XVII. Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas absoluendi à Censuris Ecclesiasticis confratres Societatis Crucesignatorum, pro Sanctæ Inquisitionis præsidio institutæ, & nonnulla eis indulta concedendi.

Consimilem & pleniorem huius Pont. concessionem, vide infr. in const. 19. Malitia, vbi notabo. Et quoad priuilegia Crucesignatorum, vide sup. const. 12. Innoc. III. Ad liberandam.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus de Ordine Minorum Inquisitoribus, & prædicatoribus Crucis, super hæretica prauitate à Sede Apostolica deputatis. Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita A. D. 1254.*

Inquisitorum facultas de qua in rubr.

VT nihil nobis desit, quod ad prosequutionem negotij vestræ circumspectioni commissi pertineat, sed illud in vestris manibus, auctore Domino prosperè dirigatur, absoluẽdi, iuxta formam Ecclesiæ, omnes qui contra prauitatem hæreticam assumpserint signum Crucis, ab interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententiis canonicis. Et dispensandi cum clericis, super irregularitatibus, si quas, sic ligati, celebrando diuina officia contraxerint. Et commutandi vota eorundem Crucesignatorum (Terræ Sanctæ voto excepto.) Necnon & concedendi præfatis Crucesignatis, vt illis gaudeant indulgentiis & priuilegiis, quæ Crucesignatis in ipsius Terræ Sanctæ subsidium sunt concessa. Et quod tempore generalis interdicti possint interesse diuinis officiis, & recipere Sacramenta Ecclesiastica in locis, in quibus diuina eadem ex indulto Sedis Apostolicæ celebrantur. Quodque ipsi non teneantur ad restitutionem acquisitorum illicitè, si hoc publicè proposito per diœcesanos, vel saltem Presbyteros Parochiales locorum, in quibus videritis expedire, non apparuerint aliqui, quibus eorum restitutio debeatur; dummodo ipsi, totum quod de taliter habitis restituere debent, vel quod possunt, secundùm vestræ discretionis arbitrium, in fidei negotij prosecutionem conuertant, auctoritate vobis præsentium concedimus facultatem.

D. P. A. 11. die 23. Martij.

Dat. Lateran. x. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri, anno 11. 97.

Excommunicatio hæreticorum, & eorum complicum, & fautorum.

Vide quæ addidi sup. ad const. 8. Innocent. 4. Cum Fratres, pag.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, &c. Vniuersis Christi fidelibus. *Edita A. D. 1254.*

Excommunicatio hæreticorum.

NOuerit vniuersitas vestra, quod nos ad instar fel. recor. Greg. Papæ prædecessoris nostri excommunicamus, & anathematizamus vniuersos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumq; nominibus censeantur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnati verò per Ecclesiam sæculari iudicio relinquantur animaduersione debita puniendi; clericis prius à suis ordinibus degradatis.

Pœnitentium carceratio.

§. 1. Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendum condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.

Credentium pœna.

§. 2. Credentes autem eorum erroribus, similiter hæreticos iudicamus.

Fautorum pœna.

§. 3 Item receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notarus, à sua super hoc non curauerit præsumptione cessare, ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testamenti habeat factionem, nec ad hæreditaris successionem accedat. Nullus prætetea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quòd si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur: & in similibus idem præcipimus obseruari. Si verò clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare

contem

contempserint, excommunicationis sententia percellantur, alias animaduersione debita puniendi. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles: nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personę, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint; anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quòd si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc vel hæretici condemnentur. Item proclamationes, aut appellationes huiusmodi personarum minimè audiantur. Item Iudices, Aduocati, & Notarij nulli eorum officium suum impendant; alioquin eodem officio perpetuò sint priuati. Item Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eleemosynas, aut oblationes eorum recipiant. Similiter hospitalarij, aut templarij, ac quilibet regulares: alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laïcæ personæ liceat publicè vel priuatim de Fide Catholica disputare. Qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium, vita & moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alij, per quem credat ad Prælati sui, & Inquisitorum hæretici prauitatis notitiam peruenire, alioquin excommunicationis sententia percellatur. Hæretici autem & receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filij vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim prædictos & quoscumque viros Ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi pestilentium personarum dignitates, personatus, & quæcumque alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nunc priuamus taliter acquisitis: volentes vt tales, & habitis perpetuò careant, & ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem, nullius esse momenti volumus, quorum parentes post emancipationem huiusmodi ad inuicem superstitionis hæreticæ, à via declinasse constiterit veritatis.

Dat. P.A. 11. die 15. Iulij. Datum Anagniæ, xvij. Kal. Iulij, Anno 11.

XIX. Inquisitores hæreticæ prauitatis, prædicent contra hęréticos. Et vouentes se auxilio ipsorum Inquisitorum, recipiant in societatem Crucesignatorum pro Sanctæ Inquisitionis præsidio institutam, cum indulgentiarum, & priuilegiorum concessione.

Non absimile rescriptum eiusdem Pontificis, est suprà in constit. 17. Vt nihil. praced. Et vide etiam inf. const. 16. Alex. IV. Firmissime, & Vrbani IV. const. 2. Licet.

Huiusmodi Crucesignatorum priuilegia, quatenus Concilio Tridentino non aduersentur, Pius V. confirmauit in eius const. 110. Sacrosanctæ.

Edita A. D. 1254. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis, fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, præsentibus & futuris in Lombardia, & Marchia Ianuensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. MAlitia huius temporis in diuersis Mundi partibus, & maximè in Prouincia Lombardiæ, peruersorum morum peperit corruptelam, ex quibus lethifera pestis hæreticæ prauitatis abundantiùs solito noscitur pullulasse. Ad extirpationem igitur eiusdem pestis, iuxta officij nostri debitum ex animo intendentes, volumus aduersùs huiusmodi iniquitatis operarios, qui massam catholicæ puritatis fermento propriæ contagionis inficiunt, fideles vt consurgant, stentque nobiscum pro Euangelicis, quas professi sunt, legibus defendendis, salubribus adhortationibus incitari.

§. 1. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus in locis vbi contra hæreticos vobis inquisitionis officium est commissum, curetis singuli opportuna instantia, contra eosdem hæreticos, eorumque fautores, proponere populis publicè verbum Crucis: & eos qui tacti zelo fidei ad extirpandam prauitatem eandem votum assumpserint, crucis caractere consignare. Mandat Inquisitoribus id quod in rub.

§. 2. Vt autem vobis de prædicatione huiusmodi, & fidelibus, qui eiusdem Crucis ob hoc votum assumpserint, copiosæ mercedis præmium fidelibus, illam indulgentiam, illudq; priuilegium elargimur, quæ transeuntibus in Terræ Sanctæ subsidium, in generali Concilio conceduntur. Cum autem huiusmodi Crucis verbum per vos proponi contigerit, relaxandi omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad audiendum verbum ipsum deuotè affuerint, quadraginta vel viginti dies de iniunctis pœnitentiis, libera sit vobis & singulis vestrûm de nostra concessione facultas. Quòd si fortè, quòd non credimus, aliqua Ciuitas, Communitas, vel Persona, cuiuscumque conditionis, vel gradus, huic tam salubri negotio se opponere, seu illud præsumpserit aliquatenus impedire, vt per vos, vel per alios auctoritate nostra ad hoc deputatos, vel in posterum deputandos, liberè procedi non valeat in eodem: imò si quicumque requisiti illud fouere neglexerint, & iuxta officium & posse suum studiosè iuuare; contra eos tanquam defensores & fautores hæreticorum, sublato appellationis obstaculo, vos vel vestrûm singuli auctoritate nostra intrepidè procedatis. Contra quos, prout audacia ipsorum exegerit, Reges & Principes Christianos, necnon Crucesignatos pro Terræ Sanctæ succursu, curabimus inuocare: cùm non minùs expediat, imò magis, fidem in locis propè positis, quàm procul distantibus defensare. Indulgentia pro eis, & audientibus eorum prædicationem.

§. 3. Porro non solùm inquisitionis vobis super hæretica prauitate commissæ, sed & huiusmodi prædicationis crucis officium in manibus vestris, congruis fautoribus adiuuetur, absoluendi iuxta formam Ecclesiæ, omnes qui contra prauitatem hæreticam assumpserint signum Crucis, ab interdicti, suspensionis, & excommunicationum sententiis canonis, & præsertim ab aliis, quas pro incendiis, vel effractionibus Ecclesiarum, seu iniectione manuum violenta in personas Ecclesiasticas incurrerunt, & aliis quoque sententiis à nobis, vel auctoritate nostra generaliter promulgatis, nisi adeò grauis & enormis excessus fuerit personarum, quòd ab his oporteat absolutionis beneficium per Sedem Apostolicam obtineri. Necnon & ab illis sententiis, quas adhærendo & fauendo contra Ecclesiam quondam Friderico, se tunc pro Imperatore gerenti, seu Conradono nato eius, vel ipsorum fautoribus incurrerunt. Egilino de Romanis, Vberto Marchioni Palauicino, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Potestatibus, Rectoribusque Ciuitatum atque locorum, similibusque personis, qui in Ecclesias, & personas Ecclesiasticas sæuus exercuisse noscuntur, aut eorum bona nequiter occupasse, duntaxat exceptis. Dummodo assumpto crucis signaculo, votum huiusmodi, qui absoluti fuerint, efficaciter prosequantur; & ipsi caueant, quòd de cætero contra Ecclesiam nunquam erunt. Et tam ab ipsis, quàm ab aliis præmissis, plena de damnis & iniuriis, propter quæ excommunicati noscuntur, satisfactio, vel satisfaciendi sufficiens securitas impendatur. Necnon & dispensandi cum Clericis, super irregularitatibus, quas celebrando diuina ligati sententiis canonis contraxerunt. Commutandi quoque vota eorumdem Crucesignatorum vouentium, & votorum qualitate pensata: Terræ sanctæ votis, aliisque perpetuis quæ commutationis non admittunt remedium, duntaxat exceptis. Concedendi quoque Crucesignatis eisdem, quòd tempore generalis interdicti possint interesse diuinis officiis, & Ecclesiastica Sacramenta recipere in locis in Facultas Inquisitorib. absoluendi Crucesignatos, &c.

quibus

quibus eadem ex indulto Sedis Apostolicæ celebrantur. Dummodo in præmissis casibus, si Ecclesiasticis tenentur ligati sententiis, prius absolutionibus beneficium assequantur, vobis & singulis vestrûm auctoritate præsentium, concedimus facultatem.

D. P. A. 11. die 10. Iunij. Datum Anagniæ, 15. Kalendas Iulij, Pontificatus nostri Anno vndecimo.

XX. Conuocatio Abbatum & Priorum Angliæ ad generale Concilium Lugdunense primum, pro die 24. Iunij 1243.

Generalis indictionis Bulla, vsque modo à me diligenter perquisita, adhuc deficit.

Edita An. D. 1243. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Abbatibus, & Prioribus per Angliam constitutis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. DEi virtus, & Dei sapientia, eius ineffabili subiecta sunt omnia Maiestati, à fundationis initio splendore virtutum suam illustrauit Ecclesiam. Et sic insignem reddidit singularis priuilegio potestatis, vt per eius & ministerium suum iustitia consequatur effectum, & sedato bellorum turbine, mundo possit tranquillitas prouenire.

Causa huius indictionis Concilij generalis, ad quod Reges, & Prælatos conuocauit. Id puto per alias fortasse literas quas non inueni. §. 1. Huiusmodi enim præeminentiam dignitatis dum nos reuerenter attendimus, qui regimini generalis Ecclesiæ, licèt immeriti, diuina prouidentia præsidemus, reddimur corde solliciti, quòd tēpestatis horror, qua ipsa turbatur Ecclesia, & Religio Christiana concutitur, per nostræ prouisionis auxilium cęlesti pietate propria propulsetur. Hinc est quòd nos, vt ipsa Ecclesia per fidelium salubre consilium & auxilium fructuosum, status debiti possit habere decorem, ac deplorando Terræ sanctæ discrimini, & afflicto Romano Imperio properè valeat subuenire, ac inuenire remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei, ac persecutores populi Christiani, necnon pro negotio quod inter Ecclesiam & Principem vertitur, Reges Terræ, Prælatos Ecclesiarum, & alios Mundi Principes duximus aduocandos.

Conuocatio Abbatum & Priorum Angliæ ad idem Concilium pro die 24. Iunij. §. 2. Rogamus etiam deuotionem vestram, & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus ad præsentiam nostram omni prorsus occasione postposita, vsque ad proximum festum S. Ioannis Baptistæ, personaliter venire curetis. Vt ipsa Ecclesia ex vestræ visitationis honore spirituale gaudium, & ex nostra industria consilium percipiat profuturum.

Indicatio quòd Principem dissidentem ab Ecclesia ad istud Concilium citauit intelligit de Frederico Imperat. §. 3. Scituri quòd nos dictum Principem in prædicatione nostra citauimus, vt per se vel per suos Nuntios in Concilio celebrando compareat, responsurus nobis, & aliis qui aliquid contra ipsorum duxerint proponendum, & satisfactionem idoneam præstiturus.

Modicitas personarum & euectionū præcipitur. §. 4. De personarum autem, & euectionum moderato numero, illam cum veneritis prouidentiam habeatis, quòd vestris Ecclesiis nimis non sitis onerosi.

D. P. A. 2. die 30. Ian. Datum Lugduni 3. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri Anno 2.

Canonizatio S. Eadmundi * Cantuariensis Archiepiscopi, cum institutione suæ Festiuitatis pro die 16. Nouembris.

** aliàs Edemundi aut Edmundi.*

Fuit etiam Canonizatus postea Ricardus, qui Eadmundi Vicarius fuit, ab Vrbano IV. in eius const. 3. Exultet. hîc sup. pag.....

Edita, An. D. 1247. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint. Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exultatio de sanctitate B. Eadmundi. §. 1. NOuum Matri Ecclesiæ gaudium, noui Sancti celebritate, iocunde læti referimus. Grande à cælesti Collegio, de Collegæ noui consortio agi festum exultanti animo nuntiamus. Gaudet quidem Ecclesia se talem ac tantum produxisse filium, qui alios, sacræ conuersationis exemplo dirigat, & percepto iam beatitudinis præmio firmam spem eis tribuat de salute. Lætatur omnium se tam clara sobole illustrata, quæ digno ab omnibus attollenda præconio, & deuota veneratione colenda, manifestè declarat, ad hæreditatis æternæ participium admittendos, qui ipsam Matrem Ecclesiam fide, ac opere profitentur, & nullos in supernam posse gloriam, nisi per eam, tanquam Regni cœlorum clauigeram, introire. Gaudet cælestis Patria, nobilis habitatoris aduentu, expertumque colonum fidei suis incolis nouerit adunari. Exultant ciues cælibes de celebris aggregatione conciuis, de condigno cæli consorte nuper ipsis habito psallant Sancti. Surgite igitur & vos fidei zelatores, & vnà cum Ecclesia Matre nostra lætamini de magnificentia & exultatione confratris. Affluite gaudio, & spem tutam assumite de condigena terrenorum, facto compatriota cælestium. Exultate ingenti lætitia, quòd nouellus vobis apud Deum patronus accreuit, qui adest coram ipso salute nostra placidus intercessor.

Qui perfectionis, salutisque sua opus studiose curauit. §. 2. En siquidem B. Eadmundus Archiepiscopus Cantuariensis salubriter pensans, ad factorem suum factam affectu dirigi naturali, naturamque collapsam reparatorem debere recognoscere, proprium Creatorem, & Redemptorem suum affectuosè, ac studiosè quæsiuit. Rectæ namque intentionis lumen baiulans, ad ipsum perfectorum operum processit gressibus salutis, semitam aliis & splendore vitæ, ac doctrinæ claritate demonstrans. Vnde horum trium, intentionis puræ, perfecti operis, & recti sermonis, dulci concordia, velut delectabili psallens tripudio, tribus hostibus, Carne, Mundo, Dæmone, virtute perseuerantiæ superatis, dignè meruit, veræ fidei, securæ spei & feruidæ charitatis ternatio insignitus, summæ Trinitatis arce, trino electorum, Virginum scilicèt, continentium, & coniugatorum ordine præparata palma victoriæ honorari.

Plurisque pluribus virtutibus enituit. §. 3. Et nunc de suis actibus aliquid dicamus, licèt ipsius vita, quo pleniùs exponitur, eo relatoris gustui plus dulcescat, magisque delectet animos auditorum. Ab annis teneris Filium Dei tenerè diligens, eum postmodum tenere corde non desiit, quia ipsum tenellæ mentis tabulæ stylo rectæ considerationis inscripsit. Quinimmo quantò maiori profecit ætate, tantò pleniori cognitione in amorem eius exarsit. Et ne feruor spiritus, suæ carnis extingueretur ardore, sed mortificatione potiùs accenderetur, ipsius assiduè eam asperitate cilicij edomans, eius libitum, arctæ abstinentiæ nexibus alligauit, vt non suo ducta voto, sed spiritus voluntate, ad licita tute pergeret, & prouidè ab illicitis declinaret. Nam districtis corpus macerauit ieiuniis, antiquorum obseruantię nouorum austeritatem, quæ sibimetipsi idem indixerat, superaddens, dum deliciosorum ciborum oblectatione despecta, refectione contentus humilium communium, ieiuniorum temporibus à permissis etiam eligit ieiunare cibariis, & certis insuper in hebdomada diebus amplius abstinere. Somni quoque prolixitatem odiens, diuturnis vacabat vigiliis, excussoque torpore, orationi sedulo insistebat. Cubilis enim spreta mollitie, ne requie delicata lentesceret, illam mēbris indulgebat iacendo quietem, vt breui sopore refectus, protinus surgeret, seque genuflexionibus, & orationibus diutius deputaret. Ab initio autem viarum suarum sic mundè vsque in finem incedere studuit, quòd mundo vitato lubrico, in lutum non defluens voluntatis, munditiæ nitore præfulsit. Quid amplius? contriuit fragile carnis vasculum, vt in eo thesaurum animæ sibi creditum cautius conseruaret. Doctor verò præclarus, ac prædicator eximius & auditorum mentibus scientiæ lumen infudit, & pectoribus fidelium (auulsis vitiorum tribulis) semina virtutum iniecit. Humilitate quippe sublimis, mansuetudine placidus, patientia fortis, benignitate affabilis,

pietate

pietate condolens, mıericordia ignoſcens, & multipliei eleemoſynarum irriguo in ſubuentionem affluens egenorum. Et vt geſtorum ſuorum multitudinem ſuccincta relatione texamus, ſic Ieſum firma credulitate cognouit, & agnitum ſincero corde dilexit, ac dilectum totis votis ambiuit, quod mundo, & eis quæ in mundo ſunt, penitus vilipenſis, ad cæleſtia cunctis ſtudiis inhiauit. Satagens ſe ſuo nomini actibus coaptare, vt ſicut vocabatur Eadmuodus, ſic ei vel criminum labe mundum, vel è mundo abductum, ſeu extra mundi amplexus poſitum, operum teſtificatione probaret. Vnde tanquam ſpiritualis homo Eadmūdus à carnis contagiis in extremis agens, & corpus Chriſti ſibi delatum reuerenter adorans, hæc verba omni attentione notanda, mira protuliſſe compunctione apertè monſtratur. Tu es in quem credidi, quem prædicaui, quem docui. Et tu teſtis es mihi, quod nihil aliud, niſi te Domine, in terra quæſiui. Sicut tu ſcis quod nihil volo, niſi quod tu vis, fiat voluntas tua.

Et poſt obitum multis miraculis claruit.

§. 4. Verùm cùm viuens Dei Eccleſiam præclaris illuminaſſet meritis, mortuus ſuæ claritatis radios non ſubtraxit, ſed quum functus hac vita, veriùs viueret quàm vixiſſet, eam poſtmodum illuſtrauit fulgore luminis plenioris. Non enim voluit Dominus ſanctitatē mundo ſupprimi tanti viri, quin ſicut pluralitate innotuerat meritorum, ſi miraculorum diuerſitate pateret, vt qui tota ipſum deuotione coluerat, iam ſecum regnans, venerabiliter coleretur. Nam cæcis lumen reſtituit. Et quod eſt glorioſius, de cuiuſdam oculis innatæ cæcitatis tenebras infuſi viſus perſpicuitate fugauit. Alij cuius linguam natura diutina taciturnitate ligauerat, liberam loquendi tribuit, ſoluitque ſilentio facultatem. Leproſam, quandam, ſquamis lepræ mox decidentibus ſubita, & mirabili abſterſione mundauit, tremula paralitici membra firmauit conſolidatione neruorum, contractis, artuum extenſione ſubuenit, tumentem hydropiſim, corporis extenuatione curauit, & quandam ſenilis ætatis veteri gibbo imis inflexam, reſtituit, erecta ſurſum eius facie, ſanitati. His & aliis quamplurimis coruſcauit miraculis manifeſtis, quorum ſeriem non duximus præſentibus inſerendam. Conualeſcit ex ipſis fides Catholica, Iudæorum pertinacia erubeſcit, confunditur Hæreticorum fallacia, & obſtupeſcit ignorantia Paganorum.

Meoque Cantuarienſis Eccleſia exultet de illo S. Confeſſore Eadmundo, ſicut de S. Thoma Martyre vtriſque ſuo Patrono. Canonizationem S. Thomæ habes ſup. in conſtit. 4. Alex. 3.

§. 5. Cantet itaq. Cantuarienſis Eccleſia laudis diuinæ canticum, quod inter alias modernis temporibus venerabilibus eſt decorata Patronis, vnius quidem rubricata martyrio, & confeſſione alterius candidata. Exultet pleno gaudio fertilis Cantuaria, quòd ab Eccleſiæ ſuæ area, tam purum granum tranſmittit ad horrea ſummi Regis, Lætetur, & Pontiniacenſe Monaſterium, quòd & talium, & tantorum Patrum meruit honorari præſentia, dum vnus ibidem diu degens illud ſuæ vitæ moribus nobilitauit, & alter illuc accedens, ipſum reddita cælo anima, ſui corporis theſauro ditauit, vt quaſi adimpleretur quod ipſe glorioſus Martyr Thomas, videlicet poſt longam moram, quam exilij ſui tempore in eodem commorauit Monaſterio, cùm ipſis Monachis de multa honorificentia, charitatiuè ſibi ab eis exhibita, reſpondere iuxta voti ſui plenitudinem non valeret, dixiſſe aſſeritur, quòd eſſet ſibi alius ſucceſſurus, qui condignam ipſis retributionem reſponderet pro eadem. Porrò quia quos Omnipotens Deus perpetuæ corona gloriæ in cælis magnificat, ſummæ deuotionis ſtudio ab hominibus in terris conuenit venerari (vt quò ſolemniùs fideles Sanctorum colunt memoriam, eò digniùs eorum patrocinium promereantur.)

Et hic Pont. dictum Eadmundum Sanctorum Catalogo adſcribit.

§. 6. Nos de ſanctitate vitæ, ac veritate miraculorum eiuſdem Sancti Eadmundi, curioſè inquiſitionis ſolemnitate, ac diſtricti examinis diſcuſſione præmiſſis, plenariam certitudinem obtinentes, ipſum de communi Fratrum noſtrorum, & Prælatorum omnium tunc apud Apoſtolicam Sedem exiſtentium conſilio, & aſſenſu, in Dominica de Aduentu qua cantatur, Gaudete in Domino ſemper. Sānctorum Catalogo adſcribendum, vel iam adſcriptum duximus nuntiandum.

Eiuſque feſtū die 16. Nouembris agi iubet.

§. 7. Ideoque vniuerſitatem veſtram monemus, & exhortamur attentè per Apoſtolica ſcripta mandantes quatenus xvj. Kal. Decembris (cùm tunc felix ipſius anima de carnis liberata carcere, ad aſtra conſcendens, aulam cæleſtem adiuerit, paradiſi deliciis fruitura) Feſtum eiuſdem deuotè, ac ſolemniter celebretis, faciatiſque vos Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi per veſtras Ciuitates, & Diœceſes à Chriſti fidelibus veneratione congrua celebrari, vt pro eius interuentu, & hîc ab imminentibus poſſitis periculis erui, & in futuro ſalutis præmium conſequi ſempiternæ.

Viſitantibus eius ſepulchrū Indulgentias elargitur.

§. 8. Cæterùm vt ad venerabile eius ſepulchrum feruentiùs, & copioſiùs Chriſtiani populi confluat multitudo, ac celebriùs eiuſdem Sancti agatur ſolemnitas, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui cum reuerentia illuc in eodem Feſto annuatim acceſſerint ipſius ſuffragia petituri, de Omnipotentis Dei miſericodia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, auctoritate confiſi, vnum annum, & xl. dies, accedentibus verò annis ſingulis ad prædictum ſepulchrum infra eiuſdem Feſti octauas xl. dies de iniuncta ſibi pœnitentia relaxamus.

Dat. P. An. 4. die 11. Ianu.

Datum Lugduni 3. Idûs Ianuarij Pontificatus noſtri, Anno 4.

ALEXANDER IV. PONT. CLXXXIII.
ANNO DOMINI MCCLIV.



ALexander Quartus, ex Ciuitate Anagniæ, Raynaldus antea vocatus, Philippi ex Comitibus Signiæ filius Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, creatus Neapoli, 8. Kalend. Ianuarij, anno Domini 1254. Vixit annos ſex, menſes quinque, dies 5. Creauit Cardinalem vnum. Obiit Viterbij, anno 1261. 8. Kal. Iunij, & in Eccleſia Cathedrali S. Laurentij ſepultus fuit. Vacauit Romana Sedes menſes tres, dies tres.

Confirmatio Ordinis Fratrum & Militum Hoſpitalis Leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani, ſub Regula S. Auguſtini. I.

Quoad ſtatum huius Militiæ plenè dicam infrà in conſtit. 28. Pij V. Sicuti.

Edita A. D. 1255.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Leproſorum Sancti Lazari Hieroſolymitani Ordinis Sancti Auguſtini.

Approbatio.

Vm à nobis petitur, &c. Ea propter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Regulam B. Auguſtini, quam vos aſſeritis eſſe profeſſos, ſicut eam hactenus ſeruaſtis, vobis auctoritate Apoſtolica confirmamus atque communimus, eadem auctoritate nihilominus ſtatuentes, vt regula ipſa à vobis & ſucceſ-

ſoribus

fratribus vestris, perpetuis futuris temporibus obseruetur. Nulli,&c.

D. P. Ann. 1. die 11. Apr. Datum Neapoli 11. Aprilis, anno primo.

II. Declarationes quorundam articulorum contentorum in const. 9. Innoc. IV. contra Hæreticos, quæ est sup. Ad extirpanda.

Edita An. D. 1251. & 1257. *ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus Ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus Hæreticorum in Prouincia Lombardiæ. Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Dubium sup. §. Ide quoque & §. Teneatur sanè. CVm secundùm tenorem constitutionum fæl. record. Innocentij Papæ prædecessoris nostri, quas in capitularibus Ciuitatum & locorum Italiæ annotari mandauit, contineatur quod quilibet Potestas seu Rector cuiuslibet ciuitatis seu loci, infrà tertium diem post introitum regiminis sui, duodecim viros probos & Catholicos, & duos Notarios, & duos seruitores, vel quotquot fuerint necessarij instituere teneantur, quod Diœcesanus si præsens extiterit, & interesse voluerit, & duo Fratres Prædicatores & duo Minores (ad hoc à suis Superioribus, si conuentus ibi fuerint eorundem Ordinis deputati) duxerint eligendos, per quos inquirantur Hæretici & etiam capiantur. Teneatur insuper idem Potestas, vel Rector infrà decem dies sui regiminis, syndicare præcedentem proximè Potestatem, vel Rectorem, & etiam eius Assessores, per tres viros Catholicos & fideles electos ad hoc per Diœcesanum si fuerit præsens, & per Prædicatores & Minores de omnibus quæ in const. præfatis & legibus, quæ contra Hæreticos & eorum complices editis continentur. Et sicut ad audientiam ipsius nostri Prædecessoris peruenit, earumdem constitutionum super his plerumque impeditur effectus, pro eo scilicet quod interdum illi, qui prædictos viros debent eligere, electioni huiusmodi non possunt interesse, vel nolunt.

Declaratio dictorum dubiorum. §. 5. Nos ad instar Prædecessoris eiusdem, super his sicut conuenit prouidere volentes, statuimus, vt si diœcesanus & Fratres Minores, prædictæ electioni prædictorum virorum noluerint, vel non potuerint interesse, per aliquem vestrum, seu illos quibus id duxeritis committendum, in locis, in quibus Inquisitionis officium exercetis, eligere personas, seu viros huiusmodi liberè valeatis, vobis & vestrum singulis auctoritate præsentium indulgemus, Non obstante iuramento quod prædicti Potestates & Rectores de obseruandis prælatis constitutionibus exhibere tenentur, à quo ipsos, quantum ad hos articulos siue casus, duximus absoluendos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, &c.

D. P. An. 5. die 30. Apr. Dat. Neapoli, 1. Kalend. Maij, Pontificatus nostri, anno primo.

Sequuntur aliæ declarationes d. Bullæ Innoc. IV.

Edita An. D. 1257. *ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Fratribus Prædicatoribus, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in Lombardia & Marchia Ianuensi. Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. FOelicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster, dudum constitutiones quasdam edidit, secundùm quas rigor debet exerceri Canonicus, in extirpandis ex agro fidelium zizaniis hæreticæ prauitatis: quarum aliquæ videntur ambiguæ, super quibus nostræ responsionis oraculum implorastis. Ne igitur ipsarum constitutionum obscuritas, commissæ vobis sollicitudini, perniciosas vineæ Domini, pie persequendi capiendique vulpeculas, obstaculum obiciat tarditatis: quinque ipsarum constitutionum capitula, quæ vobis dubia videbantur, auctoritate præsentium, de fratrum nostrorum consilio, duximus declaranda.

§. 1. Primum sanè dubitationis vestræ capitulum continet, quòd tam duodecim viri, quàm notarij & seruitores eorundem, ad capiendum hæreticos deputati, simul & diuisim plenariam præcipiendi, sub pœna & banno, quæ ad officium suum pertinent, habeant potestatem. Potestas verò talis loci, vel Rector, teneatur habere firma & rata omnia præcepta, quæ occasione officij sui fecerint duo ex ipsis officialibus siue plures, & pœnas exigere non seruantium. Dubium sup. §. Officialibus.

§. 2. Hoc itaque quod de pœna & banno dictum est, de illis dumtaxat interpretamur intelligi, quæ consequenter in eisdem constitutionibus sunt expressæ. Possunt autem prædicti Officiales, Communitati, Burgo, & Villæ præcipere sub pœna & banno, vsque ad ducentas marchas argẽti, & vltra ad arbitrium Potestatis loci eiusdem, quòd Potestati, vel Diœcesano, aut eius Vicario, seu Inquisitoribus hæreticorum, præsentabunt infrà præfigendum eis terminum competentem, omnes hæreticos & hæreticas, quos si dicti officiales duxerint assignandos. Et Potestas loci à non seruantibus, pœnam huiusmodi exigere teneatur. Declaratio.

§. 3. Secundum verò est, quòd domus, in qua prohibiti fuerint hæreticorum captorea, sine spe reædificandi, funditus destruatur, & bona quæ ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si hæretici fuissent ibidem inuenti. Dubium sup. §. Et domus

§. 4. Quodque habet, quòd domus in qua repertus fuerit aliquis hæreticus seu hæretica, sine vlla reædificandi spe, funditus destruatur, nisi dominus domus ibidem procurauerit reperiri, & si dominus domus illius alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illæ domus similiter destruantur, & bona quę fuerint inuenta in domo illa, & in domibus illi adhærentibus, publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti. Et sup. §. Dominus autem.

§. 5. Hæc autem duo capitula vno declarationis Sedis Apostolicæ radio lucidantes, volumus absoluere, vt pœnæ taxatæ per constitutiones easdem in præmissis casibus infligantur: nisi Diœcesanis, vel in eorum absentia, Vicariis ipsorum, vnà cum Inquisitoribus Inquisitorum, vel solis ipsis Diœcesanis: (cum ipsorum Inquisitorum præsentia de facili haberi non poterit) legitimè constiterit præfatarum domorum dominos, in his casibus penitus innocentes, & prorsus inculpabiles extitisse: ac etiam eos non esse credentes, vel receptatores, aut defensores, siue fautores hæreticorum, seu de hæretica labe suspectos. Bona verò quæ inuenta fuerint in domibus supradictis, debent in his casibus similiter publicari, nisi legitimè constiterit per testes fide dignos, & omni exceptione maiores, ipsa bona esse aliarum personarum, quàm dominorum domuum earundem. Declaratio.

§. 6. Quartum verò vestræ dubitationis capitulum enodamus, quòd videlicet, si dominus domus, pro eo, quòd in ipsa repertus fuerit hæreticus, vel hæretica, sine spe reædificationis funditus destruendæ, habeat alias domos, illi domui demoliendæ contiguas, omnes illæ similiter destruantur. Dub. sup. eodem §. Domus autem.

§. 7. Illud de appendiciis domus illius debere intelligi declaramus, vt scilicet domus illa cum aliis eiusdem, domui ipsi contiguis hoc est ipsa, & ipsius etiam appendicia, cum eadem siue in domo, siue in appendiciis eius, hæreticus vel hæretica repertus fuerit destruantur; cùm domus, quamuis diuersis mansionibus distinguatur, vna nihilominus sit censenda. Declaratio.

§. 8. In quinto autem dubitationis capitulo legitur, quòd teneatur Potestas, seu Rector, infra decem dies sui regiminis syndicare præcedentem proximè Potestatem vel Rectorem, & eius etiam Assessores, per tres viros Catholicos & fideles electos ad hoc per Diœcesanum, & per fratres Prædicatores & Minores, de omnibus his, quæ in statutis ipsis, siue constitutionibus & legibus contra hæreticos, & eorum complices editis continentur. Dubium sup. §. Teneatur sanè.

§. 9. Hunc itaque dubitationis articulum declarantes respondemus, quòd vnà cum Diœcesano loci, fratres prędictorum Ordinum, à Priore & Guardiano suis, vel ab Declaratio.

corum

eorum altero, si ibidem alterius dumtaxat eorundem Ordinum conuentus extiterit, assumendi, viros eligant supradictos. Si verò neutrius Ordinis conuentus ibi forsitan habeatur, ad solum Diœcesanum eorundem virorum electio pertinebit.

Iussio adnotandi has declarationes.

§. 10. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eadem capitula constitutionum prædictarum accipientes, iuxta declarationis Apostolicæ intellectum, tenorem præsentium, simul cum eisdem constitutionibus, faciatis de verbo ad verbum in capitularibus ciuitatum ad tollendas de aliorum cordibus ambiguitates huiusmodi, annotari.

D. P. A. 3. die Mart.

Dat. Lateran. 2. Non. Martij, Pontific. nostri Anno 3.

III. Canonizatio S. Claræ de Ciuitate Assisij, Ordinis Monialium S. Francisci, eiusque adscriptio in Catalogo Sanctarum Virginum, cum ipsius Festiuitatis institutione pro die 12. mensis Augusti.

De Regula Monialium, & Fratrum S. Francisci, eiusque aliis regulis, plene notant sup. in const. 5. Honor. III. Solet. fol.

Edita An. D. 1255.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus vniuersis Archiepiscopis & Episcopis per Regnum Franciæ constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

B. Clara de Assisio plurimis virtutibus hic enumeratis claruit.

CLara claris præclara meritis, magnæ in cœlo claritate gloriæ, ac in terra splendore miraculorum sublimium clare claret. Claræ huius arcta & alta religio, hic coruscat huius sursum æterni præmij radiat magnitudo, huius virtus signis magnificis, mortalibus illucescit. Huic Claræ intitulatum fuit summæ priuilegium paupertatis. Huic in excelso rependitur inæstimabilis copia thesaurorum; huic à Catholicis plena deuotio, & honoris cumulus exhibetur; hanc Claram in alto diuinæ lucis clarificat plenitudo. Hanc Christianis populis prodigiorum eius insignia stupenda declarant. O Clara multimode titulis prædita claritatis. Ante conuersionem tuam vtique clara, in conuersione clarior, in claustrali conuersatione præclara, & post decursum vitæ præsentis spatium, clarissima illuxisti. Ab hac inter amœnitates cœlestes, suaue lilium virginitatis offertur. Ab hac Clara clarum ætatis exemplum speculum huic sæculo prodiit. Ab hac in terris manifesta subuentionum remedia sentiuntur. O admiranda Claræ beata claritas, quæ quanto studiosius per singula quæritur, tanto splendidior in singulis inuenitur. Emicuit hæc inquam in hoc sæculo; in religione præfulsit; in domo illuxit vt radius; in claustro coruscauit vt fulgor; emicuit in vita; post mortem irradiat; claruit in terra; in cœlo relucet. O quanta huius vehementia luminis, & quàm vehemens istius illuminatio claritatis. Manebat quidem hæc lux secretis inclusa claustralibus, & foras micantes radios emittebat. Colligebatur in arcto cœnobio, & in amplo sæculo spargebatur. Seruabatur intra, & extra manebat. Latebat namque Clara, sed eius vita patebat. Silebat Clara, sed sua fama clamabat. Cælabatur in cella, & in Vrbibus docebatur. Nec mirum, quia lucerna tam accensa, tàm lucens, abscondi non poterat, quin splenderet, & clarum in domo Domini daret lumẽ. Nec recondi poterat vas tot aromatum, quin fragraret, & suaui odore dominicam respergeret mansionem. Imo cum in angusto solitudinis reclusorio alabastrum sui corporis hæc dure contereret; tota omnino Ecclesiæ aula sanctitatis eius odoribus replebatur.

Hortatu S. Francisci sæculum dereliquit.

§. 1. Sanè cum ipsa dum adhuc puella esset in sæculo, hunc Mundum fragilem & immundum, mundo calle ab ætate tenera transilire studeret, & pretiosum suæ virginitatis thesaurum, illibato semper pudore custodiens, charitatis & pietatis operibus vigilanter intenderet, ita quod & ex ea grata & laudabilis ad vicinos & alios fama prodiret, Beatus Franciscus audito huius famæ præconio, cœpit confestim hortari eam, & ad Christi perfectam inducere seruitutem. Quæ sacris illius monitis mox adhærens, & mundum cum terrenis omnibus penitus abdicare, ac soli Domino in paupertate voluntaria famulari desiderans, hoc suum feruens desiderium, quàm cito potuit adimpleuit.

Bona sua pauperibus distribuit.

§. 2. Quæ tandem cuncta sua bona, vt vna secum quicquid etiam habebat, Christi obsequio deputaret, in eleemosynas, & pauperum subsidia distribuit & conuertit.

Tonsa à S. Francisco, & ad Ecclesiã S. Damiani postea ducta fuit, vbi quamplures socias assumpsit.

§. 3. Cumque de sæculi strepitu fugiens, ad quandam campestrem declinasset Ecclesiam, & ab ipso B. Francisco sacra ibi recepta tonsura, processisset ad aliam, cõsanguineis eius ipsam exinde reducere molientibus, illa protinus amplectens altare, pannosque apprehendens ipsius, crinium sui capitis incisura detecta, eisdem consanguineis in hoc fortiter restitit & constanter, quia cum iam esset mente integra iuncta Deo, pati non poterat ab eius seruitio se diuelli. Denique cum ad Ecclesiam S. Damiani extra Ciuitatem Assisinatem vnde traxit originem, per eundem B. Franciscum adducta fuisset, ibi ei Dominus ad amorẽ & cultum assiduum sui nominis, plures socias aggregauit. Ab hac siquidem, insignis & Sacer Ordo S. Damiani per Orbem iam longè diffusus, salutare sumpsit exordium. Hæc, adhortante ipso B. Francisco, huic nouæ sanctæque obseruantiæ sequendum dedit initium. Hæc huius magnæ religionis fuit primarium & stabile fundamentum. Hæc huius alti operis lapis extitit primitiuus. Hæc genere nobilis, sed conuersatione nobilior, virginitatem quam prius etiam custodiuerat, sub hac sanctimoniæ regula, præcipuè conseruauit.

Et inter eas se posuit etiam Hortulana ipsius B. Claræ mater.

§. 4. Hanc postmodum religionem, mater eius Hortulana nomine, piis intenta operibus, ipsius natæ sequendo vestigia, deuotè suscepit, in qua demum hæc optima hortulana, quæ in horto dominico protulit talem plantam, conclusit fœliciter dies suos. Post aliquos vero annos, ipsa B. Clara, Monasterij & Sororum regimen, nimia eiusdem S. Francisci deuicta importunitate, recepit.

Eadem B. Clara viuens multũ in religione profecit.

§. 5. Hæc vtique fuit arbor procera & eminens, longius distensa ramis, quæ in agro Ecclesiæ dulcem fructum religionis attulit, & ad cuius delectabilem vmbrã, sub illius amœnitate fructum huiusmodi libaturæ concurrerunt vndique multæ alumnæ fidei, & concurrunt. Hæc fuit noua mulier Vallis Spoletanæ nouum aquæ vitalis fontem, ad refectionem animarum & commodum propinauit, qui iam per diuersos riuulos, in territorium Ecclesiæ deriuatus, plantaria religionis infudit. Hæc fuit almum sanctitatis candelabrum, vehementer in habitaculo Domini rutilans, ad cuius ingentem splendorem plurimæ properauerunt, & properant, suas in illius lumine lampades accendentes. Hæc profecto in agro fidei plantauit & coluit vineam paupertatis, de qua fructus salutis pingues & diuites colliguntur. Hæc in prædio Ecclesiasticæ humilitatis hortum constituit, multiplici rerũ consertum inopia, in quo magna virtutum copia reperitur. Hæc in religionis districtu, arcem arctæ abstinẽtiæ fabricauit, in qua larga spiritualis alimoniæ refectio ministratur. Hæc fuit pauperum primiceria, Ducissa humilium, magistra continentium, & pœnitentium Abbatissa. Hæc suum Monasterium, creditamque in illo sibi familiam, sollicite ac prudenter in timore, ac seruitio Domini, & plena ordinis obseruantia gubernauit, vigil in cura; in ministerio studiosa; in exhortatione attenta; diligens in admonitione; in correctione moderata, tẽperata in præceptis; in compassione præstabilis, discreta in silentio; in sermone matura; & consulta in cunctis, ad perfectum regimen oportunis, volens magis famulari, quàm dominari, & honorare potius, quàm honore sustolli. Huius vita erat aliis eruditio & doctrina. In hoc libro vitæ, cæteræ viuẽdi regulã didicerunt. In hoc vitæ speculo, reliquæ vitæ semitas inspexere. Corpore nãq; sistebat in terra, sed animo versabatur in Cœlo; humilitatis vasculum, armarium castitatis, charitatis ardor, dulcor benignitatis, patiẽtiæ robur, nexus pacis; & familiaritatis communio; mitis in verbo, lenis in facto, & in omnibus amabilis, & accepta. Et vt, carne depressa, conualescere spiritu, quo quisque hoste suo debilitato, fit fortior, nudum solum, & interdũ sarmenta pro lecto habebat, & pro puluinari sub capite

durum lignũ, vnaque tunica cum mãtello de vili despecto & hospido panno contexta. His humilibus indumentis ad operimẽtum sui corporis vtebatur, aspero cilicio de cordulis crinũ equorum contexto, nonnunquam adhibito iuxta carnem. Arcta quoque in cibo, & in potu districta, tanta se in his frænabat abstinentia, quod longo tempore, tribus diebus in hebdomada, videlicet secunda, quarta, & sexta feria, nihil penitus pro sui corporis alimento gustauit, reliquis nihilominus diebus, adeo se cibatiorum paruitate restringens, quòd aliæ de ipsa quomodo sub tam forti districtione subsistere poterat, mirabãtur. Vigiliis insuper & orationibus assiduè dedita, in his præcipuè diurna & nocturna tempora expendebat. Diutinis tandem perplexa languoribus, cùm ad exercitium corporale non posset surgere per se ipsam sororum suarum suffragio leuabatur; & ad tergum eius fulcimentis appositis, propriis manibus laborabat, ne in suis etiam esset infirmitatibus otiosa. Vnde de panno lineo huius sui studij & laboris, plura pro altaris sacrificio corporalia fieri fecit, & per plana & montana Assisij diuersis Ecclesiis exhiberi. Amatrix vero præcipua, & colona sedula paupertatis, sic illam suo affixit animo, sic eam in suis desideriis alligauit, quod semper in ipsius dilectione, firmiter, & ardẽtior in amplexu, à districta & delectabili eius copula, pro nulla vnquam necessitate discessit, nec aliquibus prorsus potuit induci suasibus, ad consentiendum, quòd suum Monasterium proprias possessiones haberet, quanquam fel. record. Gregorius Papa prædecessor noster, de multa indigentia ipsius Monasterij piè cogitans, libenter illi voluerit pro Sororum eius sustentatione, possessiones sufficientes & congruas deputare.

Miraculisque tandem viuens emicuit.

§. 6. Verùm quia magnum & splendidum luminare supprimi non potest, quin suæ radios præferat claritatis, in ipsius etiam vita, multis & variis miraculis virtus suæ sanctitatis effulsit. Nam cuidam de Sororibus ipsius Monasterij vocem quam longo tempore quasi omnino perdiderat, restaurauit. Alij, officio linguæ penitus destitutæ, loquelam restituit expeditam. Alteri autem surdam aperuit ad auditum. Laborantem febre, tumentem hydropisi, plagatam fistula, & aliis oppressas lãguoribus liberauit, facto Crucis signaculo super eas. Quendam Fratrum de Ordine Minorum sanauit ab insaniæ passione. Cum autem quadam vice oleum in Monasterio totaliter defecisset, ipsa vocato fratre, qui erat eidem Monasterio pro colligendis eleemosynis deputatus, accepit vrceum, atque lauit, vacuumque iuxta fores ipsius Monasterij posuit, vt illum idem frater pro oleo acquirendo deferret, quem cum vellet ipse apprehendere, inuenit eum oleo, beneficio diuinæ largitatis, impletum. Rursum cùm vno die nonnisi vnius panis medietas pro refectione Sororum in eodem Monasterio haberetur, ipsa medietatem eandem iussit in frusta diuidi & sororibus dispensari, quam inter manus frangentis, ille qui viuus est panis, & dat escam esurientibus, multiplicauit in tantum, quòd quinquaginta sufficientes factæ fuerunt exinde portiones, & Sororibus discumbentibus distributæ. Per hæc & alia signa conspicua, suorum dum adhuc viueret innotuit præeminentia meritorum. Nam & cùm in extremis ageret, candidus Beatarum Virginum cœtus, micantibus coronis ornatus, in qua vna ex ipsis eminentior & fulgidior apparebat, visus est domum intrare, vbi eadem Christi famula decumbebat, & vsque ad lectulum eius procedere, ac circa eam quasi visitationis officium, ac confortationis solamen quodam humanitatis studio exhibere.

Et post obitum aliis miraculis præfulsit.

§. 7. Post obitum verò eius, quidam qui morbo caduco tenebat, & propter crus contractum gradi non poterat, ad sepulchrum delatus ipsius fuit, ibi crure ipso quasi fragoris sonitum faciente, ab vtraque infirmitate curatus. Curui renibus, membris contracti, præcipites furiæ, & dementi furore ferales, receperunt ibidem integram sospitatem. Cuidam sua dextera manus, cuius ipse vsum ea illata sibi vehementi percussione ita perdiderat, quòd nihil omnino per eam veluti prorsus inutilem poterat operari, fuit ad actum suum pristinum, ipsius Sanctæ meritis plenarie reformata. Alius qui diutina cæcitate lumen amiserat oculorum, cum ad idem sepulchrum sub ducatu alterius accessisset, recuperato ibi visu, rediit exinde sine duce. His & quamplurimis aliis operibus & miraculis, hæc venerabilis Virgo resplenduit gloriosis, vt euidenter appareat adimpletum id quod de ipsa mater eius, dum esset ex ea grauida, & oraret, dicitur audiuisse: videlicet quod paritura erat quoddam lumen, quòd orbem plurimum illustraret.

Vnde S. Mater Ecclesia admodum lætari debet.

§. 8. Gaudeat itaque Mater Ecclesia, quòd talem genuit & educauit filiam, quæ tanquam virtutum fœcunda parens, multas religionis alumnas, suis produxit exemplis, & ad perfectum CHRISTI seruitiõ pleno magisterio informauit. Lætetur & deuota turba fidelium, quòd Rex Cœlorum & Dominus, sororem ipsorum & sociam, quam in sponsam sibi elegerat, ad suum præcelsum & præclarum palatium, cum gloria introduxit. Nam & Sanctorum congaudent agmina, quòd in superna eorum patria, nouellæ regalis sponsæ nuptiæ celebrantur.

Hic ideo Pontifex B. Claram, Sanctarum Virginũ Catalogo adscribit.

§. 9. Cæterum, quia congruit, vt quam Dominus exaltauit in Cœlo, Catholica Ecclesia veneraretur in terra, quia de sanctitate vitę ac miraculis eius diligẽti & attenta inquisitione ac examinatione distincta, & solemni discussione præmissis, liquido constitit, licèt aliàs etiam & in propinquis & remotis partibus satis essent præcognita lucida eius acta, Nos de communi fratrum nostrorum & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium consilio & assensu, de omnipotentia diuina confusi, auctoritate Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac nostra, ipsam Catalogo Sanctarum Virginum duximus adscribendam.

Eiusque festum die 12. Aug. celebrari iubet.

§. 10. Ideoque vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pridie Idûs Augusti, festum eiusdem Virginis deuotè & solemniter celebretis, & faciatis à vestris subditis venerabiliter celebrari, vt ipsam habere mereamini apud Deum piam, & sedulam adiutricem.

Visitantibus sepulchrum eiusdem indulg. concedit.

§. 11. Et vt ad venerandum eius sepulchrum auidius, & copiosius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ipsius festiuitas recolatur, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad illud cum reuerentia, in eiusdem Virginis festo, vel etiam infra ipsius festi octauas, annuatim accesserint, ipsius suffragia humiliter petituri, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi vnum annum & quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Dat. Anagniæ, 6. Kal. Octobris, Pontificatus nostri, Anno 1. *Dat. P. An. D. 1255. 26. Sept.*

Comprobatio veritatis Stigmatum S. Francisci de Assisio, cum pœnarum impositione aduersus aliter affirmantes. IV.

Idem primo confirmauit Greg. IX. vt sup. in eius const. 12. Confessor. fol. Et deinde Sixti IV. Sed eius constitutio vti eiusdem argumenti consulto fuit à me prætermissa. De ordinibus autem à S. Francisco institutis, notaui sup. const. 5. Honor. III. Solet. fol.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, præsentes literas inspecturis & audituris. Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1255.*

Prooemium.

BEnigna operatio diuinæ voluntatis in cœlo potens, & innouans singula sapienter, & immutans mirabilia super terram, postquam Dei Filius victor mortis ad patrem vnde descenderat, vehiculo propriæ maiestatis ascendit, mirificæ fortitudinis viros, ad consummationem sanctorum diuersis temporibus suscitauit, à quibus testimonium spei gloriæ cum Christo in Deo reconditæ firmaretur, & Ecclesiæ sanctæ ad promissam requiem festinandi in hoc peregrinationis exilio, quod tædiosa desiderij eius dilatione protrahitur, per ipsos consolationis solatium perueniret.

§. 1. Inter

B. Franciscus de Assisio signis & virtutibus clarus.

§. 1. Inter alios autem diebus nostris B. Franciscus almus Christi Confessor apparuit signis & virtutibus gloriosus. Qui clarissimus pie viuendi meritis, & exemplis, sanctam fœcundauit Ecclesiam, & caligantia præsentis ætatis tempora fulgoris sui lampade illustrans, viam iustitiæ perfectè præparans, in Eremo altissimæ paupertatis, quam ipse currens, & alacriter exultans, contra Carnem, Mundum, & Dæmonem, velut gigas traxit post se de inferi faucibus, & traduxit ad Dominum Populum humilem, bonorum operum sectatorem, sicut effusa super faciem Orbis terræ, copiosa professionis eius religiosa generatio patefacit.

Greg. IX. verificatis multis illius miraculis, illum SS. Catalogo adscripsit, vt in eius const. cit. in rub.

§. 2. Vt autem ad illuminationem gentium, celebris eius memoria, tanquam rutilum sydus in coruscо firmamenti mystici æthere seruaretur, multis eum diuina potentia adhuc militantem inter homines, & demum in sanctorum agmine triumphantem, dignata est clarificare miraculis, quæ fel. rec. Gregorius Papa prædecessor noster, ne illa vel peruerteret æmula sanctitatis iniquitas, vel obliuionis digitus, qui rebus gestis citò superducitur, abolesceret, solemnissimis inquisitionibus indagata & comperta, fidelissimis nocumentis fecit ad laudem Dei & augmentum fidei, & instructionem salubrem, tam præsentium quàm etiam futurorum, munimentis perpetuis commendari, eundem Confessorum Sanctorum Cathalogo adscribendo, sicut in plurimis locis liquidò per ipsius prædictas literas apparet, horũ seriẽ explicitè continẽtes.

Hic modo Pontif. vltra alia eiusdem miracula, Stigmata ad instar Crucifixi contemplatur.

§. 3. Porro quia longum esset nedum exarare per singula, verumetiam succincta relatione perstringere, clara virtutis diuinæ prodigia, quæ tam in operationibus sanctitatis, quàm etiam in aliis mirabilibus argumentis probauerunt, eundem Confessorem tenere cum sanctis, solium gloriæ in excelsis, signanter vobis ante oculos proponere volumus, recolenda frequentiùs, & vehementius admiranda illa satis iocunda dominicę passionis insignia, quæ in eiusdem Sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foueretur, manus cælestis operationis impressit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes, & certissimi contrectantium digiti palpauerunt, quod in manibus eius & pedibus, expressa vndique similitudine clauorum, de subiecto propriæ carnis excreuit, vel de materia nouæ creationis accreuit, quæ equidem idem Sanctus studiosè ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viueret, abscondebat. Inuenta est patentiùs in ipsius defuncti corpore non inflicta humanitus, nec facta plaga vulneris lateralis, quasi aliquod instar lateris Saluatoris, quod redemptionis, & regenerationis humanæ in Redemptore nostro protulit Sacramentum, quæ quidem plaga sicut quosdam ex fratribus sibi familiariter adhęrenobus latere non potuit, propter defluxum humoris, diu antea viuerat in viuente.

Eorumque veritatem comprobat.

§. 4. Hæc igitur mira & decora nouæ demonstrationis indicia, magnæ dicuntur esse deuotionis diuitiæ Christianis, & inæstimabiles religionis deliciæ in spiritualibus communis Ecclesiæ orthodoxæ thesauris. Cùm ex his sincera fides accipiat, quod etiam illi fuerint passionis Christi sine extrinseco persecutore consortes, qui pro eius amore, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis voluntariè crucifigunt. Sanè de præfato Sancto, hæc certius asserentes, indoctas fabulas, seu vanæ adinuentionis deliramenta non sequimur, cum ea nobis dudum nota fuerit plenior fides rerum, quando videlicet nos in minoribus constituti, Confessoris eiusdem familiarem ex munere diuino meruimus habere notitiam, præfati prædecessoris nostri domesticis obsequiis tunc temporis insistendo.

Hortatur Prelatos ad excitandam S. Francisci deuotionem inter Christi fideles.

§. 5. Cùm igitur oporteat cauere prudenter, ne tanta patrocinij gratia humano generi cælitus in memorato Confessore collata, in vacuum assumatur, Vniuersitatem vestram rogamus, monemus, hortamur attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eiusdem Confessoris pretiosa merita & miraculorum magnalia & salutatem memoriam, celebritate annua, prædicatione frequenti, & veneratione recensentes, ad ipsius deuotionem & gratiæ diuinæ memoriam subditos vestros celebribus monitis excitetis, vt eo, pro vniuerso fidelium Populo ac præsertim pro his qui se inuocauerint, diuinam misericordiam implorante, mereantur supplices, quod operum possibilitas obtinere non potest, eius intercessionibus impetrare.

Et dicta miracula impugnantes coerceri mandat.

§. 6. Nemo itaque eidem Sancto audeat de cætero esse molestus in corpore suo Christi triumphalia Stigmata præferenti. Si quis igitur spiritu temeritatis præsumptionis insaniens, diuini muneris inuidus, Apostolica iudicia, sacrilegus impugnator, præmissa vel alia prodigiorum signa quibus in Ecclesia Dei sanctitas prædicti Confessoris eluxit, improbæ contradictionis morsibus obtrectanda crediderit, volumus, & mandamus, vt eum sanæ mentis restituat iudicialis seueritas disciplinæ: ita quod districta proprij Pręlati castigatione correctus, Dei opera blasphemare desinat, & fidei Catholicæ fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans, non arescat. Nulli ergo, &c.

Dat. Anagniæ 4. Kal. Nouemb. Pont. nostri Anno 1.

D. P. Ann. 1. die 29. Octob.

V.

Quòd Fratres Minores Conuentuales Ordinis B. Frãcisci, ad Episcopatus & alias dignitates promoti, libros, & alia eorum bona Ordini resignare teneantur.

Alia de toto Ordine Franciscano, notata sunt sup. ad constit. 5. Honor. III. Solet. fol.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Generali & Prouincialibus Ministris Ordinis Fratrum Minorum.

Edita, A. D. 1255.

Causa huius prohibitionis.

EX parte vestra nobis fuit intimatum, quòd cum contingat interdum ad Episcopalem, & alias superiores, seu inferiores dignitates aliquos de Fratribus vestri Ordinis promoueri, ipsi libros & alia, quæ tempore suæ promotionis habent, licet non ad eos, cum proprium eis habere non liceat, sed ad Ordinem pertineant memoratum, propriis vsibus applicare præsumunt, in suarum perniciem animarum. Quare suppliciter postulastis à nobis, vt prouidere super hoc salubriter curaremus.

Prohibitio & qua in rubrica.

§. 1. Nos igitur eorundem Fratrum saluti, & indemnitati vestri Ord. paterna volentes sollicitudine prouidere, vt libros & alia, quæ ipsos, promotionis suæ tempore habuisse, seu habere constiterit, tibi fili Generalis Minister, vel tuis Prouincialibus Ministris, sublimota qualibet dilatione, resignent, ipsis Fratribus iam promotis in virtute obedientiæ, illis autem quos promoueri contigerit, ne resignare differant, auctoritate præsentium duximus iniungendum, nisi forsan vos ipsorum vsus eis ad tempus concesseritis de gratia speciali.

Dat. Laterani, Nonis Decembris, Anno primo.

Dat. P. An. 1. die 5. Decem.

VI.

Vnio diuersarum Congregationum Eremitarũ, sub denominatione Fratrum Eremitarum S. Augustini, eiusque regula, ac vniformis habitus delatione.

Huic ordini plures Pont. diuersa priuilegia concesserunt, qua videri possunt infrà in const. 1. Bonif. VIII. ad consequendam & const. 18. Iulij II. Etsi ad eum ibi not. Appellationem ad sæcularia Tribunalia ei prohibuit Clem. VIII. in const. 113. Quoniam Et ambitũ vetuit in alia constit. 114. Quoniam & Pauli V. in const. 30. Admonemur. Et antea Alex. VI. Sacrarij Pontificij administrationem perpetuò concesserat in sua constit. 5. Ad sacram. Et Greg. XIII. facultatem circa alienationes bonorum Ordinis dedit in const. 5. Dum ad vberes. Ac formam electionis Magist. Theol. in Italia præscripsit in alia const. 83. Dominicũ.

Horum Fratrum Congregationem Siciliæ vnitã cum toto Ordine, & eiusdem Ordinationes approbauit Paul. V. const. 99. Exponi infra tu. 3. circa examen promouendorum ad gradus Doctoratus, & Magisteria in Indiis, & Hispania, necnon vota, ex gratia cõcessa in Capitulis

Prouincialibus, statuit S.D.N. Vrban. VIII. constit. 40. Romanus inf. tom. 4. Qui etiã postea priuilegia quomodolibet concessa Assistentibus Vltramõtanis Prioris Generalis huius Ordinis, qui ab officio absoluti, ad suas Prouincias redire tenentur, reuocauit in const. 61. Romanus d. tom. 4. Quodque iidem Priores Generales vtentes facultate à Sede Apostolica per literas obtenta in eius expeditione, eas de verbo ad verbum inserant, & vt nullo modo clausulis Oraculum sapientibus vtantur, iussit idem S.D.N. Vrb. VIII. const. 98. Commissi. Et exemptiones Officiorũ Prouincialium, Definitorum, Visitatorum, &c. Ordinis, concedere Fratribus, qui ea non exercuerunt, absque Sedis Apostolicæ expressa licentia, prohibuit idem S.D. Vrban. constit. 99. Inter cæteras inf. d. tom. 4.

Horum Eremitarum aliqui dicuntur de Obseruantia, & eorum Congregatio Illicetana & Lombardiæ vocatur, de qua vide infrà in const. 25. Eugen. IV. Regimini, & const. 117. Clem. VIII. Ex iniuncto. Et nuper in Vrbe instituta fuit Congregatio Reformatorum Discalceatorum, vt infrà in constit. 63. Clem. VIII. Decet. Vbi notabo.

Edita An. D. 1256.

ALEXANDER EPISCOPVS.
Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Lanfranco Generali, Prouincialibus, & Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, tam præsentibus quàm futuris. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

Licèt Ecclesiæ Catholicæ integritatem corporis sui sincera membrorum diuersitas subministret, & circumamictùs species multiplicibus in ea varietatibus decoretur, nihil tamen in ipsa exprimit contrarietatis in continuum, in qua consensum nutrit inæstimabilis concordia charitatis, & indiuiduam fouet vniuersitatis conformitas, fideique simplicitas vnitatem. Verùm circa ædificationis fabricam, quæ in templum sanctum in Domino operariorum, eius studio moliente succrescit, credimus assiduè prouidendum, vt in varietatibus partium, quæ ad decorem structuræ Dominicæ adhibentur, sic appareat distincta diuersitas, vt non sit confusio indiscreta, nec alterius forma importuna consimilitudine speciem prætendat alterius, sed singula quæque, certum proprij modi ordinem sortiantur.

Eremitarum varia erant species.

§. 1. Hac sanè consideratione commoniti, cum consona in vobis Eremitarum appellatio, & parum diuersa professio, disparibus titulis, & in aliquibus dissimili habituum schemate discreparet, cogitamus sponsæ Christi, in cuius veste pia sacræ religionis depinxit institutio, cœtus vestros conuenire decori, si religiosæ militiæ vestræ castra, quæ sub vno vocabulo non magna disciplinæ distantia secernebat, sub communi capite indifferentia, incorporationis fœdere inngerentur, & ex pluribus cuneis, acies vna consurgeret fortior, ad hostiles spiritualis nequitiæ impetus conterendos.

Pro quorum vnione hic Pont. eorum aliquot ad se accersiri iussit.

§. 2. Propterea dudum à nobis mandatum Apostolicum emanauit, vt de singulis domibus vestris, quarum quædam S. Guillelmi, quædam S. Augustini Ordinum, nonnullæ autem Fratris Ioannis Boni, aliquæ verò de Fabali, aliæ verò de Britinis censebantur, & apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo fratres cum pleno mandato ad nostram mitterentur præsentiam, quod nostra circa vos salubriter ordinaret dispositio, recepturi.

Capitulumque in Vrbe ab Eremitis congregatum, vnionem fieri decreuit, corã Cardinale ad hoc per ipsum Pont. deputato.

§. 3. Cùmque fratres huiusmodi ad Sedem Apostolicam accessissent, coram dilecto filio nostro R. S. Angeli Diacono Cardinale, quem negotio vnionis vestræ perficiendo deputauimus vice nostra, sufficientia ad id exhibuere mandata: & in generali Capitulo vestro in Vrbe celebriter congregato, nomine omnium, à quibus fuerant destinati, & de communi Capituli eiusdem assensu, vos, & domos vestras in vnam Ordinis obseruantiam, & viuendi formulam vniformem redigi, vnumque ex eis ouile fieri, Generalis Prioris præsidentia gubernandum, vnanimiter consenserant petentes, vt per gratiam vnionis & conformitatis huiusmodi, eis iuxta conceptum votum paupertatis spontaneæ, perpetua possessionum terrestriũ abdicatio remaneret, & ipsis baculos vel ferulas deferendi imposita necessitas tolleretur, collata in Cardinalem eundem prouidendi vobis ea vice de Generali Priore totius Ordinis nihilominus potestate.

Qui Cardinalis omnes Eremitas antedictos in vnam Eremitarum S. Augustini professionem vniuit.

§. 4. Porro idem Cardinalis nostri auctoritate mandati, vino ad eum sermone directi, necnon & concordi eorundem fratrũ, ac prædicti Capituli consensione solfultus, vniuersas domos, & Congregationes vestras, in vnam Ordinis Eremitarum S. Augustini professionem, & regularem obseruantiam perpetuo communiuit, sub Generalis cura Prioris canonicè instituendi pro tempore, præ aliis Prouincialibus, necnon & Conuentibus singularum domorum à Prioribus regulariter gubernandas.

Generalemque d. Ordinis Priorem, Fr. Lanfrancum præfecit.

§. 5. Et vt nouam ouilis Dominici vnionem, vniuersalis capitis vnitas consummaret, te dilecte fili Frater Lanfrance, in Generalem Ordinis eiusdem Priorem & Patrẽ, Spiritus sancti gratia inuocata præfecit, ac etiam prout à nobis specialiter in mandatis acceperat, confirmauit.

Eremitasque à baculorum delatione, & possessionis non voluntaria receptione eximit.

§. 6. Vos vniuersos, & successores vestros à baculis vel ferulis deportandis, & quòd non cogamini ad recipiendas possessiones aliquas, vel habendas decernens perpetuò liberos, & exemptos.

Hic modo Pont. prædicta approbat.

§. 7. Nos igitur præfati Cardinalis processum conuenientem cum voluntatis vestræ proposito approbantes, præmissa omnia grata habemus, & rata, ipsaque auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Habitũ vniforme, & cucullam nigri coloris ab eis deferri iubet.

§. 8. Insuper autem, personas & domos vestras sub Beatorum Petri, & Pauli protectione suscipientes, & nostra præsentium auctoritate statuimus, vt vos filij Priores & fratres in professione prædicti Ord. in præfato generali Capitulo ordinata (quo quidem ordine vos perpetuo censeri volumus, vobiscum super diuersarum professionum, aut obseruationum debito, quas antea feceratis, in prædictis, vel aliis Ordinibus dispensantes) sub deuota Generalis Prioris, quem nunc vobis diuina ordinatio prætulit eiusque successorum obedientia perpetuo virtutum Domino seruientes, nigris dumtaxat, & nullis aliis alterius coloris cucullis, vt vniformis amictus normam eiusdem in vobis professionis ostendat, vtamini de cætero vniuersi.

Absentes à d. capitulo vnioni prædictæ adhærere præcipit.

§. 9. Et vt hæc sancta vnio, quam perpetuæ pacis tranquillitate gaudere volumus, omnibus integritatis suæ perfecta partibus stabilis perseueret, decernimus, vt omnes domus Ordinum suprascriptorum, quorum fratres, iuxta mandati nostri formam, ad nostram præsentiam nõ venerunt, ipsi vnioni tanquam corpori membra, absque diffugio vllius exceptionis, inhæreant, & ad obseruationem prædictorum omnium teneantur. Alioquin sententiam, quàm tu dilecte fili Prior Generalis, & successores tui rite tuleritis in rebelles, ratã habebimus, & faciemus, auctore Dño, vsque ad satisfactionem condignam appellatione remota inuiolabiliter obseruari. Nulli ergo, &c.

Datum Lateran. 4. Nonas Maij, Pontificatus nostri Anno 2.

D. P. Ann. 2. die 4. Maij.

VII. Prohibitio eligendi, vel nominandi Conradum, natumque Conradi filij Friderici olim Imperatoris, in Regem Romanorum.

De huius Friderici flagitiis, depositione, & excommunicatione notaui sup. in const. 13. Greg. IX. fol. Rationalis.

Edita, A. D. 1256.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Archiepiscopo Moguntino. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

Firma profectò consistit domus, quæ solidis est fulcita columnis, & Ecclesia tunc multo stabilitur robore, cum Prælatorum virtute ac constantia communitur, inter quos, quia honore, ac potentia eminere dignosceris, conueniens est & debitũ, vt fauorabilius, & vehementius eidem assistas Ecclesiæ, ac à re ipsa in opportunitatibus præsidia sentiat potiora. Quia si eius augetur status, & optatis proficit incrementis, vnà tu cum ea suorũ profectuũ participatione concrescis. Et si quod absit, aliquibus molestaretur aduersis, & finistris pũgeretur euentibus, sue te

molestiæ

molestiæ minimè præteriret, sed simul eum ipsa gustares suarum amaritudinem punctionum. Imo sicut locum in ea obtines magis conspicuum & excelsum, sic plus te lætificaret prosperitas, & tribulatio conturbaret, nec ipsa quæ plurimum in tuis congaudet commodis, de tuis posset aduersitatibus grauiter non dolere. Quanto autem affectu te ad alios Alemaniæ Prælatos Romana semper prosecuta fuerit Ecclesia, quantisque circa vos & ipsas Ecclesias studuerit assiduè magnificare, ac præseruare fauoribus, clarè liquet: cùm nunquam in beneficiis & gratiis circa vos ipsas Ecclesias defecerit suæ irriguum largitatis, nec vsquam vobis in necessitatibus, ipsius defuerint auxilia; quæ vestri tanquam proprij zelatrix honoris, indefessè curauit, quoties oportuit vestris adesse negotiis, sicut promotrix sollicita, & adiutrix per omnia studiosa. Nec immerito, cum & in suis agendis vos inter cæteros cooperatores promptos repererit, & præcipuos senserit adiutores. Propter quod decet & expedit, vt attentè pro ipsius vigiletis honore, quę vestris diligenter intendere vtilitatibus non desistit.

Quia instat tempus eligendi Regem Romanorum. §. 1. Sanè intelleximus quod instat tempus electionis celebrandæ de Rege in Imperatorem postmodum promouendo: super quo tantò propensior adhibenda est diligentia & cautela, quantò altius, & difficilius est negotium quod geritur in hac parte, quantóque res, si aliqua in ea interueniret negligentia, seu improuidentia, vel desidia, deteriorem posset habere effectum, & exitum noxiorem. Vnde hîc vehementer vigilandum est, hîc perspicaciter intuendum, hîc considerandum prudenter, hîc maturè deliberandum, hîc prouidè præcauendum. Hîc aperiendi sunt oculi, hîc habendæ sunt aures intentæ, hîc mens debet esse non rudis & torpida, sed diligens peruigil & consulta, vbi de aduocato Ecclesiæ agitur, de ipsius defensore tractatur, ne pro aduocato impugnator, & pro defensore assumatur, vel eligatur offensor. Quare vndique summæ cogitationis præferenda est acies, & circumquaque districta explorandum indagine, vt talis (cooperante Domino) reperiatur & eligatur, qui fidelis & deuotus existat, & de prosapia processerit deuotorum, ac idoneus & sufficiens merito reputetur ad obtinendum tanti honoris culmen, & Imperij regimen exercendum.

Et Fridericus Imperator, persecutus est Ecclesiam Dei. §. 2. Qualiter autem quondam Fridericus olim Romanorum Imperator, & sui progenitores & posteri, erga matrem Ecclesiam se gesserint, & qualem ei retributionem pro beneficiis ab ipsa perceptis impenderint, patens est & cognitum toti Orbi. Quoniam hi aliorum persecutorum excedentes tyrannidem, grauiosibus eam affecerunt iniuriis, & oppressionibus durioribus afflixerunt, & velut in cædem & exterminium eius tendentes furoris arcum, & feritatis gladium acuentes, diris illam vbilibet tribulauere flagellis, & vsque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt. Nam in hoc prauo genere, patrum in filios cum sanguine deriuata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Ex quo liquido perpendi potest & coniici, si ex ipso aliquæ posteritatis reliquiæ remanserunt, quid sperandum sit in futurum de illis; quid in posterum expectandum. Vita namque ac gesta prædecessorum peruersa, iniquitatem prænuntiant successoris. Nec horribilis & scelesta illorum memoria, quicquam boni de ipsorum posteritate credere, vel sperare permittit. De colubro quidem egreditur regulus, & arbor mala noxios fructus profert, prauumque principium nunquam bonum pollicetur effectum.

Ideo Conradus eius nepos nequaquã eligi debet. §. 3. Et ideo de Conrado puero nato quondam Conradi prædicti Friderici filij, est præcauendum omnino, nec vllo modo intendatur ad eum, nec nominetur ad hoc, nec aliquatenus eligatur: maximè cum propter infantiam, nimiumque defectum ætatis sit ad ista prorsus inhabilis, *Locus vestitutus.* se ineligibilis penitus, puer ipse, nec ius, quod ex electione prouenire vel consurgere consueuit, sibi posset competere, nec in sua cadere, vel retineri persona, cum propter puerilem ætatem, quæ discretione caret, & legitimum consensum, vel dissensum non habet, electioni, si de ipso fieret, consentire non posset, nec ipsius consensus aliquam haberet efficaciam, vel vigorem. Et ex eo etiam idem puer in Regem eligi vel nominari non debet, quia cum per electionem huiusmodi, de Aduocato vel defensore idoneo debeat Ecclesiæ prouideri, & ipse puer sit omnino ineptus & inutilis ad talis defensionis officiũ seu ministerium exequendum, oporteret eandem Ecclesiam si contingeret eligi dictum puerum; manere diutius, non absque grauibus fortè dispendiis, defensionis commodo destitutam. Nec per hoc etiam consuleretur amplo & spatioso regno Theutonico de Rege, vel Rectore condigno, cum malè possit alios regere, qui non nouit gubernare seipsum, nec bene, vel dignè aliorũ gubernaculo præesse valeat, qui regimine ducitur alieno, & cui propter tot patẽtes defectus, necessaria est alterius custodia & tutela. Propter quod Regnum ipsum longo tempore, non sine multo discrimine, sub opportuni regiminis expectatione langueret.

Prohibetur itaque de eo electionem fieri. §. 4. Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attentè, ac per Apostolica tibi scripta in virtute sanctæ obedientiæ, sub debito fidelitatis, quo nobis & Ecclesiæ Romanæ teneris, ac sub pœna excommunicationis, quam ex nunc in te proferimus, districtè præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Conradum puerum nullatenus in Regẽ eligas, nec nomines, neque consentias in eundem. Ita quòd excommunicatus existas, si contra mandatum nostrum facere, vel venire præsumpseris, & eundem Conradum nominaueris vel elegeris, aut in ipsum consenseris, seu opem vel operam, consilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, impenderis, & etiamsi eius electionem non impedieris toto posse, vt si fortè ad ipsius electionem vel nominationem processeris, scias te prius excommunicatione ligatum. Aliis verò Coëlectoribus tuis, tam Ecclesiasticis, quàm sęcularibus, auctoritate nostra firmiter inhibeas, ne ipsum ad hoc nominent vel eligant, nec in eum consentiant, promulgando, eadem auctoritate, in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc tuam inhibitionem venire tentauerint, imo nostram: Ita quod si eum nominare, vel eligere, aut in ipsum consentire præsumpserint, noscant se prius excommunicationis vinculo innodatos, ve ex hoc ipso (si de prædicto puero quicquam in hac parte attentatum fuerit) sit prorsus vacuum, irritum & inane.

Pœna Electoribus eum suffragantibus. §. 5. Mandatum itaque ac præceptum super hoc Apostolicum sic fideliter, sapienter, & efficaciter adimplere studeas, omnem opem, & operam adhibeas, vt aliquis fide clarus, & deuotione sincerus, cui ad id suffragentur merita, & eligatur. Quòd ex iis Nos & Romanam Ecclesiam tibi, & Ecclesiæ tuæ arctius obliges, nosque lætari possimus id quod in hoc intendimus, tuo solerti studio salubriter prouenisse. Ad hæc nihilominus in omnes Electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare, vel eligere, seu in ipsum consentire, aut opem, vel operam, consilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, dare præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus; Quam per te, antequam ad nominationem, vel electionem aliquam procedatur, reliquis tuis Coëlectoribus præcipimus nuntiari. Quòd si non feceris, eo ipso te noueris laqueo excommunicationis adstrictum.

Dat. Anagniæ, 15. Kal. Augusti, Anno Pont. nostri 2. *D. F. A. 2. die 18. Iulij.*

Damnatio libri, de Periculis nouissimorum temporum nuncupati nonnulla impia, scandalosa, & execrabilia continentis. VIII.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita, A. D. 1256.*

Romani Pontificis cura tanquam Ecclesiarum omnium Præsulis maxima est. ROmanus Pontifex de summi Apostolatus specula Vrbi & Orbi debita seruitute prospiciens, curis occupatur innumeris, & cogitationibus rapitur infinitis, quia eminentior cæteris Sedes eius sollicitudines sibi vehementiores accumulat, & ipsius auctoritas potior, meditationes ei multiplicat ampliores. Quo enim altiùs prę sidet, eo longiùs latiúsque circumspicit, & quantò plus potest officio, tantò maioris vigilantiæ sibi sarcina incũbẽre, plus pẽsat, quoniã maximę dignitati, potissima sollicitudo cohęret, & altiorẽ honorẽ onus grauius comitatur,

curaque profusior ardentioribus stimulis mentem vrget. Vnde cum aliis plebeium fideliũ pastoribus, quibus grex dominicus particulariter est commissus, immineat de suarum Ecclesiarum eminentia, vigilanter ad suas oues attẽdere, incumbit vtique Romano Præsuli, cui est grex ipse generaliter creditus, de sublimi Ecclesiarum vertice, Sede scilicet Apostolica, propensiùs ad illud, & instanter intueri, quia cum hi suis limitatis populis præsint, singuli quidem singulis, hic sine distinctione Prælatus est Pontifex vniuersis dominicæ quidem vineæ custos generalis & cultor, & totius ouilis Catholici, Pastorumque omnium Summus Pastor: Incumbente namque sibi generali sollicitudine super omnes, cum ex hoc suæ mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur, stupet nimirum ipsius animus, & sub tam grauis & difficilis curæ pondere contremiscit, quod posse sufferre, vt conuenit, ius naturæ occiduæ vix confidit.

Omniumque dubiorum ad ipsius decisionem spectantium, definitio curam aggrauat.

§. 1. Ad eum namque negotia vndique confluunt, perueniunt lites, dubia deferuntur, & destinantur implicita, & perplexa, nec vnquam horam influens torrens cessat, nec huius alti pelagi validæ & infestæ procellæ quiescunt, sed his, quæ nunc imminent expeditis, mox alia subsequuntur. Nec tot implexarum quæstionum nodi, decisione Apostolica solui possunt, quin & aliæ iteratæ & nodosæ superueniant, deliberatione matura, & consulta definitione soluendæ. Imo ex quo de instantibus difficilibus & obscuris, dubietatis caliginem verbo suæ declarationis amouerit, statim noua & recentia turbulenta ingruunt Apostolico dilucidanda oracolo, & ambiguis, ac incertis mentibus claræ dissertionis lumine reseranda. Propterea inest Romano Antistiti sollicitudo sine otio, labor sine quiete, occupatio sine vacatione, exercitium sine tranquillo, ingens, & sedula meditatio & vigilia sine somno, nec ad modicum etiam cura quotidiana intermissionem habet, instantia, quæ nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipsa tempus omittit, vrget continuè, quia cogitandi materia semper adest, nec successu temporis desinit, sed eorum illius diuturnitate perdurat. Quia nec decursu temporum deficiunt negotia, sed assidue illis succedentibus renascuntur.

Dæmon itaque ardentius inter Christi fideles, zizaniam superseminat.

§. 2. Nam & hostis antiquus, argutus quidem Insidiator, callidusque deceptor animarum, vehementis & ardentis sollicitudinis causam præbet, humanæ quippe pacis æmulus, fraternæ inuidus charitatis diuinorum abactor, dissipator vnionum, & trãquilli status fidelium anxius persecutor, interserit odia, rancores ingerit, liuores, accendit, mouet lites, iurgia suscitat, contentiones irritat, parat seditiones & dissensiones procurat, & illorũ etiam qui perfectiores & firmiores esse creduntur, interdum corda subuertit, & ibi magis impietatis suæ machinas erigere, ac nequitiæ faces accendere nititur, vbi fore plus æstimat malignitatis suæ conamina obfutura. Iacit iniquus laqueos, pedicas obiicit, ponit tendiculas, vt prudentiores etiam intercipiat, & captiuet. Hinc turbationes oriuntur, surgunt inimicitiæ, dissidia prodeunt, & scandala generantur, vnde sic iam sæculum declinauit ad malum, quod excrescentibus & inualescentibus huius eo noxiis, quasi vix locus in ipso salutaris inuenitur, & exclusa ferè inde concordia, quasi stabilem ibi habeat discordia mansionem. Quare oportet cura incessabili vigilare, vt detorta & corrupta per malitiam, bonitatis virtute ratificentur & reformentur; diuulsa per odium, charitate ligẽtur; & commota sistant & pausent; habeant turbata tranquillum, & status fidelium semper in melius roboretur.

Quidam igitur, dæmonis instigatione permoti librũ nuncupatum, de periculis nouissimorum tẽporum composuerunt.

§. 3. Sanè quidam Scripturæ sacræ intelligentiam se habere fatentes, sed diuertentes à tramite recti sensus, cogitauerunt nuper malitiam, & contra innocentes & rectos iniquitatem maximam sunt locuti: exarserunt in cordibus suis, & in lingua eorum maliloquus, dolum & nequitiam concinnauit: surgentes aduersùs fratres detraxerunt & contra dilectos matris Ecclesiæ filios, scandalum posuere.

Hic Pontifex d. librum examinari fecit.

§. 4. Prodiere inquam, & in praua commenta ex nimio calore animi proruperunt, libellum quendam valde perniciosum & detestabilem temerè componentes. Libellum quidem non rationabilem, sed reprobabilem; non veritatis, sed mendacij; non eruditionis, sed derogationis, non monentem, sed mordentem; non instruentem veraciter, sed fallentem. Quem Nos ad Sedem delatum Apostolicam, Venerabili fratri Episcopo Tusculano, & dilectis filiis nostris Innoc. tit. S. Laurentij in Lucina, & Honor. tit. S. Sabinæ Presbyteris, & Innoc. S. Nicolai in Carcere Tulliano, Diaconis Card. examinandum commisimus, vt plenè ipsum inspicerent, & vniuersa contenta in eo perfectè attenderent, & discuterent diligenter.

Et in eo reperta sunt multa contra auctoritatem Papæ, Episcoporum, & alia contra Fratres Mendicantes, &c.

§. 5. Quo studiosè perlecto, & maturè & districtè examinato, nobisque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quòd in ipso quædam peruersa & reproba, contra potestatem & auctoritatem Romani Pont. & Coëpiscoporum suorum, & nonnulla contra illos, qui propter Deum sub arctissima paupertate mendicant, mundum cum suis opibus voluntaria inopia superantes, alia verò contra eos, qui salutem animarum zelantes ardenter, & sacris studiis procurantes, multos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum, quædam autem contra salutarem pauperum, seu mendicantium religiosorum statum, sicut sunt dilecti filij Fratres Prædicatores, & Minores, qui vigore spiritus, sæculo cum suis diuitiis derelicto, ad solam cœlestem patriam tota intentione suspirant; necnon & alia plura inconuenientia, digna vtique confutatione ac confusione perpetua, manifestè comperimus contineri. Quodque etiam idem libellus magni scandali seminarium, & multæ turbationis materia existebat, & inducebat etiam dispendium animarum, cum retraheret à deuotione solita, & consueta eleemosynarum largitione, ac à conuersione, & religionis ingressu fideles.

Idem propterea Pontifex d. librum dãnat & reprobat, illumque tenentes ad comburendũ monet.

§. 6. Nos libellum eundem qui sic incipit. Ecce videntes clamabunt foris, quique secundùm ipsius titulum, Tractatus breuis, de periculis nouissimorum temporum nuncupatur, tanquam iniquum, scelestum & execrabilem, & institutiones ac documenta in eo tradita, vtporè praua, falsa & nefaria, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica duximus reprobanda, & in perpetuum condemnanda, districtè præcipientes, vt quicumque libellum ipsum habuerit; eum infra octo dies, ex quo huiusmodi nostram reprobationem & condemnationem sciuerit, prorsus in toto, & in qualibet sui parte comburere & omnino abolere procuret.

Inobedientibus pœnas infligit.

§. 7. Et in illos, qui huiusmodi nostri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, in virtute obedientiæ prohibendo, ne quisquam prædictum libellum ore Apostolico iam damnatum, approbare, vel quomodolibet defensare præsumat. Et si quis præsumpserit, tanquam contumax, inobediens & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus fidelibus habeatur. Et nos nihilominus, alias contra eum taliter procedemus, quod pœna condigna temerarium feriet, & alij ea perterriti, à similibus frænabuntur. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

Datum Anagniæ, 5. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno 2. *D. P. A. 2. die 5. Octo.*

Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas, procedendi etiam irrequisitis diœcesanis, cõtra hęreticos iudicialiter cõfessos & obstinatos. IX.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Prouincia Lombardiæ & Marchiæ Ianuensi. Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1257.*

Hic Pont. decreuerat Inquisitores ad condemnand. hæreticos debere de consilio Diœcesãorum.

AD capiendum vulpeculas quæ vineam Domini satagunt demoliri, totis affectibus intendentes, inquisitionis negotium contra respersos hæretica prauitate in Prouincia Lombardiæ & Marchiæ Ianuensi, vobis sub ea forma duximus committendum, vt cum aliqui de partibus illis, fuerint hæretici iudicandi, ad id de consilio Diœcesanorum locorum, vel Vicariorum suorum, si forte iidem Vicarij, Diœcesanis ipsis absentibus, præsentes fuerint procedatis.

Et limitat eius decretum.

§. 1. Vt autem in commisso vobis Inquisitionis huiusmodi negotio, liberiùs procedere valeatis, procedendi

iuxta

tum, quo ad hæreticos iudicialiter confessos & condemnatos.

ioxta traditam vobis formam, Diœcesanis etiam & Vicariis prædictis irrequisitis, contra illos, qui publicè prauitatem huiusmodi confessi fuerint in iudicio coram vobis, & sua obstinata malitia ab errore non poterunt reuocari, vobis & singulis vestrûm, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium potestatem.

D. P. A. 3. die 11 Ian.

Dat. Lateran. tertiò Idûs Ianuarij. Pont. nostri Anno 3.

X. Quod Statuta Communitatis Mantuę, quoquo modo officium sanctæ Inquisitionis impedientia, abrogentur.

Hoc generaliter deinde statuit Vrban. IV. in cap. Statutum, de Hæret. in 6.

Edita, A. D. 1257.

ALEXANDER EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Venerabili fratri Episcopo Mutinen. Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Communitas Mantuæ ediderat statuta contraria officio Inquisitionis.

IMplacida relatio noper nostrum turbauit auditum, quòd videlicèt Commun. Mantuan. cùm deberent dilectis filiis Fratribus Prædicatoribus, Inquisitoribus prauitatis hæreticæ, in illis partibus à Sede Apostolica deputatis circa extirpationem prauitatis huiusmodi de suis finibus, toto posse assistere tanquam fidei zelatores; ipsi agentes in contrarium, statuta damnabilia ediderunt, per quæ negotium fidei, quod per fratres ipsos salubriter geritur, vt in eo procedi liberè nequeat, directè impeditur, vel etiam indirectè.

Hic modo Pont. mandat Episcopo Mutinen. vt illa abroget.

§. 1. Quocirca fraternitati tuæ, per Apostolica scripta, sub excommunicationis pœna firmiter præcipiendo mandamus, quatenus associatis tecum aliquibus discretis, & Deum timentibus viris, statuta huiusmodi quæ à Mant. vel quibuslibet aliis hominibus, ordinata & facta dicuntur Mantuæ, ac in toto ipsius districtu, per quæ ipsi negotio possit obstaculum prouenire, diligenter inquirere, ac etiam inuenire: & quæsita ad tale reducere, ac reduci facere moderamen procures, quo per ipsa dictorum Inquisitorum processus non impediantur in aliquo, vel quomodolibet retardentur, faciens nihilominus quòd statuta quælibet ipsi negotio contraria, & quibus posset impedimentum aliquod Inquisitoribus afferri eisdem, quominus per eos, iuxta formam sibi à prædicta Sede traditam, procedi liberè valeat in eodem, in ciuitate præfata, vel alibi in ipsius districtu nullatenus obseruentur. Potestatem, Antianos, & consilium Ciuitatis eiusdem, per excommunicationem in personas eorum, & commune prædictum, per interdicti in Ciuitatem ipsam sententias, ad id, appellatione postposita, compellendo.

D. P. A. 3. die 18. Decemb.

Datum Viterbij, 15. Kalendas Ianuarij, Pontificatus nostri Anno tertio.

XI. Vnio locorum omnium Congregationis Camaldulensis, Ordinis S. Benedicti, sub regimine Prioris Eremi Camaldulensis, Iurisdictioque omnimoda eiusdem Prioris, in personas d. Congregationis. Ac plurimarum gratiarum concessio.

Approbauit Congregationem istam Alex. II. vt sup. in eius const. I. Nulli vbi alia plenè notaui.

Edita, An. D. 1258.

ALEXANDER EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Priori Camaldulensium, ac vniuersis Abbatibus, Prioribus, & Abbatissis, eorumque Fratribus & Sororibus Camaldulen. Ordinis, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.*

Exordium.

OFficij nostri cura nos admonet & inuitat pro Ecclesię statu satagere, ac eius quieti & tranquillitati, auxiliante Domino, prouidere. Dignum namque, & honestati conueniens esse dignoscitur; vt qui ad animarum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas & à prauorum hominum incursibus tueamur, & Beati Petri, atque Apostolicæ Sedis patrocinio muniamus.

Susceptio Eremi, eiusque locorum sub protectione Sedis Apostolicæ.

§. 1. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Camald. Eremum, ac Monasteria, Prioratus, Hospitalia, & alia loca sibi subiecta, specialiter in ius & proprietatem B. Petri suscipimus, atque nostram, & præsentis scripti priuilegio communimus, ac precipimus, & presentis Decreti auctoritate sancimus, ne cuiquam omnino personæ, clerico vel monacho cuiuscumque Ordinis aut dignitatis, seu laico, præsentibus, aut futuris temporibus, liceat Congregationes illas, & loca illa quæ præfatæ Eremi siue Cœnobij, disciplinam & ordinem susceperunt, aut sunt in posterum susceptura, quæque hodie sub illius regimine continentur, ab eius vllo modo subiectione, & vnitate diuidere.

Quæ loca vniantur, & sermone prohibeo à subiectione Eremi: Tu tamen videbis quòd Societas Eremitarum S. Romualdi est nonnullis locis seiuncta fuit ab ista Congreg. in const. 1. Pauli III. Rationi.

§. 2. Quæ videlicèt loca & Congregationes, conseruandæ vnitatis gratia propriis duximus vocabulis exprimenda. In Episcopatu Aretino, Ecclesiam sancti Donati, quæ Fons bonus dicitur, cum hospitali & omnibus pertinentiis suis. In ipsa Ciuitate S. Petri in Piculo, & sancti Laurentini, Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. Ecclesiam sancti Michaëlis, cum omnibus pertinentiis suis, & omnibus, quæ ab Episcopis Aretinis eidem Eccles. concessa esse noscuntur. Ecclesiam sancti Martini, quæ est iuxta Letarcle, cum omnibus pertinentiis suis. Syluæ Mundæ sanctæ Mariæ de Agnano, S. Petri de Rois, & S. Saluatoris, Berardingarum Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. Sancti Sauini in Celio, Sanctæ Mariæ de Pratalea, S. Andreæ de Castilione, & S. Quirici de Rosis Monasteria, cum omnibus pertinentiis eorundem. Ecclesiam S. Nicolai de Curte Luponis cum pertinentiis suis. Eremum & Monasterium S. Ægidij de Fleri cum pertinentiis eorundem. S. Viriani, & S. Bartholomæi Anglarij Monasteria cum Castellis, & aliis pertinentiis eorundem. Plebem S. Mariæ de Micisno, cum Ecclesiis, & aliis pertinentiis suis. Ecclesiam S. Ioannis sitam in Castello Anglarij cum pertinentiis suis. De Monte Aureo, de Viario, de Mainne, & Castello Florentiani Ecclesias, cum pertinentiis earundem. Ecclesiam S. Mariæ de Villa, quæ dicitur Moncione cum pertinentiis suis. Ecclesias S. Vitalis propè Lorentianum, cum pertinentiis suis. De Agna, de Soci, & de Condolese Ecclesias cum pertinentiis earundem. Lætanias Plebis de Micisno. Visitationes Plebium de Bniano, & Partinæ, quemadmodum est ab Aretinis Episcopis ordinatum. Integras decimationes de Agna, Larniani, Pergentinæ, Corsiniani, & Auaoę; & quicquid habetis in Curte de Verazono. Item quisquis eidem Eremo Camaldulensis decimam suam dare voluerit, quæ ab aliquo Aretino Episcopo rectè ordinata, vel donata non fuerit, inde habeat facultatem sicut ab ipsis Aretinis Episcopis constitutum est Castrum quod vocant Morioca, cum omnibus pertinentiis suis, quod emistis ab Henrico Præposito, & cæteris Canonicis Aretinis. Villam de Moncione, quàm emistis ab Abbate Sanctæ Floræ. Quicquid intus dicta Ecclesia sancti Donati in Villa de Moione, & in Villa de Moncione habet. Monasterium S. Mariæ de Thoma, cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Castell. Monasterium S. Mariæ Dicisni cum pertinentiis suis, & Monasterium sancti Sepulchri, cum toto burgo sancti Sepulchri & omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Petri de Planetulo cum Castello Planetuli & omnibus pertinentiis suis. Plebem S. Mariæ de Soara, & Ecclesiam de Valialla cum Castello de Valialla, & omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Fesul. Monasterium S. Mariæ in Poplena, & Ecclesiam S. Michaëlis iuxta Monasterium ipsum Ecclesiæ S. Bartholomęi de Castro Pettonij, S. Margaritę in Pomino, S. Ægidij in Gausete. S. Nicolai de Monte Zano, & S. Miniatis de Lomann Ecclesias, cum omnibus pertinentiis earum. S. Ioannis de Prato Veteri, & S. Petri de Monte Muro, Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Episcopatu Flor. sancti Petri de Luco, S. Saluatoris, S. Mariæ Magdalenæ de Podio Bonitio, & S. Andreæ de Candiculis, Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. Eremum de Buldrone cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Lucano, Monasterium S. Iocundæ

Porcariæ. Monasterium S. Petri in Puteolis, cum Capella Burgi Purcariæ. Monasteriū S. Saluatoris de Cantiniano, & Monasterium S. Andreæ de Sylua cum omnibus pertinentiis eorumdem. Hospitale quod habetis iuxta Burgum S. Genesij. In Episcopatu Volat. Monasterium sancti Iusti propè Ciuitatem eandem, S. Petri de Cerreto, S. Mariæ de Puliciano, & S. Petri in Foutiano, Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Episcopatu Pisarum, S. Mariæ de Morona, S. Stephani in Cintorio, & S. Saluini in Moncione, Monasteria, cum omnibus pertinentiis eorumdem. In ipsa Ciuitate, S. Michaëlis, S. Fridiani, & S. Zenonis, Monasteria, cum omnibus pertinentiis eorumdem. Hospitale situm propè Monasterium S. Fridiani. In Episcopatu Clusinen. Eremum, & Monasterium S. Petri de Vino, cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Massanen. Monasterium S. Mamiliani cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Perus. S. Trinitatis, S. Mariæ de Monte Tetio, S. Agnetis, S. Seueri, & S. Donati, Ecclesias, cum omnibus pertinentiis earumdem. In Episcopatu Assisinaten. Monasterium S. Angeli de Rosano, cum pertinentiis suis. In Episcopatu Tuder. Monasterium sancti Antonij cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Vrbeuetanen. Monasterium S. Mariæ in Sylua, cum S. Felicis, & S. Crucis, Sanctique Seueri Ecclesiis; & omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Æsin. Monasterium Eremitæ, & Ecclesiam S. Georgij, cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Auximan. Monasterium S. Mariæ in Serra, cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Anchon. Ecclesiam S. Luciæ. In Episcopatu Pisauren. Monasterium S. Decentij & Eremi Saioli. In Archiepiscopatu Rauen. Monasterium S. Apollinaris in Classe cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Montis Feretr. Monasterium S. Trinitatis de Monte Herculis. In Episcopatu Fornpopulien. Monasterium de Vrano, cum iuribus & pertinentiis suis. Hospitale Aymerici, & Ecclesiam S. Paterniani de Ferracciano. In Episcopatu Ariminen. Eremum Montalis Salutis, cum omnibus pertinentiis suis In Episcopatu Cæsen. Hospitale de Roberero, Ecclesiam S. Mariæ, quam habetis in loco qui dicitur Casale iuxta Ciuitatem Forolíu. Monasterium S. Mariæ de Insula, cum omnibus suis pertinentiis. Eremum de Faioia, Monasterium S. Mariæ in Triuio. In Episc. Fauen. Monasterium S. Hyppoliti, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Eustachij sitam propè Ciuitatem Imolensem. In Episcop. Bononien. S. Archangeli iuxta Castellum Bricconum, S. Christinæ, S. Damiani, & S. Mariæ de Bethleem Monasteria, cum omnibus pertinentiis eorumdem. Eremum Bononiensem, & Hospitale de Ranona, cum pertinentiis suis In Episcop. Veronen. Monasterium S. Mariæ de Vangaticia, cum omnibus pertinentiis suis. Monasterium quòd Camaldulinum dicitur, cum pertinentiis suis. Ecclesiam S. Viti propè Vicentiam, cum suis pertinentiis. In Episc. Taruis. Monasterium S. Christinæ cum pertinentiis suis. Ecclesiam S. Michaëlis in Palude prope Venetias, cum omnibus pertinentiis suis, & Eremum S. Mathiæ de Mutano. In Istria. * Monasterium S. Michaëlis de Lemo, cum omnibus pertinentiis suis. In Episcop. Senen. S. Georgij de Api, & S. Vigilij Ecclesias cum omnibus pertinentiis earumdem. In Insula Sabiniæ Monasterium S. Trinitatis de Saccaria, cum omnibus pertinentiis suis. S. Eugeniæ, S. Laurentij, S. Michaëlis in Vanati, S. Mariæ, S. Ioannis in Altafas, S. Mariæ in contra S. Ioannis, S. Simeonis in Saluenero, S. Nicolai de Trulla, S. Petri in Scanu, S. Pauli in Cottoniano, & S. Petri in Olim Ecclesias, cum omnibus pertinentiis earumdem. In Episcop. Spoletan. Monasterium S. Syluestri de Monte Subaci, cum omnibus pertinentiis suis. In Episcop. Camerinen. Monasterium S. Helenæ iuxta flumen Æsinum, cum omnibus pertinentiis suis. Eremum Aquæ Perellæ, & Eremum de Quadrigaria; cum terris, pratis, vineis, nemoribus, vsuagiis, pascuis, in monte, & plano, in aquis, & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis.

* *alias in diœces. Torcellan.*

Quæ omnia loca regimini Prioris Eremi Camaldulen. supponit.

§. 3. Sanè statuimus, Monasteria, Prioratus, Ecclesias, Hospitalia, Capellas, & loca prædicta, cum pertinentiis, & membris eorum, tanquam corpus vnum sub vno capite, sub Priore dumtaxat Eremi supradictæ perpetuis temporibus permanere, ac sub illius disciplinæ obseruatione persistere, sub illo inquam Priore, qui ab ipsius Eremitis, & Congregationis Abbatibus, & Prioribus, ipsius Ordinis, regulariter fuerit electus. Eremum quoque, Monasteria, Prioratus, Ecclesias, Hospitalia, Capellas, & loca præscripta, personasque ipsius Ordinis ab omni iugo, iurisdictione, & lege Diœcesana Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, & quorumlibet Ordinariorum Iudicio penitus eximimus. Retento nobis, & Ecclesiæ Romanæ annuo censu vnius vnciæ auri in signum perpetuæ libertatis, vt vos in speciales filios, & Apostolicæ Sedis assumpti, nullius alterius iudicium subeatis.

Alia loca fuerunt addita, & postea quædam principaliora instituta fuerit, eisque alia annexa, vt habetur infr. in Bull. 2. Leo. x. Eis.

§. 4. Statuimus etiam vt Eremus, Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ Hospitalia, Capellæ ac loca, & personæ dicti Ordinis, tantum Romano Pontifici sint subiecta. Districtius inhibentes, ne quis Archiepiscopus, Archidiaconus, seu quilibet iudex ordinarius, in Eremum, Monasteria, Prioratus, Ecclesias, Hospitalia, Capellas, & loca, seu personas eiusdem Ordinis, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias promulgare, aut in eis correctionis, vel visitationis officium, siue iurisdictionem aliquam exercere, aut personas ipsas ad Synodum euocare, seu ab eis exactiones, vel collectas aliquas exigere, vel extorquere præsumant. Non obstante si aliqui Archiepiscopi, & Episcopi contra personas, vel loca d. Ordinis, pro subiectione Eremi, Monasteriorum, Prioratuum, Eccles. Hospit. seu locorum d. Ordinis, mouerint quæstionem, decernendo huiusmodi sententias si quas in personas Monast. Prioratus, Ecclesias, Hospit. & loca prædicta, per Archiepiscopos, Episcopos, Archidiaconos, & Iudices ordinarios, contra inhibitionem huiusmodi, promulgari contigerit, irritas, & inanes, & prædictas personas ad obseruationem prædictarum sententiarum aliquatenus non teneri.

Eximitque à superioritate Ordinariorum & aliorum. In vide moderationem Concil. Trid. sess. 25. c. 11. & in Leo x. constit. 12. Dum intra. & Clem. viij. const. 39. Suscepti.

§. 5. Præterea inhibemus ne aliqua persona ipsius Ordinis, vel alia, Monasterium aliquod, Ecclesiam Hospitale, Capellam, aut locum aliquem à dictæ Congregationis vnitate remouere præsumat. Statuentes vt Priori Eremi præfatæ, qui pro tempore fuerit, tanquam Pater dicti Ordinis, Abbates, Priores, Monachos, Conuersos, Abbatissas, Moniales, Conuersas, Hospitalarios, Monasteria, & loca ipsius Ordinis sine contradictione aliqua visitare, per se vel alium, aut alios, quos duxerit ad hoc deputandos: Ac reformare Prælatos in Monasteriis, & locis prædictis instituere, ac destituere, & electiones eorum confirmare, prout secundùm Deum & instituta præfati Ordinis viderit expedire: ac omnem iurisdictionem in eos liberè valeat exercere.

Priori Eremi totale in personas & totius Congregationis potestatem habet.

Aliter fuit postea dispositum, vt habetur in Bull. Leo. x. Nu. 2. Eis.

§. 6. Adhæc, concedimus vobis, vt liceat vobis, parochianis vestris per Monachos, & oblatos vestros presbyteros diuina officia celebrare, ac celebrari facere; iniungi pœnitentias, proponere verbum Dei, exhiberi alia Ecclesiastica sacramenta, contradictione Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Ecclesiæ Prælatorum aliquatenus non obstante.

Diuina celebrare concedit.

§. 7. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, & Clericorum, benedictiones Abbatum, Abbatissarum, Monialium, Vasorum, & Vestium recipiendi à quocumque malueritis Catholico Episcopo, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, qui nostra fretus auctoritate, quod postulatur, vobis impendat.

Chrisma, &c. à quocunque Antistite recipi possunt. Quomodo ab Ordinario, vt in Bull. 16. Greg. xiij.

§. 8. Præterea cum Generale fuerit interdictum, liceat vobis in Monasteriis, & locis vestris; exclusis excommunicatis, & interdictis; ianuis clausis, non pulsatis campanis, & voce submissa, diuina officia celebrare.

Celebrent tempore interdicti.

Vide Conc. Trid. sess. 25. cap. 12.

§. 9. Porrò laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium Generale, ac etiam noualium, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus noualibus aliquis hactenus non percepit, siue de hortis virgultis, & piscationibus, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Exemptio à decimis.

§. 10. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas, è sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, ac eas absque contradictione aliqua retinere.

Licentia recipiendi ad Eremum.

§. 11. Pro

Prohibitio discedendi ab ea.

§. 11. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vel sororum vestrorum, post factam in dicta Eremo, seu Monasteriis, aut locis ipsius Ordinis, professionem, fas sit sine Prioris Eremi prædictæ licentia, de Eremo, Monasteriis, vel locis eisdem discedere. Discedentem verò absque literis dicti Prioris nullus audeat retinere. Quòd si quis fortè retinere præsumpserit, liceat dicto Priori in ipsos, tàm Prælatos, quàm subditos Monachos, & Conuersos, Abbatissas, Moniales, Conuersas regularem sententiam promulgare.

Prohibitio alienandi bona.

§. 12. Illud districtiùs inhibentes ne alicui Prælato, & Conuentui ipsius Ordinis, Terras, vel Beneficium aliquod Ecclesiis vestris collatum, liceat dare, vendere, obligare, alienare, sine prędicti Prioris licentia speciali. Si quę verò donationes, vel alienationes, aliter, quam vt dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus.

Fideiussio & mutuum permittatur.

§. 13. Ad hæc, prohibemus ne aliquis Monachus, vel Conuersus sub professione alicuius Domus Ordinis eiusdem astrictus, sine consensu & licentia sui Prælati, ac maioris partis Capituli eiusdem Domus, pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat vltra summam à Capitulo vestro constitutam, nisi propter manifestam domus ipsius vtilitatem. Quòd si quis facere fortè præsumpserit, non teneatur Conuentus pro his aliquatenus respondere.

Excommunicatio Ordinarij quando nulla sit.
Tu attende Concil. Trid. sess. 25. c. 12.

§. 14. Cæterum si Archiepiscopi, vel Episcopi, aut aliarum Ecclesiarum Rectores, in mercenarios, vel familiam vestrã, pro eo quòd aliqua vobis obsequia ex charitate præstiterint, vel ad laborandum adiuuerint, in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alij feriantur, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sentẽtiam promulgarint, ipsam tanquam contra Apostolicæ Sedis indulta prolatam, decernimus penitus non tenere, nec literæ illæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Camaldulensis Ordinis, & contra indulta Priuilegiorum Apostolicorum contigerit impetrari.

Noua loca nõ construantur inf. Parochias Ordin.
Tu serua Bullam 99. Clem. viij.

§. 15. Prohibemus insuper, vt intra fines Parochiarum vestrarum nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellã, vel Oratoriũ de nouo construere audeat.

§. 16. Sepulturam etiam locorum vestrorum liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint; nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publicè vsurarij; nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Sepultura in locis Eremi cuique datur.
Tu attende constit. 12. Leo. X. Dum intra
Perturbatio Ordinis prohibetur.

§. 17. Paci quoque & tranquillitati vestræ, paterna in posterum sollicitudine prouidentes, auctoritate Apostolica prohibẽmus, vt infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Confirmatio Indultorum.

§. 18. Prætera omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & aliis Archiepiscopis, Monasteriis & locis vestris concessas, necnon libertates & exemptiones sæculariũ exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis CHRISTI fidelibus rationabiliter vobis indultas, ac etiam vestras antiquas & rationabiles consuetudines, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Priuil. communimus.

Sanctio pœnalis in contrauenientes prædictis.

§. 19. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat, Eremum, Monasteria, Ecclesias, & loca prædicta temerè perturbare, aut eorũ possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conseruentur, eorum pro quorũ gubernatione aut sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisvè persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò tertioque commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate: reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni.

Benedictio fautoribus Ordinis.

§. 20. Cunctis autem, qui eisdem locis sua iura seruare voluerint, sit pax Domini nostri IESV CHRISTI, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternę pacis inueniãt. Amen.

Dat. Viterbij per manum Magistri Iordani S.R.E. Vicecancell. & Not. 10. Kal. Augusti, Indictione prima Incarnationis Dominicæ, Anno 1258. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ Quarti, Anno quarto. *D. P. A. 4. die 23. Iulij.*

XII.

Declaratio quorundam dubiorum concernẽtium causam fidei Catholicæ, & pœnas hęreticorum, eorumque complicũ & fautorum.

Ex hac Bulla sumptum esse credo cap. accusatus, de Heret. in 6. vel istud ex ista declaratur. Et eandem Bullam (quam vti non necessariam non pono) edidit Vrb. IV. die 21. Aug. 1262.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs fratribus Ordinis Minorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione S. Francisci, præsentibus ac futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1258.*

Exordium.

QVòd super nonnulis quæstionum articulis, in quibus causa fidei tangitur, nos consulere voluistis, sollicitudinis vestræ prudentiam in Domino commendamus.

Relapsus in hæresim qui dicatur.

§. 1. Primus igitur vestræ consultationis articulus continebat, vtrum dici debeat relapsus in hæresim qui lapsus est in eam post abiurationem ipsius, in qua non inuenitur antea commisisse; cùm secundùm proprietatem verborum non videatur relapsus, qui non fuerat ante lapsus; Ad quod taliter respondemus, quòd talis, si tanquam accusatus, vel suspectus de hæresi eam in iudicio abiurauit, & postea cõmittat in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus, licet ante abiurationem suam plenè probatum non fuerit crimen hæresis contra ipsum; dummodo huiusmodi priùs orta suspicio, violenta fuerit, & certis ac veris indiciis comprobata. Si verò leuis & modica, quanquam ex hoc sit grauius puniendus, relapsorum tamen in hæresim non debet pœna puniri, ex quo præsumi non potest verisimiliter ante lapsus in eam.

Et an qui post abiurationem fauet hæreticis.

§. 2. Quæsiuistis etiam circa idem, si is qui hæresim abiurauit, & per solam inexcusabilem receptionem, vel receptationem, aut deductionem seu associationem, vel visitationem hæreticorum, siue dationem, vel missionem munerum, aut etiam aliàs in fauorem eorum, qui excusari non possit, sine adoratione tamen (vt verbis vestris vtamur) lapsus est postmodum, propter hoc debeat iudicari relapsus? Et quidem si legitimè constitit, vel etiam nunc constaret, quod tales huiusmodi abiurationem in hæresi commisissent, non est dubium eos per hoc fuisse relapsos: quia tunc dubitari non debet, ex approbati à se priùs erroris consequentia, id fecisse.

Testes periuri in causis fidei an admittendi.

§. 3. Prætereà nonnulli talium, vt proponitis, iurant coram Inquisitoribus tam de se, quàm de aliis super facto hæresis veritatem dicere, sed periurant, non odio tamen vel pretio, sed timore sui potiùs & suorum; corrigunt autem se postmodum super iis contra se, ac alios suos complices deponendo. Cùm itaque periurus secundùm iura, etiam post pœnitentiã in criminalibus à testimonio repellatur, hinc quęritur vtrum contra illos suos complices sit per testimonia talium procedendum? Super quo taliter respondemus, quòd cùm crimẽ huiusmodi sit exceptum, si ex manifestis indiciis apparuerit, tales non animi leuitate, aut odij fomite ductos, seu corruptos pecunia, sed zelo fidei tanquam pœnitentes propriæ culpæ, asserere quod talia priùs tacuerant, & velint in hoc errorem suũ corrigere, ac alios nominare, stari debet in fauorem fidei, nisi aliud obsisteret, attestationibus eorundem.

Inquisitores non cognoscãt de Sortilegiis.
Tu attende const. 4. Adr. vi. Dudum.

§. 4. Ad illud autem quod quæritur, vtrum ad Inquisitores hæresis pertineat de diuinationibus, & sortilegiis, quæ contra aliquos sibi denuntiantur cognoscere, ac punire talia exercentes; breuibus respondetur, quòd cum negotium fidei, quod summè priuilegiatum existit, per occupationes alias non debeat impediri, Inquisitores ipsi, de his, nisi manifestè saperent hęresim, ratione huius-

modi

modi officij sibi commissi, se nullatenus intromittant, sed eos relinquant suis iudicibus pœna debita castigandos.

Hæredes & bonorum detentores cogũtur ad complendam pœnitentiam defuncti. Vide mox hic infra declarationem.

§. 5. Quidam insuper (vt adiicitis) pro iis quæ commiserunt in hæresi, astringunt se Inquisitoribus sub obligatione bonorum suorum, ad recipiendum ab eis pœnitentiam & complendam: sed ea licèt iniuncta, non tamen peracta, quin potiùs in toto, vel in parte neglecta decedunt. Quæritur ergo, vtrum Inquisitores ipsi, vel qui in eorum locum succedunt, possint ad satisfaciendum pro ipsis defunctis, hæredes, vel detentores bonorum sic decedentium coarctare; Ad qood dicimus, quòd si per huiusmodi pœnitentiam, aliquod onus ad salutem proficiens impositum fuerit in bonis temporalibus exequendum, ad complementum ipsius per Inquisitores cogi debent hæredes, vel alij, ad quos bona talium cum suo onere deuenerunt.

De vsurarũ quæstionibus non agitur coram Inquisitoribus.

§. 6. Iniungitur etiam aliquibus ad pœnam, in pœnitentia pro hæresi, ab ipsius pestis Inquisitoribus, vt vsuras restituant, ad quod obligauerant in iudicio Ecclesiæ se & sua. In quo quæritur, vtrum Inquisitores ipsi, vel qui succedunt in locum eorum, ad respondendum coram se conquerentibus de vsuris huiusmodi, & ad restitutionem earum, si de ipsis constiterit, possint compellere taliter pœnitentes, prout ab eis in aliis iniunctis sibi pœnitentiis fieri consueuit? Ad quod respondemus, quæstionem super vsuris motam, contra tales iudicialiter, non debere audiri ab inquisitoribus hæresis, nec decidi. Nolentes, quod per causas huiusmodi, offendiculum negotio fidei præparetur; eos tamẽ ad restitutionem vsurarum, de quibus constiterit, compellere poterunt, quibus in satisfactionem pro prædicto crimine, huiusmodi restitutionem in pœnitentia iniunxerunt.

Hæredes non coguntur ad pœnitentias defunctis non iniunctas.

§. 7. Sunt & alij, qui confessi sunt in iudicio de hæresi coram Inquisitoribus huiusmodi prauitatis, sed antequam eis iniungeretur pœnitentia, decesserunt. Super quo quæritur si hæredes talium compelli possint ab Inquisitoribus, vt ad ipsorum arbitrium satisfaciant pro defunctis; præcipuè cum iisdem dum viuerent, ad faciendam pœnitentiam, quam Inquisitores eis vellent iniungere, bona sua Inquisitoribus obligarint. Cui quæstioni sic duximus respondendum, quòd postquam tales non decesserunt hæretici, sed reincorporati potiùs Ecclesiæ vnitati, non videmus quod eis post mortem, vel eorum hæredibus, qui ad successionem talium admittuntur, sit satisfactio pro extincto iam crimine iniũgenda. In eo verò casu, in quo hæredes huiusmodi ad successionem non deberent ob culpam sui auctoris admitti, non obstante quòd auctoribus ipsis viuentibus hoc non fuerit intercedente ipsorum morte per sententiam declaratum, ad confiscationem bonorum post mortem nihilominus procedatur.

Facultas inquirendi per se & per aliũ quomodo intelligatur.

§. 8. Adiecistis præterea, negotium seu officium Inquisitionis contra hæreticos dilecto filio Priori fratrum Prædicatorum Pa..sien. à Sede Apostolica fuisse sub ea forma commissum, vt idem super hoc posset inquirere, tam per se, quam per alios, quos ad hoc idoneos reputaret: in quo quæritur, vtrum tales delegati existant, & quid possint etiam sic electi. Super quo taliter duximus ordinandum, quod idem Prior possit tres, vel quatuor idoneos ad hoc opus assumere, qui parẽ cum ipso habeant potestatem, & amouere illos, ac ipsorum loco alios substituere, quotiescumque viderit expedire, ipsi tamen Priori, & aliis sic assumptis committendi dumtaxat citationes, & examinationes testium, cum de huiusmodi crimine, ac circumstantiis eius inquiritur, ac denunciationes sententiarum, quas super iis contra quoslibet contigerit ferri, & iis similia faciendi conceditur ab eadem Sede facultas.

Clericus perpetuo immurandus degradatur.

§. 9. Quæstioni verò, qua quæritur, vtrum constitutus in sacris deprehensus in hæresi, & propter hoc immurandus perpetuò, priùs sit ab ordinibus à suo Episcopo degradandus, antequam tradatur huiusmodi pœnitentiæ? Respondemus, quòd talis, qui est perpetuò immurandus, priùs debet à suis ordinibus degradari.

Instruentes citatos ab Inquisitor. coercendi.

§. 10. Nonnulli quoque clerici, & quod est deterius, sacerdotes, prætextu pecuniæ, vel alicuius seruitij temporalis, inueniuntur aliquando Inquisitionis impedire negotium, instruendo citatos hæreticorum credentes de celanda veritate, falsitate dicenda, vel eos indebite liberando. De quibus quæritur vtrum Inquisitores possint tales capere, ac etiam retinere? aut quòd sic accepta restituant, coarctare? Dubium itaque non videtur, quòd ij, quos constat exercere præmissa, ea faciunt in fauorem hæreticæ prauitatis. Quare possunt à talibus per Inquisitores compesci, & pœna debita castigari, tam per captionem personarum, quàm etiam alias, prout culpa exegerit delinquentis.

Religiosi grauius sæcularibus puniendi.

§. 11. Quòd autem postmodum quærebatur, quomodo essent ponendi Religiosi qui inueniuntur in hæresim deliquisse? cùm sæculares peccantes in simili casu immurationis, vel alia pœna plectantur. Eius solutio satis patet, cùm certum sit, tales in hoc, & in consimilibus delinquentes, grauius etiam sæcularibus puniendos.

Declaratio circa pœnas fautorum hæreticorum, & eorundem filiorum.

§. 12. Frequenter etiam vobis ab Apostolica Sede committitur, vt tam hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, quàm ipsorum filios & nepotes, ac illos etiam, qui prædictorum interuentu, vel gratia tale essent adepti, vel assequerentur in posterum, priuandi personatibus, dignitatibus, & honoribus quibuscumque, ac beneficiis Ecclesiasticis, & officiis publicis, de diœcesanorum, vel eis absentibus Vicariorum suorum consilio, habeatis liberam facultatẽm, quòd qualiter intelligi debeat, petiuistis eiusdem Sedis oraculo declarari. Hoc sanè de filiis & nepotibus illorum, credentium, & aliorum huiusmodi, qui modo tales esse probantur, intelligendum esse videtur, non autem illorum, quos emẽdatos constiterit, & pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam ipsi vel iam perfecerunt, vel humiliter prosecutioni eius insistunt, vel parati fuerunt dum viuerent ad recipiendam eandem. Diœcesani qooque in priuandis talibus sunt generalitẽr requirendi, nisi forsan constaret legitimè, quòd iidem scienter eis beneficia contulisset, tunc enim eos in iis requirendos esse non credimus, sed potiùs à suo iudice puniendos.

Iussio prædicta exequendi.

§. 13. Vos igitur hæc & alia contingentia in hac parte, commissum vobis officium, sic prudenter & fideliter exequi procuretis, sic ad ea pure propter Deum, cuius causam geritis, vestra feratur intentio, quòd labor vester vobis ad vitæ præmium, & aliis ad salutem, quæ solùm in talibus quæritur, proficiat animarum.

Datum Viterbij, 5. Kalendas Octobris Pontific. nostri, Anno quarto. *D.P. A. 4. die 27. Sept.*

XIII.

Infirmi, qui sanæ mentis hæreticorum consolamentum petunt, non excusantur eò quòd tempore receptæ consolationis, sanæ mentis non essent.

Ex hac Bulla proditam esse credo cap. 3. de Hæret. in 6. Et eandem Bullam edidit postea Vrb. IV. die 21. Augusti 1262. quam vti minus necessariam prætermisi.

ALEXANDER EPISCOPVS, &c. Dilectis filijs Fratribus Ordinis fratrum Minorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione S. Francisci, præsentibus & futuris, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1258.*

Quidam infirmi consolamentum hæreticorum petebant.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli de partibus, vbi vobis contra hæreticos Inquisitionis officium est commissum, in mortis articulo constituti, salutis remedium abhorrentes, Consolatos hæreticos ad se introduci faciunt, & ab eis per impositionem manus, desolationis suæ consolationem accipiunt, secundùm pessimam consuetudinem eorundem. Sed filij & hæredes sic decedentium propter hoc exhæredari timentes, ac volentes ob id eorum malitiam excusari, proponunt se velle probare per testes, quòd iidem, qoando recipiebant consolationem huiusmodi, loquelam amiserant, & erant alienati à mente: cùm moris sit apud eos

(vt

(vt dicitur) quòd nullum taliter consolentur, qui non sit sanæ mentis, & memoriam habeat ordinatam. Quare nos consulere voluistis, vtrum debeant tales probationes admitti.

Hic Pontif. prouidet vt in rubr.

§. 1. Nos igitur consultationi vestræ taliter respondemus, vt si legitimè constiterit, quòd prædicti dum sanæ mentis essent, petierint hæreticos Consolatores, sicque viam fuerint vniuersæ carnis ingressi, licèt consolationem huiusmodi, imò verius desolationem, non sanæ mentis effecti, vel post perditam iam loquelam suscepisse dicantur, nulla super hoc probatio admittatur, cum in nullo sic decedentes debeant propterea releuari. In dubio verò admitti poterit, non tamen vxores, filij, seu familiares, aut de suis aliqui, ad hoc probandum recipiantur in testimonium, sed alij testes idonei, & specialiter fidei zelatores, cum contra tales sit non modicum præsumendum: sicque in talibus propter fidei priuilegiũ, cum multa cautela summaque diligentia præ cæteris negotiis, procedendum.

D. P. A. 4. die 23. Nouemb.

Dat. Anagniæ Idibus Nou. Pont. nostri Anno quarto.

XIV. De cautione recipienda ab Hæreticis cõuersis, & eorum fautoribus, eaque in casu contrauentionis exigenda, ac obedientia ab eis requirenda.

Edita, An. D. 1258. & 1260.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis fratribus Ordinis Minorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione S. Francisci, tàm præsentibus, quàm futuris. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Redeuntes ad fidem cauelt de ea tenenda.

SVper extirpatione hæreticæ prauitatis, hoc à vobis in locis in quibus contra hæreticos, vobis Inquisitionis officium est commissum, statuimus obseruandum, vt hæreticis, credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defensoribus hæreticorum ipsorum, ad mandatum Ecclesiæ redeuntibus, sub certa pœna pecuniaria inter cętera quę iniungenda fuerint, iniungatis districtè, quod fidem Catholicam firmiter teneant, & vlterius hæreticis ipsis auxilium, consilium, & fauorem aliquem non impendant, necnon Ecclesię mandatis obediant, & obseruent quæ eis feceritis, vel vnus vestrum occasione ipsius hæreticæ prauitatis, & ab eisdem cautio exigatur. Nos autem vobis & singulis vestrum, cogendi per censuram Ecclesiasticam appellatione remota, tàm redeuntes ipsos, quàm & defensores, si oportuerit, eorumdem, ad præstationem vel solutionem huiusmodi pœnæ, ad quam se obligauerint, si, quod absit, in dictam pœnam inciderint, plenam concedimus auctoritate præsentium facultatem.

Pecunia ex dictis cautionibus redigẽda vbi exponenda sit.

§. 1. Pecunia vero quæ de huiusmodi pœnis, vel ex tertia parte mulctarum, vel condemnationum exigendarum à quibuslibet personis & locis, seu bonorum apprehendendorum occasione hæresis, vel hæreticorum secũdùm tenorem constitutionum nostrarum (quas in eosdem hæreticos, fautores eorum, & alios promulgatas, in capitularibus ciuitatum & locorum aliorum conscribi mandauimus) fortè peruenerit, penes tres viros fide probatos à vobis & à Diœcesano, vel eiusdem Vicario, si idem præsens non fuerit, eligendos, deponatur fideliter conseruanda & de illa vobis, & singulis vestrum necessariæ, ad prosecutionem negotij contra hæreticos expensæ sine difficultate aliqua de ipsius Diœcesani consilio ministrentur, & eidem Diœcesano de iis quæ expendi contigerit, rationis plenariæ fidelis computatio exponatur.

D. P. A. 4. die 13. Octob.

Dat. Anagniæ, Idibus Nouemb. Pont. nostri Anno 4.

Sequitur alia const. in executionem præcedentis.

Edita An. D. 1260.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus de Ordine Minorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione B. Francisci. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Causa iussionis.

AD audientiam nostram peruenit, quod nonnulli de administratione B. Francisci, notati & suspecti de hæretica prauitate, ac fautores & receptatores hæreticorum, ad mandatum Ecclesiæ redeuntes, interdum se obligant sub certis pœnis ad parendum mandatis Ecclesiæ, & super hoc præstant vobis fideiussorias cautiones, quorum nonnulli mandatis quæ ipsis facitis, parere recusant.

Iussio exigendi pœnas.

§. 1. Quia verò nostri decet appositione consilij super hoc salubriter prouideri, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tales; & fideiussores eorum, quod mãdatis factis eis per vos, & faciendis pareant, monitione præmissa per impositionem & exactionem pœnarum, ad quæ se obligant, & etiam per censuram Ecclesiasticam appellatione remota cogatis; inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Dat. P. An. 6. die 23. Ianu.

Datum Anagniæ, 10. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri Anno sexto.

XV. Quòd Prælati Ecclesiastici, Rectores sæculares, & alij, faueant & assistant inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in negotio fidei exequendo.

Ampliorem in hoc dispositionem attende infr. in constit. 1. Pij V. Sanctissimus & in alia const. 71. Clem. VIII. Sanctissimus.

Edita A. D. 1258.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus . . . . Episcopis & dilectis filiis . . . . Electis Abbatibus, Prioribus, Ministris, Guardianis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & Rectoribus necnon & vniuerso Clero, tam Religiosis cuiuscumque professionis, & Ordinis, quàm Sæcularibus, in ducatu Spoletano constitutis. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Causa huius constitutionis.

EXortis in agro Fidei Christianæ per partes Italiæ abundantius solito hæreticæ zizaniis, seminante illa, per temporis impacati malitiam, homine inimico, Sedes Apostolica eius caput Fidei & magistra, volens circa zizaniorum extirpationem huiusmodi, per aliquos de fratribus Ordinis Minorum, partes suæ sollicitudinis adimpleri, dilecto filio . . . . Ministro Prouinciali eiusdem Ordinis, in administratione S. Francisci mandauit, vt ipse duos ex fratribus suis viros zelum habentes Christianæ Fidei, & opere ac sermone potentes, assumeret, eisque in partibus vestris, Inquisitionis officium contra hæreticos, eorumque fautores, & complices iniungere procuraret.

Iussio de qua in rub.

§. 1. Nos itaque CHRISTI nomen in populo exaltari gaudentes, ac fidei eius massam ab omni per quod infici valeat, emundari totis affectibus cupientes, vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus attendentes prudenter, quòd Inquisitores huiusmodi à prædicto deputati Ministro pro defensione ipsius Fidei, & cum salute fidelium laborantes, & periculis personas proprias salubriter exponentes, nequeunt ad omnia, quę tanto expediunt negotio, sufficere per seipsos, eisdem, & aliis, si quos ad hoc ex ipsius fratribus contigerit deputari, in prædicto exequendo negotio efficaciter assistatis, opportunum sibi consilium, fauorem & auxilium impendendo, ita quod exinde vestræ Fidei sinceritas merito valeat commendari, nec contingat Dei opus periculose per vestram negligentiam vel incuriam intermitti, quas procul dubio, præter id quod horrendis notaret maculis infamia negligentes vltrix omnis inobedientiæ ac negligentiæ Apostolica seueritas acri percelleret disciplina.

D. P. A. 4. die 15. Nouemb.

Datum Anagniæ 17. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno quarto.

Indulgentiæ pro Inquisitoribus hæreticæ prauitatis eorumque Notariis, sociis, & fautoribus: ac pro omnibus in prosecutione negotij F. de decedentibus.

Alia

Alia seruientium Inquisitoribus priuilegia, vide sup. in const. 2. Innoc. IV. Impia & infrà in Vrb. IV. const. 2. Licèt.

Ad propagandam fidem Catholicam Congregationem instituit Greg. XV. in constit. 26. Inscrutabili inf. tom. 4.

Edita An. D. 1259. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis fratribus Ordinis fratrum Minorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione S. Francisci præsentibus & futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. Firmissime teneat vestra prudentia, & nullatenus dubitet, quòd Deus indulgentiarum & pater misericordiæ, considerans merita singulorum, contentus nostris Indulgentiis non exstit, quin benefacientibus gratiam potiorem indulgeat, & gloriam superaddat, ad quas per fructum boni operis promerendas, fideles CHRISTI frequenter & libenter nostris remissionibus inuitamus. Cum itaque vos propter Deum in negotio Fidei laborantes, huiusmodi salutaribus præmiis deceat recreari.

Indulgentiarum elargitio. §. 1. Nos vobis verè pœnitentibus & confessis, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, plenam concedimus veniam peccatorum. Sociis autem Ordinis vestri fratribus & Notariis vestris, qui vna vobiscum in prosecutione huiusmodi negotij laborabunt, & aliis qui ad impugnandum hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, vobis ex animo auxilium præstiterint vel fauorem, tres annos de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus. Et si qui ea eis in prosecutione huiusmodi negotij fortè decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti ac ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Dat. P. An. 5. die 15. Sept. Datum Anagniæ 17. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno quinto.

XVII. Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas, cogendi quoscumque Magistratus & Officiales, ad exequendum eorum sententias.

Hoc idem statuit Innoc. VIII. inf. in eius const. 10. Dilectus. Et aduerte quòd hanc executionem dare illi tenentur, absque processuum reuisione, vt ibid. & in const. 43. Leon. X. Honestis.

Edita An. D. 1260. *ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis fratribus de Ordine Minorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Prouincia B. Francisci. Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Causa constitutionis. AD audientiam nostram peruenit, quòd Potestates, Rectores, Iudices, Antiani, Officiales, Consilia, & Communitates, quorundam Castrorum, Locorum & Ciuitatum Prouinciæ B. Francisci, in qua inquisitio contra hæreticos vobis à Sede Apostolica est commissa, circa executiones sententiarum, quas contra notatos suspectos de hæretica prauitate, credentes, fautores, & receptatores eorum profertis, à vobis super hoc requisiti, se interdum reddunt difficiles, & etiam negligentes. Nos itaque volentes quod negotium Inquisitionis huiusmodi, salutarem consequatur effectum, circa ea intendimus animo vigilanti, per quæ submotis quibuslibet obstaculis, prædictum negotium, Deo propitio, & de bono in melius dirigatur.

Inquisitorum facultas de qua in rub. §. 1. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Potestates, Rectores, Iudices, Antianos, Officiales quocumque nomine censeantur, Consilia, & Communitates prædictas, quòd huiusmodi sententias à vobis latas & ferendas, etiam sublato cuiuslibet dilationis & difficultatis obstaculo, executioni demandent, monitione præmissa per excommunicationis in personas Potestatum, Rectorum, Iudicum, Antianorum, Officialium, & Consiliariorum, ac priuationis ab officiis: & in Ciuitates, Castra & Loca huiusmodi, interdicti sententias, appellatione remota cogatis.

§. 2. Non obstante aliqua indulgentia Sedis Apostolicæ, de qua, cuiusque tenore, oporteat in nostris literis plenam & expressam mentionem fieri, & per quam effectus præsentium impediri valeat vel differri. *Derogatio contrariorum.*

Datum Anagniæ, 13. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri Anno sexto. *D. P. A. 4. die 20. Ian.*

Inquisitorum hæreticæ prauitatis auctoritas, compellendi quoscumque ad sibi exhibendum scripturas & instrumenta spectantia ad Officium sanctæ Inquisitionis, & conuocandi Clerum & populum aduersus hæreticos, & eorum fautores. XVIII.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis .... fratribus de Ordine Minorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione S. Francisci, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1260.*

CVpientes vt Inquisitionis negotium contra hæreticam prauitatem in sollicitudini vestræ commissum ad Dei gloriam & augmentum Fidei Catholicæ, in nostris manibus fœliciter prosperetur: compellendi appellatione remota per censuram Ecclesiasticam, per vos vel per alios, quos ad hoc idoneos vos vel alter vestrum duxeritis eligendos, omnes illos, qui scripta, vel instrumenta Inquisitionis, vel ad eius officium pertinentia, per quoscumque hactenus facta, ac etiam facienda contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, seu defensores eorum habent, vel habuerint, vt ea sine cuiuslibet difficultatis seu dilationis dispendio, vobis vel alteri vestrum exhibeant. *Facultas compellendi omnes habentes scripturas spectantes ad Inquisitionem.*

§. 1. Necnon absoluendi à sententia excommunicationis omnes illos, qui dimissa hæreticorum perfidia, ad vnitatem Catholicæ Fidei, liberè, ac humiliter redire voluerint, & credentes, receptatores, fautores, ac defensores eorum, ac etiam reconciliandi eos Ecclesiæ, à qua noscuntur diabolica suggestione præcisi. *Absoluendique redeuntes ad Fidem.*

§. 2. Conuocandique Clerum & populum Ciuitatum, Castrorum, aliorumque locorum contra tales: ita vt in ferendis sententiis contra ipsos, possitis peritos & discretos, prout expedierit, aduocare. *Conuocandi Clerū & populum, &c.*

§. 3. Dandi quoque omnibus accedentibus ad vocationem huiusmodi, auctoritate nostra quadraginta dierum indulgentiam. *Indulg. eisdē dandi.*

§. 4. Procedendi etiam contra illos, quos in dicta prouincia commisisse constiterit, licèt ad alias partes se duxerint transferendos: necnon, & vt in eodem negotio summarie, absque iudiciorum & aduocatorum strepitu, procedere valeatis, auctoritate præsentium vobis & cuilibet vestrum concedimus facultatem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. *Procedēdique contra omnes summarie.*

§. 5. Non obstantibus si aliquibus sit Indultum ab eadem Sede, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, nisi plenam & expressam, vel de verbo ad verbum fecerint mentionem: & constitutione de duabus dictis edita in Concilio generali. *Quibuscūque non obstantib.*

Datum Anagniæ quatro Non. Maij, Pontific. nostri Anno sexto. *D. P. A. 6. die 4. Maij.*

Prælati Ecclesiastici, & alij omnes Clerici quomodolibet exempti, statim requisiti, prouideant Inquisitoribus eorumque sociis, de saluo conductu. XIX.

Concordat subsequens constitutio, Magistratibus sæcularibus directa.

ALEXAN

Edita An. D. 1260.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archiepresbyteris, Præpositis, Plebanis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & Clericis Religiosis & Sæcularibus, tam exemptis, quàm non exemptis per Prouinciam Romanam, quæ continet Vrbem cum suo districtu, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Sabiniam, Reate cum sua Diœces. Campaniam, & Maritimam, constitutis, ad quos literæ istæ peruenerint. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

AD extirpandam de partibus vestris hæreticam prauitatem totis affectibus intendentes, inquisitionem faciendam in illis partibus contra respersos huiusmodi prauitate, dilecto filio fratri Andreæ de Ordine Minorum, duximus committendam.

Prælati & Clerici prouideant Inquisitoribus de saluo conductu.

§. 1. Vt igitur idem frater vestro fultus præsidio, & commisso sibi negotio Inquisitionis; Deo propitio valeat prosperari: vniuersitatem vestram rogamus & hortamur attentè, in virtute obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus vos vniuersi & singuli, dicto fratri Andreæ & sociis eius, de securo conductu, quotiescumque vos super hoc duxerint requirendos, liberaliter, ac sine dilatione, de loco ad locum prouidere curetis: preces nostras & præceptum taliter impleturi, vt pateat per effectum operis, quod sitis orthodoxæ Fidei zelatores. Nosque deuotionem vestram possimus exinde meritò commendare.

D. P. A 6. die 16. Martij.

Dat. Anagniæ, Idibus Martij; Pontificatus nostri anno sexto.

XX. Barones, Magistratus, Communitates, & Officiales omnes, tenentur statim requisiti, Inquisitoribus eorumque sociis de securo saluo conductu prouidere.

Concordat cum præced. constitutione, directa Clericis & Prælatis Ecclesiasticis.

Edita An. D. 1260.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Nobilibus viris, Baronibus, Castellanis, Potestatibus, Capitaneis, Rectoribus, Antianis, Prioribus & eorum Officialibus, necnon Communitatibus Ciuitatum, Castrorum, & Locorum Prouinciæ Romanæ quæ continet Vrbem cum suo districtu, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Sabiniam, Reate cum sua diœcesi, Campaniam, & Maritimam, ad quos literæ istæ peruenerint. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

AD extirpandam de partibus vestris hæreticam prauitatem totis affectibus intendentes, Inquisitionem faciendam in illis partibus contra respersos huiusmodi prauitate, dilecto filio fratri Andreæ de Ordine Minorum duximus committendam.

Omnes tenentur inquisitoribus prouidere de saluo conductu.

§. 1. Vt igitur idem frater vestro fultus præsidio, in commisso sibi negotio Inquisitionis, Deo propitio valeat prosperari: vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur attentè sub pœna excommunicationis, ac mille marcharum argenti, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus vos vniuersi & singuli, dicto fratri Andreæ & sociis eius de securo conductu quotiescumque vos super hoc duxerint requirendo, liberaliter ac sine dilatione, de loco ad locum prouidere curetis: Preces nostras & præceptum taliter impleturi, vt pateat per effectum operis, quòd sitis orthodoxæ Fidei zelatores. Nosque deuotionem vestram possimus exinde meritò commendare.

Dat. P. An. 6. die 15. Mart.

Dat. Anagniæ, Idibus Martij, Pont. nostri anno sexto.

XXI. Quòd Inquisitores hæreticæ prauitatis, bona Hæreticorum confiscata distrahant, & pretium ad opus S. R. E. conseruent.

Ad hæc vide supr. constit. 8. Innoc. IV. Cum fratres, vbi notaui.

Edita An. D. 1260.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs fratribus Andreæ, Gentili, & Bartholomæo Ordinis Minorum, & aliis Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Romana Prouincia, & administratione B. Francisci. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Facultas de qua in rubr.

DIscretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, vendendi ac distrahendi liberè bona hæreticorum, eorúmque fautorum, credentium, receptatorum & defensorum, publicata iam, seu confiscata, & in posterum publicanda, & confiscanda, prout commisso vobis Fidei negotio expedire videritis, ita quòd eorum pretium ad opus Romanæ Ecclesiæ conseruetur, necnon & contradictores super hoc, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem.

D. P. A. 6 die 24. Sept.

Dat. Genuæ, 8. Kal. Octobris, Pont. nostri anno sexto.

XXII. Inquisitores hæreticæ prauitatis, procedere possint in causis Fidei, contra quoscumque etiam exemptos, eligeréque Notarios etiam regulares, qui in sæculo Notarij fuerint.

Edita An. D. 1260.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis fratribus Ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Lombardia, Marchia Ianuensi. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Inquisitorum authoritas procedendi contra omnes etiam exemptos.

NE commissæ vobis contra hæreticos Inquisitionis officium, quocumque contingat obice præpediri, vobis & singulis vestrum, præsentium auctoritate concedimus, vt non obstantibus aliquibus priuilegiis vel indulgentiis, quibuscumque personis, cuiusuis conditionis, dignitatis, vel gradus, Religionis aut Ordinis, & præsertim Cisterciensis, Prædicatorum, Minorum, seu Eremitarum, siue Communitatibus, vel vniuersitatibus Ciuitatum, locorum, specialiter vel generaliter, sub quacumque verborum expressione vel forma ab Apostolica Sede concessis, vel amodo concedendis, etiamsi dicatur in illis, quòd eis per aliquas literas, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes, priuilegiorum, vel indulgentiarum ipsarum nequeat derogari, maximè quòd illi excommunicari, vel ipsorum Terræ supponi non possint Ecclesiastico interdicto: aut quòd prædictorum vel aliorum quorumlibet Ordinum fratres, ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet siue denunciationes sententiarum, excommunicationis, suspensionis vel interdicti auctoritate literarum Apostolicarum minimè cogi possint, nisi de ipsorum Ordinibus & priuilegiis vel indulgentiis, eis super hoc à Sede Apostolica concessis, habeatur in eisdem literis mentio specialis: in eodem officio & contra impedientes illud; vel in eo vobis iuxta officium & posse suum, à vobis requisitos assistere non curantes, liberè iuxta formam vobis per literas nostras traditam, procedatis: cùm ex huiusmodi vel aliis priuilegiis & indulgentiis, nullum vobis in tantæ pietatis negotio, velimus obstaculum generari.

Notarijs quos eligendi.

§. 1. Ad hæc, si super his quæ circa idem officium, illúdque contingentia in scriptis fuerint redigenda, tabellionum sæcularium copia fortè defuerit opportuna, personis regularibus cuiuscumque Ordinis qui tabellionatus officium in sæculo habuisse noscuntur, exercendi illud in his, cum à vobis necessitate huiusmodi suadente fuerint requisiti, auctoritate nostra licentiam concedatis. Quos ad hoc constitutione canonica, vel regulari contraria nequaquam obstante, ex districto volumus iussionis nostræ præcepto teneri. Quòd si nec tales habere poteritis, alios duos viros idoneos, Clericos vel Laicos, quoties talis imminebit necessitas, assumatis: qui simul fideliter ea quæ fuerint à vobis, vel coram vobis ex præ-

dicto officio generali gerenda, conscribant, quorum scripta quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, ac si vnius personæ publicæ manu confecta fuissent, inconcussam habere decernimus firmitatem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali.

Dat. P. An. 6. die 15. Oct. Dat. Anagniæ, Idibus Octob. Pontific. nostri Anno sexto.

XXIII. Inquisitores hæreticæ prauitatis Ordinis Fratrũ Prædicatorum vel Minorum non tenentur obedire Prælatis suorum Ordinum, in concernentibus Officium sanctæ Inquisitionis.

Hoc idem statuit Vrb. IV. in quadam eius const. incipien. Catholicæ, quam consulto vti minus necessariam prætermisi.

Edita An. D. 1260. *ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis, Vniuersis fratribus Prædicatorum & Minorum Ordinum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, per diuersas Italiæ partes à Sede Apostolica deputatis, & in posterum deputandis. Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Causa constitut. CAtholicæ Fidei negotium, quod plurimum insidet cordi nostro in vestris prosperari manibus, ac de bono in melius procedere cupientes, ac volentes omne ab eo impedimentum omneque obstaculum remoueri: præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus in eodem negotio, de diuino & Apostolico fauore confisi, omni humano timore deposito, constanter ac intrepidè procedentes, circa extirpandam hæreticam prauitatem, tam de Lombardia & Thuscia, quam de omnibus aliis Italiæ partibus, cum omni vigilantia omnique studio laboretis. Et si forsan Magister & Minister Generalis, aliique Priores, & Ministri Prouinciales, ac Custodes seu Guardiani aliquorum locorum vestrorum Ordinum, prætextu quorumcumque priuilegiorum seu indulgentiarum eiusdem Sedis dictis Ordinibus concessorum, aut concedendorum in posterum, vobis vel vestrum alicui, seu aliquibus iniunxerint, seu quoquomodo præceperint, ad tempus vel quoad certos articulos certásve personas negotio supersedeatis eidem.

Inquisitores non tenentur &c. vt in rubr. §. 1. Nos vobis vniuersis & singulis auctoritate Apostolica districtiùs inhibemus, ne ipsis obedire in hac parte, vel intendere quomodolibet præsumatis, nos enim priuilegia seu indulgentias huiusmodi, quantum ad hunc articulum, tenore præsentium reuocantes, omnes excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, si quas in vos vel vestrum aliquos hac occasione ferri contigerit, irritas prorsus decernimus & inanes. Nam etsi prædicta sedes interdum Prælatis aliquibus vestrorum ordinum per suas sub certa forma committat litteras, vt ad exercendum Inquisitionis officium contra hæreticam prauitatem, aliquos suorum ordinum fratres assumere valeant, ipsosque cum expedire viderint, amouere, ac alios subrogare; non tamen per hoc quod ipsis eadumtaxat de causa in hac parte committitur, quia de Fratrum suorum Ordinum idoneitate pleniorem habere notitiam præsumantur, aliqua eis super huiusmodi Inquisitionis negotio, vobis immediatè à prædicta Sede commisso, & committendo, facultas vel iurisdictio attribuitur seu potestas.

D. P. A. 6. die 11. Decembr. Dat. Lateran. 3. Idus Decembris, Pontific. nostri anno sexto.

VRBANVS QVARTVS PONT. CLXXXIV. Anno Domini MCCLXI.



VRbanus Quartus Gallus, ex Ciuitate Trecensi Iacobus Pantaleo, anteà vocatus, Patriarcha Hierosolymitanus, creatus Viterbij, 4. Kalend Septembris anno 1261. Vixit annos tres, mensem vnum, dies quatuor. Creauit Cardinales quatuordecim. Obiit Perusiæ anno Domini 1264. 6. Nonas Octobris, ibidem in Ecclesia Cathedrali S. Laurentij sepultus est. Vacauit sedes menses 4. dies 3.

I. Institutio Festiuitatis Sanctissimi Corporis CHRISTI, pro Feria quinta post octauam Pentecostes quotannis solemniter celebrandæ.

Hanc institutionem comprobauit Clem. 5. vt in Clem. vnica de Reliq. & Ven. Sanct. vbi istam Bullam integram recenset. Quam tamen in hoc opere non posui, quia super eadem celebratione per octauam & Indulgentijs, habes in hoc opere aliam const. Martini V. num. 12. Ineffabile, ac alteram Eugen. IV. num. 6. Excellentissimum.

Ad maiorem tanti Sacramenti venerationem, institutæ sunt etiam Laïcorum Confraternitates, vt in const. 20. Pauli III. Dominus. Et vnicuique concessum est, infrà octauam facere solemnem processionem à Greg. XIII. infr. in const. 10. Cum interdum.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, &c. *Edita An. D. 1262.*

TRANSITVRVS de hoc Mundo ad Patrem Saluator noster D. IESVS CHRISTVS, cum tempus suæ Passionis instaret, sumpta Cœna in memoriam mortis suæ, instituit summum & magnificum sui Corporis & Sanguinis Sacramentum, Corpus in cibum, & Sanguinem in poculum tribuendo. Nam quoties hunc Panem manducamus, & Calicẽ bibimus, mortem Domini annunciamus. In institutione quidem huius Sacramenti dixit ipse Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem, vt præcipuum & insigne *Enarratio multorum beneficiorum receptorum à Deo in hoc Sacramento pro nobis institu-to.*

memo

memoriale sui amoris eximij, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum, & Venerabile Sacramentum, memoriale inquam mirabile ac stupendum, delectabile, suaue, tutissimum, ac super omnia pretiosum, in quo innouata sunt signa, & mirabilia immutata, in quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suauitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur, in quo vtrique vitæ suffragium consequimur & salutis. Hoc est memoriale dulcissimum, memoria salutificum, in quo gratam Redemptionis nostræ recensemus memoriam, in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa, in quo profectò proficimus ipsius corporali præsentia Saluatoris. Alia namque quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur: sed non propter hoc realem eorum præsentiam obtinemus. In hac verò Sacramentali CHRISTI commemoratione, IESVS CHRISTVS præsens sub alia quidem forma, in propria verò substantia est nobiscum. Ascensurus enim in Cælum, dixit Apostolis & eorum sequacibus; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, benigna ipsos promissione confortans, quòd remaneret & esset cum [illegible] etiam præsentia corporali. O digna, & nunquam intermittenda memoria, in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interiisse, ac [illegible] viuificum ligno Crucis affixum, fructum nobis attulisse salutis. Hæc est commemoratio gloriosa, quæ fidelium animos replet gaudio salutari, & cum infusione lætitiæ deuotionis lacrymas subministrat. Exultamus nimirum nostram memorando liberationem, & recolendo Passionem dominicam per quam liberati sumus, vix lachrymas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione, adsunt nobis, suauitatis gaudium simul & lachrymę, quia & in ea cōgaudemus lachrymantes, & lachrymamur deuote gaudentes, lætas habendo lachrymas, & lætitiam lachrymantem, nam & cor ingenti perfusū gaudio, dulces per oculos stillat guttas. O diuini amoris immensitas, diuinæ pietatis superabundantia, diuinæ affluentia, largitatis. Dedit enim nobis Dominus omnia, quæ subiecit sub pedibus nostris, & super vniuersas terræ creaturas, contulit nobis Dominij principatum. Ex ministeria etiam spirituū superiorum, nobilitat & sublimat hominis dignitatē. Administratorij namque sunt omnes in ministerium, propter eos qui hæreditatem salutis capiunt destinati. Et cum tam copiosa fuerit erga nos eius munificentia, volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem caritatem præcipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit, & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis & admirāda liberalitas, vbi donator venit in donum, & datum est idem penitus cum datore. Quam larga & prodiga largitas, cum tribuit quis se ipsum. Dedit igitur nobis se in pabulum, vt quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipse releuaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferi, releuatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum. Illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanitatem. Gustus sauciauit, & gustus sanauit. Vide, quia vnde vulnus est ortum, prodiit & medela; & vnde mors subiit, exinde vita euenit. De illo siquidem gustu dicitur, Quacumque die comederis, morte morieris; de isto verò loquitur, Si quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum. Hic est cibus qui plene reficit, verè nutrit, summeque impinguat, non corpus, sed cor, non carnem, sed escam, non ventrem, sed mentem. Homini ergo, qui spirituali alimonia indigebat, Saluator ipse misericors, de nobiliori & potentiori huiusmodi alimento pro animæ refectione pia dispositione prouidit, decens quoque liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, & verbum Dei æternum quod rationabilis creaturæ cibus est, & refectio, factum caro, se rationabili creaturæ carni & corpori, homo videlicet, in edulium largiretur, panem enim Angelorum manducauit homo, & ideo Saluator, ait, Caro mea vere est cibus. Hic panis sumitur, sed vere non consumitur; manducatur, sed non transmutatur, quia in edentem minimè transformatur, sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum Sacramentum, ô adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, deuotis prosequendum obsequiis, & sinceris mentibus retinendum. O memoriale nobilissimum intimis cōmendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reseruandum in cordis vtero & meditatione, ac celebritate sedula recensendum. Huius memorialis continuam debemus celebrare memoriam, vt illius cuius ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus, quia cuius donum vel munus frequentius aspicitur, huius memoria strictius retinetur.

Relatio causæ ob quam instituta fuit solemnis festiuitas huius Sacramenti.

§. 1. Licet igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis missarum solemniis frequentetur, conueniens tamen arbitramur & dignum, vt de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam & insaniam, memoria solemnior & celebrior habeatur. In die nāque Cœnæ Dñi, quo die ipse CHRISTVS hoc instituit Sacramentum, Vniuersalis Ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis quamplurimum occupata, plenè vacare non potest celebrationi huius maximi Sacramenti. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa obseruat Ecclesia, vt quamuis in Litaniis, & Missis, ac aliis etiam ipsorum memoriam sæpiùs renouemus, nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solēnius recolat, festa propter hoc eisdē diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitū, aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut aliàs ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater Ecclesia certum diem, in qua generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, vt in hac ipsorum celebratione communi, quicquid in propriis ipsorum festiuitatibus omissum existeret, solueretur. Potissimè igitur exequendum est erga hoc viuificum Sacramentum Corporis & Sanguinis IESV CHRISTI, qui est Sanctorum omnium gloria & corona, vt festiuitate, ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo quod in aliis Missarum officiis circa solemnitatem est forsan prætermissum, deuota diligentia suppleatur, & fideles festiuitate ipsa instante, intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solemniis sæcularibus forsan agendis impleuit, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus, & animi puritate restaurent. Intelleximus autem olim dum in minori essemus officio constituti, quòd fuerat quibusdam Catholicis diuinitus reuelatum, festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.

Institutio d. festiuitatis, singulis annis feria quinta post octauam Pentecostes solemniter celebrandæ.

§. 2. Nos itaque ad corroborationem, & exaltationem Catholicæ fidei, digne ac rationabiliter duximus statuendum, vt de tanto Sacramēto præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solemnior, & specialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc designantes & describentes diem, videlicet feriam quintam proximam post Octauam Pentecostes, vt in ipsa quinta feria deuotæ turbę fidelium propter hoc ad Ecclesias affectuose concurrant, & tam Clerici, quàm Populi gaudentes, in cātica laudum surgant. Tunc enim, omnium corda, & vota, ora, & labia, hymnos persoluant lætitiæ salutaris, tunc psallat fides; spes tripudiet; exultet charitas; deuotio plaudat, iubilet chorus; puritas iucundetur. Tunc singuli, alacri animo pronaque voluntate conueniāt sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solemnitatem celebrātes. Et vtinam ad CHRISTI seruitium, sic eius fideles ardor inflammet, vt, per hęc, & alia proficientibus ipsis meritorum cumulis apud eum, qui sese dedit pro eis in pretium, tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post huius vitæ, decursum eis se in præmium largiatur.

Hortatio ad celebrationem d. festiuitatis.

§. 3. Ideoque vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, & per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus tam excelsum, & tam gloriosum festum, prædicta quinta feria singulis annis deuote & solemniter celebretis, & faciatis studiose per vniuersas Ecclesias Ciuitatum vestrarum, & Diœcesum celebrari, subditos vestros in

dominica, dictam quintam feriam proximè præcedentem, salutaribus monitis sollicite, per vos & per alios exhortantes, vt per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas & sedulas orationes, & alia deuotionis & pietatis opera, taliter se studeant præparare, quòd huius pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum.

Indulgentia pro illam celebrantibus. Has indulgentias recordare esse amplatas in Bulla citata in rub.

§. 4. Nos enim Christi fideles ad colendum tantum festum & celebrandum, donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi eiusdem, in Ecclesia in qua idem celebrabitur interfuerint, centum; qui verò Missæ, totidem; qui autem in primis ipsius festi Vesperis interfuerint, similiter centum; qui verò in secundis, totidem; Illis verò qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorij officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum, quadraginta; Illis autem qui per octauas illius festi, Matutinalibus, Vespertinis, Missæ, ac prædictarum horarum officiis interfuerint, centum dies, singulis octauarum ipsarum diebus, in omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli, auctoritate confisi, de iniunctis sibi pœnitentiis relaxamus.

Datum &c.

II. Inquisitorũ hæreticæ prauitatis auctoritas, circa processum & examen testium, obseruãtiamque legum editarum contra hæreticos, & punitionem Prædicatorum & aliorum ipsis Inquisitoribus inobedientium.

Conueniunt textus cap. Vt officium, & cap. Per hoc de Hæret. in 6. & Clem. 1. eod. tit. Supradictæ autem leges aduersùs hæreticos promulgatæ sunt sup. in const. 1. Innoc. IV. Cum aduersùs. & const. 9. Ad extirpanda.

Edita, A. D. 1261.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Fratribus Ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Lombardia, & Marchia Ianuensi deputatis auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ad extirpationem hæreticæ prauitatis.

LIcet ex omnibus Mundi partibus, quæ Christiana religione censentur, teneamur ex officij nostri debito extirpare lethiferam pestem hæreticæ prauitatis: in Italia tamen imminet nobis hæc sollicitudo propè sius, vbi eandem pestem propter malitiam temporis, quæ in detrimẽtum fidei Catholicæ peruersa genimina germinauit, ex vicinitate persensimus abundantius succreuisse.

Inquisitores attentè incũbant.

§. 1. Vt igitur Inquisitionis officium contra hæreticos in Prouincia Lombardiæ, videlicet à Bononia & Ferraria inclusiuè, vsque ad vltimos fines superiorum partium eiusdem prouinciæ, ac Marchia Ianuensi, auctoritate Apostolica possit efficacius adimpleri: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminũ iniungẽtes, quantitate in charitate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes, ex alto prædictum officium vbique infrà præfatos limites, simul vel separatim, aut singulariter, prout negotij vtilitas suadebit, sub mercedis æternæ, sic efficaciter prosequi & exequi studeatis, vt per sollicitudinis vestræ prudentiam, de prædictis Lombardia, & Marchia, radix iniquitatis hæreticæ succidatur: & vinea Domini exterminatis vulpeculis, quæ peruersis morsibus demoliuntur eandem, fructus afferat Catholicæ puritatis.

Et culpabiles puniant.

§. 2. Si quos autem de prauitate prædicta, culpabiles inueneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos (nisi examinati absolutè velint mandatis Ecclesiæ obedire) necnon & contra receptatores, defensores, & fautores eorum, iuxta sanctiones canonicas, auctoritate Apostolica, hominum metu, diuino timori postposito procedatis.

Non obstantibus hic enũciatis.

§. 3. Non obstantibus aliquibus literis, ad quoscumque alios de Lombardia & Marchia prædictis (exceptis locorum Diœcesanis) super huiusmodi negotio ab Apostolica Sede directis, quarum deinceps ad inquisitiones huiusmodi faciendas nolumus auctoritate procedi, quinimo ne procedatur per illas districtius inhibemus. Nec prætextu commissionis specialiter eisdem Diœcesanis super hoc factæ, vestros processus in eorundem Diœcesanorum ciuitatibus & diœcesibus, volumus impediri. Nec per hoc quòd fidei negotium generaliter, in ipsa Lombardia & Marchia vobis committimus, commissiones à præfata Sede Diœcesanis eisdem factas, si forsan illarum, seu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus reuocare. Veruntamen siue auctoritate ordinaria, siue ex delegatione prædictæ Sedis, iidem Diœcesani in huiusmodi negotio processerint, nequaquam volumus, per concursum processuum, vel alias quomodolibet, vestros impediri processus, quin Diœcesanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis.

Pœnitentibusq; absoluant.

§. 4. Si verò aliqui ex prædictis, hæretica labe penitus abiurata, redire voluerint ad Ecclesiasticam vnitatem, eis iuxta formam Ecclesiæ, absolutionis beneficium impendatis, & iniungatis eisdem, quod iniungi talibus consueuit, prouiso solerter, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & vos imò potius se ipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum.

Neminem damnent sine consilio Diœcesanorum.

§. 5. Quòd si aliqui fuerint iudicandi hæretici, vel incarcerationis pœna perpetuæ alicui pro huiusmodi crimine fuerit infligenda, sed id per vos de Diœcesanorum, vel Vicariorum suorum, ipsis Diœcesanis absentibus præsentes fuerint, consilio procedatur: vt in tantæ animaduersionis iudicio non postponenda Pontificum auctoritas intercedat.

Examinent testes vt hic.

§. 6. Verum quia in tam graui crimine, cum multa oportet cautela procedi, vt in reos, sine vllo profetatur errore duræ ac dignæ seueritas vltionis, volumus & mandamus, vt vos vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos, in examinatione testium, quos recipi super crimine prædicto ipsumque contingentibus, oportuerit, adhibeatis duas religiosas & discretas personas, in quarum præsentis, per publicam, si commodè potest haberi, personam, aut per duos viros idoneos, fideliter eorundem depositiones testium conscribantur.

Eorum dicta scribantur per Notarium vel duas personas.

§. 7. Ad conscribendas quoque huiusmodi depositiones testium, & ad faciendum omnia quę in commisso vobis officio, ad scriniarij seu tabellionis officium pertinent, teneri districtè præcipimus, cum per vos seu deputatos ad hoc à vobis requisiti fuerint, omnes & singulos vestri Ordinis Fratres, qui dum essent in sæculo huiusmodi tabellionatus officium habuisse, & exercuisse noscuntur, & illos etiam, quibus idem tabellionatus officium, ratione præfati negotij fidei, fuit à dicta Sede commissum, & in posterum committetur.

Notarij eligi tur esse etiam Religiosi qui in sæculo fuerunt.

§. 8. Concedentes huiusmodi fratribus, necnon & aliis religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in sæculo, dictum tabellionatus officium habuerunt & exercuerunt: quibuscumque etiam Clericis sæcularibus, officium ipsum habentibus, etiamsi iidem Fratres Religiosi, & Clerici sint in sacris ordinibus constituti, exercendi liberè officium ipsum quoad præmissa, non obstante aliquo contrario statuto Canonis vel ordinis, quocumque vallato munimine, plenariam facultatem.

Nomina testium scandalo imminente non publicentur.

§. 9. Quod si testibus, quos à vobis recipi, vel ab alio vice vestra super eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorundem, videritis periculum imminere, ipsorum nomina non publicè, sed secretè, coram aliquibus personis prouidis & honestis, religiosis, & aliis ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus, exprimantur, & sic non obstante quòd illis, contra quos huiusmodi testes deposuerint, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem iudicis instruendam, adhibeatur plena fides testium depositionibus eorundem.

Ad consulendum quisque rogatur.

§. 10. Vt ergo commissi vobis officij debitum, vtilius & liberius exequamini, committendi citationes, testium examinationes, cum huiusmodi crimine ac ipsius circumstantiis

stantiis duxeritis inquirendum, & denuntiationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis accersendi quoque prout expedierit peritos quoslibet vt vobis in ferendis huiusmodi sententiis præbeant consilium opportunum, ac vobis assistant. Conuocandi etiam Clerum & populum Ciuitatum, Castrorum aliorumque locorum prout dicto negotio, fidei videritis expedire.

Summarie Inquisitores procedant.

§. 11. Insuper, in dicto negotio, de plano, & absque iudiciorum, & aduocatorum strepitu; ac contra illos quos in prædictis Lombardia & Marchia Ianuensi in hæreseos crimine commisisse constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi.

Leges contra hæreticos seruare faciant.

§. 12. Necnon, faciendi obseruari inuiolabiliter omnes constitutiones Apostolicas, & leges Imperiales per quendam Federicum olim Romanorum Imperatorem, tunc in deuotione Romanæ Ecclesiæ persistentem Paduę promulgatas aduersùs huiusmodi pestem hæreticæ prauitatis. Necnon elargiendi viginti vel quadraginta dierum indulgentiarum, quoties opportunum videritis, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad vestram conuocationem propter hoc faciendam, accesserint, plena sit vobis & singulis vestrum præsentium tenore facultas.

Inquisitorum eorúmque fautorum indulgentia. Vide etiã const. 16. Alex. IV. firmissimè.

§. 13. Vobis autem pro huiusmodi negotio laborantibus, illam peccatorum veniam indulgemus, quæ succurrentibus; Terræ sanctæ, in generali Concilio est concessa, sociis verò vestri Ordinis, & notariis vestris, qui vnà vobiscum in prosecutione huiusmodi negotij laborabunt, & omnibus qui personaliter vobis astiterint in eodẽ negotio, & qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, vobis ex animo præstiterint consilium, auxilium vel fauorem, de omnipotentis DEI misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, tres annos de iniunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Et siqui ex his in prosecutione huiusmodi negotij fortè decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Prædicatores quæstuarij compescantur.

§. 14. Compescendi præterea monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, prædicatores quæstuarios à prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet (quorum interest tãtum charitatiua subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam si quam fortè habent; exponere) liberam vobis & singulis vestrum concedimus auctoritate præsentium facultatem.

Inobedientes omnes coerceantur.

§. 15. Cæterùm si forsè, quod non credimus, aliqui cuiuscumque conditionis, huic negotio vobis commisso se opponere, seu illud præsumpserint aliquatenus impedire, vt non possit procedi in eodem: imo nisi requisiti, illud fouerint, & iuxta officiũ & posse suum, singuli iuuerint studiosè, contra eos tanquam contra hæreticorum fautores & defensores, secundùm sanctiones canonicas, freti eadem auctoritate intrepidè procedatis. Nos enim nihilominus ad reprimendam tam superbam, & perniciosam audaciam, & omnino confundendam, in illos gladium Ecclesiasticæ potestatis acriter exercemus, & Reges & Principes, aliosque CHRISTI fideles, siue pro Terræ sanctæ succursu, siue aliàs pro CHRISTI seruitio Crucis charactere insignitos, necnon & cæteros Catholicos, prout expedire viderimus, inuocabimus contra eos: vt cælum & terra aduersus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moueantur. Denique vt circa præmissa plenè vobis & singulis vestrum coërctionis expedita & inuiolabilis adsit auctoritas, volumus, vt ea omnia viriliter exequamini, inuocato si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 16. Non obstantibus aliquibus priuilegiis, vel indulgentiis, quibuscumque personis, cuiuis conditionis, dignitatis, vel gradus, Religionis, vel Ordinis, & præsertim Cisterciensium, Prædicatorum, Minorum, seu Eremitarum: siue Communitatibus, vel Vniuersitatibus Ciuitatum & locorum, specialiter, vel generaliter, sub quacumque verborum expressione vel forma, à memorata Sede concessis, vel in posterum concedendis: etiamsi dicatur in illis, quod eis per aliquas literas, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes, priuilegiorum, vel indulgentiarum ipsorum nequeat derogari, & illis maximè priuilegiis & indulgentiis, quibus ab ipsa Sede concessum est aliquibus, seu concedetur deinceps, quòd excommunicari, vel ipsorum terræ supponi non possint Ecclesiastico interdicto: aut quòd Prædicatorum, vel aliorum quorumlibet Ordinum fratres, ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet, siue denuntiationes sententiarum excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, auctoritate literarum Apostolicarum minimè cogi possint, nisi de ipsorum Ordinibus & priuilegiis, vel indulgentiis, eis super hoc à dicta Sede concessis, eadem habeatur in eisdem literis mentio specialis (cum ex huiusmodi, vel aliis priuilegiis, nullum vobis in tantæ pietatis negotio velimus obstaculum interponi) & constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali.

Dat. Viterbij 13. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno 1. *D. P. An. 1. & 20. Martij.*

Canonizatio S. Ricardi Episcopi Cicestrensis in Anglia, eiusque relatio in numerum SS. Confessorum, cum institutione suæ festiuitatis, pro die 3. Mensis Aprilis. III.

VRBANVS PAPA QVARTVS Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint. Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1262.*

Proœmium.

EXultet Angelica turba Cœlorum, exultent diuina mysteria, summi namque Regis victoria, & salutaris suæ passionis effectus in humani relucent generis creatura. Exultent in gloria Sancti, & in suis lætentur cubilibus, de nouo Cœli conciue, qui habitator dum domus luteæ terrenum fundamentum habentis, post carnem cum vitiis, Mundum cum deliciis superatum, post habitum de hoste antiquo triumphum, corporis ergastulo resoluto, factus compatriota cælestium, cælesti quiescit in patria, sydereas incolit mansiones. Exultet Mater Ecclesia nouæ prolis fœcunditate iucunda, cuius meritis fidem Catholicam supra firmam petram stabili firmitate firmatam, claris inspicit clarere prodigiis, & signis insignibus insigniti, quibus fallaces hæreticorum confutantur fallaciæ, Iudæorum confunditur obstinata proteruia, inexcusabilis ignorantia paganorum, omni prorsus excusationis velamento frangatur. * Anglia, prorumpat in iubilum, & celebri memoria se virum produxisse mediteтur angelicum, consortem gloriæ Angelorum. Exultet & gaudeat Cicestrensis Ecclesia, quæ tantum meruit habere Pastorem, qui eam viuus salutaribus instruxit monitis, laudabilibus instruxit exemplis, moriens fauore munit apud homines, intercessionibus protegit apud Deum. Gaudens igitur & exultans cum iucunditate, commemoret se illum in terris habuisse patronum, cuius in cœlo patrocinio communitur. Plaudant & iubilent profusis cuncti Christicolæ gaudiis, dum passiones huius sæculi, ad æternam considerãt gloriam profecisse, vt temporalibus pœnis affecti, æternis gaudiis potiantur, dum mundi mundanorumque contemptorem, ad æternæ hæreditatis participium conualescere intueantur, vt terrena spernentes, superna participent, & fiant CHRISTI Domini cohæredes. Plaudant itaque manibus, exultationis voce iubilent, plausus exultet operum, iubilet vox psalmorũ, piis plaudans manus operibus, orationum deuota tripudia vocea sonent, resonent cymbala bene sonantia, labia cordi concinna, Concors concrepet harmonia, cor amet, lingua clamet, manus operetur instanter. Læti diem agant lætitiæ, plebs & clerus ex immensitate gratiæ, mensuram laudis & lætitiæ metiantur. Laudent igitur Dominum secũdum multitudinem infinitæ suæ magnitudinis sine fine.

** instruatur.*

Exultatio vniuersalis in B. Ricardo Episc. Cicestr. multis virtutibus ornato, & miraculis claro.

§. 1. Laudent eum in Venerandæ memoriæ B. Ricardo quondam Episcopo Cicestrensi mirabilem, quem ipse sua immensa bonitate, virtutum operatione mirificans, & gratia sanitatum, sic immensis illustrauit miraculis, quòd in diuersitate graduum sui status, in gratia & gloria gradatim ascendit. In subiectionis namque statu

quasi stella matutina promicuit in medio nebulæ, dum in ipsa iuuenilis ætatis ignorantia, innocentiæ firmato vestigio, imitando vixit exemplo. In Prælationis gradu quasi luna in diebus suis plena resplenduit, potius de virtutum crescentium meritis incrementa suscipiens, quam de auctæ gloria dignitatis. Post felicem verò transitum de hac vita, quasi Sol refulgens, sic ipse in templo Dei refulsit, dum signis euidentibus, quasi radiantibus Solis radiis coruscauit. Fœlis principium, fœliciori continuatum medio, fœlicissimo meruit fine concludi, cuius vitæ talis exitus debebatur. Sic debuit ei largitor bonorum omnium; præscotis curricula vitæ decurrere, vt mundo moriens, ipsi Deo fælicius viuere mereretur. Cuius vitam, per quam veræ vitis palmes effectus, viuit æterna plantatus in vita. Cuius processum, per quem sibi ad cœleste palatium misericordiarum Pater parauit accessum, cuius miranda miracula; quibus miraculose per ipsius merita dominantium Dominus suam mirificauit Ecclesiam, ad suæ laudis præconium, ad instruendum nouis propugnaculis Christianæ religionis ædificium; ad præsentium & futurorum instructionem & gladium, grato compendio gratia diuina fauente sermoni, compendiosus sermo perstringet.

Continentia in cursu sua iuuentutis.

§. 2. Hic nempe à primæuæ iuuentutis suæ primitiis, Ducis illius ducatu deductus, illius Regis rectus & directus regimine, in cuius cellaria ipsum sequens, ipsi obsequens, semper optauit anxius, & tandem obtinuit, vt credimus firmiter, gloriosius introduci. Vacans studiose virtutibus, virtutum Domino votiue reddidit vota sua omnia; quæ iuuenilis ætas perniciose solet amplecti, velox in annosa iam constitutus ætate, discreta maturitate deuitans. Continentiæ studuit, adolescentiæ ac iuuentutis vias incertas, adeo impolluto nixus calle transire, quòd famam suam ab omni contagij carnalis infamia seruauit illæsam.

Cessio oblata sibi à fratre primogenito Regni, ad coniugale consortium nobilis puellæ eum inuitante.

§. 3. Quin etiam à fratre primogenito per grati obsequij eius inducto gratiam, non seducto per alicuius calliditatis astutiã, cum oblatione cedendi patrimonij, quòd secundum morem patriæ idem frater totaliter obtinebat, inuitantis ad coniugale cuiusdam nobilis puellæ consortium, Mundi huius corde mundo immondis declinatis illecebris, vt in sortem Domini cederet, cessit huiusmodi cessioni, & animam suam firmo proposito cælesti sponso desponsans, sponsæ terrenæ sponsalia sponte spernit, ad castitatis aspirans priuilegium, non execrans carnalis matrimonij Sacramentum. O negotiatio prouida, ô vtilis & ingeniosa mercatio, terrena pro cælestibus commutaui, transitoria pro mansuris, temporalia pro æternis. Contempsit temporale patrimonium, vt particeps fieret hæreditatis æternæ. Carnalis coniugij voluptates appetentibus anxias, satietatis pænitudine plenas, abhorruit, vt immaculati thori delicias, desiderantibus suaues & placidas, fruentibus gratas & auidas, obtineret.

Administratio Archiepiscopatus Cantuarien. dum illum B. Edmundus obtinebat.

§. 4. Et vt eo plenius in incepta negotiatione proficeret, quo vberius scientia & virtutibus impleretur, impendit studio sollicitas operas, virtutibus se virtuose deuouit. Et quia vas nouum, animum scilicet peccatorum maculis non infectum, vero attulit Elyseo, ipse sapientiæ sal misit in illud, ipsumque virtutibus, ac famæ nitentis oleo adeo fœcundauit, quod proficiens præ coætaneis suis, in literarum scientia, in tantum virtutibus profecit & fama, quòd inter cæteros, imò cum cæteris, B. Edmundus tunc Cantuarieñ. Archiepiscopus, currens in scientiæ suæ præconio, & laudabilis cõuersationis odore, ipsum in participem singularis familiaritatis, & ad officium Cancellariæ Cantuarieñ. assumpsit. Cumque datam illi à Domino gratiam, pleniorem exolueret * familiaris experientia, quam vulgatis fama promiserat, circa totius Archiepiscopatus administrationẽ ipsius ministerio vtebatur. Ipsum suam dexteram reputabat, fidum sui pectus consilij, fidelem ministrum iustitiæ, ac eruditam linguam fructuosæ doctrinæ. In his autem, & aliis inferioribus administrationibus suæ curæ commissis, Vir Dei diuina ipsum prosequente gratia, taliter ministrauit, quòd in veracitate sermonis, censura iustitiæ, mansuetudinis lenitate, humilitatis cultu, omnibus se amabilem exhibuit, omnibus vtilem, pauperes auxilio, diuites consilio refouendo. In iis quasi stella matutina resplendens, suis crescentibus meritis in plenæ lunæ claritatem excreuit. Licet enim soleant interdum virtutes tepescere, & otio cedere, desideratæ dignitatis culmine accedente, dum studeant aliqui viuere quietius, & persistant in optata & obtenta dignitate diutius, in isto tamen cum altioris gradus incremento, creuerunt.

** aliàs extolleret.*

Electio ad Episcopatum & regimen Ecclesiæ Cicestr. vbi virtutib. & laboribus, &c. præstantior fuit & miraculis clarior, quorum aliqua recensentur videlicet.

§. 6. Ipse namque vocatus ad regimen Ecclesiæ Cicestrensis, factus est solito longè magis vigil ad curam, non segnis ad opus, suauis ad mores. Ex tunc ei fuit pauperum cura maior, habitus abiectior, gestus & affatus humilior. Ex tunc ipse in persecutionem perpessione fortior, in libertatis Ecclesiasticæ defensione constantior, in Iustitiæ censura inflexibilior, in oratione feruentior, in eleemosynarum largitione profusior, in proprij corporis castigatione rigidior, districtior in obseruãtia disciplinæ, in carnis & spiritus lucta prudentior. Horum colluctatione frequenter in ipsa luctatus, prudenter attendit, studuit luctari prudenter, carnem coegit seruire spiritui, abiecit ancillam & filium eius, carnem & carnis incentiua prosternens vigiliis; quas spreto cubili peruigil obseruabat, refocillauit spiritum, pauit ieiuniis, multa orationum assiduitate nutriuit. O virum industrium, ô circumspecti athletæ prudentiam. Carni arma debilitationis imposuit, vt armis fortitudinis spiritus armaretur. Illi dedit arma terrestria, vt spiritus arma cælestia cõmodiùs tolerarer. Vt enim carnis carie caute careret effectu, verè Mardochęus effectus, ipsius & nomẽ & omen assumpsit, dum nominis interpretationẽ impleuit, impudentis carnis factus amara contritio, & ipsam amare conterens impudentem. Posuit enim vestimẽtum eius cilicium, & ipsius stimulos corrigia ligneis & ferreis pungente stimulis, se nudum comprimẽdo repressit, loricamque superinduens, arma maceratationis adiecit. O pugnantis cauta sagacitas, sagaxque cautela; ô dole bone in hostem. Sic amauit aduersarium; vt armis debilitaret armatum, cum debilitato securè confligeret, in conflictu quietius vinceret, de armato virtuosiùs obtineret. Hæc miranda, hæc laudãda belli victoria, non in exercitus multitudine, sed de cœlo veniens fortitudo. Hoc opus illius, in cuius conspectu non est differentia in multis liberare vel paucis. Hoc opus illius, qui docuit lucernam accensam non poni sub modio, sed candelabro superponi. Hoc illius opus, qui quod verbo docuit, opere in B. Richardo compleuit. Ipse enim pater luminũ, qui edidit per tenebras mundi huius in suo lumine ambulare, in ipso meritorum lucernam accendit, ipse illam candelabro mirabilium operum superimposuit, vt per clara merita, quasi Luna resplendens, tandem per miraculorum euidẽtiam, in Solis fulgorem proficeret, & quasi Sol in templo Christianæ Fidei refulgeret, nec laterent in abditis tantæ opera claritatis, quæ idem summus opifex per eum non solùm cum ipso regnantem, sed etiam adhuc, licèt præter carnem, tamen in carne viuentem, dignatus est mirabiliter operari, patientibus ad beneficium; videntibus & audientibus, admirandum imitationis exemplum, & proficiendi doctrinam. Quorum de multis aliqua, onerosæ multitudinis vitandæ gratia, breuis series teserabit.

Multiplicatio panis pro refectione pauperum.

§. 7. Quodam siquidem edulitatis tempore ad eiusdem B. Viri eleemosynã inopinata cõcurrente inopum copia, panem, qui ad nonaginta refectionẽ pauperum, distributione solita æstimatus, occurrentis multitudinis vix parti minimæ concurrebat in numero, viuus panis qui de cœlo descendit, ad ipsius benedictionem abundare fecit in tantum, quòd præter æstimationem astantium, refectis abundè fere tribus millibus pauperum, consuetas recipientium portiones de supernæ abondantia pietatis superabundauerunt partes, quæ secundùm eandem distributionem, centum adhuc paupetes refecissent.

Prædictio horæ sui obitus.

§. 8. Hic resolutionis sui corporis tempore propinquante, per plures dies ante, horam mortis certam, licèt ipsa nihil incertius, facti subsecuta veritate dictum certificare, prædixit.

Nitor corporis post obitum.

§. 9. Post cuius transitum, corpus ipsius antea grauatum vigiliis, terræ duritia, in qua frequenter solebat decubare confractum, ieiuniis maceratum, macerationibus multis afflictum, præter humanum morem, nitidissimum apparuit, vt probaretur pressuris talibus non oppressum, sed potius expolitum.

§. 10. Ad

Erectio iacentis paralytici.

§. 10. Ad ipsius inuocationem, contractus cuius membra naturaliter gressui ministrantia, ita totaliter plurium annorum paralysis inueterata contraxerat, vt eisdem membris huius ministerio ineptis redditis, nulla omnino daretur gradiendi facultas, ille cuius mira sunt opera, subito membris ipsis in solitam virtutem erectis, in liberi gressus libertatem erexit.

Desiccatio antiquatarũ fistularum.

§. 11. Antiquatas fistulas plurium ossium extractione concauas, & sine spe sanitatis stillantes saniem, eiusdem Sancti meritis, vlceribus etiam repentè sanatis, diuinæ pietatis affluentia desiccauit.

Suscitatio trium mortuorum.

§. 12. Tres mortuos, quorum vnum currentis currus per medium rota compresserat, reliquos verò febris extinxerat, ille, qui mortem moriendo destruxit, precibus sub eiusdem porrectis nomine inclinatus, suscitauit ad vitam.

Infusio animæ corpusculo nato exanimi.

§. 13. Et quod non est prætereundum silentio, sed solemni vulgandum gaudio, in humanum corpusculum è vestigio inhumandum, vtpote de corpore matris natum exanime, de vtero transferendum ad tumulum, eius inuocato nomine, animam viuentem, animatum creator infundit.

Instantibus Reg. Angl. & aliis apud Alex. IV. & ipsũ Pontificem de prædictis inquisitionem fieri obtinuerunt.

§. 14. Sanè iis & aliis miris operibus Sancti huius astruentibus sanctitatem, & Christianæ Fidei veritatem miraculorum lingua loquente, concurrit vndique populus, crescit deuotio, laudatur Dominus de saluiferis gratiis, salutis auctori gratiæ referuntur. Inualuit super his fama communis & celebris in auribus felic. record. Alexandri Papæ prædecessoris nostri, de Anglorum tabernaculis vox exultationis & salutis intonuit. Ad ipsum charissimi in CHRISTO filij nostri N. Regis Illustris, Prælatorum, & aliorum Magnatum Angliæ, supplicationis humilis instans clamor ascendit, prædecessoris ipsius auctoritate, inquisitionem fieri super prædictis obtinuit. Nos, & fratres nostros, per Prælatos, Religiosos, Comites, Barones, & alios fide dignos in inquisitione ipsa probata veritas, & auctoritate nostra, primo per Ven. fratrem nostrum N. Episcopum Tusculan. ac demum per Nos & eosdem fratres diligenti examinatione discussa, de Sancti eiusdem vita mirabili, miraculis & meritis gloriosis instruxit.

Hinc cœlum & terra & cuncti qui in ea sunt, lætitiam ostendant, &c.

§. 15. Exultet itaque Cœlum laudibus, resultet terra gaudiis, & huius Sancti solemnia læto concentu concinat populus Christianus. Molliatur duritia Iudæorum, paganorum ignorantia instruatur, sileant hæreses, hæreticorum dolosa labia conticescant, nec moliantur amplius dolosæ vulpeculæ religionis Christianæ segetem caudis ignitis, & dolosis fraudibus demoliri. Virtutem vereantur Ecclesiæ tanti ac talis & similium patronorum defensione munitæ, nec ipsorum præsumptuosa temeritas de cætero in ipsam præsumat insidias, euidentium operum, & signorum propugnaculis tantis instructam: signis saltem euidentibus acquiescant, qui in veri dogmatis testimoniis non quiescunt. Operibus saltem credant qui pertinaciter euangelicæ doctrinæ non credunt. Auertantur ab errorum inuiis, veritatis conuertantur ad viam, vt in Domini veritate directi, rectiùs huius B. Viri vias Fidei & operis vestigiis inuestigent, ipsumque sequi studeant, qui ambulans in via immaculata, Domino fideliter ministrauit.

Hic proinde Pont. dictum Ricardum SS. Catalogo ascribit.

§. 16. Cæterùm quia sicut de ipso pro certo tenet concepto ex his certa & indubitata credulitas, Rex cœlestis sic eũ honorari decreuit in cælis, vt æternæ claritatis lumine quasi regiis vestimentis amictus, & sempiternæ gloriæ diademate decoratus, sedi supernæ quietis insideat; decet vt nostro ministerio per omnem Christiani cultus ambitum vehiculo debitæ venerationis incedens, profusis per orbem gaudiis, & effusis vndique laudibus honoretur in terris. Propter quod de fratrum eorundem, ac Prælatorum omnium, apud Sedem Apostolicam existentium, vnanimi consilio, & concordi consensu, in festo B. Vincentij XI. Kalendas Februarij eum, hostis humani generis, carnis & mundi victorem, Sanctorum Catalogo eum celebri gaudio duximus adscribendum.

Eiusq; festum die 3. April. celebrari iubet.

§. 17. Ideoque Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus 3. Non. Aprilis (quo vtique die ipsius beatus spiritus de vitæ præsentis exilio transiuit ad patriam, & mundi huius egressus tenebras, ac luminis abyssum ingressus, ad inaccessibilem lucem accessit, ipsam fœlix habitans,* & habetur fœliciter ab eadem) celebriter eius festa celebria, modulatis vocibus & cordibus, annis singulis celebretis, & à vestris faciatis subditis celebrari, vt eundem gloriosum Confessorem & inclytum venerantes in terris, sentiatis intercessorem assiduum, & defensorem perpetuum in excelsis.

* *habens.*

Indulgentias etiam eius sepulchrum visitantibus elargitur.

§. 18. Vt autem ad venerabile sepulchrum ipsius, eo affluentius quo vilius, confluat populi multitudo, & colatur solemnius eiusdem Confessoris veneranda solemnitas, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui cum deuotione ad illud in die solemnitatis ipsius accesserint, eius implorando suffragia, singulis annis quibus illuc venerint de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate cõfisi, vnum annum, & quadraginta dies, accedentibus autem ad prædictum sepulchrum infrà eiusdem festi quindenam, quadraginta dies de iniũcta eis pœnitentia, misericorditer relaxamus.

Dat. Viterbij, 10. Kal. Martij, Pont. nostri anno 1. *D.P. An. 5. die 22. Apr.*

Inquisitores hæreticæ prauitatis, & eorum Notarij, à quocumque Officiali Sedis Apostolicæ delegato, non possunt excommunicari suspendi vel interdici, absque eiusdem Sedis licentia speciali. IV.

Hoc idẽ rescript. edidit Alex. IV. die 26. Sept. 1260 quod tamen vti minus necessarium prætermisi.

Scias quod nec ipsi Papæ Officiales ab Inquisitoribus possunt excommunicari, &c. vt habetur in extrauag. Ioan. XXII. Cum Matthæus. Et vide etiam Pij IV. constit. 67. Romanus. Ibi etenim Inquisitoribus Sanctissimæ Inquisitionis Vrbis datur amplissima facultas procedendi contra quoscumque.

VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in Regno & dominio charissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Aragonum. deputatis à Sede Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita An. Do. 1262.*

Inquisitores & eorum Notarij non excommunicãtur sine licentia Sedis Apostolicæ.

§. 1. NE Inquisitionis negotium, contra damnatã hæresim prudentiæ vestræ cõmissũ, impediri (quod absit) propter aliquorum astutiam, vel etiam retardari contingat; vobis auctoritate præsentium indulgemus, vt nullus Sedis Apostolicæ delegatus, vel subdelegatus ab eo conseruator, aut etiam executor à Sede Apostolica deputatus eadem, seu etiam deputandus, in vos, vel quatuor Notarios siue scriptores vestros, super his vobis fideliter obsequentes, quandiu in prosecutione huiusmodi negotij vos & ipsi fueritis: possit excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti sententiam promulgare, absque speciali mandato prædictæ Sedis, faciente plenam & expressam de hac indulgentia mentionem.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes irritum & inane, si secus fuerit attentatum.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostol. eius, se nouerit incursurum.

D. apud Mont. Flasconem ij. Nõ. Aug. Pont. nostri an. 1. *D. P. A. 8. die 4. Aug.*

Exemptiones & immunitates Congregationis Monachorum Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti. V.

Hanc approbauit Congregationem Cælest. III. vt suprà in eius constit. Religiosam. Et priuilegia concessit Pont. iste infrà in const. seq. & Sixt. V. in const. 85. Dudum.

Edita, A.D. 1263.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Montis Virginis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti Auellana diœcesis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

CVm à nobis petitur quod iustum & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij ad debitum perducatur effectum.

Alex iij. exemptione à iurisdictione aliorum concessit, & etiam hic Pont. concedit. Tu vide Bul. Leo X. n. 22. Et Conc Trid. sess. 25. c. 11. & 14. & Cle. VIII. const. 39.

§. 1. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, Priuilegium Alexandri Papæ fel. mem. antecessoris nostri, in quo liquidò cognoscentes quòd dictum cænobium cum omnibus Ecclesiis & locis suis subditis, nullo mediáte ad Romanam Ecclesiam pertineret, & quòd non liceèt alicui Archiepiscopo siue Episcopo, vel alij Ecclesiasticæ personæ eidem Monasterio & eius Ecclesiis excommunicationes, & suspensiones indicere, vt fratres illic Domino seruientes ab omni potestate & iurisdictione, ac dominio Archiepiscoporum, & Episcoporum, siue aliarũ personarum liberi, Ecclesiæ Romanæ libertatis gratia potirentur. Et licèt non habeatur inco mentio diœcesani Episcopi, in cuius diœcesi dictum Monasterium est fundatũ, & de solutione canonis debiti ipsi diœcesano Episcopo, siue alij cuicumque Ecclesiasticæ personæ ab ipso cœnobio, vel Ecclesiis & locis ipsi cœnobio subditis, eo non obstante, auctoritate Apostolica, & speciali priuilegio, vos & Ecclesias & loca ipsi cœnobio subdita ab onere præstationis, & exolutionis cuiuslibet canonis liberamus, & eximimus: volentes vos multa libertatis prærogatiua gaudere, & soli Romanæ Ecclesiæ censuales existere, pro indicio perceptæ libertatis ab Apostolica Sede, prout contineri cognouimus tenore dicti priuilegij quod sine reprehensione Bullæ, chartæ vel literæ apparebat.

Aliasque immunitates cõfirmat.

§. 2. Et omnes immunitates & libertates à Romanis Pont. prædecessoribus nostris, vobis vel Monasterio vestro concessas. Necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus vel aliis CHRISTI fidelibus, rationabiliter vobis, aut Monasterio vestro indultas, sicut ea iustè & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica concedimus, & confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, concessionis, & indulgentiæ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. Ann. 2. die 9. Ian.

Dat. apud Vrbem Veterem 5. Id. Ianuarias, Pontificatus nostri anno secundo.

VI. Priuilegium Abbatis Congregationis Monachorum Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti, vtendi mitra, baculo, benedictione solemni; & aliis Pontificalibus.

Congregationem istam approbauit Cælest. III. vt suprà in eius const. 3. Religiosam vbi notaui.

Edita An. D. 1263.

VRBANVS EPISCOPVS, &c.

Exordium.

ECclesia Romana velut circumspecta mater & prouida, nonnullas Ecclesias tanquam filias prædilectas maioribus effert honoribus, munere præuenit gratiæ potioris, & gratioribus insignit titulis dignitatum, vt sicut venustatis & sapientiæ filiæ, in matris obedientiam & reuerentiam semper promptæ habeantur feruentes, & studiosæ ad ipsius seruitia beneplacita & mandata.

Causa huius priuilegij.

§. 1. Cum igitur Monasterium vestrum, vtpote, sicut à fide dignis accepimus pia religione conspicuum, & à fidelibus populis illarum partium venerabiliter frequentatum, ac perspectum ipsius, ex prærogatiua specialis dilectionis & gratiæ, sinceritatis brachiis amplexamur. Vestris propter hoc honoribus & vtilitatibus libenter intendimus, sperantes vos haberi deinceps in Apostolicæ Sedis obsequiis; ex impensis vobis acceptioribus ab ea beneficiis, honoris & gratiæ promptiores.

Priuilegium vtendi mitra baculo, benedictione solẽni, &c.

§. 2. Nos itaque ob deuotionem B. MARIÆ Virginis gloriosæ, in cuius honore dictum Monasterium est fundatum, vestris supplicationibus inclinati, vsum mitræ, baculi, annoli, sandalium, chirotecarum, tunicæ, dalmaticæ, benedictione solemni ad populum, ordinatione minorum ordinum, indulgentiam quadraginta dierum, benedicere etiam calices, & omnia alia ornamenta Ecclesiastica, & cognoscere de matrimonio inter vassallos, in quibus habetis spiritualia, tibi fili Abbas, & successoribus tuis in perpetuum, (quos potius signitis intendere cupimus, dummodo tibi, & eisdem successoribus sit, more ac modo debito, munus benedictionis impensum, & tu ac eos esse contigerit existere Sacerdotes) auctoritate præsentium concedimus de gratia speciali.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. A. 3. die 12. Sept.

Dat. apud Vrbem Veterem 2. Id. Septemb. Pontificatus nostri anno tertio.

VII. Institutio secundæ Regulæ Ordinis Sororum S. Claræ nuncupatarum; siue mitigatio primæ Regulæ à B Francisco pro eiusmodi Sororibus traditæ.

Primam eiusdem B. Francisci Regulam pro istis Sororibus, approbauit Innocent. IV. vt supr. in eius const. 12. Solet. vbi videas alia quæ notaui. Vnam addo quod hisce temporibus, Moniales frequentius hanc secundam quam primam regulam profitentur.

Edita An. D. 1263.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis in Christo filiabus Vniuersis Abbatissis & Sororibus inclusis, Ordinis S. Claræ. Salutem & Apostolicam benedictionem.

B. Clara Ordinem Sororũ S. Francisci, ex regula ab eo tradita, formauit.

BEata Clara, virtute clarens & nomine, gratiæ diuinæ inspiratione præuenta, & almi Christi Confessoris B. Francisci exemplis laudabilibus informata, ac salutaribus instituta doctrinis, vt se mundam Domino conseruaret, Mundi huius contemptis opibus, operibúsque vitatis, religiosè viuere sapienter elegit, & habitu Sacræ religionis assumpto, arctam viam mandatorum Domini, quæ gradientes in ipsa ducit ad vitam, dilatato corde cucurrit. Hanc petram, Christus lapidem esse voluit, in vestri Ordinis structura primarium. In ipsa euidenter ostendit, quòd in huius structura sibi complacuit. Eam siquidem sanctitatis erexit in titulum, vt quæ munditiæ vitæ claruit, celebritate clareret, ac eundem vestrum Ordinem, qui sanctum & laudabile sumpsit in eius persona principium, ipsius quasi constituentis sic sapienter approbatæ patronæ merita, in venerabilem venerandumque probarent.

Quæ Sorores diuersimodè denominatæ fuerunt varia quæ viuendi eis formula data.

§. 1. In hoc autem Ordine, vos & alias ipsum profitentes, sub nominationum varietate, interdum Sorores, quandoque Dominas, plerumque Moniales, nonnunquam pauperes inclusas Ordinis S. Damiani contigit hactenus nominari. Vobisque, sub horum & aliorum diuersitate nominum, diuersa priuilegia, indulgentiæ, ac literæ à Sede Apostolica sunt concessa, & tam à fœlic. recordat. Gregorio Papa prædecessore nostro, tunc Ostiensi Episcopo, & vestri Ordinis curam gerente quàm aliis, variæ datæ sunt regulæ & formæ viuendi, quarum obseruantiis se vestrum aliquæ solemniter obligauere.

Supplicatione itaq; pro corr.

§. 2. Propter quod dilectæ in Domino filiæ, fuit nobis humiliter supplicatum, vt eundem vestrum Ordinem

curare

niuli & denominationis ac viuendi forma assignatione.

citaremus,certi nominis titulo insignitè,vosque ad huius obseruantiarum diuersitatibus & votis supereis emissis, misericorditer absoluentes, certam vobis viuendi formam, ad tollendum omnem de vestris conscientiis scrupulum,largiremur.

Hic ergo Pôt. cum Ordine. S Claræ de cætero vocari præcipit.

§.3. Nos itaque decens arbitrantes & congruum, vt idem Ordo vester,qui vt præmittitur,in B.Clara fœlicia suæ institutionis sompsit auspicia, cuiusque (vt firmiter credimus) apud Deum meritis & intercessione protegitur, & apud homines laudibus attollitur, & fauoribus empliatur,eius insigniatur & nomine, ipsum de Fratrum nostrorum consilio de cætero decreuimus Ordinem S. Claræ vniformiter nominandum.

Priuilegia confirmat.

§.4. Statuentes quòd immunitates, libertates, priuilegia, indulgentiæ, ac literæ quæcumque vobis seu eidem Ordini à præfata Sede sub quacumque nominatione concessa,id robur obtineant firmitatis,& ita per omnia ipsis vti possitis, ac si à principio huius nominis titolo, & sub hac nominatione fuissent.

Regularum diuersitatem tollit. & regulam hic insertam eu observandam tradit.

§. 5. Vt autem bene & iucunde habitetis in vnum, nec sub prædictarum obseruantiarum differentia à modo videndi, videamini differentes, sed ambuletis in domo Domini cum consensu, Nos inspectis omnibus regulis prædictis & formis,ac specialiter illam, quam præfatus prædecessor tunc Ostiensis Episcopus vobis dedisse cognoscitur,diligentiùs attendentes, regulam siue formam viuendi præsentibus annotatam, vobis & iis quæ vobis successerint, de eorundem Fratrum consilio,præsentium tenore concedimus, & etiam confirmamus, in singulis Monasteriis vestri Ordinis perpetuis temporibus obseruandam, illas ex vobis, quæ ipsam regulam siue formam per nos vobis concessam & confirmatam, professæ fuerint,ab omnibus aliis regulis, formis & votis præmissis, de Apostolicæ potestatis plenitodine absoluentes.

Regula prædicta hic subsequitur.

Quæ Regula talis est.

CAP. I.

De Obedientia paupertate, & castitate.

Omnes quæ sæculi vanitate relicta, religionem vestram assumere voluerint & tenere, hanc eas legem vitæ & disciplinæ oportet & conuenit obseruare, viuendo in obedientia,sine proprio,& in castitate sub clausura.

CAP. II.

Clausura semper certis exceptis casib. obseruanda. In hoc attende constit. Pij V. n. 8. Circa & constit. 8. Gregor. XIII. Dei, cum sibi nos.

Omni namque tempore vitæ suæ hanc vitam profitentes,clausæ manere firmiter teneantur, infra murorum ambitum,ad intrinsecam clausuram Monasterij deputatum, nisi forsan(quod absit) superueniret ineuitabilis& periculosa necessitas,sicut exustionis ignis,vel incursus hostilis,seu alicuius huiusmodi, quæ dilationem nullo caperet modo,ad egrediendi licentiam postulandi. In quibus casibus transferant se Sorores ad locum alium competentem,in quo quantum commodè fieri poterit,clausæ morentur,quo vsque eis de Monasterio sit prouisum, & propter huiuscemodi necessitatis euidentiam, nulla eis conceditur licentia vel facultas,extra prædictam clausuram vlterius exeundi,nisi fortè de mandato aut auctoritate Cardinalis Romanæ Ecclesiæ,cui à Sede Apostolica generaliter fuerit iste Ordo commissus,ad aliquem locum aliquæ mitterentur, causa plantandi vel ædificandi eandem religionem, vel reformandi aliquod Monasterium eiusdem Ordinis, seu causa regiminis, aut correctionis, aut alicuius valde euidentis & grauis dispendij euitandi,vel nisi de eiusdem Cardinalis mandato aut auctoritate.Monasterio primo rationabili causa relicto,totus Conuentus ad Monasterium aliud se transferret. Possint autem in singolis Monasteriis recipi aliquæ, licèt paucæ,sub seruitialiū nomine vel sororum,ad huiusmodi obseruantiam professionis adstringendæ,præterquam ad articulum de clausura, quæ de mandato vel licentia Abbatissæ,interdum poterunt egredi ad negotia Monasterij procuranda. Moriɛores verò, tam Sorores, quam Seruitiales huiusmodi infra Claustrum,prove conuenit,tumulentur.

CAP. III.

Admissione Sororum ad Ordinem. & eorum professione.

Omnibus hanc religionem assumere cupientibus,quæ fuerint admittendæ, priusquam habitum mutent, & religionem assumant,dura eis & aspera proponantur, per quæ itur ad Deum, & quæ secundùm hanc religionem necesse habuerint, firmiter obseruare, ne de ignorantia postea se excusent. Non recipiatur aliqua, quæ vel longiori ætate,vel infirmitate aliqua, vel fatua simplicitate ad huiusmodi vitæ obseruantiam insufficiens & non idonea censeatur, nisi fortè cum aliqua interdum causa rationabili exigente, de mandato, vel auctoritate d. Cardinalis alicui fuerit dispensandum. Per tales enim status &vigor religionis sæpius & dissoluitur & turbatur: vnde in personis recipiendis diligenti studio & cautela debet huiusmodi occasio deuitari, Abbatissa nullam, propria auctoritate recipiat, sine consensu omnium Sororum suarum,vel ad minus duarum partium earundem Omnes verò ex more intra claustrum receptæ, tonsis crinibus, citius deponant habitum sæcularem. Quibus deputetur magistra, quæ eas informet regularibus disciplinis. Ad tractatus quoque Capituli infra annum nullatenus admittantur. Completo verò vnius anni spatio,si ætatis legitimæ fuerint, professionē in manibus Abbatissæ coram Conuentu faciant in hunc modum. Ego Soror N. promitto DEO & Beatissimæ MARIÆ semper Virgini,& B. FRANCISCO, & B.CLARÆ, & omnibus Sanctis, & tibi Dominæ Abbatissæ,viuere sub regula à D.Vrbano Papa Quarto Ordini nostro concessa, toto tempore vitæ meæ, in obedientia, sine proprio, & in castitate, & etiam, secundùm quod per eandem regulam ordinatur sub clausura. Idem similiter profitendi modus in Seruitialibus,vel Sororibus,quæ de licentia Abbatissæ egredi possunt exterius,præter articulum de clausura,per omnia obseruetur.

De his, agitur etiam in 1. reg. cit. in rub. c. 2.

CAP. IV.

Habitu. De hoc agitur in d. 1. reg. c. 2.

Omnes Sorores communiter capillos suos vsque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Et vnaquæque soror præter cilicium si voluerit,vel staminetum, duas tunicas, vel etiam plures, secundùm quod visum fuerit Abbatissæ,habere valeat,ac mantellum post collum hinc inde connexum: & hæc indumenta sint de panno religioso, & vili tam pretio, quàm colore, iuxta diuersarum consuetudinem regionum, nimia breuitate vel longitudine non notanda,vt & in operiendis pedibus debita seruetur honestas,& curiosæ longitudinis superfluitas penitus euitetur. Tunica quoque superior, sit tam in manicis,quam in busto, latitudinis & amplitudinis congruentis, & habitus exterioris honestas intrinsecè attestetur. Habeant & scapularia sine capitulo,de vili & religioso panno,vel staminea, amplitudinis & longitudinis condecentis, sicut vniuscuiusque qualitas exigit vel mensura: quibus induantur quando laborant, vel tale aliquid agunt, cum mantellos congrue gestare non possunt. Possint etiam sine ipsis esse aliquando, si visum fuerit Abbatissæ,cum fortè per calorem nimium vel aliquid aliud, eis grauia multum fuerint ad portandum. Coram extraneis tamen huiusmodi vtantur scapularibus cum mantellis, Tunicæ quoque superiores, scapularia, & mantelli, coloris omnino albi vel nigri aliquatenus non ferantur. Pro cingulo autem cordam postquam professæ fuerint, habeant minimè curiosam. Vittis aut velis de panno communi omnino albis, non tamen pretiosis, aut curiosis, capita sua cooperiant vniformiter & honestè, ita quod frons, genæ & collum & gula sint (vt earum honestati & religioni conuenit) cooperta, nec aliter coram extraneis personis audeant apparere. Habeant & velum nigrum,nec pretiosum nec curiosum, extensum super capita,ita amplum & longum,quod ex vtraque parte descendat vsque ad scapulas, & retro parum vltra tunicæ caputium protendatur. Sorores verò nouitiæ album velum eiusdem mensuræ & qualitatis debeant deportare. Seruitiales autem Sorores pannum album non pretiosum aut curiosum, ad modum veli super capita sua deferant, tantæ longitudinis & amplitudinis,quod scapulas & pectus præcipuè cum exeunt,valeant operire.

CAP. V.

Lectulis & dormitorio.

Omnes Sorores sanæ, tàm Abbatissa quàm aliæ, vestitæ & cinctæ iaceant in communi dormitorio, & quælibet per se lectum habeat ad inuicem separatum. Lectus tamen Abbatissæ in tali loco dormitorij disponatur, quòd inde cæteros dormitorij lectos sine obstaculo, si commodè fieri poterit, valeat intueri. A festo Resurrectionis Dominicæ vsque ad festum Natiuitatis B. Virginis,

Sorores

Sorores dormiant post prandium vsque ad Nonam, quæ voluerint. Quæ verò noluerint, oratione, seu meditatione diuina, seu aliis piis quietis laboribus occupentur. Liceat autem vnicuique habere sacconem de fœno vel de palea, & ceruical de palea aut lana, si circitras religiosas cum lana habere nequiuerint congruenter. Lampas insuper de nocte accensa semper in medio dormitorij habeatur.

CAP. VI.

Diuini officij recitatione. Circa Offic. mortuorum vide declarationem in consil. 9. Leo. X. Cum sicut. Et generaliter de diuin. offic. agitur sup. in d.1.reg.c.2.

De diuino officio, tam in die, quàm in nocte Domino persoluendo, taliter obseruetur, quòd hæ quæ legere & canere nouerint, secundùm consuetudinem Ordinis Fratrum Minorum, cum grauitate tamen & modestia, diuinum officium debeant celebrare. Illiteratæ verò dicant vigintiquatuor Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem. Qui modus in officio B. Virginis per omnia obseruetur. Pro defunctis dicant in Vesperis septem Pater noster cum Requiem æternam, pro Matutino duodecim, tempore quo Sorores literatæ faciunt officium mortuorum. Quæ verò occasione rationabili non possent aliquando legendo dicere Horas suas, liceat eis sicut illiteratis dicere Pater noster.

CAP. VII.

Sacramentis recipiendis, temporeque receptionis, & personis à quibus recipi debent.

Vbi proprius fuerit Capellanus pro Missarum solemniis & diuinis officiis celebrandis, habitu & vita religiosus sit, ac bonæ famæ, nec iuuenilis, sed maturæ & idoneæ sit ætatis. Vbi autem non fuerit proprius Capellanus, à quolibet bonæ famæ & honestæ vitæ presbytero, Sorores missam audire possunt. Pœnitentiam verò & alia Sacramenta Ecclesiastica à Fratribus Ordinis Minorum dumtaxat recipiant, vel ab eis recipiant, qui de mandato seu auctoritate Cardinalis, cui generaliter fuerit iste Ordo commissus, ea exhibendi potestatem habuerint, nisi fortè in necessitatis articulo fuerit aliqua constituta, & copiam habere fratrum nequiuerit prædictorum. Cum aliqua Sacerdoti de confessione loqui voluerit, per locutorium sola, soli confessionem faciat Sacerdoti, & per illud eidem de his quæ ad confessionem pertinent, tunc loquatur. Confessionem autem regulæ omnes faciant ad minus singulis mensibus, & sic confessione præmissa in sequentibus solemnitatibus, videlicet in Natiuitate Domini, Purificatione B. Mariæ, in initio Quadragesimæ, Resurrectionis Domini, Pentecostes, in festis Sanctorum Petri & Pauli, S. Claræ, S. Francisci, & omnium Sanctorum, recipiant Dominici corporis Sacramentum. Si tamen aliqua Soror tanta fuerit corporis infirmitate detenta, quòd ad locutorium commodè venire non possit, & necessitatem habuerit confiteri, vel Dominici corporis, seu alia recipere Sacramenta; exhibiturus huiusmodi, alba & stola & manipulo, cum duobus idoneis & religiosis sociis, vel vno ad minus alba vel saltem superpelliceo vestitus, ingrediantur & morentur induti, & audita confessione, vel alio tradito Sacramento, sicut ingressi fuerint, sic egrediantur induti, nec moram ibi faciant longiorem. Caueant etiam vt quandiu intra Monasterium fuerint, nullatenus ab inuicem separentur, quin semper mutuo possint liberè se videre. Sic quoque se habeant in animæ commendatione. Porrò ad exequias circa sepulturam agendas, Sacerdos non ingrediatur Claustrum, sed exterius in Capella quod ad officium pertinet, exequatur. Tamen si Abbatissæ & Conuentui visum fuerit quòd ad exequias debeat introire, modo supradicto cum sociis intret indutus, & sepulta mortua, cum eis exeat sine mora. Si autem necesse fuerit vt ingrediantur aliqui ad fodiendam vel ad aperiendam sepulturam, seu postmodum coaptandam, & Abbatissæ & Conuentui visum fuerit hoc expediens, propter imbecillitatem Sororum, sit Sacerdoti vel alicui alij ad hoc idoneo & honesto cum vno socio vel duobus, licitum introire.

CAP. VIII.

Exercitio apud Magistras, & in laboritijs, communioneque rerum omnium inter eas.

Si aliquæ iuueniles, vel grandiores, capaces ingenij fuerint, eas instrui faciat, si sibi videbitur Abbatissa, magistram eis deputans idoneam & discretam, per quam tam in diuinis officiis instruantur. Sorores verò & Seruitiales, horis & locis institutis prout ordinatum fuerit, vtilibus & honestis laboribus occupentur, sub illa prouidentia, quòd excluso otio animæ inimico, sanctæ inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. Verum quia multitudini sub huius religionis obseruantia congrue omnia debent esse communia, nec cuiquam licèt aliquid esse suum, caueant sollicitè, ne occasione laborum huiusmodi, seu mercedis receptæ pro ipsis, cupiditatis vel proprietatis cuiuspiam, seu notabilis specialitatis subrepat morbus.

De his agitur etiam supr. in d.1 reg.c.7.

CAP. IX.

Silentij obseruātia. De hoc habetur etiā in d.1. reg. cap.5.

Silentium continuum sic continuè ab omnibus teneatur, vt nec sibi inuicem, nec alicui alij sine licentia eis loqui liceat, exceptis iis quibus magisterium aliquod, vel opus iniunctum fuerit, quod non possit cum silentio exerceri, iis quidem simul loqui liceat de iis, quæ ad officium vel opus suum pertinent, vbi & quando, & qualiter visum fuerit Abbatissæ. Sorores tamen debiles & infirmę, ac seruientes eisdem, pro recreatione, ac ipsarum seruitio, in infirmitoria loqui possint. In duplicibus quoque festis, ac Apostolorum solemnitatibus, & aliis quibusdam diebus, quibus visum fuerit Abbatissæ, in certo loco ad hoc signato, ab hora Nona vsque ad Vesperam, vel aliqua alia hora competenti, loqui possint de Domino IESV CHRISTO, ac solemnitate, ac piis Sanctorum exemplis, & de aliis licitis & honestis. Ab hora quoque Completorij vsque ad Tertiam, exceptis Seruitialibus, extra Monasterium Abbatissa absque causa rationabili loquendi licentiam non concedat. In aliis verò temporibus atque locis, sic attendat sollicitè Abbatissa de causa, vbi, & quando, & qualiter Sorores licentiet ad loquendum, quod regularis obseruantia quæ non mediocriter à silentio, quod est cultus iustitiæ, dignoscitur, nullatenus relaxetur.

CAP. X.

Loquendi modo & tempore.

Omnes autem studeant vti signis religiosis pariter & honestis. Sanè quando aliqua persona religiosa seu sæcularis, vel cuiuslibet dignitatis, alicui de Sororibus loqui petierit, nuntietur primitus Abbatissæ, & si ipsa concesserit, accedens ad locutorium, duas alias ad minus habeat secum semper, quibus iusserit Abbatissa, quæ loquentem videant & audire valeant quæ dicuntur. Ad cratem verò loqui aliquatenus non præsumant, nisi præsentibus duabus ad minus per Abbatissam ad hoc specialiter deputatis. Caueant tamen sibi Sorores, quæ cum aliquo loqui habent, ne per verba inutilia inaniter se diffundant, nec etiam trahant in locutionibus moram longam. Hoc namque ab omnibus firmiter obseruetur, vt quando de confessione Sacerdoti interius infirma fuerit aliqua locutura, ad minus non loquatur, nisi cum duabus non longè sedentibus, quæ confitentem & confessorem videre possint, & ab eisdem pariter videri. Hanc autem loquendi legem & ipsa Abbatissa diligenter custodiat, vt omnino materia detractionis omnibus auferatur, excepto quòd cum Sororibus suis, horis & locis competentibus loqui potest, sicut ei secundùm Deum visum fuerit expedire.

CAP. XI.

Ieiunio & abstinentia, ac Abbatissæ facultate circa dispensationem.

Sorores autem omnes & Seruitiales, infirmis exceptis à festo Natiuitatis Gloriosæ Virginis MARIÆ, vsque ad festum Resurrectionis Dominicæ, nisi diebus Dominicis, & die Natiuitatis Domini, continuum seruent ieiunium: à Resurrectione verò Dominica, vsque ad festum Natiuitatis B. Virginis, teneantur sexta feria ieiunare. Omni quoque tempore, præter infirmas infirmitatis suæ tempore, ab esu carnium abstineant. Cum debilibus autem dispensare valeat Abbatissa, prout eorum debilitati viderit expedire. Ouis verò & caseo, & lacticiniis licitè possint vti, præterquam ab Aduentu vsque ad Natiuitatem Domini, & à Dominica Quinquagesimæ, vsque ad Pascha, necnon & sexta feria, & ieiuniis ab Ecclesia generaliter institutis. Cum Seruitialibus tamen Sororibus, circa prædictum ieiunium, præterquam in Aduentu, & sexta feria, possit Abbatissa misericorditer dispẽsare. Dispensare etiam possit circa prædictum ieiunium cum adolescentibus, ac debilibus, & senili ætate confectis, prout earum debilitati ac imbecillitati viderit expedire. Sanæ quoque Sorores ieiunare non teneantur minutionis suæ tempore, quod in triduo terminetur, extra maiorem

quadra

quadragesimam, & sextam feriam, Aduentum Domini, & ieiunia ab Ecclesia generaliter instituta. Caueat autem Abbatissa, ne vltra quam ter in anno minutionem permittat communiter celebrari, nisi certa necessitas plus requirat, nec à persona extranea maxime minutionem recipiat, vbi commode poterit euitare.

CAP. XII.

Infirmarum cura. De his habetur etiã in d. reg. 1. cap. 8.

De infirmis verò, cura & diligentia maxima habeatur, & secũdùm quod possibile fuerit & decuerit, tàm in cibariis, quæ earum requirit infirmitas, quàm in aliis necessariis, in feruore charitatis, benigne ac solicitè eis per omnia seruiatur. Quæ infirmæ proprium habeant lectum, si vnquam fieri potest, vbi à sanis maneant separatæ, ne illarum ordinem confundere valeant, vel turbare.

CAP. XIII.

Ostij interioris custodia & custodibus ac earum qualitate. De his agitur etiam supr. in d. 1. reg. c. 11. vbi notatur. Aduerte quòd circa Scalam leuatoriã, & clausurã ostij inferioris remouẽdi, quod hic dicitur nõ fuit vsu receptum, & Alexand VI. die 23 Maij 1495 ita declarauit, sed eius Bullam consulas prætermissi, vti hoc tantum continentem.

In quolibet Monasterio vnum tantum ostium habeant ad intrandum Claustrum & exeundum, cum opportunum fuerit, iuxta legem de ingressu & egressu positam in hac forma. In quo ostio nullum sit ostiolum vel fenestra, & istud ostium in sublimi quanto magis fieri poterit congruenter, ita quòd ad ipsum per scalam leuatoriam exterius ascendatur, quæ scala per catenam ferream ex parte Sororum studiose ligata, à Completorio dicto vsque ad Primam sequentis diei, continuè sit suspensa, & tempore diurnæ dormitionis & visitationis, nisi aliud interdum euidens requirat necessitas, vel vtilitas manifesta. Ad prædictum autem ostium custodiendum, aliqua talis ex Sororibus deputetur, quæ Deum timeat, sit matura moribus, sit diligens ac discreta, sitque conuenientis ætatis, quæ vnam ipsius ostij clauem sic diligenter custodiat, vt nunquam ea vel eius socia ignorante, ostium aliquando valeat aperiri. Reliquam verò clauem diuersam ab illa, custodiat Abbatissa. Sit & alia æque idonea ei socia deputata, quæ eius vicem in omnibus exequatur, cum ipsa aliqua rationabili causa vel occupatione necessaria, occupata fuerit vel detenta. Caueant autem studiosissime & procurent, ne vnquam ostium stet apertum, nisi quantum minus fieri poterit congruenter. Sic autem ostium seris ferreis & vectibus optime communitum, & sine custodia, apertum vel clausum, minime dimittatur, neque etiam ad momentum nisi vna claue in die, & in nocte duabus, sit firmiter obseratũ. Nec omni pulsanti aperiatur statim, nisi indubitanter cognouerit quòd talis sit, quòd sine dubitatione aliqua, secũdùm mandatum quod de ingressu in hac regula continetur, debeat aperiri. Et nulli liceat ibi loqui, nisi soli ostiariæ de his quæ ad officium pertinebunt. Quòd si aliquãdo intra Monasterium opus aliquod fuerit faciendum, ad quod agendum sæculares aliquos, vel quascumque personas alias, oporteat introire, prouideat Abbatissa solicite, vt tunc dum opus scilicet exercetur, alia persona conueniens ad custodiendum ostium statuatur, quæ sic personis ad opus deputatis aperiat, quod alias intrare penitus non permittat. Nam Sorores ipsæ, & tunc, & semper, quantumcunque rationabiliter præualent, studiosissimè caueant, ne sæcularibus vel extraneis personis videantur.

CAP. XIV.

Rota eiusque custodia. De his agitur etiam sup. in d. 1 reg. c. 11.

Cæterùm, cum præfatum ostium aliis aperiri nolimus, nisi pro illis tantum, quæ per rotam vel aliunde decenter nequeant expediri, mandamus quòd in singulis Monasteriis in exteriori muro clausuræ intrinsecæ, in loco siquidem competenti, manifesto à parte exteriori, & omnino patenti, rota vna fortis fieri debeat, latitudinis & altitudinis congruentis, ita quòd per eam nulla persona ingredi valeat, vel exire, per quam necessaria, tàm interius, quàm exterius ministrentur, & taliter disponatur, quòd per eam, nec intus nec extra valeat aliquis intueri. Ex vtraque etiam parte ostiolum fiat validum, quod de nocte & in æstate tẽpore dormitionis, seris ferreis & clauibus clausum & firmatum debeat permanere. Ad cuius custodiam pro expediendis necessariis per eandem, vnam Sororem discretam, tàm moribus, quàm ætate, quæ Monasterij diligat honestatem, constituat Abbatissa, cui soli tantùm vel deputatæ sibi sociæ, cum congrue non poterit interesse, loqui ibidem & respondere liceat, super iis quæ ad suum officium pertinebunt. Ibi autem nulli loqui liceat, nisi esset locutorium occupatum, vel ex alia rationabili causa, & necessaria aliquando: semper tamen de licentia Abbatissæ, quod tamen rarissimè fiat, secundùm loquendi modum superius prætaxatum.

CAP. XV.

Ostio exteriori.

Propter necessitates quoque aliquando imminentes, quæ non possunt per supradictum ostium vel rotam commode expediri, permittimus quod aliud ostium in loco decenti in Monasterio fieri possit, per quod certis temporibus intromittantur, & emittantur, quæ fuerint opportuna. Quod quidem ostium continue sit claui, seris ferreis, & repagulis communitum. Sitque muro à parte exteriori muratum, ita quod non possit aliquatenus aperiri, vel persona aliqua inde loqui. Possit tamen necessitatum dictarum tempore, ipsius ostij murus dirui, ostium aperiri, nec tunc apertum nisi quantum minus fieri poterit, sub tamen fida custodia, dimittatur. Expeditis itaque necessitatibus ipsis, secundùm prædictum modum remunitum, claui, seris & repagulis extrinsecus remuretur.

CAP. XVI.

Crate locutorij eiusque custodia & quando locata. De his agitur etiam supr. in d. 1. reg. c. 5.

Locutorium autem commune in capella vel potius in claustro, vbi commodius & honestius fieri poterit, disponatur, ne si forte fieret in Capella, pacem orantium inquietet. Ipsum locutorium sit congruæ quantitatis, de lamina ferrea subtiliter perforata, & taliter clauis ferreis coaptata, quòd numquam valeat aperiri. Sit quoque ipsa lamina clauis ferreis in longum protensis, exterius fortiter communita. Cui pannus niger laneus interius taliter apponatur, quòd nec Sorores videre extra valeant, nec videri. Ad istud autem locutorium à Completorio, quod dici debet tempore competenti, vsque ad Primam diei sequentis, seu tempore comestionis, vel dormitionis in æstate, aut quando officium celebratur, (nisi pro causa adeo rationabili & necessaria, quæ commodè differri non possit) nulli licitum erit loqui. Quandocumque verò in concessis temporibus aliqua vel aliquæ habuerint ibi loqui, cum modestia & maturitate loquentes, breuiter se expediant, prout decet. Vbi verò propter Sororum multitudinem, videbitur opportunum, aliud simile locutorium esse possit.

CAP. XVII.

Volumus etiam vt in muro, qui Sorores diuidit à Capella, congruentis formæ cratea ferrea collocetur, quæ sit ex crebris & spissis contortis lineis ferreis, diligenti & forti opere fabricata, & clauis ferreis in longum protensis exterius fortiter communita, vel ex lamina ferrea parua & minoris foraminibus perforata, cum protensis clauis ferreis, vt dictum est, in cuius medium fiat vnum ostiolum de lamina ferrea, per quod communionis tempore possit intromitti calix, & Sacerdos mittens manum, possit Dominici corporis tradere Sacramentum, quod quidem claui ferrea sit semper firmatum, nec aperiatur, nisi quando proponi Sororibus contigerit verbum Dei, vel Sacramentum Dominici corporis exhibetur, aut cum quis, aliquam ex Sororibus suam propinquam consanguineam videre petierit, vel alia causa necessaria id exposcat, quod rarissimè fiat, & semper de licentia Abbatissæ. Quæ tamen in nullo casu (primis duobus dumtaxat exceptis) licentiam largiatur, nisi prius singulis vicibus de hoc consilium petierit à Conuentu. Cui crati pannus lineus niger interius taliter apponatur, vt nulla valeat inde aliquid intueri. Habeantur etiam ostia lignea ex parte Sororum, cum seris ferreis atque claue, vt maneant semper clausa pariter & firmata, & non aperiantur, nisi cum diuinum celebratur officium, & nisi quando ex dictis causis præfato modo dictum ostiolum contigerit aperiri, & nemo alius per dictam cratem loquatur, nisi aliquando, rationabili causa vel necessaria exigente, alicui de Abbatissæ licentia rato fuerit concedendum. Et tunc prædicta ostia lignea poterunt aperiri, & quandocumque aliquam personam extraneam ad eas ingredi, vel aliàs per crates eis loqui contigerit, tegant faciem cum modestia, & inclinent prout religionis conuenit honestati.

CAP. XVIII.

Clausura Sororum, & ingressu earum.

De ingressu personarum in Monasterium, firmiter ac districtè præcipimus, vt nulla vnquam Abbatissa vel eius

Sorores,

certis casibus permissis. Imò ingressum generaliter esse prohibitum quibusdã tantummodo casibus in vrgenti necessitate reseruatis, habetur ex Bulla 20. Pij V. Regularium, & alia Bulla 8. Circa cum ibi not. Et vide etiam cõst. 13. Paul. V. Facultatum.

Sorores, aliquam personam Religiosam seu sæcularem, aut cuiuslibet dignitatis, in Monasterij clausuram intrinsecam intrare permittant, nec omnino liceat alicui, nisi quibus concessum à Sede Apostolica fuerit, vel à Cardinale cui fuerit Sororum Ordo commissus. Excipiuntur autem à dicta ingrediendi lege, Medicus causa multum grauis infirmitatis, & Minutor cum necessitas exegerit, qui non absque duobus socijs de familia Monasterij introducantur, nec ab inuicem infrà Monasterium separentur, nec non & illi quos occasione incendij vel ruinæ, seu alterius periculi vel dispendij, seu pro tuendis à violentis quorumlibet Monasterio vel personis, aut pro aliquo opere exercendo quod commode extra Monasterium fieri non potest, necessitas exegerit introire. Qui omnes expedito suo ministerio, vel imminenti necessitati satisfacto per ipsos, exeant sine mora. Nulli autem personæ extraneæ intra Monasterij clausuram liceat comedere, vel dormire. Sed & si quis de S. Claræ Cardinalibus, ad aliquod Monasterium huiusmodi Religionis aliquando venerit, & intra claustrum voluerit ingredi, cum reuerentia quidem & deuotione suscipiatur, sed rogetur vt cum paucis socijs & honestis debeat introire. Liceat quoque Generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum, quando ibidem celebrare voluerit, vel proponere Sororibus verbum Dei, cum quatuor vel quinque Fratribus ipsius Ordinis, intra clausuram ingredi Monasterij, si quando ei videbitur expedire. Alius autem Prælatus cui aliquando fortè de licentia Sedis Apostolicæ vel dicti Cardinalis, intrare licuerit, duobus vel tribus tantum Religiosis & honestis socijs sit contentus. Quòd si fortè, pro benedictione vel cõsecratione Sororum, vel in alio modo, concessum fuerit Episcopo alicui missam interius celebrare aliquando, quàm paucioribus & honestioribus poterit socijs sit contentus, & ministris. Et hoc quoque ipsum alicui rarius concedatur. Nulla tamen omnino loquatur cum aliqua persona de ingressis, nisi modo prædicto, siue infirma fuerit, siue sana. Illud sanè præcipuè caueatur, vt ij quibus aliquando concessum fuerit solummodo, vel data licentia in Monasterium ingredi, non aliter admittantur, nisi Abbatissæ & Sororibus visum fuerit expedire, cum ex huiusmodi concessionibus vel licentijs, Abbatissa vel Sorores, eos admittere non cogantur, & vt sint tales, de quorum verbis & moribus, necnon vita & habitu ædificari valeant intuentes, & materia iusti scandali exinde nequeat generari. Super concessione verò vel licentia ingressus huiusmodi, ad omne ambiguum remouendum, Apostolici apices vel Cardinalis patentes literæ ostendantur.

Cap. XIX.

Sororum, & Seruitialium missione extra.

De Seruitialibus & Sororibus, quæ semper manere clausæ, sicut aliæ non tenentur, districtius volumus obseruari, vt sine licẽtia, nulla claustrum egrediatur. Et quæ emittuntur, honestæ sint, & conuenientis ætatis, ac Religiosi & maturi aspectus, & calceamentis honestis, tam ipsæ, quàm Sorores illæ, quas aliquando emittere contigerit pro casibus supradictis, calceatæ incedãt. Ceteris verò intus manentibus liceat istud idem. Egredientibus verò assignetur certus terminus redeundi, nec alicui ipsarum concedatur extra Monasterium, sine licentia speciali, comedere, bibere, vel dormire, nec ab inuicem separari, vel alicui in secreto, seu Capellani Monasterij, vel Conuersorum domicilium introire, & si aliqua contrarium fecerit, grauiter puniatur, & sollicite caueant, ne ad loca suspecta diuertant, vel cum personis malæ famæ familiaritatem habeant, nec in suo reditu sæcularia vel inutilia Sororibus referant, per quæ dissolui valeant, vel turbari. Et quandiu extra fuerint, taliter studeant se habere, quod de conuersatione honesta ipsarum ædificari valeant intuentes, & quicquid eis datum vel promissum fuerit, resignent, vel renuncient Abbatissæ, vel alij, cui in hoc commiserint vices suas.

Cap. XX.

Capellani & Conuersorum vita & moribus ac vestibus.

Capellanos si voluerit se Monasterio obligare, & aliqui qui Monasterij conuersi esse voluerint, & Abbatissæ & Conuentui visum fuerit eos recipere, anno probationis elapso, promittant obedientiam Abbatissæ, vouentes loci stabilitatem, & perpetuo viuere, sine proprio, & in castitate. Tunicas de Religioso & vili panno, tàm pretio quàm colore, iuxta eorum indigentiam habere valeant sine caputio. Quarum manicæ breues sint, & strictę tantummodo circa manus. Longitudo autem tunicarum sit talis, quòd à cauilla pedum, distet spatio quatuor digitorum. Capellanus tamẽ habere poterit longiorem. Pro cingulo verò corrigiam honestam habeat cum cultello. Caparonem etiam cum caputio super tunicas portent, cuius longitudo genu aliquantolum transeat, & latitudo vsque ad caputium protẽdatur. Minoris tamen latitudinis caparonem si habere voluerit, poterit Capellanus. Qui etiam cappa honesta, vel mantello post collum, vel ante pectus hinc inde connexo, vti poterit. Superiores autem tunicæ, & longum caputium, necnon & Capellani cappa & mantellus, non sint de albo, vel penitus nigro panno. Vestiti etiam iaceant, & camisijs lineis non vtantur. Calceamenta alta & ampla & antefixa cum caligis habeant, & fœmoralia portent. Capillos suos vsque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Officium diuinum faciant vt Sorores, excepto quod Conuersi, ad officium B. Virginis, & mortuorum, minimè teneantur. Ieiunium seruare debeant vt Sorores. Liceat tamen Abbatissæ super ieiunio regulæ, cum eis æstus vel itineris, aut laboris alterius, seu alia quauis rationabili & honesta causa misericorditer dispensare. Informationi verò & correctioni Visitatoris, Capellanus & Conuersi per omnia sint subiecti. Cui in iis, quæ ad visitationis officium pertinent, teneantur firmiter obedire.

Cap. XXI.

Procuratore & eius officio. De hoc habes plenã dispositione in Bulla 1 Paul IV. Ex Clementi.

Ad hæc, liceat vobis in communi, redditus & possessiones recipere & habere, ac ea libere retinere. Pro quibus possessionibus & redditibus Monasterij modo debito pertractandis, Procurator vnus, prudens pariter & fidelis in singulis Monasterijs vestri Ordinis habeatur, qui per Abbatissam & Conuentum constitui & amoueri debeat, sicut videbitur expedire. Hic verò taliter institutus de omnibus sibi commissis, receptis pariter & expensis, Abbatissæ & tribus Sororibus ad hoc per Conuentum specialiter assignatis, & Visitatori cum voluerit, rationem reddere teneatur, & nihil omnino de rebus Monasterij vendere, commutare, obligare vel alienare quoquomodo valeat, nisi de licentia Abbatissæ pariter, & Conuentus. Et quicquid contra hoc attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. Possit tamen de mobilibus parum valentibus, aliqua parua, ex causa licita de Abbatissæ licentia, interdum alijs elargiri. Possit etiam per Visitatorem, cum expedire videbitur, amoueri.

Cap. XXII.

Abbatissa auctoritate munere & qualitatibus. De his agitur etiam in d. 1. reg. c. 9. & 10.

Electio Abbatissæ libere pertineat ad Conuentum. Confirmatio verò fiat per Cardinalem, cui fuerit iste Ordo commissus, vel auctoritate ipsius. Studeant autem Sorores talem eligere, quæ virtutibus polleat, & sanctis moribus alijs præsit potius, quam officio, & quæ communitatem seruet in omnibus, vel in moribus, vt eius exemplo prouocatæ Sorores, ex amore magis ei obediant, quàm timore. Quæque singularibus amoribus careat, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Consoletur afflictas, sit refugium tribulatis, ne si apud eam remedia defecerint sanitatum, desperationis morbus præualeat in infirmis. Quæ humiliter & charitatiue visitet, & corrigat Sorores suas, non præcipiẽdo eis aliquid quod sit contra animam suam, & vestrę professionis formam, non sit pręceps in præcipiendo, ne ex indiscretione præcepti, ponat peccati laqueum animabus. Cui postquam confirmationem receperit, quamdiu in officio permanserit, Sorores vniuersæ, necnon & familia exterior Monasterij, pareant & obediant diligenter. Semel in hebdomada ad minus, Abbatissa Sorores suas pro ipsarum monitione, ordinatione, & reformatione, teneatur ad Capitulum conuocare. Vbi secundùm expressionem publicarum & communium negligentiarum atque culparum, pœnæ misericorditer imponantur. Conferat etiam cum omnibus Sororibus suis, de iis quæ occurrunt pro sui Monasterij vtilitate ac honestate tractanda. Sæpè enim Dominus, quòd melius est iuniori reuelat. Nullum onerosum vel graue debitum contrahat, nisi per procuratorem de communi consensu Sororũ, cum manifesta necessitas hoc requirat

Reddat

Reddat etiam de receptis & expensis, semel ad minus, singulis tribus mensibus, coram Conuentu, vel saltem quatuor Sororibus ab eodem ad hoc specialiter deputatis, debitam rationem. Officiales Monasterij instituat de consilio & assensu Conuentus, vel maioris partis ipsius. Sigillum verò Conuentus custodiri faciat & seruari, secundùm ordinationem Conuentus, & omnem literam dirigendam ex parte eiusdem Conuentus, prius coram Conuentu in Capitulo lectam, & approbatam à maiori parte Sororum, ibidem coram omnibus faciat sigillari. Nulla etiam Soror aliquas literas dirigat seu recipiat, nisi primo eas Abbatissa legat, vel ad alia ad hæc constituta legantur. Studeat insuper Abbatissa Sorores reconciliare, si aliquas ad inuicem ex aliqua causa vel occasione contigerit conturbari. Soror vero illa, quæ verbo vel signo occasionem turbationis vel scandali alteri dederit, statim antequam offerat munus orationis suæ Deo, veniam petens à Sorore quam offendit, coram ea humiliter se prosternat, rogãs vt intercedat pro se ad Dominum, quatenus sibi culpam indulgeat quam commisit. Illa verò memor verbi Domini, Nisi dimiseritis ex cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis, liberaliter iniuriam remittat Sorori veniam postulanti. Monemus Sorores omnes, & hortamur in Domino IESV CHRISTO, vt caueant ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura, & sollicitudine huius sæculi, detractione & murmuratione, dissẽsione & diuisione, ac omni vitio pro quo possit displicere in oculis veri sponsi. Sed magis sollicitæ corã Deo seruare exteriorem & interiorem in omnibus puritatem, ac semper inuicem habere mutuæ dilectionis vnitatem, quę est vinculum perfectionis, vt in ea radicatæ & fundatæ, possint agni Domini nostri IESV CHRISTI nuptias cum prudentibus virginibus introire.

CAP. XXIII.

Accessus ad Sedem Apost. prohibitione. Generalè exitus à Monasterio prohibitionè indicaui sup. in cap. 18. de clausura.

Ad hæc, vt discursibus dispendiosis materia subtrahatur, in virtute obedientiæ, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto transgredientes vel non parentes incurrant, districtè præcipimus, vt (exceptis dumtaxat seruitialibus Monasteriorum illorum locorum, in quibus Romana fuerit Ecclesia constituta, quandiu ibi residentiam fecerit) nulla Abbatissa, Soror vel Seruitialis pro vlla necessitatis causa, ad Sedem Apostolicam personaliter veniat, vel accedat, nisi super hoc per Apostolicos apices, vel dicti Cardinalis patentes literas, alicui specialis licentia concedatur.

CAP. XXIV.

Visitatoris Monasteriorũ officia. De hoc agitur etiam in d. r. reg. c. 12.

Monasteria huius Religionis, per Visitatores (qui auctoritatem, formam, & modum, à Cardinali, cui fuerit à Sede Apostolica vester Ordo commissus, recipiant) semel ad minus annis singulis visitentur. Sane circa visitationes huiusmodi, illud est sollicite prouidendum, vt quicumque vel generalis, vel etiam alicubi aliquando specialis constituendus fuerit Visitator, talis debeat constitui, de cuius Religiosa vita & moribus notitia plena & securitas habeatur. Qui cum ad Monasterium aliquod veniens, fuerit introgressus, sic se per omnia exhibeat & ostendat, vt omnes de bono ad melius prouocet, & ad Dei amorem, & mutua se mutuam charitatem semper inflammet pariter & accendat. Et quando Monasterij clausuram ad visitandum intrauerit, duos Religiosos & idoneos socios secum ducat, qui videlicet socij simul maneant, & dum fuerit intra claustrum, ab inuicem nullatenus separentur. Visitator autem, regula prius lecta & exposita, ab Abbatissa sigillũ recipiat, quòd ipsa sibi assignare, & absolutionem & concessionem ab Abbatissæ ministerio petere absolute ac libere teneatur. Quæ si communem vitam non poterit ducere vel noluerit, per eundem Visitatorem à suo regimine absoluatur, nisi sua mora in officio Monasterio dispendiosa non esset, sed necessaria, vel euidenter vtilis appareret. Absoluatur etiam per eundem, si alias non idonea vel insufficiens ad Monasterij regimen videatur, & hoc fiat secundùm formam & modum, quos à Cardinali supradicto receperit Visitator, qui tam de ipsius Abbatissæ, quam Sororum statu, & obseruantia suæ Religionis, ab omnibus generaliter, & specialiter à singulis inquirat studiosius veritatem, & vbi aliquid reformandum, vel corrigẽdum inuenerit, zelo charitatis, & amore iustitiæ, cum discretione corrigat & reformet, tàm in capite, quàm in membris, sicut melius viderit expedire. Excessus autem, qui fuerit sufficienter correctus à Visitatore, nullatenus iterum corrigatur. Quod si aliquid tale sibi occurrerit, quod per se nequeat emendare, ad Superiorem referat, vt corrigatur sicut expedit, eius consilio ac præcepto. Caueat autem Abbatissa, ne à se vel ab aliis Sororibus, status sui Monasterij Visitatori aliquatenus abscondatur, quia malum esset indicium, & offensa grauiter punienda. Imò volumus & mandamus, vt ea quæ secundùm vitæ suæ formam, & regularem obseruantiã, instituenda vel emendanda fuerint, publice ac priuatim sicut melius viderit faciendum, Visitatori suggerant, & proponant, cui teneantur in omnibus quæ ad officium suæ visitationis pertinent, firmiter obedire. Quæ autem aliter fecerint, à Visitatore, tàm Abbatissa, quàm aliæ, debite, prout conuenit, puniantur. Omnes autem tàm Abbatissa, quàm Sorores, considerent & caueant diligenter, vt nihil aliud quam amor diuinus, & suarum Sororum correctio, ac Monasterij reformatio eas moueat ad loquendum. Modum autem loquendi Visitator custodiat supradictum, vt videlicet, aut cum omnibus, aut cum pluribus simul loquatur, vel secrete cum vna, aliis tamen ad minus duabus in aspectu eius non longe sedentibus, vt per omnia bonæ famæ integritas cõseruetur, nisi ad locutorium, cum vna vel pluribus, loqui voluerit de iis quæ ad officium suũ pertinere noscantur. Idem etiam Visitator, tam Capellanum, quàm Conuersos, & cæteros de familia extrinseca Monasterij visitet, & in eis corrigat & reformet, quæ correctionis & reformationis officio nouerit indigere. Pœnas tam amotionis perpetuæ à Monasterio, licentiando professus ad alia Monasteria, vel Ordines sicut viderit expedire, quam alias prout culpæ grauitas & qualitas exegerit, imponendo. Vt autem non grauentur Monasteria in expensis, & Visitator omnem notam cuiuspiam suspicionis caueat, volumus omnino quod Visitator, de visitationis officio, quam citius commode poterit, se studeat expedire, quanto citius absque sui officij dispendio poterit, Monasterij clausuram intrinsecus ingressurus.

CAP. XXV.

Cardinalis Protectoris Ordinis auctoritate.

Quoad clausuræ modũ auctoritatẽ vide declarationem Greg. XI. inf. in eius const. 4. Cum nos & in const 4. Sixti IV. Sancta.

Verũ ne ab obseruantia præsentis regulæ, siue formulę suprascriptæ (quã vniformiter vbique ab omnibus volumus & mandamus diligentius obseruari) pro defectu certi regiminis in posterum recedere vos contingat, aut sub diuersorum magisterio, viuendi modus incurrere differentes, dilecto fratri nostro Anno I. Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, Gubernatori, Protectori & Correctori Ordinis Fratrum Minorum, curam & regimen vestri Ordinis, necnon & personarum in eis degentium, scilicet Capellanorum, & Conuersorum, & familiarum plene duximus committenda, statuentes vt sub eius, & aliorum Cardinalium qui fuerint pro tempore gubernationi, protectioni, atque correctioni eorundem Fratrum Ordinis à Sede Apostolica deputati, obedientia & cura & regimine, debeatis de cętero permanere, quibus teneamini firmiter obedire. Et ipsi animarum vestrarum sollicitudinem gerentes, & curam, eisdem Monasteriis, & personis degentibus in eis, Capellanis, Conuersis, & familiæ, tàm per se, quàm per viros idoneos, quoties expedire viderint, visitationis officium impendere studeant, corrigendo & reformando ibidem, tam in capite, quàm in membris, quæ correctionis & reformationis officio nouerint indigere. Instituant nihilominus & destituant, ordinent, statuant & disponant, prout secundùm Deum viderint expedire.

CAP. XXVI.

Regula obseruantia.

Vt autem vos in hac regula siue formula tanquam in speculo, possitis inspicere, nec per obliuionem aliquid negligatis, semel vobis in qualibet quindena legatur, & vbi vos inueneritis ea quæ scripta sunt, facere, agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quæcunque viderit aliquid deesse, doleat de præterito, & caueat de futuro; orans vt ei debitum dimittatur, & in tentationem deinceps non inducatur. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c.

D. P. A. 3. die 18. Octob.

Dat. apud Vrbem Veterem, 15. Kal. Nouemb. Pontificatus nostri Anno tertio.

VIII. Quod Inquisitores hæreticæ prauitatis, & eorum Socij Ordinis Fratrum Prædicatorum mutuo se possint ab excommunicatione absoluere,& irregularitatibus dispēsare, à quibus per Priores eorū Ordinis absolui possēt.

Edita An. D. 1261. *VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Regno, & dominio charissimi in Christo filij nostri Illustriss. Regis Aragonum deputatis à sancta Sede Apostolica, & in posterum deputandis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Facultas Inquisitorū mutuo se absoluendi ab excommunicatione, & irregularitate. §.1. VT negotium fidei valeatis liberius promouere, vobis auctoritate præsentium indulgemus, vt si vos,& fratres vestri Ordinis Socios vestros excommunicationis sententiam, & irregularitatem incurrere aliquibus casibus ex humana fragilitate cōtingat,vel recolatis etiam incurrisse,quia propter iniunctum vobis officium ad Priores vestros de leui super hoc recurrere non potestis, mutuo vos super his absolnere, iuxta formam Ecclesiæ,& vobis cum auctoritate nostra dispensare possitis, in casibus in quibus dictis prioribus, vt dicitur, est ab Apostolica Sede concessum. Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D.P. A.4. die 4. Aug. Datum apud Montem Fiasconem, 11. Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno primo.

CLEMENS QVARTVS PONT. CLXXXV. ANNO DOMINI MCCLXV.



CLemens IV. Guido Grossus anteà vocatus, Episcopus Sabinus,Patre Fulgodio,in Galliæ Narbonensis vico S. Ægidij ortus ad Rhodani ripam, Creatus Perusij Nonis Februarij, anno salutis 1265. coronatus Viterbij 8. Kalend. Martij. Creauit Cardinalem vnum. Sedit annos tres,menses nouem, dies 25. Obiit Viterbij anno salutis 1268. 3. Kal. Decemb.& sepultus est in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus. Vacauit sedes annos 2. menses 9. dies 3.

I. Quòd Fratres Prædicatores Ordinis S. Dominici,ac Fratres Minores Conuentuales Ordinis S. Francisci, in temporalibus succedere possint prout in sæculo permanerent.

Hoc priuilegium confirmauit Paul. III. die 27. Octobris 1540. cuius Bullam non posui. Alia autem de eisdem Minoribus plene notata sunt ad const. 5. Hon. III. Solet. sup. Prout de Prædicatoribus notaui in eiusdem Honor. const. 2. Religiosam sup.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Ministro & Fratribus Ordinis Prædicatorum, necnon Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1265.*



Exordium. OBTENTV diuini numinis, cuius cultui sub sacrę vestræ Religionis obseruantia studetis mente deuotissima deseruire, votis vestris libenter annuimus, & petitiones vestras in his quæ digne deposcitis, fauorabiliter exaudimus.

Causa huius priuilegij. §.1. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Prælati, Clerici,& Laïci in diuersis Mundi partibus constituti, asserentes vos Mundo fore mortuos, nec valentes proprium possidere, vos occasione huiusmodi à quibuslibet successionibus excludere moliuntur.

Supplicatio Ordinum S. Dominici & S. Francisci. §.2. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum,vt ne cōtingat vos propter huiusmodi præsumptionem talium, aliquod incurrere nocumentum, congruum remedium adhibere paterna diligentia curaremus.

Priuilegiū de quo in rub. §.3. Nos itaque vestris petitionibus benignius attendentes, auctoritate Apostolica declaramus, quòd vos in temporalibus bonis, in quibus succederetis in sæculo existentes, licite possitis succedere,& bonorum ipsorum possessionem apprehendere, ac vendere libere bona ipsa, eorumque pretium in vtilitatem vestram conuertere, prout vobis melius videbitur expedire.

Contrariorum derogatio. §.4. Vniuersas autem interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, quas contra præsentis declarationis tenorem per quemcumque fieri contigerit, decernimus irritas & inanes.

Sanctio pœnalis. §.5. Nulli ergo,&c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c.

D.P. A.1. die 12. Feb. Dat. Perusij, 2. Idus Februarij, Pont. nostri anno 1.

Priuilegia fratrum Militum Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani. II.

Amplioribus decorata est indultis hæc Militia, vt videre est infra in Pio IV. in const. 95. Inter assiduas, & Pij V. const. 28. Sicuti, vbi plene notabo.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archipresbyteris,& aliarum Ecclesiarum Prælatis, ad quos ista literæ peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita, A. D. 1256.*

Causa huius constit. CVm dilectis filiis, Magistro & Fratribus Militię Hospitalis S. Lazari Hierosolomytani, fuerit à fœl. recor. Innocentio Papa prædecessore nostro indultum,& à nobis postmodum confirmatum,vt semel in anno recipiantur in Eccles. ad eleemosynas colligendas: quidam autem vestrum auaritiæ ardore succensi, Confratrias suas Confraternitati illorum eadem die ipsorum aduentu præponunt: & sic Fratres ipsi confusi, aut nihil exinde, aut modicum consequantur.

Fratres Hospitalis semel in annos ad colligendas eleemosynas admittantur. Vide Conc. Trid. sess. 21. c. 8. §.1. Quia igitur hoc est indecens, & in contemptum Dei Ecclesiæque Romanæ redundat, prædecessoris ipsius vestigiis inhærentes, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus cum Fratres ipsi loca vestra pro eleemosynis colligendis accesserint, benigne recipiatis,& honeste tractetis, eosdem ipsis Ecclesiis vestris admonete populū,& eleemosynas quærere permittatis, Confratrias quas facere potestis quotidie, ipsorum Confratriis, quæ semel in anno fiunt, nullatenus præponentes, ne occasione illarum, eleemosynæ pauperum Christi depereant,& impediantur opera pietatis.

§.2. De

Ab oppressionibus & impedimentis defendantur.

§. 2. De parochianis autem vitis, qui domos illorum inuadunt per violentiam, vel infringunt, aut indebitis molestiis opprimunt fratres ipsos, & tam deposita, quàm res decipiunt eorundem; cùm ca inde querimoniam posuerint coram vobis, tam districtam eis iustitiam faciatis, & ita iura eorum defendere & manutenere curetis; quòd ipsi ad vos pro defectu iustitiæ sæpe recurrere non cogantur, & non sollicitudinem, & obedientiam vestram debeamus merito commendare, vosque beneficiorum quæ in sancta domo illa fiunt, participes existatis.

Ad Hospitale alios recipere possint.

§. 3. Præterea, liberas & absolutas personas, quæ domum eorum in sanitate vel infirmitate petent, libere & sine molestia recipi permittatis ab eis, nec ipsos super hoc reciprocetis aliquatenus impedire.

Sepeliantur gratis.

§. 4. Illud etiam non mediocriter mouet nos, nec modicum Ecclesiæ derogat honestati, quòd quidam vestrum contra institutiones sanctorum Patrum in Bodonensi Concilio editas, Fratrum Militum, ac Donatorum ipsorum corpora quum decedunt, nolunt sine pretio sepeliri. Vnde quia tam praua exactio, & iniqua non est aliquatenus toleranda, in obedientiæ vobis virtute præcipimus, vt nullo modo à Fratribus & personis prædictis vel aliis, pro sepultura quicquam exigere, vel accipere, nisi ipsa spontanea decedentium liberalitas, vel parentum deuotio vobis contulerit, attentetis: sed absque vllo pretio sepeliatis corpora mortuorum; vt si quis vlterius hoc attentauerit, taliter aduertatis in eum, quòd similia non præsumat.

Exempti sunt à decimis.

Hac latius vide in Pro. Wiert. in rub.

§. 5. Ad hæc, præsentium vobis auctoritate præcipimus, ne ab eis contra tenorem priuilegiorum Apostolicæ Sedis, de omnibus fructibus terræ, quibus propria industria, aut capensis colunt & laborant, ac etiam de nutrimentis animalium suorum, nec de ipsis animalibus decimas exigere præsumatis.

Loca alia ædificant.

§. 6. Cum autem Oratoria, vel Cœmeteria, secundùm quod eis est beneficium priuilegiorum Ecclesiæ Romanę concessum, duxerint construenda, vos Fratres Archiepiscopi & Episcopi eis, pro se, & familia sua tantum, Oratoria orãrium dedicare, ac Cœmeterium benedicere procuretis, nec aliquis vestrum contra tenorem priuilegiorum ipsorum, id impedire audeat aliquatenus, vel turbare.

Deponentes habeant, coerceantur.

§. 7. De cætero quoque, Fratres seu milites, ac Donatos militiæ præfati Hospitalis in vestris Episcopatibus constitutos; qui Crucem & diuinum habitum deponunt, & quod ac per illecebras simul & vitiorum abrupta vagantur, & illos etiam, qui prioribus suis contumaces & rebelles existunt, & bolinas detinent contra voluntatem ipsorum, moneatis instanter, & pro officij vestri debito compellatis, vt habitum depositum reassumentes, in obedientia Prælatorum suorum deuote & humiliter perseuerent, & bolinas, siue alia officia per violentiá nullo modo detinere pręsumant. Quicumque autem mandatorum vestrorum extiterint contemptores, excommunicationis sententia eos compellatis; quam faciatis vsque ad satisfactionem condignam Inuiolabiliter obseruari. Præterea, quicumque beneficia persoluerint, annuatim eis, de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, septimam partem iniunctæ sibi pœnitentiæ relaxamus.

Mortuos in eorum Ecclesiis sepelire, & oblationes recipere possint.

§. 8. Apostolica quoque auctoritate ob reuerentiam ipsius venerabilis Hospitalis sancimus, vt his qui eorum Fraternitatem assumserint, si forsan Ecclesiæ, ad quas pertinent, à diuinis officiis fuerint interdictæ, ipsosque mori contigerit, sepulturam Ecclesiasticam non negetis, nisi ea communicati vel nominati fuerint interdicto, aut etiam publici vsurarij tumulando deferre ad Ecclesias huiusmodi Hospitalis, & oblationes tàm pro eis, quàm pro aliis, qui in eorum Cœmeteriis requiescunt exhibitas, sine alicuius iudicis præiudicio retinere. Hoc etiam addito, vt receptiones Fraternitatis eiusdem, seu etiam collectarum, saluo iure dominorum suorum, sub B. Petri & nostra protectione consistant.

Etiam tempore interdicti.

§. 9. Adiicimus insuper, vt si eorundem fratrum qui ad easdem fraternitates missi fuerint, vel collectas, in quamlibet Ciuitatem, aut Castellum, vel vicũ, aut alium locum deuenerint, si forte locus ille fuerit diuinis officiis interdictus, in eorum iucundo aduentu semel aperta Ecclesia annuatim, excommunicatis & nominatim interdictis exclusis, diuina ibi officia celebrentur, salua in omnibus supradictis declaratione Concilij generalis.

Iussio publ. hanc const.

§. 10. Ad maiorem quoque mercedis vestræ ...... nihilominus vt supra mandando præcipimus, quatenus hanc nostram Constitutionem per parochias vestras nuntiari propris literis faciatis.

Clerici Hospitalis seruire possint.

§. 11. Mandamus etiam vt si qui de Cleris Ecclesiarum vestrarum, prædicti Hospitalis Fratribus cum licentia Prælati & Capituli sui, sponte ac gratis per annum vel biennium si decreuerint deseruire nequaquam impediantur.

Dat. Perusiæ, 5. Kal. Maij, Pont. nostri Anno 1.

D. P. Ann. 1. die 27. Apr.

Declarationes Statutorum (quæ Charta Charitatis appellantur) Ordinis Cisterciensis Monachorum S. Benedicti, Aliæque ordinationes pro eius bono regimine. III.

Nonnullas reformationes eiusdem Ordinis ediderunt etiam alij successores Pont. quas tibi indicauero in Greg. XIII. const 18. Superna.

Edita An. D. 1264.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Ordo Cisterciensis in humilitate & charitate fundatus multos fecit profectus.

PAruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem Solemque conuersus, in aquas plurimas redundauit, Cisterciensis est Ordo prælucidus, qui à sui ortus exordio paruus & humilis abiectione habitus, tenuitate substantiæ, humilitatis professione, ac numero professorum, sub fontis metaphora non indigne describitur, cui diuersarum illę proprietatum conformitate conformis non immerito comparatur. Hic est enim fons hortorum irriguus, cæteras rigans Religiones & Ordines, ac in ipsos exemplis salutaribus scaturiens. Hic est fons amœnus, varietate virtutum præclarus, mundirie puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate. Horum ...... sic excrescere meruit, vt fontis nomen excedens, fluuius censeatur. Cuius processus laudabilis de virtute in virtutem, vt Deum Deorum in Sion videat gradiendo, vniuersalis Ecclesiæ lætificat vnitatem, in qua per meritorum euidentiam, claræ lucis splendorem adeptus quasi stella matutina resplendens in medio nebulæ Mundi huius, & in ea splendidos emittens radios instar Solis, velut aquæductus de Paradiso progrediens, in aquas redundat plurimas, hortum plantationum suarum, cœtus quidem claustralium quos produxit, aquis irrigans gratiarum, & vino spiritualis lætitiæ fructus inebriana partus sui. Huius siquidem Ordinis sacra Religio, à suæ institutionis auspiciis quasi deserta, & inuia, vt pote paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris & honestatis fructus parturiens, ramos suos, ramos quidem honoris & gratiæ, quasi terebinthus extendit, germinans generationes & progenies germinauit. Ea propter lætatur & iubilat lætabunda, & laudans exultat iam in multitudine numerosa spectabilis, quæ olim quasi despicabilis in solitudine delitebat. Dignè itaque hic Ordo dignissimus, dilectus & prælectus à Domino ridem psallit & asserit cum Propheta, in terra deserta, & inuia, sic in sancto tibi desiderio & solido proposito Religionis apparui, non vt me in habitu vel ambitu ostentationis, tibi qui omnia vides, ostenderem, sed vt in humilitatis abiectione tuam viderem, & te misericorditer donante, perciperem gloriam, & virtutem. Vidit enim & gauisus est, percepit vt præmittitur multæ fæcunditatis gloriam; nihilominus in charitate fundatur. Primi namque ipsius Ordinis architecti, prima quasi eiusdem Ordinis fundamenta in charitate iecerunt, eumdem Ordinem adinstar spõsi cœlestis, qui in speciosissima sponsa sua charitatem, vt ipsa fatetur, quod in ea perseuerãtior fieret ordinauit, charitatiuis præceptis & institutionibus ordinãtes Quibus Charitatis Charta nomen, nec immerito imponẽtes, per ipsam ad charitatis conuersationem strauerunt, iuxta Prophetæ promissum. Ipsius Ordinis lapides ordinantes in illa, quid maioribus, quidve minoribus debeatur aptius, statuentes, vt secundùm eiusdem Prophetæ vaticinium, ipsius Ordinis agni iuxta suum ordinẽ pascerẽtur.

Sathan ideo zizania seminare non desistit.

§. 1. Licet autem Ordo prædictos ex charitatis ordinatione firmissimus,& vt castrorum acies ordinata terribilis, continuè in spiritualis pugnæ procinctu desudans, contra hostes spiritus pugnare didicerit, & ipsos etiam expugnare; adhuc tamen Sathan cribrum suum mouere non desinit, sed ipsum mouet & excutit, expectans & expetens, vt excutiat filios excussorum. Adhuc hostis antiquus peculiarem Domini populum (religiosos videlicet) Dominum contemplationis speculatione videntes, & specialiter in eius partem assumptos non cessat impetere, sed totis satagit viribus, variis conatur insidiis,diuersis in illos conatibus insilit, vt ipse à participio gaudij cœlestis exclusus, in eis iucundè habitantibus, vnius moris in domo charitatẽ vulneret, vnitatem separet,ipsosque separatos in eiusdem pugnæ conflictu debiliores efficiat,& ab eis iucunditatem vnanimitatis excludat,hoc ipsum insidiosè molitus in personas præfati Ordinis his diebus, inter ipsas super diuersis articulis discordiarum excitata materia,litium satis seminibus,& iactis seminariis iurgiorum.

His autem Pont. ad præseruationem, infra scriptas declarationes affert.

§. 2. Nos autem ipsius Ordinis sanctitatem & claram famam,cuius odor sicut agri pleni suauitas,cui Dominus benedixit,totam replet Ecclesiam, singulari zelãtes affectu,ne vel ipsius sanctitas talibus nutaret insultibus, vel famæ claritas detractorum linguis exposita turbaretur,sed singula in eodem ordine locum vt præmittitur,decenter sortita retineant,sicque contra prædicti Sisaræ impetus dimicetur,& ipsum facilius iuxta Debboræ canticum, stellæ in suo cursu & ordine manentes expugnent,principiis putauimos obsistẽdum, exortam in eodem Ordine super articulis prædictis dissensionis materiam,vitatis litigiorum anfractibus,& exclusis Aduocatorum tumultibus, salubris & celeris subscriptæ prouisionis nostrę compendio decidentes,nunc antiqua ipsius Ordinis statuta interpretationis iuuando remedio, nunc eadem Apostolica auctoritate firmando,nunc etiam quędam noua de vnanimi consensu Cisterciensis,& quatuor infrascriptorum primorum, ac aliorum Abbatum, & quamplurimarum personarum ipsius Ordinis in nostra constitutarum præsentia statuendo.

Declaratio ordinationum Ordinis siue Chartæ Charitatis circa electionẽ Abbatum.

§. 3. Licet igitur contineatur in Charta prædicta, quod si qua domus eiusdem Ordinis Abbate proprio fuerit destituta, maior Abbas, de cuius domo domus illa exiuit,ordinationis eius habeat omnem curam, donec in ea Abbas alius eligatur: domui autem Cisterciẽn. quia mater est omnium dum proprio Abbate caruerit, quatuor primi Abbates scilicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claraualle,& de Morimundo, prouideant,& super eos sit cura domus illius, donec electus Abbas in ea fuerit statutus: hoc tamen ex vsu & consuetudine dicti Ordinis generali sic interpretandum duximus, vt videlicet administratione vacantis Monasterij remanente penes Conuentum eiusdem,si qua forsan emerserint difficilia, propter quæ vel Cisterciensis ad dictos primos quatuor,vel aliorum Monasteriorum Conuentus ad suos Abbates duxerint recurrendum, Abbates ipsi curam & diligentiam habeant in consilio & auxilio postulãtibus, prout eorum requireret necessitas impendendis. Et licet administrationẽ penes singulorum Monasteriorum vacantium conuentus dixerimus secundùm morem seruatum hactenus remanere,sigillum tamen prædicto Monasterio Cisterciẽn. eo vacante, Prior ipsius custodiat consignatum & clausum, sicut hactenus fieri consueuit. In aliis verò Monasteriis vacantibus sigilla eorum Abbates sigillis aliorum Abbatum signata teneant,& inclusa.

Alia declaratio circa eandem electionem.

§. 4. In Charta etiam huiusmodi continetur, quod domo qualibet eiusdem Ordinis Abbate proprio vt prædicitur destituta,electionis die præfixa etiam ex Abbatibus,si quos domus illa genuerit,aduocetur,& consilio ac voluntate Abbatis, Abbatem eligant Abbates & Monachi domus illius: Ad electionẽ autẽ Cisterciensis Abbatis præfixa & prænotata die ad minus per quindecim dies,ex Abbatibus quorum domus de Cistercio exierũt, & ex aliis quos nouerint prædicti Abbates,& fratres Cisterciẽn. idoneos, conuocentur. Et congregati in nomine Domini Abbates & Monachi Cistercico. Abbatem eligant. Super quo contentione orta, quod id non seruabatur iuxta ipsius Chartæ tenorem, Nos attendentes quod quamvis ab antiquo per Abbates dicti Ordinis ita fuerit ordinatum,id tamen in desuetudinem abiit,& iam de cõmuni consuetudine soli Monachi vacantis Monasterij vocem in electione Abbatis habere noscuntur, huiusmodi consuetudinem volũmus & præcipimus obseruari, eam laudabilem & rationabilem iudicantes, cum ad ius commune reduxerit, quod fuerat contra iuris communis regulas constitutum. Ita quod ea quæ de vocandis aliquibus Abbatibus, quorum domus de Cistercio exierunt, quod quidem de Abbatibus hactenus est seruatum, & cætera quæ de vocatione huiusmodi quoad Cisterciẽn. necnon quoad alia eiusdem Ordinis Monasteria in Charta vt præmittitur,continentur,eadem tam in ipso Cisterciẽn. quàm in aliis Monasteriis inuiolabiliter obseruentur. Licet enim prædicti sic vocandi vocem in electione non habeant, eorum tamen præsentia posset esse multipliciter fructuosa.

Altera declaratio quod Abbas Cistercij absque alia Sedis Ap. confirmatione, administrationem plenam habeat.

§. 5. Cæterùm quia circa electionem Abbatis prædicti Monasterij Cisterciensis fuit ab aliquibus dubitatum, an possit ex vsu aliquo tolerari, quod circa Cisterciẽn. electionem retroactis temporibus est obtentum, videlicet vt Cisterciensis electus, si eius electio fuerit in concordia celebrata, administrare valeat, etiam à nemine confirmata, & sine confirmatione aliqua curam habeat animarũ. Nos ad huiusmodi dubitationem in perpetuum amouendam, statuimus, vt in Monasterio Cistercico. celebrata electione concordi secundùm morem hactenus obseruatum, electus prædicto modo concorditer eo ipso verus sit Abbas Cistercij,& administrandi licentiã, curãq; animarũ habeat, ac in omnibus pro vero Abbate perinde habeatur, ac si à Sede Apostolica confirmationis benefi[cio] habuisset, à qua ipsum intelligi volumus & statuimus confirmatum. Licet autem idẽ Abbas Cistercij prædicto modo auctoritate Apostolica cõfirmetur, nihil tamen depereat per hoc eiusdem Ordinis libertatis, quã circa cessionem,& amotionem Abbatis ipsius idem Ordo dignuscitur habuisse, quãq; ipsi Ordini manere volumus illibatã.

Præcedentia soluta in electione seruetur non obstãte forma in generali Concilio tradita.

§. 6. Et quia præfatus Ordo in multa simplicitate fundatus, profecit laudabiliter in eadem, nos circa electiones in Monasteriis eiusdem Ordinis faciendas, sic personas ipsius Ordinis præcedere toleramus, sicut hactenus processerunt, necessitatem seruando, solemnitates seu formas contentas in generali Concilio eis de gratia remittentes.

Quid seruandum in electione Abbatum in maioribus Abbatijs generationem habentibus.
Hoc declaratur à Bened. XII. inf. in eius const. 3. Fulgens.

§. 7. Ordinamus autem quod in maioribus Abbatiis generationem habentibus, cum vacauerint, quindecim dierum ad minus ad eligendum terminus assignetur. Et Prior, Superior, ac Cellarius vacantis Monasterij conueniant de electoribus, quos idem Prior, postquam de ipsis conuenerint, in Capitulo nominabit. Abbates verò, vel Visitatores nullum nominent electorem, nec electoribus prædicto modo creatis, simul vel sigillatim aliquod dent præceptum, nisi quod in publico eis iniungant arctius, vt secundùm suas conscientias prouideant vacanti Monasterio bona fide. Nec alicuius vacantis Monasterij Abbas sibi nominari postulet electores, antequam in Capitulo nominentur. Nec aliquem ex congregatis ad eligendum electoribus, ad se vocet, nec verbo, vel scripto, aut signo eis, vel eorum alicui, suam insinuet voluntatem, nec electioni clam vel palam impedimentum aliquod inferat, per quod electorum impediat libertatem. Electam quoque personam, si sufficiens & idonea vacanti Monasterio fuerit, non refutet. Et qui contra fecerit grauiter puniatur. Nec aliquam personam amoueat ab officio, vel de Monasterio eiiciat ipsius vacatione durante.

Quod Capitulum generale quotannis celebretur, & in eo statuantur vigintiquinque Definitores.

§. 8. Insuper statuimus & ordinamus, quod in Ordine prædicto iuxta morem laudabilem hactenus obseruatum, annis singulis generale Capitulum celebretur, in quo vigintiquinque Definitores statuantur, hoc modo. Abbas Cisterciensis tãquam Pater primus nominet quatuor Definitores de generatione sua speciali, quos idoneos esse crediderit ad definitionis officium exercendum. Et exinde prædicti primi quatuor Abbates, scilicet quilibet eorum de generatione sua, quinque dicto Abbati Cistercij, seorsum vel coram aliis nominabit. Ex quibus quinq; Abbas Cistercij vno prætermisso quatuor eligat,

quos

quos sufficientes esse crediderit. Et sic viginti Definitores erunt suis quatuor cum cæteris numeratis. Quos & prædictos quatuor primos Abbates idem Abbas Cistercij in Capitulo die secunda Capituli nominabit, & Definitores instituet, & ipse cum eis vigesimusquintus erit. Si quis verò ex prædictis quatuor primis Abbatibus, tunc non fuerit in huiusmodi Capitulo, idem Abbas Cisterc. de generatione absentis assumet quatuor Definitores, quos idoneos æstimabit. Vt autem prædicti Cistercien. & quatuor primi Abbates Deum habentes præ oculis, odio & amore, ac personarum acceptione postpositis, bona fide procedant, eosque qui nunc sunt, & futuros in posterum ad hæc fideliter obseruanda, sub attestatione diuini iudicij, & in virtute obedientiæ Apostolicæ Sedi debitæ obligamus.

Literæ missæ Capitulo quid.

§.9. Ordinantes & statuentes quod literæ missæ Capitulo Generali, personæ infamiam continentes, legantur coram Definitoribus Ordinis supradicti.

Iudices Capituli quid.

§. 10. Et quod Iudices dati ab eodem Capitulo non subdelegent aliis vices suas.

Definitores ab reuocentur.

§. 11. Definitores quoque Capituli non reuocentur præter voluntatem Definitorum in loco residentium consueto.

Statuta quando obligent.

§.12. Statuta de cætero facienda non obligent nisi in sequentis anni Capitulo confirmentur.

Definitorium quid diffiniet.

§.13. Et per Definitores nihil definiatur prius in Capitulo non notatum. Stetur sententiæ maioris partis eorum. Cumque ipsorum sententia in discordiam venerit, Abbas Cistercij reputabitur pro duobus.

Definitorium iuramentum.

§. 14. Definitores verò nominati protestabuntur in Capitulo stando per iuramentum in verbo Sacerdotis, quod iniunctum sibi ministerium ad honorem Dei, & vtilitatem d. Ordinis fideliter exequentur.

Abbas Cister. eiusdem iuret.

§.15. Hoc etiam ipse Abbas Cisterciensis sedendo facere teneatur.

Dicta contra eum notentur sicut contra alios.

§. 16. De notandis autem his, quæ contra memoratum Abbatem Cistercij dicta fuerunt in Capitulo, ita fiat sicut in casu consimili de alio notaretur.

Eleemosynæ Capituli à quibus recipienda.

§ 17. Eleemosynæ vero quæ mittuntur Capitulo Generali, recipiantur per duos Abbates, quorum vnus per eundem Abbatem Cistercij, & alius per prædictos primos quatuor Abbates ponantur de cætero alternatim, ita quod quilibet de ipsis illum ponat secundum suum ordinem vice sua.

Cisterciense Monasterium quotannis visitetur ab aliis quatuor primis Abbatibus.

§.18. Denique ne in Ordine prædicto aliquæ possint spinæ subcrescere vitiorum, præcipimus prædictum Cisterciense Monasterium ab eisdem primis quatuor Abbatibus annis singulis visitari. Et, nisi de alio die Abbas Cistercij cum eis conuenerit, in festo B. Mariæ Magdalenæ fiat huiusmodi visitatio annuatim. Nec dicto Abbati Cistercij diem mutare condictam sine causa rationabili & vrgente, quam si ei superuenerit, intimet eisdem primis quatuor Abbatibus in tempore opportuno, per se vel per nuntium; cum quo iidem Abbates de die subroganda tractare valeant, & etiam conuenire. Qui si cum nuntio, concordare nequiuerint, ipsimet diem statuant, siue terminum competentem, & eidem Abbati Cistercij per eundem nuntium vel alium intiment, prout viderint expedire. Quæ omnia dicti primi quatuor Abbates bona fide & absque aliqua captione facere teneantur. Sane cum prædicti quatuor Abbates Cistercium visitabunt, Abbates & Monachi socij Visitatorum ipsorum in proclamationibus faciendis, tam in Capitulo Monachorum, quam etiam Conuersorum, vocem liberam habeant, licèt aliquando prout fertur eis fuerit denegata.

Et si quid reformandū fuerit ab eisdem reformetur.

§. 19. Si quid autem in persona Abbatis, vel in aliis in eodem Monasterio crediderint reformandum, id eidem Abbati suggerant, hoc est cum reuerētia & honestate dicant, ac eum benigne moneant & hortentur, vt id emendet in se, vel in aliis faciat emendari. Quod si facere forte noluerit insolenter, vel distulerit negligenter, seruetur quod in eadem Charitatis Charta continetur expresse. Videlicet, vt iidem quatuor primi Abbates, sub cæterorum Abbatum nomine vsque quater, vt corrigatur ipse, & alios corrigere curet, admoneant: & cætera quæ de aliis Abbatibus in eadem Charta dicuntur, si incorrigibiles apparuerint, circa eum studiose adimpleant. Excepto quod si sponte cedere noluerit, nec deponere, nec contumaci dicere anathema poterunt, donec aut in generali Capitulo, aut si illud iam visum fuerit expectari non posse, in Conuentu alio, conuocatis Abbatibus qui de Cistercio exierunt, & aliquibus aliorum virum inutilem ab officio suo deponant. Conuentum autem alium intelligimus eorundem Abbatum concordem reditum ad processum huiusmodi faciendum in aliqua eiusdem Ordinis Abbatia. Eo, circa punitionem Cisterciensis Abbatis moderamine adhibendo, quod circa Abbates alios inferius est statutum.

Visitatoribus Monasteriorū quid præstandum sit. Ad hoc vide declarationē Bened. XII. infra in eius const. 3. Fulgens.

§.20. Ne verò Visitatores Monasteriis ad quæ causa visitationis accesserint, nimium onerosi existant, statuimus & ordinamus, quòd maiores Abbates cum visitauerint, decem euectionibus sint cōtenti. Monachi verò qui ad visitandum mittuntur, cum Abbate sibi associato senarium euectionum numerum non excedat. Qui autem aliter ex aliqua causa fecerit, prædictum numerum excedendo, veniam inde petat in sequenti Capitulo generali. Abbatibus vero, vel Visitatoribus cum ad aliquod Monasterium visitandum accesserint, in locis duntaxat tutis, & temporibus pacatis, nullus de Monasterio ipsi occurrere, vel post visitationem eos deducere teneatur. Nullus insuper Abbas, vel etiam Visitator, in Cellariis & Domibus, in Castris & Villis, non habentibus rura & vineas, ex quibus possit hospitalitas exhiberi, sibi prouideri postulet vel occurri. Nec aliquis teneatur ibidē transeuntibus occurrere, vel in aliquo prouidere. Visitatoribus quoque, seu aliis personis prædicti Ordinis, nunquam plus quam duæ pitantiæ piscium ministrentur, nec de pluribus præsumat comedere, cui forte fuerit ministratum. Carnibus, nisi forsan in casu secundum regulam concesso, exclusis omnino, & ipsarum esu penitus interdicto, & tunc, ille solummodo comedat, quem huiusmodi casus attinget.

Quando Officiales remouere possint.

§. 21. Abbates & Visitatores in visitationibus officiales amouere poterunt quos ex certis causis nouerint amouendos. Ita tamen quod causas depositionum vel amotionum Abbati proprio, vel Priori, aut Locum tenēti, si Abbas forte defuerit, prius ostendant. Quod si proprius Abbas, vel Prior accusatum apud Abbates, vel Visitatores sufficienter excusare poterit, de plano sine strepitu, & in ipsa visitatione Abbates & Visitatores benignè huiusmodi excusationes admittant.

Qui ad aliam domum mitti valeant.

§.22. Nullus verò Monachus, vel Conuersus emittatur ad aliam domum, cuius culpa sine graui damno, vel scandalo in domo propria poterit emendari, & qui emittendi fuerint, de quatuor aut quinque seniorum domus consilio emittantur. Quicumque verò aliquem aliter emiserint, omni sexta feria ieiunent in pane & aqua, donec emiserint, omni sexta feria ieiunent in pane & aqua, donec emissus fuerit reuocatus, vel emittens fuerit in certo & firmo proposito reuocandi eundem.

Circa priuatim eis suggesta procedant vi hic.

§. 23. Et licet Abbates seu Visitatores deputati ab eis, secundùm formam prædicti Ordinis, audire possint statum domorum & personarum in visitationibus publice, vel priuatim; tamen super his, quæ sibi priuatim suggesta fuerint, non procedant ad punitionem personarum, nisi prius coram accusato in præsentia quatuor, aut quinque seniorum domus publicata fuerint in secreto. Et tunc de plano & sine strepitu videant si sint vera, & si super eis ad punitionem fuerit procedendum.

Visitatores nihil exigant & recipiant, nisi in regionibus remotis, & tunc moderate à sponte dantibus.

§. 24. Porro vt Visitatio in charitate procedat, nulla de cætero in Ordine præfato exactio, subuentio, vel collecta (saluo statuto in eadem Charta Charitatis contento) petatur vel fiat, à quocumque Abbate, vel Visitatore, siue sit Abbas, siue sit Monachus, nec aliquis recipere donum suspectum attentet. Illi tamen qui mittentur, vel ibunt ad Religiōnes remotas gratia visitandi, poterunt moderate necessaria recipere ab illis, qui eis ex charitate ac mera liberalitate, & sine sui grauamine voluerint subuenire. Qui vero contra hæc aliquid recipere præsumpserint, grauiter puniantur.

Visitatores perficiant dato.

§.25. Sanè Visitatores visitationes suas vltra triduum continuum non protelent. Quod si ex iusta & manifesta causa aliter facere compellantur, causam huiusmodi teneantur intimare sequenti Capitulo generali.

Edita, A.D. 1263.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Montis Virginis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti Auellanæ diœcesis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

CVm à nobis petitur quod iustum & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij ad debitum perducatur effectum.

Alex iij. exemptione à iurisdictione aliorum concessit, &c. & etiam hic pont. concedit. Tu vide Bul. Leo X. 4.22 Et Conc Trid sess. 25. c. 11. & 14. & Cl. VIII. cōst. 39.

§. 1. Ea ptoptet dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, Priuilegium Alexandri Papæ fel. mem. antecessoris nostri, in quo liquidò cognoscentes quòd dictum cænobium cum omnibus Ecclesiis & locis suis subditis, nullo mediãte ad Romanam Ecclesiam pertineret, & quòd non licèt alicui Atchiepiscopo siue Episcopo, vel alij Ecclesiasticæ personæ eidem Monasterio & eius Ecclesiis excommunicationes, & suspensiones indicere, vt fratres illic Domino seruientes ab omni potestate & iurisdictione, ac dominio Archiepiscoporum, & Episcoporum, siue aliarũ personarum liberi, Ecclesiæ Romanæ libertatis gratia potirentur. Et licèt non habeatur in eo mentio diœcesani Episcopi, in cuius diœcesi dictum Monasterium est fundatũ, & de solutione canonis debiti ipsi diœcesano Episcopo, siue alij cuicumque Ecclesiasticæ personæ ab ipso cœnobio, vel Ecclesiis & locis ipsi cœnobio subditis, eo non obstante, auctoritate Apostolica, & speciali priuilegio, vos & Ecclesias & loca ipsi cœnobio subdita ab onere præstationis, & exolutionis cuiuslibet canonis liberamus, & eximimus: volentes vos multa libertatis prærogatiua gaudere, & soli Romanæ Ecclesiæ censuales existere, pro indicio perceptæ libertatis ab Apostolica Sede, prout contineri cognouimus tenore dicti priuilegij quod sine reprehensione Bullæ, chartæ vel literæ apparebat.

Aliasque immunitates cōfirmat.

§. 2. Et omnes immunitates & libertates à Romanis Pont. prædecessoribus nostris, vobis vel Monasterio vestro concessas. Necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus vel aliis CHRISTI fidelibus, rationabiliter vobis, aut Monasterio vestro indultas, sicut ea iustè & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica concedimus, & confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, concessionis, & indulgentiæ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. Ann. 2. die 9. Ian.

Dat. apud Vrbem Veterem 5. Id. Ianuarias, Pontificatus nostri anno secundo.

VI. Priuilegium Abbatis Congregationis Monachorum Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti, vtendi mitra, baculo, benedictione solemni, & aliis Pontificalibus.

Congregationem istam approbauit Cœlest. III. vt suprà in eius const. 3. Religiosam vbi notaui.

Edita An. D. 1264.

VRBANVS EPISCOPVS, &c.

Exordium.

ECclesia Romana velut circumspecta mater & prouida, nonnullas Ecclesias tanquam filias prædilectas maioribus effert honoribus, munere præuenit gratiæ potioris, & gratioribus insignit titulis dignitatum, vt sicut venustatis & sapientiæ filiæ, in matris obedientiam & reuerentiam semper promptæ habeantur feruentes, & studiosæ ad ipsius seruitia beneplacita & mandata.

Causa huius priuilegij.

§. 1. Cum igitur Monasterium vestrum, vtpote, sicut à fide dignis accepimus pia religione conspicuum, & à fidelibus populis illarum partium venerabiliter frequentatum, ac perspectum ipsius, ex prærogatiua specialis dilectionis & gratiæ, sinceritatis brachiis amplexamur. Vestris propter hoc honoribus & vtilitatibus libenter intendimus, sperantes vos haberi deinceps in Apostolicæ Sedis obsequiis; ex impensis vobis acceptioribus ab ea beneficiis, honoris & gratiæ promptiores.

Priuilegium vtendi mitra baculo, benedictione solemni, &c.

§. 2. Nos itaque ob deuotionem B. MARIÆ Virginis gloriosæ, in cuius honore dictum Monasterium est fundatum, vestris supplicationibus inclinati, vsum mitræ, baculi, annuli, sandalium, chirotecarum, tunicæ, dalmaticæ, benedictione solemni ad populum, ordinatione minorum ordinum, indulgentiam quadraginta dierum, benedicere etiam calices, & omnia alia ornamenta Ecclesiastica, & cognoscere de matrimonio inter vassallos, in quibus habetis spiritualia, tibi fili Abbas, & successoribus tuis in perpetuum, (quos potius signitis intendere cupimus, dummodo tibi, & eisdem successoribus sit, more ac modo debito, munus benedictionis impensum, & te ac eos constet existere Sacerdotes) auctoritate præsentium concedimus de gratia speciali.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D.P. A. 3. die 12. Sept.

Dat. apud Vrbem Veterem 2. Id. Septemb. Pontificatus nostri anno tertio.

VII. Institutio secundæ Regulæ Ordinis Sororum S. Claræ nuncupatarum; siue mitigatio primæ Regulæ à B Francisco pro eiusmodi Sororibus traditæ.

Primum eiusdem B. Francisci Regulam pro istis Sororibus, approbauit Innocent. IV. vt supr. in eius const. 12. Solet. vbi videas alia quæ notaui. Vnum addo quod hisce temporibus, Moniales frequentius hanc secundam quam primam regulam profitentur.

Edita An. D. 1263.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis in Christo filiabus Vniuersis Abbatissis & Sororibus inclusis, Ordinis S. Claræ. Salutem & Apostolicam benedictionem.

B. Clara Ordinem Sororũ S. Francisci, ex regula ab eo tradita, format.

BEata Clara, virtute clarens & nomine, gratiæ diuinæ inspiratione præuenta, & almi Christi Confessoris B. Francisci exemplis laudabilibus informata, ac salutaribus instituta doctrinis, vt se mundam Domino conseruaret, Mundi huius contemptis opibus, oneribúsque vitaris, religiosè viuere sapienter elegit, & habitu Sacræ religionis assumpto, arctam viam mandatorum Domini, quæ gradientes in ipsa ducit ad vitam, dilatato corde cucurrit. Hanc petram, Christus lapidem esse voluit, in vestri Ordinis structura primarium. In ipsa euidenter ostendit, quòd in huius structura sibi complacuit. Eam siquidem sanctitatis erexit in titulum, vt quæ munditiæ vitæ claruit, celebritate clareret, ac eundem vestrum Ordinem, qui sanctum & laudabile sumpsit in eius persona principium, ipsius quasi constituentis sic sapienter approbatæ patronæ merita, in venerabilem venerandumque probarent.

Quæ Sororum diuersimodè denominatæ fuerunt variæ quæ viuendi eis formula data.

§. 1. In hoc autem Ordine, vos & alias ipsum profitentes, sub nominationum varietate, interdum Sorores, quandoque Dominas, plerumque Moniales, nonnunquam pauperes inclusas Ordinis S. Damiani contigit hactenus nominari. Vobisque, sub horum & aliorum diuersitate nominum, diuersa priuilegia, indulgentiæ, ac literæ à Sede Apostolica sunt concessa, & tam à fœlic. recordat. Gregorio Papa prædecessore nostro, tunc Ostiensi Episcopo, & vestri Ordinis curam gerente quàm aliis, variæ datæ sunt regulæ & formæ viuendi, quarum obseruantiis se vestrum aliquæ solemniter obligauere.

Supplicarunt itaque pro certa.

§. 2. Propter quod dilectæ in Domino filiæ, fuit nobis humiliter supplicatum, vt eundem vestrum Ordinem

curare

tituli & denominatione ac viuendi forma assignatione.

curaremus, certi nominis titulo inſignire, voſque ad huius obſeruantiarum diuerſitatibus & votis ſuper eis emiſſis, miſericorditer abſoluentes, certam vobis viuendi formam, ad tollendum omnem de veſtris conſcientiis ſcrupulum, largiremur.

Hic ergo Pōt. cum Ordine. S. Claræ de cætero vocari præcipit.

§. 3. Nos itaque decens arbitrantes & congruum, vt idem Ordo veſter, qui vt præmittitur, in B. Clara fœlicia ſuæ inſtitutionis ſumpſit auſpicia, cuiuſque (vt firmiter credimus) apud Deum meritis & interceſſione protegitur, & apud homines laudibus attollitur, & fauoribus ampliatur, eius inſigniatur & nomine, ipſum de Fratrum noſtrorum conſilio de cætero decreuimus Ordinem S. Claræ vniformiter nominandum.

Priuilegia confirmat.

§. 4. Statuentes quòd immunitates, libertates, priuilegia, indulgentiæ, ac literæ quæcumque vobis ſeu eidem Ordini à præfata Sede ſub quacumque nominatione conceſſa, id robur obtineant firmitatis, & ita per omnia ipſis vti poſſitis, ac ſi à principio huius nominis titulo, & ſub hac nominatione fuiſſent.

Regularum diuerſitatem tollit, & regulam hic inſertam eis obſeruandam tradit.

§. 5. Vt autem bene & iucunde habiteris in vnum, nec ſub prædictarum obſeruantiarum differentia à modo videndi, videamini differentes, ſed ambuletis in domo Domini cum conſenſu, Nos inſpectis omnibus regulis prædictis & formis, ac ſpecialiter illam, quam præfatus prædeceſſor tunc Oſtienſis Epiſcopus vobis dediſſe cognoſcitur, diligentiùs attendentes, regulam ſiue formam viuendi præſentibus annotatam, vobis & iis quæ vobis ſucceſſerint, de eorundem Fratrum conſilio, præſentium tenore concedimus, & etiam confirmamus, in ſingulis Monaſteriis veſtri Ordinis perpetuis temporibus obſeruandam, illas ex vobis, quæ ipſam regulam ſiue formam per nos vobis conceſſam & confirmatam, profeſſæ fuerint, ab omnibus aliis regulis, formis & votis præmiſſis, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſoluentes.

Regula prædicta hic ſubſequitur.

Quæ Regula talis eſt.

CAP. I.

De Obedientia paupertate, & caſtitate.

Omnes quæ ſæculi vanitate relicta, religionem veſtram aſſumere voluerint & tenere, hanc eas legem vitæ & diſciplinæ oportet & conuenit obſeruare, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate ſub clauſura.

CAP. II.

Clauſura ſemper certis exceptis caſib. obſeruanda. In hoc attenda conſtit. Pij V. n. 8. Circa & conſtit. s. Gregor. XIII. Deo, cum ibi not.

Omni namque tempore vitæ ſuæ hanc vitam profitentes, clauſæ manere firmiter teneantur, infra murorum ambitum, ad interinſecam clauſuram Monaſterij deputatum, niſi forſan (quod abſit) ſuperueniret ineuitabilis & periculoſa neceſſitas, ſicut exuſtionis ignis, vel incurſus hoſtilis, ſeu alicuius huiuſmodi, quæ dilationem nullo caperet modo, ad egrediendi licentiam poſtulandi. In quibus caſibus transferant ſe Sorores ad locum alium competentem, in quo quantum commodè fieri poterit, clauſæ morentur, quo vſque eis de Monaſterio ſit prouiſum, & propter huiuſcemodi neceſſitatis euidentiam, nulla eis conceditur licentia vel facultas, extra prædictam clauſuram vlterius exeundi, niſi fortè de mandato aut auctoritate Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, cui à Sede Apoſtolica generaliter fuerit iſte Ordo commiſſus, ad aliquem locum aliquæ mitterentur, cauſa plantandi vel ædificandi eandem religionem, vel reformandi aliquod Monaſterium eiuſdem Ordinis, ſeu cauſa regiminis, aut correctionis, aut alicuius valde euidentis & grauis diſpendij euitandi, vel niſi de eiuſdem Cardinalis mandato aut auctoritate. Monaſterio primo rationabili cauſa relicto, totus Conuentus ad Monaſterium aliud ſe transferret. Poſſint autem in ſingulis Monaſteriis recipi aliquæ, licèt paucæ, ſub ſeruitialiũ nomine vel ſororum, ad huiuſmodi obſeruantiam profeſſionis adſtringendæ, præterquam ad articulum de clauſura, quæ de mandato vel licentia Abbatiſſæ, interdum poterunt egredi ad negotia Monaſterij procuranda. Morientes verò, tam Sorores, quam Seruitiales huiuſmodi infra Clauſtrum, prout conuenit, tumulentur.

CAP. III.

Admiſſione Sororum ad Ordinem. & earum profeſſione.

Omnibus hanc religionem aſſumere cupientibus, quæ fuerint admittendæ, priuſquam habitum mutent, & religionem aſſumant, dura eis & aſpera proponantur, per quæ itur ad Deum, & quæ ſecundùm hanc religionem neceſſe habuerint, firmiter obſeruare, ne de ignorantia poſtea ſe excuſent. Non recipiatur aliqua, quæ vel longiori ætate, vel infirmitate aliqua, vel fatua ſimplicitate ad huiuſmodi vitæ obſeruantiam inſufficiens & non idonea cenſeatur, niſi fortè cum aliqua interdum cauſa rationabili exigente, de mandato, vel auctoritate d. Cardinalis alicui fuerit diſpenſandum. Per tales enim ſtatus & vigor religionis ſæpius & diſſoluitur & turbatur: vnde in perſonis recipiendis diligenti ſtudio & cautela debet huiuſmodi occaſio deuitari, Abbatiſſa nullam, propria auctoritate recipiat, ſine conſenſu omnium Sororum ſuarum, vel ad minus duarum partium earundem Omnes verò ex more intra clauſtrum receptæ, tonſis crinibus, citius deponant habitum ſæcularem. Quibus deputetur magiſtra, quæ eas informet regularibus diſciplinis. Ad tractatus quoque Capituli infra annum nullatenus admittantur. Completo verò vnius anni ſpatio, ſi ætatis legitimæ fuerint, profeſſionẽ in manibus Abbatiſſæ coram Conuentu faciant in hunc modum. Ego Soror N. promitto DEO & Beatiſſimæ MARIÆ ſemper Virgini, & B. FRANCISCO, & B. CLARÆ, & omnibus Sanctis, & tibi Dominæ Abbatiſſæ, viuere ſub regula à D. Vrbano Papa Quarto Ordini noſtro conceſſa, toto tempore vitæ meæ, in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate, & etiam, ſecundùm quod per eandem regulam ordinatur ſub clauſura. Idem ſimiliter profitendi modus in Seruitialibus, vel Sororibus, quæ de licentia Abbatiſſæ egredi poſſunt exterius, præter articulum de clauſura, per omnia obſeruetur.

De hoc agitur etiam in 1. reg. cit. in rub. c. 2.

CAP. IV.

Habitu. De hoc agitur in d. 1. reg. c. 2.

Omnes Sorores communiter capillos ſuos vſque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Et vnaquæque ſoror præter cilicium ſi voluerit, vel ſtaminetum, duas tunicas, vel etiam plures, ſecundùm quod viſum fuerit Abbatiſſæ, habere valeat, ac mantellum poſt collum hinc inde connexum: & hæc indumenta ſint de panno religioſo, & vili tam pretio, quàm colore, iuxta diuerſarum conſuetudinem regionum, nimia breuitate vel longitudine non notanda, vt & in operiendis pedibus debita ſeruetur honeſtas, & curioſæ longitudinis ſuperfluitas penitus euitetur. Tunica quoque ſuperior, ſit tam in manicis, quam in buſto, latitudinis & amplitudinis congruentis, & habitus exterioris honeſtas intrinſecè atteſtetur. Habeant & ſcapularia ſine capitulo, de vili & religioſo panno, vel ſtaminea, amplitudinis & longitudinis condecentis, ſicut vniuſcuiuſque qualitas exigit vel menſura: quibus induantur quando laborant, vel tale aliquid agunt, cum mantellos congrue geſtare non poſſunt. Poſſint etiam ſine ipſis eſſe aliquando, ſi viſum fuerit Abbatiſſæ, cum fortè per calorem nimium vel aliquid aliud, eis grauia multum fuerint ad portandum. Coram extraneis tamen huiuſmodi vtantur ſcapularibus cum mantellis, Tunicæ quoque ſuperiores, ſcapularia, & mantelli, coloris omnino albi vel nigri aliquatenus non ferantur. Pro cingulo autem cordam poſtquam profeſſæ fuerint, habeant minimè curioſam. Vittis aut velis de panno communi omnino albis, non tamen pretioſis, aut curioſis, capita ſua cooperiant vniformiter & honeſtè, ita quod frons, genæ & collum & gula ſint (vt earum honeſtati & religioni conuenit) cooperta, nec aliter coram extraneis perſonis audeant apparere. Habeant & velum nigrum, nec pretioſum nec curioſum, extenſum ſuper capita, ita amplum & longum, quod ex vtraque parte deſcendat vſque ad ſcapulas, & retro parum vltra tunicæ caputium protendatur. Sorores verò nouitiæ album velum eiuſdem menſuræ & qualitatis debeant deportare. Seruitiales autem Sorores pannum album non pretioſum aut curioſum, ad modum veli ſuper capita ſua deferant, tantæ longitudinis & amplitudinis, quod ſcapulas & pectus præcipuè cum exeunt, valeant operire.

CAP. V.

Lectulis & dormitorio.

Omnes Sorores ſanæ, tàm Abbatiſſa quàm aliæ, veſtitæ & cinctæ iaceant in communi dormitorio, & quælibet per ſe lectum habeat ad inuicem ſeparatum. Lectus tamen Abbatiſſæ in tali loco dormitorij diſponatur, quòd inde cæteros dormitorij lectos ſine obſtaculo, ſi commodè fieri poterit, valeat intueri. A feſto Reſurrectionis Dominicæ vſque ad feſtum Natiuitatis B. Virginis,

Sorores

Sorores dormiant post prandium vsque ad Nonam, quæ voluerint. Quæ verò noluerint, oratione, seu meditatione diuina, seu aliis piis quietis laboribus occupentur. Liceat autem vnicuique habere saccones de fœno vel de palea, & ceruical de palea aut lana, si culcitras religiosas cum lana habere nequiuerint congruenter. Lampas insuper de nocte accensa semper in medio dormitorij habeatur.

CAP. VI.

Diuini officij recitatione Cir a Offic. mortuorum vide declarationem in cōfol. 9. Leo. X. Cum sicut. Et generaliter de diuin. offic. agitur sup in d. 1. reg. c. 2.

De diuino officio, tam in die, quàm in nocte Domino persoluendo, taliter obseruetur, quòd hæ quæ legere & canere nouerint, secundum consuetudinem Ordinis Fratrum Minorum, cum grauitate tamen & modestia, diuinum officium debeant celebrare. Illiteratæ verò dicant vigintiquatuor Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem. Qui modus in officio B. Virginis per omnia obseruetur. Pro defunctis dicant in Vesperis septem Pater noster cum Requiem æternam, pro Matutino duodecim, tempore quo Sorores literatæ faciunt officium mortuorum. Quæ verò occasione rationabili non possent aliquando legendo dicere Horas suas, liceat eis sicut illiteratis dicere Pater noster.

CAP. VII.

Sacramentis recipiendis temporeq; receptionis, & personis à quibus recipi debent.

Vbi proprius fuerit Capellanus pro Missarum solemniis & diuinis officiis celebrandis, habitu & vita religiosus sit, ac bonæ famæ, nec iuuenilis, sed maturæ & idoneæ sit ætatis. Vbi autem non fuerit proprius Capellanus, à quolibet bonæ famæ & honestæ vitæ presbytero, Sorores missam audire possunt. Pœnitentiam verò & alia Sacramenta Ecclesiastica à Fratribus Ordinis Minorum dumtaxat recipiant, vel ab eis recipiant, qui de mandato seu auctoritate Cardinalis, cui generaliter fuerit iste Ordo commissus, ea exhibendi potestatem habuerint, nisi fortè in necessitatis articulo fuerit aliqua constituta, & copiam habere fratrum nequiuerit prædictorum. Cum aliqua Sacerdoti de confessione loqui voluerit, per locutorium sola, soli confessionem faciat Sacerdoti, & per illud eidem de his quæ ad confessionem pertinent, tunc loquatur. Confessionem autem regulæ omnes faciant ad minus singulis mensibus, & sic confessióne præmissa in sequentibus solemnitatibus, videlicet in Natiuitate Domini, Purificatione B. Mariæ, in initio Quadragesimæ, Resurrectionis Domini, Pentecostes, in festis Sanctorum Petri & Pauli, S. Claræ, S. Francisci, & omnium Sanctorum, recipiant Dominici corporis Sacramentum. Si tamen aliqua Soror tanta fuerit corporis infirmitate detenta, quòd ad locutorium commodè venire non possit, & necessitatem habuerit confiteri, vel Dominici corporis, seu alia recipere Sacramenta; exhibiturus huiusmodi, alba & stola & manipulo, cum duobus idoneis & religiosis sociis, vel vno ad minus alba vel saltem superpelliceo vestitus, ingrediantur & morentur induti, & audita confessione, vel alio tradito Sacramento, sicut ingressi fuerint, sic egrediantur induti, nec moram ibi faciant longiorem. Caueant etiam vt quandiu intra Monasterium fuerint, nullatenus ab inuicem separentur, quin semper mutuo possint liberè se videre. Sic quoque se habeant in animæ commendatione. Porrò ad exequias circa sepulturam agendas, Sacerdos non ingrediatur Claustrum, sed exterius in Capella quod ad officium pertinet, exequatur. Tamen si Abbatissæ & Conuentui visum fuerit quòd ad exequias debeat introire, modo supradicto cum sociis intret indutus, & sepulta mortua, cum eis exeat sine mora. Si autem necesse fuerit vt ingrediantur aliqui ad fodiendam vel ad aperiendam sepulturam, seu postmodum coaptandam, & Abbatissæ & Conuentui visum fuerit hoc expediens, propter imbecillitatem Sororum, sit Sacerdoti vel alicui alij ad hoc idoneo & honesto cum vno socio vel duobus, licitum introire.

CAP. VIII.

Exercitio apud Magistras, & in laboritijs, cōmunioneque rerum omnium inter eas.

Si aliquæ iuueniles, vel grandiores, capaces ingenij fuerint, eas instrui faciat, si sibi videbitur Abbatissa, magistram eis deputans idoneam & discretam, per quam tam in diuinis officiis instruantur. Sorores verò & Seruitiales, horis & locis institutis prout ordinatum fuerit, vtilibus & honestis laboribus occupentur, sub illa prouidentia, quòd excluso otio animæ inimico, sanctæ inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. Verum quia multitudini sub huius religionis obseruantia congrue omnia debent esse communia, nec cuiquam liceat aliquid esse suum, caueant sollicitè, ne occasione laborum huiusmodi, seu mercedis receptæ pro ipsis, cupiditatis vel proprietatis cuiuspiam, seu notabilis specialitatis subrepat morbus.

De his agitur etiam supr. in d. 1 reg. c. 7.

CAP. IX.

Silentij obseruatione. De hoc habetur etiā in d. 1. reg. cap. 5.

Silentium continuum sic continuè ab omnibus teneatur, vt nec sibi inuicem, nec alicui alij sine licentia eis loqui liceat, exceptis iis quibus magisterium aliquod, vel opus iniunctum fuerit, quod non possit cum silentio exerceri, iis quidem simul loqui liceat de iis, quæ ad officium vel opus suum pertinent, vbi & quando, & qualiter visum fuerit Abbatissæ. Sorores tamen debiles & infirmę, ac seruientes eisdem, pro recreatione, ac ipsarum seruitio, in infirmitoria loqui possint. In duplicibus quoque festis, ac Apostolorum solemnitatibus, & aliis quibusdam diebus, quibus visum fuerit Abbatissæ, in certo loco ad hoc signato, ab hora Nona vsque ad Vesperam, vel aliqua alia hora competenti, loqui possint de Domino IESV CHRISTO, ac solemnitate, ac piis Sanctorum exemplis, & de aliis licitis & honestis. Ab hora quoquè Completorij vsque ad Tertiam, exceptis Seruitialibus, extra Monasterium Abbatissa absque causa rationabili loquendi licentiam non concedat. In aliis verò temporibus atque locis, sic attendat sollicitè Abbatissa de causa, vbi, & quando, & qualiter Sorores liceantiet ad loquendum, quod regularis obseruantia quæ non mediocriter à silentio, quod est cultus iustitiæ, dignoscitur, nullatenus relaxetur.

CAP. X.

Loquendi modo & tempore.

Omnes autem studeant vti signis religiosis pariter & honestis. Sanè quando aliqua persona religiosa seu sæcularis, vel cuiuslibet dignitatis, alicui de Sororibus loqui petierit, nuntietur primitus Abbatissæ, & si ipsa concesserit, accedens ad locutorium, duas alias ad minus habeat secum semper, quibus iusserit Abbatissa, quæ loquētem videant & audire valeant quæ dicuntur. Ad cratem verò loqui aliquatenus non præsumant, nisi præsentibus duabus ad minus per Abbatissam ad hoc specialiter deputatis. Caueant tamen sibi Sorores, quæ cum aliquo loqui habent, ne per verba inutilia inaniter se diffundant, nec etiam trahant in locutionibus moram longam. Hoc namque ab omnibus firmiter obseruetur, vt quando de confessione Sacerdoti interius infirma fuerit aliqua locutura, ad minus non loquatur, nisi cum duabus non longè sedentibus, quæ confitentem & confessorem videre possint, & ab eisdem pariter videri. Hanc autem loquendi legem & ipsa Abbatissa diligenter custodiat, vt omnino materia detractionis omnibus auferatur, excepto quòd cum Sororibus suis, horis & locis competentibus loqui potest, sicut ei secundùm Deum visum fuerit expedire.

CAP. XI.

Ieiunio & abstinentia, ac Abbatissa facultate circa dispensationem.

Sorores autem omnes & Seruitiales, infirmis exceptis à festo Natiuitatis Gloriosæ Virginis MARIÆ, vsque ad festum Resurrectionis Dominicæ, nisi diebus Dominicis, & die Natiuitatis Domini, continuum seruent ieiunium: à Resurrectione verò Dominica, vsque ad festum Natiuitatis B. Virginis, teneantur sexta feria ieiunare. Omni quoque tempore, præter infirmas infirmitatis suæ tempore, ab esu carnium abstineant. Cum debilibus autem dispensare valeat Abbatissa, prout earum debilitati viderit expedire. Ouis verò & caseo, & lacticiniis licitè possint vti, præterquam ab Aduentu vsque ad Natiuitatem Domini, & à Dominica Quinquagesimæ, vsque ad Pascha, necnon & sexta feria, & ieiuniis ab Ecclesia generaliter institutis. Cum Seruitialibus tamen Sororibus, circa prædictum ieiunium, præterquam in Aduentu, & sexta feria, possit Abbatissa misericorditer dispēsare. Dispensare etiam possit circa prædictum ieiunium cum adolescentibus, ac debilibus, & senili ætate confectis, prout earum debilitati ac imbecillitati viderit expedire. Sanæ quoque Sorores ieiunare non teneantur minutionis suæ tempore, quod in triduo terminetur, extra maiorem

quadra

quadragesimam, & sextam feriam, Aduentum Domini, & ieiunia ab Ecclesia generaliter instituta. Caueat autem Abbatissa, ne vltra quam ter in anno minutionem permittat communiter celebrari, nisi certa necessitas plus requirat, nec à persona extranea maxime minutionem recipiat, vbi commodè poterit euitare.

Cap. XII.

Infirmarum cura. De his habetur etiā in d. reg. 1. cap. 8.

De infirmis verò, cura & diligentia maxima habeatur, & secūdùm quod possibile fuerit & decuerit, tàm in cibariis, quæ earum requirit infirmitas, quàm in aliis necessariis, in feruore charitatis, benigne ac solicitè eis per omnia seruiatur. Quæ infirmæ proprium habeant lectum, si vnquam fieri potest, vbi à sanis maneant separatæ, ne illarum ordinem confundere valeant, vel turbare.

Cap. XIII.

Ostij interioris custodia & custodibus ac earum qualitate. De his agitur etiam supr. in d. 1. reg. c. 11. vbi notaui.

Aduerte quòd circa Scalam leuatoriā, & clausurā ostij inferioris se monendi, quod hic dicitur nō fuit vsu receptum, & Alexand VI. die 23 Maij 1405 ita declarauit, sed eius Bullam consulto prætermisi, vel hoc tantum continentem.

In quolibet Monasterio vnum tantum ostium habeant ad intrandum Claustrum & exeundum, cum opportunum fuerit, iuxta legem de ingressu & egressu positam in hac forma. In quo ostio nullum sit ostiolum vel fenestra, & istud ostium in sublimi quanto magis fieri poterit congruenter, ita quòd ad ipsum per scalam leuatoriam exterius ascendatur, quæ scala per catenam ferream ea parte Sororum studiose ligata, à Completorio dicto vsque ad Primam sequentis diei, continuè sit suspensa, & tempore diurnæ dormitionis & visitationis, nisi aliud interdum euidens requirat necessitas, vel vtilitas manifesta. Ad prædictum autem ostium custodiendum, aliqua talis ex Sororibus deputetur, quæ Deum timeat, sit matura moribus, sit diligens ac discreta, sitque conuenientis ætatis, quæ vnam ipsius ostij clauem sic diligenter custodiat, vt nunquam ea vel eius socia ignorante, ostium aliquando valeat aperiri. Reliquam verò clauem diuersam ab illa, custodiat Abbatissa. Sit & alia æqua idonea ei socia deputata, quæ eius vicem in omnibus exequatur, cum ipsa aliqua rationabili causa vel occupatione necessaria, occupata fuerit vel detenta. Caueant autem studiosissime & procurent, ne vnquam ostium stet apertum, nisi quantum minus fieri poterit congruenter. Sic autem ostium seris ferreis & vectibus optime communitum, & sine custodia, apertum vel clausum, minime dimittatur, neque etiam ad momentum nisi vna claue in die, & in nocte duabus, sit firmiter obseratū. Nec omni pulsanti aperiatur statim, nisi indubitanter cognouerit quòd talis sit, quòd sine dubitatione aliqua, secūdùm mandatum quod de ingressuris in hac regula continetur, debeat aperiri. Et nulli liceat ibi loqui, nisi soli ostiariæ de his quæ ad officium pertinebunt. Quòd si aliquādo intra Monasterium opus aliquod fuerit faciendum, ad quod agendum sæculares aliquos, vel quascunque personas alias, oporteat introire, prouideat Abbatissa solicite, vt nunc dum opus scilicet exercetur, alia persona conueniens ad custodiendum ostium statuatur, quæ sic personis ad opus deputatis aperiat, quod alias intrare penitus non permittat. Nam Sorores ipsæ, & nunc, & semper, quantumcunque rationabiliter præualent, studiosissimè caueant, ne sæcularibus vel extraneis personis videantur.

Cap. XIV.

Rota eiusque custodia. De his agitur etiam sup. in d. 2. reg. c. 11.

Cæterùm, cum præfatum ostium aliis aperiri nolimus, nisi pro illis tantum, quæ per rotam vel aliunde decenter nequeant expediri, mandamus quòd in singulis Monasteriis in exteriori muro clausuræ intrinsecæ, in loco siquidem competenti, manifesto à parte exteriori, & omnino patenti, rota vna fortis fieri debeat, latitudinis & altitudinis congruentis, ita quòd per eam nulla persona ingredi valeat, vel exire, per quam necessaria, tàm interius, quàm exterius ministrentur, & taliter disponatur, quòd per eam, nec intus nec extra valeat aliquis intueri. Ex vtraque etiam parte ostiolum fiat validum, quod de nocte & in æstate tēpore dormitionis, seris ferreis & clauibus clausum & firmatum debeat permanere. Ad cuius custodiam pro expediendis necessariis per eandem, vnam Sororem discretam, tàm moribus, quàm ætate, quæ Monasterij diligat honestatem, constituat Abbatissa, cui soli tantùm vel deputatæ sibi sociæ, cum congrue non poterit interesse, loqui ibidem & respondere liceat, super iis quæ ad suum officium pertinebunt. Ibi autem nulli loqui liceat, nisi esset locutorium occupatum, vel ex alia rationabili causa, & necessaria aliquando: semper tamen de licentia Abbatissæ, quod tamen rarissimè fiat, secundùm loquendi modum superius prætaxatum.

Cap. XV.

Ostio exteriori.

Propter necessitates quoque aliquando imminentes, quæ non possunt per supradictum ostium vel rotam commode expediri, permittimus quod aliud ostium in loco decenti in Monasterio fieri possit, per quod certis temporibus intromittantur, & emittantur, quæ fuerint opportuna. Quod quidem ostium continue sit claui, seris ferreis, & repagulis communitum. Sitque muro à parte exteriori muratum, ita quod non possit aliquatenus aperiri, vel persona aliqua inde loqui. Possit tamen necessitatum dictatum tempore, ipsius ostij murus dirui, ostium aperiri, nec tunc apertum nisi quantum minus fieri poterit, sub tamen fida custodia, dimittatur. Expeditis itaque necessitatibus ipsis, secundùm prædictum modum remunitum, claui, seris & repagulis extrinsecus remuretur.

Cap. XVI.

Crate locutorij eiusque custodia & quantitate. De his agitur etiam supr. in d. 1. reg. c. 5.

Locutorium autem commune in capella vel potius in claustro, vbi commodius & honestius fieri poterit, disponatur, ne si forte fieret in Capella, pacem orantium inquietet. Ipsum locutorium sit congruæ quantitatis, de lamina ferrea subtiliter perforata, & taliter clauis ferreis coaptata, quòd nomquam valeat aperiri. Sit quoque ipsa lamina clauis ferreis in longum protensis, exterius fortiter communita. Cui pannus niger laneus interius taliter apponatur, quòd nec Sorores videre extra valeant, nec videri. Ad istud autem locutorium à Completorio, quod diei debet tempore competenti, vsque ad Primam diei sequentis, seu tempore comestionis, vel dormitionis in æstate, aut quando officium celebratur, (nisi pro causa adeo rationabili & necessaria, quæ commodè differri non possit) nulli licitum erit loqui. Quandocumque verò in concessis temporibus aliqua vel aliquæ habuerint ibi loqui, cum modestia & maturitate loquentes, breuiter se expediant, prout decet. Vbi verò propter Sororum multitudinem, videbitur opportunum, aliud simile locutorium esse possit.

Cap. XVII.

Volumus etiam vt in muro, qui Sorores diuidit à Capella, congruentis formæ crates ferrea collocetur, quæ sit ex crebris & spissis contortis lineis ferreis, diligenti & forti opere fabricata, & clauis ferreis in longum protensis exterius fortiter communita, vel ex lamina ferrea paruis & minutis foraminibus perforata, cum protensis clauis ferreis, vt dictum est, in cuius medium fiat vnum ostiolum de lamina ferrea, per quod communionis tempore possit intromitti calix, & Sacerdos mittens manum, possit Dominici corporis tradere Sacramentum, quod quidem claui ferrea sit semper firmatum, nec aperiatur, nisi quando proponi Sororibus contigerit verbum Dei, vel Sacramentum Dominici corporis exhibetur, aut cum quis, aliquam ex Sororibus suam propinquam consanguineam videre petierit, vel alia causa necessaria id exposcat, quod rarissimè fiat, & semper de licentia Abbatissæ. Quæ tamen in nullo casu (primis duobus dumtaxat exceptis) licentiam largiatur, nisi prius singulis vicibus de hoc consilium petierit à Conuentu. Cui crati pannus lineus niger interius taliter apponatur, vt nulla valeat inde aliquid intueri. Habeantur etiam ostia lignea ex parte Sororum, cum seris ferreis atque claue, vt maneant semper clausa pariter & firmata, & non aperiantur, nisi cum diuinum celebratur officium, & nisi quando ex dictis causis præfato modo dictum ostiolum contigerit aperiri, & nemo alius per dictam cratem loquatur, nisi aliquando, rationabili causa vel necessaria exigente, alicui de Abbatissæ licentia raro fuerit concedendum. Et tunc prædicta ostia lignea poterunt aperiri, & quandocumque aliquam personam extraneam ad eas ingredi, vel aliàs per crates eis loqui contigerit, tegant faciem cum modestia, & inclinent prout religionis conuenit honestati.

Cap. XVIII.

Clausura Sororum, & ingressu eorū.

De ingressu personarum in Monasterium, firmiter ac districtè præcipimus, vt nulla vnquam Abbatissa vel eius

Sorores,

certis casibus permisso imò ingressu generaliter ipso prohibitum quibusdam tamen modò casibus in vrgente necessitate reseruatis. Loquitur ex Bulla 20. Pij V. Regularium, & alia Bulla 8. Circa cum ibi not. Et vide etiam cõst. 33. Paul. V. Facultatum.

Sorores, aliquam personam Religiosam seu sæcularem, aut cuiuslibet dignitatis, in Monasterij clausuram intrinsecam intrare permittant, nec omnino liceat alicui, nisi quibus concessum à Sede Apostolica fuerit, vel à Cardinale cui fuerit Sororum Ordo commissus. Excipiuntur autem à dicta ingrediendi lege, Medicus causa multum grauis infirmitatis, & Minitor cum necessitas exegerit, qui non absque duobus sociis de familia Monasterij introducantur, nec ab inuicem infra Monasterium separentur, nec non & illi quos occasione incendij vel ruinæ, seu alterius periculi vel dispendij, seu pro tuendis à violentis quorumlibet Monasterio vel personis, aut pro aliquo opere exercendo quod commode extra Monasterium fieri non potest, necessitas exegerit introire. Qui omnes expedito suo ministerio, vel imminenti necessitati satisfacto per ipsos, exeant sine mora. Nulli autem personæ extraneæ intra Monasterij clausuram liceat comedere, vel dormire. Sed & si quis de S. Claræ Cardinalibus, ad aliquod Monasterium huiusmodi Religionis aliquando venerit, & intra claustrum voluerit ingredi, cum reuerentia quidem & deuotione suscipiatur, sed rogetur vt cum paucis sociis & honestis debeat introire. Liceat quoque Generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum, quando ibidem celebrare voluerit, vel proponere Sororibus verbum Dei, cum quatuor vel quinque Fratribus ipsius Ordinis, intra clausuram ingredi Monasterij, si quando ei videbitur expedire. Alius autem Prælatus cui aliquando fortè de licentia Sedis Apostolicæ vel dicti Cardinalis, intrare licuerit, duobus vel tribus tantum Religiosis & honestis sociis sit contentus. Quòd si fortè, pro benedictione vel cõsecratione Sororum, vel in alio modo, concessum fuerit Episcopo alicui missam interius celebrare aliquando, quàm paucioribus & honestioribus poterit sociis sit contentus, & ministris. Et hoc quoque ipsum alicui rarius concedatur. Nulla tamen omnino loquatur cum aliqua persona de ingressis, nisi modo prædicto, siue infirma fuerit, siue sana. Illud sanè præcipuè caueatur, vt ij quibus aliquando concessum fuerit solummodo, vel data licentia in Monasterium ingredi, non aliter admittantur, nisi Abbatissæ & Sororibus visum fuerit expedire, cum ex huiusmodi concessionibus vel licentiis, Abbatissa vel Sorores, eos admittere non cogantur, & vt sint tales, de quorum verbis & moribus, necnon vita & habitu ædificari valeant intuentes, & materia iusti scandali exinde nequeat generari. Super concessione verò vel licentia ingressus huiusmodi, ad omne ambiguum remouendum, Apostolicæ apices vel Cardinalis patentes literæ ostendantur.

Cap. XIX.

Sororum, & Seruitialium missione extra.

De Seruitialibus & Sororibus, quæ semper manere clausæ, sicut aliæ non tenentur, districtius volumus obseruari, vt sine licẽtia, nulla claustrum egrediatur. Et quæ emittuntur, honestæ sint, & conuenientis ætatis, ac Religiosi & maturi aspectus, & calceamentis honestis, tam ipsæ, quàm Sorores illæ, quas aliquando emittere contigerit pro casibus supradictis, calceatæ incedãt. Ceteris verò intus manentibus liceat istud idem. Egredientibus verò assignetur certus terminus redeundi, nec alicui ipsarum concedatur extra Monasterium, sine licentia speciali, comedere, bibere, vel dormire, nec ab inuicem separari, vel alicui in secreto, seu Capellani Monasterij, vel Conuersorum domicilium introire, & si aliqua contrarium fecerit, grauiter puniatur, & sollicite caueant, ne ad loca suspecta diuertant, vel cum personis malæ famæ familiaritatem habeant, nec in suo reditu sæcularia vel inutilia Sororibus referant, per quæ dissolui valeant, vel turbari. Et quandiu extra fuerint, taliter studeant se habere, quod de conuersatione honesta ipsarum ædificari valeant intuentes, & quicquid eis datum vel promissum fuerit, resignent, vel renuncient Abbatissæ, vel alij, cui in hoc commiserint vices suas.

Cap. XX.

Capellani & Conuersorum vita & moribus ac vestibus.

Capellanus si voluerit se Monasterio obligare, & aliqui qui Monasterij conuersi esse voluerint, & Abbatissæ & Conuentui visum fuerit eos recipere, anno probationis elapso, promittant obedientiam Abbatissæ, vouentes loci stabilitatem, & perpetuo viuere, sine proprio, & in castitate. Tunicas de Religioso & vili panno, tàm pretio quàm colore, iuxta eorum indigentiam habere valeant sine caputio. Quarum manicæ breues sint, & strictę tantummodo circa manus. Longitudo autem tunicarum sit talis, quòd à cauilla pedum, distet spatio quatuor digitorum. Capellanus tamẽ habere poterit longiorem. Pro cingulo verò corrigiam honestam habeant cum cultello. Caparonem etiam cum caputio super tunicas portent, cuius longitudo genu aliquantulum transeat, & latitudo vsque ad caputium protẽdatur. Minoris tamen latitudinis caparonem si habere voluerit, poterit Capellanus. Qui etiam cappa honesta, vel mantello post collum, vel ante pectus hinc inde connexo, vti poterit. Superiores autem tunicæ, & longum caputium, necnon & Capellani cappa & mantellus, non sint de albo, vel penitus nigro panno. Vestiti etiam iaceant, & camisiis lineis non vtantur. Calceamenta alta & ampla & antefixa cum caligis habeant, & fœmoralia portent. Capillos suos vsque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Officium diuinum faciant vt Sorores, excepto quod Conuersi, ad officium B. Virginis, & mortuorum, minimè teneantur. Ieiunium seruare debeant vt Sorores. Liceat tamen Abbatissæ super ieiunio regulæ, cum eis æstus vel itineris, aut laboris alterius, seu alia quauis rationabili & honesta causa misericorditer dispensare. Informationi verò & correctioni Visitatoris, Capellanus & Conuersi per omnia sint subiecti. Cui in iis, quæ ad visitationis officium pertinent, teneantur firmiter obedire.

Cap. XXI.

Procuratore & eius officio. De hoc habes plena dispositione in Bulla 1 Paul IV. Ex Clementi.

Ad hæc, liceat vobis in communi, redditus & possessiones recipere & habere, ac ea libere retinere. Pro quibus possessionibus & redditibus Monasterij modo debito pertractandis, Procurator vnus, prudens pariter & fidelis in singulis Monasteriis vestri Ordinis habeatur, qui per Abbatissam & Conuentum constitui & amoueri debeat, sicut videbitur expedire. Hic verò taliter institutus de omnibus sibi commissis, receptis pariter & expensis, Abbatissæ & tribus Sororibus ad hoc per Conuentum specialiter assignatis, & Visitatori cum voluerit, rationem reddere teneatur, & nihil omnino de rebus Monasterij vendere, commutare, obligare vel alienare quoquomodo valeat, nisi de licentia Abbatissæ pariter, & Conuentus. Et quicquid contra hoc attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. Possit tamen de mobilibus parum valentibus, aliqua parua, ex causa licita de Abbatissæ licentia, interdum aliis elargiri. Possit etiam per Visitatorem, cum expedire videbitur, amoueri.

Cap. XXII.

Abbatissa auctoritate muneris & qualitatibus. De his agitur etiam in d. reg. c. 9. & 10.

Electio Abbatissæ libere pertineat ad Conuentum, Confirmatio verò fiat per Cardinalem, cui fuerit iste Ordo commissus, vel auctoritate ipsius. Studeant autem Sorores talem eligere, quæ virtutibus polleat, & sanctis moribus aliis præsit potius, quam officio, & quæ communitatem seruet in omnibus, vel in moribus, vt eius exemplo prouocatæ Sorores, ex amore magis ei obediant, quàm timore. Quæque singularibus amoribus careat, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Consoletur afflictas, sit refugium tribulatis, ne si apud eam remedia defuerint sanitatum, desperationis morbus præualeat in infirmis. Quæ humiliter & charitatiue visitet, & corrigat Sorores suas, non præcipiẽdo eis aliquid quod sit contra animam suam, & vestrę professionis formam, non sit pręceps in præcipiendo, ne ex indiscretione præcepti, ponat peccati laqueum animabus. Cui postquam confirmationem receperit, quamdiu in officio permanserit, Sorores vniuersæ, necnon & familia exterior Monasterij, pareant & obediant diligenter. Semel in hebdomada ad minus, Abbatissa Sorores suas pro ipsarum monitione, ordinatione, & reformatione, teneatur ad Capitulum conuocare. Vbi secundùm expressionem publicarum & communium negligentiarum atque culparum, pœnæ misericorditer imponantur. Conferat etiam cum omnibus Sororibus suis, de iis quæ occurrunt pro sui Monasterij vtilitate ac honestate tractanda. Sæpè enim Dominus, quòd melius est iuniori reuelat. Nullum onerosum vel graue debitum contrahat, nisi per procuratorem de communi consensu Sororũ, cum manifesta necessitas hoc requirat

Reddat

Reddat etiam de receptis & expensis, semel ad minus, singulis tribus mensibus, coram Conuentu, vel saltem quatuor Sororibus ab eodem ad hoc specialiter deputatis, debitam rationem, Officiales Monasterij instituat de consilio & assensu Conuentus, vel maioris partis ipsius. Sigillum verò Conuentus custodiri faciat & seruari, secundùm ordinationem Conuentus, & omnem literam dirigendam ex parte eiusdem Conuentus, prius coram Conuentu in Capitulo lectam, & approbatam à maiori parte Sororum, ibidem coram omnibus faciat sigillari. Nulla etiam Soror aliquas literas dirigat seu recipiat, nisi primo eas Abbatissa legat, vel ad alia ad hæc constituta legantur. Studeat insuper Abbatissa Sorores reconciliare, si aliquas ad inuicem ex aliqua causa vel occasione contigerit conturbari. Soror vero illa, quæ verbo vel signo occasionem turbationis vel scandali alteri dederit, statim antequam offerat munus orationis suæ Deo, veniam petens à Sorore quam offendit, coram ea humiliter se prosternat, rogās vt intercedat pro se ad Dominum, quatenus sibi culpam indulgeat quam commisit. Illa verò memor verbi Domini, Nisi dimiseritis ex cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis, liberaliter iniuriam remittat Sorori veniam postulanti. Monemus Sorores omnes, & hortamur in Domino Iesv Christo, vt caueant ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura, & sollicitudine huius sæculi, detractione & murmuratione, dissēsione & diuisione, ac omni vitio pro quo possit displicere in oculis veri sponsi. Sed magis sollicitæ corā Deo seruare exteriorem & interiorem in omnibus puritatem, ac semper inuicem habere mutuæ dilectionis vnitatem, quę est vinculum perfectionis, vt in ea radicatæ & fundatæ, possint agni Domini nostri Iesv Christi nuptias cum prudentibus virginibus introire.

Cap. XXIII.

Accessus ad Sedem Apost. prohibitione. Generalē existus à Monasteriis prohibitionē indicauit sup. in cap. 22. de clausura.

Ad hæc, vt discursibus dispendiosis materia subtrahatur, in virtute obedientiæ, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto transgredientes vel non parentes incurrant, districte præcipimus, vt (exceptis dumtaxat seruitialibus Monasteriorum illorum locorum, in quibus Romana fuerit Ecclesia constituta, quandiu ibi residentiam fecerit) nulla Abbatissa, Soror vel Seruitialis pro vlla necessitatis causa, ad Sedem Apostolicam personaliter veniat, vel accedat, nisi super hoc per Apostolicos apices, vel dicti Cardinalis patentes literas, alicui specialis licentia concedatur.

Cap. XXIV.

Visitatoris Monasteriorū officio. De hoc agitur etiam in d. 1. reg. c. 12.

Monasteria huius Religionis, per Visitatores (qui auctoritatem, formam, & modum, à Cardinali, cui fuerit à Sede Apostolica vester Ordo commissus, recipiant) semel ad minus annis singulis visitentur. Sane circa visitationes huiusmodi, illud est sollicite prouidendum, vt quicumque vel generalis, vel etiam alicubi aliquando specialis constituendus fuerit Visitator, talis debeat constitui, de cuius Religiosa vita & moribus notitia plena & securitas habeatur. Qui cum ad Monasterium aliquod veniens, fuerit introgressus, sic se per omnia exhibeat & ostendat, vt omnes de bono ad melius prouocet, & ad Dei amorem, & inter se mutuam charitatem semper inflammet pariter & accendat. Et quando Monasterij clausuram ad visitandum intrauerit, duos Religiosos & idoneos socios secum ducat, qui videlicet socij simul maneant, & dum fuerit intra claustrum, ab inuicem nullatenus separentur. Visitator autem, regula prius lecta & exposita, ab Abbatissa sigillū recipiat, quòd ipsa sibi assignare, & absolutionem & concessionem ab Abbatissæ ministerio petere absolute ac libere teneatur. Quæ si communem vitam non poterit ducere vel noluerit, per eundem Visitatorem à suo regimine absoluatur, nisi sua mora in officio Monasterio dispendiosa non esset, sed necessaria, vel euidenter vtilis appareret. Absoluatur etiam per eundem, si alias non idonea vel insufficiens ad Monasterij regimen videatur, & hoc fiat secundùm formam & modum, quos à Cardinali supradicto receperit Visitator, qui tam de ipsius Abbatissæ, quam Sororum statu, & obseruantia suæ Religionis, ab omnibus generaliter, & specialiter à singulis inquirat studiosius veritatem, & vbi aliquid reformandum, vel corrigēdum inuenerit, zelo charitatis, & amore iustitiæ, cum discretione corrigat & reformet, tàm in capite, quàm in membris, sicut melius viderit expedire. Excessus autem, qui fuerit sufficienter correctus à Visitatore, nullatenus iterum corrigatur. Quod si aliquid tale sibi occurrerit, quod per se nequeat emendare, ad Superiorem referat, vt corrigatur sicut expedit, eius consilio ac præcepto. Caueat autem Abbatissa, ne à se vel ab aliis Sororibus, status sui Monasterij Visitaturi aliquatenus abscondatur, quia malum esset indicium, & offensa grauiter punienda. Imò volumus & mandamus, vt ea quæ secundùm vitæ suæ formam, & regularem obseruantiā instituenda vel emendanda fuerint, publice ac priuatim sicut melius viderit faciendum, Visitatori suggerant, & proponant, cui teneantur in omnibus quæ ad officium suæ visitationis pertinent, firmiter obedire. Quæ autem aliter fecerint, à Visitatore, tàm Abbatissa, quàm aliæ, debite, prout conuenit, puniantur. Omnes autem tàm Abbatissa, quàm Sorores, considerent & caueant diligenter, vt nihil aliud quam amor diuinus, & suarum Sororum correctio, ac Monasterij reformatio eas moueat ad loquendum. Modum autem loquendi Visitator custodiat supradictum, vt videlicet, aut cum omnibus, aut cum pluribus simul loquatur, vel secrete cum vna, aliis tamen ad minus duabus in aspectu eius non longe sedentibus, vt per omnia bonæ famæ integritas cōseruetur, nisi ad locutorium, cum vna vel pluribus, loqui voluerit de iis quæ ad officium suū pertinere noscantur. Idem etiam Visitator, tam Capellanum, quàm Conuersos, & cæteros de familia extrinseca Monasterij visitet, & in eis corrigat & reformet, quæ correctionis & reformationis officio nouerit indigere. Pœnas tam amotionis perpetuæ à Monasterio, licentiando professos ad alia Monasteria, vel Ordines sicut viderit expedire, quam alias prout culpæ grauitas & qualitas exegerit, imponendo. Vt autem non grauentur Monasteria in expensis, & Visitator omnem notam cuiuspiam suspicionis euitet, volumus omnino quod Visitator, de visitationis officio, quam citius commode poterit, se studeat expedire, quanto citius absque sui officij dispendio poterit, Monasterij clausuram intrinsecus ingressurus.

Cap. XXV.

Cardinalis Protectoris Ordinis auctoritate. Quoad eiusmodi auctoritatē vide declarationem Greg. XI. inf. in eius const. 4. Concilio & in const. 4. Sixt. V. Sancta.

Verū ne ab obseruantia præsentis regulæ, siue formulę supra scriptæ (quā vniformiter vbique ab omnibus volumus & mandamus diligentius obseruari) pro defectu certi regiminis in posterum recedere vos contingat, aut sub diuersorum magisterio, viuendi modus incurrere differentes, dilecto fratri nostro Anno I. Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, Gubernatori, Protectori & Correctori Ordinis Fratrum Minorum, curam & regimen vestri Ordinis, necnon & personarum in eis degentium, scilicet Capellanorum, & Conuersorum, & familiarium plene duximus committenda, statuentes vt sub eius, & aliorum Cardinalium qui fuerint pro tempore gubernationi, protectioni, atque correctioni eorundem Fratrum Ordinis à Sede Apostolica deputati, obedientia & cura & regimine, debeatis de cętero permanere, quibus teneamini firmiter obedire. Et ipsi animarum vestrarum sollicitudinem gerentes, & curam, eisdem Monasteriis, & personis degentibus in eis, Capellanis, Conuersis, & familiæ, tàm per se, quàm per viros idoneos, quoties expedire viderint, visitationis officium impendere studeant, corrigendo & reformando ibidem, tam in capite, quàm in membris, quæ correctionis & reformationis officio nouerint indigere. Instituant nihilominus & destituant, ordinent, statuant & disponant, prout secundùm Deum viderint expedire.

Cap. XXVI.

Regulæ obseruantia.

Vt autem vos in hac regula siue formula tanquam in speculo, possitis inspicere, nec per obliuionem aliquid negligatis, semel vobis in qualibet quindena legatur, & vbi vos inueneritis ea quæ scripta sunt, facere, agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quæcunque viderit aliquid deesse, doleat de præterito, & caueat de futuro; orans vt ei debitum dimittatur, & in tentationem deinceps non inducatur. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c.

D.P. A. 3. die 18. Octob.

Dat. apud Vrbem Veterem, 15. Kal. Nouemb. Pontificatus nostri Anno tertio.

VIII. Quod Inquisitores hæreticæ prauitatis, & eorum Socij Ordinis Fratrum Prædicatorum mutuo se possint ab excommunicatione absoluere, & irregularitatibus dispẽsare, à quibus per Priores eorũ Ordinis absolui possẽt.

Edita An. D. 1261.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Regno, & dominio charissimi in Christo filij nostri Illustriss. Regis Aragonum deputatis à sancta Sede Apostolica, & in posterum deputandis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Facultas Inquisitorũ mutuo se absoluendi ab excommunicatione, & irregularitate.

§. 1. VT negotium fidei valeatis liberius promouere, vobis auctoritate præsentium indulgemus, vt si vos, & fratres vestri Ordinis Socios vestros excommunicationis sententiam, & irregularitatem incurrere aliquibus casibus ex humana fragilitate cõtingat, vel recolatis etiam incurrisse, quia propter iniunctum vobis officium ad Priores vestros de leui super hoc recurrere non potestis, mutuo vos super his absoluere, iuxta formam Ecclesiæ, & vobiscum auctoritate nostra dispensare possitis, in casibus in quibus dictis prioribus, vt dicitur, est ab Apostolica Sede concessum. Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. P. A. 4. die 4. Aug.

Datum apud Montem Fiasconem, 11. Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno primo.

CLEMENS QVARTVS PONT. CLXXXV.
ANNO DOMINI MCCLXV.



CLemens IV. Guido Grossus anteà vocatus, Episcopus Sabinus, Patre Fulgodio, in Galliæ Narbonensis vico S. Ægidij ortus ad Rhodani ripam, Creatus Perusij Nonis Februarij, anno salutis 1265. coronatus Viterbij 8. Kalend. Martij. Creauit Cardinalem vnum. Sedit annos tres, menses nouem, dies 25. Obiit Viterbij anno salutis 1268. 3. Kal. Decemb. & sepultus est in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus. Vacauit sedes annos 2. menses 9. dies 3.

I. Quòd Fratres Prædicatores Ordinis S. Dominici, ac Fratres Minores Conuentuales Ordinis S. Francisci, in temporalibus succedere possint prout in sæculo permanerent.

Hoc priuilegium confirmauit Paul. III. die 27. Octobris 1540. cuius Bullam non posui. Alia autem de eisdem Minoribus plene notata sunt ad const. 5. Hon. III. Solet. sup. Prout de Prædicatoribus notaui in eiusdem Honor. const. 2. Religiosam sup.

Edita An. D. 1265.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Ministro & Fratribus Ordinis Prædicatorum, necnon Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.



OBtentu diuini numinis, cuius cultui sub sacræ vestræ Religionis obseruantia studetis mente deuotissima deseruire, votis vestris libenter annuimus, & petitiones vestras in his quæ digne deposcitis, fauorabiliter exaudimus.

Causa huius priuilegij.

§. 1. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Prælati, Clerici, & Laïci in diuersis Mundi partibus constituti, asserentes vos Mundo fore mortuos, nec valentes proprium possidere, vos occasione huiusmodi à quibuslibet successionibus excludere moliuntur.

Supplicatio Ordinum S. Dominici & S. Francisci.

§. 2. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, vt ne cõtingat vos propter huiusmodi præsumptionem talium, aliquod incurrere nocumentum, congruum remedium adhibere paterna diligentia curaremus.

Priuilegiũ de quo in rub.

§. 3. Nos itaque vestris petitionibus benignius attendentes, auctoritate Apostolica declaramus, quòd vos in temporalibus bonis, in quibus succederetis in sæculo existentes, licite possitis succedere, & bonorum ipsorum possessionem apprehendere, ac vendere libere bona ipsa, eorumque pretium in vtilitatem vestram conuertere, prout vobis melius videbitur expedire.

Contrariorum derogatio.

§. 4. Vniuersas autem interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, quas contra præsentis declarationis tenorem per quemcumque fieri contigerit, decernimus irritas & inanes.

Sanctio pœnalis.

§. 5. Nulli ergo, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c.

D. P. A. 1. die 12. Feb.

Dat. Perusij, 2. Idus Februarij, Pont. nostri anno 1.

Priuilegia fratrum Militum Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani. II.

Amplioribus decorata est indultis hæc Militia, vt videre est infra in Pio IV. in const. 95. Inter assiduas, & Pij V. const. 28. Sicuti, vbi plene notabo.

Edita, A. D. 1265.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archipresbyteris, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, ad quos ista literæ peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Causa huius constit.

CVm dilectis filiis, Magistro & Fratribus Militię Hospitalis S. Lazari Hierusolomytani, fuerit à fœl. recor. Innocentio Papa prædecessore nostro indultum, & à nobis postmodum confirmatum, vt semel in anno recipiantur in Eccles. ad eleemosynas colligendas: quidam autem vestrum auaritiæ ardore succensi, Confratrias suas Confraternitati illorum eadem die ipsorum aduentu præponunt: & sic Fratres ipsi confusi, aut nihil exinde, aut modicum consequantur.

Fratres Hospitalis semel in annos ad colligendas eleemosynas admittantur. Vide Conc. Trid. sess. 21. c. 8.

§. 1. Quia igitur hoc est indecens, & in contemptum Dei Ecclesiæque Romanæ redundat, prædecessoris ipsius vestigiis inhærentes, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus cum Fratres ipsi loca vestra pro eleemosynis colligendis accesserint, benigne recipiatis, & honeste tractetis, eosdem ipsis Ecclesiis vestris admonere populũ, & eleemosynas quærere permittatis, Confratrias quas facere potestis quotidie, ipsorum Confratriis, quæ semel in anno fiunt, nullatenus præponentes, ne occasione illarum, eleemosynæ pauperum Christi depereant, & impediantur opera pietatis.

§. 2. De

Ab oppressionibus & impedimentis defendantur.

§. 2. De parochianis autem vestris, qui domos illorum inuadunt per violentiam, vel infringunt, aut indebitis molestiis opprimunt fratres ipsos, & tàm deposita, quàm res decipiunt eorundem; cùm exinde querimoniam posuerint coram vobis, tam districtam eis iustitiam faciatis, & ita iura eorum defendere & manutenere curetis; quòd ipsi ad vos pro defectu iustitiæ sæpe recurrere non cogantur, & non sollicitudinem, & obedientiam vestram debeamus merito commendare, vosque beneficiorum quæ in sancta domo illa fiunt, participes existatis.

Ad Hospitale alios recipere possint.

§. 3. Præterea, liberas & absolutas personas, quæ domum eorum in sanitate vel infirmitate petent, libere & sine molestia recipi permittatis ab eis, nec ipsos super hoc reciprocetis aliquatenus impedire.

Sepeliantur gratis.

§. 4. Illud etiam non mediocriter mouet nos, nec modicum Ecclesiæ derogat honestati, quòd quidam vestrum contra institutiones sanctorum Patrum in Bodonensi Concilio editas, Fratrum Militum, ac Donatorum ipsorum corpora quum decedunt, nolunt sine pretio sepeliri. Vnde quia tam praua exactio, & iniqua non est aliquatenus toleranda, in obedientiæ vobis virtute præcipimus, vt nullo modo à Fratribus & personis prædictis vel aliis, pro sepultura quicquam exigere, vel accipere, nisi ipsa spontanea decedentium liberalitas, vel parentum deuotio vobis contulerit, attentetis: sed absque vllo pretio sepeliatis corpora mortuorum; vt si quis vlterius hoc attentauerit, taliter aduertatis in eum, quòd similia non præsumat.

Exempti sunt à decimis.
Hac latius vide in Pio V. cit. in rub.

§. 5. Ad hæc, præsentium vobis auctoritate præcipimus, ne ab eis contra tenorem priuilegiorum Apostolicæ Sedis, de omnibus fructibus terræ, quibus propria industria, aut expensis colunt & laborant, ac etiam de nutrimentis animalium suorum, nec de ipsis animalibus decimas exigere præsumatis.

Loca alia ædificent.

§. 6. Cum autem Oratoria, vel Cœmeteria, secundùm quod eis est beneficium priuilegiorum Ecclesiæ Romanę concessum, duxerint construenda, vos Fratres Archiepiscopi & Episcopi eis, pro se, & familia sua tantum, Oratoria ordinum dedicare, ac Cœmeterium benedicere procuretis, nec aliquis vestrum contra tenorem priuilegiorum ipsorum, id impedire audeat aliquatenus, vel turbare.

Deponentes habitum, coerceantur.

§. 7. De cætero quoque, Fratres seu milites, ac Donatos militiæ præfati Hospitalis in vestris Episcopatibus constitutos; qui Crucem & diuinum habitum deponunt, & quod ac per illecebras simul & vitiorum abrupta vagantur, & illos etiam, qui prioribus suis contumaces & rebelles existunt, & bolinas detinent contra voluntatem ipsorum, moneatis instanter, & pro officij vestri debito compellatis, vt habitum depositum reassumentes, in obedientia Prælatorum suorum deuote & humiliter perseuerent, & bolinas, siue alia officia per violentiã nullo modo detinere pręsumant. Quicumque autem mandatorum vestrorum extiterint contemptores, excommunicationis sententia eos compellatis; quam faciatis vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Præterea, quicumque beneficia persoluerint, annuatim eis, de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, septimam partem iniunctæ sibi pœnitentiæ relaxamus.

Mortuos in eorum Ecclesiis sepelire, & oblationes recipere possint.

§. 8. Apostolica quoque auctoritate ob reuerentiam ipsius venerabilis Hospitalis sancimus, vt his qui eorum Fraternitatem asseruerint, si forsan Ecclesiæ, ad quas pertinent, à diuinis officiis fuerint interdictæ, ipsosque mori contigerit, sepulturam Ecclesiasticam non negetis, nisi excommunicati vel nominati fuerint interdicto, aut etiam publici vsurarij tumulando deferre ad Ecclesias huiusmodi Hospitalis, & oblationes tàm pro eis, quàm pro aliis, qui in eorum Cœmeteriis requiescunt exhibitas, sine alicuius iudicis præiudicio retinere. Hoc etiam addito, vt receptiones Fraternitatis eiusdem, seu etiam collectarum, saluo iure dominorum suorum, sub B. Petri & nostra protectione consistant.

Etiam tempore interdicti.

§. 9. Adiicimus insuper, vt si eorundem fratrum qui ad easdem fraternitates missi fuerint, vel collectas, in quamlibet Ciuitatem, aut Castellum, vel vicũ, aut alium locum deuenerint, si forte locus ille fuerit diuinis officiis interdictus, in eorum iucundo aduentu semel aperta Ecclesia annuatim, excommunicatis & nominatim interdictis exclusis, diuina ibi officia celebrentur, salua in omnibus supradictis declaratione Concilij generalis.

Iussio publ. hanc const.

§. 10. Ad maiorem quoque mercedis vestræ ...... nihilominus vt supra mandando præcipimus, quatenus hanc nostram Constitutionem per parochias vestras nuntiari propriis literis faciatis.

Clerici Hospitalis seruire possint.

§. 11. Mandamus etiam vt si qui de Cleris Ecclesiarum vestrarum, prædicti Hospitalis Fratribus cum licentia Prælati & Capituli sui, sponte ac gratis per annum vel biennium si decreuerint deseruire nequaquam impediantur.

Dat. Perusiæ, 5. Kal. Maij, Pont. nostri Anno 1. *D. P. Ann. 1. die 27. Apr.*

III.

Declarationes Statutorum (quæ Charta Charitatis appellantur) Ordinis Cisterciensis Monachorum S. Benedicti, Aliæque ordinationes pro eius bono regimine.

Nonnullas reformationes eiusdem Ordinis ediderunt etiam alij successores Pont. quas tibi indicauero in Greg. XIII. const 18. Superna.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1264.*

Ordo Cisterciensis in humilitate & charitate fundatus multos fecit profectus.

PAruus fons quieuit in fluuium, & in lucem Solemque conuersus, in aquas plurimas redundauit, Cisterciensis est Ordo prælucidus, qui à sui ortus exordio paruus & humilis abiectione habitus, tenuitate substantiæ, humilitatis professione, ac numero professorum, sub fontis metaphora non indigne describitur, cui diuersarum illic proprietatum conformitate conformis non immerito comparatur. Hic est enim fons hortorum irriguus, cæteras rigans Religiones & Ordines, ac in ipsos exemplis salutaribus scaturizans Hic est fons amœnus, varietate virtutum præelatus, munditie, puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate. Horum ...... sic excrescere meruit, vt fontis nomen excedens, fluuius censeatur. Cuius processus laudabilis de virtute in virtutem, vt Deum Deorum in Sion videat gradiendo, vniuersalis Ecclesiæ lætificat vnitatem, in qua per meritorum euidentiam, claræ lucis splendorem adeptus quasi stella matutina resplendens in medio nebulæ Mundi huius, & in ea splendidos emittens radios instar Solis, velut aquæductus de Paradiso progrediens, in aquas redundat plurimas, hortum plantationum suarum, cœtus quidem claustralium quos produxit, aquis irrigans gratiarum, & vino spiritualis lætitiæ fructus inebrians partus sui. Huius siquidem Ordinis sacra Religio, à suæ institutionis auspiciis quasi deserta, & inuia, vt porte paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris & honestatis fructus parturiens, ramos suos, ramos quidem honoris & gratiæ, quasi terebinthus extendit, germinans generationes & progenies germinauit. Ea propter lætatur & iubilat lætabunda, & laudans exultat iam in multitudine numerosa spectabilis, quæ olim quasi despicabilis in solitudine delitebat. Dignè itaque hic Ordo dignissimus, dilectus & prælectus à Domino eidem psallit & asserit cum Propheta, in terra deserta, & inuia, sic in sancto tibi desiderio & solido proposito Religionis apparui, non vt me in habitu vel ambitu ostentationis, tibi qui omnia vides, ostenderem, sed vt in humilitatis abiectione tuam viderem, & te misericorditer donante, perciperem gloriam, & virtutem. Vidit enim & gauisus est, percepit vt præmittitur multæ fœcunditatis gloriam; nihilominus in charitate fundatur. Primi namque ipsius Ordinis architecti, prima quasi eiusdem Ordinis fundamenta in charitate iecerunt, eundem Ordinem adinstar sponsi cœlestis, qui in speciosissima sponsa sua charitatem, vt ipsa fatetur, quod in ea perseuerãtior fieret ordinauit, charitatiuis præceptis & institutionibus ordinãtes Quibus Charitatis Charta nomen, nec immerito imponẽtes, per ipsam ad charitatis conuersationem firmauerint, iuxta Prophetæ promissum. Ipsius Ordinis lapides ordinantes in illa, quid maioribus, quidve minoribus debeatur aptius, statuentes, vt secundùm eiusdem Prophetæ vaticinium, ipsius Ordinis agni iuxta suum ordinẽ pascerẽtur,

Sathan ideo zizania ſeminare non deſtitit.

§. 1. Licet autem Ordo prædictus ex charitatis ordinatione firmiſſimus, & vt caſtrorum acies ordinata terribilis, continuè in ſpiritualis pugnæ procinctu deſudans, contra hoſtes ſpiritus pugnare didicerit, & ipſos etiam expugnare; adhuc tamen Sathan cribrum ſuum mouere non deſinit, ſed ipſum mouet & excutit, expectans & expetens, vt excutiat filios excuſſorum. Adhuc hoſtis antiquus peculiarem Domini populum (religioſos videlicet) Dominum contemplationis ſpeculatione videntes, & ſpecialiter in eius partem aſſumptos non ceſſat impetere, ſed totis ſatagit viribus, variis conatur inſidiis, diuerſis in illos conatibus inſilit, vt ipſe à participio gaudij cœleſtis excluſus, in eis iucundè habitantibus, vnius moris in domo charitatẽ vulneret, vnitatem ſeparet, ipſoſque ſeparatos in eiuſdem pugnæ conflictu debiliores efficiat, & ab eis iucunditatem vnanimitatis excludat, hoc ipſum inſidiosè molitus in perſonas præfati Ordinis his diebus, inter ipſas ſuper diuerſis articulis diſcordiarum excitata materia, litium ſatis ſeminibus, & iactis ſeminariis iurgiorum.

Hic autem Pont. ad præſeruationem, infra ſcriptas declarationes affert.

§. 2. Nos autem ipſius Ordinis ſanctitatem & claram famam, cuius odor ſicut agri pleni ſuauitas, cui Dominus benedixit, totam replet Eccleſiam, ſingulari zelãtes affectu, ne vel ipſius ſanctitas talibus nutaret inſultibus, vel famæ claritas detractorum linguis expoſita turbaretur, ſed ſingula in eodem ordine locum vt præmittitur, decenter ſortita retineant, ſicque contra prædicti Siſaræ impetus dimicetur, & ipſum facilius iuxta Debboræ canticum; ſtellæ in ſuo curſu & ordine manentes expugneut, principiis putauimus obſiſtẽdum, exortam in eodem Ordine ſuper articulis prædictis diſſenſionis materiam, vitatis litigiorum anfractibus, & excluſis Aduocatorum tumultibus, ſalubris & celeris ſubſcriptæ prouiſionis noſtrę compendio decidentes, nunc antiqua ipſius Ordinis ſtatuta interpretationis iuuando remedio, nunc eadem Apoſtolica auctoritate firmando, nunc etiam quędam noua de vnanimi conſenſu Ciſtercienſis, & quatuor infraſcriptorum primorum, ac aliorum Abbatum, & quamplurimarum perſonarum ipſius Ordinis in noſtra conſtitutarum præſentia ſtatuendo.

Declaratio ordinationum Ordinis quæ Charta Charitatis circa electionẽ Abbatum.

§. 3. Licet igitur contineatur in Charta prædicta, quod ſi qua domus eiuſdem Ordinis Abbate proprio fuerit deſtituta, maior Abbas, de cuius domo domus illa exiuit, ordinationis eius habeat omnem curam, donec in ea Abbas alius eligatur; domui autem Ciſtercien. quia mater eſt omnium dum proprio Abbate caruerit, quatuor primi Abbates ſcilicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claraualle, & de Morimundo, prouideant, & ſuper eos ſit cura domus illius, donec electus Abbas in ea fuerit ſtatutus: hoc tamen ex vſu & conſuetudine dicti Ordinis generali ſic interpretandum duximus, vt videlicet adminiſtratióne vacantis Monaſterij remanente penes Conuentum eiuſdem, ſi qua forſan emerſerint difficilia, propter quæ vel Ciſtercienſis ad dictos primos quatuor, vel aliorum Monaſteriorum Conuentus ad ſuos Abbates duxerint recurrendum, Abbates ipſi curam & diligentiam habeant in conſilio & auxilio poſtulãribus, prout eorum requireret neceſſitas impendendis. Et licet adminiſtrationẽ penes ſingulorum Monaſteriorum vacantium conuentus dixerimus ſecundùm morem ſeruatum hactenus remanere, ſigillum tamen prædicto Monaſterio Ciſtercien. eo vacante, Prior ipſius cuſtodiat conſignatum & clauſum, ſicut hactenus fieri conſueuit. In aliis verò Monaſteriis vacantibus ſigilla eorum Abbates ſigillis aliorum Abbatum ſignata teneant, & incluſa.

Alia declaratio circa eandem electionem.

§. 4. In Charta etiam huiuſmodi continetur, quod domo qualibet eiuſdem Ordinis Abbate proprio vt prædicitur deſtituta, electionis die præfixa etiam ex Abbatibus, ſi quos domus illa genuerit, aduocetur, & conſilio ac voluntate Abbatis, Abbatem eligant Abbates & Monachi domus illius: Ad electionẽ autẽ Ciſtercienſis Abbatis præfixa & prænotata die ad minus per quindecim dies, ex Abbatibus quorum domus de Ciſtercio exierũt, & ex aliis quos nouerint prædicti Abbates, & fratres Ciſtercien. idoneos, conuocentur. Et congregati in nomine Domini Abbates & Monachi Ciſtercien. Abbatem eligant. Super quo contentione orta, quod id non ſeruabatur iuxta ipſius Chartæ tenorem, Nos attendentes quod quamvis ab antiquo per Abbates dicti Ordinis ita fuerit ordinatum, id tamen in deſuetudinem abiit, & iam de cõmuni conſuetudine ſoli Monachi vacantis Monaſterij vocem in electione Abbatis habere noſcuntur, huiuſmodi conſuetudinem volumus & præcipimus obſeruari, eam laudabilem & rationabilem iudicantes, cum ad ius commune reduxerit, quod fuerat contra iuris communis regulas conſtitutum. Ita quod ea quæ de vocandis aliquibus Abbatibus, quorum domus de Ciſtercio exierunt, quod quidem de Abbatibus hactenus eſt ſeruatum, & cætera quæ de vocatione huiuſmodi quoad Ciſtercien. necnon quoad alia eiuſdem Ordinis Monaſteria in Charta vt præmittitur, continentur, eadem tam in ipſo Ciſtercien. quàm in aliis Monaſteriis inuiolabiliter obſeruentur. Licet enim prædicti ſic vocandi vocem in electione non habeant, eorum tamen præſentia poſſet eſſe multipliciter fructuoſa.

Altera declaratio quod Abbas Ciſtercij abſque alia Sedis Ap. confirmatione, adminiſtrationem plenam habeat.

§. 5. Cæterùm quia circa electionem Abbatis prædicti Monaſterij Ciſtercienſis fuit ab aliquibus dubitatum, an poſſit ex vſu aliquo tolerari, quod circa Ciſtercien. electionem retroactis temporibus eſt obtentum, videlicet vt Ciſtercienſis electus, ſi eius electio fuerit in concordia celebrata, adminiſtrare valeat, etiam à nemine confirmata, & ſine confirmatione aliqua curam habeat animarũ. Nos ad huiuſmodi dubitationem in perpetuum amouendam, ſtatuimus, vt in Monaſterio Ciſtercien. celebrata electione concordi ſecundùm morem hactenus obſeruatum, electus prædicto modo concorditer eo ipſo verus ſit Abbas Ciſtercij, & adminiſtrandi licentiã, curãq; animarũ habeat, ac in omnibus pro vero Abbate perinde habeatur, ac ſi à Sede Apoſtolica confirmationis beneficiũ habuiſſet, à qua ipſum intelligi volumus & ſtatuimus confirmatum. Licet autem idẽ Abbas Ciſtercij prædicto modo auctoritate Apoſtolica cõfirmetur, nihil tamen depereat per hoc eiuſdem Ordinis libertatis, quã circa ceſſionem, & amotionem Abbatis ipſius idem Ordo dignoſcitur habuiſſe, quãq; ipſi Ordini manere volumus illibatã.

Præcedentia ſolita in electione ſeruetur non obſtãte forma in generali Concilio tradita.

§. 6. Et quia præfatus Ordo in multa ſimplicitate fundatus, profecit laudabiliter in eadem, nos circa electiones in Monaſteriis eiuſdem Ordinis faciendas, ſic perſonas ipſius Ordinis præcedere toleramus, ſicut hactenus proceſſerunt, neceſſitatem ſeruando, ſolemnitates ſeu formas contentas in generali Concilio eis de gratia remittentes.

Quid ſeruandum in electione Abbatum in maioribus Abbatijs generationem habentibus.

Hoc declaratur à Bened. XII. inf. in eius conſt. 3. Fulgens.

§. 7. Ordinamus autem quod in maioribus Abbatiis generationem habentibus, cum vacauerint, quindecim dierum ad minus ad eligendum terminus aſſignetur. Et Prior, Superior, ac Cellarius vacantis Monaſterij conueniant de electoribus, quos idem Prior, poſtquam de ipſis conuenerint, in Capitulo nominabit. Abbates verò, vel Viſitatores nullum nominent electorem, nec electoribus prædicto modo creatis, ſimul vel ſigillatim aliquod dent præceptum, niſi quod in publico eis iniungant arctius, vt ſecundùm ſuas conſcientias prouideant vacanti Monaſterio bona fide. Nec alicuius vacantis Monaſterij Abbas ſibi nominari poſtulet electores, antequam in Capitulo nominentur. Nec aliquem ex congregatis ad eligendum electoribus, ad ſe vocet, nec verbo, vel ſcripto, aut ſigno eis, vel eorum alicui, ſuam inſinuet voluntatem, nec electioni clam vel palam impedimentum aliquod inferat, per quod electorum impediat libertatem. Electam quoque perſonam, ſi ſufficiens & idonea vacanti Monaſterio fuerit, non refutet. Et qui contra fecerit grauiter puniatur. Nec aliquam perſonam amoueat ab officio, vel de Monaſterio eiiciat ipſius vacatione durante.

Quod Capitulum generale quotannis celebretur, & in eo ſtatuantur viginti quinque Definitores.

§. 8. Inſuper ſtatuimus & ordinamus, quod in Ordine prædicto iuxta morem laudabilem hactenus obſeruatum, annis ſingulis generale Capitulum celebretur, in quo vigintiquinque Definitores ſtatuantur, hoc modo. Abbas Ciſtercienſis tãquam Pater primus nominet quatuor Definitores de generatione ſua ſpeciali, quos idoneos eſſe crediderit ad definitionis officium exercendum. Et exinde prædicti primi quatuor Abbates, ſcilicet quilibet eorum de generatione ſua, quinque dicto Abbati Ciſtercij, ſeorſum vel coram aliis nominabit. Ex quibus quinq; Abbas Ciſtercij vno prætermiſſo quatuor eligat,

quos sufficientes esse crediderit. Et sic viginti Definitores erunt suis quatuor cum cæteris numeratis. Quos & prædictos quatuor primos Abbates idem Abbas Cisterej in Capitulo die secunda Capituli nominabit, & Definitores instituet, & ipse cum eis vigesimusquintus erit. Si quis verò ex prædictis quatuor primis Abbatibus, tunc non fuerit in huiusmodi Capitulo, idem Abbas Cisterc. de generatione absentis assumet quatuor Definitores, quos idoneos æstimabit. Vt autem prædicti Cisterciens. & quatuor primi Abbates Deum habentes præ oculis, odio & amore, ac personarum acceptione postpositis, bona fide procedant, eosque qui nunc sunt, & futuros in posterum ad hæc fideliter obseruanda, sub attestatione diuini iudicij, & in virtute obedientiæ Apostolicæ Sedi debitæ obligamus.

Litera missa Capitulo quid.

§. 9. Ordinantes & statuentes quod literæ missæ Capitulo Generali, personæ infamiam continentes, legantur coram Definitoribus Ordinis supradicti.

Iudices Capitulo quid.

§. 10. Et quod Iudices dati ab eodem Capitulo non subdelegent aliis vices suas.

Definitores nõ reuocentur.

§. 11. Definitores quoque Capituli non reuocentur præter voluntatem Definitorum in loco residentium consueto.

Statuta quãdo obligent.

§. 12. Statuta de cætero facienda non obligent nisi in sequentis anni Capitulo confirmentur.

Definitorium quid diffiniet.

§. 13. Et per Definitores nihil definiatur prius in Capitulo non notatum. Stetur sententiæ maioris partis eorum. Cumque ipsorum sententia in discordiam venerit, Abbas Cisterej reputabitur pro duobus.

Definitorium iuramentum.

§. 14. Definitores verò nominati protestabuntur in Capitulo stando per iuramentum in verbo Sacerdotis, quod iniunctum sibi ministerium ad honorem Dei, & vtilitatem d. Ordinis fideliter exequentur.

Abbas Cisterc. eysdem teret.

§. 15. Hoc etiam ipse Abbas Cisterciensis sedendo facere teneatur.

Dicta contra eum notentur sicut contra alios.

§. 16. De notandis autem his, quæ contra memoratum Abbatem Cisterej dicta fuerunt in Capitulo, ita fiat sicut in casu consimili de alio notaretur.

Eleemosynæ Capituli à quibus recipienda.

§. 17. Eleemosynæ vero quæ mittuntur Capitulo Generali, recipiantur per duos Abbates, quorum vnus per eundem Abbatem Cistercij, & alius per prædictos primos quatuor Abbates ponantur de cætero alternatim, ita quod quilibet de ipsis illum ponat secundum suum ordinem vice sua.

Cisterciensis Monasterium quotannis visitetur ab alius quatuor primis Abbatibus.

§. 18. Denique ne in Ordine prædicto aliquæ possint spinæ subcrescere vitiorum, præcipimus prædictum Cisterciense Monasterium ab eisdem primis quatuor Abbatibus annis singulis visitari. Et, nisi de alio die Abbas Cistercij cum eis conuenerit, in festo B. Mariæ Magdalenæ fiat huiusmodi visitatio annuatim. Nec dicto Abbati Cisterej diem mutare condictam sine causa rationabili & vrgente, quam si ei superuenerit, intimet eisdem primis quatuor Abbatibus in tempore opportuno, per se vel per nuntium; cum quo iidem Abbates de die subroganda tractare valeant, & etiam conuenire. Qui si cum nuntio, concordare nequiuerint, ipsimet diem statuant, siue terminum competentem, & eidem Abbati Cisterej per eundem nuntium vel alium intiment, prout viderint expedire. Quæ omnia dicti primi quatuor Abbates bona fide & absque aliqua captione facere teneantur. Sane cum prædicti quatuor Abbates Cistercium visitabunt, Abbates & Monachi socij Visitatorum ipsorum in proclamationibus faciendis, tam in Capitulo Monachorum, quam etiam Conuersorum, vocem liberam habeant, licèt aliquando prout fertur eis fuerit denegata.

Et si quid reformãdũ fuerit ab eisdem reformetur.

§. 19. Si quid autem in persona Abbatis, vel in aliis in eodem Monasterio crediderint reformandum, id eidem Abbati suggerant, hoc est cum reuerẽtia & honestate dicant, ac eum benigne moneant & hortentur, vt id amendet in se, vel in aliis faciat emendari. Quod si facere forte noluerit insolenter, vel distulerit negligenter, seruetur quod in eadem Charitatis Charta continetur expresse. Videlicet, vt iidem quatuor primi Abbates, sub cæterorum Abbatum nomine vsque quater, vt corrigatur ipse, & alios corrigere curet, admoneant: & cætera quæ de aliis Abbatibus in eadem Charta dicuntur, si incorrigibiles apparuerint, circa eum studiose adimpleant. Excepto quod si sponte cadere noluerit, nec deponere, nec contumaci dicere anathema poterunt, donec aut in generali Capitulo, aut si illud iam visum fuerit expectari non posse, in Conuentu alio, conuocatis Abbatibus qui de Cistercio exierunt, & aliquibus aliorum virum inutilem ab officio suo deponant. Conuentum autem alium intelligimus eorundem Abbatum concordem reditum ad processum huiusmodi faciendum in aliqua eiusdem Ordinis Abbatia. Eo, circa punitionem Cisterciensis Abbatis moderamine adhibendo, quod circa Abbates alios inferius est statutum.

Visitatoribus Monasteriorũ quid præstandum sit. Ad hoc vide declarationẽ Bened. XII. infra in eius consti. 5. Fulgens.

§. 20. Ne verò Visitatores Monasteriis ad quæ causa visitationis accesserint, nimium onerosi existant, statuimus & ordinamus, quòd maiores Abbates cum visitauerint, decem euectionibus sint cõtenti. Monachi verò qui ad visitandum mittuntur, cum Abbate sibi associato senarium euectionum numerum non excedat. Qui autem aliter ex aliqua causa fecerit, prædictum numerum excedendo, veniam inde petat in sequenti Capitulo generali. Abbatibus vero, vel Visitatoribus cum ad aliquod Monasterium visitandum accesserint, in locis duntaxat tutis, & temporibus pacatis, nullus de Monasterio ipsi occurrere, vel post visitationem eos deducere teneatur. Nullus insuper Abbas, vel etiam Visitator, in Cellariis & Domibus, in Castris & Villis, non habentibus iura & vineas, ex quibus possit hospitalitas exhiberi, sibi prouideri postulet vel occurri. Nec aliquis teneatur ibidẽ transeuntibus occurrere, vel in aliquo prouidere. Visitatoribus quoque, seu aliis personis prædicti Ordinis, nunquam plus quam duæ pitantiæ piscium ministrentur, nec de pluribus præsumat comedere, cui forte fuerit ministratum. Carnibus, nisi forsan in casu secundum regulam concesso, exclusis omnino, & ipsarum esu penitus interdicto, & tunc, ille solummodo comedat, quam huiusmodi casus attinget.

Quando Officiales remouere possint.

§. 21. Abbates & Visitatores in visitationibus officiales amouere poterunt quos ex certis causis nouerint amouendos. Ita tamen quod causas depositionum vel amotionum Abbati proprio, vel Priori, aut Locum tenẽti, si Abbas forte defuerit, prius ostendant. Quod si proprius Abbas, vel Prior accusatum apud Abbates, vel Visitatores sufficienter excusare poterit, de plano sine strepitu, & in ipsa visitatione Abbates & Visitatores benigne huiusmodi excusationes admittant.

Qui ad aliam domum mitti valeant.

§. 22. Nullus verò Monachus, vel Conuersus emittatur ad aliam domum, cuius culpa sine graui damno, vel scandalo in domo propria poterit emendari, & qui emittendi fuerint, de quatuor aut quinque seniorum domus consilio emittantur. Quicumque verò aliquem aliter emiserint, omni sexta feria ieiunent in pane & aqua, donec emiserint, omni sexta feria ieiunent in pane & aqua, donec emissus fuerit reuocatus, vel emittens fuerit in certo & firmo proposito reuocandi eundem.

Circa priuatim eis suggesta procedant vt hic.

§. 23. Et licet Abbates seu Visitatores deputati ab eis, secundùm formam prædicti Ordinis, audire possint statum domorum & personarum in visitationibus publice, vel priuatim; tamen super his, quæ sibi priuatim suggesta fuerint, non procedant ad punitionem personarum, nisi prius coram accusato in præsentia quatuor, aut quinque seniorum domus publicata fuerint in secreto. Et tunc de plano & sine strepitu videant si sint vera, & si super eis ad punitionem fuerit procedendum.

Visitatores nihil exigant: & recipiant, nisi in regionibus remotis, & tunc moderate à sponte dantibus.

§. 24. Porro vt Visitatio in charitate procedat, nulla de cætero in Ordine præfato exactio, subuentio, vel collecta (saluo statuto in eadem Charta Charitatis contento) petatur vel fiat, à quocumque Abbate, vel Visitatore, siue sit Abbas, siue sit Monachus, nec aliquis recipere donum suspectum attentet. Illi tamen qui mittentur, vel ibunt ad Religiones remotas gratia visitandi, poterunt moderate necessaria recipere ab illis, qui eis ex charitate ac mera liberalitate, & sine sui grauamine voluerint subuenire. Qui vero contra hæc aliquid recipere præsumpserint, grauiter puniantur.

Visitatores perficiendo.

§. 25. Sanè Visitatores visitationes suas vltra triduum continuum non protelent. Quod si ex iusta & manifesta causa aliter facere compellantur, causam huiusmodi teneantur intimare sequenti Capitulo generali.

Deponentes Abbatem si grauiter seq. Capitulo, quæ de depositione iusticia indicabunt.

§. 26. Cæterum vt circa depositiones Abbatum, via malitiis præcludatur, statuimus, vt quicumque Abbatem aliquem deposuerit, causam depositionis, & processum habitum circa ipsam, per literas suo, & Abbatum qui depositioni eidem interfuerunt, sigillis signatas, in sequenti Capitulo generali, nullo etiam requirente vel proclamante, insinuare, ac exponere teneatur. Dicti etiam Abbates si præsentes fuerint, processum depositionis eiusdem, & an de consilio eorum sic fuerit processum exponant, & tunc generale Capitulum, vtrum depositio iusta, vel iniusta fuerit iudicabit. Quod si prædicti Abbates præsentes non fuerint, hoc ipsum per sua patentes literas generali Capitulo explicite attestentur. Et omnes prædicti supra suas conscientias hoc facere teneantur.

Abbates ex causis hic expressis dumtaxat deponi possint.

§. 27. Et vt in Abbatibus prædicti Ordinis subtrahatur materia delinquendi, nec ipsi conqueri valeant, per eorum Abbates se indebite fore grauatos, statuimus & ordinamus, quòd Abbas subiectum sibi Abbatem deponere debeat pro causis dumtaxat inferius annotatis; videlicet pro hæresi: pro simonia manifesta; pro immunditia carnali; pro dilapidatione sui Monasterij, enormiter alienando, vel dissipando bona; pro furto, homicidio, grani sortilegio, solemni periurio, pro conspiratione, & si falsatius fuerit literarum Summi Pontificis vel S.R.E Cardinalium, Principum, Episcoporum, vel Abbatum Ordinis supradicti; & si contra communia instituta ipsius Ordinis priuilegia impetrauerit, vel retinuerit, aut vti præsumpserit impetratis. In aliis autem casibus superius non expressis, iniungetur eis Abbas, vel Visitator, vt veniam petat in sequenti Capitulo generali ad arbitrium ipsius Capituli per depositionem, vel aliter puniendus.

Deponens iniuste Abbatem, pœnam talionis incurrat, &c.

§. 28. Depositus autem à regimine Abbatiæ si sententia depositionis suæ apparuerit iniusta, ex ordine, & ex causa restituatur per generale Capitulum, & deponens ibidem recipiat talionem. Si vero circa huiusmodi depositionis sententias in modo tantum, vel in ordine sit erratum, causa depositionis legitima existente, tunc non restituatur depositus, & deponens circa depositionem ad arbitrium dicti generalis Capituli puniatur. In casibus quoque in quibus peracta pœnitentia infamia remanet, depositus ineligibilis sit omnino, in illis in quibus post peractam pœnitentiam nulla infamia remanet, postquam impositam pœnitentiam peregerit, eligibilis habeatur.

Nemo Ordinem obligare possit.

§. 29. Et quia per obligationes ipsius Ordinis multa posset idem Ordo incurrere detrimenta, statuimus & ordinamus, & prouidemus, quod nullus prædictum Ordinem valeat obligare.

Prædicta inuiolabiliter obseruentur, & singulis annis in Cap. gen. recitentur.

§. 30. Præmissa igitur quæ pro vtilitate, honore, ac statu prospero dicti Ordinis duximus statuenda, vniuersa & singula in perpetuum ab vniuersis personis ipsius Ordinis inuiolabiliter obseruari præcipimus, & ne tradantur obliuioni, vel neglectui, habeantur in gener. Capit. annis singulis recitari. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D.P. A. 1. die 9. Iunij.

Datum Perusij, 5. Idus Iunij, Pontificatus nostri, Anno primo.

IV. De auctoritate & facultatibus Ministri Generalis & aliorum Prælatorum Fratrum Minorum Conuentualium Ordinis S. Francisci, nonnullisque gratiis & priuilegiis eiusdem Ordinis.

Alium gratiarum concessionem dedit Sixt. IV. inf. in sua constit. 6. Regimini. Pro quarum omnium moderatione, attendenda est Bulla 22. Leon. X. Dum intra, & etiam Concilium Tridentinum in titulis de Regularibus. Sed postea alia priuilegia elargitus est Pius V. in sua constit. 11. Dum ad vberes, vbi notabo. De regula autem & aliis huius Ordinis plene dictum est sup. ad const. 5. Honor. III. Solet. vbi addidit.

Edit. A. D. 1265.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Generali & Prouincialibus Ministris, ac vniuersis Fratribus Ordinis Minorum: Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium.

Virtute conspicuos sacri vestri Ordinis professores, qui contemplationi cœlestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicæ circumspectionis auxilium sic prouide dirigi, & sollicite confoueri, vt alicuius prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumque Religiosi status perferant detrimentum, sed in bia robur & vigorem habeant, per quæ cultum diuini nominis deuotis & quietis mentibus inualescunt.

Minister generalis statim electus, libere Ordinē regit. De modo eligendi vide etiam Concil. Trid. sess. 25. cap. 6.

§. 1. Hinc est quod, quum sicut nobis exponere curastis, tu fili Generalis Minister & prædecessores tui, iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem obseruatam hactenus, & à Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundùm prædicti regulam & constitutiones Ordinis extitistis, fratrum ipsius curam gesseritis, ministerij officium plene ac libere in omnibus exercentes, iidemque fratres vobis deuote & humiliter obedierint, ac intenderint reuerenter, & in eadem regula sit expressum, vt Generalis Minister qui pro tempore fuerit à ministerij officio amoueri valeat prouincialibus Ministris & Custodibus in generali Capitulo congregatis. Nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum à Sede approbatum eadem, honestate floridum, præclarum scientia, & virtute fœcundum, priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati, deuotioni vestræ, vt successores tui fili generalis Magister, qui erunt pro tempore statim postquam electi secundùm regulam & constitutiones fuerint supradictas, eo ipso veri eiusdem Ordinis Generales Ministri effecti curam animarum fratrum ipsius Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipsosque fratres auctoritate propria ligare ac soluere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quæ ipsi Ministri & Definitores ad hæc electi iuxta prædictas constitutiones eidem Ordini, & fratribus secundùm Deum viderint expedire, aliasque possint officium ministerij licite in omnibus exercere. Iidemque fratres tibi generali Ministro & successoribus ipsis, deuote ac humiliter obediant & intendant.

Remoueri potest à Ministris & Custodibus Cap. gen.

§. 2. Et præfati successores & tu generalis Minister à Prouincialibus Ministris & Custodibus secundùm regulam & constitutiones ipsius Ordinis absolui & amoueri possitis, auctoritate Apostolica indulgemus, ratum habentes & firmum quicquid super præmissis per te generalis Minister, dictosque prædecessores fratres & Definitores factum & obseruatum est hactenus, concessa tibi exequendi officium ministerij, quo ad præmissa omnia & alia, libera facultate.

Vocalib. longè distātib. tempus non currit.

§. 3. In electionibus quoque Generalis, & Prouincialium Ministrorum ipsius Ordinis, fratribus, qui debent electionem huiusmodi celebrare, quum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire, tempus super hoc à iure statutum non currat, nec ipsi in hac parte iuris huiusmodi regulis coarctentur.

Custodes statim instituti administrent.

§. 4. Custodes vero & Guardiani, qui secundùm statuta eiusdem Ordinis aliter quam per electionem instituuntur, post ipsam institutionem, seu prouisionem de ipsis factam, curam animarum fratrum sibi subditorum ipsius Ordinis habeant, ipsosque ligare ac soluere possint, iuxta ipsius Ordinis instituta.

Lectorē vbique est legendi facultas, præterquam in studijs gen.

§. 5. Fratres autem de Ordine vestro, quos secundùm institutiones ipsius Ordinis conuentibus vestris deputandos duxeritis in lectores, sine cuiusquam alterius licentia libere in domibus prædicti Ordinis legere, ac docere valeant in theologica facultate (illis locis exceptis, in quibus viget studium generale) ac etiam quilibet in facultate ipsa doctutus solemniter incipere consueuit.

Prædicatores examinandi. Secus etiā ab Ordinarijs examinandos ex Bulla Leo. X. Superna. num. 21.

§. 6. Et quia prohibente regula vestra nulli fratrum Minorum est licitum populo prædicare, nisi à generali Ministro vestri Ordinis examinatus, & approbatus fuerit, & sibi prædicationis officium ab ipso concessum? Nos prædictorum fratrum laboribus & periculosis discursibus euitandis, necnon vt animarum salus possit inde facilius prouenire, super prohibitione huiusmodi oppor-

cunæ prouisionis remedium apponentes, vt singuli Prouinciales Ministri in suis Prouinciis cũ Definitoribus & Prouincialibus Capitulis congregatis, fratres in sacra pagina eruditos examinare & approbare, & eis officium prædicationis Deum habendo præ oculis committere valeãt (sicut ex forma regulæ Minister poterat Generalis) plenam auctoritate præsentium concedimus facultatem.

Fratres absque examine, & ab omni Ord. promouentur.

Hoc reuocauit Cõc. Trid. sess. 7. cap. 11. & sess. 23. c. 12.

§. 7. Et quia eiusdem Ordinis fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittuntur, propter quod stabilem & perpetuam in certis & determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos & idoneos ac approbatos à vobis fratres facitis ad ordines promoueri, liceat vobis ordinandos fratres eiusdem Ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus communionem & gratiam Apostolicæ Sedis habentibus præsentare. Ipsisque Pontificibus præsentatos à vobis, fratres sine qualiber examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni prouisione vel obligatione ipsorum ordinandorum fratrum ad ordines promouere.

Oratoria habent, &c. Intellige iuxta d. Concil. sess. 22. c. 1.

§. 8. In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria in quibus cum altari portatili possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, ac etiam Ecclesiastica recipere sacramenta.

Interdicti tempore celebrãt. Hoc amplius Sixt. IV. cit. in rub.

Sed aliter statuit Concil. Trid. sess. 25. c. 12.

§. 9. Cum autem generale interdictum Terræ fuerit, in Ecclesiis & Oratoriis vestris ac aliis quibuscumque quum ad loca perueneritis ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis, interdictis & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce liceat vobis celebrare diuina officia, & Ecclesiastica recipere sacramenta; dummodo causam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis specialiter interdici, neque Ecclesiæ & Oratoria eadem fuerint specialiter interdicta. His verò qui vestris immorantur obsequiis cuncta libere ministrare possitis Ecclesiastica sacramenta, & ipsos quum decesserint in vestris cæmeteriis sepelire. Si quando autem in Terras, in quibus residetis, vel earum personam excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, vestris seruitiis deputati, negotiorum quoque vestrorum procuratores, & operarij, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuè institerint, huiusmodi sententiæ obnoxij minimè habeantur, ibique possint audire diuina, iuxta formam quæ locis ipsis in eo casu à Sede Apostolica est concessa: nisi iidem causam dederint, vel excommunicari specialiter seu interdici eosdem contigerit.

Necessaria quæ recipiãt.

§. 10. Et quia vox extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pro studio, bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis, concedimus vt in excommunicatorum Terris liberè commorari, & ab eis tunc & etiam quando per ipsas vos transire contigerit, necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeatis.

Prælatorum Ordinis facultas absoluẽdi Fratres. Extendit Six. VI. cit. in rub. Sed tu vide Bullam Pij V. n. 132.

§. 11. Generalis quoque, & singuli Prouinciales Ministri & eorum Vicarij, ac etiam Custodes, in Prouinciis & custodiis sibi commissis, prædictis fratribus constitutis ibidem, necnon & fratribus aliis eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus, vndecunque absolutione & dispensatione indigentibus, siue priusquam intrauerint Ordinem, siue post, in casibus in quibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrerint sententias à iure, vel à iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis sic suppositis ecclesiastico interdicto diuina officia celebrantes, vel suscipientes ordines, sic ligati, notam irregularitatis incurrunt; absolutionis & dispensationis beneficium valeant impartiri, nisi adeo grauis fuerit, & enormis excessus, quod sint ad eandem Sedem merito destinandi.

Facultas Fratrum absoluendi corã Prælatos.

Tu vide d. const. Pij V.

§. 12. Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos Generalis & Prouinciales Ministri, necnon & vices vestras gerentes, ac etiam Custodes in proprios habueritis confessores, absolutionis & dispensationis beneficium, vobis quum expedierit valeant impertiri, iuxta formam concessionis super absolutione & dispensatione fratrum eiusdem Ordinis superius vobis factæ.

Prælati Ordinis absoluãt Fratres. Tu vide eũdem const.

§. 13. Ad hæc, volentibus vestro aggregari Collegio, qui suspensionis, aut interdicti vel excommunicationis sententiis à iure, vel à iudice promulgatis generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium obseruata forma canonica impertiri, ipsosque in fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum, vel professionem emissam recoluerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundùm formam ipsam vos Generalis & Prouinciales Ministri, & præfati Custodes, ac vices vestras agentes, valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis, diuina præsumpserint officia celebrare, vel Ordines receperint. Ita tamen, quod si aliqui cũ huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint astricti satisfaciant, vt tenentur. Volumus autem nihilominus quod postquam fuerint absoluti, huiusmodi volentes aggregari supradicto Collegio, nisi mox Ordinem vestrum intrauerint (etiamsi super hoc eis induciæ à Prælatis eiusdem Ordinis concedantur) eo ipso in pristinas sententias à quibus eos taliter absolui contigerit relabãtur. Cæterum vestra discretio cautè prouideat, vt Apostolicæ Sedis, Legatorum ipsius, & Ordinariorum locorum, in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur.

Fratres in multis hic expressis grauari non possunt absque d. n. ... &c. Tu tamen aliter statuit Conc. Trid. quoad publicationem excommunicationum sess. 25. c. 16.

§. 14. Porrò quieti vestræ prouidere volentes, quod per literas Apostolicas Sedis, aut Legatorum, seu Delegatorum ipsius, conueniri à quoquam minimè valeatis; & quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inuiti per literas ipsius Sedis de cætero impetrandas; quodque nullus vestrum correctionis, seu visitationis, vel inquisitionis officium, Monasteriis, vel Ecclesiis, seu quibuscunque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium & denuntiationes sententiarum interdicti & excommunicationum procedere, aut recipere curam monialiũ, seu religiosarum quarumlibet personarum teneantur per Apostolicas literas impetratas, & impetrandas in posterum, nisi huiusmodi Apostolicæ literæ de hoc indulto, & ordine vestro expressam fecerint mentionem, auctoritate vobis Apostolica indulgemus. Concedimus etiam, vt ad visitandum aliqua Monasteria monialium cuiuscumque Ordinis, vel ad audiendum confessiones earum compelli aliquatenus non possitis. Ad recipiendum commissiones causarum, seu sententiarum executiones, vel alia contingentia causas ipsas per literas præfatæ Sedis, in quibus non facta fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis, siue per Legatos, vel Delegatos ipsius, vel etiam per quoscumque. Nullus insuper Archiepiscopus, vel Episcopus, nullusque alius Prælatus Ecclesiasticus, nec eorum Vicarij, vel Officiales, ad portandum, seu deferendum literas, vel exequendum, aut denuntiandum sententias, contra Principes sæculares, communitates, populos, seu quoscumque benefactores vestros, nullusque delegatus vel ordinarius iudex ad faciendum citationes, vel commissiones recipiendas, siue quod sitis in causis aliquibus assessores, seu ad alias lites seu controuersias contingentia in causis quæ coram ipsis tractantur, quempiam vestrum compellere valeant, sine prædictæ Sedis mandato vel licentia speciali, expressam faciente de hac indulgentia mentionem. Nec quisquam vestrum parere vel intendere teneatur super his monitionibus, mandatis aut inssionibus eorundem, aut facere vel implere quod in hac parte duxerint iniungendum.

Prælati Ordinis reuocent Fratres apud Episcopos & alios commorantes. Hoc idem placuit Concil. Trid. sess. 25. c. 4.

§. 15. Cæterum Generalis & Prouinciales Ministri ac ipsorum Vicarij, illos ex fratribus de quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius, Archiepiscopis & Episcopis ac aliis quibuscumque prouisum extitit, vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac etiam non obstante contradictione aliqua, possint ad suum Ordinem reuocare, nec per literas eiusdem Sedis seu Legatorum ipsius iam obtentas, vel de cætero obtinendas, aliquos de Fratribus ipsius Ordinis præfatis Archiepiscopis & Episcopis, aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictæ literæ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi, & ordine ipso expressam fecerint mentionem, & alias id honestati Ordinis & illorum saluti viderint expedire. Nullus autem Legatus nisi de latere nostro missus, auctoritate literarum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto, & Ordine vestro non facientium mentionem, nullusque Prælatus, nec aliqua persona,

religiosa vel sæcularis de fratribus eiusdem Ordinis, ad sua seu Ecclesiæ negotia procuranda vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis & Prouincialis Minister ipsorum tanquam idoneos & discretos sibi duxerit assignandos: quos etiam subiacere volumus Ordinis disciplinæ.

Missque ad prædicãdam Crucem aut contra hæreticos.

§. 16. Illos verò ipsius Ordinis fratres qui ad prædicandum crucem, vel inquirendum contra prauitatem hæreticam, seu ad alia huiusmodi negotia, sunt vel fuerint vbicunque à Sede Apostolica deputati, tu fili Generalis Minister tuique successores, remouere seu reuocare penitus, transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, aliosque substituere quum expedire videritis, liberè, & licite valeatis, & in eos si contrauenerint, censuram ecclesiasticam exercere, ac quilibet minister Prouincialis, vel eis Vicarius eiusdem Ordinis, id ipsum in sua Prouincia circa fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi, facere possit. Non obstantibus aliquibus literis vel indulgentiis Apostolicis impetratis, vel etiam in posterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem.

Fratres ab Ordine recedere prohibentur.

§. 17. Inhibemus quoque ne quis post professionem in Ordine vestro factam, sine Generalis, vel sui Prouincialis licentia discedat ab ipso, discedentem verò absque cautione literarum alterius ipsorum, prætextu alicuius priuilegij Apostolicæ Sedis, nullus audeat retinere. Quod si fortè retinere præsũpserit, vobis Generalis & Prouinciales Ministri duntaxat licitum sit in ipsos discedentes fratres sententiam excommunicationis promulgare.

Licentiati ab Ordine, non transeuntes ad alium coercentur.

§. 18. Si verò aliqui de fratribus vestri Ordinis, post obtentam licentiam à Sede prædicta aut à vobis, ad religionem aliam transeundi, infra duos vel tres menses se ad illam religionem suæ saluti congruam non contulerit & ipsius non susceperint habitum regularem, licitum sit vobis Generalis & Prouinciales Ministri, ac vices vestras gerentibus, contra ipsos, tanquam contra alios Ordinis vestri apostatas procedere secundum quod honestati ipsius Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius religionis, intra tempus probationis nulla professione facta, inde præsumpserint resilire.

Apostataque imò etiam ab Ordinarijs coercentur ex Concil. Trid. sess. 6. c. 3.

§. 19. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & alias subdere disciplinæ rigori possitis per vos ac etiam alios in quocumque habitu contigerit inueniri, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Inhibemus etiam ne fratres quos ab Ordine vestro pro suis culpis per Generalem seu Prouinciales Ministros aut Custodes expelli contigerit, vel qui egressi fuerint, proprio suo motu prædicare, confessiones audire, seu docere præsumant, nisi ad alium Ordinem in quo licitè huiusmodi exercentur officia transierint, de vestra vel dictorum Ministrorum licentia speciali. Quod si fortè ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram aliquid super præmissis temere attentare præsumpserint, Ministri ac Custodes, & eorum Vicarij in illos quos infra fines suarum prouinciarum & custodiarum, iuxta consuetudinem Ordinis vestri districtos inuenerint, talia præsumentes, monitione præmissa auctoritate nostra excommunicationis sententiam valeant promulgare. Eiectos autem de Ordine vestro, vel egressos, qui receptione in eodem Ordine suis culpis exigentibus reddiderint se indignos, & alios fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos, præterquam ad B. Augustini, Templariorum, Hospitaliorum, & aliorum religiosorũ arma portantium ad vitandam occasionem euagandi, Generalis & Prouinciales Ministri cum suis testimonialibus literis auctoritate nostra licentiandi liberam habeant facultatem. Nos enim districtius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere seu retinere præsumant, absque licentia speciali Sedis Apostolicæ, faciente de hoc plenariam mentionem.

Habitus consimilis cæteris alijs prohibetur.

§. 20. Inhibemus etiam, vt nulli sine sit in religionis Ordine, siue extra Ordinem constitutus, habitum vestrum aut ita consimilem, quòd propter eum Frater Minor credi possit, deferre liceat absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Et vt dicta inhibitio maiorem consequatur effectum, statuimus, vt hi qui habitum vestrum, vel sibi prædicto modo consimilem deferre præsumpserint, ad deponendum ipsum per Diœcesanos locorum quum à vobis requisiti fuerint, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellantur.

Exemptio à decimis. Ampliationem exemptionem vide in Pij V. const. cit. in rub.

§. 21. Cæterum quum humilitas vestra sibi de latitudine orbis terræ nihil, præter domos & hortos cum virgultis, præmiorum obtentu cœlestium, duxerit reseruandum, Nos piè volentes, quod illorum fructus integrè vestræ paupertatis vsibus applicentur, vt de dictis hortis & virgultis nullam decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate præsentium indulgemus, districtius inhibentes ne quis à vobis de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumat.

Applicarĕ possunt Ordini quæ incertos illum debent alijs restituere.

§. 22. Quia verò nonnulli vestræ habitum religionis assumentes, diuersis personis quæ sciri & inueniri non possunt, interdum aliqua bona restituere teneantur; vobis Ministri & Custodes ac Vicariis prædictis concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus conuertere valeant, prout secundum Deum viderint expedire.

Sepultura in locis Ordinis omnes habere. Tu vide infra Bul. 7. Six. IV. Regimini vbi notabo.

§. 23. Sepulturam quoque in Ecclesiis vestris concedimus & eam liberam esse censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri desiderauerint, nisi excommunicati & interdicti, aut etiam publici vsurarij fuerint, nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus corpora mortuorum assumuntur: districtius inhibentes vt nulli religiosi sæculares vobis inuitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris Cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris missarum solemnia, vel pro animabus eorum qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare, sine vestro assensu & voluntate præsumant.

Fratres extra Ordinem non confitentur.

§. 24. Inhibemus insuper vniuersis Fratribus vestri Ordinis, ne aliquis eorum, nisi necessitatis vrgente articulo, aliis quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat, vel aliis eiusdem Ordinis Sacerdotibus secundum regulam & ipsius Ordinis instituta.

Ad Synod. processiones, &c. non coguntur. & Monasteria ædificare non impediantur. Tu, quoad processionem attende Cōc. Trid. sess. 25. c. 13. Et quoad vltimum vid. Bul. 99. Clem. VIII. Quoniam.

§. 25. Vniuersis autem Ecclesiarum Prælatis & aliis inhibemus, ne confessiones vestras vobis inuitis audire, vel compellere vos ad Synodos, seu conuocationes suas accedere, vel cum eis extra Ciuitates vel intra processionaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere, vel capitula, scrutinia, & inquisitiones, in locis vestris vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, & manualem obedientiam à Ministris, Custodibus vel Guardianis vestris exigere, aut de ipsorum institutione vel destitutione, siue de statutis vestri Ordinis se aliquatenus intromittere, seu prohibere ne ad Ciuitates vel villas, vbi religiosè ac honestè morari possitis, à populis, euocati audeatis accedere, ibique pro vestris vsibus construere ædificia, Ecclesias seu oratoria, aut in accedentes fratres seu construentes huiusmodi, vel receptatores ipsorum excommunicationis sententias ferre præsumant.

Exemptio à canonica portione. Tu vide const. 7. Sixti IV. Regiminis dicam.

§. 26. Concedimus quoque vobis, vt de his quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, Anniuersario Septimo, Vigesimo, Trigesimo, ac aliis ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pitantiis, aut victu, ad sustentationem vestram, vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligatæ noscuntur, vel de domibus prædiis & hortis aliisque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de his quæ pro huiusmodi domibus, prædiis, hortis, & locis emendis, vobis legantur (dummodo præmissa non conuertantur in vsus alios, sed in illos duntaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam qui in hac concessione vel indulgentia continentur) nulli canonicam iustitiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus, de præmissis aliquid exigere vel extorquere præsumat districtius inhibemus.

Fratres dimittentes aliqua loca de eorum libere bonis disponunt.

§. 27. Ad hoc vt liceat Fratribus vestri Ordinis quum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam ædificia, seu omnem ædificiorum materiam locorum quæ dimittunt (dedicatis Ecclesiis duntaxat exceptis) quam

libros,

libros, calices & paramenta secum ad alia loca transferre, & ædificia ipsa cum solo & aliis ad eadem loca pertinentibus, præter Ecclesias per personas ad hoc à Sede Apostolica deputatas, vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum ad quæ dicti fratres se transferunt, ædificationem, seu alias in eorum vtilitatem conuertere, secundum quod eis melius videbitur expedire, quum ipsa pauciora & alia loca fratrum ad nos & Apostolicam Sedem specialiter & immediatè pertinere noscuntur. Et ne aliqui Archiepiscopi vel Episcopi, aut alij Ecclesiarum Prælati, seu quæuis alia persona ecclesiastica vel sæcularis, prædicta loca seu bona, occupare, accipere vel vsurpare, aut quoquomodo sibi vendicare præsumant, absque dictæ Sedis licentia speciali districtius inhibemus.

Exemptio ab omni subuentione Legatorum, &c. §. 28. Indulgentes vobis, vt ad præstationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nuntiorum ipsius, seu Diœcesanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, seu subsidiorum, aut prouisionum quarumcumque minimè teneamini, nec ad ea soluenda per literas dictæ Sedis, aut Legatorum vel Nuntiorum eiusdem, seu Rectorum Terrarum Ecclesiæ Romanæ impetratas, seu in posterum impetrandas, cuiuscumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli possitis, nisi dictæ Sedis literæ impetrandæ plenam & expressam de indulto huiusmodi, & dicto Ordine fecerint mentionem.

Exemptio à iurisdictione Ordinar. Tu vid. Conc. Trid. sess. 7. c. 14. & cap. 39. Cl. VIII. §. 29. Cæterum quum fœl. record. Innoc. Papa olim duxerit statuendum, vt exempti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, sitè possint coram locorum Ordinariis conueniri; & illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem prout ius exigit exercere, Nos vobis vt occasione constitutionis huiusmodi, nullum libertatibus & immunitatibus, vobis & Ordini vestro, per priuilegia & indulgentias ab Apost. Sede concessas, præiudicium generetur, auctoritate præsentium indulgemus.

Reuocatio attentandorum contra hanc Bullam. §. 30. Decernimus ergo irritum & inane quicquid contra tenorem concessionum, constitutionum & inhibitionum huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum, & interdicti suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem in vos, vel vestrûm aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros, vel executores, aut hæredes prædictos, in posterum promulgari contigerit penitus non tenere.

Nulli ergo, &c.

D. P. A 1. die 21. Iulij. Dat. Perusij, 12. Kal. Augusti, Pont. nostri Anno 1.

V. Priuilegium Fratrum Militum Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, leprosos vndique suscipiendi, & ad domum aliorum leprosorum, cum eorum bonis transducendi.

Hoc approbauit Pius IV. in const. 95. Inter. vbi videas plene de huius Militiæ priuilegiis. Plenius autem notabo in const. 28. Py V. Sicuti omnia quæ eandem Militiam tangunt.

Edita A. D. 1265. CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis Ministro & Fratribus Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Ordinarij permittant colligi leprosos. Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Vniuersis Ecclesiarum Prælatis, exemptis & non exemptis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam ipso facto vos incurrisse volumus, nisi instanter hoc præsens mandatum curaueritis diligenter: & nihilominus sub pœna officij, & beneficij vestri, tenore præsentium præcipiendo mandamus, Quatenus cum aliqui de dilectis filiis Fratribus, & procuratoribus Domorum ordinis Leprosorum S. Lazari Hierosolymitani, ad vos & loca vestra peruenerint pro capiendis infirmis leprosis, sicut Dominus præcipit in lege Moysi, quòd omnes leprosi eiiciantur extra castra

§. 1. Volumus itaque sicut Deo complaceat tam mares quàm mulieres, clerici & laici, religiosi & sæculares, morbo Lepræ laborantes inuenti per eosdem fratres, & procuratores eorum, capiantur & eiiciantur extra, cum eorum omnibus bonis tam mobilibus quàm immobilibus ad habitationem cum infirmis aliis domorum eiusdem Ordinis. *Facultas eos sumendi colligendi.*

§. 2. Si verò Clerici vel Laici mandatum nostrum in aliquo neglexerint adimplere, volumus quòd peremptoriè citetis eosdem, vt coram nobis compareant, prædictis fratribus facturi iustitiæ complementum. *Contradictores citentur.*

D. P. A 1. die 5. Aug.

VI. Quid Magistratus sæculares describi faciant in libris Statutorum Ciuitatis leges editas contra Hæreticos.

Hoc idem iste Pontifex præcepit Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt inf. in const. 8. Ad extirpanda. Leges autem contra hæreticos habes sup. in constit. 1. Innoc. IV. Cum aduersus, & const. 9. Ad extirpanda.

Edita An. D. 1265. CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Potestatibus siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consiliis, & Communitatibus Ciuitatum, aliorumque locorum per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Innoc. IV edidit leges contra hæreticos, vt in reb. Ad extirpanda de medio populi Christiani hæreticæ prauitatis zizania, quæ abundantius solito succreuerunt, superseminante illa libentius his diebus homine inimico: tanto studiosius iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem Catholici seminis peruagari. Vt autem aduersus huiusmodi nequitiæ operarios consurgant, fiantque firmiter Ecclesiæ filij, ac orthodoxæ fidei zelatores, constitutiones quasdam fœlicis recordationis Innoc. Papa IV. prædecessor noster ad extirpationem hæreticæ pestis edidit, & in capitularibus vestris, tam ipse, quàm fœl. mem. Alexand. Papa prædecessor noster conscribi, ac à vobis exacta diligentia obseruari mandauit: quæ seriatim inferius continentur.

Constitutionum tenorem non pono quia habes sup.

§. 1. Ideoque Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli constitutiones easdem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus, & declarationibus, per dictum Alexandrum prædecessorem, & etiam per nos factis, conscribi in vestris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundùm eas contra omnem hæresim, se aduersus hanc sanctam Ecclesiam extollentem sine omissione aliqua procedatis. Alioquin dilectis Prædicatorum & Minorum Ordinum fratribus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, & eorum singulis per Italiam deputatis auctoritate Sedis Apostolicæ, & in posterum deputandis, damus nostris literis in mandatis, vt infra designatos eis limites, singulos vestrûm ad id, per excommunicationem in personas, & interdictum in Terram, appellatione remota compellant. *Eas adscribi hic Pont. iubet in statutis Ciuitatum.*

§. 2. Porro hæc omnia statuta seu constitutiones & leges præfatæ, & si quæ aliæ contra hæreticos & eorum complices tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicæ condentur, in quatuor voluminibus vnius tenoris debeant contineri, quorum vnum in communis cuiuslibet Ciuitatis vel loci: secundùm apud Diœcesanum: tertium apud fratres Prædicatores: quartum apud Fratres Minores cum omni sinceritate seruentur, ne possint per falsarios in aliquo violari. *Id est in quatuor exarata libris.*

Dat. Perusij, 3. Non. Nouemb. Pont. nostri Anno 1. *Dat. P. An. 1. die 3. Nou.*

VII. Quod prope Ecclesias Fratrum Minorum Conuentualium Ordinis S. Francisci, non possit nouum Monasterium construi vel acquiri, ab Ordinibus in paupertate fundatis, vel cuiuscumque Ordinis Monialibus, infra spatium trecentum cannarum.

Hoc priuilegium declarauit & innouauit Iul. II. inf. in eius const. 21. Expons. Hodie autem seruanda in hoc est forma tradita à Clem. VIII. in cap. vnico, de Excessib. Prælat. in 6. Cætera autem de toto Ordine Franciscano indicaui tibi sup. in constit. 5. Honor. III. Solet.

Edita An. D. 1265.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Ministris, ac Vniuersis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum. Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Exordium.

AD consequendam gloriam cœlestis patriæ, sic diuina pietas humilitatem vestram per suam gratiam cernitur allexisse, quod semper ad hoc intenti estis & vigiles, vt illam vobis, & proximis per innocentis vitæ studium acquiratis. Hæc enim & alia sancta paupertimæ Religionis vestræ merita nos inducunt, quod sumus ex intimo cordis affectu solliciti, vt in omnibus quæ ad Dei laudem & tranquillum statum deuotionis vestræ cupitis, habeamus prouidentiæ studium efficacius.

Priuilegium de quo in rub.

§. 1. Sanè, non sine quadam turbatione animi frequenter audiuimus, quòd inter vos, & Religiosos aliquos, illa de causa, æmulationis & dissensionis materia oritetur, quia ipsi, domos & Ecclesias Regulares iuxta loca vestra sine vestro graui præiudicio, & dispendio manifesto, quandoque construere præsumebant. Cum itaque ad Apostolici spectet officij dignitatem, de regno militantis Ecclesiæ cuiuslibet scandali materiam abolere, nos dignè volentes quòd huiusmodi æmulationis & dissensionis occasio per diligentiæ nostræ studium amputetur, auctoritate præsentium ordinamus & districtè inhibemus, quod nulli liceat amodo de Prædicatorum Pœnitentiæ IESV CHRISTI, B. MARIÆ de Monte Carmelo, Eremitarum S. Augustini, S. Claræ, aliisque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de prædictis, seu quibuscumque aliis Ordinibus, aliquod Monasterium, Ecclesiam vel Oratorium ædificare, seu construere, nulli quoque sæculari vel religioso cuiuscumque professionis, Ecclesiam, vel Monasterium, seu Oratorium iam ædificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis infra spatium CCC. Cannarum à vestris Ecclesiis mensurandarum per aërem, etiam vbi aliaa rectè mensurari loci dispositio non permittit. Præterea statuimus, vt quicquid contra huiusmodi ordinationis & inhibitionis nostræ tenorem, ex tunc in antea ædificatum fuerit, diruatur.

Ordines in paupertate fundati qui sint.

§. 2. Et ne de notitia Ordinum, & quantitate Cannarum huiusmodi aliqua possit dubitatio exoriri, illos Ordines intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex regula, vel constitutionibus suis, extra septa Ecclesiarum Monasteriorum suorum, vel officinarum eorum & clausuram ipsarum, nullas debent possessiones habere: quod si aliquis de Ordinibus ipsis possessiones in aliquibus membris suis habere, in aliis verò non habere noscatur, eum quoad ordinationem, inhibitionem, & statutum huiusmodi, prædictis Ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus.

Cannarumque longitudo qualis.

§. 3. Et quamlibet Cannarum ipsarum, octo palmorum longitudinem continere.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus varia locorum consuetudine siue priuilegiis, indulgentiis, seu literis quibuscumque tam supradictis, quàm mulieribus, vel eorum alicui ab Apostolica Sede sub quacumque forma concessis, seu etiam concedendis, quæ de præsentibus specialem, & expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo &c.

D. P. A. 1. die 20 Nouemb.

Dat. Perusij, 12. Kal. Decembris, Pont. nostri Anno 1.

VIII.

Quod Inquisitores hæreticæ prauitatis, describi faciant in Statutis Ciuitatum, leges editas ab Innoc. IV. contra hæreticos, Magistratus sæculares ad id cogendo.

Hoc præceptum ab isto Pontifice editum hisce Magistratibus, habes hic sup. in const. 6. Ad extirpanda.

Edita An. D. 1266.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Fratribus Prædicatorum & Minorum Ordinum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, per Italiam auctoritate Sedis Apostolicæ deputatis, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium.

AD extirpanda de medio populi Christiani hæreticæ prauitatis zizania, quæ abundantius solito succreuerunt, superseminante illa licentius his diebus homine inimico, tanto studiosius iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quãto perniciosius negligeremus eadẽ in necem Catholici seminis peruagari.

Innoc. IV. contra hæreticos leges edidit, & iussit Magistratibus vt describant in Statutis Ciuitatum.

§. 1. Vt autem aduersus huiusmodi nequitiæ operarios, consurgant stentque firmiter Ecclesiæ filij, ac orthodoxæ fidei zelatores, Constitutiones quasdam fœlicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster ad extirpationem hæreticæ pestis edidit, & tam ipse, quàm fœlicis memoriæ Alexander Papa prædecessor noster, Dilectis filiis Potestatibus siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consiliis, & Communitatibus Ciuitatum, Castrorum, aliorumque locorum per Italiam constitutis mandarunt, vt constitutiones ipsas, in suis conscribi Capitularibus facerent, & exacta diligentia obseruarent. Vnde prædictis Potestatibus siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consiliis, & Communitatibus, damus nostris literis in mandatis, vt ipsi & singuli eorum, constitutiones easdem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus, & declarationibus per dictum Alexandrum prædecessorem nostrum, & etiam per nos factas, conscribi in suis Capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem hæresim se aduersus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine aliqua omissione procedant.

His Pontif. mandat Inquisitoribus, vt eos ad id cogant.

§. 2. Quocirca si dicti Potestates siue Rectores, Consules, Capitanei, Antiani, Consilia, & Communitates, mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos & singuli vestrum, illos & singulos eorum, infra designatos vobis limites, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras eorum, monitione præmissa, appellatione remota cogatis.

Quibuscumque non obst.

§. 3. Non obstante si aliquibus à Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quòd personæ excommunicari, ac Ciuitates, Castra, Terræ, & loca ipsorum interdici non possint, siue qualibet alia indulgentia Sedis eiusdem, per quam effectus præsentium impediri valeat, vel differri: & de qua, eiusque toto tenore, de verbo ad verbum specialem & expressam in nostris literis oporteat fieri mentionem: & constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali.

D. P. A. 1. die 18. Ian.

Dat. Perusij, 15. Kal. Februarij, Pontificatus nostri Anno primo.

IX.

Canonizatio S. Heduuigis Ducissæ Poloniæ, & præfinitio suæ festiuitatis pro die 15. Octobris cum Indulgentiarum elargitione pro eius sepulchrum visitantibus.

Edita An. D. 1267.

CLEMENS PAPA QVARTVS, *Dilectis filiis Archiepiscopo Gneznen. & eius suffraganeis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exultatio piæ matris Ecclesiæ, de S. Heduuigis meritis, & laudibus.

§. 1. EXultat cunctorum fidelium pia mater Ecclesia nouæ laudis, ex intimis iubilum productura, ex eo quod declinante mundo ad vesperam, tanquam inæstimabilem margaritam inuenisse fortem dignoscitur mulierem, cuius constantis animi munimenta, nec aries ex aduersis impulsus cuntibus quatere potuit, nec ab illo ipsam auertere quod in mentis vtero digne conceperat proposito sanctitatis. Sed cum Inuentionem difficilem Sapiens asserat huiusmodi mulieris, quænam sit illa deducatur in lucem, & habeatur eius notitia, ne ab hominum ignorantiæ nebulis notione subducta, laudum defraudetur præconiis, quibus per mundi climata est suis vbilibet meritis attollenda. Non enim quam tantæ virtutis titulus illustrauit, decet amplius occultari sub modio,

quodque

quodque teneatur in abditis, quam diuina meritorum cumulo benignitas sic prouexit. Nec enim fortium mulierum voluerit antiquitas obliuisci, sed supra candelabrum virtutis, & gratiæ sic posuit, & erexit easdem, quòd ipsarum memoriam, edax non potest abolere vetustas, & quæ aliorum bona grauiter inficit fascinatio denigrare. Hinc Iudith & Iabel, quæ Holofernem, & Sisaram virili dextera peremerunt, suorum claritate gestorum, ipsa deputauit, perpetuis antiquitas monumentis, vt quæ antiquis vtilitati fuerunt, esset deinceps ipsarum prorogata memoria posteris in exemplum. Propter quod ne ipsi antiquitati, quæ sollicitudinis manum, vt posteritati ipsis proficeret, à laboribus non subduxit, quæque vt nobis disciplinæ, ac morum relinqueret instituta, noctis obseruauit excubias, dissimiles iudicemur, dignum duximus quæ sit mulier ipsa, & quid egerit expressius aperire, vt id eos minimè lateat, quos in sinceritatis proposito, pia reddit deuotio studiosos.

Quæ non in carnis nobilitate, sed in infirmitatibus gloriam assumpsit.

§. 2. Et quidem ipsa est piæ memoriæ Sancta Heduuigis, cuius per sanguinis deriuationem natalium claritas sic refulsit, quod ab iis qui sceptra gestarunt Regnorum, quosque insignes efficit Imperij celsitudo, tanquam propago generosa processit, radiis nobilitatis plus splendoris adiiciens ex se ipsa, quam sibi vnde originem traxerat, prouenerit ex radice, pro quo si secundum carnem, & mundum gloriandum fuerat, merito potuit nullo blandiente mendacio gloriari. Sed cum huiuscemodi gloria plerumque virtutis prospectum euacuans, in elationis præcipitet vitium, quos exaltat, vt in eius pectore virtus Christi per gratiam redundaret vberiùs, non in ea quæ est carnis nobilitas, sed in suis dumtaxat infirmitatibus gloriam assumebat, aduertens, fructibus diuinæ dilectionis nequaquam destitui, nec munere supernæ benedictionis illos fraudari, quos salutiferæ infirmitatis acredine à patre contingit beneuolo visitari.

Coniugium cum Duce Poloniæ contraxit, & eius prolem in Dei timore erudiuit.

§. 3. Porrò dum puerula fuit, vix quicquam puerile gessit in opere, & prouectioris ætatis tempore succedente, ne aduersario vlla occasio maledicti suppeteret, cum claræ mem. Henrico Duce Poloniæ matrimonium duxit legitimè contrahendum, in quo tripartitum bonum coniugij salubriter conseruando, sic prudenter se gessit, quod thori fidem inuiolatam custodiens, & prolem in Dei timore susceptam erudiens, ab ipso Duce, cui non præcipiti voluptatis affectu, sed discreto semper inhæsisse iudicio creditur rationis, quousque est assumptus de medio, per separationis iniuriam non diuertit. Licèt vt orationi, & contemplationi vacarent deuotius, thorum ex pari voto, & consensu vnanimi per multa annorum curricula habuerint sequestratum cum creatori suo minus obsequi valeant ad plura distractus animus, & viro placere cupiens mulier, in his quæ Dei sunt, interdum segnior habeatur.

Ducéque mortuo Monialis Cisterciensis Ordinis efficitur.

§. 4. Ipso denique Duce christianissime, prout asseritur, spiritum exhalante, protinus ad illius, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, tanquam libera, & à lege viri terrestris soluta, familiare consortium amplius aspirauit. Sed cum non inueniatur in terra suauiter viuentium, cætumque malignantium detestetur, vbi potuit (cum totus mundus in maligno sit positus) reperire? vbi eum quæsiuit? vbi illum inuenit, cuius desiderio languetur? Et quidem dum difficultatem inueniendi attenderet, & non posset non quærere quem amabat, fluctuabat nimium ipsius animus, & inter perplexitatis scopulos vehementius iactabatur. Vrgebat namque amor quærere, sed difficultas inueniendi quærendum, interiectis obicibus sui finē propositi retardabat. Sicque dum in ancipiti teneretur, sacræ demum scripturæ relationibus, est eius auribus cælitus instillatum, quod inuenitur in campis siluæ, & est cum simplicibus sermo eius. Tunc sollicita discurrere cœpit indagine, & perquirere tota mente, vbi sunt isti campi, quos sua Deus præsentia sic illustrat, & in quibus illa viget simplicitas, quæ digna diuinis affectibus perhibetur. Sed qui dat intelligentiam spiritus, ei nutanti cōfestim occurrit, & nodum cuiuslibet dubietatis dissoluens, campos siluæ, loca religionis explicuit. In quibus tanquam in mundo non sint, quæ mundi sunt nō aguntur; sed tanto quod optabat in eis reperitur facilius, quanto à tumultibus sæculi amplius secernuntur. Hinc sancti Spiritus vnctione (cuius est docere de omnibus) taliter erudita, casti amoris suffragante vehiculo, ad Monasterium Trebnicien. Cisterciensis Ordinis eò celerius trahitur, quò minus terrenis affectibus aggrauatur in cuius quidem Monialibus intētionis simplicitas, & mentis puritas sic placebant, quod cum eis esse diuina clementia credi poterat suas delicias deputasse. Et licet quæ regularis disciplinæ fuerant, quantum suo licebat statui, præ cunctis monialibus obseruaret, votum tamen professionis emittere, & renuntiare proprio renuit, non ob aliud (prout fertur) nisi vt haberet vnde palmam porrigeret inopi, & aperiret munificentiæ dexteram indigenti.

Dæmonis tentationes superauit.

§. 5. Inuento itaque ibi quem quæsierat anima sua, floridum in conscientia sibi protinus lectum parat, & ex suaui contemplatione, tanquam ad eius amplexus admissa, haustu nouæ capta dulcedinis, ex tunc amarum censuit, quicquid calix propinat aureus babylonis. Dedignabatur enim tanquam eius inebriata amore, loqui, seu audire de alio quam de ipso, munera venerabatur ipsius, & diligens eius amicos, & ad ipsius se nutum componens, non creditur quam adimplere prorsus studuerat, eius scienter transgressa postmodum voluntatem Sed qui Euā omnium matrem seduxerat, similem matri filiam æstimās inuenire, postquam mundum ab ea contemni, & conculcari præsensit, fraudis ordiebatur cōmenta, virus iniquitatis fundebat, & acuens vitiorum sagittas, ipsam conabatur peruertere, cui cœlestibus inhærenti, vnde ipse corruerat inuidebat. Quia tamen frustra rete ante oculos iacitur pennatorum, cum ipsa eius nouisset astutias, parum illius insidias proculdubio formidabat. In sublimiori enim, quam vallo virtutum munierat arce fœliciter se tenebat, vbi velut diuino fulta præsidio, ipsum inimicum prostrauit, castra subuertens ipsius, & eius machinamenta despiciens, telum minimè timuit, quod inimicus ipse ad perdendum hominem de pharetra sæpius impietatis educit. In hoc apparens prædictis mulieribus eo fortior, atque præstantior, quo magnificentius est, spiritualem, quā temporalem hostem prosternere, & triumphi gloriam de ipso finaliter reportasse, cum plures velut per eum seductorem legamus pectora deputasse delictis, qui terga visibilibus hostibus non dederunt. Sed vbi peccati fomes? vbi carnis fragilitas, & domesticus inimicus? Numquid cessit certamini? pugnare tenuit? & cum ipsius sanctę mulieris congredi spiritu dubitauit? Non enim in hoc mortali corpore prorsus potest extingui, sed latens in medullis, serpit in carne, furit in venis, & in vitiorum insaniam, nisi cohibeatur, erumpit. Quod vtique ipsa prudenter attendens, vigiliis, & ieiuniis quasi assiduis, & vestium asperitate... velut temperantiæ vomere sic corporis terram excoluit, quod vitiorum spinas & tribulos tanquam ipsi subacta spiritui non produxit. Cumque corporis sui ager tanta sollicitudine cultus, & fructuum honestatis fuisset vbertate refertus, ipsum Deo hostiam obtulit in suauitatis odorem, concupiscentias eius mortificans, & non carnem, quia profectò non esset cum ratione obsequium, si quis ad interemptionem corporis niteretur, & de ipso fieret hostia quæ non viueret per naturam.

Prudentiā in omnibus custodiuit.

§. 6. Postremo in omnibus iis ei non defuit, quæ est lima & auriga virtutum prudentia, sed cuncta per eam sic promouit & direxit gerenda, quod nec excessus in modo, nec in ordine fuit error. Quid enim fuit prudentius, quā gratis obsequiis cœlestis Regis thalamum promereri? Quid seriosius, quam momentaneis æterna, & temporalibus sibi mercari diuina? Si enim Abigail prudentissimam scriptura commemorat, quia Dauid, quem sermone diserto prius placauerat irritatum, est per interuentum connubium coniux effecta; quanto ista ea debet censeri solertior, quæ & sponsa Christi meruit fieri, & orationum fragrantia, quibus se dederat incessanter, ipsum pronum fecit ad gratiam, prouocatum interdum delinquentium excessibus ad vindictam?

Pudicitiāque & in pauperes, & professos pietate refulsit.

§. 7. O virtutum forma, pudicitiæ titulus, naufragis portus, & inuia morum errantibus semita veritatis. O vas admirabile, opus quidem excelsi, quod in terris Deus cōstituit, vt iis, qui recto sunt corde, foret sinceritatis speculum vita eius. Nam illius fuit humilitatis dum viueret,

quod

quod per illum modum pauperum se deputauit obsequiis, quod eis flexis interdum genibus, vitæ necessaria ministrauit, & manum leprosis ea voto compassionis adhibens liberalem, erumpentia saniem ipsorum vlcera nequaquam abhorruit; non morbi contagiosi formidauit periculum, sed quo sedulitatis studio quoad Deum & proximum ipsam amplius vis vrgebat amoris, eo dictorum leprosorum subsidiis accuratius se inflexit, ita quod vbi producebantur huiusmodi vlcera, continuo viscera pietatis, tanquam ipsorum infirmitatem indueret, soluebantur in ea.

Deuotione & humilitate præstitit.

§. 8. Illius quoque in omni sinceritate deuotionis permansit, quod ex aqua cum qua eiusdem Monasterij moniales lauerant pedes suos, tanquam per ipsarum contactum aliquid eis sanctitatis iuesset, faciem sibi & oculos sæpissimè aspergebat.

Diuinis officiis assidue interfuit, & orauit.

§. 9. Diuinis officiis, & missarum præsertim sic attente vacans solemniis, quod à solis ortu, vsque ad meridiem, ab Ecclesia dum huiusmodi dicerentur officia non discessit, non tempore languida, nec acediæ, quantum perpendi poterat malo interim fatigata, nec tamen sessionis cum huiusmodi solemnia celebrarentur, quis eam æstimet se dedisse quieti, cum tunc vel staret erecta, vel curuato poplite oraret reflexa.

Patientia summa fuit, in obitu Henrici Ducis Slesiæ eius nati.

§. 10. Cuius vero in obitu quondam Henrici Ducis Slesiæ vnici nati sui patientiæ fuerit, non est prætereundum silentio, cum id Deum timentibus delectabile sit audire. Ingressus enim est ad ipsam doloris baiulus, veste lacera, vultuque demisso, & eius singultu sæpius interrumpente sermonem, vix quomodo idem Dux vir vtique gloriosus tartaricæ gladiis feritatis occubuit, exprimere potuit, huiusmodi singultibus impeditus. Quo tandem audito ipsa non contraxisse faciem, non emisisse suspiria dicitur, sed exultante spiritu protinus respondisse. Gratias tibi ago Domine Deus, quod talem mihi dare dignatus es filium, qui nullas vnquam mihi molestias ingerens, me semper honore coluit, & filiali affectione dilexit, & licet ipsum dum viuo lætarer habere præsentem, ei tamen in hoc congaudeo, quod per viam martyrij suo meruit redemptori coniungi, ipsius itaque animam tibi suppliciter recommendo. O verbum acceptione dignissimum, & monumentis perpetuis solemniter annectendum.

§. 11. Sed pro Deo quid fuit in casu tam flebili, vbi tota patria sua orbitatem deflebat, non eam mœrore affici, & fletibus non perfundi, nisi quod ipsam præmissum nouerat non amissum, & vt matribus in morte filiorum immoderate mœrentibus, esset efficax medicina doloris, & consolationis exemplum.

Obiit tandem, & multa subsequuntur miracula, quorum aliqua hic recensentur.

§. 12. Denique cum in spirituali certamine vincenti, in præmium debeatur corona, volens ipsam eidem reddere iustus Iudex, quam Mundum, Carnem, & Diabolum superans sibi debitam fecerat, tot triumphis ipsam suis stigmatibus insignitam, corporis mole deposita, vocauit ad patriam, illa sibi Regni corona concessa, quæ non marcescit, non tollitur, nec arescit, sed felicem perenniter efficit quem fulgoribus gloriosis insignit. Non enim tempori, quod corruptionis est causa subiacet hæc corona; cui semel conceditur, postmodum non aufertur, cum ea concessa non possit ingratitudo committi, quæ est causa sufficiens muneris reuocandi, cumque semper inhæreat fonti vitæ, nunquam deponit vigorem, nec dispendiis ariditatis efficitur, cum sine intermissione irriguum participet talis fontis. Quis non ad hanc venire festinabit coronam? Quis labor, quod onus, quæ tanti non leuiget præmij magnitudo? aut quæ ad præsens amaritudo tam vehemens, tam molesta, quæ tantæ remunerationis non dulcescat stipendio? O fœlicem fœminam, quæ hanc coronam obtinuit, quam bonorum omniũ exhibet, retributorem. Regali itaque diademate sic insignis, cælesti regnabat in patria, non immemor exulum suspirantium ad ipsam cum lachrymis, quod suis adeo beneficiis consolatur, quod suorum interdum reatuum veniam, & languorum percipiunt eius patrocinio medicinam legitimè in hoc mundo certantibus. Quod quidem subiecta declarant euidenter miracula, pauca ex multis ad præsens electa, tanquam validissimis, & indubitatis testimoniis proculdubio comprobata.

Puerũ flumine immersum & peremptum vitæ restituit S. Eduuiges inuocata.

§. 13. Nam puer quidam fuerat casu fortuito delapsus in amnem, quo per alueum ligneum sub rota molendi dum volueretur deducto, stetit ipsa rota, reuolutionis officio propter hoc impedito, & dum ab iis, qui ipsius custodiæ præerant molendini, cur istud accideret exquiritur diligenter, ipsorum de puero offertur aspectibus, quæ super aquæ verticem pedum extremitas ferebatur, & licet compassionis spiritu suggerente, ipsum de aqua, vbi per horam & amplius sic stetit immersus, deducere moliuntur, ei tamen rotæ magnitudine obsistente, perficere nequeunt, quod ex officio pietatis intentant. Sed vt ars virium suppleat ingeniosa defectum, rotam ipsam quibusdam artificiosè instrumentis adhibitis, cum puero sursum trahunt, cuius corpus sic erat ob ipsius magnitudinem rotæ compressum, quod in ea parte, qua venter dorso dignoscitur adhærere, redactum id iudicent ad spissitudinem palmæ manus, cumque attritum, gelidum, & nimio esset rigore protensum, ita quod ipsum exanimem testes assererent proculdubio extitisse, ipsius Sanctæ nomine suppliciter inuocato, vita sic redditur puero, quod suis mane diei sequentis nullo in eo perdurante læsionis vestigio, pedibus ambulauit.

Mulierem ab oculorum caligine liberauit.

§. 14. Fuit etiam quædam nobilis mulier, quæ propter vehementem, & diuturnam cephalicam passionem, illam caliginem incurrerat oculorum, quod eorum intuitu defectiuo, manus eius non poterat comprehendi, & cum ope medicorum sibi succurri non posset, ad ipsius Sanctæ sepulchrum adducitur, vbi munere protinus sanitatis adepto, recidiuæ passionis molestiam postmodum non incurrit.

Mulieri cuius pedes contracti, & femora putrida erant sanitatẽ reddidit.

§. 15. Alia quoque mulier fuit, quæ neruis contractis, pedes per annum habuerat inhabiles ad progressum, cuius ita vtrumque femur computruit, quod vermibus inde nascentibus erat expositum corrodendum. Cumque ad ipsum tumulum suffragio fuisset amicorum portata, inde sana sustentationis alicuius subsidio, in domum reuertitur non adiuta.

Alteri soliditatem tibiarum, & grossitiem præstitit.

§. 16. Insuper quidam fuit, qui tantam à puero gracilitatem habuerat tibiarum, quod vix cannæ grossitiem excedebant, & idcirco nec ire poterat, nec standi etiam super eas habebat aliquam facultatem, & tamen se ad eius sepulchrum appodians, eiusdem implorato subsidio reuerentes, prius quidem non absque timore, sed procedente tempore tibiis solidatis, & ad debitam quantitatem perductis, omni trepidatione semota, libere atque secure perrexit.

Paralyticam fœminam sanauit.

§. 17. Alia quoque mulier fuit, quæ manuum, pedum, & linguæ erat prorsus imminente paralysi officio destituta, sed quam cito ad locum, in quo ipsa Sancta fuerat tumulata defertur, in integrum suscepit sanitatem, & ad illa restituitur euidenti miraculo, quibus eam prædicta priuauerat ægritudo.

Viri nobilis dexterã à paralysi liberauit.

§. 18. Fuit etiã quidam nobilis, qui biennio & amplius à lecto ægritudinis non surrexit, ex eo quod paralysi in dextera corporis erat parte percussus, quæ regimine pellis amoto, plena remanserat foraminibus cancerosis, & cum effectũ cuiuslibet medicinæ morbi excederet magnitudo, ad tumulũ ipsũ manibus amicorũ portatur, vbi in lachrymas resolutus, sanitatem ad plenũ fletibus impetrat, quam ei medicina conferre, etiã perito medici studio nõ valebat.

Hac ergo pro Polonis & aliis Sancta patrocinatur apud Deum.

§. 19. Tam variis itaque morbis non dissimile, sed vnum paratur antidotũ, & remedium singulare, quod ex deuotionis, & fidei puritate conficitur ad salutem, quod euangelica mulier, & rex ille cuius orationem audiuit, & lachrymam vidit Dominus in suis infirmitatibus sunt experti, cum fides illam saluauerit, & ad augmentum dierum sibi sanitate indulta cum lachrymis oratio alterius sit admissa. Hinc regnat virtus, vitium exulat, & accrescente merito eliminatur impietas. Sed vbi Prouincia Poloniæ tantis decoratur muneribus, eius pretiosi corporis ditata thesauro, quid apud Deum fauoris & gratiæ sibi poscenti poterit denegari, ex quo apud ipsum talis aduocatæ meruit præsidio confoueri? Quod enim Polonos ipsos suo susceperit patrocinio promouendos, hoc sit eis in signum, quod ipsis reliquit in pignus corpus ipsum, sui videlicet spiritus indumentum, nec tamen per hoc credatur sic eam Polonorum esse patronam, quod

aliorum

aliorum vota fidelium non promoueat coram Deo, cum in patria nunc perfectius habeat, quam habuisset, dum viueret, & tunc tameo diffusam ad omnes obtinuit charitatem.

Principum, & aliorum Polonorū deuotio erga d. Sanctam feruet in terris, & pro illius Canonizatione instetit apud Vrb. IV.

§. 20. Sed dum tot panduntut miracula, crebrescunt signa, & beneficia conferuntur, non potuit non feruere populi fidelis deuotio, non clamor arceri, quin in Mundi notitiam expeditis adduceret labiis supradicta. Sicque vos & nobiles viri Duces eiusdem Prouinciæ ipsius Populi clamotibus vehementius excitati, ne Dei magnalia supprimendo, videremini digne de ingratitudine posse notari, vna cum dilectis in Christo filiabus, Abbatissa, & Conuentu eiusdem Monasterij, in quo cum illa qua decuit honorificentia est reconditum corpus eius, fel. rec. Vrbano Papæ prædecessori nostro rem in præmissis gestam, prout veritas postmodum est comperta, curauistis exponere seriatim, deuotione supplici, & instantia non remissa petentes, vt Sanctam ipsam quam vita & miracula Beatorum Collegio pronuntiauerant aggregatam, inter Sanctos cæteros celebritate faceret congrua venerari.

Qui veritatē prædictorum omnium duobus Prælatis indagandam commisit.

§. 21. Et quidem licèt vestræ deuotionis sinceritas in porrectione petitionis huiusmodi in eo quod sic porrigebatur commendabilem se præberet, oportuit tamē non præcipiti festinatione, sed decēti adhibita procedere grauitate. Quod idem prædecessor diligenter aduertens, per Venerabilem fratrem nostrum Vratislauien. Episcopum, & dilectum filium fratrem Simonem Priorem Prouincialem fratrum Prædicatorum Poloniæ, Boëmiæ primo, & huiusmodi ad eos negotio remisso secundo de præmissis inquiri mandauit diligentius veritatem.

Hic modo Pōtifex stāte relatione duorum Prælatorum, ac etiam Episcopi Tusculani cui Vrban. IV. idem cōmiserat negotiū S. Eduuigem. Sanctorum Catalog. adscripsit.

§. 22. Cum itaque per inquisitionem taliter factam, & ad Apostolicam per ipsos Episcopum, & Priorem postmodum Sedem remissam, & ex fideli relatione Venerabilis fratris nostri N. Tusculanensis Episcopi, cui per ipsum prædecessorem fuerat examinatio inquisitionis eiusdem commissa, de ipsius sanctæ vitæ sinceritate, & veritate signorum constiterit euidenter, nos post multam deliberationem cum fratribus nostris præhabitam, prout tanti negotij exegerat magnitudo, ipsam quæ contempto obsequij sui fastu, despecta magnificæ domus reuerentia, & calcato fastigatio potestatis, ad inopis claustri pro Christo se inclinauit angustias, vt cunctis esset humilitatis exemplum, tam de ipsorum fratrum, quàm Prælatorum, qui tunc apud sedem morabantur eandem consilio, SS. Catalogo decreuimus adscribendam, imo verius denuntiauimus iam adscriptam.

Eiusque festū die 15. Octob. celebrari mādat.

§. 23. Cæterum etsi ad omnia sufficiat Dei filius IESVS CHRISTVS, tamen voluit in opere pietatis plures homines habere consortes, quia licet solus obtineat quod alij non merentur, non tamen apud Patrem pro nobis solus est aduocatus, imo cum CHRISTO, & per ipsum, iustorum omnium qui nos in Regno præcessere cohortes, iuxta quod legitur multa ei data incensa, quæ sunt orationes Sanctorum, vt super altare aureum ea in conspectu Altissimi adoleret; sed cum ex assiduo lapsu mortalis infirmitas huiusmodi orationum suffragiis iugiter indigeat adiuuari, vt subsidium ei magis acceleret, debet per imitationis exemplum, & obsequij seruitutem, ipsos Sanctos deuotius reuereri. Vnde ne agat istud, quod eius saluti expedit negligenter, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus festum ipsius Sanctæ Idib. Oct. die videlicet quo de via migrauit ad patriam, & de mundanis transcendit finibus ad coronam, attenta deuotione celebrare curetis, ac faciatis per vestras Ciuitates & Diœceses à Christi fidelibus solemniter celebrari.

Sepulchrum eiusdem visitantibus, indulgentias elargitur.

§. 24. Cupientes itaq; sepulturam ipsius, quæ tam euidentibus signis rutilare dignoscitur, cōgruis honoribus frequentari, & ad id fideles ipsos muneribus illectiuis induci, omnib. verè pœnitentibus, & confessis, qui eū reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies; accedentibus verò ad prædictam sepulturam infrà eiusdem festi octauas, centum dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

D. P. A. 3. die 26. Martij.

Dat. Viterbij, 7. Kal. Aprilis, Pontific. nostri anno 3.

Mitigatio & declaratio Regulæ Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum. X.

Hanc regulam constituit Innocent. III. suprà in eius Bulla 1. Operante. vbi notaui. Quam declararunt Honor. III. & Vrban. VI. vt ibidem dixi, sed eorum Bullas prætermisi, cum hæc plenior mihi visa fuerit.

Edita. A. D. 1267.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Ministro maiori & & Fratribus vniuersis Ordinis Sanctæ Trinitatis & Captiuorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium.

IN Ordine vestro, eiusque professoribus, quos sincere diligimus, id semper haberi quærimus, vt assiduis spiritualibus potissime, ac temporalibus etiam incrementis proficiant, & honestatis fructus delectabiles proferant & honoris; vnde rectè agimus, si iis quæ ad hæc promouenda, & ex consultæ deliberationis fiunt prouidenda, vt inconcussa in posterum permaneant, auctoritatis robur Apost. adhibemus.

Vrb. IV. examinationem Regulæ, tribus Prælatis commisit.

§. 1. Dudum sanè, vt accepimus, vobis fel. rec. Vrbano Papæ prædecessori nostro exponentibus, quod prætextu obseruantiæ statutorum & Regulæ ipsius Ordinis, plerumque dubitationes oriebantur fratribus, ex quo ipsis habentibus conscientias scrupulosas, circa diuinorum executionem, & vtilitatum procurationem temporalium Ordini præfato difficultatem damnosam frequenter ingeri contingebat, ac super hoc vobis per Apostolicam postulantibus prouidentiam subueniri, dictus prædecessor Venerabili fratri nostro Episcopo, & dilectis filiis Sancti Victoris, & Sanctæ Genouefæ Abbatibus Parisiensibus, suis dedit literis in mandatis, vt ipsi facientes sibi prædicta Statuta & Regulam exhiberi, ac diligenter examinantes eadem, corrigerent & statuerent circa ipsa, prout secundùm Deum ipsorum saluti, & vtilitati memorati Ordinis cognoscerent expedire.

Qui illam correxerunt.

§. 2. Verum Episcopus & Abbates prædicti, facientes sibi Statuta & Regulam huiusmodi exhiberi, ac ea examinantes, iuxta formam sibi traditam diligenter illa correxerunt, & circa ipsa nonnulla etiam statuerunt, prout secundùm Deum, prædictorum Ministris & Fratrum saluti, & vtilitati eiusdem Ordinis, ipsis visum extitit expedire, sicut in literis confectis, sigillatis sigillis Episcopi & Abbatum prædictorum, plenius continetur.

Et hic Pont. modo confirmat.

§. 3. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod per eosdem Episcopum & Abbates, proinde factum est in hac parte, ratum habentes & firmum, illud auctoritate Apostolica confirmamus; tenores literarum ipsarum de verbo ad verbum facientes præsentibus annotari, qui talis est.

CAP. I.

De Tribus votis, Nomine Prælati, Diuisione bonorum & Redemptione captiuorum.

IN Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Fratres domus Ordinis Sanctæ Trinitatis, & Captiuorum, sub obedientia Prælati domus suæ, qui Minister vocabitur, in castitate & sine proprio viuant. Qui fratres, extra domos suæ professionis mitti non valeant, nisi pro scandalis manifesta pœnitentia indigentibus, & pro allcuatione domorum suarum, & pro noua domo ædificanda, & in hoc solo casu, prouideatur eis tanquam illius domus professis. Omnes res vndeconque licitè veniant, in tres partes diuidantur æquales, & in quantum duæ partes sufficiunt, exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ipsorum, & eis necessariò famulantium moderata sustentatione. Tertia verò pars reseruetur ad redemptionem captiuorum, qui sunt incarcerati pro fide CHRISTI, à Paganis, vel dato pretio rationabili pro redemptione ipsorum, & pro redemptione Paganorum captiuorum, vt postea rationabili commutatione, & bona fide redimatur Christianus pro Pagano, secundùm merita & statum personarum, Cum vero pecunia data fuerit, vel aliquid aliud (licèt specialiter & propriè ad certum vsum)

semper de consensu illius qui dederit, si præsens fuerit, ... pars separetur, nisi donator per se ipsum vel procuratorem idoneum, fratrem vel alium, id in vsus domus expendat. Si verò donator absens fuerit; ita quod commodè non possit eius assensus haberi, vel aliàs de eius voluntate constare, vt in hoc casu via melior & tutior teneatur, rei datæ tertia pars separetur, exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificiis, nutrituris, & huiusmodi. Fructus enim inde exeuntes, deductis expensis, secundùm rationabiles examinationes Ministri & fratrum, in tres partes diuidantur æquales: sed quæ paucas, vel nullas recipiunt expensas, omnes diuidantur. Cum verò panni, calceamenta, vel minuta huiusmodi, quibus sit necesse vti, quæ vendi vel conseruari non expedit, data fuerint, vel à se ipsis habuerint, non diuidantur, nisi Ministro domus & fratribus visum fuerit expedire. De quibus singulis Dominicis diebus, si fieri potest, in Capitulo deliberetur. Si tamen prædicta, vt panni, terræ, nutrituræ, seu minuta, venderentur: pretium inde proueniens, in tres partes, vt suprà, diuidatur. De nemoribus autem, fœnis pratorum, straminibus agriculturarum, & fructus arborum, pecorum, & hortorum, ad vsus necessarios liceat fratribus accipere. Si quid verò de prædictis vendi contigerit, vel de fructibus arborum portus fieri: tertia pars reddatur captiuis, secundum formam superius annotatam. Si domus, vel quæcumque alia, à quouis licitè sub quocumque nomine fratribus conferantur, donatoribus exponatur qualiter de bonis suis tres debeant facere portiones: & si donator voluerit res diuidi, diuidantur: & si non, non diuidantur. Quæ autem vsque modo fratribus collata sunt, secundùm quod de voluntate donatorum ea receperunt, liceat eis de ipsis disponere, & voluntatem donatorum pro posse suo adimplere. Fructus verò collectos de bonis postea acquisitis, deductis expensis, secundum quod de aliis suprædictum est, diuidere tenebuntur. De illis quæ in Ecclesia offeruntur, vel alio modo apportantur, vt vestimenta, panni serici, oblationes, & huiusmodi: ipsi Ecclesiæ in suis necessariis, vt libris, cera, oleo, & aliis eiusdem ornamentis, prouideatur: quod autem superterit, diuidatur. Si domus, terræ, possessiones, vel alia vnde redditus proueniunt, vel conseruandis fructibus sunt necessaria, calamitate aliqua, vel casu destruantur: liceat fratribus de communibus bonis, prædicta in statum debitum reformare: & hoc de consensu maioris Ministri, vel eius Vicarij, seu Visitatorum illius prouinciæ. Si tamen pro fratrũ congrua sustentatione, necessitas exegerit: huiusmodi dimisio ex bonis indifferenter relictis, arbitrio Ministri Prouincialis pro tempore existentis, relinquatur: dummodo illa non ad alios vsus, quam ad redemptioné & pauperum subuentionem, ac hospitalium reparationem, seu constructionem, ac fratrum Ordinis sustentationem conuertantur, & sic vltra tertiam partem huiusmodi, absque alicuius conscientiæ scrupulo, percipere ipsi fratres, & leuare valeant.

CAP. II.

Titulo Monasteriorũ. Numero fratrũ, Lectisque ac Vestimentis & equitaturis.

Omnes Ecclesiæ istius Ordinis (quas fratres sibi ædificauerint) intitulentur nomine Sanctæ Trinitatis, & sine plani operis. Tot fratres possint esse in vna cohabitatione, tàm Clerici, quàm Laici, quot Ministro & fratribus vniuscuiusque domus visum fuerit expedire, quorũ vnus Procurator sit, qui nõ Procurator, sed Minister, vt dictum est nominetur: cui fratres repromittere, ac impẽdere obedientiam teneantur. Omnibus fratribus suis, sicuti sibimet, iuxta posse domus, prout vnicuique opus fuerit, Minister fideliter administret. Vestimenta sint lanea & alba, excepta cappa, quæ honestatis causa, bruni coloris erit, quam etiam, dum ad partes infidelium pro redimendis captiuis se contulerint, de suorum Superiorum licentia mutare possint. Et liceat eis habere pelliceas, prout vniuscuiusque exposcit necessitas, & bracchas, quas iacentes non deponant. Iaceant in laneis, ita quod pluma, fulcra, vel culcitras, in domibus propriis, id est, in quibus ad manendum fuerint deputati, nisi in ægritudine laborantes, & de foris venientes, & hoc extra dormitorium, minimè habeant. In aliis verò domibus sui Ordinis, & alibi vbicumque, siue in itinere, siue in peregrinatione fuerint, poterunt iacere fratres in talibus lectis, quales eis fuerint præparati, ita tamen quod tunicas non deponant. Ceruical verò, cum cossino ad sustentationem capitis, permittantur habere. In cappis, & caputiis fratrum imponantur signa, videlicet crux in pectore, cuius brachium, quod vadit in longum, sit de panno rubeo, illud autem quod vadit in transuersum, sit cærulei coloris. Calceamenta habeat clausa, & ordinata, ita tamen quod genua non excedant, nisi sint equitantes. Liceat fratribus equos ascendere, & equitaturas tales habere, quales poterint, & sibi viderint expedire, dum nimis notabilea non existant.

CAP. III.

Abstinentia, ieiunijs, & modo itinerandi.

Vinum sumendum à fratribus taliter temperetur, vt sobrie sumi valeat. Ieiunent à propinquiori Dominica festo beati Martini hyemalis, vsque ad Natiuitatem Domini, & à Quinquagesima vsque ad Pascha. Insuper & aliis temporibus anni, omni sexta feria, nisi festiuitas nouem lectionum interuenerit, vel octauæ, ita tamen, quod à Quinquagesima vsque ad Pascha in cibo Quadragesimali ieiunent, & alia ieiunia quæ consueuit Ecclesia celebrare. Potest tamen quandoque Minister ieiunium cum discretione relaxare, propter ætatem, vel viam, vel aliam iustam causam: vel etiam facultate inspecta augmentare. Carnibus datis ab his, qui foris sunt, vel sumptis de propriis nutrituris, vel etiam emptis, vesci liceat tantum Dominicis diebus, à Pascha vsque ad Dominicam propinquiorem festo B. Martini hyemalis, & à Natali, vsque ad Septuagesimam: & in Natiuitate, & Epiphania Domini & in Ascensione Domini, & in Assumptione, & Purificatione B. MARIÆ, & in festo omnium Sanctorum, & in minutionibus, & infirmitatibus. Possunt tamen Ministri, cum fratribus suis, de carnibus edendis, extra refectorium, & in via, ex iusta & rationabili causa dispensare. Liceatque fratribus sagimine vesci. Ac insuper, si qualitas temporis, & Monasteriorum necessitas id exegerint, etiam in ipso refectorio (Aduentus tamen, & aliis à iure prohibitis temporibus exceptis) carnibus huiusmodi vesci possint. Liceat etiam nutrituras emere & nutrire. Cum verò in itinere siue peregrinatione fuerint, si quid eis datum fuerit, inde viuant, & residuum in tres partes diuidant. Tamen si fuerint in via, profecti ad redimendum captiuos, quicquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptione captiuorum, præter expensas. In Ciuitatibus, in Villis, siue Castellis, in quibus proprias domos habuerint, nihil omnino extra domos illas, nisi fortè in domibus religiosis, etiamsi à quouis rogentur, & Archiepiscopis, Episcopis, & Regibus, si inuitati fuerint, comedant, vel bibant, nisi fortè aquam in domibus honestis, nec pernoctare præsumant extra huiusmodi domus, nisi fortè aliquorum fuerint Magnatum, vel Prælatorum officiis deputati. Nunquam in tabernis, vel in huiusmodi inhonestis locis habitent, comedant, vel bibant. Qui autem hoc præsumpserit, iuxta arbitrium Ministri, maiori, vel minori vindictæ subiaceat.

CAP. IV.

Charitate fratrum inter se, & erga infirmos & hospites.

Talis sit charitas inter fratres, Clericos, & Laïcos, vt eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio, & eadem mensa vtantur. Infirmi seorsum dormiant, & comedant. Ad quorum curam habendam, conuersus aliquis Laïcus siue Clericus deputetur: qui ea quæ necessaria fuerint, inquirat & ministret, sicut fuerit ministrandum. Moneantur tamen infirmi, vt lauta, siue nimium sumptuosa cibaria non requirant, commoda potius & salubri moderatione contenti. Cura hospitum, & pauperum, & omnium euntium, & redeuntium, vni de discretioribus & benignioribus fratribus iniungatur, qui audiat eos, & vt expedire viderit, charitatis solatium administret. Requirat tamen ab illis quos crediderit admittendos, si iis quæ fratribus apponuntur, velint esse contenti. Ad lauta quidem, siue nimium sumptuosa cibaria, non oportet quenquam admitti: quæcumq; tamen præstanda sunt, cum hilaritate præstẽtur: & nulli maledictum pro maledicto reddatur. Si quis tamen, & maximè Religiosus, ad hospitandum aduenerit: benignè suscipiatur, & charitatiuè iuxta posse domus illi subministretur. Auenam tamẽ vel aliud loco auenæ hospitibus dare non teneantur, si fuerint in ciuitate, vel oppido, vbi venalis inueniatur: nisi fortè Religiosi

sint

sint hospites, vel tales, qui ad manus non habeant, & emere non possint. Si autem hospitales venalem non inuenerint, & in domo, qua suscepti fuerint, inueniatur, congruenter eis præbeantur. Nullus frater Clericus, aut Laïcus sit (si fieri potest) sine proprio officio. Si quis verò laborare noluerit, & potuerit, iuxta arbitrium Ministri, Canonice puniatur, cum Apostolus dicat: Qui non laborat, non manducet.

CAP. V.

Silentio & honestate.

Silentium semper obseruent in choro: nisi frater alicuius fratris, vel alterius fortè confessionem in dicto loco audiat. Pauca etiam verba in choro sub silentio, & sine strepitu, propter aliquam iustam causam, loqui poterunt. In refectorio, & in dormitorio silentium obseruabunt: nisi necessitas aliqua, vel iusta causa eos ad loquendum compellat: in quo casu paucis verbis & submissa voce loquentur. Extra verò prædicta loca liceat eis loqui temporibus aptis submissa voce, humiliter, & honestè. Vbique sermo eorum sit honestus, & sine scandalo. Similiter, & eorum omnis status, gestus, vita, actio, & omnia alia honesta in eis reperiantur.

CAP. VI.

Capitulo cuiusque domus, Capitulo generali, & correctione Fratrum.

Capitulum, si fieri potest singulis diebus Dominicis in singulis domibus, Minister cum fratribus suis teneat, & de negotiis domus, & domui suæ, siue fratribus datis, & familiæ, nomine Ordinis, datis, vt ad redemptionem captiuorum tertia pars deputetur: fratres Ministro, & Minister fratribus rationem fideliter reddant. Similiter singulis Dominicis diebus, si fieri potest, exhortatio fiat: & quid credere, aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus & clamoribus, fratres in Capitulo iudicentur. Nullus fratrum fratrem suum in publico accuset, nisi bene possit probare, qui autem hoc fecerit, pœnam subeat quam reus subiret, si conuinci potuisset: nisi Minister ex causa cum eo dispensare voluerit. Si quis scandalum, vel aliquod huiusmodi fecerit, vel (quod absit) se inuicem percusserint, iuxta arbitrium Ministri, maiori vel minori vindictæ subiaceat. Si quis frater in fratrem peccauerit, scilicet contra fratrem: idem eo solo sciente, qui iniuriam passus est, sustineat patienter, licèt sit innocens: & cum quieuerit commotio animorum, benigne & fraterne commoneat, & corripiat eum vsque ter inter se & ipsum solum, & pœnitentiam agere de commisso, & à similibus in posterum abstinere. Qui si non audierit, dicat Ministro, & ille corripiat eum secretè, secundum quod viderit saluti eius expedire. Qui verò scandalum mouit, si per se emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati, petens veniam, se extendat: & si semel non sufficit, vsque ter illud idem faciat. Si verò hoc in publicum venerit: quæcumque secuta fuerit pœnitentia, hæc sit prior, scilicet, ante pedes Ministri, petendo veniam, totius corporis extensione, & postea secundum arbitrium Ministri emendetur. Generale Capitulum semel in anno celebretur, quod fieri debet Dominica quarta post Pascha. In quo Capitulo quolibet anno Correctores maioris Ministri eligantur: qui vna cum maiori Ministro, vel eius Vicario, corrigendi & definiendi omnia, quæ corrigenda & definienda sunt in generali Capitulo, tempore ipsius Capituli, & etiam Visitatores constituendi in diuersis prouinciis, & locum futuri generalis Capituli assignandi, habeant potestatem. Nullus verò simplex frater ad generale Capitulum accedat, nisi vocatus à maiore Ministro, vel missus à suo proprio Ministro, vel aliquam iustam causam in Ministrum suum prætenderit, quam si in Capitulo generali non fuerit prosecutus, ad arbitrium maioris Ministri & Correctorum Canonice puniatur. Si pro necessitate domus debitum aliquod fuerit contrahendum, prius in Capitulo fratribus proponatur, & cum eorum consilio fiat & assensu, vt sic suspiciones & murmura euitentur. Si quis de substantia domus violentiam fecerit, & ad iudicem oportuerit referri: non ante hoc fiat, quam charitatiuè ille à fratribus moneatur.

CAP. VII.

Electione Ministri, eiusque munere qualitatibus & depositione.

Electio Ministri per commune consilium fratrum Clericorum fiat. Nec eligant secundùm dignitatem generis, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Ipse verò, qui eligitur, siue maior, siuè minor Minister, Sacerdos sit, & professus, Maior verò Minister postquam electus fuerit, secundum formam in Regula hac annotatam, ipsius Ordinis curam plenè habeat, & liberè gerat prout hactenus extitit obseruatum, & consuetum, fratrumque omnium Congregationum confessiones audire & absoluere ab omni transgressione Regulæ, sua possit auctoritate. Minor verò Minister omnium fratrum domus suæ audiat confessiones; dummodo verecundia reperiti excessus occasionem minimè præbeat tardiùs Prælatis suis, vel minus pure quam deceat, cõfitendi. Sollicitè verò Minister prouideat, vt præcepta Regulæ, sicut cæteri fratres, per omnia teneat. Postquam verò electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit: per maiorem Ministrum, conuocatis tribus, vel quatuor Ministris minoribus, si commodè infrà tres dietas à loco valeant inueniri, & si commodè habere non possint, assumptis secum tribus, vel quatuor fratribus eiusdem Ordinis, viris religiosis, & honestis, de quorum consilio & assensu deponatur: & alius qui dignus sit, loco eius subrogetur. Si vero pro remotione terrarum, vel alia causa rationabili, maior Minister hoc facere non potuerit: vices suas Ministris minoribus magis religiosis committat. Si verò duo vel tres, pro locorum distantia, haberi commodè non possint: per aliquem Ministrum virum religiosum & honestum, cum tribus, vel quatuor fratribus religiosis hoc fiat, & quod illi fecerint, auctoritate maioris ratum habeatur. Maior verò Minister si pro excessibus suis corrigendus vel deponendus fuerit per quatuor vel quinque Ministros eiusdem Ordinis magis religiosos hoc fiat, qui tamen auctoritate generalis Capituli ad hoc eligi debent.

CAP. VIII.

Nouitiis & eorum receptione.

Vt ad hoc vide Bullas iam dicatas in eius fine tunc. sicut in rubr. et cap. 6.

Si quis huius Ordinis frater esse voluerit: primo per annum in habitu fratrum cum expensis suis, præter victum, omnibus suis retentis, in Ordine pro Deo deseruiat. Et post annum, si bonum, & conueniens Ministro domus & fratribus videatur & illi, recipiatur, nil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur, dum tamen tale sit, de quo non videatur Ecclesiæ periculum imminere. Si verò de cuiusquã moribus visum fuerit dubitãdũ, prolixior de eo habeatur probatio. Si ante professionẽ aliquis se intemperanter habuerit, & impatiens disciplinæ, ad arbitrium Ministri non emendauerit mores suos: tribuatur ei modestè licentia, cum omnibus quę attulit, recedẽdi. In Ordine vero aliquis non recipiatur, antequam annum vigesimum videatur compleuisse. Professio verò post annũ in arbitrio Ministri relinquatur.

CAP. IX.

Orationes dicenus & alias praecipuas.

Pignora non accipiant, nisi decimas, cum licentia sui Episcopi, de manu Laïci. Iuramenta non faciant, nisi magna necessitate, cum licentia sui Ministri, vel iussi ab Episcopo suo, vel ab aliquo vices Apostolicas gerente, & hoc honesta, & iusta causa. Si quod vitium in re quæ venditur, notum fuerit, indicetur emptori. Ipsa die, qua infirmus apportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur Ministro, vel ei cui Minister iniunxerit, & communicet, & omnia alia Sacramenta Ecclesiastica percipere valeat ab eodem. Omni secũda feria, præterquam in Octaua Paschæ, & Pentecostes, & Natalis Domini, & Circumcisionis Domini, & Epiphaniæ, & præterquam in festiuitatibus nouem lectionum, & in octaua Sanctorum, & aliarum festiuitatum, finita Missa pro fidelibus, fiat absolutio, fidelium defunctorum in cœmeterio. Singulis quoque noctibus ad minus in hospitali coram pauperibus pro statu & pace Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & totius Christianitatis, & pro benefactoribus, & pro his pro quibus generalis Ecclesia consueuit orare, communis fiat oratio.

CAP. X.

Horis Canonicis, & rasura.

In regularibus horis morem B. Victoris obseruent, exceptis fratribus seruitiis Principum, & Pręlatorum deputatis, & fratribus itinerantibus; exceptis etiam pausationibus, & prolixitatibus, & vigiliis, quæ occasione laboris paucitatis seruientium, poterunt eis remitti de consilio piorum & religiosorum virorum, ad hoc in suo generali Capitulo à suis Ministris, vel fratribus specialiter electorum. Propter paucitatem etenim suam tantas pausationes psallendo facere non tenebuntur, nec ita tempestiuè surgere. In rasura similiter Ordinem S. Victoris

sequantur Clerici: Laici verò barbas non radant, sed eas ad modum Templariorum, vel Conuersorum Cisterciensium crescere permittant.

Sanctio pœnalis. §. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, constitutionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 3. die 7 Decemb. Dat. Viterbij 7. Idus Decembris anno Domini 1267. Pontificatus nostri anno tertio.

XI. Quòd Fratres Ordinis Prædicatorum S. Dominici, ad Prælaturas extra Ordinem assumpti, antequam consecrationis munus recipiant, omnia quæ ab Ordine habent, Conuentui resignent.

Alia de hoc Ordine notata sunt supr. ad const 2. Honor. III. Religiosam.

Edita An. D. 1268. *CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Magistro, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. PRouidentia laudabilis, & salubris in cunctis vestris haberi debet operibus, vt exinde claritatem nominis in conspectu Dei, & hominum habeatis.

Causa huius prohibitionis. §. 1. Cum itaque (sicut asseritis) contingat interdum quòd illi ex vobis qui de Ordine vestro ad Archiepiscopatus, & Episcopatus, & alias Prælaturas Ecclesiasticas assumuntur, non considerantes quod ex professione in ipso emissa Ordine, nihil habent proprium, quod sibi specialiter valeant retinere, libros, & alia quæ apud eos huiusmodi tempore promotionis habent, vsibus propriis applicare, secumque portare præsumant, in propriæ salutis dispendium, & dicti ordinis non modicum detrimentum.

Prohibitio de qua in rub. §. 2. Nos præsumptioni huiusmodi volentes salubriter refragari, Vniuersis Fratribus dicti Ordinis, ad huiusmodi Archiepiscopatus, Episcopatus, & Prælaturas de cætero assumendis, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne consecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros, & bona contingentia Ordinem memoratum, quæ apud eos tempore suæ promotionis habere contigerit, Prioribus, & Conuentibus de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem Priores de consensu ipsorum Conuentuum, vsum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum. Alioquin eo ipso ab executione Pontificalis ministerij nouerint se suspensos. Inter huiusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos, & illas chartulas, vel membranas, in quibus dicti Fratres sibi certa notabilia cum aliquibus priuatis sermonibus collegerunt. Nulli ergo, &c.

D. P. A 4. die 9. Iunij. Dat. Viterbij, 5. Idus Iunij, Pontific. nostri anno 4.

XII. Archiepiscopi & alij Prælati, gratias, & priuilegia Ordin Fratr. Prędic. S. Dominici, vel Frat. Minor. S. Francisci interpretari prohibentur.

De Ordine Dominicano vide multa notata supr. in const. 2. Hon. III. Religiosam. Et de Ordine Franciscano vide itidem supr. in eiusdem Hon. const. 5. Solet.

Edita An. D. 1268. *CLEMENS EPISCOPVS, &c. Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Generali Ministro, & Fratribus Ordinis Minorum.*

Exordium. ORdinis vestri sacra religio, sub qua virtutum Domino in humilitate spiritus laudabiliter deseruitis, promeretur, vt nos ipsum Ordinem sincera diligentes in Domino charitate, illa vobis libenti animo concedamus, quæ materia submota grauaminis, status vestri tranquillitas procuretur.

§. 1. Sanè, transmissa nobis conquestione monstrastis, quòd nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, vestris libertatibus derogantes, Indulgentias, seu Priuilegia vobis Apostolica Sede concessa interpretati, & ad suum intellectum trahere moliũtur (quamquam intellectum ipsum verba Indulgentiarum, & Priuilegiorum huiusmodi exprimere videantur) ac vos iuxta ipsorum interpretationem Priuilegia ipsa seruare compellunt, in vestrum non modicum præiudicium & grauamen. *Causa huius prohibitionis.*

§. 2. Quia verò super hoc Apostolicæ prouisionis remedium implorastis: nos vestris supplicationibus annuentes, ne præfati Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati alij prædicta Priuilegia, & Indulgentias, siue clara, quæ interpretatione non indigent, siue dubia contineant, de cætero interpretari præsumant auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, volentes, vt cum eius sit interpretari, cuius est condere, interpretatio super huiusmodi dubiis, & obscuris, dictæ Sedis iudicio requiratur. Nulli ergo hominum liceat, &c. *Prohibitio de qua in rub.*

Dat. Viterbij, Nonis Iulij, Pont. nostri anno 4. *D. P. A. 4. die 7 Iulij.*

XIII. Confirmatio, modificatio & extensio constitutionum & legum ab Innocentio IV & Alexandro IV. editarum, contra hæreticos, eorumque complices & fautores.

Huiusmodi Innoc. IV. constitutionem habes sup. lib. 1. Ad extirpanda, vbi notaui, Alexandri verò Bullam prætermisi, hac sola contentus, quæ omnia comprehendit, & postrema est.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Potestatibus siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consiliis & Communitatibus Ciuitatum, aliorumque locorum per Italiam constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1265.*

§. 1. AD extirpanda de medio populi Christiani hæreticæ prauitatis zizania, quæ abundantius solito succreuerunt, superseminante illa licentius his diebus hominis inimico, tanto studiosius, iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem Catholici seminis peruagari. Vt autem aduersùs huiusmodi nequitiæ operarios consurgant, stentque firmiter Ecclesiæ filij, ac orthodoxæ fidei zelatores, Constitutiones quasdam felicis recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster ad extirpationem hæreticæ pestis edidit, & in capitularibus vestris, tam ipse, quàm felicis memoriæ Alexander Papa prædecessor noster conscribi, ac vobis exacta diligentia obseruari mandauit, quæ seriatim inferius continentur. *Innocentius edidit leges contra hæreticos, vt in eius const. cit. in rub.*

§. 2. Ideoque vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli constitutiones easdem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus & declarationibus, per dictum Alexandrum prædecessorem, & etiam per nos factas, conscribi in vestris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundùm eas contra omnem hæresim, se aduersùs hanc sanctam Ecclesiam extollentem, sine omissione aliqua procedatis. Alioquin dilectis filiis Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratribus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, & eorum singulis per Italiam deputatis auctoritate Sedis Apostolicæ, & in posterum deputandis, damus nostris literis in mandatis, vt infrà designatos eis limites, singulos vestrum ad id, per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant. *Quas cum declarationibus & additionibus Alex. IV. & suis, obseruari præcipit.*

Leges autem & constitutiones sunt hæ.

LEX I.

§. 3. Statuimus, vt Potestas, Capitaneus, seu Rector seu Consules, seu quiuis alij qui Ciuitati præsunt, vel loco alij ad præsens aut pro tempore præfuerint in futurum in Italia, iurent præcisè, ac sine tenore aliquo attendere *Magistratus iurent, quod leges in hæreticos latas obseruabunt.*

inuio

Bas indicaui in d. constit. Innoc. IV.

inuiolabiliter & seruare, & facere ab omnibus obseruari toto tempore sui regiminis, tam in Ciuitate vel loco sui regiminis, quam in Terris suæ ditioni subiectis, omnes & singulas infrascriptas constitutiones, & super his præcise seruandis recipiet à quibuslibet sibi in potestatia vel regimine succedentibus iuramenta. Quæ qui præstare noluerit, pro Potestate, Capitaneo seu Consule vel Rectore nullatenus habeatur, & quæ vt Potestas, Capitaneus, Consul vel Rector fecerit, nullam penitus habeant firmitatem. Nec vllus teneatur aut debeat sequi eos, etiamsi de sequela præstanda eis exhibuerit iuramentum. Quod si Potestas, Capitaneus vel aliquis prædictorum, constitutiones ipsas, & singula in eis contenta seruare noluerit vel neglexerit, præter notam periurij, & perpetuæ iacturam infamiæ, ducentarum marcarum pœnam incurrat, quæ irremissibiliter exigantur ab eo, & in vtilitatem communis cui præest, integre conuertantur, & nihilominus vt periurus & infamis, & tanquam hæreticorum fautor de fide suspectus, & officio, & honore sui regiminis spolietur, nec vlterius Potestas, Capitaneus, Consul seu Rector habeatur in aliquo, aut de cætero ad aliquam dignitatem vel officium publicum vllatenus assumatur.

LEX II.

Hæretici banno supponantur & eos quilibet capere possit.

§. 4. Iidem quoque Potestas, Capitaneus, Consules, Rector vel quiuis alij ad regimen cuiuslibet Ciuitatis vel loci assumpti, in principio sui regiminis in publica concione more solito congregata, banno Ciuitatis vel loci supponant, tanquam pro maleficio, omnes hæreticos vtriusque sexus quocumque nomine censeantur, & teneantur bannum huiusmodi à suis prędecessoribus positum confirmare. Præcipiant autem, quod nullus hæreticus vel hęretica de cætero habitet vel moretur, aut subsistat in Ciuitate seu aliquo loco iurisdictionis aut districtus eiusdem, & quicumq; ipsum vel ipsam inuenerit, libere capiat & capere possit impune, & omnes res mobiles ipsius vel ipsorum penes eos inuentas eis licenter auferre, quæ sint auferentium pleno iure, nisi auferentes huiusmodi sint ad hoc officium specialiter deputati.

LEX III.

Ministri eligantur ad capiendos hæreticos.

§. 5. Iidem quoque Potestas, Capitaneus, Consules seu Rector vel quiuis alij huiusmodi, infra octo dies post introitum regiminis sui, duodecim viros probos & Catholicos, & duos Notarios, & duos Seruitores, vel quotquot fuerint necessarij, instituere teneantur, quos Diœcesanus, si præsens extiterit, & interesse voluerit, & duo Fratres Prædicatorum, & duo Minorum Ordinum ad hoc à suis Prioribus & Guardianis, si Conuentus ibi fuerint eorundem Ordinum deputati, seu Inquisitores vel Inquisitor prauitatis hæreticæ duxerint eligēdos. Instituti autem huiusmodi & electi, possint & debeant hæreticos & hæreticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hæc tam in Ciuitate vel alio loco, quam in tota eius iurisdictione atque districtu plenarie adimpleri, & eos ducere & duci facere in potestatem Diœcesani, vel eius Vicarij seu Inquisitorum vel Inquisitoris.

LEX IV.

Expensis Communitatis hæretici capti deducantur.

§. 6. Teneantur autem Potestas, Capitaneus, Consules seu Rector, vel alij ad huiusmodi regimen deputati, quilibet in expensis Communis, cui præest, facere duci eosdem hæreticos ita captos, quocunque Diœcesanus, vel eius Vicarius, seu Inquisitores vel Inquisitor prædicti in iurisdictione vel districtu Diœcesani Episcopi, seu Ciuitatis vel loci voluerint illos duci.

LEX V.

Officialibus fides adhibeatur.

§. 7. Officialibus verò prædictis plena fides de his omnibus adhibeatur, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur, sine aliquo specialiter præstito iuramento, vbi duo vel tres, seu plures præsentes fuerint ex eisdem.

LEX VI.

Officiales iurent fideliter agere.

§. 8. Portò cum Officiales huiusmodi eligantur, iurent hæc omnia exequi fideliter & pro posse, ac super his semper merá dicere veritatem, quibus ab omnibus in his quæ ad officium eorum pertinēt plenius pareatur, & tam dicti duodecim, quam Seruitores & Notarij prætaxati, simul vel diuisim, plenariam recipiendi sub pœnis, & bannis taxatis, & expressis in Constitutionibus infrascriptis, quæ ad officium suum pertinent, habeant potestatem.

LEX VII.

Curentque de assignatione hæreticorum.

§. 9. Possint autem Officiales prædicti, Communitatis, Castri, Burgi seu Villæ præcipere sub pœna & banno vsque ad ducentas Marcas argenti, & vltra ad arbitrium Potestatis seu Rectoris Ciuitatis vel loci, in cuius districtu vel iurisdictione fuerint, quòd potestati seu Rectori, vel Diœcesano aut eius Vicario, seu Inquisitoribus aut Inquisitori hæreticorum præsentent infra præfigendum eis terminum competentem, omnes hæreticos & hæreticas, quos & quas sibi dicti Officiales duxerint assignandos. Et Potestas seu Rector à non seruantibus præceptum, pœnam vel bannum huiusmodi exigere teneatur.

LEX VIII.

Et præceptorum Inquisitoris executione.

§. 10. Potestas autem vel Capitaneus, Consules seu Rector, vel alij huiusmodi quocumque vocabulo censeantur, teneantur habere firma & rata omnia præcepta, quæ occasione officij sui fecerint duo ex ipsis, seu plures, & pœnas exigere non seruantium.

LEX IX.

Officiales seruentur indemnes.

§. 11. Quod si dictis officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit in personis vel rebus pro suis officiis exequendis, à communi Ciuitatis vel loci per restitutionem plenariam seruentur indemnes.

LEX X.

Nec syndicentur de actis pro Inquisitione.

§. 12. Nec ipsi Officiales vel hæredes eorum possint aliquo tempore conueniri de iis quæ fecerint, vel pertinent ad eorum officium, nisi secundùm quod eisdem Diœcesano & Inquisitoribus vel Inquisitori videbitur expedire.

LEX XI.

Officiales quanto tempore durent.

§. 13. Ipsorum autem officium duret tantummodo per sex menses, quibus completis, Potestas, vel quicumque ipsius Ciuitatis vel loci regimini præfuerit, teneatur totidem subrogare Officiales secundùm formam præscriptam, qui prædictum officium secundùm formam eandem in aliis sex mensibus sequentibus exequantur.

LEX XII.

Officialibus vnde satisfieri debeat.

§. 14. Sanè ipsis Officialibus dentur de Camera communis prædicti, quando exiuerint Ciuitatem aut locum, pro hoc officio exequendo, vnicuique pro qualibet die duo solidi Prouenien. Senatus vel Imperialium in pecunia numerata, quos Potestas, Capitaneus, Consules vel Rector, aut alius huiusmodi teneantur eis dare vel dari facere, infrà diem tertium postquam redierint ad eandem Ciuitatem vel locum.

LEX XIII.

Salarium eorum quod.

§. 15. Et insuper habeant tertiam partem bonorum hæreticorum & receptatorum eorum quæ occupauerint, & mulctarum ad quas fuerint condemnati, secundùm quod inferius continetur. Et hoc salario sint contenti.

LEX XIV.

Ad quod officium non admittendi.

§. 16. Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat vel impedire possit, vllo modo, officium vel exercitium compellantur.

LEX XV.

Statuto aliquo non impediantur.

§. 17. Nullum etiam statutum conditum vel condendum, eorum officium vllo modo valeat impedire.

LEX XVI.

Officiales quando & per quos amouendi.

§. 18. Et si quis eorum Officialium propter ineptitudinem vel inertiam, seu occupationem aliquam vel excessum Diœcesano & Fratribus supradictis visus fuerit amouendus, ipsum ad mandatum vel dictum eorum teneatur amouere Potestas, Capitaneus vel quiuis alius huiusmodi prædictorum, & alium secundum formam præscriptam substituere loco eius.

LEX XVII.

Officialium iniquorum pœna.

§. 19. Quod si quis eorum contra fidem & sinceritatem officij sui in fauorem hæresis deprehensus fuerit excessisse præter notam infamiæ perpetuæ, quam tanquam fautor hæreticorum incurrat, per Potestatem, Capitaneum, Consules vel Rectorem, seu alium similium ad

Diœcesan. & dictorum Fratrum vel Inquisitorum seu Inquisitoris arbitrium puniatur.

Lex XVIII.

Omnes præstent auxilii Officialibus.

§. 20. Potestas verò militem suum vel alium Assessorem, si Diœcesanus vel eius Vicarius, aut Inquisitores, vel Inquisitor auctoritate Sedis Apostolicæ deputati, seu dicti Officiales petiuerint, cum ipsis Officialibus mittere teneatur, & cum ipsis eorum officium fideliter exercere. Quilibet etiam si præsens in Terra vel inquisitus fuerit teneatur tam in Ciuitate, quam in iurisdictione & districtu quolibet dare ipsis Officialibus & eorum Sociis consilium & iuuamen, quãdo hæreticum vel hæreticam capere vel spoliare, aut inquirere, seu domum vel locum, aut aditum aliquem intrare pro hæreticis capiendis, sub librarum viginti quinque Prouenien. vel Imperialium pœna, vel banno. Vniuersitas autem Castri, vel Burgi sub pœna & banno librarum quinquaginta, villæ verò viginti quinque Prouenien. vel Imperialium pro qualibet vice soluenda in pecunia numerata.

Lex XIX.

Pœna prohibentiũ ne hæretici capiantur.

§. 21. Quicumque autem hæreticum vel hæreticam captum vel captam auferre de manibus capientium, vel capientis ausus fuerit, vel defendere ne capiatur, seu prohibere aliquem intrare domum aliquam, vel Curtem, seu locum aliquem ne capiatur & inquiratur ibidem, iuxta legem Paduæ promulgatam per quondam Fridericum olim Romanorum Imperatorem, publicatis bonis omnibus in perpetuum relegetur. Et domus illa, à qua prohibiti fuerint, sine spe reædificandi funditus destruatur, nisi forte Diœcesano, vel in eius absentia ipsius Vicario vna cum Inquisitoribus seu Inquisitore hæreticorum, vel soli ipsi Diœcesano quãdo Inquisitorum vel inquisitoris præsentia de facili haberi non poterit, legitime constiterit, præfatæ domus dominum in hoc casu penitus innocentem, & prorsus inculpabilem extitisse, ac etiam eum non esse credentem vel receptatorem, aut defensorem, siue fautorem hæreticorum, seu de hæretica labe suspectum. Et bona quæ ibi reperta fuerint fiant capientium vel inquirentium, ac si hæretici fuissent ibidem inuenti, nisi forte prædictis, vt dictum est, legitime constiterit per testes fide dignos, & omni exceptione maiores, ipsa bona esse aliarum personarum, quam Domini domus eiusdem. Et tunc propter hanc prohibitionem vel impeditionem specialem Burgus vel Castrum componat communi in cuius districtu est, libras ducentas, & Villa libras centum, & Vicinia tam Burgi quã Castri & Ciuitatis libras quinquaginta Prouenien. siue Imperialium in pecunia numerata, nisi infra quintum diem ipsos defensores vel defensorem hæreticorum Potestati vel Rectori captos duxerint personaliter præsentandos, vel nisi forsan per legitimas probationes Diœcesan. vel in eius absentiam ipsius Vicario, vnà cum Inquisitoribus seu Inquisitore hæreticorum, vel soli ipsi Diœcesano, quando Inquisitorum aut Inquisitoris præsentia de facili haberi non poterit, plenè ac euidenter constiterit, quod ipsum vel ipsos capere nullatenus potuissent, & eos ad captionem & præsentationem huiusmodi faciendas sufficientem & congruam adhibuisse sollicitudinem & cautelam.

Lex XX.

Hæretici seorsim ab aliis in tuto carcere custodiantur.

§. 22. Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consules seu Rector vel alij huiusmodi, omnes hæreticos & hæreticas, qui capti amodo fuerint, custodiri facere sub expensis communis Ciuitatis vel loci cui præsunt, per viros Catholicos ad hoc electos à Diœcesano, si præsens fuerit, & Fratribus supradictis, vel Inquisitoribus seu Inquisitore in aliquo speciali carcere tuto & securo, in quo ipsi soli teneantur seorsim à latronibus & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum.

Lex XXI.

Pœna assignantium non hæreticos pro hæreticis.

§. 23. Si quando aliqui vel aliquæ non hæretici pro captis hæreticis, ipsis non contradicentibus, fuerint assignati, vel se forsitan assignauerint, prædicti suppositi perpetuo carceri mancipentur, & hæretici nihilominus reddi & assignari cogantur, & qui hunc dolum fecerint iuxta legem prædictam bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegentur.

Lex XXII.

Capti hæretici iudicibus Ecclesiasticis præsententur.

§. 24. Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consules vel Rector seu quiuis alij huiusmodi, cum bono & securo comitatu omnes hæreticos quocumque nomine censeantur, infrà dies quindecim postquam capti fuerint, Diœcesano vel eius speciali Vicario, seu hæreticorum Inquisitoribus vel Inquisitori præsentare, pro examinatione de ipsis & eorum hæresi facienda.

Lex XXIII.

Damnatos de hæresi recipiant puniendos.

§. 25. Damnatos verò de hæresi per Diœcesanum vel eius Vicarium, seu Inquisitores, vel Inquisitorem prædictos, Potestas, Capitaneus, vel alij eorum supradicti, vel eius seu eorum nuntius specialis, eos animaduersione debita puniendos sibi relictos statim recipere teneantur.

Lex XXIV.

Cogendíque ad alios detegendos.

§. 26. Teneantur præterea Potestas, Capitaneus, Consules aut Rector, vel alij huiusmodi omnes hæreticos, quos captos habuerint, cogere citra membri diminutionem & mortis periculum, tanquam verè latrones & homicidas animarum & fures Sacramentorum Dei & fidei Christianæ, errores suos expresse fateri, & accusare alios hæreticos quos sciunt, & bona eorum, & credentes & receptatores & defensores eorum, sicut coguntur fures & latrones rerum temporalium accusare suos complices, & fateri maleficia, quæ fecerunt.

Lex XXV.

Domus in qua reperti sunt hæretici destruatur.

§. 27. Domus autem in qua repertus fuerit hæreticus vel hæretica, sine vlla spe reædificandi funditus destruatur, nisi Dominus domus eos ibidem procurauerit reperiri, & si dominus illius domus habuerit cum ea domos alias appendices, cum vna eademque domus interdum diuersis, & cohærentibus mansionibus distinguatur, omnes illæ domus appendices, siue in domo illa, siue in eius appendicibus hæreticus vel hæretica deprehensus fuerit, similiter destruantur, & bona quæ fuerint inuenta in domo illa, ipsiusque appendicibus (nisi fortè legitimè per testes fide dignos, & omni exceptione maiores, ipsa bona esse aliarum personarum quam domini domuum earundem constiterit) publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in huiusmodi officio constituti. Et insuper dominus domus illius præter notam infamiæ perpetuæ, quam incurrat, componat communi Ciuitatis, vel loci quinquaginta libras Prouenien. vel Imperialium, in pecunia numerata, quam si non soluerit, in perpetuum carcerem detrudatur.

Lex XXVI.

Declaratio & pœna.

§. 28. Quæ autem de domorum & appendicium destructione, bonorum publicatione, ac pœnarum impositione facienda, dominis domuum earundem præmissa sunt, volumus obseruari, nisi fortè Diœcesano, vel eius absentia ipsius Vicario, vna cum Inquisitoribus seu Inquisitore hæreticorum, vel soli ipsi Diœcesano, quando Inquisitorum vel Inquisitoris præsentia de facili haberi non poterit, legitimè constiterit, præfatarum domorum dominos in hoc casu penitus innocentes, & prorsus inculpabiles extitisse, ac etiam eos non esse credentes, vel receptatores, aut defensores, siue fautores hæreticorum, seu de hæretica labe suspectos, quos nec in domibus vel appendicibus, nec in bonis eisdem, seu quouis modo puniri volumus, si, vt dictum est, apparuerint innocentes. Burgus autem ille, seu Castrum, in quo hæretici capti fuerint vel inuenti, componat communi Ciuitatis vel loci in cuius districtu est, centum libras, & villa libras quinquaginta, & vicinia tam Burgi quam Castri & Ciuitatis libras viginti quinque Prouenien. vel Imperialium, in pecunia numerata, nisi infrà quintum diem receptatores ipsorum captos præsentauerint Potestati, siue cuiuis alij Præsidenti eiusdem regimini Ciuitatis, nisi forsan per legitimas probationes Diœcesano, vel in eius absentia ipsius Vicario, vnà cum Inquisitoribus, seu Inquisitore hæreticorum, vel soli ipsi Diœcesano, quando Inquisitorum vel Inquisitoris præsentia de facili haberi non poterit, plenè ac euidenter constiterit, quod ipsos capere nullatenus potuissent, & eos ad captionem & præsentationem huiusmodi faciendas, sufficientem & congruam adhibuisse sollicitudinem & cautelam.

Lex

LEX XXVII.

Pœna eorum qui hæreticos auxiliantur.

§. 29. Quicumque verò deprehensus fuerit dare alicui hæretico consilium vel auxilium seu fauorem, præter aliam pœnam superius & inferius prætaxatam, ex tunc ipso iure in perpetuum sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si fortè Iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur, si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus hæreticorum, tanquam hæretici puniantur, Testamenta eorum qui hæretici decesserunt, nullius volumus esse momenti.

LEX XXVIII.

Nomina damnatorum de hæresi in 4. libris annotantur.

§. 30. Teneantur insuper Potestas siue Capitaneus, Consules seu Rector, vel quiuis alius Præsidens regimini Ciuitatis vel loci, nomina virorum omnium qui de hæresi fuerint infamati vel banniti, in quatuor libellis vnius tenoris facere annotari, quorum vnum commune Ciuitatis vel loci habeat, & alium Diœcesanus, & tertium Fratres Prædicatores, & quartum Fratres Minores, & ipsorum nomina ter in Anno in concione publica solemniter faciat recitari.

LEX XXIX.

Filij damnatorū ad nullum officium vel beneficiū admittantur.

§. 31. Teneatur quoque Potestas seu Rector, vel quicumque regimini supradicto præfuerit, filios & nepotes hæreticorum, & receptatorum, defensorum & fautorum eorum diligenter inuestigare, eosque ad aliquod officium publicum seu consilium nullatenus admittere in futurum.

LEX XXX.

Gubernatores locorum, requisiti ab Inquisitoribus prouideāt eis de Assessoribus.

§. 32. Teneatur præterea Potestas seu Rector, vel quiuis alius huiusmodi regimini Præsidens, vnum de Assessoribus suis, quem elegerit Diœcesanus, si fuerit præsens, & Inquisitores seu Inquisitor prædicti auctoritate Sedis Apostolicæ deputati, mittere cum eis, quandocumque voluerint, in iurisdictione Ciuitatis vel loci ac eius districtu. Qui Assessor secundùm quod prædictis Inquisitoribus seu Inquisitori visum fuerit, ibi tres aut plures boni testimonij viros, vel totam viciniam (si eis videbitur) iurare compellat, quod si quos ibidem hæreticos sciuerint, vel bona eorum, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, vel credentes, aut defensores seu receptatores vel fautores hæreticorum, eis dictis Inquisitoribus, siue Inquisitori studeant indicare.

LEX XXXI.

Magistratus seculares terram purgent ab hæretica fœditate.

§. 33. Ipsi autem Potestas, Consules siue Rector seu quiuis alij regimini Præsidentes, purgare teneantur ab hæretica fœditate Ciuitatem vel locum cui præfuerint, totamque terram vel districtum suæ ditionis, secundùm leges per quondam Fridericum, olim Romanorum Imperatorem, tunc in deuotione Romanæ Ecclesiæ persistentem Paduæ promulgatas contra hæreticam prauitatem, & earum tenores facere in suis annotare capitularibus, nullis inde temporibus abolendos.

LEX XXXII.

Cōdemnationum executio fieri debeat à Gubernatoribus locorum.

§. 34. Teneatur insuper Potestas seu quiuis Rector Ciuitatis vel loci, quocumque vocabulo nuncupetur, in destructione domorum & condemnationibus faciendis, & in rebus inuentis, vel occupatis consignandis, diuidendis, & de quibus superius dicitur, infrà viginti dies postquam accusatio siue denuntiatio facta fuerit, hæc omnia exequi cum effectu, & condemnationes omnes in pecunia numerata infrà tres menses exigere & diuidere illas sicut inferius continetur. Et eos qui soluere non potuerint, banno maleficij supponere, & donec soluant, in carcere detinere. Alioquin pro his omnibus & singulis syndicetur sicut inferius continetur.

LEX XXXIII.

Assessorque ad id Inquisitoribus detur.

§. 35. Insuper teneatur vnum de Assessoribus suis quemcumque Diœcesanus vel eius Vicarius, & dicti Inquisitores seu Inquisitor hæreticorum voluerint, ad hæc peragenda fideliter assignare, & mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportunum.

LEX XXXIV.

Pœna nullo modo relaxetur.

§. 36 Omnes autem condemnationes vel pœnæ, quæ occasione hæresis factæ fuerint, neque per concionem, neque ad vocem populi vllo modo aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari.

LEX XXXV.

Bona hæreticorum qualiter diuidantur.

§. 37. Teneatur insuper Potestas, Capitaneus, Consul, seu quiuis alius Rector, omnia bona hæreticorum & receptatorum eorum, quæ per dictos Officiales fuerint occupata, seu inuenta, & condemnationes pro his exactas; necnon & lignamina, lapides & tegulas domorum & murium, quæ occasione hæresis destruentur, & bona tam mobilia, quam immobilia, quæ eadem occasione confiscabuntur, diuidere tali modo. Vna pars deueniat in commune Ciuitatis seu loci. Secunda in fauorem & expeditionem officij detur Officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint. Tertia ponatur in aliquo tuto loco, secundùm quod dictis Diœcesano & Inquisitoribus vel Inquisitori videbitur, reseranda, & expendenda per consilium eorundem in fauorem fidei, & ad hæreticos extirpandos, non obstante huiusmodi diuisioni statuto aliquo condito vel condendo.

LEX XXXVI.

Bona hæreticorum confiscata vendantur & per quos.

§. 38. Teneatur præterea Potestas vel Rector Ciuitatis seu loci alterius, vendere bona fide, cum consilio & assensu Inquisitorum vel Inquisitoris, bona quæ confiscantur occasione hæreticæ prauitatis, infrà tres menses post confiscationem huiusmodi, quod si non fecerit, præmissas pœnas eo ipso incurrat. Et nihilominus Inquisitores vel Inquisitor liberè vendere illa valeat, inquisito consilio Diœcesani, vel eius Vicarij, si præsens non fuerit, & duorum Fratrum Prædicatorum & totidem Minorum Ordinum, quos Prior & Guardianus, si Conuentus ibidem fuerint eorundem Ordinum, ad hoc duxerint eligendos. Et emptores bonorum huiusmodi illa liberè ac licitè habeant & possideant, & verum ipsorum bonorum dominium, per emptorem huiusmodi transferatur ad ipsos.

LEX XXXVII.

Pœna non seruantiū hæc constitutiones.

§. 39. Si quis autem de cætero aliquod istorum statutorum seu constitutionum attentauerit delere, diminuere vel mutare, sine auctoritate Sedis Apostolicæ speciali, Potestas, Capitaneus, seu Consul vel alius quiuis Rector, qui pro tempore fuerit in illa Ciuitate vel loco, teneatur eum tanquam defensorem hæreticorum publicum & fautorem, secundum formam præscriptam perpetuò publicè infamare, atque punire in libris quinquaginta Prouenientium vel Imperialium, in pecunia numerata. Quam si exigere non poterit, eum maleficij banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi soluerit duplam dictæ pecuniæ quantitatem.

LEX XXXVIII.

Qui Magistratum init præcedentem Potestatem syndicet.

§. 40. Teneatur sanè Potestas siue Capitaneus, Consul seu quiuis Rector infrà duodecim dies sui regiminis syndicare præcedentem proximè Potestatem, Capitaneum, Consulem vel Rectorem, & eius etiam Assessores per tres viros Catholicos & fideles, quos infrà tres dies regiminis supradicti eligant vna cum Diœcesano Fratres, Prædicatores & Minores à suis Priore ac Guardiano pariter assignati, seu Inquisitores seu Inquisitor hæreticæ prauitatis de omnibus his, quæ in statutis istis, seu constitutionibus & legibus antedictis contra hæreticos & eorum complices editis continentur, & punire ipsos si excesserint in omnibus & singulis quæ omiserint, & cogere restituere de propria facultate, non obstante si per aliquam licentiam Consilij vel alterius cuiuslibet à syndicatione fuerint absoluti. Iurabunt autem prædicti tres viri bona fide syndicare præfatos de omnibus supradictis.

LEX XXXIX.

Statuta his constitutionibus aduersa deleantur.

§. 41. Cæterùm teneatur Potestas siue Capitaneus, Consul aut quiuis Rector cuiuslibet Ciuitatis vel loci, delere, seu abradere penitus de statutis & capitularibus communis, quodcumque statutum conditum, vel condendum inueniatur contradicere istis constitutionibus, seu statutis, & legibus memoratis, siue quomodolibet

obuiare. Et in principio, & in medio sui regiminis hæc statuta, seu constitutiones & leges ipsas in publica concione solemniter facere recitari, & etiam in aliis locis extra Ciuitatem suam seu locum, sicut Diœcesano, seu Inquisitosibus siue Inquisitori videbitur expedire.

LEX XL.

Hæ constitutiones publicè recitentur & in quatuor libris scribantur.

§. 42. Porró hæc omoia statuta, seu constitutiones & leges præfatæ, & si quæ aliæ contra hæreticos, & eorum complices rempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicæ conderentur, in quatuor voluminibus vnius debeant tenoris contineri, quorum vnum sit io statuto communis cuiuslibet Ciuitatis seu loci, secuodum apud Diœcesanum, tertium apud Fratres Prædicatores, quartum apud Fratres Minores cum omni sinceritate seruentur, ne possint per falsarios in aliquo violari.

D P. A 1. die 3. Nouemb.

Datum Perusij, 3. Non. Nouembs. Pontifi. nostri anno primo.

XIV. Contra Christianos ad Iudæorum ritom transeunses, ac Iudæos conuersos ad illum redeuntes, aut Christianos ad eundem trahentes.

Hoc idem statuit postea Greg. X. infr. in const. 3. Turbato corde, & Clem. IV. hic sup. in constit. 6. Ad extirpanda. Et Nicol. IV. constit. 1. Turbato hic infr. & notaui aliam non absimilem const. edidisse Greg. XI. contra similes Christianos & Saracenos.

Edita An. D. 1267.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis, Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, auctoritate Sedis Apostolicæ deputatis, aut in posterum deputandis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quidã Christiani ad ritũ Iudæorum, & quidam Iudæi conuersi ad Iudaismum redierunt.

§. 1. TVrbato corde audiuimus & narramus, quod quamplurimi reprobi Christiani, veritatem Catholicæ Fidei abnegantes, se ad ritum Iudæorum damnabiliter transtulerunt. Qoòd tanto magis reprobum fore dignoscitur, quanto ex hoc Christi nomen sanctissimum, quadam familiari hostilitate, securius blasphematur.

Contra eos Papa ab Inquisitoribus procedi, vt contra hæreticos, iubet.

§. 2. Cum autem hoic pesti damnabili, quæ vt accepimus, non sine subuersione prædictæ fidei, nimis excreuit, congruis, & festiuis deceat remediis obuiari, Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos auctoritate Sedis Apostolicæ designatos, super præmissis, tam per Christianos, quam etiam per Iudæos, inquisita diligenter & fideliter veritate, contra Christianos, quos talia inueneritis commisisse, tanquam contra hæreticos procedatis.

Iudæos autem ad eorum ritum Christianos trahentes mandat puniri.

§. 3. Iudæos autem, qui Christianos vtriusque sexus ad eorum ritum execrabilem hactenus induxere, aut inueneritis de cætero inducentes, pœna debita puniatis. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

D P. Ann. 2. die 26. Iulij.

Datum Viterbij, 7. Kalendas Augusti. Pontific. nostri anno 3.

GREGORIVS DECIMVS PONT. CLXXXVI.
ANNO DOMINI MCCLXXI.



GRegorius X. ex Ciuitate Placentiæ, Theobaldus Vicecomes, anteà vocatus, Archidiaconus Leodiensis, creatus Viterbij Kalend. Septembr. anno 1271. Coronatus Romæ 1272. 6. Kal. Aprilis. Sedit in Petri Cathedra annos 4. menses 4. dies decem. Creauit Card. 7. Obiit 3. Idus Ianuarij, Anno Domini 1276. Vacauit Sedes dies 8.

Indictio Sacri, & Oecumenici 14. Concilij Lugdunensis secundi, pro die 1. Maij 1274. L'

Edita An. D. 1272.

GREGORIVS EPISCOPVS, &c. Venerabilibus fratribus Patriarchæ Hierosolymitano, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus Decanis, Archidiaconis, Præpositis, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Hierosolymitan. Prouinciam constitutis. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Quæritur hic Pontif. quod Græci à deuotione & obedientia Romana Ecclesia se subtraxerint.

Quid postea in hoc euenerit, vide in sub seq. const.

§. 1. ALVATOR noster in cuius ditione cuncta sunt posita, Ciuitatem Hierusalem videns, & præuidens tuituram, fleuisse describitur super eam. Et nos itaque qui Ciuitatis veri Dauid, Religionis videlicet Christianæ, circa cuius regimen non in sufficientia nostræ debilitatis sicut nec debemus, innitimor, sed de sola superabundantia virtutis diuinæ speramus, non solùm scissuras, iuxta Prophetæ vaticinium multiplicatas aperte vidimus, sed & ruinæ magnæ periculum in subtractione Populi Græcorum qui à Sedis Apostolicæ deuotione ac obedientia se subtraxit, in occupatione maxima, & vastatione valida Terræ Sanctæ, in subuersione morum, quæ vniuersaliter in Clero grauiter obrepsisse videtur, & populo, iam non tam cernimus, quàm palpamus; num possumus non lugere? num comprimere lachrymas? continere suspiria? vel cohibere singultus? Profectò cum tanta subsit plangendi ratio, planctum declinare non possumus; sed necesse est iam foras exeat, ab olim dum etiam non maior status haberet, tanto altius radicatus introrsum, tantoque diuturnitate factus acerbior, quanto facultate vitante diutiùs non est efficaciter exire permissus. Exeat igitur, exeat ad fratres, & filios, vt, scientes incommodum, ipsumque prudentius æstimantes, cooperationis remedio efficacius pro viribus releuent, & planctum piæ compassionis officio dulcius

conso

consolentur. Quis ergo dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lachrymarum, vt sic populi nostræ humilitati commissi spiritualiter & temporaliter interfectos, diebus & noctibus lugeamus? quod culparum sordes, quibus iram meruisse creditur diluamus? Lugendum siquidem occurrit, quod per subtractionem prædictam à Sedis eiusdem vnitate subtractos, & in deuio positos grandis culpæ mors afficit, quod sanctæ vniuersalis corpus Ecclesiæ membra, tam nobile eadem grauis admodum, & dispendiosa subtractio, tanto tempore mutilauit. Lugendum, & iterum ac amarè dolendum, quod sicut in partibus transmarinis non tantum audiuimus, sed & oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectauerunt (proh dolor) detestabilius solito blasphematur in gentibus nomen Christi, cum iam non tam verbis quàm rebus ipsis, & factis Christianus Insultetur ab Infidelibus, & dicatur vbi est Deus eorum? Dum funiculum hæreditatis Domini eadem Terra Sancta per nefandissimos Saracenos sic audacter inuaditur, sic secura occupatur audacia, sic vastatur intrepide, sic eisdem partibus Christianus populus immaniter trucidatur; quasi non sit illius adiutor, nec sit qui misereri possit ipsorum. Lugendum, & amplius pariter, & horrendum, quod cum ille Paterfamilias diligens, qui horis diei variis operarios suam misit in vineam, ille summus agricola sator bonorum omnium, & plantator, agrum mundi huius diligenter excolens in eo seminauerit semen bonum, inimicus homo tanta inuenitur in ipso superseminasse vitiorum zizania & errorũ, vt ca deflere magis liceat, quàm narrare. Idemque ager quotidie potius arescere videatur ad ignem, quàm albescere inueniatur ad messem. Hęc dum ministerio considerationis debitæ mentis nostræ præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina releuanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur.

Indicit propterea Concilium generale Lugdunense.

§. 2. Ad quod cum nos sufficere non posse sciamus, leuamus oculos nostros ad montem, mõtem quidem Dei, montem vberem; montem pinguem, vnde opportunum nobis prouenire auxilium, & humiliter petimus, & deuore speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium, interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris, aliisque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, provt tantæ necessitatis instantia exigebar, de ipsorum consilio generale Concilium, sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longæque obseruationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decreuimus congregandum, vt in eo tam circa præmissa, quam circa cætera, quæ salutem respiciunt animarum, illa Deo auspice communi consilio inueniatur prouisio, & eiusdem approbatione Concilij roboretur, per cuius salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, reducti errantibus, redintegrata eiusdem fidei vnitate, sedatis discordiis, pace firmata, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solidis munimentis instructa, recuperatis deperditis, & eiusdem Terræ Sanctæ statu prospero reparato, huiusmodi scissuras vniat, ruinas impleat, occupata restituat, vastata restauret, restituta, & restaurata conseruet, nobisque viam aperiat idem ipse, qui nouit, & facultatem tribuat ipse qui potest, vt vitiorum errorumque zizaniis ad comburendum fasciculo alligatis, ad triticum in eius horreum congregandum, sic in præmissis iuxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare, possimus vtiliter, quod idem verus eiusdem vniuersalis sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam, expeditam rugis, purgatam maculis, munitam virtutum monilibus, ac ornatam, vnam semper habeat, & formosam, ad sui nominis laudem, & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei pacem & exaltationem populi Christiani.

Pro prima die May 1274.

§. 3. Quia verò prosecutio tanti propositi tempore indiget, vt deductum maturius, ac felicius, auctore Domino, effectum debitum sortiatur, biennium, numerandum ab initio instantis Maij, ad id duximus deputandum: deputatum præterea interim aliquos viros tanto ministerio competentes, ad prædicandum in Terræ præfatæ suffragium salutiferum verbum Crucis, per quod corda Principum, Prælatorum, cæterorúmque fidelium inducantur ad subsidium eidem Terræ, provt ipsius exposcit extrema necessitas, impendendum.

Prælatos ad illud conuocat.

§. 4. Quocirca Vniuersitati vestræ, per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis provt talis, & tanti negotij qualitas exigit, dispositis, & paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quod Kalendis Maij, anni ab Incarnatione Domini, millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, quas vobis, & aliis pro termino assignamus, in loco, quẽ licet ad præsens subticeamus ex causa, competenti tamen tempore vobis curabimus intimare, nostro vos conspectui præsentetis, ad subuentionem necessariam Terræ prædictæ, solers & operosum interim studium impensuri, prosequendo fauorabiliter, & fideliter adiuuando illos, quos ad huiusmodi prosequendum negotium duximus deputandos. Volumus autem, quod in vestra Prouincia ex vobis fratres Episcopi, vnus, vel duo remaneant ad ea, quæ officium Episcopale requirunt inibi exercenda, & tam ille, vel illi, quos propterea contigerit remanere, quàm alij, quos ad idem venire Concilium præpeditio forsan Canonica prohibebit, Capitula insuper Ecclesiarum omnium eiusdem Prouinciæ tam Cathedralium, quàm etiam aliarum, quibus per vos fratres Patriarcha, & præfati Episcopi ex parte nostra volumus id mandari, cum in eodem Concilio tractanda sint aliqua, quæ pertinebunt ad ipsos, ad idem Concilium viros idoneos pro se mittant.

Quibuscumque non obstantibus ept venire præcipit.

§. 5. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, seu indultis quibuscumque personis, ordini, vel dignitati seu Collegio sub quacumque verborum forma, vel expressione, à prædicta Sede concessis, per quæ possit effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari, circa personarum, & euectionum numerum, moderamine, quod alias statuit Lateranen. Concilium taliter obseruato, vt nemini liceat illud excedere, sed omnibus provt libet arctare. Nullus pomposus, aut inanis gloriæ quæsitor, sed quilibet sic veræ humilitatis cultor appareat, quod & Ecclesiæ sibi commissæ nequaquam onerosus existat.

Et interim quæ reformatione necessaria videntur, eos præparare iubet.

§. 6. Interim quoque per vos, & alios prudentes viros Deum timentes, & habentes præ oculis, omnia quæ correctionis, & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius Concilij notitiam deferatis. Et nos nihilominus variis modis, & viis solers studium, & efficacem operam dare proponimus; vt omnia talia in examen eiusdem deducta Concilij correctionem, & directionem recipiant opportunam.

Excusationum prætextum refellit.

§. 7. Nullus ergo inobedientiæ notam, & Canonicæ vltionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, quæ, Domino praua in directa, & aspera in vias planas sua omnipotentia conuertente, cessauerunt, friuolæ allegationis munimenta confingat, vt à tam sancti persecutione operis se subducat, sed occurrant singuli voluntarij ad id, quod & diuinæ congruit voluntati, & salutem animarum, ac vtilitatem respicit singulorum.

Dat. Laterani, Kal. Aprilis, Pontific nostri anno 1. *D. P. Ann. Te die 1. Aprilis*

De reditu Michaëlis Palæologi Græcorũ Imperatoris ad obedientiam Romani Pontificis, & vnione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. II.

At Imperator iste à fide non multo postea aberrauit, idemque à Mart. IV. damnatus & excommunicatus fuit, vt inf. in eius const. 1. Michaelem.

Ecclesia autem Græca cum Latina iterum se vniuit, vt videre est infrà in const. 17. Eugen. IV. Lætentur.

GREGORIVS PAPA X. Charissimo in Christo filio Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illustri, Salutem & Apostolicam bened. *Edita An. D. 1274.*

Exultat hic Pont. ob red-

§. 1. EXultat mater Ecclesia renascentis prolis fœcunditate iocũda. Exultat & iubilat gaudẽter, attendens

Concil. Lugd. de reditu Michaelis Palaeologi Graecorum Imperatoris ad unitatem S. R. E.

dens se drachmam deperditam inuenisse, immensæ lætitiæ tota perfunditur, dum ruinas, quas in ea schisma multiplicarat antiquum, impleri per tuum, aliorumque reditum ad ipsius Ecclesiæ vnitatem, sine stragis cuiusque periculo, solo pacis auctore præuio Intuetur. Exultamus & Nos pastoris prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus proculdubio in illo vero Pastore, qui animam suam pro ouibus suis ponere non expauit. Ipsi vitulum labiorum exoluimus, de cuius non est dubium munere processisse, vt ouis quæ perierat sit inuenta; & reuixerit filius, quem mors animæ, mors vtique grauior occuparet. Occurrentes itaque tibi de regione dissimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te solidæ charitatis osculo pressius osculamur. O vtinam tibi fili pateret ad plenum cum quanto, in his occurrit tripudio eadem Ecclesia nuper in Lugdunen. Concilio congregata. O si voces psallentium inibi, Deumque flexis genibus, & nudatis capitibus laudantium, præcipue Prælatorum in tuis sonuissent auribus, & reuelata facie ipsorum oculos deducentes, quasi aquarum exitus inspexisses; profecto prudenter aduerteres, quod erant eorum lachrymæ, iam excussi doloris indices, quàm adeptæ lætitiæ proditrices. Nec minus intelligeres, quam grati tui aduenerint Nuntij, quam fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam iubilo tua professio acceptata. Exulta igitur, & tu fili; exulta, & lætare in eo, qui est splendor lucis æternæ, diuinæ quædam emanatio claritatis: qui tuum sic animum suo lumine illustrauit, vt lumen veritatis intelligens, non solum redires ad illam, sed ad redeundum aliis dux, & præuius effici mèrereris. Exulta & gaude talem, ac tantum iam datum laboribus tuis effectum; vt & de tuo ad sinum vnitatis Ecclesiasticæ reditu, indubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum.

Hortatur eundem Imperatorem, ad totalem schismatis abolitionem.

§. 2. Persta ergo: & quod cœpisti, sollicite cum omni diligentia, & sollicitudine prosequaris, efficacem pro posse daturus operam, vt nec in aliquibus eiusdem schismatis reliquiæ qualescumque supersint. Dei quidem perfecta sunt opera, & tu creatura illius creatorem tuum in tam placito consummatione operis, pro viribus imitare; vt spei conceptæ de præmio res succedat, & præmissum debitum exhibitio regalis exoluat. Super his autem & aliis habitis circa præmissa processibus, præfati tuæ celsitudinis Nuntij, quorum tibi notior est virtus, & probitas, ad te plenius reuertuntur instructi; quibus te non dubitamus fidem indubitatam adhibere.

Dat. P. An. 3. die 28. Iulij.

Dat. Lugduni v. Kalen. Augusti, Anno tertio.

Sequitur alia Pontificis epistola ad Filium dicti Imperatoris.

Edita An. D. 1274.

GREGORIVS PAPA X.

Andronico Primogenito charissimi in Christo filij nostri Michaelis Palaeologi Imperatoris Graecorum Illustris. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Hortatur hic Pontif. filium d. Imp. vt studeat vnitati Ecclesiæ Græcæ cum Latina.

§. 1. HAbes fili, vnde Domino Deo tuo in vocem exultationis, & confessionis erumpas. Exultes in eo & fatearis humiliter tibi de immenso ipsius dono concessum, veræ fidei agnoscere veritatem; illam amplecti piis affectibus, & deuotis nobis missis affatibus confiteri. Hæc si corde contrito, & humiliato spiritu recognoscens, à cœptorum prosecutione sollicita non desistas, plura tibi salutaribus inhærenti studiis, procuidubio ipse bonorum omnium dator adiiciet, perfectæ tandem retributionis præmium largiturus. Ideoque magnitudinem tuam monemus, & hortamur in Domino IESV CHRISTO; quatenus in præmissis sic vt discrete scripsisti, tui genitoris inclyti laudabili proposito, nobis per eius & tuas expresso literas, constanter adhærens, totis viribus satagas, vt antiquari schismatis omnino aboleantur reliquiæ, sitque Latinorum & Græcorum voitas perpetuis temporibus inconcussa.

D P A 3. die 28. Iulij.

Datum Lugduni v. Kalendas Augusti, Anno tertio.

Subsequitur tenor literarum supradicti Michaëlis Imperatoris ad istum Pontificem.

Intitulatio.

SAnctissimo, & Beatissimo, primo & Summo Pontifici Apostolicæ Sedis venerabili Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & venerabili Patri Imperij nostri, Domino Gregorio, Michaël in Christo Deo fideliter Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & spiritualis filius magnæ Sanctitatis vestræ, conuenientem honorem & reuerentiam cum sincera, & pura affectione, & orationum postulatione.

Nomina Nuntiorum Sedis Apost. ad Imperatorem transmissorum.

Quoniam missi sunt à Magnitudine vestra ad Imperium meum Nuntij Deo placentes, Ordinis fratrum Minorum, Frater Hieronymus de Asculo, Frater Raymundus Berengarij, Frater Bonagratia de S. Ioanne in Persiceto, & Frater Bonauentura de Mugello, & obtulerunt literas magnæ Sanctitatis vestræ Imperio meo; in quibus inter alia de confessione fidei, quam docet, & prædicat, & confitetur Sancta Romana Ecclesia, continebatur, & oportebat, in his magis responsionem conuenientem nos facere, ecce hoc facit Imperium meum. Habet autem professio fidei in dictionibus taliter.

Tenor confessionis aut professionis Fidei prædicti Imperatoris.

Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coessentialem, & consubstantialem, coæternam, & coomnipotentem, vnius voluntatis, potestatis, & maiestatis, Creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quæ sunt in cœlo, & in terra, visibilia, inuisibilia, corporalia, & spiritualia. Credimus singulam quamque in Trinitate personam, vnum verum Deum, plenum, & perfectum. Credimus ipsum Filium Dei Verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine, cum anima rationali; duas habentem natiuitates, vnam ex Patre natiuitatem æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum, & hominem verum, proprium in vtraque natura, atque perfectum, non adoptiuum, nec phantasticum, sed vnum, & vnicum, Filium Dei, in duabus, & ex duabus naturis, diuina scilicet & humana, in vnius personæ singularitate, impassibilem & immortalem diuinitate, sed in humanitate pro nobis, & salute nostra passum vera carnis passione, mortuum, & sepultum, & descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse à mortuis vera carnis resurrectione: die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, & anima ascendisse in Cœlum, & sedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum iudicare viuos, & mortuos, & redditurum vnicuique secundum opera sua, siue bona fuerint, siue mala. Credimus & Spiritum Sanctum plenum, & perfectum verum Deum, ex Patre Filioque procedentem, coæqualem, & consubstantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri, & Filio. Credimus hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed vnicum Deum, omnipotentem, æternum, & inuisibilem, & incommutabilem. Credimus sanctam Catholicam, & Apostolicam vnam esse veram Ecclesiam, in qua vnum datur Sanctum baptisma, & vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis, quam nunc gestamus, & vitam æternam. Credimus etiam noui, & veteris testamenti, legis, ac Prophetarum, & Apostolorum vnum esse auctorem Deum ac Dominum. Hæc est vera fides Catholica, & hanc supradictis articulis tenet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, sed propter diuersos errores, à quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit, prædicat eos qui post Baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quòd si verè pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis eorum animas pœnis purgatoriis, hoc est catarteriis, sicut nobis Frater Ioannes explanauit, post mortem purgari, & ad pœnas

huius

huiusmodi releuandas prodesse eis fidelium viuorum, suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ, mox in Cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Eadem Sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit, & firmiter asseuerat, quod nihilominus in die Iudicij, omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam, & docet eadem Sancta Romana Ecclesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta, vnum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra; aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est Pœnitentiæ; aliud Eucharistiæ; aliud Sacramentum Ordinis; aliud est Matrimonium; aliud Extrema-vnctio, quæ secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens & docens, quod in ipso Sacramento panis vere transsubstantiatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI. De Matrimonio verò tenet, quod nec vnus vir plures vxores simul, nec vna mulier permittitur habere plures viros. Soluto verò legitimo matrimonio, per mortem coniugium alterius, secundas, & tertias deinde nuptias successiue licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa alia non obstat. Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum, & plenum primatum, & Principatum super vniuersam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, siue vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter cognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide suborræ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest grauatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare; & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subiectæ. Ipsarum Prælati obedientiam, & reuerentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales præcipue, diuersis priuilegiis eadem Romana Ecclesia honorauit, sua tamen obseruata prærogatiua, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salua. Suprascripta fidei veritate (prout plena lecta est, & fideliter exposita) veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem cognoscimus, & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod vere tenet, & fideliter docet, & prædicat Sancta Romana Ecclesia: inuiolabiliter obseruare eandem professionem, & in ea omni tempore perseuerare, nec vllo vnquam tempore ab ea discedere quoquo modo, aut deuiare, vel discordare promittimus, Primatum quoque eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut in præmissa serie continetur, ad ipsius Sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur, & recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus.

Supplicatio pro quadam permissione. Confitentes verò hæc, & approbantes, & acceptantes, & promittentes obseruare, vt superius dictum est, rogamus magnitudinem vestram, vt Ecclesia nostra dicat sanctum Symbolum, prout dicebat hoc ante schisma, vsque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus nostris, quibus vtebamur ante schisma; qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra diuina præcepta, nec contra vetus, & nouum testamentum, nec contra doctrinam sanctorum generalium Conciliorum, & sanctorum receptorum per sancta Concilia quæ celebrata sunt à spirituali dominatione Ecclesiæ Romanæ. Hoc igitur non graue est vestræ Sanctitati, nec inusitatum, & nobis tunc difficile propter infinitam multitudinem populi.

Commisimus autem super his præsentibus Nuntiis Imperij nostri, vt dicto per præsentes literas nostras magna Sanctitate vestra, Præsens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione, & professione, propria manu nostra Dei gratia Imperiali subscriptione signauimus, & sigillum nostræ potentiæ inferius appendi fecimus, &c. *Transmissio Nuntiorũ ad Romanũ Põt. pro prædictorum confessione firmanda.*

Contra Christianos ad ritum Iudæorum transeuntes, & Iudæos conuersos reiudæizantes, vel Christianos ad eorum ritum trahentes. III.

Eiusdem argumenti est const. Clem. 4. Turbato corde 14. hic sup.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, auctoritate Sedis Apostolicæ deputatis, & in posterum deputandis, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An.D. 1271.*

§. 1. TVrbato corde audiuimus, & narramus, quod non solum quidam de Iudaïcæ cæcitatis errore ad lumen fidei Christianæ conuersi, ad priorem reuersi esse perfidiam dignoscuntur, verum etiam quamplurimi Christiani, veritatem Catholicæ fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum Iudaïcum transtulerunt. Quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc Christi nomen Sanctissimum quadam familiari hostilitate securius blasphematur. *Quidã Christiani ad ritũ Iudæorum & Iudæi conuersi ad illum redierunt.*

§. 2. Cum autem huic pesti damnabili congruis & festinis remediis deceat obuiari, Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos ad inquirendum contra hæreticos auctoritate Sedis Apostolicæ designatos, super præmissis, tam per Christianos, quam etiam per Iudæos, inquisita diligenter, & sollicitè veritate, contra eos, quos talia inueneritis hactenus commisisse, ac committere etiam in futurum, tanquam contra hæreticos, contra fautores quoque, receptatores & defensores eorum, procedere studeatis. *Contra eos tanquam hæreticos hic Põt. ab Inquisitoribus procedi iubet.*

§. 3. Iudæos autem, qui Christianos vtriusque sexus ad eorum ritum execrabile induxerint, aut inueneritis de cætero inducentes, pœna debita puniatis. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. *Iudæosque Christianos ad eorum ritum trahẽtes, coërceri mandat.*

Datum Lugduni, Kalendis Martij, Pontificatus nostri Anno secundo. *Dat. P. An. 2. die 1. Martij.*

INNOCENTIVS V. PONT. CLXXXVII.
ANNO DOMINI MCCLXXVI.



INnocentius V. Gallus, Prouincia Burgundus, Magister F. Petrus Tarentasiensis Ordinis Prædicatorum, Episcopus Card. Ostiensis, & Veliternus, S.R.E. Maior Pœnitentiarius, Creatus Arretius, 13. Kal. Februarij, anno Domini 1276. Sedit in Sede Pontificia menses quinque, dies duos. Non creauit Cardinales. Obiit Romæ in Patriarchio Lateranensi, anno Domini 1276. 10. Kal. Iulij, & sepultus in Basilica Lateranensi. Vacauit Sedes dies 19.

IOANNES XX. DICT. XXI. PONT. CLXXXIX.
ANNO DOMINI MCCLXXVI.



IOannes XX. dictus XXI. Hispanus, Prouincia Lusitanus, Patria Olysiponensis, Iuliani filius, M. Ioannes Petrus anteà dictus, Episcopus Cardinalis Tusculanus, Creatus Viterbij, Idibus Septembr. anno Domini 1276. Coronatus, eodem anno 12. Kalend. Octobris Viterbij in Cathedrali S. Laurentij. Sedit menses octo, dies octo. Obiit Viterbij 13. Kal. Iunij, anno 1277. & ibid. in Cathedrali S. Laurentij sepultus. Vacauit sedes menses 6. dies 4.

HADRIANVS QVARTVS PONT. CLXXXVIII.
ANNO DOMINI MCCLXXVI.



HAdrianus V. Prouincia Ligur, Patria Genuensis, Othobonus Fiscus anteà vocatus ex Lauaniæ Comitibus, Diaconus Cardinalis S. Hadriani. Romæ Pontifex renunciatus in Palatio Lateranensi 4. Idûs Iulij, anno Domini 1276. Sedit in Petri Cathedra mensem vnum, dies septem. Non creauit Cardinales. Obiit Viterbij 12. Kalend. Septembr. anno Domini 1276. Sepultus ibidem ad Minorem Ecclesiam S. Francisci. Vacauit sedes dies 24.

NICOLAVS TERTIVS PONT. CXC.
ANNO DOMINI MCCLXXVII.



NIcolaus Tertius Vrsinus, Romanus, Ioannes Vrsinus, anteà dictus, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, Creatus Viterbij. 7. Kal. Decembris, anno Domini 1277. Coronatus 7. Kal. Ianuarij, eodem anno in Basilica Vaticana. Sedit in Sede Pontificia annos 2. menses 8. dies 29. Creauit Cardinales 9. Obiit in Zuriano Monte, anno 1280. 11. Kal. Septembr. Corpus Romam delatum, in Sacello S. Nicolai ædis Vatic. sepultum est. Vacauit sedes menses 6.

De

I. De prædicatione verbi Dei, pro conuersione Hebræorum.

Hanc prædicationem in Vrbe innouauit Greg. XIII. vt in eius const. 92. Sancta. Et de materia Hebræorum vide inf. in constit. 3. Pauli IV. Cum nimis: vbi notaba.

Edita An. D. 1278.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Priori prouinciali Fratrum Prædicatorum Ordinis in Lombardia, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Innumera Dei beneficia erga Hebræos.

VINEAM Soreth velut electam plantauit dextera Dei Patris, & omne semen verum seminauit in ipsa, angelica custodia sepiuit illam, lapides noxios abiecit ex ea; Hanc de Ægypto in luto & latere, sub iugo Pharaonis oppressam, in signis & prodigiis transferens, donec itineris eius existens in terram promissionis adduxit. Vinea enim Domini exercituum domus Israël est, viri Iuda delectabile germen eius. Hanc sic mire translatam, quasi adhuc rudem campum vomere legali proscindens, prophetali doctrina sulcauit, vt & ipsam ad maturam frugē, idest, ad regenerationis gratiam præpararet.

Excæcata tamen semper fuit eorum duritiès.

§. 1. Sed, proh dolor! peccatorum spinis obsita, nullum imbrem gratiæ spiritualis excipiens, quæ sperabatur vt vuas educeret, labruscas eduxit: vnde sperabatur iudicium, processit iniquitas: vnde iustitia, inde clamor. Hæc est vinea in qua fici arbor, scilicet synagoga Iudæorum plantata, Euangelica veritate describitur? cuius plantator CHRISTVS, cœtus Apostolicus cultor existit. Hæc triplici tempore, quasi tribus annis, vt fructum produceret expectata, infructuosa reperta, cultori succidenda prædicitur. Nam nec tempore circumcisionis ad perfectum deducta est, quia circumcisionem animæ non quærebat: nec sanctificata per legem, quia per eam tantum carnalia sequebatur: nec tandem iustificata per Euangelij gratiam, quia gratiam recipere noluit, quin potius latorem gratiæ iustum iniustè peremit, & quodammodo indurationem Pharaonis excedens, omne curantis & curæ refutauit antidotum; adeo vt nec verbis, nec signis, nec sacramentis, quinimo nec ipsius Christi, & Dei corporali præsentia molliretur. Multifarie enim multisque modis, olim Deus loquens antiquis ipsius synagogæ patribus in Prophetis, nouissimè in fine temporum locutus est ipsis & nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula, sed omnem escam abominata est anima eius: & idcirco iusto Dei iudicio reprobatam, exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Ablata est sepes eius, prosternata maceries, & in direptionem posita vt deserta, nec inuentus est in terris amplius locus eius. Verum quia miserationes Dei super omnia sua opera prædicantur, qui omnes saluos fieri, & neminem vult perire, qui seipsum pro nobis & ipsis hostiam salutis exhibuit Deo Patri, qui exaltatus à terra, expansis in cruce manibus, ad se cuncta trahere Euangelica voce prædixit.

Iussu Papæ prædicādū eis verbum Dei, vt conuertātur.

§. 2. Nos, licet immeriti, vicem eius tenentes in terris, qui etiam Iudaïcam perfidiam, sua misericordia non repellit; libenter pro illius populi obcæcatione labores appetimus, vt affectum nostrum diuina prosequente clementia, cognita veritatis luce, quæ CHRISTVS est, à suis tenebris seruantur. Porro quia Iudæorum ipsorum, quasi per vniuersum Mundum, diuino iudicio, præuisa dispersio, ipsos ad recipiendum sacramenta fidei, ac doctrinam commodè in vnum conuenire non patitur, necessitate nos voluntarios vrgente compellimur, per diuersas Mundi partes, diuersos seminatores eligere, per quos semen verbi Dei, prout possibile est, spargamus in singulos, quorum salutem vniuersaliter, & singulariter affectamus. Ad te igitur inter alios sub spe diuinæ gratiæ mentis nostræ oculos conuertentes, cum tui Ordinis claritate reluceas, & credaris vbilibet per opera vtilia, & exempla laudabilia fructuosus, & ex data tibi diuinitus gratia scire te confidamus, & posse, & fructus vberes in domo Domini germinare, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus confidens in illo, cui proprium est spirituales gratias elargiri, tales vmbrarum tenebris obcæcatos, in commissa tibi prouincia, per te ac alios fratres tui Ordinis, quos ad hoc honestate motum, experta scientia, probitatis virtutibus, circumspectione prouida, & experientia comprobata idoneos esse cognoueris, & quorum industria atque doctrina diuinis donis à Domino fœcundata intrepidè pro Catholica fide reluceat, & sui claritate non titubet, sed tenebrosas mentes radiorum repercussione clarificet, & obstinatas ceruices reprimat peruersorum, Iudæos eosdem in terris & locis, in quibus habitant, generaliter & singulariter conuocando, semel & pluries, ac toties repetitis instantiis, quoties proficere posse putaueris, prout melius fieri poterit, prædicationibus, salutaribus monitis, & discretis inductionibus, Euangelicis doctrinis informans ipsos studeas iuxta datam tibi à Domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam reducere claritatis, vt renati fonte baptismatis, reluceant in lumine vultus CHRISTI, & exinde Chorus angelicus delectetur. Tu quoque ac alij, quos ad persecutionem tanti negotij duxeris eligendus, perennis boni præmium, nostramque benedictionem & gratiam, vobis de bono in melius vendicetis.

Conuersi Prælatis & alijs commendantur, vt humanissime tractentur.

§. 3. Et vt affectum, quem ad salutem status ipsorum gerit mater Ecclesia, percipiant per effectum, tu illos ex eis, quos ad susceptionem sacri baptismatis gratia diuina perduxerit, Prælatis ac Dominis locorum in quibus tales habitare contigerit, ex parte nostra affectuosissimè recommendes, vt Deo gratias in recuperata ove deperdita, & filio prodigo redeunti, vitulum exultationis & gaudij exhibentes, eos charitatiuè foueant, fauoribus muniant, benignè pertractent, nec ipsos in personis, aut rebus, per Iudæos, vel alios indebite molestari permittant, quin potius in omnibus fauorabiliter ipsis assistant auxilijs opportunis.

Conuentū nolentes Papæ nuncientur.

§. 4. Sed si fortè (quod absit) aliqui ex ipsis, in eorum obstinata perfidia perdurantes, & velut aspis surda suas aures incredulas obturantes, ne tui & illorum, quos ad hæc salutis opera deputabis, vocem audiant, vt de tenebris ad lucem exeant, incantantium sapienter tuas, & per te ad hæc deputandorum fratrum salutares conuocationes, aspernantes refugerent, de istis (si tales inueneris) qui sunt, in quibus locis, & sub quorum dominio commorentur, nobis rescribere non omittas, vt circa pertinaces huiusmodi, de salutari eorum remedio, sicut expedire videbimus, cogitemus. Vt autem de præmissis auidis nostris conceptibus, iuxta nostra desideria satisfiat, frequenter nobis intimare studeas, qualiter commissum tibi negotium prosperetur, & qualem fructum seminata repromittant.

Dat. Viterbij, 2. Nonas Aug. Pont. nostri Anno. 1.

Dat. f. A. 1. die 4. Aug.

Excommunicationis, & aliarum pœnarum promulgatio in Catharos, Patarenos, aliosque hæreticos, ipsorumque filios, complices, & fautores. II.

Alias pœnas contra eosdem sancitas, vide inf. in Paul. IV. const. 19. Cum ex, in aliis Bullis in die Cœna Domini à Romanis Pont. edi solitis, quarū aliquas in hoc opere posui, quas tibi indicauera in Paul. V. cōst. 63. Pastoralis. Vnde intelligas, aliqua pro temporū cōditione à Pontificibus immutata.

Vltimum exemplar Bullæ in die Cœnæ Domini vide in S.D.N. Vrb. VIII. const. 62. Pastoralis inf. tom. 4.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, Salutem, & Apost. benedictionem.

Edita An. D. 1280.

Excommunicatio hæreticorum.

NOuerit vniuersitas vestra, quod nos excōmunicamus & anathematizamus vniuersos hæreticos Catharos,

tos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosephinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in id ipsum.

Ipsorum & aliorum pœna. §. 1. Damnati verò per Ecclesiam sæculari iudicio relinquantur, animaduersione debita puniendi. Clericis prius à suis ordinibus degradatis.

§. 2. Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.

§. 3. Credentes autem eorum erroribus, similiter hæreticos iudicamus.

§. 4. Item receptatores, defensores, & fautores, & hæreticorum excommunicationis sententię decernimus subiacere. Statuentes, vt, si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis.

§. 5. Nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos alios ad huiusmodi.

§. 6. Nec ad testimonium admittatur.

§. 7. Sit etiam intestabilis, nec testamenti habeat factionem.

§. 8. Nec ad hæreditatis successionem accedat.

§. 9. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur.

§. 10. Quòd si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem: nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur.

§. 11. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur.

§. 12. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato, damnentur, & in similibus idem præcipimus obseruari.

§. 13. Si verò Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur.

§. 14. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur, alias animaduersione debita puniendi.

§. 15. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quòd si per annum in excommunicatione perstiterint, tunc velut hæretici condemnentur.

§. 16. Item proclamationes aut appellationes huiusmodi personarum minimè audiantur.

§. 17. Item Iudices, Aduocati, & Notarij, nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint priuati.

§. 18. Item Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica sacramenta; nec eleemosynas aut oblationes eorum recipiant: similiter hospitalarij, aut contemplarij, aut quilibet regulares, alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuo careat sepultura.

§. 19. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè vel priuatim de fide Catholica disputare, qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

§. 20. Item si quis hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alij per quem credat ad Prælati sui, & Inquisitorum hæreticæ prauitatis notitiam peruenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur.

§. 21. Hæretici autem & receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filij vsque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum seu officium admittantur, quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim prædictos ex nunc priuamus beneficiis acquisitis, volentes vt tales & habitus perpetuo careant, & ad alia similia nequaquam in posterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem nullius esse momenti, volumus quantum parentes post emancipationem huiusmodi, ad inuium superstitionis hæreticæ, à via declinasse constiterit veritatis.

Dat. apud Vrbem Veterem, 5. Non. Martij, Pont. nostri Anno 3. *D. P. A. 3. die 3 Martij.*

MARTINVS II. DICTVS IV. PONT. CXCI.

ANNO DOMINI MCCLXXXI.



MArtinus II. dictus IV. ex oppido Briæ, Campanus Gallus Senonen. diœcesis, Simon antea dictus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ. Creatus Viterbij, Anno Domini 1281. 8. Kal. Mar. Coronatus apud Vrbem Veterem, 10. Kal. Aprilis eodem anno. Sedit in Romana Sede annos 4. menses 1. dies 7. Creauit Cardinales septem. Obiit Perusij, 4. Kal. Aprilis anno 1285. in Cathedrali S. Laurentij Ecclesia sepultus. Vacauit Sedes dies 4.

Damnatio & excommunicatio Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris ab Ecclesia Romana dissidentis. I.

Dudum quoque hic idem Imperator dissidebat, sed tempore Concilij Lugdunensis ad obedientiam Greg. X. redierat, vt sup. in illius const. 2. Exultat. Ecclesia etiam Græca, à Latina dissentiens, concordata fuit tempore Eug. IV. in Concilio Florentino, vt in dicti Eug. const. 17. lætentur.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum. *Edita An. D. 1281.*

§. 1. MIchaelem Palæologum, qui Græcorum Imperator nominatur, tanquam eorundem Græcorum antiquorum schismaticorum, & in antiquo schismaticorum, & in antiquo schismate constitutorum, & per hoc hæreticorum, necnon & hæresis ipsorum, ac schismatis antiqui fautorem, de fratrum nostrorum consilio denuntiamus præsente fidelium multitudine copiosa, *Excommunicatio Imperatoris.*

excom

excommunicationis sententiam latam à canone incurrisse, ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum.

Prohibitio et quomodolibet fauendum. §. 2. Cæterum vniuersis, & singulis Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & cæteris omnibus cuiuscumque sint præeminentiæ, conditionis aut status, necnon vniuersitatibus ciuitatum, castrorum, & aliorum locorum, districtius inhibemus, ne cum eodem Michaële Palæologo in huiusmodi excommunicatione manente, societatem vel confœderationem aliquam contrahere, sub quouis ingenio, vel machinatione præsumant, vel etiam ei alias in his pro quibus excommunicatus est denuntiatus à nobis, præstare consilium, auxilium, vel fauorem, publicum vel occultum.

Pœnarū promulgatio in contrauenientes. §. 3. Et si secus præsumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium facientes, non obstante qualibet indulgentia, sub quacumque forma verborum, vel expressione ipsis ab Apostolica Sede concessa, vel in posterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, volumus incurrere ipso facto. Terras autem ipsorum necnon vniuersitates prædictas, quæ secus attentare præsumpserint, prout expedire viderimus, Ecclesiastico subiicere curabimus interdicto, ad priuationem omnium bonorum, quæ à quibuslibet tenentur in Ecclesiis, & ad pœnas alias spirituales & temporales, prout vtile putabimus processuri, & nihilominus societates confœderationum ipsas, etiam si pœnarum & iuramenti adiectione, vel quacumque fuerint alia firmitate vallata, decernimus irritas, & inanes.

Iussio hanc sanctionē publicandi. §. 4. Vt autem huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas siue membranas processum continentes eundem, in maioris Vrbeuetanæ Ecclesiæ appendi, vel affigi ostiis, seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, ita quod idem Palæologus, & alij contra quos processus ipse contigit, nullam possint postmodum excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non peruenerit, vel quod ignorauerint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

D. P. A. 1. die 18. Nou. Actum apud Vrbem Veterem, in platea dictæ maioris Ecclesiæ, in festo Dedicationis Basilicæ Principis Apostol. Pont. nostri Anno primo.

HONORIVS QVARTVS PONT. CXCII.

ANNO DOMINI MCCLXXXV.



HOnorius Quartus Romanus, Iacobus Sabellus antea dictus, Patre Luca, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin, alias Schola Græca, Creatus Perusij 4. Non. Aprilis Anno Domini 1285. Coronatus Romæ die 2. Kal. Maij eodem anno, sedit annos duos, dies duos. Creauit Cardinalem vnum. Obiit Romæ anno 1287. 3. Nonas Aprilis, & ad S. Petrum sepultus est, postea ad Ecclesiam S. Mariæ in Ara Cœli translatus, & in Sacello maiorum suorum conditus. Vacauit sedes menses 10. dies 10.

Damnatio sectæ, sub nomine Ordinis Apostolorum, nulla habita Sedis Apostolicæ licentia, temere introductæ.

Consimiles literas edidit Nicol. IV. Pont. sui anno 3. sed his antiquioribus de more contentus, eas prætermisi.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Patribus, vniuersis patribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Cathedralium Ecclesiarum electis, & Vicariis earundem ad quos literæ istæ peruenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1285.*



OLIM fœl. recor. Papa Gregorius X. prædecessor noster, in Concilio Lugdonensi omnes religiones & Ordines Mendicantium, adinuentos post generale Lateranense Concilium, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subiecit: & quatenus processerant, reuocauit. *Gregorius X. vetuit nouū institui religiones vt c. 1. de Relig. domib. in 6.*

Quidam tamen religionē sub nomine Ordinis Apostolorū induxerunt multa mala patrantes. §. 1. Verum sicut ad nostri Apostolatus auditum, fama querula deferente, peruenit, quidam qui post generale, & ante Lugdunense prædicta concilia sub nomine Ordinis Apostolorum, habitum nouæ religionis assumpserunt, quanquam nullam aliquando confirmationem Sedis Apostolicæ meruissent, prohibitionis ac reuocationis prædictæ temerarij præsumptores, eundem habitum, seu ei consimilem sub eodem nomine vsque hodie deferentes, quamplures etiam alij, assumpto post dictum Lugdunense Concilium, huiuscemodi habitu, per diuersas Mundi partes mendicando discurrere non verentur, facientes ea quæ non condecent, in animarum suarum periculum, & graue scandalum plurimorum: præsertim cum nonnulli, prauitatis hæreticæ vitio, laborantes, sub huiusmodi habitu sint inuenti.

Hic ergo Pōt. eam damnat. §. 2. Nos igitur volentes, talium præuaricatorum insolentem audaciam refrænari, & prædictam, non tam religionem, quam perniciosam sectam penitus aboleri, ne forte fidelium simplices, falsa sanctitatis eorum imagine seducantur, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quoscumque de prædictis in vestris ciuitatibus & diœcesibus inuenire contigerit, eos ad deponendum huiusmodi habitum, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compellatis, monentes eosdem, vt si religiosam vitam ducere cupiunt, ad aliquam se transferant de religionibus approbatis. Quod si aliqui eorum censurā prædictam contempserint, vos contra ipsos ad pœnam carceris, seu aliam prout expedire videbitis, procedatis, inuocato aduersus eos, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Subueniri nemo eis prohibet. §. 3. Cæterum vt prædicti eo facilius à sua insolentia compescantur, quo magis à CHRISTI fidelibus abiici se viderint & contemni: Volumus nihilominus, quod huiusmodi processum nostrum, in vestrarum ciuitatum & diœcesum terminis, iteratis vicibus publicantes, ac facientes per aliquos publicari, eosdem populos auctoritate nostra moneatis, & inducatis attente, ne aliquem de prædictis præfatum habitum deferentibus, recipere præsumant in hospitio, vel eis aliquas eleemosynas largiantur nec ad deferendum habitum, seu ei consimilem, impendant consilium, auxilium, vel fauorem.

Dat. P. A. 1. die 11. Mar. Dat. Romæ apud S. Sabinam, 5. Id. Martij, Pont. nostri Anno 1. sub anno Dominicæ incarnationis 1285.

II. Quod filij & nepotes eius qui de hæresi inquisitus & absolutus fuit, ad officia & beneficia admitti possint.

Concordat. const. 12. Alex. IV. Quod super §. 12.

Edita An. D. 1286. *HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Fratri Galgano de Eugubio, Ordinis Fratrum Minorum Inquisitori hæreticæ prauitatis in Ducatu Spoletano, Salutem, & Apost. benedictionem.*

Romani Pont. frequenter inquisitorib. commiserunt hæreticos & fautores, eorumq; filios & nepotes beneficijs & officijs priuari: & Alex. IV declarauit id intelligi de filijs & nepotib. non conuersorum ut in eius bulla cit. in rub.

EXhibita nobis dilecti filij Archioni militis nati quondam Philippi dicti Palmerij militis Spoletani petitio continebat, quod olim significantibus fel. rec. Alexandro Papæ prædecessori nostro Inquisitoribus prauitatis hæreticæ per Italiam deputatis, quod frequenter à Sede Apostolica committebatur eisdem, vt tam hæreticos, credentes, fautores, & receptatores hæreticorum, quam ipsorum filios & nepotes priuandi dignitatibus, personatibus, & officiis publicis, & beneficiis ecclesiasticis, dicecesanorum, vel eis absentibus vicariorum suorum consilio haberent liberam potestatem: & qualiter hoc deberet intelligi postulantibus declarari, præfatus prædecessor eisdem Inquisitoribus per suas duxit literas respondendum, quòd de filiis & nepotibus illorum hæreticorum, credentium, & aliorum huiusmodi, qui modo tales esse probantur, intelligendum esse videbatur, non autem illorum quos emendatos esse constaret, ac pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam ipsi, vel iam perfecerant, vel humiliter prosecutioni eius instarent, vel parati fuerant dum viuerent, ad recipiendum eandem.

Quidam Philippus, inquisitus & emendatus fuit, & tamen Communitas Spoletana filios eius admittere ad officia Archionum & filium neque admittendos.

§. 2. Verum licet Inquisitor prauitatis huiusmodi, tunc in partibus illis per Sedem Apostolicam deputatos, memoratum Philippum qui sibi confessus extitit, quòd cuidam hæretico reuerentiam fecerat, quædam contra fidem proferendo Catholicam, priuauerit bonis suis, ac idem Philippus iniunctam sibi propter hoc ab eodem Inquisitore pœnitentiam perfecerit reuerenter, ac tandem sicut vere Catholicus receptis ecclesiasticis sacramentis viam fuerit vniuersæ carnis ingressus, & ab Inquisitore præfato etiam absolutus, tamen Potestas, Consilium & Commune Spoletanum dictum Archionum eiusque filios occasione præmissorum, ad officia ciuitatis Spoletanæ pro sua recusant admittere voluntate. Quare prælibatus Archionus nobis humiliter supplicauit, vt nos misericorditer attendentes, quòd idem Philippus sicut præmittitur, tanquã verè Catholicus & fidelis Ecclesiæ Romanæ decessit, eundem Archionum & filios eius decernimus, iuxta præmissum eiusdem prædecessoris responsum, in aliquo puniri occasione huiusmodi non debere: sed eos ad omnia sæcularia officia, & beneficia ecclesiastica, & dignitates, ac ad omnes ordines, impedimento huiusmodi non obstante, potius admittendos.

Hic tamen Pont. iubet eos admitti comperto esse fideles.

§. 3. Quia igitur de facto huiusmodi & eius circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem: Nos gerentes de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, præsentium tibi auctoritate committimus & mandamus, vt si diligenti inquisitione præmissa, prædicta inueneris veritate fulciri, & tibi etiam constiterit, quòd præfati Archionus & filij non sint de hæretica prauitate suspecti & in fidelitate ac deuotione Ecclesiæ supradictæ persistant (super quibus omnibus tuam intendimus conscientiam onerare) auctoritate nostra denunties, & declares, quod propter præmissa, vel eorum occasione nihil eis possit obiici, vel opponi, quin ad omnia sæcularia officia, & beneficia ecclesiastica, etiamsi dignitates existant, illis non obstantibus, assumi libere valeant: & hi qui liberati esse noscuntur, ad omnes ordines promoueri, prout secundum Deum, & honorem Catholicæ fidei videris expedire. Quicquid autem super his inueneris, & duxeris faciendum, nobis per tuas patentes literas harum seriem continentes fideliter studeas intimare.

Dat. V. An. 2. die 27 ... Dat. Romæ, apud S. Sabinam, 5. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

NICOLAVS IV. PONT. CXCIII.
ANNO DOMINI MCCLXXXVIII.



NIcolaos IV. Asculanus, humili genere in Picentibus ortus, Ft. Hieronymus Asculanus antea dictus, Episcopus Prænestinus, Creatus 8. Kal. Martij, Anno Domini 1288. Coronatus 6. Kal. Martij, eodem anno. Sedit annos 4. mensem vnum, dies quatuordecim. Creauit Cardinales 8. Obiit Romæ pridie Nonas Aprilis 1292. & in Ecclesia S. Mariæ Maioris sepultus. Vacauit Romana Sedes annos duos, menses tres, dies duos.

Quod Christiani ad Iudæorum ritum transeuntes, ipsiq; Iudæi ad Christianam fidem conuersi, ad illum redeuntes, ab Inquisitoribus vti hæretici, eorumque auxiliatores puniantur: Iudæi vero, Christianos ad eorum ritum trahentes, pœna debita compescantur. I.

Eiusdem argumenti constitutiones ediderunt Clemens IV. Const. 13. & const. 14. Greg. X. hic sup. Const. 3. Turbato quas declarauit Bonifac. VIII. in cap. Contra de Haret. in 6. Prout aliam similem legem statuit contra huiusmodi Christianos, & Saracenos Gregorius XI. in eius constit. 2. Admodum.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, auctoritate Sedis Apostolicæ deputatis, & in posterum deputandis, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1288.*

TVRBATO corde audiuimus, & narramus, quòd non solum quidam de Iudaicæ cæcitatis errore ad lumen fidei Christianæ conuersi, ad priorem reuersi esse perfidiam dignoscuntur; verumetiam quamplurimi Christiani, veritatem Catholicæ fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum Iudaicum transtulerunt, quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc CHRISTI nomen sanctissimum, quadam familiari hostilitate, securius blasphematur. *Causa huius constitutionis.*

§. 1. Cum autem huic pesti damnabili, congruis & festinis deceat remediis obuiare, vniuersitati vestræ per *Sanctio cōtra Christianos.*

Apostolica

ad ritum Iudæorum transeuntes & Iudæos conuersos ad illum reducentes. Apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos, auctoritate Sedis Apost. designatos, super præmissis, tam per Christianos quam etiam per Iudæos, inquisita diligenter & sollicitè veritate, contra omnes quos talia inueneritis hactenus commisisse, aut committere in futurum, tanquam contra hæreticos; contra fautores quoque, receptatores, & defensores eorum, procedere studeatis.

Sanctio contra Iudæos ad eorum ritum Christianos inducentes. §. 2. Iudæos autem, qui Christianos vtriusque sexus, ad eorum ritum execrabilem induxerint, aut inueneritis de cætero inducentes, pœna debita puniatis: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo: inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

** alias Reate D. P. A. 1. die 5. Sept.* Dat. Romæ * Nonis Septemb. Pontificatus nostri anno primo.

II. Approbatio Tertiæ Regulæ Fratrum & Sororum Tertij Ordinis à B. Francisco institutæ, pro sæcularibus in proprijs domibus viuentibus, Tertiariis nuncupatis.

Quoad istos Tertiarios, nonnullas vidi Pontificias constitutiones quas prætermisi, quia ea attenditur quæ à Leone X firmata fuit, inf. in const. 22. Dum intra, ad finem.

Huic Regulæ addixerunt se etiam alij, qui regularem vitam ducebant, ideo eam pro his Regularibus reformauit idem Leo infra in constit. 42. Inter cætera. De toto autem Ordine S. Francisci, notaui supra ad const. 5. Honor. III. Solet.

Edita An. D. 1289. NICOLAVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus, & dilectis in Christo filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de Pœnitentia, tam præsentibus, quam futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium. SVpra montem Catholicæ fidei quam populis gentium, qui ambulabant in tenebris, discipulorum Christi sincera deuotio igne charitatis exæstuans, verbo sollicitæ prædicationis edocuit, quamque Romana tenet & seruat Ecclesia, solidum Christianæ Religionis positum noscitur fundamentum, nullis vnquam concutiendum turbinibus, nullis quassandum fluctibus tempestatum. Hæc est etenim recta, veraque Fides, absque cuius consortio nemo in conspectu Altissimi acceptus redditur, nemo gratiosus occurrit. Hæc est, quæ salutis semitam præparat, & fœlicitatis æternæ præmia gaudiaque pollicetur. Ideoque gloriosus CHRISTI Confessor B. Franciscus huius Ordinis Institutor, viam ascendendi ad Dominum verbo pariter & exemplo demonstrans, ipsius sinceritate Fidei suos filios erudiuit, eosque illam profiteri, constanter tenere, similiter ac opere voluit adimplere, vt per eius semitam salubriter incedentes, mererentur post vitæ præsentis ergastulum, æternæ beatitudinis effici possessores.

De modo examinandi volentes intrare Ordinem. Cap. I.

Examina recipiendorum. Nos igitur Ordinem ipsum opportunis fauoribus prosequentes, ad eius augmentum benignius intendentes, statuimus, vt omnes quos ad seruandam huiusmodi vitæ formam assumi contigerit, ante assumptionem, seu receptationem ipsorum, de Fide Catholica, & obedientia erga præfatam Ecclesiam diligenti examinationi subdantur. Et si eas professi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti, seu recipi tute poterunt ad eandem. ¶ Præcauendum est tamen sollicite, hæreticus ne quis, vel suspectus de hæresi, aut etiam infamatus, ad vitæ obseruationem ipsius quomodolibet admittatur. Et si talem inueniri contigerit extitisse receptum, assignetur ille quamcitius Inquisitoribus prauitatis hæreticæ puniendus.

De forma recipiendi volentes intrare Ordinem. Cap. II.

Recipiendi ad probationem & professionem, ac habitum in Ordine. Cum autem Fraternitatem huiusmodi quis intrare voluerit, Ministri ad receptationem talium deputati, eius officium, statum, & conditionem solerter explorent, sibi fraternitatis eiusdem onera, & præcipuè alienorum restitutionem apertius exponentes. Quibus præmissis, si eidem placuerit, iuxta modum huiusmodi induatur, & de alienis (si qua fuerint apud eum) satisfacere studeat in pecunia numerata, vel secundùm exhibitam pignoris cautionem, seque nihilominus proximis reconciliare procuret. ¶ Quibus omnibus ad effectum perductis, post vnius anni spatium, cum aliquorum discretorum Fratrum consilio, si is videbitur ipsis idoneus, recipiatur hoc modo, videlicet, vt promittat se diuina præcepta omnia seruaturum, ac etiam satisfacturum (vt conuenit) de transgressionibus, quas contra hunc viuendi modum commiserit, cum interpellatus ad Visitatoris extiterit voluntatem. Et huiusmodi ab eo facta promissio, per manum publicam in scriptis ibi redigatur. Alio autem modo nullus à Ministris recipiatur eisdem, nisi visum eis aliter fuerit, conditione personæ, ac ipsius instantia, sollicita consideratione discussis. ¶ Ordinamus præterea statuentes, vt nullus post ipsius fraternitatis ingressum de eadem egredi valeat, ad sæculum reuersurus. Possit tamen transitum habere liberum ad Religionem aliam approbatam. ¶ Mulieribus verò viros habentibus (nisi de ipsorum licentia & consensu) non pateat ad consortium dictæ fraternitatis ingressus.

De forma habitus, & qualitate indumentorum. Cap. III.

Habitus & indumenta Fratrum & Sororum. Fratres insuper ipsius fraternitatis, de humili panno in pretio, & colore, non prorsus albo vel nigro, communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per Visitatores de consilio Ministri ob causam legitimam, & apertam, cum aliquo dispensatum. Chlamydes quoque ac pelles, absque scollaturis, scissas, vel integras, affibulatas tamen, vel patulas, vt congruit honestati, clausasque manicas Fratres habeant supradicti. ¶ Sorores etiam chlamyde induantur, & tunica de huiusmodi, humili panno factis vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum, seu placentinum, coloris albi vel nigri, aut paludellum amplum de canabo, siue lino, absque vlla crispatura consutum. ¶ Circa humilitatem vero panni, & pellitones Sororum ipsarum iuxta conditionem cuiuslibet earundem, ac loci consuetudinem poterit dispensari. ¶ Bindis, & ligaturis sericis non vtantur, pelles duntaxat agninas, bursas de corio, & corrigias, simpliciter absque serico vllo factas, & non alias, tam Fratres habeant, quam Sorores, depositis cęteris, (iuxta P. Betri Apostolorum Principis salubre consilium) vanis huius sæculi ornamentis.

Quod non vadant ad inhonesta conuiuia, & spectacula, & quod histrionibus non donent. Cap. IV.

Spectacula conuiuia vitandi. Sit eis ad inhonesta conuiuia, vel spectacula, siue curias, seu choreas, accessus penitus interdictus. Histrionibus, seu vanitatis intuitu nihil donent. Et ne quidquam illis donetur a propria familia, prohibere procurent.

De abstinentia, & ieiunio. Cap. V.

Ieiunia. Abesu carnium secunda, quarta, & sexta feria, dieque Sabbati, abstineant vniuersi, nisi aliud infirmitatis, vel debilitatis instantia suaderet. Minutis verò per triduum carnes dentur, nec subtrahantur in itinere constitutis. Sit quoque ipsarum comestio licita singulis cum solemnitatem præcipuam interuenire contigerit, in qua cæteri Christiani ab antiquo epulis carneis vesci solent. Aliis autem diebus, in quibus ieiunium non seruatur, oua, & caseus non negentur. Sed & cum Religiosis cæteris, in eorum Conuentualibus domibus licitè sumere valeant de appositis ab eisdem. Sintque prandij, cœnæque refectione contenti, exceptis languidis, & viatoribus,

assidue moram trahat. Mediati autem Abbates & Priores, singulis annis semel ad Capitulum conueniant in principalibus Abbatiis & Prioratibus quibus subsunt statuto tempore, prout visum fuerit expedire. Quod si non fecerint, in suis immediate maioribus Abbatiis vel Prioratibus pœna simili puniantur.

Definitores quindecim Capituli generalis pro prima vice eligantur.

§ 4. Circa verò electionem Definitorum Capituli generalis Cluniacensis celebrandi, ordinamus vt dilecti filij nostri Matthæus, tit. S. Laurentij in Damaso, & H. tit. S. Sabinæ præsbyt. Card. ac Abbas Mauziacensis, & Magister Albertus Prior S. Lupi, de ipsius Ordinis Cluniacensis reformatione tractantes apud Sedem Apostolicam quindecim de Abbatibus, & Prioribus Cluniacensis Ordinis supradicti, eligant hac vice in Definitores primi Capituli reformationem huiusmodi subsequentis.

Forma eligendi Definitores in Capitulo generali.

§. 5. Qui quindecim sic ab ipsis electi, iurent in ipso primo futuro Capitulo generali, ad sancta Dei Euangelia corporaliter tacto libro, quòd in definitionibus secundum Deum & B. Benedicti regulam & Apostolicæ Sedis statuta, sine omni personarum acceptione, procedant, ac ipsi in principio sequentis Capituli antequam tractatus Capituli aggrediantur eiusdem, iurent tactis sacrosanctis Euangeliis, & bona fide sine acceptione personarum eligere quindecim Definitores de Abbatibus, & Prioribus, Si Abbates defuerint nihilominus de Prioribus præfati Cluniacensis Ordinis viros probos, ac Deum timentes, ac zelum communis vtilitatis habentes, & præstito eius huiusmodi iuramento, viros tales postmodum eligant. Volumus autem, quod illi qui Definitores in vno Capitulo fuerint, Capitulo immediate sequenti definitores esse non possint: & hæc forma eligendi Definitores in posterum obseruetur. Si autem aliquis de Definitoribus Capituli præcedentis, ad quos spectat electio Definitorum, abesse contigerit, reliqui qui præsentes fuerint nihilominus ad ipsorum electionem procedere non omittant. Et qui à maiori parte ipsorum eligentium nominati fuerint & electi, sine aliqua exceptione pro Definitoribus habeantur. Et hoc etiam in Definitoribus & Definitorum sententiis obseruetur. Diligentiam autem vel negligentiam Ordinis supradicti, annis singulis Definitores per suas patentes literas, ad moderatas Cluniacensis Ordinis expensas, significare summo Pontifici teneantur: quomodo regula B. Benedicti & præsentia in Ordine ipso seruentur statuta.

Causæ per Abbatem non definitæ, in Capitulo terminentur.

§ 6. Omnes verò causæ, quæ inter eiusdem Ordinis personas emerserint, & per Abbatem non fuerint terminatæ, delatæ ad Capitulum per Definitores statutos in Capitulo terminentur, & ea statuantur, quæ prouenire ad correctionem, conseruationem & restrictionem, non ad relaxationem Ordinis vel regulæ videbuntur.

Constitutiones Capituli generalis in primis obseruandæ & non immutandæ sunt.

§. 7. Nec aliquis definita seu acta per Definitores Capituli generalis, possit vel audeat immutare; nisi in casu magnæ necessitatis & euidentis vtilitatis, in quo potestas Abbati intelligitur relinquenda de consilio & assensu peritorum & discretorum duorum ex illis qui Domini Ordinis appellantur. Nec dispensare præsumat in pœnis, nisi contra aliquem sententia excommunicationis, suspẽsionis, vel interdicti ferrentur, qui si patuerit, poterit per Abbatem Cluniacensem aut alium, vel Priorem suum immediate superiorem absolutionis beneficium obtinere, ita tamen quod sic absoluti culpa & satisfactio referatur, & appareat Definitoribus in primo tunc sequenti Capitulo generali. In aliis verò pœnis impositis à Definitoribus nullus dispenset, nisi ex necessaria causa & rationabili, quam significari volumus sequenti Capitulo generali, & si Definitores non iudicauerint eam esse legitimam, relaxantes seu dispensantes per ipsos Definitores pœna simili puniantur.

Ordinationes Capit. quando obligent ad mortalem culpam.

§. 8. Definitiones autem seu ordinationes Capituli generalis ad mortalem culpam non obligent, sed ad pœnam, nisi contra essentialia obseruantiæ regularis existant.

Et quoties per Prælatos recitandæ sint.

§. 9. Omnes verò Abbates & Priores annis singulis ad Capitulum venientes, definitiones, si quæ factæ fuerint in suo reditu habere procurent, in vigiliis quinque festorum præcipuorum, & visitationis tempore nihilominus recitandas, vt nullus prætextu ignorantiæ se valeat excusare. Statuta verò præsentia in prima die mensis cuiuslibet legantur, ne per ignorantiam negligantur.

Visitatores in Capitulo generali ordinentur & corrigenda corrigant, &c.

§. 10. Statuimus insuper vt in Capitulo generali Cluniacensi more solito per Definitores ordinentur Visitatores discreti, ac Deum timentes per singulas prouincias, qui iurent ad sancta Dei Euangelia, corporaliter tacto libro quod visitationis officium exercebunt (provt eis fuerit possibile) secundum Deum, & B. Benedicti regulam, ac Sedis Apostolicæ, & Cluniacensis Ordinis instituta; & quæ per eos corrigi poterunt, corrigant secundum gratiam à Domino sibi datam. Ea verò quæ adeò grauia emerserint vel occurrerint, quæ per eos sufficienter non possint commode corrigi, & quæ probata fuerint vel per famam deducta, in publicum referant corrigenda, & punienda per Definitores in Capitulo generali; cætera autem non nisi Abbati exponant, propter pericula euitanda. Statum quoque Abbatiarum & Prioratuum quantum ad spiritualia & temporalia, referre & exponere quoad prælatos & subditos fideliter coram Definitoribus teneantur, sed caueant Visitatores, ne ea quæ inuenerint in locis visitatis de prælatis vel subditis pandant quomodolibet seu reuelent, nisi eo modo quo superius est expressum. Et Visitatores sic instituti, per Abbatem vel alium mutari non possunt, nisi ex causa rationabili & multum vrgenti & euidenti, & hoc de consilio & assensu dictorum Dominorum qui superius nominantur, sed causa ipsa in Visitatorum exprimatur literis, & in sequenti Capitulo & coram Definitoribus exponatur. Quæ si non fuerit rationabilis iudicata, mutans Definitorum arbitrio puniatur. Nec dicti Visitatores à personis & locis quæ visitant recipere quicquam, præter moderatas expensas victui necessarias, quoquo modo præsumant, excutientes manus suas ab omni munere, & cum quatuor tantum ratione Visitationis aut alias equitaturis incedant.

Visitatores quatuor monasterium Clun. & personam Abbatis visitant.

§. 11. Statuimus insuper vt quolibet anno in Capitulo per Definitores, quatuor discretæ personæ ac Deum timentes, videlicet duo Abbates, & totidem Priores Clun. Ordinis eligantur, si Abbates præsentes fuerint, alioquin loco Abbatum eligentur Priores ad visitandum Monasterium Clun. personam Abbatis & loca circumadiacentia. Qui terminato generali Capitulo, & licentiatis Abbatibus & Prioribus ac aliis qui ad Capitulum conuenerant, prius præstito corporali iuramento, suæ visitationis officium infra sex dies post terminatum Capitulum incipiant exequi: ne visitationem huiusmodi (quæ nullo modo debet omitti) contingat quomodolibet impediri. Qui de statu dicti Monasterij & locorum circumadiacentium in temporalibus & spiritualibus, & de Abbatis persona diligenter inquirant, & ea quæ corrigenda inuenerint, corrigere non omittant. Et ea verò quæ maiori consilio indigent, referantur annis singulis ad Capitulum generale, vt Ecclesia Clun. in bono statu per visitationem huiusmodi perseueret. Et si Abbatis exigerent demerita, quod tolerari non debeat, per visitatores moneatur, vt cedat, & liceat Visitatoribus & Conuentui Clun. recipere huiusmodi cessionem. Quod si forte Abbas sibi de cessionis remedio prouidere noluerit, quæ de ipso Visitatorum inquisitio comprehendet, ad Sedem Apostolicam referant.

Abbas Cluniacensis de prouentib. & expen. coram Visitatoribus reddat rationem.

§. 12. Adiicimus autem quod Abbas Clun. coram Visitatoribus de omnibus obligationibus per eundem, vel de eius mandato factis, ac etiam de prouentibus & expensis reddat explicite rationem, & Visitatores prædicti hoc significare sequenti generali Capitulo, & deinde summo Pontifici annis singulis teneantur.

Abbas Cluniac. loca Ordinis visitet vt hic.

§. 13. Quia vero propter defectum Abbatis remotas prouincias minime visitantis, & domos Ordinis existentes in eis spiritualiter & temporaliter male tractantur, & aliqua à subiectione Ordinis se subtrahere moliuntur, præcipimus vt Abbas Clun. studeat sicut ei possibile fuerit Ordinem visitare; ac domos, à Cluniacensis Ordinis subiectione subtractas procuret cum Apostolicæ Sedis auxilio ad subiectionem ipsius reuocari Ordinis vel reduci. Quod si dictus Abbas in eiusdem Ordinis visitatione, quam per se vel per alium facere debet, negligens fuerit vel remissus, eum Definitores corrigere teneantur. Qui etiam dum sui Ordinis loca visitat, sit temperatus &

sobrius

sobrius in expensis, ita quod omnibus computatis summam decem librarum turon. paruorum, diebus singulis in sumptibus non excedat. Et visitationis tẽpore tam ipse quàm sui excutiant ab omni munere manus suas, prout de acceptione munerum in statutis fœl. rec. Greg Papæ IX. prædecessoris nostri noscitur contineri. Infra dictam autem summam idem Abbas se temperet secũdum locorum exigentiam & facultatem ipsorum, & Definitores de mora seu spatio temporis ordinent, quo Abbas & Visitatores huius suæ visitationis officium debeant terminare.

Beneficiorum collatio si ordinetur.

§. 14. Cæterum quia ex mala ordinatione Prioratuum & obedientiarum, vel frequenti mutatione Priorum, multa euenisse detrimenta noscuntur, districtè præcipimus vt Prioratus. Decanatus & omnes aliæ administrationes gratis conferantur, & absque venalitate & aliqua pactione. Nec Cluniacensis aut alij Abbates, aut Priores Clun. Ordinis de prioratibus audeant aut possint facere Decanatus: nec de decanatibus in quibus Decanus curam animarum habet, & Monachi sont & esse consueuerunt, possint facere grangias; ita quod nec à Monacho, nec à sæculari persona pro aliquo pretio conducantur, & vbi factum est. vel acceptatum contrarium, per Definitores in statum pristinum & antiquum reducatur. Et Prioratus & Decanatus & huiusmodi non nisi sacerdotibus dicti Ordinis Monachis committantur. Hæc autẽ nolumus ad illas grangias, seu administrationes extendi, quæ curam animarum non habent, & laicis consueuere committi. Si quis autem propter hæc aliquid dedisse vel recepisse conuictus extiterit, nunquam in Ordine Clun. dignitatem habeat, vel honorem. Et si aduersus aliquem super hoc apud Visitatores, vel Definitores vehemens habeatur præsumptio, ipsum per eos à prioratu, vel administratione sic obtẽta volumus amoueri. Et si quis humana confisus potentia, per interuentum sæcularium personarum committi sibi obedientiam, vel prioratum poposcerit, nunquam illum obtineat, sed nec alium infra annum.

Illegitimis Prioratus & Decanatus no conferantur.

§. 15. Nec personis illegitimè natis prioratus & decanatus curam animarum habentes in Ordine ipso vel latenus conferantur: & si secus factum fuerit id per Definitores decreuimus reuocandum.

Priores cur amouendi.

§. 16. Conuentuales quoque Priores quandiu in spiritualibus & temporalibus bene administrauerint, non nisi ex certis causis debent amoueri; videlicet si dilapidatores, vel inobedientes, aut rebelles, seu infames, vel incontinentes extiterint, seu alio graui crimine irretiti, siue ad maiorem dignitatem fuerint promouendi; quod etiam de minoribus Prioribus volumus obseruari.

Abbas vel Prior criminosus, aut infamis quomodo & per quos deponendus.

§. 17. In destitutione verò Abbatum & Priorum Conuentualium, videlicet octo Monachorum, & supra, talis modus & forma seruentur. Videlicet quod si Visitatores Abbatem vel Priorem criminosum, aut infamem inuenerint, patri Abbati referre procurent; qui de consilio sex Abbatum vel Priorum propinquiorum eiusdem Ordinis, talem admoneat, vel suspendat, ipseque sic admonitus vel suspensus melinet humiliet, nec appellet. Nihilominus autem Visitatores, admonitiones & suspensiones huiusmodi, & earum causas Capitulo referant generali. Et Definitores super hoc ordinent & definiant secundum quod eis iustè, ac secundum Deum videbitur expedire. Et quidem vt huic morbo plenum adhibeatur remedium, prout infra duximus prouidendum, videlicet, quod singulis annis in generali Capitulo Definitores scribant & retineant nomina singulorum Abbatum & Priorum, qui tunc in eodem fuerint congregati. In sequenti Capitulo lectis eorum nominibus, in quibus Ecclesijs sine Abbates vel Priores mutati sint, & mutationis causam diligenter attendant; & tunc excessus mutantiũ si sine iusta causa mutauerint, & mutatores huiusmodi puniant & emendent, secundum qualitatem excessuum eorundem. Verum quia Monachi nonnunquam Abbatum vel Priorum suorum delicta reuelare formidant, ne ad ignotas & remotas prouincias quasi in exilium relegentur, huic morbo sic duximus prouidendum, quòd videlicet Visitatores cum accesserint ad Monasteria visitanda, diligenter inquirant si quis Monasterio illo anno, cui officium visitationis impendunt, & propter quam causam emissus fuerit. Et si causa regularis extiterit, approbetur; alioquin reuocetur Monachus, & qui eum emisit, Visitatorum arbitrio puniatur. Si quis autem fuerit ab Abbatia vel Prioratu sua culpa remotus, ad aliud Monasterium, in quo digne defleat quod commisit, superioris prouidentia transmittatur. Et si forte propter senectutis defectum aut aliam causam honestam spontaneus cesserit, reuertatur ad claustrum illo sibi quod eligere maluerit deputato, nullusque literas confirmationis habeat, quod a suo Prioratu, vel obedientia non debeat amoueri.

Institutio Priorum Conuentualium qualiter fiat.

§. 18. Ad institutionem verò Priorum Conuentualis absque duorum Priorum Conuentualium consilio minime procedatur. Abbates autem & Priores circa temporalia & spiritualia negligentes, per definitores grauiter puniantur, & tales præficiantur qui sciant & possint præesse pariter & prodesse, ac iura commissorum sibi Prioratuum obseruare. Circa personarum verò dicti Ordinis promotionem, sic prouida & æqua ordinatione cẽsemus, quod Abbas Clun. in arduis & grauibus negotiis vti debeat consilio sapientum, & dicti Ordinis seniorum. Et in promouendo personas Ordinis, & conferendo beneficia, non sequatur carnalem affectum: sed habendo Deum præ oculis, imitetur in omnibus legem Dei. Et quod dictum est de Abbate Clun. idem per alios Abbates & Priores Ordinis decreuimus obseruandum. Et quia denuntiatum est nobis quod raro aut nunquam de claustro Clun. aliquis vel aliqui ad regimen Prioratuum Cluniacensis Ordinis assumuntur, Statuimus quod non tam de claustralibus quam de aliis, sine personarum acceptione, personæ idoneæ ad ipsorum Prioratuum regimen assumantur, cum per tales, qui sunt in Monasterio enotriti, magis in Religione Ordo possit & debeat informari.

Pluralitas beneficiorum interdicitur.

§. 19. Adhuc districtius inhibemus, ne quis plures Prioratus, vel Prioratum cum Abbatia eiusdem Ordinis vel alterius habere præsumat. Nec Abbas Cluniacensis, vel aliquis alius Abbas vel Prior eiusdẽ Ordinis, aliquem de subiectis sibi Prioratibus ad manus suas retineat: sed singulis Prioratibus Priores singuli deputentur.

Nullus nisi Clun. Ordinis Religiosus in Clun. Ordinis beneficium habere debet.

§. 20. Nec aliquis qui Cluniacensis Ordinis non fuerit professus, habeat eiusdem Ordinis Prioratum. Nec aliquis Prioratus vel Decanatus Cluniacensis Ordinis cui annexa est cura animarum, vacet vltra sex menses; sed infra huiusmodi tempus Abbas Cluniacensis cæterique Abbates & Priores qui habent Prioratus & huiusmodi decanatus subiectos eis debeant prouidere. Aliter prouisio Prioratuum, & Decanatuum eorundem, Abbati Cluniacensi nullo medio subiectorum, intelligatur ad Sedem Apostolicam deuoluta. Prioratuum verò & decanatuum aliorum prouisio ad suos immediatè superiores deuoluatur omnino, nec Prioratus vel decanatus cum cura personis sæcularibus, Clericis vel Monachis alterius Ordinis, laïcis, Prælatis, seu subditis aliquatenus conferantur: & vbi contrarium attentatum esse dignoscitur, Definitorum arbitrio reuocetur. Circa verò illius Prioratus, qui alienati, & permutati esse dicuntur absque Sedis memoratæ licentia, præcipimus vt quod per Abbatem super illis actum est, penitus reuocetur, & Abbas ad reuocationem huiusmodi faciendam quàm primum commodè poterit exhibeat se vigilem, sollicitum & etiam studiosum: ita quoad clerum diuinum & solitum Monachorum numerum ac subiectionem dicti Ordinis reducantur.

In vno Prioratu vnicus Monachus manere non debet.

§. 21. Nec in Prioratu aliquo vnus solus Monachus commoretur, sed ei qui solus est, vnus vel plures socij Monachi adiungantur, si loci suppetant facultates. Alioquin Monachus reuocetur ad claustrum, prouiso quod in eo diuina celebrentur honestè.

Refectio Monachorum sit vniformis.

§. 22. Circa qualitatem autem ciborum, & potus, seruari præcipimus, vt omnes Monachi in vno reficiantur refectorio, de eodem potu & pane, eademque coquina: nisi forte aliquem ipsorum comedere cum Abbate vel Priore, seu in infirmaria contingat. Abbas autem cum fratribus in refectorio comedat: nisi propter hospites mutet locum. In infirmaria verò nullus comedat, nisi propter infirmitatem vel debilitatem illuc fuerit destinatus.

Esus carnium relinquitur arbitrio Abbatis.

§. 23. Circa esum verò carnium licentiam relinquimus dispensationi Abbatis, secundum indulgentiam Clementinæ. Caueat tamen Abbas ne super hoc

sic

Concil. Lugd. de reditu Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris ad vnitatem S. R. E.

dens se drachmam deperditam inuenisse, immensæ lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea schisma multiplicatat antiquum, impleri per tuum, aliorumque reditum ad ipsius Ecclesiæ vnitatem, sine stragis cuiusque periculo, solo pacis auctore præuio intuetur. Exultamus & Nos pastoris prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus proculdubio in illo vero Pastore, qui animam suam pro ouibus suis ponere non expauit. Ipsi vitulum labiorum exoluimus, de cuius non est dubium munere processisse, vt ouis quæ perierat sit inuenta; & reuixerit filius, quem mors animæ, mors vtique grauior occuparet. Occurrentes itaque tibi de regione dissimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te solidæ charitatis osculo pressius osculamur. O vtinam tibi fili pateret ad plenum cum quanto, in his occurrit tripudio eadem Ecclesia nuper in Lugdunen. Concilio congregata. O si voces psallentium inibi, Deumque flexis genibus, & nudatis capitibus laudantium, præcipue Prælatorum in tuis sonuissent auribus, & reuelata facie ipsorum oculos deducentes, quasi aquarum exitus inspexisses; profecto prudenter aduerteres, quod erant eorum lachrymæ, tamen excussi doloris indices, quàm adeptæ lætitiæ proditrices. Nec minus intelligeres, quam grati tui aduenerint Nuntij, quam fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam iubilo tua professio acceptata. Exulta igitur, & tu fili; exulta, & lætare in eo, qui est splendor lucis æternæ, diuinæ quædam emanatio claritatis: qui tuum sic animum suo lumine illustrauit, vt lumen veritatis intelligens, non solum redires ad illam, sed ad redeundum aliis dux, & præuius effici mereteris. Exulta & gaude talem, ac tantum iam datum laboribus tuis effectum; vt & de tuo ad sinum vnitatis Ecclesiasticæ reditu, indubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum.

Hortatur eundem Imperatorem, ad totalem schismatis abolitionem.

§ 2. Persta ergo: & quod cœpisti, sollicite cum omni diligentia, & sollicitudine prosequaris, efficacem pro posse daturus operam, vt nec in aliquibus eiusdem schismatis reliquiæ qualescumque supersint. Dei quidem perfecta sunt opera, & tu creatura illius creatorem tuum in tam placiti consummatione operis, pro viribus imitare; vt spei conceptæ de præmio res succedat, & præmissum debitum exhibitio regalis exoluat. Super his autem & aliis habitis circa præmissa processibus, præfati tuæ celsitudinis Nuntij, quorum tibi notior est virtus, & probitas, ad te plenius reuertuntur instructi; quibus te non dubitamus fidem indubitatam adhibere.

Dat. P. An. 3. die 25. Iulij.

Dat. Lugduni v Kalen. Augusti, Anno tertio.

Sequitur alia Pontificis epistola ad Filium dicti Imperatoris.

Edita An. D. 1274.

GREGORIVS PAPA X.

Andronico Primogenito charissimi in Christo filij nostri Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum Illustris. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Hortatur hic Pontif. filium d. Imp. vt studeat vnitati Ecclesiæ Græcæ cum Latina.

§. 1. HAbes fili, vnde Domino Deo tuo in vocem exultationis, & confessionis erumpas. Exultes in eo & fatearis humiliter tibi de immenso ipsius dono concessum, veræ fidei agnoscere veritatem; illam amplecti piis affectibus, & deuotis nobis missis affatibus confiteri. Hæc si corde contrito, & humiliato spiritu recognoscens, à cœptorum prosecutione sollicita non desistas, plura tibi salutaribus inhærenti studiis, proculdubio ipse bonorum omnium dator adiiciet, perfectæ tandem retributionis præmium largiturus. Ideoque magnitudinem tuam monemus, & hortamur in Domino IESV CHRISTO; quatenus in præmissis sic vt discrete scripsisti, tui genitoris inclyti laudabili proposito, nobis per eius & tuas expresso literas, constanter adhærens, totis viribus satagas, vt antiquati schismatis omnino aboleantur reliquiæ, sitque Latinorum & Græcorum vnitas perpetuis temporibus inconcussa.

D. P. A. 3. die 28. Iulij.

Datum Lugduni v. Kalendas Augusti, Anno tertio.

Subsequitur tenor literarum supradicti Michaëlis Imperatoris ad istum Pontificem.

Intitulatio.

SAnctissimo, & Beatissimo, primo & Summo Pontifici Apostolicæ Sedis venerabili Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & venerabili Patri Imperij nostri, Domino Gregorio, Michaël in Christo Deo fideliter Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelos, Comnenus, Palæologus, & spiritualis filius magnæ Sanctitatis vestræ, conuenientem honorem & reuerentiam cum sincera, & pura affectione, & orationum postulatione.

Nomina Nuntiorum Sedis Apost. ad Imperatorē trāsmissorum.

Quoniam missi sunt à Magnitudine vestra ad Imperium meum Nuntij Deo placentes, Ordinis fratrum Minorum, Frater Hieronymus de Asculo, Frater Raymundus Berengarij, Frater Bonagratia de S. Ioanne in Persiceto, & Frater Bonauentura de Mugello, & obtulerunt literas magnæ Sanctitatis vestræ Imperio meo; in quibus inter alia de confessione fidei, quam docet, & prædicat, & confitetur Sancta Romana Ecclesia, continebatur, & oportebat, in his magis responsionem conuenientem nos facere, ecce hoc facit Imperium meum. Habet autem professio fidei in dictionibus taliter.

Tenor confessionis aut professionis Fidei prædicti Imperatoris.

Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coessentialem, & consubstantialem, coæternam, & coomnipotentem, vnius voluntatis, potestatis, & maiestatis, Creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quæ sunt in cœlo, & in terra, visibilia, inuisibilia, corporalia, & spiritualia. Credimus singulam quamque in Trinitate personam, vnum verum Deum, plenum, & perfectum. Credimus ipsum Filium Dei Verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine, cum anima rationali; duas habentem natiuitates, vnam ex Patre natiuitatem æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum, & hominem verum, proprium in vtraque natura, atque perfectum, non adoptiuum, nec phantasticum, sed vnum, & vnicum, Filium Dei, in duabus, & ex duabus naturis, diuina scilicet & humana, in vnius personæ singularitate, impassibilem & immortalem diuinitate, sed in humanitate pro nobis, & salute nostra passum vera carnis passione, mortuum, & sepultum, & descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse à mortuis vera carnis resurrectione: die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, & anima ascendisse in Cœlum, & sedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum iudicare viuos, & mortuos, & redditurum vnicuique secundum opera sua, siue bona fuerint, siue mala. Credimus & Spiritum Sanctum plenum, & perfectum verum Deum, ex Patre Filioque procedentem, coæqualem, & consubstantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri, & Filio. Credimus hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed vnicum Deum, omnipotentem, æternum, & inuisibilem, & incommutabilem. Credimus sanctam Catholicam, & Apostolicam vnam esse veram Ecclesiam, in qua vnum datur Sanctum baptisma, & vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis, quam nunc gestamus, & vitam æternam. Credimus etiam noui, & veteris testamenti, legis, ac Prophetarum, & Apostolorum vnum esse auctorem Deum ac Dominum. Hæc est vera fides Catholica, & hanc supradictis articulis tenet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, sed propter diuersos errores, à quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit, prædicat eos qui post Baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quòd si verè pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis eorum animas pœnis purgatoriis, hoc est catarteriis, sicut nobis Frater Ioannes explanauit, post mortem purgari, & ad pœnas

huius

huiusmodi releuandas prodesse eis fidelium viuorum, suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ, mox in Cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Eadem Sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit, & firmiter asseuerat, quod nihilominus in die Iudicij, omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam, & docet eadem Sancta Romana Ecclesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta, vnum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra; aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est Pœnitentiæ; aliud Eucharistiæ; aliud Sacramentum Ordinis; aliud est Matrimonium; aliud Extrema-vnctio, quæ secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens & docens, quod in ipso Sacramento panis vere transsubstantiatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI. De Matrimonio verò tenet, quod nec vnus vir plures vxores simul, nec vna mulier permittitur habere plures viros. Soluto verò legitimo matrimonio, per mortem coniugum alterius, secundas, & tertias deinde nuptias successiue licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa alia non obstat. Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum, & plenum primatum, & Principatum super vniuersam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, siue vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter cognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest grauatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare; & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subiectæ. Ipsarum Prælati obedientiam, & reuerentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales præcipue, diuersis priuilegiis eadem Romana Ecclesia honorauit, sua tamen obseruata prærogatiua, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salua. Suprascripta fidei veritate (prout plena lecta est, & fideliter exposita) veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem cognoscimus, & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod vere tenet, & fideliter docet, & prædicat Sancta Romana Ecclesia: inuiolabiliter obseruare eandem professionem, & in ea omni tempore perseuerare, nec vllo vnquam tempore ab ea discedere quoquo modo, aut deuiare, vel discordare promittimus, Primatum quoque eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut in præmissa serie continetur, ad ipsius Sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur, & recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus.

Supplicatio pro quadam permissione. Confitentes verò hæc, & approbantes, & acceptantes, & promittentes obseruare, vt superius dictum est, rogamus magnitudinem vestram, vt Ecclesia nostra dicat sanctum Symbolum, prout dicebat hoc ante schisma, vsque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus nostris, quibus vtebamur ante schisma; qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra diuina præcepta, nec contra vetus, & nouum testamentum, nec contra doctrinam sanctorum generalium Conciliorum, & sanctorum receptorum per sancta Concilia quæ celebrata sunt à spirituali dominatione Ecclesiæ Romanæ. Hoc igitur non graue est vestræ Sanctitati, nec inusitatum, & nobis tunc difficile propter infinitam multitudinem populi.

Commisimus autem super his præsentibus Nuntiis Imperij nostri, vt dicto per præsentes literas nostras magna Sanctitate vestra, Præsens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione, & professione, propria manu nostra Dei gratia Imperiali subscriptione signauimus, & sigillum nostræ potentiæ inferius appendi fecimus, &c. *Transmissio Nuntiorũ ad Romanũ Põt. pro prædictorum confessione firmanda.*

Contra Christianos ad ritum Iudæorum transeuntes, & Iudæos conuersos reiudæizantes, vel Christianos ad eorum ritum trahentes. III.

Eiusdem argumenti est const. Clem. 4. Turbato corde 14. hic sup.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, auctoritate Sedis Apostolicæ deputatis, & in posterum deputandis, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1271.*

§. 1. TVrbato corde audiuimus, & narramus, quod non solum quidam de Iudaicæ cæcitatis errore ad lumen fidei Christianæ conuersi, ad priorem reuersi esse perfidiam dignoscuntur, verum etiam quamplurimi Christiani, veritatem Catholicæ fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum Iudaïcum transtulerunt. Quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc Christi nomen Sanctissimum quadam familiari hostilitate securius blasphematur. *Quidã Christiani ad ritũ Iudæorum & Iudæi conuersi ad illum redierunt.*

§. 2. Cum autem huic pesti damnabili congruis & festinis remediis deceat obuiari, Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos ad inquirendum contra hæreticos auctoritate Sedis Apostolicæ designatos, super præmissis, tam per Christianos, quam etiam per Iudæos, inquisita diligenter, & sollicitè veritate, contra eos, quos talia inueneritis hactenus commisisse, ac committere etiam in futurum, tanquam contra hæreticos, contra fautores quoque, receptatores & defensores eorum, procedere studearis. *Contra eos tanquam hæreticos hic Põt. ab Inquisitoribus procedi iubet.*

§. 3. Iudæos autem, qui Christianos vtriusque sexus ad eorum ritum execrabile induxerint, aut inueneritis de cætero inducentes, pœna debita puniatis. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. *Iudæosque Christianos ad eorum ritum trahẽtes, coërceri mandat.*

Datum Lugduni, Kalendis Martij, Pontificatus nostri Anno secundo. *Dat. P. An. 2. die 1. Martij.*

INNO

INNOCENTIVS V. PONT. CLXXXVII.
ANNO DOMINI MCCLXXVI.



INnocentius V. Gallus, Prouincia Burgundus, Magister F. Petrus Tarentasiensis Ordinis Prædicatorum, Episcopus Card. Ostiensis, & Veliternus, S.R.E. Maior Pœnitentiarius, Creatus Aretius, 13. Kal. Februarij, anno Domini 1276. Sedit in Sede Pontificia menses quinque, dies duos. Non creauit Cardinales. Obiit Romæ in Patriarchio Lateranensi, anno Domini 1276. 10. Kal. Iulij, & sepultus in Basilica Lateranensi. Vacauit Sedes dies 19.

HADRIANVS QVARTVS PONT. CLXXXVIII.
ANNO DOMINI MCCLXXVI.



HAdrianus V. Prouincia Ligur, Patria Genuensis, Othobonus Fiscus anteà vocatus ex Lauaniæ Comitibus, Diaconus Cardinalis S. Hadriani. Romæ Pontifex renunciatus in Palatio Lateranensi 4. Idûs Iulij, anno Domini 1276. Sedit in Petri Cathedra mensem vnum, dies septem. Non creauit Cardinales. Obiit Viterbij 12. Kalend. Septembr. anno Domini 1276. Sepultus ibidem ad Minorem Ecclesiam S. Francisci. Vacauit sedes dies 24.

IOANNES XX. DICT. XXI. PONT. CLXXXIX.
ANNO DOMINI MCCLXXVI.



IOannes XX. dictus XXI. Hispanus, Prouincia Lusitanus, Patria Olysiponensis, Iuliani filius, M. Ioannes Petrus anteà dictus, Episcopus Cardinalis Tusculanus, Creatus Viterbij, Idibus Septembr. anno Domini 1276. Coronatus, eodem anno 12. Kalend. Octobris Viterbij in Cathedrali S. Laurentij. Sedit menses octo, dies octo. Obiit Viterbij 13. Kal. Iunij, anno 1277. & ibid. in Cathedrali S. Laurentij sepultus. Vacauit sedes menses 6. dies 4.

NICOLAVS TERTIVS PONT. CXC.
ANNO DOMINI MCCLXXVII.



NIcolaus Tertius Vrsinus, Romanus, Ioannes Vrsinus, anteà dictus, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, Creatus Viterbij, 7. Kal. Decembris, anno Domini 1277. Coronatus 7. Kal. Ianuarij, eodem anno in Basilica Vaticana. Sedit in Sede Pontificia annos 2. menses 8. dies 29. Creauit Cardinales 9. Obiit in Zuriano Monte, anno 1280. 11. Kal. Septembr. Corpus Romam delatum, in Sacello S. Nicolai ædis Vatic. sepultum est. Vacauit sedes menses 6.

De

I. De prædicatione verbi Dei, pro conuersione Hebræorum.

Hanc prædicationem in Vrbe innouauit Greg. XIII. vt in eius const. 92. Sancta. Et de materia Hebræorum vide inf. in constit. 3. Pauli IV. Cum nimis: vbi notabo.

Edita An. D. 1278.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Priori prouinciali Fratrum Prædicatorum Ordinis in Lombardia, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Innumera Dei beneficia erga Hebræos.

VINEAM Soreth velut electam plantauit dextera Dei Patris, & omne semen verum seminauit in ipsa, angelica custodia sepiuit illam, lapides nociuos abiecit ex ea: Hanc de Ægypto in luto & latere, sub iugo Pharaonis oppressam, in signis & prodigiis transferens, ducatu eius existens in terram promissionis adduxit. Vinea enim Domini exercituum domus Israël est, viri Iuda delectabile germen eius. Hanc sic mire translatam, quasi adhuc rudem campum vomere legali proscindens, prophetali doctrina sulcauit, vt & ipsam ad maturam frugé, idest, ad regenerationis gratiam præpararet.

Execrata tamen semper fuit eorum duritiei.

§. 1. Sed, proh dolor! peccatorum spinis obsita, nullum imbrem gratiæ spiritualis excipiens, quæ sperabatur vt vuas educeret, labruscas eduxit: vnde sperabatur iudicium, processit iniquitas: vnde iustitia, inde clamor. Hæc est vinea in qua fici arbor, scilicet synagoga Iudæorum plantata, Euangelica veritate describitur: cuius plantator CHRISTVS, cœtus Apostolicus cultor existit. Hæc triplici tempore, quasi tribus annis, vt fructum produceret expectata, infructuosa reperta, cultori succidenda prædicitur. Nam nec tempore circumcisionis ad perfectum deducta est, quia circumcisionem animæ non quærebat: nec sanctificata per legem, quia per eam tantum carnalia sequebatur: nec tandem iustificata per Euangelij gratiam, quia gratiam recipere noluit, quin potius latorem gratiæ iustum iniustè peremit, & quodammodo indurationem Pharaonis excedens, omne curantis & curæ refutauit antidotum; adeo vt nec verbis, nec signis, nec sacramentis, quinimo nec ipsius Christi, & Dei corporali præsentia molliretur. Multifarie enim multisque modis, olim Deus loquens antiquis ipsius synagogæ patribus in Prophetis, nouissimè in fine temporum locutus est ipsis & nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula, sed omnem escam abominata est anima eius: & idcirco iusto Dei iudicio reprobatam, exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Ablata est sepes eius, prosternata maceries, & in direptionem posita vt deserta, nec inuentus est in terris amplius locus eius. Verum quia miserationes Dei super omnia sua opera prædicantur, qui omnes saluos fieri, & neminem vult perire, qui seipsum pro nobis & ipsis, hostiam salutis exhibuit Deo Patri, qui exaltatus à terra, expansis in cruce manibus, ad se cuncta trahere Euangelica voce prædixit.

Iussio Papæ, prædicãdi eis verbum Dei, vt conuertãtur.

§. 2. Nos, licet immeriti, vicem eius tenentes in terris, qui etiam Iudaïcam perfidiam, sua misericordia non repellit; libenter pro illius populi obcæcatione labores appetimus, vt affectum nostrum diuina prosequente clementia, cognita veritatis luce, quæ CHRISTVS est, à suis tenebris seruantur. Porro quia Iudæorum ipsorum, quasi per vniuersum Mundum, diuino iudicio, præuisa dispersio, ipsos ad recipiendum sacramenta fidei, ac doctrinam commodè in vnum conuenire non patitur, necessitate nos voluntarios vigente compellimur, per diuersas Mundi partes, diuersos seminatores eligere, per quos semen verbi Dei, prout possibile est, spargamus in singulos, quorum salutem vniuersaliter, & singulariter affectamus. Ad te igitur inter alios sub spe diuinæ gratiæ mentis nostræ oculos conuertentes, cum tui Ordinis claritate reluceas, & credaris vbilibet per opera vtilia, & exempla laudabilia fructuosus, & ex data tibi diuinitus gratia scire te confidamus, & posse, & fructus vberes in domo Domini germinare, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus confidens in illo, cui proprium est spirituales gratias elargiri, tales vmbrarum tenebris obcœcatos, in commissa tibi prouincia, per te ac alios fratres tui Ordinis, quos ad hoc honestate morum, experta scientia, probitatis virtutibus, circumspectione prouida, & experientia comprobata idoneos esse cognoueris, & quorum industria atque doctrina diuinis donis à Domino fœcundata intrepidè pro Catholica fide relucear, & sua claritate non titubet, sed tenebrosas mentes radiorum repercussione clarificet, & obstinatas ceruices reprimat peruersorum, Iudæos eosdem in terris & locis, in quibus habitant, generaliter & singulariter conuocando, semel & pluries, ac toties repetitis instantiis, quoties proficere posse putaueris, prout melius fieri poterit, prædicationibus, salutaribus monitis, & discretis inductionibus, Euangelicis doctrinis informans ipsos studeas iuxta datam tibi à Domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam reducere claritatis, vt renati fonte baptismatis, reluceant in lumine vultus CHRISTI, & exinde Chorus angelicus delectetur. Tu quoque ac alij, quos ad persecutionem tanti negotij duxeris eligendos, perennis boni præmium, nostramque benedictionem & gratiam, vobis de bono in melius vendicetis.

Conuersi Prælatis & aliis commendantur, vt humanissime tractentur.

§. 3. Et vt affectum, quem ad salutem status ipsorum gerit mater Ecclesia, percipiant per effectum, tu illos ex eis, quos ad susceptionem sacri baptismatis gratia diuina perduxerit, Prælatis ac Dominis locorum in quibus tales habitare contigerit, ex parte nostra affectuosissime recommendes, vt Deo gratias in recuperata oue deperdita, & filio prodigo redeunti, vitulum exultationis & gaudij exhibentes, eos charitatiuè foueant, fauoribus muniant, benignè pertractent, nec ipsus in personis, aut rebus, per Iudæos, vel alios indebite molestari permittant, quin potius in omnibus fauorabiliter ipsis assistant auxiliis opportunis.

Conuenti nolentes Papæ nuncientur.

§. 4. Sed si fortè (quod absit) aliqui ex ipsis, in eorum obstinata perfidia perdurantes, & velut aspis surda suas aures incredulas obturantes, ne tui & illorum, quos ad hæc salutis opera deputabis, vocem audiant, vt de tenebris ad lucem exeant, incantantium sapienter tuas, & per te ad hæc deputandorum fratrum salutares conuocationes, aspernantes refugerent, de istis (si tales inueneris) qui sunt, in quibus locis, & sub quorum dominio commorentur, nobis rescribere non omittas, vt circa pertinaces huiusmodi, de salutari eorum remedio, sicut expedire videbimus, cogitemus. Vt autem de præmissis auidis nostris conceptibus, iuxta nostra desideria satisfiat, frequenter nobis intimare studeas, qualiter commissum tibi negotium prosperetur, & qualem fructum seminata repromittant.

Dat. Viterbij, 2. Nonas Aug. Pont. nostri Anno. 1.

Dat. P. A. 1. die 4. Aug.

II. Excommunicationis, & aliarum pœnarum promulgatio in Catharos, Patarenos, aliosque hæreticos, ipsorumque filios, complices, & fautores.

Alias pœnas contra eosdem sancitas, vide inf. in Paul. IV. const. 19. Cum ex, in aliis Bullis in die Cœnæ Domini à Romanis Pont. edi solitis, quarũ aliquas in hoc opere posui, quas tibi indicauero in Paul. V. cõst. 63. Pastoralis. Vnde intelligas, aliqua pro temporũ cõditione à Pontificibus immutata.

Vltimum exemplar Bullæ in die Cœnæ Domini vide in S.D.N. Vrb. VIII. const. 62. Pastoralis inf. tom. 4.

Edita An. D. 1280.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, Salutem, & Apost. benedictionem.

Excommunicatio hæreticorum.

NOuerit vniuersitas vestra, quod nos excõmunicam⁹ & anathematizamus vniuersos hæreticos Catharos,

ros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosephinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in id ipsum.

Ipsorum & aliorum pœna.

§. 1. Damnati verò per Ecclesiam sæculari iudicio relinquantur, animaduersione debita puniendi. Clericis prius à suis ordinibus degradatis.

§. 2. Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.

§. 3. Credentes autem eorum erroribus, similiter hæreticos iudicamus.

§. 4. Item receptatores, defensores, & fautores, & hæreticorum excommunicationis sententię decernimus subiacere. Statuentes, vt, si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis.

§. 5. Nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos alios ad huiusmodi.

§. 6. Nec ad testimonium admittatur.

§. 7 Sit etiam intestabilis, nec testamenti habeat factionem.

§. 8. Nec ad hæreditatis successionem accedat.

§. 9. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur.

§. 10. Quòd si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem: nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur.

§. 11 Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur.

§. 12. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato, damnentur, & in similibus idem præcipimus obseruari.

§. 13. Si verò Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur.

§. 14. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur, alias animaduersione debita puniendi.

§. 15. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quòd si per annum in excommunicatione perstiterint, tunc velut hæretici condemnentur.

§. 16. Item proclamationes aut appellationes huiusmodi personarum minimè audiantur.

§. 17. Item Iudices, Aduocati, & Notarij, nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint priuati.

§. 18. Item Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica sacramenta; nec eleemosynas aut oblationes eorum recipiant: similiter hospitalarij, aut contemplarij, aut quilibet regulares, alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuo careat sepultura.

§. 19. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè vel priuatim de fide Catholica disputare, qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

§. 20. Item si quis hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alij per quem credat ad Prælati sui, & Inquisitorum hæreticæ prauitatis notitiam peruenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur.

§. 21. Hæretici autem & receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filij vsque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum seu officium admittantur, quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim prædictos ex nunc priuamus beneficiis acquisitis, volentes vt tales & habitis perpetuo careant, & ad alia similia nequaquam in posterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem nullius esse momenti, volumus quorum parentes post emancipationem huiusmodi, ad inuium superstitionis hæreticæ, à via declinasse constiterit veritatis.

Dat. apud Vrbem Veterem, 5. Non. Martij, Pont. nostri Anno 3. *D. P. A. 3. die 5 Martij.*

MARTINVS II. DICTVS IV. PONT. CXCI.
ANNO DOMINI MCCLXXXI.



MArtinus II. dictus IV. ex oppido Briæ, Campanus Gallus Senonen. diœcesis, Simon antea dictus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ. Creatus Viterbij, Anno Domini 1281. 8. Kal. Mar. Coronatus apud Vrbem Veterem, 10. Kal. Aprilis eodem anno. Sedit in Romana Sede annos 4. menses 1. dies 7. Creauit Cardinales septem. Obiit Perusij, 4. Kal. Aprilis anno 1285. in Cathedrali S. Laurentij Ecclesia sepultus. Vacauit Sedes dies 4.

Damnatio & excommunicatio Michaëlis Palæologi Græcorum Imperatoris ab Ecclesia Romana dissidentis. I.

Dudum quoque hic idem Imperator dissidebat, sed tempore Concilij Lugdunensis ad obedientiam Greg. X. redierat, vt sup. in illius cōst. 2. Exultat.

Ecclesia etiam Græca, à Latina dissentiens, concordata fuit tempore Eug. IV. in Concilio Florentino, vt in dicti Eug. const. 17. lætentur.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum. *Edita An. D. 1281.*

Excommunicatio Imperatoris.

§. 1. MICHAELEM Palæologum, qui Græcorum Imperator nominatur, tanquam eorundem Græcorum antiquorum schismaticorum, & in antiquo schismaticorum, & in antiquo schismate constitutorum, & per hoc hæreticorum, necnon & hæresis ipsorum, ac schismatis antiqui fautorem, de fratrum nostrorum consilio denuntiamus præsente fidelium multitudine copiosa,

excom

excommunicacionis sententiam latam à canone incurrisse, ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum.

Prohibitio eis quomodolibet fauendum.

§. 2. Cæterum vniuersis, & singulis Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus; Comitibus, Baronibus, & cæteris omnibus cuiuscumque sint præeminentiæ, conditionis aut status, necnon vniuersitatibus ciuitatum, castrorum, & aliorum locorum, districtius inhibemus, ne cum eodem Michaële Palæologo in huiusmodi excommunicatione manente, societatem vel confœderationem aliquam contrahere, sub quouis ingenio, vel machinatione præsumant, vel etiam ei alias in his pro quibus excommunicatus est denuntiatus à nobis, præstare consilium, auxilium, vel fauorem, publicum vel occultum.

Pœnarũ promulgatio in contrauenientes.

§. 3. Et si secus præsumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium facientes, non obstante qualibet indulgentia, sub quacumque forma verborum, vel expressione ipsis ab Apostolica Sede concessa, vel in posterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, volumus incurrere ipso facto. Terras autem ipsorum necnon vniuersitates prædictas, quæ secus attentare præsumpserint, prout expedire viderimus, Ecclesiastico subiicere curabimus interdicto, ad priuationem omnium bonorum, quæ à quibuslibet tenentur in Ecclesiis, & ad pœnas alias spirituales & temporales, prout vtile putabimus processuri, & nihilominus societates confœderationum ipsas, etiamsi pœnarum & iuramenti adiectione, vel quacumque fuerint alia firmitate vallata, decernimus irritas, & inanes.

Iussio hanc sanctionẽ publicandi.

§. 4. Vt autem huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas siue membranas processum continentes eundem, in maioris Vrbeuetanæ Ecclesiæ appendi, vel affigi ostiis, seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, ita quod idem Palæologus, & alij contra quos processus ipse contigit, nullam possint postmodum excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non peruenerit, vel quod ignorauerint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

D.P.A. 1. die 18. Nou.

Actum apud Vrbem Veterem, in platea dictæ maioris Ecclesiæ, in festo Dedicationis Basilicæ Principis Apostol. Pont. nostri Anno primo.

HONORIVS QVARTVS PONT. CXCII.

ANNO DOMINI MCCLXXXV.



HOnorius Quartus Romanus, Iacobus Sabellus antea dictus, Patre Luca, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin, alias Schola Græca, Creatus Perusij 4. Non. Aprilis Anno Domini 1285. Coronatus Romæ die 2. Kal. Maij eodem anno, sedit annos duos, dies duos. Creauit Cardinalem vnum. Obiit Romæ anno 1287. 3. Nonas Aprilis, & ad S. Petrum sepultus est, postea ad Ecclesiam S. Mariæ in Ara Cœli translatus, & in Sacello maiorum suorum conditus. Vacauit sedes menses 10. dies 10.

Damnatio sectæ, sub nomine Ordinis Apostolorum, nulla habita Sedis Apostolicæ licentia, temere introductæ. I.

Consimiles literas edidit Nicol IV. Pont. sui anno 3. sed his antiquioribus de more contenti, eas prætermisi.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Patribus, vniuersis patribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Cathedralium Ecclesiarum electis, & Vicariis earundem ad quos literæ istæ peruenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1285.*



L I M fœl. recor. Papa Gregorius X. prædecessor noster, in Concilio Lugdunensi omnes religiones & Ordines Mendicantium, adinuentos post generale Lateranense Concilium, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuę prohibitioni subiecit: & quatenus processerant, reuocauit. *Gregorius X. vetuit nouas institui religiones ut c. 1. de Relig. domib. in 6.*

§. 1. Verum sicut ad nostri Apostolatus auditum, fama querula deferente, peruenit, quidam qui post generale, & ante Lugdunense prædicta concilia sub nomine Ordinis Apostolorum, habitum nouæ religionis assumpserunt, quanquam nullam aliquando confirmationem Sedis Apostolicæ meruissent, prohibitionis ac reuocationis prædictæ temerarij præsumptores, eundem habitum, seu ei consimilem sub eodem nomine vsque hodie deferentes, quamplures etiam alij, assumpto post dictum Lugdunense Concilium, huiuscemodi habitu, per diuersas Mundi partes mendicando discurrere non verentur, facientes ea quæ non condecent, in animarum suarum periculum, & graue scandalum plurimorum: præsertim cum nonnulli, prauitatis hæreticæ vitio, laborantes, sub huiusmodi habitu sint inuenti. *Quidam tamen religionẽ sub nomine Ordinis Apostolorũ induxerunt multa mala patrantes.*

§. 2. Nos igitur volentes, talium prænaticatorum insolentem audaciam refrænari, & prædictam, non tam religionem, quam perniciosam sectam penitus aboleri, ne forte fidelium simplices, falsa sanctitatis eorum imagine seducantur, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quoscumque de prædictis in vestris ciuitatibus & diœcesibus inuenire contigerit, eos ad deponendum huiusmodi habitum, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compellatis, monentes eosdem, vt si religiosam vitam ducere cupiunt, ad aliquam se transferant de religionibus approbatis. Quod si aliqui eorum censurã prædictam contempserint, vos contra ipsos ad pœnam carceris, seu aliam prout expedire videbitis, procedatis, inuocato aduersus eos, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. *Hic ergo Pōt. eam damnat.*

§. 3. Cæterum vt prædicti eo facilius à sua insolentia compescantur, quo magis à CHRISTI fidelibus abiici se viderint & contemni: Volumus nihilominus, quod huiusmodi processum nostrum, in vestrarum ciuitatum & diœcesum terminis, iteratis vicibus publicantes, ac facientes per aliquos publicari, eosdem populos auctoritate nostra moneatis, & inducatis attente, ne aliquem de prædictis præfatum habitum deferentibus, recipere præsumant in hospitio, vel eis aliquas eleemosynas largiantur nec ad deferendum habitum, seu ei consimilem, impendant consilium, auxilium, vel fauorem. *Subsidium nemque prohibet.*

Dat. Romæ apud S. Sabinam, 5. Id. Martij, Pont. nostri Anno 1. sub anno Dominicæ incarnationis 1285. *Dat. P. A. 1. die 11. Mar.*

II. Quod filij & nepotes eius qui de hæresi inquisitus & absolutus fuit, ad officia & beneficia admitti possint.

Concordat. const. 12. Alex. IV. Quod super §. 12.

Edita An. D. 1286.

HONORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Fratri Galgano de Eugubio, Ordinis Fratrum Minorum Inquisitori hæreticæ prauitatis in Ducatu Spoletano, Salutem, & Apost. benedictionem.

Romani Pont. frequenter Inquisitoribus commiserunt hæreticorum, fautorum, eorumque filios & nepotes beneficiis & officiis priuari, & Alex. IV declarauit id intelligi de filiis & nepotib. non conuersorum in eius bulla citanda.

EXhibita nobis dilecti filij Archioni militis nati quondam Philippi dicti Palmerij militis Spoletani petitio continebat, quod olim significantibus fel. rec. Alexandro Papæ prædecessori nostro Inquisitoribus prauitatis hæreticæ per Italiam deputatis, quod frequenter à Sede Apostolica committebatur eisdem, vt tam hæreticos, credentes, fautores, & receptatores hæreticorum, quam ipsorum filios & nepotes priuandi dignitatibus, personatibus, & officiis publicis, & beneficiis ecclesiasticis, dictorum diœcesanorum, vel eis absentibus vicariorum suorum consilio haberent liberam potestatem: & qualiter hoc deberet intelligi postulantibus declarari, præfatus prædecessor eisdem Inquisitoribus per suas duxit literas respondendum, quòd de filiis & nepotibus illorum hæreticorum, credentium, & aliorum huiusmodi, qui modo tales esse probantur, intelligendum esse videbatur, non autem illorum quos emendatos esse constaret, ac pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam ipsi, vel iam perfecerant, vel humiliter prosecutioni eius instarent, vel parati fuerant dum viuerent, ad recipiendum eandem.

Quidam Philippus, inquisitus & emendatus fuit, & tamen Communitas Spoleti nolebat admittere ad officia eius filium neque nepotes.

§. 2. Verum licet Inquisitor prauitatis huiusmodi, tunc in partibus illis per Sedem Apostolicam deputatus, memoratum Philippum qui sibi confessus extitit, quòd cuidam hæretico reuerentiam fecerat, quædam contra fidem proferendo Catholicam, priuauerit bonis suis, ac idem Philippus iniunctam sibi propter hoc ab eodem Inquisitore pœnitentiam perfecerit reuerenter, ac tandem sicut verè Catholicus receptis ecclesiasticis sacramentis viam fuerit vniuersæ carnis ingressus, & ab Inquisitore præfato etiam absolutus, tamen Potestas, Consilium & Commune Spoletanum dictum Archionum eiusque filios occasione præmissorum, ad officia ciuitatis Spoletanæ pro sua recusant admittere voluntate. Quare prælibatus Archionus nobis humiliter supplicauit; vt nos misericorditer attendentes, quòd idem Philippus sicut præmittitur, tanquã verè Catholicus & fidelis Ecclesiæ Romanæ decessit, eundem Archionum & filios eius decernimus, iuxta præmissum eiusdem prædecessoris responsum, in aliquo puniri occasione huiusmodi non debere: sed eos ad omnia sæcularia officia, & beneficia ecclesiastica, & dignitates, ac ad omnes ordines, impedimento huiusmodi non obstante, potius admittendos.

Hic tamen Pont. iubet eos admitti constito esse fideles.

§. 3. Quia igitur de facto huiusmodi & eius circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem: Nos gerentes de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, præsentium tibi auctoritate committimus & mandamus, vt si diligenti inquisitione præmissa, prædicta inueneris veritate fulciri, & tibi etiam constiterit, quòd præfati Archionus & filij non sint de hæretica prauitate suspecti & in fidelitate ac deuotione Ecclesiæ supradictæ persistant (super quibus omnibus tuam intendimus conscientiam onerare) auctoritate nostra denuncies, & declares, quod propter præmissa, vel eorum occasione nihil eis possit obiici, vel opponi, quin ad omnia sæcularia officia, & beneficia ecclesiastica, etiamsi dignitates existant, illis non obstantibus, assumi libere valeant: & hi qui liberati esse noscuntur, ad omnes ordines promoueri, prout secundum Deum, & honorem Catholicæ fidei videris expedire. Quicquid autem super his inueneris, & duxeris faciendum, nobis per tuas patentes literas harum seriem continentes fideliter studeas intimare.

Dat. P. An. 2. die 27. Nou.

Dat. Romæ, apud S. Sabinam, 5. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

NICOLAVS IV. PONT. CCXIII.
ANNO DOMINI MCCLXXXVIII.



NIcolaus IV. Asculanus, homili genere in Picentibus ortus, Fr. Hieronymus Asculanus antea dictus, Episcopus Prænestinus, Creatus 8. Kal. Martij, Anno Domini 1288. Coronatus 6. Kal. Martij, eodem anno. Sedit annos 4. mensem vnum, dies quatuordecim. Creauit Cardinales 8. Obiit Romæ pridie Nonas Aprilis 1292. & in Ecclesia S. Mariæ Maioris sepultus. Vacauit Romana Sedes annos duos, menses tres, dies duos.

I. Quod Christiani ad Iudæorum ritum transeuntes, ipsiq; Iudæi ad Christianam fidem conuersi, ad illum redeuntes, ab Inquisitoribus vti hæretici, eorumque auxiliatores puniantur: Iudæi vero, Christianos ad eorum ritum trahentes, pœna debita compescantur.

Eiusdem argumenti constitutiones ediderunt Clemens IV. Const. 13. & const. 14. Greg. X. hic sup. Const. 3. Turbato quas declarauit Bonifac. VIII. in cap. Contra de Haret. in 6. Prout aliam similem legem statuit contra huiusmodi Christianos, & Saracenos Gregorius XI. in eius constit. 2. Admodum.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, auctoritate Sedis Apostolicæ deputatis, & in posterum deputandis, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1288.*

TVRBATO corde audiuimus, & narramus, quòd non solum quidam de Iudaicæ cæcitatis errore ad lumen fidei Christianæ conuersi, ad priorem reuersi esse perfidiam dignoscuntur; verumetiam quamplurimi Christiani, veritatem Catholicæ fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum Iudaicum transtulerunt, quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc CHRISTI nomen sanctissimum, quadam familiari hostilitate, securius blasphematur. *Causa huius constitutionis.*

§. 1. Cum autem huic pesti damnabili, congruis & festinis deceat remediis obuiare, vniuersitati vestræ per *Sanctio cõtra Christianos.*

Apostolica

ad ritum Iudæorum transeuntes & Iudæos conuersos ad illum redeuntes.

Apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos, auctoritate Sedis Apost. designatos, super præmissis, tam per Christianos quam etiam per Iudæos, inquisita diligenter & sollicitè veritate, contra omnes quos talia inueneritis hactenus commisisse, aut committere in futurum, tanquam contra hæreticos; contra fautores quoque, receptatores, & defensores eorum, procedere studeatis.

Sanctio contra Iudæos ad eorum ritum Christianos inducentes.

§. 2. Iudæos autem, qui Christianos vtriusque sexus, ad eorum ritum execrabilem induxerint, aut inueneritis de cætero inducentes, pœna debita puniatis: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo: inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

** alias Reate D.P.A.1. die 3. Sept.*

Dat. Romæ * Nonis Septemb. Pontificatus nostri anno primo.

II.

Approbatio Tertiæ Regulæ Fratrum & Sororum Tertij Ordinis à B. Francisco institutæ, pro sæcularibus in proprijs domibus viuentibus, Tertiariis nuncupatis.

Quoad istos Tertiarios, nonnullas vidi Pontificias constitutiones quas prætermisi, quia ea attenditur quæ à Leone X firmata fuit, inf. in const. 22. Dum intra, ad finem.

Huic Regulæ addixerunt se etiam alij, qui regularem vitam ducebant, ideo eam pro his Regularibus reformauit idem Leo infra in constit. 42. Inter cætera. De tertio autem Ordine S. Francisci, notaui supra ad const. 5. Honor. III. Solet.

Edita An. D. 1289.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Fratribus, & dilectis in Christo filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de Pœnitentia, tam præsentibus, quam futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

SVpra montem Catholicæ fidei quam populis gentium, qui ambulabant in tenebris, discipulorum Christi sincera deuotio igne charitatis exæstuans, verbo sollicitæ prædicationis edocuit, quamque Romana tenet & seruat Ecclesia, solidum Christianæ Religionis positum noscitur fundamentum, nullis vnquam concutiendum turbinibus, nullis quassandum fluctibus tempestatum. Hæc est etenim recta, veraque Fides, absque cuius consortio nemo in conspectu Altissimi acceptus redditur, nemo gratiosus occurrit. Hæc est, quæ salutis semitam præparat, & fœlicitatis æternæ prœmia gaudiaque pollicetur. Ideoque gloriosus CHRISTI Confessor B. Franciscus huius Ordinis Institutor, viam ascendendi ad Dominum verbo pariter & exemplo demonstrans, ip sius sinceritate Fidei suos filios erudiuit, eosque illam profiteri, constanter tenere, similiter ac opere voluit adimplere, vt per eius semitam salubriter incedentes, mererentur post vitæ præsentis ergastulum, æternæ beatitudinis effici possessores.

De modo examinandi volentes intrare Ordinem. Cap. I.

Examina recipiendorum.

Nos igitur Ordinem ipsum opportunis fauoribus prosequentes, ad eius augmentum benignius intendentes, statuimus, vt omnes quos ad seruandam huiusmodi vitæ formam assumi contigerit, ante assumptionem, seu acceptationem ipsorum, de Fide Catholica, & obedientia erga præfatam Ecclesiam diligenti examinationi subdantur. Et si eis professi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti, seu recipi tute poterunt ad eandem. ¶ Præcauendum est tamen sollicite, hæreticus ne quis, vel suspectus de hæresi, aut etiam infamatus, ad vitæ obseruationem ipsius quomodolibet admittatur. Et si talem inueniri contigerit extitisse receptum, assignetur ille quamcitius Inquisitoribus prauitatis hæreticæ puniendus.

De forma recipiendi volentes intrare Ordinem. Cap. II.

Receptio ad probationem & professionem, ac stabilitas in Ordine.

Cum autem Fraternitatem huiusmodi quis intrare voluerit, Ministri ad receptionem talium deputati, eius officium, statum, & conditionem solerter explorent, sibi fraternitatis eiusdem onera, & præcipuè alienorum restitutionem apertius exponentes. Quibus præmissis, si eidem placuerit, iuxta modum huiusmodi induatur, & de alienis (si qua fuerint apud eum) satisfacere studeat in pecunia numerata, vel secundùm exhibitam pignoris cautionem, seque nihilominus proximis reconciliare procuret. ¶ Quibus omnibus ad effectum perductis, post vnius anni spatium, cum aliquorum discretorum Fratrum consilio, si is videbitur ipsis idoneus, recipiatur hoc modo, videlicet, vt promittat se diuina præcepta omnia seruaturum, ac etiam satisfacturum (vt conuenit) de transgressionibus, quas contra hunc viuendi modum commiserit, cum interpellatus ad Visitatoris extiterit voluntatem. Et huiusmodi ab eo facta promissio, per manum publicam in scriptis inibi redigatur. Alio autem modo nullus à Ministris recipiatur eisdem, nisi visum eis aliter fuerit, conditione personæ, ac ipsius instantia, sollicita consideratione discussis. ¶ Ordinamus præterea statuentes, vt nullus post ipsius fraternitatis ingressum de eadem egredi valeat, ad sæculum reuersurus. Possit tamen transitum habere liberum ad Religionem aliam approbatam. ¶ Mulieribus verò viros habentibus (nisi de ipsorum licentia & consensu) non pateat ad consortium dictæ fraternitatis ingressus.

De forma habitus, & qualitate indumentorum. Cap. III.

Habitus & indumentum Fratrum & Sororum.

Fratres insuper ipsius fraternitatis, de humili panno in pretio, & colore, non prorsus albo vel nigro, communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per Visitatores de consilio Ministri ob causam legitimam, & apertam, cum aliquo dispensatum. Chlamydes quoque ac pelles, absque scollaturis, scissas, vel integras, affibulatas tamen, vel patulas, vt congruit honestati, clausasque manicas Fratres habeant supradicti. ¶ Sorores etiam chlamyde induantur, & tunica de huiusmodi, humili panno factis vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum, seu placentinum, coloris albi vel nigri, aut paludellum amplum de canabo, siue lino, absque vlla crispatura consutum. ¶ Circa humilitatem vero panni, & pellitones Sororum ipsarum iuxta conditionem cuiuslibet earundem, ac loci consuetudinem poterit dispensari. ¶ Bindis, & ligaturis sericis non vtantur, pelles duntaxat agninas, bursas de corio, & corrigias, simpliciter absque serico vllo factas, & non alias, tam Fratres habeant, quam Sorores, depositis cęteris, (iuxta P. Betri Apostolorum Principis salubre consilium) vanis huius sæculi ornamentis.

Quod non vadant ad inhonesta conuiuia, & spectacula, & quod histrionibus non donent. Cap. IV.

Spectacula & conuiuia vitanda.

Sit eis ad inhonesta conuiuia, vel spectacula, siue curias, seu choreas, accessus penitus interdictus. Histrionibus, seu vanitatis intuitu nihil donent. Et ne quidquam illis donetur à propria familia, prohibere procurent.

De abstinentia, & ieiunio. Cap. V.

Ieiunium.

Ab esu carnium secunda, quarta, & sexta feria, dieque Sabbati, abstineant vniuersi, nisi aliud infirmitatis, vel debilitatis instantia suaderet. Minutis verò per triduum carnes dentur, nec subtrahantur in itinere constitutis. Sit quoque ipsarum comestio licita singulis cum solemnitatem præcipuam interuenire contigerit, in qua cæteri Christiani ab antiquo epulis carneis vesci solent. Aliis autem diebus, in quibus ieiunium non seruatur, oua, & caseus non negentur. Sed & cum Religiosis cæteris, in eorum Conuentualibus domibus licitè sumere valeant de appositis ab eisdem. Sintque prandij, cœnæque refectione contenti, exceptis languidis, & viatoribus,

& infirmis. ¶ Sit satis cibus moderatus, & potus, cum textus Euangelicus habeat, Attendite ne corda vestra, crapula & ebrietate grauentur. Prandium autem, vel cœna, nisi præmissa semel Dominica oratione non sumatur, post sumptionem cuiuslibet cum Deo gratias, iteranda, quod si omitti contigerit, dicatur tribus vicibus Pater noster. ¶ Qualibet verò sexta feria totius anni ieiunium celebretur, nisi fortè infirmitatis vel alia causa legitima excusentur, nisi Festum Natalis Domini feria ipsa occurreret obseruandum. Sed à festo omnium Sanctorum vsque ad Pascha, quarta, & sexta feria ieiunabunt. Alia quæ ab Ecclesia sunt statuta, vel Ordinariis ex causa communiter indicta, ieiunia nihilominus seruaturi. In Quadragesima verò B. Martini, vsque ad diem Natiuitatis Domini, & à Dominica Quinquagesimæ vsque ad Pascha, diebus singulis (exceptis Dominicis) ieiunare procurent, nisi aliud forrasse infirmitas, vel necessitas alia suaderet. Sorores grauidæ, vsque ad suæ purificationis diem ab exercitatione qualibet corporali (orationibus duntaxat exceptis) poterunt, si voluerint abstinere. ¶ Laborantes autem (propter fatigationis afficientis instantiam) à Dominicæ Resurrectionis festo vsque ad festiuitatem B. Francisci prædicti, ter in die qua exercitio laboris incumbent, licitè sumere cibum possunt. Cum vero illos contigerit aliorum imminere laboribus, de cunctis appositis, die quolibet sumere licebit eisdem, nisi sexta feria, vel dies sit alia, in qua generaliter ab Ecclesia ieiunium noscitur institutum.

Quoties debeat confiteri per annum, & sumere Corpus Christi. Cap. VI.

Confessione & Communione. Singuli autem Fratrum, & Sororum ipsarum, ter in anno, videlicet, in Natali Domini, in Resurrectione ipsius, & Pentecostes festiuitatibus, peccata propria confiteri, & Eucharistiam deuotè suscipere non postponant, reconciliando se proximis, & restituendo etiam aliena.

Quod non ferant arma impugnationis. Cap. VII.

Armorum delatione. Impugnationis arma secum Fratres non deferant, nisi pro defensione Romanæ Ecclesiæ, Christianæ Fidei, vel etiam terræ ipsorum, aut de suorum licentia Ministrorum.

De dicendis horis Canonicis. Cap. VIII.

Horarum recitatione & alijs orationib. Dicant vniuersi quotidie septem horas Canonicas, videlicet, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. Clerici, videlicet scientes psalterium, pro Prima Deus in nomine tuo, Beati immaculati, vsque ad Legem pone, ac alios Horarum Psalmos, iuxta Clericorum ordinem, cum Gloria Patri dicant. ¶ Cum verò ad Ecclesiam non accedent, pro Matutino Psalmos dicere studeant, quos dicunt Clerici, vel Ecclesia Cathedralis, vel saltem vt illiterati alij, pro Matutino duodecim, & pro alia qualibet hora septem vicibus Pater noster, cum Gloria Patri dicere non omittant. In quibus, videlicet Primæ ac Completorij horis, minus symbolum, & Miserere mei Deus, adiiciant qui nouerunt. Sed si Horis non dixerint constitutis, dicant tribus vicibus Pater noster. ¶ Infirmi autem, Horas huiusmodi non teneantur dicere, nisi velint. ¶ In Quadragesima verò S. Martini, & etiam in maioribus Ecclesiis in quarum parochiis habitant, matutinalibus Horis personaliter adire procurent, nisi causa rationabili excusentur.

Quod omnes, qui de iure possunt, faciant testamentum. Cap. IX.

Testamentis. Omnes præterea, quibus de iure facultas affuerit, condant, seu faciant testamentum, & de bonis suis infra tres menses post eorum ingressum immediate sequentes, ordinent & disponant, ne quenquam illorum contingat decedere intestatum.

De pace reformanda inter Fratres, & alios extraneos. Cap. X.

De pace verò inter Fratres & Sorores, aut etiam extraneos in discordia positos facienda, sicut Ministris videbitur ita fiat, adhibito (si facultas affuerit) Episcopi Diœcesani consilio in hac parte. *Pace.*

Quando molestantur contra ius, aut eorum priuilegia. Cap. XI.

Si verò Fratres, vel Sorores contra ius, vel eorum priuilegia per Potestates, seu Rectores locorum, vbi domicilium obtinent, vexationibus impetantur, Ministri loci ad Episcopos, & alios locorum Ordinarios studeant habere recursum, iuxta consilium & ordinationem ipsorum in tabulis processuri. *Vexatione contra priuilegia.*

Quod caueant, in quantum possunt, à iuramentis solemnibus. Cap. XII.

A iuramentis autem solemnibus omnes abstineant, nisi necessitate cogente in casibus per indulgentiam Apostolicæ Sedis exceptis, videlicet, pro pace, fide, calumnia, & testimonio perhibendo, ac etiam in contractu emptionis, venditionis, & donationis, vbi videbitur expedire. ¶ In communi quoque loquela, vitent, prout poterunt, iuramenta. ¶ Et qui die aliqua, minus cautè iurauerint lapsu linguæ (prout contingere in multiloquio consueuit) die ipso in sero, cum debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus orationem Dominicam propter incautè facta huiusmodi iuramenta. Memor autem sit quilibet, vt ad diuina obsequia, familiam propriam exhortetur. *Iuramentis.*

De audienda Missa & Congregatione facienda. Cap. XIII.

Vniuersi sani Fratres & Sorores cuiuscumque Ciuitatis, aut loci, diebus singulis (si commodè poterunt) Missæ officium audiant, Et mense quolibet ad Ecclesiam, siue loca, ad quam, vel ad quæ Ministri curauerint intimare, conueniant, Missarum solemnia inibi audituri. ¶ Vnusquisque autem, vsualis monetæ denarium Missario tribuat, qui pecuniam huiusmodi colligat, & eam de consilio Ministrorum inter Fratres, & Sorores paupertate grauatos, & præcipuè infirmantes, ac eos, qui funeris carere dignoscuntur exequiis, & deinde inter pauperes alios, diuidant congruenter. ¶ Offerant insuper de ipsa pecunia, Ecclesiæ memoratæ. Tuncque (si commode poterunt) virum religiosum, & in verbo Dei competenter instructum habere procurent, qui eos ad pœnitentiam, & misericordiæ opera exercenda hortetur, sollicite moneat, & inducat. ¶ Studeat quilibet, dum Missæ celebratur officium, & prædicationis verbum proponitur, seruare silentium; orationi, & officio sit intentus, nisi cum communis vtilitas fraternitatis impediat. *Missa audienda & congregatione facienda.*

De fratribus infirmis, & defunctis. Cap. XIV.

Cum autem, quemquam ex fratribus infirmari contigerit, Ministri, per se vel per alium, seu alios (si hoc eis infirmus fecerit intimari) semel in hebdomada, visitare teneantur ægrotum, ipsum sollicitè ad recipiendum pœnitentiam (prout melius, & efficacius expedire putauerint) inducentes, necessaria illi de bonis communibus ministrando. ¶ Et si præfatus infirmus de præsenti luce migrauerit, Fratribus & Sororibus tunc in Ciuitate, vel loco, vbi eum contigerit mori præsentibus nuntietur, vt defuncti exequiis procurent personaliter interesse. A quibus, donec Missarum fuerint celebrata solemnia, & corpus tumulo conditum, non recedant. ¶ Hoc quoque circa Sorores infirmas, & decedentes volumus obseruari. ¶ Præterea intra octo dies post ipsius sepulti obitum immediate sequentes, quilibet Fratrum & Sororum ipsarum dicat pro anima eius, Sacerdos videlicet, Missam vnam; sciens Psalterium 50. Psalmos & illiterati *Infirmis, & exequijs defunctorum.*

totidem

totidem Pater noster, & in fine cuiuslibet Requiem æternam adiiciant. Et post hæc, infra annum, pro Fratrum & Sororum, tam viuorum, quam defunctorum salute, tres Missas faciant celebrari. Qui verò psalterium scierint, illud dicant, & cæteri orationem Dominicam centies dicere non omittant, Requiem æternam in fine cuiuslibet addituri.

De Ministris. Cap. XV.

Officiis recte administrandis.

Ministeria quoque, ac aliæ officia, quæ præsentis formulæ series exprimit, imposita sibi quisque deuote suscipiat, curetque fideliter exercere. Officium autem cuiuslibet, certi temporis spatio limitetur. Nullus Minister instituetur ad vitam, sed eius ministerium certum tempus comprehendat.

De visitatione, & correctione delinquentium. Cap. XVI.

Correctione delinquentium.

Ad hæc, Ministri, & Fratres, ac Sorores Ciuitatis, & loci cuiuslibet, ad visitationem communem in aliquo loco Religioso, vel Ecclesia, vbi locum huiusmodi contigerit deesse, conueniant, & Visitatorem habeant Sacerdotem, qui alicuius approbatæ Religionis existat, quique illis, de commissis excessibus, iniungat pœnitentiam salutarem. Nec quiuis alius possit eis huiusmodi visitationis officium exhibere. ¶ Quia verò, præsens viuendi forma, institutionem à B. Francisco prælibato suscepit, consulimus, vt Visitatores, & informatores, de Fratrum Minorum Ordine assumantur, quos Custodes, vel Guardiani eiusdem Ordinis, cum super hoc requisiti fuerint, duxerint assignandos. Nolumus tamen congregationem huiusmodi à Laïco visitari. Huiusmodi autem visitationis officium, semel exerceatur in anno, nisi necessitate aliqua suadente fuerit pluries faciendæ. ¶ Incorrigibiles vero, ac inobedientes, monitio trina præueniat. Qui si se corrigere non curauerint, de ipsius Congregationis consortio expellantur omnino, de consilio discretorum.

De vitandis litigiis inter se, & cum aliis. Cap. XVII.

Litigiis vitandis.

Vitent insuper Fratres & Sorores (iuxta posse) litigia inter se, illa (si suscitari contigerit) sollicite dirimendo, alioquin, de iure coram illo respondeant, apud quem potestas residet iudicandi.

Qualiter, & per quos in abstinentiis possit dispensari. Cap. XVIII.

Dispensatione circa abstinentias.

Ordinarij autem locorũ, vel Visitator, cum Fratribus, & Sororibus vniuersis, in abstinentiis, ieiuniis, & austeritatibus aliis, ex causa legitima (cum expedire viderint) poterunt dispensare.

Quod Ministri eorum manifestas culpas denuntiẽt Visitatori. Cap. XIX.

Incorrigibilibus.

Ministri vero, manifestas Fratrum & Sororum culpas Visitatori denuntient puniendas. ¶ Et si quisque incorrigibilis fuerit, post trinæ admonitionis instantiam, à Ministris (de discretorum Fratrum aliquorum consilio) Visitatori nuntietur eidem, de fraternitatis consortio abiiciendus ab ipso & in Congregatione postmodum publicandus.

Qualiter in prædictis nemo obligatur ad culpam mortalem. Cap. XX.

Non obseruantibus Regulam.

Cæterum in præmissis omnibus, ad quæ Fratres vestri Ordinis non ex diuinis præceptis, vel statutis tenentur Ecclesiæ, nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligari, sed impositam sibi pœnitentiam, pro transgressionis excessu, prompta humilitate recipiat, & efficaciter studeat adimplere.

Sanctio pænalis.

§. 2. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostri statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temeratio contraïre. Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Reate, 16. Kalendas, Septembris; Pontificatus nostri Anno secundo. *D P A 2. die 17. Aug.*

Declarationes Reformationis Greg. IX. Monachorum Congreg. Cluniacensis, ordinis S. Benedicti. III.

Huius Greg. constit. est num. 5. sup. vbi notaui.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Abbati Clun. eiusque Coabbatibus, Prioribus, & Conuentibus vniuersi Cluniacensis Ordinis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita, A. D. 1289.*

Exordium.

Regis pacifici pacis opera diligentis gerentes (licet immeriti) vices in terris, pacis bonum & concordiæ stabilis vnitatem cunctis fidei orthodoxæ cultoribus, sed potissimè regularis obseruantiæ vinculo alligatis, feruentibus votis appetimus, & sollicitis studiis procuramus, vt diuinorum cultui, cui salubris illos dedicauit intentio, liberius & commodius immorentur. Quamobrem vigiles reddimur, & propensius affectamus, vt inter vos diuinis obsequiis regulariter deputatos, tranquilla pax vigeat, fraterna charitas ferueat, animorum identitas perseueret.

Greg. IX. statuta edidit ad reformationem Ordinis in sua cõst. 5. Benedict.

§. 1. Sanæ fœlicis recordationis Gregorius Papa nonus, prædecessor noster, ad vestrum & Monasterij vestri statum prosperum & tranquillum intendens, nonnulla pro reformationa Cluniacensis Ordinis duxit dum viueret auctoritate Apostolica statuenda, quæ districte ac inuiolabiliter obseruari præcepit in Ordine supradicto.

Hic Pont. ea declarat, vt sequitur.

§. 2. Nos autem diligentius attendentes, quod aliquorum ex statutis huiusmodi quæ nobis non modicùm difficilia videbantur, non poterat obseruatio efficax prouenire, circa illa prout expedire cognouimus; duximus prouidendum. Et volentes ipsius prædecessoris vestigia imitari, auctoritate Apostolica duximus statuendum, vt statuta ipsa iuxta moderationem nostram prout notatur inferius in eodem Ordine perpetuis futuris temporibus obseruentur.

Capitulũ generale quando, à quibus & qualiter fieri debeat.

§. 3. In primis itaque statuimus, vt omnes Abbates, & Priores Cluniacen. Ordinis, immediate Monasterio Cluniac. subiecti, in regno Franciæ constitutis annis singulis, existentes autem in Anglia, Hispania, Alemania & Lombardia, de biennio in biennium, conueniant ad Capitulum generale, vbi sine personarum acceptione, secundum Deum, & B. Benedicti regulam & Cluniacen. Ordinis instituta, delinquentium corrigantur excessus, & de salute animarum, & conseruatione Ordinis ac domorum indemnitate tractetur, & statuatur quod fuerit regulariter statuendum. Nec in hoc Priores & Camerarij inuicem sibi parcant: sed vnusquisque quæ viderit in Ordine corrigenda in personis vel rebus, quæ per Visitatores non fuerint correcta, coram Definitoribus annis singulis in publico vel priuatim in charitate proponat. Et hoc idem Visitatores coram Definitoribus facere teneantur, & correctus hoc moleste non ferat, sed correctionem accipiat patiẽter. Hoc autem Capitulum (in quo volumus vt nullæ fiant exactiones ab aliquo, nulla dentur munera vel recipiantur, seu etiam promittantur, sed omnia in synceritate procedant) modo qui sequitur celebretur, & in eo Definitores de Abbatibus & Prioribus Cluniacensis Ordinis eligantur. Ad quod quidem Capitulum Abbates & Priores præfati, modo prædicto per obedientiam venire teneantur (causa duntaxat infirmitatis excepta) nisi casus inopinatus & multum damnosus incurreret, Definitorum & Capituli iudicio relinquendus, & eorum quibus proprium impedimentum seu casum Capitulo & Definitoribus denuntiet supradictis. Qui verò non venerit, & se secundum modum legitime non excusauerit memoratum, post sequens Capitulum ad quod venire similiter teneatur in claustro Cluniacensis duorum mensium spatio

assidue moram trahat. Mediati autem Abbates & Priores, singulis annis semel ad Capitulum conueniant in principalibus Abbatiis & Prioratibus quibus subsunt statuto tempore, prout visum fuerit expedire. Quod si non fecerint, in suis immediate maioribus Abbatiis vel Prioratibus pœna simili puniantur.

Definitores quindecim Capituli generalis pro prima vice eligantur.

§ 4. Circa verò electionem Definitorum Capituli generalis Cluniacensis celebrandi, ordinamus vt dilecti filij nostri Matthæus, tit. S. Laurentij in Damaso, & H. tit. S. Sabinæ præsbyt. Card. ac Abbas Mauziacensis, & Magister Albertus Prior S. Lupi, de ipsius Ordinis Cluniacensis reformatione tractantes apud Sedem Apostolicam quindecim de Abbatibus, & Prioribus Cluniacensis Ordinis supradicti, eligant hac vice in Definitores primi Capituli reformationem huiusmodi subsequentis.

Forma eligēdi Definitores in Capitulo generali.

§. 5. Qui quindecim sic ab ipsis electi, iurent in ipso primo futuro Capitulo generali, ad sancta Dei Euangelia corporaliter tacto libro, quòd in definitionibus secundum Deum & B. Benedicti regulam & Apostolicæ Sedis statuta, sine omni personarum acceptione, procedant, ac ipsi in principio sequentis Capituli antequam tractatus Capituli aggrediantur eiusdem, iurent tactis sacrosanctis Euangelijs, & bona fide sine acceptione personarum eligere quindecim Definitores de Abbatibus, & Prioribus, Si Abbates defuerint nihilominus de Prioribus præfati Cluniacensis Ordinis viros probos, ac Deum timentes, ac zelum communis vtilitatis habentes, & præstito eius huiusmodi iuramento, viros tales postmodum eligant. Volumus autem, quod illi qui Definitores in vno Capitulo fuerint, Capitulo immediate sequenti definitores esse non possint: & hæc forma eligendi Definitores in posterum obseruetur. Si autem aliqui de Definitoribus Capituli præcedentis, ad quos spectat electio Definitorum, abesse contigerit, reliqui qui præsentes fuerint nihilominus ad ipsorum electionem procedere non omittant. Et qui à maiori parte ipsorum eligentium nominati fuerint & electi, sine aliqua exceptione pro Definitoribus habeantur. Et hoc etiam in Definitoribus & Definitorum sententiis obseruetur. Diligentiam autem vel negligentiam Ordinis supradicti, annis singulis Definitores per suas patentes literas, ad moderatas Cluniacensis Ordinis expensas, significare summo Pontifici teneantur: quomodo regula B. Benedicti & præscripta in Ordine ipso seruentur statuta.

Causæ per Abbatem non definita, in Capitulo terminentur.

§ 6. Omnes vero causæ, quæ inter eiusdem Ordinis personas emerserint, & per Abbatem non fuerint terminatæ, delatæ ad Capitulum per Definitores statutos in Capitulo terminentur, & ea statuantur, quæ prouenire ad correctionem, conseruationem & restrictionem, non ad relaxationem Ordinis vel regulæ videbuntur.

Constitutiones Capituli generalis in primis obseruandæ & non immutandæ sunt.

§. 7. Nec aliquis definita seu acta per Definitores Capituli generalis, possit vel audeat immutare; nisi in casu magnæ necessitatis & euidentis vtilitatis, in quo potestas Abbati intelligitur relinquenda de consilio & assensu peritorum & discretorum duorum ex illis qui Domini Ordinis appellantur. Nec dispensare præsumat in pœnis, nisi contra aliquem sententia excommunicationis, suspēsionis, vel interdicti ferretur, qui si patuerit, poterit per Abbatem Cluniacensem aut alium, vel Priorem suum immediate superiorem absolutionis beneficium obtinere, ita tamen quod sic absolui culpa & satisfactio referatur, & appareat Definitoribus in primo tunc sequenti Capitulo generali. In aliis verò pœnis impositis à Definitoribus nullus dispenset, nisi ex necessaria causa & rationabili, quam significari volumus sequenti Capitulo generali, & si Definitores non iudicauerint eam esse legitimam, relaxantes seu dispensantes per ipsos Definitores pœna simili puniantur.

Ordinationes Capit. quando obligent ad mortalem culpam.

§. 8. Definitiones autem seu ordinationes Capituli generalis ad mortalem culpam non obligent, sed ad pœnam, nisi contra essentialia obseruantiæ regularis existant.

Et quoties per Prælatos recitandæ sint.

§. 9. Omnes verò Abbates & Priores annis singulis ad Capitulum venientes, definitiones, si quæ factæ fuerint in suo reditu habere procurent, in vigiliis quinque festorum præcipuorum, & visitationis tempore nihilominus recitandas, vt nullus prætextu ignorantiæ se valeat excusare. Statuta verò præsentia in prima die mensis cuiuslibet legantur, ne per ignorantiam negligantur.

Visitatores in Capitulo generali ordinentur & corrigenda corrigant, &c.

§. 10. Statuimus insuper vt in Capitulo generali Cluniacensi more solito per Definitores ordinentur Visitatores discreti, ac Deum timentes per singulas prouincias, qui iurent ad sancta Dei Euangelia, corporaliter tacto libro quod visitationis officium exercebunt (prout eis fuerit possibile) secundum Deum, & B. Benedicti regulam, ac Sedis Apostolicæ, & Cluniacensis Ordinis instituta; & quæ per eos corrigi poterunt, corrigant secundum gratiam à Domino sibi datam. Ea verò quæ adeo grauia emerserint vel occurrerint, quæ per eos sufficienter non possint commode corrigi; & quæ probata fuerint vel per famam deducta, in publicum referant corrigenda, & punienda per Definitores in Capitulo generali; cætera autem non nisi Abbati exponant, propter pericula euitanda. Statum quoque Abbatiarum & Prioratuum quantum ad spiritualia & temporalia, referre & exponere quoad prælatos & subditos fideliter coram Definitoribus teneantur, sed caueant Visitatores, ne ea quæ inuenerint in locis visitatis de prælatis vel subditis pandant quomodolibet seu reuelent, nisi eo modo quo superius est expressum. Et Visitatores sic instituti, per Abbatem vel alium mutari non possunt, nisi ex causa rationabili & multum vrgenti & euidenti, & hoc de consilio & assensu dictorum Dominorum qui superius nominantur, sed causa ipsa in Visitatorum exprimatur literis, & in sequenti Capitulo & coram Definitoribus exponatur. Quæ si non fuerit rationabilis iudicata, mutans Definitorum arbitrio puniatur. Nec dicti Visitatores à personis & locis quæ visitant recipere quicquam, præter moderatas expensas victui necessarias, quoquo modo præsumant, excutientes manus suas ab omni munere, & cum quatuor tantum ratione Visitationis aut alias equitaturis incedant.

Visitatores quatuor monasterium Clun. & personam Abbatis visitent.

§. 11. Statuimus insuper vt quolibet anno in Capitulo per Definitores, quatuor discretæ personæ ac Deum timentes, videlicet duo Abbates, & totidem Priores Clun. Ordinis eligantur, si Abbates præsentes fuerint, alioquin loco Abbatum eligentur Priores ad visitandum Monasterium Clun. personam Abbatis & loca circumadiacentia. Qui terminato generali Capitulo, & licentiatis Abbatibus & Prioribus ac aliis qui ad Capitulum conuenerant, prius præstito corporali iuramento, suæ visitationis officium infra sex dies post terminatum Capitulum incipiant exequi: ne visitationem huiusmodi (quæ nullo modo debet omitti) contingat quomodolibet impediri. Qui de statu dicti Monasterij & locorum circumadiacentium in temporalibus & spiritualibus, & de Abbatis persona diligenter inquirant, & ea quæ corrigenda inuenerint, corrigere non omittant. Et ea verò quæ maiori consilio indigent, referantur annis singulis ad Capitulum generale, vt Ecclesia Clun. in bono statu per visitationem huiusmodi perseueret. Et si Abbatis exigerent demerita, quod tolerari non debeat, per visitatores moneatur, vt cedat, & liceat Visitatoribus & Conuentui Clun. recipere huiusmodi cessionem. Quod si forte Abbas sibi de cessionis remedio prouidere noluerit, quæ de ipso Visitatorum inquisitio comprehendet, ad Sedem Apostolicam referant.

Abbas Clun. de prouentib. & expen. coram Visitatoribus reddat rationem.

§. 12. Adiicimus autem quod Abbas Clun. coram Visitatoribus de omnibus obligationibus per eundem, vel de eius mandato factis, ac etiam de prouentibus & expensis reddat explicite rationem, & Visitatores prædicti hoc significare sequenti generali Capitulo, & deinde summo Pontifici annis singulis teneantur.

Abbas Clun. loca Ordinis visitet vt hic.

§. 13. Quia vero propter defectum Abbatis remotas prouincias minime visitantis, & domos Ordinis existentes in eis spiritualiter & temporaliter male tractantur, & aliqua à subiectione Ordinis se subtrahere moliuntur, præcipimus vt Abbas Clun. studeat sicut ei possibile fuerit Ordinem visitare, suæ domos, à Cluniacensis Ordinis subiectione subtractas procuret cum Apostolicæ Sedis auxilio ad subiectionem ipsius reuocari Ordinis vel reduci. Quod si dictus Abbas in eiusdem Ordinis visitatione, quam per se vel per alium facere debet, negligens fuerit vel remissus, eum Definitores corrigere teneantur. Qui etiam dum sui Ordinis loca visitat, sit temperatus &

sobrius

sobrius in expensis, ita quod omnibus computatis summam decem librarum turon. paruorum, diebus singulis in sumptibus non excedat. Et visitationis tépore tam ipse quàm sui excutiant ab omni munere manus suas, prout de acceptione munerum in statutis fœl. rec. Greg Papæ IX. prædecessoris nostri noscitur contineri. Infra dictam autem summam idem Abbas se temperet secūdum locorum exigentiam & facultatem ipsorum, & Definitores de mora seu spatio temporis ordinent, quo Abbas & Visitatores huius suæ visitationis officium debeant terminare.

Beneficiorum collatio si ordinetur.

§. 14. Cæterum quia ex mala ordinatione Prioratuum & obedientiarum, vel frequenti mutatione Priorum, multa euenisse detrimenta noscuntur, districtè præcipimus vt Prioratus, Decanatus & omnes aliæ administrationes gratis conferantur, & absque venalitate & aliqua pactione. Nec Cluniacensis aut alij Abbates, aut Priores Clun. Ordinis de prioratibus audeant aut possint facere Decanatus: nec de decanatibus in quibus Decanus curam animarum habet, & Monachi sunt & esse consueuerunt, possint facere grangias; ita quod nec à Monacho, nec à sæculari persona pro aliquo pretio conducantur, & vbi factum est, vel acceptatum contrarium, per Definitores in statum pristinum & antiquum reducatur. Et Prioratus & Decanatus & huiusmodi non nisi sacerdotibus dicti Ordinis Monachis committantur. Hæc autē nolumus ad illas grangias, seu administrationes extendi, quæ curam animarum non habent, & laicis consueuere committi. Si quis autem propter hæc aliquid dedisse vel recepisse conuictus extiterit, nunquam in Ordine Clun. dignitatem habeat, vel honorem. Et si aduersus aliquem super hoc apud Visitatores, vel Definitores vehemens habeatur præsumptio, ipsum per eos à prioratu, vel administratione sic obtēta volumus amoueri. Et si quis humana confisus potentia, per interuentum sæcularium personarum committi sibi obedientiam, vel prioratum poposcerit, nunquam illum obtineat, sed nec alium infra annum.

Illegitimis Prioratus & Decanatus ne conferantur.

§. 15. Nec personis illegitimè natis prioratus & decanatus curam animarum habentes in Ordine ipso vllatenus conferantur: & si secus factum fuerit id per Definitores decreuimus reuocandum.

Priores cur amouenda.

§. 16. Conuentuales quoque Priores quandiu in spiritualibus & temporalibus bene administrauerint, non nisi ex certis causis debent amoueri; videlicet si dilapidatores, vel inobedientes, aut rebelles, seu infames, vel incontinentes extiterint, seu alio graui crimine irretiti, siue ad maiorem dignitatem fuerint promouendi; quod etiam de minoribus Prioribus volumus obseruari.

Abbas vel Prior criminosus, aut infamis quomodo & per quos deponendus.

§. 17. In destitutione verò Abbatum & Priorum Conuentualium, videlicet octo Monachorum, & supra, talis modus & forma seruetur. Videlicet quod si Visitatores Abbatem vel Priorem criminosum, aut infamem inuenerint, patri Abbati referre procurent; qui de consilio sex Abbatum vel Priorum propinquorum eiusdem Ordinis, talem admoneat, vel suspendat, ipseque sic admonitus vel suspensus inclinet humiliter, nec appellet. Nihilominus autem Visitatores, admonitiones & suspensiones huiusmodi, & earum causas Capitulo referant generali. Et Definitores super hoc ordinent & definiant secundum quod eis iuste, ac secundum Deum videbitur expedire. Et quidem vt huic morbo plenum adhibeatur remedium, prout infra duximus prouidendum, videlicet, quod singulis annis in generali Capitulo Definitores scribant & retineant nomina singulorum Abbatum & Priorum, qui tunc in eodem fuerint congregati. In sequenti Capitulo lectis eorum nominibus, in quibus Ecclesijs siue Abbates vel Priores mutati sint, & mutationis causam diligenter attendant; & tunc excessus mutantiū si sine iusta causa mutauerint, & mutatores huiusmodi puniant & emendent, secundum qualitatem excessuum eorundem. Verum quia Monachi nonnunquam Abbatum vel Priorum suorum delicta reuelare formidant, ne ad ignotas & remotas prouincias quasi in exilium relegentur, huic morbo sic duximus prouidendum: quòd videlicet Visitatores cum accesserint ad Monasteria visitanda, diligenter inquirant si quis Monasterio illo anno, cui officium visitationis impendunt, & propter quam causam emissus fuerit. Et si causa regularis extiterit, approbetur; alioquin reuocetur Monachus, & qui eum emisit, Visitatorum arbitrio puniatur. Si quis autem fuerit ab Abbatia vel Prioratu sua culpa remotus, ad aliud Monasterium, in quo digne defleat quod commisit, superioris prouidentia transmittatur. Et si forte propter senectutis defectum aut aliam causam honestam spontaneus cesserit, reuertatur ad claustrum illo sibi quod eligere maluerit deputato, nullusque literas confirmationis habeat, quod a suo Prioratu, vel obedientia nōn debeat amoueri.

Institutio Priorum Conuentualium qualiter fiat.

§. 18. Ad institutionem verò Prioris Conuentualis absque duorum Priorum Conuentualium consilio minime procedatur. Abbates autem & Priores circa temporalia & spiritualia negligentes, per definitores grauiter puniantur, & tales præficiantur qui sciant & possint præesse pariter & prodesse, ac iura commissorum sibi Prioratuum obseruare. Circa personatum verò dicti Ordinis promotionem, sic prouida & æqua ordinatione cēsemus, quod Abbas Clun. in arduis & grauibus negotijs vti debeat consilio sapientum, & dicti Ordinis seniorum. Et in promouendo personas Ordinis, & conferendo beneficia, non sequatur carnalem affectum: sed habendo Deum præ oculis, imitetur in omnibus legem Dei. Et quod dictum est de Abbate Clun. idem per alios Abbates & Priores Ordinis decreuimus obseruandum. Et quia denunciatum est nobis quod raro aut nunquam de claustro Clun. aliquis vel aliqui ad regimen Prioratuum Cluniacensis Ordinis assumuntur, Statuimus quod non tam de claustralibus quam de alijs, sine personarum acceptiōne, personæ idoneæ ad ipsorum Prioratuum regimen assumantur, cum per tales, qui sunt in Monasterio enutriti, magis in Religione Ordo possit & debeat informari.

Pluralitas beneficiorum interdicitur.

§. 19. Adhuc districtius inhibemus, ne quis plures Prioratus, vel Prioratum cum Abbatia eiusdem Ordinis vel alterius habere præsumat. Nec Abbas Cluniacensis, vel aliquis alius Abbas vel Prior eiusdē Ordinis, aliquem de subiectis sibi Prioratibus ad manus suas retineat: sed singulis Prioratibus Priores singuli deputentur.

Nullus nisi Clun. Ordinis Religiosus in Clun. Ordinis beneficium habere debet.

§. 20. Nec aliquis qui Cluniacensis Ordinis non fuerit professus habeat eiusdem Ordinis Prioratum. Nec aliquis Prioratus vel Decanatus Cluniacensis Ordinis cui annexa est cura animarum, vacet vltra sex menses; sed infra huiusmodi tempus Abbas Cluniacensis cæterique Abbates & Priores qui habent Prioratus & huiusmodi decanatus subiectos eis debeant prouidere. Aliter prouisio Prioratuum, & Decanatuum eorundem, Abbati Cluniacensi nullo medio subiectorum, intelligatur ad Sedem Apostolicam deuoluta. Prioratuum verò & decanatuum aliorum prouisio ad suos immediatè superiores deuoluatur omnino, nec Prioratus vel decanatus cum cura personis sæcularibus, Clericis vel Monachis alterius Ordinis, laicis, Prælatis, seu subditis aliquatenus conferantur: & vbi contrarium attentatum esse dignoscitur, Definitorum arbitrio reuocetur. Circa verò illius Prioratus, qui alienari, & permutati esse dicuntur absque Sedis memoratæ licentia, præcipimus vt quod per Abbatem super illis actum est, penitus reuocetur, & Abbas ad reuocationem huiusmodi faciendam quàm primum commodè poterit exhibeat se vigilem, sollicitum & etiam studiosum: ita quoad cletum diuinum & solitum Monachorum numerum ac subiectionem dicti Ordinis reducantur.

In vno Prioratu vnicus Monachus manere non debet.

§. 21. Nec in Prioratu aliquo vnus solus Monachus commoretur, sed ei qui solus est, vnus vel plures socij Monachi adiungantur, si loci suppetant facultates. Alioquin Monachus reuocetur ad claustrum, prouiso quod in eo diuina celebrentur honestè.

Refectio Monachorum sit vniformis.

§. 22. Circa qualitatem autem ciborum, & potus, statuti præcipimus, vt omnes Monachi in vno reficiantur refectorio, de eodem potu & pane, eademque coquina: nisi forte aliquem ipsorum comedere cum Abbate vel Priore, seu in infirmaria contingat. Abbas autem cum fratribus in refectorio comedat: nisi propter hospites mutet locum. In infirmaria verò nullus comedat, nisi propter infirmitatem vel debilitatem illuc fuerit destinatus.

Esus carnium relinquitur arbitrio Abbatis.

§. 23. Circa esum verò carnium licentiam relinquimus dispensationi Abbatis, secundum indulgentiam Clementinæ. Caueat tamen Abbas ne super hoc

sit

sit nimis ad dispensandum facilis, vel laxet nimium manus suas.

Habitus honestus praescribitur.

§. 24. Illud quoque praecipimus obseruari, vt Monachi sicut in claustro, ita foris se habeant: nec incedant sine cucullа & floco, vel sine cuculla & cappa regulari & honesta, nec nimium sumptuosa. Nec equitet Abbas aliquis vel Prior sine postella & sella regulari, quae tamen sumptuosa nimium non existat. Nec aliquis Monachus equitet sine corrigiatis calceis, nisi in longo itinere constitutus: sed contra imbres & pluuias, frigus, & aestus, capellis filtreis possint vti. Nec quisquam in quouis loco, tunicis vel coopertoriis de bruneto, aut pellibus siluaticis, seu camisiis, aut linteaminibus lineis vti praesumant: nec deferat vestes scissas ante & retro. Nec aliquis claustralis habere propriam cappam pluuialem, aut equitaturam sibi deputatam attentet.

Equitaturarum superfluitas submouetur.

§. 25. Circa equitaturas enim & familiam, omnem superfluitatem amputare volentes, mandamus vt Abbas Clun. sexdecim equitaturis contentus existat: & alij Abbates eiusdem Ordinis, ac Prior de Charitate octo: Prior S. Martini sex: Priores alij Conuentuales tribus vel quatuor: & caeteri minores duabus cuectionibus sint contenti. Abbates quoque & Priores dicti Ordinis seruientes honestos habeant, nec nimis comptos: qui & vestes decentes deferant non nimium curiosas.

Contrahendi & rationis reddendae mandatum.

§. 26. Quia verò ad desolationem domorum plurimum operatur laxa potestas debita contrahendi, & quod ratio non redditur de debitis vel receptis, praecipimus vt singuli Abbates & Priores de consilio fratrum & familiae quibus praesunt, cum testimonio bonorum virorum qui ad locum pertinent, cum contrahendum vel innouandum est mutuum, ita faciant diligenter, vt omnibus liqueat quanta summa, quibus conditionibus, & quibus terminis debeatur, & in quos vsus contractum mutuum sit conuersum. Et vt status domorum certior habeatur, Statuimus vt in Monasterio Clun. & aliis Abbatiis & Prioratibus Clun. Ordini subiectos Prioratus habentibus, fiant registra: in quibus scribatur quot Monachi in qualibet dom., iuxta ipsius domus facultates, possint & debeant commorari, & institutio Abbatum & Priorum scribatur in eisdem registris, & in quo statu institutus recipiet Abbatiam seu Prioratum. Et si eam in bono statu receperit, & ipse in malo posuit, bona eius debitis obligando, vel ad vitam, vel perpetuo alienando, absque causa rationabili, per Definitores approbata post factum, vel ante si per relationem fidelium Visitatorum conuictus fuerit de praedictis absque alia iuris solemnitate per Definitores Abbatia sua vel Prioratu priuetur. Dicta verò registra ponantur & conseruentur in arca communi, vbi commune sigillum consueuit pro tempore custodiri. Adiicimus etiam, vt nulla litera sigilletur sigillo conuentus Clun. vel alterius eiusdem Ordinis, nisi in Capitulo coram conuentu in vulgari & latino prius lecta fuerit: & tunc sigilletur. Et postquam sigillata fuerit, si patens fuerit, iterum modo praedicto in Capitulo coram omnibus relegatur. Quo facto ponatur tenor literae in registro, quod registrum seruetur in arca eadem in qua vt praemittitur, seruatur commune sigillum. Et si litera data fuerit de debito contrahendo, cancelletur litera in registro: & à creditoribus repetatur: & habita vel recuperata in libro cancelletur. Singuli autem officiales coram Abbate vel Priore (si non est ibi Abbas) & coram senioribus duobus singulis mensibus de suis officiis rationem, & de omnibus receptis & expensis computationem fideliter faciant. Abbas etiam Clun. & caeteri Abbates & Priores, quater in anno statum suae domus in suo Capitulo, & coram Visitatoribus cum venerint plene declarent. Nullus quoque Abbas, vel Prior, grangiam, pensionem, vel praebendam monacalem saecularibus personis concedere, seu possessionem aliquam, venditionis seu alio aliquo titulo alienare, absque patris Abbatis, aut patris Prioris & conuentus sui consilio & consensu praesumat.

Poena Monachis proprietariis infligenda.

§. 27. Poena insuper Monachis proprietatiis infligatur, videlicet vt per annum ad statum nouum redigantur: & infra dictum annum assiduè coram Conuentu comedant in terra sedentes, & in depositarios, si Monachis proprietariis deposita restituerint, quae sunt suis Monasteriis resignanda, monitione praemissa, excommunicationis sententia promulgetur.

Exactiones & extorsiones vitandae.

§. 28. Ad haec, quoniam Abbas Clun. necnon Abbates & Priores eiusdem Ordinis, Prioratus sibi subiectos exactionibus & extorsionibus consueuerunt adeo aggrauare, quod in eisdem Prioratibus antiquus & consuetus Monachorum numerus est nimium diminutus, nos id de caetero fieri sub attestatione diuini iudicij prohibemus, iniungentes dicto Abbati Clun. & aliis Abbatibus & Prioribus eiusdem Ordinis in virtute sanctae obedientiae, vt deinceps nouos census subiectis sibi Prioratibus vel Decanatibus non imponant absque licentia Sedis Apostolicae speciali: cum liqueat Prioratus ipsos non ad destructionem, sed ad conseruationem Ordinis, & correctionem sibi esse subiectos, & eisdem Prioratibus pro sustentatione Monachorum inibi domino famulantium possessiones pia deuotione fidelium fuisse concessas.

Bona vacantia quae & qualiter per Abbates percipienda sint.

§. 29. Circa ordinationem vel bonorum Prioratuum vacantium praecipimus vt in Prioratibus dicti Ordinis per mortem aut per amotionem Priorum vacantibus, Abbas Clun. palefredum, cappam, & breuiarium Prioris praemortui (secundum antiquam consuetudinem) habeat, & deductis debitis (si qua sint) ante omnia & solutis, Monachis etiam ibidem commorantibus, & Priori futuro, ac familiae domus pro se & necessitatibus suis, vsque ad fructus nouos prius congrua sustentatione dimissa, relictis etiam ad excolendum possessiones necessariis ad refectionem domorum (si necesse fuerit) de residuis mobilibus possit recipere quartam partem. Praecipimus etiam dicto Abbati, vt noua vel falsa debita praefatis Prioratibus non imponat, nec Abbas pro Prioratuum vel talium beneficiorum collatione, aliquid recipere possit: cum hoc non careat vitio simoniae. Animalia etiam domus (praeter dictum palefredum) decernimus, quod nullatenus possit recipere vel habere. Insuper, si aliquis prior nolens praeesse, sed magis in claustro Domino deseruire, renuntiauerit Prioratui, hoc idem praecipimus obseruari. Si autem aliquis Prior eiusdem Ordinis mutatus fuerit, vel translatus alibi praeficiatur, ordinamus & decernimus quod tunc nihil possit dictus Abbas recipere, ne propter vacationem vnius Prioratus, in fraudem plures vacare faciat, vt bona omnia secum portet. Quod autem de Abbate Cluniacensi statuimus de aliis Abbatibus & Prioribus Cluniacen. Ordinis, praecipimus & decernimus obseruari. In dictis verò Prioratibus vacantibus, nullus nisi prius institutus (cui committitur Prioratus) officiales, administrantes, vel ministratores amoueat, nisi de ipsorum administratione mala constaret, vel etiam appareret, vel non extiterit bonae vitae. Statuimus insuper vt nullus Abbas, vel Prior det, seu concedat literas suas alicui clerico, vel laïco, super ipsius receptatione futura in Monachum vel conuersum, in aliqua Abbatia seu Prioratu sibi subiecto.

Nouitij ante 15. annum non recipiantur.

§. 30. Caeterum quia Ordo videtur graue profitentibus iugum imponere, districtius inhibemus, ne ante quintumdecimum annum aetatis completum ad Monachalem professionem puer aliquis admittatur, mulieribus ingressu claustri vel chori interdicto.

Iuste appellans non molestandus est.

§. 31. Statuimus praeterea quod Abbas Cluniacensis nullum ex causis legitimis pro vtilitate Ordinis, vel Abbatiarum, vel Prioratuum appellantem, excommunicare, vel incarcerare seu detinere praesumat. Quod si contrarium factum fuerit, excommunicans, incarcerans, vel detinens, poenam suspensionis merito poterit formidare.

Leuis appellatio prohibetur.

§. 32. Inhibemus tamen, ne Monachi passim & pro causis leuibus contra suos superiores appellent.

Regula S. Benedicti obseruantia non praetermittatur.

§. 33. Et cùm secundùm Euangelicam veritatem, qui mandata Dei propter traditiones transgrediuntur humanas, à domino arguantur: arctissime interdicimus, ne propter nostras * traditiones vel constitutiones, regularia B. Benedicti statuta aliquatenus omittantur.

** f. vestras.*

Hae reformatio ab omnib. obseruetur.

§. 34. Vt igitur huiusmodi mandatum lucerna sit vobis, lex, lux, via vitae, increpatio disciplinae, vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandantes, quatenus mentes vestras & animos, tanquam deuotionis obedientiae filij, ad pacem & quietem

tē vestram sollicite dirigentes, pręscripta statuta studeatis inuiolabiliter obseruare: vt ad frugem melioris vitæ conuersi, ascensionibus in corde dispositis, de gratia in gratiam, & de virtute proficientes salubriter in virtutem, bonus in omni loco efficiamini odor Christi: Nosque in vestris meritis delectari, ad profectus vestros merito intendere valeamus.

D. P. A. 3. die 12. Sept. Dat. Reatæ, 2. Idus Septemb. Pont. nostri Anno 2.

IV. Hospitale Sācti Spiritus in Saxia de Vrbe, cum omnibus eius mēbris & bonis atque personis, sub protectione Sedis Apostolicę suscipitur, & subiectio Hospitalis S. Spiritus in Mōte Pessulano, Hospitali prædicto approbatur.

Alia loca d. Hospitalis vide enuntiata in const. edita (& à me vti minus necessaria prætermissa) à Bonifac. VIII. sub die 28. Iulij 1295.

De institutione autem Hospitalis vide supra in. const. 7. Innoc. III. vbi notaui.

Edita An. D. 1291. *NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Magistro Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, ac illius fratribus, tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis.*

Exordium. INter opera pietatis, &c. Omittitur residuum huius proœmii, quia est idem cum proœmio bullæ Innoc. III. quæ est sup. Hæc igitur attendentes Hospitale nostrum apud S. Mariam in Saxia, locum satis idoneum ad Hospitalitatis officium exercendum, eleemosynis Ecclesiæ Romanæ solemniter constructum, in quo reficiuntur & recipiuntur pauperes, & infirmi, & exhibentur alia opera pietatis, ad exemplar fœl. rec. Innocentij III. Honorij, Gregorij, Alexandri, Clementis IV. Gregorij X. & Nicolai III. prædecessorum nostrorum Rom. Pontif. sub B. Petri & nostra protectione suscepimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Statuentes vt Regularis Ordo, qui secundum Deum in institutione Fratrum Hospitalis S. Spiritus ibidem institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Enuntiatio locorum Hospitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe. §. 1. Propterea quascumque possessiones, quæcumque bona quæ idem hospitale in præsentiarum iuste & canonice possit, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis & vestris successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

In Vrbe & eius territorio. §. 2. Locum ipsum in quo præfatum hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis, domos, vineas, hortos, annuos redditus denariorum, & quicquid iuris habetis in Vrbe, & in territorio & districtu Vrbis. Grangiam de Vallecula cum pertinentiis suis: de Brain: de Malliana: de Peccuritia: de Pauli: de Murasuri: de Campagnano: & de Cæsano grangias: cum domibus, terris, vineis, syluis, pratis, pascuis, possessionibus cultis & incultis, aquarū decursibus, & omnibus pertinentiis suis, & Casale nouum iuxta flumen, cum terris, pratis, possessionibus.

In Regno Siciliæ. §. 3. In regno Siciliæ, Ecclesiam de Diano, & Ecclesiam S. Laurentij extra Dianum: S. Mariæ de campo Dianese: S. Quirici, & S. Spiritus de Claromoote Ecclesias, cum pertinentiis earundem. Apud Castrum Corilionis, domum S. Spiritus cum pertinentiis suis. In diœcesi Caputaquensi Ecclesiam SS. Apostolorum Philippi & Iacobi cum pertinentiis suis. In ciuitate Marsici hospitale S. Spiritus, & hospitale S. Spiritus quod habetis in ciuitate Troiana, & hospitale S. Spiritus, quod habetis in ciuitate Asculi, domos, terras, anneta, iardinos, & quicquid iuris habetis in territorio Genetan. Hospitale nouum quod habetis in ciuitate Aquilen. cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Adria, cum Ecclesia S. Claudij, cum domibus, terris, vineis, pratis, possessionibus, redditibus, & omnibus pertinentiis suis, in vsum brachie, & flumina Gomani. In ciuitate Theatin. hospitale S. Spiritus. Et hospitale S. Spiritus in Piscaria. Et hospitale S. Spiritus, quod habetis in ciuitate Pennen. cum terris, domibus, possessionibus, redditibusve vniuersis bonis & iuribus spectan. ad Ecclesias & hospitalia supradicta, & quicquid iuris in eodem regno hospitale nostrum obtinere noscitur.

In Campania. §. 4. In Campania & maritima, in Ciuitate Anagnien. Hospitale S. Trinitatis, cum domibus, terris, possessionibus, ac omnibus pertinentiis suis. Casale Vrsinum quod habetis in ciuitate Anagnien. cum pertinentiis suis, & Ecclesiam S. Ægidij de Rapello, cum domibus, vineis, terris, syluis, possessionibus, & omnibus pertinentiis earundem. De Monte Fortino, de Velletro, & Cora, Grangias, cum domibus, terris, vineis, & omnibus pertinentiis earundem, domos, terras, vineas, redditus, possessiones, & quicquid iuris habetis in Ferentin. ac Alatrin. & Terracin. ciuitate & diœcesi earundem, domos, terras, vineas, prata, pascua, nemora, molendina, cum aquarum decursibus, & quicquid iuris habetis in castro & territorio Nymphæ in ciuitate Tiburtin. cum domibus, terris, vineis, pratis, possessionibus, ac omnibus pertinentiis suis, In diœcesi, Nepesin. Ecclesiam S. Tolomæi cum terris, possessionibus, cum omnibus pertinentiis suis, & etiam quicquid iuris in ciuitate & diœc. Nepesin. hospitale nostrum noscitur obtinere. In ciuitate & diœcesi Suttin. castrum sanctæ Pupæ, cum Ecclesia S. Mariæ ad portam in dicto castro, terris, possessionibus, molendinis, aquarum decursibus, ac omnibus aliis iuribus & pertinen. & appenden. suis: necnon iurisdictionem temporalem, & quicquid iuris habetis ibidem. Oratorium S. Mariæ de Flore cum omnibus pertinentiis suis. Medietatem Caselli in de Gemita, cum terris, syluis, possessionibus, & aliis ad dictam medietatem spectan. necnon alias possessiones, terras, & redditus, & quicquid iuris in Ciuitate, & diœcesi Suttrin. hospitale nostrum noscitur obtinere.

In Thuscia. §. 5. In Thuscia, hospitale S. Spiritus de Castro Casali, cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis. Hospitale S. Spiritus quod habetis apud S. Quiricum, cum terris, vineis, possessionibus & omnibus iuribus & pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Florentina, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, & omnibus iuribus & pertinentiis suis.

In Patrimonio. §. 6. In Ciuitate Viterbien. domos, terras, vineas, prata, hortos, & quicquid iuris habetis ibidem. In castro Viteallè Placentin. cum turri sibi iniuncta & aliis domibus, terris, vineis, pratis, hortis, & omnibus pertinentiis earundem. Ecclesiam S. Leonardi de Ponte Grandinaro cum pertinentiis suis, & molendinum cum aquarum decursibus, terras, vineas, possessiones. Et quicquid iuris habetis apud Gallesium, & in eius territorio obtinetis, terras, vineas, possessiones. Et quicquid iuris habetis in ciuitate & diœcesi Naruien. medietatem castri Tramise, & partem quam habetis in castro Turricole, cum domibus, terris, vineis, syluis, possessionibus, bomagiis, aquarum decursibus, & omnibus iuribus & pertinentiis ad easdem partem & medietatem spectan. ad Ecclesiam S. Blasij Hortan. cum terris, domibus, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Castrum Pontani, cum terris, vineis, syluis, bomagiis, aquarum decursibus, & omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Leonardi de Septemunis in stratu, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, syluis, & omnibus pertinentiis suis. S. Andreæ de Castro Purchani, cum terris, vineis, syluis, bomagiis, aquarum decursibus, & omnibus pertinentiis suis: domos, terras, possessiones, & quicquid iuris apud Fulginaten. obtinetis,

In Marchia Anconitana. §. 7. In Marchia Anconitan. Hospitale S. Spiritus de Asculo, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, ac omnibus pertinentiis suis. Castrum Offidæ. Ecclesiam S. Iacobi, & Ecclesiam S. Martini, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, & omnibus iuribus & pertinentiis suis.

In Patriarchatu. §. 8. In Patriarchatu Aquileïen. Hospitale S. Spiritus, & Ecclesiam S. Mariæ de Collibus Clemone, cum domibus, terris, vineis, possessionibus & omnibus pertinentiis suis.

In Burgundia. §. 9. In Burgundia, hospitale S. Spiritus de Diuione cum pertinentiis suis, de Dola, de Tornodoro, de Barro, de S. Seuera hospitalia, cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis eorundem, de Bisuntio, de Nonoforo,

de

de Fouenio, de Calei, de Nouocastro, & de Lausanna hospitalia, cum grangiis, terris, possessionibus, & omnibus terris eorundem.

In Lotharingia.

§. 10. In Lotharingia, hospitale S. Spiritus de Nouocastro, cum grangiis Betthoncualte, terris, pratis, nemoribus, molendinis, aquarum decursibus, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Tullo, cum pratis, vineis, aquarum decursibus cum pertinentiis suis, Hospitale S. Spiritus de Vallicolore, cum capella, terris, pratis, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis.

In Regno Alemaniæ.

§. 15. In Regno Alemaniæ de Giefelt, & de Vvinipina Ecclesias, cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis earundem. Hospitale de Vienna, cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis, de Comundia, de Manuch, & Craconia hospitalia: cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis eorundem. Hospitale S. Spiritus de Stetina, cum grangiis, villis, domibus, terris, vineis, syluis, molendinis, aquarum decursibus, ac pratis, nemoribus, necnon & domibus eidem hospitali subiectis, & omnibus pertinentiis eorundem.

In Anglia.

§. 12. In Anglia, Ecclesiam de Vvtitell. cum Capellis dependen. ab eadem, terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis, ac iuribus ad eandem Ecclesiam & Capellas spectantibus.

In Prouincia Narbonen.

§. 13. In Prouincia Narbonen. hospitale S. Spiritus de Montepessulano Magalonen. diœcesis, cum capella, grangiis, domibus, terris, vineis, pratis, pascuis, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Clapomalauclba, cum capella, & omnibus pertinentiis suis.

In Prouincia Auxitan.

§. 14. In prouincia Auxitan. hospitale S. Spiritus iuxta S. Seueram, cum capella, grangiis, aquarum decursibus, terris, vineis, pratis, pascuis, nemoribus, & omnibus pertinentiis, Hospitale S. Spiritus de Parduuaco, cum capella & omnibus pertinentiis suis.

In Prouincia Burdegalen.

§. 15. In prouincia Burdegalen. Hospitale S. Spiritus de Brageriaco Petragoricen. diœcesis, cum capella, grangiis, terris, domibus, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Ponte Bononæ cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Sulmaco cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S Spiritus de S. Fide cum capella & omnibus pertinentiis suis.

In Prouincia Bituricen.

§. 16. In prouincia Bituricen. hospitale S. Spiritus de Confluentio Lemouicen. diœcesis, cum capella, domibus, terris, vineis, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Marterelo Caturcen diœcesis, cum capella, domibus, terris, vineis, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Montevalenti eiusdem diœcesis, cum domibus, terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S Spiritus de Amelian. Ruthenen. diœcesis, cum grangiis, domibus, terris, vineis, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis.

In Prouincia Arelaten.

§. 17. In prouincia Arelaten. hospitale S. Spiritus Aurasicen. cum omnibus iuribus & pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Brizone, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus Aquen. cum omnibus pertinentiis suis.

In Prouincia Viennen.

§. 18. In prouincia Viennen. hospitale S. Spiritus de Argentaria Viuarien diœcesis, cum omnibus pertinentiis suis.

In Prouincia Tarraconen.

§. 19. In prouincia Tarraconen. Hospitale S. Spiritus Ileiden. cum capella, domibus, & pertinentiis suis.

In Prouincia Toletan.

§. 20. In prouincia Toletan. Hospitale S. Spiritus Segobien. cum grangiis, domibus, terris, vineis, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Valentia, cum Ecclesia S. Lucæ, domibus, terris, possessionibus, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitalia S. Spiritus de Valtra, & S. Spiritus Iaëmia, cum omnibus pertinentiis eorundem. Monast S. Eliæ quondam Ordinis S. Benedicti Nepesin diœcesis, cum Ecclesiis, castris & pertinentiis, quod præfatus Alexander prædecessor noster de fratrum suorum consilio, vobis & per vos hospitali vestro concessit, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, vsagiis & pascuis, in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & in aliis omnibus libertatibus & immunitatibus suis.

Munus Clericorum d. Hospitalis S. Spiritus.

§. 21. Hoc tamen adiecto, vt in eadem Ecclesia quatuor semper ad minus sint clerici regulares eiusdem hospitalis professi, qui pro nobis, & prædecessoribus ac successoribus, & fratribus nostris viuis & defunctis, specialiter obsecrantes, omnia spiritualia liberaliter administrent, & super his nullius, nisi Rom. Pont. correctioni subiaceant, ad quem quoties expedierit, monitione præmissa charitatiua, fiat à fratribus proclamatio propter Deum, vt ipse cognita veritate, decernat quod suo prudenti consilio duxerit prouidendum.

Victum & vestitum habeant administrationeque Sacramentorum vacent.

§. 22. Ipsi autem victu & vestitu contenti, quem eis secundum eandem regulam præcipimus exhiberi, diuinis vacent officiis, & intendant Sacramentis Ecclesiasticis, ita quod de aliis hospitalitatis negotiis, præter concessionem Magistri, se nullatenus intromittant, sed omnia dispositioni tuæ fili Magister, & successorum tuorum, vel eorum qui per te, vel per eos fuerint deputati ad hoc, sine contradictione ac murmuratione relinquant.

Hospitalis S. Spiritus in Montepessulano, subiectio huic Hospitali S. Spiritus in Saxia de Vrbe.

§. 23. Cæterum autem prædictus prædecessor Honorius, vnionem eiusdem Hospitalis & S. Spiritus in Montepessulano, nobis & Hospitali nostro in spiritualibus & temporalibus perniciosam & damnosam recognoscens, ipsam de consilio fratrum suorum dissoluit, statuens vt nec istud illi, nec illud isti, in aliquo teneatur, nec nobis nec illis sit commune. Non obstan. priuilegio dicti Innocentij, nec suo, quod super vnione ipsa apparuerit impetratum. Verum postmodum Rectori & fratres prædicti Hospitalis de Montepessulano, per procuratorem ad hoc legitime constitutum, ipsum Hospitale suum: cum omnibus domibus sibi subiectis & subiiciendis in posterum, vniuersis rebus & iuribus supradictis auctoritate bo. mem. Stephan. tit. S. Mariæ in Transtiberim, & R. S. Mariæ in Cosmedin. Diaconi Cardinalis, quos ad id deputauerat præfatus Gregorius Papa VIII Domui nostræ sponte & voluntarie submiserunt, vti idem hospitale cum domibus suis, nobis & domus nostræ ita sit suppositum & subiectum, sicut domibus Hospitalis Hierosolymitani ex militia temporali, sunt subiectæ & suppositæ domus suæ, quam submissionem & subiectionem admittentes, duximus Apostolica auctoritate confirmandas.

Cæterum, &c. *Residuum omitto, quia est idem quod est in const. 7. Innoc III. citata sup. in rub:*

Papa subscriptio Card. subscriptiones.

Ego Nicolaus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ego Frater Latinus Ostien. & Velitern. Episc. subscripsi.
Ego Girardus Salmen. Episc. subscripsi.
Ego Ioannes Tusculan. Episc. subscripsi.
Ego Ioannes tit. S. Cæciliæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Frater Hugo tit. S. Sabinæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Petrus tit. S. Marci Presb. Card. subscripsi.
Ego Iacobus tit. S. Mariæ in Vialata Diac. Card. subscr.
Ego Neapuleo S. Adriani Diac. Card. subscripsi.
Ego Petrus S. Eustachij Diac. Card. subscripsi.

D. P. A. 4. die 21. Dec.

Dat. apud Vrbem Veterem per manum Magistri Ioannis Decani Baiocen. S. R. E. Vicecancellarij, 11. Kal. Iulij, Indictione quarta Incarnationis Dominicæ 1291. Pontificatus vero D. Nicolai IV. Anno quarto.

De recuperatione Terræ Sanctæ Hierusalem à Saracenis, & de indultis Crucesignatorum ad id proficiscentium, vel contributionem præstantium. V.

Huic recuperationi enixe studuit Innoc. III. vt sup. in eius constitut. 12. Ad liberandam. vbi notaui etiam de Crucesignatis.

Edita An. D. 1291.

NICOLAVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Pia adhortatio ad subueniendum.

ILluminet super vos Dominus vultum suum, & ita suo lumine ad recensendum attentius, qualiter Redemptor

noster

Exhortatio ad recuperationem Terræ Sanctæ.

noster salutem humani generis in Terra Sancta dignatus est misericorditer operari, oculos in vobis hominis interioris illustret, quòd accendatur vt ignis ad subueniendum Terræ illius necessitatibus, zelus vester concalescat, corda inflammentur, affectus & effectum prompta operis prosecutio subsecura commendent. Cuius etenim pectoris etiam lapidei quamcumque duritiem non emolliat, considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo? Cuius viscera non inflammet caritatis ardore, pia consideratio illius humilitatis extremæ, in qua ipse factus est obediens vsque ad mortem, ad exprobrantium opprobria; velut agnus coram tondente se vere mitis obmutuit, & sicut ouis ad occisionem deductus, propter contumelias & terrores, post spinas & sputa, post flagella varia, innocens est sine causa damnatus, ac demum saturatus opprobriis, clauis affixus, aceto & felle potatus in crucis patibulo, tam diræ mortis subiit passionem, mysterium nostræ Redemptionis consummans post traditum etiam spiritum, lanceæ illusione confossus. Hæc filij, & innumerabilia largitatis diuinæ charismata in Terra prædicta ipsi humano impensa generi, ab eodem Redemptore piissimo, si frequenter intra claustra pectoris, attenta meditatione reuolutis, si qua decet attentione pensatis, quis vestrum non feruebit intus, foris ebulliet, exclamabit & dicet. Quid tribuam Domino pro omnibus quæ tetribuit mihi? & non expectato monitoris, vel sollicitatoris officio subiunget vltroneus: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Saracenorum sæua crudelitas.

§. 1. Quis sine acutissimi doloris aculeis considerare potest, non solum veneranda & piissima loca illa, in quorum altero oriens ex alto pro nobis nasci dignatus est, humiliter, in reliquo mori crudeliter non expauit, seu etiam totam quasi iam terram eandem, quam ipse idem sua illustrauit corporali præsentia, miraculis clarificauit immensis, & tandem effusione sui pretiosi sanguinis in nostræ salutis effusi pretium consecrauit, occupata per nefandissimos Saracenos, ipsorum immunditia pollui, fœdissima eorum habitatione fœdari? Quis absque amaritudine summa commemoret tot Christianorum castra, Ciuitates, & alia loca solemnia destructa penitus, ad nihilumque redacta, & eorum incolas eorundem Saracenorum immanitate peremptos? Proh dolor, quis nouitatis (quoniam deplorare libet potius, quam narrare) solers censor, & discriminum quæ comminari videntur, discussor attentus, per noctem & diem, quasi torrentem lachrymas non deducat? Cuius pupilla tacebit? cuius pectoris penetrale continebit suspiria, vel singultuum frequentiam non erumpet, lugubri contemplatione recensens, quod, quantumcumque Mater Ecclesia casum eundem præuenire studuerit, incolis illatum partium in Galeis, bellatorum multitudine, ac subuentione pecuniaria, iuxta persuasam ab eis denuntiatæ necessitatis exigentiam, & oblatæ super hoc petitionis instantiam, succurrendo; nihilominus tamen Ciuitas Acoaneii sic eiusdem matris Ecclesiæ studio communita * quadraginta & quatuor diebus arctissima Babylonicæ potentiæ obsidione circundata, terribilibus machinis diu noctuque vexata, impedita crebris & diris insultibus, membris etiam ipsius per cuniculos arietatis occultos, quadragesimo quarto die; obsidentium viribus (Dei permissione admirabili & stupenda) succubuit, capta per eos, & igni exposita, Christicolis inibi existentibus cæsis innumeris, & cæteris qui habere nequiuerunt ad maritima vasa recursum, in captiuitatem abductis, vt per iugum barbaricæ seruitutis horribile, dispendiis cuiulis mortis adductis, naturali etiam diutius moriantur. Et deinde Tirensis Ciuitatis deditione * secuta.

** alias communita.*

** dedicatione.*

Iterata Papa adhortatio ad recuperationem Terræ Sanctæ.

§. 2. Quis igitur de cætero marcebit otio; quis non exurget; quis ad recuperationem Terræ prædictæ non promptus exiliet; quis tardabit? quem non pudebit ingratitudinis argui; quin potius quasi de infidelitate notari, si Creatori proprio, tam benefico Domino ad redemptionem Terræ illius, quam ipsa Sacra Scriptura testatur omnium cariorem, qua potest promptitudine non assistat; cum etiam secundum Iuris humani censuram subditos suis Dominis, & ad menda, quæ possident, & ad recuperanda iniustè subtracta, debitum fidelitatis adstringat? Quis tot fidei orthodoxæ cultoribus tam inhumaniter trucidatis, de tot calamitatibus captiuorum, & aliis Christianitatis opprobriis, non ex tota mente mouebitur? non suspiret? non anxiabitur ad vindictam? Profectò, cum secundum Apostolum, omnes simus vnum corpus in Christo, non immeritò cum illis de quibus scriptum est, Percussisti eos, & non doluerunt, insensibilitatis arguitur quisquis tantam huius nostri corporis mutilationem, prædictorum videlicet Christicolarum non sentit excidium, & tam grauiter non mœretur. Accingimini ergo Christi fideles, & qui Christiana religione censemini, vos Christianos esse operis persecutione * monstrate. Accipite deuotione, qua Rex viuificæ Crucis signum, illud in considerationis vestræ scrutiniũ deducentes, quod viris quantumcumque magnificis, quantacumque dignitate præditis & virtute, ad gloriam magnã adscribitur, si eis quouis in bello Dominorum insignia gerere concedatur: sub quibus contigit frequenter non sine salutis æternæ discrimine, mortis subire periculum sub eius liber spe remunerationis. Quanto igitur gloriosius, quanto securius Regis Regum in eius bello victoriosum gestare vexillũ, saluriferam videlicet Crucem; sub qua deuotione cõgrua puro corde suscepta, conceptum prosequentibus, mundiria continua, propositum mori est vitæ perennis initium, transitoriæ mortis finis, retributionis inæstimabilis certitudo. Festinate itaque, festinate ad salutis vestræ properare compendium. Accendatur cuiuscumque virilis animus, & consultius attendentes, quod si fortè labor maior ex dictarum Ciuitatum captione proponitur, merces vberior subsequetur, cum sicut scriptum est, secundùm laborem accipiet vnusquisque mercedem. Corpora vestra, & corda pariter eiusdem viuificæ Crucis signo in d. Terræ sæpe præfatum subsidium insignite, nunc præcipuè, dum ipsius Terræ subuentio, multis & olim per Sedem Apostolicam exquisita vigiliis, multis laboribus & oneribus procurata, sed diuersis & aduersis aduentibus diutius impedita, diuina vt supponit deuota credulitas, prouisione dirigitur, & ad excipiendas Terræ ipsius angustias, eamque de impiorum manibus emendam, efficaciter sub spe diuini numinis præparatur.

** alias prosecutione.*

Destinatio Regis Angliæ pro Duce omnium Crucesignatorum, proficiscentium pro d. recuperatione.

§. 3. Siquidem carissimus filius noster Christianissimus Princeps Eberardus Angliæ Rex Illustris, post tractatus varios super generali suo passagio in ipsius Terræ subsidium faciendo, diuersorum Pontificum Romanorum tẽporibus habitos, nouissimè tanquam benedictionis filius nostris beneplacitis acquieuit, & vt post Christum, iuxta consilium eius eat, se ipsum abnegans ac tollens, vt eundem sequatur Dominum, crucem suam, terminum, festum videlicet Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ (quod erit An. Domini 1293. & ei ad transfretandum personaliter, necnon ad dictum generale passagiũ Crucesignatis, & Crucesignandis omnibus duximus præfigendum) humiliter acceptauit, semetipsum exponere, sui Redemptoris obsequiis Terræ præfatæ personaliter subueniendo disposuit, negligens natalis soli dulcedinem, prætermittens Regni sui terrarumque diuitias, spernens delicias, & gloriam inibi dominandi. Non igitur cunctemini amplius prædicti gloriosi vexilli Dominici charactere insignia mercantes, felici commercio perpetuam post defunctionem corporis ex ignominia perpetuitatis comparatione, vix momentaneo labore, quietem, & permutatione consulta terrena pro cœlestibus commutantes, transitoria pro mansuris, temporalia pro æternis.

Indulgentia pro d. Crucesignatis, vel auxilium aut subsidium subministrantibus.

§. 4. Cæterum licet ad excitandos vestros animos in Terræ memoratæ succursum, sufficere debeat solers attẽtio præmissorum, vt tamen eiusdem Terræ negotium eo libentius, eoque feruentius prosequi studeatis, quo potiorem fructum ex vestris laboribus vos noueritis percepturos? Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, & illa quam nobis licet indignis Deus ipse ligandi & soluendi contulit, potestate, omnibus qui vexilli dominici charactere insigniti, personaliter propriis sumptibus in prædictæ Terræ subsidium proficisci curauerint, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint

corde contriti, & ore confessi veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen illuc personis accesserint, & illis similiter, qui iuxta qualitatem & facultatem suam, personas idoneas in expensis propriis destinabunt, quamvis personaliter ipsi non vadant, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis & indulgentiæ, volumus & concedimus esse participes, iuxta quantitatem subsidij & deuotionis affectum, eos, qui licèt non iuxta qualitatem & facultatem suam, aliquem tamē, seu aliquas personas, in subsidium dictæ Terræ propriis sumptibus destinabunt, vel de suis temporalibus bonis contribuent ad aliquas destinandas. Necnon omnes, qui ad subuentionē ipsius Terræ, de bonis eisdem aliqua ministrabunt, prout singulis diuina fuerit inspiratione suggestum, aut aliàs ad promotionem præmissi negotij consiliū & auxilium impenderint opportunum. Porrò si fortè aliquos eorum, qui cruce suscepta in iam dictum Terræ Sanctæ subsidium proficiscēdi laborem subierint, post arreptum iter huiusmodi, ex hac luce migrare contigerit, ipsos nihilominus plene percipere volumus Indulgentiam prælibatam. Personas quoque, familias & bona eorum, quos ad transfretandum personaliter, vel iuxta quantitatem & facultatem suam, personas idoneas destinandi, votum assumptæ iam Crucis adstringit, ex nunc; quos verò suscipiendæ Crucis de cætero votum obligabit ad idem, à die qua taliter Crucem assumpserint, sub B. Petri & nostram protectionem suscipimus; statuentes vt sub Diœcesanorum defensione suorum consistant. Quod si eos aliqui indebite molestare præsumpserint, per diœcesanos locorum, in quibus iidem molestatores fuerint, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescantur.

Indultū quod non trahantur extra diœcesim. §. 5. Præterea, ipsis qui prædicto modo Crucem vel iam assumpserint, vel assument in posterum, indulgemus vt per Sedis Apostolicæ literas, vel Legatorum eius (nisi fortè illæ quæ ab eadem Sede obtentæ fuerint, plenam de indulto huiusmodi fecerint mentionem) extra suas diœceses non valeant conueniri, dummodo parati existant, coram suis Ordinariis de se querelantibus respondere, quos per eosdem Ordinarios Ecclesiastica censura defendi, cessante appellationis obstaculo, volumus ab iis, qui eosdem contra Indultum huiusmodi præsumpserint temere molestare.

Vsurarum relaxatio. §. 6. Si qui verò ipsorum ad præstandas vsuras iuramento teneantur adstricti, creditores eorum per diœcesanos suos censura simili compellantur, vt iuramentum huiusmodi penitus relaxantes, ab vsuræ vlterius exactione desistant. Si autem aliqui creditorum, eos ex tunc ad solutionem coēgerint vsurarum, ipsos ad restitutionem ipsarum per eosdem diœcesanos simili volumus districtione compelli. Iudæos quoque ad remittendas ipsi vsuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem, & donec eas remiserint, ab omnibus Christi fidelibus, quibus hoc per suos diœcesanos denuntiatum extiterit, tam in mercimoniis, quam in aliis, sub excommunicationis pœna iubemus eis communionem omnimodam denegari.

Facultas petendi absolutionem ab excommunicationis sententia in certis casibus. §. 7. Postremo, Crucesignatis & Crucesignandis eisdem volentes plenius prouidere: diœcesanis ipsorum, ac nonnullis aliis, absoluendi eos ab excommunicationis sententiis in variis casibus, de quibus secundum facti exigentiam putauimus expedire; necnon dispensandi cum Clericis, qui cum à Canone, vel homine latam sententiam incurrissent irregularitatis notam, immiscendo se diuinis Officiis, contraxerunt, per has nostras literas plenam & liberam concedimus facultatem.

D.P. A. 4. die 5. Aug. Dat. apud Vrbem Veterem, Kal. Aug. Pont. nostri an. 4.

VI. Quod exhibeantur Ordini Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, omnia legata quæ pro d. Redemptione non tamen certis personis relinquuntur.

Hunc Ordinem à Greg. IX. institutum fuisse liquet ex eius bulla n. 9. Deuotionis sup. lib. 1. vbi plenè notaui.

Edita An. D. 1295. *NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabili Fratri Episcopo Cæsaraugustan. Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ordinis supplicatio pro obtinendo huiusmodi indulto. EX parte dilectorum filiorum Magistri, Prioris, & Fratrum S. Mariæ Captiuorum, Barchinonen. Ordinis S. Augustini, fuit nobis humiliter supplicatum, vt cum ipsi sua omnia quæ habent, reponant sollicito studio pro redemptione captiuorum qui detinentur ab inimicis nominis Christiani, exhiberi eis, quæ pro redemptione captiuorum huiusmodi, Christi fidelibus relinquuntur, per districtum aliquem mandaremus.

Indultum de quo in rub. §. 1. Nos itaque dignum reputantes, vt relicta huiusmodi exhibeantur Magistro, Priori, & Fratribus supradictis, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus pecuniam, terras, possessiones, & alia bona, quæ generaliter Christi fidelibus relinquuntur pro redemptione huiusmodi facienda, illis duntaxat exceptis, quæ certis & expressis personis in captiuitate detentis, relicta vel dimissa esse noscuntur, Magistro, Priori, & Fratribus prædictis, per te vel per alium, aut alios facias exhiberi, detentores pecuniarum, terrarum, & bonorum prædictorum, ad exhibendum Magistro, Priori, & Fratribus præfatis, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo.

Derogatio contrariorum. §. x. Non obstante si aliquibus, à Sede Apostolica fuerit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, quæ de indulto huiusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem, siue qualibet alia Indulgentia dictæ Sedis, cuiuscumque tenoris existat, per quem effectus præsentium impediri valeat vel differri, & de qua eiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

D P. A. 4. die 5. Aug. Dat. apud Vrbem Veterem, Nonis August. Pontific. nostri anno 4.

COELESTINVS V. PONTIF. CXCIV.
ANNO DOMINI MCCXCIV.



COElestinus V. Eremita, Petrus de Morone antea dictus, de Marsari Oppido Eserniæ in Samnitibus, Patre Angelerio, Creatus Perusiæ, Nonis Iulij Anno salutis 1294. Coronatus Aquilæ, 4. Kal. Septemb. eodē anno, Sedit in Apostolica Sede, menses 5. dies 5. Creauit Cardinales duodecim. Abdicauit in die S. Luciæ Idibus Decembr. 1294. Obiit Anno Domini 1296. 14. Kal. Iunij, Corpus in Templo sui Ordinis S. Antonij Ferentini ante aram Maximam collocatum fuit.

Appro

I. Approbatio Statutorũ Congregationis Monachorum Cœlestinorum Ordinis S.Benedicti, cum indultorum, & gratiarum concessione.

Aliam approbationem decreuit Bened. XI. inf. in sua const. 2. Religiosam. Et exemptiones confirmauit & extendit Greg. XI. in sua const. 10. Sacra, Priuilegiaque approbauit Paul. V. in sua const. 15. Iniuncti, vbi Abbatis Gen. potestatem declarauit.

Priuilegia Congregationi Casinensi, & aliorum Monachorum Congregationibus concessa, & concedenda huic Congregationi Cœlestinorum communicauit S. D.N. Vrb. VIII. in const. 24. Sacrosancti inf. tom. 4. Et postea in Capitulo generali de mandato eiusdem Sanctissimi emendatæ fuerunt & editæ Constitutiones d. Congregationis, quas approbauit idem S. D.N. Vrb. VIII. in const. 56. Sacrosanctum d. tom. 4.

Edita An. D. 1294.

COELESTINVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Honufrio Patri Abbati Monasterij S. Spiritus de Sulmona Valuen. Diœcesis, eiusque Coabbatibus, ac Prioribus & Prælatis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, Membrorum & locorum eidem Monasterio S. Spiritus subiectorum, eorumque Conuentibus, Collegiis & Fratribus Ordinis S. Benedicti, præsentibus & futuris in perpetuum.*

Pontificis studiũ erga Ord. S. Bened.



ET si cunctos Ordines plantatos in Sacrosanctę ac vniuersalis Ecclesiæ paternis prosequamur affectibus, & ad statum ipsorum tranquillum & prosperum sollicitè intẽdamus: Beati tamen Benedicti Ordinem (in quo, dum iuuentutis nostræ progressio ordinem, professionis nostræ vota denouimus) singulari & præcipua affectione diligimus, & zelo syncerioris & strictioris charitatis afficimur circa ipsum. Et ad suæ stabilitatis, & promotionis incrementa felicia, opem operamque sollicitam impendentes, speramus in Domino, quod idem Ordo ab antiquis annis in diuinæ laudis charitate fundatus, per vestræ sollicitudinis studium, seruabit eo perfectius fructus suos, quo .... per vestræ sollicitudinis studium, quantum vobis ex alto permissum fuerit restauratus, amissi luminis propriam reassumere poterit in summæ lucis, quæ CHRISTVS est potentia claritatem.

Confirmatio Statutorum eius.

§. 1. Cupientes igitur, vt circa præfatum Ordinem, huiusmodi nostræ charitatis affectus exireat operis per effectum. Statuta, Constitutiones, instituta & ordinamẽta in eodem Ordine pro salute vestra facta, auctoritate Apostolica confirmamus, & canonicè in posterũ faciẽda volumus & mandamus ex tunc inuiolabiliter obseruari.

Exemptio ab omnium iurisdictione pro Monasterio, S. Spiritus de Sulmona, & eius membris. Tu vide bull. Leo. X. n. 52. Dum intra, & Conc. Trid. sess. 25. c. 11. & 14. & Clẽ. VIII. const. 39. Suscepti l. 3.

§. 2. Ac eundem Ordinem, necnon Monasterium S. Spiritus de Sulmona, & alia Monasteria, Ecclesias, Prioratus Membra & alia omnia loca dicto Monasterio S. Spiritus subiecta vbicumque consistentia, eidem Ordini incorporata, vel incorporanda in posterum eorumque personas ab omni prorsus iurisdictione, potestate ac dominio Archiepiscoporum & Episcoporum & Abbatum omnium, in quorum Ciuitatibus & Diœcesibus ac Prouinciis illa consistunt & consistent etiam in futurum, ac aliorum quorumlibet Ordinariorum, Prælatorum & Capitulorum seu Conuentuum, Monasteriorum & Ecclesiarum & personarum quarumlibet, prorsus eximimus & etiam liberamus, & ea omnia & singula libera & exempta volumus perpetuo totaliter permanere. Exemptionum gratis, in illis ex vestris Monasteriis, quæ prius per Sedem Apostolicam exempta fuerant, in suo robore nihilominus duraturis. Non obstante si Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ, Membra & alia loca præfata, Diœcesanis Episcopis, vel aliis personis ad census aliquos teneantur, vel reperirẽtur forsitã vel aliquibus in aliquo obligata. Et in eo præcipue, quòd Fratres d. Ordinis in S. Spiritus de Marella, & S. Spiritus de Sulmona, Monasteriorum. Conuentibus constituti, submissiones quasdam dilectis filiis Capitulo Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, de facto, siue de iure fecisse dicuntur, quas submissiones sub quacumque verborum concessione vel expressione confectas, necnon & præfatos census de plenitudine potestatis eneruamus, cassamus, irritamus omnino, & viribus carere decernimus, & nullius ex nunc existere firmitatis, ità quod prætextu earundem submissionum ac censuum aliquorum, tu fili Pater Abbas, tuique successores & Fratres ac personæ Monasteriorum & locorum aliorum vestrorũ prædictorum, à quoquam de cętero nequeant molestari, vosque vestrosque successores, ac Monasteria & loca in perpetuum nolumus molestari.

Celebratio Capituli generalis, & electio Abbatis.

§. 3. Et quia inter alia, quæ immunitates sapiunt, de præcipuis casibus arbitramur hoc esse necessarium, vt de substitutione futuri Abbatis, tibi Fili Abbas S. Spiritus, quem Patrem Abbatem cęteris tuis Coabbatibus & Prælatis & Fratribus tibi subiectis, præsẽtibus & futuris perpetuo stabilimus, præcipuè ordinamus & præsenti decreto statuimus, annis singulis in maiori vestro Monasterio, vel in alio loco vestri Ordinis, vbi vobis expediens visum fuerit, fiat Capitulum Generale, vbi vestri Ordinis & locorum, secundum B. Benedicti Regulam, facta tractentur. Præsidentes vestri Capitulis celebrandis, & Visitatores vestri, locorumq; vestrorumque constituantur in illo, secundum vestri Ordinis instituta. Vbi volumus & districtè præcipimus obseruari, quod Pater Abbas singulis triennis in Generali Capitulo sponte suam offerat, & exhibeat cessionem. Nisi fortè dictus Pater Abbas ante tempus huiusmodi in aliqua de grauioribus culpis, à Visitatoribus, vel alias legitime deprehensus, amotionem in dicto Capitulo mereatur. Quod si idem Pater Abbas, vel cesserit, aut amotus extiterit, idem Capitulum statim, & absque temporis interuallo ad Patris Abbatis substitutionẽ procedat, & iuxta formam in Regula tradita debitos constituat Electores. Qui sub conclaui positi, antequã cibum & potum sumant, de Abbate cedente, (si cum vtilem esse putauerint) vel de alia persona Monasteriorum & locorum vestrorum per electionem canonicam prædicto Monasterio S. Spiritus, prouideant de Abbate. Qui quidem Abbas, nulla super hoc à Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso suę administrationis officium habeat, & illud tanquam Pater Abbas, prout ad eum pertinet libere exequatur.

Abbatis benedictio.

§. 4 Ac idem electus, si alias non extiterit benedictus, benedictionis suæ munus à quocumque maluerit Catholico Episcopo, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente recipere studeat, illudque sibi dictus Episcopus (si diuinam vltionem curare voluerit) gratis impendat. Alioquin prædictum electum, vt præmittitur, in executione suæ administrationis, in ordine tamen Sacerdotij volumus permanere.

Subrogatio alterius eo defuncto, durãte officio.

§. 5. Et si dictus Pater Abbas infra annum fortè decederet, Prior vel Superior dicti Monasterij S. Spiritus, & Visitatores etiam, curam & administrationem ac custodiam dicti Monasterij S. Spiritus, gerant & habeant vsque ad tempus Capituli Generalis; vbi secundum præmissum modum dicto Monasterio prouideri debeat de Abbate.

Ordinis protectio, sub Sede Apost.

§. 6. Nosque volentes, vos & bona vestra paternis fauoribus confouere; personas vestras, & loca, in quibus estis diuino obsequio mancipati, cum bonis vestris omnibus sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Ordinis approbatio & de Monasteriis & aliis.

§ 7. In primis siquidem statuentes, vt præfatus Ordo in eodem S. Spiritus, & aliis Monasteriis, Prioratibus, locis, & membris vestris, præsentibus & futuris, perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruetur. Et quascumque possessiones, & bona quæ præfatum Monasterium S. Spiritus, cum Monasteriis & locis suis in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis (præstante Domino) poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus illibata maneant, & quieta, In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet, locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm esse dignoscitur, cum omnibus

pertinentiis suis. Monasterium S. Ioannis in Plano, Nucerinæ Diœcesis; S. Spiritus de Maiella; S. Petri Vallis bonæ; S. Spiritus de Buclano; S. Spiritus de Ortona; S. Spiritus de Lanzano, Theatinæ Diœcesis; S. Eusebij de Vrbe; S. Mariæ in Pizano, S. Saluatoris de Ciuitate Pennensi, Pennensis Diœcesis; S. Mariæ de Collemadio, iuxta Aquilam; S. Spiritus de Isernia; S. Mariæ de Treuento; S. Mariæ de Anglone, Treuentinæ Diœcesis; S. Spiritus iuxta Venafrum; S. Spiritus Alifanensis; S. Antonij de Campania, Feretinatæ Diœcesis; S. Antonij Anagniæ Diœcesis; Prioratus S. Ioannis de Aqua sancta; S. Mariæ inter montes; S. Georgij de Rocha Motici, & S. Petri de Monte plano; Ecclesias cum Ecclesiis, Capellis, Decimis, & grangiis, pratis, vineis, terris, syluis, nemoribus, vsuagiis, & pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, viis & semitis, iuribus, libertatibus, & immunitatibus, fructibus, & vniuersis obuentionibus eorundem.

Exemptio à Decimis. Ad hoc vid. declarationes in bul. 10. Greg. XI. Sacra.

§. 8. Sane de fructibus terrarum & possessionum vestrarum, ac etiam noualium, quæ propriis manibus & sumptibus colitis, vel per homines vestros, aut alios excoli facietis, in propriis prædiis seu etiam alienis, siue de hortis & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat; à quarum præstatione vos totaliter liberemus. De decimis namque quæ pro subsidio Dominorum temporalium de mandato Sedis Apostolicæ à Clericis, & personis Ecclesiasticis in Italiæ partibus pro tempore exiguntur, circa vos, & vestra Monasteria & loca, sic volumus obseruari, quod vobis pro singulis vestris Monasteriis, cum grangiis & pertinentiis eorundem, pro decimis prædictis singulos florenos auri plene soluentibus, ad solutionem maiorem, vel aliam, pro prædictis decimis faciendis, vos & Monasteria, Prioratus, Ecclesias, Grangias, & loca vestra omnia decernimus non teneri, & excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias contra vos, & in prædicta loca quavis auctoritate in contrarium proferendas, ipso facto aliquatenus non tenere.

Facultas recipiẽdi quoscumque etiã alterius Religionis. Tu ad hoc vid. declarationem Pij V. in sua constitut. 89. Quacumque.

§. 9. Liceat quoque vobis Clericos, sæculares vel Religiosos, cuiuscumque Religionis existant, vel Laïcos quoscumque, qui Mundi relictis illecebris, ad vos & loca vestra conuolauerint, ad Ordinem vestrum in locis vestris recipere, ac eos absque contradictione aliqua retinere. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, literis siue indulgentiis Apostolicæ Sedis, super hoc cuicumque Ordini, vel Religioni, seu personis quantumvis exemptione, vel immunitate gaudentibus, sub quavis forma verborum concessis.

Prohibitio discedendi ab illo Ordine.

§. 10. Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro, vel in aliis locis vestris eiusdem Ordinis professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia Ordinem ipsum relinquere, & ad locum Religionis alterius, vel ad Ordinem alium se transferre. Discedentem verò aliter, nullus cuiuscumque Religionis, vel status existat, audeat retinere. Quod si secus factum fuerit, tam discedens, quàm is, seu illi, qui ipsum talem receperint, si requisiti cum à se non reiecerint infra mensem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Prohibitio alienãdi stabilia absque consensu Capituli. Accedit maior prohibitio Paul. II. In const. 5. Ambitiosa.

§. 11. Illud quoque districtius inhibentes, ne tu fili Pater Abbas, vel aliquis ex Prælatis vestris, terras seu quaslibet possessiones d. Monasterio S. Spiritus, vel membris eius à Christi fidelibus collatas, vel in posterum conferendas, aut successores tui, dare, vendere, distrahere, aut alienare absque consensu totius Capituli Generalis, aut maioris, vel sanioris partis, & in casibus à iure permissis, modo quolibet præsumatis. Quod si secus factum fuerit, alienationes huiusmodi, ex nunc irritas esse, & tam concedentes, quam ipsos recipientes, singulos eorum videlicet excommunicationis, Collegia vero & vniuersitates interdicti sententiis si forte requisiti à vobis bona prædicta alienata taliter restituere noluerint infra mensem, ipso facto volumus subiacere.

Fideiubendi que & mutuo recipiendi.

§. 12. Cæterum ne aliquis Monachus, vel Conuersus, in Monasteriis & locis vestris professus, absque consensu & licentia proprij Abbatis, seu maioris partis sui Conuentus, pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo recipiat, quoquo modo districtius inhibemus. Quòd si secus factum fuerit, Abbatem, & Conuentum præfatos ad hæc teneri nolumus, & fideiubentem, & recipientem pecuniam mutuatam, eo ipso volumus vinculo excommunicationis astringi.

Prohibitio cogendi Monachos ad Synodos, processiones, &c. Tu vide aliter statutum esse à Conc. Trid. sess. 24. c. 2. & sess. 25. c. 13.

§. 13. Inhibemus etiam, ne aliquis Episcopus, vel quæuis alia persona, spiritualem, vel aliam iurisdictionem habens, vos ad Synodos, vel Conuentus forenses, nec ad conuocationes suas accedere, vel cum eis, intra vel extra Ciuitates vel terras, personaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere seu Capitula, Scrutinia, & Inquisitiones in locis vestris, vel aliqui de vobis, vel de vestrorum aliquo facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, & manualem obedientiam à vobis, aut Prioribus, & Subprioribus vestris exigere.

Facultas Monasteria construendi. Hoc declarauit Clem VIII. in const. 99.

§. 14. Seu etiam prohibere, ne ad Ciuitates, seu Villas, & ad loca quælibet, vbi Religiose, & honeste morari possitis audeatis accedere, ibique pro vestris vsibus Ædificia, Monasteria, Ecclesias, seu Oratoria ex permissione, & indulto nostro construere libere valeatis. Aut in accedentes Fratres, & Monachos vestros, seu constructores huiusmodi, vel receptatores eorum excommunicationis vel interdicti proferre sententias. Aut alias Fratres vestros ire ad Conuentus forenses, nec ad Monasteria, Ecclesias, Prioratus, seu membra, & loca vestra præfata causa celebrandi Ordines, aut tractandi causas vel Conuentus aliquos publicos conuocandi, vobis inuitis venire præsumat.

Prohibitio extra Ordinẽ immiscendi se in electionib.

§. 15. Nec regulares electiones Abbatum, vel Priorum Monasteriorum, & locorum vestrorum impediat, aut de instituendis aut remouendis ipsis, se aliquatenus intromittat. Quòd si aliter præsumptum extiterit, venientem contra præmissa, cuiuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, vel conditionis existet, interdicti sententiæ volumus subiacere.

Abbatis facultas benedicendi Populum vasaque & paramẽta Ecclesiarum.

§. 16. Liceat quoque tibi prædicte Pater Abbas, tuisque successoribus inter Fratres eiusdem Ordinis, & aliis ad Missas vestras conuenientibus, benedictionem solemnem facere; dummodo ibi præsens non sit aliquis Episcopus, vel alia quæuis persona superioris status, sicut sunt Patriarchæ, vel Cardinales.

Primumque lapidem ponendi in Ecclesiis ædificandis.

§. 17. Ac vasa, & alia paramenta ad cultum Diuinum pertinentia; necnon in ædificandis Capellis, Ecclesiis, aut Hospitalibus primarium lapidem & fundamenta Pontificali more benedicere.

Minores Ordines conferendi. Ad hoc vide Conc. Trid. sess. 7. c. 11.

§. 18. Necnon omnes minores ordines Fratribus, & aliis familiaribus, & subditis vestris, adscribi volentibus militiæ clericali, vestra largitione conferre, & omnia alia facere, quæ ad Abbates exemptos ipsius Ordinis in suis Monasteriis, & Ordinibus pertinere noscuntur.

Ordinarij nihil capiãt pro consecratione Ecclesiarum, &c.

§. 19. Pro consecrationibus verò Altarium, vel Ecclesiarum, aut pro Oleo sancto, vel quolibet Ecclesiastico Sacramento, nullus à vobis sub obtentu consuetudinis alicuius, aut alio quouis modo quicquam audeat extorquere; sed hæc omnia vobis gratis, & liberaliter impendantur. Sit etiam in vobis liberum eadem à quocumque Catholico Episcopo, qui gratiam & communionem prædictæ Sedis obtineat, licite recipere, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur impendat.

Episcopi accedentes ad eorum loca quid agant. Vide Bul. 22. Leo. X.

§. 20. Concedimus quoque vobis, vt si quem huiusmodi Episcopum, quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo consecrationes Altarium, & Monachorum Ordinationes in sacris, ex permissione Sedis Apostolicæ recipere valeatis.

Monachi celebrent tempore interdicti. Hoc reuocauit Conc. Trid. sess. 25. cap. 12.

§. 21. Porro cum generale terræ fuerit interdictum, in Monasteriis, Ecclesiis, & Oratoriis vestris, & aliis quibuscumque locis competentibus, si in terra sic interdicta constiterint, clausis ianuis, & interdictis exclusis, non pulsatis Campanis (submissa tamen voce) vobis liceat celebrare Diuina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta; Dummodo causam non dederitis interdicto, nec id contingat vobis per Sedem Apostolicam specialiter interdici, neque Monasteria, Ecclesiæ, & Oratoria eadem alias fuerint eiusdem Sedis auctoritate specialiter interdicta.

§. 22. Illis

Sacramenta ministrãt, & mortuos sepeliunt. Ad hoc vide Leon. X. const. 22.

§. 22. Illis verò, qui vestris immorantur obsequiis, aliisque omnibus Christi fidelibus propter hoc ad vos deuote recurrentibus, ex permissione Apostolica, & indulgentia speciali, quas vobis huiusmodi Priuilegij auctoritate concedimus, cuncta libere ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta, & ipsorum corpora, cum decedunt, in vestris Cœmeteriis libere, & absque Diœcesanorum, vel aliorum Ordinariorum contradictione, & aliorum quorumlibet sepelire. Sepulturam siquidem vestram liberam esse decernimus, ita quod extremæ voluntati decedentium, & illis qui se illic deliberauerint sepeliri, nisi forte excommunicati, vel interdicti fuerint, aut vsurarij manifesti, nullus obsistat. Et si quando in terras, in quibus resideris, vel earum personas, excommunicationis, & interdicti sententias contigerit promulgari, homines vestris seruitiis insistentes, negotiorum quoque vestrorum gestores, & procuratores, oblati, & operarij, qui in locis vestris cum eorum operibus personaliter instituerint huiusmodi sententiis innoxij habeantur, nec prædictis sententiis sint ligati, ibique possint audire Diuina iuxta formam, quæ locis ipsis, & in eo casu, in quo à Sede Apostolica est concessa, nisi præfatæ personæ causam dederint interdicto, vel excommunicati specialiter, seu interdici per dictam Sedem contingat eosdem.

Absoluendi etiam intrãtes Ordinem. Vide Iul. Clë. VIII num. 15. Quæcunque.

§. 23. Insuper recipientibus Ordinem vestrum, & in eo facta & instituta, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationum sententiis, à iure vel ab homine promulgatis, generaliter & specialiter sunt ligati, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impartiri, ipsosque in Fratres, & Monachos recipere; dummodo in eodem Ordine perseuerent; ac eos, qui post assumptum habitum, vel professionem emissam, recoluerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundùm formam eandem, tu fili Pater Abbas tempore tuo, & in posterum Successores tui auctoritate nostra de absolutionis beneficio prouidere, & dispensare cum eis super irregularitatibus, quas contraxerunt, vel contrahent, si talibus forsan innodati sententiis, vel locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, aut ordines receperunt. Ita tamen, quòd si aliqui huiusmodi sententiis propter debita sunt adstricti, in quantum possunt satisfaciant, vt tenentur. Vosque Abbates, & Priores patentibus oppressorum, cum ab eis fueritis humiliter requisiti, de pœnitentiis salutaribus iuxta formam à Canonibus traditam prouidere salubriter valeatis.

Persona Ordinis non tenentur publicare interdictum, & c. Renouauit Conc. Trid. sess. vlt. c. 12.

§. 24. Sane quieti vestræ prouidere volentes, quod per literas Apostolicæ Sedis, aut legatorum eius, seu delegatorum Apostolicorum, seu subdelegatorum ab eis conueniri à quoquam minimè valeatis; Quodque nullus correctionis, seu visitationis, vel inquisitionis officium in Monasteriis, vel Ecclesiis, aut Prioratibus, membris, & locis vestris impendere, vel cognitiones causarum audire præsumat, nec subsunt Inquisitoribus.

Neque Monialium curã suscipere.

§. 25. Nullusque vestrum citationes partium, & denuntiationes sententiarum interdicti, vel excommunicationis facere in prædictis locis aut recipere curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum minime teneamini, & ad id cogi non possitis inuiti per literas dictæ Sedis, vel Legatorum eius, nisi eædem literæ Apostolicæ de indulto huiusmodi, & Ordine vestro, & de dicto Monasterio S. Spiritus de Sulmona fecerint mentionem, auctoritate vobis Apostolica indulgemus.

Apostatarum coërcitio.

§. 26. Concedentes vobis nihilominus, quòd si aliqui vestri Monachi, seu Frater post obtentam licentiam à Sede Apostolica, vel à vobis, ad Religionem aliam transeundi, infra spatium trium mensium se ad illam Religionem suæ saluti congruam non contulerint, & ipsius non susceperint habitum regularem, licite absque alia requisitione Ordinariorum, seu Diœcesanorum locorum vbi reperti fuerint, ipsos tanquam Apostatas Monasteriorum vestrorum, & locorum excommunicare, incarcerare, ac alias rigori subdere vestri Ordinis disciplinę possitis, per vos, aut alios, etiam in quocumque habitu eos contigerit inuenire; & inuocare super hoc (si necesse fuerit) auxilium brachij sæcularis, quod tenore concessionis huiusmodi, per eos quos super hoc requireris, sub obtestatione diuini numinis volumus exhiberi. Insuper omnes Monachos, vel Fratres, quos à Monasteriis, vel locis vestris, eorum culpis exigentibus per vos, aut per vestros Vicarios expelli contigerit, & qui proprio suo motu de locis, vel Monasteriis ipsis exiuerit, ad Religionem aliam absque huiusmodi licentia, vel ad sæculum, aut laicatum, tanquam canis ad vomitum rediens, conuolabunt, ab omni promotione dignitatis, & administrationis Ecclesiasticæ, seu sæcularis esse decernimus alienos. Prædicandi, officium, audiendi etiam confessiones, ac docendi alios in quacumque facultate, potestate talibus Apostatis penitus interdicta.

Habitus consimilis cæteris prohibetur.

§. 27. Inhibentes expressius, ne aliqua persona cuiuscunque status, conditionis, vel Religionis existat, habitum vestrum, aut consimilem (nisi de Monasteriis, & locis vestris fuerint) deferre præsumant. Contra facientes per Diœcesanos locorum, cum à vobis super hoc fuerint requisiti, deponere habitum huiusmodi per censuram Ecclesiasticam cuiuslibet appellationis obice non obstante arctius compellantur. Quòd si iidem Diœcesani, vel Ordinarij, id efficere malitiose forte neglexerint, postquam à vobis, vel nuntiis vestris super hoc requisiti fuerint, in suspensionis laqueum incidant ipso facto.

Satisfactio intrantium Ordinem de incertis.

§. 28. Adiicimus etiam, quòd si aliquis in aliquo Monasteriorum, vel locorum vestrorum professus, ante ingressum suum in Religionem, aliquibus personis, Vniuersitatibus, vel Collegiis, de quibus quorumque nominibus memoria penitus non habetur, in aliqua quantitate pecuniæ, vel ad restitutionem aliquarum rerum esset obnoxius, illam & rerum æstimationem ab eo licito recipere, & in locis vestris, in quibus expedire videbitur, in vsus vtiles conuertere valeatis, & huiusmodi satisfactionem impendens, à præstatione satisfactionis alterius remaneat absolutus.

Alij non celebrent in Ecclesijs Ordinis.

§. 29. Nullisque Religiosis, vel sæcularibus, cuiuscumque status, vel conditionis existant, liceat aliquorum corpora defunctorum vobis inuitis (quod prohibemus) penitus in vestris sepelire Cœmeteriis, nec in Monasteriis, Ecclesiis, Prioratibus, & aliis locis vestris Missarum solemnia, vel mortuorum officia celebrare.

Personæ Ordinis suis Prælatis confiteantur.

§. 30. Nullisque ex vestris Monachis Fratribus, & Conuersis licitum sit cuiquam, absque Prælatorum suorum licentia, nisi Prælatis ipsis sua confiteri peccata.

De oblatis vel legatis, nihil alijs soluant.

§. 31. Concedimus quoque vobis, vt de iis, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario septimo vigesimo, siue aliis, ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pitantiis, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, & calceamentis vestris, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliqua Monasteria, Ecclesiæ, Prioratus, Membra, aliaque loca vestri Ordinis obligata forsitan viderentur, aut de iis, quæ pro domibus, prædiis, hortis, aliisque locis emendis vobis leguntur; de obligationibus quoque, & obuentionibus etiam, quas occasione funerum, & aliis, quæ iure institutionis, seu successionis, aut legati, vel relicti, aut fideicommissi ad vos, & Ecclesias, & loca vestra, pietatis intuitu deuenire contigerit, nulli teneamini iustitiam, seu portionem Canonicam exhibere; & ad hoc vos decernimus aliquatenus non teneri.

Exemptio à iurisdictione ordinariorũ. Tu vid. dispositionem Conc. Trid. sess. 25. cap. 11 & 14. & Bull. 19. Clem. VIII. Subscripti.

§. 32. Cæterùm cum fœlicis recordationis Innocentius Papa Quartus prædecessor noster olim duxerit statuendum, vt exempti quantacumque gaudeant libertate; nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit exercere. Nos vobis, vt occasione constitutionis huiusmodi nullum libertatibus, & immunitatibus, seu Indulgentiis, vel priuilegiis, vobis & Monasteriis, & locis vestris per

nos (vt præmittitur) Apostolica auctoritate concessis, præiudicium gereretur, auctoritate vobis præsentium indulgemus.

Prædicandi facultas intellige secundum Concil. Trid. sess. 24. c. 4.

§. 33. Propterea proponendi populo verbum Dei, & dandi omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui huiusmodi prædicationi interesse voluerint quadraginta dierum Indulgentiam de iniunctis eis pœnitentiis.

Confessiones qui audiendi intellige iuxta bull. 23. Leo. X.

§. 34. Audiendi quoque confessiones, & iniungendi pœnitentias, & imponendi absolutionem debitam pro confessis; conferendi etiam Ecclesiastica Sacramenta, tam hominibus & vassallis vestris, quàm cæteris Christi fidelibus.

Campanam pulsandi. Hoc intelligas, vt bull. Leon. XXII.

§. 35. Necnon habendi, & pulsandi Campanas die, noctuque ad horas Canonicas, & quandocumque de vestra processerit voluntate, absque cuiusque contradictionis obiectu.

Dispensandi cum intrantibus Ordinē. Hoc intellige iuxta Bull. 215. Clem. VIII.

§. 36. Dispensandi etiam cum Fratribus, seu Monachis ad vestra Monasteria, & loca conuolantibus, & ibidem degentibus, super irregularitatibus quibuscumque, etiamsi prius eas fortasse contraxerint, quam prædicta loca, & Monasteria intrauissent, dummodo ex homicidij, vel mutilationis causa, irregularitates ipsæ minime sint contractæ. Absoluendi etiam Fratres, & Monachos memoratos ab excommunicatione quacumque, etiamsi eius absolutio tantum sit Sedi Apostolicæ reseruata, plenam, & liberam vobis, filij Abbates, auctoritate Apostolica concedimus potestatem.

Oblationes recipiendi de bonis feudalibus.

§. 37. Indulgemus etiam vobis, vt bona feudalia, vel alia quælibet vobis oblata libere recipere valeatis, ac licite retinere, nulla constitutione, seu consuetudine contraria obsistente; aut etiam si loci Diœcesanus bona ipsa pro decimis non solutis, aut præstationibus aliis sibi, aut Ecclesiæ suæ asserat obligata.

Mutatio principalis Monasterij sit ad libitum Ordinis.

§. 38. Et quia mutatio temporum facit mutationem forte sequiteret, licitum sit vobis aliquod aliud de Monasterlis vestris, præsentibus aut futuris caput aliorum Monasteriorum, & membrorum vestrorum (si expediens fuerit) ordinare.

Pœna præmissis contrauenientium.

§. 39. Nos enim ex nunc decernimus irritum, & inane quicquid contra tenorem concessionum, constitutionum, indulgentiarum, & inhibitionum huiusmodi, & capitulorum omnium, & etiam singulorum, quæ superius sunt expressa, per quoscumque attentatum est, vel in posterum contigerit attentari. Et interdicti suspensionum, & excommunicationum sententias, si quas contra præmissa, vel aliquod præmissorum, in vos, vel in vestrum aliquem, siue aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros, aut executores, vel hæredes, à quocumque cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, aut honoris vel status existat, in posterum contigerit promulgari, volumus eo ipso penitus non tenere.

Annua recognitio debita Sedi Apost.

§. 40. In signum verò perceptæ libertatis vestræ, & subiectionis soiius Romanæ Ecclesiæ per nos vobis concessæ, vt superius præmittitur, vnam vnciam auri soluendam annis singulis in Festo Natiuitatis Domini, tam pro capite, quàm pro membris vestris, nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus persoluatis. Nulli ergo omnino hominum, &c.

D P. A. 1. die 27. Sept.

Dat. Aquilæ 5. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno 1.

BONIFACIVS OCTAVVS PONT. CXCV.

ANNO DOMINI MCCXCIV.



BOnifacius VIII. Caietanus, Patria Anagninus, Benedictus anteà dictus, Patre Luitfrido, Presbyter Cardinalis Syluestri, & Martini in Montibus tit. Equitij, Creatus Neapoli 9. Kalend. Ianuarij anno Domini 1294. Coronatus Romæ 17. Kalend. Februarij 1295. sedit annos 8. menses 9. dies 28. Creauit Cardinales 16. Obiit Romæ, 5. Idus Octobr. 1303. Sepultus est in Basilica Vaticana. Vacauit sedes dies decem.

Contra dantes aliquid, vel promittentes, aut recipientes, pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam, ac etiam contra scientes, & non reuelantes. I

Constitutio ista licèt sit inter extrau. commun. in tit. de Sentent. excomm. eam tamen posui tanquam Curialibus admodum necessariam, & quia in hoc opere extat Bulla Greg. XIII. num 24. Ab ipso, vbi hæc extenditur ad prædictorum complices & auxiliatores. Prout etiam confirmata & ampliata fuit à Clem. VIII. in eius const. 10. Pro commissa. Quam diligenter attende, quoniam puto eam esse intelligendam secundum eius subiectam materiam, id est ligare dantes aliquid vel recipientes de bonis Communitatum Status Ecclesiastici, & non alios.

BONIFACIVS EPISCOPVS, &c.

Edita An. D. 1205.

Excommunicatio in dantes quicquam aut promittentes & recipientes pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sed. Apost.

EXCOMMVNICAMVS & anathematizamus ex parte Dei omnipotētis, & Patris, & Filij, & Spiritus sācti, auctoritate quoque Beatorum Apostol. Petri & Pauli, & nostra, omnes Clericos, Religiosos, & Laicos vtriusq; sexus, siue sint familiares Curiæ, siue alij vndecūq; qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod paruum, vel magnum promiserunt, vel promissionem receperint, aut ex pacto, siue promissione occulta vel manifesta facta sub generalibus, & plenariè non expressis aperte verbis, quicquam dederint, aut receperint, magnum vel paruum, vel promissionem de quacunque re, aut vtilitate propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua iustitia, siue

siue gratia, pro se, aut pro alio, in causis, vel iudiciis, seu alias per literas Apostolicas, quibusque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

Promittentesque & recipientes scienter & non reuelantes.

§. 1. Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes & recipientes, duximus extendendam.

§. 2. Illos quoque qui aliquem sciuerint culpabilem in prædictis, & nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad nos verbum fideliter perferatur, simili decernimus sententiæ subiacere.

Reseruatio absolutionis, erogatione in pauperes eius, quod datum, vel acceptum est.

§. 3. Decernimus etiam, vt nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum, absque speciali mandato, nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad nos habere accessum non posset, in mortis articulo constitutus. Nec etiam ad absolutionis gratiam admittatur, nisi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Irritatio gratiis, vel iustitia hac via obtenta.

§. 4. Iustitiam verò, siue gratiam sic obtentam, nullius prorsus esse momenti volumus, omnique statuimus carere effectu, & robore firmitatis.

Excommunicatio scienter ea vtentium.

§. 5. Sed scienter vtentes ipsis, simili sententia excommunicationis adstringimus, & reseruantes nobis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad pœnas similes obligamus.

II. Quod prope Ecclesias, & Conuentus Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini, non possint alij Religiosi Mendicantes noua loca ædificare infrà spatium Cannarum centum quadraginta.

Hic idem Pont. decreuit, noua loca construi non posse à Mendicantibus, absque licentia Sedis Apostolicæ, præterquam in Eremis, vt in cap. 1. de Excessibus Prælat. in 6. Sed nouam dedit formam circa huiusmodi licentias Clem. VIII. inf. in constit. 99. Quoniam tom. 3.

De hoc Ordine Eremitarum S. Augustini notaui suprà in const. 6. Alexand. IV. Licet.

Edita An. D. 1295.

BONIFACIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Generali, aliisque Prouincialibus, Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

AD consequendam gloriam Cœlestis Patriæ sic diuina pietas per suam gratiam humilitatem vestram cernitur allexisse, quòd semper ad hoc intenti estis & vigiles, vt illam vobis, & proximis per innocentis vitæ studium acquiratis. Hæc & alia sancta pauperrimæ religionis vestræ merita nos inducunt, quòd simus ex intimo cordis affectu sollicíti, vt in omnibus, quæ ad laudem Dei, & tranquillum statum deuotionis vestræ cupitis, habeamus prouidentiæ studium efficacis.

Causa huius prohibitionis.

§. 1. Sanè non sine quadam turbatione animi frequenter audiuimus, quod inter vos, & religiosos, illa de causa, æmulationis, & dissensionis materia oritur, quod ipsi domos, & Ecclesias regulares iuxta loca vestra non sine graui vestro præiudicio, & scandalo manifesto, quandoque construere præsumebant.

Prohibitio de qua in rub.

§. 2. Cum itaque ad Apostolici spectet officij dignitatem de regno militantis Ecclesiæ cuiuslibet scandali materiam abolere: Nos digne volentes quod huiusmodi æmulationis & dissensionis occasio per diligentiæ nostræ studium amputetur, auctoritate præsentium ordinamus, & districtiùs inhibemus, quod nulli liceat amodo de Minorum, Prædicatorum, Pœnitentiæ IESV CHRISTI, S. Mariæ de monte Carmelo, S. Claræ, aliisque Ordinibus in paupertate fundatis; nullique mulierum de prædictis, seu quibuslibet aliis Ordinibus aliquod Monasterium, Ecclesiam, vel Oratorium ædificare, seu construere; nulli quoque sæculari, vel religioso, cuiuscumque professionis, Ecclesiam, vel Monasterium seu Oratorium iam ædificatum, in aliquem transferre de Ordinibus memoratis, infra spatium centum quadraginta cannarum à vestris Ecclesiis mensurandarum per aërem, etiam, vbi alias mensurari loci dispositio non permittit. præterea, statuimus, vt quodcumque, contra huiusmodi ordinationis & inhibitionis nostræ tenorem, ex nunc in antea ædificatum fuerit, diruatur.

Qui sint religiosi Mendicantes.

§. 3. Et ne de notitia Ordinum, & quantitate cannarum huiusmodi aliqua possit dubitatio exoriri, illos Ordines intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex regula, vel constitutionibus suis, extra septa Ecclesiarum, Monasteriorum suorum, vel officinarum eorum, & clausuram ipsorum nullas debent possessiones habere. Quod si aliquis de Ordinibus ipsis possessiones in aliquibus membris suis habere, in aliis verò non habere noscatur, eum quoad ordinationem, & inhibitionem huiusmodi, prædictis Ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus.

Qualitas cannarum.

§. 4. Et quamlibet cannarum ipsarum octo palmorum longitudinem continere.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus varia locorum consuetudine, seu priuilegiis, indulgentiis, siue literis quibuscumque tam supradictis Ordinibus quam mulieribus, vel alicui eorum ab Apostolica Sede, sub quacumque forma concessis, seu etiam concedendis, quæ de præsentibus specialem, & expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo, &c.

Dat. Later. 11. Kal. Martij, Pont. nostri anno 1. *Dat. P. A 1. die 19. Feb.*

Quod Fratres Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, cappis albis de cætero vtantur, dimissis aliis mantellis diuersorum colorum. III.

Approbationem & alia de hoc Ordine notaui sup. in const. 8. Honor. III. Vt viuendi.

Edita An. D. 1295.

BONIFACIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & cæteris Prioribus, & Fratribus Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

Hæc Bulla Honor. IV hic non habetur.

§. 1. Sanè lecta coram nobis vestra petitio continebat, quod olim bon. mem. Latino Ostiens. Episcopo, & Geruasio tit. S. Martini in Montibus Presbytero Cardinali significantibus, per suas literas inter alia continentes, Priori generali, cæterisque Fratribus vestri Ordinis in generali nunc instanti Capitulo congregandis, quod fel. record. Honorius Papa IV. prædecessor noster, de fratrum suorum consilio, cis, pia, & prouida deliberatione concesserat, vt eorum habitum, siue varietatem ipsius minus decentem, & displicentem quampluribus, in alium decentem commutasset.

Statutum Ordinis gestandi cappas albi coloris.

§. 2. Idemque Prior generalis, & fratres postmodum in Capitulo congregati prædicto, deliberatione super mutatione huiusmodi præhabita diligenti, vnanimiter statuerunt, vt ex tunc cæteri Priores, & Fratres ipsius Ordinis Mantellis diuersorum colorum, quibus vti consueuerant dimissis, omnino cappis albis, in posterum vterentur.

Confirmatio Papæ.

§. 3. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod circa huiusmodi mutationem habitus in hac parte prouide factum est, ratum firmum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, 7. Kal. Decemb. Pontificatus nostri anno 1. *D. P. A 1. die 20. Nouemb.*

De auctoritate Prælatorum Ordin. Fratrum Prædicatorum S. Dominici, eorum subditos iuris apicibus, & appellatione postpositis, compescendi. IV.

Alia de hoc Ordine attende supr. in constitut. 5. Honor. III. Religiosam.

Edita An. D. 1296.

BONIFACIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Magistro, Prioribus, ac Fratribus vniuersis Ordinis Prædicatorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Causa constitutionis.

AD augmentum continuum Religionum, & Ordinum quos Romana suscepit, & approbauit Ecclesia, paternis studiis intendentes, & considerantes attentius, quod non intermissa sedulitas disciplinæ, Religiones, & Ordines supradictos, statusque Regulares salubriter dirigit, & conseruat, quodque si eam perire vel remitti contingeret, Ordo quilibet collabi necessario cogeretur. Pensantes etiam, quod si regularium personarum correctio, rimas iuris, & apices sequeretur, huiusmodi rigor lentesceret, ac multiplici laxatione torperet.

Auctoritate coercendi de qua in rub.

§. 1. Nos vestris supplicationibus inclinati, vobis, auctoritate Apostolica indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones Fratrum eiusdem Ordinis delinquentium infligendas, Prælati Ordinis supradicti, ad quos eadem spectare noscuntur, strepitu, & apicibus ipsis postpositis, liberè procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia, facta & etiam facienda, ipsius Ordinis instituta.

Prohibitio appellandi.

§. 2. Nec volumus eisdem licere Fratribus, ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, prouida in hoc deliberatione, ac maturitate debita obseruatis. Nulli ergo, &c.

D.P. A. 2. die 10. May.

Datum Romæ apud S. Petrum, 6. Idus Maij, Pontific. nostri anno 2.

V. Erectio Prioratus S. Antonij Viennensis, vbi eius corpus requiescit, in Abbatiam, & institutio illius Prioris in Abbatem generalem totius Ordinis Canonicorum & Clericorum S. Antonij, sub Regula S. Augustini. Et præfinitio eorum habitus cum signo T. quod potentiam vocant.

Multa priuilegia concesserunt huic Ordini plerique Pontific. vt dicam infr. in Clem. VII. const. 2. Rationi.

Modum autem colligendi eleemosynas huic Ordini præscripsit Greg. XIII. infr. in constit. 7. Romani. vbi notabo.

Edita An. D. 1297.

BONIFACIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Priori & Conuentui Monasterij S. Antonij, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinen. Ordinis S. Augustini Viennen. Diœcesis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium.

IN dispositione Ministrorum Ecclesiæ Dei nobis creditæ potissimum considerare nos expedit, tempus, causas, personas, & loca, secundum quæ, pro emergentibus negotiis noua sunt consilia capienda. Et licet ex Multarum inopinabilium diuersitate causarum iugiter emergentium continua reddamur attentione solliciti, & profundis circa illa vigiliis exciremur, ne desit Apostolicæ sollicitudinis studium, vbi pastorale tenemur iniunctum nobis officium exercere, in eo tamen præcipuè studiorum nostrorum sedulitas officiosa versatur, quod ad curam omnium Ecclesiarum & locorum ac religiosorum maximè quorum (licet immeriti) regimini præsidemus, opportunam solertiam, & solertem diligentiam impendamus, vt gratia cooperante diuina, sic eorum statui salubriter consulatur, quod expiatis dissidiis, & perturbationibus, ab eisdem præseruentur innoxij, quietis vbertate lætentur, & rectoribus prouidis, cum tempus prouisionis occurrerit, eorum regimen committatur.

Controuersia orta erant inter Abbatem Monasterij S. Antonij Vien. Diœcesis Ordinis S. Augustini & Abbatem Monasterij montis Maioris Arelaten. diœcesis Ordinis S. Benedicti, super Prioratu S. Antonij & alijs.

§. 5. Sanè inter dilectos filios Abbatem & Conuentum Monasterij montis Maioris ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti Arelatensis Diœcesis ex parte vna, & dilectum filium Aymonem Abbatem Monasterij S. Antonij ad eandem Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Augustini, Viennensis Diœcesis, tunc Magistrum, necnon prædecessores suos Magistros, & Fratres Hospitalis S. Antonij eiusdem Diœces. Viennens. ex altera, tam super Prioratu S. Antonij eiusdem Diœces. tunc ad ipsum Monasterium montis Maioris pertinentis, quam super votis, & promissis ipsi S. Antonio factis, & legatis in testamentis relictis eiusdem, aliisque diuersis articulis suscitata, instigante generis humani inimico iam dodum grauis materia quæstionis; ex qua olim strages corporum, animarum pericula, & eorum grandia discrimina peruenerunt, & peruenire poterunt in futurum, nisi Sedis Apostolicæ circunspecta prouidentia, cuius interest singulorum, prout est possibile, præcauere periculis, super his opportunum remedium adhiberet.

Ad quas tollendas eximit hic Pontif. d. Prioratum à superioritate, & subiectione d. Monasterij montis Maioris.

§. 2. Nos qui Regis pacifici existentes Ministri, vt commissum nobis Ministerium digne implere possimus, quietem & pacem inter vniuersos sollicitudini vestræ commissos, iniectæ sollicitudinis studio, votisque feruentibus procuramus, prætacta discrimina sedula meditatione pensantes, & attendentes, quod nondum huiusmodi poterat discriminibus obuiari, licet per aliquos diuersæ compositiones, siue ordinationes, diuersis temporibus pro danda pace partibus hinc inde factæ fuissent, diligentia excitati paterna, quæ consiliis prouidis filios libenter fouet & dirigit, illo cogitato remedio in hac parte, per quod superni fauoris dextera suffragante, finis prædictæ imponeretur discordiæ, ac via deinceps prætactis discriminibus tolleretur, de fratrum nostrorum consilio, & assensu prædictum Prioratum cum omnibus Ecclesiis, membris, iuribus, & pertinentiis suis existentibus vbicumque ab omni spirituali & temporali potestate, iurisdictione, dominio, subiectione, iure, obedientia & dispositione quacunque prædicti Monasterij montis Maioris, necnon Abbatis, & Conuentus, & personarum eiusdem, de Apostolicæ Sedis plenitudine potestatis omnino duximus eximendum, ipsumque ab eis decernimus esse liberum penitus & exemptum; Priorem, Monachos, & Conuersos, & alios quoscunque, si qui existant in ipso Prioratu per Abbatem & Conuentum eosdem, vel eorum mandato seu auctoritate per alios forsitan deputatos, ab eo totaliter amouendum, eisque Priori, Monachis, & Conuersis præcipiendum, vt ad dictum Monasterium redire curarent, inibi Domino seruituri.

Prioratúmque antedictũ in Abbatiã erigit ad honorẽ S. Antonij cuius corpus ibi requiescit.

§. 3. Et quia Prioratum eundem propter ipsius B. Antonij reuerentiam, cuius gloriosa merita per Vniuersas Ecclesias in huius Orbis latitudine constitutas manifestius innotescunt, cuiusque corpus, sicut fama celebris misit ad posteros, & innumera quæ per eundem Sanctum ibidem Dominus miracula iugiter operatur, patenter ostendunt, in Prioratu ipso quiescit, condignis efferri honoribus, non tam dignum, quam debitum existimantes, Prioratum ipsum in Abbatiam ereximus, de prædictorum fratrum consilio, & eiusdem plenitudine potestatis, certo Canonicorum seu fratrum inibi numero constituto.

Abbatiæ S. Antonij d. Prioratum ac hospitale subijcit.

§. 4. Ac vt dissensionis, & æmulationis cuiuslibet occasio inde præcideretur omnino, prædictum Hospitale cum omnibus membris suis, in quibuscunque Mundi partibus constitutis, eorumque pertinentiis & iuribus, ipsi subiecimus, & vniuimus Abbatiæ.

Abbatiam & non Prioratũ de cætero appellari, & ipsi Abbatem regi iussit.

§. 5. Auctoritate Apostolica statuentes, vt locus ipse qui Prioratus in antea dicebatur; foret, & appellaretur de cætero Abbatia, & ij qui præessent eidem, nomen semper & dignitatem obtinerent Abbatis, & Abbatiam ipsam, ac dictum Hospitale sibi vnitum simul perpetuis futuris temporibus, constitutione vel consuetudine quauis non obstante contraria gubernarent, nec Magistri, vel Domini de cætero, sed Abbates Monasterij S. Antonij tantummodo appellarentur.

Abbatique omnes Fratres seu Canonicos d. Hospitalis & membrorum eius parere decreuit.

§. 6. Quibus vniuersi fratres Hospitalis & membrorum eorundem; quos Canonicos seu fratres Monasterij S. Antonij volumus, de cætero nuncupari, parerent humiliter in omnibus & intenderent.

Regulam S. Augustini ab eis seruari mandauit.

§. 7. Quodque in eodem Monasterio S. Antonij, & Hospitali, ac membris eisdem, B. Augustini regula seruaretur, & secundum eam dicti Abbas & Canonici seu fratres perpetuò viuere tenerentur.

§. 8. Ha

Habitū cum signo T deferri voluit.

§. 8. Habitum verò cum signo T, quod potentiam vocant, in honorem ipsius B. Antonij tam Abbas, quàm Canonici seu fratres præfati, iuxta morem solitum ipsius Hospitalis, semper & vbique portarent.

Monasterium & Hospitale à iurisd. Ordinariorū & aliorum eximit. Vide ad hoc constit. 2. Clem. VIII. cit. in rub.

§. 9. Ipsum quoque Monasterium cum Hospitali prædicto, & omnibus membris, ac bonis suis existentibus vbicunque, & Abbatem, Canonicos, seu fratres eiusdem nunc præsentes atque futuros, ab omni iurisdictione, potestate, subiectione ac dominio Archiepiscopi, Episcopi, & Ordinarij cuiuscumque omnino duximus eximenda. Decernentes ea omnia immediate soli dumtaxat Romano Pontifici subiacere.

Et in recompēsam prædictæ separationis, quædam bona stabilia per Abbatem S. Antonij d. Monasterio montis Maioris dari & assignari fecit.

§. 10. Et quia erat æquitati & rationi conueniens, vt prædictum Monasterium montis Maioris nobis & Ecclesiæ Romanæ immediate subiectum, & Abbatem & Conuentum eiusdem, sic benigno respiceremus affectu, quod exemptio, amotio & alia quæ in fauorem Monasterij S. Antonij & Hospitalis prædictorum, & propter bonum pacis, & concordiæ per nos ordinata erant, in ipsorum Monasterij Abbatis, & Conuentus montis Maioris non cederent omnino dispendium & iacturam, In recompensationem eorum, quæ præmissorum occasione subtracta noscebantur eidem, certam quantitatem bonorum stabilium in locis idoneis infra certas Prouincias eisdem Monasterio, Abbati, & Conuentui montis Maioris, per Abbatem S. Antonij certo modo præcipimus assignari, prout hæc & alia in aliis nostris literis inde confectis plenius continentur.

Abbatemque d. Abbatiæ, S. Antonij Aymonemd. Hospitalis magistrum modo eligit.

§. 11. Cum igitur prædicto Monasterio S. Antonij quod per huiusmodi ordinationem nostram, præfectione Abbatis noscitur indigere, si de Abbate idoneo prouidendum. Nos de ipsius statu prospero, more patris solliciti propensius cogitantes, & considerantes attentius quod vix vlli committi posset melius eius cura, quam prędicto Aymoni, qui loci & personarum conditiones, & statum oculata fide palpauit, & cui, sicut fide dignorum testimonio accepimus, religionis obseruantia, morum honestas, circumspectionis industria, & alia dona virtutum multipliciter suffragantur, præfatum Aymonem olim Hospitalis prædicti Magistrum, à vinculo quo ipsi Hospitali tenebatur, hactenus absolutum, eidem Monasterio S. Antonij de Fratrum prædictorum consilio, in Abbatem præfecimus & pastorem, sibi curam, administrationem, & regimen ipsius Monasterij S. Antonij in spiritualibus & temporalibus committentes.

Hanc sanctionem seruari præcipit.

§. 12. Quocirca vniuersitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, & per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eundem Abbatem benigne recipientes, & honeste tractantes, exhibeatis ei obedientiam, & reuerentiam debitam & deuotam, eius salubria monita & mandata suscipiendo, deuote & efficaciter adimplendo, ita quod mutuo inter vos ac ipsum & spirituale possit abundare gaudium, & prosperitatis optatæ consurgere incrementum: alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

D.P. A. 3. die 18. Maij.

Datum Apud Vrbem Veterem, 15. Kalendas Iunij, Pontificatus nostri Anno tertio.

VI. Canonizatio S. Ludouici Regis Franciæ, Confessoris; Et institutio suæ Festiuitatis pro die 25. Augusti quotannis celebrandæ; Ac indulgentiarum elargitio pro visitantibus eius sepulchrum.

Edita An. D. 1297.

BONIFACIVS PAPA VIII.
Vniuersis Christi fidelibus, Salutem & Apost. bened.

Exordium.

Gloria, laus & honor Patri luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, à cunctis fidei orthodoxæ cultoribus, quorum spes tendit ad superos, summis & sedulis deuotionis & reuerentiæ studiis referatur. Ipse namque in misericordia copiosus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de supremis Cœlorum ad ima Mundi oculos suæ Maiestatis inflectens, & benigna consideratione discutiens, B. Ludouici quondam Regis Franciæ inclyti, suique gloriosissimi Confessoris merita grandia, operaque mirifica, quibus in tempore constitutus in sæculo, seu lucerna luminosa resplenduit, eaque velut iustus Index & retributor laudabilia, dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum tanquam emeritum, & retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum, & laboriosa Mundi certamina, quæ feruens in diuinis obsequiis potenter & patenter exercuit, æthereis sedibus collocauit, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat, fœlicitatis æternæ dulcoribus potiturus.

Exultatio S. R. E. & totius fidelis Populi de meritis & laudib. S. Ludouici Regis Franciæ.

Exultet igitur Mater Ecclesia, & solemnia festiua concelebret gaudiorum, quod tantum & talem filium genuit, produxit natum, educauit alumnum iam inter Regum gloriosa cœlestium agmina rutilantem. Lætetur inquam, & iubilet, ac in laudes Altissimi voces promat, quod sobolis tam præcelsæ, tam celebris illustrat fulgoribus, insigniis decorata conspicitur, quæ sonoris attollenda præconiis, summæque venerationis exhibitione colenda, enucleatius aperit, euidentius explicat, illos ad perennis beatitudinis gaudia, & hæreditatis æternæ participium admittendo, qui prædictam Ecclesiam, Matrem fidelium, Spōsam Christi, claris fidei & operis testimoniis profitentur, nullósque in supernæ patriæ gloriam, nisi per eius vtpote Cœlorum clauigeræ ministerium virtuosum ostiis reseratis altissimis, introire. Gaudeant incolarum turbæ cœlestiū, de tam sublimis, tam lucidi habitatoris aduentu, quodque ipsis, expertus probatusque fidei Christianæ colonus cultorque præcipuus aggregatur. Personet lætitiæ iubilum ciuium generosa nobilitas supernorum, quod tanti talisque conciuis suscepisse dignoscitur adiectiuum, ac venerabilia Sanctorum cœtus gaudio & exultatione refloreat, de noua dignissimi adhibitione consortis. Exurge itaque concio fidelium numerosa, exurgite fidei zelatores, & vna cum eadem Ecclesia, laudis vberis hymnum concinite: perfundātur imbre copioso lætitiæ vestra præcordia, & fœcundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tanta & iam potentis & egregij Principis exaltatione terreni, spei certissimæ plenitudine præconcepta, quod nobis de condigena terrenorum compatriota cœlestium iam effectus, apud æterni Patris Filium efficax patronus accreuit, qui pro salutis nostræ profectibus, iam in eius præsentia positus, solertis exercet officium Oratoris. Porrò qui posset amplo famine præpotens, quis disertus quantumlibet aut eloquentiæ nitore coruscans, sufficienter exprimere præcelsa sanctitatis insignia, & multiplicium excellentiam meritorum, quibus B. Ludouicus prædictus in terris constitutus effulsit? cum eo plura de ipsius laudabilibus actibus referēda se offerant, quo plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit. Sed ne ipsorum actum claritas sub nubilo lateat, & tenebris obducatur, dignum duximus, vt de illis aliqua sermo noster aperiat, & deducat in publicam notionem.

Qui etiam cōiugatus pudicitiæ studuit Regnum Franciæ, iustè, pie, fœliciter gubernauit & rexit.

§. 1. Hic profectò clarissimus genere, sublimis, potentia, facultatibus, opulentus, præcelsus virtutibus, moribus elegans, conspicuus extitit honestate, inhonestis & turpibus à se penitus relegatis. Nam sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit euitare contagia, quod (sicut habet certa credulitas plurimum) nisi ei nexus accessisset vxoris, candore virgineo rutilasset. Longo quippe temporis spatio prędicti Regni regimini præfuit, eiusque gubernacula plena curis, prouida circumspectione direxit. Nulli noxius, non iniuriosus alicui, nemini violentus, Iustitiæ limites summopere seruauit & coluit, æquitatis tramitem non relinquens, peruersorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit, malorum molimina conterens, prauorum illicitos ausus frænans, pacis zelator eximius, feruidus amator concordiæ, promotor extitit sollicitus vnitatis, dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens; propter quod sui fœlicis regiminis tempore, sedatis vndique fluctibus, subductis noxiis, turbinibus profugatis, Regni eiusdem incolis aurora dulciflua tranquillitatis illuxit, lætaque serenitas votiuæ prosperitatis arrisit.

Dei amore exarsit.

§. 2. Et de vita ipsius aliqua referamus, licèt illa quæ maiori dispositione discutitur, examine indagatur, eò

referen

referentis affetat gustui plus dulcoris, mentesque delectet obnixius auditorum. Ab ineuntis ætatis primordiis Dei Filium tenera mentis affectione dilexit, nec diligere desiit studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis; sed quanto maiori profecit ætate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto eius exarsit amor, feruore spiritus ampliori.

Patre puer ipse orbatus à Blanca matre Franciæ Regina prudenter educatur.

§. 3. Hic quidem cum esset annorum duodecim, paterno destitutus auxilio, sub clar. mem. Blancæ Reginæ Franciæ matris suæ custodia & gubernatione remansit, quæ circa diuina obsequia feruenter intenta, eum prudenter dirigere, ac diligenter instruere satagebat, vt ad præfati Regni regimen, quod suæ directionis expetere prouidentiam noscebatur, dignus, & sufficiens fieret, idoneos haberetur.

Adultus Ecclesiastica disciplina & diuinorum recitationi incumbit.

§. 4. Cumque per incrementa temporum idem Rex ætatis annum quartumdecimum attigisset, prædicta Regina illi magistrum proprium deputauit, qui eum scientia literarum imbueret, ac bonis moribus informaret, ipseque Rex sub eiusdem magistri ferula positus, sic ei obediens & reuerens existebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quod superna præueniens gratia, profecit laudabiliter in vtrisque circa diuina sic intentus officia, vt nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea quæ coram se die noctuque à suis faciebat Clericis solemniter celebrari, ab ipso cum eorum aliquo attentius dicerentur.

Iuuenis annorum viginti suscipit signaculum Crucis in subsidium Terræ Sanctæ.

§. 5. Demum successu temporis in anno vigesimo constitutus, & quadam sibi ægritudine superueniente grauatus, à Parisien. & Melden. Episcopis assistentibus tunc eidem, viuificæ Crucis signaculum in Terræ Sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. Et licèt hoc ei, rationabili causa moti, præfati dissuaderent Episcopi, ipse tamen vtpote feruens spiritu erga Dominum, eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubriter dissuasionibus non admissis, signum huiusmodi de manu præfati Parisien. Episcopi cum multa lætitia & exultatione suscepit, Prælatis, nobilibus, & militibus pluribus signum ipsum assumentibus cum eodem.

Amploque cum nauigio & maxima cohorte ad d. subsidium transfretauit.

§. 6. Et tandem amplo præparato nauigio, factisque apparatibus, aliis quæ in talibus requiruntur, cum trigesimum quartum annum attigisset ætatis, in prædictum subsidium transfretauit, N. consortem, & quondam Robertum Attrebaten. Alphonsum Pictauiæ, & clar. mem. Carolum Regem Siciliæ, tunc Andegauiæ Comites, fratres suos dum adhuc viuerent secum ducens, multa grauiaque pericula quæ solent æquoris fluctus infligere sustinendo.

In manus Soldani & Saracenorum incidit patienterque multa sustinuit.

§ 7. Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentia peruenisset, & habito de Ciuitatis Damiatæ captione triumpho, processisset vlterius, generali quasi totius eiusdem exercitus, sicut Domino placuit, ægritudine subsecuta, & aliis aduersis vrgentibus, præfatus Rex cum toto ferè exercitu supradicto in N. Soldani & Saracenorum manus ac potentiam incidit, multa opprobria multasque iniurias, quæ inferentium fœda conditio adaugebat, patienter & humiliter tolerando, præfato Roberto Comite pro fide CHRISTI ab illis immaniter interempto.

Cum eis paciscere noluit, si fidem Christi deserere esset promittendum, casu quo concordia ab eo non obseruaretur.

§. 8. Postmodum autem habito cum Soldano tunc viuente tractatu de iam dictis Rege & exercitu liberandis, maxima interueniente pecuniæ quantitate, ipsoque Soldano occasione huiusmodi à vassallis propriis interfecto, Saraceni qui eius dominium vsurparant, ad pecuniam anhelantes eandem, cum multa instantia postulabant, vt in conuentionibus ordinatis concorditer inter partes iureiurando firmandis adderet, quod nisi ipsi pacta seruarent, omnino Mahometum, quem colunt, vt dicitur, denegarent, ac idem Rex in suo similiter adiiceret iuramento, quod & ipse Dei negaret Filium, ac extra fidem eius existeret, si conuentiones prædictæ ab eo minimè seruarentur. Quod præfatus Rex prorsus abominans, id efficere constantissimè recusauit, quin potius quadam indignatione commotus patenter asseruit, quod talia tam nefanda suis labiis aliquatenus non proferret, neque in tam vesanam & reprobam prorumperet negatiuam: quanquam id ei iam dicti Pictauiæ & Andegauiæ Comites aliique tunc plurimi circumstantes instantissimè suaderent, cum exinde sibi cæterisque Christicolis mortis periculum verisimiliter imminere conspicerent, præsertim cum hoc ageretur cum illis, qui, sicut præmittitur, Soldanum prædictum occiderant, eius sibi dominium vsurpantes, ipsique Regi apertius diceretur, quod nisi in actum perduceret, quod petebant, ipsum & suos crucifigere non differrent, ipsius Regis ad hoc intrepida firmaque responsione secuta, quòd si Saraceni prædicti eius corpus occiderent, ipsius tamen animam non haberent.

Exercitum Christianum non infirmitatis, neque aliorum periculorum metu deserens.

§. 9. Sanè cum iam dicti passagij tempore, post conflictus diuersos & varios, validæ famis inediam grauesque penurias, diraque vulnera quæ fideles CHRISTI pertulerant, eodem Rege tunc temporis fluxum ventris & ægritudines alias patiente, Christianus reuerteretur exercitus Damiatam, Rex ipse nolens ipsum omnino deserere, sed eius potius clementer intendens communicare laboribus, & participare periculis, quæ tunc ex verisimili poterant coniectura timeri, illuc redijt cum eodem, contrà Saracenorum rabiem truculentam insultusque nefarios sibi efficax defensionis impendendo præsidium, vt ab huiusmodi hostium scelestis insidiis seruaretur. Et tandem cum Saracenorum ipsorum astuta nequitia, & dolosa calliditas, tam grandi bellantium copia Christianum circumdedisset exercitum; valida tunc, sicut præmittitur, infirmitate detentum, ipsumque tam grauiter inuasisset, quod Regem & exercitum supradictos oportuit se præfatis reddere Saracenis, ac idem Rex nisi facto voluntaris libitum obstitisset, nauis tunc promptæ potuisset euasisse suffugium, sibique hoc plurimi magnique præsentes inibi suaderent, ipse tamen propter nimiæ charitatis ardorem, quo vehementius æstuabat, volens potius periculis corpus exponere, vt Christianus populus seruaretur illæsus, licèt Saracenorum notitiam ipsius debilitas non lateret exercitus, nec Saracenorum existeret ignota potentia Christianis, euadere noluit remanentibus cæteris, vinculo captionis adstrictis, apertius asserendo, quod Militiam quam secum duxerat, secum si posset reducere intendebat, vel capi seu mori pariter cum eodem.

Concordia subsecuta, potius ipse in carcere pro securitate Saracenorum quam eius exercitum vel ex eo aliquem pro securitate residui pecuniæ persoluendæ remanere contendit.

§. 10. Cumque inter Regem & Christianos, ac Saracenos prædictos, de ipsorum Regis & Christianorum, sicut superius est expressum, liberatione tractatus habitus, & conuentionum subsecuta ordinatio extitissent, Saraceni pro quadam parte pretij redemptionis huiusmodi, quæ soluenda restabat, securitatem plenariam habere intendentes, in electionem ipsius Regis totaliter posuerunt, vt vel ipse liberaretur à carcere, remanentibus cæteris Christianis in vinculis, donec huiusmodi solutio perfecta succederet, vel quod idem in carcere remaneret, Christianis ipsis omnimodè liberatis, præfatus Rex super hoc promptum nec dilatum responsum præbuit, quod ipse quousque solutionis huiusmodi proueniret integritas, remanere in carcere intendebat, Christianis eiusdem libertati pristinæ restitutis, quanquam præfati Alphonsus & Carolus, ac alij viri nobiles tunc astantes expresse dicerent, & profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus consentirent, supplici adiicientes instantia, quod potius Rex ipse recederet aliis minimè absolutis, Rege ipso firmissimè replicante contrarium, assentiente sermonibus eorundem. Et tandem Rege cæterisque captiuis eisdem plenè redditis libertati, dictoque Alphonso pro eiusdem solutionis perfectione obside facienda dimisso, præfatus Rex de galea in qua erat, egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alphonsus ad eius præsentiam rediit, ac omnes etiam Christiani quos in propinquo carcere detinebat inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati à vinculis, ac illi etiam qui tunc in Damiata similiter tenebantur, fuerunt in nauibus collocati.

Liberato exercitu apud Ciuitatem Acconen. commoratur, multosque Agarenos, sua vita exemplo & salubribus eloquiis ad Deum conuertit.

§. 11. Demum præfatus Rex eum eodem liberatus exercitu, ad Ciuitatem rediens Acconen. moramque inibi fere per quinquennium contrahens, & tanquam feruidus humanæ salutis amator, multorum Agarenorum mentes duras quantumlibet, non solum salubribus eloquiis suadens, sed etiam exemplo vitæ laudabili conuertit ad

Domi

Dominum, ipsos faciens ad laudem diuini nominis, & exaltationem Catholicæ fidei honorifice baptizari, eos donis prosequendo largifluis & gratiosis fauoribus confouendo.

Christianos multos ab hostib. redemit.

§. 12. Multosque milites & alios Christianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam vestes, quàm cætera necessaria victu, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat.

Ciuitates multas reparauit.

§. 13. Muros quoque seu mœnia Ciuitatum & Castrorum quamplurium, quæ in illius partibus à fidelibus tenebantur, fecit reparari solemniter, eaque aliàs muniri plenarie, prout necessitas suadebat.

Audita morte sua matris ad Regnũ remeauit, & pia opera quamplurima exercuit.

§. 14. Verum prædictus Rex processu temporis, intellecto quod matrem eius mors amara subtraxerat, & eidem Regno graue periculum immineret, de Procerum suorum consilio, ad partes Franciæ remeauit, nunc sanctitatis insistens operibus, nunc Monasteria & Hospitalia pauperum, nunc domos alias diuinis obsequiis dedicandas, (quæ longum esset enarrare per singula) construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis, nunc etiam infirmos ac debiles in diuersis Monasteriis & Xenodochiis decumbentes, personaliter visitans, ipsos verbis consolatoriis confouebat, eis manibus propriis, flexo genu, potum & cibaria ministrando.

Monacho leproso, &c. alimenta ipsemet porrigebat.

§. 15. Cumque in monasterio Regalis Montis Beluacensis diœcesis quod idem Rex opere plurimum sumptuoso cõstruxit, ac dotibus decorauit eximiis, Monachus quidam Leodegarius nomine moraretur, quem adeo lepræ morbus inuaserat, quod abominabilis factus & despectus quamplurimum, manebat segregatus ab aliis, in quadam camera positus Monasterij memorati, eiusque oculi ob grauis infirmitatis pódus seu malitiam iam consumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus sine locis, rubeis & horridis iam effectis, quique nasum perdiderat, eius tumefactis non modicum labiis, & profunda fiaura destructis, ac idem Rex eum, præsente dumtaxat Abbate Monasterij supradicti, personaliter visitaret ipsumque sumentem cibum, vt poterat, inuenisset, præfatus Rex præmisso benigne salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, & scindere manibus propriis carnes eidem appositas, bolos in os eius studiosissime immittebat, & huiusmodi non contentus obsequio, illatis dapibus eius iussione regalibus, de ipsis eidem Monacho ministrabat, loci aut ægri qualitatem horribilem non euitans, eodem Abbate vehementi stupore concusso, quod tanti sublimitas Principis, talibus quantumcumque salubribus inuolui studiis ac seruitiis posset occupari.

Infirmis Hospitalium frequenter obsequitur.

§. 16. Præterea cum dictus Rex hospitale Compendieñ. ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus, & iam fessus non modicum in labore, infirmum quendam iuxta se positum conspexisset, morbum, qui S. Eligij dicitur, patientem, & flexis genibus coram ipso, morsellum piri remoto cortice poneret in os eius, sanies de illius naribus affluens, fœdauit turpiter manus Regis, qui pie benigneque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico manibus, salubre quod inchoauerat obsequium, diligenter extitit persecutus.

Eleemosynas egenis deuotisque personis elargitur, & dotes congruas maritandis virginibus subministrat.

§. 17. Hic tenera circa seruos CHRISTI ac pauperes, aliasque miserabiles ac deuotas personas valde compatiens, se ipsum in eleemosynarum elargitatem munificum exhibebat. Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis prouidebat, illud de bonis regalibus laudabiliter & salubriter expensum reputans, quod in eleemosynas & alios pios vsus conuerti pro tempore noscebatur.

Fidei sinceritatem in eius Regno seruauit.

§. 18. Hic prædicationibus, & aliis propositionibus verbi Dei, attentum accomodabat auditum, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis. Occurrebat hæreticæ prauitatis infectos, ne fidei Christianæ cultores labe huius contagionis inficerent, de Regni prædicti finibus efficacibus studiis expellendo, ac alias circa statum eius prouidendo sollicite, vt ab ipso fomentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei prædictæ sinceritas rutilaret.

Caristiæ tempore, pauperibus obuenit,

§. 19. Cum vero aliquibus partibus dicti Regni ob sterilitatem seu malitiam temporis, victualium caristia immineba, statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniæ, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuntium inter pauperes diuidendam.

Humili vestium ornamento contentus fuit.

§. 20. Hic profecto humilitate sublimis, sublimitate humilis, in apparatu & vestibus, quas frequenter pauperibus erogabat, post primum potissimum de vltramarinis partibus reditum, summæ humilitatis insignia demonstrauit. Non enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus vsus fuit, sæcularibus pompis à se penitus abdicatis.

Cilicium gestat, carnemque multo ieiunio & fatigatione atterit.

§. 21. Et ne feruorem spiritus, foelæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione & repressione ipsius illum potius accendi contingeret, altiusque sustolli, & carnem ipsam, quam assidui asperitate cilicij, prout asseritur, edomans, effrænæ ipsius libitum, arctæ abstinentiæ fræno coërcuit, eiusque nexibus alligauit, vt non voti proprij ducta libidine, non sui desiderij directa remigio, sed salubri moderamine spiritus, tute ad licita pergeret, prouide ab illicitis abstineret, districtis enim corpus atterebat ieiuniis, priscorum obseruantiæ à Sanctis Patribus ordinatæ, nouorum austeritatem adiiciens sibi motu propriæ voluntatis indictam. Nam per totum quadragesimale tempus, & quadraginta dies festum Natalis Domini præcedentes, ac omnium festiuitatum vigilias, necnon & quatuor tempora, quæ Catholica indicit Ecclesia, in ieiuniis & orationibus existebat, deliciosis & curiosis cibariis vsui proprio penitus interdictis. In festiuitatum verò Virginis gloriosæ, ac Natalis Domini memorati vigiliis, & sexta Feria maioris hebdomadæ, ieiunium obseruabat; panis & aquæ dumtaxat modica sustentatione contentus. Qualibet etiam die Veneris Quadragesimæ supradictæ, ac totius Aduentus, ab esu piscium abstinebat, multis præterea se vigiliis occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret.

In lecto ligneo decumbit.

§. 22. Post eius reditum supradictum non in pluma vel palea iacuit, sed super ligneum lectum portatilem, materacio simplici superiecto, stramine nullo supposito, decumbebat.

Veritatis cultor extitit.

§. 23. Hic insuper vitæ puritate prælucidus, sincerus veritatis amicus extitit, hostisque durissimus falsitatis.

Salubri eloquio, multorum saluti profuit.

§. 24. Cuncta quoque ipsius eloquia salutis augmentum, operaque salubria hortabantur, demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem multiplicem redundabant.

In subsidium Terræ Sanctæ iterum potenti exercitu proficiscitur, & fixo exercitu in partibus Tunetis, infirmitate præuentus, feliciter obdormiuit in Domino.

§. 25. Cumque ad incrementa Catholicæ fidei, & liberationem celerem Terræ Sanctæ votis ardentibus anhelaret, in ipsius Terræ Sanctæ subsidium, assumpsit denuo signum Crucis, & denuo potenti & valido congregato nauigio, copiosa & strenua comitiua suffultus, cum præfato Pictauiæ Comite, suisque liberis & clar. mem. Regina Nauarræ, ipsius Regis filia, quæ in reditu debitum naturæ persoluit, ad patres se transtulit transmarinas, præfato Carolo, qui tunc moram in Italiæ partibus contrahebat, Regis memorati vestigia subsequente, ac tandem ad partes Tunnirij fœlici gressu perueniens, inibi de Magnatum suorum consilio, castra fixit, & aduersùs Saracenorum incursus exercens potentiæ suæ vires grauissimas, ob labores innumeros, quibus premebatur assiduè, infirmitates incurrit, qui diebus elapsis aliquibus infirmitatum ipsarum violentia superatus, Sacramenta Ecclesiastica cum summa deuotione recepit, ac instante sibi verisimiliter hora mortis, oratione pro exercitu Christiano præmissa, suam Domino deuotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba sequentia videlicet, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, fœliciter migrauit ad CHRISTVM, supernis deliciis fruiturus.

Miraculis postea claruit.

§. 26. Verum cum vitæ huiusmodi functus curriculo, verius viueret quam vixisset, noluit Altissimi Filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam deuoti Principis, tantique propugnatoris fidei orthodoxæ, Mundo supprimi sanctitatem, vt quemadmodum meritorum pluralitate præfulserat, sic miraculorum diuersitate clarescerer, & qui eum plenissima deuotione coluerat, iam

secum

secum in cœlesti Palatio collocatus, venerabiliter colesetur. Nam contractis, artuum extensione subuenit, curuis terram ferè tangentibus facie, plene restituit, eorum sursum erectis vultibus, sanitatem; strumosis beneficium liberationis impendit.

Mulieris brachium aridū liberauit. §. 27. Mulierem quamdam, cuius brachium aridum & omnino impotens existebat, ab infirmitate huiusmodi liberauit.

Et alterius. §. 28. Quidam quoque, cuius velut emortuum pendebat brachium, per eiusdem Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit.

Paralyticos & alios sanos fecit. §. 29. Quampluribus paralytico morbo percussis, & aliis qui diuersis languoribus tenebantur, plena reddita sospitate.

Cæcosque & alios. §. 30. Cæcisque visu; surdis auditu; claudis gressu: illius inuocato nomine restitutis.

Hæc & alia miracula fecit. §. 31. His & quampluribus aliis, Sanctus ipse coruscauit miraculis gloriosis, quorum seriem præsentibus non duximus inserendam.

Vnde communis & generalis debet esse omnium lætitia. §. 32. Gaudeat itaque domus inclyta Franciæ, quæ talem ac tantum Principem genuit, per cuius merita sublimiter illostratur, lætetur deuotissimus Franciæ Populus, quod tam electum, tam virtuosum Dominum meruit obtinere. Exulteut Prælatorum & Cler. præcordia, quod præfatum Regnum tam claris miraculorum ipsius Regis insignius propensius decoratur. Iucundentur & procerum, magnatum, nobilium, & militum pectora, quod per sanctissima opera dicti Regis eiusdem Regni status donis multiplici prærogatiua sustollitur; & quasi solis radius elucescit.

Et hic Pont. ipsum Ludouicum SS. Confessorum catalogo adscribit. §. 33. Ceterum quia quos superni Regis clementia corona gloriæ in cœlo magnificat, deuotè à fidelibus in hac terrestri patria conuenit venerari, Nos de sanctitate vitæ, ac miraculorum veritate ipsius Beatissimi Ludouici curiosæ ac solemnis inquisitionis diligentia, & districti examinis discussione præmissis, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi Fratrum nostrorum, & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu, die Dominico 3. Idus Augusti Sanctorum Catalogo duximus adscribendum.

Festumque ipsius die 25. Aug. celebrari iussit. §. 34. Ideoque Vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus in crastinum B. Bartholomæi Apostoli, cum fœlix ipsius anima, tunc de carnis eruta vinculis, astra petens, cælestem aulam adiuerit, æternis gaudiis potitura, Festum ipsius Sancti deuote & solemniter venerari colereque studeatis, vt eius interuenientibus precibus, & hic ab imminentibus possitis liberari periculis, & in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere.

Sepulchrum eiusdem visitantibus indulgentias concedit. §. 35. Vt autem ad venerabile sepulchrum ipsius feruentius & copiosiùs Fidelium confluat multitudo, ac celebrius eiusdem solemnitas peragatur, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui reuerenter illuc in eodem festo annuatim accesserint, eius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies; accedentibus verò annis singulis ad prædictum Sepulchrum, infrà eiusdem festi Octauas, quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

D. P. A. 3. die 11 Aug. Datum apud Vrbem Veterem, 3. Idus August. Pont. nostri anno 3.

VII. Institutio Sanctissimi Iubilæi, plenariæque peccatorum remissionis, pro quolibet centesimo anno, Basilicas SS. Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe visitantibus.

Immutatus pluries fuit à Summis Pontificibus hic centesimus annus, & tandem à Paulo II. ad vigesimum quintum reductus fuit, vt infrà in eius const. 7. Ineffabilis. Et addita etiam fuit aliarum duarum Ecclesiarum visitatio, vt hæc omnia leguntur infr. in constitut. 58. Clem. VIII. annus.

Iubilæum Anni Sancti 1625. indixit S. D. N. Vrb. VIII. vt infr. tom. 4. in eius constit. 16. Omnes gentes; ad quam plenissimè notaui.

BONIFACIVS EPISCOPVS, &c. *Edita An. D. 1300.*
Ad perpetuam rei memoriam, &c.

Antiqua Indulgentiarum concessio pro accedentib. ad Basilicam S. Petri. ANtiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe, concessæ sunt magnæ remissiones, & indulgentiæ peccatorum.

Confirmatio huius Pont. §. 1. Nos igitur qui iuxta officij nostri debitum salutem appetimus, & procuramus libentius singulorum, huiusmodi remissiones & indulgentias omnes & singulas, ratas & gratas habentes, ipsas auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, & etiam innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Concessio plenaria Indulgentiæ pro visitantib. quolibet cētesimo anno, Basilicas SS. Petri & Pauli de Vrbe. §. 2. Vt autem Beatissimi Petrus & Paulus Apostoli, eo amplius honorentur, quo eorum Basilicæ de Vrbe deuotius fuerint à fidelibus frequentatæ, & fideles ipsi spiritualium largitione munerum, ex huiusmodi frequentatione magis senserint se refertos, Nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem Apostolorum eius meritis & auctoritate confisi, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, omnibus in præsenti anno millesimo trecentesimo, à festo Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI præterito proximè inchoato, & in quolibet anno centesimo secuturo, ad Basilicas ipsas accedentibus reuerenter, verè pœnitentibus & confessis, vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur, in huiusmodi præsenti, & quolibet centesimo secuturo annis, non solum plenam & largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedemus & concedimus veniam peccatorum.

Designatio dierum visitationis. §. 3. Statuentes, vt qui voluerint huiusmodi indulgentiæ à nobis concessæ fieri participes, si fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die, si vero peregrini fuerint, aut forenses, simili modo diebus quindecim, ad Basilicas easdem accedant. Vnusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & deuotius frequentabit. Nulli ergo &c.

Dat. P. A. 6. die 22. Feb. Dat. Romæ apud S. Petrum, 8. Kalend. Martij, Pontif. nostri anno 6.

VIII. Erectio Studij generalis in Ciuitate Firmana, prouinciæ Marchiæ Status Ecclesiastici, cum priuilegiis, gratiis & indultis Studij Bononiensis.

Hanc erectionem approbauit Calix. III. die 26. Iun. 1455. & Sixt. V. infr. in sua const. 9. Muneris. vbi hoc idem studium tunc fere extinctum renouauit.

De Studij Bononiensis priuilegiis, vide infrà in constitut. 69. Pij. IV. Sacri. Et alia de Lectoribus & Scholaribus eiusmodi Studiorum, In præcit. const. Sixt. V. notabo.

BONIFACIVS EPISCOPVS, *Edita An. D. 1303.*
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN supremæ dignitatis Apostolicæ specula superni dispensatione Consilij licèt immeriti constituti, ad vniuersas fidelium regiones nobis creditas eorumque profectus, & commoda tanquam vniuersalis gregis Dominici pastor, commissæ nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, intendentes, fidelibus ipsis ad quærendum literarum studia, per quæ diuini nominis suæque fidei Catholicæ cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quàm priuata res geritur vtiliter, omnibusque prosperitas humanæ conditionis augetur, libenter fauores gratiosos impendimus, & opportunæ commoditatis auxilia liberaliter impertimur.

§. 1. Cum

Ciuitas Firmana supplicat Papa pro erectione studij generalis.

§. 1. Cum itaque nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Ciuitatis nostræ Firmanæ prouinciæ Marchiæ Anconitanæ propositum fuerit coram nobis, quod ipsi non solum ad vtilitatem & prosperitatem huiusmodi reipublicæ ac incolarum, Castrorum, & Terrarum eis subiectarum, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendenes, in Ciuitate Firmana, tanquam in insigniori loco & magis ad hoc commodo & idoneo, cuique aëris viget temperies, victualium vbertas, cæterarumque rerum ad humanum vsum pertinentium copia reperitur, desiderent plurimum, fieri & ordinari per Sedem Apostolicam studium generale, in qualibet licita facultate, vt ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, æquitas seruetur, iudicij vigeat ratio, illuminentur mentes, & intellectus hominum illustrentur.

Qui in d. Ciuitate, illud ad instar Studij Bononien. erigit, eiusque priuilegia eidem concedit. At Sixt. V. in cit. rub. omnib. studiorum generalium priuilegia tribuit.

§. 2. Nos præmissa, & etiam eximiam fidei & deuotionis constantiam, quam ipsi homines, & Communitas ad Nos & Sanctam Romanam Ecclesiam fidemque Catholicam gerere dignoscuntur, attente considerantes, feruenti desiderio inducimur, quod Ciuitas ipsa scientiarum ornetur muneribus, ita vt viros producat consilij maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diuersarum facultatum dignitatibus eruditos, de quorum plenitudine hauriant vniuersi literarum cupientes imbui documentis. Iis igitur omnibus, & præsertim idoneitate dictæ Ciuitatis, quę ad multiplicanda sane doctrinæ semina, & germina salutaria producenda magis congrua & accommoda inter alias Ciuitates, terras, loca & oppida dictæ prouinciæ fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsius Ciuitatis, sed etiam regionum circumiacentium incolarum commodum & profectum, paternis affectibus anhelantes, prædictorum Communitatis & hominum in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem diuini nominis, & fidei propagationem orthodoxæ auctoritate Apostolica statuimus, & etiam ordinamus, vt in eadem ciuitate de cætero sit Studium generale, ad instar Studij Bononiensis, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat, tam in Theologia, Iure Canonico, ac Ciuili, & artibus, quam alia qualibet licita facultate. Quodque legentes, & studentes, ibidem, omnibus priuilegiis, libertatibus & immunitatibus concessis magistris in Theologia & Doctoribus legentibus, & studentibus commorantibus in Studio Bononiensi, gaudeant, & vtantur.

Doctorandique formam praescribit. De hac vide etiam in Bull. Sixt. V. cit. in rub.

§. 3. Ad quod ille quo processu temporis brauium meruerunt, in illa facultate in qua studuerunt obtinere, sibique docendi licentiam vt alios erudire valeant, ac magisterij seu doctoratus honorem petierint elargiri, per Magistrum, seu Magistros vel doctores illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Venerabili fratri nostro Episcopo Firmano pro tempore existenti, vel eius sufficienti & idoneo Vicario, quem ad hoc idem Episcopus duxerit deputandum; Ecclesia verò Firmana vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios Capitulum ipsius Ecclesiæ Firmanæ deputatus extiterit, præsentētur. Idemque Episcopus aut deputatus, vt præfertur Magistris & Doctoribus in eadem facultate actu ibi legentibus conuocatis, illos in iis, quæ circa promouendos ad magisterij, seu doctoratus honorem requiruntur, iuxta modum & consuetudinem quæ super talibus in generalibus Studiis obseruantur, examinare studeat diligenter, eisque si ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, magisterij & doctoratus honorem conferat, & etiam largiatur.

Scholaribus huius studij, doctoratus facultatē alios docēdi, etiam in alijs studijs generalib. cōcedit. Hoc vide in d. const. Sixt. V. cit. in rub.

§. 4. Illi verò qui in eodem Studio dictæ Ciuitatis examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam, & honorem huiusmodi obtinuerint, vt est dictum, ex tunc absque examine & approbatione alia, legendi & docendi tam in prædicto ipsius Ciuitatis; quam in singulis aliis generalibus Studiis, in quibus voluerint legere & docere, statutis & consuetudinibus quibuscumque contrariis, Apostolica auctoritate, vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo, &c.

D. P. A. 9. die 16. Ian.

D. Romæ apud S. Petrum, 17. Kal. Febr. Pont. nostri an. 9.

Institutio Studij generalis in Alma Vrbe, cum priuilegiis pro Doctoribus, & Scholaribus.

Studium Iuris Canonici & Ciuilis, iam instituerat Romæ Innoc. IV. vt in cap. 2. de Priuileg. in 6. Lectoresque linguæ Hebraicæ, Arabicæ, & Caldeæ introduxit Clem. V. vt in Clem. I. de Magistr. Et harum trium linguarum studia apud Regulares innouauit Paul. V. vt in sua constit. 65. Apostolica. Lectionem verò Theologiæ generaliter haberi decreuit Concil. Trid. sess. 5. cap. 1.

Regimen huius Studij, & facultas creandi Doctores Iuris Caonici & Ciuilis, spectat ad Collegium Aduocatorum Consistorialium ex const. 62. Sixt. V. Sacri Prour & promouendi ad gradus Philosophiæ & Medicinæ spectat ad Collegium Medicorum Physicorum Vrbis, ex const. 20. Iul. III. Meritis. Protectio autem est Congregationis Cardinalium, vt in const. 74. Sixt. V. Immensa. Scio etiam hunc Bonifac. Pont. prima Iulij huiusmet anni in Ciuitate Auenionis, generale quoque Studium erexisse, sed eius Bullam vix post hanc impressionem habere potui.

Erexit nouissimè in hoc Studio Cathedram Rhetoricæ cum annuæ prouisionis assignatione, necnon priuilegiorum, & indultorum, quibus alij Cathedrarici dicti Gymnasij gaudent communicatione, & eam concessit Augustino Mascardo S.D.N. Vrb. VIII. in eius const. 83. Militantis infr. tom. 4.

Edita An. Dñi 1303.

BONIFACIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Abbati Monasterij S. Laurentij extra muros, & Priori Basilicæ ad sancta Sanctorum, ac Archipresbytero Ecclesiæ S. Eustachij de Vrbe. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Causa huius erectionis studij in Vrbe.

IN supremæ præeminentia dignitatis diuini dispositione consilij constituti, ad vniuersas fidelium regiones nostræ vigilantiæ creditas tanquam Pastor Dominici gregis aciem Apostolicæ considerationis extendimus, ad earum profectum quantum nobis ex alto permittitur intendentes: sed ad vrbium Vrbem, Romanam videlicet ciuitatem, quam diuina clementia statuit Orbis, eo attentionis meditationis intuitum retorquemus, quo principalius in eadem nostri sedem Apostolatus cœlestis dispositio stabiliuit, & firmauit Ecclesiæ fundamenta. Hanc profecto nimirum inter cæteras vrbes sub Christianæ religione fidei militantes, vberioris affectionis prærogatiua prosequimur, studiosius Apostolicis munimus præsidiis, & condignis libentius gratiis honoramus, ideoque feruenti non immerito desiderio ducimur, quod eadem Vrbs quam diuina bonitas tot gratiarum dotibus insigniuit, scientiarum etiam fiat fœcunda muneribus, vt viros producat consilij maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diuersarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons scientiarum irriguus, de cuius plenitudine hauriant vniuersi literalibus cupientes imbui monumentis.

Erectio studij Romani cum priuilegijs studiorum generalium.

§. 1. Ad hunc igitur vniuersalem profectum non solum incolarum Vrbis ipsius, & circumpositæ regionis, sed & aliorum qui præter hoc quasi continuo de diuersis Mundi partibus confluunt ad eandem, studio paternæ sollicitudinis intendentes, diligenti super hoc cum fratribus nostris deliberatione præhabita, de ipsorum consilio auctoritate Apostolica duximus statuendum, quòd in Vrbe prædicta perpetuis futuris temporibus generale vigeret studium in qualibet facultate, ac docentes & studentes ibidem, omnibus priuilegiis libertatibus & immunitatibus concessis Doctoribus & Scholaribus in Studiis generalibus commorantibus, gaudeant & vtantur.

Priuilegium huius, quod Doctores & Scholares non conueniantur in Cur. Capit.

§. 2. Et ne huiusmodi ipsorum studium (quod de bono semper in melius dirigi cupimus) perturbari contingeret, auctoritate prædicta decreuimus, vt Doctores, vel Scholares in huiusmodi Rom. studio commorantes, non pos-

fint inuiti in Cur. Capitolij occasione qualibet ciuiliter vel criminaliter conueniri, nisi forsan (quod absit) homicidium per aliquem vel aliquos de eodem Studio Romano perpetrari contingeret: quo casu Vicarius Rom. Pont. contra Clericos, Senator verò vel Senatores qui pro tempore fuerint in Vrbe prædicta, contra Laicos procedant, & faciant quod iustitia suadebit.

Exemptio à bellis. §. 3. Nec ad aliquas contributiones in talliis aut collectis, quæ imponerentur pro tempore habitatoribus dictæ Vrbis, seu aliqua obsequia communi Vrbis ipsius præstanda, prætextu moræ, quam in eadem Vrbe contraherent, vel aliqua pedagia ratione rerum suarum, quas ad dictum Romanum studium deferri, vel exinde reportari facerent, doctores aut scholares eiusdem Romani studij teneantur.

Priuilegium quo ad pensiones domorum. §. 4. Quodque pensiones domorum, quas doctores vel scholares in eadem Vrbe studiorum causa morantes inhabitarent, taxari deberent per duos taxatores, quorum vnum ipsi Doctores & scholares, & alterum commune ipsius Vrbis eligant, & si ij duo concordare nequirent, stetur taxationi tertij taxatoris ab eisdem Doctoribus & scholaribus eligendi, ac vltra taxationem huiusmodi nihil ab eis possit exigi nomine pensionis pro domibus antedictis.

Priuilegium fori, quod eorum causa coram Vicario Vrbis, aut Rectore Studij cognoscantur. §. 5. Et licet Roma communis sit patria, si tamen quispiam litem contra scholares peregrinantes causa studiorum in illa super aliquo negotio mouere voluerit (huiusmodi rei optione data scholaribus ipsis) eos coram Domino, aut Magistro suo, vel prædicto Vicario conueniat, iuxta legitimam super hoc editam sanctionem, & qui contrafecerint, pœnam dictæ sanctionis incurrant. Rectores quoque quos Doctores & scholares eiusdem Romani Studij pro tempore duxerint eligendos, in ipsos Doctores, & scholares ac familiares ipsorum, tam circa cognitionem & decisionem causarum ciuilium & criminalium ciuiliter motarum, & etiam criminaliter in criminibus leuioribus, quam ipsorum corrigendos excessus lenes, ord. nariam obtineant potestatem.

Priuilegium quoad residentiam. §. 6. Vt autem Doctores & scholares prædicti eo liberius intendere studio valeant, ac proficere in eodem, quo maioris fuerint gratiæ fauore muniti, ipsis auctoritate prædicta concessimus, vt dum huiusmodi studio docendo, vel audiendo insistent, fructus, redditus & prouentus omnium beneficiorum suorum cum cura, vel sine cura, etiamsi eorum aliqua personatus vel dignitates existerent, cum ea possint integritate percipere (quotidianis distributionibus duntaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis in quibus illa obtinent, personaliter residerent, & ad residendum in eis interim minimè teneantur, neque ad id à quoquam valeant coarctari. Nec obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus contrariis, dictarum Ecclesiarum iuramento, confirmationis Sedis Apostolicæ, vel quacumque firmitate alia roboratis, etiamsi de illis seruandis per se, vel per procuratores suos præstassent forsitan iuramentum.

Deputatio executorum huius constitutionis. §. 7. Verùm quia non sufficit priuilegiorum & indulgentiarum aliquibus dare præsidia, nisi sint qui super iis eos manuteneant & defendant, cum parum sit in Ciuitate ius esse, nisi qui illud tueatur existat, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vos, vel duo aut vnus vestrum, per vos vel alium seu alios eisdem Doctoribus, ac scholaribus qui in eodem Romano studio pro tempore fuerint, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos, vel eorum aliquos contra huiusmodi statuti, constitutionis & concessionis nostrarum tenores ab aliquibus molestari. Molestatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, quicumque & cuiuscumque conditionis fuerint, aut status, etiamsi Pontificali, vel alia quauis præfulgeant dignitate, auctoritate Apostolica, postposita appellatione compescendo.

Derogatio contrariorum. §. 8. Non obstantibus supradictis, seu de duabus dietis edita in Concilio generali & nostra, qua cauetur, quod Conseruatores à Sede deputati prædicta aliquos vltra vnam dietam à fine Diœcesis eorundem trahere non præsumant, & quibuscumque aliis constitutionibus contrariis, dummodo vltra tertiam, vel quartam dietam extra suam Diœcesim aliquis auctoritate præsentium non trahatur, aut si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas, impetratas, vel etiam impetrandas, nisi eædem literæ impetrandæ plenam & expressam fecerint de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet literis, & indultis Apostolicis, per quas, præsentibus non expressis, vel totaliter non insertis nostræ iurisdictionis explicatio in hac parte posset quomodolibet impediri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris literis mentio sit habenda. Volumus autem, quod quilibet vestrum, etiam super negotio per collegam suum in hac parte primitus inchoato, se intromittere valeat, & procedere in eodem prout, & quoties fuerit opportunum.

Dat. Anagniæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1303. 8. Idus Iunij, Pontificatus nostri anno nono. *D. P. A. 9. die 6. Iunij.*

Erectio Studij generalis, in Ciuitate Auenionis, alias X. Galliæ Narbonensis, sub ditione Status Ecclesiastici

Hic idem Pontifex simile Studium mox instituit in Vrbe, vt in eius const. præcedenti. Et aliud in Ciuitate Firmi, Prouincia Piceni, vt refertur à Sixt. V. in eius const. 95. muneris infr. tom. 2.

BONIFACIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1303.*

Studiorum & scientiarum commendatio. Conditoris omnium immensa benignitas rudem hominem, quem post perceptionem mortiferi gustus ad perfectionem discretionis efferre naturalis ratio non poterat, scientiarum artiomque decreuit dogmatibus erudiri. Sicque dono dato diuinitus plurium idiomata nationum, sub diuersarum linguarum varietate diffusa, in vnum conueniunt loquendi commercium, latinitatis ordine literalis. Sic gesta patrum, & principum redacta sunt, & rediguntur in monumenta librorum Sic veri & falsi certamina, certis rationibus & argumentis probabilibus dirimuntur. Sicque generationis & corruptionis corporum vniuersorum simplicitas, elementorum qualitate discernitur. Sic etiam vocum sonoritas, pari concordia prodit in iubilum, & documento colligitur qualiter in diuinis obsequiis modulatione musica Domino seruiatur. Sic terminorum extrema scholastica doctrina metitur, quælibet longitudinis & latitudinis, sublimitatis, & profundi distantias, punctorum seu mensuratu connumeratione distinguens. Sic de supernorum essentia corporum prout mouentur & consistunt in ordine, Philosophiæ perscrutatio arte nititur habere notitiam, licèt sit tes intellectu difficilis, & aciem humanæ rationis transcēdat. Sic datur Iuris vtriusque cognitio, querela iurgiosa dirimitur, & quod suum est, redditur vnicuique. Sic quoque ad sacrarum acceditur altitudinem scripturarum, & elicitur viuificans spiritus de literæ visceribus occidentis. Expedit igitur singulis regionibus orthodoxis, vt in eis habeantur viri industrij, literarum decore, scientiis & virtutibus præsigniti, vt singula sic ipsorum consiliis prouidis, & consulta prouidentia dirigantur, quod earum incolæ subiectitudinis obseruantia gloriosi viuant & regnent, & quietis beatitudine gratulentur. Tales siquidem viros, infusa eis cælitus gratia literale studium efficit, patulos fauuitatis lactans dulcedine, cibans adultos vberius, & prouectos maioris vbertatis delectatione fœcundans, dum circa ipsum studiosa sedulitate versantur. De his profecto non indignè accipitur, quod refulsit sol in clypeos aureos, qui sunt institiæ defensores, facta causarum ambigua dirimentes. Qui suæ defensionis viribus, in rebus publicis ac priuatis, lapsa erigunt, fatigata reparant, nec minus humano generi per scientiarum cooperationem prouident, quam si præliis ac vulneribus, patriam parentesque saluarent. Ac Iustinianea sanctio non solum illos impetio militare decreuit, qui gladiis, clypeis & thoracibus muniuntur, sed alios qui præsidio gloriosi muniminis, laborantium spem, vitam posse

posteróſque defendunt, ne potentiorum manus validior efficiat humiliores inuitis, premátque iactoris clypeo iuſtitiæ non aditos. Tales vtique clypeos anteo titulo merito præſigniuit auctoritas, cum per aurum virtutum nobilitas, & per ſcutum fortitudo fidei deſignentur. Habet enim ſcientia incompatabiles theſauros deliciarum, omniúmque bonorum gratiam largitur ad plenum.

Ideoque ipſa Studia in locis aptis inſtituenda.

§. 1. Nos itaque profectibus publicis ex debito paſtoralis officij, cui dante Domino præſidemus, efficacibus ſtudiis intendentes, ingenti vtique deſiderio ducimur, & cura propenſioris ſollicitudinis excitamur, vt ſtudia literarum, per quæ ſcientiarum theſaurus acquiritur, ac ad ſpiritualis & temporalis gaudij gloriam peruenitur, laudabilibus incrementis dirigantur vbilibet, ac propenſius inualeſcant, & in illis potiſſimè locis & partibus, quæ idonea & accommoda fore noſcuntur, ad multiplicanda doctrinæ ſemina, & germina ſalutaria producenda.

Inter quæ loca, Ciuitas Aueniou. adnumeratur.

§. 2. Cùm itaque Auenionen. Ciuitas ob ipſius commoditates & conditiones quamplurimas, habilis & apta non modicùm huiuſmodi ſtudio cenſeatur.

Hic igitur Pontif. in ea erigit Studium generale.

§. 3. Nos pro vtilitate publica credentes multipliciter expedire, vt in Ciuitate prædicta cultores ſapientiæ inſerantur, fructum vberem largiente Domino in tempore producturi, præſentium auctoritate concedimus, vt in Ciuitate prædicta ſit & habeatur de cætero Studium literarum generale, in quo Magiſtri doceant, & Scholares liberè ſtudeant & audiant, in quavis licita facultate. Ac ſi qui proceſſu temporis in eodem Studio fuerint, qui ſcientiæ brauium aſſequuti, docendi ſibi licentiam, vt alios licenter erudire valeant, petierint exhiberi, Sancimus vt in Iure Canonico & Ciuili, ac in Medicina & liberalibus artibus examinari poſſint ibidem, & in facultatibus ipſis duntaxat Magiſterij titulo decorari.

Formáque doctorandi præſinit.

§. 4. Statuentes vt quoties ad id aliqui fuerint promouendi, præſententur Epiſcopo Auenionenſi pro tempore exiſtenti. Qui Magiſtris facultatis illius in qua examinatio fuerit facienda, in eodem Studio præſentibus conuocatis, eos gratis, & difficultate ſublata qualiter de ſcientia, facundia, modo legendi, & aliis quæ in promouendis ad Doctoratus ſeu Magiſteriatus officium requiruntur, examinare ſtudeat diligenter, & illos quos idoneos repererit, petito ſecrete Magiſtrorum eorundem conſilio, quod vtique conſilium in ipſorum conſulentium diſpédium vel iacturam reuelari quomodolibet, ſub diuinæ maledictionis interminatione diſtrictius prohibemus, approbet & admittat, eiſque petitam licentiam largiatur. Alios minus idoneos penitus repellendo, poſtpoſitis omnino gratia, odio vel timore. Cæterum ne vacante Sede Auenionen. contingat, volentes promoueri ad Magiſterium impediri, volumus vt promouendi huiuſmodi vacationis tempore, Præpoſito Auenionen. Eccleſiæ præſententur, qui eos examinet, & examinatos approbet vel reprobet, ſecundùm modum in Epiſcopo prætaxatum.

Rectorib. priuilegium vbique legendi tribuit.

§. 5. Illi autem qui in Ciuitate prædicta examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint vt eſt dictum, ex tunc abſque examinatione vel approbatione alia legendi, & docendi vbique in facultate illa, in qua fuerint approbati, plenam & liberam habeant facultatem, nec à quoquam valeant prohiberi.

Eorundem iuramentum requirit.

§. 6. Sanè vt ritè in iam dictis examinationibus procedatur, præcipimus, vt Magiſtri legere in eodem Studio cupientes, antequam incipiant, præſtent publice iuramétum, quod ipſi vocati ad examinationes eaſdem perſonaliter venient, niſi fuerint legitimo impedimento detenti, & gratis, ſine difficultate, odio & amore poſtpoſitis, dabunt examinatori fidele conſilium, vt de examinatis digni approbari debeant, & indigni merito reprobari. Qui verò iuramentum huiuſmodi præſtare noluerint, nec ad legendum, nec ad examinationes eaſdem, nec etiam ad aliqua Vniuerſitatis ipſius Studij commoda, vel beneficia vllatenus admittantur.

Doctorib. & Scholaribus priuilegia Studiorum generalium concedit.

§. 7. Vt autem Doctores & Scholares prædicti, eo libentius valeant intendere ſtudio, ac proficere in eodem, quo ſe munitos agnouerint gratia & fauore, eis auctoritate prædicta concedimus, vt dum huiuſmodi Studio docendo vel audiendo duxerint inſiſtendum, omnibus priuilegiis, libertatibus & immunitatibus conceſſis Doctoribus & Scholaribus in ſtudiis generalibus commorantibus gaudeant, & vtantur.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Dat. Anagniæ Kal. Iulij, Pont. noſtri anno nono.

D. P. A. 9. die 1. Iulij.

BENEDICTVS X. DICTVS XI. PONT. CXCVI. ANNO DOMINI MCCCIII.



BEnedictus X. dictus XI. Ordinis Prædicatorum, Magiſter Frater Nicolaus Bocaſinus, anteà dictus, natus in vico S. Bartholomæi Taruiſij Venetiarum, Patre Bocaſio, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus. Creatus Romæ 12. Kal. Nouembris 1303. Coronatus die 6. Kal. Nouemb. eodem anno. Sedit menſes 8. dies 6. Creauit Cardinales 3. Obiit Peruſij Nonis Iulij anno 1304. Sepultus in Templo S. Herculani ad Prædicatores. Vacauit ſedes menſes 10. dies 28.

Noua confirmatio Ordinis Fratrum Seruorum B. MARIÆ Virginis ſub Regula S. Auguſtini. 1.

Eundem Ordinem gratiis, & priuilegijs donarunt Clem. VI. Conſt. 2. Regimini hic infr. & Vrban. VI. Conſtit. 2. Sacroſancta, & Pius V. in conſt. 44. Romanus infr. tom. 2. & Conſt. 103. Poſtquam, ac Clemens VIII. reformauit in Conſt. 119. Quoniam infr. tom. 3.

Hunc Ordinem ſicut in Eremo Senatia apud Ciuitatem Florentiæ ortum habuiſſe, ita ibidem reſtitutum fuiſſe, anno 1593. videre eſt in conſt. 80. Clementis VIII. infrà lib. 3. Decer, cum ibi not. Regulam autem Confratrum Tertij Ordinis, vide in conſtit. 15. Martini V. Sedis, infrà in hoc libro.

Edita Ann. 1304.

BENEDICTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Generali & Vniuerſis Prioribus & Fratribus Seruorum S. Mariæ, Ordinis S. Auguſtini, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

DVm leuamus in circuitu oculos noſtros, & gregem Dominicum, nobis licet immeritis, diuina diſpoſitione commiſſum, vndique iuxta paſtoralis officij debitum contemplamur, vigilem, quantum nobis ex alto permittitur, curam libenter impendimus, vt cultores vineæ Domini Dei Sabaoth, ſic cultui ſalutis intendant, quod eadem Vineæ

palmites diffuſos extendens, ſalutarium producat fructuum vbertatem. Et licèt erga ſingulos cultores huiuſmodi, perſonas videlicet Eccleſiaſticas, Apoſtolica ſollicitudo verſetur, erga tamen viros Religioſos, qui contemplationi cæleſtium, mundanis relegatis illecebris, piæ vitæ ſtudio, ſine intermiſſione deſudant, eo propenſiorem nos decet diligentiam adhibere, quo ipſi pro Religionis fauore ſunt amplius Apoſtolicis præſidiis confouendi.

Quamuis hic Ordo à Sede Apoſtol. iam confirmatus videatur.

§. 1. Sanè vos, qui Ordinem Sancti Auguſtini per Sedem Apoſtolicam approbatum profitemini & ſeruatis, & deuotionis affectu, quem geritis ad B. MARIAM Virginem glorioſam, aſſumitis vobis vocabulum ab eadem, vos ſeruos eiuſdem Virginis humiliter nominando, dictúmque Ordinem Sancti Auguſtini, iuxta pias & honeſtas inſtitutiones veſtræ Regulæ in honorem ipſius Virginis editas laudabiliter ſeruaſtis hactenus, & ſeruatis. Ac vobis per ſpecialia priuilegia, dicta Sedes indulſit, quod celebrare poſſitis Capitulum Generale, ac in eodem Capitulo Priorem vobis Generalem eligere, qui in Fratres veſtri Ordinis correctionem, & alia quæ ad ſuum ſpectant officium liberè valeat exercere, quodque ad ſepulturam poſſitis recipere illos, qui apud loca veſtra elegerint ſepeliri. Ex quibus clarè inſpicientibus, ſatis innuitur dictam veſtram Regulam per eandem Sedem exiſtere quodammodo confirmatam.

Hic tamen Pont. expreſſius eum confirmat.

§. 2. Nos autem qui ad Virginem ipſam Dominam noſtram libenter deuotionem quam poſſumus exhibemus, nolentes quod aliquis contra vos, & regulam ipſam quicquam poſſit detractionis impingere, quin eadem Regula plenam habeat Apoſtolici muniminis firmitatem, ad omnem hæſitationis materiam circa hæc de quorumuis animis amouendam, veſtris ſupplicationibus inclinati, Regulam & eius inſtitutiones prædictas, expreſsè auctoritate Apoſtolica confirmamus & etiam approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, eamque vobis concedimus.

Eiuſque Regulam perpetuò obſeruari præcipit.

§. 3. Decernentes ipſam per vos fore perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruandam.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

D.P.A. 1. die 11. Feb.

Dat. Laterani 3. Idus Februarij, Pontificatus noſtri anno 1.

Receptio Congregationis Monachorum Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti, ſub Sedis Apoſtolicæ protectione, cum nonnullarum gratiarum elargitione.

Huius Congregationis ſtatuta approbauit Cæleſtinus V. qui ante Pontificatum, eius inſtitutor fuit, in ſua conſtit. 1. Et ſi cunctos ſupr. vbi alia de hac Congregatione indicaui. Qui quidem Cæleſtinus inter Sanctos poſtea relatus fuit à Clem. V. in ſua conſt. 4. Qui facit hic infr.

Edita An. D. 1304.

BENEDICTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Berardo Patri Abbati Monaſterij Sancti Spiritus de Sulmone, Valuen. Diœceſis eiuſque Coabbatibus & Conuentibus aliorum Monaſteriorum, & Membrorum eidem Monaſterio S. Spiritus ſubiectorum, Ordinis Sancti Benedicti præſentibus & futuris in perpetuum.

Suſcipit ſub protectione Sedis Apoſt. Monaſteria S Spiritus, & Membrorum eius.

Religioſam vitam eligentibus, Apoſtolicum conuenit adeſſe præſidium, ne fortè cuiuſlibet temeritatis incurſus, aut eos à propoſito reuocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis infringat. Cum itaque Regi Regum mentibus humilibus & deuotis exhibeatis religioſè ac iugiter famulatum, Nos ob veſtræ Religionis zelum quem habere dicimini, & contemplatione felicis recordationis Cœleſtini Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri, prædicti Ordinis profeſſoris ad vos, veſtrumque Ordinem ſinceræ gerẽtes charitatis affectum, in his quæ ipſius Religionis augmentum & proſperum ſtatum reſpiciunt, quantùm cum Deo poſſumus Nos fauorabiles exhibemus. Ea propter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium Sancti Spiritus, ac alia Monaſteria Prioratus, Eccleſias, Membra & loca eidem Monaſterio Sancti Spiritus ſubiecta, quæ per ſpeciale Priuilegium Sedis Apoſtolicæ nouimus ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinere, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Priuilegio communimus.

Præcipit obſeruari Regulam S. Benedicti.

§. 2. In primis ſiquidem ſtatuentes, vt Ordo monaſticus, qui ſecundum Deum & Beati Benedicti Regulam in Monaſteriis, Prioratibus & Membris & aliis locis prædictis inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur.

Licentiã concedit omnia acquiſita, & acquirenda illis illibata permanere.

§. 3. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona Monaſterium S. Spiritus, & alia Monaſteria, Prioratus & membra prædicta in præſentiarum rationabiliter poſſident, aut in futurum largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium ſeu aliis iuſtis modis, præſtante Domino, poterunt adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus illibata permaneant.

Nomina quorundam Monaſteriorum exprimit proprijs vocabulis.

§. 4. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium S. Spiritus ſitum eſſe dignoſcitur cum omnibus pertinentiis ſuis, Monaſterium S. Ioannis in Plano Lucerin. Diœceſis, S. Bartholomæi de Ciuitate, S. Mariæ olim vocata Luceria, S. Spiritus de Magella, S. Georgij de Rocha Mauricij, S. Petri Valisbonæ, S Petri de Monte Plano, S Spiritus, & Hoſpitalis cum Eccleſia, S. Andreæ de Bucclano, S. Mariæ de Ciuitellis de Ciuitate Theatin. S Spiritus de Ortona, S. Spiritus de Lanzano, S. Mariæ inter Montes Theatin. Diœceſis, S. Euſebij de Vrbe, S. Mariæ in Pinczano, Penneu. Diœceſis. S. Saluatoris de Ciuitate Pennenſi, S. Mariæ de Collemadio iuxta Aquilam, S. Cecidij de Caporciano, S. Spiritus de Iſſernia, S. Mariæ de Trinento, S. Mariæ de Anglono Triuentin. Diœceſis S. Spiritus iuxta Venaf: um, S. Spiritus Aliſanenſis, S. Antonij de Campania Ferentinatis Diœceſis, Prioratus, S. Antonij & S. Leonardi prope Sulculam Anagninæ Diœceſis, S. Ioannis de Aqua ſancta, S. Marci de Fucis Marſican. Diœceſis, Sancti Nicolai de Ciuitate, S. Martini de Boiano, & S. Ioannis de Rodio.

Abbas in fine triennij ſuam exhibeat ceſſioni & poſtea electio alterius Abbatis fiat.

§. 5. Et quia inter alia quæ ſalubrem & quietum ſtatum veſtrum ſapiunt, de præcipuis caſibus hoc eſſe neceſſarium arbitramur, vt de ſubſtitutione futuri Abbatis ſucceſſoris tibi, fili Abbas S. Spiritus, quem Patrem Abbatem cæteris tuis Coabbatibus, Prælatis & Fratribus tibi ſubiectis, præſentibus & futuris perpetuo ſtabilimus, præcipuè ordinamus, & diſtrictè præcipimus obſeruari. Quod Pater Abbas ſingulis trienniis in Generali Capitulo ſponte ſuam offerat & exhibeat ceſſionem, & idem Capitulum ſtatim & abſque temporis interuallo ad Patris Abbatis ſubſtitutionem procedat, iuxta formam in Regula traditam, & aut de Abbate cedente, (ſi eum talem putauerint) vel de alia perſona Monaſteriorum & locorum, per electionem Canonicam prædicto Monaſterio Sancti Spiritus prouideant de Abbate.

Abbas electus non indiget confirmatione Apoſt.

§. 6. Qui quidem Abbas ſi fuerit in concordia electus, & nihil obſtiterit de Canonicis inſtitutis, nulla ſuper hoc à Sede Apoſtolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipſo ſuæ adminiſtrationis officium ſeu ius adminiſtrandi in ſpiritualibus & temporalibus conſequatur, & illud tanquam Pater Abbas (prout ad eum pertinet) liberè exequatur.

Munus benedictionis Abbatis ab Epiſcopo gratis impendatur.

§. 7. At idem Abbas ſi alias non extiterit benedictus, benedictionis ſuæ munus à quocumque maluerit Catholico Epiſcopo gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, recipere ſtudeat, illudque ſibi dictus Epiſcopus gratis impendat.

Abbas à tribus Viſitatoribus quolibet anno viſitetur.

§. 8. Præterea vt idem Pater Abbas non poſſit à rectitudine ſuæ Regulæ deuiare, mandamus omni anno à tribus Prioribus ſui Ordinis qui pro tempore fuerint, videlicet à Sancti Spiritus de Magella, Sanctæ Mariæ de Collemadio iuxta Aquilam, ac Sancti Spiritus de Iſſernya Monaſteriorum Prioribus viſitetur.

§. 9. Sanè

Exemptio à decimis.

§. 9. Sane de fructibus terrarum ac possessionum vestrarum hactenus acquisitarum, quas propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de hortis vel de nutrimentis animalium, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Exemptio à canonica portione.

§. 10. Concedimus quoque etiam vobis, ne de iis, quæ in ornamentis, vel pro eis aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo ac trigesimo, siue aliàs ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pitantiis, vel indumentis & calceamentis vestris legantur pietatis intuitu, dummodo id in fraudem non fiat, nulli tenecamini iustitiam seu portionem Canonicam exhibere.

Abbatis facultas dispensandi cum intrantib. Ordinem.
Ad hoc vide etiam constit. 115 Clem. VIII.

§. 11. Concedimus etiam tibi fili Abbas Sancti Spiritus, tuisque successoribus, qui pro tempore fuerint, vt à Fratribus vestri Ordinis in ipso Monasterio Sancti Spiritus, ac aliis Monasterij, Prioratibus & Membris, ac locis subiectis eidem Monasterio Sancti Spiritus constitutis absolutione ac dispensatione indigentibus, siue priusquam intrauerint Ordinem, siue post in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis incurrunt sententias à canone promulgatas, & huiusmodi sententiis annodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto diuina officia celebrantes; vel suscipientes ordines sic ligati notam irregularitatis incurrunt, de consilio Fratrum vestrorum, qui literati sint, & Deum timentes absolutionis iuxta formam Ecclesiæ, pro vt secundum Deum expedire videritis, valeatis beneficium impertiri, nisi adeo granis & enormis foret excessus, quod essent propter hoc ad eandem Sedem merito destinandi, prouiso vt læsis satisfaciant competenter.

Prohibitio cogendi Monachos ad Synodos & alias conuocationes, Tu attende. Concil. Trid. sess. 24. c. 1. & sess. 25 c. 13.

§. 12. Inhibemus etiam, ne aliquis Episcopus vel quæuis alia persona spiritualem vel aliam iurisdictionem habens, vos ad Synodos vel Conuentus forenses, aut ad conuocationes suas accedere, vel cum eis intra vel extra Ciuitates vel Terras processionaliter exire, aut suis Constitutionibus subiacere, seu Capitula, Scrutinia & Inquisitiones in locis vestris vel alibi, de vobis vel de vestrorum aliquo, aut fidelitatem iuramento firmatam, & manualem obedientiam a vobis aut Prioribus & Superioribus vestris exigere, seu etiam prohibere ne ad Ciuitates seu Villas & ad loca quælibet, vbi religiosè & honestè morari possitis, audeatis accedere, ibique pro vestris vsibus Ædificia, Monasteria, Ecclesias seu Oratoria ex permissione & indulto nostro construere liberè valeatis, nec in accedentes Fratres & Monachos vestros seu constructores huiusmodi seu receptatores eorum excommunicationis vel interdicti sententias possint proferre.

Exeuntes Religionem, non possint alibi detineri.

§. 13. Prohibemus insuper, ne vlli Fratrum vestrorum post factam in Monasterio, vestro vel in aliis locis vestris eiusdem Ordinis Professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia Ordinem ipsum relinquere, & ad locum Religionis alterius, vel ad Ordinem alium se transferre, discedentes verò aliter, nullus cuiuscumque Religionis vel status existat, audeat retinere, quod si secus factum fuerit, tam discedens, quam is seu illi, qui ipsum talem receperint, si requisiti eum à se non reiecerint infrà mensem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Excommunicantur libertatem Ordinis turbantes.

§. 14. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat Monasteria, Prioratus, Membra & loca prædicta temere perturbare aut eorum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed ea omnia integrè conseruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & sanguine Dei, & Domini nostri Redemptoris IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat vltioni.

Benedicitur que Ordinis fautoris.

§. 15. Cunctis autem eisdem locis sua iura seruantibus sit pax Domini Nostri IESV CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Papa subscr. Cardinalium subscript.

Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Ioannes Tusculan. Episcopus.
Ego Theodoricus Ciuitatis Populi Episcopus.
Ego Leonardus Alban. Episcopus.
Ego Petrus Sabin. Episcopus.
Ego Frater Ioannes Portuen. Episcopus.
Ego Ioannes tit. Sanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis.
Ego Frater Robertus tit. Sanctæ Pudentianæ Presbyter Cardinalis.
Ego Frater Gentilis tituli Sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis.
Ego Neapoleo Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.
Ego Londulfus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis.
Ego Guilelmus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.
Ego Franciscus S. Lucæ in Silice Diaconus Cardinalis.
Ego Franciscus Sanctæ Mariæ in Cosmedin. Diaconus Cardinalis.
Ego Ricardus S. Eustachij Diaconus Cardinalis.
Ego Lucas S. Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis.

D.P.A.t. die 14. Martij.

Dat. Laterani per manum Papiani Episcopi Parmen. S.R.E. Vicecancellarij, 2. Id. Martij, Indict. 2. Incarnationis Dominicæ anno 1304. Pont. verò Domini Benedicti PP. XI. anno primo.

CLEMENS QVINTVS PONT. CXCVII.
ANNO DOMINI MCCCV.



CLemens V. Bertrandus antea dictus, Archiepiscopus Burdegalésis Gallus, Prouincia Aquitania, in oppido Agri Burdegalensis natus, Patre Bertrando, vel Beraldo de Familia Gotha, Creatus Perusij Nonis Iulij, anno 1305. Coronatus Lugduni, pridie Idus Nouembr. eodem anno. Sedit annos 4. menses 9. Creauit Cardinales 24. Obiit Auenione 12. Kalend. Maij 1314. Sepultus est in ædicula B. Mariæ de Vzesta. Vacauit sedes annos 2. menses 3. dies 18.

Indictio xv. Sacri & Oecumenici Concilij Viennensis primi, ad Kal. Octobr. 1309.

Eiusmodi fere literas hic idem Pont. dixerit aliis Principibus, necnon Archiepiscopis, Episcopisque

& Prælatis, quas prætermisi, vna cum alijs literis prorogationis d. Concilij vsque ad Kalend. Octobris anni 1310. & deinde subsequentis anni 1311. In qua quidem Concilio, Ordo Militum Templariorum ab eodem Pont. damnatus fuit, vt hic infrà in eius const. 3.

Edita An. D. 1307. CLEMENS PAPA EPISCOPVS, *Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum Illustri.*

Exordium. REGNANS in Cœlis triumphans Ecclesia, cuius Pastor est Pater æternus, cui Sanctorum ministrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ad sui similitudinem & repræsentationem constituit Ecclesiam militantem, vnigenito Filio Dei viui Domino IESV CHRISTO ineffabili commercio copulatam, in qua idem Vnigenitus DEI Filius à Patre progrediens, per illustrationem Paracliti, procedentis pariter ab vtroque, statuit fidei fundamentum.

Romana Ecclesia aliarum omnium caput est & magistra, cuius minister est Summus Pontifex. §. 1. Sanè Romana Ecclesia, Mater alma fidelium, caput est disponente Domino Ecclesiarum aliarum omnium & magistra: à qua veluti à primitiuo fonte ad singulas alias eiusdem fidei riuuli deriuantur, ad cuius regimen voluit Christi clementia, Romanum Pontificem vice sui deputare ministrum, vt instructionem & doctrinam ipsius eloquio veritatis Euangelicæ traditam, cuncti renati fonte baptismatis teneant, & conseruent, vt qui sub hac doctrina cursum vitæ rectè peregerint, salui fiant; qui verò ab ea deuiauerint, condemnentur.

Quæ Terra Sancta ab infidelibus occupata hactenus, recuperationi sollicitè studuit. §. 2. Ipsa nempe Romana mater Ecclesia iuxta exigentiam possibilitatis ipsius, ad cunctas orbis Prouincias in quibus diuini nominis cultus viget, fideique Catholicæ obseruantia rutilat, intuitum sedulæ considerationis extendens, ac subiiciens ab olim suæ considerationis examini diuturnæ calamitatis angustias, illius specialis hæreditatis Dominicæ, videlicet Terræ Sanctæ ab infidelibus miserabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filius nostræ carnis indumento contectus, salutem humani generis pictate ineffabili extitit operatus, quamquam sua ipse voluit corporali insignire præsentia, & proprij aspersione sanguinis consecrare, multa sollicitudine studuit eidem Terræ retroactis temporibus, quibus potuit remediis, vt eriperet ab ipsis impiis, subuenire.

Et signanter Milites Templarios ad hunc effectum impulit magnis priuilegijs, &c. propter aduersos. §. 3. Et quia inter cæteros, quos professio Christianæ Religionis includit, Milites & fratres domus Militiæ Templi Hierosolymitani, sicut est toti orbi notorium, tanquam speciales eiusdem fidei pugiles, & iam dictæ Terræ præcipui defensores, ipsius Terræ negotium principaliter gerere videbantur, ipsos, & eorum Ordinem præfatum Ecclesia specialis fauoris plenitudine prosequens, eos aduersùs Christi hostes Crucis armauit signaculo, multis exaltauit honoribus, ditauit facultatibus, ac diuersis libertatibus, & priuilegiis communiuit.

At illi inique se gesserunt. §. 4. Ij nimirum cum crederentur in Domini seruitio sub regulari habitu fideliter militare, sibi quasi cunctorum manus fidelium, cum multiplici erogatione bonorum sentiebant multifarie, multisque modis propterea adiutricea, sed (proh dolor) noua, & calamitosa vox, de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens, nostrum repleuit, imò verius perturbauit auditum. Hæc enim vox nuntia lamentationis & gemitus, audientibus horrorem ingerit, commouet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Christianæ cultoribus, nouæ, & ineffabilis amaritudinis calicem subministrat, & dum facti seriem eius necessitate præsente depromimus, noster attenuatur præ angustia spiritus, & valetudinis fatigata confractibus, membra singula præ nimio dolore tabescunt.

Eorumque scelerum notitia & clamor ad hunc Pontificem auditum deuenit, & informatione Regis Franciæ accesserunt. §. 5. Dudum siquidem circa nostræ promotionis ad apicem Summ. Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, vbi recepimus nostræ Coronationis insignia, venimus, & post tam ibi quàm alibi secreta quorumdam nobis insinuatio intimauit, quod Magister, Præceptores, & alij Fratres dictæ militiæ Templi, & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonij ipsius Domini nostri IESV CHRISTI fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus Apostasiæ nefandum, detestabile Idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreses varias erant elapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur; quod viri tam religiosi, qui præcipuè pro Christi nomine suum sæpè sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna, tam in diuinis officiis, quam in ieiuniis, & aliis obseruantiis deuotionis signa frequentius prætendebant, suæ sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent; huiusmodi insinuationi, ac delationi ipsorum, eiusdem Domini nostri exemplis in Canonicæ scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare, deinde verò tu, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo auaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil tibi vindicare vel appropriare intendas, imò ea nobis, & Ecclesiæ per deputandos super hoc à nobis administranda, gubernanda, conseruanda, & custodienda liberaliter, & deuotè in Regno tuo dimisisti, manum tuam exinde totaliter amouendo, sed fidei Orthodoxæ feruore tuorum progenitorum vestigia clara sequens accensus, de præmissis, quantum licitè potuisti te informans, ad instruendum, & informandum nos super iis multas, & magnas nobis informationes per tuos Nuntios, & literas destinasti.

§. 6. Infamia verò contra Templarios ipsos increbrescente validius, super sceleribus antè dictis: & quia etiam quidam miles eiusdem Ordinis magnæ nobilitatis, & qui non leuis opinionis in dicto Ordine habebatur, coram nobis secreto iuratus deposuit, quod in receptione fratrum præfati Ordinis hæc consuetudo, vel verius corruptela seruatur, quod ad recipientis, vel ab eo deputati suggestionem, qui recipitur, CHRISTVM IESVM negat, & super Crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi, & quædam alia faciunt recipiens, & receptus, quæ non sunt licita, nec humanæ conueniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis, vrgente nos ad id officij nostri debito, vitare nequiuimus, quin tot, & tantis clamoribus accommodaremus auditum. *Inualuit querela multorum & verificatio scelerum eorundem.* Sed cum demum fama publica deferente, ac clamosa insinuatione, tui necnon, & Ducum, Comitum, & Baronum, ac aliorum nobilium, Cleri quoque, ac populi dicti Regni tui, ad nostram propter hoc tam per se, quàm per Procuratores, & Syndicos præsentiam venientium (quod dolenter referimus) ad nostram audientiam peruenisset, quòd Magister, Præceptores, & alij fratres dicti Ordinis, & ipse Ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti; & præmissa per multas confessiones, attestationes & depositiones præfati Magistri, & plurium Præceptorum, & fratrum Ordinis prælibati coram multis Prælatis, & hæreticæ prauitatis Inquisitore in Regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam scripturam redactas, nobisque, & fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur, ac nihilominus fama, & clamores prædicti in tantum inualuissent, & etiam ascendissent, tam contra ipsum Ordinem, quam contra personas singulares eiusdem, quod sine graui scandalo præteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari: Nos illius, cuius vices licèt immeriti in terris gerimus, vestigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione præuia duximus procedendum, multosque de Præceptoribus, Presbyteris, militibus, & aliis fratribus dicti Ordinis reputationis non modicæ in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis iuramento, quod super præmissis meram, & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogauimus, & examinauimus vsque ad numerum septuaginta duorum, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illas in nostra, & dictorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio in Consistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perseuerantes in illis, eas expressè, & sponte prout recitatæ fuerant, approbarunt.

Hic ideo Pontifex contra illos procedi iussit à tribus Cardinalibus. §. 7. Postquam cum Magistro, & præcipuis Præceptoribus præfati Ordinis intendentes, super præmissis inquirere per nosipsos ipsum Magistrum, & Franciæ, Terræ

Vltra

Vltramarinæ, Normandiæ, Aquitaniæ, ac Pictauiæ Præceptores maiores nobis tunc Pictauis exsistentibus, mandauimus præsentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci, nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent, quæ continebantur in eorum confessionibus, & depositionibus, quas coram Inquisitore prauitatis hæreticæ in Regno tuo præfato, præsentibus quibusdam notariis publicis, & multis aliis bonis viris dicebantur fecisse, nobis, & fratribus nostris per ipsum Inquisitorem sub manibus publicis exhibitis, & ostensis dilectis filiis nostris Berengario tit. SS. Nerei, & Achillei, & Stephano tit. S. Cyriaci in Thermis, Presbyteris, ac Landulpho S. Angeli Diacono Cardinalibus, de quorum prudentia, experientia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & mandauimus, vt ipsi cum præfatis Magistro, & Præceptoribus inquirerent, tam contra ipsos, & alias singulares personas dicti Ordinis generaliter, quàm contra ipsum Ordinem super præmissis cum diligentia veritatem, & quicquid super his inuenirent, nobis referre, ac eorum confessiones, & depositiones per manum publicam in scriptis redactas nostro Apostolatui deferre, ac præsentare curarent, eisdem Magistro, & Præceptoribus absolutionis beneficium à sententia excommunicationis, quàm pro præmissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter ac deuote peterent, vt deberent iuxta formam Ecclesiæ impensuri.

Qui Cardinales per proprias illorum confessiones, verificationẽ scelerum habuerunt.

§. 8. Qui Cardinales ad ipsos Magistrum, & Præceptores personaliter accedentes, eis sui aduentus causam exposuerunt, & quoniam tam personam, quam res ipsorum, & aliorum Templariorum in dicto Regno tuo consistentium in manibus nostris erant, quod libere absque metu cuiusquam plene ac pure super præmissis omnibus ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apostolica iniunxerunt. Qui Magister, & Præceptores Franciæ, Terræ Vltramarinæ, Normandiæ, Aquitaniæ, ac Pictauiæ, coram ipsis tribus Cardinalibus, præsentibus quatuor Tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris ad sancta Dei Euangelia ab eis corporaliter tacta, præstito iuramento, quod super præmissis omnibus meram, & plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter libere, ac sponte, absque coactione qualibet, & timore, deposuerunt & confessi fuerunt, inter cætera, Christi abnegationem, & spuitionem super Crucem, cum in Ordine Templi recepti fuerunt, & quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi, & sputtione super Crucem fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia, & inhonesta confessi, quæ vt eorum ad præsens parcamus verecundiæ, subticemus. Dixerunt præterea, & confessi fuerunt esse vera, quæ in eorum confessionibus, & depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquisitore hæreticæ prauitatis. Quæ confessiones & depositiones dictorum Magistri, & Præceptorum in scripturam publicam per quatuor publicos Tabelliones redactæ, in ipsorum Magistri, & Præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio coram ipsis, eisdem lectæ fuerunt de mandato, & in præsentia Cardinalium prædictorum, & in suo vulgari expositæ cuilibet eorundem. Qui perseuerantes in illis, eas expresse, ac sponte prout recitatæ fuerant, approbarunt, & post confessiones, & depositiones huiusmodi ab ipsis Cardinalibus ab excommunicatione, quam pro præmissis incurrerant, absolutionem flexis genibus, manibusque complicatis humiliter, & deuote, ac cum lacrymarum effusione non modica petierunt.

Sed iis absolutionis beneficium impẽderũt, præuia hæresis abiuratione. Omniaq; isti Pontifici retulerunt.

§. 9. Ipsi verò Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem Magistro & Præceptoribus hæresi abiurata expresse, ipsis secundum formam Ecclesiæ auctoritate nostra, absolutionis beneficium impenderunt.

§. 10. Ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes confessiones & depositiones prælibatorum Magistri, & Præceptorum in scripturam publicam per manus publicas, vt est dictum, redactas nobis præsentauerunt, & quæ cum dictis Magistro, & Præceptoribus fecerant, retulerunt, ex quibus confessionibus, & depositionibus, ac relatione inuenimus sæpe præfatos Magistrum, & fratres in præmissis & circa præmissa, licet quosdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, grauiter deliquisse.

Qui hac sibi bona relatione vlterius per Ordinarios & alios inquiri præcipit.

§. 11. Attendentes autem, quod scelera tam horrenda transire incorrecta absque DEI Omnipotentis, & omnium Catholicorum iniuria, non poterant, nec debebant; decreuimus de fratrum nostrorum consilio per ordinarios locorum, ac per alios fideles, & sapientes viros ad hoc deputandos à nobis, contra singulares personas ipsius Ordinis, nec non contra dictum Ordinem per certas directas personas, quas ad hoc duximus deputandas super præmissis criminibus, & excessibus inquirendum.

Et de huiusmodi calamitate plurimum dolet.

§. 12. Iis nempe, quæ magis flere cogimur, quam narrare, cor nostrum passione nimia cruciatur, & cum tanta proinde nobis immineat gemendi materia, fletum non possumus declinare. Quinam Catholicus hæc audiens, nimis non doleat, & prorumpat in luctum? quis fidelis huiusmodi sinistrum euentum intelligens, amara non emittat suspiria, verbaque lamentationis & mœstitudinis non erumpet, cum tota Christianitas huiusmodi doloris sit particeps, & hic casus fideles percutiat vniuersos. Ex his etiam, dum ministerio debitæ considerationis nostræ mentis præsentatur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina releuanda, suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur.

Pro eiusd. ac Terræ Sanctæ recuperationis remedio, Oeci indicit vniuersale Concilium ad Kal. Octobr. anni 1307.

§. 13. Ad quod cum nos sufficere commode non posse sciamus, leuamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem vberem, montem pinguem, vnde opportunum nobis prouenire auxilium & humiliter petimus, & deuote speramus, & quia salubre in his adhiberi remedium, interest generaliter omnium, Nos cum eisdem fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exacto ac frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio, Vniuersale Concilium sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longæuæ obseruationis exemplo nos instruit, à proximis Kalendis Octobris ad duos annos immediate sequentes decreuimus congregandum, vt in eo, tam circa dictum Ordinem, & personas singulares, & bona eiusdem, & alia, quæ statum tangunt fidei Catholicæ, quam circa recuperationem, & subsidium Terræ Sanctæ, ac reparationem, ordinationem, & stabilitatem Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, & libertatum, eorum illa, Deo auspice, communi consilio inueniatur prouisio, & eiusdem approbatione Concilij roboretur; per cuius salutiferam executionem virtus altissimi eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata eiusdem fidei vnitate, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, & eiusdem Terræ statu prospero reparato, occupata restituat, vastata restauret, & conseruet, nobisque viam aperiat idem ipse qui nouit, & facultatem tribuat ipse qui potest; vt sic in præmissis iuxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem verus eiusdem vniuersalis sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtute, ac monilibus ornatam, vnam semper habeat, & formosam ad sui nominis laudem, & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem populi Christiani. Quia verò prosecutio tanti propositi tempore indiget, vt deductum maturius, facilius auctore Domino effectum debitum sortiatur, prædictum tempus ad id duximus deputandum.

Prælatosque ad illud vocari præcipit.

§. 14. Vnde Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, exemptis, & non exemptis, eorumque Capitulis, & Conuentibus per alias nostras literas præcipiendo mandamus, vt iidem Archiepiscopi, necnon & cæteri Episcopi per ipsorum Archiepiscoporum Prouincias constituti in eisdem literis nominati, reliquis ipsorum Episcoporum in dictis Prouinciis

remanentibus ad ea quæ Pontificale officium exigunt, tam in suis, quàm illarum dictarum Prouinciarum, qui ad huiusmodi Concilium vniuersale accesserint, Ciuitatibus, & Diœcesibus exercenda, omni negligentia relegata, cunctis prout talis & tanti negotij qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore se accingant ad iter, quod in huiusmodi decreto termino, quem eis, & aliis peremptorie assignamus in Viennensi Ciuitate, iidem Archiepiscopi, & Episcopi taliter nominati personaliter, alij vero remanentes Episcopi, Electi, Abbates, Priores, Decani, Præpositi, Archidiaconi, Presbyteri, & Prælati, Capitula, & Conuentus per eosdem Archiepiscopos, & Episcopos ad prædictum Concilium accessuros, quibus ad omnia, quæ in eodem Concilio statuentur, fient, & ordinabuntur, & fuerint opportuna, concedant plenariam potestatem, de qua sufficienter constet per publica documenta, nostro se conspectui repræsentent. Quod si forsan ipsis Archiepiscopis, & Episcopis accessuris huiusmodi noluerint concedere potestatem, eo casu venire, vel alios procuratores idoneos cum potestate simili ad idem teneantur Concilium destinare.

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 15. Non obstantibus quibuslibet priuilegiis, seu Indulgentiis quibuscumque personis, ordini, dignitati, seu Collegio sub quacumque verborum forma, vel expressione à prædicta Sede concessis, per quæ possit effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Mandauimus insuper, vt iidem Archiepiscopi, & Prælati per se vel alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia, quæ correctionis, & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius Concilij notitiam deferant. Et nos nihilominus varijs modis, & vijs solers studium, & efficacem operam dare proponimus, vt omnia talia in examen huiusmodi deducta Concilij, correctionem & directionem recipiant opportunam.

Excusationū velamenta non accedēdi ad Concilium reijcien. esse affirmat.

§. 16. Hoc etiam in eisdem nostris literis adiecto, vt nullus inobedientiæ notam, & canonicæ vltionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis irritum, quæ Domino praua in directa, & in vias planas aspera sua omnipotentia conuertente cessabunt, friuolæ allegationis munimenta confingat, vt à tam sancti prosecutione operis se subducat: sed occurrant singuli voluntatij ad id, quod & diuinæ congruit voluntati, & salutem animarum, ac vtilitatem respicit singulorum.

Regem Franciæ & alios Principes ad personaliter interessendū hortatur.

§. 17. Cæterum, quia multipliciter expedit, vt tam celebre Concilium tua, & aliorum Catholicorum Principum decoretur præsentia, vt salubri consilio, & auxilio fulciatur, serenitatem regiam rogamus, & hortamur attentius in remissionem tibi peccaminum suadentes, quod præscriptis loco, & termino in eodem Concilio, captata interim ad hoc opportunitate, studeas personaliter interesse, meditatione prouida prudenter attendens, quod in hoc non solum labor, quem ad tam sancti, & vtilis negotij promotionem assumes, tibi cedat ad meritum, verumetiam aliorum, qui ad veniendum ad idem Concilium efficacius tuo inducentur exemplo, & nihilominus vota tua nobis poteris familiarius aperire, quæ in omni beneuolentia libenter ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo, ac Ecclesiæ honore poterimus, admittemus.

D. P. A. 3. die 12. Aug.

Dat. Pictauis 2. Idus Aug. Pont. nostri Anno tertio.

Erectio Studij generalis in Ciuitate Perusij, Prouinciæ Hetruriæ.

Edita An. D. 13-7.

C L E M E N S   E P I S C O P V S,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SVper specula militantis Ecclesiæ dispositione dominica constituti, fidelium eiusdem Ecclesiæ profectus, honores & commoda, quantum nobis ex alto permittitur, feruenter appetimus, illaque efficacibus studiis, & promptis operibus, libenti animo promouemus, ad hæc omnem quam possumus opem & operam exhibentes.

Perusij deuotio erga Sedem Apost. & præstantia virtutum.

§. 1. Quare dum Fidei puritatem, & deuotionem eximiam, quam Ciuitas Perusina, spectabilis dictæ Ecclesiæ filia, ab olim ad ipsam Ecclesiam habuisse dignoscitur, illasque ad nos & dictam Ecclesiam continuare fideliter de bono in melius studuisse probatur, intra præcordia nostra reuoluimus, dignum duximus, & æquitati consonum arbitramur, vt Ciuitatem eandem, quam diuina gratia, multarum prærogatiua bonitatum, & fœcunditate virtutum, gratiosè dotauit, scientium etiam muneribus ampliemus.

Studij generalis institutio in d. Ciuitate Perusij.

§. 2. Et vt fauente Deo, ex Ciuitate ipsa producantur viri docti, qui in Orbe terrarum velut splendor fulgeant firmamenti, & tanquam stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad iustitiam valeant plurimos erudire, Apostolica auctoritate statuimus, vt in Ciuitate prædicta sit generale studium, illudque ibidem perpetuis futuris temporibus vigeat in qualibet facultate.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. A. 3. die 8. Sept.

Dat. Zanctooi, 6. Idus Septembr. Pontific. nostri anno tertio.

Damnatio Militum Templariorum, cum bonorum totius Ordin. applicatione Ordini Militum Hierosolymitanorum. III.

Hanc promulgauit sententiam iste Pontifex (vt hic patet) in Concilio Viennensi, quod hac & aliis de causis fuerat indictum, vt suprà in const. 1.

Edita An. D. 1311.

C L E M E N S   P A P A   Q V I N T V S.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

AD prouidam Christi Vicarij præsidentis in specula Apostolicæ dignitatis circumspectionem pertinet, vices pensare temporum emergentium, negotiorum causas discutere, ac personarum attendere qualitates: vt ad singula debitum dirigens necessariæ considerationis intuitum, & opportune manum operationis apponens, de agro Domini sic præuaricantium spinas tollat, vt euellendo plus plantet quam destruat, & in loca vacua eradicationem nocentium tribulorum, deuota Deo plantamina transferendo potiorem præbeat, de prouisa & vtili eorum locorum vnione & translatione, lætitiam quam vera Iustitia, quæ compassionem habet, doloris intulerit detrimentum personarum, & locorum huiusmodi per ruinam, sic enim sufferendo, quod officit, & subrogando, quod proficit, virtutum profectus amplificat, & sublata de medio meliori subrogatione restaurat.

Damnatio Militum Templariorum refertur.

§. 1. Dudum siquidem Ordinem Domus militiæ Templi Hierosolymitani, propter Magistrum, & Fratres, ceterasque personas dicti Ordinis in quibuslibet Mundi partibus consistentes, variis, & diuersis non tam nefandis, quam infandis (proh dolor) errorum & scelerum obscœnitatibus, prauitatib. maculis, & labe respersos, quæ propter tristem, & spurcidam eorum memoriam præsentibus subticemus, eiusque Ordinis statum, habitum, atque nomen, non sine cordis amaritudine, & dolore, sacro approbante Concilio, non per modum definitiuæ sententiæ, cum eam super hoc secundum Inquisitiones, & processus super his habitos, non possemus ferre de Iure, sed per viam prouisionis seu ordinationis Apostolicæ irrefragabili, & perpetuo valitura sustulimus sanctione, ipsum prohibitioni perpetuæ supponentes, districtius inhibendo, ne quis dictum Ordin. de cetero intrare, vel eius habitum suscipere, vel portare, aut pro Templario gerere se præsumeret, quod siquis contrafaceret, excommunicationis incurreret sententiam ipso facto. Vniuersa etiam bona Ordinis prælibati Apostolicæ Sedis ordinationi, & dispositioni, auctoritate Apostolica duximus reseruanda; Inhibentes districtius, ne quis cuiuscumque conditionis, vel status existeret, se de personis vel bonis huiusmodi

aliquate

aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præiudicium ordinis, seu dispositionis Apostolicæ, per sedem eandem, vt præmittitur, faciendæ, aliquid faceret, innouaret, vel etiam attentaret; decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac postmodum ne dicta bona, quæ dudum ad subsidium Terræ Sanctæ, & impugnationem inimicorum fidei Christianæ à Christi cultoribus data, legata, concessa, & acquisita fuerunt, debita gubernatione carentia, tanquam vacantia deperirent, vel conuerterentur in vsus alios, quam in illos, ad quos fuerant pia deuotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis, & dispositionis huiusmodi eorum destructio, vel dilapidatio sequeretur, cum fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus, & Illustribus personis, cum reliquorum quoque absentium Prælatorum, & etiam Capitulorum, & Conuentuum, Ecclesiarum & Monasteriorum Procuratoribus in dicto Concilio constitutis, habuimus ardua, morosa, & diuersa concilia, & tractatus: vt per huiusmodi consiliorum, & tractatuum deliberationem præhabitam diligentem, dictorum bonorum ordinatio, & dispositio, ad honorem Dei, augmentum fidei, exaltationem Ecclesiæ, dictæ Terræ subsidium, salutem quoque fidelium, & quietem, salubris, & vtilis perueniret. Post quæ vtique longa, præmeditata, prouisa, & matura consilia, suadentibus plurimis iustis causis, nostra, & dictorum fratrum, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum, ac excellentium, & illustrium personarum prædictorum in dicto Concilio tunc præsentium deliberationes, & consilia in hoc finaliter resederunt, vt prædicta bona Ordini Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, & ipsi Hospitali, ac dilectis filiis Magistro, & fratribus Hospitalis eiusdem, nomine Hospitalis, & Ordinis eorundem, qui tanquam athletæ Domini pro defensione fidei, se periculis mortis iugiter exponentes, onerosa nimis, & periculosa dispendia continue perferunt in partibus transmarinis, in perpetuum vnirentur.

Bona eorum Milit. Hierosolymitanis conceduntur.

§. 2. Nos igitur inter cætera mundi loca, in quibus vigere dignoscitur obseruantia regularis, dictum Ordinem Hospitalis, & ipsum Hospitale sinceræ caritatis plenitudine prosequentes, ac attendentes quod sicut euidentia facti in eo diuinis obsequiis feruenter insistitur, pietatis & misericordiæ opera vigilantibus studiis exercentur, fratres Hospitalis ipsius, mundanis spretis illecebris, deuotum impendentes Altissimo famulatum, ac pro recuperatione Terræ prædictæ, tanquam intrepidi CHRISTI pugiles, feruentibus studiis, & desideriis intendentes, quælibet ducunt humana pericula in contemptum. Considerantes quoque, quod ex hoc tanto eorundem Magistri, & fratrum dictorum Ordinis, & Hospitalis crescet strenuitas, animorum feruor augebitur, & ipsorum roborabitur fortitudo, ad propulsandas nostri Redemptoris iniurias, & hostes eiusdem fidei conterendos, quanto ipsorum potentia in opulentioribus facultatibus augmentata, onera, quæ prosecutionis tanti negotij necessitas exigit, leuius, & facilius poterunt supportare. Et propterea non indigne vigiles redditi, studiisque sollicitatis excitati, vt ad sui status augmentum, opem, & operam, impendamus, eodem sacro approbante Concilio ipsam domum militiæ Templi cæterasque domos, Ecclesias, Capellas, Oratoria, Ciuitates, Castra, Villas, Terras, Grandias, & loca, possessiones, iurisdictiones, redditus atque iura, omniaque alia bona immobilia & mobilia, vel sese mouentia, cum omnibus membris, iuribus, & pertinentiis suis, vltra, & citra mare, ac in vniuersis, & quibuslibet Mundi partibus consistentia, quæ ipse Ordo, & dictus Magister, & fratres ipsius Ordinis militiæ Templi tempore quo ipse Magister, & nonnulli ex eisdem fratribus militiæ Templi in Regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octauo: mense Octobris, per se vel quoscumque alios, habebant, tenebant, & possidebant, vel ad eosdem domum, & Ordinem militiæ Templi, & dictos Magistrum, & fratres ipsius Ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant, necnon nomina, actiones, & iura, quæ dicto tempore captionis ipsorum eisdem domui, Ordini, vel personis ipsius Ordinis militiæ Templi, quocumque modo competebant, vel competere poterant, contra quoscumque cuiuscumque dignitatis, status, vel conditionis existerent, cum omnibus priuilegiis, indulgentiis, immunitatibus, & libertatibus, quibus præfati Magister & fratres dictorum Domus, & Ordinis militiæ Templi, & ipsa Domus, & ordo per Sedem Apostolicam, vel per Catholicos Imperatores, Reges, & Principes, & fideles alios, vel quocumque alio modo erant legitime communiti, eidem Ordini Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, & ipsi Hospitali donamus, concedimus, vnimus, incorporamus, applicamus, & annectimus in perpetuum, de Apostolicæ plenitudine potestatis.

f. Grancias.

Excipiuntur bona hic enumerata, quæ Sedis Apost. dispositioni reseruantur.

§. 3. Exceptis bonis, quondam dicti Ordinis ipsius militiæ Templi consistentibus in Regnis, & Terris carissimorum in Christo filiorũ nostrorum Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Maioricarum Regum Illustrium, extra Regnum Franciæ, quæ à donatione, concessione, vnione, applicatione, incorporatione, & annexione prædictis specialiter excipienda duximus, & etiam excludenda, ea nihilominus dispositioni, & ordinationi Sedis Apostolicæ reseruantes, inhibitionem dudum per alios processus nostros factam, ne quis videlicet cuiuscumque conditionis, vel status existeret, se de personis, & bonis huiusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præiudicium ordinationis, seu dispositionis Sedis eiusdem faciendæ de illis, necnon decreti nostri interpositionem, quoad personas, & bona in dictis Regnis, & Terris eorundem Regum proximè expressorũ consistentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de personis, & rebus prædictis in eisdem Regnis, & Terris consistentib. per dispositionem Sedis eiusdem fuerit aliter ordinatum.

Occupatoribus dictorum bonorum pœnæ infliguntur.

§. 4. Occupatores quoque dictorum bonorum, aut illicitos detentores, cuiuscumque status, conditionis, excellentiæ, vel dignitatis extiterint, etiamsi Pontificali, Imperiali, vel Regali præfulgeant dignitate, nisi infra vnius mensis spatium, postquam super hoc per dictos Magistrum & fratres ipsius Hospitalis, vel ipsorum quemlibet, aut Procuratorem, seu Procuratores eorum fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, illaque plene, ac libere restituerint Ordini ipsius Hospitalis, & eidem Hospitali, aut Magistro, seu Prioribus, vel Præceptoribus, aut fratribus Hospitalis eiusdem, in quibuscumque partibus & Prouinciis constitutis, eorumque singulis, vel procuratori, seu procuratoribus eorundem eiusdem Ordinis ipsius Hospitalis nomine, etiamsi dicti Priores, Præceptores, & fratres ipsius Hospitalis & Procuratores ipsorum, & eorum quilibet à dicto Magistro ipsius Hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo Procuratores prædicti, à dictis Prioribus, & Præceptoribus, vel eorum singulis, in Prouinciis, & partibus in quibus huiusmodi Priores, & Præceptores extiterint deputati, mandatum super hoc habuerint, vel ostenderint speciale. Qui omnes, & singuli, videlicet Priores, & Præceptores, & fratres dicto Magistro, procuratores verò Prædicti eisdem Priorib. & Præceptorib. eorumq; singulis, à quibus super his fuerint deputati, plenum super omnibus gestis, actis receptis, & procuratis per eos quomodolibet in hac parte, cõputum & rationem ponere, & reddere teneantur, necnon omnes, qui scienter occupatoribus & detentorib. prælibatis in occupatione, vel detẽtione huiusmodi dederint consilium, auxilium vel fauorẽ, publicè vel occultè, excõmunicationis, Capitula verò, Collegia, seu Conuentus Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Vniuers. Ciuitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & ipsas Ciuitates, Castra, Villas, & loca quę in his culpabilia extiterint, ac etiam Ciuitates, Castra, & loca in quibus detentores, & occupatores huiusmodi dominium obtinuerint temporale, si huiusmodi Domini temporales in dimittendo bona prædicta, & restituendo illa Magistro, & fratribus, Ordinis, & Hospitalis eiusdem, nomine Hospitalis ipsius, obstaculum adhibebunt, & infra dictum mensem ab huiusmodi præmissis non destiterint, postquam super hoc vt præmittitur, fuerint requisiti, ipso facto interdicti sententiis decernimus subiacere, &

quibus

quibus absolui non possint, donec super his plenam, & debitam satisfactionem curauerint exhibere. Et nihilominus occupatores, & detentores huiusmodi, vel præstantes eisdem, vt præmittitur auxilium, consilium, vel fauorem, siue singulares personæ, siue Capitula, Collegia, seu Conuentus Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac Vniuersitates Ciuitatum, Castrorum, Terrarum, vel aliorum locorum extiterint, præter pœnas præscriptas, omnibus quæ à Romana, vel aliis Ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, ipso facto decernimus fore priuatos, siue priuata. Ita quod ad Ecclesias, ad quas spectant illa libere sine contradictione aliqua reuertantur, earumque Ecclesiarum Prælati, siue Rectores de ipsis pro sua voluntate disponant, sicut vtilitati Ecclesiarum ipsarum viderint expedire.

Sanctio pœnalis.

§. 5. Nulli ergo &c. nostrorum donationis, concessionis, vnionis, incorporationis, applicationis, annexionis, reseruationis inhibitionis, voluntatis, & constitutionis infringere, &c. Si quis &c.

D.P. A.7. die 20 Maij.

Dat. Viennæ, 6. Nonas Maij, Pont. nostri Anno 7.

IV. Canonizatio S. Petri de Morrono Summi Pontificis Romani, cœlestini Quinti nuncupati, eiusque relatio in Catalogum SS. Confessorum, cum suæ festiuitatis institutione, pro die 19. mensis Maij.

Hic antequam ad apicem ascenderet Apostolatus, Congregationem Monacharum instituit, vt sup. in sua constit. 1. Et si cunctas.

Edita An. D. 1313.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, vniuersis, Archiepiscopis, ac Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

QVi fecit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero Dei Filius, increata Sapientia, Verbum Patris: qui olim à principio vnà cum Patre & sancto Spiritu ex se ex nihilo Mundum efficiens dispositione suaoi conuertit, produxit omnia secundum gradus suis naturis congruos; cœlum repleuit Angelis, hominem ad imaginem suam factum perfundendo gratia, sydereis mansionibus dignum fecit.

S. Petri merita & virtutes.

§. 1. Nouissime diebus istis, antiqua innouando signa, immutando mirabilia, stupendum, mirandumque opus ipse fecit Altissimus, gloriam maiestatis diuinæ elamans altisonè: perfundens sponsam suam Ecclesiã nouo genere gaudiorum. Ecce namque noui Confessoris insignia Mundo prodeunt: præclara merita Mundi defluentis viatoribus patefiunt, sanctitatis eius magnitudinem grandia miracula proloquuntur, quæ ipsum probant indubie in deliciis paradisi iuxta secreta Dei cubicula plenam habere requiem post laborem. Et rectè quidem. Nam qui in terris non cessauit magnifice de virtute progredi in virtutem, dignum esse cognoscitur, qui in cœlis retras referendi gloriam Domini reuelata facie speculetur. Ob hoc beatorum spirituum agmina exultant in gaudio, dum vir sanctus solari fulgore coruscus, ipsis inseritur, & de ipso portante gloriam, sacratus horum numerus, quem cadentium ruina minuerat, integratur. Applaudunt & cœli, cum ei gradienti in virtute sursum patulum præbent iter, ipsi regnanti Deus in ipsis æthercam sedem parat. Plaudat ergo & iubilet canora voce sponsa Christi mater Ecclesia, dum quem genuit vnda baptismatis, & aluit vbere piæ matris, quem & patrem in Mundo babuit & pastorem, lætabunda gloriosum mittit ad superos, cum de se horto irrigato diuinitus, ipsum vt lilium candoris niuei, vernantem rosam odoris eximij, festiuè diuinis conspectibus repræsentat.

Oriũdus ipse est de prouincia terra laboris & honestis ortus parentibus.

§. 2. O quam fœlix es prouincia Terræ laboris, quæ probaris talem & tantum produxisse palmitem, inhærentem firmissimæ Christi viti, cuius propagines odore miræ sanctitatis diffuso, extenduntur vsque ad fines orbis, eiusque ex vuis expressus vini liquor deuotorum corda lætificans, ad amorem Dei mundanorum mentes allicit & inflammat. Sanè B. Petrus, de prædicta prouincia Terræ laboris traxisse fertur originem, ex honestis parentibus, Catholicis, & deuotis.

Infans Eremum petijt, ibique ieiuniis & orationibus incumbit.

§. 3. Hic edoctus cum Tobia Deum timere ab infantia, & abstinere à vitiis, illecebras Mundi considerans, quæ plerumque humanas mentes dum leniunt, vulnerant, vinciunt, & captiuant, positus in ætate adhuc tenera, sed sub corpore fragili viri animum secum babens, antequam sæculare quicquam eius illaberetur animo, fugam prudẽter attendens, cum Baptista Ioanne, eremi secreta petiit, vbi remotus à noxiis, solus posset suo viuere Creatori. Quãta autem inibi in locis solitariis, horridis, & aridis, & fere hominibus inaccessis, vestium asperitas, quãta victus parsimonia, quantisque vigiliis & orationibus, quotve aliis afflictionibus macerauit carnem suam, ne delicate nutrita proteruiens sæuiret in spiritum, non posset lingua faciliter seu breuiter explicare. Hoc vir sanctus idcirco consulte & prouidè faciebat, quod excussa & attrita palea suæ carnis, eius spiritus innocens, vt purgatum & mundum triticum, reponi dignus, esset in horreo cœlesti.

Cilicijs induebatur, catenam ferreã ad nudã carnẽ deferebat, & super nudas tabulas vel terra dormiebat.

§. 4. Vt autem ad ædificationem Christi fidelium saltem pauca exptimantur de multis, quæ sint velut informatiua quædam exemplaria vitæ nostræ, ipse, sicut pluribus & fide dignis testimoniis est probatum, vestium splẽdorem ac leuitatem despiciens, in quibus amatores huius sæculi delectantur, ciliciis de pilis equorum factis, reticulatis pariter & nodosis, vestibus quoque aliis, vilibus multum & asperis tegebatur. Ad nudam quoque carnem catenam ferream, & circulum quandoque ferreum deferebat. Lecti etiam mollitiem declinans (ne caro petulanter lasciuiens noxie moliretur in spiritum) in terra, aut nudis tabulis dormiebat, vel in cancellatis craticulis, vestitus cilicio, & pannis solitis, præcinctus lumbos catena ferrea, aut circulo. Pro puluinari verò, ligno aut lapide, seu dura re alia vtebatur, & (quod pene importabile est) sanus vel infirmus lectis aliis non est vsus.

Carnibus non vescebatur & vinum raro bibebat.

§. 5. Studens etiam pro viribus domesticum domare hostem, ne præualere posset spiritui, nec sanus nec infirmus carnibus vescebatur. Vinum verò non bibebat nisi rarissime, sic tamen dilutum, vt videretur vini speciem non babere.

Ieiunabat singulis diebus vltra sex quadragenas quas annis singulis faciebat.

§. 6. Semper qooque, nisi diebus Dominicis, ieiunabat. Sex nihilominus quadragenas singulis annis faciens, mentem non ventrem reficere cupiendo, affligebat in ipsis solito durius carnem suam. O stupenda & aliis insueta rerum materies, cernere hominem in carne degentem mortali, & fragili, sub tam austeræ & longæ macerationis pondere non cadentem, in tribus namque quadragenis, in pane & aqua ieiunabat continue, & quandoque cum solis foliis caulium, absque pane. Interdum autem solis pomis, vel castaneis, seu granis fabarum mollificatis in aqua, aut crudis rapis tantummodo vescebatur. In cæteris verò quadragenis, vno tantum ferculo vtebatur, insipido tamen & in modica quantitate. In harum verò quadragenarum aliquibus (quod naturæ humani corporis est horror) vsus est pro veste solo cilicio. In quibusdam verò, cilicio, & super ipsum lorica cuius pondere caro eius per subintrantes nodos cilicij, vt testantur eius socij, aliquoties disrumpebatur. Et re vera hæc in homine isto sancto supra hominem gerebantur. Ad hæc enim ferenda tam grauia, virtus humana non videtur posse sufficere, sed diuina potius in ipso habitans hoc gerebat.

Orabat assidue.

§. 7. Hic beatus vir iam mortificatis spirito carnis desideriis & repressis, summe deootus Deo, orando assiduè animum ad Deum tenuit firmiter eleuatum. Ipse etenim ad matutinas laudes media nocte surgebat, ipsisque dictis, legebat Psalterium cum Litania & collectis, quam pluribus, ac crebris genuflexionibus & disciplinis duris, carnem suam cum vitiis concupiscentiæ crucifigens: In aurora verò, Missa per ipsum celebrata iterum deuotè incipiens ibi Psalterium, vbi dimiserat, orare vsque ad horam tertiam non cessabat.

Proprijs manibus honestè operabatur.

§. 8. Ne autem ipsum reperire posset diabolus otiosum, laborabat propriis manibus, scribendo, vel suendo cilicia, seu faciendo aliud opus honestum & vtile ab hora

tertia

tertia vsque ad nonam. Post cibum denique sumptum vsque ad noctem profundam perseuerabat cum Deo, ab oratione feruente spiritum non relaxans.

Sanctitate multos ad se traxit.

§. 9. Morum etiam honestate venustus, odore suæ sanctitatis vitæ communiter iam disperso, ad suum multos attraxit aspectum, & quamplures oberrantes per vitiorum abrupta, reduxit ad Deum suis sanctis exhortationibus & exemplis. Nec mirum, nam ipsum reddebat cunctis communem charitas, obedientia promptum, placidum humilitas, pietas patientibus coafflictum, decorum puritas, parsimonia mirabilem, honestatis maturitas reuerendum, benignitas hilarem, constans quoque virtus animi in aduersis & prosperis vniformem.

Monasticam Congregationem sub reg. S. Benedicti instituit, vt supr. in eius const. 1.

§. 10. Denique vir sanctus cupiens diuinum ampliare cultum, Congregationem Monasticam sub B. Benedicti Regula, superadditis ei statutis arctissimis, ordinauit, vbi fratrum suorum Deo famulantium adaucta multitudine numerosa, fundatisque locis non paucis, in quibus CHRISTVS IESVS ab ipsis iugiter laudaretur, vixit cum eis cunctis florens virtutibus, ac eximiæ sanctitatis operibus informans & reformans vniuersos.

Summus inde Pontifex creatus fuit.

§. 11. Verum quia non erat expediens, quod tantæ sanctitatis odor in solo vno Mundi angulo sentiretur, sed potius quod ad ædificationem eunctorum fidelium, circumquaque per mundum promptius spargeretur, dispensatione prouida ad summum Pontificatus apicem est prouectus. In quo totum diem ipse manens, qui fuerat sub præcelsæ dignitatis habitu, nec vitam Eremiticam, quantum fas seruare fuit, nec animum derelinquens, nouit inter epulas esse sibi summe austerus & abstinens, inter amplas diuitias summe pauper.

Sed regiminis se inexpertū, dicens illi renuntiauit, vt vita contemplatiua vacare posset.

§. 12. At verò hic vir habens simplicitatis miræ, & in spectantibus ad regimen vniuersalis Ecclesiæ inexpertus, vtpote qui à teneris annis vsque ad senium elongatus à Mundo, cor suum mundanis rebus non accommodauerat sed diuinis, reflectens prudenter suæ considerationis intimæ oculum ad seipsum, honori Papatus cessit & oneri libere & ex toto, ne ob prædicta posset ex suo regimine, quodcumque periculum vniuersali Ecclesiæ prouenire, & vt turbarum Marthæ sollicitudine declinata, vacare posset secus pedes IESV contemplationis otio cum Maria.

Postea sanctissimè vixit.

§. 13. Post hæc itaque diuinæ vacans contemplationi, assiduè vsque ad eius obitum, quo beata illa anima carnis euasit ergastulum, cælos petens, sanctissimam vitam duxit.

Miraculis in quolibet suo statu clarus quorum aliqua recensentur.

§. 14. Et quia multum conueniens erat, quod ille quem Deus in mente perfuderat tot & tantis charismatibus gratiarum, clarus Mundo colendusque diuinæ virtutis testimoniis appareret, non defuere diuina miracula in quolibet statu suo, ante Papatum videlicet, in Papatu, ac etiam post Papatum, in eius vita pariter & post mortem, voce clamosa proloquentia ipsius mirandam cunctis eximiam sanctitatem. Vt autem hoc IESV CHRISTI fidelibus amplius notum fiat, aliquot miracula ipsius meritis de quamplurib us exprimere possemus, quæ accidisse veraciter certis testimoniis sunt probata.

Cæcam mulierem illuminauit. existēs in Eremo.

§. 15. Mulier quædam ex infirmitate graui sic cæca omnino effecta, vt iuuari non posset per quæcumque adhibita remedia medicinæ, portata ad locum Eremi vbi frater Petrus tunc temporis morabatur, cum se signasset quadam parua cruce lignea, quam idem frater Petrus per seruum suum ei transmiserat, & eandem ad oculos applicasset, perfectè statim visibiliter est curata.

Amentemque sanitati restituit ibidem.

§. 16. Quidam factus ita furiosus & amens, vt ne seipsum aut alios offenderet, funibus & catenis ferreis ligaretur, adductus ad dicti fratris præsentiam, cum comedisset de pane sibi per ipsum exhibito, sic est curatus perfectè, vt de dicta infirmitate nihil vlterius vnquam senserit.

Puellæ fistulā sanauit ibidem.

§. 17. Puella etiam quædam, quæ fistulam tam grauem habebat in pede cum aperturis pluribus, vt de perditione pedis à medicis timeretur, portata ad ipsum, & facto per eum super plagam ter signo sanctæ Crucis, statim sanata est, ita vt post dies paucos non appareret in dicto pede aliquod infirmitatis prædictæ vestigium, vel cicatrix.

Mulierem hecticam sanauit fecit ibidem.

§. 18. Quædam mulier, quæ sic vehementer grauabatur infirmitate ethica, vt de eius vita desperaretur à medicis, nec pro necessitate quacumque absque plurium adiutorio de loco posset se mouere, cum quieuisset per horæ spatium sub quodam panno lineo, quem per patrem dictæ infirmæ miserat frater Petrus, statim sanata surrexit.

Homini grossam strophulam abstulit ibidem.

§. 19. Quidam etiam strophulam grossam ad quantitatem oui gallinæ in manu, per quinque annos habuerat; benedictione facta per ipsum Sanctum super infirmitatis locum, fuit, post morulam modicam, sanatus totaliter & perfecte.

Mulierem à grauissima infirmitate liberauit in Pontificatu.

§. 20. Cum etiam summi Pontificatus culmine præemineret, quædam mulier, quæ vi morbi per annos quatuor per totum corpus extiterat crocea & inflata, quæ etiam operari quicquam non poterat, nec absque grauamine notabili ambulare, delata ad locum, per quam erat frater Petrus tunc Summus Pontifex transiturus, & benedicta ab ipso, restituta est illico pristinæ sanitati.

Aliam corpore contractā sanitate donauit.

§. 21. Alia quædam mulier sic contracta in omnibus membris suis, vt nec mutari posset de loco ad locum, nisi ab aliis portaretur, posita secus viam, per quam ipse frater Petrus tunc transitum faciebat, & data super ipsam Crucis benedictione, per ipsum fuit perfectè continuo liberata.

Cæco visum restituit post Pontificatum.

§. 22. Postquam renuntiauit Papatui, quidam qui ex toto pene visum perdiderat, cum se ipsi fratri Petro præsentasset, superducta quadam parua Cruce lignea oculis patientis restituit integrè statim visum.

Crux fulgida apparuit in ostio sua camera tempore obitus.

§. 23. Denique vt in eius obitu suæ Sanctitatis lucidæ diuinum testimonium non deesset, de ipsa Cruce quam summe dilexit, & lumine, fecit Deus signum mirabile apparere. Etenim tempore mortis suæ apparuit Crux parua & fulgida in medio ostij cameræ in qua erat, quæ ad modum vertiginis se voluens, continuo permansit diuinitus suspensa in aëre, quoadvsque corpus eius de ipsa camera est translatum.

Paralyticus sanatus est tactu sua catena.

§. 24. Sed & post obitum viri sancti quidam sic est percussus paralysi, vt nec ambulare, nec stare, nec loqui posset quoquomodo: ductus ad locum vbi frater Petrus pœnitentiam facere consueuit, & catena quadam, quam portasse ad carnem nudam dicebantur dum viueret, apposita patientis collo & capiti, & cęteris membris eius, fuit statim penitus liberatus.

Iacens infirmus apud eius sepulchrum sanus abijt.

§. 25. Quidam qui vires ambulandi ac standi, visumque manus perdiderat, ductus ad Ecclesiam, vbi dicti Sancti corpus iacet reconditum, & pernoctans cum animi deuotione in eadem, sensit se mane totaliter à dicta infirmitate liberatum.

His lætari debet S. R. E. & Religio ab ipso sancto viro instituta.

De hac religione habes eius constit. sup.

§. 26. His & aliis quam plurimis miraculis gloriosis mirificauit Dominus sanctum suum, & clarum mundo reddidit, ac colendum. Gaudens itaque plaudat mater Ecclesia, & suaues depromat melodias. Nam hic Christi cōfessor eximia sua proles, inter beatorum agmina stellam possidet matutinam, & super Christi mensam cum Angelis ore pleno melle dulcius absconditum manna gustat. Iubilare non quiescat plebs Catholica: nam accensus calculos, quem ex eius medio ille intendens Seraphin tulit forcipe de altari in ea quæ sursum est Hierusalem, ignitis lapidibus, in quorum medio Rex cælorum ambulat, est coniunctus. Hunc apud Deum aduocatum habet, quem fons effluxus perennis iocundè inebriat, abundè faciat lignum vitæ. Iocundetur insuper religio per ipsum instituta, & in laudes Altissimi organa vocis laxet. Nam hic eius protector indefessus stola immortalitatis induitur, ac sedens cum principibus, solium gratiæ sempiternæ semper clarum tenet.

Et ideo hic Pont. SS. Confess. Cathalogo eum ascribit.

§. 27. Verum quia dignum est, vt, quem in cælo successum Deus glorificat: hic inferius ad suum patrocinium Mundus colat, nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum sancti huius, de quibus inquiri fecimus diligenter, prudentis examinis discussione adhibita, plenam & firmam certitudinem obtinentes requisiti: Insuper Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium supplicatione humili & deuota, de fratrum nostrorum consilio & assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Aposto-

rum,

rum eius, & nostra, ipsum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.

Festum pro die 19. Maij instituit. §. 28. Ideoque vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Kal. Iunij festum eiusdem Confessoris deuotè, ac solemniter celebretis, & faciatis à vestris subditis celebrari, vt eius pia intercessione, & hic à noxiis protegi, & in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis. Amen.

IOANNES XXI. DICT. XXII. PONT. CXCVIII.
ANNO DOMINI MCCCXVI.



IOannes XXI. dictus XXII. Iacobus de Ossa anteà dictus, Gallus Caturcensis in Aquitania, Patre Arnaldo, cognomine Deusa, Episcopus Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ. Creatus Lugduni 8. Id. Augusti, anno 1316. Coronatus Nonis Septemb, eodem anno. Sedit annos 18. menses 3. dies 28. Creauit Cardinales 28. Obiit Auenione pridie Nonas Decemb. anno 1334. Sepultus in Cathedrali Ecclesia S Mariæ de Donis. Vacauit sedes dies 15.

Nicolaus V. Antipapa, dictus Frater Petrus de Corbario Ordinis Minorum sedit in schismate contra Ioannem XXII. annos tres, menses tres, dies 14. tandem 8. Kal. Septemb. 1330. inserto ad collum laqueo, ad pedes veri Pont. veniam deprecando, abdicauit.

I. Hæretici, vel de hæresi suspecti, & Iudæi ad fidẽ Catholicam conuersi, ab eaque apostatantes, ad Ecclesiam confugientes, eius non gaudent immunitate.

Circa eiusmodi immunitatis priuilegium, attende constitutionem editam à Greg. XIV. num. 7. Cum alias, vbi notabo.

Edita An. D. 1316. IOANNES PAPA XXII.
Inquisitoribus hæreticæ prauitatis per Regnum Franciæ constitutis.

Hæretici &c. ad Ecclesias confugiebant, ne caperentur, EX parte vestra fuit nuper proposi tum corã nobis, quod nonnulli de hæretica prauitate culpabiles, vel suspecti, aut accusati, seu conuersi de Iudaïca cæcitate ad fidem Catholicam, postmodum apostatantes ab ipsa, ad Ecclesias confugiũt, non ad salutis remedium, sed vt vestras manus effugiant, & suorum scelerum vitent iudicium vltionis; super quo Apostolicæ Sedis prouidentiam humiliter implorastis.

Hic ideo Pōt. eos ibi capi posse decernit ab inquisitoribus. §. 1. Nos igitur ad extirpandos orthodoxæ fidei inimicos, & herbam tam noxiam pestiferam de horto Dominico radicitus euellendam, sollicitis studiis intendentes, discretioni vestræ ad instar fœl. rec. Martini Papæ Quarti prædecessoris nostri, qui per Apostolicas literas inquisitoribus hæreticæ prauitatis per Regnum Franciæ constitutis idem mandauit; per Apostolica scripta mandamus, quatenus contra illos, quos de huiusmodi hæretica prauitate fore culpabiles, vel de illa notabiliter suspectos esse vobis constiterit, accusatos etiam de labe prædicta, conuersos quoque Iudæos, & postmodum patenter, vel verisimilibus indiciis apostatantes à fide, iuxta qualitatem delicti exequamini libere officij vestri debitum, ac si ad Ecclesias, & loca prædicta minimè confugissent: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo.

Et Episcopis mãdat, vt Inquisitoribus prædictis assistant. §. 2. Et vt nullum in hac parte possit obstaculum vobis poni, Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, per Regnum Franciæ constitutis, per has nostras literas iniungimus, vt vos non impediant, quominus huiusmodi mandatum nostrum implere liberè valeatis, sed potius ad requisitionem, vestram in iis vobis assistant, sicut extiterit opportunum.

Dat. Auenione Idibus Augusti, anno primo. *D.P. A 1. die 13 Aug.*

Canonizatio S. Ludouici, Caroli Regis Siciliæ filii, & Episcopi Tolosani eiusq; adscriptio in numerũ Sanctorum Confessorum, cum suæ festiuitatis institutione, pro die 19. Augusti quotannis celebrandæ. II.

IOANNES EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, vniuersis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis & aliis Ecclesiarum Rectoribus, per vniuersum Orbem constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.* *Edita An. Di 1317.*

Omnipotentis Dei prouidentia, ortus est Mundo Ludouicus Episcopus Tolosanus. SOl oriens Mundo in altissimis Dei Deus Dei Filius, ex paterno vtero ante luciferum genitus Deus, Verbum, qui rerum in principio fundans terram in sapiẽtia, Cœlos prudentia stabiliuit, adornando cælos syderibus; germinantibus cunctis terram, quinque in fine temporum, pro humani generis salute, nostram assumendo, naturam, texit nube nostræ carnis fragilis semetipsum, nunc hora stante nouissima, illuminando per cuncta respiciens, opus produxit mirabile, charitate gloriæ suæ plenũ, bonitatem suam monstrans magnifice. Sponsamque suam sanctam Matrem Ecclesiam reddens nouitate tam claræ sobolis lætabundam. Nam qui facit mirabilia magna solus, dilectum suum Confessorem eximium, beatum videlicet Ludouicum, puritate candidum, charitate feruida rubicundum, electum ex millibus, produxit nouiter, vt exemplar præfulgidum cunctis fidelibus imitandum, eius vitæ singularis excellentiam, signis probans, & prodigiis coruscantibus crebris miraculis manifestans.

De eius ortu Orbis lætari debet. §. 1. Igitur lætentur Cœli, & exultet Terra, iucundetur pariter totius Orbis, Nam qui effulsit in templo dum viueret, in medio nebulæ suæ carnis, vt matutina stella, ac Luna plena, solari lumine, velut sol, refulgens in sua formosus stola, in virtute multa, repentine ad summa graditur, regalibus dignus aspectibus, vt candens lilium, ac odoris suauissimi rosa rubens. Hunc cæli præstant hospitium, Cœli ciues, vt sibi conformem, & comparem ad suum hunc cõsortium admittunt in supernis; CHRISTVS hunc reficit idem ipse prandium, & conuiua.

Qui filius fuit Caroli Regis, & Mariæ Reginæ Siciliæ. §. 2. Hic fœlix Sanctus ex regali prosapia, patre videlicet claræ memoriæ Carolo Rege Siciliç, matre verò charissima in CHRISTO filia nostra Maria Siciliæ Regina, ex Hungaria originẽ suam trahens, altum sui generis recusauit sapere, humilia semper diligens, & amplectens. Sciebat namque quod excelsus Dominus, alta de longinquo prospiciens, humilia, & vicina contemplatur. Quanquam autem singula præclara lucidæ vitæ, verbis paucis

cnar

enarrari non possint, aliqua tamen de quamplurimis ad vtilitatem legentium referemus, vt ex his Deum Patrem glorificent, & in his reperiant viuendi regulam, quam sequantur.

Obses mittitur in Hispaniam vbi sub instructione Fratrum Minorū S. Francisci multum in literis profecit.

§. 3. Sanctus iste, sicut probatum est testimonis fide dignis, in ætate existens tenera, sub magistri Religiosa diligentia cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen ibi maturis intendendo moribus, sub tenello pectore gestare se senilem animum ostēdebat. Ductus in Cataloniam, cum duobus è suis fratribus datus obses pro liberatione antedicti Regis, tam feruenter dedicauit se studio, quod infra septennium, quo etiam ibi obses fuit, sub instructione Fratrum Minorum, quos secum habebat in socios, in primitiuis scientiis, & sacra pagina sic profecit, quod vir Dei pollens ingenio, de prędictis scientiis non solum publicè, ac priuatè subtiliter disputare valeret, sed & solemniter Clero, & populo proponere verbum Dei, vt putaretur scientia hæc infusa sibi magis diuinitus, quam humanitus acquisita.

Et multis claruit virtutib. hic enumeratis & signanter.

§. 4. In orationibus sedulus, & deuotus, mentem ad Deum eleuatam tenuit, profectò sciens, quod oratio humiliantis se, nubes penetrans, pro exauditionis suffragio Deum adit.

Sacramenta frequentat.

§. 5. In tempore namque dicto, sacramentali confessione præmissa, Missas audiebat deuote, in magnis verò festiuitatibus cum præparatione multa, corpus sumebat dominicum. Factus autem Sacerdos diebus singulis celebrabat: Audientiæ verbi Dei insistebat attente.

Studiis assidue vacat.

§. 6. Pro pastu verò animæ, in scripturis deuotus studens, habebat ad hoc pro solatio sanctos libros.

Castitati studet.

§. 7. Castitatis autem amor, à puero affecerat eius mentem: adeo quod ob ipsius fidam custodiam, mulierum consortia fugiebat omnino, in tantum quod nisi forsan cum matre, & sororibus, solus cum sola nullo vnquam tempore loquebatur. Mulierem namque amariorem nouerat esse morte. Verba etiam inhonesta horrebat audire, ac loquentes talia grauiter arguebat; attendens prudenter, quòd corrumpunt mala colloquia bonos mores: Fratres nihilominus duo, & interdum quatuor in sua iacebant camera, in suæ testimonio nitidæ puritatis.

Sobrie & caste viuit, atque catenis ferreis se cædit.

§. 8. Cum Apostolo Paulo sobrietate cibi, & potus, corpus suum castigabat assidue, seque frequenter manu sua, quandoque autem alicuius fratris consocij, cum catenis ferreis disciplinans, vestiendo pro camisia rude stamen, & deferendo ad nudum pro cingulo cordam grossam, ipsam carnem in seruitutem redigebat. Summo etiam studio, terrena cuncta calcare studuit, ex desiderio æternorum.

Ordini Fratrū Minorū & Ecclesia Tolosana præficitur.

§. 9. Considerans etiam Sanctus iste, quod Mundus totus sit positus in maligno, quodque cum concupiscentia sua transit, ipsum fugiendo deseruit totaliter, & contempsit. Nam rediens de Catalaunia cum Rege prædicto, votum quod de intrando Ordinem Fratrum Minorum in obsidione fecerat, in Conuentu eorundem Fratrum de Monte Pessulano, voluit adimplere. Sed videns quod timore dicti Regis ipsum fratres recipere non audebant, votum ipsum solemniter iterauit. Et quia vouentibus præceptum nouerat de reddendo, suadenti fœl. rec. Papæ Bonifacio prædecessori nostro, quod assensum pręberet prouisioni de se factæ, Ecclesiæ Tolosanæ, nullatenus consensit, quoadvsque votum dictum, quod fecerat, compleuisset. Cuius deuotioni annuente prædecessore nostro prædicto, habitum Ordinis prædicti suscipiens, in præsentia bon. mem. Ioannis Episcopi Portuensis, tunc eiusdem Ordinis generalis Ministri, expressam professionem flexis genibus in manibus suis fecit, sicque prouisioni prædictæ suum præbendo assensum, mandatis Apostolicis obediuit. Et quanquam de iussu prædecessoris eiusdem dictum habitum velatum portauerit vsque ad festum B. Agathæ tunc vicinum, in dicto tamen festo in præsentia duorum Cardinalium recepit publice, ac ex tunc portauit continue, atque ipso die ad S. Petrum patenter detulit pędicando.

Regno renunciat.

§. 10. Miranda res, & alias insueta, Vir namque virtutum positus in sublimi, iuri Primogenituræ renunciauit, & Regno, regalis solij spreta pompa, pro regno corruptibili, æternum, ac plenum deliciis regnum mercans.

In pauperes est benignus.

§. 11. Mira verò compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam priuatas, quam publicas eleemosynas faciebat. Vnde iam factus Episcopus Tolosanus, per vnum suum familiarem secretarium mandauit inquiri, de suorum quantitate redditum, quātumque sibi sufficeret pro moderatis expensis faciendis, & rationabilibus, volens quod totum residuum in sustentandis pauperibus poneretur, quanquam prælatus tam magnus esset, & filius tanti Regis.

Pauperi cappam dedit.

§. 12. Cum autem iret Parisios, pauperem quendam nudum reperit, cui multum compatiens, abscondite cappam contulit, quam portabat, sibique fecit aliam secrete asportari.

Humilitate fuit insignis.

§. 13. In hac etiam CHRISTI imitatione nihilominus humilitas vera fulsit, Attendit namque quod Deus, qui mœrentes sospitate erigit, ponit humiles in sublimi, Ipse enim viginti quinque pauperes in domo sua reficiebat quotidie, aquam in manibus fundebat, manuque sua ipsis fercula apponebat, ac panes scindebat, eisdem etiam genuflexo in ipsis CHRISTO seruire, & ipsum recipere se delectans.

Hospitalia visitauit. Humili veste se induit.

§. 14. Hospitalia pauperum aliquoties visitabat.

§. 15. Sciens denique quod qui vestiuntur mollibus in hoc à Domino non laudantur, post Diaconatus sumptum ordinem, semper veste humili vsus fuit. Post ingressum verò prædicti Ordinis, vili habitu, ac bruno colore in tapetiis, cortinis, & lecti coopertoriis vtebatur.

Officiū Pontif. prudenter exercuit.

§. 16. Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia seruus hic Christi fidelis & prudens, Missas dicendo assidue, deuotissime ordines celebrando, clericos, quibus de beneficiis prouidere volebat, examinādo de virtutib', & vitiis, & articulis fidei, vita, & moribus diligēter.

Iudæos & Gentiles ad fidem induxit.

§. 17. Iudæos & gentiles & zelo feruens Dei inducebat sedulo ad baptismum, ac quosdam eorundem sacro de fonte leuauit.

Obiit, & miraculis hic descriptis claruit.

§. 18. Demum gloriosus iste Sanctus, cursu vitæ consummato, fœliciter ad Deum fontem viuum, quem anide sitierat, migraturus, infirmitate decumbens vltima, deuotissimè sumpsit Corpus Dominicum, quamuis debilis de lecto exiliens in occursum Domini Saluatoris. Cruce autem sibi data per quendam ex sociis, deosculabatur illam genuflexus in lecto, vt potuit, ac in oratione deuota, & silentio postmodum diu mansit. In Cruce namque Domini nostri IESV CHRISTI; & non in alio, didicerat gloriari. Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic viuus ambulauit in innocentia, in medio domus suæ ad Deum suum contemplandum in gaudio, facie reuelata, in sua innocentia est ingressus. Verum, quia decebat multum diuinæ magnitudinem bonitatis, quod illum, quem in terris ipsum præclaris adornando virtutibus, sui imagini fecerat tam conformem, secum ostenderet regnare in cælis virtutis suæ testimoniis; quædam per eum miracula operari dignatus est, quæ ad Sancti huius declarandam gloriam, præsentibus duximus adnotanda.

Puellam mortuam, vitæ restituit.

§. 19. Quædam namque duorum annorum puella, quę vi febris quam passa fuit duobus mensibus, expirauit? facto voto per patrem sancto isti, quod ipsi imaginem de cera offerret, si vitam à Deo filiæ suæ impetraret, resuscitata vbera matris suxit.

Puer defunctus viuus redditur.

§. 20. Quidam etiam quinque annorum puer vehementia febris continuæ vita functus, facto voto per patrem, est vitæ pristinæ restitutus, nec dictæ febris in eo apparuit vllum signum.

Puella post expirationem reuiuiscit.

§. 21. Quædam puella annorum septem, quæ per septimanas tres febrem passa continuam, expirauit, facto, ad dictum Sanctum voto per suos, spiritum recuperauit, & reuixit.

Et alia.

§. 22. Quædam denique mulier, quæ duas conceperat filias, vna illarum in ventre mortua ex casu dictæ matris de asino, & in eius ventre ex mora diutina putrefacta, cœpit puerperio laborare. Cumque dictus partus iam putridus per frusta fuisset extractus, & alia filia mortua iam educta esset, obstetricum ministerio, violenter, & proiecta in stabulo super fimum, emisso ad ipsum Sanctum voto, quod si partus ille resurgeret, visum sibi ceræ imaginem præsentaret, puella palpitare cœpit, & baptizata, septem mensibus superuixit.

Puer suscitatur.

§. 23. Quidam etiam puer ætatis annorum septem dum sub lecto, in quo cum suis iacebat parentibus, repertus mortuus, rigidus & frigidus aliquo tempore permansisset, facto per parentes ad hunc Sanctum voto, fuit diuinitus suscitatus.

Aliaque mortua.

§. 24. Mulieri viduæ, quæ propter vehementem infirmitatem, diem extremum clauserat, emisso per suos, ad Sanctum istum voto, eius meritis reddita fuit vita.

Puella surda, audit.

§. 25. Quædam puella nobilis, quæ ex casu ad terram de nutricis brachiis per octo menses passa fuerat surditatem, facto voto ad prædictum Sanctum per patrem, à dicta surditate ad plenum extitit liberata.

Mutus loquitur.

§. 26. Quidam cum post febrem continuam perdidisset loquelam, & sic mutus per mensem integrum permansisset, adductus ad sepulchrum Sancti huius, fuit ibidem loquelæ finita Missa restitutus.

Alij infirmi curantur.

§. 27. Mulier quædam, quæ subito muta, & impotens de vno brachio facta fuit, ac infirmitate sibi per mensem durante, emisso voto per matrem, statim ad sanitatem pristinam est reducta. Quædam etiam mulier, dum ex partu quodam violento, de puero mortuo, & in eius ventro transuersato, contracta in manibus, & pedibus & fœmoribus, biennio permansisset, facto voto ad Sanctum præfatum, quod si curaretur, scoparet in tota vita Ecclesiam in qua iacet, dormire cœpit, & expergefacta, à morbo prædicto penitus est curata. Vir quidam passus annis sex guttam in manu, & brachio, ventre, ac humero, facto voto quod eius limina visitaret, statim fuit sanitatis beneficium consequutus. Quidam denique presbyter passus guttam in latere, quæ ipsum afflixit grauiter diebus septem, facto voto ad memoratum Sanctum, diligentius eius tumulum visitando, recepit omnino sanitatem. Quædam mulier, quæ per octo annos, morbo epileptico quasi quotidie grauabatur emisso voto, quod sepulchrum eius, si curam reciperet, annis singulis visitaret, curam recepit, sicque ex tunc de morbo ipso penitus nihil sensit. Monialis quædam, quæ post febrem longam quam passa fuerat, dolorem incurrebat in omnibus membris eius, in tantum quod in duodecim diebus, nisi alieno adiutorio, de lecto non poterat se mouere, portato sibi pedali panno, qui quondam Sancti huius dicebatur fuisse, ac sibi applicato ad caput, sana & incolumis est effecta. Cum homo quidam, qui miraculis istius Sancti detrahere nitebatur, reuersationem faciei, & oculorum turpiter incurrisset, sicque manens per dies sex, huic Sancto cum deuotione qua poterat, se deuouisset, ad sepulchrum eius veniens, & offerens caput cereum, antequam exiret Ecclesiam, perfecte repente se curatum.

Omnes itaque laudes & gloriosi ent Deum a cuitèque & laeatur.

§. 28. Hæc sunt mirabilia opera solius Altissimi, quibus, & aliis quamplutibus mirificare voluit Sanctum istum, ac toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnifice Deus noster, cuius dextera huic Episcopo confert stelliferum regni diadema. Applaudant & isti pariter cœli ciues, quorum cœtibus Sanctus hic sole splendidior est insertus. Canant quoque altissime, Franciæ, Siciliæ, ac Hungariæ regna felicia, de quorum horto candoris niuei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem vuam, cuius liquor cœlos lætificans, abunde funditur in calice summi Regis. Lætetur insuper ciuitas Tolosana tanto ditata Præsule, quem apud Deum aduocatum habet sedulum, & patronum. Vere felix es, ô tu Massilia, facta diuinorum aromatum tam Sancti corporis apotheca. Sed & Fratrum Minorum Ordo conspicuus, nouæ laudis canticum promere non desistat in aula cœlesti, tam præclarum alumnum diuinis festiue conspectibus repræsentans.

Verificatis igitur prædictis hic Pont. ipsum B. Ludouicum SS. Confessorum numero adscribit.

§. 29. Cæterum, quia conuenit, vt quem Dominus in Cœlo magnificat, Mundus colat, nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipsius inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem, & studiosam examinationem, & discussionem solemné, supplicatione deuota, & humili Prælatorum omnium, apud Sedem Apostolicã existentium cum instantia requisiti, de Fratrum nostrorũ consilio & assensu, de Omnipotentis Dei virtute confisi, auctoritate quoque Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius & nostra, ipsum septima die Aprilis Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.

Eiusque festum die 19. Aug. celebrari iubet.

§. 30. Ideoque vniuersitatem vestram monemus & exhortamur attentè, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Kalendarum Septembrium festum eiusdem Episcopi & Confessoris, deuote celebretis solemniter, & faciatis à vestris subditis deuotione congrua celebrari, vt pia eius intercessione hic à noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Indulgentiam quoque pro d. festo, & visitantib. illius sepulchrum elargitur.

§. 31. Et vt ad mirabile eius sepulchrum, ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem Confessoris colatur festiuitatis, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui eum reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, duos annos, & duas quadragenas, accedentibus verò ad prædictum sepulchrum annis singulis infra eiusdem festi Octauam, vnum annum, & quadraginta dies, de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

D.P. A. 1. die 7. April.

Datum Auenione septimo Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno primo.

Damnatio sectæ Bizochorum, Beguinorum, Fraticellorum, Pseudofratrum S. Francisci de Assisio. III.

Hic B. Franciscus, tres Ordines instituit cum regula vt sup. in constit. 5. Honor. III. Solet. vbi notaui plene.

Hanc autem impiam Beguinorum sectam Clem. V. specifice damnauit in Clem. vnica de Relig. Domib. & etiam Iul. II. cuius tempore adhuc forsan eorum aliquis remanserat, vt inf. in eius const. 25. Consueuerunt. Insuper quia Fraticelli & alij erronee profitebantur Christum & Apostolos non habuisse aliquid in speciali, nec in communi, ideo hic Pontifex in alia eius extrauag. 4. de Verbor. signif. eorum errores vti hæreticos damnauit.

Edita An. D. 1315.

IOANNES EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis electis, ad quos literæ istæ peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

GLoriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, quam Christus dilexit, pro qua semetipsum tradidit, vt ipsam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, Dauid Propheta cunctis prælatam gentibus, spiritu reuelante cognouit, & splendorem tantæ dignitatis admirans, illam sub similitudine regalis fastigij demonstrauit dicens: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, nimirum ipsa CHRISTI sponsa virgo Mater Ecclesia, quia inclyto capiti suo Domino IESV CHRISTO immutabilis fidei glutino copulatur, & eius imperiu prona obeditione substernitur, cum illo vnum effecta tam incomparabilis vnionis, merito rebus omnibus more regio principatur. Quæ dum pia, ac deuota Religione terrena despicit, cælestia appetit, omne sinistrum premens, à dextris sponsi gloriosa consistit: & quia geminæ charitatis splẽdore omni ex parte rutilat, in vestitu aureo etiam, Angelicis spiritibus admiranda coruscat. Cuius inæstimabilis decor, quia vario viuendi genere, in vna tamen charitate perficitur, quasi de vestis pulcherrimæ varietate lætatur.

Religio S. Francisci à Sede Apost. confirmata in vniuerso Orbe clarnit.

§. 1. In hoc igitur vestimento tam mirabili varietate distincto, Minorum Fratrum sacer Ordo, ab ipso suæ fundationis exordio, Almi Confessoris B. Francisci regulari traditione, & Apostolicæ Sedis auctoritate, atque confirmatione indissolubili quadam textura connexus, fide clarus, spe validus, charitate profusus, humilitate placidus,

cidus, obeditione deuotus, velut singulare iubar sanctitatis, exemplo ac doctrinæ verbo per vniuersum orbem claruit, & Ecclesiastico decori multum vtilitatis & plurimum inclitæ alacritatis inuexit.

Quidam tamen perditi homines illã euertere tentarunt.

§. 2. Verum quia humani generis inimicus, vbi virtutum segetes vberius videt exurgere, ibi scandalorum vepres & dissidiorum zizania satagit cumulatius seminare, nonnolli huius sacræ Religionis solo nomine professores, dum altiora se petunt, dum præposteris & perturbatis gradibus eiius ruituri, in magnis & mirabilibus supra se ambulare conantur, illius delusi fallaciis, qui se, vt alios decipiat, in lucis Angelum transfigurat, sibimetipsis ruinam, infirmioribus scandalum, solidioribus verò probationem & meritum pepererunt, pro viribus satagentes tam præclari Ordinis vnitatem scindere, obnubilare famam, perturbare quietem.

Dicentes se solos regulam S. Francisci obseruare.

§. 3. Dudum siquidem huiusmodi superstitiosi & discoli homines, in prouincia Prouinciæ; aduersus communitatem præfati Ordinis insurgentes, & se solos, suosque complices de Obseruantia regulæ B. Francisci mira vanitate iactantes, reliquam Ordinis multitudinem, de transgressione regulæ, perpetam iudicando notabant. Nonnullos profanæ multitudinis, verbis mendacibus, & mentitæ sanctitatis obtentu, in sui erroris deuium adducentes.

Nicol. IV. eos à Ministro d. Ord. coërceri iussit.

§. 4. Quorum vipereos partus in ipso sui exortu felicis recordationis Nicolaus Papa Quartus prædecessor noster, ne in multorum perniciem alerentur, ad veritatis petram elidere cupiens, Generali Ministro, qui tunc temporis memorato Ordini præsidebat, districtè præcipiendo mandauit, vt huiusmodi præsumptores, disciplina debita coërceret, prout in literis ipsius prædecessoris nostri plenius continetur.

At illi coram Clem. V. nouas querelas proposuerunt.

§. 5. Sed horum pestilentissimas nouitates, hoc remedio compressas fuisse potius quam extinctas rediuiuus error enuntiat, & tristis experientia manifestat. Nuper enim nonnulli factionis superstites memoratæ, adiunctis sibi quam pluribus de dicta prouincia Prouinciæ, & prouincia Thusciæ, & aliis diuersarum fratribus nationum, coram piæ memoriæ Clem. Papa V. prædecessore nostro, diuersas regulæ quæstiones, diuersasque contra vniuersitatem dicti Ordinis proposuere querelas, & quasi ipsi soli, ipsorumque complices B. Francisci Regulam & perspicacius intelligerent, & efficacius adimplerent, notam actionis contrariæ, in vniuersitatem præfati Ordinis impie detorquebant.

Qui Clem. dubia omnia eis declarauit, vt ad eorum Conuentus redirent, prout habetur in Clem. Exiui de verbor. sign.

§. 6. Qui Clemens prædecessor huiusmodi homines benignitate magis, quam seueritate satagens emendare, illorum pestiferos conatus patientiæ virtute tolerans, prædictas quæstiones atque querelas pluribus Archiepiscopis, Episcopis, & sacræ Theologiæ professoribus, & aliis iuris scientia prædiris discretione dotatis examinandas commisit, & ad suam audientiam perferendas. Quibus diligenter, & cum multa maturitate peractis, sæpe nominatus Clem. prædecessor de veritate certior factus, præfatam Religionem sanctam & (vt eius vtamur sermonibus) muris obseruantiæ regularis firmiter vndique asseruit circumclusam, & quædam quæ circa regulam dubium sensum afferre poterãt, declarauit: districtè præcipiendo mandans, vt dicti fratres, qui contra præfatam communitatem Ordinis huiusmodi quæstiones mouerant & querelas, ad Conuentus, vnde discesserant, reuerterentur, & suis superioribus obedirent humiliter & deuote, harum quæstionum & querelarum prætextu ad Romanam Curiam de cætero minime reuersuri.

Iussitque Episcop. Bononien. & aliis, vt cæteros inobedientes ad suorum Superiorum obedientiam reducerent.

§. 7. Et vt ipsius salubris ordinatio ad optatum duceretur effectum, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Ianuensi, & Lucensi, ac Bononiensi Episcopis per suas literas demandauit, vt ipsi, vel alter eorum per se se, seu alium, vel alios, fratres illos de prouincia Thusciæ qui occasione præfatæ dissensionis & adhærentiæ, ad illicita laxatis habenis, quædam loca dicti Ordinis in prouincia Thusciæ constituta occupauerant, & occupata, temeritate damnabili detinebant, suis alias obedire Superioribus aspernantes, compellerent, vt eisdem locis, per eos occupatis, omnino dimissis, ad suorum Superiorum obedientiam, qualibet exceptione & occasione postpositis reuerterentur, moraturi vbicumque, & sicut iidem Superiores ducerent disponendum.

Et in quosdã contumaces fuit excommunicatio promulgata.

§. 8. Quarum literarum auctoritate dilectus filius Bernardus Prior Ecclesiæ sancti Fidelis iuxta Senas, cui præfatus Bononiensis Episcopus super hoc commiserat vices suas, in ipsos fratres dicti mandati contemptores, eorum exigente contumacia, excommunicationis sententiam promulgauit, & eos fecit excommunicatos publice nuntiari.

Illi à Religione discedentes alium Ord. instituere moliti sunt, & Henricum de Ceua apostatam in eorum prælatum elegerunt.

§. 9. Qui Ecclesiastica vincula non verentes, non absque temeritatis audacia, apostasiæ nota, mentisque vesania, contra Apostolica mãdata, & dicti Ordinis instituta, se ad partes Insulæ Siciliæ transtulerunt, & inibi ab obedientia, & vnitate dicti Ordinis, & Prælatorum eius se totaliter separantes, quasi memorati Ordinis B. Francisci stabilem, firmamque compaginem rescindere stolida præsumptione valerent, noui Ordinis, imo abominabilis erroris cassis conatibus, moliri sunt ponere fundamenta, tam detestabili turbę præficientes magis idolum, quàm prælatum, Henricum de Ceua dicti Ordinis refugam, & apostatam fugitiuum.

Multos ad eorum sectam receperunt, &c.

§. 10. Et vt tam fœdo capiti membra cætera responderent, Prouinciales Ministros, Custodes præterea, & Guardianos eligere temeritate simili pręsumpserint, plurimos ad ipsorum sectam recipere, Prædicatores, & Confessores assumere, eosdemque ad huiusmodi confessionis, & prædicationis officium transmittere, loca etiam à locis Fratrum ipsius Ordinis semota, ad habitandum de nouo construere, seu constructa recipere, contra Roman. instituta Pontific. in animarum suarum periculum, aliorumque perniciem, attentantes.

Habitum mutarunt.

§. 11. Et vt ipsorum error veritas, & impietas Religio putaretur, temeritate propria quosdam habitus cum paruis caputiis, curtos, strictos, inusitatos, & squallidos, simulationis conscios, irrisionis amicos, ac dissidiæ non ignaros, discrepantes à communitate Ordinis supradicti assumere, & in simplicium cordibus, vt eosdem secum in deuium erroris adducerent seminare, dictos habitus fore secundum regulam B. Francisci, & in ipsis solum pseudofratribus Ordinem consistere, famamque aliorum fratrum præfatæ communitatis, diuersis conuitiis lacerare procaci impudentique versutia præsumpserunt.

Indeque in multos errores lapsi sunt.

§. 12. Verum, quia sic sunt casus mentis, vt primo quidem infelix animus per superbiam intumescat, & exinde contentionem, de contentione in schisma, de schismate in hæresim, & de hæresi in blasphemias infelici gradatione, imo præcipiti ruina descẽdat, prædicti temeritatis atque impietatis filij; vt habet fide digna relatio, ad eam sunt mentis inopiam deuoluti, quod aduersus præclarissimam & saluberrimam Christianæ fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta Ecclesiæ veneranda contemnunt, & in gloriosum Ecclesiæ Romanæ Primatum, cunctis nationibus percellendum ab ipso conterendi eirius impeti, cæci furoris impingunt.

Quorum aliqui hic referuntur.

§. 13. Et ne aliquid prædictarum blasphemiarum tolerabile videatur, aut dubium, de plurimis eorum erroribus aliquos ne latere, & perinde nocere valeant, præsentibus duximus annotandos.

Primus errorum istorum Fratricellorũ est, duas fingere Ecclesias.

§. 14. Primus itaque error, qui de istorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit Ecclesias, vnam carnalem, diuitiis pressam, effluẽtem diuitiis, sceleribus maculatam, cui Romanum Præsulem, aliosque inferiores prælatos dominari asserunt. Aliam spiritualem frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam: In qua ipsi soli, eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitæ merito, si qua fides est adhibenda mendaciis, principantur.

Qui error hic reprobatur.

§. 15. Quæ impietas sic istis sceleratis est propria, vt à nulla hæresi possit esse seiuncta. Quippe omnes impij; dum praue in fide sentiunt, dum ab vnitate Ecclesiæ, atque obedientiæ per contumaciam separantur, vniuersitatem fidelium carni, se ipsos verò spiritui seruire friuolis assertionibus mentiuntur: quorum dementiæ nihil adiici posse, illi manifeste cognoscunt, qui sicut vnicum Christum prædicant, sic vnam Ecclesiam, profitentur, Doctore gentium attestante qui ait: Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius

Vna est igitur sancta vniuersalis Apost. atque Rom. Eccl. quæ non humana præsumptione, sub potestate nititur, sed diuina, & prorsus incommutabili auctoritate fundatur, cuius egregium primatum, si quis impie docendo negat, non solum criminosus aut schismaticus esse conuincitur, sed hæreticus impietatis suæ merito, diuina etiam atque humana ratione, & auctoritate censetur. Quia peccatum paganitatis incurrit, quisquis dum se Christianum asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit, cui inter cætera dona hoc priuata largitione concessum est, vt saluberrima fides, quam B. Petrus cœlesti Patre reuelante cognouit, & immensa potestas, quam ei in eodem Apostolorum principe Christus indulsit, sic per legitimam Rom. Pont. successionem illibata decurrat, vt illam vsque ad finem sæculi, nec perfidia maculet, nec adulterini pastoris Pontificium interrumpat. Quam velut validissimam nauem diuinæ gubernationis præsidio communitam, nec variarum opinionum, atque hæresum turbines, à suæ vnitatis compage diuellunt, nec tyrannicæ potestatis incursus, ad ima deprimit, quin potius & illos auctoritate atque veritate superans, & istus patientiæ virtute supplantans, inter blanditias terrenæ felicitatis, & asperitates sæculi felici nauigatione media graditur, donec ad portum futuræ beatitudinis duce Domino veniatur. In qua velut in Arca animalia munda, atque immunda seruantur: sicut in area frumenta paleis permiscentur: quemadmodum in sagena boni pisces & mali coeunt, vt in agro zizania & triticum simili germinatione succrescunt, nec tamen ipsam membrorum infirmantium immunditia polluit, extollit leuitas, corrumpit nequitia, insolentia scindit, sed manens integra atque perfecta, adoptionis filios fide generat, verbo nutrit, auctoritate defendit, pœnitentia purgat, patientiæ virtute supportat, nec illam diuitiarum cumulus suffocat, quia illis tanquam creatura Dei bona cum gratiarum actione bene vtitur, & aurum habet, non vt in illo finem constituat, seu vt necessitatem patientibus misericorditer largiendo succurrat. Extra quam salus esse non potest, quia natura non patitur, ratio non sinit, & diuina prouidentia non permittit, vt membrum quod à totius corporis vnitate seiungitur, virtute, quæ à vertice in corpus influit, aliqualiter vegetetur. Quo fit vt apud istos vaniloquos, nec sancta paupertas, nec castitas munda, nec virtus possit esse perfecta, quia consequens est, vt omni virtute, omni bonitate priuentur, qui Deum virtutum, cuius est totum quod est optimum, per inobedientiam derelinquunt.

Secundus error est quod alij Sacerdotes, præter ipsos, non habent auctoritatem conficiendi Sacramenta.

§. 16. Secundus error, quo prædictorum insolentium conscientia maculatur, Venerabiles Ecclesiæ Sacerdotes, aliosque ministros, sic iurisdictionis clamitat auctoritate desertos, vt nec sententias ferre, nec Sacramenta conficere, nec subiectum populum instruere valeant, vel docere; illos fingentes omni Ecclesiastica potestate priuatos, quos à sua perfidia viderint alienos, quia ipsos solos (vt ipsi somniant) sicut spiritualis vitæ sanctitas, sic auctoritas perseuerat. In qua re Donatistarum sequuntur errorem, qui olim facto schismate ab vnitate Ecclesiæ recedentes, ita in sua secta Dei gratiam dixerunt esse coactam, vt nullus eam recipere esset idoneus, qui non foret ipsorum scelere maculatus.

Qui Secundus error refellitur.

§. 17. Quorum impietatem zelus fidelium illo in tempore sic exhorruit, sic pia persecutione compressit, vt homines tam pestilenti contagione respersos, & censura Ecclesiastica anathematis mucrone feriret, & legum publicarum sanctio extremo iudicio prædamnaret. Quia dignum erat & æquum vt contra illos vtriusque gladij potestas exurgeret, qui auctoritatem Ecclesiasticam à solo Deo traditam, & in perpetuum duraturam, profanis assertionibus abnegarent. Manet igitur etiam istis reclamantibus, & vsque ad finem sæculi permanebit apud Romanum Præsulem, sicut summa auctoritas, sic immensa potestas, quam sicut gratis accepit, sic in eos, quos in partẽ sollicitudinis euocat, in vnitate fidei & Romanæ Sedis obedientia permanentes, benigne refundit, tam fortiter atque suauiter moderamina indultæ potestatis exercens, vt in corpore Christi, quod est Ecclesia, à summo vertice vsque ad extrema vestigia, nihil per inobedientiam dissolutum, nihil relinquat ordinis confusione turbatum. Cuius suauissimum sed validissimum iugum impij, quia humiliter gestare refugiunt, quod rebus non possunt lacessere, maledictis atque conuitiis non desistunt.

Tertius eorundem error est, quod nullo modo iurandum sit.

§. 18. Tertius istorum error in Valdensium errore continuat, quoniam & ij, & illi in nullum euentum asserunt fore iurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui & pœna teneri, quos contigerit iuramenti Religione constringi.

Qui error hic confutatur.

§. 19. Quorum blasphemias pietas Christiana condemnans non leuitate mota, sed vtilitate, aut necessitate coacta, veritatem præteritorum, atque præsentium, & certitudinem futurorum, iurisiurandi Religione confirmat, certissime tenens, quia nullatenus de suo genere potest esse peccatum, quod Christus exercuit, qui peccatum non fecit, sed peccatum omne sua passione damnauit, iurauit etenim Dominus, iurauit & Apostolus Paulus: suæ operationis exemplo monstrantes ad hoc tantum iuramentum esse prohibitum, ne iurandi facultas frequentiam, frequentia consuetudinem, consuetudo periurium introducat. Bonum est ergo iuramentum, per quod veritas rerum diuino testimonio confirmatur, sed malum est illi qui eo male vtitur, & à malo infirmitatis humanæ est, vt aliquis verum proferens iurare cogatur.

Quartus error est, quod Sacerdotes peccatores non conficiunt, neque conferunt Sacramenta.

§ 20. Quarta huiusmodi impiorum blasphemia de prædictorum Valdensium venenato fonte prorumpens, Sacerdotes rite etiam & legitime secũdum formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere, vel conferre Ecclesiastica Sacramenta confingit.

Qui error reijcitur.

§. 21. Quorum vtrorumque dementiam Ecclesiasticæ veritatis doctrina redarguit, & censura percellit, quoniam nil à bono maius nil à malo minus perficitur Sacerdote, quia Sacramentorum virtus, non in merito consecrantis, sed in virtute sancti Spiritus & verbo perficitur Creatoris.

Quintus error est, quod in ipsis solis completum est Euangelium. Qui error hic submouetur.

§. 22. Quintus error sic istorum hominum mentes obcæcat, vt Euangelium Christi in se solis hoc in tempore asserant esse completum, quod hactenus, vt ipsi somniant obtectum fuerat, imo prorsus extinctum.

§. 23. Quæ impietas sic tenebrosos Manichæorum calles oberrat, vt tamen Montani atque Priscillæ fœda vestigia non relinquat: Illi enim promissionem Domini de Spiritu sancto non in Apostolis, sed in seipsis completam esse asserunt: Isti Euangelium Christi, cuius virtus in sancti Spiritus perceptione consistit, ita in se completum autumant, vt ab illius claro intellectu, & vera obseruatione, vniuersitatem fidelium menticodo secludant. Sancta verò ac vniuersalis Ecclesia talium hominum figmenta deridens firmissimè tenet, & nullatenus dubitat, Spiritum sanctum iuxta fidele Saluatoris promissum in B. Apostolos die Pentecostes sic plenissime fuisse refusum, vt illos omnem veritatem, quæ ad salutem pertinet perfecte doceret, vt ipsos ad amorem Dei mirabiliter inflammaret, vt eosdem contra omnem tentationem munere virtutis firmitate muniret. Cuius Spiritus virtus in sanctam Ecclesiam vsque ad finem sæculi noua semper prole fœcundat, vt renatis fonte baptismatis vna sit fides mentium, & pietas actionum; quod profecto non esset, si sanctum Euãgelium, in quo Christianæ fidei regula continetur, omnibus esset clausum, & istis solummodo (quod cogitare impijssimum est) esset apertum.

Plures alij sunt errores istorum Fraticellorũ vano nomine professorum Ordinis S. Franc.

§. 24. Multa sunt alia, quæ isti præsumptuosi homines contra coniugij venerabile Sacramentum garrire dicuntur; Multaque decursu temporum, & fine sæculi somniant. Multaque de Antichristi aduentu, quem iamiam instare asserunt, flebili vanitate diuulgant. Quæ omnia, quia partim hæretica, partim insana, partim fabulosa cognoscimus, damnanda potius cum suis auctoribus, quam stylo prosequenda, aut refellenda censemus. Ipsa enim mendosa commenta se ipsa destruunt, quia nec ratione vigent, nec auctoritate constant, nec aliqua verisimilitudine fulciuntur. In huiusmodi doctrinis variis & peregrinis sæpe nominati homines studia sua conterunt Ad hæc simplicium corda blandis, fictisque sermonibus, & simulatæ humilitatis prætextu, attrahere moliuntur.

Hic ideo Pôt. Friderico

§. 25. Cupientes igitur, quòd dicti pestiferi homines aut in melius commutato consilio à suis peruersitatibus resilirent,

Regi mandatur, vt eos capere & Ministris d. Ord. consignaret.

resilirent, aut saltem alios perniciosis sermonibus & suæ prauitatis exemplo contaminare nõ possent, charissimum in Christo filium nostrum Fredericum Regem Trinacriæ Illustrem hactenus rogauimus, & monuimus per Apostolica scripta mandantes, vt huiusmodi viros pestiferos & seminatores errorum, de prædicta insula expelleret, & penitus extirparet, & ministris, Custodibus, seu Guardianis dicti Ordinis Minorum, cum ab eis super hoc requireretur, faciendo etiam si expediret sæpe dictos speudofratres capi, & eorum superioribus tradi captiuos, iuxta disciplinam Ordinis corrigendos, studeret impendere fauorem, consilium, & auxilium oportunum.

Rex mandato Pontif. paruit.

§. 26. Ipse verò tamquam obedientiæ filius per suas patentes literas nostrarum literarum seriem continentes, singulis officialibus suis, per dictam Insulam constitutis præcipiendo mandauit, vt ad capiendos huiusmodi falsos fratres Rectoribus dicti Ordinis, vt prædictæ nostræ literæ continebant, darent consilium, auxilium, & fauorem, quodque ipsa mandata in nostris contenta literis, studerent executioni in omnibus demandare.

Illi autem habita de hoc notitia, vario modo profugi vagari cœperunt.

§. 27. Quæ præsentientes pestiferi memorati, cum ad sinum piæ matris redire saltem Ecclesiastica disciplina coacti humiliter debuissent, salubrem coërtionem, & felicem necessitatem, quæ ad meliora compellit, fugæ præsidio declinarunt: nonnullis etiam in locis abditis, & latebrosis dictæ insulæ derelectis, qui suis fautoribus, sub quorum defensione consistunt, pro mercede iniqui fauoris, peruersi dogmatis venena rependunt. Alij verò per loca infidelium discurrentes, mare & aridam circuire feruntur, vt vnum saltem faciant proselitum simul cum illis gehennæ ignibus applicandum, ij sunt quos Doctor gentium cauere vitandos admonoit, dicens: Nemo vos seducat, volens in humilitate & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei. Ij sunt diffidẽtiæ filij, nubes sine aqua, quæ ventis circumferuntur, sydera errantia, quibus procella tenebrarum reseruata est, qui iuxta Psalmistæ vaticinium: Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, errauerunt ab vtero; à veritate scilicet Sanctæ Matris Ecclesiæ recedendo, locuti sunt falsa, vanos & varios errorum tribulos per diuersas Religiones præsumptione damnabili seminando.

Hic idco Pont. mãdat eos vt apostatas & schismaticos vbique capi.

§. 28. Quamobrem zelus fidei, feruor compassionis animarum, excitare debet corda omnium qui Christi nomine gloriantur, & ipsos Sanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ finibus continentur, vt contra istorum insaniam quasi contra publicam pestem valenter exurgant, nec eos in locis, vbi Christianæ Religionis viget auctoritas, patiantur pacifice viuere, quos aduersus matrem & dominam suam, sanctam scilicet Romanam Ecclesiam, rebellionis suæ calcibus & errorum blasphemiis conspiciunt insanire. Frustra enim vtuntur nomine Christiano, qui talibus impietatibus non resistunt, & consequens est, vt possint hæc credere qui possunt talia patienter audire. Tantas igitur & tam graues insolentias, errores pestiferos, detestabiles blasphemias in Creatoris iniuriam, populi Christiani perniciem, & nefariæ operationis exemplum per patientiam imo vecordiam tolerare nolentes, vniuersitatem vestram monemus sedule, hortamur attente per Apostolica vobis scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus præfato Henrico de Ceua, aliisque pseudofratribus qui ad memoratam Siciliæ insulam hactenus confugeruot, nullum deris, vel dari quantum in vobis est permittatis in præmissis consilium, auxilium, vel fauorem: quin potius ipsos velut apostatas excommunicatos, ipsius Ecclesiæ Romanæ rebelles schismaticos, & peruersi dogmatis assertores, lupos graues gregi Dominico non parcentes, à vestris finibus arceatis, capientes ipsos, vel capi facientes, & captos tradentes Rectoribus sæpe nominati Ordinis fratrum Minorum, cum ab ipsis vel eorum Vicariis, Procuratoribus, seu Nuntiis fueritis requisiti, per eos iuxta ipsorum demerita castigatione debita puniendos; dignum est enim vt apud illos patratorum scelerum pœnas soluant, qui ipsorum lubricos calles & tortuosas semitas per patientiam longi temporis exploratius cognouerunt, à quorum sacro coosortio per apostasiæ vitium recedentes, omni pudore calcato non sunt confusi sanctam Religionem, quæ ipsos in sinu suo fouerat pietate materna, damnis afficere, maledictis pungere, conuitiis lacerare.

Omniaque ab eis gesta irrita pronunciat.

§. 29. Proinde, quia ea, quæ contra Ius & fas atque ordinariam potestatem temeritas humana præsumit, in pœnã perturbari Ordinis quanto citius debent iuris auctoritate & Apostolica potestate conuelli: Nos quicquid in memoratis prouincia Thusciæ, insula Siciliæ, & vbicumque locorum per sæpe dictos Fratres, in personarum ad dictam sectam receptione in Generalis Ministri, & Prouincialium, Ministrorum, Custodum, Guardianorum electione (si tamen electio dici possit) & in quibuslibet aliis communiter vel diuisim, sub Religionis, Conuentus, Congregationis nomine vel colore, attentatum extitit, vel existit, nullius fuisse, vel esse roboris, nullius extitisse, vel existere decernimus firmitatis, vnde ipsa cassa, irrita, & nulla censemus, & nihilominus quatenus de facto processerat, auctoritate Apostolica reuocamus.

De fide etiam examinari & culpabiles puniri iubet.

§. 30. Cæterum, quia verendum est, ne ij præsertim qui per professionem licet fantasticam, ad prædictorum infame consortium transierunt, errores sapiant, & alios pestifera contagione corrumpant, omnes & singulos per eos ad suam sanctam receptos, maximeque professores ad vestram præsentiam per censuram Ecclesiasticam euocate, examinate de fide, de prædictorum erroribus, per vos vel alium seu alios caute diligenter perquirite sine strepitu & figura iudicij, & de ipsorum complicibus atque fautoribus indagare, & si opus fuerit ipsos capi & detineri curate: & si quos inueneritis culpabiles, secundum canonicas sanctiones pœna debita punire curate; Inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Contradictores & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendo. Testes autem quos ad præmissa videritis euocandos, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritatis testimonium perhibere.

Indicibusque contra eos facultatem procedendi concedit.

§. 31. Volumus insuper & Apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat negotium, seu articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonice impeditus, quodque à data præsentium sit vobis & vnicuique vestrum in præmissis omnibus & eorum singulis, etiam non cœptis præsentibus & futuris, perpetua potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis etiam non cœptis præsentibus & cuiuslibet vestrum in prædictis omnibus & singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitisset.

Contrariis derogat.

§. 32. Non obstantibus de duabus dietis edita in Concilio generali, & fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, per quas tam iudices, quam conseruatores à Sede deputati prædicta, extra ciuitates diœc. in quibus deputati fuerint, procedere, & vices suas committere, aut aliquos vltra vnam dietam à finibus suæ diœc. trahere prohibẽtur, & aliis contrariis constitutionibus quibuscumque, seu aliquibus sit indultum à Sede prædicta, qood excommunicari, suspendi, vel interdici, aut extra certa loca trahi, vel ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas non facientes expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis & locis, nominibus propriis, vel ordinibus mentionem, siue alia indulgentia dictæ Sedis generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam vestræ iurisdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Datum Auenione x. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri Anno secundo. *D. P. A. 4. die 23. Ian.*

Commonitio ad Eduardum II. Regem Angliæ, vt corrigat grauamina Populis Hyberniæ illata, contra formam concessionis habitæ à Sede Apostolica. VI.

Henricus VIII. Rex, & Elisabeth eius filia Regina Angliæ, à Catholica fide deuiarunt, & excommunicati fuerunt à Paulo III. inf. in const. 7. Eius qui, & à Pio V. in const. 101. Regnans, lib. 2.

Edita An. D. .....

***IOANNES EPISCOPVS**, Seruus Seruorum Dei, Christianissimo filio Eduardo Regi Angliæ, Illustri, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Reges Angliæ populos Hyberniæ grauarunt contra formam concessionis Sed. Apost.

PAternum amorem ad tuæ celsitudinis incrementa, fili charissime, gerimus, dum de te ad ea, quæ iusto placent iudici, tui Regni, Terrarum, & subditorum tuorum sint opportuna quieti, & famæ tuæ pariter & honori prospiciant, sollicitis hortationibus inuitamus. Propter quod in iis persuasiones nostras deuota debes mente suscipere, & ad executionem illarum te paratum & flexibilem exhibere. Ecce, fili, quasdam recepimus literas directas pridem per Hybernicos Magnates, & Populum, dilectis filiis nostris Anselmo tit. SS. Marcellini & Petri Presbytero, & Lucæ sanctæ Mariæ in Via lata Diacono, Cardinalibus, Apostolicæ Sedis Nuntiis, & per eos nobis suis interclusas literis destinatas; in quarum serie vidimus inter cætera contineri, quod, cum fel. rec. Adrianus prædecessor noster, sub certis modo & forma distinctis apertius in Apostolicis literis inde factis, claræ mem. Henrico Regi Angliæ, progenitori tuo, dominium Hyberniæ concessisset, ipse Rex, ac successores ipsius Reges Angliæ, vsque ad hæc tempora modum & formam huiusmodi non seruantes, quinimo eos transgredientes indebitè, afflictionibus & grauaminibus inauditis importabilium seruitutum ipsos diutius oppresserunt. Nec fuit hactenus qui reuocaret illata grauamina, aut errata corrigeret: non fuit quem pia compassio super eorum contritione moueret, quamuis super his ad te recursus habitus fuerit, & clamor validus oppressorum aures tuas quandoque pulsarit.

Propterea subditi perturbati & commoti de Regno mouere agebant.

§. 1. Vnde talia ferre nequeuntes vlterius, coacti sunt se à Dominio tuo subducere, & alium in suum regimen aduocare. Hæc, dilectissime fili, si veritate nitantur, tanto nimirum infestiora nostris accedunt effectibus; quanto desideramus intensius, vt ibi prospera cuncta cedant. Circa illa versari sedulo debes, eaque promptis affectibus exequi, quæ tuo sint placita Creatori: & ab omnibus abstinere sollicite, per quæ contra te debeat prouocari Deus ipse, ac Dominus vltionum, qui gemitus afflictorum iniuste, minime despicit, & qui propter iniustitias peculiare suum deiecisse describitur populum, & translationem fecisse regnorum. Quanto etiam desiderabilius, his præsertim impacatis temporibus, cupimus te illis libenter intendere, per quæ tuorum corda fidelium ad tuam beneuolentiam & obedientiam debeant allici, & illa prorsus vitare, quibus valeant à tuæ cultu deuotionis auelli.

His ideo Pöt. monet Regem ad tollendum grauamina pro quiete Regni sui.

§. 2. Quia itaque, fili, tua non modicum interest, huius nouæ mutationis vitare dispendium, quamplurimum expedit, vt hæc non negligantur turbationis initia: ne illis periculose crescentibus sero medicinæ remedia præparentur. Excellentiam regiam sollicitamus attente, præsentibus hoc nihilominus suadentes, quatenus hæc prudenti meditatione considerans, & cum tuo discreto consilio conferens super illis, circa præmissorum grauaminum correctionem, ac reformationem debitam, & festinam, viis & modis decentibus, sic sufficienter prouideri mandes, & facias, sic discriminosis principiis in hac parte obstare procures, quod & illi per quem regnas, placere valeas, & te in iis efficaciter implente quod debes, cuiusuis aduersum te iustæ querelæ materia conquiescat, per quod iidem Hybernici saniori ducti consilio, tibi, vt Domino, pareant, aut si, (quod absit) in cœpta rebellione manere voluerint, causam suam in apertam iniustitiam, te apud Deum, & homines excusato, conuertant. Vt autem de prædictis grauaminibus & querelis, quibus prædicti innituntur Hybernici, tuis sensibus innotescant ad plenum, præscriptas literas missas Cardinalibus antedictis, cum forma literarum quas prædictus Adrianus prædecessor noster eidem Henrico Regi Angliæ de terra Hyberniæ concessit, tuæ magnitudini mittimus inclusas.

Datum, &c.

Dat. P. An. .....

Quod Hospitali & Religionis Militum S. Ioãnis Hierosolymitani, habẽti Annalia beneficiorum vacantium, accrescant fructus, quos illa obtinentes & nõ residẽtes percipere possẽt. V.

Ad hoc vide infra constitut. Pij IV. num. 29. Roman. lib. 2. vbi notabo de tota materia.

Vide etiam quæ addidi sup. ad Anastas. 4. constit. 2. Christianæ.

Edita An. D. 1318.

***IOANNES PAPA XXII.** Magistro & Fratribus Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani.*

His Pont. decreuerat quod habentes Annalia in Ecclesiis de ipsorum beneficiorũ fructib. primi, vel alterius anni percipere possent, & quid obtinentib. beneficia remaneret in cap. Susceptis, 2. de Elect.

§. 1. EXhibita nobis ex parte vestra petitio continebat, quod dudum post constitutionem per nos editam, qua specialiter & expresse cauetur, quod habentes Annalia in Ecclesiis, de consuetudine priuilegio vel statuto, qui ratione dictorum annalium fructus primi vel secundi, vel alterius cuiuscumque sequentis anni beneficiorum vacantium vbi hactenus in totum vendicauerant, nihil exinde vltra summam, pro qua vnumquodque beneficiorum ipsorum consueuit in decimæ solutione taxari, prætextu cuiusuis priuilegij, consuetudinis vel statuti, quouis modo perciperent, sed ipsius summæ perceptione dumtaxat deberent esse contenti, totali residuo prædicta obtinentibus beneficia remansuro, nisi forsan illi, qui fructus illos soliti essent cum integritate percipere, mallent ipsum habere residuum, & obtinentibus beneficia dimittere summam memoratam, quo casu percipiendi quod mallent, erat eis optio derelicta.

Et deinde declarauerat, quod si ipsi obtinentes beneficia non residerent, Capitulo nihil accresceret.

§. 2. Quandam aliam declaratoriam constitutionem fecimus, in qua specialiter cauebatur, quod si huiusmodi beneficium obtinentes, in Ecclesia in qua specialiter illud beneficium existeret minime residerent, ad debitum seruitium impendendum, Capitulo eiusdem Ecclesiæ deberet accrescere, cum cessante causa cessare debeat pariter quod vigebat.

Et sic tacite dispensabatur accrescere habẽtib. Annalia.

§. 3. Quodque ex verbis declarationis huius satis innui videbatur, quod fructus beneficiorum non residentium accrescere debeant habentibus annalia memorata.

Et tamen hæc Religio habens Annalia nihil adhuc assequi potuit.

§. 4. Verum ex eo quod in declaratione dicta non continetur expresse de perceptione annalium beneficiorum vacantium vobis debitorum, de prædictis consuetudine, priuilegio vel statuto, quoad fructus non residentium in eisdem, qui vobis accrescere debent, nullum adhuc commodum assequi potueritis, licet, vt præmittitur, dicti fructus Capitulo non accrescant. Quare nobis humiliter supplicastis, vt quod in huiusmodi declaratione nostra tacite innuitur, declarare expressius dignaremur.

His ideo Prædictos fructus eis accrescere declarat.

§. 5. Nos itaque petitionem vestram iuri consonam æstimantes, ac propterea in hac parte quieti & indemnitati vestræ prouidere volentes, præsenti oraculo declaramus, quod fructus prædictæ Ecclesiæ, vel beneficij vacantis, cuius annalia in quibus cõsistunt, debentur vobis ex priuilegio, consuetudine, vel statuto, etiam pro ea parte quæ obtinentibus præbendam, vel beneficium, huiusmodi (si in Ecclesia, vbi illa consistũt personalem residentiam facerent) deberetur, si non resideant ibidem vere, vel interpretatiue, vtpote per speciale priuilegium Apostolicum, vel alias ex causa rationabili ab huiusmodi residentia legitime excusentur, cum dicta pars (vt præmittitur) Capitulo non accrescat, vobis, accrescere debet secundum intentionem & mentem declaratoriæ memoratæ. Nulli ergo, &c.

Datum Auenione, Kalendas Martij, Pontificatus nostri Anno secundo.

D. P. A. 2. die 1. Mart.

De

VI. De Lectorum ad Studium Perusinum admissione, & Scholarium promotione ad Doctoratum.

Hoc Studium erexit Clemens V. vt sup. in eius const. 2. vbi hanc tibi constitutionem non indicaui, cum vix modo habere potuerim.

Edita An. D. 1318. *IOANNES EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. INter cæteras curas, quas nobis ex iniuncti diuinitus Apostolatus officio imminere conspicimus, & desideria cuncta, in quibus iugi meditatione versemur, ad illa præcipuè affectus noster dirigitur, nostræque mentis intentio ardentius incitatur, vt Catholicæ fidei professores, quos veræ fidei verum lumen illuminat, gloriosa literarum scientia imbuantur, & efficiantur laudabilis sapientiæ studiis eruditi. Huiusmodi enim donum inpretiabile pretio nullo conceditur, sed diuinitus animabus beneuolis indulgetur. Huiusmodi desiderabilis est, & gloriosa possessio, per quam pelluntur ignorantiæ tenebræ, ac erroris funditus eliminata caligine, studentium commendanda solertia, suos actus & opera disponit & ordinat in lumine veritatis. Ob hoc igitur magno (nec mirum) desiderio ducimur, vt literarum studia, in quibus margarita scientiæ reperitur, laudanda vbilibet incrementa suscipiant, & propensius inualescant, in illis præsertim locis, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina, & germina salutaria producenda, idonea & commoda dignoscantur.

Clem. V. erexit Studiū generale in Ciuitate Perusina vt in eius const. cit. in rub. §. 1. Cum igitur fel. rec. Clemens Papa V. prædecessor noster, attendens fidei puritatem & deuotionem eximiam quam Ciuitas Perusina Ecclesiæ Romanæ immediate subiecta, ab olim ad ipsam Ecclesiam successione temporum de bono in melius studuerat augmentare, dignum duxit & æquitati consonum existimauit, vt Ciuitatem eandem, quam diuina gratia, multarum prærogatiua bonitatum & fœcunditate virtutum gratiosè dotauit, scientiarum etiam muneribus ampliaret, & vt fauente Deo ex Ciuitate producerentur viri scientia pollentes, auctoritate Apostolica statuit, vt in Ciuitate prædicta esset studium generale, illudque vigeret ibidem perpetuis futuris temporibus in qualibet facultate, prout in Apost. literis prædecessoris eiusdem exinde confectis plenius dicitur contineri.

Hic modo Pōt. de d. Studio alia deponit, videlicet. §. 2. Nos igitur Ciuitatem eandem propter suæ deuotionis insignia, quibus se Apostolicæ Sedis gratia dignam reddit, vberioris dono gratiæ prosequi cupientes, eorum supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica de Fratrum nostrorum consilio.

§. 3 Venerabili fratri nostro Episcopo Perusino & successoribus eius Episcopis Perusinis qui erunt pro tempore, impertiendi personis ad hoc idoneis docendi licentiam infrascriptum modum liberam concedimus facultatem, auctoritate prædicta tenore præsentium statuentes; Vt si qui processu temporis fuerint qui sibi in eodem Studio docendi licentiam, vt alios erudire valeant petierint impertiri, in Iure canonico, & ciuili examinari possint ibidem, & in eisdem facultatibus duntaxat titulo Magisterij decorari.

Examinandi que eisdem. §. 4. Et vt quoties aliqui fuerint promouendi, præsententur eidem Episcopo qui pro tempore fuerit, vel ei quem ad hoc dictus Episcopus duxerit deputandum, qui Magistris facultatis in qua examinatio fuerit facienda, tam Regentibus, quam non Regentibus quinque vel quatuor ad minus in eodem Studio præsentibus conuocatis, eos gratis difficultate quacumque sublata, in dictorum Magistrorum præsentia, de scientia, facundia, modo legendi, & aliis quæ in promouendis ad Doctoratus sui Magistratus officium requiruntur, examinare studeant diligentius.

Scholares promouēdi quib. qualitat. pollere debeant. §. 5. Nullum tamen qui doctorari petierit in Iure ciuili ad huiusmodi examinationem admittat, nisi qui ad minus sex annis ciuilia Iura audierit, & duobus saltem ex eis illa in aliquo Studio generali hac Institutionum, vel duos Digestorum vel Codicis libros publicè legerit in eadem. Vno eorum saltem perlecto in Perusino Studio, in quo fuerit doctorandus. Nullum etiam qui doctorari petierit in Iure Canonico, ad huiusmodi examinationem recipiant, nisi quinque annis canonica Iura audierit, ex quibus saltem duobus illa similiter in eodem Studio generali, ac duos vel vnum Decretalium librum publicè legerit in Perusio, in quo fuerit magistrandus. In prædictorum verò duorum annorum numero, tam in Iure canonico, quam in ciuili illud tempus quod huiusmodi doctorandi extraordinariè publicè aliis legendo, illosque docendo, publicè etiam non audiendo expenderint in aliquo Studio generali, volumus computari, & proinde haberi ac si per illud audiendo dictorum Iurium generali Studio instituissent, & illos quos idoneos repererint, petito secrete Magistrorum eorumque consilio, quod vtique consilium fideliter teneantur impendere, quod etiam in ipsorum consulentium dispendium vel iacturam reuelari quomodolibet districtius prohibemus, approbent & admittant, eisque petitam licentiam largiantur. Alios minus idoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratia, odio vel fauore.

Approbati ad legendū vbilibet publicè legendi facultatem habeāt. §. 6. Illi autem qui in Ciuitate præfata examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, vt est dictum, ex tunc absque examinatione vel approbatione alia, legendi & docendi vbique plenam habeant facultatem, nec à quoque valeant prohiberi.

Episcopus cū iuramēto examinationibus interesse debet. §. 7. Verum vt ritè in præfatis examinationibus procedatur, præcipimus vt dictus Episcopus, præpositis tantum, sed non tactis Euangeliis, iuret fideliter se personis quæ per examinationem huiusmodi repertæ fuerint idoneæ, huiusmodi licentiam impertiri, & quod personaliter non per Vicarium vel substitutum examinationi huiusmodi debeat interesse, nisi esset ex aliqua rationabili causa adeo impeditus, quod suam non posset examinationi prædictæ personalem præsentiam exhibere, in quo casu, eidem Episcopo interessendi examinationi huiusmodi per Vicarium vel alium ad hoc idoneum substitutum, tenore præsentium indulgemus. Et quod nemini huiusmodi impertiatur licentiam, nisi ei quem omnis vel maior pars Doctorum qui huiusmodi examinationi interfuerint, approbabunt.

Lectores qui examinationi interfuturi iuramentum præstare tenentur. §. 8. Magistri quoque in dicta Ciuitate præsentes siue actu legant siue non, qui ad examinationem huiusmodi fuerint conuocandi, semel præstent publicè Iuramentum, quod isti vocati ad easdem examinationes venient? nisi fuerint legitimè impediti, & gratis dabunt examinationis fidele consilium, qui de huiusmodi examinatis vel vt digni approbari debeant, aut minus digni merito reprobari, Qui verò iuramentum huiusmodi præstare noluerit, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem nullatenus admittatur.

Examinis forma in promouendis Scholaribus. §. 9. Modus autem suprascriptus in huiusmodi examinatione seruetur, nam licentiando in Iure canonico assignentur puncta de mane, videlicet vnum Decretum, & vnica Decretalia; licentiando etiam in Iure ciuili, puncta hora prædicta similiter assignentur. Videlicet vna lex in Digesto veteri, & altera in Codice per Doctores super quibus dicti licentiandi examen fuerint subituri. Idem verò Doctores ad mandatum eiusdem Episcopi, circa Vesperas hora debita super prædictis punctis, subiicient licentiandum examini, & tam circa examen huiusmodi quod fiet in secreto, quam circa examinationem publicam, cætera obseruent quæ in similib. consueuere in Bononiensi Studio obseruari. Nulli ergo, &c.

Dat. Auenione, Kal. Augusti, Pont. nostri Anno 2. *D. P. A. die 1. Aug.*

VII. Canonizatio S. Thomæ Episcopi Herfordiensis in Anglia, eiusque relatio in numerum SS. Confessorum, cum suæ festiuitatis institutione pro die 2. mensis Octobris.

Edita An. D. 1340. *IOANNES PAPA XXII. Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. VNigenitus filius splendor gloriæ ac figura substantiæ Patris, qui pro lapsi medela hominis exinaniens

semetipsum, factus in vtero Virginis Verbum caro, de horto militantis Ecclesiæ, modo rosas coloris ignei, nunc lilia candoris niuei, nunc violas odoris placidi, colligere, suisque, offerre aspectibus non desistit, in hodiernis temporibus aduesperascente die Mundi huius habilis termino propinquante, de radice matris Ecclesiæ florem fecit ascendere, ex Iacob nostro oriri iussit stellam splendidam matutinam.

S. Thom. Episcop. Herford. in Anglia à Deo datur.

§. 1. Ecce namque quòd qui sedens in throno omnia facit noua, noui Confessoris, Beati videlicet Thomæ Herfordiensis quondam Episcopi, noua magnalia Mundo prodit, eius fama offert magnifice, vitam offert imitandam à cunctis, vt regulam fulgidam & exemplar.

De cuius merito cælum & terra lætantur.

§. 2. Lætentur igitur cæli sursum, qui hunc sanctum gloriosum in se susceperunt, & exultet terra deorsum, quæ superius transmittit Præsulem tam mirandum. Plaudant ob hoc cœtus Angelici, & canoro iubilo Deum laudent. Huic occurrant cœlestes cunei. Hunc collaudent festiuè cœli ciues. Collætetur immensè Christi sponsa mater Ecclesia tantæ prolis claritate fœcunda, quæ terram defesens, & terrena, cœlestis imperij admirabilis, ipse ineffabili throno gaudet.

Qui charitate, iustitia, temperantia & fortitudine resplenduit.

§. 3. Vt autem lucerna splendidæ vitæ suæ posita super candelabrum domus Dei non lateat, sed pateat cunctis fidelibus, vt cœlestis & perpetuæ vitæ norma, de suis fœlicibus motibus & actibus, aliqua de multis ad vtilitatem audientium referamus Ipse namque, quem fides firmum, spes erectum, Dei, & proximi abundans charitas fecit latum, circumspectum prudentia, temperantia in omnibus ordinatum, innoxium cunctis iustitia, audacem & strenuum fortitudo, virtutum omnium aromatibus redolebat, velut plena diuinorum charismatum apotheca.

Anglicus natione Angelicus vita fuit, nobilisque & honestate ac literarum studijs præclarus.

§. 4. Sanè beatus hic Thomas natione Anglicus, Angelicus homo, ipse de parentibus nobilibus & Catholicis originem suam trahens, ab ætate primæua morum honestate præclarus, studiis literarum sic se dedicauit totaliter, sic in ipsis sollicite studuit & profecit, quod tam in humanis scientiis, quam etiam in diuina, honorem magisterij est adeptus; postque doctrinæ suæ radios longe lateque diffundens, quamplures ad iustitiam erudiuit, velut luminare in mundo præfulgidum continens verbum vitæ.

Vigilijs, abstinentijs, & carnis maceratione studuit, & mulierum consortia euitauit.

§. 5. Ne autem terrenæ carnis inhabitatio, deprimeret secum sensum cœlestia cogitantem, ipsam, vt seruiret spiritui, vigiliis & abstinentiis, necnon pungenti cilicio, sed & cibi & potus parsimonia continua macerabat, abstinens à vino sæpius, sciens, quod in ipso lubricum later carnis. Sciens etiam quod Deus se promittit in obiectum, & præmium mundis corde, à iuuentute sua castitatis pulchritudinem adamauit. Propterea que mulierum consortia, quæ pretiosam viri animam rapiunt, ac ipsarum blanda colloquia prudentissime deuitabat; nouerat namque quod propter mulieris speciem à qua factum est peccati initium, multi perierunt.

Mansuetudine benignitate, misericordia, & alijs virtutibus eminuit.

§. 6. Iste Sanctus, etiam vt alter Iob, simplex, rectus, ac timens Deum, à Christo didicit esse mansuetum, mitem corde, humilem, & benignum, misericordia nihilominus, quæ ab infantia secum creuit, erga pauperes & afflictos suæ pietatis viscera sic affecit, quod ipse verus pauper spiritu, diues rebus illos largis sustentabat eleemosynis, istos vero crebris consolationibus refouebat; cum Apostolo namque Paulo infirmabatur cum infirmantibus, & cum patientibus scandalum, vrebatur.

Episcopatum præclare administrauit.

§. 7. Hic demum Sanctus de innocente agno factus in Herfordiensi Ecclesia bonus pastor se ipso in mente maior effectus est, studens semper de virtute progredi in virtutem, quo in tempore in Dei templo, in virtutum culmine positus sic effulsit, quod merito gemma Præsulum diei posset.

Orationi assidue incumbebat.

§. 8. Orationi verò insistebat assiduè, ac sui feruorem spiritus demonstrabant in orationibus & celebratione Missæ abundanter ex oculis lachrymæ defluentes.

Oues suas velut pastor & Episc. verbo & exemplo nutriuit.

§. 9. Commissas verò sibi oues perducebat ad pascua, & à lupis protectas rapacibus, pastasque verbo & exemplo patiret ad Christi causas sedule traducebat.

Sua Ecclesia iura & gregé

§. 10. Iura verò suæ Ecclesiæ defensabat, indutus iustitia vt lorica, paratus namque pro sibi commisso grege animam ponere, non timuit in hoc Principem nec magnatem. *vsque ad sanguinem defensauit.*

§. 11. Et quia dignum erat, quod huic tam excellenti merito daretur singulis ad prædictum sepulchrum, infra eiusdem festi octauas, centum dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Dat. Auenione 15. Kalendas Maij, Pontificatus nostri Anno 4. *D. P. A. 4. die 17. April.*

Reuocatio alienationum omnium per Officiales & Rectores Terrarum Sedis Apostolicæ, quomodo de eis factarum. VIII.

Ampliorem prohibitionem alienandi & infeudandi Terras, & Castra Sedis Apostolicæ firmauit Pius V. infra in eius constit. 35. Admonet, vbi ipse concordantias materiæ notabo.

Vide quæ addidi ad Const. 1. Leon. I. Occasio sup.

IOANNES EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Guittoni Episcopo Vrbeuetano patrimonij B. Petri in Thuscia Rectori, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita A. D. 1321.*

Exordium.

INter cætera, quorum nos cura sollicitat, illa præcipuè meditatio mentem nostram occupat, illaque sollicitudo fatigat, vt Ecclesiæ iura non pereant, & si qua sunt forte deperdita, in statum pristinum restaurentur.

Officiales & Barones quædam loca S. R. E. alienarunt. Ad hoc habet inf. Clem. V. 1. const. 3. Etsi solertem.

§. 1. Audiuimus siquidem relatione fideli, quod quidam patrimonij B. Petri in Thuscia, comitatus Sabinæ, Terræ Arnulphorum, & quarumdam aliarum Terrarum, ad nos, & Ecclesiam Romanam spectantium Rectores, & Officiales, qui fuerunt temporibus retroactis, diuersas locationes, alienationes, donationes, & concessiones de Terris, Castris, bonis, iuribus eiusdem Ecclesiæ sub variis formis, modis, & tenoribus fecisse noscuntur, & quasdam minores Terras, ciuitates, Castra, & loca infra Patrimonij Comitatum, & Terrarum Arnulphorum prædicta, & alia infra iurisdictionem ipsius Ecclesiæ Romanæ consistentia maioribus Ciuitatibus, & Comitatibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus, quamuis nullam super hoc potestatem habuerint, de facto in ipsius Ecclesiæ graue præiudicium subiecerunt, & etiam submiserunt, ac se subiicientibus, & submittentibus auctoritatem præstando consenserunt pro eorum libito voluntatis, & aliqua minora Terræ, Ciuitates, & Castra dictis maioribus Ciuitatibus, & Communitatibus, Comitibus, Baronibus, & nobilibus, tam de dictis Terris, quam etiam aliunde voluntariè, & quædam ab ipsis maioribus coactè super violentiam submiserunt.

Hic Pont. eas reuocauit.

§. 2. Nos igitur super his volentes eiusdem Ecclesiæ honori, & indemnitatibus prouidere, locationes, alienationes, donationes, concessiones, subiectiones, & submissiones prædictas, & alias quascumque de bonis, & iuribus prædictæ Romanæ Ecclesiæ, & Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum prædictorum, ac Vniuersitatum eorundem sub quibusvis modis, formis, tenoribus, aut expressionibus verborum factas non obstantibus Apost. Sedis non ex certa scientia factis, & quorumuis aliorum confirmationibus, seu ratificationibus super his sub quacumque forma verborum obtentis, necnon promissionibus, obligationibus, pœnarum adiectionibus, stipulationibus, & renuntiationibus quibuscumque, ac iuramentis super his præstitis ab eisdem, extunc auctoritate Apostolica reuocauimus, cassauimus, annullauimus, irritauimus, vacuauimus, & nullam habere decreuimus roboris firmitatem: Et easdem Terras, Ciuitates, & Castra, bona & iura ad ius, & proprietatem, & dominium eiusdem Ecclesiæ reuocauimus, easdem minores Terras, Ciuitates, Castra, & loca in eo statu in quo erant ante tempus subiectionis, & submissionis huiusmodi reducendo. Decernentes illa prædictis maioribus Ciuitatibus, & Communitatibus, Comitibus, & Baronibus, & Nobilibus, ad seruandum submissionem huiusmodi, vel ad obediendum, seu parendum illis in aliquo præ-

textu

textu submissionis, & subiectionis earundem aliquatenus noo teneri.

Et modo executorem deputat.

§. 3. Quocirca fraterоitati tuæ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel alium, seu alios super præmissis de plano, summarie, sine strepitu, & figurà iudicij te informans, prædictas Terras, Castra, bona, & iura taliter locata, alienata, donata, & concessa, ad manus tuas recipere studeas, & diligenter conseruari procures. Non permittens Terras, Ciuitates, Castra, & loca minora præfata prætextu submissionis, & subiectioois huiusmodi ab aliquibus indebite molestari. Deteotores Terrarum, Castrotum, bonorum, & iurium prædictorum, & contradictores, ac rebelles, impedientes si qui fuerior, necnon & molestatores dictarum minorum Terrarum, Ciuitatum, & Casttorum, ac vniuersitatum per spirituales, & temporales pœnas, appellatione postposita, compescendo.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel diuisim à dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut quibusvis pœnis affici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

D.P.A. 5. die 1. April.

Datum Auenione, Kalendas Aptilis Pont. nostri anno quinto.

IX. De Facultatibus Inquisitorum hæreticæ prauitatis, dandi licentias deferendi arma. Et de qualitatibus familiarium suorum.

Edita An. D. 1325.

IOANNES EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Inquisitoribus hæreticorum prauitatis in Prouincia Lombardiæ, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

EXigit ordinis vestri Religio, & commissi nobis officij mansuetudo requirit, vt sic actus vestros virtute modestiæ componatis, quod nemini esse possint ad scandalum, vel aliquod nocumentum.

Causa const.

§. 1. Accepimus siquidem assertione fideli, quod vos nonnullis prauis & peruersis hominibus qui frequenter ad cædes, & alia nefanda facinora laxant nequiter manus suas, arma per Ciuitatem & districtum Bononiensem portandi, non sine multorum scandalo, licentiam concessistis.

Facultates de quibus in rub.

§. 2. Quare volumus, & discretioni vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus neminem familiarem, nisi eiusdem Ecclesiæ fidelem, ac deuotum, & laudabilis conuersationis, & vitæ, habere quomodolibet præsumatis; nec aliquibus de cætero, extra familiam vestram, quam vobiscum habetis continuè (nisi forsan illis, qui eundo de terra ad terram, vel etiam redeundo vobiscum, & in casibus aliis in quibus vobis pro securitate vestra forsitan expediret) alicui deferendi arma per dictas Ciuitatem & districtum licentiam concedatis, & nihilominus licentiam, quam olim super hoc aliis concessistis, studeatis, remotis occasione & dilatione quibuslibet, reuocare. Vt per hoc nulla possit oriri in eisdem Ciuitate, vel districtu materia scandalum paritura, nec ad nos de cetero super hoc querelæ materia deferatur.

D.P.A. 5. die 2. May.

Dat. Auenione, 6. Non. Maij, Pontificatus nostri Anno quinto.

X. Contra facientes Caualcatas, & incursiones in prouincia Marchiæ, status Ecclesiastici.

Hæc Bulla obseruanda est in toto d. statu, ex declaratione Pauli III. inf. in eius const. 17. Officij. Et in hac materia habes etiam constit. 1. Alex. VI. infra. Inter, & constit. 6. Iul. II. Cum homines. Et pleniorem sanctionem vide in constit. 75. Six. V. Dum pro.

Edita A. D. 1322.

IOANNES EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Exordium.

AD hoc dignoscitur media inter discordes iustitia constituta, vt nemo dicere sibi ius audeat, nemo ipsius iustitiæ transgredi limites inordinata voluntate præsumat: sed quod sibi credit alter aduersus alterum forte competere, coram iudice iustitia mediante prosequatur.

Causa huius constitutionis.

§. 1. Nouimus enim, quod dierum crescente malitia, sit assueta nequitia malorum, mentes hominum deprauare: quod in apertam prosilire violentiam non timentes, sæpius alter insurgit in alterum: & alius quod aduersus alium existimat se fortassis habere, viis pacificis, & iuris ordine prætermissis, violentis conatibus obtinere præsumit. Inter alios vero, qui ad hoc feruenter inducuntur indomita voluntate, nonnulli de nostra Marchiæ Anconæ prouincia ad huiusmodi prosilire conatus per motus effrænos & agiles non verentes, ipsius prouinciæ statum sæpe turbant pacificum, periculis in ea, non absque dispendiis animarum, fidelium stragibus, & bonorum detrimentis, iniuriis, & scandalis suscitatis.

Prohibitio faciendi caualcatas, vel incursus, aut expulsiones.

§. 2. Nos igitur, qui Prouinciam ipsam quadam singulari affectione diligimus, & tanquam recreationis nostræ pomœrium, paternæ benignitatis oculis intuemur, cupientes in illa (turbationibus & scandalis quibuscumque remedij nostri appositione subductis) bonum pacis & concordiæ non lædatur: ac debitum, & congruum reputantes, vt talium sic compescatur audacia, quod à violentiis retrahantur: vniuersis, & singulis tam laicis, quam clericis cuiuscumque status, ordinis, vel dignitatis existant, Comitibus quoque Baronibus, Potestatibus, Capitaneis, & aliis quibuscumque Officialibus, & inferioribus gradibus positis; necnon Communitatibus, ac vniuersitatibus Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & aliorum quorumcumque locorum in prædicta prouincia consistentium, auctoritate præsentium districtius inhibemus, & mandamus expresse, ne ipsorum aliquis contra alium sibi ius dicere, aut guerram, vel exercitum, seu caualcatam (nisi de licentia Rectoris prouinciæ supradictæ) per se, vel alios facere, vel mouere per hostiles incursus, seu violentias occupare, inuadere, vel etiam retinere, seu aliquem de domo propria, seu ciuitate, castro, vel loco expellere, capere, seu tenere, siue ad vindictam, vel vltionem aliquam prosilire quavis causa, vel occasione præsumat; sed quilibet ius suum per viam iustitiæ coram competenti iudice prosequatur.

Pœnarum inflictio contra inobedientes.

§. 3. Nos enim omnes, & singulos tam clericos, quàm laicos contra inhibitionem, & mandatum huiusmodi (postquam illa ad notitiam peruenerint eorundem, vel per eos steterit, quominus potuerit peruenire) facientes, (nisi in casibus à iure permissis) sententiam excommunicationis: & insuper eosdem clericos suspensionis pœnam incurrere, ac prædictorum Castra, Terras, Loca, & Communitates, & vniuersitates prædictorum, si contra huiusmodi inhibitionem, & mandatum nostrum venire præsumpserint, ac dictorum clericorum Ecclesias, (qui facere contra prædicta forsitan attentabunt) interdicto ecclesiastico subiacere volumus ipso facto: omnesque prædictos, & singulos omnibus priuilegiis, indulgentiis, gratiis, libertatibus, & immunitatibus, realibus & personalibus, feudis, locationibus, bonis, iuribus, & honoribus, officiis, & quibuscumque concessionibus, quæ à Romana Ecclesia, & à quibuscumque aliis ecclesiasticis obtinere noscuntur, eo ipso fore priuatos: & nihilominus omnes, & singulos Comites, Barones, Nobiles, Potestates, Capitaneos, Officiales, ac Communitates prædictas mille marcarum argenti, & vnamquamque personarum ipsarum, quæ contra inhibitionem, & mandatum ipsorum facere, vel venire præsumant, ducentorum florenorum auri, quam eo ipso incurrant, pœna mulctamus. Contra clericos prædictos ad priuationem omnium beneficiorum ecclesiasticorum, dignitatum, personatuum, & officiorum cum cura, vel sine cura, quæ forsitan obtinerent, ac reddimus eos inhabiles, & indignos ad ea, & quælibet alia in posterum obtinenda. Nulli ergo omnino, &c.

D.P.A. 6. die 13. Decemb.

Dat. Auenione, 10. Kal. Ianuarij. Pont. nostri Anno 6.

Canonizatio

XI. Canonizatio S. Thomæ de Aquino Ciuitate prouinciæ Campaniæ, profeſſoris Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici eiuſque relatio in numerum Sanctorum Confeſſorum, cum inſtitutione ſuæ feſtiuitatis pro die 7. Martij.

Hanc feſtiuitatem ſolemniter celebrari iuſſit Pius V. infra in eius conſt. 36. Mirabilis, ibique ipſum inter celebriores Catholicæ Eccleſiæ Doctores adnumerauit.

Edita An. D. 1323.

IOANNES EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus Vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Exordium.

REdemptionem miſit Dominus populo ſuo, cum Dei verbum in virginalis vteri thalamo, Sancti Spiritus cooperatione conceptum, caro factum eſt, & habitauit in nobis, verbo ſuo nos inſtruens, exemplo docens, cæleſtia reſerans, occulta miraculis roborans, ac ſacri eloquij teſtimoniis futura eadem eſſe confirmans, tandem ſe Deo Patri in ara Crucis Hoſtiam acceptabilem offerens, peccata noſtra pio cruore deterſit, deſcendenſque ad inferos, ac die tertia reſurgens à mortuis, & per quadraginta dies apparens diſcipulis, & loquens de Regno Dei, ipſis cernentibus eſt eleuatus in cœlum, & captiuam ducens captiuitatem, dedit dona hominibus, quibus pateſcere cœlum innotuit, reſerata dudum clauſa in ſe credentibus ianua paradiſi. Patet ergo cœlum credentibus, patet humilibus, patet etiam qui honeſtatis, paupertatis, & obedientiæ votis ſe Deo, (à quo ſtulti per inobedientiam diſceſſerunt) voluntaria ſponſione deuouent. Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum propriis ſubactis affectibus, violentia quadam ad ſuperiora conſcendunt.

B. Thom. de Aquino habitum Ordinis Fratrum Prædicatorũ pubes ſuſcepit ad Theologiæ magiſterium poſtea aſcendit, & magiſtralem Cathedram regit maxima cum omni admiratione.

§. 1. Hæc igitur B. Thomas de Aquino, Ordinis Fratrum Prædicatorum ſacræ Theologiæ Doctor, nobilis quidem genere, ſed nobilior conuerſatione, fama clarus, vita clariſſimus, ſedula meditatione reuoluens, & attenta deliberatione diſcernens, dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret, ipſius Ordinis Prędicatorum habitum ſuſcepit, in eo (inuito etiam patre qui eius fœlicibus actibus inuidebat) conſtantius manſit, ac in ipſo tandem regularem profeſſionem emiſit, vbi in breui adeo ſcientia, vita, & moribus profecit, vt ætate adhuc iuuenis, ad Sacerdotium promoueretur, & ad eiuſdem Theologiæ magiſterium, Pariſiis loco vtique celeberrimo aſſumptus, magno inibi ſui, ſuique Ordinis, ac Pariſien. ſtudij fauore, per multorum annorum curricula, cathedram regeret magiſtralem. Quippe cum illi vita exiſtentiam, conuerſatio famam, doctrina pareret opinionem, opera diuulgationem, eademque tam breui confecto tempore, admirationem merito exhiberent: vt illud Pſal. Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra, in eo veriſſime impleretur. Quod vtique thema, idem ſanctus, dum eſſet in ſacra pagina incepturus, aſſumpſit, quodque (vt fertur) reuelatione ſibi poſt ſuam orationem facta didicerat, dum propter iuuentutem ſuam ſe inhabilem ad magiſterium reputans, quid proponeretur in inſtanti principio hæſitaret.

Opera multa in Dei laudẽ & fidei propagationem ſcripſit.

§. 2. Nam & in primitiis ſcientiis, & diuerſis philoſophiæ partibus, vt non eſſet otioſus, ſed operaretur terram, necnon in ſacræ ſcripturæ paginam, tam ſuper nouum, quam vetus teſtamentum ſcripta, plurimaque alia Dei opera in Dei laudem, Fideique dilatationẽ, eruditionemque ſtudentium, clara (cum ſciens eſſet, famoſa, cum cognitus) non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit, Doctrina quippe prudentium facilis, & omnino ſcientia ſignum eſt poſſe docere,

Orationi & ſtudio aſſiduè vacabat.

§. 3. Profecit vtique vir peritus, à terrenorum ambitione ſemotus: & ad cœleſtium aſſecutionem intentus, perfecto vacans ſtudio, intendebat Deo, prætermittebat terrena, vt aſſequeretur æterna, præmittebat diuina, vt roboraretur in ſchola, cum ſingulis diebus, antequam lecturus aſcenderet cathedram, vel diſtraheretur ad alia, Miſſam vnam celebraret, aliam audiret, in quibus & alias in oratione, (cum in illa foret aſſiduus) lachrymarum effuſione mentis ſuæ dulcedinem, deuotionemque Deo, cui nihil eſt abſconditum, reuelabat.

Caſtitate, ſobrietate, humilitate, & aliis virtutibus præfulſit.

§. 4. Cumque caſtitatis nitore candere, parſimonia deuota, cuſtodiebat humilitatem, hanc eandem ſobrietate medica nutriebat, adeo vt multi eum in carne virginitate manſiſſe incorruptum exiſtimarent, Quod eiuſdem ſancti confeſſor Ordinis memorati, qui longo tempore ipſius confeſſionem audierat, publicè (vt ad nos teſtimonio fide digno peruenit) coram omnibus die defunctionis eiuſdem aſſeruit, dicens, Ego confeſſionem generalem iſtius ſancti viri audiui, de quo teſtificor, quia ita inueni eum purum, ſicut puerum quinque annorum, quia nunquam ſuæ carnis ſenſit corruptelam. Qui præterea vir Dei, cibis Religioſorum, veſtimentiſque communibus contentus, conuerſatione mitis, benignitate ſuauis, pietate miſericors, humilitate ſubiectus, cæteraque virtutum varietate redimitus, honorum ſupercilium, mulierumque cautius conſortia ſpernebat, non elatus, non præeminens, nec etiam diſputans, (quod & interdum diſputanti ſolet eſſe commercium) iactator effectus, vt ampulloſis (etiam ſi ſibi eadem iniicerentur ab aliis) in illo paleſtricæ ſyllogizationis exercitio vteretur. Totus igitur Dei famulus diuinis operibus intentus, aut eruditioni qua præcellebat, aut prædicationi qua immotus erat, aut orationi qua deuotus, aut ſcripturæ ſacræ qua profundus, ſedulus vacabat, adeo vt præter naturalis neceſſitatis, aut quietis horas, nullum ſibi aut vix temporis ſpatium relinqueret otioſum.

Mortis ſuæ diem prænouit.

§. 5. Appropinquante autem die qua de hoc ſæculo migraturus eſſet ad Dominum, quaque deuicto triumphatoque mundo, in perpetuas æternitates recipiendus in patria, (nam bonorum laborum glorioſus eſt fructus) cum à fœlicis recordationis Gregorio Papa Decimo prædeceſſore noſtro, ad Lugdunenſe Concilium diceretur eſſe vocatus, de Neapoli veniens, vbi tunc temporis more ſolito famoſe legebat vt Doctor, & per maritimam tranſiens, quod ad Monaſterium Foſſæ nouæ Ordinis Ciſtercien. Terracinen. Diœc. parumper digreſſurus, per dies aliquot antea, ad ipſum vt illuc deferretur, affectuosè depoſtulans, perueniſſet, intrans Monaſterium, plenus Dei ſpiritu, hæc verba, protuliſſe refertur. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Quod verum eſſe euentus edocuit, & ſacri Corporis ſui illic facta tumulatio manifeſtat. Cœpit enim illic in infirmitate grauati eadem, viribus paulatim deſtitui, infirmitatem, tamen ipſam, etſi dierum plurium non impatienter tolerans, ſed æquanimiter, totus vt erat humilis patientia ſupportans, qua ſibimet leniret infirmitatem Deo obedientia placeret, miniſtris de ſe (quod non intendebat) aggeneraret reuerentiam, imitandæ quoque patientiæ exempla præberet, adeo quod eiuſdem Monaſterij Foſſæ nouæ Fratres inibi Deo deuotius famulantes, hæc in ſancto viro Religionis exempla contemplantes, illius tunc infirmantis corpore prompti obſequiis mancipati; quem vtique tanta refertum patientia fore cernebant, ſinguli ligna de ſylua, ſinguli quæque illi opportuna voluntariè, propriis humeris deferebant, non æſtimantes fore conueniens, vt brutorum animalium humeri, in portandis eidem rebus accommodis præſtarent obſequia, qui tantarum virtutum prærogatiua pollebat.

Sacramentũ infirmus ſumẽs, & cuncta quæ de eo ſcripſit, correctioni S. R. E. ſubmiſit.

§. 6. Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit, Sanctiſſimi Dei, & Domini noſtri IESV CHRISTI Corpus, in cibum ſumendum ſibi vt viaticum deferretur, totus profuſus in lachrymas, & dulci amore eiuſdem anima aſſueta dulcedine Dei, liquefacta, inter cætera multa, & decora quæ protulit; hæc, vel ſimilia, fidei & deuotionis verba, toto illius Monaſterij Conuentu, multiſque dictorum Prædicatorum, & Minorum Ordinum aſſiſtentibus Fratribus, eructaſſe refertur. Ego de iſto Sanctiſſimo Corpore Domini noſtri IESV CHRISTI, & aliis

Sacra

Sacramentis multa docui, multa ſcripſi in Fide IESV CHRISTI, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cuius correctioni cuncta ſubiicio, cuncta ſuppono.

Et & alijs Sacramentis receptis, tertio poſtea die obdormiuit in Domino.

§. 7. Recepto deinde ab ipſo eodem viuifico Sacramento, cunctiſque aliis Sacramentis Eccleſiæ, debita veneratione cum lachrymarum effuſione ſuſceptis, tertio die obdormiuit in Domino, cui credidit, quem amauit, & tota mentis affectione dilexit. Fidelis ſeruus & prudens, non pertinax, non proprio ſenſui, aut prudentiæ innitens, & nulla de ſe ſcientiæ ſuæ opinione ſuperbus, nam qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria. Vnde ſapienter Doctor idem atque humiliter (vt præfati ſumus) omnem ſuam verbo, vel ſcripto doctrinam ad eiuſdem Eccleſiæ fidei normam fideli deuotione reduxit: quam Petri ore diffuſam ſtabilem nouerat, & nullis concuſſionum flatibus agitandam; cum poſt veram Deitatis CHRISTI recognitionem qua reſpondit, Tu es CHRISTVS Filius Dei viui, ab ipſo audire meruit, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & alibi. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; Dumque pro Petro CHRISTVS rogat, pro eius Eccleſia intercedit.

Miraculis etiam claruit.

§. 8. Verum quia dignum erat & conſonum, vt quem Deus viuentem in hoc ſæculo tantis ſuis donis, gratiiſque perfecerat, aſſumptum in Cælis ſanctificatum fore hominibus declararet, multis eundem virum Dei poſt ipſius de hac vita tranſitum (licet & antea nonnulla feciſſe memoretur) magniſque fecit clarere miraculis multis clariſque ſignis glorioſius coruſcare, vt illud Pſalmi merito de ipſo dicamus. Scitote quia mirificauit Dominus Sanctum ſuum, ſicque vita eius atteſtaretur miracula, vitæ teſtimonium perhiberent. De quibus pauca de multis in Dei laudem, & Sancti huius commendationem, & ædificationem fidelium, idoneis approbata teſtibus, præſentibus ſubnectemus.

Odoris fragrantia ab eius ſepulchro manant, ſua carnis munditia orationis odoramentum famaque & virtutum diffuſionem ſignificanit.

§. 9. Poſt ſeptimum namque menſem, vel circa, à die obitus ipſius S. Thomæ de Aquino, cum Corpus eius, quod in Capella S. Stephani dicti Monaſterij, per idem tempus ſepultum extiterat, ad ſepulchrum eiuſdem primum, ſcilicet iuxta Altare maius Eccleſiæ Monaſterij antedicti, vnde ad tempus per Monachos eiuſdem Monaſterij, timoris cauſa ſublatum fuerat, ne corpus ipſum omnino de dicto Monaſterio tolleretur, per tranſlationem denuo exhumatum, deferri exinde decreuiſſent, in apertura ipſius ſepulchri, eiuſdem Capellæ S. Stephani, tanta fragrantis odoris ſuauitas emanauit, quod totam Capellam Clauſtrumque ipſius Monaſterij, quod diffuſum eſt, mira eadem ſuauitate repleuit, quæ de ipſius corpore, (prout ex ſollicita, curioſaque Monachorum indagine eſt repertum) mirifice fundebatur. Propter quod maiore per Monachos concepta ad ipſum deuotione, totus Conuentus proceſſionaliter (Priore tamen dicti Monaſterij, cum quibuſdam ex Monachis paramentis indutis) Corpus ipſum ad præfatum primum eius ſepulchrum honorificè detulerunt. Hanc ſimilem fragrantiam poſt ſeptem annorum ſpatium, quidam ex teſtibus, quidam verò poſt quatuordecim annorum ſpatium ſenſiſſe ſe referunt, dum corpus ipſum diuerſis ex cauſis per temporum vices ſedulo inſpexiſſent. Quippe odor, carnis eius munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum eius odoramenta repræſentabat, famam quoque eius claram diffuſione virtutum & illarum aromatum non celabat.

Chirurgus ex decennali infirmitate podagra ſanus euaſit.

§. 10. Quidam arte chirurgicus, ſed per decennium infirmitate podagricus; ita quod ire per ſe, vel ambulare nequaquam abſque baculorum ſuſtentatione, aut aliorum ſuffragio poterat, ſe Deo & B. Thomæ deuouens, iuxta eius tumulum incumbens, (oratione facta) ſanus proſiliit, & currens, ac Deum laudans quod meritis eius eſſet tam longè infirmitatis languore curatus.

Alter quaſi mortuus ad eius tumulum portatus, ſtatim fere ſanus ſurrexit.

§. 11. Alter quidam ex horribili quadam viſione, phantaſmatis timiditate percuſſus; pedibus manibuſque contractus fuit, & ore, ac facie diſtortus, ſenſibus carens, & omni virtute deſtitutus, ita quod loqui non poterat, ſed mortuo ſimilis videbatur; adeo vt ignem eius membri admorũ, nullatenus ſẽtiret, portatus ad tumulũ illius, poſt morulã, liber & ſanus omnino à dicto ſepulchro ſurrexit.

Alius ſanctitatem eius deridens ſtatim infirmitate corripitur, & pœnitens poſtea manum S. Thomæ deoſculans ſanitatem recuperauit.

§. 12. Alius dum non deuote de ſancto ſentiret, virtutem Dei in ſancto, in ſe duplicem eſt expertus, infirmitatis dum contemnit, ſanitatis, dum à contemptus culpa diſceſſit. Nam cum ſibi deuotionis cauſa à quodam Capellano plures venerandæ reliquiæ monſtrarentur, ipſe quoque oſtenſor pretioſiores adhuc ſe habere reliquias videlicet manum F. Thomæ de Aquino fateretur, illico hunc deriſorie de his truffantem, cum eas videre non curaret, dicens, Sanctus non eſt: Sed quidam Ordinis Prædicatorum frater, tremor apprehendit: & caput eius ad modum magnæ ciſtæ groſſum, & valde ponderoſum ſibi eſſe videbatur, ſed infirmitate correptus, & pœnitens, ſimulque de ſua incredulitate, dictiſque deplorans, dum veniam à Sacerdote petitam obtinuit reuerenter manum eiuſdem Sancti deoſculans, confeſtim à tremore, & inflatione capitis liberatus euaſit, ſenſitque progredientem, vt retulit, maximum ex dicta manu ſuauitatis odorem. Qui odor cum ipſius curati capitio, perſonæque ex tactu manus eiuſdem per magnum tempus inhæreret, multis eundem poſtmodum percipientibus, ſciſcitantibuſque quid eſſet, hoc ſigno narrare quod acciderat (etſi nolens) miraculum cogebatur.

Notarius quidam amiſſam loquelam recepit.

§. 13. Notarius quidam dum ad menſam ſanus accederet, ſurgens ab illa graui ſquinantiæ infirmitate correptus eſt. Duobus diebus propterea linguam mouere non potuit, & loquelam amiſit. Cumque multa medicorum remedia, ei adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet, non prodeſſent, imo de illo deſperarent: ad ſanctum conceptam deuotionem, vt ad tumulum eius deferretur, quam lingua non valebat, manus ſuæ ſcriptura deprompſit. Verum cum illum repugnante vxore ſua: (quia mulieribus præfati Monaſterij Eccleſiam ingredi non liceret) nequaquam duceretur, ipſe ſic infirmus aduertens intra ſe ipſum, eidem beato viro ſe, vt liberaret affectuoſius commendauit. Cœpit ex tunc linguam ducere, meliorari, & conualere, ac breui temporis interuallo curatus perfecte fuit.

Alter quotidiana febre correptus ſanus factus eſt.

§. 14. Dum alius quidam per ſeptem hebdomadas, & vltra febre quotidiana, malo hepatis, & ſtomachi affligeretur, quadam die veneris, cum peius haberet, auditis quibuſdam miraculis, quæ per virum Dei facta eſſe dicebantur, cum ſe ad ipſum deuotius ſequenti die Sabbati de ſero, vxoris ſuæ ſuaſibus, eaque præſente deuouiſſet: die Dominicæ proximo, in mane ſe à præfatis infirmitatibus plene reperit liberatum.

Mulier ſurda auditum recuperauit.

§. 15. Mulier quædam, cum filium ſuum duorum menſium decumbentem, periclitari non immerito formidaret, pro eo præſertim, quod per menſes quatuor ex ſurditate adeo grauata eſſet, vt decies exclamata vagientem etiam puerum vix audiret, viri ſui inductione, qui mœſtus vna cum illa communis filij periculo condolebat, prædicto viro Dei, vt eam ab eadem infirmitate eriperet, obnoxius deuouit. Emiſſoque voto, cum nocte ſecuta dormiſſet, in craſtino ſe liberatam ſancti meritis reperit, vt optabat.

Puella à ſquinantiæ infirmitate liberata eſt.

§. 16. Puella gutturis ſui fauces ſquinantiæ habens infirmitate conſtrictas in tantum, vt nec quid ſumere ſolidum, aut liquidum valeret, & anhelitus ſibi meatus, vt vix reſpirare poſſet includeretur: dum deuote ſe beato viro à matre perſuaſa commendaret, dictaque foret in craſtinum ad dictum Monaſterium Foſſæ nouæ, ſuperpoſitis gutturi ſuo dicti viri ſancti, reliquiis in quadam capſa delatis, confeſtim melioratam ſe ſenſit, panem comedit, perfectéque ſanata rediit.

Conuerſus Monaſterij Foſſa noua, emiſſo S. Thomæ voto, obdormiuit ſuper eius tumulo, & inde ſanus ſurrexit.

§. 17. Quidam præfati Monaſterij Foſſæ nouæ conuerſus adeo grauem in brachio dextro & ſpatula dolorem patiebatur: vt ipſum brachium, quod per trium menſium cum dimidio ſpatium detulerat ſuſpenſum ad collum, ei eſſet inutile, dolore præſertim vehementer afflictum. Quod cum requiſitum medicorum remedium non haberet. & amplius dolore grauaretur, dum dicto ſancto pro ſua liberatione ſe quodam emiſſo voto commendaſſet, ſeque ſupra eius tumulum poſuiſſet: ibidem obdormiuit, ac excitatus, deinde à quodam dicti Monaſterij Monacho, brachio, quod linteo prius habebat, incumbens, collo adhuc dependenti extractum ab eo reperit, excitatorumque à ſomno more, dum ambas manus capiti

ſuo,

suo, vt ipsum scalperet apposuisset, se liberatum intellexit, ac stantibus, quod notum fuerat miraculum, reuelauit.

Infans ad d. tumulum delatus abiit inde sanus.

§. 18. Infans quidam quatuor annorum tumorem & ruborem in costis, & crure vsque ad pedem patiebatur adeo afflictum: vt nec à matre sua, vel aliis sine læsione & clamore suo aliquatenus tangi potuisset. Mouere se non poterat, per mensem in tanto dolore, & in anxietate fuit, à medicis spes curationis eius sine incisione pueruli non inueniebatur, illaque (si fieret) perpetuo eum in persona futurum impeditum mœstis amaritudine mentibus nuntiabat. Deficiente natura, artisque suffragio non inuento, recursum est ad Deum, qui gloriosus est in Sanctis suis, faciens prodigia. Nam mater infantuli, quæ ipsum diligebat, vt mater, eum B. Thomæ deuotius commendauit, vt à dicta infirmitate sine incisione suis meritis liberaret. Delatus est puer ad Monasterium, positus super tumulum Sancti, post aliquantulam moram, sanus inde surrexit.

Hæc miracula beatitudinem S. Thom. in Cælis præseferunt.

§. 19. Hæc sunt igitur testimonia tua Deus, quæ de hoc viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis. Nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei maius est. Quo animam enim eius possidere iam credimus, intercessorem ipsum expectamus: ac inter Sanctorum agmina, quasi stellam matutinam eum fidimus esse locatum. Vnde fidem tuam in nobis bone IESV nutris, spem erigis, dilectionis charitatem accendis. Lætetur itaque Mater Ecclesia, exultet Italia, parens Campania iocundetur, Prædicatorum sacer Ordo iam iubilet, Religiosorum deuotio congaudeat, Doctorum turba complaudat, animentur ad studia iuuenes, prouecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, prouecti contemplationem non deserant, mandata Dei seduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, & sapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus, stolam gloriæ induit eum. Nam veritas (quæ est CHRISTVS) ipsa veris, non fictis Doctoribus pollicetur, qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Quamuis ipse verus iustitiæ sol, stellarum illustratione non egeat, nec illarum irradiatione, cum illuminentur ab ipso, clarescat. Habitat enim lucem inaccessibilem, qui est splendor gloriæ, figura substantiæ eius, ideirco tenebris non obscuratur, vt deficiat, aut nebulis offuscatur, vt suæ claritatis radios non diffundat.

Ideoque militans Ecclesia in terris eundem sanctum pariter venerari intendit.

§. 20. Cæterum quia rationis ordo depostulat, vt triumphantem in Cælis Ecclesiam deuota in terris militans subsequatur, illum veneratione præcipua recolat, quem in cælestibus agminibus positum, Deum glorificare cognoscitur.

Hic ergo Pôt. præmissa miraculorum & sanctitatis vitæ verificatione SS. Catalogo B. Th. ascribit.

§. 21. Nos de sanctitate vitæ, ac miraculorum veritate, Confessoris eiusdem non semel tantum, sed primo, & secundo, non festine, sed mature inquiri fecimus; & per nos etiam, & Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, inquisitionem huiusmodi, exacta discussione, examinauimus diligenter, vt tanto firmius, quanto maturius, tanto certius, quanto disquisitius inquisitum & examinatum existeret, in sic arduo difficilique negotio procedere valeremus. Difficilia namque æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore, quæ autem in Cælis sunt, quis inuestigabit? Cumque per huiusmodi nostram & eorundem Fratrum nostrorum examinationem sollicitam & sollicitudinem examinatam, vitam eius sanctam, & miracula vera eius meritis facta, probata esse constiterit, & supplicantibus nobis idipsum humiliter, & deuote multis tunc Prælatis apud Sedem Apostolicam existentibus, de dictorum Fratrum nostrorum consilio & assensu, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius ac nostra, eum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.

Eiusque festum die 7. Mart. celebrari iubet.

§. 22. Ideoque Vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus nonis Martij festum Confessoris eiusdem, deuote, ac solemniter celebretis, & faciatis à vestris subditis veneratione debita celebrari, vt pia eius intercessione, & hic à noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Indulg. eius sepulchrū visitantibus elargitur. Alias dedit etiam Pius V. in rub. cit.

§. 23. Vt autem ad venerabile eius sepulchrum ardentius & affluentius Christiani Populi confluat multitudo, ac celebris eiusdem Confessoris colatur festiuitas, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui cum reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei misericordia & eorundem Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies, accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulchrū infra septem dies festum ipsum immediate sequentes centum dies de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus.

Dat. Auenione 15. Kal. Aug. Pont. nostri Anno 7. *D. P. A. 7. die 18. Iul.*

Contra ineuntes fœdera cum hæreticis, aut alio quouis modo eis fauentes. XII.

Pœnas autem contra hos fautores promulgatas, attende inf. in Paul. IV. const. 19. Cum ex Apostolatus, vbi notabo.

IOANNES EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Lamberto de Ordine Fratrum Prædicatorum, Inquisitori hæreticæ prauitatis in inferiori parte Lombardiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1325.*

Causa const.

CVm nonnulli de Prouincia Romandiolæ, tam Clerici, quam Laici, Deum & Romanam matrem Ecclesiam offendere, seque in præcipitium damnationis, & mortis immergere non verentes, adeo fauere & fauisse dicantur damnatis hæreticis, confœderationes, ligas, & societates ineundo cum ipsis, eosque receptando, & sibi præstando multipliciter auxilia, consilia, & fauores, quòd de labe hæresis se reddiderunt & reddunt vehementer suspectos.

Iussio in fautores hæreticorum.

§. 1. Nos tam ipsorum quàm multorum aliorum periculis, præmissis imminentibus obuiare salubriter cupientes: discretioni tuæ Apost. auctorit. mandamus, quatenus contra fautores huiusmodi, & alios quoslibet de crimine prauitatis hæreticæ culpabiles, vel suspectos, sic solerter secundum formam canonum, ac priuilegiorum concessorum inquisitionis officio, procedere non postponas, quod inde debeat tua diligentia merito commendari.

Dat. Auenione 12. Kal. Septemb. Pont. nostri Anno 10. *D. P. An. 10. 21 Aug.*

Contra immolantes dæmonibus, aut responsa & auxilia ab eis postulantes, siue tenentes libros de eiusmodi erroribus tractantes. XIII.

Ad hæc facit constitutio Innocentij VIII. num. 1. Summis.

IOANNES EPISCOPVS, Ad perpetuam rei memoriam.

Quidā Christiani dæmonib. immolant auxilia & responsa postulant.

SVper illius specula, quamuis immeriti, eius fauente clementia, qui primum hominem humani quidem generis protoplasti, terrenis prælatum, diuinis virtutibus adornatum, conformem & consimilem imagini suæ fecit, reuocauit profugum legem dando, ac demum liberauit captiuum, reinuenit perditum, & redemit venditum, merito suæ passionis, vt contemplaremur ex illa super filios hominum, qui Christianæ religionis cultu Deum intelligunt & requirunt: dolenter aduertimus, quod etiam cum nostrorum turbatione viscerum cogitamus, quamplures esse solo nomine Christianos, qui relicto primo veritatis lumine, tanta erroris caligine obnubilantur, quòd cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno; dæmonibus namque immolant; hos adorant; fabricant, ac fabricari procurant imagines; annulum vel speculum,

speculum, vel phialam, vel rem quamcumq; aliam magice ad dæmones inibi alligandos, ab his petunt responsa, ab his recipiunt, & pro implendis prauis suis desideriis auxilia postulant, pro re fœdissima fœdam exhibent seruitutem, (proh dolor) huiusmodi morbus pestifer, nunc per mundum solito amplius conualescens, successiuè grauius inficit CHRISTI gregem.

Hæc ergo Pontifex prohibet.

§. 1. Cum igitur ex debito suscepti pastoralis officij, oues oberrantes per deuia, teneamur ad caulas CHRISTI reducere, & excludere à grege Dominico morbidas, ne alias corrumpant: hoc edicto in perpetuum valituro, de consilio fratrum nostrorum, monemus omnes & singulos renatos fonte baptismatis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione anathematis, præcipientes eisdem, quòd nullus ipsorum, aliquid de peruersis dictis dogmatibus docere ac addiscere audeat: vel, quòd execrabilius est, quomodolibet alio modo, in aliquo illis vti. Et quia dignum est, quòd hi, qui per sua opera peruersa spernunt Altissimum, pœnis suis pro culpis debitis percellantur. *

** al. puniantur.*

Et in contrauenientes excommunicationis sententiam profert.

§. 2. Nos in omnes & singulos, qui contra nostra saluberrima monita & mandata facere de prædictis quicquam præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus, quam ipsos incurrere volumus ipso facto. Statuentes firmiter, quòd præter pœnas prædictas, contra tales, qui admoniti de prædictis, seu prædictorum aliquo infrà octo dies à monitione computandos præfata à præfatis non se correxerint, ad infligendas pœnas omnes & singulas, præter bonorum confiscationem duntaxat, quas de iure merentur hæretici, per suos competentes iudices procedatur.

Librosque de prædictis tractantes comburi mandat.

§. 3. Verum cum sit expediens, quòd ad hæc tam nefanda omnis via, omnisque occasio præcludantur, de dictorum nostrorum fratrum consilio, vniuersis præcipimus & mandamus, quòd nullus eorum libellos, scripturas quascumque ex præfatis damnatis erroribus quicquã continentes, habere, aut tenere, vel in ipsis studere præsumat, quin potius volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ cunctis præcipimus, quòd quicumque de scripturis præfatis, vel libellis quicquam habuerint, infrà octo dierum spatium ab huiusmodi edicti nostri notitia * computandum, totum, & in toto, & in qualibet sui parte abolere, & comburere teneantur: alioquin volumus, quod incurrant sententiam excommunicationis ipso facto, processuri contra contemptores huiusmodi (cum constiterit) ad pœnas alias grauiores.

** al. publicatione.*

Dat. P. A. Datum Auenione, &c.

XIV. Ordinationes obseruandæ ab Auditoribus Rotæ Romanæ, eorumque Notariis.

Multa spectantia ad Rotam, notabo in Pij IV. const. 44. In throno. Et vltra ea Paul. V. Reformationem Rotæ edidit, vt in eius constit. 71. Vniuersi. to. 5. infr. tom. 3. vbi habemus etiam taxam Notariorum d. Rotæ.

Edita An. D. 1326.

IOANNES EPISCOPVS, &c.

Causa huius Reformationis.

RAtio iuris exigit, debitum honestatis exposcit, & pietatis consideratio persuadet, vt in cunctis dirigendis iudiciis, & iustitia ministranda, sint quoad Præsidentes, vigilantia studiosa, venusta modestia, cordium puritas, mundina manuum; & consiliorum sanitas requirendæ. In personis quoque ad conscribendum acta iudicialia deputatis, sufficientia operosa, fidelitas comprobata, vitæ honestas, decentia commendanda, mercedis exactio moderata, benignitas ad pauperes compassiua, sint merito exigendæ. Igitur in Romana Curia communi quidem patria, vbi est summum Tribunal Iudicij diuinitus constitutum, & vbi lux & forma iustitiæ præeminent & prælucent, hæc oportet necessario reperiri. Quare nos, qui, licèt immeriti, sumus B. Petri successores, & vice Christi fungimur super terram, cupientes vt in Apostolico palatio audientiæ causarum, ac in personis ad examinationem & conscriptionem illarum pro tempore ordinatis, habeatur ordinatio limitata, congrua, & salubris circa earundem causarum Auditores, ipsorumque Notarios scribentes in causis, huiusmodi, suadentibus rationabilibus causis, Statuta & ordinamenta, quæ particulariter, & seriatim præsentibus adnotantur, auctoritate Apostolica edimus, & ea præcipimus perpetuò futuris temporibus obseruari.

Auditores deferant Cappam & roquetum.

§. 1. Statuimus igitur, & ordinamus quod Auditores sine cappa & roqueto in loco vbi residet Curia in publico non incedant.

Sint dilig. in causis.

§. 2. Item quod præfati Auditores earundem causarum Palatij, sint in audiendis causis eis commissis, & committendis, fortius solito diligentes.

Quando insimul conuenire debeant.

§. 3. Item quod Auditores prædicti bona hora diebus singulis iuridicis ad Palatium conueniant, & immediate post pulsationem campanæ, quæ pulsatur ad horam Tertiæ in Ecclesia Cathedrali, incipiant sedere ad audiendum causas, & è dicto Palatio non exeant, donec partes satisfecerint suis terminis coram eis.

Festa iam ordinata seruent.

§. 4. Item quod iidem Auditores illa festa duntaxat obseruent, quæ hactenus de mandato nostro per audientiam literarum nostrarum ipsos seruari debere statuta fuisse noscuntur, & quod de cætero alia festa, seu dies alios ex seipsis, vel alias statuere, vel obseruare non præsumant aliquatenus, sed diebus aliis sic paratos se & sollicitos exhibeant in exhibenda iustitia partibus litigatoribus corã ipsis, quod ex hoc merito debeant commẽdari.

Diebus iuridicis, obsequiis Cardinalium non incumbant.

§. 5. Item quòd illi ex eisdem Auditoribus, qui fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium familiares existunt, diebus iuridicis, & horis quibus causæ tractabuntur, Cardin. non sequantur eosdem, nec alibi se occupent, nisi à nobis vel à dictis Cardinalibus, quorum familiares, vt præfertur existunt, specialiter vocarentur.

Vota secreta teneant.

§. 6. Item quod Auditores, per se vel alium, seu alios à partibus coram eis causas habentibus, seu à suis Notariis scribentibus coram ipsis, vel aliis pro eisdem, seu eorum nomine, nihil nec rem, nec obligationem, vel promissionem recipiant, nec etiam pro ipsorum sigillo, aut pro rubricis, in causis in quibus Auditores fuot vel fuerint deputati, vel alio quæsito colore quocumque. Et quod consilia Coadiutorum secrete data, secrete tenere debeant, vsque post sententiam promulgatam, contrarium verò facientes per vnum mensem ab ingressu eiusdem Palatij suspendantur. Si autem iterato in eandem culpam inciderint, priuentur perpetuo eorum officio audientiæ causarum Palatij prælibati.

Iuramentum in admissione ad officium præstent.

§. 7. Item quòd Auditores prædicti, præsentes videlicet statim post publicationem præsentis ordinationis, posteri verò antequam ad officium admittantur, in manibus Vicecancellarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nostro, & ipsius Ecclesiæ nomine Iuramentum præstent in forma, quæ sequitur per hæc verba.

Forma d. iuramenti.

§. 8. Ego N. Auditor ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro S.R.E. & Domino meo D.N. & eiusdem successoribus canonice intrantibus. Non ero in facto, consilio, vel consensu, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione, consilium quod per se, vel alium nuncium suum, seu literas mihi credituri sunt, signo, verbo, vel nutu, me sciente, ad eorum damnum, seu præiudicium nemini pandam, & simpliciter sic sua, quæ secreta esse cognouero, seruabo secrete, quod nulli personæ, de qua credam sibi displicere, si ei reuelarem, ipsa manifestabo scienter. Si damnum eorum tractari scinero, pro posse meo impediam, ne fiat eisdem. Si per me impedire non possem, per nuntium, vel literas eis significare curabo, vel illi per quem citius ad eorum notitiam deducatur. Papatum Romanum, & regalia B. Petri, & omnia iura Romanæ Ecclesiæ, quæ habet, vbicumque manutenebo totis viribus & defendam. Negotia, & officia, mihi à D. Papa, vel Domino S.R.E. Vicecancellario commissa vel committenda, fideliter geram, & sollicite exercebo, & specialiter officium Auditorum, Sacri Palatij, reddendo iustitiam vnicuique. Dona, vel munera, seu xenia, aut obligationem, vel promissionem super illis, per me vel alium, seu alios à partibus coram me causas habentibus, seu earum aliqua, vel à

Notariis deputatis ad scribendum coram me acta dictarum causarum, vel aliis pro eisdem seu eorum nomine, non recipiam, quinimo omnes familiares, & officiales meos omni diligentia, qua potero faciam abstinere. Nec etiam pro sigillo meo, nec pro rubricis faciendis in causis, in quibus sum vel fuero deputatus Auditor, nec alio quæsito colore aliquid percipiam, nec à prædictis meis officialibus, seu familiaribus recipi permittam. Consilia quoque Coauditorum meorum secrete data, secrete tenebo, vsque quo in causa sententia sit prolata. Supradicta omnia, & singula promitto, & iuro attendere, & obseruare sine omni dolo, & fraude, sic me Deus adiuuet, & Sancta Dei Euangelia.

Antiquior Auditor causas proponat, & cæteri sequantur.

§. 9. Statuimus & ordinamus quòd Auditor eiusdem Palatij à tempore suæ receptionis antiquior, primitus incipiat referre suis Coauditoribus: & causas, quas audit, si ad hoc paratus existat, inter eos in relationibus ponat vt est moris. Sicque per consequens alij d. Palatij Auditores successiuè secundum gradum receptionum eorum cuiuslibet similiter referant, & causas quas audiunt in relationibus ponant si ad hoc etiam sint parati. Et quòd postquam vna causa in relationibus huiusmodi posita fuerit, alia ponatur, quousque partes allegauerint quæ voluerint allegare, non tamen Auditores ipsi audire allegationes superfluas adstringantur.

Vota Coauditorum capiat.

§. 10. Item quod nullus Auditorum ipsius palatij aliquam definitiuam sententiam, quæcumque fuerit, seu quamuis interlocutoriam super deuolutionibus causarum in Romana Curia tractandarum, si inter partes de ipsa deuolutione controuersia fuerit, vel super admissione, vel repulsione articulorum, aut super remissione super eisdem articulis, aut aliis probationibus extra curiam faciens, nisi forsan de consensu partium fieret remissio supradicta. Necnon super restitutione, seu reuocatione attentatorum, siue innouatorum, lite, vel appellatione pendente, siue super appellationibus, ab interlocutoria vel à grauamine interpositis, aut aliam quamcumque interlocutoriam super re de qua agitur contra alteram partium finem negotio imponentem, absque relatione publica, & consilio Coauditorum proferat. Super aliis verò interlocutoriis absque publica relatione, cum consilio Coauditorum dictorum, ad eorum prolationem possit procedere, prout hactenus extitit in Palatio laudabiliter obseruatum. Item quod Auditor referens, facta relatione Coauditoribus suis, consilia eorundem diligenter quærat, & eisdem consiliis habitis, dictas causas finire & terminare celeriter teneatur.

Notarios idoneos habeat.

§. 11. Item quòd quilibet dictorum Auditorum notarios intelligentes, fideles, & honestos habeat, ita quòd quatuor Notariorum numerum non excedat. Qui quidem Notarij per se, & non per alios coram Auditoribus ipsis, in causis scribant. Nec dicti Auditores committant scribēdas alicui alteri Notario causas commissas eisdem. Nec aliquis dictorum Auditorum quemquam in Notarium recipiat, qui sit alterius Auditoris Notarius.

Eosdem cogant obseruare taxam.

§. 12. Item quod præfati Auditores prouideant diligenter, quod d. Notarij super ipsorum receptione salarij non excedant, nec aliquid vltra recipiant nisi prout est descriptum, taxatum, & etiam ordinatum. Item quod si aliqui sint vel fuerint qui ob paupertatem nequeāt acta redimere suæ causæ, Auditores suos compellant Notarios scribentes in actis eisdem, ad restituendum gratis huiusmodi actorum copiam parti soluere (vt præmittitur) nequeunti, si Auditori causæ illius paupertas notabilis videatur.

Consilium non præstent in causis in Rota cognoscendis.

§. 13. Item quod nullus eorundem Auditorum in causis, quæ sunt in dicto Palatio, vel in breui sperantur existere, consilium nec per se, nec per interpositam personam partibus præbeat, nec aliquod patrocinium præster, nisi causæ propriæ vel suorum vsque ad tertium gradum consanguinitatis, vel dominorum, aut familiarium suorum, seu Ecclesiarum in quibus beneficiatus foret, existerent. Et in præmissis vltimis casibus ad Coauditorum suorum consilia minimè admittatur, quodque hoc reuelare teneatur, si existeret id occultum. Item quod nullus Auditorum ipsorum causam recipiat audiendam, si committatur eidem, in qua consilium dederit, sed ad Cancellariam ipsam incontinenti remittat alteri committendam.

Consilia à Notario causa scribantur, eorumque & causarum secreta non pandantur.

§. 14. Item quod eorundem Auditorum consilia, quæ præbentur in causis, scribantur per Notarium illius causæ, in qua huiusmodi consilia impenduntur, & secreta causarum & consiliorum eorundem, tam per ipsos Auditores dictarum causarum, quam per Notarium in eis scribentem sub sigillo credentiæ teneantur.

Testes in causis arduis ab Auditoribus examinentur.

§. 15. Item quod quando testes sint vel fuerint in Curia examinandi in causis quæ in Palatio ventilantur, in punctis arduis eosdem testes per se dicti examinent Auditores.

Notarij verò officium fideliter & diligenter exerceant.

§. 16. De supradictis quoque Notariis eorundem Auditorum scribentibus in causis illis commissis, similiter statuendo & ordinando subiungimus, quod diligentes & attenti existant in commisso eis officio Notarij prælibati, ac fideliter & sollicitè scribant, & exerceant officium antedictum, & quod à partibus vel aliquo alio earum nomine nihil recipiant, nisi prout est infra descriptum, taxatum, & etiam ordinatum. Contrarium verò facientes duplum restituere teneantur.

Examinentur Notarij ante admissionem ad officium, & iurent vt sequitur.

§. 17. Item quod nullus eorundem Notariorum in eodem Palatio scribat in causis coram aliquo ipsius Palatij Auditore, nisi primo per Vicecancellarium vel alium de eius speciali mandato, de literatura, ac scriptura sufficienti ad huiusmodi Notariatus officium exercendum examinatus, ac de vita & conuersatione ipsius informatione recepta, necnon approbatus fuerit per eundem, ac etiam iuramentum in manu Vicecancellarij præstiterit in hac forma.

Forma d. iuramenti Notariorum.

§. 18. Ego N. Notarius N. Auditoris, commissum mihi officium sollicite & fideliter exercebo. A partibus causas habentibus vel habituris, in quibus sum vel fuero Notarius deputatus, vel ab earum aliqua, seu à quocumque alio earum nomine quouis colore seu modo quæsito, nihil recipiam, vltra taxationem per Sanctiss. D.N.D. Ioannem XXII. Summum Pontificem super hoc ordinatam. Nullam causam mihi committi procurabo scribendam, nec adhibebo instantiam aliquam in hac parte. Non ero promotor, seu procurator, in causis quæ coram Auditore meo agitantur, seu quas agitari continget. In causis prædictis, in quibus sum vel fuero, vt præfertur, Notarius deputatus, omnes actus iudiciarios substantialiter in manuali seu memoriali, in Auditoris mei præsentia, & etiam partium, si hoc expectare voluerint, conscribam, & postquam illos conscripsero, eos necnon instrumenta, & omnia alia, & singula in causis producta, vbi requisitus ab Auditore vel partibus, seu earum aliqua fuero, in Registrum fideliter redigam, vel redigi faciam requisitus ab eisdem partibus, vel earum aliqua in singulis terminis successiuè, & partibus ipsis copiam cum per Auditorem decreta fuerit, sine difficultate & fraude quacumque faciam, saluo meo salario per ipsum Dominum Summum Pontificem moderato. Secreta causæ, secrete tenebo, & præsertim consilia Auditorum, & sententiam donec ipsa sit prolata. Supradicta omnia, & singula promitto, & iuro attendere & seruare, sine omni dolo & fraude, Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei Euangelia.

Causas non affectent.

§. 19. Item statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus Notariorum ipsorum causam aliquam sibi committi scribendam, per se vel alium procuret, seu adhibeat instantiam in hac parte.

Modesti sint.

§. 20. Item quod dicti Notarij omnem modestiam, & honestatem in omnibus studeant obseruare.

Quisque suo Auditori tātum seruire possit.

§. 21. Quodque nullus eorundem Notariorum, qui per aliquem dictorum Auditorum in Notarium receptus extiterit, alterius Auditoris Notarius esse valeat quamdiu erit primi Auditoris Notarius.

Concubinas non retineāt.

§. 22. Item quod nullus Notariorum ipsorum concubinam tenere præsumat, & si quis eorum ad præsens teneret aliquam, eam dimittere teneatur. Si verò infra octo dies post publicationem statuti, & ordinationis præsentis ipsam non dimiserit, illam vel aliam deinceps minimè resumpturus, & si deinceps ipse vel alij reperti fuerint aliquam tenere, ab officio Notariatus in dicto Palatio exercendo perpetuo sint priuati.

§. 23. Item

In Rota procuratores non sint, &c.

§. 23. Item quod præfati Notarij, promotores seu procuratores in causis quæ coram Auditore suo agitantur, in dicto palatio non existant. Item quod nullus Notarius alicuius Auditoris deinceps audeat scribere vel præsumat in causa, si alterius partium dictæ causæ in audientia literarum contradictarum, vel in Palatio Apostolico, seu in Romana curia procurator vel promotor negotiorum, seu pensionarius quoquomodo fuerit vel existat. Sed si ex ignorantia contingeret Auditorem, aliquam vel aliquas causam seu causas alicui tali Notario committere ad scribendum, statim Notarius huiusmodi causam seu commissionem in manibus dicti Auditoris restituat. Contrarium faciens per annum ab officio Notariatus in palatio exercendo sit eo ipso priuatus.

Quod registra formentur tradita.
Tu attende Paul. V constitutionem, vt in rub.

§. 24. Item præfati Registrum cuiuscumque causæ in qua Notarij deputati existunt, cum manuali suo, & productis originalibus, antequam Registrum Auditori exhibeant, & copias in publicam formam seu in simplicem scripturam redactas, cum eodem Registro antequam partibus tradant diligenter auscultent, & alias sic perfectè videant, & corrigant diligenter, quod per eorum incuriam negligentiam vel alias nihil de substantialibus omittatur, seu damnum aliquod patiatur aliqua partium earundem, nec in fauorem vel præiudicium vnius partium præmissa complete differant vel postponant. Item quod iam dicti Notarij, omnes actus iudiciarios clarè distinctè & substantialiter in manuali seu memoriali, in Auditoris causæ in qua scribunt præsentia, & partium, si expectare voluerint, conscribere non postponant. Et postquam illos conscripserint, in Registrum fideliter redigant vel redigi faciant, & requisiti ab ipsis partibus vel earum aliqua, in singulis terminis, partibus eisdem copiam cum per dictum Auditorem decreta fuerit, sine difficultate & fraude quacumque faciant, saluo suo iusto salario inferius moderato. Item quod iidem Notarij in Registro illius causæ in qua scribunt, vt prædicitur, omnes sententias definitiuas, & interlocutorias, ac inhibitiones, necnon intimationes, appellationes verbo vel in scriptis emissas, ex integro de verbo ad verbum conscribant, cum per partem vel partes seu Auditorem ipsius causæ fuerint requisiti. Item quod instrumenta, & alia per partes producta diligenter registrent, vel registrari faciant Notarij memorati. Acta verò in partibus habita minimè registrent, sed conseruentur per illius causæ Notarium diligenter, nisi partes vel earum altera, illa peterent registrari, pars verò hæc petens de registro satisfacere teneatur. Item quod Notarij quos interdum perpetuo, & interdum ad tempus de Curia absentari contigerit, omnia Registra, acta, & producta causarum in quibus erant Notarij deputati, illi videlicet, qui animo non redeundi recedunt, alicui alteri Notario idoneo iurato, examinato, & approbato vt supra, subrogando loco ipsius, ille verò qui ad tempus abesse voluerit, vni ex aliis Notariis Auditoris sui, de ipsius Auditoris licentia & scientia, tradere & deponere teneatur. Qui Notarius depositarius, in prædictis eidem se absentanti commissis pro eodem absente scribat fideliter, & suppleat eius vices.

Taxa Notariorum Rotæ circa registra. Attende d. constitutionem Paul. V.

§. 25. Cæterum quia optat præmium quisque labor, & laboranti non est debitæ mercedis exhibitio deneganda, moderamine nihilominus obseruato, ne sanguinem eliciat nimietas emungentis subsequitur per statuta & ordinationes huiusmodi certus modus rationabilis & discretus, per quem prædictis Notariis pro eorum salario moderata satisfactio præbeatur, & litigantes, qui litigiorum inuoluuntur anfractibus, & plerisque fatigantur laboribus diuturnis, superfluis expensarum effusionibus, non grauentur. Quod videlicet prædicti Notarij pro petia registri vnum turonensem argenti cum dimidio, & non plus habeant, & petia 26. lineas ex qualibet parte contineat, & qualibet dictarum linearum habeat quatuordecim dictiones. Item quod pro petia registri redacta in formam publicam, sub receptione vnius turonensis cum dimidio similiter sint contenti.

Copiasque.

§. 26. Item quod pro copia siue copiis, siue in quaterno, siue in petia longis fiant de folio, siue de petia registri vnum tantum similem recipiant turonensem.

Citationis.

§. 27. Item quod pro citatione in audientia publica legenda, vltra medium similem turonensem ipsis recipere licitum non existat.

Inhibitionis.

§. 28. Item quod pro inhibitione, quæ in causis fieri solet, si redigatur in publicum instrumentum sex similes turonenses recipiant & non vltra.

Appellationes Loca restituta à §. 41. vsque ad §. 37.

§. 29. Item pro intimatione, cum in publicum redigatur instrumentum, non amplius quam quatuor similes valeant recipere turonenses.

§. 30. Item pro appellatione si redigatur in publicum instrumentum, de petia registri, duos duntaxat turonenses similes recipere licitum sit eisdem.

Testium depositionem.

§. 31. Item quod de attestationibus testium, quos quisque Notariorum examinauerit præfatorum, de petia registri receptionem duorum turonensium similium non excedat, & de copia ipsarum attestationum, vnum cum dimidio similium turonensium Notarij prædicti de petia eiusdem registri recipiant, si copia ipsa in formam publicam redigatur. Si verò huiusmodi copia in papyro recipiatur, prout supra de aliis copiis est expressum.

Sententiæ deffinitiuæ.

§. 32. Item de sententia definitiua pro qualibet petia registri, possunt duodecim similes recipere turonenses. De instrumento verò publico, cum per se de sententia ipsa confectum extiterit, duodecim similes turonenses pro qualibet registri petia debeantur, & pro copia sententiæ in publico, siue in simplici, quantum & de aliis superius est expressum.

Interlocutoriasque.

§. 33. Item quod de interlocutoria vim definitiuæ habente, vt de sententia supra proximè exprimitur, obseruetur. Si verò talis interlocutoria vim definitiuæ nequaquam habeat, recipiantur duo similes turonenses pro petia registri, vt supra dicitur computando, & si de interlocutoria ipsa, instrumentum per se publicum fiat, sex pro eodem poterunt recipere instrumento.

Scripturæ iudiciales.

§. 34. Item volumus, statuimus, & etiam ordinamus, quod cæteræ scripturæ iudiciales taxentur secundum modum superius designatum, hoc tamen adiecto, & ordinato specialiter & expresse, quod videlicet vbicumque in taxationibus antedictis de turonensi grosso fit mentio, id de illo intelligi volumus quandiu Romana Curia fuerit citra montes, vbi verò vltra montes, Romæ videlicet vel in aliis Italiæ partibus Curiam esse contigerit ipsam, Romanus loco Turonensis ponatur, & computetur in taxationibus antedictis.

Inobedientes puniantur.

§. 35. Caueant tamen Notarij memorati, quod propter præmissas modificationes, scripturas prolixiores nequaquam efficiant, neque ponant superflua in eisdem, nisi prout necessarium fuerit, & est hactenus fieri consuetum, nec malitiosè differant vel differre procurent scripturas partibus assignare. Contrarium verò facientes duplum restituant. Et si super hunc frequentauerint excessum, ab Auditorio sui Auditoris, & prædicto palatio expellantur.

Iuramenta prædictorum.

§. 36. Volumus insuper, statuimus, & etiam ordinamus, quod Venerabiles fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ab Auditoribus & Notariis suis, necnon Camerarius noster ab Auditore, vel Viceauditore Curiæ Cameræ nostræ, ipsiusque Notarij, & etiam Marescallus Romanæ Curiæ à Iudicibus & Notariis eorum, seu quicumque alij auctoritate Apostolica causas in Romana Curia audientes seu etiam audituri, à Notariis suis in eisdem causis, iuramentum recipiant iuxta formas, quibus curare debent dicti Auditores & Notarij Palatij Apostolici per nos, vt præmittitur ordinatas, in quantum tanget officia eorum.

Executorum deputatio.

§. 37. Item statuimus, & ordinamus, quod præfata alia, quoad munera, dona, & & xenia, ac scripturarum exactiones, quæ vt præfertur de Auditoribus, & Notariis dicti Palatij sunt statuta, & etiam ordinata per dictorum Cardinalium, & etiam Curiæ Cameræ nostræ Auditores, & Iudices Curiæ Marescalli, ac per ipsorum, & quorumcumque aliorum in Romana Curia causas auctoritate Apostolicæ audientium, & auditurorum in posterum Notarios seruentur inuiolabiliter.

§. 38. Vt igitur ordinationes & statuta nostra huiusmodi

Iussio hanc bullam describendi in Cancellaria, & audientia contradictarum. modi quæ perpetuis futuris temporibus duratura censemus, inuiolabiliter obseruentur, & ne illa ob memoriæ labilitatem humanæ obliuioni dentur, & etiam vt Auditores & Notarij prælibati per ordinationum & statutorum eorumdem inspectionem assiduam, circa eorum obseruantiam attentius & vigilantius sint attenti, volumus & statuimus, vt ordinationes, & statuta nostra huiusmodi de verbo ad verbum in Cancellariæ, & prædictæ audientiæ litterarum nostrarum registris, ex integro conscribantur.

Singulisque annis in principio Rota ea publice legenda. §. 39. Quodque in singulis annis in Kalendis Octobris, vel prima sequentis audientiæ die si festum fuerit, die Kalendarum ipsarum, ordinationes & statuta huiusmodi, legantur solemniter in audientia prælibata. Et quilibet Auditorum, & Notariorum ipsorum penes se copiam conseruet, & habeat eorumdem.

Sanctio pœnalis. §. 40. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostrorum decretorum, statutorum, reformationis, prohibitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

XV. Approbatio Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti Ordinis sancti Benedicti.

Alia de hac Congregatione notabo infra in Clem. 6. Const. 1. sollicitudinis.

Sacra Rituum Congregatio edidit Decretum ad fauorem Abbatum huius Congregationis super vsu Baldachini, & Assistentium, quod confirmauit S.D.N. Vrb. VIII. Const. 97. Exponi iussi tom. 4.

Edita An. D. 1324. *IOANNES EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Abbati, Conuentui Monasterii S. Mariæ de Monte Oliueto in Accona. Ordinis S. Benedicti, Aretin. Diœcesis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. CVm à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum.

Approbatio Congregationis Monachorum S. Mariæ Montis Oliueti. §. 1. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum, in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino, poteritis adipisci sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, specialiter autem, Decimas, Grancias, Curtes, Terras, Vineas, Domos, Possessiones, & alia bona vestra, sicut ea omnia iustè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, salua in prædictis Decimis moderatione Concilij generalis.

Sanctio pœnalis. §. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. A. 8. die 17. Maij. Datum Auenione 16. Kal. Iunij, Pontificatus nostri Anno 8.

BENEDICTVS XI. DICTVS XII. PONT. CIC.

ANNO DOMINI MCCCXXXIV.



BEnedictus XI. Gallus de Prouincia Tolosana, oppido Sauarduno, Diœcesis Appamiarum, Iacobus Furnerius antea dictus, Guillelmi filius, Creatus Auenione 13. Kalend. Ianuarij, Anno Domini 1334. Coronatus die Dominico Kal. Ianuarij 1335. vixit annos 7. menses 4. dies 6. Creauit Cardinales 6. Obiit Auenione 7. Kalend. Maij, Anno Dom. 1342. Sepultus in Cathedrali S. Mariæ de Donis. Vacauit sedes dies 11.

I. Quod Fratres Mendicantes, ad Ordines Monachorum Nigrorum, & Cisterciensium transire non possint, absque licentia Romani Pontificis.

Ampliorem prohibitionem eiusdem indixit Martinus V. in Extrauag. 1. de Regularibus. Et attende generalem sanctionem Pij V. infra in sua const. 89. Quæcumque.

De Monachis autem Nigris, notabo in const. 2. Eugenij IV Dispositione. Et de Cisterciensibus, vide in const. ab hac secunda.

BENEDICTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. Di 1335.*

Exordium. REGVLAREM vitam professis expedit subtrahi omnem inquietitudinis & turbationis materiam, quod in contemplationis suauitate quiescere valeant, & tranquillum reddere Domino famulatum.

Causa huius prohibitionis. §. 1. Cum igitur ex eo quod professores Ordinum mendicantium, ad Monachorum Nigrorum, & Cisterciensium Ordines consueuerunt plerumque transire; multas in dictis Ordinibus turbationes, infestationes, molestias, damna, & scandala prouenisse experientia doceat manifestè.

Prohibitio transitus de quo in rub. §. 2. Nos his ex debito pastoralis officij pro futuro tempore occurrere cupientes, de consilio Fratrum nostrorum decernimus, ne quis cuiusvis Ordinis Mendicantium professor, ad aliquem dictorum duorum Ordinum quoquomodo transire valeat, sine Romani Pontificis licentia speciali, plenam & expressam de constitutione huiusmodi mentionem faciente.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus priuilegiis Apostolicis quibuscumque concessis in contrarium dictis Ordinibus Mendicantibus

dicantibus seu eorum prælatis, aut aliquibus eorundem, quæ quoad hoc nullius ex nunc fore decernimus firmitatis.

Sanctio pœnalis. §. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam huius nostræ prohibitionis, derogationis, ac voluntaris infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D.P.A. 1. die 4. Iulij. Dat. Auenione, quarto Non. Iulij, Pont. nostri Anno 1.

II. Reformatio Aduocatorum & Procuratorum Curiæ Romanæ.

Alias eorundem, necnon & Notariorum eiusdem Curiæ reformationes quamplures pro temporum conditione, multi Pontifices ediderant, sed hanc ipse uti antiquiorem, & alteram Pauli V. tanquam nouissimam, & cuncta plenissimè continentem, infra in sua const. 71. & sequenti, in hoc opere inserere contentus fui, una cum adnotationibus ibi in apostillis sigillatim appositis.

Edita An. D. 1340. BENEDICTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Cadit sub Anno 6. DEcens & necessarium existimamus, vt patroni causarum, qui in Romana Curia officium Aduocationis assumunt, deinceps discreto & optimo ordine dirigantur.

Patroni causarum modestiã seruent. §. 1. Sit ergo causæ patronus in proponendo efficax, pertinentia dumtaxat ad negotium de quo agitur recitans, superflua & impertinentia non admittens, nec vltra quam causæ exposcit vtilitas in licentiam conuiciandi, & maledicendi temeritatem prorumpat.

Pauperum causas gratis agant. §. 2. Caueant tamen Aduocati, ne de causis pauperum (quas per illos qui eas proponere volunt gratis proponi volumus) quicquam omnino recipiant, etiam de ipsorum pauperum prompta instantia liberalitatis oblatum. Qui autem ab eis aliquid receperint, nequaquam dominium eius acquirant, sed ad restitutionem dupli eius quod receperint, sic eis teneri volumus & adstringi, vt nihil per dictos pauperes remitti possit eisdem, ad quam quidem restitutionem per Vicecancellarium S.R.E. qui erit pro tempore per censuram Ecclesiasticam compellantur.

Causarum multitudinẽ, quibus sufficienter intendere non possunt non suscipiant. §. 3. Ne verò (quod absit) cupiditatis ardor incitet Aduocatum pro immoderato lucro captando ad suscipiendum causarum multitudinem, ad quarum patrociniũ non sufficit, non absque ipsarum detrimento causarum, & clientulorum suorum irreparabili præiudicio & iactura, omnibus Aduocatis eiusdem Romanæ Curiæ præsentibus & futuris, districtius inhibemus, ne quisquam eorum tot causas suscipiat, quod eis opportunitatem necessarij studij, & solertiam debitam in prosequendis seu dirigendis eisdem nequeant exhibere, cum melius sit bene pauca attendere, quam multa suscipere periculose: quod si forte contra inhibitionem huiusmodi tot causas receperint, vt eisdem singulis non possint debitum studium, & necessitatẽ solitam adhibere, & ob hoc dictas causas, vel earum aliquam perire, vel nimis dispendiose differri contingat, ad restaurationem expensarum, damnorum & interesse partis, si talis sit causa, quæ æstimationem recipiat, vel de cuius interesse partis possit satisfieri, integraliter teneantur, alioquin vltra expensas easdem pro eiusdem Vicecancellarij in causis consistorialibus, in causis vero aliis quas apud Sedem Apostolicam agitari contigerit, pro Auditorum ipsarum causarum, siue Auditores ipsi sint S.R.E. Cardinales, siue alij, qui apud Sedem prædictam huiusmodi causas audierint, arbitrio puniantur.

Causas suscipiendas examinent, & iniustas dimittant. §. 4. Rursus, quilibet Aduocatus antequam causam proponendam, & dirigendam suscipiat, factum clientuli cuius erit negotium, cum principali si poterit, vel cum Procuratore seu promotore causæ ipsius, & quæ munimenta, qualesque probationes super dicto negotio clientulus habeat, & habere poterit, examinet diligenter. Et si ex informatione huiusmodi reperiat iustam, rationabilem, & probabilem eius causam (quoniam informationem in scriptis redactam sibi faciat exhiberi) causam assumere poterit suo patrocinio adiuuandam. Si verò iniustam, & improbam ex dicta informatione repererit, eam non assumat, sed à patrocinio suo repellat, partique repulsæ consulat quod dictam causam dimittat, nec in prosecutione ipsius se & alteram partem vexet laboribus & expensis.

Pacta quota litis ne ineãt. §. 5. Caueant autem quod vltra conuentum salarium, nihil omnino lite pendente recipiant quantumcumque gratis oblatum, nec clientulis vel aliis pro ipsis ineant, nec aliquam faciant pactionem, alioquin ad restitutionem dupli illius quod receperint, vltra dictam conuentionem teneantur, nulla remissione partis in hoc profutura. Et contractus huiusmodi iuribus non subsistant, & alias per eundem Vicecancellarium in causis consistorialibus, in aliis verò causis per Auditores earum, prout visum fuerit, puniantur.

Infideles aut negligentes in agendis causis, coerceantur. §. 6. Præmissis quoque adiiciendo prouidemus, vt si dicti Aduocati vel Procuratores minus fideliter, vel negligenter causas assumptas duxisse vel direxisse, vel scienter malam causam vel improbam assumpsisse inuenti fuerint, per præfatos Vicecãcellarium in causis Consistorij, & per Auditores in causis quas audient ad emendationem damnorum, & expensarum, quæ & quas ad hoc partes incurrent, omni appellatione cessante, censura simili adstringantur. Et si eisdem Vicecancellario vel Auditoribus forsitan videatur ex qualitate vel frequentia dictorum excessuum vel defectuum, dictos Aduocatos vel Procuratores fore grauius puniendos, possint ad tempus vel in perpetuum eis interdicere officia prælibata.

Indulgentibus, de idoneo causarũ patrono prouidendum. §. 7. Denique quia periculorum posset esse partibus, si patroni causarum quos aut meritum peritiores fecerit, aut vetustas pro vna parte consistant, sicque partem aliam necesse sit à rudibus atque tironibus sustineri, statuimus vt si partes hoc petierint, causidicorum distributio prout melius fieri poterit fiat, & singulorum exequetur partibus auxilium, ac huiusmodi æqua diuisio in causis quæ tractantur in Consistorio, per Vicecancellarium, in aliis verò per Auditores ipsarum causarum fiat, ac duobus Aduocatis dumtaxat pars quælibet sit contenta, nec plures valeat obtinere.

Sanctio Pœnalis. §. 8. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostrorum decretorum, statutorum, reformationum, mandatorum, prohibitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D.P.A. 6. die 27. Octob. Dat Auenione 7. Kal. Nouemb. Pont. nostri Anno 6.

III. Reformatio Ordinis Cisterciensis Monachorum S. Benedicti.

Similes Reformationes, Ordinisque restaurationes, vide infra in constit. 70. Pij IV. In eminenti, & const. 102. Pij V. Ex innumeris, & const. 18. Gregorij XIII. Superna lib. 2.

Huius Ordinis institutionem & alia, attente supra in constitut. 1. Paschalis II. fol. 52. vbi notaui, & in c. 6. & seq. de Statu Monachorum, & hic supra in constitut. c.

Edita An. D. 1335. BENEDICTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Ordo Cisterciensis multum dilatatus, & diuino cultui ministerio deditus, multis est Sed. Ap. priuilegiis decoratus. FUlgens sicut stella matutina in medio nebulæ, sacer Cisterciensis Ordo in Ecclesia militante, strenue militat operibus & exemplis, feruidéque satagit per sanctæ contemplationis applausum, & innocentis vitæ meritum montana scandere cum MARIA, seque per exercitium laudabilium actionum, & pensum piorum operum curiosum, Marthæ satagentis officio conformare. Hic nempe Ordo in diuini cultus ministerio sedulus,

vt sibi & aliis proficias ad salutem in sacræ lectione paginę studiosus, vt ad perfectam excellentiæ supernæ cognitionem valeat peruenire, præstans, & promptus in operibus charitatis, vt adimpleat legem CHRISTI, à mari vsque ad mare palmites suos meruit dilatare, quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit, & proinde per sacri pneumatis inflammantis corda debilia fistulas, gratiis abundauit, dignumque se reddidit à Romana Ecclesia, Ecclesiarum omnium magistra, multis insigniri priuilegiis, & gratiosis fauoribus communiri.

Hic est Pont. qui dicti Ordinis alumnus fuit illius incrementi exoptans.

§. 1. Huius quoque Ordinis ab adolescentia nostra perseueranter iugum sustulimus, & in eo alumni effecti per temporum curricula diuturna creuimus, tam in illo quam extra ipsum successiuis prælationum honoribus, & tandem conscendimus quanquam immeriti, summi Cathedram pastoratus. Licèt autem exigente Apostolici magisterij cura, cuiuslibet Ordinis approbati incrementum felix & floridum plenis affectibus in eo zelemus, à quo cœlicæ ac terrenæ salutis perfectio deriuatur, eundem tamen Cisterciensem Ordinem acie internæ deuotionis & charitatis aspicimus, & ea quæ ipsius salutem & prosperitatem respiciant, quatenus æterni Patris beneplacitis gratificari credimus, fauorabiliter promouemus.

Statuta infra scripta obseruanda præscripta.

§. 2. Sane recensentes memoriter, quod ab olim dum eramus intra Ordinem prælibatum, certa nos experientia instruebat, quod super quamplurimis articulis inferius explicatis. Ordo ipse Apostolicæ prouisionis remediis indigebat. Nos hactenus, & moderno tempore super eis & nonnullis aliis à dilectis filiis Gulielmo Cisterciensi, Ioanne de Firmitate, Ioanne de Claraualle, & Rainaldo de Morimundo Monasteriorum dicti Ordinis Cabilonensis & Lingonensis Diœcesis Abbatibus, diligenti collatione præhabita, super his omnibus plenariè informati dignum duximus, & pro vrgenti necessitate, ac euidenti vtilitate Ordinis memorati, suadentibus etiam aliis iustis & rationabilibus causis, statuta & ordinationes prout series subscripta describit, auctoritate Apostolica edere, quæ volumus & decernimus solidam habere roboris firmitatem, eaque debere perpetuis futuris temporibus firmiter obseruari, videlicet.

Quodlibet Monasterium habeat speciale sigillum. Et omnis Abbas antequã administrare incipiat iuramentum præstet de non alienãdis rebus Ordinis, nisi seruata forma hic tradita.

§. 3. Cum cautelæ prouisio in omnibus sit habenda, & præcipuè ne paulatim deueniat in collapsum, quod est antiquitate vel prolixitate peracti temporis acquisitum, statuimus ac etiam ordinamus, quòd quilibet Conuentus cuiusuis Monasterij, seu alterius loci Conuentualis dicti Ordinis habeat proprium & speciale sigillum. Et quòd quilibet Abbas Monasterij, siue alius loci alterius Conuentualis, administrationi principaliter præsidens eiusdem Ordinis, & etiam Abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, ante quam Abbatiæ suæ vel administrationi huiusmodi se immisceat, iuramentum præstare ad sancta Dei Euangelia teneatur, quilibet scilicet inferior in manibus Abbatis qui electionem de ipso factam confirmare habebit, & in præsentia sui proprij Conuentus, necnon ipse Abbas Cisterciensis, qui est pro tempore suo Conuentui, & prænominatis tribus, necnon Monasterij de Pontignisco dicti Ordinis Antisiodorensis Diœcesis Abbatibus, si apud dictum Monasterium Cisterciense præsentes extiterint. Quod possessiones vel iura ad suum Monasterium, vel alium Conuentualem locum eius pertinentes seu pertinentia, non vendet, nec alienabit, neque impignorabit, neque de nouo infeudabit, nec per aliquem modum donabit, nisi per modum inferius designatum. Et hoc idem illi qui nunc sunt Abbates Monasteriorum, seu aliorum locorum Conuentualium ipsius Ordinis regimini Præsidentes, teneantur iuramentum præstare infra sex menses, postquam statutum & ordinatio huiusmodi publicata fuerint, in proximo secuturo Capitulo generali eiusdem Ordinis.

Formam autem alienandi hic subdit.

§. 4. Quod quotiescumque alienationem rei immobilis, vel iurium alicuius Monasterij, vel alterius loci Conuentualis dicti Ordinis, vel diminutionem censuum, seu pensionum, vel canonis, aut venditionem arborum, syluarum non cæduarum imminere contigerit faciendas, tractatus duorum dierum (ad minus) interpolatorum diligens & maturus præcedere debeat, habendus per Abbatem Monasterij, seu Præsidentem regimini alterius loci Conuentualis, cuius erunt res, iura, census, pensiones, canon, & syluæ huiusmodi, cum suo Conuentu Monasterij seu alterius loci Conuentualis præfati Et nihilominus alienatio seu venditio huiusmodi, fiat de consensu ipsius Conuentus, vel maioris & sanioris partis eiusdem, & quod de tractatu & consensu iam dictis, scriptura conficiatur authentica, in qua nomina, & cognomina tractantium & consentientium, & sigilla Abbatis Monasterij vel Præsidentis regimini alterius loci Conuentualis, & Conuentus Monasterij seu loci huiusmodi apponantur. Et antequam procedatur ad alienationem seu venditionem ipsam, petatur & obtineatur licentia super hoc ab ipsius Ordinis capitulo generali, & subsequatur discussio super alienatione, seu venditione huiusmodi, facienda per duos Abbates prædicti Ordinis ab eodem Monasterio seu alio Conuentuali loco non remotos, per dictum generale Capitulum deputandos, & cum approbatione seu auctoritate duorum Abbatum præfatorum. Quodque tam Abbas Monasterij seu Præsidens ipsi Conuentuali loco, quam duo Abbates prædicti, & etiam Abbas eiusdem Monasterij, vel deputatus ab eo, præsente Conuentu ipsius Monasterij, seu alterius loci Conuentualis, cuius res, iura, census, pensiones, vel canon, aut syluæ huiusmodi, alienanda seu vendenda fuerint, iuramentum præstent ante discussionem prædictam quod in præmissis fideliter se habebunt, omni dolo & affectione inordinata remotis, & quod etiam fiat de causis alienationis, seu venditionis huiusmodi, & solemnitatibus præfatis, per quatuor Abbates prædictos, & Præsidentem ipsi Conuentuali loco, sub eorum sigillis plena & fidelis ratio in proximo subsequenti generali Capitulo antedicto, vt videatur si circa hæc omnia debite processerunt. Verum cum Monasterium, seu alius Conuentualis locus, Castrum, Villa, Grangia, vel res alia multum notabilis, alienandum vel alienandus seu alienanda fuerit, Capitulum generale ipsius Ordinis alienandi licentiam concedere non præsumat, nec procedatur ad eam quouis modo faciendam vel auctorizandam, nisi prius per idem Capitulum generale Romano Pontifice consulto, & ab eo super hoc petita licentia & obtenta. Si verò aliter quam præmissum est, aliquis Abbas, vel regimini Præsidens, alienare præsumpserit, tam ipsi, quam officiales ipsius Monasterij seu loci Conuentualis in hac parte consentientes eisdem, ab administrationibus suis per Abbatem deponantur eorum, & alienatio huiusmodi præsumpta, sit ipso iure irrita & inanis.

Pecuniam ex alienationibus redigendam vtiliter expendendã & conseruandã mandat.

§. 5. Cæterum si propter alicuius Monasterij seu loci Conuentualis debita exoluenda, vel vt aliquid aliud quod eidem Monasterio seu Conuentuali loco sit vtilius acquiratur, aliquid alienandum extiterit, pecunia quæ inde habebitur ad nullos vsus alios quam in acquisitionem, seu debitorum solutionem huiusmodi conuertatur. Et si secus actum fuerit, Abbas Monasterij, vel alius Præsidens Conuentuali loco, pecuniam huiusmodi ad vsus alios vt præfertur conuertens, vel conuersioni huiusmodi consentiens, ab administratione sua per Abbatem deponatur ipsius. Cæteri verò Monachi participes vel consentientes in idipsum, sint ad quodcumque officium seu administrationem eiusdem Ordinis inhabiles ipso facto. Nec pecunia ipsa in solius Abbatis seu alterius regimini Præsidentis, aut Bursarij alicuius eorum remaneat potestate; sed reponatur in aliquo securo loco sub quatuor serraturis, & diuersificatis clauibus, quarum primam teneat Abbas Monasterij seu loci Conuentualis regimini Præsidens, secundam Bursarius, tertiam Prior claustralis, & quartam alius Monachus ipsius Monasterij seu loci Conuentualis, de quo eiusdem Monasterij seu loci Conuentualis Conuentui seu maiori & saniori parti eiusdem expedire videbitur, fideliter conseruandam.

Locationum faciendarum normam explicat. Concessionumque de variis prædiis sterilibus.

§. 6. Volumus etiam quod circa concessiones iurium, aut reddituum alicui ad vitam eius, vel aliud certum tempus, & circa locationes, vel etiam reddituum aut fructuum venditiones vltra quinquennium faciendas, præmissa forma per omnia obseruetur, huiusmodi tamen consultatione ac licentia Romani Pontificis, & etiam licentia dicti generalis Capituli, & relatione in eo facienda exceptis. Permittimus tamen quod paruæ,

steriles,

steriles, vel inutiles possessiones concedi possint sub annuo censu pecuniario, vel sub certa portione seu quota prouentuum, ad tantum tempus quantum visum fuerit Abbati Monasterij, vt Præsidenti regimini loci Conuentualis eiusdem Ordinis, præcedente tamen maturo ac diligenti tractatu habito cum suo Conuentu, & de consensu ipsius vel maioris & sanioris partis eiusdem, præstitoque primitus iuramento per ambos Abbates prædictos, eodem Conuentu præsente, quod concessionem huiusmodi facere intendunt pro vtilitate Monasterij, seu loci Conuentualis, cuius erunt possessiones prædictæ. Et si aliter huiusmodi concessio facta fuerit, eo ipso sit irrita & inania. Si autem multitudo dictarum possessionum, quamuis paruarum, sterilium vel inutilium existeret concedenda, tunc ante huiusmodi concessionem earum, consulatur idem Capitulum generale, ac ipsius super hoc habeatur licentia prout superius est distinctum. Abbas verò vel Præsidens regimini loci Conuentualis, si contrarium attentare præsumpserit, ac officiales ipsius Monasterij seu loci Conuentualis super hoc ei consentientes, per eorum Abbatem à suis administrationibus deponantur.

Mutui quoque aliquando recipiendi normam tradit.

§. 7. Insuper quia plerumque contingit imminere necessitatis articulum, in quo ex diuersis causis expedit Abbatibus & Præsidentibus principaliter regiminibus aliorum locorum Conuentualium contrahere mutuum, hanc prouisionis cautelam modificatam in hac parte volumus adhiberi, quod nullus Abbas, vel alius loci Conuentualis regimini Præsidens ipsius Ordinis, sine consensu proprij Conuentus mutuum recipere valeat, & quod in authentica scriptura obligationis inde faciendæ apponantur eorundem Abbatis vel Præsidentis regimini, & Conuentus sigilla. Sed si Abbas à suo Monasterio, vel regimini Præsidens ab eius Conuentuali loco remotus existeret, talisque vrgeret necessitas quod sine receptione mutui, sibi vel familiæ suæ aut negotiis vtilibus seu causis per eum agendis, prouidere non posset, permittimus quod tunc sine suo consensu, & eius sigillo, mutuum recipere valeat, quod tamen summam centum librarum Tusonensium paruorum, seu valorem ipsarum, siue integraliter seu particulariter non excedat, cuius mutui quantitatem, causam obligationis, ac personam à qua illud receperit, Abbas vel alius regimini Præsidens, mutuum ipsum recipiens, infra octo dies post eius regressum ad Monasterium proprium, vel suum Conuentualem locum ipsius, Conuentui ad hoc specialiter congregato, explicare teneatur. Et quod ex semel vsque ad huiusmodi summam centum librarum mutuum receperit, non possit amplius mutuum recipere sine consensu & sigillo Conuentus eiusdem, donec dictæ centum libræ fuerint integraliter persolutæ. Quicumque autem Abbas vel alius Præsidens regimini loci Conuentualis per se vel per alium contrafecerit, eo ipso ab ingressu Ecclesiæ, ac diuinis Officiis sit suspensus.

Quæcumque de consensu Conuentuum peragenda, in scriptis redigantur vt hic.

§. 8. Et quia gesta hominum, scripturæ fidei committuntur, vt rei gestæ memoria in posterum habeatur, volumus & ordinamus, vt vbicumque Abbates vel alij locorum Conuentualium regiminibus Præsidentes, aliquid cum expresso, consilio suorum Conuentuum facient, de quo testimonialis conficiatur scriptura, quod sigilla ipsorum Abbatum, vel aliorum regiminibus Præsidentium, eorumque Conuentuum apponantur in illa. Et quòd deinceps in sigillo cuiuslibet Abbatis vel alterius loci Conuentualis regimini Præsidentis, quocumque nomine censeatur, ipsius nomen proprium exprimatur, vt melius sciri possit, per quem, & cuius tempore, id de quo agetur factum extiterit, & vt maliciis falsitatum commentis via melius præcludatur.

Officiales omnes iuramentū de fideli administratione præstent.

§. 9. Præterea, cum sit consonum rationi, vt negotiorum gestores & officiales de gerendo fideliter & vtiliter negotia & officia exercenda illis commissa, iuramenti vinculo adstringantur, volumus & ordinamus, quod cellararij, bursarij, negotiorum gestores, rentarij nuncupati, cæterique Officiales cuiuslibet Monasterij, seu alterius loci Conuentualis, & eorum grangiarum Magistri, cum ad officia vel magisteria huiusmodi assumentur, iuramentum præstare teneantur in manibus eorum Abbatis, alterius loci Conuentualis regimini Præsidentis, suique Conuentus, quod in commissis sibi officiis, administrationibus, vel grangiis, fideliter se habebunt, & quod de receptis & expensis fidele computum reddent, & reliqua ipsi Monasterio seu Conuentuali loco, aut eorum Bursariis assignabunt. Et quod ibi cellararij, bursarij, negotiorum gestores, Officiales & Magistri qui nunc sunt, præstare teneantur simile iuramentum.

Bursarij duo eligantur in quolibet Monasterio qui quater annis singulis rationem reddant.

§. 10. Et quia vbi prudentia, & moderantia fidei firmitate vallatæ non vendicant sibi locum, haud inest, longique temporis victum, breuis hora consumit, decet & expedit, vt per dispensatores prudentes & fidos, quæque manuteneatur substantia, & etiam dispensetur. Vnde statuimus & etiam ordinamus, quòd in singulis Monasteriis, & aliis Conuentualibus locis prædicti Ordinis, per Abbatem seu alium regimini Præsidentem, de seniorum sui Conuentus consilio, duo bursarij deputentur, quorum vnus principalis existat. Qui siquidem bursarij omnes pecunias ipsius Monasterij vel loci Conuentualis vndecumque prouenientes, vniuersaliter recipiant, & de d. Abbatis, vel regiminis Præsidentis mandato, cæteris Officialibus & aliis distribuant, prout fuerit opportunum, ipsique bursarij quater in anno, sed cæteri Officiales & receptores & prouentuum semel, & etiam pluries, si eidem Abbati, vel regimini Præsidenti videbitur expedire, de omnibus receptis & expensis coram prædicto Abbate, vel regimini Præsidente, ac senioribus de Conuentu ipsius Monasterij seu loci Conuentualis, teneantur plenissimam & fidelem reddere rationem.

Abbates etiā de receptis & expensis rationē senioribus & bursariis reddant quolibet anno &c.

§. 11. Abbates etiam, vel regiminibus Præsidentes, coram dictis senioribus & bursariis annis singulis de recepto & expensis per eos, plenam & fidelem rationem reddere teneantur. Recipiantque ipsi Abbates, vel regiminibus Præsidentes, à dictis bursariis pecunias pro expensis eorum. Et si dum ipsi extra Monasteria vel alia Conuentualia loca eorum accesserint, eos pecunias contingat de prouentibus Monasteriorum, seu locorum Conuentualium eorum, aut aliunde recipere, huiusmodi pecunias in ipsorum regressu, tradant bursariis prælibatis computatis si quas de ipsis pecuniis expenderunt, Abbates verò seu aliis regiminibus Præsidentes, si secus attentare vel sibi alia retinere præsumpserint, ab ingressu Ecclesiæ ac diuinis Officiis post lapsum duorum mensium à die regressus huiusmodi computandorum, tandiu suspensi existant, donec ea tradant bursariis memoratis.

Visitatores expediant visitationes infra quinque dies Euectionūque numerum taxatum nō excedāt nec munus recipiant.

§. 12. Porro quia per visitationis actum, de vita & conuersatione illorum, qui visitantur exquiritur, & per eum sincere debet correctionis & reformationis officium exerceri, ore proinde hi iuxta canonicas etiam sanctiones superfluis sunt impendiis aggrauandi, statuimus ac etiam ordinamus, quod Visitatores dicti Ordinis in aliquo Monasterio per eos visitando, antequam officium visitationis incipiant, nisi prima die qua declinabunt ad illud, valeant demorari, & si manere ibi voluerint, sequenti die duntaxat id licitum sit eisdem. Et quod visitationes in eodem Ordine faciēdæ, deinceps non durent vltra triduum continuum, nisi apparens necessitas, vel magna vtilitas Monasterij visitati, dies exposceret ampliores: quodque ille Visitator qui vltra ipsos prædictos duos dies, vel vltra præfatum triduum, absque necessitate vel vtilitate prædictis, easdem visitationes prorogare præsumpserit, si Abbas fuerit, sit à stallo chori, & loco Capituli Abbatialibus, per vnum sequētē annum eo ipso suspensus, & sedere in stallo, & loco Capituli remotis à stallis aliis & locis Abbatialibus teneatur, si verò fuerit Monachus, eo ipso sit per vnum annum sequentem inhabilis ad quodcumque officium, & administrationem, seu gubernationem in eodem ordine obtinenda, & nihilominus per sex menses sequentes, in pane & aqua in suo Monasterio ieiunare qualibet sexta feria teneatur, & quod similes pœnas incurrant Abbates, & Monachi qui visitationis officium impendendo, numerum euectionum per fel. recor. Clementem Papam IV. Prædecessorem nostrum super hoc taxatum excedent. Nec præsumant Visitatores ipsi ante huiusmodi eorum visitationem vel in ipsa, seu post eam, occasione dictæ visitationis, aliquod munus suspectum per se vel

Clem. cōst. cū euectio. &c. sup.

alium recipere, nec illud à suis recipi permittant, expensas tamen quas fecerint ad visitatum Monasterium eundo, & de ipso redeundo, recipere valeant iuxta ordinationem super hoc factam per Clementem eundem.

Et à Monasterijs interiacentibus victum solummodo recipiant.

§. 13. Vbi autem à Monasterio iam visitato, vsque ad Monasterium visitandum aliquod vel aliqua Monasteria in itinere constituta extiterint, ad quæ dicti Visitatores possint commode declinare, hoc ipsi efficere valeant, dictaque Monasteria taliter constituta, eosdem Visitatores charitatiue recipere, decenterque tractare, ac eis prouidere in victualibus teneantur, & pro diebus quibus ad huiusmodi constituta vt præfertur, Monasteria declinabunt, & eis vt prætangitur prouisum extiterit, nullas expensas possint à Monasterijs seu locis recipere visitatis, Abbas autem contra prædicta recipiens, nisi infra duos menses à receptione huiusmodi computandos, eis à quibus receperat, receptum restituat, ipsis elapsis, duplum restituere teneatur. Monachus verò quicquid contra id receperit, restituere non postponat, & ob hoc regulari subiaceat disciplinæ.

Qui & quando Visitatores, sibi in Visitationibus Abbates adiungere possint.

§. 14. Nec audeant præfati Visitatores in ipsis Visitationibus, sibi alios Abbates adiungere, nec ipsi alij Abbates se illis adiungant, nisi pro consilio, vel auxilio, vbi casus depositionis alicuius Abbatis, vel aliud magnum & arduum negotium, seu patriæ, vel locorum, per quæ transite haberent, periculum immineret, seu interpretatio linguarum necessaria foret, verumtamen Cisterciensis, & quatuor Abbates quatuor principalium filiarum, qui sunt pro tempore, ac superius nominantur, in eisdem visitationibus vnum alium Abbatem si velint secum recipere, vel sibi adiungere, valeant.

Visitatores an possint reuelare nomina eorum, qui in Visitationibus secreta eis notificant.

§. 15. Neque prædicti Visitatores nomina eorum, qui eis in ipsis visitationibus secreta reuelauerint aliqua, ea reuelare præsumant, nisi tunc demum, cum propter reuelata huiusmodi ad alicuius punitionem vel pœnam fuerit procedendum, necnon reuelantes huiusmodi puniantur plus vel minus, prout facti qualitas exiget, secundum arbitrium ipsius Ordinis Capituli generalis.

Abbates visitatores quid recipere possint. Ad hoc etiam supr. constitut. 5. Clem. IV.

§. 16. Et quod Abbates maiores post Abbatem Cisterciensem, & quatuor alij Abbates earundem principalium filiarum, qui sunt pro tempore, extra visitationes eorum, sex tantum, alij verò minores Abbates, quatuor euectionibus sint contenti, nec hoc prætextu qui paucioribus vti solebant, credant sibi potestatem plurimum attributam.

Abbates & Monachos ad Capitulum euntes vel inde redeuntes aut aliter vt hospites ad aliquod Monasterium accedentes, biduo vltra stare possint nisi infirmi existant.

§. 17. Rursus, præcauere volentes, ne per Abbates vel Monachos dicti Ordinis declinantes ad alia Monasteria eiusdem Ordinis, veniendo ad huiusmodi Capitulum generale, vel de illo redeundo, seu alias, huiusmodi alia Monasteria plus debito aggrauentur, statuimus & ordinamus, quod Abbates aut Monachi præfati ad idem Capitulum venientes, vel de ipso redeuntes, seu alias, tanquam hospites ad aliquod Monasterium seu locum Conuentualem iam dicti Ordinis declinantes, non remaneant in eodem Monasterio seu Conuentuali loco, vel aliorum locorum ipsorum, vltra diem, qua illuc declinauerint, & sequentẽ, nec vltra dictos dies, Abbas vel Cellararius aut aliquis alius dicti monasterij seu loci conuentualis, aut aliquorum locorum eorundem, ipsos inuitare, vel amplius eis aliquid ministrare præsumat. Quod si ex aliqua rationabili causa, ipsi vel aliquis de familia eorundem, amplius remanere voluerint, expensas quas tunc ibi fecerint, de bonis proprij monasterij vel aliunde procuratis soluere teneantur. Quicumque verò contrarium fecerint, tam dantes, quam recipientes, de inobedientia, & transgressione huiusmodi statuti & ordinationis nostrorum, per generale dicti Ordinis Capitulum puniantur. Sed per prædicta nullum ius ipsorum declinantium alicui acquiratur, etiam per ipsos duos dies vel alias ad aliquod Monasterium seu locum Conuentualem eiusdem Ordinis, aut locorum eorum declinandi, aut in eorum aliquo remanendi, hoc tamen saluo, quod circa patenter infirmantes, solita charitas, & pia hospitalitas obseruentur.

Abbates non accedentes ad Capitulum generale coerceantur vt hic.

§. 18. Quia verò ideo sunt huiusmodi generalia Capitula instituta, vt in eis de statu Monasteriorum, & aliorum locorum regularium, ac de reformatione Ordinis, & obseruantia regulari, tractatus debeat diligens adhiberi, dignum & debitum fore dignoscitur, vt ad illa conueniant vniuersi, quibus id imminet, præpeditionem canonicam non habentes, quare statuimus & etiam ordinamus, quod Abbates ipsius Ordinis, qui de cætero non venerint ad dictum Capitulum generale (qui venire tamen tenebantur, secundum Ordinis prædicti, statuta, non habentes impedimentum legitimum, seu licentiam specialem ab eo qui dare possit eandem) exhibere teneantur duplum eius quod expensuri essent ad idem Capitulum, veniendo & redeundo de illo, duplumque huiusmodi soluere in sequenti Capitulo generali in vtilitatem ipsius generalis Capituli conuertendum, & quod possint Definitores eiusdem Capituli generalis tales Abbates non venientes, ad duplum huiusmodi exsoluendum, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo coarctare, eorumque super hoc processum habendum, & ferendas sententias publicare, ac facere publicari. Quodque circa ipsum duplum in totum vel in partem nulli valeat fieri gratia vel remissio indulgeri. Illi vero Abbates qui legitimum impedimentum, seu licentiam huiusmodi asseruerint se habere, illa conuentibus suis tempore quo iter eundi ad d. Capitulum arripere deberent, exponere teneantur, & nihilominus subsequenter de dictis impedimento siue licentia in ipso generali Capitulo fidem facere per suum procuratorem, seu excusatorem probum & idoneum virum, habentem speciale mandatum præstandi iuramentum in animã ipsius mittentis, causas absentiæ, ac impedimẽtum huius vera esse, quod quidem iuramentum præstare teneantur, si visum fuerit Abbati Cisterciensi, qui est pro tempore, ac Præsidentibus ipsi Capitulo generali. Et si Abbas ac Præsidentes præfati tale impedimentum & licentiam ipsam non esse legitimam fuerint arbitrati, tales Abbates qui ad idẽ Capitulum nequaquam venerunt, declarent incurrisse pœnam soluendi præfatum duplum, quemadmodum est præmissum.

Quicumque ad soluendum debitas contributiones cogantur ab Abbate Cisterc. & alijs quatuor primis Abbatibus.

Has contributiones solui iussit, etiam Greg. 13. infr. in sua const. 18. Superna.

§. 19. Quia verò nonnulli sicut accepimus, ad soluendum contributiones, quæ in eodem Ordine, pro necessitatibus & vsibus communibus, & alias consuetis ipsius Ordinis pro tempore imponuntur, se reddunt difficiles & remissos. Nos aduersus eos, & circa negotia contributionum ipsarum, aliaque illa contingentia, prout sequitur duximus prouidendum, videlicet quod Abbati Cisterciensi, & quatuor Coabbatibus principalium filiarum supradictis, & qui pro tempore fuerint, & quilibet eorundem auctoritate Apostolica, remoto apellationis obstaculo, per censuram Ecclesiasticam, & per alia remedia iuxta d. Ordinis instituta & obseruantias consuetas, aliaque opportuna remedia, compellendi eos, quibus dictæ contributiones pro tempore impositæ fuerint, ad soluendum easdem, & ad id etiam coarctandum, recusantes seu negligentes soluere præfatas contributiones iam impositas, & quosuis alios impedimentum præstantes publice vel occulte, quo minus contributiones prædictæ soluantur, ad desistendum prorsus ab impedimento huiusmodi, necnon processus habendos, ac excommunicationis, suspensionis & interdicti aliasque sententias ferendas in tales recusantes, negligentes, & impedimentum præstantes, nunc & in posterum, in eorum & alijs Monasterijs ac locis circumvicinis dicti Ordinis, prout fuerit opportunum, ac in generali Capitulo ipsius Ordinis publicandi, & publicari faciendi, plenam atque liberam concedimus tenore præsentium potestatem.

Contributiones recipiantur à tribus Abbatib. per Capitulũ, vel Definitores eligendis quolibet anno dispensentur quæ ab eisdem & custodiantur, & de eis in seq. Capitulo ratio reddatur.

§. 20. Volumus autem quòd prædictas contributiones deinceps recipiant tres Abbates d. Ordinis ad hoc per ipsum generale Capitulum, seu per Definitores eiusdem, annis singulis deputandi, qui iuxta ordinationem d. Capituli, seu Definitorum eius pro necessitatibus & vsibus communibus, aliasque consuetis iam d. Ordinis dispensent easdem, & si quid de ipsis contributionibus superfuerit, in aliquo Monasterio securo ad hoc per dictum Capitulum, vel per ipsius Definitores eligendo ponatur, & sub prouisione custodiæ per ipsos tres Abbates super hoc adhibenda, sub tribus seraturis, & diuersificatis clauibus, de quibus quilibet ipsorum trium Abbatum suam

clauem

clauem teneat, fideliter conseruetur. Tenebuntur namque præfati tres Abbates in subsequenti Capitulo generali, de receptis & expensis per eos, Definitoribus ipsius Capituli reddere rationem, & illud quod restabit, ipsi Capitulo seu Definitoribus ipsius Capituli custodiendum restituere, modo præmisso per alios tres Abbates per ipsum Capitulum seu Definitores eius, vt præceditur deputados.

Iidem tres Abbates iurent quod fideliter contributiones recipient, &c.

§. 21. Dictique tres Abbates quando ad prædicta deputabuntur, iuramentum præstabunt, quod in recipiendo, custodiendo, & expendendo contributiones prædictas, ac in reddendo rationem de ipsis fideliter se habebunt.

Aliisque fidelibus viris eorum vices de consilio Abbatis Cisterciensis & aliorum quatuor Abbatiũ principaliũ, committere poterunt, & illi simile iuramentum præstabunt.

§. 22. Poterunt autem dicti tres Abbates receptores modo prædicto à generali Capitulo seu Definitoribus ipsius Capituli deputati, de ipsorum Abbatis Cisterciensis, & quatuor Coabbatum totidem principalium filiarum consilio, certis personis fidelibus & discretis, annis singulis vices suas committere ad recipiendum contributiones in generali Capitulo non solutas. Qui siquidem discreti præstabunt solemniter iuramentum, quod præfatas contributiones recipient, leuabunt, exigent, & seruabunt fideliter, & ad sequens generale Capitulum d. Commissariis generalis Capituli seu Definitoribus eius, integraliter depuTtabunt, dictique tres Abbates rationem reddent coram eisdem Abbate Cisterciensi, & quatuor Coabbatibus totidem principalium filiarum, si omnes ipsi præsentes fuerint, necnon coram illis Definitoribus, quos præfati Cisterciensis & quatuor Coabbates in Diuione decreuerint detinendos.

Litera solutionis contributionis quo pacto sigillentur & custodiantur, &c.

§. 23. Volumus quoque quod fiat speciale sigillum quo literæ solutionis contributionum d. Ordinis de cætero sigillentur, quod quidem sigillum sub tribus seraturis, & diuersificatis clauibus penes dictos tres Abbates, vel in aliquo Monasterio, de quo eis magis expedire videbitur, apud aliquem vel aliquos, quem vel quos, aligendum, vel eligendos decreuerint, iam dictum sigillum modo præacto seruetur, prædictæ tamen personæ quibus de dd. Abbatis Cisterciensis & quatuor Coabbatum totidem principalium filiarum consilio, ipsi tres Abbates, vt prædicitur committent vices suas, dum non solutas contributiones receperint, poterunt de solutionibus particularibus quæ fiunt extra Capitulum generale, recognitiones facere sub sigillis propriis eorũdem, sed illa quæ fiunt postmodum eis, sigillabuntur prædicto speciali sigillo.

Capitulum generale nihil de hac ordinatione immutare possit.

§. 24. Præmissa verò circa ordinationem contributionum sic exacte ac diligenter obseruentur in Ordine antedicto, quod etiam per generale Capitulum, vel alium seu alios quoslibet quouis colore quæsito, contra ea nihil fieri præsumatur, & si quis secus attentare præsumpserit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto.

Qui & quomodo recipiantur ad Ordinem Cisterciensem. Ad hoc vide cõst. 1. Sixti V Cum de, & alias ibi indicandas.

§. 25. Nempe cautius prouidere volentes, quod pro diuino cultu, & aliis obsequiis præstandis in Ordine prælibato, personæ recipiantur idoneæ ipsis officiis congruentes, statuimus, & ordinamus, quod de cætero in eodem Ordine non recipiantur in Monachos, vel conuersos, nisi personæ idoneæ ad ea, quæ conueniunt Monachis vel Conuersis prædicti Ordinis, & nisi per Abbates Monasteriorum vel principaliter Præsidentium regiminibus, & aliorum locorum Conuentualium ipsius Ordinis, & infra Monasteria seu loca huiusmodi, cum consilio seniorum de Conuentu, seu maioris & sanioris partis eorum Monasterij, vel alterius loci conuentualis, in quo Monachorum vel Conuersorum fit receptio prædictorum, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes.

Quo habitu Abbates & Monachi, vtrumque domicelli vti possint. Hoc declarauit Sixt. IV. in const. 9. Et si cunctis.

§. 26. Profecto quia honestas, temperantia, & modestia debent in cunctis personis Ecclesiasticis, & maxime regularibus diuinis laudibus sedulius dedicatis, locum præcipuum obtinere, statuimus & etiam ordinamus, vt omnes Abbates, & Præsidentes regiminibus aliorum locorum conuentualium, & Monachi eiusdem Ordinis pannis bruni, vel albi coloris duntaxat vtantur, & quod domicellum seu domicellos de vestibus, vel robis partitis aut virgatis, siue aliàs sumptuosis vel indutos ducere non præsumant.

Curiositatem ornamentorũ euitent.

§. 27. Quodque à curiositate, aut superfluitate vasorum argenteorum, lectisterniorum, & quarumlibet ornamentorum, curent penitus abstinere. Contrarium verò facientes per Abbates eorum, & per Visitatores, vel per Capitulum generale ipsius Ordinis, taliter puniantur, quod metus pœnæ aliorum sic excedere volentium meta existat.

Vnusquisque Clericum sæcularem, vel laicum equitantem solummodo ducat.

§. 28. Et quod Abbates Monasteriorum, & Præsidentes regiminibus aliorum Conuentualium locorum dicti Ordinis, exceptis Abbate Cisterciensi, & quatuor Coabbatibus totidem principalium filiarum supradictis, qui sunt & pro tempore fuerint, vltra vnum sæcularem clericum, siue laicum equitantem ducere non præsumant.

Esus carnium prohibetur & omnes licentia desuper concessa reuocantur.

§. 29. Quia verò personas regulari obseruantiæ deditas, decet potissimum ab esu prohibitorum cibariorum, tam virtutis amore, quam pœnæ formidine abstinere, ne ab eis in castimoniæ lubricum descendatur, auctoritate præsentium firmiter inhibemus, ne deinceps Abbates & Monachi dicti Ordinis extra Monasteria seu loca Conuentualia eiusdem Ordinis, & etiam ipsi Monachi infra Monasteria, seu loca huiusmodi, aut in cameris, & extra infirmitorium commune, carnes vel pulmenta cum carnibus condita vel decocta præsumant comedere, contra obseruantiam dicti Ordinis diutius obseruatam. Nos enim licentias quas aliqui Abbates & Monachi iam dicti Ordinis dicunt à Sede Apostolica super esu carnium se habere, cum tales licentiæ redundent in scandalum aliorum, penitus reuocamus. Monachus vel Conuersus, qui huiusmodi nostræ inhibitionis transgressor extiterit, tribus diebus pro qualibet carnium vel dictorum pulmentorum comestione, ieiunare in pane teneatur & aqua, & quod nihilominus quolibet ipsorum dierum in Capitulo regularem accipiat disciplinam. Sed Abbas inhibitionis præfatæ transgressor, non ad disciplinam ipsam, sed ad huiusmodi ieiunia teneatur, & si scienter hæc omiserit negligenter facere obseruari, etiam ex negligentia huiusmodi teneatur ad ieiunia prælibata, quæ quidem pœnæ nulli remitti valeant, nec super eis vel ipsarum parte aliqua cum aliquo dispensari. Quod si aliqui super esu carnium vel pulmentorum prædictorum, sæpe inuenti fuerint delinquentes, seu ipsum contra ordinationem huiusmodi frequentantes, & per Abbates proprios, quod à talibus abstineant, canonice moniti non destiterint, sint post monitionem huiusmodi per biennium eo ipso inhabiles ad quæcumque officia & administrationes in eodem Ordine obtinenda, obtinentes verò illa, remoueantur, si Abbatibus eorum visum fuerit, ab obtentis, inhibemus quoque, quod nullus Monachus vel Conuersus dicti Ordinis cuiuscumque conditionis existat, etiamsi officium habeat, nisi ægritudine graui, vel debilitate detentus fuerit, carnes de cætero in cameris Infirmitorij comedere præsumat, sed omnia comedant in Refectorio, communi Infirmitorio deputato.

Locus costituendo carnes in casibus permissis designatur.

§. 30. Neque carnes parentur nec decoquantur alibi quam in Infirmitorio communi, seu in coquina eidem Infirmitorio deputata, vel in posterum deputanda, nisi Abbas ex aliqua causa rationabili alibi decoqui vel parari mandaret easdẽ, vel in eius absentia, ille cui dictus Abbas commiserit vices suas. Vbicumque autem carnes pro aliis, quam pro infirmis, vel debilibus paratæ fuerint, per Infirmarium inter comedentes in Infirmitorio diuidantur.

Abbates quando dispensare possint de esu carnium.

§. 31. Abbatibus verò benemeritis qui cesserunt, vel cedent in posterum spontanea voluntate, locus & esus carnium per Abbatem proprium, secundum suæ discretionis arbitrium concedantur. Et quilibet Abbas dicti Ordinis, ex indulgentia possit interdum aliquos Fratrum, nunc hos, & nunc illos, prout necessitas postulauerit, aduocare, ipsosque secum in camera sua melius & plenius exhibere. Abbates autem, & aliæ notabiles personæ ipsius Ordinis ad Monasteria declinantes, de Abbatis, vel eo absente, de Præsidentis regimini eiusdem Monasterij licentia, in camera ipsius Abbatis, vel in communi Infirmitorio carnibus vti possint.

Consuetudines contraria super esu carnium reprobantur.

§. 32. Et quoniam aliqui Monachi dicti Ordinis in nonnullis Monasteriis & studiis sibi temere vendicare præsumunt, quod certis diebus qualibet septimana iuxta obseruantias, seu consuetudines, vel statuta quæ super hoc allegant, minus tamen rationabilia, eis carnes debeant ministrari, Nos huiusmodi abusum, obseruantias, consuetudines, seu statuta huiusmodi, vtpote vergentia in eorum

Religionis

Religionis opprobrium, & exemplum & perniciem aliorum, penitus reprobantes, auctoritate ordinamus eadem, quod nullus Abbas, Prouisor, Prior, Cellatarius, vel aliis deinceps, hæc aliquatenus obseruare præsumat, nec etiam obseruari permittat, aut ministrare vel ministrari facere occasione obseruantiarum, consuetudinum, seu statutorum prædictorum carnes alicui prædicti Ordinis, præterquam in aliis casibus licitis & permissis.

Dormiant Monachi omnes in communi dormitorio.

§. 33. Cumque tam secundum canonica, quam regularia instituta, in vnum locum dormire debeant Monachi vniuersi, & prætextu camerarum seiunctarum, quæ in aliquibus Monasteriis extra Infirmitoria propter cellas, quæ in dormitoriis sunt constructæ, multæ sunt inhonestates, & dissolutiones inductæ, Nos super his expressius & salubrius prouidere volentes, statuimus, & ordinamus, quod nullus de cætero Monachorum in cameris iacere audeat, nisi solummodo propter inualetudinem corporalem (& tunc in cameris Infirmitorij duntaxat) sed omnes in dormitorio iaceant, nisi forte ab hoc aliquis propter officium excusetur, & tunc possit alibi, si aliter commode in dormitorio iacere non valeat.

Cellæ in dormitorio non construantur, & constructa destruantur.

§. 34. Ad hoc etiam statuendo & ordinando adiicimus, quòd deinceps cellæ in dormitorio nullatenus construantur, & si quæ iam constructæ fuerint, omnino per Abbates vel principales Prælatos proprios, infra tres menses à tempore quo hoc statutum & ordinatio ad eos peruenerit, & eis negligentibus seu non valentibus, per Visitatores in prima visitatione quam impendent, auctoritate Apostolica destruantur, & quod super his resistentes eisdem, vel impedimentum aliquod præstantes, seu præstari procurantes, & ad hoc dantes auxilium consilium vel fauorem, publice vel occulte, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto. A qua quidem sententia, nequeant nisi per Visitatores absolui præfatos, quos etiam ipsi Visitatores per alia iuris & statutorum eiusdem Ordinis remedia, valeant coërcere, Priores tamen claustrales, & Suppriores, possint iuxta Abbatis, vel Prælati principalis arbitrium, cellam habere infra dormitorium competentem. Dicti autem visitatores, quod super his inuenerint, vel fecerint, referant plene ac fideliter in ipsius Ordinis subsequenti Capitulo generali.

Præstatio certa portionis Monachis prohibetur. Hoc mox infra declaratur.

§. 35. Quia verò in nonnullis Monasteriis aliis locis Conuentualibus dicti Ordinis seruari dicitur abusiue, quod quilibet Monachus certam bladi, panis, vini, vel pecuniæ recipiat portionem, Nos prorsus abusum huiusmodi detestantes, & etiam abolentes, ac volentes in hac parte vtiliter prouidere, auctoritate prædicta firmiter prohibemus quod deinceps in nullo ipsius Ordinis Monasterio fiant huiusmodi portiones. Sed ministrentur vnicuique prout communitas eiusdem Ordinis obseruauit hactenus atque seruat.

Concessio certi redditus similiter interdicitur.

§. 36. Adiicientes ac prohibentes etiam, quod nulli Monacho certi redditus aut prouentus, seu pars redditium vel prouentuum, aut aliqua pensio pro victu vel vestitu, seu ex quacunque alia causa, de cætero concedantur, vel alicui assignentur, aut alicui vel aliquibus Monachis ab extraneis concedi vel donari permittantur eisdem. Sed in vtilitatem Monasteriorum ipsorum per Abbates proprios conuertantur.

Et etiam diuisio bonorum vel redditum inter Abbates & Conuentus vetatur sub pœnis hic enuntiatis.

37. Quodque inter Abbates, & Conuentus, aut officiales alicuius Monasterij dicti Ordinis, nequaquam fiat sectio bonorum, fructuum, reddituum vel prouentuum eorum, sed communibus ipsorum vsibus deputentur. Nos enim concessiones vel assignationes eisdem Monachis de dictis redditibus vel prouentibus, seu eorum parte aut pensione aliqua factas, ac sectiones bonorum seu discretiones fructuum, redditumm, vel prouentuum huiusmodi, si quæ factæ sunt, totaliter reuocamus. Abbates verò qui deinceps portiones prædictas, aut sectiones, seu diuisiones huiusmodi bonorum & aliorum præfatorum Monasteriorum suorum fecerint, vel fieri concesserint, aut hactenus factas seruare permiserint, deponantur. Monachi autem qui prædictis restiterint vel impedimentum per se vel alium præstiterint, seu præstari procurauerint, tanto tempore carceri mancipentur, quanto Abbati, seu alij principali Prælato eorum visum fuerit expedire, ac si etiam Abbati vel ipsi principali Prælato in hoc contradixerint, perpetuo carceri mancipentur. Abbatibus verò benemeritis qui voluntarie cesserunt vel cedent in posterum, sufficiens & congrua prouisio, prout Abbati, & Abbati successori cedentis Abbatis, de consilio seniorum de Conuentu illius Monasterij cuius regimini cessit vel cedet, visum fuerit, assignetur & etiã præbeatur.

Equitatura non permittatur alijs quam Officialibus.

§. 38. Et vt omnis euagationis ac inutilium expensarum occasio subtrahatur, auctoritate inhibemus eadem, ne quisquam Monachus vel Conuersus dicti Ordinis cuiuscumque status vel conditionis existat, equitaturam retinere præsumat, Cellarariis, Procuratoribus, & Grangiarum Gubernatoribus dumtaxat exceptis, quibus Abbas possit hoc de vna tantum concedere, si viderit expedire. Cellarariis tamen Cisterciensium, & aliorum quatuor Monasteriorum totidem principalium filiarum prædictarum duæ possint equitaturæ concedi, si eorum Abbatibus videatur.

Proprietas omnibus interdicitur. Hoc statuit etiam Greg. XIII. in const. sua 22 huc in rub.

§. 39. Quamuis autem contra Monachos proprietarios, exceptis administratoribus, sit plene prouisum per canonicas sanctiones, cùm abdicatio proprietatis sit annexa regulæ Monachali, nos tamen specialius prouidere volentes, contra illos Monachos, & Conuersos dicti Ordinis, qui suæ salutis obliti, contra regularem institutionem, pecunia congregata, iura, possessiones, redditus, pensiones, animalia, & alia bona emerunt, seu emi fecerunt, & faciunt, aliquando proprio, & sæpe nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis, aliisque ipsa tradunt animalia nutrienda, & cum augmento vel lucro, sibi vel alteri reddenda eorum nomine, seu pro ipsis & aliis multos contractus tanquam negotiatores exercent; necnon appetentes lucra turpia, & sectantes peculium occultant, & illicitè detinent, in suarum periculum animarum, auctoritate præfata decernimus, omnia præmissa, quæ tamen alias restitutioni non subiaceant aliorum, fore per Abbates proprios Monasteriis propriis applicanda, & in vtilitatem ipsorum Monasteriorum totaliter conuertenda. Quodque ipsi Abbates alicui Monacho vel Conuerso, talia faciendi licentiam nequeant impertiri, & quod dicti Monachi & Conuersi prædicta committentes, vel huiusmodi applicationi seu conuersioni aliqualiter resistentes, vel impedimentum publicè, vel occultè præstantes, seu præstari, procurantes, & peculium prædictum non reuelantes & reddentes Abbatibus prælibatis, sint eo ipso inhabiles ad quodcumque officium, administrationem, regimen & gubernationem quamlibet in eodem Ordine obtinendam, permittimus tamen quod cum ipsis Monachis & Conuersis possit Abbas eorum, super pœnis huiusmodi dispensare, dum prædicta reuelauerint, & plene restituerint, quando eis videbitur expedire. Monachis autem, & Conuersis etiam administrationes habentibus, pecunias, vel alia bona quibuscumque mutuantibus, vel debita fingentibus quæ non debent, talis pœna per Abbates proprios imponatur, quæ sit illis ad salutaris correctionis profectum, & cæteris attentare similia volentibus in exemplum.

Victus & vestitus omnibus sufficienter subministretur.

§. 40. Et quia per Ministros prouidos, administrationes bonorum consueuerunt fructuosè ac laudabiliter exerceri, volumus, vt Abbates Monasteriorum eiusdem Ordinis, sic bona Monasteriorum suorum dispensare ac prouidere talia teneantur, quod Monachis & Conuersis tam sanis quam infirmis sufficienter prouideatur in victu ac vestitu, secundum cuiusque Monasterij facultates, & qualitates cuiuslibet regionis.

Numerus Monachorum sit iuxta Monasterij facultates.

§. 41. Quodque in Monasteriis prædictis non plures Monachi vel Conuersi ponantur, quam ex facultatibus dictorum Monasteriorum possit congrue prouideri.

Idem generaliter iussit Paul. V. in const. 7. Studia quæ sint tenenda, & quæ mutanda, &c.

§. 42. Præbere quippe materiam intendentes, quod in eodem Ordine per sacræ Theologiæ studium professores ipsius erudiantur, & illustrentur in illa, vt in Ecclesia Dei sibi ipsis, & aliis, fructus salutis, fauoris, honoris, & honestatis, cælesti agricola irrigante ac multiplicante producant, matura deliberatione præhabita, subscripta de præfato & alias literali studio, scholaribus prouectis, ac Doctoribus, & alia quæ circa ea, rationabilia & opportuna fore perspeximus, auctoritate sæpe dicta, statuimus ordinamus, & disposuimus, pro moderno & postero tempore valitura, perpetuo & inuiolabiliter obseruanda videlicet

videlicet quod generalia Studia dicti Ord. in sacra pagina Parisiis, Exoniæ, Tolosæ & apud montẽ Pessulanum Magalon. diœc. deinceps existant. Studium autem quod Stellæ Pampilonen. diœc. fore consueuit, Salamanticam transferimus propter propinquitatem Studij Tolosani. Ordinantes quòd Bononiæ fiat Studium, quando commodè fieri poterit, & domus pro studentibus, vel ematur. Fiatq; Salamãticæ illud idem. Metis quoq; sit particulare Studium in scientiis primitiuis, vbi etiam domus pro Alemannis per generationem supradicti Monasterij Morimundi ematur, quantum generatio ipsa in Alemannia se extendit. Quodque domibus eorum, qui studebunt Bononiæ, ac Salamanticæ, illi Abbates seu Rectores eorum præsint, de quibus ordinabitur per ipsius Ordinis Capitulum generale.

Qui & ad quæ Studia sint mittendi.

§. 43. De his namque prouinciis scilicet de Viennen. Tarentasien. Ebredunen. Arelaten. Aquen. Narbon. Bituricen. Auxinaten. Tarraconen. Cæsaraugusten. Burdegalen. & Tolosan. ad præfata Tholosan. & montis Pessullani studia transmittantur: Qui verò ad Stellam mitti consueuerunt, Salamanticam destinentur, exceptis illis de Regno Nauarræ, qui mittantur ad ipsum studium Tolosan. Sed Alemanni diriganțur ad studium Meten. pro dictis scientiis primitiuis, ad quod quidem Meten. studium, nullus de generatione Claræuallis mittatur inuitus. Bononiam autem Italici, & Exoniam, Anglici, Scoti, Vallenses, & Hybernici destinentur. Sed ad studium Parisiẽse, quod est cæteris præcipuum, & fons omniũ studiorum indistinctè mittantur ex omnium natione vel generatione secundum modum inferius annotatum, videlicet quod Abbates, Monachos illos quos habebunt ad dicta Studia mittere, ad ea de consilio Patris Abbatis vel Visitatoris & Conuentus proprij aut sanioris partis eiusdem Conuentus, transmittere teneantur. Sic tamen quod mittantur magis dociles, & idonei, necnon ad proficiendum dispositi, & quod tali tempore transmittantur, quod prima die mensis Octobris, vel circa, in Studio Parisiensi existant, in aliis verò Studiis in B. Lucæ, vel omnium Sanctorum Festis infallibiliter sint præsentes.

Quot è quolibet Monasterio ad Studium mitti debeant.

§. 44. Numerus autem mittendorum videtur sufficere provt sequitur, consideratis oneribus iam dicti Ordinis, & temporum qualitate, scilicet de quolibet Monasterio cuiusque Prouinciæ, seu generationis in quo sunt, vel erunt, aut esse poterunt, quadraginta Monachi vel supra, Parisios debent mitti duo. De quolibet verò Monasterio in quo sunt, vel esse poterunt triginta Monachi & supra, vsque ad quadraginta Monachos exclusiue, ad idem studium Parisiense debeat mitti vnus. Et de quolibet Monasterio in quo erunt, vel esse poterunt decem & octo Monachi, & supra vsque ad triginta Monachos exclusiue, ad alia generalia Studia, vel Parisios, si mittentes maluerint, debeat similiter vnus Monachus destinari. Ad Metense autem Studium cum fuerit institutum, de quolibet Monasterio generationis dicti Monasterij Mormundi quantum ipsa generatio se in Alemaniam, & vltra Rhenum extendit, in quo erunt vel esse poterunt à decem & octo Monachi inclusiue vsque ad triginta Monachos exclusiue, vnus mittatur ad minus pro scientiis primitiuis. Pro quibus dummodo ipsi mittentes ad illud mittant, destinare ad alia non cogantur.

Studentium prouisiones taxat.

§. 45. Prouisionem equidem studentium taliter limitamus, & sufficientem esse conspicimus, videlicet quod Magister Regens Parisiensis de communi contributione dicti Ordinis, vel de redditibus communibus octoginta libras Turonensium paruorum, & à Monasterio proprio vigintiquinque libras eiusdem monetæ, pro bursa & aliis necessitatibus suis. Baccalarius verò Regens Parisiis, de dicta communi vigintiquinque, & à proprio Monasterio alias vigintiquinque, pro bursa & aliis necessitatibus eius. Ac lector Bibliæ in eodem Studio de præfato communi, decem, & à proprio Monasterio viginti libras ipsius monetæ, percipiant annuatim. Quilibet verò scholarium studens in ipso Studio, viginti libras dictæ monetæ à proprio Monasterio pro bursa & aliis necessitatibus suis percipiat similiter annuatim. Sed in aliis Studiis Abbates ipsorum Studiorũ Rectores, Magistro in Theologica facultate in illis Regenti, de quadraginta libris prædictæ monetæ pro bursa & aliis necessitatibus suis prouidere annis singulis teneantur. Quando autem Baccalarius in eisdem Studiis reget, vbi commode non reperiretur Magister, teneantur dicti Abbates dicto Baccalario de triginta libris prædictæ monetæ pro bursa & omnibus necessitatibus suis annis singulis prouidere.

Lectio Bibliæ sit in quotunque studio generali.

§. 46. Ordinamus quoque vt in quolibet generali prædictorum Studiorum vnus, qui Bibliam biblice, seu textualiter continue legat, existat, cui vltra quindecim libras iam dictæ monetæ, quas percipiat à proprio Monasterio pro bursa centum solidi eiusdem monetæ pro omnibus aliis necessitatib⁹ suis annuatim à cellarario de bursis scholarium tribuantur. Quilibet autem scholaris in dictis aliis Studiis generalibus præter Studium Parisiense, ac in dicto Studio Metensi quindecim libras prædictæ monetæ à proprio Monasterio pro bursa & omnibus aliis necessitatibus suis percipiat annuatim. Siquidem omnes prouisiones huiusmodi tam Abbates dictorum Studiorum Rectores, quàm Abbates proprij, provt quemlibet eorum continget seu tangere poterit, mittere teneantur ad dicta Studia eorum sumptibus, & illas ibidem soluere, terminis superius designatis, quibus ipsi mittendi esse debent in Studiis memoratis.

Studiorum expensas facientes iurent vt hic.

§. 47. Cellararij verò & alij expensas dictorum Studiorum facientes, teneantur iuramentum præstare, quod omnia quæ recipient de prouisionibus ipsorum Studiorum & studentium fideliter dispensabunt, & tenebuntur etiam reddere rationem de receptis & expensis in fine cuiuslibet mensis, præsentibus Magistro, seu Lectore dictorum Studiorum Baccalario, & prouisore, ac septem aliis discretiorib⁹ scholaribus, quos dicti Prouisor, Magister & Baccalarius ad id deliberauerint aduocandos.

Abbates cessantes mittere studentes cũ dictis prouisionibus, pœnam substinent.

§. 48. Et vt ipsi Abbates qui ad mittendum & prouidendum adstringuntur, provt superius est expressum, diligentiam adhibeant, & abiiciant desidiam in præmissis, volumus & ordinamus quod Abbas, qui dictis terminis Monachos, seu Monachum quemadmodum prætactum existit, non miserit cum prouisionibus supradictis, teneatur elapso mense duplum prouisionum huiusmodi suis expensis mittere ad Studium antedictum. Cuius quidem dupli medietas studenti pro quo mitti debebant, pro libris applicetur emendis, & alia in vsus communes aliorum studentium per Cellararium conuertatur. Et si dictus Abbas duplum præfatum, vt præfertur, infra sex menses dictos terminos immediate sequentes non miserit, ei sit eo ipso elapsis ipsis sex mensibus ingressus Ecclesiæ interdictus, dictasque pœnas incurrant Abbates eorundem Studiorum Rectores, qui dictis terminis non miserint, & non soluerint prouisiones præfatas, provt superius est descriptum. Quod si prædicti pœnas huiusmodi per tres menses dictos, sex immediate sequentes pertinaciter tolerarent, eo ipso à diuinis officiis sint suspensi.

Prouisores animarũ Studentium deputantur.

§. 49. Et vt eisdem studentibus animarum cura non desit, volumus & ordinamus, quod in eisdem Studiis generalibus, Abbates ipsorum Studiorum Rectores, deputent idoneos Prouisores, qui curam habeant animarum studentium in eisdem, quique illos corrigant & absoluant sicut proprij Abbates subditos propriè corrigere, & absoluere possunt in Monasteriis eorundem, propter hoc tamen dicti studentes à potestate proprij Abbatis exempti aliquatenus non existant.

Quod si quis de Ordin. Cisterciẽ. in studio Parisien. assignatus, sit dispositus ad Magisterium Theologiæ, vel Baccalarium non remoueatur, &c.

§. 50. Vbi autem erit aliquis de Ordine ipso in Parisiensi studio assignatus, qui sit vitæ laudabilis, aliásque idoneus & discretus, & ad Baccalariatum, vel Magisterium Theologiæ dispositus & propitius, Abbas Cisterciensis qui est pro tempore, cum consilio Magistrorum, Baccalariorum & Prouisoris domus studentium Parisiis, mandet Abbati proprio, quod talem non reuocet, sed eum permittat in huiusmodi licentia perfici, & ad statum Baccalariatus, ac honorem Magisterij prouehi, lecturamque continuare, provt ipsis Ordinis generale Capitulum ordinabit, possit tamen ipsum generale Capitulum, deficientibus Magistris, seu Baccalariis in Theologia, talem etiam ante Baccalariatum vel Magisterium in quolibet prædictorum generalium Studiorum, principalem deputare Rectorem, vt eidem generali Capitulo visum fuerit expedire.

§. 51. In

Studentes Ordinis iura Canonica nō audiant.

§. 51. In fauorem vtique studij eiusdem Theologiæ, vt ab alumnis eiusdem Ordinis studentibus, illi feruentius attendatur, statuimus, ordinamus & prohibemus expresse, quod in nullo dictorum Studiorum, legantur vel audiantur iura Canonica, nec etiam extra illa, per aliquem studentium eorumdem, quod si quis contrarium attentare præsumpserit, sit eo ipso ad claustrum suum, ab huiusmodi studio reuocatus. Nec cellararius dictorum Studiorum ex tunc in aliquo illi prouideat, sed incontinenti ad proprium Monasterium remittatur, de transgressione ac inobedientia huiusmodi secundum arbitrium Abbatis proprij puniendus.

Officiales idonei pro obsequio Studentium deputentur.

§. 52. Et vt in dictis Studiis pro studentibus in eis necessaria non desint obsequia, volumus & ordinamus, vt præfati Abbates ipsorum Srodiorum Rectores, in eis prouideant de Cellarariis, & aliis Officialibus idoneis, prout necessitas, vel vtilitas cuiuslibet Studiorum requiret ipsorum. Quodque ipsi Cellararij & Officiales, iuramentum præstabunt de fideliter dispensando, ac de receptis & expensis cautionem reddendo, quemadmodum superius est expressum.

Qui Rectores & Officiales in Parisiensi & aliis studiis eligantur & à quibus.

§. 53. Et quia decet & expedit vt inter Studia cetera, Studium Parisiense refloreat, & iuge sine intermissionis dispendio habeatur, statuimus & ordinamus, quod in eodem Studio Parisiensi deputentur Magistri, Baccalarij, & Lectores Bibliæ, ac Prouisores, Cellararij, & alij Officiales prædicti Ordinis, per Capitulum generale. Quod si ipsi, vel aliquis eorum deficiant, seu ex aliqua causa, Magistri, Baccalarij, & Lectores lecturā assumere, vel continuare, aut Cellarij, & Officiales præfati, sua officia exercere nequirent, subrogentur alij loco eorum per Visitatorem illius anni, vsque ad sequens dumtaxat Capitulum generale. In aliis etiam Studiis generalibus, Magistri, seu Lectores principales per dictum generale Capitulum deputentur. Alij verò minores Rectores & Officiales, per Abbates eorumdem Studiorum Rectores debeant deputari. In ampliorem namque fauorem & continuationem durabilem studij huiusmodi Theologiæ iam dictæ statuimus & ordinamus, quod quamdiu pro dictis Studiis generalibus, pręter Bononiense, Salmantinum, & Metense Studia, Magistri in Theologia idonei de præfato Ordine in eodem Studio Parisiensi, vel si non ibi, alibi poterunt reperiri, teneatur idem Capitulum generale, Magistrum in Theologia principalem deputare Lectorem, alioquin magis idoneum Baccalarium, quem ad hoc poterunt Parisiis, vel si non ibi alibi reperiri, quos dictum Capitulum generale ad suscipiendum & continuandum lecturam huiusmodi, si necesse fuerit per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna remedia, sublato appellationis obice, etiam auctoritate Apostolica coarctandi, dictu Capitulo ac Definitoribus ipsius, necnon Abbatibus dictorum Studiorum Rectoribus, communiter vel diuisim plenam atque liberam tenore præsentium concedimus potestatem. Præfato insuper Capitulo generali similem potestatem concedimus, compellendi, appellatione remota, per censuram & remedia huiusmodi, Abbates ipsorum Studiorum Rectores, ad recipiendum Magistrus in Theologia, & Baccalarios ad prędictam lecturam, & ad prouidendum eisdem de communi contributione ipsius Ordinis, & pro bursa & aliis necessitatibus, annis singulis, prout de prouisionibus huiusmodi est superius limitatum. Ipsi verò Magistri non pompose manere, seu laute viuere præsumant in Studiis antedictis, sed humiliter & deuote legant, cibis competentibus vescantur, & vno solo seruitore clerico sint contenti. In Studio autem Metensi prouideat de Lectoribus, & aliis Officialibus domus studentium, Abbas supradicti Monasterij Morimundi, qui est, & qui pro tempore fuerit, de consilio sui Conuentus, vel maioris & sanioris partis eiusdem, prout sibi videbitur expedire.

Doctorandi quid iurare quodve obseruare debeant.

§. 54. Et cum sit dedecens & deforme, vt quis, præsertim Religiosus cum vanitate & imperitia Cathedram ascendat præeminētiæ magistralis, statuimus & ordinamus, quod de cetero nullus de Ordine prædicto assumatur ad recipiendum magisterij seu doctoratus honorem, nisi prius per eum præstito iuramento in præsentia Prouisoris & studentium ipsius Ordinis tunc præsentium in Studio in quo huiusmodi honorem recipere voluerint, seu maioris partis numero eorundem, quod in assumptione ipsius honoris, vel ante seu post occasione illius, circa cibos, vestes, vel alia non expendat per se, vel per alium vndecumque habuerit, vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit, vltra valorem mille Turonensium argenti expendi permittat ab aliis eius consanguineis vel amicis. Baccalarij etiam iurare similiter teneantur in præsentia prædictorum, quod occasione Baccalariatus sui, vel ante, seu post nullum festum seu conuiuium faciant, per se vel alium, seu fieri permittant, quantum in eis fuerit, à quibuscumque aliis eorum consanguineis vel amicis.

Qui cursus Biblia facere & qui sententias legere possint.

§. 55. Adhæc denique statuimus & ordinamus, quod quicumque dicti Ordinis, qui tamen in eodem Studio Parisiensi vel in aliquo alio prædictorum generalium ipsius Ordinis Studiorum per sex annos in Theologia studuerint, & ad hoc idonei extiterint in dicto Studio Parisiensi possint cursus Bibliæ facere, & qui per octo annos studuerint, vt præfertur, sententias legere in Parisiensi studio memorato.

Derogatio contrariorum.

§. 56. Non obstantibus, quibusvis statutis & consuetudinibus, ac obseruantiis Ordinis Monasteriorum, locorum Cunuentualium & Studiorum sæpe dictorum contrariis, iuramentis, confirmationibus Apostolicis, aut quibusvis firmitatibus aliis roboratis, & illo præsertim statuto qui in eodem Studio Parisiensi cauere dicitur, quod nullus possit legere cursum Bibliæ, nisi ibidem studuerit septem annis, quodque non permittatur sententias legere, nisi etiam inibi studuerit decem annis, prout sic vel aliter in statutis ipsius studij Parisiensis dicitur contineri. Necnon quibuslibet priuilegiis, indulgentiis & literis Apostulicis, Ordini, Monasteriis, locis Conuentualibus, & Studiis præfatis, siue vniuersitatibus Magistrorum & scholarium eorundem, in contrarium concessis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum, & ordinationum nostrarum omniumque aliorum & singulorum contentorum in eisdem præsentibus valeat quomodolibet impediri, & de quibus quorumque totis tenoribus plenam & expressam oporteat in nostris literis fieri mentionem.

Iussit hanc constitutionem in 1 Capitulo generali & annis singulis in aliis legi, & etiā semel in anno in particulari Capit. cuiuslibet loci.

§. 57. Ne autem supradicta, vel aliqua, seu aliquod eorundem in obliuionis lubricum deducantur, seu paruipendantur ab aliquo, quinimo vt de ipsis nunc & perpetuis futuris temporibus notitia certior habeatur, eadem auctoritate statuimus, ordinamus, & districte iniungimus, vt in primo generali Capitulo dicti Ordinis, & deinceps singulis annis, in eodem Capitulo generali, ac semel quolibet anno in quocumque Monasteriorum, & locorum Conuentualium prædicti Ordinis, omnibus Monachis eorum in Capitulo ad hoc specialiter congregatis, præmissa omnia & singula de verbo ad verbum legantur, & etiam publicentur. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum apud Pontem Sorgiæ Auenionensis diœcesis, 4. Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno primo. *D.P. A. 1. die 12. Iulij.*

Definitio quorundam articulorum circa Beatorum visionem, animarumque beatitudinem, & damnationem. IV.

Circa verò Imagines defunctorum cum opinione sanctitatis nondum à Sede Apostolica Beatificatorum, vel Canonizatorum cum splendoribus, & laureolis non proponendas, vel tabellas, aut luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & circa attestationes de miraculis eorum asseruandis, seu in libris imprimendis vide quæ sanciuit S. D. N. Vrb. VIII. Const. 37. Sanctissimus ins. tom. 4.

BENEDICTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1336.*

BEnedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui Sacrosanctam Romanam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam vt vineam plantauit dextera

dextera sua, quamque vt præcipuam io Ecclesiatum omnium caput erexit vt victricem,* dicente Domioo ad Petrum: Tu es Petrus, & soper hauc Petram ædificabo Ecclesiam meam, sua miseratione non desetit, seu per beatos Apostolos soos, præcipuè Petrum & Paulnm singulares eiusdem Ecclesiæ defensores, pia benignitate & continua pietate custodit: quatenus eisdem rectoribus gubernata, in se stabilis maneat, fundata supra firmam petram, omnesque Christianæ fidei cultores illi obediant, illi pareat, illi ioreodant, sub illius magisterio degant, sub eius disciplina & correctione consistant: Noo in illa dogmatizetur improuidum, inseratur iocautum, in fide temerarium ingeratur: Sicque declinent homines à malo, & faciant bonum, ambulent per vias rectas, & ad meliora per sancta desideria proficiscantur, vt sperent iustorum propinquas æternæ vitæ retributiones, timeant malorum inferni calamitates non remotas. Nam scriptum est: Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique iuxta opera sua. Qood si secus à qooquam fuerit attentatum, id protinus sua auctoritate, pœnis etiam adiectis, provt expedite viderit, prorsus euellat. Pro qua, vt in seipsa subsistens alios informaret, passionis suæ tempore Saluator noster IESVS CHRISTVS Patrem exorasse perhibetur dicens: Simon, ecce Satanas expetioit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem pro te rogaui, vt oon deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

* alias veritatem.

Romana Ecclesia, est consilia definire & corrigere.

§. 1. Sanè dudum tempore fel. rec. Ioannis XXII. prædecessoris nostri: inter noonullos etiam Theologicæ facultatis Magistros, soper visione animarom iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc sæculo decesserunt, vel si fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an diuinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem, & iudicium generale. Et super nonnullis aliis orta materia quæstionis, ipsorum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alij verò secundum suas imaginationes, de visione diuinæ essentiæ ab animabus huiusmodi, diuersa, & diuersimodè ostendere nitebantor, provt ea dictis & scriptis ipsorum noscitor apparere, super reiectis verò suis concertationibus, quas hic caosa breuitatis omittimus, quia ita ex nostris determinationibus inter se etiam * decidebant: Cumque idem prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi separaret in suo coosistorio publico, tam fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum oumero tunc eramos, quàm Prælatis & Magistris io Theologia, qui multi aderant præsentes, iniungendo districtios & mandando, vt super materia de visione prędicta, quando requirerentur ab eo, deliberare vousquisq; diceret quod sentiret. Tamē morte præuētus, sicut Domino placuit, perficere illud nequiuit.

Ioannes ideo Pont. XXII. consuit definire dissentiones quorundā articulorū de quibus hic, sed morte præuentus id perficere non potuit.

* alias dissidebant.

§. 2. Defuncto itaque prædecessore præfato, nos diuina dignatione ad apicem summi Apostolatus assumpti, diligentius atteodentes, quanta, ex præmissis eorum concertationibus non solutis, animarum imminent pericula, quanta exinde possunt scandala suboriri, vt ipsorum varietas pereat, & veritatis soliditas innotescat, habita prius super prædictis sollicita examioatio, & diligenti deliberatione cum fratribus nostris dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de ipsorum Fratrum consilio, hac in perpetuum valitura coostitutione, auctoritate Apostolica definimus.

His modo Pontif. dictas dissentiones terminat cum infrascriptis definitionibus.

§. 3. Quod secundum communem Dei ordinationem, animæ Sanctorom omnium, qoi de hoc Mundo ante Domini nostri IESV CHRISTI passionem decesseruor, necnoo Sanctorum Apostolorum, Martyrom, Confessorum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit quando decedeot etiam in futurum, vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatæ; ac quod animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum, & baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante vsum liberi arbitrij decedētium mox post mortem suam, & purgationem præfatam in illis, qui purgatione hoiusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum, & iudicium generale, post Ascensionem Saluatoris Domini nostri IESV CHRISTI in cœlum, fuerunt, sunt, & erunt io cœlo, cœlorum Regno, & Paradiso cælesti cum Christo, Sanctorum Angelorum consortio aggregatæ, ac post Domini IESV CHRISTI passionem & mortem viderunt & vident Diuinam essentiam visione intuitiua, & etiam faciali, nulla mediante creatura, in ratione obiecti visi se habente, sed Diuina essentia immediatè se nude, clarè, & apertè eis ostendente. Qoodque sic videntes eadem diuina essentia perfruuntur. Necnon quod ex tali visiona & fruitione, eorum animæ, qui iam decesserunt, suot verè beatæ, & habent vitam & requiem æternam, & erunt illorum, qui postea decedēt eam eamdem diuinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante iudicium generale. Ac quod visio huiusmodi diuinæ essentiæ, eiusque fruitio, actus fidei & spei in eis euacuaot, provt Fides & Spes propriæ Theologicæ soot virtutes: Quodque postquam inchoata fuerit, vel erit talis intuitiua ac facialis visio & fruitio in eisdem, eadem visio & fruitio sine aliqua intercisione, seu euacuatione prædictæ visionis & fruitionis contiouata extitit, & continuabitur vsque ad finale iudicium, & ex tunc vsque in sempiternum.

Definitio circa beatitudinem animarū fidelium defunctorum.

§. 4. Definimus Insuper, quòd secundum Dei ordinationem communem, aoimæ decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, vbi pœnis infernalibus cruciantur, & quod nihilominus in die iudicij omnes homines ante tribunal Christi, cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis ratiooem, vt referat vousquisque propria corporis, provt gessit, siue Bonum, siue malum.

Definitio circa damnationem animarum decedentium in peccato mortali.

§. 5. Decernentes prædictas nostras definitiones, seu determinationes & ipsarom singulas, ab omnibus fidelibus esse tenendas. Quicumque autem deinceps prædictarum oostrarum definitionum seo determinationum, ac singularum ipsarum contrarium scienter & pertinaciter tenere, asserere, prædicare, docere, aut defendere, verbo vel scripto præsumpserit, contra eum sicut contra hæreticum modo debito procedatur.

Prohibitio aliter tenendi.

§. 6. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, &c.

Sanctio pœnalis.

Dat. Auenione, 4. Kal. Februarij, Pont. nostri anno 2.

Dat. V. A. 67 die 29. Ian.

Ordinationes & reformationes pro bono regimine Monachorum Nigrorum Ordinis S. Benedicti. V.

Huius Ordinis extat praclara Congregatio Cassinensis, de qua dicam tibi infr. in constit. 2. Eugen. IV. Dispositione.

BENEDICTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1338.

SVmmi magistri dignatio nos (quanquam immeritos) miseranter in Apostolici magisterij Cathedra collocauit, vt nedum præsimus, sed prosimus pariter operibus & exemplis, super cunctum gregem Dominicum, nostræ fidei fiducialiter creditum vigilemus, & labores capessamus assiduos, vt nobis & aliis salutis commoda procuremus. Proinde oamque inter cæteros Ordines religiooesque sacras in triformi conflictu militantis Ecclesiæ strenue dimicantes, ad sacram religionem Monachorum nigrorum nostræ dirigentes attente considerationis intuitum, optamus in Domino IESV CHRISTO, vt sicut ipsa religio à mari vsque ad mare per incrementa temporum suos palmites dilatauit, sic per vniuersa Orbis climata virtutum radiis luminosis iugiter illustretor. Et quanquam circa illius salubrem & felicem statom eiusque attinentias, tam per regulares institutiones almorum patrum qoi de hoc sęculo feliciter transiuerunt, quam etiam per iuridicas sanctiones prouisom existere dignoscatur: Nos tamē ob zelum amplioris salutis, & maioris prosperitatis eiusdem intra nostra præcordia, & cum oonnullis ex fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & dilectis filiis Petro Cluniacensi, Ioanne Casedei Gilberto Massiliensi, Raymundo Salmodiensi, Guillielmo Montisoluti & Gregorio Ysidorensi Monasteriorum Abbatibus eius-

Proœmium.

dem religionis, decretorum Doctoribus, diliggenti tractatu præhabito, & super eo digesta deliberatione secuta, vt eadem religin in diuini cultus obsequio floreat, honestatis candore fulgeat, disciplina regulari præemineat, sapientiæ ac scientiæ diuinæ pariter & humanæ (sine quibus mortalium vita non regitur) fulgoribus rutilet, nec decrescat in profectu substantiæ temporalis, sed potius augeatur, vigeatque inter Cœnobitas suos charitatis soliditas, & persistat sanctimoniæ fortitudo, in virtute Dominica confidentes, vt præmissa valeant, cooperante superna omnipotentia efficaciter prouenire, auctoritate Apostolica, statuta edimus, & ordinationes facimus quæ ordinatim subscripta serie describuntur, quæve vbique terrarum & locorum infra & per ipsam religionem eadem auctoritate volumus perpetuis futurisque temporibus firmiter obseruari. Per editionem nempe statotorum & ordinationum prædictorum, non intendimus aliis iuribus institutis (qua enus eisdem statutis & ordinationibus expressè non obuiant,) aliquateous derogare, sed illa potius approbare.

Confirmatio c. 7. de statu Monachorum.

§. 1. Subiunctiuè igitur statuta, & ordinationes huiusmodi explicantes, constitutionem Concilij generalis de communi Capitulo Abbatum, atque Priorum Abbates proprios non habentium, in singulis Regnis siue Prouinciis faciendo, de triennio io triennium volumus exactè, ne committatur neglectui obseruari.

CAPVT PRIMVM.

Capitulis prouincialibus.

STatuimus & etiam ordinamus, quod io Ordine seu religione dictorum Monachorum nigrorum in singulis prouinciis per nos inferius depotatis, fiat in loco ad hoc deputando de triennio io triennium (saluo iure Diœcesanorum) commune seu prouinciale Capitulum Abbatum, & Priorum Abbates proprios non habentium, aliorumque Priorum Ecclesiarum Cathedralium ipsius Ordinis seu religionis, vel aliorum maiorum in ipsis Ecclesiis post Antistites eorum existentium, quocumque nomine nuncupentur, cæterorumque Prælatorum Abbates proprios non habentium, vt præfertur exemptorum Ordinis seu religionis eiusdem. Ad quod quidem Capitulum (iusto impedimento cessante) prædicti Abbates, Priores, & Prælati alij conueniant vniuersi. Et circa id ad reformationem Ordinis seu religionis huiusmodi & obseruantiam regularem adimplere studeant, quæ in constitutione huiusmodi explicantur: Qui verò ad ipsum Capitulum personaliter venire nequiuerint: ad allegandam iusti impedimēti causam commonachum suum eiusdem Ecclesiæ vel Monasterij (si commodè fieri valeat) alioquin alium idoneum cum sufficienti mandato causam excusationis sufficientem & claram, & etiam potestatem in animas eorum iurandi veram esse causam huiusmodi exprimentem, ad dictum Capitulum transmittere teneantur: reseruato Præsidentium huiusmodi prouincialibus Capitulis arbitrio. Quorum potestas de vno prouinciali ad aliud prouinciale Capitulum babeat perdurare: vt pro eorum arbitrio decernere valeant, an causa excusationis vel causæ excusationis, vel causæ excusationum, cum diuersæ allegatæ fuerint, sufficientes vel insufficientes existant: & quod cuiquam non sit licitum ab eorum decreto super hnc friuole appellare, vel quovis modo alio reclamare. Non venientes autem, legitimo impedimento cessante, vel excusatorem & procuratorem commonachum suum, vel alium idoneum cum sufficienti mandato ad illud, vt præmittitor, non mittentes: teneantur duplum eius quod expensuri fuissent ad prædictum Capitulum veniendo, & in eo morando ac redeundo ab ipso, iuxta eorundem Præsidentiom arbitrium, seu maioris partis eorum æstimando, in termino per ipsos Præsidentes statuendo exoluere, in vtilitatem ipsius prouincialis Capituli conuertendum. Quodque possint ipsi Præsidentes illos ad doplum huiusmodi exoluendum per censuram Ecclesiasticam auctoritate Apostolica coërcere. Eorumque super hoc faciendum processum, & ferendas sententias publicare seu publicari facere in locis Ordinis seu religioniaeiusdem. Et quod circa ipsum duplum in totum vel in partem nulli valeat gratia fieri, vel remissio indulgeri. Et nihilnminus contra non venientes præfatos, maximè si se malitiosè subtrahant, vt correctionem euitent, siue vt nesciatur status Ecclesiæ vel Monasterij eorundem, alias, prout dictis Præsidentiboa, seu maiori parti eorum visum fuerit procedatur, ipsorum absentia non obstante. Circa Præsidentes namque ac Visitatores in eisdem Capitulis deputandos, & alia omnia in eis exequenda, illa seruentur, quæ in dictia generalis Concilij & fel. rec. Honorij Papæ III. prædecessoris nostri constitutionibus expressius continentur. Seruatis tamen statutis, ordinationibus & adiectionibus nostris suprascriptis & infrascriptis, quemadmodum modificatur & perstringitur in eisdem. Et quia Prælatorum & Monachorum ipsius Ordinis seu religionis regularis est institutio & obseruantia salutaris, decernimus, Priores Ecclesiarum Cathedralium Ordinis seu religionis eiusdem, aut maiores in ipsis Ecclesiis post earum Antistites existētes, ac post ipsos Antistites regularem curam Monachorum habentes, quocumque nomine censeantur, ad conueniendum in ipsis Capitulis prouincialibus sub modis & pœnis superius designatis, necnon eosdem Priores seu maiores & Capitula, cunctosque Monachos earundem Ecclesiarum sioe Monasteriorum, etiamsi in ipsis Ecclesiis vel Monasteriis, seu extra ea vbicumque Prioratus, officia, vel administrationes habuerint seu moram traxerint, tam exemptos, quam non exemptos, etiamsi ipsi non exempti aliquibus exemptis Antistitibus sint subiecti, fore sub dictorum Capitolorum prouincialium districtionibus, correctionibus, & ordinationibus inclusos & etiam comprehensos, & ad illas sob pœnis quas dicti Præsidentes eis duxerint imponendas per ipsoa Præsidentes ac etiam qnoscumqoe dictarum Ecclesiarum Monachos, præfatos beneficia Monachalia ad easdem Ecclesias pertinentia obtinentes, ad contributionem in expensis moderatis rationabilibos, quas dicti Priorea seu maiores fecerint ad ipsa Capitula veniendo, & in eis stando, ac de illis redeundo per Priores seu maiores prædictos, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam & alia remedia opportuna, sublato appellationis obstaculo, compellendo. Quodque quivis Ordinarij locorum, exempti, & non exempti, nullum prædictis, vel singulis impedimentorum apponant vel apponi permittant: sed legitimis temporibus requisiti, ea omnia & singula faciant executioni mandari, & inuiolabiliter obseruari. Præcauere siquidem intendentes, ne impedimentum accidens conuentioni alicuius prouincialis Capituli obesse valeat, intelligimus & volumus, quod si contigerit Ecclesias Cathedrales, Monachales, Prioribus vel aliis post ipsarum Antistites (existentibus in eis maioribus vt præfertur) vel Monasteria seu loca alia Ordinis aut religionis eiusdem suis vacare seu carere pastoribus, qoi adstricti essent ad conueniendum in prouinciali Capitulo antedicto, tempore, videlicet quo imminebit ipsum prouinciale Capitulum celebrandum: teneantur Capitula Ecclesiarum & Conuentus Monasteriorum, aliorumque locorum Conuentualium prædictorum, personam sufficientem de gremio Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum eorundem (si commodè fieri possit) vel aliunde (dum tamen idoneum) transmittere ad dictum Capitolum, pro faciendis & adimplendis omnibus, quæ facere possent Abbates, Priores, necnon Priores seu maiores in ipsis Ecclesiis Cathedralibus, seu aliis eiusdem locis Conuentualibus Præsidentes præfati, si venissent ad idem Capitulum, & in eo personaliter interessent. Quod autem præmittitur de prouinciali Capitulo de triennio in triennium celebrando, ad cuiuslibet hæsitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus intellectum: scilicet, vt cum vno anno prouinciale Capitulum fuerit celebratum, alio proximo futuro anno ab illo valeat abstineri: & fiat omnino anno tertio subsequenti. Sanè quia superuacuum foret edere sanctiones, si prætermitteretur earum executio, & noo essent qui tuerentur easdem: ordinamus & volumus, vt dictum commune seu prouinciale Capitulum, apud vnum de Monasteriis eiusdem Ordinis, seu religioois ad hoc aptum (si in eadem existat Prouincia) debeat celebrari. Alioquin celebretur in loco alio congruo & securo, de quo, ac de die primi Capituli huiusmodi celebrandi, & aliis opportunè facientibus circa idem, prouidebunt illi, qui super hoc per Sedem

Apostoli

Apostolicam fuerint deputati prima vice. Et vt super eodem Capitulo, & per illud ex tunc in posterum & perpetuo rationabilis ordinatio habeatur: statuimus quod in dicto Capitulo primitus celebrando, & semper in antea successiuè, Præsidentes singulis Capitulis celebrandis, seu maior pars eorum, prouideant & ordinare procurent, per quem in sequenti Capitulo sermo fieri, missaque celebrari debeat. & eligant locum pro celebrando alia vice proxima præfato Capitulo, & qui præsidentes esse debeant in eodem, & sic ex tunc fiat in prouincialibus Capitulis successiuis, Prouideant etiam qui Abbates, qui & quot ac quoties Ecclesias Cathedrales, Monachales, Monasteria, & alia loca eiusdem Ordinis seu religionis, debeant vsque ad ipsum sequens prouinciale Capitulum visitare. Vt igitur de Prouinciis in quibus huiusmodi fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum hæsitetur, quod prouinciæ Remensis, & Senensis, pro vna. Rothomagensis & Turonensis, cum Monasterio S. Florentij veteris, & membris suis, quod in nullo Episcopatu esse dicitur, pro alia Bituricēsis, & Burdegalensis, cum toto Episcopatu Anicien si, pro alia, Narbonensis, Tholosanus, & Anxiatensis, pro alia. Cantuariensis, & Eboracensis, pro alia. Compostellana, & Hispalensis, pro alia. Toletana, pro alia. Brachatensis pro alia. Tarraconensis, & Cæsaraugustana, cum toto Episcopatu Maioricensi, pro alia. Lugdunensis, Bisuntinensis, Tharantasiensis, pro alia. Viennensis, Arelatensis, Aquensis, & Ebredunensis, pro alia. Vrbs Romana, cum Episcopatibus nobis immediatè subiectis, necnon Sublacensi, & Farfensi Monasteriis: quæ in nullo Episcopatu consistunt, in nostra prouincia, constitutis, pro alia. Reginensis, Cusentinensis, S. Seuerinæ, & Rossanensis, cum Miletensi, & Bisignanensi Episcopatibus, pro alia. Consanensis, Acheruntinensis, Tarantinensis, & Hydruntinensis, pro alia. Barensis, Tranensis, Sipontinensis, & Beneuentanus, cum Troiensi, Melphiensi, Rapallaoensi, Episcopatibus, pro alia. Neapolitanensis, Capuanensis, Salernitanensis, Amalphitanensis, & Surrentinensis, cum Cassinensi, & Auersanensi Episcopatibus, & Monasterio S. Vincentij de Vulturno, quod in nullo Episcopatu existit, pro alia. Panormitanus, Messanensis, & Montisregalis, cum Episcopatu Meleuitano, pro alia. Sligomensis, & Coloensis pro alia. Gueznensis, pro alia. Armacanensis, Dublinensis, Cassellensis, & Caumensis, pro alia Regna Scotiæ, pro alia. Boëmiæ, pro alia. Daciæ, pro alia. Nonnegiæ, pro alia. Sueciæ, Sardiniæ, Corsicæ, pro alia. Cypri, pro alia. Prouinciæ Thebanēsis, Atheniensis, Patracensis, Corinthiensis, & Neopacensis, cum toto Patriarchatu Constantinopolitano habeantur pro alia. Patriarchatus Aquileiensis, & Grandensis, ac Prouinciæ Iadrensis, Spalatensis, & Ragusinensis, pro alia, Prouinciæ, Mediolanensis, Ianuensis, & Pisana, pro alia. Rauenna, cum Ferratiensi, & Placentinensi Episcopatibus, pro alia. Maguntinensis, cum Episcopatu Bambergensi siue Regno Boëmiæ, pro alia. Coloniensis, & Treuerensis, pro alia. Bremensis, & Maldebulgensis, cum Episcopatu Caminensi, pro alia. Salzburgensis, pro alia. Regensis, pro alia. Cæterum si quis Episcopatus, aut si qua Monasteria, vel loca dicti Ordinis Religionis fuerint, quæ in aliqua dictarum Prouinciarum minimè includantur, quoad prædicta Capitula, de illa Prouincia esse volumus, cui Episcopatus, Monasteria, & loca huiusmodi viciniora existent.

CAP. II.

De Visitatoribus.

Porrò Visitatores, qui secundum prædictam constitutionem ipsius generalis Concilij fuerint in huiusmodi Prouincialibus Capitulis deputati, sint idonei, sollicici & discreti circa visitationis eorum officium exequendum: & cuncta obseruent, quæ in præfata eiusdem Concilij & alia dicti Honorij, prædecessorum nostrorum constitutionibus statuta existere dignoscitur, quod si Visitatores ipsi illa exequi omiserint negligentes, eas pœnas incurrere volumus ipso facto, quas incurrunt hi qui non veniunt ad Capitulum prouinciale, præpeditionem Canonicam non habentes, Et quia cupimus vt huiusmodi præfatorum Visitatorum officiū cum omni sinceritate procedat: interdicimus quod nullus Visitatoris sibi deputati eodem anno esse valeat Visitator, Prædicti autem Visitatores vel familiares eorum in Ecclesia Cathedrali, Monachali, vel Monasterio, seu loco alio ipsius Ordinis, seu religionis ad quæ visitationis causa duxerint declinandum, vltra duos dies nequaquam remaneant: nisi euidens necessitas, vel magna vtilitas Ecclesiæ, vel Monasterij, seu loci huiusmodi per eos Visitatores, ampliorem inibi moram Visitatorum vel familiarium exigerent eorundem, sed tunc id efficiant de Ecclesiæ, vel Monasterij, seu loci huiusmodi præfatorum consilio seniorum: nec Visitatores seu familiares ipsi, eisdem Ecclesiis, Monasteriis & locis visitatis onerosi & graues existant. Non sumptuosas epulas quærant: sed cum gratiarum actione recipiant, quod illis honestè & competenter fuerit ministratum. Dicti quoque Visitatores & familiares ipsorum, nullam pecuniam huiusmodi occasione, seu quolibet alio modo recipiant, nec ipsi vel quisquam suorum aliquod munus, quodcumque sit, vel qualitercumque offerant, præsumant recipere: vt non quæ sua sunt videantur quærere, sed quæ CHRISTI. Vnde statuimus & ordinamus, vt vniuersi & singuli Visitatores huiusmodi, vel familiares ipsorum, qui præter expensas eis duntaxat in victualibus exhibendas, exigere vel recipere pecuniam etiam à volente; quod si ipsi vel quisquam suorum familiarium, similiter munera recipere quoquo modo præsumpserint: duplum eius quod receperūt, Ecclesiæ vel Monasterio, seu alteri loco ipsius Ordinis seu religionis eiusdem, à qua vel à quo id receptum fuerit, infrà mensem reddere teneantur. Alioquin ex tunc Visitatores huiusmodi duplum ipsum eis vltra huiusmodi tempus restituere differentes, ab officio huiusmodi & beneficio nouerint se suspensos, quousque huiusmodi grauatis Ecclesiis, vel Monasteriis, aut locis, de huiusmodi duplo plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, libertate vl gratia valituris. Et nihilominus (si expedierit) ipsi Visitatores sic suspensi, per Præsidentes dictis Capitulis, & eorum quemlibet ad restitutionem præfati dupli auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam & alia opportuna remedia, remoto appellationis obice, compellantur. Et quia procedit de virtute prudentię, si via scandalis præcludatur: inhibemus Visitatoribus memoratis, ne illos, seu eorum nomina, qui ei aliqua secreta in Visitationibus reuelauerint, præsumant aliis reuelare: nisi tunc demum eum propter reuelata huiusmodi, ad alicuius punitionem vel pœnam fuerit procedendum. Aliter autem huiusmodi reuelantes puniantur plus vel minus prout facti qualitas exiget, secundum arbitrium Præsidentium eorundem.

CAP. III.

De Capitulis generalibus, & reddendis rationibus.

Rursus quia Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis eiusdem Ordinis seu religionis, ad salutem & prosperitatem noscitur prouenire, cum in eorum singulis annuatim generale Capitulum celebratur: in quo alij Abbates, Priores, Prælati & administratores eis subiecti Ordinis seu religionis ipsius conueniāt die præstituto in illis in quibus statutum existit: dieque statuendo in illis in quibus nondum ad hoc dies huiusmodi constitutus, vt membra suo capiti consonent, & caput respiciat sua membra: Statuimus & etiam ordinamus, vt in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis antedictis, die statuto vel statuendo, singulis annis generale Capitulum celebretur, in quo cum Prælatis eorum alij Abbates, Priores, prælati & administratores immediatè eisdem subiecti, studeant conuenire, ad tractandum de reformatione huiusmodi Ordinis seu religionis, & obseruantia regulari, necnon corrigant, & reforment ibidem tam in spiritualibus quam in temporalibus, quæ corrigenda fuerint ac etiam reformanda. Et in quo tam Abbates, Priores, seu administratores principalium Monasteriorum & administrantes in ipsis Ecclesiis Cathedralibus, quam prædicti alij subiecti de administrationibus cuiuscumque ipsorum, reddant in scriptis (quamuis non requisiti) rationem fidelem: summas videlicet rerum principalium & grossarum, quoad receptas & expensas annuas veraciter explicandi: necnon quanta & qualia supersint & etiam debeantur: & ex qua causa, & à quibus personis, aut desint etiam veraciter exprimendo. Qui verò legitimè præpediti ad Capitulum huiusmodi venire nequiuerint

procuratores idoneos sufficienter instructos, cum sufficienti mandato excusationum suarum, causas rationabiles etiam exprimente, cum potestate iurandi in eorum animas, causas huiusmodi fore veras, & reddendi rationem prædictam, & alia faciendi quæ ipsi facerent, si præsentes existerent, ad illud transmittere teneantur. Quod si non venerint non impediti legitime, vel non transmiserint ad idem Capitulum (vt præfertur) pœnis subiaceant superius contra non venientes ad Capitula prouincialia constitutis. Quorum compulsio, & ipsarum pœnarum executio, ad Abbatem illius Monasterij principalis in quo ipsum Capitulum celebratur, vel ad illum qui maior est post Antistitem in illa Cathedrali Ecclesia in qua celebrari continget Capitulum prælibatum, auctoritate Apostolica pertineat: prout supra de Præsidentibus prouincialibus Capitulis est statutum. Et quia memoriam perpetuat & cautelam adiicit conseruatio scripturarum: volumus & ordinamus quod duæ scripturæ consimiles fiant, rationes huiusmodi continentes: quarum vna penes illum qui Ecclesiæ post Antistitem, seu Monasterio, vbi dictum Capitulum celebrari contigerit, præsidebit: & alia in arca, pro sigillo Capituli Ecclesiæ vel Conuentus Monasterij præfatorum deputata vel deputanda: seu alio loco competenti, (de quo huiusmodi Præsidenti, & Capitulo, seu Conuentui vel maiori parti eius videbitur) ad cautelam & prouidentiam necessariam & vtilem conseruentur. Volumus insuper, vt Cellarij, Camerarij, Hospitalarij, Eleemosynarij, Infirmarij, & alij Officiales quicumque quocumque nomine censeantur, victum seu vestitum, conuentui vel aliis in dictis Ecclesiis vel Monasteriis, siue locis Conuentualibus ministrantes, rationem plenam & explicitam de receptis, expensis, ratione administrationũ vel officiorum huiusmodi ter annuatim (computata ratione quam reddiderint in generali Capitulo vt præfertur) in fine scilicet cuiuslibet quarti mensis, etiam irrequisitis prælatis, qui Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis Conuentualibus præsunt & præerunt antedictis, & Capitulis seu Conuentibus eorumdem, aut illis Discretis qui ad rationem ipsam audiendam & fideliter eis referendam deputati fuerint, reddere teneantur. Prouiso attentius quod illi ex huiusmodi administratoribus, Prioribus seu officiatis, qui grauia & enormia crimina commiserint, vel committent, vel alias demeriti fuerint; siue per annum excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias rationabiliter in eos latas pertinaciter tolerabunt, & de his conuicti fuerint, vel alias legitime constiterit, ab eorum superioribus cum consilio seniorum Ecclesiarum vel Monasteriorum seu locorum prædictorum, nedum à suis administrationibus, Prioratibus vel officiis seu beneficiis amoueri valeant; sed ob crimina vel demerita huiusmodi, pœnis debitis percellantur: vt sit eis in pœnalis confusionis opprobrium, & perniciosum non transeat aliis in exemplum. Ne verò per cuiuspiam calliditatis ingenium euenire contingat, quin Capitula prædicta celebrentur locis & temporibus debitis, quemadmodum superius est distinctum, quia forte prætenderetur occasio, quod Ecclesiæ, Monasteria, & loca prædicta grauata forent, & sumptus existerent euitandi: Nos prouidere volentes, ne Capitulorum ipsorum generalium tantæ salutis & prosperitatis fructibus obuenturis, malignitatis flatibus resistatur, taliter ordinamus, quod illi qui venire tenentur ad prouinciale Capitulum de triennio in triennium, & ad cuiusuis Ecclesiæ vel Monasterij annuatim Capitula prælibata, viuant cum aliis ipsius loci monachis in communi, & familiaribus suis clericis & laicis & etiam euectionibus, extra Ecclesias, vel Monasteria, & loca ipsa, de suis propriis redditibus prouidere in necessariis teneantur, quauis constitutione seu consuetudine contrariis non obstantibus. Licet autem circa rationes de administrationibus & officiis (vt præmittitur) reddendas, duxerimus prouidendum: quia tamen veritatis claritas latebras non requirit, sed metas potius parentis claritatis exposcit, cautius in hac parte super his Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum præfatorum occurrentes dispendiis, & profectibus prouidentes, volumus vt Visitatores Capituli prouincialis, qui pro tempore fuerint, cum ad Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & loca huiusmodi venerint, eorum officium exequendo, nequaquam omittant, quin de statu spirituali & temporali Ecclesiarum, Monasteriorum & prioratuum & locorum prædictorum plenarie se informent, vt sic reformando vel referendo (prout secundum iura & ordinationes Capitulorum huiusmodi salubrius & vtilius fuerit) Ecclesiis, Monasteriis Prioratibus, & locis ipsis prouidere valeant visitatis, prouiso quod prædicta prouincialia & alia Ecclesiarum & Monasteriorum prædictorum Capitula non concurrant ad inuicem: ne valeat vnum per aliud impediri. Cæterum statuimus, vt omnes & singuli ad eadem Capitula venientes, non ducant, vel duci faciant, seu permittant, euectiones seu familiares in numero superfluo seu quomodolibet excessiuo: sed numero euectionum & familiarium statui eorum cuiuslibet congruo, eos volumus & præcipimus esse contentos. Ipsi autem familiares & alij quos ducent vel duci facient seu tenebunt, sint humiles & honesti, de quibus aliquatenus præsumi nequeat, quod alicui Abbati, Priori, administratori, officiato, monacho, vel cuicumque alteri cum eis seu aliis ad ipsa Capitula venientibus aut in eis morantibus, vel de illis redeuntibus, aut Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, vel aliis eorum locis, inferant per se aut alios sæculares vel regulares, seu quoslibet alios in personis vel rebus iniuriam vel offensam: vel quod in aliquo de dictis Capitulis, aut in aliqua Ecclesia vel Monasterio seu loco vbi celebrabuntur, scandalum suscitare, vel turbationem facere, seu discordiam vel contentionem mouere præsumant. Quod si quis ad inferendum iniuriam vel offensam huiusmodi, vt turbetur, vel impediatur quodcumque de dictis Capitulis, scienter & ex proposito tales duxerit, vel alias tenuerit, seu ad hoc disposuerit aut conuocauerit vel conuocari fecerit: & turbatio vel impedimentum huiusmodi si aliqua ex eis fuerint subsecuta: & qui consentiens extiterit in prædictis, vel aliquo eorundem, aut dans scienter & ex proposito auxilium, consilium vel fauorem: ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. A qua dumtaxat, si sit Abbas vel monachus ipsius Ordinis, per Præsidentes Capitulo prouinciali, seu eorum aliquem quantum ad ea quæ ipsum Capitulũ prouinciale concernent, quantum verò ad illa de prædictis quæ annuale Capitulum vel Ecclesiam seu Monasterium, aut alium locum vbi celebrabitur annuale Capitulum antedictum, seu personas aut bona eorum vel alia concernerent, per Abbatem vel alium huiusmodi annuali Capitulo Præsidentem auctoritate Apostolica. Sæculares verò & alij religiosi à sententiis huiusmodi per locorum ordinarios, tunc demum cum satisfactionem impenderint congruentem, & non ante, possint absolui: nisi commissa huiusmodi talia fuerint, propter quod Sedes Apostolica esset merito consulenda. Et si mors, vel membri mutilatio, seu debilitatio alicuius perpetua, occasione prædictorum secutæ fuerint: talis nedum ad administrationem vel officium seu beneficia aliqua in Ordine seu religione huiusmodi, vel ab illis obtinenda existat inhabilis: sed & obtentis in eis vel ab ipsis sit eo ipso priuatus, quæ aliis & non sibi per illum ad quem collatio aut quæuis alia dispositio pertinuerit, libere conferantur, vel alius de illis canonice ordinetur. Eandem quoque sententiam excommunicationis ipso facto incurrat quilibet, cuiuscumque sit præeminentiæ, dignitatis, status vel conditionis, qui per se vel per alium malitiose impediuerit vel impediri fecerit scienter & ex proposito, quominus prædicta Capitula libere valeant celebrari: quique præsumpserit euntes ad illa vel in eis morantes, seu de ipsis redeuntes capere, capi facere, seu captos detinere aut impedire, vel eis aut eorum familiaribus in personis vel rebus damna, iniurias, vel offensas occasione huiusmodi, vt videlicet turbetur vel impediatur celebratio cuiuscumque ipsorum Capitulorum, inferre, necnon quicumque ipsius Ordinis seu religionis qui prætextu visitationis malitiosè & ex proposito prædicta vel eorũ aliquid per se vel alium commiserit in personas Abbatum, Priorum & aliorum maiorum prædictorum proprios subiectos visitantium, vel in personas Visitatorum in prouincialibus Capitulis: vel per Abbates alios seu prælatos principalium, vel propriorum Mona

Monasteriorum deputandorum, vel familiarium eorundem aut in bonis eorum. Et quicumque prædicti Ordinis, qui in visitationibus hujusmodi vel correctionibus, seu executionibus processus eorum malitiosè impediuerit, vel eis procaciter vel proterue se opposuerit, aut prædicta facientibus consenserit per se vel alium, preces, minas, literas, auxilia potentium, sæcularium, vel laicorum, seu quæcumque alia impedimenta malitiosè procurando, & impediens eundem Ordinem seu religionem ipsam in contributionibus legitimè faciendis. Præsidentes autem prouincialibus & annualibus Capitulis prælibatis, & eorum quilibet, dum simpliciter & de plano eis constiterit aliquem ex prædictis præfatam excommunicationis sententiam incurrisse, ipsum omnia eiusdem Ordinis seu religionis loca vicina de quibus eis videbitur, tandiu solemniter publicent & faciant ab aliis auctoritate Apostolica publicari: eis super hoc non parentes per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, donec congruam satisfactionem impenderint: & per ipsos Præsidētes duntaxat vel per duos eorum ad minus, auctoritate Apostolica fuerit absolutus. Ad hæc tam diuersorum locorum diœcesanis quam aliis personis quæ pro tempore præfuerint ipsis Capitulis celebrandis, vt in virtute obedientiæ districtè præcipimus, vt per censuram Ecclesiasticam, appellatione cessante, compescant Aduocatos, Patronos, Magnates, Rectores, Vicedominos, Consules, milites, seu quoslibet alios, ne Cathedrales Ecclesias, Monasteria, vel alia loca monastica, in personis vel rebus eorum præsumant offendere quoquomodo, & si secus forsan aliud egerint, eos vsque ad satisfactionem debitam, per censuram eandem (appellatione semota) cogere non postponant: vt prælati & alij serui Dei dicti Ordinis seu religionis huiusmodi, liberis & deuotis mentibus Altissimo pensum debitum quotidianum soluere satagant seruitutis.

CAP. IV.

De Subuentionib. & collectis. Profectò cum in sæpè dicta constitutione Concilij generalis inter cætera sit expressum, quod hi qui conuenerint in triennali Capitulo, vitam ducant communem, & simul omnes communes expensas proportionaliter faciant: nos attendentes quod præter expensas huiusmodi, expensæ aliæ nedum pro prouinciali, sed etiam annuali Capitulis prædictis necessariò requiruntur: Statuimus & ordinamus, quod in eisdem Capitulis cuiusquam contradictione vel absentia non obstante, pro libertate necessitatibus, vtilitatibus, expensis communibus, & aliis consuetis (cum onus diuisum in partes leuius supportetur) auctoritate Apostolica fiant, imponantur, seu inducantur collectæ, subuentiones, seu contributiones, secundum arbitrium Præsidentium, seu Definitorum, quoad huiusmodi Capitulum prouinciale vel Abbatis seu alterius Præsidentis, ipsi annuali Capitulo & Definitorum quoad annuale Capitulum antedictum. Vt autem in conseruatione collectarum, subuentionum, seu contributionum huiusmodi, cautela securitatis fideliter habeatur, volumus & ordinamus, vt collectæ quæ fiet in Capitulo prouinciali per tres probos & fideles Abbates seu alios prælatos ipsius Ordinis seu religionis illius prouinciæ, in qua idem Capitulum fuerit celebratum, in aliquo securo Monasterio seu alio loco congruenti; quæ verò fient in singularibus Ecclesiis, Monasteriis, vel aliis locis eiusdem Ordinis seu religionis, per tres probos & fideles Monachos cuiuslibet Ecclesiæ vel Monasterij seu loci, in qua vel in quo (vt præfertur) fient, quorum vnum ponet Abbas vel alius prælatus ipsius loci, alium verò Prior vel priores administratores seu officiarij: & tertium Capitulum Ecclesiæ seu Conuentus Monasterij sui loci huiusmodi in vna arca serata tribus diuersificatis seris & clauibus fideliter collectæ, diligenter custodiātur: & ad vsū dumtaxat eorum pro quibus facta fuerint, & ad nullos vsus alios conuertantur. Pro quibus fideliter conseruandis & complendis, præstent dicti tres Abbates in Præsidentium, & præfati Monachi in Abbatis & Capituli, necnon Conuentus Ecclesiæ vel Monasterij seu prælati alterius loci principalis, vbi dictum annuale Capitulū extiterit celebratum, prudentia, corporaliter iuramentum. Nec fieri valeat alia contributio quandiu aliquid quod sufficiat de prima contributione contigerit superesse. Habeantque dicti præsidentes, & eorum quilibet, quoad huiusmodi prouincialia Capitula, necnon Abbates, Priores, & maiores, seu alij iam dicti potestatem, auctoritate Apostolica supradicta exigendi, colligendi & leuandi collectas, subuentiones & contributiones huiusmodi, ab omnibus & singulis Abbatibus subiectis si quos habeat, & Prioribus, prælatis, administratoribus, officiatis, & beneficiatis quibuscumque qui erunt ipsi annuali Capitulo, seu Ecclesiæ vel Monasterio aut alij loco principali subiecti, & compellendi omnes & singulos antedictos eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, & alia iuris & ipsius Ordinis seu Religionis remedia ad soluendum integre, collectas, subuentiones & contributiones præfatas, prout in huiusmodi prouinciali & annuali Capitulis fuerit ordinatum, super hoc terminis assignatis, ac etiam publicandi & exequendi libere prædicta & processus, ac sententias in Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis, & aliis locis eiusdem Ordinis seu Religionis, quando & quoties eis visum fuerit expedire, nec non absoluendi à dictis sententiis, (congrua tamen satisfactione præmissa) & relaxandi ac tollendi omnes processus, sententias, suspensionis & interdicti: & cum eis super irregularitate, siqua sint ligati, profanando diuina, vel alias se illis immiscendo, non tamen in contemptu in clauium, incurrerint dispensandi.

CAP. V.

De Capitulis quotidianis. Rursus quia per quotidianam & ordinatam factionem Capituli regularis fortificatur & durat neruus monasticę disciplinæ: Statuimus & ordinamus, vt in cunctis & singulis Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis & aliis Conuentualibus, cæterisque locis huiusmodi Ordinis seu religionis, in quibus erunt sex monachi vel supra, & etiam alibi vbi fieri consueuit Capitulum regulare huiusmodi, Capitulum fiat & teneatur die qualibet ordinatim. In quo priusquam ad quæuis alia, procedatur plene (secundum regulam monasticam & Ecclesiarum, Monasteriorū Conuentualium & aliorum locorum præfatorum, consuetūdines approbatas) monachorum seu fratrum excessus, transgressiones, & negligentiæ corrigantur: ac de disciplina & reformatione regulari agatur in illo. Vbi nullus monachus seu frater clamose aut irreuerenter alterum defendere vel sustinere præsumat. Et quotiens regula pronunciata fuerit à lectore per Præsidentem ipsi Capitulo, vel alium cui hoc ipse iniunxerit, eiusdem regulæ sententia vulgariter exponatur.

CAP. VI.

De studiis. Quia verò per exercitium lectionis acquiritur scientiæ margarita, & per studium sacræ paginæ ad cognitionem excellentiæ diuinæ familiarius peruenitur: ac per agnitionem humani iuris, animus rationabilior efficitur: & ad iustitiam certius informatur: Nos cupientes vt viri eiusdem Ordinis seu religionis in agro Dominico laborantes, in primitiuis, ac deinde in diuini & humani, canonici videlicet iurium, scientiis instruantur, constitutioni Clementis Papæ V. & prædecessoris nostri, de monachis in scientis primitiuis instituendis infra monasteria quibus degunt editæ inhærentes, illam volumus & præcipimus firmiter obseruari. Et nihilominus adiiciendo statuimus & ordinamus, vt in quibuslibet Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, prioratibus, & aliis Conuentualibus & solemnibus locis, quibus ad hoc suppetunt facultates Ordinis seu religionis huiusmodi deinceps habeatur magister, qui monachos eorum docet in huiusmodi scientiis primitiuis, videlicet, Grammatica Logica & Philosophia, prouiso attentius vt sæculares instituendi cum ipsis monachis docendis, eisdem in Ecclesiis, Monasterijs, Prioratibus, & locis nullatenus admittantur. Cui quidem magistro, si monachus non fuerit ipsius Ordinis seu religionis, de pane, & vino & pitantia prouidere quotidie, sicut vni ex monahis Ecclesiarū, Monasteriorum, Prioratuum ac locorum, huiusmodi, teneantur illi, qui talia teneantur in eis Capitulis Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & locorum ipsorum, Conuentibus seu Monachis ministrare, necnon pro vestimētis, calceamentis, & salario congrua pensio annua assignetur; quæ tamen viginti librarum Turonensium paruorum summam

ſummam nequaquam excedat, quæ de infraſcripta communi contributione ſoluetur, donec pro ea & penſionibus monachorum, ſtudentium ad generalia, ſeu ſolemnia ſtudia, mittendorum certi & perpetui redditus aſſignati: prout infra expreſſius & plenius continetur. Si vero in Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, vel locis prædictis ſit monachus idoneus ad prædicta, monachus ipſe per Antiſtites in Cathedralibus Eccleſiis, in monaſteriis verò & aliis locis præfatis, per ſuperiores ſuos inſtruere fideliter ipſos monachos in prædictis ſcientiis deputetur: & ad hoc ſi neceſſe fuerit, compellatur. Cui ſcilicet monacho inſtructori decem libræ turonenſes, vltra victum, & veſtitum, pro libris emendi, vel aliis ſuis neceſſitatibus iuxta diſpoſitionem ipſius Antiſtitis, vel dictorum ſuperiorum deputentur. Antiſtites verò & alij ſuperiores prædicti, prædictos monachos qui dociles fuerint, cum conſilio proborum & ſeniorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum & locorum huiuſmodi, eligere teneantur, & ordinare de certo numero eorundem, ac de locis, & temporibus, quibus lectionibus, quibuſve diuinis officiis ſeu obſequiis aliis opportunis intendant. Poſſintque dicti Antiſtites & ſuperiores, dictos magiſtros inſtructores & inſtruendos cum conſilio proborum & ſeniorum prædictorum (prout eis expediens viſum fuerit) remouere, & loco eorum alios ſubrogare. Præcipimus inſuper in virtute obedientiæ cunctis Viſitatoribus in prouincialibus Capitulis deputandis, quod omnia & ſingula de magiſtris, inſtructoribus & perſonis inſtruendis, & aliis circa ea ſuperius ordinata, faciant auctoritate Apoſtolica per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna remedia (appellatione remota) firmiter obſeruari. Et nihilominus ea quæ ſuper prædictis fecerint & inuenerint, Præſidentibus Capitulo prouinciali referant: qui etiam auctoritate Apoſtolica præfata, ſi videatur eiſdem vel ipſorum maiori parti, contra negligentes vel rebelles in præmiſſis fortius procedere non poſtponant.

CAP. VII.

De Studentibus ad generalia ſtudia mittendis.

Cæterum quia expedire dignoſcitur, vt poſtquam præfati monachi in prædictis ſcientiis primitiuis eruditi fuerint, ad ſacræ Theologiæ vel canonum tranſeant facultates: ſtatuimus & ordinamus, vt Eccleſiæ, Monaſteria, Prioratus, & alia loca huiuſmodi, ſingula videlicet eorum cum ſuis membris inferius declarandis, de quolibet numero vicenario monachorum, vnum aptum pro fructu maioris ſcientiæ acquirendo, ad generalia ſeu ſolemnia ſtudia mittere teneantur & quemlibet ipſorum mittendorum de infraſcripta penſione annua prouidere. Sic autem huiuſmodi numerum vicenarium volumus computari, vt illi dumtaxat monachi numerum ipſum efficiant in hoc caſu, qui ſunt ſeu erunt in Eccleſiis, Monaſteriis, vel locis principalibus, & in locis aliis eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis & locis principalibus ſubiectis, habentibus octo monachos ſiue plures, & hi ſolum cum monachis Eccleſiarum Monaſteriorum, & locorum principalium huiuſmodi, in computatione ac miſſione huiuſmodi coniungantur. Declaramus inſuper quod ſi forſan vltra dictum numerum vicenarium aliqui ſupereſſent, qui tamen vicenarium alium non complerent, non propter hoc arctentur ſuperiores eorumque Capitula ſeu Conuentus aliquem mittere ad ſtudia prælibata: niſi alias eſſent ad mittendum plures adſtricti virtute conſuetudinis, ſtatuti vel ordinationis alterius cuiuſcumque, quibus conſuetudini, ſtatuto vel ordinationi, per hæc non intendimus in aliquo derogare. Eligantur quoque, ipſi monachi mittendi, prout in ſcientia Theologiæ, vel iuris Canonici ſeu magis in vna quam in alia ipſarum aptiores poterunt inueniri. Sic tamen quod ſi apti reperiantur pro ipſius Theologiæ ſtudio, ad minus medietas mittendorum pro ipſo Theologiæ ſtudio deſtinetur, vel etiam quanto plures aptiores potuerint inueniri: ac reliqua medietas eorundem mittendorum ad ipſius iuris Canonici ſtudium, tranſmittatur. In electione namque dictorum monachorum ad huiuſmodi ſtudia mittendorum, ſubſequentem ordinationem modificatam duximus adhibendam, quod videlicet quiuis Antiſtes Cathedralis Eccleſiæ monachalis, octo probos & ſeniores monachos ipſius Eccleſiæ per eius Capitulum ſeu maiorem partem ipſius eligendos inter quos non vt prælatus, ſed vt monachus dumtaxat vocem habeat, iuramento infraſcripto adſtringat ad nominandum & eligendum ſecum, mittendos monachos antedictos, ipſeque Antiſtes huiuſmodi monachos nominatos & electos per eũ & alios octo prædictos ſeu maiorem partẽ eorum, licentiare ad huiuſmodi ſtudia teneatur infra tempus inferius declarandum. Quilibet verò Abbas, ſeu Prior, vel alius locum Conuentualem & ſolemnẽ obtinens, quatuor monachos eligat de ſuo monaſterio ſeu loco ſeniores, quos eſſe ſinceriores in zelo, & diſcretiores in iudicio exiſtimauerit: & corporali iuramento adſtringat eoſdem, quod reiectis gratia, odio vel timore quibuſcumque & qualitercumque ſecundum Deum, & prout magis expedire viderint perſonis & locis, cum conſilio inſtructoris ſi monachus fuerit eum iuramento ſimili adſtringendi, illos ex monachis inſtructis in eiſdem primitiuis ſcientiis, & in obſeruantiis regularibus informatis, ſiue in Eccleſiis, Monaſteriis & aliis locis principalibus ſeu membris reſideant, ad prædicta ſtudia mittendos, iuxta mittendorum huiuſmodi prætaxatum numerum, nominent ſeu eligant coram eo, quos dociles eſſe nouerint, & vitæ ac morum honeſtate decoros, ad puritatem religionis tenendam, & ad acquirendum fructum ſcientiæ aptiores. Taliter autem nominati ſeu electi ab eis, vel, vbi concordes non eſſent, à maiori parte ipſorum, ſiue vbi quilibet nominaret & eligeret diuerſos, illi quos ex ipſis nominatis & electis Abbas vel Prior ſeu alius locum Conuentualem, & ſolemnem obtinens, elegerit, ad prædicta ſtudia deſtinentur: ita quod in feſto Exaltationis Sanctæ Crucis, vel circa, ipſi taliter nominati & electi in ſtudio Pariſienſi exiſtant, qui Pariſios fuerint deſtinandi, in aliis verò ſtudiis in feſto S. Lucæ, vel circa, infallibiliter ſint præſentes. Quod ſi dictus Antiſtes annis ſingulis quibus præfati monachi ad eadẽ ſtudia mitti debebunt, vel in locum illorum alij ſubrogari, infra decem dies, feſtum Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis immediate præcedentes cum dictis octo probis minime nominauerit & elegerit, ac licentiauerit (vt præfertur) ipſis decem diebus elapſis, ad Priorem, qui poſt eum præerit monachis Eccleſiæ ſuæ in regularibus diſciplinis, ſeu alium his & in illis præſidentem quocumque nomine nuncupetur, cum conſilio & aſſenſu quatuor proborum monachorum eiuſdem Eccleſiæ, quos dictus Prior vel alius (vt prædicitur) præſidens elegerit: & quos ſimiliter, vt de Abbate ac Priore, vel alio locum Conuentualem & ſolemnem obtinente prætangitur, ſimili iuramento adſtringat, poteſtas huiuſmodi nominandi, eligendi, & licentiandi libere deuoluatur. Si verò idem Prior vel alius præſidens, vt præfertur, id non fecerit: pœnas ipſo facto incurrat inflictas infra proxime contra Abbates vel priores, ſeu alios loca Conuentualia & ſolemnia obtinentes, qui ſuper hoc extiterint negligentes. Abbas quoque vel Prior, aut alius huiuſmodi locum Conuentualem & ſolemnem obtinens, qui ſeniores prædictos infra præfatos decem dies non elegerit vt præfertur, ipſoque dicto non adſtrinxerit iuramento, aut nominatos & electos per illos ad ſtudia non licentiauerit memorata: pœnas incurrat inflictas Abbatibus vel Prioribus, ſeu aliis loca huiuſmodi Conuentualia & ſolemnia obtinentibus, ſoluere negligentibus id quod pro huiuſmodi mittendis ad ipſa ſtudia fuerit aſſignandum, pro rata ipſos contingente ſecundum gradum, modum, & ordinem infra proxime ſequentes, à quibus liberari vel abſolui non valeant niſi per præſidentes, Prouincialibus Capitulis illius prouinciæ in qua fuerint Abbates, Priores, vel alij loca Conuentualia & ſolemnia (vt prædicitur) obtinentes, ſuper his negligentes, ſeu per aliquem eorundem, nec etiam ab ipſis Præſidentibus quouſque præmiſſa negligenter omiſſa impleuerint: & ad eorundem præſidentium arbitrium ſatisfecerint competenter, quos etiam negligentes ipſi præſidentes & eorum quilibet, ad omnia & ſingula prædicta & infraſcripta complenda per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris ipſius Ordinis ſeu Religionis remedia compellere, ſubmoto appellationis obſtaculo, auctoritate Apoſtolica teneantur. Et hæc celerius & expeditius compleantur, ordinamus quod dicti ſeniores eligendi per eoſdem Abbates vel Priores ſeu alios maiores in

Eccleſ.

Eccles. Cathed. post Antistites, ac alios loca Conuentualia & solemnia obtinentes, statim cum electi fuerint, & huiusmodi iuramentum præstiterint, includantur in aliquo loco secreto, de quo nullatenus permittantur exire, donec infra diem inclusionis huiusmodi, in scriptis eorum Abbatibus vel aliis superioribus proxime dictis nominauerint & elegerint supradictos ad studia destinandos. Quod si non fecerint, elapsa die huiusmodi, ad ipsos Abbates & supradictos eligendi & licentiandi eosdem potestas liberè deuoluatur: qui secundum Deum & bonam conscientiam infra tres dies immediate sequentes, dociles & aptiores, vitamque honestam & religionem seruantes, vt præmissum est, licentiare teneantur ad prædicta studia transmittendos. Si qui verò Abbates, Priores, vel prælati Alij Abbates proprios non habentes, seu administratores, vel cæteri quicunque ad hoc obligati, illud quod ipsis monachis mittendis ad ipsa studia fuerit assignatum, pro rata ipsos contingente in termino vel terminis ad id statutis soluere non curauerint: vltra quantitatem quam secundum taxationem contingentem eosdem soluere tenebantur infra mensem, tantundem nomine pœnæ soluere sint adstricti. Quod si non fecerint, sit eis tandiu eo ipso Ecclesiæ interdictus ingressus: donec tam principale ad quod tenebantur, quàm huiusmodi aliam quantitatem nomine pœnæ, vt præfertur, appositam, duxerint persoluendam. Et si ex tunc per quatuor menses huiusmodi sustinuerint interdictum, sint ipso facto tandiu à diuinis suspensi, donec integre huiusmodi principale ac pœnam soluerint, nulla eis remissione in præmissis quomodolibet profutura. Quantitas autem huiusmodi nomine pœnæ vt prædicitur exoluenda, in acquisitionem librorum vtilium & alios profectus dictorum studentium, quam etiam quantitas (quam per contemnentem satisfacere in termino assignato, studentibus ipsis mitti præcipimus) ad ipsius contemnentis expensas, iuxta superioris sui arbitrium conuertatur. Præmissis quoque adiicimus quod Priores, & cæteri administratores Abbates proprios non habentes, seu quiuis alij beneficiati, qui huiusmodi summas soluere contempserint, & prænominatas pœnas per alios quatuor menses immediate sequentes sustinuerint animis induratis, excommunicationis sententiam eo ipso incurrāt; à qua non possint absolui, nisi debita satisfactione præmissa: & tunc per præsidentes dumtaxat Capituli prouincialis illius prouinciæ cuius erunt, vel alterum eorundem. Quam si per annum pertinacibus animis sustinuerint, sint eo ipso cunctis beneficiis quæ obtinuerint, priuati: & de beneficiis huiusmodi per illos, ad quorum collationem, seu quamnis aliam dispositionem pertinuerint, libere in personis aliis disponatur.

CAP. VIII.

De Pensionibus Studentium.

Sane quia prosecutiones liberalium studiorum, præcipue in generalibus seu sæcularibus studiis, diuersa requirunt onera expensarum: nos huiusmodi monachis mittendis ad ipsa studia, & pro eis & aliis ratione dictorum studiorum pensiones in quantitatibus subsequentibus prouidemus fore annis singulis ministrandas, & infrascriptis terminis transmittendas. Videlicet Magistro in Theologia in studio generali legenti sexaginta, Baccalaureo, nec non scholari Theologiæ quadraginta; Doctori Decretorum iura Canonica in huiusmodi studio legenti, quinquaginta: Baccalaureo verò seu scholari Canonistæ triginta quinque libras Turonensium paruorum, vel earum valorem in alia moneta, tam pro victualibus, vestimentis & calceamentis, quàm pro libris & quibuscumque aliis necessitatibus eorundem; illis Videlicet qui ad studium Parisiense in festo Exaltationis S. Crucis, vel circiter, iis verò qui ad alia studia deputati fuerint, in festo B. Lucæ vel circa, singulis annis per illum vel illos, qui ad ipsas pensiones colligendas deputati fuerint, infallibiliter transmittendas: & per illos qui tenebuntur ad soluendum easdem in festo Assumptionis B. MARIÆ annis quibuslibet ipsis collectoribus integraliter persoluēdas. De quibus quidem pensionibus dictis scholaribus (vt præmittitur) ministrandis, quilibet scholaris habeat pro quotidianis expensis viginti libras dumtaxat: & pro vestimentis & calceamentis sex libras tantum: de residuo verò emantur, ac prouideatur ei de ipsis, quæ ratione infirmitatum, vel alia necessaria sibi erunt. Nullus autem cuiuscumque fuerit præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, siue collector pensionum huiusmodi, seu redditiuum assignandorum, pro ipsis vel pro quocumque alio nomine fuerit deputatus, aliquid sibi vel alteri, seu vsui cuicumque & quantumcumque pio de præfatis pensionibus, vel de fructibus, redditibus, seu prouentibus, qui assignabuntur pro pensionibus ipsis, quomodolibet applicare vel dare, seu commutare, aut quomodolibet alienare præsumat. Qui verò contrarium fecerit, & qui ad dandas vel mittendas illas extiterit deputatus, si eas (vt præmittitur) in eisdem terminis dictis studentibus non dederit vel miserit, pœnas eo ipso incurrat statutas contra non soluentes id quod Monachis mittendis ad dicta studia fuerit assignatum, secundum statum ipsorum non soluentium, & iuxta gradus & ordinem superius denotatos. Si verò laicus extiterit, excommunicationis incurrat sententiam eo ipso: à qua (nisi debita satisfactione præmissa) nequeat absolutionis beneficium obtinere: Et vt onus huiusmodi pensionum leuius supportetur; Statuimus & ordinamus, vt soluantur pensiones huiusmodi, & etiam pensio dicti magistri qui Monachos in primitiuis scientiis instruet (vt præfertur) per Capitula cuiuslibet Ecclesiæ Cathedralis ipsius Ordinis, seu religionis, & per beneficiatos quorumlibet beneficiorum monachaliū eiusdem, & cuiuslibet monasterij Prioratus, & loci Ordinis seu religionis huiusmodi, & membrorum suorum, de communi contributione inter caput; & beneficia seu membra omnia & singula ad ipsum caput pertinentia, vel dependentia ab eodem facienda, secundum taxationem vel æstimationem decimæ in taxatis. In non taxatis verò beneficiis, proportionabiliter & rationabiliter secundum valorem ipsorum, in primo cuiuslibet Ecclesiæ Cathedralis eiusdem Ordinis seu religionis, ac monasterij, seu Prioratus, vel alterius loci Abbatem proprium non habentis, Capitulo generali per Priores, vel alios maiores post Antistitem in Cathedralibus Ecclesiis. In monasteriis verò, Prioratibus, vel aliis supradictis, per Abbates vel Priores, seu alios præsidentes eiusdem cum consilio & assensu Capituli, seu Conuentus, seu maioris partis ipsorum. Quam si forte facere neglexerint, vel noluerint, præsidentes prouinciali Capitulo illius prouinciæ, vbi tales negligentes fuerint, & quilibet ipsorum præsidentium: ac Visitatores per dictum prouinciale Capitulum deputati, & eorum quilibet ipsos negligentes auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna remedia ad illam faciendam (appellatione cessante) compellere teneantur, quousque certi & perpetui redditus pro ipsis pensionibus exoluendis extiterint assignati. Volumus autem quod per illos, qui ad hoc per nos cum sufficienti potestate fuerint deputati, cum Antistitibus in Cathedralibus Ecclesiis monachalibus; & cum Abbatibus & Prioribus & aliis loca Conuentualia, & solemnia, vt prædicitur, obtinentibus, cum consilio & assensu Capitulorum & Conuentuum eorundem, auctoritate Apostolica prædicta possint pro prædictis pensionibus assignari, vel ad inuicem vniri, aut Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, seu locis aliis Conuentualibus supradictis, vel eorum administrationibus, aut officiis, seu locis vicinioribus ad Ecclesias Cathedrales, Monasteris, Prioratus, seu loca huiusmodi pertinentibus, proue erit commodius, Prioratus aliaque beneficia Ecclesiastica sine cura ipsius Ordinis seu religionis consueta Monachis assignari: & ad Ecclesias Cathedrales, Monasteris seu loca alia Conuentualia præfata spectantia: dum tamen ipsa beneficia tanto tempore ab vno, vel pluribus monachis fuerint continue ac pacifice gubernata, vt præscriptio legitima sit completa, etiamsi ante vel post clerici sæculares quandoque ministrauerint in eisdem, dummodo per ipsos clericos legitima præscriptio minime sit impleta. Quodsi forte huiusmodi Prioratus, seu beneficia sine cura non inueniantur accommoda, vel non sufficiant ad præmissa: possint per prædictos modo præmisso, & vt commodius fieri poterit super aliis Prioratibus, administratiōibus, seu beneficiis monachalibus curatis (si facultates eorum ad hoc sufficiant) aliis eorum oneribus supportatis, de parte dumtaxat quam monachi percipiunt

ex eisdem pro prædictis perpetuæ pensiones imponi. Prohibemus autē quod nulli monacho quodcumque beneficium quantumcumque modicum, vel aliam pensionem habenti (nisi ea omnino dimitteret aliis conferenda vel assignanda) possit aliqua de dictis pensionibus studentium assignari, vel assignata dimitti. Nec in ipsa sibi ius aliquid acquiratur: immo si assignationi pensionis huiusmodi consenserit, eo ipso priuatus existat quocumque beneficio, seu quauis alia pensione: si quod vel si quam forsitan antea obtinebat. Si verò ipsi monacho habenti pensionem huiusmodi studentium, beneficium aliquod quantumcumque modicum conferat: adepta ipsius possessione pacifica, ipso facto vacet dicta pensio, eaque priuatus existat, studenti alteri assignanda: vt non desit studens de numero instituto. Nec per literas à Sede Apostolica vel Legatis ipsius, super prouisione quorumlibet monachorum aut aliorum directas, de studentium pensione aliqua prædictorum cuiquam valeat prouideri: nec alicui alteri, nisi nominatus electus & licentiatus fuerit, prout est superius ordinatum, alias nulla sit assignatio huiusmodi ipso iure, nec per eam ius alicui acquiratur, & tam assignans quàm accipiens teneantur ad restitutionem omnium quæ exinde recepta fuerint faciendam: quæ in libris vel aliis necessitatibus dictorum studentium conuertantur: & nihilominus pœnis subiaceant superius designatis. Prohibemus insuper, ne libri Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, & aliorum locorum prædictorum, qui dictis studentibus fuerint assignati, seu eis à consanguineis vel amicis dati, aut per eosdem studentes alias licite acquisiti, per eos alienentur, distrahantur, seu etiam obligentur. Quinimo volumus, quod dicti libri (defunctis eisdem studentibus quibus fuerant assignati) ad Ecclesias, Monasteria, seu alia loca prædicta libere reuertantur. Volumus etiam quod si in Ecclesiis, Monasteriis, seu locis præfatis libris multiplicati fuerint, libris necessariis in ipsis Ecclesiis, monasteriis & locis remanentibus, de cæteris libris per Antistites in Ecclesiis Cathedralibus, & in Monasteriis vel aliis locis prædictis, per eorum prælatos, & de consilio eorum, cum quorum consilio studentes præfati sunt (vt præmissum est) eligendi, fiat conueniens distributio inter studentes eosdem. Fiatque prius memorialis scriptura de personis studentium, quibus dicti libri tradentur, & librorum nominibus prædictorum. Quæ quidem scriptura in Ecclesiis, Monasteriis vel locis huiusmodi conseruetur. Si quis vero de studentibus ipsis, per se vel per alium, librum seu libros huiusmodi, qui ad eum præmissis modis peruenerūt, distraxerit aut obligauerit (nisi pro vtilioribus, vel pluribus libris emendis, & tunc de licentia superioris sui petita humiliter & obtenta) eo ipso sit inhabilis per biennium ad quodcumque beneficium obtinendum. Et nihilominus ad claustrum suum de studio reuocetur, & loco sui alius subrogetur: & etiam per superiorem suum (prout facti qualitas exegerit) alias grauiter puniatur. Præsidentes insuper & alij conuenientes in dicto Capitulo prouinciali, ordinare debeant, qualiter dicti studentes viuere seu ad inuicem habere debebunt: qualiter & ex quibus causis ante tempus etiam regulariter præstitutum, poterunt & debebunt de studiis huiusmodi reuocari: & in locum eorum alij totidem numero subrogari, iuxta modificationem superius designatam. Vbi autem erit aliquis de ipsis studentibus, qui sit vitæ laudabilis aliasque idoneus & discretus, & ad Baccalaureatum vel magisterium dispositus vel propinquus, idem Prior dictorum studentium qui erit pro tempore, cum consilio aliquorum proborum studentium eorundem, scribat Præsidentibus antedictis: vt prælato ipsius proprio mandent, & ordinent cum eodem, quod talem non reuocet: sed eum in scientia proficere, & ad statum Baccalaureatus, & honorem magisterij peruenire, lecturamque continuare permittat, ac ipsum & alios similes quos iam in scientia laudabiliter proficere cognouerit, dignis attollat honoribus, & promotionibus efferat opportunis. Prouideant quoque Præsidentes & alij præfati conuenientes in ipso Capitulo prouinciali, quod monachi ad dicta studia transmittendi (prout communius & commodius fieri poterit distributi) insimul commorentur saltem deni ad minus: & deni huiusmodi non possint vltra quatuor seruitores habere, computato in eis coquo, seu seruitore coquinæ. Deputent etiam iam dicti Præsidentes in singulis eorum prouincialibus Capitulis, speciales Visitatores huiusmodi Ordinis seu religionis prouinciæ infra quam erit studium, in quo studentes huiusmodi morabuntur. Quibus siquidem Visitatoribus & etiam aliis Visitatoribus per prouincias, ad visitandum Cathedrales Eccles. monachales, Monasteria, & alia loca ipsius Ordinis seu religionis, per prædicta prouincialia ordinandi. Necnon dictis studentium prioribus in virtute obedientiæ districte præcipimus, vt omni fauore, gratia, odio, & personarum acceptione semotis, ex puritate conscientiarum suarum, secundum quod Deo magis placere, & huiusmodi Ordini seu religioni expedire crediderint, in his quæ circa ipsos studentes in ordinationibus nostris præscriptis salubriter statuuntur, sint solliciti & attenti, & quod si forsan per Antistites Ecclesiarum Cathedralium, Monachalium, Abbates, Priores, & administratores alios Monasteriorum, & aliorum locorum ipsius Ordinis seu religionis, eorumque Capitula & Conuentus, illa quæ de scholaribus mittendis ad studia, & pensionibus aliisque quæ præmittuntur, inuenerint incompleta: plenam de ipsis relationem faciant in Capitulis Prouincialibus cuiuscumque prouinciæ superius limitatæ, qualiterque in ipsis sequentibus Capitulis ea ordinari & compleri omnino debeant, vel quæ minus considerate ordinata fuerint, corrigantur: aut vt bona etiam in meliora mutentur: prout hæc vel alias ex successione temporum, ac probatione factorum poterunt apparere. Ordinamus insuper vt iidem Præsidentes habeant plenariam potestatem faciendi compleri & inuiolabiliter obseruari auctoritate Apostolica omnia & singula supradicta: necnon contradictores & rebelles per censuram Ecclesiasticam, & per alia iuris & ipsius Ordinis seu religionis remedia, sublato appellationis obstaculo, compellendi, & processus ac sententias eorum in locis eiusdem Ordinis seu religionis solemniter publicandi: & illos qui sententias eorum incurrerint (præmissa congrua satisfactione) iuxta formam Ecclesiæ absoluēdi. Præcauere nempe volentes, ac etiam prouidere d. scholaribus in eisdem studiis morantibus & etiam moraturis, eo quod absint ab eorum cœnobiis, regularis non desit salubre gubernaculum disciplinæ: Ordinamus & volumus, quo Capitulis prouinciarum, in quibus erunt huiusmodi studia, Præsidentes vnum Abbatem vel Priorem ipsius Ordinis seu religionis cuiuslibet ipsorum studiorum vicinum & quem quoties eis placuerit ponere valeant & mutare, ordinent & assignent, qui Abbas vel Prior ex prædictis studentibus, vnum ibi monachorum; priorem studentium deputet, per vnum tantum annum duraturum. Quem quidem Priorem dicti etiam Præsidentes ipsi mutare valeant quoties videbitur expedire, quique potens in opere ac sermone per directionem verbi, & ducatum exempli, eosdem monachos studentes tractando ipsos, quoties opus fuerit & sibi videbitur expedire, conuocet ad locum aliquem competentem, illisque quoad regularem præsideat disciplinam, & potestatem habeat illos corrigendi, puniendi, & absoluendi, & cum eis dispensandi (quandiu in ipsis studiis moram traxerint (ab omnibus, à quibus, & super quibus, & prout posse Abbas vel alius Prælatus eorum proprius, in Monasterio, vel alio loco, vnde cœnobitæ, seu claustrales existunt, ipsosque informandi, & instruendi, ac tenendi sub regularibus disciplinis, & illos etiam coërcendi ne vagentur, vel actibus seu operibus vacent illicitis: sed studeant & proficiant sicut decet, viuantque laudabiliter & honeste. Prouideant insuper quod d. monachi studentes, expensas faciant moderatas & non superfluas, vel aliquatenus excessiuas: eosque cogat ad reddendum de receptis & expensis in fine cuiuslibet mensis (vel prout alias sibi videatur) rationem illi, vel illis prouidis & discretis, quos idem Prior ad hoc duxerit deputandos. Et quando eorundem studentium demerita, seu conditio suaserit eos à studio reuocari, Prior ipse teneatur id (consulte tamen caute & sollicite) Antistiti, Abbati, vel alij Prælato eorum proprio per suas literas intimare. Idemque Antistes, Abbas seu

præ

prælatus proprius, eos reuocare debeat, & in locum eorũ totidem monachos subrogare, appellatione, contradictione vel reclamatione reiectis. Concedimus quoque dicto Priori eadẽ auctoritate Apostolica plenariam potestatem d. Monachos studentes quandiu in ipsis studiis fuerint, ab excommunicationum & suspensionis sententiis duntaxat, quæ contra studentes in locis vbi erunt d. studia generaliter ex causis minoribus prolatæ, vel per statuta sui Ordinis, siue suæ religionis, aut Ecclesiæ seu loci eius vnde cænobitæ sunt, inflictæ fuerint: à quibus Abbas vel alius prælatus eorum proprios ipsos de iure permissione suæ regulæ absoluere potuisset, congrua satisfactione præmissa, iuxta præfatam formam Ecclesiæ: absoluendi, & cum eis super irregularitate, quam ex causis huiusmodi sic ligati celebrando diuina seu illis se alias immiscendo (non tamen in contemptum clauium) incurrerant, dispensandi. Per prædicta vero d. monachi studentes, à potestate Antistitis vel alterius prælati sui, exempti aliquatenus non existant. Ordinamus etiam quod d Monachi Parisiensi studio insistentes, ipsi Priori studentium vltra suam pensionem & vigintiquinque librarum Turonensium paruorum annuatim, alij verò cuiuslibet studiorum aliorum, si tamen in eo sexaginta Monachi, vel supra studentes fuerint, de viginti libris, si verò pauciores numero sexagesimo extiterint, quilibet eorum, de quinque solidis ipsius monetæ, seu alterius de æquiualenti summa duntaxat per contributionem communem de dictis pensionibus ipsorum inibi studentium annis singulis faciendam, prouidere procurent, dictosque Monachos studentes ad contributionem ipsam faciendam & soluendam eandem iam d. Priori, præfatus prior per censuram Ecclesiasticam, & alia ipsius Ordinis seu religionis remedia possit eadem auctoritate Apostolica (remoto appellationis diffugio) coarctare. Volumus tamen quod idem Prior sumptus nunciorum, subeat: quos pro præmissis duxerit transmittendos Præterea volumus & ordinamus, quod Priores & alij, beneficiati & non beneficiati, prælibatis studiis insistendo (qui tamen expensas in ipsis studiis aliunde habuerint, quam sic, vt supra tangitur ordinatum) sub correctione & obedientia d. Prioris studentium humiliter maneant: & ad contributionem huiusmodi iuxta quantitates præmissas eidem Priori soluẽdas, prout alij studentes præfati, firmiter adstringantur & ad eas soluendas sicut de aliis studentibus iam dictum seriatim & modificatum existit, per ipsum Priorem valeant coarctari. Porro statuimus & ordinamus quod nullus de Ordine seu religione huiusmodi, ad recipiendum magistratus seu doctoratus honorem de cætero assumatur, nisi præstito per eum primitus iuramento in præsentia d. Prioris studentium, ac duodecim proborum & discretorum ex studentibus antedictis, quod in assumptione ipsius honoris vel ante, seu post eius occasione, circa cibos, vestes, vel alia, non expendet per se vel alium vndecumque habuerit vel fuerit sibi datum, nec quantum, in eo fuerit expendi permittet vltra valorem duorum millium Turonensium argenti, ab aliis etiam suis consanguineis vel amicis. Illi etiã qui ad baccalaureatum extiterint assumendi, præstare similiter teneantur iuramentum in præsentia Prioris, studentium & duodecim proborum & discretorum præfatorum: quod huiusmodi sui baccalaureatus prætextu, ipsa die, qua incipiet, vel ante seu post, nullum festum seu conuiuium facient per se vel alium, seu alias fieri permittent à quibuscumque aliis eorum consanguineis vel amicis. Statuimus etiam & ordinamus, quod quicumque ipsius Ordinis seu religionis qui in d. Parisiensi vel in aliquo alio generali studio per sex annos in sola sacra Theologia studuerint, in aliis primitiuis scientiis sufficienter instructi, & ad hoc sufficientes & idonei fuerint, possint in ipso Parisiensi studio cursus consuetos Bibliæ facere. Qui verò per octo annos in sola Theologia studuerint, vt præfertur, librum sententiarum legere valeant in Parisiensi studio prælibato, & quod in eodem Parisiensi & quocumque alio studio, in quo ad magisterium in Theologia ipsa licentia dari consueuerit, cum digni reperti ad hoc extiterint, ad magisterium & doctoratum in dicta Theologia, & nihilominus ad baccalaureatum, licentiam, magisterium, seu doctoratum & lecturam iuris Canonici siue Decretorum in eodem Parisiensi, & quolibet alio studio, in cappa suæ Religioni congruenti, dummodo sufficientes & idonei fuerint, ac illi qui ad baccalaureatum & ad legendum Decretales ibi assumi voluerint, & in ipso Parisiensi vel quouis alio generali studio audiuerint iura Canonica per tres annos ad minus audiuerint Decretum: necnon illi qui ad magisterium in Decretis, vel ad lecturam Decretorum assumi voluerint in præfato Parisiensi studio: & ibi vel in alio generali studio audiuerint iura Canonica vt baccalaurei legerint per quinque annos, & hoc primo fidem fecerint per eorum proprium, & aliorum duorum iuramentum, absque dilatione & difficultate malitiosa & impedimento quibuscumque, libere admittantur, sicut cæteri clerici sæculares ibidem consueuerunt admitti. Non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus monasteriorum & aliorum locorum eiusdem Ordinis seu Religionis Parisiẽsis, & aliorum studiorum quorumcumque contrariis, iuramẽtis, confirmationibus Apostolicis, & quibusuis firmitatibus aliis roboratis; & illis præsertim statutis, quibus in eodem Parisiensi studio caueri dicitur, quod nullus possit legere cursum Bibliæ, nisi studuerit inibi septem annis: nec permittatur sententias legere, nisi etiam inibi studuerit decem annis: quodque nullus Monachus vel religiosus alius legat ibidem iura Canonica: vel ad baccalaureatus statum, aut magisterij honorem in iure Canonico permittatur assumi: seu quod nullus sine rubea cappa Decretum legat, seu legere permittatur ibidem: aut quod nullus ibi legere valeat iura Canonica, vel ad baccalaureatum assumi, seu vt baccalaureus legere Decretales, aut ad magisterium ascendere in Decretis, siue Doctor fieri Decretorum, aut ad lecturam Decretorum in Decretis assumi, seu ipsam continuare, nisi ibidem vel alio studio generali audiuerit iura Canonica per quinque, & alibi iura ciuilia per tres annos: aut alibi iura ciuilia per quinque, vel in alio generali studio iura Canonica per tres annos: & prout sic vel aliter in statutis ipsius studij Parisiensis dicitur contineri, vel de consuetudine obseruari, & aliis consuetudinibus vel statutis eiusdem Parisiensis studij quibuscumque seu quacumque forma vel expressione verborum in contrarium editis vel edendis: necnon quibuslibet priuilegiis vel indulgentiis generalibus aut specialibus, & literis Apostolicis, contrariis ordinibus, Ecclesiis, Monasteriis, locis, ac studiis quibuscumque siue vniuersitatibus magistrorum vel scholarium eorundem: seu personis Ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, sub quauis forma vel expressione verborum concessis, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum & ordinationum, omniumque aliorum & singulorum contentorum in eisdem, præsentibus impediri valeat quomodolibet vel differri: & de quibus quorumque totis tenoribus plenam & expressam, ac de verbo ad verbum oporteat in illis vel aliis nostris literis fieri mentionem.

CAP. IX.

De mutuis ac venditionibus syluarum & concessionibus & iurium.

Profectò considerantes attentius nobis fuisse fida & concordi relatione monstratum, qualiter experientia docuerat cum iactura, quod ad desolationes Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, prioratuum, administrationum, & aliorum locorum Ordinis, seu Religionis eiusdem, plurimum redundabat, debita contrahendi effrænata potestas, & plerumque innouatio eorundem, ac obligationes & missiones quæ fiunt pro tempore super eis, necnon arborum syluarum non cæduarum & etiam cæduarum venditiones & iurium, redditũum, possessionum, seu pensionum concessiones ad vitam, & ad longi tẽporis spatium; Nos Ecclesiarum Monasteriorum, Prioratuum, administrationum, & aliorum locorum præfatorum indemnitatibus occurrere desiderabiliter affectantes, & super his intendentes opportunæ cautelæ profuturum remedium adhibere, statuimus & ordinamus, vt saluis aliis iuris & ordinationum ac statutorum Ecclesiarum Cathedralium, Monachalium, & Monasteriorum, Prioratuum, administrationum, & aliorum locorum prædictorum

ctorum remediis, talis in prædictis & circa ea solemnitas debeat obseruari. Videlicet quod cum per Antistitem vel per Abbatem seu Priorem, vel administratorem aut alium Prælatum, Abbatem proprium non habentem, seu per alium Priorem vel administratorem quemcumque ipsis subiectum conuentum non habentem, suscipiendum vel innouandum fuerit mutuum, vel facienda pro necessitate vel vtilitate (cum non aliter fieri debeat) venditio arborum syluarum non cæduarum vel ad magnam & notabilem quantitatem etiam cæduarum, seu concessio iurium reddit
uum vel possessionum, aut annuarum pensionum, siue diminutio censuum, pensionum, seu canonum ad vitam alicuius vel ad certum tempus, etiam pecunia, inde recepta: tractatus duorum dierum (ad minus) interpolatorum diligens & maturus præcedere debeat, habendus per Antistitem cum eius Capitulo in dictis Ecclesiis, seu per Abbatem vel alium prælatum Abbatem proprium non habentem, cum conuentu cuiusque ipsorum. Et nihilominus de consensu ipsius Capituli vel conuentus, aut maioris partis eiusdem, fiant omnia supradicta. In prioratibus verò vel administrationibus aliis conuentualibus, Antistitem, aut Abbatem vel alium superiorem immediatum habentibus, tractatus habeatur huiusmodi per Priorem, seu alium administratorem ipsius cum proprio conuentu eiusdem, & nihilominus postea per Antistitem aut per Abbatem vel alium Prælatum superiorem immediatum, cum Capitulo seu conuentu Ecclesiæ vel monasterij tractatus etiam habeatur, fiantque contractus huiusmodi de consensu sui ipsius Capituli, & huiusmodi subiecti, conuentus, vel vtriusque conuentus, superioris scilicet & subiecti, seu maioris partis eorum, ac de ipsius Antistitis seu Abbatis vel alterius immediati superioris auctoritate expressa, & licentia speciali. In tractatibus namque præfatis agatur vt clare liqueat, ob quam causam, quanta summa, à quibus conditionibus & obligationibus, quibusque terminis soluendum suscipiatur mutuum prælibatum: & quare, cui, ad quantum tempus, & sub quo pretio fiant venditio & concessio, vel censuum seu canonum, aut pensionum diminutio, seu pensionum assignatio supradicta, ac de ceteris omnibus, quæ in huiusmodi negotio fuerint opportuna, & quod de causis, tractatibus, consensibus, auctoritatibus, licentiis, & aliis prædictis, scripturæ conficiantur authenticæ: in quibus nomina & cognomina tractantium auctorizantium, & licentiæ huiusmodi exprimantur: & sigilla Antistitis vel Abbatis, seu Abbatum, aut aliorum superiorum, necnon Capituli & conuentuum prædictorum apponantur in illis. Prohibemus autem, ne virtute alicuius procuratoris generalis (etiamsi contineatur in eo quod procurator mutuum possit recipere, aut obligare monasterium, vel alium locum ipsius Ordinis seu religionis, aut pensionem assignare ad vitam, vel ad tempus, seu canonem, censum, seu pensionem diminuere) possit mutuum recipi, vel Ecclesia seu monasterium aliquod, siue locus alius obligari, aut pensio ad vitam vel alias dari, seu census vel canon aut pensio diminui, nisi prius clare ac explicite omnia prædicta fuerint obseruata. Et quod pecunia quæ mutuo recepta fuerit, vel ex aliis prædictis habita, in solius Antistitis vel Abbatis seu Prioris aut alterius administratorum huiusmodi contractum principaliter ineuntis, non remanere potestate: sed tradatur tribus viris prouidis & discretis eiusdem Ordinis seu Religionis, si commode fieri possit, qui eam ad illas duntaxat necessitates vel vtilitates conuertant, propter quas receptum mutuum, vel venditio, aut concessio, seu census, vel canonis aut pensionis diminutio, seu pensionis assignatio & obligatio factæ fuerint supradictę. Ad quæ fideliter exequenda & obseruanda ipsi tres viri iuramenti vinculo adstringantur, quando traditur eis pecunia prælibata. Volumus etiam, quod eorum quæ debentur Ecclesiis vel monasteriis, seu aliis locis ipsius Ordinis seu religionis, remissio fraudulosa & notabiliter damnosa à quoquam nequeat attentari. Insuper volumus & ordinamus, quod illa summa quæ in Capitulo generali cuiuslibet Ecclesiæ vel monasterij, seu alterius loci ipsius Ordinis seu Religionis eiusdem Prouinciæ annis singulis pro euidenti vtilitate vel necessitate, per Antistitem seu Abbatem, vel alium superiorem, & Capitulum generale prædictos, seu maiorem eius partem, vel per tres prouidos & discretos Monachos iuratos super hoc per eos deputandos taxabitur, possit recipi mutuum sine prædictis solemnitatibus, & pœnis infrà proximè designatis. Et etiamsi casus aliquis euidenter vtilis seu necessarios occurreret, cui succurri non valeat nisi mutuum contrahatur, si Abbas vel alij supradicti à locis quibus præfuerint sint multum remoti, licitum sit eisdem absque solemnitatibus & pœnis huiusmodi, vt tali casui valeat prouideri tantam absque fraude qualibet summam recipere mutuo, quanta necessaria fuerit pro supportando casu præfato, siue vt prouideant per eosdem. Quo videlicet casu, Abbates & Priores ac cæteri, Abbates proprios non habentes, infrà octo dies postquam ad Monasteria sua redierint, hæc omnia conuentibus propriis exponere teneantur. Priores verò & administratores cæteri, suis superioribus & ipsorum conuentibus similiter infrà octo dies, postquam ipsorum superiorum & conuentuum eorum præsentiam adire poterunt, facere teneantur, & quod fiat de his scriptura authentica, quæ in Ecclesia vel Monasterio principali fideliter conseruetur: & quæ causas & omnia quare mutuum huiusmodi contractum fuerit debeat continere. Nec ante solutionem integram mutui sic contracti, dictæque summæ singulis annis, vt præfertur, taxandæ aliud debeat contrahi per Abbates vel alios supradictos, nisi solemnitates huiusmodi obseruentur. Nos insuper decernimus irritum & inane, si contra prædicta cariterit attentatum. Volentes itaque vt statutum, & ordinatio huiusmodi firmius obseruentur, ordinamus quod Abbas, seu Prior, aut quicumque alius proprium non habens Abbatem, si omissis solemnitatibus huiusmodi, venditionem seu concessionem, aut pensionis assignationem, vel census seu canonis vel pensionis diminutionem, aut remissionem debitorum huiusmodi, & obligationes præfatas de prædictis facere, aut mutuum vltra vel alias quam suprà proximè conceditur, recipere præsumpserit, occasione ipsius, Ecclesiam, Monasterium, Prioratum, administrationem, seu locum alium, aut iura, redditus, seu pensiones ipsius obligando, seu submittendo, aut instrumenta vel literas concedendo; præter alias pœnas iuris, tandiu ingressum Ecclesiæ sibi eo ipso nouerit interdictum, donec obligationes, & submissiones, venditiones, & concessiones, censuum seu canonum & pensionum diminutiones, ac pensionum assignationes, & illarum effectus: necnon grauamen Ecclesiæ, Monasterij, Prioratus, seu alterius administrationis omnino cesset: & Ecclesiam, Monasterium, Prioratum, seu administrationem huiusmodi, iuxta posse indemnia reddiderit, seu reddi fecerit, aut procurauerit in præmissis. Quod si per sex menses, huiusmodi sustinuerit interdictum, sit à diuinis, & à collatione beneficiorum eo ipso suspensus, & collatio beneficiorum huiusmodi ad Priorem, seu alium Prælatum maiorem post Abbatem seu Prælatum Monasterij seu alterius loci, Ordinis seu Religionis huiusmodi, Abbatem proprium non habentem, durante suspensione huiusmodi, libere deuoluatur. Nos autem omnibus Præsidentibus prouincialibus Capitulis, prouinciarum à nobis superius decretarum, & visitatoribus in illis ordinatis & ordinandis, in virtute obedientiæ districtæ præcipiendo iniungimus: vt contra talem sic interdictum & suspensum, super prædictis, ac de fama, & de regimine ipsius simpliciter & de plano informationem recipiant, & si exemptus Sedi Apostolicæ immediatè subiectus, ipsi Sedi, si verò exemptus eidem Sedi mediatè subiectus, superiori suo immediato: si autem exemptus non fuerit, diœcesano suo informationem huiusmodi sub eorum sigillis inclusam, quam cito commodius poterunt destinare procurent, & seruent contra talem quæ in supradicta constitutione sæpè dicti Honorij prædecessoris nostri instituta fore noscuntur. Cæteri verò Priores & administratores quilibet ipsius Ordinis, seu religionis, nedum interdicti huiusmodi pœnam eo ipso incurrant: sed etiam (vt de aliis est præmissum) infra sex menses à tempore quo prædicta commiserint numerandos, obligationes, submissiones, venditiones, concessiones censuum, seu canonum, aut pensionum diminutiones, & pensionum assignationes, necnon illarum effectus & grauamina

cessare

cessare non fecerint: & quatenus de facto processerint tolli, ac Prioratus seu administrationes alias indemnes non reddiderint, seu reddi non fecerint, ac procurauerint donec proximè dicta compleuerint, sint à diuinis eo ipso suspensi. Quod si suspensionem huiusmodi per alios sex menses proximè secuturos tolerare præsumpserint, sint ipsis Prioratibus & administrationibus ipso facto priuati: per illos ad quos eorum collatio pertinuerit, aliis idoneis, & nullatenus eis illa vice libere conferendis.

Cap. X.

De Fictis & dolosis contractibus.

Præterea quia plerumque contingit, quod quidam Abbates & Priores, ac nonnulli alij administratores, præsidentes, seu Monachi & conuersi, eiusdem Ordinis, seu Religionis prætextu administrationum vel aliorum negotiorum quæ gerunt, multas fraudes adhibent, & dolosos seu simulatos seu fictos contractus ineunt: mutua etiã per se & alios simulata & ficta suscipiunt: aliquando proprio & etiam fideiussorio, & etiam diuersimodè nomine alieno, & inter cætera quandoque confitentur in instrumentis publicis, seu authenticis & aliis scripturis se à patre, fratre, nepote, vel consanguineo, seu quolibet alio coniuncto, affine, familiari, seruitore, amico, seu mercatore, recepisse mutuo, vel alias pecuniam, pannos, vinum, bladum, equos, boues, siue animalia alia, vel res seu cætera bona, eaque in vtilitatem locorum de quibus præsident, vel administrationem eorũ gerunt, fuisse conuersa: cum tamen aliquando nec pro se, seu eorum locis, neque pro administrationibus suis receperint: sed esse finguntur & ponuntur ac scribuntur frequenter principales: & vt tales se obligant (cum reuera fideiussores duntaxat existant) & interdum pro aliis recipiunt mutua prælibata: super his etiam frequenter se ac alios locaque ipsa, possessiones, redditus, prouentus, bona, & iura ipsorum multipliciter obligando etiam & submittendo. Quidam insuper in fraudem seu dolose confitentur, & alios præfectum eorum deditores faciunt confiteri, ac etiam obligari, ac super his instrumenta & authenticas, vel alias scripturas in fraudem confici, iura, redditus, possessiones, animalia, blada, pecuniæ, debita, seu alia bona, ad ipsos vel Monasteria, seu quæuis alia loca ipsius Ordinis seu Religionis pertinentia, seu debita fuerint, sunt vel esse debent patris, seu fratris eorum, vel aliarum personarum prædictarum, & ad ipsas personas pertinere, vel debita eis fore: aliosque multos contractus similes fingunt, faciunt, seu fieri procurant, aut permittunt fraudulenter seu dolose: per quos Ecclesiæ, Monasteria, & alia loca ipsius Ordinis seu Religionis, quibus præsunt, ac iura, redditus, & possessiones, seu alia bona ipsorum damnificari, grauari, obligari, vel alias impediri, seu deperire possunt, Nos super præmissis Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum præfatorum indemnitatibus, prout tenemur obuiare volentes, Statuimus & ordinamus, quod præter alias pœnas inflictas, talia committentes, vel fieri facientes, aut eis consentientes vel scientes & quam cito commode poterunt, quibuslibet fraude ac dolo exclusis, superioribus talium & eorum conuentibus minimè reuelantes, si eiusdem Ordinis seu Religionis fuerint, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto: à qua nequeant absolui, scientes videlicet, nisi ea reuelauerint: cæteri verò nisi prius præmissa omnia tolli fecerint & cessare, & Ecclesias monasteria, Prioratus, administrationes, & loca (quantum eis possibile fuerit) reddiderint, seu reddi fecerint indemnia: seu procurauerint à talibus dispendiis releuari. Et tunc per præsidentes prouincialibus Capitulis duntaxat, vel per aliquem ipsorum si fuerint Abbates qui deliquerint in præmissis: vel Priores, aut alij Abbates priores non habentes: cæteri verò per proprios Abbates, vel alios superiores eorum à præfata excommunicationis sententia absoluantur. Interim verò cum summarie ac de plano constiterit aliquem huiusmodi sententiam incurrisse, si Abbas fuerit vel Prior, seu alius proprium non habens Abbatem, tunc quilibet præsidentium Capitulo prouinciali, ac visitator illius Ecclesiæ seu monasterij, aut loci proprium Abbatem non habentis: si verò alius Prior aut administrator extiterit, Abbas vel alius eius proprius & immediatus superior, eum publicent, & teneantur facere excommunicatum per loca ipsius Ordinis seu Religionis, vsque ad satisfactionem condignam publicè nuntiari.

Cap. XI.

De formula iuramenti a Prælatis præstanda.

Præterea vt prædictis & aliis damnis, periculis, & scandalis obuietur, Statuimus & ordinamus quod omnes & singuli Abbates, & alij prælati Ordinis seu Religionis huiusmodi Abbates proprios non habentes, qui per Sedem Apostolicam promoti sunt vel promouebuntur in antea, & eidem Sedi non existunt immediatè subiecti, suis immediatis superioribus iuramentum præstare ad sancta Dei Euangelia corporaliter teneantur: quod possessiones vel iura ad mensam sui Monasterij siue loci spectantia non vendent nec alienabunt, nec impignorabunt, neque de nouo infeudabũt, nec per aliquem modum donabunt, neque census diminuent: nisi quatenus à iure permittitur, & seruata solennitate superius denotata. Nec etiã obligabunt alias, vel vltra quam in præscriptis statutis & ordinationibus continetur, & quod possessiones, redditus & iura mensæ prædictæ indebitè alienata, distracta, vel occupata, prout commodè poterunt repetent, & ad ius & ad proprietatẽ Ecclesiæ, vel monasterij, seu loci sui Ordinis seu Religionis huiusmodi procurabũt reduci. Non obstante si fortè aliud vel simile Romanæ Ecclesiæ præstiterint iuramentum, ad quod præstandum per censuram Ecclesiasticam & alia iuris remedia per superiores prædictos appellatione remota valeãt coarctari. De præstatione verò huiusmodi iuramenti, plena & sufficiens fides fiat conuentibus eorundem. Et idem iuramentum præstare teneantur immediatis Abbatibus seu aliis prælatis suis in præsentia Capituli vel conuentus si commodè fieri possit, omnes & singuli Priores, seu quicumque alij administratores & beneficiati Monachi eiusdem Ordinis seu Religionis: quibus per dictam Sedem, vel eius Legatos, seu executores, vel alios prouisores à Sede Apostolica seu per ipsius vel dictorum Legatorum literas deputatos, siue per Abbates, aut per quoscumque alios iure ordinario vel alios quomodolibet prouisum est hactenus, vel prouidebitur in futurum, & ad præstandum huiusmodi iuramentum per ipsos Abbates, seu Priores etiam auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam & alia remedia, si moniti præstare iuramentum huiusmodi recusarint, remoto appellationis obice, cogi possint per prædictos. Insuper quibuscumque formis aliis licitis iuramentorum, per quæ ad alia plura iurantes adstringuntur non intendimus derogare: sed si forsan in illis contineantur capitula & alia in præmissa forma non expressa, illos ad ea obligari volumus & adstringi. Decernimus insuper, quod cum ciuitas, castrum, villa, vel iurisdictio alicuius eorum feudum solemne aut grangia, seu magnum territorium, vel magnus possessionum aut terrarum numerus vendenda vel obliganda, seu Monasteria, Prioratus, vel Ecclesiæ aliquo à iure permisso alienationis titulo alienanda, vel in alios transferenda extiterint, venditiones seu alienationes, aut translationes huiusmodi fieri nequeant: nisi etiam prius consulto Romano Pontifice, ac eius super his petita licentia & obtenta. Alioquin autem venditiones seu alienationes vel translationes præfatæ, sint irritæ ipso iure: & quilibet præsidentium ac visitatores contra exemptos Sedi Apostolicæ supradictæ, & contra non exemptos contrarium facientes, locorum ordinariis eorundem quam citò commodè poterunt, sub eorum sigillis intimare prædicta nihilominus teneantur.

Cap. XII.

De Spoliis.

Cæterum Antistitibus ordinariis, Abbatibus, Prioribus, & aliis Prælatis Religionis eiusdem, qui bona mobilia Prioratuum, administrationum, & beneficiorum quorumlibet sibi subiectorum vacantium in ipsis temporibus huiusmodi vacationis inuenta, seu illa durante obuenientia in priuilegio vel consuetudine, seu alia causa rationabili ad se asserunt pertinere, districtius inhibemus, ne vasa, vestimenta, seu alia ornamenta quæcumque diuino cultui deputata, animalia etiam tam pro agricultura, quam aliis ipsorum locorum necessitatibus teneri ibi consueta, vasa insuper vinaria & coquinæ, lectos & alia supellectilia, seu vasa (nisi fortè aurea vel argentea fuerint) occupare, vel exinde asportare, aut sibi appro-

priare

priate præsumant. Quodque in apprehendendis bonis alias, formam constitutionis felicis recordat. Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri super hoc editæ diligenter obseruent, ac nihilominus de portione dictorum bonorum, quæ rationabiliter eos continget, quartam partem in augmentum ornamentorum Ecclesiasticorum, Ecclesiarum seu monasteriorum suorum, conuertere integraliter teneantur. Qui vero secus fecerint iuxta qualitatem delinquentium personarum, pœnas incurrant, quæ per constitutionem eandem eius transgressoribus infliguntur.

Cap. XIII.

De Inuentarijs per nouos Antistites, & administratores alios in eorum nouitate faciendis.

Ad hoc videatur const. 21. Pauli V. Cum sicut.

Statuimus insuper ac etiam ordinamus, & districtè præcipiendo iniungimus, quod deinceps in singulis Ecclesiis Cathedralibus, Monachalibus, ac Monasteriis, & Prioratibus necnon administrationib. aliis, quibuscumq; ipsius Ordinis, seu Religionis, per Antistites Ecclesiarum, Abbates, Priores, & alios gerētes administrationes huiusmodi, in eorum nouitate, coram vno vel duobus notariis publicis, & aliquibus probis & senioribus Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum eorundem, de omnibus bonis mobilibus & immobilibus seseque mouentibus ad ipsorum administrationes dumtaxat spectantibus, in quibuscumque locis consistant, fiant inuentaria, seu registra consimilia duplicata, in quibus scribatur quot Monachi in quolibet loco ipsarum administrationum iuxta ipsius loci facultates possint & debeant commorari: & in quo statu quilibet recepit Ecclesiam, Monasterium, vel Prioratum, seu administrationem, & inter alia quot extent vel deficiant animalia & qualia, quanta blada, vina, & cætera victualia, & moneta, vassella aurea vel argentea, & quæ, & quot & quibus, Ecclesia, monasterium, Prioratus, administratio, seu locus huiusmodi debent, & quæ, & quot, & à quibus debentur eisdem: & sub quibus obligationibus debent & debetur eisdem: & quæ, & quot alia bona mobilia, vel vasa, siue ornamenta vel supellectilia, & similia inibi fuerint. Et siquid ex prædictis in bono statu receperit, ipseque ad malum statum duxerit, Ecclesiam, monasterium, Prioratum, administrationem, seu locum eius bona, ipsius debitis obligando indebite, ad vitam vel perpetuo concedendo, seu alias alienando vel dilapidando: procedatur contra eum, prout iura & statuta, necnon ordinationes nostræ superiores requirunt: & præsertim supradicta constitutio Honorij super hoc exacte seruetur. Prædicta vero inuentaria seu registra, clare ac integraliter legantur in Capitulo cuiuslibet Ecclesiæ Cathedralis, ac Monasterij, Prioratus vel alterius loci huiusmodi, præsentibus Capitulo seu Conuentu ad hoc specialiter congregatis. Quibus lectis, vnum ponatur & seruetur in area communi, vbi commune sigillum est solitum custodiri, seu loco alio congruenti: & reliquum remaneat penes Antistitem aut Abbatem vel Priorem, seu administratorem alium à supradictis. Ita quod si aliquem ex prædictis ad Ecclesiam, Monasterium, Prioratum, administrationem, seu locum alium transferri seu mutari contigerit, ipse translatus seu mutatus, si Antistes, vel Abbas, aut Prior, seu alius superiorem eiusdem religionis non habens, fuerit, Capitulo seu conuentui loci quod dimiserit, seu deputatis ab eis infrà sex menses ad tardius post adeptionem pacificæ possessionis Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, administrationum, seu ipsorum locorum, vel si hoc ante non fecerint, succedenti sibi in loco dimisso. Alij verò superioribus suis immediatis, iuxta inuentaria, seu registra prædicta rationem debitam, vocatis & præsentibus aliquibus probis viris Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum ipsorum, reddere teneantur: dictaque inuentaria seu registra transmittantur ad Ecclesias, monasteria, vel alia loca principalia (vt præfertur) legenda & conseruanda in illis.

Cap. XIV.

De Locis non tradendis ad Firmam, nisi cum certa solemnitate,

Verum quia traditiones ad firmam factæ de locis administrationum ipsius Ordinis seu religionis, aut prouentuum ipsorum, per Antistites, Abbates, Priores, & alios administratores eorum, ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, administrationibus, de locis, spiritualiter & temporaliter diuersa præiudicia generant: Prohibemus ne prouentus seu loca prædicta ad formam de cætero concedantur, nisi ex causa, & in casu necessario siue vtili euidenter. Et tunc si Antistes, Abbas, vel Prior, seu alius proprium non habens Abbatem vel administratorem, hoc facere voluerit: debeat deliberationem super hoc cum Capitulo vel cum conuentu præmittere, & diligentem tractatum cum illo habere de causa huiusmodi, & de quantitate pretij, ac de persona cui fuerit firma seu venditio huiusmodi facienda, & de conditionibus, pactis, obligationibus, solutionibus, & similibus pertinentibus ad prædicta: & ipsius Capituli vel conuentus, seu maioris partis eiusdem in hac parte consilium adhibere. Si verò Prior seu administrator alius fuerit, conuentum habens proprium, & superiorem Abbatem, vel alium eiusdem Religionis, præmittere debeat deliberationem & tractatum præfatos, nedum cum proprio suo conuentu, sed cum ipso Abbate vel alio superiore prædicto immediato, & conuentu superioris Monasterij sui, ac expressam auctoritatem & licentiam eiusdem Abbatis, vel alterius superioris cum consilio conuentus ipsius Abbatis vel alterius superioris primitus obtinere. Priores autem & administratores alij, Abbatem proprium vel alium superiorem eiusdem Religionis, non tamen conuentum habentes teneantur deliberationem & tractatum iam dictos cum eorum Abbate, vel alio superiore præmittere: necnon auctoritatem & licentiam specialem ab eo primitus obtinere. Quod si secus actum fuerit, firma seu venditio ipsa & contractus quilibet super præmissis initus, sint irriti eo ipso, ac instrumenta & quælibet alia documenta super eis confecta, nullam obtineant firmitatem. Et nihilominus Abbates & Priores, cæterique Abbates proprios non habentes, qui contra fecerint per Præsidentes prouincialibus Capitulis, cæteri verò per Abbates vel alios superiores eorum, arguantur grauiter, & debite puniantur.

Cap. XV.

De Priuilegijs & rebus alijs non tenendis extra loca administrationum.

Præterea statuimus & ordinamus, quod Antistites, Abbates, Priores & administratores, vel Monachi & conuersi eiusdem Ordinis seu Religionis, priuilegia, literas & instrumenta, quibus libertates, possessiones, res & iura locorum & administrationum suarum firmantur, vasa etiam aurea & argentea, ornamenta Ecclesiastica, libros, pecunias, blada, vina, animalia, & res alias notabiles seu pretiosas, ad Ecclesias, Monasteria seu loca eorum spectantia, extra Ecclesias, Monasteria seu loca eadem apud consanguineos vel propinquos seu alios quoscumque, fraudulenter aut dolose in damnum Ecclesiarum, Monasteriorum, locorum, seu administrationem huiusmodi, nullatenus transportent, seu tenere præsumant, & quod Antistitibus, Abbatibus, vel Prioribus, ac cæteris superiorem eiusdem Religionis non habentibus, qui contra fecerint, sit eo ipso per mensem ingressus Ecclesiæ interdictus, & nihilominus ipsi huiusmodi transportata & detenta, ad Ecclesias, monasteria, loca & administrationes præfatas reducere teneantur. Et si Abbatum, Priorum, & aliorum administratorum superiores (vt præmittitur) non habentium, transgressio, manifesta seu nota fuerit: per Præsidentes in prouinciali Capitulo, seu Visitatores per idem Capitulum deputandos, censuræ grauiori, ac debitæ satisfactioni subdantur. Alij verò inferiores administratores & transgressores, ipso facto sint & permaneant per annum integrum ab eorum officiis & administrationibus suspensi. Et si eorum transgressio manifesta seu nota extiterit, per suos superiores amoueantur perpetuo ab administrationibus eorundem: & administrationes huiusmodi per eosdem superiores ad quos eorum collatio pertinuerit, aliis liberè conferantur. Simplices autem Monachi, & conuersi transgressores, sint inhabiles ad obtinenda quælibet beneficia & officia ipsius Ordinis seu Religionis, vsquequo per eorum superiores (congrua satisfactione præmissa) cum eis extiterit misericorditer dispensatum.

Cap. XVI.

De Monachis & Conuersis proprietarijs & negotiatoribus.

Rursum, licèt contra Monachos proprietarios sit plenè prouisum per Canonicas sanctiones; tamen specialius prouidere volentes contra illos Monachos & conuersos ipsius Ordinis seu Religionis, qui suæ salutis obliti,

contra

contra regulares & Canonicas institutiones pecuniam congregant, iura, possessiones, redditus, seu census annuos & alia bona emunt, seu emi faciunt, aliquando proprio,& sæpe nomine alieno,multis super his figmentis adhibitis: aliisque tradunt animalia nutrienda, & cum augmento vel lucro sibi vel alteri reddenda eorum nomine, seu pro ipsis,& alios multos contractus diuersimode tanquam negotiatores exercent, necnon appetentes & sectantes lucra turpia, peculium occultant & illicite detinent, in suarum periculum animarum: auctoritate Apostolica prædicta decernimus omnia præmissa (quæ tamen non restitutioni subiaceant aliorum) nedum post obitum,sed etiam in vita ipsorum monachorum & conuersorum fore per Antistites, Abbates, seu alios prælatos eorum proprios, cum consilio proborum monachorum seniorum Ecclesię,monasterij,vel loci cuiuslibet eorum, eiusmodi Ecclesiis, monasteriis, seu locis propriis applicanda,& in eorum vtilitatem totaliter conuertenda,vsu (imo potius abusu) quocumque contrario non obstante. Quodque ipsi Antistites,Abbates seu alij prælati proprij,alicui monacho vel cõuerso talia faciendi licentiam nequeant impartiri. Et quod tam prælati, monachi & conuersi prædicta committentes, quam alij quicunque Ordinis seu Religionis huiusmodi supradicta retinẽtes, aut sibi ipsi appropriantes,vel applicationi & conuersioni huiusmodi resistentes,vel impedimentum publice aut occulte præstantes,seu præstari procurantes, vel dictum peculium non reuelãtes Antistitibus,Abbatibus, seu prælatis propriis antedictis sint eo ipso inhabiles ad beneficium, Prioratum, administrationem, officium, regimen & gubernationem quamlibet in Ordine seu Religione huiusmodi obtinenda. Permittimus tamen,quod cum ipsis monachis & cõuersis possit Antistes Abbas,vel alius eorum prælatus proprius dispensare super pœnis huiusmodi, quando ei videbitur expedire: dummodo præmissa reuelauerint, & plene restituerint, vt præfertur.

CAP. XVII.

Ne Victualia in pecunia ministrentur.

Nempe statuimus & ordinamus,quod iuxta suppetentiam facultatum Ecclesiarum Cathedralium seu Capitulorum earum ac monasteriorum, & aliorum locorum eiusdem Ordinis seu Religionis, & singularum religionum etiam qualitates per Antistites, Abbates, & alios prælatos, & quosvis alios administratores vel officia ad hæc deputata vel deputanda tenentes & exercentes, sufficienter victualia,vestiaria, omniaque alia necessaria monachis ministrẽtur,prouiso attentius quod pro huiusmodi victualibus, vestiariis, aut aliis quibuslibet eiusdem monachis necessariis,pecuniæ,simul, aut per vices seu minutatim nullatenus eis dentur, aut pẽsio vel redditus quomodolibet assignentur:sed in victualibus,vestiariis & rebus aliis eis ipsorumque vsui congruentibus, prouideatur eisdem, quemadmodum fuerit opportunum. Et vbi alius certus terminus super hoc non fuerit ordinatus,singulis annis,prima videlicet die mensis Octobris vestiaria præbeantur.Si qui autem redditus vel pensiones hactenus propter hoc seu alias extiterint assignati, nullatenus dimittantur eisdem:sed ex nunc pro reuocatis ab ipsis totaliter habeantur. Et nihilominus illi qui pensionem redditus aut pecuniam pro prædictis vel eorum, aliquo cuiquam monacho ministrare vel assignare præsumpserint,si Antistites,Abbates vel Priores seu cęteri,superiores eiusdem Ordinis seu Religionis non habentes, extiterint, infra octo dies tantundem erogare pauperibus teneantur, hoc tamen adhibito moderamine circa idem, quod monachis de suorum superiorum licentia extra Cathedrales Ecclesias,monachales,monasteria,Prioratus,& administrationes præfatas,in scholis vel alibi pro vtilitate Ecclesiarũ,monasteriorum,Prioratuum & administrationum huiusmodi commorantibus, possit pro victu & vestitu(sicut eorum superioribus videbitur)dari pecunia, non tamen pensio vel redditus assignari,saluis etiam statuto & ordinatione pręscriptis,de Monachis ad studia generalia transmittendis,& de pensionibus eis,ac de decem libris exhibendis dicto monacho,qui infra Ecclesias,monasteria,& alia loca eiusdem Ordinis seu Religionis monachos dociles instruet,prout seriose superius est distinctum. Ad hæc subiungimus,quod illi,qui prædicta ministrare tenentur,ad ea,omni excusatione cessante sufficienter (vt præmittitur) ministranda per superiores suos,aut in defectu eorum, per Visitatores vel Præsidentes præfatos irremissibiliter compellantur. Nec audiantur si dicant se priuilegium,statutum,ordinationẽ vel consuetudinem aliam habere,aut pro suis personis eorumque statu(iuxta personarum vel officiorum decentiam sustinendis) se afferant indigne,nulla quoque super hoc appellatio,nullaue supplicatio eis prosint.Sed si tertio moniti per aliquorum dierum competentia interualla,Prælati eorum arbitrio relinquenda,præmissis efficaciter parere contempserint, remoueantur libere à suis administrationibus vel officiis,ipsasque aliis idoneis prædicta complere valentibus committantur.Quod si forte redditus officiorum seu administrationum huiusmodi, ad victum,vestiarium,seu alia necessaria monachis ministranda non sufficiant, de communi contributione, vt de pensionibus studentium vt præmissum est facienda,defectus huiusmodi suppleatur,donec pro aliis per deputandos à nobis redditus seu pensiones perpetui fuerint assignari,quos per eosdem deputandos assignari volumus eisdem modis & formis, quibus pro pensionibus dictorum studentium redditus seu pensiones perpetuas ordinauimus & statuimus assignari. Abbates verò ac Priores & cæteri Superiores (vt præfertur) non habentes qui teneantur administrare prædicta, à Præsidentibus, aut Visitatoribus per censuram Ecclesiasticam, modisque aliis congruentibus ad id omnino cogantur, ipsis, nisi suos subditos & Præsidentibus ac Visitatoribus nisi Abbates, Priores, & alios supradictos iuxta modum præfatum effectualiter ad præmissa compulerint, in Capitulis Prouincialibus grauiter arguendis, & taliter corrigendis, quod rubor & confusio de præteritis diligentiam efficiant ad futura.

CAP. XVIII.

Ne scholaris deputetur ad victum monachis ministrandum, nec Monachi alterius Ordinis seu Religionis.

Cæterum, vt viam scandalis præcludamus, prohibemus expresse,ne in Ecclesiis vel monasteriis seu locis aliis conuentualibus eiusdem Ordinis seu Religionis, Clerici sæculares vel laici, seu alterius Monasterij monachi, vel religiosi alterius Religionis,ad victum monachis ministrandum de cætero deputentur.Quicquid autem ad victum monachis ministrandum in cibo,potu,vel pitantia eisdem monachis ministrandum existit, singulis eorum, die qualibet administretur ad congruentem mensuram prout erit opus,iuxta Ecclesiarum,monasteriorum & locorum ipsorum exigentiam facultatum, & quicquid de administratis superfuerit eleemosynæ applicentur per illum qui ad hoc fuerit deputatus. Nec aliquis alius per se vel per alium de refectorio seu infirmitorio vel alio loco in quo Monachi comedent,aliquid extrahere,vel alibi deferre,seu alteri vsui applicare præsumat.Quod si fecerit pro qualibet vice per duos dies panis & aquæ solummodo pœnitentiæ subdatur.

CAP. XIX.

Ne mulieres habitent in loco monachorum.

Insuper statuimus & ordinamus, quod Antistites, Abbates Priores,ac cæteri administratores in Ecclesiis, vel monasteriis, seu aliis locis eiusdem Ordinis vel Religionis huiusmodi,aut infra septa Ecclesiarum, monasteriorum & locorum eorundem, vel in domibus in quibus Monachi habitant,mulieres tenere(etiamsi matres vel sorores fuerint)non præsumant,Antistites verò, Abbates, Priores,ac cæteri superiores Religionis eiusdem non habentes,qui contra fecerint,à collatione beneficiorum sint per tres menses eo ipso suspensi, quibus durantibus ad priorem vel alium maiorem,post Antistitem, seu Abbatem, cum consensu Capituli seu conuentus vel maioris & sanioris partis eiusdem,beneficiorum ipsorum sit collatio deuoluta. Alij verò Priores & administratores quicumque fuerint, per sex menses, à perceptione fructuum beneficiorum quæ obtinuerint sint suspensi, quibus durantibus,Antistes,Abbas vel alius Prælatus immediatus, eorum superior, ponat in eisdem beneficiis alios monachos administratores prouidos & discretos, ac fructus ex his dictis sex mensibus obuenientes, qui superfuerint (deductis consuetis oneribus supputatis) conuertantur in vtilitatem Ecclesiæ, monasterij seu loci immediate superioris delinquentium prædictorum. Et nihilominus

dicti Abbates & Priores, & alij non habentes Superiores, per Præsidentes seu Visitatores, cæteri verò per suos Superiores, provt culpæ sot delinquentium qualitas exegerit alias puniantur.

Cap. XX.

Ne monachi nutriant vel teneant animalia seu personas sæculares in monasteriis eorum locis, nisi quibus ex officio competit.

Cæterum probibemus ne aliqui monachi nutriant seu teneant equos vel alias euectiones aut seruitores, seu alias personas, vel familiares in Ecclesiis, Monasteriis seu locis aliis Conuentualibus Ordinis sen Religionis eiusdem, nisi eis ratione administrationum vel officiorum quæ gesserint id competere dignoscatur. In infirmitorio tamen pro necessitatibus infirmorum coquina Capituli vel conuentus aliisque officiis, honesti seruitores seu famuli sæculares teneri poterunt necessarij, in numero moderato, provt in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus vel monasteriis seu locis aliis ipsius Ordinis seu Religionis fuerit rationabiliter obseruatum. Qui sæculares quanto minus fieri poterit, cum monachis conuersentur, nec bibant, nec comedant cum eisdem in Capitulo vel Conuentu. Superiores quoque circa hæc prouideant, quod diligentius obseruentur, transgressores eorum arguendo, & provt expediens fuerit puniendo. Prohibemus insuper ne Superiores, Abbates, Priores, & cæteri quicumque ipsius Ordinis seu Religionis, lautis conuiuiis & comessationibus occupentur, nec in his sumptus immoderatos & alios excessus faciant, volentes quod à familiarium, seruitorum sui sequentium, & robarum seu vestium multitudine indecenti & excessiua, tam infrà Ecclesias, monasteria, Prioratus, administrationes, & alia loca eorum, quam etiam extra illa, diligenter studeant abstinere, & honestè ac laudabiliter conuersari. Inhibemus namque, ne aliquis Abbas, vel Prior, seu administrator alius, Religionis eiusdem Conuentum habens, plures sæculares personas equitantes quam. . . . Monachos (eo pro vno Monacho computato) secum ducere præsumat, nisi guerræ discrimen vel personarum seu rerum periculum timeretur, aut forsitan immineret, fictione & fraude cessantibus quibuscumque. Cæteri verò Conuentum non habentes, si duos equitantes secum ducant, volumus quod vnus illorum Monachus existat, si autem plures ducat equitantes, circa hoc seruetur quod superius de Conuentum habentibus est expressum. Adiicientes quod Abbas, vel Prior, seu administrator, vel monachus quicumque Religionis eiusdem, domicellum vel domicellos vestibus virgatis, seu partitis, aut curiosis, vel quomodolibet inhonestis non induat, vel indutos secum teneat, siue ducat. Qui autem contrarium fecerit, si superiorem Religionis eiusdem non habuerit, per Præsidentes dictis Capitulis prouincialibus, si autem Superiorem huiusmodi habuerit, per ipsum Superiorem immediatum videlicet puniatur.

Cap. XXI.

De Soluendis censibus & redditibus pro alimentis monachorum seu Fratrum in terminis constitutis.

Sane statuimos & ordinamus, quod omnes Abbates, Priores, & administratores cæteri, & clerici sæculares & Laici quicumque, qui censos, redditus, pensiones seu quæcomque alia similia debent vel debebunt in posterum, pro alimentis quotidianis, vel pro necessitatis Ecclesiis Cathedralibus, monasteriis, Prioratibus, administrationibus, officiis seu locis, Capitulis vel conuentibus, Ordinis seu Religionis eiusdem, siue in blado, vino, oleo, piscibus, pecunia, seu rebus aliis quibuscumque consistant, illa eis soluere in terminis consuctis vel præfixis, seu in antea præfigendis, integrè non omittant. Et si ea in ipsis terminis vel saltem post eos infra qoindecim dies non soluerint, Priores & administratores cæteri, Ordinis seu Religionis ipsius, totam quantitatem rei debitæ, ac vltra ipsam quartam partem prædictæ quantitatis eiusdem, loco pœnæ (infra mensem dictos quindecim dies immediatè sequentem) soluere sint adstricti. Quas quidem quantitatem & quartam partem appositam (vt prædicitur) loco pœnæ, si soluere contempserint, infra mensem alium ex tunc primo secuturum, à beneficiis quæ obtinuerint, donec prædicta soluerint, sint ipso facto suspensi. Et si suspensionem huiusmodi per alium mensem ex tunc futurum sustinuerint, donec de prædictis integrè satisfecerint, ab officio sint suspensi. Quod si per alium mensem proximè sequentem suspensionem huiusmodi ab officio sustioere præsumpserint, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto. Quam si per sex menses ex tunc secuturos pertinaciter tolerauerint, Prioratibus, administrationibus, & quibusvis aliis beneficiis quæ obtinuerint, sint ipso facto priuati, per illos ad quoa eorum collatio, seu quævis alia dispositio pertinuerit, aliis personis idoneis liberè committendis, seu etiam conferendis. Abbates verò qui infra præfatos quindecim dies prædicta per eos debita non soluerint (vt præfertur) totam debitam quantitatem, & vltra illam, loco pœnæ tertiam partem illius quod debuerint, persoluere teneantur. Et si per tres menses, dictos quodecim dies immediatè sequentes, quantitatem quam debuerint, ipsamque tertiam partem loco pœnæ non soluerint, sint eisdem Abbatibus stallus chori, & locus Capituli Abbatialis, donec super his integre satisfecerint, penitus interdicta. Quod si interdictum huiusmodi per alios tres menses proximè secututos sustinere præsumpserint, sit ipsis Ecclesiæ interdictus ingressus, quovsque satisfecerint competenter integrè de principali & tertia parte præfatis. Et nihilominus dicti Abbates, ac omnes & singuli supradicti, damna & expensas ac interesse, quæ Ecclesiæ, monasteria, Prioratus, administrationes, officia & loca huiusmodi sustinuerint, fecerint, & incurrerint occasione retardatæ solutionis huiusmodi, vel ob defectum prædictorum, reficere & soluere teneantor. Pœnæ autem prædictæ quartæ & tertiæ partium prædictarum in eos vsus conuertantur, in quos principales quantitates fuerant conuertendæ. Sententiæ verò præmissæ auctoritate Apostolica vbi expediens videbitur in Ordine seu Religione huiusmodi, contra ipsos contemptores valeant publicari, & quoties contumacia non soluentium exegerit, aggrauari per superiores, qui locis præfuerint, quorom extiterit solutio retardata. Nec in eis valeat remissio seu gratia cuiuscumque, nec tempus lapsum, vel per negligentiam non petentium intelligantur remitti, vel possit iuri petendi præscribi. Absolutio autem dictarum sententiarum competit Abbatibus prælibatis. Per hæc autem, pœnis aliis si quas dicti non soluentes iuxta statuta vel ordinationea Sedis Apostolicæ aut Ordinis seu Religionis eiusdem, seu quovis modo alias existerent incursuri, non intendimus in aliquo derogari.

Cap. XXII.

De Creatione monachorum. Ad hoc attende normam traditam à Sixt. V. in const. 71. Cum cum ibi ibi notatis.

Cæterum qoia multum Ordini seu Religioni præfatis hactenos obfuit iudiscreta receptio monachorum: statuimus & ordinamus, vt per illos ad quos in Ecclesiis Cathedralibus, monasteriis, Prioratibus, decanatibus seu aliis locis quibuscumqoe ipsius Ordinis seu Religionis spectat creatio monachorum, deinceps non recipiantur aut induantor in monachos vel conuersos nisi personæ idoneæ, vel de quarum idoneitate verisimiliter spes existat, & tales per quos inibi Deo in diuinis officiis congruè deseruiri seu impendi valeant obseqoia opportuna, & quod per eosdem ad quos (vt præmittitur) creatio ipsa spectat, infra Ecclesias, monasteria, Prioratus, decanatus huiusmodi seu alia conuentualia loca ipsis subiecta, & non alibi, cum proborum consilio, Ecclesiæ, monasteria, Prioratus, decanatus, aut loci huiusmodi, cui hi ad qnos dicta creatio pertinet præfuerint induantur, nec per eos huiusmodi creatio, habitus traditio seu receptio, nisi personis Ordinis seu Religionis eiusdem, de cætero committantur, & quod infra tempus probationis ad loca alia, nisi Conuentualia fuerint, non mittantur. Decernimus quoque, quod cum imminebit huiusmodi receptio facienda, si ad Antistites, Abbates, vel Prælatos alios, vnà cum Capitulis vel Conuentibus eorundem, seu cum eorundem consensu pertineat, & Capitula, seu Conuentus, huiusmodi, vel eorum maior pars ad eam pure procedere vel receptioni huiusmodi, pro eorum libito renuant consentire, Antistites, Abbates, seu alij Prælati post ipsos, eos moneant in virtute obedientiæ vt purè ac secundum Deum, & iuxta eorum conscientiam infra decem dies, huiusmodi creationi, seu receptioni consensum præstare procurent. Quod si forte id facere negligant vel recusent, ad eosdem Antistites, Abbates, vel Prælatos alios creatio, seu receptio ipsa liberè deuoluatur, dummodo nil fraudulenter per eos actum fuerit

in

in præmissis. Qui quidem Antistites, Abbates & Prælati alij, in locis in quibus sexaginta monachi, vel pauciores fuerint, cum consilio seniorum proborum & discretorum suorum Capitulorum, vel conuentuum eligendorum per eos, tertiam partem numero scientium, in alijs verò locis in quibus Monachi numerum sexagenariũ excesserint, cum consilio seniorum, proborum, & discretorum ex eis dumtaxat eandem creationem & receptionem cum Dei timore ac obseruantia regulæ de personis, vt prædicitur, idoneis facere non postponant, aliorum contradictione in aliquo non obstante. Prohibemus insuper, ne aliquis recipiatur in monachum Ordinis seu Religionis eiusdem, nisi statim induatur habitu monachi, nec literæ seu instrumenta super futura receptione monachorum aliquibus concedantur, aut promissiones seu obligationes aliæ inde fiant. Vt autem aduersus eos, qui tempore probationis elapso, volũt regularis professionis votum emittere, nullius difficultatis obstaculum ingeratur, vniuersis & singulis Prælatis, ad quos pertinet suos monachos ad huiusmodi professionem recipere duximus iniungendum, vt omnes illos qui dicto tempore probationis elapso expressè profiteri voluerint, iuxta regularia instituta sine dilatione ac difficultate quibuslibet, ad huiusmodi professionem admittant. Quod si facere sine rationabili causa recusauerint, tandiu sint stallus chori & locus Capituli, Abbatialia, vel prioralia (vbi per Priorem monasterium gubernatur) interdicta eiusdem, donec præfatos ad professionem receperint antedictã. Et nihilominus id per Visitatores prouinciali Capitulo referent, vt per Præsidentes eidem Capitulo debitè puniantur, prouiso attentius, quod in Ecclesiis Cathedralibus, monasteriis, & aliis locis Ordinis, seu Religionis huiusmodi, non recipiantur plures monachi vel conuersi, quam tot poterunt de ipsorum prouentibus congrue sustentari. Licet autem præcipiatur in supradicta constitutione sæpe dicti Honorij prædecessoris nostri, vt in nullo monasterio ad præbendas ex tunc recipiant Abbates vel Monachi clericos sæculares, Nos tamen super hoc expressius prouidere volentes, ipsorumque monasteriorum & aliorum locorum ipsius Ordinis, seu Religionis indemnitatibus (quæ plerumque contigerunt) propterea præcauere, huiusmodi præceptum innouamus & etiam approbamus, & adiicientes prohibemus ne in Ecclesiis Cathedralibus, monasteriis, Prioratibus, conuẽtualibus, siue locis aliis eiusdem Ordinis seu Religionis, Prælati, Priores, seu administratores alij, vel Capitula, seu Conuentus eorũ, Clericos sæculares vel laicos (nisi eisdem Ecclesiis, monasteriis seu locis dederint se & sua) vllo modo recipiant ad præbendas, nec eas aliquibus ad vitam, vel ad tẽpus vendere, seu concedere, vel dare præsumant: volentes quod venditio, concessio, seu datio (quas deinceps contra præmissa fieri contigerit) sint irritæ & inanes, nec ex venditione, cõcessione, seu datione huiusmodi, eis quibus factæ fuerint ius aliquod acquiratur. Et nihilominus contra hoc dantes, & concedẽtes, per Superiores suos, vel (si Superiores eiusdem Religionis non habuerint) per Præsidentes prouincialibus Capitulis pro eorum arbitrio puniantur.

CAP. XXIII.

De Forma & honestate vestimentorum.

Quamuis autem in constitutione Viennensis Concilij, scilicet, Ne in agro, de vestibus, caputiis, & sotularibus monachorum, eorumque formis prouide sit statutum, Nos tamen præmissis adiicimus, quod altitudo sotularium ipsorum tanta ad minus esse debeat, vt quatuor digitorum transuersalium de tibia super cauillam, spatium comprehendat, quodque nulli monacho eiusdem Ordinis, seu religionis portare caputium etiam fissum super humeros sit licitum quoquo modo, nisi prius ipsius caputij fissura & honestas alia per Abbatem seu Præsidentem alium, vbi præest alius, fuerint arbitratæ. Horum namque transgressores, pœnas eo ipso incurrant, quæ portantibus sotulares non corrigiatos & altos, aut caputia non fissa, inflictæ noscuntur per dictam constitutionem ipsius Concilij Viennensis, Adiiciendo quoque Interdicimus expresse vniuersis & singulis ipsius Ordinis seu Religionis monachis, quod nullus eorum de cætero, todundellum, elochiam, cucullam manicatam vel tabardatam, seu epithogiatam, aut in veste superiori habitui proxima, manicas ligatas, consuticias, seu quomodolibet botonatas portare præsumat, sed quales portare statuit præfata constitutio eiusdem Concilij Viennensis. Qui verò interdicti huiusmodi trãsgressor extiterit, auferatur ab eo per suum Superiorem vestis ipsa transgressionis, pauperibus eroganda, & nihilominus transgressor ipse per eundem Superiorem sic alias debite puniatur, quo cæteri à similibus arceantur. Abbates autem in monasteriis, & in Cathedralibus Ecclesiis monachalibus, Priores seu alij maiores in illis post eorum Antistites, ac Priores, seu alij non habentes Superiores Religionis eiusdem, sic formam honestam vestium ac calceamentorum ordinent & disponant, quod sit omnibus monachis tam intrinsecus quam extrinsecus vniformis, ipsamque tam Abbates quam Priores, & administratores, quam cæteri quicumque monachi, Priores videlicet & alij per proprios eorum Abbates, seu Prælatos alios, Abbates verò & cæteri Abbates proprios monachos non habentes, per Præsidentes prouincialibus Capitulis, seu per quemlibet eorundem, ac per Visitatores in ipsis Capitulis deputandis tenere ac seruare cogantur. Per præmissa verò, vel per ea quæ in dicta constitutione Viennensis Concilij statuuntur, non intendimus quod in religionibus siue locis, in quibus Abbates vel alij Prælati locorum seu monachi eiusdem Ordinis seu Religionis vti caputiis vel sotularibus non solebant, ipsis vti licitum sit eisdem.

CAP. XXIV.

De Licentia exeundi extra Monasteria, vel alia loca monachalia sine rationabili causa non danda & de pœna & censura contrauenientium.

Statuimus insuper & etiam ordinamus, quod nullus monachus Ordinis seu Religionis eiusdem, de Ecclesia, Cœnobio, seu alio loco conuentuali exire præsumat, nisi petita & obtenta licentia primitus ab eius Superiore, qui eam valeat indulgere, quauis consuetudine contraria non obstante. Ipseque causam exitus vel itineris, omni fictione cessante, Superiori exponat, dictusque Superior licentiam huiusmodi, nisi ex causa rationabili, non concedat. Et eis quibus illam concesserit, certum ad redeundum terminum præfigat, vt conuenienter poterit breuiorem; ipsosque salubriter exhortetur, à quibus extra Monasterium habeant abstinere. Si quis verò Monachus contrarium fecerit, teneatur satisfactionem illam vel pœnam subire, cui sine licentia de Monasteriis suis seu locis exeuntes consueuerunt, seu debent subiici, in Ordine, seu Religione præfatis. Ad Ecclesias etiam vel Monasteria, seu loca huiusmodi redeuntes, ad communionem aliorum monachorum seu fratrum, donec satisfactionem huiusmodi fecerint, nullatenus admittantur, quæ subijcitur esse talis. Videlicet quod à porta regulari, parlatorio, seu alio loco consueto per claustrum cum Magistro Nouitiorum, vel alio ad hoc deputato, ad Capitulum veniat in staminea, vel nudus secundum quarundam Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum religiosorum morem, femoralia & caligas sine pedalibus tantum habens, cucullam seu scapulare, vel floccum in brachiis, ac ferulam in manibus suis ferens. Cum quibus ibi prius venia recepta, & sua recognita culpa, coram omnibus publicè verberetur. Demum verò per Abbatem, vel alium Prælatum principalem si sit, sibi, aut Priorem, vel alium post Abbatem, seu per Principalem Prælatum huiusmodi pœnitentia seu pœna leuis, aut grauis culpæ sibi pro qualitate demeriti imponatur, secundum morem cuiuslibet Ecclesiæ, Monasterij, seu loci laudabiliter obseruatum, prouiso attentius quod modum peccati modus correctionis nequaquam excedat. Pœna quoque simili puniantur monachi in Prioratibus, seu administrationibus aliis exterioribus deputati, qui de illis redierint ad Ecclesias, vel Monasteria, seu loca conuentualia prædicta, nisi vocatione Antistitis, Abbatis, vel alterius Prælati, seu sine licentia eiusdem à Priore vel administratore alio loci, in quo, vt præfertur, fuerint deputati, per patentes literas eisdem dandas, iustam causam licentiæ huiusmodi continentes. Nullusque monachus pernoctaturus extra Ecclesiam, monasterium, vel alium locum suum, permittatur abire sine cuculla regulari clausa, necnon breuiario, in quo seruitij suæ pensum possit exoluere Creatori.

CAP. XXV.

De Monachis ad beneficia...

Ordinamus etiam & volumus, Lateranensis Concilij de Monachis singulis per villas vel oppida, & parochiales

mittendis, & modo conuersandis in eis.

Ecclesias non ponendis, supradictam Clementis prædecessoris editam in dicto Concilio Viennensi constitutiones, ne ipsi singuli monachi in singulis sibi commissis administrationibus vel Prioratibus habitare præsumant, firmiter obseruari. Statuimus insuper quod absque personarum delectu transmittantur, cum faciendum fuerit, monachi per Superiores eorum, prout locis congruere nouerint & personis, & non prout Priores seu administratores alij eos duxerint eligendos, vel sibi per Antistites, Abbates, aut alios ad quos hoc pertinet, petierint assignari. Quod si per ignorantiam vel errorem aliqui ad huiusmodi Prioratus & administrationes vltra numerum constitutum vel constituendum missi forsan extiterint, Priores seu alij administratores locorum ipsorum eos cum literis suis causam huiusmodi exprimentibus, & expensis conuenientibus ad Superiores remittant eorum. Verum si cessante causa huiusmodi, Priores seu alij administratores prædicti recusarint admittere aliquem ad se missum, vel eis sufficienter in necessariis prouidere, tandiu iidem Priores seu administratores, in claustro principali Ecclesiæ monasterij, seu loci ad modum claustralium sequendo Capitulum seu conuentum residentiam facere teneantur, ad gubernationem locorum sibi commissorum per Superiores prædictos, monachis aliis idoneis vno vel pluribus, prout Superioribus ipsis videbitur subrogatis, donec dicti Priores, seu administratores plene paruerint in præmissis, saluis nihilominus aliis rationabilibus pœnis, statutis & consuetudinibus, tales vel alios inobedientes in quibuscumque Monasteriis, vel locis ipsius Ordinis, vel Religionis hactenus obseruatis. Monachi autem in Prioratibus, seu administrationibus, cum dictis Prioribus, seu administratoribus commorantes, in Ecclesia horis congruis, & locis cum dictis Prioribus, seu administratoribus simul sint, & canonicas horas dicant. Et in missis celebrandis suas hebdomadas ordinatè ac tractim, non sincopando, humiliter & deuotè, & horis competentibus, & cum nota vbi fuerint tres, vel quatuor seu plures facere teneantur, & in talibus locis vbi tres sint aut supra, vna per eos missa ad minus cum tota die qualibet celebretur. In vnaquaque domo communi regularibus iaceant, camerulis, & cellulis eis penitus interdictis. In domo insuper vna Prior, & Monachi vescantur, nisi infirmitas aut alia euidens ratio aliud interdum suaserit faciendum. In vestitu, lectisterniis & tonsura a communi Ecclesiæ, Monasterij, seu loci cuiuscumque alterius Superioris eorundem institutione, vel debita obseruantia non recedant. Monachi quoque suo Priori, vel administratori iuxta ordinationem Antistitis, Abbatis, vel Superioris alterius obediant humiliter, & deuotè. Prior autem vel administrator ipsos tractet fraterna in Domino charitate, nec ipsi Priores, seu administratores monachos, vel eorum socios extra Prioratus, vel administrationes morari faciant, vel permittant, aut à se remittere valeant absque Superiorum suorum licentia, nisi ad ipsos Superiores, vel Ecclesias, Monasteria, seu alia loca principalia, ex causa legitima, & cum eorum Priorum, seu administratorum patentibus literis, & prout superius est expressum. Prouiso diligentius quod dicti Priores, vel administratores soli non remaneant in eisdem Prioratibus, vel administrationibus. Imo ad residendum ibi continue compellant monachos antedictos, & si eis obedire noluerint, superioribus notificent indilate. Idemque faciant quando mori, vel fugitiuos fieri continget monachos prælibatos, diem mortis eorum in suis literis exprimendo, vt in Ecclesiis, Monasteriis, seu locis aliis principalibus pro anima monachi defuncti fiant suffragia consueta, ac diem etiam fugæ seu recessus eorum, vt fugitiuos valeant reuocare, seu loco ipsorum alios subrogare. Quod si dum primo id sciuerint, superioribus præfatis significare distulerint, ipsi Priores, vel administratores duplum illorum quæ monachus, si fuisset ibidem, expendisset pro pitantia Capituli Ecclesiæ, vel conuentus Monasterij, seu loci alterius principalis soluere teneantur. Certos autem limites à Priore, vel administratore prædictis præfixos ipsi Monachi habeant, quos etiam causa deductionis, seu recreationis, vel aliàs transgredi eis non liceat, sine Prioris, vel administratoris licentia speciali. Soli quoque nunquam incedant, sed semper cum alio Monacho, vel alia honesta persona. In villa vero, in qua fuerint Prioratus, vel administrationes huiusmodi, comedere, seu bibere, vel domos ingredi non præsumant, nisi cum honestis personis, & hoc de sui Prioris, vel administratoris licentia speciali. Qui autem præmissa minimè obseruauerint, regulari subiaceant disciplinæ. Vt autem hæc efficacius obseruentur, Antistites, Abbates, & Superiores, necnon alij qui ad visitandum per eos fuerint deputati, cum Prioratus, & administrationes huiusmodi visitabunt, circa illa seruanda, & non seruata etiam corrigenda, curam adhibeant diligentem.

CAP. XXVI.

De Esu & abstinentia carnium & de dormitorio modoque cubandi.

Verum quia ad salutis profectum tenditur, si moderationis sobrietas, & modestia obseruentur, volentes ea quæ circa esum, & abstinentiam carnium beati Benedicti regularis institutio tradidit, & in constitutione piæ memoriæ Innocentij Papæ III. prædecessoris nostri sunt statuta firmiter obseruari, Statuimus & ordinamus quod per totum annum Feria Quarta, & die Sabbati, & à prima Dominica de Aduentu vsque ad diem Natalis Domini, & à Dominica Septuagesimæ vsque ad diem Paschæ omnes regulares eiusdem Ordinis, seu Religionis ab esu carnium vbique abstineant, nisi necessitas infirmitatis non fictæ, per Abbatem, vel alium Prælatum propriũ fortè suadeat cum aliquo dispensandum. Diebus autem quibus monachi in infirmitorio carnes edent, sic prouideatur omnino quod in refectorio remaneat ad minus medietas monachorum Capituli, vel Conuentus, & idem fiat vbi Abbas seu alius Prælatus principalis, aliquos ad domum seu ad cameram suam vocabit ad melius, & plenius exhibendum. Quoties verò plures simul carnes in infirmitorio comedent, versus & oratio in principio mensæ, ac post refectionem hymnus, & versus dicatur, & continuum discumbendo silentium obseruetur. Ibique legatur sicut in refectorio continuè aliquid quod ædificet audientes, nullaque persona sæcularis ad comedendum inibi aliquatenus inuitetur. Caueant autem Abbates, & alij Prælati aliorum locorum ipsius Ordinis seu Religionis, ne sæculares personas ad eorum mensas conuocent, quarum occasione ipsi, vel Ordo, seu Religio huiusmodi denigrari valeant vel notari. Omnes insuper Monachi, vel, si multitudo non sit eorum, saltem quando plures ex ipsis commodè poterunt, in vna domo dormiant, & iaceant iuxta regularia, & Canonica instituta, non per separatas cameras, vel per cellas exceptis his quibus in cameris, vel cellis infirmitorij permittetur propter senectutem, vel inualetudines corporales, vel ex aliis rationalibus causis iuxta dispositionem Abbatis seu alterius eorum Prælati, vel nisi propter administrationes, seu officia super hæc aliqui excusentur. Vestiti autem iaceant Abbates, Priores, administratores, & monachi vniuersi, tam intra, quam vbicumque extra Monasterium constituti, lineisque camisiis, cum sint eis expresse prohibitæ, non vtantur. Transgressores vero præmissorũ, si Abbates, seu alij Prælati, Abbates proprios non habẽtes fuerint, per Præsidentes, vel Visitatores prouincialis Capituli; cæteri verò per suos Superiores, prout culpæ, ac delinquentium qualitas exegerit, debite puniantur. Cæterũ quia cellæ in dormitoriis inhonestates inducunt, statuimus, & ordinamus, quod in ipsis dormitoriis cellæ de cætero nullæ fiant: & iam factæ nullatenus dimittantur: sed per Antistites in Cathedralibus Ecclesiis monachalibus, & per Abbates, vel alios Prælatos principales in Monasteriis, ac Prioratibus & locis aliis, per illos qui eis præfuerint infra quatuor menses à tempore quo statutum, sed ordinatio huiusmodi ad eos peruenerit, eisque negligentibus seu non valentibus, per Visitatores in prima visitatione quam impendent, auctoritate Apostolica destruantur, & quod super his resistentes eisdem, vel impedimentum aliquod præstantes, seu præstari procurãtes, & ad hoc dantes auxilium, consilium, vel fauorem, publicè, vel occultè, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, à qua nequeant nisi per prædictos Visitatores absolui, quos ipsi Visitatores ad hoc per alia iuris & ipsius Ordinis, seu Religionis remedia valeant auctoritate Apostolica coarctare. Ipsi etiam visitatores quod super his inuenerint, vel fecerint referant plene, ac fideliter in subse-

quenti

quenti cuiuslibet prouinciæ, in quam Visitatores deputati extiterint, Capitulo prouinciali. Pro studētibus tamē prouideatur iuxta dormitorium de cellis, in quibus ipsi studere valeant, non iacere.

CAP. XXVII.

De Missarum celebratione, & communione non Sacerdotum.

Monemus insuper vniuersos Priores, administratores, & Monachos ipsius Ordinis seu Religionis in Sacerdotio constitutos, intra Ecclesias, Monasteria, & alia loca eorum conuentualia residentes, vt eorum quilibet bis vel ter, qui verò in Prioratibus, vel aliis locis non conuentualibus, aut in scholis, siue alibi fuerint, etsi non frequētius saltem semel in septimana, salua honestate & debita deuotione Missas studeāt celebrare. Et nihilominus qui locis conuentualibus præsidebunt, in festis solemnibus, Missas maiores conuentuales celebrent in eisdem. Alij vero non Sacerdotes, etsi non sæpiùs, saltem singulis septimanis confiteantur, & singulis mensibus iuxta constitutionem sæpe dicti Clementis prædecessoris editam in præfato concilio Viennensi ad communionem accedant. Illi videlicet qui infra Ecclesias, Monasteria, seu alia loca conuentualia erunt, in altari maiori, qui vero extra illa fuerint, vbi magis visum fuerit honestum eisdem, nisi abstineant ex causa rationabili, & de licentia Superioris, aut Confessorum suorum. Quod si negligenter omiserint: per eosdem Superiores suos grauiter arguantur, & nihilominus debite puniantur. Per hæc autem statutis, vel consuetudinibus Ecclesiarum, Monasteriorum, seu locorum prædictorum, in quibus obseruaretur, vt confiteri, vel celebrari seu communicare frequentius habeant, non intendimus in aliquo derogare. Abbates insuper, ac Priores & cæteri non habentes Superiores eiusdē Religionis, qui eo amplius debent forma vitæ pollere quo magis status præfulgent honore, die qualibet, rationabili causa cessante, Missam celebrent vel audiant, & in solemnibus festis in suis Monasteriis, siue locis Missas solemnes studeant celebrare. Quamvis autem satis sit tā in regula beati Benedicti, quam in iure prouisum, quomodo in Ecclesiis, Monasteriis, & locis aliis conuentualibus supradictis, Monachi conuenire debeant ad diuina officia, diurna videlicet, & nocturna, atque psallere in eisdem, quia tamen hæc negligenter omittunt interdum, volumus, & etiam ordinamus, vt in eisdem Ecclesiis, Monasteriis, siue locis, cum grauitate ac modestia humiliter, & deuote horis debitis ad diuina officia vniuersi & singuli Monachi debeant conuenire, ipsasque cum deuotione sincera tractim, distinctè, conuenienter, & debite celebrent, non transcurrendo, aut sincopando, & quoad alia, quæ his impedimentum afferrent, seruando silentium, quinimo ad diuina ipsa intentis præcordiis attendendo. Transgressores vero præmissorum debitæ subiaceant disciplinæ. Cæterum qui ad chorum, vel ad Ecclesiam accedere nequiuerint, prædicationi, lectioni, studio, seu administrationibus, vel officiis suis, aut piis siue licitis operibus, de licētia illius ad quem eam dare pertinuerit occupati, in loco alio congruo, & honesto debitis horis iuxta possibilitatem plures simul conueniant, & debite dicant diuinum officium, & quotidianum pensum exoluant debitæ seruitutis.

CAP. XXVIII.

De Custodia ornamentorum Ecclesiæ, & prouisione librorum.

Sane vniuersis & singulis Antistitibus, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis Sacristis, & administratoribus aliis, quibus hoc competit, in virtute obedientiæ districtè iniungimus, vt Ecclesias, Oratoria, Altaria, Vasa, Corporalia, Vestimenta, & alia ornamenta Ecclesiastica, munda & nitida conseruent, & faciant ab aliis conseruari, quodque de Breuiariis, Missalibus, aliisque libris & vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis, omnino prouideant seu faciant prouideri.

CAP. XXIX.

De Decanis, & Præpositis, aliisque ad Sacerdotium promouendis.

Insuper, cum caueatur in supradicta constitutione dicti Clementis prædecessoris, edita in eodem Concilio Viennensi, quod Prioratus conuentuales alicui, nisi vigesimūquintum annum attigerit cōferri nequeāt, vel committi, & quod qui tales Prioratus habuerint, infra annum cōputandum à tēpore collationis seu commissionis sibi factæ de illis, & possessionis eorū adeptæ, se faciant ad Sacerdotium promoueri, quod si, cessante rationabili causa, non fecerint, eo ipso dictis Prioratibus sint priuati. Nos pari ratione inducti, quod super his in prænominata constitutione cautū existit, ad Decanos, Præpositos, & quoscumque alios Præsidentes locis conuentualibus Ordinis seu Religionis eiusdē duximus extendendum, & hoc idem statuimus & decernimus existere humiliter obseruādum in assumendis ad officia, seu administrationes claustrales quæ beneficia censebuntur ipsius Ordinis, seu Religionis etiamsi officia seu administrationes huiusmodi curā non habeant animarum. Et quod de Prioratibus non conuentualibus curam animarum habentibus, etsi cura ipsa per sæculares presbyteros debeat exerceri, & assumptis ad eos ad Sacerdotium promouendis ac eorundem ætate, in dicta constitutione cauetur, In Decanatibus, Præpositutis & aliis quibuscumque administrationibus non Conuentualibus similem curam habentibus Ordinis seu Religionis huiusmodi, & in assumendis ad eos idem per omnia obseruari.

CAP. XXX.

De Instituendo Priore claustrali.

Sanè cum Prior claustralis esse debeat potens in opere ac sermone. Volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt instituatur ipse Prior prouidus & discretus, prout in Congregatione Cathedralis Ecclesiæ vel Monasterij, seu alterius loci eiusdem Ordinis seu Religionis aptior poterit inueniri, sitque talis qui continuè in Capitulo seu conuentu resideat, claustrique curam & regimen exercere assiduè teneatur.

CAP. XXXI.

De Monachis obtinentibus beneficia in monasterijs alienis.

Attendentes præterea fore quam plurimos monachos ipsius Ordinis seu Religionis qui licet in, vel sub alicuis Ecclesiis vel Monasteriis, quorum vnum ab alio non dependet, ex dispensatione supradictæ Sedis, beneficia sint adepti, remanent tamen in primis Ecclesiis, seu Monasteriis monachi, nec ad Ecclesias seu Monasteria, in, vel sub quibus beneficia obtinent, sunt translati, propter quæ diuersa iuri, & rationi repugnantia subsequuntur, Nos in hac parte opportune prouidere volētes, auctoritate Apostolica statuimus & etiam ordinamus, quod quiuis ex monachis supradictis infrà mensem post publicationem præsentis Constitutionis in suo prouinciali Capitulo faciendam, dictarum Ecclesiarum seu Monasteriorum alterum eligere teneatur. Quod si secundum elegerit, in quo vel sub quo beneficiatus extiterit, statim eo ipso eius verus monachus censeatur, & esse desinat in priori, nisi forsan in huiusmodi Ecclesia vel Monasterio sic electo, certus esset monachorum numerus, & de ipso aliquis non decesset. Quo casu translationem ad Ecclesiam vel Monasterium sic electum differri volumus, donec aliquis de numero prædicto, defuerit, & tunc in eius locum eadem auctoritate eo ipso nouerit se translatum. Quod si secundam Ecclesiam vel Monasterium omnino elegerit, vt præfertur, Prioratu, administratione, officio, seu beneficio huiusmodi, eo ipso nouerit se priuatum, & in priori Ecclesia vel Monasterio remaneat monachus sicut prius, dispensatione prædicta contra præsens statutū in nullo sibi penitus suffragante. Volentes nihilominus, quod de Prioratu, administratione, officio, seu beneficio huiusmodi, per eos ad quos aliàs eorum collatio, concessio, seu quæuis dispositio pertinet, non obstante contradictione cuiuspiam, liberè disponatur, eos nihilominus qui contra Constitutionē præsentem huiusmodi Prioratus, administrationes, officia, seu beneficia in alienis Ecclesiis seu monasteriis retinere præsumpserint, pœnis constitutionis Bonifacianæ, Cum singula Capitula, volumus subiacere. Et nihilominus per superiores eorum grauiter decernimus puniendos.

CAP. XXXII.

De Obtinentibus beneficia ex collatione Apostolica, quod sicut alij sint subiecti.

Rursum declaramus quod omnes Monachi beneficia obtinentes in Ordine seu Religione huiusmodi, ex collatione, prouisione, vel ordinatione Sedis Apostolicæ, aut Legatorum, executorum, vel prouisorum eiusdem, seu per ipsius Sedis vel per prædictorum literas, & qui ea obtinuerint in futurum, teneantur obedire Superioribus suis eiusdem Religionis, eorumque subesse correctionibus, ordinationibus, punitionibus & statutis & Prioratibus, administrationibus, officiis seu quibuscumque beneficiis, quæ obtinent, vt præfertur, & obtinuerint

in faturum, ex causis rationabilibus priuati valeant, & ab illis etiam amnueti, ac si per Superiores suos de suis beneficiis eis foret prouisum.

Cap. XXXIII.

Quod antiquus Monachorum numerus teneatur in beneficiis eorumdi, ac procurationes soluantur.

Cæterum cupientes cultum diuini nominis non minui, sed potius augeri, sitque rationabile, vt quicumque beneficia regularia obtinent, onera debita & consueta supportent, Statuimus & ordinamus, quod in monasteriis, Prioratibus, & aliis beneficiis Monachalibus, personis quibuslibet extra Ordinem seu religionẽ huiusmodi, cuiuscumque sint dignitatis, gradus, seu præeminentiæ collatis, vel commendaris, seu de cætero commendandis vel conferendis, tot Monachi tenantur quod in eis tenebantur, cum per Monachos, Monasteria, Prioratus, & beneficia huiusmodi regebantur. Et quod nihilominus Monacho in eisdem Monasteriis, Prioratibus, & beneficiis committatur id quod supra, vel circa alios Monachos inibi residentes haberet exercere administrator Monachus, si præesset eisdem, quantum ad ea quæ pertinent ad regulam seu disciplinam vel obseruantiam regularem, & quod quilibet huiusmodi Monasteria, Prioratus, & beneficia quomodolibes obtinentes ad Procuratores, & alia quælibet onera imminentia persoluenda, reddenda, & supportanda auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alias, sic per omnia compelli valeat per Capitulorum prouincialium Præsidentes, sicut per Superiores possent & deberent compelli Monachi, si præessent Monasteriis, Prioratibus, & beneficiis memoratis, nisi fuerint Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos non decet talium compulsionibus subiacere.

Cap. XXXIV.

De Collapsis Monasteriis in religione.

Statuimus quoque & ordinamus, quod si aliquod Monasterium ipsius Ordinis seu Religionis, lapsum in religione vel regulari obseruantia patiatur, qui per Abbatem seu alium administratorem, vel Monachos eiusdem Monasterij verisimiliter reparari non possit, per Præsidentes prouinciali Capitulo, vel quemlibet eorundem ad requisitionem seu relationem Visitatorum, prout eidem Capitulo super hoc cõsulẽdo videbitur expedire, vel sine consultatione huiusmodi, si ex dilatione consulendi dictum Capitulum periculum immineret, auctoritate Apostolica assumantur de alio Monasterio, in cultu eiusdem Religionis vigente, Monachi idonei, & ad dictum Monasterium lapsum patiens transmittantur, inibi quandiu expediens fuerit moraturi, per quos lapsus huiusmodi reparetur. Illi autem Monachi ob quorum culpam alij transmittantur ad locum seu Monasterium sic collapsum, in dicto Monasterio, de quo alij, vt præfertur, assumpti fuerint, vel in diuersis aliis Monasteriis Religione vigentibus, vbi eorum conditio valeat reformari, per Præsidentes eosdem, prout expediens fuerit, eadem auctoritate Apostolica collocentur.

Cap. XXXV.

De Collapsis Monasteriis in facultatibus.

Statuimus insuper, & ordinamus, vt si alicuius Monasterij seu loci eiusdem Ordinis seu Religionis repentinus aut nouus in facultatibus suis lapsus, vel aliquorum ipsius Monachorum excessus, Monachos sic excedentes aut alios ad Monasteria mitti exegerit aliena, Præsidentes præfati & eorum quilibet, ad requisitionem seu relationem Præfatorum Visitatorum, vbi prouinciali Capitulo prius videbitur, & dilatio consulendi præfatum Capitulum periculum non inducet, alioquin sine consultatione dicti Capituli huiusmodi Monachorum, auctoritate prædicta faciant ad tempus, de quo eis videbitur, missionem ad receptionem ipsorum. Abbates & alios Prælatos principales ipsius Ordinis seu Religionis, qui eos aliter recipere fortè noluerint compellentes. Nisi fuerit talis huiusmodi missorum conditio, quod sine graui scandalo in Monasteriis, seu locis aliis ad quæ missi fuerint, admitti vel tolerari non possint, vel nisi alias euidens & incalumniabilis ratio, ipsos Abbates vel Prælatos ad receptionem talium suaserit non existere compellendos. Quo casu ad alia Monasteria vel loca modo simili transmittantur, contraria super his consuetudine non obstante, & manente nihilominus illa consuetudine quam super libera missione & receptione Monachorum huiusmodi, alia Monasteria siue loca inter se hactenus habuisse noscuntur, aut Ecclesias Cathedrales, Monachales quantum ad missionem & recepsionem Monachorum eorum, sub statuto & ordinatione præsentibus inclusas fore intelligimus & iubemus.

Cap. XXXVI.

De Mendicantibus ad ipsum Ordinem assentientibus se translatis.

Plerumque siquidem contingit, quod nonnulli professores Ordinum mendicantium exiuerint, de suorum Superiorum qui tunc erant, vel Apostolica licentia quam se habere prætendunt, se ad Ordinem seu Religionem huiusmodi transtulerint, qui asserunt quod ex dispensatione dictæ Sedis possior vocem aut locum in Capitulo habere, ac Prioratus, administrationes, seu officia Monachalia licite obtinere. Nos igitur prouidere volentes, quod vnde veritatis claritas pateat in præmissis, vniuersis & singulis Antistitibus dictarum Ecclesiarum, necnon Abbatibus, & Prioribus, aliisque loca conuentualia ipsius Ordinis vel Religionis obtinentibus, à quibus prædicti translati esse noscuntur. Mandamus vt auctoritate Apostolica tales compellant, quod licentiam & dispensationem huiusmodi legitimas, si quas habent, necnon titulum Prioratuum, administrationum, seu officiorum, si qua obtineut, omnino exhibere procurent infra certum tempus, Antistitum vel Abbatum, aliorumque prædictorum arbitrio rationabiliter moderandum. Quod si non fecerint, vel sufficientem licentiam & dispensationem præfatas non habuerint, prædicti Antistites, Abbates, & alij, non differant ipsos, prout iustum fuerit, ab Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, administrationibus seu officiis huiusmodi amouere, eosque à voce & loco Capituli repellere, aliasque debite procedere contra eos.

Cap. XXXVII.

De Delatoribus Monachis contra suos Superiores.

Porro quia nonnulli Monachi contra Prælatos vel Superiores suos multa frequenter proponunt, non vt omnia probent, quia nec possent, sed vt diffament de omnibus, & probatis forsan illorum aliquibus, finem consequantur optatum, Statuimus & etiam ordinamus, quod nullus omnino Monachus contra suum Prælatum vel Superiorem super crimine vel criminibus deinceps quomodolibet audiatur, nisi se prius obligauerit ad pœnam congruam, si defecerit in probatione propositorum, vel alicuius ex eis irremissibiliter subeundam. Volumus tamen, quod Prælatus vel alius, si de criminibus legitime conuincatur, iudicium non effugiat debitæ vltionis.

Cap. XXXVIII.

De Conspirationibus.

Cæterum quia pro eo quod conspiratores & coniuratores illiciti, Ordinis & Religionis eiusdem, interdum vt expediebat puniti hactenus non fuerunt, multa mala & scandala in eisdem Ordine seu Religione sunt secuta, Statuimus & ordinamus, quod ipsi conspiratores & coniuratores, cum de conspiratione & coniuratione huiusmodi legitime conuicti fuerint, vel confessi, præter alias pœnas talibus à iure, vel alias quovis modo inflictas, sint Prioratibus, administrationibus, & beneficiis quibuslibet quæ obtinuerint eo ipso priuati. Si vero simplices claustrales fuerint, eo ipso reddantur inhabiles ad Prioratus, administrationes, seu quævis alia beneficia Ecclesiastica quomodolibet obtinenda. Contra conspiratores autem & coniuratores occultos, seu non conuictos, vel non confessos, vt præfertur, per Superiorem aut Visitatores etiam pœnæ aliæ prout expedire videbitur, generaliter statuantur. Statuta namque, & ordinationes suprascripta, necnon cuncta & singula in illis expressa, quemadmodum designatur, modificatur & perstringitur in eisdem, vbique terrarum & locorum infra, & per Ordinem seu Religionem huiusmodi, eadem auctoritate volumus perpetuis futuris temporibus firmiter obseruari. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, indulgentiis, exemptionibus vel literis quibusvis Ordinibus, Religionibus, Ecclesiis cathedralibus, Monasteriis, seu aliis locis sub quacumque forma vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis. Necnon quibuslibet statutis & consuetudinibus Ordinum, Religionum, Ecclesiarum cathedralium, Monasteriorum & aliorum locorum eiusdem Ordinis seu Religionis Monachorum nigrorum Parisiensium & aliorum studiorum quorumcumque contrariis, iuramentis, confirmationibus Apostolicis, aut quibusvis firmitatibus aliis roboratis, necnon quibuslibet

priui

priuilegiis, vel indulgentiis & literis Apostolicis, generalibus & specialibus contrariis, Ecclesiis, Monasteriis, locis, & studiis quibuscumque, siue vniuersitatibus Magistrorum vel scholarium eorundem, seu personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus, exemptis cuiuscumque sint vel fuerint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, sub quibusuis formis vel expressionibus verborum, vt prætangitur, à dicta Sede concessis, & ordinationibus ab eis, vel pro ipsis factis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum & ordinationum, omniumque aliarum & singularum contentarum in eisdem præsentibus impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus plenam & expressam oporteat in illis vel in aliis nostris literis fieri mentionem, seu si aliquibus à præfata Sede indultum existat communiter vel diuisim, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Cap. XXXIX.

De Publicatione ordinationū, & statutorum præmissorum.

Postremo volumus & mandamus, vt ordinationes & statuta nostra huiusmodi, & omnia alia & singula suprascripta (per quæ aliis iuris solemnitatibus non intendimus in aliquo derogare) in singulis Ecclesiis cathedralibus, ac Monasteriis & locis aliis conuentualibus ipsius Ordinis seu Religionis sub scriptura authentica perpetuo habeantur, & fideliter conseruentur, & quod in singulis prouincialibus Capitulis quarumlibet Prouinciarum superius distinctarum, & nihilominus bis quolibet anno in antea in singulis Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis Conuentualibus supradictis integrè, & attentè legantur & etiam auscultentur.

Sanctio pœnalis in contradictores.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, voluntatum, constitutionum, deputationis, inhibitionum, declarationum, prouisionis, prohibitionis, concessionis, innouationis, approbationis, monitionis, extensionis, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D P. A. 2. die 20. Iun.

Datum Auenione xij. Kalend. Iulij Pont. nostri anno secundo.

IV. Constitutio totius Ordinis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini.

Sanctio ista est quasi in omnibus immutata, vt patet ex Bulla 7. Mart. V. Sollicitudinis, & Sixt. IV. const. 10. Dum ad vniuersos, & aliis Bullis indicatis supr. in const. 2. Pasch. II. Quanto vbi de materia huius Congregationis plene notaui,

Edita A. D. 1339.

BENEDICTVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD decorem Ecclesiæ sponsæ Dei, & sanctarum religionum fundatarum in ea, quæ licet diuersis distinctæ sint gradibus, in vnius tamen veræ fidei propositum coëuntes, eandem Ecclesiam venustant variis floribus meritorum, pro iniunctæ nobis Apostolicæ seruitutis officio summis vigiliis, & indefessis studiis intendentes, ad ea quæ pro diuini nominis laude, religionum ipsarum statum, puritatem, honestatem morum, regularis obseruantiæ disciplinam, & sacrarum peritiam scripturarum respiciunt, labores nostros libenter impendimus, & opportunæ sollicitudinis diligentiam adhibemus. Ideoque inter religiones alias in agro eiusdem plantatas Ecclesiæ, ad religionem Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, à Christi gloriosis Discipulis in primitiua Ecclesia sacris institutionibus stabilitam, gerentes præcipuæ charitatis affectum, ac nolentes, quæ in eadem religione reformanda cognouimus, absque reformationis remedio præterire, omnia quæ in religione prædicta tam à prima ipsius institutione, quam à sacris Canonibus sunt salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes, nonnulla quæ experientia decisse probauit, & supplenda dictæ religionis vtilitas, quinimo necessitas persuadet, statuenda prouidimus, in ea perpetuis futuris temporibus obseruanda.

In primitiua Ecclesia hæc religio ortum habuit.

Cur ab ijs Pontif. vsq; decernuntur supplentur.

§ 1. Statuimus igitur, vt quando in Ecclesia Cathedrali, Monasterio seu loco alio Religionis eiusdem, canonicorum creatio fuerit facienda, nullus recipiatur vel induatur in Canonicum, nisi persona idonea vel de cuius idoneitate spes verisimilis habeatur, & talis quæ inibi in diuinis, vel aliis, Deo possit & velit debitè impendere obsequia opportuna, eo quod huiusmodi creatio, & habitus traditio fiant publicè, iuxta Ecclesiam Monasterij, seu alium locum conuentualem religionis eiusdem, nisi causa rationabilis eas alibi fieri suaderet, nullisque promissionibus seu obligationibus cum iuramento vel sine, cuiquam faciendis. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur, quodque huiusmodi creatio seu habitus traditio, non nisi personæ, seu personis Religionis eiusdem, quæ tunc etiam in Ecclesia, loco, seu monasterio prædictis fieri debeat aliquatenus committatur.

Canonicorum recipiendorum forma.

§. 2. Ij verò, qui creati fuerint in Canonicos, infra probationis tempus, in loco in quo saltem septem Canonici resideant, necessario habeant residere, eisque idoneus & fidelis deputetur instructor, qui eos instruere valeat in diuinis officiis, & obseruantia regulari.

Probationis modus & locus.

§. 3. Cæterum si Canonicorum creatio fuerit facienda, eaque pertineat ad Prelatum, vna cum Capitulo vel conuentu, vel cum consensu fieri debeat eorundem. Si Capitulum seu Conuentus, vel eorum maior pars purè ad eam non procederent, vel creationi faciendæ sine causa rationabili renuerent consentire, Prælatus, ex quo sibi euidenter expediens vel necessarium apparebit, huiusmodi Canonicorum creationem fieri debere, vel per Prælatum, & Capitulum, seu conuentum, aut per illum seu illos, ad quem seu quos pertinuerit concorditer deliberatum & definitum fuerit fore creationem huiusmodi faciendam, tunc Prælatus moneat Capitulum seu conuentum, & in virtute obedientiæ eis iniungat, vt purè, ac secundum Deum infra vnius mensis spatium ad dictam creationem, cum eo in primo casu procedant, vel in secundo creationi faciendæ suum præstent consensum; quod si præfati Capitulum seu conuentus monitioni vel iniunctioni huiusmodi parere neglexerint, vel recusauerint, creatio ipsa ea vice liberè pertineat ad Prælatum, dummodo per eum nil in præmissis factum fuerit fraudulenter, in casu autem deuolutionis huiusmodi, Prælatus faciendi eandem creationem cum consilio seniorum eorundem Capituli vel conuentus, eligendorum per ipsum Prælatum, tertiam partem numero ad minus facientium eorumdem Capituli vel conuentus, de personis idoneis liberam habeat facultatem, ita tamen, quod tunc per dictum Prælatum, tot & non plures creentur, quot attentis facultatibus, à statu antiquo & debito locorum, creandi seu creati rationabiliter fuissent, si Prælatus, & Capitulum seu conuentus in creatione huiusmodi concorditer conuenissent. Rursus eorum arbitrium qui ad priuata suorum commoda reciprocantes affectum, faciendæ creationi Canonicorum huiusmodi nolunt aliter consentire, nisi concedatur eisdem, quod vnus vel plures quos maluerint, seu nominauerint in Canonicos creentur, penitus detestantes, hoc deinceps omnino fieri prohibemus, decernentes concessiones huiusmodi (si quæ eis factæ fuerint fore nullas,) quodque nulli ex receptione seu creatione ex ea vel ob eam secuta, ius aliquod in loco in quo seu ad quem fuerit, aliquatenus acquiratur. Insuper præmissis adiicimus, quod Capitulum, vel conuentus Religionis eiusdem in nouitate sui Prælati, nequeant eidem Prælato, vel alteri occasione ipsius, facere gratiam super receptione, vel creatione Canonicorum plurium quam duorum, nec ad huiusmodi pro duobus gratiam faciendam, eos nisi de libera eorum voluntate processerint, intendimus obligare.

Canonicorum creatio ad quos spectet.

§. 4. Præsenti quoque statuimus sanctione, quod singuli Canonici Religionis eiusdem, professionem expressam faciant, non clandestinè, sed patenter, & si commodè fieri poterit in Ecclesia, & cum Missa, quod si forte

Professio est facienda.

Prælatus ad quem spectabit professionem ipsam recipere, tempore probationis elapso, per Canonicum profiteri volentem, congruo loco & tempore humiliter requisitus, professionem eandem recipere sine rationabili causa renuerit, vel vltra debitum fortè distulerit, dictus Canonicus ex tunc in dicta Ecclesia, vel monasteria, ac membris ipsius, ad omnia idoneus censeatur, ad quæ censeretur si foret expresè professus. Teneatur tamen quum ad hoc opportunitas se obtulerit, expresè nihilominus profiteri. Alioquin ex tunc ad præmissa donec expresè fuerit professus minus idoneus habeatur, ac nihilominus possit per proprium Prælatum ad profitendum expresè compelli. Prælatus quoque, qui professionem ab eo recipere renuerit, aut distulerit, vt præfertur, ad ipsius professionem admittendam, expresè per suum immediatum superiorem Religionis eiusdem, seu per eum ad quem pertinuerit compellatur.

Receptio clerici vel laici ad præbēdam prohibetur.

§. 5. Prohibemus insuper ne in Ecclesia Cathedrali seu monasterio, vel loco alio Religionis eiusdem, quiuis Clericus sæcularis, vel laicus recipiatur ad præbendam, seu etiam portionem, nisi eidem Ecclesiæ seu monasterio, vel loco dederit primitus se & sua, nec huiusmodi præbenda seu portio ad vitam, vel ad tempus vendatur, detur, seu alias concedatur eidem. Quicquid autem contra prohibitionem huiusmodi attentatum fuerit, omnino decernimus irritum & inane, ac nihilominus recipientes, vendentes, dantes, & concedentes huiusmodi, vltra pœnas à iure statutas, Superiorũ suorum arbitrio puniantur. Per præmissa vero non intendimus circa officia vel ministeria, aut alia obsequia opportuna, inibi consueta per sæculares Clericos, vel laicos exerceri, aliquid immutare.

Prioris claustralis electio quãdo & quomodo facienda.

§. 6. Vt autem dicta Religio salubriter in omnibus dirigatur, in Ecclesia seu monasterio locóve alio Collegiato seu Conuentuali Religionis eiusdem, Superiorem dictæ Religionis non habente, ac etiam in quolibet Collegiato, seu conuentuali loco duodecim, vel maiorem numerum habente Canonicorum (etiamsi Superiorem in ipsa Religione habeat) necnon in alio loco etiam minorem duodecim numerum habente, in quo Prior claustralis esse consueuerit, constituatur huiusmodi Prior claustralis, dictaque Prioris constitutio fiat per illum seu illos, ad quem vel ad quos pertinuerit cum consilio aliquorum seniorum illius loci in quo constituentur, attentius prouidendo, quod persona, quæ zelum Religionis ordinatum habeat, quæve existat idonea ad exercendum in Prioris claustralis officium in loco, in quo constituta fuerit assumatur. Dictus verò Prior quum eum abesse, vel sic impediri contigerit, quod incumbens sibi officium per se nequeat exercere, teneatur aliquem ea Canonicis dicti loci ad hoc idoneum deputare, qui huiusmodi absentia, vel impedimento durante vices ipsius gerat, nisi alicui ex priuilegio seu statuto, vel consuetudine ratione dignitatis personatus, vel alterius beneficij, in præmissis casibus gerere vices huiusmodi competere nosceretur, vel nisi dicti Prioris Superior aliquem ad hoc pro ipso Priore duxerit deputandum, in loco autem in quo secundum præmissa Prior claustralis minimè fuerit statuendus Præsidens tali loco quum ipsum impediri, vel abesse contigerit, vt de Priore claustrali præmittitur, teneatur aliquem loco sui, quoad ea quæ ad officium Prioris claustralis pertinent, deputare. Per hoc autem, quod volumus constitutionem dicti Prioris fieri de consilio seniorum, non intendimus circa admonitionem ipsius de pristina obseruantia aliquid immutare.

Regulare Capitulum quoties & quomodo tenendum.

§. 7. Pro regulari disciplina attentius obseruanda in Ecclesia Cathedrali, seu monasterio locóve alio conuentuali Religionis eiusdem, diebus singulis, in aliis vero locis in quibus quatuor, aut plures Canonici fuerint deputati, saltem semel in septimana, & etiam sæpius in eisdem (si in ipsis sæpius, ac in quibusvis locis aliis non conuentualibus, toties & quando est in eis fieri consuetum) regulare Capitulum teneatur, in quo antequam ad tractanda alia procedatur, Canonicorum excessus, transgressiones & negligentiæ corrigantur, ac de disciplina & confirmatione regulari tractetur salubriter & agatur, nullo ibidem proteruè, aut clamosè, seu irreuerenter se habere quomodolibet præsumente.

Annale Capitulum vbi conuocandum & qui eidem interesse debeant & quæ in dicto Capitulo agenda sint.

§. 8. In singulis quoque Ecclesiis Cathedralibus monasteriis atque locis collegiatis, seu conuentualibus Religionis præfatæ principalibus, non ab aliis dependentibus (etiamsi in eis alias non fuerit consuetum) & in singulis aliis locis Religionis eiusdem habentibus membra sibi subiectà, aut si ibi solitum est Capitulum celebrari annis singulis Capitulum celebretur, die videlicet ad hoc statuto, vel per ipsum Capitulum annis singulis statuendo, in loco scilicet principali, & non alibi, nisi euidens necessitas suaderet huiusmodi Capitulum alibi celebrandum. Prælatus autem loci principalis in loco, in quo celebrabitur ipsum Capitulum, eidem Capitulo omnino studeat personaliter interesse, cui etiam præesse debebit, quod si eum tunc ab eodem Capitulo abesse contigerit, teneatur alicui idoneo, loci & Religionis eiusdem committere vices suas, qui intersit, & præsit Capitulo memorato, nisi ex priuilegio, statuto, vel consuetudine alteri hoc competere nosceretur, ad huiusmodi autem Capitulum Abbates, Præpositi, Priores, & administratores eidem loco principali immediatè subiecti, necnon vbi fuerit consuetum, etiam Canonici administrationem non habentes, extra Ecclesias, Monasteria, & loca prædicta morantes, personaliter conuenire impedimento cessante legitimo, aut impedimento huiusmodi subsistente, Abbates, Præpositi, Priores, & administratores præfati procuratorem idoneum sufficienter instructum, cum mandato legitimo causam, seu causas impedimenti huiusmodi, & expresse iurandi in animas ipsorum constituentium, causas huiusmodi fore veras, & reddendi rationem infrascriptam, & illa faciendi quæ facere possent, si essent præsentes, potestatem continentem, ad ipsum Capitulum dirigere teneantur. Is vero, qui tunc præerit dicto Capitulo, cum quatuor senioribus per ipsum Capitulum, aut maiorem partem ipsius eligendis, an causæ huiusmodi sufficientes fuerint arbitrabitur, vel eis non venientibus, aut nullum talem procuratorem mittentibus, vel causas minus sufficientes prætendentibus, de pœna condigna ob hoc talibus infligenda habeat æstimare, quam ipse solus Præsidens infligendi, & alias contra ipsos absentes si opus fuerit auctoritate Apostolica prout iustitia, & regularia instituta suaserint, procedendi habeat facultatem. Conuenientes ad dictum Capitulum vitam ducant communem, & faciant proportionaliter simul omnes expensas, nisi fortè ex consuetudine, vel statuto, aut alia ordinatione rationabili incumberet alij, seu aliis onus expensas huiusmodi faciendi, quos tamen si ex hoc quod singulis annis fieri volumus Capitulum memoratum, vel ex aliis supra vel infra statutis, ampliores expensas fieri contigerit, nolumus in expensis publicis plus solito onerari, sed tunc huiusmodi ampliores expensæ fiant per omnes simul proportionabiliter, vt præfertur. Quod si forsan aliquis ea locis prædictis in quibus, vt præfertur, debet dictum Capitulum celebrari, membra habeat adeo sibi remota, quod administratores principales dictorum membrorum nequeant annis singulis ad ipsum Capitulum absque notabili dispendio conuenire tunc dictum Capitulum teneatur ordinare, quando dicti administratores ad Capitulum huiusmodi debeant conuenire.

In huiusmodi autem Capitulo tractetur præcipuè de reformatione morum & obseruantia regulari, ac corrigantur & reformentur in eo quæ super spiritualibus & temporalibus Religionis eiusdem corrigenda fuerint, & etiam reformanda, ipsoque Capitulo perdurante Abbates, Priores, Præpositi, ac Archidiaconi, cæterique administrationem habentes in religione prædicta, quovis nomine censeantur, de suis administrationibus eidem Capitulo teneantur afferre, & in scriptis tradere rationem, declarando videlicet si administrationes ipsæ aliquibus, & quantis, & ex quibus causis quibusque personis, & qualibus obligationibus, & an sub vsuris sint debitis obligatæ, & an ipsa debita possint de rebus extantibus mobilibus persolui, aliaque onera sibi suisque administrationibus incumbentia supportari, sine debitorum augmento, & generaliter an administrationes ipsæ in casu desolationis, & quare, vel in statu prosperitatis existant. Huiusmodi autem rationum scripturæ, continentes administrationum ipsarum tam onera, quam augmenta, in

loco

loco principali cuius tenetur Capitulum, sub fida custodia fideliter conseruentur, eorum à quibus ratio reddita fuerit propriis subscriptionibus communitæ. Volumus, autem, quod in casu, vbi Abbatibus, Prioribus, Præpositis Archidiaconis, & aliis administrationem habentibus, minimè videretur expediens, sed periculosum esse * releuare in dicto Capitulo commoda seu augmenta, quæ de administratione huiusmodi superessent, quatuor eligendis de dicto Capitulo duobus per ipsum Abbatem, seu Præpositum, vel Priorem, seu Archidiaconum, vel quemvis alium administrationem habentem, & duobus aliis per Capitulum vel maiorem partem ipsius, qui quatuor huiusmodi officium in virtute obedientiæ recipere teneantur, reuelare prædicta quæ supersint in quibuscumque rebus consistunt, fidelius teneantur eisdem quatuor sic electis, iuramentis in præsentia dicti Capituli præstitis, quod non reuelabunt prædicta, nisi cedentibus, vel decedentibus iis, qui reddiderint rationem, vel alia causa rationabili exigente, & tunc de licentia Superioris sui, vel illius qui dictam reddidit rationem.

** reuelare.*

Capitulū prouinciale vbi & per quos fieri debeat.

§. 9. Constitutionem insuper Concilij generalis de communi Capitulo Abbatum atque Priorum Abbates proprios nō habētium, in singulis regnis siue prouinciis faciendo, volentes exacta diligentia obseruari, statuimus quod in religione prędicta, in singulis prouinciis per vos designatis inferius & distinctis, fiat in loco qui ad hoc fuerit deputatus de quadriennio in quadriennium (saluo iure Diœces.) commune seu Prouinciale Capitulum Abbatum, Præpositorum, Priorum, cęterorumque Pręlatorum, Abbates seu alios Prælatos superiores eiusdem Religionis non habentium; necnon Præpositorum, Priorum, vel aliorum maiorum in Ecclesiis Cathedralibus post Antistites existentium, ac post Antistites ipsos regularem curam Canonicorum habentium, quocumque nomine censeantur aut nuncupentur, siue prænominati exempti, siue non exempti existant ad quod vniuersi conueniant, impedimentum Canonicum non habentes, dictam Constitutionem circa præfatum prouinciale Capitulum, & alia in ea tam prouide, quam salubriter instituta in Religione præfata irrefragabiliter obseruantes. Qui verò ad præfatum Capitulum personaliter venire nequiuerint legitimè impediti, ad allegandam causam impedimenti huiusmodi, & probandam, necnon ad videndum ordinationes seu statuta, atque mandata in dicto Capitulo facienda; ac si idem taliter impeditus personaliter præsens esset, concanonicum suum eiusdē Ecclesiæ, Monasterij seu loci, si commodè fieri possit, alioquin aliam personam idoneam sufficienti mandato causam impedimenti huiusmodi continente, & etiam potestatem in animam constituentis eundem, iurandi causam huiusmodi veram esse, ad dictum Capitulum mittere teneantur. Personæ vero quæ præfuerint huiusmodi prouincialibus Capitulis celebrandis (quarum potestatem de vno prouinciali ad aliud prouinciale volumus perdurare) arbitrentur, & decernant an excusationum causæ dictorum non venientium, ad Capitulum sufficientes, vel insufficientes existant, à quarum arbitrio seu decreto super hoc nulli appellare liceat, vel etiam reclamare. Non venientes autem ad dictum Capitulum legitimo impedimento cessante, aut quum subest impedimentum, procuratorem ad illud cum sufficienti mandato, vt præmittitur, non mittentes, teneantur expensas quas fecerint in veniendo ad dictum Capitulum morando, & redeundo facturi, iuxta Præsidentium dicto Capitulo, seu Maioris partis eorum arbitrium æstimandas in termino per ipsos Præsidentes statuendo, de bonis suæ administrationis persoluere, in vtilitatem ipsius prouincialis Capituli conuertendas, super quibus nulli, in totum vel in partem gratia fieri valeat, vel remissio indulgeri. Possint etiam dicti Præsidentes eosdem ad earum solutionem per censuram Ecclesiasticam auctoritate Apostolica coërcere, suosq; processus, & sententias publicare, seu facere publicari in locis dictæ Religionis prouinciæ tamen eiusdem. Et nihilominus alias, contra non venientes præfatos (maximè si vt correctionem euitent, siue vt nesciatur status Ecclesiæ, vel Monasterij eorundem, vel alias malitiose se subtrahant) prout dictis Præsidentibus, seu maiori parti ipsorum visum fuerit, procedatur. Circa Præsidentes verò, ac Visitatores in eisdem Capitulis deputandos, & alia quæque eis exequenda, illa seruentur, quæ in eiusdem generalis Concilij, & fel. record. Honorij Papæ III. prædecessoris nostri constitutionibus expressius continentur, prout statui, & Religioni congruit eorundem, seruatis tamen statutis, ordinationibus & adiectionibus nostris, supra & etiam infrascriptis.

Capituli prædicti ordinationes quos ligent.

§. 10. Ad hæc, decernimus Abbates, Præpositos, Priores, ac maiores præfatos Capitula, conuentus, cunctosque Canonicos Ecclesiarum, & Monasteriorum eiusdem Religionis, etiamsi in ipsis Ecclesiis, vel Monasteriis siue extra ea, vbicumque Prioratus officia, vel administrationes habuerint, seu moram traxerint, tam exemptos, quam non exemptos, dictorum Capitulorum prouincialium districtionibus, correctionibus, & ordinationibus subiici, & ipsis adstringi, eosque ad obseruationem illarum fore per Præsidentes seu alios ad quos pertinuerit compellendos.

Eiusque expensa à quibus sustinenda.

§. 11. Decernimus etiam quosque dictarum Ecclesiarum, & Monasteriorum, vel aliorum locorum eiusdem Canonicos beneficia obtinentes ad contribuendum in expensis moderatis, & rationabilibus per Capitulum annale Religionis eiusdem immediate præcedens taxandis, secundum suarum exigentiam facultatum, quas dicti conuenientes facient ad illa Capitula eundo morando, & redeundo imposita, tam dictis Conuentibus secundum suarum exigentiam facultatum, de dictis expensis congrua fore portione per eosdem conuenientes auctoritate Apostolica per remedia opportuna, sublato appellationis obstaculo compellendos. Ordinariis locorum, exemptis & non exemptis districtius iniungentes, quod nullum prædictis impedimentum apponant, vel apponi permittant, sed legitimè requisiti ea faciant executioni mandari, & inuiolabiliter obseruari.

Quid agendum quando Cathedrales Canonicorum carent maioribus tempore celebrationis d. Capituli.

§. 12. Quod si forte tempore quo imminebit prouinciale Capitulum celebrandum, contigerit Ecclesias Cathedrales Religionis eiusdem carere maioribus prælibatis, vel Monasteria seu loca Religionis eiusdem suis vacare seu carere pastoribus, qui si adessent adstricti forent ad conueniendum in prouinciali Capitulo memorato, Capitula Ecclesiarum, & Conuentus Monasteriorum aliorumque locorum Conuentualium prædictorum, teneantur personam sufficientem de gremio eorundem (si commode fieri possit) alioquin aliunde transmittere ad huiusmodi Capitulum celebrandum, ad faciendum & implendum omnia iuxta arbitrium Præsidentium, quæ facere possent & tenerentur Prælati, seu maiores præfati si venirent ad dictum Capitulum, & in eo personaliter interessent.

Quadriennium pro Capitulis celebrando quomodo intelligatur.

§. 13. Quod autem præmittitur de prouinciali Capitulo de quadriennio in quadriennium celebrando, ad cuiuslibet hæsitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus, vt scilicet, si prouinciale Capitulum fuerit celebratum, duobus futuris annis proximis ab illo valeat abstineri, eo in alio anno immediate sequenti omnimode celebrando.

Quo in loco celebrandum sit.

§. 14. Huiusmodi verò commune seu prouinciale Capitulum apud vnū de Monasteriis Religionis eiusdem ad hoc aptum, si in eadem existat prouincia debeat celebrari. Alioquin celebretur in loco alio congruo, & securo, de quo à die primi Capituli celebrandi, & aliis ad hoc facientibus, opportune prouidebunt illi qui super hoc per Sedem Apostolicam deputati fuerint prima vice.

Quæ in eodem statuenda sint pro futuro Capitulo.

§. 15. Et vt super eodem Capitulo & per illud ex tunc in posterum rationabilis ordinatio habeatur, in dicto primitus celebrando, & in aliis etiam per successiones temporum similiter celebrandis, Præsidentes eisdem seu pars maior eorum, prouideant & ordinare procurent, per quem in sequenti Capitulo sermo fieri, missaque debeat celebrari. Eligant quoque tam locum in quo alia vice proxima huiusmodi Capitulum fuerit celebrandum, quàm eos qui Præsidentes esse debeant in eodem. Prouideant etiam, qui Abbates, quive Præpositi seu alij ex eis, qui ad ipsum Capitulum venire tenentur, qui & quot & quoties Ecclesias Cathedrales, Monasteria, & alia loca Religionis eiusdem debeant vsque ad illud pro-

ximum

ximum sequens prouinciale Capitulum, visitare.

Quæ personæ ad Capitulum duci nequeat.

§. 16. Cæterum prohibemus, ne venientes ad prouincialia seu annalia Capitula, secum ducant vel duci faciant, seu permittant euectiones seu familiares numero superfluos, seu quomodolibet excessiuos, aut tales de quibus præsumi valeat, quod alicui ad ipsa Capitula venienti, aut in eis moranti, vel de illis redeunti, aut Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, vel aliis locis eorum inferant per se vel alios, in personis vel rebus, iniuriam vel offensam; vel quod in aliquo de dicto Capitulo aut in Ecclesia, vel Monasterio siue loco quibus illa contigerit celebrari scandalum suscitare, vel turbationem facere seu discordiam, vel contentionem mouere verisimiliter præsumatur, sed numero euectionum & familiarium, statui cuiuslibet eorum congruo sint contenti. Si quis autem eorum, scienter & ex proposito duxerit vel tenuerit aliquem vel aliquos ad inferendum iniuriam vel offensam huiusmodi, vt turbetur vel impediatur imminens Capitulum, vel aliquem seu aliquos ad hoc conuocauerit, & ob huc turbatio seu impedimentum secuta fuerit, vel sequutum, necnon quicumque alius de personis Religionis eiusdem consentiens in præmissis extiterit, præstando auxilium vel fauorem, scienter, & ex proposito, vt præmissum est, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

Impedientium celebrationem Capituli prouincialis vel annalis pœna.

§. 17. Eandem quoque excommunicationis sententiam quicumque Religionis præfatæ, per se vel alium impediuerit malitiosè, scienter, & ex proposito, quo minus dicta Capitula, prouinciale videlicet & annale, & eorum quodlibet valeant celebrari, aut propterea præsumpserit euntes ad illa, vel aliquod eorundem, vel in eis morantes, seu de ipsis redeuntes, capere seu capi facere, seu captos detinere, aut impedire, vel eis aut eorum familiaribus, in personis vel rebus inferre damna, iniurias, vel offensas, necnon quicumque ipsius Religionis, qui ad hoc nefiat, aut impediatur visitatio malitiose & ex proposito, prædicta vel eorum aliquod per se vel alium commiserit, in personas Abbatum, Priorum, vel aliorum proprios subiectos visitantium, vel in personas visitatorum, qui in prouincialibus Capitulis aut per Abbates seu prælatos alios fuerint deputati, vel familiarium eorundem, aut in bonis eorum, dum tamen propter hoc visitatio huiusmodi fuerit impedita, ipso facto incurrant. Præsidentes autem prouincialibus & annalibus Capitulis prælibatis, & eorum quilibet postquam simpliciter & de plano eis constiterit aliquem ex prædictis præfatam excommunicationis sententiam incurrisse, ipsum excommunicatum per omnia eiusdem Religionis loca, de quibus eis videbitur, tandiu solemniter publicent, & faciant ab aliis auctoritate Apostolica publicari, eos ad hoc per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, donec excommunicatus huiusmodi condignam super hoc satisfactionem impenderit, & absolutionis beneficium meruerit obtinere. Possint autem ab huiusmodi excommunicationis sententia, congrua satisfactione præmissa, absolui per Præsidentes prædictos prouincialibus Capitulis, & quemlibet eorundem, quorum offensa concernet eorum prouinciale Capitulum, aut per Visitatores deputandos ab eo; illi quorum offensa respiciet annale Capitulum, per Prælatos qui huiusmodi annali seu annalibus Capitulis præfuerint, aut per ipsos Prælatos visitantes, seu per Visitatores deputatos ab eis congrua satisfactione præmissa absolui valeant, nisi forsan offensa adeo grauis existeret, quod super ea Sedes Apostolica foret merito consulenda.

Offendentium personas & loca Religionis.

§. 18. Vt autem professores Religionis eiusdem quietius & liberius valeant domino famulari, districtè præcipimus tam Diœcesanis quam personis quæ prouincialibus Capitulis præsidebunt, vt Aduocatos, Patronos, Magnates, Rectores, Vicedominos, Consules, Milites, & quoscumque alios per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescant, ne Cathedrales Ecclesias, Monasteria, aut loca Religionis eiusdem præsumant offendere in personis, aut rebus eorum, eosque si forte eisdem offensas intulerint, ad satisfaciendum eis compellere non omittant.

Prouinciæ in quibus celebrentur Capitula distinctio.

§. 19. Vt autem de prouinciis in quibus dicta prouincialia Capitula fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum hæsitetur, quamlibet prouinciam quoad huiusmodi prouincialia tenenda & celebranda Capitula prout sequitur limitamus. In primis Vrbs Romana cum Episcopatibus nobis immediate subiectis, in nostra speciali prouincia constitutis, cum toto Regno Siciliæ pro vna prouincia computatur. Prouincia Thebana, Cretensis, Atheniensis, Patracensis, Corinthiensis, & Neopatensis, cum toto Patriarchatu Constantinopolitano pro vna. Regnum Cypri pro vna. Regnum Corsicæ, & Sardiniæ pro vna. Prouincia Pisana, Ianuensis, Mediolanensis, & Rauennas, cum Episcopatibus Placentinensi, Ferrariensi, Ariminensi pro vna. Patriarchatus Aquileiensis, & Gradensis, cum Prouinciis Iadrensi, Spalatensi, Ragusinensi, Antibarensi pro vna. Prouincia Strigoniensis, Colocensis, ac Gueziensis, cum Episcopatu Caminensi pro vna. Rigiensis pro vna. Salleburgensis, Madeburgensis, & Bremensis pro vna. Coloniensis, Maguntinensis, Treuerensis, cum Episcopatu Bambergensi pro vna. Ebredunensis, Viennensis, Aquensis pro vna. Lugdunensis, Tharantasiensis, & Bisuntina pro vna. Rhemensis, Senonensis pro vna. Rothomagensis, & Turonensis pro vna. Burdegalensis, & Bituricensis, cum Episcopatu Aniciensi pro vna. Narbonensis, Tholosana, & Ausitana pro vna. Tarraconensis, & Cæsaraugustana cum Episcopatu Maioricensi pro vna. Toletanensis, Hispalensis, Compostellanensis, & Bracarensis pro vna. Cantuariensis, & Eboracensis pro vna. Tota Ibernia pro vna. Regnum Scotiæ pro vna. Regna Datiæ, Noruegiæ, & Suetiæ pro vna prouincia deputantur. Si qua verò Episcopatus vel Monasteria aut loca alia dictæ Religionis existant, quæ in aliqua dictarum Prouinciarum minimè includantur, quoad dicta Capitula prouincialia intelligantur esse de illa prouincia, cui viciniora existere dignoscuntur.

Visitatorum munus præscribitur.

§. 20. Visitatores siquidem, qui secundum Constitutionem dicti generalis Concilij fuerint in prouincialibus Capitulis deputati, sint solliciti circa huiusmodi visitationis officium exequendum, & quantum statui & Religioni eorum conuenit, obseruare studeant quæ in dictis Constitutionibus præfatorum Concilij, & Honorij sunt statuta. Quod si omiserint illa exequi negligenter, à Præsidentibus prouincialibus Capitulis, quorum eis huiusmodi negligentia nota fuerit grauiter arguatur, & per eos prout qualitas culpæ ipsorum exegerit puniantur. Vt autem dictorum Visitatorum officium cum omni sinceritate procedat, districtius inhibemus, ne quis Visitator sibi deputati eodem anno esse valeat Visitator. Dicti autem Visitatores & familiares eorum, in Ecclesia Cathedrali, seu Monasterio vel alio loco Religionis ad quem visitationis causa duxerint declinandum, vltra duos dies nequaquam remaneant, nisi euidens necessitas foret, vel magna vtilitas Ecclesiæ, Monasterij, seu loci huiusmodi, ampliorem moram Visitatorum, vel familiarium exigeret eorundem, quo casu possint vlterius remanere, ita tamen quod id faciant de consilio seniorum dictæ Ecclesiæ, seu Monasterij, siue loci. Dicti quoque Visitatores vel familiares eorum, Ecclesiæ, Monasterio, siue loco, cui officium Visitationis impendût, onerosi nequaquam existant, nec sumptuosas epulas quærât, sed cum gratiarum actione recipiant quod honeste, & competenter eis fuerit ministratum. Caueant insuper, ne quisquam ipsorum, aut familiares eorum per se vel per interpositam personam aliquam pecuniam huiusmodi, vel alia occasione quacumque nisi pro expensis dumtaxat, & tunc secundum infrascriptum modum exigant, aut etiam à volente recipiant, neque aliquod munus quodcumque sit, vel qualitercumque offeratur præsumant recipere à quocumque, vt non quæ sua sunt videantur quærere, sed quæ Christi, quod si fuerit contra præsumptum, duplum eius quod receperint, Ecclesiæ, Monasterio, siue loco, à qua vel quo id receptum fuerit intra mensem reddere teneantur, alioquin duplum ipsum eis vltra dictum tempus restituere differentes, tandiu sint ab officio beneficióque suspensi, quousque grauatis Ecclesiis, Monasteriis, siue locis, de huiusmodi duplo plenariam satisfactionem impendât, nullis in hoc dantium liberalitate, remissione, vel gratia valituris. Et nihilominus iidem Visitatores si opus fuerit, per

Præsiden

Præsidentes dictis Capitulis prouincialibus & eorum quemlibet, ad restitutionem præfati dupli, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam,& alia opportuna remedia compellantur. Concedimus tamen, vt præsidentes dictis Capitulis, vel pars maior eorum, ordinare possint prout & quando eis visum fuerit expedire, quod dicti Visitatores expensas recipiant in pecunia,& eo casu quo hoc duxerint ordinandum, dictas expensas, omni odio & fauore remotis moderari habeant & taxare, prouiso tamen quod summa, in constitutione quam super moderatione procurationum edidimus, quæ incipit, *Vas electionis*, nullatenus excedatur. Iidem etiam Præsidentes discrete prouideant, vt quum inter loca visitata, & visitanda magna fuerit distantia, quantum quilibet eorumdem locorum, visitatus scilicet & etiam visitandus, soluere habeant Visitatori pro suis sumptibus moderatis. Si tamen Monasteria visitanda in facultatibus sint collapsa, tunc de expensis, quas dicti Visitatores facturi erunt occasione visitationis locorum huiusmodi collapsorum, prouideatur eisdem de communi contributione in prouinciali Capitulo facienda. Vt autem via scandalis præcludatur, inhibemus Visitatoribus memoratis, ne illos, seu eorum nomina, qui eis aliqua secreta in visitationibus reuelauerint, præsumant aliis reuelare, sed tunc demum dicti Visitatores procedant super dictis reuelatis, prout secundum Canonica, & regularia instituta fuerit procedendum. Quod si dicti Visitatores contra inhibitionem huiusmodi reuelauerint, seu eorum nomina detexerint, prout facti qualitas exiget, per Præsidentes vel eorum quemlibet puniantur.

Hæc const. est inter extrau. commun. in tit. de Cens.

Collectæ quæ & quãdo pro subuentionib. imponãtur & quomodo.

§. 21. Quum in prouinciali, & annali Capitulis, & aliis negotiis expensæ necessariæ requirantur, vt onus diuisum in partes leuius supportetur, statuimus quod in eisdem Capitulis cuiusquam contradictione vel absentia non obstante, pro communibus libertatibus defendendis, necnon necessitatibus, vtilitatibus, & aliis plerumque occurrentibus necessariis oneribus & expẽsis auctoritate Apostolica imponantur collectæ, subuentiones, seu contributiones, videlicet in Capitulo prouinciali, pro tangentibus ipsum Capitulum, secundum arbitrium ipsius prouincialis Capituli, vel maioris partis eiusdem, in annali verò Capitulo, pro tangentibus ipsum annale Capitulum, vel locum principalem, vbi debet ipsum Capitulum celebrari, secundum arbitrium prælati Præsidentis ipsi annali Capitulo, & Definitorum, vbi Definitores fuerint, & vbi non fuerint, secundũ arbitrium ipsius Capituli seu maioris partis eiusdem. Volumus tamẽ, quod libertates, necessitates, seu vtilitates, & alia pro quibus huiusmodi collectæ, subuentiones seu contributiones fuerint imponendæ, in eisdem Capitulis prouincialibus, & annalibus clare, & explicite ponantur, & aliter quam vt præmittitur imponi non possint & si secus actum fuerit, impositio & processus, ac sententiæ occasione huiusmodi impositionis factæ, & latæ, omni careant roboris firmitate, ac nihilominus restituatur eisdem quicquid occasione huiusmodi ab ipsis exactum fuerit & receptum. De dictis autem subuentionibus, contributionibus, seu collectis, possit membris necessitatem patientibus subueniri, prout expositis prius dictis necessitatibus annali Capitulo, prædicti, quorum arbitrio subuentiones, cõtributiones, seu collectæ huiusmodi imponi debuerint, in ipso annali Capitulo fuerint arbitrati, prouiso tamen quod administratores dictorum membrorũ necessitatem patientium expendere habeant pro dictis necessitatibus quantum membra ipsa poterunt sustinere. Vt autẽ in conseruatione collectarum, subuentionum, seu contributionum huiusmodi adhibeatur cautela diligens, & etiã opportuna, præcipimus vt illæ quæ impositæ fuerint in Capitulo prouinciali, per tres bonos & fideles de illis qui ad ipsum Capitulum prouinciale venire tenentur, in aliqua Ecclesia, Monasterio, seu alio loco conuenienti, & securo seruentur, quæ verò impositæ fuerint in annali, per tres fideles Canonicos loci in quo imponentur (quorũ vnum ponat ille qui præfuerit ipsi Capitulo annali, alium verò Priores, & administratores, & tertium Capitulum Ecclesiæ, seu Conuentus Monasterij siue loci, vbi huiusmodi annale Capitulum fieri debet) in vna arca serata tribus diuersis seris, & clauibus fideliter custodiantur, & in vsus duntaxat pro quibus impositæ fuerint conuertantur. Pro his autẽ collectis, & subuentionibus seu contributionib^ fideliter conseruandis, & vt præmittitur expendendis, dicti tres qui ad hoc fuerint in prouinciali Capitulo deputati, præstent in Præsidentium ipsius Capituli, & alij præfati tres Canonici in prælati Præsidentis, & Capituli seu Conuentus loci principalis cuius annale Capitulum celebrabitur præsentia, corporaliter iuramentum, nec imponi valeat alia contributio, quandiu aliquid de prima contributione, quod sufficiat contigerit superesse. Habeant autem Præsidentes, & eorum quilibet, quoad huiusmodi prouincialia Capitula, similiter quoque Prælati, seu alij qui præerint dictis annalibus Capitulis, quoad ipsa annalia Capitula auctoritate Apostolica supradictæ exigendi, colligendi, & leuandi collectas, subuentiones, & contributiones prædictas, & contradictores, & rebelles quoslibet eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticam, vel alia iuris, & ipsius Religionis remedia, remoto cuiuslibet appellationis obstaculo compellendi, & etiam puniendi, & exequendi libere suos processus, & sententias super præmissis habitos, & Prælatos in Ecclesiis Cathedralibus, aliisvè locis Religionis eiusdem, quando & quoties eis visum fuerit expedire, necnon etiam absoluendi (congrua tamen satisfactione præmissa) à dictis sententiis, & relaxandi atque tollendi omnes processus, & sententias eorundem, & cum eis qui dictis ligati sententiis per simplicitatem, & iuris ignorantiam, non tamen in contemptum clauium, celebrando diuina, vel se ingerendo eisdem, irregularitatem incurrerint, super irregularitate huiusmodi dispensandi liberam potestatem.

Magistri ad docendos Canonicos deputentur.

§. 28. Quoniam per exercitium lectionis, studentes literarum scientiis imbuuntur, nos cupientes, vt viri Religionis eiusdem in primitiuis, & deinde in Diuini & Canonici iuris scientiis instruãtur, statuimus, quod in qualibet Ecclesia Cathedrali, Monasterio, locove alio conuẽtuali, seu Collegiato dictæ Religionis cui ad hoc suppetant facultates, habeatur Magister, qui Canonicos doceat infra septa locorum in sciẽtiis, videlicet Grammatica, Logica, & Philosophia prouiso artẽtius, vt sæculares instruẽdi cum ipsis Canonicis, docendivè in eisdem Monasteriis siue locis, nullatenus admittantur. In Ecclesiis tamen Cathedralibus Religionis eiusdem, iura super hoc edita obseruentur. Prouideatur autem quotidie præfato Magistro, si alius quam Canonicus eiusdem loci fuerit, sufficienter in pane, & vino pitantia, per illos qui talia tenentur in eadẽ Ecclesia, Monasterio, siue loco Canonicis ministrare. Eidem quoque Magistro pro vestimentis, & calceamentis, ac salario congrua pensio annua assignetur, summam viginti librarum Turonensium paruorum nequaquam excedens, quæ de infrascripta communi contributione soluatur, donec pro ea certi & perpetui redditus fuerint assignati. Si verò in locis prædictis fuerit Canonicus ad huiusmodi instructionem idoneus, per Superiorem suum ad quem hoc pertinuerit deputetur instructor, & ad hoc si necesse fuerit compellatur, cui siquidem instructori Canonico vltra victum, & vestitum, pro libris emendis, & aliis necessitatibus suis iuxta dispositionem Superioris sui, decem libræ paruorum Turonensium assignentur. Prælati verò, seu alij ad quos spectauerit, Canonicos instruendos dociles tam de capite, quam de membris, cum consilio seniorum eligere, & de ipsorum certo numero ac de locis, & temporibus, quibus lectionibus quibusvè diuinis Officiis, seu obsequiis aliis opportunis intendant, ordinare pure, & prouide teneantur. Si tamen dicti Canonici instruendi, teneri, & instrui commode in loco principali nequiuerint, & propter hoc fuerit hactenus consuetum, ipsos instruendos in aliquo de membris ipsius loci teneri atque instrui, non intendimus circa hoc, dummodo ibid. vigeat obseruantia regularis, aliquid immutare, Possint autẽ præfatus Magister seu instructor, & instruendi, cum concilio seniorum prout expediẽs visum fuerit eis ad quos pertinuerit, remoueri, & per eos loco eorũ qui remoti fuerint, alij subrogari. Præcipim^ insuper cũctis Visitatoribus in prouincialib^ Capitulis deputatis quod ea quæ sunt de Magistro, seu instructore, & personis instruendis,

instruendis, & aliis circa hæc superius ordinata, faciant auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & aliis opportunis remedia appellatione remota firmiter obseruari. Et nihilominus, ea quæ super prædictis fecerint, & inuenerint, Præsidentibus Capitulo prouinciali referant, qui etiam auctoritate Apostolica si eis, vel maiori parti ipsorum visum fuerit, contra negligentes, vel rebelles in præmissis, procedat sicut videbitur expedire.

Canonici qui & quot ad Studia mittantur.

§. 23. Quia verò expedire dignoscitur, vt iidem Canonici postquam in scientiis primitiuis fuerint eruditi, ad Sacræ Theologiæ, vel Canonum transeant facultatem, statuimus vt Ecclesia Cathedralis, Monasterium, Prioratus, locusve alius religionis eiusdem, cum membris inferius declarandis, de quolibet vicenario numero Canonicorum vnum aptum Canonicum huiusmodi scientiis acquirendis ad generalia, seu solemnia Studia mittere, & cuilibet mittendorum ipsorum teneantur de infrascripta annua pensione prouidere. Huiusmodi autem vicenarium numerum sic volumus computari, vt videlicet illi dumtaxat Canonici numerum ipsum efficiant in hoc casu, qui fuerint in Ecclesia, Monasterio, vel loco alio principali, & in loco alio ei subiecto habente octo, vel plures Canonicos, præter Priorem, seu administratorem loci subiecti, & ipsorum, cum Canonicis eiusdem Ecclesiæ, seu Monasterij, & loci alterius principalis in computatione, ac missione huiusmodi coniungantur. Quod si forsan vltra dictum numerum vicenarium aliqui superessent, qui tamen vicenarium alium non complerent, non propter hoc arceantur aliquem mittere ad Studia prælibata. Vbi autem huiusmodi Ecclesia, Monasteria, siue locus ad mittendum plures ad prædicta Studia quam permittitur adstringeretur, ad consuetudinem, vel ordinationem aliam seu statutum, non intendimus consuetudini, ordinationi, seu statuto huiusmodi per præmissa aliquatenus derogare. Si verò in huiusmodi Ecclesia, Monasterio, vel loco alio principali, vicenarius Canonicorum numerus non existat, numerus tamen maior senario sit ibidem, teneantur Visitatores per prouinciale Capitulum deputati, quum in ea, vel eo visitationis officium exercebunt, inquirere de facultatibus, & oneribus huiusmodi Ecclesiæ, Monasterij, siue loci, & si huiusmodi oneribus supportatis inueniant facultates sufficere pro vno, vel pluribus Canonicis ad dicta Studia destinandis, relationem de hoc faciant in prouinciali Capitulo subsequenti, in quo Præsidentes cum consilio, & assensu maioris partis Capituli, ordinent auctoritate Apostolica iuxta huiusmodi suppetentiam facultatum, de vno, vel pluribus Canonicis ad eadem Studia destinandis. Eligantur autem ipsi Canonici mittendi prout ad scientias Theologiæ, vel Iuris Canonici, seu magis ad vnam quam ad alteram aptiores poterint inueniri, ita tamen quod (si tot apte reperiantur pro ipsius Theologiæ studio) ad minus medietas mittendorum pro ipsius Theologiæ studio destinetur, & qui electus fuerit ad vnam de iis scientiis, ad aliam proprio arbitrio nequeat se transferre, quod si fecerit, de Studio reuocetur. Vt autem ad electionem Canonicorum ad prædicta Studia mittendorum, sincere, & celeritate congrua procedatur, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis religionis eiusdem, septem; Abbas verò, Prior, & quiuis alius prælatus Monasterij, seu Prioratus, & loci Conuentualis religionis eiusdem, habentis vicenarium, aut maiorem numerum Canonicorum, quinque; habentis verò numerum minorem vicenario, tres Canonicos seniores, qui dictam electionem facere habeant in quinque dies post festum B. Mariæ Magdalenæ, quod primitus à publicatione huiusmodi nostræ constitutionis in eorum Capitulis annalibus facta occurrerit, & deinde singulis annis in perpetuum, quoties electio de Canonicis, vt præmittitur, mittendis extiterit facienda, infra idem tempus eligere teneantur. Seniores autem ipsi antequam ad huiusmodi electionem procedant, iuramentum præstent (ad quod præstandum per Superiores suos, si opus fuerit eos volumus coarctari) quod timore, amore, odio, pretio, seu fauore reiectis, illos ex Canonicis in scientiis primitiuis, & regularibus obseruantiis informatis, ac vita & moribus commendandis, eligant ad Studia supradicta, quos magis dociles, & aptiores esse crediderint ad alterutra, ex Theologiæ & Iuris Canonici scientiis, ad quam fuerint destinandi. Quum verò dicti seniores præstiterint huiusmodi iuramentum, teneantur infra tres dies cum consilio Instructoris, si Canonicus extiterit iuramento simili adstringendi, coram Ecclesiæ Cathedralis Capitulo, vel Abbate, vel Priore, vel alio Prælato prædictis, mittendos præfatos eligere. Electione autem facta per seniores eosdem, vel maiorem partem numeri eorundem, cum consilio, vt præmittitur Instructoris, is ad quem pertinuerit, licentiam eundi ad Studia supradicta infra sex dies, post habitam, de dicta electione notitiam, eis concedere sit adstrictus, Idemque electi mittendi ad Parisiense Studium, illuc in Exaltatione S. Crucis, alij vero ad alia Studia destinandi, illuc in S. Lucæ diebus festis, vel circa, adesse procurent. Quod si forsan, dictum Capitulum infra prædictos quinque dies, præfatos septem seniores, non elegerit, aut si ipsi septem ab eodem Capitulo, vel dictis quinque, seu tribus senioribus à præfato Abbate, seu Priore, vel alio Prælato, vt præfertur electis, iidem seniores, vel eorum maior pars in casu quolibet prædictorum, infra dictos tres dies huiusmodi Canonicos mittendos non duxerint eligendos; ea tunc in Ecclesia Cathedrali, ad illum qui præest in regularibus disciplinis post Antistitem, in Monasterio vero, seu Prioratu, locove alio ad Abbatem, seu Priorem, vel alium Prælatum, eo ipso huiusmodi electio deuoluatur. Ille vero ad quem ipsa electio fuerit deuoluta, electionem dictorum mittendorum infra triduum post notitiam deuolutionis huiusmodi, cum consilio quatuor Canonicorum districtorum suæ Ecclesiæ, seu Monasterij, aut loci, vel Prioratus huiusmodi, quos ad hoc elegerit, & simili adstrinxerit iuramento, facere teneatur. Qui verò in præmissis repertus fuerit deliquisse, prout delicti qualitas exegerit puniatur, nihilominus his quæ circa hæc negligenter omissa, vel dolose commissa fuerint supplendis quantocius, & etiam reformandis.

Pensiones Doctoribus, Lectoribus, scholaribus, &c. assignentur.

§. 24. Quoniam insistentes literarum studiis diuersa subire oportet onera expensarum, prædictis Canonicis qui mittentur ad studia generalia, Magistris & Baccalariis, legentibus, ac scholaribus studentibus, in subsequentibus quantitatibus pro expensis huiusmodi, fore decernimus pensiones annis singulis ministrandas, videlicet in Theologia magistro sexaginta, Baccalario quadraginta, ac scholari similiter quadraginta. In iure verò Canonico Doctori quinquaginta, Baccalario verò ac scholari, cuilibet eorum videlicet, triginta quinque libras Turonensium paruorum, vel earum valorem in alia moneta, tam pro victualibus, & vestimentis, quam pro libris & quibuscumque necessitatibus aliis eorundem. Si autem in aliqua Ecclesia, Monasterio, siue loco est taxatum siue ordinatum, quod & quantum assignari debeat Canonico in studio existenti, illud detur, & assignetur loco pensionis prædictæ, etiam si eandem excedat, ei qui vt præmissum est ad studium transmittetur. Vbi verò huiusmodi taxatio, vel ordinatio non est facta, volumus quod ij qui tenentur Canonicis residentibus in suis Ecclesiis, Monasteriis, seu locis, de victualibus, & vestibus prouidere, prouisionem huiusmodi iis qui mittentur ad huiusmodi studia (etiamsi taxationem dictarum pensionum excedat) loco pensionum huiusmodi integraliter facere teneantur. Quod si huiusmodi taxatio, ordinatio, siue prouisio ad summam dictarum non ascenderit pensionum, de infrascripta communi contributione, id quod ei defuerit suppleatur. Et si fuerit taxatio, ordinatio, seu prouisio præfatæ non in pecunia, sed in aliis rebus ipsis Canonicis consueuerint assignari, ne super alienatione earum possit altercatio suboriri in primo annali Capitulo Ecclesiæ, Monasterij, siue loci eorum qui mittentur ad Studia, tres probi viri per ipsum Capitulum, vel maiorem partem ipsius deputentur, qui in pecunia valorem prouisionis eiusdem computando ea quæ computanda fuerint de bono, & æquo, & compensando vnum annum cum alio, debeant æstimare, quæ quidem promissiones, pensiones, seu alia quæ loco earum fuerint assignanda, per eos qui ad eorum solutionem tenebuntur, in festo Assumptionis B. Mariæ anno quolibet, collectoribus ad eorum collectionem deputatis, integraliter persoluantur, & per eos illis videlicet qui ad Studium Parisiense in festo Exaltationis S. Crucis, vel circa illud; eia

verò qui ad alia Studia generalia vel solemnia fuerint deputati, in festo B. Lucæ vel circa, singulis annis infallibiliter transmittantur. Si quis verò Abbas, Præpositus, Prior, vel Administrator, vel quicumque alius, qui ad prædicta soluẽda tenebuntur, illud quod ipsorum quemlibet pro rata contingente in termino ad hoc statuto soluere dictis collectoribus non curaret, teneantur ex tunc vltra quantitatem ad quam erunt vt præmittitur obligati, quintam partem eiusdem quantitatis, nomine pœnæ soluere dictis collectoribus infra mensem. Quod si non fecerint, sit eis eo ipso tardiu Ecclesiæ interdictus ingressus, donec tam principalem quantitatem, quam huiusmodi quintam partem duxerint persoluendas. Et si ex tunc per quatuor menses pertinaciter huiusmodi sustinuerint interdictum, sint ipso facto tandiu à diuinis suspensi, donec vtramque duxerint persoluendam, nulla sibi permissione præmissorum quomodolibet profutura. Quantitas autem huiusmodi pœnæ nomine, vt præmittitur exoluenda, in acquisitionem librorum vtilium, & profectus alios dictorum studentium, iuxta superioris eorum arbitrium conuertatur. Quod si Priores Præpositi, vel alij administratores quicumque qui non præsunt Collegio, nec habent per electionem assumi, Abbatibus tamen, seu Prælatis aliis religionis eiusdem subiecti, huiusmodi summas soluere contempserint, & prænominatas pœnas, per alios quatuor menses immediate sequentes sustinuerint animis induratis, excommunicationis incurrant sententiam eo ipso, à qua satisfactione præmissa possint absolui tam per Diœcesanum locorum, quam per præsidentes deputatos in Capitulis prouincialibus illius prouinciæ cuius erunt, vel alterum eorundem. Quod si huiusmodi sententiam per annum animis pertinacibus sustinuerint, eo ipso quibuscumque obtentis beneficiis sint priuati, per illos ad quorum collationem, vel aliam dispositionem pertinuerint, libere personis aliis conferendis. Nullus autem cuiuscumque conditionis, dignitatis, aut status, siue collector pensionum huiusmodi, seu residuum assignandorum, pro ipsis aliquid sibi, vel alteri, seu vsui cuicumq; de præfatis pensionibus, vel fructibus, redditibus, seu prouentibus, qui assignabuntur pro pensionibus ipsis, quomodolibet applicare seu alienare præsumat, in diminutionem pensionum seu præiudicium studentium prædictorum. Si quis autem collector, vel quiuis alius aduersus hoc aliquid applicauerit, vel alienauerit, necnon collector, qui dictas pensiones in supradictis terminis eisdem studentibus mittere non curauerit, prout culpæ qualitas exegerit, per illos ad quos pertinuerit puniatur, & nihilominus si soluendo fuerit, de damnis, & interesse satisfacere compellatur.

Et per quos illa soluantur.

§. 25. Vt autem onus pensionum huiusmodi leuius supportetur, contributiones quæ pro pensionibus studentium & instructorum prædictorum fuerint faciendæ, soluantur per Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, & per Abbatem, Priorem, Præpositum, seu Conuentum, & quemuis alium Administratorem Monasterij, Prioratus, locive alterius, religionis eiusdem, necnon beneficiatos quoslibet beneficiorum Canonicalium ad Ecclesiam, Monasterium, Prioratum, vel locum alium, beneficiumque, vel dependentium ab eodem, iuxta diuisionem inter eos omnes, secundum taxationem, vel æstimationem decimæ in taxatis, in non taxatis vero beneficiis secundum taxationem proportionaliter, & rationabiliter iuxta valorem ipsorum, in primo cuiuslibet Ecclesiæ Cathedralis, Monasterij, siue Prioratus vel alterius loci ipsius religionis annali Capitulo, faciendam per illum qui eidem Capitulo præerit, & per ipsum Capitulum, seu maiorem partem ipsius, quàm si forte in huiusmodi annali Capitulo illius prouinciæ, & quilibet ipsorum Præsidentium, ac Visitatores per dictum prouinciale Capitulum deputati, & eorum quilibet ipsos, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna remedia, ad illam faciendam (appellatione cessante) compellere teneantur, donec ea, quæ per communem contributionem in supplementum huiusmodi dari debent studentibus & instructoribus præfatis, in certis & perpetuis redditibus de nouo pro his acquisitis fuerint assignata. Si qui verò ex prædictis beneficiatis prouentus habeant adeo tenues & exiles quod secundum communem æstimationem, non sufficiant supportatis eius necessariis oneribus, ad vitam contributionis huiusmodi, ad eandem contributionem minime teneantur. Ad hæc prohibemus ne vlli Canonico quodcumque beneficium quantumcumque modicum, vel aliam pensionem habenti, nisi illo, vel illa omnino dimissa, vel dimisso, aliqua de dictis pensionibus studentium assignetur, quod si secus actum fuerit nullius penitus sit momenti. Si verò ipsi Canonico huiusmodi pensionem studentium obtinenti, beneficium aliquod quantumcumque modicum conferatur, volumus quod adepta possessione ipsius, cesset ipsa pensio ipso facto, eaque priuatus existat, studenti alteri assignanda, vt non desit studens de numero instituto, nec per literas à Sede Apostolica, vel Legatis ipsius super prouisione Canonicorum, aut quorumlibet aliorum obtentas, de pensione aliqua studentium prædictorum cuiquam valeat prouideri, nec possit alicui alteri, nisi fuerit de studentibus, ipsa pensio per aliquem assignari, alias nulla sit assignatio huiusmodi ipso iure, & tam assignans, quam recipiens, ad restitutionem eorum quæ inde recepta fuerint teneantur, quæ in libris, vel aliis necessitatibus dictorum studentium conuertantur, alienatione quoque librorum qui dictis studentibus fuerint deputati, seu distractione, vel etiã obligatione ipsorum penitus interdictis, nisi studens huiusmodi vtiliores libros emat, & etiam id faciat licentia sui immediate Superioris obtenta, volentes quod libri prædicti defunctis eisdem studentibus, ad Ecclesias, Monasteria, & loca alia ad quæ pertinuerint, libere reuertantur.

Distributio librorum inter eos conueniens.

§. 26. Volumus etiam, quod si in Ecclesia, Monasterio, & loco alio religionis eiusdem libri multiplicati fuerint, libris necessariis in Ecclesiis, Monasteriis, & locis aliis remanentibus, cæterorum librorum per Antistitem, Abbatem, seu alium, ad quem pertinuerit, de consilio sui Capituli seu Conuentus, vel maioris partis ipsorum, fiat conueniens distributio inter studentes eosdem, fiatque prius de personis studentium quibus dicti libri tradentur, & librorum nominibus prædictorum memorialis scriptura, quæ in Ecclesia, Monasterio, seu loco huiusmodi conseruetur, prouiso tamen quod pulchriores, & vtiliores in eisdem Ecclesia, Monasterio, siue loco debeant remanere. Si quis verò de studentibus ipsis per se vel per alium, librum seu libros huiusmodi, qui sic peruenerint ad eundem contra hoc distraxerit aut obligauerit, eo ipso sit inhabilis per biennium ad quodcumque beneficium obtinendum, & nihilominus de studio reuocetur, & loco sui alius subrogetur, & etiam per suum Superiorem, prout facti qualitas exegerit, puniatur. Possit tamen dictis super inhabilitate huiusmodi dispensari, si Superiori visum fuerit expedire. Vbi autem erit aliquis de ipsis studentibus, qui sit vitæ laudabilis, & alias idoneus ac discretus, & ad Baccalariatum, vel Magisterium dispositus, vel habilis, de cuius fructu scientiæ acquirendæ possit verisimilis spes haberi, Prior dictorum studentium qui erit pro tempore, cum consilio aliquorum studentium eorundem proborum, scribat Præsidentibus antedictis, vt proprio Prælato ipsius mandent, & ordinent cum eodem, quod talem de Studio non reuocet, sed eum in scientia proficere, & ad statum Baccalariatus, & honorem Magisterij peruenire, lecturamque continuare permittat, ipsumque & alios similes, quos in scientia laudabiliter proficere nouerit, dignis attollat laudibus, honoribus, & promotionibus efferat opportunis. Prouideant quoque Præsidentes, & alij prælati conuenientes in ipso Capitulo prouinciali, quod Canonici ad dicta Studia transmittendi, prout conuenientius & commodius fieri poterit, insimul commorentur, saltem quinque vel quatuor ad minus, & quatuor vel quinque huiusmodi, duobus seruitoribus sint contenti.

Regimen Canonicorum studentium quale esse debeat.

§. 27. Præcauere nempe volentes, & etiam prouidere, vt dictis scholaribus in dictis Studiis pro tempore morantibus, regularis non desit salubre gubernaculum disciplinæ, ordinamus, quod in Capitulis prouinciarum, in quibus erunt huiusmodi studia, Præsidentes vnum de iis qui debent ad prouinciale Capitulum conuenire, vicinum loco vbi Studium erit, (quem quoties eis placuerit, ponere valeant & mutare) deputent & assignent, qui

ex dictis studentibus vnum inibi Priorem studentium constituat per annum solummodo duraturum, quem tamen Priorem tam ipse, quam etiam Præsidentes, & quilibet eorundem, mutare valeant infra annum, si & quoties eis videbitur expedire. Constituatur autem ipse Prior, talis qui sit potens in opere & sermone, vt canonicos studentes pensionarios, & alios etiam beneficiatos in bono instruat, & à malo studeat reuocare, ipsosque quoties sibi videbitur expedire conuocet ad alium locum competentem, eisque quoad regularem præsideat disciplinam. Et potestatem habeat illos corrigendi, puniendi, & absoluendi, & cum eis dispensandi quandiu in ipsis studiis moram traxerint, ab omnibus à quibus & super quibus, & prout posset Superior post Antistitem, vel Abbas seu Prælatus alius corũ proprius in Ecclesia, Monasterio, vel alio loco vnde claustrales existunt, ipsosque informandi, & instruendi, & tenendi sub regularibus disciplinis, & illos etiam coercendi ne vagentur, vel actibus seu operibus vacent illicitis, sed studeant, & proficiant sicut decet, viuantque laudabiliter & honeste. Prouideat insuper idem Prior studentium, quod dicti Canonici pensionarij studentes expensas faciant moderatas, non superfluas, nec aliquatenus excessiuas, eosque cogat ad reddendum de receptis & expensis in fine mensis cuiuslibet, & prout alias sibi videbitur, rationem, illi vel illis prouidis & discretis, quos idem Prior ad id duxerit deputãdos, & quando ipsorum studentium conditio, seu demerita suaserint eos à Studio reuocandos, idem Prior teneatur id (consulte tamen & caute) Antistiti, Abbati, vel alij Prælato eorum proprio per suas literas intimare, idemque Antistites, Abbas, seu Prælatus proprius eos reuocare debeat. & in locis eorum totidem Canonicos subrogare per modum suprascriptum, appellatione, contradictione, vel reclamatione reiectis. Concedimus quoque prædicto Priori, Canonicos studentes pensionarios, & alios etiam beneficiatos, quandiu fuerint in ipsis Studiis, ab excommunicationis, suspensionum, & interdictorum sententiis, per statuta prouincialia seu cuiusvis Ecclesiæ, Monasterij, siue loci dictæ religionis, vel per Diœcesanum contra studentes in locis, vbi erunt Studia generaliter promulgatis, congrua satisfactione præmissa, iuxta formam Ecclesiæ auctoritate Apostolica absoluendi, & cum eis super irregularitate, quam sic ligati celebrando diuina, seu alias se ingerendo eisdem, per simplicitatem & iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clauium) incurrerint, dispensandi, auctoritate prædicta liberam potestatem. Per hoc verò dictos Canonicos studentes à potestate Antistitis, vel aliorum Ordinariorum suorum, vel alterius Prælati sui, nolumus aliquatenus eximere, vel etiam liberare. Quilibet autem dictorum Canonicorum religionis eiusdem, huiusmodi Studiis insistens, pensionarius, & alius etiam beneficiatus, præfato eorum priori de quinque solidis Turonensium paruorum, vel eorum valore in alia moneta prouidere annis singulis teneatur, ad quorum solutionem, idem Prior possit eosdem per censuram Ecclesiasticam & alia ipsius religionis remedia, auctoritate Apostolica, remoto appellationis obstaculo coërcere. Idem tamen Prior sumptus nuntiorum subeat, quos pro præmissis duxerit transmittendos.

Præsidentium munus quoad Canonicos studentes.

§. 28. Dicti quoque Præsidentes in singulis eorum prouincialibus Capitulis, deputent aliquem de illis qui debent ad dictum prouinciale Capitulum conuenire, idoneum ac vicinum Studio in quo studentes huiusmodi morabuntur, & tam huiusmodi deputatus, quam etiam Visitatores in prouinciali Capitulo ordinati, diligenter & fideliter se informent, ea quæ per eos, de studentibus & eorum pensionibus, & aliis circa hæc, statuta & ordinata existunt, fuerint effectui mancipata, & si qua inuenerint non completa, eorum plenam relaxationem, & etiam informationem qualiter compleri possint faciant in proximo prouinciali Capitulo eorundem, in quo ordinari debeat quod efficaciter compleantur. Habeant insuper Præsidentes præfati, quilibet eorundem, faciendi compleri & inuiolabiliter obseruari auctoritate Apostolica, omnia & singula supradicta, necnon contradictores, & rebelles per censuram Ecclesiasticam, & per alia iuris seu ipsius Ordinis remedia, sublato appellationis obstaculo, compellendi, & processus, & sententias eorum in locis religionis eiusdem solemniter publicandi, & illos qui sententias ipsorum incurrerint, congrua satisfactione præmissa iuxta formam Ecclesiæ absoluendi, & cum illis qui huiusmodi ligati sententiis per simplicitatem & iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clauium) diuina celebrarint officia, vel ingesserint se eisdem, super irregularitate per eos exinde contracta, auctoritate prædicta dispensandi liberam facultatem.

Qua per assumendos ad gradus, servari debeant.

§. 29. Rursus statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus religionis eiusdem, ad recipiendum magistratus seu doctoratus honorem de cætero assumatur, non præstito per eum primitus iuramento in præsentia dicti Prioris studentium, ac sex proborum & discretorum ex studentibus antedictis, quod in assumptione ipsius honoris, vel ante vel post, eius occasione circa cibos, vestes, vel alia, non expendet, per se vel alium vndecumque habuerit, vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit à quibusvis aliis expendi permittet, vltra valorem duorum millium Turonensium argenti. Illi etiam qui ad Baccalariatum fuerint assumendi, iuramentum præstare similiter teneantur in præsentia Prioris studentium, & quatuor proborum & discretorum de studentibus memoratis, quod huiusmodi sui Baccalariatus prætextu, ipsa die qua Baccalarij erunt, vel ante seu post, nullum festum seu conuiuium facient, per se vel alios, aut quantum in eis fuerit fieri permittent à quibuscumque aliis, etiam eorum consanguineis, vel amicis. Ad hoc statuimus, & etiam ordinamus, quod quilibet ipsius religionis, qui in dicto Parisiensi, vel in aliquo alio generali Studio per sex annos in Theologia studuerint, in aliis primitiuis scientiis prius sufficienter instructi, & alias sufficientes ad hoc & idonei reperti, possint in ipso Parisiensi Studio cursus Bibliæ facere consuetos, qui verò per octo annos in Theologia studuerint, librum Sententiarum legere valeant (si ad hoc sufficiẽtes fuerint) in Parisiensi Studio prælibato, & quod in eodem Parisiensi, & alio quocumque Studio, in quo ad magisterium in Theologia licentia dari poterit seu consueuerit, quum digni ad hoc reperti extiterint, ad magisterium & doctoratum in Theologia libere admittantur. Illi vero Religionis eiusdem, qui in ipso Parisiensi studio vel quovis alio Studio generali audiuerint iura Canonica per sex annos, de quibus per tres annos ad minus audiuerint decretum (dummodo sufficientes, & idonei fuerint) possint ad Baccalariatum & lecturam iuris Canonici siue Decretorum in eodem Parisiensi, vel in alio generali Studio in cappa ipsi facultati congruenti assumi. Qui verò per quinque annos in Parisiensi, vel in alio generali Studio iura Canonica vt Baccalarij legerint, & de hoc primo fidem fecerint per eorum proprium iuramentum, & duorum aliorum testimonium iurantium se credere eos rectè iurasse, possint si voluerint in cappa similiter eidem facultati congruenti, ad magisterium in Decretis, vel ad lecturam Decretorum in eodem Parisiensi, & quolibet alio Studio generali, dilatione, & difficultate malitiosa, & impedimento quibuscumque sublatis; sicut ibidem consueuerunt assumi cæteri clerici sæculares. Et per Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis in Parisiensi Studio, vel per illum ad quem pertinuerit, ad huiusmodi magisterium, seu doctoratus honorem promoueantur libere, & etiam admittantur. Non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum Religionis eiusdem, necnon Parisiensis, & aliorum quorumcumque Studiorum contrariis, iuramentis, confirmationibus Apostolicis, & quibusvis firmitatibus aliis roboratis, & illis præsertim quibus in eodem Parisiensi studio caueri dicitur, quòd nullus possit legere cursum Bibliæ, nisi ibidem studuerit septem annis, nec permittatur legere sententias, nisi ibidem studuerit decem annis, quodque nullus Canonicus, vel religiosus alius legat ibidem iura Canonica, vel ad Baccalariatus gradum, aut Magisterij honorẽ in iure Canonico permittatur assumi, seu quod nullus regularis rubea cappa decretũ legat, seu legere permittatur ibidem, aut nullus sibi legere valeat iura Canonica, vel ad Baccalariatum assumi, seu vt Baccalarius legere Decretales, aut ad magisterium ascendere in Decretis, siue doctor fieri Decretorum, aut ad lecturam in

Decretis

Decretia assumi, seu ipsam continuare, nisi ibidem, vel in aliquo Studio generali audiuerit iura Canonica per quinque, vel alibi iura Ciuilia per tres annos, aut alibi iura Ciuilia per quinque, & ibi vel in alio generali Studio iura Canonica per tres annos; prout sic vel aliter in statutis ipsius Parisiensis Studij dicitur contineri, vel de consuetudine obseruari, & aliis consuetudinibus, vel statutis eiusdem Parisiensis Studij quibuscumque & sub quacumque forma, vel expressione verborum in contrarium editis, vel edendis, necnon quibuslibet priuilegiis, & indultis generalibus, aut specialibus, & literis Apostolicis contrariis, Ordinibus, Ecclesiis, Monasteriis, locis, & Studiis quibuscumque siue vniuersitatibus magistrorum, vel scholarium eorundem, seu personis Ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, sub quauis forma vel expressione verborum concessis, per quæ præsentibus, non expressa, vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum, & ordinationum, & singulorum contentorum in eisdem impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus, plena & expressa, ac de verbo ad verbum in illis, vel alias nostris literis fieri mentionem, quibus non intendimus quoad alia in aliquo derogare.

Obseruãda à Canonicis beneficia obtinentibus.

§. 30. Vt cultus augeatur diuinus, & Religiosis vagandi materia præcludatur, statuimus quod Canonici Religionis eiusdem, extra Ecclesias, Monasteria, siue loca alia principalia, obtinẽtes Prioratus, seu quæuis alia beneficia, quibus ad hoc suppetãt facultates, in ipsis beneficiis residere, & socium, vel socios sui Ordinis secum habere, iuxta ipsorum facultatum suppetentiam teneantur, statutis & consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque, quodque socium, vel socios huiusmodi prælatus, seu is ad quem hoc pertinuerit, prout locis cõgruere nouerit & personis, & cum consilio & assensu sui Capituli seu conuentus, vocatis his qui dicta beneficia obtinebunt, huiusmodi suppetentiam arbitrando assignet eisdem. Quod si huiusmodi Priores seu administratores quibus fuerint Canonici in socios assignati, cessante causa rationabili arbitrio assignantis, recusent admittere sibi assignatos, vel eis sufficienter & decenter in necessariis prouidere, cogantur ad hæc per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia opportune, & nihilominus de huiusmodi inobedientia puniantur. Qui autem in Ecclesiis Cathedralibus seu Monasteriis, dignitates, personatus, officia seu administrationes alias habuerint, & in eisdem Ecclesiis, seu Monasteriis consueuerint residere, cogantur officium incumbens eis, tam in diuinis quàm in aliis debite exercere, familiamque excessiuam præsertim infra claustra non teneant, aut talem per quem verisimiliter præsumatur in ipsis Ecclesiis seu Monasteriis scandalum generari. Et quia secundũ præmissa nõnulli de Canonicis regularibus, qui in Ecclesiis, seu Monasteriis consueuerant residere, habebunt extra in suis Prioratibus seu beneficiis aliis residentiam facere, in Capitulo annali cuiuslibet Ecclesiæ, & Monasteriis, per Prælatum & Capitulum, vel maiorem partem ipsius, scito & cognito diligenter quot mittentur extra pro residentia in dictis Capitulis & beneficiis facienda, proinde ordinetur, quot loco eorum qui extra mittentur, in ipsis Ecclesiis seu Monasteriis fuerint subrogandi. Obtinentes autem beneficia simplicia, quibus cura non imminet animarum, quorum ad tenendum socium non sufficiunt facultates, si propinqua sint Ecclesiis, vel Monasteriis à quibus illa dependẽt, in dictis Ecclesiis, vel Monasteriis residentiam facere compellãtur, & habeant de prouentibus dictorum suorum beneficiorum expẽsas, quas in victualibus in ipsis Ecclesiis, vel Monasteriis residendo faciãt illi vel illis exsolui, qui in dictis Ecclesiis, seu Monasteriis victualia Canonicis ministrare tenerẽtur, dummodo ad hoc redditus beneficij huiusmodi obtinentis sufficere dignoscantur. Quod si huiusmodi beneficia simplicia longe distant ab Ecclesiis, seu Monasteriis quibus subsunt, & in Prioratibus & administrationibus Canonici residere cõsueuerint, quæ sint propinqua modo præmisso, cum satisfactione simili expensarũ, obtinentes huiusmodi beneficia seu administratores eorum, ad residendum in dictis Prioratibus, seu administrationibus, deputentur nisi per fundatores huiusmodi beneficiorum aliter fuerit ordinatum, cui ordinationi per hoc non intendimus derogare. Super distantia vero seu propinquitate beneficiorum huiusmodi, stetur arbitrio annalis Capituli, eiusque in hoc deliberatio obseruetur. Quod si dicta beneficia simplicia tam ab Ecclesiis, quam Monasteriis, vel ab eorum Prioratibus, seu administrationibus sint remota, per dictum annale Capitulum ordinetur, vbi tales debeant residere; prouiso tamen quod diuinus cultus exerceatur debite in beneficiis memoratis.

Canonici quid circa officia celebrãda seruare debeant.

§. 31. Canonici autem in huiusmodi Prioratibus, seu administrationibus commorantes, in Ecclesia bonis congruis, cum dictis Prioribus, seu administratoribus simul intersint, Canonicas horas dicant, in Missis celebrandis suas hebdomadas ordinate teneant, & in loco vbi duodecim fuerint, vel plures, vna per eos Missa ad minus cum nota, die qualibet celebretur, & horæ Canonicę cũ nota dicantur. Dicti quoque Canonici Priorum, & administratorum prædictorum in vna domo communi regulariter iaceãt, camerulis, & cellulis eis penitus interdictis. In vna etiam domo vescantur Prior insuper & administrator, & Canonici, nisi infirmitas, vel alia euidens ratio interdum aliud suaserint faciendum, in vestitu etiam, & clausura, à communi Ecclesiæ, Monasterij, siue loci cui subijciuntur, institutione vel debita obseruantia non recedant, ac suo proprio Priori, vel administratori, iuxta ordinationẽ Prælati sui, vel Superioris, obediant humiliter, & deuote. Et si aliquando dictos Canonicos in Prioratibus seu administrationibus mori, aut fugitiuos fieri forsan contingeret, Priores, seu administratores prædicti, diem mortis aut fugæ, seu recessus ipsorum, Prælatis aut eorum Superioribus, vt in Ecclesiis, seu Monasteriis eorum principalibus, pro defunctis eorum consueta fiãt suffragia, seu fugitiuos reuocare, vel in Prioratibus seu administrationibus, alios loco eorum subrogare valeãt, quam citius commode poterũt, intimare per suas literas teneãtur. Quod si Priores, seu administratores prædicti, diem obitus, aut fugæ siue recessus huiusmodi, Prælatis suis, vel Superioribus significare distulerint, tertiam partem illorum quę Canonicus expendisset, si non fuisset mortuus, vel in fuga, pro pitantia Capituli, vel Conuentus Ecclesiæ, Monasterij, vel loci principalis soluere teneantur. Insuper Canonici prædicti non soli, sed honeste associati, & cum habitu decenti incedant, nec in villis, in quibus Prioratus, seu administrationes huiusmodi fuerint, comedere, vel bibere, aut ingredi domus præsumant, nisi cum honestis, personis, & tunc de sui Prioris, seu administratoris licentia speciali. Qui verò contrarium fecerint regulari subiaceant disciplinæ. Vt autem hæc efficacius obseruentur, Antistites, Abbates, & cæteri in eorundem Canonicorum superiores, necnon alij qui ad visitandum per eos fuerint deputati, quum Prioratus & administrationes huiusmodi visitabunt, circa illa seruanda, & non seruata corrigenda, curam habeant diligentem.

Beneficiati subsint Superioribus.

§. 32. Præcipimus, quod Canonici Religionis præfatæ, qualiacumque in ipsa Religione auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius beneficia obtinentes, obediant Superioribus suis Religionis eiusdem, ipsorumque subsint correptionibus, ordinationibus, punitionibus, & statutis, ac beneficiis huiusmodi ex causis rationabilibus priuati, & ab illis amoueri possint, quemadmodum possent si foret per Superiores suos de ipsis beneficiis eis prouisum.

Locus infirmaria extistat.

§. 33. Quum expediat infirmis de domo seu loco congruo prouideri, statuimus, quod in Ecclesiis, Monasteriis, & locis aliis Conuentualibus Religionis eiusdem, in quibus certa domus, seu locus deputata, vel deputatus non fuerit pro infirmis, ij ad quos pertinuerit, quibus ad hoc suppetent facultates, domum seu locum huiusmodi sufficientem iuxta statum, & facultates locorum, quãtocius commode fieri poterit deputare seu construere* teneantur, eisdem infirmis sufficienter delectis, victualibus, seruitore, medicis, & rebus medicinalibus, & aliis quibuslibet necessariis prouidẽdo, ad quæ perагẽda, & complenda, per Superiores suos immediatos, & per Præsidentes, ac Visitatores, & eorum quẽlibet auctoritate

Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna remedia compellantur. Vbi autem administratores eorum qui ad præmissa tenentur, sufficientes ad peragenda non habuerint facultates, in annali Capitulo per ipsum Capitulum, vel maiorem partem ipsius auctoritate Apostolica ordinetur, quod administratores huiusmodi sufficientes ad hoc reddantur per assignationes pensionum, prout infra in alio casu sub rubrica de victualibus & aliis ministrandis.

Numerus Canonicorum.

§. 34. Quum sit consonum rationi, vt obtinentes beneficia ipsorum onera debeant supportare, statuimus, quod in Monasteriis, Prioratibus, & aliis beneficiis quibuscumque Religionis eiusdem, personis quibuscumque extra præfatam Religionem cuiuscumque sint dignitatis, gradus seu præeminentiæ (etiamsi fuerint Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales) collatis seu commendatis, vel de cætero conferendis, seu commendandis, tot Canonici teneantur, quot in eis tenerentur si per Canonicos regulares Monasteria, Prioratus, & beneficia huiusmodi regerentur. Et quod nihilominus Canonico in eisdem Monasteriis, Prioratibus, & beneficiis, committatur id quod supra, vel circa alios Canonicos inibi residentes haberet exercere administrator Canonicus, si præesset eisdem, quantum ad ea quæ pertinent ad regulam seu disciplinam, vel obseruantiam regularem, & quod quilibet prædictorum, huiusmodi Monasteria, Prioratus, & beneficia quomodolibet obtinentes, ad procurationes, & alia quælibet onera ipsis Monasteriis, Prioratibus, & beneficiis incumbentia, supportanda, persoluenda, & reddenda integre sint adstricti, quodque ad hoc & alia supradicta, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alias compelli valeant per Capitulorum prouincialium Præsidentes, & quemlibet eorundem, prout per Superiores suos possent, & deberent compelli Canonici regulares si præessent Monasteriis, Prioratibus, & beneficiis memoratis, nisi fuerint S.R.E. Cardinales, quos nolumus talium compulsionibus subiacere.

V. tantur animalia ac fa- c. arts. præter hic excepta.

§. 35. Prohibemus ne Canonici regulares in Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, seu locis aliis Conuentualibus Religionis eiusdem, teneant, aut nutriant equos, seu alias euectiones, nevè familiares, seu seruitores habeant sæculares, nisi ratione dignitatum, officiorum, vel administrationum suarum quæ gesserint, id eis permissum fore noscatur. In infirmitorio tamen & coquina Monasterij, seu Prioratus, & aliis officiis atque seruitus aliis communibus, possint tenere sæculares seruitores honestos; si & prout in Ecclesiis, seu Monasteriis, & aliis locis prædictis fuerit hactenus rationabiliter obseruatũ, non in excessiuo, sed moderato numero, iuxta arbitrium Prælati immediati. Seruitores autem sæculares huiusmodi, quantominus fieri poterit cum Canonicis conuersentur, neque cum eis in communi comedant neque bibant, etiamsi Presbyteri fuerint, vel Clerici sæculares, nisi forte tales forent Presbyteri, vel alij sacris ordinibus constituti, qui essent inibi perpetui, & cum Canonicis etiam in refectorio comedere assueti, & tunc à Canonicis sedeant segregati cum habitu consueto, & etiam honesto, se eisdem Canonicis in silentio, & obseruantiis aliis honestis, quandiu cum eis fuerint conformantes, quibus prouideatur iuxta morem inibi rationabiliter obseruatum. Et si Presbyteri, seu sæculares Clerici prædicti perpetui, infra Ecclesiarũ, seu Monasteriorum septa deliquerint, seu excesserint in leuibus, per ademptionem partis pitantiæ, seu portionis, quam fuissent alias percepturi, per immediatum Prælatum regularem loci vnde sumunt prædicta, vel per illum qui inibi præerit, regularibus disciplinis possint corrigi, ac puniri.

Tantaque conuiuia, & immoderati sumptus.

§. 36. Caueant insuper Abbates, Præpositi, Priores, & cæteri quicumque ipsius Religionis, ne lautis conuiuiis, & comessationibus occupentur, nec in eis sumptus immoderatos faciant, vel alias etiam excessiuos à familiarium quoquam seruitorum, aut sequentium fieri permittant, necnon à rerum, seu vestium multitudine indecenti, & excessiua, vbique diligenter studeant abstinere, & honeste, ac laudabiliter conuersari.

Religiosi associati incedant.

§. 37. Dicti quoque Abbates, necnon Præpositi, Priores, cæterique administratores, & professores alij Religionis eiusdem, extra loca sua proficiscentes, associati incedant, prout ipsorum congruit honestati, & vbi Canonicorum numerus sufficiens fuerit, & ad hoc etiam suppetent facultates, Abbates, & alij Prælati saltem Religionis suæ duos socios secum ducant.

Superiores prædicta faciant obseruari.

§. 38. Præsidentes autem Capitulis prouincialibus, ac Visitatores per ipsa Capitula deputati, necnon Prælati alij Religionis eiusdem, quoad suos subditos attente prouideant, quod præmissa diligentius obseruentur, transgressores arguendo, & prout expediens fuerit puniendo.

Ad ordines promouendi qui & quando.

§. 39. Præsentium auctoritate statuimus, quod Canonici beneficia simplicia obtinentes, & alij beneficiati Religionis eiusdem, ad mandatum Prælati sui infra terminũ per eum præfigendum eisdem se faciant ad ordines quoslibet promoueri, nisi eos causa rationabilis, quam ipsi Prælato infra dictum terminum exponere habeant, excusaret, quod si non fecerint, beneficiati eo ipso ab obtentis beneficiis suspensi, non beneficiati verò ad beneficia obtinenda, sint & remaneant inhabiles, donec promoti fuerint ad ordines supradictos, quodque Prioratus curam animarum habentes, & alia beneficia curata, quorum Prioratuum, & beneficiorum cura per perpetuos Vicarios exercetur, committi nequeant vel conferri; nisi eis qui vigesimum annum computandum à tempore collationis seu commissionis sibi factæ de eis, & possessionis adeptæ vel infra vigesimumquintum ætatis suæ annum (si ante annum ipsum Prioratus seu beneficia huiusmodi eis collata fuerint seu commissa) se faciant ad sacerdotium promoueri, Prioratus quoque Conuentuales, Dignitates, Personatus, Officia, sed administrationes, videlicet sacristia, thesauraria, eleemosynaria, operaria, cameraria, & similia, quæ in Ecclesiis & aliis locis Conuentualibus seu Collegiatis dictæ Religionis, officia seu administrationes beneficia fuerint, etiamsi eisdem officiis seu administrationibus, animarum cura nullatenus sit annexa, alicui nisi vigesimumquintum annum attigerit conferri nequeat, aut committi. Et qui Prioratus, Dignitates, Personatus, Officia, seu administrationes huiusmodi obtinuerit, infra tẽpus collationis, seu commissionis eis factæ de ipsis, & adeptæ possessionis eorum se faciant ad sacerdotium promoueri, vel saltem ad ordinem, quem Dignitates, Officia, vel administrationes obtenta requirent de iure, consuetudine, seu statuto, nec contra à quoquam valeat dispensari. Nos insuper commissiones, seu collationes factas contra præmissa decernimus fore irritas & inanes. Hi quoque qui iuxta præmissa cessante causa rationabili ad ordines promoti non fuerint, sint Prioratibus, Dignitatibus, Officiis, Administrationibus, & beneficiis prædictis eo ipso priuati, quæ ipsis iterum ea vice nullatenus conferantur. Nostræ verò intentionis existit, quod præsens constitutio quantum ad ea quæ de recipiendis ordinibus per Priores, & alios beneficiatos præmisimus, illos etiam post duos menses à die publicationis præsentium constitutionem in eorum annali Capitulo factæ constringat, & eos etiam qui in præsenti talia beneficia obtinent, vel dictæ publicationis tempore obtinebunt, dummodo ætatis legitimæ sint effecti. Alioquin quum ad ætatem legitimã peruenerint, ad recipiendum secundum præmissa dictos ordines sint adstricti, nisi foret aliud Canonicum, eos ab huiusmodi susceptione ordinum excusaret.

Vestium profusio.

§. 40. Dignum fore censentes, vt Canonici Religionis præfatæ non solum morum & vitæ, sed etiam habitu, & vestimentorum refulgeant honestate, districtius inhibemus, ne dicti Canonici extra septa Ecclesiarum, Monasteriorum, seu locorum suorum proficiscentes, portent alias vestes super habitum, quam cappas, seu mantellos honestos vel rodondellos, seu elochias, talares vel circa, iuxta vsum vel consuetudinem laudabilem Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum suorum, vsum seu verius abusum manticarum seu tabardorum, necnon rodondellorum, vel elochiarum notabilem habẽtium breuitatem, eisdem Canonicis penitus prohibentes. Præcipimus quoque quod in Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis religionis præfatæ, in quib⁹ Canonici cappas à parte anteriori apertas de panno laneo consueuere deferre, quæ in quibusdam locis cappæ de choro seu capella vulgariter nuncupantur,

pantur, ipsas honestas non nimia longitudine vel breuitate notandas portare debeant, locis & temporibus consuetis. Deferant etiam cappas huiusmodi a festo omnium Sanctorum vsque ad festum Paschæ, infra septa quarumcumque Cathedralium Ecclesiarum Religionis eiusdem, ac Monasteriorum, & aliorum locorum immediatos Superiores ipsius Religionis non habentium, in quibus Monasteriis siue locis fuerit duodenarius Canonicorum numerus, licet hactenus ipsas ibidem non consueuerint deportare. Sanè infra Ecclesias, claustrum, capitulum, refectorium, ac dormitorium, non caputiis, sed almutiis honestis vtantur. Caputia verò si ea per ipsos extra loca prædicta deferri contigerit, sint honesta, & alia quæ cum cappis, mantellis, elochiis, seu redondellis portauerint, vnius cum eis & eiusdem coloris existant, nisi ex priuilegio aut institutione laudabili caputia certi coloris aut formæ essent consueti portare. Almutiæ autem si de panno fuerint, illius cuius cappæ esse debent coloris existant. Per hoc autem non liceat portare caputia, vel rodondellos, seu elochias eis, quibus alias portare licitum non existit. Prohibemus etiam, ne dicti Canonici de cætero ferant forraturas de ventribus Variorum, aut Squirolorum cum Dorsis permixtis, sed sint de Ciuilibus simplicibus, vel albis, vel nigris, aut griseis. Præcipimus etiam, quod Canonici dictæ Religionis infra Ecclesias & claustra locorum Cathedralium, aliorumque Conuentualium, seu Collegiatorum ipsius Religionis, & alibi conuentualiter incedentes, portent superpellicea magna, & ampla, iuxta cuiuslibet Ecclesiæ consuetudinem rationabilem, quæ in longitudine manicarum vltra manum quatuor digitis transuersalibus, vel circa, & vltra mediam tibiam, vel circa in sui longitudine protendantur. Extra Ecclesias vero, claustra, & loca prædicta, & vbique sub cappis, rodondellis, seu elochiis, vel mantellis in locis debitis vti possint superpelliceis, quorum manicæ vsque ad palmum in latitudine, vel circa, & eorum longitudo vsque ad mediam tibiam, vel circa protẽdantur. Per hoc autem nolumus derogare consuetudini quorundam locorum, quæ ab antiquo, vel ab institutione habent vsum superpelliceorum ad formam Rochetorum, seu Camisiacum Romanarum, prouiso tamen quod minoris longitudinis superpellicea huiusmodi non existant, & adeo manicas longas habeant, quod eis brachia vsque ad pugnum valeant cooperiri, per formas autem huiusmodi superpelliceorum, alias formas longiores, & honestiores, superpelliceorum, & habituum, non intendimus prohibere, nec circa eas aliquid innouare. Statuimus insuper, quod Canonici dictæ Religionis, cappis, & vestibus albi, blaui, nigri, seu quasi nigri coloris dumtaxat vtantur, quodque illi qui altero tantum de dictis coloribus vti consueuerunt seu tenentur, non possint ad alium portandum, seu assumẽdum aliquatenus se transferre, nisi ad album dumtaxat. Vestis quoque superior habitui proxima, sit rotunda per circuitum, & non fissa, nec longitudine nimia aut breuitate notanda. Ab eisdẽ quoque Canonicis in eorum vestibus ligatæ manicæ non portentur, nec in apparenti cõsutitiæ, vel quomodolibet botonatæ. In Cathedralibus autem Ecclesiis, Antistites, seu Præpositi, Priores, seu alij maiores in illis post ipsos Antistites existentes: ac in Monasteriis, Abbates, Præpositi, Priores, seu alij, non habẽtes Superiores Religionis eiusdem, sic aliam formam honestam, vestium & calceamentorum ordinent & disponant, quod sit in colore saltem omnibus Canonicis eiusdem Ecclesiæ seu Monasterij, tam extrinsecus quàm intrinsecus vniformis, ipsique tam Abbates, quam Præpositi, Priores, & administratores, ac cæteri quicumque Canonici, & alij per proprios eorum Antistites, vel Abbates, seu alios, Abbates verò & cæteri Prælati, Superiores proprios eiusdem Religionis non habentes, per Præsidentes prouincialibus Capitulis, seu per quemlibet eorum, ac per Visitatores in ipsis Capitulis deputandos, tenere & seruare cogantur. Qui vero vestem, vel habitum contra ordinationem præsentis constitutionis deferre præsumpserit, per dictos Superiores, vel per Præsidentes, siue per Visitatores, seu eorum quemlibet, sic debite puniatur, quod cæteri à similibus arceantur, & nihilominus ab eo auferatur vestis prohibita pauperibus eroganda. Et si infra spatium quindecim dierum à tempore monitionis, seu præcepti sibi facti computandum, vestem vel habitum huiusmodi, non dimiserit cum effectu, vel ablatum prædictæ restiterit, si beneficiatus fuerit, per quatuor mensium spatium ab administratione temporalium sit suspensus, non beneficiatus verò, dicto tempore sit inhabilis ad Ecclesiasticum beneficium obtinẽdum quodcumque. Qui autem exhibens se in publico, habitum (super indumenta scilicet linea) temere occultauerit, si monitus emendare noluerit, iuxta præmissam personarum distinctionem, dictas suspensionis, & inhabilitatis pœnas per idem tempus incurrat. Iniungimus insuper Præsidentibus, Visitatoribus, & Prælatis aliis Religionis prædictæ, vt contra transgressores eorumque circa honestatem vestium, & habitus superius sunt statuta, prout ad eos & eorum quemlibet, pertinuerit, monitionem prædictam (quum transgressio eis nota fuerit) facere non omittant. Et nihilominus Præsidentes, & Visitatores prædicti, monere teneantur Abbates, Præpositos, & alios ad quos id pertinuerit Religionis prædictæ, vt præmissa quæ vt prædictum est circa honestatem vestium, & habitus sunt statuta, seruent & faciant ab aliis sub dictis pœnis diligentius obseruari.

§. 41. Vt in religione prædicta vitetur dissolutio, & obedientia teneatur, districtius inhibemus, ne quivis Canonicus dictæ Religionis de Ecclesia, Monasterio, vel loco suo conuentuali exeat, nisi primitus obtenta licentia ab illo qui eam valeat impartire, quavis consuetudine contraria non obstante, quodque causam sui exitus veraciter & absque fictione exponat ei à quo erit licentia obtinenda. Qui verò huiusmodi licentiam concesserit, Canonicis claustralibus nullam administrationem vel beneficium obtinentibus, terminum redeundi quanto conuenientius poterit breuiorem assignet. Sane administratoribus, & beneficiatis, qui habent residere in claustro, possit dari licentia sine præfixione termini, si hoc concedenti visum fuerit expedire. Si quis autem exiuerit extra Ecclesiam, Monasterium, seu locum alium conuentualem sine licentia, vel in termino assignato iusta causa cessante, non redierit, pœna quæ in tali casu per statuta, vel consuetudinem eiusdem Ecclesiæ, vel Monasterij, seu alterius loci infligenda fuerit, infligatur eidem. Et si super hoc statutum, vel consuetudo aliqua non existit, pœna quæ sequitur infligatur, videlicet quod ille qui infra nouem dies post exitum seu terminum prædictos redierit, vltimus stet in choro & secunda, quarta, & sexta feriis eiusdem septimanæ, in pane & aqua ieiunet. Illis verò qui infra huiusmodi nouem dies non redierint, pœna quæ sequitur imponatur, videlicet quod à porta regulari, parlatorio seu alio loco decenti per claustrum, cum Magistro nouitiorum, vel alio ad hoc deputato ad Capitulum veniant, camisiam, femoralia, & caligas tantum habentes, superpelliceum in brachiis, ac ferulam seu virgam in manibus suis ferentes, cum quibus in dicto Capitulo venia prius recepta & recognita culpa sua, coram omnibus verberentur, & nihilominus alia pœnitentia siue pœna pro qualitate demeriti imponatur eisdem secundum arbitrium imponentis. Quod si sine scandalo huiusmodi pœna imponi non posset, in pœnam aliam secundum sui Prælati arbitrium, de proborum & seniorũ Conuentus consilio commutetur, quam in dicti conuentus præsentia facere teneantur, prouiso attentius, quod mensuram peccati correctionis inflictio non excedat. Simili quoque vel alia condigna pœna puniantur Canonici in Prioratibus seu administrationibus aliis externis assignati, qui sine licentia Priorum seu administratorum eorundem, de ipsis prioratibus seu administrationibus recedentes fuerint euagati, vel in termino non redierint assignato. Si autem de dictis prioratibus seu administrationibus ad claustrum seu Prælatum suum à suis Prioribus seu administratoribus, licentia non petita, vel petita & non obtenta veniunt, eidem Prælato seu Superiori suo causam sui aduentus statim exponant, qui Prælatus seu Superior an causa huiusmodi rationabilis & vera fuerit arbitretur, & si causam minus rationabilem seu falsam esse repererit, vel si huiusmodi venientes nullam causam ei exposuerint, aut licentiam non petierint, per Prælatum aut Superiorẽ, prout eis visum fuerit expediẽs puniantur. Nullus quoque Canonicorum

Exitus de Monasterio quando permissus

pernoctaturus extra Eccleſiam, Monaſterium, vel alium locum ſuum abire ſine Breuiario permittatur, in quo penſum ſeruitutis ſuæ dicendo horas Canonicas poſſint ſoluere Creatori.

Alienatio prohibetur abſque licentia Apoſtolica.

§. 42. Perpetuo prohibemus edicto, nec Ciuitas, Caſtrum, Villa, vel Feudum notabile, aut iuriſdictio alicuius ipſorum, vel Grangia ſeu locus, territorium, ſiue magnus poſſeſſionum vel terrarum numerus, vendi vel etiam principaliter & expreſſe obligari, vel Monaſterium, ſeu Prioratus, aut Eccleſia Religionis Præfatæ in alium transferri valeant per quoſcumque etiam in caſu alias à iure conceſſo, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, omnem venditionem, obligationem, & tranſlationem de præmiſſis, & contra hæc factam irritam decernendo, ac nihilominus quilibet Capitulis prouincialibus Præſidentium ac Viſitatorum, alienationes huiuſmodi eaſdem, ac conſentientes eiſdem Sedi Apoſtolicæ, ſi exempti fuerint, alioquin Ordinariis ſeu Diœceſanis ipſorum intimare per ſcripturam authenticam, vel literas eorum ſigillis munitas, quam citius commode poterunt, teneantur.

Ficti contractus prohibentur.

§. 43. Multis fraudibus atque dolis, quæ per nonnullos Religionis eiuſdem, in damnum & præiudicium Eccleſiarum, Prioratuum, & aliorum locorum prout experientia docuit committuntur, opportunis obuiare remediis quantum cum Deo poſſumua ſalubriter cupientes, hoc conſulto edicto prohibemus, ne Abbates, Præpoſiti, ac Priores, vel quiuis adminiſtratores, & alij Canonici ſeu conuerſi Religionis eiuſdem, prætextu Religionum, vel negotiorum quæ gerunt, fraudulentos vel doloſos aut ſimulatos vel fictos contractus inire, vel mutua ſimulata vel ficta ſuſcipere, ſiue proprio, ſiue fideiuſſorio, vel quouis alio nomine alieno, nevè etiam confiteri in inſtrumentis publicis, vel authenticis aliiſvè ſcripturis, ſe à patre, fratre, nepote, vel conſanguineo, ſeu quolibet alio coniuncto, affine, familiari, ſeruitorio, amico, ſeu mercatore recepiſſe mutuo, vel alias, pecuniam, pannos, bladum, vinum, equos, boues, ſiue animalia alia, vel res, ſeu alia bona, eaque in vtilitatem locorum quibus præſident, vel adminiſtrationum quas gerunt fuiſſe conuerſa, neque tamen pro ſe, ſeu locis eorum neque pro adminiſtrationibus ſuis ipſa receperint, quoquo modo præſumant. Similiter etiam prohibemus, ne fingant ſeu ponant, vel ſcribant ſe fore principales debitores, nevè vt tales ſe obligent, vbi re vera non principales ſed fideiuſſores exiſtunt, nevè in talibus contractibus, vt præfertur ſimulate conceptis, ſe ac alios ſuo nomine, locaque ipſa, poſſeſſiones, redditus, prouentus, bona & iura locorum obligent, vel ſubmittant, neque in fraudem ſeu doloſe confiteantur, vel alios præſertim debitores eorum faciant confiteri ſeu etiam obligari, vel ſuper iis inſtrumenta, vel authenticas ſeu alias ſcripturas in fraudem confici, continentia quod iura, redditus, poſſeſſiones, animalia, blada, pecuniam, ſeu alia bona ad ipſos, vel Monaſteria, ſeu quæuis alia bona ipſius Religionis pertinentia ſeu debita, fuerunt, ſunt, vel eſſe debent, patris, matris, ſeu fratris eorum, vel aliarum perſonarum prædictarum, & ad ipſas perſonas pertinere vel debita eis fore, vel alios quoſcumque contractus ſimiles fraudulenter, & doloſe confici faciant, vel fieri procurent, per quos Eccleſiæ, Monaſteria, & alia loca Religionis ipſius quibus præſunt, ac iura, redditus, & poſſeſſiones, ſeu alia loca ipſorum damnificari, grauari, obligari, vel alias impediri, ſeu deperire valeant quouis modo. Nos autem omnes prænominatos, in graue & enorme præiudicium adminiſtrationum ſuarum talia committentes, vel fieri facientes, aut eis conſentientes, præter alias pœnas iuris (niſi infra duorum menſium ſpatium à tempore contractus ſeu commiſſi huiuſmodi numerandum) ea quantum eis poſſibile fuerit tolli fecerint, & Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, adminiſtrationes, & loca prædicta reddiderint ſeu reddi fecerint indemnia, ſeu à talibus diſpendiis liberatint, excommunicationis ſententiæ eo ipſo decernimus ſubiacere. Quod ſi forte præmiſſa effectualiter non potuerint reuocare, teneantur infra alios duos menſes, illos duos immediate ſequentes, ea ſuis Superioribus reuelare, quod ſi non fecerint, ſententiam excommunicationis incurrant, & alias pro dictis exceſſibus debite puniantur, taliter quod cedat cæteris in exemplum. Poſſint autem Præſidentes, ac Viſitatores in Prouincialibus Capitulis deputati, & eorum quilibet, Abbates alioſque quoſcumque Prælatos ac adminiſtratores, non habentes Superiores Religionis eiuſdem, qui huiuſmodi ſententiam excommunicationis incurrerint, ſatisfactione præmiſſa abſoluere, & ſecum ſuper irregularitate ſi per ſimplicitatem & iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clauium) diuina celebrauerint, vel ſe ingeſſerint eiſdem, inde contracta miſericorditer diſpenſare, cæteros verò conſimiliter abſoluere, & cum eis in ſimilibus diſpenſare valeant immediati Superiores eorum.

Mutua quomodo recipienda.

§. 44. Monaſteriorum, & locorum Religionis eiuſdem diſpendiis quæ ex mutuorum contractu plerumque proueniunt, præcauere conſultius intendentes, ſtatuimus, quod Abbas, Præpoſitus, Prior, ſeu quiuis alius (etiam Apoſtolicæ Sedis Notarius) Religionis eiuſdem, quum per ipſum fuerit mutuum ſuſcipiendum, vltra ſummam communi prouidentia per annale Capitulum ſeu maiorem partem ipſius taxandam infraſcriptam ſolemnitatem obſeruet, videlicet vt quilibet de prædictis Superiorem eiuſdem Religionis non habens, qui habebit recipere mutuum ſupradictum, tractatum ad minus & conſilium duorum dierum non continuatorum, ſeu interpellatorum, cum Capitulo ſeu Conuentu ſuo diligentem habeat, & maturum. Et nihilominus de conſenſu ſui Capituli vel Conuentus, mutuum huiuſmodi recipiatur ab eo. In Monaſterio verò, Prioratu, & adminiſtratione, conuentuali vel non conuentuali Superiorem immediatum in eadem Religione habente, in conuentuali videlicet cum conuentu ipſius, in non conuentuali, cum conuentu Superioris Eccleſiæ Monaſterij ſiue loci, tractatus huiuſmodi habeatur. Et nihilominus in vtroque licentia ſeu auctoritas interueniat dicti ſuperioris quocumque nomine cenſeatur, eo plene certificato in quantum commode fieri poterit, de omnibus quæ interuenire debent in tractatu præfato, in quo quidem agatur, & clare liqueat, ob quam cauſam cuiuſvè ſummæ, & ſi fieri poteſt, à quibus creditoribus, & ſub quibus conditionibus, & obligationibus, quibuſvè terminis ſoluendum ſuſcipiatur mutuum ſæpe dictum, de iis nihilominus authentica conficienda ſcriptura, in qua ea omnia, ac nomina illorum, qui interfuerint in tractatu, ac etiam conſentientium, & auctorizantium exprimantur, & ipſorum auctorizantium ſigilla ſcripturæ huiuſmodi apponantur. Prohibemus inſuper, ne prætextu alicuius procuræ generalis, etiamſi contineatur in ea, quod procurator mutuum poſſit recipere, aut obligare Eccleſiam, Monaſterium, vel alium locum, mutuum recipere valeat Eccleſia, Monaſterium, vel locus alius obligari, niſi prius prædicta omnia fuerint obſeruata. Volumus autem, quod pecunia quæ taliter, vt præmittitur mutuo recipietur, non remaneat in ſolius Antiſtitis, ſeu Abbatis, vel Prioris, aut alterius adminiſtratoris huiuſmodi contractum ineuntis principaliter poteſtate, ſed ſi commode fieri poteſt, tradatur tribus, ſeu pluribus aut paucioribus viris, prout expediens videbitur prouidis, & diſcretis, qui dictum mutuum ad illas vtilitates ſeu neceſſitates conuertant, ob quas noſcitur fuiſſe contractum, qui ſuper hoc fideliter exequendo iuramenti vinculo adſtringantur, diſtrictius inhibentes, ne eorum quæ debentur Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu locis aliis Religionis eiuſdem, remiſſio frauduloſa, & notabiliter damnoſa à quoque valeat attentari. Permittimus tamen, quòd ſi Antiſtes, vel Abbas, aut alij quicumque adminiſtratores Religionis eiuſdem, à locis aliis dictæ Religionis quibus ſubſunt ſint multum remoti, & caſus aliquis euidenter vtilis ſeu neceſſarius occurrat, cui ſuccurri non valeat, niſi vltra dictam ſummam communi prouidentia taxatam mutuum contrahatur, licitum ſit eiſdem abſque ſolemnitate huiuſmodi, & pœnis infraſcriptis, vt tali caſu valeant prouideri, tantam abſque fraude qualibet ſummam recipere mutuo, quanta neceſſaria fuerit pro caſu præfato. Recipientes autem mutuum in caſu huiuſmodi, ſi Superiores eiuſdem Religionis non habuerit in Conuentibus propriis, ſi verò Superiores tales habuerint, eiſdem Superioribus, & nihilominus ſuis Conuentibus, ſi Conuentum habeant infra

octo

octo dies postquam eorum præsentiam habere commode poterunt, id exponere, & de iis qui in ipso contractu interuenerunt eos certiores reddere teneantur, & conficiatur inde scriptura, si ipsis Superioribus, vel Conuentibus visum fuerit expedire. Prælatus autem, seu quiuis administrator, qui semel recepit, siue particulariter siue simul, summam prædictam, communi prouidentia (vt præmittitur) prætaxatam, quodcumque mutuum recipiat vltra eam, nisi esset modicum, quod tamen quartam partem eiusdem summæ non excedat, teneatur sub infrascriptis poenis solemnitatem secundam plenarie obseruare. Quod si Abbas, Præpositus, Prior, vel, administrator alius dictæ religionis quocumque nomine censeatur, contra præmissa faciens, mutuum vltra dictam summam communi prouidentia taxatam absque dicta solemnitate recipiendo, locum sibi commissum, aut iura, redditus, seu possessiones ipsius expresse obligauerit, vel literas, vel instrumenta concessionis, vel recognitionis super hoc concesserit, seu alias submiserit (nisi infra sex menses immediate sequentes, obligationes & submissiones huiusmodi cessare fecerit) sit ei ex tunc donec ea compleuerit Ecclesiæ interdictus ingressus, & insuper Præpositi, Priores, & alij administratores superiorem eiusdem religionis, non tamen Conuentum habentes, si præfatum interdictum per alios sex menses, præfatos sex immediate sequentes pertinaciter sustinuerint, sint ex tunc à suis administrationibus suspensi, donec obligationes prædictæ tollantur, & eorum administrationes redditæ fuerint indemnes. Suspensione autem huiusmodi durante, Superiores immediati taliter suspensorum administrationes eorum recipiant, easque per se vel alios fideliter gerere, & indemnes pro posse reddere studeant, ac nihilominus suspensos eosdem aliter punire, prout culpæ qualitas exegerit, non omittant. Si quis autem taliter suspensorum Superioribus ipsis in prædictis de facto contradicere præsumpserit, & in contradictione huiusmodi per octo dies pertinaciter perseuerauerit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, quam si sustinuerit pertinaci animo per sex menses, dignitate, officio, administratione, seu beneficio per eum obtenta seu obtento priuetur.

Locationes quæ damnatæ sint.

§. 45. Quoniam ex minus prouida locatione locorum religionis eiusdem, seu concessione ipsorum ad firmam, prouentuum locorum ipsorum plurima pertulit hactenus dicta religio detrimenta, salubri prohibemus edicto, ne Abbates, Priores, Præpositi, aut cæteri administratores religionis ipsius, sine causa necessaria, vel vtili, loca suæ administrationi commissa, vel prouentus ipsorum locorum, ad firmam tradere, seu locare præsumant. Quod si ex causa huiusmodi id facere voluerint, & Capitulum seu Conuentum habuerint, non tamen Superiorem religionis eiusdem, debeant cum eodem Capitulo, seu Conuentu præmittere tractatum de causa huiusmodi, & de quantitate pretij, & sub quibus obligationibus, & de persona illius cui firma, seu obligatio huiusmodi fuerit facienda, ipsasque facere cum consilio ipsius Capituli, seu Conuentus, vel maioris partis eiusdem. Si verò Capitulum, seu Conuentũ proprium, & nihilominus Superiorem eiusdem religionis habuerint, non solum cum ipso Capitulo seu Conuentu, sed etiam cum eodem Superiore dictum tractatum præhabeant, & cum consilio Capituli, seu Conuentus ipsorum, vel maioris partis, ac de dicti Superioris licentia, & non aliter ad eas procedant. Si autem Priores, vel Præpositi, aut alij administratores extiterint, non habentes Conuentum, sed Antistitem, Abbatem, vel aliũ Superiorem religionis eiusdem, tractatum prædictum cum eodem Superiore præmittant, & cum ipsius licentia, & non aliter faciant firmam, seu locationem præfatam. Per hoc autem non intendimus prohibere, quominus redditus, & prouentus administrationum suarum locare, seu vendere valeant absque solemnitate præmissa ad tempus modicum, iuxta morem in regione in qua erunt solitum obseruari, statutis Ecclesiarum, Monasteriorum, vel aliorum locorum religionis eiusdem (si qua super hoc fuerint) rationabilibus obseruatis. Si tamen ex huiusmodi locatione, seu venditione prouentuum ad tempus modicum, vt præmittitur faciendis, contingeret infra vnum annum recipi pecuniam, vel aliud quodcumque pretium prouentuum rei locatæ vnius anni excedens, tunc solemnitates præmissas volumus obseruari. Simili modo etiam prohibemus ne aliquo casu, firmæ seu locationes, seu venditiones huiusmodi fiant per eosdem personis suspectis, néve quibusvis firmariis, seu conductoribus, siue emptoribus liber originalis censuum, aut instrumenta, seu monumenta originalia super iuribus Ecclesiarum, vel administrationum confecta tradantur, neve iurisdictiones per se, aut cum Vniuersitate, seu Ciuitates, vel Villæ, vel insignia loca seu Castra, vel Fortalicia locentur, seu ad firmam tradantur, siue sub locatione, vel firma includantur. Redditus tamen seu prouentus Ciuitatum dicti Ordinis, Villarum, locorum, Castrorum, & Fortaliciorum huiusmodi, provt superius præmittitur, vendi valeant seu locari. Vbi autem occasione firmarum, aut locationum, seu venditionum huiusmodi contingeret personas, vel bona Ecclesiastica ipsius religionis obligari, vel submitti, obligationes & submissiones huiusmodi fieri volumus Ecclesiasticæ iurisdictioni, & coërctioni duntaxat, & per Ecclesiasticam iurisdictionem, & coërctionem executioni mandari. Firmas autem seu locationes aut venditiones prædictas, locorumque traditiones contra præmissa factas, instrumenta quoque & quælibet documenta, super eis confecta, initita carere decernimus, & nullius existere firmitatis. Et nihilominus Abbates, Priores, Præpositi, & cæteri administratores superiorem religionis eiusdem non habentes, qui contra fecerint per Præsidentes Capitulis, vel per Visitatores deputandos eis corrigantur. Cæteri verò per Antistites, Abbates seu alios immediatos superiores eorum, si eis visum fuerit, in quinta parte pretij locationis, siue firmæ, fabricæ seu in ornamentis Ecclesiæ, Monasterij siue loci cui immediate subfuerint, applicanda, & alias debite puniantur.

Registra, & inuentaria conficiantur.

§. 46. Vt Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum religionis eiusdem, bona, & iura salubriter conseruentur, statuimus quod Præsidentes Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, Prioratibus, & administrationibus aliis quibuscumque dictę religionis, quamprimum commodè poterunt, conficiant seu confici faciant registra, in quibus possessiones, census, iura, & cætera bona immobilia quæcumque & qualitercumque fuerint, ad eorum administrationes spectantia, sigillatim & specifice describantur. Fiant etiam per eosdem registra de ornamentis Ecclesiasticis, vasis, lectis, animalibus, & aliis rebus mobilibus, & se mouentibus pro agricultura, & alia instructione locorum necessariis, vel vtilibus, & huiusmodi registra, in locis subiectis aliis superioribus religionis eiusdem duplicentur; quorum vnum in loco superiori, & reliquum in subiecto seruentur, Visitatores quoque in prouincialibus Capitulis deputati, cum visitabunt loca suæ visitationi commissa, Prælati etiam & alij Superiores cum fuerit opportunum, diligenter inquirant, an res & bona prædicta, necessaria pro instructione locorum teneantur in locis eisdem, & prouideant quod perpetuo teneantur in eis, aliterque reperta faciant emendari, & secundum quod culpa exegerit puniant delinquentes. Insuper Præsidentes præfati, cum possessiones administrationum suarum fuerint assecuti, inuentaria, de bonis mobilibus, & se mouentibus repertis in administrationibus ipsis conficiant. Hi verò qui habent Superiores religionis eiusdem, huiusmodi inuentaria faciant duplicata, quorum vnum in loco subiecto seruetur, & superiori reliquum assignetur, vt per ea in quo statu administrationes ipsas receperint, valeat apparere. Fiant autem huiusmodi inuentaria & registra per tabellionem, vel saltem in aliquorum publicarum præsentia personarum. Adiicimus etiam quòd Præsidentes Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, & locis aliis dictæ religionis, qui bona mobilia, Prioratuum, administrationum, & beneficiorum quorumlibet religionis eiusdem, sibi subiectorum vacantium in eis tempore huiusmodi vacationis inuenta, seu illa durante obuenientia ex priuilegio, vel consuetudine, seu alia causa rationabili ad se asserunt pertinere, vasa vestiméta, seu alia ornamenta diuino cultui deputata, animalia etiam tam pro agricultura, quam pro aliis ipsorum locorum necessitatibus teneri inibi consueta, vasa vina-

ria, & coquinaria, lectos etiam, & alia suppellectilia necessaria seu vasa (nisi forte antea vel argentea fuerint) nullatenus occupare, vel exinde asportare, aut sibi appropriare præsumant. In apprehendendis quoque bonis aliis constitutionem felicis record. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri super hoc editam, quæ incipit, Præsenti, diligenter obseruent. Qui verò secus fecerint, iuxta qualitatem delinquentium personarum pœnas incurrant, quæ per constitutionem eandem eius transgressoribus imponuntur.

Alimentorū præstationes non differantur.

§. 47. Quum sit rationi consonum illos non debere onera recusare, qui rerum commoda complectuntur statuimus, quod Antistites, Abbates, Præpositi, Archidiaconi, Priores, & administratores cæteri religionis præfatæ, qui census, redditus, pensiones, seu quæcumque similia debent vel debebunt in posterum pro alimentis quotidianis, vel pro vestiariis in Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, Præposituris, Prioratibus, officiis, & administrationibus, seu aliis locis religionis eiusdem, siue in blado, vino, carnibus, oleo, piscibus, pecunia, seu rebus aliis quibuscumque consistant, illa eis in terminis consuetis, vel præfixis seu in antea præfigendis integrè soluere non omittant. Quod si Priores, Præpositi, Archidiaconi, ac cæteri administratores eiusdem religionis, ea in ipsis terminis, vel saltem infra mensem non soluerint requisiti, quantum ascendit quarta pars illius debiti, vltra ipsum debitum nomine pœnæ soluere teneantur. Et si infra alium mensem immediate sequentem non soluerint, tam pœnam quàm (etiam ipsum debitum principale, eo ipso sint, donec de prædictis fuerit integraliter satisfactum) à temporalium administratione suspensi, & Prælatus durante suspensione prædicta, ministret per alium temporalia beneficia illius qui suspensionem incurrerit supradictam, & satisfaciat de prædictis. Antistites verò si post lapsum terminum requisiti infra duorum mensium spatium, à die requisitionis huiusmodi computandum, satisfacere contempserint, pœnam tertiæ partis debiti incurrant irremissibiliter eo ipso, Abbates autem, & alij Prælati religionis eiusdem, si post requisitionem consimilem infra mensem satisfacere contempserint, incurrant pœnam consimilem ipso facto. Et si Abbates, & alij Prælati huiusmodi, per alium mensem sequentem soluere non curauerint, à stallo chori, & loco Capituli deputatis eisdem, sint ipso facto, & tandiu remaneant suspensi, donec integraliter de debito, & pœna satisfecerint memoratis, nulla remissione profutura eisdem. In prædictis tamen casibus de principali debito satisfacto Antistites, Abbates, & alij Prælati libere, inferiores vero de suorum licentia Prælatorum, remittere valeant pœnas præfatas ab aliis quam à præfatis Antistitibus, Abbatibus, & Prælatis sibi debitas pro prædictis. Institutionibus regularibus inhærentes, statuimus, vt Canonici in Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis siue locis aliis Collegiatis, seu Conuentualibus d. religionis constituti, consuetudine seu vsu (quinimo abusu) contrario non obstante in refectorio comedant in communi, nisi in casibus in quibus & prout eisdem licitum est, seu permissum extra refectorium comedere, secundum regularia & Canonica instituta, prouiso quod illi quibus incumbit onus prouidendi de victu Canonicis eisdem prouideant sufficienter & decenter, non in pecunia, sed in victualibus, prout cuilibet opus erit: de qua sufficientia & decentia victualium, tractetur, & si expedierit ordinetur in Capitulo annali. Decernentes, quod si qui redditus, vel pensiones alicui ex Canonicis singulariter hactenus pro victualibus fuerint assignati, nullatenus dimittantur eidem. Nos enim assignationes huiusmodi reuocamus, & pro reuocatis haberi volumus, & eas fieri deinceps prohibemus. Illi quoque quibus incumbit onus de vestimentis, calceamentis, & aliis corporis indumentis necessariis dictis Canonicis prouidendi, eisdem prouideant sufficienter & decenter, & tempore congruo iuxta suppetentiam facultatum, & conditionem seu qualitatem regionis: & illud quod dandum erit singulis pro vestimentis, & aliis prædictis, ordinent & taxent si opus fuerit in annali Capitulo memorato. Ad hæc subiungimus, quod illi qui prædicta administrare tenentur, ad ea omni excusatione cessante vt præmittitur ministranda per Superiores suos, aut in defectum eorum, per Visitatores vel Præsidentes in Capitulo prouinciali deputatos, & eorum quemlibet compellantur. Nec audiantur, si dicant priuilegium, statutum, ordinationem, vel consuetudinem contraria se habere, aut pro suis personis, eorumque statu personarum, & officiorum decentia sustentandis, se asserant indigere, nulla quoque super hoc appellatio, nullave supplicatio eis prosit. Et si tertio moniti per aliqua dierum competentia interualla monentis arbitrio relinquenda, præmissis efficaciter parere contempserint, remoueantur à suis administrationibus vel officiis, ipsaque aliis personis idoneis prædicta complere valentibus committantur. Abbates vero, Præpositi, Priores ac cæteri, etiam Apostolicæ Sedis Notarij non habentes Superiores religionis eiusdem, vel habentes, si præsint Collegiis seu Conuentibus, qui de prædictis prouidere teneantur, non habentes quidem Superiores, à Præsidentibus ac Visitatoribus, & eorum quolibet, cæteri vero tam ab eisdem, quam etiam à dictis suis Superioribus per censuram Ecclesiasticam aliisque remediis ad hoc congruentibus ad id omnino cogantur, eisdem Superioribus nisi suos subditos; necnon dictis Præsidentibus ac Visitatoribus, nisi Abbates, Priores, & alios supradictos efficaciter ad præmissa compulerint, in Capitulis prouincialibus grauiter arguendis, & taliter corrigendis, quod cedat cæteris in exemplum. Cæterum si redditus, & prouentus dignitatum, officiorum, seu administrationum quibus onus prædictum incumbit, aut dicta victualia, vestimenta, seu alia pro victu seu vestitu necessario Canonicis ministrando non suffecerint, possit Prælatus in suo annali Capitulo, cum consilio & assensu eiusdem Capituli, vel maioris partis ipsius, auctoritate Apostolica Prioratibus, administrationibus, & aliis beneficiis per Canonicos dictæ religionis solitis gubernari quibus eorum supportatis oneribus ad hoc suffecerint facultates (vocatis tamen ac hoc Prioribus, vel administratoribus, & aliis beneficiatis, qui eisdem præfuerint) pensiones perpetuas imponere, pro sufficienti supplemento defectus victualium, & vestimentorum, & aliorum necessariorum, pro habitu corporis dumtaxat, quas quidem pensiones ex tunc, tam illi qui eisdem Prioratibus, administrationibus & beneficiis aliis, tempore huiusmodi impositionis præfuerint, quàm successores eorum soluere teneantur.

§. 48. Vt salutis Auctori purius seruiatur, statuimus quod vniuersi Canonici religionis præfatæ, ab esu carnium diebus ..... Sabbati, & per totum Aduentum Domini studeant abstinere, non obstantibus statutis, vel contrariis quibuscumque. Super abstinentia verò ab esu huiusmodi carnium in quarta feria, & Septuagesima, Prælati seu alij ad quos spectauerit, consuetudines & statuta, antiqua & noua, honesta, & rationabilia suorum locorum seruent, & faciant obseruari. Illis tamen qui ad maiorem abstinentiam sunt adstricti, per hoc esum carnium non intendimus indulgere.

Esus carnium quando prohibitus.

§. 49. Rursus præcipimus, quod Canonici religionis eiusdem residentes in claustris; omnes simul, vel si multitudo eorum non sinit, saltem quanto plures ex ipsis commodè poterunt, in vno loco dormiant & quiescant, iuxta regularia instituta Canonica, non habentes separatas cameras siue cellas, exceptis iis qui propter senectutem, vel valetudines corporales, aut propter administrationes seu officia quæ gesserint, vel ex aliis causis iuxta dispositionem sui Superioris rationabiliter excusantur, Statuimus etiam quod in dormitoriis cellas non habentibus, cellæ de cætero nullæ fiant. Permittimus tamen, quod in eis vbi sunt cellæ iam factæ, remaneant; sed à parte anteriori debeant aperiri, ita quod à transeuntibus, hi qui intra fuerint conspici valeant & videri, & quod per Prælatos locorum infra sex menses à tempore quo præsentes constitutiones fuerint publicatæ, vel ipsis negligentibus, seu non valentibus, per Visitatores in prouincialibus Capitulis deputatos, in prima Visitatione quam impenderint, omnes tales cellæ ab anteriori parte debeant aperiri; & si super hoc fuerint aliqui resistentes, vel impedimentum præstantes, seu præstari procurantes, vel ad id dantes auxilium, consilium, vel fauorem, publicè

Accubitus fiat in dormitoriis, &c.

blicè vel occultè, vel huiusmodi cellas de nouo facere præsumentes, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, quos etiam ipsi Prælati, & Visitatores præfati, per alia iuris, & ipsius religionis remedia, valeant super his auctoritate Apostolica coërcere. Ab huiusmodi autem excommunicatione si ipsam incurrerint possint absolui per Visitatores præfatos, vel per Prælatos immediatos eorum, & cum eis super irregularitate, si quam forsan contraxerint, per simplicitatem & iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clauium) celebrando diuina, vel se ingerendo eisdem, per eosdem valeant dispensari.

Priuilegia & mobilia non transferenda.

§. 50. Religionis eiusdem consulere commodis, & præcauere dispendiis cupientes, statuimus vt si quis Ecclesiæ Cathedrali, Monasterio, Prioratui, Præposituræ, seu administrationi cuius dictæ religionis Præsidens aut simplex Canonicus, seu conuersus religionis eiusdem priuilegia, literas, vel instrumenta concessa, seu confecta super libertatibus, possessionibus, rebus, seu iuribus eorundem, aut vasa aurea, seu argentea diuino cultui dedicata, necnon reliquias, ornamenta Ecclesiastica, libros aut res alias notabiles vel pretiosas ipsorum, extra Ecclesiam Monasterium, Prioratum, seu administrationem huiusmodi, in damnum ipsorum, apud suos consanguineos vel propinquos, seu quoscumque alios fraudulenter transportare, seu tenere præsumpserit (nisi infra duorum mensium spatium, prout possibile fuerit ei, ad loca ipsa reduxerit, vel eadem loca, seu administrationes infra idem spatium indemnia reddiderit) ex tunc possidens ipsa, tamdiu donec præmissa, vt præfertur, emendauerit, ab administratione temporalium sit suspensus, simplex vero Canonicus, vel conuersus, ad beneficia seu officia quælibet religionis ipsius obtinenda, sit eo ipso tamdiu inhabilis quousque per immediatum Superiorem ipsius, satisfactione præmissa, cum eis fuerit misericorditer dispensatum. Et si Præsidenti eiusdem, qui tamen Antistes non fuerit, culpa extiterit manifesta per Præsidentes in prouinciali Capitulo, seu Visitatores per idem Capitulum deputatos pœnæ grauiori subdantur.

Missarum celebratio iniungitur.

§. 51. Hortamur Præpositos, Priores, & Administratores, singulosque Canonicos dictæ religionis in sacerdotio constitutos, in Ecclesiis, Monasteriis, & aliis eorum locis Conuentualibus residentes, vt (si non frequentius) saltem bis in septimana, residentes autem in Prioratibus, vel aliis locis in Conuentualibus, saltem semel in hebdomada, in Scholis verò vel alibi commorantes, infra quindecim dies saltem semel, salua honestate, & debita deuotione Missas studeant celebrare.

Et Eucharistiæ susceptio.

§. 52. Alij vero Canonici non sacerdotes vbilibet constituti, in qualibet quindena saltem semel confiteantur, & quolibet mense reuerenter suscipiant Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de Proprij Confessoris consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione eorum aliquis duxerit abstinendum. Per hoc autem, statutis, consuetudinibus, ordinationibus, seu obseruantiis Ecclesiarum, Monasteriorum, seu locorum prædictorum, quibus frequentius pro certis diebus confiteri, communicare, vel celebrare debeant, vel sæpius celebrando locorum onera supportare, in aliquo non intendimus derogare: adiicientes quod Abbates, Præpositi, seu Priores cęteri locis Conuentualibus Præsidentes, die qualibet, rationabili causa cessante, Missam celebrent, vel audiant, & nihilominus in solemnibus festis, in suis Monasteriis siue locis Missas solemnes studeant celebrare.

Diuinorum officiorum recitatio.

§. 53. Hortamur etiam quod in Ecclesiis, Monasteriis, siue locis aliis Conuentualibus, cum modestia, humiliter, & deuotè, Horis nocturnis & diurnis, ad diuina officia vniuersi & singuli Canonici studeant conuenire; ipsaque non transcurrendo, aut syncopando, sed tractim & distinctè, psallant & celebrent, ac deuotè. Sane in Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, & locis aliis Conuentualibus religionis eiusdem, Missa maior per Canonicum celebretur. Et si inibi, magnus & adhoc sufficiens fuerit Canonicorum numerus, in officiis Diaconatus, & Subdiaconatus ministrent huiusmodi celebranti, & qui hebdomadarius fuerit Missæ maioris, cessante impedimento legitimo, horas Canonicas incipiat, & collectas orationes dicat. Transgressores verò præmissorum debitæ subiaceant disciplinæ.

Reliquiarum &c. conseruatio.

§. 54. Denique solliciti sint Antistites, Abbates, Præpositi, Priores, Sacristæ, & administratores alij religionis præfatæ quocumque nomine censeantur, quibus incumbit Ecclesias, Oratoria, Altaria, reliquias, vasa, corporalia vestimenta, & alia ornamenta Ecclesiastica, munda, & nitida conseruare, & facere ab aliis conseruari, de breuiariis quoque, missalibus, aliisque libris, & vestimentis, ac ornamentis quibuslibet necessariis, iuxta facultates, & exigentiam locorum suorum, Ecclesiis, & locis eisdem omnino prouideant, seu faciant prouideri: quod si præmissa pro posse adimplere neglexerint, ad ea complenda competentibus remediis compellantur, & si opus fuerit pars prouentuum beneficiorum eorum per Superiores recipiatur eosdem, & in prædictorum prouisionem per aliquem idoneum conuertatur.

Fori vsus damnandus.

§. 55. In fauorem religionis præfatæ prohibemus, ne Antistites, & alij Ecclesiastici Iudices, trahant professores religionis eiusdem in causis criminalibus ad eorum consistorium, seu iudiciale tribunal, vbi causæ communiter audiuntur, sed alibi audiant dictas causas, nisi fortè criminis manifesti enormitas aliud suaserit faciendum.

Venati[illegible] qui.

§. 56. Porro à venationibus, & aucupationibus Canonici dictæ religionis abstineant, nec eis interesse, aut canes ad opus venandi, vel aues venaticas per se, vel alios tenere præsumant, nec à familiaribus secum morantibus teneri permittant; nisi saltem, viuaria, vel garenas propria, vel ius venandi in alienis haberent, quo casu hoc eis permittitur, dum tamen infra Monasterium seu domos quas inhabitant, aut eorum clausuras, venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem. Si qui vero eorum venationi, aut aucupationi clamosæ, vel alias, cum canibus, vel auibus ex proposito interfuerint, siquidem Abbas fuerit, vel Prior seu Præpositus aut Apostolicæ Sedis Notarius quicumque non habens superiorem eiusdem religionis, per annum se nouerit à beneficiorum collatione suspensum, quo casu ius collationis huiusmodi, eo modo quo sibi competebat, ad Priorem claustralem, cum consilio & assensu Conuentus, vel maioris partis ipsius durante suspensione huiusmodi deuoluatur. Si verò alius fuerit, ab administratione quam obtinet, sit per annum suspensus: quod si nullam administrationem habet, eo ipso per annum reddatur inhabilis ad administrationem, seu aliud Ecclesiasticum beneficium obtinendum.

Armorum retentio prohibetur.

§. 57. Dicti quoque Canonici, infra septa suarum Ecclesiarum seu Monasteriorum, arma nullatenus teneant sine suorum licentia Prælatorum. Tenentes verò absque dicta licentia, per Superiorem suum taliter puniantur, quod ipsorum pœna cedat aliis in exemplum. Super inhabilitate tamen & suspensione prædictis, Præsidentes & eorum quilibet cum Prælatis, & Prælati cum eorum subditis possint, si eis expediens visum fuerit dispensare, & iniuncta transgressoribus pœnitentia salutari.

Accusationes quæ recipiendæ.

§. 58. Quia nonnulli Canonici dictæ religionis contra Prælatos, vel Superiores suos frequenter multa proponunt, non vt omnia per eos proposita probent, quia nec facere possent, sed vt infament, omnibus, & probatis forsan illorum aliquibus, finem consequantur optatum, districtius inhibemus, ne quiuis Canonicus religionis eiusdem contra suum Prælatum vel Superiorem, super crimine vel criminibus deinceps quomodolibet admittatur; nisi prius se obligauerit ad pœnam congruam, si in probatione propositorum, vel alicuius ipsorum defecerit, per eum irremissibiliter subeundam.

Reparatio locorum præcipitur.

§. 59. Si aliqua Ecclesia Cathedralis, Monasterium, seu alius locus religionis eiusdem, in religione vel regulari obseruantia adeo sint collapsa, quod per Antistitem, Abbatem vel alium prælatum, seu administratorem, vel Canonicos proprios verisimiliter nequeant reparari, statuimus quod per Præsidentes prouinciales, & quemlibet eorundem, ad requisitionem seu relationem Visitatorum; pro vt eidem Capitulo super hoc consulendo videbitur expedire, vel sine consultatione huiusmodi, si ex dilatatione consulendi dictum Capitulum periculum immineret, Auctoritate Apostolica de alia Ecclesia, Monasterio

sterio seu loco; in qua seu quo eiusdem religionis noscitur obseruantia resiorere, Canonici assumantur idonei, & ad dictam Ecclesiam. Monasterium siue locum collapsam seu collapsum mittantur, vt ibidem quandiu expediens fuerit morentur, per quos Ecclesia, Monasterium seu locus huiusmodi reparetur. Illi verò Canonici, ob quorum culpam eiusdem Ecclesiæ, Monasterij, siue loci huiusmodi lapsus seu deformatio noscitur contigisse, in Ecclesia seu monasterio vel loco de qua vel quo assumpti fuerint ij, qui ad Ecclesiam vel Monasterium seu locum collapsam seu collapsum, vt præmittitur transmittentur, vel in loco alio in quo eadem religio vigeat, per Præsidentes eosdem & eorum quemlibet, provt expediens fuerit, auctoritate Apostolica collocentur, vbi eorum mores valeant reformari, districtius inhibentes ne monasteria seu alia loca Collegiata, seu Conuentualia religionis eiusdem, Ecclesiis, Monasteriis seu locis religiosorum quorumcumque alterius habitus vniantur, vel etiam submittantur, sine licentia Sedis Apostolicæ speciali, si secus actum fuerit, decernentes irritum & inane.

Proprietarij damnantur. §. 60. Licet contra religiosos proprietarios sit prouisum per Canonicas sanctiones, tamen specialius prouidere volentes contra illos Canonicos & conuersos dictæ religionis, qui suæ salutis obliti, contra regulares & Canonicas institutiones pecuniam congregant, intra, possessiones, redditus, seu census annuos, & alia bona emunt, seu emi faciunt, aliquando proprio, & sæpe nomine alieno, multis super iis figmentis adhibitis, aliisque tradunt animalia nutrienda, & cum augmento vel lucro, sibi vel alteri reddenda eorum nomine, seu pro ipsis; & alios multos contractus diuersimode tanquam negotiatores exercent, necnon appetentes & sectantes lucra turpia, peculium occultant, & illicitè detinent in suarum periculum animarum. Decernimus omnia præmissa (quæ tamen restitutioni non subiaceant aliorum) nedum post obitum, sed etiam in vita ipsorum Canonicorum & conuersorum, fore administrationi, ad quam pertinuerint applicanda, quacumque consuetudine contraria non obstante, quodque nulli Canonico vel conuerso talia faciendi licentia à quoquam valeat indulgeri, & quod præfati Canonici & conuersi prædicta committentes, & quæcumque religionis eiusdem supradicta retinentes, aut sibi ipsis appropriantes, vel applicationi huiusmodi resistentes, vel impedimentum publicè vel occultè eidem præstantes, seu præstari procurantes, vel dictum peculium habentes & non reuelantes Prælatis propriis, si per eosdem Prælatos specialiter & nominatim moniti, infra mensem post monitionem huiusmodi immediatè sequentem, à prædictis non destiterint, vel peculium non reuelauerint, & restituerint si restituendi facultatem habuerint, sint eo ipso inhabiles ad Prioratus officium, administrationes & beneficia quælibet in religione huiusmodi obtinenda. Concedimus tamen quod cum talibus Canonicis seu conuersis, Antistites, Abbates Præpositi & alij Prælaticorum immediati, possint super inhabilitate huiusmodi dispensare, quando eis videbitur expedire; dummodo à prædictis destiterint, & peculium & alia supradicta reuelauerint & restituerint, vt præfertur. Teneantur insuper Prælati & Superiores præfati, in suis annalibus Capitulis monere generaliter annuatim omnes proprietarios, vt ab omnibus supradictis desistant excessibus, & peculium si quod habent reuelent & restituere non postponant.

Conspiratio- nesque. §. 61. Quum ex conspirationis & coniurationis crimine (si fortè transeat impunitum) multa mala & scandala possint exoriri, statuimus quod cõspiratores, si qui religionis eiusdem de crimine huiusmodi legitimè conuicti fuerint vel confessi, præter alias pœnas talibus à iure vel aliquo quouis modo inflictas eo ipso beneficiis & administrationibus quibuslibet quæ obtinuerint, sint priuati. Si vero beneficiati non fuerint, eo ipso reddantur inhabiles ad quæuis beneficia, seu administrationes Ecclesiastica quomodolibet obtinenda. Contra conspiratores autem & coniuratores occultos quorum notitia non habetur, per Superiorem aut Visitatores, etiam pœnæ aliæ, provt expedire videbitur, generaliter statuantur. Si verò aliquis de prædictis ad cor reductus, illi vel illis qui tanguntur, ex eis, ipsas patefecerint tali tempore, quod possint huiusmodi factionibus obuiare, dignus absolutione & venia habeatur.

§. 62. Ne Canonici religionis præfatæ vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, statuimus vt Præsidentes prouincialibus Capitulis, necnon Abbates, Præpositi, Priores & alij ad quod id pertinuerit, fugitiuos & eiectos de Ordine suo, requiri in sollicitè annuatim, qui si in Ecclesiis, seu Monasteriis suis recipi poterunt, secundum Ordinem regularem recipiantur, salua Ordinis disciplina: quod si disciplinati incorrigibiles apparuerint, auctoritate nostra prouideant Præsidentes & alij prædicti, vt apud easdem Ecclesias seu Monasteria, in locis competentibus à communi fratrum consortio segregati, ponantur ad agendum pœnitentiam ibique vitæ necessaria ministrentur eisdem, nec pateat aliis fratribus, aut cuiquam alteri accessus ad eos, nisi prius à Superiore petita licentia super hoc & obtenta. Si verò huiusmodi fugitiuos vel eiectos, inobedientes inuenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos pronuntiari publicè donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur. Insuper statuimus, quod Prælati & alij ad quos pertinuerit in ipsa religione correctiones facere regulares, quoties & quando pro grauioribus culpis debebunt pœnitentias iniungere, hoc faciant cum aliquorum proborum consilio, & tractatu præhabito cum eisdem. *Eiecti & fugitiui puniantur.*

§. 63. Per præmissa verò iurisdictioni Ordinariorum non intendimus derogare. *Prædicta iurisdictioni Ordinariorũ non præiudicant.*

§. 64. Vt autem statuta huiusmodi, quæ religionis eiusdem salutem sapiunt & profectum, ad cunctorum professorum eiusdem Ordinis notitiam deducantur, ac inuiolabiliter & fideliter obseruentur ab eis, auctoritate Apostolica præsentium tenore præcipimus, quod statuta prædicta in primis prouincialibus Capitulis eorundem, à principio vsque ad finem publicè legantur, & solemniter publicentur, eorumque singulæ copiæ, singulis Ecclesiis, Monasteriis, atque locis religionis eiusdem habentibus Capitula, Collegia seu Conuentus per Præsidentes dictis Capitulis eorum, sigillata singulis tradantur, & etiam assignentur, expensis tamen Capitulorum seu Conuentuum, quibus huiusmodi dandæ fuerint copiæ, conscribenda, quodque in singulis Ecclesiis, Monasteriis atque locis dicti Ordinis, statuta præfata bis in anno legantur; statutis & consuetudinibus dicti Ordinis & priuilegiis quibuscumque, si qua forsan huiusmodi statutis per nos editis obuiarent, omni quoad hoc deinceps robore carituris. Nulli ergo, &c. Si quis, &c. *Iussio illa publicandi in Capitulis.*

Dat. Auenione, Idibus Maij, Pontificatus nostri Anno quinto. *D.P.A.5. die 15. Maij.*

Contra eos, qui loco sui, alios supponũt examini pro consequẽdis beneficiis Ecclesiasticis, seipsosq; pro aliis, dicto examini supponẽtes. VII.

Quoad secundam partem vide ampliorem dispositionem Pauli Quarti infra in constit. 12. Inter cætera, vbi notabo.

BENEDICTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1339.*

QVoniam nonnulli, sicut accepimus, honestati nequitiam, & morum saluti, temporalia commoda præferentes, ad subeundũ examen, quod hi qui ad Ecclesiastica beneficia ex prouisionis nostræ gratia fuerint promouendi, in literatura examen subire tenentur, se minus idoneos sentientes, ad illud supponunt alios loco sui, qui se dictorum minus idoneorum habere nomina & cognomina, & esse de Ciuitate seu Diœcesi eorundem, mendaciter confingentes, examen subeunt pro eisdem, sicque præfati minus idonei, nullum subeuntes examen, per fraudem huiusmodi, beneficia Ecclesiastica consequuntur. *Causa huius prohibitionis.*

§. 1. Nos volentes huiusmodi fraudi pœnis debitis percellendæ salubriter obuiare, omnes huiusmodi, qui alios supponunt examini loco sui; necnon eos qui aliorum *Prohibitio de qua in rub.*


rum mentitis nominibus huiusmodi examen subeunt pro eisdem, excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere, ac literas nostras per huiusmodi fraudem obtentas, & in posterum obtinendas, omnesque processus ipsarum prætextu habitos vel habendos, fore cassos, vacuos, irritos & inanes & nullius penitus existere firmitatis. Prædicti insuper, qui sibi falsa nomina imponentes, pro aliis examen subeunt, vt præfertur, omnibus beneficiis Ecclesiasticis si qua habent, sint eo ipso priuati. Si verò nulla beneficia Ecclesiastica obtineant, eo ipso efficiantur inhabiles ad beneficia Ecclesiastica.

D.P.A. 5. die 9. Decemb.

Nulli ergo, &c.

Datum Auenione 19. Decembris, Pontificatus nostri Anno 5.

CLEMENS SEXTVS PONT. CC.
ANNO DOMINI MCCCXLII.



CLemens VI. Frater Petrus Rogerij Monstrius de Malmonte antea dictus, Lemouicensis Diœcesis, Gallus, Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei tituli Fasciolæ, Creatus Auenione Nonis Maij, anno 1342. Coronatus 14. Kalend. Iulij eodem anno. Vixit annos 10. menses 7. creauit Cardinales 27. Obiit Auenione, in Vrbe, & Comitatu Venaysini 8. Idûs Decemb. anno 1352. sepultus in Cathedrali Auenionensi, & inde translatus ad Monasterium Casæ Dei, vbi Abbas fuerat. Vacauit sedes dies vndecim.

I. Facultas Abbatis Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, retinendi & acquirendi noua loca & Monasteria, ibique Ecclesiastica sacramenta ministrandi.

Hanc Congregationem primo approbauit Ioannes XXII. vt in sua const. 15. Cum à nobis hic sup. Huius facultatis declarationem attende inf. in Clem. VIII. const. 99. Quoniam. Et exemptionis ab impositionibus priuilegiũ vide inf. in Pij II. cõst. 9. Licet & Iul. II. const. 12. Etsi ad. & Pij V. const. 41. Etsi mendicantiũ Conseruatores dedit Iulius II. in const. 5. Militanti Facultatem alienandi concessit idem Iulius II. in const. 11. Ex iniuncto. Et Prælatorum facultatem absoluendi & dispẽsandi Monachos tribuit Pius IV. in cõst. 7. Votis.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij S. Mariæ de Monte Oliueti in Accona, Ordinis S. Benedicti, Aretinæ Diœcesis, Salutem & Apost. ben.

Edita Anno 1344.



SOLLICITVDINIS Pastoralis officium, quod super omnes Orbis Ecclesias, & Monasteria, dispositione diuina, licet immeriti, gerimus, pulsat & excitat mentem nostram, vt cunctorum fidelium, & præsertim regularium personarum, quæ mundanis relegatis illecebris, sub arctioris vitæ obseruantia se perpetuo diuinis obsequiis emanciparunt, commodis intendamus, ac in iis quæ diuini cultus, animarum salutẽ, & religionis augmẽtũ concernũt, eos Apostolici fauoris præsidio foueamus.

Exordium.

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper vestra petitio continebat, quod nonnulli Christi fideles, gerentes ad vestrũ Monasterium specialis deuotionis affectum, ac cupientes vt Monasterium ipsum ad diuini laudem nominis amplietur, pro animarum ipsorum salute, nonnullas domos, terras, possessiones, loca, & alia bona ad eos spectantia, vobis, ac vestro Monasterio liberalitate prouida donauerũt, & ea intentione contulerunt, vt in eisdem domibus, terris, possessionibus, & locis, Prioratus, & Oratoria cum officinis necessariis ad opus personarum dicti Monasterij construantur, & de nouo fundentur; ipsaque constructa, & fundata, dicto vestro Monasterio tãquam membra capiti sint subiecta, & in eis sic constructis, & fundatis, instituantur, ponantur, & deputentur Priores, Monachi, & Conuersi, ac familiares, per te fili Abbas, & successores tuos Abbates, qui erunt pro tempore Monasterij supradicti, quodque quamplurimi alij Christi fideles, similes donationes, & concessiones vobis libenter facerent, ad similes vsus, vt creditis, si vos super his à Sede Apostolica haberetis auctoritatem, licentiam, & etiam facultatem. Quare nobis humiliter supplicastis, vt vos in hac parte, prærogatiua Sedis Apostolicæ gratia prosequendæ consuetæ ipsius clementia dignaremur.

Petitio Abbatis.

§. 2. Nos igitur qui sumus almifici Confessoris Benedicti Ordinis professores, cupientes Ordinem ipsum, ad Dei laudem, & gloriam, ipsiusque Cõfessoris memoriam celebrem dilatari, ac cultum augeri diuini nominis, & animarum salutem etiam procurari, & propterea huiusmodi pia desideria deuotorum volentes fauoribus Apostolicis confouere, vestris supplicationibus inclinati, recipiendi huiusmodi domos, terras, possessiones, loca, & omnia bona prædicta vobis iam concessa, & donata, & ea etiam quæ in posterum vobis donabuntur, & concedentur ad vsus prædictos, & in eisdem domibus, terris, possessionibus, locis donatis, & concessis, ac donandis, & concedendis, prout domorum, terrarum, possessionum, locorũ huiusmodi magnitudo, seu quantitas, & eorum etiam facultates exposcent, Prioratus vestri Ordinis, & Oratoria cum officinis necessariis construere, & fundare in partibus duntaxat Italiæ, ac in eis, Priores, Monachos, Conuersos, & familiares iuxta dictarum facultatem exigentiam instruere, qui secundum eiusdem B. Benedicti Regulam, & instituta dicti vestri Monasterij, deuotum impendant perpetuò Altissimo famulatum. Et quod eisdem Prioribus, Monachis, & Conuersis liceat in eisdem Prioratibus, & Oratoriis habere altaria, campanilia, cum campanis, cæmeteria pro sepultura personarum in illis degentium, ac in Oratoriis ipsis Missas, & alia diuina officia celebrare. Quodque Prior cuiuslibet loci sic construẽdi, possit Monachorum, & Conuersorum prioratus, seu loci sui, confessiones audire, ipsosq; absoluere, ac eis pro cõmissis pœnitentiã iniungere salutarẽ, dummodo talia non fuerint, propter quæ foret Sedes Apostolica merito consulenda.

Facultas à Papa concessa retinendi & acquirendi; alia bona, & monasteria.

Ad quod attende cõst. 99. Clem. VIII. Quoniam.

§. 3. Necnon eisdem cuncta sacramenta Ecclesiastica ministrare, & quod in Prioratibus, & Oratoriis ipsis, erectionem, & consecrationem altarium, & cœmeteriorum benedictionem, à quocumque malueritis Catholico Antistite, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente (si prioratuũ, & locorum ipsorum Diœcesani, eas vobis, & ipsis Prioribus, ac Monachis, gratis, & sine prauitate exhibere noluerint) recipere libere valeatis; vobis

Et Ecclesiastica sacramenta ministrandi.

&c

& eisdem Prioribus, & Monachis Prioratuum, & locorum huiusmodi, siue parochialium Ecclesiarum, & cuiuslibet alterius iuris alieni præiudicio, auctoritate Apostolica licentiam, & facultatem liberam, tenore præsentium, de gratia concedimus speciali. Nulli ergo, &c.

D.P. A. 2. die 25. Ian. Dat. Auenione 12. Kal. Februarij, Pont. nostri anno 2.

II. Reformatio Ordinis Fratrum Seruorum Beatæ Mariæ Virginis, circa Prioris generalis, & aliorum Priorum, & Definitorum munera, & electiones, Capitulorumque generalium, & prouincialium celebrationem.

Aliam huius Ordinis Reformationem, edidit Pius V. infra in eius const. 103. Postquam prout aliam & pleniorem statuit Clem. VIII. in sua const. 60. Nullus, vbi videas, qua in apostillis, & in rubrica indicabo.

Edita An. D. 1346. CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. Regimini vniuersalis Ecclesiæ, quanquam immeritis disponente domino præsidentes, curis continuis angimur, & assidua meditatione pulsamur, vt religiosorum quorumlibet status auctore Domino salubriter dirigatur, & ne loca religiosorum eorundem, eorumque personæ propter altercationes quas inter eos interdum suscitari contingit, subeant spiritualiter, & temporaliter detrimenta, sed potius quorumlibet Ordinum professores in tranquillitate mentis, & corporis, deuotum, & gratum, prout ad id se dedicarunt, impendant Domino famulatum, libenter nostræ prouisionis remedium adhibentes.

His reformatio à Bened. XII. capta fuit. §. 1. Dodum siquidem, pro parte quorundam Fratrum Seruorum Sanctæ Mariæ Ordinis Sancti Augustini proposito in consistorio coram felicis recordationis Benedicto Papa XII. prædecessore nostro, quod quidam Petrus de Tuderto Prior generalis Fratrum dictorum Seruorum, in regimine & administratione sua, male, & partialiter se habeat, propter quod status prædictorum fratrum in spiritualibus, & temporalibus reformatione non modica indigebat. Præfatus prædecessor volens de his super quibus eorundem Fratrum status reformandus existeret plenius informari, prædictum Petrum, & nonnullos alios Priores, & Fratres eorundem Seruorum, de quibus visum sibi fuit expedire pro reformatione huiusmodi facienda, ad Sedem Apostolicam fecit personaliter euocari, eisque venientibus ad Sedem antedictam, venerabilibus fratribus nostris Petro Prænestino, & Bertrando Ostiensi Episcopis commisit oraculo viuæ vocis, vt partes ipsas super iis quæ ad reformationem prædictam spectarent, ad concordiam reducerent, & quæcumque super his facerent, eidem prædecessori postea fideliter referre curarent. Coram quibus Petro & Bertrando Episcopis, præfatis Petro generali, & aliis prioribus, ac fratribus, vt præmittitur, euocatis personaliter comparentibus, & exhibentibus nonnulla capitula, secundum quæ statum dictorum Fratrum Seruorum reformatione indigere dicebant, super iis, quæ coram ipsis super reformatione huiusmodi, dicere, & proponere voluerunt, dictoque prædecessore nostro postea, sicut domino placuit, sublato de medio, nobisque diuina fauente clementia ad apicem summi Apostolatus assumptis, & præmissis pro parte dictorum Petri generalis, & aliorum priorum, & fratrum propositis coram nobis.

Et ab isto Pontifice perfecta. §. 2. Nos ad reformationem status dictorum fratrum sollicitis studiis intendentes, præfata capitula cum eisdem Petro, & Bertrando Episcopis examinauimus diligenter. Et tandem nonnulla quæ pro reformatione salubri status dictorum fratrum suadente vtilitate, & necessitate vrgente, expedire cognouimus, statuenda prouidimus, inter, ac per eosdem fratres Seruorum perpetuis futuris temporibus obseruanda.

§. 3. Statuimus igitur quod per eosdem fratres, per quos omni anno celebrare consueuit dictorum fratrum Capitulum generale, ex nunc de triennio in triennium tantum generale Capitulum celebretur, ad quod teneantur venire Prior generalis, qui est, & pro tempore fuerit, & omnes Priores prouinciales, necnon & studiorum generalium Lectores in sacra Theologia legentes, & etiam Priores conuentuales, & discreti prout pro commoditate ipsorum fratrum generale Capitulum de ipsius conuentualibus Prioribus, & personis discretis salubriter duxerit ordinandum. *De Capitulo generali de triennio in triennium celebrando & à quibus.*

§. 4. Præterea statuimus quod in qualibet prouincia eorundem fratrum prouinciale Capitulum anno quolibet celebretur, ad quod veniat Prior prouincialis, & Priores conuentuales, seu locales, Lectores in quacumque facultate legentes, & duo fratres discreti de singulis conuentibus, siue locis illius prouinciæ, electi à maiori parte conuentus, qui duodecim fratres tantum, vel minus habebunt, vnum fratrem discretum duntaxat ad ipsa Capitula prouincialia mittere teneantur. In his autem prouincialibus Capitulis, Prior generalis interesse, vel suum generalem Vicarium ad ea mittere valeat sicut eidem Priori visum fuerit expedire, & eisdem Capitulis assistat idem Prior, vel Vicarius in correctionibus aliis opportunis. In eisdem autem Capitulis prouincialibus eligantur studentes Parisiis quoties fuerit opportunum. *Capitulo prouinciali singulis annis celebrando & à quibus.*

§. 5. Statuimus etiam, quod ex nunc Prior generalis qui erit pro tempore, in quolibet generali Capitulo, de triennio in triennium, vt præmittitur, in posterum celebrando sine requisitione aliqua, primo, & ante omnia, suo officio renuntiare teneatur in manibus Definitorum generalis Capituli, quod si non fecerit priuatus sit eodem officio ipso facto. Postquam verò renuntiauerit, possit pro ipsius meritis, vel demeritis, Definitorum ipsius generalis Capituli arbitrio in eodem generalis Prioris officio dimitti, vel ab eo penitus amoueri, & in locum ipsius alius idoneus per dictum Capitulum subrogari, & in casu quo, vt præmittitur, amoueretur, vel renuntiare contemneret, per ipsum Capitulum alius in priorem generalem, sufficiens, & idoneus eligatur. Eisdem fratribus auctoritate Apostolica de speciali gratia concedentes, quod Priores generales dictorum fratrum qui erunt pro tempore, postquam vt præmissum est, & alias iuxta morem hactenus inter eos obseruatum electi fuerint, & per generale Capitulum approbati, eo ipso veri Priores generales dictorum Fratrum sint effecti, & administrandi licentiam, curamque animarum habeant, ac in omnibus pro ipsorum fratrum Prioribus generalibus perinde habeantur, ac si ab Apostolica Sede confirmationis literas habuissent. *Prior generalis renuntiet in manibus Definitorum Capituli generalis officium suum, & alius eligatur, vel ipse in eodem officio ad aliud triennium dimittatur.*

§. 6. Nullus tamen nisi expresse professus fuerit, & qui inter dictos fratres non steterit ad minus per viginti annos continuos, in Priorem generalem eorundem fratrum eligi valeat, aut assumi. *Prior generalis non eligatur qui in Ordine non steterit spatio an. 20.*

§. 7. Ordinamus insuper, vt amodo singularum prouinciarum prædictarum fratres eligant vnum fratrem prouidum, & maturum in Definitorem pro generali Capitulo, & fiat huiusmodi electio in prouinciali Capitulo, quod immediate præcedet Capitulum generale. Definitores verò pro Capitulis prouincialibus eligantur à fratribus in eisdem Capitulis prouincialibus congregatis. *Definitores generales, & prouinciales quando eligendi.*

§. 8. Statuimus etiam quod fratres cuiuslibet prouinciæ post primum generale Capitulum per ipsus celebrandum quam citius poterunt in aliquo loco eiusdem prouinciæ ad hoc apto, & idoneo, suum celebrent prouinciale Capitulum hac vice congregandum, prout in dicto generali Capitulo fuerit ordinatum, in quo vnum ex dictis fratribus sufficientem & idoneum, in suum prouincialem Priorem eligant, qui sic electus, & constitutus, infrà mensem à tempore electionis, & constitutionis huiusmodi, consentire, & confirmationem à dicto Priori generali, vel eius generali Vicario petere humiliter non omittat, quam quidem electionem, si Canonica fuerit, idē Prior generalis, vel eius generalis Vicarius, quem idem Prior generalis iuxta modum infrascriptum deputare habebit, vltra mensem à die qua petita fuerit, non differat cōfirmare, quod si ex iusta, & rationabili causa idem Prior generalis, seu eius Vicarius munus confirmationis dene- *Prior prouincialis qui & quando eligendus.*

gauerit

gauerit causam, seu causas huiusmodi, suis publicis, & authenticis literis teneatur expedire, & electoribus, qui eum elegerunt intimare, & de alio sufficiente, & idoneo cum consilio conuentus loci, vbi dictus Prior generalis, vel eius generalis Vicarius fuerit vsque ad tunc immediate sequens Capitulum vtiliter prouidere. Circa confirmationes autem electionum Priorum prouincialium in posterum celebrandas, modus prædictus per omnia obseruetur. In primis verò prouincialibus Capitulis dictorum fratrum celebrandis prouide ordinetur de locis temporis, & Definitoribus, necnon & aliis opportunis, pro subsequentibus prouincialibus Capitulis celebrandis.

Prior conuentualis à quibus eligendus & confirmandus.

§. 9. Statuimus insuper quod in quolibet loco conuentuali dictorum fratrum, vbi ad minus duodecim fratres fuerint, ipsi sibi eligant suum Priorem conuentualem, qui infra quindecim dies post suam electionem immediate sequentes confirmationem à Priore suo prouinciali deuote petere debeat, & ipse Prior prouincialis infra alios quindecim dies subsequentes electionem eandem, dum tamen ipsam canonicam repererit, debeat confirmare, vel si ipsam minus canonicam inuenerit, causam, seu causas propter quas eam confirmare omiserit, exprimat, intimet, & vna cum consilio discretorum loci vbi fuerit, prouideat, prout supra proxime de Priore prouinciali extitit ordinatum.

Prioris prouincialis officium triennio expleatur.

§. 10. Volumus quoque quod Priores prouinciales postquam tribus annis continuis in prouincialatus officio præfuerint absoluantur, seu remoueantur penitus ab eodem, prohibentes quod ad idem officium saltem in eadem prouincia quovis modo per alios tres annos immediate sequentes nullatenus assumantur, vel ad idem officium promoueantur.

Definitores Capituli generalis, quod ad idem officium iterato eligi possint.

§. 11. Similiter definitores generalis Capituli non eligantur ad idem definitionis officium, nisi demum elapsis duobus generalibus Capitulis immediate sequentibus, possint tamen alias licite in Definitores prouincialis Capituli eligi pariter & assumi. Definitores etiam prouincialis Capituli ad idem officium, nisi duobus elapsis Capitulis prouincialibus nullatenus assumantur.

Prioris Conuentualis officium anno vel biennio finiatur.

§. 12. Priores etiam conuentuales, anno, vel ad longius biennio in suis Prioratibus habeant præsidere.

Prior generalis & alij, necnon & definitores antequam eorum exequantur officium, iuramentum hic indicatũ præstent.

§. 13. Statuimus etiam quod prior generalis dictorum fratrum, qui erit pro tempore in sui nouitate, & antequam suum exequatur officiũ in præsentia generalis Capituli corporale ad sancta Dei Euangelia præstare debeat iuramentum, quod erit fidelis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domino Papæ, suisque successoribus, & in prouisionibus, promotionibus, confirmationibus, repulsionibus, destitutionibus, & maioribus correptionibus faciendis, sine acceptatione personarum secundum Deum, & rectã suam conscientiam, & Beati Augustini regulam, necnon, & eorundem fratrum statuta, & consuetudines, laudabiliter, & fideliter se habebit, & suum officium exercebit. Priores quoque prouinciales in suorum prouincialium Capitulorum, & Priores conuentuales in suorum conuentualium, necnon & Definitores generalium Capitulorum in ipsorum Capitulorum generalium, & Definitores Capitulorũ prouincialium in ipsorum Capitulorũ prouincialium præsentia iurent, quod in prouisionibus, & cæteris superius expressis quantum ad ipsorum officium pertinuerit, fideliter se habebunt.

Largitionum prohibitio. Tu vide latius in const. 35. Clem. viij.

§. 14. Hortamur insuper, & monemus omnes, & singulos fratres prædictos, vt nullus eorundem munera, seu donaria suis superioribus, per se vel per alium audeat quomodolibet impertiri, ipsique superiores illa recipere non præsumant. Nulli ergo, &c.

D.P.A. 4. die 23. Martij.

Dat. Auenione, 10. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno 4.

III. Prohibitio dandi, vel acquirendi dominium aut iurisdictionem, vel præeminentiam, aut obligationem, super locis & castris patrimonij Sancti Petri, aut quoquo modo ea occupandi.

Hanc prohibitionem innouauit, & strictius disposuit Clemens VIII. in const. 78. Romanam, vbi de similibus materiis notabo. De infeudatione autem Terrarum Sedis Apostolicæ, vide prohibitionem Pij V. in sua constit. 35. Admonet, vbi concordantias indicabo.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita Anno 1346.

Exordium.

ET si solertem adhibere vigilantiam ne quarumlibet Ecclesiarum iura depereant, ex debito nostri officij teneamur; in manutenendis tamen, defendendis, recuperandisque occupatis iuribus Ecclesiæ Romanæ, sponsæ nostræ, quæ disponente Domino caput omnium & magistra, cæteris altiori dignitate præcellens, maioribus est muanda præsidiis, & amplioribus honoribus attollenda esse debemus solliciti, & attenti.

Causa prohibitionis.

§. 1. Ad obuiandum igitur peruersis illorũ conatibus, qui sibi commoda, non se commodis patrimonij B. Petri in Thuscia, quod iuris, & proprietatis eiusdem Ecclesiæ fore, ac eidem immediate, subesse dignoscitur, applicantes temere ciuitates, castra, & villas eiusdem Patrimonij ad eandem Ecclesiam pertinentia, eorumque dominium, superioritatem, aduocationem, capitaneatum, & iurisdictionem, in ipsius Ecclesiæ graue præiudicium, contra constitutiones & ordinationes olim per fel. recor. Vrbanum IIII. & Ioannem XXII. ac diuersos alios Romanos Pontifices prædecessores nostros editas, non verentur diuersis exquisitis coloribus occupare, & sibi in easdem dominium, superioritatem, & præeminentiam vendicare, hac perpetua constitutione sancimus.

Prohibitio de qua in rubrica.

§. 2. Vt nulla ciuitas vel communitas, nullaque singularis persona, cuiuscumque conditionis vel status existat deinceps in aliquibus ciuitatibus, castris, seu villis ipsius patrimonij ad prædictam Romanam Ecclesiam spectantibus, dominium, superioritatem, capitaneatum, aduocationem iurisdictionis, seu aliquam præsidentiam seu præeminentiam prætextu cuiuscumque venditionis, submissionis, recommendationis, concessionis, recognitionis, & obligationis, contractus, vel pacti, aut cuiusuis alterius commercij absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali recipere audeat, vel sibi dominium, præsidentiam, capitaneatum, seu iurisdictionem in prædictis ciuitatibus, castris, seu villis ex quavis occasione, & causa quomodolibet vendicare, quodque ciuitates, & singulares personæ, submissiones, suppositiones & subiectiones quascumque iam in eas factas, & receptas, seu de facto, cum de iure non teneant quomodolibet attentatas dimittere teneantur, nec ciuitates, castra seu loca alia quæ se eis, vt præmittitur, submiserunt vel quomodolibet subiecerunt, virtute submissionis, & suppositionis alicuius, vel cuiusuis contractus titulo, valeant retinere, nullaque vniuersitas seu communitas ciuitatis, castri seu villæ Ecclesiæ Romanæ subiecta, in terris patrimonij constituta, alicui Vniuersitati, seu communitati vel priuatæ personæ, cuiuscumque conditionis aut status existat, se subijcere, submittere, seu supponere valeat, constituendo, recognoscendo, seu profitendo, se subesse alicui Vniuersitati, vel priuatæ personæ, seu ad eosdem super eos, & in ipsis ac dictis ciuitatibus, castris, & villis, aliquam iurisdictionem, dominium, Capitaneatum seu quamvis aliam præeminentiam pertinere.

Contrauenientium pœna.

§. 3. Et si quæ ciuitates, castra, vel loca, iam de facto ad submissionem, & suppositionem aliquibus ciuitatibus vel priuatis personis de se factam venditionis, donationis, vel cuiusuis alterius contractus colore vel titulo processerunt, illa quamuis de iure valeant, quatenus de facto processerunt realiter & effectualiter studeant reuocare, nec illis vnquam vtantur: ne virtute submissionum huiusmodi vel alias, illis quibus quovis titulo vel colore se submiserint, vllatenus obediant, pareant, vel intendant, contrarium non facientes directè, vel indirectè, per se vel alios, tam illi, & eorum singuli, qui in ciuitatibus, castris, aut villis eiusdem patrimonij, vel eorum aliquo, huiusmodi dominium, superioritatem, capitaneatum, aduocationem, iurisdictionem quamcumque, præeminentiam, seu præsidentiam sine licentia Sedis Apostolicæ

ſpeciali recipient in futurum, & qui iam ex quocumque contractu, vel obligatione receperunt, ſeu quavis vſurpatione quomodolibet occupauerunt, niſi ſic recepta, & occupata infra duorum menſium ſpatium poſtquam præſens conſtitutio ad eorum notitiam peruenerit, vel per eos ſteterit, quominus valeat peruenire, dominium ſeu præſidentiam, ſuperioritatem, capitancatum, aduocationem, iuriſdictionem quamcumque ſeu præeminentiam huiuſmodi realiter dimiſerint cum effectu, illa nullo vnquam tempore abſque ipſius Sedis licentia reſumpturi; quam illi, qui ſe ſubmiſerint, ſeu ſubiecerint, vt præfertur ſimili modo cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, ſingulares perſonæ ſententiam excommunicationis incurrant, ac Terræ ipſorum, vbicumque fuerint, Eccleſiaſtico interdicto ſubiaceant ipſo facto. Ciuitates autem, caſtra, & villæ, quæ in antea ſe ſubmiſerint, ſupponent, ſeu ſubiecerint, & quæ ſubmiſſionem, ſuppoſitionem ſeu ſubiectionem huiuſmodi recipient, ſeu quomodolibet occupabunt, ciuitates quoque, caſtra, etiam loca quæcumque, quæ ſe iam quovis colore vel titulo vt præmittitur ſubmiſerunt, & ſubiecerunt ac ciuitates quæ ſubmiſſiones, & ſubiectiones huiuſmodi receperunt, niſi infra prædictum duorum menſium ſpatium, ab omni effectu dictæ ſubmiſſionis, & ſubiectionis realiter deſtiterint ipſis vlterius non vſuri, ſeu contra conſtitutionem, & inhibitionem noſtram venire directe, vel indirecte, per ſe, vel alium ſeu alios attentabunt, Eccleſiaſtico ſubiacere decernimus interdicto. Et nihilominus omnibus indulgentiis, priuilegiis, ac gratiis, necnon feudis, bonis, & honoribus, & iuribus quibuſcumque, quæ ab eadem Romana, & aliis Eccleſiis obtinent, priuamus, & priuatos, & priuata volumus eſſe ipſo facto. Non obſtantibus ſi eis, vel eorum aliquibus, communiter, vel diuiſim, ab eadem ſit ſede indultum, quod excommunicari, ipſorumque Terræ & loca Eccleſiaſtico interdicto ſupponi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de huiuſmodi, ac eorum perſonis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem.

Annullatio omnium huiuſmodi contractuum. §. 4. Nos inſuper omnes ſubmiſſiones, & ſubiectiones, ſuppoſitiones ſuper prædictis factas, & obligationes, pacta, ſeu conuentiones, ſub titulo venditionis, vel cuiuſvis alterius contractus quomodolibet initas, & habitas, & quaſcumque pœnas adiectas, & iuramenta præſtita ſuper illis, ſub quibuſcumque modis, & forma, vel expreſſione verborum (præſertim cum in præiudicium eiuſdem Eccleſiæ redundent, ac iuramentum vinculum iniquitatis eſſe non debeat) decernimus fore nulla, vacua, irrita, & inania, & nullius exiſtere firmitatis, & quatenus ad illa de facto proceſſum extitit, tollimus, & reuocamus omnino, & viribus vacuamus.

Ioann. XXII. prohibitio. § 5. Cæterum cum præfatus Ioannes Papa XXII prædeceſſor noſter, dudum vniuerſis, & ſingulis tam clericis, quam laicis cuiuſcumque ſtatus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſterent, etiamſi Pontificali, vel Imperiali, ſeu Regali, vel quavis alia dignitate fulgerent, ac omnibus Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, ac Poteſtatibus, Capitaneis, & aliis officialibus quibuſcumque, Comitibus, & Populis, Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorũ, & aliorum quorumcũque locorum vbicumque conſiſtentium, & omnibus aliis quibuſcumque, auctoritate Apoſtolica, inhibendum per ſuas literas vim conſtitutionis habentes duxerit, & mandandum, ne per ſe, vel alios, directe, vel indirecte Patrimonij, Romandiolæ, Marchiæ, Anconitanæ, Ducatus Spoletani. Campaniæ, Maritimæque, ac Maſſæ Trebariæ, Prouincias Venaiſini, & Vrbanitus, olim comitatus, ac Vrbinatenſis, & Rauennatenſis ciuitates, & alias terras, ciuitates, caſtra, villas & loca quæcumque ad eandem Romanam Eccleſiam pertinentes, vel ipſorum aut alicuius eorum partem occupare, inuadere, aut turbare, ſeu fidelibus eorundem iniurias, damna, ſeu violentias irrogare, aut occupantibus, inuadentibus, turbantibus, vel iniurias, damna, ſeu violentias irrogantibus, publice, vel occulte aſſiſtere, aut auxilium, conſilium, vel fauorem, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, per ſe, vel per aliũ, ſeu alios præſtare præſumerent quoquo modo, in omnes & ſingulos, contra inhibitionem, & mandatum huiuſmodi venire, aut attentare, per ſe, vel per alios præſumentes, tam clericos, quam laicos, etiamſi vt prædicitur Pontificali aut Imperiali, ſeu Regali, vel alia quavis dignitate fulgerent, de fratrum ſuorum conſilio, excommunicationis, quam eo ipſo incurrerent ſententiam promulgauit, ipſorumque terras necnon quaſlibet vniuerſitates, communitates, & populos ipſorum ciuitates, terras, caſtra, villas, & loca in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum culpabiles, Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, & eos, ac ipſorum quemlibet omnibus priuilegiis, indulgentiis, gratiis & immunitatibus, realibus, & perſonalibus, ab eadem Eccleſia, & Imperio Romano conceſſis eiſdem, omnium etiam feudorum, bonorum, honorum, officiorum, iurium, & iuriſdictionum, quæ ab Eccleſia, & Imperio prædictis obtinerent, de ipſorum fratrum conſilio, auctoritate priuauerit ſupradicta, ipſos ad illa, & ſimilia, & quælibet alia eorumque filios, & nepotes ad quælibet beneficia Eccleſiaſtica, dignitates, perſonatus, & officia, cum cura, vel ſine cura, quovis nomine cenſeantur, auctoritate qualibet obtinenda vſque ad tertiam generationem excluſiue reddendo inhabiles, & indignos.

§. 6. Nos per præmiſſa, vel quæcumque alia, inhibitioni, mandato, pœnis, & ſententiis per ipſum prædeceſſorem factis & promulgatis, vt ſuperius eſt expreſſum, aliiſque contentis in literis ſupradictis, non intendimus in aliquo derogare, ſed inhibitionem, mandatum, pœnas & ſententias, & alia ſupradicta per præſentem conſtitutionem noſtram roboramus, & in ſui vigoris efficacia volumus & decernimus permanere. *Confirmatio huius Pontificis.*

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ priuationis, admonitionis, reuocationis, roborationis, voluntatum, & conſtitutionum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. *Sanctio pœnalis.*

Datum Auenione 19. Kalendas Auguſt. Pont. Noſtri anno V. *D. P. A. 5. die 21 Iul.*

De Canonizatione Sancti Iuonis Presbyteri Trecorenſis Galli, eiuſque feſtiuitatis celebratione, ſub die nono decimo Menſis Maij. IV.

CLEMENS PAPA VI. Chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Franciæ Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. *Edita An. D. 1347.*

AD ſpiritualis gaudij, & conſolationis augmentum patefieri Regali Excellentiæ volumus per præſentes, quod nos ſuper negotio canonizationis almi confeſſoris Domini Ieſu Chriſti, Iuonis videlicet quondam Presbyteri diœceſis Trecorenſis, pro qua tua ſublimitas inſtanter hactenus nos rogauit, in nomine Domini procedentes, die ſexta decima præſentis menſis Iunij examinatione diutina, prolixa prouidentia, & matura ſicut exigit tanti negotij arduitas, præcedente, præfatum Sanctum qui vitam ſanctam piis exuberantem operibus, caſtigando, & in ſeruitutem redigendo carnem ſuam, ſpiritum non ſine multis, & magnis auſteritatibus geſſiſſe pœnitentialibus dum in humanis ageret, multorumque coruſcatione miraculorum, tam in via, quam poſt felicem ipſius tranſitum claruiſſe, manifeſtis probationibus fuit repertus, præſente fidelis cleri, & populi multitudine copioſa, obſeruataque ſolemnitate, quæ conſueuit in talibus obſeruari, ad laudem, & gloriam diuini nominis, ac conſolationem fidelium, & maxime Regni tui, de quo traxiſſe noſcitur originem, & eiuſdem Regni exaltationem honoris, de conſilio Fratrum noſtrorum canonizauimus, & Sanctorum Catalogo adſcribendum mandauimus, & vt Sanctum deinceps à fidelibus venerari. *Rege Franciæ poſtulante hic Pont. Iuonem Presbyterum SS. Confeſſorum numero adiunxit.*

§. 1. Peſtum

Eiusque festum die 9. Maij celebrari iussit.

§. 1. Festum ipsius die decima nona mensis Maij, quo eius anima mole carnis exuta, cælos petens, cum scala gloriæ cælitibus ciuibus est coniuncta, statuentes à fidelibus annis singulis celebrandum.

Ad ipsum Populus Galliæ recurrens multa obtinuit.

§. 2. Ad ipsum quidem Sanctum, ingentem deuotionem gerit partium istarum populus, & iam multi ad ipsius suffragia deuotis orationibus, & emissis votis in humilitate super suis iustis petitionibus reportarunt, & remedia super suis iustis petitionibus reportarunt, & reportare non desinunt incessanter.

Et ad eundem Rex Francorum vti eius intercessorem recurrere potest.

§. 3. Ex his nempe tibi fili charissime adaugeri debet proculdubio magnæ spiritualis lætitiæ incrementum, & inde teneris Deo assorgere, ad gratiarũ deuotas, & humiles actiones, qui tibi talem de Regno tuo, in quo etiam corpus quiescit, eiusdem patronũ, & intercessorem in sua curia cœlesti concessit, ad quem super tuis necessitatibus, vt diuinam tibi propitiationem apud Regem æternum, qui omnia palmo concludit, obtineas, recurrere poteris, sicut credimus confidenter.

Dat. P. An. 6. die 21. Iun.

Dat. Auenione 11. Kal. Iulij Pont. nostri Anno 6.

V. **De cibo, & potu, ac numero eorum seruientium, quibus vti possunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales existentes in Conclaui pro electione Summi Pontificis.**

De materia eiusmodi Conclauis, vide infra in const. 63. Pij IV. In eligendis, vbi notabo.

De electione verò Romani Pontificis, & de omnibus ad illam operantibus plenissimam edidit const. Greg. XV. inf. tom. 4. num. 13. Æterni, pro cuius faciliori obseruantia editum fuit Cæremoniale quod habes approbatum ab eod. Greg. const. 19. Decet. Et nouissimè tam const. quam Cæremoniale confirmauit S. D. N. Vrb. VIII. const. 45. Ad Roman. d. tom. 4.

Edita A. D. 1351.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Greg. X. decreuit singulos Cardin. in Conclaui singulis seruientibus contentari, vt in c. 3. de elect. in 6.

LIcet in constitutione à fel. recor. Gregorio Papa Decimo prædecessore nostro, super electione Romani Pontificis edita, in Concilio Lugdunensi inter cætera caueatur expressè, quod si eundem Pontificem in ciuitate, in qua cum sua curia residebit, diem claudere contingat, extremum, Cardinales in Palatio, in quo idem Pontifex habitabat, omnes conueniant, & in eo singulis, singulis tantummodo, nisi illi quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, contenti seruientibus, clericis, vel laicis prout elegerint, vnum Conclaue nullo intermedio pariete, vel alio velamine inhabitent in communi.

Et non facta electione inter octo dies panem tantũ cum vino, & aqua eis dari.

§. 1. Et quod diebus certis non facta prouisione de Pastore decursis, panis, vinum, & aqua tantum eisdem Cardinalibus, donec subsequatur prouisio, ministretur.

Hic tamen Pont. mitigat d. const. Greg. X. & dat. Cardinalib. duos seruientes. Imo ex necessitate dantur tres, vt in const. Pij IV. cit. in rub.

§. 2. Quia tamen sicut frequenti multorum assertione, & in Cardinalatu constitutorum percepimus, nonnulli ex Cardinalibus in obseruatione constitutionis ipsius grauati alias nimium extiterunt, multi quoque ex ipsis duos in dicto Conclaui habuerint seruientes, non absque scrupulo conscientiæ, propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet, quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, in dicta constitutione vt præmittitur contentorum. Nos prouidere super his cupientes, ex his & certis aliis causis rationabilibus quæ nostrum ad id animum induxerunt, rigorem constitutionis ipsius, & etiam ad fratrum nostrorum supplicationem, in his prouidimus temperandum, auctoritate Apostolica statuentes, quod Cardinales postquam Conclaue huiusmodi, seu clausuram pro dicta electione celebranda intrauerint, singuli duos seruientes tantum, clericos, vel laicos prout duxerint eligendos.

Mitigat etiã circa cibum. Ad hoc vide quoque d. const. Pij IV.

§. 3. Ac etiam singulis, præter panem, vinum, & aquam in prandio, & in cœna, vnum duntaxat ferculum, seu missum carnium vnius speciei tantummodo, aut piscium, seu ouorum, cum vno potagio de carnibus, vel piscibus principaliter non confectis, & decentibus salsamentis habere valeant, vltra carnes salsas, & herbas crudas, ac caseum, fructus, siue electuaria. Ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel saporem. Nullus verò eorum, de alterius ferculo vesci possit.

Mitigat etiã super circa lectis intermedia.

§. 4. Liceat etiam eis ex decentia honestatis, habere in clausula huiusmodi, cum in lectis quiescendi causa, vel dormiendi esse voluerint, duntaxat intermedia, seu velamina simplicium tantummodo cortinarum.

Derogatio cõtrariorum.

§. 5. Prædictis & fel. mem. Clementis Papæ V. prædecessoris nostri, & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis, quibus per hoc in aliis derogare nolumus, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 10. 6. Decemb.

Dat. Auenione 8. Idus Decemb. Pont. nostri Anno 10.

INNOCENTIVS SEXTVS PONT. CCI.
ANNO DOMINI MCCCLII.

INnocentius VI. Gallus, Stephanus antea dictus, Alberti filius, Lemouicis in Gallia Prouincia Aquitaniæ ortus, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli, tt. Pammachij, deinde Episcopus Ostiensis, & Veliternus, creatus Auenione 15. Kal. Ianuarij anno 1352. coronatus 4. Kal. Ianuarij eodem anno. Sedit annos 9. menses 8. dies 26. creauit Cardinales 16. Obiit Auenione pridie Idus Septemb. 1362. Corpus eius sepultum est in Cathedrali Ecclesia Auenionen. S. Mariæ de Donis, postea translatum est ad Monasterium Carthusianorum, apud Villam nouam. Vacauit sedes mensem 1. dies 26.

Iurisdictio, & facultates Ægidij S. R. E. Cardinalis Legati, & Vicarij Apostolici totius status Ecclesiastici. I.

Hic Ægidius quamplures edidit constitutiones, Marchia nuncupatas, quæ in Vrbe, & toto statu Ecclesiastico seruãda sunt, ex cõst. 15. Six. IV. Etsi de. ac Pauli III. const. 17. Officij. Ego autem hanc Bullam, & alias duas circa iurisdictiones Legatorum in hoc opere posui, ob eam rem quam tibi dicam infra in dicti Pauli Tertij const. 16. Licet.

Edita An. D. 1357.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Ægidio, tituli sancti Clementis, presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, ac in prouincia Patrimonij beati Petri in Thuscia, Ducatus Spoletani, Marchiæ Anconæ, & Romandiolæ, Campaniæ, & in Maritimis prouinciis, ac in Ciuitatibus, & terris, & aliis omnibus Romanæ Ecclesiæ immediate subiectis;

subiectis, & intra terminos tua legationis constitutis, nostro, & eiusdem Romana Ecclesia in temporalibus Vicario generali. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.



VM onus vniuersalis regiminis dominici gregis superna dispositione iniunctum attendimus, & nostrum attente prospicimus imperfectum, videntes nullo modo per nosipsos posse exoluere debitum Apostolicæ seruitutis, nonnunquam fratres nostros S. R. E. Cardinales, viros electos ex millibus scientia præditos & virtute, in quibus timor Domini sanctus permanet, in sollicitudinis partem assumimus, eosdemque in vniuersas Mundi prouincias & partes, incumbentibus negotiis designantes, vt ipsis vices nostras supplentibus, in eisdem & ipsorum cooperatione laudabili nostri oneris alleuiacionem facientibus, nos ministerium nobis commissum, fauente diuina gratia, facilius & efficacius exequamur.

Causa huius deputationis. §. 1. Sane, licet ad cunctorum Christi fidelium curam & regimen, veluti ipsarum ouium pastor & rector, intente mentis nostræ aciem extendamus; Prouincias tamen & terras temporaliter Apostolicæ Sedi subiectas, & ipsarum populos diuersos ipsius Romanæ Ecclesiæ speciales filios & deuotos præcordialius intuemur, & super eorum felici regimine & statu prospero & tranquillo, specialius affectibus peculiaribus cupimus prouidere. Attendentes itaque quod tu potens opere & sermone, quem in magnis expertum & arduis, probitate ac fidelitate probatum, gratiarum Dominus, scientiæ magnitudine industriæ claritate, maturitate consilij, morum elegantia, & aliis grandium virtutum titulis insigniuit, in cuius affectu geritur, vt indubitanter tenemus, pacificare discordes, sedare fluctuationes & turbines, iustitiæ terminos colere, & errantes ad viam rectam reducere veritatis, quod nos absentes repugnante natura non possumus assistere, commissam tibi curam diuina gratia, prudenter & fideliter exequeris, matura cum fratribus nostris deliberatione præhabita, de ipsorum communi consilio & assensu.

Deputatio generalis Vicarij in statu Ecclesiastico cum potestate. §. 2. Te in Patrimonio B. Petri in Thuscia, Ducatu Spoletano, Marchiæ Anconæ, Romandiolæ, Campaniæ, Maritimæ prouinciis, ac omnibus & singulis ciuitatibus & terris eiusdem Romanæ Ecclesiæ temporaliter, mediate vel immediate subiectis, infra terminos legationis tuæ, vt præmittitur, nostrum & eiusdem Romanæ Ecclesiæ Vicarium in temporalibus, reformatorem, ac pacis & prouinciarum conseruatorem constituimus generalem, circumspectioni tuæ Patrimonium, Ducatum, Marchiæ Anconæ prouincias, ciuitates, & terras prædicta, præfatæ Romanæ Ecclesiæ nomine, prout & inquantum ad Romanam Ecclesiam pertinet, reformandi, regendi, gubernandi, & administrandi, ac in eis iurisdictionem plenariam, prout & inquantum ad dictam Ecclesiam pertinet, vel pertinere poterit, exercendi.

Causas omnes cognoscendi. §. 3. Ciuiles & criminales causas, per te vel alium seu alios audiendi, examinandi, discutiendi, & causarum cognitionem & decisionem, alij seu aliis, communiter vel diuisim, generaliter vel specialiter committendi, & ad te cum placuerit, reuocandi.

Barones & alios quoscumque puniendi. §. 4. Omnesque & singulos cuiuscumque excellentiæ, auctoritatis, nobilitatis, præeminentiæ, conditionis, aut status existant, quos iustitia suadente priuandos videris, priuandi eos statibus, dignitatibus, honoribus, Principatibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Baroniis, dominiis, terris, feudis, retrofeudis, iurisdictionibus iuribus, rebus, & bonis mobilibus quibuscumque easque dictæ Ecclesiæ Romanæ confiscandi & applicandi.

Gubernatores deputandi. §. 5. Ac in Patrimonio, Ducatu, Marchiæ Anconæ, prouinciis, ciuitatibus & terris eiusdem, rectores, potestates, capitaneos, vexilliferos, & castellanos, iudices; & quoscumque officiales alios generales, temporales, vel spirituales, & officia prædicta, & alia omnia & singula, generalia & specialia, quocumque nomine vel titulo fungantur vel nuncupentur, prout ad Romanam Ecclesiam pertinuerit, creandi, constituendi, instituendi, suspendendi, remouendi, deponendi, & destituendi.

Culpabiles castigandi. §. 6. Et culpabiles ciuiliter & criminaliter per te vel alium seu alios puniendi, & querelas contra ipsos per quoscumque propositas audiendi, summarie, & de plano iudicandi, & amendas & satisfactiones debitas fieri faciendi.

Paces componendi. §. 7. Inter Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Dominos temporales, nobiles & personas alias, communitates & vniuersitates, ac populos, & omnes alios & singulos discordes & diffidentes, Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, prouinciarum, ciuitatum & terrarum prædictarum pacem & concordiam reformandi, & inter ipsus treugam inducendi, ipsosque ad eas earumque conseruationem quibuscumque pœnis & districtionibus ac sententiis, prout ad dictam Ecclesiam pertinuerit, concordes in charitatis æternæ vinculo confirmandi.

Pactiones cōtra bonum initas annullandi. §. 8. Colligationes, confæderationes, pactiones, conuentiones, societates & ligas, contra Romanam Ecclesiam, vel contra bonum pacis & statum illarum partium pacificum, seu in præiudicium seu damnum Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, prouinciarum, ciuitatum, & terrarum prædictarum initas ac etiam ineundas, cassandi & annullandi, & pœnas super illis adiectas vel adiiciendas relaxandi.

Occupata recuperandi. §. 9. Occupata iniuste, ab occupantibus & detentoribus quibusvis eripiendi & recuperandi, eiectos & expulsos à locis & rebus ac bonis suis quibuscumque inique priuatos, ad loca & bona eorum propria reducendi, restituendi & reintegrandi.

Cum delinquentibus componendi. §. 10. Et super quibuscumque delictis fortè factis, rebellionibus per quascumque vniuersitates vel singulares personas commissis, vel in posterum Vicariatus tui tempore committendis, dispensandi, componendi, concordandi, & delinquentes ad Ecclesiæ Romanæ gratiam & obedientiam reducendi, & super inhabilitatibus & infamiis quas propterea incurrerint, dispensandi, & vniuersitates & personas huiusmodi ad statum pristinum in integrum reducendi.

Bellumque inducendi. §. 11. Generales & particulares exercitus in auxilium & protectionem eiusdem Ecclesiæ, status pacifici Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, prouinciarum, ciuitatum & terrarum prædictarum, & contra rebelles & status pacifici turbatores, & quoscumque, ex causis & aliis quibuscumque & quomodocumque videbitur indicendi, faciendi, congregandi.

Hostes compescendi. §. 12. Hostes, rebelles, & contradictores quoslibet per admonitionis, priuationis, depositionis, relegationis, proscriptionis perpetuæ vel temporalis, sententias, prout ad ipsam Ecclesiam pertinuerit, sublato appellationis obstaculo, compescendi & coërcendi. Et de causis appellationum ad Sedem Apostolicam cognoscendi, & eas fine debito terminandi, ac finiendi, ordinandi & statuendi, & reali executioni mandandi.

Aliaque necessaria & opportuna faciendi. §. 13. Et omnia, quæ ad huius pleni Vicariatus in temporibus, & reformatoris officium pertinent, & quæ necessaria vel vtilia fuerint quocumque modo in præmissis & ea tangentibus, & quomodolibet eorundem, & quæ ad honorem & commodum eiusdem Romanæ Ecclesiæ ad vtilitatem & prosperum & tranquillum statū Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, prouinciarum, ciuitatum & terrarum prædictarum cedere videris, & tibi visum fuerit expedire.

Quibuscumque non obstantibus. §. 14. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis vel imperialibus, sub quorumcumque verborum expressione concessis & contrariis, etiam Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, prouinciarum, ciuitatum, terrarum prædictarum statutis, consuetudinibus obseruatis, per quæ nullum cuique, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, excellentiæ, conditionis, aut status fuerit, in hac parte volumus adferri suffragium, concedentes liberam & plenariam facultatem.

Tempus quo durabit Vicariatus. §. 15. Vicariatus autem curam, regimen, gubernationem, administrationem, potestatem, ac iurisdictionem huiusmodi, tandiu volumus perdurare, donec per Sedem eandem aliud contigerit ordinari.

Approbatio agendorum ab ipso. §. 16. Nos insuper processus, sententias, atque pœnas, quos & quas proferri, ac etiam quæ per te rite fieri contigerit, rata habebimus: & faciemus, auctore Domino, inuiolabiliter obseruari.

§. 17.

Praeseruatio Gubernatorū iam deputatorum.

§.17. Per hæc autem rectoribus & officialibus in Patrimonio & Ducatu Marchia, prouinciis, ciuitatibus & terris prædictis, per Sedem Apostolicam constitutis, quominus iorisdictionem & potestatem eis concessam, quandiu in suis officiis & administrationibus præsederint, exercere libere, sicut prius valeant, non intendimus aliquod præiudicium generari.

Iussio parendi Vicario prædicto.

§.18. Vt igitur præmissa omnia & singula, melius, plenius & vtilius exerceri possint, vniuersis & singulis Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, Prouinciarum, ciuitatum & terrarum prędictarum rectoribus vicerectoribus, potestatibus, capitaneis, officialibus & ceteris nostris & Ecclesiæ subiectis, cuiuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, Ecclesiasticæ vel mundanæ, ordinis, constitutionis existāt, damus districtius in mandatis, vt tibi efficaciter pareant & intendant. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. 31 May.

Datum apud Villam Nouam Auenionensis diœcesis, 2. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri Anno primo.

II. Ampliatio Studij generalis ciuitatis Bononiæ, ad Theologicam facultatem.

Huius Studij alia priuilegia & ordinationes habes inf. in Py IV. const. 69. Sacri, vbi notabo. Et in hac ciuitate Paulus III. Rotam instituit inf. in sua const. 4. Ex iniuncto.

Edita An.D. 1360.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Theologica facultatis vberes sunt fructus.

QVasi lignum vitæ in Paradiso Dei, & quasi lucerna fulgens in domo Domini, est in sancta Dei Ecclesia, facultatis Theologicæ disciplina. Ipsa velut fœcunda eruditionis mater, ad irrigandam sterilem Orbis faciem fluuios de pectore Saluatoris emittens, humanum genus originalis ignorantiæ cæcitate deforme, per infusionem veritatis, ad viam reducit iustitiæ vitæ, viuificat animas, easque ad exaltationem Catholicæ fidei, & exterminium hæreticæ prauitatis, & cunctorum infidelium, & aduersus etiam inuisibiles potestates, armis inexpugnabilibus munit, & fortissimas constituit bellatrices.

Fiat ergo dilatationis huc Pont. attentio.

§.1. Hæc frequenter intra cordis arcana sollicita mente reuoluimus, & intenta meditatione pensamus, tantoque propterea amplius ad illius dilatationem, studia & labores libenter impendimus, quanto exinde maiora animarum lucra prouenire, & vniuersalis Ecclesiæ statum, amplius cognoscimus augmentari.

Illam in studio Bonon. iuris canonico, ciuilis, liberalibusque artibus insigni introducere destinauit.

§.2. Sane dum fructus vberes quos studium Bononiense, quod longissimis temporibus in seipso sicut præfulgida stella emicuit, & diffusa claritate longè lateque refulsit in iure canonico & ciuili, & liberalibus artibus tanquam ager plenus, cui Dominus benedixit copiosa fertilitate, produxit hactenus, & producit, cum delectatione animi recensemus, & exinde speramus ipsius Theologiæ palmites, si illius studium esset ibidē, amplius propagandum, dumque fidei puritatem, & deuotionem eximiam, quam dilecti filij, populus & commune ciuitatis Bononiæ, nostri & Romanæ Ecclesiæ fideles, ad nos & dictam Ecclesiam habuerunt hactenus & habere noscuntur, diligenter attendimus, dignū ducimus, & æquitati congruum existimamus, vt Ciuitas ipsa, quam diuina gratia magnis donis & gratiis illustrauit, bonorum multiplicium fœcunditate dotauit, & loci amœnitate non modica decorauit, huiusmodi scientiæ Theologiæ facultatis muneribus amplietur.

Studium itaque generale Theologicæ facultatis ibi instituit.

§.3. Ideoque eorundem populi & communis deuotis in hac parte supplicationibus benigne annuentes, auctoritate Apostolica statuimus & ordinamus, quod in d. Ciuitate deinceps, Studium generale in eadem Theologica facultate existat, & perpetuis futuris temporibus vigeat.

Lectoribusque & Studentibus indulta studiorum generalium elargitur.

§.4. Ac docentes & studentes ibidem in facultate prædicta, omnibus priuilegiis, libertatibus, & immunitatibus concessis docentibus, & scholaribus studentibus in illa, in Studiis generalibus eiusdem facultatis commorantibus, gaudeant & vtantur. Volumus tamen quod ad docendum & regendum, in ipso studio in huiusmodi facultate magistri & baccalarij, qui in Parisiensi, seu aliis famosis Studiis eiusdem facultatis honorem magisterij seu baccalariatus acceperint, & alias experti & idonei in huiusmodi studij Theologicæ facultatis ..... assumantur in quod Ciuitas ipsa tanto insignita honore, doctibus fulgeat, honori correspondentibus memoratis.

Titulum insuper Magisterij studentibus conferre posse concedit.

§.5. Insuper, Ciuitatem & Studium præfata, ob profectus publicos, quos proinde speramus, amplioribus honoribus prosequi intendentes, auctoritate ordinamus eadem, vt si qui in eodem Studio processu temporis, eiusdem scientiæ Theologicæ facultatis brauium assecuti, sibi docendi licentiam, vt alios erudire valeant petierint, impertiri possint, examinari diligenter ibidem, & in eadem facultate Theologica, titulo magisterij decorari.

Formam quoque desuper seruandam præscribit.

§.6. Auctoritate Apostolica statuentes, vt quoties aliqui in eadem Theologica facultate, in eodem Studio fuerint magistrandi, præsententur Episcopo Bononiensi, qui pro tempore fuerit, vel eius, sufficienti tamen & idoneo, quem ad hoc idem Episcopus duxerit specialiter deputandum, seu Ecclesia Bononiensi Pastore carente, dilectorum filiorum Capituli ipsius Ecclesiæ, qui erit pro tempore Vicario generali, qui omnibus magistris dictæ facultatis Theologicæ, in qua huiusmodi examinatio fuerit facienda in Studio ipso actu regentibus, præsentibus conuocatis, eos gratis, pure, & libere, ac omni dolo & fraude ac difficultate cessantibus, de scientia, facundia, modo legendi, & aliis quæ in promouendis ad Magisterij honorem in facultate prædicta & eius officium requiruntur, examinare studeant diligenter, & illos quos idoneos reperierit, petito secrete, purè, ac bona fide eorumdem magistrorum consilio (quod vtique consilium in ipsorum consulentium dispendium & iacturam, sub debito iuramenti super hoc præstandi, cum ab Episcopo seu Vicario, ac singulis magistris huiusmodi reuelari quomodolibet districtius prohibemus) approbet & admittat, eisque petitam licentiam largiatur, & aliàs minus idoneos, postpositis gratia, odio, vel fauore, nullatenus admittendo, super quibus Episcopi, magistrorum, & Vicarij prædictorum conscientiam oneramus.

Magisterij quoque titulum assecutis etiam alibi legendi facultatem tribuit.

§.7. Volentes quod illi, qui in præfato Studio magistrati fuerint in facultate prædicta, in eo, & in aliis generalibus Studiis dictæ facultatis legendi & docendi, absque approbatione alia liberam habeant facultatem. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 8. 21. Iunij.

Datum apud Villam Nouam Auenionensis Diœcesis, 11. Kal. Iulij, Pontificatus nostri Anno octauo.

VRBANVS QVINTVS PONT. CCII. ANNO DOMINI MCCCLXII.

VRbanus V. Gallus, Guillelmus Grisatus, antea dictus natus in oppido quod dicitur Grisatium, Prouinciæ Tolosanæ,

Tolosanæ, Patre Grimaldo Abbate Massiliensi, Creatus Auen. 5. Kal. Octob. Anni Dom. 1362. Coronatus 8. Idus Nouemb. eiusdem anni. Sedit annos 8. menses 2. dies 24. creauit Card. 15. Obiit Aueníone 1370. 14. Kal. Ian. Sepultus in Cathedrali Auenionensi S. Mariæ de Donis, postea translatus ad Sacrum Cœnobium S. Victoris Massiliensis, & positus in Capella S. Petri anno 1372. Nonis Iunij. Vacauit sedes dies 12.

I. Iurisdictio Camerarij S.R.E. procedendi, contra piratas, nouaque pedagia imponentes, & arma Saracenis deferentes, &c.

Hodie contra istos procedit Auditor causarum Cam. Apostolicæ, vt multis Pontificiis const. cauetur, & postremo const. 28. Pauli V. Eximia, inf. tom. 3.

Iurisdictionem autem huius Card. Camerarij, attende inf. in const. 65. Clem. VIII. In conferendis, cum ibi notandis.

Edita An. D. 1364.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Arnoldo Archiepiscopo Auxitano Camerario nostro, Salutem & Apost. benedictionem.

Exordium.

APOSTOLATVS officium cui quanquam immeriti disponente Domino præsidemus, exposcit, vt contra præsumptuosam malignorum turbam, Apostolicæ Sedis sententias, & Canonicas non verentium sanctiones exequutores iustitiæ optimos, quantum cum Deo possumus studiosè apponamus.

Bon. VIII. prohibuit pedagia exigi ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis.

§. 1. Olim siquidem fel. rec. Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster, eos qui ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis pro eorum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, pedagia, seu guidagia, suo vel alieno nomine exigere vel extorquere, si persona existeret singularis, cuiuscumq; foret dignitatis, conditionis, vel status, excommunicationis, si autem Collegium vel Vniuersitas Ciuitatis, Castri, seu loci alterius cuiuscumque, interdicti sententias incurrere voluit ipso facto, & quod ab excommunicatione prædicta absolutionem, vel interdicti relaxationem obtinere non possent, donec exacta plenariè restituerent, & de transgressione satisfacerent competenter.

Aliique Pont. excommunicarunt piratas, pedagia noua imponentes, arma ad Saracenos deferentes. Euntes ad Sedem Apost. impedientes, sine iurisdictione morantes in curia perturbantes, victualium delationem ad vrbē impedientes, litigantesque in curia offendentes.

§. 2. Ac deinde per nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros, & postremo per nos, in omnes piratas, cursarios & latrunculos marinos, & omnes fautores, receptatores & defensores eorum, & insuper in omnes illos, qui in terris suis noua pedagia imponūt. Ac etiam in illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina, vel alia prohibita deferunt Saracenis, quibus Christianos impugnant. Præterea in omnes illos, qui ad Sedem Apost. venientes vel recedētes ab ea, necnon illos qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam aliquam non habentes, eos, qui in Romana Curia morantur temeritate propria capere, detinere vel spoliare, aut ex proposito deliberato vulnerare atrociter, vel interficere præsumunt, & qui victualia vel alia bona ad vsum Romanæ Curiæ necessaria, impediunt ne ad Sedem prædictam deferantur, & qui talia fieri faciunt siue mandant, ac alios qui scienter eis fauent vel receptant aut defendunt, cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ & conditionis, ac status, etiamsi Pontificali vel quauis alia Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate. Et in illos qui per se vel alium, seu

De hoc vltimo habes inf. in constit. 11. Alex. VI. In eminenti.

alias quascumque personas, Ecclesiasticas, & sæculares ad eandem curiam superiorum causis & negotiis recurrentes, illasque in Romana Curia prosequentes, vel procuratores, gestores, aduocatos, promotores ipsorum, seu etiam Auditores, vel Iudices qui supradictis causis, vel negotiis deputantur, vel de eadem Romana Curia recedētes, occasione causarū vel negotiorum huiusmodi verberent, mutilent, vel occidant, vel bonis spolient eorundē, cuiuscumq; præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status fuerint, etiamsi Pōtificali vel quavis alia præfulgeant dignitate, vel eorum aliquod committentes. Item in omnes illos, qui per se vel alium seu alios, directè vel indirectè, sub quocumque titulo vel colore, ciuitates, castra, villas, ac loca, & iura quælibet alia ipsius Ecclesiæ Romanæ, vel aliqua, seu aliquas eorum, aut ipsorum vel aliquorum, seu alicuius ipsorum partem, videlicet, Comitatum & Ciuitatem Auenionen. & eius territorium ad ipsam Ecclesiam pertinentem, & scienter occupant, vel detinent occupata, excommunicationis & anathematizationis sententiæ in certis anni solemnitatibus promulgatæ fuerunt, prout in nostris, & ipsorum prædecessorum literis plenius continetur.

Sed multi his prohibitionib. contraueniunt.

§. 3. Cum autem sicut accepimus, nonnulli à quorum oculis Dei timor abscessit, prædictas sententias non verentes, à præmissis clericis & Ecclesiasticis personis, huiusmodi pedagia, seu guidagia, pro huiusmodi eorum rebus propriis quos non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, exegerunt & extorserunt hactenus, & exigere & extorquere quotidie moliuntur. Et nonnulli prauitatem piraticam exercere. Alij verò venientes ad prædictam curiam, & recedentes ab ea capere, vel retinere, vel spoliare. Necnon victualia, & alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria, ne ad præfatam deferantur etiam impedire, & nonnullos alios ex excessibus supradictis committere. Et insuper priuilegia per Sedem Apostolicam, clericis, & personis Ecclesiasticis, ac prædictam Curiam sequentibus concessa, & Canones, constitutiones, & consuetudines in ipsorum curialium fauorem præsertim officialium, & familiarium nostrorum, præsertim in prædictis propriis eorum rebus ad prædictam Curiam deferendis diutius obseruatas, violare temere præsumpserunt hactenus, & præsumunt, in animarum suarum periculum, Apostolicæ Sedis contemptum, & præiudicium, & scandalum plurimorum.

Hic ideo Pont. Camerario vt cōtra eos procedat, iniungit.

§. 4. Nos itaque contra præsumptiones huiusmodi, quas non decet nec expedit incorrectas dimitti, salubre apponere remedium cupientes, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios, tam in Romana Curia quam alibi, vbicumque, & quotiescumque tibi expedire videbitur, prædictas tam à iure, quàm ab homine latas sententias, debitæ exequutioni demandetis, easque necnon canones, priuilegia, & consuetudines supradictas, facientes vbique auctoritate nostra inuiolabiliter obseruari, & vbi opus fuerit publicari, ac declarationem publicam, nuntiationem, & citationem omnium, & singulorum, qui in prædictas sententias inciderunt, etiam per edictum publicum affigere de mandato tuo in portis Sacri Palatij Apostolici, & valuis Ecclesiæ Auenionensis, & alias in ipsarum sententiarum exequutionem, & aggrauationem, & alias omnia, & singula supradicta, tam generaliter quam specialiter, vel nominatim, eadem auctoritate procedas, etiam per informationem simplicem summariè simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, prout facti qualitas exegerit, & vbi secundum Deum, & iustitiam videbitur faciendum; ac eorum, necnon fautorum, receptatorum, & defensorum dictorum piratarum, cursariorum, & latrunculorum marinorum Ciuitates, Terras, Castra, & loca supponas Ecclesiastico interdicto. Contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, vel quavis alia, Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Quibuscumque non obstantib.

§. 5. Non obstantibus tam fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, in quibus cauetur ne aliquis extra suam Ciuitatem vel Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis euocetur, seu quod iudices à Sede Apostolica deputati extra ciuitatem, & Diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, siue alij, vel aliis

vices

vices suas committere, aut aliquo vltra vnam dietam à fine diœcesis: eatundem trahere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali; quam aliis quibuscomque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de iudicibus delegatis, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis edictis, quæ tuæ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare, seu qui præfatis, vel quibusuis aliis cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, vel alia quauis dignitate præfulgeant à dicta Sede indultum existat, quod extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut eorum Ecclesiæ, Monasteria, Ciuitates, Terræ, Castra, & loca Ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, & earum personis & locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscunque tenoris existant, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertá tuæ iurisdictionis in hac parte valeat quomodolibet impedire, & de qua eiusque toto tenore habenda sit de verbo ad verbum in nostris literis mentio specialis, plenam & liberam eidem fraternitati tuæ concedimus, tenore præsentium facultatem volentes & decernentes, quod citationes quas in præmissis per edictum, vt præmittitur feceris, perinde valeant, ac citatos arctent, ac si eis personaliter insinuatæ & intimatæ fuissent, constitutione quacumque contraria non obstante.

D.P. A. 1. die 12. Octobr. Datum Auenione. Quarto Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno primo.

II. Priuilegium Ordinis Carthusianorum vtendi altari portatili pro celebratione Missarum in locis ad Ordinem spectantibus.

De hoc Ordine notaui sup. in constitut. 7. Cum vos. Alex. III.

Edita An. D. 1363. *VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Priori domus Carthusiæ Gratianopolitanæ Diœcesis, ac Prioribus Prioratuum & domorum aliarum, cæterisque personis Carthusiensis Ordinis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Causa indulti. Sinceræ deuotionis affectus, quem ad nos, & Romanam Ecclesiam geritis, non indigne meretur, vt petitionibus vestris, illis præsertim quas ex deuotionis zelo prodire conspicimus, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus.

Indultum vtendi altari portatili. §. 1. Hinc est, quod nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vt liceat vobis, & successoribus vestris, habere altaria portatilia cum debita reuerentia & honore, super quibus in domibus, ac grangiis, & cellariis, & aliis locis congruentibus & honestis, ad domos, seu Prioratus vestros spectantibus, possitis Missam, & alia diuina officia celebrare, & in vestra præsentia facere celebrari, deuotioni vestræ, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum ordinationum, voluntatum, inhibitionum, concessionum, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli se nouerit incursurum.

D.P. A. 1. die 15. April. Datum Auenione septimo Kalendas Maij, Pontificatus nostri Anno primo.

GREGORIVS VNDECIMVS PONT. CCIII.

ANNO DOMINI MCCCLXX.



Gregorius Vndecimus, Gallus, Petrus, Monstritiis, oppido, Malmonte, Lemouicensis agri in Galliæ Prouincia Tolosana, Petrus Comes Bellifortis antea dictus, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ Nouæ; Creatus Auenione 3. Kalendas Ianuarij Anno Domini 1370. Coronatus octauo Idus Ianuarij 1372. Sedit annos septem menses 2. dies 29. creauit Cardinales 23. Romam rediit, suadente etiam diua Catharina Senensi. Idib. Ianu. 1376. Obiit 6. Kalendas Aprilis 1378. Sepultus in Ecclesia S. Mariæ Nouæ. Vacauit sedes dies 12.

Quod Ecclesia S. Ioannis de Laterano de Vrbe, supremum locum tenet super omnes Ecclesias Vrbis & Orbis. I.

Hæc definitio comprobata fuit à Mart. V. anno sui Pontific. decimo. & à Paulo II. anno eius primo, quæ Bullæ tanquam simpliciter confirmatoriæ prætermittuntur, & postremò à Pio V inf. in eius constitut. 94. Infirma. Et contra Ecclesiam istam centenaria tantum præscriptio datur, vt sup. in constitut. 4. Honor. III. Sedis. Et eius Capitulum in erigendis locis piis, certum habet priuilegium à Sixto V. Vt inf. in eius constit. 19. Si cunctas.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Edita A. D. 1372.



Svper vniuersas Orbis Ecclesias Rom. Pontif. à Domino constitutus circa ea de quibus dubitari dicitur, vt euitari possint quæcumque dispendia, declarationis vbi expedit suæ prouisionem adiicit, prout fore conspicit opportunum. Sane dudum dum minori fungebamur officio, percepimus quod de Ecclesia Lateranensi (quam claræ mem. Constantinus fidelissimus Imperator, in Lateranensi Palatio suo miraculosè mundatus à lepra, & sacri baptismatis fonte renatus, construxit sub vocabulo Saluatoris, statuens quod ex tunc libera esset vnicuique potestas per Vrbem, & Orbem Ecclesias con- Constantinus Imp. Lateranensem Ecclesiam construxit.

stituendi, quod antea Imperialis prohibitio inhibuerat) à quibusdam curiosis dubitabatur, ac etiam in præsenti in dubium reuocatur, si ipsa in Vrbe, & Orbe terrarum, præeminentiam, ac honoris prærogatiuam à Romana Ecclesia, & à cunctis Christicolis obtinere debeat potiorem.

Qua Sedes Pontificum vocatur, & ceteris maior declaratur.

§. 1. Nos igitur volentes huic dubio finem imponere, & super hoc amputare materiam hæsitandi auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, decernimus, ac etiam definimus, Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam præcipuam Sedem nostram inter omnes alias Vrbis, & Orbis Ecclesias, ac Basilicas, etiam super Ecclesiam, seu Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe supremum locorum tenere, eamque de iure maiorem omnibus aliis Ecclesiis, ac Basilicis supradictis, ac super omnes & singulas præfatas Ecclesias, seu Basilicas, prioritatis dignitatis & præeminentiæ honore lætari. Et si quid contra huiusmodi nostram declarationem, determinationem ac definitionem, à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum fuerit, id irritum decernimus, & inane.

Sanctio pœnalis.

§. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, constitutionis, & definitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. A. 2. die 23. Ian.

Dat. Auen. x. Kal. Febr. Pont. nostri Ann. II.

II. Saraceni ad Christianam fidem conuersi, & ad eorum sectam redeuntes, & Christiani ad illam transeuntes eorumque fautores, ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis puniantur.

Edita An. D. 1372.

GREGORIVS PAPA XI.

Inquisitoribus hæreticæ prauitatis.

Saraceni conuersi ad catholicam fidem redeuntes & Christiani ad illā transeuntes.

Admodum dolenter audiuimus, & narramus, quod non solùm quidam de Saracenica impietate ad Christianam fidem conuersi, ad eandem sunt impietatem reuersi, verumetiam quamplurimi Christiani, veritatem fidei abnegantes, se damnabiliter ad Saracenorum perfidiam transtulerunt; quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc, Christi nomen sanctissimum, quadam familiari hostilitate securius blasphematur.

Vt hæretici ab Inquisitoribus puniantur.

§. 1. Cùm autem huic pesti damnabili, congruis & festinis deceat remediis obuiare, Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos, auctoritate Sedis Apostolicæ designatos, super præmissis, tam per Christianos, quam etiam per Saracenos inter Christianos morantes, inquisita diligenter, & sollicite veritate, contra omnes, quos talia inueneritis hactenus commisisse, & committere in futurum, tanquam contra hæreticos, contra fautores etiam, & receptatores, & defensores eorum, tanquam contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum procedere studeatis.

Et Saraceni qui ad eorum sectam trahunt Christianos coerceantur.

§. 2. Saracenos quoque, qui Christianos vtriusque sexus, ad dictam eorum perfidiam perduxerint, aut induxeritis de cætero inducentes, pœna debita puniatis, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

D. P. A. 2. 5. Aug.

Dat. apud Villam nouam Auen. diœc. 3. Non. August. Anno II.

III. Exemptio Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum à solutione decimarum, de prouentibus & redditibus Ecclesiasticis, per Sedem Apostolicam Regibus, & Principibus, vel aliis, concessarum, & concedendarum.

Alia de isto Ordine indicaui tibi apud const. 9. Greg. IX. Deuotionis, sup.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Magistro Generali, & Fratribus B. Mariæ de Mercede Captiuorum, Ordinis S. Augustini. Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Edita An. D. 1371.

Causa huius constitutionis.

Dum salubria laborum vestrorum studia, quibus vacatis assidue pro redemptione Christi fidelium, qui ab inimicis fidei orthodoxæ miserabili captiuitate denentur, necnon multiplicia expensarum onera, quæ pro redemptione huiusmodi continue supportatis, diligenter attendimus, dignum reputamus, & congruum, vt vos, & loca vestra specialibus fauore, & gratia prosequamur.

Petitio Ordinis pro exemptione à solutione decimarum.

§. 1. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod licet omnes fructus, redditus, & prouentus beneficiorum, domorum, & aliorum locorum vestrorum, vna cum eleemosynis, quæ vobis à Christi fidelibus largiuntur (victu, & vestitu vestris duntaxat deductis) in redemptionem fidelium Christianorum, qui per inimicos eiusdem fidei captiui detinentur, conuerti debeant, & etiam conuertantur, tamen decimas redditum, & prouentuum Ecclesiasticorum Regibus, & aliis Principibus concessas, leuari seu exigi contingit, collectores decimarum huiusmodi, ad solutionem, seu præstationem decimarum ipsarum compellunt, quare pro parte vestra nobis extitit humiliter supplicatum, vt cum Hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, de Calatraua, & de Montesia domorum Magistri, & fratres, à solutione, seu præstatione decimarum ipsarum exempti sint penitus, & immunes, vos vt circa redemptionem Captiuorum ipsorum, melius, & liberius insistere valeatis, à præstatione seu solutione decimarum eatundem eximere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontificia concessio dictæ exemptionis.

§. 2. Nos igitur volentes vobis super hoc paterna sollicitudine prouidere, huiusmodi supplicationibus inclinati, quòd vos de vestris introitibus, ac beneficiorum, domorum, & aliorum locorum ipsorum fructibus, redditibus, seu prouentibus prædictis, decimam huiusmodi, cum ipsam quibuscumque Regibus, seu Principibus, aut aliis quibuscumque per Sedem Apostolicam concedi contigerit in futurum, soluere, seu præstare, aut in ea cum aliis personis Ecclesiasticis contribuere minimè teneamini, neque ad id à quoque compelli possitis per literas Apostolicas, sub quacumque forma, vel expressione verborum concedendas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto, & Ordine, ac domibus vestris huiusmodi mentionem, deuotioni vestræ auctoritate Apostolica de speciali gratia, tenore præsentium indulgemus, decernentes suspensionis, interdicti, ac excommunicationis sententias, siquas contra vos, vel aliquem vestrum, aut domus, seu alia loca vestra prædicta, per quoscumque occasione præmissa ferri contigerit, seu etiam promulgari, irritas, & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionum, constitutionum, & inhibitionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ab beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. A. 3. die 17. May.

Dat. Auenione 16. Kal. Iunij, Pontif. nostri anno 3.

IV. Declaratio, & limitatio auctoritatis, & facultatum Cardinalis, pro tempore Protectoris, Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci.

Hanc declarationem approbauit, & explicauit Six. IV. infr. in eius const. 4. Sancta, & Paul. V. tibi indicandus.

Aliorum Ordinum Protectores, maiores his facultates non habent. Has ergo ponere satis esse arbitratus sum, vt cæteris Regularibus vsui esse possint.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita A. D. 1375.

Hic Pont. vult prouide à superioribus gubernari cupit.

Cunctos Christi fideles super quibus curam ex debito officij Summi Pontificis gerere obligamur, per Præsidentes eisdem, sic charitatiue, sicque prouide, ac iuste

iuſte cupimos gubernari, quod illi io viam mandatorum domini dirigantur, & hi ex merito præſidialis ſolicitudinis, vberius ſupernæ remunerationis prēmiū nanciſcātur,

Et multò magis regulares Deo ardētius ferruentes.

§. 1. Sed nos oimitum in illis deſideramus ardentius, & affectuoſiori ſtudio procuramus, quorum alij à mundanis abſtracti, & grauibus pœnitentiis dediti, cæleſtibus inhiant, & ad illa per contemplationis pennas ſuanius, & altius eleuantur, vt aquilæ, & cum Maria parte optima perfruuntur; alij verò ſanctam ſolicitudinem Marthæ ſectantes, celebrationi diuinorum vacant ſolertius. Alij diſcunt, & docent Dei ſcientiam, & alij plebem inſtruunt in eadem, aliique feruentioris ſpiritus ardore ſucenſi, non timentes, ſed amantes barbaras nationes, ad illarum conuerſionem pergunt intrepidi, vt valeant ad dominicam aream multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam domino reddere rationem.

Inter quos Fratres Minores S. Franciſci cæteris præſtant.

§. 2. Hi profectò ſunt fratres Minorum Ordinis in Dei Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus prædicationis & ſanctitatis opera, præ ceteris Religionum profeſſoribus, vſque ad extremum terræ noſcitur exiuiſſe. Hi ſunt quos Deus numero multiplicauit, & meritis, quibuſque ſicut, & aliis bene currentibus in ſtadio militantis Eccleſiæ, æternum brauium quod certatim apprehendere ſatagunt elargitur. Et propterea nos de ipſis digne curam vigilem gerimus, vt eos in his ſanctis operibus nil impediat, nil perturbet, ſed ipſi opportuna quietis dulcedine potiantur.

In cuius regula cauetur quod vnus Cardinalis ſit d. Ordinis Protector, & Corrector.

§. 3. Sanè cum in Beati Franciſci Regula cuius iidem fratres exiſtunt, hæc verba contineantur expreſſe: videlicet: Per obedientiam ad hæc iniungo miniſtris, vt petant à Domino Papa vnum de Sanctæ Eccleſiæ Cardinalibus qui ſit Gubernator, Protector & Corrector iſtius fraternitatis, vt ſemper ſubditi & ſubiecti pedibus eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem & ſanctum Euangelium Domini Noſtri IESV CHRISTI quod firmiter promiſimus obſeruemus, iidem fratres exiſtentes pro tempore, huiuſmodi protectores dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſucceſſiuis temporibus petierunt à Sede Apoſtolica, & etiam habuerunt.

Sed aliqui Protectores fines ſuæ poteſtatis exceſſerunt.

§. 4. Sed aliqui eorumdem Protectorum putantes forte, bene, & licite, à certis temporibus citra ſuam poteſtatem nimium extendiſſe dicuntur in pluribus, ex quibus in ipſo Ordine graues perturbationes & ſcandala ſunt exorta.

Hic ideo Pōt. illius auctoritatem praeſcribit & facultatem immutandi ſtatuta Ord. denegat.

§. 5. Nos igitur vt idem Ordo in ſua primæua quiete remaneat, de virtute in virtutem eat aſſidue, & quibuſlibet amotis præpedimentis, eradicatiſque ſpinis & tribulis, fructum non ſolum conſuetum, ſed etiam vberiorem afferat, ad radicalem ſubmotionem turbationum & ſcandalorum huiuſmodi iam exortorum, & ne oriantur in poſterum prouidere, ac eiuſdem Ordinis protectoribus qui erunt pro tempore (cum nullus ſit ad præſens Ordinis præfati protector) tranſgreſſionis ſuæ poteſtatis occaſionem tollere efficaci remedio cupientes, Auctoritate Apoſtolica, eiſdem Protectoribus diſtrictius inhibemus, ne præſumant quæcumque ordinata, ſtatuta, ſiue diſpoſita, aut ordinata, ſtatuenda, ſeu diſponenda per generalia, vel prouincialia, aut cuſtodialia Capitula, infringere, reprobare, corrigere, ſuſpendere, ſuper ipſis, ſeu contra ea vel eorum aliquid quomodolibet immutare, niſi contra præmiſſos articulos in præfata regula vt præfertur, vel aliquem ipſorum exiſteret manifeſte.

Prælatorumque & officialium priuationem.

§. 6. Aut quemcumque Prælatum ſeu officialem dicti Ordinis, ſeu alicuius loci eiuſdem, quocumque nomine nuncupetur, ponere ſeu inſtituere, aut deponere, deſtituere ſeu priuare, aut à ſuo officio ſuſpendere, ſeu impedire ſuper eius libero exercitio quouis modo.

Ad gradus promotionem.

§. 7. Aut aliquem fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum aut quamcumque lecturam, ſeu ſtudium vel gradum promouere, aut promotos, ab eis remouere ſeu etiam reuocare.

Fratrum mutationem.

§. 8. Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, ſiue alicui fratrum eorumdem eundi ad quodcumque Monaſterium vel locum alium, aut dominum, vel aliquam perſonam, licentiam impartiri.

Pœnamque & gratiam.

§. 9. Et ne ſuper quemuis ſingularem fratrem memorati Ordinis, de quocumque crimine vel delicto punire, vel à pœna ſeu pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare.

Rerum Ordinis conceſſionem.

§. 10. Aut etiam alicui fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius vſui deputare.

Prælatorum iuſſus mutationem.

§. 11. Aut quæcumque per Prælatos eiuſdem Ordinis, aut alios deputata quomodolibet amouere.

Regulaque immutationem.

§. 12. Nec etiam de rebus aut correctione fratrum dicti Ordinis (niſi in caſibus præmiſſis contentis in præfata regula ſeu eorum aliquo) ſe aliquatenus intromittere quouis modo, ita quod dictus Ordo ſeu fratres eiuſdem Ordinis in nullo ſubſint futuris Protectoribus, niſi dumtaxat in caſu quo ipſorum fratrum communitas vel generale Capitulum, quod abſit, à prædictis articulis, vel eorum aliquo deuiarent. Alioquin ſi ſecus fecerint id decernimus irritum & inane.

Fratribus contraria impetrari prohibet.

§. 13. Et nihilominus fratres, qui contra huiuſmodi inhibitionem noſtram quicquam impetrabunt, ſeu poſt inhibitionem huiuſmodi vtentur etiam per alios impetratis, puniantur illis pœnis quibus eſſent pro grauibus culpis ſecundum ſtatuta dicti Ordinis puniendi, & ſint nihilominus actibus priuati legitimis, & à ſuis, ſiqua habent, ſuſpenſi officiis ipſo facto.

Protectores ad prouidam protectionem hortatur.

§. 14. Ceterum nos eoſdem futuros Protectores hortamur attentius, quod per facti efficaciam ſic nominis ſui officij procurent effectum, quod Ordo ipſe per eos non lædatur in aliquo, ſed potius ab aduerſis (ſi quando forſitan imminebunt) ſuo opportuno defenſionis clypeo protegatur, & à noxiis præſeruetur. Sic acturi prouide, & æquitatis ac modeſtiæ limites ſeruaturi, vt non trahatur ad noxam quod prouiſum extitit ad ſalutem; ſed ex caritatiuis geſtis eorum, Ordo præfatus quietem & conſolationem percipiat, & Protectores magnum apud Deum præmium ſortiantur, & ſuper contrario non oporteat dictæ Sedis prouidentiam aliud remedium adhibere.

Nulli ergo, &c.

Dat. apud Pontem Sorgiæ Auenionen. Diœceſis, ſexto Kal. Iunij Pontificatus Noſtri Anno Tertio. *D.P. A. 3. die 25. Maij.*

Quod Officiales Status Eccleſiaſtici, neminem cogant, ad granum, ligna, & ſimilia, abſque ſolutione iuſti pretij ſibi deferendum. V.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1373.*

RElcuationi iniuſtorum grauaminum noſtrorum ſubditorum, præſertim pauperum, prouidere pietatis ſtudiis cupientes.

Quod Gubernatores, & alij Officiales grauare non poſſint ciues, & alios ad eis deferendum granum, ligna & ſimilia abſque vlla mercedis perſolutione.

§. 1. Vniuerſis, & ſingulis Apoſtolicæ Sedis Legatis, ac Vicariis Gubernatoribus noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, etiamſi ſint Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Theſaurariis, & Rectoribus generalibus, necnon Rectoribus, & Mareſcallis, ac Poteſtatibus, Capitaneis, Depoſitariis, Iudicibus, Caſtellanis, & aliis quibuſcumque officialibus noſtris, & eiuſdem Eccleſiæ, quocumque nomine nuncupentur, præſentibus & futuris in ciuitatibus Bononiæ & Peruſij, earumque Communitatibus, & diſtrictibus, necnon Romandiolæ, Marchiæ Anconæ, Ducatus Spoletani, Patrimonij Beati Petri in Thuſcia, Campaniæ, Maritimæ, & Maſſæ Trabariæ prouinciis, & aliis ciuitatibus, terris, & locis dictæ Eccleſiæ immediate ſubiectis. (quorum nomina haberi volumus præſentibus pro expreſſis) tenore præſentium diſtrictius inhibemus, ne frumentum, & alia blada, vinum, ligna, fœnum, paleas, aut res alias ad ipſorum, ſeu officialium, familiarium, & hoſpitiorum ſuorum, vel aliorum quorumcumque vſum ſpectantia, per ciues, & incolas dictarum ciuitatum, communitatum, diſtrictuum, prouinciarum, terrarum, & locorum, ſeu per ipſorum ciuium, & incolarum nauigia, currus, aut animalia, gratis, ſine iuſto, & integro naulo, & præmio ſtatim ſoluendo deferri faciant, ſeu compellant.

Clauſula derogatoriae.

§. 2. Non obſtantibus ſtatutis, conſtitutionibus, mandatis,

datis, & consuetudinibos contrariis quibusenmqoe quæ per præsentes reuocamus, cassamus, & viribus vacuamus.

Contrauenientium pœna. §. 3. Nos enim, omnia & singula præcepta, damna, mulctas, condemnationes, & alias pœnas, si qua contra nostram huiusmodi inhibitionem, sint vel iu posterum fuerint attentata, ex nunc decernimus irrita, & nullius penitos existere firmitatis. Et nihilominus, omnes & singuli qui contra nostram prædictam inhibitionem, siue ex sua temeritate, sioe ex alieno mandato venire præsumpserint, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, conditionis existant, etiamsi Pontificali, aut alia quavis fulgeant dignitate, præter dictæ Eeclesiæ Cardinales, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, & duplum eius, quod pro prædictis soluere debuerint, illis quos super præmissis grauauerint, restituere teneantur, nulla in hac parte remissione, directe vel indirecte facienda eis aliquatenus valitura. Qua quidem sententia (cuius absolutionem Sedi Apostolicæ specialiter reseruamus) nullus possit absolui, nisi satisfactio, & duplum huiusmodi realiter fuerint primitus persoluta. Nulli ergu, &c.

D.P. A. 3. die 25. Iun. Dat. apud Pontem Sorgiæ, Auenionensis diœcesis, 17. Kalend. Iulij, Pontificatus nostri Aono 3.

VI. Religiosi cuiuscnmque Ordinis etiam Mendicantium, quamvis Sedis Apostolicæ sint Capellani, eorum Superioribus subiecti remaneant.

Quinimo sine eorundem Superiorum licentia, obsequys Prælatorum & Principum se subycere nequeunt, ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 4.

Edita An. D. 1573. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. PEr Romani Pontificis prooidentiam circumspectam, sic Sedis Apostolicæ priuilegia & indulta moderari digoosenntur, quod in eis materia malignandi nulli detur, ac personæ, quæ sub Religione vacare debent studio piæ vitæ, à booo obedientiæ, & perseuerantia diuini seruitij nullatenus retrahantur.

Causa declarationis. §. 1. Sane nuper ad nostrum relatione fide digua peruenit auditum, quod nonnulli Religiosi etiam Mendicantes qui in Capellanos Sedis Apostolicæ se recipi procurarunt, propterea bonum obedientiæ & correctionem recusantes, per Mundum perplurimum sine suorum Superiorum licentia, sæpius euagando discurruot, & quaodoque ad Romanam Curiam accedunt, asserentes sine suorum Superiorum licentia se boc facere posse.

Declaratio de qua in rub. §. 2. Nos igitur in præmissis provt ea debito tenemur Pastoralis officij salubriter prouidere cupientes, auctoritate Apostolica teoore præsentium statuimus, volumus & etiam ordinamus, quod omnes & singuli Religiosi quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium dictæ Sedis Capellani, qui sunt & ioantea erunt, perinde eorum Superioribus & Correctoribus ipsorum, in omnibus & per oionia sint subiecti, ac si prædictæ Sedis Capellani non essent.

Claus. derogatoria. §. 3. Non obstantibus exceptionibus seu exemptionibos, & aliis quibuscumque priuilegiis, indulgentiis, gratiis, literis Apostolicis, Capellanis dictæ Sedis & alias communiter vel diuisim sub quacumque forma & expressione verborum à dicta Sede concessis, & io posterum concedendis, etiamsi de illis plena & expressa mentio de verbo ad verbum io præsentibus sit habenda, quæ quoad hoc alicui in nullo volumus suffragari. Nulli ergo, &c. nostræ constitutionis, voluntatis, & ordinationis infringere, &c.

Dat. P. A. 3. 8. Nouemb. Dat. Auenione, 5. Idus Nouemb. Pont. nostri Anno 3.

VII. De auctoritate & facultatibus, munereque Magistri generalis & aliorum Prælatorum, Fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici, gratiisque & priuilegiis eiusdem Ordinis.

Ampliauit eiusmodi gratias, & alias concessit Sixt. IV. infr. in eius const. 7. Regimini. Sed pro eorum moderatione est præcipue attendendu constit. 22. Leon. X. Dum intra, & Concilium Tridentinum confirmatum à Pio IV. in suu const. 94. in Principis, Verumtamen ulia priuilegia concessit Pius V. in constit. 11. Dum ad vberes, cum ibi indicandis. De toto autem isto Ordine prædicatorum dixi plene supra in constit. 2. Hon. III. Religiosam.

Edita An. D. 1574. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Magistro, Prioribus, & Fratribus vniuersis Ordinis prædicatorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium. VIrtute conspicuos sacri vestri Ordinis professores, qui contemplationi cœlestium feruenter iouigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicæ circumspectionis auxilium sic prouide dirigi, sollicite confoueri, vt alicoius præreatu calumoiæ, nullum internæ pacis excidium, nullumque Religiosi status perferant detrimeotum, sed in his robur & vigorem habeant, per quæ circa cultum Diuini nominis deuotis & quietis mentibus inualescant.

Causa huius constit. §. 1. Hinc est, qood cum sicut nobis exponere curauistis, tu fili Magister, & prædecessores tui, iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem obseruatam hactenus, ac à Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum prædicti Constitutiones Ordinis extitistis, fratrum ipsius curam gesseritis, Magisterij officium, plene ac libere, in omnibus exercentes, iidemque fratres vobis, deuote ac humiliter obedierint, & intenderint reuerenter, ac in eodem Ordine sit statutum, vt Magister ipsius qui pro tempore fuerit, à Magisterij officio amoueri valeat à Definitoribus Capituli generalis.

Magister generalis statim electus libere Ordinem gubernat. §. 2. Nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum præfatæ Sedi immediate subiectum, à Sede approbatum eadem, honestate floridum, præclarum scientia, & virtute fæcundum, priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati, deuotioni vestræ ad iostar felicis record. Bonifacij VIII. & Benedicti XI. Rom. Pont. prædecessorum nostrorum, vt successores tui, fili Magister, qui erunt pro tempore, statim postquam electi secundum Constitutiones fuerint supradictas, eo ipso veri eiusdem Ordinis Magistri effecti, curam animarum fratrum ipsios Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipsosque fratres auctoritate propria ligare ac soluere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quæ ipsi, & præfati Ordinis Definitores iuxta prædictas Coostitutiones eisdem Ordini & fratribus secundum Deum viderint expedire, aliasque possint officium Magisterij licite in omnibus exercere, iidemque fratres, tibi Magistro, & successoribus tuis, deuote & humiliter, obediant & intendant.

Definitores Capituli generalis eum remouent. §. 3. Et præfati successores, & tu magister, à Definitoribus Capituli generalis Ordinis ipsios, secundum Ordinis Constitutiones eiusdem, absolui & amoueri possitis, auctoritate Apostolica indulgemus. Ratum habentes & firmum, quicquid super præmissis per te Magister, dictosque prædecessores, fratres, & Definitores factum & obseruatum est hactenus, concessa tibi exequendi magisterij officium, quoad præmissa omnia, & alia, libera facultate.

Lectores vbique sed non in Studijs generalibus absque licentia legunt. § 4 Fratres autem de Ordine vestro, quos secundum Constitutiones ipsius Ordinis Conuentibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine alterius cuiuscumque licentia, libere in domibus prædicti Ordinis legere, & docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget Studium generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus, vt Magister incipere solemniter consueuit.

Circa instituta Ordinis nihil est ab Ordinarijs quærendum. §. 5. Et licet Episcopis & Diœcesanis, debitam & deuotam obedientiam impendatis, nolumus tamen, quod circa instituta, & præcipuè super institutione & destitutione Priorum eiusdem Ordinis, ex hoc præiudicium aliquod incurratis.

§. 6. Quan

Circa electionem Priorum non confirmatorum superior prouidet.

§.6. Quando verò in aliquo Capitulo, vel Conuentu vestri Ordinis, de Prouinciali vel Conuentuali Priori occurrerit electio facienda, si ex aliqua causa factam electionem à fratribus eiusdem Ordinis quorum interest, non contingat forsitan confirmari, Superior ad quem confirmatio electionis huiusmodi pertinet, aliquem de illis fratribus quos ipsi electores, vel maior pars eorum per literas suas ab eo petierint, quando ad ipsum pro electi confirmatione transmittunt, eis de nostra licentia concedere valeat Priorem.

Vocalibus longe absentibus non currit tempus.

§.7. In electionibus quoque eorundem Magistri, & Priorum prouincialium ipsius Ordinis, fratribus, qui debent electionem huiusmodi celebrare (cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire) tempus super hoc statutum à iure non currat, nec ipsi in hac parte iuris regulis coarctentur.

Fratres absque examine, ab Episcopus sunt promouendi. Conc. Trident. hoc reuocat. sess. 7. c. 11. & sess. 23. cap. 12.

§.8. Et quia eiusdem Ordinis fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittuntur, propter quod stabilem & perpetuam in certis & determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos & idoneos, ac probatos à vobis fratres facitis ad ordines promoueri, liceat vobis ordinando fratres eiusdem Ordinis, quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus, communionem & gratiam Apostolicæ Sedis habentibus, præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos à vobis fratres sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum fratrum, ad ordines promouere.

Oratoria, & altare portatile habere possunt.

§.9. In locis autem in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari portatili possitis missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, ac etiam recipere Ecclesiastica Sacramenta.

Celebrant tempore interdicti. Hoc ampliat. Sixt. IV. est in rub. Sed attende Conc. Trid. sess. 25 cap. 12.

§.10. Cum generale interdictum fuerit, in Ecclesiis & Oratoriis vestris, & aliis quibuscumque, cum ad loca peruenentis Ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis interdictis & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, liceat vobis celebrare diuina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta, dummodo causam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis specialiter interdici, nec Ecclesiæ, vel Oratoria ipsa fuerint specialiter interdicta. Iis verò qui in vestris morantur obsequiis, cũcta libere ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decedunt in vestris Oratoriis sepelire. Si quando autem in terris in quibus residetis, vel earum personas, excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari pueri vestris seruitiis deputati, negotiorumque vestrorum procuratores, & operarij qui in vestris locis, eorum operibus personaliter continue institerint, huiusmodi sententiis obnoxij minime habeantur, ibique possint audire diuina, iuxta formam quæ locis ipsis, eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi eisdem causam dederint, vel excommunicati specialiter, seu interdici contingat eosdem. Et quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pio studio, bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis, concedimus, vt in excommunicatorum terris libere commorari, & ab eis tunc etiam quando vos, vel ipsos transire contigerit, necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeatis.

Facultas prælatorum Ord. absoluendi fratres. Hoc ampliauit Pius IV. in constit. 112. Romani. Vide tamen Bullam 115. Clem. VIII. Quæcumque.

§.11. Magister quoque, & singuli Priores, Prouinciales & Conuentuales, ac vices eorum gerentes in Prouinciis, & Conuentibus, ac locis sibi commissis pro dictis fratribus constitutis ibidem, necnon & fratribus aliis eiusdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus vndecumque, absolutione & dispensatione indigentibus, siue priusquam intrauerint Ordinem, siue post, in casibus quibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrerint sententias, à iure vel à iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto diuina officia celebrantes, vel suscipientes ordines sic ligati notam irregularitatis incurrerint, absolutionis & dispensationis beneficium valeant impartiri, nisi adeo grauis fuerit, & enormis excessus, quod sint ad eandem Sedem merito destinandi.

Fratres absoluunt beneficio Prælatorum. Tu attende d. Bullam Clem. VIII.

§.12. Fratres etiam vestri quos pro tempore vos Magister & Priores, tam Prouinciales, quã Conuentuales eorum & vices vestras gerentes, in proprios habueritis Confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis (cum expedierit) valeant impartiri, iuxta formam concessionis superabsolutione, & dispensatione fratrum eiusdem Ordinis superius vobis factæ.

Prælati Ordinis absoluunt venientes ad eum à consiliis, &c. Ad hoc vide d. Bullam Clem. VIII.

§.13. Ad hæc, volentibus vestro aggregari Collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis à iure vel à iudice promulgatis, generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium (obseruata forma Canonica) impartiri, ipsosque in fratres recipere, ac eos qui post assumptum habitum, vel professionem emissam, recoluerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam, vos Magister, & singuli Priores, Prouinciales, & Conuentuales, ac vices vestras gerentes, valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsitã talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, vel ordines susceperint, ita tamen, quod si aliqui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, satisfaciant vt tenentur. Cæterum vestra discretio caute prouideat, vt Apostolicæ Sedis, Legatorum ipsius, & Ordinariorum locorum, in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur.

Fratres non coguntur ad hoc expressa. Tu quoad pist... Moniales... commissa... tiorum obser. ... Conc. Trid. sess. 25. c. 14.

§.14. Porro quieti vestræ prouidere volentes, quod per literas Apostolicæ Sedis, aut Legatorum, seu delegatorum ipsius, conueniri à quoquam minime valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inuiti per literas ipsius Sedis de cætero impetrandas quodque nullus vestrum correctionis, seu visitationis, vel inquisitionis officium, Monasteriis, vel Ecclesiis, siue quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium, & denuntiationes sententiarum, interdicti, & excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum teneatur, per Apostolicas literas impetratas, & in posterum impetrandas, nisi huiusmodi Apostolicæ literæ, de hoc indulto, & Ordine vestro expressam fecerint mentionem, auctoritate vobis Apostolica indulgemus. Concedimus etiam, vt ad visitandum aliqua Monasteria Monialium cuiuscumque Ordinis compelli aliquatenus non possitis, aut recipiendum commissiones causarum, seu sententiarum executiones, vel alia contingentia causas ipsas, per literas præfatæ Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis, siue per Legatos vel delegatos ipsius. Nullus insuper Archiepiscopus, vel Episcopus, nullusque alius Prælatus Ecclesiasticus, vel eorum Vicarij, vel officiales, ad portandum, vel deferendum literas, vel exequendum, aut denuntiandum sententias contra Principes sæculares, Communitates, Populos, seu quoscumque benefactores vestros nullusque delegatus, vel Ordinarius iudex, ad faciendum citationes vel commissiones recipiendas, siue quod sitis in causis aliquibus assessores, seu ad alia lites & controuersias contingentia, in causis quæ coram ipsis tractantur, quemquam vestrum compellere valeant, sine prædictæ Sedis mandato, & licentia speciali, expressam faciente de hac indulgentia mentionem, nec quisquam vestrum parere, vel intendere teneatur super his monitionibus, & mandatis, aut iussionibus eorundem, aut facere, vel implere, quod in hac parte duxerint iniungendum.

Prælati Ordinis reuocant fratres morantes extra Ordinem. Hoc idem voluit Concil. Trid. sess. 25. cap. 4.

§.15. Cæterum Magistri, & singuli Priores, Prouinciales, atque ipsorum Vicarij, illos ex fratribus de quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ipsius, Archiepiscopis, & Episcopis, vel aliis quibuscumque prouisum extitit, vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac non obstante contradictione aliqua, possint ad suum Ordinem reuocare, nec per literas eiusdem Sedis, seu legatorum ipsius iam de cætero obtinendas, aliquos de fratribus ipsius Ordinis, præfatis Archiepiscopis aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictæ literæ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi, & Ordine ipso expressam fecerint mentionem, & alias id honestati Ordinis; & illorum saluti viderint expedire. Nullus autem Legatus nisi de latere nostro missus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ specialem

de

de hoc indulto, & Ordine vestro oon facientibus mentionem, nullusque Prælatus, aut aliqus persona religiosa vel secularis, de fratribus eiusdem Ordinis, seu Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, ad sua, seu Ecclesiæ negotis procuranda, vel secum manendum, aliquos assomere valeat, nisi quos Magister, vel Priot prooincialis ipsorum, tanquam idoneos & discteros sibi duxesint assignádos, quos esiam volumus subiacere Ordinis disciplinæ.

Missos à Sede Apost ad prædicandum, &c.

§. 16. Illos verò Ordinis ipsius fratres, qoi ad prædicandum crucem, vel inquirendum contra hæreticam prauitatem, seu ad alia huiosmodi negotia sunt, vel fuerint deputati, vbicumque à Sede Apostolica, tu fili Magister tuique successores temouere, seu reuocare, & penitus transferre, ipsisque quod supersedcant iniungere, aliosque substituere, cum expedire videritis, licite & libere valeatis, ac in eos, si contrauenerint, censuram Ecclesiasticam exercere, ac quilibet Prior prouincialis, vel eius Vicarius eiusdem Ordinis, id ipsum in sua prouincia circa fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similis contigerit in illa committi, facere possit, non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis Apostolicis, impettatis vel in posterum impetraodis, quæ de hoc non fecerint mentionem.

Professi recedentes ab Ordine absq; licentia, coercentur vna cum eos retinentibus.

§. 17. Inhibemus quoque, ne qois post professionem in Ordine vestro factam, ab ipso Ordine sine magistri, vel sui Prioris licentia discedat, discedentem verò absque cautione literarum alterius ipsorum prætestu alicuius priuilegij Apostolicæ sedis, nullus sudeat retinere. Quod si forte tetinere præsumpserit, vobis Magister, & singuli Priores dumtaxat, & vestris Vicariis licitum sit in vobis discedentes fratres excommunicationis sententism promulgare, detinentes verò eosdem secum, vel in Monasteriis, seu Ecelesiis suis (nisi eos eiecetiot) postquam eis denuntiatum fuetit, excommunicaoonis sententiæ volumus subiacere, non obstante quod excommunicari, suspendi, vel ioterdiei non possint per literas Apostolicas noo facientes plenam & expressam de indulto huiusmodi mentionem.

Et etiam licentiati si ad strictiorem Ordinē non trāsiuerint.

§. 18. Si verò aliqui de frattibus vestri Ordinis post obtentam licentiam à Sede prædicta, aut à vobis, ad religionem aliam transeundi, infra duos vel tres menses se ad illam religionem suæ saluti congruam non contulerint, & ipsius non susceperint habitum regularem, licitum sit vobis singulis, Magistro & Prioribus, ac vices vestras gerentibus, cootra ipsos, tanquam contra alios vestri Ordinis apostatas procedere, secundum quod honestati dicti Ordinis videtitis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius religionis, infra tempus probationis nulls professione facta, inde præsumpserint tesilire, aut etiamsi post professionem huiusmodi ad religionem laxiorem, seu mitiorem Otdioem transierint, vel (quod absit) ad sæculum teuertantur, vos, volumus contra ipsos rigorem vestri Ordinis exercere.

Apostatæque imo correctur etiam ab Episcopo ex Conc. Trident. sess 6 cap. 3.

§. 19. Apostatas quoque vestri Ordinis esecommunicare, capere, ligare, incarcetare, & aliss subdere disciplinæ rigori possitis, per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu contigerit eos iuueniri, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis.

Eiecti vel egressi nō prædicent, nec ad aliū Ord. recipiantur. Hoc statuerat etiam Alex. iv. die 27. Nouēb 1620. sed eius Bullā ponere non curaui.

§. 20. Inhibemus etiam, ne fratres quos ab Otdine vestto pro suis culpis, per Magistrum vel Priotes, ac eorum Vicarios expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, prædicare, confessiones sudire, seu docere præsumant, nisi ad aliom Ordinem in quo licite huiusmodi esetceaotur officia, transierint, de nostra vel Magistri, seu Prioris, vel Vicariorum ipsorum licentia speciali. Quod si forte ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram, aliquid soper præmissis temere attentare præsumpserint, vos Magistri, & singuli Priores, vel vestri Vicarij, in illos quos infra fines prædicationis suæ, iuxta consuetudinem Ordinis vestri distractos inuenesitis talia perpetrantes, monitione præmissa, auctoritate nostra, excommunicationis sententiam valeatis promulgare. Eiectos autem de Ordine vestto, vel egressos, qui receptione in eodem ordine suis culpis exigentibus reddiderint se indignos, & alios fratres eiusdem Ordinis ex tationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos (præterquam ad B. Augustini hospitalariorum, & aliorum religiosorum arma portantium) ad vitandam occasionem euagandi vos Magister, & singuli Priores, seu vestri Vicarij, cum testimonialibus literis, auctoritate nostra, licentiandi liberam babeatis facultatem. Nos enim districtius inhibemus ne tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere seu retinere præsumant, absque licentia speciali Sedis Apostolicæ faciente de hoc plenariam mentionem.

Habitus consimilis cæteris alius prohibetur.

§. 21. Inhibemus etiam, vt nulli, siue sit in religionis Otdine, siue extra Ordinem constitutus, habitum vestrum, aut ita consimilem, quod propter eum frater prædicator eredi possit, deferre liceat, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Et vt dicta inhibitio maiorem consequatur effectum, statuimus, vt hi qui habitum vestrum, aut sibi similem prædicto modo deferre præsumpserint, ad deponendum ipsum per Diœcesanos locorom (cum à vobis requisiti fuerint) monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellaotur.

Exemptio à decimis. Tu vide ampliationem exemptionem Pij V. in eius const. 21. Dum ad vberes.

§. 22. Cæterum, cum humilitas vestra sibi de latitudine Orbis tetræ nihil præter domos, & hortos cum virgultis, præmiorum obtentu cœlestium duxerit reseruandum, nos pie volentes, quod illorum fructus vestræ paupertatis vsibus applicentur, vt de dictis hortis, & virgultis vestris nulli decimam teneamini eshibere, vobis auctoritate præsentium indulgemus, districtius inhibendo, ne quis à vobis de præmissis aliquid esigere, vel extorquere præsumat.

Incerta quæ habent intrantes Ordinem possunt eorum locis applicare.

§. 23. Quia verò nonnulli vestræ religionis habitum assumentes, diuersis personis, quæ sciri & inueniri non possunt, aliqua bona restituere interdum tenentur, vobis Magistro, & Prioribus, ac vicariis prædictis concedimus vt singuli vestrom, in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus conuertete valeant, prout secundum Deum viderint expedire.

Sepultura in locis Ordinis omnibus datur. Ampliatur inf. a Sixt. IV. eis sub rub.

§. 24. Sepulturam quoque in locis, Cœmeteriis, & Ecclesiis vestris concedimus, & eam liberam esse censemus, vt eorum deuotiooi, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri desiderauerint (nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publice vsurarij fuerint) nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Sepel re nominem coguntur.

§. 25. Districtius iohibentes, vt vlli Religiosi, vel sæculares, vobis inuitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris Cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris missarum solemnia, vel pro animabus eorum qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem esequias celebrate, sine vestto assensu & voluntate præsumant.

Fratres quādo extra Ordinem confiteantur. Hoc declaratur à Sixt. IV. eis sub rub.

§. 26. Inhibemus insuper vniuersis frattibus Ordinis vestri, ne aliqui eorom, alij quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis vrgente articulo, vel nisi forsan Magister, vel Priot proprius alicui fratri dederit fratti alteri eiusdem Ordinis licentiam confitendi.

Ad Synodos &c. non coguntur, & Monasteria ædificare non impediantur. Quoad processiones, concessiones contrariam statuit Concil. Trid. sess. 25. c. 13. Et circa vltimum attende Bullam 99. Clement. VIII Quoniā, cum ibi notandis.

§. 27. Vniuersis autem Ecclesiarum Prælatis, & aliis inhibemus, ne confessiones vestras vobis inuitis audire, vel compellere vos ad Synodos, seu conuocationes suas accedere, vel cum eis estra ciuitatem, vel intra processionaliter esire, aut suis constitutionibus subiacere, vel capitula, scrutinia, vel inquisitores in locis vestris, vel alibi, de vobis facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, & annualem obedientiam à Prioribus, & Superioribus vestris exigere, aut de ipsorum institutione, vel destitutione siue de statutis vestri Ordinis se aliquatenus intromittere, seu prohibere, ne ad Ciuitates, vel Villas vbi religiose, & honestè commorari possitis, à populis euocati audeatis accedere, ibique pro vestris vsibus construere ædificia, Ecclesias, seu Oratoria, aut io accedentes fratres, seu construentes huiusmodi, vel receptatores ipsorum, excommunicationis sententiam ferre præsumant.

Exemptio à canonica portione. Vide ampliationē in const. Sixt. IV. eis sub rub.

§. 28. Concedimus quoque vobis, vt de illis quæ in ornamentis vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue aliis ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pitantiis, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quarum solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligati noscuntur, vel de domibus

mibus, prædiis & hortis, aliisque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de his quæ pro huiusmodi domibus, prædiis, hortis, & locis emendis vobis legantur (dummodo præmissa non conuertantur in alios vsus, sed in illos duntaxat pro quibus relinquuntur) aut alios etiam qui in hac concessione vel indulgentia continentur, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus, de præmissis, aut de his quæ vobis in vltimis voluntatibus absolute legantur, vel alias pro vestris necessitatibus conferuntur, al quid exigere, vel extorquere præsumat, districtius inhibemus.

Dimittendo loca Ordinis, omnia possunt ad alia Monasteria trāsferre, &c. §. 29. Ad hæc, liceat fratribus vestri Ordinis, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam ædificia, seu omnem ædificiorum materiam locorum quæ dimittunt (dedicatis Ecclesiis duntaxat exceptis) quam libros, calices, & paramenta, secum ad alia loca transferre, ac ædificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, præter Ecclesias vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum ad quæ dicti fratres se transferunt, ædificationem seu alias in eorum vtilitatem conuertere, secundum quod eis videbitur melius expedire. Et ne aliqui Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alij Ecclesiarum Prælati, seu quæuis alia persona, Ecclesiastica vel sæcularis, prædicta loca seu bona occupare, accipere vel vsurpare, aut quoquo modo sibi vendicare præsumant, absque dictæ Sedis licentia speciali districtius inhibemus.

Exemptio à contributione & subuentione legatorum, &c. §. 30. Indulgentes vobis, vt ad præstationem procurationum Legatorum Sedis prædictæ, vel nuntiorum ipsius, seu Diœcesanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, seu subsidiorum, vel prouisionum quarumcumque minime teneamini, nec ad ea soluenda per literas dictæ Sedis, aut Legatorum, aut Nunciorum eiusdem, seu Rectorum terrarum Ecclesiæ Romanæ, impetratas seu in posterum impetrandas, cuiuscumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli possitis, nisi dictæ Sedis literæ impetrandæ, plenam & expressam de indulto huiusmodi, & dicto Ordine fecerint mentionem.

Exemptio à iurisd. Ordin. Sed attendēda est Bulla 39. Clē. viij. §. 31. Cæterum, cùm fel. record. Innocentius Papa IV. prædecessor noster, olim duxerit statuendum, vt exempti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen, ratione delicti seu contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur rite possint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc suam in illis iurisdictionem prout ius exigit, exercere. Nos vobis vt occasione constitutionis huiusmodi, nullum, libertatibus & immunitatibus, vobis & Ordini vestro, per priuilegia & indulgentias ab Apostolica Sede concessis, vel in posterum concedendis, præiudicium generetur, auctoritate præsentium indulgemus, decernentes vos seu personas vestri Ordinis, in prædictis casibus, Ordinariis ipsis minime subiacere.

Attentata in contrarium à Pont. annullantur. §. 32. Decernimus ergo irritum & inane, quicquid contra tenorem concessionum, constitutionum, & inhibitionum huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem, in vos, vel vestrum aliquos, vel loca vestra, seu benefactores, vel executores, aut hæredes prædictos in posterum promulgati contigerit, penitus non tenere.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 4. die 6. Martij. Dat. Auenione, 2. nonas Martij, Pont. nostri anno 4.

VIII. Clerici illegitimi non admittantur ad Canonicatus, &c. Ecclesiarum Patriarchalium S. Ioannis in Laterano, S. Petri, & B. M. Maioris de Vrbe absque speciali Sedis Apostolicæ dispensatione.

Quinimo Romanis Ciuibus tantum conferri iubet Leo X. inf. in eius const. 1. Dum singularem.

Quod verò ad alias qualitates sic promouendorum vide Concil. Trident. sess. 24. cap. 12.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Edita An. D. 1347.*
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Illegitimi nō dignitates & officia Ecclesiastica admitti nō possunt; vt in ei nunc de fil. presbyt. ETsi à sacris Canonibus ad decorem Ecclesiarum, & in desiccationem illegitimorum natalium, tam sanctè quam prouide inhibitum demonstratur, quod illegitime nati absque dispensatione canonica, ad Canonicatus & præbendas, ac dignitates, personatus, & officia, aut alia Ecclesiastica beneficia, inhabiles habeantur hoc in Patriarchalibus Ecclesiis Vrbis tanto dignius conuenit obseruari, quanto illæ cæteras Orbis Ecclesias maiori dignitate præcellunt, & honestiori debent decorari obsequio ministrorum.

Et modò his Pont. admitti prohibet in Patriarchalib. Ecclesiis Vrbis absque speciali Sed. Apost. dispensatione. §. 1. Ea propter hac perpetua constitutione statuimus, quod de cætero nullus Clericus defectum natalium patiens, in Lateranensi, vel B. Petri Principis Apostolorum, aut B. Mariæ Maioris Patriarchalibus Ecclesiis dictæ Vrbis, vel aliqua earumdem, Canonicatum, & præbendam, aut dignitatem, personatum, vel officium, prætextu cuiuscumque dispensationis sibi super eodem defectu, sub quacumque forma, seu conceptione verborum à memorata Sede, iam forsan concessæ (cuius auctoritate nondum quis fuerit Canonicatus & præbendas, dignitates, personatus, vel officia huiusmodi assecutus) vel de cætero concedendæ, etiamsi dispensatio ipsa contineat, quod in quibusuis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus Ecclesiis possit Canonicatus, & præbendas, dignitates, personatus, vel officia licite obtinere, si sibi canonice conferantur, nisi de prænominatis Ecclesiis Patriarchalibus dictæ Vrbis, seu illa ex eis in qua Canonicatus & præbendæ, aut dignitates, personatus, vel officia huiusmodi, seu aliquod ex eis, impetrata fuerint, & toto tenore præsentium in literis dispensationis huiusmodi caueatur expresse, valeat obtinere.

Decretum irritans. §. 2. Decernentes ex nunc, irritum & inane si secus contigerit attentari.

Limitatio prohibitionis. §. 3. Per præsentem autem constitutionem illis, qui defectum huiusmodi patientes, in Prædictis Ecclesiis, vel ipsarum aliqua, Canonicatus, & præbendas, dignitates, personatus, vel officia canonice nunc obtinent, nolumus in aliquo præiudicium generari.

Nulli ergo, &c.

D. P. A. 4. die 11. Nouemb. Dat. Auenione, 3. Idus Nouembris, Pont. nostri anno quarto.

IX. Quod in Ecclesia S. Ambrosij ad Nemus, Mediolanensi, ob reuerentiam eiusdem Sancti, Fratres S. Ambrosij nuncupandi, sub Regula S. Augustini religiosam vitam ducant, Ambrosianumque officium recitare possint.

Hi fratres sub vna Congregatione redacti sunt, cuius caput Monasterium prædictum constitutum fuit. Munusque suorum Prælatorum præfinitur ab Eugen. IV. inf. in eius const. 22. Regiminis. Et isti Congregationi vnita fuit etiam Congregatio Fratrum S. Barnabæ à Six. V. & vnionem confirmauit Paul. V. inf. in eius const. 15. Pastoralis.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Edita An. D. 1375.*
Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Priori & Fratribus Ecclesiæ sancti Ambrosij extra muros Mediolanensis, in fine suburbij portæ Cumanæ Consistentis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Proœmium. CVpientes à sæculi vanitatibus elongati, & relictis mundanis illecebris virtutum Domino sub regulari obseruantia famulari, vt in ea sæcularibus curis exuti, per viam salutis liberius currere possint ad brauium, Apostolicum conuenit præbere consensum, vt cum in huiusmodi suo proposito se foueri conspexerint, in eo fortius exardescant.

Archiepisc. Mediolanen. supplicat Papæ ut fratres in Ecclesia S. Ambrosij ad Nemus Mediolanen. Religiosam vitam ducere possint ob deuotionem d. Sancti qui ad solitudinem ibidem accedebat.

§. 1. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod in vestra Ecclesia, quæ ad Nemus S. Ambrosij nuncupatur, & in qua moramini de præsenti, ab antiquo mutati sunt fratres vnum Priorem habentes, quodque per constitutiones canonicas, & præcipuè per constitutiones fel. rec. Bonifacij Papæ VIII prædecessoris nostri hæsitatis ibidem salua conscientia sub Regula sine licentia Sedis Apostolicæ vitam collegialiter ducere Religiosam. Quare Venerabilis frater noster Symon Archiepiscopus Mediolanensis nobis humiliter supplicauit, vt etiam ob reuerentiam eiusdem B. Ambrosij (qui antequam educeret eum Dominus de vitæ ergastulo huius Mundi, quandoque à multitudine se segregans, ad huiusmodi locum tunc solitarium se transferebat, vt in solitudine deuotius contemplationi diuinæ posset insistere) vobis & statui vestro in præmissis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pont. eis concedit vt Religiose ibi viuant sub Regula B. Aug.

§. 2. Nos igitur qui piis illorum desideriis, per quæ via paratur securior ad salutem, libenter impertimur assensum, volentes super his paterna sollicitudine prouidere huiusmodi dicti Archiepiscopi, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & etiam concedimus quod in præfata vestra Ecclesia, vos & alij fratres qui post vos erunt, ibidem commorari & existere sub professione & Regula B. Augustini valeatis.

Fratresque S. Ambrosij vocentur.

§. 3. Et fratres S. Ambrosij ad Nemus nuncupemini, officium quoque diuinum Ambrosianum dicatis.

Prior eorum vnus sit.

§. 4. Et semper inibi sit vnus Prior qui aliis fratribus præsit.

Et ab Episc. confirmetur.

§. 5. Ac huiusmodi Prioris electio ad huiusmodi fratres, ipsiusque electionis confirmatio, ad Archiepiscopum Mediolanensem pro tempore existentem pertineat.

Habitum eorum Papa designat.

§. 6. Ac vester & successorum vestrorum fratrum dictæ Ecclesiæ habitus, sit scapulare cum cappa desuper. Et intra locum, liceat vobis sine cappa cum huiusmodi scapulari incedere. Fratres verò dicti loci, loco cappæ, scapulare deferant, & totus habitus sit de panno, qui in partibus illis berretinus nuncupatur.

Prædicandi licentiam concedit.

§. 7. Quodque fratres dicti loci ad hoc idonei, petita prius & obtenta licentia à loci Diœcesano, prædicare possint verbum Dei, & confessiones audire.

Mortuosque sepeliendi.

§. 8. Et si aliqui ibidem ex deuotione elegerint sepulturam, eos ibidem sine præiudicio Parochialis Ecclesiæ, & alterius cuiuscumque libere sepelire valeatis.

Transitum ad Regulam non strictiorem, vel beneficium Ecclesiasticum prohibet.

§. 9. Districtius inhibentes, ne aliquis ex fratribus dicti loci ad beneficium Ecclesiasticum etiam curatum, sine licentia Sedis Apostolicæ speciali faciente de prohibitione huiusmodi plenam, & expressam mentionem, transire, vel assumi possit, immediate nec mediate in fraudem ad aliam Religionem aut beneficium, animarum curam habere valeat, se transferendo. Et si secus attentatum fuerit, id irritum sit & inane. Præmissis, necnon aliis constitutionibus Apostolicis non obstantibus quibuscumque. Per hoc autem non intendimus prohibere, quin ij ex vobis qui non ficta sed vere causa deuotionis ad strictiorem Religionem transire voluerint, hoc possint, prout volunt canonicæ sanctiones. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D.P.A. 5. die 29 Nouemb.

Datum Auenione 3. Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno quinto.

X. Declaratio & extensio priuilegij exemptionis à solutione Decimarum, Congregationis Monachorum Cœlestinorum, Ordinis S Benedicti.

Ordinationes, & gratias huius Congregationis vide supra in Cœlest V. const. 1. Et si cunctos, sup. 153. vbi notaui. Approbationemque priuilegiorum attende in Paulo V. const. 19. Iniuncti.

Edita An. D. 1375.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Abbati Monasterij Sancti Spiritus de Sulmona Valuensis Diœcesis, eiusque Coabbatibus, & Prioribus, ac Prælatis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, Membrorum, & locorum dicto Monasterio Sancti Spiritus subiectorum, eorumque Conuentibus, & Fratribus Ordinis S. Benedicti secundum Instituta B. Petri Confessoris viuentibus, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium.

SAcra, & immaculata vestra Religio, sub qua carnem subdentes spiritui, & motus corporeos rationis moderamine cohibentes, gratæ seruitutis libamina offertis Altissimo, promeretur vt Apostolica Sedes propitiam se vobis exhibeat, & in vestris opportunitatibus gratiosam.

Bened XI. exemptionem à decimis Monasterio de Sulmona eiusque membris concessit quoad bona tunc acquisita.

§. 1. Sane dudum felicis record. Benedictus Papa XI. prædecessor noster; quondam Berardo Abbati Monasterij Sancti Spiritus de Sulmona Ordinis S. Benedicti Valuensis Diœcesis, eiusque Coabbatibus, & Conuentibus aliorum Monasteriorum, & membrorum eidem Monasterio Sancti Spiritus subiectorum dicti Ordinis tunc præsentibus, & futuris in perpetuum gratiose concessit, vt de fructibus terrarum, & possessionum suarum tunc acquisitarum, quas propriis manibus aut sumptibus colerent, siue de hortis, vel de nutrimentis animalium suorum, nullus ab eis decimas exigere, vel extorquere præsumeret.

Ioann XXII. exemptionem ad alia d. Monasterij membra extendit.

§. 2. Ac deinde piæ memoriæ Ioannes Papa XXII. ipsius Benedicti prædecessor noster, Dilectis filiis Abbati & Conuentui prædicti Monasterij S. Spiritus paterno affectu compatiens, ipsosque & prædictum eorum Monasterium, ipsiusque membra condignis munire libertatibus cupiens, voluit, & auctoritate Apostolica decreuit, quod omnia Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ, Capellæ, & quæcumque alia loca post exemptionem prædictam ab eisdem Abbate, & Conuentu licite acquisita, & in posterum acquirenda, cum personis degentibus in eisdem tunc præsentibus & futuris, omnibus priuilegiis, exemptionibus libertatibus & immunitatibus gauderent, & gaudere deberent, quibus dictum Monasterium, & alia Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ, Capellæ, loca, & membra ipsius, quæ dictum Monasterium habebat tempore concessionis, & exemptionis huiusmodi gaudebant, & potiebantur, prout in literis dictorum prædecessorum inde confectis plenius continetur.

Hic Pont. exceptionis dubia exorta esse circa extensionem Ioan. XXII.

§. 3. Cum autem sicut exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, ab aliquibus in dubium reuocari videatur, an huiusmodi extensio dicti Ioannis prædecessoris solum exemptiones, vel omnia alia præmissa concernat pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt ne occasione præmissorum, attenta simplicitate vestra inuoluamini litigiorum anfractibus, prouidere vobis super hoc de benignitate Apostolica dignaremur.

Eam declarat.

§. 4. Nos itaque volentes vos, ac Monasterium, & alia loca vestra ob reuerentiam etiam eiusdem B. Petri, ad quem deuotionem gerimus specialem, fauore prosequi gratiæ specialis, huiusmodi supplicationibus inclinati, vt de possessionibus vestris iam acquisitis (illis tamen exceptis de quibus decimas soluere consueuistis) necnon de noualibus possessionum per vos in posterum iusto titulo acquirendarum, quas propriis manibus, aut sumptibus excolitis, & excoletis in antea, siue de hortis, vel nutrimentis animalium vestrorum decimas soluere non teneamini, necnon ad id à quoquam compelli possitis inuiti, vobis, & per vos vestris Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, membris atque locis auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, de gratia speciali. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 6. die 25. Ian.

Datum Auenione 8. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri Anno sexto.

VRBA

VRBANVS SEXTVS PONT. CCIV.
ANNO DOMINI MCCCLXXVIII.



VRbanus VI. Neapolitanus, Bartholomæus Brignanus anteà dictus, ex Archiepiscopo Barensi, Creatus Romæ die 6. April. 1378. Coronatus 14. Kal. Maij, eodem anno. Vixit annos vndecim, menses 6. dies 7. Creauit Cardinales 58. Obiit Romæ Idib. Octob. 1389. Sepultus in Vaticana Basilica. Vacauit sedes dies 17.

Clemens VIII. Gallus Antipapa, Robertus anteà dictus, ex Gehennensibus Comitibus in Galliarum Prouincia Relatensi, Presbyter Cardinalis Sanctorum Duodecim Apostolorum, Creatus Auenione 12. Kalend. Octobris anno 1378. Coronatus Kal. Nouembris eodem anno sedit contra Vrbanum, & Bonifacium, annos 15. menses 11. dies 28. Creauit Pseudo-Cardinales 37. Obiit Auenione anno 1394. 16. Kal. Octobr. sepultus in Ecclesia Cælestinorum ad pontem Gorgiæ, cui successit Petrus Luna, Benedictus XIII. dictus, de quo infra.

I. Iurisdictio Camerarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ summaria quascumque causas interesse Reuer. Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentes, cognoscendi.

Ad hanc iurisdictionem vide Bullas quas tibi indicaui sup. in const. 1. Vrb. V. Apostolatus, & plene tibi dicam in const. 65. Clemens VIII. In conferendis.

Eandem fere iurisdictionem Camerario dedit postea Bonifac. IX. die 6. Iunij Pontificatus sui anno 2. & Greg. XII. die 24. Iunij anno 1. ac Martinus Quintus die 21. Maij anno 3. quas propterea prætermisi.

Edita An. D. 1379. *VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Marino Archiepiscopo Brundusino, Camerario nostro, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium.



APOSTOLICÆ Cameræ per quam S. R. E. necessitatibus, & incumbentibus oneribus, multipliciter subuenitur, sic tenemur indemnitatibus subuenire commodisque intendere, & dispendiis obuiare, quod ipsius iura debite possint repeti, eiusque officialibus suppetat opportunitas prosequendi.

Causa huius const. §. 1. Sane, quia sæpè contingit, sicut accepimus, quod extra præfatam Cameram super rebus, ac iuribus ad eam pertinentibus, ac super aliis negotiis ipsam tangentibus litigatur, & sæpe coram Iudicibus, de iuribus ipsius Cameræ nullam, vel modicam habentibus rationem, quique per fiscalem aduocatum, seu procuratorem, aut alios ex officialibus eiusdem Cameræ, qui circa ipsam habent insistere, non possunt commode super iis informari, propter quod causæ nimium protelantur, & quodammodo pereunt iura sua.

Iurisdictio Camerarij S. R. E. cognoscendi quascumque causas, interesse R. Cam. Apost. quoquo modo tangentes arbitrio ipsius Camerarij. Tu scias hodie hoc iudicium spectare ad ipsam Cameram, & ibi in eis mouentur, iuxta bullam 65. Clem. VIII. in conferendis.

§. 2. Nos super iis prouidere volentes, & gerentes in Domino fiduciam specialem de tuæ circumspectionis industria, cui principaliter est eiusdem Cameræ cura commissa, cognoscendi, auctoritate Apostolica, per te vel alium, seu alios, de omnibus, & singulis quæstionibus, controuersiis, causis, & litibus præsentibus, & futuris, spiritualibus, Ecclesiasticis, & temporalibus, ciuilibus, & criminalibus, nedum ad ipsam Cameram pertinentibus, sicut est hactenus consuetum, sed etiam de quibuscumque, iura, & negotia ipsius Cameræ, directe, vel indirecte, quoquo modo tangentibus, seu etiam, quæ secundum tuum liberum arbitrium viderentur ea posse tangere quomodolibet in futurum, ipsasque cum emergentibus, & ab eis dependentibus, ac connexis, ac eos quos tangere poterunt, tam personas Ecclesiasticas, quam sæculares, necnon Capitula, Collegia, & Conuentus Ecclesiarũ, & Monasteriorum, ac Ordinum, exemptorum, & non exemptorum Communitatesque & Vniuersitates locorum, prout, & quoties tibi videbitur, ad te, & ad eandem Cameram aduocandi, & citandi per literas, vel nuntium intra, vel extra Curiam, & ad partes etiam, si causæ ipsæ de natura sui, non sint apud Sedem Apostolicam per appellationem, aut alias legitime deuolutæ, necnon in ea tractandæ, seu etiam finiendæ, ac etiamsi coram Iudicibus ordinariis, auditoribus, inquisitoribus, delegatis, subdelegatis, commissariis, executoribus, arbitris, arbitratoribus, compromissariis, seu aliis quibuscumque, etiam per Sedem Apostolicam deputatis, vel deputandis in præfata Romana Curia, vel extra vbilibet pendere, nunc & in posterum dicerentur, etiamsi in ipsis ad litis contestationem processum fuerit, vel vlterius quantumcumque, & etiam super literis ad nos, seu Sedem eandem per viam appellationis, seu simplicis querelæ, vel alias habitus sit, vel in posterum haberetur recursus, dictas causas reassumendi, & reassumi faciendi.

Facultas summarie, & de plano procedendi.

§. 3. Easque per te, vel alium, seu alios audiendi, & examinandi summariè, simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij, & fine debito terminandi, & alias iustitiam omnimodam exhibendi.

Iudicibusque inhibendi & contradictores coercendi.

§. 4. Iudicibus quoque ordinariis, auditoribus, & aliis supradictis inhibendi, ne de causis ipsis post aduocationem huiusmodi cognoscere vel se intromittere quoquo modo præsumant, & quaslibet alias inhibitiones in ipsis causis, ac etiam reuocationes, & sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti per eos promulgatarum, relaxationes, & absolutiones, necnon ordinationes, declarationes, mandata, decreta, monitiones, executiones, & processus quoslibet faciendi, & sententias proferendi, ac omnia alia, & singula faciendi, & exercendi, quæ circa præmissa, vel ea tangentia iuxta tuum liberũ arbitrium videbuntur opportuna. Contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscumque status, dignitatis, ordinis, vel conditionis existant, etiamsi regali, pontificali, vel maiori, aut aliàs quauis præfulgeant dignitate, eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticam compescendi.

Quibuscumque contrarijs non obstantibus.

§. 5. Non obstantibus generalis Concilij, & aliis constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, necnon consuetudinibus, statutis, ordinibus, seu inhibitionibus quibuscumque iuramentorum, aut excommunicationum suspensionis, vel interdicti sententiarum per quoscumque promulgatarum, vel promulgandarum munimine, aut quibusuis aliis firmitatibus roboratis, seu si aliquibus, communiter, vel diuisim à Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contigerit, quod extra, vel vltra certa loca ad iudicium non trahantur, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, &

quibuslibet aliis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & literis generalibus, vel specialibus, Ecclesiis, Monasteriis, locis, Collegiis, Ordinibus, ac Vniuersitatibus, seu personis, Ecclesiasticis, aut sæcularibus quibuscumque, cuiuscumque fuerint præeminentiæ, vel dignitatis ab Apostolica Sede cõcessis, vel in posterum concedẽdis sub quacumque forma, vel expressione verborum, per quæ præsentibus, non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, etiamsi talia sint de quibus, & ipsarũ personarum, & locorum ordinum, & statuum propriis nominibus specialibus, ac de totis, ipsarum tenoribus, plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, mentio sit habenda; quæ omnia haberi volumus pro expressis, specialiter, & insertis, & ipsa, vel eorum aliqua contra præmissa nolumus in aliquo suffragari, plenam, & liberam tenore præsentium ex certa scientia concedimus facultatem, & ad hoc tui potestatem officij ampliamus, & etiam protog .mus.

Hortatio ad huiusmodi officium diligenter exercendum.

§. 6. Eandem fraternitatem tuam exhortantes, vt sic in præmissis te fidelem exhibeas, & etiam studiosum, omnibus iustitiam ministrando, quod tam eidem Cameræ, quàm aliis quibuscunque sua iura seruentur, tuaque circumspectio inde possit merito commendari.

Declaratio qua iurisdictio à tempore data huius Bullæ, sit concessa.

§. 7. Volumus autem, quod à tempore datæ præsentium, in omnibus & singulis suprascriptis per nos concessis, perinde sit tibi perpetua potestas & iurisdictio attributa, tam quoad negotia præsentia, quam futura, ac si tu ea omnia, & singula exequi iudicialiter incepisses, præsentibus, vsque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis duraturis.

Dat. P. An. 2. die 8. Sept.

Datum Romæ apud S. Petrum, 6. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

II. Exemptio Fratrum Ordinis Seruorum B. Mariæ Virginis & præstatione quarumcumque subuentionũ, & à iurisdictione Ordinariorũ, &c.

Quoad primam partem, latior est dispositio Pij V. ad fauorem omnium Mendicantium infra in sua const. 11. Dum ad vberes, inter eos etenim connumeratus est Ordo iste ab eodem Pio V. in const. 44. Romanus. Et ideo Mare magnum huius Ordinis, & quorundam aliorum non posui.

Quod verò ad secundam partem, attende constit. Leo. X. num. 22. Dum intra, & dispositionem Concil. Trid. sess. 7. cap. 14. & Clem. VIII. in sua constit. 39. Suscepti. Cætera autem de hoc Ordine notata sunt sup. in const. 1. Bened. XI. Dum leuamus.

Edita An. D. 1379.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Andreæ Priori Generali, & vniuersis fratribus Seruorum S. Mariæ Ordinis S. Augustini, præsentibus & futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

SAcrosancta Romana Ecclesia mater cunctorum Christi fidelium, & magistra in agro virtutum vestri Ordinis, cui altissimus Dominus benedixit, & in decore sacræ Religionis, sub qua eidem Domino eiusque Genitrici deuotum exhibetis & sedulum famulatum, exultat, & iubilat, præsertim dum prospicit, quod vos ad alta virtutum gradatim per bonorum operum exercitium, & præclara sanctitatis merita conscendentes trahitis ad diuinæ maiestatis obsequium alios, non solum per doctrinæ verba, sed etiam per exempla, vitam ducendo purissimam, & verbi prædicationibus insistendo, ac diuinæ laudis, frequentiæque celebrisque venerationis instantiæ ex qua gloria diuinæ maiestatis attollitur deuotissime persistendo: propter quæ nos, & prædicta Ecclesia, vos & vestrum Ordinem prædictum, quem erga nos & eandem Ecclesiam deuotione prælucere conspicimus, intra claustra nostri pectoris paternis affectibus amplectentes circa bonum statum vestrum, totis studiis vigilamus, vt Deo propitio à noxiis protegamini, & suscipiatis semper salubria incrementa.

Exemptiones de quibus in rub.

§. 1. Volentes igitur præmissorum intuitu, vos ac loca vestra præsentia, & futura prærogatiua specialis fauoris, & gratiæ insignire, ac singulari priuilegio decorare, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos vestrasque personas, ac omnia loca vestra tam præsentia quam futura omni iurisdictione, potestate, dominio, visitationi, charitatiui subsidij subuentionum, & exactionum quorumlibet præstatione, necnon à synodalis, & alterius cuiusuis congregationis euocatione omnium, & singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & quorumlibet aliorum iudicum Ordinariorum, de speciali dono gratiæ plenariæ eximimus, & totaliter liberamus, vosque, ac personas, & loca ipsa in ius, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apostolicæ, & sub eorum, & nostra protectione speciali, & immediate suscipientes, decernimus vos ac personas, & loca prædicta soli & immediate Sedi prædictæ subiacere, volentes quod locorum diœcesani, vel alia quæuis persona, vestras, vel loca prædicta, vtpore prorsus exempta, & dictæ Sedi immediate subiecta non possint auctoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut alias sententias specialiter, vel generaliter promulgare, vel alias etiam ratione cuiuslibet delicti, seu contractus, aut rei de qua ageretur vbicumque committitur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat potestatem, dominium, aut iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Felicis recordationis Innocentij Papæ IV. prædecessoris nostri circa exemptos, quæ incipit, Dolentes, & aliis constitutionibus Apostolicis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Nos enim quaslibet excommunicationum, suspensionum, interdicti sententias, & quoscumque processus, quasvis pœnas, & sententias generales, vel speciales continentes, quas seu quos contra vos seu aliquem vestrum, vel prædicta loca contra tenorem, & formam præsentium, quomodolibet promulgari, vel haberi contigerit, irritas decernimus, & inanes.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, suspensionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. A. 2. die 7. April.

Datum Romæ apud S. Petrum, 7. Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno secundo.

III. Contra Officiales Laïcos, quoquo modo personas Ecclesiasticas bannientes, relegantes, aut proscribentes.

Huiusmodi prohibitio habetur etiam infra in Bonifac. IX. const. 4. Iustis, & latior in Bullis Cœnæ Domini quotannis edi solitis à Romanis Pontificibus, de quibus dicam infra in Pauli V. const. 63. Pastoralis.

Edita An. D. 1383.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pont. ex causis hic expressis.

QVia, sicut displicenter accepimus, nonnulli diuersarum partium Principes, Marchiones, Duces, Comites, Barones, & alij nobiles, necnon potestates, capitanei, baiului, scabini, aduocati, rectores, iudices, & consules, aliique officiales, & consiliarij ciuitatum, oppidorum, terrarum, castrorum, & aliorum locorum, aliique laici, & laicales personæ, dominium, seu iurisdictionem in temporalibus obtinentes, necnon ipsarum ciuitatum communia, & oppidorum, castrorum, terrarum, & aliorum locorum vniuersitates, non attendentes quod laicis in clericos, & personas Ecclesiasticas, & illorum bona, nulla sit attributa potestas, nihilominus Ministros Ecclesiæ, etiam interdum in dignitatibus constitutos temeritate propria bannire, seu relegare, aut proscribere non verentur.

Laicus prohibet personas Ecclesiasticas

§. 1. Nos aduersus temeritatem huiusmodi remedium apponere cupientes, omnes & singulos talia præsumentes, & ea fieri mandantes, seu eorum nomine, vel mandato

facta,

bannire, & Sub pœna excommunicationis & respectiue interdicti.

facta, rata habentes, vel in eis faciendis dantes auxilium, consilium, vel fauorem, si singulares personæ fuerint, cuiuscumque preeminentiæ, dignitatis, status, vel conditionis existant, earum videlicet singulas; si verò communitates vel vniuersitates extiterint, omnes & singulos earum communitatum, & vniuersitatum potestates, capitaneos, baiuliuos, scabinos, aduocatos, rectores, iudices, consules, & officiales, quocumque nomine censeantur, ac consiliarios, & priuatas personas, quæ huiusmodi sacrilegij principaliores patratores extiterent, excommunicationis sententias incurrere, necnon quamlibet earumdem communitatum, seu vniuersitatum, ac illa ipsorum Principum, Marchionum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium, & aliorum quorumcumque laïcorum, & laïcalium personarum; talia præsumentium, in quibus talia fierent, ciuitates, terras, oppida, castra, & alia loca, Ecclesiastico interdicto subiacere volumus ipso facto.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 2. Nullusque ab eisdem sententiis per alium quam per Romanum Pontificem, prætterquam in mortis articulo, possit absolui, nec interdictum huiusmodi per alium etiam relaxari. Non obstante si aliquibus communiter, vel diuisim à Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & eorum propriis nominibus mentionem, & quibuslibet constitutionibus, priuilegiis, & literis Apostolicis contrariis, de quibus etiam plenam, & expressam in nostris fieri oporteat mentionem.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An 6. 10. Decemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, quatro Idus Decembris, Anno sexto.

BONIFACIVS. NONVS PONT. CCV.
ANNO DOMINI MCCCLXXXIX.



Bonifacius IX. Neapolitanus, Petrus, vel Petrinus Tomacellus antea dictus, Presbyter Cardinalis S. Anastasiæ, Creatus Romæ quatro Nonas Nouembris anno 1389. Coronatus 3. Idus Nouembris, eodem anno. Vixit annos quatuordecim, menses vndecim. Creauit Cardinales octo. Obiit Romæ Kalendis Nouembris anno 1404. Corpus eius in Basilica Vaticana sepultum est. Vacauit sedes dies nouem.

I.

Institutio Festiuitatis Visitationis B. Mariæ Virginis pro die 2. Iulij, cum adhortatione ad ieiunium suæ Vigiliæ, Indulgentiisque pro interessentibus officiis d. Festiuitatis, ex constitutione Vrbani VI.

BONIFACIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. Dñi 1390.*

B. Mariæ Virginis laudes.

SVPERNI benignitas Conditoris, humanam creaturam ad similitudinem suam creatam, misericordi pietate respiciens, etiam collapsam sorte primi parentis lapsu considerans, illam miro decreuit consilio releuandam, vt scilicet Verbum supernum, quod erat in principio, eam à mortis nexibus liberaret. Igitur pij Patris, qua nos dilexit charitas temporis veniente plenitudine Verbum ipsum æternum sub forma serui, carnem nostræ mortalitatis assumere, vt eandem mortem nostram moriendo destrueret, ac damnationis sententiam simul & maculam, quam per reatum primi hominis genus humani posteritas incurrisse noscebatur, Clemens Verbi æterni bonitas aboleret. Quapropter de clara stirpe regia Dauidica preelegit Virginem in cuius vtero mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet, vt egrederetur iuxta verbum propheticum, Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascenderet, & requiesceret spiritus Domini super eum, perfectam Reginam inclytam matrem eligens, quæ tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum præparare, de quo tanquam sponsus præ filiis hominum procederet speciosus, locum Nazareth, quæ flos siue sanctitas dicitur, ad suã conceptionem elegit, in quo per Angelicæ salutationis eloquia ipsius incarnati Verbi mysteria, miraque fuerunt solẽnia celebrata. Ibi enim sumpsimus nostræ redemptionis exordia, ibique primum dies sanctificationis illuxit, qui nobis de salute spem intulit, & de æternitate lætitiam. In hoc etenim tantæ fœcunditatis loco Virgo regia venustissima à Domino consecrata, flos sanctitatis, vas cœlestis gratiæ mundissimum, omnium virtutum floribus redimita, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, Redemptorem gentium Virgo concepit, datura lucem gentibus sub mortis caligine constitutis.

B. Virgo visitauit Elisabeth.

§. 1. Sane ipsa Regina Cœlorum, in cuius se clausit viscera Dei Filius factus homo, ex tanti honoris fastigio sibi per Angelum nuntiato, nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tanquam Ancilla humilis, quamvis mater effecta Domini, humilitatis suæ quam respexit Dominus, exequens officium, exurgens abiit in montana ad Elisabeth cognatam suam, quæ vocabatur sterilis iam senectuti prægnantem, cum festinatione: & quemadmodum ab Angelo humillime salutationis susceperat oraculum, sic etiam ipsam Elisabeth humiliter salutauit: Elisabeth verò vt salutationem audiuit Virginis gloriosæ, repleta Spiritu sancto, & incarnati Verbi mysterium in vtero sentiens virginali, voce magna exclamauit, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo: & beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.

Et illa respõdet illud admirabile canticum Magnificat, &c.

§. 2. Ad quam Virgo veneranda in humilitatis spiritu respondens, illud mirabile Canticum decantauit. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. O magnum mysterium, ô admirabile commercium, ô ineffabile sacramentum, vt matres de pignoribus quæ gestabant in vteris, in spiritu præsentirent, & etiam prophetarent. & vt sacri Euangelij pandit historia, Cœli Regina grauida partit consecranda diuino pro humilitatis amplioris signaculo præcursoris sui, quem gestabat Filij, Genitricis grauidæ humanitatis impendic obsequium: quo impenso completoque huiusmodi

Visitationis quasi trium mensium tempore, in domum suam est reuersa. Hæc est enim illa de qua sacra canunt elogia, Sole amicta, Lunam habens sub pedibus, Stellis coronari meruit duodenis. Hæc est enim illa quæ in suis castis visceribus Cæli terræque gestauit opificem, & sola cunctas hæreses interemit, & pro Christiano populo vt aduocata strenua & exoratrix peruigil ad Regem quem genuit intercedit.

Vrb. VI. ordinauit festum Visitationis B. Mariæ Virginis celebrari die 2. mensis Iulij quolibet anno. Et consuluit fieri Vigiliam.

§. 3. Igitur felicis recordationis Vrbanus Papa Sextus prædecessor noster dignum reputans & debitum, vt festum Visitationis ipsius B. Mariæ Virginis quando, vt præfertur, visitauit Elisabeth, in Dei Ecclesia celebretur, pro testimonio sancti suffultum Euangelij humanis nequit rationibus detrectari; ac attendens quod laudes tantæ Virginis, humana lingua non sufficit exprimere, nec etiam sancti & iusti eam, in cuius ille quem Cœli capere non poterant, se conulit aula Virginali, dignis laudum præconiis ad plenum efferre poterunt: & considerans quod ea quo Dominum in Sanctis suis laudare iubemur, quanto magis in veneratione B. Mariæ Virginis matris ipsius exultantibus animis collaudare, & eius laudum augendo titulos gratias referre, quem genuit filio debeamus, quæ etiam exaltata super sydera; stellato consedit sui solio genitoris; ne etiam diuinæ visus fuisset resistere voluntati, quæ tam sibi, quàm aliis vitis deuotis ad huiusmodi sanctam festiuitatem celebrandam, vt pie idem prædecessor credidit, dignata fuit mentem inspirare, deliberatione etiam super hoc matura præhabita de fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio, ad exaltationem fidei Catholicæ digne & rationabiliter videlicet sexto Idus Aprilis, Pontificatus sui Anno vndecimo statuit, vt festum præfatum videlicet Visitationis B. Mariæ Virginis, quando vt præfertur, visitauit Elisabeth sexto Nonas Iulij annis singulis in Dei Ecclesia cum laudum cantico, lætitiæ iubilo, cordisque tripudio, sub duplici officio per Orbem vniuersum solemniter celebraretur. Suasit etiam & consuluit idem prædecessor, vt ipsius festi Vigilia vt Vigilia Natiuitatis & Assumptionis prædictæ Virginis festiuitatum etiam in obseruatione ieiunij deuotius obseruaretur. Et mandauit quod simile, non tamen duplex officium absque alicuius Sancti commemoratione, exceptis primis Vesperis ante octauam Apostolorum Petri & Pauli, & officio totius diei octauæ, cum commemoratione tamen eiusdem noui festi, per septem sequentes dies in Ecclesia cum celebritate debita decantaretur.

Et indulgentias verè pœnitentibus & officijs illius fest. interessentibus concessit.

§. 4. Ac etiam volens idem prædecessor CHRISTI fideles ad colendum tantæ festum Virginis & etiam celebrandum donis spiritualibus animare, ipsosque mysticis de thesauris militantis Ecclesiæ, benedictionum muneribus cupiens præuenire: & omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi eiusdem in Ecclesia, qua idem officium celebraretur, interessent, centum: qui verò Missæ totidem: qui autem primi festi Vesperis, similiter centum: qui autem secundis, totidem: illis verò qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorij officiis, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta dies, illis autem, qui per octauas festi prædicti Matutinalibus, Vesperorum, Missæ, ac prædictarum Horarum officiis interessent, centum dies singulis octauarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisus, de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxauit.

Sed sua bulla, ob eius obitū expedita non fuit. Et ideo hic Pont prædicta confirmat.

§. 5. Ne autem pro eo quod ipsius prædecessoris superueniente obitu literæ Apostolicæ super præmissis confectæ minimè extiterunt, huiusmodi constitutio dicti prædecessoris frustretur effectu: Volentes & auctoritate Apostolica decernentes quod huiusmodi constitutio à dicta die videlicet sexto Idus Aprilis perinde sortiatur effectum, ac si super ea prædecessoris literæ sub ipsius dici data confectæ fuissent, superius enarratur: quodque præsentes literæ ad probandum plene constitutionem huiusmodi vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: vniuersos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos monemus & hortamur in Domino, per Apostolica eis scripta in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandantes, & in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus tam gloriosum festum & celebre annis singulis sexto Nonas Iulij, vt præfertur, deuote ac solemniter celebrent, ac ieiunium Vigiliæ huiusmodi suadeant in augmentum meriti obseruari, & faciant per vniuersas Ecclesias suarum ciuitatum & Diœcesum celebrari, ac officium peragi supradictum: vt pia eiusdem Virginis MARIÆ intercessione ipsi CHRISTI fideles, & hic à noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi mereantur.

Sanctionem pœnalem adijcit.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ voluntatis, constitutionis, monitionis, hortationis, & mandati paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 1. 9 Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, 5. Idus Nouembris, Pontificatus nostri Anno primo.

Erectio Studij generalis in Ciuitate Ferrariæ, Status Ecclesiastici. II.

Hanc Ciuitatem pro Sede Apostolica, quæ eam infeudauerat, Clemens VIII. recuperauit, vt inf. in eius const. 52. Sanctissimus. Rotamque in ea instituit in constitut. 59. In supremo, Et huic Studio indulta concessit in alia constitut. 94. Sancta.

BONIFACIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. Dñ. 1391.

Proœmium.

IN supremæ dignitatis Apostolicæ specula, licet immeriti disponente Domino constituti, ad vniuersas regiones fidelium nostræ vigilantiæ creditas, earumque profectus, & commoda, tanquam vniuersalis gregis Dominici pastor, commissam nobis speculationis aciem quantum nobis ex alto permittitur extendentes, fidelibus ipsis, ad quærendum literarum studia, per quæ diuini nominis suæque fidei Catholicæ cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quàm priuata res geritur vtiliter, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, libenter fauores gratiosos impendimus, & opportunæ commoditatis auxilia liberaliter impartimur.

Causa huius institutionis.

§. 1. Cum itaque sicut nuper pro parte dilectorum filiorum, nobilis Alberti Marchionis Estensis, nostri in nostra Ciuitate Ferrariensi pro nobis, & Romana Ecclesia Generalis Vicarij, & Communis Ciuitatis eiusdem, fuit nobis expositum, quod ipsi Marchio, & commune, non solum ad vtilitatem, & prosperitatem huiusmodi reipublicæ, ac Incolarum prædictæ Ciuitatis, & districtus eiusdem, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendentes, in eadem Ciuitate, loco vtique ad hoc accommodo admodum, & idoneo desiderent plurimum vigere Studium auctoritate Apostolica generale, in qualibet facultate licita, vt ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, æquitas seruetur, iudicij crescat ratio, & intellectus huiusmodi augeantur.

Enarratio qualitatum Ciuitatis Ferrariæ.

§. 2. Nos præmissa, & etiam eximiam deuotionem, & fidei puritatem, qua ipsi Marchio, & commune ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere dignoscuntur attente considerantes, & quod illas ad eandem Ecclesiam matrem cunctorum fidelium; & magistram, eo amplius debeant augmentare, quo per nos, & Sedem Apostolicam se prospexerint gratiis, & priuilegiis Apostolicis specialius honorati, feruenti desiderio appetimus, quod Ciuitas ipsa, quam diuina bonitas, Cleri, & populi numerositate abundanter, ac tot gratiarum dotibus insigniuit, & aliorum multiplicium bonorum fœcunditate dotauit, locique amœnitate non modica decorauit, ac districtus & partes prædictæ scientiarum muneribus amplientur, vt viros producant consilij maturitate perspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diuersarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant vniuersi literarum cupientes imbui documentis.

§. 3. His

Erectio Studij generalis in eadem Ciuitate.

§. 3. His igitur omnibus, & præsertim idoneitate dictæ Ciuitatis, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina, & germina salutaria producenda valde congrua & accommoda fore dicitur, ac victualium fertilitate, hospitiorum insignium moltitudine, aliisque commoditatibus quamplurimis, quas Ciuitas ipsa ibidem opportunas habere dignoscitur, & quod quanto magis si priuilegiorum Sedis prædictæ muniatur præsidiis, amplioribus proficiet incrementis, diligenti examinatione pensatis non solum ad ipsorum Ciuitatis, ac districtus, & partium incolarum, sed etiam aliorum, qui propterea de vniuersis mundi partibus Ciuitatem confluent ad eandem, commodum & profectum, studio paternæ sollicitudinis anhelantes, deuotis Marchionis, & Communis prædictorum supplicationibus inclinati, ad laudem diuini nominis, & fidei Catholicæ propagationem, exaltationemque Ecclesiæ supradictæ auctoritate prædicta, præsentium tenore, statuimus, & etiam ordinamus vt in dicta Ciuitate de cætero sit studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat, in sacra pagina, iure Canonico, & Ciuili, necnon in medicina, & qualibet alia literarum licita facultate.

Concessio Indultorũ Studij Bononiensis & Parisiensis.

§. 4. Et quod docentes, legentes, & studentes ibidem omnibus, priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis concessis Doctoribus legentibus magis, & scholaribus, & præsertim in eadem sacra pagina in Bononiensi, & Parisiensi Studiis commorantibus, gaudeant, & vtantur.

Qui & quibus promoueri debeant.

§. 5. Quodque illi, qui processu temporis brauium meruerint in illa facultaque, in qua Studuerint obtinere, sibique docendi licentiam vt alios erudire valeant, ac doctoratus, seu magisterij honorem petierint elargiri, per doctorem, seu doctores, aut Magistrum, seu magistros illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Episcopo Ferrariensi, qui pro tempore fuerit, vel Ecclesia Ferrariensi vacante, dilectis filiis Archipresbytero, & Capitulo eiusdem Ecclesiæ, aut illi, vel illis, qui per eosdem Archipresbyterum, & Capitulum deputatus, vel deputati fuerit, seu fuerint, præsententur, idemque Episcopus seu Archipresbyter, Capitulum, aut deputatus, seu deputati huiusmodi, vt præfertur doctoribus, & magistris in eadem facultate actu inibi legentibus conuocatis illis in iis, quæ circa promouendos ad doctoratus, seu magisterij honorem requiruntur, per se, vel alium, seu alios iuxta modum, & consuetudinem, qui super talibus in Bononiensi, & Parisiensi prædictis, ac aliis generalibus Studiis obseruantur, examinare studeat, seu studeant diligenter, eisque si ad hoc idonei & sufficientes reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, seu tribuant, & doctoratus, seu magisterij honorem conferat, seu conferant.

Promoti in d. Studio vbique legere & docere possint.

§. 6. Illi verò qui in eodem Studio Ferrariensi examinati, & approbati fuerint, ac docendi licentiam, & honorem huiusmodi obtinuerint, vt est dictum, ex tunc absque examine, & approbatione alia legendi, & docendi, tam in prædicto Ferrariensi, quam in singulis aliis generalibus Studiis, in quibus voluerint, legere, vel docere, statutis, & consuetudinibus quibuscumque contrariis Apostolica, vel quacumque firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, plenam & liberam habeant facultatem.

Sanctio pœnalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 2. die 4 Mar.

Datum Romæ apud S. Petrum, 4. Nonas Martij, Pont. nostri Anno 2.

III. Exemptio Fratrum Ordinis Carthusianorum, à iurisdictione, visitatione & correctione Episcoporum, & aliorum omnium.

Ad hoc vide declarationem Leon. X. in const. 22. Dum intra. & Concil. Trident. sess. 7. cap. 14. atque constit. 39. Clem. VIII. Suscepti. Alia autem de hoc Ordine notaui sup. in constit. 7. Alex. III. Cum vos.

Edita An. D. 1391.

BONIFACIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali, & Vniuersis Fratribus Ordinis Carthusiensis, tam præsentibus quam futuris, Salutem & Apost. bened.*

Proœmium.

SAcrosancta Romana Ecclesia mater cunctorum fidelium & magistra in agro virtutum vestri Ordinis, cui Altissimus benedixit, & in decore sanctæ religionis sub qua mundanis abiectis illecebris deuotum ac sedulum exhibetis Domino famulatum, exultat, & iubilat, præsertim dum prospicit, quod vos adulta virtutum gradibus per exercitium bonorum operum, & præclara sanctitatis merita procedentes, trahitis ad diuinæ Maiestatis obsequium alios per exempla, vitam ducendo piissimam, & frequenter diuinis laudibus ex quibus diuinæ gloria Maiestatis attollitur, deuotissimè insistendo, & huic mundo mortui, ac Domino nostro IESV-CHRISTO, qui est vita, viuentes, pro vniuersali salute fidelium ad Dominum preces fundiris incessanter, propter quæ eundem vestrum Ordinem quem erga nos & prædictam Ecclesiam deuotionis claritate prælucere conspicimus, infra claustra nostri pectoris paternis affectibus contemplantes, circa bonum statum ipsius Ordinis, feruentibus studiis vigilamus; & vt Deo propitio idem Ordo protegatur à noxiis, & salubria semper suscipiat incrementa, personæque ipsius pacis & tranquillitatis affluant vbertate, ab omnique sint perturbatione secretæ, & oppressionibus indebitis præseruentur illæsæ, Ordinem ipsum prærogatiua Apostolicæ libertatis & exemptionis præsidio communimus.

Ordinis supplicatio pro exemptione ab Ordinariorũ & aliorum iurisdictione.

§. 1. Sanè petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quòd licet prædictus Ordo vester cum omnibus Monasteriis, Prioratibus, domibus & locis eiusdem atque personis degentibus in eisdem ab olim reputatus fuerit, & adhuc etiam communiter reputetur fore à iurisdictione quorumlibet Ordinariorum Iudicum exemptus, & soli Sedi Apostolicæ immediatè subiectus, tamen nonnulli locorum Ordinarij cupientes vestra, & dicti Ordinis priuilegia, & libertates infringere, & alias diuersis ex causis vos inquietare, & multipliciter molestare, & personas eiusdem Ordinis ad forum suum trahere, & alias vexare præsumunt, propter quæ nonnunquam vos à contemplatione, & quiete vestra contra religionis vestræ statum retrahi, & sæcularibus negotiis implicari oportet. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt ad euitandum cuiuslibet molestiæ & inquietationis materiam, & grauamina, quæ contra huiusmodi exemptionis libertatem possent vobis inferri; & vt tollatur quælibet contra vos occasio malignandi, vos & eundem vestrum Ordinem, cum omnibus Monasteriis, Prioratibus, domibus, ac locis eiusdem, pro incremento vestri status, & pro pace & tranquillitate personarum degentium in eisdem, de nouo plenariè eximere de speciali gratia dignaremur.

Pontificis concessio de petita exemptione: Ad hoc vide quæ tibi indicaui in rub.

§. 2. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, vos & prædictum Ordinem vestrum cum omnibus, & singulis Monasteriis, Prioratibus, domibus, & locis eiusdem, quæ nunc habetis, & in posterum vos habere contigerit, & cum personis degentibus in eisdem præsentibus, & futuris, ab omni ordinaria iurisdictione, dominio, visitatione, ac potestate qualibet omnium, & singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumlibet Iudicum Ordinariorum, de specialis dono gratiæ de nouo prorsus eximimus, & totaliter liberamus, illaque in ius, & proprietatem Beati Petri ac Sedis Apostolicæ, ac sub eorum, & nostra speciali & immediata protectione præsentium tenore suscipimus. Decernentes Ordinem, Monasteria, Prioratus, domos, & loca & personas huiusmodi, soli, & immediatè Sedi prædictæ fore subiecta; Et quod locorum Ordinarij, seu Diœcesani, vel alia quæuis persona, in vos, seu Monasteria, Prioratus, domos, aut loca, vel personas præfata vtpote prorsus exempta, non possint auctoritate ordi-

naria

natia excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias promulgare, vel alias etiam ratione delicti, vel contractus, aut rei de qua agetur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, vel res ipsa consistat, iurisdictionem aliquam exercere.

Cap. 1. de Priuileg. in 6. & ceteris cõtrarijs derogatur. Infectas d. capitulum esse renouatum & alia debita per Conc. Trid. & Clem. VIII. ut, in rub.

§. 3. Felicis recordationis Innocentij Papæ Quarti prædecessoris nostri circa exemptos edita, quæ incipit Volentes, & aliis constitutionibus Apostolicis in contrarium editis, non obstantibus quibuscumque. Nos enim omnes excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quasuis pœnas, & sententias continentes, quas & quos aduersus vos, & Monasteria, Prioratus, domos, vel loca, aut personas huiusmodi, contra tenorem & formam exemptionis huiusmodi quomodolibet promulgari & haberi contigerit, irritos decernimus, & inanes, ac nulliusexistere firmitatis. Per exemptionem autem, & libertatem huiusmodi, & alia supradicta libertatibus priuilegiis, & immunitatibus, vel aliis iuribus vestris, & prædicti Ordinis, ac Monasteriorum, Prioratuum, & domorum atque locorum prædictorum, nullum intendimus præiudicium generari. Quinimò volumus, quod illa in sua plena remaneant firmitate.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. An. 2. die 17. Mar.

Dat. Romæ apud S. Petrum, 17. Kal. Apr. Pont. nostri Anno 2.

IV. Confirmatio constitutionum à Friderico Secundo, & Carolo Quarto Imperatoribus, pro immunitate, libertateque, & iurisdictione Ecclesiastica editarum.

De hac materia vide etiam infra in Leon. X. const. 10. Regimini, vbi indicabo.

Edita A. D. 1391.

BONIFACIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Mindensi, & Verdensi Episcopis, & dilecto filio Decano Ecclesiæ Mindensis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium.

IVstis & honestis supplicum votis libenter annuimus, illaque fauoribus prosequimur opportunis.

Frid. II. edidit leges de quibus inc.

§. 1. Dudum siquidem Honorius Papa III. prædecessor noster attente considerans, quod claræ memoriæ Fridericus Secundus, Imperator Anglus ad laudem Romanæ Ecclesiæ, & sacri decus Imperij, &c.

Omittitur residuum, quia has leges Friderici habes supra in const. 1. Honor. III.

Honor. III. eas confirmauit vt ibidem.

§. 2. Dictusque prædecessor noster constitutionem ipsam de consilio etiam fratrum suorum S.R.E. Cardinalium, qui tunc erant, auctoritate Apostolica confirmando approbauit, & ipsam mandauit inuiolabiliter obseruari, necnon statarios, & scriptores, ac violatores prædictos, excommunicatos auctoritate Apostolica prædicta publicè nuntiari.

Carol. IV. alias edidit leges.

§. 3. Et deinde ad audientiam dictæ memoriæ Caroli Quarti, etiam Romani Imperatoris, &c.

Omittitur narratio huius const. Carol. IV. quia eam posui hic in fine.

Sed dictæ leges male obseruabantur.

§. 4. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum SS. Blasij intra, & Cyriaci extra muros Ecclesiarum Decanorum, & Canonicorum & personarum, ac totius Cleri Brunsuuicensis Hildensemensis, Halauftratensis Diœcesium petitio continebat, quod quorundam laicorum, & dominorum temporalium huiusmodi Ciuitatum, & diœcesum prædictarum, & in locis circumvicinis malitia increuit, quod huiusmodi Imperiales constitutiones, & sanctiones transgredi non verentur, & Ecclesiasticas libertates violare præsumunt, pro parte eorundem dominorum, Decanorum, Canonicorum, & personarum prædictarum, fuit nobis supplicatum, vt eos super præmissis de opportuno remedio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic modo Pont. eas exequi iubet.

§. 5. Nos igitur vestigiis præfati Honorij Papæ prædecessoris nostri inhærentes huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, seu alium, vel alios, constitutiones prædictas in præfatis Ciuitatibus, & Diœcesibus, & in aliis locis circumvicinis, vbi, & quando expedierit, auctoritate nostra faciatis inuiolabiliter obseruari, transgressores, seu violatores, & contemptores, ac sacrilegos prædictos, necnon contradictores quoslibet & rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, non obstante constitutione, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo hominum, &c.

D.P. A. 2. die 27 May.

Dat. Romæ 6. Kal. Iunij Pont. nostri Anno 2.

Sequitur Constitutio Caroli IV.

Caroli IV. constitutio.

Carolus Quartus Diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, &c. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ETsi Imperialis benignitatis clementia quorumlibet deuotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit Imperium ex officij debito teneatur necessitatibus, & iniustis oppressionibus consulere, & de opportunis remediis prouidere; ad illos tamen maxime dirigitur nostræ mentis affectio, quos indebite pati cognoscimus, quorumque oppressionibus status Ecclesiasticæ libertatis, quam semper nostris temporibus augeri volumus, in nihilum redigitur, & minus debite prægrauatur.

Principes sæculares & alij statuta contra libertatem Ecclesiasticam ediderunt.

§. 1. Sane ad Imperialis Majestatis audientiam, pro parte honorabilium Præpositi, Decani, & aliorum Prælatorum, & Capituli Magdeburgensis, Maguntinensis, & Coloniensis Ecclesiarum deuotorum nostrorum dilectorum, per insinuationem querulosam suppliciter fuit deductum, quod sæculares quidam in potestatibus, & officiis publicis constituti, videlicet Duces, Comites, & Barones, & alij domini temporales, necnon Consules ciuitatum, oppidorum, villarum, & locorum rectores dictarum Magdeburgensis, Maguntinensis, & Coloniensis, prouinciarum Dei nomine postposito, Statuta singularia & iniquas ordinationes motu proprio, & de facto contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum libertates, & priuilegia condiderunt, eisque publicè, & de facto insistere præsumpserunt contra legitimas, Ciuiles, & Canonicas sanctiones, vtputa, quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur, neve Clerici in sacris constituti ad agendum, & testificandum in Ciuilibus, & maxime in piis causis aliquatenus admittantur, quodque excommunicati laici, & publicè denuntiati, in Ciuili foro minime repellantur. Item præfati domini temporales, Consules, & Rectores per sæcularem potestatem, res, & bona Clericorum occupant, & arrestant, oblationes fidelium diminuunt, & restringunt, exactiones, & tallias indebite de bonis Ecclesiæ, & redditus exigunt, & extorquent; possessiones Ecclesiæ, & personarum earum deuastant incendiis, & rapinis. Contractus inter Clericos, & laicos factos legitimos ad libros ciuitatum, villarum, & locorum recusant inscribere, & sigillare. Donata & legata ad fabricas, & Ecclesiarum structuras contra Prælatorum voluntatem, & aliorum quorum interest præsumunt vsurpare contra iustitiam, in fraudem & odium Clericorum, de rebus & bonis etiam Clericorum, quas non causa negotiationis, sed pro vsibus propriis per terras ducunt, seu duci faciunt, theoloneum exigunt, & recipere non verentur. Et confugientes ad Ecclesias, & Cœmeteria inde extrahere contra sanctiones Imperiales præsumunt.

Hic modo Imperator illa reuocat.

§. 2. Quæ omnia, & quælibet ab inde secuta, cum per sacras, & Ciuiles, & Canonicas sanctiones expressè reprobata sint, & in fraudem Ecclesiasticæ libertatis de facto præsumpta, de Principum, Ducum, Comitum,

Baronum

Baronum fidelìumque nostrorum consilio, & certa scientia, auctoritate Imperiali cassamus, irritamus, & annullamus, cassaque & irrita, nullius esse momenti, penitus deducimus, & expresse pronuntiamus, Præcipientes sub indignatione Imperialis banni, vniuersis, & singulis, dictarum Magdeburgensis, Maguntinensis, & Coloniensis prouinciarum, & locorum vicinorum, Principibus & dominis temporalibus, Consulibus, & potestatibus, & in officiis publicis constitutis, quatenus mox visis, & intellectis præsentibus, dicta ipsorum statuta, & ordinationes sicut in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis edita sunt, omnino reuocent, & de luce tollant. Quodque secundum ea non iudicent amplius, nec sententias dictent, aut eiusdem in iudicio, aut extra iudicium quomodolibet pro se, & contra Ecclesiasticam libertatem potiantur. Item pronuntiamus, & declaramus Imperiali auctoritate, quod quicumque laïcus cuiuscumque status, vel conditionis existat ausu sacrilego, & propriæ temeritatis audacia sacerdotem, vel Clericum sæcularem, vel religiosum diffidauerit, vel captiuauerit, proscripserit, spoliauerit, occiderit, mutilauerit, aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptauerit, vel fauorem in his præstiterit, præter pœnas à sacris Imperialibus, & Canonicis sanctionibus eis inflictas, sint ipso facto infames, & omni honore priuati, nec ad placita, vel Concilia Nobilium admitti quovis modo possint.

Prælatosque Ecclesiasticos hortatur, vt hanc legem publicent, & executioni demandent.

§. 3. Volumus etiam, hortamur, & requirimus ipsos Prælatos Ecclesiasticos, vt hanc nostram legem, & constitutionem in Synodis, & Ecclesiis publicari procurent, & requisiti pœnarum, & sententiarum exequutiones denuntient, ne in præmissis excedentes, per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare.

Sanctionemque pœnalem adiecit.

§. 4. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc nostræ cassationis & irritationis, seu pronuntiationis, denuntiationis, & declarationis paginam ausu temerario infringere, aut quomodolibet ei contraire sub pœna quinquaginta marcarum puri auri, quas ab eo qui contrafecerit, toties quoties factum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, & eorum medietatem nostri Imperialis ærarij, residuam verò partem iniuriam passorum vsibus decernimus applicari.

Dat. die 27. Iu. A. 1377.

Data Tangerundem, Anno Domini, Millesimo, trecentesimo, septuagesimo septimo. Indictione quintadecima. Quinto Kal. Iulij. Regnorum nostrorum Anno trigesimo. Imperij verò 23.

V. Canonizatio S. Brigittæ, alias Brigidæ de Regno Suetiæ, cum suæ festiuitatis institutione, pro die 23. Mensis Iulij, indulgentiarumque elargitione pro visitantibus eius sepulchrum.

Canonizationem istam comprobauit Mart. V. Florentia, die prima Iulij Pont. sui anno secundo, sed eius Bulla consulto prætermissa est, vti simpliciter confirmatoria.

Edita An. D. 1391.

BONIFACIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac Dilectis filiis electis, & Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, vbilibet constitutis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Deus misit Filium suum vnigenitum in mundum pro humani generis redemptione: & de B. Virgine natus salutis viam omnib. demonstrauit, coadunauitque Apostolos & in cruce moriens Deo patri illud reconciliauit.

AB origine mundi, post primi parentis lapsum, cum eam ob rem, vniuersum genus humanum æternæ morti teneretur obnoxium, cuncti potens, & misericors Deus ea alto prospiciens, ne in totum perderet hominem quem creauerat, sed suæ diuinitatis faceret esse participem, cum primos ex spiramine Sancti Spiritus afflatos Prophetas, aduentus Filij sui in carnem, sub typicis ænigmatibus, ac diuinis reuelationibus nuntios præmisisset, eundem vnicum Filium suum ante sæcula genitum, adueniente plenitudine temporis, in vterum prælectæ Virginis matris, quæ imperscrutabili Sancti Spiritus obumbratione, Angelo nuntiante concepit, de proprio sinu transmisit, qui ex eadem Virgine natus, & progressus in tempus, cœpit facere, & docere, omnibusque monstrare, qualiter sacri baptismatis fonte renatis, de æterna morte via pateret ad vitam, & coadunatis Discipulis, nequis fidelis huius transitoriæ, & fugitiuæ vitæ molestias, vel tædia, seu temporalis acerbæ necis pœnas, pro æternæ adeptione vitæ perhorreret, sese hostiam immaculatam, consummato debito cursu in ara crucis morte cruenta obtulit Deo Patri, & militantem Ecclesiam suo pretioso sanguine fundauit, consecrauit, & æternaliter stabiliuit.

Transiturus ad Patrem, B. Petrum sui gregis vniuersalem Pastorem elegit, promittens Ecclesiã suã nusquam deserturum.

§. 1. Tandem verò de mundo transiturus ad Patrem, Principi Apostolorum cælesti clauigero, in suam suorumque successorum summorum Pontificum personas, collatis clauibus, ligandi videlicet, & soluendi tradita potestate, supremum Pontificium specialem curam sui gregis, & regimen vniuersale commisit, pollicitus nihilominus Ecclesiam in æternum se non deserturum eandem.

Misit deinde Spiritum sanctum in mundum, qui suis fidelibus multiformes gratias tribuit.

§. 2. Ad cuius vberem vtilitatem diuisiones gratiarum, per Spiritum sanctum tribuit, suis fidelibus. Nam secundum Apostolum. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ. Alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum. Alij fides, in eodem spiritu. Alij gratia sanitatum, in vno spiritu. Alij operatio virtutum. Alij prophetia. Alij discretio spirituum. Alij genera linguarum. Alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult. Quamque militantem Ecclesiam Pater hominum sustulit in eodem Spiritu sancto structura admirabili pretiosorum lapidum, mira varietate decoram, ipso summo angulari lapide CHRISTO IESV, quos elegit ante mundi constitutionem, conformes fieri imaginis eiusdem Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, in quo eos gratificauit, donans charismata meliora, qui suo exemplo viam ostenderent excellentiorem.

Apostoli inde prodiere qui vniuersum Orbem prædicatione verbi Dei illuminarunt.

§. 3. Hinc igitur Apostoli Sancti prodière per vniuersum Orbem, genus humanum, quod sub peccati iugo tenebatur, ad vitam, & salutem excitantes, & cum firmissima constantia prædicantes verbum Dei, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Martyresque eorum sanguine fidem confirmarunt.

§. 4. Splendidi quoque Martyres fidei loricam induti, & inconcussæ stabilitatis balrheo succincti, lauerunt stolas suas in sanguine innocentis Agni, & imitari candidato exercitu CHRISTVM IESVM, ad structuram supernæ Hierusalem, hoc est triumphantis Ecclesiæ, cum gloriosa victoria palmas gestantes in manibus, sese viuos lapides addiderunt, exemplum venerabile, & æternam dignamque memoriam militanti Ecclesiæ relinquentes.

Doctores etiã qui eam illustrarunt.

§. 5. Progressi sunt, & Doctores lucidissimi, qui pseudo-Christianis, falsisque Prophetis, superstitiosas, & varias opiniones in vera fide Catholica adducere, ipsamque fidem subuertere satagentibus, se opponentes, talium confutatis erroribus, miro eloquio, & solidis, ac rectis sententiis operante sancto Spiritu ipsam fidem, & militantem Ecclesiam illustrarunt, quibus eadem Ecclesia communita progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra, vt luna, electa, vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.

Cõfessores insuper, qui in vinea Domini varios labores impendunt.

§. 6. Sequuntur & limpidi Confessores ornati gemmis, & virtutibus coruscantes, Domino rationem de talentis creditis reposcenti, cum se assidua, & vigili sanctarum operationum exercuerunt mercatura, vtpote fideles, & boni serui, multiplicatum de suis laboribus fructum afferunt, ac donum reponunt in arcam.

Anachoretæ qui vita sanctimonia, & carnis maceratione, plurimum profecerunt.

§. 7. Etiam Anachoretæ, & solitudinis, ac eremi sectatores, blandientis & captiosi, sed venenosi mundi vana spectacula fugientes, vt securi ad patriam peruenirent, latibula petierunt, & antris abditi, paruo & rudi victu scaturientis aquæ, & leui potu, carnem propriam macerantes, & Sathanæ stimulos reprimentes, paliastro, vel tegmine hirto amicti, vt plurimum nudis pedibus, & squalida humo, aut stramineo cubili fessa membra somno refouentes, in sacra contemplatione, & supernæ maiestatis laude vacantes, demum ex hac lachrymarum valle, & miseriarum aceruo, ad Dei præsentiam euocati, immarcescibilibus deliciis potiuntur.

§. 8.

§. 8. Adsunt & Virgines nitidæ mundo corpore, & corde sincero, mentem sanctam spontaneam, & oleum secum suis deferentes in vasis, veniunt sponso obuiam exeunt, eique desponsantur, qui est præ filiis hominum speciosus.

§. 9. Deuotæ autem, & continentes Viduæ, & aliæ sexus vtriusque personæ, piis sanctisque operibus semper intentæ, & se ante Dei tribunal cum plenis manipulis repræsentant, & cum sanctis Angelis canunt gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem bonæ voluntatis hominibus deprecantur. Hæc omnia profecto ille idem spiritus de quo supra, operatur ministerio multiformiter administrando. Et secundum sanctam promissionem CHRISTVS IESVS hanc vineam suam militantem Ecclesiam, post eius admirabilem ascensionem, talibus cultoribus, & cultricibus, vsque in diem hodiernum visitauit, fouit, defensauit, firmauit, iuuit & auxit, & per sui gratiam sic in futurum faciet temporibus successiuis.

Inter quas ... B. Brigitta ... Deo ... surrexit.

§. 10. Nouissimis verò diebus, vt etiam ab aquilone aliquid boni esset, ille cælestis agricola eandem vineam suo de more visitans, mulierem fortem procul, & de vltimis finibus, suum secum pretium deferentem, ad huiusmodi vineæ culturam adduxit inesse, beatam scilicet viduam Brigittam, quam vulgares Brigidam appellant, tam sacro superius descripto cœtui merito sociandam seu verius sociatam. Cuius propter quod præsentem operam nobis damus, vt originem, vitam, mores, & merita, necnon miracula quæ in præmium sanctitatis eius benedictus Deus mundo monstrare dignatus est, ne de tam celebri muliere ætas præsens immineat ignara, & surda posteritas famam ingratam accusare, vel prætendere possit, summotenus percurramus de multis pauca admodum ea quæ non prætereunda silentio excerpsimus, vestræque charitati harum serie voluimus intimari.

Quæ ex parentibus de stirpe Regum Sueciæ orta est.

§. 11. Hæc nempe mulier gloriosa ex patre Birgheto, & matre Sigthride coniugibus de nobilissima regia stirpe Catholicorum Sueciæ Regum procedentibus, nec minus fide orthodoxa, & animi constantia, ac virtutibus quam nobilitate claris, duxit originem.

Cuius mater in mari procella præseruata fuit, eo quod in vtero eam gestaret.

§. 12. Quæ quidem mater dum eam gestaret in vtero, maris in quodam sinu passa naufragium, cum multos promiscui sexus in eodem naufragio procella absorbuisset, sana peruenit ad litus, & nocte sequenti in visione adstitit sibi persona admirando vestitu refulgens, & ne viduæ tam venerandæ sine prænuntio foret adiectus, dixit, saluata es propter bonum quod habes in vtero. Ideo nutri illud cum charitate Dei, quia tibi à Deo datum est.

Vtque nata ... sacerdoti parochiali ... similiter ... annuntiata fuit.

§. 13. Cumque puella Brigitta de genitricis aluo in mundum recenter fuisset educta, sacerdos parochialis in Ecclesia propinqua approbatæ vitæ, & ætatis perfectæ, dum nocte orationi vacaret, nubem lucidam, & in medio nubis, Virginem sedentem vidit, librum habentem in manu sibique dicentem, Nata est Birgheto quædam filia, cuius vox per mundum admirabilis audietur.

Infans erudite loquebatur.

§. 14. Nata ergo puella vsque ad finem triennij quasi elinguis visa est, sed mox contra naturalem decursum non balbutiendo infantium more fari, gestientiumque audierint, sed completa, & formata verba de auditis per eam loquebatur, & visis.

Puella orationi ... & aliis operibus ...

§. 15. Procedens verò in annis, pueritiam mira deuotione transegit, orationibus videlicet, ac ieiuniis, & alias nunquam à bonis operibus otiosa.

... nobili ... Principi ... compulsa ... desponsatur.

§. 16. Tandem licet in statu virginali seruire Domino totis desideriis affectaret, tamen per parentes compulsa quondam Vulfoni de Vlphasum Principi Neriecæ, nobilissimo quippe & Christianissimo iuueni in matrimonium desponsatur.

Hi coniuges ... communi ... vt Tobias ... annum ... à concubitu ... abstinuerunt.

§. 17. Et cum insimul conuenire deberent, quanquam idonei essent ad viriles amplexus, maritus videlicet in decimo octauo, & sponsa in tertio decimo anno constituo, communi tamen voluntate Tobiam iuniorem, & Saram Raguelis imitari, annum continuum & vltra à concubitu abstinuerunt, Deum humiliter deprecantes, vt si coniugi foret expediens, in commixtione non peccarent, & Deus illis talem prolem concederet, quæ ad seruitium eius esset. Simul postea conuenerunt in timore ac tremore non libidini, sed posteritati vacantes. Cum interim deuota mulier nec ieiunia, nec orationes, nec alia pia, & solita opera præteriret.

In partu periclitans, à B. Maria Virg. cuius ipsa deuota erat, adiuta fuit.

§. 18. Et cum semper B. Virgini præcipue deuota foret, ac tempore præcedente, pene partu periclitaretur, & obstetrices, ac mulieres adstantes de vita illius desperarent, visa est quædam impretiosa sed incognita mulier, albis sericeis induta vestibus intrare cubile, & assistere strato, & singula iacentis membra pertractare, mox cum talis mulier disparuisset, eadem puerpera, sine dolore partu integro exonerata remansit.

Coniuges ipsi sponte perpetuam ad inuicem continentiam indixerunt & seruarunt.

§. 19. Et cum etiam dicti iugales adhuc essent iuuenes & recentes, maritus felicis vxoris sanctis monitionibus persuasus, cor enim viri spoliis non indigens; confisum in ea, reddidit ei bonum & non malum, omnibus diebus vitæ suæ, ipsaque mulier indixerunt sibi sponte inuicem, & perpetuam continentiam seruauerunt.

Limina B. Iacobi in Compostella visitarunt.

§. 20. Et nihilominus coniuges, deuoti in Dei timore, & amore proximi semper feruentiores, limina B. Iacobi Apostoli in Cōpostella, communi voto peregre visitarunt.

Monasteria ingredi deliberarunt, sed maritus in Domino obdormiuit.

§. 21. Et ad propria reuersi cum deliberassent vt liberius deuotioni vacare possent, pro sexus diuersitate diuersa ingredi monasteria, dictus princeps in tali deliberatione quieuit in Domino.

Brigitta verò Vrbem, Hierosolymam, & singula loca in quib. Christus conuersatus est conspexit.

§. 22. Sancta autem vidua, quæ ab ineuntis ætatis principio Deo dicata fuerat, vt ieiuniis & orationib. indefesse vacaret, soluto coniugio, & sui iuris effecta, quasi nauis institoris de longe portans panem suum à Spiritu sancto præmonita, egrediens de terra & cognatione sua, ad Almam Vrbem, ac Hierosolymam deinde perrexit, & loca singula in quibus Dominus noster IESVS CHRISTVS annunciatus, natus, educatus, baptizatus, conuersatus, mirabilia operatus, illusus, crucifixus, & sepultus fuit, & ad cælos ascendit, insigni deuotione & venerabunda conspexit. Ad vrbem quoque regressa cum antea siue in sua patria & partibus circumstantibus, siue in Germania, siue in Galliis, siue in Hispania, siue in Italia, siue in aliis cismarinis, aut vltramarinis partibus Sanctorum ac Sanctarum corpora, seu memorandæ reliquiæ quiescerent, pauca admodum absque personali visitatione dictæ sanctæ Viduæ fuissent prætermissa, in eadem Vrbe reliquum vitæ peregit.

Vestib. hispidus, ac intus asperis chordis vsa est.

§. 23. Sed post mariti mortem, ob reuerentiam sanctæ Trinitatis, ad nudam carnem quandam chordam de canopo cum plerisque nodis detulit strictè ligatam, & similiter circa singulas tybias subtus genua singulas chordas similiter connodatas, etiam tempore infirmitatis, nec pannis lineis præterquam in capite, vsa veste hispida circa carnem, superius verò non secundum personæ conditionem, sed multum humiles & abiectas.

Ieiuniis assidue vacans, corpus aspera castigans.

§. 24. Et non solùm eas quas sancta mater iubet Ecclesia vigilias seu ieiunia obseruabat, sed alia multa superaddebat, vt etiam vltra Ecclesiæ mandatum quater in hebdomada ieiunaret, & similiter quater in hebdomada coniuge nondum vita functo, & post obitum eius continue vsque ad paucos annos ante suum felicem transitum, solitis pannis induta, super tapeto, absque paleis, culcitra, vel similibus, ad terram vel pauimentum posito corpus ab orationibus, abstinentiis ac diuino labore fessum, tenui & breui somno recreabat. Singulis sextis feriis ob memoriam sacratissimæ passionis Domini Nostri IESV CHRISTI pane dumtaxat & aqua contenta ieiunium non omisit, cum etiam multos alios dies, ob diuersorum Sanctorum reuerentiam simili abstinentia pertransiret, & siue ieiunio abstineret siue aliter discumberet, cū sobriissima foret, de mensa surgebat non saturata sed refecta, eisdem quoque sextis feriis de candelis cereis accensis, stillas candentes & ignitas eliquabat super nudam carnem, ita vt adustæ cicatrices continuè remanerent, & gentianam amarissimam herbam seu radicē eius retinebat in ore.

Romæ degens, stationales & alias Ecclesias diatim visitauit.

§. 25. Romæ insuper degens non rigorem frigoris, non æstiuos calores, non impedimenta viæ lutosæ, non pluuiarum, aut niuium seu grādinum asperitates curans, stationes per Ecclesiā ordinatas, variasq; alias sanctas Ecclesias, licet eques pro suis facultatibus ire potuisset, tamen supra extenuati corporis vires enitēs peditans visitauit quacumq; die. Tot namque longis genuflexionibus vsa fuit, vt genua eius rigerent in duritiam, vt ita dixerimus camelorum.

§. 26.

Charitate & humilitate clarnit.

§. 26. Admirabilis & ſpectatæ humilitatis extitit, ita vt nonnunquam cum pauperibus peregrinis incognita, ſimul ſedens, apud Monaſterium ſancti Laurentij in Paliſperna de Vrbe, Ordinis ſanctæ Claræ, eleemoſynam reciperet, & oſcularetur cum gratiarum actione, & frequenter propriis manibus, & ob Dei reuerentiam, reparabat pauperum veſtimenta.

Obedientia Prælatorum & Confeſſorum ſtuduit.

§. 27. Tenacem obedientiam Prælatis & ſuis Superioribus & confeſſoribus obſeruabat, adeo quod abſque ſaltem confeſſoris licentia, pene oculos attollere non præſumeret.

Viuente marito ſingulis ſextis ferijs, & eo mortuo quotidie peccata ſua confeſſa eſt Sacerdoti. Prædicationibus erat aſſidua.

§. 28. Et ſuperſtite marito cum ſingulis ſextis ferijs confeſſa fuiſſet, poſt eius tranſitum, veram confeſſionem ſemel ſaltem in die cum magna contritione ſtuduit iterare, tam amare leuia, ſicut alij grauiſſima deplorans, & nihil de ſuis verbis, moribus, cogitationibus & actibus prætteriens indiſcuſſum.

§. 29. Verbi Dei prædicationibus quas viri probati facerent, aſſidua aderat & intenta.

Sacramentum Eucharistiæ frequentiſſime ſumebat.

§. 30. Singulis quoque diebus Dominicis & ſolemnibus, cum deuotione & lachrymis ſumpſit venerabile Chriſti Corporis Sacramentum.

Charitatis officia in pauperes exercuit.

§. 31. Conſiderans ſemitas domus ſuæ, ne panes comederet otioſa, manus ſuas aperuit inopibus, & palmas ſuas extendit ad pauperes, inexhauſtæ enim charitatis officia erga egentes, infirmas, & abiectas perſonas, ob Dei reuerentiam exercuit indefeſſe.

Pauperes duodecim viuente eius marito quotidie cibauit, & quinta feria eorum pedes lauit.

§. 32. Nam dum etiam adhuc maritus ſuperesſet die qualibet duodecim pauperes conſueuit propria in domo cibare, illis inſeruiens & neceſſaria miniſtrans; Et quintis feriis memor cœnæ Domini propriis manibus lauit pedes eorum.

Hoſpitalia ære ſuo reparauit, & ibi pauperib. miniſtrauit.

§. 33. De propria quoque facultate reparauit in partibus ſuæ originis, multa hoſpitalia deſolata, & pauperes & infirmos ibi degentes pia, benigna, miſericors, & ſedula miniſtratrix cum ſumma pietate viſitauit. Vlcera eorum abſque horrore vel faſtidio attrectauit, lauit, circumligauit, & fouit.

Monaſterium quo pro 60 Monialib. & 25 fratribus Ordinis S. Aug. conſtruxit.

§. 34. In loco etiam de Vuatzſteno Lyncopenſis diœceſis de ſuis facultatibus vnum venerabile monaſterium canonice conſtitui fecit, pro ſexaginta monialibus ſub clauſura viuentibus, & vigintiquinque fratribus Ordinis S. Auguſtini, S. Saluatoris nuncupati, qui tam moniales quam fratres certas conſtitutiones per ipſam Beatam Viduam editas, & poſtea per Sedem Apoſtolicam approbatas obſeruare tenentur, ſufficienti dote nihilominus aſſignata.

Patientia admirabilis fuit.

§. 35. Admirabilis patientia viguit in ea, vt infirmitates proprij corporis, iniurias illatas, mariti, & Caroli filij mortem, & aduerſa reliqua toleraret patientiſſime, ſine murmure, ſine querela, ſemper in cunctis cum humilitate ſummiſſima Dominum benedicens.

Fide, ſpe, charitate, & iuſtitia præſtitit.

§. 36. In fide ſemper conſtantior; præſtantior ſpe, vera charitate ardentior; iuſtitiam ſumme dilexit & æquitatem.

Vanitates omnes deſpexit.

§. 37. Stimulos carnis, & varias illecebras, prauitatem & arrogantiam, pompam, & inanem gloriam magnanima curioſitate contempſit.

Continēs modeſtia, & prudentiſſima fuit.

§. 38. De ſingulari continentia, & modeſtia ſua ſatis eſt ſuperius recitatum. Sed quis inueniretur illa prudentior, cum optima diſcretione ab ætate primæua, vſque ad horam vltimam, quantum ſinebat humana fragilitas, cuncta ſecernens, non dixit bonum malum, neque malum bonum; nec poſuit lucem tenebras ipſam lucem.

Secreta multa reuelauit. Viſiones plures habuit. Et multa prædixit.

§. 39. Quibus quidem ſanctis & abſque intermiſſione continuatis operibus, hæc generoſa Vidua per gratiam ſancti Spiritus promeruit, multis eorum cogitationes, & affectiones intimas, & geſta ſecretiſſima propalare, & viſiones, ac reuelationes varias videre, & audire, ac ſpiritu prophetico multa prædicere, quorum nonnulla effectu completa fuere, prout hæc & alia in eius reuelationum volumine, pleniſſime deſcribuntur.

Mortis ſuæ diem prædixit.

§. 40. Quinta verò præcedente die pronuntiauit ſuæ vitæ finem adeſſe.

Filijſque Dei timorem, proximi dilectionē & omnium operum perſeuerantiam inſinuit, & ſumptis Sacramentis obdormiuit in Domino.

§. 41. Et cum fuiſſet annum ſeptuageſimum ſupergreſſa, adueniente iam termino prænuntiato, vocata familia, quæ fieri oporteret edixit, ac demum Birgiero filio, & Catharina filia tunc ſuperſtitibus accerſitis, & de multis commonitis, vt ſuper omnia in Dei timore, & amore proximi, ac ſanctis perſeuerarent operibus, vltima confeſſione debite facta, ſumpto viatico, & extrema vnctione delibuta, cum vſque ad ſtatus cuiuſionem ſua memoria integra perduraſſet, dum Miſſa coram ſe celebraretur, poſt adoratum corpus CHRISTI, oculis eleuatis ad cœlum, dicens: In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum, vocante benemeritam animam reddidit Creatori.

Populus ſtatim deuotè ad eius corpus concurrit, illudque ad eduxit apud Monaſterium S. Laurentij nuncupatum ſepultum fuit.

§. 42. Extemplo de tranſitu huius Viduæ venerandæ magna fit fama per Vrbem, concurrit frequens populus cum ſumma deuotione, ac reuerentia ſacrum videre corpus, Deum vnanimiter glorificans & collaudans, ad Monaſterium S. Laurentij ſupradictum, vbi ſe indicarat, funus tū longe maiori populi frequentia defertur, & præ nimia multitudine vſque ad biduum apte non potuit ſepeliri, quod tamen cum eximia Dei laude fuit humatum.

Mulier quædam, à mali Spiritus accubitu, ope & conſilio S. Brigittæ liberata in Ciuitate Neapolitana.

§. 43. Dum autem celebris hæc Vidua Neapoli degeret, Nolanenſis quædam mulier Pictiolella nomine, quæ violentum mali ſpiritus in humanam ſe imaginem transformantis patiebatur accubitum, cui nec fortium vigiliæ aut excubiæ obſiſtere potuerant, ad Viduam ſanctam acceſſiſſet, eam ſuper tali materia & expedienti remedio conſultura, mox vidua præcellens, & ſecreta mulieris præuidens, quæſiuit à muliere, an ſecum aliquid arte magica compilatum, vel quid tale deferret, cum illa reſpondiſſet quod non, egregia vidua ſubiecit. Quære in capillis ſeu tricis tuis, & contrarium inuenies. Confuſa & recordata mulier, quod certum breue cum characteribus & incantamine propriis habebat in crinibus, ſuum fuit errorem ſponte faſſa. Inſignis autem vidua iniunxit, & ſuaſit illi, vt deuotè confiteretur, & veraciter pœniteret, & communicaret, ac etiam ieiunaret, quod & fecit, ac meritis & precibus memoratæ Viduæ, nunquam ſimilem accubitum paſſa fuit.

S. Th. Apoſt. reliquias ad Ortonam viſitauit, & miraculosè ad eius manus pars oſſis d. S. Th. proſiliji.

§. 44. Cum autem ſpectabilis hæc vidua de longa peregrinatione ad Ortonam Theatinæ diœc. terram, in qua Beatiſſimi Thomæ Apoſtoli reliquiarum pars m. gna ſeruatur, vice ſecunda superueniſſet, fuerat enim antea longe per viſionem ſibi reuelatum, quod ſecunda vice ſui aduentus ad ipſam terram, deuotum eius deſiderium impleretur. Et dum ſtans reliquias deuotione ſolita viſitaret, idem Apoſtolus deuotæ Viduæ apparens, dixit, Dabitur tibi diu deſideratum, & mox nemine tangente, vel alias impellente, de capſa reliquiarum quoddam fruſtulum vnius oſſis dicti Apoſtoli ſuapte Viduæ expectantis proſiliit ad manus, quod illa cum gaudio ac deuotione recipiens, ſumma veneratione ſeruauit.

Orans & contemplationi intenta, ſæpe à terra viſa fuit eleuata.

§. 45. Fuit quoque hæc admirabilis Vidua dum orationi & contemplationi vacaret per pleraſque deuotas perſonas eleuata à terra, per hominis menſuram, vel circiter, cum ſplendida & radiante facie, ſæpe viſa.

Agnes de Coteſſa, ope S. Brigittæ, deformitate gutturis caruit.

§. 46. Funus nondum erat traditum ſepulturæ, cum mulier quædam Agnes de Coteſſà nomine, in Vrbe commorans, quę à natiuitate guttur habebat groſſiſſimum ac deforme, cum aliis venerandum currit ad funus, & cum propria zona manus ſanctæ iacentis Brigittæ cum deuotione tangi feciſſet, zonam eandem ſimili deuotione circumduxit ad collum, & paulo poſt guttur detumuit, & ad conformitatem debitam diuino miraculo fuit redactum.

Franciſca Sabella, aduerſa valetudine liberata extitit.

§. 47. Verum Franciſca de Sabellis dicti Monaſterij S. Laurentij monialis, quæ biennio debilitatem & aduerſam ſtomachi valetudinem paſſa, fere ſemper lecto decubuerat infirma, & honorandæ Viduæ familiaris fuerat, cum adhuc inſepultum corpus intra clauſtrum ſeruaretur, cum graui labore de lecto ſurrexit, tam longam infirmitatem patiens, & adiuta peruenit ad feretrum, & ſecum illud iacuit tota nocte, nec Deum deſiit cum deuotione & inſtantia deprecari, quod meritis & precibus Viduæ, cuius corpus aderat, tam moleſta tamque diutina valetudine in tantum ſaltem alleuiaretur, quod cum reliquis monialibus, diuinis officiis intereſſe, & per clauſtrum cum expedire adiuta per neminem ire poſſet; & mane facto reperit ſe circa proprij ſanitatem corporis efficacius remedium, quam deprecata fuerat impetraſſe.

§. 48.

Infantulus vitam recepit, cum mortuus natus esset.

§. 48 Verum vt Deus benedictus huius dilectæ Viduæ mundo magna merita demonstraret, contigit, vt Elsebisuara mulier dictæ Lincopensis diœc. cum infantulum mortuum peperisset, summo dolore plena, ac tandem ad se reuersa, Deum prece humili exoraret, quod meritis Viduæ tantopere celebrandæ infantulus vitam susciperet, & emisso voto, quod cum infantulo si ad vitam veniret, & imagine cerea sepulchrum Viduæ sanctæ visitaret, extemplo infantulus calescere, & palpitare cœpit, vitamque plene suscepit. Mulier vero plena deuotione atque gaudio, votum impleuit emissum.

Miracula alia multa S. Brigitta clarruit, quæ reticentur.

§. 49 Sed quid pluribus immoramur, cum Deus omnipotens huius almæ Viduæ meritis, surdis aures aperuerit, mutis linguæ officium soluerit, tremulis paraliticis soliditatem præbuerit, curuis erectionem, contractis & inualidis liberum beneficium gradiendi, cæcis visum, mulieribus partu periclitantibus liberationem, morbis alias incurabilibus sanitatem, naufragos, & aquis vehementibus laborantes perduxerit ad tantum portum? Et si ea quæ Deus benedictus Viduæ sæpe dictæ meritis tam illa superstite, quam post eius resolutionem felicem, mirabilia præter, & super vires naturæ, fuit operatus, nec desinit operari, vellemus per singula recensere. Nos alijs diuersis implicatos, longa valde in tali recitatione prolixitas detineret, possunt tamen fideles audita talia gesta pernoscere, librum in quo fideliter annuntiantur perquirere curiosè.

Eorum tamē veritatē vota circa corpus S. Brigitta persoluta, aperte confirmant.

§. 50. Vota autem apud monasterium in Vuazsteno supradictum, ad quod venerabile corpus huius benedictæ Viduæ translatum fuit, persoluta, & appositæ imagines ac statuæ, magnum testimonium perhibent veritati.

Proinde itaque prædictorum verificationes ille Pot. B. Brigittam, Sanctam esse pronuntiat & canonizat.

§. 51. Et quoniam per sancti Spiritus operationem, hæc Vidua peruigil, per excellentia merita, in Dei Patris gloria collocata militantem propemodum illustrat Ecclesiam, Nosque gustauimus, & videmus, quia bona fuit, & est negotiatio eius, & propterea in nocte superuenientis temporalis mortis eius, virtutum & meritorum lucerna non debet extingui, est enim non sub modio, sed super candelabrum posita, & per Domini vniuersam domum inextinguibile lumen affert, quin potius filij sanctæ matris Ecclesiæ surgant, & beatissimam prædicent, eique dent de fructu manuum suarum, laudentque eam in portis Matris Ecclesiæ opera eius. Nos qui pro iniuncto ministerij pastoralis officio, sumus sapientibus, & insipientibus debitores, per ea quæ tam de felicis recordationis Gregorij XI. & Vrbani VI. Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum, quam mandato nostro super his habita sunt, de veritate præmissorum per testes idoneos, & alias probationes legitimas, certius informati, eisque veris compertis, & pro parte charissimæ in Christo filiæ nostræ Margaritæ Reginæ Sueciæ illustris, ac Prælatorum, & Procerum Regni sui, necnon dilectorum filiorum, Populi officialium Almæ Vrbis, ac dilectarum in Christo filiarum S. Laurentij, & de Vuatzsteno monasteriorum prædictorum Abbatissarum conuentuum, sæpius & cum instantia requisiti, in nomine Domini, vt iam tandem Viduam eius celeberrimam benedicentes benedicamus, & super ea efflorea sanctificatio nostra, ad honorem Dei omnipotentis, Patris, & Filij & Spiritus sancti, & ad exaltationem orthodoxæ fidei, & Christianæ religionis augmentum, necnon ad sedationem schismatis, ac fidei, & Ecclesiæ vnionem, auctoritate ipsius Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus sancti, ac Beatorum Apostolorum, Petri supradicti & Pauli, atque nostra, de fratrum nostrorum consilio, & assensu omnium Prælatorum in Romana Curia consistentium, decernimus, declaramus, definimus, pronuntiamus, bonæ memoriæ Beatam Brigittam, alias Brisidam supra sæpius nominatam, Sanctam esse, & tanquam Sanctam ab vniuersali Ecclesia venerari ac Sanctorum Catalogo adscribi debere, & ipsam nunc adscribimus de præsenti.

Festumque ipsius pro die 23. Iulij instituit.

§. 52. Statuentes vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet, in die qua illam post deuictum triumphatumque mundum, in perpetuas æternitates præsens vita parturiit, videlicet x. Kalen. Augusti, Festum ipsius, & officium sicut pro vna sancta non virgine nec martyre, deuotè & solemniter celebretur.

Indulgentias eius corpus visitantibus concedit.

§. 53. Et vt ad venerabile sepulchrum ipsius ardentius & effluentius Christi fidelium confluat multitudo, & eiusdem Sanctæ celebrius colatur festiuitas, & eius nomen crebrius recolatur, auctoritate prædicta omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui sepulchrum eius huiusmodi apud ipsum monasterium in Vuatzsteno in eiusdem festi, necnon v. Kal. Iunij quo videlicet die huiusmodi corpus venerandum apud ipsum monasterium translatum fuit, & sub ad præsens occurrentibus diebus deuote visitauerint annuatim, singulis videlicet eorundem dierum diebus, quibus dictum sepulchrum visitauerint vt præfertur, septem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Publicationē huius canonizationis, & festi obseruantiam præcepit.

§. 54. Quocirca vniuersitatem vestram monemus, requirimus, & hortamur attente vobis nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ, & ad æternorum præmiorum augmentum districtius iniungentes: quatenus præsentes nostras literas Cleris & populis vestris, auctoritate nostra solemniter publicantes huiusmodi venerabilis Sanctæ, cum solemnitate debita celebretis & faciatis etiam celebrari; omnipotentem Deum, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, totis cordis affectibus humiliter deprecantes, vt eiusdem sanctæ precibus & meritis exoratus, det seruis suis, illam quam mundus dare non potest pacem, vt & corda nostra mandatis suis dedita, & hostium sublata formidine, tempora nostra sint sua protectione tranquilla, nobisque concedat vt post peractum nostræ villicationis ministerium, vnà cum credito nobis grege, mereamur ad sempiterna gaudia peruenire.

Dat. P. An. 2. die 7. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum Nonis Octobris, Pontif. nostri Anno 2.

INNOCENTIVS SEPTIMVS PONT. CCVI.

ANNO DOMINI MCCCCVI.



INnocentius VII. de Familia Meliorata, Patria Sulmonensis, Cosmus anteà vocatus, 29. Papa Regnicola, Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hierusalem, Creatus Romæ 16. Kalen. Nouemb. Anno Domino 1404. Coronatus quarto Nonas Nouemb. Vixit annos 2. dies 2. Creauit Cardinales 12. Obiit Anno Domini 1406. 8. Idus Nouemb. sepultus fuit in Basilica S. Petri in Sacello S. Thomæ. Vacauit Apostolica sedes dies viginti quatuor.

Benedictus XII. dictus XIII. Antipapa, Arrago, Hispanus, Petrus de Luna anteà vocatus, Archidiaconus Cæsaraugustanus, creatus Auenione 4. Kal. Octob. 1394. fuit pseudopontifex annos circiter triginta, creauit pseudocardinales 24. Obiit Anno Domini 1424. mense Septembri.

Clemens

Clemens VIII. Antipapa, Ægidius Magnotius antea vocatus, natione Hispanus, Prouinciæ Aragoniæ, Diœcesis Cæsaraugustanæ, Vrbe Tetculi, ex Canonico Ecclesiæ Batcinonensis, contra Martinum V. in locum Antipapæ Benedicti XIII. creatus, Penischolæ oppido Regni Valentiæ, mense Septemb. Anno Dom. 1424. fuit Pseudopontifex annos 5. creauit Pseudocardinales 5. & 1429. abdicauit.

I. Approbatio Regulæ Fratrum & Sororum de pœnitentia Ordinis S. Dominici.

De hoc Ordine S. Dominici plene notaui sup. ad const. 2. Honor. III. Religiosum.

Edita An. D. 1405. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.



Edis Apostolicæ prouidentia circunspecta, personas sub regulari Obseruantia vacantes assidue, studio piæ vitæ benigno fauore prosequitur, & ea quæ pro earum statu salubriter dirigendo, prouide ordinata sont, vt illibata persistant, Apostolico consueuit munimine roborare.

Petitio confirmationis Regula fratrum & sororum Tertij Ordinis S. Dominici. §. 1. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum fratrũ, & dilectarum in Christo filiarum, sororum Ordinis Prædicatorum, qui quidem fratres & sorores de pœnitentia sancti Dominici nuncupantur, nobis noper exhibita continebat, quòd ipsi quandam regulam, siue religiose viuendi formam, in qua nonnulla honesta, & rationabilia ac regulari disciplinæ congruentia, statuta, & ordinata fore noscuntur, hactenus laudabiliter obseruatuot, prout obseruant. Quodque licet Ordo fratres & sorores & huiusmodi, varijs per Sedem Apostolicam sint priuilegiis communiti, tamen pro solidiori eorum subsistentia, & vt clementia altissimi operante, de virtute in virtutem gradientes, deuotiorem reddere valeant Domino famulatũ, desiderant, huiusmodi regulam, siue viuendi formam per Sedem eandem approbari. Quare pro parte fratrum & sororum eorundem, nobis fuit humiliter supplicatum, vt regulæ, seu viuendi formæ huiusmodi robur Apostolicæ confirmationis adiicere, illamque per dictos fratres, & sorores præsentes & posteros in perpetuum obseruari, mandare, de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio huius Pontif. §. 2. Nos igitur, qui super præmissis omnibus, & singulis Vener. fratris nostri Angeli Episcopi Hostiensis, (cui examinationem eorundem commisimus per ipsum faciẽdã, & quòd ea quæ per illam reperiret nobis referre curaret) relatione plenaria, & fideli fuimus clarius informati, huiusmodi supplicationibus inclinati, regulam siue viuẽdi formam quam per singula eius capitula clarè, & distinctè, ac de verbo ad verbum præsentibus fecimus adnotari, necnon statuta, & ordinationes prædicta rata habentes & grata, illa, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, & nihilominus regulã, seu viuẽdi formã eandẽ per ipsos fratres, & sorores præsẽtes, & posteros volumus, & mandamus perpetuis futuris tẽporibus inuiolabiliter obseruari.

Tenor d. reg. sequitur. Tenor verò Regulæ siue viuendi formæ huiusmodi sequitur & est talis.

Incipit Regula Fratrum & Sororum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici Tertiariorum Fundatoris, & Patris Fratrum Ordinis Prædicatorum.

CAPVT PRIMVM.

De Recipiendis, & eorum conditione. IN primis, vt hic Ordo continuum, & perpetuum de bono in melius valeat recipere incrementum, quod ex receptione personarum bene dispositarum plurimum noscitur dependere, volumus & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem huius fraternitatis, nisi per Magistrum siue directorem, & per Priorem dictæ Fraternitatis, vel de ipsorum licentia, ac etiam de assensu maioris partis fratrum professorum fraternitatis eiusdem illius loci, præmissa tamen diligenti examinatione, quæ sit honestæ vitæ & bonæ famæ, ac de hæresi nullatenus sit suspectus; quinimò tanquam sancti Dominici singularis in Domino filius, sit veritatis Catholicæ fidei iuxta suum modulum æmulator, & zelator præcipuus, qui etiam antequam habitum huius religionis recipiat, de alienis (si qua habuerit) satisfaciat ad plenum, & proximis reconciliati, necnon & paratum siue conditum suum testamentum tenere studeat, iuxta consilium & ordinationem confessoris discreti, & eadem examinatio fiat de mulieribus ingressum huius Ordinis petentibus, habentibus tamen viros, non pateat ingressus ad consortium dictæ fraternitatis, nisi de virorum suorum licentia & consensu, de quo consensu fiet publicum instrumentum: Idem quoad hoc seruari volentes, in viris vxorem habentibus, nisi obstaret in ipsis; vel aliquo ipsorum aliqua causa, quæ legitima iudicaretur de consilio discretorum.

CAP. II.

Habitu. Omnes autem tam fratres quam sorores dictæ fraternitatis induantur panno albo & nigro, nec in colore nec in valore nimiam pretiositatem prætendãt, sicut decet honestatem seruorum CHRISTI. Mantellum sit de nigro, & fratrum caputia similiter sint de nigro, tunicæ verò sint de albo, quarum manicæ protendantur vsque ad pugnum, & sint clausæ, corrigias de corio tantum habeant, quibus sorores cingantur sub tunica, in bursis etiam, calceamentis, & cæteris, omnem mundanam resecent vanitatem, vela verò sororum, & bindæ sint alba de panno lineo, vel canapino.

CAP. III.

Benedictio Habitus; & modo recipiendi ad hunc Ordinem. Recipiatur autem recipiendus in loco Capituli fraternitatis, vel ante altare Ecclesiæ fratrum Prædicatorum illius loci, & à magistro, siue directo supradicto, vel eius vicario, qui magister assistente induendo, & petente humiliter flexis genibus recipi, præsentibus aliquibus aliis fratribus prædicatoribus, & priore fraternitatis, vel eius vices gerente, cum aliis de fraternitate, benedicet primo habitum eius qui debet recipi, hoc modo videlicet. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine IESV CHRISTE qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, &c. Posteà verò tali habitu benedicto, & per receptum seorsum induto, atque ad gradus altaris reuerso, & ante Magistrum genuflexo, dicet Magister. Veni Creator Spiritus, & Fratres, qui ei assistunt ipsum prosequantur vsque ad finem, deinde dicatur, Kyrie eleison. Pater noster, &c. Emitte Spiritum tuum, &c. Saluum fac seruum tuum, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti &c. & Prætende famulo, &c. & Respõso, Amẽ. Aspergatur sic indutus, à Magistro aqua Benedicta, deinde omnes fratres fraternitatis, ipsum recipiant ad osculum pacis, & eodem modo ante altare recipiantur mulieres, quemadmodum est de fratribus supradictum.

CAP. IV.

Professiond seu modo profitendi. Completo anno, vel ante, si Magistro, Priori supradictis, vel cui commiserint, & etiam maiori parti fratrum professorum fraternitatis, visus fuerit idoneus, ad professionem recipiatur. Profitebitur autem hoc modo, videlicet. Ad honorem omnipotentis Dei, Patris & Filij & Spiritus sancti, & B. MARIÆ Virginis, & Beati Dominici. Ego N. coram vobis N. Magistro & Priore fratrum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, talis loci, profiteor me velle de cætero viuere secundum formam & regulam fratrum & sororum eiusdem Ordinis de Pœnitentia B. Dominici vsque ad mortem. Mulieres verò eodem modo profiteantur coram magistro supradicto, & Priorissa, vel cui commiserit.

CAP. V.

Stato permanentia in Ordine. Statuimus autem vt nullus frater, nec soror huius fraternitatis & Ordinis, post supradictam professionem de hoc Ordine egredi valeat, nec eisdem ad sæculum reuerti liceat, sed bene possint libere transire ad vnam de approbatis Religionibus tria vota solemnia profitentibus.

CAP. VI.

Horis Canonicis dicendis.

Fratres & sorores dicant quotidie omnes horas canonicas, nisi infirmitate impediantur, pro matutinis dicant viginti octo Pater noster, pro Vesperis, & pro qualibet aliarum septem. Ad honorem vero B. MARIÆ semper Virginis pro qualiber hora superius nominata tot Aue Maria quot Pater noster dicere teneantur. Pro benedictione autem mensæ, dicant vnum Pater noster. Cum verò surgunt à mensa, similiter dicans vnum Pater noster, vel Psalmum, Miserere mei Deus, vel Laudare, qui sciunt. Omnes etiam qui sciunt Symbolum Apostolorum videlicet Credo in Deum, dicant illud semel in principio Matutinarum, & etiam ante Primam, & quando Completorium fuerit terminatum. Qui autem sciunt, & dicunt horas canonicas quemadmodum faciunt clerici, prædicta Pater noster, & Aue Maria dicere minime teneantur.

CAP. VII.

Surgendo ad matutinum.

Ad Matutinas Dominicis diebus, & festiuis, à festo omnium Sanctorum, vsque ad festum Resurrectionis Dominicæ omnes surgant. In Aduentu autem Domini & Quadragesima, surgant omni nocte. Qui verò occupantur quotidiano opere manuali, horas suas dicere possunt de mane, vsque ad Vesperas exclusiue, de sero verò, Vesperas & Completorium simul dicant.

CAP. VIII.

Confessione & communione.

Omnes quater in anno ad minus, videlicet, in festo Natiuitatis Domini, Resurrectionis ipsius, Pentecostes & in festo Assumptionis, ant Natiuitatis B. Virginis, peccata sua confiteantur diligenter, & Eucharistiæ deuote studeant accipere Sacramentum, nisi forsan ea aliqua causa rationabili, alicui ex ipsis esset à suis confessoribus interdictum. Qui autem ex deuotione sua sæpius voluerint infra annum communicare, petita à suo Prælato licentia & obtenta, deuotionem suam cum Dei benedictione possunt executioni demandare.

CAP. IX.

Silentio seruando.

In Ecclesia dum celebrantur Missæ, vel cantatur diuinum officium seu actualiter ibi proponitur verbum Dei, omnes silentium seruare studeant, & orationi, ac diuino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali & occurrente necessitate, aliquid silenter loquantur.

CAP. X.

Reuerentia exhibenda Ecclesiarum Prælatis & Ecclesiis eorum.

Fratres & sorores, Ecclesias quarum Parochiani, & Parochianæ existunt, iuxta Canonicas sanctiones, & bonos mores & cum omni deuotione studeant visitare, Ecclesiarum suarum Prælatos, videlicet Episcopos & inferiores, summe reuereantur, ipsorumque iura absque omni diminutione, & fideliter eis soluant, & hoc tam in decimis quam oblationibus alias quomodolibet consuetis.

CAP. XI.

Ieiunijs.

A Dominica prima Aduentus, vsque ad Natiuitatem Domini quotidie tam fratres quam sorores ieiunent, & similiter à Dominica in Quinquagesima vsque ad Pascha Resurrectionis idem obseruent, ferias autem sextas ieiunabunt omni tempore, & ieiunia omnia ab Ecclesia instituta. Qui autem voluerint amplius ieiunare seu austeritates alias facere, poterunt habita licentia à suo Prælato, vel de consilio confessoris discreti.

CAP. XII.

Cibo.

Fratres & sorores huius fraternitatis vti possunt carnibus diebus Dominicis, & tertia, & quinta feria. Cæteris verò diebus abstineans, nisi sint infirmi, aut multum debiles, vel minuti, vel nisi præcipuum festum fuerit illa die, aut quia essent in itinere constituti.

CAP. XIII.

Discursu.

Vagos, curiososque discursus per ciuitatem non faciant. Sorores verò solæ non discurrant, maxime iuniores, ad nuptias & choreas, siue ad dissoluta & mundana conuiuia, siue ad vana spectacula nullo modo accedant. De ciuitate verò, vel castro vbi habitant non exeant, etiam causa peregrinationis, absque licentia speciali Prælati, vel Magistri fraternitatis iam dictæ.

CAP. XIV.

Armis non ferendis.

Inuasionis seu impugnationis arma secum fratres non deferant nisi propter defensionem fidei Christianæ, aut alia rationabili causa, & de suorum Prælatorum licentia.

CAP. XV.

Infirmis visitandis, & curandis.

Deputentur per priorem duo ex fratribus, qui cum quempiam ex eisdem nouerint infirmari, quam citius potuerint charitatiue studeant visitare, & statim à principio ad recipiendum pœnitentiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta, eundem efficaciter adhortentur, & si necesse fuerit, ministerium corporale prout commode poterunt eidem studeant adhibere. Si verò fuerit pauper, necessaria de bonis propriis, vel communibus, prout facultas permiserit, sibi ministrare procurent. Et idem faciant sorores circa sorores suas infirmas.

CAP. XVI.

Suffragijs pro defunctis.

Quando continget aliquem ex fratribus ex hac luce migrare, cæteris confratribus in eadem Ciuitate vel Castro nuntietur, vt procurent defuncti exequiis personaliter interesse, à quibus non recedant donec corpus fuerit traditum sepulturæ. Hoc idem circa sorores decedentes volumus obseruari. Præterea infra octo dies post ipsius defuncti sepulturam immediate sequentes, quilibet frater & soror dicat pro anima eius, Sacerdos vnam missam, Sciens verò psalterium, psalmos quinquaginta, Illiterati verò centum Pater noster dicant, addendo in fine cuiuslibet Requiem æternam, &c. Et præter hæc quilibet infra annum, pro fratrum & sororum, tam viuorum quam defunctorum salute, tres Missas faciat celebrari. Qui verò sciunt psalterium, illud dicant, & cæteri quingenta Pater noster dicere teneantur.

CAP. XVII.

Institutione Prioris & Priorissæ.

Priore fraternitatis mortuo vel amoto, Magister siue director fraternitatis cum consilio antiquorum de fraternitate, instituat Priorem. Singulis autem annis infra octauas Paschæ, vel alio supradictus Magister habeat consilium cum antiquioribus de fraternitate, super amotione, vel confirmatione Prioris: & sic Priorem confirmare, vel amouere poterit, secundum quod ipse cum præfatis indicauerit expedire, consimiliter etiam de consilio dicti Magistri & aliorum de fraternitate magis antiquorum, poterit Prior fraternitatis ordinare de superiore, vel Vicario fraternitatis, & etiam postmodum confirmare vel amouere, secundum quod eisdem visum fuerit expedire. Qui Superior, vel Vicarius tamen potestatem habeat quantam Prior sibi concedat: & hæc eadem forma de institutione Priorissæ, vel Subpriorissæ modo simili obseruetur.

CAP. XVIII.

Officio Prioris & Priorissæ.

Prioris officium erit cum omni diligentia seruare in se quæ in regula scripta sunt, & sollicitam dare operam, vt ab aliis confratribus obseruentur, si quos verò viderit transgredientes, aut etiam negligentes, charitatiue corripiat, & emendet, vel si magis sibi videbitur expediens fraternitatis magistro, & directori vt corrigat, poterit intimare. Priorissæ etiam erit officium sollicite Ecclesiam visitare, cæteras etiam sorores excitare ad obseruantiam regularem. Diligenter etiam per seipsam, & alias quibus imponet obseruare, quod in incessu, statu, habitu, nihil per aliquam sororem fiat, quod cuiusquam merito turbare possit aspectum, præcipue autem attendat, ne sorores cum quocumque viro cuiuscumque conditionis existat, familiaritatem contrahant, & maxime iuniores, nisi forsan talis vir sorori illi attineat infra tertium consanguinitatis gradum ad longius, cum hoc existens bonæ vitæ & famæ.

CAP. XIX.

Correctione.

Si quis notatus fuerit de aliqua familiaritate suspecta, & ter admonitus per Prælatum, se non emendauerit, excludatur ad tempus à Capitulo & consortio cæterorum confratrum. Quod si nec sic se correxerit, tunc de fratrum consilio discretorum, de ipsorum penitus consortio publicè excludatur, nec admittatur de cætero, nisi confratribus omnibus videatur esse correctus. Item si quis confratri, vel alteri cuicumque opprobrium dixerit, quod sonare infamiam videatur, aut ex ira quemquam percusserit, vel ad locum prohibitum ire præsumpserit, seu inobedientiam quamcumque commiserit, aut etiam Prælato mendacium ex industria dixisse deprehensus fuerit, abstinentia panis & aquæ, vel exclusione à Capitulo, aut etiam à consortio aliorum fratrum, plus vel minus secundum conditionem personæ, & exigentiam delicti, grauius

&

& leuius corrigatur. Item si quis crimen mortale commiserit, talis de consilio maioris partis fratrum professorum fraternitatis illius loci, secundum exigentiam culpæ & conditionem personæ, grauius, vel leuius puniatur, sic tamen quod sit ceteris in exemplum. Quam punitionem si facere recusauerit, de consilio discretorum de isto ordine expellatur. Circa verò sororum correctionem illud idem volumus per omnia obseruari.

CAP. XX.

Congregatione, Institutione Directoris, ac subiectione Ordinis fratrum Prædicatorum.

In quolibet autem mense, semel certa die & hora per supradictum Magistrum, vel vicarium deputandum, ad Ecclesiam fratrum Prædicatorum conueniant fratres omnes Ordinis fraternitatis, Dei verbum & etiam Missam, si hora competens fuerit, pariter audituri, & tunc per ipsum Magistrum ipsis legatur regula ista, & exponatur, & tunc de agendis fratres informet, & negligentes corrigat, & emendat, prout secundum Deum, & istam viuendi formulam viderit expedire. In cuiuslibet etiam mensis, prima sexta feria, sorores ad Ecclesiam Prædicatorum conueniant similiter Dei verbum & Missam audituræ communiter, quibus etiam legatur regula ista & exponatur, de suisque excessibus corrigantur per Magistrum deputatum eisdem. Volumus autem, quod in qualibet Ciuitate & Castro vbi fuerint fratres huiusmodi, habeant in Magistrum & directorem aliquem idoneum fratrem sacerdotem de Ordine Prædicatorum, quem postulauerint à generali Magistro, vel Prouinciali illius prouinciæ, dicti Ordinis Prædicatorum, aut quem ipsi generalis Magister, siue Prouincialis per se vel alium eisdem concedere, & assignare decreuerit. Volentes insuper, & statuentes, vniuersos fratres & sorores huiusmodi de pœnitentia Sancti Dominici vbicumque existant, directioni, & correctioni ipsius generalis Magistri Ordinis antedicti & Prioris prouincialis illius prouinciæ eiusdem Ordinis, pro eorundem ampliori conseruatione & promotione, totaliter subiacere, quantum ad illa videlicet quæ eorundem viuendi modum & formulam concernere dignoscuntur.

CAP. XXI.

Dispensatione.

Prior fraternitatis cum fratribus suis, & Priorissa cum sororibus suis, Magister autem & director eis deputati, cum vtrisque, in abstinentiis & austeritatibus aliis, in supradictis Capitulis contentis ex causa legitima, & rationabili, cum expedire viderint, poterunt dispensare.

CAP. XXII.

Obligatione Regulæ.

Demum quemadmodum in constitutionibus Ordinis fratrum Prædicatorum continetur, ita volumus & ordinamus, quòd in ista regula seu viuendi formula habeatur, quòd præter diuina & Ecclesiæ præcepta atque statuta in ea contenta, in reliquis huiusmodi Regulæ constitutionibus; siue ordinationibus fratres & sorores ad culpam nullatenus obligentur, sed solum ad pœnam, quæ cum à Prælato vel Magistro continget ex quavis transgressione imponi, per transgressorem humiliter & prompte suscipiatur, & similiter opere perficiatur, cooperante gratia Domini & Redemptoris nostri IESV CHRISTI. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, communitionis, voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D.P. A. 1. die 26. Iunij.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Kalend. Iulij, Pontificatus nostri Anno Primo.

GREGORIVS DVODECIMVS PONT. CCVII.
ANNO DOMINI MCCCCVII.



GRegorius XII. Venetus, Angelus Corarius antea vocatus, Presbyter Cardinalis tituli S. Marci. Creatus Romæ pridie Kalend. Decemb. anno 1406. Coronatus Nonis Decemb. eodem anno, sedit annos 8. menses 7. dies 5. creauit Cardinales quatuordecim, sponte abdicauit prò bono pacis, schismateque tollendo, 4. Nonas Iulij, postea creatus est Episcopus Cardinalis Tusculanus, & Collegij Decanus. Obiit Recinati anno 1417. Corpus eius in Cathedrali Recinatensi sepultum.

Institutio Canonicorum & clericorum sæcularium in Ecclesia S. Georgij in Alga Venetiarum, Castellanensis diœcesis.

Hinc emanauit Congregatio, quæ Canonicorum sæcularium appellatur, & regulam S. Augustini profitetur, & est variis decorata priuilegiis, vt inf. in Eugen. IV. const. 24. Quanquam, ac Pij V. const. 92. Ex incumbenti. Præcedit omnibus Regularibus, vt in d. Pij V. const. 127. Cum alias vtitur habitu cærulei coloris, vt inf. in Clem. VIII. const. 90. Quæ ad.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam. *Edita Anno 1406.*



ILLIS, quæ pro diuini cultus augmento auctoritate Apostolica processerunt, vt illibata persistant, libenter cum à nobis petitur, Apostolicæ confirmationis adiicimus firmitatem. *Exordium.*

Episcopus Kissamensis, Ecclesiam S. Georgij in Alga, in collegiatam erexit Canonicosque & Clericos sæculares instituit, vt in instrumento mox inferendo vigore literarum Bon. IX hic pariter insertarum.

§. 1. Sane petitio dilectorum filiorum Ludouici Prioris & Capituli sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Georgij in Alga Castellanensis diœcesis, nobis exhibita continebat, quod olim venerab. frater noster Angelus Episcopus Kissamensis auctoritate quarundam literarum fel. recor. Bonifacij Papæ Noni prædecessoris nostri, eandem Ecclesiam, quæ tunc Monasterium Ordinis sancti Augustini erat necnon per Priorem regi consueuerat, in Collegiatam erexerat, & in ea Priorem & Canonicos sæculares Capitulum facientes, necnon quosdam alios etiam Clericos sæculares in perpetuos Vicarios seu beneficiatos, in

eadem Ecclesia instituit; & impugnatores huiusmodi erectionis, & aliorum quæ prædictus Episcopus in præmissis & circa ea ordinauit, excommunicationis vinculo innodauit, à qua nisi auctoritate prædicta munus absolutionis nequirent obtinere, etiamsi tales impugnatores Episcopali, vel quacumque alia Ecclesiastica, vel sæculari præfulgerent dignitate, necnon quædam alia circa hæc fecit, statuit, & ordinauit, prout in quodam publico instrumento inde confecto, prædicti Episcopi sigillo munito, cuius teoorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur.

Capitulum sic instituentum supplicante Papa pro confirmatione contentorum in d. instrumento.

§. 2. Quare pro parte ipsorum Prioris & Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, vt erectioni & institutioni prædictis & aliis in ipso instrumento contentis, robor Apostolicæ confirmationis adiicere, de speciali gratia dignaremur.

Qui ea confirmat renouata excommunicatione contra impugnatores.

§. 3. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem & institutionem prædictas, necnon alia in ipso instrumento contẽta, & quæcumque inde secuta, sub infrascripta modificatione rata habentes & grata, ea auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui interuenerint in eisdem. Nihilominus huiusmodi clausulam in eodem instrumento contentam, siue articulum excommunicationis eiusdem contra impugnatores ipsos, vt præmittitur latè, auctoritate prædicta duntaxat cassamus, ac volumus nullius existere firmitatis. Tenor verò prædicti instrumenti talis est.

Angelus Episcopus Kissamensis.

§. 4. Angelus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Kissamensis, Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Bonifacij diuina prouidentia PP. Noni ad infrascripta specialiter delegatus, vniuersis, & singulis præsentes nostras literas inspecturis, & quos infrascriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino sempiternam.

Recepit literas Pontifex, pro parte Prioris d. Monasterij sibi præsentatas.

§. 5. Cum deceat maxime in Ecclesiasticis ministeriis docere, cuius auctoritate quisque ministret, Vniuersitati vestræ, necnon & vestrum singulis tenore præsentium intimamus, quod venerabilis & religiosus vir Dominus frater Ludouicus Prior loci Monasterij, & Ecclesiæ S. Georgij in Alga Ordinis S. Augustini de Venetiis, Castellanensis Diœcesis, die 22. mensis Septembris proxime decursi, nobis quasdam literas Apostolicas, cum earum vera bulla plumbea ad cordulam canapis, more Romanæ Curiæ, non vitiatas, non concellatas, non abrasas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carẽtes præsentauit (licet alias eius parte nobis præsentare fecerit) petens humiliter, & deuote quatenus ipsas literas executioni mittere dignaremur, quod nobis per ipsas Apostolicas literas mandabatur; quarum literarum tenor per omnia sequitur & est talis.

In quibus ipse Bonifacius.

§. 6. Bonifacius Episc. seruus seruorum Dei. Venerabili Angelo Episcopo Kissamensi in loco de Veneriis Castellanensis diœc. commoranti, salutem & Apostolicam benedictionem.

Reformationem d. Monasterij dicto Episcopo committit.

§. 7. Ad Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium statum salubriter dirigendum, iuxta pastoralis officij debitum intendentes, ad reformationem illorum quæ deformata sentimus, partes Apostolicæ sollicitudinis adhibemus. Sane petitio pro parte dilecti filij Ludouici Prioris Monasterij S. Georgij in Alga per Priorem soliti gubernari, Ordinis S. Augustini Castellanensis diœcesis, nobis nuper exhibita continebat, quod Monasterium prædictum, in quo ab olim laudabiliter viguit obseruantia regularis, & eius instituta regularia fuerunt per Sedem Apostolicam approbata, à longis retroactis temporibus extitit, prout existit huiusmodi regulari obseruantia destitutum, ac in spiritualibus, & diuinis officiis idem peragendis multipliciter deformatum. Quare pro parte dicti Prioris, qui vt asserit ad reformationem ipsius Monasterij feruenter anhelat, nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis de opportuno remedio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus ad Monasterium præfatum personaliter accedens, & habens præ oculis solum Deum super præmissis, eorumque circumstantiis vniuersis, auctoritate nostra te diligenter informes, & huiusmodi informatione per te sic recepta, ipsum Monasterium, & quicquid in eo correctionis, seu reformationis ministerio cognoueris indigere, tam in capite, quam in membris eadem auctoritate hac vice corrigas, & reformes, ac statoas, & instituas in perpetuum, vel ad certum tempus, augmentando, diminuendo, seu mutando præfati Monasterij statum, statuta, constitutiones, & alia etiam pro diuinis officiis huiusmodi peragendis, rationabilia, & salubria in ipso Monasterio obseruanda, ordines, & disponas, ac omnia alia quæ Episcopus Castellanensis existens pro tempore cum dilectis filiis Capitulo Castellanensi circa præfatum Monasterium facere posset, seu quomodolibet exercere, facias & exerceas, prout secundum Deum pro vtilitate dicti Monasterij, & personarum in illo degentium animarum saluti, tibi videbitur expedire. Ac nihilominus per te sic facienda, ordinanda, disponenda, instituenda, & statuenda, facias auctoritate prædicta inuiolabiliter obseruari. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Monasterij, & Ordinis prædictorum, ac aliis contrariis quibuscumque, seu, si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum Idibus Martij, Pontificatus nostri Anno quartodecimo.

Qui Episc. ad d. Ecclesiã, & Monasterium personaliter accessit, vbi regularem obseruantiã penitus destitutam inuenit.

§. 8. Nos igitur cupientes omnibus Apostolicis semper parere mandatis, prædictas Apostolicas literas licet alias receperimus, iterum recepimus reuerenter, & communicato consilio sæpesæpius cum dicto D. Priore, aliisque quamplurimis venerabilibus viris Ecclesiasticis, morum grauitate & scientia necnon & experientia decoratis, tractatibus, & consiliis multis præcedentibus, ac ipsius Domini Prioris, apud quem solum ad præsens totius iura Capituli, & Conuentus dictorum Monasterij, & Ecclesiæ pertinere dignoscitur accedente consensu, & deuota precum instantia, solum Deum præ oculis habentes, pro perpetua reformatione dictorum Monasterij, & Ecclesiæ, ad dictum Monasterium personaliter accessimus, & informatione præhabita, & cum non inuenerimus in dicto Monasterio, nisi D. Ludouicum Priorem, & fratrem Honoratum de Veneriis, & fratrem Ludouicum de Florentia fratres conuersos tacite professos, nullumque alium religiosum repererimus in dicto Monasterio; sed & ipsum inuenerimus omni bona religione, & obseruantia regulari destitutum, nec spem aliquam haberemus reformationis ipsius Monasterij per religiosos Ordinis in dicto Monasterio consueti, cum in tam paruo numero reperiantur, vt propriis Monasteriis in quibus degunt deseruire minime valeant, ne etiam in ipsis Monasteriis vigeat obseruantia regularis, consideratisque difficultatibus, & mature ac diligenter examinatis, cum D. Priore, & aliis Venerabilibus viris, & peritis, difficillimum, & longissimum, ac quasi impossibile reputauimus, ad reperiendum fratres seu religiosos alterius Ordinis & Religionis per quos dictum Monasterium posset in bona & regulari obseruantia reformari.

Ideoque matuero prahabito consilio & consensu Prioris eiusdem Monasterij, & in eo instituit collegiatam Ecclesiam Canonicorum & Clericorum sæcularium in communi viuentium.

§. 9. Quapropter scientes Venerabiles viros D. Martinum Quirinum, & socios eius clericos sæcolares, qui ad præsens moram trahunt in supradicto Monasterio, magnarum virtutum & morum esse grauitate decoratos ac in eisdem clericalem honestatem adeo enitentem, vt vitæ ipsorum odore status Ecclesiasticus mirabiliter venustetur; & dictorum exemplo ad disciplinam Ecclesiasticam, & mundi contemptum quamplurimum attrahantur. Sicque habilem exemplarem certum & clarum reformationis prædicti Monasterij modum de personis nobis plenissime cognitis, necnon & Clero & Populo Ciuitatis huius habentes vias incertas, & personas incognitas, ac vt supra diximus difficultates quamplurimas declinantes, de consilio plurium venerabilium, & approbatorum virorum, ac etiam de consensu antedicti D Prioris,

auctoritate

auctoritate Apostolica tenore præsentium prædicti Monasterij, Capituli & Ecclesiæ statum antiquatum præsentialiter mutamus; transferentes in nouum statum Collegiatæ Ecclesiæ sæcularis, Canonicorum sæcularium Clericorum simul conuiuentium, conuescentium, commorantium, & Deum collaudantium, officiis nocturnis pariter & diuturnis, ac ab hoc venerabiles viros videlicet DD. Antonium Coratio, Gabrielem Condolmeterio, Stephanum Mauraceno, Franciscum Barbo de Venetiis, Matthæum de Strada de Papia, Romanum de Roduillo de Mediolano, Lucamque Philippi de Este Sacerdotes, & Dominos Marinum Quirino, Michaëlem Condulmerio, Laurentium Iustiniano de Venetiis, Ioannem de Piinardia, Simonem de Persicis de Cremona, Hieronymum de Mossis de Papia Diaconos; ac etiam DC. Augustinum de Gastaldia de Papia, Angelum Serdonati de Culeieris, Marcum Condulmerio, Dominicum Mauraceno de Venetiis Subdiaconos, coram nobis euocatos, & flexis genibus constitutos, eadem auctoritate recepimus in Canonicos & fratres dictæ Ecclesiæ seu loci S. Georgij in Alga, & ipsos omnes & singulos Instituimus, & præsentialiter inuestimus cum omni plenitudine iuris canonici per annulum nostrum.

Et in eo transfert omnia iura dictæ Ecclesiæ.

§. 10. Statuentes ipsos Canonicos, & ipsorum successores, per eosdem canonice recipiendos, & instituendos de cætero constituere Collegium, & Capitulum dictæ Ecclesiæ siue loci, in quod Collegium omnia iura spiritualia, & temporalia, necnon, & curam animarum Prioratum, ac quamcunque aliam præsidentiam, & dignitatem tam in spiritualibus quam in temporalibus, circa res & personas spectantes Monasterio, Ecclesiæ, Capitulo & Conuentui prælibatis, præsentialiter transferimus pleno iure.

Possessionemque eiusdem illis corporalem concedit.

§. 11. Inducentes omnes & singulos Canonicos sæculares supradictos in corporalem possessionem, vel quasi dictorum Canonicatuum sæcularium, per annum maioris altaris dictæ Ecclesiæ S. Georgij, stallo in Choro, & loco in Capitulo sibi assignatis, ipsorum propriis nominibus, & omnium aliorum præsentialiter absentium, reseruato tamen semper præfato venerabili viro D. Ludouico Priori dumtaxat titulo ipsius Prioratus, ita vt de cura seu regimine dictorum Canonicorum, & aliorum Clericorum conuersorum oblatorum, & aliorum cuiuscumque conditionis laicorum in dicto loco morantium, se nullatenus valeat impedire, ac etiam pro honesto victu reseruata sibi tertia parte omnium reddituum, fructuum, & prouentuum dictæ Ecclesiæ, siue loci, defalcatis, & deductis expensis faciendis pro recolligendis & conducendis fructibus Venetias, & omnibus aliis expensis, quæ faciendæ erunt extra corpus dictæ Ecclesiæ, siue loci. Expensas autem circa locum siue Ecclesiam opportunas fieri volumus sumptibus dictorum Canonicorum, qui præsentialiter sunt, siue pro tempore erunt, nulla detractione, seu defalcatione facienda de dicta tertia parte dicti D. Prioris, cui ipsa tertia pars integre assignetur pro mensa victus, vestitu, & aliis necessariis & opportunis, & pro libito dispensanda. Et ne aliqui, quod absit, dicta diuisio sit suspecta, volumus quod per supradictum D. Ludouicum Priorem & Vicarium sæcularem, seu Rectorem cum Capitulo, cōstituantur vnus vel duo syndici de præfato Capitulo, qui exigant, & recipiant omnes fructus, redditus & prouentus dicti loci, & partes faciant, & diuidant, denique tertiam partem D. Ludouico Priori, & medietatem regalium, & alias duas designent Vicario, seu Rectori, & Capitulo dispensandas prout ipsius Collegij requiret necessitas, Volentes quod quicquid circa possessiones ipsius loci extra corpus dictæ Ecclesiæ, siue loci fuerit tractandum, modificandum, & innouandum, absque ipsius D. Ludouici Prioris consensu fieri nequeat.

Prioratum quo suo tempore, quoquo modo vacantem, in dictos Canonicos transfert.

§. 12. Cum autem dictus D. Ludouicus Prior suo assensu ad aliud beneficium fuerit translatus, siue religionem mutauerit, vel vita functus fuerit, ac etiam si ipsum Prioratum vacare contigerit per spontaneam renuntiationem dicti D. Ludouici Prioris, vel alio quouis modo, ex nunc, prout ex tunc, Prioratum regularem annullamus, & infringimus, & auctoritate prædicta statuimus, nullum Priorem fore, & in Prioratus Canonicorum sæcularium clericorum dignitatem transferimus & innouamus.

§. 13. Statuentes vt dicti Canonici vocem habentes in Capitulo præfato, vnum de ipsorum Collegio Sacerdotem virum probatæ prudentiæ, & oculati regiminis, quousque D. Ludouicus Prior in dignitate permanserit Prioratus, sibi Vicarium, deinceps verò Priorem sæcularem, siue Rectorem, annis singulis eligant, vel confirment, cuius Prioris sæcularis electioni vim tribuimus & confirmamus.

Electionis huiusmodi generalis formam præscribit.

§. 14. Statuentes vt quilibet Vicarius, & Prior sæcularis siue Rector electus per maiorem partem dicti Capituli, sine alia solemnitate dictos Canonicos sæculares secundum Deum statim regere & gubernare incipiat, & per annum continuum curam gerat, in spiritualibus & temporalibus, & tam de rebus quam de personis cum omni potestate & auctoritate ordinaria quam habent Priores perpetui in locis regularibus siue sæcularibus.

Eiusque officium anno expleri statuit.

§. 15. Completo vero anno talis Vicarius & Prior sæcularis siue Rector, ipso iure sit solutus officio, & alius per Capitulum eligatur modo supradicto, nisi præteritus denuo confirmetur.

Et semel confirmari posse indulget.

§. 16. Institutionem autem, & destitutionem Canonicorum huiusmodi ad ipsum Vicarium, & Priorem sæcularem, siue Rectorem, & Capitulum volumus pertinere.

Institutionemque & destitutionem Canonicorum ad eum spectare decernit.

§. 17. Verum nullus in canonicum assumi valeat, nisi ad decimum octauum ætatis suæ peruenerit annum continuum in eorum probatus fuerit congregatione, & maiori parte Capituli electus.

Qualitates Canonicorum eligendorum designat.

§. 18. Præbendas si quidem nolumus esse distinctas, sed volumus & districte præcipiendo mandamus, omnes redditus & prouentus esse communes, & per Vicarios, Priores seu Rectores sæculares huiusmodi, qui per tempora erunt, taliter ordinentur, quod omnibus detur quod vnicuique opus esse iudicabitur.

Præbendas communes esse declarat.

§. 19. In vno autem dormiant dormitorio, ac in vno comedant Refectorio, & sic continue sint præsentes & residentes, nisi fuerint licita & honesta causa absentati, & cum licentia Vicarij, Rectoris, siue Prioris sæcularis prædicti.

Dormitorium & refectorium omnibus commune esse iubet.

§. 20. Absentes verò extra locum, sine licentia Vicarij, seu Prioris vel Rectoris sæcularis, nisi penituerint infra mensem satisfactione condigna, ad Vicarij, Prioris, seu Rectoris & Capituli prædictorum arbitrium priuari valeant Canonicatu & licentiari.

Degentes extra claustra Canonicatu priuari & dimitti posse decernit.

§. 21. Vestes quoque eorum, secundum quod ius disponit deferant, nec nimia longitudine, aut breuitate notentur, vt merito dici valeant temporalium contemptores.

Vestium moderamen inducit.

§. 22. Numerum autem Canonicorum taxatum, seu certificatum esse nolumus.

Vide Clem. 2. et. in rub.

Numerum incertum dimittit.

§. 23. Si quis verò Canonicorum, quod absit, propria bona habere voluerit, nisi post trinam admonitionem se correxerit, & ea libenter voluerit, vt decens est, esse communia ad arbitrium Vicarij, Prioris, seu Rectoris, & Capituli prædictorum, Canonicatu priuari valeat, & extra locum licentiari.

Attide Pauli 2. const. 7.

Proprietarios damnat.

Hoc declaratum à Six. V. in eius const. 63.

§. 24. Porro officium diuinum secundum ritum Romanæ Curiæ horis congruis collegialiter persoluatur.

Diuina officia collegialiter dici mandat.

§. 25. Ne verò cultus diuinus impediatur, pro ministerio mensarum, & aliorum operum manualium, volumus & auctoritate prædicta potestatem tradimus prædicto Vicario, Priori, seu Rectori sæculari prædicto, vt ipse cum Capitulo suo possit recipere laicos Deo dicatos, siue conuersos, & oblatos, nullatenus vxoratos volentes viuere in communi sine proprio, quos gaudere volumus priuilegiis conuersorum, dummodo in decimo octauo sint anno constituti, qui recepti honeste, & decenter induantur. Conuersi autem tacite professi existentes in loco supradicto, videlicet frater Honoratus, & frater Ludouicus si secundum Deum viuere volunt, de bonis ipsius loci, & Ecclesiæ nutriantur, viuantque vna cum D. Ludouico Priore secundum regulam suæ professionis, in quantum eis erit possibile, & humana fragilitas viuere sinet. Qui quidem Prior deinceps in prædicto Monasterio ad suæ professionem regulæ quemquam assumere non valeat.

Alios volentes viuere in communi recipi posse decernit.

Inobedientes coerceri iubet.

§. 26. Si verò inter prædictos Canonicos, aut conuersos, seu laicos Deo dicatos, aut oblatos, fuerit aliquis

perdioonis,seu iniquitatis filius, & commonitus, quod absit,se emendare noluerit,ad arbitrium Vicarij, Prioris, seu Rectoris,& Capituli prædictorum,canonicatu priuari possit,& de loco expelli.

Alia statuta d. Monasterij reuocat.

§. 27. Constitutiooes autem alias,siue statuta, vltra prædicta in quaotum spectant,& spectare possint ad prædictam Ecclesiam, siue locum, auctoritate prædicta, reuocamus,annullamus,infringimus,& irritamus,& pro irritatis, reuocatis, & annollatis haberi volumus & mandamus.

Priori & Capitulo auctoritatem constitutiones non obligantes ad reatum peccati mortalis addendi tribuit.

§. 28. Prædictis verò Vicario,Priori sæculari,siue Rectori,cum suo Capitulo plenam dantes auctoritatem, vt possint nouas sibi coostitutiooes, seu statuta condere, corrigere,addere,vel minuere prout eis secundum Deum videbitur quotiescumque voluerit, & quæcumque alia ordinandi,quæ ipsis vtilia visa fuerint, & opportuna, ad augmentum diuini cultus,& clericalis honestatis,& pro obseruatione huiusmodi reformationis,institutionum,& statutorum. Quæ omnia & singula approbamus,& volumus esse perpetua. Addentes,vt non obligent adculpam aliquam mortalem. aut venialem, sed tantummodo per Vicarium,Priorem,seu Rectorem sæcularem prædictum, delinquentibus pœnitentia imponatur.

Decretum irritans contraria.

§. 29. Et si quid in contrarium à quoquam fuerit attentatum quavis auctoritate,ex nunc prout ex tunc statuimus,& dicta auctoritate Apostolica decernimus ipso facto irritum,& ioane.

Impugnatores excommunicat Turecordare hanc excommunicationem sublatã esse ab ipso Pont. vt sup. in princ. huius bulla.

§. 30. Impugnatores autem huiusmodi excommunicatioois vinculo innodantes, à quo nisi eadem auctoritate Apostolica munus absolutionis nequeãt obtinere;etiam si tales impugnatores Episcopali, vel quacumque alia Ecclesiastica,vel sæculari præfulgeant dignitate;reseruata oobis,vsque ad annum à data præsentium computandum,addendi,minuendi,corrigendi, mutandi, reformandi,in omnibus,& singulis præmissorum,prout nobis videbitur secundum Deum,nihilominus potestate. In quorum omnium testimoniom,præsentes fieri iussimus, nostrique Pontificalis sigilli munimine roborari. Datum,& actum Venetiarum in loco supradicti S.Georgij in Alga Castellanensis diœcesis,Anno Natiuitatis Domini 1404. Indictione duodecima,die Iouis trigesimo mensis Octobris; Præsentibus Vener.viro Domioo Presbytero Ioanne de Puteo Archidiacono, & Diacono Ecclesiæ Nigropotensis, D.Petro Mauraceno filio q.D.Marioi Canonico Ecclesiæ Taurisinæ, nobis verò D. Alberto Dente q. D.Andreæ de Parochia S.Iuliani. D. Bartholomæo Faba fillo q.D.Donati de Parochia S. Vitalis,& aliis testibus ad præmissa vocatis spacialiter,& rogatis,Pontificatus Sanctissimi io Christo Patris,& D.N.D. Innocentij diuina prouidentia electi Papæ Septimi, Anno primo.

Rogatus publici Notarij de prædicto instrumento.

§. 31. Ego Luchinus Bono filios q.D. Marci Ciuis & habitator Venetiarum Apostolica, & Imperiali auctoritate notarius publicus,prædictarum literarum Apostolicarum præsentationi, & ipsarum executioni, seu ipsius D. Executoris & Commissarij Apostolici dispositioni, modificationi,mutationi Prioratus prædicti,& nouæ reformationi ipsius loci S.Georgij in Alga,& oomibus aliis & singulis supradictis,vna cum supradictis testibus præsens fui,& sic fieri vidi,& audiui, eaque rogatus de mandato prælibati D.Commissarij,& executoris Apostolici, scripsi, & in hanc publicam formam redegi, signoque meo,& nomine solitis,me subscripsi, in fidem & testimonium præmissorum omnium,& singulorum. Nulli ergo omnino hominum,&c.Si quis,&c.

D.P. A.1. die 27. Iun.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum,quinto Kalendas Iulij,Pontificatus nostri anno primo.

II. Institutio Congregationis Canonicorum Regularium S. Saluatoris,Ordinis S.Augustini, cum habitus præfinitione, & priuilegiorum elargitione.

Hos Canonicos,verò canonicos regulares esse,declarauit Cal.iij.inf.in sua const.2. Sacra. & Iul.ij. in sua const.30.Inter cæteros.Eorumque Congregationi multas concessit gratias idem Iul. ibidem. Prout circa eius regimem,nonnulla statuerunt Pius v.Greg.xiij. & Six. v.in d. Six. const. 98. Ex variatione.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1407.*

Exordium.

EXcitat nostræ meotis arcanum,specialis & affectuosa dilectio qua domum Prioratus S Saluatoris de Selualaens ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem Ordinis S.Augustini,Senensis Diœcesis,sumus hactenus prosecuti, & paterno prosequi studio non cessamus, vt circa statum eius attentæ considerationis intuitum dirigentes,opem impendentes & opera,vt illa Dei laudem,& gloriam non solum in suis bonis,& iuribus consequatur, sed etiam prosperis iugiter gratuletur euentibus,& votiuis fauente Domino in spiritualibus, & temporalibus successibus augeatur.

Hic Pont. erigit in Prioratum Conuentualem, domum Prioratus S. Saluatoris de Silualacus. fratrib. Eremitarum S. Augustini.

§. 1. Hinc est qood nos motu proprio non ad dilectorum filiorum fratrum dictæ domus quæ hactenus Ordinis fratrum Eremitarum dicti S Augustini extitit,vel alicuius alterius, pro ipsis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia eandem domum in Prioratum Conuentualem auctoritate Apostolica erigimus,per Priorem sub conditione & modo infra scriptos perpetuo gubernandam.

In quo Canonicos regulares degere, & Fratres S. Saluatoris nuncupari certúque habitum gestare debere pronunciat.

§. 2. Volentes & eadem auctoritate statuentes, quod ipsi fratres actu in eadem domo residentes, eorumque successores qui erunt pro tempore, Canonici regulares, & secundum regularia instituta huiusmodi Canonicorum regularium deinceps viuere, & fratres S.Saluatoris nuncupari debeant,& quorum qoilibet sub scapulari rochetum superius autem cappam grisei coloris lanæ mordentis ad instar capparum Conuersorum Carthusiensium Ordinis gestabit, qua quidem cappa ipsi fratres vtantur, cum eos exire contigerit septa Prioratus, seu domus huiusmodi ad populum siue turbam.

De hoc habitu vide Iul. ij. cit. in rub.
A superioritate Prioris generalis Eremitarum S. Augustini. & Episcopi aliorumq; omnium eximit.

§. 3. Necnon Prioratum siue domum huiusmodi cum eisdem fratribus, & conuersis,& persoois io ea degentibus præsentibus & posteris,cum omoibus membris,necnon bonis mobilibus,& immobilibus ipsius domus siue Prioratus, ad domum siue Prioratum huiusmodi,tam ratione domus siue Prioratus,quam personatum huiusmodi quomodolibet pertineotibus, & deuolutis, & deuoluendis pro tempore ab omni superioritate, dominio, & potestate Prioris generalis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum,necnon Episcopi existentis pro tempore, ac dilectorum filiorum Capituli Senensis,ac quorumlibet aliorum Superiorum,sæcularium, & regularium auctoritate prædicta prorsus eximimus, & totaliter liberamus. Ita quod Prior generalis Episcopus Capitulum,& alij Superiores prædicti nullam possint io eos visitationem,correctiooem,vel aliam iurisdictionem exercere, sed nobis, & Apostolicæ Sedi immediate sint subiecti.

Canonicos prædictos, eorum Priorem in dicto Monasterio eligere posse declarat.

§. 4. Et insuper præsentibus adiicimus,quod ipsi Canonici, seu fratres qui regularem vitam eorundem Canonicorum regularium,pro tempore professi fuerint, & sub eadem obseruantia regulari dictorum Canonicorum regularium,pro tempore in domo huiusmodi residebunt possint quoties opportunum fuerit, tamen iuxta eadem regularia instituta Canonicorum regularium, idoneum fratrem,etiam eiusdem Ordinis professorem, in Priorem eorum, & eiusdem domus eligere.

Qui tamen Epis. se præsentare debeat, & ex tunc à Sede Apost. pro cõfirmato habeatur.

§. 5. Qui tameo postquam electioni de se factæ præstiterit consensum, Diœcesano loci vel eius Vicario in spiritualibus generali qui erit pro tempore per Electores huiusmodi duntaxat debeat reuerenter,& humiliter præsentari. Quique postquam taliter præsentatus extiterit, censeatur eo ipso à sede præfata confirmatus, & ex tunc dictum Prioratum in eisdem spiritualibus,& temporalibus libere, & licite valeat gubernare.

Eiusque officiũ anno reuolu expiatur.
Et eo quoquo modo vacante per antiquiorem Fratrẽ sacerdote exerceatur.

§. 6. Qui quidem Prior semper vno anno completo intelligatur absolutus,nisi tunc per maiorem partem eorundem fratrũ,domus prædictæ in electione dicti Prioris vocem habentium determinatum fuerit, ipsum Priorem io dicto debere Prioratus officio domus eiusdem vlterius remanere. Quodque dicta domo Prioris solatio

destituta

destituta per mortem Prioris eiusdem, vel aliquo alio casu eadem vocatione contingente, quod durante vocatione huiusmodi, prædictum officium per antiquiorem fratrem dictæ domus in sacerdotio constitutum exerceatur, quousque noua electio alterius Prioris iuxta præfatum modum fiat, & ad effectum debitum perducatur.

Tu ad hoc vide bullā 141. Pij V. Inter cæteros, vbi triennio officium Prioris generalis, & alia expleri decernit.

Canonicis prædictis indulta FF. Eremitarum S. Aug. & Canonicorū reg. concedit.

§. 7. Volentes etiam, & auctoritate præfata concedentes eisdem Priori, & fratribus, siue Canonicis, conuersis, & personis quos pro tempore in domo huiusmodi residere contigerit, vt præfertur, quod ipsi potiri, & gaudere possint, & debeant libere & absolute omnibus priuilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus eis hactenus, ac Ordini fratrum Eremitarum, & Canonicis regularibus huiusmodi, ac Monasteriis, & locis eorum, tam per Sedem præfatam, quam per alios quoscumque concessis, & quibus ipsi fratres Ordinis Eremitarum, ac cæteri Canonici regulares, ac eorum domus Monasteria, & loca quomodolibet potiuntur, & gaudent.

Constitutiones eorum à quibusdam Prælatis hic enunciatis præfiniri mādat.

§. 8. Et insuper volumus & ordinamus quod Ven. frater noster Antonius Episcopus Bononiensis Camerarius, ac dilecti filij Gabriel electus Senensis Thesaurarius noster, necnon Ioannes Electus Ragusin. eisdem Priori & fratribus siue Canonicis conuersis & personis, de conuentibus constitutionibus, & norma viuendi pro conseruatione Prioris & fratrum, siue Canonicorum, conuersorum & personarum prædictorum prouideant, & omnia alia & singula faciant, ordinent & disponant in præmissis & circa ea, prout eis visum fuerit expedire.

Decretum irritans.

§. 9. Decernentes ex nunc irritos & inanes omnes processus, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias si quos forsan circa hæc quacumque auctoritate contigerit promulgari, & etiam ex nunc ratum & firmum motu simili habemus, quicquid per eosdem Camerarium, Thesaurarium & Electum Ragusinum in præmissis & circa ea dispositum fuerit seu quomodolibet ordinatum. Nulli ergo &c. Si quis &c.

D.P. A. 2. die 5. April.

Dat. Lucæ Nonis Aprilis, Pontificatus nostri Anno II.

III. Approbatio regularis vitæ Fratrum Eremitarum S. Hieronymi de Fesulis cum facultate venientes ad eam recipiendi, ex Indulto Innocent. VII.

Horum fratrum Congregatio stabilita fuit, sub denominatione S. Hieronymi de Fesulis, & sub regula S. Augustini ab Eug. IV. qui munus & electionem Prælatorum d. Congregationis præfiniuit, vt infr. in illius const. 21. Super.

Edita An. D. 1415.

GREGORIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SAcrum nonnullorum fratrum Eremitarum, fratrum S. Hieronymi nuncupatorum, loci eiusdem scilicet Fesulan. Ordinem, quem euidens ex eo vtilitas Deo viuere volentium proueniens, perhibet approbatum, ampliari patimur, & vt ad bonam ampliationem perueniat, cum à nobis petitur, fauorem Apostolicæ Sedis, & gratiam impartimur.

Carolus Comes Montis granelli vitā Eremiticam ducere volens, supplicauit Inn. 7. pro licentia profitendi aliquā vitam regularem, vna cum eius sociis.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Innocentio Papæ VII. prædecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Caroli quondam Antonij Comitis Montis granelli nati, Presbyteri Sarcenarensis diœcesis, & nonnullorum eius sociorum exposito, quod ipsi de vita Eremitica, quam zelo piæ vitæ mundanis abiectis illecebris amplexatam aliquādiu duxerant, ad frugem vitæ melioris adspirantes, in humilitatis spiritu, & paupertate, desiderauerant sub aliqua regulari obseruantia virtutum Domino famulari, ac propterea supplicato vt eos qui numero duodecim, vel circa fuerint in huiusmodi laudabili proposito confouere de benignitate Apostolica dignaretur.

Qui Inn. VII. regulariter viuere concessit iuxta constitutiones S. Hieronymi.

§. 2. Idem prædecessor cupiens huiusmodi eorum pium propositum ad laudem diuini nominis adimpleri, Carolo & sociis antedictis, vt ipsi, in aliquo loco eis fidelium largitione dato vel dando vitam huiusmodi sub regula secundum constitutiones S. Hieronymi ducere, & regularem professionem iuxta regulam, & constitutiones huiusmodi, emittere libere, & licitè valerent, auctoritate Apostolica concessit.

Sed quia ipsa sibi lata concessione literæ non fuerunt expeditæ, hic Pont. eas edidit; & iterato concessit die 18. Decembr. sui Pont. A. 1. & die 8. Octobr. A. 8. sed hic bullas præteriit istā vtsi pleniore contentas.

§. 3. Ipsoque prædecessore, sicut Domino placuit super huiusmodi concessionis gratia literis non confectis sublato de medio. Nos diuina fauente clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti, ne ipsi Carolus & socij huiusmodi concessionis frustrarentur effectu, voluimus, & Apostolica auctoritate decreuimus, quod concessio ipsa perinde à die datæ ipsius concessionis valeret, & plenam obtineret roboris firmitatem, ac si super ea, eiusdem prædecessoris literæ sub ipsius diei data confectæ fuissent, quodque nostræ literæ ad probandum plenè concessionem huiusmodi, vbique sufficerent, nec ad id alterius probationis adminiculum requireretur.

Quinimò eisdem licētiam pro aliis fratrib. & locis concessit; vt in eisdem bullis.

§. 4. Et nihilominus, quod quidam locus eis post concessionē huiusmodi in Ciuitate Fesulana ad hoc congruus & honestus, in quo idem Carolus & fratres etiam vltra numerum prædictum secundum regulam, & instituta præfata, regularem professionem per huiusmodi fratres Eremitas emitti consuetam emiserunt primo, & successiue eis plura alia loca possessiones & bona dicta largitione donata fuerunt, nos dicta loca possessiones & bona vbicumque consisterent, quæ tunc eisdem Carolo & sociis largitione præfata donata fuerunt, habentes pro sufficienter expressis, ac donationes & professionem prædictas & etiam illorum vltra præfatum numerum professorum ratas & gratas habentes, auctoritate Apostolica confirmamus, supplentes omnes defectus, si quis forsan interuenisset quomodolibet in eisdem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Carolus & socij prædicti deinde huic Pont. supplicarunt pro licentia recipiendi alia loca, & quoscumq; ad eos venientes.

§. 5. Quare iidem Carolus & fratres, qui in humilitatis spiritu quantum eis permittit humana fragilitas ambulantes, diuina mansuetudine suffragante quamplurimos eligentes secum pompis mundanis abiectis, circa diuina obsequia finire labiles dies suos, dietim inueniunt, nobis humiliter supplicarunt, quatenus eis & successoribus eorum, duo alia loca vltra obtenta, ac quoscumque ad eos venire, & ipsorum habitum assumere, professionémque secundum instituta præfata in eisdem locis emittere volentes recipiendi, eaque cum cœmeteriis pro se ipsis dumtaxat habere libere, & licite possint, licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideò Pont. petita concedit. Tu circa receptionem venientiū ad religionem obserua constit. 71. Sixt. V. Cum de, & ibi notanda.

§. 6. Nos qui cultum diuinum nostris cupimus temporibus adaugeri, huiusmodi supplicationibus inclinati, duo alia loca vltra ea quæ in præsentiarum habent, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, eisdem Carolo, & fratribus alias Canonice concedantur, vel eos illa alias iusto titulo continget adipisci. Necnon quoscumque ad ipsos venire, pompis mundanis abiectis diuina gratia suadente habitum assumere, & professionem per fratres prædicto emitti consuetam, emittere volentes, recipiendi, & admittendi in eisdem solummodo locis, ac cœmeteria in locis ipsis pro eis dumtaxat habendi, iuribus parochialium & aliarum quarumcumque Ecclesiarum in omnibus aliis semper saluis eisdem Carolo & fratribus, ac successoribus eorum in Fesulano, & aliis locis prædictis, auctoritate Apost. tenore præsentium facultatem & licentiam elargimur.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstante tam fel. record. Bonifacij PP. viij prædecessoris nostri prohibente, ne fratres Ordinum Mendicantium loca de nouo recipere, aut recepta mutare præsumant, absque dictæ Sedis licentia speciali faciente plenam & expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, quam aliis constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Nulli &c.

D.P. A. 9. die 6 Iunij.

Dat. in Castro Montiflorum Ariminen. diœcesis, viij. Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno nono.

ALEXANDER QVINTVS PONT. CCVIII.
ANNO DOMINI MCDIX.

ALexander V. Bononiensis, Frater Petrus Philargi anteà vocatus, Presbyter Cardinalis Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum, creatus Pisis anno 1409. Coronatus die 9. Iulij, eodem anno, sedit menses 10, dies 8. nullos Cardinales creauit. Obiit Bononiæ 5. Nonas Maij. 1410. & sepultus in Ecclesia Fratrum Minorum. Vacauit sedes dies 14.

IOANNES XXII. DICTVS XXIII. PONT. CCIX
ANNO DOMINI MCDX.

IOannes XXII. dictus XXIII. Neapolitanus, Balthasar Costa anteà dictus, Diaconus Cardinalis S. Eustachij, Creatus Bononiæ 16. Kalendas, coronatus octauo Kal. Iunij 1410. Vixit annos quinque, dies quindecim. Creauit Cardinales 16. abdicauit pridie Kal. Iunij anno 1415. posteà à Martino V. creatus Episcopus Cardinalis Tusculanus, & sacri Collegij Decanus, 9. Kal. Iulij 1419. Obiit Florentiæ 11. Kal. Ianuar. eodem anno, & in Baptisterio S. Ioannis sepultus.

Indictio generalis Concilij Constantiensis primi, pro die 1. mensis Nouembris anni 1414. I.

IOANNES EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. — *Edita An. D. 1413.*

AD pacem & exaltationem Ecclesiæ, & tranquillitatem Christiani populi, prompto corde, & efficaci desiderio intendentes, ea libenter ordinamus, & quærimus, per quæ huiusmodi pax, & exaltatio tranquillitatis meritò valeat promereri. — *Exordium.*

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Alexander PP. V. antecessor noster, in sacro Generali Pisano Concilio tunc præsidens, ex quibusdam magnis & arduis causis eumdem mouentibus, ipso approbante Concilio inter cætera decreuit, iterum generale Concilium ex tunc ad terminum per se, vel successorem suum, in loco de quo sibi, vel eidem successori videretur fore solemniter conuocandum. Idemque prædecessor ea, quæ circa reformationem Ecclesiæ expedienda restabant, pro tunc suspendit, ipsumque Concilium vsque ad tempus triennij præfatum continuandum statuit, & prorogauit. — *Alex. V. in Conc. Pisano decreuit iterum generale Concilium fore cogendum infrà triennium.*

§. 2. Postmodum verò ipso Alexandro prædecessore nostro, sicut Dei placuit, vita functo, nobisque diuina fauente clementia ad apicem summi Apostolatus assumptis, dum tempus eiusdem triennij iam adueniret, & nos per vestigia eiusdem prædecessoris incedere, & ordinationem præfatam ab eo in Concilio, vt præfertur, factam puro corde, & recta voluntate adimplere properaremus, quibusdam rationibus tunc expressis, animum nostrum mouentibus Concilium huiusmodi in Romana Vrbe (quæ paulo ante de manibus hostium recuperata, præsentiam nostram pro ipsius conseruatione plurimum flagitabat) debito tempore conuocauimus. — *Eo autem interim mortuo, hic Pont. Gbe. Romæ conuocauit.*

§. 3. Verum quia veniente postea tempore constituto Prælati, & cæteri qui huiusmodi Concilio interesse debebant, nequaquam in tanto numero conuenerunt, quantum rerum agendarum pondus & magnitudo requirere videbantur, nos post alias prorogationes per nos factas, tandem Concilium ipsum ad mensem Nouembris nunc præsentem, solemniter prorogauimus, ac celebrandum statuimus. Locum autem reliquimus infra certum tempus declarandum, vt interim super eo maturius consuleremus. — *Sed quia sufficiens numerus Prælatorum non adueniret, aliud Concil. cogi statuit in loco per ipsum declarando.*

§. 4. Post hæc verò infrà dictum tempus nondum elapsum, per literas carissimi in Christo filij nostri Sigismundi electi in Regem Romanorum, & Hungariæ Regis Illustris, instantissime requisiti, vt non properaremus in declaratione huiusmodi loci pro Concilio faciendo, sed tam in declaratione loci prædicti, quam etiam in tempore dicti Concilij celebrandi supersedere vellemus, donec ipsi Nuntios suos super hoc instructos ad nostram præsentiam destinarent. — *At precibus Sigismundi in Imperatorem electi, super declaratione loci supersedit.*

§. 5. Nos votis eiusdem Regis, quæ ex zelo deuotionis, & puritate fidei emanare conspiciebamus, annuentes, aduentum præfatorum Nuntiorum de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, & Prælatorum, qui Romæ in generali consistorio ad hoc vocat. fuerunt voluntate, consilio, & assensu duximus expectandum. Deinde cum post Romanæ Vrbis miserabilem casum ad nos tunc apud Florentiam existentis eiusdem Regis Nuncij accessissent, & ex parte eiusdem Regis multa nobis circa materiam suggessissent, eorum auditis relatibus, pro pleniori expeditione dilectos filios nostros Antonium tit. S. Cæciliæ Presbiterum, & Franciscum tit. SS. Cosmæ & Damiani Diaconum, S.R.E. Cardinales cum plena potestate super huiusmodi electione loci, & deputatione temporis, ac simul cum eis dilectum filium nostrum nobilem virum Manuelem Chrysoloram Militem Constantinopolitanum, ad præsentiam eiusdem Regis transmisimus; qui ad eum venientes tandem de ipsius Regis consilio, & assensu Ciuitatem Constantien. prouinciæ Moguntinen. pro loco huiusmodi Concilij celebrandi concorditer elegerunt, ac tempus ad initiandum — *Et legatos ad eum destinauit cum potestate declarandi locum & illi Ciuitatem Constantiensem elegerunt, & Concilium pro die 1. Nouembr. 1414. statuerunt.*

huius

huiusmodi Concilium, statuerunt diem primum mensis Nouembris proxime venturi

Quod hic Pontif. modo approbat, & confirmat.

§. 6. Deinde verò nos qui pro quibusdam arduis, & magnis negotiis cum eodem Rege iuxta nostrum, & ipsius desiderium personaliter conuenientes, certificati ab eo de habilitate, capacitate, & securitate Ciuitatis Constantiæ antedictæ, quam securitatem ipse Rex præstitutum, & in ipso Concilio personaliter affuturum pollicetur, volentes, & ab intimis cupientes, vt præfata celebratio Concilij salubriter impleatur, & optatum consequatur effectum, huiusmodi electionem loci, & temporis, vt præfertur, factam, auctoritate Apostolica tenore præsentium de eorundem fratrum nostrorum consilio, & assensu ratificamus, approbamus, & confirmamus, ac ei Apostolici roboris adiicimus firmitatem, præfatumque Concilium in Ciuitate prædicta Constantiense die 1. mensis Nouembris proxime venturi, initiandum, & auctore Domino exinde celebrandum, eadem auctoritate, & consensu harum serie statuimus, pronuntiamus, & decernimus.

Prælatos & Principes ad d. Concilium conuocat.

§. 7. Venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios electos Abbates, & cæteros Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatos requirentes, hortantes, & monentes, ac in virtute præstiti iuramenti, & sanctæ obedientiæ eisdem mandantes, quatenus personaliter; necnon charissimos in Christo Reges, & nobiles viros, Duces, Principes, Marchiones, & alios qui huiusmodi Concilio interesse debent, vel inibi prodesse possunt, quoquo modo per viscera charitatis D.N. IESV CHRISTI, inuitantes, & exhortantes, quatenus pro pace Ecclesiæ, & omnium Christianorum, etiam personaliter, vel si personaliter non possint, per solemnes Oratores congruo tempore Concilio dicto debeant interesse; vt sic congregata fidelium multitudine copiosa, ea quæ in eodem Concilio agenda incumbunt, Deo auctore & adiutore salubriter ordinentur. Nulli ergo. &c.

D.P. A 4. die 9. Decemb.

Datum Laudæ V. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno quarto.

MARTINVS III. DICTVS V. PONT. CCX.
ANNO DOMINI MCCCCXVII.



MArtinus III. dictus V. Romanus, Orbo, vel Odo Columna anteà dictus, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro, Creatus à Concilio Constantiensi, 3. Idus Nouemb. 1417. Coronatus 10. Kal. Decem. eodem anno. Sedit annos 13. menses 3. dies 12. Creauit Cardinales 29. Obiit 12. Februarij 1431. Vacauit sedes dies 18.

Damnatio errorum Ioannis Vuicleff de Anglia, Ioannis Husz de Bohemia, & Hieronymi de Praga, & aliorum, de Sacramentis Ecclesiæ male sentientium, eorumque complicum & fautorum. Ac forma hæreticos, suspectosque de hæresi examinandi.

Edita An. Dn. 1418.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, ac Inquisitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet constitutis, ad quos literæ præsentes peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.



NTER cunctas pastoralis curæ sollicitudines, quibus premimur incessanter, illa potissime fortius nos angit, vt hæreticis de finibus Christicolarum expulsis, suisque falsis doctrinis & erroribus peruersis penitus quantum nobis ex alto conceditur, extirpatis, orthodoxa & Catholica fides integra & illibata permaneat, ac populus Christianus in eiusdem fidei sinceritate, quolibet obscurationis semoto velamine, immobilis & inuiolatus persistat.

In Regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ surrexerunt Ioan. Vuicleff, Io. Husz & Hieronymus de Praga seminantes diuersa dogmata contra fidem.

§. 1. Sane dudum plusquam omnibus retroactis temporibus in nonnullis Religionibus & dominiis, præsertim in regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ, ac locis & districtibus illis vicinis, aduersus fidei Catholicæ dogmata insurrexerunt quondam hæresiarchæ, circumcelliones, schismatici & seditiosi lucifetina superbia & rabie lupina euecti, dæmoniorum fraudibus illusi, de vanitate in idipsum (licet forent de diuersis mundi partibus oriundi) conuenientes, & caudas colligatas habentes, damnatæ videlicet mem. Ioannes Vuicleff de Anglia, Ioannes Husz de Bohemia, & Hieronymus de Praga, qui vtinam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent. Nam vbi huiusmodi pestilentes personæ peruersa dogmata pertinaciter seminabant, in suæ doctrinæ pestiferæ primordio prælati, & alij iudiciariæ potestatis regimina exercentes, tanquam canes muti non valentes latrare, nec vlciscentes cum Apostolo in promptu omnem inobedientiam, hæresiarchas ipsos pestiferos & dolosos, eorum lupinam rabiem truculentam statim vt adstricti fuerant canonice coërcere, eosque de domo Domini corporaliter eiicere non curarunt, sed sacrilegium, falsam, & perniciosam ipsorum doctrinam, per longas moras negligenter conualere permiserunt: populorum multitudo illorum opinionibus falsis decepta pro veris accepit, quæ diu mendaciter & perniciose, ac damnabiliter seminauerunt, eisque credendo à recta fide cecidit turba multa, & errore deuio innoluitur, proh dolor! paganorum, adeo quod per diuersa illarum, eisdemque conuicinarum partium clymata, ouea Christi Catholicas hæresiarchæ ipsi successiue infecerunt, & in stercore mendaciorum fecerunt putrescere.

Ideo Synodus Constantiensis illos declarauit Hæreticos, &c.

§. 2. Qua propter generalis Constantiensis Synodus tantam fidelium, & fidei orthodoxæ plagam, & ruinam videns exclamare compulsa est cum Augustino: Quid faciet Ecclesiæ medicina, salutem omnium materna charitate conquirens, tanquam inter phreneticos, & lethargicos æstuans? Nunquid contemnere, nunquid desistere, vel debet, vel potest? certe non, secundum eundem, imò vtrisque sit necesse est molesta, quæ neutri est inimica. Nam & molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cedendo, sed ambo diligendo. Si autem negligant, & eos perire permittant, inquit Augustinus, ista mansuetudo potius falsa crudelitas est. Proinde Synodus præfata ad omnipotentis Dei gloriam, ipsiusque Catholicæ fidei, ac christianæ Religionis conseruationem, augmentum, & animarum salutem, & præseruationem, eosdem Ioannem Vuicleff, & Ioannem Husz, & Hieronymum, qui inter cætera de sacro Eucharistiæ sacramento, & aliis Sacramentis Ecclesiæ, & articulis fidei, aliter quàm sancta Romana Ecclesia credit,

&

& tenet, & prædicat, & docet, quam plurima temere, & damnabiliter credere, ac tenere, prædicare, atque docere pertinaciter attentabant, velut hæreticos & pertinaces ac obstinaros iam à communione fidelium sepatatos, de domo Dei corpotaliter eiecit, & spiritualiter eiectos declarauit, & alia nonnulla circa premissa vrilia, & salubria statuit, & decreuit, per quæ alij, qui causantibus hæresiarchis eorumque falsis doctrinis huiusmodi spiritualiter de domo Dei exierunt, per vias caoonicas reducerentur ad semitas veritatis.

Nonnulli eorundem Hæreticorum sectatores illorum libros à supradicta Synodo damnatos legebant, &c.

§. 3. Et quia sicut dolenter accepimus, non solum in regno Bohemiæ, & marchionatus dominiis, & locis supradictis, verum etiam io quibusdam partibus, & prouinciis contiguis, seu vicinis eisdem, etiam nonnulli ex sectatoribus & sequacibus hæresum, ac errorum hæresiarcharũ prædictorum, timore diuino, & pudore humano prorsus abiectis, nec de ipsorum, & præsertim Ioannis Husz, & Hieronymi interitu miserabili sumentes conuersionis, & pœnitentiæ fructum, sed tanquam in profundum pressi peccatorum, Dominum Deum blasphemare oon cessant, ducentes in irritum nomen eius, quorum mentes pater mendacij sic damnabiliter excæcauit, vt prædictos libros codices, & opuscula, hæreses, & errores continentes seu continentia, dudum etiam per Synodum præfatã damnatos, & damnata, ac ignibus concremanda deputata, & concremata, legunt, student, ac ex eis io suis & multorum simplicium periculum, nedum contra statuta, decreta, & ordinata in Synodo supradicta, sed etiam contra canonicas sanctiones dogmatizare præsumunt in animarum periculum, ac puritatis fidei denigrationem, & scandalum plurimorum.

Pont. ideo præcipit omnes de fidei articulis aliter quã sensit S. R. Ecclesia sentientes, aut illorum libros tenẽtes & vel receptatores & fautores eorum tradi Curiæ sæculari.

§. 4. Nos igitur attendentes, quod error, cui non resistitur, approbari videtur, ac malis, & perniciosis erroribus huiusmodi resistere, ac eos de medio Christi fidelium, & præsertim de supradictis Bohemiæ, & Morauiæ dominiis, & districtibus ac confinibus, & vicinis eorum, ne amplius, & latius se extendant, funditus euellere cupientes, discretioni vestræ, sacro approbante Concilio Constantiensi, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vos Archiepiscopi, & Episcopi, ac electi, & quilibet vestrum per se, seu alium, vel alios, quos graues, & idoneas personas spiritualem iurisdictionem habentes esse volumus, omnes & singulos cuiuscumque dignitatis, officij, præeminentiæ, status, vel conditionis existant, & quibuscumque nominibus censeantur, qui de præexcelso, salutifero, & supermirabili sacramento Corporis & sanguinis D. N. IESV CHRISTI, vel de baptismate, seu peccatorum confessione, pœnitentiæ pro peccatis iniunctione, vel reliquis Ecclesiæ Sacramentis, seu fidei articulis, aliter sentire aut docere, quam sacrosancta Romana Ecclesia, & vniuersalis docet, prædicat & obseruat, aut articulos, seu libros, & doctrinas præfatorum hæresiarcharum Ioannis Vuicleff, & Ioannis Husz, & Hieronymi, per eandem Constantiensem Synodum cum suis auctoribus, vt prædicitur, damnatos, & damnatas, tenere, credere, & dogmatizare, ac vitæ finem ipsorum hæresiarcharum publice vel occulte pertinaciter quomodolibet laudare, vel approbare præsumpserint, eorumque receptatores, defensores, & fautores quoslibet etiam contemplatione prædictorum errorum, necnon credentes, & adhærentes eisdem, tanquam hæreticos sæculari Curiæ relinquatis.

Receptatores causa amoris vel similis coërceri.

§. 5. Receptatores quoque fautores, & defensores huiusmodi pestiferarum personarum, quæ erroribus ipsis crediderint, nec fauore, aut contemplatione errorum ipsorum, sed forte carnalis amoris causa, vel occasione alia huiusmodi personas pestiferas receptauerint, præter pœnas ab vtroque iure talibus inflictas, per iudices competentes tanta seueritate pœnarum in tam enormi scelere vltionem accipiãt, quòd cedat cæteris crassantibus in exemplum, vt quos Dei timor à malo noo reuocat, saltem coërceat seueritas disciplinæ.

Non resipiscentes seuere puniri.

§. 6. Cum reliquis vero, huiusmodi secta damnabili quomodolibet infectis, qui post competentem monitionem, ac frequentem exhortationem, qua pie erga eos, spe correctionis & emendationis, ac ad melioris vitæ frugem conuersionis, visum est, à prædictis erroribus, & secta noluerint resipiscere, & ad gremium vnitatemque sanctæ matris Ecclesiæ, ac fidem Catholicam, quæ sola saluare potest, sine qua oulli veræ salutis subsidium contingit, plene recognoscere, & confiteri, iustitiæ seueritas prout facti poposcerit qualitas dulcore misericordiæ temperetur.

A principali de eorum locis compelli.

§. 7. Et nihilominus omnes Christianæ, & Catholicæ fidei professores, Imperatorem, reges, duces, principes, marchiones, comites, barones, milites, potestates, rectores, consules, proconsules, scabioos, communitates, & vniuersitates regnorum, prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum huiusmodi, necnon cæteros iurisdictionem temporalem exercentes, iuxta iuris formam, & exigentiam auctoritate Apostolica exhortando moneatis, & requiratis, vt de regnis, prouinciis, ciuitatibus, oppidis, castris, villis, terris, & omnibus aliis locis, ac dominiis supradictis, omnes, & singulos hæreticos huiusmodi secundum tenorem Lateranensis Concilij, quod incipit, Sicut ait, ad instar etiam irreritorum crimine vsurarum, quos publice, vel manifeste per facti euidentiam cognouerint esse tales, tanquam oues morbidas gregem Domini inficientes expeliant, donec, & quousque à nobis seu vobis, vel aliis Iudicibus Ecclesiasticis vel inquisitoribus, fidem & communionem Romanæ Ecclesiæ tenentibus, aliud recipiant in mandatis, nec eosdem in suis districtibus prædicare domicilia tenere, larem fouere, contractus inire, negotiationes, & mercantias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia, cum Christi fidelibus habere permittant.

Hæreticos publicos & non condemnatos puniri.

§. 8. Et si tales hæretici publici ac manifesti, licet nondum per Ecclesiam declarati, in hoc tam graui crimine decesserint, Ecclesiastica careant sepultura, nec oblationes fiant, aut recipiantur pro eisdem, bona tamen ipsorum à tempore commissi criminis secundum canonicas sanctiones, confiscata, non occupentur per illos, ad quos alias pertinerent, donec per huiusmodi Iudicea Ecclesiasticos super hoc potestatem habentes, sententia declaratoria super ipso hæresis crimine fuerit promolgata.

Suspectosque se non purgantes.

§. 9. Qui autem de hæresi per iudicem competentem Ecclesiasticum inuenti fuerint sola suspicione notati seu suspecti, nisi iuxta coosiderationem, & exigentiam suspicionis qualitatemque personæ, ad arbitrium iudicis huiusmodi propriam innocentiam congrua denotione monstrauerint, in purgatione eius eaoonice indicta deficientes, & se canooice purgare non valentes, aut pro huiusmodi purgatione facienda, obstinatione damnabili iurare renuentes, tanquam hæretici condemneotur. Qui verò dictam innocentiam monstrare ex quadam negligentia seu desidia, & purgatiooem huiusmodi facere omiserint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur; ita quod si per annum in excommunicatione huiusmodi perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur. Si qois verò super aliquo sæpedictæ pestiferæ doctrinæ hæresiarcharum prædictorum, vel aliqoibus articulis dumtaxat scandalosis, temeratiis, seditiosis, vel piarum aurium offensiuis, culpabilis repertus fuerit, canonice puniatur. Si verò propter solam infamiam, aut suspicionem dictorum articulorum, vel alicuius ipsorum, quis repertus fuerit suspectus, & in purgatione canonica propter hoc sibi indicta deficeret, pro conuicto habeatur, & tanquam caoooice conuictus puniatur.

Innouat constitutionem Bonif. 8. in c. 18. de Hæret. monens Principes & alios vt obediant illis inquisitoribus.

§. 10. Et insuper dispositionem fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris oostri, quæ iocipit, Vt inquisitionis negotium renouantes, & etiam exequentes, vniuersas potestates, & dominos temporales, & iudices antedictos quibuscumque dignitatibus vel officiis seu nominibus censeantur, exhortando requirimus, & mandamus eisdem, vt sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ac filij Ecclesiæ nuncupari, & in Christi nomine gloriari, ita pro defeosiooe fidei vobis Archiepiscopis, Episcopis, & electis, ac inquisitoribus hæreticæ prauitatis, & aliis iudicibus seu personis Ecclesiasticis, per vos ad hoc, vt præmittitur, deputandis, fidem, & commuoionem sanctæ matris Ecclesiæ tenentibus, pareant, & intendant, præbeant

beneque auxilium, & fauorem in hæreticorum, necnon credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum ipsorum inuestigatione, captione, custodia diligenti, cum ab eisdem fuerint requisiti, vt præfatas personas pestiferas, alios secum perdere molientes, in potestatem seu carcerem per vos Archiepiscopos, Episcopos, electos, & Inquisitores prædictos, aut deputandos à vobis, vel ad locum de quo vos, vel ipsi mandabitis, infra eorundem dominorum potestatem, rectorum, seu iudicium districtum ducant, vel duci faciant sine mora, vbi per viros catholicos à vobis Archiepiscopis, vel Episcopis, electis, seu inquisitoribus, seu deputandis personis huiusmodi, vel vestrum aliquo deputato, sub arcta, & diligenti custodia, ne fugiant ponendo eos, etiam compedibus & manicis ferreis teneant, donec eorum negotium per Ecclesiæ iudicium terminetur, & quod de hæresi à iudice Ecclesiastico competenti, qui fidem, & communionem dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ teneat, condemnent, præfati domini temporales, seu rectores, iudices, vel eorum officiales seu nuntij, sibi relictos recipiant indilate animaduersione debita puniendos.

Ad dignoscendum Haeret. & complices, mandat Episcopis, & aliis vt omnes suspectos de hæresi compellāt respondere articulis infrascriptis iuxta formam infrascriptorum interrogatoriorum.

§. 11. Verum ne præiudicium, & scandalum præfatæ fidei orthodoxæ Religionis Christianæ, prætextu ignorantiæ quemquam in hoc circumuehiri, aut versutos homines sub friuolæ excusationis velamine in hac materia palliare contingat, & vt de conuincendis seu cognoscendis hæreticis, receptatoribus, defensoribus, fautoribus, credentibus, & adhærentibus, necnon de hæresi suspectis, & aliis huiusmodi peruersa doctrina quomodolibet maculatis, plenior habeatur in futurū instructio, tam ad regnum Bohemiæ, & conuicinas illi, quam alias quaslibet partes, in quibus hæc superstitiosa doctrina quomodolibet pullulauerit, articulos infrascriptos sectam dictorum hæresiarcharum concernentes, pro directione dictæ fidei decernimus transmittendos, & etiam destinandos: super quibus vobis & aliis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & electis, ac commissariis & inquisitoribus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, vt quilibet eorum infra limites, & loca suæ iurisdictionis, necnon regno, & marchionatu, & locis eis vicinis prædictis, etiam si loca ipsa extra iurisdictionem eandem vltra duas dietas consistant, circa extirpationem, & correctionem errorum ac hæresum, ac huiusmodi sectæ pestiferæ, in fauorem ipsius fidei orthodoxæ, diligenter inuigilent, & omnes infamatos seu suspectos de tam pestifera labe sub confessati criminis, excommunicationis, suspensionis interdicti aut alia formidabili pœna canonica, vel legali, prout, quando & quemadmodum eis videatur expedire, de facti requireret qualitas, ad singulos huiusmodi articulos per iuramentum corporaliter præstitum, tactis sacrosanctis Euangeliis seu sanctorum reliquiis, imagine Crucifixi, secundum quorundam locorum obseruantiam, iuxta infrascripta interrogatoria, ad quemlibet articulum conuenientia, respondere compellant. Nos enim contra omnes & singulos Archiepiscopos, Episcopos, & electos, & Inquisitores, qui super extirpando hæreticæ prauitatis fermento, & expurgando suum territorium, districtum seu locum de talibus malis, & sceleratis hominibus negligentes fuerint, seu remisse egerint, vsque ad priuationem seu depositionem Pontificalis dignitatis procedere intendimus, & procedemus, ac procedi faciemus, aliosque loco illorum substituemus, qui prauitatem hæreticam possint, & valeant confundere, & ad alias pœnas contra tales à iure inflictas, & alias grauiores, si expediat, infligendas, procedemus, procedique faciemus, iuxta iuris, & facti exigentiam, ac huiusmodi culpæ, & criminis fœditatem.

Tenor subsequitur errorū Io. Vuicleff.

Tenores vero eorundem articulorum, seu capitulorum, de quibus suprà fit mentio, sequuntur per ordinem in hæc verba.

Tenor Articulorum Ioannis Vuicleff.

1 SVbstantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in sacramento altaris.

2 Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.

3 CHRISTVS non est in eodem Sacramento identice & realiter in propria præsentia corporali.

4 Si Episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5 Non est fundatum in Euangelio, quod Christus Missam ordinauerit.

6 Deus debet obedire diabolo.

7 Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

8 Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte à Cæsare.

9 Post Vrbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed viuendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10 Contra scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11 Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

12 Prælatus excommunicans clericum, qui appellauit ad Regem, vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est Regis, & regni.

13 Illi qui dimittunt prædicare, siue audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei iudicio traditores Christi habebuntur.

14 Licet alicui diacono, vel presbytero prædicare verbum Dei, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, siue Episcopi Catholici.

15 Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16 Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu, delinquentibus.

17 Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18 Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani, propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum eas auferre.

19 Speciales orationes applicatæ vni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, cæteris paribus.

20 Conferens eleemosynam fratribus, est excommunicatus eo facto.

21 Si aliquis ingreditur Religionem priuatam qualemcunque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obseruationem mandatorum Dei.

22 Sancti instituentes Religiones priuatas, sic instituendo peccauerunt.

23 Religiosi viuentes in Religionibus priuatis, non sunt de Religione Christiana.

24 Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

Prima pars est scandalosa, & præsumptuose asserta, pro quanto sic generaliter, & indistincte loquitur, & secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere.

25 Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subuenientibus.

26 Oratio præsciti, nulli valet.

27 Omnia de necessitate absoluta eueniunt.

28 Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29 Vniuersitates, Studia, Collegia, graduationes, & magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & prosunt Ecclesiæ sicut diabolus.

30 Excommunicatio Papæ, vel cuiuscumque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

31 Peccant fundantes claustra; & ingredientes sunt viri diabolici.

32. Dita

32 Ditare Clerum, est contra regulam Christi.

33 Syluester Papa, & Constantinus Imperator errauerunt Ecclesiam dotando*. *ditando.

34 Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici: & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

35 Ingredientes religionem aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad obseruanda diuina præcepta, & per consequens ad perueniendum ad regnum Cœlorum, nisi apostatauerint ab eisdem.

36 Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus, sunt hæretici, eo quòd possessiones habent; & consentientes eis, omnes videlicet domini sæculares, & cæteri laïci.

37 Ecclesia Romana est synagoga Satanæ, nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum.

38 Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eis.

39 Imperator, & domini sæculares, sunt seducti à diabolo, vt Ecclesiam dotarent* bonis temporalibus. *ditarent.

40 Electio Papæ a Cardinalibus, à diabolo est introducta.

41 Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat vniuersalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.

42 Fatuum est credere indulgentiis Papæ, & Episcoporum.

43 Iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractos, & commercia ciuilia.

44 Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones. & instituerunt, & intrauerunt religiones: & sic à Papa vsque ad vltimum religiosum, omnes sunt hæretici.

45 Omnes religiones indifferenter introductæ fuot a diabolo.

Tenor Articulorum Ioannis Husz.

Sequitur tenor errorum Ioannis Husz.

1 VNica est sancta vniuersalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum vniuersitas, & infra sequitur: Vniuersalis sancta Ecclesia tantum est vna, sicut tantum vnus est numerus omnium prædestinatorum.

2 Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3 Præsciti, non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quòd prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4 Duæ naturæ Diuinitas, & humanitas, sunt vnus Christus.

5 Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ: & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis.

6 Sumendo Ecclesiam pro conuocatione prædestinatorum, siue fuerint in gratia, siue non secundum præsentem iustitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7 Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.

8 Sacerdotes quomodolibet criminosè viuentes, sacerdotij polluunt potestatem: & sic, vt filij infideles, sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiæ, de clauibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione reliquiarum indulgentiis, & ordinibus.

9 Papalis dignitas à Cæsare inoleuit: Papæ præfectio, & institutio, à Cæsaris potentia emanauit.

10 Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quòd esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

11 Non oportet credere, quòd iste quicunque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinauerit.

12 Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior nec aliter recipiat à Deo procuratoriam potestatem quia ad illud officium Vicariatus requiritur, & morum conformitas, & instituentis auctoritas.

13 Papa non est verus, & manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si viuit moribus contrariis Petro, & si quærit auaritiam, tunc est vicarius Iudæ Scarioth. Et pari euidentia Cardinales non sunt veri, & manifesti successores Collegij aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, seruantes mandata, & consilia Domini nostri IESV CHRISTI.

14 Doctores ponentes quòd aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas & Pharisæos, qui CHRISTVM non volentem eis obedire in omnibus, dicentes: Nobis non licet interficere quemquam, ipsum sæculari iudicio tradiderunt, & quòd tales sint homicidæ grauiores, quam Pilatus.

15 Obedientia Ecclesiastica, est obedientia secundum adinuentionem sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam auctoritatem scripturæ.

16 Diuisio immediata humanorum operum est, quòd sunt vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit vniuersaliter actus hominis vitiosi, sic virtus viuificat omnes actus hominis virtuosi.

17 Sacerdotes Christi viuentes secundum legem eius, & habentes scripturæ notitiam, & effectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obstante prætensa excommunicatione, & infra: Quòd si Papa vel aliquis Prælatus mandat sacerdoti sic disposito, non prædicare, non debet subditus obedire.

18 Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.

19 Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis & interdicti, ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo. Signum autem euidens est, quòd ab Antichristo talea procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, qui Clerum pro se maximè vsurpabit.

20 Si papa est malus; & præsertim præscitus, tunc vt Iudas Apostolus est Diabolus fur, & filius perditionis & non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum eius.

21 Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

22 Papa vel Prælatus malus & præscitus, est æquiuoce pastor, & vere fur, & latro.

23 Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias Rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, & tortores, & præcones dicerentur sancti, imo etiam diabolus deberet dici sanctus cum sit officiarius Dei.

24 Si papa viuat Christo contrariè, etiamsi ascenderet per ritam & legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quàm per Christum, dato etiam quòd intraret per electionem à Deo principaliter factam. Nam Iudas Scarioth, ritè & legitimè est electus à Deo CHRISTO IESV ad Episcopatum, & tamen ascendit aliunde in ouile ouium.

25 Condemnatio quadraginta quinque articulorum Ioannis Vvicleff per Doctores facta, est irrationabilis & iniqua & malefacta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quòd nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26 Non

26 Non eo ipso quo electores vel maior pars eorum consenserit viua voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus & manifestus successor, vel vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio Ecclesiastico: vnde siue electores bene, siue male elegerint, operibus electi debemus credere. Nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritoriè ad profectum Ecclesiæ, habet à Deo ad hoc copiosiùs potestatem.

27 Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conuersetur, & conseruetur.

28 Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces Discipulos, sparsos per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet.

29 Apostoli & fideles sacerdotes strenue Domini in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum & sic facerent, deficiēte per summè possibile Papa vsque ad finem iudicij.

30 Nullus est Dominus ciuilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus si est in peccato mortali.

Tenet interrogatorium iuxta qua Haeretici, aut de haeresi suspecti Interrogari debent.

Tenor interrogatoriorum de quibus suprà.

1 SVper præmissis autem articulis, quilibet de eis suspectus, seu in eorom assertione deprehensus, iuxta modum interrogetur infrascriptum: In primis, vtrū cognouerit Ioannem Vvicleff de Anglia, Ioannem Husz de Bohemia, Hieronimum de Praga, seu aliquem eorum, & vnde habuerit eorum notitiam, & vtrum cum eis vel eorum aliquo, dum viuerent, conuersationem vel amicitiam habuerit.

2 Item, vtrum sciena ipsos seu aliquem ipsorum excommunicatos scienter participauerit cum illis reputans & dicens talem participationem non esse peccatum.

3 Item, vtrum post mortem eorum, pro eisdem seu aliquo eorum orauerit, & publice vel occulte opera pietatis exercuerit, asserens eos fore beatos, & saluos.

4 Item, vtrum eos vel aliquem eorum sanctos reputauerit, & dixerit, & eis venerationes velut sanctis exhibuerit.

5 Item, vtrum credat, teneat & asserat, quòd quodlibet Consilium generale & etiam Constantiense, vniversalem Ecclesiam repræsentet.

6 Item, vtrum credat, quòd illud quod sacrum Concilium Constantiense, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, approbauit, & approbat in fauorem fidei & ad salutem animarum, quòd hoc est ab vniuersis Christi fidelibus approbandum & tenendum, pro condemnato, credendum & asserendum.

7 Item, vtrum credat quod condemnationes Ioannis Vvcleff, Ioannis Husz, & Hieronymi de praga, factæ de personis eorum libris, & documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint rite & iuste factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ.

8 Item, vtrum credat, teneat, asserat Ioannem Vvicleff de Anglia, Ioannem Husz de Bohemia, & Hieronymum de Praga, fuisse hæreticos & pro hæreticis nominandos ac reputandos, & libros & doctrinas eorum fuisse & esse peruersos, propter quos & quas & per eorum pertinacias, per sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati.

9 Item, vtrum habeat in sua potestate aliquos tractatus, opuscula, epistolas, vel quæcumque alia scripta in quocumque idiomate per Ioannem Vvicleff, Ioannem Husz, & Hieronymum hæreticos, seu eorum pseudodiscipulos, & sequaces editos, vel translatos, edita vel translata, quòd illos vel illa Ordinario loci, vel eius Commissario seu Inquisitori sub iuramento præsentet. Quod si apud se scripta huiusmodi se habere non cognouerit, sed alibi, quòd inter illa circa suum Ordinarium vel alios supradictos infra certum terminum sibi præfigendum deponere.

10 Item, vtrum sciat, aliquem vel aliquos habentes præfatorum tractatus, opuscula, epistolas, vel quæcūque alia scripta in quocumque idiomate composita siue translata, quòd illum vel illos detegat, vel manifestet, pro purificatione fidei siue executione iustitiæ.

11 Item specialiter litteratus interrogetur, vtrum credat sententiam sacri Constantiensis Concilij super quadraginta quinque Ioannis Vvicleff, & Ioannis Husz, triginta articulis superius descriptis, latam, fore veram, & Catholicam; scilicet, quòd supradicti quadraginta quinque articuli Ioannis Vvicleff, & Ioannis Husz triginta, non sunt Catholici, sed quidam ex eis sunt notoriè hæretici, quidam erronei, alij temerarij, & seditiosi, alij piarum aurium offensiui.

12 Item, vtrum credat & asserat, quod in nullo casu sit licitum iurare.

13 Item, vtrum credat, quòd ad mandatum iudicis iuramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad causam opportunum, etiam pro purificatione infamiæ faciendum, sit licitum.

14 Item, vtrum credat, quòd periurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conseruatione vitæ corporalis propriæ vel alterius, etiam in fauorem fidei, sit peccatum mortale.

15 Item, vtrum credat, quòd deliberato animo contemnens ritum Ecclesiæ, cæremonias Exorcismi, & Catechismi, Aquæ baptismatis consecratæ, peccet mortaliter.

16 Item, vtrum credat, quod post consecrationem sacerdotis in sacramento Altaris sub velamento panis, & vini non sit panis materialis, & vinum materiale, sed idem per omnia CHRISTVS, qui fuit in cruce passus, & sedet ad dexteram Patris.

17 Item vtrum credat & asserat, quod facta consecratione per sacerdotem, sub sola specie panis tantum, & præter speciem vini, sit vera caro CHRISTI, & sanguis, & anima, & deitas, & totus CHRISTVS, ac idem corpus absolutè, & sub vna qualibet illarum specierum singulariter.

18 Item, vtrum credat, quòd cōsuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab Ecclesia vniuersali obseruata, & per sacrum Concilium Cōstantiæ approbata, sit seruanda, sic quòd non liceat eā reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito immutare. Et quòd dicentes pertinaciter oppositum præmissorum, tanquam hæretici vel sapientes hæresim, sint arcendi, & puniendi.

19 Item, vtrum credat, quòd Christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis vel extremæ-Vnctionis, aut solemnizationis Matrimonij peccet mortaliter.

20 Item, vtrum credat, quòd Christianus vltra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laïco seu laicis quantumcumque bonis, & deuotis.

21 Item, vtrum credat, quòd sacerdos in casibus sibi præmissis, possit peccatorem confessum, & contritum à peccatis absoluere, & sibi pœnitentiam iniungere.

22 Item, vtrum credat, quòd malus sacerdos cum debita materia, & forma, & cum intētione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absoluat, vere baptizet, & vere conferat alia sacramenta.

23 Item, vtrum credat, quod B. Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi, & soluendi super terram.

24 Item, vtrum credat, quòd Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuerit eius nomine proprio expresso, sit successor B. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.

25 Item, vtrum credat auctoritatem iurisdictionis Papæ, Archiepiscopi & Episcopi in soluendo, & ligando, esse maiorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat.

26 Item, vtrum credat, quòd Papa omnibus Christianis verè contritis, & confessis, ex causa pia, & iusta

possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maximè pia loca visitantibus, & ipsis manus suas porrigentibus adiutrices. Et vtrum credat, quòd ea tali concessione visitantes Ecclesias ipsas, & manus adiutrices eis porrigentes, huiusmodi indulgentias consequi possint.

27 Item vtrum credat, quòd singuli Episcopi suis subditis secundum imitationem sacrorum Canonum huiusmodi indulgentias concedere possint.

28 Item, vtrum credat, & asserat, licitum esse Sanctorum reliquias & imagines à Christi fidelibus venerari.

29 Item vtrum credat, quod Papa vel alius Prælatus propriis nominibus Papæ pro tempore expressis, vel ipsorum Vicarij, possint suum subditum Ecclesiasticum siue sæcularem, propter inobedientiam siue contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus.

30 Item vtrum credat, quod inobedientia siue contumacia excommunicatorum crescente, Prælati vel eorum Vicarij in spiritualibus, habeant potestatem aggrauandi, & reaggrauandi, interdictum ponendi, & brachium sæculare inuocandi, & quòd illis censuris per inferiores sit inobediendum.

31 Item, vtrum credat, quod Papa vel alij Prælati & eorum Vicarij in spiritualibus habeant potestatem, sacerdotes, & laicos inobedientes, & contumaces excommunicandi, ab officio beneficio, ingressu Ecclesiæ, & administratione Ecclesiasticorum sacramentorum suspendendi.

32 Item, vtrum credat, quod liceat personis Ecclesiasticis absque peccato, huius mundi habere possessiones, & bona temporalia.

33 Item, vtrum credat, quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat, imò quod sic auferentes, tollentes & inuadentes bona ipsa Ecclesiastica, sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viuerent personæ Ecclesiasticæ bona huiusmodi possidentes.

34 Item, vtrum credat, quod huiusmodi ablatio, & inuasio cuicumque sacerdoti, etiam male viuenti, temere vel violenter facta, vel illibata, inducant sacrilegium.

35 Item, vtrum credat, quòd liceat laicis vtriusque sexus, viris scilicet & mulieribus, libere prædicare verbum Dei.

36 Item, vtrum credat, quod singulis sacerdotibus libere liceat prædicare verbum Dei, vbicumque & quandocumque placuerit, etiamsi non sint missi.

37 Item, vtrum credat, quod omnia peccata mortaliter, & specialiter manifesta, sint publice corrigenda, & extirpanda.

Suspecti de hæresi. &c. citentur vt compareant personaliter ad respondendum supradictis articulis.

§. 12. Volumus insuper ac statuimus & decernimus, quod si quis per secretam informationem per vos recipiendam, vel alias repertus fuerit infamatus, seu suspectus de quacumque specie hæresis, pestiferæ sectæ, vel doctrinæ pestilentium Ioannis Vvicleff, Ioannis Husz, & Hieronymi de Praga, hæresiarcharum prædictorum aut de fouendo, receptando, defendendo præfatos damnatos homines, dum viuerent in humanis, vel ipsorum perfidos sequaces & pseudodiscipulos, aut ipsorum erroribus credendo, pro ipsis defunctis, siue aliquo ipsorum post obitum orando, vel inter Catholicos nominando & defendendo, vel ipsos vt sanctos colendo, prædicando, vel adorando, vel alias circa eos suspecte agendo, citetur per vos seu alterum vestrum, personaliter coram vobis seu altero vestrum compariturus, semotis procuratore, & aduocato, responsurus medio iuramento per ipsum sic vt prædictum est corporaliter præstito de plena & mera veritate dicenda super prædictis articulis, seu eorum singulis, vel aliis opportunis, secundum exigentiam casus & occurrentium circumstantiam ad arbitrium vestrum, & prout vobis seu alteri vestrum videbitur expedire, vel alias contra eosdem ipsorum singulos prout præsentibus exprimitur, vel alias canonice procedatis.

Mandat publicari istam constitutionē, & hæreticos ac complices singulis dieb. festiuis excōmunicatos populis nunciari.

§. 13. Necnon præsentes literas, exclusis articulis & interrogatoriis superius positis, atque omissis, in ciuitatibus, diœcesibus, terris & locis aliis, vbi tute fieri poterit, auctoritate nostra solemniter publicetis & publicari faciatis, omnes & singulos hæreticos huiusmodi, necnon sectatores ipsarum hæresum & errorum vtriusque sexus, tenentes, & etiam defendentes eosdem, aut hæreticis ipsis quomodolibet publice, vel occulte in diuinis vel alias participantes, etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, regali, reginali, ducali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate; necnon aduocatos & procuratores quoslibet, qui hæreticos huiusmodi aut eorum credentes, sequaces, fautores, defensores, & receptatores super crimine hæresis aut credulitatis, sequelæ, fautoriæ, defensionis & receptationis huiusmodi defēderint, excōmunicatos singulis diebus Dñicis & festiuis in præsentia populi nuntietis, & per alios nuntiari faciatis.

Et contra huiusmodi errores tenentes, & eorum fautores & complices.

§. 14. Et nihilominus contra eosdem omnes, & singulos vtriusque sexus, huiusmodi errores tenentes, approbantes, defendentes, dogmatizantes, ac fautores, & receptatores, & defensores eorundem exemptos, & non exemptos, & quemlibet ipsorum, cuiuscumque dignitatis, status, præeminentiæ, gradus, ordinis vel conditionis (vt præfertur) existant, auctoritate nostra diligenter inquirere studeatis, & eos quos per inquisitionem huiusmodi diffamatos, vel per confessionem eorum, seu per facti euidentiam, vel alias huiusmodi hæresis & erroris, labe respersos repetietis, auctoritate prædicta etiam per excommunicationis, suspensionis & interdicti, necnō priuationis dignitatum, personatuum & officiorum, aliorūque beneficiorum Ecclesiasticorum ac feudorum, quæ à quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis ac aliis locis Ecclesiasticis obtinent, ac etiam bonorum & dignitatum secularium, ac graduum scientiarum quarumcumque facultatum, & per alias pœnas, sententias, & censuras Ecclesiasticas, ac vias & modos, quos ad hoc expedire seu opportunos esse videritis, etiam per captiones, & incarcerationes personarum, & alias pœnas corporales, quibus hæretici puniuntur seu puniri iubentur, aut solent iuxta canonicas sanctiones. Similiter & clericos ipsos & Ecclesiasticas personas, vsque ad degradationem inclusiue, si eorum culpa ac pertinacia vel rebellio id exigat aut requirat, corrigatis, & puniatis, ac diligenter corrigi, & puniri faciatis. Necnon contra eosdem ipsorum, laicorumque bona secundum canonicas sanctiones, & legales, contra hæreticos, & eorum sequaces editas, quibus eosdem sectatores siue sequaces subiacere decernimus, animose consurgatis iuxta modum & formam supradictos. Et qui de præmissis hæresibus vel articulis, vel aliquo præmissorum infamati fuerint, ad arbitrium vestrum se purgare teneantur. Alij verò qui per testes seu propriam confessionem vel alias legitimas probationes conuicti fuerint de præmissis hæresibus vel articulis vel aliquo præmissorum, eosdem articulos, & errores solemniter, & publice reuocare, abiurare, pœnitentiam condignam, etiam ad immurationem (si delictum exegerit) subire cogantur. Necnon quòd errores, & hæreses huiusmodi cuiuscumque generis vel speciei censeantur, de cætero verbo, nutu vel facto non fouebunt, seu alios ad credendum illis verbo vel, facto, publice, vel occultè, directe, vel indirecte, aut alio quouis modo inducent, sufficientem & idoneam cautionem præstare teneantur. Quòd si forsan eosdem articulos solemniter & publice reuocare & abiurare, & pœnitentiam condignam, etiam ad immurationem perpetuam vel temporalem iuxta vestræ discretionis arbitrium sine dilatione subire, ac sufficientem cautionem quod errores, & hæreses ipsas de cætero non tenebunt, nec fouebunt, nec alios ad credendum vel verbo, vel facto publice, vel occulte, directè, vel indirecte, vel quovis quæsitò colore inducent, præstare, seu aliquod præmissorum facere noluerint, ex tunc contra ipsos iuxta qualitatem errorum ad dilectorum suorum, etiam (si expediat) tanquam contra hæreticos, aut hæretica labe respersos, auctoritate nostra iuxta Canonicas, & legales sanctiones summarie, & simpliciter ac de plano sine strepitu, & figura iudicij, & etiam ex officio, appellatione, seu appellationibus quibuscumq; cessantibus, procedatis, ac ipsos iuxta easdem Canonicas traditiones puniatis, etiamsi opus fuerit curiæ sæculari relinquendo: Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio eiusdem brachij sæcularis.

Clauſula derogatoria.

§. 15. Non obſtantibus tam felic, tecord. Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri, qua cauetur, ne quis extra ciuitatem, diœceſim ſuam, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam, à fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices à Sede Apoſtolica deputati, extra ciuitatem, & diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, ſiue alij vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos vltra vnam dietam à fine diœceſum eorundem trahere præſumant, & de duabus dietis in Concilio generali, quam aliis quibuſcumque conſtitutionibus Romanorum Pontificum, tam à iudicibus delegatis, quam perſonis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quæ poſſint in hac parte veſtræ iuriſdictioni aut poteſtati eiuſq; libero exercitio quomodolibet obuiare, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu vltra, vel extra loca ad iudicium euocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi & eorum perſonis, locis, & ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cuiuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtræ iuriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua, cuiuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis.

Dat. P. An. 1. die 22. Feb.

Dat. Conſtantiæ, 8. Kal. Martij, Pont. noſtri Anno 1.

II. Contra impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, prætextu conceſſionis, vel indulti Vrbani VI.

Hanc ſanctionem approbauit Clem. VII. & eius ſucceſſores, vt in eius conſt. 39. Romanus, vbi alia de materia indicabo. Et quotannis Rom. Pontifices similẽ prohibitionẽ enuntiant in bulla nuncupata Cœna Domini, vt in cõſt. 63. Pauli V. Paſtoral.

Nouiſſime autem vide Sanctiſſ. D. N. Vrb. VIII. conſt. 72. Paſtoralis ioſ. tom. 4. §. 13.

Edita An. D. 1418.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

QVod antidota morbis, hoc præſtare ſolẽt ſtatuta negotiis; ſed plerumque contingit, vt quod profuturum putabatur iudicio, noxium inueniatur experimẽto.

Vrb. VI. cuius conſt. hic non habes, ex cauſa hoc expreſſa, quibuſdam Prælatis conceſſit, quod in eorum locis litera Apoſt. nõ exequerentur niſi ab eis approbata.

§. 1. Sane, cum dudum in exordiis peſtiferi, & antiquati ſchiſmatis, iam per Dei gratiam extincti, ad tollendum ſcandala, quæ propter executionem diuerſarum literarum, quæ ab iis, qui pro Romanis Pontificibus in diuerſis obedientiis ſe gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, Vrbanus Sextus in ſua obedientia nuncupatis, conceſſerit quibuſdam Prælatis, quod in eorum ciuitatibus, & diœceſibus non poſſet fieri executio aliquarum literarum Apoſtolicarum niſi prius huiuſmodi literæ Prælatis ipſis, vel eorum officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, & per ipſos approbatæ forent.

Sed quia aliqui Prælati hanc conſuetudinem traxerunt, in iniuriam Sedis Apoſt.

§. 2. Verum quia etiam deinde, ipſi Prælati, ſeu officiales in conſuetudinem traxerunt, & aliqui prætextu ſtatutorum Prouincialium, ſeu Synodalium ſimiliter ſeruant, & ſeruari faciunt, quod literas Apoſtolicas, nullus exequi audeat, niſi poſtquam Prælati, ſeu officiales ipſi per ſuas literas, quas, Vidimus; ſeu Placet, nuncupant, mandant, & concedunt, quod poſſint exequi per iudices in eis deputatos, propter quod executio literarum Apoſtolicarum plus debito plerumque retardata fuit, & ſæpe ipſæ literæ Apoſtolicæ executione caruerunt, totaliter in grauem iniuriam Sedis Apoſtolicæ, & enorme impetrantium præiudicium & grauamen.

Hic ideo Pót. cũ ceſſauerit d. cauſa indulti ab Vrb. VI. vt ſupra conceſſi, executionem literarum Apoſt. ad iudices & executores in eis deputatos libere ſpectare permittit ſacro approbãte Concil. Conſtantienſi.

§. 3. Nos igitur cenſentes rationi conſonum, vt quod huiuſmodi ſchiſmatis calamitas introduxit, pacis tempore auferatur, conceſſionem prædictam & quæcumque ſtatuta, circa præmiſſa quomodolibet facta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium hoc ſacro Conſtantienſi approbante Concilio, reuocamus, caſſamus, & etiã annullamus. Ac volumus, & decernimus, quod iudices, & executores quicumque in literis Apoſtolicis deputati, & deputandi, & alij quicumque ad quos ſpectabit, necnon notarij, & tabelliones ſuper iis requiſiti, vel requirendi, abſque huiuſmodi litera, Vidimus, ſeu Placet, nuncupata, ac etiam licentia, vel aſſenſu quorumcumque Prælatorum, Patriarchali, aut alia quavis dignitate inſignitorum, & locorum ordinariorum, aut officialium eorundem, libere huiuſmodi literas Apoſtolicas exequi debeant, atque poſſint.

In contrarium attentata reuocat.

§. 4. Nos enim eadem auctoritate decernimus omnes, & ſingulas ſententias quas prædicti Prælati, & ſcriptores, aut eorum officiales contra huiuſmodi iudices, vel executores, ſeu impetrantes propter excommunicationes huiuſmodi per eos faciendas forſan inflixerint, & promulgauerint, irritas, & inanes, ac nullius exiſtere roboris, vel momenti.

Attentatores coërcet.

§. 5. Necnon quemcumque qui contra præmiſſa aliquid attentare præſumpſerit ab exercitio iuriſdictionis Eccleſiaſticæ per tres menſes, ipſo facto ſuſpenſum. Nulli ergo, &c. Si qui autem, &c.

D. P. A. 1. die 10. April.

Dat. Conſtantiæ, 2. Kal. Maij, Pont. noſtri Anno 1.

III. De officio, & qualitatibus, Scriptorum, & Abbreuiatorum literarum Apoſtolicarum; Cuſtodiſque Cancellariæ, ac Examinatorum; Bullatorum, & Regiſtratorum; Auditorumque Procuratorum, Notariorum Rotæ, & Aduocatorum Conſiſtorialium.

Quoad iſtos omnes longum eſſet hic ponere concordantias, vide itaque bullas hic in apoſtillis indicatas, & inſ. aliam conſt. 5. Romani, ac etiam Paul. III. conſt. 12. Romani, & conſt. 84. Pij V. In earum, ac Six. V. conſt. 62. Sacri, necnon Pauli V. conſt. 71. Vniuerſi.

Edita An. D. 1418.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Apoſtolicæ dignitatis ſpecula ſuper gregem Dominicum licet immeriti conſtituti, iniunctum nobis deſuper Apoſtolatus officium, debite, vt tenemur, exequi coadiuuante Domino cupientes, ad ea libenter noſtræ dirigimus conſiderationis intuitum, vt diligenter conſpiciamus, quæ reipublicæ vtilitatem reſpiciunt, & commodum, vt per noſtræ prouiſionis auxilium, euellantur vitia, plantentur virtutes, deſtruantur iniqua, & reædificentur honeſta, ac praua tranſeant in directa, & ſublatis deformibus, relucеat debitæ reformationis decor, & pulchritudo, ac totius æquitatis, & iuſtitiæ exinde proueniant incrementa.

Cauſa huius conſtit.

§. 1. Sane licet fel. rec. Ioan. XXII. Bened. XII. & Greg. XI. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, necnon de mandato Apoſtolico nonnulli Auditores audientiæ contradictarum literarum Apoſtolicarum, & demum bonæ memoriæ Gaufridus Epiſcopus Cabillonenſis, & Petrus tunc electus Viuarienſis dictæ audientiæ Auditores nonnullas conſtitutiones, & ordinationes regimen, & gubernationem officialium, ac officiorum Cancellariæ, & Pœnitentiariæ Apoſtolicarũ, necnon prædictarum contradictarum, & cauſarum Palatij Apoſtolici auditorum, & aliorum in Romana Curia Iudicum, ſeu Commiſſariorum, eorumque Notariorum, necnon Aduocatorum Conſiſtorialium, & Procuratorum in audientia prædictis, concernentes laudabiliter ediderint. Quia tamen huiuſmodi creſcente malitia poſtmodum aut debite non obſeruatæ, aut additionibus vtilibus indigere noſcuntur: Nos igitur ſuper hoc intendentes, prout ex debito paſtoralis officij nobis iniuncti licet immeriti obligamur, ſalubriter, & vtiliter prouidere, tenore præſentium præfatas conſtitutiones, & ordinationes, (quas hic haberi volumus pro expreſſis) auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innouantes, ac eas cum additionibus infraſcriptis præcipientes firmiter obſeruari, eadem auctoritate ſtatuimus, & etiam ordinamus.

Abbreuiatores & alij recipiant neque petāt aliquid vltra taxam, &c.

De Abbreuiatoribus vide inf. Sixt. IV const. 17. Dunque & Leon X. constit. 14. Summo.

§. 2. Quod si Notarij Apostolici, ac eorum Abbreuiatores, & alij in iustitia, & etiam gratia literarum Apostolicarum Abbreuiatores taxam nimiam pro minutis suis petierint, ac etiam si literæ Apostolicæ excessiue taxatæ fuerint, super excessibus huiusmodi per partes ad Vicecancellarium, aut de mandato suo, vel ipso absente ad eius Locum tenentem, seu Præsidentem in Cancellaria prædicta habeatur recursus, qui deliberatione habita cum Abbreuiatoribus Assistentibus eidem Vicecancellario in expeditione literarum Apostolicarum in Cancellaria, & aliis de quibus sibi videbitur in hoc peritis, excessus prædictos ad debitam reducant moderationem, ac medietatem huius quod excessiue petierint, à Scriptoribus, vel Abbreuiatoribus qui illud petierint, necnon Taxatoribus literarum earum, qui illas sic excessiue taxauerint, exigant, in vsus Capellæ Scriptorum prædictorum, aut alia pia opera conuertendum. Quodque Notarij prædicti pro minutis literarum prouisionum Patriarchalium, Metropolitanarum, ac aliarum Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcumque Consistorialiter factarum, cum aliæ non pertineant ad ipsos, recipere valeant, sicut plus, vel minus pro communi seruitio soluitur ab eisdem, videlicet pro primo centenario florenorum communis seruitij vltra quinque, & pro quolibet alio similium florenorum centenario, si plura sint vltra vnum, & si seruitium huiusmodi ad centum florenos non ascenderit, pro quolibet decennario numero florenorum huiusmodi, vltra medium florenum nullatenus recipiant, vel exigant quocumque quæsito colore, alioquin eorum quemlibet pœnas in dictarum literarum Abbreuiatores plus debito à minutis quas faciunt exigentes latas, inferius declaratas incurrere volumus ipso facto. Quod si eorum, & cuiuscumque alterius Abbreuiatoris culpa literæ quarum fecerint minutas, & pro quibus salaria seu emolumenta recipiunt, fuerint rescribendæ, eorum sine illius expensis rescribantur, qui fuerint vel fuerit in culpa, sub pœnis infra dictis. Et insuper cum præfati Notarij expertos, & sufficientes habere debeant Abbreuiatores, quandoque recipiunt in arte Abbreuiatoria minus expertos, ex quibus secuta sunt quandoque detrimenta atque damna, statuimus, quod nullus dictorum Notariorum aliquem in suum Abbreuiatorem recipere valeat neque possit, nisi primitus ad id per assistentes Vicecancellario in expeditione literarum Apostolicarum, & alios de quibus sibi videbitur, Abbreuiatores in minutis super ipsis de iustitia formandis experti & sufficientes reperti fuerint, & etiam approbati.

Litera quæ in Cancellaria fuerit iudicata rescribenda rescribatur ab eo qui culpam commisit sub pœnis hic expressis.

§. 3 Statuimus, & etiam ordinamus, quod si litera fuerit in Cancellaria rescribenda iudicata, quod infra tres dies naturales, à die requisitionis partis prosequentis, aut sollicitatoris expeditionis eiusdem, ille cuius culpa iudicata fuerit rescribenda, expensis suis propriis sine quocumque alio salario quantumcumque modico, etiam gratis oblato, teneatur rescribere, aut rescribi facere, sub pœna suspensionis ab officio scriptoriæ literarum prædictarum, & ingressu Cancellariæ, si Scriptor fuerit literarum prædictarum quadraginta dierum continuorum tempore, nec interim literam alicuius taxæ sibi distribuat Distributor, siue Referendarius literarum earundem sub excommunicationis pœna, quam si contrarium faciat scienter, incurrat ipso facto, à qua absolui non possit nisi à Romano Pontifice, prius satisfacto realiter, & cum effectu parti læsæ de damnis & interesse, & tres ducatos soluat applicandos eidem Capellæ Scriptorum literarum prædictarum pro pœna. Si verò fuerit Abbreuiator, similiter compellatur literam facere scribi infra prædictum terminum, sub pœna suspensionis ab eius officio, & eius ingressu Cancellariæ per tres menses, quo suspensionis tempore durante nihil sibi distribuat Vicecancellarius. Quod si inaduertenter vel alias Vicecancellarius quicquam sibi distribuat, & ipse recipiat huiusmodi suspensionis tempore durante ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, à qua nullo modo possit absolui nisi à Romano Pontifice, prius satisfacto parti læsæ de damnis, & interesse, & donec realiter soluerit tres ducatos conuertendos vt præfertur, & ad reiterationem delicti siue excessus locum habeat multiplicatio pœnæ.

Scriptores exerceant officium per se ipsos.

§. 4. Et quod nulli ex Scriptoribus prædictis, qui per se ipsum eius officium scriptoriæ literarum prædictarum personaliter non exercet, aut non valet exercere, quicquam distribuatur, aut aliquod ex eodem officio percipiat emolumentum, nisi causa infirmitatis, aut alio legitimo extiterit impedimento detentus; quo casu cum eo possit per Vicecancellarium prædictum per literas eiusdem causam distributionis continentes prius in ipsa Cancellaria publicandas, ad tempus de quo sibi videbitur dispensari. Quodque de cætero nullus huiusmodi officium Scriptoriæ prædictæ cum officio pœnitentiariæ literarum valeat retinere, & si quis hoc attentare præsumpserit vtroque priuatus existat ipso facto.

Officium Scriptoria & Abbreuiatoria, cum officio Pœnitētiaria simul retineri non possit. Hoc reuocatum est in bulla cit. in rub.

§. 5. Illi quoque qui huiusmodi Abbreuiaturæ, vel Scriptoriæ Apostolicarum, cum officio Scriptoriæ Pœnitentiæ literarum prædictarum insimul nunc obtinent, infra decimam diem proximè futuram huiusmodi officium Pœnitentiariæ, vel Scriptoriæ literarum dimittere teneantur. Alioquin si contrarium fecerint, pœnam incurrant proximè dictam.

Abbreuiatores ante admissionē, &c. Vide inf. in Sixt. IV. const. 17.

§. 6. Sane cum deceat Abbreuiatores literarum prædictarum assistentes Vicecancellario, aut Locum tenenti, seu præsidenti prædictis in huiusmodi literarum in Cancellaria prædicta expeditione, Abbreuiaturæ literarum ipsarum officio fore sufficientes, & expertos, ac etiam circumspectos, prudentes, & probos, similiter statuimus, & ordinamus, quod nullus de cætero ad assistendum prædicto Vicecancellario, seu Locum tenenti, vel Præsidenti in literarum Apostolicarum expeditione, nisi per dictam maiorem partem Abbreuiatorum, continuantium Cancellariam antedictam primitus examinatus fuerit, & ad id repertus sufficiens, & etiam approbatus, nullatenus admittatur.

Et accedant ad Cancellariam, &c. sub pœnis hic expressis.

§. 7. Et quod prædicti Assistentes hora super hoc per Vicecancellarium prædictum deputanda, singulis diebus, quibus ipsa Cancellaria tenebitur, ad eam venire, & in ipsa quousque tenta fuerit residere debeant, nec interim ab ipsa recedere possint cessante excusatione legitima, quam eidem Vicecancellario, aut Locum tenenti, seu Præsidenti, si præsentes fuerint vel in eorum absentia prædictis assistentibus exprimere debeant, vel iurare se legitimam excusationem habere, nisi super hoc à Vicecancellario, vel Locum tenente licentiam habuerint specialem. Quodque singuli assistentium prædictorum, qui post tertiam partem horæ prædictæ venerint, sex, & similiter qui ante dictam Cancellariam finitam recesserint, sex alios, qui verò eadem die ad dictam Cancellariam non venerint, duodecim grossos Turonenses singulis diebus quibus hæc commiserint, Capellæ Scriptorum prædictorum pro pœna contemptus, statuti, & ordinationis nostræ huiusmodi, infra tres dies tunc immediate sequentes soluere sint adstricti, nec ob id appellantes, nisi prius satisfacto de principali, & expensis, si quæ inde factæ fuerint, ad huiusmodi appellationis prosecutionem quomodolibet admittantur. Similiter idem per alios Abbreuiatores sufficientes ad continuandum eandem Cancellariam per Assistentes prædictos ex aliis Abbreuiatoribus eligendos, necnon in officialibus dictæ Cancellariæ, sub similibus pœnis volumus obseruari.

Custodis Cācellariæ officiū & munus.

§. 8. Statuimus insuper, & etiam ordinamus, quod Senescallus dictæ Cancellariæ, qui Custos nuncupatur, iuramentum in manibus dicti Vicecancellarij in sua primaria receptione ad officium Senescalliæ Cancellariæ prædictæ, necnon singulis annis de huiusmodi officio fideliter exercendo, & alias iuxta formam iuramenti prædicti per nos nouiter appositam, & in libro Cancellariæ infrascriptam præstare teneatur. Quodque ipse quibuscumque literis de gratia, diem receptionis earundem, qua sibi in dicta Cancellaria præsentabuntur, scribat, & pro scriptura huiusmodi nihil recipiat etiam gratis oblatum, literasque prædictas secundum ordinem receptionis earundem sine fraude in expeditione præsentet expediendas. Nec literas, rotulos, ac supplicationes in literarum expeditione traditas vel traditos, ante vel post nostrarum literarum expeditionem in dicta Cancellaria, celabit vel occultabit, aut malitiose retinebit, seu earundem literarum expeditionem differet aut retar-

dabit

dabit per se, vel alium, seu alios, contra ordinem suprascriptum. Quod si contrarium scienter fecerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, à qua absolui non possit nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus. Quodque si Senescallus prædictus contra huiusmodi suum iuramentum fraude vel dolo aliqua fecisse reperiatur, sit dicto officio eo ipso priuatus. Et quia de talibus & similibus delictis quæ secrete committuntur, vix potest cum difficultate constare, sex de Scriptoribus, vel Abbreuiatoribus prædictis non suspecti, ac bonæ famæ, & boni nominis ipsum Senescallum huiusmodi suum officium illegaliter exercuisse deponant, & de hoc etiam sit publice diffamatus, dicto suo officio sit eo ipso priuatus, & nisi de eo per dictum Cancellarium infra tres dies inde sequentes prouisum fuerit, ex tunc possit de sufficienti Abbreuiatore literarum prædictarum (qui iuramentum similiter præstare, & omnia eidem Senescallo incumbentia adimplere teneatur) prouideri. Et insuper quod nullus alius quam Senescallus prædictus aliquam literarum gratiam continentem expediendam in loco expeditionis.

Constitutio Cancellariæ non datur vt in iudicio probet nisi fuerit designata sub scriptis, &c.

§. 9. Similiter statuimus, & etiam ordinamus, quod nulla constitutionũ dictæ Cancellariæ cuiquam, vt de ea in iudicio vel alibi fidem faciat tradere nisi primitus per dictos assistentes fuerit iudicatum danda, & postmodum per duos ex eis tunc præsentes videatur, & signetur in dorso, ac per duos ex Abbreuiatoribus in forma debita auscultetur cum libro prædicto, qui se subscribant in eadem, & deinde per Vicecancellarium subscribi debeat, & suo signo more debito signari, & parti petenti dari, pro qua quidem constitutione vltra quatuor grossos Auenionenses, quorum sexdecim valent vnum florenum auri de Camera, pro signo, sigillo, & scriptura, & alias per Secretarium, vel Cubicularium dicti Vicecancellarij, & Senescallum prædictum, vel alios, quoscumque nullatenus recipiatur, vel etiam exigatur.

Literæ iustitiam concernentes, hodie expediuntur in Signatura iustitiæ.

§. 10. Præterea vt literæ iustitiam concernentes absque partium damno; ac breuius expediantur, statuimus & ordinamus, quod Cancellaria literarum iustitiæ, quæ si ad hoc literæ sufficiant, ter singulis septimanis prout antiquitus teneri consueuerat: Si verò ad id huiusmodi literæ non sufficiant, singulis septimanis saltem semel teneatur; ad quam Notarij, qui sex esse debent, eorumque, & alij in formandis notis de iustitia, vel in iure sufficiẽtes Abbreuiatores, (quorum nomina sint in matricula Abbreuiatorum dictarum literarum infrascripta) necnon Prælati, & alij Doctores famosi ac practici in dicta Curia præsentes, & primitus per eosdem Prælatos, & Doctores solito præstito iuramento, debeant conuocari, prout hactenus extitit laudabiliter obseruatum. Quodque in eadem Cancellaria literæ executoriæ super sententiis in Romana Curia latis, nisi stylus in causis in eadem seruari solitus, seruatus fuerit per ordinẽ: prout in literis prædictis iuxta stylum Cancellariæ prædictæ narrari consueuit, aut in aliquibus expensæ factæ in causis ipsis excessiue contra constitutiones super editas notorie taxatæ fuerint, donec de partium, vel partis victricis consensu vel alias iuridice moderatæ fuerint, minimè possint, & debeant expediri.

Examinatorũ officiũ & munus ac qualitates.

§. 11. Et insuper statuimus, & ordinamus, quod Examinatores in gratia speciali antequam exerceant huiusmodi officium, de illo fideliter exercendo in manibus dicti Vicecancellarij præstent iuramentum, ipsique postmodum huiusmodi officium diligenter per se ipsos exerceant. Impetrantes, de literatura, scientia, & idoneitate, & illos beneficia curam animarum, aut iurisdictionem habentia petentes, rigida examinent, ac de vita moribus informationem recipiant diligentem, & prædictas sufficientiam, & idoneitatem in scriptis sub signeto suo referant examinatores, pro qua quidem scriptura, signeto, salarioque, & labore eorum, vltra vnum grossum Turonensem, & Clericus scripturam faciens prædictam, vltra similis grossi quartam partem, aliquid etiam gratis oblatum, nullatenus recipere præsumant. Quod si Examinator vel Clericus in contrarium attentauerint, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant; à qua non possint absolui, donec fuerit satisfactio facta.

Bullatoris quid recipere possint pro bullandis literis.

§. 12. Similiter statuimus, & ordinamus, quod Bullatores dictarum literarum Apostolicarum pro ipsis literis bullandis, siue gratiam, siue iustitiam contineant, vltra illud quod antiquitus, & ante vltimum schisma videlicet tempore Gregorij Papæ XI. prædicti, pro similibus recipiebant literis, nihil recipere præsumant, nec de litera duplicata vltra quatuor, & de litera correcta iterum bullanda, necnon de litera super sumpto habito de registro, vltra octo, necnon de literis alias bullatis, & iterum (non tamen propter defectum partium) bullandis, & in dicto registro corrigendis, vltra vnum Turonensem grossum recipere, aut exigere præsumant.

Registratorũ officium.

§. 13. Et idem volumus per dictarum Registratores in prædictis omnibus obseruari. Quodque prædicti registratores literas registratas, causa aliquid exigendi, vel extorquendi à prosequentibus ipsas, plus debito differri non faciant registrari, vel eas de mala expeditione maliciose redarguant, sed ad quæstum accusent, aut in salariis Clericorum in registro prædicto scribentium participent; quod si contrarium fecerint, ipso facto excommunicationis sententiam incurram, à qua (mortis casu excepto) per alium quam Romanum Pontificem nequeant absolutionis beneficium obtinere, & insuper suo officio huiusmodi, si hoc per testes vel alias præsumptiue probari poterit, eo ipso sint priuati, & perpetuo inhabiles ad quodcumque officium exercendum in Romana Curia existant. Quodque Clerici in dicto registro scribentes, qui literas eis traditas infra tres dies ex tunc immediate sequentes (cessante impedimento legitimo) non registrauerint, à dicto registro penitus amoti existant, nec ad ibi scribendum de cætero admittantur.

Auditoris Rotæ eligendi qualitates.

§. 14. Et nihilominus cum iustitiam in iudicio contradictorio pure deceat exerceri, statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus deinceps causarum Palatij Apostolici in Auditorem recipiatur, nisi Doctor fuerit satis famosus, & post doctoratum ab eo receptum per triennium ad minus legerit in eodem, sitque commendatus de vita, ac morum honestate, aliisque virtutibus, ac ab omni munere sint mundæ manus eius, & bonum habeat testimonium, habeatque ad minus siue in bonis temporalibus, ducentos florenos auri de Camera annuatim in potestatis, de quibus valeat in dicta Curia ipse sustentari.

Inquisitionis forma de eo facienda. Ad hoc vide etiam inf. Six. IV. const. a. Romani.

§. 15. Quodque postquam fuerit concessum per Papam aliquem in Auditorem causarum dicti Palatij admitti, antequam vlterius ad ipsius admissionem procedatur, Decanus Auditorum prædictorum de præmissis facere teneatur inquisitionem diligentem, & quicquid per eam repererit, fideliter referat Vicecancellario prædicto, qui hoc similiter Papæ exponere teneatur, quod si aliquid de præmissis defuerit, ad ipsius admissionem in Auditorem, vlterius minime procedatur, nisi aliud mandaret Papa antedictus.

Disputationisque ab eo sustinenda.

§. 16. Si verò per informationem huiusmodi, ipsum constiterit famosum Doctorem, aliaque præmissa fore vera, idem Vicecancellarius vocatis quatuor ex dictis Auditoribus, si Canonista, Decretalem; si verò Legista fuerit, Legem, quam infra vnius mensis spatium à die sibi assignata computandum, in dicti Vicecancellarij, aut Locum tenentis præsentia (& ad hoc vocatis omnibus dictæ Sedis Notariis, & prædictis Auditoribus, & Consistorialibus Aduocatis tunc in eadem Curia præsentibus, inuitatis ad id etiam Prælatis, & aliis famosis, & literatis viris, qui tunc in eadem Curia extiterint) repetere teneatur singulos qui arguere voluerint idem repetens audire teneatur, quodque quatuor vltimi ex Auditoribus, & quatuor vltimi ex Aduocatis prædictis tunc præsentes arguere sint adstricti.

Admissio ipsius Auditoris ad officium.

§. 17. Quod si idem repetens in huiusmodi repetitione taliter se habuerit, quod sit merito commendatus, dictus Vicecancellarius secundum relationem maioris partis Notariorum, & Auditorum, ac Aduocatorum prædictorum ad eius admissionem in Auditorem vlterius procedat: si verò secundum relationem prædictam repertus fuerit diminutæ scientiæ, vel iudicij relatione super hoc per dictum Vicecancellarium Papæ facta, ab huiusmodi admissione repellatur.

§. 18. Et insuper quod prædicti Auditores, & co-

Munus eiusdem in exercitio d. Offi ij De Materia Rota plene notabo inf. in Pij IV const. 44. in ibrano.

tum loca exercentes, libros iuris ordinarios ad minus, continuo secum habere teneantur, processusque causarum agitatarum coram eis personaliter videant; & visitent, ac restea in causis huiusmodi si ponderis fuerint (maxime si pars aliqua hoc requisiuerit) examinent, in aliis verò per duos Notarios faciant examinari diligenter, nec cuiuscumque Notarij vel alterius relationi credant; nec ad sententiarum prolationem in causis huiusmodi procedant registris prædictis per eos, vt præmittitur, non visis, & diligenter examinatis. Hoc etiam volumus per quoscumque iudices, & Commissarios in dicta Curia præsentes similiter perpetuo obseruari. Et nihilominus, quod si quis ex Auditoribus fuerit notatus de præcipitatione iustitiæ, negligentia, seu non promptitudine iurium, propter non continuationem librorum, aut alias, & specialiter de corruptione, & acceptione munerum, seu vagna fuerit, seu alias male versetur in dicta Curia, per præfatum Vicecancellarium, vel eius Vicegerentem charitatiue reddatur attentos, vt ab iis abstineat & se emendet, bonamque famam acquirat. & in ea perseueret, quod si se emendare neglexerit, & per tres menses continuos post auisationem huiusmodi, eadem nota vel infamia respersus fuerit, per dictum Vicecancellarium, aut eius Vicegerentem commissiones sibi nullatenus committantur. Et si per alios tres menses simili nota vel infamia notatus fuerit, & notorie, seque non emendauerit, tunc prædictus Vicecancellarius aut Vicegerens cum duobus Auditoribus, præmissa Papæ referre teneatur, qui prouideat prout salubriter fuerit prouidendum.

Præuentio attendenda inter Auditores si plures extant commissiones causarum eis directa.

§. 19. Verum si contingat inter easdem personas, & super eadem re diuersis Auditoribus aliquam causam committi, is cui primo fuerit præsentata commissio, super causa huiusmodi remaneat eiusdem causæ Iudex, quod si de iurisdictione alterius extiterit pro parte aduersa data exceptio, tunc cuius fuerit iurisdictio primitus cognoscatur, & si vlterius procedatur ante cognitionem huiusmodi non valeat processus, & Iudex teneatur parti ad restitutionem expensarum inde factarum, suumque interesse. Notarius verò qui ausus est talem contentionem appetere propter lucrum scripturæ, ac totius causæ commodum perdat, teneaturque suis expensis parti dare quod expendit in causa huiusmodi. Quod si idem Auditor, & Notarius contrarium fecerint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua non possint absolui donec super iis satisfecerint vt præfertur. Et hoc etiam ad quoscumque Iudices, ac Commissarios, ac eorum Notarios in dicta Curia præsentes pro tempore, duximus extendendum.

Notarij Rotæ non habitent cum Auditoribus, &c.

§. 20. Præterea statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus ex Notariis cuiusvis ex Auditoribus prædictis, cum eo moram trahat, quod si forsan aliquis ex ipsis cum eo morari voluerit, pro habitatione domus, & expensis, vltra quod iustum & debitum fuerit, & rationabile salarium non soluat; & si quacumque causa vera vel simulata, respectu officij, aliquid Auditori dederit vel soluerit, Notarius dando, & Auditor recipiendo, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, à qua nequeant nisi per Papam absolui, ac duplo quod Notarius vltra debitum soluerit, & Auditor receperit, per eorum quemlibet in vsus pauperum de mandato dicti Vicecancellarij distributo.

Ætas & alia eorundem Notariorum qualitates.

§. 21. Et quod nullus in Notarium cuiuslibet Auditorum prædictorum, nisi vigesimumquintum suæ ætatis annum attigerit, & alias Notariatus officium exercuerit, sitque boni nominis, & bonæ famæ, ac sufficiens & idoneus ad dictum Notariatus officium causarum dicti Palatij exercendum, & post diligentem informationem super iis habitam, ac ipsius examinationem, & de præmissis constiterit, admittatur.

Officium per substitutum non exercedi absque licentia Vicecancellarij.

§. 22. Et quod Notarij dictorum Auditorum sua Notariatus officia personaliter exerceant, & si quis (cessante causa necessaria) à sui Notariatus officij exercitio per mensem continuò se absentauerit, sit dicto officio eo ipso priuatus, & de causa necessaria propter quam ipsum oporteat dictum officium per substitutum exercere, & de illo per substitutum exercendo à dicto Vicecancellario petat licentiam, quam idem Vicecancellarius, postquam de causa huiusmodi sibi constiterit, per suas literas causam ipsam continentes, concedere poterit ad tempus, de quo sibi videbitur faciendum.

Habitum decentem ferat, & laudabiliter viuant.

§. 23. Et insuper quod Notarij prædicti in habitu decenti incedant, ac honesto, & conuenienti Clerico sæculari. Tabernas non frequentent, nec Concubinarij existant, cum ex hoc suum vilescat officium, & malam famam acquirant, & si contrarium fecerint, suis priuentur officiis.

Adepto beneficio &c. officium dimittat.

§. 24. Quodque quilibet ipsorum quam primum Presbyter factus, seu dignitatem vel personatum in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia, aut Parochialem Ecclesiam pacifice assecutus fuerit, huiusmodi Notariatus officium omnino dimittat, & ad huiusmodi officij exercitium in dicta audientia amplius non admittatur.

Delinquentes in officio exercente.

§. 25. Et insuper, quod Notarius qui notatus, aut diffamatus fuerit, quod malitiose, negligenter, vel per dolum scripserit aliud quam in processu, aut in iudicio deductum, vel actum fuerit inter partes, seu diffamatus quod sit personarum in quarum causis scribit, acceptor, plus vni quàm alteri fauendo, & ei causæ secreta detegendo, eo ipso à suo Notariatus officio suspendatur, & per Auditorem Cameræ, cui hoc per dictum Vicecancellarium committatur, summarie simpliciter & de plano, de huiusmodi infamia, & aliis præmissis inquiratur diligenter, & si per inquisitionem huiusmodi culpabilis repertus fuerit, aut si purgatio eatiterii indicenda. & debite se non expurgauerit, priuetur quibuscumque officiis quæ in dicta Curia obtinebit, & ab eadem Curia perpetuo sit proscriptus, necnon in quingentis florenis auri de Camera, per ipsum eleemosynario Romani Pontificia realiter tradendis; & in vsus pauperum conuertendis, condemnetur, & idem volumus de quibuscumque Notariis quorumcumque Cardinalium, Iudicum, & Commissariorum in Curia pro tempore deputatorum, inuiolabiliter obseruari.

Taxam obseruent circa eorum mercedes. De eo vide in consti. 44. Pauli V.

§. 26. Et nihilominus quod dicti Notarij in exactione salariorum suorum taxationes pro suis processibus, & scripturis in causa huiusmodi, taxas super hoc ordinatas per dictum Iuannem XXII. seruare teneantur, quod si vltra dictam taxam aliquid petierint, aut receperint, super excessu huiusmodi ad Vicecancellarium, seu Locum tenentem prædictum super hoc habeant recursum, qui vocatis in hoc petitis, excessus prædictos iuxta taxationes prædictas ad debitum reducat moderamen, & medietatem huius quod excessiue petierint, à Notariis exigant in vsus pauperum conuertendam.

Et hoc circa taxam admirantur. Ad hoc vide infra Innocent. VIII. const. 13. Finem.

§. 27. Quodque pro citationibus compulsoriis, & inhibitionibus decretis in partibus, procuratoriis instrumentis, remissionibus ad partes, examinationibus testium, & quibuscumque aliis scripturis bis scriptis in processu, nisi semel dumtaxat taxentur, neque soluantur. Termini quoque superflui, seu vltra debitum extensi, & quæcumque aliæ superfluæ scripturæ pro resecatis habeantur, taxenturque clausulæ, & dictiones proportionabiliter prout poterant scribi in processu, quodque nullus Notarius qui de petia notæ registri sententiæ definitiuæ duodecim grossos Turonenses receperit de petia instrumenti super eo confecti, cum sit copia dictæ notæ, nisi sicut de copia in publica forma redacta, iuxta constitutionem dicti Ioannis XXII. recipiat. Et si de petia huiusmodi instrumenti similes duodecim Turonenses receperit, de huiusmodi nota sententiæ sicut de copia recipere possit; quod si contrarium attentauerit, quod vltra receperit, parti restituat, & totidem pro Capella prædictorum Auditorum, vel Cursorum infra octo dies tunc immediate sequentes realiter soluat, alioquin à sui officij exercitio per mensem sit suspensus, quod si se illi ingesserit, grauius per Vicecancellarium prout sibi videbitur puniatur.

Aduocatorum Consistorialium eligendorum qualitates.

§. 28. Verum cum sicut Iudicum, similiter Aduocatorum requiratur consilium, maturitas, & circumspectio magna, insuper statuimus etiam & ordinamus consimiliter Aduocatum nullatenus admittendum, nisi primitus seruauerit quæ in Auditoribus seruari statuuntur. Quodque iidem Aduocati pro singulis per eos commissionibus

de

de iustitia extra Consistorium proponendis, vno floreno de Camera sint contenti, nec aliquid vltra petere sint ausi, quod si contrarium fecerint, illud quod vltra exegerint, partibus restituere, & totidem dare pauperibus teneantur.

In Consistorio male se gerentium pœna Aduocatorum Consistorialium materiam vide in Sixt.V. const. 62. Sacri.

§. 29. Et quod si quis Aduocatus in Consistorio proponat aliqua quæ ea sui natura sint iniuriosa, & in alterius diffamationem, & notam cedant, licet hoc in commissione, siue supplicatione per ipsum proponenda scriptum non fuerit, nisi pars principalis, cuius nomine proponitur, sit præsens, & dicat, & asserat hoc facere proponi ad effectum accusandi, vel partem denuntiationis assumendi in forma iuris, seu eius procurator ad hoc habens mandatum speciale, aut sint substantialia causæ, ipse actione iniuriarum teneatur ei contra quem organum vocis suæ præstiterit, & in decem florenis Cameræ Apost. condemnatus existat. Quodque si quis Aduocatus in Consistorio, vel audientia, clamorosus, iniuriosus, aut tumultuosus fuerit, vel etiam temere, vel immoderate se ingerat replicationi, aut defensioni causarum in Consistorio, sine requisitione, & informatione partis, eo ipso sit ab eius officio suspensus per duos menses, & quinque florenos Cameræ pro qualibet vice qua hoc egerit, eidem Cameræ soluere sit adstrictus. Ceterum quod si duo Aduocati vnam causam defendant in Consistorio, eo rum altero dumtaxat duplicetur, habeant tamen prius consultationem adinuicem, vel in ipso Consistorio insimul se iniungant, ita quod si proponens, alias reallegans aliquid quod faciat ad causæ defensionem emittat, illud submissa voce, & sine tumultu hoc dicat, ita quod in similibus iunior semper deferat antiquiori Aduocato, nisi ex causa aliter inter eos fuerit concordatum.

Procuratorum Rotæ qualitates.

§. 30. Præterea statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus ad publicum Procurationis officium in eadem Curia de cætero admittatur, nisi in eodem officio in dicta Curia sit exercitatus, & practicus, aut in iure graduatus, ac de diligentia, fidelitate, probitate commendatus, & super iis, & aliis ad huiusmodi officij exercitium necessariis, per Vicecancellarium, vno vel duobus ex Auditoribus, & totidem ex Aduocatis prædictis, ad id vocatis, & præsentibus fuerit diligenter examinatus, & repertus idoneus.

Munus eorundem.

§. 31. Et quod nullus ex dictis Procuratoribus sit iniuriosus verbo, vel scriptura in causarum patrocinio, nec causas quas nouerit iniustas, seu iniquas, vel alias desperatas recipiant, nec pro causarum defensione ad eas diutius malitiose protrahendas materias subiungat admissibiles, quas non vera esse sciat, aut credat, vel probabiles per partem suam, quod præsumi poterit, videlicet si pars pro qua causa ducitur, debilem, aut minus plenam informationem dederit, aut miserit super ea. Quod si quis Procuratorum prædictorum in hoc culpabilis repertus fuerit, per causæ Auditorem, vel Iudicem, qui hoc nouerit, aut in altero præmissorum eum deprehenderit, seu si hoc neglexerit, per Vicecancellarium, vel eius Locum tenentem, quando sibi de hoc constiterit, perpetuo, vel ad tempus, prout casus exiget, à Procurationis officio in dicta Curia suspendatur, & alias secundum casus exigentiam per prædictum Vicecancellarium, vel Locum tenentem puniatur. Idem volumus si Procurator per corruptionem, vel aliam malitiam in causis quas defendendas susceperit, & eas scienter, vel per eius negligentiam perdiderit, in læsionem iuris suæ partis obseruari, quo casu ad quæcumque damna, & expensas, vltra prædicta eidem parti restituenda, teneatur. Similiter in Procuratores, qui postquam pro vna parte causam duxerint, eam contra ipsam & pro eius aduersa parte defendunt, & ducunt. Quodque si quis ex Procuratoribus prædictis, vel aliis post appellationem interpositam in dicta Curia huiusmodi appellationis causam finxerit esse commissam, vt partem aduersam decipiat, & eam ad dicendum contra huiusmodi fictam commissionem citari fecerit, in viginti florenis Cameræ puniatur, in piis operibus per manum eleemosynarij prædicti conuertendis. Et quod huiusmodi Procuratores, qui vt lites diutius durare faciant, fictis appellationibus, & commissionibus vtuntur, nisi probauerint causas appellationum, & commissionum huiusmodi veras esse, & ipsas reuelantes, & ad iuris sui declarationem, Iudicis, vel Vicecancellarij, seu Præsidentis prædictorum arbitrio puniantur, & parti aduersæ, quam indebite vexauerint, de damnis, & interesse quæ propterea incurrerit, teneantur.

Habitu, & vita.

§. 32. Verum cum dicti Procuratores grauis gerent negotia, similiter in moribus graues, in gestu, habitu, & conuersatione honesti esse debent; quod præfati Procuratores in habitu decenti, & honesto, & statu sæculari & conuenienti incedant, tabernas non frequentantes, nec sint concubinarij. Si quis autem contrarium fecerit, ab huiusmodi procurationis officio, per Auditores, Iudices, & Commissarios præfatos repellatur, & penitus excludatur, & alias per dictum Vicecancellarium, vel eius Locum tenentem animaduersione debita puniatur.

Sacerdotes non sint.

§. 33. Et nihilominus, quod de cætero nullus in Sacerdotio constitutus, aut dignitatem, vel personatum Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ pacificè obtinens, ad huiusmodi Procurationis officij exercitiū quomodolibet admittatur, nec in eo toleretur, & si de hoc in causis per partem aduersam data fuerit exceptio, ex tunc processus non valeat, eadem tamen pars aduersa de sua in huiusmodi causa defensione confisa iterato denuo in eam causam vocetur, nisi sit in dicta Curia alius Procurator qui onus causæ huiusmodi in se velit suscipere defendendi.

Taxa salarij Aduocat. & Procurat.

§. 34. Cæterum cum Aduocati, & Procuratores præfati sui laboris meritum sint præmiandi, statuimus, & etiam ordinamus, quod in causis in quibus simpliciter, & de plano, aut per audientiam contradictarum, siue in contumaciam partis aduersæ, vel alias in causis leuibus in quibus non sit magna iurium discussio, Aduocati in prima viginti, in secunda duodecim, in tertia instantia octo, Procuratores similiter in prima decem, & in secunda septem, ac in tertia instantia huiusmodi, quatuor florenis similibus sint contenti. Præterea volumus, & etiam ordinamus, decem grossos Turonenses circa taxam literarum Apostolicarum, & Pœnitentiariæ prædictarum, ac minutarum earundem literarum Apostolicarū, necnon in bulla, & registris Apostolicis ac dictæ Pœnitentiariæ, necnon salarij Notariorum & aliorum quorumlibet, pro vno duntaxat floreno de Camera computari.

Iussio publicandi.

§. 35. Verùm vt huiusmodi nostræ constitutiones, & ordinationes ad omnium perueniant notitiam, eas in audientia prædicta singulis annis in Kal. Octobris publicari, necnon in libris Cancellariæ prædictæ inscribi, & registrari volumus per præsentes. Nulli ergo, &c.

Dat. Gebennis, Kal. Septemb. Pontif. nostri Anno 1. *D.P.A.1. die 1. Sept.*

Exemptio Ordinis Fratrum Carthusianorum, à solutione primitiarum & decimarum. IV.

Alia de hoc Ordine notaui sup. in const. 7. Alex. III. Cum vos.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. Dñi 1420.*

Ordinis laudes recensentur.

FOns paruulus qui creuit in fluuium, & in lucem solemque conuersus, in aquas plurimas redundauit, Carthusiensium est vtique Ordo prælucidus, quia in sui ortus exordio paruus, & humilis abiectione habitus, tenuitatis substantia, humilitatis professione, ac numero professorum, sub fontis similitudine, non indigne describitur, cui diuersarum illi proprietatum conformitate respondens, non immerito comparatur. Hic enim fons est hortorum irriguus, cæteras irrigans Religiones, & Ordines, ac exemplis salubribus scaturiens. Hic est fons amœnus varietate virtutum, præclarus munditiæ puritate, pietate parens, indeficiens sanctitate, bonorum meritorum illustratus, ita nomen fontis ampliauit, vt fluuius esse censeatur. Cuius professio laudabilis de virtute progrediens, vt Deum deorum in Sion videat, vniuersalis Ecclesiæ lætificet Ciuitatem, in qua per meritorum euidentiam, claræ lucis splendorem adeptus, quasi stella matutina refulget in medio nebulæ mundi huius. Huius siquidem Ordinis sacra Religio, à suæ institutionis

auspiciis quasi deserta & inuia, paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris, & honestatis fructus parturiens, ramos suos, ramos quidem honoris & gratiæ, generationes germinans, religionis sinceritatem, & austeram vitæ continentiam ampliauit. Ea propter exultat iam in multitudine enumerosa spectabilis, quæ olim in solitudine dilatebat.

Exemptio à solutione decimarum.

§. 1. His itaque considerationibus inducti, religionis eiusdem perseuerantiam ac personarum sub illius habitu diuinæ vacantium seruituri, vtilitates, & commoda sinceris affectibus procurantes, Maioris, & aliarum quarumcumque domorum prædicti Ordinis vbilibet consistentium Priores, & fratres, præsentes & posteros, à præstatione, & solutione primitiarum, & decimarum ex fructibus, prouentibus ex eorum pratis, pascuis, terris, vineis, hortis, agris, syluis, nemoribus, montibus, aliisque prædiis, & possessionibus, in quibuscumque Mundi partibus consistentibus, tam ante, quam etiam post generale Concilium habitis, vel acquisitis, illis videlicet, quæ de præsenti manibus propriis, aut eorum laboribus, vel expensis excolunt, vel excoli facient in futurum, necnon ex fœtibus animalium eorundem, debitarum, auctoritate Apostolica perpetuo immunes reddimus, & constituimus & liberamus, ac etiam immunes, & liberos esse volumus & decernimus & censemus, eisque nihilominus, ne primitias, & decimas huiusmodi cuiquam soluere, vel præstare teneantur, nec ad id à quoquam inuiti valeant compelli, tenore præsentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Concilij prædicti, ac aliis per nos, siue prædecessores nostros Romanos Pontifices editis constitutionibus Apostolicis contrariis, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c.

*D. P. A 3. die 24 Sept. * aliàs 13.*

Datum Romæ, apud Sanctos Apostolos, 8. Kal. Octobris, Pont. nostri Anno tertio.

V. Statuta & Ordinationes obseruandæ ab Auditoribus Rotæ Romanæ, Aduocatisque, Procuratoribus, & Notariis eius Curiæ.

Edita An. D. 1423.

Ad hæc extant nonnullorum Pont. constitutiones, quas tibi indicabo inf. in constit. 44. Pij IV. In throno. Eas attende fol. 44.

MARTINVS PAPA V.

Exordium.

Romani Pontificis prouidentia circumspecta, nonnunquam gesta per eum, rationabilibus & honestis suadentibus causis moderatur, & commutat in melius prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Hic Pōt. alias edidit constitutiones, quas nunc reuocat. Hæc bulla cadebat sub anno 6.

§. 1. Nuper siquidem, videlicet pridie Nonas Februarij Pontificatus nostri Anno sexto, quædam constitutiones, & ordinationes, quæ reformationes officialium Romanæ Curiæ concernere videbantur in Audientia literarum contradictarum lectæ fuerunt, & etiam publicatæ. Et quia nonnulla nimium rigorosa continebantur in illis, quæ in ipsorum officialium nimis graue dispendium, & præiudicium redundabant, eas per nostræ prouisionis officium, habitaque super his deliberatione matura, in melius duximus commutandas. Illas igitur constitutiones, & ordinationes, vt præmittitur publicatas, auctoritate præsentium haberi volentes, ac si in eadem audientia lectæ & publicatæ minime extitissent, & à nobis nullatenus emanassent.

Nouas modo produ., & seruari præcipit, & etiam bullas hic enunciatas.

§. 2. Infrascriptas constitutiones, & ordinationes nostras, in eadem Audientia legi, & publicari volumus, & iubemus, easque præcipimus ab omnibus, inuiolabiliter obseruari. Et licet fel. rec. Ioannes XVII. & Greg. XI. Romani Pontifices prædecessores nostri nonnullas constitutiones, & ordinationes, circa regimen & ordinationem officialium, & officiorum eiusdem Curiæ laudabiliter ediderint, quia tamen illæ mundi crescente malitia, aut debite non obseruantur, aut additionibus vtilibus, indigere noscuntur. Nos super his intendentes prout ex debito pastoralis officij obligamur, salubriter prouidere, constitutiones, & ordinationes dictorum prædecessorum tenore præsentium auctoritate Apostolica innouantes eas cum additionibus infrascriptis quas vim perpetuæ constitutionis habere decernimus, præcipimus firmiter obseruari. Mandantes ea nunc venerabili fratri nostro Ioanni Episcopo Ostiensi S. R. E. Vicecancellario, & in Cancellaria Apostolica Præsidenti, eorumque successoribus, quatenus illas faciant diligentius obseruari. Quæ vt attentius obseruentur statuimus, quod singuli Sedis Apostolicæ Notarij, & tam prædictæ *, quam Palatij Apostolici causarum Auditores, Corrector, Scriptores, Abbreuiatores literarum Apostolicarum, Aduocati, Procuratores, & Notarij causarum dicti Palatij, necnon Senescallus, qui Custos est dictæ cancellariæ, constitutiones, & additiones prædictas infra mensem à die publicationis præsentium computandum habere, & de hoc infra alium mensem immediate sequentem, dictum Vicecancellarium certificare, & alia circa præmissa facere, & obseruare teneantur, prout in constitutionibus dictorum prædecessorum, ac præsentibus plenius continetur.

** Cācellariæ.*

Auditores seruent dictorum prædecessorum bullas, & laudabiliter viuant.

§. 3. De Auditoribus autem causarum Palatij Apostolici, & aliis in Romana Curia Iudicibus, eorumque Notariis constitutiones dictorum prædecessorum super hoc laudabiliter editas volumus firmiter obseruari, quas Auditores, & Notarij prædicti apud se cæteris huiusmodi teneantur vt præfertur habere, & circa illarum obseruationem diligenter intendere. Verum si quis ex eisdem Auditoribus de præmissarum constitutionum transgressione, seu de præcipitatione iustitiæ negligentia, corruptione, & munerum acceptione notatus fuerit, seu vagus, aut alias male, vel inhoneste versetur, & dicta Curia per præfatum Vicecancellarium, vel eius Vicegerentem charitatiue moneatur, vt ab his abstineat, & se emendet, bonamque famam acquirere studeat, & in vita laudabiliter perseueret. Qui si sic monitus se emendare neglexerit, & per tres menses continuos post monitionem huiusmodi, eadem nota, vel infamia repertus in proposito suæ opinionis permaneat, per Vicecancellarium, aut Vicegerentem prædictum, causæ sibi nullatenus committantur, & si per alios tres menses simili nota, vel infamia notatus fuerit, & se non emendauerit, tunc idem Vicecancellarius, aut Vicegerens præmissa nobis referre teneatur, vt super hoc possit salubriter prouideri.

Auditor cui prima commissio super causa præsentata fuit, sit Iudex. Et in dubio Auditor antiquior procedat.

§. 4. Cæterum statuimus, & etiam ordinamus, quod si contingat inter easdem personas super eadem re diuersis Auditoribus, aut Iudicibus aliquam causam committi, is cui primo fuerit præsentata commissio super causa huiusmodi remaneat eiusdem causæ Iudex. Quod si de iurisdictione alterius extiterit pro parte aduersa data exceptio, tunc cuius fuerit iurisdictio primitus cognoscat ille, coram quo excipitur, & exceptio alteri Iudici intimetur. Quod si constare non potest, cui primo fuerit commissio præsentata, antiquior Auditor Iudex sit causæ, & iunior causam ipsam eidem Auditori antiquiori dimittat, nec vlterius quiuis eorum iudicum in causa procedat, donec fuerit iudicatum. Et si vlterius procedatur ante cognitionem huiusmodi, non valeat processus. Auditor verò, aut Iudex alius, vel Notarius qui circa hoc ad retinendum causam aliquid dolose exegerit, excommunicationis sententiam incurrat eo ipso, à qua non possit nisi per Vicecancellarium prædictum absolui, aut de eius mandato, & refusis prius parti læsæ expensis, & damnis.

Notarij Auditorum hic descriptas habeant qualitates.

§. 5. Statuimus etiam quod nullus in Notarium alicuius Auditoris dicti Palatij nisi vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit, & alias Notariatus officium exercuerit. Sitque boni nominis, & laudabilis famæ, ac sufficiens, & idoneus ad notariatus officium causarum dicti Palatij exercendum, & post diligentem examinationem, & informationem super his habitam per ipsum Vicecancellarium aut deputandum ab eo de præmissis constiterit, admittatur.

Officia nō locent neque vendant, nec sine licentia absint à Curia.

§. 6. Quodque Notarij dictorum Auditorum sua Notariatus officia non locent, nec vendant, alioquin, & officium, & pretium perdant, ipsumque pretium Apostolicæ Cameræ applicetur, & officium alteri cōferatur. Et si quis ex eisdem Notariis cessante causa necessaria, vel absque sui Auditoris licentia per tres menses continuos ab eadem Curia absens fuerit, dicto officio eo ipso priuatus existat.

§. 7. Volumus

Habitum decentem gerãt Tabernas & cõcubinas dimittant.

§. 7. Volumus insuper quod præfati Notarij in habitu decenti incedant, honesto, & conuenienti Clerico sæculari. Tabernas non frequentent, nec concubinarij existant, cum per hoc eorum vilescat officium, & ex huiusmodi incontinentia, vitæ infamiam consequantur, & si contrarium fecerint, suis priuentur officiis.

Fideliter officium exerceant.

§. 8. Quodque Notarius, qui notatus aut diffamatus extiterit, quod malitiose negligenter, vel per dolum aliquid egerit, vel scripserit quod in processu, vel iudicio deductum, vel actum non fuerit inter partes, seu quod ipse personarum in quarum causis scribit acceptor sit eis secreta causæ detegendo, aut alias in alterius præiudicium aliquid committendo, eo ipso sui Notariatus officio priuatus Et de huiusmodi infamia, & aliis præmissis per dictum Vicecancellarium, vel ab eo deputandum, summarie, simpliciter, & de plano fiat diligens inquisitio. Et si per inquisitionem huiusmodi ipse Notarius culpabilis repertus fuerit, aut si purgatio extiterit indicenda, & indicta se debite non purgauerit, priuetur quibuscumque aliis officiis quæ in eadem curia obtinebit. Et idem volumus de quibuscumque Notariis quorumcumque S.R.E. Cardinalium, Iudicum, & Commissariorum in eadem Curia pro tempore deputatorum inuiolabiliter obseruari.

Taxam firmatã à Ioan. xxij. obseruet, circa eorũ salaria.

§. 9. Et nihilominus quod dicti Notarij in exactionibus salariorum suorum pro suis processibus, & scripturis taxas super hoc ordinatas per dictum Ioannem xxij. cum illarum moderationibus obseruare teneantur. Quod si vltra dictam taxam, aliquid petere, aut exigere quoquo modo præsumpserint super excessu huiusmodi ad Vicecancellarium, vel locum tenentem prædictum habeatur recursus, qui vocatis super hoc peritis, huiusmodi excessus iuxta taxas prædictas reducat ad debitum moderamẽ. Et si Notarius ipse de facto plus receperit, duplum parti læsæ refundere teneatur. Quodque pro citationibus, compulsoriis, & inhibitionibus, decretis in partibus, procuratoriis instrumentis, ac remissionibus ad partes, examinationibus testium, & quibuscomque aliis scripturis, bis scriptis in eodem processu, nisi semel duntaxat fiat.

Notarij Procuratores & Aduocati gratis scribant & alia faciant pro pauperib.

§. 10. Præterea statuimus, & etiam ordinamus, quod tam Notarij causarum dicti Palatij, quam etiam Procuratores, & Aduocati pauperibus Clericis in dicta Curia super quibusuis beneficiis Ecclesiasticis litigantibus, qui iurauerint se pro suis causis defendendis pecunias non habere, gratis in huiusmodi scribãt, scripturasque tradãt, eisque procurationis, & aduocationis officium, patrocinium, & fauorem etiam gratis impendant, ad quæ facienda eos per Auditorem coram quo causa pendebit compelli posse volumus remediis opportunis.

Aduocati & Procuratores causas examinent, iuxta constitutiones Ioann. xxij. & Greg. xi.

§. 11. Aduocatos etiam, & Procuratores constitutiones Ioannis XXII. & Gregorij XI. prædecessorum prædictorum super hoc editas quas secum teneantur habere, diligentes præcipimus obseruare, & præsertim in examinatione causæ, si iusta sibi, vel iniusta esse videatur, ita vt nullam agendam iniustam causam, vel defendendam scienter suscipiant, & de hoc iuramentum præstent, & obseruent, prout in dictis constitutionibus extitit salubriter ordinatum.

Modestiam vbique seruent.

§. 12. Caueant autem à tumultuosis clamoribus in Consistoriis, & audientiis, nec vnquam plures simul loquantur, & donec Aduocatus proponens, vel respondens sermonem compleuerit, alius siue eiusdem, siue aduersæ partis Aduocatus, quicquam dicere non præsumat. Liceat etiam Procuratori causæ proponenti Aduocato retro assistere, vt si quid forsan ille omiserit, procurator ad memoriam reuocet, & reducat.

Patrocinium in eadẽ causa, vni tantummodo parti præstent.

§. 13. Statuimus autem prout etiam iura disponunt, vt nullus Aduocatus, vel Procurator qui semel vni parti in aliqua causa consilium, vel patrocinium dederit, parti aduersæ in eadẽ causa patrocinium vel consil. præstet, seu causam ipsius agat, vel defendat, nisi facta Aduocatorum, aut Procuratorũ distributione, auctoritate Iudicis compellatur. Quo casu de his quæ ab illa prima parte in causa didicerit, nunquam alteram doceat, aut ex illis nisi ab eadem parte didicerit patrocinium præstet. Et si contra præmissa fecerit, excommunicationis sententiam, & alias pœnas Iuris incurrat, ac suo priuetur officio, ad interesse partis nihilominus condemnandus.

Procuratores ante admissionem examinentur.

§. 14. Et quia propter Procuratorum imperitiam, aut inertiam, partes sæpe in causis dispendium, & præiudicium patiuntur. Statuimus quod nullus de cætero ad Procuratoris officium in dicta Curia publice pro salario exercendum in iudiciis admittatur, nisi prius per ipsum Vicecancellarium, vel deputandos ab eo in literatura, industriæ, & stylo Curiæ examinatus, atque habita debita informatione de moribus, fidelitate, & honesta conuersatione repertus fuerit idoneus, & per eundem Vicecancellarium ad huiusmodi publicum officium per eius patentes literas admissus, omnesque Procuratores admissi in aliorum matriculam inscribantur, sicut in præfati Benedicti prædecess. constitutionibus de Aduocatis habetur.

Modesti sint.

§. 15. Et quia sæpe in Aduocatorum absentia, causæ in Iudiciis per Procuratores aguntur, & defenduntur, Procuratores ipsi ab iniuriis & contumeliosis verbis, & malo modo dicẽdi, & loquendi cessent, & cum hæc agunt, eadem studeant, obseruare, quæ de Aduocatis superius duximus statuenda. Quod si contrarium fecerint, formidabilibus pœnis, per Iudicem causæ taliter puniantur, vt per hoc cæteri à similibus arceantur.

Clerici maiori dignitate prædicti Procuratores non sint.

§. 16. Et insuper dignitatem in Cathedrali maiorem post Pontificalem, vel in Collegiata Ecclesia principalem obtinentes, ad officium publici Procuratoris in dicta Curia præcipimus de cætero non assumi.

Concubinas dimittant.

§. 17. Iubemus etiam eisdem Procuratoribus, & Notariis Causarum dicti Palatij, & aliis Clericis in Curia actu sua officia exercentibus, ne Cõcubinas publice teneant, mandantes quod eas de præsenti publice tenentes infra mensem à die publicationis prædictæ dimittere teneantur. Alioquin sententiam excommunicationis incurrant, & suis officiis sint priuati.

Honestũ habitum ferant, & Tabernas non frequentent.

§. 18. Honestum præterea gerant habitum, congruentem Clerico sæculari, nec tabernas frequentent, & si contrarium fecerint, ab eorum officiis per ipsum Vicecancellarium ad tempus, de quo sibi videbitur suspendantur.

Ordo seruandus in causis summariis in prima instantia.

§. 19. Et quoniam lites super quibusuis causis beneficialibus, profanis, & aliis, quæ pro tempore per quascumque personas, Ecclesiasticas, vel sæculares in Romana Curia ex Apostolica commissione mouentur, atque tractantur intendimus fieri breuiores, & vt litigantes ad ipsam Curiam pro defensione suorum Iurium venientes, & huiusmodi causas prosequentes, releuentur à laboribus, & expensis, statuimus, & etiam ordinamus, quod in causis, in quibus de Iure, vel alias per rescriptum, siue per commissionem proceditur, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Iudicij talis ordo seruetur, videlicet. Quod in prima instantia causæ principalis, terminus ad libellandum seruetur ad primam. Ad iurandum de calumnia ad primam. Ad ponendum, & articulandum ad duodecimam. Ad dicendum contra Articulos ad secundam. Ad producendum omnia ad secundam. Ad dicendum contra producta ad secundam. Ad declarandum ad primam. Ad dicendum contra ad primam.

In secunda instantia.

§. 20. In secunda verò instantia terminus ad libellandum ad primam. Ad iurandum ad primam. Ad articulandum ad octauam. Ad dicendum contra ad primam. Ad producendum omnia ad primam. Ad dicendum contra ad primam. Ad declarandum ad primam dies.

Et in tertia.

§. 21. In tertia autem instantia seruentur similes termini, qui in secunda seruantur instantia, ad primam, præter terminum ad Articulandum, qui seruatur ad sextam dies.

Quatuor termini substantiales tantum omissi nullitatem pariunt.

§. 22. Verum cum termini ad articulandum, dicendum contra articulos, ad producendum omnia, & dicendum contra producta, de substantia iudicij censeantur existere. Statuimus atque decernimus, quod ipsorum alicuius omissio reddat eo ipso processus nullos, aliorum verò terminorum, alicuius omissio dum tamen malitiose non fiat, sed casualiter, quo contingente processum non vitiet.

Ordo seruandus in causis non summarijs in prima instantia.

§. 23. In causis autem in quibus proceditur in figura iudicij seruentur termini secundum stylum Curiæ consuetum, præterquam in terminis ad respondendum libello, & ad iurandum de calumnia, qui seruentur ad primam. Et in termino ad articulandum, qui in prima instantia, tam ex parte Actoris, quam Rei, seruetur ad decimum quintum diem.

§. 24. Iur

In secunda instantia.

§. 24. In secunda verò instantia similiter ad respondendum libello ad primam. Ad iurandum de calumnia ad primam. Ad articulandum ad octauam dies. Reliqui verò termini seruentur, prout secundum stylum antiquum est solitum obseruari.

Et in tertia.

§. 25. In tertia verò instantia seruentur omnes termini ad primam, secundum quod consueuit antiquitus obseruari, præter terminum ad articulandum obseruetur ad sextam diem. Volumus insuper quod præmissa vendicent sibi locum, non solum ad futura negotia, sed ad pendentia etiam per appositionem, ita tamen, quod processus primo factus propter hoc non vitietur, sed in pristino suo robore, & firmitate persistat.

Procuratores quid aduertere debeant in obseruatione dictorum terminorum.

§. 26. Præterea illum vsum, quo Procuratores in obseruantia terminorum dicunt se dare libellum, & articulos verbo, & dicere contra verbo, & ita seruant omnes terminus, & cum iam deberet pronunciari sententia, tunc incipiunt processum & dant articulos, & cætera faciunt realiter, quæ dixerunt verbo, sic duximus moderandum, quod Procuratores ipsi post terminum ad dicendum contra producta, & ante terminum ad declarandum articulos facto, & omnia quæ de iure volunt & possunt producere teneantur.

Notarij quid obseruare debent in conficiendis gestis, &c.

§. 27. Et quoniam aliquando contingit, quod post obseruationem omnium terminorum, Notarij Registrum ordinare & Auditori causæ præsentare, & postquam Registrum huiusmodi Auditori præsentatum fuerit, Auditores plus debito causam differunt expedire. Statuimus & etiam ordinamus, quod seruati omnibus terminis, in quacumque causa Notarius qui scripsit in causa Registrum infra quindecim dies conficere teneatur, & ordinare, ac deinde de salario sibi debito satisfacto, illum statim suo Auditori tradere & assignare debeat. Et deinde idem Auditor postquam Registrum ipsum sibi fuerit præsentatum terminum habeat duorum mensium, infra quos causam ipsam expedire teneatur, nisi forsan à nobis vel dicto Vicecancellario propter arduitatem causæ sicut sæpe contingit, maiorem dilationem habuerit, de qua per nostram commissionem in Registro causæ constet. Alioquin Notarius sententiam excommunicationis incurrat. Etsi de negligentia, expeditione, dolo, vel fraude coram suo Auditore fuerit accusatus, salarium suum perdat, ad expeditionem ad eundem Auditorem nihilominus compellendus. Et nihilominus, qui infra dictos menses non habita à nobis, vel ipso Vicecancellario maiore dilatione temporis, causam expedire contempserit ex tunc iurisdictionem amittat, & causa alteri Auditori committatur, & ab ingressu Rotæ suspendatur per mensem, & idem de iudicibus aliis extra Rotam præcipimus obseruari, quibus si negligentes fuerint causas expedire infra dictos menses, aliquæ causæ per trimestre tempus nullatenus committantur. Et si fuerit contrafactum commissiones nullius existant roboris & momenti.

Auditores quid animaduertere teneantur pro expeditione causarum.

§ 28. Præterea, quia sæpe contingit, quod literæ Apostolicæ ad impediendum partes, & eas inuoluendum laboribus, & expensis, absque causa rationabili, in bullarum, & dictarum literarum Apostolicarum Registria arrestantur, & suum nequeunt sortiri effectum. Statuimus, & etiam ordinamus quod postquam litera arrestata ad Auditorem causæ fuerit reportata, idem Auditor aduersæ parti terminum octo dierum præfigere per eum postea si expediat prorogandum infra quem ex suo iure, & interesse coram dicto Auditore legitime docere, & fidem facere teneatur.

Cardinalibus non committantur causæ non excedentes valorem annuum 60. flor.

§. 29. Statuimus insuper, & etiam ordinamus ad parcendum laboribus, & expensis quorumlibet litigantium, quod causæ, super quibusuis beneficiis Ecclesiasticis, sæcularibus, & Regularibus, quorum fructus redditus & prouentus sexaginta florenorum auri secundum communem æstimationem valorem annuum non excedunt, S.R.E. Cardinalibus nullatenus committantur, & commissiones sint nullæ si fuerit contra factum.

Aduertenda quæ fieri debeant pro habenda executione sententiarum.

§. 30. Et quoniam frustra ferrentur sententiæ, nisi essent qui exequerentur easdem, & in habendis literis executorialibus, sub bulla quandoque duorum, vel trium mensium dilationes fiunt, pro quibus expediendis occurrunt graues expensæ, quæ aliquando ad quindecim, aliquando ad decem & octo florenos ascendunt, & Notarij dictæ Sedis, qui illarum minutas deberent conficere, non conficiunt, sed per suos abbreuiatores, quorum aliqui sint minus periti fieri faciunt, & cum illas quandoque non bene conficiant, ad peritiores oportet habere recursum, & sic partes ipsas Executores prosequentes, plus oportet expendere, quam ab antiquo consuetum sit soluere, & qui non laborant, plus salarij accipiunt, vnde cum partes magna temporis dilatione plus quam deceat grauantur laboribus, & sumptibus in earum procuratione, qui in expensarum taxatione non veniunt. Nos ad euitandum huiusmodi inconuenientiam, & vt partes in procurandis prædictis executoribus, opportunum recipiant releuamen, statuimus, & etiam ordinamus, quod sit in electione partis si velit habere sub bulla simplicem literam executoriam, siue confirmationem sententiæ, quæ in effectu contineat, quod in causa, quæ inter tales partes super tali vertebatur, lata fuit per talem iudicem, seu tales iudices talis sententia, cuius effectus ponatur in litera, & mandetur executoribus, quod sententiam ipsam debitæ executioni demandent, & talis litera non taxetur vltra duodecim grossos Turonenses. Si verò pars malit habere executoriam cum confirmatione sententiæ iuxta morem, quia tunc in confectione minutæ maior labor occurrit, & necessarium est totum processum causæ recensere, seruetur quod hucvsque extitit obseruatum, ita tamen quod confectio minutarum, quæ concernunt iustitiam ad Notarios ipsos pertineat. Et præter hoc salarium habeant, minutæ per eos fiant vel expensis eorum & hoc idem in omnibus aliis literis iustitiæ, & prouisionum ad Ecclesias Cathedrales, & Monasteria quælibet factarum, & fiendarum in Consistorio nostro, quæ per manus ipsorum Notariorum transeunt, præcipimus obseruari. Verum intelleximus quod procuratores, qui causas super quibus expediuntur literæ executoriales in iudicio, in eadem Curia egerunt, vel defenderunt, quando literæ huiusmodi in dicta audientia contradictarum leguntur. Vbi ipsi procuratores intersunt, mediam partem taxæ dictarum literarum executores de nouo à partibus nituntur exigere, & sæpe exigunt, illud reputantes abusum, fieri prohibemus, volentes eosdem procuratores communi salario pro aliis in dicta audientia legendis literis quando ibidem intersunt esse contentos, vbi forsan ipsi per totum huiusmodi literam executoriam procurauerint, quo casu competens salarium à partibus petere, & recipere possint secundum quod in taxationibus præfati Ioannis XXII. prædecessoris habetur.

Rota quando fiat in die Iouis aut Sabbati.

§. 31. Cæterum cum sæpè contingat quod in omnibus diebus vnius hebdomadæ, quibus teneri solet audientia, & aliquando in duabus coniunctis hebdomadis feriæ celebrantur, vnde lites prorogari contingit. Statuimus, & etiam ordinamus, vt quotiescumque in vna hebdomada tres illi dies quibus teneri solet audientia, quomodolibet sint feriati, præterquam in octauis Natiuitatis, & Resurrectionis D. N. Iesv Christi, videlicet per septem dies ante, & septem post, die Iouis in hebdomada tali, si illa dies feriata non fuerit; alioquin die Sabbati audientia teneatur.

Sanctio pœnalis.

§. 32. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, &c.

Iurisdictio Consulum Artis mercantiæ Pannorum de Vrbe, cognoscendi causas quascumque ad ipsam Artem spectantes. VI.

Hanc iurisdictionem Paul. III. & Pius IV. & alij confirmarunt, & idem Pius declarauit & amplisuit, vt in eius const. 46. Volentes.

Edita An. D. 1421.

MARTINVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis, Consulibus Artis mercantiæ pannorum Vrbis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Causa huius constit.

CVm inter ceteras alias Artes, atque laudabiles negotiationes, mercantia pannorum vtilior sit, & ad vitam humani generis necessaria, decens ac congruum arbitramur, vt eiusdẽ Artis Rectores, pro veritatis, ac iustitiæ cultu, digna eorum industriæ prærogatiua extollantur, quo sublatis calumniantium obiectionibus, ac reorum dilationibus reiectis, veritas, debitum suum prosequens effectum elucescere valeat, & mercatores huiusmodi Artis, & gratificandum liberaliores, & proniores ac creditores efficiantur.

Iurisdictio Consulū Artis cognoscendi causas ad Artē spectantes cōtra personas sæculares.

§. 1. Vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vtque sinceræ, & singularis deuotionis feruore inducti, quam erga nos, & Romanam Ecclesiam magistra experientia gerere comprobamini, ius dicendi, lites, controuersias, & causas iudicandi, cognoscendi, tractandi, terminandi, definiendi, & terminatas, ac definitas exequendi, ad instantiam Mercatorum prædictæ Artis, vel eorum institorum motas, seu mouendas, iuxta seriem & ordinationem statutorum ipsius Artis, de quibuscumque debitis, & creditis vigore huiusmodi Artis nunc vsque contractis, ac etiam quibuscumque aliis rebus ad prædictam Artem nunc, in futurum, & in posterum quomodocumque perpetuo contrahendis, spectandis, & pertinendis, contra & aduersus quascumque personas sæculares dumtaxat, vestrasque, & vestrorum prædecessorum sententias principaliter, & realiter exequendum, & quod vna via realis, per aliam personalis executionis minime tollatur vobis, & omnibus posteris Consulibus dictæ Artis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuam iurisdictionem, ac potestatem concedimus.

Fides danda eorum libris pro summa ducatorum viginti.

§. 2. Vobisque & omnibus futuris Consulibus, vt eorundem Mercatorum codicibus, ac libris (dummodo ipsi mercantiles sint, & mercatorum ordine, & more scripti, & confecti, & cum debitis circumstantiis rationabili suspicione carentes discrete etiam ipsius mercatoris scribentis circumspecta vita & qualitate pensatis) vsque ad quantitatem viginti ducatorum auri inclusiue, occasione mercantiæ, vel cuiuslibet alterius rei ad Artem huiusmodi pertinentium, ita tamen, vt agentium, & exigere volentium interueniat iuramentum, perinde plena fides debiti adhibeatur, ac si legitime probatum esset (legibus & canonibus contrarium disponentibus non obstantibus quibuscumque) & super iis iudicare, & decernere possitis auctoritate Apostolica harum serie indulgemus.

Declinatio huius fori prohibetur.

§. 3. Intendentes, & decernentes per præsentes, vt huiusmodi Mercatorum iurisdictio, ac eorum Curia & forum à Conuentis in eisdem, nequaquam declinari possit.

Pœna Mercatorum in libris contra vel præter veritatem scribentium.

§. 4. Volentes insuper, quod si forsan aliquis Mercatorum cuiuscumque gradus, & conditionis existat, etiamsi is Consulatus huiusmodi artis fungatur officio, ex confidentia huiusmodi nostri indulti, in suis codicibus, & libris, aliquid contra, & præter veritatem conscripserit, ex nunc ab exercitio memoratæ Artis priuatus existat, & aliis pœnis à iure institutis, & inflictis puniatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem, &c.

D.P.A 4. die 3. Maij.

Datum Romæ apud S. Petrum, 5. Nonas Maij, Pontificatus nostri Anno quarto.

VII. Vnio omnium Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini vbique professorum, in vnam Congregationem cum innouatione constitutionum, & communicatione siue extensione priuilegiorum.

Ista Congregatio, Lateranensis denominatur, vt notaui sup. in constit. 2. Paschal. II. Quanta, vbi etiam alia de ista Congregatione indicaui.

MARTINVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1421.

Proœmium.

SOllicitudinis pastoralis officium quod super omnes orbis Ecclesias & Monasteria dispensatione diuina licet immeriti gerimus, pulsat & excitat mentem nostram vt cunctorum fidelium, & præsertim personarum regularium, quæ mundanis relegatis illecebris, sub arctioris vitæ obseruantia, se perpetuo diuinis obsequiis manciparunt, commodis intendamus; ac in his quæ diuini cultus, & Religionis augmentum, ac animarum salutem concernunt, eos Apostolici fauoris præsidio foueamus.

Vnio omnium Canonicorum Regularium vbique professorum.

§. 1. Hinc est, quòd nos, dilectos filios S. Mariæ de Fraxionaria, S. Leonardi, S. Ioannis de monte Bononiensi, & S. Victoris ei canonice annexi, S. Mariæ in portu, S. Ioannis de Careto prope Sanctum Archangelum, S. Mariæ de Insula Tremiti, S. Mariæ de blancis loci Caxoreti, S. Saluatoris, S. Mariæ de Charitate, & SS. quadraginta Martyrum, Lucanensis, Veronensis, Bononiensis, Rauennatensis, Ariminensis, Teatinensis, Mediolanensis, Brixinensis, Castellanensis, & Tarusiensis diœcesum Ordinis S. Augustini Monasteriorum, Priores, Præpositus, Rectores, Canonicos & Conuentus de Frisionaria vulgariter nuncupatos, vt Deo quietius perpetuo famulari valeant, fauoribus gratiosis prosequi volentes, ad laudem gloriam, & honorem omnipotentis Dei, eiusque Matris Virginis gloriosæ, necnon B. Augustini Confessoris, ac pro Religionis incremento auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, sancimus, & ordinamus, perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter obseruãdum, quod de cætero Priores, Præpositi, Rectores Canonici, & Conuentus præfati, pro eorum perpetua soliditate, ac conseruatione, quamquam diuersorum Monasteriorum, & locorum professi existant: nihilominus vnum corpus, vnaque Congregatio similiter, & inuicem connexa censeantur, ac sub vna & eadem lege, ac obseruantiæ regularis vnitate, morumque conformitate, & eisdem consuetudinibus, priuilegiis, ordinationibus, ac statutis subsint.

Capituli generalis celebratio eiusque auctoritas designatur.

§. 2. Ad cuius quidem Religionis, & Congregationis ipsius conseruationem, augmentum, & felicem in Domino, in obseruantia vera & sanctitate successum, iidem Priores, Præpositi, Rectores, Canonici & Conuentus singulis annis, siue biennis, aut saltem triennis, prout opportunum, & vtilius pro eadem Religione expedire nouerint, Capitulum generale celebrent, nullatenus dissoluendum, nisi de subsequenti celebrando, fuerit per ipsum Capitulum locus idoneus terminatus, qui quidem locus; nisi euidenti, & magnæ necessitatis causa, & de ipsius Religionis regiminis principalis consensu nequeat commutari. In quo quidem Capitulo pro stabilimento Congregationis Religionis præfatæ quomodolibet in eis occurrentia, præseruationem ac statum Sãctæ Religionis præfatæ, & Obseruantiæ Regularis concernentia, pro tempore eadem auctoritate terminare, statuere, & ordinare, & ordinationes, atque statuta condere: ac inde statuta condita, & ordinata successu temporis; prout eidem Capitulo magis congruum videbitur & vtilius, secundum Deum & pro communi omnium pace, & conseruatione regularis obseruantiæ valeant, ea nihilominus innouandi, alterandi, commutandi in totum, vel in partem: Obscura quoque & dubia, etiam circa eorum regulam, constitutiones, atque statuta, (salua ipsius regulæ substantia) declarandi, interpretandi, disponendi, & ordinandi, secundum gratiam, à Deo eis tributam, facultatem concedentes.

Derogatio bulla Bened. XII. quoad constitutiones Ordinis.

§. 3. Aliis autem ipsius Ordinis, antiquis constitutionibus præsertim Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri minimè teneantur adstricti, quoniam mores, obseruantias, & consuetudines abundantiores habent illis, & in rigiditatibus, ac disciplina Ordinis strictiores, & obseruantiæ regulari aptiores, ad conseruandum Religionis debitæ statum. Vniuersos quoque Congregationis eiusdem Prælatos, Priores, Rectores, & subditos, pro eorum excessibus siue delictis corrigere possint, prout eidem Capitulo, siue regimini principali eorum, melius & vtilius secundum Deum, religionisque debitum videbitur conuenire.

§. 4. Sta-

Rectoris generalis electio, & auctoritas praescribitur.

§. 4. Statuta quoque & ordinata pes ipsum Capitulum, siue maiorem,& saniotem eius partem,ab omnibus & singulis dictæ Congregationis religionis prædictæ, tam Priotibus, Præpositis, Rectoribus, & Canonicis, qoam subditis inniolabiliter obsetoentur. Non intendentea tamen ob hoc, transgredientea simplieiter ad peccatum aliquod aggrauare; sed pœnitentiæ tantum,& temporali pœnæ, siue eorrectioni Superiotum subiacere debere, donec se humilitet emendauerint.

Definitorum munus.

§. 5. Prætereaeadem auctotitate statuimus, vt pro deductione atque expeditiua determinatione causarum contingentium de tempore in tempus, & occurrentium de locis suis, de Canonieorum gremio dictæ religionis, valeant vnum idoneum Rectotem maiorem, vel cunsetuatorem, seu Visitatorem principalem, provt eis visum fuerit eligere, & ereare, iuxta formam de eorundem electione, & confirmarione Rectotis, dictis ipsorum monasteriis, alias ab Apostolica Sede concessam, quemeumque maloesint; etiamsi in dicta Congregatione religionis præfatæ, aliquo regiminis officio, sie electus fuerit deputatua, qui tamen ob hoc, à suo titulo, ac regiminia officiu, nullarenus censeatur destitutus, sed officium vtrumque gerete valeat, & exercere. Cui Rectori, vel Conseruatori, seu Visitatori principali, cæterisque Prioribus, Præpositis, & Rectoribus Monasteriorum, & locorum dictæ Religionis: quod eidem Capitulo videbuntur, de religione eadem Definitores, & socij idonei valeant deputari per Capitulum ante dictum, sine quorum consilio, & eorum maioris partis consensu, dictus Rector, vel Conseruator, seu Visitator principalis, ac eæteri Priores, Præpositi, atque Rectores locorum ipsorum, ea quæ huiusmodi generalis Capituli iudicio ardua videbuntur, nequeant terminare.

Prælatorum Ordinis facultas.

§. 6. Qui tamen Rector, vel Conseruator, seu Visitator principalis, ac cæteri Priores, Præpositi, siue Rectores Congregationis religionis eiusdem, eum suis sociis, & definitoribus deputatis illam tantam auctoritatem habeant, bayliam, & potestatem supes fratribus, & Canooicis, & subditis antedictis, ac eorum Monasteriia & locis, & super sota Congregatione religionis prædictæ, & tam in visitationibus locorum omnium, & Conuentuum dictæ Congregationis, & religionis præfatæ, quam in agendis omnibus spiritualibus, & temporalibus, quam dictum Capitulum sanius & vtilius, pro communi omninm pace, & conseruatione Regularis obseruantiæ, ac eorum humilitate seruanda, dignum fore censebit.

Officia eorum quandiu durent.

§. 7. Officium verò huiusmodi Rectoris vel conseruatoris, seu Visitatoris principalis, cæterorumque Priorum, Præpositorum, atque Rectorum locorum omnium dictæ religiunis, & Congregationis ipsius præsentium, & futurorum, & deputatorum sibi sociorum, siue definitorum, elapsu annoab eorum creatione, ipso facto expiret, secundum formam in eorum priuilegiis contentam, ac dictis eorum Monasteriis & locis, ab Apostolica Sede concessis, aut eisdem non obstantibus priuilegiis, anno secundo expleto, siue tertio tantum successiue finito ad plus tunc eo ipso vacet, & expiret dictorum regimen & officium, provt in præmissis idem generale Capitulum pro dictæ religionis, & Congregationis conseruatione, commoditate, atque vtilitate, secundum Deum sanius, & vtilius decreuerint exequendum.

Rector generalis, iterato eligi nequit.

§. 8. Histantum adiectis, & declaratis, quòd talis Rector, Conseruator, seu Visitator principalis prædictus; vltra tertium annum successiue finitum, in eodem suo regimine & officio, pro quarto sequenti anno amplius reeligi, & in dictum Regimen & officium assumi noo possit, in alio Monasterio, & loco.

Cæteri autem Prælati possunt.

§. 9. Cæteri verò Priores, Præpositi, siue Rectores, & officiales prædicti Monasteriorom, & locorum omnium dictæ religionis & Congregationis ipsius, præsentium, & futurorom, reeligi possint, in idem regimen & officium assumi toties, quoties dicto visum fuerit Capitulo generali, etiam in eodem loco, & in diuersis regiminibus, & officiis; seruatis tamen in cæteria omnibus dictorum priuilegiorum debitis modis & formis.

Et interim mediantibus Vicarijs officia exercere valent.

§. 10. Interim autem, quo dicti Priores, Præpositi, & Officiales, siue Rectores, statutum sibi regiminis & officij sui tempus expleuerint, circa huiusmodi officia, siue regimina gubernanda per Vicarios in locis deputandos ipsi Capitulo generali, siue eorum regimini principali, prouidendi onus incombat, donec alij eorum loco fuerint, vt præfertur canonice subrogari, aus ipsi quorum cessauit regimen & officium, suis exigentibus meritis, reeligansus de nouo per Capitulum amedictum, iuxta modum qui continetur in præfata concessione Apostolica.

Canonicorum translatio de vno loco ad alium.

§. 11. Porro ne Monasteria ipsa in contingentibus mutationibus præfatorum Canonicorum, in suis locis & Conuentibus, damnom aliquod quomodolibet patiatur, quotiescumque aliquis fuerit per dictum Capitulum, de vno ad aliud eorum Monasterium pro Conuentuali trãsmissus, & deputatus, ipso facto à Priore, siue Præposito, aut Rectore loci, in quo professionem emisit, illa vice censeatur absolutus, & eius ad quod vt præfertur fuerit Monasterium destinatus, quovsque in eo deputabitur permanere, ibi veluti proprius Canonicus reputetur, & pro Conuentuali habeatur ibidem, in omnibus Capitularibus, aliisque singulis actibus, ac si foret ibidem expresse professus, vt in dictis priuilegiis, & concessionibus Apostolicia plenius continetur.

Obedientia quibus & quo ordine præstanda.

§. 12. Et omnia via scandali præcludatur, singoli Canonici, conuersi, ac oblati, siue commissi congregationis religionis prædictæ, sub obedientia generalis Capituli, ac dicti Rectoris, vel Conseruatoris, seu Visitatoris principalis, & sociorum Deputatorum nomine Congregationis eiusdem, principaliter submittantur, & iode consequenter sub illorum Rectorum, siue Priorum, aut Præpositorum, in quorum locis: & Monasteriis fuerint pro Conuentualibus deputari.

Facultas acceptandi Monasteria.

§. 13. Valeantque Canonici dictæ Congregationis eum consensu eorum Capituli generalis siue regiminis dictæ Congregationis principalis, auctoritate Apostolica acceptare, & acquirere iusto titulo, loca, & Monasteria, tam facta, quam de nouo construenda, à quocunque Prælato, Ecclesiasticesque persona: necnon Rege, Duce, principe, vel Barone, Dominio, siue Communitate, omnique Christi fideli.

Extensio priuilegiorum.

§. 14. Statuentes insuper eadem auctoritate pariter, & ordinantes, vt tam huiusmodi statuta, ordinationes, & voluntates, nostraque cætera priuilegia, concessiones, immunitates, & gratiæ singulis antedictis Monasteriis, ac locis ipsius religionis & Congregationis prædictæ pee Romanos Pontifices prædecessotea nostros, seu pro Romanis Pontificibus se gerentes: Imperatores, Reges, Duces, Barones & Principes, Dominia, Communitatesque concessæ & concessa) quæ omnia præsentibus, haberi volumus pro expressis) & in posterum fauente Domino concedenda, in omnibus, & per omnia, ad vniuersa & singula loca, & Monasteria, Prioratus, & Præposituras, & domos, eorumque personas, quæ nunc, & præcedente tempore ad huiusmodi religionem, ac Congregationem ipsius, & ad eiusdem fratres, & Canonicos reducta, vel vnita sunt, seu reduci, vel vniti contigerit, cum illius, aut illorum suppositis, vel vnitis, aut per eosdem Canonice acquisitia, & iusto titulo acquirendis, vt præfertur extendi debeant.

Clausula derogatoria.

§. 15. Omnibus dictæ Congregationis, & religionis moribus, & modis, consuetudinibus, & obseruantiis, ordinationibus & priuilegiis, atque statutis, constitutionibus, & reseruationia Apostolicis, atque nostria generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus supes præmissis à quoque, quauis auctoritate, scientes vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo, &c.

Dat. Tibure, 2. Kalend. Iulij, Pont. nostri anno quarto 1421. *D.P. A 4. die 30. Iun.*

Priuilegium exemptionis Monachorum S. Benedicti Ordinis Cisterciensis, à solutione Decimarum. VIII.

Confirmatur ab Innoc. VIII. in const. 9. Ad Romani. vbi alia de hoc Ordine indicabo.

MARTI

Edita An. D. 1424.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prapositis, & aliis Ecclesiarum Pralatis, ad quos prasentes litera peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Militanti Ecclesiæ, licèt immeriti disponente Domino præsidentes, circa curam Ecclesiarum, ac Monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa solliciti vt iuxta debitum pastoralis officij, eorum occurramus dispendiis, & profectibus diuina cooperante clementia salubriter intendamus.

Hoc decretum Ordinis Cistertien. refertur in c. pen. de Decim. Exemptio à solutione Decimarum.

§. 1. Cum Abbates Cisterciensis Ordinis ad commonitionem &c.

Omittitur hæc narratiua, quia eadem est in const. 3. Hon. VI. Cum Abbates.

Hac exemptio est specifice confirmata & ampliata à Sixt. VI. in const. 10. vbi notabo.

§. 2. Nos enim propagationem Ordinis, & tranquillitatem prædictorum Abbatum, Priorum, Abbatissarum, & Conuentuum dicti Ordinis, intentis desideriis affectantes, præfatis, & pluribus aliis fauoribus prosequi volentes, eorum supplicationibus inclinati, de speciali gratia, necnon ex consideratione nonnullorum Regum & principum, qui nobis suas destinarunt literas, Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum Abbatem & omnes & singulos Abbates, Priores & Abbatissas, & omnia & singula Monasteria, & singulares personas dicti Ordinis præsentia & futura, vbicumque pro tempore existentia, à præstatione decimarum tam de possessionibus habitis ante & post Conciliū memoratum, quàm de cætero habendis, & tam de noualibus [illegible] ante siue post Concilium huiusmodi acquisitis & acquirendis, quæ propriis sumptibus excolunt, seu excolent, quam alias quomodocumque vel qualitercumque excolatur, & etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hactenus percepit, necnon de hortis, virgultis, & piscationibus suis, & de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrum omnino seruetis immunes. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Quibuscunque constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, ac aliis in contrarium editis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, non obstantibus. Nulli ergo &c.

D.P. An. die 23. Sept.

Dat. Romæ, apud S. Mariam Maiorem, 9. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno septimo.

IX. Reintègratio antiqui Officij & iurisdictionis Magistrorum Viarum Vrbis eiusque districtus.

Ampliores huic Magistratus iurisdictiones elargiti sunt plerique Pontifices, at plene notabo infra in Greg. XIII. const. 22. Quæ publica.

Edita An. D. 1425.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filiis Nobilibus Viris Baptista Petro Mathao, & Bocio de Stinchis, Ciuibus Romanis, Viarum Vrbis nostra Romana Magistris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

ET si in cunctarum orbis prouinciarum, iuxta commissum nobis desuper officium, decore atque florentia delectemur, dignum tamen non immerito reputamus & congruum, vt Vrbis nostræ Rom. quam Princeps Apostolorum Petrus, & in sortem similem vocatus Paulus, Fidei Orthodoxæ Cardines, aliique victoriosi innumeri Martyres, sui sanguinis aspersione inundarunt, amplior nostra perstringit, vt Vrbs ipsa, quæ diuinis & humanis legibus retroantea floruit, illiusque districtus, nostris in temporibus, diuina fauente clementia, bonis assurgat moribus, & salutaribus in antea successibus commendetur.

Magistrorum Viarum Vrbis.

§. 1. Cum itaque (sicut rei euidentia palam edocet) Vrbs, Districtusque præfati, quos paterno amplectimur affectu, ac defectu Officij Magistrorum quod antiquitus pro Viarum, Stratarum, Platearum & locorum aliorum, tam publicorum, quàm priuatorum, necnon ædificiorum lapideorum, & lignerorum, parietum, tigniorum, banchorum, tectorum, tabulatorum, mignanorum, apothecarum & pontium, portarum, passorum, aquarum decursuum, canalium, & meatuum, necnon vrbanorum & rusticorum prædiorum, pratorum, hortorum, atque vinearum, finium, restaurationem, seruiturum, & libertatum administratione, institutum & ordinatum extitit, in præmissis, & eorum singulis grandem deformitatem, seu ruinam potius abominabilem patiantur, & iacturam. Et (sicut accepimus) nonnulli ex Ciuibus, habitatoribus, & incolis Vrbis, & Districtus prædicti, Macellarij videlicet, Piscarij, Sutores, Pelamantellarij, diuersique Artifices, loca ac etiam ergasteria Vrbis inhabitantes, suasque inibi artes exercentes, viscera, intestina, capita, pedes, ossa, cruores, necnon pelles, carnes, & pisces corruptos, resque alias foetidas, atque corruptas; in viis, stratis, plateis, & locis publicis atque priuatis huiusmodi proiicere atque occultare: Nonnulli etiam ex Ciuibus habitatoribus, & incolis eiusdem, (quos æque fatigat ambitio, & repudianda conducit temeritas) mala malis inuenientes, vias, stratas, plateas, loca puplica, priuata, & Ecclesiastica, ausu temerario atque sacrilego occupare, diripere, alienare, & in vsus proprios deducere, de illis quoque pro suo nutu disponere non verentur, intelligere nolentes quantum huiusmodi sui excessos humanorum corporum sanitatem, aëris puritatem, & animarum salutem impediant.

Officium antiquitum est & vexatur circa hæc enunciata.

Hic Pont. illud renouat.

§. 2. Nos igitur præmissas deformitates, & excessus huiusmodi, sub dissimulatione vlterius præterire non valentes: Attendentes propterea, quod in eadem Vrbe multo temporis decursu, neglectum fuit, in vsum plurimum pullulasse, & præmissis incommodis posse tenus occurrere cupientes; Officium Magistratus huiusmod iuxta illius antiquam institutionem, auctoritate Apostolica renouamus, suscitamus, & reintegramus, atque restituimus.

Magistri creat.

§. 3. Vobis quoque, quos nostros, & Vrbis prædictæ zelatores existere non ambigimus, quosque fides, legalitas, & prudentia, circumspectio, atque multiplicia virtutum merita, apud nos efficaciter recommendant, Magistratus officium huiusmodi, vsque ad nostrum beneplacitum, cum solitis ab antiquo iurisdictionibus, potestatibus, honoribus, priuilegiis, libertatibus, atque oneribus vniuersis, & cum potestate ad opus vestrum quoties, & iuxta modum, qui vobis videbitur, Submagistros faciendi, & ordinandi eadem auctoritate conferimus, & de illo etiam vobis prouidemus, vos quoque in præmissis, & ea quomodolibet concernentibus, ac ab illis dependentibus, & eis annexis, Magistros facimus, constituimus, ordinamus, & etiam deputamus.

Iurisdictiones conceduntur.

§. 4. Vt exinde omnes & singulas deformitates excessus, in præmissis, vel circa ea, pro tempore quomodolibet occurrentes, absque cuiusuis vocatione, seu citatione, sed per viam Regiam, iuxta datam vobis à Domino prudentiam, etiam per demolitionem quorumcumque ædificiorum, aut rerum aliarum, seu modum alium, quæcumque reparandi, corrigendi, & commendandi, necnon præmissorum, seu eorum occasione grauatos, vt præmittitur, absque lite, sed summarie, simpliciter, & de plano (oppositione seu contradictione, aut quacunque temporis etiam centenali præscriptione, legibus, & consuetudinibus generalibus quibuscumque cæterisque contrariis non obstantibus) releuandi, restituendi, & etiam reponendi, contradictores quoque quoslibet, & rebelles priuandi, banniēdi, arrestandi, incarcerandi, atque omnia & singula faciendi & exercendi, quæ Magistri prædecessores vestri, fuerunt pro tempore, facere, gerere, & exercere potuerunt, seu etiam debuerunt, vobis, huiusmodi durante beneplacito, mandatum damus, ac etiam potestatem.

Notarios ecrum dem deputat. Hic temporibus vnus est Notarius.

§. 5. Et vt officij vestri huiusmodi liberior & facilior sit exercitatio, Nardum de Bustachiis Procuratorem, necnon ipsum & Nicolaum de Mutiis, nobiles viros Ciues Romanos, Notarios vestri officij eadem auctoritate facimus, & ordinamus.

Officiales eis obedire praecipit.

§. 6. Mandantes exinde omnibus & singulis nostri Capitolij Marescallis, caeterisque Officialibus, vt vobis, & sub magistris vestris, atque vestrum cuilibet, in similibus quae vestri exercitationem officij concernunt, pareant, & obediant, pariter & intendant. Insuper quascumque excommunicationis aut interdicti sententias, poenas & mulctas alias per nos seu praedecessores nostros in Magistros pro tempore existentes forsan promulgatas (quam formam & tenorem volumus habere pro expressis) auctoritate praedicta cassantes & irritantes.

Syndicari, & in officio molestari prohibet.

§. 7. Vobisque, & occasione per vos in vestro Officio factorum, ordinatorum, seu quomodolibet administratorum, aut quauis occasione gerendorum, fiendorum, seu administrandorum nullibi locorum in causam trahi, syndicari, aut alias quovis modo per quemcumque etiam auctoritate Apostolica molestari valeatis, eadem auctoritate concedimus.

Contrarijs derogat.

§. 8. Praedictis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Vrbis caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, Decernentes exinde irritum & inane quicquid contra praemissa, seu aliquod praemissorum à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo, &c.

D. P. A. 2. die 10. Martij.

Datum Romae, apud Sanctos Apostolos 2. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno octauo.

X. Prohibitio trahendi personas Ecclesiasticas ad forum saeculare.

Haec prohibitio confirmatur infra à Leone X. in constit. 7. Superna, & const. X. Regimini. Et extensa est à multis Pontificibus, & postremo à Paulo V. in const. 63. Pastoralis. Antiquior etiam prohibitio est supra in const. 1. Honor. III. Has leges, & Bonif. IX const. 4. Iustus.

Edita An. D. 1428.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD reprimendas insolentias transgressorum, eorumque praesumptionem refraenandam, si neruus Ecclesiasticae disciplinae lentescat, eorum voluntas proclivior fit ad peccandum, & exemplum impunitatis periculosius in alios deriuatur. Propter quod ad Praesidentis officium pertinet, sic debitam executionem adhibere iustitiae, quod commissa iam puniat, & committendorum in posterum audaciam interdicat.

Officiales laici iurisdictionem exercere volebãt contra personas Ecclesiasticas & pro causis spectantibus ad forum Ecclesiasticum.

§. 1. Sane, sicut displicenter accepimus, nonnulli diuersorum regnorum, & terrarum iudices, aliisque officiales laici, & laicales personae, iurisdictiones in temporalibus exercentes, exercerique facientes, non attendentes, quod laicis in Clericos, & Ecclesiasticas personas, & illorum bona, nulla sit attributa potestas, praetextu huiusmodi (quod asserant in suis dominijs ad se pertinere coërcere via facti, quae vere, & ficte attentata asseruntur, etiam in quocumque loco sacro, vel religioso quantumcumque Deo dicato, ex quacumque causa, etiamsi ratione delationis corporis Christi, collationis sacramentorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, venditionis factarum, aut aliarum rerum, & bonorum ad Ecclesias, & Ecclesiasticas personas pertinentium quomodocumque, etiam si sola negatione, vel affirmatione turbatio facti interueniat, & ad eos recurratur, cognitionem ad se spectare, pro eo quod factum, & nouitas quae praetenduntur, etiam sine alia violentia, quamvis in loco spirituali, & in loco sacro siue religioso, eo quod immediate, vt praetenduntur spiritualia non existant) propterea ministros Ecclesiae, & personas Ecclesiasticas, quantumcumque res, causa, vel occasio vnde dependeat, & detinetur, pia, sacta, vel Ecclesiastica sit, aut spiritualis, ad forum suum, & ipsarum cognitionem trahunt, & respondere cogunt.

Et personas Ecclesiasticas super causis ad eorũ forum

§. 2. Necnon procuratores fiscales in Curiis temporalibus multoties agere procurant, ad quos (quod deterius est) nõnulli praelati, & personae Ecclesiasticae in superbiã, & elationem dati, ad superandum, & sibi subijciendum per tales inuentiones, & cautelas, alias personas Ecclesiasticas, & religiosas, habent plerumque recursum, & propterea in eisdem regnis, & terris, ciuitatibus, castris, & locis, auctoritas, & iurisdictio Ecclesiastica penitus absorbentur, & nihilominus ipsi laici iudices, alios laicos respondentes in foro Ecclesiastico super rebus quantumcumque Ecclesiasticis, vel spiritualibus, & concernentibus immediate Ecclesiasticas personas, ne respondeant, & iudicibus Ecclesiasticis, ne cognoscant, inhibitiones fieri sub grauibus poenis temporalibus faciunt, & procurant, & si secus fecerint, emendam pecuniariam excessiuam exigere, ac vastatores in domibus, & piis aliis locis Ecclesiasticis, & religiosis inducere, ac loca ipsa, personasque Ecclesiasticas, iocalibus & paramentis Ecclesiasticis, & bonis mobilibus, ac aliis spoliare, illaque vendere, & alienare, fructus quoque & prouentus ad temporalitatem ad manus suas ponere, necnon diuersas iniurias, & molestias reales, & personales eisdem personis Ecclesiasticis inferre non verentur, in Dei offensam, animarum suarum periculum, Ecclesiasticae libertatis vilipendium, & plurimorum grauamen, praeiudicium, & iacturam.

pertinentibus in foro laicorum litigare volebant.

§. 3. Nos igitur aduersus talia praesumentium temeritatem, remedia apponere & super his salubriter prouidere cupientes, ac Concilij Mileuitani, ac fel. record. Innocentij Papae III praedecessoris nostri constitutionibus super hoc editis. auctoritate Apostolica, ex certa scientia, hac nostra irrefragabili constitutione perpetuo duratura, tenore praesentium statuimus, decernimus, ac etiam ordinamus, quod omnes, & singulae personae Ecclesiasticae saeculares, regulares Ordinum quorumlibet, quacumque exceptione suffultae, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, vel alia quavis praefulgeant dignitate, quae aliam personam Ecclesiasticam, Collegium, vel Conuentum, in actione reali, mixta, vel personali, ciuili, vel criminali, etiam occasione cuiuscumque submissionis, etiam iuramento vallatae, vel alias ad forum, siue iudicium laicale, directe, vel indirecte (de qua in foro Ecclesiastico ordinari consueuerit, possit, vel debeat, de iure, vel de consuetudine, aut alias cognosci) trahere praesumpserit, causam ipsam, & omne ius, ei siue eis, in possessorio, vel petitorio in re, vel ad rem, causa, vel occasione huiusmodi quomodolibet competentes, eo ipso perdant penitus, & amittant, & singulares personae, excommunicationis, Capitula verò, & conuentus, suspensionis, & interdicti sententias incurrant ipso facto, & si personae ipsae, & eis in praemissis adhaerentes, & seruientes, in aliquo rebelles fuerint, & incontinenti non obedierint, omnes illas per priuationem suorum beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, quae obtinebant, & in quibus, & ad quae ius quomodolibet competit, & inhabilitationem ad alia in posterum obtinenda, coërceri & compelli volumus antedictas.

Prohibet itaque Pont. ista quod conueniant coram Iudice laico personas Ecclesiasticas in causa spectãti ad forum Ecclesiasticũ sub poenis hic expressis.

§. 4. Et nihilominus omnes, & singulos Iudices, Executores, communitates, dominia, laicos, & laicales personas, postquam exceptum fuerit de non iurisdictione eorum, aut euidenter appareat huiusmodi cognitionem ad eos de iure non spectare, talia praesumentes, & ea fieri mandantes, seu eorum nomine, & mandato facta, rata habentes, vel eis faciendis dantes auxilium, consilium, vel fauorem, cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existat, saeculares personas; eorum videlicet singulos officiales, quocumque nomine censeantur, & consiliarios, & priuatas personas, quę praemissorum principales perpetratores existerent excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto; nullusque ab eisdem sententiis, per alium quam per Romanum Pontificem praeterquam in mortis articulo cõstitutus, absolui valeat, siue possit: & praemissa omnia, non tantum ad futura sed etiam ad praesentia, & pendentia extendimus auctoritate memorata.

Ipsisque Officialibus laicis & complicibus excommunicationis poenam imponit.

§. 5. Quodque etiam Procurator Fiscalis causarum Curiae Camerae Apostolicae contra culpabiles in praemissis desuper summaria informatione praehabita, per se, vel alium, seu alios, agere, & procedere possit & valeat, nihilominus concedentes.

Et contra culpabiles agi mandat.

§. 6. Non

Contraria tollit.

§.6. Non obstante si aliquibus communiter vel diuisim à Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicati non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de eorum propriis nominibus ac indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet constitutionibus, priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, de quibus etiam plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, in nostris literis habenda est mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 11. die 1. Feb.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos, Kalend. Febr. Pontificatus nostri Anno 11.

XI. Approbatio Congregationis pauperum Iesuatorum nuncupatæ.

Isti pauperes Iesuati, sortiti sunt nomen Fratrum Iesuatorum S. Hieronymi, & regulam S. Hieronymi, & regulam S. Augustini profitētur, vt hæc & alia dicam ad const. 16. Pauli V. Religiosos.

Istis Fratribus indulsit Greg. XV. in constit. 35. Ex iniuncto infra tom. 4. vt approbati à locorum ordinariis possint in parochialibus Ecclesiis eorum, confessiones parochianorum audire, & vt Caputio abiecto albi coloris quod super humeros antea gestabant, aliud eorum habitus coloris, forma cęterorum Mendicantium, deferre possent, indulsit S.D.N. Vrb. VIII. const. 31. Onerosa in d. tom. 4.

Edita An. D. 1428.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

PIæ postulatio voluntatis, qua dilecti filij nonnulli pauperes Christi, Iesuati communiter nuncupati, voluntariam paupertatem ducentes, dediti studio piæ vitæ, in diuersis Italiæ Oratoriis, domibus, siue locis, mundanis abiectis illecebris, cum adoptione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino famulantur, non indigne meretur, vt Apostolica Sedes eos, eorum domos, Oratoria, atque loca benignis fauoribus confoueat, & specialibus gratiis prosequatur, in iis præsertim, quæ animarum suarum salutem, statumque respiciunt, & quietem.

Enarratio laudabilis vitæ pauperum Iesuatorum.

§. 1. Sane pro parte dictorum pauperum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipsi cupientes suos in cœlestibus thesauros collocare, & vt ex eorum laudabilibus actionibus ad bene tecteque viuendum traherent alios per exemplum, in diuersis locis siue domibus, quæ pro eorum vsu habitatione perpetuis piis Christi fidelium eleemosynis, & suffragiis construxerint, deuotum sedulumque impendant Domino famulatum, ad quos plurimi ab eorum laudabilem vitam, & opera virtuosa gerunt specialis deuotionis affectum, tamen nonnunquam contingit, pauperes ipsos per Inquisitores hæreticæ prauitatis in illis partibus pro tempore residentes, & deputatos ab eis sub diuersis prætensis occasionibus, fictisque coloribus indebite molestari. Quare pro parte pauperum eorundem nobis fuit humiliter supplicatum, vt ipsorum paci, & tranquillitati super iis paterna charitate consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

Approbatio Cōgregationis pauperum Iesuatorum.

§. 2. Nos igitur cupientes, vt dicti pauperes eo quietius & deuotius in humilitatis spiritu Altissimo famulentur, quo se nouerint Sedis eiusdem vberiori gratia communitos, huiusmodi supplicationibus inchoati, præfatos pauperes, pręsentes, eorūque Oratoria, domos atque loca constructa, & construenda vbicumque fuerint constituta, cum personis, iuribus, pertinentiis, necnō possessionibus, terris, rebus & bonis suis, quæ in quibusuis locis in præsentiarum legitime possident, & in posterum dante Domino similibus fidelium suffragiis, aut alias iustis titulis poterunt adipisci, sub beati Petri, ac ipsius Sedis, necnon Ordinariorum locorum, in quorū Ciuitatibus, & Diœcesibus, domos, Oratoria, atque loca prædicta cōsistūt, protectione, vsque ad eiusdem Sedis beneplacitū, auctoritate Apostolica, tenore præsentium suscipimus, atque nostra.

Indulcit quod Inquisitores; absque Ordinariis eos non valeant molestare Hieronymianis Paul. V. in const. 10. Romanus.

§. 3. Volentes, atque auctoritate præfata decernentes, quod huiusmodi durante beneplacito, Inquisitores prædicti nullam possint in dictos pauperes, domos, loca, iura, & bona huiusmodi, quacumque occasione, causa, vel prætextu, iurisdictionem, vel potestatem, sine præsentia, & voluntate Ordinariorum prædictorum, exercere sed duntaxat coram dicta Sede, vel eius delegatis, aut Ordinariis supradictis teneantur respondere, fel. rec. Innocentij Papæ Quarti prædecessoris nostri, & qualibet alia constitutione Apostolica contraria non obstante. Decernentes insuper ex nunc omnes, & singulos excommunicationum, suspensionum, & interdicti processus, & sententias, quos, & quas contra effectum præsentium, & tenorem promulgari contigerit vel haberi, irritos, pariter, & inanes. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud SS. Apostolos, 11. Kal. Nouemb. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

XII. Quod Festiuitas sanctissimi Corporis CHRISTI etiam per octauam celebrari possit, apertis Ecclesiarum ianuis, tempore interdicti. Et qui eam piis operibus venerantur, Indulgentias consequantur.

De institutione huius festiuitatis, eiusque Indulgentiis, vid. sup. in Vrb. IV. const. 1. Transiturus; vbi notaui etiam alia.

Edita An. D. 1429.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INeffabile Sacramentum, quod sacerdos in æternum Christus Dominus instante, quam pro peccatoribus subire voluit suæ mortis tempore, nobis vt digne eo refecti diuinitatis ipsius participes simus in memoriale reliquit gloriosi Corporis, & Sanguinis eius mysterium præcipuis à fidelium quolibet attollendum fore recensentes honoribus, ac deuotissimis laudum studiis amplectendum mystica dispensatione thesauri fideles eosdem quod tam pretiosissimi venerationi sacramenti sinceris affectibus, & dignis obsequiis feruenter intendant, excitare satagimus, vt huiusmodi in eis fructum mors afferat, & illis cœlesti pabulo vegetatis ipsius institutio sacramenti proficiat iugiter ad salutem.

Vrb. IV. ordinauit solemne festum corporis Christi; pro feria 5. post octauas Pentecostes; cum indulgentiis hic enumeratis.

§. 1. Sane dudum fel. rec. Vrbanus Papa Quartus prædecessor noster ad orthodoxæ corroborationem, & exaltationem fidei digne, ac rationabiliter statuentes, vt de tanto Sacramento, præter illam, quæ dietim in Ecclesia fieret annuatim memoria solemnior, & specialior haberetur, & ad celebrandum eius tam excelsum tamq; gloriosum festum quintam post octauas Pentecostes feriam designans, ipsosque fideles ad colendum illud donis spiritualibus animarum volens, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui in matutinali officio festi eiusdem in Ecclesia in qua illud celebraretur interessent, centum: qui vero missæ totidem, & qui in primis ipsius festi Vesperis similiter centum, qui autem in secundis totidem. Illis verò, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorij horarum Officiis pro qualibet ipsarum quadraginta. Eis autem, qui per octauas ipsius festi matutinalibus, vespertinis, missæ ac prædictarum horarum officiis interessent singulis octauarum ipsarum diebus etiam centum dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxauit.

Hic Pōt. alias indulgentias concedit.

§. 2. Nos verò, qui huius verticula mundi, superstitiosis hæresum fomentis guerrarum turbinibus necnon pestis, & aliarum, quæ dietim ex diuinæ Maiestatis, vt formidamus offensa circumstrepunt calamitatum dispendiis fines (proh dolor) adducere cernimus passim deteriores, amplioribus spiritualis recōpensationis impendiis fideles eosdem ad impertienda pro veneratione sacramenti huiusmodi, & vt illud, quo pascantur, & feruentur ipsorum corda perlustret, potiora reuerentiæ, & deuotionis exercitia firmare summopere cupientes, singulis ex eis veræ pœnitentibus, & confessis, qui & quoties in ipsius

Sacramenti profecto ieiunium, vel loco illius aliud pium iuxta suorū consilia confessorum opus fecerint, centum, & qui præmissa in Ecclesiis quibus illa celebrari contigerit officiis interfuerint, necnon Episcopis & aliis Prælatis superioribus, qui dictis officiis libenter interessent, sed quominus eis in ipsis Ecclesiis interesse possint pro conseruandis suarum dignitatum iuribus, & alias legitime tunc impeditis, pro matutinali ducentos, & pro Missæ officiis totidem, ac pro qualibet Vesperarum etiam ducentos, reliquarum verò videlicet, Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorij Festi, octoginta. Rursus autem in quibuslibet Octauarum diebus pro singulis matutinalium Missarum, & Vesperarum similiter centum, necnon reliquarum horarum officiorum huiusmodi quadraginta. Illi præterea qui processiones, in quibus ipsum viuificum Sacramentum dicto festo iuxta præfatarum ritus Ecclesiarum deferetur, cōtinuo secuti fuerint, à quibuslibet in festo, & Octauarum diebus huiusmodi pro pace, & tranquillitate Ecclesiæ missas deuote celebrantibus pro singulis ipsarum, necnon aliis in eodem festo Eucharistiæ Sacramentum deuote sumentibus etiam centum, singulis annis. Profecto vice qualibet eis, qui dum corpus Dominicum communicandis defertur infirmis, illud cum incenso luminari præcedendo, vel sequendo venerentur, similiter centum, & qui tunc illud alias deuote secuti fuerint, etiam quinquaginta dies de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum eius Petri, & Pauli auctoritate confisi, de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Celebrantiqꝫ indulgentiam tempore interdicti.

§. 3. Quodque in festo, & diebus octauarum huiusmodi etiam in terris, & locis Ecclesiastico quauis auctoritate suppositis interdicto, pulsatis campanis, ianuis apertis, & alta voce, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis, vt citius reconciliari studeant, admissis, & illis qui causam, vel occasionem huiusmodi interdicti dederint altari tunc nullatenus appropinquantibus, Missæ, & Officia præmissa licite celebrari possint auctoritate Apostolica concedimus per præsentes, aliisque circa obseruationem interdictorum à nostris sunt instituta prædecessoribus, in suo robore duraturis.

Hortatio ad Prælatos ad venerationē d. Festi.

§. 4. Et insuper vniuersos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & alios Ecclesiarum Prælatos monemus, & hortamur in Domino, ac eisdem per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, & in remissione peccaminum iniungimus, vt per se, vel alios eorum subditis per singulas suarum ciuitatum, & Diœcesum Ecclesias in Dominica feriam, & festum prædicta proxime præcedente, salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti huiusmodi monitis, & exhortationibus, præsentium literarum continentiam, & effectum publicare, & insinuare procurent, vt eodem suffragante mysterio subditi, & fideles ipsi, gratiarum vberiori fulciantur augmento, & ab illo qui se pro ipsis immolauit hostiam, post huius vitæ cursum ad gloriam perducantur æternam.

Fides danda transumptis.

§. 5. Verum quia difficile foret præsentes literas singulas exhiberi volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica, & sigillo alicuius Episcopalis, vel superioris Ecclesiasticæ Curiæ munito, tanquam præfatis si originales exhiberentur, literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si prædictæ originales literæ forent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P. A 12. die 26. Maij.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos, 7. Kalendas Iunij, Pontificatus nostri Anno 12.

XIII. Declarationes Regulæ Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci, ad ipsius Ordinis reformationem.

Alias declarationes eiusdem Regulæ, habes infra in const. 103. Pij IV. Sedis Apostolicæ, lib. 2. vbi videas, quæ tibi indicabo de hoc Ordine. Quinimo hic idem Pont. eas declarauit, vt videre est in ipsius const. 16. Peruigilis, hic infra.

Edita An. D. 1430.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Ioanni tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Destinatio Card. ad Capitulum generale Fratrū Minorum.

CVm generale Capitulum fratrum Minorum in ciuitate nostra Assisinate sit de proximo celebrandum, Nos qui eorum ordinem inter cæteros religiosos Ordines, ob singularem deuotionis ardorem, quē erga beatum Frāc. gerimus, paterna charitate prosequimur. Cupientes vt per Ministros, officiales, & fratres in dicto Capitulo congregatos, iuxta prædicti Ordinis instituta talis reformatio fiat, quæ Deo accepta, nobis grata, & ipsi Ordini conueniens existat, ac Christiano populo fructuosa, de tua circumspectione & sapientia, in nonnullis arduis nostris, & Romanæ Ecclesiæ negotiis comprobata, sumentes in Domino fiduciam specialem, etiam de consilio venerabilium fratrum nostrorum eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Tibi tenore præsentium committimus, & mandamus, quatenus te personaliter conferens ad Ciuitatem prædictam, ipsi Capitulo auctoritate nostra presis, ipsumque pro tua prudentia dirigas, ordines, & disponas, ac salubri maturitate prouideas, quos omnia, & singula salubriter, & sincere statuātur, & ordinentur ad honorem Dei, eiusque Ecclesiæ, ac nostrum & Apostolicæ Sedis obsequium debitum, & deuotum, ipsius quoque Ordinis bonum regimen, tranquillitatem & pacem.

Concessio potestatis circa Ordinem reformandi.

§. 1. Nos enim tibi dirigendi, disponendi, statuendi, præcipiendi, mandandi, & quoscumque transgressores mulctandi, puniendi, corrigendi, priuandi, absoluendi, ponendi, deponendi, approbandi, reprobandi, procedendi, iudicandi, & exequendi, voces quoque Ministrorum, & custodum, cæterorumque dicti Ordinis officialium absentium, aut alias commode interesse non valentium, supplendi, ac dictum Ordinem reformandi tam in capite, quam in membris. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia appellatione postposita compescendo, omniaque alia, & singula faciendi, quæ in præmissis, vel quolibet præmissorum necessaria, seu quomodolibet opportuna tibi videantur, auctoritate Apostolica plenam, & liberam per præsentes concedimus facultatem.

Præceptum obedientiæ ab omnib. esi præstandum.

§. 2. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis, suspensionis, & priuationis officiorum, & omnium actuum legitimorum, dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Ministris, cæterisque officialibus, & fratribus in dicto Capitulo congregatis, quatenus tibi in omnibus pareant, & intendant. Nos enim sententias, siue pœnas quascumque inflixeris, seu tuleris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Constitutionibus Apostolicis, ac statutis dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, necnon priuilegiis, indultis, ac concessionibus per sacrum generale Concilium Constantiense præfatis fratribus concessis cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

D.P. A. 13. die 6. Sept.

Dat. Romæ apud Sanctos Apostolos, 8. Idûs Iunij, Pontificatus nostri Anno 13.

Legati prædicti accessus ad d. Capitulum & collaudatio Reformationis d. Ordinis.

Ioannes miseratione diuina tituli S. Petri ad Vincula Sacrosāctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, Reformator Ordinis fratrum Minorum, ac Legatus à latere, cum plenaria potestate ad Capitulum generale eiusdem Ordinis Assisij celebratum, sub anno Domini M. cccc. xxx. de mensis Iunij die 15. in festo Corporis Christi à Sede Apostolica specialiter deputatus, Venerabilibus fratribus Generali, Prouincialibusque Ministris, ac vniuersis & singulis fratribus Ordinis Minorum salutem, & sinceram deuotionem in Domino IESV CHRISTO. Non est nouum si pro reparatione rerum, ac temporum exigentia, leges innouentur humanæ, quoniam etsi nihil sub cælo nouum, plus tamen timeri solet quod specialiter iniungitur, quàm quod generaliter inhibetur. Et centies repetita placebunt, ac diuersa in vnum collecta, facilius breuiata seruantur, & quæ vsu vilescunt antiquo, pariter renouata delectant. Renouamini, inquit ille præco refulgens spiritu mētis vestræ, & induite nouū hominē, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate verit. & nolite cōformari huic seculo, sed renouamini in nouitate

nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Sicut enim in corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in CHRISTO IESV, qui est caput nostrum, Creator, Deus, Redemptor, Dominus, & Magister. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quos non vocauit Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, vt veritatem annuntietis illius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, Euangelicæ scilicet perfectionis IESV CHRISTI Filij Dei, qui suæ dilectissimæ sponsæ tenerrimus prædilector & vagus, non cessat quotidie prouidere de remedijs, & auxilijs opportunis, nouellis eam floribus fulciendo pulcherrimis, sanctis scilicet desiderijs diuinorum charismatum gratiarum, copiosius irrigando fructibus operum fæcũdorum, tribuentium incrementa virtutum germine verbi. Sponsa siquidem Christi Ecclesia sancta est, sed in proposito nostro Minorum Religio vertitur reformanda, quam altissimus IESVS CHRISTVS Dei filius sibi quodam singulari annulo mirifice desponsauit, quam eiusdem Religionis institutorem & ducem, suæ sanctissimæ passionis priuilegio decorauit, ac specialibus sigillis, sacris videlicet stigmatibus mirabiliter insigniuit. Quæ quidem sacra Religio, licet plantata sit super illo firmissimo fundamento, præter quod nemo aliud ponere potest, quod est suum sanctissimum Euangelium, quasi ad modum fluctuantis nauiculæ procellis agitata ventorum, tentationem scilicet pulsibus vulnerata quamplurimis, tot indiget semper almæ matris Ecclesiæ prouidentiis, & fauoribus, quot quatitur impulsibus, & vitiorum vulneribus sauciatur.

Præceptum de obseruando Capitula Reformationis iam firmata, quorum tenor hic inseritur.

Quum nuper igitur proximis temporibus retroactis nonnullæ querulosæ reclamationes, tum de scandalosis prædicatoribus, tumque de alijs discurrentibus, & infestis fratribus eiusdem Ordinis sanctissimi domini nostri domini Martini diuina prouidentia Papæ Quinti, sæpius propulsauerint pias aures, & auditum hinc est quod pro vniuersali reformatione Ordinis prælibati, infrascripta statuta recollegimus, ordinauimus, & qua supra Apostolica auctoritate confirmamus, authenticamus, & roboramus, ac ab omnibus & singulis fratribus eiusdem Ordinis, volumus, & mandamus inuiolabiliter obseruari, tam à capitibus quam à membris discurrentes secundum ordinem, & processum dictæ Regulæ, per duodecim Capitula districte, & particulariter ordinatæ.

CAPITVLVM PRIMVM REGVLÆ.

Verba 1. cap.

Quoad primum Capitulum Regulæ, quod incipit. Regula & vita fratrum Minorum, hæc est, scilicet sanctum Euangelium D.N. IESV CHRISTI obseruare, &c.

Dubium desuper exortum.

Quia diu dubitatum & hæsitatum extitit inter fratres, ad quæ consilia Euangelica tenerentur.

1. Declaratio Clem. V. approbatur circa obseruantiam Euangelicorum consiliorum.

Alias declarationes sup. hoc c. & seqq. vide infrà in bulla 103. Pij IV §edis lib. 2.

Dicimus & declaramus quod ad illa concilia fratres tantummodo obligantur, quæ in ipsa regula præceptorie, vel inhabitorie seu sub verbis æquipollentibus sunt expressa, iuxta declarationem fel. rec. Clementis Quinti in §. 1. suæ declarationis. Exiui de Paradiso, Cuius verba & tenorem hic inseri mandauimus videlicet. Declaramus quod illud quod ponitur in regula de non habendo, plures tunicas quam vnã cum caputio, & aliam sine caputio. Item de non portandis calceamentis, & de non equitando extra causam necessitatis. Item quod fratres vilibus induantur. Item quod ieiunare à festo omnium Sanctorum vsque ad Natale Domini: & in sextis ferijs teneantur. Item quod Clerici faciant diuinum officium secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Item quod Ministri, & Custodes pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis sollicitam curam gerant. Item quod si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei seruire. Item quod fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, quum ab eo fuerit eis contradictum. Item quod nullus audeat populo penitus prædicare, nisi à generali Ministro, vel aliis quibus secundum declarationem id competit, fuerit examinatus, & approbatus, & ad hoc institutus. Item quod fratres qui cognoscerent se non posse regulam spiritualiter obseruare, debeant, & possint ad suos Ministros recurrere. Item omnia quæ ponuntur in regula ad formam habitus, tam Nouitiorum quam etiam Professorum, necnon ad modum receptionis ad professionem spectantia, sunt ab ipsis fratribus sicut obligatoria obseruanda; nisi recipientibus quo ad habitum Nouitiorum sicut dicit regula, secundum Deum aliter videatur. Hæc inquam omnia sunt à fratribus tanquam obligatoria obseruanda. Item Ordo communiter sensit, tenet & tenuit ab antiquo, quod vbicumque ponitur in regula hoc vocabulum, teneantur, obtinet vim præcepti, & seruari debet & fratribus sicut tale:

2. Declaratio circa tunicas.

Post quæ quidem verba declaratoria, nos Ioannes præfatus declaramus de tunicis ipsorum fratrum secundum quatuor Magistros fratres, videlicet Ganfredum, Alexandrum de Ales, Ioannem de Rupella, & Rigaldum, quod Ministri, & Prælati possint plures concedere, quum viderint necessarium, secundum loca & tempora, & frigidas regiones,

Testamentum B. Francisci non obligat fratres.

Sciant etiam fratres se non obligari ad testamentum Patris B. Francisci, secundum declarationes Summorum Pontificum fel. record. Gregorij IX. Innocentij IV. Alexandri IV. Nicolai III. & Clementis V.

3. Declaratio circa obedientiam Sedi Apost. præstandam.

Et quod omnes fratres, vt dignum, & iustum est, reuerentiam exhibeant, & honorem, humilem obedientiam, & firmissimam fidelitatem, sanctissimo D.N. Papæ, & sacrosanctæ Sedi Apostolicæ prout in principio, medio, & in fine regulæ obligantur.

Prælatis, & Clericis veneratio-nem.

Cæterisque Prælatis & Clericis, prout congruum est: & intentio fuit sanctissimi Patris B. Francisci, qui presbyteros monuit præ cunctis reuereri.

Ordinis etiam Prælatis obedientiam.

Item statuimus, & ordinamus, quod omnes & singuli fratres, Gallici, Itali, Hispani, & Theutonici, & quicumque alij per orbem terrarum constituti, obedire teneantur, & debeant suis Prælatis, scilicet generali Ministro, Prouincialibus, Custodibus, Guardianis, & quibuscumque aliis Prælatis Ordinis secundum regulam datis, non obstante quocumque priuilegio, seu indulto, quomodocumque & qualitercumque concesso, in generali, vel speciali, in Concilio Constantiensi, in Curia Romana, vel alibi vbicumque cassando, reuocando, & annullando, & nullius decernendo valitudinis, ac si nunquam concessa fuissent. Et si qua Monasteria Monialium ex antiqua bulla Apostolica commissa fuerint aliquibus particularibus fratribus, ex nunc prædicti fratres, siue in Hispania siue alibi resignare debeant ea Ministris Prouincialibus, nisi eisdem per prædictos denuo fuerint commissa, sub pœna inobedientiæ contumacis.

4. Declaratio circa votum paupertatis iuxta traditionem Nicolai IV.

Item quoad votum paupertatis, videlicet viuendo sine proprio, & quod fratres nihil sibi appropriient. Statuimus, & ordinamus illud inconcusse tenendum, quod fel. rec. Nicolaus Tertius declarauit in sua decretali. Exiit qui seminat. De verbor. signif. lib. 6. Porrò successiuè, & seriatim per ordinem vsque ad. §. Verum, quia expresse continetur in regula. Et quod quilibet Conuentus habeat suum procuratorem, secundum declarationem, & priuilegium dicti Nicolai Tertij, & Martini IV. & sanctissimi D.N. Martini V.

5. Declaratio circa votum castitatis.

Item quoad votum castitatis. Statuimus & ordinamus, seruandum fore statum Guillelmi Farinerij factum in Capitulo generali Assisij celebrato, anno Domini MCCCLIV. cap. 7. vbi sic habetur. Fratres euidenter notati de suspectis consortiis, & colloquiis mulierum, quæ in regula prohibentur, si admoniti, & correcti sufficienter se non correxerint, si in officiis fuerint, ab omnibus officiis absoluantur, & suspendantur. Nec taliter suspensi, seu absoluti restituantur, nisi in Capitulo Prouinciali per Ministrum: Si vero in officiis non fuerint, priuentur libris, & omni actu legitimo. Et cui hæc pœna non competit, priuationis caputio, & aliis pœnis grauibus puniatur ad arbitrium Ministrorum. Et ad hoc Ministri firmiter teneantur. Et intelliguntur suspecta consortia non solum de mulieribus, sed etiam de suspectis familiaritatibus quibuscumque. Quicumque frater consuetus fuerit à socio suo fratre, cum mulieribus sequestrari, de quibus iudicio Prælati sui merito possit oriri suspicio, si cautione monitus, & correctus, non se emendauerit, tanquam suspectus de mulieribus, omnibus officiis Ordinis,

& actibus legitimis sit priuatus. Et si taliter punitus, iterato duobus fide dignis testibus conuincatur de sequestratione prædicta, vel si sequestrationes huiusmodi suspicionem multum violentam facerent sui Prælati iudicio de consilio Discretorum, & probentur legitime, absque admonitione, vel punitione præmissa, arctetur ad veritatem dicendam. Si verò vnus testis fide dignus de sequestratione prædicta appareat contra eum, & alius de lapsu carnis, arctetur grauius in domo disciplinæ. Si vero aliquis de inominabili crimine propter quod ita Dei venit in filios diffidentiæ fuerit (quod absit) notatus, & conuictus, carceri perpetuo mancipetur. Vbi omni die igne circa ipsum accenso, corpore denudato, disciplinatus, panem & aquam quotidie comedens, defleat vitam suam in amaritudine & dolore, circa quod si Prælati fuerint negligentes, ipso facto suis officiis sint priuati.

CAP. II. REGVLÆ.

Verba 2. cap.

Quoad secundum Capitulum Regulæ. Qualiter volentes venire ad Ordinem recipiantur.

1. Declaratio circa receptionem venientium ad Ordinem à Nicol. III. tradita, approbatur.

Statuimus, & ordinamus illud seruandum fore, quod fel. rec. Nicol. Papa III. declarauit in prædicta decretali, Exiit qui seminat, §. Sed quoniam. Vbi sic dicit: Sed quoniam in desideriis nostris hoc geritur, vt ad Dei gloriam salus proficiat animarum, ac dictus Ordo per quem iugiter ad amorem diuinum affectio Christianæ religionis accenditur, & merito, & numero augeatur, concedimus, & præsenti statuto firmamus, licere non solum generali, sed etiam Prouincialibus Ministris, personas fugientes à sæculo in fratres recipere, quæ Ministrorum Prouincialium licentia, per ipsum Generalem siquidem expedire viderit, possit arctari. Vicarij vero Prouincialium Ministrorum ex officio Vicariæ licentiam hanc sibi nouerint interdictam, nisi per Ministros eosdem, quibus hoc committere posse Vicariis & aliis licere decernimus, hoc ipsis Vicariis specialiter committatur. Caueant tamen ipsi Prouinciales, quod hoc non indiscrete, non passim, sed sic considerate committant, sicque illos quibus hoc committi contigerit fidelibus consiliis fulciant, quod omnia discrete procedant. Nec indifferenter omnes admittantur ad Ordinem, sed illi tantum, qui suffragantibus eis literaturæ idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint vtiles esse Ordini, sibique per vitæ meritum, ac aliis proficere per exemplum, hæc Nicolaus.

2. Declaratio circa ætatem qualitatem, & examen eorundem. Te ad hoc vide bullam pr. Sixt. V. a[...] de omnibus.

Statuimus insuper, & ordinamus quod nullus recipiatur ad Ordinem nisi annum quartumdecimum compleuerit, etiamsi oblatus fuerit à parentibus, nisi pro scandalo euitando, foret filius militis, vel superioris dignitatis. Non recipiatur aliquis ad professionem, nisi annum compleuerit probationis. Et venientes ad Ordinem, diligenter examinentur de fide Catholica, & de Ecclesiasticis Sacramentis, vt in regula continetur, ita quod sint fideles Catholici, & de nullo errore suspecti, matrimonio non ligati per copulam carnalem, corpore sani, animo prompti, legitime nati, debitis expediti, conditione liberi, nulla vulgari infamia notati, competenter literati, vel ad alios labores fratribus honestos, & vtiles apti, aut talis conditionis existentes, quod eorum receptio Clero & populo non modicam ædificationem afferant.

3. Declaratio circa dispositionem bonorum per recipiendos ad Ordinem datur iuxt traditionem Clement. V.

Et quod venientes ad Ordinem de bonis suis faciant, quicquid Dominus inspirauerit eis secundum regulam, & declarationem Clement. V. in §. Cæterum quia Christi Confessor ibi versiculo. Quum vero facere de rebus suis, quod Dominus inspirabit eis, ipsam regulam ingredientibus liberum velit esse, non videtur prohibere, quin liceat eis recipere, consideratis scilicet eorum necessitatibus & moderaminibus declarationis iam dictæ, si quid de bonis suis intrans, sicut & cæteris pauperibus per modum eleemosynæ libere velit dare.

4. Declaratio circa habitum.

Item de qualitate habitus, quum regula dicat quod fratres omnes vestimentis vilibus induantur. Statuimus & ordinamus, vt in generalibus statutis prædicti Guillelmi continetur, 2. cap. quod vestimentorum vilitas attendatur in pretio pariter, & colore, ita quod semper in vestimentis reluceat asperitas, vilitas & paupertas, & vt ignorantia nemini sit occasio delinquendi, Ordinamus quod omnes fratres vestimentis talibus induantur, quod nec sint adeo pretiosa, vt videntes ea de curiositate, & vanitate notare debeant, nec ita vilia & grossa, quod ipsa videntes in horrorem inducant & prouocent ad derisum. Longitudo autem habitus, vltra longitudinem fratris deferentis, talis sit, quod nec plica vltra quatuor digitos protendatur, nec ita breuis quin corda ex ea valeat operiri. Latitudo vero decem, & octo palmorum non excedat mensuram, nec sit minor quindecim. Caputium vero tali modo fiat, quod existens in capite, extremitas per longitudinem duorum digitorum cingulum non excedat, nec per duorum digitorum longitudinem super cingulum debeat remanere, cui longitudini correspondeat proportionaliter latitudo secundum corporum quantitatem. De mantellis autem, de modo dormiendi, de camisiis, de cingulo, & de calceamentis, in omnibus seruetur generale statutum prædicti Gulhelmi in 2. cap.

CAP. III. REGVLÆ.

Verba cap. 3.

Quoad tertium Capitulum Regulæ, de diuino officio.

1. Declaratio Bened. XII. circa recitationem diuinorum officiorum approbatur.

Statuimus, & ordinamus seruandam esse constitutionem Benedicti XII. cap. 1. vbi sic dicit. In primis circa agendum officium diuinum in eodem Ordine, auctoritate Apostolica ordinamus, quod ante Missarum, & horarum principia, fratres dicti Ordinis omnes quos causa rationabilis non excusat ad Chorum concurrant, præparaturi Domino corda sua, ibique sine risu, murmure, discursu, & absque vagis, & vanis aspectibus, sub silentio in pace, cum debita grauitate permaneant, cantent, & orent, & vsque in finem vnanimiter perseuerent. Quia verò Ecclesiasticus cantus, diuinæ laudis sacrificium, fructusque labiorum canentium, non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum ædificatio esse debet, eosdem fratres hortamur in Domino, vt diuinas laudes integre, attente, honeste, ac religiosè persoluant, gestus leues, & cantus dissolutos, & fractos omnino declinent, tractim psallant, debito more incepta, quæ simul canenda fuerint, simul continuent, simul pausent, & cætera vt in d. cap. habetur.

2. Declaratio circa cantum.

Hoc addito quod de cantu in locis vbi pauci sunt fratres qui non sufficerent ad cantandum, vel alia rationabili causa, Prælati possint dispensare quum viderint expedire.

3. Declaratio circa ieiunium & equitationes.

Item de ieiunio illa seruentur, quæ in regula continentur. Idem fiat de non equitando, præterquam in casu necessitatis, attentis etiam verbis Diui Bonauenturæ in sua declaratione super hoc passu, qui dicit. Quod non debeant equitare, nec bigare, neque quadrigare, nisi manifesta necessitate, scilicet prolixi, vel impediti itineris, vel negotij vrgentis, vel infirmitate cogantur.

CAP. IV. REGVLÆ.

Verba 4. cap.

Quoad Capitulum quartum Regulæ, quod fratres non recipiant pecuniam.

1. Declaratio circa pecuniã non recipiendam iuxta traditiones Nicol. III. Clem. V. & Mart. 4 & 5.

Statuimus & ordinamus iuxta declarationem Nicolai Tertij, & Clementis Quinti, Martini Quarti, & Quinti. Quod quilibet Conuentus, siue locus habeat suum procuratorem, œconomum, syndicum, & actorem, cui omnes eleemosynæ pecuniariæ, & alia quæ ad pecuniam reduci possent, integraliter consignentur, qui easdem dispensare debeat legaliter & fideliter in reparationem Conuentuum, & locorum, aliasque necessitates fratrum pro tempore occurrentes, & quod fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant. Si quis autem contrarium attentauerit, ipso facto omni actu legitimo sit priuatus, & pœna carceris puniatur.

2. Declaratio sen modificatio circa idem.

In omnibus autem, quæ vltra hæc magis arctarent fratres dicti Ordinis, siue ex declaratione Clementis Quinti, siue alia quacumque declaratione Summorum Pontificum, vel aliorum quorumcumque, Apostolica nobis auctoritate commissa misericorditer dispensamus, non adstringentes propterea eos, qui voluerint prædictas declarationes, quin sua vota seruare valeant, & tenere.

3. Declaratio circa Infirmorum curam.

Item Ministri, & Prælati pro necessitatibus infirmorum, sollicitam curam gerant, eis diligenter de necessariis prouidendo, ordinando infirmarios, vel alios fratres deputando seruitiis eorundem, qui deputati si culpabiles inuenti fuerint, vel notabiliter negligentes, præsidentium arbitrio puniantur, & alia fiant circa prædicta

sicut

sicut in generalibus statutis Ordinis prædicti Guillelmi 4. cap. continetur.

CAP. V. REGVLÆ.

Verba cap. 5.

Quoad quintum Capitulum Regulæ. De modo laborandi.

1. Declaratio circa mercedem laborum Prælatis Ordinis dandam.

Statuimus, & ordinamus, quod fratres habentes gratiam laborandi laborent fideliter, & deuote &c. prout in regula continetur. Mercesque laboris si pecuniaria fuerit per soluentem statim consignetur procuratori Conuentus, siue loci, quod si pecuniaria non fuerit, consignetur Prælato eiusdem loci, de qua possit omnibus fratribus ibidem commorantibus communiter (prout necessitas exegerit) prouidere, per hoc tamen nullus fratrum præsumat puerorum scholas regere in Conuentu, vel extra sæcularium personarum sub pœna priuationis actuum legitimorum.

CAP. VI. REGVLÆ.

Verba cap. 6.

Quoad sextum Capitulum Regulæ. Quod fratres nihil sibi approprient.

1. Declaratio quoad mittēdos pro eleemosyna.

Statuimus, & ordinamus ab vniuersis obseruandum, prout regula dictat. Et qui contrarium fecerit, puniatur vt supradictum est de pecuniis. Item quod omnes fratres vadant pro eleemosyna confidenter iuxta discretionem Prælati præcipientis, cuius arbitrio committimus discernendum, qui congrue mittendi sunt pro eleemosyna, vel qui non.

CAP. VII. REGVLÆ.

Verba cap. 7.

Quoad septimum Capitulum Regulæ, de pœnitentia fratribus peccantibus imponenda.

1. Declaratio circa pœnitentiam Fratrum.

Statuimus & ordinamus quod nullus frater Prouinciali Ministro inferior, nisi ea speciali Generalis, vel Prouincialium licentia Ministrorum, possit aliquem absoluere fratrem, à peccato inobedientiæ contumacis, proprietariæ rerum detentionis, carnis lapsus, furti rei notabilis, iniectionis manuum violenter, falsi testimonij in iudicio facti, compositionis, vel proiectionis, aut publicationis libelli famosi, falsificationis sigilli cuiuscumque personæ notabilis, falsæ criminationis in infamiam cuiuscumque. Si quis autem contrarium attentauerit, ipso facto actibus legitimis sit priuatus. Et si legitime fuerit deprehensus, carceri mancipetur.

CAP. VIII. REGVLÆ.

Verba cap. 8.

Quoad octauum Capitulum Regulæ, de electione Generalis Ministri. Quia languescente capite cætera membra dolent.

1. Declaratio circa tempus electionis & qualitates eligendi.

Statuimus, & ordinamus, quod electio Generalis Ministri canonice celebretur in Capitulo Pentecostes à Ministris, & Custodibus, vt regula dictat. Ipsi autem electores, talem in tanta religione studeant habere pastorem, qui scientia, vita, moribus, & exemplo, merito valeat magis prodesse, quam ambitiose præesse ouibus sibi commissis, omni postposito amore, odio, timore, prece, pretio, vel rancore, quod si secus factum fuerit, electio nulla sit, & electores voce actiua, & passiua perpetuo sint priuati.

2. Declaratio circa Socios Generalis.

Item statuimus, & ordinamus, quod Generalis Minister non habeat secum plures duobus socijs notabilibus, vno Cismontano, & alio vltramontano, addito socio scriptore, & alio seruitore, cum vno famulo.

3. Declaratio circa retētionem sigilli.

Et quod de cætero si Generalis sit Vltramontanus, Cismontanus socius teneat sigillum Ordinis, & è contra, si Generalis sit Cismontanus, Vltramontanus socius teneat sigillum Ordinis. Nec possit eos Generalis ad libitum commutare, nisi morte interueniente, vel alia causa legitima, & casu notabili, in loco illius substitutionem alterius socij, de consilio Discretorum coarctante.

4. Declaratio seu limitatio facultatis Generalis, circa disposita in Capitulo.

Item secundum declarationem quatuor Magistrorum Generalis non possit immutare aliqua ordinata per ipsum, & Capitulum Generale sine ipsius Capituli generalis assensu, in his quæ tangunt regulæ puritatem. Nec possit aliquem licentiare ad cursum Magisterij, nisi fuerit præsentatus per Ministrum Prouincialem, qui neminem audeat præsentare, nisi de consilio, & assensu ipsius Capituli Prouincialis.

5. Declaratio quod Generalis nullam faciat exactionem.

Item, quod prædictus Generalis nullam exactionem pecuniariam facere possit, nec pro confirmatione Ministrorum, neque pro visitatione Prouinciarum, neque pro Magisterio, aut vestiario, vel literis officiorum, aut suffragiorum, siue quacumque occasione, vel colore quæsitis, quod si secus fecerit ipso facto suo officio sit priuatus; Nec teneantur fratres sibi vlterius obedire. Et si exinde in posterum præsumpserit Generalatus officium retinere, quod ipso facto sit periurus, infamis, & inhabilis ad quæcumque officia vel beneficia, honores, & dignitates, tam in Ordine, quam extra Ordinem.

6. Declaratio quoad Vicariorum deputationem.

Item quod non faciat Vicarios in Prouinciis; nisi in casibus necessariis, & opportunis, quibus expletis Vicariatus officium ipso facto volumus expirare.

CAP. IX. REGVLÆ.

Quoad Capitulum nonum Regulæ. De Prædicatoribus.

1. Declaratio quod Prædicatores venerentur Prælatos Ecclesiæ.

Statuimus, & ordinamus, quod fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, quum ab eo fuerit illis contradictum, sed cum omni humilitate, & reuerentia Prælatos Ecclesiæ debeant venerari.

2. Declaratio circa eorum examē. & approbationem. Tu scias etiā ab Ordinariis approbandos esse, vt dicitur in bulla 22. Leon. X. dicta infra.

Item, quod nullus præsumat populo prædicare, nisi à Generali Ministro, vel à Prouincialibus in Capitulis Prouincialibus, vel ab aliis quibus per Generalem Ministrum fuerit commissum, examinatus extiterit, & approbatus circa officium Prædicationis sibi concessum. Possint nihilominus præfati Ministri concessam prædicandi licentiam reuocare, suspendere, & arctare, quoties, sicut, & quando eis videbitur expedire, iuxta declarationem prædicti Nicolai Tertij in præfata decretali, Exiit qui seminat. §. Et quia in eodem.

3. Declaratio circa qualitates Prædicatorum.

Et quod prædicti quibus committitur auctoritas prædicta licentiam concedendi, nullum ad prædicationis officium admittere debeant, nisi extiterit admittendus Sacerdos, vel diaconus, ætatis, ad minus vigintiquinque annorum, competentis literaturæ, vita, & moribus comprobatus, cuius doctrina merito populi ædificari valeant sine scandalo.

4. Declaratio circa ea quæ Prædicatores obseruare debent. Ad quod vide etiam cōst. 22. Leon. X. Superna.

Caueant autem Prædicatores prędicti omnino, ne quandoque prædicare præsumant quicquam contra libertatem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel Ecclesiasticis personis detrahere, vel (quod absit) scandalum contra Clerum, vel religionem aliquam excitare, aut personam aliquam præsentē criminaliter nominare, sed potius contra hæreses, & schismata, populos digne, & fideliter animare, & in orthodoxæ fidei veritate firmare. Maxime contra præsentem satanicam, & damnatam hęresim Hussitarum. Contra quos in aliqua parte sermonis prout videbitur expediens inuehatur. Si quis autem temerarie contra statum, honorem, dignitatem, & Ecclesiasticam libertatem præsumpserit prædicare, ipso facto prædicationis officio, & omni actu legitimo sit priuatus, quod si prædictam priuationem præsumpserit prędicare, per suos Prælatos omni appellatione postposita, vel alio subterfugio, carceribus mancipetur. Qui Prælati si in prædictis fuerint negligentes, in eandem pœnam se nouerint incidisse, nisi rationabili, & legitima causa de impotentia se valeant excusare. Super quos, & prædictos Prædicatores delinquentes Ordinarij locorum plenam iurisdictionem habeant puniendi, & carcerandi sine alio processu. Ad quod quum opus fuerit, prædicti Ordinarij inuocare valeant brachium sæculare.

5. Declaratio circa licentiā prædicādi extra loca Ordinis, & nouitates vitandas.

Item quod nullus frater audeat in alienis Ecclesiis prædicare, ac scandalum, & dedecus Ordinis, nisi in his terris vbi pro tempore fuerit consuetum. Vt in Quadragesima, processionibus, & similibus, & tunc nec sine licentia Prælatorum Ordinis. Nec prædicent nouitates, vel materias, quæ scandalum possint verisimiliter generare.

CAP. X. REGVLÆ.

Verba cap. 10.

Quoad Capitulum decimum Regulæ. De admonitione & correctione fratrum.

1. Declaratio circa socios Ministrorum Prouincialiū.

Statuimus, & ordinamus, quod prædictum Capitulum diligenter per Ministros executioni debitæ demandetur. Addentes insuper quod minister quilibet in sua Prouincia, vno prouido, & honesto Socio sit contentus, cum vno seruitore.

a Declaratio circa Studiorum reformationem, scientiarum acquisitionem.

Et quod nullus Minister Custos, Guardianus, vel Lector, vel quicumque alius frater, quicquam exigat aliquo colore, vel causa quod si secus fecerit, ipso facto suo officio sit priuatus, & subditi deinceps obedire sibi minime teneantur. Et si quid aliquis Ministrorum generali Ministro præsumpserit contribuere, ipso facto vt supra suo officio sit priuatus.

3. Declaratio circa studiorum Reformationem, & scientiarum acquisitionem.

Statuimus insuper quod Ministri diligenter, & sollicite insteat, & inuigilent reformationi Studiorum per quaslibet suas Prouincias, ita & taliter quod cuilibet studenti pro posse prouideatur de suis necessariis, tam pro libris, quam pro reliquis opportunis, de communibus eleemosynis per Procuratorem receptis pro quolibet Conuentu siue loco natiuo fratris ad Studium promouendi. Exhortantes strictissime in visceribus IESV CHRISTI cæteros fratres aliorum locorum, quod quum viderint idoneos ad studia promouendos, totis viribus eisdem impendant auxilium, consilium, & fauorem, in quibuslibet opportunis, quærendo pro eis eleemosynas, recommendando valentibus subuenire, eisque seruiendo in visceribus charitatis, Quum scientia donum Dei sit, armatura ad defendendam sanctam fidem Catbolicam, corona Ordinis, lumen veritatis, & via in tenebris ambulantium populorum.

4. Declaratio circa ceremonias.

Similiter attendant prædicti Ministri cum omni vigilantia; & circumspectione, quod ceremoniæ Ordinis tam quo ad diuinum officium, quàm quo ad silentium, & alias ceremonias vtriusque communitatis, spiritualis, & temporalis, secundum antiquas consuetudines Ordinis obseruentur.

5. Declaratio circa debitorum extinctionem.

Et si qua sunt debita de præterito contracta soluantur de expropriatione fratrum, vel locorum, de vineis & possessionibus, cæterisque rebus in Ordine repertis, quarum possessio secundum puritatem nostri status non potest Ordini conuenire. Et si quid superesse poterit de pretio talium rerum vendendarum, vel ex reddenda ratione, quorumcumque fratrum, vel Ministrorum, vel aliorum subditorum, assignetur Procuratoribus locorum quorumcumque per quaslibet prouincias pro communi vtilitate, & commoditate eorundem fratrum vel locorum.

6 Declaratio circa fratrum punitionem.

Ministri autem, & alij Prælati corrigant subditos suos humiliter, & charitatiue eos visitent, secundum regulam delinquentes misericorditer puniendo, iuxta tenorem septimi capituli statutorum generalium prædicti Guillelmi, & vigesimiseptimi capituli statutorum Benedicti XII. vel alios provt eisdem Ministris, & Prælatis melius videbitur expedire.

7. Declaratio quod Fratres reformati bene tractentur.

Item cum in eodem Ordine aliqui fratres fuerint & sint excellentes in deuotione, & obseruantia strictiori vestræ professionis. Ordinamus quod tales sic viuentes per Prælatos suos bene tractentur, & fauorabiliter in suis deuotionibus nutriantur in suis eremitoriis & locellis. Caueant autem prædicti Prælati, ne fratres aliquos ad eremitoria mittant pro residentia ibidem facienda, nisi maturos, solidos, & probatos in Obseruantia regulari, vbi fieri poterit bono modo.

8. Declaratio circa noua loca construenda. Tu vide bullam 99. Clem. VIII. Quoniam.

Item quod de cætero nullus audeat, Conuentus, aut loca, seu eremitoria multiplicare, aut de nouo ædificare, seu ædificari facere non solum pro Fratribus, quin etiam pro Sororibus, sine auctoritate D. N. Papæ, dominorum diœcesanorum, Generalis, vel Prouincialium Ministrorum licentia, sine præiudicio Conuentuum propinquorum, in quorum terminis hæc contigerit attentari. Salua etiam decretali Bonif. VIII. in c. Cum ex eo. De excessibus Prælatorum lib. 6.

9. Declaratio circa recursũ ad Ministros, ab his qui putant Regulã non posse obseruare.

Item vbi regula dicit, quod vbicumque sunt fratres qui scirent, & recognoscerent se non posse regulam spiritualiter obseruare. Declarans iustam esse causam recurrendi ad Ministrum, cum tali loco est annexa proprietas, vel cura animarum, pueros baptizandi, & alia parochialia faciendi, aut quia ibi domino reclamante morantur fratres, aut quia propter necessariorum penuriam oportet eos in congregationibus, vel quæstionibus inhonestis contra regulæ puritatem, & vsum Ordinis generalem excedere, aut propter societatem inhonestam, vel importabilem fratribus, præsertim rudibus, & infirmis, propter huiusmodi autem causas, & similes fratres dicunt, & possunt ad suos Ministros recurrere, per eosdem, inde pie & paternaliter amouendi, & in locis deuotis & spiritualibus collocandi.

CAP. XI. REGVLÆ.

Verba cap. 11.

Quoad vndecimum Capitulum Regulæ; Quod fratres non ingrediantur Monasteria Monachorum.

1. Declaratio circa prohibitum ingressum ad loca Monialium. Ad hoc attẽde const 28. Gregor. XIII. Vbi gratia cõ not. ibid.

Statuimus, & ordinamus illud esse seruandum quod præfatus Nic. III decreuit in eadem sua decretali, exiit qui seminat §. Denique quia continetur. Vbi determinat prohibitum esse fratribus ne ingrediantur Monasteria Monacharum quarumcumque Intelligens nomine Monasterij, claustrum, domos, & officinas, interiores pro eo, quoad alia loca vbi homines sæculares conueniunt, possunt fratres ipsi causa prædicationis, vel eleemosynæ petendæ accedere, quibus id à Superioribus suis, pro sua maturitate, vel idoneitate fuerit concessum, exceptis semper prædictarum Monasteriis inclusarum, ad quæ nulli datur accedendi facultas sine Sedis eiusdem licentia speciali, Quod etiam Greg. IX. determinauit.

a Declaratio circa obseruantiã clausuræ. Tu habes strictiorem prohibitionem in Pij V const. a. circa.

Addentes nihilominus, quod si quis sine Ministrorum licentia aliquod Monasterium intrare præsumpserit, ipso facto carceri mancipetur. Et diligenter attendant Ministri, quod Moniales sibi commissæ debitam clausuram seruent, tam fratrum, quam sæcularium accessus compescendo sub interminatione maledictionis æternæ.

3. Declaratio circa Compatres.

Item statuimus, & ordinamus quod nullus frater de cætero præsumat fieri compater virorum, vel mulierum, & qui iam compaternitatem contraxerint, quantum in eis est, hoc nomine se à nemine nominari permittant, nec ipsi alios nominent. Et qui contra fecerit carceri mancipetur.

CAP. XII. REGVLÆ.

Verba cap. 12.

Quoad duodecimum Capitulum Regulæ. De euntibus inter Saracenos.

1. Declaratio circa regimen locorum Terræ Sanctæ.

Statuimus, quod seruetur Regula, & in præsenti Capitulo, & in quibuscumque aliis Capitulis generalibus, quantum possibile est, prouideatur, & disponatur de bono regimine locorum Terræ Sanctæ, tam quoad Guardianum, quàm quoad alios fratres, ita quod semper pro gubernatione illorum locorum eligantur in Capitulis generalibus de melioribus, & deuotioribus fratribus Ordinis, qui vita, moribus, & doctrina probati, lucis exemplum præbeant, & ædificationem pariter infidelibus cum quibus contigerit conuersari.

2. Declaratio quod Procurator Curiæ nihil exigat à Fratribus.

Item statuimus, & ordinamus quod Procuratores Ordinis in Curia Romana nihil exigant vel extorquere præsumant à fratribus aduenientibus vndecumque, quod si secus fecerint, ipsu facto suo officio sint priuati. Et Procurator cismontanus tractet negotia fratrum cismontanorum. Vltramontanus autem tractet negotia vltramontanorum.

3 Declaratio quoad fratres Inquisitionis officio incumbentes.

Item statuimus, & ordinamus sub eadem pœna, quod inquisitores hæreticæ prauitatis teneantur restituere communitati conuentuum, vbi officium inquisitionis exercent, quicquid sibi aduenire poterit vel competere ex officio inquisitionis, vsque ad condignam satisfactionem expensarum quas in prædictis perceperint dum officium Inquisitionis exercent. Et si eisdem Inquisitoribus à communitate vel ab alia persona spirituali competenter prouisum fuerit de expensis, non teneantur prædicti Conuentus prouidere eisdem de victu vel vestitu, quod si quid superfuerit vltra prædictum victum, vel vestitum, de eo quod sibi competeret ex officio suo conuentui natiuo reddatur, distribuendum communiter inter fratres. Et quod nullus Inquisitor eiusdem Ordinis in officio inquisitionis remaneat vltra duos annos, secundum eiusdem Ordinis generalia statuta dicti Guillelmi c. 6. §. finali.

4. Declaratio quod soluatur pro gradibus consequendis.

Item statuimus, & ordinamus quod de cætero nullus Prælatorum, Minister vel Magister, aliquem fratrum eiusdem Ordinis præsumat adstringere, vel compellere ad aliquam pecuniariam solutionem, ratione cuiuscumque gradus scholastici, vel Magisterij, Lectoratus, Baccalariatus vel alterius cuiuscumque sub pœna priuationis gradus, tam in exigente, quàm in contribuente.

Insuper

Sequitur hic supradicti Card. Legati preceptum, quod Fratres in prædictis obediant suis Prælatis.

Insupet quia parum est leges condete, nisi executioni debitæ demandentur, volumus & mandamus, ac strictè præcipimus vniuersis ac singulis fratribus eiusdem Ordinis vbicumque fuerint, & intererint, cuiuscumque gradus seu conditionis existant, quod in his omnibus supradictis suis Prælatis teneantur firmiter obedire, scilicet generali in toto Ordina, & Ministris prouincialibus in prouinciis, Custodibus in custodiis. Guardianis in guardianatibus, cæterisque Prælatis in his, & aliis licitis & honestis, quæ non sunt contra animam suam, & Regulam dicti Ordinis. Et si quis, quod absit, contrafecerit trina admonitione pręmissa, factis congruis interuallis, post si rebellis & inobediens extiterit, carceri mancipetur.

Et quod in carnis vbscibi eisdem mandatis quæ nō sunt contra legem Dei, vel Ecclesiæ sunt dispensati.

In omnibus autem aliis statutis, constitutionibus, ordinationibus, & declarationibus, tam summorum Pontificum quàm aliorum quorumcumque, siue de non edendo carnes in festiuitatibus Natiuitatis, Resurrectionis & Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis gloriosæ Virginis, S. Francisci, S. Antonij, & S. Ludouici Episcopi, vel quibuscumque aliis temporibus per regulam vel per Ecclesiam non probibitis, siue de quibuscumque aliis in aliis constitutionibus positis, quæ non sunt contra legem Dei, vel statutum Ecclesiæ generale, auctoritate Apostolica dispensamus. Nolentes aliquem dicti Ordinis ex prædictis statutis, seu constitutionibus, ordinationibus, declarationibus, de quibus in his præsentibus non fit mentio mortalis peccati vinculo alligari, nisi tales essent casus, vel excessus, qui diuina lege, seu sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ generali statuto, merito inducerent ad mortale. Et vbicumque in aliis constitutionibus eiusdem Ordinis Papalibus, vel Generalibus, pœna excommunicationis imponitur quatenus in aliam pœnam temporalem valeant commutari arbitrio Præsidentium reseruamus. Sententias verò excommunicationis inibi contentas, auctoritate præfata ex nunc tollimus, remittimus, & laxamus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Prælatique Ordinis has constit. obseruent, & ab aliis obseruari faciant.

Prædicta autem statuta, constitutiones, ordinationes, seu declarationes, & reuocationes, volumus ab omnibus tam Prælatis, quàm subditis integrè, & inuiolabiliter obseruari. Mādantes, & districtè præcipientes omnibus Prælatis, tam Generali, & Prouincialibus Ministris, quam aliis Prælatis Ordinis quibuscumque, quod omnia, & singula supradicta seruent, & faciant ab omnibus inuiolabiliter obseruari. Quod si in prædictis fuerint negligentes ipso facto suis officiis sint priuati. Et ne alicui ignorantia sit occasio delinquendi, sub interminatione diuini iudicij, mandamus Prælatis prædictis, quatenus per quemlibet Conuentum, & locum ad minus semel in mense legi faciant, & diuulgari.

Quas propterea in Capitulo legi, & publicari facit.

Has autem constitutiones, reformationes, & ordinationes, per nos Ioannem Card. Legatum & Reformatorem præfatum auctoritate Apost. factas, & ordinatas, alta, & intelligibili voce in plano Capitulo ad sonum campanæ vt moris est congregato, coram multitudine copiosa fratrum eiusdem Ordinis propteraa ibidem existentium de verbo ad verbum per organum venerabilis, & religiosi viri fratris Ioannis de Capistrano eiusdem Ordinis professoris, legi & publicari fecimus, & ad perpetuam rei memoriam, per Generalem, & Prouinciales ministros, Custodes, Discretos, & omnes ac quoscumque fratres, & religiosos dicti Ordinis præsentes, absentes, & futuros in omnibus, & per omnia prout superius latè scriptæ sūt sub pœnis in eisdem contentis Inuiolabiliter teneri, & obseruari mandauimus, & per præsentes mandamus.

Et omnes ibi existentes, earum obseruantiam promiserunt.

Post quarum quidem constitutionem, reformationum, & ordinationum, publicationem & lecturam, omnes & singuli Ministri, Custodes, Custodum Discreti, & alij in d. Capitulo existētes, tam nominibus suis propriis, quàm suorum Conuentuum, & fratrum præsentium, & futurorum, dictis constitutionibus, ordinationibus, & reformationibus, tanquam legitime, sancta, iuste factis & ordinatis non coacti nec circumuenti, libere, & sponte sine contradictione aliqua in pleno Capitulo acquieuerunt, & in eisdē, & eorum singulis in omnib. & per omnia consenserunt, & intelligibili voce vnanimiter clamando & dicēdo cōsentimus in eisdem in omnibus & per omnia omnia, & volumus stare viuere, & mori in isto Ordina sancto fraternaliter secundum constitutiones, & reformationes prædictas.

De quibus publicum instrumentū rogatum fuit.

In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentes nostras literas, siue præsens publicum instrumentum constitutiones, reformationes, & ordinationes huiusmodi in se continentes, sive continens, ex inde fieri, & per Secretarium nostrum, Notarium publicum infrascriptum subscribi, & signari mandauimus, nostrique sigilli Cardinalatus iussimus, & fecimus appensione communiri.

Publicatio earundem constitutionū subsecuta fuit die 11. Iunij 1430.

Lectæ & in scriptis publicatæ fuerunt hæ constitutiones, reformationes, & ordinationes supradictæ, per nos de mandato nostro, modo supradicto Assisij in Monasterio fratrum Minorum tempore generalis Capituli in pleno Capitulo nobis ibidem de præfati D. N. PP. mandato præsidentibus. Sub anno à Natiuitate Domini 1430. indict. 8. die verò Mercurij 11. mēsis Iunij, Pontif. præfati D. N. PP. Anno 13. præsētibus ibidē Reuer. Patre domino Bernardo Montis Albanensis Episcopo & Guilhelmo Pauæ, & Ioanne Obgeroloes, alias Frances, Notatiis Apostolicis familiaribus nostris, & pluribus aliis, tam Clericis, quàm laicis fratribus dicti Ordinis testibus, ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Attestatio publici Notarij.

Et ego Rodericus Gundisalui. de Moculeos, Clericus Baganensis diæcesis, publicus auctoritate Apostolica Notarius, dictique Reuerendissimi in Christo Patris, & domini mei domini Ioannis Cardinalis Legati & Reformatoris præfati præmissis &c. Aman.

Indictio generalis Concilij Basileēnsis. XIV.

Istud Concilium Eugen. IV. huius Pontificis successor dissoluit, transtulitque ad ciuitatem Ferrariæ, vt inf. in eius const. 11. Magnas, & inde ipse idem iure transtulit ad ciuitatem Florentia, vbi absolutum fuisse liquet ex eiusdem Pont. const. 17. Latentur, Posteaque ab eodem absoluti fuerunt qui post dicti Concilij dissolutionem ei adhæserunt, & ad ipsius Pontificis obedientiam redierunt, vt in alia sua constit. 29. Inter.

Edita An. D. 1431.

MARTINVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Iuliano S. Angeli Diac. Card. Apost. Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium.

DVm onus vniuersalis gregis Dominici superna dispositione nobis iniunctum diligenter attendimus, & quod singulis Christianæ Reipublicæ occurrentibus per nos ipsum debitū Apost. seruituris, exequi non possumus, animo nostro reuoluimus, nonnunquam viros fide feruentes, dignitate, ac scientia præditos, & rerum agendarum experientia conspicuos, in partem nostrorum, & Ecclesiæ Romanæ negotiorum assumimus, vt dum tempus postular eorum operationibus vices nostras supplentes, ministerium nobis commissum, diuina assistente gratia, iuxta vires nobis, ex alto concessas, exequi valeamus.

Concilium Constantiense statuit certis tēporibus alia Concilia celebrari debere.

§. 1. Dudum si quidem sacrum generale Constantien. Conc. ex certis causis tunc expressis, statuit & decreuit, primum generale Concilium in quinquennium ex tunc proxime futurum, secundum verò à fine illius immediate sequentis Concilij in septennium, & deinceps da decennio in decennium perpetuo fore celebrandum, in locis per Romanum Pontificem per mensem ante finem cuiuslibet Concilij, approbante & consentiente Concilio, vel in defectum ipsius, per ipsum Concilium deputandis, & assignandis, vt illa quæ circa statum, & bonum publicum Ecclesiæ sanctæ Dei agenda, & expedienda restabant matura possent deliberatione compleri.

In Conc. itaque Senensi vltimo loco acto.

§. 2. Prout quantum in nobis fuit, in Concilio Senēsi vltimo celebrato factum extitit, in quos per nostros, & Sedis Apostolicæ nuntios tunc in dicto Concilio

Senensi

Fuit pro futuro in septennium Concilio ciuitas Basileen. deputata.

Senensi præsidentes, eodem approbante Concilio ciuitas Basileensis pro loco proxime futuri tunc in septennium celebrandi Concilij deputata extitit, prout in decreto præfati Senensis Concilij, & aliis nostris literis desuper confectis plenius continetur.

Hic ideo Pot. ad d. Concil. Basileen. Iulianum Card. de latere legatum mittit.

§. 3. Cum autem finis huiusmodi septennij, quo Concilium ipsum in eadem ciuitate Basileensi tenendum, & celebrandum fore statutum fuit, instare noscatur, cumque propter notoriam ægritudinem nostram in ipso futuro Basileensi Concilio, Deo auctore celebrando, iuxta desiderium cordis nostri interesse non possimus, te vitæ integritate, & sapientia præclarum, & magnitudine consilij conspicuum, ac in maximis nostris, & præfatę Ecclesiæ negotiis diuturna experientia comprobatum, Legatum cum plena, & omnimoda potestate Legati de latere, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentiũ facimus, constituimus, & etiã ordinamus.

Quæ præcipuè in d. Concil. agenda sint, eidem significat, & amplas facultates concedit.

§. 4. Teque ad Ciuitatem Basileensem prædictam, pro futuro ibidem, auctore Domino, tenendo, & celebrando Concilio Generali, iuxta deliberationem, & ordinationem præfatas, tanquam Angelum pacis destinandum prouidimus. Et cum super omnia in ipso futuro Concilio ad reformandum statum Ecclesiasticum, qui hoc tempore indigere videtur, abundante nequitia, & frigescẽte charitate hominum, suscitatis inter fideles bellis, & discordiis, ac inualescente in pluribus mundi partibus hæretica prauitate ad huiusmodi hæreses extirpandas, & pacem inter Catholicos Principes, & cęteros Christianos componendam, animum efficaciter intendamus: super quare, quantum in nobis fuit dedimus operam efficacem tibi nomine, & auctoritate nostra ipsi Concilio præsidendi, ac in illo pro tua sapientia illa proponẽdi, deliberandi, ordinandi, statuendi, & decernendi, quę ad laudem, & honorem Dei, & conseruationem & augmentum Religionis fidei Christianæ, statum Ecclesiæ, reformationem quoque totius Clerici, & Ecclesiastici status in moribus, & vita, necnon reductionem Orientalis Ecclesiæ, & quorumlibet aliorum oberrantium ad gremium Ecclesiæ militantis, ac conseruationem Ecclesiasticæ libertatis, salutem quoque, quietem, & pacem Regnorum, Regum, Ducum, Principum, & quorumlibet fidelium populorum noueris pertinere, ac etiam ibidem cum debita maturitate, & deliberatione, prout in tanta re conuenit, ea omnia proponendi, decernendi, concludendi, & exequendi, per quæ hæreses, & errores tam de Buhemia, quam de aliis quibuscumque Regnis, prouinciis, terris, locis, in quibus sunt, penitus extirpentur. Et nihilominus de præmissis hæresum, & quibuscumque aliis causis, fidem Catholicam concernentibus, quomodolibet cum consilio dicti Concilij cognoscendi, aliaque per te, vel per alium, seu alios à te deputandos audiendi, decidendi, & fine debito cum præfato Concilio terminandi.

Auctoritatēque contradictores coërcēdi eidem legato concedit.

§. 5. Et contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscumque status, gradus, præeminentiæ, vel conditionis existant, & quauis Ecclesiastica, vel mundana, etiamsi regali, vel Pontificali, præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, & super his, quoties opus fuerit auxilium brachij sęcularis inuocandi, omniaq; alia, & singula in eodẽ Basileensi Concilio agendi, tractandi, disponendi, statuendi, declarandi, decernendi, & concludendi, quæ in præmissis, & circa ea, pro statu nostræ, & eiusdem Ecclesię, ac salute animarum fidelium, extirpatione hæresum, & errorum de agro Dominico, reductione quoque oberrantium populorum, & conseruatione Ecclesiasticæ libertatis, ac pro quieto statu Reipublicæ Christianæ, necnon reformatione in omnibus membris suis, noueris profutura, plenam, & liberã, auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus potestatem, ratum, & gratum habituri, quicquid super præmissis, per te vna cum eodem Basileensi Concilio ordinatum, statutum, deliberatum, & decretum fuerit, & conclusum; idque faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

Eundemque Legatum ad eiusmodi munus strenuè laudabiliter exequendum hortatur.

§. 6. Quocirca circumspectioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tibi iniunctum ministerium laboris huiusmodi pro diuina, & dictæ Sedis, ac nostra reuerentia, sic in eodem futuro Concilio dicto nomine pro tempore præsideris, ad honorem Dei, Ecclesiæ, atque nostram salutem quoque & pacem populorum fidelium iuxta datam tibi a Domino prudentiam, laudabiliter exequaris, quod ex tuis fructuosis operibus fructus optati prouenient, quos speramus tuque deinde illam, quæ pias causas agentibus superna retributione impenditur, gloriam consequi merearis felicitatis æternæ.

D.P. An. 14. die 1. Feb.

Datum Romæ apud SS. Apostolos, Kal. Febr. Pontificatus nostri Anno decimo quarto.

V. Confirmatio Regulæ Fratrum & Sororũ Tertij Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis.

Quæ Seruitarum Ordinem concernunt, notaui in constitut. 1. Benedicti XI. Dum leuamus, sup. pag. 162.

Edita An. D. 1424.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SEdis Apostolicæ prouidentia circumspecta, personas sub regulari obseruantia vacantes assidue studio piæ vitæ, benigno fauore prosequitur, & ea quæ pro earum statu salubriter dirigendo prouide ordinata sunt, vt illibata persistant Apostolico consueuit munimine roborare.

Petitio confirmationis huius Regulæ.

§. 1. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis & Fratrum, ac dilectarum in Christo filiarum Sororum Ordinis Seruorum Sanctæ MARIÆ, secundum Regulam & instituta Beati Augustini viuentium, qui quidem Fratres & Sorores, de consortio seruorum Sanctæ MARIÆ nuncupantur, nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi quandam Regulam, siue Religiosę viuendi formam, in qua nonnulla honesta & rationabilia ac Regulari disciplinæ congruentia statuta & ordinamenta fore noscuntur, hactenus laudabiliter obseruarunt prout obseruant, quodque licet Fratres, Sorores & Ordo huiusmodi variis per Sedem Apostolicam sint priuilegiis communiti, tamen pro solidiori eorum subsistentia, & vt clementia Altissimi operante, de virtute in virtutem gradientes, deuotiorem reddere valeant Domino famulatum, desiderant huiusmodi Regulam seu viuendi formam, per Sedem eandem approbari. Quare pro parte Prioris & Fratrum ac Sororum eorundem nobis fuit humiliter supplicatum, vt Regulæ siue viuendi formæ huiusmodi, robur Apostolicæ confirmationis adiicere, illamque per ipsos Fratres & Sorores in perpetuum obseruari mandare de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio d. Regulæ.

§. 2. Nos igitur qui super præmissis omnibus & singulis relatione plenaria & fideli fuimus clarius informati, huiusmodi supplicationibus inclinati, Regulam seu viuendi formam, quam per singula eius Capitula, clare & distincte, ac de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, necnon statuta & ordinationes prædicta rata habentes & grata, illa auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, & nihilominus Regulam siue viuendi formam eandem per ipsos Fratres, & posteros, volumus & mandamus perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari.

Tenor vero Regulæ siue viuendi formæ huiusmodi, sequitur & est talis.

CAP. I.

De Recipiendis ad hunc Ordinem.

§. 3. In primis, vt hic Ordo continuum & perpetuum de bono in melius recipere valeat incrementum, quod ex receptione personarum bene dispositarum plurimum noscitur dependere, Volumus & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem huius fraternitatis nisi de licentia Prioris Generalis eiusdem, vel ipsius Vicarij seu Correctoris fraternitatis pro tempore deputati illius loci, præmissa tamen diligenti examinatione, quod sit honestæ vitæ & bonæ famæ, ac de hæresi nullatenus suspectus

suspectus, quinimo sit veritatis & Catholicæ fidei zelator præcipuus, qui etiam antequam habitum huius Religionis recipiat, de alienis, si qua habuerit, satisfaciat ad plenum, & proximis reconcilietur, necnon paratum sine conditum testamentum tenere studeat, iuxta consilium & ordinationem confessoris discreti, & eadem examinatio fiat de mulieribus ingressum huius Ordinis petentibus, habentibus tamen viros non pateat ingressus ad consortium dictæ fraternitatis, nisi de virorum suorum licentia & consensu fiat publicum instrumentum. Idem quoad hæc seruari volentes in viris vxores habentibus, nisi obstaret in ipsis vel altero ipsorum aliqua causa, quæ legitima iudicaretur consilio Discretorum.

CAP. II.

Habitu Fratrum & Sororum. §. 4. Omnes autem tam Fratres quam Sorores dictæ fraternitatis induantur panno nigro, qui nec in colore, nec in valore minimam pretiositatem prætendat, sicut conuenit honestati Seruorum Christi & Beatæ MARIÆ. Tunicę quoque habeāt manicas vsque ad pugnum, & sint strictæ & clausæ, corrigias de corio tātum habeāt quibus Sorores cingantur. In bursis etiam, calceamentis, & cæteris omnem mundanam rescecent vanitatem. Vela vero Sororum & bindæ sint alba de panno lineo & canapino.

CAP. III.

Benedictione vestium siue habitus, & modo recipiendi ad hunc Ordinem. §. 5. Recipiatur recipiendus in loco Capituli fraternitatis vel ante altare Ecclesiæ Fratrum illius loci, & à Priori Generali, siue Vicario, vel Correctore dicti Ordinis Seruorum Sanctæ MARIÆ prædictis, qui Prior, vel Vicarius, seu Corrector existente inducendo, & petente humiliter flexis genibus recipi præsentibus aliquibus aliis Fratribus Ordinis eiusdem, & quibusdam de confratria viris discretis, benedicat prius habitum eius, qui debet recipi hoc modo videlicet, Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine IESV CHRISTE, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, &c. Postea vero tali habitu benedicto, & per receptum seorsum indutum, atque ad gradum altaris reuerso, & ante Priorem siue Vicarium vel Correctorem genu flexo, dicit Prior vel Vicarius seu Corrector. Veni Creator Spiritus, & Fratres, qui ei assistent ipsum prosequantur vsque ad finem. Deinde dicatur Kyrie eleison, Christe eleison. Pater noster, &c. Emitte Spiritum tuum, &c. Saluum fac seruum tuum, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, &c. & Prætende Domine famulo tuo, &c. & respōsō Amen, Aspergatur sic indutus à Priore vel Vicario seu Correctore Aqua benedicta, deinde omnes Fratres fraternitatis præsentes ipsum recipiant ad osculum pacis, & eo modo ante Altare recipiantur mulieres quemadmodum est de Fratribus supradictum.

CAP. IV.

Professione siue modo profitendi. §. 6. Completo anno vel ante, si Priori vel Vicario, seu Correctori prædictis aut cui commiserit, & etiam maiori parti Fratrum Professorum fraternitatis visus fuerit idoneus, ad professionem recipiatur, profitebitur autem hoc modo videlicet.

Ad honorem DEI Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatæ MARIÆ Virginis, ego N. Coram Vobis Priore seu Vicario vel Correctore Fratrum Ordinis Seruorum Sanctæ MARIÆ de consortio talis loci, profiteor velle me de cætero viuere secundum formam & Regulam Fratrum & Sororum dicti Ordinis vsque ad mortem.

Mulieres vero eodem modo profiteantur cum Priore, vel vt supra, & Priorissa, vel cui commiserit.

CAP. V.

Statu permanentium in hoc Ordine. §. 7. Statuimus autem, vt nullus Frater nec Soror huius fraternitatis & Ordinis, post talem supradictam Professionem de hoc Ordine egredi valeat, nec eisdem ad sæculum reuerti liceat, sed bene libere possint transire ad vnam de approbatis Religionibus, tria vota solemnia profitentibus.

CAP. VI.

Horis Canonicis dicendis. §. 8. Fratres & Sorores dicant quotidie omnes Horas Canonicas, nisi infirmitate impediantur. Pro Matutinis dicant vigintiocto Pater noster, pro Vesperis quatuordecim, & pro qualibet aliarum Horarum septem. Ad honorem vero Beatæ MARIÆ semper Virginis, pro qualibet Hora tot Aue Maria quot Pater noster dicere teneantur. Pro benedictione autem Mensæ, dicant vnum Pater noster, cum verò surgunt de Mensa similiter dicant vnum Pater noster pro gratiarum actione, vel Psalmum, Miserere mei Deus, vel Laudate, qui sciunt, omnes etiam, qui sciunt Symbolum Apostolorum videlicet, Credo in Deum, dicant illud semel in principio Matutinarum, & etiam ante Primam, & quando Completorium fuerit terminatum, qui autem sciunt, & dicunt Horas canonicas, quemadmodum faciunt Clerici, prædicta Pater noster, & Aue Maria dicere minime teneantur.

CAP. VII.

Surrectione ad Matutinum. §. 9. Ad Matutinas Dominicis diebus & festiuis à festo Omnium Sanctorum vsque ad festum Resurrectionis Dominicæ, omnes surgant. In Aduentu autem Domini, & Quadragesima surgant omni nocte. Qui vero occupantur quotidiano opere manuali, horas suas dicere poterunt de mane vsque ad Vesperas exclusiue, de sero Vesperas & Completorium simul dicant.

CAP. VIII.

Confessione & communione. §. 10. Omnes quater in anno ad minus, videlicet in festo Natiuitatis Domini, Resurrectionis ipsius, Pentecostes & Assumptionis aut Natiuitatis Beatæ MARIÆ Virginis, peccata sua confiteantur diligenter, & Eucharistiæ deuote studeant recipere Sacramentum; nisi forsan ex aliqua causa rationabili alicui ex ipsis esset à suis Confessoribus interdictum. Qui autem ex deuotione sua sæpius voluerit infra annum communicare, petita à suo Prælato licentia & obtenta, deuotionem suam cum Dei benedictione poterit executioni demandare.

CAP. IX.

Silentij obseruatione. §. 11. In Ecclesia dum celebrantur Missæ, vel decantatur diuinum Officium, seu actualiter proponitur ibidem verbum Dei, omnes silentium seruare studeant, & orationi ac diuino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali & occurrente necessitate aliquid submisse loquantur.

CAP. X.

Reuerentia exhibenda Ecclesiarū Prælatis. §. 12. Fratres & Sorores Ecclesias quarum Parochiani existunt, iuxta canonicas sanctiones & bonos mores, & cum omni deuotione studeant visitare, & Ecclesiarum suarum Prælatos, videlicet Episcopos & inferiores summe reuereantur. Ipsorumque iura absque omni diminutione fideliter eis soluant, & hoc tam in decimis quam in obligationibus alias quomodolibet consuetis.

CAP. XI.

Ieiunijs. §. 13. A Dominica prima Aduentus vsque ad Natiuitatem Domini, quotidie tam Fratres quam Sorores ieiunent. Et similiter à Dominica in Quadragesima vsque ad Pascha Resurrectionis Domini idem obseruent. Ferias autem Sextas ieiunabunt omni tempore. Et ieiunia omnia ab Ecclesia instituta. Qui autem voluerint amplius ieiunare, seu austeritates alias facere, poterunt habita licentia à suo Prælato, vel de consensu Confessoris discreti.

CAP. XII.

Cibo. §. 14. Fratres & Sorores huiusmodi fraternitatis, vti poterunt carnibus diebus Dominicis, & tertia & quinta Feria. Cæteris verò diebus abstineant, nisi sint infirmi aut multum debiles, vel nisi præcipuum festum fuerit illa die, aut quia essent in itinere constituti.

CAP. XIII.

Discursu. §. 15. Vagos curiososque discursus per Ciuitatem non faciant. Sorores vero solæ non discurrant, maxime iuniores, ad nuptias & choreas, siue ad dissoluta & mundana conuiuia, siue ad vana spectacula, nullo modo accedant, de Ciuitate vero seu Castro vel loco vbi habitant, non exeant, etiam causa peregrinationis, absque speciali licentia Prioris, Vicarij vel Correctoris dictæ fraternitatis.

CAP. XIV.

Armis à fratribus non ferendis. §. 16. Inuasionis siue impugnationis arma secum fratres non deferant; nisi pro defensione fidei Christianæ, aut ex alia rationabili causa, & de suorum Prælatorum licentia.

CAP.

Cap. XV.

Infirmus visitandus & curandus.

§. 17. Deputentur per correctorem duo ex Fratribus, qui cum quempiam ex eisdem nouerint infirmari ipsum quam citius poterunt, charitatiue studeãt visitare, & statim à principio ad recipiendum pœnitentiam, & alia Ecclesiastica sacramenta eundem efficaciter exhortentur, & si necesse fuerit ministerium corporale prout commode poterunt, eidem studeant exhibere, si vero fuerit pauper, necessaria de bonis propriis vel communibus prout facultas permiserit, sibi ministrare procurent, & idem faciant Sorores circa infirmas ex eis.

Cap. XVI.

Obitu fratrũ & sororum & suffragijs.

§. 18. Quando continget aliquem ex Fratribus ab hac luce migrare, cæteris confratribus qui sunt in hac Ciuitate vel Castro nuntietur, vt procurent defuncti exequiis personaliter interesse, à quibus non recedant, donec corpus traditum fuerit sepulturæ, hoc idem inter Sorores decedentes, volumus obseruari. Præterea infra octo dies, post ipsius defuncti sepulturam, immediate sequentes, quilibet Frater & Soror dicat pro anima eius, Sacerdos vnam Missam, sciens verò Psalterium Psalmos quinquaginta. Illiterati vero centum Pater noster dicant, & in fine cuiuslibet, Requiem æternam, &c. Et præter hæc quilibet infra annum pro Fratrum & Sororum, tam viuorum quam defunctorum salute tres Missas faciat celebrari, qui verò sciunt Psalterium, illud dicant, & cæteri quinquaginta Pater noster dicere teneantur.

Cap. XVII.

Constitutione Correctoru & Priorissæ.

§. 19. Correctore fraternitatis mortuo vel amoto, Prior seu Vicarius cum consilio antiquorum de fraternitate, alium instituat Correctorem, singulis autem annis infra Octauas Paschæ vel alio tempore, priuatus Prior vel Vicarius habeat consilium cum antiquioribus de fraternitate super amotione vel confirmatione Correctoris, sic eundem confirmare vel amouere poterit, secundum quod ipse cum præfatis iudicauerit expedire. Consimiliter etiam de consilio dicti Prioris vel Vicarij, & aliquorum de fraternitate magis antiquorum, poterit corrector ordinare de Subcorrectore vel Vicario fraternitatis, & etiam postmodum confirmare, & amouere secundum quod eis visum fuerit expedire. Qui Subcorrector, vel Vicarius tantam potestatem habeat, quantam Corrector sibi concedet. Et eadem forma in institutione, & destitutione Priorissæ seruetur.

Cap. XVIII.

Officio Correctoru, & Priorissæ.

§. 20. Correctoris officium erit, cum omni diligentia seruare in se quæque in Regula descripta sunt, & sollicitam dare operam vt ab aliis Confratribus obseruetur. Si quos vero viderit transgredientes, aut etiam negligentes, charitatiue corripiat & emendet, vel si magis sibi videatur expediens, Priori vel Vicario prædictis vt corrigat poterit intimare. Priorissæ etiam erit officium sollicite Ecclesiam visitare. Cæteras etiam Sorores excitare ad obseruantiam regularem, diligenter etiam per seipsam, & alias quibus imponet obseruare, quod in incessu, statu & habitu, nihil per aliquam consororem fiat quod cuiusquam merito turbare possit aspectum, præcipuè tamen attendat, vt Sorores cum quoquam viro cuiuscumque conditionis existat, familiaritatem non contrahant, maxime iuniores, nisi forsan talis vir Sorori illi attingat infra tertium consanguinitatis gradum ad longius, cum hoc quod sit bonæ vitæ & famæ.

Cap. XIX.

Correctione Fratrum atq; Sororum.

§. 21. Si quis notatus fuerit de aliqua familiaritate suspecta, & ter admonitus per Prælatum, si non se emendauerit, excludatur ad tempus à Capitulo & consortio cæterorum confratrum, consilio Discretorum de ipsorum penitus consortio publice excludatur, nec admittatur de cætero, nisi cum Fratribus omnibus videatur esse correctus. Item si quis confratri vel alteri cuicumque opprobrium dixerit, quod sonare infamiam videatur, aut ex ira quempiam percusserit, vel ad locum sibi prohibitum ire præsumpserit, seu inobedientiam quamcumque commiserit, aut etiam Prælato mendacium ex industria dixisse deprehensus fuerit, abstinentia panis & aquæ vel exclusione à Capitulo, aut etiam consortio aliorum Fratrum, plus vel minus secundum conditionem personæ & exigentiam delicti grauius & leuius corrigatur. Item si quis commiserit peccatum carnale, talis de consilio maioris partis Professorum fraternitatis illius loci, secundum exigentiam culpæ & conditionem personæ, grauius vel leuius puniatur, sic tamen quod sit cæteris in exemplum, quam punitionem si ferre recusauerit de consilio Discretorum de Ordine expellatur. Circa Sororum correctionem, illud idem volumus in omnibus obseruari.

Cap. XX.

Congregatione Fratrũ & Sororũ & institutione Superiorum suorum, necnon statuto totalis subiectionis istius status sub Priori Generali, & Prioribus Prouincialibus eiusdem Ordinis.

§. 22. In quolibet autem mense semel certa die & hora, per supradictos Priores vel Vicarios ad Ecclesiam Fratrũ & Sororum Sanctæ MARIÆ conuocentur Fratres omnes confratriæ prædictę, verbum Dei & etiam Missam si hora competens fuerit pariter audituri, & tunc per ipsos Priores vel Vicarios ipsis legatur Regula ista, & exponatur, ac de agendis Fratres informent, & negligentes corrigant, & emendent, prout secundum Deum, & istam viuendi formam viderint expedire. In quolibet etiam mense, prima sexta Feria, Sorores ad Ecclesiam huiusmodi conueniant, similiter verbum Dei, & Missam communiter auditurę, quibus etiam legatur hæc Regula, exponatur, de suisque excessibus corrigantur, vt supra. Volumus, quod in qualibet Ciuitate & Terra vbi fuerint Fratres & Sorores confratriæ huiusmodi, habeãt in Correctorem vel Vicarium aliquem idoneum Fratrem Sacerdotem de Ordine prædicto, quem postulauerint à Prioribus præfatis, aut quem ipsi Priores vel Vicarij, per se vel per alios eis assignare decreuerint. Volentes insuper & statuentes, vniuersos Fratres & Sorores huiusmodi confratriæ, vbicumque existant directioni & correctioni ipsius Generalis vel Prioris Prouincialis, pro eorundem ampliori conseruatione & promotione totaliter subiacere, quantum ad illa videlicet, quæ eorundem viuendi modum & formulam concernere dignoscuntur.

Cap. XXI.

Dispensatione facienda rationabili ex causa.

§. 23. Corrector fraternitatis cum Fratribus & Priorissa, cum Sororibus suis, cum Vicario eis deputato, cum ipsis in abstinentiis, ieiuniis & austeritatibus aliis in supradictis capitulis contentis, ex causa legitima eum expedire viderint, poterunt dispensare.

Cap. XXII.

Obligatione huius Regulæ & viuendi.

§. 24. Demum quemadmodum in constitutionibus Ordinis Sancti Augustini continetur. Item volumus & ordinamus, quod in ista Regula seu forma viuendi habeatur, videlicet quod præter diuina, & Ecclesiæ præcepta atque statuta in ea contenta, in reliquis huiusmodi Regulæ constitutionibus siue ordinationibus, Fratres & Sorores ad culpam nullatenus obligentur, sed solum ad pœnam, quæ cum à Prælato vel Generali continget ex quavis transgressione imponi, per transgressorem humiliter & prompte suscipiatur, & etiam opere perficiatur. Cooperante gratia Domini Redemptoris Nostri IESV CHRISTI, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sanctio pœnalis.

§. 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, voluntatis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 7. die 16 Mar.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum 17. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno septimo.

XVI.

Declaratio, & modificatio constitutionum nuper editarum super reformatione Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci.

Hæ constitutiones sunt supra in bulla 13, huius Papæ, Cum generale.

Edita An. D. 1430.

MARTINVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

PErvigilis more Pastoris, Romanus Pontifex animaduertens, commissum sibi gregem Dominicum, per laudabilia Religiosorum exempla, in semita mandatorum

torum Altissimi dirigi, & ad salutarium optionem operum prouocari, nonnunquam super his quæ medio suæ prouisionis ad cõmendabilem sacræ Religionis reformationem processerunt, adiicit, declarat, modificat, ordinat & disponit, prout rerum & temporum qualitate pensata, id in Domino conspicit salubriter expedire,

Cardinalis S. Petri ad Vincula ab isto Pont. destinatus, in Capitulo Generali Assisij coacto, nonnullas edidit const. pro reformatione Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci.

§. 1. Cum itaque pridem dilectus filius noster tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, cui de venerabili fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, per alias nostras literas super hoc plene Legationis officium commiseramus, omnimodam concesseramus facultatem, vigore commissionis, concessionis & literarum huiusmodi, generali Capitulo Fratrum Minorum, quod tunc in ciuitate nostra Assisij celebrabatur præsidendo, nonnullas super reformatione Ordinis dictorum Fratrum Minorum, salubres & honestas constitutiones in eodem Capitulo edidisse noscatur, prout in literis suis eius sigillo munitis vidimus plenius contineri.

Has Pont. eas confirmat, infrascriptis additis declarationibus.

§. 2. Nos constitutionem & literarum earundem tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illasque harum serie approbantes & confirmantes, super eis, vt posterioribus in posterum successibus gratulentur, Motu proprio non ad alicuius instantiam, sed de nostra mera prouidentia, additiones, declarationes, & modificationes auctoritate Apostolica ordinamus, edimus & facimus quæ sequuntur.

Circa curam Monialium.

§. 3. Primo videlicet, quod vbi Fratres particulares dicti Ordinis, Monialium & Sororum Ordinis Sanctæ Claræ, Sancti Damiani, & Minorissarum, ac alia quæcumque Monasteria siue loca Regularia mulierum, per qualcumque etiam Apostolicas literas sibi commissa sub certis pœnis adstringuntur, Ministris Prouincialibus, vt illorum iurisdictioni subsint, prout conuenit assignare, nisi per illos eis denuo fuerint recommissa, adiiciendo decernimus, volumus, & mandamus, Sorores, & Moniales easdem (etiamsi in contrarium habeant, quævis priuilegia, vel indulta, quæ necnon eisdem particularibus Fratribus concessas literas huiusmodi, quoad hoc cassamus irritamus, & annullamus, ad subtrahendum se à subiectione, & obedientia ipsorum particularium Fratrum, & aliorum quorumcunque, nisi de nouo illis recommittantur, vt prefertur) seque omnino ipsorum Ministrorum, & per eos deputandorum Visitatorum iurisdictioni, & obedientiæ submittendum, per eandem constitutionem pari modo adstringi, & pœnis similibus obligari.

Circa prohibitum ad eas ingressum.

Hoc est in c. 11. d. bulla huius Papæ.

§. 4. Præterea decernimus, quod exceptis iis, de quibus in constitutionibus felicis recordationis Benedicti Papæ Duodecimi prædecessoris nostri fit mentio, nulli omnino hominum iam regularium, quam sæcularium, cuiuscumque gradus, præeminentiæ, dignitatis, excellentiæ, nobilitatis, & conditionis fuerint, prætextu sibi desuper quavis auctoritate concessæ cuiuscunque licentiæ, quam similiter cassamus, & irritamus, & annullamus, Monasteria seu loca Sororum, & Monialium huiusmodi, seu aliquod ea eis ingredi, nec etiam Protectori, aut Generali Ministro dicti Ordinis Minorum pro tempore existentibus, seu præfatis Prouincialibus Ministris, & quibuscumque Visitatoribus licentiam super ingressu huiusmodi, aliis ab exceptis antedictis inconsulto Romano Pontifice concedere licentiam quoquo modo.

Diuinique Officij celebratione.

Hoc caput est in 3. cap. d. bulla.

§. 5. Item vbi cauetur de diuino Officio secundum Ordinem dictæ Romanæ Ecclesiæ peragendo, statuimus, quod de omnibus commemorationibus, & festis trium lectionum, festa nouem lectionum fieri, & vtrumque festum Sanctæ Crucis sub duplici officio sine commemorationibus Sanctorum eisdem diebus occurrentium celebrari, prout à piæ memoriæ Gregorio Papa Vndecimo prædecessore nostro fuit ordinatum. Quodque super rubrica de festis occurrentibus infra Octauas festa ipsa non de præcedentibus, sed solum intra easdem Octauas existentibus, sicut etiam nonnulli alij Romani Pontifices prædecessores nostri declarauerunt, intelligi debeat.

Socios quoque Generalis Ministri.

§. 6. Item vbi præfato Generali Ministro duo Socij notabiles, vnus videlicet Citramontanus, & alius Vltramontanus, addito Socio scriptore, & alio Seruitore, cum vno famulo dumtaxat decreti sint, adiicimus eidem duos Famulos, vnum eleemosynarium sæcularem, vel alterius Religionis. Qui quidem Eleemosynarius à Procuratoribus Prouinciarum, aut Prouincialium Ministrorum Conuentuum, vel Domorum, & locorum dicti Ordinis Minorum, omnia illa quæ pro victu, vestitu, equis, famulorum salario, & aliis ipsi Generali Ministro, eiusque comitiuæ necessaria & opportuna fuerint, exigere, & exacta pro huiusmodi necessariis exponere habeat. Quique de præmissis exactis & expositis, eidem Ministro Generali, primum, & deinde Capitulo Generali, loco, & tempore celebrationis eiusdem, vt inibi per totum Ordinem secundum Prouinciarum numerum diuidantur, rationem reddere teneatur. Adiicimus etiam, quod singuli duorum Sociorum Prouincialium Generalis Ministri prædictorum, singulos seruitores Fratres, vel alias personarum suarum, & equorum sibi assignatorum, seruitiis institutos famulos, quibus sicut cæteris de familia eiusdem Generalis Ministri prouideatur, habere valeant atque possint. His tamen, & aliis eis similibus eiusdem Generalis Ministri, prout secundum loca, & tempora, ac longas vel breues motas expedire viderit, moderationi relictis. Cuius etiam Generalis Ministri, vel per eum ad hoc deputandi coërcitioni, & compulsioni, præfati Procuratores & principales eorum, necessaria dicto Eleemosynario forsitan soluere, vel exhibere recusantes, aut solutionem huiusmodi longius debito differentes, super hoc omnino volumus subiacere.

Hoc est in 8. cap. eiusdem bullæ non citata.

Potestatem Generalis Ministri de licentiando aliquem ad Magisterium.

§. 7. Item vbi præfato Generali Ministro interdicitur potestas licentiandi aliquem ad cursum Magisterij, nisi præsentatus fuerit à Ministro suæ Prouinciæ, quem nemo audeat præsentare, nisi de consilio, & assensu Capituli Prouincialis, modificando declaramus, hoc fore intelligendum in illis Prouinciis, in quibus solet Prouinciale Capitulum, vel Congregatio habens vim Capituli singulis annis celebrari, alias idem Generalis Minister de proborum consilio ad magisterij cursum licentiare valeat, atque possit.

Hoc est in 6. §. eiusdem bullæ in 4. declaratione.

Exactionem eidem Ministro prohibitam.

Hoc est in eodem cap. 8. de bulla, in 5. declar.

§. 8. Item vbi dicto Generali Ministro pecuniarum exactio prohibetur, declaramus, quod pro suis necessitatibus possit eleemosynas à quibuscumque recipere, qui sponte illas voluerint erogare, dummodo ab exigendo, & extorquendo penitus abstineat.

Vestimentaque Fratrum.

Hoc est in c. 6. d. bulla dec. 6.

§. 9. De vestimentis autem per Ministros & Custodes, debitis secundum Regulam & constitutiones præfati Benedicti prædecessoris prouisio obseruetur.

Exactionem Prælatis interdictam.

Hoc est in d. c. 8. d. bulla in 6. Declar.

§. 10. Item vbi Generali, & Prouincialibus Ministris, ac Custodibus, & Guardianis, cæterisque Fratribus prædictis inhibetur, ne vllatenus quidquam exigant aliquo colore vel causa, qui secus fecerint eo ipso suis officiis sint priuati, sibique eorum subditi deinceps obedire minime teneantur, & si aliquis Ministrorum Generali Ministro quidquam contribuere præsumpserit, ipso facto suo officio sit priuatus, volumus, & etiam declaramus, contributiones huiusmodi intelligi debere, si in modum exactionum vel extorsionum, tam ex parte dantium quàm recipientium factæ fuerint, non autem modum eleemosynarum supradictum, quem volumus in suo robore permanere. Quod si forsitan taliter obseruatum non extiterit, huiusmodi priuationum in quocumque dictarum constitutionum, per eundem Cardinalem, vt præfertur editarum, loco tangantur, definitionem, & determinationem solum spectare ad summum Pontificem quoad Ministrum Generalem, & ad Generalem Ministrum quoad Ministros Prouinciales, & ad Prouinciales Ministros quoad alios Fratres antedictos. Quas quidem omnes, & singulas additiones, declarationes, & modificationes per nos, vt præmittitur à quibuscumque Fratribus dicti Ordinis Minorum, & aliis, quorum intererit seu interesse poterit, perpetuo, & irrefragabiliter obseruari volumus, & mandamus.

Iuramentum quoque Generalis Ministri.

§. 11. Rursus per iuramentum, quod dilectus filius Guilelmus de Casali eiusdem Ordinis Minorum Generalis Minister, de dispensationem vllam super dictis

Pro praestitum pro eorumdem ... constitutionibus per eundem Cardinalem editis, vel earum aliqua non petendo, vel obtenta non vtendo, in praefato Capitulo Assisij celebrato, vt accepimus praestito, quamplurima eidem Ordini Minorum, cuius prosperitatus directionis onus ipse Guillelmus Minister principaliter incũbit, fructuosa, & vtilia ingruentibus casibus pro tempore impedire, aut in ipsius Ordinis praeiudicium disferri posse, necnon eundem Guillelmum Ministrum, qui est caput, a ctius quam membra ligari minus congruum fore recensentes, sibi iuramentum huiusmodi, cuius formam praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressa, eademauctoritate, motu simili harum serie penitus relaxamus, eumque ad illius obseruant am decernimus, & volumus non teneri.

Derogatio ... §. 12. Praemissis necnon constitutionibus Apostolicis, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscumque. Alijs tamen constitutionibus antedictis, per praefatum Cardinalem editis, in omnibus semper saluis.

Sanctio poenalis. §. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, voluntatis, mitigationis & mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 6. die 17. Iuly. Dat. Romae apud SS. Apostolos, sexto Kalend. Augusti Pontificatus nostri Anno tertiodecimo.

EVGENIVS IV. PONT. CCXI.

ANNO DOMINI MCDXXXI.



EVgenius Quartus, Venetus, D. Gabriel Condolmerius, antea dictus, Presbyter Cardinalis tituli Sancti Clementis, Creatus Romae 5. Nonas, coronatus 5. Idus Martij 1431. Sedit annos 15. menses 11. dies 21. creauit Cardinales 27. Obijt 7. Kalendas Martij anno Domini 1447. sepultus fuit in Basilica Vaticana. Vacauit sedes dies decem.

Amadeus de Sabaudia Felix IV. vulgo dictus Felix V. Pseudopont. in Concilio Basileensi, Non. Nouembris 1439. creatus. Deinde 5. Idus Maij 1449. Pontificatu sponte abdicauit.

I. **Quod S.R.E. Cardinales, in Consistorio secreto pronuntiati, non dicantur creati Cardinales, quousque Cardinalatus insignia nõ susceperint. Nec votum habeant in eligendo summo Pontifice, aut alio acto, quousque licentiam summus Pontifex eis impertiatur.**

Circa huius const. partem primam, vide const. 50. Six. V. Postquam in §. 19. Et quoad secundũ scias die 26. Ianuarij 1571. Pium V. aliter statuisse, quod electionem Papae. Decreuit namque Cardinales in ea vocem habere, etiamsi galerus Cardinalitius eis traditus non esset, neque et clausum, aut si clausum nondum apertum fuisset.

EVGENIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.* *Edita An. D. 1431.*

Exordium. IN eminenti Sedis Apostolicae specula diuina disponente clementia constituti de vniuersis orbis Ecclesiis earumque statu pacifico, & tranquillo cogitare nos conuenit: sed eo propensius ad Romanam Ecclesiam, quae aliarum Ecclesiarum mater, est & magistra aciem considerationis extendimus, quo fulciatis dubijs, & conflictis seu callidis op nonibus, ex quibus possent dispendia, & scandala prouenire penitus confutatis, ipsa Romana Ecclesia pacis, & quietis auctore Domino dirigente optata quietudine perfruatur.

Causa huius declarationis. §. 1. Sanè quanquam ex libris Romani ordinis alias Ceremoniarum nuncupatis, & alijs Ecclesiae Romanae libris, seu antiquis codicibus comprehendi possit, & ex illis resulset, quid nominis, tituli, vel honoris, per secretam pronuntiationem de aliquius persona in eiusdem Rom. Ecclesiae Card. per Romanum Pontificem pro tempore in secreto Consistorio factam, eidem personae in Cardinalem sic pronuntiatae per promotionem huiusmodi acquiratur. Quia in temporibus modernis, quibus aliquoties nonnulli in secreto Consistorio in Cardinales assumpti fuerũt secrete, & eis ex bonis respectibus insignia Cardinalatus saltem omnia, minime assignata fuerunt, nonnullorum aliter scire, quàm oportet sapere satagentium astutas considerationes, & inductiones subtiles iuxta praemissa & eorum effectum nonnulla dubia prodierunt.

Quod Cardinales ante insignium susceptionem, non dicantur creati. §. 2. Nos ad submouendum causam, & occasionem quorumcumque dubiorum quae quomodolibet suborta per iis insurrexere hactenus, & possent insurgere forsan in futurum, de venerabilium fratrum nostrorum Iordani Sabiensis, Hugonis Praenestinensis Episcoporum, & dilectorum filiorum Ioannis tit. S. Laurentij in Lucina, Ludouici tit. S. Caeciliae, Antonij tit. S. Marcelli, Ioannis tit. S. Sixti, Francisci tit. S. Clementis, Angelotti tit. S. Marci presbyterorum, ac Lucidi S. Mariae in Cosmedin, & Arduini Sanctorum Cosmae & Damiani Diaconorum eiusdem Romanae Ecclesiae Cardinalium vnanimi consilio & consensu, praesenti irrefragabili constitutione decernimus, & declaramus, per huiusmodi pronuntiationem sic in secreto Consistorio de quibusuis personis hactenus factam, seu in posterum faciendam, alicui sic, in Cardinalem in praeteritum pronuntiato; seu in posterum pronuntiando, licet per eum ad Cardinalatus initium dispositus videatur nullum ius, seu titulum te aut nomine acquisitum fuisse, aut acquiri potuisse hactenus seu posse, neque aliquem per quempiam per scripturam, vel nominationem pro Cardinali reputari, vel haberi debuisse, seu potuisse hactenus vel debere seu posse quomodolibet in futurum, donec, & quousque de similibus consilio, & consensu sic pronuntiato in Romana Curia praesentis Cardinalatus insignia, videlicet per Capelli tradi traditionem, ac tituli assignationem, annulique iuxta morem consuetum, in digito immissionem; Absenti vero ab eadem Curia per huiusmodi Capelli missionem, realiter sint impensa, aut saltem in generali Consistorio.

Nec votum habeant in eligendo Papa, vel alio actu antequam sit eis licentia tradita data. §. 3. Quodque in Cardinalem sic pronuntiatus, etiam postquam insignia huiusmodi omnia receperit: & etiam admissus fuerit, & receptus, vt praefertur, in electione Romani Pontificis protempore vocem actiuam, aut alio quo actu habuisse, vel habere potuisse, aut debuisse, siue posse, vel debere minime censeatur, donec, &

& quousque per Romanum Pontificem pro tempore existentem de similibus consilio, & consensu sibi in practicandis, consulendis, & deliberandis negotiis Consistorij antedicti, postquam in Consistoriis aliquibus mores in talibus obseruari consuetos expertus, & interrogatus consiliatiue, aut cōsultatiue responsum dandi expressa licentia tribuatur, seu ad hunc effectum (vt verbis vtamur communibus) os fuerit os apertum. Decernentes irritum, & inane quicquid in contrarium per quoscumque etiam prædecessores nostros, aut alios quavis auctoritate scribendo, nominando, seu etiam reputando scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari.

Alioquin pœnas hic enunciatas incurrunt. §. 4. Si quis autem in Cardinalem sic pronunciatus, contra præmissa Cardinalem pertinaciter se ausus fuerit nominare, eoipso ex tunc omni iure quod sibi quomodolibet acquisitum prætendere posset, priuatus sit, & perpetuam inhabilitatem incurrat ad huiusmodi Cardinalatus honorem. Cæteri vero in hoc ei adhærentes, vel dantes consilium, seu fauorem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à qua (præterquam in mortis articulo constituti) nequeant ab alio, quàm à Romano Pontifice absolutionis beneficium obtinere.

Quibuscunque non obstan. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegiis, indultis, concessionibus, & exemptionibus Apostolicis specialibs vel generalibus sub quacumque verborum forma etiam pœnas & censuras in se continentibus, in contrarium editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 1. die 26 Oct. Nulli ergo nostræ constitutionis, & declarationis, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1431. 7. Kalendas Nouembris Pontificatus nostri Anno primo.

Cardinalium subscriptiones. Ego Ioannes Cardinalis Sancti Laurentij dictus Rothomagen. subscripsi.

Ego Ludouicus tituli Sanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis Arelaten. subscripsi.

Ego Antonius tituli Sancti Marcelli presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes tituli Sancti Sixti presbyter Cardinalis manu propria subscripsi.

Ego E. tit. Sancti Clementis presbyter Cardinalis manu propria subscripsi.

Ego A. tituli Sancti Marci presbyter Cardinalis manu propria subscripsi.

Ego Iordanus Episcopus Sabinen. manu propria subscripsi.

Ego N. Cardinalis Cypri Episcopus Prænestinen. subscripsi.

Ego Ludouicus Cardinalis de Comitibus manu propria subscripsi.

Ego A. Cardinalis Noua manu propria subscripsi.

Publicatio & registratio in quinterno Cãcellariæ. Lecta & publicata fuit hæc cōstitutio de mandato SS. D.N. Papæ, in Audientia contradictarum, & Cancellaria Apostolica die 8. Nouembris, videlicet quinto Idus, in præsentia Reuerendissimi in Christo Patris & D.B. Patriarchæ Graden. dictam Cancellariam Regentis, R.P.D. Apostolicarum literarum Correctoris, venerabilium virorum DD. de Præsidentia, & aliorum in copioso numero Scriptorum, & Abbreuiatorum, vt moris est, & deinde in Quaterno isto authentico de mandato ipsius D. Regentis sic inscripta.

II. Quod Congregatio Monachorum de Obseruantia S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti, quæcunque legata pia, eius Monasteriis & locis, quamvis non expressis facta acceptare, & ad ea consequendum procuratores constituere, & iuxta Capituli generalis & Visitatorum iudicium distribuere possit.

De his Monachis vide infra in const. 1. Iul. II. Super Cathedram.

Edita An. D. 1431. EVGENIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. Dispositione diuina gregi Dominico quamvis immeriti præsidentes, dum præclara dilectorum filiorum Congregationis Monachorum de Obseruantia S. Iustinæ, Ordinis S. Benedicti merita recensemus, intra nostræ mentis arcana, & commendabiles, quibus eorum ministeriis erga Deum, & homines indesinenter exuberant fructus, digne nostros diffundimus cogitatus, votis illis gratum libenter offerimus auditum, per quæ ipsorum statui, ac indemnitatibus consuli, possit, eorumque Religio salubria iugiter suscipiat incrementa.

Causa huius const. §. 1. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte Congregationis huiusmodi petitio continebat, eis diuersæ donationes, & legata facta fuerint ipsorum Monasteriis siue locis non expressis, & propterea ab aliquibus hæsitatur, an Congregatio prædicta cum illius singulares personæ proprietatis incapaces sint præmissa, super quorum aliquibus lis indecisa pendet, & quæ deinceps eis annuente Domino fient donationes & legata valeant acceptare.

Indultum de quo in rubr. §. 2. Nos omnem super iis ambiguitatis materiam remouere, necnon conscientiarum scrupulis obuiare cupientes, ipsius Congregationis in hac parte supplicationibus inclinati, quod Congregatio prædicta donationes & legata huiusmodi acceptare, necnon ipsa vel eius Visitatores pro præmissis & etiam quæ dictis Monasteriis, ac locis hactenus facta fuerunt, & in antea fieri contigerit donationibus legatisque vendicandis, ac recipiendis, Syndicos, siue Procuratores constituere, & deputare, necnon donationes, & legata prædicta etiam quæcumque, & qualiacumque fuerint, prout generali prædictæ Congregationis Capitulo siue dictis Visitatoribus pro tempore videbitur inter huiusmodi Monasteria, atque loca illorumque personas, & alias in dictæ Congregationis vsus, ac pro felici eius statu, & directione dispensari, conuerti, & distribui licite possint, auctoritate Apostolica decernimus, & indulgemus per præsentes.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus litis pendentia huiusmodi, ac constitutionibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Monasteriorum locorum, & Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 9. Nou. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1431. 5. Idus Nouembris, Pontificatus nostri Anno primo.

III. Declaratio & mitigatio Regulæ Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, ab Honor. III. hactenus approbatæ.

Hanc regulam approbauit Honor. III. sup. in const. 8. Vt viuendi. Eamque primo mitigauit Innoc. IV. sup. in constit. 6. Quæ honorem. Quam regulam secundum mitigationem d. Innoc. obseruant Fratres qui Discalceati nuncupantur, vt ibidem plene notaui. Postmodum hanc eandem regulam hic Eugen. & successiue Pius II. & Six. IV. iterato mitigarunt, vt infra in ipsius Six. const. 11. Dum attenta. Et hanc vniuersi alij Fratres obseruãt, qui etiam Mitigati appellantur. Et hic Ordo est vnus de Ordinibus Mendicantium, vt inf. in Pij V. const. 44. Romanus, eorumque priuilegiis fruitur, vt ibidem. Et ideo eius bullam Mare magnum nuncupatam prætermisi, tanquam ferè eandem cum bulla Fratrum Prædicatorum, & Fratrum Minorum, & alia notaui sup. in d. Const. Honor. III.

Edita An. D. 1431. EVGENIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. Romani Pontificis prouidentia circumspecta nonnunquam ea, quæ ad propagationem Religionum

quarumcunque, & diuinis obsequiis mancipatarum personarum prosperum statum conseruandum, ac animarum salutem earundem salubriter instituta fuerunt, vt fructum afferant exoptatum, reformat, & moderatur. Et vt Religiones ipsæ, præsertim à Sede Apostolica approbatæ, in suo vigore perdurent, prout temporis pensata qualitate in Domino prospicit expedire, libenter impendit suæ sollicitudinis partes.

Ordo Carmelitarum supplicat pro mitigatione regulæ Hon. III. in tribus Capitibus.

§. 1. Sanè cum sit nobis pro parte dilectorum filiorum Ioannis Faci Magistri Generalis, ac Prouincialium, & claustralium Priorum, & vniuersorum Fratrum Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo nuper expositum, quòd in certis Capitulis regulæ Fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Albertum Patriarcham Ierosolymitanum traditæ, inter cetera cauetur expresse: Quòd Fratres prædicti Ordinis ab esu carnium abstineant, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur: eisdem etiam: Quod singulis diebus, Dominicis dumtaxat exceptis, à festo Exaltationis Sanctæ Crucis, vsque ad festiuitatem Resurrectionis Domini nostri IESV CHRISTI ieiunare teneantur: Quodque singuli eorum manere debeant in cellis suis, die ac nocte in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes, præcipitur.

Quia Multi diffidentes eorum obseruantiam, retrahūtur ab illa Religione.

§. 2. Et propterea nonnulli ipsius Ordinis professores, propter arctitudinem, & rigorositatem Regulæ huiusmodi, tam ex fragilitate humana, quam ex debilitate corporea nequeuntes eandem Regulam obseruare, dispendium suæ salutis incurrant. Quòd plures etiam asperitatem huiusmodi pertimescentes, ab ingressu eiusdem Ordinis retrahantur.

Hic ideo Pont. d. regulā moderatur quoad esum carnium.
Imo Sixt. IV. latius moderatus est. in rub.

§. 3. Nos verò, qui plantare Religionem sacram, & plantatam modis omnibus fouere intensis desideriis affectamus, super hoc, quātum nobis est possibile, prouidere salubriter cupientes, & rigorem huiusmodi quadam temperie mitigantes, ac regulam ipsam moderantes, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, ordinamus, & concedimus, quod dicti Ordinis professores, qui nunc sunt, & pro tempore erunt, tribus dumtaxat diebus singularum septimanarum, etiam quibus, vt præfertur, ieiunare iuxta eandem regulam sint adstricti, præterquam in Aduentu, & in Quadragesima, & aliis generalibus prohibitis diebus carnibus vesci.

Mansionemque in Cellulis.

§. 4. Ac horis congruis in eorum Ecclesiis, & illorum Claustris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare licite, & libere valeant.

Dispensat ab obseruantia strictioris regulæ.

§. 5. Decernentes eos, & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem obseruātiam, quam supra præmittitur, occasione professionis in dicto Ordine emissæ, vel in posterum emittendæ minime teneri.

Priuilegiisque Ordinis gaudere concedit.

§. 6. Et nihilominus Fratribus eisdem, qui Regulam ipsam, ita vt præmittitur, moderatam obseruauerint, quòd eis proficiat in remissionem peccatorum, omnibus & singulis priuilegiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, protectionibus, & prærogatiuis eidem Ordini per antea concessis, vti, & gaudere possint, eadem auctoritate concedimus per præsentes: constitutionibus Apostolicis, & statutis, consuetudinibus etiam prædictis, & aliis Ordinis, & Regulæ prædictis capitulis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate vallatis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Eligendique confessorē qui eos absoluat &c. Tu ad hæc vide const. 115 Clemen. VIII. Quæcunque.

§. 7. Et vt ipsi Fratres in humilitatis, & paupertatis, spiritu, ac castimonia virtutum Domino famulantes, ad huiusmodi mitigatam regulam obseruandam feruentius animentur; omnibus, & singulis Fratribus dicti Ordinis, præsentibus, & futuris dumtaxat, qui regulam istam, sic, vt præmittitur, moderatam obseruauerint, seu in obseruantia ipsius vixerint, vt Superiores ipsorum dicti Ordinis, vel alius quicumque idoneus eiusdem Ordinis sacerdos, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo plenam remissionē in statu, & sinceritate S.R.E. ac obedientia, vel deuotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, necnon obseruantia prædicta persistente auctoritate Apostolica, concedere valeant, deuotioni ipsorum, tenore præsentium indulgemus. Sic tamen, quod iidem Superiores, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda eisdem Fratribus, si superuixerint, vel per alios, si forte transierint, & faciendam iniungant: quam ipsi Fratres facere teneantur, vt præfertur.

§. 8. Et ne, quod absit propter huiusmodi gratiam, Fratres prædicti reddantur prochuiores ad illicita in posterum cōmittenda, volumus, quod si ex confidētia remissionis huiusmodi, prædicti Fratres aliquando forte cōmitterēt, quoad illa prædicta remissio nullatenus suffragetur. *Hoc vlterius declarat.*

§. 9. Et insuper, quòd per vnum annum, ex quo nostra præsens concessio ad eorundem Fratrum pro tempore existentium notitiam peruenerit, computando, singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante, ieiunent. Quòd si prædictis sextis feriis ex præcepto Ecclesiæ, regulari obseruantia, iniuncta pœnitentia, voto, vel alias ieiunare teneantur, vna alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum non sint adstricti, ieiunent. Etsi in dicto anno, vel aliqua eius parte essent legitime impediti, anno sequenti, vel alias quam primum poterint, modo simili, supplere ieiunium teneantur. Porro, si alias forsan prælibatum ieiuniū in toto, vel in parte adimplere commode non poterint, eo casu Superiores ipsōrum, ipsorum ieiunium ipsum in alia pietatis opera, prout saluti animarum illorum videtur expedire, commutare valeant, quæ ipsi pari modo debeant adimplere. Alioquin nostra huiusmodi præsens concessio, quoad non obseruantes dumtaxat, nullius esset roboris, vel momenti. *Et iterum declarat.*

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis dominicæ 1431. 15. Kalend. Martij, Pontific nostri Anno 1. *Dat. P. An. 1. die 15. Feb.*

Priuilegium Curialium siue Officialium Sedis Apostol. obsequiis existentium, aliorumque pro eorum negotiis ad eandem Sedem venientium, & apud eam commorantium, aut inde recedentium, ne interim extra Romanam Curiam conueniantur. V.

Hoc priuilegium, quoad Officiales actu exercentes, innouauit & declarauit Leo X. inf. in eius const. 10. *Regimini. Et quoad Clericos beneficiatos respectu suorum Ordinariorum, reuocauit Concilium Tridentinum in cap. 1. sess. 23 & cap. 11. sess. 24. Ac generaliter restrinxit Pius IV. ad eos qui per annum in Curia resederint, vt infra in eius const. 56. Inter multiplices pastoralis, §. præterea, & Paul. V. in const.* **24.** *Vniuersi, in §. de Aud. Cameræ.*

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1431.*

Exordium.

Diuina in eminenti Sedis Apostolicæ specula disponente clementia constituti, ad ea libenter intendimus, per quæ Officiales prædictæ Sedis obsequiis eius, ad quam veluti fidelium omnium matrem pro animarum salute quærenda, & iustitia consequenda, de diuersis mundi partibus confluit multitudo, tutius, & quietius se promptiores valeant exhibere.

Priuilegium de quo in rub. Hæc bulla inter extrauag. cōmunes, sed eā posui quia semper est in manibus Curialium, & ut sciant aduocationes positas in rub.

§. 1. Hinc est, quod nos ex certis rationabilibus causis moti, etiam nonnullorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, districtius inhibemus locorum Ordinariis, necnon commissariis, & delegatis eorum, cæterisque vniuersis, & singulis, quacumque potestate, & auctoritate præfulgeant, cuiuscumque dignitatis, gradus, vel præeminentiæ fuerint, ne contra Officiales præfatos quocumque nomine nuncupentur, in nostris, & dictæ Sedis obsequiis, nunc & pro tempore existentes, necnon quoscumque alios pro suis, & eorum causis, & negotiis prosequendis ad Sedem prædictam venientes, ac in ea (durante negotiorum, & causarum huiusmodi prosecutione) moram trahentes, & recedētes ab eadem procedere, aut in eos excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut priuationis officiorum, vel beneficiorum, seu quāuis aliam senten

sententiam promulgare præsumant, Nos enim omnes & singulos processus, ac sententias contra tenorem, & mentem nostræ inhibitionis huiusmodi latas, & habitas, ac in posterum habendas, & promulgandas, & quæcumque inde secuta declaramus nulla, irrita, & inania, nulliusque extitisse, vel existere roboris, vel momenti, necnon quicquid in contrarium à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, etiam decernimus irritum & inane.

Pœna aduersus eorum perturbatores. §. 2. Et nihilominus in omnes, & singulos Ordinarios, ac officiales, commissarios, & delegatos eorum, qui se de dignitatibus, aut beneficiis Ecclesiasticis quibuscumque, officialium, aut negotia huiusmodi apud dictam Sedem prosequentium prædictorum eos illis forsan priuando, aut priuatos decernendo, vel declarando, seu cuiuscumque priuationis prætextu illa personis aliis conferendo, seu de illis in eas quomodolibet intromiserint tam in dantes quam in recipientes, excommunicationis, suspensionis, & interdicti latas sententias promulgamus, quas volumus eos incurrere ipso facto. A qua quidem excommunicationis sententia absolui nequeant, nisi à nobis, vel per nos deputandis, præterquam in mortis articulo constituti.

Hæc affixio non inuenitur sed eius obseruantia est notoria, & confirmatio colligitur ex bulla sit in rub. Derogatio contrariorum. §. 3. Præmissa autem è die affixionis præsentium ad valuas basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe ex certa scientia quoscumque ligare volumus, & arctare.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, & quibuscumque generalibus, prouincialibus, vel synodalibus Conciliis editis, constitutionibus, & ordinationibus, ac priuilegiis, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodolibet, vel differri, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus habenda esset præsentibus mentio specialis, & quæ præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis. §. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, declarationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. An. 5. 8. Martij. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo secundo, octauo Idus martij, Pontificatus nostri Anno secundo.

V. Approbatio Congregationis S. Iustinæ de Obseruantia Monachorũ Ordinis S. Benedicti, cum declaratione circa Capituli Generalis celebrationem, Definitorumque ac Visitatorum, Abbatum, & Priorum electionem, & auctoritatem.

Hæc bulla in secunda eius parte confirmatur à Gregor. XIII. in const. 16. Nihil. Alia autem istam Congregationem concernentia notabo in const. 1. Iulij 2. Super. Et inde videbis, eandem Congregationem Cassinensem appellari.

Edita An. D. 1433. EVGENIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. ETsi ex sollicitudinis debito pastoralis, sub regulari obseruantia singulis Altissimo militantibus, in his per quæ suis statui & indemnitatibus consulitur, nos fauorabiles esse deceat, pariter & benignos, præclaram tamen dilectorum filiorum Monachorum de obseruantia Sanctæ Iustinæ Congregationem Ordinis S. Benedicti, ad quos etiam antequam diuina fauente clementia ad apicem Summi Apostolatus assumeremur, specialem gessimus, in Domino charitatis affectũ spiritualis dono lætitiæ vitam, & conuersationem contemplantes, quibus eis aliisque proficerent, & salutaria piis fidelium mentibus exempla transmittunt, tanto solertius ea prosequi, necnon instaurare, studiis gerimus assiduis, per quæ Congregationis huiusmodi status feliciter adaugeri, solidarique poterit, quanto per assumptionem huiusmodi maior nobis desuper attributa facultas est, & ampliorem Christicolis speramus iugiter prouenire salutem.

Omnes Monachi Congregationis S. Iustinæ vel eius professi vnam Congregationẽ constituunt quã ab ipso Pontifice approbauit. §. 1. Attento itaque quod fel. record. Martinus Papa Quintus prædecessor noster, nonnulla eisdem Monachis contulit priuilegia, quæ non vsque adeo ad pleniorem eiusdem Congregationis soliditatem, augmentumve sunt sufficientia, ideirco nos propter dictorum Monachorum laudabilem vitam, & exemplares mores nobis diu cognitos præfatorum prædecessorum nostrum sequentes, atque vbi opportunum fuerit nonnulla innouantes, & adiicientes proprio motu, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, necnon irrefragabili, perpetuaque constitutione sancimus, & præsentium serie statuimus, volumus pariter, & ordinamus, quod omnes & singuli dictæ Congregationis ordinem ipsum professi, præsentes & futuri, quamuis in diuersis pro tempore Monasteriis siue locis morentur, vnum tamen corpus, & vna Congregatio existant. Quam quidem Congregationem auctoritate, & scientia similibus approbamus, & vt à Christi fidelibus reuerentia & deuotione habeatur hortamur, eamque sub Ordine, & regula B. Benedicti esse declaramus, atque constituimus.

Capitulum generale singulis annis congregetur, nec ante eius dissolutionem locus alterius futuri Capituli eligatur. §. 2. Quodque pro eorum salubriori statu in loco ad id congruo, generale iuxta laudabilem quæ desuper dudum viguit consuetudinem Capitulum per eos singulis annis celebretur, nec illud postquam inchoatũ fuerit, donec pro alio futuro celebrãdo Capitulo similis locus electus, & acceptatus extiterit, quomodolibet dissoluatur.

In quo nouem eligantur Definitores; qui statuta & alia facere possint quæ pro statu Congregationis necessaria fuerint, vel opportuna. §. 3. In quo quidem Capitulo, nouem ex his qui in illo habere vocem possunt eligantur Definitores, qui sic electi totum Capitulum præfatum repræsentãtes, pro salubri dictæ Congregationis successu, statuta, constitutiones, & ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus ipsius Congregationis, ac præfatæ regulæ statũ, obseruantiam, & indemnitatem, necnon circa diuini officij directionem, & ordinationem, absque tamen ipsius regulæ variatione substãtiæ, vel effectus, interpretationem, seu declarationem quomodolibet concernere poterunt, auctoritate prædicta instituendi, ordinandi, interpretãdi, declarandi, necnon ea quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata fuerint, in toto vel in parte, prout rerum & temporum qualitates exegerint, amouendi, alterandi & in melius commutandi, plenam & liberam in omnibus habeant facultatem. Quorum Definitorum statutis, constitutionibus, ordinationibus, & definitionibus, & correctionibus, singuli de Congregatione huiusmodi cuiuscumque dignitatis, status, gradus, siue conditionis existant in omnibus efficaciter parere teneantur.

De Monachis eorum disponendis. §. 4. Volentes, ac statuentes quod huiusmodi Definitores de prædictis Monasteriis, & locis; ac eorum bonis prout vtilitatibus prædictæ Congregationis videbitur expedire, libere disponere.

Abbates, & Priores eligãt & pariter destituant. Hoc explicatur hoc idem Pont. etiamsi vacatio reseruetur apud Sedem Apost. vt refertur inf. in Greg. 13 const. 16. Nihil quã hæc omnia confirmauit, maioribus additis pœnis. §. 5. Necnon eos ex ipsis Monachis præsentibus & futuris, quos ad id idoneos iudicauerint, in Abbates, & Priores vacantium pro tempore Monasteriorum, ac Prioratuum huiusmodi alias iuxta dictæ Congregationis constitutiones, ordinationes, & statuta eligere siue nominare, necnon ad beneplacitum eorum taliter electos siue nominatos, absque aliqua dictæ causæ cognitione à regimine & administratione dictorum Monasteriorum quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censeantur, absoluere, & amouere, ac etiam omnia & singula, quæ in præmissis omnibus, & circa ea quomodolibet necessaria vel opportuna fuerint, facere & exequi libere, & licite possint & valeant.

Visitatores in eodẽ Capitulo deputentur quorum vnus Præsidentis locum teneat; ad quem singula Congregationis negotia deferantur. §. 6. Plane ne post dissolutionem huiusmodi Capituli prædicta Congregatio regiminis solatio destituta remaneat, quinque vel plures prout Definitoribus huiusmodi visum fuerit Visitatores deputentur, quorum vnus iuxta ipsorum Definitorum dispositionem, Præsidentis vicem, nomenque suscipiat, & ad eum secundum huiusmodi Capituli decreta, singula prædictæ Congregationis negotia deferantur, ipsique Præsidens & Visitatores omnia & singula faciant, disponant & exequantur, super quibus ab huiusmodi Capituli maiori potestate fuerint, vel quæ ab eo receperint in commissis, aut alias iuxta eorum constitutiones, & statuta, quorum officia vsque ad sequens

anno proxime futuro tunc celebrandum huiusmodi Congregationis Capitulum dumtaxat durent.

Locus pro futuro Capitulo electus non mutetur nisi, &c.

§. 7. Locus autem Capituli prædicti, postquam electus, & acceptatus fuerit, absque rationabili causa, de Præsidentis quoque necnon maioris partis Visitatorum eorundem assensu, nullatenus immutetur.

Prælatorum obedientiæ omnes subsint.

§. 8. Præterea omnes & singuli præsentes & futuri dictæ Congregationis Prælati, necnon monachi conuersi & commissi, sub præfatorum Visitatorum & consequenter illorum Prælatorum, in quorum Monasteriis siue locis ipsi monachi conuersi & commissi morantur, obedientiis sistant, eas hinc inde prout decens fuerit humiliter impensuri.

Ad religionem nemo à Prælato recipiatur nisi præuia matura deliberatione atque consensu duarum partium Conuentus.

§. 9. Et insuper ne facilitate præcipiti religionis iugum quis acceptet nullus ex Monasteriorum siue locorum huiusmodi Prælatis, absque deliberatione matura, necnon duarum partium sui Conuentus assensu, quempiam in monachum siue conuersum Monasterij siue loci cui præsit, quomodolibet ad professionem recipiat, aliter verò inibi recepto, nisi postea prædictus accedat assensus standi vel morandi ibidem sit penitus interdictum.

Alia insuper obseruare voluit Sext. V. in const. 71. Cum de Translatis de monasteriis, in quibus professi sunt, ad alia monasteria, ab illis absolutis, & pro in illis professis habeantur, donec in illis permanserint.

§. 10. Sane vt cuiuslibet materia turbationis adempta personæ Congregationis huiusmodi quietius valeant Altissimo famulari, omnes & singuli quos de Prioribus in quibus professi fuere Monasteriis & locis, ad alia præsentia & futura dictæ Congregationis Monasteria siue loca, iuxta ordinationem Capituli huiusmodi transferri contigerit, aut alias pro conuentualibus quomodolibet deputari, ex tunc ab ipsis Prioribus, Monasteriis, atque locis realiter absoluti sint, & aliorum Monasteriorum locorumque prædictorum quandiu steterint ibidem monachi, ac suppositi reputentur, & pro conuentualibus inibi habeantur, in actibus & negotiis capitularibus, ac si ibidem professi fuerint.

Omnia monasteria suis iuribus vtantur.

§. 11. Porro ne præmissorum occasione Monasteriis, & locis Congregationis huiusmodi vel eorum alicui detractum fore quomodolibet æstimetur, omnia Monasteria, & loca prædicta necnon illorum Prælati, atque personæ quibuslibet eis à Sede Apostolica, vel alias qualitercumque concessis, de iure seu consuetudine quomodolibet debitis iuribus, præeminentiis, ac dignitatibus inconcusse gaudeant, & vtantur, dummodo illa præmissis, & aliis huiusmodi Congregationis ordinationibus, & institutis non obsistant, nec propterea ex Monasteriis ipsis vnum reputetur alteri subiectum, sed eis in sua libertate remanentibus illa vicissitudinis adminiculo coniuncta sub felici dictæ Congregationis regimine vniformi regularis obseruantiæ gressu sibi inuicem suffragentur.

Decreta pro reformatione alicuius monast. fienda, & de consensu Congregationis in publicam formam redacta, Apostolico munimine roborata censeantur.

§. 12. Adiicientes quod quotiescumque Prælatus aliquis Monasterium cui præfuerit ad eiusdem Congregationis obseruantiam reducere, & sub illa reformare delegerit, iuxta statuta, decreta, necnon ordinationes Congregationis huiusmodi, prout congruentius poterit ipsam reformationem faciat, eiusque desuper acta, conuentiones & modi quæ de consensu Congregationis eiusdem, vel illorum quos ad id deputauerit in formam publicam redacta fuerint, eo ipso confirmationis Apostolicæ sint robore suffulta.

Mart. V. decreuit Electiones à Congregatione canonice celebratas à Sede Apost. confirmatas esse censeri: & redditus certo modo diuidi.

§. 13. Sane cum prædictus prædecessor prædictæ Congregationi concesserit, quod vacantibus Monasteriis, quæ tunc erant dictæ Congregationis, electiones rectè & canonice celebrandæ à duobus partibus eligentium auctoritate Apostolica confirmatæ ipso facto censerentur, Quodque de omnibus redditibus Monasteriorum prædictorum quinta pars pro decenti sustentatione Prælatorum deputaretur, aliæ verò quatuor partes per Cellararios absque contradictione Prælatorum in monachorum, & conuentuum vtilitatibus dispensarentur.

Hic aut. Pont. hæc reuocat, & aliter statuit.

§. 14. Nos attendentes quod huiusmodi ordinationes & decreta, non ad conseruationem & augmentum dictæ Congregationis, sed ad eius dispendium maximum cederent, & detrimentum, omnia & singula statuta, ordinationes, & decreta electionum, & redditaum diuisiones huiusmodi reuocamus pariter & annullamus. Volentes & statuentes quod electiones Abbatum & Priorum ad dictæ Congregationis Capitulum generale, aut Præsidentem, & Visitatores iuxta concessam eis vt præfertur, facultatem, & eorum constitutiones, & Statuta pertineant, quibus taliter electis, iuxta regulam B. Benedicti, & eorum constitutiones Monasteria ipsa siue loca, & eorum bona tam in spiritualibus quam temporalibus regendi & gubernandi, libera & licita sit facultas.

Contrariisque omnibus derogat.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiamsi de illis specialis & expressa, ac de verbo ad verbum præsentibus mentio habenda esset, quibus quoad præmissa specialiter derogamus, necnon Monasteriorum, Prioratuum & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. P. A. 1431. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1432. nono Kal. Decemb. Pont. nostri secundo.

VI.

Quod Festiuitas Sanctissimi Corporis CHRISTI, etiam in Octaua celebretur duplicatis indulgentiis à Prædecessoribus Pont. concessis.

Hanc Festiuitatem instituit Vrb. IV. vt sup. in eius const. 1. Transiturus vbi alia indicant.

Edita an. D. 1433.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXcellentissimum Corporis & Sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI Sacramentum quod appropinquante passionis eius hora Dominus ipse signum præcipui quo nos dilexit amoris salubriter instituit, eiusque commemorationem sacratissimam iugi mentis exultatione contemplantes, ad hoc inter singulos huiusmodi mercatos sanguine spiritualia dispensare munera votis exposcimus, vt illi condignis assurgentes laudibus, sua frequentius ad ipsius venerationem Sacramenti corda dirigantur, & eo quo corporalis habetur præsentia Saluatoris viatico fructus vitæ complectentes æternæ cælestia conscendant, ipsum, qui se nobis in edulium tribuit perpetuo conspecturi.

Vrb. & Mart. V. const. vide vt in rub.

§. 1. Sane dudum piæ mem. Vrbanus Papa Quartus prædecessor noster, &c. Et subsequenter Martinus PP. V.

Omittitur narratiua harum const. quia habes supr.

Duplicatio indulgentiarum.

§. 2. Nos verò quos interim ad summi Apostolatus apicem diuina clementia perduxit, etiam pro frequentiori huiusmodi veneratione Sacramenti summis gestientes affectibus nostri partes ministerij salubriter impertiri, necnon relaxationes, & concessiones prædictas Apostolici robore muniminis ipsorum nationi fidelium committentes præmissis per eundem Martinum prædecessorem, vt præfertur relaxatis diebus alios totidem dies pariformiter ab ipsis fidelibus consequendis adiicimus per præsentes.

Iussio recitandi hanc const. inter lectiones nocturnas d. Festi, & Octauæ.

§. 3. Et insuper vniuersos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos monemus ac hortamur in Domino, ac eis per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, & in remissione peccaminum iniungimus, vt per se vel alios eorum subditos per singulas suarum Ciuitatum & diœcesum Ecclesias in dominica feriam & festum prædicta proxime præcedente, salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti huiusmodi monitis & exhortationibus præsentium, quarum etiam tenor inter matutinales festorum necnon dierum octauarum huiusmodi lectiones recitetur, literarum continentia & effectu publicare & insinuare procurent, vt eiusdem Sacramenti suffragante mysterio subditi & fideles ipsi spiritualium gratiarum vberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui se per ipsum immolauit hostiam post hunc vitæ cursum ad gloriam perducantur æternam.

Fides transumpto.

§. 4. Verum quia difficile foret huiusmodi literas singulis exhiberi, volumus & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica, & sigillo alicuius Episcopalis vel superioris Ecclesiasticæ Curiæ munito, tanquam præfatis si originales exhiberentur literis plena fides adhibeatur, & perinde ac si originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum

D.P. A. 3. die 26. May. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1433. septimo Kalend. Iunij, Pont. nostri Anno tertio.

VII. Contra simoniacæ prauitatis reos, eorumque mediatores.

Similis constitutio Pauli II. est inter extrauagantes communes in tit. de Simon. & vtraque istarum, cum cæteris aliorum Pontificum constitutionibus, confirmatur à Pio Quinto infr. in const. 5. Cum primum.

Edita An. D. 1434. *EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Detestatio simoniæ. CVm detestabile scelus simoniacæ prauitatis tam diuinarum scripturarum, quam sacrorum Canonum auctoritas abhorreat & damnet, nos considerantes, quod plures peccatorum grauitas, quam Dei timor auertere solet à voluntate peccandi, ac summis desideriis affectantes, vt hoc pestiferum vitium non ex vsu solum, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter pœnarum metum penitus euellatur.

Innouatio & auctio pœnarum contra simoniæ prauitatis reos, eorumque complices. §. 1. Prædecessorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærendo, ac etiam omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, priuationis, & interdicti sententias, censuras, atque pœnas dudum à Pontificibus prædictis, & pro talibus reputatis contra simoniacos quomodolibet latas, & quas illos cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginal, vel alia quavis Ecclesiastica, seu mundana dignitate præfulgeant, & eorum quemlibet tam manifestum quam occultum ipso facto incurrere volumus, confirmantes & innouantes, auctoritate Apostolica declaramus, quod omnes illi qui simoniace ordinati fuerint, à suis sint ordinibus suspensi, per electiones vero, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniæ labe fieri contigerit, & quæ viribus omnino careant, in Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesiasticis, quibusuis beneficiis, aut aliquo eorum cuicumque ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad omnium illorum quæ perceperit restitutionem, sub animæ suæ periculo sit adstrictus. Statuentes præterea, quod vniuersi & singuli & etiam præmissa dignitate prædicti, qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existenti non possint absolui, præterquam in mortis articulo constituti.

Et non reuelantes. §. 2. Et vt huiusmodi labis contagium frequentius reprimatur, omnibus & singulis, Ecclesiasticis, sæcularibus personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, seu conditionis fuerint, in virtute sanctæ obedientiæ districte iniungimus, vt eos omnes, quos simoniam huiusmodi commisisse vel procurasse, aut in ea mediatores esse sciuerint, Pontifici prædicto, vel eius Camerario, aut cui idem Pontifex duxerit committendum per se vel per alios reuelare quam citius non omittant, quod si non fecerint, absolui non debeant, donec prædicta reuelent. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 4. die 18 May. Dat. Romæ apud S. Chrysogonum, Anno Incarnationis Dominicæ 1434. XV. Kalend. Iunij Pont. nostri Anno 4.

VIII. Ampliatio indulti à Greg. IX. concessi eremo Camaldulensi Monachorum Ordin. S. Benedicti, recipiẽdi religiosos aliorum Ordinum.

Hoc indultum Gregor. IX. est const. 1. supr. Feruor vbi alia remissiue notant.

Edita A. D. 1435. *EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Priori, & vniuersis Fratribus domus Fratrum Eremi Camaldulensis, præsentibus, & futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. ILla quæ pro tranquillo personarum sub Religionis habitu, domino famulari desiderantium studio, præ vitæ statu prouide facta sunt, vt illibata persistant, cum à nobis petitur, Apostolicæ confirmationis robore communimus, eaque ampliamus, & extendimus, prout in Deo hoc conspicimus salubriter expedire.

Greg. nostri bulla est sup. §. 1. Sanè dilectorum filiorum prioris, & fratrum domus Eremi Camaldulensis, per Priorem solitæ gubernari, nuper habita petitio continebat, quod olim felicis recordationis Gregorius Papa IX. prædecessor noster, Priori, qui tunc erat, & Fratribus dictæ Eremi, pro eorum, & ipsius Eremi incremento quasdam literas concessit in hæc verba.

Hæc bulla non inseritur, quoniam habes eam suprà.

Dubitatio super eiusdem bulla obseruantia. §. 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, propter diuersa priuilegia, & indulta diuersis Congregationibus diuersarum domuum, & Monasteriorum, ex post per Apostolicam Sedem concessa, necnon diuersas alias constitutiones, & ordinationes editas, concessioni præfati prædecessoris nostri, plurimum derogatum existit; propter quod multi, qui in dicta Eremo Altissimo famulari affectant, ab eorum proposito retrahuntur. Quare pro parte dictorum Prioris & Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis super hoc opportune prouidere, dictæque concessioni robur Apostolicæ confirmationis adiicere, & etiam quantum opus est, ipsam ampliare de benignitate Apostolica dignaremur.

Huius Pontificis extensio. Confirmauit Greg. 13. vt infrà in eius bull. 99. Quæ obstabat const. 87. Pij V. Quòd si quis. §. 3. Nos itaque de præmissis plenius informati, prioris & Fratrum prædictorum supplicationibus inclinati, concessionem prædictam, necnon dictas literas, & quæcumque in eis contenta, rata, & grata habentes, ea auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Vobisque vt omnes, & singulos, cuiuscumque Ordinis existant, & de quibuscumque Cõgregationibus, domibus, seu Monasteriis, siue mendicantium, siue non mendicantium, etiam Carthusiensis Ordinis, venerint, qui in Eremo vestra, sub ordine & habitu vestro, in ipsa Eremo Altissimi perpetuo famulari elegerint; Superiorum ipsorum licentia petita, licet non obtenta, sine cuiusquam contradictione, & alias secundum præfati prædecessoris nostri in dictis literis contentam voluntatem, recipere & retinere possitis, tenore præsentium indulgemus.

Quibuscumque non obstantib. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegiis, & indultis quibuscumque, sub quauis forma verborum in contrarium forsan factis, seu faciendis. De quibus etiam & eorum totis tenoribus, in præsentibus esset habenda mentio specialis. Nulli ergo &c.

Dat. P. An. 5. 24. Nouemb. Datum Florentiæ, Anno Incarnationis Domini 1435. viij. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno quinto.

IX. Priuilegia & gratiæ, ac exemptiones Congregationis S. Iustinæ de Obseruãtia, Monachorum Ordinis S. Benedicti.

Sub hac die vidi etiam eiusdem Pontificis similem constitutionem incipientem. Et si quoslibet. Hanc tamen vti pleniorem ponere arbitratus sum.

Congregatio prædicta Cassinensis nuncupanda est, quia Monasterium Cassinense vbi corpus S. Benedicti requiescit, cæterorum caput existit, vt in constit. 1. Iulij II. Super cathedram, vbi alia tibi indicabo.

Edita A. D. 1436. *EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Prooemium. REgularem vitam agentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) religionis infringat.

Appellationi datur à correctione Prælatorum.

§. 1. Cupientes itaque dilectorum filiorum Congregationis Monachorum Vnitatis alias de obseruantia S. Iustinæ nuncupatæ Ordinis S. Benedicti, Nobis ac Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ opportunitatibus, & commodis propter eorum excellentiam meritorum, atque vitæ sanctimoniam nos reddere beneuolos, & fauorabiles, Motu proprio, non ad ipsorum Monachorum, nec alicuius alterius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ne nequam spiritus veneno afflatis malignandi in ipsa Congregatione materia præbeatur, auctoritate Apostolica statuimus, districtius inhibentes, ne cui Prælatorum, vel Monachorum dictæ Congregationis ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Capituli generalis, siue Præsidentis, seu Visitatorum, aut Rectorum ipsius Congregationis ad quemcumque etiam ad Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto summi Pontificis, liceat appellare, appellatione nihilominus, si quam interponi contingat, cum inde sequutis irritam decernendo.

Causarum cognitio sit, reiectis apicibus iuris.

§. 2. Cum autem contra aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis agi contigerit, ciuiliter, aut criminaliter, secundum consuetudines, & statuta Congregationis prædictæ, iuris communis apicibus, dilationibus, terminis, litium anfractibus omissis procedi debere tenore præsentium volumus, & mandamus.

Apostatarum vagatio prohibetur.

§. 3. Statuentes, quod Prælati dictæ Congregationis, contra Monachos eosdem, qui licentiam se ab Apostolica Sede habere dixerint, ad aliud quodcumque Monasterium, siue locum se transferendi obtentu literarum Apostolicarum, nisi in ipsis literis specialis nominata, & expressa fieret mentio de ipsa Congregatione, & huiusmodi indulto eidem concesso, reuocando & tunc si infra tres menses id non impleuerint, tanquam contra apostatas agere valeant, nisi tempus in literis Apostolicis fuerit expressum, infra quod se debeant ad huiusmodi Monasteria, siue loca transtulisse, quo casu non prius agere possint contra eos quam dicta tempora fuerint elapsa.

Celebrandi facultas tempore interdicti.

Limitatur per Concil. Trid. sess. 25. c. 12.

§. 4. Cæterum cum per alias nostras certi tenoris literas, quarum tenorem hic haberi volumus pro expresso memoratæ Congregationi duxerimus indulgendum, vt si contingat ciuitates, terras, vel loca, in quibus Monasteria, siue loca dictæ Congregationis consistant, Ecclesiastico esse supposita interdicto, ipsi tamen dictæ Congregationis Prælati, & Monachi, ianuis clausis, interdictis exclusis, submissa voce, Missas, & alia diuina officia celebrare possint. Nos volentes Congregationem ipsam vberioris dono gratiæ confouere, vt huiusmodi tempore interdicti, etiam conuersi, commissi, capellani, & laici qui intra septa ipsorum Monasteriorum, siue locorum, pro tempore habitauerint, à præfatæ Congregationis Monachis ad id deputatis, Missas, & alia diuina Officia audita, & Ecclesiastica sacramenta licite suscipere valeant, similiter præsentium tenore statuimus.

Ordines suscipi à quocumque Antistite recipiendo.

Hoc reformatur à Concil. Trid. in sess. 5. c. 11. & sess. 23. c. 58.

§. 5. Insuper cum dudum Congregationi huiusmodi, quòd Monachi præsentes, & futuri præfatæ Congregationis præsentati à suis Superioribus ordinari possint à quocumque Catholico Episcopo, per antefatas nostras literas indulserimus, volentes etiam eandem Congregationem amplioribus fauoribus prosequi, quòd absque alio examine Monachi huiusmodi ordinari debeant de præsentantium conscientia confidentes. Quodque Congregationi huiusmodi quemcumque Catholicum Episcopum gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentem in dictæ Congregationis Monasteriis, & locis dumtaxat aduocare valeant, cui liceat Apostolica auctoritate absque aliqua licentia, & contradictione Diœcesani, nulla (vt præfertur) examinatione præmissa, Monachos ordinare, Missas celebrare, Ecclesias, Altaria, & vasa consecrare, vestes benedicere, & alia pontificalia exercere, de quo Diœcesanum loci non oporteat timere, quod huiusmodi ordinationis occasione iuris sui præiudicium incurrat, eadem auctoritate indulgemus.

Exemptio ab exactionibus & iurisdictione Ordinariorum.

§. 6. Cumque alias per easdem nostras literas Congregationem præfatam ab omni iurisdictione Ordinariorum, & à charitatiuis subsidiis, ac omnibus oneribus eximentes sub nostra, & B. Petri protectione susceperimus, prout in dictis literis plenius continetur, quarum tenorem hic volumus haberi pro sufficienter expresso, in dubium postea versum est (prout nobis relatum extitit) an antiquos census, ratione visitationis, aut subiectionis huiusmodi Ordinariis, Vniuersitati, Collegiis, siue Capitulis, hactenus debitos Monasteria dictæ Congregationis de cætero soluere teneantur. Nos volentes super hoc de opportuno remedio prouidere, declaramus, & nihilominus de nouo statuimus, quod dictæ Congregationis Monasteria, siue loca à die exemptionis huiusmodi ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus, ratione visitationis, aut subiectionis quocumque iure hactenus debitis, aut in futurum debendis, quibuscumque Ordinariis, Capitulis, Collegiis, Congregationibus, Vniuersitatibus, aut aliis quibuscumque personis de plenitudine potestatis Apostolicæ omnino liberamus, & penitus absoluimus. Non obstantibus præscriptionibus, constitutionibus, consuetudinibus, statutis, decretis, & priuilegiis Apostolicis quibuscumque in contrarium facientibus, de quibus specialis, & expressa, ad de verbo ad verbum esset mentio facienda.

Tu ad hoc vide Conc. Trid. sess. 25. c. 11. & cap. 14. & bullam Leon. X. n. 2. Dum intra, & constit. 39 Clem. VII. Suscepti.

Nemo inuitis Monachus, celebrat, iudicat, vel ordinat in eorum Monasterijs, neque ad processiones, &c. conuocat.

Tu quoad processiones, vide dispositionē d. Conc. Trid. sess. 25. c. 13.

§. 7. Vt autem huiusmodi Congregationis Monachi liberius in eorum regularis vitæ obseruantia valeant perdurare, omnes, & singulos Episcopos, vel locorum quorumlibet Ordinarios, aut alias quasvis personas, ad Monasteria, siue loca dictæ Congregationis, causa ordines celebrandi, seu causas ciuiles, aut criminales exercendi, Conuentus, siue Synodos, & processiones conuocandi, Missas, & alia Officia celebrandi sub excommunicationis pœna, quam incurrant ipso facto si aliter attentauerint, accedere, vel immorari ipsis inuitis, tenore præsentium prohibemus.

Ingressus ad Monasteria, prohibetur, mulieribus.

Tu vide ampliorem prohibitionem in bul. 20. Pij V. Regularium.

§. 8. Plane vt huiusmodi Congregationis Monachi in vitæ honestate, & odore bonæ famæ apud Deum, & homines conseruentur, & quia ibi cautius est agendum, vbi maius imminet periculum animarum, eadem auctoritate statuimus, quòd nulli hominum liceat quascumque mulieres laicas, seu religiosas, cuiuscumque ætatis, status, gradus, auctoritatis vel conditionis existant, quavis occasione ducere, siue ipsis mulieribus ingredi, seu commorari intra septa Monasteriorum præfatæ Congregationis, quòd si aliter scienter attentatum fuerit, tam ipsæ mulieres, quam earum ductores, sed & ipsi receptatores, si voluntarie hoc fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à qua dictæ Congregationis personæ absolui possint per Præsidentem, & Visitatores Congregationis huiusmodi.

Prælatorum auctoritas dispensandi Monachos. Tu videas bull. 119 Dum ad Pij V.

§. 9. Quin etiam ne præfatæ Congregationis Monachi ab eorum quiete distracti, Romanam Curiam pro crebris obtinendis licentiis frequenter adire cogantur, quod omnibus casibus, in quibus de iure communi, Prælatis, & Monachis dictæ Congregationis auctoritas, siue licentia, seu dispensatio Ordinarij esset necessaria, si ab iisdem exempti non essent, Prælatis, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus huiusmodi, qui pro tempore fuerint, vnacum eorum Conuentibus auctoritate Apostolica absque eo quòd ad Sedem Apostolicam habeant recursum huiusmodi licentiam, & auctoritatem tenore præsentium indulgemus.

Prohibitio standi ad alterius seruitia.

§. 10. Prohibemus etiam ad obstruendas vias, quibus præfati Monachi extra Congregationem huiusmodi, in earum præiudicium animarum vagari possent, omnes, & singulas personas, Ecclesiasticas aut sæculares, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existant, & quacumque præfulgeant auctoritate, vel dignitate, ne quemquam ex Prælatis, vel Monachis Congregationis prædictæ penes se obsequiorum, vel seruitiorum aliquorum sui, vel Monasteriorum suorum obtentu, aut si absque licentia suorum Superiorum à se diuerterint, seu alia quavis causa à dicta Congregatione abstrahere, seu etiam ad se sponte venientes retinere præsumant, etiam auctoritate literarum Apostolicarum, in quibus de huiusmodi persona, ac Congregatione, nominatim, & expresse, mentio facta non fuerit, absque consensu Capituli generalis, seu Præsidentis, & maioris partis Visitatorum Congregationis eiusdem, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrant, si facta eis notitia de huiusmodi priuilegio

infra

infra tres dies personam ipsam dictæ Congregationi non restituerint cum effectu, vel ab eis abiecerint, a qua sententia non nisi in mortis articulo, & à Sede Apost. recipientes, & recepti absolui possint: Non obstantibus quarumcumque religionum, vel Ordinum, aut alterius cuiusuis personæ, priuilegiis, & indultis quibuscumque, de quibus esset specialis, & de verbo ad verbum mentio facienda, quibus omnibus volumus nominatim, & specialiter per huiusmodi indultum, quoad præmissa derogari.

Benefactores vel Eucharistia Sacramentum à Monachis suscipientes, non molestentur. Intellige præterquam in Paschate, vt in bul. 52. Leon. X. Dum intra. Monachos inobedientes. Prælati inuiti non recipiant.

§. 11. Præterea, ne quies, & pax Monachorum, & personarum de dicta Congregatione quouis modo, etiam per indirectum conturbari contingat, quascumque sententias latas ab Ordinariis, seu quibuscumque personis, quacumque præfulgeant dignitate, contra benefactores dictæ Congregationis, occasione beneficiorum eisdem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum cum huiusmodi Monachis conuersentur, seu ab eis recipiant absolutionis beneficium, & Eucharistiæ Sacramentum, ipso facto irritas, & inanes eadem auctoritate decernimus.

§. 12. Cum interdum contingat nonnullos Monachos inobedientes, & rebelles à Monasteriis, & eorum Superiorum obedientia se subtrahere, & inuitis Superioribus redeant, Apostolicas literas impetrare, huiusmodi malignitatibus obuiare volentes, ne quis præfatæ Congregationis Monachos, vel Prælatos vigore quarumcunque literarum huiusmodi, nisi nominatim, & expresse apparuerit de mente summi Pontificis, qui pro tempore fuerit, huic nostro indulto velle derogare, ad ipsos recipiendum compellere possint, etiamsi huiusmodi literis clausula, priuilegiis, & indultis dictæ Congregationi concessis non obstantibus, & de quibus expressa mentio fieri debeat expresse contineantur, præsentis pagina tenore decernimus.

Monachi, cuius iudicando, visitando, aut exequendi mandata prælatorum extra Congregationem cogi non possint.

§. 13. Insuper tranquillitati eorum intendentes, ne ii, qui Marthæ circa plurima satagentis officium dimiserunt, eligentes potius cum Maria circa pedes Domini residere, ad audiendum verbum illius, causarum turbinibus perturbentur, si contingat aliquem literas Apostolicas commissorias de administranda iustitia, executione facienda, visitatione exercenda, aut alia quauis causa ad aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis directas, impetrasse, nisi huic indulto expresse, specialiter, & nominatim derogetur ad huiusmodi causas, talium obtentu literarum præter liberam eorum voluntatem procedere, vel eas exequi minime teneantur, indulti huiusmodi tenore decernimus.

Non iurent aut testificentur inuiti extra Congregationem.

§. 14. Plane ne Prælatos, & Monachos huiusmodi causarum strepitus inquietet, & ab otio sancto deducat, ne quis, Prælatos, Monachos, & personas de huiusmodi Congregatione subire de calumnia, & veritate dicenda iuramentum, aut ad deferendum testimonium, quacumque ex causa compellat inuitos, siue extra ciuitates, & diœceses suas trahat, seu in eos, vel eorum aliquem, propterea excommunicationis, vel alias censuræ, seu pœnæ sententias proferat per literas Apostolicæ Sedis, vel Legatorum eius, nisi in eisdem literis de huiusmodi indulgentia plena, & expressa, ac de verbo ad verbum facta fuerit mentio specialis eadem auctoritate indulgemus, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & alias sententias, si quas in eos, vel aliquem eorum contra indultum huiusmodi promulgari contigerit, decernentes præsentium tenore irritas, & inanes. Prælatis, & Monachis Congregationis prædictæ Monachorum, conuersorum, & commissorum ipsius Congregationis in causis eorundem ciuilibus, & criminalibus testimonio libere, & licite vti posse tenore præsentium declaramus.

Succedantque & acquirant, prout si essent in sæculo. Tu quoad legem vide specialē prouisionē huius Pont. sup. in const. 2. Dispositione.

§. 15. Quodque præfatæ Congregationis Monasteria, bona mobilia, & immobilia in quibuscumque ciuitatibus, & locis quouis titulo acquirere possint, petendi etiam, & exigendi Monachis, & personis huiusmodi præfata bona vndecumque, vel qualitercumque eis debita, & quæ in sæculo remansissent, ius petendi, & exigendi habere ipsis eorum Monasteriis acquirenda, Non obstantibus quibuscumque statutis, ordinationibus, & decretis cuiusuis Ecclesiasticæ, siue sæcularis personæ, Communitatis, Collegij, siue Vniuersitatis, aut alterius cuiuscumque gradus, status, dignitatis, officij, & auctoritatis existat, præsentium literarum serie statuimus.

Confessiones audire valeant & absoluere à casibus non reseruatis.

§. 16. Præterea cum sæpe contingat ob deuotionem quam ad Monachos præfatæ Congregationis nonnullæ personæ habent singularem, ad præfatos Monachos pro earum salute animarum recurrere, Nos volentes earum deuotioni satisfacere, & in fauorem religionis, ac obseruantiæ regularis, quòd liceat huiusmodi personis, dictæ Congregationis, Prælatos, siue Monachos deputatos à suis Superioribus ad audiendum confessiones accedere, quas possint audire absque aliqua dictarum personarum superiorum licentia, & contradictione, ac eis absolutionis beneficium impendere ab omnibus peccatis, & dispensare super omnes casus, præter ea peccata, & eos casus, de quibus ipsis Confessoribus ad eorum ordinarios videbitur recurrendum, aut de quibus esset Sedes Apostolica merito consulenda, & eis ministrare Eucharistiæ Sacramentum de specialis dono gratiæ elargimur.

Illegitimi ad dignitates cōgregationis promoueri possint. Ad hoc vide const. Sixti V. n. 71. cum de.

§. 17. Quin etiam cum religiosis fauore nonnulla concedantur, quæ alias interdici solent, quod si qui ex Monachis Congregationis præfatæ defectum natalium patiantur, in Monasterio tamen alias laudabiliter conuersati, huiusmodi defectu non obstante ad sacros ordines, & officia, prælationes, dignitates, & honores in eorum Monasteriis iuxta constitutiones eorum, libere, & licite valeant promoueri, Congregationi memoratæ tenore præsentium indulgemus.

Prælati etiam absque benedictione administrent.

§. 18. Volentes insuper quòd Prælati Congregationis præfatæ licet munus benedictionis non acceperint, perinde tamen Monasteria ipsius Congregationis regere, & administrare, ac omnes actus in ipsis valeant exercere, ac si munus huiusmodi fuerint consecuti.

Actus contra ista indulta non præiudicent.

§. 19. Adiicientes etiam, quòd si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contra huiusmodi decreta, priuilegia, & ordinationes, aut ipsorum aliquod à quocumque, cuiuscumque conditionis, dignitatis, gradus, seu status existat ex negligentia vel ignorantia præsentium, & futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obseruatum, ignoranter, vel scienter, nullum tamen præiudicium decretis huiusmodi volumus generari, sed in suo vigore & robore permanere.

Clausula huius concessionis preseruatiua.

§. 20. Postremo cum plerumque contingat præ nimia importunitate petentium, ac negotiorum multitudine, & suppressione veritatis, summos Pontifices fatigatos, aut circumuentos ea concedere, quibus alias nullatenus annuerent, auctoritate præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus, quod quæcumque literæ Apostolicæ, etiam proprio motu confectæ, aut in futurum conficiendæ, & si in eisdem clausula, priuilegiis & indultis dictæ Congregationi concessis non obstantibus, & de quibus expressa mentio fieri debeat, expresse contineantur, quæ obuient, & contrafaciant huic præsenti priuilegio, aut cuilibet eius particulæ, nisi appareat euidentissime, & apertissime, quod summus Pontifex qui pro tempore fuerit, huic indulto vel alicui eius parti, vellet per literas Apostolicas derogare, facientes specialem mentionem de verbo ad verbum ex certa scientia de huiusmodi priuilegio, ac ipsa Congregatione, diuersis nominibus eam nominando, per hæc præcise vocabula Congregationem vnitatis, alias de obseruantia S. Iustinæ nuncupatam, causasque legitimas allegauerit cur his obuiare intendat decretis, nullius sit roboris vel momenti.

Clausula contrariorum derogatoria.

§. 21. Non obstantibus in Constantiensi, & aliis Conciliis, ac fel. recordat. Innocentio Quarto, & Martino Quinto, necnon aliis Summis Pontificibus prædecessoribus nostris editis constitutionibus, & ordinationibus, etiam si de illis specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum præsentibus mentio habenda esset, quibus quoad præmissa specialiter derogamus, necnon Monasteriorum, Prioratuum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1436. pridie Kalendarum Iulij, Pontificatus nostri Anno sexto. *D. P. An. 6. 30. Iunij.*

Sequitur

Sequitur exemptio de qua in rubrica.

Edita An. D. 1436.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac personarum Ecclesiasticarum omnium, præsertim regularem vitam professarum statumm * salubriter dirigentes, iuxta Pastoralis officij debitam curam, & sollicitudinis nostræ partes libenter impendimus.

** Satum.*

Enunciatio aliarum concessionum.

§. 1. Cum itaque dudum Congreg Monachorum de Obseruantia S. Iustinæ, alias vnitatis nuncupatæ, Ordinis S. Benedicti, Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediate subiectæ, per alias nostras certi tenoris literas, quarum tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso, sepulturam in Monasteriis, & locis eorum, saluo tamen iure Parochianorum Ecclesiarum, à quibus corpora assumuntur, prout in præfatis literis plenius continetur concesserimus.

Concessio exemptionis à Parochianis, Episcopis, & aliis, de portione canonica, derelictorum & legatorum Congregationi.

§. 2. Nos volentes vlterius præfatæ Congreg. Monachos, qui à pluribus citra temporibus in obseruantia regulari, & vitæ sanctimonia, variis multiplicarunt, prout in dies multiplicant, virtutum meritis, & vt Altissimo commodius possint, & quietius deseruire, ac reparationi Monasteriorum eorum, qua maxime indigent vacare, amplioribus fauoribus prosequi. Motu proprio, non ad ipsorum, aut alicuius eorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, omnibus & singulis dictæ Congr. Monasteriis, Prioratibus, grangiis, membris, mãralibus, & locis, vt ad dandum, seu soluendum aliquam Canonicam Portionem, siue decimas, aut aliud quodcumque, quod loco eorum solui consueuisset, Parochianis, Episcopis, Archiepiscopis, Capitulis, Collegiis, Vniuersitatibus, Communitatibus, fabricis, & aliis quibuscumque personis, de iure vel consuetudine, aut statutis, vel priuilegiis quibuscumque ex quacũque causa hactenus debitæ, seu quæ deberi prætendatur quomodolibet in futurum ab eisdem etiam de relictis, legatis, & donatis, tam in vltimis voluntatibus, quam inter viuos, seu quacumque occasione concessis præteritis, & in posterum concedendis, minime teneantur.

Quibuscũque non obstantibus.

§. 3. Quibuscumque constitutionibus Apost. ac præfatis nostris literis, quibus quatenus huic nostro Indulto obuient, volumus derogare, & aliis consuetudinibus, statutis, præscriptionibus, & priuilegiis, sub quacumque forma, aut quibuscumque clausulis editis, non obstantibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, præsentibus expressa, & specialis, ac indiuidua foret habenda mentio, auctoritate Apost. tenore præsentium, ex certa scientia de specialis dono gratiæ indulgemus.

Irritatio contrariorum.

§. 4. Decernentes ex nunc, omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque quascumque sententias, quas contra personas dictæ Congreg. siue Monast. & loca, & alia in præiudicium concessionis huiusmodi promulgari, nullas, necnon irritum, & inane, quicquid aliud in contrarium, si à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 6. die 4. Iuly.

Dat. Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1436. quarto nonas Iulij. Pontificatus nostri Anno sexto.

IX. Iurisdictio & facultates Iudicum Conseruatorum quarumcumque litium Congregationis Cassinensis, alias S. Iustinæ de Padua Monachorum Ordinis S. Benedicti.

Alios Conseruatores magis generaliter dedit Innoc. VII. vt infra in eius const. 8. Deuotionis.

Quoad huiusmodi Conseruatores, vide etiam infra constit. 41. Pij V. Et si, in §. Et vt fratres, & Clem. VIII. constit. 5. Sanctissimus. Reuocarit quascumque electiones de Iudicibus Conseruatoribus factas, & nouam de eis, eorumque electionibus in posterum fiendis formam tradidit Greg. XV. in sua Const. 9. Sanctissimus inf. tom. 4.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus, Archiepisco Mediolanensi & Castellanensi, ac Christoforo Ariminen. Episcopis, necnon dilecto filio Abbati Monasterij Cassinen. nullius diœcesis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 1436.

Proœmium.

MIlitanti Ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino, Præsidentes, circa curam Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliorumque piorum locorum omnium, solerti reddimur indefessa solliciti, vt iuxta debitum pastoralis officij, eorum occurramus dispendiis, & profectibus, diuina cooperante clementia, salubriter intendamus.

Multi in bonis & iuribus harum Congregationis præiudicium inferunt.

§. 1. Sane dilectorum filiorum Præsidentis, Visitatorum, & Prælatorum Congregationis Monachorum, Monasteriorum, Prioratuum, domorum, & locorum vnitatis alias de Obseruantia S. Iustinæ nuncupatæ, Ord. S. Benedicti, ad Rom. Ecclesiam nullo medio pertinentis, conquestionem percepimus, quod nonnulli Archiepisc. Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, & Clerici, ac Ecclesiast. personæ, tam religiosæ, quam sæculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, Communia Ciuitatum, Vniuersitates Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac aliæ singulares personæ Ciuitatum & diœc. & aliarum partium diuersarum, violarunt, occuparunt, & occupari fecerunt Ecclesias, castra, villas, & alia loca, siue membra, terras, domos, grangias, molendina, decimas, obedientias, casalia, vineas, prata, nemora, piscationes, possessiones, iura, priuilegia, & iurisdictiones, necnon fructus, census, redditus, & prouentus dictæ Congregationis, ac Monasteriorum Prioratuum, domorum, aliorumque locorum sub Congregatione huiusmodi comprehensorum, siue illi subiectorum & nonnulla alia bona mobilia & immobilia, spiritualia & temporalia, ad Congregationem, siue Monasteria, Prioratus, membra, necnon subiecta, domos, & loca huiusmodi spectantia, & ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium vel fauorem. Nonnulli etiam ciuitatum, diœc. & partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Præsidenti Visitatoribus, necnon dilectis filiis Abbatibus Monasteriorum, & Prioribus Prioratuum prædictorum, ac eorundem, necnon Congregationis, ac subiectorum domorum, & locorum huiusmodi personis aliis, super prædictis Castris, Villis, & locis aliis, terris, domibus, pertinentiis, possessionibus, iuribus, & iurisdictionibus, fructibus, cẽsibus, redditibus, & prouentibus eorundem, ac quibuscumque aliis bonis mobilibus & immobilibus, spiritualibus & tẽporalibus, & aliis rebus ad Congregationem, Monasteria, Prioratus, necnon subiecta, domos, & loca huiusmodi spectantibus, multiplices molestias & iniurias inferunt, ac iacturas.

Congregatio itaque supplicat Papa pro opportuno remedio.

§ 2. Quare dicti Præsidens & Visitatores nobis humiliter supplicarunt, vt cum eisdem valde reddatur difficile, & aliis Abbatibus, Prioribus, & Prælatis huiusmodi pro singulis querelis ad Apostolicam sedem habere recursum, prouidere eis super hoc paterna diligentia curaremus.

Qui ideo iudices & Conseruatores deputat cum eius litibus.

Ad hoc vide quæ dixi in rubr. Et ampliationem de qua hic in fine.

§. 3. Nos igitur aduersus violatores, occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, illo volentes eisdem Congregationi, Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & personis aliis aditus committendi similia præcludatur, discretioni vestræ, ex certa scientia per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut singuli vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputari estis Conseruatores, & Iudices, ipsis Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & personis necnon conuentibus, domibus, ac membris eisdem subiectis, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super iis & quibuscumque aliis bonis & iuribus, ad Congregationem, Monasteria, Prioratus, necnon subiecta, domos, & loca prædicta spectantibus, ab eisdem vel eis grauamina, seu damna, vel iniurias irrogari, facturi

dictis

dictis Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus & personis quum ab eis vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo, fueritis requisiti, de prædictis, ac aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Prioratuum, Ecclesiarum, membrorum, grangiarum, castrorum, casalium, villarum, terrarum, possessionum, & aliorum locorum, iurisdictionum, iurium, redditunm quoque & prouentuum, & aliorum quorumcunque bonorum spiritualium, & temporalium, necnon de quibuscumque molestiis, iniuriis, atque damnis præsentibus, & futuris personis, & rebus ipsorum, in illis videlicet quæ iudicialem requirunt indaginem, summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta, in aliis verò, prout qualitas eorum exegerit, iustitiæ complementum, violatores, occupatores, seu detentores, præsumtores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis, extiterint, quandocumque & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, ac omni appellatione, processum causarum quovis modo respicienti, postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 4. Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, in quibus cauetur, ne aliquis extra suam ciuitatem, & diœc. nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœc. ad iudicium euocetur, seu ne Iudices, & Conseruatores à Sede deputati prædicta, extra ciuitatem, & diœc. in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, siue alij, vel aliis vices suas committere, aut aliquos vltra vnam dietam à fine diœc. earundem trahere præsumant, seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis, ac violentiis, & aliis quæ iudicialem requirunt indaginem, pœnis in eos si secus egerint, & in id procurantes adiectis, Conseruatores se nullatenus intromittant. Et tam de duabus dietis in Concilio generali, dummodo vltra duas, aliquis extra suam ciuitatem, & diœc. auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, quam aliis quibuscumque constitutionibus, à prædecessoribus nostris Rom. Pontificibus tam de Iudicibus delegatis, & Conseruatoribus, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quæ vestræ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare, seu si aliquibus communiter, vel diuisim, à prædicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestræ iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, de qua cuiusque toto tenore, de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis.

Conseruatorum facultatem amplia.

§. 5. Cæterum volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans, nullo fuerit impedimento canonico præpeditus. Quodque à datis præsentium, sit vobis, & vnicuique vestrum, in præmissis omnibus, & eorum singulis, cœptis & non cœptis, præsentibus, & futuris, perpetuata potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus cœptis, & non cœptis, præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram vobis cœpta fuissent, & iurisdictio vestra, & cuiuslibet vestrum in præmissis omnibus & singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitisset. Constitutione prædicta super Conseruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstante. Præsidentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

D. P. A. 6. die 24 Nouemb.

Dat. Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1436. 8. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri Anno 6.

Translatio generalis Concilij Basileensis ad ciuitatem Ferrariæ in Prouincia Lombardiæ: XI.

Concilium istud à Martino V. indictum ob pestem Ferrariæ exortam, ad Ciuitatem Florentiæ in prouincia Hetruriæ ab istomet Pontifice translatum, ibique absolutum fuit, vt infra in const. 17. Latentur.

Concilio Basileensi aliqui adhæserunt, etiam post huiusmodi dissolutionem, & translationem, qui tamen ad huncmet Pont. redeuntes, absoluti fuerunt vt infra const. 29. Inter.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad æternam rei memoriam. *Edita An. D. 1437.*

Deus Ecclesiam suã fluctuare sed nõ mergi permittit.

MAgnas omnipotenti Deo gratias oportet nos agere; qui antiquarum suarum misericordiarum non immemor, Ecclesiam suam continuo reddit ampliorem. Quam quidem etsi laborare, multisque tempestatibus fluctuare permittit, nunquam tamen submergi patitur, verùm à fluctibus, & magnis æstibus maris reseruat, & pro suo erga genus humanum amore, inter multos, & varios casus, & calamitates, virentem semper fouet, ac magis vigentem reddit.

Idcirco Orientales & Occidentales populi inter se dissidentes, ad Concilium Ferrariense conuenerunt.

§. 1. Ecce enim Orientales, & Occidentales populi iamdiu inter se dissidentes, atque disiuncti, ad pacem atque coniunctionem conuenire festinant. Quippe qui discordes iam, & inimici, tandem post multos annos, fauente Deo, ea quo omne datum bonum, sanctæ coniunctionis desiderio affecti, in hunc conuenere locum. Nostræ igitur seruitutis, ac totius Ecclesiæ opera est, & esse credimus, tentare pro viribus, vt hæc principia tam felicia, studio nostro ita felicem exitum consequantur, vt Dei gratiæ cooperatores esse, dicique mereamur.

Imperatoris aduentum indicat.

§. 2. Cum itaque dilectissimus filius Ioannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator, vna cum pijssimo fratre nostro Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, necnon cæterorum Patriarcharum Legatis, ac multis amplissimis Metropolitanis, & Episcopis, ac aliis Ordinibus Ecclesiasticis, & viris nobilibus ad octauũ diem proximi mensis Februarij Venetias aduenerit, nobis id, quod aliis etiam ca locis antea fecerat, continuo literis suis significauit, se quibusdam de causis non alienis à ratione Basileam, vbi Synodus celebranda erat ire non posse, idque his qui ibi iam essent scripsisse, notumque fecisse, volens propterea, & contendens, vt ipsa Synodus huc Ferrariam transferretur, & hic tam pium negotium concluderetur.

Pontifex illud transtulit ad Ciuitatem Ferrariæ.

§. 3. Nos igitur quibus sancta Christianorum coniunctio cordi mirum in modum est, quique ipsam celerrime conficere cupimus, decretum Basileen. Concilij de celebrando generali Concilio Græcis volentibus promulgatum, ac editum, & à nobis postea Bononiæ præsentibus ipsius Imperatoris, ac Patriarchæ Oratoribus susceptum, & approbatum, quæque ad præsens sanctæ coniunctionis negotium spectent, pro nostra seruitute volentes exequi vt debemus, & cupientes ipsum ad conclusionem perducere, omni modo, & forma quibus possumus, & debemus, præsentibus, & consentientibus Imperatore, ac Patriarcha, & cæteris hic ad celebrandam Synodum congregatis, notum facimus, & declaramus prædictam Synodum hic Ferrariæ, qui quidem locus liber & tutus est, celebrandam esse, & sic omnibus existimari, ac dici debere, sperantes hic absque discordia, & contentione, aliáve mœstitia, sed potius amore summo, diuinam ipsam pacem, & cætera sancta opera, pro quibus Synodus conuocatur, tractari, Deoque placato, ac fauente feliciter confici posse.

Dat. P. An. 9. April.

Dat. Ferrariæ, die 9. mensis April. 1437. Pont. nostri anno 7.

Concessio nonnullarum gratiarum, Eremitis B. Petri de Pisis nuncupatis. XII.

Istorum

Istorum Eremitarum constituta fuit Congregatio, vt inf. in Six. IV. constit. 13. Sedis & nomen Fratrum Eremitarum S. Hieronymi sortita est, profitendo regulam S. Augustini tempore Pij V. qui propterea priuilegia Mendicantibus per eum elargita communicauit, in sua const. 125. Religionis, Nouitiatusque instituit Clem. VIII. in eius const 70. Ordinis.

Edita An. D. 1437.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis fratri Bartholo de Cesena, ac vniuersis Eremitis de Societate quondam Fratris Petri de Pisis, præsentibus & futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

PRouenit ex vestræ deuotionis affectu, quo nos, & Romanã Ecclesiam reueremini, vt petitiones vestras, illas præsertim, quæ animarum vestrarum videntur salutem respicere, quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus.

Facultas eligendi Confessores qui hos Fratres absoluant.

Tu intellige de Confessoribus approbatis, & in casibus non exceptis à Cle. 8. in eius const. 113. Quæcumque.

§. 1. Hinc est, quod vestris supplicationibus inclinati, vobis omnibus & singulis auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, vt confessores idonei, quos duxeritis eligendos, in vita confessiones audire, & omnium & singulorum, qui in ipsa Societate pro tempore fuerint ab omnibus casibus, super quibus etiam Sedes Apostolica meritò esset consulenda, pro semel tantum postquam in societate remanere deliberauerint, in aliis verò casibus quandocumque absoluere possint, eis imposita pœnitentia salutari: & in mortis articulo semel tantum omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fueritis, plenam remissionem vobis in sinceritate fidei & vnitate Sanctæ Rom. Ecclesiæ, ac obedientia & deuotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, eadem auctoritate concedere valeant. Ita tamen quod ipsi Confessores de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda eam vobis per vos si superuixeritis, aut per successores vestros, si tunc forsan transieritis, faciendam iniungant, quam vos vel illi facere teneamini. Et ne propter huiusmodi gratiam reddamini procliuiores ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua commiseritis, quoad illa remissio ipsa vobis nullatenus suffragetur.

Eligendique sacerdotes qui in locis Societatis diuina celebrent & Sacramenta ministrent.

§. 2. Quodque singuli dictæ Societatis, seu alij sæculares, vel Religiosi sacerdotes, quos similiter duxeritis eligendos, in vestra vobiscum commorantium personarum præsentia, in Oratoriis, Ecclesiis, & locis eiusdem Societatis nunc per vos acquisitis, & in antea acquirendis, diœcesani loci, seu alterius cuiuscumque licentia minime requisita, Missas & alia diuina officia tam feriatis, quam aliis diebus tempore congruo celebrare, necnon Eucharistiæ, Extremæ-vnctionis, & alia quæcumque Ecclesiastica Sacramenta, absque Parochiani iuris præiudicio, ministrare, ad quæ etiam suscipienda extra loca, seu Oratoria dictæ Societatis compelli non possitis.

Qui sacerdotes cum ipsis Fratribus super irregularitate dispensent, &c. Tu attēde d. bullam Clem. 8.

§. 3. Quodque sacerdotes Societatis prædictæ cum omnibus & singulis Eremitis ipsius Societatis super irregularitate per ipsos quoquo modo, vel ex quavis causa contracta, vt diuinis officiis, & obsequio Missæ interesse possint dispensare, & infamiæ maculam abolere possint, & valeant.

Fratres quærunt eleemosynas etiam tempore interdicti.

§. 4. Insuper quod cum excommunicatis & interdictis seu quavis censura ligatis, pro eleemosynis ad sustentationem vitæ vestræ duntaxat acquirendis, & non alias conuersari, ita quod hoc ad culpam vobis minime imputetur, possitis.

Altarique portatili vti possint.

§. 5. Quodque in locis, & Oratoriis per vos successores vestros acquisitis & acquirendis, altare portatile pro missis celebrandis, & aliis diuinis officiis in locis ad id congruis & honestis, cum debita reuerentia habere possitis.

Cœmeteria habeant.

§. 6. Loca autem pro sepeliendis Eremitis, & aliis seruientibus vobis per quemcumque, seu quoscumque Catholicos Episcopos, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentes, consecrari seu benedici possint.

Ordines ab Episcopis recipiant. Intellige iux. Conc. Trid. sess. 7. cap. 11.

§. 7. Quodque omnes & singuli vestræ Societatis, qui alias habiles & idonei reperti fuerint, à quocumque Antistite & gratiam & communionem dictæ Sedis habente, ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines alias rite promoueri, & in illis ministrare, proprij tamen Episcopi, sub cuius diœcesi mora trahitur, licentia prius requisita, & obtenta, libere & licite valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus.

Loca alia acquirendi. Intellige iuxta const. 99 Cl. 8. Quoniam.

§. 8. Et insuper, vt Oratorium S. Mariæ Magdalenæ Paduanensis alia quæcumque loca per vos acquisita, & acquirēda per Societatem præfatam, & eius nomine, cum omnibus & singulis iuribus & pertinentiis, eorum absque impedimento, & cōtradictione cuiuscumq; retinere, necnon omnibus & singulis priuilegiis, indulgentiis, gratiis, indultis, & exemptionibus, quibus alia Oratoria & loca Eremitarum vtuntur, & gaudent, etiam vti, & gaudere possint, & valeant, eadem auctoritate concedimus per præsentes.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & prohibitionibus Apostolicis specialibus vel generalibus, & etiam si tales sint, de quibus præsentibus specialis, & expressa esset mentio habenda, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 7. 12. Feb.

Datum Ferrariæ, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quadriogentesimo trigesimo septimo, octauo Kal. Martij Pontificatus nostri Anno septimo.

Præfinitio numeri Clericorum Reuer. Cam. Apostolicæ Præsidentium, ad septem, & approbatio Ordinum pro bono regimine ipsis Cameræ editorum. XIII.

Hæc bulla confirmatur infr. à Leone X. const. 24. Licet. Sed numerus Clericorum, aucto numero negotiorum Cameræ, auctus & ipse est, ad numerum duodecim.

Quoad Clericorum iurisdictionem & auctoritatem vide infra bullam 12. Alex. VI. Et si ex, cum ibi indicatis, ac etiam Pij IV. constit. 55. Romanus.

Edita An. D. 1438. & 1444.

EVGENIVS EPISCOPVS, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INter cætera grauia pulsantia pectus nostrum sunt, ea potissime, per quæ Romanæ Curiæ, honor decusque seruatur, & officialium illius ordines debite disponuntur, vnde contingit ad Sedem Apostolicam confluentes debite expedire.

Causa huius reductionis Clericorum ad septem.

§. 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Apostolicæ Cameræ Clericorum Capellanorum nostrorum nobis exposito, quod prouentus, & emolumenta singulorum eorundem ob ipsorum numerum excrescentiam & augmentum, adeo sunt ex temporum causante malitia diminuta, quod inde nequeunt vitam ducere condecentem. Quodque iuxta antiquam, laudabilemque consuetudinem, & si maior negotiorum concursus existeret, atque frequentia, minor tamen numerus existebat, & stipendia pinguiora, poterantque propterea eiusdem Cameræ seruitiis & obsequiis eo magis, & melius insudare, quo non oportebat, victum quærere aliunde; ac subiuncto, quod si numerus eorum ad numerum septenarium reduceretur, profecto Camera prædicta meliorem formam haberet, & illius negotia dirigerentur in melius, & loci, & personarum decori, & honestati foret absque vlla dubitatione prouisum.

Reductio Clericorum R. Cam. Apost. ad numerum septenarium. His temporibus Clerici sunt duodecim, vt dixi in rub.

§. 2. Nos præfatorum Clericorum votis fauorabiliter annuentes, ac attendentes quod non amplior ponendus est numerus in officio ministrorum, quam possit de illius prouentibus congrue sustentari, quodque septenarius Clericorum numerus, decens sit ad negotia præfatæ Cameræ recte vbilibet dirigenda præsenti constitutione, quam irrefragabiliter obseruari volumus Apostolica auctoritate sancimus, quod de cætero nullus ad officium

Clericatus

Clericatus Cameræ huiusmodi assumatur, seu illius Clericorum consortio aggregetur, donec numerus eorum ad septenarium numerum sit reductus.

Aggregandus sup. d. numerum, sit emolumentorum expers.

§. 3. Nihilominus si contingat aliquem vel aliquos, vltra præfatum numerum eorundem Clericorum consortio aggregari, illos esse decernimus omnis perceptionis emolumentorum expertes.

Prohibitio quòd Camerarius Clerici, & alij sup. d. numerum nemineȝ recipiant pro Clerico.

§. 4. Mandantes dilecto filio nostro Francisco tituli sancti Clemẽtis presbytero Cardinali Camerario nostro, & eius in dicto officio successoribus, reliquisque eiusdem Cameræ Clericis, atque gentibus, præsentibus, & futuris, ne quemquam de cætero ad huiusmodi emolumentorum perceptionem admittant donec eorundem, Clericorum numerus ad numerum septenarium, vt præmittitur sit reductus. Statuentesque postquam reductus fuerit vt præfertur, Camera prædicta septem Clericorum numero quoad emolumentorum perceptionem tantummodo sit contenta, quem numerum ex tunc in eadem Camera perpetuo auctoritate simili stabilimus.

Dat. P. An 8. die 9. Iuly.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Dat. Ferrariæ An. Domini 1438. 5. Id. Iul. Põt. N. An. 8

Sequitur confirmatio Ordinationum de qua hic sup. in rub.

Edita A. D. 1441.

E V G E N I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Gentibus Cameræ Apostolicæ. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

IN eminenti Apostolicæ Sedis specula licet immeriti disponente Domino constituti, tanquam prudens Paterfamilias, qui cupit familiam domus suæ per viam mãdatorum Domini incedere, normam illi tribuens, & ordinem honeste viuendi, recteque agendi, ita & nos libenter ad vniuersa Romanæ Curiæ Officia, & eorum Officiales, & præsertim Cameræ Apostolicæ ad quam Ecclesiarum & Monasteriorum omnium, necnon etiam Vrbium, Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, Oppidorũ, Villarum, & locorũm Romanæ Ecclesiæ immediate, & mediate subiectorum, spiritualia & temporalia negotia peragenda deueniunt, vt cuncta ibidem pertractanda salubriter dirigantur, & feliciter gubernentur, ac iuste, & humaniter finiantur & terminentur, attenta mentis sollicitudine vigilamus, tales in eadem Camera viros, & ministros deputare, qui Deum timeant, sint Ecclesiasticis dignitatibus prædíti, bonis moribus redimiti, prouidentia circumspecti, rectitudine iusti, & sollicitudine vigilantes, sicque prudenter & iuste, & in expediendis negotiis huiusmodi attente se habeant, vt cuncti ad eandem Cameram pro eorum expediendis negotiis recurrẽtes, se iuste, & humaniter expeditos fore merito glorientur.

§. 1. Cum itaque vos ad laudabile, sincerum, & prosperum, regimen Cameræ prælibatæ nonnulla statuta, ordinationes, & Capitula edideritis, atque feceritis, nobisque propterea humiliter supplicatis, vt illis pro eorum subsistẽtia firmioris robur Apostolicæ confirmationis adiicere de benignitate Apostolica dignaremur.

Clerici Statuta Cameræ ediderunt.

Scias alia edidisse, vt infr. in Leone x. const. 4.

Laces hic Pôt. ea confirmat.

§. 2. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, statuta, ordinationes, & capitula præfata per nos visa, & lecta, ac diligenter inspecta, & examinata, quia mature prudenter, prouide, & digeste edita, & confecta existunt auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Quorum tenor hic inseritur.

Tenor verò statutorum, ordinationũ, & capitulorum prædictorum sequitur, & est talis.

Incipiunt statuta & ordinationes Collegij Cam. Apost.

De Clericorũ numero.

§. 3. OMne Collegium cui Apostolici Fisci incumbit cura, his personis concluditur. Primum illorum caput est reuerendissimus D. Camerarius, tum Reuerendus Thesaurarius, post Assistentes, qui ex patrũ Clericorum Collegio ad ampliorem dignitatem euecti sunt. Post eos Clerici, septem videlicet numero tantum, vti Sanctissimus Dominus Noster Eugenius Quartus Pontifex instituit. Reliqui verò numero præfixo adiecti nihil commodi capientes à voto dando, & à suscipiendis commissionibus abstineant, & solo Clericorum nomine, habitu & pari sede remaneant contenti.

De Decani officio & potestate. De qua vide etiam in bulla Pij quæ all. in rub.

§. 4. Senectutem quæ apud maiores nostros semper venerabilis fuit, obseruare quoque nos decet. Cumque opportunè inter Clericos quispiam cæterorum nomine plurium rerum curam continuam habiturus sit, is erit merito, qui prius tempore ad Collegium admissus fuerit, modo Curiã incolat, eo autem absente, vel infirmo, proximior tempore subrogetur, huncque Decanum appellare conuenit. Potestas cogendi Clericos Cameræ tam qui intra numerum sunt, quam vltra; & agenda proponendi & exigendi singulorum vota, & iuxta illa concludendi exigente opportunitate præter causas fiscales, & tempus quo maioribus occupantur, ad officium Decani pertinet Altaris, & iocalium eius, ac diuini officij, atque sacerdotij & quicquid spectat ad ea, Decanus diligentius curet, sigillumque Collegij, & Constitutionum volumen apud se retinens, exacto anno sẽper singulorum rationẽ reddat.

De Camerarij, Clericorũ, & aliorum locorum in Camera residẽtia que agenda numero ordine.

De his vid. latius in bul. la Pij 4. allegata in rub.

§. 5. Nihil est quod tam rebus cõducat gerendis, quam ordo, ne qua igitur confusio illo deficiente occurrat commode proponendum videtur, quo pacto in loco Cameræ sedendum loquendumque sit. Cum igitur diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris quibus maiores nostri ius dicere soliti sunt, conuenerint Reuerendissimus Camerarius, aut illius Vicemgerens, Thesaurarius, Assistentes, & Clerici reliquive ministri Fisci? Primo ac digniori loco sedeat Camerarius, aut substitutus illius, Assistẽtes Decanus, & quidã ex Clericis, è regione verò Thesaurarius. Post reliqua pars Clericorum eorum sane qui intra numerũ sunt; hique omnes pro tempore dignitatis, aut admissionis eorum. Super numerum autem electi nouissimi consideant; nec quisquam eorum sine alba veste, atque cappa loco suo, sed inter pares vltimo sedeat. Post autẽ Auditor Fisca Clerici Sacri Collegij, tum Aduocatus pauperum. Postremo Aduocatus, ac Procurator fisci. Præter hos autem omnes nemo ex ministris Fiscalibus sedeat, sed recti omnes assistant, vt honor, ac decus huius Magistratus grauius obseruetur. Quicquid à singulis horum proponendum, agendumque fuerit, iuxta sedem & temporis ordinẽ absoluatur tam in exigendis votis, quam in causarum delegationibus relationibusque fiendis. Ita vt pro modestia Patrum, vno loquente cæteri obseruato silentio audiant. Nemo loquentem turbet, nec intra has solum species consistit huius constituti sententia. Quocumque enim hoc celebre Collegiũ conuenerit, idem ordo eadem grauitas, ac modestia illibata permaneat. Cum autem ius dicitur obseruent ostiũ tres Cursores ad mandata Fratrum parati.

De Clerici mensarij munere circa occurrentia singulo mense.

Ad qua vid. eandem Bull. Pij 4. & dictã Bul. Leonis X.

§. 6. Si pluries mandata negotia serius tardiusque absoluant profecto maiori commodo cedit vni exequendum committere quod probatum est plurium iudicio atque consensu. Pro more igitur prisco, solitoque maiorem nostrorum singulo mense vni ex Clericis demandetur cura præcipua exequendi quæque negotia inter ipsos conclusa atque definita. Et is quidem primum constituatur Decanus, tum illi proximior tempore, atque ita seruato ordine præficiantur cęteri sibi inuicẽ succedentes. Quod autem istius fidei atque diligentiæ incumbit, idest, vt Bullas maiorum Ecclesiarum, ac Monasteriorum curet concludi capsæ sub duarum clauium custodia, quarum alteram apud se teneat, alteram seruientes armorum, reliquorum autem beneficiorum quæ supplicatione impetrantur, obligationem iuxta ritum Cameræ accipiat. Iocalia vndecumque venerint, huic postea diuidenda mandantur. Iste eandem omnium vices agens, quicquid inter Collegas, communicandum distribuendumque acceperit, libello describat, & instante fine mensis inter Collegas, cæterosque curiæ officiales æqua lance partiatur.

De Minutorũ quinque seruitiorum diuisione, eiusque modo.

§. 7. Sunt igitur minuta quinque, quorum distribuendi onus nostro incumbit officio, hoc ordine partiẽda. Primo namque minuto quoad Cameram Apostolicã spectat in quatuor partes æquales, tres partes dominus

Camerarius accipiat diuiso, reliqua verò Clerici emolumenta percipientes inter se æqualiter metiantur. Aliud verò minutum Cancellariæ assignatum item in quatuor partes scindatur, quarum tres Dominis Protonotariis adscribantur, residua autem bipartita, vna domino Vicecancellario cedat, alia item æqualiter subdiuisa, vna literarum Apostolicarum Correctori, altera verò pars contradictarum Auditori detur. Est & tertium minutum in duas partes æquales diuidendum, quarum vna Capellanis commensalibus assignata, reliqua quadripartiatur, ex quibus Cubicularij vnam, tres autem alias Scutiferi honoris sibi recipiant partes. Quartò minuto similiter quadripartito vna partium Magistris hostiariis tribuatur. Altera verò parte vna Custodibus portæ ferreæ, altera Cursoribus distribuatur, Duæ reliquæ huius minuti partes in septuaginta & vnam particulas veniunt diuidendæ, ex quibus Seruientes armorum 19. Bullatores tres, Panetarij tres, Buticularij tres. Item Magister equorum vnam cum dimidia, Clericus equorum vnam, Palefrenarius, & Scopatores quinque, Magister pagnotæ duas, Hostiarij primæ portæ vnam, Primus coquorum vnam cum dimidia, Clericus coquinæ vnam, Lotores vtensilium coquinę vnam partes excipiant. Reliquum quod superest minutū, officialibus & familiaribus Cardinalium elargitur.

De Clericis supranumerarijs admittendis.

§. 8. Quicumque Ab Apostolica Sede Clerici fisci designati fuerint, non prius à collegio admittantur quam aureos viginti sex collegio Cameræ numerauerint, admissos autem illos intelligimus, qui etiam vltra numerum ad sedem habitumque recipiuntur, memorata verò summa hoc pacto distribuatur, vt aurei viginti ad vsum Altaris cedant, sex autem reliqui pro veteri more, iure socalium diuidantur, Cum autem Clericorum loca qui intra numerum sunt vacauerint, Priorem ex his qui præter numerum sunt, aut quem Summus Pontifex iusserit in locum vacuum collegium subroget. Isque omnium lucrorum commoda, quemadmodum & reliqui percipiat. Qui autem admittitur ad collegium, iureiurando polliceatur seruare, custodireque statuta, & probatos mores huius celebris venerandique collegij.

De Clericis ad ampliorem dignitatem anectis.

§. 9. Quos vitæ præstantia, clari mores, aut excellētia doctrinæ, ad Episcopalia vel alterius dignitatis gradum euexerit, summa veneratione & liberalitate prosequi conuenit, quandoquidem honori & amplitudini nostræ plurimum cedat. Ille autem qui è nostro collegio promotus translatusve etiam sæpius fuerit, semper quicquid cæteri, debent minutorum Sacri sigilli omnisque alterius solutionis Camerario, Thesaurario, Clericis, & Notariis minime soluat, sed ea omnia libera partium donatione suscipiat. Quicquid autem illi ex communi lucro deberetur exacto mense, omne ad Altaris vsum perueniat.

De infirmis quoque & absentibus. Quoad absentium emolumenta, vide decretum firmatū in Camera die 27. Febr. 1575. Quia solummodo bullas ponere prosit tenor.

§. 10. Infirmos corpore pietatis officio amplecti humanum piumque videtur, propterea si quem in Curia præsentem vexauerit morbus a percipiendis lucris communibus, velut cæteri fisco seruientes minime excludantur. Quod si ad balnea vel alia loca salubrioris aëris oportuerit secedere, cuiuslibet commodi particeps sit integro mense. Cum verò diuturnior fuerit ægrotatio, bimestri tantummodo accedente suffragio plurium ex collegio lucra obuenientia excipiat. Absentes autem publicæ vel priuatæ rei causa, nihil omnino percipere aut petere valeant nisi duarum ex tribus partibus votis decernatur.

Decedentiūq; exequiis. Ad hæc vide d. bull. Leo. x.

§. 11. Extremum huius vitæ diem, & mortem indubiam prudentis est præmeditari. Cumque omnibus sit communis sors & moriendi lex, pietatem summam præstare defunctis ad nos potissimum pertinet, qui in sortem Domini vocati sumus. Si quem igitur ex nostro collegio mori contingat, præsentem aut absentem, qua die sepulchro mandatur, Fonus aut nuntium mortis aduenerit, vel intra biduum proximum exequiæ solemniter celebrentur, quibus intersit omne collegium, & Missæ triginta dicantur, omnemque hanc impensam pro dignitate, & gradu defuncti collegium exoluat. Liberum autem sit hæredibus aut fideicommissariis defuncti præter eam summā quicquid in piam causam voluerint erogare.

De Altaris

§. 12. Religionis causam semper, & vbique præcipuam extitisse nemo nisi imperitus ignorat, legimusque Salomonem sapientissimum Regem longe diligentiorem fuisse in ædificanda domo Dei, quam Regia. Hanc ergo cum singulari zelo, & animi feruore prosequamur. Decernimus collegium nostrum habere Altare instructū omnibus, decenter quidem ac ornate, quæ ad Sacrificium celebrandum necessaria sunt, & illa quæ vt in anterioribus diximus Decani diligentiæ mandētur, cuius vigilantia, & studio semper incrementum diuino cultui dedicata suscipiant. Omne autem collegium nostrum præter festa quæ ab Ecclesia obseruantur, præcipua veneratione singulis annis celebret diem constantissimi ac felicis martyris Laurentij, ita vt Vesperas, & solemnem Missam adstantibus Reuerendissimis dominis Cardinalibus, & cæteris Prælatis celebrari curent. Sacerdotem quoque qui diebus festis, & quibus collegium conuenit pro iure reddendo missam celebrat, collegium conducat, illique in præsidium vitæ annuum salarium constituatur.

ornamentis & Missis, aliisq; officiis celebrandis. Tu vide eandem bullā Leon. x. Hic Pont. contra inobseruantes dicta statuta sanctionem pœnalem apponit.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Domini 1444. 8. Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno xiv.

Dat. P. A. 14. die 6. Iul.

XIV. Quod Abbates Ordinis Cisterciensis quavis auctoritate etiam Apostolica ad Abbatias promoti, vel confirmati, ab eiusdem Ordinis Abbate, Visitatoribus & Reformatoribus non sint exempti.

Omnia quæ hunc Ordinem respiciunt notaui sup. in const. 1. Paschal. II. Desiderium.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1438.

Exordium

AD vniuersalis Ecclesiæ regimen licet insufficientibus meritis diuina disponente clementia deputati, non possumus non turbari, cum Monasteria & alia loca regularia sentimus in aliqua parte lædi, sed tunc profectò acribiori dolore confodimur, cum vbi speciosiora esse solent enormius deformantur.

Causa huius constit.

§. 1. Sane pro parte dilecti filij Ioannis Abbatis Monasterij Cisterciensis Cabilonensis diœcesis exhibita nobis nuper petitio continebat, quod nonnulli Cisterciensis Ordinis Abbates, alij videlicet se ad Abbatiales dignitates, quas obtinent per Apostolicam Sedem promotos, alij verò electiones de eis ad dignitates similes factas, & per sedem fuisse confirmatas eandem asserentes, & eo prætextu se fore exemptos, ad Capitula generalia dicti Ordinis accedere, visitatoribus quoque & reformatoribus Ordinis eiusdem parere negligunt & recusant, prædictum Abbatem generalem, Visitatores & reformatores huiusmodi contemnentes, in ipsorum vilipendium ac scandalum totius Ordinis non modicum & iacturam.

Quod Abbates nulli sint exempti vt s. sub.

§. 2. Quare pro parte dicti Abbatis nobis fuit humiliter supplicatum vt super his opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque qui Ordinum & Monasteriorum quorumlibet curam gerimus generalem, quorumque interest super talibus prouidere, cupientes quod Ordo ipse & illius personæ præsertim in dignitatibus constitutæ in charitatis & obedientiæ vinculo cum Abbate præfato, & aliis eorum Superioribus se conforment, eisque iuxta statuta & ordinationes, & laudabiles consuetudines dicti Ordinis pareant & intendant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus quoscūque Ordinis præfati Abbates Apostolica vel alia quavis auctoritate promotos, illorum etiam quorum electiones ad Abbatiales dignitates sunt eadem Apostolica vel auctoritate alia confirmatæ, nullatenus propter promotiones vel confirmationes huiusmodi ab Abbate Ordinis Visitatoribus & Reformatoribus huiusmodi fuisse, vel esse exemptos. Decernentes eos & quoscumque alios Apostolica vel alia quavis auctoritate huiusmodi de cætero promouendos, ac etiam illos quorum electiones cōfirmari in futurum contigerit, vt præfertur, eisdem

Abbati

Abbati Ordinis, Visitatoribus, & Reformatoribus, illorumque Correctoribus, prout ante erant subditi, subiacere & omnino subesse.

Pœna contravenientium.

§. 3. Nos enim omnes & singulos qui prætextu promotionis, seu confirmationis de se factæ huiusmodi præsumpserint rebellionis, contemptionis, vilipensionis aut Inobedientiæ contra patrem Abbatem Ordinis, Visitatores, & Reformatores huiusmodi pro tempore existentes, cornua eleuare, excommunicationis sententiæ decernimus subiacere.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterij & Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque, seu si promotis & confirmatis, seu forsan promouendis, & confirmandis huiusmodi, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim à Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicati non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausula sublata, &c.

§. 5. Et insuper irritum decernimus, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. F. An. 8. die 13. Dec.

Datum Ferrariæ, anno Incarnationis Dominicæ 1438. Idibus Decemb. Pont. nostri Anno octauo.

XV. De S.R.E. Cardinalium dignitate, cæteris Ecclesiasticis dignitatibus præstantiori.

Alia quamplura de materia Cardinalium, indicabo tibi in constit. 50. Six. V. Postquam.

Edita An. D. 1439.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabili viro Magistro Henrico Archiepiscopo Cantuariensi, &c.

Exordium.

NOn mediocri dolore afficimur, cum inter fratres nostros Episcopos, seu alios Ecclesiasticos, dissidij aliquid exortum esse percepimus, tum propter malum, quod inde in populis exemplum prouenit, tum quia contemptus & detractionis præbetur occasio.

Admiratur Pontifex his de quæstione mota ab Archiepiscopo Cantuariensi, super præcedentia, cum Ioanne tit. S. Balbinæ presbyt. Card.

§. 1. Proinde non parum audisse displicuit dissensionem illam, quam cum dilecto filio nostro Ioanne tit. S. Balbinæ Presbytero Cardinali nuper tua fraternitas habuit, cum noua & insolita res ipsa sit, quæ nunc attentatur. In primis autem admiramur satis cum per 14. annos, & amplius cum dilecto filio nostro Henrico tit. S. Eusebij Presbytero Cardinali in sedendo, & in ferendis votis sine altercatione vixeris, & nullam secum super hoc prorsus habueris disceptationem, quid causæ sit, quod nunc primum in contentionem venias cum ipso Ioanne Cardinali eadem prædito dignitate. Nec quidem generis regij erga ipsum Henricum ratio prætendi potest, quoniam & antequam Cardinalatus ipsam foret dignitatem adeptus, dumtaxat existens Vintoniensis Episcopus, & voce, & loco tibi cedebat, postea autem quam in Card. per fel. rec. Martinum prædecessorem nostrum assumptus est, iure tibi, & aliis antepositus fuit, & nunc anteponitur. Quod si sola Cardinalatus dignitas hanc in alio prælationem operata est, cur in isto itidem non efficiet? Cum tamen ipse Archiepiscopus, ille Episcopalem obtineat dignitatem, & illius Ecclesia tuæ sit suffraganea, istius verò nullo iure subiecta.

Eius tamen laudat submissionem de parendo iudicio Sedis Apostolicæ.

§. 2. Illud autem de te nobis placuit ac laudamus, quod in tuæ protestationis fine sub his verbis addidisti, quod scilicet per præmissa, aut aliquid per se factum, aut dictum, & habitum, seu faciendum, dicendum, vel habendum, non intendis Sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam, seu iuramentum tuum eidem præstitum, aut Venerabilem cœtum eiusdem Ecclesiæ Cardinalium, aliquemve eorum in aliquo offendere, aut alicui honori, priuilegio, prærogatiuæ, seu dignitati, præeminentiæ, aut alicui alteri iuri eorum, in aliquo derogare, seu iuramento tuo in aliquo contraire, sed quod eandem Sacrosanctam Romanam Ecclesiam cum honoribus suis omnibus priuilegiis, prærogatiuis, dignitatibus, præeminentiis, gratiis, & aliis iuribus suis quibuscumque cum omni reuerentia manutenebis, ac defendes, & ab aliis manuteneri, & defendi procurabis. Per hoc plane innuere videris si hoc sit Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ius, vt reliquos antecedant Ecclesiæ gradus, quod nobis in lite mota persistere, imò Apostolicæ Sedis stare iudicio, cuius inter alia priuilegia, quæ manutenere, & defendere potest, hoc etiam est vt de quibuscumque ambiguis quæstionibus, quæ in Dei Ecclesia accidunt, valeat iudicare, & sua auctoritate finem imponere, quanquam longe fuisset decentius ante motam controuersiam, Sedem Apostolicam consulere.

Cardinalatus itaque dignitatem cæteris in Ecclesia sublimiorem esse Pontifex affirmat ex multis.

§. 3. Quantum autem hæc Cardinalatus dignitas sit sublimis, & aliis excellentior, & ita hactenus in Ecclesia reputata, si eius officium, ac Sanctorum Patrum statuta, & consuetudinem tam apud hanc Sedem, quàm generalia Concilia semper obseruatam, scineris diligenter scrutari, facile tibi innotescet.

1. B. Petrus has Cardinalium officium instituit; & iussu Dei ab exordio Ecclesiæ originem traxit.

§. 4. Quippe & si huius dignitatis nomen quod modo in vsu est, ab initio primitiuæ Ecclesiæ non ita expressum fuit, officium tamen ipsum à B. Petro, eiusque successoribus institutum euidenter inuenies. Imò, vt inquit Innocentius Tertius ex veteri testamento iussu Dei traxit originem, asserit enim id quod Deuteron. 17. dicitur, vt pro difficultate, & ambiguitate iudicij accedatur ad Sacerdotes Leuitici generis, & iudicem, qui fuerit illo tempore, & obediatur ipsorum iudicio, qui præsunt loco, quem Dominus elegerit, de summo Pontifice intelligendum esse, & fratribus eius, idest S.R.E. Cardinalibus, qui ei iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij coadiutores existunt. Itaque & ab exordio Ecclesiæ sicut & hodie, Summis Pontificibus in regenda gubernandaque vniuersali Ecclesia assistebant. Et vt ex Concilio Stephani Papæ colligitur dicentis: Oportebat vt hæc Sacrosancta Domina Romana Ecclesia, iuxta quod à B. Petro, & eius successoribus institutum est, rite ordinaretur, & in Apostolatus culmine vnus de Cardinalibus presbyteris, aut Diaconis consecraretur, datur manifeste intelligi, hos fratres nostros qui inter Cardinales locantur, tempore B. Petri extitisse.

2. Papa coadiutores in Conc. Niceno appellati sunt, & absque testium multitudine condemnari non valent.

§. 5. In confinio autem Niceni Concilij B. Syluester, qui cœpit Ecclesiam regere anno Incarnationis Dominicæ 330. vel circiter, in Synodo generali congregatis præsidens, hos coadiutores suos nuncupauit Cardinales, & magno admodum priuilegio insigniuit, quales nullus Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in canonibus habere reperitur, vt videlicet sine plurima testium multitudine damnari non debeant. Nec sine mysterio triplex ordo in fratrum nostrorum collegio à Sanctis nostris prædecessoribus institutus est. Nam cum summus Pontifex vices Dei gerat in terris, decuit quemadmodum Moysi præceptum fuit, vt omnia ad exemplum faceret, sicut ei ostensum erat in Monte, quod ad instar illius cælestis Hierarchiæ in hac nostra Ecclesia tres constituerentur Ordines assistentium Papæ, qui purgantium, illuminantium, & perficientium fungerentur officio, veluti sunt Diaconi, Presbyteri, & Episcopi Cardinales. Decuit enim cum Summus Pontifex CHRISTI repræsentet personam, vt quemadmodum Christo conuersanti in terris assistebant Apostoli, ita etiam Cardinalium cœtus Apostolicum repræsentans, coràm Papa assisteret, reliqui verò Episcopi, vbique diffusi, Apostolos repræsentant ad prædicandum per orbem missos.

3. Membra Pontificis nuncupantur, eosque offendentes, criminis læsæ maiestatis rei iudicantur.

§. 6. Ipsos præterea Cardinales pro honoris, ac dignitatis eminentia, partem sui corporis Summi Pontifices appellant. Ex quo sine vlla dubitatione ostenditur, post caput Ecclesiæ, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt fratres eius Cardinales præ cæteris Ecclesiæ membris ac partibus honorari debere, adeo quidem, vt sacris canonibus sancitum sit, eos qui in Cardinalem manus iniecerint violentas, aut fugauerint, aut insequuti fuerint, seu ad hoc dederint consilium, vel fauorem, criminis læsæ Maiestatis reos, maximis & multiplicibus pœnis esse plectendos, ac si ipsi Apostolici throni violauerint maiestatem, quod in ipsos qui Patriarchas, Archiepiscopos,

piscopos,

piscopos, vel Episcopos offenderint, statutum minime reperitur, vt euidenter hinc liqueat, tanto ampliorem censeri dignitatem, quanto plures, seueriorésque illam offendentibus infliguntur pœnæ.

4\. *Alijs præminentijs decorati sunt.*

§. 7. Sunt etiam, & in signum præeminentiæ ipsis fratribus nostris præ aliis Ecclesiæ Prælatis, & similiter cum Legati de nostro Latere destinantur, præ aliis Legatis multa, ac magna per canones attributa priuilegia, quæ tibi nota esse non dubitamus. Hinc etiam constat cur à latere Apostol. mitti eis solis, & non aliis appropriatur Legatis.

5\. *Imperator Constantinus patres appellauit.*

§. 8. Sed & ille notissimus Constantinus Imperator, animaduertens ad quam magnum, ac publicum vniuersalis Ecclesiæ officium ipsi fratres nostri vocati essent, sic inquit. Volumus etiam deinde sui Ordinis Reuerendissimos Clericos S.R.E. seruientes, singulos habere illud sanctum culmen potentiæ, & excellentiæ, cuius sanctissimus noster Senatus videtur gloria adornati, id est, Patritios Consules fieri, quos certe Patritios, Consules secundum leges, vt in summa dignitate constitutos Imperator patres sibi elegit, & loco patrum à se honorari affirmat.

6\. *Romana Ecclesia, Cardinalium cœtũ, alijs illustriorem constituit.*

§. 9. Quod verò hæc dignitas tanto honore præfulgeat, nec tuæ fraternitati, nec cuipiam alteri molestum esse debet, quoniam vt sancti attestantur Patres, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, Cathedrales, aliasque dignitates Romana fundauit Ecclesia, sicutque licuit, vni Ecclesiæ amplam, alij ampliorem, & alij amplissimam provt expedire iudicauit tradidit potestatem. Omnes enim tanquam vnius arboris rami ab vna eademque radice, & vt diuersi aquarum riuuli ab eodem fonte prodierunt, licet vnus alio copiosiot, atque vberior. Itaque si iustis ex causis, & Spiritus sancti instinctu, quo hanc Sedem regi credendum est, Romana Ecclesia Venerabilium Cardinalium cœtum ad cælestis hierarchiæ similitudinem conditum, & tanquam sui corporis partem his priuilegiis, & honoribus illustrare decreuit, nec tua Ecclesia, cui per Apostolicam Sedem præfectus es, nec quisquam alius Ecclesiæ gradus ab eodem similiter Apostolico throno originaliter institutus, quæ omnia de ipsorum fratrum nostrorum consilio acta sunt, vllam succensendi, aut conquerendi causam habet, ne illud adducamus euangelicum verbum. Amice non facio tibi iniuriam, nunquid mihi non licet de meo facere quod volo? Et sicut tu vis, vt priuilegiis Ecclesiæ tuæ ab hac Sede concessis, aliæ deferant inferiores Ecclesiæ, ita eadem ratione par est, vt ab eadem Sede huic cœtui instituto, tu similiter deferas, & reuerentiam præstes.

7\. *Consuetudo Ecclesiæ Romanæ, & vniuersalis idem obseruauit ab immemorabili tempore citra.*

§. 10. Multum etiam mouere te debet diuturna per Christianum populum vbique seruata consuetudo, quæ etiam si cætera deessent, ex quo tam vetusta est, vt eius initiis memoria non extet in contrarium, pro constituto iure habenda foret, præsertim quando sciente, & approbante Summo Pontifice, non quidem vno, sed tot, quot vnquam habuit Ecclesia, id actum esse dignoscitur. In omnibus enim nationibus, ac Regnis, & vt in Anglia memoramus hactenus, huiusmodi præeminentiæ Cardinalibus delatus est honor, qui quidem non tam ipsis, quam nobis, cum nostra sint membra, attribui censendus est. Nec minus his Ecclesiæ Romanæ consuetudo, quæ caput, norma, & magistra est reliquarum Ecclesiarum, idipsum tibi persuadeat, qua semper nullo vnquam contradicente in cunctis actibus, quibuscumque Prælatis præhonorati sunt.

8\. *Et in Concilijs hoc idem vsitatum fuit.*

§. 11. Idem in antiquis generalibus Conciliis, præsertim in duobus Lugdunensibus, in vno præsidente Innocentio Quarto, in altero Gregorio Decimo, quorum adhuc extant acta, vsitatum fuit. Sic & in his Synodis nostris nostra ætate celebratis, de quibus etiam apud Regnum Angliæ non pauci supersunt testes, obseruatum esse palam est, absentibus etiam Summis Pontificibus, idem & nunc nobis, præsidentibus in hoc sacro Oecumenico seruatur Florentino Concilio.

9\. *Ex ordine nominãdi Cardinales ante alios Prælatos in sententijs, idẽ dignoscitur.*

§. 12. His quoque illud accedat, quod in sententiis, & decretis tam huius sanctæ Sedis, quam generalium Conciliorum, cum de dignitatibus nominatim fit mentio, illa clausula adiici solet, non obstantibus, si Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, seu alia quacumque præfulgeat dignitate, per quod ex ordine nominandi, quæ sit maior, luculenter apparet.

10\. *In prælationibus dignitas Cardinalatus præponderat, etiam vbi non vt Cardinales, sed vti suarum Ecclesiarum Prælati intersunt.*

§. 13. Nec censetur quispiam quod Ordo Episcopalis, presbyterio maior sit, quoniam in eiusmodi prælationibus, officium ac dignitas, siue iurisdictio præponderat ordini. Quemadmodum iure cautum est, vt Archidiaconus non Presbyter, suæ iurisdictionis obtentu, Archipresbytero præferatur, simili modo Diaconus, vel Subdiaconus, aliusve clericus noster, aut alicuius Metropolitani Vicarius, seu Locumtenens in Synodo, & alibi, alios quocumque ordine maiores etiam Episcopos antecedit, propter illius iurisdictionem, quam exercet, & personam quam repræsentat. Sic & electus ad Ecclesiam Cathedralem, & confirmatus, quanquam nondum consecratus, ratione iurisdictionis cunctis in sua diœcesi præeminet. Quis ergo iam dubitarit eum qui talia iura, & canones condidit, & talem aliis tribuit potestatem, posse eandem cum vult, & maiorem suis membris tribuere? Si quis forte obiecerit prioris dignitatis potius esse rationem habendam, quam Cardinalatus de nouo collati, cum in regiis tractatibus, ac parlamentis, quilibet vt suæ Ecclesiæ Prælatus, non vt Cardinalis intersit. Huic obiectioni euidens respondet ratio, nam cum personæ sint Ecclesiasticæ, sicut statuta, ac priuilegia suarum Ecclesiarum in his actibus seruant, multo magis Romanæ Ecclesiæ, cui vinculo obedientiæ adstricti sunt, priuilegia, & statuta seruare tenentur. Quibus nec ipsæ personæ Ecclesiasticæ, nec alij quicumque tanquam inferiores detogare quomodolibet possunt. Cum igitur viri Ecclesiastici ad actus publicos, vel priuatos vocantur cum suis qualitatibus, ac prærogatiuis ab Ecclesia institutis admitti debent. Nam & contra honestatem publicam, & vniuersalis Ecclesiæ politiam, & in opprobrium Ecclesiasticæ disciplinæ vergeret, si in quouis actu Diaconus Presbyterum; vel Presbyter Episcopum, aut Episcopus Patriarcham præcederet. Præterea in canonibus scriptum est vnumquemque in Collegio, vel Capitulo iuxta suæ receptionis tempus honorandum esse, & quod si postea aliquis admittatur Presbyter, cæteris tempore antetioribus præponatur; qui Presbyteri non sunt. Quod si in ordine maiori sit, hoc etiam multo amplius in dignitate seu iurisdictione quæ in his actibus maior est ordine, seruandum est, vt supra de Archidiacono, & Archipresbytero dictum est. Quod si in post receptis locum habet, eadem ratione in iis qui prius, si qua de nouo eis obueniat dignitas. Hoc enim rationi consentaneum est, vt dignius minus dignum ad se trahat, & res à potentiori, & nobiliori denominetur. Quod in ipsis Cardinalibus euidenter seruatur, qui licet certarum Ecclesiarum dum ad Cardinalatum assumuntur Episcopi sint, nihilominus eos non Episcopos, sed Presbyteros S. R. E. Cardinales, sedes Apostolica appellat. Quinimo si eis suas priores Ecclesias in tit. dimittat, non amplius sub nomine Ecclesiarum, sed tituli Cardinalatus scribit, quasi ad maiorem dignitatem, & iurisdictionem assumpserit, alioquin non ascendisse, sed descendisse, non honorari, seu dehonorari viderentur.

11\. *Cardinales à solo Papa, & non alijs Prælatis, illi verò à Cardinalibus iudicantur.*

§. 14. Quis etiam non videat Cardinalatus dignitatem Archiepiscopali esse maiorem dignitate, quia cum illa priuatæ vnius patriæ præsit vtilitati, ista publicæ totius populi Christiani. Illa vnam dumtaxat regit Ecclesiam, ista cum Sede Apostolica vniuersas, & cum à nemine, nisi solo Papa iudicentur Cardinales, ipsi & Patriarchas, & Archiepiscopos, & reliquos Ecclesiæ gradus, cum Summo Pontifice iudicant. Quorum officio nomen ipsum consonat optime, nam sicut super cardinem voluitur ostium domus, ita super hoc Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit & sustentatur.

12\. *Contraria consuetudo absque Sedis Apostolicæ assensu non suffragaretur.*

§. 15. Nullum denique pro tua intentione proponis Ecclesiæ Romanæ priuilegium, quis enim alius huic iuri positiuo, & vniuersalis Ecclesiæ obseruantiæ, atque Apostolicæ concessioni præsertim quæ Apostolici throni, membrorumque eius præeminentiam concernit, contrarium priuilegium dandi vllam omnino habet facultatem? neque etiam consuetudine vlla tuam causam tueris. Quanquam si qua prætenderetur, præter Apostolicæ Sedis consensum, & approbationem inefficax prorsus censenda esset, vt proxime de priuilegio dictum est, atque

itratio

irrationabilis, quia per eam d gniras confunderetur Superiorum Magistratuum, turbationemque pareret In quolicet reipublicæ statu. Nam iuxta Canones vniue. fos non posset alia ratione subsistere, nisi eam huiusmodi magnus differentiæ ordo seruaret Ecclesiasticus, quia confunderetur ordo, si cuique sua dignitas non seruaretur, quamvis vt prædictum est, ex frequentibus actibus 40. annorum spatio visitatis, contrariæ potius in Regno Angliæ consuetudo firmata sit.

Hortatur que hic Pontifex Archiepiscopum Cantuariensem, vt prædictis acquiescat. §. 16. Hortamur itaque te venerabilis frater, & volumus, vt prædictis rationibus, ac nostrorum prædecessorum ordinationi atque Ecclesiæ vniuersalis obseruantiæ penitus acquiescas, sicut pro tua prudentia, & deuotione quam ad Romanam Ecclesiam, & nos semper habuisti, te facturã speramus. In reliquis verò, siue tuam Ecclesiam, siue personam concernentibus, quæ nec rationi, aut honestati derogent, pro magna, qua te omni tempore complexi sumus, ac complectimur charitate, nos semper propitios experieris.

Dat. P. An. 8. Datum Florentiæ ...... Pontificatus nostri Anno Octauo.

XVI. Monachi professi Ordinis Cisterciensis Monachorum S. Benedicti, ad alium quam Carthusianorum Ordinem transire prohibentur.

Hoc idem vetuit Nicol. V. die 9. Aprilis 1448. cuius bullam vti simpliciter confirmatoriam consultò prætermisi.

Alia de hoc Ordine scripsi sup. in Paschal. II. const. 1. Desiderium.

Edita An. D. 1439. *EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

Exordium. Regularem vitam professis, sic decet omnem vagandi materiam omnemque inquietudinis causam amputare, quod in eorum vocatione persistant, ac sedulum, & deuotum Altissimo exhibeant famulatum.

Causa huius prohibitionis. Prohibitio de qua in rubrica. §. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Patris Abbatis Monasterij Cistersiensis, Cabilonen. diœc. & aliorum Cisterciensis Ordinis Abbatum exhibita nobis nuper petitio continebat, quod nonnulli monachi dicti Ordinis, alij videlicet melioris frugis ficto colore, alij verò vt iugum obedientiæ & salutaris medicinæ, effugiant disciplinam, ad alios regulares Ordines se diuertunt, & vt in illis remanere libere possint licentiæ Apostolicæ Sedis in exquisitis coloribus satagunt obtinere.

Prohibitio de qua in rubrica. §. 2. Nos igitur quorum interest animarum prouidere saluti, & huiusmodi salobre remedium adhibere, eorundem patris & Abbatum supplicationibus inclinati harum serie decernimus & etiam ordinamus, quod nullus Ordinis præfati professus, ad alium quemcunque præterquam Carthusiensium Ordinem, etiam prætextu literarum Maioris pœnitentiarij nostri, etiamsi in illis plena & expressa de præsentibus mentio habeatur, absque eiusdem patris Abbatis licentia speciali causam rationabilem & vrgentem, quare licentia huiusmodi concedi debeat, nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus expresse & specifice allegantis, audeat vel præsumat quomodolibet se transferre.

Pœna contrauenientium. §. 3. Decernentes nihilominus contrafacientes eosdem correctioni sui Abbatis & dicti Ordinis omnino subesse, eosque transeuntes & Abbates eorum, ipsis ad alium præterquam dictum Ordinẽ Carthusiensium trãseundi licentiam concedentes, ipso facto excommunicationis sententiæ subiacere.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, ac indultis quavis auctoritate concessis vel concedendis, quæ quoad hoc nullius existere firmitatis, & aliis contrariis quibuscumque.

Nulli ergo &c. si quis &c.

Dat. P. An. 8. die 14. Febr. Dat. Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1439. decimo sexto Kalendas Martij. Pontificatus nostri Anno octauo.

XVII. Concordia Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, cũ definitione quorundam articulorum Catholicæ fidei in quibus dissidebant, Primatusque Romani Pontificis, & Ordinis Patriarcharum.

Alia de Græcis, indicaui supra in constit. 14. Innoc. IV. Sub Catholica, ibi videas.

Alias duas concordias hoc fere tempore Deus sanctæ suæ Ecclesiæ concessit, alteram scilicet Armenorum, alteram verò Iacobinorum, vt infrà in const. 19. Exultate, & const. 23. cantate.

Edita An. D. 1439. *EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad infrascripta charissimo in Christo filio nostro Ioanne Palæologo Romanorum Imperatore Illustri, & Locum tenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & cæteris orientalem Ecclesiam repræsentantibus.*

Laticla et primatus & laudes Deo referuntur de concordia facta, inter Latinam Ecclesiã & Græcam dissidentes super articulis hic relatis. Lætentur Cæli & exultet terra. Sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem, orientalemque diuidebat Ecclesiam, & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit vtraque vnum, vinculo fortissimo charitatis & pacis vtrumq; iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente, postquam longã mœroris nebulam, & dissidij diuturni atram nigramque caliginem, serenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat & mater Ecclesia, quæ filios suos hactenus inuicem dissidentes, iam videt in vnitatem, pacemque rediisse: & quæ antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia, cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbique per orbem, & qui Christiano censentur nomine, matri Catholicæ Ecclesiæ collætentur. Ecce enim occidentales orientalesque Patres, post longissimum dissensionis, atque discordiæ tempus, se maris ac terræ periculis exponentes, omnibusque superatis, laboribus, ad hoc sacrũ Oecumenicum Concilium, desiderio sacratissimæ vnionis, & antiquæ charitatis redintegrandæ gratia, læti, alacresque conuenerunt, & intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim, laboriosamque indaginem, tandem Spiritus sancti clementia ipsam optatissimam & sanctissimam vnionem cõsecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? quis tantas diuinæ miserationis diuitias non obstupescat? cuius vel ferreum pectus tantæ supernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus diuina opera, non humanæ fragilitatis inuenta; atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, & diuinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe fons misericordiarum; qui tantum boni sponsæ tuæ catholicæ Ecclesiæ contulisti, atque in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstrasti, vt enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem diuinumque munus nobis Deus largitus est qui oculis vidimus quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere nequiuerunt.

Pro qua concordia habenda, celebratum fuit Concil. Florentinum. §. 1. Conuenientes enim Latini & Græci in hac sacrosancta Oecumenica Synodo, magno studio inuicem vsi sunt, vt inter alia etiam articulus ille de diuina Spiritus sancti processione, summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis verò testimoniis ex diuinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum Doctorum orientalium & occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam verò ex Patre, per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, & eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diuersis vocabulis, Græci quidem asseruerunt quod id quod dicunt Spiritum sanctum ex patre procedere, non hac mente proferunt, vt excludant filium, sed quia eis videbatur, vt aiunt, Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere tanquam ex duobus principiis, & duabus spirationibus, ideo abstinuerunt à dicendo, quod Spiritus sanctus, à Patre procedat & Filio. Latini verò affirma-

uerint non se hac mente dicere Spiritū sanctum ex Patre, Filioque procedere, vt excludant Patrem quin sit fons atque principium totius Deitatis, Filij scilicet, ac Spiritus sancti, aut quod id quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat, siue quod duo ponant principia, seu duas spirationes; sed vnum tantum asserant esse principium, vnicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus vnus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam, & sanctam Deo amabilem eodem sensu eademque mente vnionem vnanimiter concordarunt & consenserunt.

Definitiones articulorum Fidei. §. 2. In nomine igitur sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio, definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur.

Artic. 1. §. 3. Quod Spiritus sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit. Declarantes quod sancti Doctores, & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam; secundum Latinos verò, principium subsistentiæ Spiritus sancti sicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, Pater ipse vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter genitus est. Definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque; veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Artic. 2. §. 4. Item in azymo siue fermentato pane triticeo, corpus CHRISTI veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ siue Occidentalis siue Orientalis consuetudinem.

Artic. 3. §. 5. Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatorij post mortem purgari: & vt à pœnis huiusmodi releuentur, & prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesiæ instituta.

Artic. 4. §. 6. Illorumque animas qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus vel eisdem exutæ corporibus (prout superius dictum est) sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum, & vnum sicuti est pro meritorum tamen diuersitate aliam alia perfectius.

Artic. 5. §. 7. Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Definitio de primatu Papa. §. 8. Item definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere, & ipsi in B. Petro, pascendi, regendi, ac gubernandi vniuersalem Ecclesiam à D. N. IESV CHRISTO plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonib..s continetur.

Definitio de gradibus Patriarcharum. §. 9. Renouantes insuper ordinem traditum in Canonibus cęterorum venerabilium Patriarcharum vt Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus, saluis videlicet omnibus priuilegiis, & iuribus eorum.

Dat. P. An. 9. die 4 Iuly. Dat. Florentinæ in sessione publica Synodali, solemniter in Ecclesia maiori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ 1439. pridie Nonas Iulij, Pontificatus nostri Anno ix.

Ego Eugenius Cathol. Ecclesiæ Episcopus, ita definiens supscripsi. *Papa subscriptio.*

Adiutor & protector meus es tu Domine ne derelinquas me.

Ego Antonius Episcopus Ostiensis, Card. Bononiensis, supradictas definitiones veras & Catholicas esse affirmo, & me illis subscripsi. *Card. subscriptiones.*

Ego Betanda Episcopus Portuensis, Cardinalis Placentinus, supradictas definitiones veras, & Catholicas esse affirmo, & subscripsi.

Ego N. tituli S. Crucis, presb. Card. supradictis definitionibus tanquam veris, & Catholicis subscripsi.

Ego F. tituli S. Clementis, presbyter Cardinalis, supradictis definitionibus me subscripsi.

Ego A. tit. S. Marci, presb. Card. subscripsi.

Ego Iul. tit. S. Sabinæ, presb. Card. me subscripsi.

Ego Prosper tit. S. Georgij ad Velum aureum, Diaconus Cardinalis de Columna subscripsi.

Ego Dominicus S. Mariæ in Via lata, S.R.E. Diaconus Card. subscripsi.

Exemptio Sororum siue Monialium Ordinis S. Claræ, à iurisdictione, & superioritate Ordinariorum, & aliorum quorumcumque. Et à solutione pedagiorum, & quarumlibet contributionum. XVIII.

Habent hæ Sorores, nedum istas: sed alias exemptiones, vt inf. in Py IV. const. 5. De statu. cum ibi notandis.

Huius Ordinis quæ sunt regulæ, quarum primam vide sup. in const. 12. Innoc. IV. Solet vbi notaui. Alteram vero attende in constit. 7. Vrb. IV. Beata.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam. *Edita An. D. 1439*

Proœmium. LIcet Romanus Pontifex omnes religiones, & religiosas personas, earumque Monasteria, siue loca, assueto benignitatis affectu prosequi consueuerit, illa tamen specialius sibi subdit, ac à cuiuslibet alterius iurisdictione onerumque quorumcumque subiectione, & solutione libera facit penitus, & exempta, quæ maioribus oppressionibus, exactionibusque grauata noscuntur.

Sorores S. Claræ conqueruntur de grauaminib. eis illatis, & Papæ supplicant pro opportuna prouisione. §. 1. Exhibita quidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissarum, & Conuentuum vniuersorum Monasteriorum S. Damiani, ac Minorissarum, & S. Claræ Ordinis eiusdem Sanctæ sub Generalis Ministri, aliorumque officialium Ordinis fratrum Minorum cura vbilibet constitutarum, petitio continebat, quod ob varias decimarum, & charitatiuorum subsidiorum, aliorumque onerum impositiones, tam pro Romanæ Ecclesiæ, suorumque Legatorum, & Nuntiorum incumbentibus quam pro honorandis Regibus, ac Principibus, ac Communitatum subuentionibus, Apostolica auctoritate hactenus ordinatas, constitutas, atque decretas, necnon gabellas, pedagia, & grauamina, aliaque onera realia per Potestates, Rectores, atque regimina sæcularia, factas, impositas, & illatas, petitionesque & exactiones, quę ratione fructuum, qui in eorundē Monasteriorum, & locorum agris, & possessionibus intra nonnullarum, cum cura & sine cura, Ecclesiarum limites consistentibus colliguntur à nonnullis illarum Rectoribus, & beneficiatis, factæ sunt hactenus, & fiunt etiam de præsenti, Abbatissæ, Conuentus, Moniales, Monasteria, & loca huiusmodi in tantam paupertatem, inopiamque venerūt, quod pia eorum vota exoluere non valentes, in Monasteriis, & locis ipsis diuinus cultus est adeo diminutus, quod nisi prouideatur celeriter, verisimiliter formidatur in eis extinctio obseruantię regularis. Quare pro parte Abbatissarum, & Conuentuum prædictarum nobis fuit humiliter

suppli-

supplicatum, vt prouidere eis, & eisdem Monasteriis siue locis super hoc de opportuno remedio dignaremur.

Hic ideo Pont. eas à iurisdictione Ordinariorum, & aliorum omnium eximit.

§. 2. Nos igitur qui ad eosdem Fratrum Minorum, & S. Claræ Ordines specialem gerimus deuotionis affectum, piæ mem. Nicolai Quarti, Bonifacij octaui, Ioannis Vigesimisecundi, Clementis Tertij, Alexandri Quarti, & Benedicti Vndecimi prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, earundem Abbatissarum, & Conuentuum, necnon dilecti filij Guillelmi de Casali, eiusdem Fratrum Minorum Ordinis Generalis Ministri sacræ paginæ professoris, nobis super hoc humiliter supplicantis, in hac parte supplicationibus inclinati, vt in eisdem Monasteriis eo deuotius diuinis laudibus intendatur, quo personæ in illis vacantes studio piæ vitæ potiori fuerint immunitatis priuilegio communitæ, Abbatissas, Conuentus, Moniales, Monasteria, atque loca huiusmodi cum omnibus iuribus, & pertinentiis, ac bonis eorundem mobilibus, & immobilibus quibuscumque tam præsentibus, quam futuris, ab omni iurisdictione, dominio, potestate quorumcunque Legatorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Nuntiorum, & aliorum quorumcunque Ordinariorum Iudicum ad instar præfatorum Pontificum concessorum priuilegiorum quæ hic haberi volumus pro sufficienter expressis, auctoritate Apostolica ex certa scientia, tenore præsentium prorsus eximimus, & perpetuo liberamus, ac sub B. Petri, & Sedis Apostolicæ protectione suscipimus, atque nostra, illaque nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, & dictæ Sedi duntaxat immediate volumus subiacere. Ita quod Legati, & Nuntij dictæ Sedis, ac Iudices præfati, aut alia quæuis persona, sæcularis vel regularis, Ecclesiastica, vel mundana, quacumque fulgeat dignitate, nullas in Abbatissas, Conuentus, Moniales, Monasteria, siue loca huiusmodi, vtpote prorsus exempta, possint excommunicationis, vel interdicti sententias promulgare, vel iurisdictionem, dominium, aut potestatem aliquam exercere, ratione delicti, contractus, aut rei de qua ageretur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat.

Et etiam ab omni pedagio & contributione.

§. 3. Quinimo Abbatissas, Conuentus, & Moniales easdem cum earum Monasteriis, atque locis perpetuo exemptas esse volumus immunes, & liberas, & ab omni decimarum, subsidiorum, gabellarum, pedagiorum, fructuum, & aliorum huiusmodi solutione, contributione, responsione, & aliis quibuscumque fel. rec. Innocentij Papæ IV. prædecessoris nostri, & aliis quibuslibet constitutionibus, & priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis specialibus, & generalibus, locorum Ordinariis, vel aliis quibuscumque, & quouis modo concessis, & in posterum concedendis, necnon statutis, consuetudinibus, & ordinationibus Monasteriorum locorum, & Ordinum prædictorum, ac obligationibus, promissionibus, & solutionibus per easdem Abbatissas, Conuentus, & Moniales hactenus forsan factis, contrariis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis non obstantibus.

Prælatis omnibus obseruantiam huius bullæ præcipit.

§. 4. Mandantes omnibus, & singulis Legatis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinariis, Rectoribus, & aliis supradictis, cuiusuis ordinis, gradus, status, & conditionis existant, etiamsi Cardinalatus præfulgeant dignitate, ne Abbatissas, Conuentus, Monasteria, & loca huiusmodi super præmissis, & circa ea impetant, aut quomodolibet molestent, quinimo nec sinant ab aliis, quantum eis fuerit quomodolibet molestari, etiam per literas Apostolicas sub quauis forma, vel expressione verborum confectas, seu conficiendas in posterum, & etiamsi literæ ipsæ de eisdem Monasteriis, Abbatissis, Priorissis, Conuentibus, Ordinibus, & Religione, ac priuilegiis, & indultis ipsarum, & de præsenti indulto, plenam, & expressam facerent mentionem, ac etiamsi in eisdem literis concessis, & concedendis clausulæ infrascriptæ, videlicet quod omnes personæ Ecclesiasticæ, sæculares, & Religiosæ, exemptæ, & non exemptæ, ad præstationem, seu solutionem decimarum, collectarum, tallearum, subsidiorum, procurationum, angariarum, ac aliarum quarumlibet exactionum quocumque nomine nuncupentur, seu ad contribuendum in eis compelli valeant.

Contrariis omnibus derogat.

§. 5. Non obstantibus si dilectis in Christo filiabus, Abbatissis, & Conuentibus dictorum Monasteriorum, & ipsis vniuersis Monasteriis, vel Ordini seu Religioni ipsarum, in specie, vel in genere; vel quibusuis aliis communiter, vel diuisim à Sede Apostolica sit indultum; quod ad solutionem, seu præstationem decimarum, collectarum, tallearum, subsidiorum, procurationum, & aliarum impositionum huiusmodi, seu ad contribuendum in eis minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, quæ de indulto huiusmodi, & toto tenore ipsius plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum non facerent mentionem, siue quibuslibet priuilegiis, eis; vel quibuscumque personis: locis, vel Ordinariis à præfata Sede concessis, vel concedendis, de quibus oporteret in dictis literis specialem fieri mentionem, & per quæ effectus literarum ipsarum, quomodolibet impediri valeret, vel etiam retardari, vel aliæ quæcumque, & qualescumque clausulæ prædictis similes, vel dissimiles, sub quocumque tenore, vel expressione verborum insertæ fuerint, quæ constitutioni, & ordinationi nostris huiusmodi possent in aliquo derogare, compelli possint inuitæ. Decernentes ex nunc omnes excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, ac quoscumque processus, quascumque personas continentes, quos, vel quas; aduersus Abbatissas, Conuentus, Moniales, Monasteria; loca, & bona prædicta, contra tenorem, & formam exemptionis huiusmodi quomodolibet haberi contigerit, seu etiam promulgari, irritos & inanes, ac nullius existere roboris vel momenti.

Ordinis Fratrum Minorum superioritatem præseruat.

§. 6. Per hoc autem dilectis filiis Generali Ministro, & aliis Ordinis Minorum huiusmodi pro tempore existentibus officialibus, nullum, quin omnem quam hactenus habuerunt, & de præsenti habent curam, dispositionem, & quamlibet aliam ordinationem Abbatiarum, Conuentuum, Monasteriorum, & locorum prædictorum libere & licite valeant exercere, nolumus præiudicium generari.

Nulli ergo, &c.

Dat. Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1438. Idibus Augusti, Pontificatus nostri Anno nono. *D. P. A. 9. die 13. Aug.*

Concordia Armenorum cum Sancta Romana Ecclesia, & declaratio articulorum septem nouæ legis Sacramenta, & pleraque alia concernentium. XIX.

Iuxta eiusmodi concordiam inita fuit etiam vnio Iacobinorum, vt mox infra habetur in const. 23. Cantate.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1439.*

Exultatio, cum gratiarum actione omnipotenti Deo.

EXultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob, omnes qui vbique nomine censemini Christiano. Ecce enim iterum recordatus Dominus misericordiæ suæ, alium dissidij lapidem, nongentis & amplius inueteratum annis, de Ecclesia sua auferre dignatus est, & qui facit concordiam in sublimibus, & per quem in terra pax est hominibus bonæ voluntatis, optatissimam Armenorum vnionem sua ineffabili miseratione concessit. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribolatione nostra. Intuens namque pissimus Dominus Ecclesiam suam, modo ab his qui foris sunt, modo ab his qui intra, non paruis agitari turbinibus, vt inter ipsas respirare angustias, & ad resistendum fortior assurgere valeat, multis eam quotidie modis consolari, & roborari dignatur.

Quia vnio Ecclesiæ Latinæ & Græcæ facta est, vt

§. 1. Nam & pridem magnam illam Græcorum vnionem, multas longe lateque continentium nationes, & linguas, hodie vero hanc ipsam Armenici populi, qui

In præced. bul. la habetur, & modo etiam Armenorum vt sequitur.

per Septentrionem, & Orientem in magna copia diffusis estim eodem fidei & charitatis vinculo, cum Sede Apostolica stabiliuit. Hæc profectò tam magna, & mira sunt diuinæ pietatis beneficia, vt non solum pro vtroque, sed ne quidem pro altero satis dignas suæ maiestati referre gratias possit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur, vno eodemque tam breui tempore duo sic præclara, & sæculis desiderata opera, in hoc sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata? Verè à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quomodo enim hominum prudentia, vel industria, nisi gratia Dei & cœpisset, & perfecisset, has tantas & tales res explere potuisset? Laudemus igitur, & toto corde benedicamus Dominum, qui fecit mirabilia magna solus, ipsique psallamus spiritu, psallamus & mente, oreque & opere, quantum finit humana fragilitas, pro tantisque muneribus gratias agamus, orantes & obsecrantes, vt quemadmodum ipsi Græci, atque Armeni, vnum cum Ecclesia Romana effecti sunt, ita fiant & cæteræ nationes, præsertim Christi charactere insignitæ, & totus denique Populus Christianus omnibus odiis bellisque extinctis, mutua inuicem pace, & fraterna charitate quiescat & gaudeat.

Armenorum laudes.

§. 2. Ipsos autem Armenos magis laudum preconiis dignos esse merito censemus. Vt primum enim à nobis ad Synodum accersiti sunt, tanquam Ecclesiasticæ auidi vnitatis, spectabiles deuotos & doctos Oratores suos cum sufficienti mandato, de suscipiendo videlicet quicquid Spiritus sanctus hanc sanctam Synodum illustrauerit, ex remotissimis regionibus per multos labores, maris que pericula, ad nos & hoc sacrum Concilium destinarunt.

Huius Pontificis cura.

§. 3. Nos vero tota mente, vt nostrum pastorale decebat officium cupientes tam sanctum perficere opus, sæpe cum ipsis Oratoribus de hac sancta vnione contulimus, & ne vel parua huic sanctæ rei dilatio fieret, deputauimus de omni statu huius sacri Concilij viros diuini, & humani doctissimos, qui cum omni cura, studioque & diligentia rem istam cum istis pertractarent Oratoribus, ab eis accurate inquirentes eorum fidem, tam circa diuinæ vnitatem essentiæ, & diuinarum personarum Trinitatem, quam Domini nostri IESV CHRISTI humanitatem, & septem Ecclesiæ Sacramenta & alia ad fidē orthodoxam, & ritus vniuersalis Ecclesiæ pertinētia.

Vnio secuta est, pro cuius stabilimento, compendium Armenis datur ab ipso Pontif. sacro approbante Concilio Florentino.

§. 4. Multis itaque adhibitis disputationibus, collocutionibus, & tractatibus, postque non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis Ecclesiæ Patribus, & Doctoribus deducta sunt, & earum de quibus agebatur rerum discussionem, tandem expedire iudicauimus, ne vlla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica, vnioque ipsa stabilis, & perpetua sine vllo scrupulo perseueret, vt sub quodam breui compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus traderemus.

De Symbolo.

§. 5. In primis ergo damus eis Sanctum Symbolum, à centum quinquaginta Episcopis in œcumenico Constantinopolitano Concilio editum, cum illa additione: Filioque, ipsi Symbolo declarandæ veritatis gratia, & vrgente necessitate, licitè & rationabiliter apposita, cuius talis est tenor. Credo in vnum Deum, &c. hoc autem sanctum Symbolum, sicut apud Latinos mos est, ita decernimus per omnes Armenorum Ecclesias intra Missarum solemnia singulis saltem dominicis diebus, & maioribus festiuitatibus, decantari, vel legi.

Duabus naturis in vna Christi persona.

§. 6. Secundo tradimus eis definitionem quarti vniuersalis Concilij Chalcedonensis, in quinto postea & sexto vniuersalibus Conciliis renouatam, de duabus naturis in vna Christi persona, cuius tenor talis est: Sufficeret quidem sapiens hoc & salutare diuinæ gratiæ Symbolum ad plenam cognitionem ac confirmationem pietatis. De Patre enim, & Filio, & Spiritu sancto perfectionem docet, & Domini humanitatem fideliter accipientibus repræsentat. Sed quoniam hi qui conantur reprobare prædicationem veritatis per proprias hæreses, nouas voces genuerunt, & hi quidem præsumentes corrumpere mysterium dispensationis Domini, quæ propter nos facta est: alij verò introducentes confusionem permixtionemque, & stulte confingentes vnam esse naturam carnis, & Deitatis, & portentose dicentes passibilem vnigeniti diuinam naturam: ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra veritatem, præsens nunc sancta & magna atque vniuersalis Synodus prædicationem hanc docens ab initio immobilem, decreuit ante omnia fidem trecentorum decem & octo Sanctorum patrum manere irrecusabilem, & posteriore tempore propter illos quidem qui pugnant aduersum Spiritum sanctum, corroborat doctrinam de substantia Spiritus, traditam à patribus centum quinquaginta apud Constantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi inferentes, quod aliquid minus esset in præcedentibus, sed eorum intellectum de Spiritu sancto Scripturarum testimoniis declarantes, aduersus eos qui dominationem eius respuere tentauerunt. Propter illos autem qui moliuntur corrumpere dispensationis mysterium, & impudenter delirant, dicētes, purum hominem esse illum qui ex Sancta MARIA Virgine natus est, suscepit Epistolas synodicas beati Cyrilli quondam Præsulis Ecclesiæ Alexandrinæ ad Nestorium, & ad orientales, congruas existentes ad conuincendas Nestorij vesanias, & ad interpretationem eorum, qui salutaris Symboli mentem pio zelo nosse desiderant. Quibus etiam consequentissime epistolam coaptauit magnæ & senioris Vrbis Romæ Præsulis beatissimi ac sanctissimi Leonis Papæ, quæ scripta est ad sanctæ memoriæ Archiepiscopum Flauianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, vtpote congruentem illius magni Petri confessioni, & existentem nobis quandam columnam communem aduersus praua dogmata, & ad confirmationem rectorum dogmatum. His namque qui in duos filios dispensationis diuinæ mysterium discerpere nituntur, obsistit, & illos qui passibilem deitatem vnigeniti ausi sunt dicere, à sacro cœtu expellit, & his qui in duabus naturis Christi temperamentum aut confusionem excogitant, resistit: & eos qui dicunt, serui formam, quam ex nobis assumpsit, cœlestem esse, aut alterius alicuius substantiæ, vt dementes abijcit: & qui duas quidem ante vnitionem naturas Domini fabulantur, vnam verò post vnitionem confingunt anathematizat. Sequentes igitur sanctos Patres, vnum eundemque confiteri filium Dominum nostrum IESVM CHRISTVM consonanter omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum verè, & hominem verè, eundem ex anima rationali, & corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante sæcula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in nouissimis autem diebus eundem propter nos, & propter salutem nostram ex MARIA Virgine Dei genitrice secundum humanitatem, vnum eundemque Christum verum Filium Dominum vnigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter vnitionem, magisque salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, siue diuisum, sed vnum, & eundem Filium vnigenitum Deum, verum Dominum IESVM CHRISTVM, sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos IESVS CHRISTVS erudiuit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum.

Duabus voluntatib. duabusque Christi operationibus.

§. 7. Tertio definitionem de duabus voluntatibus, duabusque Christi operationibus in prædicto sexto Cōcilio promulgatam, cuius tenor talis est: Sufficeret quidem, & reliqua, quæ ipsa definitione Concilij Chalcedonensis superius enarrata, sequuntur vsque ad finem, post quem sequitur in hunc modum: Et duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiuise, inconuertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum Sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus, & duas naturales voluntates non contrarias, iuxta quod impij asseruerunt hæretici, sed sequentem humanam eius voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius, & subiectam diuinæ eius

atque

atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatẽ moueri, subijci verò voluntati diuinę iuxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim eius caro, Dei verbi dicitur & est, ita & naturalis carnis eius voluntas, propria Dei verbi dicitur & est, sicut ipse ait: Quia descendi de Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, patris, suam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis eius. Nam & caro propria eius facta est. Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animatá eius caro, deificata est, non est perempta, sed in proprio suo statu, & ratione permansit: ita & humana eius voluntas deificata est, non est perempta, saluata est autem magis secundum deiloquum Gregorium dicentem: Nam velle illius qui in Saluatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum est totum, duas enim naturales operationes indiuise, inconuertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino IESV CHRISTO vero Deo modo glorificamus, hoc est diuinam operationem, & humanam operationem secundum diuinum prædicatorem Leonem apertissime asserentem. Agit enim vtraq; forma cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis: nec enim in quoquam vnam dabimus naturalem operationem Dei, & creaturæ, vt neque quod creatum est, in diuinam educamus essentiam, neque quod eximium est diuinæ naturæ, ad competentem creaturis locum deijciamus. Vnius enim, & eiusdem tam miracula, quam passiones cognoscimus, secundum aliud, & aliud earum ex quibus est naturarum, & in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Vndique igitur inconfusum, atque indiuisum conseruantes vnum sanctæ Trinitatis, breui voce cuncta proferimus: & post incarnationem, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM verum Deum esse credentes, asserimus duas eius esse naturas, in vna eius radiante subsistentia, in qua tam miracula quamque passiones per omnem sui dispensatiuam conuersationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstrauit, ob naturalem differentiam, in eadem vna subsistentia cognoscendam, dum vtraque natura cum alterius communione, indiuise & inconfuse propria vellet atque operaretur, iuxta quam rationem, & duas naturales voluntates, & operationes confitemur, ad salutem humanam conuenienter in eo concurrentes.

Concilijs vniuersalibus, auctoritate Romani Pōt. celebratis: Et de B. Leonis veneratione.

§. 8 Quarto, quoniam hactenus ipsi Armeni per has tres Nicænam, Costantinopolitanam, & Ephesinam primam, Synodos, nullas alias vniuersales postea celebratas, nec ipsum beatissimum huius sanctæ Sedis Antistitem Leonem, cuius auctoritate ipsa Chalcedonensis Synodus extitit congregata susceperunt, asserentes eisdem fuisse suggestum, tam Synodum ipsam Chalcedonensem quàm memoratum Leonem, secundum damnatam Nestorij hæresim definitionem fecisse: instruximus eos & declarauimus, huiusmodi falsam fuisse suggestionem, ipsamque Synodum Chalcedonensem, & beatissimum Leonem, sancte & recte veritatem de duabus in vna persona Christi naturis superius descriptam definiuisse, contra impia Nestorij, & Eutychis dogmata, iniunximusque vt ipsum beatissimum Leonem, qui veræ fidei columna fuit, & omni sanctitate & doctrina refertus, tanquam sanctum & in Cathologo Sanctorum merito descriptum, de cætero reputent, & venerentur, atque non solum dictas tres Synodos, sed & omnes alias vniuersales auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, sicut & cæteri fideles, venerentur & suscipiant.

Septem Sacramenta noua legis.

§. 9. Quinto, Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem, pro ipsorum Armenorum, tam præsentium quàm futurorum faciliori doctrina, sub hac breuissima redigimus formula, Nouæ legis septem sunt sacramenta, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Vnctio, Ordo, & Matrimonium, quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem vniuscuiusque hominis in seipso perfectionem; duo vltima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem, & roborati, nutrimur diuina Eucharistiæ alimonia, quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ per Pœnitentiam spiritualiter sanamur, spiritualiter etiam, & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam Vnctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur. Per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum, à cæteris distinctiuum imprimunt in anima indelebile. Vnde in eadem persona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Baptismus. De hoc agitur etiam infr. in const. 27. huius eiusdem.

§. 10. Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis ianua est, per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in vniuersos, nisi ex aqua & spiritu renascimur, nō possumus (inquit Veritas) in regnum cœlorum introire. Materia huius sacramenti, est aqua vera & naturalis: nec refert frigida sit an calida. Forma autem est. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Non tamen negamus quin & per illa verba, Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; Vel baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, verum perficiatur Baptisma: quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimetur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramentum. Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laïcus, vel mulier, imo etiam paganus, & hęreticus, baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendant quod facit Ecclesia. Huius sacramenti effectus, est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque penę quę pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquā committāt, statim ad regnum Cœlorū, & Dei visionē perueniūt.

Confirmatione seu Chrismate.

§. 11. Secundum Sacramentum est Confirmatio cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, qui odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est, Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ordinarius minister est Episcopus. Et cum cæteras vnctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum enim audiuissent (inquit) Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cum venissent, orauerunt pro eis vt acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini IESV. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, & vrgente admodum causa, simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem huius Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, vt videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus iniungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem eius, qui Iudæis est scandalum, gentibus autem, stultitia,

stultitia, secundum Apostolum, propter quod signo Crucis signatur.

Eucharistia.

§. 12. Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur quoniam iuxta testimonia Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum, deinde quia hoc conuenit Dominicæ passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa Quintus à B. Petro: In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur panis tantum, & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum quia vtrumque, id est sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse legitur. Tum etiam quod conuenit ad significandum huius Sacramenti effectum, qui est vnio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: Aquæ multæ populi multi. Et Iulius Papa secundus, post beatum Syluestrum, ait: Calix Dominicus iuxta canonum præceptum, vino, & aqua permixtus debet offerri quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum & aqua miscetur, Christo populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit, copulatur, & iungitur. Cum ergo tam Sancta Romana Ecclesia, à beatissimis Apostolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis, & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic seruauerint, & modo seruent, inconueniens admodum videtur vt alia quævis regio ab hac vniuersali, & rationabili discrepet obseruantia. Decernimus igitur, vt etiam ipsi Armeni se cum vniuerso Orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ (prout dictum est) admisceant vino. Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur, ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini cõsecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, in quo (vt inquit Vrbanus Papa) gratam Saluatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum.

Tu vide formam consecrationis traditam ab hoc Pont. inf. in const. 23. Cantate.

Pœnitentia.

§. 13. Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, vt doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, ieiunium, & eleemosynam. Forma huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absoluo, &c. Minister huius Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris, effectus huius Sacramenti est absolutio à peccatis.

Extrema Vnctione.

§. 14. Quintum Sacramentum est, extrema Vnctio, cuius materia est, oleum oliuæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, qui in his locis vngendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius Sacramenti est hæc: Per istam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per visum, &c. Et similiter in aliis membris. Minister huius Sacramenti est Sacerdos. Effectus verò est mentis sanatio, & in quantum autem expedit ipsius etiam corporis. De hoc Sacramento inquit beatus Iacobus Apostolus; Infirmatur quis in vobis; inducat Presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei.

Ordine.

§. 15. Sextum Sacramentum est, Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem. Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotij talis est; Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius Minister huius Sacramenti, Est Episcopus, Effectus augmentum gratiæ vt quis sit idoneus Minister.

Matrimonio.

§. 16. Septimum est Sacramentum Matrimonij, quod est signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Causa efficiens Matrimonij, regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonij. Primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam vnus coniugum alteri seruare debet. Tertium indiuisibilitas Matrimonij propter hoc quod significat indiuisibilem coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonij vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Fidei regula edita ab Athanasio.

§. 17. Sexto compendiosam illam fidei regulam, per beatissimum Athanasium editam ipsis præbemus oratoribus, cuius tenor talis est: Quicunque vult saluus esse, &c.

Decreto vnionis cum Græcis, de qua in praced. bulla.

§. 18. Septimo, decretum vnionis cum Græcis consummatæ pridem in hoc sacro œcumenico Florentino Concilio promulgatum, cuius tenor talis est: Eugenius, &c. Lætentur Cœli, &c.

Festiuitatibus celebrandis.

§. 19. Octauo cum inter alia sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festiuitates Annuntiationis B. Mariæ Virginis, Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ, & consequenter Natiuitatis & Circumcisionis Domini nostri IESV CHRISTI, ac Præsentationis eiusdem in templo, seu Purificationis beatæ Virginis Mariæ celebrari debeant, satisque dilucide veritas patefacta fuerit, tam Sanctorum Patrum testimoniis, quàm consuetudine Ecclesiæ Romanæ, & omnium aliarum vniuersaliter apud Latinos, & Græcos: ne igitur in tantis celebritatibus dispar sit Christianorum ritus, vnde perturbandæ charitatis occasio possit oriri, decernimus tanquam veritati, & rationi consentaneum, & iuxta totius reliqui Orbis obseruantiam, vt ipsi etiam Armeni festum Annuntiationis B. Mariæ die 25. Martij, Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ 24. Iunij, Natiuitatis verò secundum carnem Saluatoris nostri 25. Decembris; Circumcisionis eiusdem 1. Ianuar. Epiphaniæ 6. eiusdem Ianuarij, Præsentationis Domini in templo, seu Purificationis Dei Genitricis 2. Februarij debeant solemniter celebrare.

Armenorum approbatio in omnibus prædictis, & in cæteris, quæ S. R. E. tenet & docet atque iubet.

§. 20. His omnibus explicatis, prædicti Armenorum Oratores nomine suo, & sui Patriarchæ, & omnium Armenorum, hoc saluberrimum Synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemque doctrinam in ipsa descriptam, necnon quicquid tenet, & docet Sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione & obedientia acceptant, suscipiunt & amplectuntur.

ctuntur. Illos quoque Doctores & Sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reuerenter suscipiunt. Quascumque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia damnat & reprobat, ipsi pro reprobatis, & damnatis habent, Profitentes tanquam veræ obedientiæ filij, nomine quo supra ipsius Sedis Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus fideliter obtemperare.

Dat P. An. 6. die 22. Nou. Dat. Florentiæ in publica sessione Synodali, solemniter in Ecclesia maiori celebrata, anno Domini 1439. decimo Kal. Decembris, Pont. nostri Anno ix.

XX. Communicantes in hebdomada Sancta, vel infra octauam Paschæ Resurrectionis D. N. IESV CHRISTI, satisfaciunt præcepto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Hoc præceptum legitur in cap. omnis de pœnitent. & in can. 9. sess. 13. Concil. Trident.

Edita A. D. 1440. *EVGENIVS PAPA IV.*
Dilecto filio Iacobo de Primaticiis de Bononia Ordinis Minorum de obseruantia regulari.

Causa huius declarationis. Fide digna relatione percepimus in ciuitate Licij, non paruam per hæc tempora excitatam fuisse commotionem, de die debitæ perceptionis sacratissimi corporis Domini nostri IESV CHRISTI, & per aliquos religiosos esse affirmatum, quod non communicantes actualiter in die Resurrectionis Dominicæ, mortaliter peccarent, etiamsi in die Iouis Sancti, & aliis quibuscumque diebus infra annum pluries & frequentatis vicibus communicassent, quod piis auribus est audire molestum.

Declaratio hactenus ab illo Pontif. data. §. 1. Recolimus alias per quoddam nostrum breue scripsisse venerabili fratri nostro Episcopo Liciensi, quod intelligebamus satisfactum esse, si paulo post diem Resurrectionis Domini quis communicet, mirati sumus, quod postmodum noua controuersia reuixerit, sed inimicus homo superseminauit zizania.

Alia plenior declaratio. §. 2. Nos igitur cupientes, purgatum triticum in horreum Domini congregare, & inutilibus contentionibus finem dare, attendentes iuxta doctrinam beati Augustini, quod solent circumstantiæ scripturarum, illuminare substantiam veritatis, & non solum adiacentia, sed etiam præcedentia, & subsequentia verba sunt consideranda prudenter, cum dicat canon Ecclesiæ, Omnis vtriusque sexus fidelis saltem semel in anno confiteatur, & infra, suscipiens ad minus in Pascha reuerenter Eucharistiæ sacramentum, & sequitur, nisi de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum, dicimus expressè non intentionis legislatoris fuisse animas illaqueare fidelium, sub culpa mortali ad communicandum præcisè in die Resurrectionis Dominicæ, sed terminum statuisse à Pascha ad Pascham; cum dicit semel in anno, & infra ad minus in Pascha, &c. Mens enim magis, quam verborum sonus est attendenda discrete. Intelligimus itaque optimo iure satisfactum esse Canoni, si in hebdomada Sancta, vel infra octauam Paschæ Resurrectionis Dominicæ, secundum meliorem dispositionem conscientiæ, & aptiorem mentis deuotionem, fideles præparatione debita sanctum Eucharistiæ pignus accipiant, & cum Domino Pascha celebrent ad salutem, & huic sententiæ omnes volumus acquiescere.

Illud c. Omnis, est in tit. de Pænit.

Iussio notificandi d. declarationem. §. 3. Quare deuotioni tuæ committimus, vt prædicta, vbi oporteret intelligas, populis nota facias.

Dat. P. A. 10. die 8. Iulij. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo nostro secreto, die 8. Iulij 1440. Pont. nostri anno 10.

XXI. Approbatio Congregationis Fratrum S. Hieronymi, sub denominatione S. Hieronymi de Fesulis, & sub regula S Augustini, cum præfinitione muneris & electionis Prælatorum ipsius Congregationis.

Hi Fratres tempore Innoc. VII. regularem vitam ducere cœperunt, vt videre est supr. in const. 3. Greg. XII. Sacrum. vbi alia notaui.

Ista autem constitutio à Nicolao V. Confirmata extitit die 27. Ianuarij 1447. quam tamen bullam prætermisi, vti simpliciter confirmatoriam.

Edita An. D. 1442. *EVGENIVS EPISCOPVS; Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis vniuersis Fratribus S. Hieronymi Fesulani nuncupatis, præsentibus & futuris: Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium. Super gregem Dominicum nostræ vigilantiæ diuinitus creditum intenti, speculatoris prout in nobis desuper conceditur exercentes officium; Christi fideles præsertim regulari obseruantiæ deditos, eo prouidentiæ studio gubernari annuimus, vt suaui religionis iugo suppositi, curiosus Ecclesiæ scrutator in eis nil inueniat nota dignum, ipsique animarum sublatis periculis, votiuis congratulentur euentibus, & continuum Domino dante suscipiant incrementum.

Congregatio Fratrum S. Hieronymi pro licentia profitendi regulam S. Augustini supplicat huic Papæ. §. 1. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos, qui mundanis spretis illecebris, iuxta quasdam constitutiones S. Hieronymi sub regulari obseruantia hactenus multiplicastis, & in dies multiplicatis virtutum meritis, vt eo deuotius Altissimo famulari valeatis, quo vos sub aliqua ex regulis per Sedem Apostolicam approbatis degere conspexeritis, sub regula S. Augustini, ad quam singularem geritis deuotionis affectum viuere, illamque profiteri feruentius desideratis.

Qui eidem conceditur cum retentione habitus consueti & denominationis S. Hieronymi. §. 2. Hinc est quod nos, qui diuini cultus augmentum, ac religionis propagationem nostris potissime temporibus augeri, intensis desideriis affectamus, piis vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, vt prioribus vocabulo & nominatione S. Hieronymi remanentibus, habitum quem hucvsque gestare consueuistis, gestare, & dictam regulam S. Augustini, quoad tria substantialia tantum, videlicet obedientiam, castitatem, & in particulari paupertatem profiteri, ac sub illa viuere, necnon loca, domus, siue oratoria ad vos spectantia, in domos siue Prioratus dictæ regulæ S. Augustini, cum Ecclesiis, cœmeteriis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis erigere possitis.

Eorumque Congregationem S. Hieronymi Fesulanis vocari iubet. §. 3. Et quod vos omnes & singuli vnum corpus & vna Congregatio, quod seu quæ Cógregatio Fratrum S. Hieronymi Fesulani nuncupetur, sitis & esse censeamini.

Conuentum Fesulani caput aliorum constituit, & inibi Capitula generalia celebrari mandat. §. 4. Necnon quamprimum regulam S. Augustini huiusmodi professi fueritis, vt præfertur, pro vestro ac domorum, seu prioratuum ad vos pertinentium tam in spiritualibus, quam in temporalibus salubri statu, in domo seu Prioratu S. Hieronymi Fesulani, quam seu quem vestrum principale caput, cui aliæ seu alij domus, vel Prioratus ad vos spectantes huiusmodi subsint, & membra existant, fore Apostolica auctoritate decernimus hac prima vice, & successiue annis singulis, singula Capitula generalia in singulis locis & terminis ad id per vnum primo, & successiue per singula Capitula prædicta statuendis, & ordinandis celebrari.

Præpositumque generalem. §. 5. Ac in huiusmodi Capitulis vnum in vestrum generalem Præpositum Priorem & Patrem.

Et Rectores domorum eligi præcipit. §. 6. Necnon ad regimen & gubernationem singularum domorum, seu prioratuū huiusmodi singulos Rectores eligere, & deputare. Qui sic pro tempore electi & deputati, absque alicuius desuper eis faciendæ confirmationis, collationis, seu prouisionis, Apostolicę seu ordinarię, Fratres domos, ac Prioratus sibi commissos in spiritualibus, & temporalibus regere, & illis præesse valeant.

Quorum officia in singulis Capitulis primordijs expirent. §. 7. Quodque tam præpositi quam Rectorum (qui nihilominus si vtiles, & vobis grati fuerint, & accepti, pro anno sequenti, & quoties vobis placuerit ad propria regimina, & gubernationes reeligi, & deputari possint) officia in singulis primordiis singulorum Capitulorum huiusmodi omnino cessare, & expirare censeantur.

Statuta in eisdem Capitulis firmari posse indulget. §. 8. Præterea in eisdem Capitulis substantialia prædicta nullatenus immutando, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque statuta, & ordinationes inter vos edere & condere, seu facere, ac eorum singula in toto, vel in parte, quoties vobis opportunū videbitur, corrigere, immutare, addere, illaque omnia & singula per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia tantum, iuris apicibus

&

& terminis, litiumque anfractibus non seruatis, irrefragabiliter obseruari facere & mandare possitis.

Et super eis Præpositū & Rectores dispensare posse concedit.

§. 9. Necnon super ipsis Præpositis, seu Prior, cum quibuscumque Rectores verò prædicti cum in domibus, seu Prioratibus sibi commissis degentibus fratribus, in toto vel in parte, prout eis videbitur, dispensate.

Fratresque vagantes ad claustra reducere, & punire.

§. 10. Ac Præpositus, vel Prior omnes & singulos, Rectores verò prædicti in sibi commissis domibus, seu Prioratibus commorantes fratres, regulam ipsam professos, vagos, & fugitiuos, seu alios delinquentes quod ad Claustrum redeant, & se emendent, per censuras huiusmodi, & alias pœnas, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, cogere, capere, & incarcerare.

Personas Ordinis prauia cōfessione absoluere & cū eis dispēsare, Ad hac vide const. 115. Clem. VIII. Quæcumque.

§. 11. Nouitios quoque professos, & Conuersos, dictæ regulæ in ipsorum domibus, seu Prioratibus illis seruientes, etiam sæculares quoslibet præsentes, & posteros, quoties eis opportunum fuerit, ipsorum confessionibus diligenter auditis pro commissis per eos in omnibus, præterquam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, debitam absolutionem impendere, & iniungere pœnitentiam salutarem.

Sacramenta ministrare.

§. 12. Necnon Ecclesiastica Sacramenta ministrare valeant perpetuo.

Professionem in manibus Præpositi, & respectiue Episcopi emitti posse decernit.

§. 13. Et insuper quod dilectus filius Iacobus vestræ Societatis Præpositus, in venerabilis fratris nostri Antonij Episcopi Hostiensis, ac subsequenter post quam ipse Iacobus illam emiserit, vos fratres nunc existentes in ipsius Iacobi manibus, professionem huiusmodi emittere valeatis, & Episcopo si dictus Iacobus, necnon Iacobo prædicto, si vos etiam emittere volueritis, quod professionem huiusmodi auctoritate recipere, & admittere possint liberè, & licite auctoritate Apostolica, tenore præsentium de speciali gratia concedimus pariter, & indulgemus; Venerabilis fratris nostri Episcopi Fesulani, cæterorumque Ordinariorum, necnon Parochialium Ecclesiarum, ac quorumlibet aliorum iuribus in omnibus semper saluis.

Contrarijs derogat.

§. 14. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis S. Augustini iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitare alia roboratis, statutis & consuetudinibus cæterisque cōtrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. A. 11. die 26. Iulij.

Dat. Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1441. Septimo Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno 11.

XXII. Fratres S. Ambrosij sub vna Congregatione rediguntur eiusque caput Monasterium S. Ambrosij ad Nemus Mediolanensis constituitur, munus Prælatorum præfinitur, & priuilegia conceduntur.

De his Fratribus plene scripsi supra in constit. 9. Greg. XI. Cupientibus.

Edita An. D. 1441.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Regimini vniuersalis Ecclesiæ, quanquam immeriti disponente Domino præsidentes, curis perurgemur assiduis, vt iuxta creditæ nobis dispensationis officium, circa subditorum quorumlibet, præsertim sub regulari obseruantia studio vacantium, piæ vitæ in quorum vtique prosperitate reficimur, statum salubriter, & prospere dirigendum sollicitudinis studio intendamus, & iis quæ ad laudem, & gloriam diuini nominis, sacrique cultus augmentum, ac religionis propagationem illis profutura cognoscimus, opem, & operam quantum cum Deo possumus impendimus efficaces, vt per nostræ operationis ministerium, & Apostolici fauoris præsidium, personæ huiusmodi, eorumque Monasteria, & loca, singulis ab eis sublatis dispendiis, prosperis gratulentur euentibus, ac in spiritualibus, & temporalibus felicia suscipiant incrementa.

Fratres S. Ambrosij diuersa loca in Italia acquisiuerunt, & virtutum meritis in dies multiplicati sunt.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum, Prioris, & Fratrum Monasterij S. Ambrosij ad Nemus extra muros Mediolanenses, sub regula S. Augustini degentium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi, & alij Priores, & Fratres suorum aliorum Monasteriorum, domorum, & locorum, qui sub regulari obseruantia dictæ regulæ viuentes, variis, & diuersis hactenus multiplicarunt (prout in dies multiplicant) virtutum meritis, ac plures Ecclesias, Monasteria, domos, atque loca in diuersis Italiæ partibus consistentia assecuti fuerunt, sub charitatis & ipsius obseruantiæ vnione virtutum, Domino perpetuo famulari feruentius desiderant.

Hic ideo Pont. ad augendam eorum deuotionem, in vnam Congregationem eos redigit.

§. 2. Nos igitur qui diuini cultus augmentum, & Religionis propagationem vbique locorum, nostris potissime temporibus augeri intensis desideriis affectamus, directioni, statui, & conseruationi Fratrum huiusmodi prouidere volentes, ac sperantes quod ex eorum vita laudabili, & fructuosis operibus, prædicta, necnon alia eis forsan de cætero concedenda Monasteria, domus atque loca in spiritualibus, & temporalibus, prosperos, & felices successus dante Domino consequentur, vt ipsi Fratres eo feruentius, & deuotius diuinis beneplacitis se coaptent, quo se per nos, & Sedem Apostolicam specialibus gratiis munitos fore conspexerint, eorundem Prioris, & Fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, quod ipsi ac omnes, & singuli in Monasteriis, domibus, ac locis prædictis pro tempore commorantes Fratres, vnum corpus, & vna Congregatio, quod seu quæ Congregatio Fratrum S. Ambrosij ad Nemus Mediolanensis nuncupetur, & eorum quilibet Frater illius Monasterij domus, seu loci in quo, vel qua ipsum de sui Superioris voluntate pro tempore residere contigerit, sint & esse censeantur.

Monasterium S. Ambrosij ad Nemus, caput aliorū locorum Congregationis constituit.

§. 3. Necnon dicto Monasterio S. Ambrosij pro primo eiusdem religionis prout hactenus habitum, & reputatum fuit, remanente, illud, ac alia prædicta, & quæ Fratres huiusmodi pro tempore assequi contigerit Monasteria, domus, atque loca Fratrum Congregationis prædictorum in vnitate charitatis, & dicta obseruantia degentium sint, & ad illos in perpetuum pertineant.

In eoque singulis triennijs generalia Capitula celebrari iussit.

§. 4. Quodque Fratres præfati in dicto Monasterio S. Ambrosij, hac prima vice, & successiue singulis trienniis singula generalia Capitula, ad quæ Rector, & Visitatores, ac cum singulis ex Fratribus Monasteriorum, domorum, & locorum prædictorum ad id per singulos eorundem Monasteriorum, domorum, & locorum Conuentus eligendis, singuli Monasteriorum, domorum, & locorum huiusmodi Priores accedere, quibusque personaliter interesse adstricti sint, in locis & terminis ad id per annum primo, & successiue per singula Capitula prædicta statuendis, & ordinandis celebrare teneantur.

Et ibidem statuta regulæ non contraria præfiniri posse concedit.

§. 5. Et in huiusmodi Capitulis substantialia dictæ regulæ non mutando, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque statuta, & ordinationes, dum tamen iusta, & rationabilia, ac sacris Canonibus nullatenus discrepantia, super quibus legitima & rationabili causa subsistente, Rector, & Visitatores huiusmodi cum dictis Fratribus vsque ad futurum Capitulum dispensare possint, & inter eos condere seu facere, illaque necnon eorum singula in toto, vel in parte quoties eis opportunum visum fuerit corrigere, mutare, cassare, & illis addere, necnon ea per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia, per Fratres ipsos obseruari facere.

Prioremque generalem eligi.

§. 6. Ac in eisdem Capitulis, vnum etiam Priorem ex Monasteriis S. Ambrosij, vel ex aliorum Monasteriorum, domorum, & locorum huiusmodi Prioribus, seu Fratribus prædictis in eorum omnium Rectorem, & patrem; Ac duos Visitatores; Necnon ad S. Ambrosij quod per Priorem perpetuum (cuius electio ad Fratres ipsius Monasterij S. Ambrosij, electionis vero confirmatio ad Archiepiscopum Mediolanensem pro tempore existentem, etiam ex speciali dictæ Sedis priuilegio pertinere noscuntur, & aliorum, quæ per temporales Priores reguntur Monasteriorum, domorum, & locorum prædictorum, ac in illis degentium Fratrum regimen, & gubernationem, & singulos Priores possint, & teneantur eligere.

Cuius Prioris & Visitatorum munus hic refertur Et officium eorum quanto tēpore duret, & etiā quando vacet definitur.

§. 7. Necnon Rector, qui omnibus, & singulis Monasteriis, domibus, locis, Prioribus, & Fratribus huiusmodi præsit, ac Visitatores, qui dictum Rectorem, & quemlibet ex Prioribus prædictis, rationabili, & legitima id exigente causa, ab eorum officiis amouere, & alios loco

amoto

amoto totum usque ad subsequens Capitulum subrogare valeant, quique alias in visitando, & in præmissis ac circa necessariis, illam iurisdictionem, seu potestatem habeant, quæ sibi per huiusmodi Capitula conceditur. Ac priores sic electi prædicti, absque desuper eis per ipsum Archiepiscopum seu quemvis alium Apostolica seu Ordinaria, vel alia quacumque auctoritate facienda confirmatione, collatione, seu provisione Fratres, & Monasteria, domus atque loca sibi commissa huiusmodi in spiritualibus, & temporalibus regere, ac gubernare, illisque præesse libere, & licitè. Rector quoque Visitatores, & Priores præfati, quorum officia in singulis primordiis singulorum Capitulorum huiusmodi, eo ipso etiamsi illa non resignauerint, vacare decernimus, si utiles & Fratribus ipsis grati fuerint & accepti, pro annis sequentibus, ac quoties ipsis Fratribus visum fuerit, seu placuerit, ad priora officia reeligi, & deputari possint. Quodque si forsan infra triennium huiusmodi Rectorem, tunc Visitatores ipsius Rectoris vices gerant, si unum ex Visitatoribus, tunc Rector cum alio Visitatore, si verò aliquem ex Prioribus prædictis decedere, vel alias quovis modo ipsorum officia vacare contigerit, tunc Rector, & Visitatores præfati alios ex Fratribus huiusmodi usque ad futurum Capitulum subrogare.

Priorum facultas omnes de Ordine à reservatis casibus semel, & à non reservatis quoties opus fuerit absoluendi. Tu vid. const. 119. Clem. 8 Quacumque.

§. 8. Præterea quod Rector, ac omnes, & singuli Priores prædicti, necnon Fratres, quos idem Rector ad hoc duxerit deputandos, omnibus, & singulis religiosis suis professis, Conversis, Novitiis, & ad eorum servitia in eorundem Monasteriis, domibus, seu locis etiam sæcularibus perpetuo dedicatis, præsentibus, & posteris, in quibuscumque, in reservatis semel tantum, in non reservatis vero Sedi præfatæ casibus, quoties illis opportunum fuerit, ipsorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis per eos debitam absolutionem impendere, & iniungere pœnitentiam salutarem.

Ecclesiastica sacramenta administrandi.

§. 9. Ac Eucharistiam, & alia Ecclesiastica sacramenta ministrare.

Novitios professos omnes à casibus etiam reservatis absoluendi, &c. Attende bul. Clem. 8. mox citatam.

§. 10. Professos quoque, & Novitios huiusmodi qui postmodum regulam ipsam professi fuerint in quibuscumque etiam Sedi prædictæ specialiter reservatis casibus à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis, aliisque censuris, & pœnis à iure vel ab homine promulgatis, alias tamen in forma Ecclesiæ semel dumtaxat absoluere; Et cum eisdem Professis, ac Novitiis super irregularitate si qua dictis sententiis, & censuris, vel earum aliqua ligati, Missas & alia divina officia celebrando, aut se illis immiscendo, vel alios quomodolibet (homicidij, mutilatione membrorum, & bigamiæ casibus dumtaxat exceptis) semel similiter; super irregularitate verò, quam ex prædictis sententiis vel censuris seu earum aliqua per ignorantiam, vel inaduertentiam, seu negligentiam, & non ex contemptu, pro tempore contraxerint, quoties opus fuerit dispensare valeant.

Degentes extra claustra coercendi.

§. 11. Et insuper Rector, ac Visitatores omnes, & singuli, Priores vero prædicti in sibi commissis Monasteriis, domibus, seu locis degentes Fratres professos dictæ Congregationis vagos, & fugitivos, seu alias delinquentes, quod ad Claustrum redeant, vel alias se emendent per excommunicationis sententiam, ac alias censuras & pœnas de quibus sibi videbitur (invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis) cogere, capere, incarcerare, & etiam punire.

Fratrum facultas loca nova recipiendi. Ad hoc obser. va const. 99. Clem. VIII. Quoniam.

§. 12. Quodque Fratres ipsi quæcumque bona mobilia, & immobilia, Monasteria, Ecclesias, domos, & loca si alias eis legitime donentur, vel concedantur, in posterum recipere, & assequi, illaque pro suis usu & habitatione sub institutis regularibus dictæ Congregationis, & observantia huiusmodi possidere similiter libere & licitè.

Aliam regulam etiã strictiorem non ingredi.

§. 13. Et quod nullus ex Fratribus professis prædictis, vel aliquem alium Ordinem, seu Regulam etiam arctiorem quodcumque, & qualecumque privilegium, seu indultum super libere recipiendis Fratribus alterius Ordinis, vel Regulæ, ipsi etiam arctiori Ordini, seu Regulæ à Sede prædicta, vel alias quomodocumque concessum sit, etiamsi de privilegio seu indulto huiusmodi de verbo ad verbum præsentibus habenda foret mentio specialis, absque Capituli generalis huiusmodi, aut de privilegio, seu indulto præsenti, & illius causa, necnon tunc ipsorum Fratrum existentis Rectoris nomine expressam mentionem faciente, licentia speciali sub excommunicationis pœna, quam absque licentia prædicta transiens aut vagans eo ipso incurrat transire, aut vagari.

Priorum facultas promouere faciendi Fratres ad sacros ordines à quocunque Antistite. Tu attende Concil. Trid. sess. 7. c. 11.

§. 14. Præterea omnes & singuli Priores prædicti de licentia Rectoris, & Visitatorum huiusmodi, quoscumque in sibi commissis Monasteriis, domibus, seu locis commorantes Fratres, ad omnes etiam sacros ordines, alias tamen rite statutis à iure temporibus, per quemvis Catholicum Antistitem, gratiam & communionem prædictæ Sedis habentem, Diœcesanorum locorum, & cuiusvis alterius licentia, super hoc minime requisita, libere & licitè promoueri facere possint.

Fratres dicãt officium Ambrosianum.

§. 15. Necnon Fratres prædicti eorum Monasteriis, Ecclesiis, domibus, sive locis divinum officium Ambrosianum prout alias consueverunt, nisi Fratribus alicuius ex Monasteriis, domibus, sive locis prædictis, de dicendo aliud officium à Sede prædicta indultum existat, dicere, legere, seu cantare teneantur.

Communicatio privilegiorum cuiuslibet loci huic Ordini.

§. 16. Quod Sancti Ambrosij, & omnia alia & singula Monasteria, domus, seu loca, & Fratres huiusmodi omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, gratiis, & indultis; quibuscumque ex Monasteriis præfatis in genere per nos, vel Sedem prædictam concessis, aut forsan in posterum concedendis, uti & gaudere valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac Fratribus præsentibus & futuris huiusmodi, quandiu sub dicta observantia vixerint, concedimus pariter, & indulgemus, præfati Archiepiscopi, cæterorumque Ordinariorum locorum, necnon Parochialium Ecclesiarum, & quorumlibet aliorum iuribus alias in omnibus semper saluis.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac literis, & privilegiis Apostolicis, etiamsi de illis, quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, specialis & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda sit, necnon regulæ Monasteriorum, domorum, & locorum prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit; indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. V. A. XI. die 4. Octob.

Dat. Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1441, Quarto Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno XI.

Concordia Iacobitarum in Ægypto, cum S. R. Ecclesia, & explicatio nonnullorum Catholicam Fidem concernentium. XXIII.

Similem unionem Græcorum habes sup. in const. 17. Lætentur. Et aliam Armenorum perlege sup. in const. 19. Exultate.

EVGENIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1441.

Exultatio de unione Iacobinorum cum S. R. E. ultra unionem Græcorũ & Armenorum. Tu habes unionem Græcorũ hic sup. in const. 17.

CAntate Domino quoniam magnifice fecit; annuntiate hæc in universa terra, exulta & lauda habitatio Sion, quoniam magnus in medio tui sanctus Israël: Cantare profecto, & exultare in Domino decet Ecclesiam Dei pro hac grandi magnificentia, & gloria nominis sui, quam hodierna die clementissimus Deus operari dignatus est. Toto siquidem corde laudare, & benedicere Saluatorem nostrum, nos convenit, qui sanctam Ecclesiam

Et unionem Armenorum in alia const. quae incipit Exultate.

Ecclesiam suam nouis quotidie accumulat incrementis. Quanquam autem in populum Christianum sua beneficia omni tempore multa & magna sint, quæ luce clarius erga nos suam immensam charitatem ostendunt; si tamen accurate inspicimus, quæ & quanta his diebus nouissimis diuina clementia facere dignata est, iudicare certe poterimus hoc nostro tempore plura, ac maiora, quam à multis retroactis temporibus suæ charitatis munera extitisse. Ecce enim nondum exacto triennio in hac sancta œcumenica Synodo saluberrimam trium magnarum nationum vnionem, Dominus noster IESVS CHRISTVS, pro sua infatigabili pietate ad commune perenneque totius Christianitatis gaudium, tam copiose effecit, vnde actum est, vt totus fere Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parua Septentrionis portio post longa dissidia cum Sancta Romana Ecclesia, in eodem fidei, & charitatis vinculo iam conuenerint. Primo etenim Græci, & ij, qui subsunt quatuor Patriarchalibus Sedibus multas gentes, nationesque, & idiomata continentibus; Deinde Armeni multorum populorum gens, Hodie verò Iacobi magni etiam per Ægyptum populi, Sanctæ Sedi Apostolicæ vniti sunt.

Actio gratiarum Domino Iesu Christo.

§. 1. Et, cum nihil salutari nostro Domino IESV CHRISTO gratius sit, quam mutua inter homines charitas, nihilque nomini suo gloriosius, atque Ecclesiæ vtilius esse possit, quam vt Christiani, omni inter se sublato dissidio in eadem simul fidei puritate conueniant, merito nos omnes & cantare præ gaudio, & iubilare in Domino debemus, quos vt tantam Christianæ fidei magnificentiam diebus nostris videremus, diuina miseratio dignos effecit. Summa igitur cum alacritate, annuntiamus magnalia hæc in vniuersa Christianorum terra, vt sicut nos gloria Dei, & exaltatione Ecclesiæ gaudio inenarrabili repleti sumus, ita & alios tantæ lætitiæ participes faciamus, vt omnes vno ore magnificemus, & glorificemus Deum, & suæ Majestati, prout dignum est, magnas quotidianasque gratias agamus pro tot, tantisque mirabilibus beneficijs hac ætate Ecclesiæ suæ sanctæ collatis.

Commendatio Patriarchæ Iacobinorum, qui d. vnionis cupidissimus ad Synodum Florentinam misit, Abbatem S. Antonij apud Ægyptum, vt doctrinam S. R. E. susciperet.

§. 2. Et quoniam qui opus Dei diligenter exercet, non modo meritum ac retributionem in Cælis expectat, sed & apud homines amplam gloriam laudemque meretur, Venerabilem fratrem nostrum Ioannem Iacobinorum Patriarcham, huius sanctæ vnionis cupidissimum à nobis, & tota Ecclesia merito laudandum, & extollendum, ac communi omnium Christianorum fauore, cum tota sua gente dignum iudicamus. Is enim à nobis per nostrum oratorem, ac literas excitatus, aut ad Nos, & hanc sanctam Synodum, legationem mitteret, & se ac suam gentem in eadem, cum Ecclesia Romana fide vniret; Dilectum filium Andream natione Ægyptium Abbatem Monasterij S. Antonij apud Ægyptum, in quo & habitasse & mortuus esse sanctus ipse Antonius perhibetur, religione, & moribus non mediocriter institutum, ad nos, & ipsam Synodum destinauit, cui deuotionis zelo accensus imposuit atque commisit, vt fidei doctrinam, quam sancta Romana Ecclesia tenet, & prædicat, nomine ipsius Patriarchæ, & suorum Iacobinorum reuerenter susciperet, deferendam postea per eum ad ipsum Patriarcham & Iacobinos, vt & ipsi eandem agnoscerent, ratamque haberent, & in suis regionibus prædicarent.

Expositio d. Fidei iussu Papæ facta Abbati prædicto.

§. 3. Nos igitur quibus voce Domini commissum est, pascere oues Christi, ipsum Andream Abbatem per nonnullos huius tam sacri Concilij insignes viros, super articulis fidei, & Sacramentis Ecclesiæ, & quibusque ad salutem spectantibus diligenter examinari fecimus, & tandem quantum visum est fore necessarium exposita eidem Abbati S.R.E. fide Catholica, & per ipsum humiliter acceptata, hanc quæ sequitur veram necessariamque doctrinam, hodie in hac solemni sessione, sacro approbante œcumenico Concilio Florentino, in nomine Domini tradidimus.

Circa Trinitatem.

§. 4. In primis igitur Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini & Saluatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur, & prædicat. Vnum verum Deum, omnipotentem, incommutabilem, & æternum, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum in essentia, trinum in personis. Patrem ingenitum; Filium ex Patre genitum; Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedentem. Patrem non esse Filium aut Spiritum sanctum, Filium non esse Patrem aut Spiritum sanctum: Spiritum sanctum non esse Patrem aut Filium; sed Pater tantum Pater est; Et Filius tantum Filius est; Et Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus est. Solus Pater de substantia sua genuit Filium; Solus Filius de solo Patre est genitus; Solus Spiritus sanctus simul de Patre procedit, & Filio. Et tres personæ sunt vnus Deus, & non tres Dij, quia trium est vna substantia, vna essentia, vna natura, vna diuinitas, vna immensitas, vna æternitas, omniaque sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Propter hanc vnitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu sancto, Filius totus est in Patre, totus in Spiritu sancto, Spiritus sanctus totus est in Patre, totus in Filio. Nullus alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Æternum quippe, & sine initio est, quod Filius de Patre extitit; ac æternum, ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit. Pater quicquid est, aut habet, non habet ab alio, sed ex se, & est principium sine principio. Filius quicquid est, aut habet, habet à Patre, & est principium de principio. Spiritus sanctus quicquid est, aut habet, habet à Patre simul & Filio. Sed Pater & Filius non duo principia Spiritus sancti, sed vnum principium, sicut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non tria principia creaturæ, sed vnum principium.

Damnatio contra prædicta circa Trinitatem sentientium.

§. 5. Quoscumque ergo aduersa & contraria sentientes, damnat reprobat, & anathematizat, & à Christi corpore, quod est Ecclesia, alienos esse denuntiat. Hinc damnat Sabellium personas confundentem, & ipsorum distinctionem realem penitus auferentem. Damnat Arrianos, Eunomianos, Macedonianos, Solum Patrem Deum verum esse dicentes, Filium autem, & Spiritum sanctum in creaturarum ordine collocantes. Damnat, & quoscumque alios, gradus seu inæqualitatem in Trinitate facientes.

Explicatio Fidei circa rerum creationem. Noui atque & Veteris Testamenti datorem, &c.

§. 6. Firmissime credit, profitetur, & prædicat, Vnum verum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse omnium, visibilium & inuisibilium creatorem, qui quando voluit, bonitate sua vniuersas tam spirituales, quàm corporales condidit creaturas, bonas quidem, quia à summo bono factæ sunt, sed mutabiles, quia de nihilo factæ sunt, nullamque mali asserit esse naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est. Vnum atque eundem Deum veteris & noui Testamenti, hoc est legis & Prophetarum atque Euangelij profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante, vtriusque testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit, & veneratur, qui titulis sequentibus continentur. Quinque Moysis, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, Iosuë, Iudicum, Ruth; Quatuor Regum; Duobus Paralipomenon; Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Hester, Iob, Psalmis Dauid, Parabolis, Ecclesiaste, Canticis Canticorum, Sapientia, Ecclesiastico, Isaia, Ieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele: Duodecim Prophetis minoribus, id est, Osea, Ioële, Amos, Abdia, Iona, Michea, Naum, Habacuc, Sophonia, Aggæo, Zacharia, Malachia; Duobus Machabæorum, Quatuor Euangelijs, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis; Quatuordecim Epistolis Pauli ad Romanos; Duabus ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses; Duabus ad Thessalonicenses, ad Colossenses; Duabus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemon, ad Hebræos; Petri duabus; Tribus Ioannis; Vna Iacobi; Vna Iudæ; Actibus Apostolorum, & Apocalypsi Ioannis.

Damnatio contrarium sentientium.

§. 7. Propterea Manichæorum anathematizat insaniam, qui duo prima principia posuerunt, vnum visibilium, aliud inuisibilium, & alium noui Testamenti Deum, alium veteris esse Deum dixerunt.

Explicatio Fidei circa diuinitatem, & humanitatem Christi.

§. 8. Firmiter credit, profitetur, & prædicat, vnam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium, ex Patre genitum, Patri consubstantialem, & coæternum in plenitudine temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis, veram hominis integram, naturam ex immaculato vtero

MARIÆ

Mariæ Virginis assumpsisse, & sibi in vnitatem personæ copulasse, tanta vnitate, vt quicquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum, & quicquid est hominis, non sit à deitate diuisum, sitque vnus & idem, indiuisus, vtraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus, & Homo Dei Filius, & hominis filius, æqualis Patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem. Immortalis, & æternus, ex natura diuinitatis, passibilis & temporalis ex conditione assumptæ humanitatis.

Et circa eius passionem resurrectionem, &c.

§. 9. Firmiter credit, profitetur, & prædicat, Dei Filium in assumpta humanitate ex virgine vere natum, vere passum, vere mortuum, & sepultum, vere ex mortuis resurrexisse, in Cœlum ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, & venturum in fine sæculorum ad viuos, mortuosque iudicandos.

Damnatio contrariũ sententium.

§. 10. Anathematizat autem, execratur, & damnat omnem hæresim contraria sapientem. Et primo damnat Ebionem, Cherintum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Fotinum, omnesque similiter blasphemantes, qui percipere non valentes vnionem personalem humanitatis ad Verbum, Iesvm Christvm Dominum nostrum, verum Deum esse negauerunt, ipsum purum hominem confitentes, qui diuinæ gratiæ participatione maiori, quam sanctioris vitæ merito suscepisset, diuinus homo diceretur. Anathematizat etiam Manichæum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium, non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt. Necnon Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine matre cepisse, sed corpus cœleste sumpsisse, atque ita transisse per vterum Virginis, sicut per aquæductum defluens aqua transcurrit. Arrium etiam, qui asserens corpus ex Virgine assumptum anima caruisse, voluit loco animæ fuisse deitatem. Apollinarem quoque qui solam posuit animam sensitiuam, sed deitatem ibi, vicem rationalis animæ tenuisse voluit. Anathematizat etiam Theodorum Mopsuestenum, atque Nestorium, asserentes, humanitatem Dei Filio vnitam esse per gratiam, & ob id duas esse in Christo personas, sicut duas fatentur esse naturas, cum intelligere non valerent, vnionem humanitatis ad Verbum hypostaticam extitisse, & propterea negarent Verbi subsistentiam accepisse, nam secundum hanc blasphemiam, non Verbum caro factum est, sed Verbum per gratiam habitauit in carne, hoc est non Dei Filius homo factus est, sed magis Dei Filius habitauit in homine. Anathematizat etiam, execratur, & damnat Eutychem Archimandritam, qui cum intelligeret iuxta Nestorij blasphemiam, veritatem incarnationis excludi, & propterea oportere, quod ita Dei Verbo vnita esset humanitas, vt deitatis & humanitatis vna esset, eademque persona, ac etiam capere non posset stante pluralitate naturarum, vnitatem personæ, sicut deitatis & humanitatis, in Christo vnam posuit esse personam, ita vnam asseruit esse naturam, volens ante vnionem dualitatem fuisse naturarum, sed in vnam naturam in assumptione transisse, maxima blasphemia, & impietate concedens, aut humanitatem in Deitatem, aut Deitatem in humanitatem esse conuersam. Anathematizat etiam, execratur, & damnat Macharium Antiochenum, omnesque similia sapientes, qui licet vere de naturarum dualitate, & personæ vnitate sentiret, tamen circa Christi operationes enormiter oberrauit, dicens, in Christo vtriusque naturæ vnam fuisse operationem, vnamque voluntatem. Hos omnes cum hæresibus suis anathematizat sacrosancta Romana Ecclesia, affirmans in Christo duas esse voluntates, duasque operationes.

Explicatio Fidei circa humani generis redemptionem.

§. 11. Firmiter credit, profitetur, & docet, neminem vnquam ex viro fœminaque conceptum, à Diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei, & hominum, Iesv Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis hostem peccata nostra delendo, solus sua morte prostrauit, & regni cœlestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, reserauit, quem aliquando venturum omnia veteris testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, cæremoniæ præsignarunt.

Et legalium veteris testamenti;

§. 12. Firmiter credit, profitetur, & docet, legalia veteris testamenti; seu Mosaicæ legis; quæ diuiduntur in cæremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta; licet diuino cultui illa ætate congruerent, Domino nostro Iesv Christo adueniente cessasse, & noui testamenti sacramenta cœpisse. Quemcumque etiam post passionem in legalibus spem ponentem, & illis velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis saluare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat, à Christi passione vsque ad promulgatum Euangelium, illa potuisse seruari; dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum Euangelium sine interitu salutis æternæ, asserit non posse seruari.

Damnatio contraria sentientium, cum declaratione circa baptismum fidelium.

De hoc baptismo late habetur in bulla 19. Eugenij huius.

§. 13. Omnes ergo post illud tempus, circumcisionis, & sabbati reliquorumque legalium obseruatores, alienos à Christi fide denuntiat, & salutis æternæ minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant. Omnibus igitur qui Christiano nomine gloriantur, præcipit omnino, quocumque tempore, vel ante, vel post baptismum à circumcisione cessandum, quoniam siue quis in ea spem ponat, siue non, sine interitu salutis æternæ obseruari omnino non potest. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subueniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur à Diaboli dominatu, & in Dei Filios adoptantur, admonet, non esse per quadraginta, aut octoginta dies, seu aliud tempus iuxta quorumdam obseruantiam, sacrum baptisma differendum, sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri, ita tamen quod mortis imminente periculo, mox sine vlla dilatione baptizentur, etiam per laicum, vel mulierem, in forma Ecclesiæ, si desit Sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur.

Explicatio Fidei circa esum ciborum.

§. 14. Firmiter credit, profitetur & prædicat omnem creaturam Dei bonam, nihilque reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, quia iuxta verbũ Domini, non quod intrat in os coinquinat hominem; illamque Mosaicæ legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam, ad cæremonialia asserit pertinere, quæ surgente Euangelio transierunt, & efficacia esse desierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem, ab immolatis simulachrorũ, & sanguine, & suffocato, dicit, illi tẽpori congruisse, quo ex Iudæis atque Gentilibus, qui antea diuersis cæremoniis, moribusque viuebant, vna surgebat Ecclesia, vt cũ Iudæis etiam Gentiles aliquid communiter obseruarent, & in vnum Dei cultum, fidemque conueniendi præberetur occasio, & dissensionis materia tolleretur, cum Iudæis propter antiquam consuetudinem sanguis & suffocatum abominabilia viderentur, & esu immolaticij poterant arbitrari Gentiles ad idololatriam redituros, vbi autem eo vsque propagata est Christiana religio, vt nullus in ea Iudæus carnalis appareat, sed omnes ad Ecclesiam transeuntes, in eosdem ritus Euangelij cæremoniasque conueniant, credentes omnia munda mundis, illius Apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessauit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quam societas admittit humana, nec inter animalia discerni, dum per quemcunque siue virum, siue mulierem, & quocumque genere mortis interéant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari, & Ecclesiastica disciplina, possint & debeant multa non negata dimitti, quia iuxta Apostolum omnia licent, sed non omnia expediunt.

Et salutem eorum, qui sunt intra Catholicam Ecclesiam.

§. 15. Firmiter credit, profitetur, & prædicat, nullos intra Catholicam Ecclesiam non existentes, non solum paganos, sed nec Iudæos, aut hæreticos, atque schismaticos æternæ vitæ fieri posse participes, sed in ignem æternum ituros, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, nisi ante finem vitæ, eidem fuerint aggregati, Tantumque valere Ecclesiastici corporis vnitatem, vt solum in ea manentibus ad salutem Ecclesiastica sacramenta proficiant, & ieiunia, eleemosynæ, ac cætera pietatis officia, & exercitia militiæ Christianæ præmia æterna parturiant, Neminemque quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse saluari, nisi in Catholicæ Ecclesiæ gremio, & vnitate permanserit.

Approbatio Concilij Nicæni.

§. 16. Amplectitur autem, approbat, & suscipit sanctam Nicænam Synodum trecentorum decem & octo Patrum, temporibus beatissimi Syluestri prædecessoris nostri, & magni Constantini piissimi Principis congregatam, in qua impia hæresis Arriana cum suo auctore damnata est, & definitum est, Filium Dei, Patri esse consubstantialem, & coæternum.

Concilij Constantinopolitani.

§. 17. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit, sanctam Constantinopolitanam Synodum centum quinquaginta Patrum, beatissimi Damasi prædecessoris nostri, & Theodosij senioris tempore conuocatam, quæ ipsum Macedonij anathematizauit errorem, qui Spiritum sanctum, non Deum, sed creaturam asserebat, quod damnant, damnat, quod approbant, approbat, & per omnia vult ibidem definita, illæsa & inuiolata sustinere.

Concilij Ephesini.

§. 18. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit, sanctam primam Ephesinam Synodum ducentorum Patrum, quæ tertia est in ordine vniuersalium Synodorum, sub beatissimo Cælestino prædecessore nostro, & Theodosio minore conuocatam, in qua impij Nestorij est damnata blasphemia, definitumque est Domini nostri IESV CHRISTI veri Dei, & veri hominis vnam esse personam, & B. MARIAM semper Virginem non solum Christotocon, sed etiam Theotocon, hoc est, non tantum hominis, sed Dei genitricem, ab omni Ecclesia prædicandam.

Damnatio secunda Synodi Ephesinæ.

§. 19. Damnat autem, anathematizat, & respuit impiam secundam Ephesinam Synodum sub beatissimo Leone prædecessore nostro, & præfato Principe congregatam, in qua Dioscorus Alexandrinus Antistes, Eutychis hæresiarchæ defensor, & S. Flauiani Constantinopolitani Pontificis impius persequutor, execrandam illam Synodum ad approbationem Eutychianæ impietatis, arte & minis attraxit.

Conc. Approbatio Chalcedonensis. Illud Conc. approbauit Leo I. in cōst. t. fol. 1.

§. 20. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam Chalcedonensem Synodum quartam in ordine vniuersalium Synodorum, sexcentorum & triginta Patrum, temporibus præfati beatissimi Leonis prædecessoris nostri, & Marciani Principis celebratam, in qua hæresis Eutychiana cum suo auctore Eutyche, & Dioscoro defensore, damnata est, & definitum est, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM esse vere Deum, & verum hominem, & in vna eademque persona, diuinam humanamque naturas, integras, inuiolatas, incorruptas, inconfusas, distinctasque mansisse humanitate agente, quæ hominis sunt, & Deitate, quæ Dei, quos damnat, damnatos habet, quos approbat, approbatos.

Conciliique secundi Constantinopolitani.

§. 21. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam quintam Synodum, secundam Constantinopolitanam tempore beatissimi Vigilij prædecessoris nostri, & Iustiniani principis celebratam, in qua sacri Chalcedonensis Concilij definitio, de duabus naturis, & vna persona Christi, renouata est, multique Origenis errores, suorumque sequacium, præsertim de dæmonum aliorumque damnatorum pœnitentia, & liberatione, reprobati atque damnati sunt.

Concilij etiā tertij Constantinopolitani.

§. 22. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam Synodum centum, & quinquaginta Patrum, quæ sexta est in ordine vniuersalium Synodorum, temporibus beatissimi Agathonis prædecessoris nostri, & Constantini Quarti huius nominis Principis congregatam, in qua Macharij Antiocheni, & sectatorum hæresis condemnata est, & definitum est, in Domino nostro IESV CHRISTO, duas esse perfectas, integrasque naturas, & duas operationes, duas etiam voluntates, licèt esset vna eademque persona, cui vtriusque naturæ competerent actiones, Deitate agente, quæ Dei sunt, & humanitate, quæ hominis sunt.

Ac Florentini & aliorum Conciliorum auctoritate Rom. Pont. celebratorum & confirmatorum.

§. 23. Amplectitur etiam, veneratur, & suscipit, omnes alias vniuersales Synodos auctoritate Rom. Pontificis legitime congregatas, ac celebratas, & confirmatas, & præsertim hanc sanctam Florentinam, in qua inter alia Græcorum, & Armenorum sanctissima vnio consummata est, & multæ circa vtramque vnionem saluberrimæ definitiones editæ sunt, prout in decretis desuper promulgatis plenius continetur; quorum tenor in hunc modum sequitur.

Omittitur insertio bullarum tam vnionis Græcorum, quam Armenorum, quia sunt sup. in locis cit. in sub.

Explicatio formæ qua vtitur S. R. E. in consecratione Corporis & Sanguinis Domini.

§. 24. Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione Corporis, & Sanguinis Domini, sacrosancta Romana Ecclesia Apostolorum doctrina, & auctoritate firmata, semper vti consueuerat, illam præsentibus duximus inserendam. In consecratione Corporis Domini, hac vtitur forma verborum. Hoc est enim Corpus meum. Sanguinis verò. Hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Qualitas itemque panis.

§. 25. Panis verò triticeus, in quo sacramentum conficitur, an eo die, an antea decoctus sit, nihil omnino refert, dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post præfata verba consecrationis Corporis à sacerdote, cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Christi corpus transsubstantietur.

Et nuptiarum multiplicium.

§. 26. Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tanquam condemnatas respuere, ne peccatum vbi non est esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro, mulier sit ab eius lege soluta, & nubendi cui vult in Domino habet facultatem, nec distinguat mortuo primo, secundo, vel tertio, declaramus non solum secundas, sed tertias, & quartas, atque vlteriores, si aliquod impedimentum canonicum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si vlterius à coniugio abstinentes, in castitate permanserint, quia sicut virginitatem viduitati, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito præferendam esse censemus.

Acceptatio prædictorum pro parte Iacobinorum.

§. 27. His omnibus explicatis, prædictus Andreas Abbas nomine dicti Patriarchæ, ac proprio, & omnium Iacobinorum, hoc saluberrimum Synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet, & docet sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione, & reuerentia suscipit, & acceptat. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipse reuerenter suscipit: Quascumque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, & damnat, ipse pro reprobatis, & damnatis habet, profitens tanquam verus obedientiæ filius, nomine quo supra, Sedis Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus, fideliter & semper obtemperare.

Tenor d. acceptationis.

§. 28. Lecto solemniter in præsenti Synodo hoc decreto Latino sermone, mox in Arabico, præfatus Andreas Abbas, ipsorum Iacobinorum decretum publice ibidem perlegit, atque infrascripta verba in scriptis Arabice subiunxit, quæ incontinenti Latine recitata sunt. Beatissime Pater, Domine Eugeni, Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ summe Pontifex, vereque Christi Vicarie, ac beati Petri successor, & sanctissima vniuersalis Florentina Synodus, totum hoc sanctum decretum cum insertis, & sanctis decretis vnionis Græcorum, & Armenorum, quod nunc in vestra præsentia publice lectum est, Ego Andreas humilis Abbas S. Antonij. Orator reuerendi patris domini Ioannis Patriarchæ Iacobinorum, habens ipsius decreti per plures dies plenam notitiam, & instructionem, cognosco confiteorque omnia in ipso decreto contenta diuinæ, ac Catholicæ veritati consona existere. Nomine igitur præfati domini Patriarchæ omniumque Iacobinorum, ac meo, quemadmodum vestra Sanctitas attestatur, præfatum saluberrimum Synodale decretum, cum dictis insertis decretis, omnibusque suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet, & docet sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione, & reuerentia suscipio, & accepto. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, reuerenter suscipio. Quascumque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, & damnat, pro reprobatis, & damnatis habeo, pollicens nomine quo supra, ipsum Patriarcham, Iacobinosque, & me ipsum, tanquam veræ obedientiæ filios, vestris ac Sedis Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus, fideliter, & semper obtemperaturos.

D. P. An. 11. die 4. Feb.

Datum Florentiæ, in publica sessione Synodali, solemniter in Ecclesia Domus S. Mariæ Nouellæ, apud quam

nunc

nunc residemus celebrata Anno Incarnationis Dominicæ 1441. pridie Nonas Feb. Pontif. nostri Anno 11.

XXIV. Exemptio Canonicorum sæcularium Congregationis S. Georgij in Alga Venetiarum, à solutione Decimarum, impositionum, & onerum quorumcumque.

Alia privilegia cuiuscumque alterius Ordinis, eidem Congregationi elargita fuerunt à Pio V. inf. in const. 92. Ex incumbenti.

De institutione huius Congregationis, & aliis eam concernentibus, nota in sup. in const. 1. Greg. XII. Illis.

Edita A. D. 1441. *E V G E N I V S E P I S C O P V S, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. QVanquam ex debito Summi Pontificatus officij nobis ex alto commissi, circa Ecclesiarum, ac Ecclesiasticorum locorum, & personarum omnium commoda, & vtilitates non decet intentos existere, illas tamen, & eisdem personis, quæ piæ, & castæ vitæ studio intendentes, mundanis abiectis illecebris in humilitatis spiritu, devotum, & sedulum exhibent Altissimo famulatum, tanto propensioribus favoribus prosequimur, quanto ipsarum personarum vita laudabili atque moribus debite compensatis id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa concessionis huius exemptionis. §. 1. Cum itaque sicut nobis innotuit, dilecti filij Canonici de Collegio, sive Congregatione S. Georgij in Alga de Venetiis Castellanensis diœcesis, à multis citra temporibus plures Ecclesias, atque loca Ecclesiastica in diversis civitatibus, terris, atque locis partium Italiæ consistentia, in quibus etiam pie, & caste, & in communi degentes, Missasque & alias horas canonicas, nocturnas atque diurnas diebus singulis celebrantes interim permanserunt, prout, & in copioso numero præsentialiter permanent in spiritualibus, & temporalibus, ad laudem, & gloriam divini nominis sacrique cultus, & populorum devotionis augmentum multipliciter reformaverint, ac propterea, necnon ex eorum multiplicatis virtutibus, plurimi fructus etiam ad salutem animarum plurium fidelium partium earundem hactenus provenerint, & quotidie proveniant, & alias ipsi omnibus, & singulis Deo devotis personis ad eorum Ecclesias, atque loca prædicta de alienis partibus, seu locis pro tempore applicantibus, hospitio suscipere consueverunt, & ad id iuxta eorum statuta specialiter intenti existant, ac ad hoc, necnon ad alia eis, & ipsorum Ecclesiis, atque locis prædictis, quæ vnum corpus existunt pro tempore incumbentia expensarum onera Ecclesiarum, atque locorum huiusmodi vix suppetant, quandoque non sufficiant facultates.

Exemptio à solutione decimarum, & quorumcumque onerum & impositionum. *Alias similes idem Pontif. concessiones fecit quas vti minus necessarias prætermisi.* §. 2. Nos præmissa debite compensantes, ac attendentes quod præfati Canonici, & in vitæ continentia, ac sanctimonia, aliisque pluribus, & diversis virtutibus, ac fructuosis operibus in dies multiplicant, & fidelibus, partium in quibus pro tempore moram trahunt, castitatis, humilitatis, atque multiplicis virtutis exemplum fore noscuntur, necnon propterea, eis, & statui ipsorum, ne ob facultatum carentiam minuatur, sed vt sublatis ab ipsis dispendiis aliisque extraordinariis oneribus quibuslibet, in numero operibus, & virtutibus supradictis augeantur, quantum cum Deo possumus providere volentes, motu proprio non ad dictorum Canonicorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, vniversis Canonicis de Collegio, sive de Congregatione huiusmodi, qui nunc sunt, & de cætero perpetuis futuris temporibus erunt, necnon eorum Ecclesias, domus, atque loca, præsentia, & futura, ac etiam possessiones, domus, res, census, iura, atque bona ad Canonicos, & ipsorum Ecclesias atque loca prædicta nunc, & in posterum spectantia, omnia, & singula vbicumque consistentia, quorum qualitates, loca, vocabula, confines, ac fructuum, redditumm, & proventuum annuos, aliosque eorundem veros valores præsentibus haberi volumus pro expressis, necnon quoscumque colonos, & laboratores, super possessionibus, & bonis ipsis pro tempore commorantes, cæterosque quos ad hoc ipsorum Canonicorum præsentium, & futurorum procuratores, negotiorum gestores, affictuarios, & pensionarios, in quantum Ecclesias, domus, loca, res, census, iura, atque bona contingunt, ab omnibus, & singulis datiis, impositionibus, subsidiis, etiam charitativis, ac decimis, aliisque oneribus, contributionibus, & exactionibus quibuscumque nominibus nuncupentur per nos, vel Sedem Apostolicam, aut Legatorum eius seu nostra vel dictæ Sedis auctoritate, aut per locorum Ordinarios seu eorum Cleros, vel eorum aliquem, seu aliquos, aut alias quomodolibet, ex quibusvis causis, etiam legitimis, & rationabilibus, impositis hactenus, & in posterum imponendis, ac ab illorum, & cuiuslibet ipsorum persolutionibus, auctoritate Apostolica ex certa scientia, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ perpetuo eximimus & totaliter liberamus, ac prorsus, & omnino libera, & exempta perpetuo esse decernimus, & declaramus.

§. 3. Volentes etiam, ac scientia, & auctoritate prædictis statuentes, & concedentes, quod nulla per nos, vel Sedem prædictam in genere, vel in specie, sub quibusvis formis, aut verborum expressionibus, necnon decretis irritantibus, & cum quibuscunque etiam clausularum individualium, & quod illis nisi sub certa forma minime derogetur, neque derogatum fuisse censeatur, vim & effectum habentium, ac huiusmodi formæ, sive illa servatæ fuerint, sive non, prohibitoriis, aut alias effectui præsentium præiudicialibus clausulis, concessa hactenus, vel in posterum concedenda, literæ, privilegia, & indulta etiam contra exemptas personas, Ecclesias, loca, atque bona quæcumque se extendentia, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent huiusmodi præsentibus, etiam haberi volumus pro expressis, nisi in illis tenor eorundem præsentium de verbo ad verbum insertus, ac de nominibus, & cognominibus Ecclesiarum, & locorum prædictorum specialis, & expressa mentio facta fuerit exemptioni, & liberationi, necnon decreto, & declarationi nostris huiusmodi aliqualiter præiudicare possint, seu debeant. Quinimo huiusmodi præsentes literæ ac contenta in eisdem plenariam roboris firmitatem obtineant, ac exemptio, & liberatio nostræ prædictæ plenarie, & effectualiter observentur perinde in omnibus, & per omnia, ac si nunc aliæ literæ, privilegia, ac indulta prædicta nullatenus emanassent, quibus ex nunc prout ex tunc, quoad hoc specialiter derogamus, illis alias in suo robore permansuris. *Clausula de privilegij præservativa.*

§. 4. Et nihilominus omnibus, & singulis civitatum, terrarum, castrorum, atque locorum quorumlibet dominiis, dominis, communitatibus, eorumque & aliis quibusvis officialibus, præsentibus, & futuris, cæterisque personis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, cuiuscumque gradus, status, vel conditionis existant etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Abbatiali, aut alia quavis Ecclesiastica, seu mundana dignitate præfulgeant, auctoritate Apostolica supradicta harum serie monemus, mandamus pariter & inhibemus de cætero, ne vllo vnquam tempore per se, vel alium, seu alios, quovis quæsito colore, directè, vel indirectè, contra exemptionem, liberationem, decretum, declarationem, ac tenorem præsentium huiusmodi, in toto, vel in parte, venire, facere, aut aliquid attentare audeant, vel præsumant. Alioquin in illos ex eis, qui à die sibi de præmissis factæ notitiæ infra tres dies immediate sequentes, monitioni, seu inhibitioni huiusmodi pro tempore non paruerint, ex nunc prout ex tunc excommunicationis sententiam harum serie proferimus, & promulgamus, à qua à nullo alio, præterquam à Romano Pontifice, absolutionis beneficium nequeant obtinere nisi in mortis articulo constituti. *Inhibitio contra quoscumque exactores, aliosque officiales.*

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Dominiis, Dominis, Communitatibus, Officialibus, & personis prædictis, vel quibusvis aliis cōmuniter vel divisim, ab eadem Sede indultum existat, quod interdici, suspēdi, vel excommunicari non possint, *Clausula derogatoria.*

per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D.P. An. 12. die 7. Iunij.

Dat. Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1442. septimo Idus Iunij, Pont. nostri Anno 12.

XXV. Separatio Fratrum Eremitarum S. Augustini regularis Obseruantiæ Congregationis Ilicetanæ, & illi vnitorum, à superioritate Prælatorum, non tamen Prioris generalis totius Ordinis. Ac elargitio quarundam gratiarum, & indultorum.

Huius Prioris facultatem circa visitationem d. Congregationis, declarauit Clem. VIII. in eius const. 117. Ex iniuncto.

Alia de toto Ordine Eremitarum scripsi in const. 6. Alexand. IV. Licet.

Edita An. D. 1443.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regimini vniuersalis Ecclesiæ quanquam immerito disponente Domino præsidentes, curis perurgemur assiduis, & iuxta creditæ nobis dispensationis officium circa subditorum quorumlibet, præsertim sub regulari obseruantia studio vacantium piæ vitæ, in quorum vbique prosperitate reficimur, statum salubrem, & prospere dirigendum sollicitudinis officio intendimus, & iis qui ad laudem, & gloriam diuini nominis, sacrique cultus augmentum, necnon Religionis propagationem illius profutura cognoscimus, opem, & operam quantum cum Deo possumus impendimus efficaces, vt per nostræ operationis ministerium, & Apostolici fauoris præsidium personæ huiusmodi, earumque Monasteria, & loca singulis ab eis sublatis dispendiis prosperis gratulentur euentibus, & in spiritualibus, & temporalibus felicia conspiciant incrementa.

Generales Ordinis ab aliorum Prælatorum obedientia exemerunt illam Congr.

§. 1. Dudum siquidem nonnulli Generales Priores Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Priorem, & Fratres, præsentes, & futures domos S. Saluatoris Siluæ Lacus dicti Ordinis Senensis diœc. sub regulari obseruantia eiusdem Ordinis degentes, & cuiuslibet ab ipso generale Priore, inferioris obedientia iurisdictione, & correctione eximentes, illas sub protectione sua assumpserunt.

Dederuntque ei licentiam Capitula congregandi, eiusque Præsidentem eligendi.

§. 2. Et quod dicti Fratres, singulis trienniis, singula generalia Capitula in mense Maij in vna ex domibus ipsorum ad id per eorum Vicarium generalem deputanda celebrare, ac in huiusmodi Capitulis vnum Præsidentem tunc celebrandi Capituli, cuius officium tantum triduo duret, & in cuius manibus antiquus Vicarius officiũ Vicariatus Fratribus S. Saluatoris resignare teneretur, & à quo ipse Vicarius ab huiusmodi officio absolui deberet, quodque eundem Vicarium pro delictis per eum commissis si puniẽdus foret punire, necnon electionem noui Vicarij pro tempore canonice celebratam confirmare deberet primo.

Et Vicarium gen. eorum esset regimen d. Congregat.

§. 3. Et deinde vnum ex ipsis in ipsorum omnium, & singularum domorum Societatis Fratrum eorundem generalem Vicarium eligere possent, quodque in Vicarium electus huiusmodi per dictum Præsidentem confirmaretur, & postquam confirmatus fuisset, omnes & singulos Fratres societatis huiusmodi easdem, ac prorsus similes iurisdictionem, & potestatem, quam in illos dictus generalis Prior habet, & exercere potest, habere, & exercere, ac quoties opus foret, omnes & singulos Priores domorum eiusdem Societatis Priorem ipsius domus S. Saluatoris, quem per Fratres eiusdem domus S. Saluatoris illos, videlicet, qui in Capitulo vocem habent eligi, & eius electionis confirmationem ad dictum Vicarium pertinentem, & quem Priorem singulis annis eligi, vel de nouo confirmare voluerant, duntaxat excepto quoties opus foret instituere valeret, necnon ipse Vicarius si eisdem fratribus S. Saluatoris videbitur, dummodo annis singulis officiũ Prioratus huiusmodi resignet eligi posset.

Aliaque Ordinis indulta ei d. Congregationi concesserunt.

§. 4. Nonnulla quoque alia diuersa, assignationes, concessiones, licentias, gratias, & indulta concesserunt, quorum aliqua per generalia ipsius Ordinis Capitula, quædam verò auctoritate Apostolica confirmata fuerunt, Priori domus S. Saluatoris, & Fratribus Societatis huiusmodi in perpetuum successiue concesserunt, prout in Apostolicis, & diuersis eorundem generalium Priorum literis dicti Ordinis sigillo munitis, de quibus nobis legitime constitit, & quæ inspici, & examinari fecimus diligenter, quorumque omnium tenores de verbo ad verbum præsentibus pro insertis haberi volumus, plenius continetur.

Ista Congregatio aucta est, & in regulari obseruantia multum profecit.

§. 5. Cum autem sicut accepimus, tam S. Saluatoris prædicti, quæ in exemptionis, assignationum, concessionum, licentiarum, gratiarum, & indultorum eorundem possessione existunt, quam S. Leonardi, & S. Mariæ de Monte Specchio, necnon S. Antonij supra Balneum Petrioli domorum dicti Ordinis, & prædictæ, ac Grossetanæ diœc. Priores, & Fratres, mundanis spretis oblectationibus iuxta salutaria prædicti Ordinis instituta in huiusmodi obseruantia exemplariter viuentes, variis, & diuersis hactenus multiplicauerint sub charitatis, & ipsius obseruantiæ visionem virtutum Domino iugiter famulando ad diuini nominis laudem, & singulare, & præcipuum salutis plurimorum exemplum.

Hic ideo Pont. hæc omnia approbat.

§. 6. Nos qui iniuncto nobis, licet immeritis Apostolicæ seruitutis officio sinceris desideramus affectibus, & per nostræ operationis ministerium singula religionum loca eorum personis, cum exultatione spiritus sub debito professionis obsequio culmina meritorum scandentibus votiua, in spiritualibus, & temporalibus suscipiunt incrementa directioni, statui, & conseruationi Fratrum societatis huiusmodi prouidere volentes, ac sperantes, quod eorum vita laudabili, & fructuosis operibus prædictis, necnon aliæ eis forsan de cætero concedendæ demus in eisdem spiritualibus, & temporalibus, prosperos atque felices successus dante Domino consequantur, vt ipsi Priores, & Fratres eo feruentius diuinis beneplacitis se coaptent, quo se per Nos, & Sedem Apostolicam specialibus fauoribus, & gratiis communitos fore conspexerint, eorundem Prioris, & Fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium exemptiones, assignationes, concessiones, gratias, & indulta prædicta ac omnia, & singula in prædictis literis contenta, & inde sequuta, cum infrascriptis tamen additionibus, & moderationibus approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplemus quoque omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdẽ.

Dictamque Congregationem regimini d. Vicarij committit.

§. 7. Et nihilominus etiam pro potioris cautelæ suffragio, omnes, & singulos in S. Saluatoris, S. Leonardi, S. Mariæ, & S. Antonij domibus prædictis pro tempore degentes, Priores, & Fratres, ac domos ipsas, illorumque possessiones, iura, & bona, mobilia, & immobilia quælibet ab omnibus dominio, potestate, superioritate, aliena iurisdictione prouincialis Prouinciæ, in qua domus prædictæ consistunt, & aliorum dicti Ordinis Fratrum quibuscumque ipsius Ordinis, dignitatibus, vel officiis fungentium, præsentium, & futurorum, generali prædicti Ordinis Priore dumtaxat excepto, perpetuo eximimus, & penitus liberamus, necnon sub cura, regimine, gubernatione, & correctione Vicarij generalis per eos pro tempore eligendi submittimus, pariter & subiicimus.

Capitulum congregandi, & eius Præsidentem eligendi facultatem tribuit.

§. 8. Ac quod omnes, & singuli Fratres domorum prædictarum in aliqua ex eisdem domibus ad hoc per Vicarium huiusmodi deputanda, singulis trienniis, vel alias quando, & quoties negotiorum personarum, locorum, & temporum qualitate pensatas Vicario, & Visitatoribus Fratrum dictæ Societatis pro tempore existentibus opportunum fore videbitur, seruatis alias solemnitatibus, & cæremoniis in generalibus Capitulis Fratrum dicti Ordinis seruari solitis, generalia Capitula Fratrum ipsius Societatis, ad quæ dictus Vicarius, & singuli Priores domorum earundem ad minus si fieri poterit, cum singulis Definitoribus, illoque personaliter accedere sint adstricti celebrare, & in huiusmodi Capitulis, quam optimum inibi Fratres vocales congregati fuerint,

vnum

vnum in Præsidentem tunc celebrandi Capituli, cuius officium tantum triduo duret, in cuiusque manibus antiquus Vicarius officium Vicariatus libere resignet, & à quo ipse Vicarius ab huiusmodi officio absoluatur, quique electionem noui Vicarij canonice celebratã insimul cum Visitatoribus dictæ Societatis confirmare posset, & deinde aliquos Visitatores, ac subsequenter vnum ex eis in ipsarum, ac omnium, & singularum domorum prædictarum generalem Vicarium, de cuius vita, & prudentia, & per eum in officio Vicariatus huiusmodi in sequenti Capitulo postquam à dicto officio fuerit absolutus alias iuxta Constitutiones Ordinis antedicti inquiratur, & examinetur, necnon per dictum Præsidentem si puniendus fuerit, puniatur, absoluatur, & per Capitulum Societatis huiusmodi reeligatur, ac confirmetur, in omnibus & per omnia quemadmodum alias in generalibus Capitulis Fratrum dicti Ordinis generalis Prior ipsius Ordinis inquiri, examinari, puniri, absolui, reeligi, & confirmari consueuit, eligere possint & valeant.

Vicario in personas Congregationis tribuit potestatem Prioris generalis totius Ordinis.

§. 9. Quodque electus in Vicarium, qui per Præsidentem & Visitatores prædictos confirmetur, postquam electus, & confirmatus fuerit, vt præfertur, in omnes & singulos Fratres Societatis huiusmodi, easdem ac prorsus similes iurisdictionem & potestatem, quas generalis Prior dicti Ordinis pro tempore existens in illos habet, & exercere potest habeat, & exercere possit; necnon quoties opus fuerit Priores domorum, & Conuentuum prædictorum, Priore dictæ domus S. Saluatoris, quem per fratres ipsius domus S. Saluatoris, illos videlicet, qui in Capitulo vocem habent annis singulis eligi, ac eius electionis confirmationem nisi forsan ipse Vicarius, qui lapso anno ab officio Vicariatus huiusmodi eo ipso absolutus intelligatur, in Priorem eo ipso absque alia confirmatione, quod Vicarius in Priorem electus, confirmatus intelligatur ad dictum Vicarium pertinere debere; volumus atque decernimus dumtaxat excepto, instituere & amouere.

Statutaq; & ordinationes condendi.

§. 10. Prætetea quod in huiusmodi celebrandis Capitulis, dictus Vicarius cum aliquibus Definitoribus singularum domorum earundem, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque statuta, & ordinationes, dum tamen regulæ, aut Constitutionibus dicti Ordinis, ac Sacris Canonibus non obuient, sintque rationabilia & honesta, edere, facere, & condere, ac eorum omnia & singula, in toto vel in parte quoties eis opportunum videbitur corrigere, mutare illisque addere: ac dictus Vicarius ipsa, omnia, & singula per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia, tamen eiusdem iuris apicibus, litiumque anfractibus non seruatis, per Fratres dictæ Societatis irrefragabiliter obseruari facere.

Et desuper dispensandi.

§. 11. Necnon Vicarius insimul cum Visitatoribus prædictis quoties illos in loco in quo tunc ipse Vicarius commorabitur adesse contigerit, alioquin per seipsum super statutis & ordinationibus, necnon concessionibus, gratiis, & indultis, etiam per nos cõfirmatis, dummodo id super quo dispensatio requiritur alias Societatem ipsam non concernat, quo casu ad generale Capitulum per fratres Societatis huiusmodi pro tempore celebrandum dispensatio pertineat, & dispensatio, quæ per Vicarium, ac maiorem & saniorem partem huiusmodi Capituli, aut ipsum Vicarium & Definitores prædictos fiet dumtaxat legitima, censeatur dispensare.

Aliumque loco sui ponendi in casu absentia.

§. 12. Præfatus quoque Vicarius quoties eum abesse contigerit, aut alias sibi videbitur loco sui vnũ, duos, vel plures, & quot ei placuerit Vicarium, seu Vicarios cum facultate de qua sibi videbitur instituere, destituere, necnon ad domos dictæ Societatis transmittere.

Prioris generalis Ordinis superioritatẽ visitandi, & corrigẽdi præservat.

§. 13. Et insuper generalis Prior dicti Ordinis pro tempore (qui nullum ex Fratribus dictæ Societatis ab ipsa Societate remouere, nec aliquem ex Fratribus prædicti Ordinis cuiuscumque gradus, vel conditionis ipse Frater existat, ad ipsam Societatem, vel aliquam ipsius domum transferre absque Vicarij pro tempore, & maioris Societatis eorundem consensu, quavis etiam rationabili causa, vllo vnquam tempore possit) quoties ei placuerit per se insimul cum vno ex Visitatoribus Societatis huiusmodi, quem ad hoc duxerit eligendum, vt per Vicarium dictæ Societatis dumtaxat, & non per alium, vnam, vel plures domum, vel domus, ac ipsam Societatem visitare, & secundum Constitutiones Ordinis, quos culpabiles repererit, corrigere & punire.

Eleemosynas quæri permittit.

§. 14. Quodque Fratres domorum earundem præsentes, & futuri, ponere vinum, & alia ad victum necessaria, & vbicumque cum saccis & sportis publice mendicandi quærere ac recipere.

Congregationi prædictæ & aliis de obseruantia indulta Ordini concessa communicat.

§. 15. Et si forsitan vllo tempore, aliquam seu aliquas Fratrum dicti Ordinis Societatem, vel Societates, sub regulari obseruantia eiusdem Ordinis degentium huiusmodi Societati vniri & aggregari pro tempore contigerit, quod in sic vnitarum Societatum Fratres, ac ipsæ, vnitæ Societates omnibus & singulis exemptionibus, concessionibus, assignationibus, indultisque prædictis, ac præsentibus nostris literis, & in eis contentis, vti pariter, & gaudere libere & licite possint & valeant, eisdem auctoritate & scientia perpetuo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac Fratribus Societatis huiusmodi, præsentibus & futuris quandiu sub dicta obseruantia vixerint prædicta, ac de nouo omnia & singula exemptiones, concessiones, assignationes, gratias, & indulta per nos confirmata huiusmodi concedimus pariter & indulgemus per præsentes.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 16. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac literis & priuilegiis Apostolicis generalibus, vel specialibus, etiamsi de illis quorũ omnium tenores, etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda sit, necnon dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac literis generalis Prioris dicti Ordinis pro tempore existentis, & de consensu generalis Capituli ipsius Ordinis sub quacumque forma forsan in posterum emanandis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Limitatio bullæ pro tempore duratæ obseruantiæ.

§. 17. Volumus autem quod si, quod absit, obseruantia huiusmodi in dicta Societate cessare contigerit, præsentes literæ nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo &c Si quis autem, &c.

Dat. P. A. 13. 6. Sept.

Datum Senis, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo quadragesimotertio, VIII. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Sequitur declaratio dictæ Constitutionis.

EVGENIVS PAPA IV. &c.

Edita An. Di 1443.

Exordium.

AD hoc circa regularis obseruantiæ professores eo diligẽtiùs paternę sollicitudinis, vices impendimus, quo fœcundius illorum religio fructum in eos afferat salutatem, & laudabilibus in Domino possint iugiter proficere incrementis. Nuper siquidem per nos, &c.

Omittitur insertio bullæ, quia ipsa est quæ præcedit.

Dubia Excitata fuere super præcedenti const.

§. 1. Cum autem sicut exhibita Nobis nuper pro parte Priorum & Fratrum prædictorum petitio continebat, ipsi Priores, & Fratres dubitent, ne concessiones, assignationes, statuta, ordinationes prædicta, & alia in dictis literis contenta ex frequentibus statutis per Capitulum Societatis huiusmodi, aut Vicarium, & Definitores præfatos forsitan faciendis in abusum vadant, illaque per non vsum abrogentur; & à nonnullis quoque reuocetur in dubium, an aliæ Societates Fratrum dicti Ordinis eidem Societati absque generalis Prioris præfati Ordinis, vel alterius licentia se vniri, dictique Priores, & Fratres S. Antonij supra Balneum Petrioli, & S. Mariæ de Monte Spechio domos prædictas dimittere possent, absque dictæ Sedis licentia speciali. Et an quod de non amouendis, aut transferendis Fratribus per Generalem Priorem ipsius Ordinis in prædictis nostris literis statuimus, ad illius generale Capitulum extendatur, dictusque generalis Prior loco pœnæ, seu pœnitentiæ aliquem ex Fratribus huiusmodi Societatis à dicta Societate ad tempus remouere, valeat pro parte Priorum & Fratrum Societatis prædictorum, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt super his opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Dubij primi declaratio. §. 2. Nos igitur ad omnes in præmissis ambiguitates, & dubium submouendum: & vt Priores, & Fratres Societatis prædictæ, qui vt accepimus, sub regulari ipsius Ordinis obseruantia viuentes de die in diem virtutum meritis, ac fructuosis operibus multiplicari noscuntur, liberari à noxiis, sua Altissimo vota reddere, ac personarum numero facilius augmentari valeant, prouidere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, per Vicarium dictæ Societatis pro tempore existentem cum Visitatoribus præfatis quoties ipsos in loco in quo prædictus Vicarius commorabitur adesse contigerit, alioquin per se ipsum super pœnitentiis ex quacumque causa, etiam propter recessum ab ipsa Societate, vel alia grauiora crimina, & excessus Fratribus Societatis huiusmodi impositis, vel imponendis in toto, vel in parte, ac concedendis libris extra ipsorum Conuentus, seu domos iuxta modum, & formam litterarum, seu concessionum, per dilectum filium Magistrum Gerardum de Arimino tunc generalem Priorem dicti Ordinis Fratribus prædictæ Societatis, etiam sub excommunicationis pœna, quam secus facientes eo ipso incurrerunt concessa, dumtaxat, & non alias, aut aliis casibus dispensare.

Dubij secundi declaratio. §. 3. Et vna, duæ, vel plures, & quælibet Societates Fratrum dicti Ordinis prædictæ Societati generalis Prioris, necnon generalis Capituli eiusdem Ordinis, & cuiuslibet alterius licentia super his nullatenus requisita, quibuscumque mandato, ac prohibitione per generalem Priorem, & generale Capitulum huiusmodi, aut illorum alterum in contrarium pro tempore factis, nequaquam obstantibus sub modis, & formis, necnon pactis, & conuentionibus, de quibus eis videbitur se vnire, & aggregare, ipsosque Priorem, & Societatis huiusmodi, S. Antonij, & S. Mariæ domos prædictas, etiam absque dictorum Prioris; & Capituli, cuiuscumque alterius licentia dimittere.

Dubij tertij declaratio. §. 4. Necnon Prior pro tempore, cum generali Capitulo dicti Ordinis, aut ipsorum quilibet de per se, antequam ex Fratribus dictæ Societatis ab ipsa Societate remouere, aut aliquem ex Fratribus eiusdem Ordinis cuiuscumque gradus, vel conditionis existat, quod prædictam Societatem, vel aliquam ipsius domum transferre absque Vicarij pro tempore, & maioris partis Fratrum Societatis eorundem consensu quavis etiam rationabili causa. Et ipse generalis Prior pro tempore, etiam consensu generalis Capituli Ordinis huiusmodi aliquem ex Fratribus prædictæ Societatis quantumcumque culpabilem, & criminosum extra domos ipsius Societatis punire vllo vnquam tempore nullatenus possit, sed ipsum in eisdem domibus alias iuxta culpas, & demerita ipsius secundum canonicas sanctiones, & instituta prædicti Ordinis puniat, ac punire debeat.

Prohibitio vtendi gratijs aut consequendi dignitates extra Societatem absque licentia. §. 5. Præterea, quod nullus ex Fratribus dictæ Societatis cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existat in ipsa Societate, seu aliqua ipsius domo; quibuscumque exemptionibus, immunitatibus, priuilegiis, gratiis, & indultis quorumcumque tenorum existant, eis in specie, vel in genere à Sede Apostolica, seu alias pro tempore concessis, vti, & gaudere, aut ad aliquas, dignitates, præeminentias, administrationes, vel officia dicti Ordinis extra dictam Societatem quæcumque, quotcumque, & qualiacumque fuerint, vocari, assumi, aut illis præfici, absque Vicarij, & Definitorum pro tempore, aut Capituli Societatis prædictorum, siue maioris partis illorum licentia in scriptis, habita & obtenta, nullatenus possit.

Communicatio gratiarũ cuiuscunque alterius Congregationis vnienda. §. 6. Quodque Priores & Fratres Societatis huiusmodi, omnibus, & singulis exemptionibus immunitatibus, priuilegiis, gratiis, & indultis ipsi pro tempore vniendis Societatibus per generalem Priorem dicti Ordinis pro tempore, in specie seu in genere concessis, vti & gaudere libere & licite valeant ex certa scientia, & auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus.

Bona Fratrũ ad Congregationem transeuntium sint Congregationis. §. 7. Ac præmissa omnia, necnon quod præfata Societas, iuxta quandam concessionem Priori, & Fratribus prædictæ domus S. Saluatoris per quondam Nicolaum generalem Priorem dicti Ordinis concessam, de omnibus, & singulis bonis mobilibus & immobilibus, præsentibus & futuris, omnium & singulorum Fratrum dictæ Societatis, præsentium & futurorum quæcumque quomodocumque, & qualiacumque huiusmodi bona fuerint, etiamsi illa ipsis Fratribus ad eorum vitam concessa extiterint, plenarie succedant, ipsaque ad dictam Societatem cum Fratribus ad illam transeuntibus eo ipso deuoluantur, ac proueniant Priori, & Fratribus dictæ Societatis, præsentibus & futuris perpetuo concedimus pariter, & indulgemus.

Clausula derogatoria. §. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, & singulis in aliis nostris literis prædictis, quas alias in suo robore permanere, & quas, necnon præsentes, in omnibus & per omnia obseruari volumus, decernimus atque mandamus, non obstare volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod si, quod absit, obseruantia huiusmodi in dicta Societate cessare contigerit, præsentes literæ eo ipso sint cassæ, & irritæ nulliusque roboris vel momenti. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. P. An. 13. 27. Nouemb. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, quinto Calendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

XXVI. Approbatio Ordinationum in Capitulo Romæ acto præfinitarum, pro reformatione Monachorum Græcorum S. Basilij, in prouinciis Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ.

Hæc bulla à Iul. II. & Iul. III. confirmata fuit, vt vidi in quadam ipsius Iul. III. constit. edita die 19. Decembris 1550. quam prætermisi vti minus necessariam; & de toto Ordine notaui sup. in const. 6. Alexand. IV.

Edita A. D. 1446. EVGENIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. Inter curas multiplices quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obsidemur, illam vigilantius amplectimur per quam regulares Ordines, & loca, iugi sanctimoniæ dedita, prout congrue prospicimus, in spiritualibus & temporalibus prosperitatis optatæ contingant euentum, vnde efficacis ad id sollicitudinis studium apponere cupimus, & prouisionis salutaris adhibere remedium, ne Ordines, & loca ipsa, Apostolicæ, quod absit, prouidentiæ destituta consilio, deformationis subiaceant opprobrio, sed libentius cursu temporis continuum, dante Domino, in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiant incrementum.

Hic Pont. cognoscens Monachos S. Basilij in regno Siciliæ indigere reformatione, Capitulum Romæ celebrari iussit. §. 1. Sanè ad nostri deducta notitiam, quod plurima Monasteria & loca Monachorum Græcorum Ordinis S. Basilij in Regno Siciliæ, citra & vltra Farum essent, quæ in multis reformatione indigere videbantur, Nos inter alia mandauimus, omnibus & singulis Abbatibus dicti Ordinis de celebrando Capitulo ad Vrbem Romanam, vt certo tunc expresso, & ad id per nos statuto termino personaliter conuenirent, ibidem tractaturi & ordinaturi, quæ pro Religionis decore, & huiusmodi Ordinis commodo, vtilitate & conseruatione expedirent.

In quo statutum fuit, vt Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ prouinciis Visitator constituatur, qui insimul ab eius Consiliario loca & personas visitet, & corrigat. §. 2. Postmodum vero dilectis filiis præfati Ordinis in prædictis Insula & Regno consistentium Monasteriorum Archimandritis, & Abbatibus, cum nonnullis aliis eiusdem Ordinis personis, sub Græcorum ritu viuere consuetis, in prædicta Vrbe pro præmissis congregatis conuenientibus, post maturam quam desuper inter se habuerunt deliberationem, concordarunt, & ordinarunt, ac in hoc singuli scilicet, aut maior pars eorum expresse consenserunt, videlicet quod ex singulis, Siciliæ & Calabriæ, & Apuliæ dicti Ordinis Prouinciis, vnus esset eiusdem Ordinis Visitator, qui in illa ex Prouinciis huiusmodi, in qua pro tempore deputatus fuerit, cum vno socio, cuius consilio in omnibus agendis vti debeat, monasteria, & loca prædicta tam Monachorum, quam Monialium

nialiom sub prædicta regula degentiom, tam in capite, quam in membris visitare & reformare, ac personas ibidem corrigere, aliaque quæ ad huiusmodi visitationis & correctionis officium de iure vel consuetudine pertinebunt, facere, & exercere possent, & deberent.

Taxâque pro salariis Magistrorum & expensis Studentium modo & forma hic præscriptis exigat.

§. 3. Quodque Visitatores dicti Ordinis pro tempore existentes à quolibet dictarum prouinciarum Ordinis huiusmodi Monasterio, siue loco, illam pecuniarum summam siue quantitatem, quæ inter Archimandritas, Abbates, & personas prædictas in Congregatione huiusmodi, tam pro salariis magistrorum, Monachos, & personas dicti Ordinis, aliosque quoscumque idioma græcum pro tempore docere volentium, quam expensis studentium huiusmodi deputata, seu consignata extitit. Et quæ quidem summa siue quantitas in Siciliæ inter Monasteria, & Ecclesias sæculares Græcas ad centum vncias monetæ currentis ibidem, & in Calabriæ ad ducentos & quinquaginta, in Apuliæ vero Prouinciis, eisdem ad octoginta florenos auri de Camera ascendit, ad quas quantitates à quibuslibet dictorum Monasteriorum & Ecclesiarum Rectoribus persoluendas, tã Abbates quam Commendatarios quoscumque & quibuscumque vnita Monasteria. In Sicilia vero eos presbyteros sæculares, Rectores Ecclesiarum Græcarum teneri, & obligatos esse voluerunt, & statuerunt, exigere, colligere & leuare valerent, atque possent huiusmodi concordatis, & ordinatis per singulos aut maiorem partem eorum, qui præmissis Congregationis & Capituli celebrationi interfuerunt acceptatis atque laudatis.

Et ipse Pont. modo dicta Capituli statuta cõfirmat & obseruari mandat.

§. 4. Nos itaque omnia & singula præmissa, & quævis alia inter Archimandritas, Abbates, & personas prædictas in huiusmodi celebrato Capitulo ordinata, & concordata, illorumque tenores & effectus rata habentes & grata, illa auctoritate Apostolica approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, eaque volumus, & mandamus, ab omnibus & singulis, quorum pro tempore interfuerit firmiter & inuiolabiliter obseruari.

Prælatisque omnibus & cæteris aliis, vt Visitatoribus pareant, eosque nõ impediant sub pæna, &c. prohibet, & Archimandritæ Siculi auctoritatem suspendit.

§. 5. Districtius inhibentes venerab. fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & vniuersis & singulis Ecclesiasticis dictarum Prouinciarum Prælatis, & quibusvis aliis, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & præcipue dilecto filio Lucæ Busalo moderno S. Saluatoris in lingua Fari Messanensis Diœc. Archimandritæ, cuius præeminentiam quam supra Monachos & Abbates Siculos habet, ac curã eius quoad vixerit ea certa nostra scientia suspendimus, & quẽ correctioni ipsorum Visitatorum subiicimus, ac ab illis corrigi & puniri debere, atque posse decernimus, Archiepiscopis vero & Episcopis suspensionis ab ingressu Ecclesiæ pœna, necnon prædicto Lucæ & aliis Archimandritis, & cæteris supradictis sub excommunicationis sententia, quas eo ipso incurrant, & à qua quidem sententia ab alio quam à Romano Pontifice absolui non possint, ac cuilibet ipsorum, ne se de visitatione Monasteriorum & locorum Græcorum, tam Monachorum, quam Monialium in prouinciis supradictis existentium aliquo modo intromittant, siue Visitatores ipsorum Monasteriorum & locorum pro tempore existentes quo minus illa libere visitare, ac illorum personas corrigere & punire, aut alias commissum eius visitationis officium, in omnibus & per omnia exercere debeant, atque possint, impediant.

Visitatoribus prædictis facultates contra quascumque personas Ordinis etiã Archimandritas concedit.

§. 6. Et nihilominus vt Monasteria & loca prædicta per visitationis & felicis directionis ministerium salutare contingant remedium, volumus, & dicta auctoritate statuimus, atque decernimus & ordinamus, quod Visitatores pro tempore electi, & deputati, ac existentes, ad singularum prouinciarum earundem, singula dicti Ordinis Monasteria, & loca singularum prouinciarum huiusmodi personaliter accedant, & solum Deum præ oculis habentes in Monasteriis & locis prædictis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, necnon capitibus, & membris, debitæ visitationis officium, auctoritate prædicta impendere & exercere, ac omnia & singula quæ in reformationis & correctionis ministerio indigere prospexerint, prout eis iuxta canonicas sanctiones, & regularia eiusdem Ordinis instituta, ac alias congrue videbitur reformare, & corrigere, necnon quoscumque Monasteriorum, & locorum ipsorum Præsidentes, illorumque personas cuiuscunque dignitatis, etiam Abbatialis, status, gradus, vel conditionis existant, vel præeminentiæ, etiamsi Archimandritæ fuerint, iuxta criminum, & excessuum per eos quomodolibet perpetratorum qualitatem, & exigentiam corrigere & punire, & si illorum demerita id deposcerint, dignitatibus, & officiis quibuslibet auctoritate nostra priuare, & ab illis amouere, ac etiam summam siue quantitatem pecuniarum huiusmodi, ad opus & vsus magistrorum & studentium eorundem, à Præsidentibus Monasteriorum, & locorum prædictorum, prout in Capitulo prædicto concordatum & ordinatum, vt præfertur, extitit, exigere colligere, & leuare, seu exigi, colligi, & leuari facere, ac de leuatis & perceptis quietare, præfatoque moderno Archimandritæ Siculo, ne se de visitatione Monasteriorum, & locorum eiusmodi, illorumque correctione personarum, ac alias de eis quovis modo intromittere audeat siue præsumat strictius inhibere, omniaque alia & singula, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, vel quomodolibet opportuna facere, statuere, & ordinare, & exequi. Contradictores quoscumque & rebelles ac non soluentes, per censurã Ecclesiasticam & alia quævis opportuna iuris remedia appellatione postposita compellere, necnon si, quod absit, ex Archimandritis, Abbatibus, & aliis supradictis aliqui fuerint qui legitime requisiti summam, siue quantitatem præmissam, prout se in qualibet prouinciarum prædictarum extendit, ac in concordatis, & ordinatis huiusmodi continetur, soluere & assignare, siue vsque ad dictam summam, vel quantitatem contribuere distulerit, siue recusauerit, extunc Visitatores supradicti, & quilibet ipsorum in sua prouincia, fructus, redditus, & prouentus singulorum Monasteriorum, & locorum, quibus non soluentes huiusmodi præfuerint, aut quæ siue per vnionem, siue per commendam obtinuerint, arrestare, & sequestrare, necnon demum (si eis videbitur) fructus, redditus, & prouentus huiusmodi vsque ad summam, siue quantitatem eandem pro præmisso vsu exponere, vel grangiam, aut prædium aliquod, pro rata ad hũc studiorum vsum contributionis illius Ecclesiæ, vel Monasterij, cuius Præsidens soluere noluerit, deputare & consignare, ac etiam taxas Monasteriorum & Ecclesiarum prædictorum, augere vel minuere, summis tamen præfatis non diminutis, si opportunum videbitur possint atque debeant.

Stipendia eisdem Visitatoribus designat.

§. 7. Verum quia dignum est, vt stipendio congruo sustententur, qui ad labores, & onera deputantur, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod Visitatores prædicti dum, & quoties in exercitio visitandi, & corrigendi, aliaque supradicta faciendi fuerint, quilibet videlicet eorum pro se, ac notariis, & aliis cum eis in huiusmodi exercitio necessario existentibus, à Monasteriis, & locis, quæ pro tempore visitabunt, eorumque personis sumptus, & expensas, non solum victus, sed etiam alias minutas, & solum necessarias recipere possint & valeant moderatas. Super quibus omnibus etiam ipsis pro tempore, vt præmittitur existentibus Visitatoribus, plenam & liberam auctoritate prædicta concedimus tenore præsentium facultatem. Nos enim sentẽtias siuè pœnas, quas dicti Visitatores pro tempore rite tulerint, siue statuerint in rebelles, sequestra, vel arresta quæque apposuerint, rata habebimus atque faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari, inuocato etiam per eos ad omnia & singula supradicta si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausulas contrariorum derogatorias apponit.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & literis Apostolicis, præsertim quibusdam Petro Pesali B. MARIÆ de Gripta Ferrata Romanæ Ecclesiæ immediate subiectæ, ac aliis Paulo tunc B. MARIÆ de Gripta, & Adriano S. Pantaleonis Tusculan. Panormitanæ, & Missanen. Diœc. Monasteriorum Abbatibus per nos illis decretis quarum tenores, & effectus præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, & quas vt effectus præsentium per eas impediri non contingat, reuocamus, cassamus, & annullamus, ac pro infectis & nullis haberi, censeri, & reputari debere decernimus, necnon statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, locorum Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate

firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque ausit Archimandritis, Abbatibus, & personis prædictis, vel quibusvis aliis, communiter vel diuisim à Sede Apost. existat indultum, quod interdici, suspandi, vel excommunicari, aut ad iudicium trahi non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, vnionibus dictorum Monasteriorum, & Ecclesiarum quibusvis etiam Cathedralibus Ecclesiis factis, exemptionibus, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta ipsorum Visitatorum iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quæ quoad hoc eisdem Abb. personis & aliis nolumus aliquatenus suffragari.

Visitatoribus onus dat sibi significandi, priuationes & amotiones Abbatum, &c.

§. 9. Præterea ea singula quæ Visitatores antedicti circa singulas priuationes, & amotiones huiusmodi fecerunt, nobis per eorum patentes literas ipsorum sigillis sigillatas, quantocius fideliter intimare procurent, vt eorum informatione plenius instructi circa prouisiones Monasteriorum, & locorum tunc per priuationes & amotiones huiusmodi vacantium, consultius agere valeamus. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. P. An. 16. 14. Nouemb.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1446. decimo nono Kalendas Ianuarij, Anno sextodecimo.

XXVII. Canonizatio S. Nicolai de Tolentino, professoris Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, eiusque adscriptio Catalogo SS. Confessorum. Et institutio suæ Festiuitatis pro die 10. Septembris.

Hanc Festiuitatem innouauit, duplicique officio celebrari, decreuit Sixt. V. in const. 16. Sancta.

Edita An. D. 1447.

E V G E N I V S P A P A I V.
Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

LIcet militans in Terris Ecclesia, triumphantem in Cœlis, filiali, & deuoto veneretur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaque Sanctorum, quantum sinit fragilitas, dignissimis attollat titulis, deuotis quoque precibus, solemni ritu, sacrificia laudum offerat, ad decus, & venerationem ciuium supernorum, nihil tamen illis accrescit nouæ perfectionis & gloriæ, nec eorum perfecta felicitas nostris operibus firmari poterit, vel augeri: Misericors tamen, miseratorque Dominus, per intercessiones, meritaque Sanctorum, quos in Terris celebritate congrua veneramur, mirabili dignatione imperfectum nostrum suppleri prouidit, vt quod nostris meritis non valemus, eorum suffragiis assequamur.

B. Nicolaus virtutibus & miraculis emicuit.

§. 1. Æternus itaque Deus, qui facit mirabilia magna solus, Confessorem suum eximium Nicolaum de Tolentino in approbata Religione Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, ab eius pueritia educatum, puritate candidum, charitate feruidum, electum ex millibus, exemplar præfulgidum, sapientia eius infinita produxit, singularis vitæ suæ excellentiam, signis & prodigiis probans, ac coruscantibus, crebrisque miraculis manifestans, Lætentur itaque cœli, & exultet terra, iocundeturque pariter totus Orbis, quando ei, qui effulsit in templo Dei cum viueret, speciosum in cœlo præstant hospitium cœli ciues.

*Ioannes idest 22. de eius canonizatione egit. * Curia.*

§. 2. Itaque huius beati viri quando vita est functus, fama, summaque ad eum populorum deuotione crescentibus, fel. rec. Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, Aueoione cum eius cura residens, cum fratribus suis cœpit de eius canonizatione tractare, quam nisi eius obitus, & horrenda superuenissent schismata procul dubio consummasset.

§. 3. Beatus igitur hic Nicolaus, honestis ex castro S. Angeli infra Firman. diœc. parentibus ortus, & prauorum consortia vitans, Ecclesias, diuinaque mysteria frequentabat, & ne præclara opera lucidæ vitæ suæ, longo latoque sermone customus, pauca libet referre de pluribus, vt ea his existentes in via Domini, patrem glorificent, sicut decet.

Imo egit etiã Innoc. VI. vt inquit Sixt. V. in rubr. cit. Præclara opera B. Nicolaus fecit.

§. 4. Sanctus equidem iste in ætate existens tenera, se sub magna Religionis diligentia, summa cum obedientia & humilitate seruabat, castigando corpus ieiuniis, vigiliis, orationibusque insistebat deuotus, gratus, humilis, obediens, benignus, suauis, pius, patiens, constans, maturus, compositus, virtutum quibusdam aromatibus plurimos attrahebat, adeo quoque fidei cultor erat, vt cuncta illius verba, & opera, virtute fidei redolerent, tribulatorum, & infirmorum consolator assiduus existebat.

Ieiuniis, vigiliis, & orationibus vacauit, &c.

§. 5. Et demum, pudicus, castus, modestus, verecundus, ac lætus ad vitæ vesperam veniens, diuinitus audire meruit. Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui. Sic granum frumenti cadens in terram, & mortuum, vberem consurgit in spicam; sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam, sic regnum cœlorum percipitur, & Sancti per fidem sublimia regna vicerunt.

Tempore obitus, audire meruit. Euge serue bone & fidelis, &c.

§. 6. Verum quia decebat diuinæ magnitudinem bonitatis, vt quem in terris præclaris ornarat virtutibus, in cœlis regnare certis testimoniis probaretur, multis eum, magnisque miraculis dum viueret & post obitum, clarum fecit, quorum quædam dignissimis probatis testibus onerosæ multitudinis vitandæ gratia, duximus præsentibus annotanda.

Miraculis ante & post obitum clarus.

§. 7. Quidam adeo in sinistro latere perditus erat, vt nec illius manum, aut pedem posset quouis modo mouere, aut quicquam ex oculo sinistro videre, post plurimorum medicorum antidota, atque collitia iuuamen experta, Sanctus sic latus illud crucis signaculo tetigit vtroque illi benedixit, qui statim è grabato surgens sanatus est, videns, & integre liberatus.

Virum latere perditum, & oculo cæcutiente laborantem, signo crucis liberauit.

§. 8. Quædam vero mulier trienoio continuo sanguinis fluxum patiens, ad Nicolaum veniens, & manum illius deuotissime osculans, precabatur eum, vt preces ad Dominum, pro illius sanitate recuperanda porrigeret, Sanctus ipse illam crucis signo signauit, & liberata recessit, & hæc ante obitum.

Mulierem à sanguinis fluxu, simili modo sanauit.

§. 9. Post obitum vero cum puer quidam annorum quatuor in canale molendini cecidisset, & intra rotam, & aquam per spatium temporis, quo communiter quis bene ambulans, milliario ambulasset, continuo iacuisset, inde tandem laboriose extractus mortuus, & pro mortuo reputatus, emisso prius per matrem voto; quod si restitueretur vitæ auxilio Beati Nicolai, illum supra sanctum tumulum habitum Religionis indueret adiuuante Sancto prædicto, viuus apparuit.

Puerum submersum vitæ restituit.

§. 10. Vir insuper quidam inuentus in domo sua suspensus, & mortuus, precibus, & voto per eius vxorem ad B. Nicolaum emissis, factus, est viuus, & ex tunc diutius superuixit.

Virum suspensum & mortuum, suscitauit.

§. 11. Quamplurima etiam miracula, tam in vita, quam post eius obitum fecit, pluresque homines vtriusque sexus à morte resuscitauit, cœcos illuminauit, & ab oculorum infirmitatibus liberauit, contractos, & protractos membris, & claudos erexit, paraliticos à membrorum impotentia sanauit, & à tremore capitis, & membrorum, dæmoniacos, captiuatos, incarceratos cum apparitionibus & reuelationibus liberauit, cadentes, & illisos à naufragiis, ac captiuitate personæ, à perditione bonorum à febribus, ab ethica, ab hydropisi, à podagra, à doloribus illorum, & stomachi, ac cordis, aliisque infirmitatibus liberauit, pristinæque sanitati restituit. Quæ omnia trecenta & vnum miracula, ad quorum probationem examinati fuerunt trecentiseptuaginta, & vnus testes, in Registris annotata coram nobis in publico Consistorio relata fuerunt. His itaque ac aliis miris operibus Sancti huius astruentibus sanctitatem, & Christianæ fidei veritatem, miraculorum lingua loquente, concurrit ad nos vndique populus, creuit de his fama, atque deuotio, laudatur Dominus, de salutiferis gratiis auctori gratiæ referuntur.

Miracula trecenta & vnum fecit. Ex his nota illud vnum quod recenset Sixt. V. cit. in rubr.

runtur. Inualuit super his vox communis, & celebris, & plurimorum vox exultationis, etiam Prælatorum nobis intonuit, & nostra auctoritate inquisitionem fieri super dictis obtinuit. Primum quidem Venerabili fratri Ioanni Episcopo Prænestino, & dilectis filiis nostris Ioanni tituli S. Laurentij in Lucina Presbytero, & Prospero S. Georgij ad Velum aureum Diacono Cardinalibus commisimus, vt veritatem præmissorum, & de miraculorum continuatione inquirerent diligenter, quorum relatione, etiam continuationis miraculorum probata veritas, nos & venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, & Sancti eiusdem vita mirabili miraculis, & meritis gloriosis instruxit.

His itaque Pontifex Sanctorum Confessorum Catalogo ascribit.

§. 12. Et quia plura, & maiora de Sancto ipso comperimus, quam insinuata fuissent, de Fratrum Prædicatorum consilio & assensu, plurimis Ecclesiæ Prælatis adstantibus, de omnipotentis Dei virtute, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra auctoritate confisi, eundem Beatum Nicolaum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.

Festumque pro die 10. Septembris instituit.

§. 13. Ideoque Vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quarto Idus Septembris, quo Sanctus ipse migrauit ad Dominum, festum eiusdem, deuote & solemniter celebretis, & faciatis ab omnibus veneratione condigna celebrari, vt pia eius intercessione, & hic à noxiis protegi, & in futurum sempiterna consequi gaudia valeatis.

Indulgentiasque eius sepulchrum visitantibus concedit.

§. 14. Et vt ad venerabile eius sepulchrum, eo ardentius Christi fidelium confluat multitudo, & celebrius eiusdem Confessoris colatur festiuitas, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui cum deuotione & reuerentia illuc in eodem festo accesserint annuatim ipsius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, septem annos, & totidem quadragenas, accedentibus vero annis singulis ad dictum sepulchrum, infra eiusdem festi octauam, duos annos, & duas quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Dat. P. A. 16. die 1. Feb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1447. Kalend. Februarij, Anno sextodecimo.

XXVIII. Declarationes & mitigationes Regulæ Sororum siue Monialium S. Claræ. Et earum suppositio Ordini Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia.

De d. Regula plene dixi sup ad constit. 12. Innoc. IV. Solet. Et alias declarationes inspice in Leon. X. constit. 9. Cum sicut, ac alias inf. in constitut. 103. Pij IV. Sedis.

Edita An. D. 1447.

EVGENIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Fratri Iacobo de Pramadinis, de Bononia, Ordin. Minor. professori de Obseruantia regulari, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium.

ORdinis tui præsertim familiarum in regulari obseruantia Domino famulantium, ob quorum Religionis sanctimoniam, & multiplicium virtutum dona, maximi in populo Christiano animarum fructus prodire cernuntur, curam gerentes solerter, illa libenter concedimus, per quæ earundem familiarum, etiam vtriusque sexus augmento conseruationique melius ac facilius consuli intelligimus.

Moniales S. Claræ, à Fratribus de Obseruantia regi postulabant.

§. 1. Sane cum post concordiam inter Filios Fratres, qui dicuntur Conuentuales, & vos, & alios, quibus de regulari Obseruantia est appellatio, vnius eiusdemque Minorum Ordinis secum factam, nos intendentes quod post dilectum filium Fratrem Ioannem de Capistrano, tui Ordinis de Obseruantia in partibus Cismontanis Vicarium, alter illius successor crearetur, eidem per literas Apostolicas commiserimus, quod vbi, & quando sibi placeret, ante sui officij finem Vicarios, & discretos prouinciarum sibi subiectarum pro alterius Vicarij electione, alias creatione, capitulariter congregaret, & facta huiusmodi Cōgregatione in Alma Vrbe, apud Aracœli locum tu in ea fueris canonice in Cismontanum Vicarium electus, nos electionem ipsam confirmauerimus, postmodumque dilectus filius Antonius de Rusconibus, Sacræ paginæ professor, Ordinis præfati Generalis Minister, te duxerit confirmandum, prout prædicta omnia constare per literas Apostolicas, & prædicti Generalis, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ad nostramque notitiam peruenerit, esse in tui Vicariatus partibus Cismontanis nonnulla Monasteria Sanctæ Claræ, quarum familiæ in obseruantia Regulari viuentes partim primi, partim secundi, partim tertij Ordinis, partim aliter appellatæ, sub tuo Vicariatu, & à te, tuisque successoribus, regi & gubernari, intensissimis dicuntur desideriis affectare.

Hoc illi Pontifex huius concedit.

§. 2. Nos qui certò tenemus, easdem mulierum monacharum, siue sororum familias, optimam & saluberrimam sub vobis gubernationem scilicet habere, & continue habituras felicia incrementa earundem mulierum Monacharum, siue Sororum appellatarum Monasteria, & loca, & familias, vbicumque intra tui Vicariatus terminos in regulari Obseruantia viuentes, tam præsentes, quam futuras, tuo, & tuorum Vicariatus Cismontani officio successorum curæ, gubernationi atque regimini auctoritate Apostolica præsentium tenore subiicimus, ac subiectas & suppositas esse volumus atque decernimus. Intendētes eadem auctoritate atque volentes, quod tu, & successores tui, per vos ipsos, & alios quos duxeritis substituendos, potestatem & facultatem habeatis, easdem Moniales atque Sorores, siue primi, siue secundi, siue tertij, aut alterius Ordinis S. Claræ, & B. Francisci, signanter collegialiter, & in communi viuentes, & earum Monasteria, atque loca, tam in capite, quam in membris visitandi, corrigendi, amouendi, deponendi, transferendi, & omnia alia & singula faciendi, quæ generalis Minister Ordinis vestri in eisdem Monasteriis & locis, de iure, & de consuetudine posse facere consueuit. Prouinciales autem Vicarij vobis subditi, eandem potestatem & facultatem habeant, quas Ministri Prouinciales, etiam de iure, vel de consuetudine habere consueuerunt.

Vocales in electione Abbatissæ, & votorum numerum declarat.

§. 3. Et vt supradictæ Moniales ac Sorores melius gubernentur, volumus, quod in electione & creatione Abbatissarum, Ministratum, & Matrum, illæ tantum ex ipsis Monialibus & Sororibus vocem habeant, quæ per annos tres, vel circa, in earundem Monasteriis vel Collegiis fuerint. In qua creatione & electione maior pars votorum ad minùs medietatem superans, debet conuenire. In omnibusque tertij Ordinis, Sororum & Monialium Collegiis, Fratres tui Ordinis de accessu, & ingressu se habeant, sicut obseruatur in Monasteriis S. Claræ. Si autem Visitatoribus earum, & Sororibus tertij Ordinis, quæ minime viuunt collegialiter, esset concessa à Sede Apostolica, aliqua facultas & auctoritas, nos ipsas præsentium tenore auctoritate Apostolica reuocantes, volumus quod tu, & tui in Vicariatus officio successores, huiusmodi Visitatores amouendi, & alios instituendi, auctoritatem & facultatem habeatis.

Regulam circa ieiunium modificat.

§. 4. Præterea, cum in Regula B. Claræ iubeatur ieiunium perpetuum, quod nimis rigorosum tenemus: placet, & volumus, quod supradictæ, & Tertij, & aliorum Ordinum Sorores solummodo teneantur ad illa ieiunia, ad quæ vos Fratres Ordinis Minorum Regulam obseruantes obligati estis, & eosdem modos seruent in cibis quadragesimali tempore, exceptis debilibus & infirmis. In aliis vero ieiuniis, vt sunt Quatuor Tempora, Vigiliæ Apostolorum & similium, seruetur consuetudo regionis, secundum quam, liceat eis etiam oua & lacticinia comedere.

Regulam eandem quoad calceamenta mitigat.

§. 5. Cum etiam in Monasteriis Sorores, siue Monachæ incedant nudis pedibus discalceatæ, quod nimis rigorosum existimamus, placet, & volumus, quod Sorores, siue Monachæ possint deferre illa, quę nomine calceamentorum non censentur, puta zoccos ligneos, & sandalia, atque etiam, cum opportunum fuerit, calceamenta.

§. 6. Item

Et quoad cibos.

§. 6. Item cum in aliquibus Monasteriis, locis, & Congregationibus iniungatur silētium perpetuum, quod quidem nimis rigorosum existit, tibi tuisque in officio successoribus, & prouinciarum vobis subiectarum Vicariis, cum Discretorum consilio dispensandi, tam in cibis, quam in quibuscumque aliis perpetuis, quam in silentio supradicto concedimus facultatem.

Ac praecepta.

§. 7. Insuper cum dilectus filius Frater Ioannes de Capistrano, tuus in Vicariatus officio praedecessor, declarauerit, quod in regula prima Beatae Clarae, continentur centum & tria praecepta regularia, in quorum transgressione Moniales, siue Sorores professae peccatum mortale incurrunt, idque nimis durum & scrupulosum iudicemus, auctoritate & tenore praesentium, declaramus, & volumus, quòd in nullius praedictorum transgressione, praeterquam eorum quatuor, quae concernunt principalia vota, obedientiae scilicet, paupertatis, castitatis, & clausurae, & super electione Abbatissae, & depositione, peccatum mortale incurrant.

Et ferculum.

§. 8. Item, cum quaedam praedictarum, Monasteria & loca in mendicitate viuant, placet & dispensamus, quòd in ferculo, siue cibis, sagina & lardo vti possint.

Quibuscunque non obstantibus.

§. 9. Constitutionibus Apostolicis & priuilegiis, immunitatibus, & gratiis, ac indultis omnibus & singulis supradictis Monasteriis, & locis, ac eorum Capellanis per Sedem Apostolicam, & aliter quomodocumque concessis, aliisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, decreti, intentionis, placiti, existimationis, concessionis, declarationis, voluntatis, & dispensationis infringere, &c.

Dat. P. A. 16. die 5. Feb.

Dat. Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1447. nonis Feb. Pont. nostri Anno sextodecimo.

XXIX. Absolutio eorum qui Congregationi Basileēsi adhęserunt post dissolutionem Concilij, & ad Summi Pontificis obediētiam redierunt. Prouisioque & declaratio circa collationes Ecclesiarum & beneficiorum.

Hanc sanctionem quoad collationes, &c. simpliciter confirmauit Nicol. V. die 10. Augusti 1447. cuius bullam non posui. Et certo modo postea approbauit in alia eius constit. 1. Ad sacram, quae mox sequitur.

Edita An. D. 1447.

EVGENIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

INter caetera desideria cordis nostri, filios quoslibet ad nostram, & Apostolicae Sedis obedientiam exoptantes adduci, illa temporum qualitate pensata aliquando concedimus, ordinamus, & statuimus, per quae Christi fidelium tranquillitati, & commodis, semotis dissensionibus & scandalis consulatur, & exinde animarum salutem valeant adipisci.

Quidam Praelati & Principes Nationis Germaniae ob dissensionē secutam tempore Concilij Basilea. neutrales fuerunt & mox obediētiam huic Pontifici praestiterunt.

§. 1. Sane cum propter dissensionem, inter Nos & eos qui Basileae sub nomine generalis Concilij remanserunt dudum exortam, nonnulli Principes tam Ecclesiastici, quam saeculares nationis Germaniae, in quadam neutralitate, & armorum suspensione à die decimaseptima mensis Martij, de Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo octauo, vsque in praesentem diem se tenuerint, ea mente, vt asserunt, vt postmodum vnanimi consensu, in nostra & Sedis Apostolicae obedientia, & reuerētia paribus gressibus incedere possent; & charissimus in Christo filius noster Fredericus Rex Romanorum Illustris, ac venerabilis frater noster Theodoricus Archiepiscopus Maguntinus, & dilectus filius noster vir Fredericus Marchio Brandeburgensis, sacri Imperij Electores, ac Venerabiles fratres nostri Fredericus Magdeburgensis, Fredericus Salcburgensis, & Gerardus Bremensis Archiepiscopi, ac quidam alij Praelati, & Principes dictae Nationis, nobis debitam obedientiam per suos Oratores praestiterunt, ac Nos solum in Vicarium IESV CHRISTI recognouerint, & professi fuerint.

Qui attendēs quod d. tēpore, plurima in d. Natione gesta fuerūt, quae Sedis Apostol. auctoritatem requirūt: ideo collationes & prouisiones beneficiorū, &c. auctoritate ordinaria factas, nunc Pōtificia auctoritate confirmat.

§. 2. Nos attentis, quod dictae neutralitatis, & suspensionis tempore, plurima, in ipsa natione acta, gesta, & facta fuerint quae confirmationem, indulgentiam, & dispensationem super eis Apostolicae auctoritatis requirunt, praedictorum Regis, Archiepiscoporum, Marchionis, caeterorumque Praelatorum, & principum supplicationibus inclinati, omnes & singulas, tam Metropolitanae, quam Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum, nec non dignitatum etiam Abbatialium, ac post Pontificalis maiorum, & in Collegiatis Ecclesiis principalium, & aliorum beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, etiamsi Ecclesiae curatae, Canonicatus & praebendae fuerint, electiones, postulationes, collationes, prouisiones, confirmationes, & dispositiones, necnon processus, sententias, aliaque acta iudiciaria, auctoritate ordinaria huiusmodi, suspensionis, & neutralitatis tempore factas, seu facta, quae omnia & singula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac ea rata & grata habentes, auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus.

Et eorum possessores non molestari praecipit.

§. 3. Volentes ac etiam statuentes; vt nulli, qui possessione Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum huiusmodi, quorumcumque eorundem, qui Basileae post translationem, & dissolutionem Basileensis Concilij ibidem remanserunt, auctoritate fuerint assecuti, super huiusmodi Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, beneficiis, & officiis, ac sententiis, & processibus, etiamsi in Romana Curia, vel extra eam lis (cuius statum praesentibus habemus pro expresso) indecisa pendeat, etiamsi super eis ad ea, aut contra ea fuerit alteri ius quaesitum, seu ius aliqui habere se praetenderent, ex tunc in antea in ipsa Curia, vel extra eam Apostolica, vel alia quavis auctoritate impeti, aut quomodolibet ex quavis ratione vel causa molestari possint, sed in suis possessionibus pacifice remaneant.

Lites desuper pendentes extinguit.

§. 4. Lites quoque & causas quascumque super huiusmodi Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, officiis, & beneficiis pendentes (illis dumtaxat exceptis quae coram Ordinariis Iudicibus, apud quos iuxta formam dictae suspensionis, & protestationis exinde secutae licuit ligare, indecisae pendent) ad nos aduocantes, auctoritate & scientia praedictis extinguimus, & super eis, aduersariis eorum, perpetuū silentium imponimus; possessores verò ipsos volumus in suis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, officiis, & beneficiis pacifice remanere.

Quinimò easdem Ecclesias & beneficia eisdem denuo confert.

§. 5. Quibus omnibus ipsas Ecclesias, Monasteria, dignitates, officia, & beneficia quocumque modo vacauerint, auctoritate & scientia praefatis tenore praesentium conferimus, & prouidemus de eisdem, ac illis qui pallium dictorum qui Basileae post nostram translationem sub nomine generalis Concilij remanserunt, auctoritate receperunt, vt illo vti possint praesentibus concedimus & indulgemus; illis autem qui non habent, vel non receperunt, sine difficultate dabimus, ac etiam libere concedemus, illis tantum personis exceptis, quae occasione priuationum propter nostram, aut Basileensem adhaesionem factarum, beneficia detinent, in quibus habent locum prouisio, & dispositio super his, quae contra protestationem facta forent, per praedictos Regem, & Electores Imperij coniunctim, vel diuisim promulgata.

Sed contēdentib. super Ecclesiis Fisnig. & Osilien. nō ex hoc praeiudicare declarat.

§. 6. Per hoc autem nulli contendentium super titulo & iuribus Ecclesiarum Fisnigen. & Osilien. volumus aliquod praeiudicium afferri, aut generari, sed libetum sit, vnicuique eorum, ius suum prosequi iustitia mediante.

Alia tempore suspēsionis in praeiudicium iurisdictionis Metropolit. & Dioecesan. Terrarum Regis, &c. reuocat & irritat.

§. 7. Praeterea omnia & singula, quae dictis suspensione & protestatione durantibus, in praeiudicium, grauamen, & laesionem iurisdictionis, iuris vel possessionis Metropolitan. vel Dioecesan. Principatuum, Dominorum, Terrarum Regis, & Electorum, ac Archiepiscoporum praedictorum, necnon aliorum Episcoporum, Praelatorum, Collegiorum, personarum seu rerum quorumcumque contra foedus protestationis, & suspensionis huiusmodi quandocumque vergentia, Apostolica vel alia quavis auctoritate cōcessa, ac in iudicio vel extra obtēta,

insuper Ecclesiasticas censuras mulctas, & pœnas, necnon cuiuscomque irregularitatis, & inhabilitatis maculas, tam à iure quam ab homine propter præmissa quomodolibet promulgatas, seu inflictas, promulgandas quoque seu infligendas, quoad Regem, Archiepiscopos, & Marchionem prædictus, eorumque Dominia, Clericos subditos, & vassallos: ac ad eos, quoque, qui infra sex menses à die datæ præsentium computandos, se declarauerint pro Nobis aut eidem declarationi adhæserint, cassamus, irritamus, & annullamus, nolliusque esse decernimus roboris vel momenti, omnem irregularitatem, & infamiæ maculam, siue notam per eos præmissorum occasione contractam penitus absoluentes, ac eos rehabilitantes, & restituentes ad eorum Ecclesiarum, Monasteria, beneficia, ufficia, dignitates, ac honores quæcumque, ac in pristinum statum, & eum in quo erant ante præmissa reponentes, necnon illis, qui contra ipsos impetratis, concessis, vel obtentis, seu impetrandis, concedendis, & obtinendis quomodolibet niterentur, etiamsi eis aut eorum alicui ius quæsitum foret, ex certa scientia de potestatis plenitudine perpetuum silentium imponentes.

Obligationes circa annatas Cameræ Apost. debitas, &c. relaxat.

§. 8. Insuper quascumque obligationes super annatis, seu communibus, & minutis seruitiis, cæterisque iuribus, nobis, & Cameræ Apostolicæ, seu Collegio Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, cæterisque officialibus debitis, seu quæ deberi dicerentur, occasione quorumlibet Metropolitan. & Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum quorumcumque vsque in præsentem diem remittimus, de nostra mera liberalitate relaxamus pariter, & donamus, eosque qui huiusmodi debitis obligati essent ab omni eorum solutione absoluimus, & etiam liberamus.

Dispensationes & indulta (exceptis hic expressis) à Pontifice, &c. concessa, confirmat.

§. 9. Dispensationes propterea quascumque (nisi tales forent quas hactenus Sedes Apostolica concedere non consueuit) indulta quoque forum conscientiæ respicientia, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, necnon nouas prouisiones pro possessoribus, sine præiudicio iuris quæsiti ipsa suspensione durante, vel etiam ante, à nobis vel ab eis, qui Basileæ sub nomine Concilij remanserint, aut Legatorum suorum, vel alia quavis auctoritate obtentas, impetratas, concessas, seu concessa, ac omnia inde secuta, à die datæ concessionis eorundem eadem auctoritate confirmamus, perinde ac si à nobis impetratæ fuissent.

Circa sententias Romæ, vel Basileæ prolatas, prouidet vt hic.

§. 10. Super sententiis autem in Romana Curia, vel in Basilea, sub nomine generalis Concilij ante ipsam suspensionem, vel ea durante, in quibus vterque litigantium ex ordinario titulo nititur se defendi prolatis, quæ exequutioni nondum sunt demandatæ, volumus, statuimus, & ordinamus, quod huiusmodi sententiæ coram Iudice tractentur, & quicquid vtraque pars vellet producere pro iure suo, coram eo debeat exhibere, qui quidem Iudex summarie, simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta procedens negotium ipsum vnica valeat terminare sententia, à qua nulli partium appellare liceat, aut prouocare, vel restitutionem aliquam obtinere. Per hoc autem nullatenus præiudicare intendimus eis, qui possessionem dignitatum, etiam Metropolitan. Cathedralium, & Abbatialium, seu beneficiorum quorumcunque, ordinaria, vel alia auctoritate sub eadem Nation. obtinen. durante neutralitate, vel suspensione prædictis vigore processuum in Romana Curia, vel in Basilea, sub nomine generalis Concilij obtentorum, aut alias violenter fuerint spoliati. Sed tam spolia, quam iura eorum denuo coram Iudicibus ordinariis cognoscantur, & fine debito terminentur.

Omnes qui Congregationi Basileen. adhæserunt post Concilij dissolutionem ab omnibus censuris & pœnis absoluit, si ad Pontificis obedientiam redierint.

§. 11. Insuper omnes & singulas prædictæ nationis, aut alterius in ea, beneficia vel officia obtinentes personas Ecclesiasticas & sæculares, etiamsi Regalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, vel alterius dignitatis fuerint, quæ post dissolutionem, siue translationem prædicti Concilij per nos factam, Congregationi Basileensi sub nomine generalis Concilij adhæserunt, & obedinerunt, aut incorporati fuerunt, qui iam ad nostram obedientiam sunt reuersi, vel infra sex menses post declarationem pro nobis factam redierint, seu ipsi declarationi adhæserint, ab omnibus & singulis iuramentis, periurij reatu, ac aliis censuris & pœnis (si qui tenerentur, aut incurrissent) inflictis, & in tales promulgatis, aut propterea infligendis, auctoritate prædicta absoluimus, & liberamus, ac omnem inhabilitatis, irregularitatis, & infamiæ maculam, siue notam, ea inde quomodulibet forsan contractam, abolemus, & in pristinum statum restituimus & reponimus, perinde ac si talia minime emanassent. Præterea omnes, & singulas personas nationis prædictæ, siue alterius in eadem beneficia, siue officia, sicut præmissum est, obtinentes quæ sub declaratione huiusmodi pro nobis facta, vel facienda continebantur, quæ post huiusmodi Concilij translationem, Basileæ remanserunt, aut ipsi Congregationi adhæserunt, & fauerunt, officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione ab eis missi sunt quandocumque, aut eis crediderunt, ab omnibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque censuris & pœnis in ea, vel per processus nostros, aut aliis inflictis & promulgatis absoluimus; Cum iis quibidem, seu à prouisis ab ipsis, aut eorum auctoritate Sacros Ordines dicto tempore receperunt, vt in susceptis ordinibus ministrare valeant dispensantes. Volumus insuper quod singuli Metropolitani Nationis eiusdem, actu iam nobis obedientes, vel qui infra sex menses, vt præfertur nobis & Apostolicæ Sedi debitam obedientiam præbuerint, consimiles bullas seu literas Apostolicas habeant, super quibus petentibus quibuscumque, quatenus opus fuerit, sub eorum sigillis, transumpta concedere valeant, eisque in iudicio, & extra plena fides, sicut originalibus literis per omnia præbeatur. Super Ecclesias autem Treuirensem & Coloniensem, de quibus in petitionibus Regis, Archiepiscopi Maguntini, & Marchionis prædictorum specialis est appositus articulus, per alias nostras literas desuper editas specialiter prouidimus, prout in eis plenius continetur.

Prædicta omnia obseruanda pollicetur.

§. 12. Vt autem præmissa eo firmius obseruentur pro nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu pollicemur, omnia & singula supradicta inuiolabiliter obseruare, & contra ea vel ipsorum aliquod, in toto vel in parte, nullo vnquam tempore quicquam innouare, & quod nobis licere non patimur, eisdem successoribus indicamus. Decernentes ea nunc irritum, & inane, si secus super his, à quoquam, quavis etiam Apostolica auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quinimo si aduersus præmissa literæ aliquæ, aut mandata ad cuiuscumque instantiam, vel etiam ipsi motu proprio vel ex certa scientia, etiam cum derogatoriis clausulis, sub quacumque verborum forma à nobis, seu nostra auctoritate, aut ab alio quovis emanassent, seu in futurum emanarunt, tales ea nunc pro infectis haberi volumus, quodque is contra quem emanassent, aut concessæ fuissent, aut emanarent, & in futurum concederentur, illis minime obedire teneatur.

Contraria derogat.

§. 13. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus Apostolicis, & etiam cum decreto irritanti quorumcumque tenorum existant, in genere vel in specie, per nos seu prædecessores nostros concessis, seu concedendis, priuilegiis vel indultis, de quibus ac totis tenoribus, eorum specialis & expressa, etiam de verbo ad verbum mentio in nostris literis foret facienda, necnon quarumcumque Ecclesiarum statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo hanc paginam nostræ, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

D. P. die 16. die 7. Feb.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, 7. Idus Februarij, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

Approbatio Concilij Niceni.

§. 16. Amplectitur autem, approbat, & suscipit sanctam Nicænam Synodum trecentorum decem & octo Patrum, temporibus beatissimi Sylvestri prædecessoris nostri, & magni Constantini piissimi Principis congregatam, in qua impia hæresis Arriana cum suo auctore damnata est, & definitum est, Filium Dei, Patri esse consubstantialem, & coæternum.

Concilij Constantinopolitani.

§. 17. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit, sanctam Constantinopolitanam Synodum centum quinquaginta Patrum, beatissimi Damasi prædecessoris nostri, & Theodosij senioris tempore conuocatam, quæ ipsum Macedonij anathematizauit errorem, qui Spiritum sanctum, non Deum, sed creaturam asserebat, quod damnant, damnat, quod approbant, approbat, & per omnia vult ibidem definita, illæsa & inuiolata sustinere.

Concilij Ephesini.

§. 18. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit, sanctam primam Ephesinam Synodum ducentorum Patrum, quæ tertia est in ordine vniuersalium Synodorum, sub beatissimo Cœlestino prædecessore nostro, & Theodosio minore conuocatam, in qua impij Nestorij est damnata blasphemia, definitumque est Domini nostri IESV CHRISTI veri Dei, & veri hominis vnam esse personam, & B. MARIAM semper Virginem non solum Christotocon, sed etiam Theotocon, hoc est, non tantum hominis, sed Dei genitricem, ab omni Ecclesia prædicandam.

Damnatio secunda Synodi Ephesina.

§. 19. Damnat autem, anathematizat, & respuit impiam secundam Ephesinam Synodum sub beatissimo Leone prædecessore nostro, & præfato Principe congregatam, in qua Dioscorus Alexandrinus Antistes, Eutychis hæresiarchæ defensor, & S. Flauiani Constantinopolitani Pontificis impius persequutor, execrandam illam Synodum ad approbationem Eutychianæ impietatis, arte & minis attraxit.

Conc. Approbatio Chalcedonensis. Illud Conc. approbauit Leo I. in cōst. 1. fol. 1.

§. 20. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam Chalcedonensem Synodum quartam in ordine vniuersalium Synodorum, sexcentorum & triginta Patrum, temporibus præfati beatissimi Leonis prædecessoris nostri, & Marciani Principis celebratam, in qua hæresis Eutychiana cum suo auctore Eutyche, & Dioscoro defensore, damnata est, & definitum est, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM esse vere Deum, & verum hominem, & in vna eademque persona, diuinam humanamque naturas, integras, inuiolatas, incorruptas, inconfusas, distinctasque mansisse humanitate agente, quæ hominis sunt, & Deitate, quæ Dei, quos damnat, damnatos habet, quos approbat, approbatos.

Concilijque secundi Constantinopolitani.

§. 21. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam quintam Synodum, secundam Constantinopolitanam tempore beatissimi Vigilij prædecessoris nostri, & Iustiniani principis celebratam, in qua sacri Chalcedonensis Concilij definitio, de duabus naturis, & vna persona Christi, renouata est, multique Origenis errores, suorumque sequacium, præsertim de dæmonum aliorumque damnatorum pœnitentia, & liberatione, reprobati atque damnati sunt.

Concilij etiā tertij Constantinopolitani.

§. 22. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam Synodum centum, & quinquaginta Patrum, quæ sexta est in ordine vniuersalium Synodorum, temporibus beatissimi Agathonis prædecessoris nostri, & Constantini Quarti huius nominis Principis congregatam, in qua Macharij Antiocheni, & sectatorum hæresis condemnata est, & definitum est, in Domino nostro IESV CHRISTO, duas esse perfectas, integrasque naturas, & duas operationes, duas etiam voluntates, licèt esset vna eademque persona, cui vtriusque naturæ competerent actiones, Deitate agente, quæ Dei sunt, & humanitate, quæ hominis sunt.

Ac Florentini & aliorum Conciliorum auctoritate Rom. Pont. actorum & confirmatorum.

§. 23. Amplectitur etiam, veneratur, & suscipit, omnes alias vniuersales Synodos auctoritate Rom. Pontificis legitime congregatas, ac celebratas, & confirmatas, & præsertim hanc sanctam Florentinam, in qua inter alia Græcorum, & Armenorum sanctissima vnio consummata est, & multæ circa vtramque vnionem salubertimæ definitiones editæ sunt, prout in decretis desuper promulgatis plenius continetur; quorum tenor in hunc modum sequitur.

Omittitur insertio bullarum tam vnionis Græcorum, quam Armenorum, quia sunt sup. in locis cit. in rub.

Explicatio formæ qua vtitur S. R. E. in consecratione Corporis & Sanguinis Domini.

§. 24. Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione Corporis, & Sanguinis Domini, sacrosancta Romana Ecclesia Apostolorum doctrina, & auctoritate firmata, semper vti consueuerat, illam præsentibus duximus inserendam. In consecratione Corporis Domini, hac vtitur forma verborum. Hoc est enim Corpus meum. Sanguinis verò. Hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Qualitasque panis.

§. 25. Panis verò triticeus, in quo sacramentum conficitur, an eo die, an antea decoctus sit, nihil omnino refert, dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post præfata verba consecrationis Corporis à sacerdote, cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Christi corpus transubstantietur.

Et nuptiarum multiplicatus.

§. 26. Quoniam nonnullos asserunt quartas nuptias tanquam condemnatas respuere, ne peccatum vbi non est esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro, mulier sit ab eius lege soluta, & nubendi cui vult in Domino habet facultatem, nec distinguat mortuo primo, secundo, vel tertio, declaramus non solum secundas, sed tertias, & quartas, atque vlteriores, si aliquod impedimentum canonicum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si vlterius à coniugio abstinentes, in castitate permanserint, quia sicut virginitatem viduitati, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito præferendam esse censemus.

Acceptatio prædictorum pro parte Iacobinorum.

§. 27. His omnibus explicatis, prædictus Andreas Abbas nomine dicti Patriarchæ, ac proprio, & omnium Iacobinorum, hoc saluberrimum Synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipsa descriptam, necnon quicquid tenet, & docet sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione, & reuerentia suscipit, & acceptat. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipse reuerenter suscipit: Quascumque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, & damnat, ipse pro reprobatis, & damnatis habet, profitens tanquam verus obedientiæ filius, nomine quo supra, Sedis Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus, fideliter & semper obtemperare.

Tenor d. acceptationis.

§. 28. Lecto solemniter in præsenti Synodo hoc decreto Latino sermone, mox in Arabico, præfatus Andreas Abbas, ipsorum Iacobinorum decretum publice ibidem perlegit, atque infrascripta verba in scriptis Arabice subiunxit, quæ incontinenti Latine recitata sunt. Beatissime Pater, Domine Eugeni, Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ summe Pontifex, vereque Christi Vicarie, ac beati Petri successor, & sanctissima vniuersalis Florentina Synodus, totum hoc sanctum decretum cum insertis, & sanctis decretis vnionis Græcorum, & Armenorum, quod nunc in vestra præsentia publice lectum est, Ego Andreas humilis Abbas S. Antonij, Orator reuerendi patris domini Ioannis Patriarchæ Iacobinorum, habens ipsius decreti per plures dies plenam notitiam, & instructionem, cognosco confiteorque omnia in ipso decreto contenta diuinæ, ac Catholicæ veritati consona existere. Nomine igitur præfati domini Patriarchæ omniumque Iacobinorum, ac meo, quemadmodum vestra Sanctitas attestatur, præfatum saluberrimum Synodale decretum, cum dictis insertis decretis, omnibusque suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet, & docet sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione, & reuerentia suscipio, & accepto. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, reuerenter suscipio. Quascumque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, & damnat, pro reprobatis, & damnatis habeo, pollicens nomine quo supra, ipsum Patriarcham, Iacobinosque, & me ipsum, tanquam veræ obedientiæ filios, vestris ac Sedis Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus, fideliter, & semper obtemperaturos.

D. P. An. 11. die 4 Feb.

Datum Florentiæ, in publica sessione Synodali, solemniter in Ecclesia Domus S. Mariæ Nouellæ, apud quam

nunc

nunc residemus celebrata Anno Incarnationis Dominicæ 1441. pridie Nonas Feb. Pontif. nostri Anno 11.

XXIV. Exemptio Canonicorum sæcularium Congregationis S. Georgij in Alga Venetiarum, à solutione Decimarum, impositionum, & onerum quorumcumque.

Alia priuilegia cuiuscumque alterius Ordinis, eidem Congregationi elargita fuerunt à Pio V. inf. in const. 92. Ex incumbenti.

De institutione huius Congregationis, & aliis eam concernentibus, notaui sup. in const. 1. Greg. XII. Illis.

Edita A. D. 1441.

E V G E N I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. QVanquam ex debito Summi Pontificatus officij nobis ex alto commissi, circa Ecclesiarum, ac Ecclesiasticorum locorum, & personarum omnium commoda, & vtilitates non decet intentos existere, illas tamen, & eisdem personis, quæ piæ, & castæ vitæ studio intendentes, mundanis abiectis illecebris in humilitatis spiritu, deuotum, & sedulum exhibent Altissimo famulatum, tanto propensioribus fauoribus prosequimur, quanto ipsarum personarum vita laudabili atque moribus debite compensatis id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa concessionis huius exemptionis. §. 1. Cum itaque sicut nobis innotuit, dilecti filij Canonici de Collegio, siue Congregatione S. Georgij in Alga de Venetiis Castellanensis diœcesis, à multis citra temporibus plures Ecclesias, atque loca Ecclesiastica in diuersis ciuitatibus, terris, atque locis partium Italiæ consistentia, in quibus etiam pie, & caste, & in communi degentes, Missasque & alias horas canonicas, nocturnas atque diurnas diebus singulis celebrantes interim permanserunt, provt, & in copioso numero præsentialiter permanent in spiritualibus, & temporalibus, ad laudem, & gloriam diuini nominis sacrique cultus, & populorum deuotionis augmentum multipliciter reformauerint, ac propterea, necnon ex eorum multiplicatis virtutibus, plurimi fructus etiam ad salutem animarum plurium fidelium partium earundem hactenus prouenerint, & quotidie proueniant, & alias ipsi omnibus, & singulis Deo deuotis personis ad eorum Ecclesias, atque loca prædicta de alienis partibus, seu locis pro tempore applicantibus, hospitio suscipere consueuerunt, & ad id iuxta eorum statuta specialiter intenti existant, ac ad hoc, necnon ad alia eis, & ipsorum Ecclesiis, atque locis prædictis, quæ vnum corpus existunt pro tempore incumbentia expensarum onera Ecclesiarum, atque locorum huiusmodi vix suppetant, quandoque non sufficiant facultates.

Exemptio à solutione decimarum, & quorumcumque onerum & impositionum. Alias similes idem Pontif. concessiones fecit quas vti minus necessarias prætermisi. §. 2. Nos præmissa debite compensantes, ac attendentes quod præfati Canonici, & in vitæ continentia, ac sanctimonia, aliisque pluribus, & diuersis virtutibus, ac fructuosis operibus in dies multiplicant, & fidelibus, partium in quibus pro tempore moram trahunt, castitatis, humilitatis, atque multiplicis virtutis exemplum fore noscuntur, necnon propterea, eis, & statui ipsorum, ne ob facultatum carentiam minuatur, sed vt sublatis ab ipsis dispendiis aliisque extraordinariis oneribus quibuslibet, in numero operibus, & virtutibus supradictis augeantur, quantum cum Deo possumus prouidere volentes, motu proprio non ad dictorum Canonicorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, vniuersis Canonicis de Collegio, siue de Congregatione huiusmodi, qui nunc sunt, & de cætero perpetuis futuris temporibus erunt, necnon eorum Ecclesias, domus, atque loca, præsentia, & futura, ac etiam possessiones, domus, res, census, iura, atque bona ad Canonicos, & ipsorum Ecclesias atque loca prædicta nunc, & in posterum spectantia, omnia, & singula vbicumque consistentia, quorum qualitates, loca, vocabula, confines, ac fructuum, reddituum, & prouentuum annuos, aliosque eorundem veros valores præsentibus haberi volumus pro expressis, necnon quoscumque colonos, & laboratores, super possessionibus, & bonis ipsis pro tempore commorantes, cæterosque quod ad hoc ipsorum Canonicorum præsentium, & futurorum procuratores, negotiorum gestores, affictuarios, & pensionarios, in quantum Ecclesias, domus, loca, res, census, iura, atque bona contingunt, ab omnibus, & singulis datiis, impositionibus, subsidiis, etiam charitatiuis, ac decimis, aliisque oneribus, contributionibus, & exactionibus quibuscumque nominibus nuncupentur per nos, vel Sedem Apostolicam, aut Legatorum eius seu nostra vel dictæ Sedis auctoritate, aut per locorum Ordinarios seu eorum Cleros, vel eorum aliquem, seu aliquos, aut alias quomodolibet, ex quibusvis causis, etiam legitimis, & rationabilibus, impositis hactenus, & in posterum imponendis, ac ab illorum, & cuiuslibet ipsorum persolutionibus, auctoritate Apostolica ex certa scientia, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ perpetuo eximimus & totaliter liberamus, ac prorsus, & omnino liberas, & exempta perpetuo esse decernimus, & declaramus.

Clausula de priuilegij præseruatione. §. 3. Volentes etiam, ac scientia, & auctoritate prædictis statuentes, & concedentes, quod nulla per nos, vel Sedem prædictam in genere, vel in specie, sub quibusvis formis, aut verborum expressionibus, necnon decretis irritantibus, & cum quibuscunque etiam clausularum indiuidualium, & quod illis nisi sub certa forma minime derogetur, neque derogatum fuisse censeatur, vim & effectum habentium, ac huiusmodi formæ, siue illa seruata fuerint, siue non, prohibitoriis, aut alias effectui præsentium præiudicialibus clausulis, concessa hactenus, vel in posterum concedenda, literæ, priuilegia, & indulta etiam contra exemptas personas, Ecclesias, loca, atque bona quæcumque se extendentia, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent huiusmodi præsentibus, etiam haberi volumus pro expressis, nisi in illis tenor eorundem præsentium de verbo ad verbum insertus, ac de nominibus, & cognominibus Ecclesiarum, & locorum prædictorum specialis, & expressa mentio facta fuerit exemptioni, & liberationi, necnon decreto, & declarationi nostris huiusmodi aliqualiter præiudicare possint, seu debeant. Quinimo huiusmodi præsentes literæ ac contenta in eisdem plenariam roboris firmitatem obtineant, ac exemptio, & liberatio nostræ prædictæ plenarie, & effectualiter ubsetuentur perinde in omnibus, & per omnia, ac si nunc aliæ literæ, priuilegia, ac indulta prædicta nullatenus emanassent, quibus ex nunc provt ex tunc, quoad hoc specialiter derogamus, illis alias in suo robore permansuris.

Inhibitio contra quoscumque exactores, aliosque officiales. §. 4. Et nihilominus omnibus, & singulis ciuitatum, terrarum, castrorum, atque locorum quorumlibet dominiis, dominis, communitatibus, eorumque & aliis quibusvis officialibus, præsentibus, & futuris, cęterisque personis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, cuiuscumque gradus, status, vel conditionis existant etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Abbatiali, aut alia quavis Ecclesiastica, seu mundana dignitate præfulgeant, auctoritate Apostolica supradicta harum serie monemus, mandamus pariter & inhibemus de cætero, ne vllo vnquam tempore per se, vel alium, seu alios, quovis quæsito colore, directè, vel indirectè, contra exemptionem, liberationem, decretum, declarationem, ac tenorem præsentium huiusmodi, in toto, vel in parte, venire, facere, aut aliquid attentare audeant, vel præsumant. Alioquin in illos ex eis, qui à die sibi de præmissis factæ notitiæ infra tres dies immediate sequentes, monitioni, seu inhibitioni huiusmodi pro tempore non paruerint, ex nunc provt ex tunc excommunicationis sententiam harum serie proferimus, & promulgamus, à qua à nullo alio, præterquam à Romano Pontifice, absolutionis beneficium nequeant obtinere nisi in mortis articulo constituti.

Clausula derogatoria. §. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Dominiis, Dominis, Communitatibus, Officialibus, & personis prædictis, vel quibusvis aliis communiter vel diuisim, ab eadem Sede indultum existat, quod interdici, suspēdi, vel excommunicari non possint,

per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D.P. An. 12. die 7. Iunij. Dat. Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1442. septimo Idus Iunij, Pont. nostri Anno 12.

XXV. Separatio Fratrum Eremitarum S. Augustini regularis Obseruantiæ Congregationis Ilicetanæ, & illi vnitorum, à superioritate Prælatorum, non tamen Prioris generalis totius Ordinis. Ac clargitio quarundam gratiarum, & indultorum.

Huius Prioris facultatem circa visitationem d. Congregationis, declarauit Clem. VIII. in eius const. 117. Ex iniuncto.

Alia de toto Ordine Eremitarum scripsi in const. 6. Alexand. IV. Licet.

Edita An. D. 1443. **EVGENIVS EPISCOPVS,** *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. Regimini vniuersalis Ecclesiæ quanquam immerito disponente Domino præsidentes, curis perurgemur assiduis, & iuxta creditæ nobis dispensationis officium circa subditorum quorumlibet, præsertim sub regulari obseruantia studio vacantium piæ vitæ, in quorum vbique prosperitate reficimur, statum salubrem, & prospere dirigendum sollicitudinis officio intendimus, & iis qui ad laudem, & gloriam diuini nominis, sacrique cultus augmentum, necnon Religionis propagationem illius profutura cognoscimus, opem, & operam quantum cum Deo possumus impendimus efficaces, vt per nostræ operationis ministerium, & Apostolici fauoris præsidium personæ huiusmodi, earumque Monasteria, & loca singulis ab eis sublatis dispendiis prosperis gratulentur euentibus, & in spiritualibus, & temporalibus felicia conspiciant incrementa.

Generales Ordinis ab aliorum Prælatorum obedientia exemerunt istam Congr. §. 1. Dudum siquidem nonnulli Generales Priores Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Priorem, & Fratres, præsentes, & futures domos S. Saluatoris Siluæ Lacus dicti Ordinis Senensis dioc. sub regulari obseruantia eiusdem Ordinis degentes, & cuiuslibet ab ipso generale Priore, inferioris obedientia iurisdictione, & correctione eximentes, illas sub protectione sua assumpserunt.

Dederuntque ei licentiam Capitula congregandi, eiusque Præsidentem eligendi. §. 2. Et quod dicti Fratres, singulis trienniis, singula generalia Capitula in mense Maij in vna ex domibus ipsorum ad id per eorum Vicarium generalem deputanda celebrare, ac in huiusmodi Capitulis vnum Præsidentem tunc celebrandi Capituli, cuius officium tantum triduo duret, & in cuius manibus antiquus Vicarius officiũ Vicariatus Fratribus S. Saluatoris resignare teneretur, & à quo ipse Vicarius ab huiusmodi officio absolui deberet, quodque eundem Vicarium pro delictis per eum commissis si puniẽdus foret punire, necnon electionem noui Vicarij pro tempore canonice celebratam confirmare deberet primo.

Et Vicarium gen. cuius esset regimen d. Congregat. §. 3. Et deinde vnum ex ipsis in ipsorum omnium, & singularum domorum Societatis Fratrum eorundem generalem Vicarium eligere possent, quodque in Vicarium electus huiusmodi per dictum Præsidentem confirmaretur, & postquam confirmatus fuisset, omnes & singulos Fratres societatis huiusmodi easdem, ac prorsus similes iurisdictionem, & potestatem, quam in illos dictus generalis Prior habet, & exercere potest, habere, & exercere, ac quoties opus foret, omnes & singulos Priores domorum eiusdem Societatis Priorem ipsius domus S. Saluatoris, quem per Fratres eiusdem domus S. Saluatoris illos, videlicet, qui in Capitulo vocem habent eligi, & eius electionis confirmationem ad dictum Vicarium pertinentem, & quem Priorem singulis annis eligi, vel de nouo confirmare voluerunt, duntaxat excepto quoties opus foret instituere valeret, necnon ipse Vicarius si eisdem fratribus S. Saluatoris videbitur, dummodo annis singulis officiũ Prioratus huiusmodi resignet eligi posset.

Aliaque Ordinis indulta ei d. Congregationi concesserunt. §. 4. Nonnulla quoque alia diuersa, assignationes, concessiones, licentias, gratias, & indulta concesserunt, quorum aliqua per generalia ipsius Ordinis Capitula, quædam verò auctoritate Apostolica confirmata fuerunt, Priori domus S. Saluatoris, & Fratribus Societatis huiusmodi in perpetuum successiue concesserunt, prout in Apostolicis, & diuersis eorundem generalium Priorum literis dicti Ordinis sigillo munitis, de quibus nobis legitime constitit, & quas inspici, & examinari fecimus diligenter, quorumque omnium tenores de verbo ad verbum præsentibus pro insertis haberi volumus, plenius continetur.

Ista Congregatio aucta est, & in regulari obseruantia multum profecit. §. 5. Cum autem sicut accepimus, tam S. Saluatoris prædicti, quæ in exemptionis, assignationum, concessionum, licentiarum, gratiarum, & indultorum eorundem possessione existunt, quam S. Leonardi, & S. Mariæ de Monte Specchio, necnon S. Antonij supra Balneum Petrioli domorum dicti Ordinis, & prædictæ, ac Grossetanæ diœc. Priores, & Fratres, mundanis spretis oblectationibus iuxta salutaria prædicti Ordinis instituta in huiusmodi obseruantia exemplariter viuentes, variis, & diuersis hactenus multiplicauerint sub charitatis, & ipsius obseruantiæ vnionem virturum Domino iugiter famulando ad diuini nominis laudem, & singulare, & præcipuum salutis plurimorum exemplum.

Hic ideo Pont. hæc omnia approbat. §. 6. Nos qui iniuncto nobis, licet immeritis Apostolicæ seruitutis officio sinceris desideramus affectibus, & per nostræ operationis ministerium singula religionum loca eorum personis, cum exultatione spiritus sub debito professionis obsequio culmina meritorum scandentibus votiua, in spiritualibus, & temporalibus suscipiunt incrementa directioni, statui, & conseruationi Fratrum societatis huiusmodi prouidere volentes, ac sperantes, quod eorum vita laudabili, & fructuosis operibus prædictis, necnon aliæ eis forsan de cætero concedendas demus in eisdem spiritualibus, & temporalibus, prosperos atque felices successus dante Domino consequantur, vt ipsi Priores, & Fratres eo feruentius diuinis beneplacitis se coaptent, quo se per Nos, & Sedem Apostolicam specialibus fauoribus, & gratiis communitos fore conspexerint, eorundem Prioris, & Fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium exemptiones, assignationes, concessiones, gratias, & indulta prædicta ac omnia, & singula in prædictis literis contenta, & inde sequuta, cum infrascriptis tamen additionibus, & moderationibus approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplemus quoque omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdẽ.

Dictamque Congregationem regiminĩ d. Vicarij committit. §. 7. Et nihilominus etiam pro potioris cautelæ suffragio, omnes, & singulos in S. Saluarotis, S. Leonardi, B. Mariæ, & S. Antonij domibus prædictis pro tempore degentes, Priores, & Fratres, ac domos ipsas, illorumque possessiones, iura, & bona, mobilia, & immobilia quælibet ab omnibus dominio, potestate, superioritate, aliena iurisdictione prouincialis Prouinciæ, in qua domus prædictæ consistunt, & aliorum dicti Ordinis Fratrum quibuscumque ipsius Ordinis, dignitatibus, vel officiis fungentium, præsentium, & futurorum, generali prædicti Ordinis Priore dumtaxat excepto, perpetuo eximimus, & penitus liberamus, necnon sub cura, regimine, gubernatione, & correctione Vicarij generalis per eos pro tempore eligendi submittimus, pariter & subiicimus.

Capitulum congregandi, & eius Præsidentem eligẽdi facultatem tribuit. §. 8. Ac quod omnes, & singuli Fratres domorum prædictarum in aliqua ex eisdem domibus ad hoc per Vicarium huiusmodi deputanda, singulis trienniis, vel alias quando, & quoties negotiorum personarum, locorum, & temporum qualitate pensatas Vicario, & Visitatoribus Fratrum dictæ Societatis pro temprore existentibus opportunum fore videbitur, seruatis alias solemnitatibus, & cæremoniis in generalibus Capitulis Fratrum dicti Ordinis seruari solitis, generalia Capitula Fratrum ipsius Societatis, ad quæ dictus Vicarius, & singuli Priores domorum earundem ad minus si fieri poterit, cum singulis Definitoribus, illoque personaliter accedere sint adstricti celebrare, & in huiusmodi Capitulis, quamprimum inibi Fratres vocales congregati fuerint, vnum

vnum in Præsidentem tunc calebrandi Capituli, cuius officium tantum triduo duret, in ciusque manibus antiquus Vicarius officium Vicariatus libere resignet, & à quo ipse Vicarius ab huiusmodi officio absoluatur, quique electionem noui Vicarij canonice celebratā insimul cum Visitatoribus dictæ Societatis confirmare posset, & deinde aliquos Visitatores, ac subsequenter vnum ea eis in ipsorum, ac omnium, & singularum domorum prædictarum generalem Vicarium, de cuius vita, & prudentia, & per eum in officio Vicariatus huiusmodi in sequenti Capitulo postquam à dicto officio fuerit absolums alias iuxta Constitutiones Ordinis antedicti inquiratur, & examinetur, necnon per dictum Præsidentem si puniendus fuerit, puniatur, absoluatur, & per Capitulum Societatis huiusmodi reeligatur, ac confirmetur, in omnibus & per omnia quemadmodum alias in generalibus Capitulis Fratrum dicti Ordinis generalis Prior ipsius Ordinis inquiri, examinari, puniri, absolui, reeligi, & confirmari consueuit, eligere possint & valeant.

Vicario in personas Congregationis tribuit potestatem Prioris generalis totius rOdinis.

§. 9. Quodque electus in Vicarium, qui per Præsidentem & Visitatores prædictos confirmetur, postquam electus, & confirmatus fuerit, vt præfertur, in omnes & singulos Fratres Societatis huiusmodi, easdem ac prorsus similes iurisdictionem & potestatem, quas generalis Prior dicti Ordinis pro tempore existens in illos habet, & exercere potest habeat, & exercere possit; necnon quoties opus fuerit Priores domorum, & Conuentuum prædictorum, Priore dictæ domus S. Saluatoris, quem per fratres ipsius domus S. Saluatoris, illos videlicet, qui in Capitulo vocem habent annis singulis eligi, ac eius electionis confirmationem nisi forsan ipse Vicarius, qui lapso anno ab officio Vicariatus huiusmodi eo ipso absolutus intelligatur, in Priorem eo ipso absque alia confirmatione, quod Vicarius in Priorem electus, confirmatus intelligatur ad dictum Vicarium pertinere debere; volumus atque decernimus dumtaxat excepto, instituere & amouere.

Statutaq; & ordinationes condendi.

§. 10. Præterea quod in huiusmodi celebrandis Capitulis, dictus Vicarius cum aliquibus Definitoribus singularum domorum earundem, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque statuta, & ordinationes, dum tamen regulæ, aut Constitutionibus dicti Ordinis, ac Sacris Canonibus non obuient, sintque rationabilia & honesta, edere, facere, & condere, ac eorum omnia & singula, in toto vel in parte quoties eis opportunum videbitur corrigere, mutare illisque addere: ac dictus Vicarius ipsa, omnia, & singula per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia, tamen eiusdem iuris apicibus, litiumque anfractibus non seruatis, per Fratres dictæ Societatis irrefragabiliter obseruari facere.

Et desuper dispensandi.

§. 11. Necnon Vicarius insimul cum Visitatoribus prædictis quoties illos in loco in quo tunc ipse Vicarius commorabitur adesse contigerit, alioquin per seipsum super statutis & ordinationibus, necnon concessionibus, gratiis, & indultis, etiam per nos cōfirmatis, dummodo id super quo dispensatio requiritur alias Societatem ipsam non concernat, quo casu ad generale Capitulum per fratres Societatis huiusmodi pro tempore celebrandum dispensatio pertineat, & dispensatio, quæ per Vicarium, ac maiorem & saniorem partem huiusmodi Capituli, aut ipsum Vicarium & Definitores prædictos fiet dumtaxat legitima, censeatur dispensare.

Aliumque loco sui ponendi in casu absentia.

§. 12. Præfatus quoque Vicarius quoties eum abesse contigerit, aut alias sibi videbitur loco sui vnū, duos, vel plures, & quot ei placuerit Vicarium, seu Vicarios cum facultate de qua sibi videbitur instituere, destituere, necnon ad domos dictæ Societatis transmittere.

Prioris generalis Ordinis superioritatē visitandi, & corrigēdi praseruat.

§. 13. Et insuper generalis Prior dicti Ordinis pro tempore (qui nullum ex Fratribus dictæ Societatis ab ipsa Societate remouere, nec aliquem ea Fratribus prædicti Ordinis cuiuscumque gradus, vel conditionis ipse Frater existat, ad ipsam Societatem, vel aliquam ipsius domum transferre absque Vicarij pro tempore, & maioris Societatis eorundem consensu, quavis etiam rationabili causa, vllo vnquam tempore possit) quoties ei placuerit per se insimul cum vno ea Visitatoribus Societatis huiusmodi, quem ad hoc duxerit eligendum, vt per Vicarium dictæ Societatis dumtaxat, & non per alium, vnam, vel plures domum, vel domus, ac ipsam Societatem visitare, & secundum Constitutiones Ordinis, quos culpabiles reperent, corrigere & punire.

Eleemosynas quari permittit.

§. 14. Quodque Fratres domorum earundem præsentes, & futuri, ponere vinum, & alia ad victum necessaria, & vbicumque cum saccis & sportis publice mendicandi quærere ac recipere.

Congregationi prædictæ & aliis de obseruantia indulta Ordinis communicat.

§. 15. Et si forsitan vllo tempore, aliquam seu aliquas Fratrum dicti Ordinis Societatem, vel Societates, sub regulari obseruantia eiusdem Ordinis degentium huiusmodi Societati vniri & aggregari pro tempore contigerit, quod in sic vnitarum Societatum Fratres, ac ipsæ, vnitæ Societates omnibus & singulis exemptionibus, concessionibus, assignationibus, indultisque prædictis, ac præsentibus nostris literis, & in eis contentis, vti pariter, & gaudere libere & licite possint & valeant, eisdem auctoritate & scientia perpetuo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac Fratribus Societatis huiusmodi, præsentibus & futuris quandiu sub dicta obseruantia vixerint prædicta, ac de nouo omnia & singula exemptiones, concessiones, assignationes, gratias, & indulta per nos confirmata huiusmodi concedimus pariter & indulgemus per præsentes.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 16. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac literis & priuilegiis Apostolicis generalibus, vel specialibus, etiamsi de illis quorū omnium tenores, etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda sit, necnon dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac literis generalis Prioris dicti Ordinis pro tempore existentis, & de consensu generalis Capituli ipsius Ordinis sub quacumque forma forsan in posterum emanandis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Limitatio bulla pro tempore duratione obseruantia.

§. 17. Volumus autem quod si, quod absit, obseruantia huiusmodi in dicta Societate cessare contigerit, præsentes literæ nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo &c Si quis autem, &c.

Dat. P. A. 13. 6. Sept.

Datum Senis, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo quadragesimotertio, VIII. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno terciodecimo.

Sequitur declaratio dictæ Constitutionis.

Edita An. Di 1443.

EVGENIVS PAPA IV. &c.

Exordium.

AD hoc circa regularis obseruantiæ professores eo diligētiùs paternę sollicitudinis, vices impendimus, quo fœcundius illorum religio fructum in eos afferat salutarem, & laudabilibus in Domino possint iugiter proficere incrementis. Nuper siquidem per nos, &c.

Omittitur insertio bullæ, quia ipsa est quæ præcedit.

Dubia Excitata fuisse super præcedenti const.

§. 1. Cum autem sicut exhibita Nobis nuper pro parte Priorum & Fratrum prædictorum petitio continebat, ipsi Priores, & Fratres dubitent, ne concessiones, assignationes, statuta, ordinationes prædicta, & alia in dictis literis contenta ex frequentibus statutis per Capitulum Societatis huiusmodi, aut Vicarium, & Definitores præfatos forsitan faciendis in abusum vadant, illaque per non vsum abrogentur; & à nonnullis quoque reuocetur in dubium, an aliæ Societates Fratrum dicti Ordinis eidem Societati absque generalis Prioris præfati Ordinis, vel alterius licentia se vniri, dictique Priores, & Fratres S. Antonij supra Balneum Peteoli, & S. Mariæ de Monte Specchio domos prædictas dimittere possent, absque dictæ Sedis licentia speciali. Et an quod de non amouendis, aut transferendis Fratribus per Generalem Priorem ipsius Ordinis in prædictis nostris literis statuimus, ad illius generale Capitulum extendatur, dictusque generalis Prior loco pœnæ, seu pœnitentiæ aliquem ex Fratribus huiusmodi Societatis à dicta Societate ad tempus remouere, valeat pro parte Priorum & Fratrum Societatis prædictorum, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt super his opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Dubij primi declaratio.

§. 2. Nos igitur ad omnes in præmissis ambiguitates, & dubium submouendum: & vt Priores, & Fratres Societatis prædictæ, qui vt accepimus, sub regulari ipsius Ordinis obseruantia viuentes de die in diem virtutum meritis, ac fructuosis operibus multiplicari noscuntur, liberati à noxiis, sua Altissimo vota reddere, ac personarum numero facilius augmentari valeant, prouidere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, per Vicarium dictæ Societatis pro tempore existentem cum Visitatoribus præfatis quoties ipsos in loco in quo prædictus Vicarius commorabitur adesse contigerit, alioquin per se ipsum super pœnitentiis ex quacumque causa, etiam propter recessum ab ipsa Societate, vel alia grauiora crimina, & excessus Fratribus Societatis huiusmodi impositis, vel imponendis in toto, vel in parte, ac concedendis libris extra ipsorum Conuentus, seu domos iuxta modum, & formam literarum, seu concessionum, per dilectum filium Magistrum Gerardum de Arimino tunc generalem Priorem dicti Ordinis Fratribus prædictæ Societatis, etiam sub excommunicationis pœna, quam secus facientes eo ipso incurrerent concessa, dumtaxat, & non alias, aut aliis casibus dispensare.

Dubij secundi declaratio.

§. 3. Et vna, duæ, vel plures, & qualibet Societates Fratrum dicti Ordinis prædictæ Societati generalis Prioris, necnon generalis Capituli eiusdem Ordinis, & cuiuslibet alterius licentia super his nullatenus requisita, quibuscumque mandato, ac prohibitione per generalem Priorem, & generale Capitulum huiusmodi, aut illorum alterum in contrarium pro tempore factis, nequaquam obstantibus sub modis, & formis, necnon pactis, & conuentionibus, de quibus eis videbitur se vnire, & aggregare, ipsosque Priorem, & Societatis huiusmodi, S. Antonij, & S. Mariæ domos prædictas, etiam absque dictorum Prioris, & Capituli, cuiuscumque alterius licentia dimittere.

Dubij tertij declaratio.

§. 4. Necnon Prior pro tempore, cum generali Capitulo dicti Ordinis, aut ipsorum quilibet de per se, antequam ex Fratribus dictæ Societatis ab ipsa Societate remouere, aut aliquem ex Fratribus eiusdem Ordinis cuiuscumque grados, vel conditionis existat, quod prædictam Societatem, vel aliquam ipsius domum transferre absque Vicarij pro tempore, & maioris partis Fratrum Societatis eorundem consensu quavis etiam rationabili causa. Et ipse generalis Prior pro tempore, etiam consensu generalis Capituli Ordinis huiusmodi aliquem ex Fratribus prędictæ Societatis quantumcumque culpabilem, & criminosum extra domos ipsius Societatis punire vllo vnquam tempore nullatenus possit, sed ipsum in eisdem domibus alias iuxta culpas, & demerita ipsius secundum canonicas sanctiones, & instituta prædicti Ordinis puniat, ac punire debeat.

Prohibitio vtendi gratijs aut consequendi dignitates extra Societatem absque licentia.

§. 5. Præterea, quod nullus ex Fratribus dictæ Societatis cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existat in ipsa Societate, seu aliqua ipsius domo; quibuscumque exemptionibus, immunitatibus, priuilegiis, gratiis, & indultis quorumcumque tenorum existant, eis in specie, vel in genere à Sede Apostolica, seu alias pro tempore concessis, vti, & gaudere, aut ad aliquas, dignitates, præeminentias, administrationes, vel officia dicti Ordinis extra dictam Societatem quæcumque, quotcumque. & qualiacumque fuerint, vocari, assumi, aut illis præfici, absque Vicarij, & Definitorum pro tempore, aut Capituli Societatis prædictorum, siue maioris partis illorum licentia in scriptis, habita & obtenta, nullatenus possit.

Communicatio gratiarū, cuiuscumque alterius Congregationis vnienda.

§. 6. Quodque Priores & Fratres Societatis huiusmodi, omnibus, & singulis exemptionibus immunitatibus, priuilegiis, gratiis, & indultis ipsi pro tempore vniendis Societatibus per generalem Priorem dicti Ordinis pro tempore, in specie seu in genere concessis, vti & gaudere libere & licite valeant ex certa scientia, & auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus.

Bona Fratrū ad Congregationem transeuntium sint Congregationis.

§. 7. Ac præmissa omnia, necnon quod præfata Societas, iuxta quandam concessionem Priori, & Fratribus prædictæ domus S. Saluatoris per quondam Nicolaum generalem Priorem dicti Ordinis concessam, de omnibus, & singulis bonis mobilibus & immobilibus, præsentibus & futuris, omnium & singulorum Fratrum dictæ Societatis, præsentium & futurorum quæcumque quomodocumque, & qualiacumque huiusmodi bona fuerint, etiamsi illa ipsis Fratribus ad eorum vitam concessa extiterint, plenarie succedant, ipsaque ad dictam Societatem cum Fratribus ad illam transeuntibus eo ipso deuoluantur, ac proueniant Priori, & Fratribus dictæ Societatis, præsentibus & futuris perpetuo concedimus pariter, & indulgemus.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, & singulis in aliis nostris literis prædictis, quas alias in suo robore permanere, & quas, necnon præsentes, in omnibus & per omnia obseruari volumus, decernimus atque mandamus, non obstare volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod si, quod absit, obseruantia huiusmodi in dicta Societate cessare contigerit, præsentes literæ eo ipso sint cassæ, & irritæ nulliusque roboris vel momenti. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. P. An. 13. 27. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, quinto Calendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

Approbatio Ordinationum in Capitulo Romæ acto præfinitarum, pro reformatione Monachorum Græcorum S. Basilij, in prouinciis Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ. XXVI.

Hæc bulla à Iul. II. & Iul. III. confirmata fuit, vt vidi in quadam ipsius Iul. III. constit. edita die 19. Decembris 1550. quam prætermisi vti minus necessariam; & de toto Ordine notaui sup. in const. 6. Alexand. IV.

Edita A. D. 1446.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INter curas multiplices quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obsidemur, illam vigilantius amplectimur per quam regulares Ordines, & loca, iugi sanctimoniæ dedita, prout congrue prospicimus, in spiritualibus & temporalibus prosperitatis optatæ contingant euentum, vnde efficacis ad id sollicitudinis studium apponere cupimus, & prouisionis salutaris adhibere remedium, ne Ordines, & loca ipsa, Apostolicæ, quod absit, prouidentiæ destituta consilio, deformationis subiaceant opprobrio, sed libentius cursu temporis continuum, dante Domino, in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiant incrementum.

Hic Pont. cognoscens Monachos S. Basilij in regno Siciliæ indigere reformatione, Capitulum Romæ celebrari iussit.

§. 1. Sanè ad nostri deducta notitiam, quod plurima Monasteria & loca Monachorum Græcorum Ordinis S. Basilij in Regno Siciliæ, citra & vltra Farum essent, quæ in multis reformatione indigere videbantur, Nos inter alia mandauimus, omnibus & singulis Abbatibus dicti Ordinis de celebrando Capitulo ad Vrbem Romanam, vt certo tunc expresso, & ad id per nos statuto termino personaliter conuenirent, ibidem tractaturi & ordinaturi, quæ pro Religionis decore, & huiusmodi Ordinis commodo, vtilitate & conseruatione expedirent.

In quo statutum fuit, vt Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ prouinciis Visitator constituatur, qui vnà simul ab eius Consiliario loca & personas visitet, & corrigat.

§. 2. Postmodum vero dilectis filiis præfati Ordinis in prædictis Insula & Regno consistentium Monasteriorum Archimandritis, & Abbatibus, cum nonnullis aliis eiusdem Ordinis personis, sub Græcorum ritu viuere consuetis, in prædicta Vrbe pro præmissis congregatis conuenientibus, post maturam quam desuper inter se habuerunt deliberationem, concordarunt, & ordinarunt, ac in hoc singuli scilicet, aut maior pars eorum expresse consenserunt, videlicet quod ca singulis, Siciliæ & Calabriæ, & Apuliæ dicti Ordinis Prouinciis, vnus esset eiusdem Ordinis Visitator, qui in illa ex Prouinciis huiusmodi, in qua pro tempore deputatus fuerit, cum vno socio, cuius consilio in omnibus agendis vti debeat, monasteria, & loca prædicta tam Monachorum, quam Monialium

nialium sub prædicta regula degentium, tam in capite, quam in membris visitare & reformare, ac personas ibidem corrigere, aliaque quæ ad huiusmodi visitationis & correctionis officium de iure vel consuetudine pertinebunt, facere, & exercere possent, & deberent.

Taxāque pro salariis Magistrorum & expensis Studentium modo & forma hic præscriptis exigat.

§. 3. Quodque Visitatores dicti Ordinis pro tempore existentes à quolibet dictarum prouinciarum Ordinis huiusmodi Monasterio, siue loco, illam pecuniarum summam siue quantitatem, quæ inter Archimandritas, Abbates, & personas prædictas in Congregatione huiusmodi, tam pro salariis magistrorum, Monachos, & personas dicti Ordinis, aliosque quoscumque idioma græcum pro tempore docere volentium, quam expensis studentium huiusmodi deputata, seu consignata extitit. Et quæ quidem summa siue quantitas in Siciliæ inter Monasteria, & Ecclesias sæculares Græcas ad centum vncias monetæ currentis ibidem, & in Calabriæ ad ducentos & quinquaginta, in Apuliæ vero Prouinciis, easdem ad octoginta florenos auri de Camera ascendit, ad quas quantitates à quibuslibet dictorum Monasteriorum & Ecclesiarum Rectoribus persoluendas, tā Abbates quam Commendatarios quoscumque & quibuscumque vnita Monasteria. In Sicilia vero eos presbyteros sæculares, Rectores Ecclesiarum Græcarum teneri, & obligatos esse voluerunt, & statuerunt, exigere, colligere & leuare valerent, atque possent huiusmodi concordatis, & ordinatis per singulos aut maiorem partem eorum, qui præmissis Congregationis & Capituli celebrationi interfuerunt acceptatis atque laudatis.

Et ipse Pont. modo dicta Capituli statuta cōfirmat & obseruari mandat.

§. 4. Nos itaque omnia & singula præmissa, & quævis alia inter Archimandritas, Abbates, & personas prædictas in huiusmodi celebrato Capitulo ordinata, & concordata, illorumque tenores & effectus rata habentes & grata, illa auctoritate Apostolica approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, eaque volumus, & mandamus, ab omnibus & singulis, quorum pro tempore interfuerit firmiter & inuiolabiliter obseruari.

Prælatisque omnibus & cæteris aliis, vt Visitatoribus pareant, eosque nō impediant sub pœna, &c. prohibet, & Archimādritæ Siculi auctoritatem suspendit.

§. 5. Districtius inhibentes venerab. fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & vniuersis & singulis Ecclesiasticis dictarum Prouinciarum Prælatis, & quibusvis aliis, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & præcipue dilecto filio Lucæ Busalo moderno S. Saluatoris in lingua Fari Messanensis Diœc. Archimandritæ, cuius præeminentiam quam supra Monachos & Abbates Siculos habet, ac curā eius quoad vixerit ea certa nostra scientia suspendimus, & quē correctioni ipsorum Visitatorum subiicimus, ac ab illis corrigi & puniri debere, atque posse decernimus, Archiepiscopis vero & Episcopis suspensionis ab ingressu Ecclesiæ pœna, necnon prædicto Lucæ & aliis Archimandritis, & cæteris supradictis sub excommunicationis sententia, quas eo ipso incurrant, & à qua quidem sententia ab alio quam à Romano Pontifice absolui non possint, ac cuilibet ipsorum, ne se de visitatione Monasteriorum & locorum Græcorum, tam Monachorum, quam Monialium in prouinciis supradictis existentium aliquo modo intromittant, siue Visitatores ipsorum Monasteriorum & locorum pro tempore existentes quo minus illa libere visitare, ac illorum personas corrigere & punire, aut alias commissum eius visitationis officium, in omnibus & per omnia exercere debeant, atque possint, impediant.

Visitatoribus prædictis facultates contra quascumque personas Ordinis sub Archimandritas concedit.

§. 6. Et nihilominus vt Monasteria & loca prædicta per visitationis & felicis directionis ministerium salutare contingant remedium, volumus, & dicta auctoritate statuimus, atque decernimus & ordinamus, quod Visitatores pro tempore electi, & deputati, ac existentes, ad singularum prouinciarum earundem, singula dicti Ordinis Monasteria, & loca singularum prouinciarum huiusmodi personaliter accedant, & solum Deum præ oculis habentes in Monasteriis & locis prædictis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, necnon capitibus, & membris, debitæ visitationis officium, auctoritate prædicta impendere & exercere, ac omnia & singula quæ in reformationis & correctionis ministerio indigere prospexerint, provt eis iuxta canonicas sanctiones, & regularia eiusdem Ordinis instituta, ac alias congrue videbitur reformare, & corrigere, necnon quoscumque Monasteriorum, & locorum ipsorum Præsidentes, illorumque personas cuiuscunque dignitatis, etiam Abbatialis, status, gradus, vel conditionis existant, vel præeminentiæ, etiamsi Archimandritę fuerint, iuxta criminum, & excessuum per eos quomodolibet perpetratorum qualitatem, & exigentiam corrigere & punire, & si illorum demerita id deposcerint, dignitatibus, & officiis quibuslibet auctoritate nostra priuare, & ab illis amouere, se etiam summam siue quantitatem pecuniarum huiusmodi, ad opus & vsus magistrorum & studentium eorundem, à Præsidentibus Monasteriorum, & locorum prædictorum, provt in Capitulo prædicto concordatum & ordinatum, vt præfertur, extitit, exigere colligere, & leuare, seu exigi, colligi, & leuari facere, ac de leuatis & perceptis quietare, præfatoque moderno Archimandritæ Siculo, ne se de visitatione Monasteriorum, & locorum eiusmodi, illorumque correctione personarum, ac alias de eis quovis modo intromittere audeat siue præsumat strictius inhibere, omniaque alia & singula, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, vel quomodolibet opportuna facere, statuere, & ordinare, & exequi. Contradictores quoscumque & rebelles ac non soluentes, per censurā Ecclesiasticam & alia quæ vis opportuna iuris remedia appellatione postposita compellere, necnon si, quod absit, ex Archimandritis, Abbatibus, & aliis supradictis aliqui fuerint qui legitime requisiti summam, siue quantitatem pręmissam, provt se in qualibet prouinciarum prædictarum extendit, ac in concordatis, & ordinatis huiusmodi continetur, soluere & assignare, siue vsque ad dictam summam, vel quantitatem contribuere distulerit, siue recusauerit, ex tunc Visitatores supradicti, & quilibet ipsorum in sua prouincia, fructus, redditus, & prouentus singulorum Monasteriorum, & locorum, quibus non soluentes huiusmodi præfuerint, aut quæ siue per vnionem, siue per commendam obtinuerint, arrestare, & sequestrare, necnon demum (si eis videbitur) fructus, redditus, & prouentus huiusmodi vsque ad summam, siue quantitatem eandem pro præmisso vsu exponere, vel grangiam, aut prædium aliquod, pro rata ad hūc studiorum vsum contributionis illius Ecclesiæ, vel Monasterij, cuius Præsidens soluere noluerit, deputare & consignare, ac etiam taxas Monasteriorum & Ecclesiarum prædictorum, augere vel minuere, summis tamen præfatis non diminutis, si opportunum videbitur possint atque debeant.

Stipendia eisdem Visitatoribus designat.

§. 7. Verum quia dignum est, vt stipendio congruo sustententur, qui ad labores, & onera deputantur, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod Visitatores prædicti dum, & quoties in exercitio visitandi, & corrigendi, aliaque supradicta faciendi fuerint, quilibet videlicet eorum pro se, ac notariis, & aliis cum eis in huiusmodi exercitio necessario existentibus, à Monasteriis, & locis, quæ pro tempore visitabunt, eorumque personis sumptus, & expensas, non solum victus, sed etiam alias minutas, & solum necessarias recipere possint & valeant moderatas. Super quibus omnibus etiam ipsis pro tempore, vt præmittitur existentibus Visitatoribus, plenam & liberam auctoritate prædicta concedimus tenore præsentium facultatem. Nos enim sententias siuè pœnas, quas dicti Visitatores pro tempore rite tulerint, siue statuerint in rebelles, sequestra, vel arresta quæque apposuerint, rata habebimus atque faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari, inuocato etiam per eos ad omnia & singula supradicta si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausulæ contrariorum derogatoriæ apponit.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & literis Apostolicis, præsertim quibusdam Petro Pesali B. MARIÆ de Gripta Ferrata Romanæ Ecclesiæ immediate subiectæ, ac aliis Paulo tunc B. MARIÆ de Gripta, & Adriano S. Pantaleonis Tusculan. Panormitanæ, & Messanen. Diœc. Monasteriorum Abbatibus per nos illis decretis quarum tenores, & effectus præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, & quas vt effectus præsentium per eas impediri non contingat, reuocamus, cassamus, & annullamus, ac pro infectis & nullis haberi, censeri, & reputari debere decernimus, necnon statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, locorum Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis

firmitate

firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque aut si Archimandritis, Abbatibus, & personis prædictis, vel quibusvis aliis, communiter vel diuisim à Sede Apost. existat indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut ad iudicium trahi non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, vnionibus dictorum Monasteriorum, & Ecclesiarum quibusvis etiam Cathedralibus Ecclesiis factis, exemptionibus, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta ipsorum Visitatorum iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quæ quoad hoc eisdem Abb. personis & aliis nolumus aliquatenus suffragari.

Visitatoribus onus dat sibi significandi, priuationes & amotiones Abbatum, &c.

§. 9. Præterea ea singula quæ Visitatores antedicti circa singulas priuationes, & amotiones huiusmodi fecerunt, nobis per eorum patentes literas ipsorum sigillis sigillatas, quantocius fideliter intimare procurent, vt eorum informatione plenius instructi circa prouisiones Monasteriorum, & locorum tunc per priuationes & amotiones huiusmodi vacantium, consultius agere valeamus. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. P. An. 16. 14. Nouemb.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1444. decimo nono Kalendas Ianuarij, Anno sextodecimo.

XXVII. Canonizatio S. Nicolai de Tolentino, professoris Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, eiusque adscriptio Catalogo SS. Confessorum. Et institutio suæ Festiuitatis pro die 10. Septembris.

Hanc Festiuitatem innouauit, duplicique officio celebrari, decreuit Sixt. V. in const. 16. Sancta.

Edita An. D. 1447.

EVGENIVS PAPA IV.
Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

LIcet militans in Terris Ecclesia, triumphantem in Cœlis, filiali, & deuoto veneretur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaque Sanctorum, quantum sinit fragilitas, dignissimis attollat titulis, deuotis quoque precibus, solemni ritu, sacrificia laudum offerat, ad decus, & venerationem ciuium supernorum, nihil tamen illis accrescit nouæ perfectionis & gloriæ, nec eorum perfecta felicitas nostris operibus firmari poterit, vel augeri: Misericors tamen, miseratorque Dominus, per intercessiones, meritaque Sanctorum, quos in Terris celebritate congrua veneramur, mirabili dignatione imperfectum nostrum suppleri prouidit, vt quod nostris meritis non valemus, eorum suffragiis assequamur.

B. Nicolaus virtutibus & miraculis emicuit.

§. 1. Æternus itaque Deus, qui facit mirabilia magna solus, Confessorem suum eximium Nicolaum de Tolentino in approbata Religione Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, ab eius pueritia educatum, puritate candidum, charitate feruidum, electum ex millibus, exemplar præfulgidum, sapientia eius infinita produxit, singularis vitæ suæ excellentiam, signis & prodigiis probans, ac coruscantibus, crebrisque miraculis manifestans, Lætentur itaque cœli, & exultet terra, iocundeturque pariter totus Orbis, quando ei, qui effulsit in templo Dei cum viueret, speciosum in cœlo præstant hospitium cœli ciues.

Ioannes ideo 22. de eius canonizatione egit.
** Curia.*

§. 2. Itaque huius beati viri quando vita est functus, fama, summaque ad eum populorum deuotione crescentibus, fel. rec. Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, Auenione cum eius curia residens, cum fratribus suis cœpit de eius canonizatione tractare, quam nisi eius obitus, & horrenda superuenissent schismata procul dubio consummasset.

§. 3. Beatus igitur hic Nicolaus, honestis ex castro S. Angeli infra Firman. diœc. parentibus ortus, & puerorum consortia vitans, Ecclesias, diuinaque mysteria frequentabat, & ne præclara opera lucidæ vitæ suæ, longo latoque sermone extramus, pauca libet referre de pluribus, vt ex his existentes in via Domini, patrem glorificent, sicut decet.

Imo egit etiã Innoc. VI. vt inquit Sixt. V. in rubr. cit. Præclara opera B. Nicolaus fecit.

§. 4. Sanctus equidem iste in ætate existens tenera, se sub magna Religionis diligentia, summa cum obedientia & humilitate seruabat, castigando corpus ieiuniis, vigiliis, orationibusque insistebat deuotus, gratus, humilis, obediens, benignus, suauis, pius, patiens, constans, maturus, compositus, virtutum quibusdam aromatibus plurimos attrahebat, adeo quoque fidei cultor erat, vt cuncta illius verba, & opera, virtute fidei redolerent, tribulatorum, & infirmorum consolator assiduus existebat.

Ieiuniis, vigiliis, & orationibus vacauit, &c.

§. 5. Et demum, pudicus, castus, modestus, verecundus, ac lætus ad vitæ vesperam veniens, diuinitus audire meruit. Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui. Sic granum frumenti cadens in terram, & mortuum, vberem consurgit in spicam; sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam, sic regnum cœlorum percipitur, & Sancti per fidem sublimia regna vicerunt.

Tempore obitus, audire meruit. Euge serue bone & fidelis, &c.

§. 6. Verum quia decebat diuinæ magnitudinem bonitatis, vt quem in terris præclaris ornarat virtutibus, in cœlis regnare certis testimoniis probaretur, multis eum, magnisque miraculis dum viueret & post obitum, clarum fecit, quorum quædam dignissimis probatis testibus onerosæ multitudinis vitandæ gratia, duximus præsentibus annotanda.

Miraculis ante & post obitum claruit.

§. 7. Quidam adeo in sinistro latere perditus erat, vt nec illius manum, aut pedem posset quovis modo mouere, aut quicquam ex oculo sinistro videre, post plurimorum medicorum antidota, atque collyria iuuamen experta, Sanctus sic latus illud crucis signaculo tetigit vtroque illi benedixit, qui statim è grabato surgens sanatus est, videns, & integre liberatus.

Virum latere perditum, & oculo caecitate laborantem, signo crucis liberauit.

§. 8. Quædam vero mulier triennio continuo sanguinis fluxum patiens, ad Nicolaum veniens, & manum illius deuotissime osculans, precabatur eum, vt preces ad Dominum, pro illius sanitate recuperanda porrigeret, Sanctus ipse illam crucis signo signauit, & liberata recessit, & hæc ante obitum.

Mulierem à sanguinis fluxu, simili modo sanauit.

§. 9. Post obitum vero cum puer quidam annorum quatuor in canale molendini cecidisset, & intra totam, & aquam per spatium temporis, quo communiter quis bene ambulans, milliario ambulasset, continuo iacuisset, inde tandem laboriose extractus mortuus, & pro mortuo reputatus, emisso prius per matrem voto; quod si restitueretur vitæ auxilio Beati Nicolai, illum supra sanctum tumulum habitum Religionis indueret adiuuante Sancto prædicto, viuus apparuit.

Puerum submersum vitæ restituit.

§. 10. Vir insuper quidam inuentus in domo sua suspensus, & mortuus, precibus, & voto per eius vxorem ad B. Nicolaum emissis, factus, est viuus, & ex tunc diutius superuixit.

Virum suspensum & mortuum, suscitauit.

§. 11. Quam plurima etiam miracula, tam in vita, quam post eius obitum fecit, pluresque homines vtriusque sexus à morte resuscitauit, cæcos illuminauit, & ab oculorum infirmitatibus liberauit, contractos, & prostratos membris, & claudos erexit, paralyticos à membrorum impotentia sanauit, & à tremore capitis, & membrorum, dæmoniacos, captiuatos, incarceratos cum apparitionibus & reuelationibus liberauit, cadentes, & illisos à naufragiis, ac captiuitate personæ, à perditione bonorum à febribus, ab ethica, ab hydropisi, à podagra, à doloribus illorum, & stomachi, ac cordis, aliisque infirmitatibus liberauit, pristinæque sanitati restituit. Quæ omnia trecenta & vnum miracula, ad quorum probationem examinati fuerunt trecentiseptuaginta, & vnus testes, in Registris annotata coram nobis in publico Consistorio relata fuerunt. His itaque ac aliis miris operibus Sancti huius astruentibus sanctitatem, & Christianæ fidei veritatem, miraculorum lingua loquente, concurrit ad nos vndique populus, creuit de his fama, atque deuotio, laudatur Dominus, de salutiferis gratiis auctori gratiæ referuntur.

Miracula trecenta & vnum fecit. Ex his nota illud vnum quod recenset Sixt. V. cit. in rubr.

runtur. Inualuit super his vox communis, & celebris, & plurimorum vox exultationis, etiam Prælatorum nobis intonuit, & nostra auctoritate inquisitionem fieri super dictis obtinuit. Primum quidem Venerabili fratri Ioanni Episcopo Prænestino, & dilectis filiis nostris Ioanni tituli S. Laurentij in Lucina Presbytero, & Prospero S. Georgij ad Velum aureum Diacono Cardinalibus commisimus, vt veritatem præmissorum, & de miraculorum continuatione inquirerent diligenter, quorum relatione, etiam continuationis miraculorum probata veritas, nos & venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, & Sanctum eiusdem vita mirabili miraculis, & meritis gloriosis instruxit.

His itaque Pontifex Sanctorum Confessorum Catalogo ascribit.

§. 12. Et quia plura, & maiora de Sancto ipso comperimus, quam insinuata fuissent, de Fratrum Prædicatorum consilio & assensu, plurimis Ecclesiæ Prælatis adstantibus, de omnipotentis Dei virtute, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra auctoritate confisi, eundem Beatum Nicolaum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.

Festumque pro die 10. Septembris instituit.

§. 13. Ideoque Vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quarto Idus Septembris, quo Sanctus ipse migrauit ad Dominum, festum eiusdem, deuote & solemniter celebretis, & faciatis ab omnibus veneratione condigna celebrari, vt pia eius intercessione, & hic à noxiis protegi, & in futurum sempiterna consequi gaudia valeatis.

Indulgentiasque eius sepulchrum Visitantibus concedit.

§. 14. Et vt ad venerabile eius sepulchrum, eo ardentius Christi fidelium confluat multitudo, & celebrius eiusdem Confessoris colatur festiuitas, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui cum deuotione & reuerentia illuc in eodem festo accesserint annuatim ipsius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, septem annos, & totidem quadragenas, accedentibus vero annis singulis ad dictum sepulchrum, infra eiusdem festi octauam, duos annos, & duas quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Dat. P. A. 16. die 1. Feb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1447. Kalend. Februarij, Anno sextodecimo.

XXVIII. Declarationes & mitigationes Regulæ Sororum siue Monialium S. Claræ. Et earum suppositio Ordini Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia.

De d. Regula plene dixi sup. ad constit. 12. Innoc. IV. Solet. Et alias declarationes inspice in Leon. X. constit. 9. Cum sicut, ac alias inf. in constitut. 103. Pij IV. Sedis.

Edita An. D. 1447.

EVGENIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Fratri Iacobo de Pramadinis, de Bononia, Ordin. Minor. professori de Obseruantia regulari, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

ORdinis tui præsertim familiarum in regulari obseruantia Domino famulantium, ob quorum Religionis sanctimoniam, & multiplicium virtutum dona, maximi in populo Christiano animarum fructus prodire cernuntur, curam gerentes solerter, illa libenter concedimus, per quæ earundem familiarum, etiam vtriusque sexus augmento conseruationique melius ac facilius consuli intelligimus.

Moniales S. Claræ, à Fratribus de Obseruantia regi postulabant.

§. 1. Sane cum post concordiam inter Filios Fratres, qui dicuntur Conuentuales, & vos, & alios, quibus de regulari Obseruantia est appellatio, vnius eiusdemque Minorum Ordinis secum factam, nos intendentes quod post dilectum filium Fratrem Ioannem de Capistrano, tui Ordinis de Obseruantia in partibus Cismontanis Vicarium, alter illius successor crearetur, eidem per literas Apostolicas commiserimus, quod vbi, & quando sibi placeret, ante sui officij finem Vicarios, & discretos prouinciarum sibi subiectarum pro alterius Vicarij electione, alias creatione, capitulariter congregaret; & facta huiusmodi Cōgregatione in Alma Vrbe, apud Aracœli locum tu in ea fueris canonice in Cismontanum Vicarium electus, nos electionem ipsam confirmauerimus, postmodumque dilectus filius Antonius de Rusconibus, Sacræ paginæ professor, Ordinis præfati Generalis Minister, te duxerit confirmandum, prout prædicta omnia constant per literas Apostolicas, & prædicti Generalis, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ad nostram que notitiam peruenerit, esse in tui Vicariatus partibus Cismontanis nonnulla Monasteria Sanctæ Claræ, quarum familiæ in obseruantia Regulari viuentes partim primi, partim secundi, partim tertij Ordinis, partim aliter appellatæ, sub tuo Vicariatu, & à te, tuisque successoribus, regi & gubernari, intensissimis dicuntur desideriis affectate.

Hoc illi Pontifex huic concedit.

§. 2. Nos qui certò tenemus, easdem mulierum monacharum, siue sororum familias, optimam & saluberrimam sub vobis gubernationem scilicet habere, & continue habituras felicia incrementa earundem mulierum Monacharum, siue Sororum appellatarum Monasteria, & loca, & familias, vbicumque intra tui Vicariatus terminos in regulari Obseruantia viuentes, tam præsentes, quam futuras, tuo, & tuorum Vicariatus Cismontani officio successorum curæ, gubernationi atque regimini auctoritate Apostolica præsentium tenore subiicimus, ac subiectas & suppositas esse volumus atque decernimus. Intendētes eadem auctoritate atque volentes, quod tu, & successores tui, per vos ipsos, & alios quos duxeritis substituendos, potestatem & facultatem habeatis, easdem Moniales atque Sorores, siue primi, siue secundi, siue tertij, aut alterius Ordinis S. Claræ, & B. Francisci, signanter collegialiter, & in communi viuentes, & earum Monasteria, atque loca, tam in capite, quam in membris visitandi, corrigendi, amouendi, deponendi, transferendi, & omnia alia & singula faciendi, quæ generalis Minister Ordinis vestri in eisdem Monasteriis & locis, de iure, & de consuetudine posse facere consueuit. Prouinciales autem Vicarij vobis subditi, eandem potestatem & facultatem habeant, quas Ministri Prouinciales, etiam de iure, vel de consuetudine habere consueuerunt.

Vocales in electione Abbatissæ, & aliarum nominum declarat.

§. 3. Et vt supradictæ Moniales ac Sorores melius gubernentur, volumus, quod in electione & creatione Abbatissarum, Ministrarum, & Matrum, illæ tantum ex ipsis Monialibus & Sororibus vocem habeant, quæ per annos tres, vel circa, in earundem Monasteriis vel Collegiis fuerint. In qua creatione & electione maior pars votorum ad minùs medietatem superans, debet conuenire. In omnibusque tertij Ordinis, Sororum & Monialium Collegiis, Fratres tui Ordinis de accessu, & ingressu se habeant, sicut obseruatur in Monasteriis S. Claræ. Si autem Visitatoribus earum, & Sororibus tertij Ordinis, quæ minime viuunt collegialiter, esset concessa à Sede Apostolica, aliqua facultas & auctoritas, nos ipsas præsentium tenore auctoritate Apostolica reuocantes, volumus quod tu, & tui in Vicariatus officio successores, huiusmodi Visitatores amouendi, & alios instituendi, auctoritatem & facultatem habeatis.

Regulam ibi circa ieiunia modificat.

§. 4. Præterea, cum in Regula B. Claræ iubeatur ieiunium perpetuum, quod nimis rigorosum tenemus: placet, & volumus, quod supradictæ, & Tertij, & aliorum Ordinum Sorores solummodo teneantur ad illa ieiunia, ad quæ vos Fratres Ordinis Minorum Regulam obseruantes obligati estis, & eosdem modos seruent in cibis quadragesimali tempore, exceptis debilibus & infirmis. In aliis vero ieiuniis, vt sunt Quatuor Tempora, Vigiliæ Apostolorum & similium, seruetur consuetudo regionis, secundum quam, liceat eis etiam oua & lacticinia comedere.

Regulam eandem quoad calceamenta mitigat.

§. 5. Cum etiam in Monasteriis Sorores, siue Monachæ incedant nudis pedibus discalceatæ, quod nimis rigorosum existimamus, placet, & volumus, quod Sorores, siue Monachę possint deferre illa, quę nomine calceamentorum non censentur, puta zoccos ligneos, & sandalia, atque etiam, cum opportunum fuerit, calceamenta.

§. 6. Item

Et quoad cibos.

§. 6. Item cum in aliquibus Monasteriis, locis, & Congregationibus iniungatur silentium perpetuum, quod quidem nimis rigorosum existit, tibi tuisque in officio successoribus, & prouinciarum vobis subiectarum Vicariis, cum Discretorum consilio dispensandi, tam in cibis, quam in quibuscumque aliis perpetuis, quam in silentio supradicto concedimus facultatem.

Ac præcepta.

§. 7. Insuper cum dilectus filius Frater Ioannes de Capistrano, tuus in Vicariatus officio prædecessor, declarauerit, quod in regula prima Beatæ Claræ, continentur centum & tria præcepta regularia, in quorum transgressione Moniales, siue Sorores professæ peccatum mortale incurrunt, idque nimis durum & scrupulosum iudicemus, auctoritate & tenore præsentium, declaramus, & volumus, quòd in nullius prædictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis, & clausuræ, & super electione Abbatissæ, & depositione, peccatum mortale incurrant.

Et ferculum.

§. 8. Item, cum quædam prædictarum, Monasteria & loca in mendicitate viuant, placet & dispensamus, quòd in ferculo, siue cibis, sagina & lardo vti possint.

Quibuscumq. non obstantibus.

§. 9. Constitutionibus Apostolicis & priuilegiis, immunitatibus, & gratiis, ac indultis omnibus & singulis supradictis Monasteriis, & locis, ac eorum Capellanis per Sedem Apostolicam, & aliter quomodocumque concessis, aliisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, decreti, intentionis, placiti, existimationis, concessionis, declarationis, voluntatis, & dispensationis infringere, &c.

Dat. P. A. 16. die 5. Feb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1447 nonis Feb. Pont. nostri Anno sextodecimo.

XXIX. Absolutio eorum qui Congregationi Basileēnsi adhęserunt post dissolutionem Concilij, & ad Summi Pontificis obediētiam redierunt. Prouisioque & declaratio circa collationes Ecclesiarum & beneficiorum.

Hanc sanctionem quoad collationes, &c. simpliciter confirmauit Nicol. V. die 10. Augusti 1447. cuius bullam non posui. Et certo modo postea approbauit in alia eius constit. 1. Ad sacram, quæ mox sequitur.

Edita An. D. 1447.

EVGENIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INter cætera desideria cordis nostri, filios quoslibet ad nostram, & Apostolicæ Sedis obedientiam exoptantes adduci, illa temporum qualitate pensata aliquando concedimus, ordinamus, & statuimus, per quæ Christi fidelium tranquillitati, & commodis, semotis dissensionibus & scandalis consulatur, & exinde animarum salutem valeant adipisci.

Quidam Prælati & Principes Nationis Germaniæ ab dissensionē secutam tempore Concilij Basilea, neutrales fuerunt & mox obedientiam huic Pontifici præstiterunt.

§. 1. Sane cum propter dissensionem, inter Nos & eos qui Basileæ sub nomine generalis Concilij remanserunt dudum exortam, nonnulli Principes tam Ecclesiastici, quam sæculares nationis Germaniæ, in quadam neutralitate, & armorum suspensione à die decimaseptima mensis Martij, de Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo octauo, vsque in præsentem diem se tenuerint, ea mente, vt asserunt, vt postmodum vnanimi consensu, in nostra & Sedis Apostolicæ obedientia, & reuerētia paribus gressibus incedere possent; & charissimus in Christo filius noster Fredericus Rex Romanorum Illustris, ac venerabilis frater noster Theodoricus Archiepiscopus Maguntinus, & dilectus filius noster vir Fredericus Marchio Brandeburgensis, sacri Imperij Electores, ac Venerabiles fratres nostri Fredericus Magdeburgensis, Fredericus Saleburgensis, & Gerardus Bremensis Archiepiscopi, ac quidam alij Prælati, & Principes dictæ Nationis, nobis debitam obedientiam per suos Oratores præstiterunt, ac Nos solum in Vicarium IESV CHRISTI recognouerint, & professi fuerint.

Qui attendēs quod d. tempore, plurima in d. Natione gesta fuerint, quæ Sedis Apostol. auctoritatem requirūt ideo collationes & prouisiones beneficiorū, &c. auctoritate ordinaria factas, nunc Pōtificia auctoritate confirmat.

§. 2. Nos attentis, quod dictæ neutralitatis, & suspensionis tempore, plurima, in ipsa natione acta, gesta, & facta fuerint quæ confirmationem, indulgentiam, & dispensationem super eis Apostolicæ auctoritatis requirunt, prædictorum Regis, Archiepiscoporum, Marchionis, cæterorumque Prælatorum, & principum supplicationibus inclinati, omnes & singulas, tam Metropolitanæ, quam Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum, necnon dignitatum etiam Abbatialium, ac post Pontificalis maiorum, & in Collegiatis Ecclesiis principalium, & aliorum beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, etiam si Ecclesiæ curatæ, Canonicatus & præbendæ fuerint, electiones, postulationes, collationes, prouisiones, confirmationes, & dispositiones, necnon processus, sententias, aliaque acta iudiciaria, auctoritate ordinaria huiusmodi, suspensionis, & neutralitatis tempore factas, seu facta, quæ omnia & singula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac ea rata & grata habentes, auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus.

Et eorum possessores non molestari præcipit.

§. 3. Volentes ac etiam statuentes; vt nulli, qui possessione Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum huiusmodi, quorumcumque eorundem, qui Basileæ post translationem, & dissolutionem Basileensis Concilij ibidem remanserunt, auctoritate fuerint assecuri, super huiusmodi Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, beneficiis, & officiis, ac sententiis, & processibus, etiamsi in Romana Curia, vel extra eam lis (cuius statum præsentibus habemus pro expresso) indecisa pendeat, etiamsi super eis ad ea, aut contra ea fuerit alteri ius quæsitum, seu ius aliqui habere se prætenderent, ea tunc in antea in ipsa Curia, vel extra eam Apostolica, vel alia quavis auctoritate imperij, aut quomodolibet ea quavis ratione vel causa molestari possint, sed in suis possessionibus pacifice remaneant.

Lites desuper pendentes extinguit.

§. 4. Lites quoque & causas quascumque super huiusmodi Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, officiis, & beneficiis pendentes (illis dumtaxat exceptis quæ coram Ordinariis Iudicibus, apud quos iuxta formam dictæ suspensionis, & protestationis exinde secutæ licuit ligare, indecisæ pendent) ad nos aduocantes, auctoritate & scientia prædictis extinguimus, & supereis, aduersariis eorum, perpetuū silentium imponimus; possessores verò ipsos volumus in suis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, officiis, & beneficiis pacifica remanere.

Quinimo easdem Ecclesias & beneficia eisdem denuo confert.

§. 5. Quibus omnibus ipsas Ecclesias, Monasteria, dignitates, officia, & beneficia quocumque modo vacauerint, auctoritate & scientia præfatis tenore præsentium conferimus, & prouidemus de eisdem, ac illis qui pallium dictorum qui Basileæ post nostram translationem sub nomine generalis Concilij remanserunt. auctoritate receperunt, vt illo vti possint præsentibus concedimus & indulgemus; illis autem qui non habent, vel non receperunt, sine difficultate dabimus, ac etiam libere concedemus, illis tantum personis exceptis, quæ occasione priuationum propter nostram, aut Basileensem adhæsionem factarum, beneficia detinent, in quibus habent locum prouisio, & dispositio super his, quæ contra protestationem facta forent, per prædictos Regem, & Electores Imperij coniunctim, vel diuisim promulgata.

Sed contēdentib super Ecclesiis Fising. & Osilien. nō ex hoc præiudicare declarat.

§. 6. Per hoc autem nulli contendentium super titulo & iuribus Ecclesiarum Fisingen. & Osilien. volumus aliquod præiudicium afferri, aut generari, sed liberum sit, vnicuique eorum, ius suum prosequi iustitia mediante.

Alia tempore suspēsionis in præiudicium iurisdictionis Metropolit. & Diœcesan. Terrarum Regis, &c. reuocat & irritat.

§. 7. Præterea omnia & singula, quæ dictis suspensione & protestatione durantibus, in præiudicium, grauamen, & læsionem iurisdictionis, iuris vel possessionis Metropolitan. vel Diœcesan. Principatuum, Dominorum, Terrarum Regis, & Electorum, ac Archiepiscoporum prædictorum, necnon aliorum Episcoporum, Prælatorum, Collegiorum, personarum seu rerum quorumcumque contra fœdus protestationis, & suspensionis huiusmodi quandocumque vergentia, Apostolica vel alia quavis auctoritate cōcessa, ac in iudicio vel extra obtēta,

insuper

insuper Ecclesiasticas censuras mulctas, & pœnas, necnon cuiuscumque irregularitatis, & inhabilitatis maculas, tam à iure quam ab homine propter præmissa quomodolibet promulgatas, seu inflictas, promulgandas quoque seu infligendas, quoad Regem, Archiepiscopos, & Marchionem prædictos, eorumque Dominia, Clericos subditos, & vassallos: ac ad eos, quoque, qui infra sex menses à die datæ præsentium computandos, se declarauerint pro Nobis aut eidem declarationi adhæserint, cassamus, irritamus, & annullamus, nulliusque esse decernimus roboris vel momenti, omnem irregularitatem, & infamiæ maculam, siue notam per eos præmissorum occasione contractam penitus absoluentes, ac eos rehabilitantes, & restituentes ad eorum Ecclesiarum, Monasteria, beneficia, officia, dignitates, ac honores quæcumque, ac in pristinum statum, & eum in quo erant ante præmissa reponentes, necnon illis, qui contra ipsos impetratis, concessis, vel obtentis, seu impetrandis, concedendis, & obtinendis quomodolibet niterentur, etiamsi eis aut eorum alicui ius quæsitum foret, ex certa scientia de potestatis plenitudine perpetuum silentium imponentes.

Obligationes circa annatas Cameræ Apost. debitas, &c. relaxat.

§. 8. Insuper quascumque obligationes super annatis, seu communibus, & minutis seruitiis, cæterisque iuribus, nobis, & Cameræ Apostolicæ, seu Collegio Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, cæterisque officialibus debitis, seu quæ deberi dicerentur, occasione quorumlibet Metropolitan. & Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum quorumcumque vsque in præsentem diem remittimus, de nostra mera liberalitate relaxamus pariter, & donamus, eosque qui huiusmodi debitis obligati essent ab omni eorum solutione absoluimus, & etiam liberamus.

Dispensationes & indulta (exceptis hic expressis) à Pontifice, &c. concessa, confirmat.

§. 9. Dispensationes propterea quascumque (nisi tales forent quas hactenus Sedes Apostolica concedere non consueuit) indulta quoque forum conscientiæ respicientia, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, necnon nouas prouisiones pro possessoribus, sine præiudicio iuris quæsiti ipsa suspensione durante, vel etiam ante, à nobis vel ab eis, qui Basileæ sub nomine Concilij remanserint, aut Legatorum suorum, vel alia quavis auctoritate obtentas, impetratas, concessas, seu concessa, ac omnia inde secuta, à die datæ concessionis eorundem eadem auctoritate confirmamus, perinde ac si à nobis impetratæ fuissent.

Circa sententias Romæ, vel Basileæ prolatas, prouidet vt hic.

§. 10. Super sententiis autem in Romana Curia, vel in Basilea, sub nomine generalis Concilij ante ipsam suspensionem, vel ea durante, in quibus vterque litigantium ex ordinario titulo nititur se defendi prolatis, quæ exequutioni nondum sunt demandatæ, volumus, statuimus, & ordinamus, quod huiusmodi sententiæ coram Iudice tractentur, & quicquid vtraque pars vellet producere pro iure suo, coram eo debeat exhibere, qui quidem Iudex summarie, simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta procedens negotium ipsum vnica valeat terminare sententia, à qua nulli partium appellare liceat, aut prouocare, vel restitutionem aliquam obtinere. Per hoc autem nullatenus præiudicare intendimus eis, qui possessionem dignitatum, etiam Metropolitan. Cathedralium, & Abbatialium, seu beneficiorum quorumcunque, ordinaria, vel alia auctoritate sub eadem Nation. obtinen. durante neutralitate, vel suspensione prædictis vigore processuum in Romana Curia, vel in Basilea, sub nomine generalis Concilij obtentorum, aut alias violenter fuerint spoliati. Sed tam spolia, quam iura eorum denuo coram Iudicibus ordinariis cognoscantur, & fine debito terminentur.

Omnes qui Congregationi Basileen. adhæserunt post Concilij dissolutionem ab omnibus censuris & pœnis absoluit, si ad Pontificis obedientiam re- *[illegible] infra sex [illegible]*

§. 11. Insuper omnes & singulas prædictæ nationis, aut alterius in ea, beneficia vel officia obtinentes personas Ecclesiasticas & sæculares, etiamsi Regalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, vel alterius dignitatis fuerint, quæ post dissolutionem, siue translationem prædicti Concilij per nos factam, Congregationi Basileensi sub nomine generalis Concilij adhæserunt, & obedierunt, aut incorporati fuerunt, qui iam ad nostram obedientiam sunt reuersi, vel infra sex menses post declarationem pro nobis factam redierint, seu ipsi declarationi adhæserint, ab omnibus & singulis iuramentis, periurij reatu, ac aliis censuris & pœnis (si qui tenerentur, aut incurrissent) inflictis, & in tales promulgatis, aut propterea infligendis, auctoritate prædicta absoluimus, & liberamus, ac nomen inhabilitatis, irregularitatis, & infamiæ maculam, siue notam, exinde quomodolibet forsan contractam, abolemus, & in pristinum statum restituimus & reponimus, perinde ac si talia minime emanassent. Præterea omnes, & singulas personas nationis prædictæ, siue alterius in eadem beneficia, siue officia, sicut præmissum est, obtinentes quæ sub declaratione huiusmodi pro nobis facta, vel facienda continebantur, quæ post huiusmodi Concilij translationem, Basileæ remanserunt, aut ipsi Congregationi adhæserunt, & fauerunt, officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione ab eis missi sint quandocumque, aut eis crediderunt, ab omnibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque censuris & pœnis in ea, vel per processus nostros, aut aliis inflictis & promulgatis absoluimus; Cunctis qui ibidem, seu à prouisis ab ipsis, aut eorum auctoritate Sacros Ordines dicto tempore receperunt, vt in susceptis ordinibus ministrare valeant dispensantes. Volumus insuper quod singuli Metropolitani Nationis eiusdem, actu iam nobis obedientes, vel qui infra sex menses, vt præfertur nobis & Apostolicæ Sedi debitam obedientiam præbuerint, consimiles bullas seu literas Apostolicas habeant, super quibus parentibus quibuscumque, quatenus opus fuerit, sub eorum sigillis, transumpta concedere valeant, eisque in iudicio, & extra plena fides, sicut originalibus literis per omnia præbeatur. Super Ecclesias autem Treuirensem & Coloniensem, de quibus in petitionibus Regis, Archiepiscopi Maguntini, & Marchionis prædictorum specialis est appositus articulus, per alias nostras literas desuper editas specialiter prouidimus, prout in eis plenius continetur.

Prædicta omnia obseruanda pollicetur.

§. 12. Vt autem præmissa eo firmius obseruentur pro nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu pollicemur, omnia & singula supradicta inuiolabiliter obseruare, & contra ea vel ipsorum aliquod, in toto vel in parte, nullo vnquam tempore quicquam innouare, & quod nobis licere non patimur, eisdem successoribus indicamus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his, à quoquam, quavis etiam Apostolica auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Quinimo si aduersus præmissa literæ aliquæ, aut mandata ad cuiuscumque instantiam, vel etiamsi motu proprio vel ex certa scientia, etiam cum derogatoriis clausulis, sub quacumque verborum forma à nobis, seu nostra auctoritate, aut ab alio quovis emanassent, seu in futurum emanarent, tales ex nunc pro infectis haberi volumus, quodque is contra quem emanassent, aut concessæ fuissent, aut emanarent, & in futurum concederentur, illis minime obedire teneatur.

Contraria derogat.

§. 13. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus Apostolicis, & etiam cum decreto irritante quorumcumque tenorum existant, in genere vel in specie, per nos seu prædecessores nostros concessis, seu concedendis, priuilegiis vel indultis, de quibus ac totis tenoribus, eorum, specialis & expressa, etiam de verbo ad verbum mentio in nostris literis foret facienda, necnon quarumcumque Ecclesiarum statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo hanc paginam nostræ, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

D. P. die 16. die 7. Feb.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, 7. Idus Februarij, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

NICOLAVS QVINTVS PONT. CCXII.

ANNO DOMINI MCCCCXLVII.



NIcolans V. Sarzanensis, Thomas Lucanus anteà vocatus, Presbyter Cardialis S. Crucis, Creatus pridie Nonas. Coronatus 3. Idus Mart. 1447. Vixit annos 8. dies 19. Creauit Cardinales 12. Obiit 9. Kalend. Aprilis, Anno Domini 1455. Sepultus fuit in Basilica S. Petri. Vacauit sedes dies 18.

I. Confirmatio concordiæ initæ inter Federicum Imperatorem, Principesque Germaniæ, ac Legatum Apostolicum, super reseruatione & collatione Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum. Et approbatio constitutionis Eug IV. in his quæ huiusmodi concordiæ non aduersantur.

His concordatis quandoque Germani Prælati contrauenerint, ideoq; eorum collationes irritanit Clem. VII. in eius const. 14. Admonet. Et eiusdem Concordiæ declarationem, circa collationem in mensibus reseruatis, inspice in Greg. XIII. const. 41. Quæ in Ecclesiam.

Edita A.D. 1447.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.



AD sacram Petri Sedem, diuina dispositione sublimati, singulis quæ pro vniuersalis Ecclesiæ vnione, ac pace, & tranquillitate profutura fore conspicimus, Apostolicæ prouidentiæ sollicitudine libēter intendimus, & ad felicem illorum prosecutionem, & consummationem, opem, & operam impendimus efficaces.

Federicus Imper. Principesque Germaniæ, & legatus Apost. ordinationes siue cōcordata fecerunt, super reseruatione, & collatione Ecclesiarū & beneficiorum.

§. 1. Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster, Federicus Romanorum Rex Illustris, & nonnulli alij dilecti filij, Ecclesiastici, & sęculares Principes inclitę nationis Germanicæ ex vna, ac dilectus filius noster, Ioānes S. Angeli Diaconus Card. in partibus illis Apostol. Sedis de latere Legatus, per nos ad dictas partes missus sufficiēti desuper à nobis, & Sede Apostolica auctoritate suffultus, ex alia partibus, Romanæ Ecclesiæ, & dictæ nationis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ vnione, pace, & tranquillitate inter Ecclesiam, & nationem prædictam, perpetuo solidandis, & conseruādis, diuersa rationabilia, & vtilia ordinationes & statuta, à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata, & concordata, fecerunt, ac ediderunt, nobisque humiliter supplicati fecerunt, vt illis pro firmiori eorum subsistentia, robur Apostolicæ firmitatis adiicere, necnon auctoritatem potiorem, & decretum interponere dignaremur.

Quæ Pōt. ipsi approbat modificādo cap. Execrabilis, & cap. Ad regimen, de Prabend. inter extrauag. communes.

§. 2. Nos itaque, qui statuta, ordinationes, & concordata prædicta, per nonnullos ex venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, magnarum maturitatis, auctoritatis, & literaturæ viros, diligenter examinari, & discuti fecimus, eaque rationabilia, & salubria tam Ecclesiæ quam nationi præfatæ fore comperimus de dictorum, & aliorum venerabilium fratrum nostrorum Ecclesiæ Cardinalium, consilio & assensu, Apostolica auctoritate, & ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, iuxta modum, & formam subsequentes. Placet nobis super prouisione Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque prouisionibus iuris scripti reseruationibus, & Execrabilis, ac Ad regimen, constitutionibus modificatis vt sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis, quanquam immeriti, superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, vt debemus, quod per nostræ diligentiæ studium, ad quarumlibet Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, & alia beneficia Ecclesiastica, iuxta diuinum beneplacitum, & nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui præsint, & prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis prælibatis. Præmissorum itaque consideratione indocti, & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum prædecessorum nostrorum Rom. Pont. vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias, & etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus, & officia, necnon canonicatus, præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, sæcularia, & regularia, quęcumque, & qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueuerint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud Sedem Apostolicam quocumque modo vacantia, & in posterum vacatura: necnon per depositionem, vel priuationem, seu translationem per nos, seu auctoritate nostra factas, & in antea faciendas vbilibet: necnon ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi siue postulari fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio, & admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum electorum, vel postulatorum, & in antea eligendorum seu postulandorum electionem cassari, seu postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos, aut auctoritate nostra continget apud Sedem prædictam, vel alibi vbicumque, & etiam per obitum Cardinalium eiusdem Ecclesiæ Romanæ, aut officia actualiter tenebunt (videlicet Vicecancellarij, Camerarij, septem Notariorum Auditoris, literarum contradictarum, & Apostolici Palatij causarum Auditorum, Correctorum, centum & vnius Scriptorum literarum Apostolicarum, & vigintiquatuor Pœnitentiariæ præfatæ Sedis, & vigintiquinque Abbreuiatorum necnon virorum Commensalium nostrorum, & aliorum vigintiquatuor Capellanorum Sedis eiusdem in epitaphio descriptorum) & etiam quorumcumque Legatorum, seu Collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum, ac Thesaurariorum deputatorum, seu missorum hactenus, vel deputandorum, aut mittendorum in posterum, nunc vacantia, & in antea vacatura, vbicumque dictos Legatos, vel Collectores, seu Rectores, & Thesaurarios antequam ad Romanam Curiā redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, necnon quorumlibet pro quibuscumque negotiis ad Romanam Curiam venientium, seu etiam recedentiū ab eadē, si in locis à dicta Curia vltra duas dietas legales non distantibus iam forsan obierint, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit, & etiam simili modo quorumcumque Curialium peregrinationis, infirmitatis, seu recreationis, vel alia quacumque causa ad quęvis loca secedentiū, si eos antequā ad dictam Curiam redierint in

locis

locis vltra duas dietas ab eadem Curia, vt præmittitur non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) iam forsan decesserint, vel imposterum eos contigerit de medio submoueri, etiam nunc per obitum huiusmodi vacantia, vel imposterum vacatura, Rursus Monasteria, Prioratus, dignitates, personatus, decanatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, sæcularia, & regularia, cum cura, vel sine cura, quæcumque, & qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueuerint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, qui promoti per nos, seu auctoritate nostra ad Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, necnon Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum nunc quocumque modo vacantia, aut imposterum vacatura, necnon etiam per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, Ecclesiarum, aut beneficiorum aliorum, per nos seu auctoritate nostrarum literarum immediate collatorum, seu conferendorum imposterum, præterquam si virtute gratiæ expectatiuæ assecutio fiet, nunc vacantia, & inantea vacatura, plena super præmissis, omnibus, & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac prouisioni nostræ de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica reseruamus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum, per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Declarat quæ circa electiones, &c. constitutionem Nicol. 4. in tit. de elect. in 6. Tu ad hoc vide etiā Greg. 13 cit. in rub.

§. 3. Item placet nobis, quod in Metropolitanis, & Cathedralibus etiam immediate non subiectis Ecclesiis, & Monasteriis immediate subiectis Sedi Apost. fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus const. fel. rec. Nicolai Papæ III. quæ incipit, Cupientes; expectabimus: & elapso dicto tempore si non præsentatæ, vel si præsentatæ, minus canonicæ fuerint prouidebimus; & si canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili, & euidenti causa de dictorum fratrum consilio, de digniori, & vtiliori persona duxerimus prouidendum, prouiso, quod confirmati prædicti, & per eos prouisi, Metropolitanis suis, & aliis præstent debita iuramenta, & alia, ad quæ de iure tenentur. Et in Monasteriis dictæ Sedi immediate non subiectis, & aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione, vel prouisione ad dictam Sedem non consueuit haberi recursus, electi, seu illi, quibus prouidendum est, pro confirmatione, & prouisione huiusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur, ipsaque regularia beneficia sub expectatiuis gratiis non cadant. Vbi autem pro Monasteriis ad dictam Curiam venire seu mittere consueuerint, non aliter confirmabimus vel prouidebimus, quam superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. Et de Monasteriis Monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes. De cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibuscumque sæcularibus & regularibus vacaturis, vltra reseruationes prædictas (maioribus dignitatibus post Pontificales, in Cathedralibus & principalibus in collegiatis Ecclesiis exceptis, de quibus iure ordinario prouidetur per illos inferiores, ad quos alias pertinet.

Declarat insuper vacationes futuras in mensibus ordinariorum, ac seruatis Sedi Apost.

§. 4. Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reseruationem, gratiam, expectatiuam, aut quamuis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, per nos vel auctoritate nostra factam vel faciendam, non impediamus nos, quo minus de illis cum vacabunt de Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, prouisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat: reseruatione, aliave quavis dispositione auctoritate nostra factis vel faciendis, non obstantibus quibuscumque. Quoties vero aliquo vacante beneficio in Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris mensibus specialiter dispositioni dictæ Sedis reseruatis non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficij, quod aliqui de illo Apostolica auctoritate prouisum fuerit, ex tunc & non antea Ordinarius, vel alius ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit, & ad finem vt hæc Ordinatio collationum beneficiorum non reseruatorum per alternos menses possit per dictam nationem publicari, & omnes qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi tunc quoad dictam Sedem, à Kalendis Iunij, proximè futuris ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

Et quoad annatas

§. 5. Placet similiter nobis quod circa prouisionem dictæ Sedis ordinandam, modus annatarum hoc modo currat. De Ecclesiis Cathedralibus omnibus Monasteriis, virorum dumtaxat, vacantibus & vacaturis, soluantur de fructibus primi anni die vacationis, summæ pecuniarum in Cam. Apost. taxatæ, quæ communia seruitia nuncupantur, & si quæ excessiue taxatæ sint retaxetur, & quod prouideatur specialiter in grauatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum & regionum ne nimium prægrauentur, ad quod petentibus dabimus commissarios in partibus, qui diligenter inquirant & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius vel maioris partis, soluantur & pro alia media parte infra annum sequentem, & si infra annum bis vel pluries vacauerint, semel tantum soluatur, nec debitum huiusmodi in successorem in Ecclesia vel monasterio transeat. De cæteris verò dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis sæcularibus ac regularibus quibuscumque quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus prouidebitur (præterquam vigore gratiarum expectatiuarum aut causa permutationis) soluantur annatæ seu medij fructus iuxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum, & debitum huiusmodi, similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis quæ valorem vigintiquatuor florenorum auri de camera non excedunt, nihil soluatur, duretque hæc obseruantia deinceps nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.

Approbatio confl. Eug. 4. quæ est vlt. & sup. fol.

§. 6. In aliis autem quæ per fel. record. Eugenium Papam quartum etiam prædecessorem nostrum pro dicta natione vsque ad tempus futuri generalis Concilij, permissa, concessa, indulta, & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordiæ præsenti non obuiet, ista vice nihil volumus esse immutatum, & per hoc quod in concordatis huiusmodi, siue quibusvis aliis eorum occasione conficiendis literis, propter compendiosiorem descriptionem, Almania specialiter appellatur, natio ipsa censeri non debet à Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata.

Fides danda transumptis.

§. 7. Et præterea quia difficile foret præsentes literas ad singula in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica auctoritate decernimus quod ipsorum transumpto Metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito, tanquam præsentibus si exhiberentur literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ præsentes literæ forent exhibitæ vel ostensæ, & insuper quoque irritū & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Sanctio pœnalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reseruationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 2. die 27. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1447. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno 2.

II. Canonizatio S. Bernardini Senensis, professoris Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de obseruantia, eiusque relatio in numerum Sanctorum Confessorum.

Hoc festum celebretur die 20. mensis Maij, qua de anno 1444. obiit in ciuitate Aquila S. Bernardin.

Edita A. D. 1452.

NICOLAVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei : Ad futuram rei memoriam.

Mirabilia fecit Dominus vt hominem in salutis viã reduceret.

MIsericordias Domini in æternum nos cantare debere Propheta admonet dicens: Misericordias Domini in æternum cantabo: Magna & inenarrabilia sunt profectò opera misericordiæ Dei, quibus iugiter in salutem humani generis, se eiusdem miserationis sinus effundit, quæ si quis ab initio creati hominis recensere voluerit, non tantum hominum linguæ, quæcumque illæ sint, non sufficerent Angelorum, quod inenarrabile est, quod cum hominem creasset ad imaginem, & similitudinem suam, quodque particeps esse posset felicitatis æternæ in vnam Cœlestem ciuitatem adscribendus consortiis Angelorum, si datæ sibi diuinitus legis non contempsisset imperium, non passa est diuina clementia ipsum penitus interire, sed pro temporum diuersitate non destitit congruentes exhibere medecinas, quibus à lege Domini aberrans, in salutis semitam traheretur.

Angelos quãdoque destinando.

§. 1. Nunc Angelos destinando, qui diuinam patefacerent voluntatem, suaderent quæ iusta sunt, quæ sancta sunt, & ad implendum diuinum beneplacitum adiuuarent.

Patriarchas mittendo, Prophetasque.

§. 2. Nunc mittendo Patriarchas gratiæ suæ spiritu repletos, qui exemplo suo, cæteros instruerent ad salutem.

§. 3. Nunc diuinos Prophetas, qui Spiritu suo sancto illuminati, non tantum eius temporis diuina beneficia humano generi commemorarent, sed etiam futura prædicerent.

Filiumq; suũ morti tradendo, pro nostrorum expiatione peccatorum.

§. 4. Et illud maxime, quo nihil potest inter opera diuinæ miserationis sublimius excogitari, quod Dei Filius in sua persona naturam nostræ mortalitatis assumeret, & adimpleret ea, per mysterium passionis & mortis suæ, quibus à Diaboli potestate, & peccatorum vinculis solueremur.

Post autem eius ad cælos Ascensionem, demisit in terra Apostolos, quorum doctrina & opere, vltra alia, multi se Dei seruitio dedicarunt, &c.

§. 5. Hæc facta sunt per illam immensissimam profunditatem, & abyssum impenetrabilem misericordiæ Dei, quem nos Christiani induimus, & ipsius sumus baptismate consecrati, per singulos dies commemorantes, conamur cum cordis nostri spe, fide, & charitate viuentes sacrificium immolare, tum per ministerium Sacerdotum, illius salutaris hostiæ, quia peccatum mundi huius abluitur, sacrificium indesinenter offertur. Hæc inenarrabilia sunt, & vix possunt, nisi exigua quadam & tenuissima ex parte cogitari: Verum si quis excogitationem extenderit in diuina beneficia, quæ post D. N. Iesu Christi Ascensionem ad Cœlos; humano generi exhibita sont, quis illa, non dicam numerare, sed quamuis potens eloquia minima ex parte enarrare sufficiat? Quis non stupeat tantam vocationem humani generis per Apostolicam turbam * paucissimorum hominum à Dei Filio Iesu Christo Domino nostro in vniuersum orbem terrarum destinatorum, Euangelicam veritatem humanis auribus intonantium, quorum prædicatione factum est, vt nihil terrenum, nihil ligneum, nihilque corporeum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse homines putent, quodque à vetere, seu carnali vita, tam inæstimabilis multitudo in nouam & spiritualem vitam translata est, vt persuasum sit humano generi in ipsis, qui Euangelio crediderunt, continentia vsque ad tenuissimum victum panis & aquæ, & quod maius est, non solum quotidiana, sed per continuos plures dies perpetuata ieiunia. Quod castitas vsque ad coniugij, prolisque contemptum: quod patientia vsque ad Cruces, flammasque neglectas: quod liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus: quod denique totius huius mundi aspernatio, vsque ad desiderium mortis intenditur. Hæc in plurimis qui Christi Euangelio credidere impleta sunt, & quotidie videmus impleri, cum terrarum vbique videamus, vbi floret Christi religio, sacra Cœnobia viris mulieribusque referta, qui seipsus omnipotenti Deo sacras victimas immolarunt, cum videmus innumerabiles fere sanctissimos & deuotissimos Sacerdotes, fungentes suo ministerio id implere conari, vt ab hac carnali vita in spiritualem transeant, & à sæculi huius concupiscentiis immaculati, illæsique permaneant, cum ex innumerabili multitudine populi, pars non exigua per Euangelij semitam transire conatur, implẽdo mandata cœlestia quantum sinit mortalis infirmitas. Hæc facta sunt diuina prouidentia, per humanitatem, doctrinamque Christi, per ipsius passionem, & mortem, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuersis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula.

* *tubam.*

Et continuè in Ecclesia sua, renouat aliquos viros electos, qui quasi noui Apostoli, alios ad Dei seruitium trahunt.

§. 6. Quanta verò est illa diuina miseratio, quod decursu temporum, multorum frigescente charitate, illam penitus non sinit extingui, sed continuo Ecclesiam suam per ministerium electorum suorum renouare & multiplicare non cessat, vnicuique tempori electos quosdam, quasi primos magni gregis arietes, & quasi alteros Apostolos destinando, qui Euangelij semitam pene obliteratam, & pene corruentem, & vitæ exemplo, & doctrinæ verbis innouarent, tantæ perfectionis in se exemplaria cientes, quæ postea innumerabiles fere diuino spiritu illorum corda agente, facillimè sequerentur.

Inter quos electos surrexit præcipuè S. Bernardinus de Senis qui vita exẽplo, & prædicationis opere, in tota Italia, Dei Euangelium renouauit.

§. 7. Hoc factum est per misericordiam Dei superioribus temporibus, & fere vbique terrarum, sed nouissimis diebus, diuina se miseratio exuberantem effudit, cum in multorum cordibus frigescente charitate, sacram religionem, quæ ab Euangelicæ perfectionis semita aberrare videbatur, digno dignata est igne succendere, vt videamus plerasque religiones ita renouatas, & ita diuino igne succensas, vt nisi ingrati esse velimus, diuinæ beneficentiæ immensas gratias referamus, quod ad excolendam vineam suam, etiam hac nouissima hora, operarios destinare non cessat. Quamplures videmus in hoc ministerium destinatos, sed temporum nostrorum præcipuus, & magnus inter electos fuit, vir iste sanctissimus, propter quem celeberrimus iste conuentus agitur, S. Bernardinus, vir ab ipsis incunabulis perfectioni Euangelicæ consecratus, qui in vineam Domini cultor & operarius designatus, iniunctum sibi opus indesinenter exercuit, qui se immaculatum ab huius sæculi contaminatione custodiens, primum in seipso iugum Christi suaue complexus est, & adeo vitæ exemplo, & sacra prædicatione profecit, vt fere per omnem Italiam renouauerit Euangelium Christi, vbique sine offendiculo, scandaloque pertransiens, & quantum fieri potuit, semper Deo & hominibus placens. Non est huius loci propter angustiam temporis, singulas suas diuinas & fere innumerabiles recensere virtutes, nam tanta omnipotentis Dei attestatione munitur, vt humana laude non egeat.

Et quamplurima miracula fecit, itaque Rex Aragonum, & populi Ciuitatis Senarum & Aquila apud Eug. iiij. institerunt, vt desuper fieret processus, ad effectum eum canonizandi, virtute comperta.

§. 8. Tanta etenim in sanctitatis suæ testimonium coruscauere miracula, vt etiam si qui sint ministri Satanæ, qui eius cuperent detrahere sanctitati, tantis visis signis atque portentis, penitus obmutescant, & qui beneficia Dei, tempore nostro exhibita recognoscunt, agant vberes gratias tantæ sanctitatis accensi, videntes in hoc gloriosissimo viro renouari, quod de vnigeniti Dei Filio dictum est. Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigium pedum tuorum. Tanta etenim tempore sanctæ memoriæ prædecessoris nostri Eugenij Papæ Quarti increbuere miracula, vt sæpe plurimos honoratos & religiosos viros, necnon literis multorum Principum, & præcipue charissimi in Christo filij nostri Alphonsi Aragonum Regis Illustris, & Senensis, & Aquilensis populorum precibus, literis & nuntiis pulsatus sit, vt tanta & tam diuina miracula quotidie coruscantia, diligenter mandaret inquiri, vt veritate comperta, tanto viro gloriam: quam iam diuina testificatione in triumphante Ecclesia obtinebat in Cœlis, in militante non negaret in terris.

Eugen. itaque id tribus Cardinalibus cõmisit, & tandem Veritate habita, illum Canonizare cogitabat.

§. 9. Fecit quod rei grauitas & magnitudo poscebat, & quod aliàs Sedes Apostolica obseruare consueuit, commisit tribus S. R. E. Cardinalibus, qui duos venerabiles Episcopos delegantes, veritatem tantæ rei inquiri cum omni grauitate mandarent, qui exactis aliquot mensibus ad Sedem Apostolicam reuertentes, quæ inuenerunt fidelissime retulerunt. Cum autem idem prædecessor noster tertium veritate perspecta, pulsantium precibus satisfacere cogitaret, vocante Deo, de hac miseriarum valle subtractus est.

Hic ergo Pôt. ab eisdem requisitus alios

§. 10. Nos qui non meritis nostris, sed diuina dignatione illi in onere & honore successimus, fuissemus per eusdem,

quos

tribus Card. id cum negotiu commisit, & abundantius veritas comperta fuit,

quos supra retulimus, sæpissime requisiti, vt quod prædecessor noster impediente morte non fecerat, impleremus. Nos rei grauitatem & magnitudinem attendentes, deliberauimus mature & grauissime procedendum. Propterea tribus ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus commisimus, vt duos venerabiles Episcopos eligerent, quos denuo pro inquirenda veritate delegarent, vt duplici inquisitione informati, rem audacius ageremus. Miserunt sicut iniunxeramus duos venerabiles Episcopos, qui eorum, quæ inuenerant, in scriptis notitiam reportantes, fidelissime singula retulerunt, per omnia conformiter referentes his, qui tempore prædecessoris nostri fuerant destinati, sed multa plura clarissima miracula reportarunt, quæ post priorum regressum fuerant perpetrata.

Et tamen tertio alios destinauit duos Episcopos, qui maiora etiam miracula verificarunt & retulerunt.

§. 11. Non nos ea inquisitione contenti, etiam tertio destinare decreuimus, propterea duos alios venerabiles Episcopos iussimus proficisci, qui profecti, post menses aliquos rediere, vberrima & fidelissima attestatione referentes, tanta dietim innouari, & coruscare miracula, quod si singula recensenda essent, vix possent magnis libris includi, sed ex omnibus quædam maiora, & insigniora retulerunt.

Tandem misit Senas, & Aquilā, vnum Episcopū, qui perseuerantiā miraculorum retulit in dies esse maiorem.

§. 12. Nos postea etiam Senas mittendum esse censuimus, misimusque venerabilem fratrem nostrum Angelum Episcopum Esculanum, qui post aliquot menses reuersus, coruscantem diuinam gratiam in miraculorum perpetratione sub verissima, & fidelissima attestatione retulit, quem etiam voluimus Aquilam proficisci, vt etiam reportaret, si in tanti viri sanctitatis attestationem, perseueranter diuina miracula coruscarent, qui reuersus, prioribus à nobis destinatis conformia reportauit, & insuper magna & stupenda quæ postmodum contigerant, retulit; quæ non in angulis, sed publice, & in conspectu multitudinis fuerant perpetrata.

Ideo hic Pont. omnia in Cōsistorio secreto referri voluit & examinari.

§. 13. Nos his compertis, ne Spiritui sancto resistere videremus, qui per os propheticū laudari Deum in Sanctis suis iubet, piis & deuotis supplicationibus postulantium condescendere cogitauimus, fecimusque per venerabiles fratres nostros S.R.E. Cardinales per nos deputatos, omnia per Nuntios reportata, in secreto Consistorio nostro diligenter particulariterque referri, quæ per Consistorium examinata sunt.

Et in alio simili Consistorio, vnanimiter Cardinales, Canonizationem fieri votarunt, & Pontif. B. Bernardinum canonizandū esse censuit.

§. 14. Sed propter grauitatem rei, visum est in aliud Consistorium differri, vt tempore medio, quilibet Cardinalis in domo sua posset illa diligentius intueri, & in secundo Consistorio seruatis omnium votis, in eandem sententiam conuenerunt, tantam esse euidentiam miraculorum, necnon de vitæ ipsius sanctimonia, ac fidei integritate, tam clarum, tamque euidens testimonium, vt in tanti viri canonizationem animos concorditer sua vota depromerent, quorum secuti iudicium, tunc canonizandum esse decreuimus.

Postea in Capella maiori, Prælatorū vota exquirere voluit, & illi in eodem voto fuerunt.

§. 15. Verum vt res cum maiori grauitate procederet, iussimus in Capella maiori Palatij nostri Apostolici apud S. Petrum, Prælatorum omnium, qui in Curia essent fieri Congregationem, ipsisque ibidem positis vna cum venerabilibus fratribus nostris proposuimus rem hanc, omnia recensentes, quæ vsque in horam illam, in huiusmodi materia, fuissent actitata, & singulorum vota scrutata sunt qui in eandem sententiam deuenerunt, in quam venerabiles fratres nostri S.R.E. Cardinales in Consistorio secreto conuenerant.

In Consistorio publico eādem ipse Pont. Canonizationem facere, publice decreuit.

§. 16. Postea in Consistorio generali re proposita, quod in Consistorio secreto per nos decretum fuerat, publice decreuimus faciendum, hoc est tanti viri canonizationem in Ecclesia Principis Apostolorum, hac die Pentecostes, per nos debere celebrari.

Refert ergo quasdam S. Bernardini virtutes.

§. 17. Nos igitur qui huc hodie conuenimus, vt in conspectu tantæ multitudinis sanctitati viri testimonium perhibeamus, assumimus illud Dominicum verbum, quod suis imitatoribus dixit: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, ministrauit Vir iste sanctissimus Christo, & sequutus est Christum. Ministrauit Christo, cum se laqueis sæculi exuens, & deponens veterem hominem cum actibus suis, & induens nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis, iugum leue sanctæ religionis amplexus est. Ministrauit Christo cum sancta religione proficiens dietim maiora virtutum diuinarum augmenta capiebat, præcipue humilitatis Christi imitator effectus, pauper spiritu, & diues gratia. Ministrauit Christo, cum membris Christi, hoc est fidelibus Christi, pabulum doctrinæ cœlestis indesinenter exhibuit, plurimas Deo lucrifaciens animas, quas à Diaboli & sæculi laqueis exuebat. Ministrauit Christo, cum per ciuitates, prouinciasque seminans verbum Dei, populorum cateruas antiquis odiis dissidentes, omni cordium rancore deposito, in charitatem mutuam reuocabat. Ministrauit Christo, cum in pluribus locis mulieres in lasciuiam vergētes, & diutius antiquatos, verbi diuini prædicatione dimouit, exhortans tam viros, quam mulieres, seruare pudicitiam, reliquosque laudabiles mores; sine quibus nemo vere potest esse Christianus. Ministrauit Christo, cum nominis sui per omnem Italiam celebritate ingente, in eadem, quam primo assumpserat, humilitate permansit. Ministrauit Christo, cum verbum Dei indefesse prædicare non destitit. Ministrauit Christo, cum se vocante ad æternam requiem, nec mori timuit, nec viuere recusauit.

Et consensu Card. accedente, B. Bernardinum inter Sanctos confessores connumerat & canonizat.

§. 18. Ergo quia non potest veritas ipsa mentiri, quæ est vnigenitus Dei filius, qui per os carnis assumptæ, loquutus est dicens: Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Cum sciamus hunc Sanctum Virum ministrasse Christo, & ipsum fuisse sequutum vsque ad consummationem vitæ, minime dubitare permittitur, quin potius certissimum tenere, quod vbi est Christus Dei filius, sit etiam minister suus S. Bernardinus. Ergo quia cum Christo sunt omnes Sancti eius, de omnipotentis Dei misericordia, qui non deserit Ecclesiam suam, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ac venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium ad id accedente consensu, decernimus, declaramus, & ordinamus, sanctum Bernardinum inter Sanctos Dei, ab vniuersa Ecclesia debere deputari, & Sanctum haberi, & tanquam Sanctum honorari, & coli, ipsumque canonizamus, & pro canonizato haberi volumus. Mandantes festum in numero Sanctorum Confessorum, non Pontificum decantari.

Indulgentias que visitantibus eius Ecclesiam concedit, porrigentibus manus adiutrices.

§. 19. Insuper omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in die festi sui Ecclesiam, in qua sanctum corpus suum requiescit, deuote visitauerint, & ad ornatum siue fabricam dictæ Ecclesiæ, manus porrexerint adiutrices, septem annos & totidem quadragenas, de iniunctis eis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis temporibus duraturis.

Ad hoc vide bullam 30. Pij V. Etsi dominici.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Dat. P. A. 4. die 24. Maij.

Dat. Romæ in Basilica Principis Apostolorum, Anno Incarnationis Dominicæ 1450. Non. Kal. Iulij, Pont. nostri Anno 4.

Contra impios Christianos mittentes & deferentes arma, victualia & mercimonia ad partes Saracenorum, vel eisdem fauorem, aut auxilium præstantes. III.

Ampliorem in hoc dispositionem habes in bullis Cœnæ Domini, quotannis publicari solitis, vt notabo inf. in constit. 41. Pauli V. Pastoralis. Antiquiorem autem prohibitionem huiusmodi edidit Alex. III. in cap. 6. & Innoc. III. in cap. 17. de Iud. necnon Clem. V. in extrau. 1. de Iud.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1450.*

Lateranense, & Lugdunense concilia mal. in vetitum innodarunt, de-

§. 1. Olim tam in generali, quā in Lugdunensi postmodum subsistuto Concilio, per sedem Apostolicam celebratis, in illos falsos, & impios Christianos, qui contra Deum & Christianum populum Saracenis ferrum

ferentes, & mittentes arma, &c. Saracenis, &c.

ferrum, arma, quibus Christianos impugnent, & lignamina galearum, & aliorum vasorum nauigabilium, deferunt ad eos, & qui eis galeas vendunt ac naues, quique in pyraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, vel in machinis & quibuslibet aliis, eis impendunt auxilium, vel consilium, vel fauorem, in Christianorum dispendium, & specialiter Terræ Sanctæ, fuit excommunicationis sententia promulgata, ipsosque rerum suarum priuatione mulctari & seruos capientium fore censuerunt Concilia supradicta, expresse quoque in ipsis præcipitur, vt talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum quod de commercio tam damnato perceperint, & tantumdem de suo, in subsidium Terræ memoratæ præstiterint, vt æquo iudicio in quo deliquerunt, puniantur.

Pont. easdem & maiores pœnas hic expressas imponit illis, qui per decennium victualia, & quodcumque, arma &c. detulerunt, aut deferri permiserint ad terras Soldano subiectas.

§. 2. Nos itaque gerentes corde negotia dictæ terræ, duximus hactenus statuendum, vt nullus equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quoque mercimonia, in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum terræ Ægypti deferre, vel mittere, seu è partibus eorum, vt eisdem deferantur, extrahere, vel extrahi permittere, aut consilium, vel fauorem præstare quoquo modo præsumat. Ac illos, qui contra huiusmodi constitutionem nostram ausu temerario venire tentauerint, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subiacere, à qua non possint absolui, nisi tantum de bonis propriis, in dictæ Terræ sanctæ subsidium conuertendum exoluerint, quantú ad partes prædictas extulerint, vel miserint, & deferri, vel de ipsorú partibus extrahi permiserint, ad eosdem deferendum. Et nihilominus si personas eorum capi contigerit, in seruitutem, & capientium illorum esse volumus in quorum ceciderint captionem. Volentes autem in hac parte solertius prouidere, quanto amplius exigere hoc noscitur vrgens necessitas dictæ Terræ, Apostolica auctoritate statuimus, vt nullus omnino aliqua victualia, vsque ad decennium, à data præsentium computandum, alia verò prædicta, ad aliquod, seu aliqua de eisdē, aut aliud quodlibet (victualibus sicut præmittitur vsque ad prædictum tempus dumtaxat exceptis) quacumque occasione, vel causa, seu quovis ingenio, vel quæsito colore, vllo vnquam tempore in Alexandriam, vel partes Ægypti, seu terras Soldano subiectas mittere, vel deferre præsumat, vel quantum in eo fuerit, mitti vel deferri permittat, auctoritate decernimus eadem, vt hi, qui contra huiusmodi statutum nostrum quolibet modo venire præsumpserint, præter pœnas prædictas, quas ipso facto incurrere volumus, perpetuo sint infames, & intestabiles habeantur, ita quod nec testari, nec legata, seu relicta percipere valeant. Et insuper ad successiones tam ex testamento, quam ab intestato sint prorsus, & reddantur inhabiles, nec ad publica quælibet admittantur officia, sintque illis actus legitimi perpetuo interdicti, & postquam de huiusmodi temeritate constiterit, diebus festiuis, & Dominicis publice nuntientur, & ad fiscum bona omnia deuoluantur.

Sanctio Pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, & constitutionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c.

Dat. P. A. 4. die 23. Aug.

Dat. apud Vrbē veterem, 9. Kal. Sept. Pont. N. anno 4.

IV. Coronatio Friderici tertij, Romanorum Imperatoris in Alma Vrbe cum approbatione electionis iam de eo factæ.

Edita A. D. 1452.

NICOLAVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

IMperator æternus cuncta, cælestia simul, & terrena gubernans, totum Orbem sub ditione regnorum, & illorum principatu constituit salubriter gubernari, ne statum humanæ creaturæ ad imaginem sui creatoris formatæ, Mundi tempestuosæ fluctuationes confunderent vel eius quietis dulcedinem impedirent, quinimo, vt omnes sub iuris, & honestatis legibus vita pacifica viuerent, & ab offensis alterutter abstinerent, factoremque suum cognoscerent, agnitum colerent, & suo reuererent Imperio subiacerent. Demum verò creaturam ipsam ab ipsius factoris agnitione deuiam, suoque cultu aberrare prospiciēs, vnigenitum suum misit in Mundum, vt eam ad agnitionem, & cultum huiusmodi reuocaret, & sui faceret Regni cohæredem. Qui rediturus ad Patrem, Apostolorum Principem sibi Vicarium instituit, vt cunctis superintenderet, & commissis populis sibi salubriter præsideret.

Cura Romani Pontificis, propagandæ fidem & tuendi iura Regnorum.

§. 1. Nos igitur qui licet immeriti ipsius Apostolorum Principis in huiusmodi eius Vicariatu, sumus à Domino constituti successores, & Ecclesiæ militanti, sub qua & sacrum Romanum Imperium dicto Imperatori æterno famulatur, sua miseratione præsidemus, quoad hoc peruigili cura commissi nobis officij debitum libenter exequimur, vt ipsius Imperij, & singulorum iura Regnorum sub salubri regimine, ad Domini nostri gloriam, Catholicæ fidei propagationem, & totius reipublicæ prosperitatem fideliter tueantur, & feliciter gubernentur.

Imperiū vacauit per obitum Alberti Imperatoris, Electoresque Imperij Fridericum in Regē Romanorum, futurumque Imperatorem elegerunt.

§. 2. Cum itaque dudum sacrum Romanum Imperium, per obitum claræ memoriæ Alberti Regis Romanorum Principis, qui illius gubernacula gessit, foret solatio viduatum, venerabiles fratres nostri, & dilecti filij nobiles Viri ipsius Imperij Electores, ad inclytam domum Austriacæ, quæ Regē prædictū, & charissimū in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum Imperatorem semper Augustum genuit, conuertentes intuitus suos, & permoti generositate, vita, moribus, & virtutum meritis præclarissimis, quibus idem charissimus filius noster Fridericus præfulgere dignoscitur, ipsis spem indubie pollicentibus quod eiusdem Alberti, quem Catholicum, & pium Principem iustitię zelatorem, fidei, & Ecclesiæ fidelissimum protectorem, & omnium virtutum plenitudine redimitum, vniuersa commemorat Ecclesia, imitator esse studeat integerrimus, in Romanorum Regem, postmodum in futurum Imperatorem promouendum vnanimi voto, diuina disponente clementia, eundem Fridericum concordia elegerunt.

Qui spatio annorū duodecim, regnū prouide gubernauit.

§. 3. Idem verò Fridericus digesta meditatione præuia, ad eorundem Electorum instantiam, electioni huiusmodi consentiens, & humeros suos Regni tutelæ gerendæ prompta deuotione submittens, regali per eum suscepta infula, de virtutibus in virtutes proficiens, * merita maiorum suorum accumulans, per annos fere duodecim Regni sui gubernacula, adeo prouide, vtiliter, & salubriter gessit, Ecclesiæ vnitati, & ipsius Regni prosperitati, singulorumque seruandis iuribus, & fidelibus quibuslibet, & pacis successibus votiue dirigendis diligenter intentus, vt ipsum Imperium tam prouidi, fidelis, & pij prædicti felici regimini multipliciter gaudeat se commissum.

** proficiens.*

Et deinde coronationē petiit ab illo Pontifice.

§. 4. postmodum autem idem filius noster charissimus ad honorem S.R.E. & sacri Imperij decus victoriæ vnctionem, & Imperiale diadema ab ipsa Ecclesia suscepturus, nostro se conspectui præsentauit, & illa per manus nostras sibi impendi humiliter supplicauit. Et quanquam in minoribus constituti de meritis, & virtutibus suis fuissemus sufficienter edocti, nihilominus ea quæ laudis suæ præconia nostris auribus retulerunt, experimento censemus fore longe maiora, quam famæ facultas sufficiat explicare.

Qui illum coronauit, præmissa approbatione sua electionis.

§. 5. Nos igitur votis suis non immerito benignum conferentes auditum, ipsius æternæ charitatis, & debiti honoris constringentes amplexibus, eundem filium nostrum charissimū, cum Venerabilibus fratribus nostris S. R.E. Cardinalibus, diligenti deliberatione præhabita, de eorundem fratrum consilio, ad gloriam Omnipotentis Dei, & gloriosæ semper Virginis Mariæ, & BB. Apostolorum Petri, & Pauli, exaltationemque & honorem dictę Rom. Ecclesiæ, & sacri Imperij, ad suscipiendum imperiales dignitates, dignum, & idoneum declarauimus, & electionem approbantes eandem; sibi per manus Venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Portuēsis, vnctionem huiusmodi impendi fecimus, & tandem collatis sibi omnibus dignitatibus huiusmodi, insigni imperiali ipsum diademate supradicto duximus coronandum, supplentes omnes defectus, si qui aut ratione formæ, aut ratione personæ suæ, aut personarum dictorum Electorum,

rum, seu quavis alia ratione, vel causa in huiusmodi electione interuenerint quovismodo, ex certa scientia, & Apostolicæ plenitudine potestatis.

Obedientiam que illi præstari iubet.

§. 6. Omnibus verò interim fidelibus vassallis, & subditis præfati Imperij cuiuscumque conditionis existant, etiamsi regali, aut Pontificali dignitate præfulgeant, districtè præcipimus, quatenus præfato Imperatori (vt tenentur) efficaciter pareant, & intendant.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 6. 29. Martij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo secundo, xiv. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno 6.

CALLISTVS TERTIVS PONT. CCXIII. ANNO DOMINI MCDLV.

CAllistus III. Hispanus, Valentinus, Alfonsus Borgia, antea vocatus, patre Ioanne, Presbyter Cardinalis tituli SS. Duodecim Apostolorum, Creatus 6. Idus Aprilis Anno Domini 1455. Coronatus 5. Kal, Maij, eodem anno. Sedit annos tres, menses quatuor, creauit Cardinales 9. Obiit 8. Idus Augusti, anno Domini 1458. Vacauit sedes dies 12.

I. **Thesaurarius, & Clerici Reuerend. Cameræ Apostolicæ, veri familiares Papæ, eiusque & Sedis Apostolicæ Capellani esse declarantur.**

Alia Thesaurarij priuilegia, & iurisdictionem, vide infra in const. 100. Sixt. V. In conferendis, vbi plene dicam. Clericorum verò vid. in const. 12. Alex. VI. Et si ex, cum ibi indicandis.

Edita A. D. 1455.

CALLISTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

QVÆ laudabili & prouida prædecessorum nostrorum ordinatione gesta, seu approbata, vel statuta sunt, opportunis nos decet fauoribus prosequi, & efficacem operam adhibere circa obseruantiam eorundem.

Eug. IV nonnulla statuit, quoad Clericos. Nicol. V. Clericos supranumerarios, à consul.

§. 1. Dudum siquidem Eugenius Papa IV. prædecessor noster.

Omittitur residuum quia ipsa bul. Eug. est sup. inter.

§. 2. Et subsequenter præfato prædecessore rebus humanis exempto, per piæ mem. Nicolaum Papam V. etiam prædecessorem nostrum, accepto, quod in præfata Camera Clerici supernumerarij huiusmodi adeo excreuerant, vt sæpè contingeret plures vno, & eodem tempore ad huiusmodi peragendum officium in ipsa Camera simul sedere, confusio quædam inter eos oriebatur. Itaque ipsius officij quod inter cætera Rom. Cur. officia insigne & præcipuum existit auctoritas, non parum minui videbatur, quodque ea quæ in eadem Camera, secus ab iis qui intra septenarium numerum iuxta statutorum ordinationem, & capitulorum continentiam huiusmodi tractabantur, ex supernumerariorum multitudine prædictorum, facile in publicam vulgi notitiam deueniebant. Idem Nicolaus prædecessor inconuenientibus huiusmodi salubriter obuiare volens, Motu proprio, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, per alias suas literas decreuit, & statuit, & etiam ordinauit, quod omnes, & singuli extra septenarium numerum Clericorum participantium, tam à Nicolao, quam Eugenio prædecessoribus præfatis eatenus creati, & in posterum creandi, quos in dicta Camera quandocumque & quotiescumque fieret, seu teneretur adesse contingeret, postquam audientiam, in ea proponentibus pro tempore nouerint datam, siue præstitam, ipsique omnes vt est moris licentiari fuerint, simul cum illis exire, dictisque numerariis vt se inuicem claudere, & super causis proponentium huiusmodi deliberare, ac super cæteris expediendis eiusdem Cameræ negotiis consulere, & determinare valerent, omnino cedere, ipsosque quietos dimittere, & à deliberationibus & consultationibus huiusmodi prorsus se retrahere & abesse deberent, ac etiam tenerentur.

rationibus abstinere, & à Camera clausa extra debere decreuit.

Contrauenientibus que pœnas instituit.

§. 3. Nec aliquis eorum quovis quæsito colore contra præmissa, vel aliquid præmissorum, quicquam impetrare, seu alias quomodolibet attentare præsumeret. Volens quemlibet supradictorum huiusmodi, excommunicationis, sententiam, ac reatum periurij, officij sui, omnisque eius priuilegij immunitatis & prærogatiuæ amissionem incurrere ipso facto, prout in singulis Eugenij, & Nicolai prædecessorum huiusmodi literis, quarum tenores pro expressis haberi volumus, continetur.

Statuit Camera etiã cauetur, Clericos absentes, nihil percipere posse, nisi &c. vt in d. bulla Eug. IV.

§. 4. Cum itaque sicut etiam accepimus, inter alia eiusdem Cameræ statuta, vt præmittitur confirmata, diutiusque laudabiliter obseruata, caueatur expresse, quod ex ipsis septem numerariis, illi qui publicæ vel priuatæ rei causa absentes fuerint, nihil omnino percipere aut petere valeant, nisi duarum ex tribus partibus voto decernatur; ita quod emolumenta quæ absentibus si præsentes essent contingere deberent, haberent, inter superstites præsentes diuidi.

Sed tamẽ aliqui ad locum Clericorũ numerariorum vtraque & emolumenta se admitti impetrabant.

§. 5. Tamen ipso Nicolao adhuc in humanis agente, execrabilis quorundam ambitio, auaritiæque cæcitas eorum oculos adeo excæcauit, vt post & contra statutorum & ordinationum huiusmodi confirmationes, approbationes, ac in contrauenientes sententiarum promulgationes, illa infringere temere satagentes, excommunicationis sententiam, periurijque reatum non formidantes, importuna eorum instantia, ab eodem Nicolao prædecessore, non tam obtinuerunt, quam extorquere præsumpserunt, se nedum ad locum Numerariorum absentium, & vota danda, sed etiam ad emolumenta, ipsis Numerariis propter earundem absentiam denegata recipi, & admitti licet de facto, in eorundem Numerariorum præsertim præsentium Clericorum præiudicium, non modicum atque damnum.

Hic ideo Pontifex, d. R. Cameræ statuta, & Eug. IV & Nicol. bullas innouat, prædictosque sic intrusos amoueri mandat.

§. 6. Nos igitur nostrorum prædecessorum vestigiis inhærentes, ac tales præsumptores contra statuta huiusmodi admissos, ne id aliis trahi valeat in exemplum, amouentes, amotosque fuisse, & esse nuntiantes, Motu proprio non ad eorundem Clericorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantia, sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia, omnes & singulas Eugenij & Nicolai prædecessorum statutorum eorundem confirmatorias literas, ipsa statuta concernentes, harum serie innouamus, confirmamus, & approbamus, ac plenam roboris firmitatem obtinere velle decernimus, eaque de cætero iuxta eorum continentiam atque formam inuiolabiliter obseruari volumus, & mandamus. Decernentes, per receptionem & admissionem præsumptorum & amotorum eorundem, nec non quorumcumque

Ii 4 que

que per eos perceptorum fructuum perceptionem, nullum Clericis & statutorum obseruationi huiusmodi, præiudicium generari potuisse, siue posse.

Statutisque & bullis prædictis nonnisi certa hic data forma derogari posse decernit.

§. 7. Et nihilominus motu & auctoritate, & scientia similibus, hac irrefragabili constitutione statuimus, & ordinamus, quod etiam sub prædictis excommunicationis & periorij pœnis, nullus de cætero prætextu quarumcunque literarum etiam Apostolicarum à nobis, seu de mandato nostro emanatarum, nisi in illis præsentium de verbo ad verbum insertio fiat, ad huiusmodi absentium emolumenta, seu ad vota exhibenda, vel alias contra statuta ipsos exercenda, recipi, vel admitti. Decernentes omnes & singulas, per quoscumque impetrandas literas, iussiones, & mandata, ad id non extendi: Clericosque seu gentes Cameræ huiusmodi, illis contra tenorem statutorum suorum, obedire non teneri, vel ad id à quoquam quavis auctoritate coarctari, seu propterea interdici, suspendi, vel excommunicari non posse. Irritum & inane, si secus super iis, à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari.

Thesaurario & Clericis numerarijs, priuilegia concedit.

§. 8. Præterea vt eo magis se nobis & Apostolicæ Sedi deuotiores exhibeant, quo ex hoc à nobis conspexerint, se maioribus attolli fauoribus & gratiis, Thesaurarium, & singulos septem Clericos ipsos, nostros & Sedis præfatæ veros Capellanos, ac etiam nostros veros familiares, & continuos commensales fuisse, & esse harum serie nouimus, eosque tales tam in assecutione beneficiorum, sub eorum expectatiuis gratiis sibi pro tempore concessis, quàm alias reputamus, ac omnibus & singulis illis prorsus similibus priuilegiis, gratiis, concessionibus, antelationibus, prærogatiuis, fauoribus, & indultis, quibus alij familiares nostri continui commensales vtuntur, & gaudent, seu vti & gaudere poterunt in futurum, vti pariter & gaudere potuisse, atque posse, & debere motu, auctoritate & scientia præmissis decernimus, & etiam declaramus, volumusque & concedimus per præsentes. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 8. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ Millesimo quadrin. quadragesimo quinto, 8. Idus Maij, Pont. nostri Anno 1.

II. Declaratio, quod Canonici Congregationis S. Saluatoris, Ordinis S. Augustini, sunt veri Canonici regulares d. Ordinis, eorumque priuilegiis omnibus perfruantur.

Hanc eandem declarationem deinde prodiit Iul. II. in const. 30. Inter cæteros vbi notabo.

Edita An. D. 1456.

CALLISTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

SAcræ merita religionis, sub qua dilecti filij Prior generalis & Canonici de Congregatione S. Saluatoris, Ordinis S. Augustini, in humilitatis spiritu, deuotum, & sedulum exhibent Altissimo famulatum, non indigne merentur, vt votis eorum, in iis quæ fauoris sunt & gratiæ, Apostolici fauoris præsidium liberaliter impendamus.

Congregationis supplicatio, pro obtinenda subsequenti declaratione.

§. 1. Sane pro parte Prioris & Canonicorum prædictorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi quibus ab Apostolica Sede per eius literas, vt omnibus & singulis priuilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus & libertatibus, aliis Canonicis regularibus dicti Ordinis generaliter concessis, & quibus ipsi Canonici regulares & eorum loca in genere potiuntur, & gaudent, ipsi quoque & eorum domus potiri & gaudere valeant concessum fore dignoscitur, ex certis eorum animos mouentibus rationabilibus causis, cupiunt se fore veros dicti Ordinis regulares Canonicos, per Sedem prædictam declarari, & pro talibus in posterum vbique censeri. Quare pro parte Prioris & Canonicorum prædictorum, asserentium, quod ipsi secundũ regularia instituta dictorum Canonicorum regularium profitentur & degunt, ac Rochettum prout alij Canonici prælibati deferunt, nobis fuit humiliter supplicatum, vt ipsorum voto super hoc opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Declaratio huius Pontificis, quod isti Canonici sunt veri Canonici regulares Ordin. Sancti Augustini, & eorum priuilegijs potiuntur. Hoc idem decreuit Iul. II. ut in rub.

§. 2. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati Priorem & Canonicos de Congregatione huiusmodi, fuisse & esse veros Canonicos regulares dicti Ordinis, auctoritate Apostolica & ex certa scientia tenore præsentium declaramus. Decernentes quod ipsi de cætero perpetuis futuris temporibus pro talibus censeri, haberi, & reputari, necnon omnibus & singulis præeminentiis, etiam in publicis actibus, ac priuilegiis & gratiis quibus præfati Canonici regulares, generaliter potiuntur & gaudent, potiri & gaudere debeant, vt existentes veri Canonici regulares Ordinis prælibati. Ac mandantes quorumcunque locorum diœcesanis, vt eos pro talibus in singulis publicis & aliis actibus censeri faciant, ac etiam reputari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. P. An. 2. die 27. May.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1356. xvj. Kal. Iunij Pont. nostri anno 2.

III. Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ad Ordines Mendicantium transire non possint, cum respectu quarti voti illis strictior videatur.

Hoc vltimum corrigit Clem. VIII. in const. 46. Nuper. Et de tota materia huius Ordinis notaui sup. in const. 9. Greg. IX. Deuotionis.

Edita An. D. 1457.

CALLISTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

SVper gregem Dominicum nostræ vigilantiæ diuinitus creditum, intenti speculatoris officium exercentes, erga singulos regulares Ordines, aciem nostræ considerationis intendimus, & eorum status perspicaciter meditamur. Et quia quorum regulæ laxiores, quorumve arctiores existant, ex multis argumentis colligimus, personas illas, quæ de aliquo eorundem, in quo sunt superna vocatione vocati, ad alios Ordines leuiter transmigrarunt, & quæ per ambitionis deuium, ab eorum obedientiis temere recesserunt, ad Priorem causam, si arctior fuerit reduci mandamus, prout eorum saluti, & Ordinum eorundem decori conspicimus expedire.

Fratres aliqui huius Ordinis, ad Mendicantes & alios Ordines transire voluerunt.

Tu scias id fortasse eis licere ex cap. licet de Regularib.

§. 1. Cum itaque sicut exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Magistri Generalis, & Definitorum generalis, & Prouincialium Capitulorum Fratrum Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum, petitio continebat, quod nonnulli ex fratribus eiusdem Ordinis expressè professi, vocatione sua non contenti, & immemores, quod ipsi voluntatem propriam abnegantes, semetipsos, pro redemptione Captiuorum qui in potestate infidelium duræ seruituti subijciuntur, Altissimo deuouerunt, profitentes se paratos, etiam pro vnius redemptione captiui, non modo seipsos captiuitati Paganorum in excambium tradere, sed etiam, si opus foret mortem & tormenta quælibet tolerare, se ab huiusmodi sancti voti iugo, auctoritate propria subtrahendo ad Mendicantium, seu aliorum Ordinum Monasteria, siue domos euolauerint. Nonnulli verò ex eisdem, habitu retento, sed obedientiæ fræno effracto, per Curias Prælatorum, aut Regum, Reginarum, aut aliorum sæcularium Principum, in opprobrium dicti Ordinis hinc inde discurrant, & varia scandala sæpenumero pariant.

Hoc modo Pontif. hunc transitum prohibet, & translatos, ad hunc Ordinem redire præcipit declarans hunc Ordinem respectu quarti

§. 2. Nos meditantes, quod ex accessione emissionis posterioris voti, videlicet pro redemptione huiusmodi ad tria per reliquos religionum quamlibet emitti consueta substantialia vota, vt peregrinationes transmarinas, pro accedendo ad infideles eosdem, & periculosam cum Paganis conuersationem, & reliqua redemptionis eiusdem discrimina omittamus, tale vinculum fratribus dicti Ordinis B. Mariæ de Mercede videtur accedere,

vt

voti, cæterisque aliis strictiorem esse. Hoc vltimum corrigit Clem. VIII. cit. in rub.

vt Ordo ipse videatur non modo in regula largior, siue præ aliis Ordinibus antedictis, sed eis longe arctior, non immerito posse censeri, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium statuimus, ac etiam ordinamus omnes, & singulos qui in præfato Ordine B. Mariæ solemne votum professionis expresse emiserint, ita ipsi Ordini perpetuis eorum vitæ temporibus fore efficaciter obligatos, vt absque Sedis Apostolicæ speciali licentia, eis ad alios quoscumque, regulares etiam Monasteriorum Ordines eos transeundi, auctoritas, vel potestas minime sit concessa. Decernentes statutum, & ordinationem nostram huiusmodi, etiam ad præfatos eorumdem professorum trahi translationes, ita videlicet, quod generalis Magister, & Definitores præfati, præsentes & qui pro tempore fuerint, per se, vel alium, seu alios, quoscumque religiosos, qui dictum Ordinem B. Mariæ expresse professi fuerint vt præfertur, de quibusvis aliis Ordinibus eorumque Monasteriis, domibus, siue locis, ad quæ forsan, etiam cum suorum Superiorum licentia, & habitus mutatione pro tempore transiuerant, repetere possint, & debeant. Ipsique sic translati religiosi, etiam sine repetitione huiusmodi ad priorem Ordinem B. Mariæ prædictum, sub virtute sanctæ obedientiæ redire omnimode teneantur.

Ordinariis & aliis executionem horum bullæ præcipit.

§. 3. Et insuper, vt eadem statutum, & ordinatio facilius vendicet sibi locum, omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque prælatis, necnon personis Ecclesiasticis in dignitate constitutis ad quos præsentes literæ, vel earum transumpta authentica peruenerint per Apostolica scripta mandamus, quatenus Episcopi, & eorum quilibet, per se, vel alium, seu alios statutum, & ordinationem, ac literas nostras huiusmodi, vbi, & quando expedire viderint, ac pro parte generalis Magistri, & Definitorum prædictorum fuerint requisiti, auctoritate nostra solemniter publicantes, quoscumque religiosos in eodē Ordine B. Mariæ expresse professos, qui ad alios Ordines sine dictæ Sedis speciali licentia transierunt, vel in posterum transierint, necnon etiam illos, quos in prælatorum, Regum, Reginarum, vel aliorum sæcularium Principum Curiis, aut alibi vbicumque extra loca præfati Ordinis vagari eis constiterit, ad requisitionem Magistri, aut Definitorum ipsius Ordinis ad loca d. Ordinis B. Mariæ, in quibus professionem eiusmodi emiserint, infra certum de quo eis videbitur sibi præfigendum peremptorium terminum competentem, omni causa, & occasione cessantibus, protinus reuertantur, dicta auctoritate nostra moneant, & mandent, eisdem. Et nihilominus si monitioni, & mandato huiusmodi, non paruerint cum effectu, ipsos ad hoc per censuram Ecclesiasticam, necnon arrestationem, si opus fuerit personarum, ac carcerationem, ac alia fortiora remedia, necnon contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscumque dignitatis, status, nobilitatis, præeminentiæ, vel conditionis fuerint, etiamsi Pontificali Regali, Reginali, aut alia quavis, Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant, per censuram eamdem, appellatione remota compellant, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariis omnibus derogat.

§. 4 Non obstātibus fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, illis præsertim, quibus cauetur, ne quis extra suam ciuitatem, & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis, vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede deputati prædicta extra ciuitatem, & diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, ac alij, vel aliis vices suas committere, seu aliquos vltra vnam dietam à fine diœcesis eorumdem trahere præsumant, ac de duabus dietis in Concilio generali, & personis, vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus, necnon priuilegiis, indulgentiis, concessionibus, statutis, decretis, ordinationibus, & aliis literis Apostolicis Monachorum, Fratrum Mendicantium, & aliis Ordinibus supradictis eorumque Monasteriis, domibus, siue locis per Sedem prædictam, vel Legatos eius, aut alios quoscumque in genere, seu in specie concessis, quorumcumque tenorum existant, statutis quoque, & consuetudinibus eorumdem, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda foret, quod ad hoc, illis, alias in suo robore permansuris derogamus expresse, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim à dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra; vel vltra certa loca, ad iudicium euocari non possint; per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Exemplis fides adhibetur.

§. 5. Verum quia difficile foret, præsentes literas ad singula mundi loca originaliter posse transferri; volumus, quod earum transumptis authenticis, manu publica duorum notariorum subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel Collegij roboratis, plena fides, in iudicio, & extra vbicumque exhibita fuerint adhibeatur, ac si literæ ipsæ originales forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. A. ..., die 31. Oct.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, Pridie Kalend. Nouemb. Pontificatus nostri anno 3.

Exemptiones, & immunitates Monasterij, & Monachorum S. Saluatoris Messanensis, Ordinis S. Basilij.

IV.

Confirmationem habes in constitut. 58. Greg. XIII. Benedictus, vbi remissiue alia notabo de hoc Ordine.

Edita A. D. 1457.

CALLISTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

VRget nos suscepti cura regiminis; & auctoritas pontificalis inducit, vt pro felici statu Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium, præsertim S.R.E. Cardinalibus nobiscum assidue in agro Dominico laborantibus, commissorum, ac in eis sacræ Religionis, & diuinis laudibus deditarum personarum, paternæ considerationis acie solicite cogitantes, illorum occurramus dispendiis, ac profectibus consulamus, vt ademptis eorum grauaminibus onerosis, illa ad laudem, & gloriam Altissimi prosperis iugiter proficiant incrementis.

Causa huius constitutionis.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus Monasterium S. Saluatoris de Lingua Fari Ordinis S. Basilij ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens Messanensis Diœcesis, quod Venerabilis frater noster Bessarion Episcopus Tusculanus, Apostolicæ Sedis concessione obtinet in commendam, facultates, & redditus satis tenues habeant, & exiles, attamen præfatus Episcopus Monasterium prædictum multipliter deformatum, & depauperatum ad statutum regularem pro posse reducere, & in eo virorum religiosorum, ac Monachorum probatæ vitæ sufficienti numero Conuentum reintegrare & restaurare proponat.

Confirmatio immunitatum Monasterij.

§. 2. Nos Monasterium ipsum fauoris Apostolici præsidio communire volentes, vt eo copiosius inibi diuinum accrescat obsequium, quo vberior ibidem gratia per nos fuerit elargita, præfati Episcopi in hac parte supplicationibus inclinati, quascumque exemptiones, libertates, & immunitates, quæ olim à Rom. Pontificibus prædecessoribus nostris eidem Monasterio concessæ fuerunt harum serie approbamus, & confirmamus.

Exemptio à iurisdictione Ordinariorum & aliorum, & à collectis & impositionibus. Ad hoc vid. declarationem Conc. Trid. sess. 24. c. 11. & 14. & Clem. VIII. const. 39 Susceptis.

§. 3. Dilectos filios Conuentum, Monachos, & Ministros, tam præsentes, quam etiam futuros d. Monasterij, eisque iurisdictiones, proprietates, bona, & oppida, ipsiusque incolas atque loca cum omnibus iuribus, rationibus, & bonis mobilibus, & stabilibus, cum pertinentiis suis, ab omni iurisdictione, superioritate, dominio, & potestate Ven. fratris nostri Archiepiscopi Messanensis, & aliorum Iudicum ordinariorum quorumlibet, à collectis quoque, & ab illicitis ex consuetudine impositionibus, oneribus, grauaminibus, contra Sanctorum Patrum decreta impositis, aut de cætero imponendis, necnon ab

illorum

illorum collectoribus, & exactoribus, & receptoribus, seu ad huiusmodi collectiones, receptiones, vel exactiones quomodolibet deputatis, & deputandis officialibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium prorsus eximimus, & totaliter liberamus, necnon sub B. Petri, & dictæ Sedis atque nostra protectione, imitantes prædecessores nostros, suscipimus, atque ipsi Sedi volumus, & decernimus immediate subiacere, ita quod Archiepiscopus, & Ordinarij, ac alij supradicti, etiam ratione delicti seu contractus, aut rei de qua agitur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, vel res ipsa consistat, nullam possint in Conuentum, Monachos, Ministros, personas, Monast. membra, loca, & bona prædicta, vtpote penitus, & omnino exempta, si & pro vt ab Apostolica Sede per prædecessores nostros concessum existit, seu indultum, eisque melius vsi fuerint superioritatem, iurisdictionem, seu potestatem, vel aliquod dominium exercere nec ab eis ratione impositionum, collectarum, vel subsidiorum huiusmodi, quicquam petere, exigere, recipere, vel leuare nisi censum dumtaxat Ecclesiæ Messanensi debitum, si & prout in priuilegiis, præfati Monasterij, & melius vsi sunt, dicitur contineri, indulto Apostolico, vt præmittitur ad quem nos referimus, ipsaque & contenta in eis, obseruari volumus penitus, & omnino. Decernentes irritum, & inane quicquid in contrarium præmissorum quomodolibet contigerit attentari.

Aliter Monasterium etiã hoc eximens concessit Greg. 13. infra in eius const. 45. Cogit.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus illis quæ in prædictis indultis Apostolicis cautum est minime debere obstare, & aliis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Si quis autem &c.

Dat. P. An. 3. die 20. Apr. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo xij. Kalend. Maij Pontificatus nostri Anno tertio.

PIVS SECVNDVS PONTIF. CCXIV.
ANNO DOMINI MCDLVIII.



PIus II. Senensis, Æneas Siluius Piccolomineus anteà dictus, Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ, creatus 14. Kalendas Septembris anno 1458. Coronatus tertio Nonis Septembr. eodem anno, sedit annos 5. menses 11. dies 27. creauit Cardinales 14. Obiit Anconæ 17. Kalendas Septemb. anno 1464. Corpus eius in Vrbem delatum die 24. Augusti eodem anno, sepultum fuit in Basilica Sancti Petri sub Altari S. Andreæ. Vacauit sedes dies 17.

Expeditio bullæ Calysti III. de Canonizatione S. Vincētij Valentini, professoris Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici, eiusque adscriptio Catalogo SS. Confessorum, & institutio suæ festiuitatis pro die 6. mensis Aprilis. I.

Hoc festum die 5. Mensis, qua occubuit, celebrari consueuit, vt habetur in Martyrologio.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1458.*

Exordium. RATIONI congruit, & conuenit honestati, vt ea quæ Romani Pontificis deliberatione prouida ac Ven. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, omniumque Prælatorum tunc in Romana Curia residētium consilio, & assensu vnanimi decreta, statuta, & ordinata fuerunt, licet ipsius prædecessoris superueniente obitu literæ Apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suum plenarium sortiantur effectum.

Deus multiplices suscitauit viros sanctos pro hominum salute. §. 1. Dudum siquidem fel. rec. Calystus Papa III. prædecessor noster, Iesu Christi in terris, superna dispositione Vicarius, & B. Petri cælestis Regni clauigeri successor, cum militantis Ecclesiæ gubernacula superna regeret voluntate, & immensam Dei nostri clementiã in eo maxime interna meditatione cognosceret, quod hominem quem ad suam imaginem similitudinemque formauerat, à se ipso incommutabili bono, dolo serpentis auersum, ad se brachio suæ virtutis reducere, & culpæ ipsius lapsum volēs in persona propria reparare, humanæ naturæ ministerio vsus est, vt sua mirabili potentia, inde medelam ferret hominibus, vnde vulnus cernebatur illatum, ac pro sua bonitate debitor ipse homo, & obnoxius remaneret. Nam licet omnipotens sermo dilapsus foret antea in Prophetas, vt diuini secretum consilij cognoscentes, ac spem humanæ reparationis habentes, solum Creatori suo seruirent, ipsum Dominum adorarent, ac posteros venerari, & adorare docerent, in fine tamen sæculorum cum venit temporis plenitudo, misericordiarum pater ingenitus, Verbum suum per quod fecit, & sæcula de cœlis misit in orbem, vt humanam carnem assumens, æternæ vitæ viam lapsis perditisque ostenderet, culpam protoplasti in ara crucis, proprio cruore dilueret, nobisque cœli ianuam aperiret. Vtque tanti mysterij incarnationis videlicet, & redemptionis huiusmodi veritas cunctis mortalibus innotesceret, Apostolos suos, quos in vitæ, doctrinæ, & operum suorum testimonium elegerat, aliosque discipulos in vniuersum mundum ad prædicandum Euangelium destinauit, qui suis eloquiis, signis, & virtutibus veluti solis radiis orbem terrarum illuminarent. Sed cum successu temporis callidi hostis iniquitas, antiquæ & vsitatæ fraudis commentis, humanum genus tam grandis, & sacratissimæ redemptionis fructu priuare, & in æternam prædam adducere molitetur, diuina clementia semper generi miserata humano suæ Ecclesiæ orthodoxæ opportune subueniens, viros misit plurimos, sanctitate, & scientia præditos, virtutibus redimitos, tempori conuenientes, qui velut diuini gregis arietes, rectum iter gregi suo ducatumque præberent, & bonis adhortantibus operibus, & exemplis hominum titubantes animos roborarent, aut martyrij gloria aut vitæ integritate, seu errorum gentilium, & hæreticorum confutatione, vel diuinæ virtutis, & promissæ felicitatis æternæ prædicatione, eidem sacrosanctæ Ecclesiæ præsidia maxima, & adiumenta tribuerent.

Et nunc suscitauit S. Vincentium ad confutandos errores infidelium quorum copia augebatur. §. 2. At qui eiusdem prædecessoris temporibus, cum in occiduis partibus, Iudæorum maxime, & infidelium multitudo creuisset, ac literis, & diuitiis affluerent propemodum, tremenda quoque dies illa nouissima obliuioni pene tradita esset, diuinæ prouidentiæ altitudo quæ præclaris viris eandem Ecclesiam instaurare, & decorare disposuerat, pro ipsorum salute fidelium Vincentium

Valen

Valentiniarum Ordinis Fratrum Prædicatorum, & sacræ Theologiæ eximium professorem, æterni Euangelij in se documenta habentem, veluti athletam strenuum, ad Iudæorum eorundem, Saracenorumque & aliorum infidelium confutandos errores; & extremi, tremendique Iudicij diem quasi angelum volantem per cœli medium pronuntiandum, euangelizandumque sedentibus super terram tempore opportuno transmisit, vt in omnes gentes, tribus, & linguas, populos, & nationes, verba salutis diffunderet, Regnum Dei, diemque iudicij appropinquare ostenderet, & æternæ vitæ semitam demonstraret. Cum vero tunc tanti viri excellentiam, qui id gratia consecutus est, quod Angeli naturaliter sortiuntur, ipsius quoque vitæ, & conuersationis actus, idem Callistus prædecessor, ad ædificationem fidelium, & posterorum memoriam ex parte aliqua recensere decreuisset, prout compertum, & notissimum habuit, eundem præclarum virum Vincentium in amplissima Hispaniarum Vrbium, Valentia scilicet ciuitate, ex Christianis, & honestis parentibus ortum altumque fuisse, & ab ineunte ætate cor senile gessisse testatur.

Qui ætatis an. 18 habitum Fratrum Prædicatorũ suscepit, & deinde Magisterium Theologiæ consecutum fuit.

§. 3. Qui dum caliginosi huius sæculi labilem cursum, pro ingenij sui modulo consideraret, & iam suæ ætatis annum decimumoctauum attingeret, religionis habitum Ordinis memorati, summa cum deuotione recepit, ac demum regulari professione solito more emissa, sacris literis tam efficacem operam dedit, vt magisterio in eadem Theologica facultate dignus ab omnibus censeretur, & ob hoc ipsius magisterij insignia consecutus est.

Verbum Dei postea prædicauit, infidelium errores confutauit, quousque annum transcendens 70. in domino obdormiuit.

§. 4. Ac deinde solita in talibus obtenta licentia, verbum Dei prædicare, & æternæ beatitudinis semina cordibus fidelium infundere, errores denique, & perfidiam Iudæorum, & infidelium eorundem confutare cœpit mirum in modum, ratione ostendens, quam terribilis index in ipso extremo iudicio reprobis, & iniquis redemptor ipse futurus sit. In quibus quidem salutiferis prædicationibus, & laudabilibus actibus, vsque adeo perseuerans, ac multas Hispaniarum, Galliarumque ac Italiæ prouincias, quasi nouum sydus peragrando illustrans, tandem in Britannia ciuitate Venet. septuagesimum eiusdem ætatis annum transcendens, prædicationis, & vitæ cursum, deuotissime consummauit.

Nonnulli, d. sancti viri signa Sed. Ap. nunciarunt.

§. 5. Ac postquam Deus qui non permittit quæ Ecclesiæ suæ sanctæ profutura conspicit, occultari, aut absondita latere sub modio, eos, qui prædicatione ipsius diuini viri, spiritualium, & corporalium sanitatum beneficia receperant inspirauit, quod sanctitatis insignia, quæ in ipso diuino viro cognouerant Sedi Apostolicæ nunciarent, ipsamque de eiusdem sancti viri operibus informarent.

Et apud Martin. V. Eug. 4. & Nicol. 4 hoc idem Duces & Prælati Britanniæ egerunt.

§. 6. Itaque colendæ mem. Ioannes, & Petrus quondam Britanniæ Duces, ac Prælati, & alij ipsius ducatus deuotæ personæ, multique aliarum prouinciarum deuoti viri, apud quos vicens præfatus Vincentius Dei verbum seminauerat, Fratres quoque Ordinis memorati Sedem prædictam iteratis vicibus, interpolatisque temporibus adiere, tenente locum eiusdem clauigeri fel. rec. Martino V. ac postmodum Eug. IV. & deinde Nicolao V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris.

Reges quoque & Generalis Ordinis aliqui testificati sũt præclara mo. vita & miracula S. Vincentij, &c.

§. 7. Sed claræ mem. Ioannes Castellæ, & Legionis, ac Alphonsus Aragonum Reges illustres, multique alij Ecclesiarum Prælati, ac viri nobiles sæculares, Vniuersitates quoque Studiorum, ac ciuitatum, necnon dilectus filius Martialis Auribelli, dicti Ordinis generalis Minister, nomine ipsius Ordinis, eandem Sedem cum instantia pulsauerunt, affirmantes, quod insignis vir ipse, dum in humanis egit, vocibus prophetarum verbisque Euangelicis ita inhæsit, vt præcepta firmiter seruaret diuina, & consilia minime præteriret. Diuinæ quoq; laudis præco maximus, ac iniquitatis humanæ reprehensor fuit. Delegatoque sibi prædicationis officio, ita functus est, vt necessariis ad vitæ tutelam contemptis, nedum in futurum, sed nec in diem laborauit, illa veste, illo habitaculo, illo cibo contentus, quæ Deus sibi in tempore præparabat, nullum munus, etiam oblatum, recipiebat, sed apud offerentes dimittebat, aut pauperibus erogari consulebat. Tantus in eo gratiæ fulgor apparuit, tanta Spiritus Sancti abundantia in eo fuit, tot de ore prædicantis, speciosissimæ veritatis pondera procedebant, vt ingentis multitudinis Iudæos, in lege etiam peritissimos, qui Christum pertinaciter venisse negabant, ad fidem catholicam conuerteret; & efficacissimos multos ex eis prædicatores Aduentus Christi, Passionis, ac Resurrectionis, & pro Christi nomine mori paratos fecit. Tanta in ipso viro diuino fuit auctoritas dicendi, tantaque grauitas, vt terrenis rebus, luxuique deditos homines, adeo iudicij futuri timore concuteret, vt terrena despicerent, & amarent cœlestia, ac leuitates, & luxus omnium, in Dei prouocaret affectum. Omni die Missam cantauit, omni die prædicauit; omni die, (nisi vrgens adesset necessitas) ieiunauit, consilia sancta & recta nulli denegauit, immo vltro obtulit, carnes non comedit, vestem lineam non induit, manus super ægros, frequentissime miraculose sanitate secuta imposuit, mores castissimos seruauit, multosque strenuos actus fecit, vbi maxime super magnis rebus populos contendentes, & Regna, pace composuit, & vbi vestis inconsutilis Ecclesia Dei scissa conspiciebatur, vt vniretur, & vnita seruaretur non frustra plurimum laborauit, ac in simplicitate, & humilitate ambulans detractores, persecutoresque suos cum mansuetudine recipiebat, & informabat. Per ipsum quoque diuina virtus ad confirmationem suæ prædicationis & vitæ, tam per manus ipsius impositionem, quam reliquiarum suarum, vestiumque tactum, ac votorum emissionem, multa miracula ostendit. Spiritus namque immundos eiecit, surdis auditum, mutis loquelam restituit, cæcos illuminauit, leprosos mundauit, mortuos suscitauit, aliosque variis detentos languoribus miraculosissime liberauit.

Hic pontifex Nicol. v. informationẽ prædictorum tribus Card. commisit.

§. 8. Quorum omnium efficax assertio fuit, quod idem Nicolaus prædecessor, plene de fama fidei, & excellentia vitæ, atque miraculorum ipsius informatus, volens ad vlteriora procedere, iuxta S. R. E. morem, Venerabilibus Fratribus nostris, tunc suis Georgio Episcopo Hostiensi, & eidem Callisto prædecessori tunc in minoribus constituto, ac Ioanni S. Angeli Diacono Cardinali commisit, quod de veritate fidei, & excellentia vitæ, ac miraculorum gratia, se aut eorum aliquem in Curia, extra vero per iudices ab eis deputandos diligenter informarent.

Qui processũ formarunt, & multa miracula verificata fuere.

§. 9. Qui mandatis præfati Nicolai prædecessoris obtemperantes, & in Curia nonnullis testibus examinatis, extra verò Romanam Curiam iuxta potestatem eis datam in ciuitate Neapolitana Venerabiles Fratres nostros Patriarcham Alexandrinum, Archiepiscopum Neapolitanum, & Episcopum Maioricen. ibidem commorantes, in partibus Delphinatus Vasionen. & Vticen. Episcopos, ac dilectos filios Officialem Auenionen. & Decanum Ecclesiæ S. Petri Auenionen. In Regno Franciæ, Archiepisc. Tolosanum, Episcopum Mirapicen. ac eorum officiales. In Britannia verò Dolen. & Maclonien. Episcopos, necnon S. Iacuti & Debusan. Volen. & Naneten. diœc. Abbates, ac Naneten. & Veneten. Officiales subdelegarunt. Qui iuxta tenorem potestatis eis per commissarios traditæ, testes examinarunt, & dicta ipsorum in scriptis redacta, clausa cum subscriptione notariorum & sigillis eorum, ad Curiam transmiserunt. Et tandem per eosdem Cardinales commissarios, inspectis, recognitis, ac visis diligenter processibus, inuentum est quod in ciuitate Neapoli viginti octo, in Auenionen. & circumuicinis partibus decem & octo; in Regno Franciæ videlicet Tolosan. quadraginta octo, in Britannia verò trecenti & decem testes examinati, inter quos nonnulli S. R. E. Cardinales, multi Episcopi & Ecclesiarum Prælati, Rex Aragonum præfatus, plurimique alij ex statu sæculari viri nobiles, pluresque alij Legum, Artium, ac sacræ Theologiæ, Bacalarij, Licentiati, Doctores, ac Magistri extiterunt.

Nicolao defuncto. Callistus creatus est Pont. qui cũ esset vnus de tribus Card. deputatus alium Card. loco suo subrogauit.

§. 10. Ac postquam dictus Nicolaus prædecessor, rebus fuerat humanis exemptus, piæ memoriæ Callistus Papa III. prædecessor noster, dudum ante in minoribus constitutus, & vnus ex commissariis antedictis, ad apicem summi Apostolatus assumptus, dilectum filium nostrum Alanum tit. Sanctæ Praxedis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum Cardinalem loco sui, in huiusmodi negotio deputauit delegatum.

§. 11.

Habuitque in Cõsiliarijs secretis relationem, verificationem, virtutum, & miraculorum, ideoque ad vlteriora procedi iussit.

§. 11. Et facta eidem Callisto prædecessori per præfatos commissarios relatione fideli in duobus secretis Consistoriis de dictis testium examinatorum, reperit omnia, quæ de fide, & excellentia vitæ, de laboribus, moribus castis, de actibus strennis, de humilitate, & simplicitate ac miraculis ipsius Vincentij dicta fuere, legitimè probata. Ideoque de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum tunc eiusdem S.R.E. Cardinalium, ad vlteriora in canonizatione eiusdem Vincentij procedendum esse decreuit, & deinde ex more, dicta ipsorum testium fecit in duobus Consistoriis generalibus publice recitari, ac postea vocatis eisdem Cardinalibus & prælatis, qui in Curia aderant omnes nemine discrepante consuluerunt, ad canonizationem dicti Vincentij esse merito procedendum.

Et tandem ad canonizationẽ deueniendum esse pronuntiauit.

§. 12. Item quoque Callistus prædecessor, dicta die, videlicet tertia Iunij, Pontificatus sui anno primo in ipsorum Cardinalium & Prælatorum præsentia, de ipsorum omnium consensu vnanimi pronunciauit atque decreuit, Vincentium præfatum esse canonizandum: quod publicè & solemniter faciendum, in Festo Apostolorum Petri & Pauli proximè sequenti, videlicet tertio Kalend. Iulij, Pontificatus eiusdem anno prædicto, statuit & etiam ordinauit.

Ipsumque canonizauit, & SS. Confessorum numero adscripsit.

§. 13. Postmodum verò dictus Callistus prædecessor, die solemnitatis Apostolorum huiusmodi, vt præfertur, adueniente, tam ex vitæ excellentia, quam miraculorum coruscatione, necnon vera notitia, quam de ipso Vincentio tunc viuente habuerat, cum virum comperit assecutum fuisse gratiam, quam Deus omnipotens sanctis & electis suis concessit, & consimilia signa ex eo consecuta fuisse, quæ ad cognoscendum fideles, ac Dei ministros, Veritas in suo Euangelio demonstrauit, pro suæ informatione Ecclesiæ, ne posset errare, sic inquiens. Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Ea propter eum auctoritate Apostolica canonizauit, & literarum suarum (si desuper confectæ fuissent) tenore, in sanctorum Catalogo adscribendum esse decreuit.

Eius Festum die 6. Aprilis celebrari iussit.

§. 14. Vniuersos & singulos, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque Ecclesiarum Prælatos monuit, & attente hortatus est, eis nihilominus iniungendo, quod octauo idus Aprilis Festum eiusdem S. Vincentij, sicuti de vno Confessore, non Pontifice annis singulis, deuote & solemniter celebrarent, ac facerent à suis subditis, deuotione congrua celebrari, & etiam venerari, vt pia eius intercessione à noxiis protegi, & sempiterna gaudia valerent adipisci.

Miraculorum processum in Monasterio B. Mariæ super Mineruam de Vrbe asseruari præcipit.

§. 15. Miracula verò quæ Deus per eundem Sanctum fecerat, propter eorum multitudinem, ne modum literarum, si vt præfertur, confectæ fuissent, egredientur, duxit silentio prætereunda. Mandans processus omnes super illis habitos, in Ecclesia domus S. MARIÆ super Mineruam de Vrbe dicti Ordinis ad perpetuam rei memoriam custodiri, & illorum copiam volentibus exhiberi, ac etiam in officio ipsius sancti viri, quoad fieri posset, latius declarari.

Ecclesias eius visitantibus Indulgentias concessit.

§. 16. Cæterum Callistus prædecessor præfatus, vt ad tanti Confessoris venerabile sepulchrum & Ecclesias in quibus de eo festiuitas celebraretur, eo deuotius & affluentius, fidelium conflueret multitudo, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui reuerenter ac deuotè ad prædictum sepulchrum & Ecclesias in eodem Festo annuatim accederent, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisus, septem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis, misericorditer relaxauit.

Callist. autem iij. obijt, & bulla defuncto non fuit expedita, ideo hic Pont. eam edidit.

§. 17. Ne autem pro eo, quod super canonizatione & alis præmissis eiusdem prædecessoris literæ, eius superueniente obitu minimè confectæ fuerunt, in posterum valeat de huiusmodi canonizatione, & aliis præmissis quomodolibet hæsitari, licet ea in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, eisdem Cardinalibus Prælatis & multitudine populi circumstantibus, fuerit publicata; Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod canonizatio & alia præmissa, dicta die videlicet tertio Kalend. Iulij plenarium sortiantur effectum, ac si sub ipsius diei data eiusdem prædecessoris literæ confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentes literæ, ad probandum plene canonizationem ipsam & omnia alia prædicta vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti & voluntatis infringere, &c. *Sanctio pœnalis.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1458. Kal. Octobris, Pont. nostri anno 1. *Dat. P. A. 1. die 1. Octob.*

Generales Ordinum Mendicantium, omnimodam, habeant iurisdictionem, in omnes Studiorum Scholares & Officiales, suorum Ordinum professores, quibuscumque Studiorum priuilegiis non obstantibus. II.

Edita An. D. 1458.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis, Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, atque Minorum, & aliorum Ordinum Mendicantium Generalibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Exordium.

Religiosorum excessus quos antiquus hostis eo sollicitius suscitat, quo eorum vitæ meritoriæ ardentius æmulatur, tanto amplius detestantes, quanto ex illis maiora scandala in mentibus fidelium oriuntur: ad illos reprimendum, & castigatione debita coërcendum, congruum nos decet remedium adhibere.

Nonnulli Regulares prætextu Studij exemptos à iurisd. Generalium suorum Ordinis Superioribus esse prætendebant.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filij Prouinciales vestrorum Ordinum laudabilem consuetudinem diutius obseruatam imitantes, nonnullos ex Fratribus Ordinum prædictorum ad hoc idoneos, ad literarum studia, in locis vbi illa vigere noscuntur, causa adipiscendi scientiæ margaritam, destinare consueuerint; quorum nonnulli, iuuenili & humana fragilitate causante interdũ à semita rationis deuiantes, discoli & vagabundi effici solent, & propriæ salutis immemores, quo fit vt suaue iugum Domini contemnentes, Prælatis suis obtemperare, eorunque salutares correptiones & disciplinam effugere, quinimo despicere, & multimode eludere contendant, & vt id impune efficiant, Rectorum, Gubernatorum, & Conseruatorum Studiorum, siue priuilegiorum eorundem præsidia, & patrocinia, quibus se protegi & tueri valeant, satagant, exquisitis modis implorant, se ab ipsorum Ordinum superiorum iurisdictione, potestate, & correctione, exemptos esse prætendentes. Et similiter Baccalarij, Lectores, Biblicistæ, siue alij officiales pro tempore in domibus & Conuentibus ciuitatem & locorum, in quibus Studia huiusmodi vigere noscuntur deputati, cum excessus aliquos commiserint, siue aliter deliquerint, vel eorum inscitia aut imperitia exigente, ab huiusmodi eorum officiis depositi fuerint, idipsum præsumere moliantur, in graue Ordinum prædictorum præiudicium, animarum suarum periculum, regularis disciplinæ vilipendium & contemptum, ac scandalum plurimorum.

Hic ideo Pont. prædictos omnes, iurisdictioni Generalis Ordinis totaliter supponit.

§. 2. Nos itaque attendentes, quòd si ad reprimendos excessus huiusmodi, & talium præsumptiones temerarias cohibendum, neruus publicæ disciplinæ lenrescat, eorum voluntas fit procliuior ad peccandum, & impunitatis exemplum periculosius in alios deriuatur, ac volentes super his de opportuno remedio prouidere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes & singulos vestrorum Ordinum professores, qui spiritu rebellionis assumpto, talia perpetrare præsumpserint, cuiuscumque gradus vel conditionis existant, nisi canonica monitione præmissa, à cæptis resipuerint, & debitam à vobis pro commissis pœnitentiam humiliter susceperint, ac mandatis vestris efficaciter obtemperare studuerint cum effectu, tandiu excommunicatos, ac omnibus Magisterij, Baccalariatus, Lectoriæ, Biblicistatus officiis, aliisque dignitatibus, & honoribus, dictorum Ordinum exutos, priuatosque auctoritate Apostolica nun

ouincieris, & ab aliis, vbi, quando & quoties expedierit, nuntiari, & si eorum contumacia, proteruitas, vel rebellio id exegerit, carceribus ad pœnitentiam peragendam detrudi, & mancipari faciatis, donec spiritu consilij sanioris resumpto, vestris monitionibus & mandatis studuerint cum emendatione prioris vitæ humiliter obedire, & ab huiusmodi excommunicationis sententia meruerint à Sede Apostolica, vel à nobis absolutionis beneficium obtinere.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 3. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratiis, Studiis generalibus quarumcumque ciuitatum, & locorum Apostolica vel alia quavis auctoritate concessis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus in præsentibus de verbo ad verbum habenda esset mentio specialis, ciusque specialiter aut alias sub forma certa vel specifica derogandum: quæ eisdem fratribus, & professoribus, quoad hoc, nolumus in aliquo suffragari, etiamsi hoc in eisdem caueretur expresse, cæterisque contrariis quibuscumque aut si professoribus Ordinum prædictorum, vel quibusvis aliis, communiter vel diuisim, à Sede Apostolica sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenā & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mētionem.

Dat. P. An 1. die 17. Sept.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1458. XV. Kal. Octob. Pont. nostri Anno 1.

III. Erectio Ecclesiæ Episcopalis ciuitatis Senarum in prouincia Hetruriæ, in Ecclesiam Archiepiscopalem.

Similem erectionem fecit Greg. XIII. de Ecclesia Bononien. in const. 79 Vniuersi, & Six. V. de Ecclesia Firmi, in const. 95. Vniuersi.

Edita A. D. 1459.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

TRiumphās Pastor æternus, gloriosa sanctorum traditione patrum, vt suum saluaret populum, directis in monte colloquiis, eruditionis sacratissimæ præmisit mysteria, quod ignis in altari sacerdotis confoueatur officio, & vt sine intermissione comburat, ligna ei subiicere, illius non cesset ministerium studiosum. Altare quippe Dei, cor fidelis habetur cuiuslibet, in quo ipsius ardor ignis indesinenter experitur, quo velut flammam ardentis necesse est incēdere charitatis. Sancta verò, & immaculata (quam pastor ipse, adueniente temporis plenitudine, eius vnigeniti gloriosissimi aspersione sanguinis, fundari, consecrari, & æternaliter stabiliri censuit) mater Ecclesia, ignis eiusdem sacri ductu, flammarum splendore vestita, quos regenerauit in CHRISTO, nexus charitatis ipsius compage, fideles stringit vniuersos, & Ecclesias alias suas, tanquam adolescentulas, ignis huiusmodi confouet ardoribus, & scintillis adornat claritatis.

Causa istius erectionis.

§. 1. Nos itaque illius summi directione Pastoris (qui Ecclesiæ ac fidelium eorundem, nostræ commisit insufficientiæ curam, nosque licet immeritos, in ipsius montis verticem ad summi sacerdotis Pontificium conscendere voluit) huiusmodi instructi documentis, adolescentulas ipsas eorumq; pastores, in partem sollicitudinis, consilij cælestis dispositione vocatos, in charitatis visceribus ardentius complectentes, vt ea summopere nostri ministerij dona congeramus, nostros continue diffundimus cogitatus, per quæ ad exaltationem, & incrementum intendenda status Ecclesiarum, quoque compunctionis antidotis, & amore fulcienda diuino corda fidelium eorūdem, ignis huiusmodi purgans, & emundans quidquid humanæ fragilitatis suasu offensionis, aut contagionis irrepserit, validiores euitare possit afflatus, & pro decoris adolescentulis eisdem (quæ Regis habitatio sunt æterni) speciosiora elargita insignia, gratioribus ipsa mater Ecclesia munita propugnaculis, pulchra veluti, & decora Hierusalem filia, gregem depascat nitidum, charitatis, & virtutum radiis fœcundius illustratum.

§. 2. Ad venerabilem igitur Ecclesiam Senensem agro irriguo (celebris videlicet, & insignis congregationis, populique venustate) circundatam, singularesque huiusmodi congregationis palmites, quos (eis de cæli rore, & terræ pinguedine benedicē, qui nunc candidius inter illa pascitur) munere, & meritis ampliauit, eorumque loca extendit Altissimus, paternæ non immerito dirigentes considerationis intuitum; sperantesque quod (eo, qui charismatum largitor est omnium, dirigente Domino, & Spiritus almifici, qui prout, vult, sua dispensat dona, gratiarum imbre refecto, de virtute in virtutem, palmitibus ipsis, ad illorum ædificationem, tranquillum quoque & prosperum, sub timore diuino, confouendum statum; mutuæ caritatis vicissitudine) fructus dierum affluāt ampliores, tantoque Apostolicam (in qua cælestis clauigeri Apostolorum principis, successores existimus) sedem; puris iugiter corde, & animo venerari, illiusque votiuum intendere, successiue accuratioribus debeāt studiis, quāto copiosiori eius vbertate distenta Apostolicorum elargitione munerum, acceptiora congratulentur impendia liberalius accepisse. Præmissis, & nonnullis aliis rationabilibus, nostrum ad id animum inducentibus causis; matura super his cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione præhabita, de illorum quoque consilio, & assensu, ac Apostolicæ plenitudine potestatis, ad omnipotentis Dei, totiusque Curiæ supercælestis laudem, & gloriam, fidei propagationem, orthodoxæ Ecclesiæ vniuersalis, diuinique cultus, & omnium fidelium animarum salutis augmentum, Ecclesiam præfatam (quæ de prouincia Romana esse dignoscitur) à iure Metropolitico, & Romana prouincia huiusmodi, omnino segregamus, & eximimus, necnon in Metropolim, & sedem Episcopalem Senēsem, in Archiepiscopalem, auctoritate Apostolica, erigimus, eandemque Senensem Ecclesiam, dignitatis Metropoliticæ honore, decorisque titulis, ex specialis dono gratiæ decoramus, ac etiam insignimus. Necnon venerabili fratri nostro Antonio, Episcopo moderno, & successoribus suis, dictæ Ecclesiæ Senensis præsulibus, qui erunt pro tempore, pallium, in signum plenitudinis videlicet Pontificalis officij, assignandum fore; Ecclesiamque Senensem, Metropolitanam, & præfatos præsules Archiepiscopos censeri, & perpetuis futuris temporibus nuncupari debere. Archiepiscopalia quoque, & Metropolitica insignia gerere, iura, iurisdictiones, & cætera singula, prout Metropolitanis in eorum ciuitatibus, diœcesibus, & prouinciis, à iure indultum existit, facere, exercere, administrare, & exequi posse, eadem auctoritate concedimus. Necnon filias nostras prædictas Suanen. Clusin. Grossetan. & Massan. Ecclesias, cum suis ciuitatibus, & diœcesibus, iuribus & pertinentiis vniuersis, Ecclesiæ Senen. & Archiepiscopis præfatis tanquam illorum Metropolitanis, & de eorum prouincia, ac modernos, & pro tempore existentes Suanen. Clusin. Grossetan. & Massanen. Ecclesiarum præfatarum Episcopos, necnon Ecclesias ipsas, quæ (videlicet, Suanen. Clusin. & Grossetan.) Romanam, necnon (videlicet Massan. Ecclesia huiusmodi) Pisan. Ecclesiis subiectæ existunt, ab eisdem Roman. & Pisan. Ecclesiis, & eorum prouinciis, omnino segregamus, illasque Suanen. Clusin. Grossetan. & Massan. præfatis Archiepiscopis, pro eorum suffraganeis, perpetuo subiicimus, & subiectas esse volumus per præsentes. Ita quod Archiepiscopi Senen. in eisdem Suanen. Clusin. Grossetan. & Massan. ciuitatibus, & diœcesibus, ius Metropoliticum sibi vendicent, necnon Suanen. Clusin. Grossetan. & Massan. Episcopi præfati, eisdem Metropoli, & Archiepiscopis, ad omnia & singula habeantur, & sint adstricti, ad quæ suffraganei, suis Metropoliticis Ecclesiis, ac Metrapolitanis, tenentur & obligari iudicantur secundum canonicas sanctiones.

Exemptio Eccl. Senen. à Prouincia Romana, & erectio in Archiepiscopalem.

§. 3. Volentes præterea, & etiam statuentes, quòd Archiepiscopi, & Senen. Ecclesia præfati, omnibus, & singulis priuilegiis, exemptionibus, gratiis, & indultis Apostolicis, ac aliis quibuscumque potiantur & gaudeant, quibus de iure Archiepis. Ecclesiæque Metropolitanæ, & earū Capitula, vtuntur, potiuntur, & gaudent, necnō Eccles. Senen. præfata, & illi qui ei hactenus præfuerunt ante erectionem huiusmodi, etiā de consuetudine, quomodo-

Gratiarum concessio dictæ Ecclesiæ & eius Archiepiscopo.

liber vti poterant, potiri, & gaudere. Quodque suffraganei præfati, ac earundem Suanen. Clusin. Grossetan. & Massan. ciuitatum, diœcesumque clerici, & laici, præfatis Archiepiscopis, velut ipsorum Metropolitanis, debitos exhibeant obedientiam, reuerentiam, parites, & honorem. Et insuper irritum ex nunc decernimus, & inane, si secus super his, à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus quod Ecclesiæ ipsæ, vt præfertur, subiectæ fuerint, ac constitutionibus Apostolicis, statutis quoque, & consuetudinibus Ecclesiarum præfatarum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, cęterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. A. 4. die 22. Apr.

Dat. Senis Anno Incarnationis Dominicæ 1459. decimo Kalend. Maij, Pontificatus Anno primo.

IV. Præcedentia Episcoporum, aliorumque ad Cathedrales Ecclesias Electorum, ac Protonotariorum Apostolicorum.

De istorum Protonotariorum antiqua institutione, & indultis, vide relata inf. in Six. V. const. 12. Romanus, vbi notabo.

Edita An. D. 1459.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Præcedentia Episcoporum.

CVm seruare in rebus ordinem atque modum, ad Romanum Pontificem maxime pertineat, ordo verò, in eo potissimum consideretur, vt secundum suam quique dignitatem, aut præcedant, aut sequantur, habita cum venerabilibus Fratribus nostris Sacrosanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinalibus, exacta & diligenti deliberatione, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de eorumdem Fratrum nostrorum consilio pariter, & assensu statuimus, decernimus, ordinamus, atque mandamus, vt Notariorum nostrorum (quos vulgo Protonotarios, quasi per excellentiam quandam, non abs re, cõsuetudo vocitat) nullus deinceps Episcoporum venerando sanctoque ordini, tanquam honorabiliorem sese audeat anteponere.

Limitatio.

§. 1. Sed in Capella quidem nostra, in banco seu scanno secundo, post Episcopos, seorsum sedeant, secundum ordinem institutionis eorum. In Consistoriis verò publicis, (vbi de rebus quæ geruntur, vt authentica conficiant documenta, rogari consueuerunt) quatuor ex eis qui numerarij dicuntur, aut ipsis absentibus, totidem ex aliis, secundum institutionem eorum seniores, iuxta gradum Apostolici solij, honorabiliorem teneant locum, Sedique nostræ proximiorem assideant. In aliis autem locis tam in Curia, quam extra vbique gentium atque terrarum Archiepiscopos, & Episcopos omnes, Notarij nostri sequantur, eisque cedant, & quod in Episcopis sancimus, ad Ecclesiarum Cathedralium auctoritate Apostolica electos pariter, & confirmatos extendimus.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 1. Iunij.

Dat. Mantuæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1459. pridie Idus Iunij, Pont. nostri Anno 1.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1459.

Plurima oriuntur mala ab appellatione interposita à Rom. Pont. ad futurum Concilium.

§. 1. EXecrabilis, & pristinis tẽporibus inauditus tẽpestate nostra inoleuit abusus, vt à Romano Pont. IESV CHRISTI Vicario (cui dictum est in persona beati Petri) Pasce oues meas, & Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate iudicij, sed commissi euasione peccati, ad futurum Concilium prouocare præsumant, quod quãtum sacris canonibus aduersetur, quantumque Reipublicæ Christianę noxium sit, quisquis non ignarus iurium, intelligere potest. Namque (vt alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifestissime refragantur) quis non illud ridiculum iudicauerit, quod ad id appellatur quod nusquam est, neque scitur quando futurum sit; Pauperes à potentioribus multipliciter opprimuntur, remanẽt impunita scelera, nutritur aduersus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica disciplina, & hierarchicus ordo cõfunditur.

Hic Pont. eam damnat, & à mandatu Papa prouocare prohibet.

§. 2. Volentes igitur hoc pestiferum virus à CHRISTI Ecclesia procul pellere, & ouium nobis commissarum saluti consulere, omnemque materiam scandali, ab ouili nostri Saluatoris arcere, de venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, cunctorumque Prælatorum, ac diuini, & humani iuris Interpretum, curiam sequentium, consilio & assensu, ac certa nostra scientia, huiusmodi prouocationes damnamus, & tanquam erroneas ac detestabiles reprobamus, cassantes, & penitus annullantes, si quæ hactenus taliter interpositæ reperiantur, easque tanquam inanes, ac pestiferas, nullius momenti esse decernimus, & declaramus. Præcipientes deinceps, vt nemo audeat quovis quæsito colore, ab ordinationibus, sententiis siue mandatis quibuscumque nostris, ac successorum nostrorum, talem appellationem interponere, aut interpositæ per alium adhærere, seu eis quomodolibet vti.

Contrauenientib. pœna excommunicationis, & interdicti, & criminis læsæ maiestatis insurgit.

§. 3. Si quis autem contrafecerit, à die publicationis præsentium, in Cancellaria Apostolica, post duos menses, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerit, etiamsi Imperiali, Regali, vel Pontificali præfulgeat dignitate, ipso facto sententiam execrationis incurrat, à qua nisi per Romanum Pontificem, & in mortis articulo, absolui non possit. Vniuersitas verò siue Collegiũ, Ecclesiastico subiaceat interdictu, & nihilominus tam Collegia, & Vniuersitates, quam prædictæ & aliæ quæcumque personæ, eas pœnas ac censuras incurrant, quas rei Maiestatis, & hæreticæ prauitatis fautores, incurrere dignoscuntur. Tabelliones insuper, ac testes, qui huiusmodi actibus interfuerint, & generaliter qui scienter consilium, auxilium dederint, vel fauorem talibus appellantibus, pari pœna plectantur.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, damnationis, reprobationis, cassationis, annullationis, decreti, declarationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 2. die 18. Ian.

Dat. Mantuæ Anno Incarnationis Dominicæ 1459. XV. Kalend. Feb. Pont. nostri Anno 2.

V. Appellantes à Summo Romano Pontifice, ad futurum Concilium, eorumque Consiliarij, & fautores, pœnis excommunicationis, criminisque læsæ maiestatis, diuinæ & humanæ subiiciuntur.

Hæc eadem prohibitio extenditur à Iul. II. inf. in eius const. 22. Suscepti. Et refertur in Bulla Cœnæ Domini à Greg. XIII. in sua const. 81. Consueuerunt.

Hoc etiam sanciuit S. D. N. Vrb. VIII. in Bulla Cœnę Domini vt in const. 62. Pastoralis tom. 4. §. 2.

VI. Canonizatio S. CATHARINÆ de Senis, eiusque relatio in Catalogum SS. Virginum, & Festiuitatis institutio pro prima Dominica mensis Maij.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christifidelibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 1461.

Elementa omnia, & animalia Creatori obediunt, & gratitudinẽ ostendunt.

MIsericordias Domini, quas in dies largius experimur, non satis explicare potest lingua mortalis. Vincunt humana eloquia diuina beneficia. Nec homini datum est creatorem suum abonde collaudare, nec si omnes artus conuerterentur in linguas, quomodo ex nihilo

nihilo creati, de non esse producti sumus in esse: nec vel lapides, vel plantæ, vel animalia bruta, sed rationis participes diuinorumque capaces effecti sumus: ac non solum Angelis, sed ipsi quodammodo inuisibili, & excelso Deo similes, gloria & honore coronati, super omnia opera eis, imperio potiri. Verum si nosipsos rebus cęteris comparamus, nulla creatura magis ingrata reperta est, quam homo. Si Luciferi & sociorum eius superbiam præterimus, solus inter creata, rebellis Deo ingratissimus homo est. Reliqua omnia diuinam pietatem in suo esse collaudant, nec eius vnquam præceptis aduersantur, naturæ legibus parent, & ea peragunt ad quæ producta sunt. Terra aratrum patitur, & suscipiens semina, tanquam sub vsuris, multiplicata reddit, & imperio Dei obediens, culta atque inculta, humano generi consulit. Saxa in ædificiorum vsum recepta, præsto adsunt, nec scissa vel excocta resistunt. Fructificant arbores in agro virētes, & posteaquām aruerunt, aut ignem nutriunt, aut ædes tectaque sustinēt. Quanta herbarum siue in foliis, siue in radicibus, siue in floribus, siue in seminibus, siue in succis inest vtilitas? Quanta in fluminibus commoditas? Quanta in lacubus ac maribus, quę dum nauigia subeunt, inter remotissimas gentes commercia præstant? Quid animalia cætera, siue aquatica, siue terrestria? In omnibus laudatur Deus, dum naturæ iussa capessunt. Elementa & sidera, faciunt imperata. Sol peragit cursum suum, nec præscriptas Zodiaci metas excedit. Nec alieno lucens lumine, suo muneri luna deest. Nec errantes errant stellæ, certum semper, & statutum iter agentes. Omnia in cœlo, & in terra laudant Deū, & in officio, manentia, benedicunt ei, nec legi resistunt impositæ. Grauia deorsum cadunt, leuia sursum feruntur. Cuncta gratitudinem ostendunt, Deo parent atque famulantur, solus homo ingratus, inobediens ac rebellis inter creata repertus est, peruersi angeli ruinam imitatus. Ille in cœlo superbiens, creatorique similis esse cupiens, in abyssum præcipitatus, meditati sceleris pœnas dedit.

Homo autem æqualem se Deo facere voluit.

§. 1. Homo de limo factus, & in terra positus, suæ imbecillitatis immemor, & ipse quoque alta cupere cœpit, qui de ligno vescens prohibito, per boni, & mali cognitionem, æqualitatem cum diis optauit, propter quod de paradiso deliciarum eiectus in multas ærumnas datus est, & porta regni cælorum clausa, mors introïuit per orbem terrarum, quæ nulli hominum parcit. Quantum filij Adæ ante diluuiū aberrauerint, & quam procul à diuina voluntate recesserint, secuta vltio patefecit, quæ omnem carnem aquarum inundatione deleuerat, ea excepta quæ cum pio Noë in arca saluata est. Cæterum neque in filiis eius nequitia ac perfidia defuit, malignitati & ipsi sunt, & in omne prolapsi nefas. Turris Babel in contumeliam Domini cœpta est, & ibi labium vniuersæ terræ diuisum. Ab his bella introducta sunt, rapinæ, tumultus, incendia, cædes, adulteria, stupra, periuria, & idolorum cultus, & quicquid malorum libido, aut superbia gignit. Paucissimi vsque ad Abraham reperti sunt diuinæ legis amatores.

Saluator autē Christus ex semine Abraham nasci, & crucis mortem subire & humanam naturam saluare dignatus est.

§. 2. Ille verò vnicum certumque pietatis exemplum, adeo volūtati Dei sese submisit, vt proprium filium immolare non dubitaret. Propter quod in semine eius benedictæ sunt omnes gentes. Ex cuius liberis non solum Prophetæ orti sunt, diuinæ legis prædicatores, sed ipse quoque Saluator Christus, secundum carnem nasci dignatus est, qui pro salute humani generis cum in forma Dei esset æqualis Patri, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & homo factus, tædia carnis subiit, tormenta, & cruciatus pertulit. Et extremam mortem, non secundum naturam, sed violentam, sed ignominiosam, sed acerbissimam, & vix homini tolerabilem, in ligno Crucis sustinuit. In quo moriens, mortem nostram destruxit; & vitam reparauit. Despoliauit inferos, abduxit sanctos Patres, & victor mortis, ac diaboli triumphator, cælum iam longo tempore clausum, aperiens, ascendit ad Patrem, nobisque iam ostendit, per quam sequi eum possemus, Euangelica lege tradita, & baptismo, cæterisque sacramentis apertis, per quæ lapsi repararemur, & saluaremur.

Homo tamen magis ingratus est. Et multi à fide Catholica deuiant.

§. 3. Nec tamen tot tantisque allecta beneficiis, nostra proteruitas ac malignitas conquieuit, nec gratum exhibuit animum, nec vitia deseruit homo. Sed quo maiori præuenti sumus munere gratiarum, eo magis ingrati reperimur, & ad illicita procliuiores. Nam quomodo sublimem diligimus aut honoramus Deum? Quomodo eius mandata seruamus? Quis sacrosancto Euangelio paret? Quæ reuerentia legum? Quis canonum metus? Quæ subiectio erga superiores? Quæ charitas erga inferiores? Quis æquitatis? quis iustitiæ cultus? quæ Religio? qui mores hominum sunt? qui dicunt in cordibus suis, Non est Deus. Alij impia efferunt dogmata, & blasphemias in Deum cudunt. Alij voluptatem serui nil aliud cogitant, nisi quomodo libidines suas expleant. Alij opibus inhiant alienis. Alij humanum sanguinem sitiunt. Rara innocentia est, eaque parum tuta. Neque propinquitatis iura prosunt, neque scriptæ, sanctæque moribus leges. Viribus & fraudibus cuncta obediunt, ita vt neque abs re princeps mundi huius appelletur diabolus, quando pars orbis maior eius arbitrio docetur. Nam quantum est, quod pseudoprophetæ Mahumetis infamia possidet? Orienti præcipuam portionem, & Affricæ maxima regna, & in Hispania Granatenses, & in Græcia multæ prouinciæ sub Mahumete, Christum blasphemant. Nec parua Iudæorum natio, per orbem terrarum late dispersa, sancti Euangelij, & Christianæ legis inimica. Nec desunt in Septentrione, atque in Oriente cultores idolorum, in angulū Europæ Christianitas redacta est. Nam quamvis per Asiam ac Lybiam Christiani non pauci dispersi esse ferantur, non tamen illorum syncera est fides, qui procul ab Apostolica Sede inter infideles habitantes, & cum hæreticis communicātes, improba quædam sapiunt, & multis erroribus scatent. Nec Christiani qui sunt in Europa, tam re quam nomine Christiani existunt. Adūbrata quidem & ficta est multorum Religio, sicut opera ipsa manifestant. Nam quotus est, qui digna Christiano faciat opera? A fructibus eorum cognoscetis eos, inquit in Euangelio Dominus. Si viuimus, vt Christus iubet, Christiani sumus. Ioannes Apostolus, eius filios esse homines asserit, cuius opera faciunt. Si Dei mandata seruamus, Dei proculdubio filij sumus, sin diaboli, ad eum pertinemus, dicente Domino; Vos ex parte diabolo estis. Dura sententia, & tamen vera. Illius quisque filius est, & ad eum pertinet, cuius mandata sectatur. Quantum autem ingrati Christiani à diuinis præceptionibus procul abierint, & quantum diabolicis suggestionibus adhæserint, per sese quis intelligit. Interroget quisque conscientiam suam & retroactam ante oculos mentis vitam collocet, & quantum ab officio veri Christiani recesserit, palam cognoscet. Quæ cum ita sint, maxima est summi Dei benignitas, & incredibilis misericordia, quæ nos tolerat, & viuere sinit, expectans vt aliquando conuersi redeamus in viam.

Semper tamen fuerunt aliqui viri Deo accepti qui eius iram placauerunt.

§. 4. Sed inuenti sunt in omni ætate nonnulli Deo placentes, viri sancti, qui viuentes in carne, desideria carnis vicerunt, & cælestem in terra vitam egerunt. Quorum meritis, & intercessione sustentata est mundi machina, & comminatus ignis retentus, & ira Dei vltioque suspensa. Nec dubitamus, quin hodie quoque aliqui sint accepti Deo, quorum preces cælestem nobis Regem placatum, benignumque reddant.

Maximè Beatus Bernardinus Senensis qui Religionē S. Francisci ingressus fuit, sanctāmque vitam duxit, & miracula fecit. Et ideo à Papa Nicolao V canonizatus vt sup. in const. 20.

§. 5. Inter alios autem qui Deo placuerunt, & diuinam nobis clementiam placauerunt, vrbs Senæ inter Etruscos nobilis, ætate nostra Bernardinum aluit, qui nobili loco natus, in adolescentiæ flore mundo renuntiauit & ingressus B. Francisci Religionem, cum fratres sui Ordinis procul abiisse ab institutis, & regula Patris reperisset, eos acriter correxit. Et cum eos omnes in viam reducere non posset, sequestratis pluribus, quibus regulam reseruare placuit, cum his cœnobia frequentauit, quæ multa de nouo correxit, & sanctissimis institutis reformauit. Circuiuit Italiam prædicando, vitia fulminauit, virtutes erexit. Mira eius abstinentia fuit, mira integritas, moderata grauitas, eloquij multa suauitas, multa doctrina. Et quoniam verus erat paupertatis cultor, hostis pecuniæ, & omnium deliciarum inimicus, semper in eius vultu ingens alacritas emicuit, & in mente summa quies, vt qui sola innocentia gaudebat, nullius sibi conscius criminis, scādalis quāpluribus in Italia obuiauit, & multa miracula perpetrauit, propter quæ adhuc viuēs sāctus habebatur, & miro plebiū colebatur honore, nusquā sine populi fre-

quentia, & singulari reuerentia receptus. Qui cum apud Aquilam Marsorum vrbem, huius vitæ cursum peregisset, à Nicolao V. prædecessore nostro, ipso Iubilei Anno cum Christianus orbis ad purgandas vitiorum sordes, frequens vrbē inuiseret, inter sanctos Christi cōfessores relatus est.

Catharina Virgo etiam Senensis Angelicam in terris vitam duxit.

§. 6. Fuerat & in ætate superiori, parentum nostrorum memoria, in eadem vrbe, & in sexu fœmineo virgo Catharina, non minoris meriti, nec minus accepta Deo. Cuius preces in conspectu præcelsæ diuinitatis, humano generi admodum salutares, & olim fuisse, & nunc esse, & in posterum fore, non dubitamus. Nam sicut peccata malorum hominum, ac blasphemia iram Dei super nos prouocant, ita & sanctorum opera rogaminaque auertunt. Verum Catharina quamvis Angelicam vitam in terris egerit, & ante annos octoginta decedens, ad cœlum migrauerit, multisque signis, & gloriosis miraculis claruerit, non tamen adhuc inter sanctas CHRISTI virgines à militante Ecclesia recepta erat. Neque enim Romani Pontifices, qui ante nos fuerunt, id decreuerant.

Vrb. 6 Inn 7. & Greg 11 volebant eam canonizare, sed ob varias perturbationes non potuerunt.

§. 7. Voluerat Vrbanus Sextus hunc ei honorem impartiri, & post eum Innocentius Septimus, ac deinde Gregorius Vndecimus, qui huius virginis, & sanctæ conuersationis eius, præcipuam habuere notitiam. Sed vexati perturbatione schismatis, quod eorum tempore viguit, & multis bellorum turbinibus ac molestiis agitati, diuino, vt diximus, consilio id omiserunt, ne sæuiente diuisionis procella, quod sanctum vna obedientia decreuisset, prophanum altera censuisset. Dilata est res vsque ad tempora nostra, nobisque huius sacerrimæ virginis canonizatio reseruata, tanquam conterraneæ nostræ atque conciuis, vt Senensis virginis sanctitas, decreto Senensis hominis in Romana Sede sedentis, prodiret in lucem.

Hic ideo Pius Catharinam non qui a Senensem, sed quia meritis præclaram cognouit. & Fridericus Imp & Paschalis Dux Venetiarum apud illum Pont pro hac canonizatione instituerūt.

§. 8. In qua re non imus inficias, affectum nos aliquem sanctum & pium traxisse. Quis est enim, qui suæ vrbis præconia, suæ patriæ laudes, sui generis virtutes, non libenter vulgari procuret, cum id possit ritè & honestè facere; excellentia facta, & illustres virtute homines, & in omni genere, & in omni parte orbis, nemo est qui non cupidum præconizandi affectum habere videatur; libentius tamen & maiori cum iucunditate, sua in patria & in sua gente. Et si nos quidem B. Catharinæ sublimes dotes, nobile ingenium, diuinam mentem, sacratissimam voluntatem in omni natione quam lætissimi vidissemus, lætiores tamen in vrbe Senensi, quæ nos genuit. Siquidem meritorum eius longe magis peculiariter esse confidimus participes, quam si virgo hæc aut in Africa, aut in Scythia, aut in India nata fuisset. Neque enim fieri potest, quin sanctorum propinquitas aliquid habeat prærogatiuæ. Nihil tamen ob hanc causam, plus minusve dicere licet, quam verum est. Nec propter cognationem, aut patriæ charitatem, inter sanctos quisquam sine meritis, sine solito examine, sine consuetis solemnitatibus referendus est. Quapropter etsi iucunde audiuimus B. Catharinam Senensem esse, cuius canonizatio petebatur, non tamen in eius canonizatione quidquam omisimus ex his, quæ tanta in solemnitate requiruntur. Aderant multæ preces non modo Senensis populi, verumetiam aliorum. Nam & charissimus in Christo filius, Fridericus Romanorum Imperator Augustus, simulque dilectus filius nobilis vir Paschalis Venetiarum Dux, nobis supplicauit, ne hanc virginem suo in terris honore priuatam vlterius esse sineremus, in quam multorum populorum deuotio esset incensa, & multa de ipsa miracula vulgarentur.

Dum Senis commorabatur ad preces sibi porrectas, in publico Consistorio inquisitionem fieri super vita & miraculis Catharinæ iussit.

§. 9. Mantuam verò petentes, cum inter eundum apud Senenses aliquandiu supersedissemus, & ibi in Consistorio publico ingentia eius merita & miraculosa signa nobis essent exposita, vehementesque preces porrectæ, vt sanctorum CHRISTI honores illi decerneremus, haudquaquam statim annuimus, sed pro veteri consuetudine, tribus nostris S. R. E. Cardinalibus, vni Episcopo, alteri Presbytero, reliquo Diacono, viuæ vocis oraculo commisimus, vt debitis habitis processibus de vita & moribus ipsius Catharinæ, deque miraculis eius, siue in vita, siue post mortem patratis, & de reliquis ad canonizationem necessariis diligenter inquirerent, nobisque in secreto consistorio, vt moris est, fidelem relationem facerent.

Et ex relatione habitum fuit à Commissariis, quod in Inquisitione fuerunt verificata quæ hic continentur.

§. 10. Commissarij per annum & vltra, donec ex Mantua Romam rediissemus, rem discutientes inuentis processibus antiquis, apud Venetos & alibi habitis, examinatisque de nouo testibus, & summa cum diligentia cunctis ponderatis, cum seorsum inter Cardinales tantum, omnium quæ inuenerant, veracem nobis relationem fecissent, ac demum per aduocatum ea quæ nobis exposuerant, in publico consistorio denuo recitari curassent, postremo conuocatis in aula nostra Romæ vniuersis, qui tunc erant in curia Ecclesiarum præsulibus, assistentibus nobis Cardinalibus, iterum Commissarij præfati per organum venerabilis fratris nostri Guillielmi Episcopi Portuensis, natione Gallici, qui primus eorum erat, rursus cuncta quæ inuenerant, & rite probata videbantur, coram explicauerunt. Ex quorum relatione, quæ amplissima & ornatissima fuit, hæc summatim accepimus, quæ vera, comperta, cognita & explorata sunt.

Vita Catharinæ Senensis ac aliquorum miraculorum compendium.

§. 11. Virgo Catharina ex ciuitate Senensi oriunda, mediocribus orta parentibus, prius Deo sese dedicauit, quam Deum posset per ætatem cognoscere. Sex annos nata, vt Domino seruiret, eremum concupiuit, & vrbe egressa, in cauerna, loco solitario delituit, quamvis iubente spiritu, paululum demorata, domum redierit. Angelicam salutationem edocta, quoties paternæ domus scalam ascendit, toties per singulos gradus, flexo geniculo, beatissimam Virginem matrē Domini salutauit. Et anno currente ætatis suæ septimo, virginitatem suam consecrauit CHRISTO, quem sua in maiestate sedentem mirabili visione contemplata est, & arcana cœlestis aulæ vidit, quæ non potest effari lingua mortalis. Mundanas delicias à se omnes abdicauit. Orationi totam se dedit, corpusculum suum vigiliis, ieiuniis ac verberibus afflixit. Coæquales puellas, vt idem facerent, & docuit, & suasit. Pubes effecta, scissis crinibus, mortale coniugium recusauit. Conuicia & maledicta hominum spreuit. Beati Dominici habitum quem fœminæ gestant, de pœnitentia nuncupatæ, extorsit, protinusque impetrauit. Ancillare officium in paterna domo exercuit, nihil magis cupiens, quam vilis apud homines & abiecta videri. Pauperibus CHRISTI (nam id pater ei indulserat) larga manu subuenit, ægrotantibus summa diligentia ministrauit, Diabolicas tentationes, & assiduas malignantium spirituum pugnas, patientiæ clypeo & fidei galea superauit. Incarceratos & oppressos, quibus valuit modis, consolata est. Nullum ab ea verbum non religiosum, non sanctum excidit. Omnis sermo eius, de moribus fuit, de religione, de pietate, de contemptu mundi, de amore Dei & proximi, de cœlesti patria. Nemo ad eam accessit, qui non doctior meliorque abierit. Doctrina eius infusa, non acquisita fuit. Prius magistra visa est, quam discipula, quippe quæ sacrarum literarum professoribus, ipsisque magnarum Ecclesiarum Episcopis, difficillimas de diuinitate quæstiones proponentibus, prudentissime respondit, & adeo satisfecit, vt tanquam agnos mansuefactos remiserit, quos tanquam lupos ac leones feroces acceperat, quorum nonnulli, diuinam in virgine sapientiam admirati distributis mox inter CHRISTI pauperes, quas possidebant, substantiis, accepta Domini cruce, vitam deinde Euangelicam egerunt. Summa huius virginis abstinentia fuit, & admirabilis vitæ austeritas. Nam cum vini & carnium vsum prorsus abiecisset, nec pulmentariis vllis vteretur, ad extremum eo deducta est, vt nec legumina ederet, nec pane vesceretur, nisi cœlesti, quem verus Christianus in Sacramento sumit altaris. Inuenta est aliquando à die Cinerum vsque ad Ascensionem Domini ieiunium perduxisse, sola Eucharistiæ communione contenta. Per annos circiter octo, minimo herbarum succo, eorumque parum retento, & communione sacra, sustentata est. Ad cibum quasi ad supplicium pergebat. Ad communionem altaris, quæ illi fere quotidiana fuit, quasi ad cœlestes nuptias inuitata esset, summa cum alacritate proficiscebatur. Cilicio sub veste vtebatur, quo carnem macerabat. Nullæ illi plumæ, nulla puluinaria erant. Lectum sibi ex tabulis confecerat: atque in eo iacens, breuissimum somnum accipiebat. Raro enim vltra duas horas interdiu noctuque dormiebat. Reliquum omne tempus, vigilando, orando, prædicando, opera misericordiæ agendo contriuit. Spissis chordulis

carnem

carnem suam macerauit: dolore capitis pene assiduo torquebatur. Æstuabat febribus, nec aliorum diuersorum morborum cruciatu carebat. Luctabatur quàm frequentissime cum dæmonibus: multisque illorum molestiis vexabatur. Sed aiebat cum Apostolo: Cum infirmor, tunc fortior sum. Nec enim in tantis laboribus deficiebat, nec charitatis onera negligebat. Assistebat miseris indigna ferentibus. Arguebat peccatores, & blandissimis verbis ad pœnitentiam reuocabat. Præcepta salutis omnibus læta dabat: Quid sectandum, quid fugiendum esset, alacri vultu ostendebat. Dissidentes summo studio componebat. Multa extinxit odia, & mortales sedauit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Ecclesia dissidebant, & interdicto suppositi Ecclesiastico erant, Apenninum & alpes transire, atque vsque in Auenionem ad Gregorium Vndecimum Pontificem maximum antecessorem nostrum proficisci non dubitauit. Cui votum suum, de petenda vrbe Roma, in occulto factum, & sibi soli ac Deo notum, sese diuinitus cognouisse monstrauit. Fuit enim in ea spiritus prophetiæ, & multa prædixit antequàm fierent, & occultissima reuelauit. Rapiebatur sæpe à spiritu, & in aëre suspensa, diuinis contemplationibus patebatur, adeo extra se acta, vt expuncta percussaque, nihil omnino sentiret: idque frequenter ei contingebat, cum diuinissima reficeretur Eucharistia. Magnum & sanctum erat in plebibus Catharinæ nomen: & vndique ad eam ægroti, & malignis vexati spiritibus, deducebantur: & multi curabantur. Languoribus, & febribus in Christi nomine imperabat, & dæmones cogebat ab obsessis abire corporibus. Propter quas res, duobus Romanis Pontificibus Gregorio Vndecimo (cuius paulo ante meminimus) & Vrbano Sexto acceptissima fuit, adeo vt legationibus eorum fungeretur, multisque & magnis spiritualibus gratiis ab eis donaretur.

Cathar. obijt Romæ annum agens trigesimum tertium.

§. 12. Eadem cum vitæ agonem iam peregisset, anno ætatis suæ tertio circiter ac trigesimo, in Vrbe Roma diem suum clausit. De cuius animæ in cælum assumptione, & gloriosa receptione, stupendæ ac mirabiles reuelationes factæ reperiuntur apud eas personas, quæ virginem dilexerunt, maxime verò apud eius confessorem Raimundum Capuanensem sacræ Theologiæ magistrum, qui postea generalis totius Ordinis Prædicatorum Pater, magister, & rector effectus est. Is namque cum Ianuæ ageret, ea nocte qua virgo migrauit, hora matutina dormitorium apud imaginem matris Domini, eam contemplatus est miro splendore fulgentem, & verba ad se consolatoria dicentem.

Et sepulta fuit in Ecclesia S. Mariæ supra Mineruam. Et miraculis claruit.

§. 13. Corpus eius aliquandiu seruatum, denique in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, quæ de Minerua dicitur, Romæ conditum est non sine magna populi deuotione ac reuerentia. Cuius tactu plerique ægroti salutem consecuti sunt à Deo: & nonnullis saluti fuit ea tetigisse, quæ sacrata virginis membra tetigere. Postea quoque virgo ipsa iam cælo recepta, vota supplicantium benigne audiuit, & vt à sponso, & Domino Christo suo Saluatore exaudirentur, curauit. Multi enim ex diuersis ægritudinibus curati sunt, qui audita beatæ Catharinæ gloriosissima fama, eius patrocinium supplices petiuere. Propterea Veneriis, vbi nunquam virgo ipsa fuerat, & multis in locis nomen eius cum veneratione receptum est, & vota ei plurima fiunt.

Vota de canonizanda B. Catharina data sunt.

§. 14. Hæc & alia quamplurima cum venerabilis frater noster Episcopus Portuensis, in conuentu Cardinalium, & Præsulum exposuisset, & liquido probata esse affirmasset, rogati singulatim tum omnes Cardinales, tum Præsules, qui plurimi affuerunt, sententiam dicere, totis suffragiis beata virgo digna cælo, & astris, declamanda visa est. Nec quisquam fuit, qui non magnopere canonizationem eius faciendam probauerit.

Pont. in Basilica S. Petri caremon. peractis Catharinam canonizauit, & inter Sanctas Virgines collocauit.

§. 15. Quibus ad longum auditis, iussimus in basilica beati Petri Apostolorum principis suggestum magnum, & ornatum apparari, super quo hoc die adstante populo, & clero, sermone de vita, & miraculis huius virginis per nos habito, Missarum solemnibus celebratis, & consuetis cæterisque rite peractis, ad canonizationem huius virginis, sub his verbis duximus procedendum. Ad honorem omnipotentis, & æterni Dei, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad exaltationem fidei catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, ac nostra, Catharinam Senensem illustris, & indelebilis memoriæ virginem, cuius corpus in Ecclesia Prædicatorum quæ Minerua dicitur, Romæ iacet, & in cælesti Hierusalem, inter beatarum virginum choros, quando id eius virtus, diuina suffragante gratia, meruit, iam pridem fuisse receptam, & æternæ gloriæ coronam donatam, de fratrum nostrorum consilio declaramus: eamque tanquam sanctam publice priuatimque colendam esse decernimus, & definimus; atque in sanctarum catalogo virginum, quas Romana veneratur Ecclesia, redigi, & adscribi mandamus.

Statuit celebrari eius festum prima Dominica Maij.

§. 16. Statuentes festum eius singulis anni prima mensis Maij Dominica die, ab vniuersali Ecclesia celebrandum esse, & omnes illi honores præstandos, qui cæteris sanctis virginibus conuenire noscuntur.

Et indulg. dat eius sepulchrum visitantibus.

§. 17. Et insuper sepulchrum eius in ipso festo visitantibus, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in perpetuum relaxamus.

Sanctio pœnalis.

§. 18. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostrorum declarationis, constitutionis, mandati, statuti, & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 3. die 29. Apr.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, tertio Kal. Maij Pont. nostri Anno tertio.

Contra Clericos, ad sacros ordines male promotos. VII.

Pleniorem animaduersionem in eosdem, ac in Episcopos, & alios male promouentes, edidit Six. V. infr. in eius constit. 9. Sanctum, qua tamen moderata fuit, vt ibid. notabo.

Contra male ad sacros, vel minores Ordines, seu Clericalem characterem ordinantes, & male ordinatos sanctionem edidit S.D.N. Vrb. VIII. in const. 33. Secretis inf. tom. 4.

Edita An. D. 1461.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CVm ex sacrorum ordinum collatione, character inuisibilis animæ imprimatur, sacra mysteria dispensentur, & ipsarum cura tribuatur animarum; in eorum susceptione, excessus graues, tanto magis plectendi sunt, quanto ex illis maiora in mentibus fidelium scandala generantur.

Causa constitutionis.

§. 1. Cum itaque (sicut dignorum relatione, nonnisi moleste accepimus) nonnulli clerici, extra tempora à iure statuta: quidam ante ætatem legitimam; aliqui verò sine dimissoriis literis contra sanctiones canonicas, se faciunt ad sacros ordines promoueri.

Pœna contra male promotos.

§. 2. Nos eorundem temeritatem, tali castigatione reprimentes, vt aliis in posterum committendi similia, aditus præcludatur; auctoritate Apostolica, hac constitutione perpetuo valitura, statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia sine extra tempora à iure statuta, siue ante ætatem legitimam vel absque dimissoriis literis, etiam citramontanis (præterquam si in hoc vltimo casu, per cameram Apostolicam, iuxta illius stylum ordinati fuerint) ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, à suorum ordinum executione, ipso iure suspensi sint; & si huiusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea, vltra alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas, beneficiis Ecclesiis possit.

Tempus quo hæc bulla ligare cœpit.

§. 3. Volumus autem quod præsens nostra constitutio, in Romana Curia existentes, post quindecim dies, absentes verò Italicos post duos menses, alios verò vltra montanos,

post sex menses, ab ipsius in audientia Contradictarum, & Cancellaria Apostolica, publicatione, & affixione, ligare incipiat. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 4. 17. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, 15. Kalend. Decemb. Pont. nostri Anno 4.

VIII. Contra homicidas, vel de homicidio condemnatos, aut diffamatos, ditioni S. R. E. mediate vel immediate subiectos.

Sanctio ista, declarata & extensa fuit à pluribus Pont. quos tibi indicauere infra in const. 6. Sixt. V. Hoc nostri.

Edita An. D. 1461.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Homicidij crimen detestabile est.

AD retinendas insolentias transgressorum, si neruus publicæ disciplinæ lentescit, eorum ad peccandum voluntas fit laxior, & exemplum impunitatis, periculosius in alios deriuatur, propter quod ad præsidentis officium pertinet, talem adhibere iustitiæ seueritatem & debitam executionem, quod commissa crimina puniat, & committendorum in posterum interdicat audaciam.

Causa huius constit.

§. 1. Cum autem ad audientiam nostram peruenerit, quod à certis annis citra, in nostris, & Ecclesiæ Romanæ terris, locis, & tenimentis, nobis, & Ecclesiæ prædictæ mediate, & immediate subiectis, quam plurima, quandoque etiam ex leuibus causis, commissa esse reperiantur homicidia, sitque inter alia crimen homicidij perniciosum & detestabile, debeatque iuxta canonicas sanctiones, graui animaduersione puniri, tantoque seuerius puniendum, & extirpandum, quanto manifestius cognoscimus, quod ex eo, vt plurimum, scandala, & mala plurima subsequuntur.

Constitutiones ergo edit hic Pont. in quib.

§. 2. Cupientes igitur ex debito Pastoralis officij, quod nostri, & Ecclesiæ Romanæ prædictæ mediate, & immediate subiecti, iuxta piam dispositionem Regis pacifici, qui regnat in cœlis, pacifici sint, & modesti, nonnullas pro huiusmodi crimine homicidij debite puniendo, edidimus constitutiones infrascriptas, quas ad hoc vt aliquis de eisdem ignorantiam prætendere non possit, volumus per omnes, & singulas ciuitates, nobis & Ecclesiæ Romanæ prædictæ mediate, vel immediate subiectas, publico præconio publicari, mandantes, ac auctoritate Apostolica tenore præsentium decernentes, omnes, & singulos iuxta constitutionum earundem determinationem, adstrictos esse ad obseruationem ipsarum, ac si personaliter singulis intimatæ forent, cum non sit verisimile, quod ad eorum notitiam non deuenerit, quod extitit tam publico præconio patefactum. Tenor verò constitutionum de quibus supra fit mentio, sequitur, & est talis, videlicet.

Homicidas iubet exulare etiam habita pace cuiusque remissione aut saluum conductum ab Officialibus concedi non posse.

§. 3. Sanctissimus Dominus noster, intendens quieti patriæ consulere, & ipsam sicariis, homicidis, & malefactoribus expurgare, statuit, & decreuit, quod omnes illi qui pro delicto homicidij fuerint condemnati, seu alias de ciuitate aliqua, & districtu illius banniti, non possint ad ciuitatem seu districtum huiusmodi, quocumque tempore redire, seu in eis, vel eorum altero moram trahere, etiam habita pace ab hæredibus, vel consanguineis, seu filiis ipsius occisi, nec Legatus etiam de latere, aut Gubernator qui pro tempore fuerit, vel quivis alius possit auctoritate Apostolica, seu ex officio suæ legationis, aliquem homicidam sic exbannitum rebannire, reducere, seu reuocare ad ciuitatem, vel districtum, aut eorum alterum, seu ei licentiam, vel saluum conductum concedere redeundi, seu morandi in eis, vel eorum altero, in perpetuum, vel ad tempus modicum siue magnum, nec etiam per diem vnum, siue noctem, quod si secus per quemquam ex supradictis factum fuerit, incidat in pœnam excommunicationis ipso facto, sine vlteriori sententia declarationis, à qua per alium quam per Summum Pontificem (& tunc facta de hoc speciali expressione) non possit absolui, ac reductio, licentia, reuocatio, saluus conductus, & cassatio processus, & banni huiusmodi, sint ipso iure nulla, nulliusque roboris, vel momenti, incidat etiam in pœnam ducatorum mille Cameræ Apostolicæ applicandorum, quam Thesaurarius, cui hoc secreto, vel publice fuerit denuntiatum, retineri faciat, & mandet, nullo super hoc expectato, seu requisito superioris mandato, quod si non fecerit, Thesaurarius ipse eandem sententiam excommunicationis ipso facto, cum eisdem qualitatibus, incurrat: ipseque sic rebannitus, reductus, reuocatus, siue alio quocumque modo reuersus, possit & debeat capi, detineri, & incarcerari; & de ipso, secundum sententiam contra eum latam, iustitia fieri per Gubernatorem, Potestatem, & alios Officiales, ad quos spectat, seu pertinet, incontinenti sine vlteriori licentia, notificatione, & requisitione superioris, vel alterius, sub pœna ducentorum ducatorum auri, Cameræ Apostolicæ applicandorum, vel retinendorum, quam Thesaurarius præfatus simili modo, & forma, ac sub similibus censuris, faciat retineri, prout superius est expressum. Hoc autem extendi voluit ad eos, qui reuocati, rebanniti, vel alias quomodocumque remissi fuerint, quacumque auctoritate seu licentia (præterquam ex speciali commissione, seu mandato Romani Pontificis, contento in literis authenticis, & bulla plumbea munitis, à duobus mensibus citra, termino dierum quindecim, quo possint de ciuitate libere recedere, eis concesso) vel qui in futurum rebannientur, reuocabuntur, seu alias remittentur per quemcumque quavis auctoritate prædicta, sub pœnis pecuniariis, & aliis Ecclesiasticis censuris, de quibus superius est dictum.

Appellationis remedium aufert.
Ad hoc vide omnino Pij IV. const. 52. Et si cunctis, vbi notabo.

§. 4. Item, quod quæcumque appellationes interpositæ vel interponendæ ab huiusmodi vel aliis sententiis siue grauaminibus contra homicidas latis, vel à processu contra eos facto, etiamsi lis vel instantia super eis pendeat, & inhibitiones vigore ipsarum emissæ per Auditorem Cameræ, vel alium quemcumque, ordinarium vel delegatum, sint nullæ & inualidæ, nec ad vlteriora super eis, vel ipsarum vigore, procedi possit ac debeat: quinimo appellationes, lites, & causæ huiusmodi, censeantur aduocatæ, extinctæ, & inualidæ, nec Potestates vel alij Officiales inhibiti, huiusmodi mandatis, inhibitionibus litis pendentiis, censuris, & pœnis in eis contentis, adstringantur, imo teneantur, & debeant, sub pœnis suprapositis, ad executionem sententiarum latarum procedere. Possit tamen in causis aliis, à iure vel statuto permissis, appellari ad Gubernatorem ciuitatis, seu prouinciæ; qui infra mensem, causam definire teneatur; quo elapso, appellatio, inhibitio, & instantia super eis, sint nulla; & libere, sine impedimento, possit fieri executio sententiæ, vel banni; ac si non fuisset inhibitum, & appellatum, quodque banniti, & condemnati propter huiusmodi crimen homicidij, censeantur & sint banniti ab omnibus circumvicinis vsque ad milliaria quinquaginta, intra quæ, si reperti fuerint, possit & debeat capitalis sententiæ, siue condemnationis pecuniariæ executio fieri contra eos, per Potestates & alios Officiales, ciuitati, districtui, & loco præsidentes, sub pœnis pecuniariis simili forma imponendis.

Homicidas condemnatos aut diffamatos plures pœnas incurrere declarat etiamsi ab Officialibus remittantur.
Ampliorem dispositionem, vide in bullas citatas in rubr.

§. 5. Item, quod omnes, & singuli homicidæ, quorum delictum notorium fuerit, vel de homicidio infamati, seu condemnati (etiamsi de delicto huiusmodi, ex forma statutorum, non possit inquiri, vel aliqua pœna imponi, vel etiamsi ipsius delicti, vel pœnæ pro eo interpositæ, auctoritate Apostolica, vel alterius, ab ea, vel à Romano Pontifice potestatem habentis, sit facta remissio, cassatio processus, & sententia annullata, vel alias quomodolibet dispensatum, per viam gratiæ seu iustitiæ, in toto vel in parte) non possint habere officia, vel dignitates in quibuscumque locis, ciuitatibus, & terris, à quibus banniti fuerint, in quibus domicilium eorum originemque habuerint, seu aliam moram traxerint vel resederint, etiamsi fuerint absoluti, rebanniti, vel alias eorum sententia, seu condemnatio, siue processus cassatio, irritatio, vel alias pro infectis habiti; sed perpetuo sint infames, & omni dignitate priuati, nec possint ferre testimonium, nec tabellionatus officium exercere, non admittantur ad iudicandum, seu ad aliud officium exercendum, & ab omnibus actibus legitimis sint perpetuo suspensi, quinimo si huiusmodi

huiusmodi officia acceptauerint, exercuerint, seu ad ea exercēda admissi fuerint, tam ipsi, quam Gobernator, Legatus, aut Superior, qui eum elegerit, vocauerit, aut ipsum officium exercere, seu ei præesse passus fuerit, pœnam quingentorum ducatorum auri, ipso facto incurrat, & sua gubernatione priuetur, nec gesta, in iudicio vel extra iudicium, tam per eum qui admissus fuerit ad officium, quam per eum qui illud ab eo exercere passus fuerit, de cetero valida sint, & robur obtineant, quinimo sint nullius roboris vel momenti, & si ecclesiasticæ personæ fuerint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, sine vlteriori declaratione, à qua non possint, præterquam à Romano Pontifice, cum speciali dicti siue transgressionis huiusmodi expressione, absolui. Et Thesaurarius Cameræ, sine aliqua requisitione, seu notificatione, aut inhibitione vel monitione, salarium eisdem, vel alteri, debitum, retinere debeat, si ab eo debeatur, si verò non debeatur, mandare Potestati, Gubernatori, vel alteri, ad quem spectat, ab eis vel eorum altero exigi, & satisfieri, sub eisdem censuris & pœnis, prout superius est expressum. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 4. die 28. Ian. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, Quinto Kal. Febr. Pontificatus nostri Anno quarto.

IX. Priuilegia Congregationis Monachorũ B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, vnà cum communicatione omnium gratiarum Congregationis Cassinensis eiusdē Ordinis.

Alia priuilegia habes etiã hic infr. in const. 12. Iul. II. Etsi ad Et gratias Congreg. Cassinensis, vide in constitutionibus indicatis in alia bulla prima eiusdem Iul. II. Super Cathedram.

Cætera de hac Congregatione Montis Oliueti sunt indicata sup. in const. 1. Clem. VI. Sollicitudinis.

Edita An. D. 1462. PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. Licet ex debito ministerij Pastoralis quibuslibet Ecclesiasticis ordinis viris nos deceat in suis opportunitatibus esse fauorabiles & benignos, illis tamen, qui sub Religionis habitu, vitæ castimonia, & obseruantia regulari, gratum & sedulum exhibent cum puritate meorum Altissimo famulatum, mundanisque relegatis illecebris, cælestium contemplationi insistunt, vt in suis bonis operibus huiusmodi nil eos impediat, vel conturbet, eo propensioribus auxiliis nos conuenit opportune adesse, quo per arctioris eiusdem obseruantiæ semitas se Creatori omnium sponte deuouerunt, tantoque deuotius ipsi diuinis, & contemplationi insistere, ac sacris actionibus vacare possint, quanto eorum status quietior amplioribus fuerit præsidiis communitus.

Approbatio omnium Indultorum. §. 1. Cupientes itaque Monasterium Montis Oliueti Ordinis S. Benedicti Aretinæ Diœc. quod inter alia ipsius Ordinis, & Congregationis Monasteria insigne, & præcipuum, & per nonnullos præclaros viros ex progenitoribus nostris nobilibus de Piccolominibus, & Tolomeis Domorum à quibus sumpsit exordium, magna ex parte fundatum, atque dotatum est, & in quo dilecti filij, Abbas Generalis dicti Ordinis, vna cum illius conuentu; prout ipsi, qui deuotionis causa prædictum Monasterium visitando experientia edocente comperimus, gratum, & deuotum exhibent virtutum Domino famulatum, atque alia ipsius Ordinis Monasteria, Prioratus, & Membra, ac in eis degentes personas, condignis muneribus gratiarum, & fauoribus decorare, & non solum ad instar prædecessorum nostrorum Roman. Pontificum, cum nonnullis infrascriptis modificationibus concessa eis priuilegia communire, verumetiam illa, prout sæpius in similibus fieri contingit, & quemadmodum aliis regularibus viris, eorumque Monasteriis concessum fuisse dignoscitur, Abbatis, Conuentus, & Monachorum meritis, & virtutibus exigentibus, quodaliquo ampliare, eiusdem Abbatis in hac parte supplicationibus inclinati, omnia, & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, indulta, & gratias, eisdem Montis Oliueti, atque aliis Monasteriis, Prioratibus, Membris, & locis dicti Ordinis, necnon præfato, & aliis Abbatibus, Visitatoribus, Prioribus, Monachis, & personis in eis degentibus per nos, vel Sedem Apostolicam, siue alias quovis modo concessa & indulta, rata habentes & grata, illa auctoritate Apostolica ex certa scientia approbamus, & confirmamus ac præsentis scripti patrocinio communimus.

§. 2. Et nihilominus vt idem Abbas, Conuentus, Monachi, & personæ eo magis sine cuiusvis turbationis, vel impedimenti distractione bonis actibus insistere, piis quoque, & meritoriis operibus continuo vacare possint, quo nostræ erga eos paternæ charitatis intelligent exuberare affectum, sentientque nostræ magnificentiæ gratiam eis non deesse; hac perpetuo valitura constitutione, Apostolica auctoritate statuimus, & ordinamus, quod in antea perpetuis futuris temporibus, Monasteria, Prioratus, & loca dicti Ordinis, ab eodem Monasterio Montis Oliueti dependentia, quæ nunc sunt, & in posterum (auctore Domino) Ordini, siue Congregationi eiusdem, quomodolibet vnientur, incorporabuntur, subiicientur, seu applicabuntur, per ipsius Ordinis Prælatos dumtaxat regi, & gubernari debeant, & quoties illa, vel eorum aliquod vbicumque etiam apud Sedem Apostolicam, & qualitercumque vacare contigerit, etiamsi quævis speciales, vel generales de illorum prouisionibus, siue dispositionibus per Sedem ipsam reseruationes factæ fuerint, Capitulum, si tunc celebrabitur, alioquin Abbas dicti Monasterij Montis Oliueti, & Visitatores prædicti, cum aliis ad hoc, iuxta eorum consuetudines & statuta deputatis, illos ex Monachis dicti Ordinis, præsentibus & futuris, quos ad hoc idoneos fore repererint, in Abbates, seu Priores tunc vacantium Monasteriorum, Prioratuum, & locorum huiusmodi alias iuxta ipsorum consuetudines, & statuta eligere, nominare, ac etiam ad nutum, & beneplacitum ipsorum, taliter electos, siue nominatos à regimine, siue administratione dictorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum, quibus præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censeantur, absoluere, amouere, & ad claustrum reuocare, præfatique sic electi, & nominati, absque alicuius Sedis prædictæ, vel alterius prouisionis, siue perfectionis, vel dispensationis adminiculo, & præter id, quod propterea munus benedictionis, ratione Monasteriorum quibus præfuerint, impendatur, eisdem Monasteriis, Prioratibus, & locis ad quæ sic electi & nominati fuerint præesse, ac illa in huiusmodi spiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare, ac omnia, & singula, quæ per Abbates, & Priores aliorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Ordinis, & Congregationis eorundem, iuxta prædicta statuta & ordinationes fieri potuerunt, & libere & licitè valeant exercere.

Electio Congregationis etiam obtinenda, à Prælatis eius vacantibus aliquid à Capitulo vel Abbate & Visitatoribus delegantis.

§. 3. Per hoc tamen constitutioni nostræ, ac etiam fœlicis recordationis Eugenij PP. IV. prædecessoris nostri, qua cauetur, quod Monast. ac beneficia vnita statutis in ea temporibus, annatam soluere teneantur, non intendimus in aliquo derogare.

Annata solutionis obseruatur.

§. 4. Et ne ipsos super Monasteriis, Prioratibus, & locis prædictis aliorum motibus, & instantiis improbis turbari contingat, volumus, & auctoritate præfata similiter statuimus, & ordinamus, quod per quascumque literas Apostolicas, etiam Motu proprio, & cum reseruationibus antedictis, ac quibuscumque derogatoriis clausulis, propter quas effectus præsentium quomodolibet impediri, vel differri possit, concessas hactenus, & in posterum forsan concedendas aduersus statuta, & ordinationes nostras huiusmodi, nullus prædictæ Congregationis, vel alius cuiuscumque status, gradus, vel conditionis fuerit, etiamsi Cardinalatu, aut Pontificali, siue alia quavis præfulgeat dignitate, aliquod ex ipsis Monasteriis, Prioratibus, siue locis in Titulum, vel Commendam, seu administrationem, aut alias, seu super cuiusvis illorum fructibus, & redditibus, & prouentibus quæcumque pensionem

Et huic indulto non censeatur derogatum nisi id Papa specificè exprimat.

sibi vendicare, vel ius desuper acquirere possit, nisi in ipsis literis de præsentibus, ac ipsa Congregatione, specialis & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, & alias ex ipsarum tenore literarum euidenter appareat singulos Romanos Pontifices, qui eas concesserint, ex certa scientia cum rationabilis causæ subiunctione, prædictis statutis, & ordinationibus voluisse, ac velle derogare, decernentes ex nunc ipsas literas ad aliquod ex eisdem Monasteriis, Prioratibus, & locis nullatenus extendi debere, ac irritum & inane quicquid in contrarium à quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exemptio à subsidiis. Ad hoc vide infr. bullam Iul. II. cit. in rub.

§. 5. Et insuper Abbatem, Priores, Conuentus, Monasteria, Prioratus, Membra, & loca Ordinis huiusmodi à quarumcumque prædialium, & aliarum decimarum, necnon subsidiorum, prout hactenus consuetum est, ac etiam canonicæ portionis, seu quartæ locorum Ordinariis faciendæ duntaxat, solutione & contributione absoluimus, & penitus liberamus.

Exemptio à solutione decimarum. Tu vide d. bullam Iul. II.

§. 6. Ita etiam, quòd ipsi Abbas, Priores, Conuentus, & Monachi dicti Ordinis, à solutione, seu præstatione quarumcumque decimarum de fructibus terrarum, hortorum prædictorum, siue possessionum suarum, quas possident, & in futurum (præstante Domino) poterunt adipisci, quas, seu quos propriis manibus, & sumptibus colunt, vel per boues suos, aut alios, & sumptibus dictorum Monachorum excoli faciunt, ac de noualibus, seu nutrimento animalium suorum sint prorsus exempti.

Testificari, & ad processiones ire non coguntur. Tu vide quid notabo in d. bul. la Iul. II §. 8.

§. 7. Et ad subeundum iuramenta, & facienda testimonia (nisi in causis, vbi alias veritas inueniri non posset, & tunc in eorum Monasteriis) seu accedendum ad processiones, nisi præcipuas, vel ad Concilia, præterquam vniuersalia auctoritate Apostolica indicta personaliter compelli nequeant quoquo modo.

Hæreditates Congregat. consequi possit.

§. 8. Eis similiter concedentes, vt quascumque hæreditates per medias personas, tam Monachorum, seu personarum dicti Ordinis, quàm alias quovis modo sibi de iure delatas, & in antea deferendas nomine dicti Ordinis, ac Monasterij, cuius dicta persona Monachus, vel oblatus fuerit, adire, & pro ipsa Monasterio retinere.

Ordines sacros à quocumque Antistite suscipere possint, &c. Tu vide citata ibid.

§. 9. Necnon, quoties opus fuerit, à quocumque Catholico Antistite Monachos, & Nouitios dicti Ordinis ad hoc idoneos, absque aliquo alio examine, & cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, ad omnes sacros ordines promoueri facere, & conferendorum ordinum huiusmodi, aut altarium consecrandorum causa ipsos Antistites ad se in eorum Monasteriis aduocare.

Celebrare possint tempore interdicti. Tu vid. ibid.

§. 10. Interdicti quoque tempore dummodo ipsi causam illi non dederint, submissa voce, ianuis clausis, & interdictis, seu excommunicatis exclusis, eorum tamen Capellanis, & habitantibus infra septa Monasteriorum intromissis celebrare.

Recipere possint ad Religionem omnes hic non exceptos. Tu vide bullam Pij V. n. 89. Quæcumque, & bullam, Clement. VIII. Bull. 115.

§. 11. Quodque etiam quoscumque Ordinem ipsum introire volentes, etiamsi alium Ordinem, præterquam Carthusien. ingredi vouissent, dummodo professionem non emiserint, eosdem recipere, & voto non obstante prædicto, eos ad professionem Regularem admittere. Prohibemus tamen eisdem Abbati, Visitatoribus, atque aliis personis dicti Ordinis ne præsentium tenore laicorum, & exterorum confessiones audire, aut alia vota commutare, siue eos ab excommunicationis sententia à iure vel ab homine promulgata absoluere, aut cum eisdem excommunicatis participare, siue cum patientibus defectum natalium, quoad obtinendum dignitates Ecclesiasticas duntaxat, dispensare, seu Pontificalia insignia deferre quoquo modo præsumant.

Communicatio indultorũ Congregationis Monachorum S. Iustinæ siue Cassinen. Quæ vid. sup. in locis in rub. citatis.

§. 12. Cæterum præfato, & aliis Abbatibus, Visitatoribus, Prioribus, Conuentibus, Personis, Monasteriis, Prioratibus, Locis, & Membris dicti Ordinis, quod omnibus aliis, & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratiis, dilectis filiis Præsidenti, Visitatoribus, Monasteriis, Congregationis S. Iustinæ Paduan. Ordinis S. Benedicti prædicti, eorumque monasteriis, prioratibus, membris, & personis, & bonis tam per nos, quam per præfatum Eugenium, & alios Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros, sub quavis forma, & expressione verborum, tam in specie, quam in genere concessis, & quibus Præsidens, Abbates, Visitatores, Priores, Monachi, & personæ, monasteria quoque, & prioratus, membra, loca, & bona eiusdem Congregationis S. Iustinæ vtuntur, & gaudent, siue vti, & gaudere possunt, quæ omnia præsentibus haberi volumus pro expressis, & specifice enarratis, & quæ ad Abbatem, Conuentum, Monachos, personas, monasteria, prioratus, membra, & bona dicti Ordinis Montis Oliueti cum modificationibus tamen præinsertis, ac etiam infrascriptis extendimus, & eis de nouo concedimus, ac etiam impartimur, ipsi Abbas, & Professores Montis Oliueti, eorumque monasteria, prioratus, membra, personæ, & bona prædicta pariformiter, & ad eorum instar, sine tamen Præsidentis, ac personarum dictæ Congregationis, eorumque monasteriorum, & bonorum præiudicio, perinde in omnibus, & per omnia vti valeant pariter, & gaudere, ac si illa omnia, & singula eis pariter à Nobis, & prædecessoribus, aut Sede prædictis specialiter, & expresse concessa, indulta, & attributa fuissent, auctoritate Apostolica tenore præsentium ex certa scientia concedimus pariter, & indulgemus.

Restrictio exemptionis.

§. 13. Sub exemptione tamen prædicta, ipsorum Capellanos, & benefactores, ac eorum Capellanorum familiares, nequaquam comprehendi, neque ipsi Abbati, Visitatoribus, & aliis supradictis, illam quoad onera realia suffragari volumus.

Declaratio quoad liberã sepulturam. Tu vide bullam Iul. II. cit in rubr.

§. 14. Et in quantum eis libera sepultura conceditur, casus excipimus à iure exceptos, nisi hæc eis per specialia Sedis eiusdem priuilegia sit concessa, aut fuerit hactenus consecuta.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. P. An. 5. die 5. Octob.

Dat. Petreoli Senen. Anno Incarnationis Dominicæ, 1462. Tertio nonas Octob. Pont. nostri Anno quinto.

X. Retractatio eorum, quæ ipse Pontifex, in minoribus existens, scripserat pro Concilio Basileensi contra Eugenium IV.

De isto Concilio vide supra in d. Eugen. constit. 11. Magnas.

Edita An. D. 1463.

PIVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Rectori, & vniuersitati scholæ Coloniensis, Sal. & Apost. bened.

Enarratio anteactorum.

IN minoribus agentes, non sacris ordinibus initiati, cum Basileæ inter eos versaremur, qui se generale Concilium facere, & vniuersalem Ecclesiam repræsentare aiebant, dialogorum quendam libellum ad vos scripsimus, in quo de auctoritate Concilij generalis, ac de gestis Basileensium, & Eugenij Papæ contradictione, ea probauimus, vel damnauimus, quæ probanda vel damnanda censuimus, quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnauimus; nihil mentiti sumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus, existimauimus bene agere, & recta incedere via: nec mentis nostræ aliud erat obiectum, quam publica vtilitas & amor veri. Sed quis non errat mortalis? Sapientem inquiunt Philosophi nunquam errare, verum est. At quis sapiens, nisi bonus? quis bonus, nisi solus Deus? Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, inquit Propheta Regius; Declinauimus & nos ab vtero matris, errauimus in inuio, & non in via: ambulauimus in tenebris, & procul à vera luce recessimus, nec nobis tantum errauimus, alios quoque in præcipitium traximus & cæcis ducatum præbentes cæci, cum illis in foueam recidimus, forsitan & aliquos ex vobis scripta nostra decepere, & in deuia deduxerunt, quorum sanguinem si de manibus nostris requisiuit Dominus, non habemus quod respondere possimus, nisi nos, vt homines, peccauisse; qui arbitrantes rectum iter ostendere, obliquum monstrauimus. In misericordia tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera eius eluceт. Sed haudquaquam satis fuerit diuinam misericordiam implorare, & dicere, Parce Domine, parce peccatis nostris, nisi pro viribus vulnera, quàm diximus, veritate curare annitamur, & sic est in fabulis, Sagitta, quæ vulnerauit, afferat opem: siue vt canit Ecclesia, Medelam

Medelam inde ferat, hostis, vnde læserat. Mortem quidam, prius sibi consciuerint, quam videri velint aliquando male sensisse, & nonnulli ne vel ad horam videantur errasse, semper errant, & dum minimam tolerare honoris iacturam nequeunt, totum abiiciunt, & perpetua norantur infamia, & in pessimas prolabuntur hæreses. Qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur. Superbissimi hoc agunt, qui videri dij, non homines volunt, quales Constantiæ combusti sunt nostra ætate in magno conuentu, Hieronymus & Ioannes hæresiarchæ.

Pont. iste dum in minoribus erat ignoranter contra Ecclesiam Dei locutus est.

§. 1. Nos homines sumus, & vt homines errauimus. Neque imus inficias, multa, quæ diximus, scripsimus, egimus, damnari posse: verum non vt Arrius, Eutyches, Macedonius, aut Nestorius, & alia blasphemorum turba ex animo damnatam viam elegimus, seducti peccauimus, vt Paulus; & ignoranter persecuti fuimus Ecclesiam Dei, & Romanam primamque Sedem. Propter quod prostrati ante oculos diuinæ pietatis, supplices oramus: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris, &c. Pudet erroris, pœnitet male dictorum scriptorumque, vehementer pœnitet: plus scripto, quam facto nocuimus. Sed quid agamus? scriptum & semel emissum volat irreuocabile verbum. Non sunt in potestate nostra scripta, quæ in multas inciderunt manus, & vulgo leguntur. Vtinam latuissent, quæ sunt edita, nam si futuro in sæculo manserint, aut in malignas mentes inciderint, aut incautas, fortasse scandalum parient. Qui hæc scripsit, inquient, in beati tandem Petri Cathedra sedit, & Christi Saluatoris vicariatū gessit, ita scripsit Æneas, qui postea summum Pontificem adeptus, Pius II. appellatus est, nec inuenitur mutasse propositum, qui cum elegerunt, & in summo Apostolatus vertice collocarunt, ab iis scripta eius approbata videntur. Verendum est, ne talia nostris aliquando Successoribus obiiciantur, & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pij, atque ab ea Sede auctoritatem vendicent, aduersus quam ignoranter latrauerunt.

Ideo ad imitationem S. Augustini sua dicta retractat.

§. 2. Cogimur igitur, dilecti filij, beatum Augustinum imitari, qui, cum aliqua in suis voluminibus erronea inseruisset, retractationes edidit. Humilis & probatissimi vir ingenij, qui suas ineptias verecunde confiteri, ac corrigere, quàm impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus: Confitebimur ingenue ignorantias nostras, ne per ea quæ scripsimus iuuenes, error irrepat, qui possit in futurum Apostolicam sanctam Sedem oppugnare, nam si quem decuit vnquam Romani primique throni eminentiam & gloriam defendere, ac extollere, nos illi sumus, quos sine vllis meritis pius & misericors Deus, sola dispensatione sua, ad beati Petri solium, & dilectissimi Filij sui Domini nostri IESV CHRISTI Vicariatum euocauit.

Et suadet, eius scriptis Apostolicæ Sedis auctoritatem elidentibus non præstari fidem.

§. 3. Quibus ex rebus dilectiones vestras hortamur, & in Domino commonemus, ne prioribus illis scriptis inhæreatis, aut fidem vllam præstetis, quæ supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem quouis pacto elidunt, aut aliquid astruunt, quod sacrosancta Romana non amplectitur Ecclesia. Suadete omnibus, vt id solium præ cæteris venerentur, in quo Saluator Dominus suos vicarios collocauit, & quod beati Apostoli Petrus & Paulus, suo sanguine dicauerunt, nec putetis diuinam prouidentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum quæ creauit, inordinatam reliquisse militantem Ecclesiam, quæ cum sit sponsa Christi, profecto à Deo est, & ordinem habet, dicente Apostolo. Quæ sunt à Deo ordinata esse. Requirit autem ordo, vt inferiora à superioribus gubernentur, & ad vnum tandem perueniatur, tanquam principem & moderatorem cunctorum, quæ infra se sunt. Sicut grues vnam sequuntur, & in apibus vnus est rex, ita & in Ecclesia militanti, quæ instar triumphantis habet, vnus est omnium moderator & arbiter, IESV CHRISTI Vicarius, à quo, tanquam capite, omnis in subiecta membra potestas & auctoritas deriuatur, quæ à Christo Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit. Nec profecto in alium, tanquam sui exercitus ducem, supremam auctoritatem Christus principaliter deriuasset, quàm in suum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commissam nouimus Dominici gregis curam, nec duos pluresue Petros Euangelistæ commemorant, nec duos aut plures instituit Dominus, qui suum locum tanquam capita tenerent æqualia: sed vnum constituit, vt verticem, ac ducem, & pastorem vniuersi gregis, Simonem Petrum, dicens, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cælo, Et, Pasce oues meas. Quæ nulli alteri seorsum dicta leguntur, nisi Petro, vt in Petro vnitas, & summa contineretur auctoritas, nec alius à petra dictus est Petrus, nisi Simon, vt intelligeremus vnicum esse veræ, & solidæ petræ, id est, Christi, vt Paulus exponit, locumtenentem Simonem Petrum, qui solus pro Domino in periculo constituto exemit gladium. Petrus igitur, & successores eius Romani Pontifices primatum in Ecclesia tenuerunt, & Nos hodie, quamvis indigni, sola Domini voluntate digni, tenemus, & quicumque Romanæ secundum canonicas sanctiones præficitur Ecclesiæ, quamprimum electus est in sacro Collegio, supremam à Deo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam, cuius peccata diuino iudicio punienda relinquuntur. Si quid aduersus hanc doctrinam inueneritis aut in dialogis, aut in epistolis nostris, quæ plures à nobis sunt editæ, aut in aliis opusculis nostris, (multa enim scripsimus adhuc iuuenes) respuite, atque contemnite, sequimini quæ nunc dicimus, & seni magis, quam iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quam Pontificem. Æneam reiicite, Pium recipite. Illud, gentile nomen parentes indidere nascenti; Hoc Christianum in Apostolatu suscepimus.

Occurrit obiectioni eorum qui dicerent ipsum Pont. cum Pontificatu mutasse propositum & ideo eius vitam & gesta recenset.

§. 4. Dicent fortasse aliqui, cum Pontificatu hanc nobis opinionem aduenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam. Haud ita est, longè aliter actum: Audite filij conuersationem nostram, breuis narratio erit, quæ vobis, quantum ad rem attinet, veritatem aperiret, & obiectioni faciet satis. Anno salutis primo, & trigesimo supra millesimum quadringentesimum cum Dominico Capranica, quem Martinus V. in secreto Consistorio Cardinalem creauerat, Eugenius IV. spreuerat, Basileam petiuimus, ibique Concilium inchoatum inuenimus, verum ab Eugenio reuocatum, quamvis congregati noluerant obedire, asserentes iam inceptum Concilium sine consensu Patrum, qui conuenissent, haudquaquam potuisse dissolui. Iulianus aderat S. Angeli Cardinalis, natione Romanus, moribus & doctrina conspicuus. Is eum cæteris præstaret, audita Eugenij reuocatione, præsidentiam dimisit tanquam summo Pontifici vellet obedire: sed cum augesceret in dies, Eugenio vel inuito Concilium, & multi ex diuersis regionibus Episcopi, & Regum legati aduentarent, Cardinales quoque ex Rom. Cur. profugi in dies nonnulli concurrerent, præsidentiam resumpsit, & auctoritatem Concilij mirum in modum extollens, eminentiam primæ Sedis supprimere cœpit. Venientes Eugenij Legatos, & potestatem Romanorum Præsulum magnificantes, apparenter confutauit, & cum esset facundissimus, facile persuasit auditoribus quę cupiebat. Cardinales ex Vrbe profecti, Eugenio infensi, vitam eius morsque carpebant. Accedebant in horas cateruatim noui Curiales, qui (vt est omnis multitudo maledica, & inimica Principi) Eugenij nomen modis omnibus lacerabant. Nos, qui ex patria iuuenes, non ex Vrbe illuc migraueramus, & nouatum primum auis ex Senensi gymnasio euolaueramus, rudes & inexperti, vere esse arbitrabamur quæcumque dicebantur, nec putabamus mentiri alios, qui nesciremus ipsi mentiri, atque vt est innatum homini, terra, & horrenda crimina odio habebamus, Nec Eugenium diligere poteramus, quem tot tantique testes indignum Pontificio dicerent. Aderant legati Parisiensis scholæ, cuius est fama percelebris, affuerunt & aliquando vestri & aliorum studiorum Germanicæ nationis Oratores, & vno cuncti ore, Concilij generalis auctoritatem ad cælum efferebant. De potestate Romani Pontificis pauci erant qui loqui præsumerent, omnes, qui publicè loquebantur, prurientes auribus, multitudini applaudebant. Accessit & ipsius Eugenij consensus, qui dissolutionem Concilij à se factam, reuocauit,

cauit, & progreſſum eis approbauit, cum reconciliata Synodus Eugenio videretur, & pax Eccleſiæ data. Præterita enim omnia per duas literas Concilij Patres Eugenio ſeſe remiſſuros, & pedes eius tanquam beati Petri ex oſculaturos promiſerant, ſi reuocata diſſolutione, Concilio curſum permitteret, atque illi cohæreret. Nouæ interceſſere diſcordiæ, cum aliis de rebus, tum potiſſime ſuper tranſlatione Concilij, Græcorum cauſa, in alium locum, Eugenius in Italia, non ſine ratione, Concilium petebat, popularitas ſynodalis tranſire montes horrebat, & in Auenione, aut in Sabaudia locum deſiderabat. Adiuuerunt per id temporis duo viri ex Italia Baſileenſe Concilium, Nicolaus Panormitanus Archiepiſcopus, & Ludouicus Pótanus, Apoſtolicæ Sedis notarius, Alphonſi Magni Regis Oratores, qui velut duo orbis ſidera, ceu Pontificij iuris, & totius ciuis ſapientiæ duo præcipua lumina, & clariſſima cenſebãtur. Hi dictis ſcriptis quæ Concilij geſta probabant, Eugenij facta damnabant, nec erat qui aut vellet aut auderet dicta eorum refellere. Quid ageremus? audire potuimus, non diſcere? Rudenimis ingenium eſt, quod per ſingulos dies audita, & inculcata non capit. Quales magiſtri ſunt, tales diſcipuli euadere ſolent. Paucos inuenias Ariſtoteles, qui Platonica norint deſtruere dogmata. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, inquit Dominus: nec nos magiſtrum potuimus ſuperare. Iulianus nobis, & Nicolaus, & Ludouicus, & alij complures fuere magiſtri, ſchola, Baſileenſis conuentus, in quo raro aliquis Eugenij cauſam defendit. Aduerſus Cõcilij dignitatem mutire aliquid, crimen hæreſis fuit. Vna omnium vox Concilium Eugenio præferebat. De Sedis Apoſtolicæ præcellentia aut ſilentium, aut contemptus. Concilium Concilium cuncta ſonabant. Didicimus ergo quæ audiuimus, & poſt aliquot annos, exiſtimantes nos aliquid eſſe, diximus, vt eſt apud Satyricum. Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam? Piduit ſemper diſcipulum agere, ſubtraximus ferulæ manum, cœpimus loqui, & magiſtri perſonam induimus. Scripſimus epiſtolas, & opuſcula, hoc omnibus paſſim datur, docti, & indocti ſcribunt, & quæ ſcripſit ipſe, nemo contemnit, niſi editionis feruorem tempus extinxerit, nobis placebant ſcripta noſtra, more poëtarum, qui poëmata ſua tanquam filios amant. Nec Baſileæ quenquam inueniebamus, qui ea damnaret, probant enim ſimilia ſimiles, applaudebamus nobis ipſis, & in editionibus noſtris gloriabamur. Et quanquam poſtea Eugenius Concilium in Italiam tranſtulerit, & cum Græcis Ferrariæ, ac demum Florentiæ conuenerit, quanquam Iulianus Sancti Angeli, & Ioannes S. Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defeciſſent, quanquam pauciſſimi in fide Baſileenſi remanſiſſent, noluimus tamen credere exiſtimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderẽt, & cum nihil haberemus, quod nobis auferri poſſet, perſeuerandum putauimus, ne partem quæ verior nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus. Manſimus igitur Baſileæ, quoad Eugenio, vt crediderimus, iuſto iudicio depoſito, Amadeus Sabaudienſis ſuffectus eſt, & Felix V. appellatus, quem non vt idolum, quod erat, ſed tanquam verum Chriſti Vicarium venerati ſumus, nihil ad hæc ſiniſtri putantes interceſſiſſe. At cum Fridericum Romanorum Rex, Aquiſgrani coronatus, domum repetens, Baſilea tranſitum feciſſet, rogatuſque Felicem illic præſentem accedere, nullo pacto perſuaderi potuiſſet, vt honorem ei tanquam Rom. Pontifici, exhiberet, aut publice cum eo verba miſceret, tum primum conſiderauimus poſſibile eſſe, quod partem erroneam ſequeremur, quando Rex, Imperator Romanorum futurus, in tanto negotio dubius eſſet, & ad Eugenium inclinaret magis. Multum, & ſæpe inter nos ipſos cogitauimus, quis eſſet modus inueniendi verum, nunquam enim volentes errauimus. Rogati in familiam Friderici tranſire, non renuimus. Erat tunc ille cum tota fere Germania neutralis. Concilium Baſileæ dicebant eſſe Germani, & idolum eius reſpuebant, nec Eugenio, nec Baſileenſibus plene obediebant. Placuit ad neutrales tranſire, vt verum apud eos liberius audiremus, & ſi recedendum eſſet ab vno extremorum, per aliquod medium tranſiremus ad alterum, & eorum iudicium ſpectaremus, qui non eſſent affecti cauſæ. Manſimus in aula Friderici pluribus annis, illic varias audiuimus opiniones. Neutralitatem idcirco Teutones induerant, vt concordia facilius inueniretur, non ex conſilio Solonis, qui tumultuante ciuitate, extorrem fecit eum, qui ſine parte remanſit. Multa inter neutrales didicimus quæ nos antea latebant, Eugeniũ falſò de multis accuſatum inuenimus, Cardinaleſq; qui Baſileã venerant, ob priuatas inimicitias bono, & ſancto viro notam inurere voluiſſe, qui tamen cuncti poſtea ad eum redierunt, & veniã errati petierunt.

Iulianus S. Angeli Cardinalis Romanus multis, quas hic habes rationib. huic Pont. in minorib. exiſtenti, erroneã eſſe ſuam opinionem demõſtrauit.

§. 5. Forte per id tempus Iulianus S. Angeli Cardinalis, cuius ſupra meminimus, ex Vngaria quæ ſibi decreta contra Turcas fuerat prouincia, Flauianum venit, quæ hodie Vienna dicitur, præcipuum Auſtriæ columen, ſæpe cum eo ſermonem pro veteri conſuetudine miſcuimus, ſæpe de rebus Baſileenſibus diſputauimus, tuebamur antiquam ſententiam, ille nouam defendebat. Extollebamus generalis Concilij auctoritatem, ille Apoſtolicæ Sedis poteſtatem magnopere collaudabat. Dicebamus Concilium Baſileenſe iure perſeueraſſe, quamvis Eugenius Præſidentes reuocaſſet, & hoc eius factum accuſabamus, ille diſſolutum ſeu tranſlatum rite Concilium affirmabat, & Baſileenſium opera multis modis deteſtabatur, Baſileæque non Synodum Eccleſiæ, ſed Satanæ, & miniſtrorum eius ſynagogam remanſiſſe dicebat. Diutina fuit inter nos concertatio, verum modeſtia, & charitate plena. Ad extremum cum ſuis ſcriptis, dictiſque Cardinalem vinceremus, premeremuſque vehementer, ſubridens ille, Tu, inquit, Ænea, tabellis obſignatis agis mecũ, & quoniam aliquando ſenſimus vt dicis, idcirco, & hodie idem putas debere ſentire, & addictos priori ſententiæ cenſes? Verum propterea nos ſumus liberi, quia mutare ſententiam vſque ad mortem poſſumus. Cur enim non liceat omni tempore, relicto falſo, verum amplecti? Fateor me dixiſſe & ſcripſiſſe, quæ refers, verum à vero remotum erraſſe: Ac tu, qui, vt ais, me doctore Baſileenſibus credere adductus es, errantem olim ſectatus es, cur modo non ſequeris recta monentem? Præſumpſi de meipſo, dum eſſem Baſileæ nimis, quamvis deceptus decepi, & credens prodeſſe, nocui, in medio Eccleſiæ docens quæ non didici, cæcus errani, & in tenebris ambulaui, reliqui tandem Eccleſiam malignantium, & cum impiis ſedere recuſaui. Reuelauit Dominus oculos meos, & conſideraui mirabilia de lege ſua: cognoui priorem errorem, & quantum à vero procul abiiſſent Baſileenſes, plane intellexi? Adij Romanam Curiam, & Eugenio, cum fuiſſem rebellis, ſubmiſi ceruicem, à quo miſericordiam conſecutus, ad vnionem Græcorum nauaui operam, & illis Romanæ Eccleſiæ reconciliatis, aduerſus impios Turcas legationem accepi. Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me, ſed humiliatum exaltauit, quia cognito in errore non perſeuerari, ſed mox in viam redij, & ex magiſtro factus diſcipulus, ex magno paruus, expurgato veteri fermento, nouum hominem indui, & veræ matris lacte nutritus, ad fontem veri perueni, quem ſancti Doctores oſtendunt Græci, & Latini, quorum vna vox eſt, ſaluari non poſſe, qui S.R.E. non tenet vnitatem, omneſque illas virtutes mancas eſſe ei, qui ſummo Pontifici obedire recuſat, quamvis in ſacco, & cinere iacens, dies & noctes ieiunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere; quia melior eſt obedientia, quàm victimæ, & omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta eſt, & Romanum Præſulem in Eccleſiæ vertice conſtitutum eſſe conſtat, à quo nullam ex ouibus Chriſti exẽptam nouimus. Ego ad ouile redij, qui diu errauetam extra caulas, & paſtoris Eugenij vocem audiuj, tu ſi ſapias, idẽ facies.

die 19. Apr. Et eidẽ multum profuit Ioannes Carauaialus Hiſpanus, qui Rotæ Auditor fuit, & deinde Cardinalis.

§. 6. Hæſerunt pectori noſtro verba viri, quæ ſæpe ad nos repetiit non ſine charitate ardẽti, & amore ſingulari. Interea ex diuerſis regionibus homines doctiſſimi Cæſarem adierunt, quibuſcum placidos de eiſdem rebus miſcuimus ſermones, ſemper ad verum intenti, cuius eſt natura hominis auida. Multum profuit nobis Ioannes Carauaialis Apoſtolici Palatij Auditor, natione Hiſpanus, qui Iuliano defuncto, in titulo Cardinalatus ac Legatione ſucceſſit: quocum ſæpe de Concilio Baſileenſium amice diſputauimus. Nemo doctus ad Imperatorem venit, quem de his rebus in colloquium non adduceremus.

Cumque

Cumque Cæsar ad vnionem Ecclesiæ procurandam in Nurimbergiasuæ nationis conuentum instituisset, decreuissetque summum Pontificem adhortari, vt Constantiæ nouum Concilium indiceret, Legatumque mitteret, ac Basileenses pariter induceret vt eo se transferrent, vt ibi pax Ecclesiæ redderetur, primi Basileenses recusauere. Quod audiens Thomas Asselbachius ea Germanis insignis Theologus, Nunc, inquit, scio Basileenses Spiritum sanctum non habere ductorem, quando tam æquam Imperatoris legem effugiunt, idem multi alij dixere viri doctissimi, & opinione sanctitatis illustres.

Cognito tandem errore Romam venit, & reconciliauit se Ecclesiæ.

§. 7. Quibus consideratis, caligo tandem ab oculis nostris cecidit, quæ velut aranearum tela, verum cernere impediebat. Recognouimus errorem nostrum, venimus Romam, Basileense dogma reiecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput submisimus, & reconciliati Ecclesiæ Romanæ, doctrinam eius imbuimus, & illud Hieronymi diximus, Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudinis tuæ, idest cathedræ Petri communione consocior. Super illam fundatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum Dominicum comederit, profanus est. Si quis in Area Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.

Sacros deinde ordines suscepit.

§. 8. Eramosque adhuc pene laici, quando ad Eugenij obedientiam rediuimus. Ea Basilea clericali tantum charactere insigniti recessimus, nec vnquam sacros imbuimus ordines, nisi post veritatem cognitam, Basileen. ecc citate relicta. In Austria minores ordines, ac subdiaconatum, & diaconatum recepimus, in Vrbe ad presbyteratum peruenimus. Hæc est conuersatio nostra, per hos gradus à tenebris ad lucem migrauimus.

Profuitque sibi multum Thomas tunc Theologus, & deinde Papa Nicolaus V. Pontifex ponit hic qua de Romani Pont. auctoritate sentit, & Bernardi ad Eugenium tertiũ notatu digna verba.

§. 9. Ad quam rem non parum luminis nobis attulit Thomas Sarazanus Theologicæ sapientiæ celebratus ac acutissimus interpres, qui postea in summo collocatus Apostolatu, Nicolai Quinti nomen accepit.

§. 10. His auctoribus, vnam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam esse didicimus matrem omnium fidelium, extra quam non inuenitur salus, sponsam Christi immaculatam, in qua omnes, qui militant finem sibi proponunt vitam æternam. Idcirco enim in Ecclesia militanti laborant homines, & cum dæmonibus tanquam hostibus pugnant, vt pacem tandem assequantur, & cum Iesv magistro, ac legifero suo in cælesti Hierusalem triumphare, ac regnare possint. Hic finis Christiano proponitur; huic omnes Ecclesiæ militantis conatus, omnes leges, omnes regulæ tendunt; quoniam Ecclesia quidam exercitus est Deo militans, terribilis vt castrorum acies ordinata dicitur, vni procul dubio Imperatori subiecta, ad cuius nutum cuncta referuntur. Cumque pius ac maximus & opt. Deus in suo sanguine fundauerit Ecclesiam, eamque voluerit ad finem vsque sæculi perdurare, quis non dixerit in ea id regimen institutum esse, quod optimum censetur? At verò inter genera gubernationum communis philosophorum sentẽtia est, præstare monarchiam, & Romani, quorum toto micuit orbe dignitas, quamvis eiectis regibus duos annuos Cõsules elegerunt, & modo tribunos addidere, modo alios magistratus inuenere, in aduersis tamen casibus, bellisque grauioribus, ad vnum aliquem recurrerunt, virtute & auctoritate præstantem, quem Dictatorem appellauerunt, cuius dicto non liceret aduersari, & quanquam dictaturam ab initio temporaneam instituerunt, in Iulio tamen, & successoribus eius perpetua effecta est. Nec vnquam Romana res admirabilior, aut celsior fuit, quam sub Augusto Cæsare, quando iam clausis Iani portis totus fere orbis sub vnius hominis gubernatione quieuit. Quo tempore natus mundi Saluator monarchicum regimen cæteris prætulisse videtur gubernationis. Idem probat totius fere orbis consuetudo, cuius maximam partem gubernant reges, siue Christianos intueamur, siue Barbaros. Et quamvis ciuitates aliquot reperiantur, quæ cum maxime seruiant, liberas sese vocitant, sine Rege viuentes, non possunt tamen effugere, quin vnum præferant aliis, eique tanquam capiti pro tempore obediant. Quid plura? Cælestis aula nos admonet. Quid illa pulchrius? Quid ordinatius? Quid maius, aut durabilius? Quid melius, aut beatius, Quamvis in ea, & Angelorum diuersi sint ordines, & sanctorum spirituum innumerabiles chori; vnus est tamen omnium Rex æternus Deus qui condidit vniuersa, & nihil negligit eorum quæ condidit, cuius Filius vnigenitus Christus Iesvs, cum pro nostra salute venisset in hunc mundum, serui li accepta forma, Ecclesiam, de qua loquimur, in Cruce patiens, suo sanguine acquisiuit, & in ea vsque in diem Ascensionis corporaliter præsedit; & tanquam dux verus, & Imperator, cuncta in fine summe direxit. Et cum ascendisset in cælum, eum indubitanter sui gregis pastorem reliquit, cui dixerat, Pasce oues meas; &, Tibi dabo claues regni Cælorum. Neque enim dixit, & non fecit, qui salus est verax. Grex Christi, Ecclesia est: Pastor primus ipse Christus fuit, & pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis. Secundus pastor Petrus extitit ab ipso Domino institutus, atque omni potestate donatus, quæ ad bene regendum commissas oues necessaria ducitur, alioqui Christus, qui sapientia Patris est, & omnino sapienter egit, Ecclesiæ suæ haud sufficienter prouidisset, quod est nefarium asserere. Et quamvis plures per orbem Ecclesiæ institutæ fuerint, & plures Episcopi, idest plures greges, & ouilia plura, & pastores plures; omnes tamen sub vno pastore, & in vno grege, atque ouili continebantur, sicut & hodie continentur, quia vnus est Christi thalamus, vna sponsa, vnũ ouile, & vnus pastor, & omnium Episcoporum vnus Episcopus Romanus Præsul, beati Petri successor, & Iesv Christi Vicarius. Petrus enim in Antiochia primum sedit, deinde Romam venit, vnde cum persecutionem fugiens, vellet abire, à Domino prohibitus est, & hic glorioso martyrio vitam finiuit, successore Clemente substituto, atque ita in hanc vsque diem seruatum est, vt qui Romæ sederit Antistes, rite institutus per legitimum electionis tramitem, tanquam Aaron vocatus à Domino, hunc omnes Christianæ plebes, omnes populi, omnes reges, omnes clerici, omnes Episcopi tanquam Iesv Christi Vicarium, & beati Petri successorem, vniuersalis Ecclesiæ caput ac rectorem, & ducem venerati sint. Inter quos plurimi pro Christi nomine asperrimos perpessi cruciatus, & morte mulctati, coronam Martyrij susceperunt, plurimi Confessores egregij, vita, moribus, & doctrina fulgentes; quamvis sine sanguinis effusione, non tamen sine periculis, & labore, ac voluntate parata pro conseruanda sacri Euangelij auctoritate moriendi, ad cælestem gloriam peruenere, vt Gregorij, Damasi, Leonis, Innocentij, Bonifacij, Benedicti, & alia nomina, inter quæ tertius claruit Eugenius, ex Monasterio sancti Anastasij ad summum sacerdotium euocatus, ad quem Diuus Bernardus Monachorum pater, non minus doctrinæ fulgore, quam vitæ sanctimonia illustris, inter multa, huiusmodi verba conscripsit. Indagemus, inquit, adhuc diligentius quid sis; quam geras videlicet personam pro tempore in Ecclesia Dei. Tu es Sacerdos magnus, summus Pontifex, tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abrahã, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuël, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt & alij quidem cæli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ illis nomen hæreditasti. Habent illi assignatos sibi greges singuli, singulos, tibi vniuersi crediti vni sumus. Nec modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Hæc Bernardus ad Eugenium III. scribit, cui supremam, & omnimodam in Ecclesia potestatem concedit. Quod ille de tertio testatur Eugenio, hoc nos de quarto, & omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis est auctoritas. Liquet igitur vnum in Ecclesia caput esse, & vnum principem, quia pax populi ex vno rectore dependet, & pluralitas principum discordiam parit. Christus Ecclesiæ suæ in vltimo Testamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendauit. Dedit ergo, & regimen pacis amicum, id est, monarchicum, sub beato Petro, & successoribus eius administrari cuncta præcipiens, claribus illi commissis, & cura gregis demandata. Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & potestate sentimus, cui & congregare generalia Concilia, & dissoluere datum est. Qui etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem

tatem tamen pater habetur, & sicut filiationis causa venerari debet Ecclesiam tanquam matrem, ita & prælationis causa præfertur ei, vt pastor gregi, princeps populo, rector sua villæ. Cum his & generalis Concilij auctoritatem, & potestatem complectimur, quemadmodum, & æuo nostro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus, vniuersalis, declaratum, diffinitumque est. Veneramur enim Constantien. Concilium, & cunctaque præcesserunt à Romanis Pontificibus nostris prædecessoribus approbata, inter quæ nullum inuenimus vnquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate conuenerit quia non est corpus Ecclesiæ sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas. Hæc nostra sententia est, filij: hæc credimus, & profitemur: hæc iam senes, & in Apostolatus apice constituti, pro veritate asserimus.

Et quæ in contrarium scripsit tanquam erronea reuocat.

§. 11. Si quæ vel vobis, vel aliis conscripsimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tanquam erronea, & iuuenilis animi parum pensata iudicia, reuocamus atque omnino respuimus.

Dat. P. An. 5. die 26. Apr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, 6. Kal. Maij, Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio.

XI. Prohibitio prædicandi, disputandi, aut suadendi hæreticum, vel peccatum esse credere, IESV CHRISTI sanguinem, in triduo suæ passionis, ab ipsa Diuinitate, diuisum, vel non diuisum fuisse.

Edita An. D. 1454.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INeffabilis summi prouidentia Patris, ad hoc nobis, quamvis immeritis vniuersalis Ecclesiæ regimen pia dignatione commisit, vt tanquam de summo vertice ad infima refluentes intuitum, quid pro sacræ Religionis expediat propagatione felici, & qualiter illius multiplicatis plantationibus Religio ipsa floride dilatetur, solertius intendamus, omnemque inquietudinis, & molestiæ fomitem subtrahamus, sicque statui omnium Religiosorum in humanitate Altissimo famulantium, opportune prouideamus, quod omnibus ab ipsis sublatis molestiis, in Religionis obseruantia, iugique perseuerantione quietius intendere valeant.

Quidam tenebant sanguinem Christi, in triduo passionis ab eius Diuinitate fuisse diuisum. Et alij contrarium affirmabant.

§. 1. Sane, cum dudum inter dilectos filios Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratres (satore zizaniæ operante) super eo quod eorum aliqui in ipsorum prædicationibus pretiosum Sanguinem Domini nostri Iesu Christi in triduo passionis eiusdem separatum fuisse ab ipsius sanctissima Diuinitate asseuerabant, alij verò fore contrarium tenebant, dissensionis materia exorta foret, ex qua ad tantam inter eos altercationem, vt accepimus deuentum extitit, vt facile mentibus fidelium posset scandalum generari. Et licet alias. Nos ad obuiandum prædictis, auditis iis quæ circa præmissa vtraque pars dicebat, & allegabat, silentium imposuerimus, ac materiam ipsam indiscussam pro tunc reliquerimus, ac mandauimus de huiusmodi dubietate amplius disceptationem aliquam fieri non debere; quia tamen verendum foret, ne ex contrarietate prædicta, in mentibus eorundem Christi fidelium aliquid scandali ad eorum animas illaqueandas euenire possit, matura præmeditatione curauimus omnibus sinistris euentibus præmissis, prout ex debito Pastoralis officij adstringimus, obuiare.

Hic ergo Pontifex de hoc prædicari & disputari prohibet.

§. 2. Vt igitur in Ecclesia Dei orthodoxæ fidei vnitas præseruetur, & de cætero tollatur occasio in huiusmodi controuersias incidendi, auctoritate Apostolica tenore, præsentium statuimus, & ordinamus, quod nulli Fratrum prædictorum deinceps liceat de supradicta dubietate disputare, prædicare, vel publice, aut priuate verbum facere, seu aliis suadere, quod videlicet hæreticum, vel peccatum sit, tenere, vel credere, Sanguinem ipsum sacratissimum, vt præmittitur, triduo passionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi, ab ipsa Diuinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse diuisum, vel separatum, donec super dubietatis huiusmodi decisione, quid tenendum sit, fuerit per Nos, & Sedem Apostolicam, definitum.

Contrauenientibus pœnas imponit.

§. 3. Mandantes propterea vniuersis & singulis eorundem, & aliorum quorumcumque Ordinum per totum Orbem constitutis Fratribus, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existant, præsentibus & futuris, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam ipso facto incurrant, & à qua nisi in mortis articulo constituti, nisi per Nos, aut successores nostros, absolui possint, ne contra statutum, & ordinationem nostram prædictam venire, aut facere, vel recitare quoquo modo præsumant.

Et Sedi Apostol. eos denuntiari iubet.

§. 4. Necnon omnibus, & singulis prædictorum & aliorum Ordinum Prælatis, vt in virtute sanctæ obedientiæ transgressores omnes, quos in pœnam huiusmodi incidisse, aut contra prædicta dixisse, vel fecisse præsumpserint, dignis pœnis, durisque carceribus punire, & mancipare procurent, ac Fratribus ipsis vtriusque, seu alterius Ordinis, de cætero sub eisdem pœnis, aliquem Fratrem, seu alium, hæreticum propterea proclamare, aut hæresis ex hoc labem incurrisse constiterit, illum, vel illos, apud Sedem Apostolicam denuntiare teneantur, & debeant, quodque inter alias quascumque Ecclesiasticas, sæcularesve personas, nullos Fratrum Ordinum prædictorum, seu aliorum, aliquem de prædictis infamare, aut de illo quomodolibet proclamare præsumat.

Fratresque Prædicatores, & Minores mutua cum dilectione se tractare præcipit.

§. 5. Quinimo, vt Fratres ipsi Prædicatorum, & Minorum Ordinum huiusmodi, mutuo se diligant, & cum charitate pertractent, secundum Ordinum ipsorum instituta, & Regularis obseruantiæ regulam, sub pœna præmissa auctoritate præfata tenore præsentium iniungimus, decernentes ex nunc, omnes, & singulos Fratres Ordinum prædictorum, qui prædicta non obseruare, vel illis contrafacere, vel venire studuerint cum effectu, ad omnes actus legitimos Religiosorum, & Ordinum ipsorum penitus inhabiles, & incapaces, necnon irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Sanctionem pœnalē adijcit.

§. 6. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostrorum mandati, iniunctionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis, &c.

Dat. P. A. 6. die 8. Aug.

Dat. Anconæ, Anno Incarnationis Dominicæ, 1464. Pont. nostri Anno sexto.

PAVLVS SECVNDVS PONT. CCXV.
ANNO DOMINI MCDLXIV.



PAulus Secundus, Venetus. Petrus Barbus antea dictus, presbyter Cardinalis tituli S. Marci, creatus pridie Kal. Septembris 1464. Coronatus quinto, Idus

Septembris

Septembris eodem anno sedit annos 6. menses 10. dies 16. Creauit Cardinales vndecim. Obiit 5. Kalend. Augusti anno 1471. Sepultus fuit in Basilica S. Petri. Vacauit Sedes dies 14.

I. Iurisdictio & facultates Vicarij Papæ, in Vrbe eiusque districtu.

Amplioribus iurisdictionibus vtitur hodie Vicarius, ex multorum Pont. constitutionibus, quas tibi indicabo in Pauli III. constit. 36. Licet, vbi ponam adnotationes, eas hic propterea omittendo.

Edita An. D. 1464.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei: Venerabili Fratri Dominico Episcopo Torcilano, in Alma Vrbe in spiritualibus Vicario nostro, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

LIcet Ecclesiam omnium vniuersalis cura, & populi Christiani regimen ad vigilantiam nos inducant, Romana tamen Vrbs inclyta, quam caput Orbis diuina clementia stabiliuit mentem nostram sollicitat, vt de ipsius statu prospero & salubri attentius & diligentius ita procuremus, vt spiritualiter & temporaliter felicioribus successibus congruum recipiat incrementum.

Deputatio Vicarij.

§. 1. De tua ergo laudabili vita, morum grauitate, probata fide, & circũspectione, aliisque virtutum donis, quibus personam tuam præditam esse familiari experientia percipimus, firmam in Domino spem gerentes, ac sperantes quod ea quæ tibi committenda duximus, prudenter & fideliter exequaris. Te in præfata Vrbe eiusque suburbiis Diœc. & districtu Vicarium nostrum in spiritualibus vsque ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum, cum honoribus, oneribus, fructibus, & emolumentis consuetis, auctoritate Apostolica tenore præsentium facimus, constituimus & deputamus.

Elargitio iurisdictionis. Tu ad ea vide bullas in rubr. indicatas.

§. 2. Tibique visitandi Ecclesias, Monasteria, & loca Ecclesiastica sæcularia & regularia quorumcumque Ordinum ipsius Vrbis, etiam Ecclesias S. Laurentij, Anastasij, S. Sebastiani & S. Agnetis, & alia Monasteria, & Ecclesias prope Vrbem ipsam exempta & non exempta; & ipsorum personas, & eorum cuiuslibet ipsorum excessus & crimina mulctandi, corrigendi, puniendi prout secundum Deum & iustitiam viderit expedire. Causas ciuiles & criminales audiendi, excutiendi, cognoscendi, & fine debito terminandi; Conferendi quoque Ecclesiastica Sacramenta, Ecclesias dedicandi, & eas vel earum cæmeteria reconciliandi. Aliaque omnia & singula faciendi, gerẽdi, ordinandi, disponendi, exercendi, mandãdi, & exequendi, quæ ad huiusmodi Vicariatus officium de iure vel consuetudine pertinere noscuntur; Contradictores quoslibet & rebelles per censuram ecclesiasticam personalemque coërcitionẽ, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendi, plenam & liberam auctoritate prædicta harum serie facultatem concedimus, & potestatem ac auctoritatem.

Derogatio cõtrariorum.

§. 3. Non obstantibus si aliquibus Ecclesiis, Monasteriis vel Ordinibus, eorumque personis à Sede Apostolica sit indultum, quod capi seu detineri, aut interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Obedientia eidem Vicario ab omnibus præstanda.

§. 4. Mandantes propterea omnibus & singulis ad quos pertinet & spectat, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, quatenus tibi in exequendis his quæ ad officium tuum prædictum pertinere noscuntur, omnibus possibilibus assistant auxiliis, consiliis & fauoribus opportunis, tibique pareant, & obediant prout nobis.

Hortatio ad officium diligenter exequendum.

§. 5. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus officium Vicariatus huiusmodi deuote suscipiens, sic illud prudenter, sollicite & fideliter exequaris, quod ex inde sperati fructus animarum, sicut optamus, Domino concedente prouenient. Tuque præter diuinæ retributionis mercedem quam inde merebetis, nostram & Apost. Sedis gratiam vberius consequi merearis.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1464. 16. Kalendas Octobris Pont. nostri Anno primo. Dat. F. Ad. 11 die 16. Sept.

De his quæ obseruare debent Iudices à Sede Apostolica delegati, in causis alienationum bonorum Ecclesiasticorum. II.

Facultatem has causas delegandi abstulit, omnibus Sedis Apost. Officialibus Pius V. vt infrà in eius const. 69. Volentes.

De materia alienationum, dicam hic infra in constit. 5. Ambitiosæ.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Edita An. D. 1465.

CVm in omnibus iudiciis sit rectitudo iustitiæ, & conscientiæ puritas obseruanda, id multo magis in concessionibus alienationum rerum Ecclesiasticarum conuenit obseruari, in quibus de Christi patrimonio & dispensatione pauperum, non de proprio cuiusque peculio agitur, vel tractatur. Quapropter oportet vt in examinandis huiusmodi alienationum causis quæ à Sede Apostolica in forma, si in euidentem vtilitatem cedant, oneratis Ecclesiasticorum Iudicum conscientiis delegantur, nihil fauor vsurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio præmij iustitiam conscientiamque subuertat. Causa const.

§. 1. Monemus igitur, & sub interminatione diuini iudicij omnibus Commissariis, & delegatis huiusmodi, districtè præcipimus, vt caute, & diligenter attendant causas in literis Apostolicis per supplicationes expressas, illasque sollicite examinent, atque discutiant, testes, & probationes super narratorum veritate recipiant, & solum Deum præ oculis habentes, omni timore, aut fauore deposito, Ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in læsionem, aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant. Iudices delegati causas huiusmodi alienationum curent, ubi expressas.

§. 2. Si quis autem Commissarius, vel delegatus conscientiæ suæ prodigus, in grauamẽ, aut detrimentum Ecclesiæ, per gratiam aut timorem, vel sordes alienationi consenserit, aut decretum, vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat, Episcopus verò, aut Superior, ab executione officij per annum, nouerit se suspensum, ad æstimationem detrimenti Ecclesiæ illati nihilominus condemnandus, sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet, à quo non nisi per summum Pontificem poterit liberari. Contrauenientes, pœnas hic descriptas incurrunt.

§. 3. Is vero, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procurauerit, aut per sordes, vel impressionem, alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurret, à qua nonnisi per Romanum Pontificem possit absolui, ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum, cum fructibus quandocumque de præmissis constiterit, condemnandus. Complices quoque in eas incidunt.

§. 4. Volumus autem, quod Legati, & Commissarij prædicti de pœnis constitutionis nostræ specifice moneantur, & in quibuscumque literis, & commissionibus huiusmodi hoc statutum nostrum inseratur. In commissionibus hoc Statutum inseratur.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1465. 5. Id. Maij, Pontif. nostri anno primo. Dat. F. Ad. 5. die 11. Maij.

III. Gubernatores Ciuitatum, & aliorum locorum Status Ecclesiastici, munera (præter esculēta & poculenta quæ triduo consumuntur) non recipiant. Officia per Papam conferri solita, non conferant. Exulesque, vel pœnas, supra florenos sex, non remittant.

Quoad munera recipienda à Communitatibus, grauiorem prohibitionem edidit Clem VIII. inf. in eius constit. 10. Pro commissa Quoad Exules, non remittendos, vide infra latiorem dispositionem in Pij V. const. 10. Ex superna vbi notabo. Et quoad pœnas non condonandas, habes plene infra in const. 93. Sixt. V. Ad Romanum.

ªHæc autem constit. expresse confirmatur à Sixt. IV. infra in constit. 13. §. 3.

Edita A. D. 1466.

PAVLVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Munerum receptio apud iniustos Officiales, multa mala producit.

MVnera excæcare oculos sapientum, & peruertere corda iustorum, sacra Scriptura testatur. Vnde ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui post aurum non abiit nec argentum, & qui excutit manus suas ab omni munere, de quo Propheta testatur: quoniam ipse in excelsis habitabit, & monumenta saxorum, sublimitas eius. Quod cum omnes facere conueniat, tum maxime seruare oportet Apostolicos Legatos, & Gubernatores Prouinciarum, Ciuitatum, atque Terrarum, Rom. Ecclesiæ subditarum, quos decet cæteris sæcularibus Magistratibus, iustitiæ & integritatis exempla præbere, vt auaritiam odiant, & munera super innocentes non cupiant. Sane ad nostrum non sine molestia animi, peruenit auditum, quod superioribus temporibus diuersi Rectores, & Gubernatores Terrarum, & Prouinciarum S.R.E. subditarum, & nonnulli Legati, etiam de latere, ad gubernationem ipsarum Terrarum, & Prouinciarum emissi, solitum quendam sequentes abusum, munera à Prouincialibus, & incolis locorum, publice & priuatim susceperunt, etiam in vasis aureis vel argenteis, vel equis aut victualibus, excedentes omnem modum, permissionemque Canonicam, quæ quidem non solum ipsis ciuitatibus & prouinciis grauia & onerosa fuere, sed etiam exemplo turpia, & perniciosa opere comprobantur. Siquidem ipsis muneribus vel donis allecti, priuatæ gratiæ & factionibus potius, quam iustitiæ studuerunt, multique criminosi gratia delicta & flagitia pecunia redemerunt, atque (vt breuiter circumscribamus) impletum est in plerisque propheticum illud, quod in eorum manibus iniquitas fuit, & dextera eorum repleta est muneribus. Siquidem B. Isidorus ait, Cito iugulabitur auro iustitia, nullamque reos pertimescet culpam, quam redimere nummis existimat.

Hic ideo Pōt. officialibus sui Status Ecclesiastici id prohibet.

§. 1. Volentes igitur talibus abusibus prouidere, & per Officiales & Ministros Apostolicæ Sedis, omnem integritatem munditiamque seruari, hoc perpetuo prohibemus edicto ne quisquam deinceps Rectorum, aut Gubernatorum quorumcumque Officialium Romanæ Ecclesiæ, vel etiam Legatorum de latere, ad regimen & gubernationem prouinciarum, ciuitatum, ac terrarum Romanæ Ecclesiæ deputatorum vel deputandorum, à prouinciis, ciuitatibus & terris quibus præsunt, vel officia exercent, nec à singularibus suæ legationi, regimini, vel gubernationi suppositis, aliquod genus muneris, nec aurum nec argentum, aut vestem, aut equum, vel aliquod cuiuslibet speciei munus accipiat, præter esculenta & poculenta, quæ breui tempore consumi possunt, quod tempus, ad biduum moderamur, alioquin tam dantes quā accipientes, etiamsi Pontificali præfulgeant dignitate (dummodo non sint sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui in sacro Collegio, coram Nobis, sponte sua obtulerunt & promiserunt, non recepturos huiusmodi munera) ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à quo absolui non possint nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti. Et insuper, omne id quod acceperint, & aliud tantumdem reddere teneantur.

Et huius bullæ obseruantiam ab eis iurari præcipit.

§. 2. Mandantes vt omnes & singuli Legati, Rectores & alij officiales prædicti, priusquam ad sua admittantur officia, videlicet Cardinales Legati, in dicto Collegio coram Nobis promittere, inferiores vero in Camera Apostolica, de obseruanda huiusmodi constitutione nostra (quam perpetuo valere, & vim decretalis habere decernimus) iuramentum præstare teneantur, quod etiam in forma iuramentorum præstari solitum, adiungi & asseruari mandamus.

Collationem officiorum à Papa conferri solitorum eisdem interdicit.

§. 3. Insuper, ne sub occasione munerum officia inferiora in ipsis prouinciis, ciuitatibus, & terris, venalia reddantur, aut criminosi debitas pœnas effugiant, vel mulctæ pro debitis impositæ, & fisco applicandæ, in priuatas vtilitates redigantur, pari prohibemus edicto, ne Legati & Gubernatores prædicti, Præturas ciuitatum & alia inferiora officia, per Romanos Pontifices conferri, vel alia concedi solita, conferre, confirmare, aut de illis quomodolibet, sine speciali commissione nostra vel successorum nostrorum ordinare præsumant. Pro his vero quæ ad ipsorum Legatorum, vel Gubernatorum dispositionem, vel confirmationem pertinent, pro collatione officiorum, vel confirmatione nil accipiant, præter moderatam mercedem secretarij, sine scriptorum & sigilliferi, quam quidem in maioribus officiis & ciuitatibus insignioribus, ad duos florenos de Camera, in minoribus officiis vel ciuitatibus minus insignibus, ad vnum florenum, in minimis vero, seu castellis, dimidium florenum similem tantum, pro salario secretarij, scriptorum, & sigilli taxamus, & limitamus.

Bannitorum que remissionem.

§. 4. Insuper prohibemus ne aliquos reos capitalium, aut exules, bannitos, & diffamatos sub pœna capitis absoluere, restituere, aut à pœna liberare audeant, sine Romani Pontificis licentia speciali.

Pœnarum quoque condonationem.

§. 5. Præterea mulctas & condemnationes pecuniarias, Cameræ Apostolicæ, de iure vel consuetudine applicari solitas, remittere non possint aut donare, nec de illis gratiam aut remissionem facere, nisi vsque ad summam sex florenorum auri de Camera, in mulcta seu condemnatione quamvis graui.

Quibuscumque facultatibus concessis non obstantibus.

§. 6. Reuocantes omnes concessiones aut facultates, in genere vel specie cuiuis Legato, Rectori, vel Gubernatori concessas, in quantum præmissis aduersentur, illasque pro infectis habentes, decernentes quicquid contra præmissa & quodlibet præmissorum attentatum fuerit, nullius esse roboris vel momenti, & absolutiones, remissiones, donationes, & gratias quorumlibet Legatorum, Rectorum, & Gubernatorum, quacumque auctoritate fungentium, in futurum contra præmissa forsitan faciendas, nulli penitus suffragari.

Iubet hanc bullam publicari & obseruari.

§. 7. Mandantes hanc constitutionem nostram in omnibus Ciuitatibus Romanæ Ecclesiæ insignioribus, nunc & singulis quibuscumque temporibus, in aduentu noui Legati seu Gubernatoris, solemniter publicari, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari, ac de verbo ad verbum in libro ibidem aliquo authentico registrari & conseruari.

Sanctio pœnalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam &c.

Dat. P. An. 2. die 18. Mart.

Datum Romæ apud sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, quintodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno secundo.

Contra vindictam transuersalem in Vrbe eiusque districtu Sumentes aut Caualcatas, seu hominum collectas facientes, brigososque & eorum fautores. IV.

Hæc bulla fuit primum à Sixt. IV. die 12. Iulij 1477. & deinde ab Innocent. VIII. die 13. Septembris 1478. confirmata, sed postea ad omnia loca Status Ecclesiastici extensa à Pontif. successorib. vt liquet

liquet ex bulla 10. Clem. VII. infrà & bulla 10. Pij V. Ex superna § 9.

Edita An. D. 1466.

PAVLVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei : Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Viros sanguineos & dolosos abominabiles Deo, Sanctus Propheta testatur, nec immerito quidem apud Deum & homines detestandi videntur, qui horrenda sæuitia, & vindictæ furore succensi sanguinem sitiunt aliorum, & præsertim insontium, ita vt non solum corporum mortem procurent, sed etiam animarum. Pro quibus Dei Filius mortem subiit corporalem, easque pretio sui sanguinis comparauit. Vnde nos eiusdem Saluatoris vicem, disponente Domino, licet immeriti, obtinentes in terris, eosdem merito detestamur, & ad gregis Dominici custodiam sollicitis excitati vigiliis, animarum & corporum saluti, & publicæ paci ac quieti, attenta cogitatione insistimus, vt perditorum hominum audaciam compescendo, animas simul & corpora Deo lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus.

Causa huius constitutionis.

Sane in Alma Vrbe nostra, quæ sicut per sacram beati Petri Sedem totius est caput Orbis effecta, ita cæteris Vrbibus quietis & pacis norma & exemplar deberet esse iustitiæ, instigante diabolo pestiferum & perniciosum malum irrepsit, vt si quando inter aliquos, etiam pro leuissima causa, quam brigam vocant, rixa fuerit exorta, in qua alter alterum percusserit aut vulnerauerit, percussus aut vulneratus, huiusmodi offendentis, patrem, fratrem, aut filium, seu alterum ex propinquis, iniuriæ expertem & plerumque offensionis ignarum, aut huiusmodi excessus plurimum indolentem, horribili immanitate, & furiosa dementia, in vindictam suæ iniuriæ vulnerat, & interdum occidit, aut aliquis propinquorum offensi ad vltionem iniuriæ propinqui sui, vt præmittitur, propinquum offendentis vulnerat, vel occidit, vel vulnerari & occidi facit, inde quoque iuxta damnabilem abusum Ciuitatis vtraque pars se domibus priuatis includit, quas in contemptum Summi Pontificis, videlicet Principis, ac etiam Magistratuum ciuitatis, armatis complens, & interdum fores domorum, & porticus steccatis communiunt, vbi tanquam ad officinas asylum scelerum perditi homines, & scelesti, ex vtraque parte conueniunt, illic rabida factio iungitur, atrocissimi sceleris immanitate concordans, illic dementia, & furia est, & venalis iniuria, dum ii, qui nulla sunt iniuria lacessiti, ad vindictam offensorum, insana mente, & ferali crudelitate coniurant. Ij sunt quorum veloces pedes sunt ad effundendum sanguinem, qui viam pacis non cognouerunt. Inter quos fœda & obscœna commercia, aleatum lusus, pecuniarum effusio, patrimoniorum dissipatio, diræ blasphemiæ, & obscœna aguntur incestua : ex iis oritur regentium Rempublicam, & Magistratuum contemptus, ac seditiones nonnunquam excitantur. Quod quidem ex alio veteri processit abusu, vt si quando huiusmodi rixæ & offensiones intercedunt, non solum propinqui, atque coniuncti, sed etiam extranei vtrique parti se offerunt, quod vulgo apud eos, & materno vocabulo, Fare de bene, nuncupatur, ex quo plerumque totius ciuitatis studia, non sine graui nota regentium, atque discrimine reipublicæ, armantur aduersus proximos, miseri spiritu diaboli repleti, omne ius humanæ societatis, omnem charitatem, omnem ciuilem concordiam damnabili abusu peruertunt.

Vindictam transuersali facientibus.

§. 1. Nos igitur tam immani, & crudeli facinori, ac populi nostri peculiaris periculis volentes occurrere, & tam nefarios præsumptores debitæ animaduersionis mucrone ferire, & vt tuta sit inter improbos innocentia, etiam in ipsis improbis formidato supplicio, refrænetur audacia, ac nocendi facultas, ipsiusque Almæ Vrbis nostræ paci, & quieti, & tranquillitati consulere, vt fœlici ducta regimine præseruetur à noxiis, & optatis semper proficiat incrementis. Hac irrefragabili, matura, & perpetua valitura constitutione, statuimus, & ordinamus, vt quicumque deinceps Baro, aut Domicellus, vel Ciuis Romanus, vel quæuis alia Ecclesiastica sæcularisque persona, cuiuscumque conditionis & qualitatis existat, quacumque etiam atroci iniuria lacessita pro sua; vel amici, aut propinqui iniuria vindicanda, patrem, aut filium, fratrem, aut propinquum, vel alias amicum, vel domesticum offendentis, vulnerare, mutilare, occidere; vel quocumque modo, realiter vel personaliter, offendere præsumpserit, aut talia fieri fecerit, vel mandauerit.

Collectam hominum adducentibus.

§. 2. Similiter qui in Vrbe Romana, vel in eius districtu, occasione rixæ, vel brigæ domum communire, armatos receptare, aut tenere, vel adhærentes, & complices ac fautores brigæ accersere, seu quamcumque conuentionem, congregationem, & collectam hominum, ad vltionem iniuriæ, inuocare, excitare, inuitare, vel receptare præsumpserit per se, vel alium crimen læsæ Maiestatis incurrat, & tanquam læsæ Maiestatis, rebellionis, ac seditionis in Vrbe concitatæ reus censeatur, & habeatur, ac veluti talis à competentibus iudicibus seuerissime puniatur.

Pœnas hic descriptas hic Pont. ampliauit Pius fratris sui nam excommunicationis absolutione Sixti V. (?) [illegible]

§. 3. Ecclesiastici vero talia perpetrantes ab omni dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio sint ipso iure priuati, & perpetuæ custodiæ mancipentur, beneficia eorum libere alij per illos ad quos eorum collatio pertinet, conferantur. Omnesque præterea talia perpetrantes, & committentes, tanquam Christianæ religionis alieni, publicæ pacis æmuli, ab omni populo, Ciuitate, Terra, vel loco, Ecclesiæ Romanæ mediate vel immediate subiecto, sint perpetuo diffidati, eorum bona tam mobilia quam immobilia sint ipso iure Cameræ Apostolicæ confiscata. Nulli præterea talium alicuius aperiatur ianua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici vel mondani, seu ad alicuius loci regimen sit ascensus. Et vt magis famosa sit eorum infamia, factio testamenti actiue & passiue sit eis interdicta; ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur, omni spe gratiæ, aut dispensationis adempta. Ac præter prædictas pœnas, sententiam excommunicationis, & perpetuæ maledictionis incurrat, à qua absolui non possint nisi per Romanos Pontifices, præterquam in mortis articulo constituti.

Fautoribus eorum pœnas infligit.

§. 4. Illi vero qui ipsis offensis vel offendentibus seu brigosis adhærere, fauere, opem auxiliumve permittere, vel in domibus aut Castris, locis, seu fortelitiis suis receptare, aut qui iuxta vulgare Fare de bene deinceps præsumpserit, tanquam fautores scelerum, & conspiratores aduersus publicam pacem, omnino similis rebellionis, confiscationis, depositionis, priuationis, inhabilitationis atque excommunicationis, & anathematis pœnas incurrant.

Domosque eorum demoliri mandat.

§. 5. Statuimus præterea, vt domos, & habitationes principalium offendentium, qui vindictam in alios vt præmittitur sumere vel exercere, vel etiam qui ex vtraque parte domos ipsas munire, aut congregationes occasione brigæ & collectas hominum adunare, aut armis vel armatis, seu Steccatis, aut Propugnaculis communire ausi fuerint, in detestationem tanti facinoris demoliantur, & vsque ad solum, perpetuam infamiam prosternantur, per hoc quoque sæcularibus, & aliis iudicibus suis competentibus non adimimus facultatem vtendi statutis & legibus aduersus tales editis vel edendis. Dignum est enim vt nefandi ratione flagitij, vltionis seueritas extendatur, & propter enormitatem facinorum, & pœnarum modus exuperet.

Brigam habentes pacem intrinsibus.

§. 6. Cæterùm volumus quod singuli in dicta Vrbe rixam seu brigam quomodolibet forsan in præsentiarum habentes, sustinentes, aut excitare molientes, cuiuscumque status, vel conditionis fuerint post publicationē præsentium in Curia Capitolij & aliis publicis dictæ Vrbis locis faciendam, infra quindecim dierū spatium super illa in dilectos filios eiusdē Vrbis generales Paceros nostros, ac Chericum de Chericatis Ciuem & militem Vicentinum seu alium per nos eius loco forsan subrogandum aut deputandum, & de iure & de facto iuxta auctoritatem & arbitrium eorum, plenarie compromisisse, ipsorumque decisionibus, sententiis, & mandatis, quæ omnia & rata & grata haberi, ac ab omnibus & singulis quorum interest, vel intererit quomodolibet in futurum, inuiolabiliter obseruari volumus atque mandamus, stare & parere debeant, & teneantur.

decetnentes nulli licere illis contradicere, nec etiam ac eis quovismodo appellare.

Pacisque huiusmodi fractores pœnis enunciatis innodat.

§. 7. Inhibentes districtins ne aliquis per seipsum aut quemvis alium directe, vel indirecte, seu alio quovis quæsito colore contra pacem, & concordias, hactenus initas & factas, vel securitares præstitas, seu deinceps incundas, venire, vel aliquid attentare, aut illas infringere quomodolibet præsumant, sub pœnis vlrts Vrbis statuta in huiusmodi facta pace contentis, ac præmissis, & aliis arbitrio nostro infligendis, quas rebelles, & contrafacientes, ac pacem huiusmodi non seruantes, eo ipso quo contrafecerint, irremissibiliter incurrant.

Hanc bullam in Statutis Vrbis describi mandat.

§. 8. Ad maiorem præterea firmitioremque rei subsistentiam, & perpetuam obseruationem, volumus & mandamus, quod præsentes nostræ literæ huiusmodi volontatem, ordinationem, & decretum nostrum continentes, in volumine Statutorum dictæ nostræ Vrbis, de verbo ad verbum denotentur, & describantur.

Nulli ergo, &c.

D.P. An. 3. die 22. Sept.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1466. Decimo Kal. Octob. Pont. nostri Anno tertio.

V. Prohibitio alienandi bona Ecclesiastica, aut illa vltra triennium locandi.

Hæc bulla est inter extrauagantes communes, sed hic posui, quia in iudicijs quotidie affertur. Et vt tibi dicam, quod circa locationes huiusmodi extat Conc. Trid. sess. 24. cap. 11. Et quoad alienationes habes etiam sup. const. 1. Leon. I. Occasio, & infra Paul. IV. constit. 2. Iniunctum, & Pij V. constit. 69. Volentes, & aliam constit. 98. Et si de singulis. Quo vero ad iudices huiusmodi alienationum habes hic supr. constitut. 2. Cum in omnibus.

Edita An. D. 1467.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Ambitiosæ cupiditati, illorum præcipue qui diuinis & humanis affectatis, damnatione postposita, immobilia & pretiosa mobilia Deo dicata ex quibus Ecclesiæ Monasteria & pia loca teguntur, illustrainturque & eorum ministri sibi alimoniam vendicant, prophanis vsibus applicare, aut cum maximo illorum ac diuini cultus detrimento exquisitis mediis vsurpare præsumunt, occurrere cupientes.

Prohibitio alienandi.

§. 1. Omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem, vltra triennium necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus & bonis quæ seruando seruari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura constitutione fieri prohibemus.

Innouatio constit. Prædecessorum.

§. 2. Prædecessorum nostrorum constitutionibus prohibitionibus & decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innouamus, in suo nihilominus robore permansuris.

Rescissio alienationum aliter factarum, cum alijs pœnis.

§. 3. Si quis contra huius nostræ prohibitionis seriem de bonis & rebus eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti, & tam qui alienat, quàm is qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat, alienantes vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus, & si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi, animo, quod absit, perseuerauerit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine & administratione suæ Ecclesiæ vel Monasterij cui præsidet in spiritualibus & temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Prælati commendatarij, & alij Ecclesiarum Rectores beneficiati vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus administrationibus, officiis, Canonicatibus, præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura & sine sæcularibus & regularibus beneficiis quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipso facto priuati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quæ propterea priuatæ fuerint) libere de iure conferri, nisi alias dispositione Apostolicæ Sedis sint specialiter aut generaliter reseruata, & nihilominus alienatæ res & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria & loca pia ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere reuertantur.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, Kal. Martij, Pont. nostri Anno quarto.

Dat. P. A. 4. die 1. Febr.

VI. Quod Monasteria, Prioratus, & alia beneficia Ecclesiastica, perpetuo vnita, & de cætero vacantia, teneantur Reuer. Cameræ Apostol. debita iura & seruitia vt taxata sunt præstare. Alia vero Annatam persoluere singulis quindecim annis.

Hæc bulla comprobata fuit à Iul. II. die 28. Iulij 1505. cuius constitutio tanquam simpliciter confirmatoria, & à Paulo IV. hic infrà relata, à me prætermissa fuit. Declaratur autem & extenditur à Clem. VII. Paulo IV. Pio V. & Sixt. V. vt dicam infrà in eiusdem const. 33. Cameræ.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1469.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem sic suis fore gratiis liberalem, quod in Ecclesiarum, Monasteriorum, aut Clericalis Ordinis personarum sæcularium siue regularium fauore concessa, in Cameræ Apostolicæ, vel aliorum præiudicium non redundent.

Plures Pont. multa beneficia perpetuo vniuerunt.

§. 1. Sane dudum ad humiles vniuersorum poscentium supplicationes, & ex certis rationabilibus causis tunc expressis inducti, tam Nos quam S. R. E. Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus etiam V. Callistus III. & Pius II. Pontifices prædecessores nostri quam plura diuersorum Ordinum Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Conuentuales, necnon dignitates maiores in Cathedralibus Metropolitanis, & principales in Collegiatis Ecclesiis, administrationes quoque, officia, & beneficia Ecclesiastica etiam dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata, inuicem vel aliis Cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, earumque Capitularibus mensis, ac mensarij, dignitatibus, Collegiis, Vniuersitatibus, & beneficiis, & præsertim Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranen. & de Scopeto, seu S. Saluatoris nuncupatorum, Monachorum S. Iustinæ Padoan. Montis Oliueti, S. Benedicti, Cistercien. Vallis Vmbrosæ, & Cartusien. Ordinibus, presbyterorumque S. Georgij in Alga Venetiarum, atque aliis Monasteriis, domibus, Hospitalibus, fabricis, & piis locis, vtriusque sexus personarum, sub diuersis modis & formis Apostolica auctoritate vniuimus, incorporauimus, & annexuimus, applicauimus, atque submisimus.

Vnde ob non vacationem Cameræ Apostol. iura sua non præstabantur.

§. 2. Proptereaque Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus Præposituræ, dignitates, administrationes, officia, & beneficia vnita huiusmodi amplius nequaquam vacare sperantur, cumque propterea Cameræ Apostolicæ, necnon venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

dinalium Collegium, & Sedis Apostolicæ Officiales detrimentum non modicum patiantur.

Hic ideo Pont. prouidet vt in prima parte rubr. §. 3. Nos, quorum interest eorundem Cameræ, Collegij, & Officialium indemnitati prospicere, volentes quemadmodum par est, vniones, incorporationes, annexion. applicationes. & submissiones præfatæ, si alias rite, & rationabiliter processerunt, ita in sua firmitate permaneant, quod ipsorum quibus vna cum suis oneribus vnita fuere, commodis deseruiant, & aliorum iura propterea non lædantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, quod omnia, & singula Monasteria, videlicet illa quorum fructus, & redditus, & prouentus ad summam centum floren. auri de Camera secundum communem æstimationem ascendunt annuatim, si in libris eiusdem Cameræ taxati reperiuntur, communia, & minuta seruitia, atque alia iura debita, & consueta tam ipsis Cameræ, & Collegio quam Officialibus Prælatis.

Et prout in secunda. §. 4. Reliqua vero Monasteria, Prioratus, Præpositur æ Præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, & beneficia, vt præfertur vnita, pro quibus Cameræ Apostolicæ annata, seu alia iura solui consueuerant, vel debebant temporibus retroactis, & de soluendo singulis certis temporibus statutis obligatio in eadem Camera per inaduertentiam facta non fuit, annatam, siue medios fructus vnius anni in posterum singulis quindecim annis perpetuo sequuturis, eidem Camerario soluere teneantur & debeant.

Iubet etiam solui annatã de quindennio præterito, & caueri pro futuro. §. 5. Et quod de omnibus Monasterijs, Prioratibus, Præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis, vt præfertur vnitis, à quarum vnionum temporibus postquam illæ sortitæ effectum, anni quindecim effluxerunt, infra annum proximè futurum communia minuta, & alia iura seu annatas, & medios fructus huiusmodi soluere adstringantur etiam singulis annis quindecim in futurum, prout multæ aliæ similes vniones, & gratias obtinen. faciunt, & facere consueuerunt, & ad hoc ij quorum interest infra vnius anni spatium se in eadem Camera efficaciter obligare debeant cum effectu.

Alioqui vniones irritat. §. 6. Alioqui si à solution. aut obligatione præmissis cessare præsumpserint, vnion. annexion. & incorporationes præfatæ habeantur penitus pro infectis, & sic vnita Monasteria, Prioratus, Præpositutæ, Præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, & cuiuscunque qualitatis, aut generis beneficia huiusmodi tamquam vere vacantia possint libera a Sede præfata impetrari & canonice obtineri, ac si vniones ipsæ, & super eis confectæ literæ, processus quoque habiti per eosdem, & quæcumque inde secuta nullatenus emanassent.

Clausula derog. & decreta irritans. §. 7. Non obstantibus vnion. & alijs præmissis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo &c.

Dat. P. An. 5. die 6. Ian. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo sexagesimo nono octauo Id. Ianuarij, Pont. nostri Anno quinto.

VII. Reductio Sanctissimi Iubilæi, siue Anni Sancti, ad annum vigesimum quintum, quo visitantes Basilicas SS. Petri, & Pauli, & S. Ioannis in Laterano, ac S. Mariæ Maioris de Vrbe, plenissimam peccatorum veniam consequũtur.

Institutionem huiusmodi Iubilæi pro quolibet centesimo anno statuit Bonif. VIII. vt sup. in eius const. 7. Antiquorum. sed reductionem istam ad annum vigesimum quintum seruarunt omnes huius Pont. successores vsque ad Clem. VIII. vt infr. in eius const. 58. Annus vbi notabo.

Edita An. D. 1470. P A V L V S E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. INeffabilis prouidentia summi Patris (qui pro redemptione humani generis, eiusque reconcilianda natura, Adæ præuaricatione perpetuæ mortis damnatione mulctata, vnigenitum suum vestem nostræ mortalitatis assumere, & post Euangelicæ doctrinæ sacta erudimenta, ac vitæ ipsius actus, & conuersationis exempla crucem voluit & mortem subire, laudabili imitatione nos instruit, vt qui insufficientibus meritis vices ipsius redemptoris tenemus in terris, summis enitamur studiis gregem dominicum vigilantiæ nostræ sua præordinatione commissum, quem callidi hostis versutia malitiæ limitibus sæpe diuertit, auctori nostro, qui non mortem, sed pœnitentiam desiderat peccatorum, reddere acceptabilem, & bonorum operum sectatorem, vt in extremi, tremendique iudicij ratione reddenda, rigorem iustitiæ & vltionis meritæ euitare possimus. Decet igitur nostræ mentis intuitum ad ea vigili attentione conuertere, per quæ superni fauoris suffragante præsidio, ita vniuersorũ Christi fidelium animarum saluti prospiciamus vtiliter, & gratiarũ spiritualium donis salubriter consulamus, quod aduersus ipsius hostis astutias congruo valeat antidoto subueniri, ipsique fideles æternæ beatitudinis præmia largiente Altissimo consequantur.

Bonif. VIII. Iubilæũ quolibet 100. anno concessit: vt in rubr. §. 1. Dudum siquidem cum fida relatio antiquorum haberet, quòd accedentibus ad honorandam Principis Apostolorum de Vrbe basilicam, magnæ concessæ forent remissiones & indulgentiæ peccatorum, felicis recordat. Bonifacius Papa Octauus prædecessor noster summo studio salutem appetens fidelium singulorum, & attenta consideratione recensens, quòd per beatissimos Christianæ fidei Principes Petrum, & Paulum sacrosancta Romana & vniuersalis Ecclesia religionis sumpsisset exordium, ac Euangelium CHRISTI Romæ resplenduisset: vt iidem Apostolorum Principes, gregis dominici Pastores, & eiusdem Ecclesiæ columnæ firmissimæ, in speciali veneratione, & honorificentia haberentur, ipseque prædecessor fidelibus ipsis incomparabilem salutis thesaurum aperiret, de fratrum suorum consilio voluit atque decreuit, quòd omnes qui anno à natiuitate Domini millesimo trecentesimo, & quolibet anno centesimo ex tunc in antea secuturo ad ipsorum Apostolorum Basilicas de Vrbe accederent reuerenter, ipsasque si Romani ad minus triginta, si verò peregrini aut forenses quindecim diebus continuis vel interpolatis, saltem semel in die, vere tamen pœnitentes & confessi, personaliter visitarent, suorum omnium peccatorum remissionem, & veniam plenissimam obtinerent.

Clem. VI. ad annum 50. reduxit. §. 2. Postmodum vero sanctæ recordationis Clemens Papa Sextus noster etiam prædecessor ex præmissis & nonnullis alijs animum suum mouentibus causis indulgentiam antedictam ad annum quinquagesimum prouida consideratione reducens, Apostolica auctoritate statuit, vt omnes Christi fideles qui prædictas Basilicas & Lateranen. Ecclesiam de quinquaginta in quinquaginta annos certo modo tunc expresso deuote visitauerint, eandem peccatorum suorum veniam consequerentur.

Greg. XI statuit etiã visitari Ecclesiam B. Mariæ Maioris. §. 3. Et successiue piæ memoriæ Gregorius Papa XI. similiter prædecessor noster cupiens, vt Ecclesia beatæ MARIÆ Maioris de Vrbe cum eisdem Basilicis & Lateranen. Ecclesia indulgentiæ priuilegio decoraretur prædicto, ex certa scientia voluit, statuit, & auctoritate prædicta ordinauit, quod quicumque Christi fideles huiusmodi indulgentiam per ipsius Clementis literas declaratam assequi affectarent, eamdem Ecclesiam Beatæ Mariæ Maioris sicuti Basilicas, & Lateranen. Ecclesiam supradictas visitare deberent, & etiam tenerentur.

Vrb. VI. Iubilæum celebrari præcepit quolibet anno 33. §. 4. Et deinde Vrbanus Sextus in sua obedientia nuncupatus prouide considerans, quòd ætas hominum amplius solito in dies laberetur panciores, ac desiderans quamplurimos eiusdem indulgentiæ fieri participes, cũ ad annum quinquagesimum propter breuitatem vitæ plurimi hominum minimè peruenirent, vt populorum augeretur deuotio, fides splenderet, & caritas amplius incalesceret, ex eisdem & alijs non minoribus causis de fratrum suorum consilio annum quinquagesimum supradictum ad trigesimum tertium reducens, statuit de fratrum suorum eorundem consilio, & Apostolicæ

plenitudine potestatis quòd vniuersi fideles vere pœnitentes & confessi, qui in anno à Natiuitate eiusdem Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, & deincept perpetuis temporibus de triginta tribus annis in triginta tres annos Basilicas ac Lateranen. & sanctæ MARIÆ Maioris prædictæ Vrbis Ecclesiar causa deuotionis modo præmisso visitarent, eandem consequerentur remissionem, & veniam peccatorum.

Mart. v. approbauit. §. 5. Postremo vero postquam felicis recordationis Martinus Quintus Romanus Pontifex prædecessor noster reductionem per eundem Vrbanum factam huiusmodi ratam habens, & gratam, ipsam in sua firmitate persistere, & anno trigesimotertio suptadicto obseruari debere censuerat, & ad effectum deduci anno ingruente prædicto permiserat, provt obseruata extitit.

Nicol. v. confirmauit. §. 6. Piæ recordationis Nicolaus Papa Quintus similiter prædecessor noster eorundem prædecessorum inhærendo vestigiis prædictas Clementis eiusdem concessionis literas ratas habens & gratas, eas de fratrum nostrorum tunc suorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine innouauit & approbauit, suique scripti patrocinio communiuit, indiaitque statuit, decreuit, & ordinauit, vt omnes Christi fideles vere pœnitentes & confessi, qui iuxta formam in literis Clementis prædecessoris huiusmodi comprehensam in anno à Natiuitate Domini nostri IESV CHRISTI millesimo quadringentesimo quinquagesimo tunc futuro Basilicas, & Ecclesias antedictas visitarent, vt præfertur, omnium peccatorum suorum plenissimam indulgentiam consequerentur, provt in dictis literis plenius continetur.

Hic modo Pontif. ad annum 25. reducit. §. 7. Nos igitur, qui miseratione Altissimi labentibus annis regimini Catholicæ & vniuersalis Ecclesiæ fuimus diuina clementia disponente præfecti, prouida consideratione non immerito attendentes humanæ conditionis statum fragilem ad peccandum procliuem, & ad declinationem vsque adeò celeri cursu, vt præmittitur, properare, breuissimum quoque vitæ spatium, & peccatis nostris exigentibus, crebras pestilentias, varios morbos letiferos, grauissimas quoque Turcarũ & infidelium aduersus fideles persecutiones assiduas, atque vniuersam Christianitatem retroactis temporibus quassatam, adhuc variis non quidem minoribus iniuriis lacessiri, & calamitosis casibus & dispendiis subiacere, aliasque plurimas ærumnas in CHRISTI populos adeo inualescere, & eis atque aliis sinistris casibus plerumque causantibus admodum pauci remissionum & indulgentiarum huiusmodi participes fieri mereantur necnon attente considerantes nouum, vel à moribus alienum non esse pro varietate temporum, antecessorum eorundem statuta reduci ad spatium temporis breuioris, maxime pro salute animarum fidelium quam tota mente appetimus, & iuxta datam nobis à Domino gratiam assidue procuramus, ea præmissis & quibusdam aliis non minoribus causis ad id animum nostrum inducentibus, annum trigesimum tertium huiusmodi de venerabilium fratrum nostrorum consilio, & ipsius potestatis plenitudine ad annum vigesimumquintum reducentes, auctoritate, scientia & potestate præmissis, statuimus & ordinamus, quod de cętero perpetuis futuris temporibus annus Iubilæus (plenariæ videlicet remissionis, & gratiæ, & reconciliationis humani generis nostro piissimo Redemptori) cum omnibus & singulis indulgentiis, & peccatorum remissionibus supradictis de vigintiquinque annis cum gratiarum actione, & mentis iucunditate debeat ab omnibus Christi fidelibus frequentari, ac etiam celebrari. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & ipsorum Apostolorum auctoritate confisi, eisdem vtriusque sexus fidelibus, qui in anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimoquinto, Incipiendo à primis vesperis Vigiliæ Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, & vt sequitur finiendo, ac deinceps de viginti quinque annis in vigintiquinque annos Basilicas, & Ecclesias antedictas alias iuxta ordinationem eorundem prædecessorum deuote visitauerint, vt præfertur plenissimam peccatorum suorum omnium veniam elargimur.

§. 8. Attendant igitur vniuersi fideles, qui ad rationem perspicuæ veritatis attingere quærunt, ac in statera cordis iusto libramine ponderet suorum sarcinam peccatorum, & quam grauiter se reos constituerint erga ipsum Redemptorem piissimum, diuinam contra se clementiam prouocando. Debitorum suorum etiam relegant memoriale, atque animo repetant huius defluentis sæculi cursum ad exitum continuo properare, & inexorabilem legem mortis absque vllius exceptionis beneficio omnibus esse indictam, quæ sine personarum, dignitatumque delectu cunctos reddit æquales, nihilque esse in quo vanam huius mundi gloriam inanibus extollamus titulis, dum nascenti dies mortis indicitur, ac per tacitos, fallentesque decursus huius vitæ mortalitas ad extremum d ē fugaci temporis mobilitate raptatur. Prouide deinde considerent tremendi iudicij diem, in qua omnium quæ in corpore gessimus, & siue bonum fuerit, siue malum, reddituri erimus rationem, & absque prouocationis effectu quisque propriam mercedem accipiet, aut æternæ beatitudinis præmia, aut mortis perpetuæ, & damnationis æternæ supplicia, quibus secunda mors finem imponere, aut ea mitigare nequibit: & tandem cum ita sit, nihilque habeat humana mortalitas quod bonorum omnium largitori digne retribuere possit (cum nullum in se bonum inueniat, quod non sit ei liberaliter à Deo collatum) vt mortis huius & damnationis detrimenta euitent, his atque aliis meritoriis operibus peccata sua omni ex parte studeant expiare, vt saltem per hæc media, atque remissionum, & indulgentiarum largitionem huiusmodi, quibus Christicolas omnes veluti data manu ad salutem perpetuam inuitamus, ac sanctorum meritis & intercessionibus adiuti, ad æternam mereamur beatitudinem peruenire. Suscipiant etiam cuncti fidei Catholicæ professores patris monita & instituta salutis, atque præcipua cum exultatione ad præparandum iter sibi ad gloriam sempiternam has remissionum ac indulgentiarum gratias vberrimas, quas nos illarum dispensatores indigni, tanquam IESV CHRISTI Vicarius, de sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ thesauris exhibemus, vt ipsorum animas ab hostis teterrimi potestate ereptas, immortali Deo Creatori nostro, sicuti supremis desideramus affectibus, exhibere, & nos cum eis superna beatitudine perfrui valeamus, Amen. Nulli ergo &c.

Iubilæi indulgentias rite sequi volentes considerās quæ Pontif. proponit.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno à Natiuitate eiusdem Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo, tertio decimo Kalen. Maij, Pont. nostri anno 6. *Dat. P. An 6. die 19. Apr.*

SIXTVS QVARTVS PONT. CCXVI.

Anno Domini MCDLXXI.



SIxtus Quartus de Ruuere, Magister Franciscus Sauonensis antea dictus, Ordinis Fratrum Minorum, Presb.

Presb. Card. tituli S. Petri ad Vincula. Creatus 5. Idus Augusti, An. Domini 1471. Coronatus 8. Kal. Septembris, eodem anno, vixit annos tredecim dies quatuor. Creauit Cardinales 34. Obiit pridie idus Augusti, Anno Domini 1484. sepultus fuit in Basilica sancti Petri. Vacauit sedes dies 16.

I. Priuilegia Thesaurarij, & Clericorum Reuer. Cameræ Apostolicæ, suorumque nepotum, & familiarium.

De his, habes sup. const. 13. Eug. IV. Inter, & const. 1. Callist. III. Quæ laudabili. Et signanter de Thesaurario, attende infra constit 100. Sixt. V. In conferendis, cum ibi not. De Clericis autem, inspice const. 12. Alex. VI. Et si ex, cum ibi indicandis.

Edita A. D. 1472.

SIXTVS PAPA IV.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

DISPOSITIONE diuina quamvis immeriti gregi Dominico, & Ecclesiastico statui Præsidentes, inter multi officij curas multiplices nobis imminentes, Romanæ Curiæ, & Apostolicæ Sedis officialium, status, Regimen, & gubernatio nostrum sollicitat animum, vt recte, salubriter, & bene disponantur, præsertim dilectorum filiorum familiarium nostrorum Cameræ Apostolicæ Clericorum, quibus nostra & Apostolicæ Cameræ negotia, ac Fisci Apostolici officij cura & sollicitudo non parua incumbit, Nobisque & Apostolicæ Sedi in illis pertractandis solerti diligentia & indefesso animo, summaque cum fidelitate, & continuo labore deseruiunt, vt ea, quæ in illorum, & eorundem officij ordinationem, statum, fauorem, & augmentum, a Rom. Pont. præcipue Eugenio Quarto, Nicolao Quinto, & Callisto Tertio, prædecessoribus nostris, iuste processisse comperimus, per nostri partes ministerij iugiter inualescant, perpetuamque suscipiant Apostolicæ auctoritatis & roboris firmitatem.

Eug. IV. Nic. V. & Callist. III. statuerunt multa circa regimen Cameræ.

§. 1. Dudum siquidem Callistus III. prædecessor noster prædictus, nonnullas ordinationes, statuta, & concessiones, regimen dicti officij, & personarum eiusdem concernentes per prædictos Eugenium IV. & Nicolaum V. Romanos Pontifices, facta & edita, &c.

Reliquum omittitur, quia ipsæ bullæ Eugen. & Callist. sunt suprà in locis indicatis in rubrica. Et bulla Nicol. V. relata est, in ea Callist. III.

Hic modo Pontificias bullas confirmat.

§. 2. Nos igitur prædecessorum prædictorum præcipue Callisti III. in hac parte vestigiis inhærentes, eosdem Thesaurariũ, & singulos Cameræ Apost. Clericos numerarios, & participantes, ob ipsorum spectatam fidem, & integritatem, accuratamque diligentiam, sedulam sollicitudinem, in nostris & Romanæ Ecclesiæ negotiis, non minori, quam dicti prædecessoris nostri gratiæ, & fauoris benignitate prosequẽtes, proprio motu, non ad ipsorum, vel alterius nobis pro eis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex nostra scientia, supradictas literas Apostolicas Callisti III. Eugenij IV. & Nicolai V. quorum mentio in iis habetur, & omnia & singula in eis contenta confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Suosque familiares, & veros Capellanos Sedis Apostol. esse declarat. Thesaurarium & Clericos d. Cameræ.

§. 3. Et insuper Thesaurariũ, & singulos septem Clericos ipsos, præsentes & futuros, nostros & Sedis præfatæ veros Capellanos, ac etiam veros nostros familiares & continuos commensales esse, haberi, teneri, & reputari debere decernimus, & declaramus, quos & eorum quemlibet numero aliorum quorundam familiarium nostrorum etiam, in certo libro Cancellariæ Apost. de nostro mandato scriptorum, siue describendorum, tam in assecutione beneficiorum, seu eorum gratiis, expectatiuis, earumque reualidationibus, extensionibus, innitationibus, restitutionibus pro tempore eis à nobis motu proprio, vel alias concessis, vel concedendis, quam aliis omnibus & singulis, illisque prorsus similibus priuilegiis, antelationibus, prærogatiuis, exceptionibus, & declarationibus, decretis, statutis, relationibus, fauoribus, & indultis vtuntur, & gaudent, siue vti, & gaudere poterunt in futurum, vti, potiri, & gaudere posse, & debere, quos pro veris familiaribus descriptis, siue describẽdis in libro prædicto haberi, ac omnes & singulas concessiones quibusuis personis per nos factas, & faciendas de prærogatiuis familiarium nostrorum descriptorum, siue illorum præiudicio, in eisdem concessionibus apponi solitis adiicimus, ad ipsos Thesaurarium & Clericos, quam ad alios familiares descriptos, & eorum præiudicium referri, motu & scientia prædictis volumus, decernimus, & declaramus.

Expeditiones Cameræ, & Cancellariæ pro eis & eorum nepotibus ac familiaribus gratis fieri præcipit.

§. 4. Ac etiam, vt Thesaurarius & Clerici antedicti, qui in scribendis, & indiiudicádis literis Apostolicis, quæ ad Apostolicam Cameram deferuntur, assiduo labore exercent, ad instar aliorum officialium Romanæ Curiæ circa literarum earundem expeditionem laborantium, decorentur, quod de cætero literæ Apostolicæ ipsos Thesaurarium & Clericos præsentes & futuros, numerarios & participantes, eorumque nepotes & familiares, tam circa gratiam, quam iustitiam, quomodolibet concernentes, quæ per Cancellariam, aut Cameram Apostolicam, pro tempore expediri contingit, gratis vbique & sine aliqua solutione, etiam Abbreuiatorum, Scriptorum, ac plumbi & registri, necnon Secretariorum, aliorumque officialium quorumlibet, expediantur & expediri debeant, prout Scriptores ipsi Apostolici obtinuerunt gratiose, concedimus & indulgemus. Mandantes Rescribendario, & Computatori, Abbreuiatoribus, Scriptoribus & registri Magistris, & Secretariis nostris, aliorumque quorumlibet officialium Romanæ Curiæ præsidentibus, & emolumentorum eorum exactoribus & collectoribus, ne quid pro dictis literis, præfatis Thesaurario & Clericis Cameræ participantibus, & eorum nepotibus & familiaribus, duobus pro eorum quolibet, petere vel exigere sub excommunicationis pœna si contra fecerint, incurrenda audeant vel præsumant.

Executores huius bullæ deputat.

§. 5. Committentes & districtius iniungentes dilecto filio S.R.E. Vicecancellario pro tempore existenti, ac Venerabili fratri nostro Latino Episcopo Tusculan. S.R.E. Cardinali Camerario nostro, eorumque in dictis officiis successoribus, præsentibus & futuris, vt ipsos Thesaurarium & Clericos, eorumque nepotes & familiares, in nostri indulti & concessionis huiusmodi pacifica possessione confoueant, defendant, atque conseruent, & illo vti libere & gaudere faciant, atque curent; non permittendo contra illius vim, seriem, atque formam, eos à quoquam quavis auctoritate & dignitate suffulto, impeti, vel molestari. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 17. Ianu.

Datum Romæ Anno 1472. decimo sexto Kal. Februarij, Pontificatus nostri Anno primo.

II. Reductio Auditorum Rotæ Romanæ ad numerum duodecim.

De qualitatibus autem, & munere & examine Auditorum, & aliis eorum materiam concernentibus, vide sup. const. 3. Mart. V. In Apostolica & alias tibi ibidem indicatas.

Edita An. D. 1472.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis indefessa sollicitudo nihil præterit inordinatum, sed omnia suo pastorali commissa officio, sicut in Domino conspexit expedire, certa lege, ac limite concludit, ad eaque maxime animaduertit, quæ sui Apostolici Palatij domesticam respiciunt venustatem, admonente Propheta; Domine dilexi decorem domus tuæ.

Causa huius reductionis.

§. 1. Hinc est, quod si dilectorum filiorum eiusdem

Palatij causarum Auditorum peculiare Collegium, doctrina & integritate ceteris præstans, certo clauderetur numero personarum, maiori decore fulgeret, immorarentur litigatorum dispendia, faciliorque foret exitus causarum.

Reductio Auditorum ad duodecim.

§. 2. Nos igitur qui etiam multitudine confusionem suboriri didicimus, prouide attendentes, omnem dicti Collegij, & Auditorij nostri moderationem, atque ornatum ad nostræ sanctæ Sedis Apostolicæ gloriam cõferre. Motu proprio, ex certa scientia, hac irrefragabili constitutione perpetuo valitura auctoritate Apostolica statuimus & ordinamus, quod dictorum Auditorum, & Locumtenentium eorumdem numerus, qui ad præsens quatuordecim esse perhibentur, de cetero duodenarius dumtaxat existat. Quodque si qui supra statutum numerum, ex dilectis filijs Magistris, Gaspare de Zerano Decano Rotæ, Ioanne de Cola Episcopo Calaguritanen. Locumtenente, Ludouico de Ludouisiis, Ioanne de Caetanis, Ioanne de Cæsarinis, Antonio de Grassir, Fantino de Valle, Ioanne Francisco Pauino, Matthæo de Porta, Nicolao de Vbaldis, Gabriele de Contarenis, Bartholomæo de Bellenunis, Nicolao de Edem, Petro de Ferrera, modernis causarum dicti Palatij Auditoribus & Locumtenen. tales esse desierint, officia sua huiusmodi deficiant in seipsis, extincta penitus sint, & esse censeantur, illisque aut eorum alteri aggregari nemo possit, neque valeat.

Prohibitio excedendi d. numerum.

§. 3. Nullusque omnino vltra præfinitum numerum duodenarium quarumcumque literarum, aut mandatorum Apostolicorum vigore hactenus concessorum, & deinceps forsan concedendorum, sub quauis verborum forma, etiam censuras, ac alias pœnas ipso facto irrogantium, etiamsi ad illorum præsentationem sit processum, ac dicto numero duodenario, motu, scientia, & auctoritate similibus derogantium, etiamsi illis de indiuiduo præsentis statuti, & ordinationis nostræ tenore specialis, & expressa, non autem per generales clausulas derogatio, motu & scientia similibus fiat, quas & quæ præter & contra mentem nostram, & vtilitatem publicam, & litigãtium præcipue pauperum releuamen emanasse, & in posterum emanare, tenore præsentium declaramus, deinceps admittatur, vel admitti possit, seu debeat quoquo modo, donec Collegium ipsum ad duodenarium numerum reductum sit.

Auditores examinentur corã Vicecancellario.

§. 4. Nec etiam numero prædicto diminuto, durante absentia, Venerabilis Fratris nostri Roderici Episcopi Albanensis, S.R.E. Vicecancellarij ad Hispaniarum regna de latere Legati, coram quo, & pro tempore existente eiusdem Ecclesiæ Vicecancellario tantum, & non alias, Auditores ad ipsum officium de cætero admittendos, examinandos fore. Prænominatosque & alios, infra prædictum statutum numerum existentes Auditores causarum dicti Palatij, ad recipiendum vel admittendum quempiam, nisi numero vt præmittitur redacto, diminuto, & examine facto iuxta morem in præsentia prædicti Roderici, ac pro tempore existentis præfatæ Ecclesiæ Vicecancellarij non teneri, nec propterea aliqua Ecclesiastica censura, seu pœnis aliis, quas pro infectis haberi volumus, arctari posse decernimus.

Eorum officium non vacat per promotionem. Tu vide contrarium statuisse Innoc. viij. infr. in const. 6. Circumspecta.

§ 5. Nostræ tamen intentionis non existit, quoad Auditores illos, quos forsan pro tempore promoueri contigerit, quominus in dicto Collegio & Auditorio perseuerent & maneant tanquam Locatenentes, aliquid innouare, præter id quod hactenus receptum existit, & laudabiliter obseruatum. Decernentes irritum & inane, quicquid à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo &c.

Dat. P. A. 5. die 24 Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1472. pridie Idus Maij, Pontificatus nostri Anno primo.

III. Quod festum S. Francisci Ordinis Fratrum Minorum institutoris, vt duplex ab omnibus celebretur, ab omnique opere seruili abstineatur, ac sub obseruantia & præcepto comprehendatur.

B. Franciscus tres Ordines instituit, vt notaui sup. ad constit. 5. Hon. III. Solet. vbi plene de eis dixi. Et deinde à Greg. IX. Sanctorum Cathalogo adscriptus extitit vt sup. in eius const. 2. Mira. Et Stigmata D.N. IESV CHRISTI in corpore suo portauit. vt idem Greg. declarauit in alia eius const. 12. Confessor.

Addo quod Fratribus Conuentualibus huius Ordinis indultum concessit Paul. V. vt semel in mense, prima die non impedita, alio festo nouem lectionum, Officium de ipso S. Francisco, provt recitatur in die festo eiusdem, recitare possint & valeant, provt videre est in eius Const. 102. Domini nostri inf. tom. 3.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1472.

Proœmium.

PRæclata Sanctorum merita, & grandia virtutum insignia, quibus radiantibus in firmamento syderibus, Sacrosancta illustratur Ecclesia, ac supra petram stabilita firmissima Sanctorum irradiatur splendoribus, & nouæ prolis instaurata præsidio, incrementum suscipit, & fulgorem eo frequentius debent vniuersi fideles congrua deuotione recolere, reuerentia, ac digna reminiscentia celebrare solemniter collabentibus sæculis.

S. Franciscus Ordinem Fratrum Minorũ instituit. Quinimo tres ordines instituit, vt notaui supr. in constit. 5. Honor. iij. Solet.

§. 1. Sed cum fidei Catholicæ feruor plurimum tepuisset, decus ille morum, Deoque acceptissimus pauperum Patriarcha Franciscus, ad saluandas animas ipsius Saluatoris nostri pretioso cruore redemptas, aberrantem fidelium plebem, ad salutis opera excitandam, erudiendamque & suo reintegrandam auctori, ordinatione superna destinatus, inter admiranda ipsius opera, Spiritu paraclito inspirante, nouam Fratrum Minorum religionem sacram, ad Dei laudem & gloriam, militantis Ecclesiæ decorem, ac populi Christiani profectum in agro dominico tempore opportuno plantauit, instituit, & supra Petram, quæ Christus est perpetuo stabiliuit, vt præcipua virorum insigni sanctimonia, moribus, scientia atque virtutibus præditorum, fœcũditate & numerositate exuberans, fructuosos palmites ex vite vera produceret, qui Christi vexillum per Orbem vniuersum vere, nomen quod est super omne nomen cunctis gentibus prædicare, salutaribus insuper monitis, exhortationibus & exemplis diabolica fraude deceptos Deo lucrifacere, & à maligni hostis seruitute eripere, studio indefesso contenderent.

Qui Fratres eius vestigia imitant, & sanctæ Ecclesiæ multum prodesse non cessant.

§. 2. Quemadmodum hoc ipsius incliti patris germina, & vestigiorum eius prouidi sectatores benedicente Altissimo multiplici in domo Domini, & gratiis perfusi cœlestibus, longe lateque vniuersas nationes mortalium penetrantes, Christi Euangelium, ac veræ fidei documenta cunctis gentibus nunciare eidem Ecclesiæ antemurale constituere, ac pro virili suo tueri, munire, & ampliare non cessant.

Pro celebrimi igitur S. Francisci festiuitate cui se ille Pontifex maxime deuictũ esse profitetur.

§. 3. In huius igitur solemniis almi Patris, Seraphicique Francisci, quem supremus ille paterfamilias, pro multiplicato cum talentis sibi creditis, innumerabiliumque animarum lucro, præclarisque virtutibus aliis corona gloriæ interna claritate magnificat, & quasi lucernam in domo Domini positam, summo deuotionis studio censuit à cunctis fidelibus venerari. Cupientes, provt operis & officij nostri debitum esse conspicimus, propter miræ sanctitatis excellentiam, virtutum suarum cumulum, exigentiam meritorum, & hanc Religionem sanctam, ad extirpandas hæreses, schismaticorum & infidelium confutandos errores, credentium vero profectum, salubriter institutam, quantum nobis ex alto conceditur, venerationem congruam, & honorem adiicere, ac tanto Confessori glorioso pro summis in nos beneficiis, præsertim ab ipsis cunabulis, cum vitalis spiritus in nostro corpusculo palpitans extingui protinus videretur, ipsius protinus meritis, & intercessione pristinæ restituti fuimus sanitati,

cum & aliis gratiarum donis, & futurorum præſagiis, quæ cordi noſtro inſident, & memoriæ iugiter retinemus, tum quia diuerſis temporibus aliis in variis noſtri corporis morbis, & humanis caſibus conſtituti, præſidio ipſius B. Franciſci, qui nos ad ſacram Religionem prædictam, quaſi data manu, pro ſua pietate vocauit, & ad hanc vſque diem, cum hominis vtriuſque ſalute, Domino annuente perduxit, adiuri & liberari extitimus.

Feſtum ipſius præcipit obſeruari, & illud vti de præcepto ſeruantibus indulgentias largitur.

§. 4. Pro cuius memoria, & eius habitum, & inſignia ad extremum vſque diem corde iugiter geſtare ſtatuimus, etiam pro his acceptis beneficiis poſſibilem nobis gratitudinem aliquam ſuæ quamvis excellentiæ imparem, pro eius gloria & honore, animarumque ſalute, ſincero & hilari animo exhibere, necnon ipſius feſtiuitatis diem, celebrem, magiſque deuotum, & cunctis fidelibus acceptabilem conſtituere in futurum; De omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, vniuerſis & ſingulis vtriuſque ſexus fidelibus videlicet conſtitutis vere pœnitentibus & confeſſis, qui eiuſdem glorioſi Confeſſoris Franciſci feſtiuitatem hanc, quam deinceps perpetuis futuris temporibus celebrem eſſe, vt feſtum duplex à cunctis Chriſtianis celebrari, ab omnique opere ſeruili abſtineri, & ſub obſeruantia, & præcepto comprehendi volumus, & tenore præſentium declaramus, deuote celebrantibus, annuatim quinquaginta annos, & totidem quadragenas, de iniunctis eis pœnitentiis relaxamus.

Tranſumptis huius bullæ credi iubet.

§. 5. Verum quia difficile foret, præſentes literas ad vniuerſi mundi partes deſtinare, volumus etiam & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod earum tranſumpto, manu publica ſcripto, & alicuius Epiſcopalis Curiæ ſigillo munito, tanquam præſentibus literis originalibus firmiter ſtetur vbique ac plena eis fides adhibeatur, ac ſi ipſæ originales literæ forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino &c.

Dat. P. A. 2. 3. Octobr.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1472. quinto nonas Octobris, Pontif. noſtri Anno ſecundo.

IV. Approbatio & explicatio conſtitutionis Greg. XI. de auctoritate Cardinalis pro tempore Protectoris Fratrum Minorum Ordinis Sancti Franciſci.

Eandem approbationem fecit Iul. II. die 15. Octobris, Pontif. ſui Ann 4. quam vti ſimpliciter confirmatoriam prætermiſi. Et pro eiuſdē explicatione conuenit alia conſt. Pauli V. num. 53. Cum Ordo, vbi notabo. De toto autem Ordine ſcripſi ad conſtit. 5. Honor. III. Solet. ſup.

Edita An. D. 1472.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Sancta Minorum Religio, quæ agrum militantis Eccleſiæ ſanctis operibus, & exemplis copioſiſſime fœcundat, & ſapientiæ ſplendore catholicam illuſtrat Eccleſiam, tanto vberioribus fructibus fertilior eſſe perſpicitur, quanto in ſuo ſtatu quietior permanet, & conſiſtit & maior promptiorque à ſubditis eiuſdem Fratribus Ordinis ſuis Prælatis obſeruantia exhibetur, nulliſque extrinſeci impedimenti perturbationibus agitatur, & moleſtatur, quia in ea caput vnicum ſit & eſſe cenſeatur, à quo omnia dictæ Religionis negotia & cauſæ adminiſtrentur, & cui omnes & ſinguli dicti Ordinis pateant, & illius ſubiaceant diſciplinæ.

Greg. XI. auctoritati Protectoris Ordinis S. Franciſci præſcripſit in ſua conſtit. 4. ſup.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. recordat. Gregorius Papa Vndecimus prædeceſſor noſter, cognito quod nonnulli dicti Ordinis Protectores, dum maiorem quam eis eiuſdē Ordinis regula conceditur auctoritatem vendicare, ac vſurpare ſibi ipſis voluerunt, vera ſubditorum præfati Ordinis ad ſuos Prælatos obedientia ſubmouebatur, vnde perturbationes, inconuenientia multa, inutiles fratrum diſcurſus, & grauia ſcandala fuerant exorta, in magnam ipſius Ordinis iacturam, præiudicium, & detrimentum, literas ſequentis edidit tenoris.

Omittitur inſertio bullæ, quia eſt ſup.

Hic igitur Pontif. qui d. Ordinis extitit Miniſter generalis, obſeruantiam d. bullæ utilem, & necessariam cognouit.

§. 2. Nos autem, cum in minoribus conſtituti, ipſius Ordinis generalis cura & adminiſtratio incumberet, ſaluberrimum, opportunum, & neceſſarium dicto Ordini eſſe conſpeximus, vt Protectores vltra præfixam ab eiuſdem Ordinis regula non extenderent. Nam experti ſumus & vidimus, quanta pax, quies, vtilitas, quintaque commoda præfato Ordini, & fratribus eiuſdem, ex firma & inconcuſſa dictarum literarum obſeruantia, prouenerint, quæ & quantæ perturbationes, iacturæ, incommoda, damna, & grauia ſcandala in dicto Ordine ſuſcitata ſunt, quoties dicti Ordinis Protectores ſuæ auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis & fratrum eiuſdem cauſis & negotiis ſe intromittere, & vſurpata ſibi auctoritate, ea videre, cognoſcere, iudicare, & diſcernere voluerunt. Cupientes, vt Religio, & Ordo præfatus quem affectuoſiſſima charitate complectimur, vtpote, quod in eo à teneris annis enutriti, & doctrina, ac regularibus diſciplinis, & moribus inſtituti fuimus, ac vti firma fide tenemus, certiſſimiſque in nobis experimentis didicimus, ad officia, & dignitates ad quas in minoribus promoti ſumus, & ad hunc ſummi Pontificatus apicem, meritis & precibus Seraphici illius Patriarchæ Franciſci, eiuſdem Ordinis Patris, & fundatoris, prouecti fuimus, quieto conſiſtens ſtatu, virtutibus, & meritis augeatur, & multiplicetur, & fidei Catholicæ & Chriſtianæ Reipublicæ augmentum, & multiplex ac ſolidum fundamentum, ex eiuſdem Ordinis fratrum operibus & prædicationibus proueniant, promptiſſimo & liberali animo, vt dignum cenſemus & debitum, ea quæ pro ipſius Ordinis quiete, pace, tranquillitate & proſperitate, à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris prouide ſtatuta & ordinata ſunt, vt illibata perdurent, noſtræ approbationis munimine ſolidamus, interpretamur & declaramus, prout ipſius Ordinis tranquillitati conſpicimus ſalubriter expedire.

Eandem igitur conſtitutionem approbat.

§. 3. Vt igitur de cætero ipſius Ordinis profeſſoribus omnis euagandi extra religionem occaſio tollatur; & vera ſuis Prælatis obedientia, in qua ipſius Religionis verius & ſolidum firmamentum & robur conſiſtit exhibeatur, præfatique Ordinis & fratrum eiuſdem negotia & cauſæ non alibi, neque per alios quam in ipſo Ordine, & ipſius Prelatos tractentur, agitentur, iudicentur, & determinentur, dilecti filij Zanetti de Vrino generalis dicti Ordinis Miniſtri, & totius generalis Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati, inhibitionem & literas prędictas prædeceſſoris præfati, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus.

Declarat quoque & reſtringit.

§. 4. Et per eas Protectori pręfato, qui in tempore erit, niſi in illis caſibus & articulis in regula dictorum fratrum expreſſis, & præfati prędeceſſoris literis declaratis, neque in illis dum non vniuerſi, ſed aliqui ipſius Ordinis profeſſores in quovis numero à fidei vnitate, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia deuiarent, vel regulam pręfatam non ſeruarent, ſed de eorundem deuiantium & non obſeruantium regulam, correctione, aut reductione, ac aliis quibuſlibet cauſis & negotiis dicti Ordinis ſe impediat, inhibitum fore, dicta auctoritate decernimus & declaramus.

Protector qui pro tempore ad Ordinis præſeruationem hortatur.

§. 5. Hortamurque illum qui ad officium protectionis huiuſmodi (quod in pręſentiarum per obitum bonę memorię Baſſarionis Epiſcopi Sabinenſis dicti Ordinis olim Protectoris nuper vita functi vacat) aſſumi & deputari contigerit, & ipſius ſucceſſores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute ſanctę obedientię diſtricte pręcipiendo inhibemus, ne extra prędictos articulos & caſus in regula prædicta contentos & expreſſos, nec etiam in illis (cum non vniuerſus Ordo, ſed aliqua ipſius pars, & ſpecialis perſona erraret) ipſorum fratrum querelas audire, ſeu de ipſorum cauſis & negotiis contra literas & declarationes huiuſmodi intromittere ſe quoquo modo præſumant. Sed curent (vti eſt eorum proprium officium, & præfati ſancti Franciſci, & Apoſtolicæ Sedis intentio extitit)

extitit) ipsum Ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico statu conseruare, & augere, & ab impugnantibus, molestantibus, & perturbantibus defendere & tueri, ne secus agendo, Ordinem præfatum non solum non protegant, conseruent & exaltent vt tenentur, sed in animarum suarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum & scandalum, confundant & destruant. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 2. 28. Ianuarij. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, quinto Kalend. Februarij, Pontificatus nostri Anno secundo.

V. Approbatio Congregationis Fratrum Eremitarum Sancti Francisci de Paula, cum exemptionum, & gratiarum elargitione.

Ista Congregatio sortita est nomen Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, qui tres Regulas præfinitiuit, vnam pro Fratribus, aliam pro Sororibus, & alteram pro Tertiariis, quas approbauit Iul. II. & multa priuilegia concessit, vt infra in eius constit. 10. Dudum.

Hunc Ordinem inter Mendicantes connumerari, & eorum priuilegiis vti, declarauit post alios Pius V. infra in constit. 49. Apostolicæ.

Contra Superiores Fratrum huius Ordinis, qui attendentes fauores extra Ordinem, officia, dignitates, & gratias, concedunt, & contra Fratres dictos fauores conquirentes edidit Paul. V. Constit. quam habes inf. tom. 3. n. 117. Admonemur, vbi alia tibi indicabo circa nonnulla eorum statuta, & erectionem Collegij pro studentibus in Vrbe Nationis Calabrensis.

Edita An. D. 1474. *SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filiis Fratri Francisco de Paula, cæterisque Fratribus Eremitis Eremitorij, seu Oratorij Sancti Francisci de Paula, Consentinensis diœcesis, præsentibus, & futuris, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium. SEdes Apostolica æqua in omnibus semper distributrix, ea, quæ pro diuini cultus augmento, ac piorum locorum, & personarum, præsertim sub humili, & religioso habitu in eis degentium commodo & vtilitate pie facta sunt, vt illibata persistant, libenter, cum ab ea petitur, Apostolici muniminis consueuit adiicere firmitatem, ac benigno fauore ea, quæ sunt pro animarum salute concedere, illisque vt eo deuotius, quo quietius Altissimo famulari possint, suæ protectionis munimen impartiri.

Archiepiscopus Consentinus B. Francisco de Paula licentiam construendi Oratorium, & c. concessit. §. 1. Dudum siquidem pro parte Francisci nobis exposito, quòd olim postquam venerabilis Frater noster Pyrrhus Archiepiscopus Consentinus, tibi, vt quoddam Oratorium, siue Ecclesiam, sub vocabulo S. Francisci, in tenimento de Paula Consentinæ diœcesis ædificare posses, licentiam concesserat: tuque Oratorium huiusmodi propriis manibus & expensis cum dormitorio, pro tuis, & sociorum tuorum vsu, & habitatione, pro magna parte ædificaueras, & nonnullos socios vitam eremiticam ducentes receperas, ipseque Archiepiscopus prædictum Oratorium, siue Ecclesiam vnà cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, tibi tuæque Congregationi in perpetuum donauerat; & nonnulla alia tuæ, & sociorum tuorum deuotioni, & saluti conuenientia, salutifera & opportuna concesserat, fecerat, & ordinauerat. Quodque Oratorium, siue Eremitorium prædictum adhuc pro sufficienti habitatione tui, & Eremitarum prædictorum perfectum omnino non erat, illudque piis Christi fidelium eleemosynis cum dormitorio, & aliis necessariis officinis, tu, ac Eremitæ tui socij huiusmodi continue ædificabatis, ampliabatis & exornabatis.

Hic Pont. commisit Episcopo S. Marci, vt concessionem confirmaret, & Eremitarum priuilegia, huic Ordini concederet. §. 2. Nos tunc, tuis & Eremitarum prædictorum in ea parte supplicationibus inclinati, venerabili Fratri nostro Episcopo S. Marci, eius proprio nomine non expresso, per alias nostras literas dedimus in mandatis, vt si, & postquam, vocatis qui forent euocandi, de præmissis sibi legitime constaret, concessionem, & literas dicti Archiepiscopi, ac omnia, & singula in ipsis literis contenta, prout ea concernebant, auctoritate Apostolica approbaret & confirmaret, suppleretque omnes & singulos defectus, si qui forsan interuenissent in eisdem: & in euentum approbationis, confirmationis, & suppletionis huiusmodi, vobis prædictis Eremitis, vt omnibus & singulis priuilegiis, indulgentiis & gratiis, quibus Frater Petrus de Pisis nuncupatus, cæterique Eremitæ potiebantur, & gaudebant, vti & gaudere pariformiter, & absque vlla differentia, libere & licite possetis, & valeretis, concessimus; prout in eisdem nostris literis desuper confectis plenius continetur.

Qui Episcopus d. concessionem confirmauit. §. 3. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, Venerabilis Frater noster Goffredus Episcopus S. Marci prædictus, ad executionem prædictarum nostrarum literarum, illarum forma seruata, procedens (quia sibi vocatis vocandis, de à nobis expositis legitime constiterat) licentiam, donationem, concessionem, ordinationem, & literas Archiepiscopi prædicti, omniaque & singula in eis contenta, prout ea concernunt, auctoritate Apostolica approbauerit & confirmauerit, suppleueritque omnes, & singulos defectus, qui interuenerunt in eisdem, prout in quodam publico instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri.

Supradictus Archiepiscopus Consentinus exemptionem à iurisdictione sua elargitus est. Ad hoc vide mox infra notanda. §. 4. Quodque Pyrrhus Archiepiscopus prædictus, inter alia per eum vobis tunc concessa, prædictum Eremitorium siue Ecclesiam S. Francisci, & alia quæcumque loca, Ecclesias, & Oratoria, per vos in posterum recipienda cum omnibus iuribus & pertinentiis, Eremitisque & personis inibi pro tempore degentibus, ac rebus omnibus ad vos, locaque vestra quomodolibet pertinentibus & spectantibus ab omni iurisdictione, subiectione, & superioritate matrum Ecclesiarum, ac sua, suæque Ecclesiæ consentinæ cæterarumque personarum in perpetuum exemit, liberauit, ac sub protectione, summissione, & iurisdictione sedis Apostolicæ, specialiter & expresse remiserit & relaxauerit.

Et B. Franciscum superiorem cum omnimoda facultate d. Congregationis Eremitarum elegit. §. 5. Et sicut eadem petitio subiungebat, à nonnullis asseritur nostras prælibatas literas, ac confirmationem, approbationem, & defectuum suppletionem, cæteraque omnia alia & singula per prædictum Goffredum Episcopum S. Marci illarum vigore facta, & inde secuta quæcumque Iuribus non subsistere, pro eo quòd Archiepiscopus prædictus per suas prædictas literas Fratrem Franciscum in superiorem huiusmodi tuæ Congregationis Patrem, Rectorem, & Priorem, seu quovis alio nomine nuncupandum dederit, & deputauerit, cui Congregationi præesses, ac vita, & exemplis profuisses, tuisque monitis, mandatis, & præceptis salubribus omnes Congregationis huiusmodi personæ obedire, & parere deberent. Ipsisque tuis Eremitis Fratribus facultatem concessit te in suum superiorem, & priorem, ac vna tecum alios quoscumque superiores & priores, & officiales canonice eligendi. Necnon statuta & ordinationes pro huiusmodi vitæ obseruantia, à iure tamen diuino, & sanctorum Patrum institutionibus non deuiantia faciendi: Tibique & huiusmodi officialibus omnimodam iurisdictionem ordinariam, in spiritualibus & temporalibus Congregationis huiusmodi personarum, etiamsi sacerdotali, seu quavis alia præfulgerent dignitate, ac locorum iurisdictiones animalium & rerum omnium ad te, tuamque Congregationem quomodolibet spectantium & pertinentium: Quoscumque quoque rebelles, & inobedientes, omniumque huiusmodi Congregationis personarum delinquentium peccata & delicta, & cuiuscumque generis, maleficia & crimina, prout iuris foret, puniendi, huiusmodique delinquentes incarcerandi, disciplinandi, condemnandi, liberandi, absoluendi, cæteraque faciendi, quæ in præmissis, & circa præmissa vobis viderentur fore necessaria & opportuna, & quæ ipsemet Archiepiscopus facere posset.

Dat auctoritatem celebrandi. §. 6. Sacerdotibus verò huiusmodi Congregationis, seu sæcularibus vel regularibus per vos eligendis, missas

etiam

brãdi missam ante diem, &c.

etiam ante diem, & in quocumque loco ad hoc congruo & honesto cum altari portatili celebrandi, Eucharistiæ, & alia quæcumque Ecclesiastica sacramenta, libere & licite tibi, huiusmodique tuæ Congregationis personis, quoties deuotio ingeneret, & necessitas postularet, absque quacumque superioris licentia ministrandi, ad quæ suscipienda extra loca loca huiusmodi compelli non possetis.

Confessiones audiendi. Declarat Clemens viij. in const. 15.

§. 7. Confessiones audiendi, & ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, ac super quacumque irregularitate, eidem Archiepiscopo, tam à iure, quam ab eo reseruatis, & præmissis, toties, quoties opus foret, & esset, absoluendi, & dispensandi, votaque quæcumque permutandi & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi.

Loca alia recipiendi. Intellige iuxta bullam 59. Clem. 8.

§. 8. Loca, Oratoria quæcumque, & Ecclesias licite accipiendi & retinendi, quascumque etiam personas Ecclesiasticas & sæculares ad vos venientes, & vobiscum moram trahere, & habitum quem geritis, profiteris, & recipere volentes, ad habitum & professionem obseruantiæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ, acceptandi, & recipiendi.

Priuilegia Mendicantiũ conceduntur.

§. 9. Necnon vt omnibus & singulis priuilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, quibus Fratres S. Francisci, cæterique Mendicantes fruuntur, & vtuntur, frui, & vti possetis & valeretis, ac possent, & valerent, indulsit, ac vobiscum supernis opportune dispensauit.

Exemptionẽque ab Ordinarijs. Attende Cõc. Trid. sess. 7. cap 14 & bullam 39. Clem. viij.

§. 10. Huiusmodique Oratorium, siue Ecclesiam sancti Francisci de Paula, ac aliaquæcumque loca Oratoria, & Ecclesias per vos in posterum acquirenda, & acceptanda, cum omnibus iuribus & pertinentiis suis, Eremitisque & personis, ac rebus omnibus & singulis ad vos, vestraque loca quomodolibet spectantibus & pertinẽtibus, personisque huiusmodi inibi pro tẽpore degentibus ab omni iurisdictione, subiectione, superioritate matrum Ecclesiarum, ac sua, suæque Ecclesiæ Consentinæ cæterarumque personarum ex certa sua scientia, & motu proprio in perpetuum exemit, & totaliter liberauit.

Sedis Apost. protectioni submisit.

§. 11. Ac sub protectione, submissione, iurisdictione, & superioritate Sedis Apostolicæ prædictæ totaliter, specialiter, singulariter, & exp. esse remisit, & relaxauit, prout in literis dicti Archiepiscopi plenius continetur.

Hic Pont. in alia eius bulla (quam hic non habet) has concessiones specifice non approbauit.

§. 12. Et de eisdem nihilominus concessionibus, gratiis, & indultis vobis, sic vt præmittitur, per prædictũ Archiepiscopum concessis, in dictis aliis nostris literis specialiter, & singulariter mentio facta non fuerat, sed sub clausula generali dumtaxat, videlicet dicendo. Nonnulla alia vestræ deuotioni, & saluti conuenientia, salutifera & opportuna. Et similiter sub eadem clausula, & non facta alia expressione per dictum Goffredum Episcopum S. Marci, prædicta omnia, & singula approbata, & cum suppletione defectuum, confirmata fuerant, prout in nostris, ac dicti Archiepiscopi literis, ac instrumento publico desuper confecto plenius continetur.

B. Franciscus & alij ideo Papa pro opportuna prouisione supplicant.

§. 13. Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt omnia & singula præmissa, concessiones, gratias, & indulta vobis per Archiepiscopum prædictum, concessa, facta, & indulta; necnon approbationem, confirmationem, defectuumque suppletionem, cæteraque omnia, & singula per prædictum Goffredum Episcopum, vigore nostrarum literarum prædictarum desuper facta, & inde secuta quæcumque, rata & grata habentes, approbare, confirmare, ac omnes & singulos defectus qui interuenerunt in eisdem supplere, ac alias in præmissis, & circa ea vobis de opportuno remedio prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui supradicta omnia cõfirmat omnesque defectus supplet.

§. 14. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, donationem, concessionem, ordinationem, constitutionem, remissionem, relaxationem, indulta, gratias & literas prædicti Archiepiscopi, omniaque & singula in eis contenta, nostras alias, ac dicti Archiepiscopi literas, ac approbationem, confirmationem, & defectuum suppletionem per prædictum Goffredum Episcopum factas, ac processus desuper habitos, & inde secutã quæcumque, omniaque & singula, quæ in prædictis nostris, & prænominatis Archiepiscopi literis & processibus, & instrumẽtis publicis desuper habitis contenta, pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, rataque & grata habentes, auctoritate Apostolica, ac ex certa nostra scientia laudamus, approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes & singulos defectus qui interuenerunt in eisdem, decernentes nostras prædictas literas, ac processus desuper habitos, & inde secuta quæcumque valere, ac roboris firmitatem tenere, perinde ac si omnia & singula vobis per prædictum Pyrrhum Archiep. concessa, & ipsius Archiepiscopi literis contenta, in sæpe nominatis nostris literis specialiter & singulariter narrata, & expressa fuissent.

Exemptionẽque quoad bona & personas à superioritate quorumcumque concedit. Ad hoc vide, quæ notaui supra in eadem.

§. 15. Et insuper, vos & vestrum quemlibet, ac Eremitorium, siue Ecclesiam sancti Francisci de paula prædictum, cæteraque omnia & singula Eremitoria, Ecclesias, & loca per vos in quibuscumque ciuitatibus, & diœcesibus vbilibet hactenus recepta, & in posterum recipienda cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, Eremitasque & personas in illis pro tempore degentes, ac res, & bona quæcumque mobilia, & immobilia ad vos, & Eremitas, & personas, ac vestrum quemlibet, ac loca Eremitoria, & Ecclesias huiusmodi quomodolibet communiter vel diuisim, spectantia, & pertinentia, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate prædicti, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Consentini, & aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum Iudicum, & Superiorum quorumcumque etiam illorum, in quorum iurisdictione, ciuitatibus, & diœcesibus Eremitoria, loca, Ecclesiæ, vos, & Eremitæ, ac personæ, res & bona huiusmodi consistunt, & consistere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate, & scientia prædictis de speciali gratia tenore præsentium pinffut eximimus, & totaliter etiam liberamus, ac sub beati Petri, & Sedis memoratæ, ac Romanæ Ecclesiæ, & nostra protectione suscipimus, ac exempta, & immunia esse volumus, nobisque & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, ac dictæ Sedi immediate subiacere. Ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarij, Iudices supradicti, ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua ageretur, vbicumque committatur delictum, vel ineatur contractus, aut res ipsa consistit, nullam in vobis, ac Eremitoriis, locis, & Ecclesiis, Eremitis, & personis huiusmodi, ac rebus & bonis prædictis Iurisdictionem, potestatem, & dominium possint quomodolibet exercere, sed dumtaxat coram dicta Sede, vel eius legatis, vos, & Eremitæ, ac aliæ personæ in locis, Ecclesiis, & Eremitoriis huiusmodi pro tempore degentes teneamini de iustitia respõdere.

Et extendit dicta indulta ad omnia loca Ordinis.

§. 16. Et insuper vobis omnibus, & Eremitis, ac personis, locis, Ecclesiis, ac Eremitoriis huiusmodi, vt omnibus & singulis priuilegiis, indulgentiis, concessionibus, gratiis, indultis, cæterisque omnibus, & singulis in præsentibus, & aliis nostris, ac ipsius Consentinensis Archiepiscopi literis sæpedictis, & per eas habitis processibus prædictis contentis, vobis, ac Eremitoriis Ecclesiis, & locis huiusmodi concessis, & concedendis, in quacumque ciuitate, & diœcesi, ac vbique, & in quocumque loco, auctoritate Apostolica prædicta vti, & gaudere, eaque omnia & singula in huiusmodi nostris ac aliis, & prædicti Archiepiscopi prænominati, literis & processibus desuper habitis contenta, cuiusvis superioris super his, aut aliquo præmissorum licentia minime requisita, ac quibuscumque etiam contradictionibus, exceptionibus, & impedimentis remotis, prædicta auctoritate Apostolica, libere, & licite exercere possitis, & valeatis. Quæ etiam omnia & singula in præsentibus, & aliis nostris, ac dicti Archiepiscopi literis sæpe dictis, ac processibus desuper habitis contenta, auctoritate, & scieotia prædicta de specialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus per præsentes.

Contraria tollit.

§. 17. Fel. rec. Innocentij Papæ IV. prædecessoris nostri contra exemptos, quæ incipit, Volentes, & qualibet alia constitutione Apostolica contraria non obstãte.

Et irrita declarat.

§. 18. Decernimus quoque ex nunc, omnes, & singulas excommunicationum, suspensionum, & interdicti

aliasque

aliasque Ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas, ac processus, quos, & quas contra vos, & Eremitas, ac personas, Ecclesias, Eremitoria, & loca huiusmodi, & vestrum quemlibet promulgari contigerit, vel haberi, irritas, & irritos, & inanes, ac nullius existere firmitatis, vel momenti. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 3. die 27. Iunij. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1474. 6. Kal. Iunij, Pont. nostri Anno 3.

VI. Amplissimæ gratiæ, & priuilegia Fratrum Minorum Conuentualium Ordinis S. Francisci, quæ propterea Mare magnum nuncupatur.

Moderationem earum, vide signanter inf. in constit. 22. Leo. X. Dum intra. Et apud Concilium Tridentinum confirmatum à Pio IV, in constit. 94. In Principis. Sed postea Pius V. alias gratias elargitus est in constit. 11. Dum ad vberes, vbi notabis. De toto autem Ordine Franciscano inspice dicta sup. in constit. 5. Honor. III. Solet.

Edita A. D. 1474. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. Regimini vniuersalis Ecclesiæ meritis licet insufficientibus disponente Domino præsidentes, curis perurgemur assiduis, vt iuxta creditæ nobis desuper dispensationis officium, quieti subditorum quorumlibet præsertim sub Religionis habitu, studio vacantium piæ vitæ, in quorum vtique prosperitate reficimur, iugi quantum nobis ex alto conceditur sollicitudinis studio intendamus, & vt ea quæ pro diuini cultus, dictæ Religionis incremento, animarumque salute à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus prouide facta sunt, sublatis ambiguitatibus quæ exinde emersisse noscuntur, in sua integritate persistant, nostri ministerij partes interponimus efficaces. Dudum siquidem à felicis recordationis Eugenio Papa Quarto prædecessore nostro, literæ emanauerunt tenoris sequentis, videlicet,

Eug. IV. adidit consti. confirmantem bullam Clem. IV. adidit bullam quæ est sup. §. 1. Eugenius Episcopus Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet debitũ pastoralis officij, &c.

Omittitur hæc bulla, quia est simplex confirmatoria Bullæ Clem IV.

§. 2. Clemens Episcopus, &c. virtute conspicuos, &c.

Prætermittitur etiam hæc bulla, quia est sup.

Hic Pont. eas confirmat. §. 3. Nos igitur qui dicti Ordinis Fratrum Minorum, in quo generalis Ministri fungebamur officio dum ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, & personarum eius statum prosperum, & tranquillum, propter vberes fructus, quos Ordo ipse multa refulgens gloria meritorum, & gratia redolens sanctitatis in agro militantis Ecclesiæ, in propagatione Religionis, & fidei orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, & producit, ac in futurum producturum fore spe firma tenemus, palmites suos à mari vsque ad mare, & etiam ad barbaras extendendo nationes, intensis desideramus affectibus, Clementis, & Eugenij prædictorum, ac aliorum prædecessorum nostrorum, qui Ordinem prædictum Fratrum Minorum, aliis variis priuilegiis non immerito decorarunt, vestigiis inhærentes, Motu proprio non ad eorum dicti Ordinis Fratrum Minorum professorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntate, & deliberatione, ac ex certa scientia nostra, Clementis, & quascumque alias quorumcumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum literas dicti Ordinis Fratrum Minorum, & illius domibus, & professoribus in genere, sub quacumque verborum forma concessas, quas ac si de verbo ad verbum, vna cum prædictis literis Eugenij prædecessoris præfati, præsentibus insertæ forent, haberi volumus pro expressis, ac omnia, & singola in illis contenta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & pro potiori cautela, omnia & singula per Clementis, & Eugenij, aliosque prædecessores nostros prædictos in eisdem literis, pro & in fauorem dicti Ordinis Fratrum Minorum quomodolibet ordinata, statuta, decreta, concessa, & indulta fieri, & seruari debere, auctoritate, motu, & scientia prædictis denouo ordinamus, statuimus, atque decernimus, ac eidem Ordini Minorum illiusque domibus, & professoribus concedimus, & indulgemus.

Ampliatio priuilegij celebrandi tempore interdicti, & in altari portatili. Tu vide Conc. Trid. sess. 25. cap. 12. §. 4. Et quia sicut accepimus, nosque ipsi experientia didicimus in minoribus constituti præfati Ordinis curam gerentes, circa literas, & priuilegia huiusmodi nonnulla dubia postmodum sunt exorta, habita super illis consideratione decenti, motu, auctoritate, & scientia similibus, literas eiusdem Clementis prædecessoris, in ea parte in qua concedit dicti Ordinis professoribus, vt liceat eis in locis in quibus degunt habere oratoria, & in eis cum altari portatili etiam tempore interdicti, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare; & quod eorum insistentes obsequiis, censoris generaliter promulgatis non ligentur, quum contingat eos persæpe tequiri, vt etiam extra oratoria super huiusmodi altari portatili celebrent diuina officia, & ad illa interdicti Tempore, Tertij Ordinis sancti Francisci de Pœnitentia nuncupati fratres, ac sorores, ac suos & illorum procuratores admittant extendentes. Concedimus eisdem fratribus, vt non solum in oratoriis, & locis in quibus degunt, sed etiam in quouis alio loco congruenti, & honesto, possint super altari portatili eiusmodi, Missas & alia diuina officia libere, & licite celebrare, exceptis Ecclesiis ab Ordinarij iurisdictione non exemptis, quoties id eisdem fratribus per Ordinarios ex causa contigerit inhiberi. Et vt liceat eis tempore interdicti fratres, & sorores dicti tertij Ordinis Beati Francisci de Pœnitentia nuncupati, necnon ipsorum fratrum Minorum, ac fratrum, & sororum dicti Tertij Ordinis, & monialium sanctæ Claræ procuratores, & negotia gerentes vtriusque sexus admittere ad diuina.

Ampliatio facultatis Prælatorum absoluendi Fratres. Tu autem de const. 119. Clem. VIII. Quacumque. §. 5. Præterea quia idem Clemens prædecessor in dictis suis literis, Generalibus, & Prouincialibus Ministris, & eorum Vicariis, ac Custodibus, absoluendi fratres eiusdem Ordinis necnon fratribus dicti Ordinis, quos ipsi Ministri, Vicarij, & Custodes habuerint pro tempore in confessores absoluendi ipsos Ministros, Vicarios, & Custodes ab excessibus, & eculuris, nisi talia perpetrassent propter quæ essent merito ad Sedem Apostolicam destinandi, ac cum eis, desuper dispensandi, facultatem concedit, & propterea qui sint destinandi persæpe reuocetur in dubium, vt absoluentium, & absoluendorum dispensantium, & dispensatorum pro tempore puritati conscientiæ consulamus, Declaramus hæreticos relapsos, schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, duntaxat esse ad Sedem Apostolicam merito destinandos. Reliquis verò omnibus, etiam simoniæ prauitate qualitercumque irretitos, posse per illos quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium, & dispensationis gratiam, iuxta casuum exigentiam impertiri.

Ampliatio iuris sepeliendi. Tu quoad solutionem quarta sciens aliter statuisse Conc. Trid. sess. 25. c. 13. §. 6. Eam verò partem literarum eiusdem Clementis prædecessoris, in qua sepulturam in Ecclesiis fratrum dicti Ordinis liberam esse voluit, salua iustitia Ecclesiarum, à quibus corpora mortuorum assumuntur, declarantes, libertatem huiusmodi, intelligi debere, etiam quoad hoc, vt fratres ipsi nullius super hoc petita licentia, parochias in quibus corpora prædicta forent cum Cruce processionaliter ingredi, ac corpora ipsa leuare, & ad eorum Ecclesias sepelienda deferre possint, vbi hoc consuetum foret, vel Presbyteri de leuatione requisiti id facere recusarent, nec cogantur inuiti etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, ipsi vel defunctorum consanguinei, illa ad parochiales Ecclesias, aut alia loca deferre, & cum illis vel sine, inibi celebrare, vel celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua diuina officia, ante vel post sepulturam eorundem Iustitiam autem Ecclesiarum à quibus corpora ipsa sumuntur, iuxta eiusdem Clementis prædecessoris voluntatem, saluam esse debere decernimus eo casu, quo duntaxat apud loca ipsorum fratrum, corpora ipsa sepeliuntur. Si verò non apud eos, seu alios etiam Mendicantium Ordinum professores corpora ipsa contingeret sepeliri, ex his quæ ad fratres prædictos apud quos tunc

corpora ipsa non sepelirentur de bonis defunctorum quomodolibet obuenirent quovis particulari vel vniuersali titulo directè vel per obliquum, nullam Canonicam aut parochialem portionem dare teneantur, nec similiter aliqua portio debeatur de his, quæ ad certos determinatos vsus, eisdem fratribus vel eorum domibus, in genere aut in specie; etiam de bonis eorum, quorum cadauera apud eos contigerit sepeliri, nec etiam in casibus in quibus per eiusdem Clementis, & aliorum prædecessorum nostrorum specialia priuilegia, fratres ipsi ab huiusmodi solutione quartæ sunt exempti, nec aliquo casu de candelis quæ ad manus fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In reliquis verò casibus, quam in præmissis, in quibus quarta ipsa soluenda veniret, conuentiones, si quæ sunt inter fratres prædictos, & locorum Ordinarios, ac Ecclesiarum rectores initæ, laudabiles & honestæ, in posterum obseruentur.

Exemptio aliquid soluendi de legatis piis.

§. 7. Et si fortè contingat, per nos vel Sedem Apostolicam, de pie legatis, dispositis, & relictis in genere, vel specie, decima, vel alia portio, seu quota alteri piæ, vel non piæ causæ, ex quavis causa hactenus concessa foret, aut in posterum concedi, & solui aut dari mandari contingeret, fratres prædictos & illorum domos ac eis legata, & relicta aut alias in eorum fauorem disposita, in concessione, & mandatis huiusmodi decernimus, & volumus non includi, nisi de ipsis fratribus & præsenti decreto, ac voluntate nostra, non per generales clausulas, quæ etiam specialem mentionem importare viderentur, sed vera & specifica mentio fiat in eisdem.

Ampliatio exemptionis à decimis. Tu vide amplioren in const. XI Pij V. Dum ad vberes.

§. 8. Indultum verò eiusdem Clementis prædecessoris de decimis non soluendis, ad quæcumque bona dictorum fratrum, & quascunque decimas, etiam quas vulgus Papales appellant, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus persæpe necessitatibus indicit, & quæcumque alia onera motu & scientia prædictis extendimus, decernentes ipsos fratres Minores etiamsi per quoscumque exemptos, & mendicantes solui mandarentur, cum quibusvis derogatoriis, & fortioribus clausulis, ad illarum solutionem non teneri, & in illorum solutione cessando, censuras & pœnas aliquas non incurrere, nisi præsentibus non per generales, aut alias clausulas specialem mentionem importantes, sed alias sit derogatum specifice earum de verbo ad verbum inserto tenori.

Ampliatio exemptionis à iurisdictione Ordinariorū. Tu aduerte, quod Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. aliud statuit. Et Clem. VIII. in const. 19. Suscepti, declarauit.

§. 9. Et ne prætextu constitutionis Innocentij Papæ Quarti prædecessoris nostri, quæ incipit Volentes locorum diœcesani & alij ordinarij, aut alij quicumque in personas & loca fratrum prædictorum contra eiusdem Clementis prædecessoris in fine literarum prædictarum ordinationem sibi quicumque iurisdictionem & superioritatem vendicare præsumpserint, districtius inhibemus, ne quispiam absque dictæ Sedis speciali commissione & auctoritate, in personas, domos, & loca dicti Ordinis fratrum Minorum, vtpote prorsus exempta, aliquam excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiā, specialiter vel generaliter quomodolibet promulgare, aut in personas, domos & loca huiusmodi aliquam præeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere præsumant, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei de qua ageretur, vbicumque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat. Decernimus quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quasvis pœnas, & sententias generales vel speciales continentes, quos & quas promulgari, vel haberi, & omnia quæ contra fratres, domos, & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri cōtigerit, etiam eorum exemptione, vtpote notoria non aliter allegata, nullius roboris vel momenti esse, & pro infectis prorsus haberi debere.

Facultas audiendi confessiones. Intellige vt in bull. Leon. X. Dum intra n. 22.

§. 10. Præterea quia parochialium Ecclesiarum rectores præfati, erga illos, qui dictis fratribus Ordinis Minorum eorum peccata confitentur, persæpe se reddunt in exhibitione Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis difficiles, concedimus ipsis fratribus Ordinis Minorum, vt eisdem personis eis confessis, quibus rectores præfati sine rationabili causa denegauerint, seu malitiose distulerint Eucharistiæ seu Extremæ vnctionis sacramenta ministrare, super quo eorundem confessorum assertioni stari debeat, illa petentibus possint impune exhibere.

Loca Monialium destituta Fratribus applicentur.

§. 11. Et quum aliquando contingat monasteria Monialium sanctæ Claræ & Minorissarum, seu sancti Damiani nuncupatarum monialibus destitui, adeo vt de eorum reformatione spes nulla supersit, conuenientiusque sit quod illorum sic destitutorum bona ad ipsos fratres deueniant, quorum erant curæ commissæ, quam ad alios, illa quæ sic destituta existunt, & destitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus perpetuis vsibus fratrum domus dicti Ordinis Minorum eisdem destitutis monasteriis propinquiores applicamus, ita vt fratres ipsi possint de illis, & eorundem monasteriorum structuris, & ædificiis pro eorum voluntate disponere. Prouiso quod illorum Ecclesiæ, & oratoria, ad prophanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque diuina celebrentur officia.

Mortui cum habitu Tertiariorū cum licentia Fratrum sepeliantur.

§. 12. Insuper quum nonnulli ad Ordinem prædictum fratrum Minorum specialem gerentes deuotionis affectum, ordinent eorum cadauera cum habitu fratrum Minorum, aut Sororum dicti Ordinis de Pœnitentia sepeliri, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, Ordini & fratribus prædictis iniuria irrogetur, decernimus tales apud fratres ipsos esse sepeliendos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam, nec posse etiam in loco per eos electo cum habitu quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absque fratrum domus loci in quo tales decesserunt expressa licentia & assensu.

Exemptio parochialiū Ecclesiæ Ordinis à iurisdictione Ordinariorū. Tu vide quod proximè notatur & Conc. Trid. sess. 25. cap 11.

§. 13. Cæterum ne, si ratione parochialium Ecclesiarum apud quas domus eorundem fratrum constructæ fuere aut construerentur in posterum, locorum Ordinarij in eosdem fratres aliquam superioritatem vendicare tentarent, fratrum eorundem quies in aliquo perturbaretur, concedimus eisdem fratribus, vt in sic concessis & quas eis concedi contigerit curatis Ecclesiis, possint per Capellanum per eos pro eorum nutu ponendum & amouendum, curam huiusmodi exercere, qui quandiu capellanatus huiusmodi fungetur officio, ac si dicti Ordinis Minorum professor existat, dictorum fratrum Minorum libertate & exemptione fruatur. Ecclesiæ verò prædictæ & illarum bona, illa qua domus fratrum dicti Ordinis prærogatiua lætentur.

Prælatorū Ordinis facultas dispēsandi ab irregularitate, &c. Tu attende bullam 115. Clem. VIII. quæcumque.

§. 14. Et vt dicti Ordinis professoribus omnino vagandi tollatur occasio, & ad Apostolicam Sedem recurrendi subtrahatur pro posse necessitas, Generali & prouincialibus Ministris dicti Ordinis pro tempore existentibus, & illorum Vicariis, dispensandi cum dicti Ordinis Minorum professoribus, defectum natalium, ex adulterio, sacrilegio, incestu & quovis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus, necnon cum his qui ex quavis causa (præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum) irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante, irregulares ipsi ad quoscunque etiam sacros Ordines promoueri, & in illis etiam altaris ministerio ministrare, & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti, ad quæcumque administrationes & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi, illaque gerere & exercere, libere & licite valeant, motu, scientia & auctoritate prædictis concedimus per præsentes.

Ampliatio declarationis hactenus facta de opinione, quod confessi Fratribus, iterum Parochis confiteri debeāt.

§. 15. Rursus intelleximus, quod etsi bonæ memoriæ Ioannes Papa Vigesimus secundus, prædecessor noster illorum opinionem, qui asserebant, quod confessi fratribus prædicti Ordinis, & aliorum Ordinum Mendicantium, ad audiendas confessiones iuxta iuris dispositionem deputatorum pro tempore, tenebantur eadē peccata rectori eorum parochialis Ecclesiæ iterum confiteri, reprobauerit; & deinde præfatus Eugenius prædecessor reprobationem huiusmodi approbauerit, contra talia asserentes tāquam de hæresi suspectos, per locorū Ordinarios inquiri & procedi mandauerit, ac successiue piæ mem. Nicolaus Papa V. similiter prædecessor noster gesta in præmissis ab eisdem Ioanne & Eugenio prædecesso-

sibus robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerit; nihilominus adhuc nonnulli eorum inhærentes protéruiæ, opinionem prædictam, & desuper factos damnatos & male sonantes, ac reprobos articulos, veros esse affirmare non verentur, vt talium præsumptuosa temeritas tanto minus inualescat, quanto plurium erit superiorem correctioni subiecta, concessam contra tales per eiusdem Eugenij prædecessoris literas locorum Ordinariis facultatem, ad Inquisitores hæreticæ prauitatis extendimus, ac volumus quod Inquisitores ipsi quicumque fuerint eadem qua Ordinarij contra tales auctoritate fungantur.

Communicatio priuilegiorum inter Ordines S. Dominici & Ordinem S. Francisci. Aliam communicationẽ habes in Pij V const. 41. Etsi mendicantium.

§. 16. Postremo quum Prædicatorum sicut & prædicti Minorum Ordinum professores pro fidei Catholicæ dilatatione continue indefesse laborent, fructusque afferant in Dei Ecclesia salutares, & propterea fuerint variis per Sedem prædictam priuilegiis decorati, vt quos par labor pariaque merita coniungunt, paria coniungant priuilegia & fauores, eisdem Ordinis Minorum fratribus, vt professoribus, ac confessis fratribus Prædicatoribus & eisdem Prædicatorum Ordinis fratribus vt præmissis, & aliis concessis prædictis fratribus Minoribus priuilegiis, indulgentiis, & gratiis, fauoribus, & indultis; tam spiritualibus quam temporalibus à prædictis & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, aut aliis auctoritatem habentibus, quæ omnia ac si nominatim exprimerentur haberi hic volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri, & gaudere possint & debeant, perpetuis futuris temporibus, in omnibus & per omnia, prorsus & sine vlla differentia, proinde, ac si quæ vni ex Ordinibus prædictis sunt concessa, vtrique simul nominatim concessa fuissent, aut concederentur in posterum. Et quæ de Magistro generali & prouincialibus Prioribus dicti Ordinis Prædicatorum, ac Monasteriis Monialium sub eorundem fratrum Prædicatorum cura, & secundum ipsius Ordinis Prædicatorum instituta viuentium sunt statuta, in Generali & Prouincialibus Ministris, & vicariis dicti Ordinis Sanctæ Claræ, & Minorissarum, & Sancti Damiani nuncupatarum, & è contra censeantur esse statuta.

Inhibitio contra quoscumque Ordinis perturbatores.

§. 17. Districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac parochialium Ecclesiarum, ac Rectoribus, & aliis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem parochialium Ecclesiarum, ac omniũ aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis, eo ipso, per eos qui contrafecerint incurrendis, ne Ordines prædictos Fratrum Prædicatorum & Minorum, & illorum domos, & professores, præter, aut contra prædictarum Clementis & Eugenij prædictorum, & aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum, & præsentium nostrarum literarum tenorem, inquietare seu molestare, & eos, aut testamentorum vltimarumque voluntatum executores, & hæredes prædictos, seu quoscumque alios, directè vel indirectè, ad solutionem alicuius quartæ parochialis seu Canonicæ, vel alterius portionis, seu oneris, & ad faciendum celebrari aliquod officium in eorum Ecclesiis, vel alibi, dum apud ipsos fratres decedentium cadauera tumulantur, ante vel post eorum sepulturam cogere, nec confessis dictis fratribus Prædicatoribus & Minoribus pro tempore, Eucharistiæ, seu Extremæ vnctionis sacramenta, sine rationabili causa denegare, vel illorum exhibitionem malitiose differre, aut eorum parochianis, ne dictis fratribus confiteantur prohibere, vel persuadere, nec etiam ad præmissa, seu aliquod præmissorum auxilium, consilium vel fauorem dare, directè vel indirectè quoquo modo præsumant.

Deputatio executorum huius bullæ.

§. 18. Et nihilominus cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonicis per vniuersum orbem, qui desuper per dictorum Ordinum Priores, aut Guardianos, & fratres ac illorum, seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ syndicus desuper requisitus fuerit, per Apostolica scripta in solidum mandamus, quatenus per se vel alium seu alios, præmissa vbi & quando opus fuerit solemniter publicantes, & eisdem fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, & illorum domibus ac professoribus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos pacifica possessione, vel quasi priuilegiorum & concessionum huiusmodi gaudere. Non permittentes eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & rectores prædictos, aut quoscumque alios indebite molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari. Ac etiam summarie, & de plano, sine strepitu & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, contra quoscumque, cuiuscumque qualitatis, vel conditionis existant, aut quacumque Ecclesiastica etiam Patriarchali, Archiepiscopali, vel mundana forent dignitate & exemptione muniti; in quibuscumque causis per eos mouendis, quacumque ratione vel causa quæ excogitari possit, eis ministrent iustitiæ complementum, exequendo quod per eos fuerit ordinatum, & illos quos censuras & pœnas prædictas incurrisse constiterit illos irretitos esse declarent, ac faciant & mandent interdictos, suspensos, & excommunicatos publicè nuntiari, & ab omnibus arctius euitari, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, illos quoties opus fuerit iteratis vicibus aggrauare procurent. Contradictores; auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 19. Non obstantibus recolendæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui, quibus cauetur ne quis extra suam ciuitatem & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam, à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede Apostolica deputati, extra ciuitatem & diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali, necnon quæ incipiunt, Super cathedram Bonifacij, & Dudum Viennensis Concilij, ac recolendæ memoriæ Callisti Papæ Tertij etiam prædecessoris nostri literis, aliisque Apostolicis, ac prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus, necnon Octonis & Octoboni olim in Regno Angliæ Apostolicæ Sedis Legatorum constitutionibus, Ecclesiarum quoque, ac locorum quorumlibet statutis & consuetudinibus, & inter quoscumque dictorum Ordinum Fratrum Prædicatorum & Minorum professores, ac locorũ Ordinarios seu rectores prædictos initis & conclusis hactenus obseruatis, pactis & conuentionibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, Necnon omnibus illis, quæ Clemens & Eugenius præfati, in prædictis eorum literis voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque. Quibus omnibus, illa ac si de verbo ad verbum insererentur, & derogatoriarum derogatorias clausulas in se continerent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissa specialiter & expresse derogamus. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Rectoribus præfatis, seu quibusvis aliis, communiter vel diuisim à Sede præfata indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca, ad iudicium euocari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum, & concessa in eis iurisdictionis executio impediri posset quomodolibet vel differri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim ex nunc, illa & quæcumque alia quæ in futurum per nos vel Sedem Apostolicam, quomodolibet concedi, & statui, decerni, vel ordinari contigerit, contra Clementis, Eugenij, aliorumque prædecessorum prædictorum, & præsentium literarum huiusmodi tenorem, necnon secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti esse decernimus.

§. 20. Et

Transumptorum fides.

§. 20. Et quia difficile foret præsentes literas ad singulas Prouincias originaliter destinare, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis eorum manu notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ aut alicuius Episcopalis vel Archiepiscopalis sigillo munitis, ea prorsus in iudicio & extra, vbicumque exhibita vel ostensa fuerint fides adhibeatur, ac si ipsæ originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 21. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum approbationis, constitutionis, ordinationis, statuti, decreti, concessionis, indulti, voluntatis, applicationis, inhibitionis, extensionis, solidationis, mandati & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 4. die 31. Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis dominicæ 1474. pridie Kal. Septemb. Pont. nostri Anno 4.

VII. Amplissimæ gratiæ & priuilegia fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici, quę propterea Mare Magnum nuncupantur.

Pro eorum moderatione vide signanter constit. 22. Leon. X. Dum intra, & Concil. Trid. confirmatū à Pio IV. in eius const. 94. In principis. Recordare tamen Pium V. plura indulta eis concessisse in suu const. Dum ad vberes, vbi notabo. De toto autem isto Ordine Prædicatorum, notaui plene ad const. 2. Honor. III. Religiosam, sup. ad quem nonnulla adieci.

Edita A. D. 1474.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

REgimini vniuersalis Ecclesiæ meritis licet insufficientibus disponente Domino præsidentes, curis perurgemur assiduis, vt iuxta creditæ nobis desuper dispensationis officium, quieti subditorum quorumlibet præsertim sub Religionis Prædicatorum habitu, studio vacantium piæ vitæ, in quorum vtique prosperitate reficimur, iugi quantum nobis ex alto conceditur sollicitudinis studio intendamus, & vt ea quæ pro diuini cultus, dictæ religionis incremento, animarumque salute à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus prouide facta sunt, sublatis ambiguitatibus quæ exinde emersisse noscuntur in sua integritate persistant, nostri ministerij partes interponimus efficaces.

Eug. IV. confirmauit bullas Greg. XI. & Mart. V. cuius Mart. bulla est simplex confirmatoria, & Bulla Greg. XI. est sup. Hic modo Pōtif. eas & alias Ordinis gratias comprobat.

§. 1. Dudum siquidem à felicis recordationis Eugenio Papa Quarto prædecessore nostro emanauerunt literæ tenoris subsequentis. Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam, &c.

Omittitur hæc bulla Eug. IV. & etiam Martini V. & Greg. XI hic insertæ. Quoniam bulla Greg. XI. est sup. aliæ autem sunt simpliciter eius confirmatoriæ.

§. 2. Nos igitur qui dicti Ordinis fratrum Prædicatorum & personarum eius statum prosperum & tranquillum, propter vberes fructus quos Ordo ipse multa præfulgens gloria meritorum, & gratia sanctitatis in agro militantis Ecclesiæ in propagationem fidei orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, ac producit, & in futurum producturum fore spe firma tenemus, palmites suos à mari vsque ad mare, & etiam ad barbaras extendendo nationes, intensis desideramus affectibus, Gregorij, Martini, & Eugenij, ac aliorum prædecessorum nostrorū qui Ordinem prædictum fratrum Prædicatorū alijs varijs priuilegijs, non immerito decorarunt vestigijs inhærentes, motu proprio, non ad eorum dicti Ordinis fratrum professorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntate & deliberatione, ac ex certa nostra scientia, prædictas Gregorij, & quascumque alias quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum literas, dicto Ordini Fratrum Prædicatorū ac illius domibus & professoribus in genere, sub quacumque verborum forma concessas, quas ac si de verbo ad verbum vnà cum prædictis literis Eugenij prædecessoris præfati præsentibus insertæ forent haberi volumus pro expressis, ac omnia & singula in illis contenta auctoritate Apostolica, tenore Præsentium, approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus. Ac pro potiori cautela, omnia & singula per Gregorium, & Martinum, & Eugenium, aliosque prædecessores prædictos in eisdem literis pro & in fauorem dicti Ordinis fratrum Prædicatorum quomodolibet ordinata, statuta, decreta, concessa, & indulta fieri & obseruari debere, auctoritate, motu, & scientia prædictis, de nouo ordinamus, statuimus, atque decernimus, ac eidem Ordini Prædicatorum, illiusque domibus & professoribus concedimus & indulgemus.

Facultatem celebrandi tempore interdicti, & cum altari portatili ampliat.

Tu ad loca ista de limitatione vide Conc. Trid. sess. 22. cap. 11. post canones & c. 22.

§. 3. Et quia sicut accepimus, nosque ipsi experientia didicimus in minoribus constituti, circa literas priuilegia huiusmodi nonnulla dubia postmodum sunt exorta, habita super his consideratione decenti, motu, auctoritate, & scientia prædictis, literas eiusdem Gregorij prædecessoris in ea parte in qua concedit d. Ordinis professoribus vt liceat eis in locis, in quibus degunt habere oratoria, & in eis cum altari portatili, etiam tempore interdicti, ianuis clausis, missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, quòd eorum insistentes obsequiis, censuris generaliter promulgatis non ligentur, cum contingat eos persæpe requiri, vt etiam extra oratoria super huiusmodi altari portatili celebrent diuina officia, & ad illa, interdicti tempore, Tertij Ordinis S. Dominici de Pœnitentia nuncupati, fratres & sorores, ac suos & illorum procuratores admittant, extendentes, concedimus eisdem fratribus, vt non solum in Oratoriis & locis in quibus degunt, sed etiam in quovis alio loco congruenti, & honesto, possint super altari portatili huiusmodi missas & alia diuina officia libere & licitè celebrare, exceptis Ecclesiis ab Ordinarij iurisdictione non exemptis, quoties illud eisdem fratribus per Ordinarios ex causa contingeret inhiberi. Et vt liceat eis tempore interdicti fratres & sorores dicti Ordinis B. Dominici de Pœnitentia nuncupati, necnon ipsorum fratrum prædicatorum, ac fratrum & sororum dicti Tertij Ordinis procuratores, & negotia gerentes vtriusque sexus admittere ad diuina.

Ampliat facultatem absoluendi & dispensandi fratres.

§. 4. Præterea quia idem Gregorius prædecessor in dictis suis literis Magistro, Prioribus prouincialibus & conuentualibus, & eorum Vicariis, absoluēdi fratres eiusdem Ordinis, necnon fratribus dicti Ordinis, quos ipsi Magister, Priores prouinciales & conuentuales habuerint pro tempore in confessores, absoluendi ipsos Magistrum, Priores prouinciales ac cōuentuales ab excessibus, censuris, nisi talia forent propter quæ essent ad Sedem Apostolicam merito destinandi, ac cum eis desuper dispensandi concedit, & propterea qui sunt destinandi persæpe reuocetur in dubium, vt absoluentium & absoluendorum, dispensantium & dispensatorum pro tempore puritati conscientiæ consulamus: declaramus, hæreticos relapsos, schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem prædictam merito destinandos. Reliquis verò omnibus etiam simoniæ qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium & dispensationis gratiam iuxta casuum indulgentiam impartiri. Et vt dicti Ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad Apostolicam Sedem recurrendi subtrahatur pro posse necessitas, Magistro & Prioribus prouincialibus & conuentualibus, ac eorum vicariis defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quovis alio nefario & illicito coitu prouenientem patientibus, necnon cum his qui ex quavis causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ & mutilationis membrorum, irregulares forent dispensandi cum dicti Ordinis Prædicatorum professoribus, postquam ipsum Ordinem professi fuerint vt defectu & irregularitate huiusmodi non obstantibus, irregulares ipsi, ad quoscumque etiam sacros ordines promoueri, & in illis etiam in altaris mysterio ministrare, & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti ad quæcumque administrationes, & officia eligi recipi,

& assumi, illaque gerere & exercere, libere & licite valeant, motu, & scientia ac auctoritate prædictis concedimus per præsentes.

Ampliatio facultatis dandi liberã sepulturam in eorum Ecclesiis. Tu vide infr. const. Leon. X. Dum intra, num. 22.

§. 5. Eam verò partem literarum eiusdem Gregorij prædicti, in qua sepulturam in Ecclesiis fratrum dicti Ordinis liberam esse voluit (salua iustitia Ecclesiarum à quibus corpora assumuntur) declarantes libertatem huiusmodi intelligi debere etiam quoad hoc, vt fratres ipsi, nullius super hoc petita licentia, parochias in quibus corpora prædicta forent, cum Cruce processionaliter ingredi & corpora ipsa leuare, & ad eorum Ecclesias sepelienda deferre possint, vbi hoc consuetum foret, vel Presbyteri de leuatione requisiti hoc facere recusarent. Nec cogantur inuiti, etiam prætextu cuiuscumque consuetudinis, ipsi vel defunctorum consanguinei, illa ad parochiales Ecclesias, aut alia loca deferre, & cum illis vel sine, inibi celebrare vel celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua diuina officia, ante vel post sepulturam eorundem. Iustitiam vero Ecclesiarum à quibus corpora ipsa assumuntur iuxta Martini prædicti prædecessoris voluntatem, saluam esse debere decernimus, in omnibus aliis casibus præter eos, in quibus eorundem Gregorij, Martini, & Eugenij prædecessorum nostrorum specialia priuilegia, fratres ipsi ab huiusmodi solutione quartæ sunt exempti. Nec aliquo casu, de candelis quæ ad manus fratribus dantur quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In reliquis verò casibus quam in præmissis in quibus quarta ipsa soluenda veniret, conuentiones (si quæ sunt inter fratres prædictos & locorum Ordinarios, ac Ecclesiarum Rectores initæ) laudabiles & honestæ in posterum obseruentur.

Exemptio quoad legata pia.

§. 6. Etsi forte per nos vel Sedem Apostolicam de piis legatis, dispositis & relictis, in genere vel in specie, decima seu alia portio, vel quota alteri piæ vel non piæ causæ, ex quavis causa hactenus concessa foret, aut in futurum concedi & solui, aut dari mandari contingeret, fratres prædictos ac illorum domos & eis legata & relicta, aut alias in eorum fauorem exposita in concessionibus & mandatis huiusmodi, decernimus ac volumus non includi, nisi de ipsis fratribus ac præsenti decreto ac voluntate nostris, non per generales clausulas quæ etiam specialem mentionem importare viderentur sed vera & specifica mentio fiat in eisdem.

Exemptio à Decimis. Alias exemptiones vide in const. 21 Pij V. Dum ad haberet.

§. 7. Indultum verò eiusdem Gregorij prædecessoris de decimis non soluendis, ad quæcumque bona dictorum fratrum, & quascumque decimas etiam quas vulgo Papales appellant, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus persæpe necessitatibus indicit, & quæcumque alia onera, motu & scientia prædictis extendimus, decernentes fratres ipsos Prædicatores, etiamsi per quoscumque exemptos etiam mendicantes solui mandarentur, cum quibusvis derogatoriis & fortioribus clausulis, ad illarum solutionem non teneri, & in illorum solutione cessando, censuras & pœnas aliquas non incurrere, nisi præsentibus non per generales & alias clausulas specialem mentionem importantes, non alias sit derogatum specifice, eorum de verbo ad verbum inserto tenore.

Ampliatio exemptionis à iurisdictione Ordinariorum. Tu attende Concil. Trid. sess. 7 cap. 14. & bullam 59. Clem. VIII. Suscepit.

§. 8. Et ne prætextu constitutionis Innoc. IV. prædecessoris nostri quæ incipit. (Volentes) locorum diœcesani, & alij ordinarij, ac alij quicumque in personas, & loca Fratrum Prædicatorum, contra eiusdem Greg prædecessoris ordinationem, sibi quamcumque iurisdictionem, superioritatem vendicare præsumant, districtius inhibemus, ne quispiam absque dictæ Sedis speciali commissione & auctoritate, in personas, domos, & loca dicti Ordinis Prædicatorum vtpote prorsus exempta, aliquam excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias specialiter, vel generaliter quomodolibet promulgare, aut in personas, domos, & loca huiusmodi aliquam præeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere præsumant, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei de qua contra ipsos ageretur, vbicumque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat. Decernimus quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias, & quoscumque processus, quasvis pœnas & sententias generales vel speciales continentes, quos vel quas promulgari vel haberi, & omnia quæ contra fratres, domos, & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione vtpote notoria non aliter allegata, nullius roboris vel momenti esse, & pro infectis haberi debere.

Facultas exhibendi sacramenta his quibus Parochi exhibere recusant. Hoc intellige iuxta bullam Leon. X. n. 22. Dum intra.

§. 9. Præterea quia parochialium Ecclesiarum Rectores præfati, erga illos qui dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus eorum peccata confitentur, persæpe in exhibitione Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis se reddunt difficiles, concedimus ipsis Fratribus Ordinis Prædicatorum, vt personis eis confessis quibus rectores præfati sine rationabili causa denegauerint, seu malitiose distulerint, Eucharistiæ & Extremæ vnctionis sacramenta ministrare, super quo eorundem Confessorum assertioni stari debeat, illa petentibus possint impune exhibere.

Bona Monasteriorũ Monialium destitutorum, hic Fratribus applicantur.

§. 10. Et cum aliquando contingat monasteria Monialium S. Augustini, sub cura, habitu, & constitutionibus Fratrum Prædicatorum degentium, monialibus destitui, adeo vt de eorum reformatione spes nulla supersit, conuenientiusque sit quod illorum sic destitutorum bona ad ipsos fratres deueniant, quorum erant curæ commissa, quam ad alios, illa quæ sic destituta existunt, & destitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus in perpetuis vsibus Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum quibus ex forma regiminis ipsius Ordinis competit, applicamus, ita vt fratres ipsi possint de illis & eorum monasteriorum structuris & ædificiis, pro eorum voluntate disponere, prouiso quod illorum Ecclesiæ & Oratoria, ad prophanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque diuina celebrentur officia.

Mortui cum habitu Tertiariorum sepeliri debent habita licentia Fratrum.

§. 11. Insuper cum nonnulli ad Ordinem prædictum Fratrum Prædicatorum specialem gerentes deuotionis, affectum ordinent eorum cadauera cum habitu Fratrum dicti Ord. Prædicatorum aut sororum dicti Ordinis de Pœnitentia sepeliri, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, Ordini & fratribus prædictis iniuria irrogetur, decernimus tales apud fratres ipsos esse sepeliẽdos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam, nec posse etiam in loco per eos electo, cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absque fratrum domus loci in quo tales decesserint expressa licentia & assensu.

Exemptio Ecclesiarum Parochialium Ordinis à iurisdictione Ordinariorũ. Tu attende sess. 25. c. 11. & bullã 59. Clem. VIII. Suscepit.

§. 12. Cæterum ne si ratione parochialium Ecclesiarum apud quas eorundem fratrum domus constructæ fuere, aut construentur in posterum, locorum ordinarij in eosdem fratres aliquam superioritatem sibi vendicare tentarent, fratrum eorundem quies in aliquo perturbaretur, concedimus eisdem fratribus, vt in sic concessis, & quas eis concedi contigerit, curatis Ecclesiis, possint per capellanum per eos pro eorum nutu ponendum & amouendum, curam huiusmodi exercere. Qui quandiu capellanatus huiusmodi fungetur officio, ac si dicti Ordinis Prædicatorum professor existeret, dictorum fratrum Prædicatorum libertate & exemptione vbique fruatur. Ecclesiæ verò prædictæ & illarum bona, illa qua domus dicti Ordinis prærogatiua lætentur.

Ampliatio damnationis hæreticorum facta de opinione, quod Confessi his Fratribus, iterum Parochus confiteri deberẽt.

§. 13. Rursus intelleximus quod etsi bon. mem. Ioann. XXII. prædecessor noster illorum opinionem, qui asserebant, quod confessi fratribus prædicti vel aliorum ordinum Mendicantium ad audiendas confessiones iuxta iuris dispositionem deputatorum pro tempore, tenebantur eorum peccata rectori eorum parochialis Ecclesiæ iterum confiteri, reprobauerit. Et deinde præfatus Eugenius prædecessor, reprobationem huiusmodi approbans, contra talia asserentes, tanquam de hæresi suspectos, per locorum ordinarios inquiri & procedi mandauerit; ac successiue piæ memoriæ Nicolaus Papa V. similiter prædecessor noster, gesta in præmissis, à Ioanne & Eugenio prædecessoribus, robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuit; nihilominus adhuc nonnulli eorum adhærentes proteruiæ, opinionem prædictam & desuper factos damnatos, & male sonantes ac reprobos articulos, veros esse affirmare non verentur. Vt talium præsumptuosa temeritas tanto minus inualescat, quanto plurium erit superiorum correctione damnata, concessam contra tales per eiusdem Eugenij prædecessoris literas, locorum Ordinariis facultatem, ad Inquisitores

hæreticæ

hæreticæ prauitatis extendimus, ac volumus, quod Inquisitores ipsi quicumque fuerint, eadem qua Ordinarij contra tales auctoritate fungantur.

Communicatio omnium gratiarum & priuilegiorum inter Ordines S. Dominici & S. Francisci.

§. 14. Postremo cum fratres Ordinis Minorum sicut & prædicti Prædicatorum Ordinis professores pro fidei Catholicæ dilatatione continuo indefesse laborent, fructusque afferant in Dei Ecclesia salutares, & propterea fuerint variis per Sedem prædictam priuilegiis decorati, vt quos par labor, pariaque merita coniungunt, paria coniungant priuilegia & fauores, concedimus eisdem professoribus Ord. prædicatorum, vt concessis fratribus Minoribus, & eisdem Ordinis Minorum fratribus, præmissis, & aliis concessis prædictis fratribus Prædicatoribus priuilegiis, indulgentiis, gratiis, fauoribus, & indultis spiritualibus quam temporalibus, à prædictis, & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, aut aliis auctoritatem habentibus (quæ omnia ac si nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere) potiri & gaudere possint & debeant, perpetuis futuris temporibus, in omnibus & per omnia prorsus & sine vlla differentia, perinde ac si quæ vni ex Ordinibus prædictis sunt concessa, vtriq; simul nominatim concessa fuissent, aut concederentur in posterum. Et quæ de Magistro generali ac prioribus prouincialibus & conuentualibus, ac eorum vicariis necnon Monasteriorum monialium S. Augustini, sub eorundem fratrum Prædicatorum cura, & secundum ipsius Ordinis fratrum Prædicatorum instituta viuentiũ sunt statuta, in Generali & prouincialibus Ministris, ac Vicariis dicti Ordinis fratrũ Minorũ, necnõ & Monasteriorum S. Damiani nuncupatarũ, censeantur esse statuta.

Inhibitio contra quoscumque voti perturbatores aduersus dicta priuilegia.

§. 15. Districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, & parochialium Ecclesiarum rectoribus, & aliis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, eo ipso per eos qui contrafecerint incurrendis, ne Ordines prædictos fratrum Prædicatorum, & Minorum, ac illorum domos, & professores, præter aut contra Martini, Greg. & Eug. aut aliorum quorumcunque prædecessorum nostrorum, præsentium nostrarum literarum tenorem inquietare seu molestare, & eos, aut testamentorum vltimarum voluntatum executores, & hæredes prædictos, seu quoscumque alios, directè, vel indirectè, ad solutionem alicuius quartæ parochialis, seu canonicæ, vel alterius portionis seu oneris, & faciendum celebrari aliquod officium in eorum Ecclesiis, vel alibi, dum apud ipsos fratres decedentium cadauera tumulantur, ante vel post eorum sepulturam cogere, nec confessis dictis fratribus, prædicatoribus, & Minoribus pro tempore, Eucharistiæ seu Extremæ vnctionis Sacramenta sine rationabili causa denegare, vel illorum exhibitionem malitiose differre, aut eorum Parochianis, ne dictis fratribus confiteantur prohibere, vel persuadere, nec etiam ad præmissa seu aliquod præmissorum, auxilium, consilium, vel fauorem, directè, vel indirectè quoquo modo dare præsumant.

Deputatio executorum huius constitutionis.

§. 16. Et nihilominus cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ canonico per vniuersum orbem, qui desuper per dictorum Ordinum priores, guardianos, & fratres, ac illorum seu ad commodum eorum Rom. Ecclesiæ syndicos, desuper fuerint requisiti, per Apostolica scripta in solidum mandamus, quatenus per se vel alium seu alios præmissa, vbi, & quando opus fuerit, solemniter publicantes, ac eisdem fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, ac illorum domibus, & professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos pacifica possessione vel quasi priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere, non permittentes eos seu testamentorum executores, & hæredes prædictos, contra illorum tenorem per ordinarios, & rectores prædictos, aut quoscumque alios, indebite molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, ac etiã summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta, contra quoscũque cuiuscũque qualitatis vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica etiã Patriarchali, Archiepiscopali, vel Episcopali, aut mundana forent dignitate, & exceptione mouiri, in quibuscumque causis per eos mouendis, quacumque ratione vel causa, quæ excogitari possit, eis ministrent iustitiæ complementum, exequendo quod per eos fuerit ordinatum, & illos quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, irretitos esse declarent, ac faciant, & mandent, interdictos, suspensos, & excommunicatos publice nunciari, ac ab omnibus arctius euitari, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, illos quoties opus fuerit iteratis vicibus aggrauare procurent, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula contrariorum derogatoria.

§. 17. Non obstantibus constitutionibus Bonifacij, quibus cauetur ne quis extra suam ciuitatem, & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede Apostolica deputati extra ciuitates, & diœceses in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere præsumant. Et de duabus dietis in Concilio generali, necnon quæ incipit. Super cathedram Bonifacij. Et dudum Viennen. Concilij, ac Callisti Papæ III. etiam prædecessoris nostri literis aliisque Apostolicis, ac etiam in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus, necnon Octonis, & Octoboni olim in Regno Angliæ Apost. Sedis legatorum constitutionibus, Ecclesiarum quoque ac locorum quorumlibet statutis, & consuetudinibus, & inter quoscumque dictorum ordinum fratrum Prædicatorum, & Minorum professores, ac locorum ordinarios seu rectores prædictos initis, & conclusis, ac hactenus obseruatis pactis, & conuentionibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, necnon omnibus illis, quæ Gregorius, Martinus, & Eugenius præfati prædecessores, in prædictis eorum literis voluerunt non obstare contrariis quibuscumque, quibus omnibus illa ac si de verbo ad verbum insererentur, & derogatoriarum derogatorias clausulas in se continerent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissa, specialiter, & expresse derogamus. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Rectoribus præfatis, seu quibusvis aliis, communiter vel diuisim, à Sede præfata indultum existat quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut vltra, vel extra certa loca, ad iudicium euocari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali, vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim ex nunc illa, & quæcumque alia quæ in futurum per Nos, & Sedem Apostolicam quomodolibet concedi, statui, decerni vel ordinari contigerit contra Gregorij, Martini, & Eugenij aliorumque Prædecessorum nostrorum, & præsentium literarum huiusmodi tenorem, necnon secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irrita, & inania ac nullius roboris vel momenti esse decernimus.

Exemplorum fides.

§. 18. Et quia difficile foret præsentes literas ad singulas prouincias originaliter destinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis earum, manu notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apost. aut alicuius Archiepiscopi, vel Episcopi, seu dictorum Ordinum magistri, & generalis ministri sigillo munitis, ea prorsus in iudicio & extra, vbicumque exhibita, vel ostensa forent, fides adhibeatur, ac si ipsæ originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 6.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1474. Pont. nostri, Anno 4.

VIII. Priuilegium Curialium tam laicorum quam Ecclesiasticorum, libere disponendi etiã ad fauorem incapaciũ de bonis in Alma Vrbe, & infra decem milliaria, quamuis ex fructibus bonorum Ecclesiasticorum acquisitis.

Hoc priuilegium pluries immutatum, extẽsumque, sed tandem firmatum fuit à Paulo V. vt inf. in sua const. 18. In eminenti, vbi de similibus Curialium priuilegijs plene notabo.

Edita A. D. 1474.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Causa constitutionis.

ETsi vniuersis Ecclesiæ Romanæ dominio temporali subiectis Ciuitatibus, pro eorũ statu prospero, & incremẽtis felicibus, Apostolica nos deceat prouisione cõsulere, Almæ tamen Vrbi nostræ, sanctorũ Apostolorum Petri, & Pauli martyrio consecratæ (quæ ipsius Petri sedes sacerdotij principatus, & Christianæ religionis caput est) eo nos conuenit amplioti cura prospicere, quo ipsa sacerdotalis ciuitas, cunctis alijs prælata, nobisque peculiaris filia, & paterna dilectione coniuncta existit.

Priuilegium Curialiũ disponendi liberè de acquisitis in Vrbe & infra decem milliaria, dũmodo, &c. Tu Vid. alias declarationes in bulla cit. in rub.

§. 1. Cupientes igitur pro instauratione dictæ Vrbis, quæ causantibus sinistris euentibus, in ciuibus, incolis, & ædificiis, plurimum diminuta est, vt annuente Altissimo virorum copia instauretur, & quanto citius ipsius structuræ, & ædificia refectionem, & reparationem pro eius venustate, & decore consequatur, suisque statui, & necessitati, opportunis remedijs consulatur, de venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, & assensu, hac perpetuo valitura constitutione statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli, tam nostri Curiales Rom. Curiã sequentes, quam alij cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, præeminẽtiæ, vel conditionis existant, etiamsi Cardinalatus honore, aut Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, vel quavis alia Ecclesiastica aut mũdana dignitate præfulgeant, & (si regulares fuerint) administrationem, aut dignitatẽ obtineant, qui palatia, domos, casalia, siue alia ædificia, vrbana vel rustica, ædificarunt, ædificauerint, aut ædificabunt, seu fundari, & ædificari fecerunt, vel fecerint in futurum, aut ædificata, & constructa emerunt, aut emerint, seu ement, aut illa, vel census annuos, iura & quævis immobilia bona, in dicta Vrbe, vel extra, aut prope eam ad milliaria decem, & alio quovis iusto titulo, tam ex bonis, & pecuniis propriis, quam ex fructuum, redditunm, & prouentuum ecclesiasticorum beneficiorum ad eos spectantium, prouentibus, acquisiuerint hactenus, vel acquirent in posterum, de eisdem casalibus, domibus, palatiis, ædificiis, censibus, iuribus, nec non territoriis, feudis, iurisdictionibus, & bonis aliis quibuslibet (dummodo ad Ecclesias, monasteria, & alia pia loca, aliter quam ex fructibus eorum, vt præfertur, de quibus ad effectum præsentium, licere volumus eis pro voto disponere non pertineant) in vita ipsorum, & mortis articulo, prout eis videbitur, disponere, testari codicillari, eaque legare, relinquere, seu inter viuos, & causa mortis, aut pro remuneratione laboris, vel obsequiorum eis impensorum, quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis fuerint (etiamsi alias hæredes, legatarij, ordinarij, vniuersales aut particulares hæredes, successores, & personæ aliæ, ad quas ex dominorum voluntate peruenerint) illa filiis, nepotibus, consanguineis, affinibus, familiaribus, vel aliis, etiamsi incapaces, & inhabiles sint, & inhabilitate vel incapacitate quacumque notati (dummodo criminis læsæ Maiestatis rei, aut Ecclesiæ Romanæ prædictæ hostes non existant) erogare, donare, legare, relinquere, ac etiam in pios, & alios quoscumque vsus conuertere.

Priuilegium proximiorum etiam illegitimorum, in illis ab intestato succedẽdi.

§. 2. Etsi ipsas Ecclesiasticas, aut dignitatem seu administrationem habentes regulares personas, de bonis prædictis aliter non disposito, decedere contigerit, palatia, domus, casalia, & alia ipsorum bona in Vrbe prædicta, vel infra milliaria huiusmodi consistentia, ad proximiores suos, etiamsi agnati, cognati, & minus capaces, vel inhabiles fuerint, vt præfertur (salua tamen gradus prærogatiua, iuxta dispositionem iuris, si aliter de ipsorum decedentium voluntate non constet) bona prædicta deueniant; ipsique proximiores, siue agnati vel cognati, in eis succedere possint, & debeant, in omnibus, & per omnia, perinde ac si descendentes filij, nepotes, agnati, & cognati, habiles, capaces, & hæredes scripti existerent, ac palatia, domus, casalia, & reliqua bona ipsorum, ex labore, vel industria (non autem ex fructibus, redditibus, & prouentibus ecclesiasticis) acquisita fuissent, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia concedimus, eisque facultatem, & potestatem testandi, codicillandi, legandi, concedendi, donandi, & erogandi; proximioribus verò, necnon agnatis, & cognatis prædictis, incapacibus, & defectũ natalium patiẽtibus, in eis, vt præfertur, succedendi, licentiam liberam impartimur. *Tu vide declarationes in d. bulla.*

Prohibitio ne desuper molestandi.

§. 3. Districtius inhibentes dilectis filiis Cameræ Apostolicæ Clericis, & aliis nostris, ac Curiæ, & Vrbis prædictarum Officialibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Ecclesiasticorum locorum Prælatis, Capitulis, Conuentibus, Prioribus, Præpositis, Plebanis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine nuncupentur de bonis per eosdem, vt præmittitur, relictis, legatis, donatis, seu quovis modo in dicta Vrbe, vel extra, infra spatium prætaxatum dimissis, quovis modo se intromittere, aut illa petere, vendicare, seu hæredes & successores decedentium personarum earundem, illorum occasione impedire aut molestare quoquo modo præsumant, ac decernentes irritum & inane, &c. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1474. Kal. Ianuarij Pont. nostri Anno 4. *Dat. P. An. 4. die 1. Ianu.*

Quod brunus color vestimentorum præfinitus à Benedicto XII. pro Monachis, & Monialibus S. Benedicti Ordinis Cisterciensis, intelligatur de Colore nigro, & non griseo. Et quod totus Ordo albi tantum & nigri coloris vestibus vtatur. IX.

Alia de hoc ordine dixi sup. in const. 1. Paschalis II. Desiderium.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1475.*

Exordium.

ETsi cunctis Ecclesiastici status personis, & assuetæ pietatis officio assistere teneamur, illis tamen sub regulari obseruantia Altissimo famulantibus præcipue Cister. eo magis adesse nos cõuenit, quo sublatis quibusvis dubietatibus maiori quietudine reddere valeant vota sua.

Bened. XII. iussit quod Ordo habitu bruno vel albo vteretur, vt sup. in eius const. 3. Fulgens.

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Benedictus Papa XII. prædecessor noster ad statum Cistercien. Ordinis attendens prosperum, per quasdam suas literas inter alia statuit, & ordinauit, quod omnes Abbates, & Monachi eiusdem Ordinis, pannis bruni vel albi coloris dumtaxat vterentur, prout in eisdem literis plenius continetur.

Aliqui Monachi pro colore bruno, vtebãtur colore griseo, & alij nigro.

§. 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Hymberti Abbatis Monasterij Cistercien. Cabilonen. Diœcesis petitio continebat, à nonnullis etiam ipsius Ordinis Abbatibus & Monachis reuocetur in dubium, an appellatione bruni coloris niger color veniat, vel griseus. Et sicut eadem petitio subiungebat, aliqui Abbates & Monachi ac Moniales ipsius Ordinis panno nigro, aliqui verò griseo vtantur, & diuersitas habitus inter eosdem Ordinis professores esse videtur, pro parte eiusdem Hymberti Abbatis Nobis fuit humiliter supplicatum, vt sibi ac Ordini, Monachis ac Monialibus præfatis, eorumque statui super præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontif. appellatione bruni coloris, nigrũ colorem venire declarat.

§. 3. Nos igitur ad quos spectat super his adhibere vigilantiæ nostræ curam, vt omnis dubietatis scrupulus de medio tollatur, & habitus ipsorum se inuicem conforment, quacumque disparitate sublata literarum, ac concessionis, & statuti huiusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum

verbum insereretur præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, verba prædicta bruni coloris interpretantes, quod appellatione illorum niger tantum color veniat & intelligatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium ex certa scientia declaramus.

Nigri igitur aut albi coloris habitum gestari præcipit.

§. 4. Et insuper pro potioris cautelæ suffragio, volumus, ac eisdem auctoritate & tenore etiam statuimus & ordinamus, quod de cętero perpetuis futuris temporibus, omnes Abbates, Monachi, & Moniales eiusdem Ordinis præsentes & futuri, ad vsum personarum suarum pannis nigri vel albi coloris solum & dumtaxat vtantur.

Alterius habitus vsum prohibet.

§. 5. Mandantes per Apostolica scripta, & eadem auctoritate committentes dilectis filiis vniuersis Patrib. Abbatibus eiusdem Ordinis præsentibus & futuris, quatenus ipsi, & quilibet ipsorum postquam præsentes nostræ literæ ad eorum notitiam peruenerint, declarationem, statutum, & concessionem nostram huiusmodi obseruent. Et per se vel alios etiam à quolibet ipsorum, necnon aliis Abbatibus, & Monachis, ac Monialibus eiusdem Ordinis perpetuo faciant inuiolabiliter obseruari. Non permittentes eosdem Abbates, Monachos, & Moniales pannos ad vsum personarum suarum, alterius quam nigri vel albi coloris deferre, vel illis quomodolibet vti. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Contraria tollit.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis, quæ idem Benedictus prædecessor in suis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§. 7. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad quemcunque locum in quibus illæ essent necessariæ transferri, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, quod earum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Archiepiscopi vel Episcopi, aut alterius Prælati vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, prorsus in iudicio & extra, fides plenaria adhibeatur, & illis stetur, ipsique Patres Abbates ad illarum executionem procedere possint & debeant in omnibus & per omnia, sicuti originalibus literis huiusmodi adhiberetur, & eis staretur, ac ipsi patres Abbates procedere possent, & deberent, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 5. die 13. Dec.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1475. Idib. Decembris, Pontificatus nostri Anno quinto.

X. Constitutiones pro bono regimine Congregationis Canonicorum Regularium Lateran. cum immunitatum & gratiarum concessione.

De statu huius Congregationis plene notaui sup. in const. 2. Pasch. II. Quanto ibi videas.

Edita An. D. 1476.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Ordinis antiquitas & meritu enunciatur,

DVm ad vniuersos regulares Ordinis, & loca ingo sanctimoniæ dedita, personasque voto Religionis adstrictas, pro iniuncto nobis Apostolicæ seruitutis officio, crebris vigiliis & indefessis studiis attendimus, ad illum pręcipue Canonicorum Regularium Cógregationis Lateran. Ordinis S. Augustini, eo libentius nostræ mentis oculos conuertimus, quo ordo ipse in nascentis Ecclesiæ sancta institutione, ac primorum Christianę Relig. Clericorũ norma, traditionibusque fundatus, & sacris institutis ac diuinis regulis eloquiisque præmunitus extitit, ab eiusque primæua fundatione, variis virtutũ meritis semper resplenduit, Quamobrem nonnulli Romani Põtifices prædecessores nostri, innumeris Religionem ipsam priuilegiis, dignisque honorũ titulis nõ immerito decorarunt, vnde nos eorum ductos exemplo, decet, vt Congregationem ipsam Lateranen. in agro Dominico multiplices & vberes Sanctæ conuersationis fructus in dies afferentem, nostris etiam specialibus gratiarum muneribus muniamus, & iis quæ pro ipsius Ordinis, & Congregationis laude, ac personarum vota sua, sub suaui iugo inibi exoluentium pace & quiete processerunt, ne in conuentionis scrupulum labantur, sed firma pariter & illibata persistant, nostri adiiciamus muniminis firmitatem.

Mart. V. vniuit Canonicos Regulares vbique professos in vnam Congregationem; vt sup. in sua const. 7. Sollicitudinis.

§. 1. Dudum siquidem felicis recordationis Martinus Papa Quintus prædecessor noster, &c.

Omittitur residuum, quia ipsam bullam habes sup.

Eug. IV. Basilicam Lateranen. S. Saluatoris in Vrbe d. Congregationi restituit, sed hanc bullam vix h. c.; & in aliis bullis extare in vrbe relatam ponere nolui.

§. 2. Et deinde piæ memoriæ Eugenius Papa Quartus etiam prædecessor noster, Sacrosanctam, & venerandam Basilicam Lateranen. ad primam institutionem, primæuumque eius statum, videlicet Canonicorum Regularium, ex certis tunc expressis causis, post deliberationem prouidam, quam cum Fratribus S. R. E. Cardinalibus habuit diligentem, pro Ecclesia Dei, & Catholicæ fidei, Christianæque Religionis honore, ac SALVATORIS nostri gloria, publicaque vtilitate & ipsius Basilicæ Lateranen. statu, veneratione, commodo, & honore, reducens ac reponens, Vt ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Augustini Regulam ibi noscebatur institutus, perpetuis futuris temporibus, in dicta Ecclesia vigeret, & inuiolabiliter obseruaretur, Ordinem, & Congregationem huiusmodi in præfata Ecclesia instituit, & erexit, ac deputauit: dictamque Lateranen. Basilicam cum omnibus suis spiritualibus & temporalibus bonis, membris, iuribus, iurisdictionibus, priuilegiis, & exemptionibus in perpetuum eidem Congregationi concessit, & commisit, eorumque curæ, & administrationi tribuit & donauit.

Nomen sibi Congregationi Lateranensis concessit.

§. 3. Atque decreuit, & statuit, vt omnes deinceps dictæ Congregationis Conuentus, & loca, ab huiusmodi Sanctæ Basilicę Lateranen. titulo, & totius Congregationis capite nomen acciperent, & SALVATORIS Congregatio appellaretur, ac singulos dictæ Congregationis Canonicos, vbique Domino seruientes, huius Basilicæ Clericos, & ministros, & Religiosos, ac de ipsius Capituli gremio in omnibus iuribus, & priuilegiis censeri decreuit.

Nicol. V. idem approbauit, & declarauit, sed ex ea dicta causa hic d. bullam non posui.

§. 4. Et successiue sanctæ memoriæ Nicolaus Papa V., similiter prædecessor noster, tam Martini, quam Eugenij literas prædictas, necnon omnia, & singula in eis contenta, ac quæcunque secuta inde approbans, & confirmans, eaque pleno firmitatis robore subsistere, necnon perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere decernens, per quasdam etiam suas concessit & indulsit omnibus & singulis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, locis, & personis vbicumque consistentibus, & constituendis, præsentibus & futuris, Congregationis Canonicorum huiusmodi; vt illis omnibus in eorundem Martini, & Eugenij prædecessorum literis contentis, ac aliis exemptionibus, priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, & indultis, bonisque & iuribus, spiritualibus & temporalibus, concessis & concedendis, quibus præfata Ecclesia nostra Lateranen. & ab ea dependentia vtuntur & gaudent, seu vti, & gaudere consueuerunt, aut poterunt quomodolibet in futurum, Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, loca, & personæ huiusmodi, in omnibus & per omnia, pariformiter, & absque vlla differentia, perpetuo vti & gaudere, libere & licite possint.

Callist. III. regimẽ d. Basilicæ, Canonicis sæcularibus dedit, sed eius bullam non posui vt hoc relatam.

§. 5. Postea verò eodem Nicolao prædecessore rebus humanis exempto, cum Canonici dictæ Congregationis, à præfata Ecclesia per nonnullos ciues Romanos fuissent eiecti, piæ memoriæ Callistus Papa III. similiter prædecessor noster, etiam per alias suas literas statuit, & ordinauit, quod Canonici Congregationis huiusmodi, à cura & gubernatione Ecclesiæ eiusdem desisterent, & illam in posterum per Canonicos sæculares regi, & gubernari debere.

Paul. II. (cuius bullã non posui) d. Basilicam cõgregationi restituit.

§. 6. Et licet postmodum recolendæ memoriæ Paulus Papa II. etiam prædecessor noster, Canonicos Regulares, ac Congregationem huiusmodi, ad regimen & gubernationẽ prædictæ Ecclesiæ restituisset, nihilominus

eo quoqne de medio sublaro, Canonici eiusdem Congregationis denuo ab eadem Ecclesia fuerunt amoti.

Hic autem Pontifex sæcularibus Canonicis iterato dedit.

§. 7. Atque ex ordinatione, & mandaro nostris, decretum & statutum fuit, quòd eadem Ecclesia, per dictos Canonicos sæculares de cætero regeretur, & gubernaretur.

Nomē autem & Titulum Congregationis Lateranē. cōfirmauit in alia bulla quam præterij. Et modo iterum confirmauit.

§. 8. Et demum ne in dubium reuocari possit, an ex Callisti, & nostris literis huiusmodi, Nomen, & Titulus, seu intitulario Congregationis Lateranen. suppressa, & sublata essent, ac immunirates, gratiæ, priuilegia, & indulta, eidem Congregationi Lateranen. tam per ipsum Eugenium, quàm per alios Romanos Pontifices prædictos concessa, censerentur reuocata, per nonnullas etiam alias literas nostras, omnes & singulas tam Eugenij quoad nomen, & intitulationem Congregationis, quam omnium, & singulorum priuilegiorum, & immunitatum, aliorum prædecessorum literas approbantes & confirmantes, decreuimus & declarauimus, tam per prædictas eiusdem prædecessoris Callisti, quàm nostras priores literas, & inde secuta quæcumque, præfatæ Congregationi Lateranensi quoad nomen & intitulationem prædictam, necnon immunitates, priuilegia, gratias, & indulta huiusmodi, tam per Eugenium, quam per alios prædecessores prædictos, eidem Congregationi eiusque Canonicis, & personis concessa, in nullo præiudicatum, aut derogatum fuisse, aut esse quoqoo modo, & pro potioris cautelæ suffragio, literas Eugenij prædicti prædecessoris, in pristinum & eum statum, videlicet quoad nomen & intitulationem Congregationis, necnon immunitates, priuilegia, gratias, & indulta illi concessa, in quo erant antequam à Callisto prædecessore præfato, & etiam à Nobis literæ huiusmodi emanassent, & quomodolibet existebant, reposuimus, restituimus, & plenariè reintegrauimus, prout in singulis prædecessorum, & nostris literis prædictis respectiue, quarum tenores præsentibus haberi voluimus pro expressis, & haberi volumus, prout inferius còntinetur.

Priuilegia omnia approbat. De his vide, quæ post Concil. Trid. statuit Pius V. in const. 45. Et si mendicantium.

§. 9. Nos qui Congregationi huiusmodi, illiusque Monasteriis, Ecclesiis, locis, & personis propter eorum laudabilem & Religiosam vitam, multiplices ac vberes fructus, quos in vinea Domini (Altissimo ministrante) dicti afferunt, singulari deuotione afficimur, ipsos & eorum Monasteria, Ecclesias, atque loca, etiam maioribus gratiis prosequi volentes, Motu proprio, & non ad eorundem Canonicorum, vel alicuius pro eis nobis super hæc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & certa scientia, ac de nostræ plenitudine potestatis, quæcumque priuilegia, gratias, immunitates, libertates, & exemptiones, tam per prædictos, quàm per alios summos Pontifices prædecessores nostros, Romanosque Imperatores, Reges, Principes, & alios Christi fideles, eidem Congregationi eiusque membris, locis, Ecclesiis, Monasteriis, & personis quomodolibet concessa, ac omnia, & singula in eis contenta, & quæcumque inde secura, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac plenum robur, & omnimodam firmitatem, perpetuis futuris temporibus obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere volumus, atque decernimos.

Exemptionem à quorumcumque iurisdictione & subsidij ac exactionum præstatione concedit.

§. 10. Attendeotes autem, quantæ venerationis, & sanctimoniæ semper fuerit Congregatio huiusmodi in Ecclesia Dei, & quantum plantatio sacra, norma Religionis Christianæ floruerit, ac propterea decens, quinimo debitum reputantes, vt spiritualibus prærogatiuis gaudere, ac sub nostra, & eiusdem Sedis protectione militare, præcipuisque honoribus, & gratiis extolli, & decorati debeat; Congregationem ipsam, illiusque Monasteria, Ecclesias, & loca quælibet, ac illorum Canonicos, seu personas, præsentes & futuras, (vagabundis, & fugitiuis exceptis, aot aliter extra Ordinem, seu Congregationem ipsam, absque Superiorum licentia commorantibus, quibus nolumus hæc aliqualiter suffragari) à quorumcumque prædictæ Sedis Legatorum, ac eius Nuntiorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumcumque Iudicum, ordinariorum aut extraordinariorum iurisdictione, auctoritate, potestate, dominio, visitatione, cura, ac charitatiui subsidij subuentione, & exactionum, quarumcumque præstatione, necnon Synodalibus, & alterius cuiuscumque Congregationis, seu processionum euocationibus, motu, & scientia prædictis, penitus & omnino eximimus, ac totaliter liberamus, eamque in ius, & proprietatem beati Petri, ac Sedis eiusdem, & sub eorum spirituali protectione, atque nostra suscipimus.

Et etiam à Synodalibus, & Processionum euocationibus.

Contrarium statuit Conc. Trid. sess. 20. cap. 2. & sess. 25. cap. 12.

Sub protectione Sedis Apostolicæ recepit.

§. 11. Ita quod de cætero cum Monasteriis, membris, Ecclesiis, locis, personis, & iuribus suis quibuscumque, eidem Sedi immediate subiecta existat, & omnino esse censeatur. Quodque Legati, aut Nuntij præfati, seu locorum Diœcesani, aut alij Ordinarij quicumque, vel aliæ quævis personæ, quantacumque ampla præfulgeant dignitate, seu præeminentia, in Congregationem, Canonicos, personas, Monasteria, Ecclesias, membra, & loca prædicta, vtpote prorsus exempta, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, seu alias censuras, siue pœnas, specialiter vel generaliter, eorum auctoritate ordinaria promulgare, nec vllam in Monasteria, Ecclesias, personas, & loca huiusmodi præeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere possint, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei de qua ageretur, vbicumque ineatur contractus, comminatur, delictum, & res ipsa consistat. Decernentes ex nunc omnes & singulos processus, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas, quas & quicquid, contra Congregationem, seu illius Canonicos, Monasteria, personas, Ecclesias, & loca, haberi, & fieri contigerit, seu etiam promulgari, irritos & inanes, nulliusque roboris & momenti esse, ac pro nullis & infectis haberi debere, etiam exemptione Congregatiools, quam tanquam notoriam, & manifestam haberi volumus, non aliter allegata seu aliter de ea mentione facta.

Exemptionem à superioritate alterum concedit. Tu vide Conc. Trid. sess. 24. c. 13 sess. 25. c. 11. & seq. & bullam Clem. VIII. num. 39. Supra.

§. 12. Prætetea ne Congregationem ipsam, & illius Canonicos per locorum Ordinatios, quavis occasione vel causa, & præsertim ratione Parochialium Ecclesiarum, seu aliorum locorum dictæ Congregationis pro tempore, quibus cura animarum imminet, molestari contingat, & huiusmodi prætextu in Congregationem, & Canonicos prædictos, aliquam superioritatem seu dominium habere prætendant, ipsis quoque concedimus & indulgemus, vt in Parochialibus Ecclesiis huiusmodi, possit Congregatio ipsa, seu illius Canonici prædicti per se aut per Presbyteros sæculares vel regulares, sui aot cuiuslibet alterius Ordinis, alias tamen habiles & idoneos, ad ipsorum nutum deputandos & amouibiles, animarum curam prædictorum Parochianorum, Ecclesiarum Parochialium huiusmodi, & libere & licite exercere. Quodque ipsi Capellani dum curam huiusmodi gerent, ea libertate & exemptione fungantur, & vbique fruantur, ac si ex Canonicis Coogregationis, & Ordinis extiterint.

Canonici ordinentur per Episcopos, absque alia examinatione. Hoc reuocatū est per Conc. Trid. sess. 23. c. 12.

§. 13. Et quia eiusdem Congregationis Canonici, de locis ad loca illius sæpius transferuntur, propter quod perpetuam in certis & determinatis dictæ Congregatioois Monasteriis, seu Ecclesiis, aut locis non habent mansionem, volumus, atque concedimus, vt liceat eidem Congregationi, suos Canonicos ad omnes, etiam sacros ordines promouendos, idoneos tamen, & iuxta conscientiam Prælatorum illius approbatos, quibuscumque maluerint Catholicis Antistitibus, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentibus præsentare, ipsique Antistites præsentatos à suis Prælatis Canonicos, sine vlla examinatione per eosdem Antistites faciendas, vel absque alia promissione, aut obligatione promouendorum Canonicorum, ad ordines quoscumque etiam sacros promouere possint, ac debeant.

Altari portatili canonici vti possint.

§. 14. Porro vt Congregatio ipsa circa celebrationem Missarum etiam specialibus priuilegiis gaudeat, eidem pariter & illius Canonicis pro tempore concedimus, vt in ipsorum itineratione Altare portatile cum debita reuerentia & honore habere, super quo, tamen in locis congruis & honestis, Missas, & alia diuina officia, etiam per vnam horam ante diem, & vsque ad horam nonam in ipsa itineratione, aut alias ad hoc causa subsistente celebrare, & sacramenta Ecclesiastica ibidem recipere possint.

Temporeque interdicti celebrare valeant. Aliter statu-

§. 15. Et vbi generale, seu in aliquo speciali loco interdictum fuerit, in Ecclesiis suis, ac in Altari portatili prædictis, & aliis quibuscumque locis honestis, huiusmodi Missas,

tum mihi videtur à Concil. Trid. sess. 25. c. 12.

Missas, & alia diuina officia celebrare. Ita tamen quod in locis Ecclesiasticen interdicto suppositis debeant ianuis clausis, & excommunicatis expulsis, atque exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, eadem diuina celebrare, dum tamen ipsi Canonici causam non dederint interdicto, nec contingat id eisdem specialiter interdici, neque Ecclesiæ & loca ipsa fuerint interdicta.

Cum excommunicatis à iure conuersari.

§. 16. Et cum excommunicatis dumtaxat à iure, non tamen pro talibus publicatis conuersari, dummodo in contemptum clauium non fiat.

Sacramenta ministrare & mortuos sepelire.

§. 17. Necnon omnibus, & singulis, qui in eorum, & dictæ Congregationis existunt obsequiis, ac in ipsorum morãtur locis, cuncta ministrare Ecclesiastica sacramenta, & eos cum decedere contigerit, in Ecclesiis suis prædictis, libere & licite sepeliri possint ac valeant, plenam licentiam concedimus & facultatem.

Exempti sint à solutione omnium præstationum & decimarum. Ad hoc vide etiam constit. 41. Pij V. Etsi mendicantium.

§. 18. Cæterum, vt Congregatio ipsa & illius Canonici, maioris immunitatis gratia fruantur, motu, scientia, & tenore similibus, volumus, atque decernimus, vt ad præstationem, procurationum Legatorum dictæ Sedis, & Nuntiorum ipsius, seu Dœcesanorum locorum, aut exactionum; vel collectionum, vel subsidiorum, vel prouisionum aut onerum quorumcumque, nec etiam ad solutionem decimarum quas Papales appellant, & quas Sedes Apostolica pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus persæpe necessitatibus imponit, minime teneantur, neque obligati sint, etiam si per quoscumque exemptos persolui mandarentur, cum quibusvis derogatoriis, & fortioribus clausulis. Nec eos ab eadem solutione cessando censuras, & pœnas incurrere, nisi præsentibus de verbo ad verbum, & earum toto tenore inserto, & non per generales clausulas, specialiter, & expresse derogetur, & de ipsis omnimoda, & indiuidua mentio fiat.

Causas cognoscere & similia facere non teneantur.

§. 19. Præterea vt iidem Canonici cum maiori animi sui quiete, Altissimo exoluant vota sua, prouidere volentes, statuimus & ordinamus, vt ipsi per literas eiusdem Sedis, aut Legatorum, seu delegatorum ipsius iam forsan concessas, aut de cætero sub quacumque verborum forma concedendas, à quoquam ad pecuniam colligendum, seu correctionis, aut visitationis officium, Monasteriis, vel Ecclesiis, siue quibuscumque personis impendẽdum, vel ad cognitiones causarũ, citationes partium, & denuntiationẽ sententiarũ interdicti, & excommunicationis procedendum, aut curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum recipiendum minime cogi possint, nisi in huiusmodi literis de hoc indulto, ac Congregatione, & Ordine prædictis, expressa vt præfertur fiat mentio.

Sepulturam in Cœmeteriis liberam habeant.

§. 20. Sepulturam quoque in locis, cœmeteriis, & in Ecclesiis dictæ Congregationis concedimus, & eam liberam esse decernimus, ita quod deuotioni, & extremæ voluntati eorum, qui in locis huiusmodi sepeliri voluerint, nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Canonicam portionem de libris, ornamentis, domibus, hortis, &c. tradere non teneantur.

§. 21. Statuentes nihilominus, vt pro rebus, quæ in ornamentis, libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue aliis ad perpetuum cultum diuinum, aut pro victu, & sustentatione dictorum Canonicorum, vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ Ecclesiæ seu Monasteria dictæ Congregationis obligata noscuntur, vel de domibus, prædiis, hortis, & bonis, aliisque locis dictæ Congregationis opportunis, quæ Canonicis, & Congregationi huiusmodi relinquuntur, nulli teneantur canonicam portionem tradere. Ita tamen quòd in reliquis casibus, quàm in prædictis, in quibus quarta ipsa soluenda foret, soluere, vel conuentiones si quæ essent inter Canonicos præfatos, & locorum Ordinarios, ac Ecclesiarum Rectores, laudabiles & honestæ, in posterum obseruari debeant. Prohibentes insuper omnibus & singulis cuiusvis status, gradus, ordinis vel conditionis, seu nobilitatis, & præeminentiæ fuerint, & quacunque Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, ne in præmissis à Congregatione, & Canonicis huiusmodi, vel vltimarum voluntatum executoribus, seu decedentium hæredibus, occasione præmissa aliquid exigere, vel extorquere præsumant. Et si forte per eos, vel Sedem prædictam legatis pie dispositis, & relictis in genere vel in specie decima, vel alia portio seu quota alteri, piæ vel non piæ rei; ex quavis causa hactenus, & præsertim Ecclesiæ S. Petronij ciuitatis Bononiensis concessa fuissent, aut in futurum concedi, seu solui, aut dari, mandari contigerit, Congregationem, & Canonicos huiusmodi, & illorum Ecclesias, Monasteria, & loca, & eis legata, atque relicta, aut alias in eorum fauorem exposita, ipsa in concessionibus, & mandatis huiusmodi includi, seu comprehendi non debere decernimus, nisi de Congregatione, Canonicis, & ordine prædictis, ac præsenti decreto, specifica mentio fiat in eisdem.

Præscriptio 60. annorum & non alia contra Congregationem detur.

§. 22. Porro volumus, ac decernimus, quod contra Congregationem, Ecclesias, Monasteria, loca, res, bona, & iura sua prædicta, tam præsentia, quam futura, præscribi non possit, nisi spatio 60. annorum continuorum, quodque nulla alia quam sexagenaria, contra Congregationem, Canonicos, ac bona & iura sua prædicta currat præscriptio. Cassantes, annullantes, abrogantes, & penitus irritantes omnem aliam præscriptionem, quam Congregatio ipsa tam ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, locorum, rerum, bonorum, & iurium suorum huiusmodi, quam alias forsitan incurrere cœpissent.

Prælatis Congregationis facultas dispensandi super irregularitate; & vid. const. 15 Clem. VIII.

§. 23. Vt autem Rector, & Visitatores, ac singuli Priores dictæ Congregationis, & qui loco eorum in ipsorum absentia constituuntur, præsentes, & futuri, qui non sunt & qui pro tẽpore erunt, amplioribus prærogatiuis, & indulgentiis gaudeãt, eis concedimus, vt cũ Canonicis, Nouitus, Conuersis, & Commissis eiusdem Congregationis dispensatione indigentibus, siue priusquam intrauerint Congregationem, & Ordinem huiusmodi, siue post, in casibus quibus excesserint, & pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis sententias, à iure, vel ab homine, generaliter promolgatas incurrerint, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis generali, aut speciali Ecclesiastico suppositis interdicto, diuina officia celebrantes, vel suscipientes ordinem sic ligati, notam irregularitatis similiter incurrissent, & in omnibus aliis casibus etiam, & causa cuiuscunque simoniæ, qualitercumque generaliter, vel specialiter Sedi Apostolicæ reseruatis, (exceptis dumtaxat hæreticorum, relapsorum, schismaticorum, deferentium prohibita ad infideles, & literas Apostolicas falsificantium, quos omnino ad eandem Sedem remitti volumus) absolutionis, & dispensationis beneficium, iuxta casuum exigẽtiam valeant impartiri. Canonici vero, & alij, quos pro tempore Rector generalis, Visitatores, & Priores prædicti, in proprios habuerint confessores, eisdem rectori, Visitatoribus, & Prioribus, absolutionis, & dispensationis huiusmodi beneficium etiam concedere possint. Et vt Canonicis dictæ Congregationis omnis vagandi adimatur occasio, & ne ipsi ad Sedem prædictam veniendi, seu recurrendi sumere valeant occasionem, Definitoribus Capituli generalis duntaxat eiusdem Ordinis cum quibusvis personis defectum natalium ex adulterio incestuoso, & quovis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus, necnon Rectori, & Visitatoribus, cum iis qui ex quavis causa (præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, mutilationis membrorum irregulares forent) postquam Congregationem ipsam ingressi, & illam expresse professi fuerint perpetuo dispensandi, vt defectu, & irregularitatibus huiusmodi non obstantibus, ad quoscumque etiam sacros, & presbyteratus ordines promoueri, & in illis etiam in altaris ministerio ministrare, & ad quæcumque officia, administrationes, seu dignitates prædictæ Congregationis, aut illius Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere, libere, & licite, & absque dispensatione dictæ Sedis quotiens opus fuerit valeant, licentiam, & facultatem similiter concedimus, & indulgemus.

Canonici ad audiendas confessiones per Congr. Superiores deputentur. Intellige præuia Ordinariorum approbatione vt

§. 24. Necnon vt ipsi Canonici, alias tamen idonei, per Superiorem Congregationis prædictæ, ac locorum suorum pro tempore deputandi ad cõfessiones omnium, & singulorum vtriusque sexus, libere, & licite, tam in locis ipsorum Canonicorum, quam extra audire ac confitentibus huiusmodi pro commissis pœnitentiam possint iniungere salutarem, & eisdem confitentibus Eucharistiæ sacramentum, in Ecclesiis præfatæ Congregationis,

infra in Pij V. const. 131. Romanus.

tionis, libere, & licite similiter ministrare possint, præterquam in festo Resurrectionis Domini nostri IESV CHRISTI.

Facultas conuersandi cum Pyratis, &c.

§. 25. Et cum sicut accepimus Congregatio ipsa in Insula Tremitana, in mari Adriatico, in partibus Italiæ, prope prouinciam Apuliæ consistente, & longe à terra distante, insigne habeat Monasterium, ad quod sæpius maritimi, & nauigatores, vt inibi portum recipiant declinãt, & nulla in dicta Insula existat Ecclesia præter ipsius Monasterij Ecclesiam. Ne declinantes huiusmodi Ecclesiasticis careant Sacramentis, Congregationi, & Canonicis prædictis pariter concedimus, ipsis declinantibus, ac seruitoribus, quos ad seruitium Monasterij retinent, possint etiam in festo Resurrectionis, Eucharistiæ, & omnia alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare. Necnon cum pyratis, & cæteris excommunicatis humaniter conuersari, ac eisdem in dicto loco vitæ necessaria exhibere, cum difficile admodum foret Canonicis, & personis eiusdem loci, pyratas huiusmodi euitare, propter eorum sæpius, & dictorum Canonicorum per illas partes transitum, cum facile admodum inuicem sæpe casualiter conueniant: & nisi ipsi Canonici cum dictis pyratis humaniter agerent, ab eis multipliciter offendi possent, dummodo dicti Canonici non participent cum dictis pyratis, aut aliis excommunicatis in crimine, propter quod excommunicationis sententiam incurrerent.

Alienatio bonorum stabiliũ quando sit permissa.

§. 26. Cæterum, vt Congregatio, & Canonici prædicti, vberiori facultate circa vtilitatem, & commodum Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum suorum huiusmodi, ac illorum iurium gaudeant, Capitulo generali Congregationis prædictæ, ac illius pro tempore Rectori maiori, per præsentes impartimur auctoritatem, concedendi Præpositis, Abbatibus, Prioribus, & Capitulis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & locorum suorum huiusmodi licentiam permutandi, seu alienandi, quoties opus fuerit, quæcumque bona immobilia Congregationis prædictæ, ac illius Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum pro ipsorum tamen euidenti vtilitate.

Facultas eligendi confessorem.

Intellige de approbatis vt in d. const. Pij V. 133 & Clē. VIII. constit. 111. Et quoad indulgentias attende bullam Paul. V. n. 16. Romanus.

§. 27. Demum saluti animarum Canonicorum prædictorum salubriter consulere volentes, eis pariter concedimus, vt liceat ipsis, & cuilibet ipsorum, necnon Conuersis, Commissis, & Nouitiis suis præsentibus, & futuris, in articulo mortis quemcumque presbyterum ex Canonicis præfatæ Congregationis, in casu verò necessitatis, alium presbyterum idoneum, vel sæcularem vel cuiusvis alterius Ordinis Regularem, in suum eligere confessorem, qui confessionibus huiusmodi diligenter auditis, pro commissis per eos criminibus, delictis, & peccatis, in omnibus, & singulis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, debitam absolutionem, & plenariam omnium peccatorum suorum remissionem possit auctoritate nostra impendere, & pœnitentiam iniungere salutarem, ita tamen quod quilibet ex confitentibus huiusmodi, postquam Congregationem huiusmodi fuerit ingressus, & antequam ad articulum mortis deueniat, teneatur si Clericus, vel presbyter fuerit, septem Psalmos Pœnitentiales, si verò Conuersus, vel Commissus, quinquagies Orationem Dominicam: & totidem Salutationem B. Mariæ Virginis singulis septimanis per vnum annum dumtaxat, pro conseruatione status Romanæ Ecclesiæ, legitimo tamen impedimento cessante dicere, & omittentes, alia vice supplere teneantur, & si interim aliquem post inceptam, & non perfectam pœnitentiam huiusmodi, ab hac luce migrare contigerit, ipsam nihilominus plenariam remissionem consequatur, dummodo intentionis fuerit illam, si superuixisset perficiendi.

Indulgentiarum concessio. Tu vid. reuocationem & innouationem in d. Paul. V. const. 16. Romanus.

§. 28. Dexteramque nostræ liberalitatis erga dictam Congregationem liberius extendere volentes, & in eo præsertim, vt Canonici prædicti suarum animarum saluti magis consulere valeant, Canonicis, Conuersis, Commissis, & Nouitiis prædictis, præsentibus, & futuris, qui in diebus, quibus stationes in nonnullis, tam intra, quam extra Almam Vrbem Ecclesiis consistentibus existunt, quinque altaria Ecclesiarum, Monasteriorum, seu locorum suorum, in quibus tunc eos moram trahere contigerit deuote visitauerint, & Psalmum Dauid, Miserere, videlicet illum scientes, alij vero quinquies Orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam, coram quinque altaribus huiusmodi, pro felici statu sanctæ Matris Ecclesiæ dixerint, easdem concedimus indulgentias, perinde ac si dicti Canonici, Conuersi, Commissi, & Nouitij personaliter Ecclesias Vrbis præfatæ visitassent. Ita quod in defectu altarium, alia pia, & deuota loca ad visitationem huiusmodi, & alia præmissa faciendum eligere possint: etiamsi eos extra Monasteria, & loca esse contigerit.

Facultas recipiendi ad Ordinem, etiã simpliciter vouentes religionem arctiorem. Tu vid. bul. Pij V. n. 89. Quacumque.

§. 29. Repetentes autem animo quot, & quanta sint merita Religionis, & Congregationis huiusmodi in Ecclesia Dei, & quantum inter alias polleat Religiones, dignum propterea quin etiam debitum iudicamus, vt etiam excellentioribus prærogatiuis, & honoribus gaudere debeat, de illis potissimum, quæ ad illius ampliationem, atque augmentum tendunt. Statuimus ergo, ac similiter ordinamus, vt omnes qui votum simpliciter ingrediendi aliquam aliam Religionem etiam arctiorem emiserint, ad Congregationem, & Ordinem præfatum, illorumque professionem libere, & licite ingredi, inibi recipi, & admitti valeant.

Et commutandi restitutiones debitas personis incertis.

§. 30. Et quia forsan nonnulli Congregationis, & Ordinis huiusmodi habitum assumentes, diuersis personis, quæ ignorari, & non reperiri possent, in aliquibus rebus seu bonis obnoxij essent, eisdem Rectori, Prioribus, ac eorum Vices gerentibus concedimus, vt ipsorum singuli, in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus, libere, ac licite conuertere possint, prout secundum Deum melius viderint expedire.

Prohibitio trãseundi ad alios Ordines. Tu vid. eandem const. Pij V. n. 89.

§. 31. Cupientes vero Congregationem eandem in suo salubri statu multiplicari, & conseruari, statuimus pariter ac decernimus, quod de cætero perpetuis, futuris temporibus, nullus ex dictis Canonicis, præsentibus, & futuris, transeat de aliquo Congregationis, & Ordinis huiusmodi Monasterio siue loco ad aliquod aliud S. Benedicti, in quo regularis non vigeat obseruantia, seu S. Augustini prædicti, vel alterius cuiuscumque Ordinis, Monasterij, siue Monastici loci, vigore cuiuscumque concessionis, licentiæ seu facultatis, etiam per Apostolicas literas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de voluntate, ac statuto huiusmodi mentionem, quibusvis personis, cuiuscumque gradus, status, & conditionis existant. Nec prætextu alicuius officij, etiam Capellanatus cuiuscumque Prælati, cuiuscumque status, & conditionis fuerint etiã si Patriarchali, vel Cardinalatus præfulgeant dignitate, & honore, sub quacumque expressione in genere, vel in specie concessas, aut forsan in posterum concedendas. Quodque nullus alterius Monasterij, siue loci Prælatus, aut alius quicumque in eo aliquem Canonicorum præsentiũ, & futurorum eorundem, in Monasteria recipiat, vel admittat, sub excommunicationis pœna, quam tam recepti, quam recipiẽtes huiusmodi pro tempore eo ipso incurrant, si admoniti non destiterint, & quam ex nunc contra quemlibet transgressorem proferimus, & à qua à nullo alio, præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui possint, absque Rectoris maioris, & alterius ex duobus Ordinis, & Congregationis huiusmodi Visitatoribus pro tempore existentibus licentia speciali. Decernentes irritum, & inane quicquid contra præmissa per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Communicatio gratiarum concessarum Congr. S. Iustinæ.

§. 32. Cumque acceperimus, & re ipsa didicerimus, Congregationem S. Iustinæ de Padua Ordinis S. Benedicti à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quam pluribus dignissimis priuilegiis, indultis, & gratiis decoratam fuisse, & censeamus Congregationem Lateranensem meritis, & virtutibus suis non minora promereri, maxime vbi quos par labor coniungit, paria quoque priuilegia contingere debent, eidem Congregationi Lateranen. etiam concedimus, vt omnibus priuilegiis, indulgentiis, gratiis, fauoribus, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, seu alias eidem Congregationi S. Iustinę concessis, ipsa quoque Congregatio Lateran. pariformiter potiri, & gaudere possit, & valeat absque vlla prorsus differentia perinde ac si ea dictę Congregationi Lateranen. specialiter, & nominatim concessa fuissent, quorum

tenores

tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus, & non secus ac si præsentibus de verbo ad verbum inserta forent, quæ ad ipsam Congregationem Lateranensem extendi, ac illam pari modo comprehendere volumus ac decernimus.

Licentia prædicandi verbum Dei. Intellige iuxta constitut. 22. Leon. X.

§. 33. Quodque ipsi Canonici officio prædicandi verbum Dei vti possint quemadmodum Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum, per Nos etiam, & dictos Romanos Pontifices concessum fuit.

Dubia in prædictis orienda in fauorem huius Ordinis interpretanda sunt.

§. 34. Vt autem mentes dictorum Canonicorum à dubiis, quæ super præsentibus, aut aliis gratiis huiusmodi, per Nos & prædecessores nostros Imperatores, Reges, Principes, & alios prædictos concessis, & in posterum concedendis, apud præfatos Canonicos quomodolibet oriri possent releuentur, Volumus vt vbi in aliquo redderentur ancipites, seu dubij, secundum bonam æquitatem, in fauorem salutis animarum suarum largissime intelligantur, & interpretentur, non autem secundum iuris rigorem, vel Doctorum opiniones, & sobilitates.

Actus contrary nil derogent.

§. 35. Adiicientes vt si quando contigerit per aliquem seu plures actus contra huiusmodi, vel quæcumque alia decreta, priuilegia, indulta, gratias, & immunitates præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum aliquid, à quocumque, cuiuscumque conditionis, dignitatis, gradus, & status existat, ex negligentia, seu ignorantia præsentium, & futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quavis causa aliter attentari, vel obseruari, scienter vel ignoranter, nullum tamen per hoc præiudicium decretis, indultis, gratiis, & immunitatibus præfatis generetur, sed illa suo vigore, & pleno robore firmata perpetuo permaneant.

Clausula huius bullæ præseruatiua.

§. 36. Postremo cum contingat plerumque ex importunitate petentium, & negotiorum multitudine, ac suppressione veritatis, summos Pontifices fatigatos, & circumuentos, ea concedere quibus alias nullatenus annuerent, auctoritate præsentium statuimus, & ordinamus quod quæcumque literæ Apostolicæ, etiam proprio motu confectæ, aut in futurum conficiendæ, etiamsi in eis clausulæ, priuilegiis, & indultis dictæ Cōgregationi concessis non obstantibus, & de quibus expressa mentio fieri debeat expresse, contineantur quæ obuient, & contrafaciant huic priuilegio præsenti, aut quibuslibet earum particulis, nisi appareat euidētissime, & apertissime, quod summus Pontifex qui pro tempore fuerit, huic indulto, vel alicui ei parti vellet per Apostolicas literas derogare, faciendo specialem mentionem de verbo ad verbum, ex certa scientia de huiusmodi priuilegio, & ipsa Congregatione, diuersis nominibus eam nominando, per hæc præcise vocabula: Congregationem, Vnitatem de obseruantia, alias de Frixonaria, nunc Lateranen. appellatam, causasque legitimas allegauerit, cur his obuiare intendat decretis, nullius sit roboris vel momenti.

Prohibitio contra impedientes.

§. 37. Districtius inhibentes eisdem Ordinariis locorum sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à diuinis, ac regiminis, & administrationis Ecclesiarum suarum, Rectoribus verò Parochialium Ecclesiarum, & quibusvis aliis personis, sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem Parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum bonorum Ecclesiasticorum quæ obtinent; necnon inhabilitationis ad illa, & alia obtinenda in posterum, pœnis, quas scientes contrafacientes eo ipso incurrere, volumus. Ne ordinem, & Congregationem Canonicorum Regularium huiusmodi, ac illius Canonicos, Ecclesias, Monasteria, & loca prædicta, præter ac contra tenorem, ac formam huius præsentis nostri indulti, & aliarum concessionum vt præmittitur, Congregationi prædictorum Canonicorum Regularium, seu Ecclesiis, Monasteriis, membris, & locis suis prædictis factarum quoquo modo inquietare, Nec eos aut testamentorum, & vltimarum voluntatum executores, ac testantium hæredes, seu quoscumque alios directe, vel indirecte, ad solutionem alicuius quartæ Parochialis, seu Canonicæ, vel alterius portionis, siue oneris compellere quoquo pacto, vt præfertur præsumant.

Nemo apud Canonicos inuitos celebret.

§. 38. Statuentes quoque, vt nullus inuitis Canonicis huiusmodi, prorsus audeat in eorum Ecclesiis, seu Monasteriis, aliquod officium mortuorum, vel alia celebrari facere, etiamsi apud eos corpora defunctorum sepeliri contingat.

Confessiones apud Canonicos non impediantur.

§. 39. Mandantes insuper expresse ipsis locorum Ordinariis, ac Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, ne eorum Parochianis, quòd Canonicis dictæ Congregationis non confiteantur, aliquo pacto prohibere, seu persuadere præsumant, & nullatenus denegent ministrare huiusmodi confitentibus eisdem Canonicis, quæcumque Ecclesiastica sacramenta, dummodo aliqua canonica, & rationabilis causa non subsistat.

Facultas conseruatoriis concedendorum.

§. 40. Et nihilominus vniuersis, & singulis personis in dignitate Ecclesiastica vbilibet constitutis, & aliis de iure communi habilibus, & idoneis ad causas audiendas, per hæc Apostolica scripta mandamus, cum aliqui ex eisdem personis pro parte eiusdem Congregationis Lateranen. seu Rectoris generalis, aut aliorum per se vel alium, seu alios præmissa, vbi, & quando opus fuerit publicantes, ac eisdem Congregationi, & Canonicis, illorumque Ecclesiis, Monasteriis, membris, & locis prædictis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Congregationem ipsam, illiusque Canonicos pacifica possessione priuilegiorum, & concessionum huiusmodi libere gaudere; Non permittentes eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos, contra illorum tenores per Ordinarios, & Rectores Parochialium Ecclesiarum prædictos, seu alios quoscumque indebito molestare, aut eis grauamen, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, quinimmo dictæ Congregationi, ac illius Canonicis prædictis, in quibuscumque casibus seu causis, tam Ecclesiasticis, quam profanis, per eos coram dictis personis cuiusvis qualitatis, conditionis, gradus, ordinis, dignitatis, nobilitatis, præeminentiæ, & status fuerint, etiam quacumque mundana, vel Ecclesiastica, aut Patriarchali præfulgeant dignitate, sine expensis, summarie, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, auctoritate Apostolica ministrent iustitiam, denuntientque palam, & publice, omnes & singulos excommunicatos, quos eis constiterit censuras, & alias pœnas incurrisse, ac faciant eos ab omnibus arctius euitari, & vbique pro excommunicatis, suspensis, & interdictis nuntiari, & legitimis desuper factis processibus, illos quoties opus fuerit iteratis vicibus aggrauent, seu aggrauari procurent, contradictores quoslibet per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad præmissa seu aliquid eorum, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 41. Non obstantibus constitutionibus fel. recor. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quibus cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, vt in illis, vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede Apostolica deputati, extra Ciuitates, & Diœceses in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali, necnon quæ incipiunt. Super Cathedram, Bonifacij, & Dudum. Viennen. Concilij, ac Callisti Papæ III. etiam prædecessoris nostri, & quorumcumque aliorum Pontificum similiter prædecessorum nostrorum literis, forsan his nostris contrariis, ac etiam prouincialibus, & Synodalibus Conciliis, edictis, specialibus vel generalibus, Ecclesiarumque & locorum quorumlibet statutis, & consuetudinibus, & inter quoscumque eiusdem Congregationis Lateran. Canonicos, & locorum Ordinarios, seu Rectores prædictos initis, & conclusis, ac hactenus obseruatis, pactis & conuentionibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque quibus omnibus, ac si his de verbo ad verbum insererentur, & derogatoriarum derogatorias clausulas in se contineret, præsentibus pro expresse habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissa specialiter, & expresse derogamus. Aut si Patriarchis, Episcopis, & Rectoribus præfatis, vel quibusvis aliis, communiter vel diuisim à Sede præfata indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut vltra, vel extra loca ad iudicium euocari non possint, per literas Apost. non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbū de indulto

huiusmo

huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali, vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de cuius toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim ex nunc illa, & quæcumque alia, quæ in futurum per Nos, vel Sedem Apostolicam quomodolibet concedi, statui, decerni, vel ordinari contigerit, contra, vt præmittitur, eorundem prædecessorum, & præsentium literarum huiusmodi tenorem: necnon si secus super iis à quoque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irrita, & inania, ac nullius roboris, vel momenti fore, & esse decernimus, etiamsi motu, & scientia prædictis, & super similibus ac fortioribus clausulis emanata existerent, seu in futurum emanare contingeret.

Fides habeatur harum transumptis.

§. 42. Et quia difficile foret præsentes literas, ad singulas prouincias & loca, vbi necesse foret destinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd trāsumptis earum manu Notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, vel alicuius Archiepiscopalis, seu Episcopalis, vel dictæ Congregationis Lateranen. Rectoris generalis sigillo munitis, ea prorsus in iudicio & extra, vbicumque exhibita, & ostensa erunt, fides adhibeatur, ac si ipsæ originales literæ forent exhibitæ, & ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 6. die 23. Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1476. 10. Kal. Septemb. Pont. nostri Anno 6.

XI. Declaratio, & mitigatio const. Honor. III. editæ super Regula Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, circa esum carnium, & ieiunium.

Honorius III. primo huius Ordinis Regulam approbauit, vt sup. in eius const. 8. Vt viuendi. Et circa prædicta mitigauit etiam Eugenius IV. sup. in sua const. 3. Romani & vtrobique plene notaui, omnino videas.

Edita A. D. 1476.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Hon. III. hanc regulam approbauit.

DVm attenta meditatione, &c.

Omittitur narratiua bullæ Honor. III. quia ipsa est in loco cit. in rub.

Eug. IV. eam mitigauit in bulla cit. in rubr.

§. 1. Et ab Eugenio Papa IV. prædecessore præfato, quadam temperie huiusmodi rigorem mitigante, conceditur, statuitur, & ordinatur, &c.

Omittitur quia bulla ipsa est in loco cit. in rubr.

Dubium postea ortum est circa d. mitigationem Eugenij IV. super ieiunio.

§. 2. Cum, vt etiam accepimus, ab aliquibus teneretur in dubium in illis diebus, quibus eis vsus carnium conceditur, ieiunare teneantur: pro eo, quod in concessione prædicta Eugenij, non solum mitigationem abstinentiæ, sed relaxationem ieiunij ab eodem Eugenio prædecessore petitum fuisse, conspicitur.

Pius II. illud declarauit, sed eius bulla hic non est.

§. 3. Et propterea piæ mem. Pius Papa II. prædecessor noster præfatus concessit, vt Prior Generalis dicti Ordinis, qui pro tempore foret, super huiusmodi posset ieiunio dispensare.

Hic modo Pont. dat facultatem Generali dispensandi sup. ieiunio, & vsu carnium.

§. 4. Nos etiam motu, & scientia similibus, literas prædictas Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, & Innoc. IV. Alexandri IV. Nicolai IV. Eugenij, & Pij innouamus, & confirmamus, & approbamus, & perpetuæ firmitatis esse volumus, & mandamus, concedentes quòd tu dilecte fili Generalis, & qui pro tempore erunt tui in dicto officio successores, personarum, locorum, & temporum qualitate pensata, cum vtriusque sexus dicti Ordinis professoribus, iuxta tuæ conscientiæ arbitrium, super præmissis, tam ieiunio, quam carnium esu dispensare valeas, atque tres dies, plures vel pauciores, ad ieiunium faciendum nominare, & remittere, vt possis, libere indulgemus.

Datque licentiā Fratribus eligendi confessorem qui absoluat, &c.

§. 5. Ac illis ex eis, qui iuxta huiusmodi regularia instituta, dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, & eiusdem Eugenij mitigationem antedictam, nostramque declarationē huiusmodi, vt confessor idoneus, quem quilibet eorum vtriusque sexus, de suorum Superiorum consensu duxerit eligendum, eorum confessione diligenter audita, semel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium suorum peccatorum remissionem, & indulgentiam impendere valeat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium gratiose concedimus, &c.

Ad hoc vide constit. 115. Clem. VIII. Quæcumque.

Dat. P. An. 6. die 28. Nou.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ, 1476. 4. Kal. Decembr. Pont. nostri Anno 6.

XII. Quod omnes Magistri vel Præceptores quorūcumque locorū sub vocabulo S. Spiritus, sint totaliter subiecti magno Magistro, seu Generali Præceptori Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe: & absque eius licētia eleemosynas quærere non possint. Et ad ipsum solum spectet collatio locorum Ordinis S. Spiritus.

Institutionem autem huius Hospitalis, & alia ipsum concernētia vide sup. in const. 7. Innoc. III. Inter.

Edita A. D. 1476.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ETsi vniuersis Xenodochiis, Hospitalibus, & piis aliis locis vbilibet constitutis, in quibus misericordiæ opera, & alia charitatis officia exercētur, paterna nos deceat pietate prospicere, & pro ipsorum statu prospero, vtque in huiusmodi meritoriis actibus continuo exercendis persistere, proque pauperum & miserabiliū personarum susceptione, subsidio & hospitalitate seruanda, eorumque membra, bona & iura non modo à cunctis sinistris euentibus præseruare illæsa, verum potius adaugere debeamus: erga nostrum tamen in Saxia Almæ Vrbis Hospitale, quod nuper à fundamentis ereximus, instaurauimus & sumptuoso opere ampliauimus, eo magis intendentes, eiusque indigentiis prouidere, vt qui in eo infantes expositi, languentes & infirmi, alij quoque pauperes & egeni benigne recipi mittere & charitatiue tractari valeant, profecto nos cōuenit, quo nostris Hospitale prędictum pareat aspectibus, & vniuersorum ad illud confluētium pauperum auxilium atque refugium est, & præter Rom. Pont. Superiorem alium neminem recognoscere.

Quidam Fratres faciebant se Præceptores generales in locis ab isto Hospitali dependentibus.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus displicenter, nonnulli in ipsius Hospitalis Fratres, etiā præceptorias, hospitalia, membra & loca pia ab ipso Hospitali in Saxia dependentia, obtinentes, ambitione, & cupiditate cæca inducti, & suis terminis non contenti, temeritate propria se generales Præceptores dicti Ordinis, præcipue in partibus Vltramontanis nominare, ac in nonnullis præceptoriis, hospitalibus, membris, & locis, ab ipso Hospitali in Saxia dependentibus, eorumque personis iurisdictionem ordinariam, siue per modum submissionis, fundationis, vnionis, annexionis, incorporationis, vel applicationis, commendæ, vel vicariam perpetui, eis vt dicitur factarum, siue aliis exquisitis mediis potestatem & superioritatem habere, sibique indebite vendicare videantur.

Alij autem, ipsa loca, & eleemosynas, sibimet appropriabant.

§. 2. Plerique verò alij à quorum oculis Dei timor abscessit, non attendentes fructus, redditus & prouentus dicti Hospitalis in Saxia, necnon oblationes, eleemosynas, atq; alia charitatiua subsidia, quæ pia largitione fidelium Christi, ipsi Hospitali in Saxia legantur, seu largiuntur, aut relinquuntur, in vsus & sustentationem expositorum, infirmorum & pauperum prædictorum ex cunctis partibus Mundi ad illud confluentium conuertantur, Prioratus, præceptorias, membra, hospitalia & loca ab ipso Hospitali in Saxia occupare, inuadere, tenere & detinere; oblationes quoque eleemosynas & alia pauperum subsidia, etiam ipsius nostri Hospitalis nomine quęstuando & mendicando vsurpare, & in suos vsus conuertere, cum suarum periculo animarum & pauperum eorundem detrimento maximo, non formidant.

His ideo Pontifex omnia dicta loca reuniata sub

§. 3. Nos quorum interest Hospitalis expositorum infantium, languentium, & pauperum prædictorum indēnitatibus prouidere, aduersus ambitiosos præsumptores,

vocabulo S. Spiritus, ab illo Hospitali dependere declarat.

res, occupatores, inuasores, detentores, & vsurpatores prædictos, illo volentes vti opportuno remedio, per quod eorum compescatur temeritas, & alias de cætero perpetrandi similia aditus præcludatur: Motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra deliberatione & voluntate, omnia & singula alia hospitalia, præceptorias, membra & pia loca dicti Ordinis, sub vocabulo S. Spiritus intitulata, ab ipso nostro Hospitali in Saxia depédere, nulliq; alij Monasterio, præceptoriæ, Hospitali siue alij pio loco, præterquam dicto Hospitali in Saxia, etiamsi longæua consuetudo aut submissio aliqua repugnaret, pleno iure subesse, auctoritate Apostolica tenore præsentium, & certa nostra scientia decernimus pariter, & declaramus.

Eaque solummodo Fratribus Ordinis S. Spiritus, & per Magistrũ generalẽ huius Hosp. conferri posse decernit.

§.4. Statuentes, ac etiam decernentes quod ipsius Ordinis hospitalia, præceptoria, membra, & loca, nulli cuiuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis fuerit, præterquam ipsius nostri Hospitalis Fratribus & Ordinẽ ipsũ expresse professis, eis tamen pro solo nutu dicti Præceptoris existentis, & pro tempore ad claustrum quoties expedierit reuocandis, in titulum vel commendam conferri valeant, siue possint.

Nemo alius se Mag. generalem appellet, & soli huius Hosp. Magistro generali obediant.

§.5. Nullusque ipsius nostri Hospitalis Frater, etiam administrationem vel officium seu beneficium obtinens, se generalem Præceptorẽ, citra vel vltra Montes nominare, neque aliquam iurisdictionem, aut superioritatem in præceptores, hospitalarios, Priores, seu administratores alios dicti Ordinis, seu ipsorum loca & bona vendicare quoquo modo præsumant. Quinimo omnes & singuli dicti Ordinis præceptores, hospitalarij & religiosi, quos eidem Præceptori nostri Hospitalis in Saxia pleno iure subesse volumus, & tanquam suo Superiori obedientiam & reuerentiam congruam exhibere, ac salua huius Sedis auctoritate, in omnibus sicuti vnico eorum Præceptori obtemperare teneantur, & debeant.

Contrauenientes excommunicati sunt.

§.6. Alioquin si in præmissis vel eorum aliquo reddiderint se rebelles, aut aliquid in contrarium temere attentare præsumpserint, & moniti non resipuerint, vt teneantur, sententiam excommunicationis incurrant, atque suis præceptoriis & beneficiis quę obtinuerint, priuati existãt.

Et etiã quæstuantes absque licentia Mag. generalis.

§.7. Quas quidem censuras & pœnas, omnes & singuli qui oblationes & alia pia subsidia ipsi Hospitali nostro in Saxia, siue expositis languentibus, & egenis in eo pro tempore degentibus quæstuando, siue alias quovis modo absque ipsius generalis Præceptoris expressa licentia petere, exigere, vsurpare, aut in eis committere fraudem præsumpserit, incurrere volumus ipso facto.

Qui etiam eorum beneficia vti vacãtia alijs conferre possit.

§.8. Possitq; Præceptor, constito sibi de præmissis per eos taliter perpetratis, absque monitione alia, ipsos & eorum singulos delinquentes censuras & pœnas prædictas incurrisse declarare, & ipsorum beneficia tãquam vacantia personis idoneis præsentium auctoritate conferre.

Forma eleemosynas de cætero colligendi. Tu vide const. Pij IV. Cum Magistrum, num. 84.

§.9. Vt autem oblationes, eleemosynæ, & subuentiones prædictæ, ac omnia & singula ipsi nostro Hospitali per fideles ipsos legata, aut donationes causa mortis, vel inter viuos donata, vel quovis modo relicta, & quæ pro tempore donabuntur, & relinquentur, ad commodum, & profectum Hospitalis & pauperum fideliter & absque diminutione perueniant, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis & aliis locorum Ordinariis, eorũ Vicariis & Officialibus, in virtute sanctæ obedientiæ, harum serie committimus & mandamus, quatenus pro conseruatione oblationum, eleemosynarum, subsidiorum, legatorum, relictorum, & donatorũ bonorum ad ipsum Hospitale nostrum spectantium tam in suis ciuitatibus, quam suarum Diœcesibus, locis insignibus, duos idoneos viros vitæ laudabilis, & conuersationis honestæ fidei, & facultatibus præditos, ad colligendum & conseruandum singulis annis nomine Hospitalis nostri, eiusdem oblationes & prædicta ordinate, & deputare procurent: qui ea neque quæstoribus vel aliis quibuslibet personis, nisi specialibus nuntiis generalis Præceptoris eiusdem patentibus literis ipsius munitis sigillo, tradere & assignare teneantur. Qui quidem Collectores, etiam singulis annis de receptis, & administratis per eos, coram Ordinariis Vicariis, vel Officialibus atque nuntiis supradictis teneantur reddere rationem, quam sub sigillo Ordinariorum seu Officialium prædictorum signatam, iidem nuntij Præceptori generali prædicto quantocius destinare teneantur.

Obstantia tollit.

§.10. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, etiam Pontificalis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint per Nos vel Sedem Apostolicam, sub quacumque forma vel expressione verborum; & cum quibusvis efficacissimis vegentissimis & derogatoriis clausulis, irritantibusq; decretis, etiam motu, sciẽtia, & auctoritate similibus hactenus forsan concessis, constitutionibus quoque ordinationibus Apostolicis, necnõ statutis & consuetudinibus Ecclesiarum, & Monasteriorum, vel aliorum locorum quibus concessæ sunt, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quibus, eorum tenores pro expressis habentes, quoad præmissa derogari volumus & derogamus expresse, ipsis alias in suo robore duraturis. Cęterisq; contrariis quibuscũq; Nulli ergo, &c.

Dat. R. An. & die 17. Iãuii.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarn. Dominicæ, 1476. decimo Kal. Febr. Pont. nostri Anno sexto.

De celebratione Capituli generalis, & Capitulorum Prouincialium Congregationis Eremitarum B. Petri de Pisis, ac electione eius Prælatorum. XIIII

Alia de his Eremitis dicta sunt supra in constit. 12. Eug. IV. Prouenit.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. Dñi 1476.*

Exordium.

Sedes Apostolica æqua semper in omnibus distributrix, ea quæ pro diuini cultus augmẽto, ac deuotarum personarum, maxime quæ mundanis abiectis illecebris in contemplationis suauitate sub humilitatis spiritu deuotum ac sedulum exhibentes Altissimo famulatum, commodo & vtilitate processerunt, vt semotis ambiguitatibus, ac conscientiæ scrupulis firma persistant, libenter cum ab ea petitur prouisionis suæ adminiculo roborat, extendit, & declarat, prout ipsarum personarum statui ac quieti conspicit salubriter expedire.

Hic Pontif. facultatẽ eligendi confessorem, & alia eorum priuilegia approbauit. Tu ad hæc vide quæ mox notabo.

§.1. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum vniuersorum Eremitarũ Societatis quondam Fratris Petri de Pisis nobis exposito, quod olim ipsius Societatis Eremitis tam in communi, quam in particulari pro tempore existentibus, Apostolica extiterat auctoritate successiue concessum, vt confessor idoneus sæcularis, aut eiusdem Societatis, vel cuiusvis Ordinis regularis, quem quilibet ipsorum pro se duceret eligendum, eorum confessionibus diligenter auditis, eos ab omnibus & singulis excessibus, criminibus, reatibus, & delictis, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis quavis occasione vel causa, in genere vel in specie latis, etiamsi talia forent, per quæ Sedes præfata esset merito consulenda, semel in vita, & mortis articulo, in aliis verò casibus toties quoties opus foret absoluere, & pœnitentiam salutarem iniungere, ac alia facere posset: Nos tunc ipsorum Eremitarum in ea parte supplicationibus inclinati, circa dictam electionem confessoris huiusmodi, ac quæcumque quotcumque, & qualiacumque alia, concessiones, gratias, indulgentias, facultates, priuilegia, & indulta dictæ societatis illiusque Eremitis, in genere vel in particulari, quomodolibet & qualitercumque per prędecessores nostros Romanos Pontifices, seu eorum aut alterius ipsorum auctoritate (quorum omnium & singulorum tenores haberi volumus pro expressis) vel pro Romanis Pontificibus se gerentes & habitos, ac alios auctoritatem habentes concessa, auctoritate Apostolica approbauimus, ac scripti nostri patrocinio communimus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan ex defectu potestatis, seu alias quovis modo interuenissent in eisdem.

Qui confessores

§.2. Et nihilominus tunc & pro tempore existentibus dictæ

[..]um commu- tare possis. *Tu attende constit. 115. Clem. VIII. Quacumque.*

dictæ societatis Eremitis, vt confessor per eos & quemlibet eorum, vt præfertur eligendus, vota quæcumque etiam peregrinationis vltramarinæ, & visitationis liminum beatorum Petri & Pauli, ac sancti Iacobi in Compostella Apostolorum, & alia siqua emiserunt, auctoritate Apostolica prout animarum suarum saluti videret expedire, in alia pietatis opera commutare valeret.

Priorq; generalis cum eorum fratribus possit dispensare vt ine. Tu attende d. Constit. Clem. viii. n. 115.

§. 3. Et quod generalis Prior dictæ Societatis pro tempore existens, cum eisdem Eremitis, per saltum, aut ante ætatem legitimam, seu extra tempora à iure permissa, ad quoscumque etiam sacros & presbyteratus ordines promotis, ac ex quavis alia causa (præterquã super bigamiæ, & homicidij voluntarij, aut mutilationis membri) irregularitatibus, vt præmissis non obstãtibus, ad omnes etiã sacros & presbyteratus ordines promoueri, & in illis, ac per eos etiam, vt præfertur, male susceptis, aut omissis ordinibus, vt illos à quocumque mallent Catholico Antistite gratiam & communionem prædictæ Sedis habente suscipere, & in altaris ministerio ministrare libere & licite possent, licentiam dare, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam siue notam, quomodocumque & qualitercumque per eos & quemlibet eorum contractam abolere.

Et ipsi fratres etiam extra tẽpora sacros ordines suscipere valeant. Ad quod vide quod dixi in const. Eug. IV. iii. in rubr. Dubitabatur tamen de validitate d. cõcessionis.

§. 4. Ipsique Eremitæ de eiusdem Prioris licentia à quo mallent Catholico Antistite gratiam & communionem eiusdem Sedis habente, se etiam ad omnes sacros ordines facere, & extra tempora à iure statuta promoueri, ipseque Antistes illos eisdem Eremitis impendere libere & licite valeret, prædicta auctoritate indulsimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

§. 5. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictæ Societatis petitio continebat, à nonnullis asseratur literas nostras prædictas, ac in eis contenta, iuribus non subsistere, vel de subreptione notari, eo quod in priorib. concessionibus quoad confessionem auditionem & impendendam absolutionem casus generaliter solum, & nulli specialiter, vt in ipsis nostris literis habetur, expressi fuerunt.

Eug. IV. Capitul. generale quotãnis fieri iussit.

§. 6. Et sicut eadem petitio subiungebat, licet quod per felicis recordationis Eugenium Papam Quartum prædecessorem nostrum Societati prædictæ concessum extitisset, quod Capitulum Generale eorum annuatim celebrare possent.

Nic. verò V. quolibet triẽnio cogi decreuit.

§. 7. Tamen piæ mem. Nicolaus Papa quintus etiam prædecessor noster ad ipsius Societatis supplicationem, & instantiam, inter alia statuit & ordinauit, quod ipsi, non obstante concessione præfati Eugenij prædecessoris, Capitulum Generale de triennio in triennium celebrarent, & eligerent generalem Rectorem, in cuius manibus Prior generalis, Rector, & alij Patres renuntiarent, & de corpore Societatis quatuor socij eligerentur, qui durante Capitulo in discussione, & examinatione causarum dicti Capituli adhærerent ipsi Generali.

Constitutiones Societatis, quædam alia statuebant.

§. 8. Sed quia ex constitutionibus dictæ Societatis eligitur primus in Capitulo generali ex ipsa Societate, vnus & generalis Vicarius Capituli, in cuius manibus generalis Rector & omnes Patres renuntiant, ac fratres capitulariter congregati eligunt quatuor socios, qui in discussione & examinatione causarum dicti Capituli adhæreant ipsi Vicario generali, & postquam occurrentia & facta Capituli diligenter examinata & discussa sunt per ipsos Vicarium & socios electos, eliguntur per eos dictæ Societatis Priores, & exinde per totum Capitulum Rector generalis, & Vicarij eius.

Societas ergo in prædictis Papam prouisionem expostulat. Qui prædicta omnia approbat.

§. 9. Pro parte dictæ Societatis nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis omnibus & singulis sibi ac statui suo opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati, Eugenij, & Nicolai prædictorum, ac aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum ipsi Congregationi & societati sub quibusvis verborum formis concessas literas, ac omnia & singula in eis contenta, quas & earum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur pro sufficienter expressis haberi volumus, auctoritate Apostolica tenore præsentium ex nostra certa scientia confirmamus & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus.

Suasque bullas validas.

§. 10. Nostras verò literas prædictas, ac omnia, & singula in eis contenta valere, & plenam roboris firmitatem obtinere decernimus perinde ac si casus prædicti in dictorum prædecessorum, vt in nostris literis specificati extitissent, supplentes huiusmodi ac omnes & singulos alios defectus si qui interuenerint in eisdem.

Facultatem eligendi confessorem iterato concedit. Tu attende constit. 115. Quacumque.

§. 11. Et nihilominus pro maiori serenitate conscientiæ cuiuslibet Eremitarum præfatæ Societatis, ipsis omnibus & singulis præsentibus & futuris, vt idoneus Presbyter sæcularis, vel eiusdem Societatis seu cuiusvis Ordinis regularis, quem ipsi aut quilibet eorum duxerint eligendum, eos & quemlibet eorum ab omnibus & singulis excessibus, delictis, criminibus, & peccatis, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis quavis occasione vel causa generaliter vel specialiter latis, etiam ab omni labe simoniæ, ac singulis præfatæ Sedi reseruatis, semel in vita, & etiam in mortis articulo plenarie, in aliis vero non reseruatis toties quoties opportunum fuerit, absoluere & pœnitentiam salutarem eis iniungere possit & valeat.

Capitulaque prouincialia annuatim, & generalia triennio cogi iubet.

§. 12. Et insuper vt ipsa Congregatio ac Societas sanctius ac quietius regatur, & gubernetur, quod prouincialia annuatim, generalia verò Capitula de triennio in triennium celebrare.

Quæ in generali Capitulo agenda sunt, præscribit.

§. 13. Necnon vt generalis Capituli causæ, illisque & Congregationi suæ pro tempore occurrentes cautius & diligentius examinentur & discutiantur, ipsi in generali Capitulo congregati primitus & ante omnia eligere valeant vnum ex dicta Congregatione in generalem Vicarium ipsius generalis Capituli, in cuius manibus dictæ Congregationis generalis Rector, & omnes locorum illorum præsentium & futurorum Rectores, Priores, & Vicarij, eorum superioritatem & officia specialiter & expresse singulariter renuntiare teneantur & debeant, & deinde sex alios ex ipsa Congregatione & corpore Capituli, qui sex vel sanior pars illorum, cum generali Vicario Capituli, omnia sibi, & præfatæ Congregationi occurrentia, ac Capituli facta diligenter examinare, discutere, ordinare, & determinare, ac Rectores, & Priores eligere, & creare. Ipsique sic electi & creati cum toto Capitulo vel maiori parte ipsius Generalem totius Congregationis, & triennalem Rectorem, ac ipsius generalis Rectoris duos aut plures, prout videbitur expedire, Vicarios eligere, & deputare, ac alias in præmissis & circa ea, prout per eos hactenus obseruatum extitit, ac in dictæ Societatis constitutionibus desuper factis plenius continetur absoluere, ordinare, & facere libere ac licite possint & valeant, auctoritate prædicta de specialis dono gratiæ concedimus & indulgemus per præsentes.

Contraria tollit.

§. 14. Non obstantibus Eugenij, Nicolai, ac aliorum Romanorum Pontificum prædictorũ literis, ac aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, quibus (in quantum præsentibus, & in eis contentis contrariarentur) expresse derogamus, illis tamen alias in suo robore permansuris.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. A. 6. die 1. Feb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1476. Kal. Februarij, Pont. nostri Anno sexto.

XIV.

Reformatio Confraternitatis piorum virorum in Archiepiscopale S. Spiritus in Saxia de Vrbe, cum indulgentiarum aliarumque gratiarum elargitione.

Confirmauit hac In. VIII. die 21. Mar. 1486. & Leo X. die 9 Mar. 1514 sed eorum bullas vti minus necessarias prætermisi.

Alia verò de hoc Hospitali, eiusque institutione scripsi sup. apud const. 7. Innoc. III. Inter.

Edita A. D. 1478.

SIXTVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ILlius qui pro Dominici salutatione gregis in ara Crucis in pretium immolati non erubuit, quinque post eius mortem & à mortuis resurrectionẽ, præordinatis testibus sæpe

sæpe apparens, tandem ascensurus ad Patrem suos nolens discipulos relinquere orphanos, Spiritus sancti paracliti consolatione visitauit, & eos hospitales ad inuicem fore debere, charitatisque dona, quæ omnes alias virtutes superat, exercere præcipit, vices quanquam immeriti in terris gerentes, quamuis ex debito Pastoralis officij mens nostra rerum pro tempore ingruentium occasione ad multiplices cogitatus se diuertat, tamen incessanter curis flectimur assiduis circa quæcumque pia loca, maxime in honorem eiusdem sancti Spiritus constructa, Nobis præsertim, ac Romanæ Ecclesiæ peculiaria, vtpote ex eiusdem Ecclesiæ ære olim constructa, prouentibusque dotata, & in quibus continuo hospitalitatis cura, & miserationum opera exercētur, vt illa ad salubriorem statum, & maiorem hospitalitatis huiusmodi obseruantiam, eiusdemque charitatis, & aliarum vniuersarum virtutum, ac misericordiæ donorum inibi perfectius exercitium inducamus, vtque ad præmissa cunctorum Christi fideliū vota concurrant ad pia implenda opera, fideles ipsos per confraternitatis spiritualis tanquam mēbra suo capiti adhærentia nexum quibusdā spiritualibus & allectiuis muneribus prosequimur, vt exinde gratiæ diuinæ reddantur aptiores. Et vt charitatis & hospitalitatis deuotio eiusdē paracliti inspiratione cordibus ipsorum fidelium imprimēda per amplius in dies eis augeatur, & his quę hactenus per prædecessores nostros Rom. Pont. eisdem pijs locis præmissorum respectu Apostolica munificentia concessa fore noscuntur, vt exinde maioris firmitatis robur suscipiant, ex nostri Apostolatus officio, quoties opportunitas se offert, fauorabiliter adijcimus nostri ministerij partes.

Innoc. iij. fundauit in Vrbe Hospitale S. Spiritus in Saxia, & ipse ac alij Pont. multas ei gratias concesserunt.

§. 1. Attente igitur considerantes, quod Hospitale nostrum Sancti Spiritus in Saxia Almæ Vrbis, quod fel. rec. Innoc. Papa III. prædecessor noster diuinitus, vt pie creditur, inspiratus, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, pro animarum, & corporum euitandis periculis, & expositorum infantium, ac pauperum miserabiliumque & infirmorum subsidio, & subuentione fundauit, cuique, & illius membris locis, & Ecclesijs, tam ipse Innocētius, quam Honorius etiam III. Alex. IV. Cœlestinus V. Bonifacius VIII. Clemens V. Ioannes XXII. Benedictus XII. Vrbanus V. Gregorius XI. Alexander V. Eugenius IV. Nicolaus V. Callistus III. Pius II. & Paulus etiam II. Romani Pont. prædecessores nostri, diuersa priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, aliasque spirituales, & temporales gratias successiue concesserūt, illis dictum Hospitale multipliciter decorantes, dudum eorundem Pontificum, & aliorum Christi fidelium largitione adeo abundasse, quod hospitalitatis onera, & alia charitatis, & pietatis opera, in eo poterant continuo exerceri.

Hic autē Pōt. illud à fundamentis reædificauit.

§. 2. Et postmodum (prout notorietas facti, & rerum experientia indicabat omnibus intuenti) causantibus guerrarum turbinibus, & alijs sinistris euentibus ad magnam diminutionem tam in spiritualibus, quam illius prouentibus temporalibus deuenisse, & oculo perspicaci intuentes illius structuras, & ędificia modernis temporibus ac pauperum infirmorum, expositorum, & aliarum miserabilium personarum ad illud confluentium receptionem, angusta, depressa, & minus accommoda fore, ita vt eis exitij potius quam recuperandæ sanitatis, & salutis causa existerent, & propter eorum vetustatem ad casum tenderent miserabilemque ruinam, ac pia eiusdem Redēptoris verba, in quibus se in pauperes recipi non insinuat, intra pectoris nostri arcana reuoluentes, eiusdem Hospitalis structurarum, vetustate sublata illud à fundamētis de nouo, opere condecenti construi, & ædificari fecimus, vt tam pro infirmorum, & aliarum miserabilium indigentium, quam eis obsequentium personarum, & seruitorum commodo, longe lateque ampliauimus, claustraque & habitationes ac alia cum suis officinis ædificia eminentiora, ac vtiliora, etiam pro mulieribus, & infantibus expositis huiusmodi sub clausura collocandis, & pro nobilibus ac honestis personis infirmis protendere, & annuente Domino continuo ampliare, & conseruare non cessamus, ac pro ipsius Hospitalis supportandis oneribus, eiusdem Hospitalis Prouentus auximus, & in dies augere curabimus.

Eug. IV. ibidē

§. 3. Et quoniam inter eosdem prædecessores nostros Eugenius præfatus, inter cætera quandam Confraternitatem proborum virorum à prædecessoribus suis hactenus institutam, tunc tamē intermissam, sperans eam multis modis eidem Hospitali fructum afferre, cum omnibus ei concessis priuilegijs, fauoribus, & indulgentijs per suas certi tenoris literas innouauit.

[illegible] quondam Confraternitatem [illegible] proborum virorum.

Pont. iste omnia indulta Hospitali [illegible] firmat.

§. 4. Nos prædictorum, & aliorum Rom. Pont. singulatum literarum ipsi Hospitali sub quibusvis verborum formis concessorū tenores series, & effectus, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro sufficienter expressis habere volentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiā, sed ex nostra certa scientia, & spontanea voluntate, illas, ac omnia, & singula in eis contenta priuilegia immunitates, exemptiones, libertates, gratias, indulgentias, remissiones, facultates, concessiones, & indulta, ab eisdem prædecessoribus Hospitali huiusmodi, illiusque Ecclesijs, & membris per eosdem prædecessores concessa, præsentibus tamen non contraria, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, præsentisque scripti patrocinio communimus, illaque, & illa perpetuo viribus subsistere decernimus.

Confraternitatem [illegible] honore erigit.

§. 5. Necnon ad honorem, & decus totius Curiæ cœlestis, vnam nouam sanctamque Confraternitatem in dicto Hospitali, pro illius, ac bonorum, & iurium eiusdem cōsecutione, defensione, & protectione perpetua, ac sub modis, & formis ac conclusionibus infrascriptis, motu, scientia, & auctoritate similibus etiam de fratrum nostrorum consensu vnanimi, erigimus, facimus, creamus, & perpetuo ordinamus.

Et ipse [illegible] cum Cardinalibus eam ingreditur.

§. 6. Et vt dicta sancta Confraternitas per nos in præsentiarum sic instituta, plenum, & optatum sortiatur effectum, Nos illam, & singuli ex prædictis fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus ex nūc ingredimur, atque manu propria Nos, & ipsorum singuli in quodam libro eiusdem sanctæ Confraternitatis, huiusmodi ad effectum, singula nomina iam descripsimus.

Aliique honesti viri [illegible] ingredi possint, etiam per procuratorem si sint absentes.

§. 7. Ac motu, auctoritate, & scientia prædictis, hac irrefragabili constitutione perpetuo valitura statuimus, & ordinamus, quod singulorum vtriusque sexus fidelium, honestæ tamen conuersationis, & famæ, hanc Confraternitatem nunc, & pro tempore intrare volentium in Vrbe præsentium pro tempore dumtaxat, nomina, & cognomina, ac qualitates in dicto libro, & præfato Hospitali dumtaxat, & non alibi describantur, & pro illorum ingressu ac descriptione, ad solutionem alicuius quantitatis pecuniæ aut rerum aliarum, nisi quantum sua sponte elargiri voluerint, aut cuiusque deuotio dictauerit, minime teneantur. Charissimus autem in Christo Filius noster Fridericus Modernus, & pro tempore existens Rom. Imperator semper Augustus, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones, Dominique terrarum, ac illorum viuentium, & defunctorum vxores, necnon Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Monasteriorum Abbates, Militiarū Ecclesiasticarum magistri, & maiores post Pōtificales in metropolitanis vel in alijs Cathedralibus, ac principales in Collegiatis Ecclesijs Dignitates, necnon Conuentuales Prioratus, Præposituras, Præpositatus, & generales Præceptorias obtinentes, etiam ab eadem Vrbe absentes, si id per procuratorem habentē ad hoc speciale mandatum (quod in publicam formam exhibere, & præceptori dicti Hospitalis dimittere teneantur) id petierint, in confratres dictæ confraternitatis recipi, & illorum ac illarum nomina, & cognomina ac qualitates, ac si præsentes forent, in dicto libro describi, & annotari possint in Vrbe præfata dumtaxat, ac si præsentes forent in illa.

Confessorem quē eligere valeant. Hoc limitat Clem. VIII in sua const. inc. Quæcumque.

§. 8. Item quod singuli ex Confraternitatibus sic in eodem sanctæ Confraternitatis libro pro tempore descripti sæcularem vel regularem presbyterū, in suum possint eligere confessorem, qui eligentium confessione diligenter audita, eis semel vita comite, ab omnibus, & singulis criminibus, & peccatis, necnō excommunicationis, & quibusvis alijs sententijs, & censuris Ecclesiasticis, etiā occasione simoniæ super ordinibus vel beneficijs assequendis vbicūque contractæ, & alijs casibus specialiter vel generaliter Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ quovis modo reseruatis, & propter quæ ipsa Sedes merito

 esset

esset consulenda, (præterquam hæresis, rebellionis, aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, seu Sedis Apostolicæ, & offensæ personalis in S. R. E. Cardinalem, Patriarcham, Archiepiscopum, & Episcopum, ac Presbytericidij) & etiam in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum suorum, etiam exceptorum huiusmodi, remissionem impendere possit. Ita quod si tunc non obierint, quoties in tali articulo constituti fuerint, illam reiterare possit idem vel alius confessor sic electus. In aliis verò casibus, toties quoties opportunum fuerit, confessione audita, eos absoluere valeat & pœnitentiam eis iniungere salutarem.

Qui confessores absoluāt, &c. Tu vide d. cons. Clem. VIII.

§. 9. Quodque idem confessor sic electus in Vrbe dumtaxat; cum eisdem confratribus eum in confessorem eligentibus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis, & præeminentiæ fuerint, clericali militiæ adscriptis; etiam religiosis, quæcumque beneficia Ecclesiastica etiam obtinentibus, qui præmissis sententiis ligati, Missas, & alia diuina officia celebrando, aut aliàs illis se immiscendo, seu aliàs in casibus in iure expressis, vel non expressis irregularitatem contraxerint (bigamia, & homicidio voluntario dumtaxat exceptis) vt ad omnes superiores, etiam sacros ordines promoueri, & in aliis ac per eos susceptis ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio ministrare, ac dignitates, & beneficia Ecclesiastica quæcumque recipere, & retinere. Necnon Monasteriis, & Ecclesiis Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus præfici, & præesse libere, & licite possint dispensare, ac eis de his quæ tunc detinerent dignitatibus, & beneficiis huiusmodi prouidere, & quibus minus canonice præessent Ecclesiis, & Monasteriis huiusmodi eos præficere in foro conscientiæ dumtaxat, Apostolica valeat auctoritate prædicta.

Confratrum sepultura etiam tempore interdicti permittitur.

§. 10. Adiicientes insuper statuto, & ordinationi prædictis, quod corpora singulorum confratrum prædictorum tam Ecclesiasticorum, quam laicorum vtriusque sexus in dicto libro descriptorum, quos tempore Ecclesiastici interdicti quouis modo, etiam à Sede Apostolica impositi decedere contigerit, dummodo causam non dederint interdicto, Ecclesiasticæ sepulturæ tradi debeant, absque tamen funeris pompa, sicut solitum est fieri de corporibus clericorum interdictum seruandi.

Decedentes in Hospitali ibi que seruientes gaudent gratiis Confratrum.

§. 11. Decedentes autem pro tempore in Hospitali prædicto, & eiusdem Hospitalis, ac pauperum exposito rum eorundem obsequiis pro tempore insistentes vtriusque sexus, quamdiu perseuerauerint in obsequiis huiusmodi dumtaxat eisdem quibus Confratres in dicto libro descripti, quoad omnia in præsentibus contenta, priuilegiis, facultatibus, & gratiis potiantur, & gaudeant.

Indulgentia pro subuenientibus Hospit. Reuocauit Pius V. in cōst. 97.

§. 12. Porro ad communicandam latius operis tam pij salutem, omnibus, & singulis vtriusque sexus aliis Christi fidelibus, qui ad dictum hospitale pro illius prædictis oneribus supportandis, de eorum bonis, prout eorum dictauerit deuotio fideliter transmiserint, vel in suis testamentis, & vltimis voluntatibus ad hoc legauerint: Motu, scientia, & auctoritate prædictis concedimus, vt in mortis articulo constituti, confessorem idoneum eligere possint, qui eorum confessionibus diligenter auditis, omnium peccatorum suorum plenariam eis remissionem elargiri possit. Prouideat autem Præceptor dicti Hospitalis, nunc & pro tempore existens, quod eleemosynæ, & mittentium nomina, & legata, in libro ad hoc deputato describantur, sub excommunicationis pœna, eo ipso si id malitiose facere neglexerint incurrenda.

Notarij notificent dispositiones factas ad fauorem Hospitalis, &c.

§. 13. Districte præcipientes Notariis qui rogati fuerint de testamentis, vel aliis vltimis voluntatibus, in quibus aliquid disponi contigerit in posterum in fauorem, & commodum dicti Hospitalis, vt sub excommunicationis pœna, huiusmodi dispositionem quantocius commode poterunt, Præceptori dicti Hospitalis, seu alteri per quem id possit ad dicti Præceptoris notitiam peruenire, intimare procurent.

Ipsi & confessores suadeant infirmis subuentionē Hospit.

§. 14. Ipsi quoque Notarij, & Confessores eorundem decedentium, in suorum remissionem peccatorum, eisdem testantibus, & confitentibus commemorare non omittant, vt ad tam pia opera quæ in dicto Hospitali exercentur, manus porrigant adiutrices, quemadmodum Nos, quoscumque Christi fideles, & præsertim confratres eiusdem confratriæ, qui pro tempore fuerint, per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi ad id hortamur.

Impediti visitare Ecclesiarum stationes Vrbis indulgentias consequantur subueniendo Hospit. Reuocauit Pius V. vt mox dixi.

§. 15. Et vt fideles ipsi vberioris gratiæ dono sentiant se refectos, harum serie decernimus, vt omnes vtriusque sexus in Vrbe commorantes, qui legitima causa ætatis, valetudinis, vel similibus impediti, ipsius Vrbis stationes, vel quascumque indulgentias commode visitare, vel Pontificalibus benedictionibus interesse pro tempore non potuerunt, illam eleemosynam Hospitali præfato conferendo, quam in præfatis stationibus ex propria pietate si eas visitassent personaliter contulissent, omnes Indulgentias præfatas stationum Vrbis, & Pontificalium benedictionum, tam plenarias, quam ad certum annorum numerum constitutas, de omnipotentis Dei gratia, & dono consequantur in forma Ecclesiæ consueta.

Confratres faciant processionem annuam singulis in festo Pentecostes & indulg. consequantur.

§. 16. Rursus vt in principio huiusmodi confraternitatis, & successiue etiam futuris temporibus ad illam maior deuotio accrescat fidelium, & de ea memoriale sit in æuum, omnibus dictæ confratriæ Confratribus præsentibus in Rom. Cur. iniungimus, vt in crastinum solemnitatis Pentecostes proximæ futuræ, & successiue anno quolibet eadem die, impedimento cessante legitimo, in basilica Principis Apostolorum de Vrbe conueniant, in qua huiusmodi rei memoria, ostendatur Sudarium Saluatoris Domini nostri IESV CHRISTI, eoque ostenso, inde portando brachium S. Andreæ Apostoli (quod nouissime in honorem dicti Apostoli, & laudem Confraternitatis prædictæ, techa argentea, & aurea, lapidibus pretiosis ornata, & per Nos eisdem oblata recludi fecimus) & vnum de articulis sancti Pauli Apostoli, & vnum de digitis sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris per nos nouiter apud Hospitale ipsum honorifice collocatis, processionaliter se transferant ad Ecclesiam dicti Hospitalis, in qua in proxime futuræ Pentecostes die prædicta, per Nos dante Domino, aut vnum ex dictis fratribus nostris Missa solemniter celebrabitur, ipsaque die, & deinceps singulis annis eadem die in perpetuum, vniuersis Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, Ecclesiam ipsius Hospitalis visitantibus, suffragabitur plenaria remissio omnium peccatorum, quam harum serie illis elargimur.

Tuncque eligant confessorem, &c. Intellige vt in bulla 115. Clem. VIII.

§. 17. Confratresque ipsi, & eorum singuli in Vrbe existentes, etiam eadem die singulis annis confessorem poterunt eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, eos & eorum quemlibet, etiam in casibus Sedi prædictæ reseruatis, præterquā superius exceptis, Apostolica auctoritate absoluat, & eis pœnitentiā iniungat salutarē.

Funera Confratrum quomodo fienda.

§. 18. Et insuper ordinamus, quod duo funebria pallia, alterum nigri coloris, & auro contextum pro Prælatis, & nobilibus, & alterum ex veluto etiam nigro pro clericis, & laicis, quæ eidem Hospitali obtulimus, supra capsam in qua decedentium Confratrum corpora ad sepulturā deferentur, ponātur, & in eodem Hospitali conseruētur. Item in vniuscuiuscumque cadaueris alicuius confratris defuncti expensis quidem dicti Hospitalis aderūt faces xij. & quatuor candelabra argentea condecentia, quæ etiam dicto Hospitali obtulimus, & in cuiuslibet dictorum confratrum obitu seu sepultura, xvj. erunt induti camisiis nigris, & fratres dicti, cum pallio, facibus, & cādelabris prædictis dictum cadauer vsque ad sepulturam associabunt.

Quæ Missæ celebrandæ sint Confratribus viuis, & defunctis.

§. 19. Item statuimus, quod perpetuo qualibet quinta Feria per circulum anni, nisi solemne festum sit impedimento, quo adueniente, die præcedenti vnà cum Missa de sancto Spiritu cum collecta pro peccatis, & pro omnibus Confratribus tunc viuentibus, vt omnipotens Deus illuminet eorum mentes, atque sua misericordia eis cuncta peccata indulgendo aboleat. Et similiter secunda Feria, & si festum impediat, tertia vel alia feria, pro animabus omnium Confratrum defunctorum celebretur alia Missa solemnis, cum pallio nigro supra arcam in medio Ecclesiæ locandam, & quatuor luminaribus in eisdem quatuor candelabris argenteis. Volentes quod quando aliquem Confratrum eorundem ab humanis decedere contigerit, quam primum opportunitas se offeret, pro remedio eius animæ specialiter celebretur vna Missa, adhibita solemnitate prædicta.

§. 20. Et quoniam ad manutentionem charitatiuæ hospitali

Regimen Hospitalis sit præceptoris, qui semper resideat & hospitale nulli commendetur. Etiam qui solet commendari Prælato qui personaliter resideat & bene regat.

hospitalitatis pauperum,& infirmorum, aliarumque miserabilium personarum pro tempore confluentium ad Hospitale prædictum, & qui ad illud exponuntur infantium vtriusque sexus in numero copioso, conseruationem quoque bonorum, & iurium eiusdem Hospitalis, præsentia proуidi, & timoratæ conscientiæ Præceptoris noscitur esse plurimum opportuna,Motu,scientia, & auctoritate prædictis, statuimus,& ordinamus, quod de cætero, perpetuis futuris temporibus, Hospitale, ipsum semper per proprium regatur Præceptorem, qui in illo resideat,& illius curę ac regimini pro posse diligenter intendens, per ipsum solita inibi exerceri faciat cum integritate opera charitatis;& nemini possit aut valeat Hospitale ipsum commendari,seu in administrationem concedi. Hortantes successores nostros Rom.Pont.qui pro tépore erunt,vt occurrente vacatione Hospitalis eiusdé,de præceptore idoneo studeát prouidere,per quem hospitalitas huiusmodi inibi decenter obseruetur, & iura ac bona eiusdem conseruétur,& augeantur in dies,& à concessione illius in commendam aut administrationem alicui, etiam S.R.E. Cardinali, prorsus abstineant. Non ignari, quod si secus egerint, cum Hospitale ipsum eorum curæ specialiter sit commissum, & illius bona sint pauperum languentium,& expositorũ infantium,propter hoc adhuc viuétes,tam ipsi successores nostri,quã qui illud in commendam, vel administrationem huiusmodi recipient, & consentient eidem, omnipotentis Dei indignationem incurrent,& præter illa quæ permissione diuina in hoc sæculo incommoda propterea indubitáter perferent,de huius nostri statuti transgressione,in extremo tremendo iudicio,& districto examine animæ,rationem reddere tenebuntur coram Deo. Quod enim nobis licere non patimur,eisdem nostris successoribus indicamus. Hæc enim omnia infrascripta,per viscera misericordiæ eiusdem Redemptoris obseruari iniungimus,& obseruãtibus sit pax, & dilectio in Deum infringentibus verò ex malitia, adsit eis indignatio vsque ad condignam pœnitentiam.

Clausula præseruatiui.

§. 21. Decernentes, & declarantes nostræ intentionis esse,per quascumque similium gratiarum,& indultorum Ecclesiis, & quibusvis Collegiis,seu Confraternitatibus concessorũ,generales vel speciales suspensiones,per Nos, vel Sedem eandé hactenus factas, sub quibus forsan pręsentes literæ,& in illis contenta includi viderentur de cętero faciendas,præsentes literas,& illarum effectum non suspendi, & in illis comprehendi non posse aut debere, sed omnia in eisdem literis contenta,semper & inconcusse, in suo robore permanere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 22. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus ac literis Apostolicis,necnon priuilegiis & indultis quibusvis Hospitalibus,ac aliis Ecclesiis, & locis siue Collegiis,& Confraternitatibus, per Nos,& Sedem eandem concessis hactenus; & in posterum concedendis, quæ(illis alias in suo robore permansuris)quatenus alicui præmissorum contrariarentur,quoad hoc viribus vacuamus,etiamsi de illis ac eorum totis tenoribus specialis,& expressa, ac de verbo ad verbum mentio foret habenda, cæterisque contrariis quibuscumque. Et vt præsentium literarum, & gratiarum tenor plenius omnibus innotescat,volumus quod dictus Præceptor præsentes literas,& illarum transumptum authenticum in valuis dicti Hospitalis singulis annis, dicta secunda die solemnitatis Pentecostes affigi facere,& affixas tenere debeat tota die. Nulli ergo omnino hominum liceat,&c.

Dat. P. A. 7. die 21. Mart.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo,12.Kal.April.Pont.nostri Anno sexto.

XV. De obseruantia Ægidianarum, siue Prouinciæ Marchiæ constitutionum, in toto Statu Ecclesiastico, locisque ei immediate subiectis. Et de reformatione Rectorum Ciuitatum, Prouinciarumque d. Status.

Has Ægidianas, edidit Ægidius Cardinalis; de quo supra in constit.1.Innocen.VI.Cum ...nus. Et iterato eas in d.Statu obseruari iussit Pau. III. infra in eius constit.17.Officij. Sed Carpenses constitutiones dictarum Ægidianarum reformatorias,in Prouincia Marchia,idem Paul.III. ligare voluit ibidem.

De prædictorum auctoritate Rectorum, & Officialium reformatione inspice sup.const.3.Paul.II.Munera.

SIXTVS EPISCOPVS, *Edita An. D. 1478.*

Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ET si de cunctorum Christi fidelium prosperis successibus,& assuetæ pietatis officio cogitare teneamur,de incolarum tamen Prouinciarum,ciuitatum,terrarum,castrorum,& locorum temporali dominio Romanæ Ecclesiæ immediate subiectorum, prospero, & felici regimine tanto propensiorem curam gerere,& ad illorum regimen deputatorum pro tempore Officialium vitam, ritus, & mores solertiori cura ordinare debemus, quanto illorum cura, specialius nobis immediate dignoscitur esse commissa,nosque eos,vtpote peculiares dictæ Ecclesiæ filios, præ cæteris gerimus in visceribus charitatis.

Hic Pont. Commissarios destinauit ad inquirendum de vita & moribus officialium, & Gubernatorum extra Curiam.

§. 1. Dudum siquidem, cum ad aures nostras peruenisset,quod nonnulli ex Præsidentibus Prouinciis, ciuitatibus,terris,castris,& locis præfatæ Ecclesiæ immediate subiectis,& in eis magistratus pro Nobis,& eadem Ecclesiis gerentes,ac alij Officiales,propriæ salutis obliti,variisque affectibus præpediti, nonnulla committere non expauerãt,quæ in opprobrium præfatæ Ecclesiæ,ac subditorum nostrorum damnum pariter,& iacturam,redundare noscebantur. Nos tunc nonnullos viros probos, ex multis electos, Syndicos, & Commissarios ad inquirendum de vita,moribus,& regimine Gubernatorum,& aliorum officialium quorumcumque in Prouinciis, ciuitatibus,terris,castris,& locis prædictis,quævis officia exercentium, & quocumque nomine nuncupatorum,ac quavis dignitate, & honore fungentium,& audiendum querelas omnium, & singulorum de eis, palam vel secrete conqueri volentium, & nobis quæ inuenirent fideliter referendum,ad vniuersas Prouincias,ciuitates, terras, castra,& loca prædicta,duximus destinandos. Ex quorum postmodum relatione fideli cognouimus, Legatos,etiam de latere,Gubernatores,Potestates,Rectores,& alios Officiales,tunc & pro tempore deputatos, in Prouinciis, ciuitatibus,terris,castris,& locis prædictis,in multis à iure communi,& tradita eis norma,forma, & ordine per prouinciales confirmationes, à summis Pontificibus prædecessoribus nostris,& Legatis, qui in Prouinciis ipsis pro tempore fuerint, circa suorum officiorum executionem deuiasse,& deuiare,prout nobis relatum fuerat ante missionem Syndicorum eorundem.

Et modo ipsis Officialibus præcipit obseruantiam constitutionũ Ægidianarum cum earund declarationibus.

§. 2. Cupientes igitur emendatis præteritis, ne talia perpetrentur in posterum,pro posse, opportunum adhibere remedium, hac salubri in perpetuum valitura constitutione,statuimus,& ordinamus,quod qui nunc sunt, & pro tempore erunt in prouinciis, ciuitatibus, terris, castris,& locis prædictis, deputati Legati, etiam de Latere, Gubernatores, & eorum Locumtenentes, teneantur, & debeant firmiter,& inuiolabiliter obseruare,& (quantum in eis est)per alios ad quos spectat,tenaciter obseruari facere omnes,& singulas prouinciales constitutiones prædictas à summis Pontificibus prædecessoribus nostris ac Legatis,vt præfertur, editas dudum per bonæ memoriæ Ægidium Episcopum Sabinensem, in eisdem prouinciis, ciuitatibus,terris,castris,& locis Apostolicæ Sedis Legatum,in vnum volumẽ in sex libros distinctum,collectas, & redactas,cum additionibus,modificationibus,& correctionibus, quæ desuper emanarunt à bonæ memoriæ Gabriele,tituli Sancti Clementis, presbytero Cardinali, & inclyto Episcopo Albanensi, ac Philippo Episcopo portuensi, tunc tituli Sanctæ Susannæ presbytero Cardinali,& Ioanne tituli sancti Clementis tunc Presbytero Cardinali in prouincia nostra Marchiæ Anconitanę, dictę

Sedis successiue Legatis, & à nobis nostrisque successoribus Romanis Pontificibus, pro tempore emanabunt, & [illegible] sub quintadecima: De prohibitione compositionis super homicidio, & sextadecima immediate sequenti: De prohibitione cassationis processuum sine Thesaurario; ac decimaoctaua: Quod nullus gratis ad instantiam alicuius officialis debeat aliquid portare, in primo, necnon sub quarta: De vita, ac honestate, ac habitatione Rectoris, ac suorum officialium, maxime dum inhibet officialibus, ne vltra exigentiam victus, victualia emant à subditis. Et cum nostris modificationibus infra scriptis, sub vndecima: De officio, & mercede notariorum Cameræ Rectoris, & sigillo; ac tertiadecima: De solutionibus notarij thesaurij, necnon quintadecima: De sigillis pertinentibus ad banchum, & eorum solutionibus, in secundo libro dicti voluminis; & sub vndecima: De mercede notariorum per scriptores; & vltima: Contra homicidas, rubricis, inter dicti Ioannis Legati additiones collocatæ fuisse noscuntur.

Bullæque Pij II. & Paul. II. contra homicidas, quas habes sup. Pauli contra recipientes munera. Et sua bulla quæ est prætermissa, tanquam minus necessaria.

§. 3. Et quæ contra eosdem homicidas à sanctæ memoriæ Pio Secundo, & Paulo etiam Secundo, Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, Et ab eodem Paulo prædecessore, super prohibitione receptionis munerum, & remissione pœnarum, Ac demum à nobis super prohibitione reiterationis visitationis prouinciarum, & receptione procurationum, ratione visitationis huiusmodi, ac sportularum pro causarum decisione, emanarunt literas, & constitutiones. Et de his omnibus, vt præfertur obseruandis, & obseruari faciendis firmiter, Legati de latere in nostris, reliqui verò Gubernatores, & eorum Locumtenentes præfati iam deputati, & officia sua exercentes, infra mensem post publicationem præsentium, & in posterum deputandi, antequam officia eorum incipiant exercere, in Romana Curia præsentes, per se ipsos; absentes verò, per legitimum procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem, in Camera Apostolica, diebus quibus Camera tenetur, sedentibus ibidem Camerario, & Prælatis præsidentibus ac Clericis eiusdem Cameræ (præter solitum, quod propterea non omittatur) specifice, & nominatim in eiusdem Camerarij, seu Vicecamerarij, vel Locumtenentis manibus, præstare teneantur, & debeant iuramentum, ac idoneos fideiussores. Et si illas transgredi comperti fuerint, præter periurij reatum, excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incurrant, à qua præterquam in mortis articulo constituti, ab alio quam à Romano Pontifice, proprio ore specialiter errorem suum detegendo, nequeant absolutionis beneficium obtinere.

Pro collatione officiorũ percipiant quæ constitutionibus est taxatum, & desuper non paciscantur.

§. 4. Et quia nonnulla sæpe occurrunt, super quibus per easdem constitutiones non videtur esse sufficienter prouisum, constitutioni collocatæ in eodem primo libro sub rubrica: De non exercendo officium in terris Ecclesiæ, vbi requiritur confirmatio per Rectorem, nisi fuerit confirmatus; & dictæ constitutioni secundi libri, sub rubrica quarta: De vita, & honestate, ac habitatione rectoris, & suorum officialium, dum prohibet familiares Rectorum, & Gubernatorum, familiaritate durante, & ea finita, infra annum, ad aliquod officium assumi, eadem auctoritate adiicimus, quod Legati, Rectores, & Gubernatores præfati ab iis qui pro tempore electi, assumpti, vel deputati fuerint ad aliqua officia, aut aliis pro eis, etiam sponte soluentibus, & offerentibus, directe, vel indirecte, electionis eorum fieri procurando, vel etiam confirmationes malitiose differendo, seu illas confirmando, nil vltra recipiant, aut recipi permittant, quam per constitutiones sit permissum, nullamque super participatione de ipsorum officiorum salario, & emolumento, pactionem ineant, aut ineri permittant per quoscumque præsertim domesticos familiares suos, sub eadem excommunicationis sententia, vt præfertur incurrenda.

Circa notarij mercedem, seruent hanc taxam.

§. 5. Constitutioni autem prædictæ primi libri, sub rubrica: De officio, & mercede notariorum Cameræ Rectoris, & sigilli eadem auctoritate adiicimus, quod pro literis supplicationum, siue rescriptis super saluo conductu, moratorio, aut securitate in quocumque ciuili vel criminali negotio, pro singula persona, quatuor baiochos, & si plures fuerint personæ, vltra primam, pro qualibet persona, vnum baiochum dumtaxat recipiant, dummodo in totum, quæcumque sint personæ, vltra quam decem & octo baiochi non exigantur ab eisdem, nec fiant malitiose pro singulis summæ, vbi pro eodem negotio eis conceduntur induciæ. Pro literis autem represaliarum, soluatur medietas eius, quod continetur constitutione prædicta, & pro literis ac sigillis cuiuscumque præcepti, non quatuor anconitani (vt in constitutione continetur) sed sex baiochi exigantur, & tantum pro litera, rescripto, mandato, præcepto, & sigillo quod supersedeatur in aliquo processu, & similiter pro litera, & sigillo mandati quod tollatur processus contra singularem personam factus, & si contra plures esset, pro quolibet, vltra primum, vnus baiochus exigatur: ita vt quotcumque sint, vltra quam decem, & octo baiochi, pro omnibus non recipiantur, siue vna siue plures literæ fierent pro eisdem. Et si contingat in eadem causa plura rescripta emanare, facta solutione pro primo, pro reliquis, & eorum singulo, nil soluatur.

Et Gubernatores circa Viagia Iudicũ nihil participent, & seruent const. hic citatam.

§. 6. Et quia circa contenta in constitutione secundi libri prædicti, sub rubrica: De viagiis iudicum, officialium, & maiorum commissionum, salaria (vt accepimus) frequenter exceduntur, inhibemus Legatis, Gubernatoribus, Rectoribus, & Locumtenentibus prædictis, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt præfertur incurrenda, ne pro causis, & negotiis, pro quibus viagia concedi contigerit pro tempore, iuxta constitutiones, mittere præsumant alios quam iudices generalis curiæ, ad quos ratione suorum officiorum quæ obtinent, pertinet cognitio causarum, & negotiorum eorundem; nec de prouentibus, & viagiis huiusmodi, quicquam sibi, & suis appropriare, directe vel indirecte, quouis quæsito colore præsumant, faciantque constitutionem ipsam, & desuper factam à dicto Ioanne Cardinali declarationem, quoad salariorum exinde prouenientium solutionem, firmiter obseruari.

Processus non circumducãt.

§. 7. Et vt compositiones, & mandata de supersedendo super processibus criminalibus, omni corruptelæ suspicione cessante, procedant, dicta auctoritate statuimus, & ordinamus, illa nullius esse debere roboris vel momenti, nisi consentiente Thesaurario prouinciæ pro tempore existente, emanauerint; & forma constitutionis secundi libri prædicti sub 47. rubrica: De compositionibus super maleficiis seu processibus, & condemnationibus, seruata fuerit in eisdem.

Non impediant pœnas peruenire ad manus Thesaurarij.

§. 8. Nec liceat de cætero Legatis, Gubernatoribus, & Locumtenentibus prædictis, prouenientes ex criminibus, & delictis quibuslibet, & pœnas, & mulctas ad alterius quam ad Thesaurarij manus, etiam sub colore depositi, ad finem illas conuertendi in reparationem ædificiorum, vel alium vsum, facere quomodolibet peruenire, sed etiam si exponendi in alios vsus huiusmodi licentiam, & facultatem haberent, eas per manus Thesaurarij recipi, & exponi facere teneantur, sub pœna dupli eius, quod aliter deponi vel solui contingeret, per Thesaurarium de eiusdem contrafacientis salario retinenda.

Causas in prima instantia non auocent, &c.

§. 9. Abstineant præterea Legati, Gubernatores, & Locumtenentes præfati penitus à commissione, & delegatione quarumcumque causarum in prima illarum instantia, iuxta nostrarum prædictarum continentiam literarum, & etiam in secunda, quoties audiendum in loco esse contigerit ordinarios iudices deputatos, nisi in prima instantia supplicantis personæ miseria siue debilitas, & aduersarij potentia id exposcat; & in secunda instantia ad ipsos contingat appellari, quibus casibus causas ipsas delegent illis dumtaxat iudicibus qui essent ordinarij eisdem, nequeantque delegati ipsi tunc delegationis huiusmodi prætextu, aliquid emolumenti à collitigantibus exigere, vel habere, etiam quantum licite eis alias per dictas literas nostras, seu alias diceretur concessum.

In causis à Sede Apostol. in commissis nihil recipiant.

§. 10. Nec similiter ipsi Legati, Gubernatores, & Locumtenentes aliquid petant pro cognitione, & decisione causarum, quæ eis per Sedem præfatam in quauis instantia, cum earum auocatione à iudicibus coram quibus sunt introductæ, vel sine illa, pro tempore delegantur, seu alias ex quauis causa remittuntur ad eos.

Iussio quotannis publicãdi hanc bullam.

§. 11. Et prædictæ tam nostræ, quam prædecessorum constitutiones, ac omnia in præsentibus literis contenta,

co

eo firmius obseruetur quo sæpius fuerint publicatæ, eadem auctoritate statuimus, quod Legati, Gubernatores, & Locumtenentes prædicti nunc, & pro tempore existentes, in supradicto volumine, prædecessorum, & nostras prædictas, & præsentes literas, inseri, & describi, conuocatisque officialibus, & curialibus, curiarum suarum, ac populi multitudine, constitutiones ipsas, necnon literas prædictas, annis singulis, Kalendis mensis Octobris cuiuslibet anni, publice, & intelligibili voce, de verbo ad verbum legi faciant, & publicari.

Extensio elsi. Egi... ad Vrbem & terrarum Statum Ecclesiastici. Alia extensio, indicata est in rubr.

§. 12. Ne autem Gubernatores, quos dicta Sedes nonnunquam non in prouinciis, sed in Vrbe, specialibus ciuitatibus, terris, & locis deputare consueuit, quocumque nomine deputati, seu nuncupati, & eorum Locumtenentes, & Thesaurarij, ac officiales in illis protempore deputati, à constitutionum, additionum, modificationum, ac prædictarum, & præsentium literarum obseruatione, eo prætextu se excusent, quod in ipsis delegatis, Gubernatoribus, & Rectoribus prouinciarum, Thesaurariis, iudicibus, & officialibus in illis deputatis dumtaxat caueatur, illique tantum ligentur per easdem, dicta auctoritate constitutiones, additiones, modificationes, & literas prædictas, ac omnia, & singula in eis contenta, ad Vrbem, ciuitates, terras, & loca specialis cõmissionis, & in illis, nunc & pro tempore deputatos, Vicecamerarium, Gubernatores, Thesaurarios. Potestates, Iudices, & Officiales, quatenus ad eos adaptari possint (absque tamen præiudicio statutorum, & consuetudinum Vrbis, ciuitatum, terrarum, & locorum specialis commissionis huiusmodi, & illorum communitatibus, & vniuersitatibus concessorum indultorum quorumlibet, quibus alias non derogetur) extendimus; & volumus, ac mandamus illas in eisdem Vrbe, Ciuitatibus, Terris, & locis specialis commissionis, sicut in prouinciis, firmiter obseruari, sub censuris, & pœnis contentis in eisdem.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus præmissis, & aliis Apostolicis constitutionibus, indultis, & priuilegiis, & literis, quibus (quatenus contentis in præsentibus literis contrarientur) specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1478. 3. Kal. Iunij, Pont. nostri Anno 7.

XVI. Innouatio Collegij Abbreuiatorum literarum Apostolicarum, cum assignatione indultorum, & emolumentorum.

Collegium istud primo instituit Pius II. deinde immutauit Paul. II. Sed hæc institutio persistit, eamque confirmauit, & indulta ampliauit Leo X. infrà in eius constit. 14. Summi. Eorum autem officium antiquissimum esse patet ex lectura 3. constit. Martini V. In Apostolica, sup. vbi habes etiam, quod eorum munus esset.

Hanc bullam comprobauit Iul. II. die 2. Aprilis 1606. sed eam vti minus necessariam prætterij. Et eis nuper Paul. V. aliqua priuilegia elargitus est in const. 2. Romani.

SIXTVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1478.

Proœmium.

Diuina æterna Dei sapientia quæ in sui dispositione non fallitur, non solum superiora, sed etiam inferiora, & humana ea ordinatione, & ratione perfecta & varietate decora disponit & ordinat, vt singula quæque operatione diuersa, mutua tamen charitate & æquitate inter se coniuncta esse videantur, & nulli ex rebus in supernis, terrenisque ministeriis ordinatis suos terminos egredi liceret; Quia consideratione prædecessores nostri Romani Pontifices (vt verisimiliter credi potest inducti, ad quæque certa ratione iubente, imprimis Ecclesiam Dei vniuersam, cuius caput Romana Ecclesia esse dignoscitur, legibus, constitutionibus, moribus, & decretis summa diligentia, vigilantia indefessa; & ordinatione irreprehensibili, dirigere, instituere, & stabilire conati sunt. Quorum vestigia quantum à nobis fieri potest, vnà cum fratribus nostris imitari satagentes, prolapsa reducere, excessiua corrigere, defectus supplere, errata emendare, & omnia ad probatissimum ordinem, & semitam rectam perducere omni studio peruigilamus; sperantes in eo à quo omne datum optimum; & omne donum perfectum affluenter procedit, quod conatus nostros adiuuare conabitur.

Paulus II institutionem à Pio II. de 70. Abbreuiatoribus factam reuocauit, & pecunia reuocauit, & eorū emolumenta in certos alios vsus conuertit. Sed omnes bullas vel minus necessaria præterijt.

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Paulus Papa Secundus prædecessor noster, tempore suæ assumptionis ad Apostolatus apicem, quandam ordinationem per recolendæ memoriæ Pium Papam II. etiam prædecessorem nostrum, de Septuaginta Abbreuiatoribus literarum Apostolicarum certis de causis factam & ordinatam, ex aliis causis iustis & honestis tunc animum prædicti Pauli prædecessoris mouentibus, eisdem Abbreuiatoribus de certis summis pro necessitate dicti Pij prædecessoris, ac eiusdem Romanæ Ecclesiæ & prouisione contra Turcas tunc imminente persolutis, integra prius restitutione facta, reuocauit, & annullauit, & assignata certa portione emolumentorum officij Abbreuiatoriæ, scilicet Venerabili fratri nostro Roderico Episcopo Portuensi tunc Sancti Nicolai in Carcere Diacono Cardinali, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, pro quibusdam familiaribus suis, iuxta arbitrium dicti Vicecancellarij; necnon viginti ducatos auri de Camera cuilibet ex dilectis filiis duodecim Abbreuiatoribus de Parco Maiori, residuum uero, quod inde superexcrescebat, in alios vsus conuertit.

Hic autem Pontifex, postquam ad Pontificatum electionem eadē emolumenta alio modo distribuit.

§. 2. Nos vero qui dicto Paulo prædecessore, sicut Domino placuit, de medio sublato, fuimus diuina fauente clementia in Sede Petri collocati, existimantes decere Romanum Pontificem omni tempore, & præcipuè in assumptione sui Apostolatus magna liberalitate vti dictam partem quam prædictus Paulus prædecessor in alios vsus conuerterat, dicto Vicecancellario, & Locumtenenti suo, ac referendario commissionum, necnon eisdem de Parco maiori, ac diuersis tam Abbreuiatoribus, quam aliis Curialibus, nostris quoque & Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium familiaribus, ad arbitrium & discretionem dicti Roderici Vicecancellarij distribuendam libenter remisimus, & condonauimus. Quæ quidem donatio additis quinque florenis similibus pro quolibet ex dictis Abbreuiatoribus de maiori præsidentia, per septem annos continuos integraliter & sine diminutione effectum sortita extitit. Quæ quidem omnia sic per Vicecancellarium distributa, & compensata, rata & grata habuimus, quemadmodum et in tenore præsentium approbamus, & approbata esse volumus.

Sed ob pestilentiā & bella, diminuta fuerunt emolumenta Abbreuiatorum; & solutio iuxta dictam distributionem minimè executioni demādata fuit.

§. 3. Nuper verò propter pestilentiam, quæ Vrbem Romanam & loca circumuicina æstate proxima vexauit, & propter arma bellica, quæ necessario licet inuiti contra hostes Ecclesiæ suscipere coacti fuimus, & ob varias temporum difficultates, cessantibus & diminutis magna ex parte emolumentis & prouentibus officij Abbreuiatoriæ huiusmodi, cum aliis Abbreuiatoribus huiusmodi emolumenta in Cancellaria percipere consuetis, non fuerint à quibusdam mensibus citra stabilia salaria persoluta vniuersa, clamores, iurgia ac quamplurimæ querelæ ad nos prolata fuerint.

Hic ideo Pontifex Statum Collegij Abbreuiatorum innouat, cum ordinationibus infrascriptis.

§. 4. Nos igitur considerantes quod si aliquis certus Abbreuiatorum numerus, sub iustis & honestis conditionibus, habita etiam personarum consideratione institueretur, per quos negotia Cancellariæ Apostolicæ expedirentur; & ordo debitus in expeditione literarum Apostolicarum rectius obseruaretur; ipsique Abbreuiatores honore, præmioque allecti, adhibita exercitatione, peritiores in futurum efficerentur, ex quo Apostolicæ Sedis & Cancellariæ prædictæ honori atque auctoritati, & partium commoditati magis consuleretur; super iis cum Roderico Vicecancellario, & aliis fratribus nostris prædicti communicato consilio, de præfati Roderici, & fratrum nostrorum eorundem consensu, Omnes & singulas portiones & assignationes dictorum emolumentorum

torum, ac aliorum quorumcunque dispositionem, quas tam dictus Rodericus Vicecancellarius quam eius Locumtenens & Referendarius commissionum, & alij omnes tam de prima Præsidentia quam de minori Parco, & alij in certis rotulis descripti, & describi soliti, hactenus perceperunt, ac omnia & singula, constitutiones, ordinationes, dispositiones, concessiones, statuta, priuilegia & indulta Apostolica quæcumque à nobis, seu prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, cum quibuscumque etiam fortioribus & insolitis, ac derogatoriarum derogatoriis clausulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, super præmissis portionibus, & earum assignationibus hactenus emanata, & præsentibus literis nostris, & eorum effectui quomodolibet contraria, quæ præsentibus haberi volumus pro expressis, cassantes, irritantes, supprimentes, & penitus extinguentes, ac pro nullis & infectis haberi volentes de dictis officiis & emolumentis Abbreuiatoriæ, ordinationem facimus infrascriptam; quam perpetuo futuris temporibus stabilem esse, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari volumus & mandamus.

Abbreuiatores sint numero 72. videlicet duodecim Præsidentes de Parco maiori, viginti duo de Parco minori, & reliqui examinatores sint literarum Apostolicarum. Quoad primos Abbreuiatores aliqua priuilegia sunt concessa à Paulo V. vt hic indicatur in rubr. Officia ipsorum compatibilia sint cum aliis Curiæ officiis, §. 91.

§. 5. In primis suffragante diuino spiritu & conscientiæ puritate, præuia auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de expresso dictorum Fratrum consilio & assensu, ac plenitudine potestatis, hac irrefragabili constitutione statuimus, decernimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, in Cancellaria Apostolica præter alios eiusdem Officiales, sint & esse debeant Septuaginta duo Abbreuiatores dumtaxat, inter quos Duodecim Præsidentes de Parco maiori, Viginti duo de Parco minori; reliqui verò examinantes literas in Prima visione Abbreuiatores nuncupentur, & existant, & vnum Collegium inuicem constituant. Præter quos nulli liceat in huiusmodi Abbreuiatoriæ officio, literas Apostolicas signare, qui Romano Pontifici & ipsi Roderico, ac Vicecancellario pro tempore existenti dumtaxat & nemini alteri subsint.

§. 6. Et eorundem Septuaginta duorum Abbreuiatorum officia, cum quibusvis aliis officiis Romanæ Curiæ & Cancellariæ Apostolicæ prædictarum incompatibilia nullatenus censeantur, sed possint per vnum & eundem cum quibusvis etiam pluribus aliis officiis dictæ Curiæ absque indulto & dispensatione qualibet libere retineri.

Probi viri eligantur in Abbreuiatores.

§. 7. Nec admittantur ad illa nisi probi viri, & in ætate decenti constituti, ac in officio Abbreuiatoriæ instructi, vel si qui sint idonei & apti ad hoc instruantur.

Habitũ prout Scriptores Apostolici deferant.

Admittantur Abbreuiatores, primo ad minorẽ, postea ad maiorẽ Parcum, extraneis exclusis.

§. 8. Habitum honestum ad instar Scriptorum deferentes, & secundum eorum, & cuiuslibet ipsorum sufficientiam, occurrente vacatione ad primum examen, & de primo examine, siue prima visione, ad minorem Parcum, & de illo ad Præsidentiam de Parco maiori, alias iuxta ordinationem piæ memoriæ Benedicti Papæ XII. & Calisti III. Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum assumantur, & in assumptione locorum pro tempore vacantium quibusvis aliis qui de illo Collegio non forent, cæteris paribus, præferantur.

Emolumenta eis assignantur.

Addita est portio pœna Abbreuiatoribus Parci maioris tantum, vt in bulla Pauli V. citata hic in rubr.

§. 9. Et quod emolumenta dictorum Abbreuiatorum sint vna taxa, æqualis taxæ quæ datur pro grossa dictarum literarum Apostolicarum Scriptoribus pro quibusvis literis, quas per Cancellariam eandem, aut Cameram, seu alias quomodolibet pro tempore expediri contingit, cum supplicatione & sine, etiam pro Consistorialibus Ecclesiarum & Monasteriorum, aut aliorum quorumcumque beneficiorum, absque tamen nostrorum, & dictæ Sedis Notariorum de numero participantium existentium, ac eiusdem Cancellariæ Senescalli pro tempore existentis, ac ipsius Senescalliæ prouisionibus, præiudicio, & illas concernentibus literis, siue supplicatione de iustitia communiter appellatis, ac per dilectos filios Secretarios nostros de emolumentis Cancellariæ prædictæ participantes expedire debitis & consuetis, dumtaxat exceptis.

Exigendique modum præfinit.

§. 10. Et exigantur in communi per tres ex dictis Abbreuiatoribus, quorum vnus per Abbreuiatores maioris Præsidentiæ secundum ordinem eorum, alij verò duo per reliquos Abbreuiatores cum onere tenendi tres libros computorum, singulis mensibus, cum salariis de Parco maiori quinque; pro aliis verò duobus deputandis trium florenorum similium pro quolibet ipsorum duorum deputentur, & colligantur, & in ipsis libris more solito fideliter annotentur, iuramento per ipsos præstito in manibus Vicecancellarij, vel eius Locumtenentis, de fideliter exercendo officium suum, & de collecta pecunia integre persoluenda & reddenda, dimissis pro labore Abbreuiatorum grossis quinque prout hactenus consuetum fuit, qua summa quinque grossorum contenti esse debeant, & nihil vltra percipere, declarantes, & volentes quod pecuniæ ipsæ sic collectæ, in primo mense apud illum de maiori Parco, in aliis verò duobus mensibus apud ipsos duos alios vt supra deputatos à Collegio successiue remaneant, & fideliter conseruentur.

Distributiones quoque eorundem emolumentorum decernit.

§. 11. Et in fine cuiuslibet mensis distributiones, & emolumenta prædicta per ipsos receptores diligenter & fideliter, deductis salariis & aliis oneribus pro tempore, taliter diuidantur & assignentur. Videlicet ex omnibus pecuniis vt supra collectis, quilibet de Parco maiori vnam & dimidiam, & singuli ex aliis vnam tantum partem habeant, vt puta si quilibet ex aliis præterquam de Parco maiori sex singuli, de maiori Præsidentia Abbreuiatores præfati nouem florenos percipiant. Mandantes de mense in mensem prædictum ordinem & modum in colligendis, seruandis, & distribuendis pecuniis ipsis, fideliter & inuiolabiliter continuari & obseruari debere.

Eximit à solutione eorum familiares ipsius Papæ, & Vicecancellarij, & etiam specialiter priuilegiatos ab ista solutione.

§. 12. Nec prætextu cuiusvis mandati de expediendo huiusmodi literas gratis, & in officio eorundem Abbreuiatorum quavis consideratione per nos & Sedem Apostolicam, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & sub quibusvis censuris & pœnis Ecclesiasticis seu pecuniariis pro tempore concessi, ab huiusmodi taxæ exactione abstinere, & mandatis huiusmodi parere teneantur quoquo modo nec sub censuris prædictis vigore dictorum mandatorum comprehendantur præterquam nostrorum & dicti Roderici & pro tempore existentis Vicecancellarij familiarium continuorum commensalium, ac illorum qui ex priuilegiis hactenus obseruatis, vel consuetudine gratis expedire consueuerunt.

Supplicationes Papa deferantur omnes per Magistros registri ad Vicecancellarium qui eas distribuat Abbreuiatoribus.

§. 13. Supplicationes quoque per nos & successores nostros Romanos Pontifices in nostra vel eorum præsentia, seu alias quomodolibet signatæ, per Magistros & Clericos registri earundem sub excommunicationis latæ sententiæ, officiorum quæ in eodem registro obtinent priuationis pœna eo ipso incurrenda, ad prædictum Rodericum Episcopum & pro tempore existentem Vicecancellarium, vel eius in absentia dicti Vicecancellarij Locumtenentem deferantur, & per eum si hoc facere voluerit, vel per distributorem per dictum Vicecancellarium pro tempore ex numero dictorum Septuaginta duorum deputatum, cum salario sex ducatorum similium iuxta rerum difficultates & materiarum exigentiam, sub excommunicationis pœna, & dicti salarij sui priuatione dictis Septuaginta duobus Abbreuiatoribus, & non alij seruata iustitia & æqualitate, iuxta formam perceptionis emolumentorum, videlicet quando, vni ex aliis duæ Abbreuiatori de prima Præsidentia tres tantum supplicationes distribuantur, & Abbreuiatoribus, quibus distributæ fuerint, omni fraude & dolo cessantibus consignentur, descriptis prius, & annotatis dictis distributionibus in duobus libellis per ipsum distributorem deputatum, quorum vnum in domo dicti Vicecancellarij, vbi Cancellaria pro tempore tenetur, vt omnibus patere possit, alterum apud se tenere & conseruari debeat; declarato tamen quod ipse distributor pro tempore sibi ipsi minime distribuere possit.

Quibus pro examine dictorum, præmium datur.

§. 14. Et vt Abbreuiatores ipsi tam de Parco minori, quam de prima visione, ad huiusmodi exercitium examinandi literas in prima visione, digne & laudabiliter exequendum, facilius alliciantur, quod de qualibet litera quam in prima visione examinauerint vnum turonem recipere possint & habere debeant pro labore, ita tamen quod gratiosæ, & executoriæ desuper literæ quoad hoc

pro

vna bulla reputentur, & vnus dumtaxat grossus duobus ex eis illas signantibus exoluantur.

Et etiam pro correptione minuta, &c.

§. 15. Item statuimus & ordinamus, quod nullus dictorum Abbreuiatorum, tam maioris Præsidentiæ, ab aliquo Abbreuiatore minutas suas per se conficiente, nisi minuta ipsa sit omnino male composita, vel difficilis admodum correctionis, pro correctione cuiuslibet minutæ, & illius iudicatura, ac expeditione vltra tres grossos recipere non debeat. Ita tamen quod expeditio eius non audeatur quovix modo sine rationabili causa recusare, & tam literæ gratiosæ, quam executoriæ vt sunt pro vnica minuta & expeditione computentur. De prouisionibus vero Consistorialibus consuetum duorum similium florenorum, de taxa ipsius Abbreuiatoriæ, ve supra soluenda, excomputandorum Abbreuiatores de prima Præsidentia præfati pro ipsorum minutis & expeditione percipient salarium.

Capellam habeant Abbreuiatores, vbi singulis dieb. Cancellariæ, Missam audiant.

§. 16. Et quia sine diuina gratia nihil feliciter procedere potest, ad illam impetrandam. Quod omnes Abbreuiatores de numero Septuaginta duorum huiusmodi habeant vnam Capellam, & Altare portatile, super quo in domo Vicecancellarij, in loco ab hoc congruo & honesto, Missam omnibus diebus, quibus ipsa Cancellaria tenebitur, cum collecta semper pro Romano Pontifice quæ incipit. Deus omnium fidelium pastor & rector famulum tuum Sixtum, &c. celebrari faciant.

In admissione ad officium, soluant iocalia vt hic.

§. 17. Quodque Abbreuiatoribus qui cedentibus vel decedentibus aliquibus ex infrascriptis quos in Abbreuiatores literarum prædictarum hac vice vnà cum Roderico Vicecancellario recipimus, & Collegio prædicto iuxta ordinem descriptionis eorum quæ infra fiet aggregamus, & aliis eorum loca & officia alias quomodolibet dimittentibus, illi qui ad Collegium ipsum loco cedentium, vel decedentium, aut admittentium admittentur. Quatuor florenos auri de Camera pro dicta Capella seu Capellano, & præter illos pro iocalibus & eorum receptione ad officium ipsum ducatos sex, quorum duos Vicecancellarius, & reliquos quatuor ducatos distributor & deputati præfati ad pecunias colligendas, similiter quilibet vnum recipiat. Et similiter pro concessione eiusdem officij quam à nobis vel Sede Apostolica, vel Vicecancellario, pro officiis quæ ad eius dispositionem spectabant obtinebunt, dum per liberam resignationem illa obtinentium vacabunt, medietatem eius quod pro simili concessione officij Scriptoriæ, Scriptores persoluunt Romano Pontifici, aut Vicecancellario à quo concessionem ipsam habebunt, idest, florenos similes quinquaginta dumtaxat soluere, & non vltra teneantur.

Officia eorum resignabilia sint.

§. 18. Et tam illi, quam primitus admissi etiam de eadem maiori Præsidentia, de eorum emolumentis & officiis, prout Scriptores huiusmodi de suis disponunt, disponere, illaque resignare libere & licite possint. Nosque & successores nostri, ac ipse Rodericus & Vicecancellarius pro tempore existentes, resignationes, siue cessiones huiusmodi admittere, & illis in quorum fauorem resignationes, siue cessiones ipsæ factæ fuerint, de huiusmodi officiis prouidere teneantur.

Abbreuiatores, indultis omnibus Scriptorum Apost. perfruuntur. Hæc indulta Scriptorū vid. infra in Iul. II. bulla 15. Si- cut.

§. 19. Et insuper quod omnes & singuli tam Præsidentiæ quam de maiori Parco, & ordinarij Abbreuiatores huiusmodi, omnibus & singulis constitutionibus, statutis, ordinationibus, priuilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, declarationibus, prærogatiuis, antelationibus, concessionibus, fauoribus, & indultis quibuscumque gaudeant, potiantur, & vtantur, pariformiter & absque vlla differentia sicuti dictarum literarum Scriptores præfati, etiam quoad hoc, vt familiares nostri & successorum nostrorum Romanorum Pontificum perpetuo, & in quibuscumque literis Apostolicis tales etiam magistri nominentur, & pro talibus vbilibet habeantur, & literæ Apostolicæ, gratiam & iustitiam concernentes pro Duodecim Præsidentibus de Parco maiori, iuxta eorum priuilegia, pro dictis vero de nouo creatis Sexaginta Abbreuiatoribus gratis etiam in omnibus officiis pro personis ipsorum dumtaxat expediantur, sicut & eo modo quo expediuntur literæ eorundem Scriptorum, & extendentes ea omnia ad præfatos Septuaginta duos Abbreuiatores, & mandantes, & sub pœnis & censuris in illis contentis, etiam quoad prædictos Septuaginta duos Abbreuiatores firmiter obseruari in omnibus & per omnia, ac si illa dictis Septuaginta duobus Abbreuiatoribus de verbo ad verbum concessa forent.

Collegium Statuta per se condere possit.

§. 20. Concedentes insuper plenam & liberam facultatem, ac de vberioris dono gratiæ indulgemus, dictorum Septuaginta duorum Abbreuiatorum Collegio, statuta & ordinationes, ac quæcumque alia ipsius Collegij & Abbreuiatorum eorundem commodum, decus, quietem, & directionem pro tempore concernentia condendi & ordinandi, Decernentes harum serie huiusmodi ipsorum Abbreuiatorum, ordinationes & statuta (licita tamen & honesta) pro tempore facta, plenam roboris firmitatem perpetuis futuris temporibus obtinere, & ab ipsis omnibus firmiter obseruari debere.

Transumptis huius bullæ & priuilegiorum Apostolicorū credatur.

§. 21. Et quod transumpta siue tenor præsentium literarum, & cuiuslibet partis earundem, & priuilegiorum Scriptorum prædictorum, pari modo quo tenor literarum Cancellariæ indigentibus detur & illi stetur, in iudicio & extra, prout tenori earundem stari consueuit.

Abbreuiatores laici, matrimonium contrahere possunt.

§. 22. Liceatque singulis Abbreuiatoribus prædictis in sacris ordinibus non constitutis pro tempore existentibus matrimonium etiam cum viduis absque alia dispensatione seu licentia Sedis prædictæ libere contrahere.

Literæ Apostolicæ per Cameram expediendæ, ab ipsis Abbreuiatoribus non signatæ nullæ sint.
Hoc idem decreuit Leo X. in rubr. citatur. & pœnas earum Sollicitatoribus vsque vtentibus imposuit.

§. 23. Porrò quia taxæ literarum Apostolicarum quæ expediuntur per Cameram, præfati Septuaginta duo Abbreuiatores notitiam forsan habere non poterunt plenariam; Volumus quod literæ prædictæ de quibus taxa huiusmodi soluenda esset, in subscriptione infra plicam Bullæ circa medium, per duos correctores pro tempore deputatos expeditæ viribus careant. Districtius inhibentes tam Referendariis, Secretariis, Plumbatoribus, Registratoribus, Magistris in registro, Scriptis, & Notariis etiam Cameræ Apostolicæ, quam aliis quibuscumque Officialibus nostris, & dictæ Sedis pro tempore existentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua absolui non possint nisi per Romanum Pontificem, & in mortis articulo constituti, satisfactione præuia, & emolumentorum suorum officiorum priuationis pœnis, vt literas huiusmodi sicut præfertur non signatas nullatenus admittant siue expediant, sed illas illico ad deputatos prædictos signandas remittant.

Vices gerens Cancellariæ à Vicecancellario deputatur atque emolumenta sibi assignantur.

§. 24. Et cum prædictus Rodericus Episcopus & Vicecancellarius qui eiusdem Ecclesiæ Vicecancellariatus officium multis annis eximia virtute, solertissima diligentia laudabiliter gubernauit, & Ecclesiam ipsam pluries etiam propriis facultatibus non parcendo adiuuit, ac cuius personam ob eius præclara merita in nos & dictam Sedem collata etiam in hac temporum difficultate, aliis in rebus, prout nobis & eisdem venerabilibus fratribus nostris iustum est, per amplius recompensare intendamus, pro nunc, ne tamen ex ordinatione huiusmodi, in quam ipse vt præfertur consensit, nimium dispendium patiatur, eius indemnitati aliqualiter consulere volentes, & ne pro eo, quia ad eundem Rodericum Episcopum & Vicecancellarium, etiam ex concessione nostra omnium dictæ Cancellariæ officiorum Correctoriæ, & Scriptorum ipsarum literarum, necnon Notariorum eiusdem Sedis officiis dumtaxat exceptis libera dispositio pertinere dignoscatur, contingat in dubium reuocari, an ipse de huiusmodi Abbreuiatoriæ officiis vtpote nouiter, modo prædicto, per nos ordinatis, post factam sibi per nos concessionem prædictam disponere debeat, prouidere volentes, de similibus consilio & assensu fratrum prædictorum, volumus & auctoritate prædicta etiam statuimus & ordinamus, quod ipsius Roderici Episcopi & Vicecancellarij in Cancellaria prædicta Locumtenens, qui expeditioni earundem literarum vacat, & ipsius Roderici Episcopi & Vicecancellarij plerumque ad hoc vacare impediti, in qua expeditione vices gerit vnus ex Referendariis causarum commissionum, qui commissiones ipsas examinat diligenter, & illarum vim & effectum eidem Roderico Episcopo & Vicecancellario fideliter refert, & de eius nomine & vice non-

nonquam

nunquam signat,& signatarum per nos commissionum, seu in præsentia nostra & pro tempore existentis Romani Pontificis signaturat extendit, nunc & pro tempore existentes,alium ex dictis Septuaginta duobus Abbreuiatoriæ officiis pro quolibet eorum, obtineant & percipiant vna pro qualibet portione emolumentorum eorundem æqualem aliis portionibus aliorum prætterquam de prima Præsidentia Abbreuiatorum prædictorum, possintque ab officio & emolumentorum perceptione huiusmodi pro solo ipsius Roderici Episcopi & Viceeancellarij,aut alterius ad hoc ab eo specialiter deputati nutu amoueri,& alij eorum loco subrogari toties quoties sibi videbitur & placebit.

Officia 22. Abbreuiatorũ spectãt ad collationem Vicecancellarij.

§. 25. Et quod dilectorum filiorum Magistrorum Ioannis de Borgia Correctoris. Nicolai de Caste,Ferrarij de Galbis,Gregorij de Puteo,Nicolai Bregeo, & Alberti Roc,modo sex de maiori Præsidentia,ac de minori Pateo septem, scilicet Ludouici Podocatei, Laurentij de Mochiis, Ioannis Andreæ de Regio,Iacobi de Botafoco, & Stephani de Caciis, Ioannis Victor & Francisci de Arianis de Parma;necnon octo eaaminantium in prima visione, scilicet Francisci de Maximis, Hieronymi Pauli, Iacobi Fiella, Ioannis de Rio, Petri Leopardi,Iacobi Casanoua, Ioannis Copis,& Francisci Galeti, Abbreuiatorum earundem literarum, Abbreuiatoriæ officia & loca,dum per cessum vel decessum,aut promotionem, priuationem,seu quamvis aliam dimissionem prædictorum,& aliorum quorumcumque,qui officia & loca ipsa pro tempore obtinebunt, ad liberam ipsius Roderici Episcopi & pro tempore existentis Vicecancellarij dispositionẽ pertineant,possitque & debeat ipse Rodericus Episcopus & pro tempore existens Viceeancellarius,aut per eum ad hoc specialiter deputatus, illorum resignationem recipere & admittere, ac per suas literas suo sigillo pendente munitas de illis dum pro tempore qualitercumque vacauerint, per seipsum seu eius Locumtenentem, seu ad hoc ab eo speciale mandatum habentem personis idoneis prouidere,& exigentibus personarum meritis & sufficientia super earundem personarum, quibus ipse prouiderit de huiusmodi officiis, & locis requisitarum qualitatum defectibus, cum sibi placuerit aut deputati. huiusmodi dispensare cum eisdem personis ad ipsa officia & loca obtinenda. Non obstantibus prædictorum Benedicti & Callisti literis præfatis super habilitate,& illi quibus de eisdem officiis & locis ipse Rodericus Episcopus, & pro tempore existens Viceeancellarius,seu deputati,duxerit suis literis prouidendum, ad officia & loca ipsa absque aliqua alia prouisione recipiantur,& admittantur. Ita quod dictæ literæ prædicti Roderici Episcopi,seu ad hoc ab eis specialiter deputati, vel pro tempore existentia Viceeancellarij,quas absque aliarum literarum Apostolicarum desuper conficiendarum expeditione, perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus,iis quibus officia ipsi & loca concesserit & assignauerit, plenissime & per omnia valeant & suffragentur,ac si super iis officiis, & locis,literæ Apostolicæ confectæ & expeditæ fuissent,Quodq; recepti ad officia & loca ad quæ recepti fuerint,suo ordine collocẽtur.Sicque continuo per ipsum Rodericum Episcopum, & pro tempore existentem Vicecancellarium absque contradictione qualibet obseruetur.

Clausula præseruatiua.

§. 26. Decernentes de similibus consilio & assensu fratrum prædictorum, quicquid secus super iis ad prædicti Roderici Episcopi,& pro tempore existentis Vicecancellarij dispositione vt præmittitur spectantibus officiis, & à nobis aut successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus,absque expresso prædicti Roderici Episcopi & pro tempore existentis Viceeancellarij consensu contigerit attentari,irritum & inane,nulliusq; roboris vel momenti existere.

Reliqua prædicta officia collationi Pōtificis reseruantur.

§. 27. Reliquorum vero quorum nomina & cognomina, &c.& eorum loco per quamcumque vacationem seu aliam dimissionem ad huiusmodi officia substituendorum officiorum & locorum Abbreuiatoriæ,& literarum huiusmodi dispositio ad nos & pro tempore existentem Romanum Pontificem pertineat. Ita vt idem Rodericus Episcopus & Viceeancellarius,etiam prætextu per nos sibi dudum generaliter concessæ facultatis prędictæ disponẽdi de locis ac officiis Cancellariæ prædictæ, de ipsorum reliquorum Abbreuiatoriæ officiorum ad nos, vt præfertur pertinentium dum vacabunt, dispositione se nequeat impedire. Non intendentes tamen facultati prædictæ propter hoc, ex eo quod ipse Rodericus Episcopus & Viceeancellarius ea forsan hactenus vsus non foret,in aliquo derogatum censeri,imo licere sibi eum voluerit ea quam præsentium tenore sibi pro potiori cautelæ suffragio iuxta literarum nostrarum desuper continentiam, atque formam, de eorundem fratrum consilio & assensu,etiam de nouo ad veriorem cautelam concedimus cum sibi placuerit libere vti.

Præceptum præfata omnia obseruanda.

§. 28. Et vt præmissa omnia saltem metu pœnæ firmius & validius obseruentur, omnibus & singulis quos præsens tangit negotium,etiam sub pœna excommunicationis, præcipimus & mandamus quatenus præmissa omnia & singula provt superius continentur, sublata eis quacumque aliter interpretandi facultate & auctoritate inuiolabiliter obseruent.

Viceeancellarius met executor deputatur.

§. 29. Mandantes ipsi Roderico Episcopo, & pro tempore existenti Viceeancellario, vt omnia prædicta sub pœnis arbitrio suo ferendis faciat ab omnibus inuiolabiliter obseruari.

Clausula præseruatiua.

§. 30. Decernentes præsentibus nostris literis & earum singulis clausulis per quascumque alias literas seu mandata Apostolica nullatenus in aliquo derogatum esse censeri, nisi literæ & mandata derogatoria huiusmodi consistorialiter de simili fratrum nostrorum consensu fuerint expedita.

Clausula derogatoria.

§. 31. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis quæ in dictis literis, & priuilegiis Scriptoribus concessis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1478. tertio Idus Ianuarij, Pontificatus nostri Anno octauo. *Dat. P. An. 8. die 11. Ian.*

Damnatio quarundam propositionum à Petro de Osma,& aliis temere proditarum,pręsertim circa peccatorum confessionem,& alia Sanctæ R. E. Sacramenta. XVII.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei : Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1478*

Exordium.

LIcet ea quæ de nostro mandato rite fiunt, plenam obtineant roboris firmitatem, tamen illis interdum nostri muniminis robur adiicimus, vt eo firmius illibata persistant, quo magis nostro fuerint præsidio communita.

Petrus de Osma & plerique alij multas scandalosas propositiones defendebant.

§. 1. Dudum siquidem ad audientiam nostram deducto, quod à modico tunc decurso tempore citra, in Hispaniarum regnis, & præsertim in vniuersitate Studij Salamantini, fuerant & adhuc erant, nonnulli iniquitatis filij, qui quasdam falsas sanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas,scandalosas, & male sonantes propositiones,præsertim circa peccatorum confessionem,& Ecclesiastica sacramenta in studio huiusmodi, & in frequentissimo hominum cōuentu,veras esse publice affirmare,& pertinacissime sustentare,ac defendere, apertissimas sacræ scripturæ auctoritates eorũ erroribus repugnantes, illarum rectum, clarum, & apertum sensum, falsis eorum interpretationibus impudenter violando refellere, huiusmodi quoque eorum falsa damnata manifeste hæreticę prauitatis labem continentia,in aliorum mentes inserere, & simplicium animas illaqueare, & vt illa in plurimorum notitiam peruenirent,& in perpetuũ de illis memoria haberetur,libros componere,& in publicum, vt illos legendi omnibus esset facultas, tradere præsumpserant hactenus,& præsumebant.

Hic ideo Pōt. Archiepiscopo Toletano

§. 2. Nos tunc venerabili fratri nostro Alphonso Archiepiscopo Toletano per alias nostras literas commisimus vt assumptis secum aliquibus in Theologia

Magistris,

commiſit earũ plenã examinationem, & præfatorũ seductionem, ad illarum cõfutationem, & quatenus pertinaces essent, eos hæreticos declarari iussit.

Magiſtris, & aliis viris literatis, vocatis iis qui propoſitiones ipſas veras eſſe affirmare nixi erant, & nitebantur in dies, & auditis quæ ipſi pro illarum veritate, & alij Chriſti fideles ad dilucidandum earum falſitatem deducere vellent, an quæ in propoſitionibus huiuſmodi continebantur falſa & fidej præfatæ contraria erronea, & male ſonantia exiſterent, auctoritate noſtra decideret, & declararet. Et declaratione huiuſmodi facta, illos duos in præmiſſis culpabiles eſſe reperiret, ſi iuxta Sanctorum Patrum inſtituta, & canonicas ſanctiones, ſe emendare, & depoſitis de cordibus eorum totaliter erroribus prædictis, ac Eccleſiæ vnitatem hæretica labe huiuſmodi abſurata, redire, & iuxta declarationem ſuam tales propoſitiones eſſe ſcandaloſas, falſas & hæreticas, ac male ſonantes fateri, & deſuper confectum librum huiuſmodi retractare, & cum effectu refutare recuſarent, & in illis eorumque erroribus pertinaciter inſiſtere vellent, hæreticos, ac cenſuris & pœnis in tales à iure promulgatis irreticos eſſe decerneret, plena ſibi deſuper auctoritate conceſſa, prout in noſtris inde tunc confectis literis plenius continetur.

Qui Archiepiscopus easdem propositiones, Petro eiusque sequacibus vocatis, examinauit, & falsas & hæreticas esse declarauit.

§. 3. Poſtmodum vero ſicut accepimus præfatus Archiepiſcopus ad executionem dictarum literarum, earum forma ſeruata, rite procedens, dilectos filios Petrum de Prexamo, & Petrum de Ocanno, ac Petrum de Caloca, necnon Didacum de Betonno, Martinum quoque Alphonſi de la Torre Magiſtros, & Petrum Didaci de Coſtaira, & Ioannem de Quintana Paglia licentiatos in Theologia, necnon Tellium de Buendia Toletanum & Vaſcuno de Pibeïa de Talauera in eadem Eccleſia Archidiaconos, Marchionea, & Thomam de Euenca, & Ioannem de Medina decretorum Doctores, ac Garſiam Fernandi de Alcala in eiſdem decretis licentiatum, & alios quamplures Magiſtros in Theologia, ac Doctores, & licentiatos in eiſdem decretis, alios quoque quamplurimos doctos & licentiatos literatos viros, ex diuerſis regnorum prædictorum locis, pariter & dilectum filium Petrum de Oſma propoſitionum prædictarum auctorem, eiuſdem ſequaces coram ſe ad ſuum Oppidum de Alcala Toletanæ diœceſis euocari fecit, & dicto Petro de Oſma ac ſequacibus minime comparentibus, debito tempore expectatis matura ſuper omnibus propoſitionibus prædictis deliberatione præhabita, de vnanimi conſilio & aſſenſu Magiſtrorum & Doctorum prædictorum, declarauit illas propoſitiones, per quas Petrus de Oſma, & eius ſequaces prædicti pertinaciter affirmare non verebantur, Confeſſionem peccatorum in ſpecie, ex vniuerſalis Eccleſiæ realiter ſtatuto, non diuino iure compertam fore. Et peccata mortalia quoad culpam & pœnam alterius ſæculi abſque confeſſione, ſola cordis contritione, prauas vero cogitationes ſola diſplicentia deleri; Et quod confeſſio ſecreta ſit, neceſſario non exigi. Et non peracta pœnitentia, confitentes abſolui non debere. Et Romanum Pontificem purgatorij pœnam remittere, & ſuper his quæ vniuerſalis Eccleſia ſtatuit, diſpenſare non poſſe. Sacramentum quoque Pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ, naturæ, non autem inſtitutionis noui aut veteris teſtamenti exiſtere, & alias quas propter earum enormitatem, (vt illi qui de eis notitiam habent obliuiſcantur earum, & qui de eis notitiam non habent ex præſentibus non inſtruantur in eis) ſilentio prætereundas ducimus, falſas ſanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas, & ſcandaloſas, ac à fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum decretis, & Apoſtolicis conſtitutionibus contrarias fore, manifeſtam hæreſim continere, dictarum literarum, & per illas ſibi conceſſæ facultatis vigore, declarauit, & pro talibus haberi, & reputari debere decreuit, prout in quibuſdam authenticis ſcripturis deſuper confectis, plenius continetur.

Hic Pont. eisdẽ in suo Consistorio relatis, autodictarum propositionum examinationem, duobus Card. delegauit, qui eas erroneas esse itidem retulerunt.

§. 4. Et demum præmiſſis ſicut præfertur geſtis & propoſitis in Conſiſtorio coram nobis, Nos dilectis filiis noſtris, Stephano tit. Sanctæ Mariæ in Tranſtyberim, & Ioanni tit. S. Praxedis Presbyteris Cardinalibus commiſimus, vt de præmiſſis geſtis per ipſum Archiepiſcopum diligenter ſe informarent, & quæ inuenirent, nobis & aliis fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus referrent. Qui tam zelo fidei, quam vt noſtris parerent mandatis, onus huiuſmodi prompta voluntate ſuſcipientes, cuncta diligenter rimarunt, & quæ inuenerunt, nobis & aliis fratribus noſtris memoratis fideliter retulerunt, propoſitiones præfatas erroneas fore, pluribus auctoritatibus & rationibus præter illas quas in Archiepiſcopi proceſſibus inuenerunt, etiam demonſtrantes zelo fidei memoratæ.

Ideo idem Pont. Archiepiscopi declarationem approbat.

§. 5. Nos igitur ad quem ſpectat, errores huiuſmodi extirpare, habita eorundem S. Mariæ in Tranſtiberim, & S. Praxedis Cardinalium relatione prædicta, ipſius Archiepiſcopi ſolertiam & diligentiam in præmiſſis, plurimum in Domino commendantes, ex certa noſtra ſcientia, Archiepiſcopi declarationem, & decretum huiuſmodi, & prout illa concernunt, omnia & ſingula in ſcripturis prædictis Archiepiſcopi ſuper præmiſſis confectis contenta, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, de eorundem referentium & aliorum fratrum noſtrorum vnanimi conſilio & aſſenſu laudamus, confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem.

Ipseque dictas propositiones hæreticas esse decernit.

§. 6. Et nihilominus pro potioris cautelæ ſuffragio, omnes & ſingulas propoſitiones prædictas, falſas, ſanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas, & ſcandaloſas, & ab Euangelica veritate penitus alienas, Sanctorum quoque Patrum decretis, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrarias fore, ac manifeſtam hæreſim continere, dicta auctoritate declaramus.

Et contra impœnitentes suos cõtra hæreticos ab Archiepiscopo procedi mandat.

§. 7. Præfato quoque Archiepiſcopo, ſcientia & auctoritate prædictis, committimus & mandamus, vt contra dicti Petri de Oſma ſequaces prædictos, ſi huiuſmodi hæreſim, in quam prolapſi ſunt abiurare, & eundem Petrum prout errantem ſecuti ſunt, errores ſuos abiurantem, & ſe emendantem ſequi recuſauerint, aut malitiosè diſtulerint, iuxta prædictarum aliarum noſtrarum literarum continentiam, tanquam hæreticos procedere non omittant.

Hasque literas, & Petri de Osma abiurationem publicari præcipit.

§. 8. Et vt geſta per eum probe & laudabiliter, zelo fidei de mandato noſtro, & per nos merito approbata, & omnium illarũ incolarum notitiam patrium facilius perueniant, qua habita, poſſint ſe ipſos, ita, ne in prædictos prolabantur errores, liberius cuſtodire, præſentes noſtras literas, cum proceſſu per eum habito, ac dicti Petri abiuratione, ſingulis illarum partium Epiſcopis ſignificare non omittat, qui poſt ſignificationem eamdem, Clero & populo ſuarum ciuitatum & diœceſum ea publicari procurent, & generaliter omnia faciant, quæ pro huiuſmodi hæreſis extirpatione neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna videbuntur.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Sanctionem pœnalem apponit.

§. 10. Nulli ergo, &c. noſtræ laudationis, confirmationis, approbationis, communitionis, declarationis, commiſſionis & mandati paginam infringere, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 6. die 8. Aug.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo, quinto idus Auguſti Pontificatus noſtri anno Octauo.

Approbatio antiqui ritus orandi Pſalterium B. MARIÆ Virginis, cum Indulgentiarum pro ſic orantibus elargitione. XVIII.

Inſtituta eſt deſuper ſpecialis Confraternitas, Roſary nuncupata. Et facultas eiuſmodi Confraternitates, & Roſary Capellas erigendi tributa eſt Magiſtro & Vicario generali Ordin. S. Dominici, à quo hoc Pſalterium antiquitus inſtitutum fuit, vt inf. in conſt. 86. Py V. & conſt. 21. Sixt. V.

Eiſdem ſic orantibus maiores indulgentiæ, Confratribus autem pleniores, à diuerſis Pontific. conceſſæ ſunt, quæ habentur in præcit. conſtitutionibus & in Leon. X.

Leon.X.Const.47.Pastoris hic inf.& in alia constit.40. Clem.VII. Et si. Et eas omnes Paulus V. postremo approbauit sub die 20.Septemb.1608.quamvis die 3. Nouemb.1606. aliter de eis statuisset.

Edita A.D. 1479.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EA quæ ex fidelium deuotione ad Dei omnipotentis, & gloriosæ Virginis MARIÆ laudem & gloriam pie ordinata sunt, vt firma permaneant nostræ approbationis robore solidamus, ac fideles ipsos ad deuotionis opera exercenda indulgentiis & remissionibus libenter inuitamus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ aptiores, maxime cum Catholicorum Principum id exposcit deuotio, & hoc conspicimus in Domino salubriter expedire.

Orãdi modus qui Psalteriũ siue Rosariũ B. Mariæ Virginis appellatur in Ducatu Britanniæ innouatus est.

§. 1. Sane pro parte dilecti filij nobilis viri Francisci Ducis, & dilectæ in CHRISTO filiæ nobilis mulieris Margaritæ, eius Conthoralis Ducissæ Britanniæ, nobis fuit nuper propositum quod in Ducatu Britanniæ & pluribus aliis locis crescente fidelium deuotione ab aliquo tempore citra, innouatus est certus modus siue ritus orandi pius & deuotus, qui etiam antiquis temporibus, à Christi fidelibus in diuersis mundi partibus obseruabatur: videlicet, quod quilibet volens eo modo orare, dicit qualibet die ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis MARIÆ, & contra imminentia mundi pericula, toties Angelicam Salutationem Aue Maria, quot sunt Psalmi in Psalterio Dauidico, videlicet centies & quinquagies, singulis decem salutationibus huiusmodi orationem Dominicam semel proponendo. Et iste ritus siue modus orandi, Psalterium Virginis MARIÆ vulgariter nuncupatur.

Dux & Ducissa Papæ approbationem petierunt.

§. 2. Vnde Dux & Ducissa præfati propter singularem & sinceram quam ad ipsam B. Virginem Mariam gerunt deuotionem, cupiunt ritum siue modum orandi prædictum, ad obstruendum ora aliquorum detrahentium, per Sedem Apostolicam approbari. Quare pro parte Ducis & Ducissæ & aliorum fidelium plurimorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ritum siue modum orandi huiusmodi approbare, aliasque super præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic Pont. approbat, & Indulg. concedit.

§. 3. Nos igitur tam Ducis & Ducissæ, quam aliorum fidelium piam deuotionem in CHRISTO habentium commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præfatum Psalterium, siue modum orandi prædictum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, illumque tolerandum fore, ac cunctis fidelibus eo modo orare debere, & licere decernimus & declaramus.

Quibuscumque non obstant.

§. 4. Et vt omnes & singuli Christi fideles, ad deuotionis opera & prædicto modo orandum eo feruentius inducantur, quo exinde animarum suarum facilius salutem consequi sperauerint, Vniuersis & singulis Christi fidelibus præfato modo orare volentibus, vbilibet existentibus, præsentibus & futuris, pro qualibet vice qua sicut præmittitur orauerint, pro qualibet quinquagena præfati Psalterij, quinque annos, & totidem quadragenas indulgentiæ misericorditer in domino relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Fides exemplorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula loca in quibus illis opus esset, &c. Volumus, &c. quod transumpto earum manu duorum Notariorum alicuius Ecclesiæ Curiæ subscripto, & sigillo alicuius Prælati seu in dignitate Ecclesiastica, &c. fides detur in omnibus & per omnia, &c. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 8. die 9. Maij.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, quarto *alias* 7. idus Maij Pont.nostri Anno 8.

XIX. Concessio gratiarum & priuilegiorum pro Ordinibus S. Dominici & S. Francisci.

Hæc bulla aurea nuncupatur à Regularibus istis, eo quod multa contineat priuilegia. Vltra qua, hic idem Pont. alia elargitus est eidem Ordini S. Dominici, vt supr. in const. 7. Regimini. Et alia Ordini S. Francisci, vt supr. in eius const. 6. Regimini, & vtrobique notani.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei · Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An.D. 1479.

Ordinum S. Dominici & S. Francisci merita multa sunt.

SAcri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, instar duorum primorum fluminum à cœlestium voluptatum, & amœnitatum à Paradiso egredientium sacrosanctæ vniuersalis Ecclesiæ terram, ne mundanarum cupiditatum, & vitiorum calore arescat, præclaræ doctrinæ, virtuosorum operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigantes, magis illam in dies fructuosam efficiunt. Hi sunt duo Seraphim, qui in sublimi contemplationis, & Seraphici amoris alis eleuati à terrenisque rebus abstracti, assiduo diuinarum laudum clamore, & immensorum beneficiorum humano generi à summo opifice Deo exhibitorum declaratione, feruentissimia prædicationibus populos instruendo, & ad cœleste iter dirigendo insistentes, multiplicata talenta eis credita, Domino Deo mundæ segetis animarum scilicet Redemptoris Nostri IESV CHRISTI pretiosi sanguinis effusione redemptarum, copiosos in horrea Sanctæ Ecclesiæ manipulos referont. Hi sunt duæ tubæ per quas Dominus præcipit ad pabulum sacri Euangelij vniuersum populum assiduis prædicationibus aduocari, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & redderent sibi populum acceptabilem, & bonorum operum sectatorem. Ad prædictorum igitur Prædicatorum & Minorum fratrum Ordines quos pro eorum amplissimis meritis, & vberrimis fructibus quos in Dei Ecclesia continue afferunt, præ cæteris paterna charitate diligimus, nostræ considerationis intuitum dirigentes, illa eis libenter concedimus, quæ in eis optatæ quietis fructum inducant, & statum eorum faciant pacificum & tranquillum.

Hic ideo Pontifex plurima ipsorum Ordinum priuilegia approbauit, & alia concessit, vt in eius bulla cit. in rubr.

§. 1. Dudum siquidem vt Ordinum eorundem professorum statui & quieti consuleremus, Motu proprio nonnullas literas diuersorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum dictis Ordinibus concessas, & in illis contenta approbauimus, & quoad aliqua declarauimus, ampliauimus, & extendimus, ac nonnulla de nouo eis concessimus, provt in diuersis nostris literis desuper confectis plenius continetur.

Sed eorum quieti plene non consultum.

§. 2. Cum autem sicut postmodum accepimus, per huiusmodi ampliationes, declarationes, extensiones, & concessiones, adhuc totali eorundem Ordinum & illorum professorum quieti plene vt expedit non consulatur, asseraturque à nonnullis per easdem literas, omnes gratias, spirituales & temporales, dictis Ordinibus & eorum domibus & fratribus à prædecessoribus nostris concessas approbatas non fore.

Confirmat itaque latius eorum gratias tam spirituales quam temporales.

§. 3. Nos attenta meditatione pensantes, quantum vtilitatis ad exaltationem Christianæ fidei & Euangelicæ veritatis Ordinum prædictorum professores hactenus attulerunt, & afferre valeant, adiuuante Domino in futurum, ac propterea volentes, vt tenemur, eorum tranquillitati vberius prouidere; Motu simili, non ad ipsorum fratrum & sororum, aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia, quascumque literas & gratias, spirituales & temporales, concessiones & indulgentias, ac peccatorum remissiones, in genere vel in specie fratribus & sororibus Prædicatorum & Minorum Ordinum ac domorum eorundem, necnon visitantibus illorum Ecclesias, Capellas, & Oratoria concessas quarum tenorem, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur haberi volumus pro expresso, præsentium tenore approbamus, & robur firmitatis perpetuæ obtinere decreuimus, proque potiori cautela, Apostolica auctoritate de nouo iuxta literarum desuper concessarum continentiam & tenorem concedimus & largimur.

§.4.

Indulgentias eorum Ecclesias visitantibus concedit. Tu scias Pium V reuocasse indulg. pro quibus porrigendæ sunt manus adiutrices, in eius const. 10. Etsi dominici.

§. 4. Et vt Ecclesiæ domus & Oratoria Prædicatorum & Minorum Ordinum prædictorum per vniuersum orbem constructæ & ædificatæ, & quæ construi & ædificari contigerit in futurum, congrua deuotione & veneratione à Christi fidelibus visitentur, ac quæ imperfectæ sunt perficiantur, & ad complementum deducantur, & completæ conseruentur, & manuteneantur, necnon paramentis & aliis ad diuinum cultum inibi necessariis debite ornentur, ipsique Christi fideles ad dictas Ecclesias eo libentius confluant, & ad præmissa manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vniuersis & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesias & Oratoria domorum fratrum prædictorum in singulis S. Dominici & S. Francisci, centum annos & totidem quadragenas, & in sanctorum Petri martyris, Thomæ de Aquino, Vincentij, & sanctæ Catharinæ de Senis, ac sanctorum Antonij de Padua, & Ludouici Episcopi, Bernardini, & sanctæ Claræ & beatæ Elisabeth festiuitatum diebus, à primis vesperis, & per totam diem ipsarum festiuitatum quinquaginta annos & totidem quadragenas deuote visitauerint annuatim, & manus ad præmissa aut eorum aliqua porrexerint adiutrices, de iniunctis eis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Facultatem eligendi confessorem, &c. impartitur. Tu attende const. 115. Clement. 8 Quacumque.

§. 5. Et vt prædictorum Prædicatorum & Minorum Ordinum fratres tanto feruentius diuinis beneplacitis insistant, quanto maioribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos, omnibus & singulis Prædicatorum & Minorum Ordinum professoribus, qui nunc sunt, & pro tempore perpetuo erunt, vt confessor idoneus eorundem Ordinum, quem quilibet pro se de sui Superioris licentia duxerit eligendum, eorundem confessione diligenter audita, pro commissis per eos excessibus & peccatis semel in vita, in forma confessionalis per nos edita, in mortis vero articulo plenariam absolutionem, & peccatorum huiusmodi remissionem impendere valeant, etiamsi ante factam eorundem Ordinum professionem eos decedere contingeret, similibus motu, scientia, & auctoritate indulgemus.

Facultatem Prælatis Ordinum concessam absoluendi fratres, &c. restringit. Tu vide declarationem huc in fin. ac bullam 115. Clem. VIII.

§. 6. Facultatem verò à Prædecessoribus nostris concessam Magistro generali & Prioribus prouincialibus, & conuentualibus, ac eorum Vicariis Prædicatorum, ac Generali & Prouincialibus ministris, & eorum Vicariis, necnon Custodibus Minorum Ordinum prædictorum, super absolutione fratrum eorundem Ordinum suorum & dispensatione cum eisdem, in quibuscumque casibus (præterquam illis pro quibus essent ad Sedem Apostolicam mittendi) & per eos approbatam, cum declaratione casuum pro quibus mittendi sunt perstringentes, volumus quod Magister & Minister generales præfati, & eorum Vicarij, & illi quibus ipsi Magister & Minister generales pro tempore id duxerint, committendum dumtaxat, & non alij facultate prædicta de cætero vti possint, illam omnibus aliis penitus adimentes.

Gratias Ordinum, Sororibus & Tertiarijs eorundem Ordinum communicat.

§. 7. Et ne propter monasteria Monialium seu sororum sub cura & institutis Ordinis prædicti fratrum Prædicatorum, & S. Claræ, seu S. Damiani Ordinum sub eiusdem fratrum Minorum Ordinis cura degentia; S. Dominici & S. Francisci de Pœnitentia nuncupatorum Ordinum vtriusque sexus personas contingat eorundem fratrum quietem turbari, motu, scientia & auctoritate prædictis statuimus, quod huiusmodi monasteria, & loca, eorumque Abbatissæ, & Priorissæ, procuratores, syndici, oblati, & vtriusque Tertij Ordinis prædicti de Pœnitentia nuncupatæ personæ prædictæ, eisdem priuilegiis, immunitatibus, gratiis, fauoribus, concessionibus, facultatibus, & indultis, spiritualibus & temporalibus, prædictis fratrum Prędicatorum & Minorum Ordinibus ac illorum professoribus, domibus, & locis, ac procuratoribus, syndicis, oblatis, & commissis, seu alias quomodolibet per prædecessores nostros, aut nos hactenus concessis, & in posterum concedendis, quavis auctoritate, quatenus earum sexui & statui non contradicant, libere & licite vti possint & debeant, in omnibus & per omnia, prorsus & sine vlla differentia, ac si eisdem monasteriis, locis & personis, Abbatissis, syndicis, procuratoribus, oblatis & commissis, sororum & monialium earundem, ac personis vtriusque sexus de Pœnitentia huiusmodi, nominatim concessa forent, & concederentur expresse.

Circa eleemosynarum collectiones, & prædicationes non molestentur ab Ordinarijs vel aliis. Tu quoad prædicationes serua Concil. Trident. sess. 5. cap. 2 & sess. 24. cap. 4.

§. 8. Præterea, quia vt intelleximus exortis nonnunquam controuersiis inter locorum Ordinarios, eorumque Vicarios seu Officiales curatos, & fratres prædictorum Ordinum, variis occasionibus, locorum Ordinarij, eorumque Vicarij seu officiales & curati prædicti, ne Christi fideles fratribus ipsis pias eleemosynas erogare præsumant, suadere, & etiam sub censuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore prædicare, seu prædicari facere, seu pronuntiare præsumunt. Locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, seu officialibus & curatis prædictis, ac etiam aliis quibuscumque dicta auctoritate mandamus, vt ab huiusmodi persuasionibus, inhibitionibus & mandatis de cætero prorsus omnino abstineant, decernentes inhibitiones ipsas & mandata, nullius existere firmitatis, & illis contrauenientes, censuris huiusmodi minime ligati, ac eosdem persuadentes & inhibentes, mandatoque nostro huiusmodi obtemperare non curantes (nisi pœnituerint, & persuasiones ac inhibitiones & prædicta reuocauerint infra triduum, postquam desuper requisiti fuerint) eo ipso Ordinarios interdicti ingressus Ecclesiæ & suspensionis à regimine & administratione suarum Ecclesiarum; alios vero inferiores ab eis excommunicationis sententiam incurrere.

Defuncti seculares in habitu Ordinum sepeliri cum eorum habitu recepto à Prælatis ... possunt.

§. 9. Cum autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum & Minorum specialiter gerentes deuotionis affectum, eorum cadauera cum habitu fratrum Prædicatorum vel Minorum, seu fratrum vel sororum de Pœnitentia vtriusque Ordinis prædictorum, sepeliri mandent, & persæpe antequam moriantur habitum huiusmodi eis postulant exhiberi, decernimus habitum huiusmodi per Priorem domus Ordinis prædicatorum, aut Guardianum domus Ordinis Minorum loci in quo tales decedere continget, vel per Superiorem Prælatum ipsorum Ordinum, domorum, seu Prioratus & guardianiæ, vel cui illi duxerint committendum dumtaxat, & non per alium quavis auctoritate vel prælatione fungentem exhiberi debere, qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur, apud eorum Ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum suscipiant, & illorum sic indutorum cadauera discooperta, nullo pallio vel tegumento super imposito, cum habitu huiusmodi ad sepulturam deferri posse. Ordinariorum, etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obstante, quas quoad hoc modificamus.

Fratres habilitati ad beneficia Ecclesiastica, non gaudent priuilegijs Ordinum, sine illorum Prælatorum consensu.

§. 10. Et ne ex habilitatibus ad vnum vel plura beneficia Ecclesiastica, in titulum vel commendam obtinenda, cum facultatem interim donec illa assequantur pro capellanis aliorum in beneficiis Ecclesiasticis deseruire, & quod etiam postquam beneficia huiusmodi assecuti fuerint in domibus dicti Ordinis residere, cameras habere, in illis, ac in generalibus atque prouincialibus Capitulis fratrum eorundem Prædicatorum & Minorum Ordinum, vocem actiuam & passiuam habere, ac priuilegiis, fauoribus, & gratiis, & indultis concessis ipsorum Ordinum professoribus, gaudere possint, præfatis Ordinibus, & illorum professoribus grauamen inferatur, eisdem motu & auctoritate decernimus, huiusmodi concessas, & quas concedi contigerit habilitationis literas, intelligi & interpretari debere, vt fratres ipsi quibus literæ huiusmodi, concessæ sunt & concedentur in posterum, quandocumque per Sedem prædictam postquam aliquod beneficium adepti fuerint pacifice, aut pro capellanis in aliquibus Ecclesiis cœperint deseruire, concessionibus prædictis (prout vocem actiuam & passiuam, residentiam in domibus dictorum Ordinum, ac retentionem dictarum domorum, camerarum, & alia quæ Ordinum præfatorum sunt, concernunt) de dictorum Prælatorum consensu dumtaxat gaudere possint, & non alias, nec alio modo. Idem statuentes de promotis ad cathedrales etiam titulares appellatas Ecclesias, & alias Ecclesiasticas dignitates.

Generales Ordinū corrent etiam Fratres servientes Inquisitione.

§. 11. Cæterum vt dictorum Ordinum professores qui Inquisitores hæreticæ prauitatis pro tempore in diuersis mundi partibus deputantur, tanto diligentius eorum officia studeant exercere, ac ab illicitis & eis prohibitis abstinere, quanto cognouerint posse eorum errores facilius corrigi, & puniri, quod Magister Prædicatorum, & Minister Minorum Ordinum prædictorum generales præfati, nunc & pro tempore existentes, gesta pro tempore per ipsos Inquisitores suorum Ordinum respectiue examinare, & querelas contra illos propositas audire, ac super illis (quantum eis iustum & æquum videbitur) statuere & ordinare; & si in aliquo eos deliquisse inuenerint, illos iuxta excessuum exigentiam, etiam per eorum ab officio amotionem, ac alias corrigere & punire, dictosque Inquisitores secundum quod æquum & iustum aut necessarium videbitur (non tamen in vna, eademque diœcesi) multiplicare libere & licite valeant.

Inquisitores vnius ex dictis Ordinibus contra alios non procedant. Tu vid. const. 51. Pij IV. Pastoris

§. 12. Et Prædicatorum in Minorum, & è contra Minorum Ordinum prædictorum Inquisitores, in Prædicatorum Ordinum huiusmodi professores quoscumque officio inquisitionis huiusmodi fungi, illudque exercere nullatenus possint, absque Sedi Apostolicæ licentia speciali, de præsentibus literis specificam & expressam faciente mentionem.

Concessio gratiarum alijs Ordinibus Mendicantium concessarum. Plenior concessio habetur inf. in const. 4. Pij V. Et si.

§. 13. Postremo quia Prædicatorum & Minorum fratrum prædicatorum Ordinum professores pro fidei catholicæ dilatatione, incremento, & defensione, continue indefesse laborant, & eorum exemplari vita, prædicationibus verbi Dei, audientia confessionum, sana doctrina, assidua sacrarum literarum instructione, & deuota diuinorum officiorum celebratione, hæreticorum extirpatione, aliisque innumeris piis operationibus præ cæteris Ordinum Mendicantium professoribus fructus in Ecclesia Dei salutares copiosius attulerunt hactenus, & continue afferre non cessant, atque allaturos in futurum Deo propitio spe firma tenemus, & propterea conuenit, vt ipsi præ cæteris ampliores fauores & gratiarum prærogatiuas à præfata Sede recipiant & reportent, aliorumque Ordinum Mendicantium indultis & priuilegiis apud Sedem præfatam gaudeant, ne illis inferiores esse videantur; omnes & singulas gratias, concessiones, indulgentias, & peccatorum remissiones, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta, spiritualia & temporalia, qualiacumque sint Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, ac Seruorum B. MARIÆ fratrum Ordinibus, & illorum Ecclesiis, Oratoriis, & domibus, Prioribus, fratribus, & sororibus, conuersis & oblatis, ac vtriusque sexus personis de Pœnitentia nuncupatis, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus prædictis, & à nobis, aut aliis auctoritatem habentibus, quæ omnia ac si nominatim exprimerentur haberi hic volumus pro sufficienter expressis, coniunctim vel diuisim, in genere vel in communi concessa, eisdem & eorum cuilibet, Prædicatorum & Minorum fratrum Ordinibus, domibus, Ecclesiis, Oratoriis, generali Magistro, Ministro, Prioribus, & Ministris prouincialibus, conuentualibus prioribus, guardianis, sororibus, oblatis, conuersis & vtriusque sexus Tertij Ordinis, seu de Pœnitentia nuncupatis, & aliis eorundem Ordinum personis, de nouo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac si eisdem nominatim, directe & expressa concessa fuissent. Mandantes etiam motu & scientia & auctoritate prædictis, vt dum priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, & indultorum, dictorum fratrum Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, & Seruorum S. MARIÆ originales literæ seu transumpta authentica, ex illis, pro & in fauorem Ecclesiarum, domorum, & fratrum prædictorum Prædicatorum & Minorum Ordinum, adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tam in iudicio quam extra iudicium, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac si pro & in fauorem dictorum Ordinum, Ecclesiarum, domorum, & fratrum Prædicatorum & Minorum à Sede Apostolica emanassent, ac eis & cuilibet ipsorum fuissent immediatè concessæ.

Inhibitio contra perturbatores.

§. 14. Inhibentes districtius ipsis locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac parochialium Ecclesiarum rectoribus, & aliis quibuscumque, sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem Ecclesiarum parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, eo ipso quo contrafecerint incurrendis, ne personis quibuslibet Ecclesiasticis vel sæcularibus, in genere vel in specie, directe vel indirecte, aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent, vel statuant, quominus Ordines prædicti, illorum domus & professores, prædictis gratiis eis concessis libere vti possint.

Derogatio contrariorum.

§. 15 Non obstantibus quibuscumque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, & restrictionibus, ac prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, necnon Parisiensis & aliorum locorum generalium Studiorum vniuersitatibus & curiæ Vicegerentiæ Auenionensis, & quibusvis ordinariis Prælatis ac personæ concessis & concedendis literis, priuilegiis, ac per illos deputatis in eis conseruatoribus priuilegiorum huiusmodi facultatibus & iurisdictione, cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis, ac fortioribus & insolitis, quibus omnibus illa etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus & datis, non per huiusmodi generales clausulas etiam specialem mentionem importantes, sed specifica & indiuidua, ac de verbo ad verbum, seu quævis alia mentio habenda esset, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissa, specifice & nominatim derogamus, & ea nemini in præiudicium præmissorum suffragari posse aut debere, ac irritum & inane quicquid secus contigerit attentari decernimus, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis nostris, præfatis Ordinibus concessis, volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 16. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singulas prouincias originaliter destinare, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis earum manu notarij publici, & curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditoris, vel protectoris qui est & qui pro tempore erit, aut alicuius Archiepiscopalis vel Episcopalis, seu cuiuscumque in dignitate constituti sigillo munitis, ea prorsus in iudicio & extra, vbicumque exhibita vel ostensa fuerint, fides adhibeatur indubia, ac si ipsæ originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Pri. A. 8e 26. Iulij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, septimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno octauo.

Sequitur declaratio §. 6. præcedentis Bullæ.

Extat similis declaratio pro Fratribus Prædicatoribus, data die 28. Martij hoc eodem anno, hic sedulo prætermissa.

SIXTVS PAPA IV. &c.

Edita A. D. 1481.

Causa huius declarationis.

§. 1. EXposuisti nobis, quod facultatem absoluendi omnes & singulas vtriusque sexus vestri Ordinis personas, ab omnibus præterquam certis tunc expressis casibus, & super irregularitatibus dispensandi, tibi, & Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, & eorum Vicariis pro tempore existentibus, vel ab eis deputandis alias concessam ad te & Vicarios tuos dumtaxat, & ad eos quibus tu illud committendum duceres restrinximus, prout in singulis literis desuper editis plenius continetur, vnde fit vt difficile admodum existat pauperibus fratribus tui Ordinis, præsertim in longinquis partibus agentibus, pro huiusmodi absolutione ad te, & tuos Vicarios, longe aliquando remotos accedere, proinde humiliter supplicasti, vt desuper opportune fratribus & personis præfatis ne sic vagari cogantur prouidere dignaremur.

§. 2. Nos

Declaratio §. 6. bullæ præinsertæ circa absolutionem Fratrum.

§. 2. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati tenore præsentium decernimus & declaramus, quod tu & tui successores & Priores, Prouinciales, ac eorum Vicarij pro tempore existentes, & hi quibus vos committendum hoc duxeritis, eandem absoluendi ab ipsis casibus præfatas personas vtriusque sexus vestri Ordinis, & super irregularitatibus dispensandi habeatis facultatem, quam, per priores literas huiusmodi ante restrictionem habebatis. Priores vero conuentuales illam solummodo habere censeantur quam prius habebant ex priuilegiis & literis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum.

Derogatio d. constit.

§. 3. Non obstantibus literis superioribus restrictionia nostræ huiusmodi, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 10. die 16. Iulij.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decimasexta Iulij 1481. Pont. nostri anno 10.

XX. Ampliatio iurisdictionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarij, & Magistrorum Viarum Vrbis, circa ædificia ad eius ornatum construenda, vnà cum priuilegiis eiusmodi ædificia construentium, vel ampliantium.

Hoc antiquißimum officium iam pene destitutum reintegrauit Mart. V. vt sup. in eius constit. 9. Et si: cui deinde alij Pont. magnas iurisdictiones concesserunt, vt videre est infra in const. 12. Greg. XIII. Quæ publica. vbi hæc bulla, quoad contenta in illa, abrogatur. Ibi alias tibi indicabo.

Edita An. D. 1480.

SIXTUS EPISCOPUS. Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ET si de cunctarum ciuitatum temporali dominio Rom. Ecclesiæ subiectarum, decore, & venustate cogitare nos deceat: ad nostram tamen Almam Vrbem Apostolorum Petri & Pauli glorioso martyrij cruore Domino nostro IESV CHRISTO consecratam, ciuitatem sacerdotalem, & regiam, eiusque decorem, & venustatem, tanto accuratius aciem nostræ considerationis extendere nos conuenit, quanto illa caput est orbis, & Altissimus in ea sacerdotij principatum, & Christianæ religionis caput instituit, & sui Vicarij Sedem, ad quam de vniuersis mundi partibus Christi fideles confluunt in numero copioso, voluit collocari.

Causa illius constit.

§. 1. Cum itaque viæ, & stratæ publicæ eiusdem Vrbis, in plerisque locis, causantibus porticibus, prosellis, & aliis variis ædificiis domorum sitarum iuxta illas, adeo arctæ existant, vt per eas commodè deambulari, & necessaria ad victum multitudinis Ciuium Romanorum, & Curialium, ac aliorum in ipsa Vrbe habitantium, & confluentium ad eandem, præsertim temporibus Indulgentiarum Anni Iubilæi, & aliarum concessarum per nos & prædecessores nostros Romanos Pontifices, visitantium Apostolorum præfatorum Basilicas, & alias eiusdem Vrbis Ecclesias, deferri commode nequeant, & in quibusdam locis vix singulariter singuli equestres se obuiantes, in eis transire possint per easdem, idque cedat in non modicam eiusdem Vrbis deformitatem, ac Ciuium, Curialium, & confluentium prædictorum incommoditatem. Et propter nos habita super iis deliberatione matura decreuimus, vias ipsas, præsertim quæ magis frequentantur, & principaliores existunt, ampliari, ac porticus & impedimenta prædicta, quibus sic arctantur, amoueri, & lateribus opportune pauimentari, iamque opus ipsum cœptum sit in diuersis locis, & in illius prosecutione non cessetur: Ac (sicut accepimus) propter demolitionem huiusmodi nonnullæ ex domibus ipsis, quarum porticus, & prosella, ac alia ædificia dirui oportuit, exinde, vt pote necessariis mansionibus solitis, & officinis carentes, ad inhabitandum minus commodæ, & fere inutiles factæ sint & ea propter illarum domini eorum parietes decenter, vt expediret ad decorem viarum earundem reparare, expensas opportunas propterea subire non curent, sublata spe habitandi in eis, aut alias vtilitates recipiendi ex eisdem. Expediatque ad obuiandum huiusmodi incommoditatibus, ex duabus, aut pluribus contiguis domibus, vnam commodam construere, aut partem vnius ex eisdem domibus alteri coniunctæ domui incorporare, sicque indemnitati dominorum earundem obuiare, & decori huiusmodi consulere; & vicinarum domorum domini vt plurimum super iis non conueniant, & recusant sibi inuicem complacere, etiam pro iusto & rationabili pretio. Contingat quoque interdum nonnullos tam Romanos ciues, quam curiales, & alios forenses in eadem Vrbe domos de nouo ædificare, vel antiquas reformare & ampliare velle, & pro illarum decenti constructione indigere coniunctis domibus, interdum ruinosis, & depressis, domui depressæ, vel ruinosæ, vel domorum dirutarum sediminibus, plateolis & solo, seu alio loco vicinis, & huiusmodi domorum, & sediminum, seu platearum, & soli, aut loci dominos requisitos vt de illis eisdem ædificare, & reformare volentibus, venditionis titulo complaceant de domibus, sediminibus, solo, seu loco, oblato etiam persæpe plusquam iusto pretio, id facere nullatenus velle, aut longe plus iusto pretio, etiam nonnunquam duplum illius transcendendo, petere pro eisdem. Quo fit vt, præsertim curiales & forenses, qui ad id iuuari & allici deberent, maximè à Romanis ciuibus, ab huiusmodi eorum laudabili ædificandi, aut ampliandi proposito retrahantur. Et si aliquando dilecti filij Franciscus de Porcarius, & Bapt. Sraglia, moderni, & qui pro tempore fuerint Magistri ædificiorum, & stratarum eiusdem Vrbis, pro construendis nouis plateis in locis conuenientibus, aut antiquis ampliandis, & reformandis, volunt domus aliquas dirui facere, in totum vel in partem, illarum domini similiter oblato eis etiam iusto & rationabili pretio, ne id fiat, pertinaciter se opponere, & huiusmodi nouarum platearum ordinationem, & antiquarum dilationem, ampliationem, omni conatu possibili impedire non verentur: quæ omnia publico bono, & decori, ac pulchritudini eiusdem Vrbis, nostræque circa id intentioni obuiare manifestè cernuntur.

Camerarius & Magistri Viarum cogere vicinos non habitantes domos, illas vendere aliis vicinis habitantibus volentibus reficere domos earum deruptas ob decorem Vrbis. Ad hoc vide etiam constit. Gregor. XIII. citatam in rub.

§. 2. Nos igitur æquum arbitrantes publicam vtilitatem in iis præferri priuatæ commoditati quorumlibet, & illorum qui tam salubri publico bono indirectè modo præmisso se opponunt, duritiem, superioris auctoritate, & æqua ordinatione comprimi; ac volentes propterea super iis omnibus opportunum adhibere remedium, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa nostra scientia, & de plenitudine potestatis Apostolicæ, hac in perpetuum valitura constitutione, statuimus & ordinamus, quod venerabilis frater Guillelmus Episcopus Ostiensis, Camerarius noster, præfati Franciscus & Baptista, ac ipsorum Episcopi, Francisci & Baptistæ in Camerariatus nostri, & pro tempore existentis Roman. Pont. ac Magistratus ædificiorum Vrbis officiis respectiuè, Successores, qui pro tempore erunt perpetuis futuris temporibus, ad requisitionem dominorum domorum, quarum porticus, prosella, seu alia ædificia pro viis, seu plateis & aliis locis publicis eiusdem Vrbis hactenus diruta fuerint, & dirui contingeret in futurum quandocumque de mandato Magistrorum eorundem, si domini prædicti in domibus ipsis inhabitare soliti erant ante demolitionem eandem, & tempore demolitionis huiusmodi factæ, & quam fieri contingeret in futurum absque dolo & fraude inhabitabant, & in posterum inhabitabunt, & propter huiusmodi demolitionem iam factam, & quæ fieret, & domus ipsæ effectæ sint, vel efficerentur in posterum pro eorundem dominorum ipsarum commoda receptione, & inhabitatione incapaces, sintque iuxta eas aliquæ domus per earum dominos minimè inhabitari solitæ, sed pro earum annua responsione, vel alias locari consuetæ, & quarum coniunctione cum domo huiusmodi sic incommoda effecta domino domus sic incommodæ effectæ, aduersus incommoditatem huiusmodi subueniri valeat, teneantur & debeant compellere

illos, ad quos domus ipsas sic vicinas legitime eis pertinere constabit, etiam si ad Ecclesias, & Monasteria, tam virorum quam mulierum, Ordinum quorumcunque etiam exemptorum, necnon beneficia Ecclesiastica, Hospitalia, & loca pia pertinerent, ad vendendum easdem domos vicinas, quas habitare soliti non sunt, dominus domorum cõtiguarum, quas sic incommodas effectas cognouerint, pro pretio per duos probos, & expertos viros, per vtramque partem eligendos determinando, & declarando. Si verò ij duo concordes in eodem assignando pretio non essent, eo casu ipsi Camerarius & Magistri ædificiorum præfatæ Vrbis, habito ipsorum duorum iudicio, pretia eadem imponere, & assignare habeant.

Et si plures eadẽ domo indigerent, domus vtrique æqualiter indigentis, venduntur, vel vni magis indigenti.

§. 3. Et si forsan contingeret ex demolitione huiusmodi, duas domos sic per earum dominos inhabitatas incommodas modo prædicto effici, & inter eas esse aliam domum per illius dominum locari solitam, quam quilibet vicinarum domorum prædictarum incommoditati subiacentium, & ad receptionem ipsorum non sufficientium, sibi vendi, & suæ domui incorporari postularet, debeant Camerarius & Magistri præfati illi ex eis sic petentibus, venditionem huiusmodi fieri mandare, quam magis indigere modo vendenda cognouerint. Et si forsan vterque æqualiter indigeret, partem vni, & partem alteri (si commode vendi poterit) vendi faciant, aut aliter desuper prouideant, prout eis videbitur expedire.

Si plures sint qui domos habeant dirutas & per eos non habitatas, tenetur dominus domus minus læsæ domino domus magis læsæ vendere vt hic.

§. 4. Et si in neutra domo vicinarum, quæ sic inutiles iam effectæ forẽt ex demolitione prædicta, vel efficerentur in futurum, earum domini habitarent, sed eas locare soliti essent, liceat etiam tunc Camerario & Magistris præfatis (si id petatur per alterum dominorum earundem) domum, quam maiora incommoda passam esse cognouerint, domino alterius domus magis læsæ, si emere voluerit, vendi facere modo prædicto, & illo instante domino domus magis læsæ, ad id compellere: & similiter dominum domus è contra minus læsæ, ad emendam domum magis læsam, aut suam domino domus minus læsæ vendendam compellere, seu alias, prout eis videbitur, prouidere quòd ambæ domus ipsæ, inutiles & inhabitabiles non remaneant, & similiter prout eis videbitur prouidere teneantur quoties domus ipsæ sic vicinæ, & locari solitæ æqualiter læsæ & incommodæ effectæ forent.

Pro Platearũ & ædificiorum constructione & ampliatione, &c. domus dominorum locari solitarũ cogantur eas vendere Syndico Vrbis vel vicinis ædificare volentibus, vt hic. Vide ibid. §. 2. & 6 d. bulla Greg. xiij.

§. 5. Et ne ob proteruiam, & duritiem dominorum domorum, sine quarum demolitione plateæ in eadem Vrbe necessariæ, & vtiles, ad illius decorem de nouo ordinari, vel iam ordinatæ ampliari commode nequeãt, Platearum earundem ordinatio, & ampliatio, ac Palatiorum & domorum de nouo constructio, seu reformatio retardetur, eisdem Motu & scientia, ac auctoritate & potestate statuimus, quod Camerarius & Magistri præfati, possint & debeant dominos domorum quarumlibet locari (non autem per ipsosmet inhabitari, solitarum) Ecclesiasticos & sæculares quacumque dignitate fungentes compellere ad vendendum Constructoribus seu Syndico eiusdẽ Vrbis, domus, quas Camerarius, & Magistri præfati, necessarias & vtiles esse cognouerint pro huiusmodi Plateis de nouo ordinandis, & antiquis reformandis, & ampliandis, pro iusto, & rationabili pretio, & præmittitur imponendo. Et similiter ad vendendum domos huiusmodi per eos inhabitari minime solitas, sed locari, quas vtiles & necessarias esse putauerint, pro Palatiis, domibus, seu aliis ædificiis, tam prophanis quam Ecclesiasticis, in eadem Vrbe de nouo construendis, seu iam constructis ampliandis, personis habẽtibus iuxta illas domum, seu solum, aut locum alium, & volentibus inibi de nouo domos, vel Palatia construere, seu iam constructa ampliare, pro iusto & rationabili pretio, vt præfertur, taxando.

Inter plures ædificare volentes qui præferri debeat. Vide ibid. §. 11.

§. 6. Et inter duos, seu plures sic ædificare, seu ampliare volentes, & pro huiusmodi venditione eis fienda ad effectum præmissum instantes, illamque eis fieri petentes, ille præferatur, cui domus, platea, seu locus, de cuius venditione ageretur, magis adiaceret, seu qui illo magis indigeret, & ex cuius ædificio plus decori eiusdem Vrbis consuli speraretur. Et si in omnibus paritas foret, liceat Camerario, & Magistris præfatis venditionem huiusmodi pro parte vni, & pro parte alteri, fieri mandare, aut eorum alteri prout videbitur.

Quæ seruari debeant à Camerario & Mag. contra vendere recusantes. Tu vid. ibid. in §. 17.

§. 7. Et in singulis casibus prædictis, in quibus volumus quod Camerarius & Magistri præfati compellere possint aliquos ad vendẽdum, si illi ad quos pertineret, moniti & requisiti per Camerarium & Magistros præfatos, bis cum termino conuenienti, eorum arbitrio moderando, vendere recusauerint, aut malitiose distulerint, præfati Camerarius & Magistri debeant vice & nomine illorum sic requisitorum & recusantium vel differentium venditionem huiusmodi facere, cum promissionibus, obligationibus, pœnis, renuntiationibus, iuramento, pactis, & clausulis consuetis, & pretium inde proueniens recipere & penes ædem sacram, aut fide & facultatibus idoneam personam deponere, dominis domus, seu alterius loci sic per eos pro tempore venditi (si venditionem ipsam ratam habere, & fideiussores de euictione præstare voluerint, & non alias) consignandum, habeantque venditiones ipsæ, quas sic per Camerarium & Magistros fieri contingeret, & traditiones locorum & domorum sic venditorum plenam roboris firmitatem, ac si per illos ad quos domus ipsæ tunc pertinebant, fierent, & eosdem penitus, & omnino operentur effectus, quos operarentur si fierent ab eisdem.

Ædificare volentes seruent hic contenta. Vide ibid. §. 9. & seq.

§. 8. Prouideant autem Camerarius & Magistri præfati, in casibus prædictis, in quibus statuimus aliquos compelli debere ad vendendum proponentibus noua ædificia construere, seu iam constructa ampliare velle, tales sic proponẽtes ante omnia se obligent ad inchoandum, & perficiendum huiusmodi noua ædificia, modis & formis, ac infra tempus, & sub pœnis, de quibus ipsis Camerario & Magistris (personarum & ædificiorum qualitate inspecta) videbitur, & ab illis qui sic se obligauerint, & præmissa non adimpleuerint, pœnas exigant memoratas, & nihilominus eos compellant ad obseruandum præmissa per eos, vel quas prius habeant, & etiam propterea eis venditas domos aliis ædificare volentibus vendendum pro iusto & rationabili pretio, vt præfertur moderando.

Vendere volentes domos, &c. tenentur vendere vicinis, alias venditiones sunt nullæ, & pro infectis habentur. Vide ibid. §. 8. & seq.

§. 9. Et quia interdum contingit, quod habentes domos, siue domorum sedimina, claustra, seu loca in eadem Vrbe, & illa vendere volentes, variis plerumque modis & occasionibus alia vendere recusant habentibus domos, sedimina claustra & loca vicina, illisque vendere nolunt; nonnunquam illa vendunt æmulis eorundem vicinorum, seu personis eis parum gratis; quo fit, vt ipsi domorum, claustrorum, & sediminum, seu aliorum locorum vicinorum domini illa emere volentes, & habere nequeuntes, retrahuntur persæpe ab ædificando de nouo in eorum sediminibus, & locis vicinis, ac ampliando domos, quas inibi habent, sicque decori eiusdem Vrbis, aut saltem ipsorum vicinorum commoditati non parum detrahitur. Volentes super hoc æqua ordinatione prouidere, Motu, scientia, & auctoritate prædictis, etiam statuimus & ordinamus, quod præfati sic vendere volentes, teneantur & debeant, domos, sedimina, claustra, plateolas, & loca venalia huiusmodi vendere habentibus domos, sedimina, claustra, & loca alia illis contigua, pro iusto & rationabili pretio, per alios euidenter & non ficte forsitan oblato. Et si illa aliis quam vicinis præfatis venderent, venditiones ipsæ (quoad illos qui emerent, & illorum commodum) nullius sint roboris vel momenti, & habeantur pro infectis, & perinde ac si per illum ex vicinis, cuius venditio ipsa, præsentis constitutionis vigore, fieri debebat, facta foret, debeant Camerarius & Magistri præfati, ementem à possessione domus, sediminis, claustri, plateolæ, seu alterius loci sic empti, absque vlla tela iudicij, vicino instante, & pretium rationabile offerente & dicto emptori (si illud recipere & emptioni per eum factæ renuntiare, & per ipsum vicinum iuxta Camerarij & Magistrorum prædictorum ordinationem, cautum facere noluerit) persoluendum deponente, amouere, & ipsum vicinum in illius possessionem inducere. Et si forsan duo essent vicini, quibus domus, claustrum, sedimen, plateola, seu alius locus, de cuius venditione ageretur, vtilitatem, & commoditatem afferre posset; ille ex eis præferri debeat in præmissis, quem Camerarius & Magistri præfati, consideratis circumstantiis vniuersis, venali domo, sedimine, claustro, solo, plateola, seu loco alio, magis indigere

indigere declarauerint. Et si æqualiter indigerent & pro parte vni, & pro parte alteri possit exinde commoditas prouenire, vtrique proportionaliter concedatur. Si verò facta illius diuisione, portiones vtriusque fere inutiles essent, non diuidatur, sed Camerarius & Magistri, alterum eorundem vicinorum, quem voluerint, præferri faciant in præmissis.

Deputatio executorum.

§. 10. Et vt ea, quæ supra statuta sunt votiuum sortiantur effectum, in præmissis omnibus & singulis, Camerario in Ecclesiasticas, & ei, ac Magistris præfatis in alias personas facultatem & potestatem concedimus, ita quod idem Camerarius per censuram Ecclesiasticam, & ipse, ac Magistri præfati, per pœnarum, & mulctarum exactionem, ac personalem distractionem, & alia iuris remedia, contradictores quoslibet & rebelles, compellere valeant ad præmissa.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Municipalibus Statutis Vrbis, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliqua vallatis, exemptionibus, ac indultis, priuilegiis & literis Apostolicis, necnon interdictis personis Ecclesiasticis bonorum immobilium alienationibus, & præstitis per eos desuper iuramentis, à quibus eas absoluimus, contrariis quibuscumque seu si aliquibus communiter vel diuisim à Sede præfata indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod pretia domorum, & aliorum bonorum immobilium ad Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca huiusmodi pertinentium, quæ vendi contigeret in posterum vigore præsentium, penes ædem sacram, aut fide & facultatibus idoneam personam, cum recognitionibus, obligationibus, & cautelis etiam in talibus adhiberi solitis deponantur, & in emptionem aliorum bonorum immobilium pro eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & piis locis omnino conuertantur.

Iussio bullam describendi in lib. Stat.

§. 12. Quodque dilecti filij Cameræ eiusdem Vrbis Conseruatores præsentes nostras literas in Registro Priuilegiorum, & aliarum scripturarum eiusdem Vrbis in eorundem archiuio conseruari solito registrari, & illorum tenores in locis publicis & consuetis eiusdem Vrbis sono tubæ præmisso vulgari sermone publicari, ac præsentes valuis Capitolij triduo, iuris horis, & alibi, prout Camerario & Magistris præfatis visum fuerit, affigi faciant, vt omnibus omni tempore facilius innotescant.

Nulli ergo omnino, &c.

Dat. P. An. 9. die 30. Iunij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1480. pridie Kal. Iulij, Pont. nostri Anno 9.

XXI. Canonizatio S. Bonauenturæ Balneoregiensis, generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorũ Conuẽtualium S. Francisci, S.R.E Cardinalis, & Episcopi Albanensis, eiusque relatio in numerum SS. Confessorum, Põtificum, Doctorum, cum suæ festiuitatis institutione.

Hunc sanctum inter egregios Catholicæ Ecclesiæ Doctores annumerauit, eiusque festum duplici officio die 14. mensis Iulij celebrari præcipit Six. V. vt infra in eius const. 76. Triumphantis.

Edita An. D. 1482.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SVperna cœlestis patria, ciuitas Hierusalem, cuius participatio eius in idipsum, ita omnium electorum saluatione lætatur, vt quorum præstantiora sunt merita, copiosiora etiam sumant gaudia præmiorum. Quod in excessu mentis suæ positus Isaias Propheta sensisse videtur, cùm diceret: Exulta, & lauda habitatio Siõ, quia magnus in medio tui Sanctus. Exultent igitur omniũ Angelorum chori, qui de vacuarum sedium habitatione solliciti, conantur de virtute in virtutem, ad beatas illas mansiones, vnde superbi ruerũt spiritus humilitate perducere. Exultent quoque omnes animæ iustorum qui CHRISTI vestigia sunt sequuti, atque omnes tam veteris, quam noui testamenti fideles amici Dei, qui contemptis huius seculi vanitatibus, conciuiũ numerositate congaudent. Exultet Cœlum laudibus, resultet terra gaudiis, quorum Sanctorum editio, lætitiam habet plurimorum. Vnde enim fidei pietas exigit, vt quod pro salute multorum geritur, communibus vbique gaudiis celebretur. Præcipue verò exultet Pontificum cœtus beatorum, & sacra Doctorum concio, qui fulgent in cœlo tanquam stellæ in perpetuas æternitates, quos inter, S. Bonauentura, tanquam nouum sydus ex hac lacrymarũ valle, ad cœlestem, quæ sursum est, Hierusalem, vocante eum Domino, migrare emicuit.

Laudatur Pontifex de sanctificatione S. Bonauenturæ.

§. 1. Nos, autem, qui disponente Altissimo ad culmen Apostolatus euecti, Christiani gregis curam gerimus, quem pro debito Pastoralis officij, iucundo Sanctorum Collegio conformare, vt debemus, intensis desideriis affectamus, Ecclesiæ militanti, pro cuius ædificatione, & incremento, ipsum Bonauenturam in Catalogum Sanctorum referendum duximus, haud incongrue dicere possumus: Exulta hodie, & lauda habitatio Sion, id est Christiana Religio, in qua tanquam in Monte Sion, per veram fidem habitat verus Deus, quoniam magnus in medio tui Sanctus. Quippe in medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus Spiritu sapientiæ, & intellectus, & stolam gloriæ induit eum; & coronauit ad portas Paradisi, in qua vnà cum Angelis gloria, & felicitate lætatur.

Lætari quidẽ debent vniuersi Christi fideles.

§. 2. Lætemur itaque & exultemus, quia cœlestis illa Curia ex nobis habet, cui sit cura de nobis, qui suis nos protegat meritis, quos informauit exemplis, illuminauit doctrinis, & miraculis confirmauit. Quem Deus dedit cunctis populis in gloriam & honorem cuius memoria in benedictione est.

S. Bonauentura, virtutibus & miraculis claruit.

§. 3. Ea namque de diuinis rebus scripsit, vt in eo Spiritus sanctus loquutus videatur ita pie, Religiose, & sancte vixit, vt scriptis vita congrueret, & quod scribebat doceret exemplo. In quo morum virtus, & signorum claritas ita comperta est, vt congruentibus maximis meritis, ac miraculis veræ sanctitatis testimonium à militante Ecclesia debeatur eidem.

S. Franciscã Religionẽ professus est.

§. 4. Nam cum in flore virente iuuentutis, humanis abiectis illecebris, diuino se addixisset seruitio, Religionem B. Francisci, quæ per ardua tendit, ingressus, tantum sedula lectione, & assidua oratione perfecit, vt cum sapiente merito dicere posset: Optaui, & datus est mihi sensus.

Doctrina præfulsit.

§. 5. Illuminatus enim ab eo qui illuminat omnem sensum, qui lux, via, veritas est, & vita, paucorum annorum spatio incredibilem est scientiam consequutus, nec talentum sibi à Domino creditum sudario alligauit, aut terræ infodit, sed vt sapientissimus dispensator in communem vtilitatem conuertit. In celebri enim Parisiensi Gymnasio, cathedram rexit, vbi abscondita scripturarum enucleans, non solum viua voce profuit multis, sed etiam plurima librorum optimorum, tum in sacris literis, tum in maioribus scientiis monumenta reliquit, quæ essent omni tempore posteris profutura.

Humilitate & innocentia eminuit.

§. 6. Magnus doctrina, non minor humilitate, & vitæ meritis, quem Alexander de Ales Doctor clarissimus, cui se in disciplina sanctus Bonauentura tradiderat, tantæ innocentiæ, ac columbinæ simplicitatis expertus est esse, vt dicere solitus fuerit, sibi videri, quod in eo Adam nunquam peccasset.

Generalis Minister Ordinis extitit.

§. 7. Magnus etiam in Ordine Fratrum Minorum, cui vnus post Beatum Franciscum plurimum profuit. Ad eius enim gubernacula vocatus, & generalis Minister Domino inspirante creatus, talem se suis præbuit subditis, vt in illo Dominicum illud verbum videretur impletum: Qui maior est vestrum, sit minister vester.

Ordinisque & Fratr. maximo adiumento fuit.

§. 8. Nam sapientia, & morum integritate maior, Prælationis officium cum tanta exercuit charitate, quod sponte humilis, nunc doctrina, nunc monitionibus, nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali seruitio satagebat, vt bonus Christi miles inferioribus ministrare. Nec solũ quę ab ipso B. Frãcisco pie & sancte fuerãt instituta

tuta diligentissime custodiuit, sed multa etiam adinuenta, quæ crescente numero necessaria videbantur, adiecit. Ordinem quoque ipsum in prouincias, custodiasque diuisit.

Cardinalis & deinde Episcopus Albanen. à Gregor. X. creatus fuit.

§. 9. Magnus etiam dignitate in Romana fuit Ecclesia. Increbrescente enim fama innocentiæ, doctrinæ, ac prudentiæ eius a fel. rec. Gregorio Papa X. prædecessore nostro ad Cardinalatus est vocatus honorem, vt eius opera in maximis, & difficillimis rebus quæ temporibus illis inciderant, vteretur, in quem Gregorius ipse ob ingentia viri merita, nouo est vsus exemplo. Statim enim illi Albanen. commisit Ecclesiam, quæ non nisi vetustioribus Cardinalib. solet committi.

Concilio Lugdunensi præfuit & profuit.

§. 10. Non fefellit expectationem Summi Pontificis ac sacri Senatus, optimus ac Deo amicissimus vir. Sed in Conc. Lugdunen. præsidens, omniaque ad Dei laudem dirigens, sedatis discordiis, difficultatibusque sublatis, ipsi Ecclesiæ maximo vsui fuit, & ornamento.

Et vsque ad vltimum vitæ spiritum multis virtutibus floruit.

§. 11. Quibus rebus aperte dignoscitur quod statuit illi Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum, sit vt illi sacerdotij dignitas in æternum, quem manis gloria non inflauit, non diuitiæ sinistrorsum egerunt, sed in fide lenitateque perseuerans, pius in Deum, in pauperes misericors, iustus in omnes, ita hoc corruptibile corpus exuit, vt cum Apostolo dicere posset: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.

Post obitum miraculis claruit.

§. 12. Qui etsi ex sola perseuerantia poterat Sanctus credi, iuxta illud: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, subsequuta sunt tamen post vitam multa maximaque miracula, quæ certum sanctitatis eius probent indicium, & Nos ad ipsius venerationem inducant, quod Deus meritis præcedentibus venerandum ostendat. Ipse enim Deus omnipotens, vt suæ virtutis potentiam manifestet, & nostræ salutis causam pandat, fideles electos suos, quos coronat in cœlis, sæpe etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam signa faciens, & prodigia, quo hæretica prauitas confundatur, & fides orthodoxa seruetur.

Imperator ergo & alij apud hunc Pôt. pro ipsius canonizatione institerunt.

§. 13. Agimus igitur ipsi Deo quantas possumus gratias quod nos dignos duxerit, per quos hæc canonizatio celebraretur, quæ licet diuinis literarum monumêtis extantibus, coruscantibusque miraculis, iam pridem potuerit rite fieri, nunquam tamen ante hac, vel à Principibus, vel ab aliis tanta diligentia fuit petita. Nostro têpore charissimi in Christo filij nostri Federicus Romanorum Imperator semper Augustus, Ludouicus Francorum Christianissimus, Ferdinandus Siciliæ, & Mathias Vngariæ Reges illustres: dilecti quoque filij nobiles viri Alphonsus Calabriæ, Ioannes Mozenico Venetiarum, Ioannes Halcam Mediolani, & Ioannes Burbon Duces insignes: Præterea Ciuitates Florentinorum, Senensium, Lugdunensium, Perusinorum, & quod tale iubar tulit Balneoregium, tanto studio tantaque perseuerantia petierunt à Nobis, vt durum, & impium putaremus eis in re tam pia resistere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Accesserunt assidue venerabilis fratris nostri Iuliani Episcopi Sabinensis, ipsius Ordinis Protectoris, dilectorum quoque filiorum Francisci Samsonis generalis Ministri, & Petri de Rodulphis Procuratoris dicti Ordinis, sacræ Theologiæ professoris preces, qui nomine generalis eorum Capituli, id tanquam iustum & debitum reposcebant. Legeramus studiosissime Sancti huius diuina scripta, quibus postquam per ætatem aliquid sapere licuit, semper fuimus delectati. Audiueramus quoque ab antiquioribus præfatæ Religionis fratribus, & grauibus quidem viris, quod & ipsi à maioribus natu acceperant, de sanctimonia vitæ eius constantem famam esse, sciebamus de multis maximisque miraculis, nec erat propterea apud Nos dubium, quin in triumphanti Ecclesia triumpharet in cœlo, & venerationem mereretur in terris.

Hic Pont. dictæ Religionis S. Francisci professor fuit, ideo ne potius affectione, quã debita ad canonizationem motus videatur, processum tribus Cardinalibus commisit.

§. 14. Sed memores nos eundem minorum Ordinem ex voto ingressos, in quo diuina assistente gratia in sacris literis, & Religiosis moribus, vtcumque profecimos, eademque Ministeriatus officia exercuimus, atque inde ad Cardinalatus dignitatem, ita vt per consimiles gradus ad Pontificatus culmen sublevatos nos fuisse disponente Domino cognoscamus, per quos ipse Bonauentura Sanctus ad triumphantis Ecclesiæ immarcescibilem gloriam euectus est, ne ad id videremur potius affectione propria, quã debita deuotione moueri, eam adhibuimus diligentiam, ac grauitatem, quam rei magnitudo poscebat. Commisimus enim tribus ex venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, vt de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque vnus ex eis inchoato processu, vt Deo placuit ab hac luce migrasset, alium in locum defuncti subrogauimus Cardinalem, quo etiam decedente alium substituimus.

Postea reiterari iussit.

§. 15. Nec his contenti, cum iam processus ipse pene perfectus esset, & hi qui delegati erant fidelissime retulissent; tamê quia non videbatur in procedendo tanta quanta requiritur obseruata solemnitas, illũ reiterari iussimus.

Cardinales successiue votum pro canonizatione dederunt.

§. 16. Demum cum ex vberiori relatione, & fide dignorum testium super hoc receptione compertum fuisset multa, & magna à Deo per ipsum Sanctum miracula fieri, quæ in conspectu multitudinis cernebãtur. Nos Spiritui sancto resistere videremur, qui per os Prophetæ laudare Deum in Sanctis suis iuber, in Consistorio nostro secreto huius rei causa habito, eorundem venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium vota super huiusmodi canonizatione fumus scrutati. Cumque omnium vna eademque fuisset sententia, videlicet, vt in Sanctorum numero referri deberet.

In Consistorio publico orationes, & ieiunia ad hæc indixit.

§. 17. Consistorium publicum deinde habuimus, in quo magna multitudine astante, & in triduum orationes, ieiuniaque indiximus, vt Deus omnipotens nostris, quod factu optimum in hac re esset, ostendere dignaretur, nec pateretur Ecclesiam suam militantem errare, quæ se triumphanti conformare studet.

Prælati ad idem per Pôtificem côgregati pro canonizatione votarunt.

§. 18. Triduo deinde elapso omnes, qui in Romana Curia erant, Prælatos iussimus conuenire, qui ad vnum interrogati quod faciendum videretur, in eandem sententiam conuenerunt, beatumque Bonauenturam canonizandum censuerunt.

Hic deinde Pont. canonizationis diem præfiniuit, in qua omnibus legitime peractis illũ canonizauit, & SS. Confessorum. Pontificum & Doctorum catalogo ascripsit.

§. 19. Nos ergo Dei nutum, & voluntatem sequentes, attendentesque iustum ac debitum esse, vt quos Deus honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in sæcula; hunc diem canonizationis ipsius Sancti Bonauenturæ in medio Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, quo maxima omnis generis ordinisque multitudo confluxerat, celebrandum statuimus. Ibi reliquis omnibus legitime peractis, prædictus Ordinis Minorum Procurator in medio stans dictũ illud B. Ioãnis Apostoli clara voce proponens, videlicet, Tres sunt, qui testimoniũ dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, probauit etiam, habito super præmissis processu, ipsas beatissimæ Trinitatis personas testimonium, quod beatus Bonauentura in cœlo sit, præstitisse. Patrem, videlicet, in miraculorum potentia, Filium in doctrinæ sapientia, & Spiritum sanctum in vitæ ipsius bonitate. Et propterea non solum nominibus omnium qui hanc ipsam canonizationem fieri supplicarunt, sed etiam ex parte indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt ipsum beatum Bonauenturam sanctum pronuntiare dignaremur, instanter, instantius & instantissimè requisiuit. Confidentes igitur quod in hac canonizatione non permittat nos Deus errare, qui omnia in ea quomodolibet requisita etiam superabundanter obseruari fecimus, & obseruauimus, de eorundem fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, omniumque Prælatorum in Romana Curia existentium vnanimi consensu, & maturo consilio, de omnipotentis Dei, ac B. Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, beatæ memoriæ Bonauenturam Balneoregiensem, sacræ Theologiæ professorem, ex gremio sacri Ordinis Minorum, & ex officio Generalatus in Episcopum Cardinalem assumptum, Sanctum esse, ac aliorum Sanctorum Dei catalogo adscribendum, adiiciendum ac aggregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere decernimus, ipsumque Sanctorum Confessorum, Pontificum, & Doctorum quos sancta Dei veneratur Ecclesia, consortio solemniter in præsentiarum adscribimus, aggregamusque per præsentes.

§. 20. Sta

Festumque pro 2. Dominica mensis Iulij instituit. At Sixt. V. agi iussit die 14. mensis.

§. 20. Statuentes etiam & mandantes venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis dictorum, ac Patriarchalium, Metropolitanorum, & Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, & quorumvis Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium professoribus, necnon quibuscumque Ecclesiasticis personis, vt festum ipsius Sancti Bonauenturæ secunda Dominica mensis Iulij, singulis annis solemniter & deuote celebrent, diuinum officium, valuti pro vno Confessore, Pontifice, & Doctore, tam publicè quàm priuatim, prout contigerit persoluentes.

Officium duplex Ordini S. Francisci concedit.

§. 21. Dilectis verò filiis fratribus prædicti Minorum Ordinis, quatenus huiusmodi officium sub festo duplici & octaua, eo modo quo aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare festa & octauas consueuerunt, celebrandi concedimus facultatem.

Sepulchrum vel Ecclesiam suam visitantibus indulg. elargitur.

§. 22. Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in eadem Dominica, Ecclesiam in qua Sanctum eius corpus requiescit, deuotè visitauerint, annuatim, septem annos & totidem quadragenas, his verò qui aliis temporibus in singulis diebus Dominicis, centum dies; illis autem qui Ecclesias fratrum Minorum vbilibet constitutas, tam ipsa die festi, quam in octaua diuinis officiis interfuerint, consimiles indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ in singulis aliorum eiusdem Ordinis Sanctorum festis, ex indultis Apostolicis generaliter promulgatis, Romani Pontifices concesserunt, de iniunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, & elargimur.

Indulgentias concedit Ecclesiæ SS. Apostolorum de vrbe, indultaque Patribus Minoribus in Vniuersitate Parisiensi concedit quibusuidem potiuntur Fratres Prædicatores.

§. 23. Considerantes præterea quanta ab hoc ipso Sancto Bonauentura ratione scientiæ, & sanctitatis vitæ, Episcopalisq; & Cardinalitiæ dignitatis, S.R.E. susceperit incrementa, quantamque idem Sanctus cum beato Thoma de Aquino, coætaneo, condiscipulo, & commagistro suo, familiaritatem, & spiritualem coniunctionem in hac vita seruauerit, vt quos in hoc sæculo fraterna iunxit charitas, & eadem in cælo præmia consequutos credimus, præsens Ecclesia pari veneretur honore, prædictum festum inter festa sacri Palatij Apostolici assumentes, annumerantesque eandem indulgentiam in festo prædicto in Ecclesia Sanctorum Apostolorum de Vrbe, quæ in festo ipsius Sancti Thomæ de Aquino in Ecclesia beatæ Mariæ Virginis de Vrbe, Minerua vulgariter nuncupata, habetur, concedimus. Pariterque decernimus, fratres Minores, in alma Vniuersitate Parisiensi, eisdem priuilegiis posse, ac debere vti & gaudere, ob ipsius S. Bonauenturæ merita, quibus ex Apostolicis indultis, fratres Prædicatores qui in eadem Vniuersitate intuitu & gratia eiusdem S. Thomæ, potiri & gaudere consueuerunt, & gaudent, aut potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum.

Hortatur omnes ad orandum S. Bonauenturam pro exaltatione S.R.E.

§. 24. Quocirca omnes & singulos in dignitate constitutos requirimus, & monemus, quatenus vniuersis, & clericis, & populis suarum Ciuitatum, Diœcesum, & Parochialium præsentes nostras literas solemniter publicantes, eosdem hortentur vt Deum ipsum, à quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur, vt ipsius sancti Doctoris & Confessoris Bonauenturæ meritis & precibus exoratus, militantem Ecclesiam; Apostolicam fidem, & cunctos Christi fideles, à Paganorum, & aliorum infidelium, & hæreticorum tueatur incursibus, & à periculis cunctis semper protegat, ac defendat, & illam quam nobis mundus dare non potest pacem, hostium omnium sublata formidine, firma cum tranquillitate concedat, vtque post huius vitæ militiam, depositumque Pastoralis officij ministerium, vnà cum grege nobis credito, ad sempiterna tandem gaudia peruenire mereamur.

Transumptis fidem dari præcipit.

§. 25. Demum quia difficile foret, literas originales præsentes, ad vniuscuiusque notitiam deferri, volumus ac decernimus quod earum transumpto, sub sigillo Generalis Ministri Ordinis antedicti, & manibus duorum Notariorum publicorum debite subscriptis fides adhibeatur indubia in omnibus, & per omnia, & illis vbique stetur ac si originales literæ huiusmodi essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionē pœnalem adijcit.

§. 26. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, adscriptionis, aggregationis, statuti, mandati, concessionis, relaxationis, largitionis, assumptionis, annumerationis, monitionis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo secundo, decimo octauo Kal. Maij, Pont. nostri Anno vndecimo. *Dat. P. A. 11. die 14. Apr.*

De electione & munere Magistri seu Præceptoris Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe, & de exemptionibus, immunitatibus, ac priuilegiis eiusdem. XXII.

De institutione huius hospitalis, alijsque illud concernentibus plene notaui sup. in const. 7. Innoc. III.

Alia huius Hospitalis priuilegia vide in ead. const. Innocent. III. & infra in Pij IV. const. 84. & in Clem. VIII. const. 118. Cum sicut.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Pio de Ruuere Præceptori Hospitalis nostri Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, Ordinis S. Augustini, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1483.*

Religionis zelus, &c.

Forma eligendi Magistrum Hospitalis. Hodie à Papa eligitur.

§. 1. Et insuper vt Hospitale prædictum de bono in melius dirigatur, & auctore Domino felicibus proficiat incrementis, aliorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, Motu, auctoritate, & scientia similibus, statuimus, decernimus pariter, & ordinamus, quod de cætero, perpetuis futuris temporibus, occurrente præceptoriæ Hospitalis huiusmodi vacatione, Fratres Conuentus huiusmodi in vnum conuenientes, debeant electionem de Præceptore futuro, quibusvis pactionibus semotis, cum consilio tamen & auctoritate ac præsentia Præceptoris pro tempore existentes dicti Hospitalis, facere, & sic electum Rom. Pont. pro tempore existenti canonice instanti præsentare, qui illum debeat confirmare.

Protectorisque.

§. 2. Quodque similiter vnum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, quotiescumque dictum Hospitale carere contigerit Protectore, in Protectorem eligere, & illum Romano Pontifici præsentare confirmandum.

Cura Præceptoris circa Hospitalis expositos.

§. 3. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ Præceptori pro tempore existenti dicti Hospitalis, vt tam pueros quam puellas qui ibidem pro tempore exponuntur, quemadmodum ad bonum & pium patrem spectat, manuteneat tanquam filios & conseruet. Illosque & illas sub optimis disciplinis instituere studeat, vt sic apud Deum meritum, & apud homines laudem consequi mereatur.

Exemptio Hospitalis & eius membrorum, à solutione gabellarum & aliorum onerum.

§. 4. Concedentes insuper motu, scientia & auctoritate similibus tam Hospitalis prædicti, quam omnium aliorum eius membrorum & locorum, in obedientia, subiectione, correctione & omnimoda dispositione Præceptoris dicti nostri Hospitalis sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, solum & dumtaxat existentium, ab eodem dependentium Præceptoribus, Prioribus seu Rectoribus pro tempore existentibus, quod de relictis & obuentionibus eis ratione dictarum præceptoriarum, membrorum, & locorum factorum, ad soluendam aliquam quartam Episcopalem, seu Parochialem, neque aliquam gabellam, passum seu impositionem, & quodvis aliud onus, etiam occasione rerum, bonorum, fructuum & animalium dicti Hospitalis nostri sancti Spiritus de Vrbe, in quibus locis, deinceps perpetuis futuris temporibus non teneantur, nec ad id à quoquam inuiti compelli, seu coarctari possint aut valeant.

Exemptioque à superioritate & iurisdictione…

§. 5. Præterea vt præceptores & fratres prædicti quietius & liberius sua vota Altissimo exoluere, ac præ-

Exemptio à iurisdictione omnium Prælatorum, & aliorum præterquam Magistri generalis.

ceptoriæ Ecclesiæ Hospitalis, & alia loca eorum, à dicto Hospitali de Vrbe, vt supra, dependentia melius & salubriter gubernari possint, quo Sedis eiusdem fuerint præsidio communita Hospitale prædictum illiusque moderatum, & pro tempore existentem Præceptorem, ac Conuentum, & fratres, & personas, ac familiares omnes, eorundem quoslibet, & alias præceptorias, membra, Hospitalia & loca ab ipso Hospitali nostro dependentia, illorumque similiter Præceptores, fratres, Conuentum, & personas; necnon castra, terras, & oppida, illorumque vassallos & subditos bonaque omnia & singula, mobilia & immobilia, quæ ad præsens possident, & in futurum, largiente Domino, poterunt adipisci, sub beati Petri & dictæ Sedis, ac nostra protectione, Moto, auctoritate, & scientia prædictis, suscipimus, ac ab omni iurisdictione, superioritate, visitatione, correctione, dominio & potestate Ordinariorum, & eorum Vicariorum & Officialium quorumcumque, etiam quoad curam animarum ipsis & Ecclesiis eis subiectis imminentem, perpetuo penitus & omnino eximimus, & totaliter liberamus, ac prorsus exemptos & liberos, exemptaque & libera fore, ac nobis & dictæ Sedi dumtaxat immediate quoad omnia subiacere: (eorundem Præceptoris & Conuentus Hospitalis sancti Spitirus de Vrbe iurisdictione, superioritate, potestate & præeminentia semper saluis) decernimus & declaramus, ita quod Ordinarij, Vicarij & Officiales prædicti, etiam ratione delicti, contractus, aut rei de qua agitur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, in eos vel in ea, tanquam prorsus exemptos & exempta, iurisdictionem, dominium, & potestatem aut superioritatem quomodolibet exercere, aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti, aliasve sententias, censuras & pœnas promulgare, neque ipsi Præceptores, fratres, & personæ, coram illis aut dictæ Sedis delegatis vel subdelegatis, pro tempore directis, de præsentibus literis specialis & expressa mentio fiat, ad iudicium euocari, aut quovis modo directe vel indirectè inquietari, vel molestari possint nec debeant quoquo modo. Decernentes omnes & singulos processus, sententias, censuras, & pœnas, quos & quas contra exemptionem, liberationem, susceptionem, decretum & declarationem huiusmodi forsan haberi vel promulgari, necnon quicquid secus super iis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti.

Communicatio omnium immunitatũ & priuilegiorum Cong. Monachorum Cassinensis alias S. Iustinæ. Hæc priuilegia indicabo tibi inf. in Iul. II. const. 1.

§. 6. Ac pro maiori Hospitalis & aliarum præceptoriarum ac membrorum & fratrum, aliarumque personarum, subditorum, & vassallorum prædictorum fauore & quiete, & motu & scientia similibus concedentes eisdem, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, omnibus & singulis prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, conseruatoriis, priuilegiis, gratiis & indultis, præfatæ Congregationi sanctæ Iustinæ, illorumque Monasteriis, locis, membris, & personis per Sedem prædictam, vel alias quomodolibet, in genere vel in specie, concessis, aut in posterum concedendis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, vti, potiri, & gaudere liberè & licitè, in omnibus, & per omnia possint & debeant, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent, quæ ad eos & ea omnino extendimus & ampliamus.

Executorum huius bullæ deputatio.

§. 7. Et insuper eisdem Episcopis, etiam motu & scientia similibus, mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, faciant dicta auctoritate nostra, eosdem Præceptores, Conuentos, fratres & personas, Præceptorias, Ecclesias, Oratoria, Hospitalia atque loca prædicta, sub obedientia, correctione, potestate & auctoritate Præceptoris Hospitalis Sancti Spitirus de Vrbe, vt caput existentis, exemptionis, & liberationis huiusmodi, pacifica possessione gaudere, ac præmissa omnia & singula vbi & quando expedierit solemniter publicantes, ac Præceptoribus, Conuentibus, fratribus & personis, Præceptoriis, Ecclesiis, Oratoriis, membris, Hospitalibus atque locis præfatis in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes. Non permittentes eos, eas, vel ea, seu eorum aliquam, vel aliquod, per Ordinarios Vicarios & Officiales prædictos, seu quoscumque alios, contra præsentium tenorem, directè vel indirectè, quovis quæsito colore impedire, seu quomodolibet molestare. Impedientes contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, cum censurarum prædictarum aggrauatione, & reaggrauatione appellatione postposita, compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariorum derogatio.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac nostra super expressione fructuum, redditnum, & prouentuum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ vniuntur, & quibus ac commissione desuper ad partes fienda, necnon recolendæ memoriæ Innocentij Papæ IV. similiter prædecessoris nostri, contra exemptos, quæ incipit, Volentes, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon de quibusvis conuentualibus, ac aliis per Nos vel Sedem prædictam pro tempore factis generalibus vel specialibus reseruationibus ac statutis & consuetudinibus supradictis, contrariis quibuscumque. Aut si Ordinatus, Vicariis & Officialibus prædictis, vel quibusvis aliis communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis pactis & conuentionibus, necnon priuilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis generalibus & specialibus, ac præscriptionibus, etiam longissimi temporis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressis vel totaliter non insertis, effectus earum impediri valeat quomolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quoad hoc eis nolumus aliquatenus suffragari.

Exemplorum fides.

§. 9. Cæterum quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæque loca in quibus expediens foret deferre, Volumus atque decernimus, quod ipsarum literarum, ac omnium & singulorum priuilegiorum dictæ Congregationis S. Iustinæ, seu Apostolicarum, & quarumcumque aliarum literarum desuper confectarum transumptis, manu alicuius publici Notarij inde rogati subscriptis, & sigillo Auditoris Cameræ Apostolicæ, vel præfati Præceptoris dicti nostri Hospitalis de Vrbe munitis, ea prorsus fides in iudicio & extra ac alias vbilibet adhibeatur, quæ præsentibus literis & priuilegiis ac literis Congregationis prædictæ adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ, ac priuilegia & literæ Congregationis prædictæ, eisdem Hospitali de Vrbe, illius membris, præceptoriis, præceptoribus, fratribus, ac aliis personis prædictis, concessa, & pro eis expedita fuissent.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ, 1483. Idibus Februarij, Pont. nostri Anno 13.

D. P. An. 13. die 13. Febr.

De Auctoritate maioris Pœnitentiarij S.R.E. XXIV.

Hac bulla comprobata fuit, & quoad pœnas inobedientium extensa à Paulo III. & Iul. III. vt habetur inf. in ipsius Iul. const. 1. Rationi. Pœnitentiariæ verò officium, primo reformauit Pius IV. vt inf. in eius const. 13. In sublimi, & postrema nouum eius statum præfiniuit Pius V. in sua const. 83. in omnibus.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1484

Exordium.

QVoniam nonnulli iniquitatis filij, elationis & pertinaciæ suæ spiritu assumpto, potestatem Maioris Pœnitentiarij nostri per longissima tempora toti Orbi notam, & à cunctis fidelibus inuiolabiliter obseruatam in dubium reuocare, & literis sub eius nomine per officium Pœnitentiariæ nostræ pro tempore expeditis contumaciter se opponere, illisque detrahere præsumunt, decet nos aduersus tales ea adhibere remedia per quæ ipsorum

ipsorum temeritate repressa eiusdem Pœnitentiarij auctoritas, & potestas præseruentur illæsæ, illiusque literæ cum personarum illas pro tempore impetrantium quiete, & conscientiæ tranquillitate, semotis quibusuis obstaculis, votiuum sortiantur effectum.

Pœnitentiarius Maior literas Offi. y. expediebat absque insertione facultatum, cum assertionibus & sigillo, ac sub nomine Episcopi licet esset Cardinalis, vt hic.

§. 1. Dudum siquidem per nos accepto quod licet vniuerso pene orbi innotesceret inter alia officia Romanæ Curiæ fuisse dudum officium sacræ Pœnitentiariæ provide institutum, & in aliquibus ex Maioris Pœnitentiarij illud pro tempore obtentis literis, quæ ab eo ratione dicti officij pro tempore emanabant, sic contineretur videlicet (Auctoritate D.N.P. cuius Pœnitentiariæ curam gerimus) & in aliis (Auctoritate D.P. & de eius speciali mandato super hoc viuæ vocis oraculo sibi facto) in reliquis verò (dicta auctoritate D.P. & eius speciali, & expresso mandato) ac huiusmodi literis, & assertioni eiusdem Pœnitentiariæ, tam in iudicio quam extra absque eo, quod facultas desuper eidem Pœnitentiario per Sedem Apostolicam concessa in illis insereretur, fides indubia adhiberi consueuisset; & ab eodem tempore citra Maior Pœnitentiarius pro tempore existens ex ipsius officij stylo dum Episcopus Cardinalis existeret, se Episcopum solum non autem Cardinalem nominare solitus esset, prout & reliqui Episcopi Cardinales in eorum literis faciebant, & literæ præfatæ cum antiquo per Maiores Pœnitentiarios qui pro tempore fuerant adhiberi solito sigillo oblongo in cera rubea, & capsa ceræ albæ impresso pendente secundum dicti officij stylum antiquum sigillati, & sic expeditæ debitæ executioni absque vlla contradictione & exceptione mandari, ac ab omnibus in debita obedientia haberi essent solitæ.

Quidam tamen his literis fidem non esse adhibendam asserebant.

§. 2. Quia tamen nonnulli iuris interpretes diuersarum partium volentes plus sapere quam oporteret, affirmare non erubescebant, & in dubium reducere, an literis dicti officij cum verbis, & sigillo prædictis iuxta illius stylum approbatum, ac ab omnibus indifferenter seruatum fides esset adhibenda, & illis obedire haberent, affirmantes assertioni prædictæ Maioris Pœnitentiarij super auctoritate sui officij & Papæ speciali & expresso mandato prædictis non esse credendum: & pro eo quia venerabilis frater noster Iulianus Ostiensis, olim Sabinensis Episcopus Maior Pœnitentiarius noster post promotionem ad Sabinensem translationem ad Ostiensem Ecclesias per Nos factas de persona sua olim tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, se non Cardinalem sed Sabinensem prius, & post translationem prædictam Ostiensem Episcopum nominabat, literas dicti officij dicto sigillo sigillatas modicæ auctoritatis existere, in dicti officij & eius Pœnitentiarij, imo verius Apostolicæ auctoritatis contemptum & scandalum plurimorum.

Ideo hic Sixt. per alias eius literas quas hic non habet, illis plene credendum statuit.

§. 3. Nos tunc prouide attendentes quod Maior Pœnitentiarius ordinaria iurisdictione & auctoritate fungeretur, & propterea in suis literis sicut alij ordinarij, sui officij auctoritates inserere non teneretur, quodque stylus vbilibet præsertim in Romana Curia literarum Apostolicarum & aliarum quæ ab ea emanabant in tantum pro lege seruabatur, vt literæ præter stylum expeditæ falsitatis suspicione non carerent, ac volentes huiusmodi insolentium temerariis ausibus obuiare, & eorum quos literæ prædictæ concernebant, conscientiarum paci & tranquillitati, dictique officij honori & immunitati consulere per alias nostras literas, Motu proprio & ex certa scientia decreuimus, & declarauimus, literis prædictis Pœnitentiariæ, tunc expeditis etiam quoad auctoritatem, & mandatum huiusmodi de quibus in eis fieret mentio, absque vlla auctoritatis & mandati huiusmodi in eis insertione plenam fidem adhiberi debere, & ad id probandum alterius probationis adminiculum non requiri. Mandantes omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus quacumque dignitate & auctoritate fungentibus, sub excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis tunc expressis, quatenus literis prædictis Pœnitentiariæ, secundum dicti officij stylum præfatum tunc expeditis, & quas pro tempore in perpetuum expediri contingeret, crederent, & obedirent, ac parerent in omnibus & per omnia, perinde ac si in illis Maioris Pœnitentiarij pro tempore existentis facultas, & potestas sibi à Nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, ac se de prædicta concessas quoad ea quæ in eisdem literis Pœnitentiariæ continentur, sufficienter inserta foret, & per literas Apostolicas de dicti Maioris Pœnitentiarij auctoritate, & ei facto speciali & expresso mandato viuæ vocis oraculo huiusmodi constaret, prout in eisdem literis nostris plenius continetur.

Sed illi adhuc asserebant illis, potestatem Pœnitentiarij ad forum conscientiæ tantum se extendere, & ipsum non posse aliis committere facultates, sibi ab Apost. Sede concessas.

§. 4. Cum autem sicut nuper non sine animi nostri molestia etiam accepimus, prædicti iuris interpretes, & alij præsumptores, & duræ ceruicis, huiusmodi literas Pœnitentiariæ dicti Pœnitentiarij nostri, necnon decreto, declarationi, & mandato nostris prædictis adhuc obtemperare contumaciter contemnant, ac ore sacrilego publice dicere & allegare non vereantur, literas Pœnitentiariæ huiusmodi solum, & duntaxat in foro conscientiæ, non autem in foro iudiciali huiusmodi admitti debere, Maiorisque Pœnitentiarij huiusmodi potestatem ad forum pœnitentiæ, & conscientiæ duntaxat se extendere, & restrictam fore, ipsumque Maiorem Pœnitentiarium licet in casibus iuxta facultates sibi à Sede prædicta concessam per se ipsum dispensare, & absoluere valeat, aliis tamen absoluendi, & dispensandi, aliasque facultates sibi concessas per literas suas committere non posse: eas quoque an literæ quæ per præfatum officium Pœnitentiariæ expediuntur, & expeditæ reperiuntur secundum antiquum stylum ipsius officij expeditæ fuerint, & expediantur minime constare, & propterea de earum validitate merito dubitari debere, pluribusque aliis ac exquisitis suggestionibus, & cauillationibus prædicti Maioris Pœnitentiarij potestatem impugnare, & nihilominus eius literæ huiusmodi executioni debitæ demandentur, & personæ quas concernunt illarum votiuum ac debitum effectum consequi valeant, indebite, & iniuste impedire, eisdemque personis contra tenorem literarum prædictarum diuersa alia molestias, ac damna inferre non erubescant, in animarum suarum periculum, ac ipsius Pœnitentiarij, imo verius nostri, & Sedis prædictæ contemptum, & vilipendium, ac personarum earum præiudicium non modicum, & grauamen, perniciosum quoque exemplum, & scandalum plurimorum.

Hic ideo Pœ. aliis committere posse decreuit.

§. 5. Nos tantæ temeritati, & audaciæ, prout nostro incumbit officio opportunis remediis occurrere, ac Maioris Pœnitentiarij, & officij, personarumque huiusmodi literas præfatas pro tempore expedientium, honori, indemnitati, & securitati consulere volentes, Motu simili non ad ipsius Iuliani Pœnitentiarij, vel alicuius alterius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & voluntate, & ex certa scientia auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, præfatum Iulianum, & pro tempore existentem maiorem Pœnitentiarium huiusmodi, non solum per se ipsum in casibus iuxta facultates sibi à prædicta Sede concessas dispensare, & absoluere, & absolutiones, & dispensationes Christi fidelibus impendendas huiusmodi in diuersis Mundi partibus per suas literas aliis committere liberè, & licitè potuisse, & posse.

Et eius literas in vtroque foro probare & suffragari.

§. 6. Quodque literæ quæcumque per officium Pœnitentiariæ sub solito sigillo oblongo in cera rubea, & capsa ceræ albæ impressæ pendente hactenus expeditæ, & quæ in posterum expediri continget, iuxta antiquum stylum dicti officij expeditæ intelligantur, nec ad hoc aliud probationis adminiculum requirantur, ipsæque literæ vt præfertur expeditæ, & expediendæ, illæ videlicet quæ forum conscientiæ in foro conscientiæ tantum, & quæ forum contentiosum concernunt, aut in quibus quod in contentioso, aut vtroque foro valeat appositum fuerit tam in foro iudiciali, & contentioso, Ecclesiastico, & sæculari, quam etiam in foro pœnitentiæ omnimodam fidem faciant, & valeant, illisque stari, & indubitanter credi debeat, ac personis prædictis qui illas impetrarint, & impetrabunt, in vtroque foro huiusmodi prout eis concessum fuerit plenarie suffragarentur, & valeant.

Pœnasque inobedientibus imponit. Quas ampliauit.

§. 7. Volentes, ac motu, & scientia similibus statuentes, quod omnes, & singulæ personæ cuiuscumque dignitatis, status, gradus, nobilitatis, & præeminentiæ fuerint, & quacumque Ecclesiastica vel mundana

dignitate

Paul. III. cit. prohib.

dignitate præfulgeant, quæ contra tenorem præsentium, ac priorum literarum nostrarum huiusmodi aliquid facere attentauerint, & præmissis omnibus, & singulis, in totum vel in partem non paruerint, omnes, & singulas censuras, & pœnas in dictis prioribus literis nostris contentas eo ipso incurrant.

Executores istius const. deputat.

§. 8. Et insuper vt præmissa omnia tam in prioribus quam præsentibus literis nostris contenta plenius obseruentur, & contumacia, ac inobedientia illa contemnentium facilius comprimatur, venerabili fratri moderno, & pro tempore, existenti Almæ Vrbis in spiritualibus Vicario nostro, & dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, etiam pro tempore existenti, Motu scientia, & auctoritate similibus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum, vbi, quando, & quoties super præmissis, vel aliquo præmissorum pro parte cuiuslibet personæ de cuius interesse pro tempore agi contigerit, fuerint requisiti, seu alter eorum fuerit requisitus, priores, & præsentes literas, ac omnia & singula in eis contenta solemniter publicantes, illasque, & illa, per se vel alium seu alios, inuiolabiliter obseruari facientes, omnes & singulos quos huiusmodi excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque censuras, & pœnas prædictas incurrisse eis constiterit, in Ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, & locis aliis publicis de quibus eis videbitur, excommunicatos, & sententia huiusmodi irretitos publice nuncient, & faciant nunciari ab aliis, ac ab omnibus arctius euitari, necnon legitimis super iis habendis seruatis processibus, eos & quemlibet eorum quoties opus fuerit aggrauare, reaggrauare, necnon terras, & loca ad quæ eos, & aliquem eorum declinare contigerit, Ecclesiastico interdicto supponere, illudque strictissime obseruari facere procurent. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Contraria tollit.

§. 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, illis præsertim quibus cauetur ne quis extra suam ciuitatem, vel Diœcesim nisi in certis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede deputati prædicta extra ciuitatem, & Diœcesim in quibus deputati fuerint, contra aliquem procedere; seu alij, vel aliis vices suas committere præsumant, & duabus dietis in Concilio generali editis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ in dictis prioribus literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Si quis &c.

Dat. P. A. 13. die 9. Mart.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, 7. Idus Maij, Pont. nostri Anno 13.

XXIV. Consanguinei, & affines reorũ in causis criminalibus condemnatorum, in Statu Ecclesiastico, ad redimendũ eorum bona compellantur. Eisque non extantibus, vel impotentibus, Communitates ad id cogantur. Et parentes filiorum condemnatorum, etiam viuentes, teneantur ad integram eorum legitimam Fisco persoluendam.

Hoc vltimum de legitima statuit etiam Pius IV. infra in eius constit. 52. Et si cuncta. Sed in Vrbe non persoluitur ex priuilegio Innocen. IX. vt infra in eius constit. 2. Ad Romanum.

Edita An. D. 1484.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CVra Pastoralis officij nobis, licet immeritis, superna dispositione commissa, studia nostræ mentis sollicitare non desinit rebus singulis executionem adhibere iustitiæ, &, vt late in criminosos pro tempore condemnationes debitum sortiantur effectum, opem, & operam impendere efficaces.

Causa const.

§. 1. Fide digna relatione accepimus, quod nonnulli suis exigentibus demeritis, criminaliter in Alma Vrbe, aliisque ciuitatibus, terris, & locis nostro ac Romanæ Ecclesiæ temporali dominio subiectis pro tempore condemnati, in variis pecuniarum summis, seu alias cum eorundem condemnatorum confiscatione bonorum, à locis in quibus sunt condemnati, se absentant, & ne quispiam eorum bona immobilia emat, aut conducat à fisco, minis, & aliis exquisitis remediis procurant, vsquequo tractu temporis abolitis ex gratia condemnationibus huiusmodi, bona ipsa recuperent, fructum interim persæpe percipientes ex eis, sicque quandam sibi vendicant suorum impunitatem delictorum: quæ res aliis incentiuum tribuit delinquendi. Quidam verò ex eo prætextu, quod filij, vel nepotes, & in patris, vel aui potestate existant, nec bona aliqua habeant, quæ in patratis per eos excessibus (si illorum grauitas exigat) confiscari, aut alias per condemnationum ferendarum pro tempore contra eos executionem capi possint, ad delinquendum præ cæteris sunt promptiores.

Consanguinei compellantur ad redimendum bona condemnatorum.

§. 2. Nos igitur attendentes parum esse sententias ferri, nisi debitæ executioni demandentur, ac, ratione casuum emergentium, licitum esse leges transgredi, ac volentes super his opportunum adhibere remedium, auctoritate Apostolica hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, licere exactoribus condemnationum huiusmodi tam hactenus latarum, quam aliarum quas ferri contigerit in futurum in Vrbe, ciuitatibus, terris, & locis prædictis, siue condemnationum earundem commodum ad Cameram Apostolicam, siue ad Communitates ciuitatum, terrarum, & locorum eorundem, vel personas offensas, in totum vel in partem, sit peruenturum, dum principales condemnatos habere non poterunt, compellere eorum consanguineos, & affines vsque in quartum gradum iuxta canonicas sanctiones computandum, ad emendum bona, quæ confiscata fuerint, & confiscata non fuerint, pro currenti valore quantitatum, Istarum contra illorum dominos condemnationum earundem.

Et illis deficientibus cogantur Communitates locorum, ad fauorem Cameræ.

§. 3. Etsi consanguineos non haberent, vel haberent impotentes, super quorum impotentia executorum eorundem declarationi stetur, si confiscationes, & condemnationes ipsæ ad Cameræ præfatæ commodum sint cessuræ, etiam Communitates, Vniuersitates locorum, in quorum territoriis bona consistunt, ad huiusmodi emptionem faciendam teneantur.

Parentesque teneantur pro filijs condemnatis legitimam soluere etiam in eorum vita. Ad hoc vide quod notaui hic in rub.

§. 4. Et parentes habentes taliter condemnatos in potestate sua, ad soluendum pro illis quos habent in potestate, si ipsorum bona sint confiscata, integram legitimam, quam haberent de bonis eorundem parentum, si tunc decederent, cogantur, si verò in pecuniariis pœnis damnati sint, ad pœnas ipsas soluendum pro currenti quantitate, ad quam tunc ascendere contigerit valor legitimæ memoratæ, ita quòd soluta semel legitima modo prædicto, amplius de bonis huiusmodi non soluatur.

Quibuscumque non obstantib.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon indultis, priuilegiis, gratiis, & constitutionibus, ciuitatibus, terris, & locis, & prædictis concessis, seu factis, & cum illis initis capitulis, & conuentionibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 13. die 30. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domini 1484. 3. Kalendas Iulij.

INNOCENTIVS OCTAVVS PONT. CCXXVII.
ANNO DOMINI MCDLXXXIV.



INnocentius VIII. Genuensis, Ioannis Baptista Gibo, antea dictus, Presbyter Card. S. Laurentij in Lucina, Creatus 4. Kalen. Coronatus pridie Idus Septemb. Anno Domini 1484. Vixit annos 7, menses 10. dies 27. Creauit Card. 8. Obiit octauo Kal. Augusti anno 1492. Corpus eius in Basilica S. Petri sepultum fuit. Vacauit sedes dies 26.

I. Inquisitorum hæreticæ Prauitatis Iurisdictio, contra hæresim siue sectam Maleficorum.

De his Maleficis, & Sortilegis plene habetur in cap. 26. q. 1. & seqq. & in tit. de Sortileg. Necnon de commercium cum dæmone habentibus, est sup. constitutio 13. Ioan. XXII. Super.

Huic autem const. consonant aliæ pleniores dispositiones de quibus inf. in const. 43. Leonis X. Honestis, constit. 2. Adriani VI. Dudum, & const. 17. Sixti V. Cœli.

Edita An. D. 1484. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium. VMMIS desiderantes affectibus, prout Pastoralis sollicitudinis cura requirit, vt fides Catholica nostris potissime temporibus vbique augeatur, & floreat, ac omnis hæretica prauitas de finibus fidelium procul pellatur, ea libenter declaramus, ac etiam de nouo concedimus per quæ huiusmodi pium desideriũ nostrũ votiuum sortiatur effectum, cunctisque propterea per nostræ operationis ministerium, quasi per prouidi operatoris sarculum erroribus extirpatis, eiusdem fidei zelus, & obseruantia in ipsorum corda fidelium fortius imprimatur.

Male fidei committebant mala his enixiata. §. 1. Sane nuper ad nostrum non sine ingenti molestia peruenit auditum, quòd in nonnullis partibus Alemaniæ superioris, necnon, in Maguntinen. Colonien. Treueren. Saltzumburgen. & Bremen. prouinciis, ciuitatibus, terris, locis, & Diœcesibus, complures vtriusque sexus personæ salutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, cum dæmonibus incubis, & succubis abuti, ac suis incantationibus, carminibus, & coniurationibus, aliisque nefandis superstitiosis, & sortilegiis excessibus, criminibus, & delictis, mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum vuas, & arborum fructus, necnon homines, mulieres, pecora, pecudes, & alia diuersorum generum animalia, vineas quoque, pomeria, prata, pascua, blada, frumenta, & alia terræ legumina perire, suffocari, & extingui facere, & procurare, ipsosque homines, mulieres, iumenta, pecora, pecudes, & animalia, diris tam intrinsecis doloribus, & tormentis afficere, & excruciare, ac eosdem homines ne gignere, & mulieres ne cõcipere, virosque ne vxoribus, & mulieres ne viris actus coniugales reddere valeant, impedire: fidem præterea ipsam, quam in sacri susceptione baptismi susceperunt, ore sacrilego abnegare, aliaque quamplurima nefanda, excessus, & crimina instigante humani generis inimico, committere, & perpetrare non verentur in animarum suarum periculum, diuinæ Maiestatis offensam, ac perniciosum exemplum ac scandalum plurimorum. Quodque licet dilecti filij Henrici Institoris, in prædictis partibus Alemaniæ superioris in quibus etiam prouinciæ, ciuitates, terræ, Diœceses, & alia loca huiusmodi comprehensa fore censentur, necnon Iacobus Sprenger, per certas partes lineæ Rheni, Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ professores, hæreticæ prauitatis Inquisitores per literas Apostolicas deputati fuerunt, prout adhuc existunt, tamen nonnulli clerici, & laici illarum partium, quærentes plura sapere quàm oporteat, pro eo quod in literis deputationis huiusmodi prouinciæ, ciuitates, Diœceses, terræ, & alia loca prædicta, illarumque personæ ac excessus huiusmodi nominatim, & specifice expressa non fuerunt, illa sub eisdem partibus minime contineri, & propterea præfatis Inquisitoribus in prouinciis, ciuitatibus, Diœcesibus, terris, & locis prædictis huiusmodi Inquisitionis officium exequi non licere, & ad personarum earundem super excessibus, & criminibus antedictis, punitionem, incarcerationem, & correctionem admitti non debere, pertinaciter asserere non erubescunt. Propter quod in prouinciis, ciuitatibus, Diœcesibus, terris, & locis prædictis, excessus & crimina huiusmodi non sine animarum earundem euidenti iactura, & æternæ salutis dispendio remanent impunita.

Hic idcò Pontifex per Inquisitores contra eos procedi iubet. §. 2. Nos igitur impedimenta quælibet, per quæ ipsorum Inquisitorum officij executio, quomodolibet retardari posset, de medio submouere, & ne labes hæreticæ prauitatis, aliorumque excessuum huiusmodi in perniciem aliorum innocentium sua venena diffundat, opportunis remediis prout nostro incumbit officio, prouidere volentes, fidei zelo ad hoc maximè nos impellente, propterea contingat, prouincias, ciuitates, Diœceses, terras, & loca prædicta sub eisdem partibus Alemaniæ superioris debito Inquisitionis officio carere, eisdem Inquisitoribus in illis officium Inquisitionis huiusmodi exequi licere, & ad personarum earundem super excessibus, & criminibus prædictis correctionem, incarcerationem, & punitionem admitti debere, perinde in omnibus, & per omnia ac si in literis prędictis prouinciæ, ciuitates, Diœceses, terræ, & loca ac personæ, & excessus huiusmodi, nominatim, & specifice expressa forent, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus. Proq; potiori cautela literas, & deputationem prędictas ad prouincias, ciuitates, Diœceses terras, & loca, necnon personas, & crimina huiusmodi extendentes, præfatis Inquisitoribus, quod ipsi, & alter eorũ accersito secum dilecto filio, Ioanne Gremper Clerico Constant. Diœcesis Magistro in artibus eorum moderno, seu quouis alio Notario publico, & per ipsos, & quemlibet eorum pro tempore deputando in prouinciis, ciuitatibus, Diœcesibus terris, & locis prædictis contra quascumque personas cuiuscumque conditionis, & præeminentiæ fuerint, huiusmodi Inquisitionis officium exequi, ipsasque personas, quas in præmissis culpabiles repererint, iuxta earum demerita corrigere, incarcerare, punire, & mulctare.

Et verbum Dei prædicare mandat, &c. §. 3. Necnon in singulis prouinciarum huiusmodi Parochialibus Ecclesiis, verbum Dei fideli populo quoties expedierit, ac eis visum fuerit, proponere, & prædicare, omniaque alia & singula in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, & similiter exequi liberè, & licitè valeant, plenam, ac liberam, eadem auctoritate de nouo concedimus facultatem.

§. 4. Et

Executorique huius const. deputat.

§. 4. Et nihilominus venerabili fratri nostro Episcopo Argentinensi, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipse per se vel per alium, seu alios præmissa, vbi, quando, & quoties expedire cognouerit, fueritque pro parte Inquisitorum huiusmodi seu alterius eorum legitime requisitus, solemniter publicans, non permittat eos per quoscumque super hoc contra prædictarum, & præsentium literarum tenorem, quavis auctoritate molestari seu alias quomodolibet impediri: molestatores, & impedientes, & contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscumque dignitatis status, gradus, præeminentiæ, nobilitatis, & excellentiæ, aut conditionis fuerint, & quocumque exemptionis priuilegio sint muniti, per excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac alias etiam formidabiliores, (de quibus sibi videbitur) sententias, & pœnas, omni appellatione postposita compescendo, & etiam legitimis super his per eum seruandis processibus, sententias ipsas (quoties opus fuerit) aggrauare, & reaggrauare, auctoritate nostra procuret, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, contrariis quibuscumque, &c.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 1. die 5. Dec.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, Nonis Decemb. Pont. sui Anno primo.

II. Vnio Monasteriorum Congregationis Monachorum Vallis Vmbrosæ, sub vno Abbate generali nuncupando Vallis Vmbrosæ, & præfinitio nonnullarum ordinationum pro regimine Monachorum d. Congregationis sub Regula Sancti Benedicti. Iurisdictioque eiusdem Abbatis.

De horum Monachorum institutione, & aliis eos concernentibus, vid. sup. in const. 1. Vrb. II. Cum vniuersis.

Edita An. D. 1484.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ALto diuinæ prouidentiæ consilio summi sacerdotij vices, meritis licet inferioribus, gerentes in terris, ad vniuersa Monasteria, & pia loca pro illorum felici statu confouendo, nostræ vigilantiæ frequẽter dirigimus intuitum, & his quæ pro illarum pace, & vnitate consideratione prouida, & matura deliberatione processisse comperimus, vt inconcussa soliditate roborata, libenter, cum à nobis petitur Apostolici muniminis adiicimus firmitatem.

Monasterium S. Salui, & alterd Monasterii S. Michaëlis de Passignano se concordarunt vt sequitur videlicet.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Callisto Papæ III. prædecessori nostro pro parte tunc Abbatum, & dilectorum filiorum S. Salui prope Florentiam, & S. Michaëlis de Passignano Fesulanæ Diœcesis Ordinis Vallis Vmbrosæ Monasteriorum, Conuentuum, exposito, quod olim ipsi prouide considerantes, quod in dicto Monasterio S. Salui Monachorum numerus adeo excrescebat, quod fructus ipsius Monasterij, & illius habitationis ad sustentandum, & manutenendum dictos Monachos, præsertim certis anni temporibus minime sufficiebant; quodque præfatum Monasterium de Passignano in loco solitario positum erat, & in eo pauci Monachi morabantur, quamvis illius fructus, redditus, & prouentus ad sustentationem plurium Monachorum quam ibi essent sufficeret, inter se talem inter cætera inierant concordiam, videlicet.

Quod ipsa Monasteria vnirentur, sed quilibet Abbas in suo iure remaneret.

§. 2. Quod ipsa Monasteria inuicem vnirentur, ita tamen quod vnum ab altero non dependeret, & quod quilibet Abbas remaneret in sua dignitate & iure.

Regulaque S. Benedicti in eis obseruaretur.

§. 3. Quodque in singulis Monasteriis prædictis obseruaretur Regula S. Benedicti.

Et quædam alia circa regimẽ dd. Monasteriorum, & munus vtriusque Abbatis.

§. 4. Et quod Abbas S. Salui posset mittere, & reuocare ad nutum suos Monachos ad Monasterium de Passignano prædictum, ac Monachi sic per eum missi, pro tempore quo ibi morarentur forent veri Monachi ipsius Monasterij de Passignano in actibus capitularibus, & in omnibus peragendis, ac si in ipso Monasterio de Passignano fuerint tacite vel expresse professi. Et quod cura dicti Monasterij de Passignano in spiritualibus, foret in manibus illius de dictis Monachis, quem elegissent dicti duo Abbates. Et quando casus similiter veniret, quod aliquis Abbas eorum Monasteriorum moreretur, tunc illorum Monachi vnà cum Abbate remanente, & œconomo Monasterij vacante huiusmodi, possent libere procedere ad electionem noui Abbatis, quandotamen eis videretur, & placeret, qua electione legitime celebrata, ille qui foret electus, intelligatur & foret verus Abbas absque alia confirmatione Sedis Apostolicæ, vel alicuius Superioris, reseruata tamen taxa consueta Cameræ Apostolicæ persoluenda. Necnon quod dicti Abbates durante eorum obseruantia possent recipere omnes Clericos siue Laicos de sæculo ad ipsa Monasteria fugientes, absque licentia ipsius Generalis dicti Ordinis.

Callist. III. prædictorum informationẽ Archiepiscopo Florentino commisit, & etiam executionem.

§. 5. Præfatus Callistus prædecessor, dictorum Abbatum in ea parte supplicationibus inclinatus, bon. mem. Antonio Archiepiscopo Florentino suis literis dedit in mandatis, vt vocato dicto Generali, in præmissis omnibus & singulis auctoritate Apostolica per seipsum prouideret, & exequeretur prout conscientiæ suæ videretur expedire.

Pius II à prædicto Archiepiscopo vnionem factam fuisse accepit sed non plenarie executam superueniente obitu Callisti III.

§. 6. Postmodum verò pro parte dictorum Abbatum, & Conuentuum recol. mem. Pio Papæ II. etiam prædecessori nostro exposito, quod præfatus Antonius Archiepiscopus de præmissis omnibus, & singulis certam notitiam habens, vocato dicto Generali, Monasteria prædicta insimul vniuerat, annexuerat, & incorporauerat, & alia in dictis literis contenta fecerat. Quodque antequam vnio, annexio, & incorporatio prædictæ suum consecutæ fuissent effectum, idem Callistus fuerat vita functus.

Ideoque Abbati B. Mariæ Floren. in eandem informationem & executionem & nonnulla etiam specifice demandauit.

§. 7. Præfatus Pius prædecessor tunc dictorum Abbatum, & Conuentuum supplicationibus inclinatus, Abbati Monasterij B. Mariæ Florentin. eius proprio nomine non expresso, suis literis dedit in mandatis, vt de præmissis omnibus & singulis, ac eorum circunstantiis vniuersis, se diligenter informaret, & si per informationem huiusmodi ita esse reperiret, Monasteria prædicta iuxta tenorem dictæ concordiæ insimul vniret, annecteret, incorporaret, ac inter cætera statueret & ordinaret, quod vnum Monasteriorum prædictorum ab altero non dependeret, nec alterius membrum esse censeretur, sed esset eorundem Abbatum, & Conuentuum vna Congregatio per quam dicta Monasteria gubernarentur, & quilibet Abbatum tunc existentium Monasteriorum prædictorum, remaneret perpetuo in sua dignitate, & iure quandiu viueret, vel alteri cedendum duceret. Et quod quandocumque aliquem Abbatum Monasteriorum prædictorum ab hac luce migrare contingeret, seu regimini, & administrationi dicti Monasterij cederet, aut Monasterium suum alias quoquo modo dimitteret, liceret tunc Abbati superstiti, ac œconomo Monasterij taliter vacantis, necnon Monachis prædictis, ad electionem futuri inibi Abbatis procedere, qua electione rite & legitime celebrata, ille qui foret electus intelligeretur, & foret verus Abbas, absque alia confirmatione Sedis Apostolicæ, reseruata tamen taxa prædictæ Cameræ, vt superius est expressum. Et quod quilibet in Abbatem electus quolibet anno in Capitulo per ipsam Congregationem celebrando teneretur libere renuntiare in manibus ipsius Congregationis vel Præsidentium, seu Definitorum eiusdem, qui potestatem haberent huiusmodi electionem confirmandi vel infirmandi. Quodque tam prædicti quam aliorum quorumcumque Monasteriorum dicti Ordinis Vallis Vmbrosæ vbique constitutorum Abbates, conuentiones prædictas absque alicuius Superioris licentia recipere, & admittere possent. Ipsique vel eorum Vicarij durante obseruantia huiusmodi omnes tam Clericos quam Laicos de sæculo fugientes approbationem Regulæ demum ad professionem, absque dicti Generalis licentia admittere posset, indulgeret.

Paul. II prædicta omnia executa sic fuisse percepit.

§. 8. Successiuè verò fel. rec. Paulus Papa II. etiam prædecessori nostro pro parte vniuersorum Monasteriorum dictæ Congregationis sancti Salui exposito, quod tunc Abbas dicti Monasterij B. Mariæ ad eorum Pij prædecessoris literarum executionem iuxta illarum tenorem

tire

tire procederet, quia per diligentem examinationem, præmissa repperisset esse vera, sancti Salui, & de Passignano Monasteria prædicta insimul vniuerat, annexuerat, & incorporauerat, ac omnia alia prædicta statuerat, ordinauerat, & indulserat.

Et iterato plenariã examinationem cõmisit.

§. 9. Necnon eidem Paulo prædecessori subiuncto, quod dilecti filij Abbates & Conuentus sancti Michaëlis de Forculis Pistoriensis, & sancti Michaëlis in Podio, ac sancti Donati Senensis dicti Ordinis Monasteriorum, conuentiones prædictas, vigore statuti & ordinationis ac literarũ Pij prædecessoris huiusmodi dicto Pio prædecessore adhuc in humanis agente recepissent, & admisissent, vnio, annexio, & incorporatio prædictæ solum ad dictum Monasterium S. Salui effectum sortitæ fuerant, & causæ propter quas vnio, annexio, & incorporatio factæ fuerant adhuc durarẽt, & efficacissimæ forent, idem Paulus prædecessor certo iudici in partibus illis dedit in mandatis, vt vocans quorum interest, de præmissis omnibus & singulis, & eorum circumstantiis vniuersis auctoritate sua se diligenter informaret, & si per diligentem informationem huiusmodi ita esse reperiret, prædicta omnia Monasteria iuxta concordiam prædictam inuicem, necnon Cõgregationi prædictæ eadem auctoritate vniret, appropriaret, incorporaret, & annecteret, necnon omnia & singula in dictis Pij prædecessoris literis commissa, & mandata, de nouo auctoritate prædicta faceret, statueret, ordinaret, indulgeret, & exequeretur iuxta eiusdem prædecessoris literarum continentiam & tenorem.

Sixt. IV. idem fecit.

§. 10. Et demum recol. mem. Sixto Papæ Quarto similiter prædecessori nostro pro parte Abbatum & Congregationis prædictorum exposito, quod pro eo quod vnio annexio, & incorporatio huiusmodi adhuc quoad de Podio, sancti Donati, & Passignano Monasteria prædicta effectum sortita non fuerant, & pro eo quod idem Sixtus prædecessor dicto Paulo etiam prædecessore sicut Domino placuit vita functo, fuerat ad apicem summi Apostolatus assumptus, in primordio suæ assumptionis omnes vniones, annexiones, & incorporationes de quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, officiis, & beneficiis & locis Ecclesiasticis qualitercumque forent inuicem, vel aliis, Monasteriis, mensis, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, & locis, quomodolibet Apostolica vel alia quavis auctoritate factas, quæ suum sortitæ non fuerant effectum, reuocauerat, & irritauerat, & cassauerat, & nullius existere firmitatis declarauerat, effectum sortiri nequiuerat in futurum, & causæ propter quas vnio, annexio, & incorporatio prædictæ factæ fuerunt adhuc durarent, idem Sixtus prædecessor etiam certo iudici in partibus illis dedit in mandatis, vt vocans quorum interesset, de præmissis omnibus & singulis, ac circumstantiis vniuersis auctoritate sua se diligenter informaret, & si per informationem huiusmodi reperiret ita esse de Passignano, & Podio, sancti Donati Monasteria prædicta inuicem & Congregationi prædictæ iuxta formam dictæ concordiæ perpetuo vniret, admitteret, & incorporaret, necnon omnia, & singula in dictis literis cõtenta, commissa & mandata, eadem auctoritate de nouo faceret, statueret, ordinaret, indulgeret, & exequeretur, etiam iuxta earundem literarum continentiam atque formam prout in singulis desuper confectis literis prædecessorum huiusmodi, ad quarum executionem seruatis illarum formis respectiue processum extitit desuper confectis plenius continetur.

Posthac Abbates Generales, constituerunt vnã Congregationẽ cum infra dicendis Capitulis, & pro eorum confirmatione supplicarũt huic Pontifici.

§. 11. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte Blasij Generalis dicti Ordinis Vallis Vmbrosæ, & eiusdem B. Mariæ Vallis Vmbrosæ, necnon sancti Salui prope Florentiam, ac sancti Michaëlis de Passignano, & sancti Fidelis de Pupio Aretin. & sancti Cassiani de Monte Schalar Fesulan. Diœc. & sancti Pancratij Florentin. & sancti Michaëlis in Podio, sancti Donati Senen. necnon Sancti Michaëlis de Forculis Pistorien. & sanctæ Praxedis de Vrbe, & sanctæ Mariæ de Monte Plano Pistorien. Diœc. & aliorum dicti Ordinis Monasteriorũ, Abbatum, & Conuentuum, ac Priorum dilectorum filiorum petitio continebat, licet longo tempore Sancti Salui, & de Passignano, & successiue præfata alia Monasteria, & Prioratus diuersis concessionibus Apostolicis à dicto Monasterio Vallis Vmbrosæ, quod est caput totius Ordinis sub vocabulo Congregationis sancti Salui aliqualiter separata fuerint, & de per se degerint nuper tamen generales Abbates & Conuentus prædict. prouide considerantes, quod si Vallis Vmbrosæ, ac sancti Salui, ac de Passignano, & alia Monasteria prædicta in quibus regularis obseruantia viget, earumque personæ, ad vnum corpus mutuæ charitatis redigerentur, vberiores fructus in Dei honorem exinde prouenire, & Ordo ipse coadunatis viribus facilius ampliari & conseruari possent, habito circa præmissa diligenti tractatu & matura deliberatione, saluo semper beneplacito Sedis Apostolicæ, certa capitula formam & directionem præmissorum, ac felicem & prosperum statum eorum concernentia fecerunt, & ordinauerunt, nobisque humiliter supplicarunt, vt capitulis prædictis pro illorum substantia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adiicere, ac aliis & eorum statui super his opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic modo Pontifex ea cõfirmat.

§. 12. Nos igitur qui vnitatem, pacem, & charitatem inter quoscumque fideles, & præsertim sub suam religionis iugo Altissimo famulantes confouere, ex pia mentis nostræ consideratione internis desideramus affectibus. Quique singula capitula huiusmodi, per venerabilem fratrem nostrum Oliuerium Episcopum Sabinensem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & ipsius Ordinis Protectorem ac dilectum filium Magistrum Antonium de Grassis, Capellanum & Referendarium nostrũ, ac causarum Palatij Apostolici Auditorem, & ambos Iuris Vtriusque Doctores eximios, de quorum fide, prudentia, & integritate, specialem in Domino fiduciam obtinemus, diligenter examinari, limitari, corrigi, & emendari & præsentibus annotari fecimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula capituli prædicta cum omnibus, & singulis in eis contentis partibus, tenoribus, & clausulis, ac vniones, annexiones, & incorporationes ipsas quatenus opus sit auctoritate Apostolica tenore præsentium & ex certa nostra scientia confirmamus, & approbamus, ac viribus perpetuo subsistere debere decernimus, & declaramus, supplentes omnes, & singulos defectus tam iuris quam facti si qui forsan interuenerint in eisdem.

Et denuo eadem statuit.

§. 13. Et nihilominus pro potiori præmissorum obseruatione, omnia & singula capitula, vniones quoque, annexiones, & incorporationes prædicta, auctoritate, scientia, & tenore prædictis, etiam iuxta tenorem capitulorum ipsorum de nouo facimus, statuimus, & ordinamus, illaque inuiolabiliter obseruari debere similiter decernimus, & declaramus.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 14. Non obstantibus quibuscumque reuocationibus per Nos, & prædecessores nostros præfatos de vnionibus huiusmodi, quæ sortitæ nõ fuerint effectum factis, quas quoad hoc pro infectis haberi volumus, necnon vna nostra per quam volumus quod in vnionibus semper commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, & semper in eis, tam vniendi quam illius cui vnitetur, beneficiorum veri valoris secundum communem æstimationem exprimerentur, alioquin vnio non valeret, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasteriorum, & Ordinis prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac Callisti & aliorum prædecessorum literis cæterisque contrariis quibuscumque.

Tenor autem dictorum Capitulorum sequitur, & est talis.

Tenor dd. Capitulorum hic inseritur.

Monasterium Vallis Vmbrosæ & eius Abbas sit caput Congr.

§. 15. IN primis quod dictum Monasterium Vallis Vmbrosæ, & Abbas generalis illius, sit caput totius Religionis prædictæ. Item quod eo primo cedente, vel decedente alter eligatur prout inferius adnotabitur. Itẽ quod omnia Monasteria, & Monachi totius Congregationis S. Salui subiiciantur Generali tanquam capiti.

Congregatio Vallis Vmbrosæ denominatur.

§. 16. Et in futurum vocetur Congregatio Vallis Vmbrosæ, & non sancti Salui. Gaudeatque ipsa noua Congregatio omnibus priuilegiis, exemptionibus, & immunitatibus, quibus ipsa Congregatio sancti Salui gaudebat, perinde ac si eidem Congregationi Vallis Vmbrosæ concessæ fuissent.

Abbas Generalis sit perpetuus, & alij amouibiles vt infra.

§. 17. Item quod Abbas Vallis Vmbrosæ. & Generalis totius Ordiois pro tempore existens remaneat perpetuus. Cæteri veru Abbates, & Prælati dictæ Congregationis sint amouibiles, vt inferius adnotabitur.

Capitulū generale singulis annis celebretur in eoque octo Definitores & Abbas generalis præsideat.

§. 18. Item quod omni anno Capitulum generale dictæ Congregationis in loco ad hoc deputandu celebretur, in quo eligantur annuatim octo Definitores de numero Abbatum, seu Monachorum dictæ Congregationis tantum in sacerdotio constituiotum. In quo Capitulo Abbas generalis, vt caput præsideat.

Qui totum repræsentent Capitulum omnimoda potestate.

§. 19. Item quod præfatus pater Abbas generalis com dictis Definitotibus electis, repræsentet totum Capitulum præfatum, & babeat libertatem plenam, & auctoritatem gubernandi, & ordinandi dictam totam Congregationem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, corrigendique excessus, & errores quorumcumque, Abbatum, & Monachorum, & Conuersorum iuxta canonicas sanctiones, & instituta regularia d. Ordinis, & nouæ Congregationis, & alias provt eorum conscientiæ videbitur expedire.

Quaæ exerceat Generalis cum maiori parte Definitorum.

§. 20. Item quod Generalis pro tempore existens, vnà cum maiori parte Definitorum omnimodam vtilitatem, honorem, & statum prosperum dictæ nouæ Congregationis concernentia, facere, statuere, & ordinare possint, non obstante contradictione maioris partis.

Alij Abbates & Priores annuatim eligantur in dicto Capitulo.

§. 21. Item quod Generalis, & Definitores prædicti annuatim habeant deputare Abbates, & Priores annuales in Capitulo, provt eorum conscientiæ videbitur, non obstante forma data eligendi in literis fel. rec. Pij Papæ II. per quas statutom fuit, quod electio fieri deberet in loco Monasterij vacantis, & per œconomum, & Monachos eiusdem.

Visitatoresque constituantur ad executionem statutorum in Capitulo, &c.

§. 22. Item quod pater Generalis, & Definitores in fine Capituli eligant duos Visitatores dictæ Congregationis in sacerdotio constitotos, qui vnà cum patre Generali postquam dicti Definitores functi fuerint officio, eandem auctoritatem habeant omnia ordinata in Capitulo præcedenti exequendi, provt pater Generalis, & Definitores facere poterant. Quorum Visitatorum officium tantum duret, quovsque sequens proximum Capitulum congregabitur, & non vltra.

Generalis & Visitatores de Prælatis dictæ Congregationis disponere possunt.

§. 23. Item quod etiam pater Generalis, & dicti Visitatores pro tempore existentes, possint eorum officio durante, disponere, & ordinare de Abbatibus, & Prælatis dictæ Congregationis annualibus tantum, illosque ex legitima caosa, & aliquali præcedente summaria causæ cognitione amouere, & eorum loco alios deputare provt eorum conscientiæ, Religionis præfatæ quieti, & vtilitati videbitur expedire.

Capitulū non dissoluatur, antequam locus pro seq. Capitulo deputetur.

§. 24. Item quod Capitulum dictæ Congregationis dissolui non possit, nisi prius locus noui, & sequentis Capitoli per patrem Generalem, & Definitores sit ordinatus, & deputatus, & quod dictus locus sic depotatus amoueri non possit nisi expresso consilio patris Generalis, & Visitatorum prædictorum.

Monachi translati ab vno ad aliud Monasterium de prædictis, illius censeantur professi ad quod translati sunt.

§. 25. Item quod Prælati, & Monachi vt super de vno Monasterio dictæ Congregationis in quo prius erant ad aliud translati, & veri professi illius Monasterij ad quod transferuntur reputentur, habeantque vocem in Capitulo, & omnia alia facere, & exercere possint, ac si in illo, tacitam vel expressam, professionem emisissent.

Abbates antiquis suorum Monasteriorū priuilegijs vti possunt.

§. 26. Item quod Prælati dictæ Congregationis omnibus priuilegiis, insigniis, & præeminentiis, dignitatibus, & iurisdictionibus suis Monasteriis, in genere, vel in specie, seu alias auctoritate Apostolica vel quavis alia quomodocumque concessis, vti & gaudere possint, quibus antea vtebantur, & gaudebant, sine præiudicio præfatæ Congregationis, & literarum de & super præseotibus nouiter expediendarum.

Conuentiones Prælatorum. Congr. auctoritate Apost. confirmata censeantur.

§. 27. Item quod conoentiones inter Prælatos dictæ Congregationis, cum Prælatis qui per antea dictæ Congregationi aggregati sunt & adhuc adimpleta non sunt, vel connentiones quæ in futurum fient cum Prælatis perpetuis dicti Ordinis, qui præfatæ Congregationi aggregabuntur, seu adhærere voluerint, eiusdem roboris, & momenti sint, & esse censeantur, firmaque & illibata permanere habeant, ac si auctoritate Apost. munita forent.

Cardinales & alij Commendatarij cum licentia Sed. Apost. ad fauorem dicta Congr. cedere possint.

§. 28. Quodque præsens Capitulum intelligatur etiam quoad Commendatarios Monasteriorum, seu beneficiorum dicti Ordinis, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, seu quosvis alios, ita quod ipsi tales Commeodatarij non obstantibus reseruationibus Apostolicis specialibus, vel generalibus, & aliis in corpore iuris clausults præsentibus, & futuris, possint in fauorem dictæ Congregationis cedere, cum auctoritate tamen Sedis Apostolicæ.

Ita tamen quod Monasteria cedenda, absoluto nouem quindecennium Cameræ Apost. teneantur.

§. 29. Quodque conoentiones super præmissis faciendæ valeant provt superius est expressum, prouiso tamen quod à die quo huiusmodi Mooasteria cederentur, & ipsi Congregationi aggregarentur, infra sex menses annata, & deinde de quindecim annis in quindecim aonos Cameræ Apostolicæ per dictam Congregationem persoluantur.

Regimen Cong. sit Prælatorum eiusdem.

§. 30. Item quod Monasteria dictæ Congregationis solum per Prælatos eiusdem Congregationis vt supra electos, & ordinatos, regi & gubernari debeant, qui sic electi, & instituti auctoritate Apostolica regant, & gubernent dicta eorum Monasteria in spiritualibus, & temporalibus absque alia Sedis Apostolicæ prouisione, seruata tamen in præmissis voluntate dicti Pij prædecessoris de & super solutione annatarum vt supra.

Commēdatio aliqui Prælatis denegatur absque auctoritate Sed. Apostol. & expressa derogatione priuilegiorum Congregationis.

§. 31. Item quod nullus cuiuscumque status, gradus, & conditionis existat, etiam si Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, aut Cardinalatus dignitate præfulgeat, quoquo modo dictæ Congregationis Monasteria, siue eorum loca, & beneficia in Commendam recipere possint, seu habere, nisi auctoritate Apostolica & cum derogatione expressa priuilegiorum, & indultorum dictæ Congregationis, & non solum intelligatur de Monasteriis, & de beneficiis quæ in præsentiarum dictæ Congregationis sunt, sed de eis eiusdem Ordinis, quæ in futurum illi aggregabuntur.

Prouisio hic datur, casu quo Monasterium Vallis Vmbrosæ commendaretur.

§. 32. Item quod si aliquo casu, quod absit, contingeret dictum Mouasterium Vallis Vmbrosæ commendari, vbi nunquam à memoria hominū fuit commendarum, quod tunc sit licitum Definitoribus si tunc erit Capitulum, & si non Visitatoribus, aot si mortui essent Capitulo generali dictæ Congregationis eligere vnum Vicarium generalem, qui in omnes Abbates, Priores, & personas eorum, & loca eorundem babeant illam eandem facultatem, quā haberet Generalis. Et quòd hæc facultas duret dumtaxat durante Commenda. Cum clausula quod ipsi de Congregatione nihil habeant agere cum Commendatario, sed cō Vicario, modo præmisso per eos ordinando, & deputādo.

Prælati in ingressu Capituli ab omnibus officijs & dignitatibus absoluti censeantur.

§. 33. Item quod omnes Prælati annuales tantum dictæ Gougregationis in introitu Capituli, sint & esse intelligantur absoluti à dignitatibus, & officiis, quæ tunc obtinebunt.

De Abbatijs & Prioratibus quoquo modo vacantibus Generalis cum Definitoribus aut Visitatoribus disponant.

§. 34. Et nihilominus eorum Monasteria vacare non intelligantur etiam si Abbates, & Priores in Rom. Curia, vel extra eam; aut eundo ad eam, vel redeundo decederent. Et quod solum præfatum Capitulum dictæ Congregationis quantumcumque duret, & de eis disponere habeat vt supra, videlicet Generalis cum Definitoribus, siue cum Visitatoribus, non obstantibus quibuscumque reseruationibus, nisi aliter per Sedem Apostolicam ex aliqua rationabili causa disponeretur, vel prouideretur.

Prælatura vacet si quis ad Capitulū non accesserit.

§. 35. Item si aliquis Abbas annualis, siue Prælatus præfatæ Congregationis quacumque legitima causa impeditus, siue alias quovis modo in dicto Capitolo interesse non poterit, siue venire neglexerit vel recusauerit, eo ipso congregato Capitulo absolutus à dignitate vel officio sit, & esse censeatur.

Abbasque Generalis cū Visitatoribus de eo prouideant.

§ 36. Ita quod Abbas generalis vnà cum Definitoribus vt supra, de nouo Abbate, & Priore loco dicti Abbatis, siue Prioris absentis provt eis videbitur expedire, prouidere possint, perinde ac si ipsi Abbates, & Priores in dicto Capitulo espresè suis Monasteriis, & Prioratibus renuntiassent.

Et de Abbatijs vacātibus inter vnū & aliud Capitulum.

§. 37. Item si contingat aliquis Abbas annualis siue perpetuus dictæ Congregationis, Abbate generali excepto, inter Capitulum, & Capitulum ab humanis decederet, vel alias ab administratione sui Monasterij amoueri vt supra

Item idem Generalis cum Visitatoribus prouideat.

supra, Abbas generalis præfatus vnà cum Visitatoribus vt supra, de nouo Abbate prouidere habeant, possint, & debeant, & talis prouisio auctoritate Apostolica rata sit, & firma.

Prælati perpetui cedere possint ad fauorem Congr. Et cessio huiusmodi Generalis cum Definitoribus, vel Visitatoribus recipiatur, & cedentibus prouideant, prouidendo de solutione annatæ singulis quindennijs Cameræ Ap. de omnib. Abbatijs & Prælaturis etiam annalibus.

§. 38. Item quod Prælati perpetui dicti Ordinis, qui tam dictæ Congregationi aggregati sint, vel in posterum aggregari voluerint, & cedere vellent regimini, & administrationi dictorum Monasteriorum eorum, in fauorem dictæ Congregationis, cedere possint in manibus dicti patris Generalis, & Definitorum, seu in manibus patris Generalis, & Visitatorum, qui potestatem habeant admittendi cessionem, & dictæ Congregationi præfata Monasteria sic cessa aggregandi auctoritate Apostolica iuxta priuilegia præfatæ Congregationi S. Salui concessa. Et nihilominus dictus pater Abbas generalis vnà cum Definitoribus, seu Visitatoribus pro tempore potestatem habeant, eosdem Prælatos qui sic cedent, ad vitam siue ad tempus eisdem Monasterijs præficere in Abbates prout eis videbitur, prouiso quod à die cessionis huiusmodi infra annum Cameræ Apostolicæ integre annata præfati Monasterij sic cessi actualiter, & integre persoluatur. Et deinde de quindecim annis, in quindecim annos perpetuo annatam soluere teneantur, & se obligent iuxta literas dicti Pij. Et hoc quod dicitur de annata soluenda de quindecim annis in quindecim annos, intelligatur, & censeatur statutum etiam in Abbatibus, & Prælaturis annalibus, qui similiter annatam simili modo de quindecim annis in quindecim annos soluere teneantur. Ita quod omnia & singula decreta, & statuta, constitutiones, ordinationes, præcepta, censurarum promulgationes, & earum absolutiones, & quæcumque alia eorũ mandata debeant ab omnibus dictæ Congregationis in virtute sanctæ obedientiæ obseruari. Quodq; contrafacientes, & rebelles, dictisque sententijs, censuris, & pœnis per eos irretitos, & innodatos, ad eorundem periculum euagandi, per se aut deputatos per eos, libere absoluere possint.

Generalis Abbatis in omnes omnimoda sit iurisdictio.

§. 39. Item quod præfatus pater Abbas generalis pro tempore existens, quoad illa Monasteria dicti Ordinis extra dictam Congregationem existentia, ac Abbates, Prioratus, loca, & personas eorundem, in omnibus, & per omnia remaneat in sua facultate ipsa gubernandi, & ipsum officium Generalatus exercendi in omnibus, & per omnia prout Prius, præfatique Abbates, & Priores extra dictam Congregationem propter præmissa, nec aliquod præmissorum, censeatur esse extra obedientiam dicti Generalis, sed sub obedientia ipsius Generalis permaneant, Et adueniente ipsius Abbatiæ, Generalatus vacatione, eiusdem Ordinis Abbatis noui, & Generalis electio spectet, & pertineat iuxta antiquam, & laudabilem consuetudinem, ad Monachos, & Conuersos professos, & Conuentus B. Mariæ Vallis Vmbrosæ pro tempore existentis, & ad Abbates, & Priores eiusdem Ordinis habentes voces in Capitulo generali tantum.

Monasterijq. Vallis vmbrosæ priuilegia firma persistant.

§. 40. Quodque priuilegia dicti Monasterij B. Mariæ Vallis Vmbrosæ & Generalis eiusdem Ordinis firma in suo robore permaneant vt prius.

Generalis cũ Definitoribus possit vnum professum deputare ad scribendum acta Capituli, & ei prout publico Notario plene credatur.

§. 41. Item quod pater Generalis præfatus cum Definitoribus præfatis singulis annis vt supra eligere habeant, & Possint vnum professum idoneum dictæ Congregationis loco Notarij publici, qui omnia acta, & agenda in Capitulo dictæ Congregationis per præfatos Capitulum generale, patrem Generalem, Definitores, & Visitatores, describere, & in notam redigere possit, & valeat, eiusque scripto in iudicio, & extra, inter eos dumtaxat, etiam in Romana Curia, & alibi fides adhibeatur, ac si per Notarium publicum, & authenticum facta, & acta forent. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Dat. P. A. 1. die 31. Ian.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1484 Pridie Kal. Febr. Pont. nostri Anno 1.

III. **Contra annatas ex fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum statis temporibus non soluẽtes.**

Ampliores dispositiones, ampliationesque & declarationes extant multorum Pontificum, quas tibi indicabo in const. 33. Six. V. Camera, ibi videas.

Edita An. D. 1484.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

APostolicæ Cameræ, ex qua non modo S.R.E. sed etiam magnum totius Christianæ Reipublicæ subsidium prouenit, iura illæsa seruare, vt tenemur, modis omnibus cupientes, his, quæ propterea à prædecessoribus nostris emanarunt, libenter adiicimus muniminis nostri firmitatem, ac alias desuper prouidemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pius II. annatas sub pœnis hic expressas non soluentibus ... constit. ... habet.

§. 1. Dudum siquidem per fel. rec. Pium Papam II. prædecessorem nostrum, accepto quod numerus debitorum dictæ Cameræ nimis auctus erat, & quod obligati pro annatis beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ auctoritate Apostolica assecuti fuerant, excommunicationis sententiam in eos latam (quam non soluendo in præfixo eis termino, ipso facto incurrebant) minime curare videbantur, & per hoc animabus sic illaqueatis periculum imminebat, & continua dictæ Cameræ damna subsequebantur; Idem prædecessor cupiens tam saluti animarum, quam ipsius Cameræ indemnitatibus salubriter prouidere, prouide ordinauit, quod omnes, qui de cætero pro annatis quorumcumque beneficiorum in dicta Camera se obligarent, si infra eis præfixos terminos, dictæ Cameræ; aut collectoribus fructuum & prouentuum eius, in partibus existentibus, satisfacere deficerent, ipso facto, lapso termino, non solum in sententiam excommunicationis inciderent, sed etiam beneficiis suis, pro quibus se in dicta Camera obligassent, omnino priuati forent, illi verò, qui non pro se, sed pro aliis, vt principales, se pro annatis huiusmodi obligarent, si in terminis non satisfacerent, vltra sententiam excommunicationis huiusmodi, essent ipso facto omnibus beneficiis Ecclesiasticis, quæ obtinerent, priuati; possentque talia beneficia per quoscumque libere impetrari, prout in eiusdem prædecessoris literis desuper confectis plenius continetur.

Et quia lit. desuper erat certæ.

§. 2. Cum autem sicut accepimus, ex ordinatione prædicta, ab aliquibus temporibus citra, ideo optati fructus non prouenerint, quia nonnulli, qui beneficia Ecclesiastica per huiusmodi priuationem vacantia, pro tempore postmodum impetrarunt, super illis agendo, & qui excipiendo, priuationem huiusmodi in iudicium deduxerunt, coram Palatij causarum Apostolici Auditoribus, & aliis iudicibus Romanæ Curiæ, auditi non fuerunt ab eisdem Auditoribus, & iudicibus, absentibus ordinationem eandem prædecessoris præfati non fuisse receptam, & moribus vtentium comprobatam, creuitque & crescit in dies numerus debitorum eorundem, in animarum non soluentium quæ debent, periculum, & præfatæ Cameræ ac Christianæ Reipublicæ præfatæ non leue præiudicium.

Pont. iste ... probat const. Pij II.

§. 3. Nos igitur volentes super præmissis opportune prouidere, eiusdem prædecessoris ordinationem, & literas prædictas, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica, præsentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, iuxta illarum continentiam, & tenorem.

Concedit quod terminum ad soluendum annatas decernit.

§. 4. Ac volumus, & eadem auctoritate statuimus, quod hactenus obligati Cameræ eidem ex causis prædictis, qui non soluerunt statutis eis terminis, ac propterea excommunicationis sententiam, & iuxta eiusdem prædecessoris literarum continentiam, priuationis pœnam prædictam incurrerunt (si Curiales, infra vnum, Citramontani, infra tres; & Vltramontani, infra nouem mẽses, à die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica computandos) dictæ Cameræ de his quæ debeant satisfecerint, ex nunc, eo ipso, ab excommunicationis sentẽtia absolui, & ad beneficia, quibus propterea iuxta ordinationem prædictam priuati existunt, plenarie restitui censeantur; & si non soluerint in terminis prædictis, priuationis pœnam prædictam de nouo incurrant eo ipso.

Non soluentes annatas pœnas hic statutas incurrunt.

§. 5. Quod illi, qui in posterum se obligabunt, excommunicationis & priuationis pœnas prędictas, iuxta eiusdem prædecessoris ordinationem, omnino incurrant, & impetrantes beneficia per huiusmodi priuationem vacãtia, & similiter contra illos sic priuatos, de priuatione huiusmodi excipientes; possint, & debeant per quoscumque Auditores, & Iudices audiri; nec eo prætextu, quod

constitutio prædicta non fuerit recepta, & moribus vtentium comprobata, repelli, teneanturque Auditores, & Iudices quicumque in causis cognoscendis in Romana Curia, & extra, secundum eandem ordinationem iudicare; sublata eis, & cuilibet eorum quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate.

Solutio ut probanda. §. 6. Nec prosint obligatis prædictis quietationes, quas à collectoribus, vel subcollectoribus prædictis haberent, quæ publico non probarentur instrumento,

Decretum irritans. §. 7. Decernentes præsentes literas ex die publicationis earum in Cancellaria Apostolica, quoscumque ligare, ac irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria. §. 8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ idem prædecessor in suis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 17 Feb. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, 13. Kalend. Martij, Pont. nostri anno 1.

Publicatio. Lecta, & publicata fuit suprascripta bulla Romæ in Cancellaria Apostolica, die Iouis xvij. mensis Februarij, Anno Domini 1485. Pontificatus præfati Domini Innocentij Papæ VIII. Anno primo.

IV. Iurisdictio Clericorum R. Cam. Apost. quascumque causas interesse ipsius Cameræ concernentes, summarie, &c. cognoscendi.

Quod hanc iurisdictionem, aliaque indulta, ad electionem, & numerum eorundem Clericorum, habes supr. constit. 13. Eugen IV. Inter. & infra Leon. X const. 24. Licet, necnon Pij IV. const. 55. Romanus, vbi alias indicabo.

Edita A. D. 1485. *INNOCENTIVS PAPA VIII.*
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constit. §. 1. CVm sicut accepimus, nonnulli magis rigori, & apicibus iuris, quam æquitati adhærentes, reducere nitantur in dubium, an in causis dilectis filiis Clericis, & Præsidentibus Cameræ nostræ Apostolicæ, & præsertim inter Fiscum nostrum, & ipsius Cameræ ex vna, & priuatas personas, parte ex altera occasione pecuniarum, rerum, & bonorum ad dictam Cameram quavis occasione, vel causa, directe vel indirecte spectantium, & pertinentium, aut in quibus dictæ Cameræ interesse resultare posset, solemnitates iudiciales ac iuris positiui, prout in aliis causis, coram aliis iudicibus, ordinariis vel delegatis, aut quibusvis Tribunalibus seruari solita sint, seruari debeant, ac ipsarum solemnitatis omissio, coram dictis Præsidentibus, & Clericis processus, & sententias habitos, & latas, habendos, & ferendas vitiare habeant.

Iurisdictio Clericorum R. Cam. Apost. causas sum. summarie, &c. cognoscendi. §. 2. Nos igitur attendentes, quod Clerici, & Præsidentes Cameræ, in eadem personam nostram repræsentantes, & quæ coram eis agitantur, coram nobis agitari censentur, cum illi pro quibusvis dubitationibus nos consulere valeant, ac de consuetudine illius loci solemnitates, & termini huiusmodi iudiciales prætermitti, & sola facti veritas attendi consueuerint. Igitur scrupulosam ambiguitatem huiusmodi succidere, & causas super rebus, & negotiis quibuscumque in dicta Camera, inter quosvis, & præsertim præfatum fiscum, & alios nunc, & pro tempore pendentes, celeriorem finem accipere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, nostraque deliberatione, & voluntate decernimus, declaramus, & mandamus, in omnibus, & singulis causis huiusmodi pro tempore vertentibus, summarie, sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta, omnisque iuris positiui, & iudiciali solemnitate postposita per dictos Clericos, & Præsidentes dictæ Cameræ procedi, illasque terminari, & decidi debere sententiasque per eosdem latas, & ferendas occasione omissionis solemnitatis iudicialis, & iuris positiui, nullatenus de nullitate impugnari posse, vel debere, dummodo pro veritate latæ sint.

Clausula sublata, &c. §. 3. Sicque per quoscumque iudices coram quibus causas ipsas forsan quovis modo agitari postmodum contigerit, obseruari volumus, & mandamus. Decernentes irritū, & inane, quicquid contra decretum istud fieri contigerit.

Derogatio contrariorum. §. 4. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac legibus, stylo Palatij, cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, causarum omnium pendentium statum, nomina, & cognomina, pro sufficienter expressis habentes.

Papa subscriptio. Placet, & ita Motu proprio mandamus.

Dat. P. An. 1. die 18. Aug. Dat. Romæ apud S. Petrum, 15. Kal. Sept. Anno 1.

V. Declaratio, & reuocatio concessionum iurispatronatus, & præsentandi ad beneficia Ecclesiastica, per Sedem Apost. eiusque Officiales ab annis xxv. citra factarum.

Aliam reuocationem omnino similem, prodit Adriā. VI. infra in eius constit. 3. Sanctissimus. Et pleniorem habes in Concil Trid. sess. 14. cap. 12. & seq. sess. 24 cap. 18. & sess. 25 cap 9. & inf in Pij IV. const. 53. In sublimi. Et signanter circa Ecclesias parochiales vide const. 53. Pij V. In conferendis. Ac circa præsentationem Apostatarum, attende const. 14. Paul. IV. Postquam.

Edita an. D. 1485. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. CVm ab Apostolica Sede, ad quam de diuersis mundi partibus negotiorum multitudo confluit, curis continue plena innumeris, nonnulla interdum ex aliquibus causis, aliquando per occupationem, & importunam petentium instantiam concedantur, quæ in alieni iuris, & præsertim auctoritatis Apostolicæ, ac iurisdictionis Episcopalis, & aliorum collatorum, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, Hospitaliumque, & piorum locorum præiudicium tendunt, & detrimentum: non debet reprehensibile videri, si Romanus Pontifex, ad cuius prouidentiam, pro debito Pastoralis officij spectat super his debite prouidere, illa ex aliis rationabilibus, & à iure non deuiantibus causis maturius, & attentius deinde cognitis, quandoque reuocat & annullat, ac ad statum redigit rationis, maxime cum rerum, & temporum qualitate pensatis id in domino conspicit salubriter expedire.

Enarratio causarū huius reuocationis. §. 1. Sane postquam ad summi Apostolatus apicem fuimus diuina fauente clementia assumpti, fide digna plurimorum relatione intelleximus, quod nonnulli Rom. Pontificis prædecessores nostri, & dictæ Sedis Legati, ac Nuntij, etiam cum potestate Legati de Latere, eorum legatione, vel de speciali facultatis auctoritate, retroactis temporibus, & præsertim xxv. annis citra, diuersis Regibus, Reginis, Ducibus, & Marchionibus, & aliis Principibus, Communitatibus, Ciuitatibus, Vniuersitatibus Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, Confraternitatibus, & Collegiis sæcularium personarum, necnon aliis tam Ecclesiasticis quam sæcularibus personis, diuersorum status, gradus, & conditionis, aliquibus eorum simpliciter, & absque aliqua causa, & aliquibus sub certis conditionibus tunc expressis (quas personæ, & alij supradicti adimplere promiserant, vel quæ per eos adimpleri mandabantur) iuspatronatus, & præsentandi, seu nominandi personas idoneas ad diuersa Monasteria, Prioratus, Præpositturas, Præpositatus ac alias dignitates Conuentuales, ac in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales maiores & Collegiatis Ecclesiis principales personatus, administrationes, officia, canonicatus, & præbendas, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & regularia, ac hospitalia, & alia pia loca, ea tunc deinceps vacatura, pro eis eorumque hæredibus, & successoribus, & alias, seu aliis modis, & formis, per diuersas eorum literas, in perpetuum vel ad certum tempus reseruauerunt, concesserunt, & assignarunt. Quorum aliqui conditiones augendi valorem annuum fructuum, reddituum, & prouentuum beneficiorum prædictorum

ad

ad certam summam tunc expressam, seu reparandi, instaurandi, & reædificandi Ecclesias, illarumque structuras, & ædificia ad ruinam tendentia, vel iam funditus diruta, & destructa, ad quas ratione reseruationis, concessionis, & assignationis prædictarum tenebantur, nullatenus executioni debitæ demandarunt, & aliis conditiones huiusmodi adeo tenues impositæ fuerunt, quod Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, & officiis, canonicatibus, & præbendis, aliisque beneficiis, ac hospitalibus, & piis locis, prædictis, parua potuit exinde vtilitas prouenire, quinimmo, quod deterius est, nonnulli ex personis supradictis, quibus iuspatronatus huiusmodi, vt præmittitur, concessum est, Monasteriorum, Prioratuum, præposituratum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorumque, canonicatuum, & præbendarum, aliorumque beneficiorum, ac hospitalium, & piorum locorum prædictorum fructus, redditus, & prouentus, seu eorum partem, plerumque vsurpant, & in suos damnabiles vsus conuertunt, quod vt commodius facere possint, ad Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, & præbendas, aliaque beneficia, necnon hospitalia, & pia loca huiusmodi, personas minus idoneas, & de quibus pro eorum libito voluntatis disponere possunt, sæpenumero præsentant, & in illis institui procurant, in graue Monasteriorum, dignitatum, aliorumque beneficiorum, ac hospitalium, & piorum locorum prædictorum præiudicium, & detrimentum, animarumque suarum periculum, perniciosum quoque exemplum & scandalum plurimorum.

Reuocatio iurispatronatus concessionum à 25 annis citra factarum quoad beneficia electiua.

§. 2. Nos igitur attendentes, quod iuxta canonicas sanctiones, iuspatronatus præsentandi ad regimina Monasteriorum, Prioratus, Præposituras, & alias Conuentuales, necnon Cathedralibus, & Metropolitanis, & Collegiatis Ecclesiis, huiusmodi dignitates (ad quas personæ idoneæ per Conuentus, & Capitula illarum, seu illorum dum pro tempore vacant eligi consueuerunt) in laicum nullo modo cadere potest, nisi ex speciali Sedis prædictæ priuilegio, quod non nisi ex maximis, & vrgentibus causis alicui per Sedem eandem concedi consueuit, quodque etiam conueniens non videtur, quod iuspatronatus ad beneficia Ecclesiastica, pro nulla seu leui, & facili causa acquiratur, & præsertim cum iuris alieni præiudicio. Volentes, ne Sedis prædictæ auctoritas, & locorum Ordinariorum, aliorumque collatorum, & collatricum iurisdictio propterea in dies minuantur, ac Monasteria, dignitates, & alia beneficia, hospitalia, & pia loca supradicta ex concessionibus, & reseruationibus iurispatronatus huiusmodi, aliqua detrimenta (prout propterea contingit) patiantur, seu Monasteria, & aliæ dignitates electiuæ, ac (in quibus reseruationes, & cōcessiones huiusmodi, pro nulla seu leui causa factæ fuerunt) alia beneficia, hospitalia, & pia loca prædicta, sua solita gaudeant libertate, debite, prout nostro incumbit officio, prouidere; deliberatione super his cum fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus præhabita diligenti, etiam expressis, & certis aliis nobis notis, legitimis, & id suadentibus causis, omnes, & singulas concessiones, reseruationes, & assignationes iurispatronatus, & præsentandi seu nominandi personas huiusmodi ad Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas, aliaque beneficia, ac hospitalia, & pia loca supradicta, per Sedem, ac Legatos, & Nūtios prædictos, à dictis xxv. annis citra, Regibus, Reginis, Ducibus, Marchionibus, & aliis personis supradictis, necnon Ciuitatibus, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & Collegiis huiusmodi, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & ex quibuscumque causis, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine factis; quoad Monasteria videlicet, ac Prioratus Præposituras, Præpositatus, & alias dignitates, ac beneficia electiua, etiamsi quascumque conditiones propterea impositas adimpleuissent.

Reuocatio quoad beneficia non electi-

§. 3. Quæ verò ad non electiua, ac hospitalia, & alia pia loca huiusmodi factæ fuerunt, si fructus, redditus, & prouentus beneficiorum non electiuorum, ac hospitalium, & aliorum piorum locorū prædictorum, ad medietatem veri anni valoris, fructus, redditus, & prouentus eorundem, secundum communem æstimationem de propriis eorum bonis non auxerunt, vel Ecclesias de nouo in illis non ædificarunt, seu omnino funditus dirutas, & destructas non reædificarunt, aut loca, seu fundos in quibus ædificarentur, non concesserunt, etiamsi conditiones, ad quas alias forsan quam modis præmissis tenebantur executioni demandassent, de eorundem fratrum consilio auctoritate Apostolica; & etiam ex certa nostra scientia, tenore præsentium reuocamus, cassamus, irritamus, & annihilamus, ac pro nullis, cassis, irritis, & infectis omnino haberi volumus. Ordinariis, & aliis collatoribus, & collatricibus quibuscumque concedentes, vt cessantibus reseruationibus Apostolicis, hactenus sic pro tempore factis, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, & præbendas, ac alia beneficia supradicta, cum deinceps pro tempore vacauerint, nulla expectata præsentatione, siue nominatione, conferre, ac hospitalia, & alia pia loca committere, Monasteriis verò huiusmodi de personis idoneis prouidere, seu alias de illis disponere, ac Conuentibus, & Capitulis Monasteriorum, Prioratuum, Præposituratum, Præpositatuum, ac aliarum dignitatum, præsertim Conuentualium, necnon Ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum, vt in electione personarum idonearum ad illa ex beneficiis supradictis, quæ electiua esse consueuissent, similibus cessantibus reseruationibus, procedere libere possint, & debeant, in omnibus, & per omnia, perinde ac si concessiones, reseruationes, & assignationes iurispatronatus huiusmodi, nullatenus emanassent, ac districtius inhibētes omnibus, & singulis supradictis, quibus reseruationes, & assignationes iurispatronatus huiusmodi, vt præmittitur, factæ fuerunt, ne de cætero occurrentibus vacationibus Monasteriorum, Prioratuum, Præposituratum, Præpositatuum, dignitatum, personatuum, administrationum, ad præsentationem, seu nominationem aliquam procedere, ac Ordinarios, aliosque collatores & collatrices prædictos, quominus illa conferant, & eos ad quos electio pertinet, ne eligant, directe vel indirecte impedire contra præsentium tenorem quoquo modo præsumant.

ua est declarationibus & modificationibus iam expressis.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes etiam ex nunc irritum, & inane, secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon literis super reseruationibus, & concessionibus huiusmodi expeditis, etiam si in eis contineretur, quod illæ generalibus reuocationibus, quæ fierent, nullatenus includerentur, nisi de personarum quas concernunt, & quarum consideratione emanarunt, nominibus, cognominibus, dignitatibus, officiis, ac causis propter quas concessæ sunt, seu quævis alia expressio indiuidua fieret de eisdem, idque eis insinuaretur per diuersas literas, sub diuersis datis, & earundem personarum in huiusmodi reuocatione expressus accedat assensus, quas, & quascumque alias clausulas, quæ ad huiusmodi effectum, quod non includerentur in huiusmodi reuocatione in eis directæ forent, illis præsentibus pro insertis, & sufficienter expressis habentes, nemini volumus vllatenus suffragari, quo minus reseruationes, & concessiones iurispatronatus, ac literæ desuper confectæ huiusmodi, in præsentibus literis, & reuocatione includantur, perinde ac si omnia requisita ad eorum reuocationem, iuxta earum formas, & clausulas in eisdem præsentibus literis, & reuocationibus specificarentur, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 23. Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1485. 10. Kal. Septemb. Pont. nostri Anno 1.

Publicatio.

Lecta in Camera Apostolica die Sabbati decima mensis Septemb. & publicata die Martis 13. Septemb. in portis Cameræ Apostolicæ.

VI.

Auditorum Rotæ Romanæ Officia vacant per eorum promotionem ad Ecclesias Cathedrales, vel Metropolitanas.

Quod hæc officia antè hanc diem non vacharent, indicat mihi bulla 2. Sixt. IV. sup. Romani. Aliaque de materia Rota notabo inf. in const. 44. Pij IV. In throno.

Edita An. D. 1485.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei : Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius const.

CIrcunspecta in omnibus actibus suia Apostolicæ Sedis prouidentia ad ea libenter intendit per quæ singula Romanæ Curiæ officia, vt præfertur, in quibus ius dicitur per personas, quæ ab omni alio onere liberæ ad illa commode intendere possint, exerceantur, & personæ ipsæ dum Cathedralibus vel Metropolitanis Ecclesiis præficiuntur, ab oneribus officiorum huiusmodi pro Pontificalis reuerentia dignitatis, vti conueniens existit, immunes regimini & gubernationi Ecclesiarum ipsarum pro debito pastoralis officij liberius vacare, & onus ad quod assumpti fuere melius valeant adimplere. Sane sicut facti euidentia demonstrat, sæpenumero contingit vt Rom. Pont. pro tempore existentes considerantes merita dilectorum filiorum causarum Palatij Apost. Auditorum pro tempore existentium, postquam aliquandiu in eorum officiis laudabiliter laborarunt, vt tandem post multos labores condigna pro meritis præmia reportent, quo cæteri huiusmodi exemplo allecti in dies ad studia magis incendantur, aliquos ex eisdem Auditoribus ad Cathedralium siue Metropolitanarum Ecclesiarum pro tempore vacantium regimina promoueant, eosque illis præficiant in pastores, quodque post promotionem & præfectionem prædictas, Auditores præfati ad regimina Cathedralium siue Metropolitanarum Ecclesiarum huiusmodi assumpti, nihilominus dicta eorum officia sub prætextu quod propterea non vacent exercere non desinant, quo fit vt Ecclesiæ ipsæ suis ob illorum continuam in Romana Curia residentiam remaneant pro maiori temporis parte quasi viduatæ pastoribus, non sine magno illarum dispendio ac animarum periculo.

Auditorum officia vacent vt in rubr.

§. 1. Nos igitur attendentes, minus conueniens fore quod assumpti ad huiusmodi regimina debeant circa strepitus iudiciorum continue versari, ac taliter esse illis intentos vt pastorale officium commissum nequeant per se ipsos adimplere, & propterea more vigilis pastoris salubriter prouidere volentes, matura super hoc cum fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione præhabita huius perpetuæ & irrefragabilis constitutionis edicto de fratrum prædictorum consilio, auctoritate Apostolica & ex certa nostra scientia tenore præsentium statuimus decernimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, quoties per nos seu Sedem prædictam aliquem ex dictis Auditoribus nunc & pro tempore existentibus, ad aliquam Cathedralem seu Metropolitanam Ecclesiam huiusmodi promoueri, seu iam promotum transferri contigerit, officium auditoriatus huiusmodi quod sic promotus vel translatus tunc obtinebit, per prouisionem, præfectionem, seu translationem prædictas, vacet ac vacasse & vacare censeatur eo ipso.

Decretum irritans.

§. 2. Sicque ab omnibus iudicari & reputari debere, posseque de illo tanquam sic vacante per Romanum Pontificem tunc existentem statim, alias vt moris est, libere prouideri.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti officij iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoq; & indultis Apostolicis eisdem Auditoribus forsan, etiam motu proprio, & ex simili scientia, ac sub quibusuis verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & talibus quod illis non nisi sub certis inibi expressis, modo & forma nullatenus possit derogari, concessis & concedendis in posterum quibus omnibus (illarum tenores præsentibus pro insertis habentes) quoad hoc specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse eaque pro infectis, & non concessis haberi volumus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1485. decimo Kal. Septemb. Pont. nostri Anno primo. *Dat. P. An. 1 die 23. Aug.*

Iurisdictio & facultates Auditoris causarum Curiæ Reu. Cameræ Apostolicæ. VII.

Hoc officium ampliores in dies iurisdictiones acquisiuit à Pont. successoribus, quorum bullæ multæ sunt, sed hanc vti cæteris quæ haberi potuerunt, antiquiorem, & aliam Pauli V. num. 28. vti postremam ac pleniorem ponēdas esse duxi, aliis tanquam non necessariis prætermissis, præterquam const. 33. Pij IV. Ad eximiæ, vt statum huius officij etiam medij temporis cognoscere valeas. Et cæt. notabo in præcitata Bulla Pauli V.

Edita An. D. 1485.

INNOCENTIVS PAPA VIII. Dilecto filio Magistro Petro de Vicentia I. V. Doctori, Capellano nostro, & causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, Salutem & Apostolicam bened.

Proœmium.

APprimæ deuotionis affectum, quem cum fidei constantia & sinceritate mentis, ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere comprobaris, necnon litterarum excellentiam, vitæque decorem & morum honestatem, aliaque probitatis, & plurimarum virtutum tuarum merita, quibus personam tuam, ex fide dignorum testimoniis iuuari percipimus, nostræ dirigentes considerationis intuitum, ac propterea indubiam spem gerentes, quod ea quæ tibi committenda duxerimus, summa cum prouidentia & exacta diligentia laudabiliter exequeris, dignum, quin potius debitum arbitramur, vt eandem personam tuam condignis fauoribus & gratiis prosequamur.

Officium Auditoriatus vacauit per obitum Ioannis Prioris.

§. 1. Cum itaque officium generalis Auditoriatus, seu audientiæ causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, quod quondam Ioannes Prioris causarum dictæ Curiæ generalis Auditor, dum viueret exercebat, per obitum dicti Ioannis, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum apud Sedem ipsam vacauerit, & vacet ad præsens.

Et modo hic Pont. illud confert Petro de Vincentia eius Capellano, cū solitis iurisdictionib. &c.

§. 2. Nos de tuis literarum scientia probitate, & singulari prouidentia, aliisque virtutibus huiusmodi, quas in te diuina propagante clementia; sumentes in Domino fiduciam specialem, & sperantes quod tu officium audientiæ causarum Curiæ Cameræ prædictum, scies, voles, & poteris, probe, feliciter, & laudabiliter exercere, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius, per te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa nostra Scientia, officium generalis Audientiæ, seu Auditoris causarum Curiæ Cameræ huiusmodi sic vacans, vt præfertur, cum omnibus honoribus, & oneribus, priuilegiis, iuribus, & emolumentis consuetis, auctoritate Apostolica tenore præsentium tibi conferimus, concedimus & etiam assignamus, ac te nostrum, & dilecti filij Raphaëlis S. Georgij ad Velum Aureum Diaconi Cardinalis moderni & pro tempore præsentis Camerarij nostri, ac causarum Curiæ huiusmodi generalem Auditorem, eadem auctoritate facimus, constituimus, creamus, & deputamus.

Facultasque eidem datur per Locumtenentes causas criminales Curialiū cognoscendi.

Hæc iurisdictio aucta est vt in bulla Pij IV. & Pauli V. cit. in rubr.

§. 3. Tibique per te vel alium, seu idoneum, seu idoneos locumtenentes, & Vices gerentes tuos, quos pro tempore, toties quoties tibi placuerit, duxeris assumendos, seu deputandos, de omnibus & singulis criminibus, excessibus, & delictis in Curia Romana, vel extra eam, per quoscunque, tam officiales Sedis Apostolicæ, quam alios Curiales Romanam Curiam sequentes, cuiuscunque dignitatis, Ecclesiasticæ vel mundanæ, status, gradus, ordinis vel conditionis, perpetratis & perpetrandis, tam per Fisci nostri pro tempore præsentis procuratoris denuntiationem, & accusationem; quam etiam ex mero officio, inquirendi, & super illis, tam per inquisitionem huiusmodi, quam accusationem, seu denuntiationem, procedendi, repertos culpabiles iuxta excessuum per eos perpetratorum exigentiam puniendi.

§. 4.

Causasque tam ciuiles quam criminales in Curia motas, &c. eidem cognoscendi. Vide easdem bullas Pij IV. & Pauli V. in rubr. indicatas.

§. 4. Necnon omnes & singulas, tam ciuiles quam criminales & mixtas, & spirituales, Ecclesiasticas & prophanas, & alias quascumque causas, in quibus ad membri mutilationem, aut sanguinis effusionem, & condemnationem non intenditur, coniunctim vel diuisim, quomodocumque & qualitercumque in eadem Curia motas & mouendas, seu quomodolibet nunc & in posterum inter quascumque partes, etiam per viam inquisitionis ex officio pendentes.

Ac etiam causas appellationum interpositarum à sententiis Iudicum Vrbis, & Status Ecclesiastici.

§. 5. Et quæ siue per appellationem interiectam à grauaminibus illatis, & inferri comminatis, ac sententiis etiam definitiuis, latis & promulgatis, etiam per dilectum filium nostrum S.R.E. Marescallum & in sua Curia, & alios quoscumque Iudices, ordinarios & delegatos, seu arbitros vel arbitratores in Terris Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subiectis, etiam quibusuis in feudum, vel vicariatum concessis, aut alias ad Sedem Apostolicam etiam per viam reclamationis iudicialis, vel extraiudicialis siue aliàs per viam nullitatis delatæ sunt, vel in posterum deferentur, eas videlicet in quibus non ageretur de maiori summa viginti quinque ducatorum auri de Camera, aut illius summæ verum valorem excedente summarie, simpliciter & de plano, & sine strepitu & figura iudicij, sola rei & facti veritate inspecta, nullisque terminis seruatis, etiam qui de stylo seu ordinatione Palatij Apostolici, & alias seruari soliti sint, aliàs verò more solito audiendi, cognoscendi, & decidendi, ac fine debito terminandi.

Sententias & processus censurarum exequendi.

§. 6. Necnon tuarum, & per nos Locumtenentes, & aliarum quarumcumque in eadem Curia per quoscumque Iudices delegatos vel subdelegatos latarum sententiarum, & quorumcumque processuum generalium per Rom. Pontif. tam in die Cœnæ Domini, quam alias, cum censurarum & pœnarum Ecclesiasticarum fulminatione fieri solitorum, ac etiam quarumcumque aliarum, tam per nos quam per Rom. Pont. pro tempore existentes, siue in specie siue in genere, & alias quomodolibet latarum & ferendarum sententiarum executionem, quam etiam si delegatis ipsis, aut subdelegatis, seu aliis quibuscumque specialiter forsan per nos, vel Sedem prædictam commissæ forent, aut committerentur pro tempore accumulatiue quoad te tuosque Locumtenentes, non autem priuatiue, commissas fore decernimus, & declaramus faciendi, illasque debitæ terminationi, etiam cum inuocatione auxilij Brachij sæcularis si opus fuerit, demandandi.

Necnon causas contractuum initorum in Curia cognoscendi.

§. 7. Et prædictos & alios etiam extra Rom. Cur. degentes tuæ tamen iurisdictioni ratione salarij in Romana Curia per quoscumque debiti, vel expensarum mutui vel contractus in eadem Curia initi, aut alias quouis modo sponte submissas & submittendas Vniuersitates, Collegia, & personas cuiuscumque gradus, status, etiam Pontificalis præeminentiæ, & alias in dicta Curia degentes personas, ad instantiam quorum interest, etiam pro expensis, damnis, & interesse, in causis quibuscumque contractibus, quoties expedient, citandi, monendi, requirendi, suspendendi, ac specialiter interdicendi, excommunicandi, & iteratis vicibus aggrauandi, illasque prout expedierit arrestandi, incarcerandi, & detinendi, pœnas, & mulctas pro delictorum, excessuum, & criminum qualitate eis infligendi, & imponendi, ac ipsas, & earum quamlibet, quas à te tuisue, etiam de partium consensu, & ad id specialiter delegato, ad impugnandas collusiones & fraudes, præterquam à te, tuoque Locumtenente absolui posse decernimus, ab ipsis singulis pœnis, & mulctis spiritualiter vel temporaliter, absoluendi & relaxandi.

Et alia quacumque fieri solita & consueta faciendi.

§. 8. Et generaliter, omnia & singula gerendi, statuendi, disponendi, præcipiendi, mandandi, & exercendi, quæ ad huiusmodi Auditoriatus officium, de iure vel consuetudine, quam præsentibus approbamus, quomodolibet pertinuerint, & quæ Auditores causarum dictæ Curiæ, qui pro tempore fuerunt, & ex concessa eis à prædicta Sede facultate, facere, & gerere, statuere, & disponere, recipere, præcipere, mandare, exercere, ordinare, & exequi quomodolibet potuerunt, sed etiam debuerunt, aut soliti sunt, faciendi, gerendi, statuendi, disponendi, recipiendi, mandandi, exercendi, ordinandi, & consequendi.

Plures ad istarum causarum cognitionem deputandi.

§. 9. Et vnum vel plures, ad præmissa omnia, ipsumque Auditoris causarum Curiæ officium exercendi, quoties tibi placuerit, loco tui substituendi, & substitutos reuocandi, ac illos, vel alios iterum substituendi, & deputandi, plenam, & liberam, dicta auctoritate Apostolica concedimus facultatem, & potestatem. Habituri processus, & sententias, quos & quas feceris, statueris, & tuleris in contradictores quoslibet, & rebelles, ratas, & gratas, illasque facturi, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus, & ordinibus Apostolicis, ac priuilegiis, concessionibus, & indultis quibusuis communitatibus, & vniuersitatibus Terrarum Sedi Apostolicæ mediate vel immediate subiectarum, per nos aut prædecessores nostros Rom. Pont. sub quibusuis verborum formis, etiam si de illis specialis, specifica & expressa mentio habenda foret concessis contrariis quibuscumque.

Auditoris iuramentum fideliter officiŭ exercendi.

§. 11. Volumus autem, quod antequam officium Auditoriatus causarum Curiæ huiusmodi incipias exercere, de ipso fideliter exercendo, in manibus prædicti Camerarij nostri, seu eius Locumtenentis, præstes in forma solita iuramentum.

Monitio ad ita illud administrandum.

§. 12. Tu igitur prædictum Auditoriatus officium prompta deuotione suscipias, & sic illud diligenti studio, cura, moderatione, & integritate exequaris, vt tua opera ad Dei laudem, & gloriam; ac earundem Ecclesiæ, & Curiæ bonum publicum, atque decus, priuatorumque commoditatem, & exemplum laudabile cedant, neque apud nos, & Sedem præfatam merito peramplius commendent, vt speramus.

Dat Rom. &c. Anno &c. 1485. 11. Kalend. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno secundo. *Dat. P. A. 2. 22. Decemb.*

VIII.

Quod Conseruatores, & executores Apostolicarum ad fauorem Congregationis S. Iustinæ de Obseruantia Monachorum S. Benedicti, omnes ij dati censeantur, quibus Sedes Apostolica causas delegare potest.

Istorum Conseruatorum facultatem, & iurisdictionem vide sup. in Eug. IV. constit. 10. Militanti. Ad quam notaui quæ nouissime prodierunt de Conseruatoribus.

Aliæ multa de ista Congregatione, indicabo inf. 10 const. 1. Iul. II. Super cathedram.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filiis Congregationi Monachorum S. Iustinæ Paduan, Salutem, &c. *Edita An. D. 1486.*

Exordium.

DEuotionis augmentum vobis Deo, propitio prouenire confidimus, si super his, quæ pro vestra tranquillitate, & submouendis molestiis, & turbationibus opportuna videntur, vt in contemplationis suauitate quiescere valeatis, prout cupitis, nos benignos ac fauorabiles habeatis.

Causa huius indulti.

§. 1. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod si vobis in genere, ac Abbatibus, & Prioribus, & conuentibus Monasteriorum, Prioratuum vestræ Congregationis vbilibet per orbem consistentium concederetur, quod omnes, & singuli, quibus causæ per rescripta Apostolicæ Sedis delegari de iure possunt, ad executionem quarumcumque literarum dictæ Sedis Conseruatorialium nuncupatarum, pro vobis, & Monasteriis, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conuentibus prædictis dati & deputati sunt, & pro tempore dabuntur, & deputabuntur, aliqui nominatim Conseruatores contra inferentes vobis & illis, molestias, iniurias, grauamina, atque damna, & cum potestate cognoscendi de his, quæ iudicialem requirunt indaginem, exequi possent, & deberent, toties quoties contingeret

eos requiri, profecto vobis, & Monasteriis, Prioribus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conuentibus vestris prædictis in præmissis longe plenius, & vberius consuleretur, fauoremque pleniorem deportaretis ex eis vos Abbates, Priores, & Conuentus prædicti fructum, & vtilitatem, nam variis plerumque respectibus deputatis Conseruatoribus opportuna remedia iuxta literarum earundem continentiam, vos & illi potestis non habere.

Supplicatio Congregationis Casinensis pro hoc indulto.

§. 2. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis, Monasteriis, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conuentibus prædictis, quæ huiusmodi literarum conseruatorialium executione ab omnibus, quibus causæ per rescripta Apostolica delegari possunt, obtinere libere, & licite valeatis, perinde ac si illæ eis omnibus à principio directæ fuissent concedere, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indultum quod Conseruatores & executores literarum Apostolicarum ad fauorem d. Congregationis sint omnes quibus causæ per rescripta Sedis Apost. de iure delegari possint.

§. 3. Nos igitur qui regularem vitam professis libenter omnem inquietudinis materiam subtrahimus, vestrumque statum prosperum, & tranquillum paterno desideramus affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, vniuersis, & singulis, quibus causæ auctoritate literarum Apostolicarum de iure delegari possunt, mandamus, vt dum & quoties fuerint pro parte vestra Abbatum, Priorum, & Conuentuum prædictorum, aut alicuius eorum legitime requisiti, super talium literarum executione, ad illarum executionem perpetuis futuris temporibus procedere possint, & debeant, per se vel alios, alias iuxta earum continentiam atque formam, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si literæ à principio eis directæ fuissent, & eis, vt, licet alias conseruatores esse nequirent, illas exequerentur mandatum nominatim extitisset.

Derogatio contrariorum.

§. 4 Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis quæ in dictis literis inserta sunt, & quod concessum extitit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque non obstan. Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 2. die 13 Iun.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, Idibus Iunij, Pont. nostri Anno secundo.

IV. Exemptio Monachorum Ordinis Cisterciensis à Iurisdictione Ordinariorum, & solutione exactionum & subsidiorum quorumcunque etiam charitatiuorum.

Quoad primam partem, videnda est const. Leon. X. n. 23. Cum intra, & Conc. Trid. sess. 25. cap. 11. & seq. & Clem. VIII. const. 39. Suscepti. Quo verò ad secundam partem habet const. 6. Hon. III. sup. Cum Abbates. Greg IX. const. 7. Quia, & Martin. V. const. 8. Militanti.

Alia de hoc Ordine plene notaui sup. In const. 1. Paschal. II. Desideriom.

Edita An. D. 1486.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

AD Romani Pontificis spectat officium, suorum prædecessorum inhærendo vestigiis, illa quæ per ipsos prædecessores laudabiliter, ac prouida ratione, pro statu, & quiete personarum sub regulari obseruantia assidue studio piæ vitæ vacantium, gesta sunt, vt maiorem obtineant roboris firmitatem, quo sæpius fuerint Apostolico præsidio communita, sui præsidij munimine roborare, ac illa etiam de nouo concedere, prout rationabiles causæ suadent, & id in Dño conspicit salubriter expedire.

Multi Pont. huic Ordini exemptionem à iurisdictione Ordinariorum, & solutionum impositione concesserunt.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Ioannis Cistercij Cabilonen. diœcesis aliorumque Cistercien. Ordinis Monasteriorum, Abbatum, & Conuentuum eorundem nobis exhibita petitio continebat, quod licet ipsi, eorumque ac dicti Ordinis Monasteria, tam virorū quam mulierum, & alia religiosa loca, & membra, ac Monachi, Moniales, vassalli, subditi, & eis seruientes, bonaque omnia, iam dudum vel plures Romanos Pontifices prædecessores nostros, sub ipsorum Pontificum, & Apostolicæ Sedis protectione recepti, & recepta, ac Sedi prædictæ immediate subiecti, & subiecta, necnon ab omni iurisdictione ordinaria exempti, & exempta fuerint, eisque concessum extiterit, vt ad præstationem aliquarum collectarum, seu subsidiorum, aut procurationum, & aliarum exactionum per Sedem prædictam, seu eius Legatos, aut ipsorum auctoritate, & mandato, seu per locorum Ordinarios, vel alios pro tempore impositorum non tenerentur, tamen desiderant pro maiori eorum quiete præmissis receptioni, subiectioni, & aliis prædictis etiam nostræ approbationis robur adiici, illaque omnia, etiam per nos eis de nouo concedi.

Pro eorum exemptionis confirmatione Ordo huic Pontifici supplicauit.

§. 2. Quare pro parte Abbatum, & Conuentuum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt receptioni, exemptioni, & subiectioni prædictis, ac singulis desuper confectis literis, pro illorum subsistentia firmiori, robur nostræ approbationis adiicere, Ac eos necnon Monasteria, loca, membra, monachos, moniales, vassallos, subditos, seruientes, & bona omnia huiusmodi de nouo, sub nostra, & Sedis prædictæ protectione suscipere, ac ab huiusmodi iurisdictione perpetuo eximere, & totaliter liberare, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui propterea eā confirmat.

§. 3. Nos igitur qui in singulorum sub regolari obseruantia piæ vitæ studio vacantium quiete reficimur, cupientes vt religiosi dicti Ordinis, quos præ cæteris propter vberes fructus, quos in militanti Ecclesia continue bonis eorum operibus afferunt, in visceribus gerimus charitatis, eo liberius diuinis beneplacitis insistere possit, quo à Sede prædicta maiori liberalitat. priuilegio nouerint se cōmunitos, huiusmodi supplicationibus inclinati, receptionem, exemptionem, subiectionem, ac singulas desuper confectas literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium approbamus, ac perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur obtinere decernimus, supplentes omnes, & singulos defectus si qui forsan interuenerint in eisdem.

Et de nouo concedit.

§. 4. Et nihilominus pro potioris cautelæ suffragio, Monasteria, loca, membra, bona omnia prædicta, præsentia, & futura, Abbates, Abbatissas, Monachos, Moniales, vassallos, subditos, & seruientes præfatos, nunc & pro tempore existentes, auctoritate, & scientia præfatis, sub B. Petri, & Sedis prædictæ, atque nostra protectione suscipimus, ac ab omni Iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, dominio & potestate, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Iudicum ordinariorum, eorumque Vicariorum, & officialium quorumcumque, Necnon à solutione subsidiorum etiam charitatiuorum, procurationum, collectarum, & aliarum exactionum huiusmodi pro tempore imponendarum, auctoritate, & scientia præfatis perpetuo prorsus eximimus, & totaliter liberamus, ac nobis, & Sedi prædictæ immediate subiicimus. Ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Ordinerij, Vicarij, Iudices, & Officiales prædicti, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua ageretur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in eos, & eorum aliquem, aut Monasteria, membra, & bona prædicta, tanquam prorsus exempta, iurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut quasvis alias sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas promulgare præsumant, seu possint aut debeāt quoquo modo. Nec ipsi sic exempti coram illis, aut ipsius Sedis Delegatis vel subdelegatis, nisi in literis eis pro tempore directis de præsentibus specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum mētio fiat, ad iudicium euocari, aut quovis modo directe vel indirecte molestari possint. Decernentes omnes & singulos processus, sententias, censuras, & pœnas, quos & quas per Archiepiscopos, Episcopos, Ordinarios, Iudices, Vicarios, & Officiales prædictos, seu eorum aliquem contra Abbates, & alios exemptos, necnon Monasteria, & loca huiusmodi etiam exempta, vt præfertur haberi, vel promulgari, necnon quicquid secus super his, ab

eis

eis & alio quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti.

Contrarijs derogat, & signanter c. 1. de priuileg. in 6. §. 5. Non obstantibus fel. recordat. Innocentij Papæ Quarti etiam prædecessoris nostri, quæ incipit, volentes, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis quoque & consuetudinibus Monasteriorum & Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis quæ in singulis literis prædictis concessum est non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis creditur. §. 6. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus expediens foret deferre, volumus & præfata auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu publici notarij inde rogati subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus in iudicio & extra, & alias vbilibet fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Dat. P. A 3. die 30. Aug. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, tertio Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

X. Inquisitorum hæreticæ prauitatis sententiæ, contra Hæreticos promulgatæ, à Magistratibus sæcularibus, executioni demandentur, absque aliqua processuum reuisione.

Consonat constitutio 17. Alex. IV. Ad audientiam. Et processuum reuisionem prohibuit etiam Leo X. inf. in constit. 43. Honestis.

Edita An. D. 1487. *INNOCENTIVS PAPA VIII.*
Venerabili fratri nostro Episcopo Brixien. & dilecto filio Inquisitori in partibus Lombardiæ.

Causa huius constit. §. 1. Dilectus filius frater Antonius de Brixa Ordinis Prædicatorum, in partibus Lombardiæ inquisitor hæreticæ prauitatis, vnà cum venerabili fratre Episcopo Brixiensi, seu eius Vicario generali, sicut nobis nuper fecit exponi, contra nonnullos vtriusque sexus hæreticos, vt accepimus, quos culpabiles vt hæreticos impœnitentes repertos, pœnis debita iuris puniendos condemnauit: ac officiales Ciuitatis Brixiensis, vt iniunctam executionem adimplerent, requisiuit, qui officiales iustitiam ministrare, & dictas sententias exequi, (nisi prius processus per Episcopum & Inquisitorem agitatos non viderent) in non paruum orthodoxæ fidei scandalum, recusarunt.

Sententia inquisitorū executioni dentur, vt in rub. §. 2. At cum huiusmodi crimen hæresis sit mere Ecclesiasticum, & delicta nullo pacto impunita remanere debeant, tenore præsentium vobis committimus atque mandamus, vt si est ita, eisdem officialibus sæcularibus ciuitatis Brixiensis, sub excommunicationis pœna, & aliis censuris Ecclesiasticis, præcipiatis atque mandetis, vt infra sex dies, postquam legitime fuerint requisiti, sine aliqua dictorum processuum, per vos agitatorum visione, sententias per vos latas contra huiusmodi hæreticos prompte exequantur, appellatione remota. Quam excommunicationis pœnam ipso facto volumus, & tenore præsentium declaramus incurrisse, si, quod mandatum fuerit, infra dictum sex dierum spatium, cessante legitimo impedimento, cum effectu non impleuerint.

Clauf. derogat. §. 3. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis ciuitatis Brixiensis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. A 3. 30. Septemb. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die trigesimo Septembris, millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, Pontificatus nostri Anno tertio.

XI. Contra asserentes in literis Apostolicis, se esse tales, quales non sunt, pro earundem literarum expeditione gratis consequenda.

Hoc idem voluit, & Officialibus id fieri permittentibus pœnas inflixit Leo X. infr. in constitut. 27. inhærendo, vbi notabo.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1487*

Causa huius constit. Cvm sicut non sine displicentia accepimus nonnulli conscientiæ suæ prodigi & auaritiæ morbo laborantes, vt literas Apostolicas gratis expediant, & officiales debita eorum portione defraudent, in eisdem literis se nonnunquam venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut dilectorum filiorum Abbreuiatorum de maiori præsidentia, seu literarum prædictarum Scriptorum, necnon aliarum personarum quarumcunque, ex quarum qualitatibus & priuilegiis, siue antiqua consuetudine, literas ipsas gratis expedire solent, nepotes & quandoque germanos, interdum verò familiares, continuos commensales fuisse & esse affirmare, & vt tales in dictis literis se inscribi facere ac fecisse non vereantur, cum re vera tales non fuerint, in animarum suarum periculum, ac officiorum Rom. Curiæ, non modicum præiudicium & grauamen.

Asserentes se tales &c. excommunicantur. §. 1. Nos fraudibus & deceptionibus huiusmodi prout nostro incumbit officio de remedio opportuno prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, omnes & singulos cuiuscumque status, gradus, & conditionis fuerint, & quocumque nomine nuncupentur, qui se Cardinalium aut assistentium seu scriptorum eorundem, aut aliarum personarum quarumcunque ex quarum qualitatibus & priuilegiis, siue antiqua consuetudine, literas ipsas gratis expediri solent, nepotes seu germanos, aut familiares continuos commensales in eisdem literis nominauerint, cum reuera tales non fuerint, excommunicationis sententia, à qua nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem, mortis articulo excepto, ac satisfactione præuia absolui non possint, auctoritate Apostolica per præsentes innodamus.

Literaque prout expedita nulla sint. §. 2. Et nihilominus concessiones & gratias in eisdem literis contentas quascumque, ipsasque literas hactenus expeditas & expediendas viribus omnibus carere, eisque & eorum singulis in aliquo suffragari non potuisse, nec in futurum posse, motu, auctoritate, & scientia similibus decernimus & declaramus. Ac volumus quòd mandatum, decretum, & declaratio nostra huiusmodi in Cancellaria Apostolica publicetur, & in illius libro describatur, ac perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Clausula derogatoria. §. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis priuilegiis & indultis eisdem personis concessis, quæ eis aut eorum alicui quoad præmissa volumus nullatenus suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Placet, publicetur, & describatur.

Papa subscripsit *Publicatio An. Pont. 3. die 18 Aug.* Lectum & publicatum fuit suprascriptum mandatum Romæ in Cācellaria Apostolica die Sabbati decimaoctaua mensis Augusti Anno millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, Pontific. Sanctissimi Domini N. Domini Innocentij Papæ Octaui, Anno eius tertio.

XII. Ampliatio Collegij sex Secretariorum Apostolicorum ad num. 24. Et præfinitio vnius officij Secretarij domestici: Cum emolumentorum tam ipsius Secretarij, quam totius Collegij, priuilegiorumque concessione.

Officium dicti Secretarij domestici, reformationem habet inf. in Sixti V. const 29 Romani, vbi vide etiam indultorum, aliorumque concessionem.

INNO

Edita An. D. 1487.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

NOn debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana; præsertim cum vrgens necessitas, vel euidens vtilitas, & aliæ rationabiles causæ id exposcunt: quoniam ipse Deus ex his quæ in veteri testamento statuerat, aliqua mutauit in nouo.

Callist. iij. & Pius ij Secretariorum numerum ad sex reduxerunt.

§. 1. Dudum siquidem nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri, non minus vt viros industrios sibi eligerent, quorum opera in rebus magnis, & arduis Apostolicæ Sedis honorem, statum, & commodum, ac orthodoxæ fidei incrementum concernentibus vti possent, quam pro negotiorum magnitudine, & celeriori ad præfatam Sedem confluentium expeditione, quamplurimos eorum obsequiis adhibere Secretarios, quos posimodum fel. record. Callistus III. & Pius II. Romani pontifices prædecessores nostri, siue ob tenuitatem emolumentorum dictis Secretariis assignatorum, siue ex aliis causis eos ad id mouentibus, ad sex successiue reduxerunt.

Hic modo Pont. ex causa hic expressa numerum auget ad 24.

§. 2. Nos autem qui superiori anno, dum nostra Vrbs, in qua cum Romana Curia etiam tunc residebamus, per nonnullas gentes armigeras hostiliter opprimeretur, pro illius ab oppressionibus huiusmodi liberatione, grandia subire compulsi fuimus onera expensarum, ad quæ cum Romanæ Ecclesiæ facultates non sufficerent, Mitram Pontificalem, Regnum nuncupatam, & alia quamplurima eiusdem Ecclesiæ iocalia pretiosa, aurea & argentea, diuersis mercatoribus dictam Curiam sequentibus, pro diuersis pecuniarum summis, ad quantitatem forte centum millium ducatorum auri de Camera ascendentibus, pignorauimus, quæ cum commode ex dictis Ecclesiæ prouentibus iam exhaustis, redimi non possent, nos sperantes quod si ad officium eorundem Secretariorum, præter & vltra dictos sex, decem & octo Prælati, & in dignitate Ecclesiastica constitutæ personæ assumerentur, & omnes simul pro redemptione Mitræ & iocalium prædictorum de eorum facultatibus vsque ad summam sexaginta duorum millium, & quadringentorum florenorum auri de Camera, persoluerent & contribuerent, assignaremusque eis, etiam de nouo conuenientia emolumenta, ex quibus iuxta dignitatis eorum exigentiam, eorum statum tenere possent, eainde non solum huiusmodi vrgenti necessitati præfatæ Ecclesiæ prouideretur, sed etiam decori, & venustati eiusdem Sedis, Curiæ, & officij, ac faciliori, celeriori, diligentiori, & magis accuratæ expeditioni Breuium & aliarum literarum Apostolicarum, quæ per eosdem Secretarios tam in Cancellaria, quam per Cameram secretam Pontificis pro tempore expediuntur, & non paruæ commoditati confluentium eorundem ad præfatam Curiam, & prosequentium negotia in eadem, opportune consuleretur. Ac volentes, prout debemus, super præmissis opportunum adhibere remedium, habita super primum cum venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione matura, & cum infrascriptis personis longo tractatu; de eorundem Fratrum vnanimi consilio & assensu, Motu proprio, & ex certa scientia, & nostræ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura constitutione statuimus, quod nostri & pro tempore existentis Romani Pontificis Secretarij, de cætero perpetuis futuris temporibus, debeant esse viginti quatuor dumtaxat, & in Notariatus dictæ Sedis officio, aut in Episcopali vel maiori Ecclesiastica dignitate constituti vel assumpti, habitum Notariatus officij, aut alterius dignitatis huiusmodi, in qua constituti fuerint, vel constitui eos in posterum continget, conuenientem gestent, prout nos infrascriptos omnes & eorum singulos, qui in huiusmodi Prælatura, aut dicto Notariatus officio adhuc constituti non erant, in eiusdem Sedis Notarios assumimus: volentes vt à quocumque maluerint Prælato, in Romana Curia, habitum & insignia eiusdem officij perpetuò gestanda, recipere possint & valeant, &c.

Qui constituant Collegium, & omnes pariformiter eius indultis vtantur.

§. 3. Constituant quoque pro tempore omnes Secretarij prædicti inuicem vnicum collegium, cum communi Arca siue Bursa, Sigillo, Capella, Capellano, & aliis Collegialibus insigniis, & concessis hactenus Secretariis prædictis Romani Pontificis, & quibus potiri soliti sunt, seu potiri debuerant, omnibus emolumentis, honoribus, priuilegiis, immunitatibus, gratiis, fauoribus, & indultis potiantur, & gaudeant, eisdem modo & forma, quibus illi gauisi & potiti sunt hactenus, seu gaudere & potiri poterant vel debuerunt sine vlla prorsus varietate.

Statutaque pro Collegio conficiant.

§. 4 Præterea in eorum Secretariatus officio (quod cum quibuscumque aliis Romanæ Curiæ officiis compatibile esse volumus) & ipsum quomodolibet concernentibus, statuta quæcumque, sine alia superioris confirmatione condendi, libera potestate fungantur.

Vicecancellarij officiales sint.

§. 5. Cum Secretarij ipsi semper hactenus fuerint etiam Cancellariæ nostræ Apostolicæ membrum, volumus & ordinamus, vt venerabilem Fratrem nostrum Rodericum Episcopum Portuen. S. R. E. Cardinalem & Vicecancellarium, in Cancellaria eadem in ipsorum caput recognoscere & reputare debeant, quos ipse è conuerso vt sui corporis membra reputans, congruenti honorificentia per reliquos eiusdem Cancellariæ officiales prosequi faciat & procuret, decentem ipsorum dignitati locum pro incumbentium dicto eorum officio negotiorum expeditione, ipsis assignans in eadem Cancellaria, prout nos assignamus per præsentes.

Papæque veri familiares.

§. 6. Sint quoque Secretarij veri Palatij Apostolici Prælati (sine tamen aliorum eiusdem Palatij Prælatorum præiudicio) & quoad eorum personas dumtaxat, nostri & pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, domestici, continui commensales, & pro talibus habeantur & reputentur, & in constitutionibus, prærogatiuis, exemptionibus & priuilegiis, ac scripturis quibuslibet de eisdem Prælatis & familiaribus mentionem pro tempore facientibus quoad personas dumtaxat, includantur, & inclusi esse intelligantur, & sint, prout nos per præsentes includimus, & quibusvis pro tempore eisdem Prælatis de Palatio & familiaribus concessis seu concedendis prærogatiuis, fauoribus, priuilegiis, exemptionibus & indultis, tanquam eorum pars, similiter quoad eorum personas, potiantur & gaudeant.

Locum habeant in Palatio, qui Secretaria vocetur.

§. 7. Habeantque in Palatio nostro Apostolico vnam mansionem & locum, in quo singulis diebus conuenire & morari ac de dicto eorum officio incumbentibus negotiis, tractare & consultare, ac alias iuxta antiquitus seruatum per prædictos Romanorum Pontificum Secretarios qui pro tempore fuerunt, ritum, stylum & modum disponere, vt vere & actu, nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti, in dicto Palatio Apostolico deseruientes Prælati, & familiares commode possint & valeant, voceturque locus huiusmodi, & sit actu Secretaria Apostolica, in qua & nullo alio loco dicti nostri Palatij, saltem publice, exercerantur vel expediantur quæcumque ad Secretariatus officium quovis modo pertinent.

Bullas ad eos portent plumbatores, &c.

§ 8. Plumbatoresque præsentes, & qui pro tempore erunt, sub excommunicationis pœna, teneantur omnes & singulas bullas taxatas per quemcumque ex omnibus Secretariis prædictis, seu quoscumque alios per dictam Cameram nostram secretam expeditas, cum primum fuerint per ipsos plumbatæ, portare ad Secretariam eandem, & officiali per eosdem Secretarios ad id deputatos, & nulli alteri præsentare, vt singulariter singulæ cum ipsarum taxis & tenoribus describi, notari, subscribi, & more solito expediri per aliquem ex ipsis Secretariis possint & valeant.

Literæ Apostol. gratis pro eis expediantur.

§. 9. Habeant quoque Secretarij prædicti pro personis ipsorum, & cuiuslibet ipsorum ex speciali priuilegio (quod per præsentes eis in perpetuum concedimus) in expeditionibus quarumvis literarum Apostolicarum Gratis vbique. Teneatur Rescribendarius ad taxandum literas Apostolicas pro tempore deputatus, absque vllo nostro, seu cuiusvis alterius mandato, in quibusvis literis personas ipsorum Secretariorum, seu cuiusvis eorum concernentibus apponere Gratis pro persona Secretarij, ac personam vnius familiaris pro quolibet ipsorum, Gratis pro Deo.

§. 10. Præ

Absentes pro præsentibus habeantur.

§. 10. Prætetea volumus, vt iidem Secretarij quotiescumque erunt à Romana Curia absentes, pro nostris aut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ negotiis quovis modo peragendis, quoad emolumentorum omnium dicti officij integram perceptionem, habeantur tanquam præsentes: si verò priuatarum rerum ipsorum causa recedentes ab eadē Curia, petierint tantum ab eorum Collegio licentiam, & disposuerint quod in ordinariis oneribus officij aliquis alius de Collegio seruiat pro ipsis; pariter habeantur, quoad eandem perceptionem emolumentorum, pro præsentibus ad annum integrum, dumtaxat. Et si forte vltra vnum annum distulerint ad eandem Curiam redire, non percipiant emolumenta prædicta, nisi demptæ quinta dumtaxat eius parte, quæ cedat in vtilitatem reliquorum, & Collegij actu præsentium in dicta Curia.

De officiis libere disponant.

§. 11. Pari modo volentes, vt omnes triginta, & quilibet ipsorum, Secretarij prædicti, tam præsentes in dicta Curia quam absentes, libere possint de dictis eorum officiis disponere, nec possit aut debeat eorundem officiorum resignationis receptio, etiamsi resignantes ipsi infirmi & verisimiliter infra viginti dierum spatium decessuri forent & decederent, per Romanum Pontificem quavis ratione denegari vel differri. Nec pro signatura supplicationis, concessionis eiusdem per resignationem vacantis, quicquam vltra summam centum florenorum auri de Camera, ab eo cui de illo sic vacante prouidebitur, exigi.

Sedis apost. notarij reputentur.

§. 12. Qui si dictæ Sedis Notarius, aut in Episcopali, vel maiori Ecclesiastica dignitate constitutus non fueri, per dicti Secretariatus officij concessionem, licet solam, nihilominus in dictæ Sedis Notarium, cum omnibus & singulis prærogatiuis, honoribus & oneribus consuetis einsdem officij Notariatus Apostolicæ Sedis; eo ipso assumptus esse censeatur & sit, recipiaturque in Secretarium.

Habitum à vicecancellario suscipiant.

§. 13. Ac habitus & insignia dicti Notariatus officij eidem (si fuerit præsens in dicta Curia) per supradictum Viceeancellarium, adhibitis secum aliis Secretariis prædictis, eodem contextu (prius tamen debitæ fidelitatis ab ipso recepto iuramento) exhiberi debeat. Et siue præsens siue absens fuerit ab eadem Curia, literæ conficiendæ super supplicatione concessionis Secretariatus, etiam si in ea de officio Notariatus prædicto, & eius habitu ac insignijs nulla esset habita mentio, nihilominus expediatur, tam per Cancellariam Apostolicam, quam per Cameram secretam, cum expressione concessionis dicti Notariatus officij, cum habitu, insignijs, honoribus & oneribus eius consuetis, neque possit aut debeat, per nostrum aut pro tempore existentem Romani Pontificis Datarium, seu quemcumque alium pro signatura huiusmodi supplicationis, licet vim concessionis duorum huiusmodi officiorum propter præmissa habentem, aliquid vltra id quod superius expressum est, omnino exigi; sed sicut per concessionem officij Secretariatus, venit pariter concessio officij Notariatus prædicti, sic per vnicam solutionem signaturæ suprascriptam, sit integre satisfactum quasi de vnica concessione. Si tamen Secretarius sic de nouo institutus, erit absens; habitus & insignia prædicta, venienti postmodum ad Curiam, cum primum præsentabit se dicto Collegio, & recipietur in Secretarium, supradicta forma seruata, similiter exhibeantur.

Vnus ex d. Collegio vel alius, in Secretarium domesticum Papæ à Collegio deputatur. Ad hoc vide bullam Six. V. cit. in rub.

§. 14. Et quia nobis & pro tempore existenti Romano Pontifici expedit habere præter prædictos Secretarios, vnum alium Secretarium domesticum, in Palatio prædicto assidue residentem, cui liceat nostra & Romanæ Ecclesiæ nostræ secreta nostrum & eiusdem Ecclesiæ, aut orthodoxæ fidei statum concernentia, quandocumque fuerit à nobis iussus, legitime expedire, cuique (ne de infrascriptis, aut quibusvis aliis prædicti Secretariatus officij emolumentis se impedire, aut cum eisdem Secretariis vllam controuersiam habere possit aut debeat) conueniens est, vt ex dicti officij Secretariatus emolumentis, pro decenti eius status sustentatione, honesta aliqua portio assignetur, eadem auctoritate ordinamus, quod quoad titulum Secretariorum eorundem, & prædictarum rerum secretarum dumtaxat legitimam expeditionem possit per nos & pro tempore existentem Romanum Pontificem vnus ex prædictis, vel alius Secretarius vltra prædictum numerum deputari, etsi vt præfertur, qualificatus non existeret, Qui tamen de officio, & loco prædicto, ac portionibus emolumentorum extra numerum per eum percipiendis, minime disponere possit, sed ab illis pro solo nutu nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis amouibilis existat, quoad reliqua verò, quamdiu officium exercuerit, pari qua alij Secretarij, fauoris & honoris prærogatiua potiatur.

Emolumenta eis assignantur de minutis.

§. 15. Vt autem Secretarij prædicti, tam antiqui quam de nouo admissi, qui pro nunc triginta numero existentes, summam sexaginta duorum millium & quadringentorum florenorum auri de Camera, pro redimendis Mithra & aliis iocalibus prædictis de eorum propriis pecuniis liberaliter vt præfertur exoluerunt, & eorum successores Secretariatus officium prædictum pro tempore obtinentes, eo diligentius quæ eorum incumbunt officio studeant exercere, quo ex inde cognouerint eis conuenientia emolumenta prouenire; in primis & ante omnia supradicto Roderico Episcopo Vicecancellario harum serie mandamus, vt dudum editum per fel. record. Martinum Papam Quintum prædecessorem nostrum, & in quinterno Cancellariæ registratam regulam seu declarationem super emolumentis minutarum per Secretarios, qui tunc erant in Cancellaria prædicta expediendarum recipiendis, tenoris subsequentis, videlicet. Ad tollendum disceptationes, & dubia, quæ ex quadam concessione per nos facta dilectis filiis Secretariis nostris super certis emolumentis per eosdem de nonnullis minutis percipiendis, in quinterno Cancellariæ de mandato nostro descriptis, quandoque oriuntur, tenore præsentium declaramus, intentionis nostræ fuisse & esse, & sic præcipimus obseruari, quod dicti Secretarij libere & sine aliqua contradictione emolumenta consueta omnium Minutarum, quæ in dicta concessione descripta sunt, videlicet Tabellionatus officij, Altarium portatilium, celebrandi in locis interdictis, & ante diem, Confessionalis perpetui, & Indulgentiarum in mortis articulo, & in vita, etiamsi super huiusmodi gratiis facultates aliæ sint concessæ, & gratiæ ipsæ formam quinterni excederent, etiamsi dictarum gratiarum supplicationes registratæ, ac per Vicecancellarium, aut eius Locumtenentem pro tempore existentem, aliquibus Abbreuiatoribus distributæ, vel in rotulo aliarum supplicationum insertæ essent quovis modo. Præterea recipiendi Ecclesiastica sacramenta, & Indulgentiarum quarumcumque, Ecclesiis, Monasteriis, Capellis, & aliis locis piis quomodolibet concessarum vel concedendarum, prout reliquæ superius descriptæ gratiæ, ad dictos Secretarios similiter declaramus & decernimus pertinere, illasque de cætero per eos, & non per alios, mandamus & volumus expedire.

Fiat, & ita declaramus. O. diligenter examinate, examinatamque per omnes & singulos ad quos quomodolibet pertinet, in eorundem Secretariorum fauorem & commodum inuiolabiliter faciat obseruari, faciens omnes & singulas minutas prædictas Tabellionatus officij, Altarium portatilium, Celebrandi in locis interdictis, & ante diem, Confessionalis perpetui, Indulgentiarum in mortis articulo, & in vita, Ecclesiasticorum sacramentorum, & quarumcumque indulgentiarum, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Capellis, & aliis piis locis quomodolibet concessarum, & in posterum concedendarum, cum inde prouenientibus, taxis & emolumentis, ad præfatos Secretarios integre peruenire, & in eadem Cancellaria per ipsos Secretarios, & non per quemcumque alium, sub quovis forsan prætextu, examinari & signari, ac præsentari, ipsi & eiusdem Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario pro tempore, siue eius Locumtenenti, ad expediendum & mittendum ad Bullariam Apostolicam, quavis forsan consuetudine contraria (quam eisdem Secretariis quo minus totali & integro effectu ac pacifica possessione omnium contentorum in prædicta dicti nostri prædecessoris constitutione, gaudere & vti possint

possint & valeant, præiudicium aliquod afferre posse seu debere non intendimus) nequaquam obstante.

Et de expeditionibus literarum Apostol.

§. 16. Necnon etiam vltra prædicta, quintam taxam pro expeditione literarum Apostolicarum quæ per eandem Cameram secretam pro tempore expediuntur, retroactis temporibus per supradictos Secretarios, seu ipsorum, vel alicuius eorum nomine, in Bullaria earundem literarum, siue etiam alibi exigi solitam, & quam nonnunquam prædecessores nostri & nos, in totum vel pro parte, & in eiusdem Sedis opportunitatibus conuertere soliti fuerunt, & fuimus, taxam Secretarij nuncupatam, tam de hactenus expeditis (quæ adhuc non sunt partibus restitutæ) quam de imposterum expediendis, eo modo quo hactenus per quemcunque expediri & exigi consueuerant, siue debuerunt, pariter per eosdem Secretarios perpetuo exigendam assignamus. Volentes & auctoritate præfata statuentes, nemini omnino licere, per se vel alium seu alios, procurare vel ordinare, aut sollicitare, quod aliquæ ex huiusmodi literis taxatis, & per Cameram eandem expeditis, partibus tradantur, vel restituantur, aut mittantur, priusquam sit eidem Collegio Secretariorum de dicta quinta taxa debite satisfactum. Si quis autem aliter procurare, ordinare, sollicitare, aut ipsas literas sub quovis prætextu aliter actu tradere vel tradi facere, seu mandare præsumpserit, excommunicationis latæ sententiæ (à qua nisi prius & ante omnia satisfactio eidem Collegio Secretariorum, de vera & integra summa taxæ bullæ sic procuratæ, sollicitatæ vel traditæ, vel de satisfaciendo, efficaci ordinatione præcedente, per quemcumque Confessorem, etiam sub prætextu cuiusvis indulti, à nobis vel successoribus nostris desuper emanati seu concessi, & in mortis articulo, absolui non possit) necnon priuationis omnium & singulorum officiorum, per ipsum in Curia nostra præfata obtentorum pro tempore, atque etiam emolumentorum quorumcumque ei, quovis modo, ratione, vel causa, debitorum tunc, & debendorum in futurum, ratione eorundem officiorum quæ obtinebit, & quæ quomodolibet exercebit, pœnas latæ sententiæ, respectiue (quas eo ipso & toties quoties contrafecerit) incurrat. Teneaturque vener. frater noster Petrus Episcopus Cæsenaten. præsens, & qui pro tempore fuerit, generalis curiæ causarum Cameræ Apostolicæ nostræ Auditor, ad earundem pœnarum declarationem & executionem, quandocumque ei de præmissis constiterit, procedere & procedi facere cum effectu.

Taxaque Breuium Apostolicorum.

§. 17. Et præterea omnia & singula emolumenta literarum Apostolicarum in forma Breuis, tam sub cera, quam sub plumbo, pro quibusvis personis expeditarum iam, & pro tempore expediendarum, super quibusvis, etiam Gubernationum, seu Rectoriarum, ac Commissionum, aut potestatiarum, Capitanearum, Vicariatuum, Thesaurariatuum, Camerariatuum, & Cancellariatum Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum & Castrorum, ac Custodiæ Arcium quarumcumque, nobis & Romanæ Ecclesiæ subditarum, & subditorum, necnon quarumcumque aliarum administrationum, seu commissionum, etiam gabellarum, siue prouentuum ad eandem Romanam Ecclesiam quomodolibet pertinentium, officiis seu concessionibus, vel locationibus. Quæ officia seu eorum loca & Titulus, in quodam quinterno plumbato, & nostra manu subscripto, singulariter singula describi, & considerata quantitate emolumentorum ad illos, qui officia ipsa pro tempore exercebunt, verisimiliter prouenturorum, vt illi quoque, qui gratuito à nobis commodum percipiunt, in tanta Romanæ Ecclesiæ necessitate, portionem aliquam contribuant, in perpetuum ad certam moderatam taxam taxari curauimus, ad quem quinternum relationem in omnibus infra dicendis haberi volumus, cuius copia in forma transumpti ad singulos Legatos & Gubernatores seu Rectores prædictos mitti, vt per ipsos diligenter omnibus officialibus prædictis & aliis quos taxæ & alia in eodem quinterno designata concernunt, intimari & publicari possint; sic quod eorum nemo possit allegare illorum ignorantiam, & infrascriptum tempus vnius mensis, siue triginta dierum, exinde legitimum initium habere mereatur, volumus atque mandamus, ad eosdem Secretarios perpetuo spectare & pertinere decernimus.

Declaratio circa solutionem dictarum taxarum.

§. 18. Statuentes vt tam concessionum quam reformationum gratiarum super huiusmodi omnibus & singulis officiis, seu aliis commissionibus, per nos & successores nostros qui pro tempore erunt faciendarum, ad quantumcumque etiam longissimi temporis spatium, literæ semper expediantur & expediri debeant singulis sex mensibus à primarum literarum expeditione computandis, & pro singulis literis huiusmodi, singulis vicibus solui debeat eisdem Secretariis vna taxa, prout esse reperitetur in prædicto quinterno notata. Similiter etiam omnia & singula emolumenta pro quarumvis aliarum similium literarum super quavis alia materia in forma Breuis, sub cera vel plumbo expediendarum, quæcumque & quotcumque & qualiacumque sint, nullo penitus sub quovis colore, aut prætextu, excepto seu reseruato: sed prout per prædecessorem nostrum, & nostrum ac alios Secretarios prædictos qui pro tempore fuerint, hactenus exigi & percipi consueuerunt; eorundem Secretariorum commodis & emolumentis in perpetuum assignamus.

Officium Reuisoris arcium, &c. d. Collegio assignatur.

§. 19. Et præterea officium visitandi omnes & singulas arces Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & faciendi monstras siue descriptiones omnium & singularum gentium Armigerarum eiusdem, tam equestrium quam pedestrium, officium reuisionis gentium Armigerarum eiusdem, tam equestrium quam pedestrium, officium reuisionis gentium armigerarum, & Arcium nuncupatum cum solitis auctoritate, potestate, facultate, administratione, & exercitio, ac integra perceptione emolumentorum ad ipsum officium de iure vel consuetudine quovis modo debitorum & debendorum in posterum, eorundem Secretariorum Collegio, per vnum ex ipsis Secretariis, aut alium idoneum (cui nos & successores nostri pro tempore illud duxerimus committendum, & cui per eosdem Secretarios conueniens salarium summam centum ducatorum annuatim non excedens, solui debeat) laudabiliter exercendum, similiter in perpetuum concedimus & assignamus. Decernentes ad finem vt Secretarij ipsi eius vacuam possessionem nancisci valeant, officium ipsum ex nunc vacare, & ad eosdem Secretarios cum plena ipsius administratione, vt præfertur pertinere, quavis concessione de ipso per nos cuivis personæ facta, etiam possessione subsecuta, non obstante.

Forma distributionis emolumentorum. Tu vid. bullã Sixt. cit. in rub.

§. 20. Modum verò colligendi omnia emolumenta prædicta, eum esse permittimus, quem Secretarij ipsi communi voto duxerint statuendum. Collecta autem emolumenta pro tempore inter ipsos Secretarios eo quo sequitur modo diuidi & sortiri perpetuo debere decernimus, videlicet, incipiendo ex nunc & donec erunt Secretarij prædicti numero triginta, diuidantur in æquales partes triginta duas, quarum vnam ipsorum singuli, duas verò reliquas Secretarius domesticus Roman. Pontificis suprascriptus, vt nihil omnino vltra desuper denotatis emolumentis attingere præsumant, singulis mensibus percipiant. Vbi autem contigerit alicuius vel aliquorum ex eis decedentis vel decedentium, locum seu loca extingui, & donec totus numerus fuerit reductus ad viginti quatuor, in tot portiones quot numero in ipsorum Collegio Secretarij, & duas plures pariformiter respectiue sortiendas diuidantur, idemque perpetuo seruetur postquam deuenerit ad numerum viginti quatuor, vt scilicet emolumentorum ipsorum in partes viginti sex æquales diuisorum, cedat singulis Secretariis ex Collegio pars vna, reliquis vero duabus supradicto domestico Rom. Pontificis Secretario, vt à prædictis omnibus abstineat, assignatis.

Declaratio circa expeditiones, tam factas, quam fiendas.

§. 21. Et vt hæc nostra ordinario emolumentorum præfatis Secretariis ex causa & titulo supra denotato assignatorum, suum debitum & eum quem intendimus, ex nunc sortiatur effectum, harum serie prohibemus, post lapsum triginta dierum à facienda, vt prædictum est, publicatione prædicti Quinterni, quempiam etiam prætextu quarumvis aliarum nostrarum literarum præcedentia datæ, ad aliquod ex officiis superius denotatis recipi,

vel

vel admitti, nisi nouis post eandem publicationem per eorundem Secretariorum ministerium desuper expeditis literis, excommunicationis sententiæ subiicientes eos omnes & singulos qui lapso prædicto termino à publicatione præfata, aliquem omnino in officialem ad quævis vt supra denotata officia exercenda admittendo, seu admitti procurando vel mandando, præsumpserint literis ipsis non parere. Eos vero qui aliquod ex officiis eisdem iam actu exercent, siue titulo primæ concessionis seu reformæ; si nondum exercuerunt ipsa officia totis tribus mensibus, mandamus infra idem tempus triginta dierum venire vel mittere ad impetrandas nouas de eisdem officiis literas, per prædictos Secretarios expediendas. Etsi forte ipsa officia vltra tres menses exercuerint, & habent de ipsis exercendis vltra semestre concessionis literas; decernimus nihilominus non posse huiusmodi officia, vltra finem nunc currentis, & iam dimidiati semestris, nisi literis de nouo impetratis, & per eosdem Secretarios denuo expeditis, exercere. Etsi tam qui adhuc infra tempus trium mensium ab initio exercitij eorum officiorum sunt, infra dictos triginta dies proxime ab huiusmodi publicatione numerandos, quam qui de continuandis post tempus tunc currentis semestris, ipsis officiis, quæ iam exercuerunt vltra tres menses, habent expeditas literas, non expeditis ante finem semestris nouis per eosdem Secretarios literis, exercitia officiorum eorundem continuare præsumpserint, sint eo ipso ab officiis huiusmodi amoti; & quæcumque exinde eorundem officiorum prætextu gesserint, sint irrita & inualida, ac nullius efficaciæ. Et nihilominus tam ipsi, quam qui ipsos scienter tolerare, & pro officialibus habere exinde præsumpserint, eo ipso pari excommunicationis sententia innodati existant.

Alia declaratio circa nominationē expeditorum.

§. 22. Pari modo volentes vt quicumque officia etiam per Prouinciarum, Ciuitatum, & Terrarum earundem Legatos seu Gubernatores pro tempore existentes conferri & committi, tam iure ordinario, quam vigore quarumcumque facultatum solita, obtinent siue expectant, aut obtinebunt siue expectabunt in futurum; si officia sunt in prædicto quinterno descripta; teneantur & debeant sub similibus pœnis infra eorundem triginta dierum spatium ex nunc & successiue in perpetuum, priusquam officia ipsa incipiant exercere, & postquam inceperint, venire vel mittere singulis sex mensibus ad nos pro confirmatione concessionum per eosdem Legatos vel Gubernatores de huiusmodi officiis factarum, taxas easdem singulis vicibus soluturi. Et nihilominus tam Legati seu Gubernatores & Rectores prædicti, eosdem omnes & singulos taxatos officiales, ad simplicem ipsorum Secretariorum, seu eorum Nuntij requisitionem, ad solutionem huiusmodi taxæ singulis sex mensibus prædictis faciendam, cum effectu, absque vlla tela iudiciaria compellere, quam Thesaurarij seu Camerarij vel Depositarij locorum (in quibus officia ipsa forsan fuerint, aut ex quorum manibus huiusmodi officiales salaria seu stipendia recipient) etiamsi fuerint à Communitatibus locorum deputati, quotiescumque fuerint pro parte eorundem Secretariorum simpliciter requisiti, sub similis excommunicationis pœna teneantur retinere ex huiusmodi officialium salariis per ipsos soluendis, & Secretariis eisdem seu eorum Nuntiis soluere tantum, quantum intelligent eisdem Secretariis deberi pro taxa huiusmodi officiorum in prædicto quinterno descripta.

Assecuratio dd. emolumentorum.

§. 23. Cæterum quoniam iidem Secretarij super quantitate prouentuum taxæ supradictorum officiorum in prædicto quinterno descriptorum & taxatorum, & generaliter super prædictis omnibus eorum officiis per nos assignatis emolumentis, bona fide crediderunt simplici verbo nostro, & propterea dictam pecuniæ summam ad releuandum supradictas necessitates nostras contribuere non recusarunt, Nos dignum reputantes, vt ipsorum indemnitati consulamus, de simili Fratrum nostrorum consilio & assensu; ac plenitudine potestatis, earundem præsentium tenore decernimus & declaramus, in euentum quod pro aliquo ex officiis in prædicto quinterno descriptis, siue ex eo quòd officia ipsa non extarent, vel non satisfacerent, aut non sufficerent ad solutionem taxæ in toto vel in parte, siue quia per nos vel nostros successores præfatos concederentur alicui ex venerabilibus fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, vel etiam nostris, aut eorum consanguineis, seu aliis ita charis, vt taxæ prædictæ ab illis commode, sine strepitu non decenti, exigi per eosdem Secretarios non possent, sic quod ex prædictis officiis omnibus iam, vt prædictum est, taxatis in quinterno præfato, non exigeretur singulis annis ad minus summa octo millium ducatorum auri, aut alias est facto nostro, vel Rom. Pontificis pro tempore existentis, ex reliquis omnibus emolumentis ipsis Secretariis ex præsentium literarum tenore assignatis, in toto vel in parte, aliquid dicto officio subtraheretur, vel minueretur, aut officium ipsum reuocaretur, seu mutato modo & ordine per nos in præsentibus literis dato & instituto alteraretur, ita quod non haberat in perpetuum cum omnibus supradictis emolumentis in integrum, per modum & ordinem supra expressum exerceri, regi, & gubernari; Nos & eundem successorem & Cameram Apostolicam bona fide teneri, & obligatam esse, si erit facta simplex emolumentorum diminutio, ad soluendum & satisfaciendum ipsis de omni summa, quam propterea ipsos ex huiusmodi causis, vel alias quouis modo amisisse, seu in posterum amissuros esse, medio ipsorum iuramento (cui in eo casu stari & credi debeat) constabit. Si verò erit facta officij reuocatio aut alteratio, vt præmittitur, ad restituendam ei supradictam integram summam sexaginta duorum millium & quadringentorum ducatorum auri de Camera, per ipsos, vt præmissum est, solutorum & numeratorum, in quibus nullo modo, & nulla ratione vel causa computari possint aut debeant, in toto vel aliqua parte, emolumenta ipsius officij, quæ forte interim ipsos percepisse appareret, quæ ipsos & eorum quemlibet iusto & legitimo titulo sibi interim acquirere, & sua facere, eadem auctoritate & potestatis plenitudine, decernimus, & declaramus. Sic enim cum ipsis Secretariis nos in tractatu omnium præmissorum conuenisse, & sic pacto expresso eis pro seipsis, & eorum successoribus, cum simili fratrum nostrorum consilio & assensu fuisse solemniter pollicitos in fide Pontificis recognoscimus & attestamur.

Executores huius bullæ deputat.

§. 24. Volentes propterea, & earundem præsentium tenore mandantes dilecto filio nostro Raphaëli S. Georgij ad velum aureum Diacono Cardinali Camerario nostro, & eius successori pro tempore, necnon Præsidentibus & Clericis dictæ Cameræ Apostolicæ, & omnibus aliis ad quos quomodolibet spectabit pro tempore, vt huiusmodi per nos factam obligationem recognoscentes & sequentes faciant eisdem Secretariis super præmissis & eorum plena & inuiolabili in perpetuum obseruatione, instrumentum obligationis bonorum eiusdem Romanæ Ecclesiæ & Cameræ Apostolicæ quodcumque ad omnem ipsorum requisitionem, & in euentum prædictum absque aliqua ulteriua declarationis seu mandati expectatione, debitam & integram faciant satisfactionem. Decernentes ex nunc quicquid per Camerarium & alios prædictos sic actum & gestum fuerit, perpetuo ratum & firmum esse debere. Præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac regulis Cancellariæ Apostolicæ super resignationibus officiorum infra viginti dies ante obitum factis, etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus, plena & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, aut alias eorum derogationem importanes clausulas, mentio habenda esset, cæterisque quæ præsentium tenori, in totum vel in partem obuiare, seu quo minus suum sortiri possint effectum contradicere aut morari possint, non obstantibus contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An 4. 31. Decemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1487. pridie Kalendas Ianuarij, Pontificatus nostri Anno quarto.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episc. manu propria subscripsi.

Locus Signi.

Card. subscriptiones. Ego R. Episcopus Portuen. S.R.E. Viceeancellarius manu propria subscripsi.

Ego Oliuerios Episcopus Sabin. S.R.E. Cardinalis Neapolitan. manu propria subscripsi.

Ego Marcus Episcopus Prænestio. Cardinalis S. Marci, &c. manu propria subscripsi.

Ego Ioaones Episcopus Alban. manu propria subscr.

Ego Ioan. Episcopus Mediolanen. tituli S. Praxedis manu propria subscripsi.

Ego Iuan. Card. S. Angeli Veronen manu propria subsc.

Ego G. Cardinalis Vlisbonen. tituli S. Mariæ in Transtiberim manu propria subscripsi.

Ego Hier. tituli S. Chrysogoni presbyter Cardinalis Racanaten. manu propria subscripsi.

Ego Do. tituli S. Clementis presbyter Cardinalis manu propria suscripsi.

Ego Ioan. tit. S. Vitalis Presbyter Card. manu propria subscripsi.

Ego Ioan. Iacobus Cardioalis Parmen. tituli S. Stephani in Cælio monte manu propria subscripsi.

Ego F. S. Eustachij Card. Senen. manu propria sobscr.

Ego R. S. Georgij Diaconus Cardinalis D.N. Papæ Camerarius manu propria subscr.

Ego Ioan. B. S. Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis de Sabellis manu propria subscripsi.

Ego Ioan. S. Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Columna manu propria suberipsi.

Egu. B. S Mariæ in Dominica Diaconus Cardinalis manu propria subscripsi.

XIII. Iurisdictio & facultates Auditorum Rotæ Romanæ in causis per eos cognoscendis.

Ad hoc habes etiam sup. Ioan. XXII. const. 14. Ratio & inf. Pij IV. const 44. In Throno, vbi plene de materia Rotæ notabo.

Edita An. D. 1487. *INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. FInem litibus, quæ in Palatio Apostolico nunc & pro tempore vertuntur, quanto celerius fieri potest, imponi, & collitigantes ab intolerabilibus expensis, quas illas prosequendo perferunt, releuare, quantum nobis possibile est cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione statuimus & ordinamus.

Declaratio circa præuentionem. §. 1. Quod si diuersis causarum Palatij Apostolici Auditoribus, diuersas commissiones præsentatas, hactenus vel pro tempore reperiri contingat in eadem causa, eiusdem tenoris, vel effectus, licet ad diuersarum personarum instantiam; Auditor cui prius commissio præsentata fuit, iurisdictionem in procedendo & iudicando retineat, absque alia desuper commissione, aliorum Coauditorum ad id accedente consensu.

Citationum validationem. §. 2. Et quod Auditores causarum prædictarum, constito eis quod citatio per eos decreta in causis (minus tamen legitime executa) ad partis citatæ notitiam peruenerit, ante terminorum obseruationem, ad expeditionem causarum earundem, absque alia commissione, perinde ac si citatio legitimæ executioni demandata fuerit procedere.

Viduarum & pupillorum causas. §. 3. Et in viduarum & pupillorum, necnon vbi de summa vel re valorem quingentorum florenorum auri non excedente, agetetur, eo modo quo in beneficialibus causis, de Coauditorum suorum consensu, etiam procedere.

Remissorias. §. 4. Remissorias etiam ad partes, in causis coram eis nunc & pro tempore pendentibus, in quauis instantia, nouamve dilationem, si petatur, de aliorum Coauditorum consilio concedere.

Reiterationem terminorum. §. 5. Ad reiterationem quoque terminorum, nulliter vel male obseruatorum, partes seu collitigantes, earumque procuratores admittere.

Registrorum fidem. §. 6. Et fidem registris, coram aliis iudicibus, etiam in partibus factis, quoad iura in eis registrata dumtaxat, de simili consilio, adhibere.

Grauaminis articulos. §. 7. Super articulo grauaminis, ac negotio principali simul, & (si petatur, ac Coauditoribus expedire videbitur) refectis expensis, in eodem principali negotio, omisso appellationis articulo, procedere.

Fatalium prorogationem. §. 8. Et dum eis videbitur expedire, fatalia in causis prorogare, vel de nouo concedere.

Appellationum instantias. §. 9. Et super appellatione interposita à sententia definitiua, decurso vltimo momento temporis, ad id de iure præfixi (eadem tamen die vltimi momenti) perinde ac si debito tempore interposita foret, iustitiam ministrare.

Sententiarum nullitates. §. 10. Etsi prima in secunda sententia reperiatur nulla ex inordinato processu, vel etiam ex omissione iuramenti super perhorrescentia, iuxta constitutionem fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Statutum, dummodo illud per partem in quacumque parte iudicij postea præstetur, ad confirmationem vel infirmationem, refectis expensis, procedere.

Seq. concessionem iux. cap. Statutu. de rescript. in 6. §. 11. Necnon iuxta constitutionem Viennensis Concilij, quæ incipit, Ad compescendas, sequestra decernere, libere & licite valeant.

Clausul. derog. §. 12. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. A. 4. 13. Ianu. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo octauo, Idibus Ianuarij Pontificatus nostri Anno quarto.

PP. subscrip. Publicatio. Placet, publicetur, & describatur. I.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo octogesimo octauo, indictione sexta. Pont. Domini Innocentij Papæ Octaui, Anno 4. literæ suprascriptæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Valuis Audientiæ & acie Campi Floræ die 14. Ianuarij per Fernandum del Porto S. D. N. Papæ Cursorem. Lecta Romæ in Cancellaria Apost. die Sabbati 19. Ianuarij, ano. 1487.

Sequitur declaratio circa executionem d. bullæ.

Describatur in lib. Rotæ. §. 13. COnstitutionem nostram pro litigantium in Palatio Apostolico releuamine editam quarto idus Ianuarij, Pontificatus nostri Anno quarto, & in Cancellaria Apostolica de mandato nostro publicatam, quæ incipit, Finem litibus, &c. obseruari cupientes, dilectis filiis causarum dicti Palatij Auditoribus mandamus, vt illam inter alias eiusdem Palatij constitutiones in libro, in quo illæ descriptæ sunt faciant describi.

Quotannis legatur. §. 14. Et singulis annis dum aliæ constitutiones prædictæ leguntur, prima die qua; decursis feriis messium, & vindemiarum ad iura reddendum sedere incipient, pari modo, sicut alij leguntur, legi faciant & procurent.

Auditori dicenti aliquid fecisse de voto Rotæ creditur. §. 15. Volentes assertioni Auditoris causarum huiusmodi asserentis se aliquod de inibi contentis, de consilio seu consensu coadiutorum suorum facere, quoad consilium & consensum huiusmodi stari, & alterius probationis adminiculum non requiri.

Contra Exules & Bannitos ab Vrbe, minas pro habenda pace ab offensis vel eorum hæredibus, inferentes, eorumque nuntium scienter desuper afferentes. XIV.

Imo similem prohibitionem statuit Six. V. infra in eius constit. 6. contra omnes ipsis Exulibus & Bannitis fauorem vel auxilium præstantes quoquo modo, in qua bulla confirmatio huius const. comprehenditur, ibique totius materiæ Bannitorum per me adnotabitur.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1495.*

Exordium. LIcet ea quæ laudabili & prouida prædecessorum nostrorum ordinatione, contra viros sanguineos, &c.

Omittitur

Omittitur hic residuum constitutionum Pii II. & Pauli II. quia ipsas bullas habes sup. Ad retinendas, Vtios.

Causa huius constit.

§. 1. Et insuper, quia (sicut etiam facti euidentia demonstrat) insurrexit à paucis temporibus citra, inter homines facinorosos, homicidas, bannitos, seu diffidatos ab Vrbe, pro eorum delictis & sceleribus, quædam praua, improba, & damnata consuetudo, quod cupientes reaffidari, & ad Vrbem redire (quod, nisi ab hæredibus occisi aut offensi pacem habeant, facere non possunt) per nuntios, aut literas, vel aliter læsis & offensam passis, acriter minantur, pollicentes se peiora facturos, nisi pacem cum eis faciant, monentes etiam ipsos, ne ab eorum domibus discedant, brigam eis indicentes, ex quo hæredes ipsi, aliter iniuriam passi, & interdum eorum consanguinei & affines, etiam hi qui in longissimo gradu sunt constituti, compelluntur aut pacem violentam inire, aut brigam sustinere, propter quæ alij ex huiusmodi impunitate in dies ad peiora perpetrandum inducuntur.

Banniti minas inferentes pro habenda pace, & alij eas deferentes coërcentur.

§. 2. Huiusmodi malis, prout tenemur, occurrere volentes, statuimus, decernimus, & ordinamus, quod omnes & singuli qui modo præmisso minati fuerint, & ambasciatam, aut literas, scienter, his quibus minantur, afferre audebunt & præsument; crimen læsæ maiestatis similiter incurrant, & læsæ maiestatis ac rebellionis rei censeantur, ac veluti tales compeeentibus iudicibus seuerissime puniantur, & tam illi, quam Ecclesiasticæ personæ talia perpetrantes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & excellentiæ existant, omnes & singulas sententias, censuras, & pœnas, quas Paulus prædecessor, contra patrem, filium, fratrem, & propinquum, vel domesticum, offendentis, vulnerantis, vel mutilantis, occidentes, vel quocumque modo offendentes, promulgauit, eo ipso irremissibiliter incurrant.

Causa derogatoria.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Vrbis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ Pius, Paulus, & Sixtus prædecessores præfati, in suis, & nos in aliis nostris literis prædictis, voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi hanc constit. *Nota quod dixi in rub.*

§. 4. Et ne quispiam de præmissis valeat ignorantiam allegare, mandamus præsentium nostrarum literarum tenorem in Curia Capitolij, & aliis locis publicis dictæ Vrbis, sono tubæ præmisso, publicari, ac in volumine Statutorum prædictorum, de verbo ad verbum describi, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Sanctio pœnalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ approbationis, decreti, statuti, ordinationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 5. die 13. Sept.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo octauo, Idibus Septemb. Pontific. nostri anno 5.

XV. Quod debitores occasione bonorũ ripalium in Ripis Almæ Vrbis venditorum, ad quinquẽnalem dilationem, vel bonorum cessionem non admittantur. Quodque à Iudicibus ipsarum Riparum, ad Cameram Apost. tantum appellari liceat.

Sanctio ista est confirmata à Paulo III. in eius constit 45. Cum postquam, vbi plene de hac materia notabo.

Edita An. D. 1489.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, *Motu proprio, & ex nostra scientia, &c.*

Causa huius constit.

QVoniam intelleximus, quod nonnulli obligati mercatoribus apud Ripam & Ripettam Almæ Vrbis mercaturæ exercitio vacantibus; prætextu & occasione moratoriarum, cessionis bonorum, petitionis, dilationis quinquennalis, securitatum, salinariorum, aduocationis causarum, & nouarum commissionum, ac appellationum ad alios quam ad Cameram Apostolicam, seu commissarium, vt moris est interponendarum eorum solutionis, quæ dicto exercitio mercaturæ huiusmodi debentur, sæpius euitare, seu retardare vtuntur, & quodammodo immortales facere. Quo fit vt mercatores ipsi, tam qui victualia & mercimonia inibi faciunt per mare, aut ex Ciuita Vetula per terram ad Vrbem pro commoditate & vtilitate Curialium Romanæ Curiæ, quam qui in eadem Vrbe resident, & magazenia cum variis mercantiis apud Ripam & Ripettam prædictæ mercaturæ plurimum retrahentur ab exercitio prædicto, non sine incommodo & detrimento Vrbis & Curialium præfatæ Curiæ, quorum interest victualium & aliarum mercimoniarum, quæ deferri solita sunt cura & diligentia mercatorum præfatorum, abundantiam habere.

Prohibitio admittendi debitores ripales ad bonorum cessionem vel quinquennales dilationem.

§. 1. Ea propter volentes super hoc opportune prouidere, Vrbis Dohaneriis, & Camerariis præfatæ Ripæ & Ripettæ, præsentibus & futuris, auctoritate Apostolica mandamus, quatenus de cetero debitores ipsos, qui nunc sunt, & in posterum erunt, præfatorum mercatorum, tam venientium quam residentium, & tam ciuium Romanorum quam forensium, apud præfatam Ripam & Ripettam pro tempore, huiusmodi moratoriis, dilationibus, quinquennalibus, cessionibus bonorum, aduocatione causarum, & appellationibus, præterquam ad Cameram Apostolicam, vt supra interponendis, & nouis commissionibus, ac securitatibus salinariorum, exceptis illis quibus ex priuilegio competit exercitium, dictæ artis salinariorum dumtaxat, vti volentes si debita ipsa contracta sint apud Ripam & Ripettam prædictas, & occasione mercimoniorum & victualium, quæ per mare, siue per terram, ac Ciuita Vetula ad illas pro tempore deferunt, seu deferri faciunt, super hoc nullatenus audiatis, nec admittatis, minimeque ab alio audiri, & admitti permittatis. Sed illis penitus reiectis, præfatos debitores ad integram solutionem eorum quæ ipsos debere cognoueritis, efficaciter remediis opportunis compellatis.

Appellandi quæ ad aliud Tribunal quã R. Cam. Ap.

§. 2. Decernentes per hoc nostrum Apostolicum decretum, quod in moratoriis, dilationibus, quinquennalibus, cessionibus bonorum, aduocationibus causarum, appellationibus, præterquam ad Cameram Apostolicam seu Commissarium, vt moris est, interpositis, seu interponendis, & nouis commissionibus & salinariis, exceptis iis qui supra, & aliis quibuscumque concessionibus per nos forsitan concessis, & quas concedi continget, huiusmodi debita semper intelligantur excepta, etiamsi in eisdem debitis occasione mercaturæ prædictæ mentio fieret specifica & expressa.

Clausula præseruatiua.

§. 3. Nec vnquam per easdem seu quascumque alias concessiones seu rescripta, aut commissiones huic voluntati & decreto nostro derogatum quoquo modo intelligatur, nisi præsentis decreti tenor de verbo ad verbum, cum nominatione mercatorum, quibus obnoxij erunt, & quantitatibus, in moratoriis, ac aliis concessionibus quibuscumque insereretur.

Iussio publicandi.

§. 4. Et vt præsens nostrum decretum perpetuum robur & effectum obtineat, quod ad perpetuam rei memoriam in volumine Statutorum dictæ Ripæ & Ripettæ describi & registrari mandamus.

Dat. P. An. 5. 15. Iulij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idibus Iulij, Anno quinto.

Papa subscriptio.

Placet & Motu proprio mandamus.

Approbatio Confraternitatis sub inuocatione S. Ioannis Baptistæ Decollati, Misericordiæ nuncupatæ, in Alma Vrbe nuper institutæ, ad pie consolandum morti à Iudicibus condemnatos, curandumque eorum animæ salutem, & sepeliendum corpora eorumdem.

Eidem Confraternitati, multa priuilegia plerique Pont. elargiti sunt, quæ referuntur & comprobantur infra à Pio V. in eius const. 91. Cum sicut, vbi notabo.

Edita A. D. 1490.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INter desiderabilia cordis nostri, illud intensis desiderijs affectamus, vt singulorum Christi fidelium quorum nobis ea commissi desuper Pastoralis officij debito cura imminet, generalis animarum salus proueniat, vnde pia & salubria fidelium vota ad hoc tendentia, & alias ea quibus diuini cultus propagatum augmentum, pij patris affectione prosequimur, ac plenis fauoribus confouemus, & vt optatum sortiantur effectum, opem, & operam efficaces impendimus, ac alios etiam Christi fideles ad impendenda propterea opportuna suffragia indulgentijs & remissionibus inuitamus.

Quidam in Vrbe residentes Confraternitatem Ioannis, ad pie confortandum & sepeliendum damnatos ad mortem in vna erunt, & Ecclesiã S. Ioannis Decollati ædificari curarunt.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Vniuersorum Confratrum Confratriæ seu Societatis Sancti Ioannis Decollati de Vrbe, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum plurimi, qui eorum demeritis id exigentibus, aut alias vltimo supplicio iustitia exigente puniebantur, non haberent in eorum vltimo vitæ statu qui ipsis, ea quæ ad salutem animarum pertinent, ad memoriam reducerent, quam plures personæ in eadem Vrbe residentes cupientes quantum possent animarum saluti eorum, qui sic decederent, prouidere & consulere, quandam Societatem, seu Confraternitatem eiusdem Sancti Ioannis Decollati nuncupatam fecerunt & ordinarunt; Et vt haberent vbi pijs operibus circa præmissa exequendis conuenire possent, quandam domum dictam in dicta Vrbe consistentem, & eis à dilectis filijs Confratribus Confraternitatis seu Societatis Fabrorum eiusdem Vrbis concessam, sub certis modis, & conditionibus tunc expressis acceptarunt, & inibi vnam Ecclesiam sub inuocatione eiusdem S. Ioannis alias rite ædificari fecerunt.

Eamque piorum eleemosynis perficere Capellanumque ibi ad audiendas damnatorum confessiones, ijsque sacramenta administranda habere intendentes, supplicant hunc Pont. pro opportuna prouisione & Confraternitatis approbatione.

§. 2. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, Confratres dictæ Confraternitatis seu Societatis Sancti Ioannis nulla bona ad ipsam Confraternitatem spectantia habeant, nisi prout illius Confratres de eleemosynis pie erogatis acquisiuerint, intendantque Ecclesiam prædictam ad debitam perfectionem deducere, & illam paramentis, & alijs Ecclesiasticis ornamentis pro diuinis inibi celebrandis officijs necessarijs ornare & communire, ac vnum Capellanum, qui inibi, Missas & alia diuina officia celebret, & vltimo supplicio damnatis in eorum vltimo vitæ statu assistat, eorumque confessiones audiat, & Ecclesiastica sacramenta ministret, tenere, & ad omnia præmissa peragenda ipsorum Confratrum Sancti Ioannis facultates non suppetant, sed sint Christi fidelium suffragijs plurium opportuna. Pro parte Confratrum Confratriæ S. Ioannis huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, vt concessioni dictæ domus eis vt præmittitur factæ, & in ipsa domo Ecclesiæ ædificationi huiusmodi, robur Apostolicæ confirmationis adiicere, ipsosque Confratres Confratriæ S. Ioannis huiusmodi, nunc & pro tempore existentes iurisdictioni Auditoris causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generalis dumtaxat nunc & pro tempore existentis subiicere, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui propterea eam approbat, & sepulturã damnatorum in d. Ecclesia concedit.

§. 3. Nos igitur ipsos Confratres Confratriæ seu Societatis S. Ioannis huiusmodi, & eorum singulos, à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictæ domus eisdem Confratribus S. Ioannis, vt præfertur, factam, & in illa Ecclesia huiusmodi ædificationem, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, eisdemque Confratribus, quod dictam Ecclesiam pro diuinis officijs & Missis inibi celebrari faciens ac etiam si hoc elegerint, & sepeliri inibi voluerint, pro vltimo supplicio damnatorum prædictorum sepulturis tenere, & in ea dictos vltimo supplicio damnatos cuiusuis licentia super hoc minime requisita ad sepulturam admittere.

Capellanumque dat facultatẽ damnatos consolandi, confessiones audiendi, & sacramenta ministrandi.

§. 4. Quodque vnum Presbyterum sæcularem alias idoneum in eorundem Confratrum Capellanum ad eorum nutum amouibilem, qui etiam dictorum damnatorum confessiones audiat, & si petierint Eucharistiæ & alia sacramenta, eis ministret, & vsque ad vltimum vitæ spiritum eos consolando, & vt spem in Domino ponere habeant exhortando assistat, habere & tenere.

Statuta condendi sodalitati authoritatem concedit.

§. 5. Ac quod ipsi Confratres, statuta & ordinationes alias rationabilia & honesta pro conseruatione & directione ipsius Confraternitatis S. Ioannis, quæ postquam facta & ordinata, & per maiorem partem ipsorum Confratrum approbata fuerint, iuxta illorum ordinationem obseruari debeant, facere & ordinare.

Confessorem que eligendi, qui confratres in casibus hoc non reseruatis absoluat, & vota commutet.

Ad hoc vide da ẽst const. 113 Clem. VIII. Quæcumque.

§. 6. Necnon vniuersis & singulis vtriusque sexus eiusdem Confraternitatis S. Ioannis Confratribus, præsentibus & futuris, vt aliquem idoneum Presbyterum, sæcularem, vel cuiusuis Ordinis religiosum, in suum possint eligere confessorem, qui vita eis comite, in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis (præterquam offensæ Ecclesiasticæ libertatis, criminum hæresis, rebellionis, aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, seu Sedem præfatam, falsitatis literarum Apostolicarum, supplicationum, & commissionum, inuasionis, deprædationis vel occupationis, aut deuastationis terrarum, & maris Romanæ Eccles. mediate vel immediate subiectarum, offensæ personalis in Episcopum vel alium Prælatum, deuolutionis causarum ad Romanam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium) semel dumtaxat in vita, in alijs vero quoties opus fuerit opportunum, confessione eorum diligenter audita, pro commissis eis debitam absolutionem impendat, & iniungat pœnitentiam salutarem. Necnon vota quæcumque (vltramarino, liminum Apostolorum, & S. Iacobi in Compostella, necnon castitatis & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat. Quodque Confessor, quem duxerint eligendum omnium peccatorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint semel in vita & in mortis articulo plenam remissionem eis in sinceritate fidei, vnitate Sanctæ Rom. Ecclesiæ, ac obedientia & deuotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, auctoritate Apostolica concedere valeat, eadem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus. Sic tamen, quod idem Confessor de his de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, illam eisdem Confratribus per seipsos si superuixerint, vel per alios, si forsan tunc transierint faciendam iniungat, quam ipsi Confratres vel alij facere teneantur, vt præfertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam vel concessiones ipsi Confratres reddantur procliuiores ad illicita in posterum committenda, volumus quod, si Confratres prædicti à sinceritate fidei, vnitate Rom. Ecclesiæ prædictæ, ac obedientia, & deuotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium destiterint, aut ex confidentia eiusdem concessionis vel remissionis aliqua forsan commiserint, concessio & remissio ac præsentes literæ huiusmodi, quoad facultatem eligendi Confessorem huiusmodi, eis nullatenus suffragentur.

Priuilegium fori A.C. confratribus elargitur.

§. 7. Præterea ne contingat Confratres prædictos coram diuersis Tribunalibus trahi, eos & ipsorum quemlibet, ac bona ad ipsam Confraternitatem S. Ioannis nunc & pro tempore pertinentia, curæ & iurisdictioni, omnimodeque potestati quoad singulas causas, ciuiles, reales, vel personales Curiæ causarum Cam. Apostolicæ Auditori generali nunc & pro tempore existenti, ita vt coram eo dumtaxat, & non coram alio Iudice, ordinario vel delegato dictæ Vrbis, pro quibuscumque causis ipsius Confraternitatis (pœnam sanguinis concernentibus dumtaxat exceptis) conueniri trahi, euocari seu reconueniri possint & debeant, eadem auctoritate submittimus

&

& subiicimus per præsentes, necnon sententias, & processus, quos & quas in contrarium haberi & promulgari contigerit nullius roboris vel momenti existere eadem auctoritate decernimus.

Hæreditates, seque à condemnatis hærere posse indulget, sine præiudicio Fisci, etiã in eam dispositionis non habentis iuris solemnitates.

§. 8. Etsi forsan contigerit aliquos sic vltimo supplicio damnatos, in eorum bonis seu aliqua parte eorum Confraternitatem huiusmodi hæredes instituere, vel aliqua eis relinquere velle, quod ipsi Confratres, in bonis in quibus hæredes, seu quæ eis per dictos vltimo supplicio damnatos relicta fuerint pro tempore (sine præiudicio Fisci) succedere, & illa in iudicio & extra vbicumque ab illa tenentibus pro eadem Confraternitate petere & exigere possint, etiamsi forsan in institutionibus seu relictis prædictis iuris solemnitates obseruatæ non fuerint, dummodo de voluntate dictorum sic instituentium vel disponentium, verbo vel scripto per duos aut tres testes, aut alias legitime constiterit, eadem auctoritate statuimus & ordinamus.

Indulgentiam d. Ecclesiam visitantibus, & manus adiutrices porrigentibus concedit.

Quoad porrectionem manus adiutricis habet reuocationẽ Pij V. in eius cõst. 10. Etsi domini.

§. 9. Et insuper cupientes vt Ecclesia prædicta S. Ioannis ad perfectionem debitam deducatur, paramentisque & ornamentis Ecclesiasticis prædictis decoretur & fulciatur, & à Christi fidelibus frequentetur, ipsique Christi fideles eo deuotius ad eandem Ecclesiam S. Ioannis confluant, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ vberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui prædictam Ecclesiam à primis vesperis vsque ad secundas vesperas Festi Decollationis eiusdem S. Ioannis deuote visitauerint, & inibi manus adiutrices porrexerint, vigintiquinque annos de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Præsentibus etiam quoad huiusmodi Indulgentiam perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si Ecclesiam prædictam S. Ioannis visitantibus, & inibi manus adiutrices porrigentibus, aut pias eleemosynas erogantibus, aliqua alia indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, præsentes literæ quoad indulgentiam huiusmodi vigintiquinque annorum nullius sint roboris vel momenti.

Contrarijs derogat.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Vrbis iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. A. 6. 23. Augusti.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1490. decimo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno sexto.

XVII. Contra impedientes quoquo modo executionem citationum, & aliorum mandatorum, cuiuscumque Iudicis causarum in Romana Curia pendentium, & contra eorum fautores, Notariosque instrumenta huiusmodi executionum dare recusantes.

Contra prædictos, habes etiam inf. Leon. X. const. 30. In supremo Clem. VII. const. 39. Romanus, & Gregor. XIII. constit. 19. Ad Romani. Et in eosdem Summi Pont. quotannis, anathematis censuras innouant in die Cœnæ Domini, vt de his bullis dicam inf. in Pauli V. const. 63.

Edita An. D. 1449.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Officij nostri debitum, quo sumus vniuersis nostræ curæ creditis, in iustitia debitores, exigit, & ad hoc potissimum nos inducit, vt huius sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem & honorem præseruemus, ac opportunæ prouisionis remedia etiam adhibeamus, per quæ ius suum quisque consequi valeat, & iustitiam exquisitis viis, & à canonibus damnatis modis conculcare saragentium malitiis obuietur, trãsgressoresque debitis afficiantur pœnis, vt à similibus abstinere discant; & alij, si non virtutis amore, & iustitiæ zelo inducti, saltem formidine pœnæ perterriti, talia committere non præsumant.

Citationes & mandata iudicum Rom. Curia, multis modis exequi impediuntur.

§. 1. Sane multorum clamotibus, & fide dignorum relatione (non sine maxima mentis nostræ perturbatione) accepimus, quod sæpissime contingit, & quodammodo in quandam consuetudinem, seu potius abusum deductum est, vt cum aliqui ad Romanam Curiam (ad quam, vtpote communem omnium patriam, ex omnibus mundi partibus confluere soliti sunt pro iustitiæ complemento, in causis potissime ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, consequendo) accedunt, & causas in eadem Curia, Palatij Apostolici causarum Auditoribus, seu aliis Iudicibus, contra eorum aduersarios committi, & citationes ad partes, vt moris est, & styli antiquitus in eadem Curia obseruati existit, decerni obtinuerunt, hi contra quos huiusmodi citationes executioni mandari debent, ad iudicia sæcularia & alias vetita, Principesque & Potentatus sæculares recursum habentes, tam personis sic agentibus, quam notariis publicis, & aliis, etiam quibuscumque Cursoribus nostris, huiusmodi citationes exequi volentibus, per principales seu iudices, & officiales sæculares huiusmodi, sub formidabilibus pœnis inhiberi & præcipi procurant & faciunt, ne illas exequantur, & vt iam factas executiones reuocent, seu saltem etiam iuramento adstringi, quod de executionibus huiusmodi relationes non faciant, aliasque ne huiusmodi executiones fiant, diuersimode impediunt; & quandoque clerici, quibus in beneficiis Ecclesiasticis compertit, beneficia ipsa ad suorum aduersariorum instantiam resignare, & iura ius nullum habentibus dimittere compellantur; Notarij vero, seu tabelliones, publici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, plus temporalem quam æternam pœnam metuentes, de huiusmodi citationum executionibus, & inhibitionibus seu impedimentis circa illas præstitis, etiam in virtute per eos in ipsorum creatione ad notariatus siue tabellionatus officium præstiti iuramenti, ab his quorum interest requisiti, metu pœnarum temporalium huiusmodi, instrumenta publica desuper conficere, & in publicam formam tradere, aut de his se rogatos facere non audent, ex quo iustitia perit, seu saltem retardatur, beneficiaque Ecclesiastica multoties absque titulo canonico detinentur occupata; mãdata vero Apostolica contemnuntur, & auctoritas Sedis prædictæ vilescit, libertasque Ecclesiastica conculcatur.

Hic ideo Pōt. infligit pœnas omnibus contra quos causa in Curia commissa sunt impeditãtibus citationes & alia mãdata iustitiam vel gratiam continentia.

§. 2. Nos igitur cupientes, quantum cum Deo possumus, huic morbo ne vlterius inualescat, opportunam medelam adhibere, auctoritate Apostolica, hac nostra perpetua constitutione statuimus & ordinamus, quod omnes & singulæ personæ, tam sæculares quam regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ, seu ordinis existant, contra quas in eadem Curia causæ, quæ in illa tractari consueuerunt seu possunt, de iure vel consuetudine commissæ sunt, vel in futurum, tam per appellationem, seu deuolutionem ad illam, aut aliis quomodolibet committerentur, & quæ citationes huiusmodi in vim commissionum Apostolicarum, decretas vel decernendas, aut quævis alia mandata, seu rescripta Apostolica, iustitiam vel gratiam continentia, quo minus iuxta illorum tenorem executioni demandentur, per se vel per alium, seu alios, directè vel indirectè, quovis quæsito colore impedire aut impediri facere, seu clericis, vt beneficia Ecclesiastica renuntient, aut iuri in illis sibi competenti cedant, vel vt à prosecutione causarum, & iurium huiusmodi desistant, mandari facere præsumpserint, aut pro illis impediendis & renuntiandis, ad principes seu officiales sæculares, publicè vel occultè, per se, vel alium, quovis quæsito colore, recursum habuerint, causam perdant, & omne ius, tam in petitorio quam possessorio, in re vel ad rem de qua agitur, eis competens, eo ipso amittant, & ad beneficia sic renuntiata obtinendum inhabiles existant.

Aliis vero quos causa non tangunt, & impedien-

§. 3. Aliæ vero personæ Ecclesiasticæ, seu etiam sæculares, quas causa huiusmodi non tangit, executionem citationum huiusmodi, aut aliorũ quorumcumque man- datorum,

tibus eis sup. & illorum fautoribus, excommunicationis pœnam imponit.

datorum, seu rescriptorum, & prouisionum Apostolicarum, vt præmittitur, impedientes, aut impedientibus huiusmodi, auxilium, consilium vel fauorem, publice vel occulte, directe vel indirecte præstantes, cuiuscumque conditionis vel præeminentiæ existant, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant, à qua (præterquam in mortis articulo constituti, & satisfactione præuia) ab alio quam à Romano Pontifice pro tempore existente, & canonice intrante, absolutionis beneficium nequeant obtinere.

Notariisque instrumenta executionum dare recusantes aliis pœnas imponit.

§. 4. Notarij verò, siue tabelliones publici prædicti, qui de executionibus citationum & mandatorum, ac prouisionum huiusmodi faciendis, aut quo minus fiant inhibitionibus, requisiti fuerint, instrumenta publica desuper ad instantiam interesse habentium, seu interesse prætendentium (satisfacto tamen de congruo salario) conficere recusauerint, periurij reatum incurrant, ac executionem officij tabellionatus amittant, fiantque infames eo ipso, & eorum instrumentis siue scripturis publicis postmodum per eos super rogatibus postea factis & conficiendis, donec ab huiusmodi reatu periurij absolutionem, & infamiæ abstersionem obtinuerint, nulla fides in iudicio, vel extra adhibeatur.

Ordinariis publicationem huius bullæ præcipit.

§. 5. Et vt huiusmodi constitutio & statutum ad singulorum notitiam deducantur, vniuersis locorum Ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus statutum & constitutionem nostram huiusmodi, per se vel alium seu alios, in eorum Ecclesiis, vel ciuitatibus publicent, seu publicari faciant; ac constitutionis huiusmodi copiam cathedralium Ecclesiarum valuis, ita quod verisimiliter ad singulorum notitiam peruenire valeat, affigi faciant.

Executorem deputat A.C.

§. 6. Necnon pro tempore existenti curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, vt instante Procuratore Fisci nostri, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, contra omnes & singulos etiam qualitercumque prærogatiuos, quos prædictas sententias & pœnas sibi incurrisse constiterit, eisdem sententiis, & pœnis illaqueatos tandiu publice nunciet, & faciat ab aliis nuntiari, ac vt excommunicatos ab omnibus arctius euitari, & nihilominus legitimis per eum desuper habendis seruatis processibus, sententias, & pœnas præfatas iteratis vicibus, aggrauare, auctoritate Apostolica procuret, donec ipsi sic excommunicati, absolutionis beneficium, satisfactione præuia, meruerint obtinere.

Iussio publicandi hanc bullam.

§. 7. Volumus autem constitutionem, & statutum huiusmodi, in Cancellaria Apostolica publicari, & in Quinterno Cancellariæ prædictæ, inter alias inibi descriptas constitutiones adnotari, & describi, ac post duos menses à die publicationis huiusmodi computandos, omnes absentes, præsentes vero in eadem Curia, post diem publicationis huiusmodi arctare, ac omnibus petentibus dari, & concedi eo modo, quo aliæ constitutiones de curia concedi consueuerunt.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: quod quidem indultum decernimus eis, quacumque auctoritate muniti sint, in hoc aliqualiter suffragari non posse, quo minus huiusmodi sententiis, & pœnis subiaceant.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 8. 25. Januarij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, octauo Kalendas Februarij, Pontificatus nostri Anno octauo.

Subscrip. PP. Publicatio in Cancellaria.

Placet, publicetur, & describatur. I.

Lecta & publicata fuit Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, Die vero vltima mensis Ianu. Pontific. Innocentij Papæ VIII. Anno 8.

Contra non soluentes in festo SS. Petri & Pauli Apostolorum census R. Cam. Apost. debitos. XVIII.

Ampliorem dispositionem habes inf. in Paul. IV. const. 11. Incumbentia, & Greg. XIII. const. 63. Ad Romani, vbi notabo.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam. *Edita An. D. 1492.*

Causa const.

DEcet Romanum Pontificem IESV CHRISTI in terris Vicarium, qui militanti Ecclesiæ præest, illius iura tueri, & conseruare illæsa. Sane, sicut accepimus, nonnulli in ciuitatibus, terris, castellis, fortalitiis, & locis aliis temporali dominio præfatæ Ecclesiæ subiectis, & in temporalibus Vicarij, Feudatarij, & Gubernatores, seu emphyteutæ, perpetuo & ad tempus deputati, constitutum censum in inuestituris & concessionibus quas de illo habuerunt, in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli de mense Iunij solui constitutum, præfatæ Ecclesiæ soluere non curant, in animarum suarum periculum, & eiusdem Ecclesiæ detrimentum.

Monet omnes vt soluant debitos census R. C. Apost. in festo SS. Petri & Pauli.

§. 1. Nos igitur qui alios in sua iustitia confouemus, nolentes præfatæ Ecclesiæ pro posse nostro iura negligere, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, & certa scientia, Apostolica auctoritate monemus & requirimus eos & quemlibet eorum, vt censum & canonem quemcumque, quem pro factis eis seu eorum auctoribus concessionibus, Cameræ Apostolicæ soluere tenentur annuatim, in illa celeberrima die, qua huiusmodi census ipsi Cameræ generaliter solui consueuerunt, videlicet in festo Apostolorum præfatorum Cameræ Apostolicæ persoluant in loco dictæ Cameræ, vbicumque illa pro tempore adesse contigerit.

Moneatque omnes quibus data est dilatio ad soluendum, vel commissum est aliis soluendo, vt dicta die probent causas propter quas non soluerunt.

§. 2. Monemus insuper & requirimus illos ex eis quibus concessum vel mandatum foret, aut pro tempore mandari contingeret, quod censum per eos debitum alicuius dictæ Cameræ creditoribus aut alibi quam in dicta Camera soluant, seu ad soluendum vlterior dilatio data foret, vt per suos legitimos procuratores, & nuntios cum sufficienti mandato in eadem Camera in festo prædicto comparere, & se siue pro eisdem eis concessis ciuitatibus, terris, & castris, fortalitiis, & locis feudatarios, vicarios, & gubernatores, siue emphyteutas pro dicta Ecclesia, & ad talis census solutionem ea die propterea dictæ Cameræ obligatos fateri, & recognoscere, ac causas quare in eiusdem census solutione cessant, ea die allegare & probare debeant coram Prælatis Præsidentibus, & Clericis dictæ Cameræ sub pœnis in concessionibus eis factis huiusmodi appositis, & aliis à iure statutis.

Et non docentes pœnas priuationis incurrunt.

§. 3. Alioquin eos cessantes in census, & canonis huiusmodi solutione, reputari & haberi debere perinde, ac si super illius solutione nil innouatum extitisset, eodem motu, scientia & auctoritate decernimus. Ac eisdem Prælatis & Clericis committimus & mandamus, vt illos qui monitioni huiusmodi paruisse coram eis non docuerint intra vnum mensem computandum post dictum festum, pœnas priuationis Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, Fortalitiorum, & locorum huiusmodi iuxta suarum inuestiturarum, & concessionum tenorem incurrisse declarent, & eos à ciuitatibus, terris, castris, fortalitiis, & locis huiusmodi pro quibus censum non soluerunt, studeant effectualiter amouere: Contradictores per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, seu si Communitatibus, Vniuersitatibus, vel personis præfatis, aut quibusuis aliis communiter vel diuisim à Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 5. Et

Fides tran-sumptorum. §. 5. Et quia difficile foret præsentes literas ad singulas prouincias, & alia loca deferre, & illas in eis publicare, volumus quod literæ ipsæ in valuis basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe affigantur, & per decem dies continuos, dum ibidem solemnis Missa celebratur, per Canonicos eiusdem basilicæ teneantur, quodque illarum affixio & publicatio sic facta de illis perinde omnes quos concernunt, arctent, ac si eis personaliter intimatæ fuissent.

Sanctio pœnalis. §. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, requisitionis, decreti, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 8. die 2. Maij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, sexto Nonas Maij, Pontificatus nostri Anno octauo.

Publicatio. Anno à Natiuitate Domini nostri Iesv Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, Indictione decima, die vero vigesimatertia mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Innocentij diuina prouidentia Papæ Octaui, Anno octauo, ac vigesimaquinta eiusdem mensis, retroscripta bulla affixa, & publicata fuit in valuis basilicæ Apostolorum Principis de Vrbe, & in valuis audientiæ, dum ibidem Missa solemnis celebraretur, & maxima gentis multitudo interstantium, & exeuntium ibi erat, per me Bartholomæum.

B. de Miranda Curs.

XIX. S. Leopoldi Austriæ Principis Canonizatio, & inter sanctos Confessores adscriptio, cum suæ Festiuitatis institutione pro die 15. mensis Nouembris.

Edita An. D. 1485. *INNOCENTIVS EPISCOPVS,*
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Quod in Psal. mo 44. inquit Dauid de Regina in vestitu deaurato, plane hic Pōt. exponit de Ecclesia militante. §. 1. SAcrosanctam Matrem Ecclesiam adstitisse à dextris Dei Reginam, in vestitu deaurato circumdatam varietate, non abs re per Prophetam traditur. Regina equidem, quæ illi Regi Domino per quem Reges regnant, & Principes iustitiam faciunt desponsata sit Vnica eius Columba; Luna perfecta in æternum; Arcturus per gyrum nocturna spatia perenni lumine illustrans, Lucifer qui nescit occasum; Aurora hic in crepusculo caligantis sæculi coruscans; & in diem lucidum in regno Cœlorum sese diffundens; Regina quæ illi seruiat cui seruire regnare est; illi fidem habeat, illi se totam committat. Regina quę Christi fideles sub vmbra alarum suarum extremo carcere, ad regna cælorum perducat, vbere de cælo pleno lactet atque inebriet, ex multis ærumnis nos eripiens regni cælestis cum Christo Domino participes efficiat. In vestitu inquit deaurato. Vestimentum Ecclesia sanctam fidelium vitam esse profitemur; nam sicut tota Ecclesia vestimentum est Christi, ita fideles quoque eiusdem Ecclesiæ vestimentum esse arbitrabimur. Vestimentum scilicet, non habens maculam per peccatum, neque rugam per duplicitatem, sed per iustitiam in Deum, per simplicitatem cordis tensum vestimentum innocentiæ, quam homo à Deo plasmatus accepit, male à serpente persuasus perdidit, ad quam recuperandam pœnitentia, & Dei misericordia induimur. Vestimentum deauratum, splendore sapientiæ aureo perlucens; Clara enim est sapientia, quæ nunquam marcescit, facile videtur ab his qui eam diligunt, & inuenitur ab his qui eam quærunt. Doctrix est disciplinæ Dei, electrix operum illius, qua nihil locupletius; quæ operatur omnia, artifex omnium, quæ apud turbas claritatem, & honorem apud seniores præstat. Vestimentum deauratum perfectione auri idest Iustitiæ, qua nihil humano generi vtilius; Dilectione disciplinæ, ex qua custodia legum emanat, legum autem custodia, consummatio est incorruptionis. At vero incorruptio facit nos esse Deo proximos, per quam beatitudo æternæ vitæ à nobis comparatur. Circumdata Ecclesia dicitur varietate gratiarum, administrationum & officiorum, iuxta verbum Apostoli: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus eas conferens; diuisiones administrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Circundata varietate potestatis, ordinis, status, & variarum Ecclesiarum decore, quæ veluti adolescentulæ, hanc de qua sermo est Catholicam Ecclesiam, quasi matrem obseruant, non vetustæ per culpam, sed nouellæ per gratiam, non senio steriles, sed ad spiritualem congrue fœcunditatem & noua semper prole pullulantes. Nam à iusto Abel vnde Ecclesiæ exordia trahimus, in hanc vsque diem quot Sanctos Orbis terrarum habuit, tot quasi palmites protulit, ex quavis varijs to diea surgunt surculi in hac vinea nostra Sabaoth, quam licet immeriti præstante Domino sortiti sumus excolendam, feruntur. Circumdata varietate, quod alia triumphantis, alia militantis Ecclesię species existat. De triumphanti Domini sponsione repromittitur; Ego ero eis, quicquid ab hominibus iuste desiderari potest, Ero illis honor, gloria, salus & vita, virtus & copia, pax & omne bonum. Militans autem Ecclesia fundæ non inepte assimilatur; nam sicut funda in gyrum versata, lapides excutit quibus aduersarij feriuntur, & Goliath prosternitur, ita ex sancta Ecclesia, dum per varias procellas & tempestates fluctuantes huius sæculi per tribulationum circuitum rotatur, fortes viri prodeunt, quibus quasi lapidibus iniquorum corda tunduntur, & de hoste humani generis nequissimo a Christi tyronibus triumphatur.

Quam sub illa Deum malorum agmine Sanctorum vberasse. §. 2. Hanc ipsam Ecclesiam Deus omnipotens, mira quadam dispositione & potestate fundauit, pretioso vnigeniti Filij sui Domini Nostri Iesv Christi sanguine dotatam esse voluit, multiplici Spiritus sancti gratia ornauit, Apostolorū simplicitate & fide roborauit, quos ignaros delegit, vt populos non tam sermo illorum, quàm causa ad credendum adduceret. Martyrum tormentis, cruciatibus, constantia, & trophæis stabiliuit repressa paulisper, quinimo confusa infidelitatis sæuitia; & inimico homine superseminante zizania, crescente, multiplicataque hæreticorum prauitate: Doctorum cælesti doctrina illuminauit, & demum Confessorum, Virginum, aliorumque Sanctorum intrepida confessione, solerti cura exemplisque imitatione dignissimis, aduersus Sathanæ insidias circundedit.

Et inter ens Leopoldū Austriæ Principē multis virtutibus ornatū, & Marchionem Pium cognomento appellatum suscitasse. §. 3. Inter autem alia salubertima sanctitatis exempla diuina misericordia, sydus quoddam Mundo fulgere dedit, Beatum Leopoldum Austriæ Principem, Pium Marchionem cognomento appellatum, innocentiæ, sapientiæ, & iustitiæ vestimentis quibus vestiri Ecclesiam prædiximus, decorum bonitate, mansuetudine atque clementia conspicuum, simplicitate, continentia, & munificentia præclarum, cuius integritas, vitæ sanctimonia, humilitas, pietas, fides, adeo apud Christi fideles innotuerunt, vt vna omnium Germanorum voce, pro Sancto hactenus celebratus fuerit; cuius liberalitatem, Christianæque Religionis cultum nonnulla Monasteria, & quidem celeberrima ab eo cum amplissimis censibus constructa, alia etiam magno sumptu illustrata abunde testantur. Hic Princeps optimus, Sacerdotes, & viros Religiosos admodum coluit, summosque Pontifices tanta veneratione prosecutus fuit, vt ab Innocentio II. Romano Pontifice prædecessore nostro peculiaris S. Petri filius appellaretur, & Apostolica commendatione atque ea plenaria, quam vulgo dicunt, absolutione dignus ab eodem Innocentio etiam mortuus iudicatus fuerit. Hic vir Dei in summis opibus educatus, in magna peccandi licentia constitutus, coniugalibus curis implicitus, principatus regimine impeditus; sedulo tamen pietatis & misericordiæ munera subibat, lassos roborans, vacillantes confirmans, oppressos subleuans, inopes fouens. Inter curas domus, inter coniugales anxietates, inter affectus pignorum, inter multiplices principatus sollicitudines, inter studia tot laborum immaculatum sese ab hoc sæculo custodiuit, & temporalia tractando æterna disposuit.

 §. 4. Qua

It quadraginta annos Principatum Austriæ turbulentissimis etiam temporibus in pace rexit.

§. 4. Quadraginta ennis principatum Austriæ regens,& quod maius est illis præcipue temporibus,qnibus propter Henricorum patris & filij mutuas concertationes,& postea propter Heurici Quarti cum Lothario acerrimas contentiones,in Germania bellis,incendiis,&agrorum vastationibus tumultuatum est,summa cum iustitia, bumilitate, & tranquillitate cuncta administrauit,& alus cæde & sanguine madentibus,creditam sibi Austriæ Prouinciam in diuturna pace continuit, quibus ex meritis æternæ rettributionis, & pacis præmia à Deo Optimo Maaimoqoe, qui centuplicato fœnore merite hominum pensat, est consecutus.

Eiusque vita exēplo, amatorum sæculi excusationes disrupit, & illecebrarum contemptum docuit.

§. 5. Prætendant nunc huius sæculi amatorea, ad peccata excusanda, coniugales,familietes, ciuiles, aut regales solij molestias, sæculi illecebras aut tentationes; Leopoldi exemplo diuina prouidentia eos circumscripsit, eacusationes omnea circumuenit, aditum humanæ tergiuetsationis couclusit, & quasi arancerum telas,commenta humanæ fragiliratis disrupit. A Deo creati & redempti, Deum debitis bonoribus non colimus, & quod dolentes ex intimis referimus, illum non tantum negligimus, sed blasphemamus sæpenumero. Adhibita sunt præcepta dioinæ & homanæ legis,præcepria obtempetare tergiuersamut. Addita sunt cœlestis præmia gloriæ,iudicta pœnatum diuersa genere, censura cotrectionis iouenta, ab illis faciem quesi rebelles auertimus. Sanctorum vatie exempla ante oculos nostros proposita, ipsa quoque imitari contumaciter tecusamos, imbecillitatem nostram, sæculi sollicitudinea, cum de saluce nostra agitut, causamut. Leopoldi nobilis Principis coniugati, ac multorum filiorum, ac subditotum cura irretiti,clarissimo eaemplo admonemut, vt omni excusatione semora, per hæc temporalia ita eaute ambulemus, ita sancte nos exerceamus, vt æterne non amittamus. Allecti spe momentaneæ buius prosperitatis, perpetuitate gloriæ cœlestis noo fraudemur, sed mundi molestias, illecebras, aut dignitatea contemnendo, ad cœlestem pattiam totis viribus contendamus.

Multis miraculis celebris fuit.

§. 6. Huius Beati Leopoldi sanctimoniam Deua omnipotens innumerabilibus miraculia ad eius inuocationem editis comptobaoit, miraculis profecto quæ tum in facti substantia, tum in eo quod factum fuit, tum in modu faciendi & ordine, vim & potestatem totius naturæ excellerunt. Quis enim non miretur, cum audiat per Dei æterni misericordiam, implorato Leopoldi auxilio, paraliticos, artheticos, febricitantem, podagre laborantem, pristinæ valetudini illieo restitutos. Quis non magnalia Dei in hoc Sancto agnoscat, cum videat intercessionibus eius claudos recte ambulasse, epostematibus mortiferis infectos liberatos, in carceribus constiturum, pedicis manicisque vinctum, per foramen vnde hominis impossibilis exitus erer, eductum euesisse? In variis vitæ periculis positos, illæsos seruatos esse? Quis non tota mente obstupescat, & Deo Optimo Maaimoque præconie manifesta dicat, cum liquido deprehendat, meritis, ac precibus buius Sancti viri mortuos suscitatos? Mutos loquendi facultatem adeptos? Cæcos illuminatos? Surdis auditum restitutum esse. Maxima sunt hæc sanctitatis & diuinæ approbationis signa, humanam eapectationem ac spem excedentia, & tamen clarissimis documentis comprobata sunt.

Anno 1136. ad Deum migrauit. & ad hæc vsque tempora Populorum deuotio perseuerat.

§. 7. Quinimo ab anno Christi millesimo centesimo trigesimo seato, quo Leopoldus vita functus ex terris ad cœlestem Hierusalem transiuit, in nostra vsque tempora & præsentem diem, magis atqne magis manifestata mita de illo ea mentibos bominum in Austria præcipue, & per omnem Danubij ripam, deuotio cœlitus infunditur. Incredibile dictu quanta cum venetatione corpus eius, quod in Monastetio Beatæ semper Virginis & Matris Dei Mariæ ab eo condito, in loco quod nouum Claustroburgum appellatur Pataoiensis diœceseos sepultum est, à Christi fidelibus visiretur, quibus votia celebretur pia eios memoria. Memoraru difficile esset, quot & quantis tabellis & imaginibus illi dicatis exornetur, quanta luminariorum copia perlustretur. Procumbit supplex ante tumulum languentium & rogantium turba, opem Leopoldi implorans, nec expectatione irrita discedit.

Rodulphus ideo Austriæ Dux pro illius canonizatione, Innocentio VI. supplicauit.

§. 8. Huius veneratione, & permultorum populorum salute, Rodulphua Austriæ Dua impulsus est, vt Innocentio Sexto huic Sanctæ Sedi ea tempestate præsidenti supplicaret, quatenus Leopoldum Sanctorum Catalogo adscribere dignaretur.

Qui de eius vita inquisitionem fieri edixit.

§. 9. Qui re perspecta quam sapientissime de vita & miraculis, ac fama eiusdem Leopoldi ex more institutoque maiorum, cum consilio Sacri Senatus inquisitionem tunc Archiepiscopo Pragensi, & eliis collegiis delegauit.

Eius superueniente obitu, & bellorum turbinibus, vsque ad Pauli II. tempora interim sa fuit.

§. 10. Verum cum ea de re agi cœptum esset, morte Innocentij, surgentibusque bellorum inter Australes & Pannonios diuersis turbinibus, immensisque procellis in Ecclesia Dei eaortis, vsque ad tempora Pauli Secundi prædecessoris nostri, inquisitio intermissa est.

Qui ad imperatoris Principum, & Prælatorum Germaniæ preces tribus Card. eam commisit.

§. 11. Charissimo autem in Christo filio Friderico Romanorum Imperatori Augusto, Prælatis, & Principibus Germaniæ apud eundem Paulum multis precibus, tam sancti viri Canonieationem absolui petentibus, enbus S.R.E. Cardinalibus, de fratrum suorum consilio demandatum est à Pontifice præfato, vt solemnem inquisitionem ea in re adhiberent, & processus consuetos tum per se, tum per subdelegatos facerent, qood magne ex parte confectum erat, cum euoceto ad Dominum Paulo sanctæ memoriæ, Siatus Quartua prædecessor noster iu bac sancta Sede diuina prouidenria constitutus est.

Illo defuncto ydem apud Sixt. IV. pro d. Canonizatione institerūt.

§. 12. Iterandas ergo preces, & vehementius egendum apud Sixtum Imperatot, Prælati ac Principes prædicti duxerunt; vt tam sanctum opus Canonizationis cœptæ perficeret.

Is d. inquisitionem Cardinali in Germania Legato commisit, qui eam perfecit. & Papæ attulit.

§. 13. Is vt certiori fide, qoæ de miraculia & vita Leopoldi afferebantnr perciperet, Venerabili fratri nostro Marco Episcopo Prænestinensi, tunc rituli S. Marci Presbytero Cardinali, & in Germania Legato, vt præmisse percontaretur iniunxit, qui locupletissimam de illis omnibus relationem per publica acta, & legitimos processus eidem attolit.

Processibus per tres Cardinales ad hoc assumptos examinatis, & primū Sixto ac deinde in Consistorio relatione habita, Canonizatio conclusa fuit

§. 14. Debinc processibus & actis publicis magna cum diligentia per Venerabiles R. Episcopum Portuensem, Marcum prædictum Prænestinensem illo tempore Episcopnm assumptum, ac F. S. Eustachij Diaconum Cardinalem, commisserios discussis, priuata primo relatione eidem Siato facta, postmodum in Sacro Senatu referente prædicto Venerabili fratre R. Episcopo Portuensi dilucide re examinata, & ea illorum sententia Canonizatione conclusa, sicut Domino placuit.

Sixto defuncto, hic Pont. Leopoldum Sanctum esse pronunciat, & Confessorū numero adiungit.

§. 15. Sixto vita functo, nobis qui eidem in onere & bonore per diuinam misericordiam licet indigni successimus, reseruatum est, vt supremam manum tam sanctæ approbationi apponeremus. Consilio itaqoe habito rursus Venerabilium frattum nostrorum S.R E. Cardinalium publica concione, omnia prout ea ordine gesta erant, Leopoldique vitam, miracula, & reliqne merita per Aduocatum Consistorialem proponi curauimos. Demum vocatis omnibus qui in Romana Curia degunt Prælatis, in frequenti eorum consessu, assistentibus nobis eisdem Venerabilibus fretribus nostris S.R.E Cardinalibus, singulorum vota Prælatorum scrutati sumus. Quibus Spiritus sancti gratia cooperante, manibus, pedibusque vt aiunt in eam sententiam deuenientibus, quod Leopoldus merito Sanctus à nobis canonizandus esset, hunc in locum & publicum suggestum hac ipsa die conscendere decreuimus, vt opitulante Domino votis, precibusque fidelium adiuuantibus, ipsum Leopoldum sanctum definiremus, & pro sancto venerari debere ab vniuersis & singulis Christianis mandaremus. Sicque bodie sermone per nos habito, re diuina peracta & reliquis solemnitatibus adbibitis, ad hanc sanctissimam Canonieationem procedendum duaimus. Cum autem verbo Sapientiæ Dominus affirmet homini qui eum laudauerit, & dilexerit Deum qui fecit illum, qnod in medio populi sui exaltabitur, in plenitudine sancta admirabitur, in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, mirumque in modum Leopoldus in medio populorum eaaltatus sit, plenitudine cœlestis gratiæ admirabilis refulgeat; restat vt nostra approbatione inter

electos

electos & Sanctos Dei laudetur, inter benedictos benedicatur, quæ illi abunde impartiemur, si eum inter Sanctos Ecclesiæ adnumerandum, pro Sancto venerandum, atque publicis & solemnibus supplicationibus, votisque in Missarum celebrationibus aliisve diuinis officiis inuocandum, Apostolica auctoritate indicauerimus. Ad laudem igitur æterni Dei, indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad fidei Catholicæ robur & ornamentum; ad Religionis Christianæ culmen augendum, auctoritate D. N. IESV CHRISTI ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & nostra, de Venerabilium fratrum nostrorum consilio statuimus, definimus, & promulgamus S. Leopoldum Austriæ Marchionem, Sanctorum Catalogo adscribendum, & publica veneratione pro Sancto obseruandum, sicut & nos illum in præsentiarum manifesta voce Sanctorum Catalogo annectimus, ac minorum Confessorum numero adiungimus, publice Sanctum definimus, profitemur & veneramur.

Eius festum die 15. Nouembris agi decernit, & sepulchrum visitantibus indulgent. concedit.

§. 16. Statuentes festum eiusdem, die 17. Kalendas Decembris debere celebrari, & ipso festo eius sepulchrum quod in prædicto Monasterio exsistit visitantibus, & pro manutentione dicti Monasterij manus porrigentibus adiutrices, septem annos & totidem quadragenas indulgentiæ, in forma Ecclesiæ misericorditer perpetuis temporibus concedimus.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo octogesimo quinto, octauo Idus Ianuarij, Pontificatus nostri Anno Primo.

ALEXANDER SEXTVS PONT. CCXVIII.
ANNO DOMINI MCDXCII.



ALexander sextus Hispanus, Rodericus Borgias Lenzolius Valentinus antea dictus, Iofredi filius Episcopus Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ, Collegij Decanus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, Creatus tertio Idus Augusti, Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, Coronatus pridie Kalendas Septembris eodem anno, Vixit annos vndecim, & dies octo, Creauit Cardinales 54. Obiit 15. Kalendas Septembris, anno salutis 1503. corpus eius in sacrario Basilicæ Vaticanæ sepultum fuit. Vacauit sedes mensem vnum, dies tres.

Contra sibimet ius dicentes, aut Caualcatam aut hominum missionem facientes in Statu Ecclesiastico. ſi

Habes in hoc, const. 10. Ioann. XXII. sup. & infra Iul. II. const. 6. Cum homines, & postremo amplissimam sanctionem Sixti V. in sua constitut. 75. Dum pro.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1591.

Proœmium.



INTER multiplices curas, quæ nobis ex Apostolatus officio incumbere dignoscuntur, illam libenter amplectimur, per quam prouisionis ope, Ciuitates, Terræ & loca Romanæ Ecclesiæ, mediate & immediate subiecta in pacis amœnitate, & quietis tranquillitate valeant conseruari: & nemo sibi ius dicere, ac iustitiæ limites transgredi inordinata voluntate præsumat, sed quod sibi credit alter aduersus alterum forte competere, coram iudice iustitiam reddente prosequatur, & si qui ita temerarij fuerint vt secus facere præsumant, debitis pœnis afficiantur, ne de eorum nefanda temeritate lætentur, ac aliis subditis transeant in exemplum, ne incentiuum præbeant delinquendi.

Causa huius consti.

§. 1. Sane etiam antequam ad apicem summi Apostolatus diuina fauente clementia assumpti fuissemus, ab ipsa facti euidentia, & rerum experientia, Nos, qui longo tempore Cardinalatus honore functi nouimus; quod in terris eidem Romanæ Ecclesiæ, mediate vel immediate subiectis, dierum crescente malitia, sic assueta nequitia malorum mentes hominum peruertit, quod in apertam prosilire violentiam non formidantes, sæpius alter insurgit in alterum, & aliud quod aduersus alium sibi forsan competere præsumit, viis pacificis, & iuris ordine prætermissis, violentiis, & conatibus obtinere non veretur: statum eiusdem Romanæ Ecclesiæ sæpenumero perturbans, ac scandala non parua suscitans, non sine animarum periculo, dignitatis, & auctoritatis eiusdem Romanæ Ecclesiæ præiudicio, & detrimento, pernicioso quoque exemplo, & duro scandalo plurimorum. Nos igitur, qui de incolarum, Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, Castrorum & locorum temporali dominio eiusdem Romanæ Ecclesiæ sic subiectorum, prospero, & felici regimine tanto propensiorem curam gerere debemus, quanto illorum cura specialius dignoscitur nobis esse commissa, quique eos (vtpote peculiares nostros, & dictæ Ecclesiæ filios in visceribus gerimus charitatis) cupiētes vt Prouinciæ, Ciuitates, Terræ, Castra & loca prædicta, turbationibus; & scandalis quibuscumque semotis in pace, & concordia conquiescant, ac prosperis successibus gratulentur, temerariorumque ausus reprimere, & eos tali plectere pœna, vt cæteris sint in exemplum, & tandem metus pœna sit pœna malorum, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera, & matura deliberatione, ac ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, vniuersis & singulis tam laicis, quàm Ecclesiasticis cuiuscumque status, & gradus, ordinis, excellentiæ, dignitatis, & Cardinalatus honore fulgentibus, Ducibus quoque, Comitibus, Baronibus, necnon communitatibus, Vniuersitatibus Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & aliorum quorumcumque locorum, nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ, mediate vel immediate subiectorum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, & inhibemus.

Prohibitio faciendi Caualcatas & coadunationes, vel inuasiones & occupationes. Ad

§. 2. Ne aliquis eorum contra alium sibimet ius dicere, aut guerram, vel exercitum, seu alias huiusmodi coadunationes, & (vt vulgo dici solet) caualcatas (nisi de nostra, & successorum nostrorum Rom. Pont. canonice intrantium, aut Officialium nostrorum, & eorundem successorum ad id sufficientem facultatem habentium speciali

b... vide bullam Sixti V. citat. in rub. speciali licentia) facere, vel monere, ac per hostiles incursus, seu violentias, Ciuitates, Terras, Castra, & loca prædicta occupare, inuadere, vel etiam retinere, seu aliquem domo propria, Ciuitate, Castro, vel loco expellere, capere, tenere, aut ad vindictam, vel vltionem aliquam prosilire, quavis occasione vel causa, præsumant, sed quilibet ius suum via iuris coram competenti iudice prosequatur.

Pœna contra venientium. Alias pœnas vide in d. cõst. Sixt. V. §. 3. Quòd si aliqui contra inhibitionem, & mandatum huiusmodi quovis modo, directè vel indirectè de cætero venire præsumpserint, nos omnes & singulos sic contrauenientes (contra quos per prædecessores Romanos Pontifices, & Apostolicæ Sedis legatos etiam satis est debite prouisum) excommunicationis maioris anathematis sententiam, à qua non nisi à Nobis, & eisdem successoribus prædictis (præterquam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa) absolui possint, incurrere: eosque omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus, realibus, & personalibus, ac Ciuitatibus, Castris Terris, locis, & dominiis eorum, dignitatibus, ac honoribus, officiis, ac etiam feudis, locationibus, & concessionibus quibuscumque priuatos, & inhabiles ad actus legitimos exercendos, nuntiamus, & declaramus. Necnon Ciuitates, Terras, Castra, & loca prædicta Cameræ Apostolicæ ex certa scientia, & potestatis plenitudine similibus confiscamus, incorporamus, applicamus, & appropriamus, ac confiscata, incorporata, applicata, & appropriata esse volumus. Sicque contrauenientes pro rebellibus eiusdem Romanæ Ecclesiæ haberi, & censeri debere volumus, eorum subditos, ac vassallos, ac etiam Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum prædictorum Castellanos à quocumque fidelitatis iuramento, quo si ipsi essent quomodolibet adstricti, penitus absoluentes, Ciuitates quoque, Terras, Castra, & loca prædicta, si ad eiusdem Romanæ Ecclesiæ obedientiam se non reduxerint, & etiam quorumcumque eis consilium, auxilium, vel fauorem quovis modo, directè vel indirectè, publicè vel occultè præstantium, etiam quacumque, Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, & excellentia, vt præfertur quos hanc constitutionem declinare contigerit, Ecclesiastico subiacentes interdicto, tandiu firmiter obseruando, donec ibidem fuerint, & per triduum post eorum inde discessum.

Clausula derogatoria. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, contrariis quibuscumque: aut si aliquibus, coniunctim vel diuisim ab eadem sit Sede indultum quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut propterea priuari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcunque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis: quæ quo ad hoc cuipiam volumus nullatenus suffragari. Vt autem præsentes, &c.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 1. April. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno primo.

II. Insulæ noui Orbis à Ferdinando Hispaniarum Rege, & Elisabeth Regina repertæ, & reperiendæ, conceduntur eisdem, propagandæ fidei Christianæ causa.

Ad Indorum conuersionem, animarumque profectum, Pius V. Fratribus Mendicantibus, Parochi officium ibi exercere posse indulsit, inf. in eius const. 34. Exponi.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Charissimo in Christo filio Ferdinando Regi: & Charissimæ in Christo filiæ Elisabeth Reginæ Castellæ, Legionis, Aragonum, Siciliæ, & Granatæ, illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ferdinandus Rex & Elisabeth Regina Regnum Granatæ à Saracenis recuperarunt. INter cætera diuinæ Maiestatis beneplacita opera, & cordis nostri desiderabilia, illud profectò potissimum existit, vt fides Catholica & Christiana Religio, nostris præsertim temporibus exaltetur, ac vbilibet amplietur & dilatetur, animarumque salus procuretur, ac barbaricæ nationes deprimantur, & ad fidem ipsam reducantur. Vnde cum ad hanc sacram Petri Sedem Diuina fauente clementia meritis licet imparibus, euecti fuerimus, cognoscentes vos tanquam veros Catholicos Reges & Principes, quales semper fuisse nouimus, & à vobis præclare gesta toti pene iam Orbi notissima demonstrant, nedum id exoptare, sed omni conatu, studio & diligentia, nullis laboribus, nullis impensis, nullisque parcendo periculis, etiam proprium sanguinẽ effundendo efficere, ac omnem animum vestrum, omnesque conatus ad hoc iam dudum dedicasse, quemadmodũ recuperatio regni Granatæ à tyrãnide Saracenorum hodiernis temporibus per vos, cum tãta Diuini nominis gloria, facta testatur, digne ducimus non immerito, & debemus illa vobis etiã sponte & fauorabiliter concedere, per quæ huiusmodi sanctum & laudabile ab immortali Deo cœptum propositum in dies feruentiori animo ad ipsius Dei honorem, & imperij Christiani propagationem prosequi valeatis.

Et deinde Christophorũ Columbũ elegerunt ad inquirend. per Mare alias insulas incognitas. §. 1. Sane accepimus quod vos dudum animum proposueratis aliquas insulas & terras firmas remotas & incognitas, ac per alios hactenus non repertas quærere & inuenire, vt illarum incolas & habitatores ad colendum Redemptorem nostrum, & fidem Catholicam profitendum reduceretis, hactenus in expugnatione & recuperatione ipsius regni Granatæ plurimum occupati huiusmodi sanctum & laudabile propositum vestrum ad optatum finem perducere nequiuistis, sed tandem sicut Domino placuit, regno prædicto recuperato, volentes desiderium adimplere vestrum, dilectum filium Christophorum Columbum, virum vtique dignum & plurimum commendandum, ac tanto negotio aptum, cum nauigiis & hominibus ad similia instructis, non sine maximis laboribus & periculis ac expensis destinastis, vt Terras firmas & insulas remotas & incognitas huiusmodi, per Mare vbi hactenus nauigatum non fuerat, diligenter inquireret.

Et inuenta fuerunt insulæ noua. §. 2. Qui tandem (Diuino auxilio facta extrema diligentia in mari Oceano nauigantes) certas insulas remotissimas & etiam terras firmas, quæ per alios hactenus repertæ non fuerant inuenerunt, in quibus quamplurimæ gentes pacifice viuentes, & vt asseritur nudi incedentes, nec carnibus vescentes inhabitant, & vt præfati Nuntij vestri possunt opinari, gentes ipsæ in insulis & terris prædictis habitantes credunt vnum Deum Creatorem in Cœlis esse, ad fidem Catholicam amplexãdum, & bonis moribus imbuendum satis apti videntur, spesque habetur quod si erudirentur, nomen Saluatoris Domini nostri Iesv Christi in terris & insulis prædictis facerentur, ac præfatus Christophorus in vna ex principalibus insulis prædictis, iam vnam turrim satis munitam, in qua certos Christianos, qui secum inerant, in custodiam, & vt alias insulas & terras firmas, remotas & incognitas inquirerent posuit, construi & ædificari fecit.

In quibus reperta fuerunt pretiosa diuersi generis. §. 3. In quibus quidem insulis & terris iam repertis, aurum, aromata, & aliæ quamplurimæ res pretiosæ diuersi generis & diuersæ qualitatis reperiuntur.

Rex & Regina gentes illarum insularum ad fidem Catholicam inducere studebant. §. 4. Vnde omnibus diligenter, & præsertim fidei Catholicæ exaltatione & dilatatione (prout decet Catholicos Reges & Principes) cõsideratis, more progenitorum vestrorum claræ memoriæ Regum, terras firmas & insulas prædictas, illarumque incolas & habitatores vobis diuina fauente clementia subiicere, & ad fidem Catholicam reducere proposuistis.

Ad quod hic Pont. eos enixè hortatur. §. 5. Nos igitur huiusmodi vestrum sanctum & laudabile propositum plurimum in Domino commendantes,

dantes, ac cupientes, vt illud ad debitum finem perducatur, & ipsum nomen Saluatoris nostri in partibus illis inducatur, hortamur vos quam plurimum in Domino, & per sacri Lauacri susceptionem, qua mandatis Apostolicis obligati estis, & viscera misericordiæ Domini nostri IESV CHRISTI attente requirimus, vt cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi, & assumere proba mente orthodoxæ Fidei zelo intendatis, populos in huiusmodi insulis & terris degentes ad Christianam religionem suscipiendam inducere velitis & debeatis, nec pericula nec labores vllo vnquam tempore vos deterreant, firma spe fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur.

Et eis concedit Insulas & Terras firmas inuentas & inueniendas versus Occidentem & Meridianum, vt inducant ad fidem Catholicam.

§. 6. Et vt tanti negotij prouinciam Apostolicæ gratiæ largitate donati liberius & audacius assumatis, Motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes insulas & terras firmas inuentas & inueniendas, detectas & detegenda versus Occidentem & Meridiem fabricando, & construendo vnam lineam à Polo Arctico scilicet Septentrione, ad Polum Antarcticum, scilicet Meridiem, siue terræ firmæ, & insulæ inuentæ & inueniendæ sint versus Indiam aut versus aliam quamcumque partem, quæ linea distet à qualibet Insularum, quæ vulgariter nuncupantur de los Azores y cabo vierde, centum leucis versus Occidentem & Meridiem, ita quod omnes insulæ, & terræ firmæ repertæ & reperiendæ, detectæ & detegendæ à præfata linea versus Occidentem, & Meridiem per alium Regem aut Principem Christianum non fuerint actualiter possessæ vsque ad diem Natiuitatis Domini Nostri IESV CHRISTI, proximè præteritum, à quo incipit Annus præsens Millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius, quando fuerunt per Nuntios & Capitaneos vestros inuentæ aliquæ prædictarum insularum, auctoritate omnipotentis Dei Nobis in beato Petro concessa, ac Vicariatus IESV CHRISTI, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum Dominijs, Ciuitatibus, Castris, Locis, iuribusque & iurisdictionibus ac pertinentijs vniuersis Vobis, hæredibusque & successoribus vestris (Castellæ & Legionis Regibus) in perpetuum tenore præsentium donamus, concedimus, & assignamus. Vosque & hæredes ac successores præfatos illarum dominos cum plena, libera, & omnimoda potestate, auctoritate, & iurisdictione, facimus, constituimus, & deputamus.

Declarat non tollere ius quæsitũ alijs Principibus, qui illas tũc possedissent.

§. 7. Decernentes nihilominus per huiusmodi donationem, concessionem, & assignationem nostram nulli Christiano Principi, qui actualiter præfatas insulas & terras firmas possederit vsque ad dictum diem Natiuitatis Domini Nostri IESV CHRISTI ius quæsitum sublatum intelligi posse, aut sufferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute sanctæ obedientiæ (sicut pollicemini, & non dubitamus pro vestra maxima deuotione & regia magnanimitate vos esse facturos) ad terras firmas & insulas prædictas viros probos & Deum timentes, doctos, peritos, & expertos, ad instruendum incolas & habitatores præfatos in fide Catholica, & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes.

Prohibet alijs accessum ad illas insulas pro mercibus habendis absque Regis licentia.

§. 8. Ac quibuscumque personis, cuiuscumque dignitatis, etiam Imperialis & Regalis, status, gradus, ordinis vel conditionis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam eo ipso si contrafecerint incurrant, districtius inhibemus, ne ad insulas & terras firmas inuentas & inueniendas, detectas & detegendas versus Occidentem & Meridiem, fabricando & construendo lineam à Polo Arctico ad Polum Antarcticum siue terræ firmæ, & insulæ inuentæ & inueniendæ sint versus aliam quamcumque partem, quæ linea distet à qualibet insularum quæ vulgariter nuncupantur de los Azores y cabo vierde, centum leucis, versus Occidentem & Meridiem vt præfertur pro mercibus habendis, vel quavis alia de causa accedere præsumant absque vestra ac hæredum & successorum vestrorum prædictorum licentia speciali.

Clausula derogatoria.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. In illo à quo Imperia & dominationes ac bona cuncta procedunt confidentes, quod dirigente Domino actus vestros, si huiusmodi sanctum, & laudabile propositum prosequamini, breui tempore cum felicitate & gloria totius populi Christiani, vestri labores & conatus exitum felicissimum consequentur.

Fides transumptis datur.

§. 10. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca in quibus expediens fuerit deferri, volumus, ac motu & scientia similibus decernimus, quod illarum transumptis manu publici Notarij rogati subscriptis, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, ea prorsus fides in iudicio & extra, ac alias vbilibet adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ commendationis, hortationis, requisitionis, donationis, concessionis, assignationis, constitutionis, deputationis, decreti, mandati, inhibitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis, &c.

Dat. P. An. Si die 4. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Quarto nonas Maij, Pont. nostri Anno primo.

Subiectio Congregationis Fratrum Apostolorum pauperis vitæ, sub Regula S. Augustini. III.

Ista Congregatio quæ etiam S. Barnabæ appellata est, vnita fuit Congregationi Fratrum S. Ambrosij à Sixto V. vt refertur infra constitut. 15. Pauli V. Pastoralis, vbi d. vnionis confirmatio habetur.

De Congregatione autem Fratrum S. Ambrosij vide supra in const. IX. Gregorij XI. Cupientes.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. Di 1496.

Exordium.

PIæ vitæ studio conuenit, vt per nostræ prouisionis ministerium, sacræ Religionis splendor vbique elucescat, vt si quid in ea deuium, & ab honestate dissonum inueniatur, procul abijciatur palmitesque noui plantentur, per quorum suauitatis odorem, Religio ipsa reflorescat, & in domo Domini parturiat dignos fructus.

Causa huius constit.

§. 1. Sane pro parte dilecti filij Ioannis de Scarpa Vicarij Generalis Congregationis, seu Societatis Fratrum Apostolorum pauperis vitæ nuncupatorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in aliquibus Ciuitatibus, & locis alijs Italiæ sunt nonnullæ domus Virorum laicorum eiusdem Congregationis, qui mendicantes sunt, & in communi in eisdem domibus viuunt, certum & determinatum habitum religiosorum eis à fel. rec. Innocentio Papa VIII. prædecessore nostro concessum deferentes. Qui etiam post annum obedientiam, paupertatem, & castitatem, in manibus vnius ex dicta Congregatione simpliciter vouent, & promittunt, posteaque vnusquisque ex dicta Congregatione quandocumque recedere, & alia loca, seu lares proprios, habitu prædicto suo dimisso, pro suæ voluntatis libito, se trãsferre. Quo fit vt plures iã multis annis in dicta Congregatione nutriti, & educati, ab eadem libere recedunt, propter quod dicta Congregatio diminuitur, & multis delinquendi occasio præbetur, & personæ dictę Congregationis in earum mentibus & statu non parum inquietantur. Quare pro parte tam Ioannis Vicarij, quam totius Congregationis huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, vt ad obuiandum præmissis, ac pro salubri manutentione, & conseruatione dictæ Congregationis, opportune prouidere de Apostolica benignitate dignaremur.

Subiectio huius Congre-

§. 2. Nos igitur cupientes Congregationem ipsam ad diuini nominis laudem feliciter conseruari, ipsumque Ioannem

[...]gationis, sub Regula & Ordine S. Augustini. Ioannem Vicarium, & singulos in huiusmodi Congregatione à quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate, Apostolica, tenore præsentium, statuimus, & ordinamus, quod tota ipsa Congregatio; ac vniuersi illius Fratres tam præsentes quam futuri, (illis tamen in suo primo habitu & sub obedientia suorum Superiorum, & iuxta eorum instituta permanentibus,) Ordini S. Augustini & illius Regulæ subsint, & tam quoad professionem, quam cętera ipsius Religionis vota substantialia emittenda pariformiter veluti ipsius Ordinis S. Augustini Religiosi, deinceps sint adstricti, (ita tamen quod præsentes ad hoc inuiti arctari non possint) ac Congregationem ipsam & illius Fratres huiusmodi præfatæ Religioni S. Augustini, harum serie aggregamus.

Clausula derogatoria. §. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus Ordinis S. Augustini, & Congregationis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

Dat P. An. 4. die 7 Ianu. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1496. 7. Idus Ianuarij, Pont. nostri Anno 4.

IV. Inuentio tituli Crucis D. N. IESV CHRISTI Saluatoris, die vltimæ Dominicę mensis Ianuarij 1495. in Ecclesia S. Crucis Hierusalē nuncupatę de Vrbe. Et concessio plenariæ peccatorum indulgentiæ, pro ea die illā visitantibus.

Edita An. D. 1496. *ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Inuentio tituli de qua in rubr. §. 1. ADmirabile Sacramentum viuificæ Crucis, cuius signum erit in cœlo, dum Dominus ad iudicandum venerit, intra nostræ mentis arcana reuoluentes, & pia consideratione pensantes, quod in ligno eiusdem sanctissimæ Crucis Dominus noster IESVS CHRISTVS pro humani generis salute mortem subire non abnuit, vt nos de morte ad vitam reuocaret; dignum, immo potius debitum reputamus, Ecclesias & loca sub ipsius sanctissimæ Crucis nomine dedicata, & præsertim in Vrbe consistentia, gratiosis indulgentiarum & remissionum muneribus decorare, vt per hoc & tanti sacramenti iugis memoria in mentibus Christi fidelium permaneat, & ipsi Christi fideles, ipsius Domini gratia eos præueniente, felicitatis præmia consequi mereātur æterna. Cum itaque nuper, videlicet Anno à Natiuitate eiusdem Domini Nostri IESV CHRISTI millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, vltima Dominica mensis Ianuarij, dum bon. mem. Petrus tit. S. Crucis in Hierusalem Cardinalis, qui tunc in humanis agebat, eandem Ecclesiam digno ornatu reparari faceret, in altiori pariete testudinis dictæ Ecclesiæ repertus fuerit titulus Hebraïcis, Græcis, & Latinis literis conscriptus, & qui supra caput ipsius D. N. IESV CHRISTI, dum in ligno eiusdem S. Crucis pendebat, appositus extitit, & ipse Titulus nunc in eadem Ecclesia debita cum veneratione obseruetur, & custodiatur.

Indulgentia plenaria concessa pro eam visitantibus. §. 2. Nos in cruce huiusmodi sancta, cum Apostolo gloriantes, & satagentes, alios ad glorificationem ipsius inuitare, vt vitalis ligni pretio vitæ æternæ suffragia consequantur; ac cupientes, vt Ecclesia prædicta (quæ nunc titulis dilecti filij nostri Bernardini eiusdem Ecclesiæ Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyteri Cardinalis existit) congruis frequentetur honoribus, & ipsi Christi fideles eo libentius deuotionis causa ad eandem Ecclesiam confluant, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ vberius conspexerint se refectos, de omnipotentia Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus, vere pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam ipsam in vltima Dominica mensis Ianuarij cuiuslibet anni, à primis Vesperis vsque ad occasum solis ipsius Dominicæ, deuote visitauerint, annuatim omnium peccatorum suorum remissionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & elargimur, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam Ecclesiam, aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura, eadem die per nos concessa fuerit, præsentes literæ nullius sint roboris vel momenti.

Dat. P. A. 5. die 29 Iulij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, Quarto Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno quarto.

V. Priuilegium Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod officium Sacrarij Apostolici, per vnum ex eis exerceatur.

Multa de hoc Ordine notaui sup. apud Alex. IV. const. 6. Licet.

Edita An. D. 1497. *ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Prœmium. AD sacram Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Religionē, quam in charitatis visceribus pia veneratione semper habuimus & habemus, nostræ dirigentes considerationis intuitum; & attente prospicientes, quod ipsius Religionis palmites, per vniuersum Orbem diffusi, eorum claris moribus & exemplari vita ac singulari doctrina in agro militantis Ecclesiæ fructus honoris & honestatis continue afferunt salutares: dignum, quin potius debitum reputamus vt Religionis ipsius iura & priuilegia non solum sibi conseruemus, verumetiam innouemus & augeamus, ac nostræ declarationis ministerio Religionem eandem dignis honoribus attollamus.

Officium Sacristiæ Capellæ Palatij Apostolici, Fratribus Eremitis S. Augustini, dudum conferri consueuit. §. 1. Sane licet officium Sacristiæ Capellæ Palatij Apostolici à tanto tempore citra, de cuius initio, siue contrario memoria hominum non existit, per Romanos Pontifices prædecessores nostros, alicui ex professoribus dicti Ordinis semper committi & concedi consueuerit, & dilectus filius Ioannes Paulus de Bossis Abbas Monasterij S. Sebastiani extra muros Vrbis Cistercien. Ordinis, dictæ Capellæ modernus Sacrista, antequam in Abbatem ipsius Monasterij per fel. rec. Sixtum Papam IV. prædecessorem nostrum proficeretur, dicti Ordinis Eremitarum professor foret; tamen quia dum de persona sua eidem Monasterio tunc certo modo vacanti prouisum fuit, ipse ad dictum Cistercien Ordinem translatus extitit: ac etiam quia in certo libro ceremoniarum dictæ Capellæ per nonnullos tempore piæ mem. Innocentij Papæ VIII. prædecessoris nostri compilato, scriptum inuenitur, Officium prædictum alicui Religioni non deberi, sed quicumque (dummodo Prælatus Ecclesiasticus existat) conferri posse. Et propterea dilecti filij Marianus de Genezano Prior generalis, cæterique professores ipsius Ord. Eremitarum formident dictam Religionem iure seu priuilegio obtinendi, ac regendi & gubernandi dictum officium in posterum frustrari posse.

Hic modo Pontifex hoc indultum eidem Ordini in perpetuum concedit. §. 2. Nos ad quos pertinet tam Religionis ipsius, cui singulari deuotione afficimur; quam fidelium omnium priuilegia & iura conseruare & tueri, ne Religio ipsa super dicto officio in posterum molestetur, prouidere cupientes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, ac certa scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, statuimus, decernimus, & ordinamus,

ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus officium Sacristiæ prædictum alicui dicti Ordinis Eremitarum professori, quamvis aliter Prælatus Ecclesiasticus non existat, committi, concedi, & assignari debeat.

Clausula huius concessionis præseruatiua.

§. 3. Decernentes quamcumque Commissionem, concessionem & assignationem de dicto officio aliter faciendam, & literas desuper pro tempore confectas, etiam quascumque derogatoriarum derogatorias, ac alias & fortiores & efficaciores clausulas in se continentes, etiamsi in illis de præsentibus de verbo ad verbum, & cum illarum totali insertione mentio haberetur, & illis expresse derogaretur, & quæcumque pro tempore inde secuta, nulla, irrita & inania, nulliusque fore roboris vel momenti.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus dicti Ordinis Eremitarum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 6. die 15. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo nunagesimo septimo, Idibus Octobris, Pontificatus nostri Anno sexto.

VI. Contra non soluentes census, canones, & alia iura, vel regalia, Reu. Cameræ Apost.

Ampliorem dispositionem habes inf. in Pauli IV. constit. 11. Incumbentia, & Greg. XIII. const. 63. Ad Romani, vbi notabo.

Edita An. D. 1497.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Vniuersis, Vicariis, Feudatariis, Gubernatoribus, censuariis, fictuariis, Emphyteutis, siue administratoribus Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & bonorum S. R. E. quacumque dignitate fungentibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Causa const.

CVm ex relatione dilecti filij Mariani de Cinnis Fisci nostri & Cameræ Apostolicæ Procuratoris intelleximus, quamplures, ex vobis in solutione iurium, regalium, censuum, feudorum, canonum, emphyteuticorum, talliarum, perpetuarumque responsionum per vos eisdem Ecclesiæ & Cameræ debitorum quampluribus annis contra iuramenta per vos in inuestituris vestris præstita, ac formas & tenores ipsarum inuestiturarum & concessionum, iurisque dispositionum, specialesque monitiones per alias literas nostras per nos vobis factas in terminus statutis & consuetis cessasse & cessare, in graue dictæ Cameræ præiudicium & detrimentum, sub prætextu etiam aliquando, quod nonnulli ex vobis prætendunt se creditores dictæ Cameræ, & compensationes licer contra iuris dispositionem facere nituntur.

Monet, debitores Cameræ Apost. vt Canones census &c. soluãt sub pœnis hic expressis.

§. 1. Nos qui aliena iura tuemur, nolentes iura dictæ Ecclesiæ & Cameræ negligere, omnemque disceptationis materiam submouere intendentes, vt in terminis solutionum debitorum huiusmodi nullus vestrum dilationem aut compensationem, vel excusationem allegare præsumat, vos & quemlibet vestrum cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ existat, tenore præsentium sub excommunicationis, ac omnis iuria Vicariatus, Gubernij, & feudorum siue censuum, & Emphiteuticorum bonorum, huiusmodi à dicta Sede siue Cam. Apostolica quomodolibet concessorũ priuationis pœnis, quas ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nũc in vos & quemlibet vestrum, nisi monitionibus & mandatis huiusmodi cum effectu parueritis, ferimus in his scriptis, illasque vos incurrere volumus ipso facto (aliis pœnis tam à iure communi, quam in literis inuestiturarum vestrarum contra vos promulgatis, nihilominus in suo robore permansuris) monemus & requirimus, quatenus de omnibus & singulis iuribus, regalibus, censibus, talliis, & feudorum, censuum canonum, emphiteuticorumque & bonorum quorumlibet à dicta Ecclesia obtentorum, per vos & quemlibet vestrum hactenus dictæ Cameræ debitis, infra vnius mensis spatium à die publicationis præsentium computandi, dictæ Cameræ persoluisse, de debendis vero in futurum in Vigilia aut die Festiuitatis Beatorum Petri & Pauli Apostolorum successiue singulis annis, vt moris est, aliis suis terminis iuxta Apostolica & dictæ Cameræ instituta eidẽ Cameræ Depositario pro tempore existenti vbicumque Cameram adesse contigerit, satisfecisse debeatis, & vnusquisque prout debitor existit, debeat.

Committit Camerario & Præsidentibus Cam. Apost. vt non soluentes incursum declarent hiis censuris in pœnas hic contentas.

§. 2. Alioquin aduenientibus Festiuitate & termino solutionis huiusmodi, contra omnes & singulos soluere cessantes ad declarationem incursus pœnarum & censurarum, ac priuationis prædictarum, illarumque debitam executionem per dilectum filium nostrum Raphaelem S. Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem Camerarium nostrum, siue etiam in dicta Camera Locumtenentem, ac dilectos filios præsidentes Clericos dictæ Cameræ procedatur iustitia mediante, quibus ex nunc tenore præsentium committimus, & mandamus, vt aduenientibus Festiuitatibus & terminis solutionum huiusmodi, vobis & quolibet vestrum soluere cessantibus, absque aliqua alia monitione, requisitione, citatione, seu dilatione contra vos & quemlibet vestrum, qui in solutione huiusmodi censuum, feudorum, talliarum, canonum, & responsionum cessauerint, ad declarationem incursus dictarum pœnarum & censurarum Ecclesiasticarum, illarumque aggrauationem, reaggrauationem, & interdictum Ecclesiasticum & brachij sæcularis inuocationem, ac represalias priuationesque iuris Vicariatus, Gubernij, feudorum & bonorum prædictorum vobis & cuicumque vestrum quomodolibet competentis, ac alia iuris remedia opportuna, declarationemque deuolutionum Ciuitatum, Castrorum, Terrarum & bonorum huiusmodi ad dictam Ecclesiam vsque ad debitam executionem instante dicto Procuratore procedere debeant.

Ita condemnationes singulis annis fiunt, vt in bulla Gregor. XIII. cit. in fine.

Præcipit non admitti recõpensationes.

§. 3. Decernentes quoque circa præmissa nullam compensationem etiam non solutorum stipendiorum, aut aliam prætetquam solutionis exceptionem admitti, nec soluere cessantes quovis modo excusari vel releuari, nec censuum, feudorum, talliarum seu aliorum iurium Cameræ prædictæ per vos debitorum vel debendorum solutionem & exactionem retardari debere.

Formam publicationis apponit.

§. 4. Volumus autem bas originales nostras literas in valuis Basilicæ Beatorum Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, Audientiæ causarum Palatij Apostolici, & Campo Floræ affigi, & in Audiẽtia publica literarum contradictarum trina vice diuersis diebus legi, ita vt omnibus tanquam publicum edictum pateant, ac in ipsa Camera huiusmodi publicationis debitam relationem per duos nostros, & Romanæ curiæ Cursores fieri decernentes, vos præmissorum Cameræ debitores præsentes & futuros, qui citra montes, post duos menses, qui verò vltra montes fuerint post quatuor menses à die publicationis computandos, vigore earũdem literarum modo præmisso publicatarum arctari, atque ligari, ac si huiusmodi originales literæ vobis, & vestrum cuilibet in vestris propriis personis lectæ & præsentatæ fuissent, cum non sit verisimile apud vos sic citatos remanere incognitum quod tam patenter extitit publicatum, nisi forsan dictas originales literas vobis omnibus suprадictis aut alteri vestrum præfati Præsidentes & Clerici forsan aliqua consideratione aut benignitate ducti præsentati mandauerint, quoniam tunc & eo casu copiæ ipsarum literarum manu vnius ex Clericis & Notariis dictæ Cameræ subscriptæ per quemcumque Nuntium, Tabellarium aut Notarium publicum vobis aut alteri vestrum præsentatæ & dimissæ originalibus literis huiusmodi eidẽ Nuntio restitutis, eiusq; Nũtij relationi fidẽ plenariã adhiberi volumus, & mãdamus.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac consuetudinibus de non soluendo vsque ad sex menses vel aliud tempus à die festiuitatis prædicta computandos, capitulis quoque seu pactis per vos vel aliquem vestrum ad stipendia dictę Ecclesiæ siue Cameræ conductum cum eadem Camera, seu pro tempore existente Romano Pontifice, aut nostris & Sedis Apostolicæ Officialibus pro tempore factis vel faciendis

de retinendo supradict. per vos, ipsi Cameræ præmissa occasione debita pro vestris stipendiis aut alias ab eadem Camara quavis occasione vobis debitis, priuilegiis quoque & indultis vobis aut alicui vestrum hactenus etiam per nos aut prædecessores nostros Romanos Pontifices forsan concessis, vel in futurum concedendis, sub quibusvis verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus efficacioribus & insolitis, etiamsi illis caueretur expresse quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut Vicariatibus, feudis, Gubernius vel administrationibus prædictis priuari non possitis, quibus, illorum tenores ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris quoad hoc specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. P. An. 6. die 18. Dec. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, xv. Kal. Ianuarij, Pontificatus N. Anno sexto.

Publicatio. *Anno 1498. & 1499. & sexto Pontific. D. Alexandri Papæ VI. retroscripta literæ affixæ & publicatæ fuerunt, videlicet in Audientia contradict. 23. & Basilica S. Petri valuis 24 & 25 Decemb. ac Cancellaria Et in acie Campi Floris 13. Ianuar. per Eucrardum de Cuutnis S. D. N. Curs. Ita est Petrus Mellayt Curs. Io. Regina, &c. Item affixæ in partu Audientia die xv. Ianuarij, per me P. Mellayt Curs. &c. Ita est Io. Regina Magister Curs.*

VII. Vnio Congregationis Monachorum Ordinis Cisterciensis in Prouincia Thusciæ, & Monachorum eiusdem Ordinis in Prouincia Lombardiæ, & ex eis institutio vnius Congregationis S. Bernardi in Italia nuncupandæ, cum statutis, & ordinationibus pro eius regimine.

Hanc vnionem, & ordinationes approbauit Iul. II. vt inf. in eius constit. 26. Ex Paterna. Sed reliqua immutauit Greg. XIII. in sua const. 54. Romanus, & Sixt. V. in sua const. 10. Nuper.

Ordinis autem Cisterciensis institutionem vide sup. in Pasch. II. constit. 1. Desiderium, vbi omnia de hoc Ordine indicaui. Vnum addo, quod illius gratias, huic Congregationi communicauit Greg. XIV. in eius constit. 16. Romanus.

Edita An. D. 1497. *ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. PLantatus in agro Dominico sacer Ordo, Cisterciensis quotidie in Ecclesia militanti producens vberes fructus, ad vniuersalis Ecclesiæ firmamentum, & Christi fidelium animarum salutem, non solum nos inducit, sed & voluntarios facit, vt illa quæ pro eiusdem Ordinis, necnon Inter ipsius Monachos vigent, regularis obseruantiæ incremento & conseruatione & augmento, per voitatis remedium profutura noscuntur, Apostolica auctoritate statuamus, & ordinemus & alias in iis nostri Pastoralis officij partes fauorabiliter impendamus.

Exposuerunt huic Pontif. Prælati Prouinciæ Thusciæ & Prælati prouinciæ Lombardiæ Monachorum Ordinis Cisterciensis in Italia, quod si ipsarum Prouinciarum vnio fieret, §. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Abbatum, Prælatorum, & conuentuum, Monasteriorū dicti Ordinis Thusciæ, & Lombardiæ secundum morem eiusdē Ordinis regularis obseruātiæ, & nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi prouide considerantes, quod si singulæ Prouinciæ prædictæ inuicē æqualiter vnirentur, & ex illis vna dūtaxat Congreg. S. Bern. in Italia crearetur, non solum prædictus Ordo, & inter Abbates, Prælatos, & Monachos dicti Ord. Monast. Prouinciarum prædict. vigens regularis obseruantiæ disciplina firmitatem, & perpetoitatem, sed etiam augmentū auctore Domino susciperent, cupiunt dictas Prouincias inuicem perpetuo vniri, & ex illis sic vnitis, vnam Congreg. Monasteriorum, Abbatū, Prælatorum & Monachorū dicti Ordinis regularis obseruantiæ S. Bern. in Italia nuncupandam, constitui, creari, erigi, ita vt vtriusque dictarum Prouinciarum Thusciæ & Lombardiæ Monasteria dicti Ordinis, & illorum Monasteria & Monachi Congreg. S. Bern. in Italia de cætero perpetuis futuris temporibus nominentur, nuncupentur, & sint. *& crearetur Congregatio S. Bernardi nonsolum susciperet incrementum.*

Dum mediolani & Prælatis dictarum Prouinciarum pro d. vnione supplicarunt. §. 2. Quare pro parte dilecti filij nobilis viri Ludouici Mariæ Sfortiæ Ducis Mediolani, qui prædecessorum suorum vestigiis inhærendo, non solum Monachos dicti Ordinis, sed etiam quoscumque alios Religiosos regularis obseruantiæ, in visceribus suæ charitatis amplectitur, vt etiam in tantis temporum perturbationibus, circa ipsorum Religiosorum incrementa intentus, multa bona temporalia eis conferre non desistit, necnon Abbatum, Prælatorum, Conuentuum, & Monasteriorum Thusciæ, & Lombardiæ, Prouinciarum prædictarum, seu maioris partis eorum, nobis fuit humiliter supplicatum, vt ex singulis dictis Prouinciis Thusciæ, & Lombardiæ, vnam Congregationem dumtaxat, S. Bernardi in Italia nuncupandam, constituere & deputare, ac alia infrascripta statuere, & ordinare, & alias pro eiusdem Congregationis Italiæ, & in illa regularis obseruantiæ disciplinæ manutentione opportune prouidere de benignitate Apostol. dignaremur.

Hic itaque Pontifex easdem Prouincias insimul vnit. §. 3. Nos igitur qui Religionis augmentum, ex commisso nobis Pastoralis officij debito, intentis desideramus affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati dilectis filiis nostris Francisco S. Eustachij, & Ascanio Mariæ S. Viti in Macello Martyrum S.R.E. Vicecancellario, Diaconis Cardinalibus, Thusciæ, & Lombardiæ Prouinciarum huiusmodi respectiue protectoribus, etiam apud nos super hoc instantibus, auctoritate Apostolica perpetuo valitura, & hac nostra irrefragabili constitutione, easdem Thusciæ & Lombardiæ Prouinciarum Congregationes inuicem perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus.

Et ex eis vnā Congregationem S. Bernardi in Italia nuncupādā instituit. §. 4. Et ex illis inuicem sic vnitis, vnam Congregationem Abbatum, Prælatorum, & Monachorum Monasteriorum dicti Ordinis, in Thusciæ, & Lombardiæ Prouinciis existentium, S. Bernardi in Italia creamus, facimus, constituimus, & deputamus. Ac eadem auctoritate decernimus, statuimus, & ordinamus, quod Monachi vnius Monasterij dictæ Congregationis S. Bernardi Prouinciæ Italiæ aliorum Monasteriorum dictæ Congregationis Prouinciæ Italiæ prædicti Monachi esse censeantur & sint, ac quod omnia & singula Monasteria, loca, seu membra eiusdem Ordinis in prædictis Prouinciis, de Monachis, & Monialibus dictæ Congregationis reformata, & quæ in posterum reformabuntur, per totam Italiam sint & esse censeantur de prædicta Congregatione Italiæ S. Bernardi, ac eius Præsidenti, & Visitatoribus, & Definientibus Capituli in omnibus, & per omnia sint subiecta.

Eiusque reformationes executioni demandari præcipit. §. 5. Quodque acceptationes, seu reformationes Monasteriorum, & locorum de Monachis & Monialibus dictæ Congregationis executioni demandari non possint nisi per Præsidentem dictæ Congregationis, & Visitatores vel Definitores Capituli, aut per eos quibus ipsi duxerint committendum.

Ad Capitulū singulis annis celebrandum qui accedere debeant. Imo Capitulum quolibet triennio celebrari iussit Greg. XIII. citat. in rubr. vbi videas etiam qui ad illud accedant. §. 6. Et quod Capitulum dictæ Congregationis singulis annis in loco, & tempore statutis celebretur, ad quod tantum accedere debeant Visitatores, & singuli Prælati Monasteriorum, seu locorum cum socio cuiuslibet Monasterij electo à maiori parte Conuentus cuiuslibet Monasterij dictæ Congregationis. Et si continget eos qui ad commune Capitulum vtrimque fuint accessuri, nō esse æquales, volumus vt per electionē ita suppleatur à parte deficienti, vt æqualitas in numero electorum obseruetur, & in primo futuro communi Capitulo hoc dumtaxat. Quodque electio dicti Socij, qui discretus nuncupabitur pertineat tantum ad Monachos professos sui Monasterij post biennium, & in eodem Monasterio per Definitores Capituli, vel per Præsidentem & Visitatores dictæ Congregationis deputatos. Et quod nullus Monachus ante biennium completum post suam professionem, aut in publica pœnitentia constitutus, aut excommunicatus, possit ad præfatam electionē Socij vel discreti admitti. Ac quod

quod perpetuis futuris temporibus celebratio Capituli dictæ Congregationis tantum pertineat ad Visitatores, & Prælatos Monasteriorum seu locorum in ipso Capitulo absolutos ac ad discretos vt supra electos.

Definitorum Capituli electio ad quos pertineat, & quomodo.

Tu attende const. Gregor. XIII. cit. in rubr.

§. 7. Et ad ipsos solos spectet electio Definitorum, seu Rectorum Capituli dictæ Congregationis, & quod quælibet personæ dictæ Congregationis, pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per triennium continuum, ac etiam excommunicationis latæ sententiæ pœnam ipso facto incurrant, a qua non possint absolui præterquam in mortis articulo constituti, nisi à Præsidēte dictæ Congregationis, vel ab eo cui ipse commiserit, quæ in prædictorum Discretorum, Definitorum, Prælatorum, Præsidentis, & Visitatorum electione verbo vel scripto alicui directe vel indirecte, per se vel alium, votum suum, de Prælatis, seu Visitatoribus & Præsidente ac Discreto vel Definitoribus eligendis exposuerit aut expresserit. Saluo quod Præsidens Capituli possit in loco Definitorij dumtaxat coram aliis definitoribus, vel saltem maiori parte eorum, non priuatim vel secrete, sed publice, & manifeste, aliquas personas idoneas nominare, & per modum tractatus proponere, ac eos ad vtilitatem Monasteriorum & salutem animarum hortari, vt magis sufficientes & idoneos Prælatos eligere debeant.

Capitulum incipiat postquam Prælati & Visitatores & Præsidens intrauerint locum Capituli, & absoluti fuerint.

§. 8. Quodque singulis annis tempore Capituli, postquam Prælati ac Visitatores locum Capituli intrauerint, omnes & singuli, tam præsentes quam absentes, à suis officiis & dignitatibus absoluantur per Præsidentem. Quibus absolutis, etiam Præsidens dictæ Congregationis se absolutum nuntiet, & ex tunc incipiant locum suæ professionis tenere.

Definitores nouem in eo eligantur, & ex eis vnus Præsidens totius Congreg. Imo eligantur septē ex qualibet prouincia, vt in d. const. Gregor. XIII. cit. in rubr.

Qui durante Capitulo omnimodam habeant facultatem super omnia loca, & personas Congr.

§. 9. Et demum in ipso loco Capituli eligantur nouem Definitores per Discretos, Prælatos, & Visitatores prædictos iam absolutos, vel à maiori parte ipsorum eligentium, & postea per eosdem Electores vnus ex eisdem nouem Definitoribus modo supradicto, eligatur in Præsidentem Capituli, qui vnà cum Definitoribus, durante Capitulo, habeat auctoritate Apostolica omnimodam, & plenariam facultatem, & iurisdictionem, tam in temporalibus quam in spiritualibus super omnia & singula Monasteria, loca seu membra, & super omnes & singulas personas dictæ Congregationis, specialiter præcipiendi, arctandi, monendi, corrigendi, puniendi, incarcerandi, excommunicandi, sententiandi, ligandi, atque soluendi, ac etiam definitiones dictam Congregationem seu loca & personas eiusdem concernentes condendi, & illa sub pœnis & censuris Ecclesiasticis obseruari mandandi, & faciendi.

Electores in officiales eligi possint.

§. 10. Ac quod indifferentes omnes prædicti Electores possint pariter eligi in Definitores, Visitatores, & Prælatos seu etiam officiales.

Definitores prædicti quid agere possint.

Tu vide d. cōst. Greg. xiij. cit. in rub.

§. 11. Et quod prædicti nouem definitores vt præfertur pro tempore electi, habeant plenariam auctoritatem mutandi Monachos Monasteriorum seu locorum dictæ Congregationis de loco ad locum, & omnia tractandi & definiendi, quæ secundum eorum iudicium, vtilitatem, & profectum dictæ Congregationis concernere videbuntur. Ac quod ad ipsos solos definitores, vel maiorem partem eorum pertineat, & spectet electio Prælatorum, Visitatorum, & Officialium principalium dictæ Congregationis, sitque eorum electio firma & valida, dummodo à maiori parte, idest ex nouem quinque concorditer conueniant in eligendo ad prædicta officia seu dignitates, personam in aliquo Monasterio dictæ Congregationis expresse professam post biennium completum à sua professione, & in Sacerdotio constitutam, non excommunicatam, vel in publica pœnitentia positam.

Prælaturæ triennio terminantur, & non reconfirmantur.

Imo reconfirmari posse concessit Gregor. XIII. iam citatus.

§. 12. Ita tamen quod nullus possit vltra triennium continuum in eodem Monasterio præfici in Prælatum vel confirmari, sed transacto triennio poterit in alio Monasterio dictæ Congregationis in Prælatum eligi seu deputari. Et postquam per annum vacauerit à Prælatura prioris Monasterij, poterit in eodem Monasterio denuo præfici, & in prælatum assumi. Et hoc idem in electione Confessorum Monialium Monasteriorum dictæ Congregationis obseruetur.

A sententiis & decretis Definitorum nulla appellatio interdicitur.

§. 13. Quodque prædictorum Definitorum sententia, atque determinatio, tam in prædictis, quam in aliis inuiolabiliter obseruetur. Quodque ab eorum sententia nemini liceat appellare, & si appellatum fuerit, talis appellatio nulla & friuola existat, & illi non deferatur. Et quod quicquid definitores prædicti de solutione aut terminatione quæstionum, de correctione & mutatione Monachorum, & de modo pœnitentiarum, de assignatione & deputatione Lectorum, ac Studentium, & institutione aliorum officialium, & quicquid tamen Spiritu sancto donante ordinauerint, seu definiuerint, totum Capitulum & omnes aliæ personæ dictæ Congregationis vniuersaliter & vnanimiter, deuote & humiliter absque vlla reclamatione seu murmuratione vel contradictione suscipere teneantur.

Eorum officium x. dierum spatio terminatur.

§. 14. Quodque prædictorum definitorum officium quavis ratione vel causa, seu quovis modo non possit vltra decem dies protrahi vel differri.

Locus futuri Capituli per eos pronuncietur.

§. 15. Et quod locus Capituli anni futuri, per eosdem Definitores singulis annis ante resolutionem Capituli exprimatur, pronuncietur & publicetur.

Ad eosque spectet electio Præsidentis.

§. 16. Ac quod solum ad ipsos Definitores spectet Præsidentis totius Congregationis electio, quæ singulis annis, seu de anno in annum debeat celebrari.

Præsidentis munus annale statuitur.

Hodie triennio duret ex d. const. Gregor XIII.

§. 17. Et quod non possit superioris anni Præsidens, finito anno, pro alio anno immediate sequenti quomodolibet in præsidentem dictæ Congregationis, aut Capituli eligi, vel confirmari, sed finito anno, alius omnino Præsidens in ipso Capitulo pro immediate sequenti anno eligatur. Similiter nec Præsidens Capituli præcedentis possit in Præsidentem Capituli immediate sequentis eligi.

Præsidentis munus explicatur.

Hoc vide etiam in d. const. Greg. XIII.

§. 18. Ac quod quamprimum Præsidens dictæ Congregationis per Definitores prædictos vel maiorem partem eorum electus fuerit habeat auctoritate Apostolica infra totum annum, vsque ad sequens Capitulum, omnem illam & prorsus similem auctoritatem & iurisdictionem in omnibus, & per omnia, tam in spiritualibus quam in temporalibus, super omnia & singula Monasteria & loca, & super omnes & singulas personas dictæ Congregationis, quam habent Definitores Capituli, hoc solum excepto, quod non possit Monachos de loco ad locum mutare, nec alia grauia & magnæ importantiæ facere, nisi interueniente consensu Visitatorū prædictorum.

Eiusque decedentis locum teneant Visitatores vsque ad Capitulum.

§. 19. Qui Visitatores ipso Præsidente infra annum officij sui decedente, eius vices in omnibus & super omnia obtineant.

Ordinationes præcedentes hāc vnionem indigent approbatione Capituli.

§. 20. Quodque omnes & singulæ ordinationes, admonitiones & definitiones hactenus ante prædictam vnionē per definitores, aut Prælatos & Visitatores vtriusque Congregationis factæ maneant in ipso suo robore, vsque ad immediate sequens commune Capitulum, & deinde intelligantur, & sint nullæ, & pro nullis & cassis habeantur, nisi per Definitores nouæ Congregationis iterum approbentur.

Vnio prædicta à nemine impediatur.

§. 21. Districtius inhibentes sub excommunicationis pœna, quam eo ipso contrafacientes incurrant, & à qua præterquam ab Apostolica Sede, nisi in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium nequeant obtinere, ne aliquis prædicti Ordinis Monachus, cuiuscumque gradus, dignitatis, præeminentiæ & conditionis fuerit, per se vel alium, directe vel indirecte, audeat prædictæ vnioni sic factæ se opponere, aut aliquam perturbationē, scissuram, vel dismembrationem domorum, Monasteriorum, locorum & Monachorum dictæ Congregationis quoquo modo procurare, quærere aut facere.

Confirmatio omnium gratiarum & indultorum hactenus vtrique Congreg. concessorum.

Alia & pleniorem concessionē vide in Sixt. V. const. 10. Nuper.

§. 22. Et ne occasione huiusmodi vnionis Monasteria, loca, seu Monachi, & aliæ personæ dictæ Congregationis, detrimentum aliquod in priuilegiis suis patiantur, sed potius ampliores fauores, & gratias, ac prærogatiuas à prædicta Sede reportent, eadem auctoritate Apostolica (firmis tamen remanentibus omnibus & singulis supradictis) omnes & singulas gratias, concessiones, indulgentias, & peccatorum remissiones, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia & indulta, spiritualia, & temporalia qualiacumque sint, quorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, habere volumus pro expressis, prædictar. Prouinciarū Congregat. ac cuilibet ea-

rum, tam circa Monasteria, quam circa Prælatos, Monachos, & personas earundem Congregationum, cum diuersæ & separatæ erant, à nobis vel prædecessoribus nostris, aut aliis auctoritatem habentibus, coniunctim vel diuisim vel in genere concessis, prædictæ nouæ Congregationi S. Bernardi in Italia, de nouo ex certa scientia concedimus, & ad illa quoad illius Monasteria, Prælatos, Monachos, & personas extendimus, ac ei suffragari volumus in omnibus, & per omnia, perinde ac si prædictæ Congregationi S. Bernardi in Italia, quoad illius Monasteria, Prælatos, & Monachos & personas, specialiter, & expresse concessa fuissent.

Derogatio contrariorum.

§. 23. Non obstantibus ordinationibus & constitutionibus Apostolicis, necnon Monasteriorum Thusciæ, & Lombardiæ Prouinciarum, ac Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, necnon priuilegiis, & indultis, eiusdem Thusciæ & Lombardiæ Congregationibus & illorum Monasteriis, quomodolibet per dictam Sedem concessis, quibus quatenus præmissis vnioni, statuto, ordinationi, decreto, & aliis in præsentibus literis contentis quomodolibet obsistere habeant; specialiter & expresse derogamus, ac pro nullis & non concessis haberi volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præseruatio ordinationum Monasterij S. Ambrosij Mediolan.

§. 24. Per hoc autem, ordinationibus per nos seu auctoritate Apostolica de consensu Ascanij Mariæ Vicecancellarij, quoad Monasterium S. Ambrosij Mediolanensis factis seu faciendis, nullum præiudicium volumus generari. Nulli ergo, &c. Si quis &c.

Dat. P. An. 6. die 23. Dec.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Domini 1497. 10. Kal. Ianuarij, Pont. nostri Anno sexto.

VIII. Priuilegia ædificantium in via Alexandrina nuper in Vrbe directa, à castro S. Angeli ad Plateam S. Petri Principis Apostolorum.

Hæc priuilegia quæ sint, vide sup. in const. 8. Sixti IV. Etsi vniuersis. Et ibi notabo.

Edita An. D. 1505.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Hæc bulla cadebat post sequentem.

ETsi vniuersis Romanæ Ecclesiæ dominio temporali subiectis Ciuitatibus pro earum statu prospero, & incrementis felicibus, Apostolica nos deceat prouisione consulere, Almæ tamen Vrbi nostræ Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Martyrio consecratæ, quæ ipsius Petri Sedes, sacerdotij Principatus, & Christianæ Religionis caput existit, eo nos côuenit ampliori cura prospicere, quo ipsam Sacerdotalem Ciuitatem cûctis aliis prælatam, nobis quod peculiarem filiam, quadam præcipua, & singulari dilectione, in visceribus gerimus charitatis.

Hic Pont. viam directâ à Porta Castri S. Angeli vsque ad plateam S. Petri fieri eamque Alexandrinâ appellari mandauit.

§. 1. Sane cum superiori Anno, ex deliberatione & commissione nostra, pro Incolarum dictæ Vrbis, ac Curialium in ea commorantium, & Peregrinorum ad illam pro tempore, & præsertim hoc Sacro Anno Iubilæi Centesimo, confluentium commoditate, ipsiusque Vrbis decore, via recta Alexandrina nuncupata, à Porta Castri S. Angeli vsque ad Plateam Sancti Petri, de dicta Vrbe fieri cœpta fuisset, ac circa illam domos, & ædificia ab vtraque parte pro maiori dictæ viæ ornamento extolli, & ædificari desideraremus. Nos venerabilibus Fratribus nostris Petro Archiepisc. Reginen. dictæ Vrbis Gubernatori, &c.

Et modo priuilegia in ea ædificantibus concedit.

§. 2. Et vt personæ libere in dicta via ædificari valeant, de simili consilio, ac ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, decernimus, & ordinamus, vt de domibus in dicta via ædificandis, & emendis, alias in omnibus, & per omnia, iuxta tenorem literarum Sixti Papæ IV. prædecessoris nostri, ac etiam nostrarum, in fauorem domos in Vrbe ædificantium, & ementium editarum, quarum tenores, ac si de verbo ad verbû præsentibus insererêtur, habere volumus pro sufficienter expressis, & insertis, cum omnibus & singulis in eis côtêtis priuilegiis, indultis, dispensationibus, concessionibus, & clausulis, potiori pro cautela innouamus, & ad domos ædificandas huiusmodi, ac personas illas ædificantes, & ementes extendimus, libere disponere possint, dictæque domus, & personæ sub eisdem literis, etiam quoad priuilegia, indulta, dispensationes, & concessiones huiusmodi, ac omnia & singula alia in illis contenta, sint, & esse censeantur.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes irritum, & inane, si secus super iis, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis legibus quoque imperialibus, statutis, & consuetudinibus dictæ Vrbis municipalibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, siue regularium locorum, quorum fundi, domus, & loca huiusmodi locari, concedi, permutari, siue vendi, vel alienari contigerit, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis, quæ nos in nostris, & præfatus Sixtus prædecessor in suis literis prædictis, volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo.

D. P. An. 8.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo, Pont. nostri Anno 8.

IX. Quod Pauperes Iesuati, de cætero Patres Iesuati S. Hieronymi nuncupentur, cæteris Religionis eiusmodi denominatione interdicta.

De isto Ordine, vide notanda ad constit. 6. Pauli V. Religiosas.

Edita An. D. 1499.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD sacram Petri Sedem diuina dispositione vocati, piis fidelium, præsertim sub Religionis habitu Domino militantium votis, libenter annuimus, & honestis supplicum votis, fauorem beneuolum impartimur.

Congregatio ista antiquitus instituta, Ecclesias sub inuocatione S. Hieronymi construxit, & ipsum in eorum protectorem elegit.

§. 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum vniuersorum pauperum Societatis pauperum Iesuatorum nuncupatorum petitio continebat, quod licet iam annis centum, & quinquaginta decursis, vel circa, dicta Societas instituta, & ab inde vsque in præsentem diem, omnes eorum domorum Ecclesiæ, seu Oratoria, sub inuocatione Sancti Hieronymi constructa fuerint, ipsumque in eorum protectorem elegerint, & sub eadem sancti Hieronymi inuocatione semper vixerint, prout viuunt de præsenti, ipsiusque Sancti Hieronymi festiuitatem, deuote & solemniter annis singulis in eorum Ecclesiis, siue Oratoriis celebrauerint, & pauperes Societatis Pauperum Iesuatorum nuncupatorum appellati extiterint; Nihilominus nonnulli Clerici, siue Religiosi viri, qui non sub inuocatione sancti Hieronymi, sed aliorum Sanctorû, eorum Ecclesias olim construi fecerût, ad perturbandum, & inquietandum dictam Societatem, eorum Sanctorum inuocationes mutare, & se eorumque Ecclesias sub inuocatione eiusdem Sancti Hieronymi intitulare, & denominare, ac huiusmodi sancti Hieronymi festiuitatem celebrare, & sub eiusdem Sancti inuocatione quæstus fieri facere, in præiudicium Societatis dictorum Pauperum non verentur.

Supplicatque Papa vt de cætero: Fratres Iesuati S. Hieronymi nuncupentur.

Et Confraternitatibus laicorum in eorum Ecclesiis institutis eandem denominationem concedere possint.

§. 2. Et sicut eadem petitio subiungebat, cum nonnulli laici pia deuotione deducti, certas Confratrias infra circuitum domorum dictorum Pauperum de Ordinarij loci, ac ipsorum Pauperum licentia erexerint, & instituerint, & in dies de eadem licentia erigere velint, cuperentque dicti Pauperes quod ipsi dictis Confratribus, vt tam per eos hactenus in eorum domorum circuitibus erectas Confratrias, quam in posterum inibi erigendas, dicti sancti Hieronymi denominandi, & eundem S. Hieronymum pro eorum vexillo deferendi, licentiam concedere valeât eis per nos indulgeri. Quodque etiam ipsi de cætero perpetuis futuris temporibus non pauperes Societatis Pauperum Iesuatorum, sed fratres Iesuati Sancti Hieronymi appellari debeant, statuere, & ordinare, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos

Qui Pontifex petita concedit.

§. 3. Nos qui eorundem præsertim Religiosarum personarum pacem, & quietem sinceris exoptamus affectibus, ipsosque Pauperes à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibusuis quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis Religiosis Clericis, & Laicis sub virtute sanctæ obedientiæ, & si non paruerint, excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam incurrant eo ipso, vt eorum Sanctorum inuocationes, sub inuocatione dicti Sancti Hieronymi mutare, & illud nomen Sancti Hieronymi ipsis Ecclesiis appropinare, & celebritatem festi eiusdem S. Hieronymi, quando per eosdem Pauperes celebrari contigerit, directe vel indirectè, quominus populus ad eorum Ecclesias siue Oratoria confluant, necnon processiones quascumque temporis festiuitatis dicti S. Hieronymi per Dominos, Vniuersitates, & Communitates Ciuitatum, Terrarum, & locorum hactenus ad Ecclesias, seu Oratoria dictorum Pauperum fieri solitas, & quas in posterum perpetuis futuris temporibus fieri contigerit, impediri, seu perturbare, necnon sub inuocatione dicti S. Hieronymi in præiudicium dictorum Pauperum, aliquas quæstas facere quomodo præsumant, præcipiendo mandamus. Ipsis quoque pauperibus, vt dictarum Confratriarum Confratribus tam per eos hactenus, eorundem Pauperum domorum circuitibus erectas confratrias, quam in posterum ibidem erigendas, confratrias dicti S. Hieronymi denominandi, ipsumque S. Hieronymum pro eorum vexillo deferendi licentiam concedere possint indulgemus. Ac statuimus, & ordinamus, quod dicti Pauperes de cætero etiam perpetuis futuris temporibus non pauperes Societatis Pauperum Iesuatorum, sed tantum, Fratres Iesuati dicti S. Hieronymi nominentur, & appellentur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Societatis statutis, ac consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 5. Et quia difficile foret, præsentes literas ad singula loca in quibus dictorum Pauperum domus consistunt deferre, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis sigillo alicuius Prælati, & Notarij togati signo & subscriptione munitis, eadem prorsus fides in omnibus adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus originalibus literis, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 8. die 22. Aug.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1499. 11. Kal. Septembris Pont. nostri Anno 8.

X. Institutio officij Summatoris literarum Apostolicarum, in officium perpetuum vacabile, cum indultorum & gratiarum concessione.

Nobiliorem huius officij statum, & ministros præfinivit, ac uni ex S.R.E. Cardinalibus conferri iussit Pius V. vt infra in eius const. 105. Pontifice.

Edita An. D. 1500.

ALEXANDER EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius institutionis officij.

IN eminenti Apostolicæ Sedis specula, Romanus Pontifex dispositione diuina constitutus, ad ea libenter intendit, per quæ ad recipiendum literas Apostolicas per Cameram pro tempore expediendas, & illarum summaris facienda, eaque referenda, talis persona deputetur, quæ ad præmissa peragenda fidelis, & idonea habeatur, & postquam in iis instructa laudabiliter versata fuerit, nequeat amoueri, cum ex amotione prædicta, tam propter imperitiam, quam paruam cognitionis literarum prædictarum experientiam, eidem expeditioni non parua scandala, & pericula possent faciliter prouenire, cum eiusdem Sedis ignominia, ac graui partium expeditionis huiusmodi, in Romana Curia, ad quam de diuersis mundi partibus continue confluit multitudo, persequentium dispendio, & detrimento.

Institutio officij Summatoris literarum Apostolicarum vacabilis, ad instar aliorum officiorum Rom. Cameræ Apost.

§. 1. Cum itaque officium recipiendi, videndi, summandi, & referendi literas Apostolicas, quæ per Cameram Apostolicam pro tempore expediuntur, quod dilectus filius Magister Ludouicus de Panafid, decanus Ecclesiæ Oueten. Scriptor, & familiaris noster, ex fel. rec. Innocentij Papæ Octaui prædecessoris nostri, & deinde dicto prædecessore (vt Domino placuit) de medio sublato, & nobis diuina fauente clementia ad apicem summi Apostolatus assumptis, ex nostra concessione fideliter & laudabiliter, per duodecim annos vel circa exercuit, pro faciliori literarum earundem in dicta Camera directione, & expeditione, admodum necessarium existat, expediatque vt officium prædictum, ad instar aliorum dictæ Cameræ officiorum, perpetuum fiat, quo cum maiori fide, cura & diligentia valeat exerceri; Nos volentes debitè prouidere, prædictum Ludouicum, qui etiam continuus commensalis noster, & literarum Apostolicarum de minori Parcho Abbreuiator, necnon Cancellariæ Apostolicæ Ostiarius existit, ob grata deuotionis & familiaritatis obsequia, quæ nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impendit & adhuc sollicitis studiis impendere non desistit, necnó laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus personā suam, tam familiari experientia, quam etiam fidei dignorum testimoniis, iuuari percipimus: fauore prosequi gratioso, ipsamque à quibusvis excommunicationis &c. censentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, officium Summatoris literarum per Cameram prædictam expediendarum huiusmodi, ad instar aliorum dictæ Curiæ officiorum perpetuorum auctoritate Apostolica, tenore præsentium erigimus, & instituimus, statuentes & ordinantes, quod de dicto officio, tam hac prima vice, quam quoties deinceps pro tempore illud vacare contigerit, personæ ad illud exercendum idoneæ, per eam quoad vixerit tenendo & exercendo, per nos, & successores nostros Romanos Pontifices Canonice intrantes prouideri, seu illud concedi, & assignari debeat, liceatque dicto Ludouico, & officium ipsum pro tempore obtinenti, de illo, prout Scriptores literarum Apostolicarum, de officio Scriptoriæ literarum earundem disponere possunt, disponere, ac literas per dictam Cameram expediendas more solito recipere, videre, & summare, ac nobis & successoribus nostris prædictis, seu Præsidentibus dictæ expeditioni pro tempore deputatis, vt moris est referre, illasque ad Cameræ & Secretariæ Apostolicarum registra dirigere, qui de salario solito contentari tenentur.

Concessio priuilegiorum, & emolumentorum.

§. 2. Ac omnibus priuilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, honoribus, prærogatiuis, & immunitatibus, quibus Scriptores literarum earundem vtuntur, potiuntur, & gaudent, vti potiri, & gaudere. Et nihilominus de huiusmodi officio sic à primæua eius erectione vacante, cum honoribus, oneribus, salariis, emolumentis consuetis, ac aliis præmissis, dicto Ludouico motu, scientia, & auctoritate præmissis, prouidemus, illudque sibi quamdiu vitam duxerit in humanis concedimus & assignamus. Decernentes eundem Ludouicum, ad officium huiusmodi, eiusque liberum exercitium, necnon honores, onera, & emolumenta aliaque præmissa, per dictos Præsidentes recipiendum, & admittendum fore, prout nos illum ex nunc recipimus, & admittimus.

Tu ad hoc vide bullam Pij V. cit. in rubr.

§. 3. Quocirca dilecto filio Magistro Francisco Remulo, Clerico Narden. Protonotario nostro, pro nobis, & Romanæ Ecclesiæ Vrbis Gubernatori, & in Camera prædicta pro dilecto filio Raphaële S. Georgij ad velum aureum Diacono Cardinali Camerario nostro, Locumtenenti, per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus præmissa omnia & singula, vbi, quando, & quoties opus fuerit, publicari faciat, auctoritate nostra dictum Ludouicum ad effectum huiusmodi,

 eiusque

eiusque liberum exercitium, ac honores, onera, & emolumenta, aliaque præmissa recipi, & admitti, iuxta dicti decreti continentiam & tenorem, non permittens, cum per dilectos filios Secretarios nostros, seu quoscumque alios, desuper quovis modo molestari. Contradictores, &c.

Derogatio executorum huius bulla.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, aut si Secretariis prædictis, vel quibusvis aliis, communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Derogatio contrariorum.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ, apud S. Petrum, Anno, &c. 1500. decimo Kal. Octobris, Pont. nostri Anno nono.

D. P. An. 1500. die 21. Sept.

XI. Contra offendentes, per se vel alium litigantes in Curia Romana, eorumque Iudices, Aduocatos, Procuratores, Notarios, testesque & alios.

In easdem, Romani Pontifices annis singulis anathematis sententiam promulgant, in die & bulla Cœnæ Domini, vt videre est infra in Pauli V. const. 63 Pastoralis, §. 12. & apud eam consimiles bullas indicabo.

Edita An. D. 1500.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN eminenti Sedis Apostolicæ specula, diuina disponente clementia, licet immeriti constituti, inter multiplices nostræ sollicitudinis curas, quibus assidue premimur, illam pro nostro Pastorali officio in primis suscipere debemus, per quam nostræ prouisionis opere, Ad Romanam Curiam (ad quam veluti fidelium matrem, & magistram, ac iustitiæ fontem pro illa consequenda, continue de diuersis Mundi partibus confluit multitudo) pro eorum causis tractandis confugientes, illasque in eadem prosequentes; sublatis quibusvis impedimentis, inta sua prosequi, & illa prosequendo, in eadem Curia libere, tute, & quiete personaliter valeant permanere, prout personarum & temporum conditione inspecta, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

In bulla Cœnæ Domini, excommunicantur qui offendunt litigantes in Curia, eorumque patronos, &c. vt in bulla cit. in rubr.

§. 1. Sane tam dilectorum filiorum causarum Palatij Apostolici Auditoris eorumque Locatenentium, & aliorum fide dignorum relatione, quam multorum causas suas in dicta Curia prosequentium, grauissimis querelis, non sine maxima mentis nostræ perturbatione, sæpenumero accepimus, quod licet nos, fel. rec. Innocentio Papa VIII. prædecessore nostro, sicut Domino placuit, sublato de medio, ad summi Apostolatus apicem, diuina fauente clementia, assumpti, tam eiusdem Innocentij, quam aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, vestigiis inhærentes, singulis annis, in die Cœnæ Domini per literas nostras, inter cætera, omnes illos, qui per se vel alium, seu alios, quascumque personas, Ecclesiasticas vel sæculares ad eandem Curiam, super causis & negotiis suis recurrentes, illaque in eandem prosequentes, aut procurantes, negotiorum gestores, Aduocatos, vel procuratores ipsarum, aut etiam Auditores, seu Iudices super dictis, seu negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi verberarent, mutilarent, vel occiderent, aut bonis spoliarent, & qui per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, prædicta exequi, vel procurare, aut eisdem consilium, vel fauorem præstare non verebantur, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, ac status forent, etiamsi Pontificali, Regali, Reginali, vel quavis alia præfulgerent dignitate, publice excommunicare, & anathematizare consueuerimus, prout alij prædecessores præfati, etiam per eorum literas, singulis annis, dicta die facere consueuerant, à quibus quidem sententiis, nullus, per alium quam Romanum Pontificem, nisi duntaxat in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi sub certis modo & forma expressis, absolui potest.

Veruntamen offendentes huiusmodi adhuc reperiuntur.

§. 2. Tamen dietum crescente malitia, quamplures iniquitatis filij perditionis alumni, excommunicationis, & anathematis huiusmodi sententias paruipendentes, horrenda inhumanitate, detestandaque sæuitia, mortem sitientes aliorum, videntes forsan se in causis per eos vel contra ipsos in dicta Curia pro tempore motis, iustitiam non fouere, suorum salutis, status, & honoris immemores, humani generis hoste procurante, Deique timore postposito, eorum in dictis causis aduersarios, aut illas pro eis in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, Aduocatos, vel Procuratores eorum, testesque & causarum prædictarum Notarios, multoties diuersis excogitatis minis afficere, inuadere, verberare, mutilare, occidere, seu per alios etiam assassinos, talia procurare, & exequi (proh dolor) ausu temerario non erubescunt, adeo vt plerumque ius suum in ipsa Curia prosequentes metu, & quadam desperatione deducti, causas suas deserere, aut non sine magno ipsorum præiudicio & detrimento ad concordiam, seu alias transactiones inhonestas, pactione que illicitas, contra consuetã dictæ Curiæ libertatem deuenire, & ab ipsa Curia discedere cogantur, in Diuinæ maiestatis offensam, iurisdictionis & auctoritatis Apostolicæ læsionem, animarum periculum, perniciosum quoque exemplum & scandalum plurimorum.

Hic Pont. innouat omnes pœnas aduersus prædictos impositas.

§. 3. Nos igitur qui Romanam Curiam, veluti supremum iustitiæ Tribunal, & saluberrimum oppressorum omnium refugium, liberam, Immunem, & securam omnibus conseruare debemus, considerantes attentius, quod plures pœnarum grauitas, quam Dei timor arcere solet à voluntate peccandi, & propterea tanto periculo volentes occurrere animarum, ac tam nefarios præsumptores & facinorosos homines, Ecclesiasticæ animaduersionis mucrone ferire, vt metus pœnæ; mera huiusmodi præsumptionis existit, huius perpetuæ irrefragabilis constitutionis edicto, de venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, prædictas excommunicationis, & anathematis, omnesque & singulas alias sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, in talia præsumẽtes, per canonicas sanctiones, ac alias Apostolicas constitutiones, quomodolibet latas & promulgatas, auctoritate Apostolica approbantes, & innouantes, ad omnes & singulos prædictos, qui forsan sub illis comprehensi non essent, extendentes, & ampliantes, statuimus, & ordinamus.

Aliasque pœnas infligit.

§. 4. Quod deinceps perpetuis futuris temporibus, omnes & singulæ Ecclesiasticæ, sæcularesve personæ, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, status, gradus ordinis, & præeminentiæ fuerint, quæ earum in causis, tam beneficialibus, quam profanis, ac criminalibus, siue mixtis; in dicta Curia nunc & pro tempore pendentibus (etiam super his, quibus literæ executoriales iam decretæ, suũ debitum consecutæ non fuissent effectum) aduersarios, vel illas pro eis prosequentes & procurantes, siue Aduocatos, aut Procuratores ipsorum aut Auditores, & alios Iudices quoscumque, testes, & Notarios prælatos, minis afficere, inuadere, verberare, mutilare, & occidere, seu per alios talia procurare; & exequi quomodolibet præsumpserint (quanquam mutilatio vel mors ex hoc forsan non sequatur, aut tales scientes receptauerint, defenderint, eisque consilium, auxilium, vel fauorem, publice vel occulte, directè vel indirectè præstiterint, siue qui præmissa etiam pro aliis, quomodolibet commiserint, vltra sententias, censuras, & pœnas prædictas) quas etiam ipsi pari modo incurrisse noscantur, si ex colligantibus; causam ipsam, & omne ius, tam in petitorio quam possessorio, ac in re, vel ad rem, causa vel occasione huiusmodi, quomodolibet competens, eo ipso perdant penitus & amittant. Si verò alij fuerint, ab ipsa Curia & omnibus eiusdem Romanæ Ecclesiæ terris, perpetui exilij, omni spe restitutionis adempta; & si mutilatio membri, vel mors (quod Deus auertat) subsequatur, vltra causæ, & iuris amissionem, ac exilij pœnam huiusmodi, tam ipsi, quam pro eis præmissa exequentes, & omnes alij supradicti, depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio, ac læsæ Maiestatis criminis sententias incurrant ipso facto. Eorumque officia etiam eiusdem

Romanæ Curiæ, ac beneficia quæcumque ex tunc ipso iure vacare decernimus, & quæ, vt præmittitur, vacatura, nostræ & Sedis prædictæ collationi, & dispositioni, de simili Fratrum eorundem consilio reseruamus, liberè aliis per nos & Sedem prædictam dumtaxat conferentur, inhibentes ne quis, præter Romanum Pontificem quacumque sit super hoc auctoritate munitus, de illis disponere, vel circa illa per viam permutationis, vel alias innouare quoquo modo præsumat. Decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his, à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Sintque etiam in suis bonis omnibus, à cunctis perpetuo diffidati nihilominus & banniti, ac infames, & inhabiles habeantur. Et postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis & anathematis, amissionis, depositionis, seu diffidationis & banni huiusmodi, aduersus eum sententia requiratur. Et vt ipsi nefarij præsumptores, & facinorosi homines, à tam execrabili scelere facilius & frequentius reprimantur, omnibus & singulis Ecclesiasticis sæcularibusque personis, etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub simili excommunicationis, & anathematis latæ sententiæ pœna, à qua nonnisi, vt præfertur absolui possint, districtius iniungimus, vt omnes, quos præmissa commisisse, procurasse, aut mediatores fuisse, sciuerint, Romano Pontifici pro tempore existenti, vel alteri per quem ad eius notitiam facile possit peruenire, per se vel alios quanto citius reuelare non omittant, pro reuelatione huiusmodi gratiam, & si complices fuerint, veniam consecuturi.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ præfati prædecessores in suis, & nos in nostris literis prædictis, volumus non obstare cæterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi. §. 6. Vt autem præsentes ad communem omnium notitiam deducantur, volumus & mandamus, illas in Cancellaria Apostolica, & Audientia literarum contradictarum (quas ex tunc quoscumque ligare decernimus,) & deinde singulis annis prima die, qua per præfatos Auditores, & Locatenentes audientia tenetur, in loco dictæ Audientiæ publicari, & in dicta Cancellaria inter alias Extrauagantes, ac etiam inter dictorum Auditorum constitutiones describi, vt hi, quos contigerit, quod ad ipsorum notitiam non peruenerint, aut illas ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud ipsos remanere incognitum, quod tam patenter fuerit publicatum.

Sanctio pœnalis. §. 7. Nulli ergo &c. nostræ approbationis, innouationis, extensionis, ampliationis, statuti, ordinationis, constitutionis, reseruationis, inhibitionis, iniunctionis, voluntatis, mandati, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis &c.

Dat P. A. 10. die 13. Apr. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1502. Idibus Aprilis, Pont. nostri Anno decimo.

Publicatio. *Lecta & publicata fuit Romæ in cancellaria Apostolica, Anno Domini 1502. die 14. Aprilis, Pont. Sanctiss. D. N. Papæ Alex. VI. Anno 10. A. de Gottifredis custos.*

XII. Concessio Gubernij quarumdam Terrarũ Status Ecclesiastici, Clericis R. Cameræ Apost.

De eorum munere, iurisdictione, & priuilegiis, habes sup. in Eugen. IV. const. 13. Inter in Callisto III. constitut. 1. Quæ laudabili Sixto IV. const. 1. Dispositione ac In. VIII. const. 4. Cum sicut. Et inf. vide Iul. II. const. 8. Ex iniuncto. Leon. X. const. 24. Licet, ac Pij 4. const. 55. Rom. vbi notabo.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1502.*

Proœmium. ETsi ex Pastoralis officij nobis licet imparibus diuina dispositione commissi sollicitudine, de cunctorum Christi fidelium salubri, & pacifico statu iugiter cogitare teneamur, Castra tamen, & loca temporali dominio Romanæ Ecclesiæ subiecta, & illorum incolas maiori affectione complectimur, & vt tam pacis tempore suo prospero, & felici regimine gubernentur, quam in occurrentibus guerrarum turbinibus, vigilum Gubernatorum prouidentia, & sollicitudine insimul, facilius defendantur, & conseruentur illæsa, prout temporum & locorum qualitate pensata, eorumque vtilitate, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ statui in domino conspicimus expedire, de remedio prouidemus opportuno.

Castra quædam hic specificata ob guerrarũ turbines, &c maxima damna patiebantur. §. 1. Sane Cæsarum, Porcariæ, Maccimi, Purhani, Collis campi, Messanani, Cisternæ, Florenzolæ, Scoppi, Fogliani, Rapicciani, Palatij, Areij, Cordigliani, Magliani, Buellarij, Mantellatum, Baltini, Sterpeti, Appolenatij, Poggi, Appecani, Aquæ Palumbi, & Vallis Perachiæ, ac alia Castra, & loca Terrarum specialis commissionis Arnulphorum Spoletanæ diœcesis S.R.E. immediate subiecta, seu eorum aliqua, quæ ab immemorabili tempore, patrimoniales, & peculiares Apostolicæ Sedis, & S. R. E. speciali prærogatiua habita fuerunt, & sunt, prout Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum hactenus munimenta restantur, ac dilecti filij eorum incolæ, & habitatores, ob dissensiones, differentias, scandala, & guerrarum turbines, quæ superioribus annis, inter dilectos filios Spoletan. & Interamnen. Ciuitatum nostrarum Communitates, & alias, etiam occasione illarum Gubernationis euenerunt, tot hominum cædes, rapinas, prædas, & alia grauissima dispendia pertulisse noscantur, vt nisi super his, ne in posterum similia eueniant, opportunis remediis occurratur, verisimiliter formidandum sit, ne Castra, & loca huiusmodi, vel eorum magna pars, non sine graui nostra, & Cameræ Apostolicæ iactura destruantur, desolentur, aut ab eorum habitatoribus deserantur.

Illaque eximit pro eorum meliori regimine, à superioritate Ciuitatum Spoletanæ, & Interamnen. §. 2. Nos igitur qui inter varias curas, quibus continuo premimur, illa præcipue sollicitamur, vt Terræ, & loca eidem R.E. subiecta, sub statu tranquillo, & pacis amœnitate gubernentur, volentes super his, vt nobis incumbit, de opportuno remedio prouidere, ac quæstionum, scandalorum, & guerrarum huiusmodi fomenta, quantum nobis possibile est, penitus extirpare, ac attendentes quod si Castra, & loca huiusmodi regimini, ac gubernationi dilectorum filiorum Clericorum prædictæ Cameræ Præsidentium, quibus omnium Terrarum, & locorum S.R.E. in temporalibus præcipue cura imminet subiicerentur eorum incolæ, & habitatores prædicti laudabiles se recepisse Rectores, cum maximis eorum commodis lætarentur, habita super his cum Fratribus nostris eiusdem S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, ac de eorum consilio, omnia, & singula Castra, & loca prædicta, cum omnibus, & singulis eorum, & cuiuslibet ipsorum incolis, & habitatoribus, eorumque bonis, & rebus, ac districtibus, territoriis, terminis, Villis, Arcibus, Fortalitiis, Casalibus, Montibus, Vineis, siluis, pratis, pascuis, nemoribus, aquis, aquarum ductibus, fluminibus, & fluminum alueis, torrentibus, piscationibus, molendinis, terris cultis, & incultis iurisdictionibus, & aliis quibusvis iuribus, & rebus eorundem, ab omni superioritate, dominio, gubernio, regimine, potestate Spoletan. & Interamnen. huiusmodi, & quarumcumque aliarum Ciuitatum, earumque Communitatum, ac aliorum Superiorum, & Gubernatorum quorumlibet, necnon ab omni iurisdictione, superioritate, potestate, ac onere, inferioritate, recommendatione, & subiectione, realibus, & personalibus quibuscumque, perpetuis, siue temporalibus, in quibus Castra, & loca prædicta, & eorum singula, Ciuitatibus, & Communitatibus prædictis, & earum cuilibet, etiam ex quibusvis causis quomodolibet obligentur, & teneantur, auctoritate Apostolica, ex certa nostra scientia, tenore præsentium penitus eximimus, & totaliter liberamus, ac excempta, & liberata esse, & Spoletan. & Interamnen. huiusmodi,

aut aliquam aliam Communitatem, & aliquem aliom Gubernatorem, in Castra, & loca præfata, vel eorum aliquod, eorumque incolas, & habitatores præsentes, aut futuros, ac districtius, terminos, bona, iura, & res earumdem, aliquam iurisdictionem, superioritatem, Gubernationem, arbitrium, aut aliam potestatem exercere, seu habere nullatenus posse, ex simili scientia decernimus, & declaramus.

Eorumque Gubernatum Clericis R. Cam. Apost. committit.

§. 3. Et nihilominus omnia, & singula Castra, loca, incolas, habitatores, districtus, territoria, terminos, loca, & res huiusmodi, regimini, gubernationi Clericorum Cameræ huiusmodi consilio, & scientia similibus specialiter expresse, & immediate subiicimus, & subiecta esse volumus, saluis tamen semper ordinariis tortoitibus prædictæ Cameræ debitis, ex quibus consueta ooerta, pro custodia Arcis dicti Castri Cæsarum persolui volumus. Et insuper Collegio Clericorum huiusmodi eodem tenore committimus, & mandamus, quatenus omnia, & singula Castra, & loca eorumque habitatores, bona iura, & res prædictas, sub eorum gubernio, & regimine huiusmodi recipiant, & habeant, & prudenter regant, atque gubernent, ac benigne pertractent, sub iustitiæ liberamine debito, faciendu præmissa omnia inuiolabiliter obseruari, non permittentes ea, vel eorum aliquod per Communitates prædictas, vel quascumque alias, cuiuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, auctoritatis, & conditionis existant, aliquatenus infringi, seu loca, Castra, & inculas, habitatores huiusmodi contra præsentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo.

Quibuscumque non obstantiis.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis locorum municipalibus, consuetudinibus, & præscriptionibus, quibusvis priuilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, alienationibus, concessionibus, dispositionibus, & literis tam per quoscumque Romanos Pontifices, quam per Nos, & Sedem Apostolicam, sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis irritantibusque & aliis decretis, ac etiam Motu proprio, & simili scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & ex quibusvis etiam maximis, & vrgentissimis causis, & necessitatibus, etiam de simili consilio, eisdem Communitatibus, Gubernatoribus, & personis, ac quibusvis aliis, communiter vel diuisim hactenus quomodolibet concessis, & factis, ac confirmatis, approbatis, & innouatis nominatim, specialiter, & expresse, & in posterum forsan concedendis, faciendis, confirmandis, approbaodis, & innouandis. Quibus etiam pro illorum sufficienti derogatione, de illis totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, &c. ac de verbo ad verbum inserterentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad præmissa dumtaxat harum serie eadem scientia specialiter, & expresse derogamus, & illa nemini aliquo vnquam tempore suffragari volumus, & decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 10. die 19. Apr.

Nulli, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1502. 3. Kalend. Maij, Pontific. nostri Anno decimo.

PIVS TERTIVS PONT. CCXIX.
ANNO DOMINI MDIII.



PIus III. Seneosis, Franciscus Piccolomineus antea dictus, Cardinalis primus Diaconus. Creatus 10. Kalend. Coronatus 8. Idus Octobris, Anno 1503. Vixit dies 26. Non creauit Cardinales, Obiit 15. Kal. Nouemb. 1503. sepultus fuit in Basilica S. Petri, in Sacello S. Andreæ. Vacauit sedes dies 14.

IVLIVS SECVNDVS PONT. CCXX.
ANNO DOMINI MDIII.



IVlius Secundus de Sauona, Iulianus de Ruuere antea dictus, Raphaëlis Ruuerei filius, Episcopus Cardinalis Ostiensis, & maior Pœnitentiarius, Creatus Kalendis Nouembris Anno Domini 1503. 6. Kal. Decembris eodem anno, Sedit annos 9. menses 3. dies 2. Creauit Cardinales 27. Obiit 9. Kalen. Martij Anno Domini 1513. Corpus eius in æde S. Petri ad Vincula sepultum est. Vacauit sedes dies 17.

Mona

I. Monasterium Cassinense Ordinis S. Benedicti Congregationi Monachorum S. Iustinæ de Obseruantia eiusdem Ordinis vnitur, & d. Congregationem Cassinensem alias S. Iustinæ denominari præcipitur, & priuilegia omnia communicantur.

Pro Monachorũ statu, multa edixerunt Innoc. III. in cap. 6. & Honor. III. in cap. 8. de statu Monac. necnon Clemen. V. in Clement. I. eodem tit. ac Benedict. XII. in eius constit. 5. Summi.

Tempore autem Martin. V. instituta est reformatio Congregationis S. Iustinæ, cui concessa fuerunt multa priuilegia, vt in Eug. IV. const. 5. Dispositione. & const. 5. Et si ex sollicitudinis, & pariter in const. 8. Innocent. VII. deuotionis. Hic modo Pontifex dictas Congregationes vniuit, & priuilegia communicauit, & Congregationem Cassinensem denominauit. Et ei nonnulla priuilegia tribuit Paul. III. vt infra in const. 15. Benignitas, & etiam Pius IV. const. 97. Sedis, ac Pius V. in const. 129. Dum ad. Deinde Greg. XIII. contra ambientes, & appellãtes edidit const. 16. Nihil. Et postremu Paul. V. alia statuit, in cõst. 33. Cum sicut.

Demum à S. D. N. Vrbano VIII. nonnulla decreta sunt circa electionem Definitorum, ac auctoritatem Diete, vt in const. 87. Commissi inf. tom. 4. Confirmauit, etiam Decretum editum à Sacra Rituum Congregatione ad fauorem Abbatum huius Congregationis super vsu Baldachini, & Ministrorum in constitut. 101. Exponi d. tomo 4.

Edita An. D. 1503. *IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. SVper cathedram Pastoralis præeminentiæ dispositione diuina, meritis licet insufficientibus confidentes pio, ac sancto desiderio cupimus efficere, vt Monasteria & loca religiosa quæcumque per nostræ operationis diligentiam, gratia cooperante diuina salubriter dirigantur, & in eis regularis disciplinæ norma seruetur, cultus diuinus augeatur, charitas vigeat, humilitas perseueret & omnis bene viuendi modus teneatur, vt æternæ vitæ præmio valeant stabiliri feliciter.

Monasterium Cassinense, quod antea erat commendatũ, hoc modo Pontifex, ad manus regularis obseruantiæ professum perduxit. §. 1. Sane Monasterio Cassinensi nullo medio ad Rom. Ecclesiam pertinente, Ordinis S. Benedicti nullius diœcesis, quod dilectus filius noster Ioannes S. Mariæ in Dominica Diaconus Cardinalis ex concessione, & dispensatione Apostolica in commendam nuper detinebat commenda huiusmodi cessante, ex eo quod idem Ioannes Cardinalis illi hodie in manibus nostris sponte, & libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, verum, & vltimum supradicti Monasterij vacationis modum præsente pro expresso habentes, ad prouisionem super ipsius Monasterij regimine celerem, & felicem, ne Monasterium ipsum longæ vacationis exponatur incommodis, paternis studiis intendentes, post deliberationem, quam desuper cum fratribus nostris habuimus diligenter, demum ad dilectos filios Monachos Congregationis S. Iustinæ de Padua supradicti Ordinis, sub regulari obseruantia viuentes, direximus oculos mentis nostræ, sperantes, quod sicut Congregatio ipsa per vniuersam Italiam per incrementa temporum, suos palmites dilatauit, sic vbique virtutum radiis iugiter crescat, si Monasterium ipsum eidem Congregationi perpetuo vniretur, annecteretur, incorporaretur, vigeretque in eo regularis obseruantia supradicti Ordinis Monasterium ipsum regulari obseruantia hactenus destitutum (cum tamen caput omnium Monasteriorum supradicti Ordinis existat, & in eo corpus sanctissimi Benedicti multa cum veneratione conseruetur) ex inde votiuæ Reformationis susciperet incrementum, & eorundem Monachorum exemplari vita nobis, tunc in minoribus constitutis eorum Protectore existentibus nota, & accepta; in temporalibus & spiritualibus speratæ prosperitatis successibus gratularetur, succederetque in eo diuini cultus augmentum, cum incolarum, & habitatorum, ac omnium animarum salute.

§. 2. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, Monasterium prædictum, sicut præfertur, vacans cum illi annexis, ac omnibus iuribus & pertinentiis suis, eidem Congregationi per Abbatem temporalem iuxta eiusdem Congregationis laudabiles, ritus, & mores, ac regularis instituta eiusdem Ordinis, & eidem Congregationi per Sedem Apostolicam concessa priuilegia, & indulta, perpetuis futuris temporibus duratura, ad instar aliorum Monasteriorum dicti Ordinis eidem Congregationi vnitorum, annexorum, & incorporatorum, per Præsidentem Congregationis huiusmodi, & Definitores pro tempore existentes deputand. tenendum, regendum, & gubernandum, de eorundem fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus, ac volumus, statuimus, & ordinamus illud de cætero dictæ Congregationis esse, ac iuxta mores & ritus, & instituta prædicta perpetuo regi, & gubernari debere, liceatque Præsidenti, & Definitoribus, ac Congregationi præfatæ, per se, vel alium, seu alios regiminis, & administrationis, ac bonorum omnium mobilium, & immobilium dicti Monasterij possessionem, vel quasi, propria auctoritate libere apprehendere, ac perpetuo retinere, ac illud, vt præfertur, regere, & gubernare, cuiusvis licentia super hoc minime requisita. Ac illos ex Monachis dicti Monasterij, qui sub dicta obseruantia viuere nollent, inde amouere, ac ipsius ad alia Monasteria dicti Ordinis vbi beneuolos inuenerint receptores, sese transferendi licentiam habeant, qui tamen beneficia Ecclesiastica, vel alia, vnde viuere possint non habuerint, quoad vixerint, aut donec dictos beneuolos inuenerint receptores, Monachalem portionem, & ex fructibus dicti Monasterij accipiant.

Præfatũ Monasterium Congregationi S. Iustinæ de obseruantia vnit. (margin, beside §. 2)

§. 3. Nec non Congregationem ipsam, propter nomen & dignitatem Monasterij huiusmodi (quod aliorum Monasteriorum dicti Ordinis caput est, vt præfertur) de cætero Cassinensem Congregationem alias S. Iustinæ, nuncupari debere. *Et hanc Congregationem Cassinensem alias S. Iustinæ denominari mandat.*

§. 4. Omnibus tamen & singulis priuilegiis, & immunitatibus, & exemptionibus, concessionibus & indultis, hactenus Congregationi S. Iustinæ huiusmodi concessis, in suo robore, & firmitate persistentibus, in omnibus, & per omnia, perinde ac si huiusmodi tituli mutatio, seu variatio, facta non esset, & huiusmodi priuilegia à principio Congreg. Cassinensis, alias S. Iustinæ huiusmodi specialiter & expresse concessa fuissent. *Priuilegia omnia communicat.*

§. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterij, ac Congregationis Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. *Contrarijs derogat.*

Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio decimo Kal. Septembris Pontificatus nostri Anno primo. *Dat. P. A. 3. an. Nouemb.*

II. Cõtra Barones, & Communitates Status Ecclesiastici, eorum territoria non custodientes à Bannitis, furibus, & aliis delinquentibus.

Hæc bulla confirmatur & extenditur infr. à Leon. X. in const. 28. Romanus. Pio IV. in const. 27. In eminenti. Pio V. in constit. 10. Ex superna. Greg. XIII. constit. 55. Tanta, & Sixt. V. in const. 6. Hoc nostri, vbi plene notabo.

IVLIVS EPISCOPVS, &c. Edita An. D. 1503. *Dilectis filiis Baronibus, Domicellis, Communitatibus & Vniuersitatibus Terrarum & Castrorum eorundem, nec-* non

non aliis ciuitatibus & Vniuersitatibus Oppidorum. & Terrarum S.R.E. mediate, vel immediate subiectis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Plerique Pöt. quorum const. hic non habet ediderũt bullas contra Barones & communitates non custodientes eorum territoria.

QVia nihil, quod magis expediat nostræ almæ Vrbi, & Curiæ, ac cæterum subditorum S.R.E. quieti & regimini, quam quod euntes, & redeuntes ad eandem, ac cæteras terras eiusdem S.R.E. secure & libere, sine incursione, offensione, & inuasione latronum, furum, ac sicariorum; & aliorum male viuentium stare, ire, & redire possint, & valeant, ac propterea, tam de iure communi, quam ex specialibus ordinationibus fel. rec. Pauli II. & Sixti IIII. nostri secundum carnem patrui, ac Innocentij VIII. & Alexandri VI. prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum statutum fuerit, vt omnes Barones, & Domicelli, & Vniuersitates castrorum eorundem, ac Ciuitates, & cætera terræ, & oppida Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate & immediate subiecti, & subiectæ, eorum Testas, & Oppida, Villas, & Territoria quæcumque à dictis latronibus, sicariis, furibus. & aliis delinquentibus custodirent, & secura, ac libera facerent, alias ad emẽdationem omnium damnorum, & rerum subtractarum tenerentur, & obligarentur.

Et hic Pont. iteril, Territoria libera custodiri mandat à furibus, sicarijs.

§. 1. Idcirco prædecessorum nostrorum vestigia insequentes, pro pace, & quiete dictæ Vrbis, & omnium Terrarum prædictarum, omniumque incolarum, & venientium ad easdem securitate, vobis omnibus, & vestrum cuilibet tenore præsentium expresse mandamus, vt vestras Terras, Communitates, Vniuersitates, Villas, & Castra, ac Territoria omnia à præfatis viris facinorosis, latrooibus, furibus, sicariis, & aliis delinquentibus à die intimationis præsentium earundem, secura & libera teneatis, reseruetis, & custodiatis, quod si secus feceritis, tam pœnas iuris, quam alias pœnas & censuras à prædecessoribus nostris prædictis super his promulgatis ipso facto, vos & quemlibet vestrum incurrere decernimus & declaramus.

Non custodites ad damni illati satisfactionem teneri iubet.

§. 2. Mandantes insuper venerabili fratri Raphaëli Episcopo Alban. Camerario nostro, ac dilectis filiis Clericis, & Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, necnon Almæ Vrbis Senatori, & aliis Officialibus, Legatis, & Gubernatoribus Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum eiusdem S.R.E. quatenus ad denuntiationem & querelam eorum, qui inuasi, spoliati, aut aliquod aliud damnum ab huiusmodi latronibus, furibus, & sicariis passi fuerint, pro satisfactione eorum ad declarationem dictarum pœnarum, & emendationem dictorum damnorum, iuxta formam & tenorem constitutionum prædictarum, & præsertim constitutionis, & ordinationis præfati Alexandri VI. prædecessoris nostri via executiua procedant, & procedere debeant, alioquin vbi requisiti fuerint, & illa exequi neglexerint, tam ipsos, quam vos & vestrum quemlibet ad emendationem dictorum damnorum teneri volumus, decernimus, & declaramus, non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. An. 1. 8. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, die octauo Nouembris 1504. Pontificatus nostri Anno primo.

III. Damnatio Simoniacę electionis Summi Pontificis Romani, cum pœnarum impositione in electum, eligentesque & eorum complices.

Cæteros casus Simoniæ vide in extrauag. Vrbani V. & Pauli II. de Simon. & sup. in Eug. IV. const. 7. Cum detestabile, & infr. Pij V. const. 5. Cum primam & const. 104. Durum. Ac Trid. Concilij sess. 21. cap. 1. & sess. 24. cap. 14. & 18. Et Six. V. inf. const. 91. Sanctum.

Et contra ambientes Papatum, habes infra Pauli IV. constit. 16. cum secundum.

De electioni Summi Romani Pontificis edidit Constitutionem Greg. XV. quam habes inf. tom. 4. num. 13. incipiunt Æterni Patris, cuius etiam iussu editum fuit cæremoniale continens vsus dictæ electioni quod approbauit idem Greg. XV. vt in eius Constit. 10. Decet. d. tom. 4. & vtramque constitutionem dicti Greg. XV. confirmationis robore muniuit S.D.N. Vrban. VIII. Const. 45. Ad Romani inf. tom. 4.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1505. & 1513.

Simonia damnabilis.

CVm tamen diuino quam humano iure, in spiritualibus præcipue, detestabilis sit Simoniæ labes prohibita, & longe magis in electione Rom. Pontif. Vicarij IESV CHRISTI D.N. abominabilis sit, & vniuersali Ecclesiæ perniciosa.

Qua propterea infecit electionem Papæ.

§. 1. Nos qui regimini eiusdem vniuersalis Ecclesiæ meritis imparibus annuente Domino præsidemus, cupientes, quantum cum Deo possumus in præmissis pro tantæ rei necessitate ac periculi magnitudine vt tenemur in posterum salubriter prouidere, de Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & vnanimi consensu hac nostra perpetuo valitura constitutione, Apostolica auctoritate, & de potestatis nostræ plenitudine, statuimus, ordinamus, decernimus, & definimus, quod si, quod Deus pro sua clementia, & * * ineffabili bonitate auertat, contigerit, postquam nos, vel successores nostros successiue, ipse Deus ab huiusmodi vniuersalis Ecclesiæ regimine absoluerit; humani generis inimico procurante, & ambitione vel cupiditate ad hoc inclinante, seu impellente, electionem Romani Pontificis, ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo, seu aliquibus de cætu Cardinalium quomodolibet votum dantibus per simoniacam hæresim in dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiusque generis, castra, officia, vel beneficia, seu promissiones, & obligationes commissam, per se vel alium, seu alios quomodocumque & qualitercumque, etiam in duarum partium, vel omnium Cardinalium vnanimi concordia, quomodolibet, etiam per viam assumptionis vnanimiter, nemine discrepante, etiam sine scrutinio factæ, celebrari, vel fieri non solum huiusmodi electio, vel assumptio eo ipso nulla existat, & nullam eidem sic electo vel assumpto, administrandi in spiritualibus, & temporalibus facultatem tribuat, sed etiam contra dictum sic electum, vel assumptum, de simoniaca labe, à quocumque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi, & excipi possit, sicut de vera, & indubitata hæresi, ita quod à nullo pro Romano Pontifice habeatur, quinimo ipse sic electus à priori suo Cardinalatus, & alio quocumque honore Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, Monasteriis, dignitatibus, & aliis quibuscumque beneficiis, & pensionibus, quæ tunc obtinebat in titulum, vel in commendam, aut alias quomodocumque, eo ipso, absque alia declaratione, priuatus existat: & idem electus, non Apostolicus, sed apostaticus, & tanquam * simoniacus, & hæresiarcha, & ad prædicta omnia, & singula perpetuo inhabilis habeatur, & sit.

** Simon magus.*

Qua nec per adorationem cõfirmari valeat.

§. 2. Nec huiusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, seu obedientiam, vllo vnquam tempore conualescat.

Cardinalium facultas discedendi ab eius obedientia.

§. 3. Liceatque omnibus, & singulis Cardinalibus etiam illis, qui huic simoniacæ electioni, seu assumptioni consenserit, etiam post inthronizationem, & adorationem, seu obedientiam, ac etiam vniuerso Clero, Populo Romano, necnon subditis, & sancti Angeli de Vrbe, ac quarumvis aliarum Romanæ Ecclesiæ arcium Præfectis, Castellanis, Capitaneis, & aliis officialibus quocumque homagio, seu iuramento, vel cautione præstitis, non obstantibus, à talis electi, etiam inthronizati, obedientia, & deuotione, impune, & quandocumque discedere (ipsis, fidei Romanæ Ecclesiæ, & obedientiæ futuri Romani Pontificis canonice intrantis, nihilominus adstrictis permanentibus) & eum, vt magum, ethnicum, publicanum, & hæresiarcham euitare.

Qui nec regimini Ecclesiæ se immiscere possit.

§. 4. Ad cuius quoque confusionem, possint Cardinales, qui præfatæ electioni se opponere voluerint, si præsumpserit se regimini vniuersalis Ecclesiæ, prætextu talis electionis ingerere, auxilium brachij sæcularis contra eum implorare. Nec tales ab eius obedientia discedentes,

tam

tanquam tunicæ Domini scissores, aliquatum propter dictum discessum pœnarum, seu censurarum vltioni subiaceant.

Simoniace eligentium pœna.

§. 5. Cardinales verò, qui eum sic simoniace elegerint, à suis ordinibus, & etiam Cardinalatus titulis, & honore, ac quibuscumque Patriarchalibus, Archiepiscopalibus, Episcopalibus, & aliis prælaturis, ac dignitatibus, & beneficiis, quæ in titulum, vel commendam tunc obtinebant, vel in quibus, seu ad quæ ius tunc habebant, absque alia declaratione, priuati existant, nisi ab illo penitus, & cum effectu discesserint, & reliquis Cardinalibus, qui huiusmodi Simoniæ non consenserint, infra terminum octo dierum, postquam fuerint ab eis requisiti, personaliter, si fieri poterit, alias per edictum publicum, se absque fictione, vel fraude vniuerint, & coniunxerint. Et tunc si præfatis aliis Cardinalibus se vniuerint, & coniunxerint, in pristinum statum, & ad pristinos honores, & dignitates, etiam Cardinalatus, ac Ecclesias, & beneficia, quibus præerant, & quæ obtinebant, reintegrati, rehabilitati, ac restituti, & repositi, ab huiusmodi simoniæ labe, & censuris, ac pœnis Ecclesiasticis quibuscumque absoluti eo ipso existant.

Complicum quoque pœna.

§. 6. Mediatores verò, proxenetæ, trapezitæ, tam clerici, quam laici, cuiuscumque dignitatis, qualitatis, & ordinis fuerint, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, siue Episcopali, vel alia sæculari mundana siue Ecclesiastica dignitate præditi, etiam quorumcumque Regum & Principum Oratores, vel Nuntij, huius simoniacæ electionis participes, sint omnibus suis Ecclesiis, beneficiis, prælaturis, & feudis, ac aliis quibuscumque honoribus, & bonis, eo ipso priuati, & ad similia inhabiles, ac etiam actiue, & passiue intestabiles, & eorum bona ipso facto, ad instar reorum criminum læsæ maiestatis, Fisco Apostolicæ Sedis applicentur, & deuoluantur, si prædicti delinquentes Ecclesiastici fuerint, vel alias Romanæ Ecclesiæ subditi. Bona verò & feuda taliter delinquentium, non subditorum sæcularium, in partibus existentia, Fisco sæcularis principis in cuius territorio bona sita fuerint, ipso facto similiter applicentur. Ita tamen, quod si infra tres menses, à die quo notum fuerit, illos simoniam commisisse, vel participasse, Principes dicta bona fisco suo actualiter non applicauerint, ea tunc illa Fisco Ecclesiæ Romanæ applicata censeantur, & sint eo ipso, absque aliqua similiter declaratione.

Obligationũ omnium simoniacarum annullatio.

§. 7. Promissiones quoque, & obligationes, siue sponsiones propterea quandocumque, etiam ante tempus dictæ electionis, etiam extra personas Cardinalium, per quoscumque alios quomodocumque factæ, etiam quauis inexcogitabili solemnitate, & forma, etiam iuratæ, conditionales, siue euentuales, & in forma excommissarum, ex quacumque causa, etiam depositi, mutui, cambij, confessionis de receptis, donationis, arrendamenti, vel venditionis, permutationis, vel alterius cuiuscumque contractus, etiam in ampliori forma Cameræ Apostolicæ factæ, sint nullæ & inualidæ, & ad agendum inefficaces, nullusque illarum vigore cogi, vel constringi possit, in iudicio vel extra, liceatque omnibus, ab illis impune, absque aliquo metu, siue periurij nota recedere.

Card. in electione non complices Simoniæ, alium Pont. eligere, & Concilium conuocare possint.

§. 8. Et insuper liceat Cardinalibus, qui electioni prædictæ simoniacæ interfuerint, & à præfato sic electo discesserint, adhibitis secum aliis Cardinalibus, qui huiusmodi simoniacæ electioni consenserunt, & postea eisdem Cardinalibus in dicta simonia non complicibus se vniuerint, si secum eisdem vnire voluerint, alioquin siue eis, ad alterius nihilominus Pontificis electionem, non expectata alia sententia declaratoria simoniacæ electionis huiusmodi, eadem tamen præsente nostra constitutione semper in suo robore permanente, libere alias tamen canonice, deuenire, & Concilium etiam generale indicere, & conuocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire.

Clausula derogatoria. Alex. III bulla est in c. 6. De elect.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & præcipue fel. rec. Alexandri Papæ III. quæ incipit. Licet de vitanda discordia, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, etiam in Consiliis generalibus editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cardinalium contrauenientium excommunicatio.

§. 10. Inhibentes postremo omnibus, & singulis S.R.E. Cardinalibus, qui pro tempore erunt, & eorum sacro Collegio, ac Apostolica Sede vacante, prædictis contrauenire, vel contra præmissa, vel aliquo præmissorum statuere, disponere, & ordinare, vel aliquo modo facere seu attentare præsumant, quocumque exquisito colore vel causa, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna quam ipso facto incurrant, & à qua non nisi per Romanum Pontificem Canonice electum, absolui possint, nisi in mortis articulo.

Decretum irritans.

§. 11. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his, vel aliquo præmissorum, à quoquam, scienter vel ignoranter, etiam per nos, contigerit attentari.

Iussio publicandi hanc bullam. De qua publ. vid. mox infr.

§. 12. Vt autem præsentia constitutionis, decreti, statuti, ordinationis, ac inhibitionis nostræ huiusmodi tenor, ad omnium notitiam deducatur, volumus præsentes literas nostras in valuis basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ, ac acie Campi Floræ affigi, nec aliam earundem literarum publicationis solemnitatem requiri, aut expectari debere, sed huiusmodi affixionem pro solemni publicatione, & perpetuo robore sufficere.

Sanctio pœnalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, nostrorum constitutionis, ordinationis, statuti, decreti, definitionis, applicationis, approbationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 3. die 14. Ian.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimoquingentesimo quinto, 19. Kal. Februarij Pontificatus nostri Anno secundo.

Sequitur d. bullæ confirmatio in Concilio Lateranensi.

Edita An. D. 1513.

IVLIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.
Sacro approbante Concilio.

Papæ electio quã maximè aduertenda.

SI summus rerum opifex, Terrarum, Cælique sator, sua ineffabili prouidentia Roman. Pontificem in Cathedra præeminentiæ pastoralis Christiano generi præesse voluit, vt sanctam Rom. vniuersalem Ecclesiam sinceris corde, & opere gubernaret, fideliumque omnium profectibus, sollicitis studiis intenderet, decens, & salutare reputamus, vt in electione præfati Pontificis in quem vt puritatis, & candoris speculum fideles ipsi intuentur, omnis labes, omnisque illius suspicio absit, talesque ad tanti fastigij gradum assumantur, qui rite, & recte, & canonice ingressi, modo, & ordine conuenientibus, nauiculæ Petri gubernacula sustineant, talesque existant in tanto dignitatis culmine constituti, qui bonis, & rectis solatio, malis autem formidini sint, & eorum exemplo, cæteri fideles ad bene operandum instruantur, & ad viam salutis dirigantur, & ea, quæ propterea per nos statuta, & ordinata fuerunt, pro rei magnitudine & grauitate per sacrum generale Concilium approbentur & innouentur, & approbata, & innouata communiantur, vt & firmius perdurent, & tenacius obseruentur, & aduersus diaboli multiplices insidias defendantur, quo fuerint dicta auctoritate sæpius circumfulta.

Super qua edita est præcedens Bulla.

§. 1. Dudum siquidem à nobis magnis, & vrgentibus causis, magnaque & matura discussione, & deliberatione cum doctissimis, & grauissimis viris etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præcedentibus, & præhabitis, emanarunt literæ tenoris subsequentis, &c.

Bulla hæc est quæ præcedit.

Quæ publicata solemniter fuit.

§. 2. Quæ literæ deinde pro ipsarum substantia firmiori, & notorietate, dum Bononiæ cum nostra Curia essemus, de mense Octobris, Pontificatus nostri Anno septimo in Consistorio nostro secreto, etiam Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Card. & aliquibus Prælatis nostris domesticis, lectæ, & publicatæ & approbatæ, & demũ in quinterno Cancellariæ descriptæ, & annotatæ, & in audientia contradictarum, ac aliis locis publicis dictæ Ciuitatis, & postremo Romæ in locis designatis solemniter publicatæ extiterunt, & eorum exemplaria ad omnes fere Christianos Principes transmissa.

§. 3.

Et modo ad abundantiorem cautelam a/ ord. Pont. sa ro approbante Concilio confirmatur & innouatur.

§. 3. Nos insuper attendentes quanti ponderis, quantique exitij Christi Vicariorum in tertis adulterinæ electiones essent, quantumque detrimenti Christianæ Religioni afferre possent, præsertim his difficillimis temporibus, quibus diuersimodè vexatur Christiana Religio vniuersa, volentes Sathanæ dolis, & insidiis, humanæ præsumptioni, & ambitioni, quantum nobis permittitur, obuiare, vt literæ prædictæ eo magis obseruentur, quo clarius constiterit eas matura, & salubri deliberatione dicti sacri Concilij approbatas, & innouatas, qua statutæ & ordinatæ fuerunt, licet ad sui subsistentiam, & validitatem alia approbatione non indigerent, sed ad abundantiorem cautelam, & ad tollendam omnem doli, ac malitiæ causam male cogitantibus, & tam saluberrimæ constitutioni contrauenire satagentibus, vt eo tenacius obseruentur, & difficilius tollantur, quo tantorum Patrum fuerint approbatione munitæ, literas prædictas, cum omnibus & singulis statutis, ordinationibus, decretis, definitionibus, pœnis, inhibitionibus, aliisque omnibus & singulis clausulis in eis contentis, sacro hoc Lateran. Concilio approbante, auctoritate, & potestatis plenitudine præfatis approbamus, & innouamus, easque inuiolabiliter, & irrefragabiliter obseruari & custodiri mandamus, roburque perpetuæ firmitatis obtinere, ac Cardinales, Mediatores, Oratores, Nuntios, & alios in dictis literis contentos ad ipsarum literarum, & omnium & singulorum in eis expressorum obseruationem, sub censuris & pœnis, & aliis in eis contentis, iuxta earumdem literarum tenorem, & formam teneri, & obligatos fore decernimus, & declaramus.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c.

Dat P. A. 10. die 16. Febr. 1512.

Datum Romæ in basilica Lateranensi, in sacra sessione Anno Domini 1513. * quartodecimo Kalendas Martij, Pontificatus nostri Anno decimo.

IV. Innouatio constitutionum Bonif. VIII. Alex. V. Pij II & Innoc. VIII. contra prouisos, ingerẽtes se in administrationibus beneficiorum, literis Apost. non expeditis. Et contra non soluentes annatas Cameræ Apostolicæ.

Quoad secũdam partem rubricæ, vide infra Sixt. V. constit. 33. Cameræ, vbi alias bullas materia indicabo.

Edita An. D. 1505.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis prouidentia circonspecta, ad ea libenter intendit, per quæ animarum periculis, Ecclesiarum & Monasteriorum dispendiis obuietur, Cameræque Apostolicæ, cui diuersa impensarum onera, pro Ecclesiæ Romanæ statu conseruando, quotidie incumbunt, indemnitati debite prouideatur.

Bonif. VIII. in extrauag. 1 de electio. instit prouisos in Curia non se ingerant literis non expeditis.

§. 1. Dudum siquidem ad audientiam fel. record. Bonifacij VIII. & Alexandri V. Romanorum Pontificum, prædecessorum nostrorum deducto, quod nonnulli ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, Monasteria, & Prioratus, tam regulares quam sæculares promoti, seu quibus per eosdem prædecessores, seu Sedem Apostolicam, de dictis Ecclesiis, Monasteriis, siue prioratibus, hactenus quomodolibet prouisum fuerat; in expeditione literarum Apostolicarum super prouisionibus huiusmodi negligentes existebant, quidam vero ex prædictis, quod deterius erat, absque huiusmodi literis, in suæ salutis interitum, ad Ecclesias, Monasteria, & prioratus huiusmodi, præter & contra stylum, & morem Romanæ Curiæ, laudabiliter obseruatos, ac etiam Apostolicas prohibitiones, accedere præsumpserant, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, vel prioratuum huiusmodi, regimini, gubernationi, & administrationi se etiam ingerebant & immiscebant, ac ingerere & immiscere damnabiliter præsumebant, iidem prædecessores cupientes huiusmodi damnis instantibus & futuris remedium adhibere opportunũ, videlicet idem Bonifacius prædecessor noster vnam perpetuo valituram constitutionem, quę incipit, Iniunctæ, per quã inter alia sanxit, vt Episcopi &c.

Alex. V. (cuius const. hic nõ habet) pœnas prædictis imposuit, si infra annum literas nõ expedirent.

§. 2. Alexander vero prædecessor memoratus, ipsius Bonifacij prædecessoris inhærendo vestigiis, ac de consilio tunc venerabilium fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, auctoritate Apostolica, & ex eius certa scientia, aliam, quæ incipit, Ex iniuncto, edidit constitutionem, per quam etiam inter alia statuit & decreuit, quod omnes, & singuli Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Electi, Administratores, Commendatarij, Abbates, & Priores huiusmodi, quibus, per eum auctoritate Apostolica hactenus de aliqua Patriarchali, Metropolitana, vel Episcopali, Ecclesiis vel Monasteriis, seu de prioratibus conuentualibus, etiam in administrationem, vel commendam, Prouisum extitisset, & eorum literas vsque ad totalem expeditionem, & receptionem earumdem litterarum inclusiue, expediri non fecissent, sub pœna priuationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & prioratuum huiusmodi, & omnis iuris ex prouisionibus prædictis quomodolibet acquisiti (quam quemlibet negligentem incurrere voluit eo ipso, & quod Ecclesias & Monasteria, ac prioratus negligentium præmissa ad effectum perducere, ex ea die, prout ex tunc præfata auctoritate vacare, & Apostolicæ Sedis dispositioni specialiter reseruata fore, decreuit, & declarauit) tenerentur, & deberent literas huiusmodi, super prouisionibus ipsis per se vel alios, vsque ad præfatam earum totalem expeditionem, ac receptionem, vt præmittitur inclusiue, expediri fecisse, infra annum à data prouisionis factæ, continue computandum. Illi verò, quibus prouideri contingeret quomodolibet in futurum, de Ecclesiis, Monasteriis, aut prioratibus huiusmodi, seu aliquo eorundem, sub pœna simili, quam, vt præfertur, incurrent, etiam infra annum a die prouisionis faciendæ continuo computandum, similiter tenerentur & deberent literas ipsas etiam vsque ad prædictam totalem expeditionem, & receptionem inclusiue, expediri fecisse. Et interim sub eadem pœna per se vel alios, absque literis prouisionis in forma, de regimine, gubernatione, seu administratione, vel quasi Ecclesiarum, Monasteriorum, prioratuumque prædictorum, vel alicuius eorum seu bonorum eorundem, in spiritualibus, vel temporalibus, nullatenus se ingerere, vel aliter se immiscere, aut super his, vel eorum aliquo, seu dependentibus vel connexis, iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere præsumerent, cæterisque pœnis contra prædictos, à iure, vel ab homine, etiam ratione negligentiæ muneris consecrationis, vel benedictionis non suscepti, statutis, inflictis, & aliis in suo robore permansuris, irritum, & inane, censens ex ea die, si secus vel aliter, super his, à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter in posterum contingeret attentari quomodolibet.

Pius II. (cuius const. hic nõ habet) pœnas inflixit non soluentibus Annatas.

§. 3. Successiue vero recolendæ memoriæ Pius Papa Secundus etiam prædecessor noster, cupiens, tam saluti animarum, quam ipsius Cameræ Apostolicæ indemnitatibus salubriter prouidere, ac existimans eos, quos in dicta Camera deinceps pro annata beneficiorum per eos auctoritate Apostolica assecutorum, obligari contingeret, infra terminos eis constitutos, omnino Cameræ prædictæ satisfacturos, si vltra sententiam excommunicationis, quam nõ satisfaciendo in termino sibi præfixo, ipso facto incurrent, aliqua per eum illis pœna fortior infligeretur, præmissis, ac certis aliis rationabilibus causis animum suum mouentibus, per quandam constitutionem suã, quæ incipit, Romani Pontificis, perpetuo prouidit, & eadem auctoritate Apostolica statuit, & ordinauit ac decreuit & declarauit, quod omnes & singulæ obligationes, quæ ex illa die, super annatis quorumcumque beneficiorum in dicta Camera reciperentur, intelligerentur, quod obligati pro se, si infra eis præfixos terminos, Cameræ Collectoribus in partibus pro tempore existentibus, satisfacere defecissent, tam ipso facto, lapso eodem termino, sententiam excommunicationis incurrerent, quam beneficiis suis, pro quibus in dicta Camera se obligassent, omnino essent & censerentur priuati; illi vero,

qui

qui non pro se, sed pro aliis, vt principales, & priuatæ personæ, super huiusmodi annatis se obligarent, vltra incidentiam excommunicationis sententiæ prædictæ, si in termino constituto dictæ Cameræ vel Collectoribus non soluissent, ipso facto suis omnibus quæ obtinerent beneficiis, similiter intelligerentur esse priuati, atque talium beneficia possent in euentum prædictum per quoscumque libere & licite impetrari.

Innoc. VIII. aliam contra eosdem edidit const. num. 3. quæ est sup.

§. 4. Dehinc fel. rec. Innocentius Papa Octauus similiter prædecessor noster per quandam suam constitutionem, quæ incipit, Cameræ Apostolicæ, &c.

Hic modo Pontif. confirmat cõst. dictorum Pontificũ quoad futura. Et moderatur quoad præsentia & præscripta.

§. 5. Nos igitur cupientes ne prouisiones, concessiones, & gratiæ Apostolicæ Sedis, & præcipue quæ à nobis emanarunt & pro tempore emanabunt, diu maneant in suspenso, sed perfecte ad actum, iuxta Apostolicas constitutiones deducantur, & ne Ecclesiarum, monasteriorum & prædictarum dignitatum Ecclesiasticarum Prælati, seu Commendatarij, & Administratores, absque titulo & literis Apostolicis, in animarum suarum periculum, regimini & administrationi eorundem se ingerere, aut alias illis immiscere præsumant; ac ne Cameræ Apostolicæ redditus minuantur, sed damnis eiusdem obuietur, in præmissis omnibus prouidere, prædictorum prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis, Motu proprio, & ex certa scientia, constitutiones præfatas, earum quamlibet innouantes, præsenti constitutioni perpetuo valitura declaramus, decernimus, statuimus, & ordinamus, quod constitutiones Bonifacij, Alexandri, Pij, & Innocẽtij prędecessorum nostrorum huiusmodi, etiã quoad pœnas & cẽsuras, etiã priuationis in eis expressas, quoad futura, in omnibus, & per omnia, iuxta illarum tenores, qui omnes inuiolabiliter perpetuis futuris temporibus obseruẽtur, quo vero ad præsentia, & præterita, constitutiones, & ordinationes easdem moderamur sub hac forma, videlicet, quod quoad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Electos, Administratores, Commendatarios, Abbates, Priores, & alios quoscumque, quibus auctoritate Apostol. de Patriarchali, Metropolitana, vel Cathedrali Ecclesiis aut monasteriis, seu prioratibus conuentualibus, etiam in administrationem, vel commendam, hactenus prouisum extitit, & super his literas vsque ad totalem expeditionem, & receptionem earumdem expediri, infra terminum in constitutione Alexandri prædecessoris huiusmodi præfixum, non fecerunt, vel etiam sine literis confirmationis, prouisionis, vel commendæ, consecrationis, & benedictionis, Ecclesiarum, monasteriorum, vel prioratuum administrationem acceperunt, & illi incumbunt, vel etiam quoad illos, qui pro annatis quorumcunque beneficiorum, in dicta Camera Apostolica, se pro seipsis, vel aliis, infra certum tempus, pro solutione obligauerunt, & statutis terminis non soluerunt, ac propterea sententias, & pœnas in præmissis constitutionibus, & obligationibus contentas incurrerunt; si citra montes infra quatuor; si vltra montes, infra octo menses, à die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica, computandos, literas huiusmodi totaliter expedierint, & ad se receperint, & de his quæ debent, Cameræ prædictæ satisfecerint: ex tunc (dummodo per prouisiones, collationes, seu alias quaslibet dispositiones de Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, & beneficiis prædictis, à prædicta Sede Apostolica, vel alias à quocumque, vel quomodocumque factas, non sit alteri, ante datam huiusmodi constitutionis nostræ, ius quæsitum) eo ipso ab excommunicationis sententia, & aliis pœnis, quibus per prædictas constitutiones, vel obligationes respectiue obligati essent, absoluti, & ad beneficia quibus propterea priuati essent, plenarie restituti, auctoritate nostra censeantur, perinde ac si præmissa omnia, & singula in ipsis constitutionibus contenta obseruassent, & pœnas præfatas non incurrissent.

Non soluẽtib. annatas temporibus debitis pœnam priuationis apponit.

§. 6. Quod si prædictas literas non expedinerint, & illis constitutionibus non paruerint, vel in terminis ipsis non soluerint, pœnas prædictas, etiam priuationis, eo ipso incurrisse se nouerint, quos etiam tenore præsentis constitutionis, expresse pœnis, & censuris eisdem innodamus, & priuatos declaramus. Et insuper eadem auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod illi, quos annatis huiusmodi, dictæ Cameræ teneri constiterit, etiamsi alias illas soluere nullatenus promisissent, seu ad illarum solutionem non aliter se specialiter obligassent, si literas hactenus desuper Apostolicas aliqua machinatione vel fraude adhibitis, solutione annatæ, vel obligatione in eadem Camera minime facta, recepissent (dummodo beneficia ipsa fuissent, seu fuerint quomodolibet realiter assecuti) ad solutionem annatæ, & iurium prædictorum, efficaciter teneantur. Et nisi infra quatuor menses, si citramontani: & octo menses si vltramontani fuerint, à die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica computandos, de annata debita satisfecerint dictæ Cam. Apost. vel eius collectoribus; de qua solutione appareat per instrumentum publicum, lapso dicto termino, beneficiis, pro quibus de annata soluenda tenentur, omnino sint, & intelligantur eo ipso priuati.

Decretum irritans.

§. 7. Et sic in omnibus, & singulis præmissis, etiam per quoscumque iudices etiam S.R.E. Cardinales, & Palatij Apostolici Auditores, & alios in Romana Curia, vel extra eam, in causis, in quavis instantia, etiam per appellationem, vel alio quouis modo, quomodocumque, & qualitercumque pendentibus, iudicari debere, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, perpetuo decernimus, & declaramus.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus omnibus, quæ iidem prædecessores in præfatis suis constitutionibus voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Vt autem hæc innouatio, statutum, voluntas, decretum, & ordinatio, ac declaratio nostra, ad omnium, & singulorum notitiam deducantur; nullusque possit deinceps aliquam excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, vtque perpetuo firma, & illibata permaneant, auctoritate, & tenore prædictis volumus, & mandamus, vt in valuis nostræ Cancellariæ tribus vicibus, diuersisque diebus, dum ipsa Cancellaria tenebitur, & donec durabit, per aliquem ex Cursoribus nostris affigantur, & teneantur, exindeque in libris Cancellariæ Apostolicæ, vbi similia describi & registrari consueuerunt, per officiales Cameræ prædictæ ad quos pertinet, ad perpetuam rei memoriam describantur, & registrentur.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ, apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, 1505. 5. Kal. Augusti, Pont. nostri Anno 2. *Dat. d. A. & die 28. Iulij.*

Priuilegium Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, deputandi iudices Conseruatores bonorum, & personarum ipsius Congregationis, eorumque Conseruatorum ampla iurisdictio. V.

Qualitates eiusmodi Conseruatorum explicat Leo X. in sua const. 22. Dum intra, & eorundem auctoritatem tradit Pius V in const. 11. Dum ad vberes, & postremo declarauit Clemens VIII. inf. in eius const. 3. Sanctissimus. Quæ ob communicationem priuilegiorum inter Regulares possunt huic Congregationi, & aliis deseruire, stante præsertim præseruatione Conc. Trid. sess. 24. cap. 3.

Alia de hac Congregatione, indicaui supra in constit. 1. Clem. VI. Solicitudinis sup.

Ad fauorem Abbatum huius Congregationis super vsu Baldachini, Assistentium, & aliorum Ministrorum emanauit Decretum à Sacra Congregatione Rituum, quod approbauit S. D. N. Vrb. VIII. in const. 97. Exponi inf. tom. 4.

IVLIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus, Patriarchæ Aquileien. Neapolitan. Mediolanen. Florentino, Senen. *Edita An. D. 1505.*

Senen. Archiepiscopis, Bononien. ac Eugubinen. Episcopis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium. Militanti Ecclesiæ licet immeriti, disponente Domino Præsidentes, circa curam Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa solliciti, vt iuxta debitum pastoralis officij eorum occurramus dispendiis, & profectibus diuina cooperante clementia salubriter intendamus.

Causa huius indulti. §. 1. Sane, dilectorum filiorum, Abbatis generalis, & Conuentus Monasterij sanctæ MARIÆ in Ancona, Ordinis S. Benedicti, Pientinæ diœcesis, & Visitatorum Congregationis Montis Oliueti nuncupati, & aliorum Abbatum, Priorum, & conuentuum, Monasteriorum, & prioratuum præfati Ordinis, & Congregationis eiusdem conquestionem percipimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati & Clerici, ac Ecclesiasticæ personæ, tam Religiosæ, quam sæculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, Laici, Communia ciuitatum, vniuersale oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, ac singulares personæ ciuitatum, & diœcesum, ac aliarum partium diuersarum, occuparunt, & occupari fecerunt castra, villas, & alia loca, terras, domos, possessiones, iura, iurisdictiones, necnon census, fructus redditus, & prouentus, dicti & aliorum monasteriorum, religiosorum locorum, seu membrorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum monasteriis, Prioratibus, & locis dicti Ordinis illius Congregationi acquisitorum, seu alias annexorum, ac illis subiectorum, & ab illis dependentium: ac nonnulla alia bona mobilia, & immobilia spiritualia, & temporalia, ad Abbates, Priores, conuentus, & congregationem prædictos: necnon commissos, vel oblatos, & oblatas, vel commissas, Congregationi, & membris præfatis, seu sua bona dantes, spectantia, & ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel fauorem; nonnulli etiam ciuitatum, & diœcesum, ac partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem Abbatibus, prioribus, conuentibus, congregationi, commissis, seu oblatis super prædictis castris, villis, locis aliis, terris, domibus, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus, & prouentibus eorundem, & quibuscumque aliis bonis mobilibus, & immobilibus, spiritualibus, & temporalibus, ac aliis rebus ad monasteria, prioratus, loca, membra, & beneficia, ac Abbates, conuentus, congregationem, commissos, seu oblatos, commissas, vel oblatas huiusmodi spectantibus, multipliciter molestias, & iniurias inferunt ac iacturas. Quare Generalis, Visitatores, & alij Abbates, priores, & conuentus, ac congregatio præfati nobis humiliter supplicarunt, vt cum eis valde difficile reddatur, pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, prouidere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus.

Facultas & iurisdictio Conseruatorum Ordinis. §. 2. Nos igitur aduersus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, iniuriatores huiusmodi, illo volentes eisdem Abbatibus, prioribus, conuentibus, & congregationi remedio subuenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel sex, aut quinque, seu quatuor, aut tres, vel duo, aut vnus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca in quibus deputati estis, Conseruatores, & iudices, præfatis Abbatibus, prioribus, conuentibus, & Congregationi, commissis seu oblatis, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis, eosdem super his, & quibuslibet aliis bonis ac iuribus præsentibus, & futuris, ad Abbates, & conuentus Congregationem, commissos, vel commissas, seu oblatos, vel oblatas, monasteria, prioratus, membra, & loca, præsentia, & futura dictæ Congregationis spectantia, ab eisdem, vel quibusvis aliis, indebite molestari, vel eis grauamina, seu damna, vel iniurias irrogari, facturi, dictis Abbatibus, prioribus, conuentibus, & Congregationi, commissis siue oblatis, cum ab eis vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti de prædictis, & aliis personis quibuslibet, super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum, & aliorum locorum, iurisdictionum, iurium, & bonorum mobilium, & immobilium, redditıum quoque, prouentuum, ac aliorum quorumcumque bonorum, præsentium, & futurorum, necnon de quibuslibet molestiis, & iniuriis atque damnis præsentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ iudicialiter requirunt indaginem, summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij; in illis vero prout qualitas eorum exegerit, iustitiæ complementum. Occupatores seu detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque vel quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, in quibus cauetur ne quis extra suam ciuitatem, & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam, à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices, & Conseruatores à Sede deputati prædicta, extra ciuitatem, & diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij, vel alii vices suas committere, aut aliquos vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis trahere præsumant, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præsentium non trahatur, aut quod de aliis quam manifestis iniuriis, & molestiis, atque damnis, & aliis quæ iudicialiter requirunt indaginem pœnis in eis, si secus egerint, & in id procurantes adiectis, Conseruatores se intromittant, quam Papiensis de feriis cognoscendis primis, & secundis causis in terris, locis inibi expressis, ac aliis quibuscumque institutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de iudicibus delegatis, & Conseruatoribus, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis, editis, quæ vestræ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare, necnon statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, monasteriorum, Religiosorum, ciuitatum, terrarum, & aliorum locorum, iuramento, confirmatione Apostolica, aut quavis alia firmitate roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis Ordinibus, monasteriis, prioratibus, præpositutis, præpositatibus, dignitatibus, & personatibus, ac administrationibus, & officiis, cæterisque beneficiis Ecclesiasticis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, & in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac aliis personis quibuslibet, etiam cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus, & efficacioribus concessis, quibus etiamsi de eis specialis specifica, & expressa, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda foret, & in eis caueretur expresse quod in illis non nisi sub certis inibi expressis modis, & formis, aut nullatenus derogari possit, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus; seu si aliquibus communiter vel diuisim, à Sede præfata indultum existat, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac eorum personis, & Ordinibus, ac nominibus propriis mentionem, & qualibet alia, dictæ Sedis indulgentia, generali, vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam vestræ iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in vestris literis mentio specialis.

Indultum eligendi Conseruatores. §. 4. Cæterum volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod omnes, & singuli alij Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & alij locorum Ordinarij, præsentes, & futuri, eorumque pro tempore Vicarij in spiritualibus generales, necnon quæcumque aliæ personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, ac eorum singuli, quando, & quoties pro parte Abbatum, Priorum, conuentuum Congregationis, commissorum, seu oblatorum, vel commissarum, & oblatarum prædictorum, vel eorum alicuius super præmissis,

missis, vel eorum aliquo requisiti fuerint, ad præsentium literarum executionem procedere possint, & debeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si præsentes literæ, etiam eis, cum clausula quatenus ipsi omnes, vel duo, aut vnus eorum specialiter directæ fuissent.

Ampliatio facultatis Conservatorum. §. 5. Et si per summariam informationem super his per vos, aut eos habenda, vobis aut eis constiterit, quod ad loca in quibus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, iniuriatores huiusmodi ac alios ad quos præsentes literæ peruenerint pro tempore morari contigerit, pro monitionibus, & citationibus, de eis facientibus, tutus non pateat accessus, Nos vobis, & aliis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinariis, & personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, prædictas citationes, & monitiones quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis, & partibus illis vicinis de quibus sit verisimilis coniectura quod ad notitiam citatorum, & monitorum huiusmodi peruenire valeant, faciendi, plenam, & liberam, earumdem tenore præsentium concedimus facultatem. Ac volumus & prædicta auctoritate decernimus, quod monitiones, & citationes huiusmodi, perinde arctent ipsos monitos, & citatos, ac si eis, & personaliter insinuatæ, & intimatæ legitimæ extitissent, quod quilibet vestrum, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum, Vicariorum, & personarum in dignitate præfata constitutarum prædictorum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, & à data præsentium, sit vobis, & ipsis & vnicuique vestrum, & eorum in præmissis omnibus, & eorum singulis cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris, perpetuata potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate vos, & ipsi possitis, & quilibet vestrum, & eorum, possit in præmissis omnibus cœptis, & nō cœptis, præsentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula, coram vobis seu ipsis cœpta fuissēt, & iurisdictio eorū, & vestra ac cuiuslibet vestrū in præmissis omnibus, & singulis, per citationē vel modum aliū, perpetuata legitimè extitisset.

Fides danda transumptis. §. 6. Et quia nihilominus difficile foret præsentes, literas huiusmodi ad singula quæque loca in quibus de eis forsan mentio facienda fuerit, deferre, eadem Apostolica auctoritate decernimus, quod earum transumptis, manu alicuius notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra, ac vbi libet plena fides adhibeatur, & eis stent in omnibus, & per omnia, perinde ac si ipsæ originales literę exhiberentur, & ostenderentur, constitutione Apostolica super Conseruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita, non obstan. præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Dat. P. A. 2. die 25. Octob. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1505. 8. Kal. Nouemb. Pont. nostri Anno 2.

VI. Contra homicidas, & alios capitaliter bannitos aut sibi ius dicentes, aut caualcatā facientes &c. eorumque receptatores, & fautores.

Quoad prædictos bannitos attende const. 6. Six. V. Hoc nostri. Quo verò ad ius dicentes, & caualcatas facientes, vide aliam eiusdem Six. const. 75. Dum pro.

Edita An. D. 1505. *IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. CVm homines se inuicem quantum possunt ratione, & auxilio fouere debeant, ideo Deo, & hominibus abominabiles esse viros sanguinum auidos Propheta testatur: nec immerito, cum horrenda sæuitia, non solum corporum, sed etiam animarum eorum quos interimunt, si non sint armis spiritualibus, diuina præueniēte gratia præmuniti, procurare noscātur, pro quibus Dominus noster IESVS CHRISTVS mortem subiit temporalem. Ad reprimendum igitur talium conatus nefarios plurimum conferre arbitrantes, eos qui huiusmodi detestabile scelus patrare non expauescunt iustitia cupientes puniri, & latas pro tempore contra eos condemnationes debitæ executioni demandari, ea quæ pro talium condemnationum faciliori executione, & sicariorum huiusmodi persecutione, à prædecessoribus nostris prouidé emanarunt, vt eo firmius obseruentur, quo fuerint sæpius Apostolica auctoritate munita, libenter approbantes, muniminе roboramus, ac alia pro Vrbis nostræ, & aliarum ciuitatum, terrarum, & prouinciarum nobis subiectarum, necnon ciuium, & incolarum earumdem commodo, pace, & tranquillitate desuper statuimus prove in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pius II. contra homicidas edidit bullam quæ est supra. §. 1. Dudum siquidem per fel. record. Pium Papam Secundum prædecessorem nostrum, accepto quod a certis annis tunc elapsis citra in terris, locis, & tenimentis Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectis quam plura etiam ex leuibus causis commissa esse reperiebantur homicidia, &c.

Sixt. IV. eiusdem bullam hic n. 4 habet. ed. confirmauit. §. 2. Et deinde piæ memoriæ Sixtus Papa IV. etiam prædecessor noster, accepto per eum quod in ipsius Pij prædecessoris literis contenta a certis annis tunc elapsis citra non fuerant obseruata, &c. prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

Hic Pont. illas innouat. §. 3. Cum autem tempore assumptionis nostræ ad summi Apostolatus apicem propter guerras, quibus non solum ciuitates, terræ, & loca temporali dominio eidem Romanæ Ecclesiæ subiecta, sed etiam tota Italia decem fere annis, magno cum omnium in eis habitantium incommodo vexata fuerunt, in eisdem ciuitatibus, terris, & locis, præsertim in Vrbe nostra intestina, ac diuturna odia, & discordias, ciuilesque dissensiones vigere, ac furta, latrocinia, homicidia passim perpetrari cognouerimus, mēte reuoluētes præfatum Sixtum prædecessorem, & auunculum nostrum, qui nos ad Cardinalatus honorem euexit, ad decorem, & venustatem Vrbis prædictæ, & illius temporum restaurationem, ac personarum eiusdem Vrbis, ac aliarum ciuitatum, & locorum eidem Romanæ Ecclesiæ subiectorum commoda aciem suæ considerationis extendisse, illius exemplo promoti animum ad sedandum discordias, & odia, tam in dicta Vrbe, quam aliis ciuitatibus, terris, & locis dictæ Ecclesiæ subiectis, ad firmandam perpetuam pacem, & quietem, non sine maximis animi, & corporis molestiis, & curis, pro subditorum nostrorū commodis applicuimus, idque opportunis iuris remediis omni studio efficere cupimus. Habita igitur super iis cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, & de illorū consilio, literas Pij, & Sixti prædecessorum prædictorum, & prout alias concernunt, omnia, & singula in dictis literis cōtēta auctoritate Apostolica tenore præsentium, approbamus, & innouamus, & robur firmitatis perpetuæ obtinere debere decernimus.

Extendit easque ad quoscumque alios capitaliter condemnatos. §. 4. Ac illas ad bannitos, exititios, & rebelles, aut alios pro quocumque alio crimine capitali, à quibusvis officialibus, tam in dicta Vrbe, quam extra eam, & in terris eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectis ius dicentibus pro tempore condemnatos, ac brigosos nuncupatos, pacem iuxta ordinationes dictæ Vrbis, Apostolica auctoritate approbatis facere recusantes, necnon ius sibimet contra alios dicentes, aut caualcatas sine Romani Pontificis, aut officialium suorum speciali licentia facientes, vel mouentes, præfata auctoritate, de eorumdem fratrum consilio extendimus.

Receptationem eorumdem & fauorem prohibet. §. 5. Ac vniuersis, & singulis, tam laïcis quam Ecclesiasticis cuiuscumque status, gradus, ordinis, excellentiæ, dignitatis, Ducibus quoque, Comitibus, Baronibus, domicellis, necnō communitatibus, ciuitatum, terrarum, castrorum, & aliorum quorumcumque locorum, nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum, districte præcipiendo mādamus, & inhibemus, ne aliquis eorum homicidas, bannitos, exititios, & rebelles, aut pro alio capitali crimine cōdēnatos, aut brigosos pacem facere recusantes, seu ius sibi contra alium dicentes, aut caualcatas facientes, vel mouentes, in eorum ciuitatibus, castris, seu locis, aliis quibuscumque recipere, & retinere, seu auxilium consiliū, vel fauorem, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, per se vel aliū præstare, aut in

eorum domibus, seu castris, vel locis recipere, & receptare præsumat.

Contrauenientibus pœna infligitur. De his vide omnino bullas etiam rub.

§. 6. Et si aliquis contra inhibitionem, & mandatum huiusmodi quovis modo directe vel indirecte de cætero venire præsumpserit, nos omnes, & singulos sic contrauenientes, contra quos per Pium, & Sixt. præfatos, ac alios prædecessores nostros Romanos Pontifices, & Apostolicæ Sedis Legatos, etiam satis est debite prouisum, excommunicationis maioris, & anathematis sententiam, à qua non nisi à nobis, vel eisdem successoribus, præterquam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa, absolui possint, incurrere, eosque omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus, realibus, & personalibus, ac ciuitatibus, castris, terris, locis, & dominiis eorum, dignitatibus, & honoribus, iuribus, officiis, ac etiam feudis, & concessionibus quibuscumque quæ à nobis, & Romana, ac quibuscumque aliis Ecclesiis obtinere noscuntur, sub quacumque verborum forma, & tenore, ac cum quibusvis fortissimis, & insolitis clausulis, immunitatibus, exemptionibus, & priuilegiis, etiam præsertim iaab incursu pœnæ priuationis ipso iure (quorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro expressis haberi volumus) eo ipso priuatos, & inhabiles ac indignos ad illa & quælibet alia in posterum obtinenda, & quoscumque actus legitimos exercendos fore nunciamus, & illa per nos, & successores nostros absque aliqua declaratione super incursu pœnæ priuationis huiusmodi, aut citatione eorum qui priuationis pœnam incurrerint facienda, aliis personis in feudum seu vicariatum, aut alias, ac si per lapsum temporis concessionis, aut finitam lineam, ad dictam Cameram reuertissent, libere concedere, ac alias de illis disponere posse decernimus, & declaramus, necnon ciuitates, terras, castra, & loca prædicta Cameræ Apostolicæ confiscamus, incorporamus, applicamus & appropriamus, ac confiscata, incorporata, applicata, & appropriata esse, sicque contrauenientes pro rebellibus eiusdem Romanæ Ecclesiæ haberi, & censeri debere volumus, eorum subditos, & vassallos, & arcium, ciuitatum, terrarum, castrorum, & locorum prædictorum castellanos, à quocumque fidelitatis iuraměto, quo ipsi essent quomodolibet adstricti, penitus absoluẽtes. Ciuitates quoque, terras, castra, & loca prædicta, si ad eiusdem Romanæ Ecclesiæ obedientiam se non reduxerint, seu in præmissis quomodolibet deliquerint, & etiam quorumcumque eis consilium, auxilium, vel fauorẽ quouis modo directe, vel indirecte, publice, vel occulte præstantium, etiam quæcumque, Ecclesiastica, vel mundana, etiam si Regali præfulgeant dignitate, & excellentia, vt præfertur, & ad quæ eos declinare contigerit, Ecclesiastico subiicimus interdicto, tamdiu firmiter obseruando, donec ibid. fuerint, etiam per triduũ post inde discessum.

Reuelationẽ præcipit.

§. 7. Illos quoque qui aliquem scienter culpabilem in prædictis, & nobis vel successoribus nostris infra trium dierum spatium non retulerint, vel alicui per quem ad nos verbum fideliter perferatur, similes pœnas incurrere volumus.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & quibuscumque aliis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, super recipiendis bannitis, & homicidiis, ac brigosis, & aliis prædictis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quoad hoc cuiquam volumus nullatenus suffragari.

Publicationẽ committit. Hæc publ. non habetur, sed sufficit publ. constit. cit. in rub.

§. 9. Vt autem præsentibus literæ ad omnium notitiam deducantur, volumus, & mandamus, illas in valuis basilicarum Principis Apostolorũ, & Sancti Ioannis Lateranensis de Vrbe affigi, vt ij quos literæ ipsæ concernunt, quod ad ipsos non peruenerint, aut illas ignorantint, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, quod apud ipsos remaneat incognitum, quod tam patenter fuerit publicatum. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1505. 5. Kal. Decemb. Pont. nostri Anno 3. *Dat. P. An. 3. 27. Nouemb.*

Prohibitio appellandi in causis criminalibus prouinciæ Marchiæ, in Statu Ecclesiastico, non facto deposito pœnæ pecuniariæ, in qua rei condemnati sunt. VII.

Hæc prohibitio approbata est ac extensa ad totum Statum Ecclesiast. per Pium IV. vt inf. in eius const. 52. Etsi cuncta, vbi notaba declarationes.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Nicolao Prouinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ Thesaurario, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1506.*

Causa prohib.

ACcepimus Fisco Cameræ Apostolicæ, illius nostræ prouinciæ, damnum non leue inferri, delictaque impunita remanere, ex prætextu appellationum, quæ in maleficiorum causis, tum ante condemnationem, tum post interponuntur; propter quas, cum aut ad Vrbem, aut alio causæ ipsæ transferuntur, indecisæ, & minus pro ipso Fisco defensæ remanent.

Prohibitio appellandi absque deposito.

§. 1. Quamobrem volentes damno, & impunitati prædictis occurrere, tibi committimus, & mandamus, vt nullam in aliqua causa alicuius maleficij, aut fractæ pacis induciarum, vel treguæ, etiamsi de noua causa, aut de habendo recursum diceret, appellationem admittas, aut admitti sinas per aliquem iudicem, vel officialem, nisi prius effectuale depositum penes te fecerint, de pœna, in qua appellans condemnatus fuerit, aut veniret condemnandus, prout in constitutionibus prouincialibus, & aliis prædecessorum nostrorum, & nostris literis, ad quas relationem haberi volumus, plenius continetur.

Prohibitio appellationes admittendi.

§. 2. Inhibentes etiam præsentibus Gubernatoribus, Vicelegatis, Locumtenentibus, & aliis quibuscumque officialibus ipsius prouinciæ, quocumque nomine nũcupatis, vt appellationem aliquam in dictis causis admittere nullo modo audeant, vel præsumant, nisi per te eis prius constiterit de effectuali deposito, vt præmittitur facto. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus à quocumque aliquid præsumptum fuerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 16. Iunij, 1506. Pont. nostri Anno 3. *Dat. P. An. 3. 16. Iunij.*

Iurisdictio, & auctoritas Clericorum R. Cam. Apost. præsidentium aliquot ex se ipsis annis singulis transmittendi ad loca Status Ecclesiastici visitanda; Officialesque & alios quoscumque delinquentes coërcendos. VIII.

Alia de istis Clericis indicaui sup. in Alex. VI. const. 12. Etsi ex.

IVLIVS PAPA II. *Edita An. D. 1506.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ gregem Dominicum, præsertim Ciuitatum, & locorum temporali dominio S.R.E. mediato, vel immediato subiectorum, diuina disponente clementia nobis commissum, intra iustitiæ tramites, cum pace, & iustitia gubernare, regere, & ab oppressionibus liberare possimus.

Officiales Status Ecclesia-

§. 1. Sane fuit fide dignorum testimonio relatum, quod nonnulli Prouinciarum, ciuitatum, & locorum prædicto

sti, & alij variis modis delinquebant quæ incognita, & subsequenter impunita remanebant

prædictorum Gubernatores, Locatenentes, Vicelegati, Thesaurarij, Dohanarij, Gabellarij, Castellani, armorum ductores, Camerarij, Exactores, Priores, Antiani, Consules, Consiliarij, Vicarij, & Ecclesiarum, & piorum locorum Prælati, Rectores, & procuratores damnorum datorum, & alij, cuiuscumque nominis clericalis, vel sæcularis auctoritatis, vel iurisdictionis officiales, executores, & aliæ priuatæ personæ, qui ministerio iustitiæ, & negotiis publicis præpositi sunt, non modo illa vt debent, non seruant, & seruari curant, & faciunt, sed quandoque in populorum prædictorum, & Fisci nostri Apostolici damnum non modicum, & animarum suarum periculum, & detrimentum, vel personarum acceptione, vel simoniæ, odij seu amoris labe, & aliis mundanis illecebris corrupti, statuta, & bonas consuetudines non seruando, corrumpunt, tyrannidem exercent, & iustitiæ ministros impediunt, iustitiam lædunt, populorum, communitatum, & priuatarum personarum facultates exhauriunt, & Fisci introitus auferunt, & in rem suam vertunt, vel aliter male pertractant, ex quibus peccandi licentia crescit, & vsurarij, & monetarij multiplicantur, & aliqui Abbates, Priores, Ministri, seu quicumque alij monasteriorum, & Conuentuum Rectores, Præpositi, & Gubernatores quocumque alio nomine nuncupati, & ipsi, & etiam alij Clerici sæculares, Ecclesiarum Prælati, Rectores, & beneficia obtinentes, suis Religiosis extra monasterium morandi facultatem de facto concedunt, & aliunde ad se venientes Religiosos transeuntes contra fel. rec. Martini V. aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostras constitutiones recipiunt, & beneficia etiam sæcularia, & quibus cura imminet animarum habere, & tenere etiam sine dispensatione Apostolica consentiunt, & permittunt, & bona Ecclesiastica tam coniunctis, & amicis, quam aliis variis fictis titulis, non iustis pretiis alienauerunt, & alienare non desistunt, & quidam alij iniquitatis filij, procurante humani generis inimico, Sedis Apostolicæ, vel alterius auctoritatem habentes, indulgentiarum facultatem habere, vel dictæ Sedis Nuntios, seu Commissarios esse, licet falso, asserentes, & fingentes, ac Christi fidelibus suadentes, pecunias, & alia munera quæstuando extorquere, & falsi crimen committere non verentur, & quod magis abominabile est, à casibus Sedi Apost. reseruatis, & votorum etiam perpetuorũ, & visitationis Sepulchri Dominici, S. Iacobi in Compostella, S. Spiritus in Saxia, & liminum Principum Apostolorum de Vrbe, absoluere, & huiusmodi, ac grauiora peccata preter omnium eorum auctoritatem remittere, & super illis dispensare, animasque illaqueare præsumunt.

Hic ideo Pont. Clericis R. Cameræ committit, ut ex se ipsis aliquot ad inquirendum & procedendum super prædictis, quolibet anno transmittant.

§. 2. Nos igitur, qui inter varias curas, quibus continuo premimur, illa præcipue sollicitamur, vt Terræ, & loca prædicta S. R. E. subiecta, sub statu tranquillo, & pacis amœnitate gubernentur, & Ecclesiarum, & locorum piorum bona dissipentur, & Christi fidelium ibidem consistentium animæ, falsis suggestionibus non perdantur, volentes super iis, vt nobis incumbit, de opportuno remedio prouidere, & malorum prædictorum fomenta de medio tollere, & penitus extirpare, & quia huiusmodi crimina, & inconuenientia, & delinquentium calliditate, seu aliquorum potentia, vt prædictum est, ad nos vel ad dictam Cameram Apostolicam non deferuntur, & impunita, vt pote ignota, relinquuntur, quodque occurrere non possumus præmissis, nisi aliquis nobis, & S. R. E. fidus, & probatus, & cui status prædicti cura incumbat, assumatur; Ac attendentes quod dilecti filij Clerici Cam. Apostol. præsidentes, quibus omnium locorum, & terrarum S. R. E. in temporalibus præcipue cura imminet, & qui subditorum prædictorum, & aliorum ad se se currentium querelas audiunt, & illa remedia tribuunt opportuna, prouida deliberatione statuentes, & ordinatione decernimus, ac perpetua inuiolabili lege ordinamus, & sancimus, quod dicti Clerici Præsidentes, anno quolibet, aliquos ex eis deputent, qui ad loca prædicta se conferant, & super præmissis omnibus, & singulis diligenter inquirant, & inuestigẽt, & prædictorum omnium crimina, & defectus audiant, & omni meliori modo reperiant, & repertos solemni adnotatione describant, & Communitatibus, & particularibus personis ablata restitui faciãt, aut referant & in prædicta Camera proponant, vbi iuxta constitutiones fel. rec. Sixt. IV. prædecessoris nostri vota reddantur, & causæ huiusmodi, stylo, & more Camerali iustitia mediante, decidantur, & terminentur, & reperti culpabiles, debitis pœnis plectantur, molestentur, & puniantur.

Quibus deputatis ampla facultas quoscumque culpabiles puniendi conceditur.

§. 3. Volumus insuper quod Clerici, quos, vt præmittitur ad loca prædicta destinari contigerit, ad effectum omnia inueniendi, & reperiendi, quascumque personas publicas, & priuatas, cuiuscumque gradus, præeminentiæ, conditionis, & dignitatis, mundanæ, vel Ecclesiasticæ censeantur, etiam communitates, corpora, collegia, tam super facto proprio quam super testimonio ferendo, seu pro libris, scripturis, & documentis ab eorum prædictas facientibus, seu illas pro arbitrio dicti Clerici concernentibus, edendis, & exhibendis, cogere, compellere, & si opus est, mulctare, punire, & sub pœnis pecuniariis, & censuris Ecclesiasticis, & si eis videbitur per tormenta, carceres, & alios legitimos modos, veritatem eruere possint, taliter quod opera tenebrarum malignantium, calumniis, & diabolicis versutiis non tegantur, sed bene cognita funditus eradicentur.

Eisque Legati & cæteri omnes obedire præcipit.

§. 4. Mandantes Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Locatenentibus, Archiepiscopis, Episcopis, Gentium armorum Capitaneis, Thesaurariis, Baronibus, Vicariis, domicellis, marescallis, barisellis, armorum ductoribus, iudicibus, communitatibus, & omnibus aliis publicis, & priuatis personis quomodocumque nuncupatis, & singulis antedictis, & ipsorum cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ, vt eisdem Clerico præsidenti, vel Clericis præsidentibus, deputato, deputans, vel deputandis assistant, & omnem obedientiam exhibeant, eiusque mandata inuiolabiliter obseruent, & ab aliis prout iusserint, seu iusserit, obseruari faciant, eisque vel eis, de opportunis fauoribus, auxiliis, & præsidiis assistant, & prouideant.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 5. Præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & locorum municipalibus, consuetudinibus, & præscriptionibus, ac quibusuis priuilegiis, indultis, & immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, dispositionibus, & litteris, tam per quoscumque Rom. Pontifices, vel Sedem Apostolicam, sub quibusuis verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis, irritantibusque decretis, etiam ex motu proprio, & ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, & ex quibusuis etiam maximis, & vrgentissimis causis, & necessitatibus, communiter, vel diuisim hactenus concessis, factis, confirmatis, approbatis, & innouatis, nominatim specialiter, & expresse, & in posterum forsan concedendis, faciendis, confirmandis, approbandis, & innouandis, quibus etsi pro eorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specifica, & expressa, ac indiuidua mentio habenda foret, præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad præmissa dumtaxat harum serie eisdẽ motu, & scientia, specialiter, & expresse derogamus, & illa nemini aliquo vnquam tẽpore suffragari volumus, & decernimus, cæterisque cõtrariis quibuscũque.

Fides transumptorum huius bullæ.

§. 6. Volumus autem quod transumpto in Camera Apostolica facto adhibeatur plena fides, quemadmodum propriis originalibus.

Dat. P. An. 3. 22. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 22. Iulij, 1506. Pont. nostri Anno 3.

Contra Clericos, & Ministros R. Cam. Apost. quomolibet in contractibus rerum Cameralium participantes. IX.

Hæc prohibitio confirmatur, & extenditur ad interuenientes in Camera, dum de illis pro ad eos attinentibus tractatur, à Paulo III. inf. in eius const. 18. Alias. Et approbatur à Pio IV. infrà in eius const. 55. Romanus. Sed an hæ prohibitiones ligent Card. Camerarium, vide infrà in alia Iul. III. bulla 3. Licet, vbi notabo.

Edita An. D. *IVLIVS EPISCOPVS, &c.*

Motu proprio, &c.

Causa huius prohibitionis.

PErcepimus à fide dignis, ac pluries informati fuimus, quod in appaltu aluminum Sanctæ Cruciatæ, vel concessionum Dohanarum, Thesaurariæ, ac Salariæ, & aliarum rerum, quæ per nos, seu Ordini nostro, per Præsiden. & Clericos Cameræ nostræ Apostolicæ conceduntur, ad nos, & Fiscum nostrum spectan. nonnulli se intromittunt, immiscent, & forsitan pro eorundem interesse participant, in maximum præiudicium nostrum, & rerum Fiscalium, viam veritatis non agnoscentes in eorundem euidens periculum animarum.

Prohibitio participandi, in contractib. rerum Cameralium.

§. 1. Quare nos super præmissis prouidere volentes, & indemnitati nostræ consulere, Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de plenitudine potestatis, per præsentes præcipimus, & mandamus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, necnon priuationis omnium, & quorumcumque officiorum, & dignitatum, ac emolumentorum, ex eadem participatione, vel alias quomodolibet prouenientium, & Fisco nostro applican. ne aliqua persona dictorum Clericorum, & Præsidentium, & seu Thesaurarij Fiscalia pro tempore existen. & aliarum personarum, quæ negotia nostra gerunt vel ministrant, cuiuscumque gradus, vel dignitatis, etiamsi Cardinalatus existat, audeat, vel præsumat, quovis colore vel causa, se intromittere, aut ad partem facere, vt vulgariter dicitur, vel participare quoquo modo, aut auxilium, consilium, vel fauorem præstare, quod in eius, seu eorundem vtilitatem, vel commodum quoviamodo ex eisdem euenire possit alicui, vel in aliquibus personis, dum appaltus Dohanæ, Thesaurariæ, Salariæ, vel aliquæ aliæ res, quæ ad Cameram nostram spectarent, vel pertinerent, locata fuissent, vel conducta ad vitam, vel ad tempus, vel alias quovis modo datæ vel concessæ.

Pœna scientium & non reuelantium.

§. 2. Mandantes propterea, sub eisdem pœnis, omnibus, & quibuscumque personis, tam ecclesiasticis, quam secularibus, cuiuscumque conditionis existant, quæ de præmissis notitiam habuerint, vel ad nos, vel Gubernatorem nostrum pro tempore seruientem, per se, vel alium, significent, & manifestent, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Subscript. PP. Placet, & ita Motu proprio mandamus.

X. Approbatio, & institutio Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Paula, qui alias Eremitæ nuncupabantur. Et confirmatio vnius regulæ à B. Francisco pro dictis Fratribus, & aliq pro Sororibus, & alterius pro Tertiariis editæ; cum plurimarum gratiarum, & priuilegiorum elargitione, quæ propterea mare magnum appellatur.

Primæuam istorum Fratrum institutionem, & alia quæ hunc Ord. concernunt, notant sup. in const. 5. Six. IV. Sedes.

Iste Franciscus in Sanctorum numerum relatus fuit à Leone X. infra in const. 38. Excelsus.

Edita An. D. 1506. *IVLIVS EPISCOPVS,*

Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

DVdum ad sacrum Ordinem Minimorum, olim per fel. record. Sixtum IV. Innocentium VIII. & Alexandrum VI. Rom. Pont. prædecessores nostros salubriter approbatum, ac variis priuilegiis cum regulæ approbatione multipliciter decoratum, nostræ considerationis aciem dirigimus. Dumetiam intra nostræ mentis abscondita reuoluimus fructus vberes quos dextera Domini opitulante, & Apostolica Sede benedicente, Dilectus filius Franciscus de Paula prædicti Ordinis pater ac institutor; & quoad vixerit Generalis corrector exemplo B. Franc. ardentissimus nostri Redemptoris imitator, in agro militantis Ecclesiæ producere non desinit; ac etiam salutifera exempla atque imitanda Christi fideles ex eiusdem Francisci de Paula, & aliorum fratrum dicti Ordinis arctissima vita, quam ipsi ad obsequendum Altissimo sub Euangelico iugo, ac humili habitu, & humilitatis spiritu, spreto sæculo, ac pompis eius, voluntarie assumpserint in perpetua Christi seruitute laudes diuinas, die noctuque summa cum deuotione Domino persoluentes quotidie inducuntur. Dignum, imo debitum reputamus, vt ordo ipse apud eandem Sedem gratiam liberalitatis inueniat, & gratiæ, & priuilegia illi quomodolibet concessa, per ipsius Sedis approbationem remaneant illæsa.

Sixt. IV. Ordinem approbauit & gratias concessit, vt in rub.

§. 1. Dudum siquidem præfato Sixto prædecessori nostro, &c.

Omittitur narratiua huius bullæ, quia eam habes in loc. cit. in rubr.

Innocen. VIII. (cuius bulla non est hic) approbauit.

§. 2. Et successiuè præfatus Innocentius etiam prædecessor, per alias suas literas, in quibus literæ prædicti Sixti prædecessoris, de verbo ad verbum insertæ fuerunt, easdem Sixti prædecessoris huiusmodi literas, ac omnia, & singula in eis contenta recensens, laudationem, confirmationem, approbationem, communionem, suppletionem, decretum, exemptionem, susceptionem, voluntatem, concessionem, & indulta huiusmodi, ac prout illa concernebant, omnia, & singula in eis contenta, & narrata auctoritate Apost. & scientia prædictis, confirmauit, approbauit, suique scripti patrocinio cum simili defectuum suppletione, cōmuniuit, & voluit, & dicta auctoritate decreuit, quod earundem literarum suarum transumptis, manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alterius Prælati, munitis, prorsus, in iudicio, & extra fides plena adhiberetur, & illis staretur in omnibus, & per omnia, sicut ipsis originalibus literis adhiberetur, & staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Decreuitque irritum, & inane, si secus super à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit, communiter, vel diuisim, attentari.

Alex. VI. regulā B. Franc. in XIII capitula distinctam approbauit in eius bull. quā consulto prætermisi, vti superfluam.

§. 3. Postmodum vero pro parte Franc. de Paula, & Eremitarum prædictorum, eidem Alex. prædecessori etiam exposito, quod ipse Franc. de Paula habens ad id ab eodem Pyrrho Archiepiscopo specialem, per illius literas facultatem, per eosdem Sixtum, & Innoc. prædecessores successiue confirmatam, & ad quæcumque loca quæ eidē Congregationi donari contingeret, ampliatam, illarum vigore pro salubri directione Eremitarum Societatis huiusmodi, nonnulla diuini cultus augmentationem, & animarum salutem, vitæque Eremiticæ huiusmodi perseuerantiā, ac eorum votiuæ prosperitatis successus concernentia, sacris canonibus non contraria, sub regula Ordinis fratrum Minimorum, pauperum Eremitarum dicti Francisci de Paula, in tredecim capitula contenta statuerat, & ordinauerat, quæ voluerat, & mandauerat per eiusdem societatis Eremitas, & fratres perpetuis futuris temporibus obseruari. Idem Alexander prædecessor per aliquas suas, statuta, & ordinationes huiusmodi, ac omnia, & singula in dictis capitulis cōtenta, quæ tunc diligenter inspici, ac de verbo ad verbum in dictis suis literis inseri fecit, cum suppletione defectuum approbauit, & confirmauit.

Ordinis que gratias confirmauit alia eius bulla quā etiam prætermisi.

§. 4. Præterea idem Alexander prædecessor per alias suas in forma Breuis literas, omnia, & singula priuilegia, indulgentias, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta quæcumque Francisco de Paula, & Eremitis huiusmodi, ac eorum Ordini, domibus etiam ante erectionem huiusmodi Ordinis, dum adhuc Eremitæ nuncupabantur, per eosdem Sixtum, & Innocentium, suos, & ipsum Alexandrum nostros prædecessores quomodocumque concessa, quæ omnia & singula pro expressis haberi voluit, auctoritate Apostolica præfata approbauit, & perpetuæ robur firmitatis eadem obtinere decreuit.

Et Ordinum Mendicantium priuilegia Six. IV. & Innoc. VIII. ac Alex. VI. ad illum Ordinem ampliarunt.

§. 5. Et quia Sixtus, & Innocentius prædecessores præfati, singula priuilegia, exemptiones, immunitates, indulgentias, & indulta quæcumque Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini, ac Carmelitarum, necnon aliis Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet, ac illorum professoribus, & domibus, ac earum Ecclesias visitantibus quomodocumque concessa, ad Ordinem

nem Minimorum huiusmodi extenderat, idem Alexander prædecessor pariter eorum extensionem confirmauit. Et si qua indulta, priuilegia, & gratiæ post datam extensionis huiusmodi à dictis prædecessoribus, vt ab ipso Alexandro eisdem Ordinibus Mendicantium aut alicui eorum concessa essent; illa etiam ad eosdem Eremitas, & fratres, & ad illorum Ordinem, ac domos extendit & ampliauit, ac ipsis suffragari voluit, in omnibus & per omnia, ac si pro eisdem Eremitis, & illorum Ordine huiusmodi emanassent.

Et d. regulam pro fratribus à B. Franc. reformatam, & aliam pro Tertiariis ab eo editam approbauit.

§. 6. Et deinde pro parte Francisci de Paula, & Eremitarum seu fratrum prædictorum, eidem Alexandro prædecessori similiter exposito, quod ipse Franciscus de Paula tredecim capitula statutorum & ordinationum prædictorum in decem capitula reduxerat, & eorum aliqua pro salubri directione fratrum Minimorum Ordinis huiusmodi olim societatis dictorum Eremitarum mutauerat; aliqua etiam addiderat, quæ voluerat & mandauerat per eosdem fratres deinceps perpetuis futuris temporibus omissis pro salubri eorum regula teneri, & obseruari. Quodque ipse Franciscus de Paula, regulam, seu modum viuendi sui tertij Ordinis, pro vtriusque sexus personis, sub eadem regula, seu modo viuendi, quæ septem dumtaxat clauderetur capitulis pœnitentiam agere volentibus, per eundem Alexandrum prædecessorem benedici, approbari, & confirmari cupiebat. Idem Alexander prædecessor, Pyrrhi Archiepiscopi, ac Sixti & Innocentij prædecessorum prædictorum, ac suas literas prædictas, necnon omnia & singula in eis contenta; alia quoque priuilegia, concessiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eisdem fratribus Minimis, ac eorum Ordini, & domibus à Sede prædicta, vel eius Legatis, seu alias quomodocumque facta & concessa, necnon reductionem, mutationem, & alterationem dictorum decem capitulorum, seu regulam ipsorum fratrum Minimorum, necnon Regulam seu modum viuendi tertij Ordinis pro vtriusque sexus personis, & in vtriusque regulæ capitulis contenta quæcumque, quæ omnia diligenter inspici, ac de verbo ad verbum inseri fecit, cum suppletione defectuum approbauit & confirmauit.

Societatemque illorum Eremitarũ in Ordinem fratrum Minimorum instituit, & gratias iam concessas confirmauit.

§. 7. Et pro potiori cautela societatem quondam Eremitarum huiusmodi in Ordinem fratrum Minimorum, dicti Francisci de Paula, priore cassata & omissa sub huiusmodi noua regula erexit, & singulas literas prædictas, ac in eis contẽta quæcumque; necnon priuilegia & indulgentias, tam generales, quam speciales, concessiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eisdem fratribus, ac eorum Ordini & domibus à Sede prædicta, vel eius Legatis, seu alias quomodocumque facta & concessa, quæ omnia & singula, ac si in dictis suis literis inserta forent, haberi voluit pro expressis, innouauit, & de nouo concessit. Ac omnia, quæ circa statuta & ordinationes huiusmodi confirmata, & per eundem Franciscum de Paula reducta, mutata & alterata fuerant, de nouo reduxit, mutauit & alterauit.

Dictamque secundam regulam à fratribus Minimis seruari iussit.

§. 8. Regulamque Minimorum fratrum huiusmodi sic innouatam, & regulam, seu modum viuendi tertiariorum Ordinis eiusdem, laudauit, benedixit, approbauit, & confirmauit. Ac voluit regulam ipsam sic innouatam, seu contenta in dictis decem capitulis, iuxta eorum tenorem perpetuis futuris temporibus, & per Ordinis Minimorum huiusmodi fratres qui tunc erant, & pro tempore essent, eo modo pro eorum regularibus institutis custodiri.

Tertiariorum quoque regulã suscipi posse decreuit.

§. 9. Regulam quoque seu modum viuendi Tertiariorum huiusmodi per quascumque personas vtriusque sexus suscipi posse ac propria in Christo regula, & modo viuendi salutari, & commodo amplecti & obseruari.

B. Frãciscum dicti Ordinis gen Correctorem declarauit.

§. 10. Ipsumque Franciscum de Paula non tam religiosissimi Ordinis Minimorum huiusmodi primarium patrem, ac institutorem, quam etiam priscorum beatorum Patrum fidelissimũ imitatorem, suarumque laudabilium institutionum diligentem innouatorem, in personarum Ordinis Minimorum huiusmodi præcipuum patrem, ac superiorem, & quandiu viueret, generalem Correctorem irrefragabiliter instituit, ac institutum laudauit & confirmauit.

Indulgentias q. Orat. concessit.

Tu vide nouam dispositionem Pauli V. in sua const. 16 Romanus,

§. 11. Ac etiam concessit, & indulsit, quod omnes & singuli Ordinis Minimorum huiusmodi fratres præsentes & futuri, qui singulis quadragesimæ, & aliis quibuslibet anni stationum temporibus, aliquam ipsorum Ecclesiam, vel aliam, in qua eos pro tempore cum obedientiæ merito fore contingeret, visitarent, & inibi ante illius altare maius, quinquies orationem dominicam, & toties salutationem Angelicam deuote recitarent, omnes ac singulas indulgentias consequerentur, & consequi possent, quas temporibus huiusmodi consequuntur visitantes Ecclesias stationum Vrbis, & alias extra illius muros pro stationibus deputatas. Quasque fratres ipsi consequerentur, & consequi possent, si Ecclesias stationum huiusmodi temporibus personaliter visitarent.

Bona ex vita pro tempore relictas fratrum de der.

Hoc idem c. 3 in onc. Trid sess. 25. c. 3.

§. 12. Instituit etiam atque ordinauit ob sanctæ vitæ quadragesimalis obseruantiam, quod si quis deuotionis gratia, vel pietatis intuitu, perpetuas, aut temporales eleemosynas Ecclesiæ, pauperumque fratrum Minimorum huiusmodi necessitatibus subleuandis pie legare vellent, liceret ipsis fratribus Minimis, à promissæ paupertatis perfectione, puritateque non recedendo, perpetuas & temporales eleemosynas huiusmodi, vtensilia quoque ac oblationes quascumque, cuiuscumque etiam speciei existerent, seu existere possent, quarum tamen dominium, ius, & proprietatem, idem Alexander prædecessor penes se, ac Ecclesiam Romanam tunc penitus retinuit, nudo dumtaxat illarum vsu fratribus Minimis huiusmodi relicto, per suos ac præfatæ Sedis, & eiusdem Ordinis Minimorum procuratores (ad hoc prouida cura, paternaque beneuolentia deputandos) suo, & dictæ Romanæ Ecclesiæ nomine ad se recipere. Ipsique procuratores eleemosynas huiusmodi fratribus ipsis Minimis per se vel per alios, iuxta piam largientium deuotionem, & intentionem, suamque constitutionem huiusmodi fideliter distribuere, seu distribui facere deberent. Laudauit etiam, & approbauit, quod vbi perpetuæ, vel temporales eleemosynæ huiusmodi fratribus ipsis Minimis legarentur, tunc ciuitatis, villæ, castri, oppidi, seu vici, vbi fratres Ordinis Minimorum huiusmodi loca passim habere contingeret, Rectores, Scabini, Præsides, Consules Electi, Iurati, aut Domini de consilio, vel alij officiarij quouis nomine nuncupati, in primis vnum vel plures Recollectores eleemosynarum huiusmodi quos fratribus ipsis Minimis, iuxta piam largientium intentionem haberent, distribui per ministerium oblatorum dicti Ordinis Minimorum, vel amicorum spiritualium, per fratres Ordinis Minimorũ huiusmodi pro tempore conuentualiter electorum, qui (dum opus foret,) deponi & innouari possent deputare. Ac de locis & domibus, quæ Ordinis Minimorum huiusmodi, ac illius personis & fratribus per quoscumque Christi fideles vbilibet concederentur, pro fratribus Minimis vnum instrumentum publicum, vel plura confici facere, ac eleemosynarum huiusmodi specialem curam & sollicitudinem habere deberent. Quodque fratres ipsi Minimi super eleemosynis huiusmodi nullatenus cum aliquo in iudicio vel extra illud contendere, sed potius, vt veri pacis filij, & amatores, Rectoribus, Præsidibus, Scabinis, Iuratis, & Consulibus, cæterisque officiatis prælatis illarum curam relinquere, ac sine aliqua contentione in Domino (qui non derelinquit sperantes in se) fiducialiter reponere, ac ostiatim mendicare haberent. Possent tamen fratres ipsi præfatos dominos de consilio & politiæ Gubernatores, cæterosque officiarios ad eleemosynas huiusmodi colligendas, deputatos, seu deputandos benigne monere, vt eis legatas eleemosynas huiusmodi pro animarum suarum exoneratione, animarumque dictorum legantium salute, iuxta piam legantium huiusmodi deliberationem, & intentionem, sibi fideliter impenderent. Quodque eleemosynæ huiusmodi scripto redigi, & fratribus ipsis Minimis capitulariter declarari. Ac scripto totaliter redactæ, seu redigendæ infra cuiuslibet conuentus Ordinis Minimorum huiusmodi, quamlibet conuentualem arcam quatuor clauaturis claudendam reponi. Ac per Ordinis Minimorum huiusmodi oblatorum, vel amicorum spiritualium ministerium in Ordinis huiusmodi Ecclesiarum, & fratrum vsus conuerti. Et postquam fratribus ipsis Minimis de sibi requi-

sitis vestimentis, ac vitæ necessariis, cæterisque præinsertis rationabiliter prouisum foret: si adhuc ex perpetuis, vel tẽporalibus eleemosynis huiusmodi aliqua superessent, illa charitatiue per Rectores, Scabinos, Cõsules, Electos, cæterosque officiarios præfatos, de capituli localis scientia & consensu in pias causas erogari deberent. Et ipsis fratribus Minimis, ac eorum Ecclesiis, vt præfertur competenter prouiso, perpetuas aut temporales eleemosynas huiusmodi vlterius procurare, vel iam procuratas augere, eis minime liceret. Si tamen illæ fratribus ipsis Minimis vltro largirentur, illarum census per Rectores, Scabinos, iuratos, & electos, cæterosque officiarios præfatos, in pias causas similiter distribui deberent, ipsique fratres Ordinis Minimorum huiusmodi in qualibet ipsorum Ecclesia, tam constructa quam construenda, cippum seu truncum ad quotidianas deuotorum eleemosynas commode reponendas vtique habere possent.

His Pont. per aliã eius bullam (quã hic non habes) facultatem condendi statuta pro guberno Ordinis concessit.

§. 13. Et deinde pro parte præfati Francisci de Paula nobis exposito, quod licet olim per præfatum Alexandrum prædecessorem fratrum Ordinis Minimorum huiusmodi pro regula approbata, & per eum, ac Sedem prædictam confirmata fuisset; tamen pro salubriori dictæ regulæ conseruatione, ac vt illa melius, & facilius ab eius professoribus tunc, & pro tempore in dicto Ordine degentibus, obseruari possit; cupiebat idem Franciscus de Paula nonnullas ordinationes, & statuta salubria facere quę fratres dictum Ordinem Minimorum professi seruare, & secundum quæ contra illa venientes, seu facientes, licet alias peccatum secundum præcepta Ecclesiæ committere non viderentur pœna corporali, seu temporali in eisdem statutis contenta per eorum superiores puniri valerent. Quodque licet alias per Sixtum, & Innocentium, ac Alexandrum prædecessores præfatos eisdem fratribus Minimis, quòd omnibus & singulis priuilegiis, gratiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus quatuor Mendicantium Ordines, ac illorum personæ vtebantur & gaudebant, seu vti, & gaudere poterant in futurum vti, & gaudere valerent concessum, ac indultum fuisset; nihilominus tamen eo quòd dicti fratres Minimi priuilegia & indulta huiusmodi originaliter non habebant, ac de illis fidem facere non poterant, & etiam quia illa per nos adhuc confirmata non fuerant, aliqui partim scrupulosa conscientia, & partim inuidia moti, fratres Minimos huiusmodi eisdem priuilegiis & gratiis gaudere non debere asserebant, quo fiebat vt ipsi fratres Minimi eisdem priuilegiis & indultis vti posse nõn sperabant, nisi eis per nos desuper opportune prouideretur. Nos per reliquas nostras literas eidem Francisco de Paula, quascunque ordinationes, & statuta, salubria & honesta, sacris canonibus non contraria in perpetuum valitura, quæ dicti fratres Minimi seruare, ac secundum quæ viuere tenerentur, & contra illa venientes, seu facientes licet alias peccatum, iuxta præcepta huiusmodi committere non viderentur, pœna corporali seu temporali in eisdem statutis contenta, per eorum superiores mulctari possent, condendi, & faciendi, plenam, liberam præfata Apostolica auctoritate licentiam indulsimus, & facultatem.

Priuilegia quatuor Ordinum Mendicantium communicauit.

Hæc idem fecit Pius V. in constitut. 49. Apostolica.

§. 14. Ac omnia, & singula priuilegia, gratias, concessiones, immunitates, libertates, exemptiones, ac indulta prædicta, quibus præfati quatuor Mendicantium Ordines, & illorum personæ in genere vtebantur, potiebantur, & gaudebant, seu vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi concessimus, ac vt illis ordo Minimorum, & illius personæ, & fratres huiusmodi vterentur, potirentur, gauderent, ac vti, potiri, & gaudere, libere ac licite valerent approbauimus, & nostri scripti patrociniis communiuimus. Dictisque fratribus Minimis, vt de dictis priuilegiis, & indultis fidem facere possent, quod sumpta ex Camera Apostolica super singulis priuilegiis, concessionibus, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus & indultis huiusmodi, præfatis quatuor Mendicantium Ordinibus, per quoscumque Romanos Pontifices, & Sedem præfatam concessis, ac in posterum concedendis habere, & illa, & literas Apostolicas eas, & ea quomodolibet concernentia necnon literas nostras huiusmodi, per ipsius Cameræ Auditorẽ, & quoscumque Iudices ordinarios ritè transumptari, & authenticari facere, libere ac licite valerent, & postquam transumpta, & authentica forent, illis ac nostris & aliis literis huiusmodi super dictis priuilegiis, concessionibus, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis, ad instantiam quatuor Ordinum Mendicantium, & personarum, ac fratrum eorundem, aut aliquorum ex eis iam cite factis, & transumptatis, ea prorsus fides adhiberetur, vbicumque forent exhibita, vel ostensa, ac si nostræ etiam aliæ literæ huiusmodi tunc exhiberentur. Ac priuilegia, concessiones, gratiæ, immunitates, libertates, exemptiones, & indulta præfata, Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi concessa, & in eis Ordo Minimorum, ac illius fratres, & personæ huiusmodi specialiter, & nominatim expressæ fuissent, ac pro eis principaliter emanassent.

Eisque ad portantes habitum, & famulos ac eligentes sepulturã in domibus Ord. extendit.

§. 15. Quodque de cætero famuli domorum Ordinis Minimorum huiusmodi, necnon cæteri eiusdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis, in dictis domibus sepulturam eligentes, omnibusque & singulis priuilegiis Ordini Minimorum huiusmodi, quomodolibet concessis, gaudere, libere ac licitè valerent indulsimus.

Ætatem an. 22. ad presb. sufficere voluit. Imo Concil. Trid. requirit an. 25. sess. 23 c. 12.

§. 16. Ac quod fratres Ordinis Minimorum huiusmodi in vigesimo secundo suæ ætatis anno, tunc, & pro tempore constituti, ad presbyteratus ordinem; alias tamen rite, se promoueri facere libere possent.

Molestantes hos Fratres excommunicauit.

§. 17. Necnon omnes & singulæ personæ cuiuscumque status, nobilitatis, & conditionis forent, quæ in causis eorundem fratrum Minimorum se immiscerent, aut in ipsos fratres Minimos manus iniicerent violentas, vel alias eos molestarent aut inquietarent, vel eorum bona auferrent, excommunicationis sententiam eo ipso incurrerent, prout aliis fratribus Mendicantibus erat concessum.

Priuilegia Ordinis omnibus eius locis communicauit.

§. 18. Ac omnia & singula priuilegia, indulta, gratiæ, facultates, ac indulgentiæ, vni aut pluribus domibus dicti Ordinis Minimorum, in genere, per eundem Sixtum prædecessorem concessa & in posterum concedenda, omnibus & singulis aliis domibus, & fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi essent, & intelligerentur esse concessa.

Prælatis Ordinis ornamẽta Eccles. benedicere posse voluit.

§. 19. Quodque Generalis, necnon Prouinciales, & eorum vicarij eiusdem Ordinis Minimorum corporalia, & alia ornamenta Ecclesiastica suorum locorum, ac domorum, præter calices & patenas, benedicere valerent concessimus, statuimus, & ordinauimus.

Noua loca construendi licentiam dedit.

Tu obserua bullam 99. Clem. VIII. Quoniam.

§. 20. Et successiue pro parte præfati Francisci de Paula nobis etiam exposito, quod licet olim Sixtus & Innocentius prædecessores præfati Francisco de Paula, & aliis personis, ac fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi per eorum literas specialem facultatem concessissent recipiendi Ecclesias, oratoria, & loca, cuiusvis etiam superioris licentia minime requisita, pro perpetuis vsu & habitatione fratrum dicti Ordinis Minimorum, & concessionis huiusmodi vigore à triennio citra, nonnulli Ordinis Minimorum huiusmodi fratres in diœcesi Hispalensi degentes, à dilecto filio nobili viro moderno Duce, & dilecta in Christo filia nobili muliere moderna Ducissa de Medina cœli, aliisque deuotis personis in dicta diœcesi Hispalensi degẽtibus, certum locum eis oblatum recepissent, & inibi vnam domum cum Ecclesia, & aliis officinis necessariis, sub inuocatione sanctæ MARIÆ de Victoria, portus beatæ Mariæ, Ducis ac Ducissæ, & aliarum deuotarum personarum huiusmodi eleemosynis adiuti, construi, & ædificari fecissent, ac domum ipsam per biennium pacifice inhabitassent, die noctuque Altissimo seruiendo inibi. Quia tamen tunc ab anno circa fratres ipsi in eadem domo habitantes, & Domino taliter seruientes, per venerabilem fratrem nostrum modernum Archiepiscopum Hispalensem, & eius officialem impedimenta plurima habuerant, ita quòd ipse officialis quibuscumque Christi fidelibus, sub pœna excommunicationis, ne Ecclesiam, & domum vltimo dictas pro audiendis eorundem fratrum Missis & prædicationibus, deuotionis gratia confluerent, per suas certi

certi tenoris literas valuis dictæ Ecclesiæ affixas prohibuerat. Dictisque fratribus impedimenta, & incommoda plurima intulerat, ita etiam quod præfatus Archiepiscopus prædictam Ecclesiam S. Mariæ de Victoria, benedicere & consecrare noluerat, neque per alium benedici, seu consecrare permiserat. Nos Francisco de Paula, & aliis fratribus ordinis Minimorum huiusmodi, omnia & singula oratoria, Ecclesias, domos, & loca eisdem Francisco de Paula, & Fratribus in posterum concedanda recipere, & illa, ac prædictam de Victoria, & alias domus seu Ecclesias, loca, & oratoria quæcumque, eatenus vbilibet recepta, pro eorum perpetuo vsu, & habitatione vigore concessionis Sixti, & Innocentij prædecessorum prædictorum retinere, construere, & ædificare, seu construi facere, absque alia desuper facienda noua concessione Apostolica. Et quod deinceps Ordinis Minimorum huiusmodi Conseruatores, quoties opus foret eidem Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentibus, ne dictus Archiepiscopus, seu eius officialis, aut alij quicumque cuiuscumque etiam nobilitatis, aut dignitatis existerent, Ordinis Minimorum huiusmodi fratres, neque in dicta diœcesi Hispalensi, neque aliqui in aliquo damnificare, molestare, perturbare, nec inquietare vllatenus auderent, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhibere possent.

Ecclesias Ordinis quisque Episcopus consecrare potest renuente Ordinario.

§. 21. Quodque Ordinis Minimorum huiusmodi fratres, tunc & pro tempore existentes, prædictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Victoria, & generaliter, omnes & singulas alias eiusdem Ordinis Minimorum, Ecclesias & oratoria quæcumque recepta & recipienda, nondum consecratas, seu consecrata, facta prius requisitione ab Episcopis locorum, eisdemque recusantibus vel negligentibus, per quemlibet alium Catholicum Episcopum gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem, consecrari facere.

Easque prælati Ordinis benedicere, & pollutas reconciliare possunt.

§. 22. Ac quod ipsius Ordinis Minimorum Generalis, & Vigiles, ac Prouinciales, eorumque vicegerentes, omnes & singulas eiusdem Ordinis Minimorum Ecclesias, cœmeteria, capitula, & oratoria, tam in dicta diœcesi Hispalensi, quam vbicumque receptas seu recepta, & recipiendas seu recipienda, solemni benedictione benedicere. Ac etiam illas seu illa, & earum quamlibet sanguinis, siue seminis effusione, siue alias quomodocumque pollutas siue polluta, quoties opus foret, aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem, vt moris est, benedicta reconciliare.

Fratres etiam alterius Ordinis iam recepti in isto permaneant.

§. 23. Ac quod alterius cuiusvis Ordinis fratres quicumque in dicto Ordine Minimorum, etiam prius non petita aut non eo quo decet modo, petita licentia iam recepti absque alia prouisione Apostolica perpetuo in ipso Ordine Minimorum, stare, & permanere.

Confessoremque eligant qui eos absoluat.

Attende const. 125. Clem. VIII.

§. 24. Ac idoneum confessorem, qui eos à quacumque excommunicationis sententia, quam propterea incurrissent, Apostolica auctoritate absolueret, seculaque super irregularitate eadem de causa contracta dispensaret, sibi eligere possent.

Priuilegia Ordinis tutricibus & fundatricibus communicantur.

§. 25. Quodque singulæ Ordinis Minimorum huiusmodi tutrices, prout ipsius Ordinis fundatrices, & cum eorum vtriusque sexus liberis procreatis, & procreandis, omnibus ac singulis eiusdem Ordinis Minimorum priuilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, concessionibus, & indulgentiis, vti, potiri, & gaudere, libere ac licite valerent, licentiam, & facultatem concessimus pariter & indulsimus.

Tu obserua Concil. Trid. sess. 24. c. 11.

Statuta & correctorium Ordinis obseruanda.

§. 26. Postmodum verò pro parte eiusdem Francisci de Paula similiter nobis exposito, quod ipse postquam præfatus Alexander prædecessor, Sixti, & Innocentij prædecessorum vestigiis inhærendo, ibi vt nonnulla sui Ordinis Minimorum statuta componere, ac illa in melius emendare possent, licentiam concesserat, vna cum aliquibus eiusdem Ordinis Minimorum patribus, statuta ipsa composuerat, ac illa in melius emendauerat. Illaque Correctorium fratrum Minimorum perpetuo nuncupari, & per eosdem fratres Minimos, perpetuis futuris temporibus obseruari, ac per nos benedici, approbari, & confirmari desiderabat. Nos per alias nostras Correctorium ipsum, quod tunc diligenter inspici, & de verbo ad verbum inseri fecimus, approbauimus, & confirmauimus, ac nostri scripti patrocinio communiuimus. Illudque per omnes Ordinis Minimorum huiusmodi fratres, præsentes, ac futuros, pro suo salubri correctorio, perpetuis futuris temporibus teneri, & obseruari, ipsumque perpetuo Correctorium fratrum Ordinis Minimorum dicti Francisci de Paula nuncupari, ac intitulari debere, decreuimus & mandauimus.

Tres regulas B. Franciscus, primam pro Fratribus, secundã pro sororibus, & Tertiam pro Tertiariis edidit observari iussitque Pontifex in alia eius bulla quæ non posui vel hic bene relatam.

§. 27. Successiue autem pro parte præfati Francisci de Paula etiam nobis exposito, quod licet alias ipse dictum Ordinem Minimorum instituisset, ac decem secundum quæ fratres eiusdem Ordinis, septem verò, secundum quæ vtriusque sexus fideles, Tertiarij nuncupati, viuere deberent capitula, regulam, & modum viuendi concernentia edidisset; illaque per præfatum Alexandrum prædecessorem de venerabilium fratrum suorum S.R.E. Cardinalium consilio, de quorum numero tunc eramus licet absentes, confirmari obtinuisset. Quia tamen per illa Ordini Minimorum huiusmodi, & illius personarum directioni, non satis videbatur esse consultum, idem Franciscus de Paula cum nonnullis eiusdem Ordinis fratribus, capitulis prædictis diligenter examinatis, ex nouis, & emergentibus causis, nonnulla mutanda seu moderanda, & emendanda fore prospiciens, ea in melius moderauerat, mutauerat, emendauerat, & reformauerat, Ac Sororum eiusdem Ordinis regulam, ad instar regulæ fratrum Minimorum huiusmodi, in decem capitulis redactam, de nouo ediderat, & instituerat. Quibus sic redactis, ampliatis, & quæ superflua erant resecatis, ac aliis de nouo editis, ipse Franciscus de Paula tres Regulas, & capitula huiusmodi voluerat & mandauerat per singulas dicti Ordinis Minimorum personas, præsentes, & futuras, prout eis respectiue, adaptabantur, pro suis salutaribus regulis perpetuis futuris temporibus teneri & obseruari, ac earundem Primam fratrum Ordinis Minimorum velut auream; Secundam verò Sororum etiam dicti Ordinis Minimorum; Tertiam autem vtriusque sexus fidelium similiter Ordinis Minimorum huiusmodi regulas irrefragabiliter appellari, ac per nos benedici, approbari, & confirmari cupiebat. Nos per reliquas nostras, regulas, ac statuta, & ordinationes, necnon capitula huiusmodi sic mutata, moderata, ampliata, & reformata quæ tunc diligenter inspici, ac de verbo ad verbum inseri fecimus, cum defectuum suppletione approbauimus, & confirmauimus. Ac pro potiori cautela, ea omnia quæ per Franciscum de Paula statuta, & ordinata ac emendata fuerant, de nouo eisdem modo & forma, statuimus, & ordinamus, ac volumus ipsa eorum seriem, & continentiam, ab ipsorum professoribus, qui tunc erant, & pro tempore essent, perpetuis futuris temporibus, pro eorum regularibus instituta prout ipsis respectiue adaptabantur, inuiolabiliter obseruari. Dictarumque trium regularum: Primam, fratrum Ordinis Minimorum, velut auream, Secundam verò Sororum etiam eiusdem Ordinis Minimorum, Tertiam autem vtriusque sexus fidelium similiter Ordinis Minimorum Ordinem perpetuo irrefragabiliter nuncupari.

Et quia B. Franciscus & Fratres molestabantur super quadam domo Ordinis.

§. 28. Et deinde pro parte Francisci de Paula, & aliorum fratrum Ordinis Minimorum huiusmodi nobis etiam exposito, quod licet olim præfatus Sixtus prædecessor eis concessisset, quòd in quocumque loco, & diœcesi, Ecclesias, & oratoria recipere possint, ac concessionis huiusmodi vigore quandam domum d. Ordinis Minimorum per dilectum filium modernum Dominum de Rambures infra limites Ecclesiæ S. Vlfrani de Abbatisvilla Ambianensis diœcesis fundatam, & constructam, ac eisdem Francisco de Paula, & fratribus, pro eorum perpetuo vsu, & habitatione concessam recepissent, inibique per triennium, & vltra vixissent, die noctuque Domino famulantes, ac in humilitatis spiritu vota sua persoluentes; quia tamen dilecti filij, Decanus, & Capitulum dictæ Ecclesiæ sancti Vlfrani prætextu quarundam literarum piæ memoriæ Vrbani Papæ Quinti etiam prædecessoris nostri eis concessarum inhibuerat, ne aliqui regulares vel sæculares infra fines parochiæ dictæ Ec-

Ecclesiæ

clesiæ sancti Vlfrani possent Ecclesiam vel oratorium de nouo construere sine eorum consensu, & diœcesani Episcopi licentia speciali (saluis tamen priuilegiis Pontificum Romanorum) Franciscum de Paula, & Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi quo minus præfatam domum de Abbatisvilla pacifice possidere valerent, diuersimode molestare præsumant, ipsique necnon tunc rector parochialis Ecclesiæ S. Ægidij etiam de Abbatisvilla dictæ Ambianensis diœcesis, corpora defunctorum, qui apud Ecclesiam domus Abbatisvillæ huiusmodi suam elegerant sepulturam, ad eorum Ecclesias deferre, & in eis sepelire non verebantur, in animarum suarum periculum, ac priuilegiorum Ordini Minimorum ac illius personis, & fratribus huiusmodi concessorum non modicum præiudicium & grauamen.

Hic Pont. in quadam eius bulla, quam mouet in Episcopum Parisiensem deputauit, ad subueniendum huiusmodi, omnesque alias molestias.

§. 29. Nos venerabili fratri nostro moderno Episcopo Parisiensi, per aliquas nostras in forma breuis litteras mandauimus, quatenus Francisco de Paula, & aliis fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi, quod omnia, & singula oratoria, Ecclesias, domos, & loca eis in posterum concedenda recipere, ac dictam de Abbatisvilla, & alias domos, seu Ecclesias, & oratoria, eatenus per eos recepta pro eorum perpetuis vsu, & habitatione, vigore concessionis Sixti & Innocentij prædecessorum prædictorum retinere, absque alia noua desuper facienda concessione Apostolica possent, & valerent. Ac quod ipse Episcopus Parisiensis dicti Ordinis Minimorum Conseruator esset, &, quoties opus foret, Ordini Minimorum, ac illius personis & fratribus huiusmodi, in præmissis efficacis defensionis præsidio assisteret, & non permitteret quod Decanus, & Capitulum, aut eorum officialis, aut rector Ecclesiæ sancti Ægidij huiusmodi, aut alij quicumque, cuiuscumque etiam nobilitatis existerent, fratres Ordinis Minimorum huiusmodi tam in dicta diœcesi Ambianensi quam alibi, in aliquo damnificare, molestare, perturbare, aut inquietare vllatenus auderent. Quinimo corpora quorumcumque defunctorum, qui in Ecclesia domus de Abbatisvilla huiusmodi in eorum vita sepeliri elegerant, cum relictis, fratribus domus de Abbatisvilla huiusmodi factis, integraliter restituerent, nec ipsi neque alij prædictos, & quoscumque alios Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi, de cætero super sepulturis, & corporibus illorum, qui in dictæ domus de Abbatisvilla, & aliis eiusdem Ordinis Minimorum Ecclesiis elegerant pro tempore sepeliri, impedire præsumerent sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhiberent. Ac Ecclesias Sancti Vlfrani, & sancti Ægidij huiusmodi, necnon alias (ad quas corpora defunctorum, qui in dictæ domus de Abbatisvilla, & aliis Ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesiis iuxta ordinationem ipsorum defunctorum sepeliri deberent deferrentur) Ecclesiastico supponeret interdicto. Nec corpora ipsa eisdem fratribus Minimis in dicta de Abbatisvilla & aliis cæterarum domorum Ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesiis restituerent præfata Apostolica auctoritate decerneret, ac desuper statueret, & ordinaret, prout in singulis litteris prædictis plenius continetur.

B. Franciscus deinde huic Papæ exposuit controuersias contra Ordinem motas super solutione decimarum & quartam funeralium.

§. 30. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Francisci de Paula petitio continebat a certo tempore citra, quædam domus suorum secundi Ordinis Minimorum huiusmodi in Regno Hispaniæ, cum Ecclesia, campanili, campana, dormitorio, hortis, hortalitiis & aliis necessariis officinis constructa, & ædificata, ac per illius Sorores iam per triennium, vel circa inibi, iuxta regulam per præfatum Franciscum de Paula prouicia institutam, aut saltem iuxta regulæ huiusmodi principaliora, sancte ac laudabiliter viuentes inhabitata fuit. Et licet iuxta priuilegia, exemptiones, immunitates, & indulta quæcumque singulis Mendicantium Ordinibus, & illorum professoribus ac domibus, & eorum Ecclesiis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores, ac Sedem huiusmodi quomodocumque concessa, sit vnicuique liberum, in Ecclesiis dictorum Ordinum suam eligere sepulturam. Ac fratres Mendicantium Ordinum huiusmodi, de funeralibus quartam funeralem rectoribus parochialium Ecclesiarum, in quarum parochiis sepulturarum huiusmodi eligentes degebant; & de fructibus bonorum immobiliũ quæ iuxta dicta priuilegia possidere, & tenere possunt, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus soluere minime teneantur, ipsorumque quatuor Mendicantium priuilegia ad Ordinem Minimorum huiusmodi, ac illius professores & domos, ac eorum Ecclesias, per præfatos prædecessores & Sedem prædictam, extensa & ampliata fuerint, & propterea fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictis priuilegiis gaudere, & à quartę funeralis & decimarum prędictarum solutione immunes esse debeant. Et tamen nonnullæ Ecclesiasticæ personæ, præsertim in partibus Gallicanis, contra priuilegia huiusmodi venire non formidantes, Francisco de Paula, & aliis fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi, super his plurimas molestias, impedimenta, & incommoda inferre aliquando etiam armata manu, per se, vel per alias personas, herbarum & fructuum in hortis domorum Ordinis Minimorum huiusmodi excrescentium decimas violenter capere, atque exigere. Nonnunquam vero dum corpora defunctorum ad Ecclesias domorum Ordinis Minimorum huiusmodi inhumanda cum intorciis, & aliis luminaribus deferuntur, intorcia, & luminaria huiusmodi, etiam in dictis Ecclesiis, ac earum cœmeteriis violenter, etiam auferre corpora ipsa sic inhumanda, etiam ante ipsorum inhumationem inibi sine luminaribus relinquere, ac super funeralibus, & decimis, necnon oblationibus fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi factis, plurima incommoda inferre præsumunt.

§. 31. Pro parte præfati Francisci de Paula nobis fuit humiliter supplicatum, vt sibi quod dicti Ordinis Minimorum fratres pro tempore existentes, de hortis, ac virgultis & aliis bonis Ordinis Minimorum huiusmodi, domibus & illarum Ecclesiis pro tempore relictis, ac super luminaribus & aliis rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas aut oblationes aliquas, & ex noualibus, vel quartam ex funeralibus soluere minime teneantur, nec ad id à quoquam quomodolibet valeant coarctari, concedere, & indulgere. Ac omnibus, & singulis tam Pyrrhi Archiepiscopi, quam Goffredi Episcopi sancti Marci, & Sixti, ac Innocentij, necnon Alexandri prædecessorum prædictorum, ac nostris suis prædictis, necnon priuilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, facultatibus, immunitatibus, fauorib. & gratiis quibuscumque in eis concessis, sub quouis nomine, ac titulo, Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis & domibus quomodolibet concessis, robur Apostolicæ approbationis adiicere, illaque omnia & singula, ac etiam nonnulla alia de nouo ad Ordinem Minimorum huiusmodi, ac illius personas & fratres, ac eorum Ecclesias & domos constructas, & construendas sub Minimorum nomine, necnon & ad dictam iam constructam, & ad omnes alias Ecclesias, & domos sororum Ordinis Minimorum vbilibet construendas, & ædificandas, extendere & ampliare, ac alias Ordinis Minimorum huiusmodi in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Et supplicauit pro opportuna prouisione.

§. 32. Nos igitur qui regularem obseruantiam in locis religiosis vigere, & augeri, ac religiosarum personarum, præsertim sub humili habitu in humilitatis spiritu Deo seruientium commodum, & tranquillitatem intensis desideramus affectibus, eundem Franciscum de Paula à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Pyrrhi Archiepiscopi, & Goffredi Episcopi sancti Marci, ac Sixti, & Innocentij, necnon Alexandri prædecessorum prædictorum, ac nostras præfatas literas necnon omnia & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica præfata, tenore præsentium approbamus, innouamus, confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Illaque omnia, & singula Francisco de Paola, aliis Ordinis Minimorum huiusmodi fratribus, & personis, ac illorum Ecclesiis, domibus, & locis constructis, & construendis sub Minimorum

Hic ideo Pont. omnia Ordinis priuilegia confirmat.

morum nomine, & auctoritate, & tenore præmissis de nouo concedimus, & indulgemus.

Facultatem recipiēdi quoscumque alios religiosos concedit.
Tu obserua bullam 99. Pij V. Quacumque.

§. 33. Ac pro potiori cautela, omnia, & singula & dictis literis quomodolibet contenta, & quoad hoc, vt Franciscus de Paula, & alij Ordinis Minorum huiusmodi fratres pro tempore existentes, tam quatuor Mendicantium quam aliorum quorumcumque, quantumcumque, & priuilegiatorum Ordinum, quascumque religiosas personas ad se venientes, & habitum per eos gestari solitum sumere volentes, primitus verbo, vel scripto à suis immediatis superioribus, per se vel per interpositam personam petita licentia, quamvis non obtenta, ad Minimorum Ordinem & habitum huiusmodi recipere.

Confessionesque audiendi.
Tu attende bullam 215. Clem VIII. Quacumque.

§. 34. Necnon confessiones quarumcumque personarum, tam religiosarum, quam Ecclesiasticarum, & sæcularium, vbilibet audire, & illis auditis personas ipsas & earum quamlibet, iuxta formam & tenorem priuilegij per præfatum Sixtum prædecessorem Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & fratribus dudum concessi, & confirmati, absoluere, ac Pœnitentiam salutarem illis iniungere valeant.

Exemptionem à decimis, & quarta funeralium elargitur.
Tu circa quartam habes Conc. Trident. sess. vlt. c. 13.

§. 35. Necnon Ordinis Minimorum huiusmodi, Ecclesiæ, & oratoria, domus & loca, tam recepta quam recipienda, tanquam Sedis & Ecclesiæ Romanæ huiusmodi specialia oratoria, Ecclesiæ, domus & loca cum omnibus iuribus & pertinentiis suis prorsus ab omni decimarum, & oblationum persolutione, seu iurisdictione perpetua libera sint, & esse censeantur. Ac sub beati Petri, & dictæ Sedis, & nostra protectione immediate subiaceant. Ipsiusque Ordinis Minimorum fratres pro tempore existentes, de hortis, ac virgultis, & aliis quibuscumque bonis Ordinis Minimorum domibus, & illarum Ecclesiis huiusmodi pro tempore relictis, & legatis ac super luminaribus & aliis rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas etiam ea noualibus, vel quartam ea funeralibus soluere minime teneantur, necnon ad id à quoquam cuiuscumque nobilitatis, aut dignitatis existat, valeant quomodolibet coarctari.

Priuilegia data Ordini sub nomine Eremitarum, concessa esse Minimis declarat.

§. 36. Quodque Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis & domibus per Sixtum, & Innocentium prædecessores prædictos, sub Eremitarum nomine dudum concessa priuilegia, sub nouo nomine mutatis in eis nominibus Eremitæ, ac Eremitarum, in Minimi, & Minimorum ac Eremitorij, & eremitoriorū, in domorum Ordinis Minimorum huiusmodi nomina, cæterisque singulis ad hunc effectum de necessitate mutandis, innouata, & mutata sint, & esse censeantur.

Omnes gratias quatuor Ordinū Mendicantiū huic Ordini concessa esse decernit.

§. 37. Necnon super omnibus ac singulis maris magni & aliis quibuscumque bullis quatuor Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet quomodocumque concessis, vnum vel plura transumpta coniunctim aut diuisim facere queant perinde ac si illa, mutatis in eis nominibus quorumcumque Romanorum Pontificum Prędecessorum, & ipsorum Mendicantium in nostrum, & fratrum Ordinis Minimorum huiusmodi nomina, cæterisque singulis ad hunc effectum de necessitate mutandis, concessa forent. Ac quod transumptum, seu transumpta huiusmodi taliter facta, & manu alicuius notarij publici subscripta, ac sigillo alicuius prælati Ecclesiastici sigillata, Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & fratribus pro tempore existentibus, adeo vbique locorum suffragentur, ac si singulæ prædictæ bullæ præfatis quatuor Mendicantium Ordinibus per quoscumque prædecessores prædictos quomodolibet concessæ; quas hic pro expressis, & insertis habere volumus, fratribus ipsis Minimis, & eorum Ordini præfato, etiam sub Minimorum nomine specialiter & expresse indultæ fuissent, ac pro eis principaliter emanassent.

Ordinem super eius Conuentibus molestari prohibet.

§. 38. Quodque Sanctæ Trinitatis, tunc ad Ecclesiam S. Stephani Giemini, & aliam Sancti Rochi, tunc etiam ad Monasterium Sancti Saturnini Tholosani, Ordinis sancti Augustini pleno iure spectantes Ecclesias, ac illarum domos, necnon reliquam Sancti Blasij, per dilectam in Christo filiam nobilem mulierem modernam Dominam de Borbon, ac venerabilem fratrem nostrum modernum Episcopum Gratianopolitanum, etiam tunc dicti Monasterij Abbatem. Necnon omnia, & singula alia oratoria, Ecclesias, reliquas domos, loca, conuentus, & bona in Galliæ, Calabriæ, Siciliæ, Hispaniæ, Bohemiæ, & aliis Regnis; ac Italiæ, Picardiæ, Aquitaniæ, Patrimonij, Paulensis, & Paternæ, aliisque Prouinciis, Ciuitatibus, & locis quibuscumque Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus, & præfatis quomodocumque concessa, & per Franciscum de Paula, & alios fratres Ordinis Minimorum huiusmodi vigore priuilegij Sixti prædecessoris prædicti recepta, & per eos eatenus possessa, absque alia noua concessione Apostolica perpetuo pacifice possidere valeant, ac super illis, aut aliquo eorum, à quoquam molestari nequeant.

Confluentibus sacramenta ministrari indulget.

§. 39. Et quod fratres ipsi Minimi, in eorum Ecclesiis constructis & construendis, Curialibus, mercatoribus, peregrinis, ac transeuntibus, & aliis quibusvis personis, Eucharistiæ Sacramentum, quoties opus fuerit, ministrari facere.

Apostatas omnes prouisiones tollit.

§ 40. Necnon eiusdem Ordinis Minimorum apostatas, & gyrouagos quoscumque vbilibet repertos, & quibuscumque literis, ac prouisionibus Apostolicis, etiam quascumque derogatoriarum derogatorias clausulas in se continentibus munitos, quas eis nullatenus suffragari posse decernimus, inuocato etiam ad id, quatenus opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, capere, incarcerare, ac punire, seu capi, incarcerari, & puniri facere, libere ac licite valeant.

Indulgentias elargitur.
Tu serua, bullam 16. Pauli V. Romanus.

§. 41. Et præfati Ordinis Minimorum, Fratres, Sorores & Oblati necnon vtriusque sexus Christi fideles Tertij Ordinis Minimorum huiusmodi, ac eiusdem Ordinis Conseruatores, per fratres Minimos huiusmodi pro tempore capitulariter electi, ac tutores & tutrices, fundatores & fundatrices, procuratores & procuratrices, ac eorum vtriusque sexus liberi, procreati & procreandi, semel in vita, & ita in morte sibi, Ac quæcumque personæ in dicto Ordine Minimorum de cætero recipiendæ, in earum ingressu plenariam omnium peccatorum suorum veniam & indulgentiam consequi. Ac quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitando, omnes ac singulas indulgentias quas diebus indulgentiarum omnium Ecclesiarum dictæ Vrbis, & extra illius muros pro stationibus deputatarum, consequuntur, Ecclesias Vrbis, & extra muros huiusmodi visitantes, plene ac integre consequantur, & consequi possint, ac si indulgentiarum huiusmodi diebus Ecclesias Vrbis, & extra muros huiusmodi, & earum quamlibet personaliter visitarent.

Sororibus etiam & aliis prænominatis, priuilegia Ordinis communicat.

§. 42. Ac tam prædicta iam constructa, quam aliæ quæcumque Sororum secundi Ordinis Minimorum huiusmodi, de cætero vbicumque construendæ, & ædificandæ domus ac Ecclesiæ, omnesque prænominatæ personæ ad eundem Ordinem Minimorum quomodolibet spectantes, omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, indultis, exemptionibus, fauoribus, & gratiis Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius fratribus, & domibus per præfatorum prædecessorum, ac nostras literas huiusmodi quomodolibet concessis, vti, potiri, & gaudere libere possint, & valeant, ac si illa omnia & singula eis expresse concessa fuissent, auctoritate Apostolica, ac tenore præmissis de nouo indulgemus, extendimus, & ampliamus.

Contrariis derogat.

§. 43. Non obstantibus sanctæ mem. Innocentij Quarti contra exemptos, quæ incipit, Volentes, & Bonifacij Octaui, quæ incipit, Cum ex eo, ac Clementis Quinti, quæ incipit, Religiosi, & Alexandri Quarti, quæ incipit, Vt Abbates, ac etiam quæ incipit, Vt iam ambitiosæ cupiditatis. Martini V. Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis quoque & consuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ præfati prædecessores in suis, ac nos in nostris literis prædictis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis huius bullæ credi iubet.

§. 44. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad quæcumque loca, vbi illæ necessariæ fuerint deferre,

fere, volumus & præfata Apostolica auctoritate decernimus, quod earundem præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici munitis, prorsus in iudicio & extra fides plenaria adhibeatur, ac illis stetur in omnibus & per omnia, sicut ipsis originalibus literis adhiberetur, & staretur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 3. 25. Iulij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dom. millesimo quingentesimo sexto, quinto Kal. Aug. Pontificatus nostri Anno 3.

Sequitur alia concessio eorundem, & aliorum priuilegiorum.

Edita An. D. 1506.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilectis filijs Francisco de Paula Generali, & Prouincialibus Correctoribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis minimorum: Sal. & Apost. benedictionem.

Exordium.

Virtute conspicuus sacri Ordinis vestri professores, qui contemplationi cœlestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicæ circumspectionis auxilium sic prouide dirigi, & sollicite confoueri vt alicuius prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumque Religiosi status perferant detrimentum, sed in his robur & vigorem habeant, per quæ circa cultum diuini numinis deuotis, & quietis mentibus inualescant.

Correctoris generalis auctoritas qua sit, & à quibus ipse amoueri possit.

§. 1. Hinc est, quod cum sicut nobis exponere curastis Tu fili generalis Corrector, & prædecessores tui iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem obseruatam hactenus & à Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum prædictas constitutiones Ordinis extitistis, fratrum ipsius curam gesseritis, Correcturis officium plene, ac libere in omnibus exercentes, iidemque fratres vobis deuote, & humiliter obedierint, & intenderint reuerenter, & in eadem Regula sit expressum, vt generalis Corrector, qui pro tempore fuerit, à Correctoriatus officio amoueri valeat, Vigilibus, Prouincialibus, & aliis fratribus in generali Capitulo congregatis. Nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum præfatæ Sedi immediate subiectum, à Sede approbatum, eadem honestate floridum, præclarum scientia, & virtute fœcundum, priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati deuotioni vestræ vt successores tui (fili generalis Corrector) qui erunt pro tempore statim postquam electi secundum Regulam, & constitutiones fuerint supradictas, ex ipso veri eiusdem Ordinis generales Correctores effecti, curam animarum fratrum ipsius Ordinis plene habeant, libereque gerant, ipsosque fratres auctoritate propria ligare, ac absoluere necnon in eodem Ordine agere valeant, quæ ipsi præfati, & Definitores ad hoc electi, iuxta prædictas constitutiones eidem Ordini, & fratribus secundum Deum videbitur expedire, aliasque possint officium generalis Correctoris licite in omnibus exercere, iidemque fratres tibi Corrector, & successoribus ipsis deuote, ac humiliter obediant, & intendant. Ac præfati successores, & tu generalis Corrector, à prouincialibus Correctoribus, & Vigilibus, secundum Regulam, & constitutiones ipsius Ordinis absolui, & amoueri possitis, auctoritate Apostolica indulgemus. Ratum habentes, & firmum quicquid super præmissis per te, generalis Corrector, dictosque prædecessores fratres, & discretus factum, & obseruatum est hactenus concessa tibi exequendi officium generalis Correctoris quoad præmissa omnia libera facultate.

Electoribus in remotis partibus degen. non currit tempus à iure statutum.

§. 2. In electionibus quoque generalis, & prouincialium Correctorum ipsius Ordinis fratribus, qui debent electionem huiusmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire, tempus super hoc à iure statutum non currat, nec ipsi in parte iuris huiusmodi regulis coarctentur.

Prælati statim post electionem administrationem habent.

§. 3. Vigiles vero, Prouinciales, & Correctores locales, aut delegati Visitatores, seu Vicegerentes, qui secundum statuta eiusdem Ordinis per electionem, vel alias instituuntur, post ipsam institutionem seu prouisionem de ipsis factam, curam animarum fratrum sibi subditorum ipsius Ordinis habeant, ipsosque ligare, ac soluere possint, iuxta ipsius Ordinis instituta.

Hanc electionem designat Concil. Trid. sess. 25. c. 6.

Lectores in Theologia quando libere legere possint. Hos approbari ab Ordin. vult iussit Pius V. in const. 133. Romani.

§. 4. Fratres autem de Ordine vestro, quos secundum constitutiones ipsius Ordinis Conuentibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cuiusquam alterius licentia, libere in domibus prædicti Ordinis legere, ac docere valeant in Theologica facultate. Illis locis exceptis in quibus viget Studium generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa doctus, vt Magister solemniter incipere consueuit.

Sacri Ordines à quocumque Antistite suscipiantur. Hoc renouauit Concil. Trid. sess. 7. c. 11. & sess. 23. c. 12.

§. 5. Et quia eiusdem Ordinis fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittuntur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, & approbatos à vobis fratres, feceritis ad ordines promoueri, liceat vobis ordinandos fratres eiusdem Ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus, communionem & gratiam Sedis Apostolicæ habentibus, præsentare. Ipsique Pontificibus præsentatos fratres sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda & absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum fratrum ad ordines promouere.

Vbique loca habere possunt, & sacramenta ministrare.

§. 6. In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari portatili possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, ac etiam Ecclesiastica recipere sacramenta.

Morari possunt in terris interdictis.

§. 7. Et quia vos extremam patientes pro CHRISTI nomine paupertatem, exhortationis piæ studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis, concedimus, vt in excommunicatorum terris libere commorari, ac alias, & etiam quando per ipsos transire vos contigerit necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeatis, nisi id vobis fuerit interdictum.

Facultas Prælatorum Ordinis absoluendo fratres & cum eis dispensando super irregularitate, &c. Tu in hoc attendo constit. 115 Clement. VIII. Quæcumque.

§. 8. Generalis quoque, & singuli Vigiles, ac Prouinciales, & Correctores, & eorum Vicarij piis prouinciis, & vigilantiis sibi commissis, prædictis fratribus constitutis ibidem necnon, & fratribus aliis eiusdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus, vndecumque absolutione, & dispensatione indigentibus, siue priusquam intrauerint Ordinem, siue post, in casibus excesserint, pro quibus, excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrunt sententias, à iure vel à iudice generaliter promulgatas; & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto diuina officia celebrantes, vel suscipientes ordines sic ligati notam irregularitatis incurrunt, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri, nisi adeo grauis, & enormis excessus fuerit, quod sint ad eandem Sedem merito destinandi. Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales Correctores, necnon, & Vices vestras gerentes, in proprios habueritis confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impartiri, iuxta formam concessionis super absolutione, ac dispensatione fratrum eiusdem Ordinis superius vobis facta. Ad hæc, volentibus vestro aggregari consortio qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis, a iure vel à iudice promulgatis generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium (obseruata forma canonica) impartiri, ipsosque in fratres recipere, ac eos qui post assumptum habitum, vel professionem emissam recognouerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam vos generalis, Vigiles, & Prouinciales, & Correctores, ac Vices vestras gerentes, valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, vel ordines recipere. Ita tamen quod si aliqui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, satisfaciant vt tenentur. Volumus autem nihilominus quòd huiusmodi volentes vestro aggregari consortio, nisi mox postquam fuerint absoluti, Ordinem vestrum intrauerint, etiamsi super hoc eis induciæ a Prælatis Ordinis eiusdem

concedantur,

concedantur, eo ipso in pristinas sententias à quibus eos taliter absolui contigerit, relabantur, cæterum vestra discretio caute prouideat, vt Apostolicæ Sedis Legatorum ipsius, & Ordinariorum locorum in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur.

Exemptio à cura Monialium & aliis hic enarratis. Tu vide quo ad aliqua, Cõcil. Trid. sess. 25. c. 12.

§. 9. Porro quieti vestræ prouidere volentes, quod per literas Apostolicæ Sedis, aut Legatorum, seu Subdelegatorum ipsius conueniri à quoquam minime valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inuiti per literas ipsius Sedis de cætero impetrandas quodque nullus vestrum correctionis, seu visitationis, vel inquisitionis officium Monasterijs, vel Ecclesijs, seu quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium, & denuntiationes sententiarum, interdicti, vel excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum, illis dumtaxat exceptis, quæ in vestris Regula, vel constitutionibus continentur, aut quæ fuerint de mandato Apostolicæ Sedis exceptæ, teneamini, per literas Apostolicas impetratas vel impetrandas in posterũ, nisi huiusmodi Apostolicæ literæ de hoc indulto, & Ordine vestro expressam fecerint mentioné, auctoritate Apostolica vobis indulgemus. Concedimus etiam, vt ad visitãda aliqua Monasteria Monialium cuiuscumque Ordinis, illis exceptis quæ (sicut præmittitur) in vestris Regula, vel constitutionibus continentur, aut quæ fuerint de mandato Apostolicæ Sedis excepta, vel aud ẽdas confessiones eorum compelli vllatenus non possint, aut ad recipiendum commissiones causarum, seu sententiarũ executiones, vel alia contingentia causas ipsas per literas præfatæ Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis siue per Legatos, vel delegatos ipsius. Nullus insuper Archiepiscopus, vel Episcopus, nec alius Prælatus Ecclesiasticus, vel eorũ Vicarij, vel Officiales ad portandũ, seu deferendum literas, vel exequendũ, aut denuntiandum sententias cõtra Principes sæculares, Communitates, Populos, seu quosque benefactores vestros, nullusque delegatus, vel ordinarius indeã ad faciendum citationes, vel commissiones recipiendas, siue quod sitis in causis aliquibus assessores, seu ad alia, lites, vel controuersias contingentia in causis quæ coram ipsis tractãtur, quemquam vestrum compellere valeant, sine prædictæ Sedis mandato, & licentia speciali, expressam facientè de hac indulgentia mentionem, nec quisquam vestrum parere, vel intendere teneatur super iis monitionibus, mandatis, aut iussionibus eorundem, aut facere, vel impellere, quod in hac parte duxerit iniungendum.

Fratres Ordinis non possunt absque speciali mandato Papæ, aliis deseruientes ad Ordinem reuocari possunt.
Concordat Concil. Trid. sess. 25. c. 4.

§. 10. Cæterum Generalis, ac Prouinciales Correctores, ac ipsorum Vicarij, illos ex fratribus, de quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum, ipsis Archiepiscopis, & Episcopis ac aliis quibuscumque prouisum extitit, vel in posterũ contigerit prouideri corrigere, ac etiam non obstante conditione aliqua, possint ad suum Ordinem reuocare, nec per literas eiusdem Sedis, seu Legatorum ipsius, iam obtentas vel de cætero obtinendas, aliquos de fratribus ipsius Ordinis præfatis Archiepiscopis & Episcopis aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictæ literæ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi, & Ordine ipso expressam fecerint mẽtionem, & alias id honestati Ordinis, & illorum saluti viderint expedire, Nullus autẽ Legatus, nisi de Latere nostro, missus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto, & Ordine nostro facientiũ mentionem, nullusque Prælatus, etiam Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, nec aliqua persona, Religiosa vel sæcularis, de fratribus eiusdẽ Ordinis, ad sua seu Ecclesiæ negotia procuranda, vel secum manendũ aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis, vel Prouincialis Corrector ipsorum, tanquam idoneos, & discretos, sibi duxerint assignandos, quos etiam subiacere volumus Ordinis disciplinæ.

Generalis Correctoris auctoritas in Fratres inquisitioni, aut verbo Crucis prædicationi deputatos.

§. 11. Illos vero ipsius Ordinis fratres, qui ad prædicandum crucem, vel inquirendum contra prauitatem hæreticam, seu ad alia huiusmodi negotia sunt, vel fuerint vbicumque à Sede Apostolica deputati, tu fili Generalis Corrector, tuique successores remouere, seu reuocare penitus transferre; ipsisque quod supersedeant iniungere, aliosque substituere (cum expedire videbitur) licitè, ac libere valeatis, & in eos, si contrauenerint censurã in Ecclesiasticam exercere, ac quilibet Corrector Prouincialis, vel eius Vicarius eiusdem Ordinis, idipsum in sua Prouincia, circa fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi, facere possit, non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis Apostolicis, impetratis vel etiam in posterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem.

Et in discedentes ab Ordine post emissam professionem.
Contra istud vide Concil. Trid. sess. 14. cap. 11. & sess. 25. c. 19.

§. 12. Inhibemus quoque ne quis post professionem in ordine vestro factã sine Generalis, vel sui prouincialis licentia, discedat ab ipso. Discedentem verò, absque cautione literarũ alterius ipsorum, prætextu priuilegij alicuius Apostolicæ Sedis, nullus audeat retinere, quod si forte retinere præsumpserit, vobis Generalis, & Prouinciales Correctores dũtaxat, & vestris, seu prouinciarum Vicarijs licitum sit in ipsos discedentes fratres excommunicationis sententiã promulgare, Detinẽtes verò eosdem secum, vel in Monasterijs, aut Ecclesijs suis, nisi eos reiecerint, postquam eis denuntiatũ fuerit, excommunicationis sententiæ volumus subiacere, non obstãte quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto huiusmodi mentionem. Si verò aliqui de fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiam à Sede prædicta, aut à nobis Religionem aliam transeundi infra duos vel tres menses se ad illam Religionem suæ saluti congruam non contulerit, & ipsius non susceperit habitum regularem; licitum sit vobis Generalis, ac Prouinciales Correctores, & Vices vestras gerẽtibus contra ipsos, tanquam alios Ordinis vestri apostatas procedere, secundum quod honestati ipsius Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius Religionis infra tempus probationis (nulla professione facta) inde præsumpserint resilire, aut etiamsi post professionem huiusmodi, ad religionem laxiorem seu mitiorem Ordinem transmiserint, vel, quod absit, ad sæculum reuertantur, volumus vos contra ipsos rigorem vestri Ordinis exercere.

Et etiam in Apostatas.

§. 13. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & alias subdere disciplinæ rigori possitis per vos ac etiam alios, in quocumque habitu eos contigerit inueniri, inuocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Expulsi ab Ordine, prædicare, confessiones audire, aut docere nõ possunt.

§. 14. Inhibemus etiam ne fratres quos ab Ordine vestro pro suis culpis per Generalẽ, seu Prouinciales, Correctores, aut Vigiles expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, prædicare, confessiones audire, seu docere præsumant, nisi ad alium Ordinem, in quo licite huiusmodi officia exercentur, transierint de vestra, vel dictorum Correctorum licentia speciali. Quod si forte ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram aliquod super præmissis temere attentare præsumpserint, Prouinciales, Rectores, & Vigiles, ac eorum Vicarij in illos, quos infra fines suarum Prouinciarum, iuxta consuetudinem Ordinis vestri, distractos inuenerint talia præsumentes (monitione præmissa) auctoritate nostra excommunicationis sententiam valeat promulgare.

Et ad alium Ordinem vt hic transire possint.
Intellige ad arctiorem vt in Conc. Trid. mox cit.

§. 15. Eiectos autem de Ordine vestro, vel egressos qui receptione in eodẽ Ordine suis culpis exigentibus reddiderũt se indignos, & alios fratres eiusdẽ Ordinis ex rationali causa, ad quoscumq; Ordines approbatos; præterquã ad B. Augustini templariorũ, Hospitaliorũ, & aliorũ Religiosorũ arma portantium (ad vitandã occasionẽ euagãdi, Generalis, vel Prouinciales Correctores eum suis testimonialibus literis auctoritate nostra licentiandi, liberam habeant facultatem. Nos enim districtius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere, seu retinere præsumant absque licentia speciali Sedis Apostolicæ, faciente de hoc plenariam mentionem.

Prohibet quibuscunq. Religiosis habitum consimilem.

§. 16. Inhibemus etiam, vt nulli siue sit in Religionis Ordine, siue extra Ordinem constitutus, habitum vestrũ, vel ita consimilem, quod propterea frater Minimus credi possit, deferre liceat, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Et vt dicta inhibitio maiorem consequatur effectum, statuimus vt ij qui habitum vestrum, vel sibi prædicto modo consimilem deferre præsumpserint, ad deponendum ipsum per Diœcesanos locorum, cum à vobis

requisiti fuerint monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compellantur.

Exemptio à solutione decimarum. De hac vide etiam in præinser. const.

§. 17. Cæterum cum humilitas vestra sibi de latitudine orbis terræ nihil, præter domos, & hortos cum virgultis ad simplicem tantummodo fratrum vsum præmiorum obtentu cælestium duxerit reseruandum, nos pie volentes, quod illorū fructus integrè vestræ paupertatis vsibus applicentur, vt de dictis hortis, & virgultis vestris nullā decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate præsentium indulgemus, districtius inhibentes ne quis à vobis de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumat.

Ingredientes Ordinem bona incertorū dominorū possint portare.

§. 18. Quia verò nonnulli vestræ Religionis habitum assumentes diuersis personis, quæ sciri & inueniri non possunt, aliqua bona interdum restituere tenentur, vobis Prouincialibus Vigilibus, ac Vicariis prædictis concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus conuertere valeant, prout secundum Deum videbitur expedire.

Sepultura in locis Ordinis est omnibus libera.

§. 19. Sepulturam quoque in locis, cœmeteriis, & Ecclesiis vestris concedimus, & eam liberam esse censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint (nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publicè vsurarij fuerint) nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Celebrari non possunt sepelire possunt inuitis fratribus in eorum locis.

§. 20. Districtius inhibentes, vt nulli, Religiosi vel sæculares vobis inuitis aliquorum corpora defunctorum in vestris cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel pro animabus eorum qui ad loca vestra tumulandi ferentur, ibidem exequias celebrare, sine vestro assensu, aut voluntate, præsumant.

Tempore interdicti quomodo fratres celebrare valeant. Te obserua Concil. Trid. sess. 25. c. 12.

§. 21. Et cum generale interdictum fuerit, in Ecclesiis, & Oratoriis vestris, & aliis quibuscumque, vel cum ad loca pertinentiis Ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis (interdictis, & excommunicatis exclusis) non pulsatis campanis, & submissa voce, liceat vobis celebrare diuina, & Ecclesiastica recipere sacramenta, dummodo causam non dederitis interdicto, nec contingat vobis specialiter interdici, neque Ecclesiæ, vel Oratoria ipsa fuerint specialiter interdicta. His verò qui vestris morantur obsequiis, cuncta liberè ministrare possitis Ecclesiastica sacramenta, & ipsos cum decesserint in vestris Oratoriis sepelire. Si quando autem in terris in quibus resideritis, vel eorum personis excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris seruitiis deputati, negotiorumque vestrorum procuratores, & operarij, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continue institerint, huiusmodi sententiis obnoxij minime habeantur, ibique possint audire diuina, iuxta formam quæ locis ipsis, eo casu a Sede Apostolica est concessa, nisi eidem causam dederint, vel excommunicari specialiter, seu interdici contingat eosdem.

Fratres confiteantur Prælatis Ordinis.

§. 22. Inhibemus insuper vniuersis fratribus vestri Ordinis, ne aliquis eorum (nisi necessitatis vrgente articulo) aliis quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, vel aliis eiusdem Ordinis sacerdotibus secundum Regulam, & ipsius Ordinis instituta.

Prælati Ecclesiastici non molestent fratres super hic expressis. Tu quoad processiones attende Conc. Trid. sess. 25. cap. 13. & quoad noua loca, obserua bullam Clem. VIII. n. 99.

§. 23. Vniuersis autem Ecclesiarum Prælatis, & aliis inhibemus, confessiones vestras vobis inuitis audire, vel compellere vos ad synodos, seu conuocationes suas accedere, vel cum eis, extra Ciuitates, vel intra, processionaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere, vel capitula, scrutinia, & inquisitiones in locis vestris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, annualem obedientiam, à Prouincialibus, Vigilibus, & Correctoribus localibus vestris exigere, aut de ipsorum institutione, vel destitutione, siue de statutis vestri Ordinis, se aliquatenus intromittere, seu prohibere ne ad Ciuitates, vel Villas vbi religiosè, ac honestè commorari possitis, à populis euocati audeatis accedere, ibique pro vestris vsibus construere ædificia, Ecclesias, seu Oratoria, aut in accedētes fratres, seu confluentes huiusmodi, vel acceptatores ipsorum excommunicationis sententias ferre præsumant.

Exemptio à solutione canonicæ portionis Ordini relictæ.

§. 24. Concedimus quoque vobis, vt de iis quæ in ornamentis, vel pro eis aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue aliis, ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pitantiis, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimēdis, ad quorum solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligatæ noscuntur, vel de domibus prædictis, & hortis aliisque locis vobis, secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de iis quæ pro huiusmodi domibus, prædiis, bonis, & locis emendis vobis legantur (dummodo præmissa non conuertantur in vsus alios) sed in illis dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam qui in hac concessione, vel indulgentia continentur, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis à vobis vltimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus, de præmissis, aut de iis, quæ vobis in vltimis voluntatibus absolute legantur, vel alia pro vestris necessitatibus conferuntur, aliquid exigere vel extorquere præsumant, districtius inhibemus.

Fratres possunt loca Ordinis dimittere, &c.

§. 25. Ad hæc, liceat fratribus vestri Ordinis, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam ædificia, seu omnem ædificiorum materiam locorum quæ dimittunt, (dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis,) libros, calices, & paramenta secum ad alia loca transferre. Ac ædificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, præter Ecclesias, per personas, ad hoc à Sede Apostolica deputatas vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum ad quæ dicti fratres se transferunt, ædificationem, seu alias in eorum vtilitatem conuertere, secundum quod melius videbitur expedire, cum ipsa priora, & alia loca fratrum ad nos, & Apostolicam Sedem specialiter, & immediate pertinere noscantur. Et ne aliqui Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alij Ecclesiarum Prælati, seu quævis alia persona Ecclesiastica, vel sæcularis, prædicta loca, seu bona occupare, accipere, vel vsurpare, aut quoquomodo sibi vendicare præsumant, absque dictæ Sedis licentia speciali, districtius inhibemus.

Exemptio ab eorum præstatione & onere.

§. 26. Indulgemus vobis, vt ad præsentationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nuntiorum ipsius, seu Diœcesanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, seu subsidiorum, vel prouisionum quarumcumque minime teneamini, nec ad ea soluenda per literas dictæ Sedis, aut Legatorum, vel Nuntiorum eiusdem, seu Rectorum, terrarum Ecclesiæ Romanæ impetratas, seu in posterum impetrandas cuiuscumque tenoris fuerint in perpetuum compelli possitis, nisi dictæ Sedis literæ impetrandæ plenam, & expressam de huiusmodi indulto, & dicto Ordine fecerint mentionem.

Prælatorum Ordinis facultas absoluendi fratres & cum eis dispensandi. Hoc habes etiam in præinf. const. vbi notam.

§. 27. Præterea cum felicis record. Gregorius XI. prædecessor in dictis suis literis Generali, Vigilibus, & Prouincialibus, necnon Correctoribus localibus, & eorum Vicariis absoluendi fratres eiusdem Ordinis, ac etiam fratribus dicti Ordinis quo ipsi huiusmodi superiores habuerint pro tempore in confessores absoluendi ipsos superiores ab excessibus, & censuris, nisi talia forent, propter quæ essent ad Sedem Apostolicam meritò destinandi, ac cum eis desuper dispensandi, concedit, & propterea qui sunt destinandi persæpe reuocetur in dubium, vt absoluentium, & absoluendorum, dispensantium, & dispensatorum pro parte puritati conscientiæ consulamus; Declaramus hæreticos, relapsos, schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem prædictam meritò destinandos, reliquis verò omnibus etiam simoniæ qualitercumque irretitis posse per illos quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium, & dispensationis, iuxta casuum indigentiam impartiri. Et vt in dicti Ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad Apostolicam Sedem recurrendi subtrahatur prò posse necessitas, omnibus superioribus, & eorum Vicariis defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio ossario, & illicito coitu prouenientè; necnon cum his, qui ex quavis causa præterquam homicidij voluntarij bigamiæ, & mutilationis membrorum, irregulares forēt, dispensandi cum dicti Ordinis Minimorum professoribus, postquam ipsum Ordinem professi fuerint, vt defectu & irregularitate, irregulares ipsi ad quoscumque etiam sacros ordines promoueri, & in illis etiam altaris mysterio ministrare, & tam ipsi irregulares, quam defectum Natalium patientes, ad qualcumque

administra

administrationes, & officia eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere libere, & licitè valeant, motu, scientia, & auctoritate prædicta, concedimus per præsentes.

Exemptio à decimis. Tu vide in d. præins. const.

§. 28. Indultum verò prædecessoris de decimis non soluendis, ad quæcumque bona dictorum fratrum, & quascumque decimas (etiam quas vulgus Papales appellant) & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus persæpe necessitatibus indicit, & quæcumque alia onera, motu, & scientia prædictis extendimus; Decernentes fratres ipsos Minimos, etiam per quoscumque exemptos etiam Mendicantes solui mandarentur, cum quibusvis derogatoriis, & fortioribus clausulis ad illarum solutionem cessando, censuras, & pœnas aliquas non incurrere, nisi præsentibus nobis per generales aut alias clausulas specialem mentionem importantes, non alias sit derogatum, specifice eorum de verbo ad verbum inserto tenore.

Exemptio à iurisdictione Ordinariorũ. Hoc habes in d. præins. cõst. vbi notaui.

§. 29. Cæterum cum fel. rec. Innocentius Papa IV. prædecessor noster, olim duxerit statuendum, vt exempti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, (prout ius exigit,) exercere, nos vobis (vt occasione constitutionis huiusmodi nullum libertatibus, & immunitatibus, vobis, & Ordini vestro per priuilegia, & indulgentias ab Apostolica Sede concessis, aut in posterum concedendis præiudicium generetur) auctoritate præsentium indulgemus. Decernentes vos seu personas vestri Ordinis in prædictis casibus Ordinariis ipsis minime subiacere. Decernimus ergo irritum quicquid contra tenorem concessionum, & inhibitionum huiusmodi, per quoscumque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quia contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem in vos, vel vestrum aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros vel executores, aut hæredes prædictos in posterum promulgari contigerit, penitus non tenere.

Facultas Prælatorum Ordinis corrigẽdi fratres iuxta eius ordinationes appellatione remota.

§. 30. Et quia Bonifacius VIII. prædecessor noster olim ad augmentum communium Religionum, & Ordinum quos Romana suscepit & approbauit Ecclesia, paternis studiis intendit, & considerauit attentius, quod non intermissa sedulitas disciplinæ, Religiones, & Ordines supradictos, statusque regulares salubriter dirigit, & conseruat, quodque si eam perire, vel tenuiri contingeret, Ordo quilibet collabi necessario cogeretur, pensando etiam quod si regularium personarum correctio rimas iuris, & apices sequeretur, huiusmodi rigor lentesceret, ac multiplicata laxatione torperet. Nos auctoritate Apostolica, vobis indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones fratrum vestri Ordinis delinquentium infligendas, Generalis, Vigiles, & Prouinciales, nenon Correctores locales, & eorum Vicegerentes, ad quos eadem spectare noscuntur (strepitu, & apicibus ipsis postpositis) libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia, facta, & etiam facienda ipsius Ordinis instituta. Nec volumus eisdẽ licere fratribus, ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, prouida in hoc deliberatione, ac maturitate debita obseruatis.

Exemptio à gabellis & impositionibus.

§. 31. Quodque fratres, & sorores, ac gubernatores præfati, ratione domorum, locorum, ac Monasteriorum prædictorum, aut quorumcumque aliorũ bonorum, aut possessionum, quæ in præsentiarum habent, & iustis modis præstante Domino habebunt in futurum, seu alia quauis occasione, decimam vel aliam petitionem, aut annuos redditus, seu censum, vel procurationem aliquam, vel aliam subuentionem Legatis, vel Nuntiis dictæ Sedis, aut Ordinariis locorum, vel aliis quibuscumque aut pedagia, vel telonia, & alias exactiones, quibusvis Regibus, seu aliis personis, Ecclesiasticis seu sæcularibus, dare, & soluere minime teneantur, nec ad illud compelli possint, vel super hoc alias à quoquam quomodolibet conueniri per literas Sedis prædictæ, aut Legatorum, vel Delegatorum, seu Nuntiorum ipsius, aut Diœcesanorum locorũ, vel Rectorum terrarum Ecclesiæ Romanæ, aut quorumcumque aliorum, etiamsi in eiusdem Sedis literis contineatur expresse, quod ad quævia, exempta vel non exempta, seu Monasteria se extendant, & aliqua eis cuiuscumque tenoris, existat, ipsius Sedis indulgentia non obsistat, nisi forsan dictæ literæ Apostolicæ de dicto Ordine, & præsentibus, de verbo ad verbum, ac etiam Monasteriis, locis, & domibus, ipsorumque Rectoribus, ac Gubernatoribus, & personis prædictis, plenam, & expressam, ac etiam specialiter, & nominaliter fecerint mentionem.

Derogatio contrariorum.

§. 32. Felicis rec. Innocentij Papæ IV. prædecessoris nostri, & aliis constitutionibus Apostolicis, legibus Imperialibus, statutis, & consuetudinibus, per quæ præmissa possent quomodolibet infringi, vel impediri, & aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Nos enim quaslibet excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias & quoscumque processus, qualvis pœnas sententias continentes, quas, & quos contra Generalem, fratres, & sorores, domos, Monasteria, personas, & alia supradicta, contra tenorem, & formam præsentium, & exemptionis huiusmodi promulgari, & haberi contigerit, irritas decernimus penitus, & inanes. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 3 die 17. Sept.

Datum Romæ apud S. Petrum, 5. Kal. Augusti 1506. Pontificatus nostri Anno tertio.

Facultas duorum ex Prælatis Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti Ordinis S. Benedicti, circa alienationem eius bonorum in euidentem vtilitatem. XL

Hæc facultas postea data est Visitatoribus d. Congregationis à Leone V. inf. in const. 18. Ex debito institutionem verò, & statum huius Congregationis notaui supra in const. 1. Clem. VI. Sollicitudinis.

Edita An. D. 1507.

IVLIVS EPISCOPVS, &c. Dilectis filiis Abbati Generali, & Visitatoribus Congregationis Monachorum B. Mariæ de Monte Oliueto, Ordinis Sancti Benedicti, Sal. & Apost. benedictionem.

Proœmium.

EX iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ Monasteriorum, & aliorum Religiosorum locorum quorumlibet vtilitas valeat procurari.

Paul. II edidit bullam de qua sup.

§. 1. Dudum siquidem à felicis record. Paulo Papa II. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis.

Omittitur insertio bullæ, quia ea est in loco mox cit.

Causa huius concessionis.

§. 2. Et deinde nobis nuper exhibita pro parte dilectorum filiorum Capituli Generalis Congregationis Monachorum B. Mariæ de Monte Oliueto Ordinis S. Benedicti petitio continebat, quod sæpe contingit, quod Monasteriis, Prioratibus, & aliis Religiosis locis dictæ Congregationis, necnon membris ab illis dependentibus expediret, aliqua ex eorum immobilibus bonis, quæ eis parum vtilia seu minus commoda existunt, vendere, & pretium inde proueniens, in alia immobilia bona vtiliora, & commodiora conuertere, seu pro aliis possessionibus, aut immobilibus bonis vtilioribus, & commodioribus permutare, aut in feudum, vel emphyteusim, siue liuellum, & affictum perpetuum, vel ad tempus sub canone condecenti locare, & concedere, ex quo profecto Monasteriorum, & Prioratuum, ac locorum, necnon membrorum prædictorum conditio, cum eorum euidenti vtilitate melior efficeretur.

Petitio Capituli.

§. 3. Quare pro parte eorundem Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis singulis Abbatibus, & aliis Prælatis, & Prioribus, ac Conuentibus Monasteriorum, Locorum, Prioratuum, & Membrorum prædictorum pro tempore existentibus, quæcumque possessiones, & alia bona immobilia minus vtilia, minusque commoda huiusmodi vendendi, alienandi, & permutandi, aut in feudum, seu emphyteusim, vel liuellum, & affictum perpetuo, vel ad tempus locandi, & concedendi quoties expedierit, licentiam largiamini, committere, & mandare, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Facultas diuersorum ex Prælatis Congregationis circa alienationem bonorum stabilium.

§. 4. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel maior pars, aut ad minus duo vestrum, bonis, de quorum venditione, permutatione, locatione, in feudum, seu in emphyteusim, vel libellum pro tempore agetur huiusmodi, prius coram vobis, specificatis de omnibus, & singulis, quæ super obtinenda licentia huiusmodi per eosdem Abbates, Prælatos, Priores, & Conuentus vobis pro tempore exponi contigerit, & eorum circumstantiis vniuersis, auctoritate nostra vos coniunctim seruata forma literarum Pauli prædecessoris huiusmodi procedendo diligenter informetis, & si per informationem eandem ea vobis sic pro tempore exposita vera esse, ac venditiones, alienationes, permutationes, locationes, & concessiones prædictas, si fiant in euidentem Monasteriorum, Prioratuum, membrorum, & locorum prædictorum, quotū illa fuerint, vtilitatem cedere reperetis, eisdem Abbatibus, Prælatis, Prioribus, & Conuentibus id petentibus, quoties expediens fuerit, possessiones, & bona quæcumque huiusmodi pro preciis competentibus vendendi, & alienandi, seu illa pro aliis possessionibus, & bonis immobilibus, vtilioribus, & commodioribus permutandi, aut quibusvis personis, etiam sæcularibus in eandem emphyteusim, vel libellum, & affictū perpetuo, vel ad tempus, pro condecenti annuo canone, seu censu, locandi, & concedendi dicta auctoritate licentiam largiamini, facultatem concedimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, Prioratuum, locorum, membrorum, Congregationis, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis. Quodque vos de personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, quibus literæ Apostolicæ dirigi consueuerunt non sitis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Pretium vbi deponendum.

§. 6. Prouiso quod si possessiones, & alia bona huiusmodi vendi contigerit, vt præfertur, pretium seu pretia ex illis prouenient, seu prouenientia, penes ædem sacram, etiam dictæ Congregationis, aut fide, & facultatibus idoneam personam, cum obligationibus, & recognitionibus, ac cautelis in talibus apponi solitis reponantur, & in emptionem aliorum immobilium bonorum eisdem Monasteriis, Prioratibus, locis, & membris, quorum erant bona vendita huiusmodi commodiorum, & magis vtilium, & non in aliam causam omnino conuertantur.

Dat. P. An. 4. die 4. Iunij.

Datum Romæ, apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, 1407. Pridie Nonas Iunij, Pontificatus nostri Anno 4.

XII. Ordinationes pro bono regimine Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti; eiusque gratiæ, & immunitates.

Alias gratias huius Congregationis vide in Pij V. const. 41. inf. Etsi mendicantium. Cætera autē notaui supra ad const. 1. Clem. VI Sollicitudinis.

Edita An. D. 1407.

I V L I V S E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

Etsi ad vniuersos Regulares Ordines in militanti Ecclesia institutos, vt loca iugi sanctimoniæ dedita, personasque voto religionis adstrictas, pro iniunctæ nobis Apostolicæ seruitutis officio, crebris vigiliis, & indefessis studiis intendere nos deceat; ad dilectos tamen filios Abbates, & Monachos Ordinis S. Benedicti, Congregationis Beatæ Mariæ Montis Oliueti, eo diligentius aciem nostræ considerationis conuertere nos conuenit, quo ipsis sub eiusdem beati Benedicti Regularibus institutis, ac patrocinio Beatæ Mariæ Virginis, qua mediante eius intercessionis ad Dominum indefessis ad salutem præbeatur accessus, & ad instar Saluatoris Domini nostri Iesv Christi, qui in Monte Oliueti, Monte vtique Sancto, Apostolis, salutis documenta præbuit, per eorum sanctimoniæ vitam, & solicitudinem in eodem Monte Oliueti Pientinæ Diœcesis, vbi primum ipsa Congregatio suæ vitæ solitariæ exordium sumpsit, vigiliis, & orationibus assiduis intenti, ac cogentes carnem ab illecebris abstractam spiritui obedire, eorum exemplis cæteris ad salutem, & salutaria præbeant documenta, & illa eis fauore beneuolo concedere, per quæ possint in eorum sancto ac pio proposito, Altissimo in eius beneplacitis gratum reddere famulatum.

Confirmatio gratiarū Congregat.

§. 1. Sane cum sicut accepimus, alias plures immunitates, exemptiones, ac diuersa priuilegia, fauores, & indulta, spiritualia, ac temporalia, per diuersos Romanos Pontifices prædecessores nostros præfatæ Congregationi, illiusque Monasteriis, locis, personis, bonis, & rebus concessa fuerint. Nos cupientes vt dilectus filius modernus, ac pro tempore existens Abbas Generalis dictæ Congregationis, ac Monachi præfati, eo quietius possint Domino in eius beneplacitis famulari, eo quod cognouerint huiusmodi priuilegia, & immunitates, pro illorum subsistentia firmiori, etiam nostræ approbationis robore communiri, ac etiam Abbatis, & Monachorum, & Congregationis huiusmodi commoditatibus, & augmento, statuique prospero, & felici, quantum cum Deo possumus salubriter consulere, in ipsosque Generalem Abbatem, & Monachos, & Congregationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolutos fore censentes. Ac omnia, & singula priuilegia, gratias, fauores, immunitates, exemptiones, indulta quæcumque tam spiritualia quam temporalia, eidem Congregationi, ac illius Monasteriis, locis, personis, sub quibuscumque tenoribus concessa; illorumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus præ expressis habentes, motu proprio, non ad Abbatis, & Monachorum prædictorum, vel alicuius alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, priuilegia, gratias, fauores, immunitates, exemptiones, & indulta huiusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, eaque omnia, & singula inuiolabiliter obseruari debere cernimus.

Interpretatio de dictis gratiis fiat ad fauorem d. Congregat.

§. 2. Ac volumus quicquid dubij in dictis priuilegiis, seu aliquo eorum pro parte emerserit, id, data, verborum ambiguitate, & varia peritorum interpretatione, in fauorem dictæ Congregationis, & locorum particularium eiusdem interpretari debere.

Communicatio priuilegiorum inter loca Congregat.

§. 3. Et cuiusvis particularis Monasterij dictæ Congregationis priuilegia, ipsi toti Congregationi, & aliis particularibus Monasteriis esse communia, & ad illa ea extendi, & extendimus per præsentes, quando ipsa priuilegia aliis Monasteriis, & locis dictæ Congregationis adaptari possint.

Congregatio sit vna omniū Monachorum.

§. 4. Et insuper etiam vltra prædicta priuilegia eidem Congregationi vt præfertur concessa, hac perpetua atque irrefragabili constitutione, motu, & scientia similibus, sancimus, quod omnes, & singuli dictæ Congregationis Monachi Ordinem ipsum professi, præsentes, & futuri, quamuis in diuersis Monasteriis siue locis pro tempore maneant vnum tamen corpus, & vna Congregatio existant. Ipsaque Congregatio, ab Apostolica Sede merito approbata ab vniuersis Christi fidelibus in reuerentia, & deuotione habeatur.

Capitulum generale valeat edere constitutiones, & statuta, & ab omnib. obseruanda.

§. 5. Et dictæ Congregationis Capitulum generale, siue in ea vocem pro tempore habentes, pro felici dictæ Congregationis successu, statuta, constitutiones, ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus ipsius Congregationis, ac eius Regularis disciplinæ, statum, obseruantiam, indemnitatem, & circa diuini officij directionem, & ordinationem, absque tamē ipsius regulæ, in substantia vel effectu, variationē, interpretationem, vel declarationem quoquomodo, concernere poterunt, auctoritate prædicta instituendi, ordinandi, interpretandi, & declarandi, ac ea quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata fuerint in toto, vel in parte, prout rerum vel temporum qualitas exege-

rit,

rit, tollendi, alterandi, & in melius commutandi, plenam, & liberam in omnibus habeant facultatem. Quibus institutis, ordinationibus, declarationibus, & correctionibus, singuli de Congregatione huiusmodi cuiuscumque dignitatis, status, gradus, seu conditionis existant, efficaciter parere omnino teneantur. Ita tamen quod ad peccatum, nisi contra fiat ex contemptu, aliquem non obligent.

Prælatus quomodo Monasterium reformare possit.

§. 6. Et quoties Prælatus aliquis Monasterium cui præfuerit reformare, & ad ipsius Congregationis obseruantiam reducere decreuerit, reformationem ipsam, iuxta instituta, decreta, & ordinationes Congregationis eiusdem, prout conuenientius poterit exequatur. Et eius acta, conuentiones, & modi, eo ipso quod de consensu dictæ Congregationis; seu ad id deputatorum in formam publicam redacta fuerint, Apostolico sint robore communita.

Prælati obediant Abbati & alij obediant Prælatis.

§. 7. Vniuersi verò eiusdem Congregationis prælati, sub præfati Generalis Abbatis, & alij Monachi, ac Conuersi & commissi, sub Prælatorum in quorum Monasteriis, aut locis ipsi Monachi, Conuersi, & Commissi morantur obedientiis viuant, & eas illis humiliter præstent.

Appellatio à Prælatis Capitulo & Abbate denegatur.

§. 8. Et nulli Prælatorum vel Monachorum prædictorum ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis, Capituli, siue Abbatis generalis, aut aliorum Prælatorum ipsius Congregationis, ad quemcumque etiam ad nos, & Sedem prædictam, nisi de speciali indulto summi Pontificis liceat appellare, appellationesque desuper pro tempore interpositæ & inde secutæ irritæ habeantur.

Iudicia iuxta constitutiones fiant.

§. 9. Et cum contra aliquem Prælatorum vel Monachorum dictæ Congregationis ciuiliter vel criminaliter agi contigerit, secundum consuetudines, & statuta prædicta, iuris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus omissis, procedi debeat.

Translatio ad aliam Religionem de licentia Papæ tantum permittitur.

§. 10. Et ipsius Congregationis Prælati, suos Monachos, qui licentiam à Sede præfata habere dixerint, se ad aliud quodcumque Monasterium siue locum transferendi, obtentu literarum Apostolicarum transferri non sinant, nisi in ipsis literis specialis, specifica, & expressa de Congregatione, & nostra ordinatione huiusmodi mentio fiat, eisque sufficienter derogetur, ac tunc si infra tres menses id non compleuerint, contra eos tanquam contra apostatas agi possit, nisi in ipsis literis Apostolicis expressum fuerit tempus, infra quod se debeant ad huiusmodi Monasteria siue loca transtulisse, eoque casu non prius contra eos agi liceat quam dicta tempora sint elapsa.

Apostatarum receptio vetatur.

§. 11. Ac Congregationis huiusmodi Prælati, quarumcumque literarum Apostolicarum prætextu, nisi in illis præsentibus specialiter & expresse derogetur, ad recipiendum Monachos, qui alias ab eorum propriis Monasteriis absque suorum Superiorum licentia, contumaciter recesserunt, à quoquam nequeant quomodolibet coarctari.

Transeuntes ad loca Conuentualium, pro Conuentualibus habeantur.

§. 12. Illi vero ex eisdem Monachis, quos de Prioribus in quibus professi fuerint Monasteriis, siue locis, ad alia dictæ Congregationis Monasteria siue loca, iuxta dicti Capituli ordinationem transferri contigerit, aut alias pro Conuentualibus, quomodolibet ex tunc ab ipsis prioribus, Monasteriis atque locis, realiter absoluti exstiterint, aliorum Monasteriorum locorumque quandiu ibi steterint, Monachi & suppositi reputentur, & pro Conuentualibus inibi habeantur, ac si in illis professionem suam emisissent.

Indulta prosint si Congregationis ordinationibus non obsistant.

§. 13. Ac omnia Monasteria, & loca prædicta, & eorum Prælati, atque personæ, quibuscumque eis à dicta Sede, vel alias qualitercumque concessis, ac de iure, seu consuetudine debitis, iuribus, præeminentiis, ac dignitatibus, inconcusse gaudeant, & vtantur dummodo illa præmissis & aliis dictæ Congregationis institutis, & ordinationibus non obsistant.

Monasteria non sunt ad inuicem subiecta, sed à Congregationis tantum.

§. 14. Nec propterea ex Monasteriis ipsis vnum alteri censeatur esse subiectum; sed eis in sua pristina libertate manentibus, ea vicissitudinis adminiculo copulata, sub felici dictæ Congregationis regimine, sibi vniformi regularis obseruantiæ gressu inuicem suffragentur.

Monasteria Congregationis ab eius prælatis regantur, ad electionem Capituli vel Abbatis.

§. 15. Monasteria autem, & Prioratus, quæ nunc sunt, & pro tempore erunt, etiam vnita præfatæ Congregationi, per Prælatos dumtaxat eiusdem Congregationis regantur, & gubernentur. Et quoties illa vbicumque etiam apud Sedem prædictam, & qualitercumque vacare contigerit, etiamsi quævis speciales vel generales, de illorum prouisionibus, seu dispositionibus per dictam Sedem reseruationes factæ fuerint, Generale Capitulum, si tunc celebretur, alioquin Abbas generalis, cum per ipsam Congregationem ad id deputatis, illos & eiusdem Congregationis Monachis præsentibus & futuris, etiam defectum natalium, ex quibusvis personis patientis, quos ad id idoneos fore crediderint, in Prælatos tunc vacantium Monasteriorum, & Prioratuum huiusmodi, alias secundum consuetudines, ordinationes, & statuta prædicta, eligere seu nominare.

Et ad eorum nutum electi amoueantur.

§. 16. Et ad eorum nutum, & beneplacitum, taliter electos seu nominatos à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censeantur, absoluere, & amouere.

Electique statim administrent.

§. 17. Præfatique sic electi seu nominati absque alicuius dictæ Sedis vel alterius prouisionis, vel dispensationis adminiculo, etiam præter hoc quod eis munus benedictionis impendatur, ipsis Monasteriis, & Prioratibus ad quæ sic electi vel nominati fuerint præesse, ac illa in spiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare, ac omnes actus ibidem exercere, & insignia deferre, ac si munus huiusmodi suscepissent.

Ipsis absentibus, alteri administratio datur, à Capitulo, vel Abbate & deputatis.

§. 18. Etsi contingat Prælatos dictæ Congregationis à Monasteriis & Prioratibus, ad quæ vt præmittitur electi, seu nominati fuerint, aliqua legitima causa abesse, atque pro dictorum Congregationis, & Monachorum, ac illorum præsentium & futurorum Monasteriorum ac Prioratuum conseruatione, & statu prospero & felici, quod absente Prælato, ne Monasterium sibi commissum ex eius absentia, damna sustineat, alius qui Monasterium seu Prioratum ipsum regat, & gubernet durante absentia huiusmodi deputetur, vtile videatur & expediat, quod quoties id contigerit Capitulum, seu Generalis Abbas cum deputatis huiusmodi, alias iuxta eorum consuetudines, & statuta, coram, regimen & administrationem ipsius Monasterij, seu Prioratus, Prælati sui præsentia carentis in spiritualibus, & temporalibus dicta absentia durante alteri committere liberè & licitè possint.

Collatio Monasteriorum, & Prioratuū ad quos spectet.

§. 19. Et quod aliquod ex dictis Monasteriis vel Prioratibus, aut aliis dictæ Congregationis locis, per quascumque literas Apostolicas etiam motu simili, & cū reseruationibus, ac quibuscumque derogationis per quas effectus præsentium quomodolibet impediri vel differri possit clausulis concessas hactenus, & in posterum concedendas per aliquem de dicta Congregatione vel extra eam cuiuscumque status, gradus, ordinis seu conditionis sit, etiamsi Cardinalatus honore, aut Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeat in titulum aut commendam, siue administrationem, vel alias obtineri. Seu eis super aliquibus eorum fructibus, redditibus, & prouentibus, aliqua pensio reseruari, concedi vel assignari, vel ius sibi desuper acquiri, vel aliquis contra præsentium tenorem quovis quæsito colore, quempiam de dicta Congregatione, super aliquo ex Monasteriis, Prioratibus, & locis prædictis, ratione tituli, siue commendæ, vel administrationis, aut personis huiusmodi, vel alias impedire, seu molestare valeat. Quodque deinceps nulla ex beneficiis Ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, ad collationem, prouisionem, præsentationē, electionem, seu quamvis aliam dispositionem Abbatum vel Priorum, ac Conuentuum, Monasteriorum, & aliorum dictæ Congregationis, communiter vel diuisim pro tempore pertinentibus, etiam qualitercumque beneficia ipsa, & vbicumque, præterquam apud Sedem prædictam vacare contigerit, dummodo dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata non fuerint, sub gratiis, expectatiuis, aut prouisionibus, seu aliis dispositionibus dictæ Sedis facultatibus, seu indultis de conferendis beneficiis Ecclesiasticis vacantibus, vel vacaturis, quibusvis personis cuiuscumque status, dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis fuerint,

& quavis etiam Pontificali dignitate præfulgeant, ab eadem Sede quomodolibet concessis, & io antea concedendis quomodolibet cadant seu comprehendaotur. Sed ipsorum beneficiorum collatio, prouisio, præsentatio, electio, & dispositio illorum occurrente vacatione, præmissis non obstantibus ad Abbates, Priores, ac Conuentus præfatos, libere, & absque aliquo etiam præfatæ Sedis præuentionis impedimento, pertineant & spectent, ac de beneficiis ipsis nullus alius quam Abbates seu Priores, & Conuentus prædicti, quorumcumque facultatum & indultorum sibi à Sede vel Legatis præfatis qualitercumque, & sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam motu simili concessorum, & concedendorum vigore vel prætextu, disponere valeant quoquo modo. Ac omnes & singulæ gratiæ expectatiuæ, & acceptationes, prouisiones, dispositiones, collationes, & literæ Sedis, ac illius Legatorum huiusmodi, facultatesque, & indulta super collationibus beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium seu vacaturorum quibusvis, etiam vt præfertur qualificatis personis, & cum prædictis clausulis pro tempore concessa, processusque desuper pro tempore habiti, etiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliasque Ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas, in se continentes, quoad beneficia ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, aut aliam dispositionem Abbatum, & Priorum, ac Conuentuum prædictorum respectiue spectantia huiusmodi, ac totum id & quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, omni prorsus careant firmitate.

Impedientes eos, qui Congregationem intrare volunt, excommunicantur.

§. 20. Nec quispiam personas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur, ea sæculo fugientes, & ad dictam Congregationem venire affectantes verberibus aut molestiis quibuslibet impedire vel prohibere, aut à Monasteriis vel locis Congregationis eiusdem, præsentibus vel futuris diuertere, aut super hoc illis, vel eas recipientibus iniuriam vel molestiam aliquam irrogare præsumat contra facientes verò, præsentium notitiam habentes, vel qui eas ignorauerint, & postquam ad eorum notitiam deuenerint, à præmissis iniuriis, & violentiis non destiterint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, à qua præterquam in mortis articulo constituti, nisi à Sede præfata absolutionis beneficium nequeant obtinere.

Assumentes Prælatum vel Monachum Congregationis, ad eorum seruitia vel officia, extra congregationem excommunicantur.

§. 21. Ac nullæ Ecclesiasticæ vel sæculares personæ quacumque auctoritate vel dignitate præditæ, aliquem ea Prælatis vel Monachis Congregationis prædictæ ubsequiorum vel seruitiorum propriorum, vel Monasteriorum suorum prætextu, etiamsi absque licentia suorum Superiorum ad eas diuertere, vel alia quavis causa etiam arctioris vitæ, Ordinis, vel obseruantiæ à dicta Congregatione educere, vel sponte venientes recipere & penes se retinere audeant, etiam auctoritate literarum Apostolicarum, in quibus de huiusmodi Prælato vel Monacho, & Congregatione nominatim expressa mentio non fiat absque consensu Capituli, seu Abbatis generalis, vel maioris partis Visitatorum dictæ Congregationis pro tempore existentium. Quod si recipientes, infra tres dies, postquam eis præsentes innotuerint, Prælatum, seu Monachum extra ipsam Congregationem existentem huiusmodi, eidem Congregationi non restituerint cum effectu, vel à se realiter non abiecerint, excommunicationis sententia innodati existant eo ipso, à qua nisi in mortis articulo, aut à Sede prædicta absolui non possint.

Prælati Congregationis reuocent extra eam vagantes.

§. 22. Generalis autem, & alij Abbates, & Priores dictæ Congregationis pro tempore existentes, seu ab eis deputati, possint omnes, & singulos eiusdem Congregationis Monachos, ab illa vagos, & fugitiuos, aut suis Superioribus non obedientes, & rebelles, & qui habita licentia, conditionem eis impositam non impleuerint, aut lapso licentiæ termino ad propria Monasteria non redierint, vel alia loca, seu Monasteria absque speciali Apostolico priuilegio præsentibus derogandi, aut sine Superiorum suorum licentia se transtulerint, vel aliquarum personarum, quacumque dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentium, seruitiis, in Romana Curia, vel extra eam se addixerint, vel ab eis literas familiaritatis, aut Capellanatus obtinuerint, capere, & in carceribus detinere, aut per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia, appellatione remota, etiam inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, ad solitam, & debitam obedientiam compellere.

Exceptio ab Ordinariorum & aliorum omnium iurisdictione. Tu vid. Concil. Trid sess. 25. 11 & 14. & Leon. X. const. 22. Dë intra, & Clë. VIII. const. 19. Susceptï.

§. 23. Et vt dictæ Congregationis Monachi diuinis beneplacitis, quietius, & liberius insistant, eandem Congregationem, & illius Generalem Abbatem, ac Visitatores, & alios Prælatos, ac Monachos, Conuersos, Commissos, Nouitios, & Capellanos, etiam habentes curam animarum, necnon personas familiares, & seruitores ipsorum, nunc, & pro tempore existentes, ac ipsius Congregationis Monasteria, Prioratos, & loca, etiam quæ in posterum eidem Congregationi quandocumque vniri, vel incorporari, seu subijci, vel alias quomodolibet aggregari contigerit; omniaque & singula dictorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum, præsentium, & futurorum, Ecclesias, Capellas, etiamsi in ipsis cura animarum immineat, Oratoria, manualia, membra, Castra, Fortalitia, ædificia, villas, grangias, vineas, olíueta, & hortos, siluas, nemora, prata, pascua, piscationes, molendina, aquas, aquarum decursus, iura, iurisdictiones, prædia, possessiones, & bona quæcumque, quæ in præsentia sunt, & in futurum erunt dictæ Congregationis, & quæ omnia, & singula per eorum vocabula, fines, valores, qualitates, & quantitates, hic haberi volumus pro sufficienter expressis, à quorumcumque Legatorum etiam de latere, & Subdelegatorum, necnõ Nontiorũ dictæ Sedis, ac Vicariorum, Rectorum, & quorumvis Romanæ Ecclesiæ, necnõ Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Administratorum, & aliorum quorumcumque Iudicum Ordinariorũ quavis auctoritate, & potestate fulgentiũ, dictorũ auctoritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione, & correctione, ita quod in dictam Congregationem, vel eius singulares personas, seu benefactores, occasione beneficiorum eisdem collatorum ab eis, aut qui subditi eorum cum eisdem Monachis conferuentur, seu ab ipsis recipiant absolutionis, & Eucharistiæ sacramentum, necnon in Monasteria, Prioratus, loca, & personas in eis degentes, ratione delicti, excessus, seu contractus, aut rei de qua agitur vbicumque ineatur contractus, committatur delictum, aut res ipsa consistat, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aut alias quasvis sententias, nisi de speciali Sedis prædictæ commissione quomodolibet, directè, vel indirectè, proferre, seu promulgare non possint prorsus eximimus, & totaliter liberamus. Eaque omnia, & eorum quodlibet in ius, & proprietatem Beati Petri, & Sedis eiusdem, & sub eorum, & nostra protectione suscipimus, ac nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ annuum censum vnius vnciæ auri per eandem Congregationem in festo beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, annis singulis Cameræ Apostolicæ persoluendum in signum perceptæ perpetuæ libertatis, & exemptionis assignamus. Quod si Legati, Subdelegati, aut Ordinarij seu aliæ personæ prædictæ, contra exemptionem, & libertatem nostram huiusmodi quicquam attentare quoquo modo præsumpserint, ac requisiti vigore præsentium per ipsius Congregationis Prælatos, vel Monachos, infra tres dies à die requisitionis huiusmodi non destiterint, excommunicationis sententiæ ipso facto nouerint se subiectos, & nihilominus quod aliter actum fuerit eo ipso sit irritum, & inane, nullusque roboris vel momenti.

Ad iudicia, Concilia, Processiones, &c. vocari nequeunt. Tu vide Conc. Trid sess. 25. cap. 13.

§. 24. Volumus insuper quod dictæ Congregationis Prælati, vel Monachi, literas Apostolicas super administranda iustitia, executione facienda, visitatione exercenda, aut alio quovis negotio peragendo, ad eos pro tempore impetratas, vel directas acceptare, & illis contenta exequi, & iuramentum de calumnia, vel veritate dicenda subire, aut testimonium perhibere, seu extra ius, Ciuitatem, & Diœcesim trahi, & ad quæuis Concilia, generalia, prouincialia, vel synodalia, aut Congregationis, quovis nomine censeantur, Ecclesiasticarum, vel laicarum personarum, cuiuscumque dignitatis, aut status existant, etiam Apostolica auctoritate indicta, præterquam ad ipsius Congregationis

Capitulum

Capitulum generale celebrandum, aut alias iuxta eorum ordinationes ire vel mittere, aut processionibus publicis, vel funeralibus interesse inuiti minime teneantur. Seu quod in eorum locis Missæ, vel alia diuina officia celebrentur, ordines conferantur, vel agitentur causæ ciuiles seu criminales, processiones conuocentur, aut synodus, Conuentus, seu quæuis Congregationes, tam Ecclesiasticarum quam laicarum personarum fiant. Siue quod huiusmodi Congregationis loca, ad vsum hospitium, habitationem, detentionem, & incarcerationem Ecclesiasticarum, & laicarum personarum deputentur, adstringi seu cogi nullo modo possint. Testimonia verò Prælatorum, Monachorum, Conuersorum, Commissorum, & Nouitiorum dictæ Congregationis in causis ipsorum ciuilibus, & criminalibus, in iudicio, & extra, legitima seu iuridica sint.

Exemptio à gabellis Principum,

§. 25. Nulli quoque Reges, Principes, Milites, Nobiles, Laici, Communitates, Vniuersitates, Magistratus, Rectores, & Officiales Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & Diœcesum diuersarum, Monasteriis, Prioratibus, Locis Capellis, Ecclesiis, Manualibus, Grangiis, Castris, Possessionibus, & bonis, necnon Prælatis, & Monachis ipsius Cógregationis Gabellas, Tallias, Datia, Collectas, etiam pro Pontium refectionibus, aut Viarum reparationibus, aliaue onera, seu grauamina inferre, indicere, & imponere, aut indicta, & imposita exigere, sub excommunicationis, & maledictionis æternæ pœnis, quas nisi præsentium habita notitia prorsus destiterint ipso facto incurrant, non audeant, vel præsumant.

Decimisque Ordinariorũ, &c. ea vid. Concil. Trid. sess. 25. cap 13.

§. 26. Nec aliquod ex dictæ Congregationis Monasteria, Prioratibus, Grangiis, membris, manualibus, & locis prædicta ad dandum, seu soluendum aliquam canonicam portionem, siue decimas, aut quid aliud quod eorum loco solui consueuit, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, Parochianis, Collegiis, Vniuersitatibus, Communitatibus, fabricis, & aliis quibuscumque personis, de iure, vel consuetudine, aut statutis, vel priuilegiis, quibuscumque, vel ex quacumque causa hactenus ab eis forsan debita seu quæ deberi prætenderentur quomodolibet in futurum, etiam de Relictis, legatis, & donatis, tam in vltimis voluntatibus, quam etiam inter viuos, seu alias quacumque occasione concessis, & concedendis quomodolibet teneantur. Ipsaque Monasteria, Prioratus, loca, manualia, Grangiæ, possessiones, & bona, ac Prælati, Monachi, & personæ Congregationis eiusdem, ab omni impositione, exactione, collecta, decima, caritatiuo subsidio, aut alio quocumque reali, & personali, vel mixto onere, vel grauamine, quouis nomine censeátur, per Nos, & successores nostros, & Romanos Pontifices pro tempore indictis. Necnon ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus, ratione visitationis, aut subiectionibus, quocumque iure, quibuscumque Ordinariis, Capitulis, & Congregationibus, Vniuersitatibus, aut aliis quibusuis personis hactenus debitis, quæ nos eidem Congregationi de Apostolicæ potestatis plenitudine, gratiosè remittimus, & in futurum debendis, illorumque solutione, & præstationis sint, esseque debeant libera penitus, & exempta atque immunia. Ita quod ad illorum præstationem, & solutionem per quoscumque, & quarumvis Apostolicarum literarum vigore cogi, aut alias desuper inquietari nequeant. Nullusque ab eisdem de quibuscumque possessionibus vbilibet constitutis, quæ in præsenti, vel in futurum erunt Monasteriorum, Prioratuum, vel bonorum dictæ Congregationis, quæ illius Prælati, Monachi vel personæ colunt seu coli faciunt, & in futurum colent, seu coli facient, ex hortis, virgultis, piscationibus, vel de nutrimentis animalium, primitias, decimas, quartesias, aut quocumque nomine nuncupata, alia iura exigere, vel extorquere præsumant. Nec ipsi illa cuiquam soluere sint adstricti.

Monasteria, legata, & alia acquirant.

§. 27. Et quod præfatæ Congregationis Monasteria, & loca, hæreditates, legata, & fideicommissa, per medias personas Monachorum, aut alias, qualitercumque ad ea delegata, bona, mobilia, & immobilia, in quibuscumque Ciuitatibus, & locis, quouis titulo acquirere, ipsi Monachi, & personæ illa pro se eorumque Monasteriis, petere, & exigere possint, vndecumque, vel qualitercumque eis debeantur, & quæ petendi, & exigendi, si in sæculo remansissent, ius haberent.

Præscriptio 60. annorum tantummodo Congregat. obstat

§. 28. Et contra præfatæ Congregationis Monasteria, loca, personas, & bona, tam in præteritis, quam in futuris, aliqua non currat præscriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum.

Indultum celebrandi tempore interdicti. Tu vide Conc. Trid. sess. 25. cap 12.

§. 29. Cupientes insuper quod dictæ Congregationis personæ, sublatis obstaculis quibuscumque, sedulum, & deuotum Domino exhibeant famulatum, moribus, & scientia similibus, statuimus, & ordinamus. Quod si contingat, Ciuitates, Terras, vel loca, in quibus Monasteria siue loca dictæ Congregationis consistant, Ecclesiastico supponi interdicto, ipsius Congregationis Prælati, Monachi, Conuersi, Commissi, Nouitij, & Capellani, necnon laici, intra septa ipsorum Monasteriorum, seu locorum pro tempore habitantes, à præfatæ Congregationis Monachis ad id deputatis, ianuis clausis, interdictis, exclusis, & submissa voce, Missas, & alia diuina officia audire, & Ecclesiastica sacramenta suscipere, ipsique Monachi sic deputati illa celebrare, & administrare.

Indultum ordines suscipiendi à quolibet Antiste, absque examine. Hoc reuocatum Conc Trid. vt habetur sess. 7. cap. 11. & sess. 23. cap. 10.

§. 30. Et quod eiusdem Congregationis Monachi præsentes, & futuri, omnes, etiam ad sacros ordines, ad quos per eorum Superiores præsentati fuerint, à quocumque maluerint Catholico Antistite, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente recipere, & huiusmodi Antistitem in ipsius Congregationis Monasteriis, & locis dumtaxat aduocare, ipseque Antistes Monachos dictæ Congregationis à suis Superioribus ad id sibi pro tempore præsentatos, Apostolica auctoritate absque aliqua licentia, & contradictione Diœcesani, & absque eo quod aliquod alias illi propterea præiudicium generetur, nulla examinatione præmissa, statutis tamen à iure temporibus ordinare, Missas inibi celebrare, Ecclesias, altaria, & vasa consecrare, vestes benedicere, & alia pontificalia exercere.

Facultas Prælatorum Congregationis dispensandi cum Monachis, & Congregationem intrare volentibus. Tu vid. const. 115. Clem. VIII. Quæcumque.

§. 31. Necnon quod Generalis, & alij Abbates, Priores, & Prælati dictæ Congregationis pro tempore existentes, (in omnibus casibus in quibus de iure communi, Prælatis, & Monachis dictæ Congregationis auctoritas, siue licentia, seu dispensatio Ordinariorum, si ab eis exempti non essent, foret necessaria) cum eis auctoritate prædicta dispensare, eisque licentiam, & auctoritatem concedere indulgemus, ac concedimus. Ac personas volentes eidem Congregationi sociari, etiam si Religionem, locum, vel Ordinem alium quemcumque etiam arctiorem ingredi vouissent, tali voto non obstante ad approbationem, professionemque recipere, & eos dicta auctoritate, à dicto voto absoluere, & cum ipsis, dummodo in tali Religione, vel Ordine, quem vouissent professionem non emiserint, & ante professionem emissam ab ipsa Congregatione non recedant. Super omnibus votis, Religionis voto dumtaxat excepto, dispensare, ac omnibus quocumque excommunicationis vinculo innodatis Congregationem ipsam Altissimo famulaturis ingredi volentibus iniunctis eis iuxta eorum facultates restitutione, & pœnitentia salutari tanquam vni ex Monachis Congregationem huiusmodi absolutionis beneficium impendere, eosque etiam ad approbationẽ recipere. Ita tamen quod si inde ante professionis emissionem discesserint, in eandem ipso facto inciderint.

Facultas audiendi confessiones, & pœnitentes absoluendi, &c. Ad hoc vide bullã Clem. VIII. mox citatam.

§. 32. Et cum sæpe contingat quod ob singularem deuotionem quam nonnullæ personæ ad Monachos huiusmodi Congregationis habent, ad eosdem Monachos pro eorum salute animarum recurrant, eiusdem Congregationis Prælatis siue Monachis à suis Superioribus ad audiendum huiusmodi personarum confessiones deputatis, quod personas ipsas accedentes audirẽt, ac personæ ipsæ eis absque alia suorum Superiorum licentia confiteri. Necnon dictis Prælatis siue Monachis confessiones huiusmodi audientibus, dictos confitentes, pœnitentia, & satisfactione præmissis, quoties opus fuerit, ab omnibus, & singulis peccatis, Sedi Apostolicæ non reseruatis, & à quibuscumque suspensionum, excommunicationum, & interdicti sententiis, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, quas à iure, vel ab homine latas incurrisse quomodolibet constiterit, absoluere, & vota per eos pro tempore emissa in omnibus, & singulis casibus suorum Ordi-

natis etiam per synodales, seu provinciales constitutiones reseruatis in alia pietatis opera commutare, & desuper cum eis vouentibus dispensare, exceptis tamen censuris, pœnis, votis, & casibus super quibus esset Sedes præfata merito consulenda. Ipsisque confitentibus, ac aliis omnibus qui ad præfatos Monachos ob huiusmodi deuotionem recurrent, Eucharistiæ sacramentorum ministrare libere possint.

Participatio cum excommunicatis quando ligat Monachos.

§. 33. Necnon Prælatis, Monachis, & personis Congregationis huiusmodi quocumque nomine censeantur, ne propter participationem etiam in diuinis, cum excommunicatis, suspensis, & interdictis, à iure vel statutis Ordinatiorum, aliquam excommunicationis seu censuræ aut peccati maculam incurrant, nisi ipsi excommunicati essent specialiter denuntiati.

Facultas Prælatorum dispensandi à diuino officio recitando.

§. 34. Ac quod illi ex præfatis Monachis, qui adeo Monasteriorum suorum officiis occupati, vt in choro interesse, ac officium diuinum vix sine labore, & tædio dicere, ac ipsa eis ratione officiorum huiusmodi incumbentia charitatis opera implere nequeant, & qui ad diuinum officium huiusmodi dicendum, adeo, vel non docti, vel minus capaces pro tempore extiterint (dummodo in sacris non sint ordinibus constituti,) licet professionem emiserint, tamen ad persoluendum totum integrum officium diuinum minime teneantur, sed eorum Prælati, habita suppositorum suorum consideratione, vltra officium Beatæ Mariæ Virginis, ad quod obligati remaneant, iuxta dispositionem eis credituam, si eorum animabus expedire videbunt, aliquid dicendum iniungant, quod cum animi alacritate valeat adimpleri.

Sepultura conceditur omnibus in locis Congreg. Intellige iuxta bull. 22. Leo. X. Dudū intra

§. 35. Præterea omnibus Christi fidelibus exceptis excommunicatis, & interdictis, vel publicis vsurariis, vt in locis, vel Monasteriis Congregationis huiusmodi, præsentibus, & futuris eligere suam possint sepulturam, saluo tamen iure illarum Ecclesiarum, a quibus ipsorum decedentium corpora assumentur.

Simonia beneficialis quando non incurratur à Prælatis.

§. 36. Necnon Generali, & aliis Abbatibus, Prioribus, vel Prælatis præfatis, aut aliis per Congregationem huiusmodi ad id pro tempore deputatis, in vnionibus, annexionibus, incorporationibus, ac reformationibus, seu receptionibus Monasteriorum, Prioratuum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, pro ipsa Congregatione faciendis, cum Prælatis, & personis, Monasteria, seu beneficia huiusmodi per eos obtenta, in Congregationis huiusmodi, seu alicuius particularis Monasterij commodum dimittere volentibus, conuentiones, & pacta, quæ illicita, & quando Apostolica confirmatione carerent, expresse prohibita censerentur, inire, ac Monasteria, Prioratus, & alia beneficia quæcumque quæ hactenus conuentionibus, & pactis huiusmodi interuenientibus acquisiuerunt, retinere, ipsasque conuentiones & pacta obseruare, absque eo quod aliquam simoniæ labem incurrant, libere, & licite valeant.

Preseruatio priuilegiorum Congregationis à quibuscumque derogatoribus.

§. 37. Et si quandoque per aliquem aut plures actus contra ea, seu ipsorum aliquod, à quocumque cuiuscumque conditionis, dignitatis, gradus, seu status fuerit, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa scienter, vel ignoranter attentari, vel tempore obseruari contingat, nullum tamen propterea, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis, & priuilegiis huiusmodi præiudicium generetur, sed ea omnia, & singula in suis robore, & firmitate permaneant. Ac quod deinceps per quascumque reuocatorias, seu alias Apostolicas concessiones, vel literas sub quibuscumque verborū formis, & tenoribus, aut clausulis derogatoriis, etiamsi illa motu, & scientia similibus emanauerint, nulla ex prædictis concessis, & quæ eidem Congregationi pro tempore concedentur, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, indultis, priuilegiis, & concessionibus, quomodolibet, reuocari, cassari, vel annullari, censeantur, seu reuocari, cassari, vel annullari, seu ipsis, vel ipsorum, seu quibusvis in eis contentis particulis, aut clausulis, derogari valeat, nisi in derogatoriis, vel aliis literis, seu cassationibus huiusmodi illa, vel illi ex literis, quæ reuocari, aut cassari, vel annullari videtur, aut cui vel quibus derogari appareret, eorumque totus tenor de verbo ad verbum integre inseratur, & de omnibus, & singulis Congregationis huiusmodi Monasteriis nominatim, & specificatim mentio fiat, ac in eisdem reuocatoriis, cassatoriis, vel aliis literis manifeste, & expresse appareat, quod Romanus Pontifex, priuilegiis, indultis, & literis de quibus tunc actum fuerit voluerit specialiter derogare, vel illa reuocare, aut cassare, seu annullare, ac tunc demum vrgens sufficiens, & rationabilis, propter quam derogatio, reuocatio, cassatio, vel annullatio ipsa merito fieri debeat, causa exprimatur, aliàs derogationes, reuocationes, cassationes, irritationes, & annullationes quæcumque, si quas aliter quam vt præfertur, à quoquam etiam Romano Pontifice fieri contigerit: ac quæcumque exinde subsecuta nullius sint roboris vel momenti, ipsis concessis literis, priuilegiis, indultis, gratiis, & exemptionibus, & libertatibus, in suo primo, plenario, atque integro robore duraturis. Et quod per quascumque reuocationes, cassationes, seu annullationes quarumcumque vnionum, annexionum, incorporationum, & approbationum de quibusvis Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, siue locis Ecclesiasticis per nos seu successores nostros Romanos Pontifices, aut eorum aliquem in genere, vel in specie, sub quibusvis verborum formis, vel expressionibus de cætero forsan faciendis, nullum dictæ Congregationi, super vnionibus, incorporationibus, approbationibus, & innouationibus, quorumcumque Monasteriorum, Ecclesiarum, Prioratuum, aut aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, per nos, & Sedem prædictam, eidem Congregationi, vel in eius fauorem faciendis, præiudicium inferatur. Sed illæ omnes etiam post reuocationes, cassationes, & annullationes prædictas, in suo robore inconcusse persistant, in omnibus, & per omnia ac si quoad eas, vel ipsarum singulas, aliqua reuocatio, annullatio, vel cassatio, nullatenus emanasset; nisi dum, & quando ipsæ super vnionibus, concessionibus, & approbationibus, seu donationib' confectæ literæ in reuocationum, & annullationum literis, & constitutionibus, & ordinationibus huiusmodi de verbo ad verbum insererentur, ac in eis specialis expressa, & indiuidua, de ipsis Monasteriis, & locis, ac Congregatione mentio fieret. Necnon irritum, & inane totum, & quicquid in contrarium quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Indulgentia pro personis Cong. In vid. ... Paul. V. ... bulla 16. Romanus.

§. 38. Necnon Generali, & aliis Abbatibus, Prioribus, & Monachis, Conuersis, Commissis, & Nouitiis, præsentibus, & futuris, Congregationis huiusmodi, vt eorum deuotio amplius propagetur, & eorum animarum saluti vberius consulatur, vt confessores idonei quos de suorum voluntate Superiorum, aut ipsi Superiores pro libito elegerint, omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti, & quæ ore confessi fuerint, plenam semel tantum in mortis articulo remissionem eis in sinceritate fidei, vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum, Canonice intrantium persistentibus, auctoritate præfata concedere valeant. Sic tamen quod ipsi confessores de his de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, illam Congregationis huiusmodi personis, prout ad illas peruenerit, per se, vel alios faciendam iniungant, quam illi facere prout poterint omnino teneantur. Quodque singuli ex eisdem personis clerici quam primum concessionis absolutione huiusmodi gaudere voluerint, Septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & Orationibus consuetis, Conuersi verò, & Commissi, aut qui præfatos Psalmos dicere commodé non potuerint, quinquagesies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam singulis hebdomadis recitare. Idque legitimo cessante impedimento, per annum integrum, etiamsi totidem plus minus, vt ex alia quavis causa eos dixisse, aut dicere oportere côtingeret, prosequi, & complere teneantur, occurrente vero impedimento prædicto, & post ea cessante quam primū potuerint commodè iniunctionem huiusmodi reficiant, & adimpleant. Necnon quod diebus quibus nonnullæ Vrbis Ecclesiæ pro stationibus consequendis à Christi fidelibus visitari solent, quinque Altaria Ecclesiæ, Monasterij, seu alterius loci Congregationis huiusmodi, vbi singulos ex eis morari contigerit, aut pauciora si tot ibi non fuerint deuote visitando,

rando,semelque Psalmum incipiente: Miserere mei Deus &c. apud quodlibet Altare pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicendo, easdem indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si ipsas Vrbis Ecclesias tunc personaliter visitarent. Si vero aliquis ex personis Congregationis huiusmodi, pro ipsius Congregationis negotiis, aut aliis legitimis causis extra propria Monasteria moram traxerint, vbicumque commodius poterint, totidē Altaria in quacumque Ecclesia cum dicti Psalmi apud quodlibet ex ipsis Altaribus recitatione vt præmittitur visitauerint, & si Conuersi siue Commissi forsan dictum Psalmum dicere nescientes fuerint, ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, apud quodlibet Altare huiusmodi recitando, eandem etiam indulgentiam consequantur.

Missa ab itinerantib. ante diem celebrari possit. Tu vide Concil. Trid. sess. 22. c. 1. cum canones.

§. 39. Quodque huiusmodi Congregationis Sacerdotes in itinere constituti, aut alia causa subsistente ante diem vsque ad nonam inclusiue Missam celebrare valeant, motu, scientia, & auctoritate præmissis, de speciali dono gratiæ concedimus pariter, & indulgemus.

Facultas habendi Conseruatores. De hac reuid. latiùs hic supr. in consti. 5. Militantis.

§. 40. Volumus etiam quod vniuersæ, & singulæ personæ quibus causæ auctoritate literarum Apostolicarum delegari possent, dum aut quoties pro parte Generalis, & aliorum Abbatum, Priorum, & Conuentuum, ac Monachorum Congregationis huiusmodi, vel alicuius eorum fuerint legitime requisiti, ad executionem quarumcumque literarum dictæ Sedis conseruatoriarum nuncupatarum præfatæ Congregationi, vel eius Monasteriis, Prioratibus, membris, Abbatibus Prioribus, Conuentibus, contra illis inferentes molestias, iniurias, grauamina atque damna concessarum hactenus, & in posterum concedendarum, perpetuis futuris temporibus procedant, per se vel alios: Alias iuxta earundem conseruatoriarum literarum continentiam atque formam, in omnibus, & per omnia, ac perinde si ipsæ conseruatoriæ literæ eis à principio directæ, eisque vt quamvis alias conseruatores esse non possent illas exequerentur, expressè mandatum, & super hoc concessa facultate fuissent.

Derogatio contrariorum.

§. 41. Non obstantibus natalium defectu ac Picemnen. Concilij, & piæ memoriæ Innocentij IV. contra exemptos editæ, quę incipit Volentes, & Martini Quinti necnon Bonifacij Octaui, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum Regularium locorum, etiam dictæ Cōgregationis vnitorum, & illorum, ac prædicti, & quorum ipsa vnita Monasteria, Prioratus, & loca extiterint Ordinum iuramēto, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & aliis locis, Capitulis, Conuentibus, & personis, etiam motu, & scientia similibus, & cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis concessis hactenus, & in posterum concedendis, quibus omnibus etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pręsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat eisdem motu, & scientia specialiter, & expresse derogamus, necnon omnibus illis quæ præfati prædecessores in singulis per eos Congregationi huiusmodi concessis literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis huius bullæ.

§. 42. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæcumque opportuna loca deferri, motu, & scientia prædictis, volumus, & præfata Apostolica auctoritate decernimus, quod transumptis super præsentibus conficiendis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Curię Ecclesiasticę impressione munitis, ea prorsus fides adhibeatur indubia, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, vbicumque essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septimo, Pridie Nonas Iunij, Pontificatus nostri anno 4.

Dat. P. Anni die 4. Iunij.

XIII.

Approbatio gratiarum, & priuilegiorū a Pontificibus, Imperatoribus, & aliis concessorum Congregationi Monachorū Vallis Vmbrosę Ordinis S. Benedicti: Et communicatio quarumcumque gratiarum, & indultorum quoquo modo Congregationi Cassinen. Monachorum eiusdem Ordinis concessorum, & concedendorum.

Istam Congregationem approbauit Vrban. II. suprà in eius const. 1. Cum vniuersis, vbi alia de hac Congregatione notaui.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1507.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini disponente Domino præsidentes, ex commisso nobis Pastorali officio inducimur, vt his, quæ pro Religiosorum quorumlibet in humilitatis spiritu Domino pie famulantium felici successu à Sede Apostolica concessa sunt, nostræ approbationis munimine fauorabiliter roboremus, vt eo firmius subsistant, quo Sedis eiusdem auctoritate sæpius fuerint circumfulta, ac etiam alia de nouo ex Sedis eiusdem benignitate concedamus, prout eisdem Religiosis, & aliàs in Domino conspicimus salubriter expedire.

Vrb. II. & alij Pontifices diuersa priuilegia Congregationi Vallis Vmbrosæ concesserunt.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Blasij Abbatis Monasterij B. Mariæ Vallis Vmbrosæ Fesulan. Diœcesis, & Definitorum Ordinis, & Congregationis eiusdem Vallis Vmbrosæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias fel. rec. Vrbanus II. Vrbanus III. Paschalis II. Innocentius II. Innocentius III. Innocentius VIII. Cœlestinus II. Cœlestinus III. Gregorius VIII. Bonifacius VIII. & quamplures alij Romani Pontifices prædecessores nostri Monasteriis Ordinis Religionis, seu Congregationis prædictorum, illorumque membris, ac Monachis, & personis eorundem, multa, & diuersa priuilegia, indulta, & immunitates concesserunt, prout in literis ipsorum prædecessorum plenius dicitur contineri.

Abbas generalis, & Definitores mod. de supplicand. pro eorum cōfirmatione, & etiam pro cōmunicatione omnium gratiarum Congregationis Cassinensis.

§. 2. Quare pro parte Blasij Abbatis, qui vt asseritur etiam Generalis Ordinis, & Congregationis prædictorum extitit, ac Definitorum prædictorum asserentium quod Monasteriorum Religionis, seu Congregationis huiusmodi Abbates, & Monachi iuxta eādem Regulam, & obseruantiam Regularem dilectorum filiorum Monachorum Congregationis S. Iustinæ aliàs Cassinen. Ordinis S. Benedicti reguntur, nobis fuit humiliter supplicatum, vt pro eorum subsistentia firmiori robur nostræ approbationis adiicere, ac illa innouare, eisdemque modo, & forma, quibus concessa sunt de nouo concedere, necnon infrascriptorum tenorem, & quascumque alias piæ memoriæ Eugenij IV. & Alexandri VI. ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum literas eidem Congregationi S. Iustinæ, aliàs Cassin. concessas, & in illis contenta, ac alia priuilegia, immunitates, indulgentias, & indulta quæcumque eidem Congregationi S. Iustinæ, seu Cassinen. & illius Monasteriis, Monachis, & personis, per Sedem eamdem quomodolibet concessa, ad Ordinem, & Congregationem Vallis Vmbrosæ huiusmodi, ac ad illius Monasteria, & loca, & personas, & bona extendere, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic modo Pontif. approbat omnia priuilegia Congr. Vallis Vmbrosæ à Prædecessoribus, Imperatoribusque Regibus & Prælatis, ac aliis concessa, & iterato eadem concedit.

§. 3. Nos igitur qui Ordinem, & Congregationem Vallis Vmbrosæ huiusmodi, propter vberes fructus, quos in militanti Ecclesia in diuinis contemplandis, & assiduis orationibus, ac precibus ad Deum producere noscuntur, in visceribus charitatis, & dilectionis nostræ complectimur, Blasium Abbatem, & Definitores, necnon Ordinem, & Congregationem Vallis Vmbrosæ huiusmodi, ac eiusdem Ordinis, seu Congregationis singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspēsionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, cēsuris, & pœnis, à iure, vel

vel homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum dumtaxat præsentium consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon priuilegiorum, libertatum, immunitatum, & indultorum, tam per dictos prædecessores, quam Imperatores, Reges, & alios Principes sæculares, ac Prælatos quoscumque eisdem Ordinibus, & Congregationibus, ac illorum Monasteriis, locis, bonis, & personis concessorum tenores, qui præsentibus non sunt inserti, ac si de verbo ad verbum insererentur eisdem præsentibus pro expressis habentes, priuilegia, indulta, immunitates, & libertates Ordinis, seu Congregationis Vallis Vmbrosæ per prædecessores, ac quatenus sunt licita, & honesta, per Imperatores, Reges, & Principes, & Prælatos prædictos cōcessa, ac prout concernunt, omnia, & singula in literis Pontificum, Imperatorum, Regum, & Principum sæcularium, & Prælatorum prædictorum desuper confectis contenta, innouamus, approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, suppleotes omnes, & singulos defectus, si qui forsan in priuilegiis per Imperatores, Reges, & Principes sæculares, & Prælatos prædictos concessis interuenerint, illisque omnia eisdem modo, & forma quibus concessa sunt, de nouo concedimus.

Gratiasque omnes Congr. Cassinen. concessas & concedendas eidē Congregationi Vallis Vmbrosæ communicat.

Tu vid. huiusmodi gratias in bullis dict. Congr. Cassinen. citatas sup. in 1. const. huius Pont.

§. 4. Necnon literas Eugenij, & Alexandri infrascriptas, ac quasvis alias ipsorum ac quorumcūque aliorum prædecessorum nostrorū literas huiusmodi, & in illis contenta, necnon priuilegia, immunitates, indulgentias, & indulta quæcumque, & qualiacumque sint, Congregationi S. Iustinæ, & illius Monachis prædictis, tam per dictos, quam quoscumque alios Romanos Pontifices quomodolibet in genere concessas, & concessa, ac in posterum concedendas, & concedenda ad Ordinem, & Congregationem Vallis Vmbrosæ, ac illius Monasteria, & Monialium, loca, ac personas, & bona prædicta eadem auctoritate extendimus, ac statuimus, & ordinamus, quod Ordo, & Congregatio Vallis Vmbrosæ huiusmodi illis absque vlla penitus differentia, vti, potiri, & gaudere, eaque omnia, & singula inter ipsos communia esse, & eis suffragari debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa eisdem Ordini, & Congregationi Vallis Vmbrosæ communiter à principio concessa fuissent, & in futurum concederentur.

Contrarijs derogat.

§. 5. Non obstant. præmissis, ac constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, ac priuilegiis, & indultis, Ordinibus ac Congregationibus prædictis forsan sub quibuscumque tenoribus concessis, quibus tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§. 6. Et insuper quia difficile foret præsentes literas ad singula vbi opus fuerit deferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu publici Notarij inde rogati subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus fides vbilibet adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si originaliter essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 4. die 7. Iulij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septimo, Idibus Iulij, Pontificatus nostri anno quarto.

XIV. Contra occultantes, vel retineores scripturas, ad Reu. Cameram spectantes.

Contra eosdem alias eiusmodi sanctiones promulgarunt alij Pont. dantes auctoritatem Commissario d. Camera, eos coercendi, vt inf. in Sixti V. const. 44. Ad excelsum, vbi indicabo.

Edita An. D. 1507.

IVLIVS PAPA II.

Ad futuram rei memoriam.

Causa huius constitutionis

CVm sicut accepimus, in nostra Camera Apostolica sæpe contingat, vt libri, codices, & scripturæ ipsius Cameræ, diuersas res, & negotia concernentes, per Ministros, & Officiales ipsius Cameræ, & alios recipiantur, & per eos videantur, & examinentur, qui, & quæ ad ipsam Cameram, & loca in ea deputata non reportentur, ex incuria, siue negligentia, vel alia quavis causa, ita vt libri, & scripturæ huiusmodi, aliter reperiri non possint, in graue damnum, & præiudicium ipsius Cameræ.

Excommunicat detinentium libros & scripturas R. Cam. Apost.

§. 1. Super iis igitur prouidere intendentes, dilectis filiis dictæ Cameræ Præsidentibus, & Clericis, ac Notariis, & Officialibus, ac Ministris, omnibusque aliis, & singulis, cuiuscumque gradus, & dignitatis fuerint, sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, à qua nisi à nobis, & successore nostro præterquam in mortis articulo constituti absolui non possint, præsentibus præcipimus, & mandamus, quatenus omnes, & singulos libros, codices, registra, bastardellos, & alias quascumque scripturas, & documenta, tam publica, quam priuata, ad ipsam Cameram quomodocumque spectantia, à dicta Camera, vel aliunde quomodolibet habita, & extracta debeant infra octo dies proximè sequentes, in dictam Cameram reportasse, ac in eadem restituisse, dedisse, & assignasse, coram Notario, & duobus, siue vno ex dictis Clericis ipsius Cameræ, & illa sic reportata, & assignata, describi, & annotari in dictis libris Cameræ fecisse.

Et in futurum eas amouentium & non reportantium.

§. 2. Necnon ex nunc in antea, nullos ex prædictis aut alius quicumque, vllos libros, siue scripturas, quæ in dicta Camera reseruari debent, apud se vlla tenus habere, & retinere, vltra terminum decem dierum, postquam à dicta Camera illa receperit, absque speciali mandato, & licentia dictorum Præsidentium, & Clericorum, audeant, vel præsumant, de qua quidem licentia, siue mandato speciali, particularis notatio in libris Cameræ fieri debeat. Alioquin elapso dicto termino non parentes, siue contrafacientes, sciant se maioris excommunicationis sententiam incurrisse, quos, vt tales ex nunc, prout ex tunc, auctoritate Apostolica per præsentes declaramus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Papa subscriptio.

Placet, & ita Motu proprio mandamus.

Dat. P. A. 4. die 18 Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum, xv. Kal. Septemb. anno 4.

XV. Institutio Collegij Scriptorū Archiuij Romanæ Curiæ Notariorum, in causis Commissariis in Vrbe, apud Iudices proprios Notarios nō habentes. Et concessio facultatis creandi alios Notarios, ac legitimandi Bastardos.

Quoad facultatem legitimandi, extensa est hæc bulla à Paulo III. infr. in eius const. 14. Romani. Et quoad alia est confirmata, & ampliata à Pio V. infr. in sua const. 87. Pridem. De Archiuio autem in toto Statu Ecclesiastico, attende infr. const. 83. Sixt. V. Sollicitudo.

Archiuium Sacri Collegij S.R.E. Cardinalium in Vaticano Palatio instituit S.D.N.V. banus VIII. Const. 53. Admonet, infr. tom. 4.

Edita An. D. 1507.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SIcut prudens paterfamilias ad laudabilem dispensationem gloriosumque regimen familiæ suæ domus, rectitudinemque viuendi, operosis virtutum studiis intendit, ac cuncta quæ profutura sunt attentæ considerationis indagine perscrutatur, & sani maturitate consilij circumspicit diligenter, normam præbent illis semper, & ordinem cum honestate, iustitia, & sincera ratione viuendi, vt exclusis vitiis, erroribusque vndique euulsis in ea splendidæ virtutes plantentur, & inserātur quæ assiduum fructum afferant honoris, laudis, & famæ, ita Romanus Pontifex qui dominici gregis superna sibi præordinatione commissi curam agere studet, ad quæ certa ratione iubente actus dirigens, in primis Ecclesiam Dei vniuersam

cuius

cuius caput Romana Ecclesia esse dignoscitur, legibus, constitutionibus, moribus, & decretis summa diligentia, vigilantia indefessa, & ordinatione irreprehensibili, ac stabili, dirigere, instituere, & stabilire conatur, vt prolapsa reducantur, excessiua corrigantur, defectus suppleantur, errata emendentur, & deinde quæque aliæ Ecclesiæ præsertim in beati Apostolorum Principis, cuius successor est, honorem dicatæ, instaurentur, & decorentur, ac expulsa infidelium nefandorum Turcarum rabie, eorumque temeritate repressa, fides orthodoxa vigeat, propagetur, omniaque, eo concedente à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum affluit, ad prubatissimum ordinem, & semitam rectam perducantur.

Causa huius constitutionis.

§. 1. Sanè non sine maxima animi displicentia ex diuersorum fidelium querelis, ac iudicum, & aliorum officialium relatione pluries accepimus, quod in Romana Vrbe, ad quam velut ad communem periclitantium portum Christianus Orbis confluit, propter Notariorum, & aliorum scripturas conficientium diuersitatem, siue dolum, aut ignorantiam, & incuriam, vel eorum à Romana Curia recessus quam plurimæ falsitates & fraudes committuntur, res aliter scriptæ quã actæ reperiuntur, Protocolla, & originalia deperduntur, vltimæ voluntates nõ exequuntur, damna, & incommoda fidelibus irrogantur, aliaque scelera, inimico humanæ naturæ instigante, perpetrantur, ac super fraudibus, falsitatibus instrumentorum, & aliarum scripturarum huiusmodi, aut eorum suspicione, lites, & controuersiæ, in iudiciis, & tribunalibus Curialium dictæ Vrbis assiduè vertuntur, in diuinæ maiestatis, & Apostolicæ Sedis offensam, Ecclesiarum, pupillorum & viduarum spoliationem, fidelium que prædictorum, ac totius reipublicæ detrimentum, & iacturam.

Institutio Collegij Scriptorum Archiuij Rom. Curiæ.

§. 2. Nos igitur eiusdem pastoris, licet immeriti, diuina dispositione effecti, cupientes huiusmodi fraudibus, damnis, & erroribus obuiare, Ecclesiarum opportunitatibus consulere, & infidelium prædictorum immanitati resistere, considerantes quod si aliquis Officialium certus numerus, sub certis & honestis conditionibus, habita personarum consideratione, institueretur, per quos instrumenta, & scripturæ præfatæ conficerentur, seu alias expedirentur, & illa sic expedita publicè in Archiuio, & monimentis authenticis redigerentur, ordo debitus in illorum confectione rectius obseruaretur, scandalis, fraudibus, & sceleribus huiusmodi obuiaretur, & securitati contrahentium, testantium, & alias disponentium, ac litigantium salubriter consulerent, ipsique officiales honore & præmio allecti, adhibita exercitatione periti efficerentur, & quæ ad eorum officium spectarent, diligenter exercerent, super his cũ fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus communicato consilio, matura deliberatione, ac eorum assensu, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Collegium centum & vnius virorum, qui Scriptores Archiuij præfatæ Romanæ Curiæ nuncupentur, perpetuo creamus, erigimus, & instituimus, qui exercitium & officium eis commissum per se ipsos exercere debeant non autẽ per substitutos, cum illorũ sit electa persona, vt desiderio nostro, & eorũ officio satisfiat.

Qui confessionalia concedenda scribant.
Hodie confessionalia non dantur.

§. 3. Et in primis omnia confessionalia quæ à nobis, vel à successoribus nostris Rom. Pontificibus pro tempore existentibus, aut de nostro, vel illorum mandato de cætero quibuscumque personis, cuiuscumq; gradus, status, ordinis, aut præeminentiæ fuerint, per solam signaturam concedentur, propria eorum manu scribant.

Notarij publici, sint.

§. 4. Ac eo ipso quod ad huiusmodi officia assumpti fuerint, absque alia creatione notarij legitimi existant, & pro talibus habeantur, qui de omnibus contractibus, & vltimis voluntatibus per quoscumque & inter quoscumque, & super quibusuis spiritualibus, beneficialibus, aut profanis rebus deinceps faciendis rogari, & super eis instrumenta conficere possint, eorumque rogitis, plena & indubia fides adhibeatur, perinde ac si legitime, & vt moris est notarij creati forent, præstito prius iuramento consueto in manu Defensoris, vel vnius ex Correctoribus, de eo fideliter exercendo.

Archiuium habeant & locum in palatio & regi-

§. 5. Habeantque Archiuium publicum & locum decentem in Palatio Apostolico. Et in eorum libris authenticis omnes notas acceptationum, compositionum, transactionum, testamentorum, codicillorum, attendamentorum, locationum, permutationum, venditionum, compromissorum, arbitramentorum, donationum, processuum, & aliorum contractuum, & instrumentorum, aliarumque scripturarum, tam inter viuos, quam in vltima voluntate, quæ tam per quoscumque alios notarios & tabelliones in præfata Romana Curia inter Curiales, vel Curiales & Romanos tantum, etiam per notarios Romanos de contractibus Curialium rogatos. His expressè dumtaxat exceptis, quæ inter ciues Romanos originarios & Romanis parentibus ortos, non autem ex priuilegio ascitos, & quæ in Curiis Vrbis, & eorum Tribunalibus, vel Auditorio nostro, & Cameræ nostræ per ipsorum notarios perpetuos, qui etiam officiales Sedis Apostolicæ existunt, in pertinentibus & spectantibus ad eorum officium, vel apud acta; & vigore causarum coram eis vertentium, per se vel eorum substitutos, per eorum tamẽ principales notarios, & Auditores approbatos, quoad causas, & iudicialia acta, & ab ipsis dependentibus tantum, vel alias per originarios notarios proprios in rebus, & negotiis; & materiis, in quibus ratione sui officij, vel aliàs rogari soliti sunt & consueuerunt, non autem in diuersis & insolitis, ac testamentis, donationibus, & vltimis voluntatibus quibuscumque, de quibus si in posterum rogati fuerint, teneantur portare notas vt cęteri notarij nõ officiales perpetui, quibus officiales supradictos in pręmissis omnibus, ad tollendum causas querelarum, æquales fore censemus, scribere debeant, & ad verbum registrare, & notas ipsas originales sic registratas à tergo per Correctores infrascriptos parti restituere.

Erant notæ instrumentorũ ad eos deferendorũ à notariis Curiæ. Quod hic dicitur de deletione non seruatur.

§. 6. Teneanturque omnes alij notarij legitime creati, & pro legitimis habiti, qui in Vrbe, & Curia existant, cuiuscumque cõditionis fuerint, qui officium tabellionatus exercere intendunt, quibus licere volumus de quibusuis instrumentis posse rogari, dummodo antea per dictos Correctores examinati, & in Archiuio velut in matricula descripti, & pro legalibus, & authẽticis approbati fuerint. Aliàs nisi examinati, descripti, & approbati extiterint, vt præfertur, de aliquibus contractibus in Vrbe, vel eius suburbiis ad decem milliaria circa Vrbem, aut Curiam præfatis rogari nequeant, & si rogati fuerint, vt falsarios puniri volumus, & eorum notis nullam fidem in iudiciis, aut extra adhiberi. Infra octo dies notas testamẽtorum, & aliorum instrumentorum omnium de quibus rogati fuerint à die rogitus numerãdos manu eorũ subscriptas cum vero protocollo concordantes, cum testibus, & loco, ad huiusmodi registrum, seu archiuium deferre, aut deferri curare, vt quocumque tempore veritas constare possit, & cum oportuerit de illa doceri, nisi partes contrahentes, vel aliàs disponentes contractus, testamenta, aut instrumenta alia publicari noluerint, sed secreta teneri, quo casu fieri debeat per dictos Correctores liber secretus, in quo tales notæ registrentur per aliquos ex dictis Scriptoribus per eosdem Correctores eligendos magis idoneos, fideles, & approbatos, dictusque liber remaneat penes vnum ex dictis Correctoribus totius Collegij iudicio approbatum, vel si magis parti videbitur, deferatur ad Archiuium nota vel instrumentum clausum, & signatum per dictos Scriptores inuiolabiliter conseruandum, vsque ad tempus quo illorum publicatio fieri videbit.

Alij quam matriculati à Collegio in Vrbe instrumenta rogare non possũt. Et matriculati notas ad illud deferunt.
Hoc renouat Leo X in constitut. 11 Pastoralis quoad Notariũ Collegij Florentinorum.

§. 7. In quo etiam Archiuio protocolla notariorum sine filiis paternum exercitium exercentibus, vel exercere volentibus defunctorum in futurum, tam contractuum, & vltimarum voluntatum, quam actorum iudicialium, testium, & sententiarum in Vrbe, tam Romanorum quam Curialium officialium deponi, & assignari debeant pro conseruatione iurium, & indemnitate partiũ, & ne pereat memoria gestorum, possitque veritas quandocumque reperiri, de quorum protocollorum, & imbreuiaturarum lucris, & emolumentis inde prouenientibus medietas hæredibus fideliter assignari debeat infra mensem per receptorem dicti officij, qui pro tempore erit, si certum habẽt hæredem tales defuncti. Exceptis tamen protocollis, & imbreuiaturis causarum vel processuum, aut cõtractuum officialium notariorum, quæ vnà cum officiis vendi consueuerunt, & vendita fuerunt quæ in emptores libere transeunt, vt prius, & quoad ipsos nil nouatum intelligatus,

Protocolla notariorũ defunctorum etiam Romanorum non habentium filios notarios assignantur in Archiuio.
Hoc renouat Leo X. in const. 2. Dum singularum.

gatur, ne officiorum conditio deterior fiat per præmissa.

Registra & processus causarum in Curia finitarũ, ad Archiuiũ portentur.

§. 8. Similiter cum in dicta Vrbe totius orbis causæ agitentur, expediãtque decisarum causarum, vna cum processibus de illis habitis, & iuribus originalibus productis memoriam fideliter conseruari, cum de illarum perditione continuæ querelæ oriantur, & partibus irreparabilia damna quandoque inferantur, teneantur & debeant omnes notarij Palatij Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, Gubernatoris, Vicarij, Commissariorum, ac Cameræ Apostolicæ, omnia & singula registra in quacũque forma causarum, quæ coram eorum Dominis & Auditoribus versæ & agitatæ fuerunt, decisarum & finitarum per sententiam definitiuam, & transitum in rem iudicatam quomodolibet, super quibus causæ restitutionis non pendant, vel declarationis, & in quibus per biennium post rem iudicatam, vel datas executoriales literas nil factum reperiatur in iudicio, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, qua non possint nisi à nobis, præuia, satisfactione, vel successoribus nostris absolui, & priuationis officij, in dicto Archiuio Romanæ Curiæ fideliter conseruanda & custodienda deponere, & assignare præfatis Correctoribus, & aliis deputatis officialibus. De quibus quidem iuribus & registris per dictos Scriptores fidele inuentarium fieri, & teneri debeat, & ad mandatum dominorum Auditorum, vel aliorum Iudicum, ad quos spectat, ex officio, vel ad partium habentium interesse instantiam, absque alqua solutione à partibus exigenda, libere & absque mora in iudicio vel extra restituere.

Correctores decem instituantur ex præfatis Scriptoribus, qui alios admittendos examinent, &c.

§. 9. Ex quibus quidem Scriptoribus prædictis, decem magistros, Correctores nuncupatos, instituimus, de quorum numero, ratione iurisdictionis ordinariæ Romanæ Curiæ, sint & esse intelligantur. Auditor causarum Cameræ Apostolicæ generalis. (qui etiam dicti officij Defensor existat post Camerarium & vicecancellarium nostros, quos principales Defensores & Protectores dicti officij esse volumus) pro tempore existentes, si dictum officium exercere voluerint, & vnus ex dilectis filiis dictæ Cameræ Clericis. Reliqui vero octo Prælati sint in dignitate Ecclesiastica constituti, & graduati in aliquo iurium Ecclesiastici existant, ad quorum officium spectet Scriptores ipsos ad huiusmodi onus assumendos examinare, & negligentes corrigere, ac processus omnes gratiarum expectatiuarum, quæ non sunt in forma pauperum, vel in forma dignum. quantum executio de necessitate in partibus committitur, atque processus quoscumque aliarum prouisionum, vigore literarum Apostolicarum, etiam Pœnitentiariæ nostræ faciendo, fulminent, & decernant. Expresse mandantes dilectis filiis Abbreuiatoribus & Scriptoribus Apostolicis, vt in confectione literarum Apostolicarum ipsis processibus vnus ex eis ad minus Iudex adhibeatur, & quatenus in bulla non fuerit nomen alicuius ex eis expressum, ex tunc in antea intelligatur appositum, possitque & debeat dictos processus, perinde ac si expressè adhibitus esset, fulminare & decernere, qui non nisi in loco officij, vel coram aliquo ex dictis Scriptoribus processum decernere possit. Nec liceat cuipiam alteri in dicta Curia processus decernere, quin per aliquem ex dictis Scriptoribus subscribatur, & publicetur, cum signo & subscriptione propria, ac appensione sigilli officij. illis processibus dumtaxat exceptis, quorum literæ, gratiam seu iustitiam concernentes. diriguntur alicui ex dilectis filiis causarum Palatij nostri, & Cameræ præfatæ Auditoribus, seu eorum Locatenentibus, aut aliis Ordinariis vel delegatis Iudicibus non inferioribus Episcopis in Romana Curia residentibus, quibus etiam licere volumus processus decernere, dummodo quoad ipsos Episcopos & Prælatos processos huiusmodi per vnum ex dictis Scriptoribus subscribatur. Necnon copias, siue notas instrumentorum, ac sumptx ex ipso Archiuio extrahenda, auscultare & approbare cum subscriptione manus propriæ, iuxta morem habens verbis, videlicet, Sumptum ex registro Scriptorum Archiuij Romanæ Curiæ, & auscultatum per me N. illius magistrum Correctorem, & concordat. Quæ notæ & sumpta extendi nihilominus debeant per proprios notarios si superfuerint, vel dictæ Cameræ Auditorem Romanæ Curiæ Iudicem ordinarium, vel etiam per vnum ex dictis notariis, siue Scriptoribus Archiuij, cum approbatione Correctoris, prout partibus videbitur. Ipsisque instrumentis, vel sumptis stetur, & eis fides indubia adhibeatur in iudicio & extra, quoad contenta in eis, perinde in omnibus & per omnia, ac si per notarios originarios inde rogatos data fuissent.

Collegium creat notarios.

§. 10. Possitque Collegium ipsum per eorum Correctores & Clericos deputandos per eum, creare notarios vndecumque venientes, cuiuscumque nationis, & creatos per alios, exceptis officialibus perpetuis, volentes tabellionatus officium in Vrbe & districtu eius exercere, examinare, & repertos insufficientes ab exercitio dicti officij, perpetuo vel ad tempus, suspendere vel priuare, & idoneos approbare, & in matricula & Archiuio describere, ita quod per eos non approbati, neque descripti officium Tabellionatus huiusmodi exercere, in Vrbe vel eius districtu minime possint, & si temere se immiscuerint, eorum rogatis & instrumentis nulla fides adhibeatur, vt supra dictum est, & pœnis subscriptis subiaceant.

Legitimat Bastardos, in dominio Papæ.

§. 11. Valeat etiam dictum Collegium legitimare Manseres & Bastardos, in Vrbe & toto dominio Romanæ Ecclesiæ, mediatè vel immediatè subiecto, ac vbicumque nos ac successores prædictos residere contigerit, cum clausula consueta. Sine præiudicio, &c.

Ad hoc vide declar. inc seq

Interpretes testium, &c. sint.

§. 12. Adhibeanturque interpretes testium, processuum, instrumentorum, & scripturarum, in omnibus causis & negotiis quæ in Romana Curia geruntur, in quibus interpretes assumuntur ad electionem partium, & ex prædictis conuenientem mercedem arbitrio Auditoris siue Iudicis causæ moderandam accipiant. Ita tamen quod inter dictus Scriptores sint aliqui, qui idioma, de quo fieri debet interpretatio, intelligant, & explanare, & interpretari valeant intelligibiliter.

Notarijsque omnium Iudicum nō habentium proprios notarios exceptis Cardin.

Hanc exceptionem tollit Pius V. an. in rubr.

§. 13. Sintque dicti Scriptores notarij omnium iudicum Commissariorum in Vrbe, exceptis iudicibus Romanæ Curiæ, ordinariis vel delegatis, qui habent notarios proprios, officiales perpetuos, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quoad causas coram eis vertentes & commissas, in quibus notarios eorum deputare valeant, dummodo sint authentici, & legitime creati, qui etiam Cardinales quoad omnia eorum personas concernentia, intelligantur excepti ab obseruatione præmissorum, necnon Auditores sacri Palatij nostri, & Cameræ Apostolicæ, & eorum Loc.tenen. in eorum personas tantum concernentibus. Faciantque, & constituant ipsi Scriptores inter se Collegium cum communi Arca, seu bursa, ac omnia emolumenta, ratione dicti officij quomodolibet prouenientia, ponant in communi, & in fine mensis cuiuslibet, seu alterius temporis per eos ordinandi, huiusmodi emolumenta inter se communiter diuidant, exceptis decem magistris Correctoribus, quorum vnusquisque portionem vnam cum dimidia accipiant, tam de emolumentis massæ, quam de his prouenientibus, quæ ex amissione & receptione nouorum Scriptorum inter Scriptores receptioni interessentes diuiduntur.

Statuta condere pro se possit.

§. 14. Constitutionésque & statuta inter se iusta & honesta condere valeant, etiam cum pœnarum adiectione, dum tamen in grauamen Curiæ non tendant, vel Curialium iacturam & detrimentum.

Familiares Papæ priuilegio fruantur.

§. 15. Sintque ipsi & successores eorum nostri, & successorum nostrorum prædictorum veri familiares continui commensales Palatioi, & in quibuscumque scripturis, literis Apostolicis, ac actibus tales, se scribere & nominare, ac ab aliis scribi & nominari possint & debeant, nec propterea possint de subreptione notari, vel argui tales literæ, nec quoad eas regula de mentientibus. Si familiares, locum habeat. Et pro eorum personis dumtaxat, quascumque literas Apostolicas, gratiam seu iustitiam concernentes, in omnibus officiis, etiam sollicitatorum earundem literarum gratis expediant, gaudeantque omnibus & singulis antelationum prærogatiuis, priuilegiis, fauoribus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, concessionibus, facultatibus, & indultis, quibus literarum Apostolicarum Abbreuiatores, & Scriptores,

necnon

necnon nostri & successorum nostrorum eorundem familiares continui commensales pro tempore descripti, etiam in quorumcumque beneficiorum, quæ vigore gratiarum expectatiuarum eis concessarum pro tempore spectant, assecutione vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiti, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter & absque vlla differentia. Sine tamen Abbreuiatorum, & Scriptorum, ac familiarium descriptorum, ac Auditorum causarum Palatij, & Clericorum, ac Referendariorum præiudicio. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam nisi paruerint, eo ipso incurrant, Rescribendario, & aliis literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreuiatoribus, Sollicitatoribus prædictis, plumbi, & registri magistris ac Secretariis nostris, nunc & pro tempore existentibus, ac quibuscumque aliis ad quos pertinet, & in posterum pertinebit, quatenus literas Apostolicas personas dictorum Scriptorum Archiuij dumtaxat concernentes huiusmodi, in omnibus eorum officiis gratis expediant ponendo videlicet, Gratis pro Scriptore Archiuij Romanæ Curiæ.

Officia eorum resignabilia sint. §. 16. Volentes, & eadem auctoritate statuentes, quod liceat dictis Scriptoribus de eorum officiis & emolumentis, ad instar aliorum Scriptorum disponere, illaque resignare, & illi quibus eadem officia concessa fuerint, pro concessione huiusmodi officij quam à nobis & successoribus præfatis obtinebunt, dum huiusmodi officia per resignationem vacabunt, nobis & successoribus eisdem quinquaginta ducatos auri de Camera persoluere teneantur, quodque ad huiusmodi officia per solam supplicationem desuper, per nos & successores prædictos, ac de nostro & successorum prædictorum mandato signatam, absque aliarum literarum Apostolicarum desuper expeditione, si illas expedire noluerint, admittantur.

Decretum irritans. §. 17. Decernentes ex tunc, tam confessionalia quam omnes contractus, & instrumenta huiusmodi, quæ super quibuscumque negotiis & rebus, per quascumque personas, cuiuscumque dignitatis & conditionis fuerint, aliter quam, vt præfertur, acta, gestave fuerint, nullius roboris vel momenti existere, nullamque eis fidem adhiberi, & falsitatis vitio subiacere, nec contrahentes ipsos ad eorum obseruantiam ligare, aut alicui ius tribuere, sicque per quoscumque iudices, tam Ecclesiasticos quam sæculares, etiam Auditores, & Sanctæ R.E. Cardinales præfatos, ac quoscumque alios iudicari, interpretari, & decidi de-ere, sublata eis, & cuilibet eorum quavis alia iudicandi, interpretandi, & decidendi facultate, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, etiam per nos, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 18. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli, ergo, &c.

Dat. P. A. 5. die 1. Dec. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septimo. Kalen. Decembris Pontificatus nostri Anno quinto.

Papæ subscriptio. Ego Iulius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus manu propria subscripsi.

Cardinalium subscriptiones.

Ego Oliuerius Episcopus Ostien. manu propria subsct.

Ego Georgius Episcopus Portuen. Card. Portugalli manu propria subscripsi.

Ego Raphaël Episc. Sabinen. Card. Sancti Georgij Camerarius.

Ego Io. Antonius Episc. Prænestin. manu propria me subscripsi.

Ego G. Episc. Albanen. manu propria.

Ego Dominicus tituli S. Marci presb. Card. manu propria subsc.

Ego Iacobus tit. S. Clementis presbyter Card. manu propria subscripsi.

Ego Petrus tit. S. Cyriaci in Thermis Card. Reginus, manu propria subscripsi.

Ego F. tit. SS. Nerei & Achilei Presbyter Card. Cusentin. manu propria subscripsi.

Ego Antonius tit. S. Stephani in Cœlio monte presb. Card. manu propria subscripsi.

Ego Franciscus tit. S Susannæ Presbyter Card. manu propria subscripsi.

Ego Nicolaus tit. S. Priscæ Presbyter Card. de Flisco, manu propria subscripsi.

Ego Melchior tit. S. Nicolai inter imagines presbyter Card. Brixien. manu propria.

Ego F. tit. S. Adriani presb. Card. de Clara monte, manu propria.

Ego G. tit. S. Petri ad Vincula presbyter Card. Vicecancellarius, manu propria.

Ego M. tit. S. Mariæ in Transtiberim presbyter Card. manu propria subscripsi.

Ego R. tit. S. Anastasiæ presbyter Card. Nauneren. manu propria.

Ego F. tit. S. Cæciliæ presb. Card. Papien. manu propria.

Ego Gabriel tit. S. Praxedis Presbyter Card. manu propria subsc.

Ego F. tit. S. Sabinæ Presb. Card. manu propria.

Ego Io S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. de Columna, manu propria subscripsi.

Ego Io. S. Mariæ in Dominica Diaconus Card. de Medicis, manu propria subscripsi.

Ego F. S. Theodori Diaconus Card. de Sancto Seuerino, subsc.

Ego Iulius S. Angeli Diaconus Card. de Cæsarinis, manu propria sunscripsi.

Ego A. S. Eustachij Diaconus Card. de Farnesio, manu propria subscripsi.

Ego M. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Cornelius manu propria subscripsi.

Ego S. Sanctæ Mariæ Nouæ Diaconus Card. de Gonzaga, manu propria subscripsi.

Sequitur declaratio prædicta constitutionis.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1507.*

Exordium. APostolatus officium, licet immeriti, gerentes in terris, ad ea, libenter prospicimus, per quæ Christi fideles inter se secure versari, ac fideliter contrahere, possint, & ad ea peragendum operosis studiis intendimus, vt sublatis vitiis, & erroribus eliminatis, iusti mores in Ecclesia sponsa nostra instituantur, qui veræ & sempiternæ laudis fructum afferant, &c.

Declaratio quod Iudices Cõmissarij in Vrbe, aliis notariis vti non possint. Hoc latius est in const. 187. Pij V. cit. in rubr. §. 1. Ac volumus quod Iudices Commissarij prædicti ad scribendum in causis & litibus eis auctoritate Apostolica commissis & committendis quibuscumque & coram eis vertentibus, Scriptoribus ipsis notariis actuariis deinceps vtantur, nec alios ad scribendum in illis coram se admittere possint, scripturæque acta, processus, & instrumenta in causis huiusmodi coram eis facienda, si per alios quam Scriptores prædictos subscripta erunt, nullius sint roboris vel momenti, nullaque penitus fides his adhibeatur. Quodque tam ipsi Commissarij, quam dilecti filij sacri Palatij causarum Auditores Capellani nostri cæterique ipsius Curiæ Iudices, alios interpretes præter ipsos Scriptores ad interpretandum testes vel scripturas coram se adhibere nequeant.

Et quod nemo alius, possit in Curia notarios creare, aut bastardos legitimare. Hoc latius explicat Paul. III. cit. in rubr. §. 2. Ac quod nulli omnino hominum liceat vigore quorumcumque priuilegiorum eis auctoritate Apostolica vel alias quomodolibet concessorum & concedendorum in dicta Curia, & infra vnam dietam legalem, ab Vrbe seu loco vbi ipsum Romanum Pontificem cum sua Curia pro tempore residere contigerit, tabelliones & notarios creare, ac nothos & illegitime conceptos natalibus restituere, aut creari vel restitui committere, ac processus prædictos fulminare, decernentes irritum & inane quicquid in contrarium contigerit attentari per quoscumque, &c.

Quibuscumque non obstantibus. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim, ab eadẽ sit

Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus prædictarum vel præſentium literarum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda foret in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ quoad hoc cuiquam volumus nullatenus ſuffragari.

Forma & effectus publicationis bullæ.

§. 4. Vt autem præſentes, & aliæ noſtræ literæ præfatæ ad omnium notitiam deducantur, ac per omnes inuiolabiliter obſeruari debeant, volumus & mandamus illas in cancellaria Apoſtolica, in audientia literarum contradictarum noſtrarum legi & publicari, ac in Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ præfatæ, necnon Audientiæ cauſarum noſtri ſacri Palatij valuis ſiue portis & in acie Campi Floræ de Vrbe affigi, vt hi quos literæ ipſæ concernunt ſeu concernere poterunt quomodolibet in futurum, quod ad ipſorum notitiam non peruenerint, vel illas ignorauerint, quominus eos arctent, perinde ac ſi eis perſonaliter intimatæ fuerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, vel ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile quoad ipſos remanere incognitum, quod tam patenter fuit publicatum. Nos enim irritum decernimus, & inane quicquid contra præmiſſa, vel aliquod eorum à quoquam quavis auctoritate, directè vel indirectè contigerit attentari.

Nulli ergo &c.

Dat. P. A. 5. 13. Decembr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptimo, Idibus Decembris, Pontificatus noſtri anno quinto.

XVI. De portionibus fructuum ex beneficiis Militiæ de Calatraua Ciſtercienſis Ordinis communi theſauro debitis, certis dumtaxat caſibus expendendis.

De hac Militia notabo infra ad conſt. 1. Adrian. VI. Dum intra.

Edita An. D. 1508.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ROmani Pontificis, in quo diuina diſpoſitione plenitudo conſiſtit, prouidentia circumſpecta, ſtatum perſonarum religioſarum quarumlibet, præſertim regularibus militiis pro fidei Catholicæ defenſione continue inſudantium diligenter attendens, ad ea libenter intendit, per quæ earundem militiarum, & perſonarum paci, quieti, & tranquillitati valeat prouideri, & iis quæ propterea prouide, ſtatuta & ordinata fuiſſe dicuntur, vt firma perpetuo, & illibata perſiſtant, cum ab eo petitur, Apoſtolici adiicit muniminis firmitatem, aliaſque deſuper ordinat & diſponit, prout Catholicorum Principum expoſcit deuotio, idque perſonarum, & temporum qualitate penſata, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Militia iſta, ex cauſis hic expreſſis.

§. 1. Sane pro parte chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Aragonum & Siciliæ Regis Illuſtris, qui militiæ de Calatraua Ciſtercienſis Ordinis, Toletanæ diœceſis, per Sedem Apoſtolicam perpetuus adminiſtrator deputatus exiſtit, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dilectus filius Guterrius de Padilla maior nuncupatus, ac dicti Ferdinandi Regis Adminiſtratoris, etiam in ſpiritualibus Vicarius generalis, & nonnulli alij Præceptores, Priores, & fratres dictæ Militiæ, ad hoc in vnum congregati, prouide attendentes quod ipſa Militia, & illius perſonæ in ſuis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis, iam per Sedem Apoſtolicam, quam per diuerſos Caſtellæ, & Legionis Reges eis conceſſis, magna quotidie à circumuicinis Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, Communitatibus ciuitatum, Vniuerſitatibus, oppidorum Dominiis temporalibus, & perſonis aliis, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, ſuſtinebant damna, iniurias & iacturas, ac dicta militia pro præmiſſorum & aliorum ſuorum iurium defenſione, aduerſus iniuriatores huiuſmodi, nullos habebat ſpeciales prouentus, ac mature conſiderantes, quod ſi ex menſæ Magiſtralis & officiorum, ac Præceptoriarum, Prioratuum, & aliorum beneficiorum dictæ Militiæ pro tempore vacantium fructibus, redditibus, & prouentibus, aliqua portio ad effectum huiuſmodi deputaretur, poſſent Militia, eiuſque perſonæ priuilegia & alia iura huiuſmodi, ab iniuriis & damnis, protegi atque defendi.

Certam portionẽ de fructibus beneficiorũ pro theſauro dari iuſſit.

§. 2. Volenteſque præmiſſis opportune; prouidere, ſtatuerunt & ordinarunt, quod ex tunc de cætero, perpetuis futuris temporibus, quarta menſæ Magiſtralis, tertia vero Maioris nuncupatæ, ac aliarum Præceptoriarum, necnon officiorum, Prioratuum, & aliorum beneficiorum dictæ Militiæ, in prædictis, ac Aragoniæ, & Valentiæ Regnis conſiſtentium, quoties illa, & ipſius Militiæ magiſtratum ſimul vel ſucceſſiue, per ceſſum, vel deceſſum ſeu quamvis aliam dimiſſionem, illa obtinentium, præterquam ex cauſa permutationis, pro tempore vacare contingeret, fructuum, reddituum, & prouentuum cuiuſque primi anni partes, in prædictos & alios licitos & honeſtos vſus, tunc expreſſos, & non alias, conuertendæ, eidem Militiæ, ſiue eius theſauro deberentur, & illius propriæ eſſent, & eſſe cenſerentur.

Collectoreſque à Capitulo generali eligi debere decreuit.

§. 3. Ac per quos dictæ Militiæ Præceptores, ſeu Priores vel fratres, fide, & facultatibus idoneos, in Capitulo generali dictæ Militiæ ad id eligendos, percipi & colligi, & ſub eorum cuſtodia conſeruari, & de illis, ſub certo modo & forma tunc expreſſis ratio reddi deberet, ac illis, vel eorum altero decedentibus, alius ſeu alij idonei eorum loco, per Magiſtrum ſeu Adminiſtratorem dictæ Militiæ pro tempore exiſtentem, vel eius Vicarium generalem, in capitulo particulari ad id congregandum, donec per dilectos filios generale Capitulum dictæ Militiæ, aliter prouiſum & ordinatum fuit ſubſtitui & ſubrogari poſſent.

Et in quos vſus conuerti debeat, præſcribit.

§. 4. Ipſaque bona penes dictos Cuſtodes pro tempore exiſtentia per eoſdem cuſtodes in alios, quam prædictos vſus, cuiuſvis etiam magiſtri, & aliorum Superiorum dictæ Militiæ pro tempore exiſtentium, mandati & correctionis prætextu, aut vi vel metu, etiam qui in conſtantem cadere poſſet, vel alia quacumque occaſione, exponi, etiam in dictæ Militiæ magis vtiles vſus, (niſi bona theſauri huiuſmodi ſummam quinque millium & quingentorum ducatorum auri excederent) conuerti, aut Magiſtro vel ſuperioribus ſuis præfatis aſſignari non poſſent.

Et aliter facientes puniri voluit.

§. 5. Ac bona prædicta ab eiſdem cuſtodibus aliter petere vel extorquere præſumentes, aut ad id auxilium, conſilium, vel fauorem præſtantes, cuiuſcumque ſtatus, & præeminentiæ forent, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incurrant, à qua niſi plena & integra ſolutione & reſtitutione præuia, abſolui non poſſint.

Quidq. agendum ſit, pluribus eodem anno vacationibus eiuſdem beneficij occurrentibus, declarauit.

§. 6. Ac Magiſtratus, Præceptoriatum, Prioratuum, officiorum, vel aliorum Beneficiorum prædictorum pluribus vacationibus eodem anno occurrentibus, quoad partium fructuum huiuſmodi ſolutionem, vel appropriationem, pro vna dumtaxat vacatione cenſeri, & annus à prima vacatione eorundem computari debeat.

Aucto theſauro ad certam Summã, in quo exponenda ſit, decreuit.

Ad hoc vide declarationẽ Clem. VII. in conſt. 2. Romanus.

§. 7. Cum vero dictos theſaurus ſummam quinque millium & quingentorum ducatorum auri huiuſmodi excederet, totum id quod vltra dictam ſummam ibidem eſſet, in emptionem, poſſeſſionem, & aliorum bonorum immobilium, aut liberationem aliorum bonorum dictæ Militiæ, quæ alias pignorata, vel hypothecata fuiſſent, exponi; ipſa bona ſic empta, aut alias liberata, & recuperata menſæ magiſtrali, ſeu Præceptoriis, prioratibus, officiis, & aliis beneficiis dictæ Militiæ pro tertia & quarta partibus reſpectiue ad

dispoſi

dispositionem Capituli Generalis huiusmodi applicari deberet.

Ferdinandus Rex d. Militiæ administrator, prædicta statuta approbauit.

§. 8. Ipseque Ferdinandus Rex, & Administrator, statutum, & ordinationem huiusmodi approbauit & confirmauit, prout in instrumentis publicis desuper confectis dicitur plenius contineri.

Qui eadem approbari, & alia hic enunciata, concedi supplicat huic Pontifici.

§. 9. Quare pro parte dicti Ferdinandi Regis Administratoris, asserentis curam animarum parochianorum Ecclesiarum infra limites patrimonij præfatæ Militiæ consistentium, hactenus per Presbyteros sæculares ad nutum pro tempore existentis Magistri, seu perpetui Administratoris, seu Præceptorum eiusdem Militiæ, in singulis Ecclesiis domorum, seu locorum, Præceptoriarum respectiue amouibiles exercere, ipsosque Presbyteros ad curam huiusmodi suscipiendam & exercendam per Magistrum seu Administratorem, vel Præceptores præfatos, locorum ordinariis præsentari, & dictos Ordinarios, dictæ curæ exercitium sic præsentatis Presbiteris committere consueuisse, nobis fuit humiliter supplicatum, vt statuto, ordinationi, approbationi, & confirmationi prædictis, pro illorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adiicere, ac alias in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui illa omnia approbat atque concedit.

§. 10. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum, ordinationem, approbationem, & confirmationem prædicta, ac prout illa concernunt, omnia & singula in dictis instrumentis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium, approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere, & inuiolabiliter obseruari decernimus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Ac pro potiori cautela, ea omnia & singula, de nouo etiam, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, eo ipso incurrenda huiusmodi, necnon quod de cætero perpetuis futuris temporibus, non nisi fratres Presbyteri dictæ Militiæ in Capellanos ad exercitium curæ animarum parochianorum prædictorum deputari possint, ipsique fratres Presbyteri pro tempore deputati curam animarum dictorum parochianorum exercendi, & ab eis confessiones audiendi, & illis Eucharistiæ Sacramentum, & alia Ecclesiastica Sacramenta ministrandi, & nuptias benedicendi, prout hactenus prænominati Presbyteri sæculares facere consueuerunt, & alia omnia & singula, quæ ad Rectores parochialium Ecclesiarum, de iure vel consuetudine spectant, & quæ ipsi facere possent, faciendi absque aliqua præsentione, seu dictorum Ordinariorum deputatione, licentia vel consensu, plenam & liberam facultatem habeant, auctoritate præfata tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Priuilegia Ordinis Cisterciensis communicat.

§. 11. Ac omnia & singula priuilegia, indulta, exemptiones, immunitates, spiritualia & temporalia, dicto Cisterciensi Ordini, illiusque personis & locis, in genere hactenus per Sedem prædictam concessa, approbata, & confirmata, ac etiam iteratis vicibus innouata, quæ in vsu sint, ad eandem Militiam, illiusque Magistrum, Priores, præceptores, personas Ecclesiasticas, & loca, familiares, & vassallos, præsentes & futuros, extendimus, & ampliamus, eaque illis expresse concedimus.

Contrariisque omnibus derogat.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis quoque & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, Militiæ & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnon quibusuis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, Militiæ & Ordini prædictis, sub quibusuis verborum formis concessis, confirmatis, & pluries innouatis, quibus etiam si pro eorum sufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenoris huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 13. Cæterum quia difficile foret, Regi, Administratori, ac Prioribus, Præceptoribus, fratribus & aliis personis prædictis, singulas literas Apostolicas, super priuilegiis, & aliis gratiis, dicto Ordini concessis, & per nos, ad eos, vt præfertur, extensis, vt illis vti possint, apud se habere, & ad loca vbi expediens foret, deferri facere, volumus, & præfata Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum literarum singulatim transumptis, publici notarij subscriptione, & alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu Archiepiscopi, vel Episcopi sigilli impressione munitis, ea vbique fides adhibeatur indubia, quæ eisdem literis originalibus adhiberetur, vbi essent exhibitæ vel ostensæ.

Transumptis fidem dari decernit.

Nulli ergo &c.

Dat. P. An. 5. die 1. Apr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octauo, Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri Anno quinto.

Bullar. Magn. Tom. I.

Quod totalis obediẽtia Ordinis Cartusien. perpetuo sit sub Priore Maioris domus Cartusiæ, & Definitorum Capituli generalis. XVII.

De huius Ordinis confirmatione, & aliis ipsum concernentibus inspice notata supra apud Alex. III. const. 7. Cum vos.

Edita An. D. 1508.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

DVm ad fructus vberes, quos Cartusiẽ. Ordo in agro militantis Ecclesiæ plantatus, velut arbor bona, produxit hactenus, & producit, considerationis nostræ oculos extendimus quod dicti Ordinis professores, mortui mundo, sed CHRISTO, qui est vera vita viuentes, pro vniuersali salute fidelium incessanter ad Dominum preces effundunt, dignum & congruum existimamus, illa prouide concedere, per quæ illius professores, omni dissensionis & inobedientiæ fomite semoto, sinceris valeant Domino mentibus inseruire.

Vniuersus Ordo subest obedientiæ Prioris Maioris domus Cartusiæ, & Definitorum Capituli generalis, & si aliter fieret, ad laxiorem viuendi modum Ordo declinaret.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Francisci Prioris Maioris domus Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, ac Definitorum Capituli generalis dicti Ordinis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet omnes domos dicti Ordinis, citra & vltra montes, ac vbilibet existentes, illarumque fratres, sub vna obedientia, videlicet Prioris prædictæ domus Cartusiæ, & Definitorum dicti Capituli generalis pro tempore existentium, existant; & quos vna Religio, & professionis vinculum alligauit, nulla æmulatio, nulla præsidendi ambitio, aut quævis alia causa ab inuicem diuidere debeat, sed caritatis vinculum in vnitate pacis eos conseruare: tamen quia humani generis inimico, qui propter inuidiam inter primos parentes superbiæ fomitem, & æmulationem seminauit, procurante & instigante, contingere posset quod aliqui fratres dicti Ordinis tentarent aliis obedientiis subiici, & ab eorum vero superiore, & capite discedere, ex quo eorum desiderium si effectum sortiretur, non solum eorum, sed aliorum fratrum dicti Ordinis animarum periculum immineret, & eueniret, ac etiam ipsa Religio in dies scissuram pateretur, & successu temporis, ipsa Religio, quæ inter ceteras asperioris seu strictioris obseruantiæ existit, paulatim ad laxiorem viuendi modum declinaret, in ipsius religionis vilipendium & depressionem.

Supplicatur ergo Pontifici, vt desuper prouidere dignetur.

§. 2. Quare pro parte Francisci Prioris, & Definitorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt omnes & singulas personas dicti Ordinis, cuiuscumque gradus, status, conditionis, vel præeminentiæ in ipso Ordine, nunc & tempore existentes metu censurarum à præmissis coërcere, & cum ex diuersis aliis Ordinibus, etiam Mendicantibus, quamplores ad ipsum Ordinem Cartusien. vtpote strictioris obseruantiæ Religionis transeant, quod ipsi sic transeuntes parẽ cum ipsis fratribus dicti Ordinis Cartusien.

statum, & fructum habere possint, ac alias in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui propterea id pœnas adiectas prohibet.

§. 3. Nos igitur, qui Ordinem prædictum, & illius personas non cessantes in humilitate spiritu, & contemplatione sublimium Domino famulari, in visceribus, gerimus charitatis, Franciscum Priorem, & Definitores præfatos, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod omnes & singulæ personæ dicti Cartusien. Ordinis cuiuscumque gradus, status, & conditionis, vel præeminentiæ sint, vel fuerint nunc in ipso Ordine, & pro tempore existentes, quæ per se, vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte procurauerint aliquam diuisionem in ipso Cartusien. Ordine, seu exemptionem aliquarum domorum dicti Cartusien. Ordinis, & ipsius Ordinis, fratrum à communi obedientia Prioris & Capituli generalis prædictorum, eo ipso omnibus obedientiis, & officiis in ipso Cartusien. Ordine perpetuo priuari, & ad similia, obedientias, & officia perpetuo inhabiles existant, ac omnibus & singulis priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, eidem Cartusien. Ordini, & illius personis, in genere vel in specie quomodolibet concessis, & concedendis, sine spe rehabilitationis ad illa, perpetuo careant, literæque Apostolicæ desuper impetrandæ, gratiam siue iustitiam concernentes, nullius sint penitus roboris vel momenti, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus. Decernentes ex nunc irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et prædictis Priori, & Capitulo generali, dat facultatem dispensandi, cũ Fratribus Ordinis, etiam ex aliis Ordinibus ad eum transeuntibus.

§. 4. Ac eisdem Priori & Capitulo generali, dum pro tempore celebrabitur, seu illius Definitoribus pro tempore existentibus, quod ipso Capitulo generali durante, cum quibusvis personis, & fratribus dicti Ordinis Cartusien. etiamsi ex aliis Ordinibus, etiam mendicantibus ad ipsum Ordinem Cartusien. transiuerint, si alias ad hoc habiles fuerint, vsque ad quascumque dicti Ordinis Certusien. obedientias, etiam curam animarum fratrum dicti Ordinis Carthusien. habentes (si aliud canonicum non obstat) assumi, & illas exercere, ac locum, & vocem actiuam & passiuam, tam in dicto Capitulo generali, quam omnibus aliis tractatibus, & negotiis in ipso Ordine expediendis, cum aliis fratribus eiusdem Carthusien. Ordinis habere possint & valeant dispensandi, eadem auctoritate licentiam & facultatem concedimus per præsentes.

Derogat Clem. 1. de Regularibus, & cæteris contrariis.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Clementis Papæ V. prædecessoris nostri, super hoc in Concilio Viennen. edita quæ incipit. Vt professores, & aliis Apostolicis constitutionibus, necnon Cartusien. & aliorum Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac illis sub quibuscumque tenoribus concessis, priuilegiis, indulgentiis, indultis, ac literis Apostolicis, quibus quatenus in aliquo præmissis obstent illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 5. die 20 Iunij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octauo, xvj. Kalen. Iulij, Pontificatus nostri Anno quinto.

XVIII. Quod ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini gratiis & priuilegiis aliorum Ordinum mendicantium perfruatur.

Quæ sint eorum priuilegia videre est tam in Mari magno illis concesso, quam const. 11. Pij V. Dum ad vberes, vbi notabo.

Alia de hoc Ordine notaui sup. in const. 6. Alex. IV. Licet

Et non posui bullam Maris magni, quia eadem fere ibi continentur, quæ sunt in Mari magno Prædicatorum & Minorum.

IVLIVS PAPA II.

Edita An. D. 1508.

Dilecto filio Fratri Ægidio Ordinis Erem. S. Augustini Priori Generali.

Exordium.

ETsi ad bene merendum cum de vniuersa religione, tum præcipue de Augustiniana, cui tu præes; propensi magnopere simus, libellus tamen, quem de Ecclesiæ incremento edidisti, fecit nos ad res, vel tuas vel tui Ordinis longe propensiores.

Licentia noua loca pro Ordine acquirendi non obstante c. 1. de excess. Prælat. in 6. Hodie tamen requiritur licentia Ordinarij ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. & const. 99 Clem. viij. Quoniam.

§. 1. Cum igitur superiore anno per nostras literas quædam religioni tuæ concessissemus, inter quæ id erat, vt loca oblata, tu fratresque tui, tam qui sunt, quam qui erunt, capere pro religione possitis; nunc per has nostras, ea quæ concessimus, clarius declaranda duximus. Eamdemque locorum suscipiendorum facultatem, ad alia quæcumque loca, domos, Ecclesias, etiam parochiales, ac cuiuscumque sint Ordinis, aut conditionis, suscipiendas extendimus. Damusque proprio, tam motu quam scientia, atque de plenitudine potestatis, vt hæc omnia capere possitis, facta vobis potestate, tam per literas quas supra memorauimus, quam per harum concessionem, declarationemque literarum. Licet igitur vobis perpetuo decernimus, hæc omnia posse capere, absque alia Sedis Apost. concessione, Non obstante piæ mem. Bonifacij VIII. Constitutione prohibente noua loca ædificari.

Priuilegia quæ in Mari magno, & alibi sunt, confirmantur, & datur gratia aliorum Mendicantium.

§. 2. Confirmauimus etiam priuilegia religionis vestræ per easdem literas, quod plane, tam de iis omnibus intelligimus, quæ vestrum Mare magnum continet, quam de aliis omnibus Apostolicis concessionibus quarum ap. vos, aut Apostolicæ literæ, aut authentica exempla seruantur. Confirmamus & priuilegiorum communionẽ, quam fel. rec. Sixtus prædecessor noster fecit, inter vos, Mendicantesque alios. Decernimusque ac volumus, quicquid vsque in hunc diem Ordini Minorum, aut Prædicatorum, aut Carmelitarum, aut Seruorum concessum ab Apostolica Sede est, & quicquid in futurum concedetur, vobis concessum esse, fratresque tuos eisdem concessionibus perpetuo vti posse, perinde ac si vobis nominatim concessa essent.

Facultas benedicendi vestes & vasa sacra.

§. 3. Dedimus propterea tibi potestatem sacrandi, benedicendique corporalia, vestes, & ea quæ sacris vsibus necessaria sunt. Quo quidem munere, tam te, quam qui pro tempore erunt, aut Generalis, aut Vicarius fungi posse decernimus.

Prohibitio exeundi ab ordine.

§. 4. Vt vero exeuntium ab Ordine tuo motibus occurramus, confirmamus in primis fel. rec. Martini prædecessoris nostri decretum, vt nemo è tuo Ordine, ad aliquem aliorum Ordinum occasione arctioris regulæ transire possit. Volumusque vt quisquis in tua religione professus siue ad sacros ordines promotus in ea fuerit, quam rem Professionis loco & esse & haberi statuimus, habitum dicti Ord. relinquere aut mutare non possit, nisi missionem, literasque à Generali Ord. obtinuerit. Quod tam de iis qui hactenus exierint intelligi volumus, quam de his qui in posterum exituri sunt, etiamsi Apostolicas literas obtinuerint.

Prohibitio desuper litigandi.

§. 5. Ne vero protervis relinquatur litigandi, repugnandive locus, siquis eorum exeuntium causam in Romana Curia, super ea re committi hactenus obtinuerit, aut in posterum obtinebit, vbi ad inhibendum, aut alia huiusmodi agendum itum fuerit, motu, scientia, & potestate prædictis, lites huiusmodi ad nos aduocamus, atque omnino extinguimus. Statuentes æque valere hoc decretum nostrum, ac si iudicum nomina, atque alia omnia, quæ supra commemorata sunt hic satis expressa essent, etiamsi sacri Palatij Apostolici Auditores existerent. Volumusque, vt quicquid super hac re fiat, aut factum sit, etiamsi causam, aut nos, aut Apostolica commiserit Sedes, pro infecto omnino haberi. Irritum præterea esse, atque inane, quicquid super his, Apostolica siue alia quavis auctoritate secus contigerit, aut agi, aut attentari. Fratres vero qui ita exierunt,

quo

quocumque induti habitu sint, mandamus vt capi cures, ad religionemque vestram redire, quacumque ratione compellas.

Fides transumptorum. §. 6. Denique fidem adhiberi mandamus, non modo nostris his literis, verumetiam & earum exemplis, modo Prælati aut notarij alicuius signo obsignatæ fuerint.

Dat. P. An. 5. die 17 Iunij. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die decima septima Iunij, millesimo quingentesimo octauo, Pontificatus nostri Anno quinto.

XIX. Contra pugnantes in duello, aut illud permittentes in Statu Ecclesiastico.

Hæc bulla extensa etiam ad Duellorum spectatores, & pœna contra eos ampliata fuerunt à Leone X inf. in constit. 31. Quam Deo. Et fuit etiam extra Statum Ecclesiasticum extensa, ac ad alios quoscumque complices & fautores à Pio IV. inf. in eius const. 21. Ea quæ, vbi alia notabo.

Edita An. D. 1509. IVLIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Procemium. REgis pacifici qui regnat in cælis, licet insufficientibus meritis vices gerentes in terris, cunctorum fidelium statui, provt ex susceptæ seruituris tenemur officio indefessa solertia intendentes, ac animarum periculis obuiare cupientes, ad ea per quæ vbique, præsertim in terris Rom. Ecclesiæ sponsæ nostræ subiectis inter fideles eosdem, cædes, rixæ, & contentiones cessent, scandalorum tollantur fomenta, pax, & concordia vigeant, prosperisque eorum successibus consulatur, opportunæ prouisionis operam impendimus, provt in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causa istius prohibitionis. §. 1. Sane non sine maxima animi nostri perturbatione accepimus, quod nonnulli fidelium prædictorum, inimico humani generis instigante, & aliquibus causis occurrentibus, & plerumque minimis & inhonestis, ac leuibus verbis ad contumelias, contentiones & diffidationes deuenientes, vt alter alterius sanguine satietur, ad temporales Principes & dominos maxime ciuitatum, terrarum, & locorum Sedi Apostolicæ subiectorum confugiunt, vt eis locum tutum, siue campum ad duellum, seu pugnandum assignent. Et quamvis Principes, & domini præfati, duellum siue pugnam eis dissuadere, & prohibere deberent, tamen plerumque locum, aut campum tutum huiusmodi assignant, maleuolumque altercantium propositum ad executionem augent, magisque vni quam alteri fauent, ex quo hominum mortes repentinæ, & nisi diuina gratia præueniantur, animarum perditiones, mutilationes, & vulnera, inter astantesque pugnantium amicos, odia & altercationes, & ex vno inconuenienti plura oriuntur in ipsorum fidelium animarum, & corporum periculum, generisque humani præfati iacturam perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum.

Prohibitio duellorum in Statu Ecclesiastico. §. 2. Nos igitur qui fidelium prædictorum, tranquillitatem & pacem sinceris desideriis exoptamus, saluberrimis Christianæ Religionis documentis & exemplis Deum tentandum non esse præmoniti, Saluatorisque Domini nostri IESV CHRISTI, qui Petro Apostolorum Principi, vt gladium mitteret in vaginam mandauit, præceptis edocti, attendentes hominem homini, inter quem cognationem quandam natura constituit, insidiari nefas, & gladiatoria munera, & purgationes huiusmodi vulgares à religionis nostræ pietate damnari, cruentaque spectacula à sacris canonibus, & imperialibus legibus inhibita & improbata, sicque pugnantes infamia notari, & diuersis pœnis puniri, & cum omni tempore, potissimum tamen in otio ciuili, & domestica quiete publica detestanda esse, Motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, hac in perpetuum valitura constitutione, duellorum, & gladiatorum huiusmodi vsum damnamus & improbamus, & in terris Rom. Ecclesiæ mediate vel immediate subiectis, per quoscumque quavis auctoritate, & potestate, ac nobilitate fulgentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna è quacumque causa, etiam à legibus permissa, fieri omnino prohibemus Dictosque pugiles taliter pugnantes, vbique impune capi posse, & puniri, pro homicidio, vel vulnere, iuxta iuris communis dispositionem nulla eis consuetudine suffragante, statuimus. Corporaque in duello in terris Ecclesiæ, mediate vel immediate subiectis facto morientium in sacro sepeliri prohibentes.

Prohibitio illa permittendi. §. 3. Sub simili excommunicationis pœna & interdicti Ecclesiastici, omnibus & singulis vtriusque sexus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Domicellis, Baronibus, & aliis temporalibus Dominis, Vicariis, Communitatibus, & Vniuersitatibus ciuitatum, terrarum, & locorum præfatæ Romanæ Ecclesiæ, mediate vel immediate subiectorum mandantes, ne de cætero perpetuis futuris temporibus, aliquibus cuiuscumque dignitatis & nobilitatis fuerint, & ex quacumque causa, etiam à legibus non improbata, locum seu campum liberum ad duellum, seu alias ad pugnandum tutum, aut quomodolibet assignent, concedant, seu tradant, aut assignari, concedi, seu tradi faciant vel permittant, sub excommunicationis latæ sententiæ, & quatuor millium ducatorum Cameræ Apostolicæ applicandorum pœna pro qualibet vice incurrenda. Et si huiusmodi constitutionis violatores, vltra dictam primam vicem fuerint, vltra dictas pœnas, feudo seu vicariatu, quem à dicta Romana Ecclesia obtinuerint, priuatos fore Apostolica auctoritate, tenore præsentium præcipimus, mandamus, atque decernimus, non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus, priuilegiis, indultis, & concessionibus quavis auctoritate editis, & quibusvis concessis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hæc bulla ligat post publ. Quam nō inuenī, sed sufficiens publicatio aliarum bullarum elicitur in rub. §. 4. Volumus autem quod præsentes literæ nostræ, postquam in valuis Basilicæ Principis Apostolorum, & in Campo Floræ in Vrbe affixæ fuerint, omnes & singulos ciues Romanos, & alios in Vrbe commorantes, affixis quindecim diebus, alios verò Duces, Comites, Marchiones, Domicellos, Barones, & alios temporales Dominos, Vicarios, Communitates, & Vniuersitates præfatas ciuitatum, terrarum, & locorum Sedi præfatæ, mediate vel immediate subditorum, decurso mense arctent, contra facientes pœnas præfatas incurrant, in omnibus & per omnia, perinde ac si eis omnibus & singulis contra facientibus, personaliter & particulariter intimatæ fuissent. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 6. die 24. Febr. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nono, vj. Kalend. Martij, Pontificatus nostri Anno sexto.

XX. Prohibitio occupandi bona naufragantia in locis Maris sanctæ R.E.

Confirmatur infra à Paulo III. in eius const. 42. Accepimus, vbi etiam habetur amplior in his naufragiis dispositio. Vide quæ ibi notabo de hac materia.

Edita An. D. 1509. IVLIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. ROmanus Pontifex pacis, & iustitiæ præcipuus Conseruator, & auctor, ac pietatis amator, quę in Christi fidelium præiudicium, temere attentari intelligit, ne grauiorem tendant in noxam, opportunis & variis remediis prouidet, ac peruersorum temeritatem compescit, bonorum vero operum sectatores spiritualibus præmiis remunerat, provt id in Domino conspicit salubriter expedire.

Causa motiua. §. 1. Sane plurimum Nautarum lamentabili querela didicimus, quod ipsi Maris periculo se, & eorum merces exponant, vt Curiæ Romanæ, & illius Curialium commodis, ex mercibus per eos ad eandem Curiam mari aduectis, prouideatur. Quia tamen quandoque eorum naues, vegetibus vini, & aliis mercibus, rebus, & victualiis onustæ, contrariis ventis impulsæ, & tempestatibus

tibus actæ, miserabiliter naufragium patiantur, ac fluctibus maris violenter eiectæ quandoque ad littus perueniant, aut terram alicuius Domini etiam temporalis attingunt, nonnunquam etiam aliquarum mercium, & rerum iactum faciunt, alleuiandæ nauis gratia, ne naufragium patiantur animo illa recuperandi, non pro derelictis habentes, & cum ab incolis & habitatoribus, ac Gubernatoribus ciuitatum, terrarum, & locorum, iuxta quorum littora naues ipsæ naufragium huiusmodi patiuntur, vel bona iactata peruenient, sperent eorum calamitati, auxilia meritoria præstari, ac in re tam luctuosa ac pietate, & miseramine digna, opem ferri, propriis oculis cernunt, & in calamitatum suarum consolatione, se ipsos mercibus, ac vegetibus, quæ beneficio Dei, è maris periculo ad littus saluæ peruenerunt, damnabili, & exeeranda cupiditate spoliari, & priuari, ipsique spoliantes, & rapientes, & locorum Domini, illa ad eos ex antiqua consuetudine spectare, eaque licite retinere posse affirmare præsumunt, quo fit, vt nautæ ipsi ab huiusmodi mercium ad Vrbem nostram vectione retrahi cogantur, non absque Curiæ Romanæ, & Vrbis iactura, nisi desuper opportune prouideatur.

Consuetudo occupandi bona naufragata ad littora maris locorũ S.R.E. improbatur.
Et vide mox infra declarationem.

§. 2. Nos considerantes, tam ciuili, quam Canonica lege licere vnicuique naufragium suum impune colligere, ac iacta in mari alleuiandi oneris causa recuperare, illaque diripientes furtum committere, & grauiter delinquere, ac Christianos naufragium patientes, rebus suis spoliantes, diuersis pœnis puniri, & propterea consuetudinem prædictam tanquam contra regulam fidei, qua vnus alteri auxilio esse tenetur, merito corruptelam appellari, neminique suffragari debere, cuiuscumque temporis cursu munitam. Volentesque sicut nostro incumbit pastorali officio, omni mari terraque ad Almam Vrbem nostram venientium, securitati, & tranquillitati prouidere, periculisque huiusmodi obuiare, ac venientium ad Almam Vrbem ex omnibus mundi partibus, tanquam ad matrem, de necessariis cum opulentia prouiden. necnon animarum eorundem Christi fidelium saluti consulere. Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa nostra scientia, consuetudinem capiendi, & retinendi bona per naufragium, vel iactum leuiandæ nauis gratia, aut alia necessitate vrgente factum, ad littora maris ciuitatum, terrarum, & locorum Rom. Ecclesiæ, mediatè & immediatè subiectorum peruenientia, tanquam corruptelam allegari non posse, illamque nulli, in iuditio vel extra illud suffragari debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium, decernimus & declaramus.

Pœna in contrauenientes imponuntur.

§. 3. Et vltra pœnas, tam à lege quam à Canone in tales spoliantes bonis suis Christianos naufragium patientes, & raptores in littore maris ciuitatum, terrarum & locorum Romanæ Ecclesiæ, mediate vel immediate subiectorum huiusmodi hactenus inflictas, quas pro potiori cautela innouamus & confirmamus, talium spoliantium cuiuscumque auctoritatis & dignitatis fuerint, bona & iura quæcumque, auctoritate & tenore præmissis, confiscamus & publicamus, illaque Cameræ Apost. confiscata & publicata, & locorum Dominos, & Vicarios id fieri permittentes, excommunicatos eo ipso fore decernimus, & etiam declaramus, dictosque raptores in flagranti crimine repertos, vt latrones & grassatores puniri posse, alias vt fures, præterquam si nautis in manifesto naufragij & submersionis periculo constitutis, eorum opem & auxilium implorantibus & exposcentibus, non absque vitæ discrimine, in personarum & rerum conseruatione auxilio fuerint, vel alias ab imminentis & præsentanei naufragij periculis ipsorum labore & animo liberauerint, & saluos reddiderint, aut bona tam deperdita recuperauerint, iis enim casibus, eos statuto consuetudineve, iuuari, illaque allegari posse, ac illis stari debere decernimus.

Indulgentia pro dantibus auxilium.

§. 4. Et vt fideles ad præmissa alliciantur, ac ab eis naufragium huiusmodi patientibus promptiora subsidia præbeantur, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui auxilium, consilium & fauorem, naufragium patientibus, in recuperatione & conseruatione bonorum suorum præstiterint, decem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Executor deputantur.

§. 5. Et nihilominus Camerario, Clericis & Præsidentibus, & Auditori Cam. prædictæ, earumdem tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus vel duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios præmissa, vt quoties & quando opus fuerit publicantes, faciant auctoritate nostra, illa à quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, inuiolabiliter obseruari, ac pro illorum subsistentia firmiori, etiam scripturas necessarias desuper expediant. Contradictores per censuram Ecclesiasticam & alia iuris remedia, appellatione postposita compescendo.

Obstantia tolluntur.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An 6 die 24. Febr.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nono, vj. Kalend. Martij Pontificatus nostri Anno sexto.

XXI.

Renouatio priuilegij Monialium, & Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci, de nouis Monasteriis circa eorum domos infra spatium CCC. cannarum non ædificandis.

Hoc priuilegium concessit Clem. IV. vt sup. in eius constit. 7. Ad consequendam, vbi videas, quæ notaui Et itidem videas, quæ tibi de toto Ordine Franciscano indicaui, sup. in const. 5. Honor. III. Solet. Sed huic priuilegio respectu Societatis IESV *quoad omnes Regulares derogatum puto, ex constitut. 39. Gregor. XIII. Saluatoris, lib. 2.*

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio Vicario generali Vltramontano Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ.

Edita An. D. 1509.

Clem. IV. Priuilegium de quo in rubr. concessit Ordini S. Francisci.

EXponi nuper nobis fecisti, quod inter alia priuilegia à Summis Pontificibus prædecessoribus nostris Ordini Fratrum Minorum concessa, ac per fel. record. Sixtum IV. etiam prædecessorem nostrum, ac per nos respectiue confirmata, ac de nouo concessa à fel. recordat. Clemente Papa Quarto, prædicto Ordini, eius pauperrimo statu considerato, vt idem Ordo in eadem arctissima paupertate, ac professionis suæ puritate, & integritate, ad Dei seruitium, & eius Ecclesiæ fructum tranquille conseruetur, concessum fuit, vt prope domos fratrum prædicti Ordinis, certi vtriusque maximæ fœminei sexus Religiosi in eodem priuilegio contenti, infra spatium trecentarum cannarum, domos seu Monasteria ædificare minime possint, sub certis censuris & pœnis in eodem priuilegio contentis.

Quod fuit communicatum Ordini S. Dominici.

§. 1. Quod quidem priuilegium fratribus Ordinis Prædicatorum etiam concessum fuit, vt omnia priuilegia omnibus aliis Mendicantium Ordinibus, prædicto maximè prædicatorum Ordini concessa Ordini fratrum Minorum fuissent communia, & huiusmodi Minorum, Ordinis fratres illis vterentur, potirentur & gauderent, ac si eis specialiter & expresse concessa fuissent.

Clem. IV. illud reduxit, contra d. Ordinem S. Dominici ad can. 140.

§. 2. Præterea Clemens Quartus prædecessor prænominatus, ob nonnullas causas animum suum mouentes, priuilegium prædictum, quod prædicti Ordinis Prædicatorum fratribus concesserat, ad spatium centum quadraginta cannarum reduxit, prout in omnium Summorum Pontificum præfatorum literis desuper confectis plenius continetur.

Vnde fuit dubitatum si reductio esset.

§. 3. Sed quia à nonnullis hæsitatur, an ex eo quod prædictorum fratrum prædicatorum priuilegia præfatis fratribus Minoribus communicata sunt, priuilegium præ-

fatum

etiam contra Ordinem S. Francisci.

fatum trecentarum cannarum prædictam, eiusdem fratribus Minoribus specialiter concessam, ad prædictas centum quadraginta cannas sine alia speciali coarctatione seu reductione, esse coarctatum vel reductum. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pont. idem priuilegium d. Ordinis S. Francisci iterato concedit.

§. 4. Nos igitur sacræ Religionis fratrum Minorum prædictorum honestatem, paupertatem ac puritatem considerantes, merito inducimur, vt eam specialibus fauoribus & gratiis prosequamur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, prædictam coarctationem, seu reductionem contra prædictum fratrum prædicatorum priuilegium factam, præfatis fratribus Minoribus nocere non debere, nec præfatam priuilegiorum communicationem in damnum, sed in fauorem prædictorum fratrum Minorum esse concessam. Et ideo confirmationem & nouam concessionem per prædictum Sixtum Quartum, & per nos respectiue factam, in suo robore permanere debere, auctoritate Apostolica declaramus, ac potiori pro cautela idem priuilegium, & inde secuta quæcumque, prædictis Fratribus Minoribus confirmamus & approbamus. Et quatenus opus sit prædictarum trecentarum cannarum priuilegium, tenore præsentium, auctoritate præfata eisdem fratribus Minoribus de nouo concedimus.

Quibuscumque non obstan.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus Apostolicis, priuilegiis quoque, & indultis, ac quibuscumque literis Apostolicis in contrarium concessis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An 6. die 23. Maij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesimaprima Maij, millesimo quingentesimo nono, Pontificatus nostri Anno 6.

XXII. Extensio constitutionis à Pio II. editæ, contra appellantes à Romano Pontifice, ad futurum Concilium, eorumque complices & fautores.

Huiusmodi appellationis prohibitio à Gregorio XIII. redacta postea fuit in Bulla Cœnæ Domini, vt videre est in eius constitut. 81. Consueuerunt, lib. 2. & Paulo V. constitut. 63. Pastoralis, lib. 3.

Edita An. D. 1509.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SVspecti regiminis nos cura sollicitat, vt eorum malitiis & audaciæ, quorum sceleris cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, animas occupantes (discordiarum fautore, ac schismatum inuentore & alumno humani generis inimico procurante) eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi à iure interdicta, & à Sanctis Patribus, etiam in Congregatione fidelium, pro huius sanctæ Sedis dignitate, & Ecclesiæ vnitate seruandis, ad schismatis occasionem tollendam (quo in Dei Ecclesia perniciosior morbus inueniri vix potest) Spiritu Sancto cooperante, non minus prouide & salubriter, quam necessario, decreta & statuta esse nouerint, damnata audacia, & exquisitis artibus & fraudibus attentare temere conentur, & eis contrauenire contendant, nunc nouorum editione iurium, nunc antiquorum innouatione & declaratione, nunc vero extensione, & nouarum pœnarum adiectione, prout salubriter expedire conspicimus, sollicitis studiis obuiare curemus.

Pius II. prohibuit appellari ad futurum Concilium, vt in eius bulla c. sup.

§. 1. Sane licet olim fel. rec. Pius Papa II. prædecessor noster, de fratrum suorum S.R.E. Cardinalium, cunctorumque Prælatorum, ac diuini & humani iuris interpretum, Curiam Romanam sequentium, in dieta seu congregatione Mantuana existentium approbatione, matura prius & graui præmissa discussione, & de eorundem congregatorum vnanimi consilio & assensu, ac ex certa scientia prouocationes ad futurum Concilium, efficacissimis & palpabilibus rationibus, tanquam erroneas & detestabiles damnauerit, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, & interdicti pœnis præceperit, ne qua persona cuiusvis dignitatis, siue etiam vniuersitas, aut Collegium, quovis quæsito colore, ab ordinationibus, sententiis, seu mandatis quibuscumque suis ac successorum suorum appellationem huiusmodi interponere auderet, & contrafacientes, vnà cum fautoribus suis, & consilium, auxiliumve præstantibus, (siue hi tabelliones essent, siue testes, siue aduocati, siue alij quicumque) non solum pœnis & censuris prædictis, sed etiam iis quæ læsæ maiestatis, & hæreticæ prauitatis reis imponuntur, obnoxios esse statuerit.

Veneti tamen moniti ab isto Pont. vt loca sedis Apost. occupata dimitterent ad futurum Concilium prouocarunt.

§. 2. Leonardus tam Lauredanus Dux, Rogati, ac generale Concilium, & Commune Venetiarum, omnesque & singuli patritij & ciues Communis eiusdem, vnà cum Prouisoribus, Potestatibus, Commissariis, & reliquis officialibus suis (quorum auctoritate, industria, consilio, opere aut fauore, ciuitates, oppida, castra, & arces ad nos & Sanctam Romanam Ecclesiam legitime pertinentes, occupatæ fuerant aut detinebantur) de fratrum nostrorũ consilio, à nobis requisiti & moniti vt intra certum terminum, sub pœnis tunc expressis, nos, & sanctam Apostolicam Sedem plene, & omni ex parte, in concessa sibi auctoritate & libertate, cum obedientia recognoscerent & reintegrarent, ac Rauennam, Ceruiam, Ariminum, Fauentiam, Sarsinam Ciuitates, cum oppidis, castris, terris, & districtu ipsarum, cumque Cæsenaten. Foroliuien. ac Imolen. territoriis, castris, oppidis, terris, & locis quæ occupabant, integre & expedite, nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ, cuius iuris esse noscebantur, relaxarent, atque inde recederent, nec impedirent quo minus illorum ciues & habitatores, ad piæ matris suæ Rom. Ecclesiæ obedientiam reuerterentur, omnes eorum fautores ab auxilij in talibus præstatione deterrendo, ita quod requisitioni, monitioni, & mandato nostro huiusmodi non parentes, maioris excommunicationis sententia de simili consilio, eo ipso innodati censerentur, à qua præterquam in mortis articulo constituti, per alium quam per Romanum Pontificem, etiam prætextu cuiuscumque facultatis, cuicumque pro tempore concessæ, absolui non possent (quam quidem excommunicationis sententiam in huiusmodi non paritionis euentum, iteratis etiam vicibus aggrauauimus) paternis monitis, & salutaribus iussis obsequi, provt debeant, indebite recusantes, seu qui iuri proprio diffidunt, & superioris mandata contumaciter obaudiunt, vt quæ minus iuste vsurparunt, indebite, etiam cum animarum suarum detrimento, retineant, ad prohibitum atque damnatum remedium confugientes, à requisitione, monitione, & mandato, ac sententiis, censuris, & pœnis prædictis, nulla constitutionis Pij prædecessoris, vel expresse vetantis habita ratione, ad futurum Concilium, temere, vt accepimus, prouocarunt.

Bentiuoli etiã Bononiæ occupatores, ibidem appellarunt.

§. 3. Provt etiam perditionis filij, quondam Ioannes Bentiuolus, & eius nati, cum eos à tyrannica oppressione dilectæ ciuitatis nostræ Bononiæ expellere decreuissemus, damnabiliter fecisse dicuntur, videlicet ad futurum Concilium prædictum appellasse & prouocasse.

Et nonnulli prætendũt non contrauenire, si actuali appellationi & scripturæ se non immisceant.

§. 4. Nos igitur quam detestanda sit peruersitas attendentes, qui propriis innixi commodis, & nefariis cupiditatibus mancipati, salubria decreta Patrum & superiorum iussa spernentes, inconsutilem Christi tunicam scindere, ac etiam scissionis causam habere contendunt, & Ecclesiæ vnitatem diuidere, prædictæ sanctæ Sedis Apostolicæ principatum tollere, & contra tot Sanctorum Patrum, & Sacrorum Conciliorum decreta, temere & damnabiliter, magna audacia venire non erubescunt, & contrafacere non verentur, asserentes inter cætera, consulentes, persuadentes, determinantes, seu determinationi huiusmodi interessentes, sola consilij præstatione seu persuasione, deliberatione, aut determinatione, quod aliquibus casibus à Romano Pontifice, seu eius sententia, vel decreto, ad futurum Concilium generale appellari possit dicta Pij prædecessoris constitutione non ligari, nisi in ipsa actuali appellatione, & illius

interpositione, vel scripturæ compositione se immiscuerint, de cætero tali assertione se excusare, ac tale quid in posterum præsumere impune valeant, opportunam tam immani & periculoso morbo medelam adhibere volentes.

Hic idem Pō. hanc dubitationem submouet Pij II. bullam extendit, & eius defectus omnes supplet.

§. 5. Hac generali & in perpetuum valitura constitutione, ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promulgata, sancimus, constitutionem Pij prædecessoris præfatam, tam citra quam vltra montes, & in vltramontanis partibus; quoad omnes, tam Ecclesiasticas quam sæculares personas, etiam Regali dignitate, ac Cardinalatus honore fulgentes, capitula, vniuersitates, communitates & collegia, congregationes & synodos, ac parlamenta, valuisse, valere & perpetuo valituram declaramus, cum suppletione solemnitatis cuiuslibet, etiam publicationis omissæ (cuius in illa edenda vel publicanda defectus prætendi posset, quæ iuxta illam fieri sequirebatur) eamque ex præterito, nunc & in posterum inuiolabiliter obseruari mandamus, ipsius violatores, cuiuscumque dignitatis existant, pœnis & censuris in eadem expressis, quocumque tempore subiacere statuentes, contraria consuetudine, seu potius corruptela non obstante.

Alias addit pœnas.

§. 6. Decernentes & declarantes vltra pœnas impositas (quas ipso facto dictos violatores & contrauenientes incurrere volumus) ipsos & eorum quemlibet, pro veris & indubitatis schismaticis & inconsutilis tunicæ Domini nostri Iesu Christi violatoribus & dissipatoribus, ac de Catholica fide male sentientibus, habendos & reputandos, pœnisque canonicis & legalibus contra tales impositis, subiacere, & cum Dathan & Abiron partem & damnationem habere, ipsasque etiam pœnas & earum quamlibet omnes illos incurrere volumus, cuiuscumque conditionis existant, & gradus prærogatiua fulgeant, qui in Senatu, consilijs, parlamentis, congregationibus etiam synodalibus & prouincialibus, vel alias quomodolibet, tacite vel expresse, voce vel scripto, per se vel alium (cuiuscumque timoris vel reuerentiæ velamine, vel prætensa excusatione, & superioris mandato non obstantibus) decreuerint, consuluerint seu deliberauerint, vel aliorum dicta approbauerint, consilium aut vocem dederint, vt ad futurum vniuersale concilium à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, contra prædictam constitutionem appellare liceat, possit vel debeat, dictas pœnas ad ipsos & eorum quemlibet contrauenientem in præmissis, tenore præsentium extendentes, & locum habere declarantes, omni ambiguitate cessante.

Venetorum, & aliorum appellationes nullas esse declarat.

§. 7. Et nihilominus prouocationes & appellationes, tam per Leonardum Ducem, Rogatos Consilium & commune Venetiarum factas huiusmodi, quam per quoscumque alios prædictos pro tempore faciendas, & inde secuta quæcumque (vtpote contra Pij prædictam ac præsentem constitutionem attentatas) nullas, prout sunt, & inualidas; nulliusque roboris vel momenti fuisse, & pro tempore fore, auctoritate, scientia, & potestate similibus, statuimus, decernimus & declaramus, ac pro potiori cautela, cassamus & annullamus.

Loca ad quæ contrauenientes declinant interdicto supponit.

§. 8. Et vltra supradictas pœnas (quas contra constitutionis huiusmodi violatores in suo robore permanere decernimus) loca quæcumque, ad quæ violatores ipsos declinare, & in quibus scienter stare permitti contigerit, Ecclesiastico supponimus interdicto decernentes illud, quandiu ipsi violatores in eis scienter steterint, vt præfertur, & per triduum post eorum inde discessum, firmiter obseruari. Ac præsentes literas in quinterno Cancellariæ etiam describi mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, declarationis, mandati, statuti, decreti, voluntatis, extensionis, cassationis, annullationis, & suppositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nono, Kalendis Iulij, Pontificatus nostri anno sexto. *Dat. P. An. 6. 1. Iulij.*

Facultates & priuilegia Commissariorum Fabricæ Sancti Petri Principis Apostolorum de Vrbe. XXIII.

Moderationem eorum attende in constitutionibus hic in Apostillis indicatis, & omnino infra in const. 3. Clem. VII. Admonet, vbi notabo.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1509.*

Petrus Apostolorū princeps est.

Liquet omnibus Christianæ fidei cultoribus, Beatum Petrum ab ipso Saluatore nostro Domino IESV CHRISTO Apostolorum principem fuisse constitutum, eique ligandi atque soluendi animas cœlesti priuilegio traditam esse potestatem, cum ei dicitur, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

Hic idem Pō. eius successor volens B. Petri Basilicam in Vrbe, magnificentius reædificare.

§. 1. Vnde nos qui licet imparibus meritis eiusdem Cœlorum clauigeri successores sumus, & eius loco in sancta Dei Ecclesia residemus, considerantes quod diffusis per orbem terrarum Ecclesiis, ex iniuncto nobis à Deo Apostolatus officio prouidere teneamur, vt Ecclesiæ ipsæ quæ domus Dei sunt in suis structuris & ædificiis non solum conseruentur, sed etiam, si opus fuerit, reparentur, circa tamen Basilicam de Vrbe ipsius Petri principis Apostolorum, maiorem curam & diligentiam adhibere nos conuenit, vt sicut ipse Beatus Petrus ab ipso Saluatore nostro princeps Apostolorum est constitutus, ita etiam ipsius Basilica quæ non parua reparatione indiget inter cæteras Vrbis & Orbis Ecclesias, congruentibus ac etiam necessariis ædificiis reædificetur, & construatur & amplietur, ac reædificata, constructa & ampliata conseruetur.

Pro subuenientibus Fabricæ, his qui infra annum operā vel pecuniā darent vel promitterent concessit facultatem.

§. 2. Et cum nuper ex præmissis & certis aliis rationabilibus causis iuxta nostri cordis desiderium ad dictæ Basilicæ restaurationem manus operarias apposuissemus, cognoscentes fabricam huiusmodi absque piis & largis fidelium congregationibus ad finem optatum perduci non posse, per quasdam primo vniuersis Christi fidelibus vtriusque sexus, qui infra annum à die publicationis earundem computandum, in capsa ad id in dicta basilica collocanda per seipsos mitterent, vel per alios mitti & poni facerent, tantum quantum eorum pia deuotio eis dictaret in pecunia numerata, aut rebus aliis ad opus ipsum conuertendis, vel circa opus se personaliter exercerent, seu bonæ memoriæ Henrico Archiepiscopo Tarentino generali Thesaurario nostro, se ad pie erogandum aliquid ad opus ipsum iuxta eorum piam deuotionem efficaciter obligarent.

Confessorem eligendi, qui certis tūc expressis casibus eos absolueret. Postea, vt huiusmodi concessionis, etiam vltramontani participes essent, d. annum ad eius beneplacitum prorogauit, & Commissarium in aliis partibus deputauit ad colligendas dictas eleemosynas.

§. 3. Vt idoneum possent eligere confessorem, qui eos à certis tunc expressis casibus absolueret, & super certis etiam tunc expressis in foro conscientiæ dumtaxat dispensare posset, concessimus facultatem.

§. 4. Et deinde prouide attendentes, difficile fore prædictas infra annum à die illarum publicationis ad notitiam Christi fidelium vltra montes consistentium, peruenire posse, ipsas per alias nostras literas, ad nostrum beneplacitum prorogauimus, & cunctorum Christi fidelium salutem, præcipue illorum qui in vigintiquinque prouinciis, in quibus Vic. generalibus Ordinis fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum citra montes existis, iuxta morem dicti Ordinis numerandis, & sub quibus etiam tota Italia, Sicilia vltra Pharum, Corsica, Creta, Cyprus, Rhodus vsque ad Hierosolymam, Dalmatia, Croacia, Bosna, Vngaria, Austria, Bohemia, & Polonia, ac insulæ maris Mediterranei continentur,

degunt

degunt, affectantes, ac considerantes, quod licet Christi fideles huiusmodi in dictis prouinciis & insulis habitantes, deuote cuperent dictarum indulgentiarum pro dicta Fabrica concessarum participes fieri, tamen quoniam ob locorum distantiam personaliter ad dictam Fabricam se conferendi, aut per alium pias eleemosynas, pro huiusmodi Fabrica in dictam capsam transmittendi omnimodam commoditatem non habeant, paternæ animarum suarum saluti, & dictæ Fabricæ opportunæ subuentioni consulere cupientes, exemplo ipsius Saluatoris nostri, qui ad diuersas mundi partes, ad prædicandum sanctum Euangelium, vt animas Patri lucrifaceret, suos Apostolos misit, quantum ex alto conceditur, Vniuersis eiusdem Christi fidelibus vtriusque sexus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ existerent, etiam Ecclesiasticis Religiosis, ac aliis sæcularibus, per vniuersas prouincias & insulas prædictas constitutis, vere pœnitentibus & confessis, qui infra annum, & deinde ad beneplacitum nostrum, à publicatione priorum literarum nostrarum prædictarum in dictis prouinciis & insulis, facienda computandū Ecclesias in dictis prouinciis, & insulis, quas quondā Hieronymus de Torniello, Ordinis fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum, professor tunc in humanis agens, & qui dicti Ordinis Vic. generalis citramontanus tunc existebat, & cui propter vitæ integritatem curam indulgentiarum prædictarum in dictis prouinciis & insulis singulariter commisimus, & quē ad hæc, ac infrascripta & alia tunc expressa peragenda, in dictis prouinciis & insulis, nostrum & Apost. Sedis Nuntium & Commissarium ad dictum annum & beneplacitum fecimus, constituimus, & deputauimus, nominaret iuxta eiusdem Nuntij & Commissarij, seu deputandi & deputandorum, aut subdelegandorum ab eo, prouidam ordinationem super hoc faciendam deuote visitarent, & in capsis ad hoc in subsidium dictæ fabricæ, per Nuntium, seu Commissarium, aut deputandum vel subdelegandum prædictos, deputandis, iuxta Nuncij & Commissarij, ac deputandorum vel subdelegandorum prædictorum, ordinationem & arbitrium, pias eleemosynas effectualiter ponerent, peccatorum remissiones, & alia spiritualia dona ad animarum suarum salutem consequendam concessimus & indulsimus, prout in singulis literis prædictis, quarum tenores, ac facultates in præmissis eidem Hieronymo, etiam in forma Breuis concessas, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, plenariè continetur.

Quo Commissario vita functo.

§. 5. Cum autem dictus Hieronymus vita functus, & deputati ab eo in præmissis fidelem & sollicitam diligentiam & curam adhibuerint, & plene eidem Fabricæ dictæ Basilicæ prouisum non existit, ex piis fidelium subuentionibus pro præmissis pie erogatis satisfactum non sit, neque satisfieri possit, propter ipsius Fabricæ quodammodo intolerabilem impensam propterea necessariam, sed sint eorundem & aliorum Christi fidelium pia suffragia plurimum opportuna.

Hic idem Pōt. alium Commissarium deputat cum eisdem facultatibus.

§. 6. Nos cupientes prout nobis, & inter cætera nostra desiderabilia cordi est prædictæ basilicæ fabricam ad debitam perfectionem deduci, & de fidelitate, diligentia & sollicitudine in præmissis dilecti filij Francisci Zeni de Mediolano, d. Ordinis fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum professoris, & prouinciarum citramontan. dicti Ord. secundum illius Ordinem Vicarij generalis, propter cuius bonitatem & experientiam rerum in Dominum plurimum confidentes, ipsum in dictis prouinciis & insulis indulgentiarum huiusmodi nostrum & Apostolicæ Sedis Nuntium & Commissarium cum omnibus & singulis facultatibus & auctoritatibus, & etiam inhibendi quibusvis quæstuariis, alias eidem Hieronymo quoad præmissa, etiam per literas nostras in forma Breuis, etiam vltra in præsentibus contentas facultates auctoritate Apostolica, tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, ipsasque & omnes & singulas facultates eidem Hieronymo, & ab eo subdelegatis Commissariis in præmissis quomodolibet concessas, præfato Francisco Zeno Vicario generali, eiusque subdelegandis Commissariis concedimus.

Eleemosynas que elargientibus, plenariam peccatorum remissionem concedit. Tu scias omnes indulgentias pro quibus porrigenda sunt manus adiutrices, fuisse reuocatas à Pio V. in eius cōst. 30. Et si dominici.

§. 7. Et nihilominus vniuersis Christi fidelibus vtriusque sexus, tam sæcularibus quam regularibus Ordinum quorumcumque prouinciarum & insularum prædictarum, qui iuxta eiusdem Francisci Zeni Commissarij & Nuntij aut deputati, seu subdelegati, aut deputandorum seu subdelegandorum, ad eorundem prouidam ordinationem super hoc faciendam in capsis ad hoc in subsidium d. Fabricæ per nuntium & Commissarium, seu deputandum vel deputandos, aut subdelegandum vel subdelegandos ab eis deputandis, iuxta Nuntij & Commissarij, ac deputandorum & subdelegandorum prædictorum ordinationem & arbitrium, pias eleemosynas effectualiter posuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem consequantur.

Licētiamque eligendi confessorem qui absoluat, & ei eisdem impartitur.

Renocationem vide in const. 62. Pij IV. de commisso, & Clem. VIII. cōstit 15 Quæcumque.

§. 8. Et qui eum præfatis Commissario, seu delegandis & subdelegandis prædictis conuenerint, vt idoneum possint eligere confessorem, presbyterum sæcularem vel cuiusvis Ordinis, etiam mendicantium regularem, qui eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eligentem delictis & excessibus, ac peccatis quibuslibet, quantumcumque grauibus & enormibus etiam Sedi Apost. reseruatis casibus, ac censuris Ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicuius instantiam latis, de consensu partium, etiam ratione interdicti incursis, & quarum absolutio dictæ Sedi esset reseruata (præterquam machinationis in personam Summi Pontificis, occisionis Episcoporum aut aliorum Superiorum Prælatorum, & iniectionis manuum violentarum in illos aut alios Prælatos, falsificationis bullarum, & literarum Apostolicarum, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum & censurarum occasione Aluminum Tulphæ nostræ, ac de partibus infidelium ad fideles contra prohibitionem nostram delatorum) incursarum semel in vita, & in non reseruatis casibus, toties quoties id petierint, & in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remissionem impendere, ac pœnitentiam salutarem iniungere, & Eucharistiæ Sacramentum, præterquam in die Paschatis, & in mortis articulo aliis anni temporibus ministrare, necnon per eos emissa vota quæcumque (vltramarino, ingressu Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare. Ac cum simoniæ in ordinibus vel beneficiis commissæ labe pollutis, ad ipsum opus contribuentibus, super irregularitate si quam censuris huiusmodi ligati, Missas & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium celebrando, aut alias diuinis se immiscendo, seu alias quomodolibet, etiam beneficia Ecclesiastica præmissorum occasione, vel alias indebite occupando, præterquam ratione homicidij voluntarij, & bigamiæ, contraxerit dispensare, eosque absoluere, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam siue notam ex his prouenientem abolere. Et vt in susceptis ordinibus ministrare, ac si acquisita beneficia Ecclesiastica, quæ ex tunc eis de nouo collocata censeantur, & perceptos ex eis fructus, etiam ratione omissionis horarum canonicarum & diuinorum officiorum, facta aliqua compositione cum eis concedere.

Facultatem dat eidē Commissario componendi super male ablatas incertis, vel praue quæsitis.

§. 9. Necnon super male ablatis incertis, vel per vsurariam prauitatem quæsitis, etiam certis, quæ fœnerator ab alio fœneratore extorsisset, & quæ ipse requisitus vsuras restituere paratus non esset.

§. 10. Vel alicui priuatæ Ecclesiæ deberentur, in quibus tamen Rom. Ecclesia de iure communi succedere posset.

Debitis Ecclesia, cui Romana succedet Ecclesiæ Restituendis, cuius persona ignoratur, vel dubia est.

§. 11. Vt etiam bonis quæ ad alicuius manus peruenissent, & illa habentes quibus restitui deberent ignorauerint, vel dubitauerint, quanquam male ablata per eos non existant, seu illa ad eos peruenerint.

Legatis, testis, vel personis incertis.

§. 12. Et similiter de his quæ pauperibus & aliis piis locis, in genere, & absque vlla speciali determinatione, & propriis nominibus personarum non expressis, relicta forent, tam pro præterito quam pro futuro temporibus, componere, ita vt soluta aliqua quantitate pro dicta Fabrica, eidem Nuntio vel Commissario, seu deputando vel subdelegando ab eo dumtaxat, in capsis ipsis ponenda, à reliquorum sic relictorum & male ablatorum, ac per vsurariam prauitatem extortorum, seu quæ

ad

ad eos alias peruenerint, & cui ea restituere debeant, dubitant, vel ignorant, vt præfertur restitutione absoluti existant, & vltra restituere minime teneantur, eis concedere.

In exactione ante publicationem bullæ, etiam Ordinarijs donatis, &c.

§. 13. Ac illa, quæ ante publicationem dictarum nostrarum indulgentiarum inexacta, etiamsi illa Ordinariis, pro ipsis tamen incertis quoquo modo, relicta, donata, & quæ eis quovis modo obuenerint, necnon quæ ac ipsis Ordinariis, vel eorum nomine post ipsam publicationem exacta, & eis quoquo modo soluta, ac etiam quæ ante ipsam publicationem pro ipsis incertis, aut incertis personis & locis, non debeantur, sed post publicationem prædictam deberi cœperunt, etiamsi ea Ordinariis, vt præmittitur, relicta, donata, aut obuenta, tanquam eis indebita per ipsum Commissarium, & delegandos ac subdelegandos ab ipso, nomine dictæ Fabricæ libere exigi ac experi, & assequi posse, & debere, etiam sub censuris Ecclesiasticis ac pœnis pecuniariis, aliisque iuris remediis opportunis; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Facultatem eidem Commissario concedit dispensandi in multis casibus.

§. 14. Ac quoscumque qui ante ætatem legitimam ad sacros etiam presbyteratus ordines, absque aliqua dispensatione se promoueri fecerunt, & in susceptis ordinibus, etiam ministrarunt, ac qui ex quavis licita aut illicita cognatione prouenientem affinitate & consanguinitate, aut cognatione, carnali vel spirituali, inter leuatum & leuantem, excepto simplici aut multiplici gradu, ac quoscumque, qui publicæ honestatis iustitiæ impedimento, seu alias quomodolibet impediti, matrimonium, scienter vel ignoranter, in quarto vel tertio, ac per copulam fornicariam, non tamen publicam, etiam in primo affinitatis gradu contraxissent, & carnali copula consummassent, si impedimentum huiusmodi in iudicium deductum non fuerit, vel scandalum generare non possit, ab excessu huiusmodi, ac excommunicationis sententia, quam propterea incurrissent, iniuncta inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, quæ ad fabricam huiusmodi dirigatur, & quod de cætero talia non committant, nec committentibus præstent auxilium, consilium, vel fauorem, & aliis quæ de iure fuerit iniungenda absoluere, & vt de nouo inuicem matrimonium contrahere, & in illo sic contracto similiter remanere, libere & licite valeant, prolem susceptam ex huiusmodi matrimonio si qua sit, & suscipiendam, legitimam decernendo, in foro conscientiæ duntaxat, quoad alios, quam quoad illos, qui in tertio vel quarto consanguinitatis gradu existente, matrimonium contraxerunt, vt præfertur, quos in vtroque foro absolui, & matrimonium de nouo etiam publice contrahere posse volumus; & cum eisdem promotis super irregularitate, quam etiam in dictis ordinibus ministrare possint, dispensare.

Componendique cum occupatoribus bonorum Ecclesiasticorum aut beneficiorum

§. 15. Ac cum quibuscumque qui bona Ecclesiarum, monasteriorum, & Ecclesiasticorum beneficiorum quorumlibet haberent, & iudicialiter deficientibus probationibus ad illorum restitutionem compelli non possent, etiamsi per eos probari posset.

Relictis pro male ablatis, vel pijs locis aut personis incertis vel ignoratis, vel bonis restituendis ei cui receptio non competit.

§. 16. Et bona omnia, ac quæcumque legata & alias quomodolibet, etiam hæreditatis titulo pro male ablatis restitut. relicta hactenus, & quæ relinqui & largiri contigerit in futurum, durante deputatione Nuncij & Commissarij per præsentes facta, in quibuscumque testamentis, donationibus causa mortis, codicillis, aut aliis vltimis voluntatibus per quoscumque, & vbicumque factis, & quæ durante huiusmodi deputatione fieri quibuscumque incertis Ecclesiis & piis locis aut personis similiter incertis vel absentibus, taliter quod propter ipsorum absentiam merita ab eis notitia haberi non posset. Ac etiam quæ restitutioni subiacerent, sed in eis vel ad ea personis quibus illæ fieri deberent, receptio non competeret.

Relictis pro Redemptione captiuorum vel propterea debitis.

§. 17. Necnon quæcumque in testamentis donationibus causa mortis, codicillis, aut aliis vltimis voluntatibus pro Redemptione captiuorum, etiamsi B. Mariæ de Mercede, & S. Trinitatis Redemptionis captiuorum Ordinibus, & Sanctæ Eulaliæ Barchinon. relicta fuerint, ac hæreditates & bona decedentium ab intestato clericorum & laïcorum, etiam indulto Apostolico, aut alias ad Redemptionem prædictam captiuorum dedicata pertinere deberent, facultate Nuntij & Commissarij concessa huiusmodi durante.

Rebus exponendis in conuiuijs, ac publicis spectaculis, tempore festiuitatum.

§. 18. Necnon omnes & singulas pecunias, & res alias quæ in prandiis & conuiuiis, ac publicis spectaculis, in aliquibus celebritatibus, ex voto, & statuto, seu consuetudine in quibusuis locis exponi consueuerint, & facultate Nuncij, & Commissarij huiusmodi durante exponi deberent, ad Fabricam huiusmodi applicamus, & sub restitutione bonorum Ecclesiarum, monasteriorum & beneficiorum huiusmodi, competenti recepta portione vel quantitate pro eis in Fabricam huiusmodi conuertendi, ipsos sic ea tenentes ab vlteriori eorum restitutione libere absoluere, & quod illa retinere libere possint in posterum eis etiam concedere.

Declarandi etiam dubietates circa præmissa exorientes.

§. 19. Ipseque Nuntius & Commissarius, & quibus vices suas, in genere vel in specie, duxerit committendum, possint dubietates quascumque, tam super qualitate personarum, quibus facultas eligendi confessorem concedi possit, etiamsi comprehendantur communia Ciuitatum, Vniuersitates, Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac Collegia, quæ & illorum singulares personæ absolutione à præmissis, vel aliquo præmissorum, ac dispensatione super eis, vel aliquo eorum indigerent, quam cætera alia dubia decidere, & summam pecuniariam pro consequenda indulgentia huiusmodi & aliis præmissis limitare & taxare.

Dandi facultatem eligēdi confessorem & suspendendi priuilegia locorum indulgentias.

Tu recordare quod hæc reuocata fuerunt, vt superius tibi indicaui.

§. 20. Ac facultatem eligendi confessorem huiusmodi concedere, Ac quascumque indulgentias, tam à nobis, quam à prædecessoribus nostris, & à Sede prædicta, vel eius auctoritate quibuscumque Ecclesiis Monasteriis, Hospitalibus etiam nostro S. Spiritus in Saxia de Vrbe, Ordinis S. Augustini, & aliis piis locis Vniuersitatibus, Confraternitatibus cuiuscumque qualitatis & ad quemcumque vsum, etiam laïcorum & clericorum institutis, & singularibus personis, etiam plenarias in vita, ac quascumque facultates quibusuis personis, cuiuscumque dignitatis, etiam Cardinalatus honore aut Legationis fungentibus super præmissis, vel aliquo præmissorum hactenus concessas, præterquam ratione sustentationum pauperum, & miserabilium personarum in Parisien. & S. Iacobi de Galitia, ac Portugalliæ Regnis hospitalibus degentium, quas quoad illorum vsum in prouinciis, in quibus dicta hospitalia respectiue sita sunt, secundum Cancellariæ nostræ morem terminandis, & non in aliquibus aliis locis durare volumus, ac expeditionia contra Turcas & Hæreticos concessis, etiam quascumque clausulas præseruatiuas aduersus reuocationes & suspensiones earundem in se continentes, quando & quoties, & ad quod tempus Nuntio & Commissario præfato, vel deputandis, vel subdelegandis ab eo videbitur opportunum suspendere; quas omnes & singulas nos præsentibus ad dictum beneplacitum nostrum suspendimus, & suspensas fore decernimus & declaramus. Prohibentes omnino quæstas quascumque illarum occasione fieri solitas.

Inhibitio contra quoscumque d. Commissarij perturbatores, & alijs quæstoribus licentiam licentiam dātes.

Ad hæc vide quæ suprà proximè tibi dixi.

§. 21. Ac mandantes vniuersis & singulis locorum ordinariis Abbatibus, & aliis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis, vel præeminentiæ, existant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ac quingentorum ducatorum auri Fabricæ prædictæ applicandorum pœnis, ipso facto incurrendis, ne publicationem & prædicationem dictarum nostrarum indulgentiarum, & suspensiones aliarum huiusmodi in eorum Ecclesiis, ciuitatibus, diœcesibus, vbi & quoties opus fuerit faciendam impedire, & aliquid prætextu publicationis petere, & etiam à sponte offerentibus recipere & exigere, aut in præmissis vel circa ea fraudem aut dolum committere, neque procurantes huiusmodi indulgentiarum participes fieri, & sua pia suffragia erogare ab huiusmodi eorum proposito, in toto vel in parte, directe vel indirecte, tacite vel expresse retardare, aut per se vel eorum vicarios vel officiales licentiam faciendi quæstas, aliquibus quæstoribus alicuius Ordinis, vel Religionis, aut fraternitatum, vel hospitalium, aut quomodolibet deputatis, verbo vel in scriptis concedere. Quinimo quæstores, omnes & singulos quos in eorum iurisdictione reperierint, cum eorum rebus & bonis quæ dictæ Fabricæ

applicata

applicata esse decernimus, & ad Cameram Apostolicã fideliter deferri mandamus, retinere valeant, nec modo aliquo audeant aut præsumant, per se vel aliũ, dispensatos, aut illos cum quibus præsentium vigore ab ipso Cõmissario, vel delegãdis aut subdelegãdis prædictis contigerit dispensari, molestare, vel impedire, aut pœnas aliquas pro casu in quo, vt præfertur, dispẽsatũ fuerit ex statuto, vel ex consuetudine exigere. Quæstoribus vero supra nominatis sub similibus pœnis inhibemus ne quæstas modo aliquo facere præsumant, neve bona ipsorum, per præfatum Commissarium, aut delegatos vel subdelegatos, etiam vigore aliarum literarum nostrarum eorum exigentibus demeritis arrestata: applicata & à prædicta Fabrica vendita, sibi modo aliquo vendicare, vel ad emptoribus vel detentoribus, aut Commissario delegatis vel subdelegatis prædictis repetere. Ac sub similibus sententia & pœna mandamus quibuscumque prædicatoribus verbi Dei, quorumcunque Ordinum, etiam mendicantium, vt requisiti à præfato Commissario, vel delegandis vel subdelegandis ab eo præfatos Christi fideles ad contribuendum dictæ Fabricæ exhortentur, & à præmissis Commissario, vel delegandis, aut subdelegandis præfatis admoniti, à prædicationibus, diebus quibus dictæ indulgentiæ & suspensiones ab ipsis, vel die ipsorum commissione publicantur, abstineant.

Facultas d. Commissarij alios subdelegandi, &c.

Reperto ad. vertenda esse, qua superius tibi indicaui.

§. 12. Liceatque nihilominus Commissario, & delegandis aut subdelegandis prædictis, præmissa omnia & singula, etiam omnibus & singulis prædictis sub eisdem pœnis, toties quoties eis, vel eorum alicui visum fuerit opportunum mandare & iniungere, nec non iuramenta quæcumque à quibusvis laicis vtriusque sexus, de stando in aliqua societate, fraternitate, vel numero personarum, & de soluendo ratam aliquam, in perpetuum vel ad tempus occasione fraternitatis, societatis, & numeri ratione dictarum indulgentiarum, priuilegiorum, & quæstarum quomodolibet præstita relaxare, & eosdem ab illis absoluere. Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris opportuna remedia, inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, compescere & compellere, & processiones publice ad effectum præmissum fieri, & populum pro huiusmodi operibus peragendis ad sonum campanæ conuocari facere, & à censuris & pœnis prædictis satisfactione præuia absoluere, & illas remittere, ac suspensiones huiusmodi indulgentiarum relaxare. Quodque etiam transumptis & confessionalibus in dictis prouinciis, insulis & finibus, quibusvis personis per præfatum Nuntium & Commissarium, vel deputandos aut subdelegandos ab eo subscriptis, & suo sigillo dumtaxat munitis fides adhibeatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium, licentiam & facultatem concedimus, atque volumus & mandamus.

Declaratio, quod prædictæ Indulgentiæ suffragentur animabus in purgatorio existentibus.

Recordare iterum quod, vt superius dixi, sunt reuocata.

§. 13. Et vt animarum saluti eo potius procuretur, quo magis aliorum egent suffragiis, & quo minus sibi ipsis proficere valeant, auctoritate præfata, de thesauro S. Matris Ecclesiæ animabus in purgatorio existentibus, quæ per charitatem ab hac luce Christo vnitæ decesserunt, & quæ dum viuerent sibi, vt huiusmodi indulgentia suffragaretur meruerunt, paterno compatientes affectu, quantum cum Deo possumus succurrere cupientes, de diuina misericordia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, volumus & concedimus, vt si qui parentes, amici, aut cæteri Christi fideles pietate commoti, pro ipsis animabus in purgatorio pro expiatione pœnarum eisdem secundum diuinam iustitiam debitarum tenentis, durante commissione Nuntij & Commissarij ad opus Fabricæ huiusmodi aliquam eleemosynam iuxta Nuntij & Commissarij, ac deputandi & subdelegandi ab eo quibus vices suas commiserint ordinationem, erogauerint, ipsa plenissima indulgentia, per modum suffragij animabus ipsis in purgatorio existentibus, pro quibus dictam eleemosynam pie erogauerint, vt præfertur, pro pœnarum relaxatione suffragetur. Ac omnes & singulos Christi fideles vtriusque sexus, tam Ecclesiastici quam regulares, & sæculares de similis potestatis plenitudine & liberalitate, qui manus adiutrices ad opus Fabricæ huiusmodi porrexerint, ac omnes & singulos eorundem parentes defunctos benefactores, qui cum charitate decesserint, in omnibus precibus, suffragiis, eleemosynis, ieiuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus & cæteris omnibus spiritualibus bonis quæ fiunt & fieri poterunt in tota vniuersali sacrosancta Ecclesia militante, & omnibus membris eiusdem, participes in perpetuum fiant.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, &c. Verum quia difficile foret, &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã, &c.

Si quis autem hoc attentare, &c.

Datum Romæ die vndecima Ianuarij, Pontificatus nostri Anno septimo.

Homicidæ & aliorum rei criminum, quorum pœna in Prouincia Marchiæ esset capitalis sanguinis, non audiantur, nisi prius in carceribus constituti. Et homicidæ attingentes annum XX. pro maioribus XXV. habeantur. XXIV.

Hæc bulla in prima eius parte, extensa est ad omnes causas, in quibus venit infligenda pœna corporis afflictiua, & tam ad condemnatos quam ad condemnandos in toto Statu Ecclesiastico, vt infr. in Pij IV. constit. 52. Et si cuncta; ac Pij V. constitut. 40. Licet alias. Quo vero ad secundam partem, fuit ampliata ad attingentes annum XV. vt in d. constit. Pij IV. quæ loquitur contra condemnatos in contumaciam. Et à Sixto V. pariter fuit extensa ad fautores bannitorum in sua constit. 6. Hoc nostri, vbi plene dicam.

IVLIVS EPISCOPVS, &c. Venerabili Fratri Antonio Flores Archiepiscopo Auenion. Prouinciæ nostræ Marchiæ Gubernatori. Venerabilis frater. Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1510.*

Causa huius constit.

Fide digna relatione nuper percepimus, multa homicidia ab octo præcipue annis citra, in ista nostra Prouincia Marchiæ Anconitanæ perpetrata ex eo presertim, quod ipsi tam atrocis criminis rei, per procuratores defendi solent, & plerumque subdolis cauillationibus absolui, quod etiam tam à nobis, quam ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus, per commentitias & minus veras narrationes, ac etiam sub prætextu obtentæ pacis, literas in forma Breuis per Cãcellariam, & absolutionem sententiarum, ac processuum desuper habitorum impetrauerunt. Quo exemplo plerique ad huiusmodi homicidia perpetranda procliuiores redduntur, adeo vt non tantum in priuatos, & inimicos homines, sed in fratres, & alios propinquos, Prætores, & Officiales populorum, & (quod non minus graue est) à sacerdotibus manus impias non abstinent.

Delati in prouincia Marchiæ de crimine cuius pœna sit capitalis, vel sanguinis non audiantur extra carcerem.

§. 1. Nos igitur, qui eandem nostram & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ peculiarem Prouinciam paterna charitate prosequimur, eiusdem quietem, & incrementum desiderantes; attendentes quod ex facilitate veniæ, frequentius huiusmodi homicidia committuntur, salutareque remedium his rebus adhibere volentes, Hac firma, stabili, incommutabili, perpetuoque duratura constitutione sancimus, & decernimus, vt nullus in causa criminali, ex qua capitalis, vel sanguinis, vel alia quævis grauior arbitrio iudicis pœna infligenda esset, maxime in causa homicidij, per procuratorem, excusatorem, defensorem, vel vt quemlibet de populo, quovis pacto admittatur; nec pater pro filio, nec Abbas pro Monacho, nec Prælatus aut dominus pro subdito, vel contra, audiatur, nisi reus se ipsum prius in carcere constituerit.

Et ex causa audiri semper

§. 2. Et si forte Iudex aliqua ratione inductus, ad excusandum rei huiusmodi absentiam vel innocentiam,

vel

ad carceres renocari possint.

vel aliam ob causam, aliquem ex prædictis dixerit admittendum, possit in quocumque iudicij statu, & instantia causæ, etiam ad conclusionem deductæ, ac etiamsi post sententiam reus supplicauit, & in carcere constitutos innocentiam suam patefacere vellet nisi forte extaret Statutum in loco, quod contumax habeatur pro confesso, quo casu non audiatur nisi ex liquidissimis probationibus constet Iudici, prætensum reum non commisisse maleficium, super quo habitus fuit pro confesso, in vim fictæ confessionis statutariæ huiusmodi criminis reum, aut conuentum, coram se ad comparendum personaliter vocare, & tanquam veritatis conscium in carceribus audire, quod si forte venire distulerit, processu, & sententia pro ipso reo lata & inde sequuta quæcumque etiam Fisco, vel parte non agente, nullius sint roboris aut momenti, prorsusque pro infectis habeantur, quinimo reus pœnis iuris, & constitutionum dictæ Prouinciæ, quemadmodum ante processum & sententiam huiusmodi erat, sit obnoxius; quacumque ipsius Prouinciæ consuetudine, quæ corruptela dici rectius potest, non obstan. quod ipsum volumus extendi ad causas criminales prædictas, tam in Curia Maceraten. quam in alias locorum Prouinciæ tribunalibus, in quacumque instantia, etiam per appellationem pendentes.

Gratiati de homicidio debent coram Præside comparere & gratias iustificare.
Ad hoc vide constit. Pij IV. 79 Nuper.

§. 3. Dictæ prætetea constitutioni, & sanctioni adiicimus, quod si quis, à nobis, vel Sede Apostolica, vel à Legato de latere pro tempore dictæ Prouinciæ, vel Camerario nostro, homicidij veniam, & remissionem, sententiarum & processuum desuper habitorum abolitionem, cancellationem, cassationem, in integrum restitutionem, seu in primum statum repositionem impetrauerit, etiamsi in literis super huiusmodi absolutione confectis, certæ scientiæ, & proprij motus, aut quævis aliæ insolitæ clausulæ fuerit; teneantur & debeant literas ipsas, Legato seu Gubernatori seu Locumtenen. seu Rectori vel cuicumque ipsius Prouinciæ Præsidi exhibere; illisque exhibitis, de earum veritate, vel subreptione docere: ipseque in carceribus, vel in alio loco pro carceribus assignan. vel Superioris arbitrio datis fideiussoribus, vocatis vocandis audiri, de veritate precum docere legitime, ac narrata in Breuibus, & literis ad gratiam obtinendam, & Principem leniendum, & facilius inducen. verificare & super subreptione, vel obreptione impetratæ gratiæ, in iudicio stare. Quibus non obseruatis, vel in probatione deficientibus, veniam, remissionem sententiarum, & processuum desuper habitorum abolitionem, & cancellationem, & cassationem, restitutionem in integrum, seu in pristinum repositionem, pro nullis, nulliusque stabilimenti habendas esse, reosque ipsius iuris, dictarumque constitutionum pœnis ad strictos remanere volumus, & mandamus, dictis obtentis gratiis, & Breuibus non obstan. Et non solum remissiones deinceps facien. sed etiam literas Apostolicas, in forma Breuis, aut alias iam obtentas, quæ nondum effectum cancellationis, & cassationis sortitæ fuerint, sub eadem forma & præsenti constitutione nostra pariter comprehendi.

Homicida attingens annum XX. habetur pro maiori.

§. 4. Statuimus insuper quod nec ætas minor annis 25. homicidas ipsos excuset, & homicida sic delinquens, qui 20. annum suæ ætatis attigerit, habeatur, & reputetur pro maiori in omnibus præmissis delictis. Nec propterea pœnis iuris & constitutionum, vel statutorum eximantur vel liberentur, nec apud Iudicem minoris ætatis huiusmodi consideratio alicuius sit momenti. Decernentes irritum, & inane quicquid contra præmissa, seu eorum aliquod attentabitur, vel quicquid, etiam à de latere Legato, seu quovis alio dictæ Prouinciæ Rectore, in derogationem, modificationem, vel quamlibet aliam dispensationem omnium & singulorum præmissorum, in posterum contigerit attentari, sine nostra expressa licentia, quæ in scriptis ostendi possit. Nec literas Apostolicas à nobis vel Sede Apostolica prædicta pro tempore conceden. contra præmissa aut eorum aliquod, cuiquam suffragari volumus, nisi per trinas literas interpellate emanatas, huic nostræ constitutioni in specie, de verbo ad verbum, & specialiter fuerit derogatum, illasque contra mentem nostram & dictæ Sedis fore concessas, ex nunc, prout ex tunc declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, & statutis, etiam comprehensis in volumine constitutionum, bon. mem. Ægidij Cardinalis Sabinen. dictæ Prouinciæ Legati, De procuratoribus etiam in criminali causa admitten, vel non à dicta Sede confirmatis, de quorum tenore, specifica, & indiuidua, specialis, ac de verbo ad verbum mentio habenda esset, cæterisque in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

Iussio publicandi hanc bullam.

§. 6. Postremo, vt huiusmodi nostræ constitutionis, decreti, & voluntatis nulla deinceps allegari possit ignorantia, volumus has nostras literas per totam ipsam Prouinciam publicari, easque inter alias ipsius Prouinciæ Constitutiones, locorumque statuta conscribi, & in earum Constitutionum volumine redigi, prout tibi vt ab ipsa publicari, conscribi, redigique facias, committimus, & mandamus; aliis legibus Apostolicis, & dictæ Prouinciæ constitutionibus, & sanctionibus contra homicidas, eorumque receptatores, & defensores editis, quibus nihil intendimus derogare, in suo robore permansuris.

Dat. P. An. 8. die 29. Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesimanona Decembris, millesimo quingentesimo decimo, Pontificatus nostri Anno octauo.

Anathematizatio hæreticorum, & aliorum contrauenientium contentis in ista cõstitutione, quæ Bulla in Cœna Domini nuncupatur. XXV.

Ad hæc vide aliorum Pontificum hac eadem die Cœnæ Domini editas bullas, quas indicabo in constitut. 63. Pauli V. & attende etiam notas ibi ponendas, huic quoque constitut. non incongruas.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1511.

Causa ob quã singulis annis, Romani Pontifices publice hæreticos excommunicant.

Consueuerunt Romani Pontifices prædecessores nostri, ad retinendam puritatem Religionis Christianæ, & ipsius vnitatem, quę in coniunctione membrorum ad vnum caput, Christum videlicet, eiusque Vicarium, principaliter consistit, & sanctam fidelium societatem ab offensione seruandam, arma iustitiæ per ministerium Apostolatus in præsenti celebritate exercere.

Excommunicatio omnium hæreticorum, ipsorumque fautorum.

§. 1. Nos igitur vetustum & solemnem hunc morem sequentes, excommunicamus & anathematizamus ex parte omnipotentis Dei Patris & Filij & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli, ac nostra, omnes hæreticos, Gazaros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passagenos, Vicleffitas, seu Vssitas, Fraticellos de Opinione nuncupatos, & quoscumque alios hæreticos quocumque nomine censeantur; ac omnes fautores, receptatores, & defensores eorundem.

Piratarũque Maritimorum.

§. 2. Item excommunicamus & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, Latrunculos maritimos, & alios, qui Mare nostrum, à Monte Argentario vsque ad Terracinam discurrere, & nauigantes in illo deprædari, mutilare, interficere, ac rebus eorum spoliare hactenus præsumpserunt, & præsumunt, ac omnes receptatores eorundem, ac eis auxilium dantes, consilium vel fauorem.

Pedagia noua imponentium, vel prohibita exigen.

§. 3. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes, qui in Terris suis noua pedagia imponunt, vel prohibita exigunt.

Falsificãtium literas Apostolicas.

§. 4. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes falsarios bullarum, seu literarum Apostolorũ, & supplicationum, gratiam vel iustitiam continentiũ, per summum Pontificem vel Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut officium Vicecancellarij S.R.E. de mandato eiusdem summi Pontif. signatarum; aut sub nomine

eiusdem

eiusdem summi Pontificis, seu Vicecancellarij, vel gerentium vices prædictorum signan. supplicationes easdem.

Arma & alia afferentes ad Christiani nominis inimicos.

§. 5. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina, & alia prohibita deferunt Saracenis, Turcis, & aliis Christi nominis inimicis, quibus Christianos impugnant.

Victualium delationes ad Urbem impedientium.

§. 6. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes victualia, seu alia ad vsum Rom. curiæ necessaria adducẽtes, vel ne ad Romanam Curiam ipsa adducantur, vel deferantur impediunt, seu perturbant, & qui talia faciunt, vel defendunt cuiuscumque Ordinis, præeminentiæ, conditionis & status, etiamsi Pontificali, Regali, Reginali, aut alia quavis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate.

Iurisdictionē in Curia vsurpantium, & degentes in ea offendentium.

§. 7. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, necnon omnes illos, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habent, in eadem Curia morantes, eos temeritate propria capiunt, spoliant, detinent, aut ex proposito deliberato verberare, mutilare, vel interficere præsumunt, & qui talia fieri faciunt, seu mandant.

Prælatos carcerantium & offendentium, eorumque mandatores.

§. 8. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes temere mutilantes, vulnerantes, interficientes, capientes, carcerantes, & detinentes, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, eorumque mandatores.

Recurrentes ad Romanam Curiam aut in ea litigantes offendentium.

§. 9. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium, seu alios, quascumque personas, Ecclesiasticas vel sæculares, ad Romanam Curiam super eorum causis & negotiis recurrentes, illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Aduocatos, vel Procuratores ipsorum, vel etiam Auditores, seu Iudices, super dictis causis, seu negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant.

Impedientes executionem literarū Apostolicarum.

§. 10. Ac illos, qui ne literis & mandatis Apostolicæ Sedis, & Legatorum, & Iudicum delegatorum eiusdem, gratiam vel iustitiam concernentes, decretisque super illis, & re iudicata, processibus & executorialibus, non habito prius eorum beneplacito, & assensu, ne pareatur; neve Tabelliones & Notarij literarum & processuum, executiones, instrumenta, vel acta confecta parti cuius interest tradere, sub grauissimis pœnis prohibere, statuere, seu mandare. Quive in animarum earundem periculum, se à nostra & Romani Pontificis pro tempore obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt. Quive iurisdictionem, seu fructus ad Ecclesiasticas personas pertinentes vsurpant, vel arripiunt, vel qui per se vel alium, seu alios directe vel indirecte prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status fuerint, etiamsi Pontificali, Regali, Reginali, vel quavis alia præfulgeant dignitate.

Romipetas & peregrinos impedientium.

§. 11. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes, mutilantes, vulnerantes, & interficientes, seu capientes & detinentes, seu deprædantes, Romipetas, & peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel recedentes ab ipsa, vel in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

Ciuitates S. R. E. aliave loca inuadentium.

§. 12. Item, excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se vel per alium, seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore occupant, detinent, vel hostiliter destruunt, seu inuadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumunt, in totum, vel in partem Almam Vrbem, regna Siciliæ, vel Trinacriæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, terras, citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venasinum, Sabinen. Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ & Maritimæ Prouincias, illorumque terras, & loca, & Terras specialis commissionis Arnulphorum, Bononien. Ferrariensis, Beneuentan. Perusij, Auenionen. Ciuitatis Castelli Tudertij, & alias Ciuitates, terras & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam spectantes & pertinentes, & adhærentes, ac fautores & defensores eorum, seu in his dantes eisdem auxilium, consilium, vel fauorem.

Derogatio quorumcūq. privilegiorum aut aliorum obstantium.

§. 13. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, & indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus vel specialibus, eis, vel eorum alicui; vel aliquibus, cuiuscumque ordinis, status, gradus, vel conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint, etiamsi vt præmittitur, Pontificali, Regali, Reginali, seu quavis alia Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, a prædicta Sede sub quavis forma vel tenore concessis, quod excommunicari, vel anathematizari non possit, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, ac Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitate eorum mentionem; necnon consuetudinibus, & obseruantiis, scriptis & non scriptis, & aliis contrariis quibuscumque, per quæ contra nostros processus huiusmodi, ac sententias, quominus includantur in eis se iuuare valeant, & tueri, & quæ, quoad hoc penitus tollimus, & omnino reuocamus. Et a quibus quidem sententiis, nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi dumtaxat in mortis articulo constitutus absolui possint; nec etiam tunc, nisi de stando S. R. E. mandatis, satisfactione, vel sufficienti cautione præstitis, etiam prætextu confessionalium, seu quorumvis facultatum, verbo, literis, aut quavis alia scriptura, etiam in quibus, quod sola signatura sufficeret concessæ, & quævis derogatoriæ, fortiores, & efficaciores, & insolitæ clausulæ apparerent, quibusvis personis cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status fuerint, etiamsi, vt præmittitur, Pontificali, Regali, Reginali, aut quavis alia præfulgeant dignitate, Religiosis, & sæcularibus vtriusque sexus. Capitulis, Collegiis, Conuentibus, Ordinibus, etiam Mendicantium & Militiarum, Hospitalibus, Confratribus, & Vniuersitatibus concessarum a nobis vel a prædicta Sede, & quas cõcedi quomodolibet contigerit in futurum; illos autem qui contra tenorem præsentibus talibus vel alicui eorum seu aliquibus absolutionis beneficium impendunt, de facto excommunicationis & anathematizationis sententia innodamus, eisque prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum, & audiendi confessiones, officia, interdicimus, prædicantes, & declarantes aperte, transgressoribus & contemptoribus prædictis non grauis contra eos spiritualiter & temporaliter, prout expedire cognouerimus processuros. Et nihilominus quicquid egerint absoluendo, alias nullius sint roboris vel momenti.

Forma & effectus publicationis in Vrbe.

§. 14. Vt autem huiusmodi nostri processus, ad communem omnium notitiam deducantur, chartas seu membranas processus continentes eosdem, in valuis Basilicarum Principis Apostolorum, & Ioannis Lateranensis de Vrbe, affigi, seu appendi faciemus, qui processus ipsos suo quasi sonoro præconio, & patulo iudicio publicabũt, vt hi quos processus huiusmodi contingunt, quod ad ipsos non peruenerint, aut ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam accusare, cum non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Et in cæteris aliis locis.

§. 15. Verum vt præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta, eo magis fiant notoria, quo in pluribusque Ciuitatibus & locis fuerint publicata, Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus per se vel alium seu alios, præsentes literas postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, saltem semel in anno, aut pluries, prout expedire viderint, in Ecclesiis suis, dum maior in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes deducant, & declarent.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1511. Kal. Martij, Pont. nostri Anno 8.

XXVI. Reintegratio Congregationis Monachorum S. Bernardi in Italia Ordinis Cisterciensis, ab Alex. VI. institutæ, in Prouinciis Hetruriæ & Lombardię, Regularis obseruantiæ, Ordinationesque circa electionem ac munus Prælatorum eiusdem Congregationis.

Quoad eiusmodi ordinationes, alias habes sanctiones Greg. XIII. & Six. V. indicatas supra in const. 7. Alex. VI. Plantatus, vbi plene notaui.

Edita An. D. 1511.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

EX paternæ charitatis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Congregationum & personarum præsertim Religiosarum, paci & concordiæ consuli possit, & ea quæ super his, pro concordia & pace eorum prouide facta fuisse dicuntur, ne in recidiuæ contentionis scrupulum relabantur, sed firma & illibata persistant, cum à nobis petitur, Apostolico munimine roboramus.

Refertur tenor constitut. Alex. VI. cit. in rubr. qua Congregationes Thusciæ & Lombardiæ vniuerat.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Abbatum Prælatorum & Conuentuum, & Monasteriorum Cisterciensis Ordinis Congregationis Lombardiæ, Regularis obseruantiæ, nobis nuper exhibita petitio continebat; Quod orta dudum inter ipsos ex vna, & Abbates, Prælatos & conuentus Monasteriorum dicti Ordinis Congregationis Thusciæ, etiam dictæ Regularis obseruantiæ, super eo, quod postquam fel. rec. Alexander Papa VI. prædecessor noster per quasdam suas lite   a umdem Thusciæ & Lombardiæ Prouinciarum, &c.

Omittitur residuum relationis bullæ Alex. VI. quia ipsam habes

Et quod idem Alex. d. vnionem reuocauit, & deinde eade vnio renouata fuit, vt in capitulis subsequ.

§. 2. Idem prædecessor ad supplicationem piæ mem. Pij Papæ III. etiam prædecessoris nostri, tunc in minoribus constituti, & S. Eustachij Diaconi Cardinalis, & Congregationis S. Bernardi in Italia, ac bonæ mem. Ioan. Baptistæ tit. SS. Ioannis & Pauli Presbyterorum Cardinalium, totius Ordinis eiusmodi Protectorum, nonnullis Monachis Congregationis Thusciæ procurantibus per alias suas literas priores literas prædictas, Thusciæ & Lombardiæ Prouinciarum & Congregationum vnionem, ac ex illis sic inuicem vnitis, Congregationem Monasteriorum & conuentuum dicti Ordinis Thusciæ & Lombardiæ Prouinciis existentium S. Bernardi in Italia huiusmodi creationem, necnon omnia & singula decreta, statuta, & ordinationes in illis contenta reuocauerat, & cassauerat, & annullauerat, ac viribus euacuauerat, ipsamque Congregationem S. Bernardi in Italia dissoluerat, & quamlibet earundem Cógregationum, quoad Monasteria loca, Monachos, & personas, priuilegia, & indulta quæcumque, etiam quoad Monasteriorum & locorum quorumlibet vniones eis respectè factas in pristinum & eum statum in quo ante vnionem huiusmodi quomodolibet existebãt, restituerat & reposuerat, ac plenarie reintegrauerat, in Romana Curia orta fuisset materia quęstionis, & coram certo causarum Palatij Apostolici Auditore, forsan aliquandiu pependisset, præfati Abbates & Prælati suadentibus venerabilibus fratribus Raphaële, Episcopo Portuen. Camerario, & totius Ordinis, ac dilecto filio Francisco Basilicæ XII. Apostolorum Presbytero Cardinali nostris, Congregationis S. Bernardi in Italia huiusmodi Protectoribus, pacem & concordiam inter eosdem Abbates, Prælatos & Conuentus vigere cupientes, ad infrascriptam deuenerunt concordiam videlicet.

Quod bulla Alex. VI. super d. vnione fit restituta.

§. 3. Quod causa ipsa à dicto Auditore aduocaretur, & lis huiusmodi penitus extingueretur, ac literæ reuocationis, creationis dictę Congregationis S. Bernardi in Italia annullarentur, ac priores literæ creationis Congregationis S. Bernardi huiusmodi in pristinum & eum statum in quo ante illarum reuocationem erant, restituerunt, cum infrascriptis tamen conditionibus, & declarationibus videlicet.

Quod Capitulum alternatis vicibus in Prouinciis Thusciæ & Lombardiæ celebretur, vt hic.

§. 4. Quod dictum Capitulum alternatis vicibus in dictis Prouinciis celebrari debeat, videlicet vno anno in vno Monasterio vnius Prouinciæ videlicet Thusciæ, alio vero anno in alio Monasterio videlicet Lumbardiæ, celebrari deberet. Et Præsidentes Capituli, illius Prouinciæ in qua celebraretur Capitulum esse non posset, & duo scrutatores & septem Definitores ex vnaquaque Prouincia, per Prelatos & Visitatores iam absolutos, & Discretis vniuscuiusque dictarum Prouinciarum separatim eligi, ipsique quatuordecim Definitores sic electi totam Congregationem S. Bernardi Italiæ huiusmodi repræsentarent, & gesta ac terminata per duas partes omnium Definitorum firma & valida essent, ac si per omnes facta & gesta fuissent.

Quod electio Prælatorũ fiat iuxta formam hic traditam. Ad hoc vide etiam Gregor. XIII. constit. 45. Romanum.

§. 5. Electiones vero Prælatorum & Visitatorum vniuscuiuscumque Prouinciæ, quæ per duas partes ex tribus omnium Definitorum illius Prouinciæ, cuius Prælatos electus fuerit, validæ existant. Ac quod Discreti illi dumtaxat qui sacerdotes essent per sortem eligere possent, præterquam in proximo futuro Capitulo, in quo vnaquæque Prouincia in electione Discretorum huiusmodi, siue per electionem, siue per sortem, suas ordinationes quoad modum illos eligendi, dumtaxat seruara, & ad futurum Capitulum huiusmodi habentes vocem Capitulo tanquam Prælati hac vice dumtaxat accedere possint.

Quod præsidens Capituli alternatim ex dd. Prouinciis eligatur.

§. 6. Quodque vnus præsidens Capituli, & anni alternatis vicibus ex dictis Prouinciis, videlicet vno anno de vna, & alio de alia Prouincia huiusmodi eligi, per duas saltem partes omnium quatuordecim Definitorum huiusmodi.

Latius vide in d. constit. Gregor. XIII. Quod Visitatorum electio eorumq; munus fit.

Hoc vide in Greg. constit. præcit. §. 3. & sequ.

§. 7. Duo vero Visitatores ex vnaquaque Prouincia eligi qui Monasteria Monachorum Congregationis visitare deberent, hoc modo videlicet. Visitator Prouinciæ Thusciæ dignitate vel professione maior, cum iuniori Prouinciæ Lombardiæ illius, & maior Visitator Prouinciæ Lombardiæ, cum iuniore Visitatore Prouinciæ Thusciæ illius Monasteria visitare.

Monialium visitatio spectat ad eorum Prouinciæ Visitatores.

Hoc dispoñit etiam Gregor. XIII. ibidem §. 22. Sed postea curã Monialium huic Congregationi abstulit ius aliis iure commisit. quã praetermisi vt ii hoc solum continentem.

§. 8. Monialium vetò Monasteria per Visitatores Congregationis Prouinciæ cuius illa fuerint, visitare, & tam illa quam Monachorum Monasteria, quæ de præsenti reguntur, per quamlibet Congregationum prædictarum etiamsi literæ Apostolicæ super illis adhuc obtentæ non fuerint, perpetuo per Monachos expresse dictum Ordinem professos, & Moniales professas, illius Congregationis cuius illa existerent regebantur, & gubernabantur, in futurum similiter regi deberent.

Quod Priores hic enunciati in Capitulo vocẽ habeant. Vide d. const. Greg. XIII.

§. 9. Et quia nonnulli S.R.E. Cardinales & alij Clerici sæculares Monasteria etiam aliorum Ordinum in commendam obtinentes, Monachos dictarum Congregationum in eorum Monasteriis vt ibidem perpetuo remaneant, & diuina officia celebrent, certam partem fructuum suorum Monasteriorum, pro eorum sustentatione assignando introduxerant, & cum eisdem Monachis certas conuentiones fecerant, & super aliquorum præmissorum confirmatione literæ à Sede præfata adhuc obtentæ non fuerunt, quod tam Priores prædicti in eorum Monasteriis, iuxta conuentiones huiusmodi existentes, etiamsi dictæ literæ confirmationum obtentæ non sint quam Cistelli & Bonisolatij Monasteriorum membra dicto Monasterio Septimi existentium Priores, licet non sint Prælati, ad Capitulum vnà cum illorum Discreto accedere, ac in electionibus vocem, vnà cum aliis Prælatis & Discretia aliorum Monasteriorum habere deberent, ac si ipsi Priores Prælati essent.

Quod professi de vna ad aliam Prouinciam nõ transeant.

§. 10. Quodque Monachus in vna dictarum Prouinciarum professus, ad aliam dicti Ordinis Prouinciam transmitti non posset, nisi forsan ob eius demerita, vel ob gratiam, & ad instantiam petenti.

Approbat idẽ Greg. XIII. Quod Monasteria reformanda regãtur per Monachos sua Prouincia

§. 11. Monasteria quæ in posterum reformari contingeret ac illius Prouinciæ cuius dicti Septimi & Claræuallis Monasteria respectiue existunt, secundum quod illorum alteri magis propinqua essent, & super illius Congregationis Prouinciæ Monachos regi & gubernari deberent.

Hoc idem resfuat ipse Greg. XIII. cõ notatus inc. 23.

§. 12. Et si contingeret per hunc Præsidentem ad quem vnà cum Visitatoribus, Prælatorum, & aliorum Officialium principalium electio, & Monachorum deputatio, ac illorum Monasteriorum receptio & acceptatio,

an

Quæ sit auctoritas Præsidenti, circa electiones & priuationes Monachorum &c.

Ad hoc vide d. const. Greg. XIII.

an Prælatorum & Visitatorum priuatio pertinet, quod infra annum aliqua electio seu deputatio, aut receptio vel priuatio fieri deberet, quod Præsidens & Visitatores tunc in Prouincia Thusciæ, præmissa seu aliquid præmissorum sine tunc Abbatis Septimi interuentu etiamsi ex Visitatoribus prædictis non existat, & si tunc Præsidens vnus ex Visitatoribus, huiusmodi esset, absque Abbatis Monasterij S. Bartholomæi Ferratien. dicti Ordinis interuentu, id facere & expedire non posset. Et è contra Præsidens pro tempore vnà cum Visitatoribus prædictis, omnia & singula quæ infra annum in Prouincia Lombardiæ fieri deberent, per ipsum tunc Præsidentem, & etiam vnà cum Visitatoribus prædictis, & absque dicti Abbatis Monasterij Claræuallis tunc existentis, etiam quod ex dictis Visitatoribus non esset, & si forsan Præsidens seu aliter ex Visitatoribus huiusmodi esset, sine Abbatis Monasterij, S. Ambrosij Mediolanensis eiusdem Ordinis assensu, seu interuentu fieri non possent, ex tunc saltem duæ ex tribus eorundem partes, præmissa expedire deberent. Et quod tunc in locum alterius electus siue subrogatus ex eadem Congregatione in cuius locum eligeretur, esse deberet. Si vero Præsidentis electio vel priuatio, aut desuper literarum Apostolicarum totam Congregationem concernens impetratio infra annum fieri deberet, illa per tunc Visitatores, vnà cum Septimi & Claræuallis huiusmodi Abbatibus expediri possent & deberent. Ac Procuratores seu Promotores in dicta Curia Romana nomine dictæ Congregationis pro tempore existentes, ad Capitulum personaliter accedere, & in illo vocem haberet, ac si Prælati essent, si id per Definitores esset ordinatum.

Quod priuilegia etiã vni Congregationi concessa, alteri fiant, communia.

§. 13. Quodque priuilegia quæ post huiusmodi Congregationum separationem earum alteri sub particulari expressione per Sedem Apostolicam concessa forent, vtrique etiam Congregationi redintegrata suffragari deberent, in omnibus & per omnia, ac si eidem Congregationi redintegratæ, sic à principio concessa fuissent illis omnibus gaudere deberent.

Approbat Gregor. XIII. iam citatus.

Quod literæ extra præmissa obtentæ nul. la sint, vnà cum censuris iam in vnione inflictis, contra exprimentes votum suũ in electione, &c.

§. 14. Quodve literæ Apostolicæ tam dissolutionis dictarum Congregationum, quam alias per quamlibet ex dictis Congregationibus contra præmissa, seu præmissorum aliquod, aut alias in præiudicium dictæ Congregationis S. Bernardi in Italia hactenus impetratæ, quam etiam literæ prioris vnionis (quo tamen ad dictas censuras contra exprimentes votum suum in Præsidentium, Definitorum & aliorum Prælatorum electione dumtaxat inflictas illis alias in reliquis saluis præmissis modificationibus in suo robore permansuris) essent nullæ irritæ & cassæ & nullius roboris vel momenti & haberentur prorsus pro infectis. Et si aliqua in futurum de nouo emergerent inter partes & Congregationes prædictas, semper æqualitas seruaretur, & de similibus ad similia, prout in aliis Capitulis supradictis, procederetur.

Congregationes prædictæ supplicarunt pro dictorum Capitulorum vnionis confirmatione.

§. 15. Quare pro parte Abbatum, Prælatorum, & Conuentuum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt præmissis omnibus per eos ad prædictorum Prælatorum persuasionem, factis & gestis, pro morum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adiicere, ac alias super his opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ideo hic Pontifex ea confirmat.

§. 16. Nos igitur qui inter personas quaslibet Ecclesiasticas, præsertim sub Regulari obseruantia degentes, pacem & tranquillitatem vigere sinceris exoptamus affectibus, Abbates, Prælatos & Conuentus prædictos, ac eorum singulos, à quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis & pœnis à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, ac causam huiusmodi ad hos harum serie aduocantes, & litem ipsam penitus extinguentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam prædictam, ac prout illam concernunt, omnia supradicta, præterquam introductionem & assignationem fructuum pro mensa eorundem Monachorum quatenus alias auctoritate Apostolica approbata non fuerint, & inde secuta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac omnes & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem supplemus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adiicimus, illaque inuiolabiliter obseruari debere decernimus.

§. 17. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac statutis & consuetudinibus, Monasterij, Ordinis, ac Congregationis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. *Contrariis derogat.*

Nulli ergo, &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1511. Nono Kal. April. Pont. nostri anno octauo. *Dat. P. An. 8. die 24. Mart.*

XXVII. Indictio Sacri Oecumenici Concilij Lateranensis Quinti pro die 19. mensis Aprilis Anni 1512. Et damnatio Conciliabuli Pisani.

Concilium istud Lateranense (quod ad diem 5. Maij prorogatum fuit ab istomet Pontifice) absoluit, & confirmauit Leo X. vt infra eius const. 17. Constituti. Damnationem vero specialem d. Conciliabuli Pisani, edidit hic Pont. infra in const. 33. Cum inchoatam, vbi singula in hac bulla contenta iterato approbauit.

IVLIVS EPISCOPVS, *Edita An. D. 1511.*

Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SAcrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Martyrum sanguine consecratæ, Magistræ fidei, veritatis alumnæ, omnium errorum expertis, vnicæ & immaculatæ, diuina institutione, Sanctorum auctoritatibus, Conciliorum Canonumque omnium testimonio, Ecclesiarum cunctarum Primatum tenentis, fidelium Matris, regimini superna dispositione præsidentes, circa Religionis Christianæ puritatem, ipsiusque vnitatem, pacem, & tranquillitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput CHRISTVM videlicet, cuius vices in terris gerimus, principaliter tendit, diuisionem ouilis nostri ex alto commissi, in illoque schisma, per quod Ecclesia scindi & scandalizari, gregisque dominicus nobis crediti turbari quoquo modo possit, quantum cum Deo possumus, prohibentes, ac damna & scandala, quæ exinde euenire possent, eneruantes, ac palmites futuros infructuosos succidere, & quoscumque aliter quam per ostium ad ouile ingredi cupientes, ac à via Domini, postquam illam semel cognouerant, retrocedentes, ad semitam veritatis reducere, vulpeculasque ex vinea eiusdem Domini, per ministerium summi Apostolatus etiam expellere desiderantes, de opportunæ prouisionis remedio prouidemus, aliaque ordinamus & mandamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Hic Pont. Bononiam profectus pro recuperandis nonnullis terris S. R. E. sed quidam Cardinales ab eo discedunt, & Florentiã primo, ac deinde Papiam se conferunt.

§. 1. Sane non sine graui animi nostri molestia percepimus, quod quidam S. R. E. Cardinales, qui nobiscum dum versus ciuitatem nostram Bononien. pro recuperatione nonnullarum terrarum S. R. E. etiam cum nostra Curia personaliter accederemus, pro recuperandis terris huiusmodi, venire simulauerant, ex nostra licentia ab Vrbe recedentes, Florentiam diuerterunt, ibique se continuerunt, etiam postquam nos eos per dilectum filium nostrum Franciscum tituli S. Clementis Presbyterum Cardinalem tunc in minoribus constitutum, Episcopum Concordien. Datarium nostrum, ac per literas nostras ad nos tunc Bononiæ existentes vocari feceramus, licet se venturos obtulissent, nihilominus satore zizaniæ seminante, per quem morum subuersio in Clero & Populo frequenter obrepit, tanquam membra insana, sine causa legitima à suo capite recedentes, armis, satellitibusque stipati, imo in seipsis armis assumptis, & pro

sacerdotalibus vestibus thoracem induti, & gladiis armati, Papiam se contulerunt.

Et sine ipso Pontifice, Concilium generale praetextibus hic expressis conuocarunt.

§. 2. Quo cum peruenissent, stimulo conscientiae, vt credimus, agitati, per internuntios, perque Regiorum Oratorum intercessiones, reditum ad nos postularunt, & pro delictis veniam supplicarunt, quam benigne obtulimus. Sed ipsi qui nobis ex officio tanquam Consultores assistere, neque sine licentia à nobis, & nostra Curia, veluti corporis membra abesse debuissent, ausi tamen sunt, os in caelum, ac spiritum blasphemiae, & cum Lucifero Sedem ad Aquilonem ponere, altitudinem nubium transcendere, vt se similes Altissimo constituant, Pontificalem auctoritatē nostram sibi ipsis adscribere satagentes, conuenientes vt locustae acephali, aggressi sunt sine Romani Pontificis auctoritate Oecumenicum generale, atque vniuersale Concilium conuocare, locum Concilij, & tempus indicere, & valuis Ecclesiarū, ac aliis publicis locis per publicata instrumenta etiam falsa, indictionem huiusmodi affigere & publicare, eisdemque instrumentis falsis, publice atque impudenter vti, quosdam S.R.E. Cardinales sui propositi socios, in eorum praetenso edicto falso declarando, qui tamen & publicis & priuatis scripturis, eorum propriis manibus scriptis, se illis in huiusmodi proposito, neque verbo neque scripto vnquam iunxisse, seu quomodolibet consensisse protestati sunt, nosque ac venerabiles fratres nostros eiusdem S.R.E. Cardinales, ac alios* tunc expressos vocare & requirere, vt per nos vel alios ad huiusmodi eorum Concilium accedere vellemus non formidarunt, asserentes decennium post vltimum vniuersale Concilium, etiam contra constitutionem Concilij Constantien. quae incipit, Frequens, iam dudum effluxisse, & nos illud conuocare neglexisse, maxime cum iurauissemus, & voluissemus illud post biennium à creatione nostra tenere, tempusque pro homine interpellare, neque credendū fore nostra auctoritate & voluntate Concilium futurum, & cum de grauibus criminibus notoriis duranti bus, vniuersalem Ecclesiam scandalizantibus, in capite agendum foret, ad Summum Pontif. Concilij congregationem non attinere, sed secundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhaeserunt, conuocationem Concilij spectare. Ac vt huiusmodi eorum conuocationem & conuenticulum honestare viderentur, eique auctoritatem adijcere, hoc idem fere per omnia per quosdam assertos procuratores clarissimorum in Christo filiorum nostrorum Maximiliani Romanorum imperatoris electi, & Ludouici Francorum Regis Christianissimi Principem, sub eisdem datis, modo & forma, & similibus schedulis, praeter tamen voluntatem, & mentem dictorum Principum, vt rationabiliter credi debet, fieri & publicari procurauerint, & ordinauerint.

Verum tamen hic praetextus falsi ostenduntur.

§. 3. Sed haec vt falsa, ficta, commentitiaque sunt, & non ex zelo charitatis, & religionis, sed odij fomite & inimicitiae procedentia, ita omnibus Principibus, necnon Christi fidelibus cupimus nota fieri, quis enim tanti erroris particeps est, qui nos de negligentia erga conuocationem Concilij redarguere possit; cum nihil nobis per vltimos vndecim annos, quibus Cardinalatus officio functi sumus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre generale Concilium, & Ecclesiae Romanae Statum in melius reformari. Quid enim fel. record. Alexandro Sexto Romano Pontifici praedecessori nostro, magis nos odiosos fecit, nisi studium, & cura generalis Concilij celebrandi? Quid nos terra, marique iactauit, cum nobis idem Alexander praedecessor esset infensus? Quid toties alpes transcendere, transalpinas Gallias peragrare per aestus, niues, & glacies compulit, nisi quod nitebamur, vt à Romano Pontifice Concilium indiceretur, conuocaretur & celebraretur? Nota recensemus, & Principibus Christianis apertissima, imo illis ipsis, qui nos, & Fratrum nostrorum Collegium criminantur, dudum plenèque comperta. Quare si anteactae vitae ratio, apud prudentes, de praesenti & futuro vitae rationē facit, nulla subest ratio, cur dicti Cardinales, qui à nobis recesserunt, desperent nos facturos, quod tam longo tempore, tam ardenter, & non sine vitae discrimine, fieri desiderauimus & studuimus. Aperiant oculos cordis, & odij obstacula resecent, & cogitent, qua voce, quibus oculis, qua facie promiserimus, vt dicunt in nostra ad Pontificatum assumptione, iurauerimus & vouerimus, generale celebrare Concilium, quoniam nostrae promissioni interfuerunt. Certe palpabunt nos non sola voce, non simulate, sed in cordis simplici veritate id egisse, quod praedicant: Quod si ea quae diximus attendere nolunt, examinent & inspiciant omne studium in Pontificatu nostro circa praemissa. Nonne omnes Principes Christianos, qui ad obedientiam ex more praestandam miserunt Oratores, admonuimus de celebrando generali Concilio, deque expeditione in perfidos Turcas conciliariter decernenda, assumenda, & prosequenda? Nonne primo Pontificatus nostri toto biennio, Christianos potentatus pacare studuimus, vt conciliatis animis, Concilium iniretur? Quid vltra facere debuimus, aut potuimus, ad restituendam Ecclesiae pacem, quod omiserimus? Nouit ipse Cardinalis, qui edicti seu indictionis huiusmodi, & contentorum in ea, se aurigam profitetur, & * clani moderatorem praedicat, quidnam è nobis habuerit in mandatis, cum ad Romanorum Imperatorem electum, per vniuersalem Germaniam, illum nostrum & sanctae Sedis Apostolicae Legatum misimus. Communicet illa fratribus suis, qui cum illo sentire videntur, proferat monita in scriptis illi tradita, certo certius, & luce meridiana clarius erit, hanc indictionis desperationem de celebrando à nobis Concilio, nedum leuem, & inanem, sed falsam, irrationabilem, impossibilemque fuisse. Nulla nostra culpa, neque S.R.E. Cardinalium dilata est generalis Concilij indictio, conuocatio, & celebratio. Distulit haec infelicitas temporum, quae sub eodem Alexandro praedecessore nostro cepit Italiam, & adhuc vexare non cessat, & instans necessitas recuperandi terras, & iura eiusdem Romanae Ecclesiae. Nam propositum nostrum semper ad Concilij celebrationem promptissimum, atque intentissimum fuit. Quare spiritum diffidentiae deponant, & ita huiusmodi calumniae auctores, tenerè si ad eos mordere desinant parentem & patrem animarum suarum. Desinant etiam calumniari fratres suos, eiusdem Romanae Ecclesiae Cardinales.

* *Clauium.*

Indictio generalium Conciliorum ad Romanum tantummodo Pont. vere spectat.

§. 4. Quod si tam ardenter illis cordi est, se caput, & auctores generalis Concilij constituere, quod ad hanc rem facto opus sit, prius discant. Reuoluant Sanctorum Patrum, & Romanorum vitas Pontificum, & antiquum morem indicendi, & conuocandi & celebrandi Concilium, traditiones & leges super his editas à Patribus inspiciant, videbunt huiusmodi Concilia à solis Rom. Pontificibus esse indicta, & aliter indicta rata non fuisse.

Constitutio Concilij Constantiensis, nō obligante, stantibus Papa legitimis impedimentis.

§. 5. Quod verò attinet ad constitutionem Concilij Constantien. quae incipit. Frequens huiusmodi, ea ad octoginta annos seruata non fuit, & si seruata fuit, teste piae mem. Eugenio Papa IV. etiam praedecessore nostro, ac sacrorum Canonum sanctionibus, ex causis praedictis eam licuit nobis transgredi, & quod fortius est, stante legitimo impedimento de quo suprà, eam locum non habere, certo certius est.

Et nec votum nec iuramentum.

§. 6. Votum autem, & iuramentum, quod ex praedictis causis de iure nobis transgredi licuisset, transgressi non sumus, quandoquidem legitimo impedimento detenti, non potuimus obseruare, & quia votum & iuramentum quantum ad hanc materiam attinet, in foro conscientiae versantur, de aequitate Canonica purgatio morae semper admittitur.

Negligentia quae hanc Papae, ne cure praetenditur.

§. 7. Desinant nobis & fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus negligentiam impingere, quae, vt praemittitur, nulla fuit, & si qua fuisset, ipsis cum Alexandro praedecessore praefato nobiscum manentibus, multo magis imputari posset.

Maledicta turpiaque in eum proferuntur.

§. 8. Quid autem docēres iuxta Prophetas linguas suas loqui mendacium, & contra diuinum praeceptum aduersus Principem populi sui maledicentes, confingunt in nos crimina, & ea quidem, vt asserunt, durantia, grauissima, notoria, scandalizantiaque vniuersalem Ecclesiam, dicuntque propterea, negligentibus aliis S.R.E. Cardinalibus, ad eos deuolutam Concilij congregandi facultatem, nō miramur, quoniam teste Hieronymo, schismatici, cum dubitant causas damnari, in contumelias prosiliunt.

§. 9. Dicant

Ad ipsum etenim spectat conuocare generale Concilium quamvis de eius causa agatur.

§. 9. Dicant prædicti, omnioe tantum Cardinales, Dathan, & Abiron, Acaciumque & Dioscorum repræsentantes, tenebrarum filij, numquid Summo Pontifici spectet & pertineat congregare Concilium, etiamsi de sua causa agatur? Legant vitta antiquos, gesta Constantien. Concilij, in quibus se potissimum fundant, vt ex eis, tanquam Iudæi ex proprijs Codicibus confundantur, reperient Ioannem XXIII. de cuius potissimum causa agebatur, Concilium Constantiense huiusmodi indixisse.

Ad supradictosque Cardinales nullo pacto hæc potestas deuoluta fuit.

§. 10. Cum ergo Concilium prædictum congregare parati simus, satis constat dolosas eorum linguas locutas fuisse mendacium. Sed si hæc omnia cessarent, stantibus impedimentis prædictis, in qua negligentia dici possunt esse fratres nostri S.R.E. Cardinales huiusmodi, non requisiti ad Concilium congregandum, ita vt ad paucissimos Roman. Pontificum, culpa, ambitioneque infensos, schismaticos, ac extra domum Dei positos, potuerit potestas vniuersalis Ecclesiæ deuolui, imo potius ab eis vsurpari.

Nec terminus ab eis assignatus accedendi ad Concilium, competens duodecim potest.

§. 11. Adiiciamus ergo nunc huiusmodi potestatis abusum ostendere trium mensium, & quatuordecim dierum ab eis tempus, in suo, vt voluit, edicto seu conuocatione assignatum, & ad œcumenicum Concilium congregandum, hoc tam breui temporis spatio poterit nationibus Christianis à Mediolano remotissimis, legitime innotuisse? Poterunt ne si innotuisset in termino, diœcesanas, & metropolitanas Synodos conuocare, celebrare, & perficere? poterunt ne qui venturi decernerentur ad tantum iter necessaria conquisiuisse: Poterunt Principes, accedere volentes, populis sibi subditis, & statui sui securitati bene consuluisse: Poterunt quos mittere decreuerint Procuratores, aut Oratores, plene informatos mittere? Vix cursor expeditus, trium mensium, & semispatio ire, & redire posset, sine satanis. Vnde, & quo, ipsi graues viros, & multa secum impedimenta trahentes, sine quibus venire non possunt, putant, immo decernunt, accedere posse, & oportere? Quare si nihil aliud indictionem Concilij, quam attentarunt in tempore præfixo, accedendi impossibilitas ipsa penitus eneruat.

Nec ciuitas Pisarum, locus commodus Concilij generalis cogendi esse dignoscitur.

§. 12. Sed si possibile fuerit, & aliqua ratione decretum, hoc ipsum Concilij tempus, loci ratio indictionem ipsam nullam facit, locus Concilij commodus esse debet & tutus. Quis ignorat, quod dolenter dicimus, Vrbem Pisas, prope quatuordecim annos continuos obsessam durissime fuisse, & ad eam desolationem bello redactam, vt rarissime domus integris parietibus in illa consistat, & ferè nullæ sint, quæ contignationibus, & solariis muniantur? Habitarent ne ibi S.R.E. Card. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Principes seculares, vel Oratores eorum, Communitatum item nuntij? Habitarent ne Doctores celeberrimi, tam diuini iuris quam humani, ruinosas domos, ciuitatemque penitus desolatam, pro celebrando œcumenico Concilio? Nunquam talibus in locis scriptum est Concilium generale fuisse celebratum. Reuoluantur omnes Conciliorum œcumenicorum historiæ, apparebit patribus nostris, sanctis sane & prudentibus viris pro celebrando Concilio, ante omnia cordi fuisse, eligere ciuitatem amplam, ædificiis accō nodatam, salubris aëris, fertilis soli, conuehendis commeatibus facilem, quæ omnia si Pisis adesse quispiam affirmauerit, ruinæ ciuitatis, ædificiorum rudera, villarum & vinearum euersiones redarguent sic dicentem.

Neque tutus.

§. 13. Hæc tamen si Pisis essent integra, vt non sunt, neque affirmari possunt sine impudentia, quomodo est ad Pisas tutus accessus, vel in ea mansio, cum omnis Thuscia arma nunc tractet, & nos pro pastorali, quod gerimus officio, nil magis premat, quam Florentinos & Senenses, inter quos fremit bellum, ne se armis inuicem impetant, continere? Fidem de re hac facere possunt plerique Christiani Principes, a nobis sæpius, & instantius requisiti, suam per literas, & nuntios, auctoritatem, & gratiam interponere, vt si inter se hi populi pacem habere noluerint, per inducias saltem ab armis abstineant.

Et sic indictio prædicti Concilij à Cardinalibus à se dicto præfixus pro eo nulla.

§. 14. Igitur cum ex præmissis, & aliis etiam notissimis causis, accessus ad Pisas, vel ibi mansio secura habenda verisimiliter credi non possint, cum ciuitas ipsa desolatione, habitationibus pro Concilio non sit fulta, cum ager vastitate sit desolatus; cum tempus in edicto, seu indictione præfixum sufficere non possit, & terminus assignatus ab illis tempori pro generali Concilio celebrando dari solito non respondeat, cum insuper indicentes nulla sint auctoritate suffulti, si quam habere possent, illa vt decuit, & fieri oportuit, imo debuit, non sint vsi, cum edictum ipsum, seu conuocatio de falsitate se conuincat.

Hic tradit Pontifex prædictam Concilij Pisani indictionem damnat et reprobat. Quam mox iterum damnauit in conc. Lat. sess. 3. Card.

§. 15. Nos considerantes, quanta cum difficultate, & temporis diuturnitate, prædecessores nostri præfati, in eorum Conciliis celebratis, priscas hæreses, & schismata, etiam aliquando imperiali maiestate adiuuante sustulerunt, quodque illa in totum extinguere nequiuerunt, cum eorum aliqua, (quod dolentes referimus) vsque ad hodiernum diem in sua pertinacia perdurent quamque calamitosa fuerint Prælatis, & omnibus Christifidelibus schismatum tempora, supradicta omnia tanquam perniciosissima schismatum, atque errorum seminaria, quæ aliquandiu conniuentibus oculis tolerauimus, expectantes eorum ad cor reuersionem, ob Christi caritatem, zelumque domus suæ, dissimulare vlterius non valemus, timentes nobis improperari illud Hieremiæ; Non * ascendistis ex aduerso, neque opposuistis vos murum, pro domo Israël, Verentes etiam ne figmenta, errore que prædicti, Christifidelium minus eruditorum mentes aliquo infidelitatis laqueo inuoluant, apud quos sæpè, vt inquit Origenes in Cantica, pulchriora videntur mendaciorum sophismata, quam documenta veritatis. Et ne error cui non resistitur, approbari videatur, & veritas Deique causa, & iura indefensa opprimantur, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem sanctæ R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorumdem Cardinalium consilio, & vnanimi consensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictas indictionem, conuocationem, & publicationem assertas, schismaticæ conuenticulæ, synagogæ Satanæ, & Ecclesiæ malignantium per Dathan, & Abiron auctore schismatum, eorumque socios, & alias supradictas, procuratorio nomine dictorū charissimorum filiorum nostrorum Maximiliani Imperatoris Romanorum electi, & Ludouici Francorum Regis Christianissimi, illustrium Principum, factas, indictas, & publicatas, omniaque & singula in eis, & quælibet earum contenta & inde secuta quæcumque, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro sufficienter expressis & insertis haberi volumus, tanquam à non habentibus facultatem, & ex minus legitimis causis, ac incongruis terminis, & loco, nulla, irrita & inania, non legitime, ad sciendum, & scandalizandum vniuersalis Ecclesiæ vnitatem facta, ne cancerosus morbus inualescat, reprobamus, reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, reuocataque irrita, cassa, reprobata, & annullata haberi volumus, ac prout sunt, nullius roboris vel momenti fuisse, & esse decernimus & declaramus.

Conciliabulo que prædicti, vel alterius auctoris complices & fautores pœnis alligat.

§. 16. Districtius sub excommunicationis, anathematis, & maledictionis æternæ, ac dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, sæcularium vel regularium, feudorum, indultorum, priuilegiorū, concessionum, facultatum, & gratiarum priuationum ipso facto, infamiæ, & aliis in vniuersalē Ecclesiam scandalizantes, & schisma in ea, discordiamque suscitantes, eisque consilium, auxilium, vel fauorem præstantes, tam à iure quam alias promulgatis, & indictis pœnis inhibemus: Necnon eisdem Cardinalibus, qui à nobis recesserunt, vt præfertur, ac omnibus, & singulis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis, qualitatis, cōditionis, præeminentiæ, auctoritatis, & nobilitatis existentibus, & quacūque Ecclesiastica, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Primitiali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, seu sæculari, Regulari, Reginali, ac etiam Imperiali, ac aliis dignitatibus, & præeminentiis fulgentibus, & quos ab omni vinculo iuramenti, cōuentionis, obligationis, & promissionis per eos forsan factarū, propterea absoluim° & liberamus, ac absolutos, & liberatos fore nuntiamus, ne indictionib° publicationibus, & conuocationibus prædictis, omnibusq; aliis & singulis, vel eorū aliquo, per reprobus,

aut alios præfatos, vel eorum aliquem, vt præfertur, f. ctis, directè vel indirectè, tacite vel expressè, seu quovis quæsito colore adhæreant, accedant, intersint, obediant, assistant, consilium, auxilium, vel fauorem præstent, aut quomodolibet intendant, vt pessimafacta* suis erroribus confusa, tanquam nebula dissoluantur, etiam inhibemus.

Loca etiam in quibus Conciliabula fieri, vel eorū auctores, &c. declinare cōtigerit, Ecclesiastico suppositus interdicto.

§. 17. Omniaque & singula ciuitates, terras, & loca quæcumque ad quæ prætensa Concilia, seu potius Conciliabula, schismaticas conuenticulas, synagogas, ac Ecclesias malignantium huiusmodi indicentes, & eis adhærentes, obedientiam, consilium, auxilium vel fauorem aliquem, vt præfertur, præstantes, & eorum quemlibet declinare contigerit, & in quibus Concilia, seu Conciliabula, aut Ecclesias malignantium huiusmodi, celebrari vel coadunari, & congregari contigerit, Ecclesiastico subiicimus interdicto.

Sacrumque & œcumenicum Conciliū Lateranense Romæ celebrandum, & pro die 19. April. 1512. inchoandum indicit.

§. 18. Et nihilominus bonam intentionem nostram exequi volentes, vt antiquæ hæreses, quæ in diuersis Christianorum partibus nondum extinctæ sunt, & pessimum nouiter pullulans schisma extinguantur, reformationique morum, tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium personarum, quæ de iure vel consuetudine, reformationi vel determinationi Concilij subiiciuntur, bellorumque imminentiam seditioni consulatur, vnicuique quod suum est reddatur, iustitia & pax se inuicem osculentur, Christique fideles in pace, & vnitate, in Dei nomine, non ex passionum priuatarum fomite, qui, vt ex gestis diuersorum Conciliorum apparet pessimos effectus parere consueuit, congregari ad faciendum expeditionem contra infideles iam Regnum Siciliæ infestantes, meliora ac nobiliora loca Christianorum occupantes, præsertim Hierusalem matrem nostram antiquam, & ex antiqua Christianorum negligentia deperditam, facilius, & promptius intendant. In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, qua in terris fungimur, de simili eorundem fratrum consilio, & assensu, œcumenicum vniuersale, & generale Concilium, in Alma Vrbe nostra communi omnium patria, loco aptissimo, & tutissimo, apud Lateranum, vbi plurima Concilia per antiquos patres nostros habita fuerunt, & Altissimus Petri Sedem collocari voluit, literatorumque, & peritorum numerus copiosus habetur, post festum Resurrectionis Domini nostri IESV CHRISTI proxime futurum, inchoandum anno Domini 1512. die Lunæ 19. mensis Aprilis, quæ erit feria secunda post octauam eiusdem Resurrectionis celebrandum, & vt sequitur, auctore Domino finiendum, nuntiamus, conuocamus, statuimus, indicimus, & ordinamus, licet nos non lateat, hanc nouem mensium præfixionem, pro sacro Concilio generali celebrando, ex tot longinquis mundi partibus venturis, fortassis non sufficere, & de breuitate notari posse ad tantam rem peragendam, præsertim cum à Sanctis Patribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, assignato tempori ad similia generalia Concilia congreganda non respondeat, qui nunquam minus quam annum ad hoc inchoandum assignasse reperiuntur. Sed quia ad Christianissimum Regem prædictum, & quosdam alios Principes de inchoando generali Concilio in tempore præsentibus inserto, literas dedimus, & insuper ne volentibus nos, & venerabiles fratres nostros eiusdem S. R. E. Cardinales calumniari, ansam daremus, si longius tempus statuissemus visum est nobis hunc terminum assignare.

Prælatos omnes & alios monet, & ad d. Concilium conuocat.

§. 19. Insuper præfatis, & aliis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Monasteriorum, Abbatibus, & Prælatis, præsertim sub vinculo iuramenti ad visitandum certis temporibus limina Apostolorum Petri, & Pauli, etiam tempore suæ promotionis adstrictis, & obligatis, non obstantibus quibusuis concessionibus, priuilegiis, & indultis, eis, eorumque Ecclesiis, monasteriis, & beneficiis, per dictos prædecessores nostros, aut nos concessis, confirmatis, & innouatis, quæ pro expressis habentes, ex certa scientia, & plenitudine præmissis, cassamus, irritamus, & annullamus, omnibusque aliis Ecclesiasticis, vel sæcularibus, etiam Regibus, & Principibus, cæterisque personis, quæ de iure, vel consuetudine in Congregationibus generalium Conciliorum solent interuenire, cessante legitimo impedimento, de quo legitime docere teneantur, per se, vel alios idoneos Nuntios, procuratores, vel oratores, legitima mandata habentes, sub excommunicationis, aliisque de iure, vel consuetudine, aut aliàs, non accedentibus ad generale Concilium indictū pœnis, mandamus, vt ad ipsum Concilium Lateranen. accedere, & vsque ad dicti Concilij conclusionem, & dissolutionem, per nos vel auctoritate nostra fiendam, in dicta Vrbe morari debeant.

Imperatorem, Reges & alios Principes hortatur, ad fauendum venientibus ad d. Concilium.

§. 20. Necnon charissimos in CHRISTO nostros, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ filios, Maximilianum Romanorum Imperatorem electū prædictum, cæterosque Christianorum Illustr. Reges, Duces, Marchiones, Comites, & alios nobiles, in virtute sanctæ obedientiæ rogamus, hortamur, & monemus, vt opem, & operam adhibeant efficaces, quod omnes, & singulæ, tam Ecclesiasticæ quam sæculares personæ, in eorum Regnis, Ducatibus, & Dominiis consisten. quæ in generalibus Conciliis, de iure, vel consuetudine interesse consueuerunt, ad Concilium Lateranen. huiusmodi cessante impedimento prædicto accedant, postpositis odiis, conciliatis animis in Spiritu sancto, non autem passionibus repleti, veramque domum Dei facientes, & his, quæ ad Dei laudem, Ecclesiæ exaltationem, vnitatem, & reformationem, schismatum verò, & hæresum totalem extirpationem, fideliumque prædictorum pacem, & salutem concernunt, charitate muniti intendant.

Securitatem omnibus venientibus, eorumque familiaribus concedit.

§. 21. Et ne ad tantum laudabile, & necessarium opus accedere debentes, aliquibus de causis seu figmentis, ab accessu ad dictum Concilium Lateranen. quomodolibet retrahantur, omnibus, & singulis, in Congregationibus Conciliorum generalium adesse solitis, & ad dictum Cōcilium Lateranense venientibus, eorumque seruitoribus, & familiaribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel nobilitatis existentibus, Ecclesiasticis, & sæcularibus, pro se, & bonis eorum quibuscumque per ciuitates, terras, & loca terrestria, & maritima dictæ Romanæ Ecclesiæ subiecta, ad Concilium Lateranense ad Vrbem huiusmodi veniendi, & in ea morandi, & libere consistendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, etiam post quatuor menses post dicti Concilij Lateranensis conclusionem, & dissolutionem, liberum, tutum, & securum saluum conductum, ac plenam, & omnimodam securitatem de consilio, & potestate præmissis, damus, & concedimus, aliosque saluos conductus, & securitates habere cupientibus, dare pollicemur, eosque benigne, & charitatiue tractabimus, & suscipiemus.

Officialibus suis omnibus obseruantiam d. securitatis præcipit.

§. 22. Mandantes sub indignationis nostræ, & aliis arbitrio nostro infligendis pœnis, omnibus, & singulis gentibus nostris armigeris, equestribus, & pedestribus, ac arcium nostrarum Castellanis, ciuitatum, terrarumque & locorum dictæ Romanæ Ecclesiæ subiectorum. Legatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Locatenentibus, Potestatibus, officialibus, & vassallis, vt non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus Imperialibus, statutis quoque & * consuetudinibus municipalibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, quæ saluo conductui, & securitati præmissis in aliquo derogare, seu illos quomodolibet impedire possent, etiamsi talia forent, de quibus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per generales clausulas id importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda foret, illarum omnium tenores, præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro expressis habentes, venientes ad Concilium Lateranense huiusmodi, libere, tute, & secure transire, morari, & recedere permittant, & permitti faciant, ne tantum tamque laudabile, & necessarium Concilium Lateranense distrahatur, & vt ad illud venientes, tute & in pacis tranquillitate viuere, dicere, & expedire valeant, quæ omnipotentis Dei honorem concernunt, totiusque Ecclesiæ sanctæ Statum.

** constitutionibus.*

Decretum irritans contrauenientium huic bullæ apponit.

§. 23. Decernentes nihilominus irritum, & inane, quicquid contra indictionem Concilij Lateranen. per nos indicti huiusmodi, seu ad impedimentum, præiudicium, aut

aut dilationem eiusdem, per schismaticam conoenticulam, & Ecclesiam malignantium prædictas, seo quemvis alium, quavis auctoritate, quovis ingenio, aut quæsito colore scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Et hanc bullam publicari mandat in Vrbe. §. 14. Insuper vt præmissa omnia, & singula, ad omnium ad quos spectat, ootitiam, & cognitionem deueniant, omniumque quæ in præsentibus literis continentur, certa & indubitata notitia habeatur, nullusque præmissorum ignorantiam iuste prætendere possit, nec se legitime excusare, cum etiam ad intimandum aliquibus personaliter in præsentibus literis comprehensis, tutus non pateat accessus, literas prædictas, volumus, & decernimus præsentes literas nostras, per aliqoos Curiæ nostræ Cursores, vel Notarios publicos, in Basilica Principis Apostolorum, & Ecclesia Lateranensi, hora diuinorum, dum ibi multitudo populi ad diuina audiendum conuenire, & congregari consueuit, publice ac alta, & intelligibili voce, legi, & publicari, & dictarum Ecclesiarum portis siue valuis, & in acie Campi Floræ, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, & ibidem per aliquod temporis spatium dimitti debere, vt ad singulorum notitiam, publicamque notionem deuenire possint.

Transumptis eius credi iubet. §. 15. Transumptisque illatum, manu publicorum notariorum factis, vel subscriptis, sigilloque alicuius Prælati munitis, fidem indubiam adhiberi.

Effectum d. publicationis declarat. §. 16. Omnesque & singulos in illis comprehensos, & ad quos pertinet perinde arctari, & constringi, ac teneri, & obligari ad obseruantiam omnium, & singulorum in eis contentorum, cuiuscumque gradus, & dignitatis existant, Ecclesiasticæ vel mundanæ, post lapsum vnius integri mensis à data præsentium numerandi, in omnibus & per omnia, & perinde ac si personaliter, & in propria persona intimatæ fuissent, & eis personaliter, præsentatæ, præsentium tenore decernimus, statuimus, & declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 8. die 18. Iunij. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vndecimo 15. Kal. Aug. Pontificatus nostri Anno octauo.

Papæ subscriptio. Ego Iulius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Cardinalium subscriptiones. Ego Raphaël Episc. Ostien. Card. Sancti Georgij Camerarius subscripsi.

Ego Dominicus Episcopus Portuen. Card. S. Marci subscripsi.

Ego Iacobus Episcopus Albanen. Card. Arboreo. subscripsi.

Cardinales Presbyteri.

Ego Nicolaus Card. tit. S. Priscæ subscripsi.

Ego F. Card. de Claromonte, manu propria.

Ego Marcus tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Card. Senogallien.

Ego Robertus tituli S. Anastasiæ Presbyter Card. Nanneten.

Ego Leonardus tit. S. Susannæ Presbyter Card. subscr.

Ego Christophorus tit. S. Praxedis Presbyter Card. subscripsi.

Ego Sixtus tituli S. Petri ad Vincula presbyter Card. Vicecancellar. subscripsi.

Ego Christophorus Eboracen. tit. S. Petri & Mar. Presbyter Card. subscripsi.

Ego Antonius tit. S. Vitalis presbyter Card. subscripsi.

Ego Petrus tit. S. Eusebij presb. Card. subscripsi.

Ego Achilles tituli Sancti Sixti presbyter Cardinalis Bononien. subscripsi.

Ego F. tit. S. Clementis presbyter Card. subscripsi.

Diaconi Cardinales.

Ego Ioan. S. Mariæ in Dominica Diaconus Card. de Medicis, manu propria subscripsi.

Ego Alexander S. Eustachij Diaconus Card. de Farnesio, manu propria subscripsi.

Ego Ludouicus S. Mariæ in Cosmedin. Diac. Card. de Aragonia manu propria subscripsi.

Ego M. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Cornelius,* manu propria subscripsi. *Cornelius.

Ego B. S. Adriani Diac. Card. subscripsi.

Ego Alphonsus sancti Theodori Diaconus Cardinalis Petrucius subscripsi.

Anno à Natiuitate Domini 1511. indictione decimaquarta, die vero Veneris 25. mensis Iulij, Pontificatus Sanctiss. D. N. Iulij diuina prouidentia Papæ II. anno 8. retroscripta litera Apostolica conuocationis Concilij generalis, publicata, & affixa fuerunt in valuis S. Iacobi Hispanorum de Vrbe, dum celebrabantur diuina, vbi magna multitudo conuenerat, tam Curialium, quam Officialium, & Romanorum, propter festū solemne, quod in eadem Ecclesia celebrabatur. Eadem die in vesperis dum celebrantur diuina, publicata, & affixa fuerunt in valuis Principis Apostolorum de Vrbe, die verò sequenti Sabbati, retroscriptam bullam in basilica Principis Apostolorum de Vrbe, hora Missæ, dum celebrabantur diuina, & multitudo copiosa assisteret, Ego Petrus Menguar præfat. D. N. Papæ Cursor, alta, & intelligibili voce coram omni populo dictā bullam de verbo ad verbum legi, lectamque ad valuam dictæ Basilicæ affiximus, & per spatium vnius horæ affixam dimisimus durante Cancellaria. Eodem die, in Ecclesia S. Ioannis in Later. hora vesperarum, dum celebrabantur diuina, Ego Petrus Mengiu. S. D. N. Papæ Cursor, dictam bullam, alta & intelligibili voce legi, lectamque ad valuas dictæ Ecclesiæ affiximus, & publicauimus, & per spatium vnius horæ, affixam dimisimus. Eadem die retroscriptam bullam publicauimus, & affixam dimisimus, per spatium duarum horarum, in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Honuphrium Balestarium, Petrum Menguar, & Ioannem Bernardi, præfati D. N. Papæ Cursores, & ita fidem facimus, & manibus propriis scripsimus, & subscripsimus.

Ita est Honuphrius Balestarij Cursor.

Ita est Petrus Menguar Cursor.

Ita est Ioannes Bernardi Cursor.

XXVIII. Declaratio iurisdictionum Vicarij Papæ, Gubernatoris, Auditoris Cameræ, Senatoris, aliorumque iudicum Curiæ Capitolij, ac Marescalli Vrbis.

Quoad iurisdictionem Vicarij ampliorem concessionem, vide inf. in Pauli III. const. 36. Licet vbi notabo. Gubernatoris autem vide in constit. 8. Leon. X. Et si pro, vbi plene dicam. Auditoris Cameræ vide in const. 20. Paul. V. Eximiæ, cum ibi adnotatis. Marescalli autem vide in Greg. XIII. const. 26. Dum recte.

Senatoris verò, & aliorum Iudicum Capitolij iurisdictiones, plene & dilucide in nouis Vrbis Statutis digestæ sunt, post bullam Pij IV. n. 25. Dilectos, vbi videas.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam. *Edita An. D. 1512.*

Exordium. DEcet Romanum Pontificem, ex debito sui pastoralis officij prospicere, vt vbique, præsertim in hac Alma

Vrbe (ad quam pro iustitia totus Orbis confluit.) ne propter varios diuersorum iudicum, & tribunalium concursus, ad varias, & diuersas procedendi formas præsertim pauperes litigantes, in eorum bono iure lædantur, sed vt cuilibet ius suum expedite, quantum possibile sit, reddatur, & iurisdictiones ius reddentium ita distinctæ sint, vt nulla confusio, & perplexitas oriri possit.

Causa huius constitut.

§. 1. Sane (prout ex multorum querela, ac nuper à dilectis filiis nobilibus viris Ludouico de Mattheis, & Mariano de Castellanis, ac Lutio de Lutiis Conseruatoribus Romanorum ciuium & Cam. præfatæ Vrbis, necnon Ludouico de Cerreis, Priore Capitum Regionum, & Paulo de Planea, nostri Consistorij & ipsorum Conseruatorum Aduocato) accepimus, adeo à certis temporibus citra, diuersa iudicum tribunalia in Vrbe insurrexisse, adeo etiam ipsos iudices, tam ordinarios quam delegatos, inter se concurrere, & in procedendo varium modum obseruare, vt sæpe litigantes ipsi confusione quadam perterriti, causas ipsas deserere cogantur, aut illas inchoare non audeant, sæpe etiam adeo celeri iudicio expediri, vt præcipitati quodammodo videantur, in magnum ipsorum litigantium præiudicium, ac iustitiæ & officij nostri detrimentum.

Declaratio forensium & saecularium.

§. 2. Nos igitur in præmissis prouidere volentes, ac cupientes ne litigantes ipsi, tam in confusione tribunalium huiusmodi, quam etiam in expensis, & eorum bono iure grauentur, quodq; ie etiam quilibet forum suum intelligat, & sequatur, inhærentes etiam vestigiis fel. rec. Sixti Papæ IV. patrui, & prædecessoris nostri, qui, vt etiam accepimus quasdam desuper constituit ordinationes, in volumine Statutorum dictæ vrbis descriptas. Motu proprio, non ad ipsorum Conseruatorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, statuimus, & ordinamus, quod omnes incolæ Romæ habitantes (dummodo non sint campsores, & notabiles mercatores, Romanam curiam sequentes, Oratores Principum & aliarum Communitatum, familiares Cardinalium, continui tamen commensales, vel officiales Romanæ Curiæ, dummodo Romani non existant, aut curiales Romanam curiam sequentes, & illius vsu existentes) qui omnes in eorum foro, necnon ciues omnes sæculares conueniantur in curia Capitolij, aut coram officialibus sæcularibus Vrbis, prout ad eorum officium spectat, & non aliter.

Clericorumque Romanorum.

§. 3. Quodque omnes clerici Romani, conueniantur coram Vicario nostro in spiritualibus in Vrbe, aut aliis clericis & officialibus Ecclesiasticis Vrbis, ad quod spectat.

Laicorum etiam delinquentium & Curialium.

§. 4. Ac quod de omnibus excessibus factis in Vrbe, ratione territorij, laïci puniantur per officiales laicos Vrbis, clerici vero Romani per Vicarium præfatum. Item quod laici qui sequuntur curiam, tam mares, quam fœminæ; & non alij, conueniantur in curia Marescalli, dummodo non sint personæ prædictæ videlicet campsores, & notabiles mercatores Romanam curiam sequentes, Oratores Principum & Communitatum, familiares Cardinalium laici, vel officiales Romanæ curiæ etiam curiales, qui indifferenter conueniantur dumtaxat coram Auditore Cameræ, tanquam iudice exemptorum in ciuilibus, in criminalibus verò, quoad laïcos eandem curiam sequentes, inter ipsum Auditorem, & Marescallum, & Gubernatorem, fit locus præuentioni, dummodo non agatur de capitali, vel mutilatione membri, quo casu Auditor non se intromittat, iuxta alias nostras literas desuper expeditas.

Appellatur à Marescallo ad A.C.

§. 5. Volumus etiam quod ab eodem Marescallo appelletur ad præfatum Auditorem Cameræ, & quod iudex deputandus per ipsum Marescallum, non possit stare in officio vltra duos annos, & in fine cuiuslibet anni debeat syndicari per Syndicum per nos deputandum, & repertus culpabilis, puniri, in reliquis seruentur literæ nostræ desuper editæ.

Gubernatoris Vrbis iurisdictio.

§. 6. Insuper volumus, & mandamus, quod Vicecamerarius siue Gubernator in Vrbe, nullum tribunal cognitionis causarum priuatarum teneat, neque per se, neque per alium, seu ad eum venientem, ad suum iudicem remittat, & sit superintendens, vt quilibet in præmissis officiis, suos terminos obseruet, & contrafacientem puniat, aut nobis referat, & debeat carceres omnium præmissorum visitare, vnà cum aliis, ad id per nos per alias nostras literas deputatis, & de officialium omnium (maxime Notariorum maleficiorum) transgressionibus cognoscere. In concernentibus autem statum, aut pacem, & quietem ciuitatis, & Romanæ curiæ, quantum videat necesse esse, officialem ad quem spectat, iuuare, & omnia pro posse ad pacem reducere, necnon causas querelarum contra Barones, ac capitales, videlicet, mortis naturalis, & brigarum, vnà cum Paceriis, iuxta formam Statutorum Vrbis, & treguarum, seu securitatum, aut pacis ruptarum, etiam per seipsum. Item mercedem salariorum, quas causas mercedum sine triennali, & scriptura, summarie, manu regia, cognoscere possit & terminare, iuxta formam dictorum Statutorum; vel iuris communis, vbi Statuta deficerent, & in quibus omnibus, locus sit præuentioni inter ipsum & Senatorem, & si concurrant, Senator præferatur. Notarij verò Gubernatoris soli per se ipsos, & non per substitutos, officium exerceant sine Tribunali, prout alias Ludouicus Sabinus, & Marius Ceteranus; tempore eiusdem Sixti prædecessoris exercere solebant, qui etiam registra aliqua non faciant, ipseque Gubernator vnum tantum Conestabilem seu Capitaneum retineat cum 29. satellitibus, & sine dicto Conestabili, executiones ipsius Gubernatoris fieri non possint. Volumus etiam quod idem Gubernator vigore obligationum in forma Cameræ Apostolicæ, non possit aliquem excomunicatum publicare, nec censuris Ecclesiasticis in aliquo casu vti, prout antiqui Gubernatores non sunt vsi, & censuræ per eum super hoc latæ, sint ipso iure nullæ. Similiter volumus, quod Baricellus sit merus executor, & nullum iudicare valeat; quodque executiones in capitalibus per eum fiendæ, fiant de Capitolio, prout ab antiquo consuetum fuit, nisi aliter pro temporis & maleficij qualitate & grauitate visum fuerit expedire. Possit tamen repertos in flagranti crimine punire iuxta formam Breuis facultatis suæ.

Officiales Vrbis sicut syndicentur. Hoc non seruatur.

§. 7. Item volumus, quod omnes officiales, quicumque sint, etiam Gubernatoris & Auditoris Cameræ prædictorum, & reliqui alij, & etiam ipse Baricellus, in fine cuiuslibet anni, Syndicari debeant per aliquos, per nos deputandos, iuxta formam earundem literarum nostrarum, ipseque Gubernator teneatur pro se & eius officialibus, & in principio eius officij, debeat super hoc cauere. Similiter Auditor Cameræ præfatæ, in fine cuiuslibet anni, teneatur reddere rationem coram eisdem deputandis, de gestis, per se, & eius Locumtenentem.

Appellatio in Curia cap. ad quem detur. Tu vide Stat. circa rubr.

§. 8. Volumus etiam, vt litibus finis citius imponatur, quod tam à iudicibus Capitolinis, quam etiam quibuscumque aliis, in causis quæ alias essent de foro Capitolino, appelletur ad Capitaneum Vrbis, vel alium per nos deputandum, dummodo quoad causas dicti fori, in Capitolio tribunal teneat, quod etiam in causis in curia Gubernatoris eiusdem pendentibus, & quæ pendere contigerit habere locum decernimus, à quo iudice appellari non possit, nisi prout & quantum Statuta huiusmodi in causis curiæ Capitolij permittunt.

Executorum merces declaratur. Hodie seruatur taxa quæ sunt in const. 45 Pauli V.

§. 9. Postremo mandamus in omnibus curiis Ordinariis Vrbis, & in omnibus solutionibus Notariorum, executorum, etiam pro executionibus fiendis per ipsum Baricellum, ac pro mercedibus quorumcumque aliorum officialium, seruari tabulam marmoream in Capitolio affixam, & vbi in aliquibus casibus illa deficeret, mandamus seruari Statuta Vrbis. Volumus etiam quod pro quibusvis sigillationibus, præsertim mandati de relaxando incarceratos, & aliis quibusvis apodissis, nil soluatur, nisi prout in dicta tabula continetur, seu in dicta Curia Capitolij seruari consueuit, ita tamen, quod pro relaxatione innocentium, nil penitus soluatur per ipsum captiuum, sed per eum ad cuius instantiam forsan captus fuit, maxime in capturis pro suspecto & fugitiuo, quo casu nouas reformationes dictæ Vrbis seruari volumus.

Alia Tribunalia iudic. Ordinariorum prohibentur.

§. 10. Decernentes, in Vrbe præfata, nulla alia Ordinariorum Iudicum tribunalia teneri posse, nec iurisdictiones causarum exerceri, nisi in locis prædictis. Quodque

que sententiæ tam definitiuæ quam interlocutotiæ nee-noo decreta, executiones, mandata, processus, censuræ, & quicquid secus contra præmissa fieret nullius fote toboris vel momenti.

Claus. praeseruatiua. §. 11. Præsentibusque derogari non posse, nec detogatum censeri, etiam per nos, aut successores nostros, nisi de nominibus, & cognominibus litigantium, iudicum, & interesse habentium, ac ipsarum præsentium de verbo ad verbum, totalis & specialis mensio fiat.

Pœna contrauenientium. §. 12. Mandantes Gubernatori, Senatoti, Auditori Cameræ Marescallo, Baricello, cotumque iudicibus & executoribus præfatis, necnon quibusvis aliis personis, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac centum ducatorum pœnis toties quoties contra præmissa, seu aliquod præmissorum fecerint, incurrendis, & in eorum sindicatibus exigendis, ne contra ordinationes, statuta, & voluntatem nostram huiusmodi contrauenire, aut aliquid attentare audeant.

Derogatio contrariorum. §. 13. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis priuilegiis, etiam fori, ac exceptionibus, indultis, & facultatibus, quibusvis, personis etiã Vicecamerario, seu Gubernatori præfatis, aut Collegiis, vel Confraternitatibus, etiam quavis causa, & motu proprio, & ex certa scientia, ac cum quibusvis clausulis, etiã derogatoriarũ derogatoriis fortissimis, etiam quibus derogari non posset, nisi sub certis modo, & forma, per nos, & Sedem Apostolicam; concessis, & concedendis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 9. die 28. Mart. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, quinto Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno nono.

XXIX. Reintegratio Incliti Populi Romani, ad iurisdictionem quam eius Conseruatores in Vrbe & ipsius populi Castris, præsertim super Consulibus Artium & Annona, hactenus exercuerunt, necnon & ad superioritatem in ciuitate Tyburtina.

Hac Iurisdictio adhuc illasa remansit, & cõfirmata fuit à Greg. XIII. in nouis Statutis Vrbis eius mandato editis lib. 1. cap. 15. Quo vero ad Annonam frumentariam Vrbis, vide quid Six. V. sanciuit in eius const. 78. Abundantes. Quo vero ad superioritatem in ciuitate Tyburtina, eam in vsu non esse prospicimus. Ampliores autem gratias Inclito Populo Romano elargitus est Leo X. vt inf. in eius const. 1. Dum singularẽ, vbi notabo.

Edita An. D. 1512. *IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium. SI nostratum ciuitatum, & aliorum locorum quorumlibet iurisdictiones ac iura libenter illæsa seruamos, eo magis Romani Populi iurisdictiones, ac iura prædicta, non solum seruare, sed augere debemus, quo peculiaris ac Populus noster electus extitit, cuiusque officia nobis, ac Sedi Apostolicæ, sincera, ac deuota fide, continue exhibentur.

Causa huius reintegrationis. §. 1. Exposuerunt siquidem nobis nuper dilecti filij, nobiles viri, Ludouicus de Matthæis, Marianus de Castellanis, Lucius de Lucis, Romanorum ciuium, & Cameræ Vrbis Conseruatores, ac Ludouicus de Genuis Capitum Regionum Prior, necnon Paulus de Planca nostri Consistorij, & præfatorum Conseruatorum Aduocatus, quod licet à tanto tempore, cuius initij memoria in contrarium non existit, inter aliquas paucas ciuitates, & oppida, ciuitas Tyburtina magna cum fide, sub eorum iurisdictione, ac dominio remanserit, habeantque ciues dictæ Vrbis nonnulla Capitula cum populo Tyburtino, superioritatem, ac gubernium, seu iurisdictionem in eos concernentia, quæ licet hactenus obseruata fuerint, tamen quia bonæ memoriæ Petrus tituli Sancti Cyriaci in Thermis presbyter Cardinalis Reginus, qui ob partialitates ipsius ciuitatis Tyburtinæ componendas, se intromiserat, & deinde paulatim progrediendo se illorum protectorem asserendo, iurisdictionem dictorum ciuium Romanorum visus est occupare, in non modicam ipsorum Romanorum ciuium, honoris ac dignitatis dettactionem. Licet etiam præfati Conseruatores in Vrbe prædicta habeant quasdam iurisdictiones, ac facultates eorum officium concernentes, maximè circa Annonam, & Consulatus Artium, necnon gabellas, & alia diuersa, prout in eorum consuetudinibus, ac Statutis per Romanos Pontifices, præsertim fel. rec. Paulum Secundum, & in nouis Reformationibus per piæ mem. Alexandrum Sextum prædecessores nostros confirmatis continetur. Nihilominus quia sæpe per diuersa mandata, præsertim dilectorum filiorum Clericorum Cameræ Apostolicæ, in administratione officij eorum impediuntur, etiam citra ipsorum Conseruatorum dignitatem & honorem, & non sine publicæ vtilitatis detrimento. Ea propter Conseruatores Prior, & Paulus præfati, nobis humiliter supplicarunt, vt super præmissis ne de cætero impediri valeant, eis de remedio opportuno prouidere dignaremur.

Reintegratio superioritatis ciuitatis Tyburtina. Hac hodie ad seruantur. §. 2. Nos igitur qui Romanos ciues prædictos, etiam dum in minoribus eramus, semper toto corde dileximus, considerantes etiam Summi Pontificis proprium fore, ius atque honorem suum cuilibet illæsum seruare, dictorum Statutorum, Capitulorum, ac consuetudinum, tenores & formas, præsentibus pro expressis habentes, eisdem Conseruatoribus, nunc & pro tempore existentibus, ac ipsi Populo Romano iurisdictionem, superioritatem, & præeminentiam, quas iuxta eorum consuetudines, statuta, seu conuentiones, & pacta prædicta, habere noscuntur in dicta ciuitate Tyburtina, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, restituimos, & reintegramus, ipsosque ciues Tyburtinos eisdem ciuibus Romanis, vt prius, subiici, & subiectos fore.

Iurisdictio vtque in Vrbe & castris Populi Romani. §. 3. Quodque in dicta Vrbe ipsi Conseruatores, curam, iurisdictionem & facultatem, quas iuxta eorum Statuta, præsertim nouarum reformationum, ac consuetudinum prædictorum, habere noscuntur, exercere & exequi liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore prædictis, volumus & declaramus. Decernentes vt Conseruatores præfati in dicta ciuitate Tyburtina, per aliquos Protectores, etiamsi essent Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac in dicta Vrbe, & extra eam in eorum oppidis, & castris, in eorum iurisdictione & officio, per cuiusvis mandata, præsertim prædictorum Clericorum Cameræ Apostolicæ, impediri non posse, nec debere, ac mandata huiusmodi etiam sub excommunicationis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac quibusvis pœnis, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti fore, nisi vbi dicta mandata manu nostra propria, aut Camerarij nostri, pro tempore subscribi contingat.

Derogatio contrariorum. §. 4. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac priuilegiis, facultatibus, & indultis, etiam cum quibusvis clausulis derogatoriis, fortissimis & insolitis, quibusvis personis concessis & concedendis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscũque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 9. die 28. Martij. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo duodecimo, quinto Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno nono.

XXX. Gratiæ, immunitates, & priuilegia Canonicorum Regularium Congregationis S. Saluatoris Ordinis S. Augustini.

Alia de hac religione notaui sup. in const. 2. Greg. XII. Excitat, ibi videas.

Edita An. D. 1512. *IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Hic Pontifex dũ erat Cardinalis, Protector fuit huius Congregationis. INter cæteros in militanti Ecclesia veluti Reginã in vestitu deaurato circundata varietate plantatos Ordines, ad dilectos filios Congregationem Sancti Saluatoris, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium, qui sub suaui iugo Religionis, & regularium institutionum obseruatione sedulum ipsi Saluatori nostro Domino

Iesv

Iesv Christo in humilitatis spiritu præbent famulatum, dirigentes nostræ considerationis intuitum, & attendentes quod nos, dum Cardinalatus honore fungebamur, Ecclesiam Sancti Petri ad Vincula in Vrbe, cum illi annexa Ecclesia Sanctæ Agnetis extra muros dictæ Vrbis, de licentia Sedis Apostolicæ, eidem Congregationi (cuius protectionem aliquandiu gessimus, & illius profectum salubrem quantum potuimus procurauimus) concessimus, & multa pro eiusdem Ecclesię Sancti Petri, & ædificiorum eius reparatione, & reædificatione, ac pro commoditate Prioris, & Canonicorum inibi pro tempore diuinis beneplacitis insistentium, etiam postquam ad Summi Apostolatus apicem fuimus diuina fauente clementia assumpti exposuimus, dignum existimamus illa Congregationi & Canonicis præfatis, ipsiusque Congregationis Monasteriis, locis, & personis concedere, per quæ possint ipso Saluatore eis semper assistente, gratum eius beneplacitis exhibere famulatum.

Nunc ordinationes & priuilegia d. Congregationis confirmat.

§. 1. Sane cum sicut accepimus aliàs plura, immunitates, & diuersa, gratiæ, fauores, & indulta, spiritualia & temporalia per diuersos Romanos Pontifices prædecessores nostros, præfatæ Congregationi, illiusque Monasteriis, locis, personis, bonis, & rebus concessa fuerint, Nos cupientes, vt dilectus filius modernus, & pro tempore existens Prior generalis dictæ Congregationis, & Canonici prælati, & eorum curæ commissi, eo potius possint Domino in eius beneplacitis famulari, quo cognouerint huiusmodi priuilegia, & immunitates pro illorum subsistentia firmiori, etiã nostræ approbationis robore communiti, ac etiam Prioris generalis, & Canonicorum, ac Congregationis huiusmodi commoditatibus, & augmento, statuque prospero, & felici, quantum cum Deo possumus, adiuuante salubriter consulere, ipsosque generalem Priorem, & Canonicos, & Congregationis huiusmodi singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes. Ac omnia & singula Monasteria, tam dictæ Congregationi, quam beneficia Monasteriis dictæ Congregationis vnita, annexa, incorporata, & possessa, ac quæcumque alia & singula priuilegia, gratias, fauores, immunitates, exemptiones, & indulta, tam spiritualia, quàm temporalia, eidem Congregationi, ac illius monasteriis, locis, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & per quoscumque Romanos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, & quoscumque alios Christi fideles concessa, illorumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, eisdem præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad Prioris generalis, & Canonicorum prædictorum, vel alicuius alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & deliberatione, certaque scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, literas omnes, ordinationes, constitutiones, & consuetudines, quibus ipsa Congregatio regitur, & gubernatur, ac omnia & singula alia priuilegia, gratias, fauores, immunitates, exemptiones, & indulta huiusmodi, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, atque omnia & singula inuiolabiliter obseruari decernimus.

Eorumque dubia, ad fauorem d. Congregationis interpretari iubet.

§. 2. Volumusque quicquid dubij in dictis priuilegiis, seu aliquo eorum pro tempore emerserit, id data verborum ambiguitate, & varia peritorum interpretatione, in fauorem dictæ Congregationis, & locorum particularium eiusdem interpretari debere, & vbi ipsi in aliquibus redderentur dubij, seu ancipites, secundum bonam æquitatem, ad fauorem salutis animarum suarum, illa etiam largissime intelligantur, & interpretentur, non autem secundum iuris rigorem, aut Doctorum opiniones vel subtilitates.

Cuiuscumque monasterij indulta, ad alia Monasteria extendit.

§. 3. Et cuiusvis particularis monasterij seu loci tam vniti quam vniendi, præsentis & futuri, dictæ Congregationis priuilegia, concessiones, remissiones peccatorum, & indulgentiæ quocumque nomine nuncupatæ immunitates, & gratiæ, concessa & concedenda, tam per Romanos Pontifices, quam alios quoscumque Reges, Duces, Barones, Principes, Dominia, & Communitates, in omnibus & per omnia ipsi toti Congregationi & aliis eius particularibus monasteriis esse communia, & ad illa extendi, & extendimus per præsentes.

Et eiusdem Obseruantia Regularis vnitatem vbique seruari præcipit.

§. 4. Insuper etiam vltra prædicta priuilegia eidem Congregationi, vt præfertur concessa, hac perpetua, & irrefragabili constitutione, motu & scientia similibus sancimus, quòd omnes & singuli dictæ Congregationis Canonici, Ordinem ipsum professi, præsentes & futuri, quamvis in diuersis monasteriis, siue locis pro tempore maneant, vnum tamen corpus, & vna Congregatio existant, ac sub vna, eademque lege, atque obseruantiæ Regularis vnitate, mutuamque conformitate, eisdem constitutionibus, priuilegiis, ordinationibus, consuetudinibus, & statutis viuant, ipsaque Congregatio ab Apostolica Sede vltra centum annos instituta, & merito toties approbata, ab vniuersis Christi fidelibus in reuerentia & deuotione habeatur.

Canonicos veros eos esse declarat. Quod Callist. III. etiam fecit in const. 2. Sacra sup.

§. 5. Decernentes, vt omnibus & singulis præeminentiis, etiam in publicis actibus, ac priuilegiis & gratiis, pro veris Canonicis Regularibus, Ordinis & Congregationis prædictorum habeantur & reputentur, prout hactenus fuerunt, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium, habemus & declaramus: mandamusque quorumcumque locorum Diœcesanis, vt eos pro talibus in dictis singulis publicis, & aliis actibus censeri faciant, ac etiam reputari. Nos enim eos, vt existentes veros, & indubitatos Canonicos Regulares Ordinis prælibati, quibus à dicta Sede Apostolica scapulare, quod insigne claustralium est, gestandum super Rocheto in præfatæ Congregationis primordiis, ex speciali munere & deuotione donatum extitit, omnibus & singulis præeminentiis, etiam in publicis actibus ac priuilegiis, & gratiis, quibus quicumque alij Canonici potiuntur & gaudent, potiri & gaudere censemus.

Priuilegia & immunitates aliorum Ordinum, huic Congregationi elargitur.

§. 6. Adiicientes præterea, quod de cætero non solum prædictis præeminentiis, priuilegiis, & gratiis decorentur, quibus gaudent, in specie vel in genere, vniuersi alij Canonici, verum etiam omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, fauoribus, indultis, & gratiis spiritualibus & temporalibus, per nos vel per quoscumque prædecessores nostros Romanos Pontifices, vel alias quomodolibet, seu Sedem præfatam, tam præfato Ordini Canonicorum Regularium Sancti Augustini, ac Congregationi de Frisonaria alias Lateranensi, Ordinibusque Eremitarum, Minorum, Prædicatorum, Carmelitarum, & Seruorum Beatæ Mariæ, & aliis etiam earundem Congregationum, & Ordinum, membris, & illorum personis, monasteriis, & locis in genere concessis, & pro tempore concedendis, quam etiam Congregationi Monachorum Sanctæ Iustinæ, seu S. Benedicti Cassinen. & eius monasteriis, locis, membris, & personis hactenus concessis, ac illorum Ordinibus, & Congregationibus, quibus per eandem sedem concessum extitit dictæ Congregat. priuilegiis posse gaudere, in omnibus & per omnia, absque vlla prorsus differentia, perinde ac si ea ipsi Congregationi Canonicorum Regularium sancti Saluatoris specialiter & nominatim concessa fuissent, quorum tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus, & non secus ac si præsentibus de verbo ad verbum inserta forent, & quę ad ipsam Congregationem sancti Saluatoris, & eius Moniales, siue Sorores, ac personas oblatas, & commissas vtriusque sexus, quæ sub illius Congregationis cura sunt, in illis videlicet, quæ ipsis coaptari possunt, extendi, ac illa eam pari modo cum prædictis comprehendere volumus, atque decernimus, cum ipsam Congregationem sancti Saluatoris censeamus, meritis & virtutibus suis non minora promereri, quam suprascriptas Congregationes, & Ordines, quos enim par labor coniungit, paria quoque priuilegia coniungere debent. Cuius etiam Congregationis sancti Saluatoris Monasteria omnia, & loca prædicta, & eorum Prælati, atque personæ, quibuscumque eis, ac aliis Congregationibus, & Ordinibus à Sede prædicta, vel aliàs qualitercumque concessis, ac de iure seu consuetudine debitis iuribus, præeminentiis,

nentiis, ac dignitatis inconcusse gaudeant & vtantur; dummodo illa præmissis, ac aliis dictæ Congregationis sancti Saluatoris institutis, & constitutionibus non obsistant.

Capitulo generali dat facultatem statuta pro regimine Congregationis præscribendi & commutandi.

Nunc puto approbanda esse ab Ordinario ex cōst. C.om. VIII. n. 213. Quecunque.

§. 7. Et dictæ Congregationis Capitulum generale, siue in eo vocem pro tempore habentes, pro felici successu ipsius Congregationis sancti Saluatoris, statuta, constitutiones, & ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus & temporalibus ipsius Congregationis, & eius regularis disciplinæ statum, obseruantiam, indemnitatem, & circa diuini officij celebrationem, directionem, & ordinationem, (absque tamen ipsius Regulæ in substantia, vel in effectu variatione) interpretationem, vel declarationem quoquo modo concernere poterint, auctoritate prædicta instituendi, ordinandi, interpretandi, & declarandi; ac ea quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata fuerint, in toto, vel in parte, prout rerum, vel temporum qualitas exegerit, tollendi, alterandi, modificandi, innouandi, corrigendi, emendandi, suspendendi, & in melius commutandi, plenā & liberam in omnibus habeant facultatem. Ita tamen quod nullæ ordinationes in vno Capitulo generali decretæ, vllam vim & locum habere possint constitutionis, nisi duæ saltem ex tribus partibus huiusmodi vocem in ipso Capitulo habentium concurrerint, & hoc ordine fuerint per duo alia immediata Capitula generalia sequentia comprobatæ, quæ sic vt comprobatæ fuerint censeantur mox Apostolico robore communitæ. Quibus cōstitutionibus, decretis, ordinationibus, declarationibus, & correctionibus singuli de Congregatione huiusmodi, cuiuscumque dignitatis, status, seu conditionis existant, efficaciter parere omnino teneantur.

Contrauentionemque ex contēptu tantum ad peccatum obligare declarat.

§. 8. Nolumus tamen, quod ad peccatum, nisi contrafiat ex contemptu, aliquem obligent.

§. 9. Et quoties Prælatus aliquis, Monasterium cui præfuerit reformare, & ad ipsius Congregationis obseruantiam reducere decreuerit, reformationem ipsam iuxta instituta, decreta, ordinationes, & constitutiones huiusmodi, prout conuenientius poterit exequatur.

Quisque Prælatus reformaturus iuxta Ordinis instituta tenebat.

Capituli generalis correctioni & obedientiæ, omnes subsint.

§. 10. Capitulum autem generale nominamus, quod in dicta Congregatione singulis annis celebratur, in quo omnes electiones Prioris generalis, & Visitatorum, ac Abbatum, Priorum, Præpositorum, & aliorum quorumcumque Officialium Monasteriorum, & locorum dictæ Congregationis: necnon omnia alia statuta, & ordinata, vt præmittitur, iuxta ritus, & constitutiones præfatas, in ipso quibus de consensu ipsius Capituli, seu eius Definitorū in formam publicam redacta fuerint, eiusdem Apostolici muniminis declaramus robore communiri. Huiusmodi ergo Congregationis, & Capituli generalis dispositioni, ordinationi, correctioni, reformationi & obedientiæ, vniuersa Monasteria, Prioratus, Domus, Conuentus, loca, necnon res, & bona cum suis membris, iuribus, & pertinentiis quibuscumque, quæ videlicet iustis modis hactenus eis oblata, traditaque fuere, & dante Domino applicari poterunt quomodolibet in futurum, ac eorum personæ tam Clerici, quam Conuersi, & Commissi in dictis Monasteriis, Prioratibus, & Conuentibus, ac locis, siue membris degentes pro tempore, cuiuscunque dignitatis, status, aut conditionis fuerint, in omnibus subiecta perseuerent.

Priori generali omnes Prælati, & eis cæteri obediant.

§. 11. Vniuersi vero Prælati eiusdem Congregationis sub Prioris generalis, & alij Canonici, Conuersi, & Commissi sub Prælatorum, in quorum Monasteriis, aut aliis locis deputantur, seu morantur, obedientiis viuant, & eas illis humiliter præstent.

Ad Sedemque Apostol. absque eius licentia nō appellent.

§. 12. Et nulli Prælatorum, vel Canonicorum prædictorum ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Capituli, seu Prioris generalis, aut aliorum Prælatorum ipsius Congregationibus, ad quemcunque etiam ad nos, & Sedem prædictam, nisi de speciali summi Pontificia licentia, appellare liceat, appellationesque desuper pro tempore interpositæ, & inde secuta irrita habeantur.

Sed contra eos iuxta formam constitutionū procedatur.

§. 13. Sed cum contra aliquem Prælatum, vel Canonicum dictæ Congregationis, ciuiliter aut criminaliter agi contigerit, secundum constitutiones, & statuta prædicta, iuris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus omissis, procedatur.

Canonici, aliis Prælatis extra Congregationem non seruiant, nec ad alios Ordines absque licentia transire valeant.

§. 14. Ac nullæ Ecclesiasticæ personæ, vel sæculares; quacumq; auctoritate, vel dignitate præditæ, etiamsi Patriarchali, vel Cardinalatus honore præfulgeant, aliquem ex Prælatis, vel Canonicis Congregationis prædictæ obsequiorum, vel seruitiorum propriorum, vel Monasteriorum suorum, seu prætextu cuiusvis officij, etiam Capellanatus, ad eas diuertere vel alia quavis causa, etiam arctioris vitæ Ordinis, vel obseruantiæ, à dicta Congregatione educere, vel sponte venientes recipere, & penes se retinere audeant, etiam auctoritate literarum Apostolicarum, absque literis dimissoriis dictæ Congregationis, seu Prioris generalis, & Visitatorum eiusdem. Quod si recipientes præfati intra tres dies postquam eis præsentes innotuerint, Prælatum, seu Canonicum extra ipsam Congregationem existentem huiusmodi, eidem Congregationi non restituerint cum effectu, vel à se realiter non abiecerint, excommunicationis sententia vnà cum ipsis receptis innodati existant eo ipso, à qua nisi in mortis articulo, aut à Sede prædicta, absolui non possint.

Prælati Congreg. fugitiuos recipere non cogantur.

§. 15. Neque Congregationis huiusmodi Prælati quarumcumque literarum Apostolicarum prætextu, nisi illis præsentibus specialiter & expresse derogetur, ad recipiendum Canonicos, qui alias ab eorum propriis Monasteriis, siue locis absque suorum Superiorum licentia contumaciter recesserint, à quoquam queant quomodolibet coarctari.

Habitum nemo absque licentia quovis prætextu dimittat, & dimissio causa etiam in Curia Romana nihil obstat.

§. 16. Vt vero exeuntium ab eadem Congregatione moribus occurramus, decernimus vt nemo ex ipsa ad aliquem aliorum Ordinum, occasione etiam arctioris Regulæ (vt præmissum est) transire, neve ad aliquam dignitatem, seu administrationem extra ipsam suam Congregationem assumi possit: volumusque vt quisvis in ipsa Congregatione siue professus, siue ad sacros ordines promotus (quam rem professionis loco & esse, & haberi statuimus) habitum dictæ Congregationis relinquere, aut mutare nulla auctoritate possit, nisi missionem, literasque à generali Capitulo aut Prioris generalis, & Visitatorum obtinuerit; quod tam de his, qui hactenus exierint intelligi volumus, quam de his qui in posterum exituri sunt, etiamsi literas Apostolicas obtinuerint. Ne verò proteruis relinquatur litigandi, repugnandive locus, si quis eorum exeuntium causam in Romana Curia super ea re committi hactenus obtinuerit, vel in posterum obtinebit, vel ad inhibendum, aut alia huiusmodi agendum itum fuerit, motu, scientia, potestateque prædictis lites huiusmodi ad nos aduocamus atque omnino extinguimus; statuentes æque valere hoc decretum nostrum, ac si Iudicum nomina, atque alia omnia, quæ supra memorata sunt, hic satis expressa essent, etiamsi sacri Palatij Apostolici causarum Auditores existerent. Volumusque vt quicquid super hac re fiet, aut factum sit, etiamsi causam aut nos, aut prædicta commiserit Sedes, pro infectis omnino haberi irritum prætereaa esse, atque inane quicquid super his Apostolica, siue alia quavis auctoritate secus contigerit agi aut attentari.

Priores contra inobedientes & extra clausura vagantes, procedere non desistant.

§. 17. Generalis igitur Prior, & alij Abbates, & Priores dictæ Congregationis pro tempore existentes, seu ab eis deputati possint omnes & singulos dictæ Congregationis huiusmodi Canonicos ab illa vagos, & fugitiuos, aut suis Superioribus inobedientes, & rebelles, & qui non habita licentia se alio transtulerint, vel aliquarum personarum quacunque dignitate etiam Cardinalatus honore fulgentium seruitiis in Romana Curia, vel extra eam se adiecerint, vel ab eis literas familiaritatis, aut Capellanatus obtinuerint, vel quocunque habitu induti fuerint, capere, & in carceribus detinere, aut per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia, appellatione remota, etiam inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, ad solitam, & debitam obedientiam compellere.

Venientes ad ipsam Congregationem non impediantur.

§. 18. Nec quisquam personas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur, ex sæculo fugientes, & ad dictam Congregationem venire affectantes, verberibus, aut violentiis quibuslibet impedire, aut prohibere, vel à Monasteriis, & locis Congregationis

eiusdem

eiusdem præsentibus, vel futuris diuertere, aut super hoc illis vel eos recipientibus iniuriam, vel molestiam irrogare præsumant, contrafacientes vero præsentium notitiam habentes, vel qui ea ignorauerint, & postquam ad eorum notitiam peruenerint à præmissis iniuriis, & violentiis non destiterint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, à qua, præterquam in mortis articulo constituti, nisi a Sede præfata absolutionis beneficium nequeant obtinere.

Ingredi eam possunt etiam qui arctiorem Religionem ingredi vouerint.

Vide correctionem Pij V. in constit. 89. Quacunque.

§. 19. Statuimus similiter, & ordinamus, vt omnes, qui Religionem, locum, vel Ordinem alium quemcumque etiam arctiorem ingredi vouissent, tali voto non obstante, ad Congregationem, & Ordinem prædictos, illorúque professionem libere & licite ingredi, & in ibi recipi, & admitti valeant, super que omnibus aliis votis (præfato Religionis dumtaxat excepto) cum illis, & cum omnibus aliis ipsam Congregationẽ Altissimo famulaturis ingredi volentibus etiam dispensari possit, ac à quocumque excommunicationis vinculo, iniuncta eis iuxta eorum facultates restitutione, & pœnitentia salutari, tanquam vni ex Canonicis Congregationis huiusmodi, absolutionis beneficium impendi, ita tamen, quod si ante professionis emissionem discesserint, in eandem excommunicationem ipso facto reincidant.

Illicitaque bona incerta nō personarū habentes, Prioribus Congregat. ons assignare valeat.

§. 20. Et quia forsan nonnulli Congregationis, & Ordinis huiusmodi habitum assumentes, diuersis personis, quæ ignorari, & non reperiri possent, in aliquibus rebus, seu bonis obnoxij essent, eisdem Priori generali, Prioribus, & eorum Vices gerentibus concedimus, vt ipsorum singuli in locis sibi commissis bona ipsa in pios vsus liberè & licitè conuertere possint, prout secundum Deum melius viderint expedire.

Choro interesse aliqui excusantur, & alij à recitatione totius diuini officij.

§. 21. Volumusque quod qui ex præfatis Canonicis adeo Monasteriorum suorum officiis occupati, vt in choro interesse, & officium diuinum vix sine labore, & tædio dicere, ac ipsa eis ratione officiorum huiusmodi incumbentia charitatis opera implere nequeant, & qui ad diuinum huiusmodi officium dicendum adeo vel non docti, vel minus aperti pro tempore existunt, dummodo in sacris non sint ordinibus constituti, licet professionem emiserint, tamen ad persoluendum totum diuinum officium integrum minime teneantur, sed eorum Prælati habita suorum suppositorũ consideratione, vltra officium B. Mariæ Virginis, ad quod obligati remaneant, iuxta dispensationem eis creditam, si eorum animabus expedire videbitur, aliquid dicendum iniungant, quod cum animi alacritate valeant adimplere.

Sacris initiari possint à quocumque Antistite, & absque examinatione.

Hoc est correctum à Conc. Trid sess. 7. cap 11.

§. 22. Præterea decernimus, quod eiusdem Congregationis præsentes, & futuri, possint omnes etiam sacros ordines, ad quos per eorum Superiores præsentati fuerint, à quocumque maluerint Catholico Antistite, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente recipere, & huiusmodi Antistitem in ipsius Congregationis Monasteriis, & locis dumtaxat aduocare, ipseque Antistes Canonicos dictæ Congregationis à suis superioribus sibi pro tempore præsentatos, Apostolica auctoritate, absque alia licentia, & contradictione Diœcesani, & absq; quod alias illi propterea præiudiciũ generetur, nulla examinatione præmissa, statutis tamen a iure temporibus absque vlla promissione, aut obligatione ordinare, Missas inibi celebrare, Ecclesias, Altaria, & vasa consecrare, vestes benedicere, & alia pontificalia exercere.

Definitores Capituli generalis, & respectiue Generalis, & Visitatores, cum personis Congreg. in nullis dispensare possint.

Ad hæc vide const. Sixti V. n. 71. Cum de, & alia const. Clem VIII. n. 11 Quacumque

§. 23. Et vt Canonicis prædictis omnis vagandi adimatur occasio, Definitoribus Capituli generalis dumtaxat eiusdem Congregationis, cum quibusvis personis defectum Natalium ex adulterio incestuoso, & quovis alio genere nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus: necnon Generali, & Visitatoribus cum iis qui ex quavis causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, mutilationis membrorum irregulares forent, postquam Congregationem ipsam ingressi, & illam expresse professi fuerint, perpetuo dispensandi, vt defectu, & irregularitatibus huiusmodi non obstantibus, ad quoscumque etiam sacros, & presbyteratus ordines promoueri, & in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, & ad quæcumque officia, administrationes, seu dignitates prædictæ Congregationis aut illius Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum recipi, & assumi, illaque gerere & exercere liberè, & licitè, & absque dispensatione dictæ Sedis, quoties opus fuerit valeant, licentiam, & facultatem similiter concedimus, & etiam indulgemus. Similiter, quod præfatus Prior generalis, & Alij Abbates, Priores, & Prælati dictæ Congregationis pro tempore existentes, valeant in omnibus casibus in quibus de iure communi Prælatis, Canonicis dictæ Congregationis auctoritas, siue licentia seu dispensatio Ordinariorum (si ab eis exempti non essent) foret necessaria, cum eis auctoritate præfata dispensare, eisque dispensandi licentiam, & auctoritatem concedere.

Generalis corporalia & cætera, benedicit.

§. 24. Et præterea ipsi Priori generali pro tempore existenti, potestatem facimus sacrandi, benedicendique corporalia, vestes, & ea, quę sacris vsibus necessaria sunt.

Sacerdotes ante diē, &c. celebrant.

§. 25. Impartimur quoque, vt huiusmodi Congregationis sacerdotes in itinere constituti, aut alia causa subsistente ante diem, & vsque ad Nonam inclusiue Missam celebrare queant.

Vide Conc. Trid. sess 22. cap. quanta.

Altarique portatili vti valeant.

§. 26. Et Altare portatile, in ipsorum itineratione cum debita reuerentia, & honore habere, & super eo, in locis tamen congruis & honestis, Missas, & alia diuina officia celebrare, ac Sacramenta Ecclesiastica ibid. recipere.

Tu vide d. c. quanta.

Celebrare etiam possint tempore interdicti, &c.

Tu attende Conc. Trident. sess. 25. & 22.

§. 27. Et vbi generale, seu in aliquo speciali loco interdictum fuerit in Ecclesiis suis, ac in Altari portatili prædictis, & aliis quibuscumque locis honestis huiusmodi Missas, & alia diuina officia celebrare. Quod si contingat Ciuitates, Terras, vel loca in quibus Monasteria, seu loca dictæ Congregationis consistunt, Ecclesiastico supponi interdicto, vt Congregationis Prælati, Canonici, Conuersi, & Commissi, Nouitij, & Capellani, Moniales, siue Sorores, & oblatæ, seu commissæ personæ vtriusque sexus, quarum curam in spiritualibus gerunt, necnon laici intra septa Monasteriorum ipsorum, seu locorum pro tempore habitantes, & Procuratores, & Syndici, & negotia gerentes Monasteriorum, à præfatæ Congregationis Canonicis ad id deputatis, ianuis clausis, interdictis exclusis, & submissa voce, Missas & alia diuina officia audire, ac Ecclesiastica Sacramenta suscipere ipsique Canonici illa celebrare, & ministrare. aut eos cum decedere contigerit, in Ecclesiis suis præfatis libere, & licite sepelire possint & valeant, plenam licentiam concedimus, & facultatem. Necnon Prælatis, Canonicis, & personis Congregationis huiusmodi, quocumque nomine censeantur, elargimur; ne propter participationem etiam in diuinis cum excommunicatis, suspensis, & interdictis à iure vel statutis Ordinariorum, aliquam excommunicationis, vel censurarum aut peccati maculam incurrant, nisi ipsi excommunicati essent specialiter denuntiati.

Prælati Congreg. possunt cum personis illius circa irregularitatē, &c. dispensare & absoluere.

Tu vide nouā dispositionem Clem. VIII. in eius const. 115. Quacumque.

§. 28. Priorique generali, & Visitatoribus, ac singulis Prælatis dictæ Congregationis, & qui loco eorum constituuntur, præsentes, & futuri, qui nunc sunt & pro tempore erunt concedimus, vt cum Canonicis, Nouitiis, Conuersis, & commissis eiusdem Congregationis dispensatione indigẽtibus, siue priusquam intrauerint Congregationem & Ordinem huiusmodi, siue post, ac Monialibus, siue Sororibus, & oblatis, seu commissis personís vtriusque sexus, quarum curam, vt præmittitur, gerunt, in casibus quibus excesserint, & pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis sententias, à iure, vel ab homine generaliter promulgatas incurrerint, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis generali, vel speciali Ecclesiastico suppositis interdicto diuina officia celebrantes, vel suscipientes ordinem, sic ligati notam irregularitatis similiter incurrissent, & in omnibus aliis casibus, etiam ex causa cuiuscumque simoniæ, qualitercumque generaliter vel specialiter, Sedi prędictæ reseruatis (exceptis dumtaxat hæreticorum, relapsorum, schismaticorum, deferentium prohibita ad infideles, & literas Apostolicas falsificantium, quos omnino ad eandem Sedem remitti volumus) absolutionis, & dispensationis beneficium iuxta casuum exigentiam valeant impartiri, Canonici vero & alij, quos pro tempore Prior generalis, Visitatores, & Prælati prædicti in proprios habuerint confessores, eisdem Priori generali, Visitatoribus, & Prælatis, absolutionis, & dispensationis huiusmodi beneficium etiam concedere possint.

§. 29. Et

Confitentes ipse absoluunt à casibus omnibus hac non exceptis.

Tu vide d. const. Clem. VIII.

§. 29. Et cum sæpe contingat, quod ob singularem deuotionem, quam nonnullæ personæ ad Canonicos dictæ Congregationis gerunt ad eosdem pro earum salute animarum recurrant, eiusdem Congregationis Prælatis seu Canonicis à suis Superioribus ad audiendum huiusmodi personarum confessiones deputatis, quod personas ipsas accedentes audire, & personæ ipsæ eis absque alia eorum Superiorum licentia confiteri, necnon dictis Prælatis, seu Canonicis confessiones huiusmodi audientibus, dictos confitentes pœnitentia & satisfactione præuiis, quoties opus fuerit, ab omnibus & singulis peccatis Sedi prædictæ non reseruatis, & à quibuscumque suspensionum, excommunicationum, & interdicti sententiis, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, quas à iure, vel ab homine latas incurrisse quomodolibet constiterit, absoluere, & vota per eos pro tempore emissa in omnibus & singulis casibus locorum Ordinariis etiam per synodales, seu prouinciales constitutiones reseruans, in alia pietatis opera commutare, & desuper cum eisdem vouentibus dispensare (exceptis tamen censuris, pœnis, votis, & casibus, super quibus esset Sedes præfata merito consulenda) & ipsis confitentibus ac aliis omnibus, qui ad præfatos Canonicos ob huiusmodi deuotionem recurrerint, Eucharistiæ Sacramentum ministrare libere possint. Mandantes expresse Ordinariis, ac Rectoribus parochialium Ecclesiarum, ne eorum Parochianis, quod Canonicis dictæ Congregationis, non confiteantur, aliquo pacto prohibere, seu persuadere præsumant & nullatenus denegent ministrare huiusmodi confitentibus eisdem Canonicis quæcumque Ecclesiastica Sacramenta; dummodo aliquod canonicum, & rationabilis causa non subsistat.

Confessores sibi eligunt, & absolutionem ab omnibus casibus obtinent.

Tu attende d. const. Clem. VIII.

§. 30. Cupientes etiam animarum Canonicorum prædictorum saluti salubriter consulere, eis pariter concedimus, vt liceat ipsis, & cuilibet ipsorum, necnon Conuersis, Commissis, & Nouitiis suis, ac Monialibus, siue Sororibus, & oblatis, seu Commissis personis prædictis vtriusque sexus præsentibus, & futuris, semel in vita, & mortis articulo, quemcumque presbyterum ex Canonicis præfatæ Congregationis, in casu vero necessitatis alium presbyterum idoneum, tam sæcularem quam cuiusvis alterius Ordinis Regularem in suum eligere confessorem, qui confessionibus huiusmodi, diligenter auditis, pro commissis per eos criminibus, delictis, & peccatis, in omnibus, & singulis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, debitam absolutionem, & plenariam omnium peccatorum suorum remissionem possint auctoritate nostra impendere; & pœnitentiam iniungere salutarem. Ita tamen quod quilibet ex confitentibus huiusmodi, postquam congregationem ipsam fuerit ingressus, & antequam ad articulum mortis deueniat, teneatur (si clericus, vel presbyter fuerit) septem Psalmos Pœnitentiales, si verò conuersus, vel commissus fuerit, vel alia persona ex prædictis vtriusque sexus, quæ ipsos Psalmos Pœnitentiales legere nesciret, quinquagies Orationem Dominicam, & totidem Salutationes Beatæ Virginis, singulis septimanis per vnum annum dumtaxat, pro conseruatione Status Romanæ Ecclesiæ (legitimo tamen cessante impedimento) dicere, & omittentes alia vice supplere teneantur, ac possint dicendo quinquaginta vicibus dictos Septem Psalmos Pœnitentiales, communiter, vel diuisim huiusmodi debitum in integrum satisfacere: & si interim aliquem post inceptam, & non perfectam pœnitentiam huiusmodi ab hac luce migrare contingat, ipse nihilominus plenariam remissionem consequatur; dummodo intentionis fuerit illam, si superuixisset, perficiendi.

Indulgentias hic enunciatas consequuntur.

Tu vide nouã dispositionem Pauli V. in noua const. 16. Romanus.

§. 31. Concedimus præterea Canonicis, Conuersis, Commissis, & Nouitiis, ac Monialibus, siue sororibus, & oblatis, seu commissis personis vtriusque sexus prædictis, præsentibus, & futuris, qui in diebus in quibus stationes innonnullis, tam intra quam extra Almam Vrbem Ecclesiis consistentibus existunt, quinque Altaria Ecclesiarum Monasteriorum, seu locorum suorum, in quibus tunc eos moram trahere contigerit, deuotè visitauerint, & Psalmum Dauid: Miserere mei; videlicet illum scientes; alij verò quinquies Orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam, coram quinque Altaribus huiusmodi, pro felici statu S. R. E. dixerint, easdem concedimus indulgentias, perinde ac si dicti Canonici, Conuersi, Commissi, Nouitij, Moniales, & personæ personaliter Ecclesias Vrbis præfatæ, & extra, visitassent, & in defectu Altarium, alia pia, & deuota loca ad visitationem huiusmodi, & alia præmissa faciendum eligere possint, etiamsi eos extra Monasteria, & loca huiusmodi esse contigerit.

Legatorum Sedis Apost. mãdata, præter Congregationum constitutiones exequi non coguntur. Ad hæc vide correctionẽ Conc. Trid. sess. 25. capit. 12. & 13.

§. 32. Volumus insuper, quod dictæ Congregationis Prælati, vel Canonici literas Sedis prædictæ, aut ipsius Legatorum, seu delegatorum super administranda iustitia, executione facienda, visitatione, seu correctione exercenda, aut pro colligendis pecuniis, aut pro denuntiatione sententiarum, interdicti, & excommunicationis, aut pro recipienda cura Monialium, seu Religiosorum quorumcumque aut alio quovis negotio peragendo, ad eos tempore impetratas, & directas, acceptare, & in illis contenta exequi, & iuramentum de calumnia, vel veritate dicenda subire, aut testimonium perhibere, seu extra suas ciuitatem, & Diœcesim trahi ad quævis concilia prouincialia, & synodalia, aut Congregationes (quovis nomine censeantur) Ecclesiasticarum, vel laïcarum personarum, cuiuscumque dignitatis, aut status existant, etiam Apostolica auctoritate indicta, præterquam ad ipsius Congregationis Capitulum generale celebrandum, aut aliàs iuxta eorum ordinationes ire, vel mittere, aut processionibus publicis, aut funeralibus interesse inuiti minime teneantur. Sed neque ipsis inuitis, in eorum locis, & Monasteriis, per aliquos Episcopos, vel eorum Ordinarios, aut alias quascumque personas, sub excommunicationis pœna quam ipso facto contrafacientes incurrant, Missæ & alia diuina officia, neque mortuorum officium, etiamsi apud eos corpora defunctorum sepeliri contingat, quoquo modo celebrentur, ordines conferantur, vel agitentur causæ ciuiles, vel criminales, processiones conuocentur, aut synodus, conuentus, seu quævis Congregationes tam Ecclesiasticarum, quam laïcarum personarum fiant, imo quod neque ipsi Episcopi, seu Ordinarij, & alij quicumque ad huiusmodi loca accedere, seu in ipsis immorari, ipsis Canonicis, vt præmittitur, inuitis vllo modo præsumant. Inhibentes multo magis, quòd vt huiusmodi Congregationis loca, ad vsum, hospitium, habitationem, detentionem, & incarcerationẽ Ecclesiasticarum, & laicarum personarum deputentur, adstringi, seu cogi aliquo modo possint. Testimonia vero Prælatorum, Canonicorum, conuersorum, commissorum, & nouitiorũ dictæ Congregationis, in causis ipsorũ ciuilibus, & criminalibus, in iudicio, & extra, legitima, seu iuridica sint.

Exemptio Congr. à superioritate Ordinariorũ & in locis vbi est cura animarum.

Tu attende dispositionem Concil. Trid. sess. 25. c. 15.

§. 33. Præterea ne Congregationem ipsam, & illius Canonicos, per locorum Ordinarios quavis occasione, vel causa, & præsertim ratione Ecclesiarum Parochialium, seu aliorum locorum dictæ Congregationis pro tempore, quibus animarũ cura imminet, molestari cõtingat, & huiusmodi prætextu in Congregationẽ, & Canonicos prædictos aliquam superioritatem, seu dominiũ habere prætendant, ipsis quoque concedimus, & indulgemus, vt in Parochialibus Ecclesiis huiusmodi, possit Cõgregatio ipsa, seu ipsius Canonici, per se aut per presbyteros sæculares, aut Regulares, sui aut cuiuslibet alterius Ordinis (alias tamen habiles, & idoneos) ad ipsorum nutum deputandos, & amouibiles, animarum curam prædictorum Parochianorum, Ecclesiarum Parochialium huiusmodi, libere, & licite exercere: quodque ipsi Capellani, dum curam huiusmodi gerent, ea libertate, atque exemptione fungantur, & vbique fruantur, ac si ex Canonicis Congregationis, & Ordinis prædictorum existerent.

Mortuos in Ecclesiis eorum ipsi Canonici sepelire valeant.

§. 34. Sepulturam quoque in locis, Cæmeteriis, & Ecclesiis dictæ Congregationis concedimus, & eam liberam esse decernimus, ita quod deuotioni, & extremæ voluntatati eorum, qui in locis huiusmodi sepeliri voluerint, nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora sumuntur.

Exẽptio à iurisdictione & superioritate Episcoporum Inquisitorũ & aliorũ ommiũ. Quoad Episc.

§. 35. Et vt dictæ Congregationis Canonici diuinis beneplacitis quietius, & liberius insistant eosdem Congregationem, & illius generalem Priorem, Visitatores, & alios Prælatos, ac Canonicos, conuersos, commissos, nouitios, moniales, siue sorores, & oblatas, seu commissas personas

etiamsi per quoscumque exemptos persolui mandarentur, cum quibusvis derogatoriis, & fortioribus clausulis, nec eos ab eorum solutione cessando, censuras, & pœnas incurrere, nisi præsentibus de verbo ad verbum, & earum toto tenore inserto, & non per generales clausulas specialiter & expresse derogetur, & de ipsis omnimoda, & indiuidua mentio fiat. Nullusque ab eisdem de quibuscumque possessionibus vbilibet constitutis, quæ in præsenti sunt, vel in futurum erunt Monasteriorum, Prioratuum, & bonorum dictæ Congregationis Sancti Saluatoris, ac Monialium, siue Sororum, & oblatarum personarũ huiusmodi vtriusque sexus, quæ illius Prælati, Canonici, Moniales, siue Sorores, & dictæ personæ oblatæ colunt, seu coli faciunt, & in futurum colent, seu coli faciẽt, ex hortis, virgultis, piscationibus, vel de nutrimentis animalium primitias, decimas, quartesia, aut quocumque nomine nuncupata alia iura, exigere, vel extorquere præsumat, nec ipsa illa cuiquam soluere sint adstricti.

Priu legium quæcumque Monasteria bona acquisita pacifice possidendi, & alia de nouo acquirendi. Quoad noua Monasteria construenda, vide sanctionẽ Clem. VIII. in const. sua 99. Quoniam

§. 41. Præterea quascumque possessiones, bona, iura, & iurisdictiones, ad ipsa Monasteria, loca, Ecclesias, capellas, Oratoria, & Hospitalia, tam præsentia, & futura ipsius Congregationis, & eius Monialium, siue Sororum, seu oblatarum personarum, in quibuscumque Mundi partibus constituta, & pertinentia quarum nomina & cognomina hic haberi volumus pro expressis, quæ in præsentiarum Canonici, Moniales, siue Sorores, & oblatæ personæ vtriusque sexus huiusmodi Congregationis, iuste, & canonice possident, & in futurum, Pontificum concessione, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, vel aliis iustis modis præstante Domino poterunt adipisci, ipsis Monasteriis, capellis, & Oratoriis, Hospitalibus, præsentibus & futuris firma, rata, & illibata seruari volumus, decernentes vt nulli omnino hominũ liceat præfata Monasteria, siue loca, vt præfertur, exempta, res, & bona mobilia, & immobilia, possessiones, domos, molendina, aquas piscarias, iura iurisdictiones temere perturbare, aut illa, seu illorum aliquod auferre, vel ablata retinere, occupare, seu quibuslibet vexationibus fatigare, quod si aliqua Ecclesiastica sæcularisve persona cuiuscũque gradus vel conditionis existat, etiamsi Pontificali dignitate præfulgeat, contra hoc nostræ exemptionis, liberationis, decreti, concessionis, defensionis, conseruationis, & libertatis indultum venire, dicta bona, iura, iurisdictiones, exemptiones, & indulta, vel aliquid eorum violando, occupando, turbando, vel diminuendo, seu indebite fatigare præsumpserit, nec facta ei notitia de huiusmodi nostro indulto, infra tres dies se correxerit, aut idoneam cautionem de satisfaciendo præstiterit, excommunicationis sententiã ipso facto incurrat, à qua, nisi dicta satisfactione præstita, præterquam in articulo mortis, & tunc de satisfaciendo per se, si superuixerit, aut per suos, vel successores idoneos præstita cautione, nequeat absolutionis beneficium obtinere. Volumus autem, quod præfatæ Congregationis, & eius Monialium, siue Sororũ, ac oblatarum personarum vtriusque sexus Monasteria, & loca, hæreditates, legata, & fideicommissa per medias personas Canonicorum, Monialium, siue Sororum, & oblatarum personarum huiusmodi, aut alias qualitercumque ad ea delata bona, mobilia, & immobilia, in quibuscumque ciuitatibus & locis, quovis titulo acquirere, ipsique Canonici, Moniales, siue Sorores, & personæ illæ pro se, & eorum Monasteriis petere, & exigere possint, vndecumque vel qualitercumque eis debeantur, & quæ petendi, & exigendi (si in sæculo remansissent) ius haberent.

Præscriptio 60. annorum tantum curris contra Congregationem istam.

§. 42. Et contra præfatæ Congregationis, ac illius Monialium, siue Sororum Monasteria, loca, personas, & bona tam in præteritis quam in futuris, aliqua non currat præscriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum.

Facultas Congreg. alienandi bona.

§. 43. Vtque circa vtilitatem, & commodum Monasteriorum Ecclesiarum, & locorum suorum huiusmodi, ac illorum iurium magis intendere valeant, Capitulo generali Cõgregationis prædictæ, ac illius pro tempore Priori generali cum Visitatoribus, per præsentes impartimur auctoritatem concedendi Abbatibus, Prioribus, Præpositis, & Capitulis Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum suorum ac præfatarum Monialium siue Sororum, quarum curam gerunt, licentiam permutandi, seu alienandi, quoties opus fuerit, vel in emphiteusim, vel libellum, & affictum, perpetuo vel ad tempus, quibusvis personis etiam sæcularibus, pro condecenti annuo canone, seu censu, quæcumque bona immobilia Congregationis prædictæ, ac illius Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum, seu prædictarum Monialium, siue Sororum, pro ipsorum tamen euidenti vtilitate.

Facultas alia loca suscipiendi.

Tu intellige iuxta bullam 99 Clem. VIII. Quoniam.

§. 44. Concedimus insuper motu, scientia, & potestate prædictis, vt omnia, & quæcumque loca, Ecclesias etiam Parochiales, & cuiuscumque Ordinis sint, aut conditionis, Cõgregationi, & Canonicis prædictis per quoscumque oblata apprehendere, & capere possint harũ nostrarum vigore, & absque alia Sedis prædictæ cõcessione.

Facultas paciscendi in locorum susceptione.

§. 45. Necnon Priori generali, Visitatoribus, & aliis Abbatibus, Prioribus, & Prælatis præfatis, aut aliis per Congregationem huiusmodi ad id pro tempore deputatis, in vnionibus, annexionibus, incorporationibus, & reformationibus, seu receptionibus, Monasteriorum, Prioratuum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pro ipsa Congregatione faciendis cum Prælatis, & personis, Monasteria, seu beneficia huiusmodi per eos obtenta, in Congregationis huiusmodi, seu alicuius illius particularis Monasterij commodum dimittere volentibus, conuentiones, & pacta (quæ illicita, & quando Apostolica confirmatione carerent expresse prohibita censerentur) inire, ac Monasteria, Prioratus, & alia beneficia quæcumque quæ hactenus conditionibus, & pactis huiusmodi interuenientibus acquisierunt retinere, ipsaque conuentiones, & pacta obseruare absque eo, quod aliquam propterea simoniæ labem incurrant, libere & licite valeant.

Monasteria Congreg. per eius Prælatos regantur.

§. 46. Monasteria autem, & Prioratus, quæ nunc sunt, & pro tempore erunt, etiam vnita præfatæ Congregationi, per Prælatos dumtaxat eiusdem Congregationis regantur, & gubernentur, & quoties illa vbicumque etiam apud Sedem prædictam, & qualitercumque vacare contigerit, etiamsi speciales, vel generales de illorum prouisionibus, seu dispositionibus per dictam Sedem reseruationes factæ fuerint, generale Capitulum, si tunc celebretur, alioquin generalis Prior, & Visitatores, illos ex eiusdem Congregationis Canonicis præsentibus & futuris, etiam defectum Natalium ex quibusvis personis patiẽtes quos ad id idoneos fore crediderint, in Prælatos tunc vacantiũ Monasteriorũ, & Prioratuum huiusmodi, alias secundum consuetudines, constitutiones, ordinationes, & statuta prædictæ Congregationis eligere seu nominare, & ad eorum nutum, & beneplacitum taliter electos seu nominatos, à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censeantur, absoluere, & amouere, præfatique sic electi, & nominati, absque alicuius dictæ Sedis, vel alterius prouisionis, seu dispensationis adminiculo, etiam præter hoc, quod eis benedictionis munus impendatur, ipsis Monasteriis, & Prioribus, ad quæ sic electi, vel nominati fuerint, præesse, & illa in spiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare, & omnes actus ibidem exercere, & insignia deferre, ac si munus huiusmodi suscepissent. Et si continget, vt vnus sic electus nominatus aliqua legitima causa abesset à Monasterio, & Prioratu, cui fuerit deputatus, ordinamus, quod alteri, eius durante absentia, commissa huiusmodi administratione in spiritualibus, & tẽporalibus, iuxta eorum constitutiones & statuta, præfato ipsi absenti, si fuerit opportunũ, præfatæ congregationis aliud Monast. in spiritualibus & temporalibus, auctoritate etiam Apost. regendum, & gubernandum, dictum capitulum, seu pro tempore Prior generalis cum Visitatoribus committere possit, & valeat. Nec propterea ex Monasteriis ipsis vnum alteri censeatur esse subiectum, sed eis in pristina sua libertate manentibus, ea necessitudinis adminiculo copulata, sub felici dictæ Congregationis regimine, sibi vniformi Regularis obseruantiæ gressu inuicem suffragentur. Nihil igitur ex dictis Monasteriis, vel Prioratibus, aut aliis dictæ Congregationis locis, per quascumque literas Apostolicas, etiam motu simili, & cum reseruationibus, ac quibuscumque derogatoriis, per quas effectus præsentium quomodolibet impediri, vel differri possit clausulis, concessas hactenus & in posterum concedendas, per aliquem

de dicta Congregatione vel extra eam, cuiuscumque status, gradus, ordinis, seu conditionis, etiam si Cardinalatus honore, aut Pontificali, vel alia quavis dignitate praefulgeat, in titulum, seu commendam, aut administrationem, vel alias obtineri, seu si super alicuius, illorum fructibus, redditibus, & prouentibus aliqua pensio seruari, concedi, vel assignari, seu ius sibi desuper acquiri, vel aliquis contra praesentium tenorum quovis quaesito colore, etiam praetextu quorumcumque conuentorum seu pactorum, tanquam simoniacorum, quempiam de dicta Congregatione super aliquo ex Monasteriis, Prioratibus, & locis praedictis ratione tituli, siue commendae, vel administrationis, aut pensionis huiusmodi, vel aliàs impetere, seu molestare valeat. Nullaque deinceps ex beneficiis Ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, ad collationem vel prouisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem Abbatum, vel Priorum, ac Conuentuum, Monasteriorum, & aliorum locorum dictae Congregationis communiter, vel diuisim pro tempore pertinentibus, etiam qualitercumque beneficia ipsa, & vbicumque, praeterquam apud Sedem praedictam vacare contigerit, dummodo, dispositioni Apostolicae generaliter reseruata non fuerint, sub gratiis, & expectatiuis, vt prouisionibus seu aliis dispositionibus dictae Sedis, facultatibus, seu indultis de conferendis beneficiis Ecclesiasticis vacantibus, vel vacaturis, quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis fuerint, aut quavis etiam dignitate Pontificali praefulgeant, ab eadem Sede quomodolibet concessis, & in antea concedendis quomodolibet cadant, seu comprehendantur, sed ipsorum beneficiorum collatio, prouisio, praesentatio, seu electio, & dispositio illorum occurrente vacatione praemissis non obstantibus, ad Abbates, & Priores, & Conuentus praefatos, libere, & absque aliquo etiam praefatae Sedis praeuentionis impedimento pertineant, & spectent, ac beneficiis ipsius nullus alius quam Abbates, seu Priores, & Conuentus praedicti quarumcumque facultatum, & indultorum sibi à Sede vel Legatis praefatis qualitercumque & sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam motu simili concessorum, & concedendorum vigore, vel praetextu disponere valeat quoquo modo, ac omnes, & singulae gratiae, expectatiuae, & acceptationes, prouisiones, dispositiones, collationes, & literae Sedis praedictae, & illius Legatorum huiusmodi, facultatesque & indulta super collationibus beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium, seu vacaturorum quibusvis, etiam vt praefertur, qualificatis personis, & cum praedictis clausulis pro tempore concessa, processusque desuper pro tempore habiti, etiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque Ecclesiasticas sententias, censuras, & poenas in se continentes, quoad beneficia, ad collationem, prouisionem, praesentationem, electionem, aut aliam dispositionem Abbatum, & Priorum, ac Conuentuum praedictorum respectiue spectantia huiusmodi, ac totum id quicquid in contrarium à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, omni prorsus careant firmitate. Sed neque per quascumque reuocationes, cassationes, seu annullationes quarumcumque vnionum, annexionum, incorporationum, & appropriationum de quibusvis Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, siue locis Ecclesiasticis, per nos seu successores nostros Romanos Pontifices, aut eorum aliquem in genere, vel in specie, seu quibusvis verborum formis, vel expressionibus de caetero forsan faciendis, nullum dictae Congregationi super vnionibus, incorporationibus, approbationibus, & innouationibus quorumcumque Monasteriorum, Ecclesiatum, Prioratuum, aut aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, per nos & Sedem praedictam Congregationi, vel in eius fauorem faciendis praeiudicium inferatur, sed illae omnes etiam post reuocationes, cassationes, & annullationes praedictas, in suo robore inconcussae persistant in omnibus, & per omnia, ac si quoad eas, & ipsarum singulas aliqua reuocatio, annullatio, & cassatio nullatenus emanassent, nisi dũ, & quãdo ipsae super vnionibus, concessionibus, & appropriationibus, seu donationibus confectae literae, in reuocationum, cassationum, & annullationum literis, constitutionibus, & ordinationibus huiusmodi de verbo ad verbum insererentur, ac in eis specialis, expressa, & indiuidua de ipsis Monasteriis, & locis, ac Congregatione mentio fieret, necnon irritum, & inane totum, & quicquid in contrarium quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 47. Necnon quòd deinceps per quascumque reuocatorias, seu alias Apostolicas concessiones, vel literas, quibuscumque verborum formis aut tenoribus, vel clausulis derogatoriis, etiam si illae, motu, & scientia similibus emanauerint, nulla ex praedictis concessis, & quae eidem Congregationi pro tempore concedentur, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, indultis, priuilegiis & concessionibus quomodolibet reuocari, cassari, vel annullari, seu ipsis, vel ipsorum, seu quibusvis in eis contentis particulis, & clausulis derogari valeat, nisi in derogatoriis, vel aliis literis, seu cassationibus huiusmodi, illa vel illae ex literis quae reuocari, aut cassari, seu annullari viderentur, aut cui vel quibus derogari appareret, eorumque totus tenor de verbo ad verbum integre insereretur, & de omnibus, & singulis Congregationis huiusmodi Monasteriis nominatim specifica mentio fiat, ac in eiusdem reuocatoriis, cassatoriis, vel aliis literis, manifeste, & expresse appareat, quòd Romanus Pontifex priuilegiis, indultis, & literis, de quibus tunc actum fuerit, voluerit specialiter derogare, vel illa reuocare, aut cassare, seu annullare, & tunc demum vrgens, sufficiens, & rationabilis, per quam derogatio, reuocatio, cassatio, vel annullatio ipsa merito fieri debeat, causa exprimatur, aliàs derogationes, reuocationes, cassationes, irritationes, & annullationes, & quaecumque exinde subsecuta nullius sint roboris, vel momenti, ipsis concessis literis, priuilegiis, indultis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus in suo pristino, plenario, atque integro robore duraturis. *Clausula huius bullae & concessionis praeseruatiua.*

§. 48. Et si quando per aliquem, aut plures actus contra ea, aut ipsorum aliquod à quocumque cuiuscumque conditionis, dignitatis, gradus, aut status fuerit, ex negligentia, vel ignorantia praesentium, quibus haec conceduntur, aut alia quavis causa, scienter, vel ignoranter attentari, vel pro tempore obseruari contingat, nullum tamen propterea exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis, & priuilegiis huiusmodi praeiudicium generetur: sed ea omnia, & singula, in suis robore, & firmitate permaneant. *Decretum irritans.*

§. 49. Praeterea statuimus, & decernimus, quod vniuersae, & singulae personae in dignitate Ecclesiastica vbilibet constitutae, & alias de iure communi habiles, & idoneae ad causas audiendas, cum aliquae ex eisdem personis pro parte eiusdem Congregationis S. Saluatoris, seu Prioris generalis, aut aliorum ex Congregatione huiusmodi, ac quos spectabit, fuerint requisitae, per se, vel aliũ, seu alios, praemissa, vbi & quando opus fuerit, publicare, ac eidem Congregationi, & Canonicis, illorumque Ecclesiis, & Monasteriis, membris, locisque praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant ac faciant Congregationem ipsam, illiusque Canonicos, Moniales, siue Sorores, & personas, ac eorum Monasteria, loca, & bona quaecumque, pacifica possessione, vel quasi priuilegiorũ, & concessionum huiusmodi libere gaudere, & non permittant eos, seu testamentorum executores, & haeredes praedictos, contra illorum tenores, per Ordinarios, & Rectores Parochialium Ecclesiarum praedictos, seu alios quoscumque indebite molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, quinimo dictae Congregationi, ac illius Canonicis praedictis in quibuscumque casibus, seu causis, tam Ecclesiasticis quam profanis per eos coram dictis personis contra quascumque alias personas cuiuscumque qualitatis, conditionis, gradus, ordinis, dignitatis, nobilitatis, praeeminentiae, & status fuerint, etiam quaecumque mundana, vel Ecclesiastica, aut Patriarchali praefulgeant dignitate, seu exemptione monendis summarie, & de plano, ac sine strepitu, ac figura iudicij, sola facti veritate inspecta, auctoritate Apostolica ministrent iustitiae complementũ, denuntiẽtque palam, & publice, omnes & singulos excommunicatos, quos eis constiterit censuras, & alias poenas incurrisse, ac faciãt eos ab omnibus arctius euitari, & vbique pro *Publicatio huius bullae demandatur vnà cum eius obseruantia.*

excommunicatis, suspensis, & interdictis nuntiari, & legitimis desuper factis processibus, illos quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauent, seu aggrauari procurent, contradictores quoslibet per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad præmissa, seu aliquod eorum, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, super quibus omnibus eis facultatem concedimus per præsentes. Volumus autem, quòd vniuersæ, & singulæ personæ, quibus causæ auctoritate literarum Apostolicarum delegari possent, dum, & quoties pro parte Prioris generalis, & aliorum Abbatum, Priorum, & Conuentuum, ac Canonicorum, aut Monialium, seu Sororum, ac personarum Congregationis huiusmodi, vel alicuius eorum fuerint legitime requisiti, ad exequutionem quarumcumque literarum dictæ Sedis conseruatoriarum nuncupatarum, ac præmissarum præfatæ Congregationi, vel eius Monasterijs, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conuentibus, aut Monialibus, seu Sororibus, & personis contra illis inferentes molestias, iniurias, grauamina atque damna, concessarum hactenus, & in posterum concedendarum perpetuis futuris temporibus, procedant per se, vel alios, alias iuxta earundem conseruatoriarum literarum continentiam atque formam, in omnibus, & per omnia, perinde ac si ipsæ non seruatoriæ literæ à principio directæ, eisque vt quamvis alias conseruatores esse non possent, illas exequerentur, expresse mandatum, & super hoc concessa facultas fuisset.

Derogatio quorumcumque contrariorum.

§. 50. Non obstantibus Natalium defectu, ac Lugdunen. Concilij, & piæ memoriæ Innocentij Quarti circa exemptos editæ, quæ incipit, Volentes, & Martini Quinti, necnon Bonifacij Octaui, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, quibus cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem, & Diœcesim, nisi certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede prædicta deputati, extra Ciuitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali, necnon quæ incipiunt, Super cathedra, eiusdem Bonifacij Papæ, & Dudum Viennensis Concilij, ac piæ memoriæ Callisti Papæ etiam prædecessoris nostri, & alijs literis, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam quorumcumque aliorum Pontificum similiter prædecessorum nostrorum, vel etiam in prouincialibus, & synodalibus Concilijs editis, necnon specialibus, & vel generalibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum Regularium locorum, etiam dictæ Congregationi vnicorum, & illorum, ac prædictorum, & quorum ipsa vnita Monasteria, Prioratus, & loca extiterint Ordinum, & inter quoscumque eiusdem Congregationis S. Saluatoris Canonicos, ac locorum Ordinarios, seu Rectores prædictos initis, & conclusis, ac hactenus obseruatis pactis, & conuentionibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, & indultis, & literis Apostolicis quibusvis Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegijs, Ecclesijs, Monasterijs, Ordinibus, & alijs locis, Capitulis, Conuentibus, & personis, etiam motu, & scientia similibus, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis, concessis hactenus, & in posterum concedendis, aut si Patriarchis, Episcopis, & Rectoribus præfatis, vel quibusvis alijs, coniunctim, vel diuisim à Sede præfata indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut vltra, vel extra certa loca ad iudicium euocari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, quibus omnibus etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, eorum tenores etiamsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat eisdem motu, & scientia, specialiter, & expresse derogamus, necnon omnibus illis, quæ præfati prædecessores in singulis per eos Congregationi huiusmodi concessis literis voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Fides danda transumptis huius bullæ.

§. 51. Et quia difficile foret præsentes literas ad singulas prouincias, & loca opportuna, vbi necesse foret, destinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd transumptis earum manu Notarij publici subscriptis, & alicuius Archiepiscopalis, vel Episcopalis seu alterius Curiæ sigillo munitis, ea prorsus in iudicio, & extra vbicumque exhibita, vel ostensa erunt, fides adhibeatur, ac si ipsæ originales literæ forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 9. die 2. Apr.

Dat. Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, 1512. 4. Nonas Aprilis, Pont. nostri Anno 9.

Damnatio Conciliabuli Pisani, cum omnibus in eo secutis. XXXI.

Eiusdem damnatio est etiam supra in constitut. 27. Sacrosancta, §. 15.

Edita An. D. 1512.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Approbatio contentorum in alia bulla, quarum una est indicata hic in rubr. alia autem non, necessaria tamen præmissa.

CVm inchoatam huius sacri Lateran. Concilij celebrationem, ad Dei laudem, vniuersalis Ecclesiæ pacem, fidelium vnionem, schismatis, & hæresum euersionem, morum reformationem, ac contra perfidos fidei hostes expeditionem, Altissimi dextra assistente prosequi intendamus, vt omnium schismaticorum, & pacis hostium latrantium canum ora obturandantur, vniuersi Christi fideles valeant à tam pestifero, & venenoso contagio se immaculatos seruare, in hac præsenti secunda sessione in Spiritu sancto legitime congregata, indictionis, conuocationis, & publicationis, schismaticæ conuenticulæ, & assertri conciliabuli Pisani, ad scindendum, & scandalizandum Ecclesiæ præfatæ vnionem emanatarum, citationum, monitionum, decretorum, absolutionum, sententiarum, actorum, legatorum, creationum, obedientiarum, subtractionum, assertarum censurarum appositionum, ipsiusque conciliabuli translationis, ad Mediolan. vel Vercellen. Ciuitates, aut alia loca quæcumque, omniumque, & singulorum in dicto Conciliabulo gestorum, & conclusorum reprobationes, damnationes, reuocationes, cassationes, irritationes, & annullationes per nos habita cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Card. deliberatione matura, & de eorundem fratrum consilio, & vnanimi consensu, ac ex certa scientia, & de Apost. potestatis plenitudine, per diuersas nostras literas respectiue præsertim sub dat. die 15. Kal. Augusti Pont. nostri Anno 8. ac 3. Non. Dec. & Idibus Aprilis eiusdem Pont. Anno 9. editas, factas, & emanatas, literasque ipsas cum decretis, declarationibus, inhibitionibus, mandatis, hortationibus, interdictorum Eccles. appositionibus, & alijs sententijs, censuris, & pœnis, tam à canonicis sanctionibus, quam à nobis, maxime in literis indictionis huius sacri vniuersalis Concilij, ac omnibus, & singulis alijs clausulis, in dictis literis contentis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro expressis haberi volumus, licet vt firma & valida, nulla alia confirmatione, aut approbatione egerent, ad abundantiorem cautelam, & veritatis manifestationem, hoc sacro approbante Concilio confirmamus, approbamus, & innouamus, illaque inuiolabiliter obseruari volumus, statuimus, & ordinamus, supplentes omnes, & singulos defectus si qui forsan interuenerint in eisdem.

Damnatio Conciliabuli Pisani.

§. 1. Necnon Conciliabulum præfatum, illiusque translationem, ac omnia & singula per ipsum Conciliabulum, illique assistentes, adhærentes, fautores, & consentientes, directe, vel indirecte quomodocumque, & qualitercumque à die indictionis ipsius Conciliabuli vsque in præsentem

diem, acta, facta, & gesta, & prolata, ac in posterum gerenda, agenda, facienda, & proferenda etiamsi talia sint, vel fuerint de quibus specialis, specifica, expressa, ac indiuidua mentio habenda foret, illorum tenores, & qualitates etiam pro expressis habentes, vt alia adulterina, & à veritate deuiantia Concilia, & in eis gesta, à iure, factisque Canonibus damnata, & reprobata fuerunt, damnamus, & reprobamus, ac prout sunt, nulla irrita, & inania, nullius que roboris, vel momenti fuisse, & esse nunciamus, & quatenus opus sit cassamus, irritamus, & annullamus, ac pro cassis, irritis, & annullatis haberi volumus.

Validatio Lateranensis Concilij indicti vt sup. §. 2. Et nihilominus hoc sacrum Concilium oecumenicum, iuste, rationabiliter ac ex veris, & legitimis causis, riteque & recte indictum celebrari inceptum, omniaque & singula, quæ in eo facta, & gesta sunt, & de cetero fient, & gerentur, iusta, rationabilia, firma, & valida fore, ac idem robur, eamdemque vim, potestatem, auctoritatem, & firmitatem habere, & obtinere, quæ alia Concilia generalia, præsertim Lateranensia à sacris Canonibus approbata, habent, & obtinent, hoc eodem sacro Concilio approbante decernimus, & declaramus.

Prorogatio eius tertiæ sessionis pro die 4 Nou. 15.12. §. 3. Insuperque temporum dispositione, æstiuisque caloribus instantibus, vt commoditati, & valetudini Prælatorum consulatur, Vltramontanique & trans mare existentes, qui hactenus ad hoc sacrum Concilium venire non potuerunt, expectentur, propterque alias iustas, & rationabiles causas, præfato sacro Concilio notas, & ab eo approbatas, tertiam sessionem continuationis celebrationis Concilij præfati, tertio nonas Nouemb. proxime futuri faciendam, hoc præfato sacro Concilio similiter approbante indicimus, omnibusque & singulis Prælatis, & aliis in eodem * Concilio tunc existen. à Romana Curia recedendi, & pro eorum voluntate vbi eis placuerit morandi, dummodo dicta 3. Nonas Nouemb. in præfato Concilio Lateranensi cessante legitimo impedimento de quo clare constet, sub pœnatum in literis indictionis ipsius Concilij; & Canonicis sanctionibus contra non accedentes ad Concilia indictarum incursu præsentes existant, licentiam, & facultatem, præfato sacro Concilio etiam approbante, concedimus, & indulgemus. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

** nunc*

Dat. P. An 9. die 17. May. Dat. Romæ, in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, 1512. 16. Kal. Iunij, Pont. nostri Anno 9.

LEO DECIMVS PONT. CCXXI. ANNO DOMINI MDXIII.



LEo X. Florentinus, Ioannes Medicus anteà dictus, Laurentij filius, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica, Creatus Idibus Martij 1513. Coronatus 4. Id. Aprilis eodem anno. Vixit annos 8. menses 8. & dies 11. Creauit Card. 24. Obiit anno 1521. Kalend. Dec. sepultus fuit in Basilica Principis Apostol. postea translatus fuit in Eccles. S. Mariæ super Mineruam. Vacauit sedes dies 40.

Reintegratio Inclyti Populi Rom. ad sua priuilegia, gratias, & officia. I.

Hæc omnia Paul. III. dies 27. Septembris 1537. confirmauit, sed eius const. vti simpliciter confirmatoriam omisi. Aliam verò concessionem gratiarum dedit Paul. IV. die 28. Nouemb. 1555. quam minus necessariam existimaui. Et Innoc. IX. in sua const. 2. Ad Romanum. Quo verò ad priuilegium fori Romanorum, vide const. 34. Pij IV. Dilectos. vbi notabo.

L E O E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1513.*

Proœmium. DVM singularem fidei constantiam, & eximiæ deuotionis affectum, quos Dilecti filij Populus Romanus erga nos, & Romanam ab eius exordio gessisse semper, & gerere comprobantur Ecclesiam, vigili meditatione pēsamus, dignum, quin potius debitum arbitramur, vt Ecclesia ipsa sic suæ in eos gratiæ dona diffundat, vt à quibus præcipue in matrem, & dominam, diuina fuit dispositione recepta, per mutuæ beneuolentiæ ministerium, vberioraque in dies largitionis munera in peculiares, ac dilectissimos filios, magis adoptasse noscatur.

Popul. Rom. multas gratias obtinuit à plerisque Pont. quibus tamen non fruebatur. §. 1. Sane felicis memoriæ Eugenius Quartus, Nicolaus Quintus, Callistus Tertius, Pius Secundus, Paulus etiam Secundus, Sixtus etiam Quartus, Innocentius Octauus, Alexander Sextus, & Iulius similiter Secundus, & nonnulli alij Rom. Pontifices prædecessores nostri, diuersa eidem Populo priuilegia, indulta, & gratias, concesserunt quæ sicut Dilecti filij Nobiles viri Magister Ioannes Hieronymus de Benzonibus, decretorum Doctor, de maiori præsidentia Abbreuiator, & Stephanus de Carbonibus, ac Marius Particappa, Conseruatores, & Franciscus Cincius Prior Capitum Regionum Vrbis, necnon Magistri Paulus de Planci, Baptista Paulinus, Iulius de Alberteschis, Aulæ nostræ Consistorialis Aduocati, & Marius Salamonius, vtriusque iuris Doctores, & Franciscus de Leuis, & Marcus Antonius de Alteriis, & Bernardinus de Militibus, ac Iacobus de Frāgipanibus, & Hieronymus Pichus, ac Bartholomæus de Valle, Romani Ciues, eorundem Conseruatorum Consiliarij, super id per ipsos Conseruatores electi, ac Petrus de Simeriliis Fisci nostri Romani procurator, nobis ipsius Populi nomine exposuerunt, ob passim vnicuique petenti concessas illorum derogationes, & eorundem Populi negligentiam, vel alias partim nunquam in obseruantiam deducta, vsuue recepta, partim per dissuetudinem abrogata propemodum, sunt.

Quas omnes hic Pont innouat & confirmat. §. 2. Nos igitur Populum præfatos non minoris caritatis affectu, quam prædecessores præfati prosecuti sunt, prosequi volentes, ac omnium, & singulorum priuilegiorum, indultorum, & gratiarum prædictarum, singularum super illis confectarum literarum tenores, de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, Motu proprio, non ad ipsorum conseruatorum, Priores, & consiliatiorum, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, priuilegia, gratias, indulta, & literas prædicta, etiam quæ in causis ad forum capitolinum spectantibus, cōmissiones quaslibet, præterquam quæ Romani Pont. sint manu propria subscriptæ prorsus excludunt, & Tribunalia, ac causarum tam ciuilium quam criminalium, in eadem Vrbe, cognitiones distinguunt, necnon Statuta, & consuetudines dictæ Vrbis, reformationes illorum, etiam iuramenti validitatem in certis ibi expressis casibus restringentia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, approba

approbamus, & innouamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere, & etiamsi hactenus ex præmissis, vel quibusvis aliis causis obseruata non fuerint, ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere, decernimus, potiorique pro cautela ea omnia, & singula, prout per dictos prædecessores concessa fuerunt, eisdem Populo gratiose concedimus.

Officiaque multa eidem Populo restituit & donat. De his officiis vide plene in nouis Statutis Vrbis lib. 3.

§. 3. Et vt eisdem populo in eorum priuata commoda de alicuius subuentionis auxilio consulatur, Protonotariatus Curiæ Capitolij (quod Hospitali nostro Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe,) Et Notariatus (quod Secretariorum nostrorum, & Marescallatus) Æstimatoriatus Stateræ, Mandatariatus; Et Transtiberorum Ripæ, & Ripettæ officia (quæ Præsidentium Annonæ earundem Ripæ & Ripettæ, dilectorum filiorum Collegiis, dicta olim fuere auctoritate perpetuo vnita, annexa, & incorporata) ab Hospitali, & quibus pro iis certam tunc expressam recompensam, per alias nostras literas concessimus, quibus non intendimus præiudicare, nec solita emolumenta auferre, nisi pro ea summa pro qua recōpēsa data fuerit Collegiis prædictis, respectiue segregantes, & separantes ea. Ac pecuniarum Cameræ (sine tamen ipsius exercitio & emolumētis ex ipso exercitio prouenientibus, quæ capita Solidorū appellant) & Gabellæ Vini Forensis de eadem Vrbe Depositariatū, cum consuetis. Ac præfatæ Ripæ, Ripettæ; Pecudumq; & Merciū, ac Annonæ grascæi nuncupatæ, necnon Salis ad grossum, & ad minutum Dohaneriatuum, cum centum viginti pro quolibet Dohaneriatu, & omnium earundem Dohaneriatuum Notariatuum, cum Quadraginta octo Florenorum auri pro quolibet Notariatu Salariis, per conductores ipsarum Dohanarum, ex earum prouentibus, singulis annis in quatuor terminis, Dohaneriis, & Notariis pro tempore existentibus integre persoluendis, ita tamen quod emptoribus & conductoribus dictarum Dohanarum, & Gabellarum propterea nullum præiudicium circa administrationem officij inferatur, sed solum deferre possint extorsiones indebitas & insolitas, quæ fierent Cameræ Apostolicæ, & sine præiudicio in illis emptionis aut pignoris, vel simplicis ab aliquo ex prædecessoribus nostris concessionis tituli ius habentium, quandiu tituli ipsi durauerint dumtaxat. Ita quod liceat ipsis Conseruatoribus, & Populo restitutis pretus pro quibus empta, aut pecuniis pro quibus pignori obligata sint, illa simili vel successiue redimere, extraordinariatus maioris, Notariatus etiam maioris & Scriptoriæ & Marescallatus Cameræ, & Gabellariatus maioris Vrbis prædictarum. Et Salinarum, Portarum, & Pontium, siue Palatij dictorum Cōseruatorum Marescallatus, & eiusdem Palatij Notariatus, ac Camerariatus Ripæ & Ripettæ. Ac alia quæcumque Vrbis officia, olim per Ciues Romanos exerceri solita, Portasque, & dictæ Vrbis, cum omnibus eorum solitis honoribus, oneribus, salariis, & emolumētis dictis Populo donamus, & elargimur. Statuentes, & ordinantes quod ex nunc de cætero in perpetuum, tam Portæ, & Pontes huiusmodi, quam Conseruatoriatus, Capitum regionum, Marescallatuum de tracta nuncupatorum, Paceriatus, Magistratuum Stratarum, & Iustitiariorum, Syndicorum, Senatoris, & officialium Vrbis, Reformatorum Studij, & Paceriorum, ac Syndicorum, Assesseriatuum, & Notariatuum eorundem, ac quæcumque alia præfatæ Vrbis officia per Ciues huiusmodi, vt præfertur, exerceri solita, diuisis etiam in plures, ad Populum, portiones illorum vel aliquorum ex eis, fructibus, redditibus, & prouentibus, iuxta prouidam dictorum Conseruatorum, & Prioris, ac eorum Consiliariorum ordinationem desuper faciendam, in pixidem congeri, & deinde statutis per Conseruatores & Priorem, & Consiliarios præfatos ad id temporibus sortem, nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis præsentia trahenda, nostroque arbitrio restringenda, & amplianda, inter Ciues tantummodo dispensentur. Et quod Protonotariatus Curiæ Capitolij, Notariatus, & Marescallatus Ripæ & Stateræ, ac Cameræ, & Gabellæ Studij huiusmodi Depositariatū, & Gabellariatus, & Extraordinariatus prædictorum, & Iudicatus appellationum, de eadem Vrbe officia, & Comitatus Tyburis, & Malleani, ac Velletri, & Coræ, Ciuitatum videlicet, & Oppidorum dictorum Populi Romani, temporali Dominio immediate subiectorum Potestatiæ à taxis, quas pro expeditione Breuium præfati Secretariatij, ab eis hactenus exigebant, necnon eædem Ciuitates, & Oppida, ac Terræ ad præsens præfatis Populo immediate subiecta, si & quandiu in subiectione huiusmodi fideliter manserint, ab omni onere quo pro Stationibus militum Romanæ Ecclesiæ grauabantur, libera sint atque immunia. Id vero quod ex Depositariatu huiusmodi Collegio dilectorum filiorum, Scriptorum Archiuij Romanæ Curiæ annuatim debetur, is soluat qui dicta solidorum capita perceperit.

Beneficiaque Ecclesiastica Vrbis Romanis tantum cōferri iubet.

§. 4. Et quod Sancti Georgij intra, & Sancti Sebastiani extra dictæ Vrbis muros, Sancti Benedicti, & Cisterciensis Ordinum, & alia Monasteria, ac Prioratus, Canonicatus, & præbendas, dignitates, personatus, administrationes, & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, in dicta Vrbe & illius districtu existentia (venerabilium fratrum nostrorum præfatæ Ecclesiæ Cardinalium, titulis, & denominationibus, ac Basilicæ beatorum Petri, & Pauli, & Lateranensis, & Beatæ Mariæ Maioris, de eadem Vrbe Ecclesiarum, Archipresbyteratus Sancti Laurentij, & Sancti Anastasij, extra, & Sancti Sabæ intra eosdem muros, eorundem Ordinum dictis Cardinalibus commendari solitis, Monasteriis dumtaxat exceptis) non nisi Romanis ciuibus conferri seu commendari, aut alias de eis, in alios quoquo modo, præterquam si beneficia prædicta, ex resignatione alienigenæ vacarent, quæ etiam alienigenis conferri valeant, etiam per nos, & Sedem Apostolicam disponi nullo modo possint, collationesque, prouisiones, commēdæ, & aliæ quævis dispositiones de illis, etiam per nos, & Sedem eandem etiam cum expressa præsentium derogatione, etiam motu proprio, & ex certa scientia pro tempore factæ nullius sint roboris, vel momenti, nullumque alicui, etiam coloratum tribuant titulum possidendi.

Redditus gabellæ vini forensis Studio vrbis assignat.

§. 5. Propterea quod ex redditibus Gabellæ Vini Forensis huiusmodi, postquam Lectorum Studij salaria soluta sint, liceat præfatis conseruatoribus in eorum, & capitum regionum Magistratuum ornatum, & decus dumtaxat, quo indigere noscuntur, & non eorundem conseruatorum, & capitum regionum proprios vsus, iuxta ordinationem per conseruatores, & capita regionum, ac consiliarios præfatos desuper faciendam, tantum annuatim exponere, ad quantum medietas eorum Prouisionum seu Salariorum ordinariorum respectiue ascendit, & non vltra.

Notarios Romanos eximit à contentis in bulla 15.

§. 6. Et quod Notarij in Matriculi Notariorum Romanorum pro tempore descripti, ab obseruatione eorum quæ in literis Apostolicis erectionis Collegij dictorum Scriptorum Archiuij Romanæ curiæ continentium, quoad ciues Romanos quoscumque inter se contrahentes sint exempti.

Gabellā vini Populo donat.

§. 7. Donamus quoque eisdem Conseruatoribus, & Populo in perpetuum, Gabellam omnem Vini Forensis huiusmodi, cum onere soluendi temporibus consuetis, ex prouentibus dictæ Gabellæ, salaria dictis Lectoribus pro tempore debita, ac facultate residuum prouentuum eorundem, in dictum ornatum, & Murorum, Portarum, Aquæductuum, & Pontium, aliasque dictæ Vrbis necessitates pro tempore ingruentes, de consensu consilij Romani, & non in alios vsus, conuertendum.

Conseruatores vrbis à d. gabella eximit.

§. 8. Et insuper eosdem Populum, omnesque, & singulos dictæ Vrbis incolas, & habitatores, ac alios in eadem Vrbe, ad quam Christi fidelium, de vniuersis Mundi partibus, frequens est in dies concursus, pro tempore residentes, à Vini Romani, & Farinæ, præterquam quæ à Pistoribus, seu in eorum vsum conficitur, omni tamen dicta fraude cessante, & præfatos, ac pro tempore existentes dictæ Vrbis Conseruatores, à Vini, etiam Corsi, siue Græci, quo pro eorum & familiæ suæ victu vtuntur, vsque ad vigintiquinque vegetes anno quolibet Gabellæ solutione, eximimus, & liberamus.

Pretiumque Salis minuit.

§. 9. Et pretium Salis, qui ad minutum venditur, etiam pro pecudibus in eadē Vrbe ad rationē octo Bolonenorū monetæ nouæ cū dimidio vnius Boloneni similis pro mēsura quam Scorzū appellant, reducimus & moramur.

Ciuitatem Veliternam & Terram Cora Populo restituit, Tusculum Veliternam & Tiburtinã super hodie minus habet.

§. 10. Porro ciuitatem Velletri, & Oppidum Coræ prædictæ cum eorum territoriis, omnibus, mero & mixto imperio, aliisque omnibus iuribus, & iurisdictionibus, prout olim sub dictorum Romani Populi Dominio fuere, eorundem Populi ditioni, & potestati de consensu quorum interfuit, libere restituimus, & plenarie reintegramus. Mandantes dilectis filiis ciuitatis & Oppidi prædictorum Vniuersitatibus, vt de cætero conseruatoribus, & populo præfatis vti veris & legitimis eorum immediatis Dominis in temporalibus obediant & pareant, ac intendant. Volumus deinde quòd præsentes literæ & in eis contenta à Kal. Martij proximi præteriti citra, plenum sortitæ sint & esse censeantur effectum, Decernentes ex nunc irritum & inane si secus super præmissis, vel eorum aliquo, per quoscumque etiam nos & Sedem præfatam, ex quavis causa scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores huius bulla deputat.

§. 11. Quocirca venerabilem fratrem Raphaëlem Episcopum Ostiensem, & Dilectos filios nostros, Franciscum Sanctorum Ioannis & Pauli, & Antonium Sancti Vitalis, & Petrum Sancti Eusebij tit. Presbyteros, ac Aloysium Sanctæ Mariæ in Comedin. Diaconum, Cardinales, & eorum quemlibet, pro præmissorum omnium obseruantia, eisdem Conseruatoribus, Priori, & populo, in Conseruatores, & defensores speciales, constituimus, & deputamus, iniungentes eisdem Cardinalibus, quatenus ipsi vel eorum aliquis per se vel alium seu alios Conseruatoribus, & Priori & Populo præfatis, quoties ab eis vel eorum aliquo fuerint requisiti in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant ipsos Conseruatores Priorem, & Populum, auctoritate nostra omnibus, & singulis supradictis pacifice frui, & gaudere eaque omnia, & singula inuiolabiliter obseruari, non permittentes eos, seu eorum aliquem per quoscumque desuper etiam dicta auctoritate fungentes, quomodolibet molestari, contradictores quosvis per censuram Ecclesiasticam & alia iuris opportuna remedia appellatione remota compescendo, inuocato etiam ad id, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 12. Non obstantibus quibusvis in Collegiorum Prædictorum erectione editis, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon quibuslibet de aliquo, seu aliquibus ex prædictis officiis, quibusvis personis, etiam motu simili, & ex certa nostra scientia, ex quibusvis vrgentissimis & necessariis causis per nos, & Sedem præfatam factis hactenus, & in posterum fiendis. quas quoties factæ fuerint, toties ex nunc prout ex tunc & è contra reuocamus, cassamus, annullamus, & omnibus illis quæ prædecessores præfati in singulis per eos eisdem Populo concessis literis, voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nostræ tamen intentionis existit, quod Dohaneriarum, & illorum Notariatuum salaria, currere incipiant à die quo contractus super ipsarum Dohanarum conductione, inter illorum conductores, & Cameram Apostolicam tempore dicti Iulij prædecessoris initi, respectiue finientur, & non ante.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 9. die 19. Mart.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertiodecimo, quartodecimo Kalen. Aprilis, Pontificatus nostri Anno primo.

II. Reductio & vnio Congregationis Eremi Camaldulensis, & Congregationis S. Michaëlis de Murano Monachorum Ordinis S. Benedicti, in vnam Congregationem. Ac plurimæ ordinationes pro electione & munere Prælatorum, & regimine totius Congregationis, cum indultorum & gratiarum concessione.

Alia est deinde instituta Congregatio Eremitarum S. Romualdi, vt infra in const. 23. Clem. VII. Vestrum, vbi de ea notabo. De hac autem scripsi supra in const. 1. Alexand. II. Nulli.

LEO EPISCOPVS.
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1513.

Proœmium.

ETsi à summo rerum omnium Conditore, cuius inscrutabili prouidentia cuncta reguntur, dispensatores in domo Domini, meritis licet insufficientibus, iuxta ministerij Pastoralis officium quibuslibet personis regularem vitam professis teneamur assistere, illorum tamen profectibus animarum, propensionibus nos licet auxiliis intendere, & eorum quieti, vt in sancta vocatione, absque impedimenti alicuius dispendio permanere, ac vota sua Altissimo exoluere valeant, nilque ipsos ab oratione, & contemplatione retrahat, aut eorum piam intentionem intercipiat, nihilque virtuosis operibus turbationis cuiusvis præbeat quomodolibet incentiui, paterna charitate prospicere, ac remediis congruentibus prouidere, qui diffluentis, & fallacis sæculi pessundatis deliciis, vitæ integritate præpollent, & laudabilibus actibus continuo inhærentes, spem suam in altissimis, vbi bona sunt gaudia, collocarunt, ac ea quæ per prædecessores nostros, & canonice etiam alios sæculares Principes in fauorem personarum sub Regulari obseruantia Altissimo famulantium concessa, & pro salubri Monasteriorum, & locorum, ac Congregationum directione statuta, & ordinata fuisse dicuntur, libenter cum à nobis petitur, Apostolico munimine roboramus, ac alias nostri Pastoralis officij partes fauorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Romani Pontif. ac Principes indulta Ordini concesserunt.

§. 1. Sane accepimus quod quamplura priuilegia, & indulta, tam per Romanus Pontifices prædecessores nostros, quam Imperatores, & Reges Romanorum, ac alios sæculares Principes, Eremo, & sancti Michaëlis de Murano, & aliis Camaldulensis Ordinis Monasteriis & locis, ac Congregationi de Murano concessa fuerunt.

In Capitulo generali Florentiæ acto, vnio facta est Congreg. Eremi, & S. Michaëlis de Murano, & plura statuta edita, tam pro Regularem, quã pro Conuentualẽ vitam ducere volentibus. Et loca Ordinis ad 17. redacta fuerunt.

§. 2. Ac quod nuper Dilecti filij Petrus Delfini Prior Prioratus Eremi dicti Ordinis Aretinæ Diœcesis, ac eiusdem Ordinis Generalis, & eiusdem Eremi Eremitæ, ac moderni Abbates Monasteriorum, & Priores Prioratuum, ac aliæ personæ dicti Ordinis, in Capitulo generali, in Ciuitate Florentina, de mandato nostro congregato, velut zelatores Diuini cultus, pro prospero, & felici regimine dicti Ordinis in spiritualibus, & temporalibus, nonnulla statuta, & ordinationes, erectionem nouæ Congregationis Eremi, & sancti Michaëlis de Murano nuncupatæ, ac institutionem decem & septem locorum principalium Monasteriorum, & Prioratuum, & illis aliorum vnionem, ac omnium reformationem, & ad obseruantiam reductionem, ac Generalis temporalis electionem, ac normam, & modum Eremitarum, ac aliorum, tam sub regulari Obseruantia, quam vita Conuentuali vitam ducere volentium, concernentia, saluo Sedis Apostolicæ beneplacito, ediderunt laudabilia, & honesta, ac sacris Canonibus non contraria. Quorum tenorem, illis maturius & diligentius examinatis, ac resecatis quibusdam superfluis, ac in meliorem formam redactis, de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus.

Hic Pontifex modo prædicta omnia confirmat.

§. 3. Nos cupientes priuilegia per prædecessores nostros, ac Reges, & Imperatores præfatos, vt præfertur, concessa, ac statuta & ordinationes, ac Congregationis Eremi institutionem, & ex ea, Congregatione de Murano, vnius nouæ Congregationis erectionem, quæ Eremi, & sancti Michaëlis Congregatio nuncupetur, ac Monasteriorum & Prioratuum, ac aliorum beneficiorum, aliis decem & septem principalioribus locis vnionem, annexionem, & incorporationem, eo firmius persistere, quo Sedis prædictæ protectione, & auctoritate communita fuerint, ac prout expedire arbitramur, salubriter prouidere volentes. Nos igitur, qui dudum, inter alia, voluimus, quod semper in vnionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, & idem obseruari voluimus in confirmationibus vnionum iam factarum, quique Religiosarum personarum gesta, eo potiori fauore prosequimur, quo speramus, quod exinde sacræ Religionis vigor accrescat, eaque plurimum in domino commẽdantes, ipsorumque Generalis & Eremitarum, ac Abbatum, Priorum & Capituli statum prosperum & tranquillum paterno zelantes affectu, eos, & eorum quemlibet, à

quibus

quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes. Ac fructuum, redituum, & prouentuum Monasteriorum, & Prioratuum, quorum verus annuus valor non exprimitur, verum annuum valorem præsentibus pro expresso habentes. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, ac potestatis plenitudine, priuilegia, & indulta præfatis Eremo, & Congregationi de Mutano, ac aliis dicti ordinis Monasteriis, & locis, tam per Pontifices præfatos, & quatenus sint honesta, & sacris canonibus non contraria, quam per Imperatores, ac Reges, & Principes præfatos concessa. Necnon statuta, & ordinationes in dicto Capitulo Generali edita, & vt præfertur reformata, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eaque perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere decernimus. Supplemusque omnes & singulos defectus, tam iuris quam facti, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Dubia in priuilegiis exorienda, ad eorum fauorem interpretetur.

§. 4. Et pro potiori cautela volumus, vt quicquid dubij in dictis, & in hoc etiam nostro priuilegio, seu in aliquo eorum, pro tempore emerserit id, data verborum ambiguitate, & Iurisperitorum interpretatione, in fauorem dictæ Congregationis de nouo erectæ, & locorum particularium eiusdem interpretari debeat: & cuiusuis particularis Monasterij dictæ Congregationis, etiam de nouo erectæ.

Priuilegia omnibus Monasteriis, etiã Monialiũ, sint communia.

§. 5. Priuilegia, & omnia etiam quæ in toto hoc priuilegio continentur, vniuersæ huic Congregationi de nouo erectæ, & omnibus & singulis particularibus eiusdem Congregationis de nouo erectæ Monasteriis, ac omnibus dicti Ordinis Monialibus, & Monialium locis, sint communia, & ad illa extendantur.

Monachi omnes, vnum corpus & vnã constituãt Congreg. nuncupandã Eremi, & S. Michaelis.

§. 6. Et insuper, etiam vltra priuilegia eidem Eremo, & sancti Michaelis, vt præfertur, de nouo erectæ Congregationi concessa, hac perpetua, atque irrefragabili Constitutione, motu, scientia, & potestate similibus, sancimus. Quòd omnes & singuli dictæ Congregationis Monachi Ordinem ipsum professi, præsentes, & futuri, quãuis in diuersis Monasteriis, siue locis pro tempore maneant, vnum tamen corpus, & vna Congregatio, Eremi, & sancti Michaëlis nuncupata existant. Ipsaque Congregatio, ab Apostolica Sede merito approbata, ab vniuersis Christi fidelibus in reuerentia, & deuotione habeantur.

Capitulum generale statuta pro regimine Ordinis cõdere & corrigere potest.

§. 7. Et dictæ Congregationis Capitulum generale, siue in eo voces pro tempore habentes, pro felici dictæ Congregationis successu, statuta, constitutiones, ordinationes, ac omnia & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus ipsius Congregationis & eius Regularis disciplinæ, statum, obseruantiam, indemnitatem & circa diuini officij directionem, & ordinationem, absque tamen ipsius Regulæ, in substantia, vel effectu, variatione, interpretationem, vel declarationem quoquo modo concernere poterunt, auctoritate prædicta, instituendi, ordinandi, interpretandi, & declarandi, ac ea quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata fuerint, in toto vel in parte, prout rerum vel temporum qualitas exegerit, tollendi, alterandi, & in melius commutandi, plenam & liberam in omnibus habeant facultatem. Quibus institutis, ordinationibus, declarationibus, & correctionibus, singuli de Congregatione de nouo erecta huiusmodi, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, seu conditionis existant, efficaciter parere omnino teneantur. Ita tamen quod ad peccatum, nisi contrafiat ea contemptu, aliquem non obligent.

Et iuxta Capitula statuta, sunt reformanda Monasteria.

§. 8. Et quoties Prælatus aliquis, Monasterium cui præfuerit, reformare, & ad ipsius de nouo erectæ Congregationis obseruantiam reducere decreuerit, reformationem ipsam, iuxta instituta, decreta, & ordinationes Congregationis eiusdem, prout conuenientius poterit, exequatur. Et eius acta, conuentiones, & modi, eo ipso quod de consensu dictæ Congregationis, seu ad id deputatorum in formam publicam redacta fuerint, Apostolico sint robore communita.

Prælati, Generali obediant & Monachi Prælatis.

§. 9. Vniuersi vero eiusdem Congregationis de nouo erectæ Prælati, sub præfati Generalis Ordinis, & alij Monachi, ac conuersi, & commissi, sub Prælatorum, in quorum Monasteriis, aut aliis locis ipsi Monachi, Conuersi, & Commissi morantur obedientiis, viuant, & eas illis humiliter præstent.

Appellatio ab eis etiam ad Sedem Apostolicã absque licentia prohibetur.

§. 10. Et nulli Prælatorum, vel Monachorum prædictorum, ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Capituli, siue Generalis Ordinis, aut aliorum Prælatorum Congregationis huiusmodi, ad quemcumque, etiam ad nos, & Sedem prædictam de speciali indulto summi Pontificis liceat appellare: appellationesque desuper pro tempore interpositæ, & inde secuta, irrita habeantur.

Processus tam ciuiles, quam criminales secundum vsus & statuta formentur.

§. 11. Et cum contra aliquem Prælatorum, vel Monachorum de nouo erectæ Congregationis huiusmodi, ciuiliter, aut criminaliter agi contigerit, secundum consuetudines, & statuta prædicta, (iuris communis apicibus, dilationibus, terminis & litium anfractibus omissis) procedere debeat.

Transitus de loco ad locum quando de licentia Sedis Apost. est permittendus.

§. 12. Et ipsius de nouo erectæ Congregationis Prælati, suos Monachos, qui licentiam à Sede præfata habere dixerint, se ad aliud quodcumque Monasterium, siue locum transferendi, obtentu literarum Apostolicarum, transferri non sinant, nisi in ipsis literis specialis, specificata, & expressa de Congregatione, & nostra ordinatione huiusmodi mentio fiat, eique sufficienter derogetur. Ac tunc si intra tres menses id non compleuerint, contra eos, tanquam contra Apostatas agi possit; Nisi in ipsis literis Apostolicis expressum fuerit tempus, infra quod se debeat ad huiusmodi Monasteria, siue loca transtulisse, eoque casu, non prius contra eos agi liceat, quam dicta tempora sint elapsa.

Fugitiui non recipiuntur à Prælatis inuitis.

§. 13. Ac Congregationis huiusmodi Prælati, quarumcumque literarum Apostolicarum prætextu, nisi in illis præsentibus specialiter & expresse derogetur ad recipiendos Monachos, qui aliàs ab eorum propriis Monasteriis, absque suorum Superiorum licentia contumaciter recesserunt, à quoquam nequeant quomodolibet coarctari.

Trãslati iuxta ordinationem Capituli ad alia loca Ordinis eorũ locorum professi censeantur.

§. 14. Illi vero ex eisdem Monachis, quos de Prioratibus, in quibus professi fuerunt, aut Monasteriis, siue locis, ad alia dictæ Congregationis Monasteria, siue loca iuxta dicti Capituli ordinationem, transferri contigerit, aut alias pro Conuentualibus quomodolibet, ex tunc ab ipsis Prioribus, Monasteriis, atque locis realiter absoluti extiterint, aliorum Monasteriorum, locorumque quandiu ibi steterint, Monachi, & suppositi reputentur, & pro Conuentualibus inibi habeantur, ac si in illis professionem suam emisissent.

Loca & personæ omnibus præminentiis gaudeant si d. Congreg. institutis non obstant.

§. 15. Ac omnia Monasteria, & loca prædicta, & eorum Prælati, atque personæ, quibuscumque eis à dicta Sede, vel alias qualitercumque concessis, ac de iure, seu consuetudine debitis, iuribus, præeminentiis, ac dignitatibus inconcusse gaudeant, & vtantur, dummodo illa, præmissis & aliis dictæ Congregationis institutis, & ordinationibus non obsistant.

Loca non vnũ alteri subiecta esse censeantur, sed ad inuicem suffragentur.

§. 16. Nec propterea ea Monasteriis ipsis vnum alteri censeatur esse subiectum, sed eis in sua pristina libertate manentibus, ea vicissitudinis adminiculo capitulata, sub felici dictæ de nouo erectæ Congregationis regimine, sibi conformi Regularis obseruantiæ gressu, inuicem suffragentur.

Monasteria conferantur Prælatis Ordinis, à Capitulo generali vel ab ipso Generali & maiore parte Visitatorum.

§. 17. Monasteria autem, & Prioratus, quæ nunc Sancti Michaëlis sunt, & pro tempore erunt etiam vnita Eremi & S. Michaëlis Congregationi de nouo erectæ huiusmodi, per Prælatos dumtaxat eiusdem Congregationis regantur, & gubernentur, & quoties illa vbicumque etiam apud Sedem prædictam, & qualitercumque vacare contigerit, etiamsi quævis speciales, vel generales de illorum prouisionibus, seu dispositionibus, per dictam Sedem reseruationes factæ fuerint, generale Capitulum, si tunc celebretur, alioquin dicti Ordinis Generalis pro tempore existens, vnacum maiori parte Visitatorum, cum per ipsam de nouo erectam congregatio-

nem

nem, & ad id deputatos, illos, ex eiusdem de nouo erectæ Congregationis Monachis præsentibus, & futuris, etiam defectum Natalium ex quibusvis personis patientes, quoad id idoneos fore crediderint in Prælatos, tunc vacantium Monasteriorum, & Prioratuum huiusmodi, aliàs secundum consuetudines, ordinationes, & statuta prædicta, eligere, seu nominare, & ad eorum beneplacitum taliter electos, seu nominatos à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præfuerunt, & quæ tunc propterea vacare censeantur, absoluere, & amouere.

Prælatique sic electi absque alia Sedis Apostolicæ dispensatione Monasteriis præsint, & tã in spiritualibus quàm temporalibus ea gubernent.

§. 18. Prælati sic electi, seu nominati, absque alicuius dictæ Sedis, vel alterius prouisionis, vel dispensationis adminiculo, etiam præter hoc, quod eis munus benedictionis impendatur, ipsis Monasteriis & Prioratibus, atque sic electi, vel nominati fuerint, præesse, ac illa in spiritualibus, ac temporalibus regere & gubernare, ac omnes actus ibidem exercere, & insignia deferre, ac si munus huiusmodi suscepissent.

Et loco absentium Prælatorum, alij substituuntur, à Capitulo, vel Gen. vt sup.

§. 19. Et si contingat Prælatos dictæ de nouo erectæ Congregationis, à Monasteriis, & Prioratibus, atque vt præmittitur electi, seu nominati fuerint, aliqua legitima causa abesse, idque pro dictorum Congregationis & Monachorum, ac illorum præsentium & futurorum Monasteriorum, ac Prioratuum conseruatione, & statu prospero & felici, quod absente Prælato, ne Monasterium sibi commissum, ex eius absentia damna sustineat, alius qui Monasterium, seu Prioratum ipsum regat, & gubernet, durante absentia huiusmodi deputetur, vtile videatur & expediat, quod quoties id contigerit, Capitulum, seu Generalis cum deputatis huiusmodi, aliàs iuxta eorum consuetudines, & statuta, curam, regimen, & administrationem ipsius Monasterij, seu Prioratus, Prælati sui præsentiam carentis, in spiritualibus, & temporalibus, dicta absentia durante, alteri committere libere & licite possint.

Loca & Monasteria Congreg. in commendam titulũ aut pensionaliter dari non possunt.

§. 20. Et quòd aliquod ex dictis Monasteriis, vel Prioratibus, aut aliis dictæ de nouo erectæ Congregationis locis, per quascumque literas Apostolicas, etiam motu simili, & cum reseruationibus ac quibuscumque derogatoriis; per quas effectus præsentium quomodolibet impediti, vel differri possit, clausulis, concessas hactenus, & in posterum concedendas per aliquem ex dictæ de nouo erectæ Congregationis, vel extra eam, cuiuscumque status, gradus, ordinis, seu conditionis sit, etiamsi Cardinalatus honore, aut Pontificali, vel alia quavis auctoritate præfulgeat, in titulum, aut commendam, seu administrationem, vel alias obtineri, seu super alicuius illorum fructibus, redditibus, & prouentibus aliqua pensio reseruari, concedi, & assignari, vel ius sibi desuper acquiri, vel aliquis, contra præsentium tenorem, quovis quæsito colore, quempiam de dicta de nouo erecta Congregatione, super aliquo, ex dictis Monasteriis, Prioratibus, & locis, ratione tituli, seu commendæ, vel administrationis, ac pensionis huiusmodi, impetere, seu molestare valeat.

Beneficiorum omnium collatio libere ad Prælatos Ordinis pertinet.

§. 21. Quodque deinceps nulla ex beneficiis Ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem Abbatum, vel Priorum, ac Conuentuum, Monasteriorum, & aliorum locorum dictæ de nouo erectæ Congregationis, communiter vel diuisim pro tempore pertinentibus, etiam qualitercumque beneficia ipsa, & vbicumque, præterquam apud Sedem prædictam vacare contigerit, dummodo dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata non fuerint, sub gratiis, expectatiuis, aut prouisionibus, seu aliis dispositionibus dictæ Sedis, facultatibus, seu indultis, de conferendis beneficiis Ecclesiasticis vacantibus, vel vacaturis, quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & quavis etiam Pontificali dignitate præfulgeant, ab eadem Sede quomodolibet concessis, & in antea concedendis, quomodolibet cadant, seu comprehendantur; sed ipsorum beneficiorum collatio, prouisio, præsentatio, electio, & dispositio, illorum occurrente vacatione, præmissis non obstantibus, ad Abbates, & Priores, ac Conuentus præfatos, libere, & absque eo quo præfatæ Sedis præuentionis impedimento, pertineant, & spectent. Ac de beneficiis ipsis, nullus alius, quam Abbates, seu Priores, & Conuentus prædicti, quorumcumque facultatum, & indultorum sibi à Sede, vel Legatis præfatis, qualitercumque, & sub quibusvis verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam motu simili concessorum, & concedendorum vigore, vel prætextu disponere valeat quoquo modo. Ac omnes & singulæ gratiæ expectatiuæ, & acceptationes, prouisiones, dispositiones, collationes, & literæ Sedis, ac illius Legatorum huiusmodi, facultatesque, & indulta super collationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, vacantium seu vacaturorum, quibusvis etiam vt præfertur qualificatis personis, & cum prædictis clausulis pro tempore concessa, processusque desuper habiti pro tempore etiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque Ecclesiasticas sententias, censuras & pœnas in se continentes, quod beneficia ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, aut aliam dispositionem Abbatum, & Priorum, ac Conuentuum prædictorum respectiue spectantia huiusmodi, ac totum id, & quicquid in contrarium à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, omni prorsus careant firmitate.

Impedientes eos qui Ordinem ingredi volunt, sunt excommunicati.

§. 22. Nec quisquam personas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur, è sæculo fugientes, & ad dictam de nouo erectam Congregationem venire affectantes, verberibus, aut violentiis quibuslibet impedire, vel prohibere, ent à Monasteriis, vel locis Congregationis eiusdem præsentibus, vel futuris diuertere, aut super hoc illis, vel eas recipientibus, iniuriam, vel molestiam aliquam irrogare præsumat. Contrafacientes vero præsentium notitiam habentes, vel qui eas ignorauerint, & postquam ad eorum notitiam deuenerint, à præmissis iniuriis, & violentiis non destiterint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, à qua, præterquam in mortis articulo constituti, nisi à Sede præfate, absolutionis beneficium nequeat obtinere.

Monachi à Congr. nullo prætextu deuertantur, &c. Ad hoc vide infra Gregor. XIII. bullam 99. Ea est vbi hoc priuilegiũ confirmatur.

§. 23. Ac nullæ Ecclesiasticæ vel sæculares personæ, quacumque auctoritate, vel dignitate præditæ, aliquem ex Prælatis, vel Monachis Congregationis prædictæ obsequiorum, vel seruitiorum propriorum, vel Monasteriorum suorum prætextu, etiamsi absque licentia suorum Superiorum ad eas diuertere, vel alia quavis causa, etiam arctioris vitæ, Ordinis vel obseruantiæ, à dicta de nouo erecta Congregatione educere, vel sponte venientes recipere, & penes se retinere audeant, etiam auctoritate literarum Apostolicarum; in quibus de huiusmodi Prælato, vel Monacho, & Congregatione nominatim expressa mentio non fiat, absque consensu Capituli, seu Generalis, vel maioris partis Visitatorum de nouo erectæ Congregationis huiusmodi pro tempore existentium, quod si recipientes præfati infra tres dies, postquam eis præsentes innotuerint, Prælatum seu Monachum, extra ipsam de nouo erectam Congregationem existentem, huiusmodi, eidem de nouo erectæ Congregationi non restituerint cum effectu, vel à se realiter non abiecerint, excommunicationis sententia innodati existant eo ipso, à qua, nisi in mortis articulo, aut à Sede prædicta absolui non possint.

Vagantes extra claustra, à Generali, & Prælatis Ordinis reuocantur, quibuscumque non obstantibus.

§. 24. Generalis autem Ordinis, ac Abbates, & Priores de nouo erectæ Congregationis huiusmodi pro tempore existentes, seu ab eis deputati, possint omnes & singulos eiusdem de nouo erectæ Congregationis Monachos ab illa vagos, & fugitiuos, aut suis Superioribus non obedientes, & rebelles, & qui, habita licentia, conditionem eis impositam non impleuerint, aut lapso licentiæ termino, ad proprium Monasterium non redierint, vel alia loca, seu Monasteria, absque speciali Apostolico priuilegio præsentibus deroganti, aut Superiorum suorum licentia se transtulerint, vel aliquarum personarum, quacumque dignitate, etiam Cardinalatus honore fungentium seruitiis in Romana Curia, vel extra eam, se addixerint, vel ab eis literas familiaritatis, aut capellanatus obtinuerint, capere, & in carceribus detinere, aut per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia

dia appellatione remota, etiam inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, ad solitam & debitam reuerentiam compellere.

Exemptio Ordinis ab Ordinariorum & aliorum superioritate, iurisdictione & visitatione. Tu ad hoc vide Conc. Trid. sess. 25. c. 11. & seq. de reg. ac bullam 59. Cle. VIII subscripti

§. 25. Et vt dictæ de nouo erectæ Congregationis Monachi, diuinis beneplacitis quietiùs & liberius insistant, eosdem dicti Ordinis Generalem, ac de nouo erectam Congregationem, & illius Abbates, & Visitatores, & alios Prælatos, ac Monachos, Conuersos, Commissos, Nouitios, personas, & Capellanos, etiam curam habentes animarum, necnon familiares, & seruitores eorum, nunc & pro tempore existentes, ac ipsius de nouo erectæ Congregationis, Monasteria, Prioratus, & loca, etiam quæ in posterum eidem de nouo erectæ Congregationi quandocumque, vniri vel incorporari, seu subijci, vel alias quomodolibet aggregari contigerit, omniaque & singula dictorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum præsentium & futurorum, Ecclesias, Capellas, etiāsi ipsis cura immineat animarum, oratoria, manualia, membra, castra, fortalitia, ædificia, villas, grangias, vineas, oliueta, hortos, syluas, nemora, prata, pascua, piscationes molendina, aquas, aquarum decursus, iura, iurisdictiones, prædia, possessiones, & bona quæcumque, quæ in præsenti sunt, & in futurum erunt dictæ de nouo erectæ Congregationis, & quæ omnia & singula, per eorum vocabula, fines, valores, qualitates, & quantitates hic habere volumus pro sufficienter expressis, à quorumcumque Legatorum, etiam de latere, & Subdelegatorum, necnon Nuntiorum dictæ Sedis, ac Vicariorum, Rectorum, & quorumvis officialium Romanæ Ecclesiæ, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Administratorum, & aliorum quorumcumque Iudicum ordinariorum, quavis auctoritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione, & correctione, ita quod in dictam de nouo erectam Congregationem, vel eius singulares personas, seu benefactores, occasione beneficiorum eisdem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum, cum eisdē Monachis conuersentur, seu ab ipsis recipiant absolutionis, & Eucharistiæ sacramentum. Necnon in Monasteria, Prioratus, loca, & personas in eis degentes, ratione delicti, excessus seu contractus, aut rei de qua agitur, vbicumque iniatur contractus, committatur delictum, aut res ipsa consistat, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aut alias quasvis sententias, nisi de speciali Sedis prædictæ commissione, quomodolibet directe vel indirecte, proferre seu promulgare non possint, prorsus eximimus, & totaliter liberamus. Eaque omnia, & eorum quodlibet, in ius & proprietatem B. Petri, & Sedis eiusdem, & sub eorum, & nostra protectione suscipimus, ac nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ annuum censum vnius vnciæ auri, per eandem de nouo erectam Congregationem in festo Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, annis singulis, Cameræ Apostolicæ persoluendum, in signum perceptæ perpetuæ libertatis, & exemptionis assignamus. Quòd si legati, subdelegati, ordinarij, seu aliæ personæ prædictæ, contra exemptionem & liberationem vestras huiusmodi, quicquam attentare quoquo modo præsumpserint, ac requisiti, vigore præsentium, per ipsius de nouo erectæ Congregationis Prælatos vel Monachos, infra tres dies, à die requisitionis huiusmodi, non destiterint, excommunicationis sententiæ ipso facto nouerint se subiectos. Et nihilominus quod aliter actum fuerit, eo ipso sit irritum & inane, nulliusque roboris vel momenti.

Prælati & Monachi non coganturur interesse Conciliis, funeralibus, processionibus, &c. Tu vide Concil. Trid. sess. 21 cap. 12. & sequent.

§. 26. Volumus insuper, quòd dictæ de nouo erectæ Congregationis Prælati, vel Monachi, literas Apostolicas super administranda iustitia, executione facienda, visitatione exercenda, aut alio quovis negotio peragendo, ad eos pro tempore impetratas, vel directas, acceptare, & in illis contenta exequi, & iuramentum de calumnia, vel veritate dicenda, subire, aut testimonium perhibere, seu extra suas ciuitatem, & diœcesim trahi, & ad quævis Concilia Generalia, Prouincialia, vel Synodalia, aut Congregationes, quovis nomine censeantur, Ecclesiasticarum vel laicarum personarum, cuiuscumque dignitatis, aut status existant, etiam Apostolica auctoritate indicta, præterquam ad ipsius de nouo erectæ Congregationis Capitulum celebrandum, aut alias iuxta eorum ordinationes, ire, vel mittere, aut processionibus publicis, vel funeralibus interesse inuiti, minime teneantur. Seu quòd in eorum locis, Missæ, vel alia diuina officia celebrentur, ordines conferantur, vel agitentur causæ ciuiles, vel criminales, processiones conuocentur, aut Synodus, Canonicatus, seu quævis Congregationis, tam Ecclesiasticarum quam laïcarum personarum fiant, siue quòd huiusmodi de nouo erectæ Congregationis loca, ad vsum hospitum, habitationem, detentionem, & incarcerationem, Ecclesiasticarum laïcarum personarum deputentur, adstringi seu compelli nullo modo possint.

Testimonia Patrum in eorum causis legitima sunt.

§. 27. Testimonia vero Prælatorum, Monachorum, Conuersorum, Commissorum, & Nouitiorum dictæ Congregationis, in causis ipsorum ciuilibus & criminalibus, in iudicio & extra, legitima seu iuridica sint.

Exemptio ab impositionibus sæcularium.

§. 28. Nulli quoque Reges, Principes, Barones, Milites, Nobiles, Laïci, Communitates, Vniuersitates, Magistratus, Rectores, & Officiales ciuitatum, terrarum, castrorum, & diœcesium diuersorum, Monasteriis, Prioratibus, locis, capellis, Ecclesiis, manualibus, grangiis, castris, possessionibus & bonis, necnon Prælatis & Monachis ipsius Congregationis, gabellas, tallias, datia, collectas, etiam pro pontium refectionibus, aut viarum reparationibus, aliave onera, seu grauamina inferre, indicere, & imponere, aut indicta & imposita exigere, sub excommunicationis, ac maledictionis æternæ pœnis, quas, nisi præsentium habita notitia, prorsus destiterint, ipso facto incurrant, audeant, vel præsumant.

Exemptio à decimis, & quacumque præstatione dando Prælatis, &c. Tu quoad quartam funeralium habes Conc. Trid. sess. 25. c. 14.

§. 29. Nec aliquod ea dictæ de nouo erectæ Congregationis Monasteriis, Prioratibus, grangiis, membris, manualibus, & locis prædictis, ad dandum seu soluendum aliquam canonicam portionem, siue decimam, aut quid aliud, quod eorum loco, solui consueuerit, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, Parochianis, Collegiis, Vniuersitatibus, Communitatibus, fabricis, & aliis quibuscumque personis, de iure, vel consuetudine, aut statutis, vel priuilegiis quibuscumque deberi prætendentur quomodolibet in futurum.

Exemptio pro relictis & legatis Ordinis.

§. 30. Etiam de relictis, legatis & donatis, tam in vltimis voluntatibus, quam etiam inter viuos, seu alias quacumque occasione, concessis & concedendis, quomodolibet teneantur.

Exemptio ab impositionibus Sedis Apostolicæ.

§. 31. Ipsaque Monasteria, Prioratus, loca manualia, grangiæ, possessiones & bona, ac Prælati, Monachi, & personæ de nouo erectæ Congregationis eiusdem, ab omni impositione, exactione, collecta, decima, charitatiuo subsidio, aut quocumque reali aut personali, vel mixto, onere, vel grauamine, quovis nomine censeantur, per nos aut successores nostros Romanos Pontifices protempore existentes, indictis.

Censibus, &c. occasione visitationis.

§. 32. Necnon ab omnibus censibus, redditibus & solutionibus, ratione visitationis aut subiectionis, quocumque iure, quibuscumque Ordinariis, Capitulis, Collegiis, Congregationibus, Vniuersitatibus, aut aliis quibusvis personis, hactenus debitis, quæ nos eidem Congregationi, de Apostolicæ potestatis plenitudine, gratiose remittimus, & in futurum debendis, illorumque solutione, præstationeque sint, esseque debeant libera penitus & exempta, atque immunia, ita quòd ad illorum præstationem, vel solutionem per quoscumque, & quarumvis etiam literarum Apostolicarum, vigore cogi, aut alias desuper inquietari nequeant.

Exemptio omnium possessionum quas colit ipsa Congregatio.

§. 33. Nullusque ab eisdem de quibuscumque possessionibus vbilibet constitutis, quæ in præsenti sunt, vel in futurum erunt, Monasteriorum, Prioratuum, & bonorum de nouo erectæ Congregationis huiusmodi, quæ illius Prælati, Monachi, vel personæ colunt, seu coli faciunt, & in futurum colent, seu coli facient, ex hortis, virgultis, piscationibus, vel de nutrimentis animalium primitias, decimas, quartesia, aut quocumque nomine nuncupata, alia iura exigere vel extorquere præsumat, nec ipsi illa cuiquam soluere sint adstricti.

§. 34. Et

Monachi succedunt in hæreditatib. pro eorum Monasteriis.

§. 34. Et quòd de nouo erectæ Congregationis huiusmodi Monasteria & loca, hæreditatas, legata, & fideicommissa per medias personas, Monachorum, aut alias qualitercumque ad ea delata, bona mobilia, & immobilia in quibuscumque ciuitatibus & locis, quovis titulo acquirere.

Ipsique Monachi & personæ, illa pro se, eorumque Monasteriis, petere & exigere possint, vndecumque vel qualitercumque eis debeant, & quæ petendi & exigendi, si in sæculo remansissent, ius haberent.

Præscriptio 60 annorum tantum datur contra Ordinem.

§. 35. Et contra de nouo erectæ Congregationis huiusmodi Monasteria, loca, personas, & bona, tam in præteritis quam futuris non currat præscriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum.

Interdicti tempore, Patres celebrare possint ianuis clausis.

§. 36. Cupientes insuper, vt de nouo erectæ Congregationis huiusmodi personæ, sublatis obstaculis quibuscumque, sedulum, & deuotum Domino calibeant famulatum motu & scientia similibus, statuimus & ordinamus: quod si contingat Ciuitates Terras, vel loca, in quibus Monasteria, siue loca de nouo erectæ Congregationis huiusmodi consistant, Ecclesiastico supponi interdicto, ipsius de nouo erectæ Congregationis Prælati, Monachi Conuersi, Commissi, Nouitij, & Capellani, necnon Laici intra septa ipsorum Monasteriorum, seu locorum, pro tempore habitantes, à præfatæ de nouo erectæ Congregationis Monachis ad id deputatis, ianuis clausis, interdictis exclusis, & submissa voce, missas, & alia diuina officia audire, & Ecclesiastica sacramenta suscipere, ipsique Monachi sic deputati, illic celebrare & ministrare.

Intellige nisi Papa vel Ordinarius aliter iubeat ex Concil. Trid. sess. 25. c. 12.

Sacros Ordines Monachi recipiunt à quocumque Antistite, absque alio examine ad solam præsentationem Prælatorum Ordinis.

§. 37. Et quod eiusdem de nouo erectæ Congregationis Monachi, præsentes & futuri, omnes etiam sacros ordines, ad quos per eorum superiores præsentati fuerint, à quocumque maluerint Catholico Antistite, gratiam, communionem dictæ Sedis habente, recipere, & huiusmodi Antistitem, in huiusmodi Congregationis Monasteriis & locis & dumtaxat adnotare, ipse Antistes, Monachos dictæ de nouo erectæ Congregationis, à suis Superioribus sibi pro tempore præsentatos, Apostolica auctoritate, absque aliqua licentia & contradictione Diœcesani, & absque eo quod alias illi propterea præiudicium generetur, nulla examinatione præmissa, statutis tamen à iure temporibus ordinare, Missas inibi celebrare, Ecclesias, Altaria, & vasa consecrare, vestes benedicere, & alia Pontificalia exercere.

Hæc reuocauit Conc. Trid. sess. 23. c. 55.

Generalis & Prælati auctoritas dispensandi cū suis Monachis.

§. 38. Necnon, quod Generalis Ordinis, & Abbates, Priores, & Prælati de nouo erectæ Congregationis huiusmodi pro tempore existentes, in omnibus casibus, in quibus de iure communi, Prælatis & Monachis dictæ de nouo erectæ Congregationis auctoritas, siue licentia, seu dispensatio Ordinariorum, si ab eis exempti non essent, foret necessaria, cum eis auctoritate prædicta dispensare, eiusque licentiam & auctoritatem concedere.

Religiosos omnes ad Ordinē admittendi, &c.

§. 39. Ac personas volentes eidem de nouo erectæ Congregationi sociari, etiam si Religionem locorum, vel Ordinem alium quemcumque arctiorem ingredi vouissent, tali voto non obstante, ad probationem, professionemque recipere, & eos, dicta auctoritate, ab ipso voto absoluere, & cum ipsi, dummodo in tali religione vel Ordine, quem vouissent, professionem non emiserint, & ante professionem emissam, ab ipsa de nouo erecta Congregatione non recedant super omnibus votis (Religionis voto dumtaxat excepto) dispensare, ac omnibus quocumque excommunicationis vinculo innodatis, de nouo erectam Congregationem huiusmodi Altissimo famulaturis ingredi volentibus, iniunctis eis, iuxta eorum facultates, restitutione, & pœnitentia salutari, tanquam vni ex Monachis de nouo erectæ Congregationis huiusmodi, absolutionis beneficium impendere, eosque etiam ad probationem recipere, Ita tamen quòd si inde ante professionis emissionem discesserint, in eandem ipso facto reincidant.

Tu vide amplitationem in bulla 99. Gregor. xiij. infr. Eo est. & bulla Clem. viij. 515. Quacumque.

Monachi, confessiones, quorū audire, & absoluere vota commutare possunt.

§. 40. Et cum sæpe contingat, quod ob singularem deuotionem, quod nonnullæ personæ ad Monachos huiusmodi de nouo erectæ Congregationis, ad eosdem Monachos, pro earum salute animarum recurrant, eiusdem de nouo erectæ Congregationis Prælatis, siue Monachis, à suis superioribus ad audiendum huiusmodi personarum confessiones deputatis, quòd personas ipsas accedentes, audire, ac personæ ipsæ, eis absque alia superiorum suorum licentia confiteri. Necnon dictis Prælatis, siue Monachis confessiones huiusmodi audientibus, dictos confitentes, pœnitentia & satisfactione præuiis, quoties opus fuerit, ab omnibus & singulis peccatis dictæ Sedi non reseruatis, & à quibuscumque suspensionum, excommunicationum, & interdicti sententiis, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, quas à iure, vel ab homine latis incurrisse quomodolibet constiterit, absoluere. Et vota per eos, pro tempore emissa, in omnibus & singulis casibus, locorum ordinariis, etiam per Synodales, seu Prouinciales constitutiones reseruatis, in alia pietatis opera commutare, & desuper cum eisdem vouentibus dispensare, exceptis tamen censuris, pœnis, votis, & casibus, super quibus esset Sedes præfata merito consulenda. Ipsisque confitentibus, ac aliis omnibus, qui ad præfatos Monachos, ob huiusmodi deuotionem recurrent, Eucharistiæ sacramentum ministrare libere possint.

Tu vide moderationem in d. bulla Clem. VIII. non tuta.

Patres non sunt excommunicati, nisi specialiter denuntientur.

§. 41. Necnon Prælatis, Monachis, & personis Congregationis huiusmodi, quocumque nomine censeantur, ne propter participationem, etiam in diuinis, cum excommunicatis, suspensis, & interdictis, à iure vel statutis Ordinariorum, aliquam excommunicationis, censuræ, aut peccati maculam incurrant, nisi ipsi excommunicati essent specialiter denuntiati.

Dispensatio cū Monachis super recitatione officij, quando sit à Prælatis danda.

§. 42. Ac quòd illi ex præfatis Monachis, qui adeo Monasteriorum suorum officiis occupati, vt in Choro interesse, ac diuinum officium vix sine labore & tædio dicere, ac ipsa eis, ratione officiorum huiusmodi, incumbentia charitatis opera implere nequeant, & qui ad diuinum officium huiusmodi dicendum adeo, vel non docti, vel minus experti pro tempore existunt, dummodo in sacris non sint ordinibus cōstituti, licet professionem emiserint, tamen ad persoluendum totum integrum officium diuinum minime teneantur, sed eorum Prælati habita suppositorum suorum consideratione, (vltra officium Beatæ MARIÆ Virginis, ad quod obligati remaneant,) iuxta dispensationem eis traditam, si eorum animabus expedire videbitur, aliquid dicendum iniungant, quod cum animi alacritate valeat adimpleri.

Sepultura in Monasteriis omnibus non excōmunicatis aut publicis vsurariis datur.

§. 43. Præterea omnibus Christi fidelibus, exceptis excommunicatis, aut interdictis, vel publicis vsurariis, vt in locis & Monasteriis de nouo erectæ Congregationis huiusmodi, præsentibus & futuris, suam possint eligere sepulturam, saluo tamen iure illarum Ecclesiarum, à quibus ipsorum decedentium corpora assumuntur.

Intellige iuxta bullā Leon. x. 22. Dil. infra.

§. 44. Necnon Generali Ordinis & Abbatibus, Prioribus vel Prælatis, aut aliis per Congregationem de nouo erectam huiusmodi, ad id pro tempore deputatis, in vnionibus, annexionibus, incorporationibus, ac reformationibus, seu receptionibus Monasteriorum, Prioratuum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, pro ipsa de nouo erecta Congregatione faciendis, cum Prælatis & personis, Monasteria seu beneficia huiusmodi per eos obtenta, in Congregationis huiusmodi, seu alicuius illius particularis Monasterij commodum dimittere volentibus conuentiones, & pacta, quæ illicita, & quando Apostolica confirmatione carerent, expresse prohibita censerentur, iure, ac Monasteria, Prioratus & alia beneficia quæcumque conuentionibus & pactis huiusmodi interuenientibus acquisiuerunt, retinere, ipsaque conuentiones & pacta obseruare, absque eo quod aliquam simoniæ labem incurrant, libere & licite valeant.

Quæ pacta in commodum Monasterij iniri & seruari possint absque simoniæ labe.

Prædictis concessionibus à nemine præiudicari potest.

§. 45. Et quandocumque per aliquem, aut plures actus contra ea, aut ipsorum aliquod, à quocumque, cuiuscumque, dignitatis, conditionis, gradus, seu status fuerit, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa, scienter vel ignoranter attentari, vel pro tempore obseruari contingat, nullum tamen propterea exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis, & priuilegiis huiusmodi, præiudicium generetur; sed ea omnia & singula, in ipsius robore & firmitate permaneant.

§. 46. Ac

Reuocata quę nullatenus censeantur per quascumque Sedis A. post dispositiones nisi specialiter facta mentione.

§. 46. Ac quod deinceps per quascumque reuocatorias, seu alias Apostolicas concessiones, vel literas, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, aut clausulis derogatoriis, etiamsi illæ motu & scientia similibus emanauerint, nulla ex prædictis concessis, & quæ eidem de nouo erectæ Congregationi, pro tempore concedentur exemptionibus, immunitatibus, gratiis, indultis, priuilegiis, & concessionibus, quomodolibet reuocari, cassari, & annullari censeantur, seu ipsis vel ipsorum, seu quibusvis in eis contentis particulis aut clausulis derogari valeat, nisi in derogatoriis, vel aliis literis, seu cassationibus huiusmodi, illa, vel illæ ex literis, quæ reuocari, aut cassari vel annullari viderentur, aut cui, vel quibus derogari appareret, eorumque totus tenor de verbo ad verbum integre insereretur, & de omnibus & singulis Congregationis huiusmodi Monasteriis nominatim, & specifica mentio fiat. Ac in eisdem reuocatoriis, cassatoriis, vel aliis literis, manifeste & expresse, appareat, quòd Romanus Pontifex huiusmodi priuilegiis, indultis, & literis, de quibus tunc actum fuerit, voluerit specialiter derogare, vel illa reuocare, cassare, seu annullare. Ac tunc demum vrgens, sufficiens; & rationabilis propter quã derogatio, reuocatio, cassatio, & annullatio ipsa mentio fieri debeant, causa exprimatur, alias derogationes, reuocationes, cassationes, irritationes, & annullationes quæcũque, si quas aliter quam vt præfertur, à quocumque etiam Romano Pontifice fieri contigerit, ac quæcumque exinde secuta nullius sint roboris, vel momenti, ipsis concessis literis, priuilegiis, indultis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus in suo pristino, plenario, & integro robore duraturis. Et quod per quascumque reuocationes, cassationes, seu annullationes quarumcumque vnionum, annexionum, incorporationum, & appropriationum, de quibusvis Monasteriis; Prioratibus, Ecclesiis, siue locis Ecclesiasticis, per nos aut successores nostros Romanos Pontifices, aut eorum aliquem, in genere vel in specie, sub quibusvis verborum formis vel expressionibus, de cætere forsan faciendis, nullum dictæ de nouo erectæ Congregationi, super vnionibus, incorporationibus, appropriationibus, & innouationibus quorumcumque Monasteriorum, Ecclesiarum, Prioratuum, aut aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, ac per infrascriptas constitutiones factarum vnionum confirmationibus, per nos & Sedem prædictam, eidem de nouo erectæ Congregationi, vel in eius fauorem faciendis, præiudicium inferatur. Sed illæ omnes, etiam post reuocationes, cassationes & annullationes prædictas, in suo robore inconcussæ persistant in omnibus & per omnia, ac si quoad eas, & ipsarum singulas, aliqua reuocatio, annullatio, vel cassatio nullatenus emanassent. Nisi dum & quando ipsæ super vnionibus, & illarum confirmationibus, concessionibus vel appropriationibus, seu donationibus confectæ literæ, in reuocationum, cassationum, & annullationum literis, constitutionibus, & ordinationibus huiusmodi, de verbo ad verbum insererentur, ac in eis specialis, expressa & indiuidua, de ipsis Monasteriis & locis, ac Congregatione mentio fieret, necnon irritum & inane totum, & quicquid in contrarium quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Indulgentia in mortis articulo Patribus danda à Confessoribus.

Hoc reuocatũ esse patet ex bulla 115. Clem. VIII. Quæcumque & bulla 16. Pauli V. Romanus.

§. 47. Necnon Generali & Abbatibus, Prioribus, Monachis, Conuersis, Commissis, & Nouitiis, præsentibus & futuris, Congregationis de nouo erectæ huiusmodi, vt eorum deuotio per amplius propagetur, & eorum animarum saluti vberius consulatur, vt confessores idonei quos de suorum voluntate Superiorum aut ipsi Superiores pro libito elegerint, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam semel tantum in mortis articulo remissionem eis, in sinceritate fidei, vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obediendia, & deuotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum, canonice intrantium persistentibus, auctoritate præfata concedere valeant. Sic tamen, quod ipsi confessores, de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, illam Congregationis huiusmodi personis, prout ad illas pertinuerit, per se vel alium faciendam iniungant, quam illi facere, prout potuerint omnino teneantur. Quodque singuli ex eisdem personis clericis, quamprimum concessione absolutionis huiusmodi gaudere voluerint, septem Psalmos pœnitentiales, cum Litaniis, & orationibus consuetis, Conuersi vero & Commissi, aut qui præfatos Psalmos dicere commode non potuerint, quinquagesies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, singulis hebdomadis, recitare, idque legitimo cessante impedimento, per annum integrum, etiamsi totidem plus minusve, ex alia quavis causa eos dixisse, & dicere oportere contingeret, prosequi & complere teneantur. Occurrente vero impedimento prædicto, & postea cessante, quamprimum poterunt commode impositionem huiusmodi reficiant & adimpleant.

Alia indulgentia propter sonis Ordinis.

Tu vide immutationem in d. Bulla Pauli Vnnotata.

§. 48. Necnon, quòd diebus quibus nonnullæ Vrbis Ecclesiæ pro stationibus consequendis à Christi fidelibus visitari solent, quinque altaria Ecclesiæ Monasterij, seu alterius loci Congregationis huiusmodi, vbi singulos ex eis moram trahere contigerit, aut pauciora, si tot ibi non fuerint, deuote visitando, semelque psalmum, incipientem Miserere mei Deus, apud quodlibet altare pro felici statu eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicendo, easdem indulgentias & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si ipsas Vrbis tunc personaliter visitarent. Si vero aliquis ex personis Congregationis de nouo erectæ huiusmodi, pro ipsius Congregationis negotiis, aut aliis legitimis causis, extra propria Monasteria moram traxerint, vbicumque commodius poterunt totidem altaria in quacumque Ecclesia, dictos Psalmos, apud quodlibet ex dictis altaribus, recitare, vt præmittitur, visitauerint; & si Conuersi siue Commissi forsan dictum Psalmum dicere nescientes fuerint, ter orationem Dominicam, & totidem salutationem Angelicam apud quodlibet altare huiusmodi recitando, eandem etiam indulgentiam consequantur.

Sacerdotes itinerantes ante diem celebrare possunt.

Tu Vide Concil. Trid. sess. 22. cap. de celeb. miss.

§. 49. Quodque huiusmodi de nouo erectæ Congregationi sacerdotes in itinere constituti, aut alia causa subsistente, ante diem, & vsque ad nonam inclusiue missam celebrare.

Eremitarum peregrinatio quando sit permissa.

§. 50. Quodque duo ex Eremitis præfatis, singulo triennio, terram & alia loca sancta, ac sanctum Iacobum in Compostella, ac Beatorum Petri & Pauli limina, de consensu Capituli Eremi, absque alia dictæ Sedis licentia visitare.

Familiares etiam tempore interdicti diuinis interesse, & sacramenta suscipere possint.

Tu vide quæ notaui sup. in Apostilla incipien. Interdicti.

§. 51. Ac singuli familiares Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum Congregationis de nouo erectæ huiusmodi, etiam laici in illius Ecclesiis peccata sua confiteri, & Eucharistiæ Sacramentum, cuiusvis licentia minime requisita, recipere, & tempore interdicti, ordinaria auctoritate appositi, clausis ianuis, ac excommunicatis, & interdictis exclusis, diuina officia audire libere & licite valeant, auctoritate, & tenore præmissis, de specialis dono gratiæ, concedimus pariter & indulgemus.

Conseruatores qui eligi possint ab Ordine, & quæ sit eorum iurisdictio.

De Conseru. vide in fin. const. 22. & Pij V. const. 41. quia inter Regulares extat communicatio priuilegiorum.

§. 52. Volumus autem, quod vniuersæ & singulæ personæ, quibus causæ auctoritate literarum Apostolicarum delegari possint, dum & quoties pro parte Generalis, & Abbatum, Priorum, & Conuentuum, ac Monachorum Congregationis de nouo erectæ huiusmodi, vel alicuius eorum fuerint legitime requisiti ad executionem quarumcumque literarum dictæ Sedis conseruatoriarum nuncupatarum sancti Michaëlis, de nouo erectæ Congregationi huiusmodi, vel eius Monasteriis, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conuentibus contra illis inferentes molestias, iniurias, grauamina, atque damna, concessarum hactenus, & in posterum concedendarum, perpetuis futuris temporibus procedant, per se vel alios, alias iuxta earundem conseruatoriarum literarum continentiam, atque formam, in omnibus & per omnia, perinde ac si conseruatoriæ literæ eis à principio directæ, eisque vt quamvis alias; conseruatores esse non possent, illas exequerentur expresse mandatum, & super hoc concessa facultas fuisset.

Deputatio executorum huius bullæ & contentorum in ea.

§. 53. Quocirca dilectis filiis sanctæ Mariæ Florentinæ, & sancti Georgij Maioris Venetiarum, ac sancti Iuliani de Arimino Monasteriorum Abbatibus, necnon Subdecano Ecclesiæ Florentiæ, per Apostolica scripta

ſcripti motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel tres, aut duo, vel vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta, vbi, & quando expedierit, ac quotieſcumque pro parte Generalis, Viſitatorum, Abbatum, Eremitarum, Priorum, & aliarum perſonarum Congregationis de nouo erectæ huiuſmodi fuerint ſuper hoc requiſiti, ſolemniter publicantes, ipſique Generali, Viſitatoribus, Abbatibus, Eremitis, Prioribus, & perſonis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant, eos, præſentibus literis, & in eis contentis priuilegiis pacifice gaudere, non permittentes eos ſuper illis, ſeu alias contra præſentium literarum tenorem, per quoſcumque quomodolibet indebite impediri, ſeu etiam moleſtari, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Derogatio contrariorum.

§. 54. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prædicta, & natalium defectu, & Lugdunen. Concilij, & piæ memoriæ Innocentij Quarti, contra exemptos edita, quæ incipit, Volentes, & Martini Quinti, necnon Bonifacij Octaui Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, Prioratuum, & aliorum Regularium locorum, etiam ſancti Michaëlis, & de nouo erectæ Congregationi huiuſmodi vnitorum, & illorum, ac prædicti, & quorum ipſa vnita Monaſteria, Prioratus, & loca extiterint Ordinum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, & indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis Communitatibus, Vniuerſitatibus, Collegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, & aliis locis, Capitulis, Conuentibus, & perſonis, etiam motu & ſcientia ſimilibus, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis conceſſis hactenus, & in poſterum concedendis, quibus omnibus, etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habẽtes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, eiſdem motu & ſcientia, ac poteſtate, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, &c. Aut ſi aliqui ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de Prioratibus, & vnitis, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſeruationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas ac proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcumque, ad Monaſteria, Prioratus & alia beneficia vnita huiuſmodi, volumus non extendi. Sed nullũ per hoc eis, quoad aſſecutionem Prioratuum, vel beneficiorum aliorum, præiudicium generari, & quibuſlibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtunt, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Seu ſi aliquibus, communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Beneficiorum vnitorum cura & ſeruitia non prætermittantur.

§. 55. Volumus autem, quòd Prioratus & alia beneficia vnita huiuſmodi, debitis propterea non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis, ſi qua illis immineat, nullatenus negligatur; & in Monaſteriis vnitis huiuſmodi diuinus cultus, & ſolitus Monachorum & miniſtrorum numerus, nullatenus minuatur; ſed illorum & dilectorum filiorum illorum Conuentuum, ſi Conuentus habeant, & Prioratuum, ac beneficiorum vnitorum prædictorum congrue ſupportentur onera conſueta. Et inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Tenor verò ſtatutorum, & ordinationum prædictorum talis eſt.

Tenor ſtatutorum d. Capituli generalis.

§. 56. IN primis tam Apoſtolica auctoritate nobis in hac parte commiſſa, quam totius Capituli noſtri poteſtate, ordinamus, ſtatuimus & deliberamus, quod Camaldulenſis Eremi ſit vna Congregatio, quæ loca omnia, tam Eremitarum, quam Obſeruantium, & Conuentualium, ad ipſam pertinentium complectatur vocetúrque Congregatio Sacræ Eremi Camaldulenſis.

Congregatio Eremi Camaldulenſis ſit vna, & vocetur Congregatio ſacræ Eremi.

Ex ea, & ex alia Congregatione S. Michaëlis, vna ſit erecta Congregatio nuncupata Sacræ Eremi Camaldulenſis, & S. Michaëlis de Murano, & d. Congregationis loca vz. principaliora Sacra Eremi cum ſuis annexis.

§. 57. Deinde ex hac Congregatione, & alia eiuſdem Ordinis Sancti Michaëlis de Murano fiat vnum corpus, & vna noua erigatur Congregatio, in qua, vniuerſa noſtræ Religionis loca Eremitarum, Obſeruantium, Conuentualium, & Monialium comprehendantur, quæ Sacræ Eremi Camaldulenſis, & Sancti Michaëlis de Murano, Congregatio nuncupetur. In ea vero particularius infraſcripta principaliora loca cum inferioribus ſibi annectendis, & vniendis, hoc ordine contineri intelligantur.

§. 58. Sacra Camaldulenſis Eremus Aretinenſis diœceſis dicti Ordinis, cum ſuis annexis, cui perpetuo vnimus hoſpitale ſancti Fridiani de Piſis, dictum Sancti Martini, cuius quinquaginta, ac Prioratum ſancti Sabini de Chio, prope Caſtellionem Aretinenſem, cuius etiam quinquaginta; necnon Monaſterium ſancti Andreæ de Puteo, cuius viginti, ac Prioratum Scandaloni Florentinenſis diœceſis, cuius quatuordecim; Et Monaſterium Inſulæ cum ſuis annexis Imolenſis, ſeu alterius diœceſis, cuius centum; ac Monaſterium de Typhi, in Val de Capreſe cuius quinquaginta; ac Prioratum de Cortona, cuius vigintiquinque, & Prioratum Angnæ Feſulanenſis diœceſis, cuius decem; ac Prioratum de Pratalea Feſulanenſis diœceſis, cuius ſex, ac Prioratum de Planetudo, cuius ſeptuaginta, ac Prioratum de Valiala, cuius duodecim.

S. Michaëlis de Murano cum ſuis annexis.

§. 59. Monaſterium ſancti Michaëlis de Murano, Torcellanenſis diœceſis, cum ſuis annexis, cui vnimus Prioratum ſancti Martini de Opitergio, ſiue de Vderzo, cuius centum; & Monaſterium ſanctæ Mariæ de Lemo in Iſtria, cuius vigintiquinque; ac Priorum Camalduli de Verona, cuius ſeptuaginta.

S. Matthiæ de Murano cum ſuis annexis.

§. 60. Prioratum ſancti Matthiæ de Murano apud Venetias cum ſuis annexis, cui vnimus Prioratum ſancti Viti de Vincentia, qui nunc in Congregatione eſt, ſi ita Patribus Congregationis in futuro Capitulo videbitur; ac Prioratum montis Crucum in agro Patauino, cuius octoginta, & Prioratum ſanctæ Mariæ de Oibigi Paduanenſis diœceſis, cuius vigintiquinque: ac Prioratum ſancti Benedicti de Philetto, Taruiſinenſis ſeu Cenetenſis diœceſis, cuius vigintiquinque.

S. Maria de carceribus.

§. 61. Ac Monaſterium ſanctæ Mariæ de Carceribus, cum ſuis manualibus & annexis.

S. Apollinaris.

§. 62. Et Monaſterium ſancti Apollinaris de Claſſe, cum ſuis manualibus & annexis.

S. Saluatoris de Forolinio cum ſuis annexis.

§. 63. Ac Prioratum ſancti Saluatoris de Forolinio, cum ſuis annexis; cui vnimus Prioratum ſanctæ Mariæ de Scardauilla, cuius quinquaginta; & Prioratum S. Petri de Cæſena, cuius ſeptuaginta; ac Prioratum Montis Caluarij, vnà cum Prioratu ſanctæ Mariæ de Fontana, ambo de Caſtracaro vniti, quorum viginti; & Prioratum de Prodano in agro Cæſenati, cuius viginti.

S. Ioan. Bapt. de Faventia cum ſuis annexis.

§. 64. Et Prioratum Sancti Ioannis Baptiſtæ de Faventia, cum ſuis annexis, cui vnimus Prioratum Sancti Ioannis Baptiſtæ de Bagnacaballo, cuius centum; & Prioratum S. Ioannis Euangeliſtæ de Riceo, cuius quindecim; ac Prioratum ſancti Damiani de Bononia, cuius ſexaginta.

S. Romualdi de Val de Caſtro cum ſuis annexis.

§. 65. Ac Monaſterium ſancti Romualdi de Val de Caſtro, cum ſuis manualibus & annexis, cui vnimus Prioratum de Podiocoppo, cuius quadraginta; & Prioratum ſancti Georgij, cuius duodecim, ac Prioratum de le Parelle, cuius decem, ac Eremum dictam la Quadrigaria, cuius quatuor.

§. 66. Et Prioratum ſanctæ Mariæ de Angelis Florentiæ,

S. Maria Angelorum Florentia cum suis annexis. rentiæ, cum omnibus suis annexis, cui vnimus Prioratum sanctæ Agathæ de Valdechiano in monte sanctæ Sabini, vnà cum Priotatu sancti Christophori, & Sanctæ Luciæ prope montem sancti Sabini illi vnito, quorum triginta; & Prioratum de Muchio Vulteranensis diœcesis, cuius quadraginta; & Prioratum sancti Viriani Aretinensis diœcesis, cuius sexaginta.

S. Benedicti extra muros Floren. cum suis annexis. §. 67. Et Prioratum sancti Benedicti extra muros Florentiæ, cum suis, annexis, cui vnimus Monasterium sanctæ Iucundæ Lucanensis diœcesis, cuius octoginta; & Monasterium de Cintogia dictæ diœcesis, cuius quinquaginta, & Prioratum Vrticaiæ Fesulanensis diœcesis, cuius triginta; & Prioratū S. Cypriani Vulteranensis, diœcesis, cuius vigintiquinque; ac Monasterium de Castigneto Pisanensi diœcesis, cuius trecentum; & Monasterium de monte Muro, Florentinensis vel Fesulanensis diœcesis, cuius vigintiquinque; ac Monasterium de Titiano, Aretinensis vel Sarsinatensis diœcesis, cuius octoginta.

S. Maria de Monte Cornaro. §. 68. Ac Monasterium sancti Felicis in Platea Florentinensis, cum suis annexis, cui vnimus Monasterium montis Cornarij prope Balneum sanctæ Mariæ, cuius octuaginta.

S. Mustiola siue Rosa. §. 69. Et Monasterium de la Rosa Senensis diœcesis, cum suis annexis, cui vnimus Eremum dictam Alriuo, vnà cum sibi annexo Priotatu de Larco, & aliis sibi annexis Senensis diœcesis, cuius centum quinquaginta.

S. Michaëlis de Aretio. §. 70. Ac Monasterium sancti Michaëlis de Aretio, cum suis annexis, cui vnimus Monasterium Sancti Clementis Aretij, cui octoginta; & Prioratum sancti Laurentij prope Aretium, cuius vigintiquinque.

S. Maria de Balneo. §. 71. Ac Monasterium sanctæ Mariæ de Balneo cum omnibus suis manualibus & annexis, cui vnimus Prioratum sancti Syluestri, qui etiam vnus de manualibus eius existit, cuius quadraginta.

S. Seueri de Perusia. §. 72. Et Monasterium sancti Seueri de Perusia, cum Prioratu sanctæ Trinitatis illi annexo, & eorum annexis, quibus vnimus Prioratum sancti Antonij de Tuderto, cuius vigintiquinque; ac Prioratum sancti Angeli dictum el Massaccio, cuius centum.

S. Hippolyti de Fauentia. §. 73. Et Monasterium sancti Hyppoliti de Fauentia, cum suis annexis, & manualibus, cui vnimus Ecclesiam sancti Andreæ, & sancti Laurentij eiusdem Monasterij manuales, cuius octoginta; ac Prioratum dictum de Ferraceiano Foroliuiensis diœcesis, cuius centum; ac Prioratum sanctæ Mariæ Camaldulini prope Forumliuium, cuius triginta; ac locum sancti Mauri de Solarolo Fauentinensis diœcesis, cuius quinquaginta.

Abbatia de monte Christi. §. 74. Et Monasterium de Monte Christi in Insula prope Sardiniam, cum suis annexis, cui vnimus Monasterium sanctæ Trinitatis in Sardinia, Ecclesiam sancti Petri in Scano, sancti Nicolai de Trulla, sanctæ Mariæ, & sanctæ Eugeniæ in Samnat, sancti Michaëlis & Laurentij in Vauaci, sanctæ Mariæ, & Ioannis in Altasar, sanctæ Mariæ in Contra, sancti Ioannis & Simonis in Saltiener, sancti Pauli in Controli, sancti Petri in Olum Eremitorum, In Elba insula, locus in Capolinari, & omnia alia nostri Ordinis loca, quæ in Corsica, Sardinia, Plumbino, & aliis circumiacentibus terris reperiuntur, quorum insimul fructus, redditus, & prouentus quinquaginta ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem valorem annuum non excedunt.

Quorum locorum annexio & incorporatio facta censeantur, dum ea vacant. §. 75. Quæ omnia suptadicta loca si quouis modo vacant, alioquin per cessum vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem Abbatum, Priorum, & aliorum quorumvis ea obtinentium vnita, annexa, & incorporata perpetuo sint & esse censeantur, & in noua hac Eremi Congregatione nostra, ordine quo supradictum est intelligantur.

Et in eis monastica disciplina Obseruantia seruetur. §. 76. Et hæc quidem principaliora decem & septem loca, tanquam magis idonea, in quibus iuxta monasticam disciplinam regularis vita constitui & obseruari valeat, eligimus, instituimus, & deputamus, quibus alia minora loca, vt particulariter supra expressum est, ea ratione annexuimus, vt cum Monachis simul pluribus alimenta suppeditare abunde valeant, & pro sociali vita atque cœnobitica institutione perfectius custodiatur Obseruantiæ rigor.

Monialium paupertati subueniunt, Eremus soluat videlicet sororibus penniones, videlicet Flor. 30. Monialibus S. Benedicti de Aretio. §. 77. Quoniam vero, & de Monialium dicti nostri Ord. locis quibus omnia huiusmodi de nouo erectæ Congregationis priuilegia communia esse debent, ratio habenda est, cum nonnulla ex eis intolerabili, vt accepimus, paupertate premantur; statuimus & definimus, vt Sacra Eremus, cum primum Prioratum Planetuli, luxta præmissam dispositionem possederit, annuam triginta florenorum pensionem, Monialibus Monasterij sancti Benedicti de Aretio persoluat.

Flor. 20. Monialib. de Prato veteri. §. 78. Cum Prioratum Cottonæ, viginti florenorum Monialibus Monasterij sancti Ioannis Euangelistæ de Prato veteri.

Flor. 30. Monialibus de Boldrona. §. 79. Cum vero Prioratus Angelorum de Florentia, Prioratum sancti Viriani acquisiuerit, annuam similiter triginta florenorum pensionem Monialibus nostri Ordinis de Boldrona persoluat.

Flor. 25. Monialibus S. Trinitatis de Fauentia. §. 80. Quando itetum Monasterium sancti Hippolyti de Fauentia, locum sancti Mauri de Solarolo possederit, pensionem annuam vigintiquinque florenorum Monialibus Monasterij sanctæ Trinitatis de Fauentia persoluat.

Pensionesque istæ perpetuæ sint. §. 81. Quas quidem pensiones perpetuis futuris temporibus de anno in annum præfatis Monialibus persolui, & nulla ratione, neque à Capitulis nostri Ordinis, neque à præsenti, aut futuris Generalibus, aut aliis quibuslibet impediri posse statuimus.

Beneficia prædicta nemini ad vitam conferantur. §. 82. Item statuimus, & ordinamus nullum de cætero nostri Ordinis beneficium, neque ex principalioribus, neque ex vnitis supra nominatis, aut vniendis, posse cuiquam, vel in ipso Ordine nostro, vel extra existenti, ad vitam conferri, neque à moderno, neque à successoribus suis Generalibus, neque ab Eremitis, neque ab Abbatibus, & Prioribus Ordinis nostri, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, his qui beneficium aliquod conferre voluerint. Et vt quòd nemo, qui Camaldulensis Ordinis sit, beneficium aliquod, siue dignitatem ad vitam suscipere valeat. Sed in superius prænominatis locis principalioribus, per cessum vel decessum eorum, qui loca ipsa nunc tenent: Annuales, Priores, vel Abbates, aut Rectores instituantur, vitaque regularis & Obseruantia custodiatur: Minora vero in vacationis quomodocumque euentum, maioribus ordine supra expresso, vnita sint, vt præfertur, hoc declarato, vt in illis pari ratione nemo possit, nisi annualem administrationem habere.

Onera in eis impleantur. §. 83. Hac tamen lege, quòd loca quæcumque sic applicari contigerit, debitis sibi non fraudentur obsequiis, sed per Prælatos Monasteriorum vel locorum, quibus applicata fuerint, & annexa onera consueta & officia impleantur.

Prælati de fructibus annexorum rationem reddant vt hic. §. 84. Obligenturque Prælati antedicti, qui perpetui sunt, de fructibus huiusmodi annexorum, Visitatoribus, per Obseruantes & Eremitas, deputatis reddere rationem. De quibus quidem fructibus, ac prouentibus, illud disponi debeat, quod per definitores Capituli Obseruantiam fuerit ordinatum. Ex nunc, Sedis Apostolicæ beneplacito præmisso, decernentes, vt quicquid super collatione beneficiorum, & locorum Ordinis nostri, aliter à quocumque fuerit attentatum, siue scienter, siue per ignorantiam nullius roboris vel momenti esse censeatur.

Prælati loca quæ tenent, Congregationi resignent, vt in adiungantur. §. 85. Item statuimus & ordinamus, quòd Prælati Ordinis nostri, perpetui, siue in hac Congregatione, siue extra ipsam fuerint; titulo, regimini, & administrationi locorum quæ tenent, ad hoc vt dictæ Congregationi vniantur, & effectualiter aggregentur, in manibus Generalis, & Capituli Eremitarum cedere valeant, & hi potestatem habeant admittendi cessionem, ac loca ipsa Congregationi, effectu ipso, adiungendi.

Cedentes loca in eorū Abbates & Priores præfici possint ad vitam cæteri vero nequaquam. §. 86. Et nihilominus Generalis ipse, & Eremitarum Capitulum, qui sic viuentes cedere voluerint, in eorundem locorum Abbates, aut Priores, secundum loci qualitatem, per annum præficere possint, qui quidem annus toto tempore vitæ eius, qui sic præfectus fuerit, durate intelligatur. Quod & in aliis pariter obseruari decernimus, qui beneficia aliqua, vel loca Ordinis nostri, qui nunc in commenda sunt, in titulum habere procurauerint, scilicet, titulo atque administrationi, locorum

quæ ſic habuerint io fauorem Congregarionis in prædictorum manibus cedentes, per eoſdem, in Priores, aut Abbates eorundem locorum pet annum præfici poſſint, qui annus donec vita illi ſuperetit, non finistur. Nullum autem alium noſtri Ordinis quoquo modo ad aliquod beneficium aut dignitatem ad vitam, aut ad annum tota vita durarum præfici poſſe volumus.

Loca quæ sūt extra Congregationem cum primum vacant, Congregationi aggregentur.

§. 87. Item ſtatuimus & ordinamus, vt Monaſteria & beneficia, ac loca, omoia & ſingula noſtri Ordinis Camaldulenſis, quæ modo eatra hanc Congregationem, ſiue in Ordine ſint, ſiue extra Ordinem, per quoſcumque euiuſcumque dignitatis fuerint in titulum vel commendam obteota, cum ptimum per ceſſum vel deceſſum illa obtinentiom vacauerint, aot illotum commendæ ceſſauerint, ad Ordinem noſtrum effectualiter reuertantur, & Congregatiooi de nouo erectæ huiuſmodi pleno iure, & cum effectu aggregentur.

Generalis Ordinis, d. Congregationis caput ſit.

§. 88. Locorum autem omnium, qui nunc in noſtro Ordine ſunt, aut in futurum erunt, ſiue in hac Coogregatione in præſentiarum ſunt, ſiue illi in poſterum aggregabuntur, ſiue etiam extra Congregationem ſint, totius ſcilicet Camaldulenſis Religionis caput, Generalis cenſeatur, de anno in annum prout inferius dicetur eligendos.

Prior Eremi teneat primū locum poſt Gener.

§. 89. Eremi aotem Prior ptopter loci illius dignitatem, poſt Generalem, ſupra omnes alios Ordinis Abbates, & Ptiores, ſemper locum habeat.

Generalis eligatur de Conuentualibus viſitet totum Ordinem, & habeat collectas.

§. 90. Modus autem nominandi, ac eligendi Ordinis noſtri Generalem talis ſit. Vt eligatur & deputetur ſolom de numero Obſeruantium ſeu Cœnobitarum, ſiue Eremitarum, & non Conuentualium, fiatque eius electio de anno in annum in Capitulo Obſeruantium, ſecundum eondem modum, & formam, quæ ſeruari conſueuit in electione Vicarij dictæ Congregationis ſancti Michaëlis de Murano. Ipſeque Generalis ſic electus poſſit, vbi opus fuerit Ordinem vniuerſum viſitare, & annuas collectas habere debeat à locis, quæ illas exoluere tenentur, & coosueuerunt.

Officium eius durat ſicut Abbatum.

§. 91. Sacræ aotem Eremi Prior, per ceſſum vel deceſſum Venerabilis Religioſi Petri Delfini, in præſentiarum Prioris & Generalis, nominetur & eligatur dumtaxat de numero Obſeruantium Cœnobitarum, aut Eremitarum, ſitque non perpetuos, aut ad vitam, ſed temporalis, & eius electio fiat ſecundum modum, & formam qua eliguotur, aut eligentur cæteri omnes Abbates, & Priores locorum, quæ nunc in dicta Congregatione de Murano ſunt, aut in futurom erunt.

Prior Eremi in Eremo ſemper conuerſari debet.

§. 92. Ipſeque Sacræ Eremi Prior, pro tempore ſui officij in Eremo commoretut, vitamque totaliter ducat Eremiticam, non ſecus ac cæteri omnes Eremitæ, quos noo minus exemplo, quam doctrina inſtruere debet. Hoc enim in regula beati Benedicti, Prioris officium eſſe legimus.

Petro nunc Eremi Priore ac Generali Ordinis decedente, vicarius S. Michaelis vices Gener. ſuppleat & Prior Eremi, ſtatim ab eius Capit. eligatur duraturus vſque ad Cap. Obſeruantiū quo ſingulis annis eligatur.

§. 93. Quoniam vero in obitu, aut ceſſione eiuſdem Petri Delfini, moderni Prioris Eremi, & Ordinis Generalis, non ſtatim coadunari Capitulum poterit, ordinamus & definimus, vt eo cedente vel decedente, vſque ad immediate poſt futurum Capitulum ille qui pro tempore Congregationis ſancti Michaëlis Vicarius eſſe reperietur, ſuppleat vices Generalis. Prior autem Eremi, pro illa dumtaxat vice, à Capitulo Eremi ſtatim eligatur, duraturus vſque ad proximum futurum Capitulum Obſeruantium, io quo poſtea de anoo in annum eligetur, vt præfertur.

Generalis futurus, duos eligat Vicarios.

§. 94. Item ordinamus ac definimos, vt qui poſt ceſſum aut deceſſum moderni Generalis, pro tempore Generalis eligetur, debeat ſibi eligere & deputare Vicarios pro melioti totius Ordinis regimine & gubernatiooe.

Vnum ſuper Conuentuales de anno in annum, & de numero Conuentualium Prælatorum.

§. 95. Vnom quidem ſuper omnes Conuentuales voiuerſalem Vicariom, qui ſuper Obſeruantes Cœnobitas, & Eremitas, & ſuper Moniales nullum ius habere poſſit: Eligaturque de anno in annum ab ipſo Ordinis Generali, cum conſenſu Eremitarum, & cum conſilio aliquorum Ordinis noſtri Prælatorum, de oumero ſolum Conuentualium Prælatorum. Qui & vſque ad triennium confirmari, & infra anoum reuocari ad nutum Generalis, & Capituli Eremitarum poſſit. Cui ſecundum quod eiſdem Generali & Capitulo Eremitarum viſum fuerit, de competenti ſalario prouideatur, vt munus ſuum implere commode valeat.

Alterum ſuper Obſeruantes Cœnobitas Eremitas & Moniales, de numero Prælatorum Obſeruantium.

§. 96. Pro regimine autem Obſeruantium Cœnobitarum, & Eremitarum, ac Monialium, vnum aut plures Vicarios, vniuerſales aut particulares, quando & quoties opportunum cenſebit, ipſe ſolus Generalis eligere, & confirmare, ac reuocare poſſit. Neminem tamen, niſi de numero Prælatorum obſeruantium noſtri Ordinis poſſit io Vicarium ſupra Obſeruantes, aut Moniales eligere.

Capitula duo celebrentur.

§. 97. Pro meliori aotem huius Congregatioois, & totius Ordinis regimine, confirmatione, & augmento, volumus in Religione noſtra duo Capitula celebrari.

Vnum in quo conueniant Obſeruantes Cœnobitæ, & Eremitæ, & Generalis Prior Eremi, & Obſeruantium locorum Abbates & Priores eligātur, &c. de anno in annum.

§. 98. Vnum quidem de anno in annum, in quo ſolum conueniant obſeruantes Cœnobitæ, & Eremitæ, ita vt Prior Eremi ſicuti alij obſeruantium Prælati, cum vno ſocio ad eum accedat. In quo per nouem definitores, quorum maior pars de oumero Prælatorum ſit, eo modo deputandi, & eligendi, quo in Capitulis Congregationis Caſſinenſis, alias ſanctæ Iuſtinæ eliguntur. Prior Eremi, & cæteri omnes Obſeruantium locorum Abbates, & Priores, & totius Ordinis Generalis eligantur, & cætera omnia tractentur, & definiantur, quæ ad regimen, tam ſpirituale, quam temporale obſeruantium, tam Cœnobitarum, quam Eremitarum, atque Monialium pertinere videbuotur.

Alterum ſit Capitulum generale celebrandum, quando & vbi Generali & Eremi Capitulo videbitur, in quo tractentur neceſſaria pro totius Ordinis reformatione, & vtilitate.

§. 99. Alterum vero Capitulum, quandiu in noſtro Ordine Cooneotuales eſſe contigerit, Generales totius Religionis fieri volomus, quando quoties, & vbi Generali Ordiois, & Capitulo Eremitarum viſum fuerit, in quo conueniant omnes qui in Generalibus noſtri Ordinis Capitulis vocem habere conſueuerunt. Et per ſex definitores, quorum duo ſint Eremitæ, ſiue Sacerdotes, ſiue non, à Capitulo Eremi eligendi, duo de numero Obſeruantium, & duo de numero Conuentualium, ab omnibus vocem in eodem Capitulo habentibus deputandi. Vna cum Præſidente, qui ſemper ſit Ordinis Generalis, aut loco eius Eremi Prior. Ea tractentur & definiantur, quæ ad totius Ordinis reformationem, incrementum, atque vtilitatem opportuna exiſtimabuotur.

Definitores Capitulo eligunt vnum Ordinis profeſſum, pro Notario Capituli.

§. 100. Illud quoque Sedis Apoſtolicæ confirmatione obtenta definimus, vt quoties noſtri Ordinis qualecumque Capitulum celebrabitur, poſſint eiuſdem Capituli Definitores eligere voum noſtri Ordiois profeſſum idoneum & fidelem, loco ootarij qui eiuſdem Capituli acta ſcribere, ac in debitas, & opportunas formas redigere valeat, cuius quidem ſcriptis, tam in Romana Curia, quam alibi, in iudicio, & extra, plena fides adhibeatur, ac ſi per publicum & authenticum ootarium ſcripta, & ſtipulata eſſent.

Monachi Obſeruantes & Eremitæ ad Conuentuales tranſire prohibentur.

§. 101. Item ſtatoimus & ordinamus, vt nullus de numero Obſeruantium Monachorum Conuerſorum, aot Eremitarum, poſſit ad vitam Conuentualem tranſire, ſub inobedieotiæ pœna, qua ligentur, non ſolum tranſeuntes, ſed etiam recipieotes, qui etiam beneficiorum ſuorum priuationis pœnam iocurrant.

Conuentuales ad obſeruantias tranſire poſſunt, & recipi debent.

§. 102. Conuentuales vero ad arctiorem vitam obſeruantiæ tranſire poſſe volumus. Quinimo eorum ſingulos pro animarum ſuarum ſalute, Religioniſque noſtræ reformatione hortamur, admonemus hoc facere. Volenteſque vt Conuentualibus ſic ad meliorem conuerſationem tranſire volentibus, locus in Obſeruantia denegari ſub eadem pœna noo poſſit, niſi poſt tertiam probationem, vt io B. Benedicti Regula ſcriptum eſt. Sed per obſeruantium Monaſteria, ſecundum beneplacitum Viſitatorum & definitorom Obſeruantium deputentur.

Venientes ad Ordinem recipiantur ab obſeruantibus tantum.

§. 103. Item, vt Obſeruantium potius quam Conuentualium, in noſtro Ordine numerus augeatur, & omnes ad noſtram Religionem accedere volentes, in loco Obſeruantiæ habitum Religionis ſuſcipiant, & profeſſionem emittant; innouamus antiquam noſtri Ordinis conſtitutionem, vt nullus Conuentualium Prælatorum, qui perpetui ſunt, poſſit alicui habitum noſtræ Religionis exhibere, & contrafaciens pœnam priuationis beneficiorum ſuorum eo ipſo incurrat.

§. 104.

Obseruantes in victu, vestitu, celebratione officiorum, & eandem formam omnes obseruent.

§. 104. Item definimus, & mandamus, vt omnes tam prælati, quam Monachi de Obseruantia (exceptis Eremitis, quorum vita arctior, & locus austerior est) debeant in victu, vestitu, tonsura, Diuini officij, & Missarum celebratione, & aliis omnibus moribus, & cæremoniis tam extra, quam intra Monasterium; eundem modum, & normam, sine vlla penitus diuersitate, habere & obseruare.

Licentia standi extra Ordinem reuocantur.

§. 105. Item omnes & singulas licentias nostri Ordinis, Monachis aut Conuersis concessas, extra claustrum, & extra Ordinem commorandi reuocamus. Et eisdem, cum licentia, aut sine, extra Ordinem commorantibus, sub pœna grauissimæ culpæ mandamus, vt infra terminum trium mensium à præcepto sibi facto, debeant coram Generali, aut Vicario, aut Visitatoribus præsentare, qui eisdem de congrua mansione in Ordine nostro prouidere debeant. Teneanturque perpetui Prælati, Monachos, seu Conuersos huiusmodi, ad eos per Generalem Vicarium, aut Visitatores directos, benigne recipere, & humaniter tractare, nisi legitimam habuerint excusationem.

Familiaritas Prælati, vel Cardinalis quomodo impetranda.

§. 106. Item in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt nullus omnino nostri Ordinis, sine omnium definitorum Capituli, & Sedis Apostolicæ licentia, literas familiaritatis alicuius Cardinalis seu Prælati impetrare possit. Ac literis desuper per eos hactenus impetratis sub pœna priuationis beneficiorum suorum, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda renuntiare habeant. Neque extra loca Religionis, seu in aliarum Religionum, aut sæcularium locis permanere præsumant, neque possint beneficia, Ecclesias, aut loca alia ad regimen, aut ad affictum, aut alio modo sine eadem licentia, & sub eadem pœna suscipere. Neque etiam possint super his Generalis, aut Capitulum Eremi, neque alius quoquo modo dispensare.

Beneficia obtinentes & non residentes eis priuantur, & Ordini aggregantur.

§. 107. Item definimus & statuimus, vt omnes nostri Ordinis beneficia obtinentes in dicto beneficio, aut per se, aut per alium qui nostri Ordinis sit, resideat, & debito modo, Deo altissimo deseruiat, aut deseruire faciat. Et quicumque sine expressa omnium Definitorum licentia, hanc institutionem non seruauerit, beneficio suo de facto priuatus intelligatur. Et loco cui, secundum superiorem dispositionem, vniri debet, pro vnito, & annexo habeatur.

Curata beneficia habentes lampadē ante Corpus Christi teneant. Et curam animarum amoueant, vt hic infra annos quinque.

§. 108. Item definimus, & mandamus sub eadem pœna, vt singula dicti Ordinis beneficia, quibus cura imminet animarum, quorum singulorum fructus & prouentus ad summam vigintiquinque florenorum auri ascendant, obtinentes continue die noctuque ante sacratissimum CHRISTI corpus, accensam lampadem tenere debeant. Statuimus insuper, ac definimus, vt tam Eremitæ, quam Cœnobitæ, qui tunc in obseruantia sunt, aut in futurum erunt, infra terminum quinque proxime futurorum annorum, debeant omnem curam animarum, à locis eorum, tam principalioribus quam annexis, amouere, aut illis omnino cedendo, aut illas per sæculares presbyteros exercendo. Quo termino transacto, illos quibus hoc onus incumbit; si ordinationem hanc non impleuerint, grauissimam inobedientiæ culpam incurrisse censeantur, ac locum à quo cura animarum amota non fuerit, debere, & posse secundum Generalis, & Capituli Eremi dispositionem, ab eo cui vnitum erat separari, & alij vniri volumus. Ac sub dictæ Sedis beneplacito voluimus, vt plebs, & populi, quorum curam, loca nostri Ordinis habere consueuerant, secundum dispositionem eorundem locum Prælatorum, contentæ sint à sæcularibus presbyteris curari ac gubernari.

Pro Ordinis auxilio quinque prudentes viri in locis obseruantiæ per decem annos teneantur, quibus indulgentia duplicantur.

§. 109. Item quoniam multi nostri Ordinis probatissimi viri, proxime præteritis annis vita functi sunt, nosterque propterea Ordo, aliquo indigere auxilio videatur, sub Sedis Apostolicæ beneplacito volumus, vt per decem annos proxime futuros, possint quolibet anno, quinque alterius cuiuscumque Religionis, etiam Mendicantium, atque Carthusiensium, quos Capituli nostri Definitores elegerint, habitum nostræ Religionis, in quibuscumque obseruantiæ locis recipere. His vero sic ad nostrum Ordinem accedentibus, & Camaldulensium Religionem profitentibus, cupimus de Apostolicæ benignitatis largitate, merita laborum Religionis duplicari plenariam omnium peccatorum indulgentiam concedi, illas insuper easdem indulgentias, eadem benignitate consequi optamus, quas si sancta Hierosalem loca, beatorum Apostolorum in Vrbe limina, & sancti Iacobi in Galitia Ecclesiam visitando consequerentur.

Tu vide quoad indulgentias, reuocationem S. D. N. Pauli V. in sua constit. 16 Romanus.

Loca Ordinis quæ transcendunt summā sexcentorum Florenorum debent præceptores conducere & tenere.

§. 110. Item statuimus, & definimus, vt singula nostri Ordinis loca, vbi Cœnubitica obseruantia custoditur, cuius fructus summam sexcentorum florenorum transcendant, debeant præceptores conducere ac tenere, qui iuniores Monachos linguas, & doctrinas, maxime sanctarum scripturarum disciplinam doceant, si ea loca studentibus apta & idonea à Definitoribus iudicabuntur. Quæ autem non id fecerint, secundum eorundem Definitorum arbitrium, illis qui fecerint, aliquid persoluere teneantur, & grauissime insuper ab eisdem puniantur.

Ingressus ad loca Ordinis prohibetur.

§. 111. Item statuimus & ordinamus, quod nullæ mulieres, Monasteria tam virorum quam monialium dicti Ordinis, sub pœna excommunicationis ingredi possint, sine expressa Generalis dicti Ordinis licentia.

Latior prohibitio est hodie, vt in Gregorio XIII. constit. 28. Vbi gratia.

Visitatores obseruantiū visitent omnia loca.

§. 112. Item statuimus & definimus, quod à præsenti anno incipiendo semel ad minus in anno, omnia nostri Ordinis monialium Monasteria, per Visitatores obseruantium visitentur. A nullo vero alio, nisi à Generali possint visitari sine omnium Definitorum licentia. Teneantur vero obseruantium Definitores & Visitatores eadem Monasteria regere & gubernare, & inter cætera nullam monialem in eis permittere, vt proprij quicquam habeat.

Eremitica vita rigor à suo Capitulo Eremi tantum immutari potest.

§. 113. Vt Eremiticæ vitæ rigor, per Cœnobitarum societatem non imminuatur, statuimus & definimus, vt Ordinis Generalis, aut Prior Eremi non possit, neque propria, neque alicuius Capituli auctoritate, antiquas Eremi constitutiones, secundum consuetudines quæ in præsentiarum obseruantur moderatas relaxare, aut per laxiorem viuendi modum immutare, sine totius Capituli Eremi consensu, & qui tam laudabilem vitam vllo modo immutare attentauerint, Dei, & sancti Patris nostri Romualdi indignationem timeant.

Capitulum Eremi quæ personæ faciant.

§. 114. Capitulum autem Eremi, & in præsentiarum, & futuris temporibus esse, & intelligi volumus, ipse, Eremi Prior, & omnes, qui post professionem suam, in Ordine nostro, per sex continuos menses, in ipsa Eremo vitam duxerint Eremiticam, & à reliquis Eremitis, digni eorum consortio fuerint iudicati, siue fuerint in sacerdotio constituti, siue non.

Officiales omnes in Eremo & eius locis singulis annis pro die S. Romualdi eligātur, à Priore & Capitulo.

§. 115. Item definimus & statuimus, post obitum, vel cessionem Moderni Prioris Generalis, omnes, tam in spiritualibus quam in temporalibus ministri, officiales, Camerarij, dispensatores, in Eremo, Fonte bono, aliisque locis Eremo annexis, atque subiectis, singulis annis, pro die sancti Romualdi, de nouo eligantur, aut confirmentur, per Eremi Priorem, non tamen sine expresso consensu Capituli ipsius Eremi, electiones autem quæcumque, quæ sine huiusmodi consensu fierent, nullæ esse intelligantur, & cum grauissimo onere conscientiæ illios, qui sine tali consensu eligere attentauerit. Viuente autem, & non cedente præfato Petro, qui nunc Eremi Prior, & Generalis est, volumus, prædicti omnes, tam in spiritualibus, quam in temporalibus Ministri, & Officiales in Eremo, Fonte bono Camal. Florent. aliisque locis quibuscumque Eremo annexis & subiectis, eligantur ab ipso Petro Priori & Generali, cum consilio tamen Eremitarum, aliter autem nequaquam.

Qui non sunt bonæ conuersationis ex locis Eremi remoueantur, vt hic.

§. 116. Item ordinamus & definimus, vt eos, qui aut in præsentiarum, aut in futurum non bonæ conuersationis, & famæ in Fonte bono Camalduli Florentin. aliisque omnibus locis Eremo annexis & subiectis, à duabus partibus ex tribus Capituli ipsius Eremi existimabuntur, & tales esse declarabuntur, statim ab illis locis remoueantur prout in dies per Eremitas nominabuntur. Ad quod si opus fuerit liceat etiam brachij sæcularis auxilium implorare.

Capitulum Eremi, quid possit.

§. 117. Item statuimus & definimus, vt post obitum, aut cessionem moderni Prioris Eremi, & Generalis, Capitulum dicti Eremi, in temporali & spirituali regimine Eremi, Fontis boni & aliorum locorum Eremo annexorum, & subiectorum, eandem auctoritatem habeant, quam nostri Ordinis Capitulorum quorumcumque Definitores habent, aut habituri sunt. Et quicquid per Eremi Capitulum, in Eremo, & locis prædictis, circa modum viuendi, induendi, fabricandi, diuinum officium ordinandi, & circa morum, & cæremoniarum obseruationes terminatum fuerit, maius etiam robur habeat, quam si fuisset per Definitores cuiuscumque Capituli constitutum.

Barbam Eremitæ deferre possint.

§. 118. Item volumus, vt sicut clausis Eremitis, ita apertis etiam, tam Monachis quam conuersis, & Sacerdotibus, si ita Capitulo Eremi visum fuerit, liceat barbam deferre, ita tamen vt Sacerdotes eas, circa os tondere teneantur.

Pecuniã vero habere prohibentur dum sunt in Eremo.

§. 119. Item decernimus ac statuimus, vt post obitum vel cessionem huius qui nunc Eremi Prior, & Generalis est, nemo in Eremo, neque Prior, neque Maior, neque Sacrista, neque alius Eremita, Monachus, aut Conuersus, dum effectualiter in Eremo commoratur, possit sub aliquo colore habere, seu tenere, mutuo dare, aut recipere, aliquam pecuniæ etiam minimam quantitatem. Nisi forte Camerarij Fontis boni coadiutor, socius aut minister sit. Sed tam eleemosynæ, quæ pro dicendis Missis Eremo offeruntur, quam singula alia Prioratus Eremi temporalia bona, per Fontis boni Camerarium, eiusque coadiutorem, & ministros tractentur, atque administrentur. Et hæc quidem constitutio, tandiu variari non possit, quandiu omnibus Capituli Eremi vocibus aliter visum fuerit.

Administratores bonorum temporalium Eremi qui sint.

§. 120. Item definimus ac statuimus, & per Eremi Priorem, vnà cum Eremitis, & in præsentiarum, & in futuris temporibus, super administrationem bonorum temporalium Eremi, duo nostri Ordinis deputentur, vnus Camerarius, qui in Fonte bono commoretur, alius autem ipsius Camerarij coadiutor, qui ex his etiam esse possit, qui in Eremo commorantur. Qui seaies in anno, semel scilicet quibuslibet duobus mensibus, exactam suarum administrationum rationem reddere teneatur illis, siue sæculare, siue religiosi, aut vnus aut plures sint, quos prior Eremi, & Eremitæ ad hoc elegerint. Ministros vero, & vnum & plures, & laïcos, & religiosos, habere isti possint, neminem tamen sine Capituli Eremi consensu.

Qui administrarunt bona Eremi cogantur ad reddendum rationem.

§. 121. Item statuimus, & sancimus, quod per Eremitas deputentur, aut ab eadem Sede deputari impetrentur, vnus, aut plures, qui rationes eorum, qui bona Eremi administrauerunt, videant, & plenissima Sedis Apostolicæ auctoritate, cum brachij sæcularis auxilij imploratione, potestatem habeant cogendi eos ad reddendam rationem administrationum suarum, & ad restituendum quidquid per eos restituendum fore iudicauerint. Possintque etiam eadem auctoritate omnes, qui bona Eremi minus legitimè possident, ad ea restituendum cogere. Ac cum eis de fructibus eorundem bonorum, & de summa pro illis exposita, prout iuris fuerit componere.

Eremus claudatur, & inde pauperibus & peregrinis eleemosyna dentur.

§. 122. Item antiquiorem constitutionem confirmantes, ordinamus, vt quam citius fieri poterit, Eremus circumquaque eo modo, quo Eremitis opportunum videbitur, claudatur, vnum solum aditum, & ingressum, aut duos ad summum dimittendo. Vbi abundanter pauperibus, & peregrinis eleemosynæ elargiantur.

Mansio pro hospitibus seorsum à cellulis Eremitarum confirmatur.

§. 123. Item pro maiori fratrum Eremitarum quiete volumus, & definimos, vt Prior Eremi, qui post obitum, aut cessionem eius qui in præsentiarum Prior est, in Eremo habitauerit, pro hospitibus, qui ad Eremum accesserint, mansionem, seu cellulam construere faciat, sic à cellulis Eremitarum diuisam, vt Eremitæ quantum minus fieri possit, ab hospitibus molestentur. Quæ tamen loco & forma, qua Capitulo Eremitarum visum fuerit, construatur.

Nemo admittatur in choro cellulis, vel alibi sine licẽtia Prioris.

§. 124. Item ordinamus & definimus, vt quicumque, aut deuotionis gratia, aut alia quacumque de causa ad Eremum accesserint, siue sæculares viri, siue Religiosi fuerint, neque in choro, neque in cellulis, neque alibi, nisi in prima Ecclesiæ parte, & in loco hospitibus deputato, sine Prioris licentia non admittantur.

Eremitæ etiã extra Eremũ abstinentiãs seruare debent, si redire velint.

§. 125. Item statuimus & ordinamus, vt Eremitæ Monachi, ac Conuersi, ipseque Eremi Prior, quoties legitima causa, intentione redeundi, de Eremo exierint, teneantur etiam tempore quo extra Eremum permanserint, in ieiuniis & abstinentiis, eandem formam seruare, quæ in Eremo custoditur, exceptis nonnunquam recreationis, aut non bonæ valetudinis, aut itineris defatigatione, aut alterius laboris causis, in quibus extra Eremum commorantes, cum Prioris licentia, non teneantur hoc custodire.

Clausuram non exeant, &c. neque soli ab Eremo recedant nisi vt hic.

§. 126. Item volumus, quòd Eremitæ, clausuram Eremi exire non valeant diebus & horis quibus seruatur silentium, sine Prioris licentia. Nec liceat alicui Eremitarum, aut Monachorum, vel Conuersorum, vltra sex, aut septem milliaria, procul ab Eremo decedere. Aut extra Eremum, vel etiam Fõtis boni hospitium permanere, sine eadem licentia. Item volumus & definimus, vt nullus omnino Monachus, vel Conuersus, qui in Eremo commoretur, possit vltra hospitium Fontis boni, aut æquiualentem distantiam, ab Eremo solus recedere. Sed pro quacumque etiam administratione & necessitate, vltra eam distantiam, bini ire debeant, neque possit super hoc, vllo iure, nisi per omnes Capituli voces dispensari.

Eremita non acceptetur absque Capitulo.

§. 127. Item ordinamus, & definimus, vt quoties aliquis, seu laïcus, seu religiosus, aut nostri, aut alterius Ordinis fieri Eremita, siue per se, siue per nuntium, aut literas petierit, neque Eremi Prior, neque aliquis Eremitarum, sub magna propriæ conscientiæ aggrauatione, audeat suo consensu illi determinatæ respondere, sed ad Capitulum Eremi omnia referantur huiusmodi. Sine cuius Capituli licentia, sub eadem pœna, nemo ad Eremiticam vitam admittatur, aut ab ea expellatur.

Neque de Eremo ad alium locum inuitus trahatur absque Capitulo.

§. 128. Item ordinamus, vt nullus Monachus, aut Conuersus, ex Eremitarum numero possit, neque à Generali Ordinis, neque à Priore Eremi, neque a quibuscumque nostri Ordinis Capituli Definitoribus, aut Visitatoribus, inuitus de Eremo extrahi, aut inde amoueri, aut aliquem eiusdem Ordinis locum transferri, nisi cum consilio pariter & assensu Capituli ipsius Eremi, sed inuiolabiliter obseruetur Martini Papæ V. priuilegium, hoc idem statuens.

Mendicantes ad Eremiticã vitam accedẽtes, in Eremo tantum officia & Prælaturas habeant.

§. 129. Item volumus, vt fratres ex Mendicantibus Ordinibus, ad vitam Eremiticam in nostro Ordine transeuntes, non obstante iuris contraria dispositione, possint vocem in Capitulo, officia, & Prælaturas in Eremo habere, non autem alibi, in nostro Ordine, hoc eis permittatur.

Eremita non cogatur Sacros Ordines, Prælatura aut visitationis munus recipere.

§. 130. Item ordinamus, quod nullus, neque clausus, neque apertus Eremita, per aliquem nostri Ordinis Prælatum, aut Capitulum possit ad sacros aliquos ordines, aut Prælaturas, in Eremo, vel alibi, aut visitationis munus suscipiendum, adstringi. Nulloque conscientiæ onere prægrauetur Eremita, qui ad huiusmodi vocatus, accedere, aut assentire recusauerit.

Eremita qui & quando possit se recludere.

§. 131. Item volumus, quòd Monachus, aut Conuersus Eremita, qui trigesimumquintum suæ ætatis annum perfecit, & per vnum ad minus annum, post professionem nostri Ordinis, in Eremo permanserit, possit de licentia Capituli ipsius Eremi dumtaxat, sine alicuius alterius licentia, in cellula sua se claudere, & ibi reclusorum more viuere.

Et quod sit immunis oneris administrationum, &c.

§. 132. Vt autem reclusi Eremitæ attentius solo Deo vacare possint, volumus vt reclusi Eremitæ omnes, liberi & immunes sint ab omni onere conscientiæ, circa regimen, & administrationem rerum, tam spiritualium, quam temporalium ipsius Eremi, & locorum Eremo annexorum, & subiectorum. Et si aisdem sic expedire sibi videbitur, possint etiam, sine conscientiæ scrupulo, voci suæ, quam in Capitulo habere posset, aut in aliquibus, aut in omnibus renunciare.

Missa celebranda & audienda à reclusis.

§. 133. Item totius hoius Capituli auctoritate, clausis siue Monachis, siue Conuersis Eremitis, non valentibus

tibus Missam celebrare, concedimus, vt possint plures simul in cellolis nihilominus separatis habitare, & ab aliquo similiter clauso cum illis habitāte Missas audire, aut si etiam multum distantes habitauerint, aut alium clausum, aut ad Ecclesiam ad audiendas Missas accedere, & statim cum silentio ad cellam suam redire, quod si alterius clausi huiusmodi commoditas d. fuerit, volumus, vt ex apertorum numero aliquis ad reclusum, qui celebrare non potest, accedere quotidie teneatur, & in cellula eiusdem Missam celebrare, & Sacratissimum CHRISTI Corpus, eidem recluso, quoties voluerit ministrare.

In quibus reclusi dispensentur.

§. 134. Item volumus, vt clausi Eremitæ, prout quisque magis sibi congruere existimabit, cum Capituli Eremitarum licentia, possint aliquid eorum, ad quæ pro reclusione tenentur, siue circa Psalmodiam, siue circa pedum nuditatem, & alia huiusmodi, in aliquod aliud, aut æquiualens, aut maius permutare.

Arctioremque vitam eligere possint.

§. 135. Insuper, ne feruor spiritus, qui in aliquibus diuina gratia esse solet, aliquorum tepiditate extinguatur, volumus, vt reclusus quisque possit vitæ obseruantiam arctiorem, atque austeriorem, in quibus sibi visum fuerit custodire, licentia à Priore quæsita, licet non obtenta: relaxare autem, absque necessitate, & expressa Superioris licentia non possit.

Et etiam alij Eremitæ qui post professionem per annos quatuor in Eremo vixerint.

§. 136. Quod & de cæteris omnibus apertis Monachis & Conuersis, intelligi volumus, qui quatuor annos post professionem nostri Ordinis, in Eremo vixerint.

Peculiū monentium extra claustra applicatur Eremo.

§. 137. Item antiquam constitutionem confirmantes, & de nouo statuentes, ordinamus, quod non obstante aliqua contrarij iuris dispositione, peculium Monachorum, & Conuersorum nostri Ordinis, qui extra claustrum, atque extra Ordinem ipsum obtinent, Sacratissimæ Eremo applicetur, & eius esse censeatur.

Ordinationes antiquiores reformentur.

§. 138. Insuper quoniam tam totius Ordinis nostri, quam Eremitarum constitutiones antiquiores, multa continere existimantur, quæ propter temporum mutationem, secundum præsentem viuendi consuetudinem, minus obseruari posse videntur, plurimaque in eis, aut confusa, aut minus cohærentia, inuicemque contraria sunt; Propterea virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt illi quibus per Capitulum Eremi, hoc onus iniunctum fuerit, debeat infra triennium, & totius Ordinis, & ipsius Eremi constitutiones, prout Spiritus sancti gratia illis concesserit, corrigere, emendare, reformare, superflua aut inutilia resecando, inordinata ad ordinem redigendo, contraria moderando, & omnia in meliorem formam, & ordinem sub certis titulis in breuitate redigendo. Quæ habeant, ad Generale nostri Ord. proxime futurum Capitulum apptæsentari, à quo cum fuerint confirmata, ab omnibus nostri Ordinis inuiolabiliter obseruari, ac approbari debeant.

Statuta Ordinis perpetuo obseruentur, & illis non derogetur, nisi ut hic.

§. 139. Item statuimus ac definimus, quod omnia huius Capituli decreta, ac statuta, inuiolabiliter ab omnibus nostri Ordinis, in virtute sanctæ obedientiæ custodiantur. Neque possint infringi aut immutari, aut his aliquid contrarium determinari, nisi per dispositionem trium Generalium se continue subsequentium Capitulorum, quæ conformiter contrarium determinarent, aliter firma, & illibata permaneant.

Determinationes Cap. Eremi, circa regimen Eremi etiam locorum immutari non possint.

§. 140. Quicquid autem per Capitulum Eremi, circa ea quæ ad Eremum, & loca illi annexa, atque subiecta pertinere videntur, in futurum determinatum, ac definitum fuerit, nullo modo possit immutari aut infringi, vel directe vel indirecte impediri, sub magnæ propriæ conscientiæ aggrauatione, neque eas valeat Ordinis Generalis, aut Eremi Prior, neque alij nostri Ordinis Definitores, sine Capituli totius Eremi consensu derogare.

In locis Obseruantiæ fiat oratio pro Sede Apostol. & Papa.

§. 141. Postremo statuimus ac definimus, vt in omnibus principalioribus huius Congregationis locis, in quibus viget, aut in posterum vigebit obseruantia, teneantur omnes fratres orare pro Sum. Pontificis, & Sedis Apostolicæ felicitate, & diebus ferialibus eos Psalmos & Orationes dicere, quæ antiquissima institutione, in Eremo dicuntur, eo modo, quo ibi dici consueuerunt.

Hortatio ad orādum vbique pro Papa, & Ordinis Protectore.

§. 142. Omnes propterea nostri Ordinis viros & mulieres hortamur, & admonemus, vt specialiter pro Leone Decimo Pontif. Max. Magnificoque fratre eius Iuliano, nostri Ordinis Protectoribus, & benefactoribus præcipuis, continuas ad Deum preces fundere non omittant.

Fides danda transumptis huius bullæ.

§. 143. Cæterum qui a difficile foret præsentes literas ad singula, & quæcumque opportuna loca deferri, motu, & scientia prædictis volumus, & Apostolica auctoritate præfata decernimus, quod transumptis super prædictis conficiendis, aut impressis aut manu scriptis, & manu publici Notarij subscriptis, & sigilli alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ impressione munitis, ea prorsus fides adhibeatur indubia, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, vbicumque essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 4. Iulij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertiodecimo, quarto nonas Iulij, Pont. nostri anno 1.

III. Rotæ Romanæ Auditorum priuilegium; quod literæ Apostolicæ à quibuscumque Romanæ Curiæ officialibus gratis pro eis expediantur.

De materia huius Rotæ, plene notabo infrà in Pij IV. const. 44. ibi videas.

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1513.

Exordium.

SEdis Apostolicæ prouidentia gratiarum iuxta singulorum conditiones, & merita distributrix, illos prout æquum est, vlterioris fauoris gratia, & amplioris retributionis præmio libenter prosequitur, quos potioribus meritis nouit adiuuari, quique grata deuotionis obsequia sibi studiosius impendere dignoscuntur.

Causa huius constitut.

§. 1. Attendentes igitur operosæ sollicitudinis studia, & assiduos labores, quòd dilecti filij Collegium, & Capellani nostri causarum Palatij Apostolici Auditores, eorumque Locatenentes, pro nostro & dictæ Sedis honore, ac iustitia personis ad Sedem ipsam ex omnibus mundi partibus confluentibus ministranda in causis coram eis pro tempore vertentibus, iugiter perferunt, & nulla exinde stipendia pro incumbentibus illis iuxta eorum status decentiam, oneribus facilius perferendis percipiunt, ac propterea dignum censentes eis gratiosos fauores, & opportuna commoditatis auxilia impendere.

Indultum expediendi literas Apostolicas gratis pro Auditoribus Rotæ.

§. 2. Motu proprio non ad ipsorum Auditorum, aut Locatenentium, vel aliorū pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus singuli causarum Palatij huiusmodi Auditores, eorumque Locatenentes nunc, & pro tempore existentes, quascumque literas Apostolicas, tam gratiam quam iustitiam, seu mixtum concernentes, quas quilibet ipsorum Auditorum, & Locatenentium pro tempore duxerint expediendas, etiamsi gratiæ huiusmodi taxæ fuerint, quæ etiam pro illis, qui iuxta Rotulum nostrum, & pro tempore existentium Romanorum Pontificum familiarium, continuorum commensalium, de nostro, aut illorum mandato pro tempore ordinatum, gratis expedire consueuerunt, mandatum speciale, à nobis vel successoribus Romanis Pontificibus præfatis, ad effectum illas gratis expediendi necessarium foret, gratis vbique in singulis dilectorum filiorum Scriptorum, Abbreuiatorum etiam de Maiori præsidentia, Secretariorum, Sollicitatorum, plumbique & registri Scriptorum ac registratorum correctoris, & Procuratorum Contradictarum, aliorumque Cancellariæ Apostolicæ, ac Romanæ Curiæ officialium quorumcumque, sine alicuius taxæ, aut emolumentorum etiam regalium solutione expedire possint & debeant.

Præceptum quod omnes officiales gratis expediant.

§. 3. Et nihilominus eisdem Scriptoribus, Abbreuiatoribus, Secretariis, Sollicitatoribus, Magistris, Collectoribus, Breuium Scriptoribus, Registratoribus, & aliis Cancellariæ & Curiæ officialibus huiusmodi, præsentibus & futuris, ac aliis ad quos pertinet in virtute sanctæ

obedientiæ, ac ſub excommunicationis ſententiæ pœna, quam ſi contra fecerint, eo ipſo incurrere volumus, diſtrictè præcipimus, & mandamus, quatenus literas prædictas pro ſingulis ex Auditoribus, & Locatenentibus prædictis, quibuſvis exceptione & dilatione, ac compoſitione ceſſantibus, libere expediant, & expediri faciant & permittant.

Deputatio executorum.

§. 4. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Aſculan. & Sign. Epiſcopis, ac dilecto filio in Alma Vrbe & eius diſtrictu in ſpiritualibus Vicario generali, per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præfatis Auditoribus & Locatenentibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, ſtatutum, ordinationem, præceptum, & mandatum prædicta, firmiter obſeruari, ipſoſque Auditores, & Locatenentes, nunc & pro tempore exiſtentes, illis pacifice gaudere. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Derogatio contrariorũ, quorumcumque.

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Collegiorum huiuſmodi officiorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon priuilegiis, & indultis Apoſtolicis, illis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, conceſſis, innouatis, & confirmatis, quibus tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus infererentur pro ſufficienter expreſſis habentes, illis in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſè derogamus, necnon quibuſcumque prohibitionibus, & inhibitionibus etiam viuæ vocis oraculo ſingulis officialibus prædictis, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros præfatos, quomodolibet pro tempore factis, contrariis quibuſcumque, Aut ſi Scriptoribus, Abbreuiatoribus, Secretariis, Sollicitatoribus, Collectoribus, Regiſtratoribus, Magiſtris, & aliis officialibus prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 1. 15. Septemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo tertio decimo ſeptimo Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri Anno primo.

IV. De munere, auctoritate, & priuilegiis, Rectoris & reformatorum, Lectorumque & ſcholarium, Studij generalis Almæ Vrbis, & officio Bidelli.

De huius ſtudij inſtitutione, totoque eius ſtatu, vide ſup. in Bonif. VIII. conſt. 9. In ſupremæ, vbi plene notaui. Et de huiuſmodi generalium Studiorum priuilegijs habetur etiam vltra ibi notata, in Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 1. & inf. Pij IV. conſt. 88. In ſacroſancta, & ſeq.

Edita An. D. 1513.

LEO EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Cauſa conſtitutionis.

DVm ſuauiſſimos atque vberes fructus, quos viri literarum ſciẽtia præditi in agro Domini in dies producunt, animo contemplamur, dumque quam vtilis & neceſſarius, pro ſpiritualium temporaliumque rerum in hac plena tenebris & caligine vita regimine & directione ſalubris ſit ipſarum literarum vſus, ſedula meditatione perpendimus, inter ſollicitudines varias, quibus pro iniunctæ nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officio proſpere & feliciter exequendo, vndique angimur, illam libenter amplectimur, per quam in ſingulis Orbis partibus literarum ſtudio vacare cupientibus illarum capeſſendarum occaſio & commoditas miniſtretur: ſed vt hoc in Vrbe noſtra votiuos ſortiatur effectus, eo propenſior cura nos viget, quo Vrbs ipſa Vicarij CHRISTI in terra Regia, ante que eius oculos ſemper poſita, tanquam Apoſtolicæ Sedis validiſſimum firmamentum ſupra cæteras Orbis Vrbes principatum obtinere dignoſcitur: dignumque eſt, vt ſicuti eius excellentiſſima eſt conditio, ſic etiam ipſius incolæ, & habitatores in omni virtutum genere, & præcipue liberalium artium diſciplina, quæ ipſarum eſt nutrix & alumna virtutum, alios antecellat.

Bonif. VIII. inſtituit ſtudium Vrbis, vt hic & in rubr. Hic Pont. approbat.

§. 1. Dudum ſiquidem felicis recordationis, &c.

Omittitur relatio bullæ, quia eius continentia eſt ſup. in conſt. 9 Bonif. VIII In ſupremæ.

§. 2. Nos igitur irreparabilem lapſi nequidquam temporis huiuſmodi iacturam ægreferentes: cupienteſque ſicut prouidum decet patremfamilias futuris temporibus conſulere, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium dictas prædeceſſoris literas approbamus & innouamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, Decernentes omnia & ſingula in eiſdem literis contenta, præſertim quod de ſcholarium exemptione, immunitate, & aliis illis conceſſionibus, prærogatiuis, & gratiis in eis traditur, debere inuiolabiliter obſeruari.

Lectorum numerum, ſalariumque deſignat.

§. 3. Et nihilominus hac irrefragabili, & perpetuis futuris temporibus valitura conſtitutione, ſtatuimus, decernimus & ordinamus, vt ex nunc de cætero præter alios, qui neceſſarij fuerint in qualibet facultate Lectores, vnus ſaltem in iure Canonico, & vnus in Iure Ciuili Doctores, & vnus in Philoſophia, ſeu Medicina magiſtri, eminentis literaturæ viri vndecumque ad legendum in ſcholis publicis dictæ Vrbis ſolitis temporibus & diebus, iuſtis & honeſtis ſalariis, arbitrio pro tempore exiſtentium Rectoris, & Reformatorum dicti Studij, iuxta ipſorum Doctorum & Magiſtrorum qualitates, de Romani Pontificis licentia, moderandis & aſſignandis, per eoſdem Rectorem & Reformatores, communi opportuna in hoc per eos adhibenda diligentia, annuatim conducantur.

Aduocationis munus eis interdicit.

§. 4. Et nullus dictorum duorum Doctorum ſic conducendorum, interim aduocationis, aut præterquam domi ſi voluerit, conſulendo, quod ius aliud Curiæ, vel Vrbis prædictarum officium valeat exercere.

Lectorum munus indicat.

§. 5. Sed tam ipſi quam cæteri omnes ad legendum in huiuſmodi ſcholis, pro tempore conducti, ſolitis temporibus, & diebus, horiſque ad id eis per Rectorem & Reformatores præfatos ſtatutis, legitimo impedimento ceſſante, commiſſum ſibi legendi munus obire, & poſt finitas lectiones per aliquod conueniens ſpatium, circulos in eiſdem ſcholis tenere debeant. Et ſi quis ex eis non legitime impeditus à legendo ceſſauerit, quoties id fecerit, toties dupli eius quod pro qualibet lectione conſtituto ei ſalario, ipſum attingere diſcernetur: & quod pro vna, Bidellis ſiue nuntiis dicti Studij id legitime denuntiantibus, & tribus reliquis quartis partibus fabricæ ſcolarum earundem ex nunc applicamus, pœna mulctetur, & ei tradenda bolletta ſeu mandato, defalcandi & denuntiandi, ac curam d. Fabricæ habenti, iuxta applicationem prædictam perſoluendi.

Obſeruãtiam & curam Reformatoribus committit.

§. 6. Et quoniam inutilis hæc prouiſio de facili reddi poſſet, niſi ſint qui eius tranſgreſſores adnotent, & ſcholas ipſas ſollicitè viſitent & frequentẽr, quod Rector cum duobus ſaltem dictorum Reformatorum, ſemel in menſe, & pluries vbi cognouerint expedire, diebus atque horis variis & incertis, ad ipſas ſcholas ſe perſonaliter conferant, & eas, earumque lectores, dum legunt, dum tenent circulos, viſitent, & ſi qua correctione aut reformatione digna viderint, illa corrigant & reforment, & vnus ex eiſdem reformatoribus ſeorſim, bis ſaltem in hebdomada, viſitationis huiuſmodi officium ſubeat per ſeipſum; & tranſgreſſiones, aut alia corrigenda vel reformanda, cum Rectore conferat & collegis, vt eorum opera ſic adhibita (ſuper quo eorum & ipſorum cuiuſlibet conſcientias oneramus) ſtudium prædictum votiuis proficiat incrementis.

Bidelli officium præſcribit.

§ 7. Bidelli verò, ſeu Nuntij præfati, aut eorum alter rotuli collationatam copiam habeant penes ſe, in qua ſcripta ſint nomina omnium Lectorum, & qua quiſque

hora

hora ſit lecturus, & iuxta illius ordinem & tenorem ſcholas circumeant, Feſta Palatij conſueta in ſcholis ante Cathedram, Doctoribus & ſcholaribus nuncient; & ſi quem ex dictis lectoribus ſuo loco abeſſe repererint, adhuc ſic eſſe, illum adnotent, & in fine cuiuſque hebdomadæ, Notario dicti Rectoris, qui rem ad ipſorum Rectoris, & Reformatorum notitiam fideliter deducat, in ſcriptis tradant. Et ſi dicti Bidelli in præmiſſis negligentes fuerint, pro tempore exiſtentem ipſius Studij Rectorem pro prima eiuſdem Rectoris arbitrio, pro ſecunda vero vicibus ſalarij & emolumentorum omnium vnius ſemeſtris, in dictam Fabricam conuertendorum amiſſionis pœna mulctentur. Quòd ſi tertio in ſimilem inciderint negligentiam, officio Bidellatus huiuſmodi perpetuo priuari, & ad illud vlterius obtinendum inhabiles ſint, illudque vacare cenſeatur eo ipſo, &c.

Priuilegium fori & exemptionis ſcholarium ſeruari iubet.

§. 8. Inſuper inhibemus ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & dupli eius in quo læſio committetur ſi æſtimationem recipiat, parti damnum vel iniuriam patienti, ex nunc applicati, pœna, quoties contrauentum fuerit, ipſo facto incurrenda, Dilectis filiis modernis, & qui pro tempore fuerint dictæ Vrbis Gubernatori, Senatori, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, cæteriſque Curiæ & Vrbis prædictarum, ordinariis & extraordinariis iudicibus, ne ſuper cauſis contra dictos ſcholares, ſeu eorum aliquem pro tempore motis, & Dohanarum ac aliarum gabellarum quarumcumque, etiam ratione portarum & pontium dictæ Vrbis exactoribus, ne in rebus & bonis ad dictos ſcholares, pro eorum ſtudio huiuſmodi inſiſtentium vſu pertinentibus, contra exemptionem & immunitatem prædictas, in ipſorum ſcholarium, ſeu alicuius eorum præiudicium, directè vel indirectè, quouis quæſito colore, quicquam facere vel attentare præſumant.

Curam iſtorum, Rectori & Reformatoribus delegat.

§. 9. Quocirca per Apoſtolica ſcripta mandamus præfato Dominico Epiſcopo moderno, & qui pro tempore fuerit, dicti Studij Vrbis Rectori, & prædictis modernis, ac pro tempore exiſtentibus Reformatoribus, vt præmiſſa omnia & ſingula quantum ad eos attinet, obſeruent, & quoad alios cuiuſcumque ſtatus, gradus & conditionis fuerint, faciat ipſe Rector de dictorum Reformatorum conſilio auctoritate noſtra firmiter obſeruari: tranſgreſſores, contumaces, & inobedientes quoſcumque per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris de quibus ſibi videbitur, opportuna remedia, appellatione quauis omnino remota, compeſcendo.

Cardinales ſtudij defenſores deputat. Latius vide in Sixt V. conſtit 74.

§. 10. Venerabili vero fratri noſtro Raphaëli Epiſcopo Oſtienſi moderno, & qui pro tempore fuerit Collegij Venerabilium fratrum noſtrorum dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Decano, ac pro tempore exiſtentibus, primo ex Presbyterorum, ac primo ex Diaconorum Cardinalium huiuſmodi ordinibus, quatenus Rectori & Reformatoribus, Doctoribus & ſcholaribus præfatis, quando & quoties pro parte ipſorum, vel alicuius eorum fuerint requiſiti, in præmiſſis efficacis aſſiſtant præſidio defenſionis, faciantque eos, & eorum quemque reſpectiue, auctoritate, facultate, exemptione, immunitate, & cæteris ſupradictis pacifice vti, frui, & gaudere, non permittentes ipſos per quoſcumque deſuper indebite moleſtari, perturbari, aut inquietari.

Executoribus obedientiam Rectoris præcipit.

§. 11. Barigello quoque, Conneſtabilibus, Mareſcallis, & cæteris Curiæ & Vrbis prædictarum executoribus quibuſcumque, præſentibus & futuris, vt præfati Rectoris mandata contra quoſcumque, tam perſonaliter quam realiter exequenda, præmiſſorum occaſione, & auctoritate præſentium, de dictorum Reformatorum, vel ſaltem duorum ex eis conſilio pro tempore decreta, ſollicitè & fideliter exequantur.

Contrarijs derogat.

§. 12. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dictæ Vrbis, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis quæ dictus prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim à dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem.

Audire leges pro intelligentia Canonum omnibus permittit.

§. 13. Ceterum quia ob Curiæ noſtræ in Vrbe continuam reſidentiam frequens in eadem Vrbe eſt Eccleſiaſticarum perſonarum concurſus, & modernis temporibus, pro clariori Canonum intelligentia legum cognitio non abre eſſe dignoſcitur, quibuſvis Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Præpoſitis, Cantoribus, & aliis Clericis ſæcularibus, etiam perſonatus habentibus, ac Presbyteris, quibus leges audire ſub excommunicationis ſententia, & aliis pœnis, à iure eſt prohibitum, in Studio Vrbis huiuſmodi duntaxat, pro clariori dictorum Canonum intellectu, Leges, ſine alicuius cenſuræ ſiue pœnæ incurſu audiendi (ſanctę commemorationis Honorij Papæ III. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus) auctoritate & tenore præmiſſis, plenam & liberam licentiam elargimur.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 1. 5. Nouemb.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo tertiodecimo, Non. Nouembris, Pont. noſtri anno 1.

Aſſerentes, animam eſſe mortalem & vnicā in cunctis hominibus vti hęretici plectēdi ſunt. Et Catholica veritas, circa dogmata Philoſophorum, Fidei aduerſantia, à Philoſophiæ profeſſoribus explicanda eſt. V.

Edita An. D. 1513.

LEO EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.
Sacro approbante Concilio.

Exordium.

APoſtolici regiminis ſolicitudo nos aſſidue pulſat, vt medendis animarum languoribus, quarum nos ex alto omnipotens auctor curam habere voluit, iis potiſſimum qui inſtantius fideles nunc vigere cernuntur, ſalutifero olei & vini medicamine, ad inſtar Samaritani in Euangelio ſolicitam operam impendamus, ne nobis illud Hieremiæ obiiciatur. Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi?

Cauſa conſtitutionis.

§. 1. Cum itaque diebus noſtris quod dolenter ferimus, zizaniæ ſeminator, antiquus humani generis hoſtis, nonnullos perniciosiſſimos errores a fidelibus ſemper exploſos in agro Domini ſuperſeminare, & augere ſit auſus, de natura præſertim animæ rationalis, quod videlicet mortalis ſit, aut vnica in cunctis hominibus, & nonnulli temere philoſophantes, ſecundum ſaltem philoſophiam, verum id eſſe aſſeuerent, contra huiuſmodi peſtem opportuna remedia adhibere cupientes.

Aſſerentes animam eſſe mortalē, &c. ſicut heretici puniri debent.

§. 2. Hoc ſacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa, non ſolum vere per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in Canone fel. rec. Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri in generali Viennen. Concilio edito continetur, verum & immortalis, & pro corporum quibus infunditur multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit. Quod manifeſtè conſtat ex Euangelio, cum Dominus ait, Animam autem occidere non poſſunt & alibi: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et cum æterna præmia, & æterna ſupplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit, aliàs Incarnatio, & alia CHRISTI myſteria nobis minimè profuiſſent, nec reſurrectio expectanda foret, ac ſancti & iuſti miſerabiliores eſſent iuxta Apoſtolum cunctis hominibus. Cumque verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe definimus, & aliter dogmatizare non liceat, diſtrictius inhibemus: omneſque huiuſmodi erroris aſſertionibus inhærentes, veluti damnatiſſimas hæreſes ſeminantes, per omnia vt deteſtabiles & abominabiles hæreticos & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decernimus.

§. 3. In

Philosophiæ professores, Catholicam veritatè huius articuli discipulis explicent.

§. 3. Insuper omnibus & singulis Philosophis in vniuersitatibus Studiorum generalium, & alibi publice legentibus, districtè præcipiendo mandamus, vt cum Philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deuiare noscuntur, auditoribus suis legerint seu explanauerint, quale hoc est de animæ mortalitate, aut vnitate, & mundi æternitate, ac alia huiusmodi, teneantur eisdem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo pro posse docere, ac omni studio huiusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque resoluere.

In sacris constitutis Theologiæ, vel sacris Canonibus studeant.

§. 4. Et cum non sufficiat aliquando tribulorum radices præscindere, nisi & ne iterum pullulent, funditus euellere, ac eorum semina, originalesque causas, vnde facile oriuntur, remouere, cum præcipuè humanæ Philosophiæ studia diuturniora, quam Deus secundum verbum Apostoli euacuauit, & stultam fecit, absque diuinæ sapientiæ condimento, & quæ sine reuelatæ veritatis lumine in errorem quandoque magis inducunt, quam in veritatis elucidationem, ad tollendam omnem in præmissis errandi occasionem, hac salutari constitutione ordinamus & statuimus, ne quisquam de cætero in sacris ordinibus constitutus, sæcularis vel regularis, aut alias ad illos à iure arctatus in Studiis generalibus, vel alibi publice audiendo, Philosophiæ aut Poësis studiis vltra quinquennium post grammaticam & dialecticam, sine aliquo studio Theologiæ aut iuris Pontificij incumbat. Verum dicto exacto quinquennio, si illis studiis insudare voluerit, liberum sit ei, dum tamen simul aut seorsum, aut Theologiæ, aut sacris canonibus operam nauauerit, vt in his sanctis & vtilibus professionibus sacerdotes, Domini inueniant, vnde infectas Philosophiæ & Poësis radices purgare & sanare valeant.

In studijs generalibus publicentur.

§. 5. Et hos Canones per Ordinarios locorum, vbi generalia studia vigent, & rectores vniuersitatis eorundem Studiorum singulis annis in principio studij, in virtute sanctæ obedientiæ publicari mandamus.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 1. 19. Decemb.

Datum Romæ in publica sessione, in Lateranen. sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertiodecimo, 14. Kalend. Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

VI. Quod Fratres Ordinis Minorum de Obseruantia habere possint domos amplas; & magnifica ornamenta Ecclesiastica.

De hoc Ordine vide notata infrà in const. 23.

LEO PAPA X.

Edita An. D. 1514.

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Vicarijs, Guardianis, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia.

Exordium.

MErentur vestræ deuotionis sinceritas, & Religionis honestas, vt ea vobis gratiosè concedamus, quæ vestrarum conscientiarum serenitatem, & quietem respicere dignoscuntur.

Causa huius constitut.

§. 1. Cum itaque sicut nobis nuper exponi fecistis, licet felicis recordationis Nicolaus III. Clemens Papa V. ac alij Romani Pontifices prædecessores nostri, pro consolidatione ambiguarum mentium, & timoratarum conscientiarum Fratrum Ordinis vestri serenitate, domos, & loca, & alia bona vestra, tam mobilia, quam immobilia, in ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ susceperint; nihilominus nonnulli vestrum adhuc hæsitant, cum eis domos amplas, & spatiosas, quæ in præsentiarum in vestro Ordine, & familia tam per Fratres, speciali ad hoc facultate, siue auctoritate suffultos, quam per sæculares ad hoc pia deuotione ductos, construuntur & ædificantur, vt potius palatia magistratuum reputari posse videantur, quam habitationes pauperum, inhabitare, & colere. Et simili modo paramentis, & vasis Ecclesiasticis, quæ in numero, & pretio Euangelicæ paupertati, quam professi estis derogare videntur, & aliis, quibus tam Ordo, quam Fratres vtuntur communiter vel diuisim, vti, & in vestris Conuentibus illa retinere liceat. At propterea nonnulli Conuentus relinquere, & ad loca eremitoria se transferre, & fugere moliantur, in Diuini cultus detrimentum, & scandalum plurimorum, ac Ordinis, & familiæ perturbationem. Et cum interdum ob magnificentias plurimorum Principum, & aliorum dominorum, qui non secundum quod vestræ congruit paupertati, sed secundum quod eorum congruit excellentiæ, volunt, & vestras domos construere, & pro diuino cultu capsas, & planetas, Dalmaricas, & alia paramenta, & calices, ac alia vasa ad ministerium Sacramenti altaris, pro summi Dei honore, & gloria pie erogare, & elargiri, talia respuere non possitis, necnon possibilem resistentiam de non accipiendo faciatis, & non sinant isti tales donantes iam acceptata alienari, nec demoliri iam constructa permittant.

Petitio Fratrũ Minorum de Obseruantia.

§. 2. Nobis humiliter supplicari fecistis, vt pro pace conscientiarum vestrarum, & vt sine stimulo gratum Altissimo famulatum exhibere, & in vestro laudabili officiandi ritu continuare possitis, statui vestro super his opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Declaratio quod liceat ipsis Fratribus vti amplis domibus, magnificisque ornamentis Ecclesiasticis.

§. 3. Nos igitur attendentes, quod domorum, & aliarum rerum, tam pro diuino cultu, quam pro communi vsu vestro vobis concessarum, solum ad vsum, & non fructum, nec possessionem cedunt, nec ea sine speciali Sedis Apostolicæ mandato alienare possitis, ac ad eandem Sedem illa omnia, quæ de nouo, vt nostri prædecessores fecerunt, in proprietatem dictæ Sedis recipimus pertinere, & quod ex domorum amplitudine, aut paramentorum multiplicitate, nihil magis vestris commoditatibus corporalibus adiiciatis, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & decernimus, vos illorum tantum esse Custodes, & non possessores, & propterea absque vestræ professionis macula, aut violatione, cum deceat iuxta celebritatem solemnitatũ & solemnioribus officiis, decentioribus paramentis Diuinam honorare maiestatem, & ipsius cultum munificare, & aliis quibus tam Ordo quam Fratres vtuntur, communiter, vel diuisim, vti, & potiri libere, & licite posse, prout etiam felicis recordationis Iulius Papa II. prædecessor noster Fratribus eiusdem Ordinis, & familiæ Regni Angliæ ad instantiam charissimæ in Christo filiæ nostræ modernæ Reginæ Angliæ illustris concessisse dicitur. Et sic perpetuis futuris temporibus in Ordine, & familia vestris ab omnibus illius Fratribus teneri, & obseruari debere volumus, & mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Ordinis statutis, etiam iuramento, siue professione firmatis, & aliis in contrarium facientibus quibuscumque.

Dat. P. A. 1. die 2. Ian.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die secunda Ianuarij, millesimo quingentesimo decimo quarto, Pont. nostri anno primo.

VII. Reformatio generalis Prælatorum Ecclesiasticorum, eorumque Officialium ac Familiarium, & aliorum.

Multa habet capita ista constitutio, ita quod hic stare non possunt adnotationes, & ideo apud apostillas circumpositas indicaui.

LEO EPISCOPVS,

Edita An. D 1514.

Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancto approbante Concilio.

Exordium.

SVpernæ dispositionis arbitrio, quo cœlestia pariter & terrena ineffabili prouidentia disponuntur, in sublimi beati Petri solio CHRISTI Vnigeniti Dei Filij gerentem vices in terris Rom. Pontificem, decet in primis pro cura, & salute Dominici gregis sibi diuinitus commissi prouidi exercere Pastoris officium.

§. 1. Quare

Causa huius reformationis.

§. 1. Quanta pro dicti pastoralis officij sollicitudine cum Ecclesiasticam disciplinam, ac per omnes fere Christi fidelium gradus, bene recteque viuendi regulam temporum difficultate, ac hominum malitia, licentiaque, & impunitate in deterius ita labi, diffluere, aberraxeque longius à recta via animaduertimus, vt nisi prouida corrigatur emendatione, in varios errores securitate peccandi quotidie magis incidere moxque obortis publice scandalis prorumpere sit verendum.

Praefinitio reformationis.

§. 2. Cupientes igitur quatenus nobis ex alto permittere, ea iam nimium inualescentia mala corrigere, ac pleraque in pristinam sacrorum canonum obseruantiam reducere, ac in melius iuxta sanctorum Patrum instituta, dante Domino, reformare, eaque omnia sacro approbante Lateraneo. Concilio, à fel. rec. Iulio Papa Secundo praedecessore nostro inter alia propterea incepto, & per nos continuato salubriter moderari, vt ab his sumamus exordium, quae pro nunc magis expedite videntur, & quae saepe per singulas aetates neglecta magnam Christianae Religioni attulere perniciem, & in Ecclesia Dei maxima scandala pepererunt, à promotionibus scilicet ad Ecclesiasticas dignitates constituimus exordiri.

De qualitatibus promouendo ad Episcopatum, &c.
De hoc Alex. III in c. 1. & seqq. de aetate, &c.

§. 3. Cum piae mem. Alexander Papa III. praedecessor noster etiam in Lateranen. Concilio decreuerit, vt aetas, morum grauitas, ac literarum scientia in personis promouendis in Episcopos, & Abbates diligenter inquirantur, nihilque magis Dei Ecclesiae officiat, quam cum immeriti assumuntur Praelati ad regimen Ecclesiarum, propterea in promotionibus Praelatorum, quarum à Romano Pont. magna ratio haberi debet, eo praesertim quod de promotis per eos ad Ecclesias, seu Monast. in extremo iudicio rationem Deo reddituri sunt. Statuimus & ordinamus, vt deinceps perpetuis futuris temporibus Patriarchalibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteriis pro tempore vacantibus de personis iuxta praefati Alexandri constitutionem, aetate matura, grauitate morum, literarumque scientia praeditis, non ad alicuius instantiam per commendam, & administrationem, seu conseruationem aut alio quovis modo prouideatur, nisi ratione vtilitatis Ecclesiarum prudentiae, nobilitatis, probitatis, experientiae, atque euitalitatis antiquae cum competenti literatura, & in Sede Apostolica meritorum, aliter visum fuerit faciendum. Idemque in electis, & postulatis, quorum electiones, & postulationes per Sedem Apostolicam admitti consueuerint, volumus obseruari.

Aetate eiusdem.

§. 4. Et si de minoribus aetate xxx. annorum, Ecclesiis aut Monasteriis huiusmodi contigerit prouideri, non dispensetur cum eisdem, vt Ecclesiis citra xxvij. aetatis annum, Monasteriis vero citra xxij. praeesse valeant.

Examinisque & processus & relatione facienda in Consistorio.
Ad hoc attende etiam const. 6. Greg. XIV. Onus, vbi notabo.

§. 5. Quinimmo vt accuratius, diligentiusque idoneae personae promoueantur, Statuimus vt Cardinalis, cui electionis, postulationis, aut prouisionis Ecclesiae, seu Monasterij relatio committetur, antequam in sacro Consistorio, vt moris est, referat commissionem examinis, ac relationis huiusmodi sibi datam, vni cuiuslibet ordinis antiquiori Cardinali in ipso Consistorio per se ipsum, vel, si ea die qua sibi commissionis onus iniunctum fuerit, Consistorium non fuerit, per Secretarium suum, aut alium quemlibet ex suis domesticis familiaribus, notam illam facere debeat, qui tres priores aliis quam primum sui ordinis Card. eam significare teneantur, negotiumque electionis administrationis, postulationisve, aut promotionis, summarie, & de plano per seipsum dictus relator examinet, & si qui contradixerint, his vocatis, idoneos, graues, & fide dignos testes, & si expediens, opusve fuerit, alios ex officio assumere, processusque, & iura eiusmodi relationis, vnà cum dictis testium, die faciendae relationis secum ad Consistorium deferre debeat, neque vllo modo referat, si praesens in Curia promouendus maiorem Card. partem antea non adierit, vt quae à referente collega sint Cardinales audituri, oculata fide, quantum ad personam promouendi attinet, cognoscere possint.

Promoti visitent Cardinales.

§. 6. Promotus vero eosdem Cardinales qui praesentes in Curia fuerint, ex antiquo more, consuetudineque laudabili quamprimum visitare teneatur, quem quidem morem, laudabilemque consuetudinem innouamus, ac inuiolabiliter obseruari mandamus.

Episcopus & Abbas etiam super notorijs criminibus, habeant defensiones.

§. 7. Et quoniam Episcopalem dignitatem tueri illaesam, & ne improborum impugnationibus, aut accusantium calumniis passim pateat, muniri par est, Statuimus, vt nullus Episcopus, aut Abbas, quovis instante ac requirente, nisi sibi copia, & facultas legitimae defensionis permittatur, etiamsi crimina fuerint notoria, diligenterque partibus auditis causa plenarie probata fuerit, priuari valeat.

Praelatus inuitus nō trāsferatur.

§. 8. Neque aliquis Praelatus inuitus, nisi aliis iustis efficacioribusque rationibus, & causis, transferatur, iuxta formam, ac decretum Concilij Constantien.

Reformatio de commendatione Monasteriorum, &c.

§. 9. Et quoniā ex commendis Monasteriorum, vt magistra rerum experientia saepius docuit, Monasteria ipsa, tam in spiritualibus, quam in temporalibus grauiter laeduntur, quippe quorum aedificia, partim commendatariorum negligentia, partim auaritia, vel incuria collabantur, & in dies diuinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis praesertim saecularibus praebetur, non absque dignitatis Apostolicae Sedis diminutione, à qua commendae huiusmodi proficiscuntur, vt eorum indemnitati salubrius consulatur? Volumus, ac sancimus, vt cum illa per obitum Abbatum, qui illis praeerant, vacauerint, nullo pacto cuiquam possint commendari (nisi pro conseruatione auctoritatis Apostolicae Sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium, pro temporum qualitate aliter nobis de Fratrum nostrorum consilio visum fuerit expedire) sed de persona idonea iuxta praescriptam constitutionem eis ita prouideatur, vt illis idonei Abbates, prout decet, praefuturi sint.

Onera eorundem circa eleemosynas, &c.
** Cardinalibus.*

§. 10. Ea verò Monasteria quae cōmendata fuerint, cum per eorum cessum vel decessum, quibus erant commēdata cōmendae huiusmodi cessauerint, *Cardinalibus dūtaxat, ac personis qualificatis, & benemeritis commendari possint, ita tamen quod eorum Monasteriorum commendatarij, quibus ea de caetero commendata fuerint cuiusvis dignitatis, honoris; & praeeminentiae existant, etiamsi Cardinalatus honore, & dignitate fungantur, si mensam habuerint separatam, ac seorsum à mensa Conuentuali, quartam suae mensae partem pro instauratione fabricae, seu pro ornamentis, vestibus, ac paramentis emendis, sarciendisque aut pauperum alimonia, aut sustentatione, vt maior exiget, ac suadebit necessitas. Si vero mensa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti Monasterij sibi commendati partem pro supradictis oneribus supportantibus, & sustentatione Monachorum, omnibus aliis deductis oneribus, impartiri teneantur. Ac literae, quae super Monasteriorum huiusmodi commendis expedientur, cum clausula hoc ipsum specifice exprimente debeat expediri, alioquin si aliter expediantur, nullius sint roboris, vel momenti.

Reformatio de pensionib. reseruandis.

§. 11. Et quoniam Ecclesiis huiusmodi absque aliqua fructuum diminutione prouideri decet, vt tam dignitati Praesidentium, quam Ecclesiarum & aedificiorum necessitati consulatur, Decernimus pariter, ac statuimus, vt super earundem Ecclesiarum fructibus pensiones minime reseruentur, nisi ex resignationis causa, aut etiam alia quae in secreto nostro Consistorio iusta, probabilis, & honesta habita fuerit.

Beneficijsque Cardin. non commendandis.
** suorum.*

§. 12. Statuimus quoque vt de caetero parochiales Ecclesiae, ac dignitates maiores & principales, aliaque beneficia Ecclesiastica, quorum fructus, redditus, & prouentus ducentorum ducatorum auri de Camera secundum communem aestimationem valorem annuum non constituunt vel attingunt, necnon hospitalia, leprosariae, Xenodochia cuiuscumque valoris, quae ad pauperum vsum, & alimoniam instituta sunt, S.R.E. Cardinalibus non commendentur, aut alio quovis titulo conferantur, nisi per obitum familiarium * nostrorum vacauerint, quae illis commendari possint, vt illa ad illarum personarum sibi gratarum, & idonearum commodum infra sex menses dimittere teneantur, quibus etiam, quoad beneficia ad quae haberent regressum, praeiudicare non intendimus.

§. 13. Or

Reformat. de beneficiis separandis.

§. 13. Ordinamus etiam ne Ecclesiarum, ac quorumcumque Monasteriorũ, & militiarum membra à suo capite, quod est absurdum, absque legitima, & rationabili causa dimembrentur, aut separentur.

Vniendisque.

§. 14. Vniones perpetuæ, præterquam in casibus à iure permissis, vel sine rationabili causa, nequaquã fiant.

Reformatio de beneficiorũ pluralitate, & reseruatione.

§. 15. Dispensationes autem ad plura incompatibilia vltra duo nisi qualificatis iuxta formam iuris communis non concedantur, nisi ex magna & vrgenti causa. Et personis cuiuscumque dignitatis parochiales Ecclesias, & earum perpetuas vicarias, ac dignitates maiores, & principales, etiam per viam vnionis, vel commendæ ad vitam vltra quatuor obtinentibus, ex nunc terminum duorum annorum præfigimus, vt interim, quatuor tantum ex eis retentis, reliquas dimittere teneantur, & beneficia dimittenda huiusmodi resignari valeant in manibus Ordinariorum, ad effectum vt de illis prouideatur personis per eos nominandis, quacumque reseruatione etiam generali, etiam ex qualitatibus resignantium personarum resultante non obstante, quo elapso termino nisi dimiserint, omnia vacare censeantur, ac possint libere vt vacantia impetrari, talesque præterea reincurrentes pœnas extrauagantis, Execrabilis, recolendæ memoriæ Ioannis Papæ XXII. etiam prædecessoris nostri incurrant. Item statuimus vt speciales reseruationes quorumcumque beneficiorum ad cuiusvis instantiam minime concedantur.

Ioann XXII. Extrauag. 1. de Praebend.

Reformatio Cardinalium circa vitam & mores.

V. de etiam Conc. Tridens. sess. 24. cap. 1. & session. 25. c. 1.

§. 16. Et cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cæteros omnes in ipsa Ecclesia post summum Pontificem honore ac dignitate præcedant, conueniens ac debitum est, vt vitæ munditia, ac virtutum splendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modo hortamur eos ac monemus, verum etiam statuimus, & ordinamus vt de cætero quilibet Cardinalium pro tempore existens, iuxta doctrinam Apostoli ita sobrie, caste, ac pie viuat vt non solum à malo, sed ab omni etiam specie mali abstinens, coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac diuinis officiis, Missarumque celebrationibus intenti, habeantque Capellas suas in loco honesto prout facere consueuerunt. Sitque eorum domus, familia, mensa, suppellexque non fastu, aut pompa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, ne peccandi, excedendique modum licentia inde nascatur, sed vt æquum est, modestiæ & frugalitatis speculum dici mereantur. Illis itaque sint contenti, quæ sacerdotalem præseferant, modestiam. Ac Prælatos & quoscumque alios insignes viros ad Romanam Curiam venientes, benigne, honorificeque, tam publice quam priuatim, tractent, & apud nos & successores nostros gratiose, liberaliterque eorum negotia commendata suscipiant.

Nempe quod omnes Episcopi honorifice se gerant.

§. 17. Præterea ministerium indecorum Episcoporum, prælatorumque in domibus non habeant, ne cæteris præesse instituti, & sacro, charactere insigniti, in vilia descendant ministeria, passimque Pastoralis officij contemptum inducant. Eos itaque quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri, honorifice, vt fratres, ac iuxta eorum status condecentiam tractent.

Omnium negotia pie promoueant absque partialitate.

§. 18. Cumque Romano Pontifici communi omnium Christi fidelium patri assistant, personarum acceptatores, vel aduocatos eos fieri, valde inconueniens est, propterea statuimus ne partialitatem suscipiant aliquam, neque Principum, aut Communitatum, vel quorumcumque aliorum contra quemquam, nisi quantum iustitia & æquitas postulat, eorumque dignitas, & conditio requirit, promotores aut defensores fiant, sed à priuata omni passione seiuncti, sedandis & componendis inter quoscumque litibus, omni diligentia vacent, incumbantque Principum, & quorumcumque aliorum ac præsertim pauperum, & Religiosorum iusta negotia pio promoueant affectu, oppressos & iniuste grauatos iuxta vires suas, & officij debitum adiument.

Titulorum loca & eorum personas visitent, & adimant & eorum vitam dilige[nter explorent].

§. 19. Tituli sui loca, si præsentes in Curia fuerint personaliter; si vero absentes, per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent, clericos & populos Ecclesiarum titulo suo subiectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum Diuinum & bona dictarum Ecclesiarum, moresque in primis & vitam clericorum & parochianorum solerter explorent, eosque omnes & singulos ad recte, honesteque viuendum paterno moneant affectu. Pro augmento autem Diuini cultus, & salute animæ suæ, quilibet Cardinalis, vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo, quantum sit satis ad Presbyterum vnum commodè ibi sustentandum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subuentione, tantum illi relinquat, vel donet, quantum conscientiæ suæ videbitur.

tor explorent. Hoc iubet & Sixt. V. in sua bulla 55.

Consanguineis subueniant moderate.

§. 20. Et cum minime deceat, affines, & consanguineos præsertim benemeritos, & ope indigentes negligere, sed illis prouidare iustum & laudabile sit, non propterea tamen vel beneficiorum multitudine, vt Ecclesiasticis redditibus ita eos impleri conuenire arbitramur, vt cæteri damnum ex huiusmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde scandalum nascatur. Statuimus itaque vt Ecclesiarum bona temere non effundant, sed ea in piis & sanctis operibus exponant, quorum causa magni, & optimi redditus per sanctos Patres statuti, & ordinati fuerunt.

In commendis Vicarios, & alios necessarios Religiosos teneant.

§. 21. Volumus etiam vt Ecclesiis eisdem Cardinalibus commendatis, etiamsi Cathedrales, Abbatialesve, aut Prioratus, vel quæcumque alia beneficia Ecclesiastica fuerint, absque omni prorsus excusatione procurent, ac omni conatu suo prouideãt debite inseruire; Cathedral. dignos & idoneos Vicarios, seu Suffraganeus prout consuetudo fuerit, cum digna & competenti mercede apponentes, reliquis autem sibi commendatis Ecclesiis aut Monasteriis de iusto Clericorum, vel Capellanorum, seu Religiosorum, aut Monachorum Deo sufficiente, & laudabiliter seruientium numero prouidentes.

Bona Ecclesiarum conseruent & restaurent.

§. 22. Ædificia quoque, possessiones, & iura quæcumque in statu conuenienti conseruent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum Prælatorum, & Commendatariorum officium spectat.

De Familiarium numero, & qualitatibus impensis, &c. optimè curent.

§. 23. Statuimus etiam, vt dicti Cardinales circa numerum Familiarium, equorumque suis impensis alendorum magna vtantur circumspectione, ac diligenti prouidentia, ne maiorem numerum quam sua facultas, conditio, ac dignitas patiatur habentes, luxus ac prodigalitatis vitio notari possint, neve rursus auari, sordidique habeantur, si in magnis, & amplis redditibus, paucissimis victum præbeant, cum domus Card. patens hospitium, portusve ac refugium proborum, & doctorum maximè virorum & pauperum nobilium, honestarumque personarum esse debeat. Sint igitur circa modum, & numerum tenendi prudentes, ac de Familiarium qualitate in primis curiosi, ne ex alienis vitiis turpem sibi contrahant infamiæ notam, vulgoque obloquendi, calumniandique nullas præbeant occasiones. Et cum maximè prouidendum sit vt non solum coram Deo, cui primum placere debemus, sed etiam coram hominibus, opera nostra probentur, vt cæteris exemplo ad imitandum possimus esse, ordinamus, vt quilibet Cardin. se domus ac familiæ suæ optimum rectorem, præfectumque ostendat esse, tam circa ea quæ extrinseca omnibus apparent, quam quæ intus latent abscondita.

Reformatio de Familiarium seruientiumque habitu, & aliis qualitatibus.

§. 24. Habeat itaque eorum quisque Sacerdotes, & Leuitas honestis vestimentis indutos, attenteque prouideat, ne quis in familia sua quoquo modo beneficiatus & in sacris ordinibus constitutus, vestes portet versicolores, nec eo habitu vtatur qui ordini Ecclesiastico parum conueniat. Quare in Presbyteratus ordine constituti, vestes colorum quæ clericis à iure non prohibeantur deferre debeant, vsque ad talos saltem dimissas, & habentes dignitates in Cathedralibus, & Canonici etiam dictarum Cathedralium, ac primam dignitatem in Collegiatis habentes, & Cardinalium Capellani Missas celebrantes, caputium deferre in publico teneantur Scutiferis vero paulo supra talos concedantur. Parafrenarij quia in assiduo sunt motu, ministerioque funguntur laboriosissime, breuioribus, ac magis expeditis vestibus vti possint, etiamsi fuerint Clerici dummodo in Presbyteratus ordine non sint constituti. Ita tamen vt ab honestate non discedant, sed ita viuant vt mores Ecclesiasticis suis ordinibus non discrepent. Reliqui veri Clerici temperate, ac

modeste

modeste omnia faciant, & tam ipsi clerici beneficiati, quam in sacris ordinibus constituti, comam neque barbam non nutriant, neque mulas, aut equos cum phaleris, ornamentisque ex velluto, aut serico factis habeant, sed eiusmodi rebus ex panno tantum, aut corio simpliciter vtantur. Si quis autem familiarum prædictorum contrafecerit, aut post tres menses legitima monitione præcedente, à præsentium publicatione huiusmodi vestes prohibitas gestauerit, in excommunicationem incurrat. Si vero infra tres alios menses non se correxerit, à perceptione fructuum ex beneficiis quæ obtinet, suspensus intelligatur. Quod si per alios sex menses in huiusmodi pertinacia obstinatus permanserit, legitima similiter monitione præcedente, beneficiis omnibus, quæcumque habet, priuatus sit, & esse censeatur, eaque sic vacantia, à Sede Apostolica libere impetrari valeant.

Familiarium que Papa.

§. 25. Quæ omnia & singula in nostris, & cuiuscumque Rom. Pont. pro tempore existentis Familiaribus, & similiter in omnibus aliis clericis beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis, ac etiam Curialibus locum habere volumus. Hoc vno tantum excepto, quod dicti nostri, & Rom. Pont. Familiares, rubri coloris vestimenta gestare possint, pro decentia, & consuetudine dignitatis Pontificalis.

Cardinales de conseruanda & propagada fide præcipue curare debent.

§. 26. Et quoniam ad Cardinales maxime spectat, operum optimorum cura, pro viribus laborabunt scire quæ Regiones hæresibus, erroribusque, ac superstitionibus contra veram & orthodoxam fidem infectæ sint, & vbi Diuinorum mandatorum Ecclesiastica deficiat disciplina, quique Reges, ac Principes seu Populi bellis infestentur, vel infestari timeant. Hæc & huiusmodi scire, ac nobis, & Rom. Pont. pro tempore existenti referre operam dabunt, vt opportuna & salutaria talibus malis ac pestibus remedia, vigilanti studio excogitari valeant.

Legatique & Gubernatores Prouinciarũ deputati, personaliter gubernent.

§. 27. Et cum frequenti ac prope quotidiana experientia notum sit, Prouinciis, ac Ciuitatibus propter suorum Legatorum de latere absentiam multa sæpius contingere mala, variaque non sine Apostolicæ Sedis præiudicio, scandala oriri: Statuimus & ordinamus, vt nullis Cardinalibus Prouincias ac Ciuitates Legationis titulo obtinentes per Locumtenentes, aut officiales quoscumque administrare liceat, sed personaliter ipsi pro maiori parte temporis adesse, atque eas omni vigilantia regere & gubernare teneantur. Et qui nunc titulum Legationis obtinent, aut pro tempore obtinebunt, si in Italia intra tres menses; si extra Italiam, quinque à die præsentis publicationis ad suas Prouincias ire, ac maiorem temporis partem ibi residere teneantur, nisi de nostro & successorum nostrorum mandato pro aliquibus grauioribus negotiis in Romana Curia retineantur, vel ad alia loca, prout necessitas postulat, mittantur, & tunc in dictis Prouinciis ac Ciuitatibus Vicelegatos, Auditores, & Locumtenentes, cæterosque consuetos officiales cum debitis prouisionibus, ac salariis habeant. Qui præmissa omnia & singula non seruauerit, emolumentis quibuscumque Legationis careat. Quæ quidem propter hoc antiquitus ordinata, & instituta fuerunt, vt opportuna Legatorum præsentia populis esset salutaris, non ipsi laborum & curarum penitus expertes, lucro tantum, suæque Legationis titulo inhiarent.

Residentes alij in Curia Rom. & Papa inseruiant.

§. 28. Et cum Card. officium in primis versetur in frequenti Rom. Pont. assistentia, & Sedis Apostolicæ negotiis, propterea statuimus, vel omnes Card. in Rom. Curia resideant, & qui sunt absentes, in Italia, intra sex menses, si extra Italiam, infra annum, à die publicationis præsentis constitutionis reuertantur. Alioquin fructus beneficiorum, & omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque priuilegiis generaliter & specialiter Card. concessis, quandiu abfuerint, omnino careant; exceptis tamen illis, quos ratione officij ab Apostolica Sede iniuncti, vel de Romani Pontificis mandato, aut licentia, vel iusto metu; aut quavis alia legitima causa impediente, vel ægrotationis, abesse contingat, priuilegiis, indultis, & immunitatibus eisdem Cardinalibus concessis, & in bulla nostra sub data coronationis nostræ contentis, & expressis in suo robore nihilominus permanentibus.

§. 29. Statuimus insuper, vt expensæ funebres Card. computatis omnibus 150. florenorum summam excedere non debeant, nisi executorum prouidentia iustis allegatis causis, ac rationibus, plus expendendum esse duxerit. Exequiæ, & castrum doloris, prima, & noua die fiant; infra octauam vero, Missæ de more celebrentur.

Reformatio de impensis funeralium Card.

§. 30. Pro reuerentia autem Sedis Apostolicæ, vtilitateque & honore communi possunt. Et ipsorum Cardinalium, vt scandalorum quæ nasci possent, occasio tollatur, maiorque in sacro Senatu libertas votorum fiat, liceatque vt par est, Cardinali cuique, secundum Deum & conscientiam suam, libere & impune quodcumque sentiat dicere. Statuimus, ne quis Cardinalium vota in Consistorio data, & quæcumque ibi gesta, aut dicta, quæ in odium, aut præiudicium, aut scandalum alicuius redundare possint, scripto, aut verbo, vel quovis alio modo reuelet, sub pœna periurij, & inobedientiæ.

Vota non reuelanda.

§. 31. Et quotiescumque à nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, specialiter & expresse vltra præmissa indictum fuerit super aliqua re silentium, si quis contrafecerit, vltra pœnas, excommunicationem latæ sententiæ incurrat, à qua non possit absolui nisi à nobis, vel præfato Pontifice Romano, & cum expressione causæ, præterquam in mortis articulo.

Silentium à Papa indictũ, obseruando.

§. 32. Et cum omnis ætas ab adolescentia prona sit ad malum, & à teneris assuefieri ad bonum, magni sit operis, & effectus. Statuimus & ordinamus, vt Magistri Scholarium, & Præceptores, pueros suos, siue adolescentes, nedum in grammatica, & rhetorica, ac cæteris huiusmodi audire, & instruere debeant, verum etiam docere teneantur ea quæ ad Religionem pertinent, vt sunt præcepta diuina, articuli fidei, sacri Hymni, & Psalmi, ac Sanctorum vitæ, diebusque festiuis nihil aliud eos docere possint, quam in rebus ad Religionem, & bonos mores pertinentibus, eosque in illis instruere, hortari, & cogere in quantum possunt teneantur, vt nedum ad Missas, sed etiam ad Vesperas, diuinaque officia audienda, ad Ecclesias accedant, & similiter ad prædicationes & sermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere possint.

Reformatio de Magistris in eruditione Scholarium.

§. 33. Ad abolendam vero execrabilem blasphemiam, quæ in maximum diuini nominis, & sanctorum contemptum supra modum inualuit. Statuimus & ordinamus, vt quicumque Deo, palam seu publice maledixerit, contumeliosisque atque obscœnis verbis Dominum Nostrum IESVM CHRISTVM, vel gloriosam Virginem MARIAM eius genitricem expresse blasphemauerit, si munus publicum, iurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima, & secunda vice dicti officij; si tertio deliquerit, illo eo ipso priuatus existat, si clericus vel sacerdos fuerit, eo ipso quod de delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum quæcumque habuerit, fructibus applicandis vt infra, vnius anni mulctetur, & hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit. Pro secunda vero si ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, si vnicum habuerit beneficium eo priuetur; si autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertio eius sceleris arguatur & conuincatur, dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcumque habuerit, eo ipso priuatus existat, ad eaque vlterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari, & conferri possint. Laicus vero blasphemans, si nobilis fuerit, pœna XXV. ducatorum mulctetur, & pro secunda vice, L. fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe applicandorum, & aliis vt infra deducitur. Pro tertia vero, nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebeius fuerit, in carcerem detrudatur, quod si vltra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mithra infami per integram diem ante fores Ecclesiæ principalis mithratus stare cogatur, si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur, ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiæ, nemo blasphemiæ reus, absque grauissima pœnitentia, seueri confessoris arbitrio iniuncta, possit absolui. Qui vero reliquos Sanctos

blasphemauerit, arbitrio iudicis, rationem personarum habituri, mitius aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam, vt sæculares iudices, qui contra tales blasphemiæ conuictos, non animaduerterint, eosque iustis pœnis minime affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxij, eisdem quoque pœnis subiiciantur. Qui vero in illis inquirendis, puniendisque diligentes, & seueri fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant. Quicumque vero blasphemantem audierint, eum verbis acriter obiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingit, eundemque deferre vel notificare apud iudicem Ecclesiasticum, seu sæcularem intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem simul audiuerint, singuli eum accusare teneantur, nisi forte omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute sanctæ obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, vt pro Diuini nominis reuerentia & honore, in suis dominiis ac terris præmissa omnia seruari, & exactissime exequi mandent, ac faciant, vberrimam ab ipso Deo tam boni ac pij operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam, ab Apostolica Sede consecuturi, cum tertia parte mulctæ qua dictus blasphemus plectetur, quoties tale scelus puniendum curauerint, quam quidem indulgentiam, & reliquam tertiam mulctæ partem, accusatori blasphemi nomen deferenti, similiter concedi, & assignari volumus, aliis pœnis contra huiusmodi blasphemos per sacros canones expressis, nihilominus in suo robore manentibus.

Clericorum incontinentium pœna.

§. 34. Vt clerici præsertim caste, continenterque, iuxta canonum præcepta viuant, statuimus, vt contrafacientes acriter secundum canones puniantur.

Sodomitarum pœna. Ad hoc vide etiam d. cõst. Py V.

§. 35. Si qui vero, tam laicus quam clericus, de crimine propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, conuictus fuerit, pœnis per sacros canones, aut ius ciuile respectiue impositis puniatur.

Concubinariorum pœna.

§. 36. Concubinarij autem, siue laici siue clerici fuerint, eorundem canonum pœnis mulctentur, neque Superiorum tolerantia, seu praua consuetudo, quæ potius corruptela dicenda est, à multitudine peccantium, aliáve quælibet excusatio, eis aliquo modo suffragetur, seu iuxta iuris censuram seuere puniantur. Ad bonum vero, & quietum regimen Ciuitatum, ac locorum omnium Romanæ Ecclesiæ subiectorum, constitutiones bonæ memoriæ Ægidij Episcopi Sabin. olim editas, innouamus, easque inuiolabiliter seruari præcipimus, & mandamus.

Vide ibid.

Simoniacorum pœna. Tu vide d. constit. Py V. vbi notaui.

§. 37. Et vt nefariæ simoniæ labes ac pestis non solum à Romana curia, sed ex omni etiam Christiana ditione in perpetuum exterminetur, constitutiones per antecessores nostros, etiam in sacris Conciliis contra huiusmodi simoniacos editas innouamus, easque inuiolabiliter seruari præcipimus, ac pœnas in eis contentas pro expressis & insertis haberi, & delinquentes etiam auctoritate nostra affici volumus.

Officium recitare omittentium pœna. Hanc vacam declarauit infra Pius V. in const. 155. Ex proximo.

§. 38. Statuimus quoque & ordinamus, vt quilibet habens beneficium, cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officij, & temporis; sed eos tanquam iniuste perceptos in fabricam huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quoad hoc vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit. Deo tamen vltra præmissa de dicta omissione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilia toties sit, quoties contra facere conuincantur.

Principũ sæcularium & ipsorum officialium in fructibus beneficiorum se ingerentium pœna.

§. 39. Et cum fructuum Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitan. Monasteriorumque, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio, & administratio, ad nos, & Rom. Pont. pro tempore existen. & illos etiam qui eiusmodi Ecclesias Monasteria, & beneficia iure & Canonice obtinent, solum pertineant, sæcularesque Principes, omni etiam diuino iure id prohibente, dictis Ecclesiis, Monasteriis, ac beneficiis intromittere se nullatenus debeant. Statuimus & ordinamus, vt fructus, redditus, & prouentus Ecclesiarum, Monasteriorum, ac beneficiorum per sæculares vllos Principes, etsi Imperatores, Reges Reginæve, seu Respublicæ, vel potentatus fuerint, aut per eorum officiales, seu iudices etiam Ecclesiasticos vel quascumque alias personas publicas vel priuatas, de eorundem Imperatoris, Regum, Reginarum, ac Principum, Rerumque publicarum, vel potentatuum mandato sequestrari, occupative, aut modo aliquo detineri, ipsique huiusmodi Ecclesias, Monasteria, ac beneficia obtinen. sub prætextu fabricæ, instaurationisq; sine Romani Pontificis pro tempore existentis expressa licentia, aut eleemosynarum, seu quouis alio colore, aut fuco, impediri non debeant, quominus de illis vt antea libere, ac sine impedimento disponere valeant. Et si sequestrati fuerint, occupatiue, aut detenti, integre, libereque, ac sine exceptione vel mora, Prælatis ad quos de iure legitimeque spectant, restituantur, de quibus, si dissipati nusquam reperiri possint, eorum iusta æstimatione facta, dictis Prælatis satisfieri volumus per eos qui dictas sequestrationes, applicationes, dissipationesque, quas fecerint, aut fieri mandauerint sub pœna excommunicationis, aut interdicti Ecclesiastici talium Principum terris, & dominio, eo ipso incurrenda. Et vt eorum, ac eiusdem subiectorum bona vbicumque reperta, si moniti parere noluerint, capi, & retineri possint. Ipsi vero contrafacientes, tam supradictis pœnis quam priuationis feudorum, & priuilegiorum, quæ à nobis, & Romana vel aliis Ecclesiis nunc & pro tempore obtinuerint, & aliis contra violatores, & oppressores libertatis Ecclesiasticæ, etiam per extrauagantes, & alias constitutiones, etiam incognitas, & forsan in vsu non existentes, impositis quarum omnium tenores pro expressis & insertis habentes innouamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus, & declaramus, ac secundum eas per quoscumque iudices, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata, & adempta eis aliter iudicandi declarandique potestate, sententiari, iudicari, & interpretari debere volumus, atque mandamus.

Ad hæc vide bullam in Cœna Domini quam habes infra in Pauli V. const. 41.

Contra violantes libertatem Ecclesiasticam innouat capit. Felicis de pœn. in 6 & Clem. 1 eod. tit.

Vide d. bullam in Cœna Domini.

§. 40. Et cum à iure, tam diuino quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes, & singulas constitutiones fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, quæ incipit, Felicis, & Clementis V. quæ incipit. Si quis suadente, necnon quascumque alias Apostolicas sanctiones in fauorem libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præsumentes, in bulla quæ legitur in Cœna Domini, contentis in suo robore permansuris. Et cum in Lateranen. pariter ac Conciliis generalibus, sub excommunicationis pœna, prohibitum fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alij potentatus quicumque, Regnia, Prouincias, Ciuitatibus, ac Terris quoquo modo præsiden. collectas, decimas, & alia huiusmodi onera, Clericis, Prælatis, & aliis quibuscumque personis Ecclesiasticis imponant, exigantque, neve à sponte etiam dantibus & consentientibus etiam recipiant, atque in præmissis auxilium fauorem, consiliumve palam, vel occulte præstantes, in excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incidant, & ipsæ quoque Respublicæ ac Communitates, & Vniuersitates circa hoc quomodolibet delinquentes, Ecclesiastico eo ipso subiiciantur interdicto, Prælati etiam præmissis absque Rom. Pont. expressa licentia vltro consentien. excommunicationis & depositionis pœnam ipso facto incurrant. Statuimus, & ordinamus vt de cætero talia præsumentes, etiamsi, vt præfertur, qualificati fuerint, vltra supradictas pœnas quas contrauenientes eo ipso incurrere volumus, innouamus, quod ad omnes actus legitimos, inhabiles, & intestabiles habeantur.

Reformatio de maleficiis & incantatoribus

De quibus vide infrà in const. 43. Honestis.

§. 41. Et cum secundum leges ciuiles, & sacrorum canonum cẽsuras, sortilegia per inuocationem dæmonum, incãtationes, ac diuinationes, superstitionesq; prohibitæ sint, Statuimus, decernimus, & ordinamus, vt clerici, qui in præmissis culpabiles inuenti fuerint, arbitrio Superiorũ

infa

infamia notentur; si vero non destiterint, deponantur, atque in Monasterium ad tempus arbitrio Superioris præfiniendum detrudantur; beneficiisque & officiis Ecclesiasticis priuentur. Laici vero vtriusque sexus, excommunicationis, & aliis pœnis iuris, tam ciuilis quam canonici subiaceant.

Reformatio de hæreticis perquirendis & puniendis. De eorum pœnis vide Pauli IV. const. 19.

§. 42. Et vt omnes ficti Christiani, ac de fide male sentientes, cuiuscumque generis, aut nationis fuerint, necnon hæretici, seu aliqua hæresis labe polluti, vel Iudaïzantes, à Christi fidelium cœtu penitus eliminentur, & à quocumque loco & præsertim à Romana Curia expellantur, ac debita animaduersione puniantur; Statuimus vt contra eos diligenti inquisitione vbique & in dicta Curia maxime, procedatur per Iudices per nos deputandos, & eius criminis reos, & legitime conuictos, debitis pœnis puniri; elapsos vero, absque vlla spe veniæ, aut remissionis affici volumus.

Hæc bulla omnes & vbique ligat.

§. 43. Et eum constitutiones, & ordinationes nostræ huiusmodi quas pro nunc ordinamus, vitam, mores, Ecclesiasticámque disciplinam concernant, tam officiales nostros, quam alios, tam in Romana Curia, quam extra vbique locorum commorantes, imitari conuenit, illis ligari, eosque ad eorum obseruationem inuiolabiliter teneri volumus, atque decernimus.

Aliisque constitutionibus quoad pœnas non detrahit.

§. 44. Et ne constitutiones ipsæ aliis censuris, ac pœnis in contrafacien. per antiqua iura, & constitutiones impositis derogare in aliquo videantur, cum ad augmentum editæ, atque excogitatæ fuerint, etiam declaramus, per earum dispositiones, ordinationesque, nihil prorsus iuri communi, vel decretis aliorum Romanorum Pontificum vllatenus derogatum esse. Quinimo si qua in eis propter peruersam temporum, aut locorum vel hominum corruptelam, vel abusum, aut quamcumque aliam causam minime probandam, vigorem suum amiserint, ea ex nunc innouamus, confirmamus, & inuiolabiliter obseruari mandamus.

Post duos menses à die publicationis ligat & interpretari non potest.

§. 45. Quas nostras consultissimas constitutiones post duos menses ab earum publicatione, ligare debere, etiam decernimus, & declaramus; districtius inhibentes ne quis eas glosare, vel super eis commẽtaria, interpretationesque facere, absque speciali nostra vel Sedis Apostolicæ licentia, præsumat. Si quis autem ausu temerario contrauenerit, excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incurrat.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 2. die 5. Maij.

Dat. Romæ in publica Sessione, in Lateranen. Sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarn. Dom. 1514. tertio Nonas Maij, Pont. nostri Anno secundo.

VIII. Iurisdictio & facultates Gubernatoris Almæ Vrbis, eiusque districtus, ac Vicecancellarij.

In causis criminalibus hac iurisdictio illæsa permanet, cum declarationibus, quæ sumuntur à const. 44. Pauli III. Ad onus, & à const. 58. Pij IV. Cum ab ipso, & Pauli V. const. 44. §. 3. & 7.

In ciuilibus autem est declarata & limitata, quoad Romanos & incolas (quibusdam tamen casibus exceptis) vt in nouo Statut. lib. 1. c. 41. Et quoad causas spirituales & Ecclesiasticas iurisdictio data est Vicario Papæ, à Paulo III. vt infra in eius constit. 36. Licet. Et quoad causas Curialium & Clericorum forensium, iurisdictio est A. Cameræ, vt infra in 71. const. §. 4. Pauli V. Et quoad lites incolarum Burgi S. Petri, iurisdictio est illius Curiæ, vt infra in const. 4. Iulij III. Ad fidei. Est tamen aucta Gubernatoris iurisdictio, quoad causas appellationum in causis Hospitalis Mendicorum Vrbis, vt infra in bulla 57. Sixt. V. Quamvis. Et quoad causas recursus à Consulibus Artium, vt in eiusdem Sixt. const. 72. In sublimi, vbi videre poteris reformationem huius Curæ quæ (me tunc Gubernatoris Locumtenente eam promouente) edita fuit. Et recordare quod quicquid Vrbis Gubernator dicere aut facere asserit de mandato Papæ, plene sibi creditur, ex bulla Pij V. infra num. 107. Cum Apostolica.

Indulta autem concessa diuersis Vrbis Tribunalibus, & Iudicibus cognoscendi causas criminales super delictis quarumcumque personarum priuatiuè quoad alios, non quoad Gubernatorem Vrbis pro tempora existentem, sed cumulatiuè concessa esse, intelligi voluit S.D.N. Vrban. VIII. const. 93. Docet inf. tom. 4.

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Magistro Amadeo Berruto Notario nostro, pro nobis, & Romana Curia, sive Ecclesia in Alma Vrbe nostra Gubernatori, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

Etsi pro cunctarum Ciuitatum temporali dominio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectarum prospero ac felici regimine, quantum nobis ex alto conceditur, curam solertem, & vigilem gerere debeamus, de nostræ tamen Almæ Vrbis Beatorum Petri & Pauli Apostolorum cruore Domino nostro Iesv Christo consecratæ, ac incolarum eius, & Cameræ Apostolicæ officiorum diligenti administratione, tanto accuratius cogitare nos conuenit, quanto Vrbs ipsa caput est Orbis, & in ea altissimus Sacerdos principalem ac præcipuam Sedem, ad quam de diuersis Mundi partibus Christi fideles confluunt in numero copioso, voluit collocari, & quæ in eadem Camera peraguntur, inter grauiora dictæ Ecclesiæ negotia solita sunt reputari, eaque expedit solerti cura, & diligentia pertractari.

Deputatio Gubernatoris cum infrascriptis facultatibus.

§. 1. Cupientes igitur, vt Vrbs ipsa, ac illius ciues, & incolæ peculiares nostri, & præfatæ Ecclesiæ filij, prouidi Gubernatoris potiantur regimine, & quæ ad Camerariatus officium in Camera præfata pertinent, ei per Camerarij nostri Locumtenentem, seu Vicecamerarium ibidem exerceri solita sunt, ea quæ expedit solerti cura expediantur, ac de te, qui Prælatus noster domesticus existis, & in quo tamdiu tam doctrinam singularem, quam fidei constantiam, magnanimitatem, circumspectionem, ac vitæ integritatem, atque alias virtutes, auctore Domino cumulatas esse cognoscimus, sumentes in Domino fiduciam specialem quod omnia, etiam ardua, & difficilia, quæ ad honorem, & felicem, ac prosperum statum nostrum, ac Ecclesiæ, & Sedis prædictæ pertinere cognoueris, diuina fauente clementia, laudabiliter exequeris; Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, te in Vrbe ipsa, eiusque districtu, & pertinentiis, generalem Gubernatorem, ac in Camera Apostolica Vicecamerarium, ac Camerarij præfatæ Cameræ Locumtenentem, cum cura, arbitrio, potestate, honoribus, oneribus, pertinentiis, & emolumentis consuetis ad nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum, auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, & deputamus, quascumque alias commissiones de dictis Vicecamerariatus, & Gubernatoriatus officiis alias factas harum serie penitus reuocantes.

Causas ciuiles & criminales cognoscendi. Ad hoc vide declaration. quas indicaui in rubr.

§. 2. Ac tibi omnes, & singulas causas commissas, ac negotia, per nos, nostrasque in forma Breuis literas, siue alias commissiones quomodolibet in genere, vel in specie Gubernatori prædecessori tuo commissas, iuxta illarum literarum commissionem, & tenorem prosequi. Et in omnibus aliis, & singulis causis, etiam per nos, & venerabilem fratrem nostrum Raphaëlem Episcopum Ostien. Camerarium nostrum tanquam Vicecamerario commissis pro tempore, & committendis Auditoribus, & Locatenentibus tuis, ac aliis de quibus tibi videbitur, vices tuas, etiam vsque ad sententiam diffinitiuam inclusiue, & cum potestate exequendi, quoties tibi placuerit, committendi. Ac tam per te ipsum quam per tuos Auditores, seu Locatenentes, exercentes vices tuas in eisdem, & tam in ciuilibus, quam in criminalibus, & tam spiritualibus, quam temporalibus causis, & aliis quibuscumque negotiis, tam contra ciues Romanos, quam forenses Ecclesiasticos, & laïcos, & incolas, necnon Religiosos cuiuscumque Ordinis, status, gradus, conditionis, seu dignitatis existant, actiue, & passiue concernentibus, & tam in Palatio Apostolico, & in Burgo S. Petri, ac in Castro nostro S. Angeli, necnon in Capitolio, quam alibi.

Summarii, & procedendi.
§. 3. Et ad reprimendum litium anfractus, necnon
partium litigantium expensas, iodemnitatibus & dispen-
diis parcendum, in causis, & negotiis huiusmodi proce-
dendi, etiam nullo penitus iuris ordine, seu dictæ Came-
ræ, & Curiæ Romanæ stylo, vel consuetudine seruatis,
sed sola facti veritate inspecta, de bono, & æquo, & pro
contingentia rerum, & qualitate facti, quandocumque
tibi visum fuerit, etiam de facto, manu regia, ac velo
leuato, etiam secundum voluntatem, & beneplacitum,
& dispositionem tuam procedendi, & iudicandi, & suffi-
cendi.

Excommunicandi & brachium sæculare exercendi.
§. 4. Necnon occasione eorum te litigantium ex-
communicationes seu alias censuras, & pœnas contra
eos promulgandi, & relaxandi, & brachium etiam sæcu-
lare exercendi etiam contra Romanos, & alios supradi-
ctos quacumque auctoritate, & dignitate fungentes; &
generaliter omnia alia & singula faciendi, dicendi, geren-
di, procurandi, quæ in præmissis, & quæ ad officium ip-
sum de iure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet
pertinere dignoscuntur, & quæ nos ipsimet in omnibus
& singulis præmissis facere possemus? & omnia alia, &
singula quæ Vicecamerarii, & Gubernatores qui pro tem
pore fuerunt, facere, mandare, ordinare, corrigere, exequi
soliti sunt, faciendi, mandandi, ordinandi, disponendi.

Quoad primum attende bullam Vic. & A C. cit. in rubr.

Delinquentes puniendi, priuatione quoad alios, in pænas ab eo indictas, vel de ipsa præuentione.
§. 5. Et contra quascumque prædictas personas
etiam nulla præcedente infamia, nulloque processu in-
quirendi, easque corrigendi, castigandi, & etiam vsque ad
vltimum supplicium inclusiue puniendi; ita quod quam
primum citationem contra aliquem Ciuem Romanum,
vel alium quemcumque ex prædictis quomodolibet de-
linquentem ad eius domum factam, quoscumque alios
Iudices præuenisse censeatis, ita quod alii nullatenus
contra eundem vt supra citatum quomodolibet procede-
re possint; nec etiam per eos super pœnis contra deferen-
tes arma, & alios delinquentes per te indictis, vel com-
minatis post illarum incursum possit intromitti, sed ab-
solutio, vel condemnatio aut remissio dumtaxat ad te
pertineant.

Domique citandi.
§. 6. Necnon delinquentes quoscumque citandi, &
citari faciendi etiam pro prima vice, ad domum solitæ
habitationis eorum; quæ perinde valeat, ac si fuissent per-
sonaliter apprehensi.

Pœnas augendi & minuendi.
§. 7. Ipsosque delinquentes, vel rebelles aut inobe-
dientes pecuniarum, ac priuationis officiorum, & aliis de
quibus tibi videbitur, & placuerit pœnis condemnandi,
mulctandi, & pœnas ipsas tam à iure communi, quam
ex Statuto, vel consuetudine, aut alias quomodolibet
impositas, & tam corporis afflictiuas vsque ad vltimum
supplicium inclusiuè, quam pecuniarias pro modo cul-
pæ qualitateque delicti, causæ, loci, & personæ augendi,
& minuendi.

Statutis derogandi.
§. 8. Statutis Vrbis toties quoties tibi videbitur,
& placebit derogandi.

Edicta proponendi.
§. 9. Edictaque, ac decreta, proclamata, seu bannimen-
ta, & statuta quoties tibi placuerit, & sub quibuscumque
pœnis, ac contra quoscumque faciendi, & quæcumque
alia per quoscumque etiam per nos edita, & edenda, in-
terpretandi, mutandi, & alterandi pro bono pacis, & vti-
litate subditorum, & correctione delictorum, ac indu-
ctione bonorum morum plenam, liberam, & omnino-
dam auctoritate Apostolica tenore præsentium concedi-
mus facultatem.

Nullitates in hac Curia non attendenda.
§. 10. Statuentes, processus tuos, vel Auditorum, seu
Locatenentium tuorum in causis præmissis, vel senten-
tiis ferendis, ob iuris ordinem, telamque iudiciariam, di-
ctæque Cameræ, & Romanæ Curiæ stylum, vel consue-
tudinem, illis non seruatis, per viam nullitatis, vel alias
quomodolibet impugnari, seu reuocari non posse.

Appellatio quando danda. Tu vide Sixt. V. cit. in rubr.
§. 11. Nec à processibus, & sententiis huiusmodi in
causa ciuilibus vsque ad summam decem ducatorum
auri, & in causis criminalibus, & mercedum nullatenus
per aliquem appellari, vel reclamari posse.

Causæ non auocanda.
§. 12. Nec causæ à te, vel Locatenentibus, seu Audi-
toribus tuis auocari possint, nisi motu proprio nostro, &
te prius accersito & audito.

Officiales ei pareant.
§. 13. Mandantes præfato Camerario nostro, nec-
non dilectis filiis Prælatis, Præsidentibus, & Clericis

Cameræ prædictæ, Vrbis Senatori, & Conseruatoribus, & aliis ad quos spectat, & pertinet, ac spectare, & pertinere poterit quomodolibet in futurum, vt ad dictum officium eiusque liberum, vt præmittitur, exercitium, nec non honores, onera, & emolumenta huiusmodi recipiant, & admittant, ac in omnibus quæ ad officium ipsum pertinent, tibi veluti personæ nostræ propriæ efficaciter pareant, obediant, & intendant.

Sindicatu stare non tenetur.
§. 14. Volentes pariter, & statuentes, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine decernentes, quod in iis quæ per te, vel alium, seu alios per te deputandos, & subdelegandos tuo nomine in officio huiusmodi gerentur ab aliquo, cuiuscumque conditionis seu auctoritatis existat, vllo vnquam tempore, vllave occasione, vel causa molestari, aut quomodolibet inquietari valeas, nec to, aut ipsi de præmissis vllo vnquam tempore rationem reddere, aut sindicatui stare tenearis.

Irregularitatem non incurrit.
§. 15. Et quod officium huiusmodi, per te vel alios exercendos, & per quascumque captionem, detentionem, seu torturam quorumcumque Clericorum, vel priuilegiatorum, contra quos etiam nulla præcesserit infamia, sed sola indicia, nullas censuras vel pœnas per comminationem, commissionem, vel impositionem pœnæ corporalis, mutilationis membrorum, aut capitalis, vbi etiam sanguinis effusio fuerit facienda, vel fieri contigerit, aut si fortuitò, vel alia quavis causa occurreret, vel in tortura seu punitione per te vel de mandato tuo facienda, aliqua membra mutilari, aut aliquem ab hac luce migrare, seu sanguinis effusionem fieri vllam propterea irregularitatis, vel infamiæ maculam, siue notã tu, & tui prædicti incurrant nec incurrere valeant, sed perinde sit, ac si talia commissa non fuissent, vel imposuisses, aut talibus non interfuisses, ac tui Auditores, & mandatarii non interfuissent.

Decretum irritans.
§. 16. Ac si per quoscumque reputari, tractari, & iudicari debere, decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid secus super præmissis, omnibus & singulis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Omnes executores eius mãdata exequantur.
§. 17. Volumus etiam certis bonis respectibus moti, & ita sub excommunicationis pœna latæ sententiæ mandamus, quod Barisellus, & cæteri executores in causis criminalibus in quibus veniet mors inferenda, vel corporis pœna seu sanguinis imponenda, teneantur mandata tuorum Locatenentium, seu Auditorum qui in dictis causis sententiam tulerint, de tuo tamen mandato, ac commissione facta, indilate exequi iuxta illorum tenorem, quamvis per te ipsum manu propria non fuerint subscripta.

Hæc bulla capit præsentia & futura.
§. 18. Mandantes vlterius omnia & singula præmissa in omnibus, & singulis causis & negotiis, tam pendentibus præteritis, præsentibus, quam futuris locum sibi vendicare, & effectum suum sortiri.

Contraria non obstant.
§. 19. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac statutis prædictis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, & indultis, ac literis Apostolicis, etiam in forma Breuis per fel. rec. Iulium Papam II. prædecessorem nostrum, Populo Romano concessis, & per nos confirmatis, innouatis, & etiam de nouo concessis, quibus etiamsi ad illorum derogationem, de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissa motu, & scientia similibus specialiter, & expressè derogamus, eaque quoad præmissa nemini volumus suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hortatio fideliter officium exercendi.
§. 20. Tu igitur officium ipsum sic sollicite, fideliter & prudenter studeas exercere, vt tua possit apud nos fidelitas, & prudentia non immerito commendari, & ad mariora tibi committenda promptius inuitemur.

Dat. P. Au. 9. die 28 Iun.
Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo decimoquarto, 4. Kal. Iulii Pontificatus nostri anno secundo.

Decla

IX. Declarationes quorundam dubiorum, super prima, & secunda Regula Sororum seu Monialium S. Claræ Et licentia duplici officio celebrandi festa B. Agnetis & vndecim millium Virginum.

Primam Regulam traditam à B. Francisco, confirmauit Innoc.VI. vt sup. in eius const.12. Solet. Et secundam Regulam, vel potius primam mitigatam edidit Vrb.IV. sup. in eius const.7. Beata & vtrobique videas quæ notaui. Et alias declarationes d. Regulæ habes sup. in const.2. Eug.IV. & etiam infr. in const.103. Pij IV. Sedis 127.

Edita An.D. 1515.

LEO PAPA X.

Dilectis in Christo filiabus vniuersis Abbatissis, & Monialibus ac Conuentibus Monasteriorum quorumcumque Ordinum S. Claræ sub perpetua clausura, ac regimine Fratrum Minorum de Obseruantia Altissimo famulantibus. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Moniales aliquas dubitationes habebāt sup. Regula, & supplicant pro declaratione.

CVm (sicut nobis nuper exponi fecistis) in Regula S.Claræ, sub qua, & suaui Religionis iugo, ac cura Fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum, gratum Domino redditis famulatum, & Diuinis beneplacitis insistitis, nonnulla contineantur, quæ mentibus vestris dubia existunt, & declaratione Apostolica indigere noscuntur: nobis propterea humiliter supplicari fecistis, vt circa huiusmodi Regulæ Obseruantiam, sine aliqua hæsitatione, ac mentium & conscientiarum vestrarum perturbatione, & scrupulo, insistere possitis, quæ ambigua sunt per nostræ declarationis ministerium vobis plana, & aperta reddere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Prima dubitatio circa recitationem diuini officij.

§. 1. Et sicut eadem expositio subiungebat, circa obseruantiam diuini officij ex prima Regula B. Claræ contineatur, quod Sorores literatæ faciant diuinum officium secundum consuetudinem Fratrum Minorum, legendo sine cantu, & quæ literas nesciunt, dicant Pater noster, & pro Defunctis dicant etiam in Vesperis septem Pater noster, & Requiem æternam. Pro Matutino xij. Et Sorores literatæ teneantur dicere officium Mortuorum, & ex secunda Regula Ordinis S. Claræ huiusmodi per fel. rec. Vrbanum Papam V. prædecessorem nostrum cum prima satis obscura videretur declarata, cōtineatur, quod de Diuino officio, tam in die quam in nocte Domino persoluendo, taliter obseruetur, videlicet, quod hæ quæ legere, & canere nouerint secundum consuetudinem Ordinis Fratrum Minorum Diuinum officium debeant celebrare, illiteratæ vero dicant Pater noster, & pro Defunctis dicant vij. Pater noster, cum Requiem æternam, pro Matutino xij. Pater noster, tempore quo Sorores literatæ faciunt officium Mortuorum. Et quia etiam ex declaratione per Vrbanum prædecessorem huiusmodi facta, vt præfertur, mentibus vestris adhuc plene satisfactum non est, cum tam ex prima quam secunda Regula huiusmodi Sorores literatæ teneantur dicere officium Mortuorum, tamen circa officium Mortuorum huiusmodi certam declarationem, an Vesperas, aut vigilias Mortuorū dicere in Choro semper, & quotidie debeatis cum Fratres Minores officium Mortuorum huiusmodi, nisi temporibus ex Ordinario Romano, & eorum constitutionibus statutis non persoluant, non habetis, propter quod in magna conscientiarum fluctuatione, & mentium vestrarum perturbatione existitis.

Secunda dubitatio super necessitate quæ excuset à Choro.

§. 2. Et insuper cum difficile semper sit esse in Choro in omnibus horis, & nunquam deficere, aliquando occupatione satis leui, aliquando tædio, aliquando alia negligentia, & aliquādo vos aliquam horam vobis eligatis per vos ipsas, aut cum socia horas huiusmodi persoluere, cumque multum difficile sit conscientiis timoratis interpretari, quæ sit illa necessitas, quæ excuset à Choro, propterea virum Monialis sana sub pœna peccati horas in Choro semper persoluere teneatur, posito, quod in Choro dicatur officium ordinarie, vt consuetum est, à competenti numero Monialium, iuxta copiam inibi residentium, & quod propterea, quibus in Choro non interest, non omittit per seipsam, aut cum socia omnium officium persoluere, petatis declarari.

Tertia dubitatio circa indulgentias.

§. 3. Præterea cum asseratur piæ memoriæ Innocentium Papam VIII. seu alium Romanum Pontificem prædecessorem nostrum, ad tollendos discursus Fratrum Ordinis huiusmodi, quod Fratres ipsi dicendo quinque Pater noster, cum Aue Maria coram Sacramento Altaris, Infirmi in grabatis suis pro felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, dicendo, vt suprà, habeant eandemmet indulgentiam, quæ est secunda die Augusti in Sancta Maria de Angelis, siue de Portiuncula apud Assisium, prout illo die à deuotis populis lucrantur. Item, quod dicendo alia quinque Pater noster, & Aue Maria, cum Gloria Patri in fine cuiuslibet Pater noster, & ipsi Fratres stationes Vrbis, subiungendo vnum Pater noster, & Aue Maria pro intentione Domini concedentis. Et insuper piæ memoriæ Pius Secundus, etiam prædecessor noster, eisdem Fratribus Vltramontanis, vt Septem Psalmos Pœnitentiales dicendo cum Litaniis, indulgentias stationum Vrbis haberēt, & consequerentur indulserit, & ipsis Fratribus toties quoties Coronam Domini IESV CHRISTI, & Virginis MARIÆ dicerent, plenariam haberent indulgentiam, concessum fuisse asseratur.

Hic Pont. eas explicat.

§. 4. Quare, vt præmissa vobis ex officio Pastoralis officij nostri, pro quiete conscientiarum vestrarum, ne contra conscientiam agendo, ad gehennam ædificare videamini, plena, & aperta facere, atque declarare, & super officio huiusmodi persoluendo, quomodo vos habere debeatis, ac in facultatibus, quoad participationem gratiarum Fratribus Minoribus huiusmodi, sub quorum cura, & regimine viuitis concessarum, qualiter participetis, & in facultate absolutionis peccatorum vestrorum, quæ forma seruanda sit, more pij Patris, & ex benignitate Apostolica, qua vos tanquam peculiares in Christo filias prosecuti sumus, & prosequimur, aperire, & discernere dignaremur. Nos itaque præmissis, & infrascriptis supplicationibus paterna beneuolentia annuentes, ac super præmissis omnibus, vobis taliter per nostræ declarationis oraculum prouidere, & sic plana facere volentes, & ei, cui iugiter inseruitis cum conscientiarum, & mentium vestrarum quiete, & pace, gratum, & acceptum reddere valeatis famulatum, circa præmissa omnia, prius habita matura deliberatione, omnibusque diligenter præmeditatis, & consideratis, auctoritate Apostolica ex nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium duximus declarandum, & concedendum, vt sequitur.

Explicatio primæ dubitationis.

§. 5. Primo videlicet quoad officium Defunctorum, declaramus vos dumtaxat teneri sicut Fratres Ord. Minorum, quorum ritui in Diuinorum persolutione vestra vobis præcidit Regula conformari, quod satis declarasse videtur Vrbanus prædecessor noster, vbi dicit Sorores illiteratas non teneri ad dicēdum Pater noster pro mortuis, nisi eo tempore, quo in Choro Choristæ officium faciūt mortuorum; & verbum illud teneantur, dicimus referri ad obligationem vigiliarum, & vesperarum, prout in Breuiario adnotatur, & non ad Pater noster, quæ illiteratis Sororibus pro tali suffragio per Regulam indicuntur.

Explicatio secundæ dubitationis. Tu circa indulg. attende bullam 16. S.D.N. Pauli V. Romanam.

§. 6. Quo vero ad obligationem persoluendi officium in Choro, decernimus etiam sanas non teneri semper officium Diuinum in Choro persoluere, humana considerata fragilitate, & sexus fœminei debilitate, quia difficulter conscientia timorata sciret discernere necessitatem excusantem: consideratis diuersis, ac variis occupationibus, & impedimentis, quæ superueniunt continue in administratione rei familiaris Monasteriorum vestrorum, attento, quod die noctuque bene, & solemniter, ac sine intermissione collegialiter in Choris vestris officiū Diuinū persoluitur, & iuxta formam per Regulā vobis traditam, cum reuerentia decantatur; exonerantes tamen conscientiam vestram, discretioni Abbatissarum pro tempore existentium committimus, vt quando, & quomodo, siue cum quibus sit hæc remissio, siue exemptio toleranda, solerter inuigilent, & diligenter aduertant, & prudenter concedant, ne sub colore pietatis, ex nimia indulgentia permit

permittant in aliqua Sororum, seu Monialium habitum generari Diuinæ offensionis. Quantum vero attinet ad participationem in gratiis Fratribus Minorib. sub quorũ regimine viuitis concessis, simili declaratione decernimus, tanto magis vobis esse concessas, quanto minor occasio datur discurrendi; quo fit, vt indulgentia S. Mariæ de Angelis, siue Portiunculæ in Assisio, secundi diei Augusti, & de quinque Pater noster, cum Gloria Patri, coram Sacramento Altaris recitandis, & de Psalmis Pœnitentialibus pro stationibus Vrbis, quæ Fratribus dicuntur esse concessæ, ad vos extendimus, & vobis, prout eis suffragari volumus, & quatenus opus sit, de nouo pro vestra, & eorundem Fratrum consolatione concedimus. Insuper vero quantum facultatem absolutionis concernit, concedimus vobis, vt in omnibus solemnitatibus Domini Sabaoth, Virginis Mariæ, Omnium Sanctorum Patris vestri Sancti Francisci, ac Matris vestræ Sanctæ Claræ, Confessores vestri possint in absolutionibus vestrarum confessionum, eis de peccatis vestris factarum, vos plenariè absoluere, & pœnitentiam salutarem iniungere. Et quoties sacram sumitis Communionem, ex die plenariam indulgentiam consequi.

Licentia duplici ritu celebrandi festa B. Agnetis & vndecim millium Virginum.

§. 7. Præterea, quia accepimus, Abbatissas, & Moniales Parisiens. & Alotancus. Monasteriorum Sanctæ Claræ huiusmodi, ad beatam Agnetem, & gloriosissimas vndecim mille Virgines singularem gerere deuotionis affectum, eis nunc, & pro tempore existentibus, & quibusvis aliis Abbatissis, & Conuentibus Monasteriorum dicti Ordinis Sanctæ Claræ hunc ritum obseruare volentibus quodammodo in antea beatæ Agnetis, & vndecim millium Virginum huiusmodi festa perpetuis futuris temporibus sub ritu duplici in vestris celebrare, liberè, & licitè possint, & valeant concedimus, pariterque indulgemus.

Causa prædictarũ declarationum.

§. 8. Præmissas autem declarationes, attestationes, lecreta, concessiones, & indulta vobis, & vestrum singulis perpetuo facimus, vt omni semota ambiguitate, & puriori conscientia sub suam Religionis iugo, cui estis perpetuo addictæ, preces ad Dominum liberiori mente fundere, & perpetua pace, & spirituali consolatione gaudere possitis, sperãtes eo acceptiores preces vestras apud eum, cui proprium est misereri semper, & parcere, futuras, quo omni soluto fluctuationis obstaculo, intentius illas persoluere, & pro nobis & Sancta Romana vniuersali Ecclesia, sedulius, & feruentius orare poteritis, prout vos quas in visceribus charitatis, tanquam peculiares, ac dilectissimas in Christo filias paterna beneuolentia, & curæ amplectimur, facturas non dubitamus.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasteriorum, & Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliæ roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Cæterum, quia difficile esset præsentes literas in singulis locis, & Monasteriis vestris, & alibi, vbi opus est, ostendere, vel exhibere, volumus, & eadem auctoritate concedimus, quod transumptis ipsarum manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, vbique plena fides adhibeatur veluti adhiberetur propriis originalibus, si in medium ostensæ essent, vel exhibitæ.

Dat. P. An. 3. die 29. Maij.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 29. Maij 1515. Pont. nostri anno tertio.

X. Iurisdictio Ordinariorum Ecclesiasticorum, cognoscendi quascumque causas ad forum Ecclesiasticum spectantes in prima instantia, in omnes personas etiam exemptas, si Iudices eis dati, sunt negligentes. Et innouatio constitutionum editarum contra impedientes libertatem Ecclesiasticam.

Quoad primam partem huius bullæ, habes Concil. Trident. sess. 7. cap. 14. sess. 14. c. 4. & seq. ac sess. 24. c. 20. & etiam bullam Cœnæ Domini quotannis solitam innouari, vt infrà in Pauli V. const. 63. Pastoralis; vbi notabo.

Quo vero ad secundam partem, vide suprà const. 10. Innocent. III. Ad nostram. Honor. III. const. 1. Has leges. Bonif. IX. const. 4. Iustis. Vrban. VI. const. 3. Quia Matt. V. const. 10. Ad reprimendas, necnon & Concil. Trident. sess. 25. c. 20. ac proximè enatam bullam Cœnæ Domini.

De priuilegiis Exemptorum quoad animarum curam, sacramẽtorum administrationem sanctimonialium Monasteria, & Verbi Dei prædicationem, edidit Constit. Greg. XV. vt infr. tom. 4. sub num. 18. Inscrutabili, super qua nonnulla postea exorta sunt dubia, quæ ibi habes subsequentia cum suis declarationibus.

LEO EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam, Sacro approbante Concilio.

Edita An. D. 1515.

Exordium.

REgimini vniuersalis Ecclesiæ disponente Domino præsidentes, iuxta Pastoralis officij debitum, libenter intendimus vtilitatibus subditorum, ad conseruandam libertatem Ecclesiasticam, & remouenda scandala, ponendam concordiam, & nutriendam quietem inter Ecclesiarum Prælatos, & eorum subditos, eo propensius Apostolicæ sollicitudinis studium adhibemus, quo dissensionem talium fore dispendiosam experimento comprobatur; necnon indulta pariter, & priuilegia eisdem subditis in ipsorum Prælatorum dispendium, tam per prædecessores nostros, quam Sedem Apostolicam concessa, ita libenter moderamur, ne exinde scandala procedant, neve ex eis vlli detur materia malignandi, & personæ Ecclesiasticæ à bono obedientiæ, necnon diuini perseuerantia seruitij nullatenus retrahantur.

Causa huius constitut.

§. 1. Sane nuper ad nostrum relatio fide digna perduxit auditum, quod Canonici Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, & alij Clerici sæculares plura præsumunt, quæ ipsis infamiam non paruam pariunt, & aliis inferunt læsionem, prætextu exemptionis, & libertatis à dicta Sede obtentæ, Ordinariorum correctiones & ordinationes subterfugiunt, ac eorum forum, siue iudicium declinant; nonnulli etiam impunitatem suorum excessuum per priuilegium exemptionis obtinere sperantes, excessus ipsus committere non verentur, quos nisi per exemptionem qua gaudent crederent se defendi, nullatenus fuissent commissuri. Hinc itaque accidit, vt propter eorum audaciam, qui prætexto priuilegij exemptionis, impunitatem excessuum obtinere confidentes, nonnulla multoties committant enormia, per quæ plurimum diffamatur Ecclesia, & scandala grauia generantur, potissime autem cum talia per eos, ad quorum eorum spectat correctio, incorrecta remaneant, seu illi ad quos spectat illa punire, negligunt.

Iudices exemptorum diligenter causis incumbant.

§. 2. Nos volentes ne eo prætextu delicta remaneant impunita, morbo huiusmodi necessariam adhibere medelam, sacro approbante Concilio statuimus, vt de cætero illi, quibus exemptorum correctio & punitio à dicta Sede demandata est, circa illam vigilanter intendant, & diligenter officij sibi commissi debitum exequantur; & quamprimum eis exemptos ipsos deliquisse legitime constiterit, ita eosdem exemptos delinquentes puniant, quod iidem exempti metu pœnæ à suis arceantur insolentiis, & alij eorum exemplo perterriti, prosilire ad similia merito perhorrescant.

Alioquin Ordinarij in eos procedant.

§. 3. Etsi circa hoc negligentes fuerint, Diœcesani, & alij locorum Ordinarij, eosdem, quibus exemptorum correctio huiusmodi, competit, personaliter, si illorum copia, & notitia haberi poterit alioquin, vel si nullus in partibus exemptorum ipsorum certus iudex fuerit, eos quorum sua in præmissis interesse putauerint, per edictum publicum, Cathedralium, seu aliarum Ecclesiarum locorum, in quibus exemptorum iudices huiusmodi residere, seu nullis eorundem exemptorum iudicibus existentibus, ipsos exemptos deliquisse contigerit, valuis affigendum, moneant, vt ipsi, tales exemptos delinquentes,

tes,& criminosos puniant, & castigent infra competentem terminum, monentium ipsorum arbitrio moderandum. Et si ipsi moniti in hoc negligentes fuerint, & id adimplere neglexerint, seu recusauerint, tunc vt in eo in quo deliquerint puniantur, cognitione huiusmodi ea vice sint priuati, & se non intromittant vllatenus de eisdem; sed Diœcesani, & alij locorum Ordinarij huiusmodi, contra tales exemptos delinquentes, & criminosos, auctoritate nostra, ad inquisitionem, vel per accusationem, sine aliquibus tormentis, procedere, & testes per seipsos examinare possint; ac processum ipsum, quem ratione solemnitatis iuris, præterquam ratione citationis omissæ, dummodo delictum alias rite probatum fuerit, nullum allegari, vel dici posse prohibemus, sed per eos habitum, clausum, & eorum sigillo munitum, ad Sedis Apostolicæ examen, ipsorum exemptorum delinquentium expensis; etiam in ipso processu facti s, ad quarum solutionem Ordinarij ipsi possint eosdem inquisitos & accusatos compellere, per proprium, vel alium nuntium quantocitius destinare procurent apud eandem Sedem per Romanum Pontificem, vel alium, cui duxerit committendum, diligenter examinandum, & ita culpabiles repertos quo ad condemnationem, vel propter sufficientia indicia, propter quæ ad torturã pro veritate exquirenda procedi valeat, ad ipsos Diœcesanos, seu Ordinarios per eos auctoritate nostra in causa inquisitionis, seu accusationis, vlterius legitimè procedendum, & causam ipsam, prout iustum fuerit terminandam remittendum.

Protonotarij Apostolici & alij Sedis Apost. Officiales actu seruientes exempti sunt à iurisdictione Ordinariorum.

Hoc innouauit Sixt. V. in const. 12. Romanum.

§. 4. Notarij autem dictæ Sedis, quorum officium in ipsis primitiuæ Ecclesiæ initiis, a fel. rec. Clem Papa I. ad sanctorum gesta perquirenda atque conscribenda noscitur institutum, ad Protonotariatus officium assumpti, habitum & rochettum deferentes, & alij nostri, & dictæ Sedis Officiales actu sua officia exercentes, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, ab omni Ordinariorum iurisdictione sint exempti. Alij vero Notarij habitum Protonotariatus non deferentes, nisi illum infra trimestre, post præsentium publicationem assumpserint, & ipsi ac alij in posterum assumendi, habitum, & rochettum huiusmodi continue non gestantes, atque alij nostri, & dictæ Sedis Officiales officia sua actu non exercentes, tam in criminalibus, quam in ciuilibus, ratione causæ summam xxv. ducatorum auri de Camera non excedentis dumtaxat, eorundem Diœcesanorum, & Ordinariorum iurisdictioni subiaceant. In ciuilibus vero causis summam huiusmodi excedentibus, plena gaudeant exemptione, & à dictorum Diœcesanorum, & Ordinariorum iurisdictione penitus sint exempti.

Familiares Cardinalium sunt etiã exẽpti, si actu seruiunt.

Intellige contra d. Concilium.

§. 5. Dignum quoque & etiam congruum arbitrantes, quod ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium familiaribus illi dumtaxat priuilegio exemptionis gaudeant, qui actu domestici, & continui sunt commensales, vel ab eisdem Cardinalibus ad ipsorum exequenda negotia missi, vel qui recreationis causa ad tempus à Romana Curia absentes fuerint, cæteris vero etiam familiaritatis literas habentibus, quominus coërtioni Diœcesanorum & Ordinariorum eorundem subiaceant, familiaritatis huiusmodi priuilegium nullatenus suffragetur.

Diœcesani semel in anno visitent Monasteria Monialium.

Hoc renouauit Gre. XIII. in constit. 26 Vbi gratia.

§. 6. Et cum eisdem Diœcesanis, & vt Monasteria Monialium Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, in eorum Diœcesibus consistentia, semel in anno visitare possint, per Constitutionem in Concilio Viennen. editam, quæ incipit, Attendentes, plena fuerit data facultas, illam innouamus, ac exemptionibus, & priuilegiis quibuscunque non obstantibus, districtè seruari præcipimus & mandamus. Per præmissa quoque eisdem Diœcesanis, & Ordinariis, casibus quibus in exemptos à iure iurisdictio concessa est, nullatenus præiudicium generetur.

Exemptiones irrationabiles damnantur.

§. 7. Exemptiones autem de cætero absque rationabili causa, & quorum interest minime citatis, pro tempore concessas, nullius roboris vel momenti esse decernimus.

Causa in prima instantia coram Ordinarijs cognoscantur.

§. 8. Et cum Ecclesiasticus ordo confundatur, si sua vnicuique iurisdictio non seruetur, Ordinariorum iurisdictioni (quantum cum Deo possumus) fauere, ac litibus finem celerius imponi, & litigantium immoderatis sumptibus, & expensis parca satagentes, Statuimus, & ordinamus, quod singulæ causæ, tam spirituales, quam ciuiles & mixtæ, ac forũ Ecclesiasticũ quomodolibet concernentes, & beneficiales (dummodo beneficia ipsa generaliter reseruata non fuerint, & ipsorum singulorum beneficiorum fructus, redditus, & prouentus, xxiv. ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem valorem annuum non excedant) in prima instantia extra Romanam Curiam, & in partibus coram Ordinariis locorum dumtaxat cognosci, & terminari, ita quod nulli ante definitiuam sententiam liceat appellare, nec appellatio si fuerit emissa vllatenus admittatur, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat definitiuæ, vel à grauamine minimè concernente negotium principale, quod per appellationem à definitiua sententia reparari non possit, nisi alter colitigantium aduersarij sui potentiam metiro perhorrescens, seu alia probabili, & honesta causa aliter quam per proprium iuramentum saltem semiplene probata, coram Ordinario non audeter litigare. Eo enim casu, causæ præterea appellationum, in dicta Curia, etiam in prima instantia, committi & cognosci & terminari possint. Alioquin appellationes, & illarum, etiam aliarum causarum huiusmodi commissiones in posterum, & quidquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti.

Conc. Trid. de Conc. I. A. sess 24 c. 20.

Iudices non Doctores, iudicent cum voto Assessoris.

§. 9. Iudices autem, & Conseruatores à Sede Apostolica deputati, si in altero iurium graduati non fuerint, Assessorem partibus non suspectum, ab ipsis partibus, vel earum altera requisiti, assumere, & secundum eius relationem iudicare teneantur.

Impedientes iurisdictionẽ Ecclesiasticã pœna subijciuntur.

Vide etiam in bulla Cœnæ Domini cap. ...

§. 10. Et quia sæpius & multiplici relatione percepimus, quamplurimas Ecclesias, & illis præsidentes Episcopos, tam citra quam vltra montes, vexati in eorum iurisdictionibus, iuribus, & dominiis, ac turbari à domicellis, Principibus, & nobilibus eorundem, qui sub colore iurispatronatus, quod in beneficiis Ecclesiasticis habere confingunt, nullo priuilegio Apostolico suffulti, sine Ordinariorum collationibus, & literis, & absque aliquo saltem colorato titulo, beneficia non solum clericis sed etiam laicis conferre, Sacerdotes & Clericos delinquentes ad eorum libitum punire, decimas omnium rerum, ad quartam solutionem de iure tenentur, ac Cathedralium, & alia quæ legis Diœcesanæ, & iurisdictionis sunt, & ad ipsos Episcopos dumtaxat pertinẽt, temere auferre, fraudare, vsurpare, seu vt præmissa fiant mandare, ac ipsa & fructus quoscumque ne a Ciuitatibus, Terris, & locis eorum extrahantur prohibere, feuda, possessiones, & prædia occupare, & indebite detinere seu ad feuda & bona ipsarum Ecclesiarum eis concedendum, ac beneficia Ecclesiastica personis per eos nominatis conferendum, minis, & terroribus, ac aliis viis indirectis inducere, & compellere, & alia quamplurima damna, iacturas, iniurias, Ecclesiis, & earum Prælatis, ac Clericis præfatis inferri, non modo permittere, sed etiam expressè mandare præsumant.

Innouatio quarumcumque constitutionum editarũ contra inuadentes libertatem Ecclesiasticam.

Quod vide etiã in Conc. Trid. sess. 25. cap. 20. & in bulla Cœnæ Domini ... in rubr.

§. 11. Attendentes igitur quod laicis in Clericos & personas Ecclesiasticas, ac bona Ecclesiastica, non est attributa facultas, atque æquum & iustum esse, vt in eos inea insurgant, qui illa offendere præsumunt. Necnon cõsiderantes quantum ex his tam nostro & Apostolicæ Sedis honori, quam personarum Ecclesiasticarum quieto & prospero statui non sine damnanda pernicie derogetur. Ac cupientes, eos quos ad obseruantiam iurium, virtutum præmia non inducunt, tam adiectarum exaggeratione pœnarum, quam adiiciendarum de nouo formidine, à temerariis ausibus refrænare, omnes & singulas constitutiones, quæ super Decimarum solutione, & contra violatores, & captores Ecclesiarum, & incendiarios, agrorum depopulatores, & tam S.R.E. Cardinales, quam venerabiles fratres nostros Episcopos, & alias personas Ecclesiasticas, sæculares & Regulares, & capientes, & detinentes, & eorum iurisdictionem & iura quomodolibet indebite occupantes, aut eos in eorum iurisdictionis exercitio perturbantes, seu molestantes, eos quoq; ad conferendum beneficia Ecclesiastica personis per eos nominatis, aut alias de illis pro eorum libito voluntatis disponendum, & feuda ac bona Ecclesiastica in emphyteusim concedendum, aut alias vendendum, temere compellentes; necnon statuta contra libertatem Ecclesiasticam facientes, & ad præmissa auxilium, consilium, vel fauorem

præstantes, hactenus emanarunt, innouamus. Et cum ea nedum iuri contraria, sed etiam Ecclesiasticæ libertati opprobriosa sint quamplurimum & aduersa, vt de officio nobis credito dignam Deo possumus reddere rationem, affectibus & monitis paternis, Imperatorem, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & quoscumque alios alterius cuiuscumque nobilitatis, præeminentiæ, potentiæ, seu potestatis, excellentiæ, vel dignitatis existentes, attente hortamur in Domino, eisdem in virtute sanctæ obedientiæ mandantes, vt ipsi constitutiones prædictas obseruent, & faciant à suis etiam subiectis inuiolabiliter obseruari, quacumque consuetudine contraria non obstante, si diuinam offensam, & Sedis Apostolicæ debitam vitare voluerint vltionem. Ac collationes de dictis beneficiis sic factas, nullas & irritas nihilominus esse decernimus, ac illis vtentes reddantur inhabiles ad alia beneficia Ecclesiastica obtinenda, donec cum eis super hoc per Sedem prædictam fuerit dispensatum.

Concilium prouinciale quolibet triennio celebretur.

§. 12. Mature quoque considerantes, quod post CHRISTI ad cœlos Ascensionem, Apostoli per singulas vrbes & Diœceses, Episcopos distribuerunt, sicut Sancta Rom. Ecclesia per Orbem constituit eosdem Episcopos, in partem sollicitudinis vocando, onera gradatim distribuendo per Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, ac sacris etiam canonibus fuerit definitum, per eos pro morum correctione, & controuersiarum decisione, & determinatione, ac mandatorum Domini obseruatione, fieri debere Concilium prouinciale, ac Synodum Episcopalem, vt deprauata corrigantur, & illa facere negligentes, canonicis pœnis subiacerent. Cum conueniat nos circa ea quæ rempublicam Christianam concernunt, esse intentos, desiderantes canones ipsos firmiter obseruari, eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis districte iniungimus, vt de officio eis commisso dignam Deo possint reddere rationem, canones, Concilia & Synodos huiusmodi fieri mandantes, quocumque priuilegio non obstante, inuiolabiliter obseruent, præterquam quoad Concilium prouinciale, quod de cætero singulis trienniis fieri mandamus, ad illaque etiam exemptos accedere debere decernimus, priuilegio, ac consuetudine quacumque contraria non obstante. Circa hoc autem negligentes, pœnas in eisdem canonibus contentas se nouerint incursuros.

Innouatio constit. Concily Viennen. in Clem. V. de elect.

§. 13. Et constitutione in Concilio Viennen. edita, quæ incipit. In plerisque, vt Pont. dignitatis honor seruaretur, statutum fuerit, ne Ecclesiis Cathedralibus bonis temporalibus (sine quibus spiritualia diu esse non possunt) priuatis, ac clero, & populo Christiano carentibus, de aliquibus personis præsertim Religiosis prouideretur, constitutionem ipsam innouamus, illamque inuiolabiliter obseruari debere volumus, atque mandamus, nisi aliqua iusta causa in Consistorio nostro secreto approbanda, aliter duxerimus faciendum.

Decretum irritans.

§. 14. Nos enim quicquid contra præmissa, vel aliquod præmissorum contigerit attentari, irritum decernimus, & inane, contraria quacumque constitutione, vel priuilegio non obstantibus.

Dat P. An. 3. die 4. May.

Dat. Romæ in publica Sessione in Lateranen. Sacrosancta basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo decimoquinto, quarto nonas Maij, Pont. nostri Anno 3.

XI. Montes Pietatis, Christiana charitate instituti, pecunias licite mutuant, aliquo pro impensis & indemnitate, & quidem moderate recepto.

Horum Montium administrationis ratio, Ordinariis locorum reddenda est, ex dispositione Conc. Trid. sess. 25. c. 9. Et de eiusmodi Monte in Vrbe instituto, vide in const. 94. Greg. XIII. Inter, vbi notabo.

Edita An. D. 1515.

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam, Sacro approbante Concilio.

Exordium.

INter multiplices nostræ sollicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro Pastorali officio debemus, vt quæ salubria, & laudabilia, ac Catholicæ fidei consona, & bonis moribus conformia, nostro tempore non solum enucleentur, verum etiam ad posteros propagentur, & quæ materiam scandali præbere possent, penitus succidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare vsquam sinantur ea in agro Dominico, & vinea Domini Sabaoth dumtaxat conseri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, eradicatis zizaniis, & oleastri sterilitate succisa.

Montes illos illicitos nonnulli dicebant ex rationib. hic assignatis.

§. 1. Sane cum olim inter nonnullos dilectos filios sacræ Theologiæ Magistros, ac Iuris Vtriusque Doctores, controuersiam quandam non sine populorum scandalo & murmuratione exortam, & nuper his diebus innouatam esse compererimus, circa pauperum releuationem in mutuis eis publica auctoritate faciendis, qui Montes Pietatis vulgo appellantur, quique in multis Italiæ Ciuitatibus, ad subueniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopiæ, ne vsurarum voragine deglutiantur, à Ciuitatum Magistratibus, ac aliis Christi fidelibus sunt instituti, atque à sanctis viris diuini verbi præconibus, & laudati, & persuasi, ac à nonnullis, etiam summis Pontificibus prædecessoribus nostris probati, & confirmati sint, ne præfati Montes à Christiano dogmate dissonantes, vel non, vtraque parte diuersimode sentiente, atque prædicante. Nonnullis enim Magistris, & doctoribus dicentibus, eos Montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libera, decurso certo tempore, per ministros huius Montis, ab ipsius pauperibus quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab vsurarum crimine iniustitiave, seu ab aliqua certi specie mali mundos non euadere: cum Dominus noster, Luca Euangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quicquam vltra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est vsurarum interpretatio, quando videlicet ex vsu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum fœtusque conquiri studetur. Addebant etiam iidem Magistri, & Doctores, in iis Montibus neque commutatiuæ neque distributiuæ iustitiæ fieri satis, cum tamen iustitiæ terminos contractus huiusmodi excedere non debeant, si debeant approbari præterea probare nitebantur, quia impensæ pro huiusmodi Montium conseruatione, a pluribus, vt aiunt, debitæ, à solis pauperibus quibus mutuum datur, extorqueantur, pluraque interdum vltra necessarias & moderatas impensas, non absque specie mali, ac incentiuo delinquendi, quibusdam aliis personis, vt inferre videntur, exhibeantur.

Et alij licitos asserebant ob rationes hic relatas.

§. 2. Aliis verò pluribus Magistris & Doctoribus contra asserentibus, & in multis Italiæ Gymnasiis, verbo & scripto conclamantibus, pro tanto bono, tanquam Reipublicæ pernecessario, modo ratione mutui nihil petatur neque speretur, pro indemnitate tamen eorumdem Montium, impensarum videlicet Ministrorum eorumdem ac rerum omnium ad illorũ necessariam conseruationem pertinentium, absque Montium huiusmodi lucro, idque moderatum & necessarium ab iis qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt, licite vltra sortem exigi, & capi possit, non nihil licere, cum regula iuris habeat, Quod qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat præsertim si Apostolica accedat auctoritas.

Hanc vltimã opinionẽ nonnulli Pontif. probarunt.

§. 3. Quam quidem sententiam à fel. record. Paulo Secundo, Sixto Quarto, Innocentio Octauo, Alexandro Sexto, & Iulio Secundo Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris probatam, à Sanctis quoque à Deo deuotis & in magna, ob sanctitatis opinionem, existimatione habitis, Euangelicæ veritatis prædicatoribus prædicatam esse ostendunt.

Pontifex ideo declarat Montes esse licitos, si nihil

§. 4. Nos super hoc (prout nobis est ex alto concessum) opportune prouidere volentes, alterius quidem partis iustitiæ zelum, ne vorago aperiretur vsurarum, alterius pietatis & veritatis amore, vt pauperibus subueniretur,

Vltra necessarias impensas recipiatur.

niretur, vtriusque verò partis studium commendantes, cum hæc ad pacem, & tranquillitatem totius Reipublicæ Christianæ spectare videantur, sacro approbante Concilio, declaramus, & definimus, Montes pietatis antedictos per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impensis & indemnitate, aliquid moderatum ad solas Ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conseruationem, vt præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra sortem, absque lucro eorundem Montium, recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentiuum præstare, neque vllo pacto improbari, quinimo meritorium esse, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minime vsurarium putari, liceretque illorum pietatem, & misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis à sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis. Ac deinceps alios etiam similes Montes, cum Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse. Multo tamen perfectius, multoque sanctius fore si omnino tales Montes gratuiti constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte, huiusmodi Montium Ministrorum soluantur impensæ, vt ad leuiorem æris soluendi portionem, medio hoc, pauperes grauari contingat, ad quos cum huiusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, Christi fideles maioribus indulgentiis inuitandos esse decernimus.

Contrarium prædicantes, vel disputantes excommunicationis pœnam incurrant.

§. 5. Omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticas ac sæculares personas, qui contra præsentis declarationis & sanctionis formam, de cætero prædicare, seu disputare, verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam, priuilegio quocumque non obstante, incurrere volumus.

Derogatur contrariis.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 3. die 4. Maij.

Datum Romæ in publica Sessione, in Lateran. Sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, 1515. quarto Non. Maij, Pont. nostri Anno 3.

XII. Prohibitio imprimendi libros, absque examine & approbatione, Vicarij Papæ, & Magistri Sacri Palatij Apostolici in Vrbe. Et Episcoporum, hæreticæque prauitatis inquisitorum in aliis locis.

Qui autem sint libri, imprimi & legi prohibiti, videre est infra Pij IV. const. 77. Dominici, cum ibi notatis.

Ne degentes in statu Ecclesiastico, mediate, vel immediate Sedi Apostolicæ subiecto, libros ab eis vbicumque compositos ac de quacumq; materia tractātes, alio deferant, aut imprimendos transmittant, absque Cardinalis Vicarij, & Magistri Sacri Palatij in Vrbe & extra eam absque Ordinarij, & inquisitoris locis licentia prohibuit S.D.N. Vrban. VIII. Const. 50. Sanctissimus inf. rom. 4. licentias quoque legendi & habendi libros quomodolibet prohibitos quibusvis personis & à quibuscumque, etiam Romanis Pontificibus concessas reuocauit Greg. XV. Const. 40. Apostolatus inf. tom. 4.

Edita An. D. 1515.

LEO EPISCOPVS.

Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Exordium.

Inter sollicitudines nostris humeris incumbentes, perpeti cura reuoluimus, vt errantes, in viam veritatis reducere, ipsosque lucrifacere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus, hoc est quod profecto desideranter exquirimus, ad id nostræ mentis sedulo destinamus affectum, ac circa illud studiosa diligentia vigilamus.

Causa huius constitut.

§. 1. Sane licet literarum peritia per librorum lectionem possit faciliter obtineri, ac ars imprimendi libros, temporibus potissimum nostris, diuino fauente numine, inuenta seu aucta & perpolita, plurima mortalibus attulerit commoda, cum parua impensa, copia librorum maxima habeatur, quibus ingenia ad literarum studia percommode exerceri, & viri erudiri in omni linguarum genere, præsertim autem Catholici, quibus Sanctam Romanam Ecclesiam abundare affectamus, facile euadere possint, qui etiam infideles sciant, & valeant sacris institutis instruere, fideliumque collegio, per doctrinam Christianæ fidei salubriter aggregare. Quia tamen multorum querela nostrum, & Sedis Apostolicæ pulsauit auditum, quod nonnulli huius artis imprimendi Magistri, in diuersis Mundi partibus libros, tam Græcæ, Hebraicę, Arabicæ, & Chaldeæ linguarum in Latinum translatos, quam alios, Latino, ac vulgari sermone editos, errores etiam in fide, ac perniciosa dogmata etiam Religioni Christianæ contraria, ac contra famam personarum, etiam dignitate fulgentium continentes imprimere, ac publice vendere præsumunt, ex quorum lectura non solum legentes non ædificantur, sed in maximos potius, tam in fide quam in vita, & moribus prolabuntur errores, vnde varia sæpe scandala (prout experientia rerum magistra docuit) exorta fuerunt, & maiora in dies exoriri formidantur.

Libri non imprimātur nisi præuia Superiorum licētia & examine.

§. 2. Nos itaque ne id quod ad Dei gloriam, & fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem, salubriter est inuentum, in contrarium conuertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat, super librorum impressione curam nostram habendam fore duximus, ne de cætero cum bonis seminibus spinæ coalescant, vel medicinis venena intermisceantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio prouidere, hoc sacro approbante Concilio, vt negotium impressionis librorum huiusmodi, eo prosperetur felicius, quo deinceps indago solertior diligentius, & cautius adhibetur. Statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus librum aliquem, seu aliam quamcumque scripturam, tam in Vrbe nostra, quam aliis quibusvis Ciuitatibus, & Diœcesibus, imprimere seu imprimi facere præsumat, nisi prius in Vrbe per Vicarium nostrum, & Sacri Palatij Magistrum, in aliis vero Ciuitatibus, & Diœcesibus, per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiæ libri, seu scripturæ huiusmodi imprimendæ ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ prauitatis Ciuitatis siue Diœcesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manus propriæ subscriptionem, sub excommunicationis sententia, gratis, & sine dilatione imponendam, approbentur.

Contrauenientium pœna.

§. 3. Qui autem secus præsumpserit, vltra librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricæ Principis Apostolorum de Vrbe, sine spe remissionis, solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat, ac demum ingrauescente contumacia, taliter per Episcopum suum, vel Vicarium nostrum respectiue, per omnia iuris remedia castigetur, quod alij eius exemplo similia minime attentare præsumant. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 3. die 4. Maij.

Datum Romæ in publica Sessione, in Lateran. Sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarn. Dom. 1515. 4. Nonas Maij, Pont. nostri Anno 3.

XIII. Contra occupantes, vel inuadentes Terras, & loca S.R.E. eorumque complices, & fautores.

Ampliorem dispositionem habes inf. in Pauli IV. const. 11. Incumbentia, & etiam in bulla Cœnæ Domini, de qua dabo adnotationes inf. in Pauli V. const. 63. §. 20. Pastoralis.

Edita An. D. 1515.

LEO EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter graues sollicitudines, & curas quibus pro Pastoralis officij, & Apostolicæ seruitutis debito continue premimur,

premimur, vna est peculiaris, qua semper angimur, vt defensioni,& custodiæ Ciuitatum,& Terrarum,& locorum nobis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectorum assidue inuigilemus,ac ne peruersorum temeratiis ausibus, à quibusvis gentium armorum ductoribus,qui sine iustitiæ ministerio, sed hostili manu, & propria temeritate procedunt, occupentur, & dissipentur, omnibus remediis, & iuris auxilio opportune prohibere, quod tantu periculosius negligitur,quanto exinde turbatio, & confusio Ciuitatum,& Terrarum Ecclesiastici Status de facili causaretur,& Pontificalis auctoritas minueretur.

Iulius II. multa loca bona Sedis Apost. recuperauit.

§. 1. Cum itaque opem, & operam efficaces adhibere debeamus, vt omnes Christi fideles, præsertim in terris,& locis nobis,& dictæ Sedi mediate, vel immediate subiectis existentes, sublatis quibuscumque armorum strepitibus, & impedimentis quiete, & pacifice viuere valeant,omnibus iuris remediis (vbi etiam peruersorum audacia exigit, vibrato Apostolicæ potestatis mucrone) per censuras Ecclesiasticas prouidere volentes.Sane cum mente reuoluimus quot, & quantos labores fel. record. Iulius Papa II.prædecessor noster pro recuperatione Ciuitatum,Terrarum, & locorum ad Romanam Ecclesiam canonico titulo pertinentium, quæ à diuersis Ducibus, Principibus,& potentatibus longo tempore occupata,& detenta fuerant,passus sit præsertim cum adductus fuerit consilium capere de adeundis per se ipsum,visitandis, & reformandis aliquibus Romanæ Ecclesiæ Ciuitatibus,& illarum Statu, assumptis etiam aliquibus copiis, vt contumaces compescere posset, iter matura deliberatione cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ipsis cum comitantibus,arripere,illaque felici, & prospero successu, dextera Domini sibi etiam assistente, recuperauerit & dictæ Romanæ Ecclesiæ reintegrauerit.

Pont. iste Parmam & Placentiam recuperauit.

§. 2. Nos etiam post nostram ad summi Apostolatus apicem, diuina fauente clementia, assumptionem, Parmam,& Placentiam Ciuitates,quibus Apostolica Sedes,ea tunc vacante,spoliata fuerat,summa diligentia restitui curauimus. Et omnia quæque per eundem Iulium prædecessorem recuperata,pro nostro,& dictæ Sedis honore,non minori diligentia,ac opportunis iuris remediis conseruare intendimus, quam idem Iulius prædecessor, cum in humanis ageret, recuperare studuerit, animo etiam semper gessimus,Reges, & Principes, ac potentatus, quos tempore assumptionis nostræ huiusmodi inter se bello dissidentes audiuimus,non armis,sed concordia, eorum differentias, & lites, Domino concedente terminari, & inter fideles quoslibet, controuersias super quacumque etiam maximas importante re, via iuris, & non armis decidi,& terminari,ipsaque arma Regum, & Principum, ac potentatuum prædictorum vnanimi consensu contra immanissimos CHRISTI nominis hostes,ad fidei exaltationem conuerti,summo studio concupiuimus.

Et modo pro conseruatione bonorũ dictæ Sedis innouat omnes const. editas contra detinentes loca ad Rom. Ecclesiam spectan. & eorum fautores.

§. 3. Et cum à quampluribus prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus,constitutiones,diuersas censuras,& pœnas in se continentes,contra occupantes Ciuitates, & Terras, & loca huiusmodi, aut illa hostiliter inuadentes emanauerint, & singulis annis censuræ huiusmodi contra talia præsumentes in die Cœnæ Domini innouentur;ea propter ne Terrarum, aut locorum,ac iurium,seu bonorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ curam negligere videamur, necnon ad tollendam super præmissis ignorantiæ, aut cuiuslibet alterius,generis excusationem omnes,& singulas constitutiones,& literas Apostolicas, ac processos,qui singulis annis publice promulgantur in die Cœnæ Domini,ex more Romanorum Pontificum,ac alias quascumque constitutiones, seu canonicas sanctiones quomodolibet editas, excommunicationis, ac alias sententias,censuras,& pœnas contra Ciuitates,& Terras, loca,& iura ad dictam Romanã Ecclesiã pertinentia occupantes, aut illa hostiliter inuadentes, vel ad id per se vel alium,seu alios,auxiliũ,consiliũ,vel fauorem,directè, vel indirectè,aut alias quovis quæsito colore, præstare præsumentes,cuiuscũque ordinis,præeminentiæ,& conditionis,& status,etiãsi Cardinalatus,aut Patriarchali,Regali, Reginali,aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana,præfulgeant dignitate,continentes,approbamus, & innouamus,illasque inuiolabiliter obseruari debere decernimus.

Poenas quamplurimas imponit.

§. 4. Ac omnes & singulos Reges, Duces, Principes, Marchiones,Comites,Barones,ac Communitatum,Vniuersitatum, tam in Italia, quam extra Italiam existentium singulas personas,Ciuitates,Terras,& loca præsertim Parmam,& Placentiam, ad dictam Romanam Ecclesiam mediate,vel immediate pertinentia, seu in quarum, vel quorum aut cuiuslibet earum,vel eorum possessione quomodolibet eadem Sancta Romana Ecclesia,per se,vel alium extiterit,hostiliter inuadentes,aut alias cum gentibus armorum,aut stipendiariis equestribus, vel pedestribus, aut sine, etiam aduocationem populorum, seu factionum, aut priuatarum personarum, aut alias qualitercumque, & quomodocunque, & quovis quæsito colore,aut ingenio,absque nostra speciali licentia occupantes,necnon stipendiarios, equestres aut pedestres, quomodolibet contra præsentes literas nostras,& in eis contenta militantes, aut auxilium, consilium, vel fauorem præstantes,ex parte omnipotentis Dei,Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate beatorum Petri, & Pauli Apostolorum,ac nostra,& de potestatis plenitudine, excommunicamus,anathematizamus, ac maledictionis, & damnationis æternæ mucrone percutimus, ac omnium Ecclesiasticarum censurarum laqueis ligatos, & irretitos esse,vigore præsentium decernimus,ac reos criminis læsæ Maiestatis, & à Sede Apostolica, & à S. Romana Ecclesia,ac omnibus dictæ Romanæ Ecclesiæ deuotis,cum eorum bonis perpetuo diffidatos, infames, & inhabiles ad omnes, Ecclesiasticas, vel mundanas dignitates, omnesque actus legitimos, & Ecclesiastica sepultura indignos esse, auctoritate, & potestate prædictis etiam decernimus.

Ciuitates, & loca in quibus illi permanserint interdicto subijcit.

§. 5. Et generaliter Ciuitates,Terras,Oppida,& loca quæcumque ad quæ aliquem eorundem excommunicatorum declinare contigerit, quandiu ibidem permanserit, etiam triduo post recessum eiusdem, Ecclesiastico interdicto subiicimus,necnon excommunicatos, anathematizatos,& maledictos,titulis,dignitatibus, & honoribus,in quibus constituti existunt,& tam ipsos,quã Communitates,Castra,Oppida,& loca prædicta,omnibus priuilegiis,indultis,etiam Studij generalis, concessionibus, & gratiis,dignitatibus,honoribus,quibus vtũtur,& gaudent, seu muniti sunt, necnon bonis omnibus, quæ in feudum, vel in emphyteusim,seu aliàs à præfata Romana, vel aliis Ecclesiis,Monasteriis,& locis Ecclesiasticis, aut alias quomodolibet, etiam ab Imperatore, Regibus, seu aliis Principibus, ac sæcularibus potestatibus obtinent, penitus priuamus,dictaque bona feudalia,vel emphyteutica,vt præfertur,obtenta,ad dominos suos reuerti debere,ita vt de illis libere disponere possint,decernimus.

Fautoribus quoque pœnas imponit.

§. 6. Etsi aliqui ex excommunicatis, anathematizatis,& maledictis prædictis,clerici,sæculares, vel Prælati, etiam in Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, etiam Cardinalatus honore, & beneficiati fuerint, illos dignitate,ac titulo Cardinalatus, necnon prælaturis, administrationibus, regiminеque, ac omnibus, & singulis beneficiis,dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, & præbendis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis, ac ordinibus,etiam sacerdotalibus,ad quos promoti forent, sine vlla spe restitutionis,& absque alia citatione, seu declaratione priuamus,& ex nunc priuatos esse per præsentes decernimus.

Absolutionem Romano Pontifici reseruauit.

§. 7. Absolui autem à prædictis censuris, sententiis, ac pœnis nullus ex supradictis per alium quam per Romanum Pontificem, nisi duntaxat in mortis articulo constitutus possit, nec etiam tunc,nisi quantum fieri potest,satisfactione præuia,& de stando Sanctæ Matris Ecclesiæ mandatis, & similia vlterius non committendo, legitima, cautione præstita, aliter autem absoluere, aut indignos sepultura Ecclesiastica, vt præfertur, sepelire præsumentes,supradictis omnibus, & singulis pœnis eo ipso subiicimus. Quodq; de beneficiis prædictis possit, & debeat per Sedem prædictã duntaxat, seu ab illa specialẽ facultatẽ habentes,absq; alia declaratione incursus pœnæ huiusmodi,libere illico prouideri,auctoritate prędicta,& ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine.

Prohibitio recipiendi milit.

§. 8. Ac omnibus, & singulis Ciuitatum, & Terrarum nobis, & Romanæ Ecclesiæ mediatè,vel immediatè

subiectarum

tes in Terris S. R. E. absque licentia Papæ. subiectarum personis, sub eisdem pœnis, quas eo ipso si contrafecerint, absque alia declaratione incurrant, & à quibus, vt præfertur, nonnisi à nobis, & successoribus nostris, præterquam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa, absolui possint, in virtute sanctæ obedientiæ, districte præcipiendo mandamus, ne aliquas gentes armigeras, præterquam ad nostra, & dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stipendia militantes, quouis quæsito colore in ciuitatibus, Terris, Castris, Oppidis, & locis nostris subiectis, sine nostra speciali licentia admittere, retinere, illisque victualia, aut aliquod subsidium quoquo modo præstare præsumant, eosque etiamsi Cardinalatus honore, vel Archiepiscopali, Episcopali, aut quavis alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, si contrafecerint, ipso facto eisdem pœnis subiacere, Ciuitates quoque, Terras, Castra, Oppida, & loca prædicta, ad quæ inobedientes huiusmodi declinare, & in quibus moram trahere contigerit, Ecclesiastico supposita interdicto, tandiu firmiter obseruando, donec compuncti corde, huiusmodi interdicti relaxationem, debita satisfactione præmissa, meruerint obtinere, ac ibidem permanserint, & per triduum post eorum discessum, auctoritate Apostolica, scientia, & potestate prædictis, decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 9. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibuscumque priuilegiis, & indultis, siue indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, à prædicta Sede, sub quavis forma, vel tenore, quibusvis ex supradictis etiam Cardinalibus concessis, quod excommunicari, vel anathematizari non possint, cõsuetudinibus quoque, obseruantiis, scriptis cæterisque contrariis quibuscũque.

Fides transumptorum. §. 10. Et quia difficile foret, præsentes literas ad singulaque loca, in quibus expediens fuerit, illas deferri, volumus, & dicta auctoritate, decernimus quod illarum transumptis, manu alicuius Notarij inde rogati subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu alterius personæ in Ecclesiastica dignitate cõstitutæ sigillatis, ea prorsus fides indubia in iudicio, & extra, ac alias vbilibet adhibeatur, quæ præsẽtibus adhiberetur, si essẽt exhibitæ, vel ostẽsæ.

Iussio publicandi. §. 11. Insuper vt præmissa, omnia, & singula, ad omnium ad quos spectat, notitiam, & cognitionem deueniant, omniumque in præsentibus literis contentorum certa, & indubitata notitia habeatur, nullusque præmissorum ignorantiam iuste prætendere possit, nec se legitime excusare valeat, volumus, & decernimus, præsentes literas nostras per aliquos Curiæ nostræ Cursores, vel Notarios publicos, in Basilica Principis Apostolorum, & Ecclesia Lateranensi, hora diuinorum, publice, alta, & intelligibili voce legi, & publicari, & dictarum Ecclesiarum portis, siue valuis, ac in acie Campi Floræ, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, & ibidem per aliquod temporis spatium dimitti debere.

Effectum publicationis. §. 12. Quæ sic publicatæ, & affixæ, tunc à die publicationis prædictæ immediate ligent, & effectum sortiantur, & eos quos concernunt ita arctent, perinde ac si personaliter eisdem intimatæ essent.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 3. die 25. Maij. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Domin. 1515. octauo Kalen. Iunij, Pont. nostri Anno tertio.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Nomini 1515. indictione tertia, die verò 26. mensis Maij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Leonis diuina prouidentia Papa X. anno 3. retro scripta litera Apostolica, vt ad omnium notitiam citius deuenirent, alta & intelligibili voce de verbo ad verbum lecta fuerunt in valuis basilica Principis Apostolorum, ac Ecclesia S. Ioannis Later. dum ibidem diuina celebrarentur, & multitudo populi adesset. Necnon earundem Ecclesiarum, & Cancellaria Apostolica valuis seu portis, ac acie Campi Flora affixa & publicata, ac congruo temporis spatio dimissa fuerunt per nos Hubertum Iacobi, & Ioannem Valtrini præfati Sanctiss. D. N. Papa Cursores.*

Ita est Ioannes Valtrini qui supra Cursor,
Ita est Hubertus Iacobi qui supra Cursor.

Ampliatio Indultorum, & gratiarum Collegij Abbreuiatorum literarum Apostolicarum. XIV.

Institutionem d. Collegij cum priuilegiis vide sup. in Sixt. IV. const. 16. Diuina, vbi notaui. Et alia indulta habes inf. in Pauli V. const. 2. Romani.

Munus autem Abbreuiatorum explicauit Mart. V. in const. 3. In Apostolicæ, sup.

LEO EPISCOPVS, *Edita An. D. 1515.*
Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Exordium. SVmmi bonorum omnium largitoris Dei, qui laborum participes, præmiorum etiam censuit esse consortes verbo atque exemplo instructus verus eius Vicarius Romanus Pontifex, & in sustinendis pro vniuersæ Reipublicæ Christianæ, cuius cura sibi imminet generalis gubernatione, laboribus continue assistentes, ac in requisitis ad hoc officiis indefessis viribus laborantes, priuilegiis specialis prærogatiuæ prosequi, & distributione gratiarum debet quibusvis cæteris anteferri.

Approbatio omnium gratiarum, etiam à prædecessoribus Pont. Collegio Abbreuiatorũ concessarum. Quas vide in locis in rubr. citatis. §. 1. Cum itaque dilecti filij literarum Apostolicarum Abbreuiatores, sint nobis, & Apostolicæ Sedi in literis eiusdem dictandis atque formandis, nedum vtiles sed etiam necessarij, nos ipsos, & eorum quemlibet specialibus fauoribus, & gratiis prosequentes, ac à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, motu proprio non ad eorundem Abbreuiatorum, vel alicuius alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia ac potestatis Apostolicæ plenitudine, tenore præsentium omnes, & singulas tam à felicis recordationis Sixto IV. Innocentio Octauo, Alexandro Sexto, & Iulio Secũdo, ac aliis Rom. Pontificibus prædecessoribus nostris, quam à nobis, & dicta Sede, & ipsorum Abbreuiatorum, seu officij eorundem fauorem, vtilitatem, vel commodum, principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet emanatas literas, illarum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, approbamus, & confirmamus, supplentes omnes, & singulos, tam iuris, quam facti defectus etiam substantiales, si qui forsan interuenerint in eisdem, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari, & secundum eas vbique iudicari debere decernimus atque mandamus.

Annullatio omnium literarum Apostolicarum per Abbreuiatores deputatos non subscriptarum. Hoc idẽ fecit Six. IV. in rub. citatus. §. 2. Et nihilominus potiori pro cautela, omnia, & singula in eisdem literis contenta de nouo ac eiusdem Sixti prædecessoris vestigiis inhærentes, & vt falsariis magis aditus præcludatur, omnes, & singulas literas minoris, aut etiã absque signatura maioris Iustitiæ, & illis ex quibus ipsis Abbreuiatoribus nihil, & dilectis filiis Secretariis nostris, aut Cancellariæ Apostolicæ Senescallo alias Custodi, integra, sicut dilectis filiis literarum earundem Scriptoribus, Secunda taxa debetur dumtaxat, & nullis aliis exceptis, literas Apostolicas per Abbreuiatores ad id deputatos non subscriptas viribus omnino carere, & de nihilo suffragari, nulliusque roboris, vel momenti, tam ipsas quam in eis supplicationibus, & signaturis desuper factis quomodolibet contentas gratias, ac signaturas ipsas penitus, & omnino existere.

Pœnarum inflictio eas sollicitantib. atque vtentibus. §. 3. Ac omnes, & singuli quicumque sint illas sollicitantes, ac illis quomodolibet vtentes, omnes, & singulas sententias, censuras, & pœnas in Apostolicarum literarum falsarios quomodolibet promulgatas incurrere eo ipso decernimus, statuimus, & ordinamus. Ac omnes, & singulos modernos, & pro tempore, tam de maiori Præsidentiæ, quam de minori Parco, & prima visione.

Abbreuiatores omnes, non §. 4. Abbreuiatores huiusmodi, clericos veros nostros, & dictæ Sedis (sine præiudicio tamen de numero

partici

b Ius. Comitesque Palatini fiunt. Et etiam Sedis Apost. notarij si clerici sint.

participantium notariorum] notarios, & tam clericos quam laicus Abbreuiatores eosdem Nobiles, ac sacri Palatij Apostolici, & aulæ nostræ Lateranen. Comites, & Milites creamus, facimus, constituimus, deputamus, ac gratiose recipimus, nobilitamusque, & nobilitatis titulo insignis, & armis decoramus, ac aliorum nobilium, ac nostrorum, & Palatij, ac Aulæ, necnon dictæ Sedis Comitum, Militum, & notariorum, numero, & consortio huiusmodi quoad vixerint, etiam postquam Abbreuiatores esse desierint.

Familiaresque & continui commensales censentur.

§. 5. Necnon dictæ Sedis, ac nostros, & successorum nostrorum Roman. Pontificum antiquos ab eodem momento quoad Apostolatus apicem, diuina fauente clementia assumpti fuimus, & successores nostri huiusmodi assumentur, familiares continuos commensales essentialiter, ac omni fictione semota vere, & indubitanter esse.

Eorumque indultis potiuntur & gaudent.

§. 6. Ac omnibus, & singulis exemptionibus, exceptionibus, priuilegiis, prærogatiuis, antelationibus, fauoribus, facultatibus, indultis, & gratiis, quibus alij de nobili etiam militari, ac Comitum, & Illustrium genere ex vtrinque parente essentialiter procreati, ac nostri, & successorum nostrorum, ac Palatij, & Aulæ, ac Sedis huiusmodi Milites, & Comites, ac notarij, necnon etiam vere, & essentialiter, nostri, & successorum eorundem familiares continui commensales antiqui, & qui omni priuilegio, fictione, lege, & gratia cessantibus, nedum post, sed etiam ante assumptionem nostram, & successorum nostrorum huiusmodi actu nobis, & successoribus nostris huiusmodi, non tantum in Romanæ Curiæ, seu Ecclesiæ officiis, sed in propriis etiam immediate nostris, & successorum nostrorum huiusmodi rebus priuatis, & domesticis actu seruierunt, & seruierint, ac in domibus habitationum nostrarum, & successorum eorundem personaliter habitarunt, & habitauerint, & propterea ad effectum, vt quibuscumque cæteris præferantur per nos, & successores nostros huiusmodi, in certis nostris, & successorum nostrorum huiusmodi literis, in primæva eorum confectione characteribus, & signis, ac per singulorum eorundem nomina, & cognomina, ac alias designationes speciales actualiter descripti fuerunt, & quicumque alij etiam amplioribus priuilegiis, prærogatiuis, exemptionibus, gratiis, & antelationibus fungentes, de iure, consuetudine, priuilegio, vel alias tam quoad assecutionem beneficiorum Ecclesiasticorum, vel gratiis expectatiuis, earumque collationum mutationibus, extensionibus, ac reualidationibus eis pro tempore concessis comprehensorum, quam quoad quæcumque alia etiam longe maiora, & quæ nisi in indiuiduo exprimantur non venirent, quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ipsos quoque Abbreuiatores, & etiam singulos, etiam ante literarum descriptionem huiusmodi confectionem pariformiter, & absque vlla penitus differentia, in omnibus, & per omnia, ac quibusvis fictione, & diuersitate semotis, æque principaliter vere, & essentialiter vti, potiri, & gaudere.

Quinimo præferendi sunt vt hic.

§. 7. Ac omnibus, & singulis personis, etiamsi veri familiares nostri continui commensales, ac cuiuscumque generis gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, ac quibuscumque, tam Ecclesiasticis quam mundanis dignitatibus & excellentiis præfulgeant, ac prærogatiuis, descriptionibus, exceptionibus, gratiis, & antelationibus quantumcumque efficacissimis & insolitis, ac ex quibusvis etiam iustissimis & quæ necessario exprimendæ essent, causis fungantur, illis qui nobis & successoribus nostris huiusmodi, vt præfertur etiam Cardinalatus, ac vacationis beneficiorum huiusmodi temporibus seruierunt & seruierint, ac omnino tales in dictis habitationibus habitarunt & habitauerint, ac in dictis descriptorum literis descripti, vt præfertur fuerint dumtaxat, & nullis aliis etiam eis omnino adæquatis, parificatis, ac etiam longe magis priuilegiatis, & prærogatiuatis, & dignis, ac indiuiduam & certis modis, quos necnon omnia alia ad effectum præsentium etiam præcise, & de necessitate exprimenda, præsentibus pro sufficientissime expressis habemus, qualificatam expressionem requirentibus, acceptis anteferri posse atque debere, ac in dictis descriptionum literis quoties eas confici contigerit inter sic seruientes inhabitantes descriptos & exceptuatos huiusmodi, videlicet post eorum primum & ante vltimum describi & adnotari debere declaramus, decernimus & mandamus. Ac potiori pro cautela nos eosdem Abbreuiatores, & eorum singulos in ipsis descriptionum literis inter primum & ante vltimum prædictos in præcise omnimodæ, & totalis paritatis ac fraternisationis signum harum serie, etiam quoad successores nostros huiusmodi, eorumque gratias quascumque perpetuo describimus & adnotamus; necnon descriptionem & adnotationem per præsentes huiusmodi easdem vim, efficaciam, atque essentiam quas descriptio & adnotatio seruientium inhabitantium descriptorum & exceptuatorum prædictorum in dictis literis descriptionum pro tempore factæ habent & habere poterunt quomodolibet, in omnibus & per omnia absque vlla penitus differentia, diuersitate, seu fictione habere, & eiusdem naturæ atque essentiæ esse, ipsosque Abbreuiatores vbicumque eisdem modis ac formis & clausulis, in omnibus & per omnia quibus seruientes & inhabitantes, ac descriptos & exceptuatos esse & censeri debere perpetuo declaramus.

Expectatiuarum gratijs donantur.

Reuocationẽ habes in Con. Trid. sess. 24. cap. 19.

§. 8. Quodque Abbreuiatores ipsi, & eorum quilibet gratias expectatiuas ad tres collationes per eos vbilibet, etiam extra eorum nationẽ eligendas, & totidem beneficia, ac etiã ad præstimonia, præstimoniales portiones, vel simplicia beneficia, cuiuscumque annui valoris illorum fructus, redditus, & prouentus existant, etiamsi beneficia ipsa parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia etiam curata & electiua in Cathedralibus, etiam Metropolit. vel Collegiatis Ecclesiis seu dignius quã vt præfertur, qualificata fuerint. Dummodo inter illa vltra duo curata, seu alias inuicem incompatibilia, ac dignitates maiores & principales non existant, quoties illa per nos & successores prædictos concedi contigerit, eo ipso absque alia signatura desuper obtinenda, habere, ac literas Apostolicas desuper expedire, seu expediri facere possint, ac processus desuper fulminari, & haberi possint, ac processus pro tempore habiti huiusmodi sub quacumque data decernantur de prima expeditione vere & non ficte decreti esse censeantur. Ipsi Abbreuiatores, & eorum singuli, tam gratiarum expectatiuarum quam illarum mutationum, collationum, extensionum, & reualidationum, eis per nos & successores præfatos pro tempore concessarum vigore vnum ex beneficiis huiusmodi, etiam vt præfertur qualificatum, etiamsi illud in mensibus ordinariis Collatoribus, vel aliis, per constitutiones nostras, aut successorum eorundem, seu literas alternatiuas, priuilegia, vel indulta quæcumque, aut alias quovis modo, etiam cum declaratione & decreto, quod vim statuti & pacti perpetui, & contractus stipulati habeant, aliisque etiam derogatoriarum derogatoriis, quantumcumque fortissimis & efficacissimis clausulis, irritantibus decretis, à nobis, successoribus prædictis pro tempore concessis, vacare contigerit, ipsumque beneficium ex quavis causa etiam de necessitate exprimenda, & alias qualitercumque, præterquam ratione vacationis illius apud Sedem prædictam, aut maioritatis vel principalitatis, seu nostræ, vel alicuius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ huiusmodi Cardinalis viuentis, & in dicta Curia præsentis, & cuius consensus de necessitate ante omnia requirendus foret, familiaritatis, continuæ commensalitatis generaliter reseruatum, aut ex generali reseruatione affectum. Dummodo illius fructus, redditus, & prouentus quadringentorum ducatorum auri de Camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedant, fuerint; necnon illud, ac reliqua duo beneficia huiusmodi, per se vel procuratorem suum, etiam in genere acceptare, & de illis sibi prouideri, ac alias diligentias ad id quomodolibet requisitas & opportunas, etiam per se vel alios facere; & instrumenta in specie ex generalibus notis acceptationum & prouisionum, ac aliarum diligentiarum prædictarum extrahi facere & obtinere, ac notarij desuper sic in genere rogati instrumenta in specie ex suis notis generalibus desuper receptis ad instantiam Abbreuiatorum

eorundem

eorundem extrahere, & publicare respectiue libere & licite possint & valeant, statuimus & ordinamus.

Exemptio à quorumcumque iurisdictione & superioritate conceditur. Hoc limitant Concil. Trid sess. 24. c. 11.

§. 9. Ac ipsos Abbreuiatores & eorum singulos quoad vixerint, eorumque familiares, Vicarios & Officiales, necnon clericos, subditos quosvis, ac beneficia & bona quæcumque ad eos, in totum vel in partem, aut alias quomodolibet spectantia, ac in omnibus & singulis, & in quibus, necnon prout dictos Scriptores eximimus & liberamus, ac Scriptores ipsi exempti & liberi quomodolibet existunt eximimus & liberamus, ac exemptos, & liberos, necnō nobis & successoribus nostris huiusmodi immediatè subiectos esse declaramus. Ac quibusvis personis, etiamsi ordinaria delegata vel mixta, ac Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali, Regali, Reginali, & alia quavis, Ecclesiastica vel mundana auctoritate, dignitate, & excellentia præfulgeant & fungantur, sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis omnium & singulorum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura & sine cura, sæcularium & quorumvis Ordinum regularium, ac Regnorum, dominiorum, terrarum, & bonorum quæ à Romana & quibusvis aliis Ecclesiis, Monasteriis, & locis Ecclesiasticis, aut piis, in titulum vel commendam, seu feudum, vicariatum, vel alias quomodolibet obtinent, & in posterum obtinebunt pœnis, quas contra facientes, eisque ad hæc auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes incurrere, ipsaque beneficia aliis libere posse conferri; & bona concedi volumus eo ipso, ne ipsos Abbreuiatores, & alios, quorum fauorem præsentes quomodolibet concernunt, vel eorum aliquem modo aliquo molestare, inquietare, aut perturbare, nec aliquid intentate contra earundem præsentium tenorem præsumant, aut aliquis eorum præsumat districtius inhibemus.

Doctores, notariosque creandi, & bastardos legitimandi auctoritas datur.

Quoad Doctores creandos habes reuocationem in Pii V. constit. 60 Quāvis. Et quoad notarios vide reuocationem in Regul. Cancellaria. Et quoad bastardos, habes reuocationem in Pii IV. constit. 45. Quamuis

§. 10. Quodque omnes & singuli Abbreuiatores præfati similiter quoad vixerint, in vtroq; vel altero iurium, ac in artibus, Medicina, Theologiaque promouere, ac notarios huiusmodi inuestire, ac illegitimos, & ex quovis illicito coitu, tam simpliciter quam mixtim procreatos viuentibus seu defunctis eorum parentibus, ad pristina naturæ iura penitus & omnino restituere, quascumque personas in literis per nos desuper sub Dat. videlicet Kal. Maij, Pontificatus nostri Anno secundo dictis Scriptoribus concessis comprehensas; ipsique promouendis iuramenta per eos de non recipiendis grauibus extra Vniuersitates in quibus studuerunt præstita relaxare, eosque ad iuramentorum eorundem obseruantiam non teneri decernere, necnon eis, vt omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, exceptionibus, antelationibus, commoditatibus, fauoribus, libertatibus, & gratiis, quibus si in dictis Vniuersitatibus iuxta eorum statuta & consuetudines, gradus huiusmodi suscepissent, vti, frui, & gaudere possint & debeant, concedere.

Familiaris Abbreuiatorum arma gestare potest.

§. 11. Ac vnus ex familiaribus singulorum eorundem Abbreuiatorum ensem per Vrbem ad patroni sui libitum deferre libere, & licite valeat.

Indultis scriptorum Apostolicorum, etiā quoad expeditiones literarum Apostolicarum, & beneficiorum assecutionem gaudent. Hās vid. sub. in Iul. II. cōst. 25. Sicut.

§. 12. Omniaque & singula in eis, ac exemptionis, liberationis, & subiectionis prædictarum, necnon quibusvis aliis literis Apostolicis Scriptorum eorundem, eo quod Scriptores existunt, honorem, exemptionem, præeminentiam, prærogatiuam, commodum, fauorem, vel vtilitatem, quomodolibet concernentibus, à nobis quibusuis aliis Roman. Pontificibus prædecessoribus & successoribus nostris, ac Sede huiusmodi pro tempore emanatis contenta, illarum omnium & singularum totos tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, eisdem Abbreuiatoribus, & eorum singulis, iuxta omnium & singularum literarum earundem continentiam, & tenorem, ac vt absque aliqua alia Signatura desuper obtinenda. Omnes & singuli Abbreuiatores huiusmodi nulla signatura, aut compositione, seu quavis re alia desuper requisita, sed pro eorum libito libere, super omnibus & singulis hic contentis simul vel seorsum, etiam super eorum quolibet, necnon tot & tales, quot & quales, & prout Scriptores ipsi eo, quod Scriptores existunt, possunt, & in futurum poterunt quomodolibet expedire, ac pro eis confici facere literas Apostolicas, cum omnibus & singulis clausulis, & aliis in eis contentis de verbo ad verbum Scriptoris in Abbreuiatoris, ac nomine & cognomine dictorum, & qualitatibus personarum, quæ mutanda fuerint dumtaxat mutatis, expedire & confici facere, libere & licitè possint & valeant concedimus. Ac omnibus & singulis ad quos literarum Apostolicarum expeditio quomodolibet spectat & spectare poterit, vt illas quoties desuper per aliquem ex ipsis Abbreuiatoribus requisiti fuerint, absque mora, aut excusatione aliqua totaliter expedire debeant, & expediant sub dictis pœnis mandamus. Necnon vt etiam omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus prærogatiuis, exemptionibus, exceptionibus, indultis, fauoribus, & gratiis quovis modo nuncupentur, quibus dicti Scriptores eo quod Scriptores existunt quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ipsos Abbreuiatores, & eorum singulos pariformiter æque principaliter, & absque vlla penitus differentia, diuersitate, aut fictione, vti, potiri, & gaudere (sine tamen eorūdē Scriptorū præiudicio) quoad illos de minori, quoad alios vero de maiori Parco, Abbreuiatores non minus eis, quam dictis Scriptoribus per præsentes, & alias quascūque literas nostras quoad antelationū prærogatiuas concessū fuisse, aut concedere noluisse, vel concedere, sed priuilegia & antelationum prærogatiuas per Rom. Pont. prædecessores nostros, tā Abbreuiatoribus de maiori Parco quā Scriptoribus huiusmodi, eorūque Collegiis hactenus cōcessis, eis hinc inde salua fore, illasque per easdē singulas literas nostras, eisque minime derogatū fuisse, aut esse decernimus & declaramus. Ac vbicūque Scriptores ipsos quomodolibet excipi contigerit, etiam dictos Abbreuiatores exceptuatos esse. Necnon eorundem Abbreuiatorum, quibus qui præmissis quoad assecutionem beneficiorum Ecclesiasticorum in propriis personis gaudere non poterunt, seu noluerint singuli ad singulas, seu vnum ad duas, vel omnes tres collationes prædictas Ecclesiam vel dictorum, quem vel quos maluerit loco sui nominare, & sic nominatos pro tempore, omnibus & singulis antelationum prærogatiuis & gratiis, quibus in assecutione beneficiorum huiusmodi si Abbreuiatores actu essent gaudere possent, gaudere in omnibus & per omnia perinde ac si Abbreuiatores etiam Scriptores & nominati huiusmodi Abbreuiatores literarum Apostolicarum huiusmodi essentialiter, & vere omni fictione semota essent libere, & licite valere atque debere.

Clausula præseruatiua.

§. 13. Necnon præmissa omnia, & singula vim præcisæ obligationis, & stipulati contractus hinc inde obligatorij, & omnino irreuocabilis, inter nos, & successores nostros, & Sedem huiusmodi, ac Abbreuiatores ipsos initi, & facti, ad cuius obseruātiā, nos, successoresque nostros huiusmodi obligatos testamur semper habere. Ac sub nullis reuocationibus, cassationibus, annullationibus, suspensionibus, modificationibus, aut limitationibus sub quibusvis verborum formis, & clausulis quantumcumque efficacissimis, & insolitis, à nobis, & successoribus nostris, & Sede huiusmodi pro tempore quomodolibet emanatis, nisi de eorundem Abbreuiatorum consensu, & consistorialiter editæ fuerint, & in eis nomina, & cognomina, gradus, & qualitates, ac beneficia, & officia, omnium, & singulorum tunc existentium Abbreuiatorum actualiter, & indiuidualiter, & nominatim sint scripta comprehendi, nec desuetudine seu inobseruantia quavis vel aliter aboleri, tolli, minui, aut abrogari, seu eis in aliquo derogari posse neque debere, & quoties ea reuocari, & annullari, aut eis in aliquo etiam quantumcumque minimo derogari contingat, toties in ea pristinum, & eum in quo de præsenti existunt, & ante reuocationem, & derogationem huiusmodi existebant statum plenarie, & absque vllis diminutione, aut defectu, reposita, restituta, atque reintegrata, prout nos harum serie reponimus, restituimus, & plenarie reintegramus esse. Ac præmissa omnia, & singula ex nunc nulla probatione more vtentium, vel alias introducta, seu publicatione, & promulgatione, aut re aliqua alia desuper requisita, aut expectata plenum effectum sortita esse.

Clausula sublata, &c.

§. 14. Ac omnes, & singulos quos concernunt ad suo-

rum obseruantiam omnino obligare, & non aliter quam secundum præsentibus contenta, omnia, & singula per quoscumque etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Sacri Palatij Apostolici causarum Auditores, & alios, tam ordinaria quam delegata, & mixta auctoritate fungentes Iudices, & personas sub excommunicationis sententia per contrauenientes eo ipso incurrenda, vllo vnquam tempore cognosci, iudicari, & decidi debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, cognoscendi, decidendi, & interpretandi facultate. Necnon irritum, & inane, quicquid secus super præmissis, seu eorum aliquo à quoquam quavis auctoritate etiam per nos, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, ac statuimus, & ordinamus.

Executorum deputatio, & auctoritas. §. 15. Et nihilominus vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, eorumque Vicariis, & officialibus, & aliis quibusvis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac Canonicis Cathedralium etiam Metropolit. Ecclesiarum vbilibet existentibus præsentium tenore mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca in quibus deputati fuerint, eisdem Abbreuiatoribus quoad vixerint, & per eos nominatis, necnon eorum familiaribus, Vicariis, officialibus, ac clericis subditis huiusmodi, & eorum singulis in præmissis quoties, per eos seu pro eorum parte fuerint quomodolibet requisiti efficacis defensionis præsidio assistentes non permittant eos contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, inquietari, aut perturbari. Ac quibus eis videbitur, etiā sub censuris, & pœnis quibusvis inhibeant, & citandos citent, ac causas super contentis præsentibus pro tempore occurrentes cum suis annexis, connexis, dependentiis, incidentiis, & emergen. audiant, decidant, & fine debito terminent, & exequantur, facientes quod decreuerint firmiter obseruari. Contradictores quoslibet quos etiamsi dignitate, & excellentia præmissis præfulgeant, ac fungantur excommunicationis sententiam eo ipso incurrisse decernimus, etiam per declarationem incursus huiusmodi, & aliarum sententiarum, & pœnarum, ac alia iuris remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc quoties, & quando eis videbitur auxilio brachij sæcularis. Et nihilominus legitimis super eis habendis seruatis processibus contra illos, quos censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse eis constiterit, eas toties quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent. Cæterum si per summariam super iis per eos habendam informationem eis constiterit, quod ad loca in quibus contradictores, molestatores, perturbatores, seu inquietatores huiusmodi existunt pro monitionibus de ipsis faciendis tutus non pateat accessus, vel eorum copia commode haberi non possit, Nos eis citationes, & monitiones quaslibet per edicta publica locis publicis affigenda, & in publicis illis viciniis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad eorundem citatorum, & monitorum notitiam peruenire valeat faciendi plenam, & liberam concedimus facultatem. Ac volumus, & decernimus, quod citationes, & monitiones huiusmodi perinde ipsos monitos, & citatos arctent, ac si eis personaliter insinuatæ, & intimatæ fuissent.

Transumptorum fides. §. 16. Et quia difficile foret præsentes, & illarum vigore conficiendas literas ad singula loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret deferre, etiam volumus, & decernimus, quod ipsarum transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, sigillo alicuius Prælati vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Curiæ Ecclesiasticæ munitis, in iudicio, & alibi vbicumque opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem originalibus literis si forent exhibitæ, vel ostēsæ.

Clausula derogatoria. §. 17. Nonobstantibus de cætero Notariorum numero etiamsi ad eum deuentum non sit, cui per hoc aliàs non intendimus derogare, ac quibusvis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam circa priuilegia, prærogatiuas, & antelationes editis, & etiam per successores nostros huiusmodi edendis, necnon piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui illa præsertim qua cauetur ne quis extra suam ciuitatem, & diœc. nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suę diœc. ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede deputati prædicta, extra ciuitatem, & diœc. in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, ac Innocentij Quarti Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorū contra exemptos, quæ incipit, Volentes, & quibusvis aliis Apostolicis, necnon tam in Prouincialibus quam Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus ac legibus Imperialibus, & municipalibus, statutisque & consuetudinibus, quarumcumque ciuitatum, & locorum ac Ecclesiarum etiam Cathedralium, & Metropolitan. ac Monasteriorum, Hospitalium, Militiarum, & aliorum locorum Ecclesiasticorum, & piorum, eorumque Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, ac quibuscumque prærogatiuis, antelationibus, facultatibus aut descriptionibus, & gratiis à Sede prædicta in quorumcumque commodum, ac motu, scientia, & potestate similibus, & quibusvis aliis etiam toties quoties restitutoriis, reintegratoriis, declaratoriis, derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus, efficacissimis, & insolitis, ac cū plena facultate illās latissime extendendi clausulis, irritantibusque decretis, ac per viam legis ordinationibus, ac statuti perpetui, ac pacti, & stipulati, etiam vt præfertur, contractus, aliisque etiam longe efficacioribus viis, modis, ac verborum formis, ac clausulis quomodolibet, & ex quibusvis etiam fidei Catholicæ, ad magis, & quarumcumque piis, vrgentissimis, & efficacissimis causis emanatis, & in futurum emanandis quomodolibet, quibus etiamsi in illis caueatur expresse, quod illis nullatenus etiā consistorialiter, vel alias in aliquo derogari possit, ac pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, necnon certis nominibus, cognominibus, & aliis indiuidua, ac de verbo ad verbum, & inserta ad literā, nullis signis aut characteribus, vel aliis omissis mentio, & expressio habenda, aut exquisita, & specialibus forma seruanda, & insertio facienda foret tenores, ac omnia quæ exprimenda essent huiusmodi præsentibus pro sufficienter, ac de verbo ad verbum, & eisdem modis, quibus exprimenda, & inferenda forent expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum specialiter, & expresse derogamus, & quæ ex ea parte qua ipsis Abbreuiatoribus, præsentibus, & futuris, aut alicui eorum in præmissis, vel aliquo ex eis præiudicent aut præiudicarent, seu aliquando in futurum quoquo modo præiudicare possent, vel videantur, omnino reuocamus, cassamus, & annullamus, ac viribus vacamus, nulliusque roboris vel momenti esse, ac quoties aliquid præmissis in aliquo obiiciens, aut contrariū pro tempore emanare, apparere, aut reperiri contigerit, toties absque Signatura alia desuper obtinenda sub præsentium, vel alterius qua eisdem Abbreuiatoribus placuerit data, literas Apostolicas, in quibus eisdem contrariis, & obstantibus latissimè derogetur, & quicquid præmissis in nullo obstent faciēdum fuerit etiam per omnes, & singulos ad quos id quomodolibet spectat, & spectare poterit, fiat ad simplicem eorundem Abbreuiatorum, & eorum cuiuslibet instantiam, & libitū confici, ac totaliter expediri posse atque debere declaramus, ac omnibus illis, quæ in singulis Scriptorū prædictorū fauorem, vel commodum concernētibus pro tempore literis expressum est, & pro tēpore fuerit, non obstare contrariis quibuscūque. Aut si omnibus, & singulis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel diuisim, à prædicta sit Sede indultum, vel in posterū indulgeri contingat, quod interdici, suspēdi, vel excōmunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad iudiciū trahi, seu contra eos modo aliquo procedi non possit per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus præsentiū impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum sit in nostris literis mentio specialis.

§. 18. Volu

Declaratio prædictarum gratiarum.

§. 18. Volumus autem quod vigore vnius gratiæ expectatiuæ, illiusque mutationis, collationis, reualidationis, & extensionis vltra vnum beneficiom reseruatum obtinere non possint. Quodque nominandi per Scriptores vel Abbreuiatores huiusmodi in assecutione beneficiorum eisdem Abbreuiatoribus postponantur.

Alia gratia.

§. 19. Et quod quilibet Abbreuiatoribus prædictis ensem; & alia arma per Nobiles, & Milites deferri solita, etiam per Vrbem libere deferre, & tres per eum eligendas personas Nobilitatis, & Militari titulo decorare, ac Nobiles, & Milites auratos creare, & facere, eisque insignia, & arma in similibus dari solita dare atque concedere, ac eos numero, & consortio aliorum Nobilium, & Militum auratorum fauorabiliter aggregare, omniaque alia, & singula in similibus fieri solita, & opportuna facere, libere, & licitè possit, & valeat, &c. Nulli ergo, &c.

Dat P. An. 3. die 16. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1515. 17. Kal. Augusti, Pont. nostri Anno 3.

XV. Hospitalis B. Mariæ de Populo, & S. Iacobi in Augusta de Vrbe erectio in Archihospitale pauperum infirmorum Incurabilium, cum priuilegiorum elargitione.

Hæc omnia approbauit Paul. III. die 31. Maij 1548. postquam annuũ redditum eidem Hospitali tribuisset die 21. Ianuarij 1539. Et approbauit pariter Pius IV. die 3. Iulij 1562. sed eorum constitutiones tanquam minus necessarias consulto prætermisi.

Eidem Archihospitali, pro ipsius causarum cognitione, specialem iudicem, cum amplis facultatibus, & iurisdict. elegit Pius IV. inf. in eius const. 2. ad charitatis.

Edita An. D. 1515. & 1516.

L E O E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SAluatoris nostri Domini IESV CHRISTI, qui nos ad pietatis cultũ, & charitatis zelum in pauperes, cæterasque miserabiles personas misericorditer exercendum, quotidianis per totum eius in hac vita progressum exemplis hortatus est, vices licet immeriti gerentes in terris, inter curas multiplices, quibus pro negotiorum assidue occurrentium cumulo, & varietate distrahimur, illam libenter amplectimur, per quam pauperum & aliarum miserabilium personarum, quas non solum rerum fatigat egestas, verum etiam incurabilium morborum calamitas deuorat, & humanis oculis reddit molestos, necessitatibus consulatur, & piis fideliũ institutis, quæ huic nostro desiderio inhærere conspicimus, vt firma perpetuo & inconcussa permaneant, nostræ approbationis adiicimus firmitatem, vtque votiuos sortiantur effectus, opem & operam quantum nobis ex alto conceditur impendimus efficaces, ipsosque, & cæteros Christi fideles, ne sanctissimum opus rerum intermittatur penuria, ad conferendum sua illi charitatiua suffragia, indulgentiis & remissionibus inuitamus, aliasque desuper prouidemus, prout & temporum qualitatibus bene pensatis cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Confratres Hospitalis B. Mariæ de Populo & S. Iacobi de Augusta in Vrbe, statuerunt in eo de cætero recipi debere infirmos incurabiles, & ipsum Hospitale denominari, Hospitale incurabilium infirmorum.

§. 1. Accepimus siquidem, quod nuper dilecti filij antiqui & moderni confratres confraternitatis Hospitalis Beatæ MARIÆ de Populo, & S. Iacobi de Augusta de Vrbe, pie attendentes, ab aliquot citra annis, pauperes infirmos variis morborum incurabilium generibus infectos, de diuersis mundi partibus in Vrbem communem fidelium omnium patriam eo in numero confluxisse, vt tum hominum multitudine, tum morborum visui, & odoratui molestorum fastidio, loca illis in ipsius Vrbis hospitalibus, non sine difficultate paterent, quo fiebat vt dicti pauperes morbo incurabili laborantes, per Vrbem victum quærentes tota die, etiã paruis curribus, & vehiculis discurrere, seque & alios eis obiectos tædio & impedimento afficere, pluresque ex eis nullo adiuti in eorum vita regimine, in grauiores morbos incidere, & omnium Christi fidelium auxilio destituti, præmaturam mortem subire cogerentur, ac cupientes desuper de aliquo opportuno remedio prouideri, statuerunt & ordinauerunt, quod ex nunc de cætero in perpetuum dictum Hospitale infirmorum Incurabilium denominaretur, & in eo omnes & singuli vtriusque sexus infirmi, quouis etiam Gallico nuncupato (præterquam Epidimiæ & lepræ) morbo infecti, ad illud pro tempore confugiẽtes, vel alias ducti, reciperentur, alerentur, & curarentur, & illis extantibus, nisi ipsius Hospitalis facultates, ad id euidenter suppeterent, alij infirmi curabiles ibi recipi non possent, cum pro talibus multa, & locupletata essent in Vrbe Hospitalia. Et ne ex huiusmodi noua, & necessaria dictorum incurabilium infirmorum receptione, aliquod dicto Hospitali circa celebrationem anniuersariorum pro animabus defunctorum ad quam dicta societas tunc tenebatur, & pro tempore obligaretur, & aliorum piorum operum per eosdem antiquos confratres exerceri solitorum præiudicium inferretur, quod duorum proborum virorum de communi consensu dictorum antiquorum, & modernorum confratrum, & in euentum discordiæ tertij ad hoc eligendorum arbitrio, omnia & singula bona stabilia quæ dictum Hospitale tunc possidebat æstimarentur, & totum illud quod ex illis prouenieba annuatim, & quod si terræ ad ipsum Hospitale pertinentes prout aliæ illis contiguæ locatæ fuissent, prouenisset colligeretur in vnam certam summam, quæ tam ex prædictis, quam aliis quibusvis per dictum Hospitale acquirendis bonis annis singulis deduceretur, ex qua dicta pro tempore anniuersaria in primis celebrarentur, & quod inde superesset, in maritagium pauperum honestarum puellarum in festo Sancti Iacobi approbandarum conuerteretur, & quod omnia donanda, relinquenda, & leganda, tam inter viuos quam ex causa mortis dicto Hospitali vel societati pro anniuersariis huiusmodi dumtaxat celebrandis, dictæ summæ accrescerent, & ad illam, seu illius massam pertinerent.

Eiusque regimen sit quatuor Custodũ & duodecim Consiliariorum.

§. 2. Necnon quod regimini & gubernio dicti Hospitalis Custodes quatuor præessent annuatim deputandi, quorum duo essent Romani, & duo forenses, adderenturque duodecim Consiliarij, de quorum gremio dicti Custodes eligerentur, quorum quidem Consiliariorum sex essent Romani, & sex forenses. Et quod dicti quatuor Custodes & duodecim Consiliarij potestatem haberent, omnia faciendi quæ tota societas facere posset, dummodo de alienatione loci dicti Hospitalis, & illius bonorum immobilium, præsentium & futurorum, absque ipsius societatis consensu quouis quæsito colore se nullatenus intromitterent.

Et duo eligãtur Syndici ad videnda computa & alia ad officium Syndicatus spectantia.

§. 3. Præterea duo Syndici eligerentur vnus Romanus, & alius forensis, qui computa, & rationes dicti Hospitalis viderent, & alia facerent quæ ad syndicatus officium, iuxta dicti Hospitalis antiqua statuta spectabant.

Notarij etiam duo ad describenda quæ ad Hospitale spectant.

§. 4. Et similiter duo Notarij practici in causis forensibus pertractandis, vnus Romanus, & alter forensis, qui ea quæ dicti Hospitalis vtilitatem concernebant, fideliter scriberent, & adnotarent, & alia facerent, quæ ad notariatus officium iuxta eadem statuta pertinebant.

Visitatoresque quatuor ad perquirendos & recipiendos infirmos Incurabiles, in d. Hospitale, & alios ad alia Vrbis Hospitalia transmittendos.

§. 5. Ac demum quatuor probi viri Visitatores dictorum infirmorum Incurabilium nuncupandi deputarentur, duo Romani & duo forenses, qui vnà cum dictis duobus Syndicis à nobis, super hoc facultatem, & auctoritatem habituri, omnes & singulos pauperes infirmos quocumque morbo laborantes, vagos per Vrbem, atque dispersos diligenter perquirerent, & curabiles ad Hospitalia, in quibus infirmi curabiles recipi consueuerint, incurabiles verò etiam retinentes ad dictum Hospitale S. Iacobi ducerent, eosque in illis respectiue recipi, & in dicto Hospitali S. Iacobi receptis, iuxta Hospitalis facultates, & receptorum qualitatem, necessaria ministrari facerent, prout in quodam publico instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri.

Hic autem Pont. ad promouendũ hoc pium Hospitalis opus.

§. 6. Nos igitur piom & laudabile dictorum confratrum propositum huiusmodi plurimum in Domino commendantes, & vt ex eo optati fructus proueniant, intimo desiderantes affectu, considerantesque ad hospitalitatem huiusmodi tanto hominum numero, tot morborum ge-

actibus laboranti congrue exhibendam,magna esse opus impensa, & propterea volentes eidem Hospitali de Apostolicæ Sedis peculio partem conferre, & alios ad piæ memoriæ aliquid eius intuitu confitendum, à quo cuncta quæ accepetunt, spiritualibus donis muitare.

Statuta prædicta approbat, & d. Hospitale reigit in Archihospitale & Caput omnium hospitalium similium.

§. 7. Motu proprio non ad dictorum confratrum, vel aliorum quorumvis pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia,statuta, & ordinationes huiusmodi, rata habentes & grata, auctoritate Apostolica,tenore præsentium Hospitale prædictorum Archihospitale ,caputque omnium Hospitalium pauperum infirmorum incurabilium vbilibet constitutorum, & constituendorum, erigimus,& instituimus,illaque omnia & singula constructa; & construenda incurabilium infirmorum huiusmodi Hospitalia immediate subiicimus, & facimus ab eo dependentia membra,sine tamen eorum præiudicio.

Syndicis & Visitatoribus d. facultatem pauperes, infirmos, incurabiles per Vrbem vagantes suscipiendi concedit.

§. 8. Ac Syndicis & Visitatoribus præfatis, qui pro tempore fuerint, quoscumque pauperes infirmos vtriusque sexus per Vrbem vagantes, si curabili, ad sub imagine Saluatoris,vel sancti Spiritus in Saxia, aliave in quibus tales recipi solent: si verò incurabili morbo laborent, ad sancti Iacobi Hospitalia huiusmodi etiam tenteotes, atque inuitos conduci, eosque in dictis Hospitalibus recipi,& in dicto Archihospitali receptis, iuxta illius facultates necessaria ministrati faciendi, & alia omnia, & singula ad id quomodolibet opportuna, gerendi & exequendi, etiam, per alium vel alios plenam & liberam concedimus facultatem.

Exemptionem à datijs, & gabellis Hospitali elargitur.

§. 9. Et dictum Archihospitale,in omnibus,& singulis suis bonis,præsentibus,& futuris,& rebus ad eius manutentionem, & incrementum, ac pauperum in eo pro tempore degentium,victu & sustentationem, necessariis & opportunis,ab omnibus datiis,& gabellis,nunc & pro tempore impositis, prorsus eximimus & liberamus.

Priuilegiaque aliorum Vrbis Hospitalium tribuit.

Ad hoc vide confirm. 115. Clem. 8 Quacumque.

§. 10. Et eidem Archihospitali, quod ipsum & ab eo dependentia membra, quibus id pet illius Custodes, & confratres pro tempore existentes,specialiter concedetur dumtaxat, illorum Ecclesiæ seu Capellæ, infirmi confratres, ministri, seruitores. familiares, res, & bona quæcumque, ab omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus. gratiis, fauoribus, & indultis, spiritualibus, & temporalibus, in genere & in specie, sub imagine Saluatoris, & sancti Spiritus prædictis, ac sancti Iacobi in Compostella Hospitalibus, eorumque confraternitatum confratribus,infirmis, ministris,seruitoribus,familiaribus,rebus & bonis,Apostolica,et qua vis alia auctoritate concessis,& pro tempore concedendis, non solum ad instar, sed æque principaliter, & absque vlla penitus differentia,perinde ac si eis à principio sigillatim concessa fuissent, vtantur, potiantur, & gaudeant, indulgemus.

Facultatem omnibus clericis disponendi de bonis suis ad fauorem Hosp. concedit.

§. 11. Et insuper quod Clerici,etiam in sacris ordinibus constituti, Abbates, Episcopi, Patriarchæ,& aliarum Ecclesiarum Prælati,etiam S.R.E. Cardinales, possint de bonis per eos,etiam per Ecclesias, Monasteria,& beneficia Ecclesiastica acquisitis tam inter viuos,quam ea causa mortis, & in eorum vltimis voluntatibus, quantumcumque eis placuerit,dicto Archihospitali donare,& legare, vel etiam illud in omnibus eorum bonis huiusmodi, seu eorum parte vniuersalem hæredem instituere.

Indulgentiasque dat testantibus aliquid Hospitali donantibus. Has tamen reuocauit Pius V. in const. 30. Et si dominici.

§. 12. Et quod quilibet Christi fidelis vtriusque sexus in Vrbe pro tempore residens, qui in eius testamento, vel alia vltima volontate de bonis suis aliquid, non tamen infra quinque ducatorum auri valorem eidem Archihospitali donauerit, seu legauerit, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contritus, atque ore confessus fuerit indulgentiam & remissionem consequatur.

Notarius mã dat vt infra certũ tempus Officialib. Hospitalis renũcient donationes, & vltimas voluntates eius vtilitatem concernentes.

§. 13. Teneanturque Notarij & scribæ, de donationibus vel Legatis dicti Archihospitalis pro tempore facientis ac testamentis, codicillis,vel aliis vltimis voluntatibus , Archihospitalis,& illius pauperum huiusmodi vtilitatem quomodolibet concernentibus, pro tempore rogatis,infra mensem post diem rogitus,si dispositio fuerit inter viuos, & si ea causa mortis post diem obitus donantis,vel testantis,aut alias vt præmittitur disponentis, immediate sequentem,legata,donata,aut alias dispositiones huiusmodi,alicui ex eiusdem Archihospitalis Custodibus, & Consiliariis pro tempore existentibus fideliter nunciare. Alioquin dicto mense elapso, excommunicationis latæ sententiæ,à qua nonnisi de Custodum & Consiliariorum huiusmodi pro tempore existentium consensu, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant, & ab officio ac exercitio notariatus suspensionis pœnam incurrant eo ipso , qui si suspensione huiusmodi durante, in dicto exercitio quomodolibet se ingesserint falsum committant, actus tamen de quibus inter suspensionem eandem ignorantes rogabuntur detrimentum aliquod propterea non sustineant.

Confratribus dat facultatem eligendi confessorem, qui eos absoluat, &c. In hoc attendo constitut. Clem. VIII. 113. Quacumque.

§. 14. Liceatque singulis dicti Archihospitalis confratribus, præsentibus & futuris, aliquem Presbyterum sæcularem, vel cuiusuis Ordinis regularem, in suum eligere confessorem,qui vita eis comite eorum confessionibus diligenter auditis,ab omnibus & singulis eorum peccatis,excessibus,criminibus & delictis, quantumcumque grauibus & enormibus,etiamsi talia fuerint propter quæ Sedes Apostolica fuit merito consulenda , videlicet Apostolicæ Sedi reseruatis (offensæ Ecclesiasticæ libertatis, criminum hæresis, rebellionis, aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, seu Sedis prædictæ,falsitatis literarum,supplicationum & commissionum Apostolicarum, inuasionis, depredationis, vel occupationis, aut deuastationis, terrarum & maris eidem Romanæ Ecclesiæ,mediate vel immediate subiectorum, offensæ personalis in Episcopum , vel alium Prælatum, prohibitionis deuolutionis causarum ad Romanam Curiam, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium , dumtaxat exceptis) semel in vita , in aliis vero casibus quoties fuerit opportunum, pro commissis debitam eis absolutionem impendat, & iniungat pœnitentiam salutarem. Necnon vota quæcumque (vltramarino ,liminum Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe, ac eiusdem S.Iacobi in Compostella, & Sanctæ MARIÆ de Loreto,Religionisque & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, idemque vel alius Confessor omnium peccatorum, de quibus corde contriti atque ore confessi fuerint, semel in vita & in mortis articulo, quoties illi occurrisse videbitur, etiamsi mors tunc non sequatur.

Indulgentiasque eisdẽ concedit , si decẽ ducatos Archihospitali donauerint. Hanc Indulgentiam reuocauit Pius V. vt supra.

§. 15. Illis autem ex eiusdem Archihospitalis confratribus pro tempore existentibus,qui dicto Archihospitali decem ducatos auri , vel eorum valorem in pecunia,vel aliis rebus,propter hoc specialiter donauerint,semel singulis annis plenariam remissionem,ipsis in sinceritate fidei,vnitate dictæ Romanæ Ecclesiæ,ac obedientia & reuerentia nostra , & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus,eadem Apostolica auctoritate concedere possint.

Et alias Indulgentias hic enumerat. Eas reuocauit idem Pius V.

§. 16. Et quod iidem confratres,qui quadragesimalibus,& aliis totius anni temporibus,quibus nonnulla in dicta Vrbe & extra illius muros consistentes Ecclesiæ,pro stationibus consequendis visitari solent, Ecclesiam dicti Archihospitalis deuote visitauerint, & manus in dicti Archihospitalis subsidium quantumvis modice porrexerint adiutrices , easdem indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur , quas consequerentur si dictas stationarias Ecclesias personaliter visitarent, auctoritate Apostolica, & tenore præmissis statuimus,& ordinamus.

Indulgentias statis diebus Hospitale visitantium, & eleemosynas subministrantibus. Has etiam reuocauit idẽ Pius V.

§. 17. Præterea vt Archihospitale , & illius Ecclesia congruis frequentetur honoribus, & infirmi in eodẽ Archihospitali pro tempore recepti, charitatiue fidelius visitatione & consolatione recreentur , fidelesque ipsi ad hoc eo libentius se conferant, & erga dictum Archihospitale, & illius pauperes infirmos,largius suæ liberalitatis dona diffundant, quo exinde pro temporalibus bonis quæ erogauerint , æternæ vitæ præmia se nouerint adipisci , De Omnipotentis Dei misericordia, ac eorundem Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui Archihospitale, seu illius Ecclesiam prædictam diebus Sabbati tertiæ partis ieiuniorum eia pœnitentiarium m. & qui in eisdem S.Iacobi, & Conceptionis Gloriosissimæ Dei genitricis MARIÆ Festiuitatibus, & earũ qualibet,

à

à primis Vesperis vsque ad occasum solis singulatim festiuitatum earundem annuatim deuote visitauerint, & pro dictorum Archihospitalis, & illius pauperum subsidio, alimonia & sustentatione, prout sua cuique conscientia dictauerit, manus porrexerit adiutrices, quoties id fecerint, toties plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, atque ore confessi fuerint indulgentiam & remissionem in Domino elargimur.

Clausula derogatoria.

§. 18. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac fundatione dicti Archihospitalis, etiamsi laïcorum sit, ac aliis statutis, & consuetudinibus Archihospitalis, & confraternitatis eiusdem, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio quoad facultatem confessoru supradicti.

§. 19. Volumus autem, quod confessor quem quilibet dictorum confratrum duxerit eligendum, de his de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, ea sibi per se si superuixerit, vel alios si forte de hac vita transierit, faciēdā iniungat, quam ipse vel illi facere omnino teneantur.

Alia declaratio.

§. 20. Et ne, quod absit, propter huiusmodi facultatem eligendi confessorem reddatur quisque proclinior ad illicita in posterum committenda, quod illi ex eisdem confratribus, qui à sinceritate fidei, vnitate dictæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia & deuotione nostra, vel successorum prædictorum destiterint, aut ex confidentia concessionis, vel remissionis huiusmodi aliqua forsan commiserint, de concessis & remissis prædictis, quoad illa præsentes literæ nullatenus suffragentur.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

Dat P. An. 3. die 19. Iuly.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimoquinto xiv. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno tertio.

Subsequitur alia priuilegiorum concessio.

Editu An. D. 1516.

LEO EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

EX supernæ dispositionis arbitrio, vniuersalis Ecclesiæ regimini, gregique Dominico præsidentes, inter varias, curasque multiplices & sollicitudines quæ ex ministerio pastoralis officij nobis incumbunt, illam totis affectibus, & desideriis libenter amplectimur, per quam CHRISTI pauperibus, & egenis, miserabilibusque personis, in quibus Redemptor noster Summi Patris vnigenitus IESVS CHRISTVS se præsentare dignatus est, inopiæ, & indigentiæ subuenitur, & vt singula pia loca, præsertim Hospitale Sancti Iacobi in Augusta de Vrbe, nuper per nos in Archihospitale erectum, & institutum, à quibusvis iniuriis, molestiis, & violentiis, ac personarum conatibus conseruentur, & iuxta cordis nostri affectionem feliciter gubernentur, partes nostras quantum ex alto permittitur impendimus efficaces.

Summaria enarratio contentorum in prænserta cōstitut.

§. 1. Dudum si quidem ex certis pernecessariis causis, Motu proprio, & ex certa scientia, Hospitali sancti Iacobi in Augusta de Vrbe, in Archihospitale, & caput omnium Hospitalium pauperum infirmorum Incurabilium vbilibet constructorum & construendorum, erexiimus, & instituimus, & illi omnia, & singula instituta Incurabilium infirmorum huiusmodi hospitalia, immediate sine tamen illorum præiudicio subiecimus; & eidem Archihospitali, & illius membris, eorumque confratribus, tunc, & pro tempore existentibus, & in ipsis degentibus personis, eorumque singulis, nonnullas indulgentias, & peccatorum remissionea elargiri sumus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Hospitalis Confratres apud Pontificem conquesti sunt, de molestiis eis, eorumque seruitoribus, &c. illatis, in eorum personis, & Hospit. bonis.

§. 2. Cum autem eorum confratrum Archihospitalis huiusmodi conquestione perceperimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, & Clerici, & Ecclesiasticæ personæ, tam religiosi, quam sæculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, Communia Ciuitatum, Vniuersitatum, Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & aliæ singulares personæ nonnullarum Ciuitatum, diœcesum, & partium diuersarum, occuparunt, & occupari fecerunt, castra, villas, & alia loca, terras, domos, & possessiones, iura iurisdictiones, necnon fructus, redditus, & prouentus beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumvis Ordinum, regularium, ad Archihospitale, & membra huiusmodi, illorumque seruitores, & alios sæculares, & quorumvis etiam Mendicantium Ordinum regulares personas, & in illis pro tempore degentea spectantia, & pertinentia, vt ea detinent occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, & fauorem; nonnulli etiam ciuitatum, & diœcesum, ac partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem Archihospitali, membris, seruitoribus, & aliis personis huiusmodi, super prædictis castris, villis, & locis, alisque terris, domibus, & possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, fructibus, redditibus, censibus, & prouentibus eorundem, ac bonis mobilibus, & immobilibus, spiritualibus, & temporalibus, alisque rebus ad Archihospitale, membra, seruitores & alias personas in Archihospitali, & membris degentes huiusmodi, pro tempore spectantibus, multiplices molestias & iniurias inferunt, & iacturas.

Supplicarunt, que pro opportuno desuper prouisione.

§. 3. Quare confratres prædicti nobis supplicarunt, vt cum eisdem ac dictorum membrorum præsentium, & futurorum Confratribus, Syndicis, Custodibus, seruitoribus, & personis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Sedem Apostolicam habere recursum prouidere eis super hoc paterna diligentia curaremus.

Hic ideo Pont. eos omnes, à iurisdictione correctione & visitatione quorumcumque Prælatorum eximit, & Sedi Apostol. immediatè subiecit.

§. 4. Nos igitur aduersus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, illo volentes eisdem Archihospitali, membris & personis in eis degentibus, ac seruitoribus remedio subuenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus similia committendi præcludatur, Confratres, Syndicos, Custodes, Seruitores, ac personas huiusmodi, & eorum singulos, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie, absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati Archihospitale, membra, & in eis degentes personas, durante seruitio, & actu in Archihospitali, & membris prædictis deseruientes huiusmodi, præsentes, & futuros, ac eorum singulos, ipsorumque, & cuiuslibet ipsorum beneficia Ecclesiastica, etiamsi Canonicatus, & præbendæ, dignitates, personatus administrationes, vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis, aut Collegiatis, & dignitates ipsę in cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales maiores, aut Collegiatis Ecclesiis huiusmodi principales fuerint, per eosdem seruitores, & personas, in titulum, vel commendam, aut aliàs, nunc & pro tempore obtenta, ac res, & bona quæcumque mobilia, & immobilia, præsentia, & futura, ab omni iure quarumcumque parochialium Ecclesiarum, infra quarum limites existunt, seu quarum parochiani pro tempore extiterint iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, & correctione Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Ordinariorum, eorumque Officialium, Vicariorum, Commissariorum, & aliorum quorumcumque etiam Apostolicorum Iudicum, & Delegatorum, tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium, etiamsi mixtim Ordinarij, & delegati, & alias qualitercumque qualificati fuerint eximimus & totaliter liberimus, & sub B. Petri patrocinio, ac nostra, & Sedis Apostolicæ protectione suscipimus, ac nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti immediate subiicimus. Ita quod Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarij, officiales Vicarij, Commissarij, Rectores, & Iudices prædicti, præsentes, & futuri, nullam iurisdictionem, superioritatem, auctoritatem, dominium, potestatem, visitationem, aut correctionē in Archihospitale, membra & personas, ac huiusmodi seruitio durante, seruitores, eorumque beneficia, res, & bona huiusmodi, præsentia, & futura, vtpote prorsus, exēptas, & exempta, etiam ratione cuiuscūque delicti, aut contractua, seu rei de qua ageretur, vbicūque committatur delictum, ineatur contractua, aut res ipsa consistat, exercere, seu excommunicationis, suspensionis, & interdicti, seu alias sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas promulgare nequeant.

Confratribus, quæ bona Hospitalis & membrorum in euidentem vtilitatem permutandi, &c. facultatem concedit.

§. 5. Ac confratribus Archihospitalis, & membrorum huiusmodi, eorundem Archihospitalis & membrorum, bona mobilia & immobilia, etiam loca Comperarum sancti Georgij Ianuen. nuncupata, præsentia & futura, pro quibuscumque aliis, mobilibus & immobilibus, quorumcumque valorum existant, cum quibuscumque personis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, cuiuscumque qualitatis vel præeminentiæ existentibus, ac Ecclesiis etiam Cathedralibus, Metropolitan. Parochialibus, Hospitalibus, vel aliis quibusvis piis locis permutare; seu bona Archihospitalis & membrorum huiusmodi, cum prædictis & quibusvis aliis personis, etiam Ecclesiasticis vel sæcularibus, ac Ecclesiis & locis prædictis, cum quibus Archihospitalis & membrorum huiusmodi conditionem efficere potuerint meliorem, in emphyteusim perpetuam, & sub annuo canone, siue censu, seu ad tempus, vel alias, toties quoties opus fuerit concedendi, & eorum pretia, in fabricas & sustentationem pauperum Archihospitalis, & membrorum huiusmodi conuertendi, liberam licentiam & facultatem concedimus.

Executores huius bullæ, & defensores horum priuilegiorum deputat.

§. 6. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris, vniuersis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac Cathedralium & Metropolitan. Ecclesiarum Canonicis, necnon eorundem Archipresbyterorum, Episcoporum, officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus, vbilibet constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca in quibus deputati fuerint, Conseruatores, & Iudices, Archihospitali, membris, ac in illis degentibus personis, & huiusmodi durante seruitio seruitoribus, & eorum cuilibet, ac Confratribus, Syndicis, & Custodibus præfatis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, ipsosque & eorum singulos, etiam contra quoscumque bonorum suorum, spiritualium & temporalium, ac Archihospitale & membra, ac in illis degentes, & seruitores huiusmodi, illorumque beneficia prædicta, per eos, nunc & pro tempore obtenta, tam ratione personarum suarum, quam alias legitime spectantium & pertinentium occupatores & detentores, ac super eis iniurias inferentes, & inferturas, perpetuo defendentes, faciant, auctoritate nostra, Archihospitale, membra, & personas, ac huiusmodi durante seruitio seruitores, exemptione & liberatione, & Confratres, Syndicus, & Custodes, licentia & facultate huiusmodi, ac aliis præmissis pacifice frui & gaudere. Non permittentes, eos vel eorum aliquem, per Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Ordinarios, illorumque Officiales, Vicarios, Rectores, Commissarios, ac etiam Iudices Ecclesiasticos & sæculares, ac alios supradictos, etiam vt præfertur qualificatos, per Communia Ciuitatum, Vniuersitatum, Oppidorum, & aliorum locorum, & quascumque alias personas huiusmodi, indebite molestari, vel eis super eisdem bonis, grauamina seu damna, aut iniurias irrogari; facturi ipsi Archihospitali, membris ac personis & seruitoribus, cum ab eis vel procuratoribus suis, aut eorum altero fuerint requisiti, de prædictis & aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum, & aliorum locorum iurisdictionum, iurium, & bonorum, mobilium & immobilium, redditum & prouentuum, & aliorum quorumcumque bonorum, necnon de quibusvis molestiis, iniuriis & damnis, præsentibus & futuris, in illis videlicet, qui iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicij; in aliis vero prout qualitas negotiorum exegerit iustitiæ complementum, occupatores seu detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis; & nihilominus legitimis super his habendis seruatis processibus, contra illos, quos censuras & pœnas huiusmodi per eos pro tempore latas incurrisse contigerit, illas toties quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent.

Contraria omnibus derogat.

§. 7. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. qua cauetur, ne quis extra suam ciuitatem diœc. ad iudicium euocetur, nisi in certis exceptis casibus, & in illis non vltra vnam dietam, à fine suæ diœces. seu ne Iudices & Conseruatores à Sede deputati prædicta, extra ciuitatem & diœcesim à quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere, aut aliquos vltra vnam dietam à fine diœces. eorundem trahere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita; dummodo non vltra quatuor dietas aliquis à fine suæ diœc. vigore præsentium non trahatur, seu quod de aliis, quam de manifestis iniuriis & violentiis, & aliis quæ iudicialem requirunt indaginem pœnis, in eos si quas egerint, & in id procurantes adiectis Conseruatores se nullatenus intromittant; & Innocentij Quarti contra exemptos, Volentes; ac Pauli Secundi Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Ambitiosæ cupiditatis, incipientibus, quam aliis quibuscumque, à prædictis & quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, tam à Iudicibus delegatis & Conseruatoribus, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, & aliis editis constitutionibus & ordinationibus, quæ eorundem Conseruatorum per præsentes deputatorum possent in hac parte iurisdictioni aut potestati, eius libero exercitio quomodolibet obuiare; quodque dicti Vicarij, seu Officiales ac Canonici prædicti per præsentes deputati, non sint de personis, quæ in Conseruatores deputari non possint; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis etiam cum similibus Conseruatorum deputationibus, ac aliis conseruatoriis, quibusvis personis Ecclesiasticis, mensis, Hospitalibus, seu aliis piis locis, sub quibusvis verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis quantumcumque fortissimis & insolitis clausulis per nos & prædecessores ac successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem eandem hactenus concessis, & in posterum concedendis; quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forsan ad hæc seruanda foret, & illis nullatenus, aut nonnisi de Apostolicæ potestatis plenitudine derogari possit, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis Ordinariis, eorumque Officialibus, & Vicariis, Canonicis, & occupatoribus, detentoribus, & iniuriatoribus, præfatis, vel quibusvis aliis, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excõmunicari, aut extra vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, & eorum personis, locis, & Ordinibus, militiis, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, dictorum Archiepiscoporum, & aliorum Conseruatorum per præsentes deputatorum iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impedire, & de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Cap. volentes est. in tit. de Priuileg. in princip. Illa const. est sup.

Facultates Conseruatorib. ampliat.

§. 8. Cæterum volumus, ac auctoritate & tenore prædictis decernimus, quod quilibet Conseruatorum per præsentes deputatorum prosequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque à dat. præsentium sit eisdem Conseruatoribus per præsentes deputatis, & eorum cuilibet, in præmissis omnibus, & eorum singulis cœptis & non cœptis præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia

&

& singula coram eis cæpta fuissent, & iurisdictio eorum, & cuiuslibet eorum, in prædictis omnibus & eorum singulis, per citationē vel modum alium perpetuata legitime extitisset, constitutione prædicta super Conseruatoribus, & alia quomodolibet in genere edita nonobstante.

Transumptis credi iubet. §. 9. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula loca, in quibus expediens foret, deferre, etiam volumus, & idem auctoritate & tenore decernimus, quod ipsarum transumptis, manu alicuius notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Curiæ Ecclesiasticæ munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli, &c.

Dat. P. A. 4. die 18. Iun. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto decimo, 14. Kal. Iulij, Pontificatus nostri Anno quarto.

XVI. Contra offendentes aliquē ex S.R.E. Cardinalibus, vel eius domum inuadentes, etiā tempore Conclauis, aut bona eiusdem diripiētes, eorumque complices & fautores.

Recordare quod contra offendentes Cardinalem, habes etiam sanctionem Pij V. in eius constit. 93. vbi hanc extendit etiam ad scientes, & non reuelantes.

Edita An. D. 1516. *LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.*

Exordium. Temerariorum quorundam qui S. R. E. præcipuas Catholicæ Ecclesiæ columnas ea qua conuenit reuerentia obseruare contemnunt, & in eorum res & bona, manus violentas ausu sacrilego inijcere non verentur, effrænata libido nos admonet, & inducit, vt ad eorum audaciam, antequam longius procepat, comprimendam, ea quæ à prædecessoribus nostris in dictorum Card. dignitatis conseruationem prouida sunt consideratione statuta, pro illorum obseruantia firmiori nostræ innouationis munimine roboremus, extendamus, & ampliemus, prout temporum qualitas exigit, & tam eminenti in Ecclesia Dei dignitati conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa constitutionis. §. 1. Sane ab aliquibus citra temporibus damnabilis quidam in Vrbe inoleuit abusus, & licentia delinquendi, quo duo Apostolica Sede vacante per Card. in Conclaui existentes de futuri Romani Pont. electione tractatur, si qua de vno ex eisdem Card. quod in Pontificem sit electus vox prodeat etiam non vera, illius domum vulgus annis aggreditur, & super ea diripienda cum ipsius Card. conclaue, nondum egressi familiaribus eam custodientibus vi contendit, & si etiam effractis foribus, aut pariete effosso aditus pateat in prædam omnium bonorum quæ ibi extant, hostiliter corruit, nisi armatorum præsidio defendatur; nonnullique quandoque reperiuntur ita temerarij & audaces, vt aliis etiam temporalibus prætextu rixarum domos Cardinalium hostiliter, & cum armis aggredi non vereantur, in eaque morantes, offendere, vulnerare, ex quibus Cardinalatus honori, quibus sacrosancta militans Ecclesia tanquam purpureo rota decoratur amictu, non parum detrahitur, & eorum generatur contemptus, & homicidiorum, & aliorum scandalorum occasio exhibetur.

Innouatio cōstit. Hon. III. & Bonif. VIII. in cap. felicis de pœn. in 6. §. 2. Nos igitur huiusmodi temerarios conatus debita volentes animaduersione reprimere, sacro approbante Concilio felic. record. Honorij III. & Bonifacij VIII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum contra aliquem dictæ Ecclesiæ Cardin. hostiliter insequentes, & illis præsentia, consilio, aut fauore Assistentes, eosve scienter receptantes, aut defendentes, & eorum domos, & ædes, vt supra, inuadentes, & eorum posteros, & bona, editas Constitutiones, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, innouamus. Decernentes eas vbique debere perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari.

Extensio ad inuadētes domus Card. §. 3. Et nihilominus constitutiones easdem cum omnibus, & singulis in eis contentis censuris, & pœnis, ad omnes, & singulas personas cuiuscumque status, conditionis, & excellentiæ existentes, qui alicuius dictorum Card. domum, tam tempore dicti conclavis, etiamsi in Romanū tunc Pontificem sit electus, quam alias quandocumque, & ex quacumque causa armata manu inuadentes, & in ea violenter, hostiliter aliquid diripientes, aut quempiam ex inibi existentibus vulnerantes, & eorum socios, & qui id fieri mandauerint, vel factum eius nomine ratum habuerint, ac ipsis inuasoribus consilium in præmissis, vel fauorem præstiterint, & defenderint, extendimus, & ampliamus.

Derogatio cōtrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis. §. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, decreti, extensionis, & ampliationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 4. die 16. Mart. Datum Romæ in publica sessione, in Lateranen. sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sextodecimo, 17. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno quarto.

XVII. Confirmatio sacri, & Oecuminici Concilij Lateranensis Quinti. Et indictio expeditionis contra infideles.

Concilium istud ex vrgentissimis causis indixit Iul. II. vt sup. in eius const. 27. Sacrosancta.

Edita An. D. 1516. *LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.*

Vigilātia huius Pontif. ad multa egregia, & salubria. Constituti iuxta verbum Prophetæ meritis licet imparibus, super gentes, & regna, officij nostri debitum decenter exequimur, cum vniuersi status Ecclesiastici, ac vniuersalis Ecclesiæ, eorumque negotiorum reformationem per nos vtiliter factam innouamus, & pro illius inuiolabili obseruatione opportuna remedia adhibere, & Ecclesiis Cathedralibus, ac etiam Metropolitan. ne diutius suis pastoribus careant, prouidere cogitamus, ac ad illa curis assiduis vigilamus, & operibus intendimus indefessis, per quæ Dominicum gregem curæ nostræ commissum in conspectu Diuinæ Maiestatis acceptum, & obsequentem reddere valeamus: Turcas verò, & infideles alios, tam in Orientalibus, quam in Meridionalibus partibus consisten. qui veri luminis, veræque salutis iter pertinacissima mentium caligine contemnentes, viuificæ Cruci in qua Saluator noster mortem vltro suscipere voluit, vt mortem nostram moriendo destrueret, ac vitam sacratissimæ vitæ suæ ineffabili mysterio repararet, insidiantes, & hostes Deo odibiles, ac Christianæ Religionis persecutores acerrimos sese reddunt reprimere, ac infestissimis, crebrisque eorum insultibus, quibus in Christianum sanguinem crudeliter debacchantur, non solum spiritualibus, verum etiam temporalibus muniri præsidiis possumus, auctore, & fauore Domino contrahere.

Iulius II. conuocauit Conc. Later. & durante Cōcilio decessit. §. 1. Sane cum felic. record. Iulius Papa II. prædecessor noster Sacrum generale Lateran. Concilium de Venerabilium fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio, & assensu, laudabiliter legitime, & ex rationabilibus causis Spiritu sancto cooperante conuocasset, & in eo quinque Sessiones tenuisset, ac sextam Sessionem indixisset.

Pont. iste tunc creatus fuit & Concilium prosequi mandauit. §. 2. Nos quibus etiam in minoribus constitutis insitum cordi desiderium semper fuerat generale Concilium, vtpote agri Dominici culturam præcipuam cele-

brati videndi dicto Iulio prædecessore humanis rebus exempto, diuina fauente clementia ad summi Apostolatus apicem assumpti, honesto, vtilique desiderio nostro debitum ex iniuncto nobis curæ Pastoralis officio accessisse conspiciens, rem hanc ardentiori voto, & tota animi alacritate suscepimus, ac in dicta Sessione illius prorogationem ex tunc expressis, & aliis causis nostrum, & dictorum fratrum animum mouentibus, de eorundem fratrum consilio, & assensu ad certum tunc expressum tempus per nos facta, approbante eodem sacro Lateranen. Concilio approbauimus, & Concilium ipsum vsque ad perfectionem causarum propter quas indictum extiterat, & præsertim inter Principes, & potentatus Christianos bellis atrocibus pacatis, hostilibusque armis depositis, vniuersalis, & firma pax componi valeret, pro qua tanquam pro saluberrimo bono, intactum nihil relinquendo, conatus omnes nostros adhibere intendebamus prosequi, & sine debito terminare velle, nostrique incommutabilis animi, & intentionis, fore, & esse declarauimus, vt his quæ ad Dei laudem, Ecclesiæque præfatæ exaltationem, & Christi fidelium concordiam pertinent absolutis, sancta, & pernecessaria expeditio contra Catholicæ fidei hostes fieri, feliciterque de illis Altissimo fauente triumphari posset.

Et venientibus ad Conc. saluum conductum concessit.

§. 3. Et vt ad tam perutile Concilium accedere debentes ab accessu huiusmodi nullatenus retraherentur, nullamque omnino causam prætendere possent, omnibus, & singulis ad celebrationem Concilij per Iulium prædecessorem conuocatis, & ad dictum Concilium Lateranen. venientibus, ipsorumque venientium seruitoribus ad Concilium Lateran. ad Vrbem huiusmodi veniendi, & in ea libere commorandi saluum conductum dicto sacro Lateran. approbante Concilio, dedimus, & concessimus, ac Reges, & Principes hortati fuimus, vt pro Sedis Apostolicæ reuerentia venientes huiusmodi non molestarent, sed eos libere venire permitterent.

Concil. fuit principaliter congregatum ex tribus causis videlicet.
Pro concordia Princip. Christianorum, de qua hic infr. habes.
Pro reformatione Curiæ, de qua habes sup.
Pro abrogatione pragmatica de qua habes.

§. 4. Ac septimam Sessionem indiximus, in qua cum nihil magis affectaremus, quam vt causæ vtiles, & necessariæ propter quas dictum Concilium Lateran. indictum fuerat, vt desiderij nostri erat, ad finem debitum perducerentur, tres Card. aliorumque Prælatorum, qui causas huiusmodi, & alias Conciliares materias audirent, & discuterent, auditaque & discussa in eodem Concilio referrent, particulares deputationes fecimus atque mandauimus, quarum quidem deputationum vna pacis vniuersalis componendæ inter Reges ac Principes Christianos, quæ vna ex principalioribus Congreg. Concilij præfati causa fuerat, & schismatis extirpationis. Altera generalis reformationis etiam Curiæ, reliqua verò discussionis, & abrogationis pragmaticæ sanctionis, & rerum orthodoxam fidem concernentium, peculiarem curam haberent, & cum vnaquæque deputatio, quamplura vtilia, & necessaria diligenter examinauerint, & accurate nobis retulerint, ac per eos discussa, & examinata in aliis quinque Sessionibus successiue per nos tentis sacro approbante Concilio per nos fauente Domino, absoluta, & terminata fuerint, proculdubio cognoscimus Deum ipsum bonorum datorem, piis nostris, & non nisi ad commune bonum tendentibus desideriis pro sua immensa pietate, & misericordia plurimum fuisse, ac nobis, vt quæ mente nostra gessimus, & circa quæ plurimum laborauimus, videlicet vt Concilium ipsum causis propter quas indictum fuerat iuxta votum terminatis feliciter claudi, & absolui posset, concessisse.

Imperator & Reges Concilio consenserunt.

§. 5. Carissimus namque in Christo filius noster Maximilianus in Imperatorem electus Iulij prædecessoris præfati, nostro verò tempore cla. mem. Ludouicus Francorum, & ceteri Reges, & Principes Christiani summo cum omnium gaudio Lateran. Concilio in Spiritu sancto legitime congregato adhæserunt.

Conciliabulumque Pisanum damnatum fuit vt sup.

§. 6. Ac Pisanum Conciliabulum per quosdam nullam potestatem habentes indictum, & per eundem Iulium prædecessorem damnatum, iuxta ipsius Iulij prædecessoris sententiam pro damnato habuerunt, & schisma ex eis pullulare cœptum (quod semper dum viguit quam plurimas calamitates, Prælatis, & aliis Christi fidelibus ex diuersis schismatum temporibus, & aliis generalibus Conciliis hactenus celebratis attulisse constat) extinctum, ac vniuersalis Ecclesiæ pax, & vnio secuta extitit.

Cõcilium Lateranense absolutum fuit.

§. 7. Necnon tam Ecclesiasticarum quam sæcularium, & aliarum personarum mores quantum expedire visum fuit, reformari, & nonnullæ causæ orthodoxam fidem concernentes terminatæ, ac nonnullæ aliæ materiæ dictis tribus deputationibus Cardinalium, & Prælatorum diligenter examinatæ, & discussæ, in dicto Concilio solerti cura expeditæ, & terminatæ fuerunt, nobisque per Cardinales, & Prælatos deputationum huiusmodi plures relatum fuit, nulla negotia eis discutienda, examinandaque remansisse, & à pluribus mensibus citra nulla prorsus de nouo a quoquam ad eos prolata fuisse, Episcoposque in partem sollicitudinis ad curam gregis Dominici nobiscum perferendam vocatos, ac alios Prælatos in dicta Vrbe præter sacrorum Conciliorum consuetudinem, cum eorum, & Ecclesiarum suarum incommodo, ac damno diutius permansisse.

Pax, & concordia inter Principes Christianos conclusa fuit.

§. 8. Itaque ex præmissis omnibus, quæ per nos, & dictas deputationes in ipso Concilio expediri desiderabantur, sola Regum, & Principum pax & animorum concordia restare videbatur, pro qua qualis mens nostra semper fuerit, quantumve omni studio nostro circa illam componendam laborauerimus, cunctis literas à nobis emanatas legentibus apertissime constare potest, nouitque Deus ipse, qui summa est omnium rerum lux, & veritas, quot precibus, quamve assiduis orationibus ab eo petere, & implorare nunquam destiterimus, vt Christianum gregem, cuius custodiam nobis, licet immeritis, commisit, mutuo caritatis feruore accensum, ad firmam ac perpetuam pacem ineundam, pro sua clementia inducere dignaretur, & nihilominus tam Nunciis nostris quos apud Maximilianum Imperatorem electum, ac eosdem Reges, & Principes habemus, quam literis eos multis, & efficacissimis rationibus, præsertim si Religioni Christianæ, & Catholicæ fidei, in graue periculũ ac discrimen propter tyranni Turcarum potentiam nuper dilatatam, & auctam deductæ, vt par est, consulere, & prouidere vellent, in Domino cuius causa præcipue agitur, hortati fuimus, ac ex eorumdem Nuntiorum, Regumque & Principum ipsorum literis percepimus, exhortationes nostras tantæ apud eosdem Reges, & Principes auctoritatis, & efficaciæ fuisse, illorumque corda, & animos adeo flexisse, & commouisse, vt fere inter omnes pax tamdiu à nobis pro Reipublicæ Christianæ vniuersali bono desiderata, omnino conclusa fuerit, & si quid superest propediem componendum (ipso Deo fauente) speretur: quod mente, animoque nostro subinde nobis reuoluentibus exultat cor nostrum in Domino nostro Iesv Christo, ipsique super hoc gratias agimus, omnium gratiarum largitori, quod ipsus ad optatam nobis concordiam induxerit, ac per omnes Christi fideles ea signa lætitiæ, quæ in similibus fieri consueuerunt, & gratias Deo agendas, ipsumque Deum, vt pax conclusa perduret, rogandum esse censemus.

Hic Pont. modo d. Concil. Lateran. confirmat.

§. 9. Solum itaque superest, vt sancta ac pernecessaria contra infidelium rabiem christianum sanguinem sitientium, expeditio capiatur, necnon omnia, & singula quæ in XI. Sessionibus, partim per nos, partim per Iulium prædecessorem huiusmodi hactenus tentis, gesta, & facta potiori pro cautela approbentur, & innouentur, ac inuiolabiliter obseruari mandentur. Habita igitur super his cum fratribus nostris, & aliis prælatis matura deliberatione, sacro approbante Concilio, omnia, & singula in dictis XI. Sessionibus gesta, & facta, ac literas desuper editas, cum omnibus in eis contentis clausulis (exceptis quibusdam quæ certis personis pro vniuersalis Ecclesiæ pace, & vnione duximus concedenda, necnon executorum in illis deputatione) Apostolica auctoritate approbamus & innouamus, illaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere, decernimus atque mandamus.

Executores illius deputat.

§. 10. Et illorum executores ad illa, & in eis contenta obseruari faciendum, in Romana Curia Gubernatorem Almæ Vrbis nostræ, & Vicarium nostrum pro tempore existentes, ac Cameræ Apostolicæ Generalem

Audito

Auditorem, qui personas sibi respectiue subiectas, ad id cogere, & compellere valeant, extra vero eam, omnes & singulos locorum Ordinarios deputamus. Inhibemus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, omnibus, & singulis Christi fidelibus, ne in præsenti Concilio gesta, & facta sine nostra, & dictæ Sedis licentia speciali, glossare, aut interpretari præsumant.

Expeditionem contra Turcas indicit,

§. 11. Ac fidei vrgente nos zelo dictam contra infideles expeditionem, per nos, & dictum Iulium prædecessorem dictis causis Conciliaribus expeditis, toties in dictis Sessionibus, propositam, & promissam, & cum Oratoribus Regum, & Principum apud nos existen. pluries communicatam, & discussam, piæ mem. Nicolaum Papam V. etiam prædecessorem nostrum, qui post Constantinopolitan. Vrbis calamitosum excidium ad vindicandas CHRISTI iniurias, & infidelium furorem reprimendum generalem contra eos expeditionem indixit, & quem solerti studio rec. mem. Callistus III. ac Pius II. Rom. Pont. etiam prædecessores nostri imitati fuerunt, imitantes ad trienonium proxime futurum, cum facultate per nos, vnà cum eisdem fratribus nostris decimas fructuum ex Ecclesiis, & Monasteriis, ac aliis beneficiis in vniuerso Orbe consistentibus imponen. & exigen. ac omnia, & singula alia, quæ ad huiusmodi expeditionem necessaria sunt, & quæ in similibus expeditionibus fieri consueuerunt faciendi, sacro approbante Concilio, sumendam, faciendam, & prosequendam decernimus, & vt felicem sortiatur effectum, pias, humiles ac deuotas ad Omnipotentem Deum preces iugiter fundimus, idemque omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus faciendum mandamus.

Hortatur Principes, ad obseruantiam pacis & defensionem fidei.

§. 12. Eosdem Maximilianum in Imperatorem electum, ac Reges, Principes, & Potentatus Christianos, quorum virtutem Deus excitare nos iubet, hortantes, ac per viscera misericordiæ Dei nostri IESV CHRISTI obsecrantes, perque tremendum eios iudicium obtestantes, vt ipsi memores se de ipsa Ecclesia CHRISTI sanguine redempta, & per eos etiam propriæ vitæ non parcendo, tuenda, & conseruanda rationes reddituros esse, omnibus inuicem posthabitis odiis, mutuisque dissensionibus ac simultatibus obliuioni perpetuæ demandatis, ad defensionem Christianæ fidei sicut proprio, & necessario eorum incumbit officio, fortiter, & potenter exurgant: & in tantæ necessitatis articulo, prout eorum fuerint facultates, prompta auxilia præbere studeant: eosdem nihilominus paterno affectu monentes, ac requirentes, vt pro Summi Dei, & Apostolicæ Sedis reuerentia, pacem per eos initam, saltem dicta expeditione durante, inuiolabiliter obseruare procurent, ne tantum bonum, quod dextera Domini assistente secuturum speramus, & optamus, aliqua interueniente discordia, & dissensione, valeat impediri.

Prælatos qui Concil. interfuerunt, dimittit.

§. 13. Et ne Prælati ac alij ad præsens Concilium quod fere quinquennium durauit, laboribus, & expensis vlterius fatigentur, & vt eorum Ecclesias visitare, & consolari possint, ac aliis certis rationabilibus, & iustis causis præsens Concilium absoluimus, & cum benedictione Domini dimittimus, omnibusque & singulis in eo existen. ad propria remeandi, sacro eodem approbante Concilio licentiam concedimus, & vt ad propria aliquibus spiritualibus muneribus refecti cumulatiori gaudio remeare possint, illis, eorumque familiaribus, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam semel in vita, & in mortis articulo elargimur.

Sanctio pœnalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, constitutionis, mandati, deputationis, inhibitionis, decreti, monitionis, requisitionis, absolutionis, dimissionis, concessionis, & elargitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 4. 16. Martij.

Datum Romæ in publica sessione, in Lateran. sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ 1516. 17. Kal. April. Pontificatus nostri Anno quarto.

XVIII.

Facultas Visitatorum Congregationis Monachorum beatæ Mariæ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti circa locationes, & alienationes bonorum immobilium d. Congregationis, in euidentem eius vtilitatem.

Hæc facultas hactenus erat duorum Prælatorum Congregationis, vt sup. in Iulij II. const. 11. Ex iniuncto. Institutionem verò, & statum ipsius Congregationis indicaui sup. in constit. 1. Clem. VI. Sollicitudinis.

LEO EPISCOPVS, &c. Dilectis filiis Abbati Generali, & Visitatoribus Congregationis Monachorum Beatæ Mariæ de Monte Oliueto, Ordinis Sancti Benedicti. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita An. D. 1516.

Exordium.

EX debito Pastoralis Officij ad ea prouidere nos conuenit, vt Monasteriorum, & aliorum Regularium locorum vtilitati, & commoditati valeat prouideri.

Iul. II. bulla.

§. 1. Dudum siquidem felicis recordationis Iulio Papæ II. prædecessori nostro, &c.

Omittitur insertio huius bullæ, quæ est sup.

Petitio Congr.

§. 2. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, dictæ Congregationis Visitatores, à multo tempore citra esse consueuerint sex Prælati, quorum consilio, & consensu Generalis eiusdem dictæ Congregationis Abbas pro tempore existens, Congregationem ipsam gubernat, & qui bini, saltem bis in anno ad visitandum omnia, & singula Monasteria dictæ Congregationis mitti solent, & sæpe contingat, siue propter multitudinem Monasteriorum visitandorum, siue propter aliquorum ex eisdem Visitatoribus aduersam valetudinem, aut alios sinistros euentus, quòd duo simul dictorum Visitatorum omnia Monasteria huiusmodi incedendo visitare non possint, sed multoties singuli ad visitandum mittantur, ordinaueruntque præterea, quod quando vnus solus Visitator mittitur, ipse sic pro tempore missus, vnum sacerdotem de gremio vestro, sibi in socium assumere possit, qui dicta visitatione durante, omni Visitatoris auctoritate fungatur, & cum graue admodum, & dispendiosum Monasteriis, Prioratibus, & locis visitandis foret, si ob vnius Visitatoris defectum, Abbates, seu Priores, aut alij, obtinendi licentiam vendendi, seu alias alienandi iuxta formam singularum literarum prædictarum commoditate carerent, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum Congregationis huiusmodi locorum vtilitati consulere, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio Pontificis, de facultate vnius Visitatoris circa alienationem bonorum Congreg.

§. 3. Nos igitur vos, & singulares personas ex vobis à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati vobis, vt etiam vnus ex dictis Visitatoribus, qui solus fuerit ad visitandum pro tempore missus, vnà cum socio sacerdote, qui tamen Prælatus ex dicta Congregatione existat, per eum in Conuisitatorem pro tempore electo, in omnibus, & singulis venditionibus, & aliis alienationibus, per Abbates, Prælatos, Priores, & Conuentus huiusmodi, iuxta dictarum literarum continentiam faciendis, consensum præstare, & licentiam vendendi, & alias alienandi, vt præfertur, dictis Abbatibus, Prælatis, Prioribus, & Conuentibus respectiue seruata alias singularum literarum earundem forma, concedere, libere, & licite valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus.

Validatio alienationum ab eo fien.

§. 4. Decernentes, & declarantes totum id, quod per Visitatorem cum socio, sic per eum pro tempore electo, circa venditiones, & alias alienationes huiusmodi

actum,

actum,& gestum fuerit,valere,plenamque roboris firmitatem obtinere,ac Abbatibus,Prælatis,Prioribus,&Conuentibus præfatis, & cum eis contrahentibus suffragari debere,in omnibus,& per omnia,perinde ac si electus per Nos, & Generale Capitulum ipsius Congregationis deputatus, & missus Visitator foret.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis Monasteriorum, Prioratuum,& aliorum locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, & omnibus illis, quæ dictus Iulius prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare,cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 4. 29. Aug. Dat. Romæ apud S.Petrum,Anno Incarnationis Dominicæ,millesimo quingentesimo decimosexto,IV.Kal. Septembris Pont. nostri Anno quarto.

XIX. Confirmatio, & extensio iurisdictionis S.R.E. Camerarij, & Magistrorum Viarum Almæ Vrbis. Et declaratio circa appellationes ab eorum sententiis interponendas.

Ampliorem habet hic Magistratus auctoritatem ex Pontif.successorum concessione,vt videre est inf. in Greg. XIII. const.22. Quæ publica,vbi plene notabo, & exinde hæc abrogatur, in his quæ ibidem contenta respiciunt.

Edita An.D. 1516. & 1519. LEO EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei : Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. INter curas multiplices, quæ pro pastorali officio laudabiliter exequendo nobis incumbunt, illam libenter amplectimur,per quam Romanæ Vrbis, in qua Apostolorum princeps, sibi & suis in CHRISTI Vicariatu successoribus Sedem statuit, & ad quam de vniuersis Orbis prouinciis, frequens assiduusque hominum est accessus, conditio,non minus in vrbanorum rusticorumque prædiorum amplitudine,& excellentia,quam virorum insignium numero,& ornatu,nostræ prouisionis opere præclarior in dies,atque illustrior fiat,& qui in ea pro tempore degerint,aut Romani Pontificis Curiam sequuntur, certiore in suorum dispositione bonorum libertate fruantur, & quæ propterea à nonnullis ex prædecessoribus nostris prouida consideratione emanarunt, vt eo firmius illibata permaneant, quo fuerint crebrius Apostolico circumfulta præsidio, nostræ approbationis munimine roboramus, extendimusque & ampliamus, provt temporum, ratione habita, nostro, & eiusdem Vrbis, ac Curiæ decori cognoscimus expedire.

Sixt.IV. edidit const. hic indicatam. §. 1. Dudum siquidem fel. rec. Sixtus Papa Quartus prædecessor noster cupiens dictæ Vrbis decori, & venustati, in structuris,& ædificiis, &c.

Omittitur insertio huius bullæ, quia totam habes sup.

Iul.II.d.const. approbauit. §. 2. Et successiue piæ mem. Iulius Papa II. etiam prædecessor noster motu, & scientia similibus dictas priores literas cum inhibitionis, ac singulis aliis in eis contentis clausulis approbauit, & confirmauit,ac perpetuò firmitatis robur obtinere, & obseruari debere decreuit, voluit, & mandauit.

Hic modo Pontif. innouat & confirmat const. Sixt. & Iul. §. 3. Nos igitur considerantes, quantum decoris, & dignitatis Vrbi, & Curiæ supradictis, & in ædificiorum,& prædiorum ampliatione,& salubrioris aëris amœnitate, & hominum,in omni virtutum & dignitatum genere illustrium,copia & cultu,à tempore quo dictæ literæ emanarunt, accessit, & quod pro conseruatione,& in melius progressu Curiæ,& Vrbis prædictorum status, necessaria est perpetua & inuiolabilis dictarum vsus & obseruantia literarum, earumque in aliquibus, quæ ipsarum, etiam in suburbiis,& aliis locis dictæ Vrbis vt præmittitur circumvicinis effectum passim impedire noscuntur,extensio & ampliatio,cupientesque in præmissis pro virili nostra opportunum adhibere remedium,motu simili,non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam,sed de nostra mera,& matura deliberatione,ac certa scientia auctoritate Apostolica,tenore præsentium, omnes,& singulas literas prædictas cum omnibus in eis contentis clausulis, approbamus, & innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernentes eas in singulis ipsarum partibus,etiam in quibus forte hactenus in vsum receptæ non sint,debere ab omnibus perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari.

§. 4. Et nihilominus dictorum prædecessorum inhærendo vestigiis, cupientes ipsorum ciuium, & Curialium, & aliorum ædificare volentium commoditatibus prouidere, vt quanto citius Vrbs ipsa, ac prædia, nostris præsertim temporibus,ædificiis,ac prædiis instaurentur: considerantes, quòd in eadem Vrbe & eius districtu, sunt multæ domus, & loca sub proprietate, tam diuersarum Basilicarum, & Ecclesiarum,quam Hospitalium,& aliorum quorumcumque piorum locorum,in casum in quem domini, quibus in censum aut emphyteusim, seu alias quomodolibet locata, aut domus concessæ sunt, in illis ædificare vellent,vel cum aliis ad hunc effectum tantum, provt melius poterunt, concordare, iuxta seriem & tenorem literarum fel.record. Alexandri Papæ Sexti etiam prædecessoris nostri, super via Alexandrina emanatarum, quas cum omnibus illarum inhibitionibus, decretis, clausulis, & mandatis, approbamus,& innouamus,ac ad quæcumque Vrbis & prædiorum loca ad hunc effectum extendimus, & ampliamus. Earundem tamen Basilicarum Ecclesiarum,& aliorum quorumcumque,etiam piorum,locorum,non solum indemnitati,sed vtilitati prouidere volentes, provt per præsentes prouidemus:& vt dicti domini, vel alij ad ædificandum facilius,& libentius inducantur,volumus,& decernimus,quod si census,vel responsio,& pensio annua erit in emphyteusim perpetuam alicuius familiæ, quod tali casu liceat illis de familia tantundem censum, siue similem responsionem in aliam domum, siue domos, vel possessionem, aut quæcumque alia bona stabilia ad dictum censum, vel responsionem conuenientia, transferre,etiam permutare,aucta tamen decima parte. Quod etiam volumus & decernimus esse de domibus, & locis, tam intra quam extra ipsam Vrbem infra milliaria prædicta huiusmodi consistentibus,& cæteris bonis dictarum Basilicarum,Ecclesiarum, & aliorum etiam piorum locorum, diuersis inquilinis pro annua responsione, vel aliter, etiam ad plures annos quibusvis locatariis locari, seu ad plures vitas, aut cum facultate denominandi vnam vel plures personas, concedere solitis, seu concessis, aut in futurum concedendis, quo possint in illis ædificare,seu illa quoquo modo ampliare volentes,dare,& consignare dictis dominis,& proprietariis alias domos, seu possessiones,vel quæcumque alia bona stabilia tantundem,diuersis inquilinis pro annua pensione,cum augmento tamen decimæ,seu maioris partis,arbitrio Camerarij,& Magistrorum stratarum huiusmodi,quod honestum visum fuerit, ac alias, seu illarum, & illorum pretia cum dicto augmento, iuxta formam,& tenorem dictarum literarum Alexandri,& pecunias inde prouenientes in alias possessiones & bona, vel necessitates ipsarum Ecclesiarum, provt in dictis literis latius continetur,conuertere.Quod si quis id efficere recusabit, possint Camerarius & Magistri præfati iuxta facultates in dictis literis Sixti & Alexandri concessas, cogere quæcumque capitula, conuentus, hospitalia, & alia quævis etiam pia loca ad faciendum dictam permutationem cum augmento dictæ decimæ partis.

Confirmat const. Alex. VI.quam vti non necessariam omisi. Necnon iurisdictionem Mag. extendit ... ad bona locorum piorum.

Præuentionem permittit inter ædificare volentes. Ad hoc vide Greg. XIII. const.citatam in rubr.

§. 5. Etsi inter duos, aut plures ædificare volentes, lis,aut controuersia oriri contingat,volumus,& decernimus, quòd præuentio habeat locum, quod qui primus negotium inceperit, & dictos dominos proprietarios primus interpellauerit,ille sit potior,nec ab aliquo postea molestari, vel quoquo modo impediri possit, & valeat, quinimo ex tunc sit illi ius quæsitum. Et tamen ad tollendum scandala seu controuersias, quæ exinde oriri contingeret, ne quis postea dolose & fraudulenter ob proteruiam aliquorum, & inuidiam, seu ipsorum commodum plerumque fieri posset, etiamsi plus offerret, & aliis, vt præmittitur, esset impedimentum, volumus & decer

decernimus, quòd permutatio huiusmodi cum augmento decimæ partis, & vltra, prout arbitratum fuerit, vt præfertur, censeatur, & fit in euidentem vtilitatem. Et ne ob huiusmodi interpellationem domini & proprietarij prædicti, aliqua damna, seu incommoda patiantur, quòd liceat ipsis easdem suas domos, loca & bona retinere, donec sit illis cum effectu assignata dicta recompensa cum augmento huiusmodi.

Habitare non volenat. post requisitionem volentium ædificare.

§. 6. Et quoniam, sicut accepimus, nonnulli ad habitandum domos quibus illatum vicinas, pro ornatu, & ampliatione prædictis indigeri conspiciunt, de nouo se conferunt, vel illas instaurari, aut refici faciunt, vt quod eis directo non licet, hac saltem via obliqua dictæ Vrbis decori & vtilitati obuiene, illa augere desiderantes, ad domos ipsas longe plus iusto pretio emendum necessitate compellant, auctoritate & tenore præmissis declaramus, omnes, & singulos, qui postquam pro parte dictorum Magistrorum super domibus eorum per eos tunc non habitatis pro commoditate in illis, & apud illas ædificare volentium, vt præfertur, vendendis requisiti fuerint, domos vendendas huiusmodi de nouo habitare, aut instaurari, vel refici, non tamen à fundamentis facere inceperint, ad illas vendendum iuxta dictarum Sixti prædecessoris posteriorum literarum tenorem, perinde ac si ad eas de nouo habitandum se non contulissent, illasve instaurari, aut refici facere non incepissent, per Camerarium & Magistros præfatos cogi, & compelli posse atque debere, tam in præteritis quam in futuris.

Extendit bullam Sixt. IV. etiam extra Vrbem
Ad hoc vide d. Const. Greg. XIII.

§. 7. Ac volumus ea omnia quæ per Sixtum prædecessorem præfatum super venditionibus & diuisionibus domorum, arearum, siue platearum intra Vrbem consistérium in fauorem personarum de nouo ædificare, aut constructa ædificia & prædia ampliare volentium ab inuitis dominis, seu etiam eorum nomine faciendis, prouide sunt disposita, etiam extra Vrbem in locis vltra prædicta milliaria non distantibus, in quibus ab aliquot citra annis multa & speciosa viridaria, vineæ, & alia non minus pulchra, quam vsui humano vtilia, necessaria, secessus, & ædificia surgere inceperunt, vicem sibi vendicare, & effectum sortiri debere, vbi & quoties eisdem Camerario, & Magistris videbitur vtilitati vel ornatui publico expedire.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis facultatum, & licentiarum testandi, & alias disponendi inter viuos, vel in vltima voluntate, de bonis & rebus, per Ecclesias, & alia Ecclesiastica, & pia loca, illorumve fructus, redditus, & prouentus, pro tempore acquisitos, personis Ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, per Sedem Apostolicam quomodolibet concessarum, reuocationibus, reductionibus, modificationibus, suspensionibus, & aliis contrariis constitutionibus, etiam per viam perpetuæ constitutionis, ex quibusvis etiam in fidei, ac Terræ sanctæ contra infideles, & fabricæ dictæ Basilicæ subsidium, aut aliis quantumlibet, maximis & vrgentissimis, ac necessariis causis, etiam motu & scientia, ac potestatis plenitudine similibus, & de dictorum Cardinalium consilio, etiam consistorialiter habito, & cum aliis, &c.

Nulli ergo &c.

Dat. P. A. 4. die 2. Non.

Dat. Romæ, apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, 1517. IV. Nonas Nouemb. Pont. nostri Anno 4.

Sequitur extensio dicta bulla.

Edita An. D. 1519.

L E O E P I S C O P V S,
Motu proprio, &c.

Ha litera sunt qua hoc supra habentur.

§. 1. CVm sicut accepimus non obstan. quod iuxta formam literarum super liberation. domorum & aliorum quarumcumque locorum, rerum, bonorum, etiam sub proprietate alicuius Ecclesiæ, aut piorum locorum existentium, soluta seu aucta decima parte à nobis emanatarum tam per Camerarium nostrum & Magistros stratarum, quam etiam alios per nos deputatos, super liberatione censuum, canonum, siue responsionum super eisdem domibus locis & bonis consistentium pronuntiari seu declarari contingat, tamen patroni domorum, aut proprietarij dictarum Ecclesiarum & piorum locorum, à dictis pronunciis, & sententiis appellare, & appellationes huiusmodi causas in infinitum protrahere non verentur, contra mentem nostram.

Appellatio non datur, à sententiis Magist. Viarum, immo seruantur dari appellationi ad Clericum Præsidentem Viarum.

§. 2. Nos igitur attendentes, quod propter præmissa ciues & curiales, & alij, constructionibus, & ampliationibus ædificiorum, quæ non solum ad commodum priuatum, sed etiam ad publicũ & maximum ornamentum Almæ Vrbis nostræ cedunt, penitus retrahantur, ac super his opportune prouidere volentes motu simili, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus, quod prætendentes se ex huiusmodi sententiis indebite grauari, non debeant sub pœna mille ducatorum auri, Cameræ nostræ Apostolicæ, ipso facto, sine aliqua declaratione applicandorum, & damnorum ac interesse per partem ob inobseruantiam literarum prædictarum quouis modo supportandorum, ab ipsis sententiis, & ordinationibus appellare, querelare, seu aliquo modo conqueri: Sed possint ad Cam. Apost. habere recursum, & querelam super præmisso augmento & Præsid. dictæ Cameræ de eo cognoscere. Et partes fecisse debeant, quod cognoscatur & terminetur infra quindecim dies à die latæ sententiæ huiusmodi, quæ in ipsa Camera infra tres dies porrigi debeat, quibus elapsis, si non fuerit aliquid determinatum, sententiam, de qua porrecta fuerat querela, etiam pro dicto augmento decimæ partis, prout declaratum fuerit, executioni debitæ, omni exceptione remota, demandent. Si verò fuerit in aliquo reformata, reformationi huiusmodi, omni appellatione remota, stari, & exequi debeat, omni sublata appellatione vel exceptione.

Extensio d. bulla ad vineas & viridaria.

§. 3. Et quia etiam intelleximus in dubium reuocari, an literæ nostræ prædictæ ad vineas & viridaria se extendant: ea propter ad omne dubium tollendum literas prædictas, etiam ad vineas, viridaria, & alia prædicta, tam in Vrbe, quam extra, & in locis in dictis literis comprehensis existentia extendi debere decernimus & declaramus, Decernentes irritum & inane, quicquid contra præmissa, scienter vel ignoranter attentatum fuerit, aut in futurum attentari contigerit.

Executores deputatio.

§. 4. Mandantes eidem Camerario, & Cameræ Apostolicę ac Legatis, respectiue, vt omnia in dictis literis, ac præsentibus contenta, omnino & affectualiter obseruari faciant.

Clausula derogatoria.

§. 5. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatij, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 6. Volumus autem, quod literarum Apostolicarum prædictarum; ac præsentium transumptis manu vnius Clerici & notarij Cameræ subscriptis, quemadmodum prædictis vbique fides adhibeatur.

Dat P. An. 6. die 10 Ian.

Dat. Romæ apud S. Petrum, die decima Ianuarij, 1519. Pont. nostri Anno sexto.

Dãnatio pragmaticæ sanctionis in Regno Franciæ editæ in detrimentum Sedis Apostolicę; Et concordia cũ Ludouico Rege, circa prouisiones beneficiorum Ecclesiasticorum. XX.

Huius pragmatica abrogationem, in isto Lateranensi Concilio discuti iussit Iul. II. die 10. Decembris 1512. quam veluti hic plene relatam, missam facere duxi.

Edita An. D. 1516.

L E O E P I S C O P V S,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Proœmium.

PAstor æternus gregem suum, vsque ad consummationem sæculi nunquam deserturus, ita Apostolo teste, obedientiam dilexit, vt pro expiando primi parentis obedientiæ peccato se ipsum humiliauerit, factus obediens vsque ad mortem, migraturus vero ex mundo ad Patrem in soliditate petræ, Petrum eiusque successores Vicarios suos instituit, quibus ex libri Regũ testimonio ita

ita obedire necesse est, qui non obedierit morte moriatur, vt alibi legitur, in Ecclesia esse non potest, qui Romani Pontificis Cathedram deserit, quoniam Augustino, Gregorioque auctoribus, sola obedientia est mater, custosque omnium virtutum, sola fidei meritum possidens, sine qua quisque infidelis conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Itaque nos eodem Petro docente solliciti esse debemus, vt quæ à Rom. Pont. prædecessoribus nostris, præsertim in sacris Conciliis pro obedientiæ huiusmodi auctoritatis, libertatisque Ecclesiasticæ, & Sedis Apostolicæ defensione matura, & ex legitimis causis inchoata, sunt nostris studio, cura, & diligentia debite absoluantur, & ad optatum finem perducantur, simplicium quoque animæ, quarum etiam rationem Deo reddituri sumus, à dolis, & laqueis tenebrarũ principis liberentur.

Iulius II. indixit Concilium Lateranense vt sup.

§. 1. Sanè fel. rec. Iulius Papa Secundus prædecessor noster post indictum ex legitimis tunc expressis causis de venerabilium fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cathedralium, de quorum numero tunc eramus, consilio & assensu sacrum Lateranense Concilium prouide considerans cum eodem sacro Lateranen Concilio Bituricen Regni Franciæ corruptelam, quam illi pragmaticam sanctionem vocant, cum maximo animarum periculo, & scandalo, ac dignitatis Sedis Apostolicæ detrimento, & vilipendio retroactis temporibus viguisse, & adhuc vigere, eiusdem pragmaticæ sanctionis negotium, eodem approbante Concilio discutiendum, certis tunc nominatim deputatis Cardinalibus, & Prælatis certæ Congregationis commisit.

Monuitque & citauit Gallos, super reuocatione pragmatica vt hic in rubr.

§. 2. Et quanquam sanctio præfata ex multis nullitati notoriæ subiaceret, schismaque manifestum foueret, & contineret, & propterea citatione aliqua minime præcedente per se irrita, nulla, & inualida declarari potuisset, ex abundanti tamen cautela idem Iulius prædecessor Gallicos Prælatos, Capitula Ecclesiarum, & Monasteriorum, Parlamenta, & laicos illis fauentes, & dicta sanctione vtentes, omnesque & singulos alios in præmissis sua communiter, vel diuisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus tunc non pateret accessus, in Mediolan. Asten. & Papien. Ecclesiarum valuis affigendum monuit, & citauit, infra tunc expressum terminum coram eo, & dicto Concilio comparerent, causasque dicerent, quare sanctio præfata, illiusque corruptela, & abusio in concernentibus auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & sacrorum canonum, ac Ecclesiasticæ libertatis violationem nulla & inualida declarari non deberet.

Hic Pontifex (Iulio interim defuncto) monitionis terminum prorogauit.

§. 3. Cum dicto Iulio prædecessore in humanis agente diuersis impedimentis causantibus citatio exequi, & reproduci, ac negotium abrogationis huiusmodi plene discuti, vt intentio ipsius Iulij prædecessoris fuerat, non potuisset, sed eodem Iulio prædecessore rebus humanis exempto, citatio ipsa legitime executa, & per Procuratorem fiscalem sacri Concilij promotorem reproducta, ipsorumque citatorum non comparentium contumacia accusata, & ad vlteriora procedi petitum fuisset, nos diuina fauente clementia ad summi Apostolatus apicem assumpti, omnibus rite pensatis, petitioni prædictæ ex certis causis nullum tunc responsum dedimus, ac deinde cum per dictos monitos, & citatos diuersa impedimenta allegarentur, quare in termino eis, vt præfertur, præfixo comparere non potuissent, vt omnis iustæ excusationis, & querelæ occasio eis auferretur, terminum citationis, & monitionis huiusmodi præfixum eodem sacro approbante Concilio ad alium tunc expressum terminum iam diu effluxum in diuersis Sessionibus pluries propagauimus.

Quo elapso ad abrogationem d. pragmatica deuenire censuit.

§. 4. Cum autem moniti & citati prædicti sublatis tam omnibus impedimentis, effluxisque omnibus terminis coram nobis, & dicto Concilio non comparuerint, nec comparere curauerint ad allegandum causam quare sanctio prædicta nulla declarari non debeat, ita vt excusationi vltra locus non sit, possintque merito contumaces reputari, prout eos exigente iustitia reputamus. Nos mature attendentes pragmaticam sanctionem, vel potius vt dictum est corruptelam schismatis tempore à non habentibus potestatem editam, reliquæ Christianæ Reipublicæ Ecclesiæque sanctæ Dei, nullatenus conformem, & à clar. mem. Ludouico XI. Francorum Rege Christianissimo reuocatam, cassatam, atque abolitam, auctoritatem, libertatẽ ac dignitatem dictæ Sedis violare, ac diminuere, facultatemque Rom. Pont. pro tempore existentis, de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. pro vniuersali Ecclesia assidue laborantium, viuorumque Doctorum personis quibus abundat Curia, & quorum Consiliis Sedis Apostolicæ, & Rom. Pont. atque vniuersalis Ecclesiæ auctoritas, & potestas conseruantur, negotiaque diriguntur, & in prospero statu confouentur, Ecclesiis & Monasteriis, eisdemque personis de reliquis beneficiis ecclesiasticis iuxta eorum status exigentiam prouidendi penitus auferre. Prælatis vero ecclesiasticis illarum partium, causam præbere, vt ipsi neruum ecclesiasticæ disciplinæ obedientiæ sanctum frangant, & violent, ac contra nos, & Sedem prædictam eorum matrem, cornua erigant, & eis deprauata audendum viam aperire, ipsamque notoriæ nullitati subiacere, nulloque nisi alicuius temporis, seu potius tolerantiæ cuiusdam adminiculo fulciri, etsi Rom. Pont. prædecessores nostri præfati, prout ipsi suo tempore summopere optare demonstrarunt, corruptelam, & abusionem huiusmodi, vel malignitate temporum, vel aliis illi prouidere, & in totũ occurrere non valentes, suis temporibus tolerasse visi fuerunt, considerantes tamen ab ipsius Bituricen. sanctionis editione, vix annos septuaginta fluxisse, nullumque infra hoc temporis spacium præter hoc Lateranen. Concilium, legitime fuisse celebratum, quo cum disponente Domino constituti fimus, ab eiusdem impiæ sanctionis extirpatione, totali annullatione, sine nostra, & tantorum Patrum in præsenti Concilio congregatorum nota, ac nostra & dictorum illa vtentium animarum periculo abstinere, seu desistere non posse, Augustino reste, iudicamus, atque censemus.

Leo I. reuocauit acta contra fidem in 2. Ephesina Synodo.

§. 5. Et sicut piæ memoriæ Leo Papa, prædecessor noster, cuius in hoc libenter quoad possumus vestigia imitamur, ea quæ in secunda Ephesina Synodo temere contra iustitiam & Catholicam fidem gesta fuerunt, postmodum in Chalcedon. Concilio mandauit, ac fecit, pro dictæ fidei firmitate reuocari, ita & nos à tam nefariæ sanctionis, & contentorum in ea reuocatione, retrahi aut desistere salua conscientia, ac nostro, & ipsius Ecclesiæ honore non posse, aut debere censemus.

Ideo hic Pontifex reuocat d. pragmaticã quamuis confirmatam in conciliabulo Basilien. quia Papa est supra Concilium vt hic probatur.

§. 6. Nec illud nos mouere debet, quod sanctio ipsa & in ea contenta, in Basileen. Concilio edita, & ipso Concilio instante à Bituricen. cõgregatione recepta & acceptata fuerunt, cum ea omnia post translationem eiusdem Basileen. Concilij per rec. mem. Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum factam, à Basileen. Conciliabulo, seu potius conuenticula, quæ præsertim post huiusmodi translationem, concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam solum Rom. Pont. pro tempore existen. tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum, plenum ius & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constet, quorum aliqua referre placuit, reliqua verò vtpote notoria silentio præterire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontif. ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus. Nicænam Synodum statuisse non debere absque Roman. Pont. auctoritate Concilia celebrari. Neque nos latet etiam eundem Leonem Pont. Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonen. transtulisse. Martinum etiam Papam V. præsidentibus suis in Concilio Senen. potestatem transferendi Concilium nulla consensus ipsius Concilij mẽtione habita dedisse. Ephesinam quoque primam Synodum Cœlestino ac Chalcedonen. eidem Leoni Sextam, Agathoni Septimam, Hadriano Octauam, Nicolao Octauam etiam Constantinopolitan. Synodum Hadriano Roman. Pontif. prædecessoribus nostris maximam reuerentiam exhibuisse, eorundemque Pontif. institutionibus & mandatis vt sacris Conciliis per eos editis

&

& factis reuerenter & humiliter obtemperasse. Vnde Damasus Papa & ceteri Episcopi Romæ congregati scribentes de Concilio Ariminen. Episcopis in Illyrico constitutis præiudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur, quandoquidem constet Roman. Pont. cuius ante omnia decebat spectari decretum, talibus non præbuisse consensum, eumdemque Leonem Pontificem vniuersis Siciliæ Episcopis scribendum idem voluisse apparet, consueueruntque antiquorum Conciliorum Patres pro eorum quę in suis Conciliis gesta fuerunt corroboratione, à Rom. Pont. subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere, prout ex Nicæna & Ephesina ac Chalcedonen. huiusmodi, & Sexta Constantinopolitana, & Septima eadem Nicæna, ac Romana sub Symmacho Synodis habitis earumque gestis, necnon in Aimari libro de Synodis manifeste colligitur, quod etiam nouissime Constantien. Patres fecisse constat. Quam laudabilem consuetudinem si Bituricen. & Basileen. secuti fuissent, huiusmodi molestia proculdubio careremus.

Eamque nullam esse decernit & damnat.

§. 7. Cupientes quoque huiusmodi negotium ad debitum finem perduci, ac tam vigore citationum hactenus à nobis & præfato Iulio prædecessore ex abundanti emanatarum quam aliorum præmissorum, quæ ita notoria sunt, vt nulla valeant excusatione aut tergiuersatione celari, etiam ex nostro Pastorali officio procedentes, omnesque, & singulos tam iuris quam facti defectus si quis forsan in præmissis interuenerint, supplentes, ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine (eodem sacro approbante Concilio) tenore præsentium præfatam pragmaticam sanctionē seu corruptelam, eiusdem approbationem quomodolibet emanatam, omniaque & singula decreta, capitula, statuta, constitutiones siue ordinationes in eadem quomodolibet contentas, seu etiam insertas, ac ab aliis prius editas, necnon consuetudines, stylum, vsum siue potius abusum ex ea in hanc vsque diem quomodolibet emanatos, seu obseruatos, nullius roboris, vel momenti fuisse, & esse decernimus, & declaramus. Necnon ad abundantiorem cautelam eamdem Bituricen. sanctionem siue corruptelam, eiusque approbationem tacitam, vel expressam, vt præfertur, & in ea contenta omnia, & singula etiam inserta quæcumque reuocamus, cassamus, abrogamus, irritamus, annullamus, ac damnamus, & pro infectis, reuocatis, cassatis, abrogatis, irritatis, annullatis, & damnatis haberi volumus, decernimus, & declaramus.

Bonif. VIII. in Extrauag. 1. de Maior. & Obedien. ac Clem. V. in Extrauag. 2. de Priuileg. confirmat & innouat.

§. 8. Et cum de necessitate salutis existat omnes Christi fideles Romano Pontifici subesse prout diuinæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonio edocemur, ac constitutione fel. me. Bonifacij Papæ Octaui similiter prædecessoris nostri, quæ incipit, Vnam sanctam, declaratur, pro eorumdem fidelium animarum salute, ac Rom. Pontif. & huius sanctæ Sedis suprema auctoritate, & Ecclesiæ sponsæ suæ vnitate & potestate Constitutionem ipsam sacro præsenti Concilio approbante innouamus, & approbamus, sine tamen præiudicio declarationis sanctæ mem. Clementis Papæ V. quæ incipit, Meruit.

Vsum d. pragmatica hic idem Pont. omnib. prohibet.

§. 9. Inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis, & censuris infra dicendis, omnibus, & singulis Christi fidelibus tam laicis quam clericis, sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium Regularibus, & aliis quibuscumque personis, cuiuscumque status, gradus, & conditionis existant, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & quibusvis aliis, Ecclesiastica, vel mundana, vel quavis alia dignitate fulgentibus, omnibusque aliis, & singulis Prælatis, Clericis, Capitulis, & Conuentibus sæcularibus, & Ordinum prædictorum Regularibus etiam Monasteriorum Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Principibus, Baronibus, Parlamentis, Officialibus etiam Regiis, Iudicibus, Aduocatis, Notariis, Tabellionibus Ecclesiasticis, vel sæcularibus, & quibusvis aliis personis Ecclesiasticis, regularibus, & sæcularibus vt præfertur, quacumque dignitate fulgentibus in præfato Regno Franciæ, Delphinatu, & vbicumque prædicta pragmatica, directè, vel indirectè, tacite, vel expresse, vigeret quomodolibet existentibus, vel pro tempore futuris, ne de cetero præfata pragmatica sanctione, seu potius corruptela, quomodolibet vel quavis causa, tacite, vel expresse, directè, vel indirectè, aut quovis alio quæsito colore vel ingenio in quibuscumque actibus iudicialibus, vel extraiudicialibus vti seu eā eam allegare, vel secundum eam iudicare, aut quotvis actus iudiciales, vel extraiudiciales secundum dictæ pragmaticæ tenorem, vel capitula in ea contenta per se vel alium seu alios nullatenus facere præsumant, aut per alios fieri permittant, seu mandent, nec præfatam pragmaticam sanctionem, aut in ea contenta capitula, seu decreta vlterius in domibus suis, aut aliis locis publicis, vel priuatis teneat, quin mo illam ex quibusvis Archiuiis etiam Regiis, seu Capitularibus, & locis prædictis infra sex menses à data præsentium computandos deleant, seu deleri faciant, sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, necnon quoad Ecclesiasticas, & Regulares personas prædictas omnium etiam Patriarchalium, Metropolit. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum quoque, & Prioratuum etiam Conuentualium, & quorumcumque dignitatum aut beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, priuationis, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quo verò ad sæculares præfatæ excommunicationis, necnon amissionis quorumcumque feudorum tam à Romana quam alia Ecclesia ex quavis causa obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, inhabilitatisque ad omnes, & singulos actus legitimos quomodolibet faciendos, infamesque ac criminis læsæ Maiestatis in iure expressis pœnis eo ipso, & absque vlteriori declaratione per omnes, & singulos supradictos, si, quod absit, cōtrafecerint, incurrendis, à quibus vigore cuiuscumque facultatis, aut clausularum etiam in confessionalibus quibusvis personis sub quibusvis verborum formis concessis contentarum, nisi a Rom. Pont. canonice intrante, vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant.

§. 10. Non obstantibus præmissis, necnon constitutionibus, & ordinationibus, decretis, ac statutis Apostolica, seu quacumque alia etiam Conciliari auctoritate quomodolibet, etiam ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine editis, & emanatis, & sæpius innouatis repetitis, confirmatis, & approbatis, quibus, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur ad effectum præmissorum pro sufficienter expressis, & insertis habētes, illas alias in suo robore permansuris, scientia, potestate, & tenore præmissis, specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si Communitatibus, Vniuersitatibus, & personis singulis supranominatis, etiā Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Marchionibus, & Ducibus præfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut propterea priuari, & inhabiles reddi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & quibuscumque priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus nō expressa, vel totaliter non inserta effectū earumdem impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Contrarijs derogat.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c.

Dat. Romæ in publica sessione, in Lateran. Sacrosancta basilica solemniter celebrata, Anno Incarn. Dominicæ, 1516 14. Kalend. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno quarto.

Dat. P. An. 4. die 19. Dec.

Sequitur hic, prædicta concordia de qua sup. in rub.

LEO EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1515.

PRimitiua illa Ecclesia in angulari petra à Saluatore nostro IESV CHRISTO fundata, Apostolorum præconiis

Vnitas S. R. Ecclesiæ præseruari debet.

coniis clara, Martyrumque sanguine consecrata, & aucta, vbi primum iuuante Domino, per Orbem terrarum lacertos mouere cœpit, prouide attendens quantum oneris humeris impositum haberet, quot oues pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere oporteret, diuino quodam consilio parochias instituit, diœceses distinxit, Episcopos creauit, & Metropolitanos perfecit, vt tanquam membra capiti obsequentia, cuncta secundum eius voluntatem salubriter in Domino gubernarent, & tanquam riuuli à perenni fonte, Romana videlicet Ecclesia, deriuantes ne angulum quidem Dominici agri irrigatum dimitterent. Vnde sicut alij Romani Pontifices prædecessores nostri suo tempore omni studio curarunt, vt dicta Ecclesia vniretur, & in sancta vnione sine ruga, & macula conseruaretur, & omnes vepres ab eadem Ecclesia abolerentur, cui proprium est diuina opitulante gratia virtutes colere, & vitia radicitus extirpare; ita, & nos tempore nostro, & præsenti durante Concilio ea facere, & curare debemus, quæ vnioni, & conseruationi eiusdem Ecclesiæ conducere videntur. Ea propter omnes spinas quæ vnioni huiusmodi obsistunt, & segetem Domini pullulare non sinunt, tollere prorsus, & extirpare, ac virtutes in ea Domini inserere satagimus.

Cuius gratia electio cum Regibus Franciæ tractata fuit, pro abrogatione pragmatica ibi vigentis.

§. 1. Sane inter arcana mentis nostræ reuoluentes quot tractatus inter piæ memoriæ Pium II. Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrum VI. & Iulium II. Romanos Pontifices prædecessores nostros, & claræ memoriæ reges Franciæ Christianissimos super abrogatione certæ constitutionis in dicto Regno Franciæ vigentis quæ pragmatica vocatur, habiti fuerunt.

Ludouic. IX. illam abrogauit, tempore Pij II sed non fuit obseruata.

§. 2. Et licet Pius II. præfatus, Nuntiis ad claræ memoriæ Ludouicum IX. Franciæ Regem destinatis, tantis eisdem persuaserit rationibus, vt Rex ipse pragmaticam sanctionem huiusmodi, tanquam in seditione, & schismatis tempore natam, suis patentibus literis abrogauerit, Tamen huiusmodi abrogatio, nec etiam literæ Apostolicæ præfati Sixti super concordata cum Oratoribus præfati Regis Ludouici ad præfatum Sixtum prædecessorem destinatis habita expedite, per Prælatos, & personas Ecclesiasticas dicti Regni receptæ fuerunt, nec ipsi Prælati, & personæ Ecclesiasticæ illis parere, nec monitis Innocentij, & Iulij prædictorum auras præbere, sed eidem pragmaticæ constitutioni inhærere voluerunt.

Iul. ideo II. Conc. Lateran. indixit, ibique de huius pragmatica abrogatione agi iussit vt sup.

§. 3. Vnde præfatus Iulius prædecessor in præsenti Concilio Lateranensi vniuersalem Ecclesiam repræsentante per eum legitime indicto, abrogationis pragmaticæ sanctionis huiusmodi negotium, & illius discussionem venerabilium fratrum suorum Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, & aliorum Prælatorum Congregationibus, relationemque discussorum sibi, & eidem Concilio faciendam commisit, Gallicosque Prælatos, Capitula Ecclesiarum Monasteriorum Conuentus, ac Parlamenta, & laicos illis fauentes, cuiuscumque dignitatis, etiamsi Regalis existerent, sanctione prædicta vtentes, seu illam approbantes, omnesque & singulos alios sua communiter, vel diuisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateret accessus, in certis Ecclesiis tunc expressis affigendum moneri, & citari infra certum competentem terminum præfigendum ad comparendum coram eo in Concilio præfato, causasque dicendum quare sanctio præfata in concernentibus auctoritatem, dignitatem, & vnitatem Ecclesiæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, sacrorumque canonum, & Ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla, & inualida declarari, decerni, & abrogari non deberet.

Eo defuncto hoc Pont. ad vlteriora processit vt in constit. præced.

§. 4. Et cum super iis, in forma iuris in præfato Concilio Lateranensi procederetur, dictusque Iulius prædecessor, (sicut Domino placuit) rebus fuisset humanis exemptus, nosque diuina fauente clementia ad summi Apostolatus apicem assumpti fuissemus, & contra Prælatos, Capitula, Conuentus, & personas huiusmodi ad nonnullos actus processissemus.

Sed Franciscus Rex personaliter cum hoc Pont. hæc tractauit.

§. 5. Tandem considerantes pacem esse vinculum charitatis, & spiritualem virtutem qua saluamur, dicente Domino, Qui biberit aquam, quam ego dabo ei bibere, non sitiet in æternum: & quod in pace consistat salus vniuersorum, Cassiodoro testante, omni quippe Regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua, & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur, matura deliberatione cognouimus, non per Nuntios, aut Legatos nostros, sed in præstatione obedientiæ filialis, qua charissimus in Christo filius noster Franciscus Francorum Rex Christianissimus personaliter nobis præstitit, hæc cum Maiestate sua coram discutere, eumque paternis hortari monitis, vt ad laudem Dei, & sui honorem prompto animo libens, ac volens dictæ pragmaticæ sanctioni abrenuntiare, & secundum canones, & constitutiones S.R.E. quemadmodum cæteri Christiani viuere, mandatis Apostolicis, & prouisionibus, quæ à Sede Apostolica pro tempore emanarent, parere, & obedire vellet.

Constitutiones hic enunciata, inter eos inita fuerunt super.

§. 6. Et cum ex electionibus, quæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, ac Monasteriis dicti Regni multis annis citra fiebant grandia animarum pericula prouenerint, cum pleræque per abusum sæcularis potestatis, nonnullæ verò præcedentibus illicitis & simoniacis pactionibus, aliæ particulari amore, & sanguinis affectione, & non sine periurij reatu fierent, cum electores ipsi, etiamsi ante electionem per eos faciendam magis idoneum, & non eum quem promissione, aut datione alicuius rei temporalis, seu prece vel precibus per se vel alium interpositis electionem procurare didicissent, eligere sponte iurarent, iuramentum huiusmodi non seruarent, sed contra proprium huiusmodi iuramentum, in animæ suæ præiudicium, venirent, vt nobis notorie constat ex crebris absolutionibus & rehabilitationibus à nobis, & prædecessoribus nostris petitis, & obtentis, idem Franciscus Rex nostris paternis monitis tanquam verus obedientiæ filius parere volens, tam pro bono obedientiæ in qua magnum meritum veræ consistit, quam pro communi, & publica Regni sui vtilitate, in locum dictæ pragmaticæ sanctionis, ac singulorum capitulorum in ea contentorum Constitutiones infrascriptas inuicem tractatas, & cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus diligenter examinatas, & de eorum consilio cum præfato Rege concordatas per dilectum filium Rogerium Barnæ Reg. Aduocatum, Oratorem suum, ad hoc ab eodem Francisco Rege ad nos destinatum, habentem ad hoc speciale & sufficiens mandatum fratrum consilio, & vnanimi consensu, ex certa nostra scientia & potestatis plenitudine statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus loco dictæ pragmaticæ, constitutionis, ac omnium, & singulorum capitulorum in ea contentorum, in dicto Regno, Delphinatu, & Comitatu Dien. ac Valentinen. infrascriptæ obseruentur constitutiones videlicet.

Electionibus ad Cathedrales & Metropolitanas Ecclesias.

§. 7. Quod Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesiis in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis nunc & pro tempore etiam per cessionem in manibus nostris, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium sponte factam vacantibus, illarum Capitula, & Canonici ad electionem seu postulationem inibi futuri Prælati procedere non possint, sed illarum occurrente huiusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens vnum grauem Magistrum, seu Licentiatum in Theologia, aut in vtroque, seu in altero iurium Doctorem, aut licentiatum in vniuersitate famosa, & cum rigore examinis; & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, & alias idoneum, infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earundem computandos, nobis, & successoribus nostris Romanis Pont. seu Sedi prædictæ nominare, & de persona per Regem huiusmodi nominata, per nos & successores nostros, seu Sedem prædictam prouideri: & si contingeret præfatum Regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, per nos, & successores, seu Sedi huiusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minime prouideri debeat, sed teneatur idem Rex, infra tres alios menses à die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ, sollicitatori nominationem non qualificatam prosequenti consistorialiter factæ intimandæ, computandos, alium supradicto modo qualificatum nominare, alioquin vt dispendiosæ Ecclesiarum huiusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacanti per nos & succes-

sores

sores nostros, seu Sedem huiusmodi de persona, vt præfertur, qualificata.

Et ad Ecclesias vacantes per obitum apud Sedem Apost.

§. 8. Necnon Ecclesiis per obitum apud Sedem prædictam vacantibus, semper, nulla dicti Regis præcedente nominatione, libere prouideri possit, decernentes electiones contra præmissa attentatas, ac prouisiones per nos, & successores nostros, seu sedem huiusmodi factas, nullas & inualidas existere.

Electionibusque consanguineorum Regis, aut sublimium personarũ aut Mendicantiũ reformatorum.

§. 9. Consanguineis tamen præfati Regis, ac personis sublimibus ex causa rationabili & legitima, in nominatione & Apostolicis literis exprimenda, necnon Religiosis mendicantibus reformatis, eminentis scientiæ, & excellentis doctrinæ, qui iuxta sui ordinis regularia instituta ad gradus huiusmodi assumi non possint, sub prohibitione præmissa minime comprehensis, sed de eorum personis dictis Ecclesiis pro tempore vacantibus, ad dicti Regis nominationem, per nos, & successores nostros, seu Sedem huiusmodi libere prouideri possit.

Monasteriisque & beneficiis electiuis.

§. 10. Monasteriis verò, & Prioratibus Conuentualibus & vere electiuis, videlicet in quorum electionibus forma capituli, quia propter, seruari, & confirmationes electionum huiusmodi solemniter peti consueuerunt, in Regno, Delphinatu, & Comitatu huiusmodi nunc & pro tempore etiam per similem cessionem vacantibus, illorum Conuentus ad electionem, seu postulationem Abbatis, seu prioris procedere non possint, sed idem Rex illorum occurrente huiusmodi vacatione, Religiosum eiusdem Ordinis in ætate viginti trium annorum ad minus constitutum infra simile tempus sex mensium à die vacationis Monasteriorum, & Prioratuum huiusmodi computandorum nobis, & successoribus nostris, aut Sedi huiusmodi nominare, & de persona per Regem huiusmodi Monasterio vacanti nominata, per nos & successores nostros, seu Sedem huiusmodi prouideri, Prioratus vero personæ ad illum per eundem Regem nominatæ conferri debeat. Si verò idem Rex presbyterum sæcularem, vel Religiosum alterius Ordinis, aut minorem viginti trium annorum, vel alias inhabilem, nobis aut successoribus nostris infra dictum semestre, seu Sedi huiusmodi nominaret, talis nominatus, recusari, & nullatenus sibi prouideri debeat, sed Rex ipse infra trimestre à die recusationis supradicto modo intimandæ computandos, alium modo supradicto qualificatum Monasterio, seu Prioratui tunc vacanti nominare, & de persona ad Monasterium nominata illi prouideri, ad Prioratum verò nominato, Prioratus ipse per nos, & successores nostros, seu Sedem prædictam conferri debeat. Alioquin dictis nouē mensibus effluxis, nulla seu de persona minus idonea, & modo præmisso non qualificata facta nominatione, ac etiam vacantibus apud Sedem prædictam, semper, etiam nulla dicti Regis expectata nominatione, per nos, & successores nostros, seu Sedem prædictam Monasteriis prouideri; Prioratus vero personis, vt præfertur, qualificatis dumtaxat conferri libere possint. Electiones autem, & illarum confirmationes, necnon prouisiones, per nos & successores nostros, & Sedem prædictam contra præmissa pro tempore factas, nullas, irritas, & inanes esse decernimus. Per præmissa tamen non intendimus in aliquo præiudicare Capitulis Ecclesiarum, & Conuentibus Monasteriorum, & Prioratuum, huiusmodi priuilegia à Sede Apostolica proprium eligendi Prælatum obtinentibus, quominus ad electionem Episcoporum, ac Abbatum, & Priorum iuxta priuilegia in eis concessa libere procedere possint, iuxta formam in eorum priuilegiis contentam. & si in eorum priuilegiis forma aliqua expressa non fuerit, tunc formam Concilij generalis. Quia propter, seruare teneantur, dummodo de priuilegiis sibi concessis huiusmodi per literas Apostolicas, seu alias authenticas scripturas docuerint, omni alia specie probationis eis in hoc adempta.

De expectatiuis & reseruationibus.

§. 11. Volumus quoque & ordinamus, quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis de cætero non dentur aliquæ gratiæ expectatiuæ, ac speciales vel generales reseruationes ad vacatura beneficia, per nos, & Sedem prædictam non fiant, & si de facto per importunitatem, aut alias à nobis, & successoribus nostris, & Sede prædicta emanauerint, illas irritas, & inanes esse decernimus. In Cathedralibus tamen, Metropolitanis, & Collegiatis Ecclesiis, in quarum statutis caueretur expresse, quod nullus ibidem dignitatem, personatum, administrationem, vel officium obtinere possit, nisi in illis actu canonicus existat, canonicos (ad effectum dumtaxat inibi obtinendi dignitatem, personatum, administrationem, vel officium huiusmodi, & non consequendum primam præbendam vacaturam) creare posse intendimus.

Collationibusque fiendis per Ordinarios.

§. 12. Statuimus insuper, quod Ordinarius collator in vnaquaque Cathedrali, ac etiam Metropolitan. Ecclesia, canonicatum, & præbendam theologalem inibi existentem conferre teneatur vni magistro seu Licentiato, aut Bacealaureo formato in Theologia, qui per decennium in vniuersitate Studij generalis priuilegiata studuerit, ac onus residentiæ, lecturæ, & prædicationis actu subire voluerit, quique bis, aut semel ad minus per singulas hebdomadas, impedimento cessante legitimo, legere debeat, & quoties ipsum in huiusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli per subtractionem distributionum totius hebdomadæ puniri possit, & si residentiam deseruerit, de illis alteri prouideri debeat, & vt liberius studio vacare possit, etiamsi absens fuerit à diuinis, habeatur pro præsente, ita vt nihil perdat. Præfatique Ordinarij collatores, seu patroni Ecclesiastici quicumque fuerint, vltra dictam præbendam theologalem, quam, vt præfertur, qualificatu conferre tenentur, tertiam partem omnium dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum ad eorum collationem, prouisionem, nominationem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem quomodolibet spectantium, viris literatis, graduatis, & per vniuersitatem nominatis hoc modo videlicet primo mense post præsentium acceptationem, & earundem publicationem præfati Ordinarij collatores, dignitates, personatus, administrationes, & officia ad eorum collationem, prouisionem, nominationem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem, vt præfertur, spectantia, graduatis huiusmodi, qui literas suorum graduum cum tempore studij debite insinuauerint, conferre, teneantur. Beneficia verò quæ in duobus sequentibus mensibus vacare contigerit, illa iuxta iuris communis dispositionem personis idoneis libere conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare possint. Beneficia autem quæ in quarto mense vacare contigerit, viris graduatis per vniuersitatem nominatis qui gradus, & nominationis literas cum tempore studij debite insinuauerint, conferre, seu præsentare teneantur. Beneficia verò quę quinto mense, & sexto vacare contigerit, simili modo personis idoneis libere conferre, seu personas ad illa præsentare possint. Beneficia autem quæ septimo mense vacare contigerit, graduatis qui simili modo literas gradus cum tempore studij debite insinuauerint, conferre teneantur. Beneficia verò quæ octauo, & nono mensibus vacare contigerit, pari modo personis idoneis conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare teneantur. Beneficia autem quæ mense decimo vacare contigerit, graduatis nominatis, qui gradus, & nominationis literas cum tempore studij debite insinuauerint, per eosdem Ordinarios conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant. Beneficia autem quæ vndecimo & duodecimo mensibus vacare contigerit, per eosdem Ordinarios personis idoneis iuxta iuris communis dispositionem conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant. Si quis verò cuiuscumque status etiamsi Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, aut Pontificalis, vel alterius cuiuslibet dignitatis contra prædictum ordinem, & qualificationes superius ordinatas, de dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis, seu quibusvis aliis beneficiis Ecclesiasticis huiusmodi aliter quam modo præmisso disposuerit, dispositiones ipsæ sint ipso iure nullæ, collationesque & prouisiones, ac dispositiones illorum ad immediatum superiorem deuoluantur, qui eisdem personis modo præmisso qualificatis prouidere teneantur, & si contrauenerit, ad alium superiorem deuoluatur prouisio, & præsentatio huiusmodi gradatim, donec ad Sedem Apostolicam fiat deuolutio. Præterea volumus quod collatores Ordinarij, & patroni Ecclesiastici præfati qui-

qui dignitates, personatus, administrationes, & officia, ac beneficia in mensibus graduatis, & nominatis, assignatis vacantia, illius graduatis simplicibus, aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos dumtaxat præsentare teneantur, qui per tempus competens in vniuersitate famosa studuerint, tempus autem competens decennium in Magistris seu Licentiatis, aut Baccalaureis in Theologia, Septennium verò in Doctoribus, seu licentiatis in iure Canonico Ciuili, aut Medicina, Quinquennium autem in Magistris, seu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus inclusiue, aut in altiori facultate, Sexennium autem in Baccalaureis simplicibus in Theologia, Quinquennium vero in Baccalaureis iuris Canonicis, aut Ciuilis, in quibus Baccalaureis iuris Canonici, aut Ciuilis, si ex vtroque parente nobiles fuerint, triennium esse decernimus, præfati graduati, & nominati Collatoribus ordinariis; siue patronis Ecclesiasticis, semel ante vacationem beneficij de literis gradus, seu nominationis, & de præfato tempore studij per literas patentes vniuersitatis in qua studuerint, manu scribæ, & sigillo vniuersitatis signatas fidem facere teneantur. Cum verò probatio nobilitatis fieri deberet ad effectum vt nobiles ipsi gaudere possint beneficio minoris temporis studij, tunc nobilitas ipsa per quatuor testes deponentes in iudicio coram Iudice ordinario loci in quo est natus ille, de cuius nobilitate ex vtroque parente constare debet, etiam in partis absentia probari possit, teneanturque præfati graduati, tam simplices, quam nominati, patronis Ecclesiasticis, aut Collatoribus ordinariis, quibus gradus, aut nominationis literas huiusmodi insinuare deberent, literas suorum gradus, & nominationis, certificationis temporis studij, & attestationis nobilitatis duplicatas, ac in singulis annis tempore Quadragesimæ per se vel procuratorem suum Collatoribus, nominatoribus, seu patronis Ecclesiasticis aut eorum vicariis, eorum nomina, & cognomina insinuare, & eo anno quo præfatam insinuationem facere omiserint, beneficium in vim gradus, aut nominationis huiusmodi petere non possint, & si Collatoribus ordinariis, aut patronis Ecclesiast. in mensibus deputatis, graduatis simplicibus, aut graduatis nominatis non esset graduatus, aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerit, collatio, seu præsentatio per Collatorem, seu patronum Ecclesiasticum etiam eisdem mensibus facta alteri quam graduato, vel nominato non propter hoc irrita censeatur, si tamen graduatus simplex, aut nominatus beneficium post insinuationem gradus aut nominationis in mensibus eis assignatis vacans petierit, & inter suam insinuationem, & præfatam requisitionem non superuenerit Quadragesima, in qua nomen, & cognomen insinuare debuerit, ad beneficium sic vacans eum capacem, ipsumque illud consequi posse debere decernimus. Statuimus quoque, & ordinamus quod Collatores ordinarij, & patroni Ecclesiastici præfati inter graduatos qui literas gradus cum tempore studij, & attestatione nobilitatis debite insinuauerint, quoad beneficia in mensibus eis deputatis vacantia, gratificare possint illum ex eis quem voluerint, quo verò ad beneficia in mensibus graduatis, nominatis, deputatis antiquiori nominato conferre, seu antiquiorem nominatum qui literas nominationis, tempore studij, & attestationis nobilitatis debite insinuauerit, præsentare, seu nominare teneatur, concurrentibus, autem nominationibus eiusdem anni, Doctores Licentiatis, Licentiatos Baccalaureis (demptis Baccalaureis formatis in Theologia, quos fauore studij Theologici Licentiatis in iure Canonico, Ciuili, aut Medicina præferendos esse decernimus) Baccalaureos iuris Canonici, aut Ciuilis Magistris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus Doctoribus in diuersis facultatibus, Doctorem Theologum Doctori in iure, Doctorem in iure Canonico, Doctori in iure Ciuili, Doctorem in Ciuili, Doctori in Medicina præferendos esse decernimus, & idem in iure Licentiatis, & Baccalaureis seruari debere volumus, & si in eisdem facultate, & gradu concurrerent, ad datam nominationis seu gradus recurrendum esse volumus, & si in omnibus his concurrerent, tunc Collator ordinarius inter eosdem concurrentes gratificare possit. Volumus autem quod nominati literas nominationis ab vniuersitatibus in quibus studuerint obtinentes in nominationum literis beneficia per eos possessa, & eorum verum valorem exprimere teneantur, alioquin literæ nominationis huiusmodi eo ipso nullæ sint, & esse censeantur. Si quis verò ex dictis qualificatis, graduatis simplicibus, aut nominatis tempore vacationis beneficij in mensibus eis deputatis vacantis duas obtineat præbendas, in Cathedralibus etiam Metropolitanis aut Collegiatis, seu dignitatem, vel præbendam, vel aliud beneficium, seu alia beneficia, quorum insimul, vel cuius fructus, redditus, & prouentus tempore residentiæ, & horis diuinis interessendo ad summam ducentorum florenorum auri de Camera ascenderent, beneficium in vim gradus seu nominationis huiusmodi tunc petere seu consequi non possit. Et insuper quod tam graduati simplices quam nominati, beneficia in mensibus eis assignatis vacantia petere, & consequi possint secundum propriæ personæ condecentiam, & conformitatem, videlicet sæculares sæcularia, & religiosi regularia beneficia Ecclesiastica, ita quod sæcularis nominatus beneficia regularia in mensibus deputatis vacantia prætextu cuiusuis dispensationis Apostolicæ, & è contra religiosus beneficia sæcularia petere, aut consequi minime possit. Quodque beneficia simpliciter, vel ex causa permutationis in mensibus graduatis simplicibus, & nominatis assignatis vacantia eis non sint affecta, nec debita, sed ex causa permutationis cum permutantibus dumtaxat, simpliciter verò vacantia beneficia huiusmodi personis idoneis per ipsos Ordinarios libere conferri possint.

De Collatione Ecclesiarum Parochialium.

§. 13. Statuimus quoque quod Parochiales Ecclesiæ in Ciuitatibus, aut Villis muratis existen. non nisi personis modo præmisso qualificatis, aut saltem qui per tres annos in Theologia, vel altero iurium studuerint, seu Magistris in artibus qui in aliqua vniuersitate priuilegiata studentes magisterij gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati Regni vniuersitates sub pœna priuationis omnium, & singulorum priuilegiorum à nobis, & Sede Apostolica obtentorum, ne Collatores seu patroni Ecclesiastici habeant aliquos nominare, nisi eos qui secundum præfata tempora studuerint, & secundum dictarum vniuersitatum statuta ad gradus, & non per saltum prouecti fuerint. Quod si secus fecerint, vltra nullitatis pœnam quam in præfatarum nominationum literis declaramus, vniuersitates ipsas nominandi priuilegium ad tempus secundum culpæ qualitatem suspendimus. Si quis autem graduatorum aut nominatorum in mensibus deputatis à Collatoribus ordinariis, aut personis Ecclesiasticis beneficium vacans in vim gradus, aut nominationis petierit, & Collatorem ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in processu posuerit, & aliter molestauerit, illum vltra expensarum, damnorum, & interesse condemnationem à fructibus sui gradus, & nominationis priuandum esse decernimus, eodemque vinculo Collatores ordinarios, & patronos Ecclesiasticos quibus graduati, & nominati debite vt supra qualificati suos gradus, & nominationis literas insinuauerint, adstringimus, vt beneficia ad eorum collationem, vel præsentationem spectantia in mensibus graduatorum simplicium, & nominatorum vacantia, stantibus præfatis graduatis, aut nominatis debite qualificatis illa prosequentibus, aliis quam graduatis, aut nominatis conferant, sub pœna suspensionis potestatis conferendi beneficia in octo mensibus illo anno ad collationem eorum ac præsentationem liberam spectantibus.

De literis Papæ in forma mandati. Forma d mandati mox infra ponitur.

§. 14. Statuimus quoque, & ordinamus, quod quilibet Rom. Pont. semel dumtaxat tempore sui Pontificatus literas in forma mandati iuxta formam inferius adnotatam, & non vltra dare possit, hoc modo videlicet, vnum Collatorem habentem collationem decem beneficiorum in vno, habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum, & vltra, in duobus beneficiis dumtaxat grauare possit, ita tamen quod in eadem Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata Collatorem vnum pro tẽpore in duabus præbendis non grauet. Et vt obuietur litibus quæ occasione literarum mandatorum huiusmodi oriri possent, mandata

huiusmodi

huiusmodi sub forma quæ est inferius adnotata dari volumus, quam ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Apostolica publicari,& in illius quinterno registrari mandamus. Declarantes, prosequentes huiusmodi mandata quoad beneficia sub illis comprehensa ordinariis collatoribus, & graduatis, simplicibus, & nominatis præferendos esse, Nosque & successores nostros iure præuentionis, dignitates, personatus, administrationes, & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica,& sæcularia,& quorumvis Ordinum regularia, quæcumque,& quomodocumque qualificata, tam in mensibus graduatis, simplicibus,& nominatis,quam ordinariis collatoribus præfatis assignatis vacantia, ac etiam sub dictis mandatis comprehensa libere conferre.

De vero valore exprimendo.
Ad hoc vide declarationẽ hic in fine huius vltima const.

§. 15. Statuimus insuper quod in prouisionibus quas personis quibusvis de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis per nos,& successores nostros,ac Sedem prædictam,etiam motu proprio, etiam promotis ad Ecclesias Cathedrales,& Metropolitan. ac Monasteria, vt obtenta per eos beneficia retinere possint fieri contigerit, illorum verus annus per florenos,aut ducatorum auri de Camera aut libras Turonen. seu alterius monetæ valor secundum communem æstimationem exprimi debeat, alioquin gratiæ ipsæ sint ipso iure nullæ.

De causis in partibus Frãcia cognoscẽdis, & earum appellationibus.

§. 16. Statuimus quoque,& ordinamus, quod in Regno, Delphinatu,& Comitatu prædictis omnes, & singulæ causæ exceptis maioribus in iure expresse denominatis, apud illos Iudices in partibus,qui de iure,aut consuetudine præscripta,vel priuilegio,illarum cognitionem habent,& terminari, & finiri debeant. Et ne sub vmbra appellationum quæ nimium, & nonnunquã friuolæ interponi consueuerunt, atque etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpe multiplicari iniustis vexationibus materia præbeatur, volumus quod si quis offensus coram suo Iudice iustitiæ complementum habere non possit,ad immediatum superiorem, etiam ad nos, & successores nostros,vel sedem prædictam omisso medio, nec à grauamine in quacumque instantia ante definitiuam sententiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale grauamen extiterit, quod in definitiua reparari nequiret,& eo casu non nisi ad immediatum superiorem liceat appellari. Si quis verò immediatè subiectus Sedi Apostolicæ ad eandem sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum vsque ad finem litis, videlicet vsque ad tertiam sententiam conformem inclusiuè,si ab illis appellari contigerit,nisi propter defectũ denegatæ iustitiæ,aut iustum metum,& tunc cõmitti debeat in partibus cõvicinis,& cum causarũ expressione, quæ etiam de illis etiam legitimè aliàs quam per iuramẽtum coram iudicibus à Sede Apostolica deputandis constare debeat. Processus autem contra præmissa attentatos nullos, & irritos esse volumus, ac rescripta contra præmissa impetrantes,in expensis, damnis, & interesse condemnari debere decernimus, atque declaramus. Sanctæ verò Romanæ Ecclesiæ Cardinales qui pro vniuersali Ecclesia continuè laborant,necnon dictæ Sedis Officiales officia sua actu exercentes, sub præsenti decreto non intendimus comprehendi.

Earundemque instantiæ.

§. 17. Statuimus etiam, & ordinamus, quod Iudices causas, quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes sub pœna excommunicationis,& priuationis beneficiorum per eos obtẽtorum eo ipso incurrenda,infra biennium terminare debeãt, pars verò diffugiens, & expeditionem ipsius causæ malitiose impediens grauissime per eosdem Iudices mulctetur, etiam vsque ad priuationem iuris in huiusmodi processu prætensi, si eis visum fuerit, super quo eorum conscientias oneramus, ab interlocutoriis autem secundo, à definitiuis verò tertio dumtaxat prouocare licere decernimus.

Appellationibus.

§. 18. Volumusque secundam sententiam interlocutoriam conformem, & tertiam definitiuam etiam conformem omni mora cessante executioni debitæ demandari debere, quacumque appellatione interposita non obstante.

Triennali pacifico possessore.

§. 19. Statuimus quoque quod quicumque dummodo non sit violentus,sed habens coloratum titulum, pacificè, & sine lite prælaturam,dignitatem,personatum,administrationem,vel officium seu quodcumque beneficium Ecclesiasticum triennio proximo hactenus possider, vel pro tẽpore possidebit, in petitorio vel possessorio à quoquam etiam ratione iuris nouiter reperti molestari nequeat, præterquam prætextu hostilitatis,aut alterius legitimi impedimenti, de quo protestati, & iuxta concilium Viennen. intimari debeat,his autem hoc casu quoad futuras controuersias intelligatis, si ad executionem citationis, iurisque sui in iudicio exhibitionem, ac terminorum omnium obseruationem processum fuerit.

Beneficia sine titulo possidentibus.

§. 20. Monemus etiam Ordinarios, vt diligenter inquirant,ne quis sine titulo beneficiũ possideat,& si quem beneficium sine titulo possidere repererint, declarent illi ius non competere, cuiusvis temporis detentione non obstante,de ipsoque beneficio possit illi (dummodo non sit intrusus, vel violentus, aut alias indignus) vel alteri idoneo prouideri.

Concubinariorum pœnæ. Tu vid. Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. & sess. 25. c. 14.

§. 21. Et insuper statuimus,quod quicumque clericus cuiuscumque conditionis, status, religionis, dignitatis, etiam si Pontificalis,vel alterius præeminentiæ fuerit, qui post habitam præsentium notitiam, quam habere præsumatur post duos menses post earundem præsentium publicationem in Ecclesiis Cathedralibus factam, quam ipsi Diœcesani omnino facere teneantur, postquam præsentes ad eorum notitiam peruenerint, publicus concubinarius à perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum trium mensium spatio sit ipso facto suspensus, quos suus superior in fabricam,vel aliam euidentem Ecclesiarum vtilitatem, ex quibus ij fructus percipiũtur, conuertat,necnon huiusmodi publicum concubinarium, vt primum talẽ esse nouerit, mox suus superior monere teneatur,vt infra breuissimum terminum concubinam dimittat, & si illam non dimiserit, vel dimissam, seu aliam publicè resumpserit,iubemus, vt ipsũ in omnibus suis beneficiis omnino priuet. Et nihilominus ij publici concubinarij vsquequo cum eis per suos superiores post ipsarum concubinarum dimissionem manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcumque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumve sint inhabiles, qui si post dispensationem recidiuo vomitu ad huiusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicuius dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existãt,quodque si hi ad quos talium correctio pertinet,eos,vt prædictum est,punire neglexerint,eorum superiores tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animaduertãt. In conciliis etiam prouincialibus, & synodalibus aduersus tales punire negligentes vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem à collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna seueriter procedatur,& filij quorum destitutio ad nos, & Sedem prædictam spectat, per concilia prouincialia, aut suos superiores propter concubinatum publicum reperiantur priuatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur, eadem diligentia, & inquisitio in quibuscumque generalibus Capitulis, etiam prouincialibus quoad eos seruetur, pœnis aliis contra prædictos; & alios non publicos concubinarios à iure statutis in suo robore permansuris.

Concubinarij publici qui sint.

§. 22. Publici autem intelligendi sunt non solum ij, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in iure factam, seu per rei euidentiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari, notorius est, sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam,& diffamatam tenent,& per suum superiorem admoniti ipsam cum effectu non dimittunt.

Concubinarijs non permittendis.

§. 23. Quia vero in quibusdam regionibus nonnulli iurisdictionem Ecclesiasticam habentes pecuniarios quæstus à concubinariis percipere non erubescunt, patientes eos in tali fœditate sordescere, sub pœna maledictionis æternæ præcipimus, ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alterius quæstus, talia quovis modo tolerent, aut dissimulent, alioquin vltra præmissam negligentiæ pœnam duplum eius quod propterea acceperint, restituere, & ad

pios vsus omnino conuertere teneantur, & compellantur. Ipsas autem concubinas, aut suspectas Prælati omnibus modis curent à suis subditis, per auxilium, & brachij sæcularis inuocationem (si opus fuerit) penitus arcere, qui etiam filios ex tali concubinatu procreatos apud patres suos cohabitare non permittant. Iubemus insuper quod in prædictis Synodis, & capitulis præmissa publicentur, & vt quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat, diligenter. Iniungimus prætcrea omnibus sæcularibus viris, etiamsi Regali præfulgeant dignitate, ne vllum qualecumque inferant impedimentum, quocumque quæsito colore Prælatis, qui ratione officij sui aduersus subditos suos pro huiusmodi concubinatu, & aliis casibus sibi à iure permissis procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum sit, & sub pœna peccati mortalis necessarium euitandum, monemus omnes laicos, tam vxoratos, quam solutos, vt similiter à concubinatu abstineant: nimis enim reprehensibilis est qui vxorem habet, & ad aliam vxorem, seu mulierem accedit, qui verò solutus est, si continere nolit, iuxta Apostoli consilium vxorem ducat: pro huiusmodi autem diuini obseruantia præcepti, hi ad quos pertinet tam salutaribus monitis, quam aliis canonicis remediis omni studio laborent.

De conuersatione cum excommunicatis.

§. 24. Statuimus insuper, quod ad euitandum scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientiis timoratis, quod nemo deinceps à communicatione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, vel etiam prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Eccles. seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generali promulgatæ, teneantur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit, vel contra personam, Collegium, Vniuers. Eccl. aut locum certum aut certam à iudice publicata, & denuntiata specialiter, & expresse, aut si notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari, eum à communione illius abstinere volumus, iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari.

Interdictisque Ecclesiasticis.

§. 25. Et quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueuerunt scandala euenire, statuimus quod nulla Ciuitas, Oppidum, Castrum, Villa, aut locus Ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa, siue culpa ipsorum locorum, aut domini, seu rectoris, vel officialium, propter culpam autem, seu causam alterius cuiuscumque priuatæ personæ huiusmodi loca interdici nequaquam possint, auctoritate quacumque ordinaria delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata, ac denuntiata, seu in Ecclesia publicata, aut domini, seu rectores, vel officiales ipsorum locorum auctoritate iudicis requisiti, huiusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non eiecerint, aut ad satisfaciendum compulerint, qua etiam post biduum eiecta recedente, vel satisfaciente, mox ad diuina resumi possint, quod etiam in pendentibus locum habere decernimus.

Resignationibus beneficiorum. De hac materia, gratum habemus sanctionem Greg. XIII. in eius const. 85. Humano.

§. 26. Necnon constitutionem de eorundem fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio editam, quam cum irritanti decreto statuimus, & decreuimus, & ordinamus, quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus decessione regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & Monasteriorum, facta per eos, qui Ecclesiis, & Monasteriis ipsis præerunt, seu illa in administrationem, seu commendam, aut vt aliis vnita, aut alias obtinebant, seu resignatione aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, seu cessione iuris in eis, vel ad ea quomodolibet competentis, aut priuationis, vel depositionis, aut censurarum fulminatione, etiam literis Apostolicis à nobis, & Sede Apostolica, etiam motu proprio pro tempore emanatis, quæ in manibus Romani Pontificis factæ dicerentur contentis, etiamsi super illis narratis fundaretur intentio, constare, & apparere deberet per publica instrumenta, vel documenta authentica. Alioquin tam in iudicio, quam extra illud, narratiuæ, & assertioni huiusmodi in præiudicium tertij minime stari, nec ex illis alicui præiudicium afferri debere, nisi de huiusmodi narratiua, & assertione etiam in literis Apostolicis facta altero ex præmissis modis doceretur, innouamus, illamque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari mandamus.

Stabilimentum concordiæ cum eodemet Rege, qui Bononiæ personaliter huic Pont. obedientiam præstitit.

§. 27. Et quia ad supradictam concordiam cum præfato Rege ob illius sinceram deuotionem erga nos, & Sedem prædictam ostensam, cum ad præstandam nobis reuerentiam, & filialem obedientiam, ac Ciuitatem nostram Bononiæ personaliter accessit, consentimus, illamque inuiolabiliter obseruari desideramus, illam veri contractus, & obligationis inter nos, & Sedem Apostolicam prædictam ex vna, & præfatum Regem, & Regnum suum ex altera partibus, legitime initi, vim, & robur obtinere.

Cui derogari non posse decernit.

§. 28. Ac illi, & præsentibus in aliqua sui parte per quascumque literas, & gratias per nos, & successores nostros desuper concedendas derogari, clausulamque cum earundem derogatione præsentium latissime extendenda, ac quod eædem præsentes literæ, & earum tenor pro expressis habeantur in quibusvis supplicationibus pro tempore signatis appositam, nihil penitus operari, & illius vigore in literis Apostolicis super ipsis supplicationibus conficiendis quicquam per quod præsentibus, aut alicui particulæ de contentis in eis derogaretur, seu derogari videretur, narrari non possit, & sic per quoscumque iudices, etiam Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & præfatæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quibusvis causis super præmissis, vel eorum aliquo pro tempore motis iudicari, definiri, & sententiari debere, sublata eis aliter sententiandi, & definiendi omnimoda facultate, & auctoritate, necnon irritum, & inane quicquid secus super iis, vel eorum aliquo à quoquam quavis auctoritate etiã per nos, & successores nostros præfatos, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Pactum quod Rex infra certum tempus hanc concordiam in suo Regno acceptari faciat.

§. 29. Volumus autem quod præfatus Rex præsentes literas, ac omnia, & singula in eis contenta, quæ in prima futura Sessione præsentis Concilij Lateranensis approbari, & confirmari facere promisimus, infra sex menses à die approbationis, & confirmationis computandos non approbauerit, & ratificauerit, & ea perpetuis futuris temporibus in Regno suo, & omnibus aliis locis, & dominiis dicti Regni per omnes Prælatos, & alias etiam Ecclesiasticas personas, ac Curias Parlamentorum legi, publicari, iurari, & registrari, ad instar aliarum Constitutionum Regiarum, & de acceptatione, lectione, publicatione, iuramento, & registratione prædictis infra prædictum tempus per omnium, & singulorum supradictorum patentes literas, aut authenticas scripturas nobis non transmiserit, aut Nuntio nostro apud ipsum Regem existenti, per eum ad nos destinandas non consignauerit, & deinde singulis annis etiam legi, prout alias ipsius Francorum Regis Constitutiones, & ordinationes, quæ in viridi sunt obseruantia, obseruari debent, inuiolabiliter obseruari cum effectu non fecerit, præsentes literæ, & inde secuta quæcumque sint cassa, & nulla, nulliusque roboris vel momenti.

Declaratio d. concordiæ.

§. 30. Et cum omnium quæ in Regno Delphinatu, & Comitatu prædictis aguntur, notitiam non habeamus, consuetudines, statuta, seu vsus libertati Ecclesiasticæ, & auctoritati Sedis Apostolicæ quomodolibet præiudicantia si qua in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis alias quam in præmissis existant, non intendimus nobis, & eidem Sedi in aliquo præiudicare, seu illa tacite vel expresse quomodolibet approbare.

Obseruantiam concordiæ per Regem exequenti demandat.

§. 31. Et nihilominus præfato Francisco, & pro tempore existenti Francorum Regi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios in dignitate Ecclesiastica constitutos præsentes literas, ac omnia & singula in eis contenta, quando & quoties opus fuerit, publicari, & ea inuiolabiliter obseruari faciant. Contradictores cuiuscumque dignitatis & præeminentiæ fuerint per censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias pœnas, aliaque iuris & facti quævis opportuna remedia appellatione qualibet omnino postposita compescendo.

§. 32. Non

Clausula derogatoria.

§. 32. Non obstantibus omnibus supradictis, aut aliquibus, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma vero supradicti mandati Apostolici sequitur, & est talis.

LEO EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei: Venerabili fratri Episcopo. N & dilectis filiis Capitulo singulisque Canonicis Ecclesiæ N. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Forma mandati Apostol. de quo sup.

§. 33. Vitæ ac morũ honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus dilectus filius N. apud nos fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, vt sibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos cupientes vt eidem N. iuxta illius quæ olim per fel. recor. Gregorium Papam IX. prædecessorem nostrum ad tunc Episcopum Nouiomen. directa extitit quæ incipit, Mandatum, & aliarum duarum illam immediate sequentium decretalium formas de Canonicatu & præben. aut dignitate, personatu, administratione, vel officio vestræ vel alterius Ecclesiæ, aut alio beneficio, cum cura, vel sine cura, etiamsi Parochialis Ecclesia, vel eius perpetua Vicaria, aut Capella, siue perpetua Capellania ad vestram collationem, nominationem, seu præsentationem, & aliam quamcumque dispositionem prouideri possit, Ac volentes præfato N. meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, ipsumque N. à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, necnon omnia & singula beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura quæ præfatus N. etiam ex quibusvis Apostolicis dispensationibus obtinet, & expectat, ac in quibus, & ad quæ ius sibi quomodolibet competit, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque sint, eorumque fructuum, redditium, & prouentuum veros annuos valores, ac huiusmodi dispensationum tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio non ad ipsius N. vel alicuius alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vobis pro alio non scripserimus qui simile mandatum, aut similem gratiam prosequatur, Canonicatum, & præben. aut dignitatem, personatum, administrationem, vel officium vestræ vel alterius Ecclesiæ, aut aliud beneficium Ecclesiasticum cum cura vel sine cura etiamsi Parochialis Ecclesia, vel eius perpetua Vicaria, aut Capella, vel perpetua Capellania fuerit, ad vestram collationem, prouisionem, præsentationem, nominationem, seu quamvis aliam dispositionem pertinens, etiamsi dignitati, personatui, administrationi, vel officio huiusmodi cura immineat animarum, dummodo talis dignitas electiua non existat, cum creatione in Canonicum vestræ vel alterius Ecclesiæ, etiamsi in ea statuto, & priuilegio expressè caueatur, quod nulli de dignitate, personatu, administratione, vel officio prouideri possit, nisi cuio effectu illius Ecclesiæ Canonicus existat, Canonicatum huiusmodi Ecclesiæ, cum plenitudine iuris Canonici, & non obstante de certo Canonicorum numero ad effectum huiusmodi dignitatem, personatum, administrationem, vel officium dumtaxat obtinendum, & non alias auctoritate Apostolica, tenore præsentium conferimus, & de illo etiam prouidemus, si quem, quam, vel quod post mensem, postquam præsentes literæ vobis præsentatæ fuerint, extra Rom. Curiam vacare contigerit, cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus & pertinentiis suis eidem N. conferatis, & de illo, aut illa prouideatis, seu ipsum ad illam, vel illud præsentetis, aut nominetis, ipsumque N. in Canonicum, & in fratrem vestræ vel alterius Ecclesiæ ad effectum tantum obtinendi dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi recipiatis, stallum sibi in Choro, & locum in Capitulo, cum plenitudine iuris Canonici assignetis; inducentes eundẽ N. vel procuratorem suum eius nomine, in corporalem possessionem Canonicatus & præben. aut dignitatis, personatus, administrationis, vel officij, seu beneficij huiusmodi, iuriumque, & pertinentium vniuersorum prædictorum, defendentesque inductum, ac facientes N. vel pro eo procuratorem prædictum ad præbendas, aut dignitatem, personatum, administrationem vel officium, seu beneficium huiusmodi, quodcumque fuerit, vt moris est admitti, sibique de illius, vel eorum fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, & obuentionibus vniuersis integre responderi. Non obstante de certo Canonicorum numero, vt præfertur, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ vestræ vel alterius Ecclesiæ iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si vobis ab Apostolica sit Sede indultum, quod ad receptionem vel prouisionem alicuius minime teneamini, quodque de Canonicatibus, & præbendis, seu dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis vestræ vel alterius Ecclesiæ, aut aliis beneficiis Ecclesiasticis quibuscumque ad vestram collationem, prouisionem, præsentationem, nominationem, seu quamvis aliam dispositionem, communiter vel diuisim pertinen. nulli valeat prouideri per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgent. generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiuscumque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Seu si dictus N. præsens non fuerit ad præstandum de obseruandis statutis, & consuetudinibus vestræ, vel alterius Ecclesiæ solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem idoneum, & cum ad Ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter præstet. Data, &c.

Forma alterius mandati Apost. de quo sup.

§. 34. Dilectis filiis N. & N. ac N. Officialibus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie cupientes vt dilecto filio N. Clerico N. Diœcesis iuxta illius quæ olim per fel. recor. Gregorium Papam IX. prædecessorem nostrum ad tunc Episcopum Nouiomen. directa extitit, quæ incipit, Mandatum, & aliarum duarum illam immediate sequentium decretalium formas, de Canonicatu & præbendis, aut dignitate, personatu, administratione, vel officio Ecclesiæ N. aut alio beneficio Ecclesiastico cum cura vel sine cura, prouideri posset, motu proprio venerabili fratri nostro Episcopo N. & dilectis filiis Capitulo, singulisque Canonicis Ecclesiæ N. per alias nostras literas mandauimus, quatenus si eis communiter vel diuisim pro alio non scripsissemus, qui simile mandatum, aut similem gratiam prosequeretur, eidem N. Canonicatum, & præbendas, aut dignitatem, personatum, administrationem, vel officium, aut beneficium Ecclesiæ N. aut aliud beneficium Ecclesiasticum, ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, nominationem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel diuisim pertinens, si quem, quam, vel quod, post mensem post præsentationem earundem literarum vacare contingeret, cum plenitudine iuris Canonici, omnibus iuribus, & pertinentiis suis, prout ad eos communiter vel diuisim pertineret, conferrent, & assignarent, aut eum ad illa præsentarent, eligerent, nominarent, seu de illis prouiderent, prout in eisdem literis plenius continetur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios, si Episcopus, Capitulum, & Canonici prædicti Canonicatum, & præben. aut dignitatem personatum, administrationem vel officium, aut beneficium huiusmodi eidem N. conferre, & assignare, ac de illis eidem prouidere recusauerint, seu distulerint aut negligentes fuerint, Canonicatum, præbendas, aut dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuri-

bus,& pertinentiis supradictis, eidem N. conferre, & assignare, necnon eundem N. ad illa vt moris est admittere,& in Canonicatum recipere,& in fratrem,stallo sibi in Choro,& loco in Capitulo assignatis, omniaque & singula alia in dictis literis contenta, alias iuxta earundem continentiam ac formam in omnibus, & per omnia facere, & exequi curetis. Contradictores prout iustitia suadebit ad hoc compescendo. Non obstan. omnibus quæ in dictis literis volumus non obstare. Datum &c. Pro regularibus autem similis forma illis conueniens detur &c.

Nulli ergo omnino hominum,&c.Si quis &c.

Dat. P. An. 4. die 18. Aug.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sextodecimo,xv.Kalen.Septembr.Pont.nostri Anno quarto.

Sequitur eiusdem Pontificis alia d. concordia confirmatio, Sacro Lateranensi Concilio approbante.

Edita An. D. 1516.

LEO EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.
Sacro approbante Concilio.

Causa huius constit.

Diuina disponente clementia, per quam Reges regnāt,& principes imperant, in eminenti Apostolatus specula,& super gentes & regna, meritis licet imparibus constituti, animo reuoluentes, quod & si ea quæ pro salubri, & quieto regimine regnorum, & ad apicem & iustitiam populorum, perpetua eorundem Regnorum stabilitate, Regibus præsertim de fide Catholica, & de Republica Christiana, & Apostolica Sede benemeritis, laudabili,& prouida nostra ordinatione cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus concessa,ac ad effectum huiusmodi gesta, statuta, ordinata, & decreta, factave sunt, plenam roboris obtineat firmitatem, illis nihilominus interdum sacro approbante Concilio nostræ innouationis, & approbationis robur adiicimus, vt eo firmius illibata perdurent,quo sæpius erunt nostra auctoritate, ac etiam generalis Concilij præsidio communita efficacemque operam circa eorundem conseruationem libenter adhibemus, vt Reges & ipsorum Regnorum personæ, concessionibus,priuilegis, statutis, & ordinationibus huiusmodi in Domino plene gaudentes, pacis,& in tranquillitatis,ac amœnitatis dulcedine conquiescant, & in eorum solita erga eandem Sedem deuotione feruentius perseuerent.

Concordia inita fuit cum Rege Franciæ vt in bulla præinserta.

§. 1. Nuper siquidem vt Ecclesia sponsa nostra in sancta vnione conseruaretur,& per Christi fideles sacris canonibus à Romanis Pontificibus,& sacris generalib. Cōciliis dumtaxat editis viuerent; quasdam Constitutiones, quas de cætero loco pragmaticæ sanctionis, & contentorum in ea in Regno Franciæ pro bono pacis,& cōcordiæ,ac illius cōmuni, & publica vtilitate cum charissimo in CHRISTO filio nostro Francisco Francorum Rege Christianissimo, dum Bononiæ cum nostra Curia essemus, tractatas,& cum eisdem fratribus nostris diligenter examinatas,& de eorum consilio cum præfato Rege cōcordatas, & per ipsius Regis legitimum procuratorem acceptatas, de eorundem fratrum consilio, & vnanimi consensu statuimus, & ordinamus,prout in nostris literis desuper confectis plenius continetur, quarum tenor sequitur,& est talis.

Bulla ipsa est quæ præcedit ideo non inseritur

Et nunc illa per Pontificem cum approbatione Concilij, iterato approbatur quatenus Rex pro parte sua eadem obseruet.

§. 2. Nos igitur vt literæ ipsæ quæ ob id præcipue editæ fuerunt vt in corpore mystico,sancta videlicet Ecclesia,perpetua charitas,& pax inuiolata perdurent,& si qua membra dissentiant, ea commode suo reinserantur corpori, eoque magis obseruentur, quo clarius constiterit ipsas literas ea matura & salubri deliberatione à nobis dicto sacro Lateranensi approbante Concilio approbatas, & innouatas, qua statutæ, & ordinatæ fuerunt; licet ad earundem literarum subsistentiam, & validitatem, alia approbatione non indigerent, ad abundantiorem tamen cautelam, vt eo tenacius obseruentur, & difficilius tollantur, quo tantorum Patrum fuerint maiore approbatione munitæ,literas prædictas cum omnibus, & singulis statutis, ordinationibus, decretis, definitionibus, pactis,conuentionibus,promissione, voluntate, ac pœnis, inhibitione, aliisque,omnibus & singulis clausulis in eis contentis,illa præsertim qua volumus quod si præfatus Francorum Rex supradictas literas, ac omnia, & singula in eis contenta intra sex menses à data præsentium computandos non approbaret, & ratificaret, & ea perpetuis futuris temporibus in Regno suo, & aliis locis, & Dominiis dicti Regni per omnes Prælatos, & alias Ecclesiasticas personas, ac Curias parlamentorum acceptari, legi, publicari, iurari,& registrari ad instar aliarum constitutionum regiarum, & de acceptatione, lectione, publicatione,iuramēto,& registratione prædictis intra prædictum tempus per omnium & singulorum supradictorum patentes literas, aut authenticas scripturas, nobis non transmitteret, aut Nuntio nostro apud ipsum Regem existenti per eum ad nos destinandum non consignaret, & deinde singulis annis etiam legi, prout aliæ ipsius F. Regia Constitutiones, & ordinationes, quæ in viridi sunt obseruantia, obseruari debent, inuiolabiliter obseruari cum effectu non fecerit, literæ ipsæ, & inde secuta quæcumque essent cassa,& nulla, nulliusque roboris, vel momenti, sacro Lateranen. Concilio approbante, Apostolica auctoritate, & potestatis plenitudine approbamus & innouamus, easque inuiolabiliter, & irrefragabiliter obseruari, & custodiri mandamus, robutque perpetuæ firmitatis in euentum dictarum approbationis, & ratificationis, & non aliter,nec alio modo obtinere, omnesque in dictis literis comprehensos, ad ipsarum literarum ac omnium & singulorum in eis expressorum obseruationem, sub censuris & pœnis, ac aliis in eis contentis iuxta earundem literarum tenorem & formam teneri,& obligatos esse decernimus,& declaramus.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo &c. Si quis &c.

Dat. P. An. 4. die 19. Dec.

Dat. Romæ in publica sessione, in Lateranen. sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sextodecimo, 14. Kalen. Ianuarij, Pontificatus nostri anno quarto.

Sequitur d. constitutionis declaratio.

Edita An. D. 1517.

LEO EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, cui tot tantaque in spiritualibus & temporalibus prouidenda incumbunt, rerum & temporum qualitate pensata, nonnulla prout ad cunctorum clericorum beneficia Ecclesiastica, à Sede Apost. pro tempore impetrantium commoda & vtilitates, ac litibus & fraudibus obuiandum oportere conspicit, salubriter ordinat & disponit.

In concordatis Franciæ, habetur, quod verus valor beneficiorum exprimeretur vt hic sup.

§. 1. Nuper siquidem inter constitutiones ad laudem Dei & Christi fidelium pacem & quietem, de fratrum nostrorum cōsilio,cum charissimo in CHRISTO filio nostro Francisco Francorum Rege Christianissimo matura deliberatione cōcordatas, statuimus quod in prouisionibus per quas personis quibusvis Regni Franciæ ac Delphinatus, & Comitatus Dien. & Valentin. de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis per nos & successores nostros & Sedem prædictam,etiam motu proprio, etiam promotis ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas & Monasteria (vt obtenta per eos beneficia retinere possent) fieri contingeret, illorum verus annuus per florenos aut ducatos auri de Camera, aut libras Turon. seu alterius monetæ valor secundum communem æstimationem exprimi deberet, alioquin gratiæ ipsæ essent ipso iure nullæ.

Ex causis autem hic expressis.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, sæpe contingeret personas Regni & Delphinatus ac Comitatus huiusmodi, vacatione beneficiorum in locis remotis Regni ac Delphinatus, & Comitatus eorundē, per obitum pro tēpore vacantia intellecta, eorum veri valoris notitiam haberi nō posse & valoris huiusmodi notitia non habita, ad illa à Rom. Pont. impetrandum, celerem Nuntium ad Sedem prædictam destinare, & signaturam supplicationis super illorum impetratione, cum facultate verum annuum,

annuum valorem beneficiorum huiusmodi in literarum super huiusmodi supplicationibus expeditione augendi obtinere ad effectum possessionem beneficiorum huiusmodi assequendi, literas super huiusmodi impetrationibus, cum minus vera valoris beneficiorum eorumdem expressione expedire, & absque eorum culpa, diligentia & expensis pro impetratione huiusmodi obtinenda factis, & gratia eis à nobis concessa, & illius effectu frustrari, ac per posteriores (qui nulla habita diligentia cum expressione veri valoris eadem beneficia à Sede prædicta impetrarunt) excludi, ac desuper propterea molestari.

Conceditur facultas illum valorem exprimendi infra annum à die datarum literarum.

§. 3. Nos qui subditorum nostrorum commoda libenter procuramus, ac eos à litibus & expensis, quantum cum Domino possumus releuamus motu proprio ac ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus impetrantes beneficia Ecclesiastica in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis per obitum dumtaxat vacantia, si verum annuum valorem beneficiorum in literis Apostolicis, quæ super dictis beneficiis expeditæ non fuerunt non expresserint, infra annum à die datarum literarum earundem computandum, valorem ipsum male expressum corrigi, per officiales, ad quos expeditio literarum huiusmodi pertinet, & correctiones literarum earundem fieri consueuerunt petere; ipsique officiales ipsarum literarum expeditioni præsidentes, ad eorundem impetrantium simplicem petitionem, valorem in ipsorum ad verum annuum valorem, iuxta petentium voluntatem in eisdem literis reducere, & corrigere, Ipsique impetrantes pro augmento valoris expressi dumtaxat, annatam Cameræ Apostolicæ soluere debeant & teneantur.

Impetrationes aliter factæ inualidantur.

§. 4. Decernentes quascumque impetrationes posteriores de dictis beneficiis ratione non expressionis veri valoris huiusmodi, infra dictum annum factas, nullius roboris vel momenti esse, & pro infectis haberi debere. Nulli &c.

Dat. P. A. 4. die 1. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1517. Kal. Octobris, Pont. nostri Anno quarto.

XXI. De Prædicatorum verbi Dei munere, examine, & approbatione.

Approbatio & examen huiusmodi, regulariter spectat ad Ordinarios locorum, ita disponente Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. c. 4. ac ita etiam iubente Clem. VIII. in sua const. 115. Quacumque. Quo vero ad eorum officium habes Concil. Trid. sess. 5. c. 2. sess. 24. c. 4. & sess. 25. in cap. de Purgatorio.

Quoad prædicationem verbi Dei vide quæ statuit Greg. XV. in sua const. 18. Inscrutabili infr. num. 4.

Edita An. D. 1516.

L E O   E P I S C O P V S,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.
Sacro approbante Concilio.

Prædicationis munus valde necessarium & vtile est.

SVpernæ Maiestatis præsidio, per cuius ineffabilem prouidentiam cælestia simul & terrena diriguntur, super gregem Dominicum nobis commissum, speculatoris officium (quantum imbecillitati nostræ conceditur) exercentes, totaque mente nobiscum ipsi reuoluentes inter alia complura & magna ad nos pertinere, vt munus prædicationis, quod in Ecclesia Dei præcipuum, ac pernecessarium, magnique fructus atque vtilitatis, dummodo recte & ex sincera charitate erga Deum & proximum præceptisque & exemplis sanctorum Patrum, qui hæc profitentes cum fidei fundatione & propagatione plurimum Ecclesiæ contulerunt, exerceatur; quippe quod Redemptor noster primus fecit, & docuit, & eius præcepto & imitatione duodenus ille Apostolorum numerus, quasi totidem cœli, Dei veri gloriam enarrantes per Orbem terrarum, vniuersum genus humanum, quod sub peccati iugo vetusta seruitute continebatur, sensim ab eorum tenebris educentes, & ad perpetuæ salutis lucem excitantes, verbum ipsum in omnem terram, & in fines orbis terræ, tum ipsi prius, tum deinde sui successores longe lateque propagauerunt, altissimeque fundarunt, vt qui nunc tantum subeunt onus, meminisse debeant, creberrimeque secum reuoluere, præter auctoris ipsius, ac fundatoris IESV CHRISTI sapientissimi Redemptoris, Petri etiam & Pauli cæterorumque Apostolorum & Domini Discipulorum se vices, quoad hoc officium, subire, ac sustinere.

Prædicatores tamen aliqui scandalosa quandoque proponunt.

§. 1. Sane fide dignorum relatione percipimus, quod nonnulli Prædicatores nostris temporibus (quod dolenter referimus) non attendentes, se eorum, quos diximus, & insuper Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, aliorumque sacram Theologiam profitentium, qui assistendo iugiter Christianis, ac se falsis prophetis rectam fidem subuertere annitentibus opponentes, Ecclesiam militantem illæsam prius, per se talem eam esse manifestarunt, officium exercere, & non nisi vtilia concutienti eorum sermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem, animarum denique salutem fidelium, meditanda & perficienda debere assumere, multa tamen & varia contra institutiones & exempla, quæ diximus, quandoque etiam scandalosa populis prædicare, quod mentem certe nostram mirum in modum commouit, dum nobiscum ipsi mente voluimus, quod illi officij immemores sui, in suis sermonibus non ad vtilitatem audientium, sed ad suam potius ostentationem laborantes, vanis quorumdam auribus blandiuntur, qui ad hoc iam deuenisse apparent, vt verificetur dictum Apostoli ad Timotheum ita scribentis: Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad desideria coacetuabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur; quorum falsas & inanes mentes, prædicantes ipsi præfati, non modo in rectam veramque viam reducere minime student, sed illas maioribus etiam erroribus implicant, dum sine vlla canonum attestatione, vel reuerentia, imo contra ipsas canonicas sanctiones, sacræ Scripturæ sensum multifariam peruertentes, temereque ac perperam plerumque interpretantes, contra veritatem prædicare, terroresque ac minas, multaquemala propediem affutura, iamque ingruentia, nulla prorsus legitima ratione muniti, sed suo dumtaxat sensui obsequentes comminantur, repræsentant, adesseque asseuerant; plerumque etiam vana quædam & inania, & alia huiusmodi populis ingerere, & (quod enormius est) ab æternitatis lumine, & sancti Spiritus admonitione, aut infusione, illa se habere asserere audent. Cumque ij sub confictorum miraculorum mendaciis, varios errores fraudesque disseminent, denique populos, quos in Euangelica doctrina sedulo instruere, & in vera fide retinere & conseruare deberent, sermones suos à sensu & præceptis vniuersalis Ecclesiæ retrahentes, à sacrisque constitutionibus, quas maxime sequi deberent, deuiantes, auditores suos amouent, ac longe faciunt à salute. Per hæc namque & alia huiusmodi simpliciores homines, vt ad deceptionem procliuiores, à via salutis & obedientia Rom. Ecclesiæ deuiantes, in errores varios perfacile inducuntur.

Ideo S. Gregorius Prædicatores hortabatur vt hoc.

§. 2. Propterea Gregorius huius muneris peritissimus, & feruore charitatis incensus, prædicatores vehementer hortatur & monet, vt dicturi ad populum, prudentes cautique accedant, ne dicendi impetu rapti, verborum erroribus quasi iaculis audientium corda configant, & cum sapientes forsitan videri desiderant, decepti speratæ virtutis compagem insipienter discindant. Sæpe namque verborum effectus amittitur, cum loquacitate importuna, vel incauta, audientium corda leuigantur. Et sane in nullo alio eodem ij plebem maiori damno scandaloque afficiunt, quam cum vel tacenda prædicant, vel falsa & inutilia docendo, eam in errorem inducunt. Quæ quoniam huic sacræ religioni diuinitus institutæ, vt noua & aliena, omnino contraria esse noscuntur, graui certe accuratoque sunt examine digna, ne scandalum populo Christiano, & suorum auctorum, ac aliorum animabus interitum patiant.

Et hic Pont. iubet Prædicatores debere prius examinare & approbare.

§. 3. Nos igitur sanctæ Dei Ecclesiæ (cui disponente Domino præsidemus, quæ quidem vnum est, & Deum enim prædicat, colit, ac vnam fidem firmiter & sincere confitetur, iuxta illud Prophetæ vaticinium: Qui ha-

bitare facit vnius moris in domo) vniformitatem, quantumcum Deo possumus, post habitam reducere, & reientiam conseruare, quique populo verbum Dei prædicant, tales esse cupientes, vt eorum prædicatione, Ecclesia nullum scandalum patiatur, & si qui corrigibiles sunt, ab his, quæ proximis nostrisque temporibus præsompserunt, cum nonnullos eorum, præter illa quæ diximus, in prædicationibus non viam amplius Domini in virtute docentes, non Euangelium, vt deberent, explanantes, sed conficta miracula, & noua ac falsa vaticinia aliaque leuia & ab anilibus fabulis parum distantia, magnumque scandalum patientia, nulla deuotionis & auctoritatis, eiusque improbantis, ac repellentis hæc, habita ratione, vastis clamoribus imprimere, ac suadere vbique conantes, & ne Pontificali quidem dignitate fulgentibus, & aliis Ecclesiæ Prælatis parcentes, quibus potius honorem, ac reuerentiam exhibere deberent, sed in eorum personas, ac statum audaciter, ac temere inuehi consueuisse, & alia huiusmodi commisisse constat, in futurum abstineant, vt iam periculosum contagiosum malum, ac mortifera pestis radicitus euellatur, & arefactum ita penitus deleatur, vt nec memoria eius remaneat, sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus, vt nullus tam clericus sæcularis, quam cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis regularis, aut quivis alius ad quem facultas prædicandi, tam de iure quam de consuetudine vel priuilegio, aut alias pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per Superiorem suum respectiue diligenter examinatus, (in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus) ac morum honestate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptos & idoneus repertiatur, & hic, quocumque postea prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine & idoneitate sua per literas authenticas, seu alias sui examinatoris, approbatorisque Episcopis & aliis locorum Ordinariis fidem legitime faciat.

Admissosque Euangelium iuxta sensum DD. approbatorum prædicare teneri. Ad hoc vide notata in rub.

§. 4. Mandantes omnibus qui hoc onus sustinent, quique in futurum sustinebunt vt Euangelicam veritatem & sanctam Scripturam iuxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Ecclesia vel vsus diuturnus approbauit, legendosque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent & explanent; nec quidquam eius proprio sensui contrarium aut dissonum adiiciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacræ Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus, rite & sane intellectis, non discordant.

Futura prædicere, &c. non debent.

§. 5. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel antichristi aduentum, aut certum diem iudicij prædicare, vel asserere nequaquam præsumant; cum veritas dicat: Non esse vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, ipsosque qui hactenus similia asserere ausi sint, mentitos, ac eorum causa reliquorum etiam recte prædicantium auctoritati non modicum detractum fuisse constet; inhibentes omnibus & singulis clericis sæcularibus vel regularibus præfatis, cæterisque cuiuscumque status, gradus, & Ordinis existant, qui hoc onus assument, ne de cætero in sermonibus suis publicis, alia quæq; futura ex literis sacris constanter prædicere, nec illa à Spiritu sancto vel diuina reuelatione se habuisse affirmare, & alienas inanes diuinationes asseuerando, aut alio quocumque modo tractanda assumant, sed ex diuinæ vocis præcepto Euangelium omni creaturæ cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione & enucleent & declarent, & pacem ac dilectionem mutuam à Redemptore nostro tantopere commendatam, vbique fouentes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ab Episcoporum & Prælatorum, ac aliorum Superiorum, eorumque status scandalosa detractione, quos coram vulgo & laïcis non modo incaute, seu etiam intemperanter reprehendunt & mordent, & ab eis male gestorum expressis quandoque nominibus aperta & manifesta redargutione abstineant.

Const. Clem. V. de priuilegiis obseruent.

§. 6. Denique constitutionem felicis record. Clementis Papæ V. quæ incipit, Religiosi, quam tenore præsentium innouamus & approbamus, inuiolabiliter ab eis obseruari debere decernimus, vt hac ratione ad vtilitatem populi prædicantes, & cum Domino lucrifacientes, talentum quod ab illo acceperant, superlucrari, & eiusdem gratiam & gloriam consequi mereantur.

Inspirationes diuinæ antequam prædicentur, Sedi Apost. aut loci Ordinario examini reseruantur.

§. 7. Cæterum si quibusdam eorum, Dominus futura quædam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam reuelauerit, vt per Amos Prophetam ipse promittit, & Paulus Apostolus prædicatorum princeps, Spiritum, inquit, nolite extinguere, prophetias nolite spernere, hos aliorum fabulosorum, & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus. Extinguitur namque ipsius gratia spiritus, Ambrosio teste, si incipientibus loqui feruor contradictione sopitur, & tunc Spiritui sancto iniuria certe fieri dicitur. Et quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni spiritui, sed sint probandi spiritus, teste Apostolo, an ex Deo proueniat, volumus, vt lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reseruatæ intelligantur. Quod sine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine seruato, Ordinario loci notificentur, vt ille adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis & grauibus viris, huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quanto id expedire videbunt, (super quo eorum conscientias oneramus) licentiam concedere possint.

Contrauenientium pœna.

§. 8. Si qui autem contra præmissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, vltra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua non nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus. Et vt eorum exemplo alij attentare similia minimè audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuo decernimos.

Contrariorum die 19. Dec.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus; ac priuilegiis, & indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, & personis præfatis, etiam in Mari magno comprehensis, ac etiam à nobis approbatis, innouatis, vel etiam de nouo concessis, quæ quoad hoc, nolumus eis in aliquo suffragari. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ in publica Sessione in Lateranen. Sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, 1516. 14. Kalen. Ianu. Pont. nostri Anno 4.

Moderatio & declaratio Indultorum, quibuscumque Mendicantium & aliorum Religiosorum Ordinibus, & eorum Tertiariis concessorum. XXII.

Aliam moderationem quoad omnes Regulares edidit Pius IV. in const. 94. In principiis; vbi omnia Religiosorum priuilegia reduxit ad terminos Conc. Trid. & illi contraria reuocauit. Quod & idipsum Concilium statuit in sess. 25. cap. 22.

Quo vero ad Tertiarios, vide primæuam eis Regulam à B. Francisco traditam, & à Nicol. IV. approbatam in eius const. 2. Supra, vbi notaui.

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Edita An. D. 1516. & 1518.

Causa huius constitut.

DVm intra mentis arcana reuoluimus, & diligenti consideratione pensamus operosa sollicitudinis studia, continuosque labores, pro diuini nominis gloria, exaltatione Catholicæ fidei, Ecclesiæ vnitate seruanda, & institutione ac salute fidelium animarum per Coëpiscopos, eorumque Superiores, in diuersis partibus ad regimen suarum Ecclesiarum à Sede Apostolica constitutos, necnon per Fratres diuersorum Ordinum præsertim Mendicantium indefesse & indesinenter impensos, tanta ex eorum in vinea Domini fructuosis operibus, & opportune ac laudabiliter gestis, cordi nostro prouenit satisfactio, vt his quæ ad pacem & quietē inter eos conseruandā conducere cognoscimus, omni studio intēdamus.

Episcopalis dignitas est cæteris eminentior, & Mendicantium opera fructuosa nimis sunt.

§. 1. Nouimus enim Episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostræ assumptos fuisse, quorum honor, & sublimitas, testante Ambrosio, nullis potest comparationibus adæquari. Religiosos etiam in agro Dominico, pro

Christianæ

Christianæ Religionis defensione & ampliatione complura fecisse, ac vberes fructus protulisse, & in dies singulos proferre, ita vt eorundem Episcoporum, ac Religiosorum bonis operibus, orthodoxam fidem incrementa sumpsisse, & per Orbem terrarum vndique dilatatam fuisse, fidelium nullus ignoret. Et sicut ipsi sæpe numero vigilantissima & solerti cura, schismata in Dei Ecclesia extinguere, & Ecclesiæ vnitatem reddere, & vt eidem Ecclesiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire non dubitarunt, ita quoque par est, eos inter se oostris prouisionibus pacis vinculo, ac fraterna charitate, & vnitate coniungi, vt eorum concordi doctrina & mutuis operibus vberiores in Ecclesia Dei fructus proueniant.

Hic itaque Pont. pro concordia inter Episcopos, & Mendicantes: moderatur priuilegia Mendicantium in infra dicendis.

§. 2. Sane cupientes, vt iura spiritualia quæ ad Dei laudem, & Christi fidelium animarum salutem pertinent & quorum in exercitium præfatis Episcopis & eorũ Superioribus in suis Diœcesibus (cum ipsi in partem sollicitudinis, vt præfertur, assumpti, ac diœceses distinctæ, & cuilibet eorundem Episcoporum assignatæ fuerint) commissum extitit vt per ipsos Episcopos exerceantur, & ius illa libere exercendi, quantum fieri potest, eis illæsum præseruetur. Et si aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorundem Episcoporum læsionem per Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa fuerint, concessiones huiusmodi eisdem Religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas, vt ipsi Fratres potius ab eisdem Episcopis omni cum charitate foueantur, quam aliquo modo molestẽtur & inquietentur. Vna enim est Regularium, Sæcularium, Prælatorum & subditorum exemptorum & non exemptorum vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, eorumque omnium vnus Dominus, vna fides. Et propterea decet eos, qui eiusdem sunt corporis, voius etiam esse voluntatis, & sicut Fratres nexu inuicem charitatis adstricti sunt, sic non conuenit alterum in alterius iniuriã seu iacturam prosilire, dicente Saluatore, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.

Episcopi eos visitent, & corrigant, in concernentibus Parochianorum curã, & Sacramentorum administrationem.

§. 3. Ad conseruandam igitur inter Episcopos, & eorum Superiores, Prælatos & Fratres huiusmodi mutuam charitatem, & beneuolentiam, diuini quoque cultus augmentum, pacemque & tranquillitatem vniuersalis Ecclesiæ status, quod ita demũ fieri posse cognoscimus, si vnicuique quantum fieri potest, sua iurisdictio conseruetur. Sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus, quod Episcopi, & eorum Superiores & alij Prælati præfati, parochiales Ecclesias ad eosdem Fratres ratione locorum suorum legitime spectantes, quoad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum conseruationem, administrationemque pertinent, (sine tamen visitatorum insolito grauamine, vel impensa) visitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, si Religiosi fuerint, iuxta ipsius Ordinis regularia instituta, intra septa Regularis loci, Sæculares vero presbyteros, & Fratres huiusmodi beneficia obtinentes, libere tanquam suæ iurisdictioni subiectos punire.

Quique in eorum Ecclesiis celebrare possint.

§. 4. Ac tam Prælati, quam presbyteri sæculares qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Missas in Ecclesiis domorum eorundem, deuotionis causa, celebrare volentes, celebrare possint, ipsique Fratres tales celebrare volentes, libenter recipere debeant.

Ad Processiones ire cogantur.

§. 5. Ac ab eisdem Prælatis ad processiones solemnes pro tempore faciendas requisiti, (dummodo eorum loca suburbana vltra vnum milliare à Ciuitatibus respectiue non sint remota) accedere.

Tu idẽ habes in Conc. Trid. sess. 25. c. 13.
Confessores ab Ordinarijs approbentur.
Hoc idem vltra d. Concilium statuit Pius V. in const. 113. Romanus.

§. 6. Necnon Superiores eorundem Fratrum, Fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorundem Prælatorum tempore elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere, ac præsentare (si eos sibi exhiberi, & præsentari petierint) alioquin eorum Vicarij (dummodo ad Prælatos vltra duas dietas accedere non cogãtur) omnino teneantur. Possintque illi per eosdem Episcopos, & Prælatos super sufficienti literatura, & aliqua saltem huiusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebite recusatis confitentes, constitutioni, quæ incipit, Omnis vtriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat, satisfecisse censeantur.

Sacramenta ministrare possint.

§. 7. Ipsique Fratres etiam forensium confessiones audire valeant, laicos tamen & clericos sæculares à sententiis ab homine latis nullatenus absoluere possint. Eucharistiæ vero, & Extremæ vnctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta, illis quorum etiam infirmorum, ac decedentium confessiones audierint, dicentibus proprium sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur. Eorumdem vero Fratrum obsequio insistentibus, Sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

Pacta inita inter Episcopos & Mendicantes seruentur.

§. 8. Pacta autem & conuentiones inter eosdem Fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsequutum Capitulum proximum generale vel prouinciale, refutata ac per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerit.

Mendicantes quando mortuos leuare possunt.

§. 9. Parochias autem cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorumdem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius præmonito, & requisito, ac non recusante Parochiano presbytero, & tunc sine eius, ac Ordinarij præiudicio, nisi eisdem Fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi obseruantia, & cum pacifica possessione, suffragetur.

Volentes sepeliri cum eorum habitu, sepulturam eligere possunt.

§. 10. Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem Fratrum, in claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes; in eorum vltima voluntate sepulturam sibi eligere possint.

Ordines ab Episcopo recipiant.

§. 11. Quodque Fratres ipsi ad ordines promouendi, per Ordinarios de grammatica, & sufficientia examinati & dummodo competenter respondeant, per eosdem Ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesiis, seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio, quam à Diœcesano Episcopo, vel eius Vicario, super hoc cum debita reuerentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo à Diœcesi absente, ad dictos Ordines promoueri debeant.

Et Ecclesiarũ consecrationes.

§. 12. Nec ab alieno Episcopo consecrationem Ecclesiæ, vel Altaris, aut Cœmeterij benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi vbi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reuerentia, & instantia requisitus, sine legitima causa id recusauerit.

Sponsos non benedicant.

§. 13. Et absque Curatorum consensu, sponsum & sponsam benedicere nequeant.

Campanam die Sabbati Sãcti post Cathedralẽ pulsent.

§. 14. Et vt debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi Fratres, quam alij clerici sæculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis priuilegio muniti, die Sabbati Maioris hebdomadæ, antequam campanam Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsauerint, campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint; contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.

Censuras Ordinariorũ seruent & publicent.

§. 15. Censuras autem per eosdem Ordinarios latas, & promulgatas, ac in Matrici Ecclesia Ciuitatum, necnon in Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis Castrorum, & Oppidorum respectiue solemniter publicatas, quando super hoc ab eisdem Ordinariis requisiti fuerint, in Ecclesiis domorum suarum publicare, ac seruare.

Decimarum solutionem suadeant.

§. 16. Et vt animarum vtriusque sexus Christi fidelium saluti vberius consulatur, illos quorum confessiones pro tempore audierint, cuiuscumque status, & conditionis fuerint, ad soluendum decimas, siue aliam bonorum, seu fructuum quotam, in locis in quibus decimæ ipsæ, aut similia solui consueuerunt, etiam sub onere conscientiarum suarum monere, & hortari; ipsisque etiam illos soluere recusantibus absolutionem denegare, & super hoc requisiti, id populo etiam publice prædicare, & persuadere teneantur.

Conseruatores habeant.

§. 17. Conseruatores autem eisdem Fratribus pro tempore à Sede Apostolica deputandi, doctrina & probitate præstantes, & in Ecclesiastica dignitate constituti esse debeant, & coram eis per eosdem Fratres, quibus dati fuerint, vltra duas dietas à loco suæ solitæ habitationis nullus trahi possit; priuilegiis super hoc alias eis concessis, nullatenus suffragantibus.

§. 18. Ex

Excommunicati ad Religionem non recipiantur.

§. 18. Excommunicati quoque Ordinem Mendicantium profiteri volentes, vbi de interesse tertij ageretur, absolui non possint, nisi præuia satisfactione. Procuratores quoque & negotiorum gestores, ac operarij, eorundem Fratrum seruitiis insistentes, sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati sint, & esse censeantur, si illis causam dederint, aut dantibus, consilium, auxilium vel fauorem præstiterint.

Tertiarij in proprijs domibus degentes vti laici reputentur.

§. 19. Fratres autem, & Sorores tertij Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizocaræ, Cordellati, & alij quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes, sepulturam vbi voluerint eligere valeant, Sed die Paschatis tantum Eucharistiam, necnon extremam vnctionem, cæteraque Ecclesiastica Sacramenta (Pœnitentiæ sacramento dumtaxat excepto) à proprio sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro sæculari coram iudicibus sæcularibus conueniri possint. Et ne censura, vilescat Ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti Tertij, Ordinis, ad diuina audienda, in Ecclesiis suorum Ordinum, tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus, auxilium, consilium vel fauorem quoquo modo præstiterint.

Secus si claustraliter viuunt, &c. Hoc declaratur hic infra.

§. 20. Collegialiter autem viuentes, seu cum Claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes priuilegiis, quibus Fratres Ordinis cuius Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant. Omnia etiam & singula supradicta ad reliquos Religiosos Ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam seruari debere volumus, atque decernimus. Saluis tamen in reliquis desuper non expressis, tam Episcoporum, quam Fratrum & aliorum Religiosorum prædictorum iuribus, quibus per præmissa in aliquo præiudicare, seu quicquam innouare non intendimus.

Derogatio contrariorum.

§. 21. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus dictorum Ordinum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis; priuilegiis quoque, & indultis, ac literis Apostolicis contra præmissa, seu aliquod præmissorum, eisdem Ordinibus concessis, etiam in Mari Magno contentis; quibus (etiamsi ad illorum derogationem, de eis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorumque tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes) specialiter & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Ordinarij & Mendicantes benigne se tractent.

§. 22. Eosdem insuper Fratres in virtute sanctæ obedientiæ monemus, vt eosdem Episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra ac Apostolicæ Sedis reuerentia, congruo honore, & conuenienti obseruantia venerentur. Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ DEI nostri requirimus, vt Fratres ipsos affectu beneuolo prosequentes, charitatiue tractent, ac benigne foueant, seque illis minime difficiles, aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laboris participes, propria benignitate recipiant, eorumque iura omni cum charitate custodiant, atque defendant; vt tam Episcopi, quam Fratres præfati, (quorum opere veluti lucernæ ardentes supra montem positæ, omnibus Christi fidelibus lumen præbere debent) ad DEI laudem, fidei Catholicæ exaltationem, populorumque salutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largissimo bonorum omnium retributore Domino, perennis vitæ præmium consequi mereantur.

Sanctio pœnalis.

§. 23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, derogationis, decreti, monitionis, exhortationis, & requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Data Romæ in publica Sessione, in Lateranen. Sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sextodecimo, xiv. Kalen. Ianuarij, Pont. nostri Anno quarto. *Dat. P. An. 4. die 19. Dec.*

Sequitur declaratio d. bullæ quoad Tertiarios.

LEO PAPA X.

Ad futuram rei memoriam. *Edita An. D. 1518.*

Relatio dictæ bullæ.

NVper in sacro Lateranensi Concilio in reformatione priuilegiorum Religiosis concessorum, inter alia statuimus, quod Fratres & Sorores Tertij Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizocharæ, Cordellati, & alij quocumque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, sepulturam vbi voluerint, eligere valeant, sed die Paschatis tantum Eucharistiæ ac extremam vnctionem, cæteraque Ecclesiastica sacramenta (pœnitentiæ sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera quæ laicis incumbunt perferenda teneantur. Et ne censura vilescat Ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti Tertij Ordinis ad diuina audienda nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel ipsam causam nutriant, aut foueant, aut dantibus auxilium, consilium, vel fauorum quoquo modo præstiterint. Collegialiter verò viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegiis quibus Fratres Ordinis cuius Tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere debeant, prout in constitutione dicti Lateranensis Concilij, eodem approbante Concilio desuper edita plenius continentur.

Causa huius declarationis.

§. 1. Cum autem sicut accepimus à quibusdam nimium curiosis vertatur in dubium, an votum prædictum de voto solemni religionis intelligatur, cum illud tria substantialia comprehendat, obedientiam scilicet, paupertatem, & castitatem, & circa dictas mulieres virginalem, seu castam vidualem vitam ducentes, de virginitate, & castitate tantummodo mentio fiat.

Declaratio.

§. 2. Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus & declaramus quòd in præmissis, de voto solemni Religionis minime intelligi debeat ita vt mulieres virginalem, aut cœlibem vitam simpliciter viuentes, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, priuilegiis & immunitatibus prædictis, in omnibus & per omnia, frui & gaudere debeant.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstant. omnibus illis, quæ in d. Constitutione nostra voluimus non obstare; cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, sub annulo Piscatoris, die prima Martij 1518. Pontificatus nostri Anno quinto. *Dat. P. An. 5. die 1. Mart.*

De electione Prælatorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, eorumque à fratribus Conuentualibus seiunctione. XXIII.

Vltra hic disposita, deinde concessa fuit ab istomet Pontifice præcedentia eisdem de Obseruantia in actibus publicis, & vtrisque permissa Generalis electio infr. in const. 26. Licet, cum ibi notabo 439.

De electione ista Prælatorum huius Ordinis Fratrum de Obseruantia vide etiam infra in Pij V. const. 128. Pastoralis & Greg. XIII. const. 13. Consueuit. De facultate eligendi in Syndicos personas extra Ordinem, inspice bullam 1. Pauli IV. Ex clementi. De horum Syndicorum priuilegiis, vide in constitut. 19. Clemens VII. Dum consideramus. De appellatione eis ad sæcularia

sæcularia Tribunalia interdicta, extat alia const. eiusdem Greg. num. 27. Quoniam. Et de licentia officij de Sacramento celebrandi feria quinta extat const. Pij V. num. 52. Exponi. Ac de retentione locorum Ordinis attende const. 40. Sixt. V. Cum sicut. Et de non asportandis libris ex Bibliothecis eorum, vide eiusdem Sixt. const. 67. Cum sicut. Prout quoad Prouinciales in partibus Indiarum, seruanda est constit. 96. Clem. VIII. His quæ. Et quoad eleemosynas in eisdem partibus petendas, obserua constit. 96. eiusdem Clem. Expositum. Et de auctoritate Generalis in Fratres Strictioris Obseruantiæ, necnon, & Commissarij Generalis simili facultate in eosdem, Paulus V. edidit const. 31. Postulat. Præterea de aliis Ordinibus S. Francisci, dixi supra ad constitut. 5. Honor. III. Solet.

Edita An. D. 1517.

LEO EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Commendatio Ordinis Sancti Francisci.

ITe & vos in vineam meam, ait homo ille paterfamilias qui plantauerat vineam, mundi Saluator atque Redemptor Dominus noster IESVS CHRISTVS; qui si curam gerat de omnibus, cunctaque dirigat, quæ ipse fecit: attamen inter cæteras plantationes; quas per ipsum pater cælestis in solo plantauit militantis Ecclesiæ, vineam quandam tam ardenti prosecutus est amore, vt suam velut propriam vbivis illam appellet: hanc siquidem vineam sic assiduis solertibus, ac fidelibus excoluit agricolis, vt alios primo mane, alios, hora tertia, sexta, nona, decima vero & vndecima quasi incessanter cultores trãsmiserit. Hæc est sacra illa Minorum Fratrum religio, quæ virentibus cæremoniarum foliis, per viros Apostolicos, tanquam per palmites extensos, à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum vino sapientiæ & scientiæ irrigauit montes, & impleuit terram, Hæc est Religio sancta & immaculata, in qua per speculum sine macula Redemptoris contemplatur præsentia, vitæ CHRISTI & Apostolorum inspicitur forma, per quam primorum Ecclesiæ fundatorum ante oculos Christianæ plebis reducitur norma; quæ denium nihil nisi diuinum angelicum omni perfectione refertum, CHRISTOQVE nil nisi conforme, vt non immerito sua dicatur, repræsentat. Ad hanc vineam excolendam primo mane oriente iam Sole, misit ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui, beatum Franciscum, qui comitantibus miræ sanctitatis viris, prima vitis huius ducere fundamenta; iis successerunt viri religiosi, qui duce beato Bonauentura muros huius vineæ iam vtrinque ruinam minantes, hora tertia Trinitatis sanctæ virtute & adiutorio reparauerunt. Post hos veluti hora sexta prodierunt spiritu feruentes Fratres nonnulli, qui è sacro Viennensi Concilio tanquam à Deo missi & confortati, eneruatam pene disciplinæ censuram, ad sua principia reuocauerunt. Hora verò nona moriente Domino, surgẽtibus in dies malis & scandalosis huius vineæ agricolis, suscitauit Dominus spiritum adolescentis, paucorum videlicet Fratrum, qui signifero nominis IESV beato Bernardino ductore & præside, sacri Concilij Constantien. freti præsidiis, languentem imo pene mortuum per Orbem Vniuersum, Ordinem viuificarunt. Nouissime vero diebus istis, quasi hora vltima apparuerunt viri alij, qui zelantes pro domo Israël succiderunt lucos, & demoliti sunt delubra, ac vbi abundabat peccatum, adiuuante Domino curauerunt per introductam reformationis normam, vt superabundaret & gratia. Sed veluti inter parabolicos & Euangelicos illos viticolas, quia nouissimi æquabantur prioribus, murmur fortè ait non paruum, sic acclamantibus Regibus Principibus, Communitatibus, & Populis, graues lites & iurgia, ac dissensiones, occasione superioritatum & præfectionis graduum inter aliquos huius Religionis professores per totum mundum, magis ac magis ac augeri dietim accepimus.

Discordia orta inter Fratres de Obser-

§. 1. Quare nos cuius animus ab ætate tenera, ardenti deuotione efferbuit ad huius Ordinis professores & Ordinem ipsum totum, nunc vero ex communi cura procurationis & pastoralis regiminis, quam immeriti suscitiuemus, ad componendas huiusmodi agricolarum lites, & sedandas murmurationes, illius Euangelici procuratoris more, tanto prouocamus ardentius, quanto frequentius intenta mente recolimus fructus vberes, quos ex eorum exemplari vita, & salubri doctrina vniuersali Ecclesiæ continuè cernimus prouenire.

uantia Conuentuales de Ordine.

Pro cuius terminatione Principes institerũt apud Pont.

§. 2. Nec minus continuis Principum Christianorum præsertim charissimorum in CHRISTO filiorum nostrorum Maximiliani in Imperatorem electi, & Francisci Christianissimi Francorum, ac Caroli Catholici Hispaniarum, Henrici Octaui Angliæ, ac Emanuëlis Portugalliæ & Algarbiorum, & Ludouici Vngariæ & Bohemiæ, ac Sigismundi Poloniæ, necnon Christierni Daciæ Regum Illustrium, ac nonnullorum Principum aliorum, Ducum, Comitum, Populorum, & Communitatum, piis prouocamur supplicationibus & precibus, quibus pro pacandis huiusmodi diuisionibus in Ordine Diui Francisci exortis, non cessant vsque hodie apud nos postulare.

Qui sic prouidendum censuit videlicet quod.

§. 3. Deputatis igitur à nobis in secreto nostro Consistorio, aliquibus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, causas & seminaria huiusmodi iurgiorum & diuisionum diligenter perquirere, ac de remediis opportunis pro sedandis præfatis litibus pertractare commisimus & iniunximus; qui longo maturæ discussionis examine, diligentissimè ac fidelissime missa complentes, relatione per ipsos nobis facta, necnon pensatis per nos acutius, quæ per ipsos pro huiusmodi concordia tractata & examinata fuerunt habita etiam super iis in dicto Consistorio nostro cum eisdem, ac reliquis eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione, & de eorum vnanimi consilio, præfato Ordini modo infrascripto iudicamus prouidendum.

Minister generalis vnus eligatur totius Ordinis, eiusque officium sex annos duret.

Scias hoc non seruari cum quisque Ordo suum eligat. gen. vt dixi in rubr.

§. 4. Quia in primis compertum habemus Prælatorum diuersitatem, quorundam perpetuitatem, cæterorum vero Fratrum vitam non reformatam, huiusmodi litibus & diuisionibus plurimum causæ præbuisse, ac propter volumus & ordinamus, prout in dicta Regula beati Francisci continetur, vnum Ministrum generalem totius Ordinis de cætero, omnibus & singulis Fratribus eiusdem Ordinis, cum plenaria potestate, quæ ex regula sibi competit præfici, cui omnes & singuli prædicti Fratres, in omnibus quæ non sunt contra Deum, animam suam, & Regulam, firmiter teneantur obedire; qui quidem Minister generalis, per sex annos ad plus Generalatus fungetur officio; infra quem terminum, si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum Prouincialium & Custodum, prædictum Ministrum generalem non esse sufficientem ad seruitium & communem vtilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio dicti Ministri generalis data est, in nomine Domini alium sibi eligere, quibuscum sex annis, quibus (vt præfertur) expletis, ipso facto sit absolutus à Generalatus officio, & pro tali ab omnibus habeatur.

Et eligatur de Fratribus Obseruantiæ, & per eos.

Quod strictius iubet Pius V. in rub. cu. intelligens de eorũ Gen.

§. 5. Electio vero successoris fieri debeat à solis Ministris Prouincialibus & Custodibus reformatis, tam Cismontanis, quam Vltramontanis, in Capitulo generali dicti Ordinis, in festo Pentecostes, in loco quem Minister generalis cum Capitulo generali proximo præcedenti duxerint assignandum. Ad quod Capitulum omnes Ministri & Custodes siue vocales, tam Cismontani, quam Vltramontani accedere teneantur. Et ne caput suis membris difforme appareat. Volumus & etiam ordinamus, quod nullus Frater possit eligi in Ministrum generalem, nisi vitam ducat reformatam, & pro reformato à Communitate reformatorum habeatur. In præfata vero electione Ministri generalis nullus penitus vocem habeat nisi reformatus, & pro reformato à Congregatione reformatorum habeatur; quod si in futuro quicquam in contrarium attentatum fuerit, irritum penitus & inane habeatur.

At per vota Ministrorum

§. 6. Quo vero ad electionem futuri Ministri generalis, in proximo festo Pentecostes, in Conuentu de Ara

Prouincialiũ & custodum. Hæc vero fecreta esse debent, vt iubet Pius V. cit. in rubr.

Cæli de Vrbe, iuxta aliam nostram ordinationem, in literis in forma Breuis contentam celebrandam statuimus, omnes Ministros & Custodes reformatos ac Vicarios & Discretos Fratrum de Obseruantia seu familia, dictam electionem debere celebrare. Et vt præfata electio Ministri generalis, quæ secundum prædictam regulam à Ministris Prouincialibus & Custodibus fieri deberet & libere secundum intentionem eiusdem Regulæ, & absque quovis scrupulo celebretur, declaramus omnes Prouinciales, Vicarios Fratrum de Familia seu Obseruantia, veros Ministros esse, ipsosque ad effectum electionis huiusmodi in Ministros ordinamus & instituimus. Discretus etiam ipsorum similiter declaramus esse Custodes, quo vero ad alios Fratres reformatos, volumus quod in Prouinciis, in quibus Ministri pro nunc non sunt reformati, nec pro reformatis habiti, sub quibus sunt aliqui Conuentus reformati, duo Fratres electi à præfatis Conuentibus reformatis, secundum aliarum literarum nostrarum tenorem sub forma Breuis, voces Ministrorum non reformatorum, quantum ad præfatas Prouincias pro hac vice dumtaxat suppleant. Fratribus vero de Congregatione Fratris Amadei de Clarenis, de sancto Euangelio, seu Caputio, pro singulis Prouinciis, in quibus habent Conuentus vltra suorum Vicariorum voces duas pro hac solum vice concedimus. Quam quidem electionem à præfatis Fratribus de huiusmodi generali Ministro faciendam, canonicam secundum Minorum Fratrum Regulam & formam à beato Francisco in Regula traditam esse diffinimus & etiam declaramus.

Alternatiuæque fiat electio, semel de Vltramontanis, & semel de Cismontanis.

§. 7. Et vt in ordine ipso, quantum cum Deo fieri potest, pax conseruetur, & charitas, per amplius inter Cismontanos & Vltramontanos Fratres eiusdem Ordinis nutriatur, ordinamus, quod si Minister generalis, vt præfertur, per sex annos de Cismontanis fratribus electus fuerit, sequentibus sex annis de Vltramontanis fratribus eligi debeat; quem modum alternatis vicibus in perpetuum volumus ab ipsis fratribus obseruari. Verum quia conspicimus ipsum Ordinem per vniuersam Christianitatem miro in modum dilatatum esse, ne ob huiusmodi amplitudinem, debito pastoralis regiminis careat beneficio, Decernimus, quòd si Minister generalis de Cismontanis electus fuerit, instituat in partibus Vltramontanis vnum generalem Commissarium ab eisdem Vltramontanis fratribus eligendum, cui Minister generalis super præfatos Fratres Vltramontanos vices suas committat, prout Capitulo generali expedire videbitur. Ita tamen, quòd Commissarius præfato Ministro generali omnimode subiiciatur, vt cæteri dicti Ordinis Prælati subiiciuntur, ac illi per omnia secundum Regulam obedire teneantur.

Qui Minister gen. quolibet triennio Commissariũ de partes de Vltramontanis, si ipse sit Cismontanus & à contra.

Tu quoad electionem Commissarij vide Pium V. cit. in rubr.

§. 8. Dum vero Minister generalis fuerit ex Vltramontanis fratribus electus, tunc pariter Commissarium generalem Cismontanum instituere debeat pari modo quo de Vltramontano Commissario superius dictum & statutum est. Qui quidem generalis Commissarius per triennium solum generalis Commissionis fungetur officio; quo triennio elapso, nouus Commissarius per Ministrum generalem in Capitulo generali, vt supra eligendus, secundum quod Vltramontanis de Commissario fuerit prouidendum institui debeat. Minister vero generalis in partibus in quibus suis sex annis fuerit, & ad alias partes se conferre voluerit, pro eo tempore quo absens fuerit, Commissarium loco sui, de consilio & assensu Diffinitorum Capituli generalis huiusmodi dumtaxat relinquere possit. Et in partibus quibus dictis sex annis non erit Commissarius generalis, tenebitur Minister generalis primo triennio dictorum sex annorum celebrare vnum Capitulum generale, ad quod conuenient vocales illarum partium à quibus assumptus fuerit; & similiter aliud Capitulum in partibus à quibus assumptus non fuerit, per se vel suum Commissarium, ad quod omnes vocales dictarum partium accedere teneantur, celebrare habebit; aut super hoc fiat, quod generalis Minister cum Capitulo generali iudicauerit faciendum.

Vicarij autem de Obseruantia

§. 9. Porro quantum ad Ministros prouinciales in Prouinciis in quibus Ministri pro nunc non sunt reformati, seu pro vere reformatis non habentur, declaramus, ordinamus, & decernimus, Vicarios fratrum de Obseruantia, seu familia illarum Prouinciarum respectiue, ex nunc & in perpetuum, veros & indubitatos earundem prouinciarum esse Ministros, illosque de cætero nomine Ministrorum debere appellari; quibus omnes & singulos fratres, necnon domos & loca eorundem in dictis Prouinciis, vt præfertur, consistentes plenarie submittimus; ac Generali & aliis Prouincialibus Ministris, auctoritatem & potestatem antea generali, & aliis prouincialibus Vicariis de familia nuncupatis, attributam & concessam perpetuo concedimus, ac concessam & attributam esse decernimus. Mandantes præfatis fratribus etiam Regulam B. Francisci pure & simpliciter obseruantibus, vt dictis Ministris sic per nos declaratis & ordinatis, vt veris illarum Prouinciarum Ministris secundum Regulam per omnia obediant.

ita vere Ministri censeantur.

Ministrorũque Prouincialium officium triennale, explicatur.

§. 10. Denique ne ex Ministrorum Prouincialium perpetuitate, Ordinem ipsum in ruinam iterum collabi contingat, Volumus & ordinamus præfatos prouinciales Ministros vltra triennium in suis non posse continuari officiis; quo triennio elapso, pro absolutis ab officio à cunctis fratribus habeantur.

Ipsique & Custodes à Cap. Prouinciale deponi possint.

§. 11. Poterunt tamen infra dictum triennium à suis Capitulis prouincialibus, vt secundum Regulam & consuetudinem celebrabuntur, si minus vtiles inuenti fuerint, ab officiis prouincialibus absolui, & idem iudicium de Custodibus per omnia habeatur.

Et de Obseruantia sint.

§. 12. Nullus vero in Ministrum prouincialem aut Custodum eligi, aut in ipsorum electione vocem habere poterit, nisi vitam ducat reformatam, & in Communitate Reformatorum illius prouinciæ cui præficiendus est, pro tali habeatur; quicquid autem in contrarium attentatum fuerit, ipso facto irritum sit & inane.

Obseruantes qui censeantur.

§. 13. Præterea quia de reformatis, ac pure & simpliciter regulam Beati Francisci huiusmodi obseruantibus sæpe sæpius, in præcedentibus & sequentibus mentio habetur, Volumus & declaramus sub nomine Reformatorum, ac pure & simpliciter regulam Beati Francisci huiusmodi obseruantium, comprehendi omnes & singulos infrascriptos, videlicet Obseruantes, tam de Familia quam Reformatos sub Ministris, ac fratris Amadei, de Coletanis, Clarenis, de sancto Euangelio, seu de caputio, ac Discalceatos nuncupatos, aut alios, similesque quocumque alio nomine nuncupatos, & Regulam ipsam Beati Francisci, pure & simpliciter obseruantes; & ex quibus omnibus supradictis, vnum corpus insimul facientes eosdem ad inuicem perpetuo vnimus, ita quòd de cætero omissa diuersitate nominum prædictorum, fratres Minores Sancti Francisci Regularis obseruantiæ, vel simul vel disiunctiue, nuncupentur & nuncupari possint & debeant. Omnesque & singulos, vt præfertur, vnitos generali Ministro prædicto, ac prouincialibus Ministris & Custodibus, in quorum prouinciis & custodiis respectiue morantur, in omnibus & per omnia secundum Regulam subiici debere. Conuentuales vero secundum priuilegia viuentes, quomodo eisdem Ministris generalibus & prouincialibus, subiici & obedire debeant, per alias nostras desuper edendas literas declarabimus.

Quodque dimissis aliis denominationibus omnes Fratres Minores S. Francisci vocentur.

§. 14. Cæterum vt dissensionum, scandalorum, & partialitatum fomes penitus ab ipso Ordine tollatur, præcipimus firmiter & mandamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, à qua nullus, præterquam in mortis articulo, nisi à nobis, aut à Sede Apostolica possit absolui, ne aliquis frater Ordinis Sancti Francisci appellet alium fratrem eiusdem Ordinis malitiose, irrisorie, seu improperiose, Priuilegiatum Coletanum, Bullistam, Amadeitam, Clarenum, de Euangelio, seu de Caputio, Pigotum, aut alio quouis nomine etiam de nouo reperto, seu forte in futurum occasione priorum diuisionum ipsius Ordinis, vel huius nostræ sanctæ institutionis & vnionis Spiritus sancti gratia compositæ, à quocumque imponendo, seu alio quouis irrisorio, iniurioso, seu improperioso nomine, aut quod pro improperioso à patientibus habetur. Necnon omnibus tam clericis, ne Fratres huiusmodi, aut

eorum

eorum fautores præfatis nominibus, irrisorie seu maliciose appellent, sed omnes fratres ipsius Ordinis Fratres Minores, vt præfertur, seu Sancti Francisci, à se ipsis & omnibus aliis nominentur.

Obseruantes autē ad Conuentuales nō transeant.

§. 15. Item statuimus, quòd de cætero nullus Frater reformatus, possit per quemcumque Prælatum Ordinis, etiam Ministrum generalem mitti ad morandum ad aliquem Conuentum non reformatum, aut pro reformato non habitum; excepto quòd si Capitulis prouincialibus videretur minus malum aliquem fratrem licentiare ad nondum Reformatos, quam ipsum eum Reformatis retinere, tali casu possint Prælati mittere fratrem seu fratres Reformatos ad nondum Reformatos. Inhibentes sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, omnibus & singulis Conuentualium secundum priuilegia viuentium Prælatis ac fratribus, ne aliquem ex præfatis Reformatis, nisi modo prædicto recipere audeant. Similiter & dictis Reformatis fratribus sub eadem pœna ne ab obedientia suorum Ministrorum vllatenus quam modo prædicto recedant. Et ne ex nouarum sectarum in dicto Ordine forsan introductione facienda Ordinem iterum in rixas deuenire oporteat. Volumus & in virtute sanctæ obedientiæ firmiter præcepimus & mandamus, quòd de cetero nullæ nouæ sectæ vel reformationes in dicto Ordine introducantur, aut fiant, absque Ministri generalis, aut Prouincialium Ministrorum Reformatorum in suis prouinciis respectiue expresso assensu. Ita tamen quòd dictæ reformationes ipsi Ministro generali & prouincialibus reformatis per omnia, iuxta regulam subiiciantur, vt supra expressum est de aliis Reformatis.

Noua reformationes non inducantur. Sed tempore Clemen. VII. strictior reformatio inducta est, vt infra in eius const. 35. In suprema.

§. 16. Quapropter omnes domos loca, & eremitoria, quæ fratres de Obseruantia, seu de Familia, seu alij reformati sub Ministris quocumque nomine appellati fuerint, hactenus tenuerunt & possederunt, ipsi Ministro generali ac prouincialibus Ministris reformatis, & per nos sic institutis & declaratis in suis prouinciis respectiue perpetuo subiicimus & incorporamus. Volentes loca ipsa per ipsos Ministros, ac eorum successores Reformatos perpetuo, teneri & possideri, regi & gubernari. Quascumque lites desuper exortas coram quibuscumque Iudicibus, ordinariis vel delegatis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & dicti Ordinis Protectore, aut sacri Palatij nostri, Auditoribus siue Commissariis Apostolicis, tam in Romana Curia, quam extra eandem, & tam inter subditos, in quibuscumque statu vel instantia, tam super possessorio quam petitorio, seu etiam spolio, si quomodolibet prætendi possit desuper penden. etiamsi huiusmodi loca de obedientia & de Capitulis fratrum Conuentualium dicti Ordinis prius fuissent, ad nos aduocamus, penitus & extinguimus, silentium perpetuum partibus imponen. Sententias quoque & processus per quoscumque iudices in eis habitos, & latas, ac inde secuta quæcumque, etiamsi lites ipsæ, ratione locorum fratrum, & bonorum hinc inde receptorum, aut cuiuscumque alterius rei, occasione vel causa motæ fuissent, cassamus & annullamus.

Conuentuales eos desuper nō molestent.

§. 17. Et nihilominus dictis fratribus Conuentualibus, necnon quibusvis Iudicibus, ac aliis quibuscumque, ne quicquam contra huiusmodi nostram declarationem, institutionem, innouationem, vnionem, & incorporationem, in iudicio vel extra, attentare, procurare, iudicare, vel pronuntiare, etiamsi eis per nos commissum existat, seu in futurum committatur, præsumant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis beneficiorum quæ obtinent, ac etiam inhabilitationis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrenda, inhibemus, præcipimus, & mandamus.

Præseruatores huius Reformationis in Cap. generali eligantur.

§. 18. Demum vt secundum exigentiam locorum, personarum, & morum cuncta quæ condocere videbuntur pro manutenentia reformationis, per totam Christianitatem in dicto Ordine iam diuina gratia introductæ, iuste, prouide, & discrete valeant, statui & ordinari, volumus Capitulum generalissimum proxime celebrandum teneri deputari ex probatioribus, doctioribus, & magis expertis Fratribus, nonnullos ex diuersis Regionibus assumptos, qui omnia & singula quæ pro manutenentia reformationis, & vera Regulæ obseruantia, ac huius nostræ constitutionis debita executione, accommoda iudicauerint, in vnum recolligant, approbanda per totum Capitulum, vel maiorem partem eiusdem, ac tandem per nos Apostolicæ confirmationis patrocinio munienda.

Executores deputatio.

§. 19. Et nihilominus moderno & pro tempore existenti Cameræ Apostolicæ generali Auditori, necnon vniuersis Archiepiscopis & Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque in dignitate Ecclesiastica constitutis personis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi & eorum singuli præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Generalis, ac Prouincialium Ministrorum Reformatorum, seu alicuius eorum super hoc requisiti fuerint solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten. faciant eos, omnibus & singulis prædictis pacifice frui & gaudere non permitten. eos desuper per quoscumque, quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebite molestari. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia, inuocato ad hoc etiamsi opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, appellatione postposita compescendo.

Cōtrariorum derogatio.

§. 20. Non obstantibus quibuscumque literis Apostolicis, & indultis; etiam sacri Concilij Constantien. dictæ Religionis fratribus, familiis, congregationibus, denominationibus, aut alicui eorum siue illarum auctoribus & institutoribus, Conuentualibus, siue Reformatis, aut de Familia Fratribus sub quibusvis verborum formis, solemnitatibus, & clausulis, fortioribus & insolitis, concessis seu forsan in futurum concedendis, etiamsi tales forent, quòd de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum mentio esset habenda; quibus, quoad præmissa, expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Cæterum quia difficile foret has nostras præsentes literas ad quælibet loca vbi opus fuerit deferre.

Transumptorum fides.

§. 21. Volumus & auctoritate Apostolica decernimus, quòd transumptis earumdem manu notarij publici signatis, & alicuius Prælati Ecclesiastici sigillo munitis, ea prorsus fides, in iudicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur si præsentes originales literæ, exhibitæ vel ostensæ forent. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

Dat. P. An. 5. die 29. Maij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo septimo, quarto Kal. Iunij, Pont. nostri Anno quinto.

Iurisdictio Camerarij & Clericorum R. Cameræ Apost. in causis & contractibus Cameralibus, & guberniis locorum eis commissorum. Necnon & confirmatio ordinariorum per eosdem Clericos, pro feliciori Cameræ regimine editarum. XXIV.

Quoad iurisdictionem Camerarij plene notabo inf. in Clem. VIII. const. 65. In conferendis. De Clericorum autem iurisdictione dixi sup. in const. 12. Alexand. VI. Etsi ex. Alias autem Cameræ ordinationes attende sup. in Eugen. IV. const. 13. Inter.

LEO PAPA X.

Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1517.

Eug. IV. & Innoc. VIII. declararūt Camerarium & Clericos, magnam iurisdictionem habere, vt sup. in ipsius Eug. IV. constit. 13. cit. in rubri-

LIcet fel. rec. Eugenius Quartus & Innocentius Octauus Rom. Pont. prædecessores nostri prouida dispositione declarauerint, totius Christiani Orbis, & Ecclesiarum, & Monasteriorum, omnium ciuitatum, terrarum, & locorum S. R. E. mediate vel immediate subiectorum, personas quaslibet, ex quocumque loco etiam exempto oriundas, ad Cameram Apostolicam, pro eorum causis, & negotiis peragendis recurrētes, summariæ iustitiæ implementum reportare debere, ad Camerariū nostrū,

ca. & Innoc. VIII constit. 4. Cam. ficam.

& dilectos filios Clericos Præsidentes, in easdem personas superioritatem & omnimodam iurisdictionem passim habere.

Sed tamen aliqui excitarunt dubium hic relatum.

§. 1. Nihilominus nonnulli rigorosis iuris apicibus innixi, frequenter in dubium reuocare inuituntur, an Camerarius, & Clerici præfati, in priuatorum causis, & negotiis huiusmodi iurisdictionem exercere potuerint, siue possint, prout habere & exercere consueuerunt in fiscalibus, Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcumque.

Hic modo Pontif. dubium submouet & decernit eorū iurisdictionē esse, quascumque causas sūmarie, &c. cognoscēdi & decidendi.

Tu omnino in hoc atten de const. 65. Clem. VIII. in conferendis.

§. 2. Nos ne de cætero super præmissis, & infrascriptis dubitari contingat, opportune prouidere volentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium, decernimus & declaramus, Camerarium, Præsidentes & Clericos præfatos, omnimodam superioritatem & iurisdictionem, in quascumque personas, tam publicas quam priuatas, quarūcumque Ecclesiarū & Monasteriorum, piorum locorum, & fiscalium, ac Almæ Vrbis, aliarumque ciuitatum, terrarum, & locorum S.R.E. mediate vel immediate subiectorum, ipsarumque personarum negotia semper habuisse, & nunc in futurum habere; cum ampla & irrefragabili potestate & auctoritate, omnes earum causas & querelas, summarie, simpliciter & de plano, sola facti veritate inspecta, audiendi, cognoscendi, & fine debito terminandi; necnon ius inter quoscumque ciuitatum, terrarum & locorum huiusmodi dicendi, ac illis præcipiendi ac mandandi, prout hactenus facere consueuerunt, perinde ac si causæ ipsæ, coram nobis seu Rom. Pontificibus pro tempore existentibus agitarentur, Præmissaque omnia & singula eisdem Cameræ Apostolicæ Præsidentibus & Clericis, alias concessa, quatenus opus sit, de Apostolicæ potestatis plenitudine, ex certa nostra scientia, & animi deliberatione, motu simili innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus.

Officialibus contrauenientibus pœnas infligit.

§. 3. Districtius inhibentes quibuscumque Iudicibus, & S.R.E. Cardinalibus, coram quibus causas huiusmodi agitari contigerit, ne contra declarationem, & determinationem huiusmodi iudicare præsumant, adempta eis aliter iudicandi & interpretandi facultate.

Clericis prædictis gubernium quarūdam terrarū Sedis Apostol. approbat, & iterato committit.

§. 4. Et cum gubernium terrarum Arnulphorum, & Tulphæ, Ciuitæ Vetulæ, Massæ, Aquaspatræ, & Sancti Gemini, & aliorum castrorum, & terrarum Spolet. Tuder. & Narnien. diœc. eisdem Clericis specialiter sit commissum, & terræ, castra, & loca huiusmodi à iurisdictione Spoletan. Todertin. & Narnien. ciuitatum & comitatuum sint penitus separata, illa quatenus opus sit, etiam de nouo separamus, & illarum gubernium eisdem Clericis confirmamus.

Emolumenta dicti gubernij indicat, & concedit.

§. 5. Ac eisdem concedimus, quod in castris, terris, ac locis prædictis iurisdictionem, per se vel alium, seu alios, exercere, Ac subsidia per homines castrorum, terrarum, ac locorum huiusmodi Cameræ Apostolicæ solui solita, per eas exigere; ac illa & alia emolumenta in dictis locis per eos haberi solita recipere, & custodiam Arcium dictæ Tulphæ, & Oppidi Cæsarum, cum eorū subditis, pagis, salariis & emolumentis habere, ac inter se diuidere licite possint & valeant, Et quod equi in dictis locis ponendi ad stallones, per eosdem Clericos habito respectu ad alia loca eidem Romanæ Ecclesiæ subiecta, poni debeant. Necnon tritellorum tractas, & alia eorum consueta emolumenta etiam concedimus.

Iurisdictionē super omnibus Dohaneriis.

§. 6. Quodque curam & gubernium, ac auctoritatem, tam in Vrbe quam extra eam, tam circa datia quam gabellas, dohanas, & appaltus, eorumque officiales, dohanerios, conductores, & appaltatores, etiam circa Dohanam Ripæ, mercium, grasciæ, salis, aluminum, Patrimonij, & Zeecham, Carceres, stratas, tam Vrbis quam cæterarum ciuitatum & locorum, nobis & eidem Ecclesiæ subiectorum, quam etiam circa singulos Thesaurarios & Depositarios in dictis locis consistentes, quam hactenus habere consueuerunt, habere & exercere. Ac septingenta cantaria aluminum pro residuo mille ducentorum cantariorum similium, quæ per appaltatorem pro decimis, vel alias fabricari debent, singulis annis fabricare, & fabricari facere, ac illa libere exigere, vendere, & pretium inde prouenient, inter se diuidere, libere & licite valeant, concedimus.

Facultatem singulis annis Terras, Arces, & officia Sedis Apost. visitandi, &c. confirmat.

§. 7. Cum facultate visitandi quolibet anno, terras Ecclesiæ illarumque arces & officia, necnon reformandi, corrigendi, & emendandi, ea quæ reformatione indigerent iuxta alias, tam per recol. mem. Vrbanum, Martinum, Innocentium, Iulium, & alios Rom. Pontif. prædecessores nostros, quam per Camerarios, qui pro tempore fuerunt concessa; quas concessiones & in eis contenta quæcumque, tenore præsentium, confirmamus & approbamus. Non obstantibus, &c.

Solam bullæ signaturam sufficere decernit.

§. 8. Volentes quod desuper literæ in forma gratiosa ad perpetuam rei memoriam expediri possint, etiam sub plumbo, vel per Breue. Et etiam quod sola signatura sufficiat, & quod tam in iudicio quam extra illud plenam fidem faciat.

Dat. P. A. 5. die 12. Iun.

Dat. Romæ die duodecima Iunij millesimo quingentesimo decimoseptimo, Pont. nostri anno quinto.

Sequitur alia constitutio confirmatoria præcedentis, & aliarum hic relatiue insertarum, Ordinationumque à Clericis Cameræ pro eius gubernio feliciori editarum.

Edita An. D. 1518.

L E O   E P I S C O P V S,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SIcut prudens paterfamilias cuncta quæ in eius domo sunt, ad illius honorem & gloriam, prouida moderatione disponit & ordinat; ita & nos, qui meritis licet imparibus ab ipso supremo patrefamilias, & illius domi dispensatores effecti sumus, eius curam studiosa sollicitudine sic conuenit attendere, vt in illa, præsertim quoad ea, quæ Romanæ Curiæ, illiusque officialium, potissime Cameræ Apostolicæ, cui pro statu Romanæ Ecclesiæ conseruatione, diuersa onera incumbunt, salubrem statum, regimen, & profectum conspiciunt, rectus ordo seruetur, ac officia ipsa diligenter, accurate & decenter exerceantur, & ad eandem Curiam pro negotiis tractandis pro tempore accedentes, votiua expeditione lætentur; necnon ea quæ propterea prouide facta & ordinata comperimus, vt executioni demandentur, & firmius perpetuo illibata obseruentur nostræ approbationis munimine roborare, & de nouo statuere & ordinare debemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Eug. IV. quasdā Cam. Ap. ordinationes à Clericis firmatas approbauit, vt sup. in eius const. 11. inter.

Clerici deinde alia statuta pro feliciori Cameræ statu hic infra inserta ediderunt.

§. 1. Sane cum accepimus nuper, postquam fel. recordat. Eugenius Papa Quartus prædecessor noster, attendens ad præfatam Cameram, Ecclesiarum & Monasteriorum omnium, necnon etiam Vrbium, ciuitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, villarum, & locorum dictæ Romanæ Ecclesiæ, immediate vel mediate subiectorum spiritualia & temporalia negotia peragenda deuenire, nonnulla statuta, ordinationes, & capitula, per tunc Præsidentes dictæ Cameræ edita per suas literas, ex certa scientia confirmauerit, dilecti filij moderni Præsidentes eiusdem Cameræ, circa illius, ac officialium eiusdem statum feliciter conseruandum, & prospere dirigendum intenti, cupientes quantum cum Deo possunt, quæ in dicta Camera gerunt, iuste & laudabiliter ad Omnipotentis Dei laudem, & status Romanæ Ecclesiæ conseruationem, ac omnium quorum interest quomodolibet subleuamen fieri, matura super hoc inter eos deliberatione præhabita, statutis & ordinationibus prædictis, ac mandatis, tam per piæ mem. Innocentium Papam Octauum, & Iulium Secundum etiam prædecessores nostros, quam per eos in forma motus proprij concessis, inhærendo, nonnullas constitutiones & ordinationes inter cætera, ea quæ tam per Clericos quam alios officiales ipsius Cameræ pro tempore existentes, fieri & exerceri debeant, concernentes & disponentes, ac alias rationabiles & honestas vnanimiter fecerunt, & dederunt, prout in literis Eugenij, ac mandatis Innocentij prædecessorum, & nostris, necnon constitutionibus & ordinationibus huiusmodi, quorum omnium tenores, de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur.

§. 2. Nos cupientes, vel literæ, mandata, constitutiones,

&

His modo Pont. illa omnia approbat vnà cũ bullis hic infrà mox relatiue inserendis. & omnia priuilegia Camerarij & Clericorum confirmat.

& ordinationes ipsæ, inconcussæ persistant, & Clerici & alij officiales præfati, eorum officio, cum decentia, & tranquillitate exercere valeant, Motu proprio non ad ipsorum Clericorum, vel aliorum pro eis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, literas, mandata, constitutiones & ordinationes prædicta, & in eis contenta quæcumque, necnon omnia & singula priuilegia, facultates, gratias, concessiones, & indulta, Camerario & Clericis ipsius Cameræ pro tempore existentibus, ac eorum Collegio alias per fel. record. Bonifacium, Vrbanum, Martinum, Callistum, Sixtum Quartum, & per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem prædictam, ac etiam per nos, quomodolibet concessa & confirmata; quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, approbamus & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes & singulos defectus, iuris & facti, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Iteratque omnia statuit.

§. 3. Et nihilominus pro potiori cautela, omnia, & singula per ipsos modernos Clericos, statuta & ordinata, ac eisdẽ Camerario, Clericis, & eorum Collegio concessa, & indulta, vt præfertur, auctoritate & tenore prædictis, de nouo statuimus, ordinamus, concedimus & indulgemus, ac illa perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari volumus & mandamus. Non obstantibus, &c. tenores vero literarum & mandatorum Innocentij & Iulij prædecessorum, & nostrorum, necnon constitutionum & ordinationum prædictarum sequuntur & sunt tales, videlicet.

Innocentij VIII. & Iulij II. ac Leonis X. bulla inseruntur.

§. 4. Innocentius Papa Octauus, &c. Cum sicut.

Omittitur quia ipsa bulla est sup.

§ 5. Iulius Papa Secundus, &c.

Omittitur bulla, quia habes eam sup. Ex iniuncto

§. 6. Leo Papa Decimus. Licet felicis, &c.

Ipsæ bullæ sunt quæ præcedunt.

Vltra quas Pontificias constitutiones, Clerici alia condiderunt statuta, quæ confirmat hic Pont.

§. 7. Et quia scriptum est, propter temporum varietatem, nouas etiam licet edere sanctiones, dilecti filij moderni eiusdem Cameræ Clerici, cupientes, quantum cum Deo possunt, quæ in Camera ipsa geruntur, iuste, integre, & laudabiliter fieri, CHRISTI Saluatoris nostri, qui est sapiẽtia Patris, & sol iustitiæ, numine inuocato, vt quæ inferius constituerentur, ad eius laudem & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ statum, & omnium quorum quomodolibet interest iustum subleuamen prospiciant, infrascriptas constitutiones in ipsa Camera perpetuo valituras vnanimiter ediderunt. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 5. die 3. Ian.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo octauo, tertio non. Ianuarij, Pont. nostri Anno quinto.

Sequitur tenor Statutorum à Clericis Cameræ editorum, de quibus supra.

CAP. I.

De Missa in Camera audienda.

QVoniam scriptum est, Primum quærite Regnum Dei, & omnia bene adiicientur vobis, cunctis diebus Cameralibus, Clerici, & omnes Camerales nisi iusto impedimento detineantur, in solita eorum Capella Missam deuote audiant; & Capellanus in missa currenti semper de Spiritu sancto vnam orationem addat, vt eius gratia Clericorum mentes ad iustitiam recte administrandam illuminentur.

CAP. II.

Accessus exinde ad Tribunal Cameræ.

Post cuius quidem missæ finem, duobus primis, simul successiue, cæteris seruando ordine eodem modo procedentibus, ad eorum Tribunal publicæ audientiæ cum grauitate ascendant.

CAP. III.

Audientia & habitus.

Vbi proposita per recurrentes ad eos, benigne audiant, notentque in eorum libro diligenter; & diebus quibus fuerint sacra Consistoria, tam in Missa, quam supra in eorum publica & secreta audientia, cappis Pontificalibus induantur, præterquam tempore vacationum. Et quando Consistorium non fuerit, non fuerit, satis sit eorum honestis pallijs vti. In audientia autem secreta, ea honestas, & ea grauitas seruetur, quæ loco & personis conueniat, vt qui administrandæ iustitiæ, ac regimini præpositi sunt, alijs præesse merito censeantur.

CAP. IV.

Expeditio negotiorũ intra Cameram.

Intus vero, cum Clerici ad vtilitatem Cameræ Apostolicæ sint instituti, ante omnia Bullæ ea quibus iura Papæ, Cameræ & Collegij soluenda sunt, vna cũ Clericis ipsius Collegij expediantur. Deinde illis recedentibus, aliæ bullæ & negotia ipsius Cameræ proponantur; & cum ipsius Cameræ vtilitate, absque tamen iuris tertij præiudicio determinentur, & ibi omnia huiusmodi collegialiter tractentur, neque extra, bullæ per alium, quam mensarium liberentur. Alia vero ad ipsam Cameram pertinentia in eius præsertim præiudicium, per aliquem ex Clericis expediti non possint, nisi ad executionem manifestæ eius vtilitatis, in contrarium gesta, viribus non subsistant.

CAP. V.

Ordine in propositionibus causarum.

Et cum dicitur, Vbi non est ordo, confusio omnia subruit, ideo negotia, tam Cameræ quam priuatarum personarum per illum proponantur, cui illorum iura demandata fuerint; & inter proponendum nemo proponentem interrumpat, sed omnes silentio vtantur, vt propositio bene intelligatur; & quia cameralis consensus ex Collegio personarum literatarum deducitur, quilibet tam in proponendo causas pendentes in Camera, aut materias camerales, quam respondendo & argumentando, latine loquatur, vt à cõsortio mechanicorum clarissimus iste locus differre videatur. Et ne causarum & negotiorum cognitio confundatur, cum alicui ex Clericis alicuius causæ examen commissum fuerit, nullus ex aliis in ea se intromittat, nisi talis primo deputatus impeditus fuerit: & tunc noua ipsius Cameræ cum commissione, & in impediti locum alicuius subrogatione.

CAP. VI.

Summarie processus. Hoc idem statuit Inn. VIII. in const. supra citata.

Et quoniam Camera Apostolica in determinationibus causarum manu regia vti potest, dummodo iustitiam faciat, in omnibus causis in Camera cognoscen. summarie simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicij, sola facti veritate inspecta procedatur, & absque registrorum confectione, si qualitas causæ id non exigat. Cum autem registrum fieri necesse fuerit, ad obuiandum querelis, quæ hactenus factæ fuerunt, conficiatur eo modo, quo per constitutionem fel. record. Ioannis Papæ Vigesimi secundi, quæ singulis annis dum Rota aperitur legi & publicari consueuit, tam in numero, versuum, & dictionum, quam literatura, & certis, ordinatum est; à pauperibus autem nihil contra eorum possibilitatem exigatur.

CAP. VII.

Propinarum taxa. Hoc de Pauperibus seruatur, de alijs autem seruatur taxa de qua infr. in Pij IV. const. 58. Omn ab ipso.

Et quia ex iustitiæ administratione à Deo iusto Iudice, qui iustis copiosam mercedem præparat in Cœlis, præmia expectanda sunt, in causis pauperum nullæ propinæ accipiantur, nec in causis diuitum, nisi sint commissariæ; in quibus cum registra, & dicta testium nõ possunt sine magno labore videri, æquum est, vt tunc propina moderata, id est in esculentis & poculentis dumtaxat consistens accipi possit, vt omnis infamiæ & auaritiæ nota penitus euitetur.

CAP. VIII.

Participationib. affectuum prohibitio. Tu vide etiã Pauli III. constit. 18. Alias.

Cumque Præfecti Fisci Apostolici, non solum ab omni fraude, labe & ex lucro illicito abstinere, sed etiam omni suspicione carere debeant, vt ex eis Camera nullam prorsus iacturam, seu damnum patiatur; nullus Clericus seu notarius sub duorum millium ducatorum eidem Cameræ applicandorum pœna eo ipso incurrenda, contrahat aliquam societatem, publicam vel occultam in conducta alicuius gabellæ, Dohanæ seu Thesaurariæ ad Cameram Apostolicam pertinentis; qui vero de hoc conuictus fuerit, vltra dictam pœnam, biennio priuetur emolumentis Clericatus, & notariatus, quæ pro tribus illorum partibus accrescant aliis Clericis & notariis, reliqua vero illorum quarta, reuelanti detur.

CAP. IX.

Forma in eis obseruãda. Tu vide bullam Py IV. n. 58. Cum ab ipso.

Et quia Clerici omni studio & industria tenentur, cum iustitia tamen & honestate, intendere & consulere quantum possunt, commodo & vtilitati Cameræ, in subhastatione & locatione cuiuscumque dohanæ, gabellæ, siue Thesaurariæ ad ipsam Cameram pertinentis, fiant publica proclamata, siue publica significatio in locis debitis, ita vt intelligatur, vbi & quando talis subhastatio fieri debeat, & Cameræ vtilitati bene sit, & omni parte consultum; & inter cætera, instabilibus subhastationibus, & locationibus, dicti Clerici diligenter & accurate prouideant, quod illi quibus fient tales locationes bonum bancum, fide & facultatibus sufficientem eidem Cameræ præstent, ita vt Camera per conductorem promissa facile assequi possit.

CAP. X.

Computorũ visione & examinatione. Ad hæc vide eandem bullam Py IV.

Et quia persæpe contingit, quod Thesaurarij, Dohanarij, & alij tractantes prouentus & res Cameræ Apostolicæ, computa & rationum eorum administrationis reddere differunt, tales Thesaurarij, Dohanerij, & alij rerum Cameræ Ministri ad talem effectum debitis temporibus ad reddendum rationem præmissam adstringantur, quorum computis in Camera ex se illa per eos, quibus per præfatam Cameram commissa fuerint, diligenter & fideliter examinentur, vocato quando opus est Computista præfatæ Cameræ; qui ad talem Clericum Commissarium quoties opus fuerit, sub pœna amissionis salarij sex mensium venire teneatur, & officium suum diligenter impendere. Post vero ipsorum computorum opportunum examen, idem Commissarius in Camera cæteris Collegis suis, illa fideliter & diligenter referat, vt sine aliquo affectu, Cameræ vtilitati, cum iustitia tamen, consuli possit.

CAP. XI.

Thesaurarij iuramento de soluendis salarijs in pecunia numerata. Tu vide quoad Thesaurarij officiũ, bullam 100. Sex. V in conferendis.

Et quoniam Thesaurarij Cameræ Apostolicæ, vt sæpe querelæ audiuntur, Castellanis Arcium, & aliis officialibus terrarum S.R.E. aut satisfaciunt, aut illis eorum stipendia & salaria, non in pecunia numerata soluunt, sed in pannis & aliis rebus, quas pro maiori pretio quã valeant, eis computant, propter quod ipsi Castellani, & officiales, nõ leui damnu afficiuntur, & dicta Camera, etiam ex hoc iacturam grauem patitur, cum prædicti officiales ea diminutione eorum stipendiorum & salariorum, opportune deseruire non possint; propterea teneantur Thesaurarij, etiam sub iuramento in principio suorum officiorum, quod eisdem Castellanis & officialibus in pecunia numerata, & non in aliqua alia rerum specie satisfaciant.

CAP. XII.

Thesaurarij munera in corrigendis Castellanis Arcium.

Quia vero Castellani Arcium S.R.E. nomerum stipendiorum eis designatum, aliquando non retinent, & pro eorum satisfactione, Camera grauissimas subiit impensas, ad euitandum periculum occupationis alicuius Arcis, ex defectu stipendiatorum, & necessariarum munitionum, Camera ipsa Apostolica moneat Thesaurarios, qui ipsis Castellanis stipendia persoluunt, & vltra visitationem, quam facit Visitator à S.D.N. pro tempore deputatus, ipsi sæpe, & si fieri potest, omni mense curent, intelligere, an Castellani pagas ordinatas retineant, & si in hoc deficere reperti fuerint, eis de eorum stipendio non satisfaciant, alias ipsi Thesaurarij in tantundem à Camera mulctentur.

CAP. XIII.

Officialium status Ecclesiastici ignauia & malignitate corrigenda. Ad hoc vide etiam sup. cõstit. hic in principio insertam.

Item quia dicitur quod impunitas maleficiorum, incentiuum præbet delinquendi, si habeatur notitia, quod aliquis officialis Terrarum Ecclesiæ ignauia sua, vel malignitate, delicta relinquat impunita, vnde & mala exempla & scandala, inter subditos Ecclesiæ cum iactura etiam Cameræ frequenter oriuntur, tali officiali, si post monitionem se non correxerit, de salario debito non satisfaciat; & vltra hoc, alia pecuniaria arbitrio Cameræ puniatur.

CAP. XIV.

Eisdemque de iniustitia & extorsionibus puniendis.

Item quia subditi Ecclesiæ, tanquam filij liberæ, & non filij ancillæ, cum charitate & pietate tractandi sunt in eorum grauaminibus, sacros pedes S.N.D. non facile adire valent, neque aliud quam Cameræ Apostolicæ refugium habent, quod nonnunquam à plerisque velut diaboli membris non Ecclesiæ filiis malignitate quadam impediri videmus, si de aliquo Rectore etiam Locumtenente alicuius Reuerendiss. Legati, aut alio officiali Prouinciarum, siue Terrarum Rom. Ecclesiæ, mala fama, de iniustitia extorsionibus, aut malo regimine, ad Cameram Apostolicam allata fuerit, & ex monitionibus ipsius Cameræ incorrigibilem se demonstrauerit, & talis Legatus de suo Locumtenente opportune non prouiderit, significetur saltem per duos Clericos S.D.N. & habita venia à sua Sanctitate iusto Cameræ arbitrio prouideatur, & Ecclesiæ Populi, se lupis lacerandos non relinqui, sed sibi tanquam filiis opportunum patrocinium præstari cognoscant; & vltra hoc, huiusmodi noptobo officiali inter alia salarium adimatur.

CAP. XV.

Consultatione in arduis cum Papa, aut Camerario.

Item quia scriptum est, omnia cum consilio, & non pœnitebit, Clerici, aut aliqua eorum pars, saltem semel in mense, S.D.N. aut Reuerendissimũ Camerarium adeant, & cum sanctitate & Dominatione Reuerendissima, de rebus arduis occurrentibus consulent; & deinde talẽ consultationem, & responsiones siue deliberationes in Camera referant.

CAP. XVI.

Iustitia sincera administratione.

Et quia officium administrandæ iustitiæ satis graue est, & periculosum, superfluum non videtur sæpe illud replicare, vt omnes Clerici moniti sint, & omnino frequenter reuoluant, quod in omnibus causis, quas in Camera Apostolica verti continget, tam pro ipsa Camera, quam pro priuatis personis, iustitiam sincere administrare conuenit, semper Deum præ oculis habendo, atque illam horrendam sententiam assiduè memoriæ repetendo, quod durissimum iudicium his qui præsunt retribuetur.

CAP. XVII.

Decani officio iuxta bullam Eug. IV. de qua sup.

Deueniendum est præterea ad ea quæ ad singulos Clericos ad se pertinent, inter quos R.D. Decanus, ipsius Cameræ illa agat diligenter, quæ ea ordinatione fel. rec. Eugenij IV. ei incumbunt, prout in literis Apostolicis eiusdem Eugenij supra expressis continetur, quæ literæ semper inconcussæ seruentur.

CAP. XVIII.

Clerici mensarij munere, quoad bullas expediendas & annatas exigendas.

Item res camerales, eo diligentius pertractentur, quo curæ vnius quolibet mense commissæ fuerint, constituatur singulo mense vnus Mensarius; qui nisi iusto impedimento fuerit impeditus singulis diebus non feriatis, ad Cameram accedat, & ibi videat, & indicet, omnes bullas partibus restituendas; & illas, pro quibus fuerit soluenda annata, nulli permittat consignari, nisi annata ipsa, debito & consueto loco soluta, de eius solutione, cedulas depositariorum videat, & si aliqua iusta causa fuerit, quare tunc annata ipsa soluenda debeat in eo casu, de opportuna cautione prouideat, vt res absque Cameræ detrimento pertranseat, partibus nihilominus iustitiam ministrando. Et quoniam ad euitandas solutiones annatarum, plurimi intrusiones allegant, & eas probare nituntur per testes, cum in hoc graue Cameræ interesse versetur, ne fraude & dolo tales intrusiones contingat probari, consultum opportunitati Cameræ videretur, si tale examen coram mensario Clerico fieret, & propterea ipse mensarius tale onus omnino subeat. Item quia bullæ ex quibus annatæ, & iocalia solui debeant, aliquando siue ex negligentia, siue per errorem, omnes non transmittuntur ad Cameram, vt tali inconuenienti occurratur, mensarius omnibus diebus Cancellariæ, vadat ad Plumbum, ad prouidendum, quod omnes bullæ, tam pro debita annata, quam pro iocalibus mittantur ad Cameram, illis in dicto plumbo per eum in vno libro adnotatis; & qui non fuerit, aut non miserit vnum ex collegis, careat prouisione sex ducatorum, qui ad eundem effectum, omni mense ordinati sunt, ac etiam participatione iocalium illius mensis. Et quia plurium quam vnius tantum iudicio, omnia melius determinantur, præfatus mensarius proponat in Camera tunc proxima omnes bullas, in quibus aliquod dubium fuerit, vt Cameræ & partibus pro iustitia satisfaciat.

CAP. XIX.

Item, cum inter alias curas, quæ Cameræ Apostolicæ deman

Examine promouendorum ad sacros Ordines. *In hoc, ipsi Clerici Cam. non amplius se intromittunt.*

demandantur, illa præcipua, grauior & onerosior existat, per quam examen ad sacros ordines promouendorum eidem Cameræ committitur; Nam cum ex bonis membris, bonum corpus Ecclesiæ conficiatur, nisi Sacerdotes quorum officium est, de lege diuina recte respondere moribus & doctrina idonei, aptique fuerint, Presbyteralis Ordo in ludibrium efficitur laïcis, qui à Sacerdotibus doctrinam & bonos mores videre desiderant, ignorantiam & vitæ improbitatem manifeste conspiciunt, attendant diligenter & accurate dicti Clerici examinatores, ne Deo optimo tales admittant Ministros, quorum victimæ propter ruditatem insufficientis scientiæ, ac vitæ inhonestatem, maiestati diuinæ abominabiles fiant, & examinatorum simul damnationes causentur; exquiratur itaque sufficiens titulus beneficialis, competens doctrina, & præsentia, & loquela promouendi, bonorum morum compositio; illud præterea & constanti memoria cum timore prospiciant, ne pro tali examine pecuniam, aut munus aliquod accipiant, cum in sacris canonibus nihil tantopere prohibeatur, quantum sacrorum Ordinum collatio simoniaca. Notarij quoque ipsius Cameræ pro scriptura collationis ordinum prædictorum, nihil accipiant, nisi quantum de iure licet. Væ autem illis Antistitibus, qui ex ipsorum ordinum collatione, loculos implent, vt sibi ædificent in gehennam. Cura autem examinandi non alterius sit, quam Clerici, qui locum suum non possit, nisi Collega sustinere; & si quando acciderit, quod in supplicatione promouendi insertum sit, quod ipse promouendus examinetur in Camera Apostolica per Clericum, siue Notarium eiusdem, nullus Notariorum audeat illum examinare, cum talis clausula per Notarium inaduertenter admissa fuerit, & nunquam solita sit poni, nisi cum examinandus literarum ignarus, censuram Cameræ Clerici vult effugere.

Cap. XX.

Clericorũ humanitate erga Curiales.

Item, quia omni Collegio tunc bene succedunt omnia, cum caput, & membra charitatis officio deuincta sunt, propterea Clerici omni studio, aduocatos, Procuratores, Notarios, & alias personas Cameræ deseruientes, benigne & charitatiue prosequantur, & tractent, eorumque honestis vtilitatibus, & honoribus quantum possint faueant & assistant.

Cap. XXI.

Aduocati pauperũ munere.

Aduocatus vero pauperum ad causas miserabilium personarum in Cam. Apostolica tractandas diligenter aduertat, illasque quantum licet sine respectu tueatur, & curet, ne contra iustitiam non vexentur.

Cap. XXII.

Aduocati & procuratoris fiscalis munere.

Aduocatus & Procurator Fiscalis, tam in Camera Apostolica, quam extra, interesse ipsius Cameræ studiosè curent; & cum in ea vel alibi de prædicto interesse sermonem haberi audierint, illud quantum iustitia expostulauerit, sine aliquo respectu teneantur, etiamsi super hoc extra Cameram, aliqua causa, siue iudicium ciuile vel criminale intentatum fuerit; & quando fiet aliqua declaratio, incursus pœnarum eidem Cameræ applicatarum, vel absolutio ab eisdem, de omnibus per ipsos Aduocatum & Procuratorem detur Cam. Apostolicæ opportuna notitia, vt possit in omnibus prouidere. Et quia eorundem Aduocati, & Procuratoris iudicium, in omnibus & per omnia, & præsertim in causis fiscalibus, vtile est, à Cam. non discedant, nisi causis fiscalibus terminatis, quæ post examen bullarum, ante omnes alias causas terminentur.

Cap. XXIII.

Notariorum Cameræ reformatione super.

Notarij autem Cameræ Apostolicæ, in quorum fide, & diligentia, magna cura rerum Cameralium reposita est, infrà notata seruare teneantur.

Cap. XXIV.

Registratione scripturarum interesse Cameræ concernentium.

Et primo in libris ipsius Cameræ ad id deputatis registrent extense & ad longum, omnes & singulos contractus, inter eam & quancumque personam, Collegium vel Vniuersitatem initos, & quascumque scripturas ad ipsam Cameram pertinentes, infra sex dies à die stipulationis, siue reuisionis illorum per Clericum, cui id commissum fuerit, computandos, qui contractus & scripturæ per Notarios ipsius Cam. & non per alios registrentur, sub pœna ducentorum ducatorum auri pro qualibet vice, qua transgressus aliquis eorum fuerit, pro medietate eidem Cameræ, & pro alia medietate Collegio Clericorum applicandorum, etiamsi pars cum qua contractus fuerit initus, Notario rogato non satisfecerit, pro cuius tamen mercede consequenda, Clerici præstent eidem Notario omnem fauorem, vt ipsam mercedem cum effectu consequantur.

Cap. XXV.

Bullarumque.

Item quia bullæ Apostolicæ fideliter tractandæ & registrandæ sunt, neque ante illarum registrationem, alicui extra Collegium ipsorum Notariorum credendæ, omnes bullæ in præfata Camera registrandæ, per ipsos Notarios Cameræ, & non per aliquem alium registrentur, ipsæque bullæ, vt præmittitur, registratæ, & sumpta quæ ex eis fieri continget, per vnum ex Clericis cum eodem registro fideliter, ac de verbo ad verbum auscultentur, & si quid in registro omissum, superfluum, vel mendosum reperiatur, corrigatur manu eiusdem Clerici, talisque correctio per ipsum Clericum nomine suo apposito approbetur, prout fit in aliis registris Curiæ.

Cap. XXVI.

Registrationũ mercede.

Et quia omnis labor optat præmium, prædictaque registratio admodum necessaria est, & in partium vtilitatem redundat, quia visum sæpe fuit, quando accidit ex registris Cameræ aliquod sumptum extrahi, repertos fuisse in eisdem registris plurimos defectus, & errores, etiam substantiales, prædictus Clericus auscultator à parte vnum Iulium recipiat pro quolibet pari bullarum, gratiosa scilicet & executoriali simul, aut pro vna bulla quando simplex fuerit, & similiter pro vno sumpto. Notarius vero pro labore suæ registrationis, tantum capiat, & non vltra, quantum in registro Cancellariæ, siue præfatæ Cameræ, antiquitus capiebatur, in quo ipsi notarij modestiam seruent, ne partes de ipsis iuste conquerantur, & similis auscultatio fiat de instrumentis, capitulis, patentibus, & aliis in eisdem libris Cameræ registrandis.

Cap. XXVII.

Bullarũ absque solutione Annatarum expeditione, ac testium examine.

Item, vt semper possit videri causa, propter quam Bullæ absque annatæ solutione partibus allegantibus intrusionem tradantur, Notarij eiusdem Cameræ conficiant, & in eadem Camera conseruent vnum librum, in quo in præsentia Notarij describant omnes attestationes testium examinatorum, in præsentia mensarij per ipsum Notarium Cameræ super intrusionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, cum interrogatoriis per Procuratorem fiscalem compositis, & in Cam. Apostolica registratis, alias testibus super similibus alio modo examinatis, nulla præstetur fides, & Bullæ non tradantur, etiam sub obligatione, nisi intrusio plene per testes, vt præfertur examinatos, probetur, & Notarius habeat pro examine vniuscuiuslibet testis, vt præmittitur, examinati, carlenos duos antiquos, & tantundem capiant pro examine in similibus causis, præterquam in commissariis, in quibus seruetur stylus Rom. Curiæ.

Cap. XXVIII.

Librorum Cameræ custodia.

Item quia libri qui sunt in Archiuio Cam. Apostolicæ sunt magni ponderis, tam quoad interesse Sedis Apostolicæ, & ipsius Cameræ, quam etiam partium, & propterea fideliter & diligenter sunt custodiendi, ne aliquis extraneus aliquos ex dictis libris subripiat, aut aliquod folium ex eis laceret, vel aliquo modo vitiet, Notarij non admittant intra cancellum eiusdem Archiuij aliquem extraneum sed faciant extra expectare illos, qui eorum operam exquirunt, neque etiam permittant, quod aliquis ex familiaribus ipsorum Notariorum intret, siue maneat intra dictum cancellum, nisi quando aliquis ex ipsis Notariis ibidem præsens fuerit, & tunc etiam ipse Notarius bene circunspiciat, ne dictus familiaris aliquid mali faciat in dictis libris, atque etiam quando libri prædicti, aut à Domino Thesaurario, aut ab aliquo ex Dominis Clericis extra dictum cancellum extrahuntur, tunc ipsi notarij conficiant vnum alium librum; in quo describatur extractio vniuscuiusque libri Cameralis, cum subscriptione receptionis illius, qui librum ipsum

extraxerit, vt sciatur, apud quem talis liber possit reperiri, & circa hoc, seruetur mandatum per fel. rec. Iulium papam II. super hoc editum, cuius tenor sequitur, & est alis.

§. 8. Cum sicut accepimus in nostra Camera, &c.
Omittitur quia ipsa bulla est sup.

Iulij II. mandati obseruantia.
Notarij mensarij officio circa expeditionem bullarum.

§. 9. Item ad euitanda monopolia & quascumque extorsiones, ipsi Notarij nullo modo possint vendere, siue arrendare inter se aliquod membrum emolumentorum, eorum officij Notariatus, sed labores & prouentus omnes inter eos sint communes, & quælibet cura præterquam registrandas bullas; quæ semper debet esse communis omnium, solum ad mensem, & non vltra, per vnum ipsorum Notariorum, & vtilitas inter omnes æqualiter diuidi debeat, & vt partes commodius expediantur, Notarius mēsarius, bullarum & obligationum, non in domo suæ habitationis, sed in Camera Apost. ea quæ circa illaa occurrunt, agere & expedire teneatur, vbi etiam Clericus mensarius pro expediendis iis, quæ circa id ad eum pertinent, adesse debet, ita vt bullæ recipiantur, & retineantur solum per Notarium ad id deputatum, & non per alium, qui Notarius sic deputatus non recipiat aliquas bullas sub officialibus registri bullarum Caccellariæ, nisi per manus solius scriptoris eiusdem registri, & non famulorum ipsius, vel quorumvis aliorum, bullas vero per Cameram expeditas, solum recipiat per manus Summistæ, vel eiusdem Summistæ officium exercentis.

Et circa resignationū cessionum registrationem.

§. 10. Item vt resignationes, & cessiones beneficiorum, quæ in manibus Notariorum fiant, omni dolo & fraude careant, & nemo propterea decipiatur, prout quotidie clamores audiuntur, de cætero Notarij prædicti, in adnotandis ipsis resignationibus & cessionibus in libris Cameræ, infrascriptam ordinationem seruare debeant, cuius tenor talis est, vt sequitur.

Camerarium decretum, quo ad euitandas fraudes Notariorum in eiusmodi registrationib.

§. 11. Raphaël Episcopus Ostien. Cardinalis S. Georgij S. D.N. Papæ Camerarius. Cum fide dignorum relatione intellexerimus, consueuisse dilectos filios Notarios Cam. Apost. per quandam corruptelam, negligentiam siue abusum, & malitiam, resignationes beneficiorum, quæ in Curia Romana, & Camera Apost. fieri consueuerunt, & in ordinariis libris, & authenticis eiusdem Cameræ, Notarij & Scribæ, ne fraus aliqua fieri, siue excogitari possit, & ad hoc, vt semper de veritate doceri possit, quando opus esset, non in dictis libris, vt rationabile statutum erat; amplius scribi, pro maiori parte, sed à tergo supplicationum, quarum prætextu dictæ resignationes admitti debent, simpliciter, notare, & scribere manu propria, & deinde partibus restituere, nulla retenta copia, vel nota, absque eo quod in protocollis, vel libris Cam. Apost. scriptæ sint, vel si scribantur, id ex interuallo plurium mensium fit, & id non aliter, quam parte instante, ex quo fit, vt veritas reperiri non possit in libris, dum de illarum admissione quæritur & tractatur, & sic in potestate partis in fraudem, & deceptionem nostram, & impetrantium, ad eorum propositum illis vti, vel eas celare, prout eis magis expedire videtur, in maximum scandalum Curialium, & aliorum impetrantium, & pessimum exemplum.

Prouidet circa resignationes præteritas.

§. 12. Nos igitur ad quos ex nostro Camerariatus officio pertinet, & spectat in primis, quantum possumus prouidere, de mandato S.D.N. Papæ, viuæ vocis oraculo super hoc nobis facto, & auctoritate nostri Camerariatus officij, præcipimus & mandamus, quatenus dictas resignationes beneficiorum iam factas & admissas, vsque in præsentem diem, sic notatas in margine supplicationum dumtaxat, etiamsi partibus restitutæ forent, infra terminum octo dierum proximè futurorum in libris authenticis Cameræ Apost. vbi scribi & notari solent, scripsisse & posuisse debeant, omni mora & excusatione cessantibus.

Et circa futuras,

§. 13. Resignationes vero, quas fieri continget in futurum, & in posterum admittendas & faciendas, sub simili priuationis pœna, & excommunicationis, quam quilibet contrafaciens eo facto incurret, infra tres dies à die resignationis factæ & notatæ, siue stipulatæ, in dictis libris Cam. Apost. in forma authentica, & legali, admittere, & solemniter apponere teneantur, & debeant, omni prorsus excusatione cessante, nec prius liceat eis, in margine supplicationis scribere vel notare, nisi in libris authenticis notatæ fuerint.

Resignationes aliter factas irritat.

§. 14. Decernentes ex nunc resignationes aliter factas nullius momenti existere, nec alicui suffragari, beneficiaque taliter resignata, non per resignationem, sed per obitum vacare.

Clericis, vt Notarios contrauenientes coerceant, iniungit.

§. 15. Mandantes RR. Patribus Dominis Præsidentibus & Clericis Cameræ Apost. vt omnia & singula supradicta inuiolabiliter obseruari mandent, & faciant, ac ad declarationem & executionem dictarum pœnarum ipso facto incursarum effectualiter procedere debeant, & teneantur, vt quos à malo, D E I timor non reuocat, temporalis coërceat disciplina, sub pœnis in dicto mandato contentis, in omnibus & per omnia obseruent, ac cessiones & resignationes, continuatim in libro resignationum describant, nullo spatio inter illam, & præcedentem, nisi forte vnius lineæ dimisso, vt tollatur occasio aliquid in medio scribendi.

Statutorum Cameræ tenor sequitur, super Expeditionū cuiuscumque Clerici registratione.

§. 16. Item vt omni tempore de gestis per Clericos Cameræ ratio reddi valeat, quilibet Notarius, habeat vnum librum, in quo registret omnes literas Camerales, quæ per manus suas expediuntur, postquam à Clerico visæ fuerint, & conetur vnusquisque illas eleganter componere.

Mandatisque Procuratorum registrandis in causis interesse Cameræ concernentibus.

§. 17. Item quia sæpe contingit, mandata procuratoria in Camera, super negotiis Fiscum & interesse Cameræ concernentibus exhiberi, ac illa ex incuria, vel dolo alicuius deperdi, & sine illorum ostensione, acta inter Cameram, & exhibentes, pro nullis reputantur, statuerunt, vt omnia instrumenta & mandata procuratoria huiusmodi, cum recognitionibus illorum, in libris eiusdem Cameræ per ipsos Notarios omnino registrentur, vt de illorum tenore per libros eosdem perpetuo doceri possit, quorum registrationi fides adhiberi debeat, sine alia originalium exhibitione; cum per Clericum sint videnda, & conferenda cum originalibus.

Clericis absentibus, vel ad Cameram per mensem non accedentibus.

§. 18. Item sicut scriptum est, qui non laborat non manducat, & in Camera Apost. continui & intolerabiles labores existunt, ne qui incommodum non sentiunt, commoditates capiant, & lucra, constituerunt, quod Clericus Cameræ in Curia præsens, & legitimo impedimento non impeditus, ad Cameram per vnum mensem non accedens, careat participatione iocalium, & vtilitate mensariatus; si vero extra Curiam degerit absque Collegarum licentia, siue habuerit aliquod publicum officium, siue commissionem, cum salario & lucro, de prouentibus Clericatus non participet, & idem obseruetur quoad Notarios eiusdem Cameræ.

Clericorum & Notariorum admissione.

§. 19. Circa vero admissiones Clericorum & Notariorum, in solutione admissionis, & iocalium, quam in perceptione fructuum, & emolumentorum seruetur id quod obseruatum fuit.

Causarū Clericorum defensione.

§. 20. Et quia omnes leges, & Prophetas in sola radice charitatis pendere & solidari Veritas affirmat, constituerunt præfati Clerici, vt in quibuscumque occasionibus alicuius Collegæ eorum, siue alterius personæ Cameralis, Collegium ipsum Clericorum debeat patrocinium, & defensionem causæ eiusdem assumere, & omni via & modo illam tutari & defendere.

Infirmorumque visitatione.

§. 21. Atque etiam in infirmitate, Clericos, & alias personas Camerales visitare, & si opus fuerit, suis necessitatibus subuenire.

Morientium quoque funeralibus.

§. 22. In morte etiam prouidere, vt sumptibus defuncti si facultates reliquerit, siu autem communi omnium Cameralium impensa, funus decenter efferatur, & ipsi Camerales omnes, illud collegialiter comitentur, in octaua depositionis in loco sepulturæ curent exequias, ipsis ibidem assistentibus, & ipsorum impensis celebrari, vt in eo pietatis opere D E O optimo placeatur, & cuicumque ipsorum, qui in hoc operam præstiterit, vt in eius morte idipsum à superstitibus rependatur.

Prædictorum omnium obseruantia.

§. 23. Quæ omnis & singula supradicta, & ordinata in præsentium constitutionum volumine, RR. DD. Cam. Apost. Clerici vnanimiter statuerunt, & constituerunt, ac per quascumque Camerales personas, & aliosad quos spectat integre seruari mandauerunt.

§. 24. Et

Et singulis annis in prima Camera publica lectione.

§. 24. Et vt prædictis iugis memoria, omnibus quorum interest maneat, statuerunt omnes & singulas constitutiones prædictas, singulis annis in prima audientia mensis Octobris, per vnum ex Notarijs ipsius Cameræ, ad mandatum D. Decani in tribunali publicæ audientiæ ipsorum Dominorum Clericorum, alta & intelligibili voce perlegi, vt quilibet eorum ad iustitiam ministrandam feruentior reddatur, ad laudem & gloriam Omnipotentis DEI, qui pro iustitiæ administratione magna præmia redditurus est. Amen.

XXV. Quod audientes Missam in Ecclesiis Fratrum Mendicantium in Dominicis & Festis diebus, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ de Missa audienda.

Edita An. D. 1517.

LEO PAPA X.

Vniuersis & singulis præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Causa huius constitut.

INtelleximus quosdam in dubium reuocare, & perinde timoratis conscientijs scrupulum inijcere, si Christi fideles, qui Dominicis & Festis diebus extra Ecclesias suas parochiales, Missas audiunt in Ecclesijs Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant.

Declaratio de qua in rubric.

§. 1. Nos enim ambiguitatem huiusmodi penitus tollere volentes, vt cum sinceriori conscientia fideles quique Deo creatori suo seruiant, auctoritate Apost. tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles vtriusque sexus, (qui non contempto proprio Sacerdote parochiali) in Ecclesijs Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis & Festis diebus Missas audiant, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati pœnamve incurrere.

Contrariorũ derogatio.

§. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 3. Et quia difficile foret præsentes literas nostras originaliter ad loca omnia, (vbi opus foret) deferri, volumus & decernimus, vt earum transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, ea fides, (vbi opus fuerit) detur, quæ originalibus ipsis daretur, si exhibitæ forent vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 13. Nou.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimatertia Nouembris millesimo quingentesimo decimoseptimo, Pont. nostri Anno 5.

XXVI. Fratres Minores Ordinis S. Francisci de Obseruantia, in processionibus & actibus publicis, Fratribus Conuentualibus præcedunt, digniorique loco crucem deferunt.

De separatione Fratrum de Obseruantia à Conuentualibus, & cæteris tangen. Fratres de Obseruantia, vide sup. in const. 23. Ite, vbi notaui.

Edita An. D. 1517.

LEO PAPA X.

Vniuersis & singulis præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Fratres de Obseruantia digniorem locum habent, quam Conuentuales in processionibus & alijs actib. publicis, ex bulla huius Pont. sub die 12. Iun. huius anni, quam vti hic sufficien. ter relatam prætermisi.

LIcet alias postquam statueramus, & ordinaueramus, quod de cætero perpetuis temporibus fratres B. Francisci, puritate eius regulæ, & sub regulari obseruantia viuentes, ac Reformati, Ministrum, Fratres vero dicti Ordinis Conuentuales nuncupati, Magistrum generales habere deberent, ne inter Reformatos & Conuentuales fratres huiusmodi super præcedentia, dissensio & contentio oriri posset, voluerimus & statuerimus, quod in processionibus, & alijs actibus publicis, fratres Conuentuales, fratribus regularis Obseruantiæ Ministrum habentibus, locum digniorem relinquere tenerentur.

§. 1. Quodque fratres ipsi Conuentuales, semper eorum Crucem & vexillum per eos deferri solitum, deferre libere & licite valerent.

Et in ea permissa fuit vtrique Ordini sui Generalis electio.

§. 2. Quia tamen, vt ex nonnullorum relatione accepimus, fratres ipsi Conuentuales prætendunt Crucem ipsorum Conuentualium deferre in loco digniori.

Possunt tamē Conuentuales solitã Crucem deferre. Quia eã volunt deferre in loco digniori. Pontifex ideo contrarium seruari mandat.

§. 3. Nos autem, qui præmissa omnia statuimus, vt omnis dissensio & contentio inter eosdem fratres de Obseruantia, & Conuentuales tolleretur, mentisque nostræ fuerit, prout etiam id expressimus, quod in omnibus actibus, fratres de Obseruantia haberent locum magis dignum, quam ipsi Conuentuales, & propterea mentis nostræ incommutabilis fuerit, prout existit, quod ipsi fratres de Obseruantia Crucem suam in loco digniori deferant. Ad huiusmodi tamen ambiguitatem dubium de mentibus omnium tollendum, motu proprio, & certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, mentis nostræ fuisse quod tam Conuentuales, quam de obseruantia & reformati fratres prædicti, in quibuscumque processionibus, & alijs actibus, in quibus Crux deferenda foret, Crucem suam deferre possint, ita tamen quod Crux ipsorum fratrum de Obseruantia, & Reformatorum loco digniori deferatur.

Eosdemque fratres de Obseruantia veros B. Francisci Fratres declarat.

§. 4. Quodque ipsi fratres de Obseruantia & Reformati, veri & indubitati fratres Ordinis B. Francisci, & eius regulæ obseruatores semper fuerint, ac diuina fauente gratia sint futuri, sine aliqua interruptione, seu diuisione, à tempore editæ regulæ per B. Franciscum, vsque ad præsens, ac sub ipsius Beati Francisci regula militauerint, & etiam ad præsens militent, sicque in omnibus teneri & obseruari, ac dici debere decernimus ac mandamus.

Perturbatoribus pœnas imponit.

§. 5. Mandantes nihilominus omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac Ecclesiarum Capitulis, sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à diuinis, inferioribus vero Prælatis ac Parochialium Rectoribus, necnon Mendicantium, & aliorum Ordinum professoribus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis ipso facto incurrendis, à quibus nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo absolui nequeant, quatenus declarationem & decretum huiusmodi inter Conuentuales, ac de Obseruantia & Reformatos fratres huiusmodi, inuiolabiliter obseruent, obseruarique faciant, necnon ne eosdem fratres Conuentuales de Obseruantia & Reformatos huiusmodi super his molestent, aut perturbent, seu per quoscumque cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentes, seu etiam inter se quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari permittant.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus dictorum Ordinum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnon priuilegiis, indultis, ac literis Apostolicis illis forsan concessis, confirmatis & innouatis, quibus illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis creditur.

§. 7. Volumus autem quod præsentium transumptis manu publici notarij subscriptis, & sigillo Ministri generalis pro tempore existentis dicti Ordinis Minorum aut alterius Prælati in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus literis, si illæ forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 6. Dec.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die sexta Decembris millesimo quingentesimo decimoseptimo, Pontificatus nostri anno quinto.

XXVII. Contra mentientes personas, in literis Apostolicis, vt earum expeditionem gratis assequantur; Officialesque eorum complices.

Hoc ferè voluit etiam Innocent. VIII. contra prædictos mentientes vt supr. in eius constit. 1. Cum sicut.

Similem

Similem vero sanctionem, contra simoniace se pro aliis supponentes, pro obtinendis beneficiis Ecclesiasticis, vide inf. in Pauli IV. const. 1 a. lotet, vbi notabo.

Edita An. D. 1517.

LEO EPISCOPVS,
Motu proprio, &c.

Causa constitutionis.

INhæreodo vestigiis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, sicut nonabsque graui displicentia accepimus, nonnulli animæ suæ prodigi, & auaritiæ morbo laborantes, vt literas Apostolicas gratis expediant, & Romanæ Curiæ officiales debita eorum portione defraudent, in eisdem literis nonnunquam venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Vicecancellarij, & aliorum Cardinalium, aut dilectorum filiorum Abbreuiatorum de maiori præsidentia, seu literarum prædictarum Scriptorum, necnon aliarum personarum quarumcumque ea quarum qualitatibus & priuilegiis, siue antiqua consuetudine, literas ipsas gratis expedire solent, nepotes & quandoque germanos, interdum vero familiares continuos commensales, fuisse & esse affirmare, & vt tales in dictis literis se inscribi facere, & fecisse non verentur, cum re vera tales non fuerint, in animarum suarum periculum, & officiorum eiusdem Romanæ Curiæ non modicum præiudicium & grauamen.

Mentientes se in literis Apost. enarrantur.

§. 1. Nos igitur fraudibus & deceptionibus huiusmodi, prout nostro incumbit officio, de remedio opportuno prouidere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulos cuiuscomque status, gradus, vel conditionis fuerint, & quocumque nomine nuncupentur, qui se vicecancellarij, aut aliorum Cardinalium, vel Abbreuiatorum, seu scriptorum eorundem, aut aliarum personarum quarumcumque, ex qualitatibus & priuilegiis, siue ex antiqua consuetudine huiusmodi literas ipsas, in toto, vel in parte gratis expedire solent, nepotes, fratres, aut familiares, continuos commensales, in eisdem literis, etiam motu proprio concessis, nominauerint, si re vera tales nepotes, aut fratres, vel familiares continui commensales non fuerint.

Officiales eorum complices puniuntur.

§. 2. Necnon officiales præmissa fieri procurantes, seu permittentes, excommunicationis sententiam à qua non nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem, (articulo mortis excepto, ac debita satisfactione præuia) absolui possint, auctoritate Apost. per præsentes innodamus, eosque excommunicationis sententiam huiusmodi in dictum euentum, ex nunc, prout ex tunc, & è contra incurrisse declaramus, & pro talibus publice iudicari mandamus. Ac ipsos officiales procurantes, seu permittentes huiusmodi à suorum officialium perceptione emolumentorum per annum continuum, vltra alias pœnas quas propterea incurrent, omnino suspendimus.

Literæ expedita nulla sunt.

§. 3. Et nihilominus, concessiones & gratias in eisdem literis contentas quascumque, ipsasque literas hactenus, tam per Cameram, quam Cancellariam expeditas, & expediendas viribus omnino carere, eisque quos concernunt, & eorum singulis in aliquo suffragari non potuisse, neque in futurum posse, sed omnino subreptitias, inualidas, & nullas, fuisse, esse, & fore.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque per quoscumque Iudices, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac sacri Palatij Apostolici Auditores, in quacumque instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, & iudicandi facultate, interpretari & iudicari debere, ac irritum & inane, quicquid secus super iis, quavis auctoritate, etiam per nos & successores nostros Romanos Pontifices, qui pro tempore fuerint scienter vel ignoranter contigerit attentari, motu & scientia similibus, decernimus & declaramus.

Iussio publ.

§. 5. Ac volumus quod mandatum, decretum & declaratio nostra huiusmodi in Cancellaria Apostolica publicentur, & in illius libro describantur, ac perpetuis futuris temporibus obseruentur.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque priuilegiis, & indultis, eisdem Vicecancellario & aliis Cardinalibus, ac quibusvis personis, sub quibusvis verborum formis & clausulis etiam derogatoriis, concessis & in posterum concedendis, quæ eis, aut eorum alicui, quoad præmissa nullatenus volumus suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Placet publicetur, & describatur I. *Papa subscriptio.*

Lectum & publicatum fuit suprascriptum mandatum Romæ in Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo, decimo septimo, die vero vigesimo mensis Februarij, Pontificatus S.D.N. Leonis Papæ Decimi, Anno quinto.

Contra Barones & Communitates non custodientes eorum territoria, à Bannitis, Furibus, &c. XXVIII.

Confirmatur & extenditur hac dispositio, à Pio IV. inf. in cuius const. 27. In eminenti, vbi loquar de hac materia.

LEO EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1518.

ROmani Pontif. prouidentia circonspecta prædecessorum sacrorum gesta, quæ præcipuæ pro venientium ad Almam Vrbem totius Orbis caput, & recedentium ab ea, securitate & commodo facta sunt, pensatis opportunis occasionibus, innouat atque extendit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Iul. edidit const. quæ est sup.

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Iulio Papa II. prædecessore nostro emanarunt in forma Breuis tenoris subsequentis.

Omittitur tenor istius constit. quia habes sup.

His Pont. eam confirmat.

§. 2. Nos itaque cupientes literas prædictas pro venientium ad Almam Vrbem, & ab ea recedentium tutela, & commodo inuiolabiliter obseruari, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, literas prædictas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illasque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere decernimus.

In probat. huiusmodi furtis, & valore bonorum stetur declarationi Clericorum Cameræ Apostol. præcedente iuramento damnũ passi.

§. 3. Et insuper cum huiusmodi furta, delicta, & derobationes fiant in syluis, nemoribus, latebribus, & in locis occultis, & secretis, non adhibitis, nec præsentibus testibus, adeo quod sine maxima difficultate per ipsos spoliatos, & derobatos, furta, & valor rerum subtractarum & ablatarum probari non possint, statuimus & ordinamus, quod quoad probationem bonorum subtractorum, & eorum valorem, stetur declarationi præfatorum Præsidentium & Clericorum ipsius Cameræ Apostolicæ, qui diligenter considerata qualitate personarum spoliatarum, & derobatarum, exposita quantitate furtorum, & aliis circunstantiis & coniecturis, recepto iuramento ipsarum personarum derobatarum, seu mercatorum, quorum bona ablata existebant; super quibus præfatorum Præsidentium, & Clericorum conscientiam oneramus, furtum, & eius valorem declarare debeant.

Damnũ passi contra Dominos & Communitates locorum agere possint.

§. 4. Et quod si derobatio, seu furtum in confinibus diuersorum territoriorum, diuersarum Communitatum, seu dominorum, vel iuxta huiusmodi confines, derobatus contra dominum territoriorum prædictorum, in Communitatem, quam & quam elegerit ad recuperationem rerum sibi ablatarum, agere possit, & valeat ab actione, quam ipse derobatus intentauerit, discedere, si ei placuerit, & contra alium agere licite possit (cum domini confinium prædictorum illos non custodiendo in præmissis culpa non careant) reseruato tamen soluenti iure agendi contra conterminos.

Viæ vt sint secura, latibula hinc inde amouentur.

§. 5. Et vt quantum fieri potest, omnis occasio grassandi & derobandi sublata esse videatur; eisdem motu & scientia, ac tenore, præcipimus & mandamus sub duorum millium ducatorum Cameræ Apostolicæ applicandorum pœnis similibus, omnibus & singulis antedictis, ne fures, latrones, & grassatores, in syluis & sepibus latibula

bula faciant, ne ibi abscondere possent, vt prope vias publicas vtrimque ad medium milliare, arborca & sepes & quæcumque latibula, incidere, seu incidi, ac amouere, seu amoueri, & extirpari facere infra duos menses à die publicationis præsentium computandos, & sic incisas conseruare, & manutenere omnino teneantur, & debeant.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque per Clericos dictæ Cameræ, ac quoscumque alios Iudices & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, & sacri Palatij Apostolici causarum Auditores iudicari, ac definiri, & exequi facere, sublata eis & eorum cuilibet, aliter iudicandi & interpretandi facultate, decernimus, summarie, & absque iudicij tela.

Executores.

§. 7. Mandantes propterea eisdem Raphaëli Episcopo, & Camerario, ac Præsidentibus & Clericis pro tempore existentibus, vt præmissa omnia & singula, ab omnibus inuiolabiliter obseruari faciant, & contrafacientes ad illorum obseruationem per supradictas pœnas, iuxta stylum ipsius Cameræ compellant.

Fides transumptorum.

§. 8. Volumus autem quod præsentium transumptia manu vnius Clerici, & vnius notarij eiusdem Cameræ subscriptis, eadem prorsus fides indubia adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 6. die 1. Sept.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1518. Kal. Septemb. Pont. nostri anno sexto.

XXIX. Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas, eorum arbitrio puniendi, & Curiæ sæculari tradendi, testes falsidicos in causis fidei.

Edita An. D. 1518.

L E O P A P A X.

Dilecto filio Hadriano tituli SS. Ioannis & Pauli Presbytero Cardinali.

Causa constitutionis.

INtelleximos quod in Hispania, cæterisque Regnis & Dominijs Charissimæ in CHRISTO filiæ nostræ Ioannæ Reginæ, & Charissimi in CHRISTO filij nostri Caroli Regis Hispaniæ Catholicorum ditioni subiectis, in quibus tu hæreticæ prauitatis Inquisitor Generalis per Sedem Apostolicam deputatus existis, multi perditi ingenij homines, in testimonijs quæ perhibent super dictæ prauitatis veritate inquirenda falsitatem, quandoque prece, pretio, odio, vel amore, & quandoque metu committere, aut se eandem falsitatem commisisse publice, licet falso fateri non verentur, sicque huiusmodi diabolicæ artis ministerio, plerumque vel damnantur insontes, vel diuinæ maiestatis DEI, & orthodoxæ fidei, sub Christiano nomine derisores veniam consequuntur. Ad quæ facinora perpetranda ipsi falsi testes, tam propria improbitate & inconstantia, quam audacia & impunita temeritate eorum, qui illos ad talia committenda minis cogunt, aut pecunia alliciunt, impelluntur.

Inquisitorum facultas coercendi eorum arbitrio & Curiæ sæculari tradendi testes falsidicos in causis fidei.

§. 1. Nos igitur scelestum hoc hominum genus, qui in diuinam, humanamque simul naturam conspirant, & in nefandi criminis causa, vel iniustæ absolutionis, vel iniquæ condemnationis actores existunt, acriori longe supplicio, quam cæteri falsidici testes plecti solcant dignum censentes, circumspectioni tuæ, & vniuersis & singulis alijs, per te & pro tempore existentem generalem dictæ prauitatis, in Regnis & dominijs prædictis Inquisitorem, ad ipsum inquisitionis officium pro tempore deputatis, contra omnes & singulas personas cuiusvis status, gradus, ordinis, dignitatis, & conditionis existant, quas tibi aut alijs Inquisitionibus prædictis in crimine hæresis scienter deposuisse, aut alium ad falsum deponendum, aut verum tacendum induxisse, vel quempiam ob perhibitum veritatis testimonium, vel propter falsum non attestatum occidisse, aut membro aliquo mutilasse, aut bonis suis omnibus, vel maiori parte illorum spoliasse vel spoliari fecisse, seu atrocissima iniuria affecisse legitime constiterit, tuo, aut à te deputando, seu deputandis & subdelegandis arbitrio procedendi, & eos pœnis, de quibus tibi vel illis videbitur condemnandi, super quo tuam & illorum, quibus negotia huiusmodi commiseris conscientiam oneramus, absque alicuius pœnæ seu censuræ Ecclesiasticæ metu aut irregularitatis nota tradendi, vel relaxandi, etiam curiæ sæculari, plenam & liberam concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Dat. P. An. 6. die 14 Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die decimaquarta Decembris, millesimo quingentesimo decimo octauo, Pontificatus nostri Anno sexto.

XXX. Contra quoscumque etiã prætextu indulti Vrbani VI. quoquo modo impedientes executionem literarum Apostolicarum.

Eiusmodi sanctionem edidit etiam Martin. V. in const. 2. Quod sup. Et eas omnes approbauit & innouauit Clem. VII. inf. in eius const. 93. Romanus. Ampleoremque dispositionem habemus in bulla Cœnæ Domini, vt inf. in const. 63. Pauli V. Pastoralis §. 14. vbi videas quæ notabo.

Edita An. D. 1518.

L E O E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

IN supremo Apostolicæ Sedis solio, meritis licet imparibus constituti ad ea libenter intendimus, per quæ debitus honor, & reuerentia dictæ Sedi, à subditis & inferioribus, præsertim Pontificali dignitate præditis impendantur; & si quid peruerse, aut minus recte per eosdem inferiores, factum aut gestum reperiatur, quod in dictæ Sedis depressionem, ac malum exemplum, & scandalum plurimorum cedat, id per nostræ prouidentiæ ministerium reuocetur, & ad debitam normam reducatur, ne membra à capite, cui obedientiam debitam, & deuotam præstare tenentur, discordare videantur.

Bonifacius ix. (cuius const. hic non habetur) literas Apostolicas vbique libere exequi iussit. prauia reuocatione indulti Vrbani vi. quibusdã Prælatis concessi, quod eas prius ipsi viderent, & exequi mandarent.

§. 1. Sane licet fel. rec. Bonifacius Papa Nonus prædecessor noster (ad quem fide dignorum relatione peruenerat, quod certi prælati quibus piæ memor. Vrbanus Papa VI. etiam prædecessor noster concesserat, vt in eorum Ciuitatibus & diœc. executio literarum Apostolicarum fieri non posset, nisi literæ ipsæ Prælatis ipsis, aut eorum officialibus prius exhibitæ, & per eos approbatæ forent, & eorundem Prælatorum officiales in consuetudinem deduxerant; aliqui vero prætextu statutorum prouincialium seu synodalium, etiam seruabant, quod nullus literas Apostolicas huiusmodi exequi auderet, nisi postquam Prælati seu officiales ipsi, per suas literas quas, Vidimus, nuncupabant, mandarent, & concederent, vt Iudices in ipsis literis Apostolicis deputati, illa exequi possent; prouide attendens, quod propter tales literas, Vidimus, seu Placet, nuncupata, impetrantes Apostolici sæpe literarum Apostolicarum consequi nequiuerant) concessionem Vrbani huiusmodi, ac statuta quæcumque super his facta reuocauit, cassauit, & annullauit; ac decreuit, quod Iudices & executores quicumque in literis Apostolicis pro tempore deputati, etiam sine licentia vel consensu quorumcunque Prælatorum, vel Superiorum, aut officialium eorundem literas Apostolicas exequi possent & deberent.

Ille Pont. ex causa hic expressa, d. constit. Bonif. ix. innouat, & obseruari mandat.

§. 2. Tamen nuper in publica Signatura coram nobis nonnullæ supplicationes propositæ fuerunt continentes, quod in Toletana, & Carthaginen. Ecclesijs, sub colore falsitatibus obuiandi editæ fuerant constitutiones synodales, quibus caueri dicebatur, vt Tabelliones & Notarij, etiam à partibus requisiti, literas Apostolicas nullatenus recipere possent, nisi illæ prius per Archiepiscopum Toletan. & Episcopum Carthaginen. pro tempore existentes aut eorum officiales examinatæ forent, à nobisque earundem constitutionum confirmatio peteretur. Nos petitionem huiusmodi vti ratione carentem, cum Romani Pontificis gesta per inferiores sibi & subditos, sine eius speciali licentia examinari non debeant, indecens, & absurdum, quinimo temerarium esse censentes, quod aliquis quavis occasione literas Apostolicas sine

ſine Romani Pontifici ſpeciali commiſſione examinare velle præſumat: proptetea ſupplicationes ipſas prout merito reiiciendæ erant, reiecimus, & coram nobis lacerari fecimus. Ac conſtitutiones edentium temeritatem tali caſtigatione reprimere, ac ſuper his tale remedium adhibere volentea, vt aliis in poſterum committendi ſimilia aditus præcludatur, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poreſtatis plenitudine, literas Bonifacij prædeceſſoris huiuſmodi, tenore præſentium, approbamus & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, illaſque inuiolabiliter obſeruari debere decetnimus.

Quaſcumque contrarias conſtitutiones vbicumque editas irritat.

§. 3. Necnon quaſcumque conſtitutiones ſynodales, tam in dictis Toletan. & Carthaginen. quam quibuſvis aliis Eccleſiis per vniuerſum Orbem conſtitutis ſuper his factas, motu, ſcientia, auctoritate, & poteſtate prædictis, caſſamus & annullamus, ac ſtatuimus & ordinamus, quod Iudices & executores in literis Apoſtolicis pro tempore deputari, ac Notarij & Tabelliones ſuper his requiſiti, literas ipſas Apoſtolicas ſine alicuius perſonæ cuiuſcumque, Eccleſiaſticæ, vel mundanæ dignitatis fuerit, licentia vel conſenſu exequi poſſint & debeant.

Prælatis & cæteris liberã executionem literarum Apoſtolicarum præcipit.

§. 4. Et inſuper vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis Primatibus, Epiſcopis, & aliis Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, necnon dilectis filiis Communitatibus ciuitatum, & vniuerſitatibus caſtrorum, oppidorum, terrarum, & locorum, ſub interdicti, ſingularibus vero perſoniseorum, etiam ſæcularibus, ſub excommunicationis & anathematis pœnis, quas eo ipſo ſi contrafecerint, abſque alia declaratione incurrant, & à quibus, non niſi à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, præterquam in mortis articulo conſtituti, & debita ſatisfactione præmiſſa, abſolui, & interdicti huiuſmodi relaxationem obtinere poſſint, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ne Iudices & executores literarum Apoſtolicarum, ac Notarios & Tabelliones ſuper his requiſitos, quo minus literas Apoſtolicas huiuſmodi exequi poſſint, quoquo modo impedire præſumant; ac eos qui executionem literarum huiuſmodi impedientibus, auxilium, conſilium, vel fauorem quouis modo, directe vel indirecte, publice vel occulte præſtare præſumpſerint, etiamſi Patriarchali, Archiepiſcopali, Primatiali, Epiſcopali, & quauis alia, Eccleſiaſtica vel mundana, etiam Imperiali, Regali, Reginali, aut Ducali, vel alia præfulgeant dignitate, eidem excommunicationis, & anathematis ſententiæ, à qua non niſi, vt præfertur abſolui poſſint, ſubiacere: ac ciuitates, terras, caſtra, oppida, & loca prædicta, & ad quæ inobedientes, & contrafacientes declinare, & in quibus moram trahere contigerit, Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, tamdiu firmiter obſeruando, donec compuncti corde huiuſmodi interdicto relaxationem, debita ſatisfactione præmiſſa, meruerint obtinere, ac ibidem permanſerint, & per triduum poſt eorum inde diſceſſum, motu, ſcientia, auctoritate, & poteſtatis plenitudine ſimilibus decernimus. Ac ſub dictis pœnis etiam mandamus illis, in quorum libris conſtitutiones ſynodales, & prouinciales huiuſmodi deſcriptæ reperiuntur, ita deleri & caſſari faciant, vt amplius legi non poſſint.

Non obſtantibus quibuſcumque.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis quæ idem Bonifacius prædeceſſor in ſuis literis voluit non obſtare, contrariis quibuſcumque. Aut ſi Patriarchis, Archiepiſcopis, Primatibus, Epiſcopis, & aliis perſonis præfatis, vel quibuſvis aliis, communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non inſertis effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſit noſtris literis ſpecialis mentio habenda, quæ quoad hoc cuiquam nolumus aliquatenus ſuffragari.

Iuſſio & effectus publicationis in Vrbe.

§. 6. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam deducantur, volumus & mandamus, illas in Cancellaria Apoſtolica, & valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe noſtra affigi, vtij quos huiuſmodi literæ concernunt, quod ad ipſos non peruenerint, aut illas ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere vel ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile quoad ipſos remanere incognitum, quod tam patenter fuerit publicatum. Verum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca in quibus expediens fuerit, illas deferre, volumus & dicta auctoritate decernimus quod illarum tranſumpto, manu publici Notarij inde rogati ſubſcripto, & ſigillo alicuius Prælati, ſeu alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munito, ea prorſus fides indubia in iudicio & extra, aut alias vbilibet adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi illæ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 6. die 1. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo decimooctauo, Kalen. Martij, Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Publicatio Cancellaria Apoſt.

Lecta & publicata fuit hæc Conſtitutio Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ, 1519. die vero 10. menſis Iunij Pont. Sanctiſſ. in Chriſto patris & D. N. D. Leonis, diuina prouidentia PP X. Anno ſeptimo.

Melchior de Campania Caſtos.

Et in Vrbe.

Anno Domini 1519. Indict. 7. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto patris & D. N. D. Leonis, diuina prouidentia Papæ X. Anno 7. diebus 18. 19. & 20. menſis Iunij in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, & 22. 25. & 28. eiuſdem menſis Iunij ſucceſſiue, etiam in Cancellariæ Apoſt. valuis ſeu portis, diebus Cancellariæ, iſtæ literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt, per nos Henricum Bouſmardi Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſorem, & per me Girardum Dubier præfati Sanctiſſ. D. N. Papæ & Romanæ Curiæ Curſorem.

Contra pugnantes in Duello, aut illud permittentes, vel ſpectantes, in Statu Eccleſiaſtico.

Hæc Bulla extenſa eſt etiam extra Statum Eccleſiaſticam, & ad omnes complices & auxiliatores, vt inf. in Pij IV. conſt. 21. ea quæ; vbi notabo plene.

Edita An. D. 1519.

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

QVam Deo & hominibus abominabiles viri pugnantes in duello exiſtant, & omnium in ore variatur, & diuina humanaque iura deteſtantur, nec immerito cum non ſolum corporum, ſed etiam animarum eorum, pro quibus Saluator noſter IESVS CHRISTVS DEI filius mortem ſubiit temporalem, graue detrimentum afferre noſcantur. Ad reprimendum igitur talium nefarios auſus plurimum conferre cenſentes, eos qui huiuſmodi ſcelus deteſtabile quidem, & canonica ciuilique lege prohibitum patrare non expaueſcunt, grauiter fore puniendus, ac ea quæ ad compeſcendum ſimiles veritos conatus à Rom. Pont. prædeceſſoribus noſtris ſtatuta fuerunt, vt eo firmius obſeruentur quo ſæpius fuerint auctoritate Apoſtolica communita, approbamus, & nouo munimine roboramus, & ſi qua ad perterrendum animos audaces meliora ſint iis adiicimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Iulius II. edidit conſt. hic indicatam.

§. 1. Dudum ſiquidem à fel. rec. Iulio Papa II. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet.

Omittitur tenor iſtius conſt. quia habes ſup.

Hic Pont. eam confirmat.

§. 2. Cum autem, ſicut accepimus, in eiſdem literis

Hic Pont. eam confirmat.

contenta, ab aliquo tempore citra non fuerint obseruata, & ex eo quamplurimi Barones, domini temporales, & alij, præsertim eidem Romanæ Ecclesiæ subditi, adeo procliuiores ad pugnandum in duello redditi sint, vt passim quotidie singularia eiusmodi certamina vbique committi videantur, ac domini temporales præfati armorumque duces eos ad id inuitare, quin potius irritare non formident, & cum in eorum territoriis & iurisdictionibus rutum pancratium, siue aream præparent, & talia cruenta spectacula exhibeant, & illis comitiuam præstent. Nos igitur non minus detestabilem in duello pugnantium, quam Ducum, Comitum, Marchionum, Baronum, Domicellorum, & armorum Capitaneorum, aliorumque dominorum temporalium eis ad id auxilium, consilium, & fauorem præstantium nequitiam, ac improbam eorum conscientiam reprobantes, qui ad ea visenda conueniunt, corporum & animarum saluti Christi fidelium opportunis remediis indefesso studio prospicere volentes, literas Iulij prædecessoris præfati, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac animi deliberatione, harum serie, auctoritate Apostolica approbamus, confirmamus, & innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus.

Duellantibus pœnas auget.

§. 3. Adiicientes, & eadem auctoritate Apostolica statuentes, quod pugnantes ipsi non solum pœnis prædictis subiaceant, sed eorum memoria perpetuo damnata sit, ac bona proscripta sint, & Cameræ nostræ Apostolicæ confiscata eo ipso.

Permittentibus pœnas imponit.

§. 4. Duces, Barones, Comites, Marchiones, & domini temporales, Vicarij, feudatarij armorum Capitanei, Communitates quoque Ciuitatum, Terrarum, & locorum eidem Rom. Ecclesiæ mediate vel immediate subiectorum, campum ad pugnandum præstantes, non solum pœnas prædictas incurrant, sed ab omni iure quod in locis & territoriis suis obtinent, ipso facto cadant, illudque ad Cameram præfatam deuoluatur, & deuolutum esse censeatur, absque aliqua declaratione desuper facienda.

Spectatoribus pœnas infligit.

§. 5. Qui vero ad talia cruenta spectacula videnda conuenerint, si nobiles, Quingentorum, si mediocris fortunæ, Centum, si vero ignobilis, Vigintiquinque ducatorum, necnon excommunicationis & perpetuæ maledictionis pœnam incurrant, ac locus ipse Ecclesiastico subiaceat interdicto.

Iul. II. bullam innouat.

§. 6. Et insuper omnia & singula, tam per Iulium prædecessorem statuta, & vt præfertur, per nos confirmata, & illis adiecta, perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inuiolabiliter obseruari debere decernimus.

Executores deputat.

§. 7. Quo circa venerabili fratri Raphaëli Episcopo Ostiensi Camerario nostro, ac dilectis filiis præsidentibus, & Clericis dictæ Cameræ pro tempore existentibus, motu simili mandamus, quatenus præsentes literas solemniter, prout sibi videbitur, publicari, ipsaque ac omnia, & singula in eis contenta inuiolabiliter obseruari faciant, contrafacientes vero prædictas censuras & pœnas damnabiliter incurrisse declarent, ac summarie, & eorum Camerali more exequantur, & irremissibiliter exigant, conuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, super quibus amplam eisdem concedimus facultatem & potestatem.

Contrarijs derogat.

§. 8. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 7. die 23. Iulij.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo decimonono, decimo Kal. Augusti, Pont. nostri Anno septimo.

Publicatio.

Anno Domini 1529. Indict. 7. die vero 19. mensis Augusti, Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Leonis, diuina prouidentia Papæ X. Anno 7. ista litera Apostolica affixa, & publicata fuerant in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, seu portis per me Franciscum Cursorem, necnon in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Henricum Bousmardi Sanct. D.N. Papæ Cursorem. Pro M. Quarto de Vrbano Cursore.

XXXII.

Communicatio omnium priuilegiorũ Mendicantium, tam concessorum, quam concedẽdorum, inter singulos eorundem Ordines, eorumque loca, Ecclesias, Fratres, Moniales, Tertiarios, Conuersos, & Oblatos.

LEO PAPA X.

Edita An. D. 1519.

Vniuersis, & singulis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Causa huius constitut.

DVdum per nos accepto, quod Romani Pont. prædecessores nostri, aliqui ad Minorum, alij verò ad Eremitarum S. Augustini, alij ad B. MARIÆ de Monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordinum Fratres, & domos, iuxta ipsorum vota, deuotionis affectum gerentes, illorum singulis nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, ac dona, tam spiritualia quam temporalia, per diuersas ipsorum literas, respectiue concesserunt.

Communicatio priuilegiorum inter Ordines Mendicantium.

§. 1. Nos ad singulos Ordines prædictos, singulasque ipsorum Ordinum domos, vbi religiose viuitur, indifferenter, absque acceptione personarum, deuotionis affectum æqua lance gerentes, omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, tam spiritualia quam temporalia, qualiacumque illa essent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Seruorum Beatæ Mariæ, ac Minorum Fratrum, in domibus, & illorum Ecclesiis, Oratoriis, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus cuiuscumque status, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & Præsidentibus, non solum Generalibus, & Prouincialibus, Fratribusque, & Sororibus, necnon Monialibus, & Conuersis, oblatis, ac vtriusque sexus personis, de pœnitentia, seu tertij habitus nuncupatis, à dictis prædecessoribus, aut à nobis, ipsisque successoribus, aut alias auctoritatem habentibus coniunctim vel diuisim in genere vel in specie concessa fuerunt, aut in posterum concedentur, illa, & omnia singula, ac nominanter exprimerentur, pro sufficienter expressis tunc habentes, singulis Ordinibus prædictis, illorumque singulis Ecclesiis, Oratoriis, & Ecclesias, ac Oratoria visitantibus cuiuscumque status, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus; necnon domibus, & Conuentualibus Fratribus, & etiam Sororibus, vel Monialibus, Conuersis quoque & Oblatis, ac vtriusque sexus personis de pœnitentia nuncupatis, & aliis singulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex mera nostra scientia, & liberalitate, de Apostolicæ auctoritatis plenitudine communicauimus. Illaque omnia, & singula inter dictorum Ordinum personas, pariformiter, communia fuisse, & esse volumus, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

Dubium exortum, super indulgentiis quoad sæculares.

§. 2. Et deinde, sicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum, volentes sapere plusquam oportet, atque ad ipsorum nutum verba ipsa interpretantes, diuersi tam sæcularibus quam etiam aliis personis, publice & priuatæ suggesserint, quod ipsi sæculares visitando vnam dictorum Ordinum domum, omnes & singulas indulgentias & remissiones peccatorum, tam per dictos Prædecessores nostros, quam per Nos domui beatæ Mariæ de Populo de Vrbe concessas, consequi potuerunt, perinde ac si dictam domum S. Mariæ de Populo visitarent, quod præter ipsorum Prædecessorum & nostram mentem fuisse & esse dignoscitur.

Declaratio d. dubij contra sæculares.

§. 3. Attendentes igitur, quod Indulgentia intuitu Religionis concessa, ad sæculares extendi non debet, volentes mentem dictorum Prædecessorum & nostram declarare,

declarare, & omnem ambiguitatem & occasionem tollere, motu proprio & ex certa nostra scientia, volumus & auctoritate Apostolica declaramus, quod vniuersi & singuli dictorum Ordinum Fratres, & Moniales, Tertiiq; Ordinis vtriusque sexus, & familiares dumtaxat, omnibus & singulis indulgentiis & gratiis, per eosdem prædecessores, & Nos, domui B. Mariæ de populo de Vrbe, vt præfertur, concessis & concedendis, vtantur, potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri & gaudere possint, quomodolibet in futurum, perinde ac si ipsi dictam domum B. Mariæ de Populo, his diebus & festiuitatibus quibus indulgentiæ huiusmodi concessæ fore dignoscuntur, personaliter visitarent, quodque vigore prædictarum literarum, sæculares gratiis & indulgentiis huiusmodi, vti, & gaudere non possint.

Iussio aliter non suadendi.

§. 4. Inhibentes nihilominus in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso per contrafacientes incurrenda, omnibus & singulis Fratribus cuiuscumque Ordinis existentibus, & quibuslibet aliis personis, ne deinceps indulgentias & gratias huiusmodi sanctæ Mariæ de Populo de Vrbe, ad sæculares extendi prædicent, aut publice vel priuate nuncient.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, aut quibusvis aliis literis Apostolicis, priuilegiis quoque, & indultis dictis Ordinibus concessis, quæ quoad præmissa reuocamus, cassamus & annullamus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 6. Volumus autem, & auctoritate Apostolica decernimus, quod præsentibus transumptis, manu Notarij publici signatis, & alicuius Prælati, aut personæ in Ecclesiastica dignitate constitutę sigillo munitis, ea fides prorsus in iudicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur si præsentes literæ essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 7. die 10. Dec.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 10. Decembris 1519. Pontificatus nostri anno 7.

XXXIII. Iurisdictio & alia priuilegia Consulis & Consiliariorum, Vniuersitatis Mercatorum Florentinorum in Alma Vrbe.

Edita An. D. 1519.

L E O E P I S C O P V S ,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officij debitum, nobis desuper commissum, nos admonet & inducit, vt singularum personarum præsertim Romanam Curiam sequentium, votis, per quæ statui prosperiori & vtiliori personarum earundem consuli valeat, libenter annuamus, & ad id eiusdem officij partes fauorabiliter impendamus.

Ad petitionẽ vniuersitatis Mercatorum Florentinorum.

§. 1. Dudum siquidem pro parte Capitaneorum partis Guelfæ, & Consulum Communitatis Ciuitatis Florentiæ, qui dilectorum filiorum Mercatorum suorum Florentinorum, & aliorum dictæ ciuitatis subditorum in Vrbe & Romana Curia commorantium, vtilitati consulere volentes, quædam Capitula & constitutiones inter eos seruanda, & inter alia cum potestate eligendi inter eos vnum Consulem, cum duobus Consiliariis, & vno Cancellario seu notario publico, prout in diuersis Mundi partibus Mercatores dictæ Ciuitatis habebant, qui de eorum rebus, causis, litibus, & quæstionibus ciuilibus, inter eos tantum cognoscerent, vulgari sermone statuerant, & ordinauerant.

Pont. ille per alias suas literas quas hic non habes confirmauit statuta Nationis Florentinæ in vrbe.

§. 2. Nos per alias nostras literas, in quibus dicta Capitula quæ per eo lingua Latina peritum, in latinum interpretari, & per deputatum ad hoc examinari diligenter & prædictis literis inseri feceramus, statuta & ordinationes huiusmodi auctoritate Apostolica approbauimus & confirmauimus, supplentes omnes & singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Et modo iterum confirmat.

§. 3. Et nihilominus potiori pro cautela, quod tunc & pro tempore existens Consul, cum dictis Conciliariis etiam tunc & pro tempore existentibus, de omnibus causis litibus, quæstionibus & controuersiis ciuilibus, inter eos tantum, ius dicere, procedere, sententiare, decidere, & exequi (exceptis illis, in quibus essent instrumenta in forma Cameræ Apostolicæ, & ceteris personis tunc expressis, qui Mercatores non essent, quo ad quos nihil penitus innouatum censetur) & iuxta dictorum Capitulorum tenores, emolumenta ac pœnas & alia exigere, ac omnia in eisdem literis contenta, sine quibus eorum iurisdictio esset nulla, exercere, quodque si pro executione sententiarum pro tempore latarum, & aliis, contingeret executionem contra aliquem seu aliquos fieri, carceribus, Marescallis, Barisello, & aliis cuiuscumque Curiæ ministris, tam Vrbis quam locorum circumuicinorum, assignata eis condecenti mercede, libere & licite vti valerent, nullique alij iudices spirituales vel temporales dictæ Vrbis, de illis sic ad eorum instantiam incarceratis, se intromittere, sub excommunicationis latę sententiæ pœna, possent.

Notarium ipsius nationis decreuit non teneri portare acta & instrumẽta ad Archiuium.

§. 4. Et cum dictorum Mercatorum plurimum interesset, vt eorum negotia secreta tractarentur, & eorum conditio, propter dictæ mercaturæ casus contingentes, non omnibus publicaretur, vt pro tempore Consules & Cancellarius seu Notarius dicti officij, acta, obligationes, protocolla, & alia in dicto officio & extra facienda & exercenda, & per ipsum roganda, & omnia alia quæ ad dicti Notariatus officium spectant penes se & dictum pro tempore existentem officij huiusmodi Notariũ retinere posset, nec dicta acta, contractus, & alia inter dictos Mercatores facta, & facienda, obligationes in fidem, alibi, vel ad Archiuium ferre seu portare tenerentur decreuimus, prout in eisdem literis plenius continetur.

Et nunc ad instantiam Consulis d. nationis.

§. 5. Cum autem (sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Bernardi de Binis moderni Consulis, petitio continebat) nonnulli Florentini Mercatores, Bancarij aut Fundacarij nonnullas pecuniarum summas ad dictum Consulatum spectantes, quas de eodem consulatu habuerunt, latitent, illasque detineant indebite occupatas, quare pro parte eiusdem Bernardi, nobis fuit humiliter supplicatum, vt sibi ac Consulatui huiusmodi in hoc prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Non restituẽtes pecunias, &c. eiusdem nationis excõmunicat.

§. 6. Nos igitur cupientes pecuniarum summas huiusmodi præfato Consulatui restitui, ipsumque Bernardum qui, vt asserit, dilecti filij magistri Baptistę etiam de Binis, Notarij nostri, & pro dilecto filio nostro Iulio tt. S. Laurentij in Damaso, presbytero, Card. S.R.E. Vicecancellario, in Cancellaria Apostolica Locumtenentis genitor existit, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes & singulos Florentinos Mercatores, Bancarios aut Fundacarios, qui hactenus quicquam de pecuniis ad dictum Consulatum pertinentibus, in manibus habuerint, & de illis minime satisfecerint, aut rationem competentem non reddiderint, & ea detinent, seu de eisdem satisfacere, & competentem rationem reddere negligunt seu recusant, excommunicationis sententia (à qua, donec satisfecerint seu competentem rationem reddiderint, non nisi à Rom. Pont. pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium nequeant obtinere) auctoritate Apostolica, harum serie innodamus, ac innodatos & excommunicationis sententiam huiusmodi incurrisse decernimus & declaramus.

Homines d. nationis pro crimine examinãdos certo modo examinari iubet.

§. 7. Et nihilominus Bernardum & pro tempore existentem, Consulem, necnon Consiliarios præfatos, dictamque nationem Florentinam, peramplius honore, & speciali gratia fauore prosequi volentes, statuimus & ordinamus, quod nullus dictæ nationis, in dicta Curia pro quocumque crimine aut delicto captus & carceribus mancipatus, nonnisi præsente prædicto consule, ac vno ex consiliariis præfatis, aut aliquo ab eis pro tempore transmisso, examinari valeat. Quodque etiam nullus cuiusvis nationis, in domo seu societate dicti Consulis, occasione vel causa debiti, siue ratione

cuiusvis

cuiusvis criminis vel dicti (non tamen læsæ Maiestatis) capi possit.

Consuli & Consiliariis armorum delationem permittit. §. 8. Et insuper eisdem Bernardo ac pro tempore existenti Consuli & Consiliariis, vt pro defensione personarum suarum, ipsi & eorum quilibet, cum duobus eorum seruitoribus & famulis, ac seruitores, famuli, & personæ Consulatus huiusmodi, ac eorum quilibet, diu noctuque absque alterius Gubernatorum Almæ Vrbis nostræ, aut Barisellí seu Rom. Pont. tempore existentis licentia, arma defensiua & offensiua deferre.

Carceresque cõstruere posse indulget. §. 9. Ac ipsi Consules & Consiliarij, pro fugiendis expensis, quas pauperes incarceratos subire est necesse, prope locum dicti Consulatus, carceres publicos, in quibus eorum subditi, pro debito & criminibus quibusvis eis notis, mancipari valeant, construere & habere, libere & licite valeant, dicta auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus.

Executores huius bullæ deputat. §. 10. Quocirca venerabilibus Fratribus nostris Casertano, & Salutiarum Episcopis, ac dilecto filio Præposito Ecclesiæ Florentinæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi, quando & quoties opus fuerit, ac pro parte modernum ac pro tempore existentium Consulis ac Consiliariorum prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta quæcumque per quemcumque inuiolabiliter obseruari, contradictores quoslibet & rebelles, per censuras Ecclesiasticas & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrarijs derogat. §. 11. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus, etiam municipalibus dictæ Vrbis, priuilegiis quoque & indultis Apostolicis, Gubernatori & Barisello præfatis, & dilectis filiis Populo Romano, necnon quibusvis aliis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, præeminentiæ existentibus, sub quibusvis formis & tenoribus concessis, confirmatis, & innouatis quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia quævis exquisita forma seruanda esset, illorum tenores, pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli, &c.

Dat. P. An. 7. die 10. Sept. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo decimonono, quarto Idus Septembris, Pont. nostri Anno septimo.

XXXIV. Quod Canonici Regulares S. Augustini, in Episcopos promoti, vtantur habitu, quo vtuntur alij clerici sæculares in Episcopos creati.

Canonicorum Regularium duæ extant Congregationes, vna Lateranensis nuncupata de qua plene notaui supra in const. 2. Paschal. II. Quanto. Altera autem nuncupata S. Saluatoris, de qua itidem notaui sup. in Greg. XII. const. 2. Excitat.

Edita An. D. 1519. *LEO EPISCOPVS, Venerabili fratri Zachariæ Episcopo Sebastensi Prælato nostro domestico.*

Dubium. §. 1. Dudum cum ad Ecclesiam Sebastensem, à nobis de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promotus esses in Pastorem, dubitatum fuit à nonnullis an tu qui Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini expresse professus eras, in habitu & coloribus Prælatorum sæcularium, de iure vel consuetudine permissis, incedere posses, prout incedebas, & cum quæstio huiusmodi ad nos perlata fuisset.

Commissio discussionis dicti dubij. §. 2. Nos causam ipsam mature terminare desiderantes, venerabili fratri nostro Nicolao Episcopo Albanen. tunc tit. S. Priscæ presbytero Cardinali de Flisco nuncupato, viuæ vocis oraculo commisimus, vt super his se diligenter informaret, & demum nobis referret, Cum autem præfatus Nicolaus Episcopus nobis retulerit, de antiqua consuetudine in pluribus locis, etiam in Romana Curia vbi Pontifex residet receptum fuisse, vt Canonici Regulares huiusmodi in Episcopos promoti, tam in Capella nostra, quam extra, vtantur habitibus & coloribus quibus vtuntur alij clerici sæculares in Episcopos promoti.

Declaratio eiusdem dubij. §. 3. Nos præterea iuxta relationem nobis factam, vt præfertur, fraternitati tuæ viuæ vocis oraculo concessimus, vt habitus & colores, quos dicti clerici sæculares in Episcopos promoti, tam in Capella nostra, quam extra gestant, gestare posses, & ita etiam tenore præsentium auctoritatem de nouo concedimus.

Clausula derogatoria. §. 4. In contrarium non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. An. 7. die 1. Sept. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris die prima Septemb. 1519. Pont. nostri anno 7.

XXXV. De his quæ seruari debent, circa impetrationẽ beneficiorum Consistorialium.

Nonnulla huic sanctioni addidit Clem. VII. infra in const. 8. Cum dudum. Et vide etiam const. 6. Greg. XIV. Onus.

Edita An. Di 1520. *LEO EPISCOPVS, &c. Motu proprio, &c.*

Sixt. IV. & Iul. II. quorũ const. hic non habet. statuerunt quæ more feruntur. Cvm Sixtus Quartus, & Iulius Secundus, & nonnulli alij prædecessores nostri prouidendo ne illis de quorum personis Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, ac Monasteriis Consistorialibus prouidetur, seu ipsa Monasteria commendantur, prorogatio Consistorij præiudicium, siue occasio litigandi inferretur, constituerunt & ordinauerint, vt supplicationes desuper signarentur & datarentur, ad quarum datas cedulæ consistoriales retrotraherentur, alias nullius essent roboris vel momenti. Necnon vt Camera Apostolica, & sacrum dilectorum filiorum Cardinalium Collegium cum periculo promouentium animarum, eorum viribus & annatis non defraudarentur, similiter constituerint & ordinauerint, vt literæ prouisionis, siue commendæ Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Monasteriorum consistorialium sine literis dispensationum, retentionum, Monasteriorum & aliorum beneficiorum, & sæcularium & regularium, ac pensionum quarumcumque, non expedirentur.

Hic modo Pontif. eadem approbat & extendit. §. 1. Vestigiis prædecessorum inhærendo, ac maioribus fraudibus occurrere cupientes, cum intellexerimus supplicationes dispensationum huiusmodi retentionum Monasteriorum, & beneficiorum ac pensionum prædictorum ad partem signari, & de illis in cedulis Consistorialibus nullam mentionem fieri ad effectum, vt literæ Ecclesiarum Monasteriorum prædictorum contra ordinationes prædictas libere ad eorum libitum expediri facere valeant. Idcirco motu proprio, & ex certa scientia, ac de nostræ Potestatis plenitudine prædicta mandata, & ordinationes extendimus, ac de nouo decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus, vt per quascumque supplicationes, etiam motu proprio sub quibusvis datis in posterum signandas dispensationum retentionum quorumcumque Monasteriorum, & beneficiorum regularium & sæcularium, ac quorumcumque pensionum, & similium beneficiorum vacantium, & pensionum translatarum per huiusmodi promotiones, & commendas consistoriales nullius sint roboris, nec in aliquo eisdem personis prouisis suffragentur, sed Mona-

Monasteria, & beneficia, prædicta per huiusmodi promotiones impetrari possint, ac pensiones cassatæ & extinctæ intelligantur, nisi in cedulis prædictis super illis dispensetur, & beneficiis sic vacantibus prouisum sit, ac supplicationes prædictæ retrotrahantur, eis nequaquam suffragentur.

Seruarique mandat. §. 2. Mandantes propterea dilecto filio nostro Iulio tit. S. Laurentij in Damaso presbytero Cardinali sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, eiusdem Cameræ Apostolicæ Regenti, & dilectis filiis de maiori præsidentia Abbreuiatoribus, & aliis Officialibus ad quos expeditio dictarum literarum spectat, præsentibus & pro tempore existentibus; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt præsens nostrum decretum, & mandatum prædictorum nostrorum prædecessorum inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant & mandent.

Clausula præseruatiua. §. 3. Ac simili modo volumus, mandamus, & decernimus, ordinationi & decreto nostris huiusmodi, per quascumque clausulas etiam derogatorias in supplicationibus & cedulis prædictis appositas, nisi per speciale mandatum nostrum, vt decet, signatum derogari non posse.

Clausula derogatoria. §. 4. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Papa subscriptio. Placet, & ita Motu proprio mandamus.

Publicatio An. 7 die 3. Ianuarij. *Lectum & publicatum fuit suprascriptum mandatum Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo, die 3. mensis Ian.*

XXXVI. Contra homicidas, Bannitos, &c. Communitates & Dominos eos non capientes, aut auxiliantes, fauentes, & receptantes in Statu Ecclesiastico.

Confirmatur & ampliatur haec constit. à pluribus Pont. vt plene notabo infra in Sixt. V. constit. 6. Hoc nostri, vbi etiam huius bullæ approbatio continetur.

Edita An. D. 1520. *LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. OMnes quidem Christi fideles, præsertim verò nostros, & S.R.E. deuotos & peculiares filios, quiete ac pacifice & sine aliqua offensione viuere summis desideriis affectantes, ad id operarias manus libenter apponimus, & illa quæ pro eorum felici, prospero, ac pacifico statu per Rom. Pontifices prædecessores nostros facta fuisse percomperimus, non solum Apostolico munimine roboramus, verum etiam pro illorum obseruantia nouas & seueriores pœnas adiicimus, vt si non virtutis amore, saltem formidine pœnæ mandata Apostolica arctius seruentur.

Iul. II. edidit const. hic indicatam. §. 1. Dudum siquidem à fel. rec. Iulio Papa II. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet.

Omittitur tenor istius const. quia habes sup.

Hic modo Pont. ex causis hic expressis eam confirmat. §. 2. Cum autem sicut fide digna relatione accepimus, & re ipsa cognouimus, nequissimi sicarij eo ad perpetranda homicidia, & mala omnia committenda procliuiores reddantur, quo in opprobrium iustitiæ, & animi nostri indignationem, non solum ciuitatibus, terris, castris, & locis S.R.E. subiectis, & non subiectis Almæ Vrbis nostræ conuicinis, sed etiam in Vrbe ipsa intra ædes & palatia retinentur, & recipiuntur, aut fauore Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Domicellorum, Dominorum temporalium, armorum capitaneorum, ductorumque & aliorum magnatum auxilio confouentur, iudicum quoque & officialium animaduersio in eos sæpe & sæpius omissa fuerit. Nos candidissimi solis iustitiæ, qui arcum suum tetendit, & nisi conuertantur, gladium vibrabit, cuius vices in terris gerimus, exemplo ducti, non æque minorem criminosorum prædictorum audaciam, quam præfatorum eos recipientium temeritatem esse intuentes, qui in supremæ ac pontificiæ Maiestatis læsionē niti videntur, dum venerandæ legum potestati tales recipiendo eripiunt. Volentes igitur bene viuentium paci, & tranquillitati prospicere, audaces quoque & sceleratas manus delinquentium, promptusque animos a criminibus reprimere, recipientium, receptorumque, nequitiam exterminare, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac animi matura deliberatione, literas Iulij prædecessoris huiusmodi, ac omnia & singula in eis contenta, harum serie, auctoritate Apostolica approbamus, & innouamus, ac præsentis script. patrocinio communimus.

§. 3. Adiicientes, & auctoritate præfata, de nostræ potestatis plenitudine statuentes, quod si Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarij, feudatarij, armorum capitanei, Ductores, Magnates, Principes, communitatesque & Officiales ciuitatum, Terrarum, & locorum S. R. E. mediate vel immediate subiectorum, homicidas, bannitos, exitios, rebelles, aut pro quocumque crimine capitali pœna damnatos, necnon brigosus, pacem facere recusantes, treguarum siue induciarum violatores, seu fractores, ius sibimet contra alium dicentes, caualcatas aut armatas, vel vltra numerum decem hominum adunatas propria auctoritate facientes, vel mouentes, ad eorum ciuitates, terras, castra, territoria, & dominia declinantes, non solum receperint, retinuerint, vel auxilium, consilium, opem, & fauorem eis tacite, vel occulte, directe vel indirecte præstiterint, aut contra mandata & inhibitiones in eiusdem Iulij prædecessoris literis contentā deuenerint, sed etiam si eosdem manu forti non ceperint apprehenderintque, & captos ad mandatum nostrum, seu Rom. Pont. Canonice intrantis, pro tempore existentis, aut nostrorum, seu suorum Officialium exhibuerint, tradiderintque, non solum omnes & singulas sententias, censuras, ac etiam priuationis pœnas in eisdem literis expressas, verum etiam læsæ Maiestatis, & veluti ac nulla iuris aut hominis fictione confectam crimen eo ipso incurrant, & in eos sic contrafacientes, modo & forma quibus in veros criminis læsæ Maiestatis reos, à iure procedi debere statutum est, procedatur, & tam ad prædictas, quam huiusmodi læsæ Maiestatis criminis à iure inflictas pœnas executiue deueniatur. Et insuper omnia & singula per Iulium prædecessorem, & vt præfertur per nos innouata, ac de nouo statuta, & illis adiecta, perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inuiolabiliter obseruari debere decernimus sublata cuilibet aliter interpretandi, & iudicandi facultate & potestate. *Imo pœnas dicta constit. contra eos nō capientes excedit & alias imponit.*

§. 4. Quocirca venerabili fratri Raphaëli Episcopo Ostiensi Camerario nostro, & dilectis filiis Præsidenti, & clericis Cameræ Apostolicæ pro tempore existentibus, motu simili mandamus, quatenus præsentes literas solemniter, prout sibi videbitur, etiam in Prouinciis nostris, per Legatus earum, & alios Rectores, & Gubernatores ciuitatum, terrarum, & locorum S.R.E. mediate & immediate subiectorum publicari, ac omnia & singula in eis contenta inuiolabiliter obseruari faciant, & mandent, contrafacientes quoscumque, cuiusuis status, gradus, ordinis, vel conditionis, aut præeminentiæ sint, sententias, censuras, & pœnas antedictas damnabiliter incurrisse declarent, & in libris cameræ respectiue ad perpetuam damnatorum memoriam, per ipsius cameræ Notarios respectiue declarationem huiusmodi per eos faciendam, conscribi, & annotari mandent & faciant, ac summarie eorum more Camerali exequantur, capitalesque prædictas sententias à Ministris iustitiæ absque alicuius incursu irregularitatis exequi procurent, reales autem irremissibiliter exigant, inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, super quibus omnibus amplam eisdem concedimus facultatem & potestatem. *Executores istius const. deputat.*

Clausula derogatoria. §. 5. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

Dat.

Dat. P. An. 7. die 23. Ian.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimo, decimo Kal. Februarij, Pont. nostri Anno septimo.

XXXVII. Approbatio Archiconfraternitatis Charitatis nuper in Vrbe institutæ, ad pauperum mendicare erubescentium, carceratorumque subuentionem, ac mortuorum sepulturam.

Opus sepeliendi pauperes defunctos, specialiter postea assumpsit Archiconfraternitas Mortis, vt in const. 22. Pij IV. Diuina. Et opus subueniendi egenis mendicare erubescentibus pariformiter assumpsit Archiconfraternitas SS. Apostolorum, vt in const. 90. Pij IV. In Apostolica. Ac subuentionem carceratorum curat Archiconfraternitas Pietatis, vt in const. 56. Greg. XIII. Pij patris. At ista Charitatis Archiconfraternitas dicta pia opera non dimisit, enixius tamen Carceratorum subuentioni studet, pauperibusque eleemosynas profusius elargitur.

Eidem Archiconfraternitati, Pius IV. subsidium siue prouentus Custodiæ Carcerum Vrbis concessit, & Pius V. ac Greg. XIII. ipsam custodiam ei commisit, sed eorum bullas hæc tantum continentes consulto prætermisi. Necnon iste Pont. regimen Monasterij Conuertitarum eidem dedit, vt in constit. 39. Saluatot. Indulgentias autem reformauit. Paul. V. in const. quam adhuc habere non potui, eam tamen firmatam vidi sub die 15. Februarij 1607.

Priuilegia Notarij huius Archiconfraternitatis approbauit, & declarauit, ac alia ordinauit circa transmissiones Commissariorum in Causis extra Vrbem, ac registrationem compositionum, liberationum, ac gratiarum ad Sacra Consulta concessarum Greg. XV. in constit. 37. Exigit, inf. tom. 4.

Edita An. D. 1520.

LEO EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

ILlius qui charitas est (& cuius Apostolus Paulus se, etiamsi linguis hominum loqueretur, & Angelorum, nouissetque mysteria omnia, ac prophetarum & omnem scientiam, omnemque fidem, ita vt montes transferre posset, non tamen charitatem haberet, nil esse, & charitatem reliquis virtutibus maiorem, ac legis plenitudinem esse firmauit) vices, licet immeriti, gerentes in terris, vt vbilibet, & præsertim in Alma Vrbe, quæ vniuerso Orbi exemplar, & virtutum speculum esse debet, charitatis opera exerceantur frugifere opem, & operam impendimus efficaces.

Iulius Cardinalis instituit in Vrbe Confraternitatem Charitatis, ad pia opera exercenda de quibus in rub.

§. 1. Sane (sicut nobis nuper innotuit) dilectus filius noster Iulius S. Laurentij in Damaso presbyter Cardinalis S.R.E. Vicecancellarius, pie considerans, quod pauperes mendicare erubescentes, longe maiores, quam pauperes mendicantes, sustinent necessitates. Quodque cum Curia Romana, maximo forensium, & ignotorum numero, frequentetur, magna pars incarceratorum in Vrbe, nedum amicis, qui pro eis sollicitent, verum etiam notis sæpe carent. Et quod cadauera pauperum defunctorum quotidie per bajulos in plateis ac locis publicis eiusdem Vrbis passim ad colligendum, pro eorum vectura, & sepultura, eleemosynas, ponebantur, & sine Cruce, ac sine lumine, & cum magno dedecore, & Christi fidelium horrore ad sepulturam vehebantur. Cupiensque præmissis, & aliis reipublicæ Christianæ, præsertim in dicta Curia necessitatibus, & charitatis operibus prouidere, & quod prouisio huiusmodi perpetuo duraret atque vigeret, nonnullos Curiales, ac dictæ Curiæ Officiales, quorum aliqui circa mendicare erubescentes, alij verò circa incarceratos huiusmodi, operam aliquando præstiterant, & præstare desiderabant, ad se fecit vocari, & offerens eis ea tunc, pro operibus huiusmodi summam, eos hortatus est, vt inter se, & alios, dictis operibus assistere volentes, Societatem sub titulo sanctissimæ Charitatis inirent, ac dictis, & aliis, per alias eiusdem Vrbis, Societates, assumptis charitatis operibus, intenderent.

Officiales & Confraternitatis ea coperunt exercere.

§. 2. Quo quidem auctore, dicti Curiales, & Officiales intenso gaudio perfusi, iam per annum vel circa, panes singulis Dominicis diebus, & alia alimenta dictis pauperibus erubescentibus erogare, necnon dictos Carceres per personas per eos ad id deputatas visitare, & vt iustitia (præsertim pauperibus, & qui pro eis sollicitent non habentibus) celeriter ministretur procurare, & pro pauperibus incarceratis, capturas, ac alias expensas soluere, & cadauera pauperum defunctorum decenter cooperta, & Cruce, ac luminaribus præcedentibus, saltem vno presbytero, ac aliquibus aliis associantibus, ad sepulturam deferri facere, propriis dicti Iulij Cardinalis, & Vicecancellarij, ac eorum expensis curarunt, & curant, & Confraternitatem sanctissimæ Charitatis, in qua iam octoginta, & vltra Cõfratres, quorum aliqui Episcopi, & alij Prælati, aliqui Officiales dictæ Curiæ, & aliqui Curiales existunt, instituerunt, ac in Ecclesia S. Andreæ regioni Arenulæ se sæpe pro Charitatis operibus exercendis congregant.

Hic modo Pont. ius d. Confraternitatem approbat, & in Archiconfraternitatem erigit.

§. 3. Nos igitur gratias Deo agentes, quod nostro tempore, ac dicto Iulio Cardinali, qui noster, secundum carnem, frater patruelis existit, auctore tam saluberrima, tamque pernecessaria Charitatis opera, in dicta Curia cœperint exerceri cupientesque quod perpetuo frequentertur, ac illi dicti Confratres animo hilariori insistant, motu proprio, non ad Iulij Cardinalis, & aliorum Confratrum prædictorum, vel alicuius alterius pro eis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia, institutionem huiusmodi, & quæcumque statuta, ac ordinationes per Confratres Confraternitatis huiusmodi edita, approbamus, & confirmamus, supplemusque omnes, & singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Ipsamque Confraternitatem in Archiconfraternitatem, caputque omnium Confraternitatum Charitatis vbilibet institutatum, & instituendatum, perpetuo erigimus & instituimus, ac ei omnes, & singulas vbique instituras, & instituendas Confraternitates Charitatis immediate subiicimus, & facimus membra ab ea dependentia, sine tamen earum præiudicio.

Facultatem concedit de statuta opportuna ei condendi.

§. 4. Quodque Confratres Archiconfraternitatis huiusmodi quæcumque statuta, & ordinationes, pro eiusdem Archiconfraternitatis felici regimine, ad piorum operum huiusmodi exercitium, & aliis quoties, & prout eis videbitur, etiam cum quarumcumque pœnarum in contrauenientes appositione, condere, reformare, & mutare, ipsasque pœnas executioni demandare.

Indulgentias Confratribus & benefactoribus elargitur. Tu vide reuocationem, & innouationem Pauli V. cit. in rub.

§. 5. Necnon Archiconfraternitas, & Confratres, communiter, ac diuisim, illorumque Ecclesiæ Capellani, Ministri, Officiales, Familiares, res, & bona quæcumque ac eorum Ecclesias huiusmodi visitantes, seu de bonis suis pro dictis operibus, in testamento, vel alias contribuentes, legantes, seu relinquentes, aut Confraternitatem ipsam hæredem, particularem, vel vniuersalem instituentes, omnibus, & singulis, ac illis eisdem priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis etiam plenariis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, conseruatoriis, indultis, fauoribus, literis, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, à Sede Apostolica, in fauorem, sub Imagine Saluatoris ad Sancta sanctorum, & S. Spiritus in Saxia, ac B. Mariæ de Populo, & S. Iacobi in Augusta, necnon Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Cosmæ ac Damiani de Vrbe, & S. Iacobi in Compostella, Hospitalium, & Confraternitatum, & Confratrum, ac illorum Ecclesiarum, Capellanorum, Ministrorum, Officialium, Familiarium, rerum, bonorum quorumcumque, ac illorum Ecclesias visitantium, vel illis de bonis suis largientium, aut illa in totum, vel in partem hæredes instituentium, communiter vel diuisim, in genere, vel in specie quomodolibet emanatis, & emanandis. Quæ omnia, & singula; necnon quarumcumque literarum Apostolicarum desuper quomodolibet confectarum, &

conficiendarum, & quorumcumque in eis contentorum, tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habemus, etiamsi illa non sint in vsu, ac reuocari contingat, vti, potiri & gaudere, ac literas Apostolicas super eisdem priuilegiis, & exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, conseruatoriis, indultis, fauoribus, & gratiis, etiam illorum indiuiduam expressionem, & mentionem faciendo, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, inuocationibus, ac diebus, ad libitum Confratrum Archiconfraternitatem huiusmodi, simul, vel separatim expediri facere in omnibus, & per omnia, ac si illa non solum per clausulas generales huiusmodi, sed per illarum omnium tenorum de verbo ad verbum expressionem, & insertionem, eisdem Archiconfraternitati, illiusque Confratribus, & Ecclesiis, rebus, bonis, Ministris, Officialibus, Capellanis, Familiaribus, ac eorum Ecclesias huiusmodi visitantibus, ac de bonis suis pro dictis operibus, aut alias contribuentibus, legantibus, aut relinquentibus, seu ipsam Archiconfraternitatem hæredem particularem, vel vniuersalem instituentibus, sigillatim concessimus, prout præsentium tenore concedimus, libere, & licite valeant. Et quod quicumque dictæ Archiconfraternitatis, & quibus etiam illius Officiales pro tempore existentes id concesserint, aliarum ab ea dependentium Confraternitatum Confratres vtriusque sexus, nunc, & pro tempore existentes, vbicumque existant, eisdem indulgentiis, etiam plenariis, & gratiis, quibus eiusdem Archisocietatis Confratres in Vrbe commorantes, gaudere possunt, etiamsi tunc confessi non fuerint (dummodo propositum confitendi habeant) gaudere possint, fiantque participes ieiuniorum, ac diuinorum officiorum, ac aliorum quorumcumque spiritualium bonorum, vbicumque in toto Orbe pro tempore factorum. Et quicumque ex eis pœnitens, & contritus, nomen IESV in mortis articulo nominauerit, plenariam omnium peccatorum suorum, etiam de quibus, nisi morte præueniretur, confiteretur, consequatur.

Bona quæcumque etiam feudalia, &c. relinqui possunt.

§. 6. Et quæcumque bona, etiam feudalia, ac emphyteutica, etiam Ecclesiastica eidem Archiconfraternitati, tam inter viuos, quam mortis causa, seu testamento, seu codicillo, dari, concedi, & relinqui, libere possint, ita tamen, quod ipsa Archiconfraternitas ad eadem onera ad quæ donator, seu testator huiusmodi, occasione bonorum eorundem tenebatur, & quæcumque alia, quæ ipse donatur, seu testator, etiam imposuerit, omnino teneatur. Et si ad certum numerum generationem, aut nominationum, eadem bona concessa fuerant, ipsa Archiconfraternitas, non perpetuo, sed per viginti annos pro qualibet generatione, seu nominatione huiusmodi, bona eadem tenere posset, & finitis ipsis annis, buna prædicta, ad eorum directos dominos deuoluantur, & absque eorum consensu, teneri non valeant, perpetuo statuimus, & ordinamus.

Obseruantia huius bullæ omnibus præcipitur.

§. 7. Et nihilominus, vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis personis, necnon Canonicis, Metropolitanis, vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum, ac dictorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Vicariis in spiritualibus generalibus, & Officialibus vbilibet constitutis, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel plures, aut vnusquisque per se vel alium, auctoritate nostra faciant præsentes literas, & in eis contenta quæcumque optatum effectum sortiri, ac omnibus, quos concernunt, inuiolabiliter obseruari. Non permittentes quemquam contra tenorem præsentium modo aliquo molestari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascumque arbitrio suo imponendas, applicandas, & exequendas censuras, & pœnas, ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, qua cauetur, ne quis extra suam Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis, vltra vnam dictam à fine suæ Diœcesis, ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede prædicta deputati, extra Ciuitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegia, quoque indultis, ac literis Apostolicis, à dicta Sede, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & de dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & consensu etiam Consistorialiter habitis, ac per viam contractus, & obligationis iuramento vallatis, necnon perpetui statuti, & ordinationis, & cum quibusvis etiam exceptiuis, præseruatiuis, mentis attestatiuis, irritatiuis, annullatiuis, restitutoriis, innouatoriis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & quantumcumque vigentissimis causis, ac necessario exprimendis, quomodolibet emanatis, & emanandis, quibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & indiuidua; ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut exquisita forma seruanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas, ad id seruandos, pro indiuiduo seruatis habentes, harum serie, in eo quod præsentibus quomodolibet obstent, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausula præseruatiua.

§. 9. Nos enim præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, sub bullis etiam in fauorem Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac illius Fabricæ, & Cruciatæ sanctæ quomodolibet emanatis, & emanandis reuocationibus, suspensionibus, annullationibus, limitationibus, modificationibus, vel derogationibus comprehendi, illisque etiam illorum toto tenore inserto, etiam in aliquo derogari nullatenus posse; & quoties opus fuerit, toties in pristinum, & sub quacumque data, de qua officialibus Archiconfraternitatis huiusmodi pro tempore placuerit, restituta esse, & censeri, ac literas Apostolicas desuper expediri posse decernimus, & quia difficile foret præsentes literas ad quæcumque loca, vbi opus esset, deferre.

Fides exemplorum.

§. 10. Volumus, & Apostolica etiam auctoritate decernimus, quod earundem præsentium transumptis, alicuius Notarij manu subscriptis, & Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur vbique, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat P. An. 7. die 28. Ian.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo, quinto Kal. Februarij, Pontificatus nostri Anno septimo.

XXXVIII. Canonizatio S. Francisci de Paula, Ordinis Fratrum Minimorum Institutoris, eiusque adscriptio Catalogo SS. Confessorum, & institutio suæ festiuitatis pro die 2. mensis Aprilis, vnà cum octaua.

Hoc festum innouauit duplicique officio, vbique celebrari iussit Sixt. V. in sua const. 8. In cæli.

De institutione autem, & toto eius Ordine, dixi supra ad const. 5. Sixt. IV. Sedes.

Edita An. D. 1519. & 1521.

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Deus Ecclesiam suā pretiosissimis lapidibus construxit.

EXcelsus Dominus militantem Ecclesiam pretiosorum lapidum virorum ipsi summo angulari lapidi CHRISTO IESV vnitorum, ornatissima vacante decoratam, structura mirabili fundare disposuit.

Cuius primi fundatores fuerunt Patriarchæ.

§. 1. Hinc processere beati Patriarchæ, qui fide præclari, Sanctorum etiam Angelorum susceptores effecti, facie ad faciem videre Deum meruerunt, hos sequuti sunt sancti Prophetæ, quibus ostendit Deus secreta sua, vt ventura quasi præsentia Spiritu sancto illuminari agnoscere, atque enuntiare potuerunt.

§. 2. Post

Apostoli deinde. §. 2. Postquam autem venit plenitudo temporis& nos in assumpta sibi humanitate oriens ex alto, visitare, nostræque salutis mysteria (iuxta quod praeduxerant Prophetæ) adimplere dignatus est, constituti fuere Beati Apostoli diuinæ legis promulgatores, & prædicatores, qui per Orbem vniuersum genus humanum, quod sub diabolicæ potestatis iugo tenebatur, ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus terræ finibus prædicarunt.

Martyres. §. 3. Hos subsequuti sunt Martyres splendidi, qui fidei loricam induti, & inconcussæ stabilitatis baltheo succincti stolas suas in sanguine innocentis agni lauantes, candidato exercitu Christum Iesum imitati, supernæ ciuitatis Hierusalem, hoc est triumphantis Ecclesiæ, cum gloriosa victoria palmas manibus gestantes, se dicto viuo lapidi Christo adiunxerunt, sempiternam sui memoriam, & exemplũ venerabile, militanti Ecclesiæ relinquentes.

Doctores postea. §. 4. Progressi sunt, & Doctores lucidi, qui suis doctrinis, & exemplis, Catholicam & orthodoxam fidem defensantes, falsisque prophetis ac iniquis doctoribus fidem ipsam subuertere satagentibus se opponentes, dictã Ecclesiam militantem multipliciter illustrarunt, quibus eadem Ecclesia coniuncta progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.

Confessores etiam. §. 5. Sequuntur postea sancti Confessores, qui virtutum gemmis coruscantes, Domino rationẽ de talentis creditis deposcenti (vtpote fideles, & boni serui) multiplicatum de suis laboribus fructum attulerunt, & in arcem cœlestem deposuerunt, omniaque mundi blandimenta (vt venenum aspidum) fugientes, latibula in terris fecerunt, à terris abditi, rudi victu, & scaturientis aquæ leui potu, carnem macerantes, tegmine hircino amicti, iunceo, vel stamineo cubili fessa membra somno fouentes, nudis pedibus Dominum quæsierunt, æternamque patriam inuenerunt.

Virginesque & Viduæ. §. 6. Adsunt, & Virgines nitidæ mundo corpore, syncero corde, sanctaque mente, cum oleo in lampadibus suis sponso (qui est præ filiis hominum speciosus) obuiã venientes, deuotæ tandem continentesque viduæ, & aliæ quamplurimæ sexus vtriusque personæ, piis, ac sanctis operibus semper intentæ, cum plenis etiam manipulis eidem cœlesti sponso se præsentant, cum Angelis gloriam in Altissimis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis mirifice depromentes. Hæc omnia vnus atque idem spiritus admirando plurimũ operatur mysterio sicut Altissimus ab initio vineam suam talibus piis cultoribus (iuxta sanctam promissionem suam) visitauit, firmauit, & auxit, sic semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impertitur.

S. Franciscus Religionem fundauit. §. 7. Nouissime verò diebus nostris cœlestis ille Agricola, vineam suam, more solito, visitans, virum fortem ad huiusmodi vineæ culturam adduxit, gloriosum scilicet Confessorem B. Franciscum de Paula superno cœtui merito sociandum, imo verius sociatum, qui inter cæteros Christi athletas suis meritis, & exemplis ipsam sanctam Ecclesiam (diuina cooperante gratia) multipliciter decorauit, præsentis temporis caligines suæ lampadis fulgore mirabiliter illustrauit, ipse enim aduersus mundum, carnem, & dęmonem fortiter dimicauit, ac in odorem suauitatis Altissimi currens, copiosam vtriusque sexus fidelium multitudinẽ salubriter post se traxit, ac (velut effusam super faciem terræ religiosam professionis suæ generationem) dereliquit, vt ad illuminationem gentium celebris sui memoria (tanquam rutilum sydus) in Ecclesiæ firmamento seruaret.

Origo S. Francisci de Paula. §. 8. De cuius quidem origine, vita, moribus, & fama, necnon mirabilibus, qui in præmium sanctitatis eius Deus mundo multipliciter ostendere dignatus est, ne de tam celebri viro etiam posteritas ipsa remaneat ignara, pauca ex multis duximus recensenda. Constat siquidẽ in Regno Neapolitano inter Brutios, & Lucanos, Paulæ oppidum situm esse, quod itinere vnius diei à Cusentia illius prouinciæ Metropoli distat. Inde originem traxit Iacobus Martolilia. Illi proximum est Castrum Foscaudi, vbi nata est Vienna, quondam ambo in fide Christi baptizati, & confirmati, ac (vt veri Catholici) educati, qui inuicem secundum ritũ S.R.E. matrimonium contrahentes, &(vt fideles decet coniuges) mutuam charitatem, vitæque honestatem seruantes: diu cohabitarunt, ex hoc matrimonio beatus Franciscus de Paula procreatur.

A puerilibus annis religionem dilexit. §. 9. Qui sacri baptismatis fonte lauatus, & chrismatis sacramento cõfirmatus, ab eisdemque parentibus sub Dei timore, & amore educatus, insigne specimen sanctitatis futuræ præseferens, solitudinem & religionem diligere, ac orationibus, & ieiuniis assidue vacare cœpit, quæ cum eius parentes animaduertissent, ipsum annum circiter decimum tertium agentem, iuxta votum per eos emissum domui S. Francisci ciuitatis S. Marci obtulerunt. In qua puer in sortem Domini electus anno per eum exacto, nullaque professione emissa, vocatis parentibus, eos vt se ad Ecclesiam S. Francisci de Assisio, & S. Mariæ de Angelis deuotionis causa ducere vellent, enixe rogauit, qui pio eius desiderio annuentes, sese itineris comites præbuerunt, quibus Ecclesiis deuote visitatis, in patriam reuersus idem beatus S. Spiritu inspirante, ad Ecclesiam construendam animum addixit, ipseque primus fundamenta effodere cœpit, quo inter vicinos diuulgato vndique ad opus iuuandum concurrit, alij operi incumbebant, nonnulli calcẽ, lapides, cœmenta & alia id genus futuro ædificio necessaria, deportabant, fertur etiam tunc fratrem quendam S. Francisci habitu indutum ex improuiso B. Franciscum de Paula increpasse, quod tam angustam ædẽ facere incepisset, eandemque demoliri sibi mandasse, ac aliam maiorem designasse, beatoque Francisco de Paula asserenti sibi vires ad tam ingens opus perficiendum non sufficere, diuinitus respondisse Deum Omnipotentem ei nullo pacto defuturum, è vestigioque diruptis muris euanuisse, vnde non immerito plerique illum B. Franciscum fuisse existimarunt. Postridie verò nobilis quidam Consentinus superuenit, qui eidem beato pro ædificanda Ecclesia, magnum auri, atque argenti pondus obtulit, vnde iuxta situs designationem Ecclesiam nobili forma, non paruo sumptu construere cœpit.

Semper orabat, aut laborabat. §. 10. Nunquam à laboribus cessabat, nisi cum orationi diuinisque rebus intendebat, qui, & si vigiliis, continuisque ieiuniis maximis esset attritus, lapides tamen, calcem, & ligna aliaque ad fabricam necessaria, propriis etiam humeris deferre non desinebat.

Affabilis erat. §. 11. Erat adeo in loquendo humanus, atque affabilis, vt nullus vnquã ad eum accesserit, qui mellifluis eius verbis delectatus, & incredibili quadam sermonis dulcedine captus, & quasi diuino spiritu repletus ab eo non recesserit.

Ordinem suũ appellauit. Minimorum. §. 12. Humilitatem eius etiã instituti per eũ Ordinis cognomentum ostendit, quod vt eis omniũ minimus esse volebat, ita Minimorum censuit, & instituit, eiusdẽ etiam Ordinis institutor, & generalis corrector existens omniũ se infimum (quoad poterat) exhibebat, & ad omnia etiam seruilia opera (vt, & cæteris humilitatis præberet exemplum) descendere non dedignabatur, quippe discipulis suis discumbentibus ministrabat, sæpeque Ecclesiam & altaria verrebat, & mundabat, ac paramenta & alia ad diuinum cultum necessaria componebat, aliorumque fratrum etiam nouitiorum, indumenta propriis manibus abluebat, & cum iuuenis adhuc esset, Calabriamque incoleret, nunquã, nisi nudis pedibus, etiam per glacies, niues, montes, & acuta saxa, veprea, spinasque incedebat, nullamque ex eo etiam grauissimo sæpe pondere pressus læsionem in pedibus patiebatur.

Super ignẽ, spinas, &c. ambulabat. §. 13. Ipsum sæpius ignem nudis pedibus conculcasse, ac ignitos candentesque lapides manibus portasse, liquido constat, admirabilis erat vitæ eius austeritas, quæ propterea admirabilior censenda est, quia in pueritia, adolescentia, iuuentute, senecta, & decrepita eius ætate inter labores, vigilias, ieiunia, abstinentias, innumerasq; corporis macerationes eundem pene viuendi modum seruauit.

Claruit miraculis. §. 14. Horum, & plurimorum aliorum Sanctorum operum ratione habita adeo S. Spiritus gratia hominem complexa est, vt piis eius meritis, & precibus in CHRISTI nomine dæmones à corporibus humanis sæpius eiecti, pluresque infirmi diuersis morborum generibus oppressi, & iam à medicis destituti, ac morti propinqui, pristinæ sanitati restituti fuerint. Idemque beatus aliis complRuribus, qui memoria, & sensibus capti, seu intelligentia

debilitati erant, sanitatem præstiterit, ac multis claudis incessum, surdis auditum, mutis loquelam, cæcisque lumen restituerit, & leprosos mundauerit, nonnullosque mortuos vel pro mortuis habitos ad vitam, pristinamque lucem reduxerit.

Spiritus prophetia habuit.

§. 15. Quorum quidem miraculorum fama cum iam per totum fere Orbem vagaretur, & ad aures fel. rec. Pauli II. prædecessoris nostri peruenisset, Cubicularium quendam suum ad bonæ memoriæ Pyrrhum Archiepiscopum Consentinensem misit, mandauitque, vt ipse super miraculis huiusmodi se diligenter informaret, ac deinde ipsum de veritate certiorem efficeret, qui quidem Archiepiscopus Pontificis mandato parere desiderans, ac neminem habens qui talia melius quam ipsemet Cubicularius explorare fideliusque referre posset, idem suasit, vt eis cum socio quem ei adiunxit, ad dictum Beatum virum se conferret, ac de illius vita, miraculis, & fama huiusmodi plenam informationem caperet.

Cubiculario Papæ præsente, ignem manibus accepit.

§. 16. Cubicularius Archiepiscopi fretus consilio, hominem adiit, & cum inter salutandum dicti Beati viri manum osculari vellet, ille omnino renuit, eumque rogauit, vt sibi potius manum deosculandam porrigeret. Asserens id multo iustius, & conuenientius fore, eo quod ipse Cubicularius triginta tres annos iam Presbyter esset, quod Cubicularius memoriam repetens, vbi id verum esse cognouit, miratus est hominis spiritum, & cum eo ad colloquium in cameram concessit, vbi cum primus sermo de tam ardua, difficilique vita fuisset, vt eam nulli nisi robusto, ac valido, tolerabilem fore Cubicularius assereret, Beatus Pater audito illius verbo igni appropinquans, ardentesque prunas absque læsione manibus arripiens, dixit, qui perfecto corde Domino seruiunt, omnia creata illis obtemperant, exterritus ille eo miraculo veniam petiit, cumque eius pedes humiliter osculari vellet, ipseque vir Beatus id recusasset, eius tunc vestem manu apprehensam deuote osculans & ab eo recedens, ad Pontificem rediit, eique miracula, quæ viderat, enarrauit.

Apostema incurabile Iacobi de Tarsia sanauit.

§. 17. Olim etiam vir nobilis Iacobus de Tarsia Baro terræ Bellimontis Consentinen. Diœcesis cum grauissimo, & pene insanabili apostemate longo tempore in crure laborasset, insignesque Medici, & Chirurgi in eo nihil proficerent, quin vlcus illud quotidie ingrauesceret, omnibusque remediis adhibitis iam in desperationem salutis res adducta esset, tandem dictus Iacobus fama sanctitatis, & miraculorum Beati viri, qui tunc Paulæ degebat adductus, ad eum non sine magno labore, accessit, illique plagam detexit, & se deuotissime commendauit. Primum siquidem ipsi Beato, & omnibus, qui astabant vlcus graue, & miserabile, ac pene insanabile visum est. Illum tamen Beatus admonuit, vt in Deo firmam fidem, & certam spem haberet, quia sanitatis gratiam consequeretur. Ac statim vnum ex suis fratribus misit, qui aliqua folia herbæ, quæ vngula caballina dicitur, & inibi nascitur, colligeret, & cum ipsis foliis certos pulueres, quos in cella sua ipse Beatus retinebat, sibi afferret. Dum frater ille mandata exequitur, Beatus vir ad propinquam Crucifixi imaginem conuersus orauit, vt Baroni in suæ diuinitatis gratia confidenti, misericordiam suam aperiret, nec multo post, foliis ac pulueribus huiusmodi sibi, vt iusserat, apportatis, facto signo Crucis aliquantulum de dictis pulueribus vlceri imposuit, illudque tribus ex foliis dictis cooperuit. & omnia circumligauit, in Domino spem reponens quod sanitatem recuperaret. Illi ergo benedicens, iussit, vt illico suam repeteret domum ad quartumdecimum ferme lapidem inde distantem, qui cum aliquandio equitasset, ad vxorem suam Ioannam quæ illum semper in eo itinere comitata fuerat, conuersus mihi videor inquit, quod sim sanus, quia acerbum dolorem, & pessimum fœtorem amplius non sentio, & cum iam certum monticulum superasset, Iacobus auide cupiens intelligere an posset ambulare, ex equo descendens, propriis pedibus ambulare cœpit, & calce terram percutiens, nec aliquid doloris sentiens, se liberum, & sanum intellexit. Deo igitur, & B. Francisco de Paula gratias agens coniuges, voti compotes ad propria rediere.

Paralyticum, & leprosum curauit.

§. 18. Iisdem ferme diebus, in Ciuitate Consentin. fuit quidam Marcellus de Cardilla, pedibus, & manibus contractus, ac totus leprosus, adeo, vt iam vocem quasi omnem amisisset, eiusque loquela vix audiretur, qui cum per consanguineos suos ad Paulæ Monasterium adductus, & Beato viro præsentatus fuisset, ille misericordia motus, parum secreto orauit, mox verò rediens, eum manu subleuauit, & ab omni membrorum contractu, & lepra incolumem reddidit: Guidonem quoque Lipantum nobilem Consentinum grauissima infectum lepra in domo Paterni, quam vir Beatus tunc ædificabat ad se venientem, sanitati restituit.

Mutum à natiuitate liberauit.

§. 19. Cum idem Beatus vir fabricam domus iuxta Paulæ oppidum incœpisset, adductus est ei quidam à natiuitate mutus, quem cum parentes eius iuxta Ecclesiam posuissent, dixit eis vir Beatus, vt alte secum ter IESVM acclamarent, & ita aperiretur illi sensus, Beato viro inchoante dictisque parentibus prosequentibus, mutus similiter alta voce dixit IESVS, & deinde liber atque integer vsque ad eius obitum in loquela permansit.

Puellæ cæcæ visum reddidit.

§. 20. Rursus Iulia Antonij Catalani in dicto oppido Paulæ habitantis filia, ab ortu cæca, & nihil prorsus videns, cum à parentibus ad Beatum virum, qui forte tunc in horto domus erat adducta fuisset, idem Beatus vir, herbam quandam euulsit, eamque signo Crucis facto super ipsius puellæ oculos apposuit, quæ statim videre cœpit, ac sensu visus tandiu quandiu postea vixit, fruita est.

Obrutos illæsos reperit.

§. 21. In fabrica dictæ domus Paterni, cum duo laborantes terram effodiendo obruti fuissent, ita vt iam pro mortuis haberentur, ad succurrendum inuocatus vir Beatus à duobus patribus terras effodi fecit, quo facto dicti laborátes viui, & illæsi sua (vt creditur gratia) sunt reperti.

Fabas sine igne coxit.

§. 22. Dum quidam Antonius Architectus ad dictæ domus Paterni fabricam accessisset, & Beatus vir vt pro cibo illi ministrando nonnullæ fabæ coquerentur, cuidam fratri iuniori inibi existenti mandasset, frater illi ollam cum dictis fabis, & aqua frigida in coquina cineribus superposuit, oblitusque ignem, quo coquina carebat, aliunde afferre discessit, sed cum vir Beatus dictas fabas iam coctas, esse credens, vna cum hospite in coquina, nullusque ibi ignis adesset, dictus Antonius subrisit de dicti Beati præcepto, & eius fercudo, quod nondum coqui cœpisset, cui vir Beatus ferculum ipsum paratum esse respondit, tetigitque manu ollam, quæ illico feruere visa est, statimque fabæ coctæ fuere, ita vt idem Antonius ipse prandium sumere potuerit, qua de re dictus Antonius, & nonnulli alij tunc præsentes, maxima sunt admiratione affecti.

Lampadem absque igne accendit.

§. 23. Idem etiam Beatus vir die quadam more solito, Missam audire cupiens, Ecclesiam ingressus est, cumque tunc Ecclesiæ lampas accensa non esset, & aliqui ex his, qui ibi Missæ audiendæ causa aderant, ignem foras quæsituri iuissent, illumque iam afferrent, vir Beatus chordam lampadis accepit, vt eam deduceret, illa verò in medio descensu absque aliquo igne miraculose accensa effulsit, ex quo circumstantes, candelas pro Missa tunc celebranda, necessarias, deuotissime accenderunt.

Filium viduæ mortuum fere sanauit.

§. 24. Cum in terra Montisalti dicti Consen. diœcesis, quidam Franciscus ipsius terræ incola, febre adeo vexaretur, vt de eius salute nullam Medici spem promitterent, laboraret in extremis, ac omnibus Ecclesiæ Sacramentis deuote susceptis, & candela benedicta, more solito, accensa, in eiusque manibus posita à circumstantibus iam pro mortuo haberetur. Tunc Ioanna mater eius ad B. Franciscum de Paula specialem gerens deuotionis affectum, illum lachrymans deprecata est, vt filium suum sanare, ac vitæ restituere dignaretur. Vt illius ope tribus suis, ex dicto eius filio, nepotibus prouidere posset. Præterea si voti compos fieret, & statim huius sæculi vanitatibus omnino renuntiaturam, & in habitu Tertiæ Regulæ eiusdem Beati Deo perpetuo famulaturam deuote vouit, quo voto emisso, statim eius filius quasi à morte resurgens, circumstantes aspicere, seque melius habere incœpit, nec multis postea diebus, pristinæ fuit saluti restitutus, & per triginta fere annos idem superuixit.

Oculi albuginem abstulit.

§. 25. Cum in dicto oppido Paterni idem Beatus vir moram traheret, quidam oculi albuginem patiens ad eum accessit, humiliterque rogauit, vt sibi opem afferret, cuius

precibus

precibus motus vir Beatus bombycem sacro latice aspersum super virginem, calcem quæ forte pro Ecclesiæ fabrica ibi aderat, conuoluit, & ea oculum macula huiusmodi infectum abstersit, signoque Crucis desuper facto, ab omni albugine, & macula statim liberauit.

Mortuum in sepulchrum mittendum, incolumem reddidit.

§. 26. Cum quidam dicti oppidi venatores, hyemis tempore, in montibus niuibus repletis, hominem nullum viuentis signum præferentem inuenissent, illum sepeliendum ad locum detulerunt, vbi tunc Beatus vir morabatur, qui in illum respiciés per charitatem ei, viuir homo iste, & ad eum conuersus, surge inquit, & ambula, ad cuius verba homo in sepulchrum mittendus illicò surrexit, ac pedetentim ambulare cœpit, moxq; hospitij domû ingressus, ac cibo, & potu refectus, pristinæque valetudini restitutus, ad propria saluus, & incolumis remeauit.

In fornacem ignis intrauit & exiuit incolumis extra ...

§. 27. Præterea in dicto oppido Paulæ, dum sui Ordinis domus ædificaretur, & cala in fornace coqueretur, accidit, quod vel propter nimium ignem, vel aliam excausam fornax ipsam ruinam minaretur, tunc illius magistri, nullum penitus remedium adhibere scientes, ad Beatum virum pro auxilio recurrerût, qui illis per charitatem inquit, ad collationem, seu prandium eatis, nihilque curam fornacis relinquetis, quibus discedentibus, ipse statim signo Crucis facto, intrepide dictam fornacem ardentem intrauit, ac illam solus reparauit, idemque absque læsione aliqua incolumis exiuit.

Iulii ab eminenti mortis periculo liberauit.

§. 28. Iulius Barthuchius etiam de Paula iuuenum multitudine adiutus, post Beati viri obitum, è Cusentiæ castro Paulam versus earnuæ magnitudinis bombardam transportari curans, additis etiam ad laborem viginti boum iugis, apud quendam decliuem locum non longe à Paula distantem, Lamachiam, nuncupatum, funem maximum cuiusdam nauis oneratiæ, quo bombarda ipsa alligata erat cuidam arbori (vt paulatim laberetur) inuoluit, quam nec Iulius ipse neque tot socij, propter impetum velocem, quæ ea magnæ molis lapsu ferebatur, retinere valerent, ibi duo idem Iulius vltra quam eius vires ferebant, nititur, ita arborem cui circumligatus erat funis prostratus cecidit, pedesque suos intra funis orbes inuoluit. Vnde cum nullo pacto (nisi munere diuino) quin eius crura frangerentur, euadere posset, arborem amplectens summa cum deuotione elamauit. O beate Francisce de Paula opem fer mihi misero, his dictis, currus cui bombarda ipsa imposita erat, in loco præcipiti statim restitit, apparuitque eidem Iulio quidam frater Ordinis B. Francisci de Paula, qui tunc funem ipsum manibus retinuit. Idem verò Iulius tanto periculo ereptus, omnesque qui illic, quasi ad spectaculum conuenerant, omnipotenti Deo beatoque Francisco de Paula, immensas illico gratias egerunt, ipseque ante alios omnes nudis pedibus ad eiusdem Beati viri Monasterium profectus, imaginem suam ceream fune pedibus implicito pro deuotione in tanti miraculi memoriam obtulit.

Ardentes titiones manib. propriis ad proximi salutem accepit.

§. 29. Cum à quodam fratre Antonio Ordinis Minorum professore viro doctissimo integerrimæq; vitæ, idem Beatus vir etiam in publicis prædicationibus carperetur, quod videlicet tam impudens esset, vt simplex laicus, & litterarum penitus ignarus, quibusdam herbis ægrotis salutem promitteret, accidit vt idem frater Antonius ab aliis dicti Ordinis Minorum fratribus, ad eundem Beatu virum missus fuerit, quatenus eum de præmissis redargueret, qui enim ad eum venisset, & magnis illum contumeliis affecisset, increpassetque eos ignauiam, & crassitudinem; vir Dei constantissimus, patientissimusque tot conitiis, & iniuriis nullatenus fractus, ac nec commotus quidem fuit, sed foco appropinquans ardentes titiones nudis manibus accepit, eosque strictè compressit, ac manifestè ostendit, in Dei virtute omnia fieri posse. At ille prudentissimè prospiciens hominis sinoplicitatem, & fidem, omniaque ab eo diuina gratia, & ardentissimo fidei spiritu fieri, eius pedibus aduolutus illos arctè complectens, osculatique satagens, veniam ab ipso humillime postulauit. Neque inde surrexit donec ab eodem beato Patre benediceretur, quod factum est, vt qui antea in illum publice, maledicta plurima congesserat, proprium confessus errorem, Beati viri sanctitatem dignis verisque postea laudibus merito efferret.

Iussu Six. IV. ad Regé Francia accessit, qui benignè eum recepit, & Ecclesiam edificauit.

§. 30. Quæ omnia mirabilem quandam, & rate auditam viri sanctitatem arguerent, eorumque celebris fama iam ad claræ memoriæ Ludouicum Vndecimum, huius nominis, Francorum Regem Christianissimum, perlata esset: Rea viri Beati sanctitate motus, ac ipsum coram videre cupiens, à piæ memoriæ Sixto Papa Quarto etiam prædecessore nostro impetrauit, vt eidem Beato viro in virtute sanctæ obedientiæ mandaret, vt ea Calabria in Franciam se conferret, dictumque Ludouicum Regem visitaret, quibus iussis Dei famulus obediens, in Franciam iuit, vbi cum præfatus Rex singulari deuotione suscipiés, seque ab eo benedici postulans, illi tanquam viro Dei magnum honorem, & reuerentiâ exhibuit. Cognita deinde viri sanctitate, ei eiusque fratribus sedem prope Ciuitatem Turonensem, & Regium Palatium assignauit, amplamque & magnificam domû cum Ecclesia, quæ in hâc vsque diem extat, pro ipsius B. Francisci de Paula, fiorumque fratrum vsu, & habitatione construi fecit.

Regulas tres B. Franciscus instituit.

§. 31. Tantæ insuper continentiæ fuit idem Beatus vir: vt non carne sed solo spiritu compactus esse videretur. Prius enim quam ab hac loce discederet, ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, suæque Religionis propagationé, diuina (vt pie creditur) inspiratione instructus, Tres Regulas, Fratrum scilicet, ac Sororum, & vtriusque sexus fidelium, Tertiariorum nuncupatorum instituit, & vt humilitatis amator erat, illamque à suis etiam coli desiderabat, fratres sui Ordinis Minimos, & Sorores Minimas vocari debere, ordinauit, iniunxitque illis, vt decem mandata diuina, & Ecclesię præcepta salutaria vigilanter obseruantes Romanæ Pontifici pro tempore existenti fideliter obedirent, ac sub obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quadragesimalisque vitæ sacris, perseueranter viuere profiterentur, nonnullis ad Regularium fratrum, ac Sororum huiusmodi circa personarum ipsarum directionem, & informationem, quam diuini cultus augmentum, debitam obseruationem, & institutionem, opportunis adiectis capitulis.

Romaniique Pont. plurima illi priuilegia concesserunt.

§. 32. Ipsas verò Fratrum, ac Sororum cum decem, dictorum autem vtriusque sexus Tertiariorum Regulas cum septem capitulis per eum pie institutas, Recordissimæ memoriæ Iulius Papa II. similiter prædecessor noster, eodem Beato viro tunc in humanis agente matura præhabita deliberatione, tanquam religioni consonas, postquam idem Sixtus prædecessor noster, ac sanctæ commemorationis Innocentius VIII. & Alex. Sextus, Roman. Pontifices etiam prædecessores nostri, eidem Beato viro, eiusque Ordini, ac eius personis, & domibus quam plura priuilegia concessserant per suas primo, & deinde nos, per alias nostras literas approbauimus, & confirmauimus, diuersisque priuilegiis, gratiis, & indultis, Ordinem ipsum multipliciter communiuimus, prout in ipsorum prædecessorum, & nostris itidem cunctis literis plenius continetur.

In prouiso sua mortis die sacra suscepit obdormiuit in Domino eo die Veneris Sancto.

§. 33. Cumque vitæ suæ finem iam proximum (diuina inspiratione) prospiceret, idem Beatus vir pridie quam decederet, qui fuit dies Cœnæ Domini, pluribus ea fratribus suis, qui ex variis Prouinciis, & Regnis tunc ad eum venerant, astantibus in Missa Conuentuali, & post Pœnitentiæ Sacramentum susceptum, cum profundissima humilitate vberrimaque lachrymarum effusione, pectus suum percutiendo sacrosanctum Eucharistiæ viaticum, è manibus vnius ea sui Ordinis presbyteris magna cum deuotione suscepit. Postea Domino nostro Iesv Christo, Beatæqoe Mariæ Virgini, & Sanctis omnibus, deuote peractis gratiarum actionibus, Missaque huiusmodi celebrata, ad cellam suam propriis pedibus (licet pro senectute debilis, & infirmus) baculo, quem more solito gestabat, innixus rediit. Postero autem die cum idem Beatus fidelisque Dei seruus tempus instare videret, quo sibi ex hac lachrymarum valle migrandum erat dictos fratres suos ad se conuocari iussit, eosque ad fraternam pacem, mutuamq; charitatem dulcissimis verbis, ac salutaribus monitis charitatiue ea hortatus est, illisq; benedictione more solito impetrita, cum iam nonagesimum primum, vel circa annum feliciter impleuisset, Anno à partu Virgineo millesimo quingentesimo septimo, Aprilis verò die secunda, quæ tunc fuit Parasceues, Veneris

Veneris Sancta nuncupata, circa horam, qua pro nobis Christus passus est, signo sanctæ Crucis deuote signatus omnibusque Sacramentis Ecclesiasticis debite communitus, perlecta coram eo Dominica Passione, iunctis deuote manibus, erectisque in cœlum oculis, Sanctæ Crucis Triumphum pie amplectens, reuerenterque osculans, ac sæpius, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, aliasque pias orationes deuotissime repetens, dimissa huius carnis sarcina, quasi viuens absque aliquo doloris, aut mortis notabili signo migrauit ad Christum

Miracula post eius obitum Deus edidit.

§. 34. Cumque tunc per vndecim dies eiusdem Beati corpus insepultum remanserit, illucque maxima virorum, & mulierum ac Religiosarum personarum multitudo accesserit, vt Sanctum virum quem viuenté summa fuerát veneratione prosequuti etiam defunctũ viderent, & illius apud Deum suffragia mererentur, mirum omnibus fuit, quod eius caro per tot dies incorrupta permanserit, nec vllum prorsus fœtorem emiserit, quin potius odor quidam suauiter fragans, ab ea manauerit. Post ipsius etiam obitum, multis eius suffragia deuote implorantibus, omnipotens Deus quamplures gratias elargiri, magnaque miracula palam operari dignatus est.

Rex Franciæ ac alij instituerunt pro canonizatione.

§. 35. Propter quod charissimus in Christo filius noster Franciscus huius nominis primus Francorum Rex Christianissimus, charissimaque in Christo filia, Claudia Regina eius consors (quæ alias coram dicti Ordinis tunc Generali, ac aliis nobilibus personis emisso voto, quod si gratiam pro masculo assequeretur in beati Patris honorem Francisci nomen ei imponeret, fulgentissimum prolem in lucem edidit, illique iuxta dictum eius votũ Francisci nomen imponi fecit) necnon dilecta etiã in Christo filia nobilis mulier Aloysia de Sabaudia Andegauensis, & Angolismensis Ducissa, Cenomanensisque Comitissa, eiusdem Francisci Regis genitrix, nobis per venerabilem fratrem nostrum Dionysium Episcopum Maclouiensem generalem, ac dilectos filios Iacobum Lucam decanum Ecclesiæ Aurelianensis, & nobilem virum Antonium Raphi, alias de Potom Dominum temporalem loci de Podio caluario Agennensis Diœcesis, pro nonnullis particularibus ipsius Christianissimi Regis negotiis, Nuntios, & Oratores ad nos destinatos humiliter supplicari fecerunt, vt præmissis diligenter inquisitis, & exploratis, ad eiusdem viri Canonizationem procedere dignaremur.

Hic ergo Pont. annuens Canonizationi petita examĩ, & processum formandamus.

§. 36. Quorum quidem precibus, licet libenter annuere vellemus summopereque gauderemus huiusmodi Canonizationem nostris temporibus diuino quodam mysterio contigisse, ac nobis æquum videretur, vt idem beatus Franciscus de Paula, quem iam Deus in cœlesti gloria Sanctorum Choro dignum fecisse pluribus ac manifestis indiciis, & miraculis ostenderat, in terris etiam sibi debito Sanctorum honore non defraudaretur. Ac super eo maxime nobis instaret venerabilis frater noster Bernardinus Episcopus Sabinensis Cardinalis Sanctæ Crucis nuncupatus in dicti Ordinis Protectorem ab eodem Beato viro nondum tunc ab humanis egresso, assumptus, cumulatissimæque preces nobis, ac venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, prædicti Ordinis tunc zelosum, totius Minimorum Ordinis nomine, super hoc sæpius porrectæ fuissent, non statim rem tanti ponderis, ac momenti faciendam: sed iuxta veterem ac laudabilem consuetudinem cunctanter matureque considerandam duximus. Post complures igitur commissiones aulæ Palatij nostri Aduocato Consistoriali, & Auditoribus causarum eiusdem Palatij super hoc debite factas; tandem tribus etiam S.R.E. Cardinalibus, ex tribus illorum Ordinibus, videlicet, venerabili fratri Nicolao Episcopo Albanensi de Flisco, & dilectis filiis nostris Dominico tituli S. Bartholomæi in Insula presbytero de Iacobatis, ac Ioanni Sanctorum Cosmæ, & Damiani (nostro secundum carnem nepoti) Diacono de Saluiatis respectiue nuncupatis Cardinalibus, de fratrum nostrorum consilio, & assensu commisimus, vt ipsi, visis, & examinatis processibus editis super eiusdem Beati viri vita, moribus, fama, & miraculis, ante, & post ipsum obitum eius intercessionibus à Deo factis, aliisque cunctis ad Sanctorum Canonizationem huiusmodi necessariis, se super omnibus ac singulis diligenter informarent, & per eos comperta in nostro secreto Consistorio, vt moris est, fideliter referrent. Cumque ipsi Cardinales, visis ac diligenter examinatis diuersis processibus, in partibus Calabriæ, & Franciæ, de Sedis Apostolicæ commissione habitis, & ad Curiam nostram transmissis, testiumque fide dignorum depositionibus, pro tantæ rei dignitate debite ponderatis, de supradictis miraculis, ac vitæ sanctimonia, & aliis à iure requisitis, fidelem nobis relationem in pluribus etiam secretis Consistoriis, iam fecissent, nosque ipsorum & omnium aliorum Cardinalium vota pro facienda dicta Canonizatione, conuenientia, & conformia inuenissemus.

Binæque relatio facta fuit in publico Consistorio.

§. 37. Et pro vlteriori executione, dilectus filius Angelus de Cæsis vtriusque iuris Doctor, & dilectæ aulæ nostræ Consistorialis Aduocatus, in publico Consistorio omnia de ipsius Beati viri vita, moribus, & fama miraculis, copiose recensuisset, nobisque humiliter supplicasset, vt ad eiusdem Beati Canonizationem matura deliberatione præhabita, procedere dignaremur. Nos de relatis coram nobis, in primis humiliter Deo gratias agentes rogauimus omnes in eodẽ publico Consistorio tunc astantes, vt suis orationibus, & ieiuniis Ecclesiam Dei iuuarẽt ac ne eam Altissimus modo aliquo in huiusmodi Canonizationis officio errare permitteret, instanter orarent.

Postquam in Palatio ad Deum omnes precipue, & deinde vota pro canonizatione recepit.

§. 38. Demum post aliquot dies conuocatis de nouo in aula nostra Consistoriali, in Palatio Apostolico vniuersis, & singulis, qui tunc aderant in nostra Romana Curia, Ecclesiastici Prælatis, Patriarchis, videlicet, Archiepiscopis, ac Episcopis, in præsentia eorundem fratrum nostrorum præfatæ S.R.E. Cardinalium eosdem processus super ipsius Beati vita, moribus, fama, & miraculis editis per eũdem Angelum breuiter summarieque repeti fecimus, quæ cum ex serie per Cardinales, ac alios quibus id munus per nos iniunctum fuerat, enarrata, & exposita fuissent, omnesque astantes Prælati, quid sibi super huiusmodi negotio videretur, interrogati, vnanimi consensu nullo penitus discrepante, respondissent sibi videri, quod idẽ Beatus vir inter Sanctos merito adscriberetur, & connumeraretur.

Et modo B. Franciscũ SS. Catalogo adscribit.

§. 39. Nos iterum humiles omnipotenti Deo gratias agentes, quod ad Beatum seruum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset, ipsius Canonizationis diem Dominicã in Albis nuncupatam, qua in Ecclesia cantatur, Quasi modo geniti infantes, quæ tunc occurrebat prima die Maij Anni Dom. 1519. in qua etiam tunc beatorum Apostolorum Philippi, & Iacobi festum contingebat, deputauimus, ac in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, amplum suggestum ligneum de more parari, & exornari iussimus, super quo quidem hodie astante populo, ac vniuerso Clero de vita, miraculis, & fama eiusdem B. Francisci de Paula, humili deuotioneque pleno sermone per nos, vt moris est, habito, deindeque Litania, & Hymno, Veni Creator Spiritus, per omnia deuote decantatis. Necnon à Procuratoribus causæ ipsius Canonizationis, & à Christianissimi Francorum Regis Oratoribus huiusmodi, eiusdemque Ordinis Minimorũ tunc Vicegenerali Correctori à nobis magna cum instantia petito prouinciali, adscribi inter Sanctos eundem B. Franciscum de Paula, cum iam omnia consummata essent, omnesque consuetas Ecclesiæ cæremonias super ea re rite seruauissemus, Deum præ oculis habẽres, ad Canonizationem eiusdem Beati sub his verbis procedendum duximus, & processimus. Ad honorem omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad exaltationem fidei Catholicæ, Christianæque Religionis augmẽtum, ac Ordinis Minimorum consolationem, & incrementum, auctoritate Domini nostri IESV CHRISTI, beatorumque Petri, & Pauli Apostolorũ eius, ac nostra, de fratrũ nostrorũ speciali cõsilio, & assensu, decernimus, & definimus bonæ memoriæ Franciscum de Paula eiusdem Ordinis Minimorum institutorem, in cœlesti Hierusalem inter beatorum Choros iam receptum; æternæque gloriæ condonatum fuisse, ac Sanctorum Confessorũ Catalogo adscribendum fore, ipsumque huiusmodi Catalogo in præsentiarum adscribimus, & eum tanquam Sanctum publice priuatimque colendum esse declaramus, atque mandamus.

§. 47. Sta

Festumque die 2. April. celebrari iubet.

§. 40. Statuentes eius festum die secunda mensis Aprilis ab vniuersali Ecclesia annuatim celebrandum fore, & ab eo suffragia a Christi fidelibus implorari, & expectari posse, omnesque ac singulos honores illi merito præstandos, & exhibendos esse, qui cæteris etiam Sanctis Confessoribus in huiusmodi Catalogo descriptis, conuenire noscuntur.

Orationes proprias de Sancto decreuit.

§. 41. Quibus debite peractis, inchoatoque per nos, ac decantato, & ad finem vsque à Cantoribus prosequuto Hymno, Te Deum laudamus, in illius etiam fine, Cardinali Diacono in cantu dicente, Ora pro nobis B. Francisce de Paula, à Choroque responso. Vt digni efficiamur promissionibus Christi, nos illico propriam Orationem de eodem Sancto alta voce decantauimus, dicentes.

Oratio prima.

§. 42. Seruituris nostræ tibi Domine iura soluentes, quæsumus, vt Beati Francisci de Paula Confessoris tui patrocinio suffragante, in nobis tua dona multiplices, & ab omnibus tuearis aduersis. Per Christum Dominum nostrum. Deinde verò à dicto Choro responso, Amen, solemnem illic Missam nos ipsi celebrauimus de dicta tunc currente Dominica in Albis, collectas singulas sub vna conclusione terminantes, additis etiam prædicta, cæterisque specialibus eiusdem S. Francisci de Paula collectis immediate sequentibus, pro secreta videlicet.

Secreta.

§. 43. Hostias Domine tuorum suscipe populorum, quas tibi in B. Francisci de Paula festiuitate dicamus, vt nobis conferant tuæ propitionis auxilium: Cum sua conclusione, videlicet Per Dominum, &c. Deinde vero post communionem subiunximus dicentes.

Post communionem.

§. 44. Cœlesti Domine Sacramento consolati, te supplices deprecamur, vt intercedente B. Francisco de Paula, ab omnibus nos, mentis & corporis labe custodias, & per ipsum tuæ sentiamus indulgentiæ largitatem; cum simili conclusione, & ita Missam ipsam ad finem vsque cum solitis cæremoniis iuxta Ordinarium Apostolicum, illic debite terminauimus, indulgentiamque plenariam omnibus officio huiusmodi tunc assistentibus deuote concessimus, ac etiam in loco sepulturæ eiusdem S. Francisci de Paula, in depositionis suæ die, videlicet secunda Aprilis huiusmodi perpetuo duraturam quadraginta annorum totidemque quadragenarum indulgentiam annuatim condonauimus, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui in sanctis suis mirabilis, & gloriosus viuit, & regnat benedictus in sæcula sæculorum.

Transumptorum fides.

§. 45. Cæterum qua difficile foret præsentes originales literas ad omnium notitiam deferri, volumus, & decernimus quod earundem transumptis manu Notarij publici subscriptis, sub sigillo venerabilis fratris nostri Paridis moderni, & pro tempore existentis Episcopi Pisauriensis, ac cærimoniarum Magistri, vel alicuius Prælati Ecclesiastici) fides adhibeatur indubia, in omnibus, ac per omnia, & illis vbique stetur, ac si originales literæ huiusmodi essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 46. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum processus, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 7. die 1. Martij.

Dat. Romæ, apud S. Petrum, 1519. primo Maij, Pont. nostri Anno 7.

Edita An. D. 1521.

Declaratio circa festi celebrationem.

L E O P A P A X.

Institutio festiuitatis cum octaua.

Licet per alias nostras, literas, Francisci de Paula Ordinis fratrum Minimorum institutoris festum, ab vniuersali Ecclesia die secunda Aprilis annuatim celebrandum fore statuerimus, quia tamen de cætero eiusdem S. Francisci de Paula, festum huiusmodi, etiam cum octaua celebrari volumus, idcirco vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibuscumque Prælatis Ecclesiasticis, quatenus ipsi, & eorum singuli, S. Francisci de Paula Festum huiusmodi cum officio proprio, cum illud de Sedis Apostolicæ mandato ordinatum fuerit, alias cum officio vnius Confessoris non Pontificis, cum propria Oratione, in eius Canonizatione à nobis edita, die secunda Aprilis huiusmodi. Nisi tunc occurrat maior hebdomada vel octaua Paschæ, & tunc secunda Feria post octauam Paschæ huiusmodi in suis solemniter in dictorum verò Fratrum Minimorum Ecclesiis singulis sub ritu festi duplicis, & cum octaua, annuatim celebrent seu celebrari faciant, & mandent, expresse Apostolica auctoritate committimus, & mandamus per præsentes.

Dat. P. An. 9. die 25. Martij

Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 25. Martij 1521. Pont. nostri Anno nono.

Institutio Monasterij in Vrbe pro mulieribus ab inhonesta vita ad honestam se conuertentibus, sub inuocatione S. Mariæ Magdalenæ, ac Regula S. Augustini, & sub regimine Archiconfraternitatis Charitatis. Cum indultorum concessione, ac spoliorum impudicarum mulierum applicatione. XXXIX.

Confirmauit hanc institutionem, & spoliorum applicationem declarauit Clem. VII. in const. 14. Cum ex, vbi omnino videas.

Causarum huius Monasterij specialem Iudicem deputauit Pius IV. infra in const. 50. Cum sicut, & Archiconfraternitatis Charitatis institutionem vide hic sup. in constit. 27. Illius, vbi dixi.

L E O E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1520.*

Prooemium.

SALVATOR Noster IESVS CHRISTVS DEI Filius qui assumpta humanitate non venerat, eo testante, nisi ad oues quæ perierant, non abs re in Euangelio Lucæ parabolam de oue quæ perierat, & postea inuenta est pharisæis, & publicanis murmurantibus quod peccatores recipiebat, & cum illis manducabat, recitare voluit, vt ostenderet, eodem Euangelista teste, maius gaudium esse in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis pœnitentia non indigentibus. Et in tantum Pœnitentiæ sacramentum commendauerat, vt beato Petro Apostolorum Principi, cuius licet immeriti vices gerimus in terris, interroganti quoties peccati remissionem exhibiturus esset peccatoribus, responderit, non septies, sed septuagies septies, vt eo numero finito infinite quoties quis ad cor reuersus, & Dominum recognoscens pœnitentiam facturus esset, ei pœnitentiam iniungendam, & peccatorum remissionem concedendam fore designaret.

Mulieres incontinentes, & meretrices erant in Vrbe, ideo pro earum conuersione hic Pont. quoddam Monasterium erigere voluit in vrbe.

§. 1. Nos itaque attendentes quod, sicut fide digna relatione plurium notabilium personarum accepimus, quamplures incontinentes, & turpi quæstui deditæ mulieres in Alma Vrbe nostra degentes, si aliquem religiosum locum seu Monasterium, vbi à turpi & inhonesta vita recedentes inibi reciperentur, haberent, à lapsu peccati, & carnis sese quamplures retraherent, & tanquam oues quæ perierant curam Domino in odorem holocausti per pœnitentiam offerri possent, & castæ deinceps viuendo Deo gratum exhiberent famulatum, more pij patris & pastoris prouidi curam de ouibus pereuntibus habentes, & animarum periculis succurrere, ac pereunti ne pereat manum porrigere, & præsertim fœminei sexus, & incontinentibus mulieribus vitam sordidam, libidinibusque & fœtoribus plenam ducentibus in Alma Vrbe nostra existentibus, quarum, proh dolor! in dies temporum malignitate copia, vt accepimus, augetur, si Domino inspirante à lapsu carnis, & mundi illecebris, prurientibusque voluptatibus resipiscere voluerint, vbi Domino famulari, & recipi, ac instar Mariæ Magdalenæ peccatricis & Ægyptiacæ pœnitentiam agere possint, vt tandem Domino concedente æternæ vitæ præmium consequi, & CHRISTO sponso cum lampadibus accensis obuiam ire valeant; pro nostro Pastoralis officij debito, quo nec sanctius, nec Deo acceptius exhiberi posset, opportune prouidere volentes, & prouide considerantes, quod si aliquod Monasterium earundem mulierum lubrice in hoc sæculo viuentium, & à peccato recedere volentium, pro eisdem mulieribus in præfata Alma Vrbe nostra, & in aliquo congruo & condecenti loco pro receptione ipsarum

vt

vt Deo famulari, & pœnitentiam agere poſſint, ſub inuocatione eiuſdem beatæ Mariæ Magdalenæ erigeretur, & ipſæ recipiendæ mulieres, Moniales forent, ac ſub Regula beati Auguſtini, & perpetua clauſura, ac ſub cura, regimine, & directione Fratrū Minorum B. Franciſci de Paula in domo ſeu Conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis de Vrbe in Monte Pincio degentium perpetuo permanerent, & bona quæcumque nunc & pro tempore dicto erigendo Monaſterio per vtriuſque ſexus Chriſti fideles, ſeu alias elargita, ſeu elargienda, ac ſpectantia, & pertinentia per Rectores Societatis, ſeu Confraternitatis ſanctiſſimæ Charitatis nuper in præfata Alma Vrbe noſtra à dilecto filio noſtro Iulio tituli Sancti Laurentij in Damaſo presbytero Cardinali S.R.E. Vicecancellario, noſtro ſecundum carnem patruele auctore ſalubertime inſtitutæ conſeruarentur, regerentur, & gubernarentur, ipſæque Moniales tria vota ſolemnia emittere, ac habitum nigri coloris ſubtus ad oſtendendam prioris vitæ ſordem, & deſuper chlamydem, ſeu ſcapulare album ad deſignandum vitæ candorem quo ſeſe ex huiuſmodi vitæ mutatione honeſtarunt deferre, & ſingulis horis, diurnis pariter & nocturnis horas diuinas inibi decantare tenerentur, & in eodem Monaſterio vna Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa quæ non perpetuo ſed ad tempus inibi præſideret, præficeretur, ex hoc profecto decori præfatæ Almæ Vrbis noſtræ, ac animarum ſaluti earundem mulierum Curialium nuncupatarum, & alias inhoneſte, & extra matrimonij clauſtra degentium non parum conſuleretur, & quamplures ad dimittendam tam ſordidam, & libinibus plenam vitam, ſeque, à peccato retrahendum, Dominoque perpetuo famulandum excitarentur, magnuſque in dies dante Domino animarum profectus, & ſalus excreſceret, idque Deo, & hominibus gratiſſimum foret.

Et nunc erigit.

§. 2. Quare præmiſſis bene conſideratis, habita deſuper matura deliberatione, ac relatione ſuper iis à pluribus magnæ auctoritatis, & vitæ laudabilis viris, relatione quoque dilecti filij nobilis viri Alberti de Sabaudia Comitis Carpen. in partibus Gallicanis in certis Ciuitatibus & locis à pauco tempore citra nonnulla Monaſteria ſimilium mulierum olim incontinentium conſtructa fuiſſe, & ibi vberes fructus dante Domino in dies excreſcere, Motu proprio, & ex noſtra certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Eccleſiam ſiue Capellam Sanctæ Luciæ de Vrbe Regionis Columnæ prope Monaſterium Monialium S. Syluestri etiam de Vrbe, quam dilectus filius Ioannes Baptiſta Beccatus natus dilecti filij Aloyſij de Sueſſa dictæ Eccleſiæ Rector obtinet, ipſo Ioanne Baptiſta in hoc expreſſe conſentiente, & omne ius ſibi in dicta Eccleſia ſiue Capella quomodolibet competens in manibus noſtris ſponte, & libere remittente, in Monaſterium Monialium mulierum huiuſmodi à lapſu carnis & vitæ ſordidæ recedentium, & pœnitentiam agere volentium cuiuſcumque ſtatus, gradus, nobilitatis, conditionis, præeminentiæ, & nationis fuerint, pro illarum perpetuis vſu, & habitatione, vnà cum humili campanili, campana, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & officinis neceſſariis ſub dicta inuocatione beatæ Mariæ Magdalenæ auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigendum duximus, & erigimus.

Abbatiſſam præficit.

§. 3. Decernentes inibi vnam Abbatiſſam ſeu Prioriſſam quæ non perpetuo, ſed ad certum tempus inibi præſit, præficiendam eſſe.

Mulierum recipiendarum qualitates, habitum & regulam declarat.

§. 4. Ac mulieres huiuſmodi à peccato recedere, & pœnitentiam ducere volentes cuiuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, & nationis fuerint, vt præfertur, vocatis tamen Rectoribus dictæ Societatis, qui de earum qualitatibus plene informari valeant, recipi debere, quæ tria vota ſolemnia in manibus dictæ Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ pro tempore exiſtentis emittere, ac Regulam beati Auguſtini earum ſtatui congruam & condecentem profiteri, ac habitum nigrum ſubtus, & deſuper chlamydem ſeu ſcapulare album ad deſignandum vitæ mutationem, vt præmittitur, geſtare, ac ſub perpetua, & ſtrictiſſima clauſura, quam nullus cuiuſcumque ſtatus, auctoritatis, & præeminentiæ etiam Cardinalatus præfulgens honore ſub maledictionis, & damnationis æternæ interminatione, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœna, cuius abſolutionem nobis, & ſucceſſoribus noſtris canonice intrantibus tantummodo reſeruamus, violare præſumat. Ac ſub cura, regimine, & directione eorundem Fratrum Minimorum dicti Conuentus, ſeu domus Sanctiſſimæ Trinitatis pro tempore exiſtentium ſubeſſe.

Monaſterij regimen Archiconfraternitati Charitatis committit.

§. 5. Redditus verò, prouentus & bona quæcumque dicto Monaſterio quomodocumque pro tempore erogata ſeu eroganda, & alias legitimè ſpectantia, & pertinentia per eoſdem Rectores dictæ ſocietatis ſeu Confraternitatis Charitatis regi, diſtribui, & gubernari debere. Ac ſingulas Moniales prædictas pro tempore in dicto Monaſterio exiſtentes, introductas, & introducendas à colloquio quarumcumque perſonarum ſæcularium vel religioſarum, etiam affiniū, & parentum quomodocumque verbo, vel in ſcriptis penitus abſtinere debere. Statuentes quod ſi quiſpiam eiſdem Monialibus aliqua dicere vel deferre voluerit, ipſæ Moniales nullo pacto aurea præbere, vel aliquid recipere audeant vel præſumant, ſed Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa huiuſmodi duabus antiquioribus, & grauioribus eiuſdem Monaſterij Monialibus aſſociata, verba ipſa per craticulam ferream præſentibus tamen, ſi videbitur, ad minus duobus Rectoribus dictæ Societatis ſeu Confraternitatis Charitatis audire, & ſic allata recipere poſſit, & valeat. Et nihilominus dicta auctoritate decernimus, quatuor claues, & ſeras totidem portæ, ſortoirus ipſius Monaſterij eſſe, ipſaſque claues penes quatuor Rectores Societatis, ſeu Confraternitatis huiuſmodi permanere debere. Ita quod porta ipſius Monaſterij aperiri non poſſit, nec debeat, niſi ſaltem, & ad minus duo ex Rectoribus huiuſmodi præſentes exiſtant.

Moniales B. Mariæ Magdalenæ vocari iubet.

§. 6. Et inſuper eaſdem Moniales, & earum ſingulas B. Mariæ Magdalenæ de pœnitentia Moniales perpetuo nuncupari debere pari auctoritate volumus, & decernimus. Verum cum ſperandum ſit vt dante Domino plures à ſordida vita ad bonam & exemplarem vitam tranſeant, & propterea non parua onera & expenſæ inibi in dies neceſſario ſupportari, & ſufferri oportere conſpiciamus.

Spolia meretricum Vrbis applicat. Ad quod vide bull. in Clem. VI. ſeu. in rub.

§. 7. Nos pro ſupportatione onerum huiuſmodi omnia & ſingula bona, ac ſpolia Curialium meretricum ex illicito quæſtu, & extra matrimonij clauſtra, & pudorem viuentium in Vrbe noſtra pro tempore ab inteſtato, & abſque condendi, ſeu faciendi teſtamenti facultate decedentium, quæcumque & qualiacumque fuerint, eidem Monaſterio illorumque Conuentui & Monialibus pro tempore exiſtentibus, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus dicta auctoritate perpetuo applicamus, ac incorporamus, ac applicata, & incorporata ex tunc prout ex nunc, & è contra dicto caſu adueniente fore & eſſe eadem auctoritate decernimus. Ac ipſis Curialibus & inhoneſtis mulieribus, quæ ad minus quartam vel quintam vel partem bonorum ſuorum quorumcumque mobilium vel immobilium eidem Monaſterio, & illius Conuentui, & Monialibus pro ſupportatione eorundem onerum, ſeu alias pie relinquere, legare, vel donare voluerint, faciendi, & condendi teſtamenti, & de reliquis bonis earum tam mobilibus quam immobilibus, cuiuſcumque qualitatis, quantitatis, & valoris, libere, & licite ex tunc prout ex nunc, & è contra diſponendi licentiam, & facultatem dicta auctoritate, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine prædictis, damus, & concedimus. Volumus tamen quod Rectores dictæ Societatis, ſeu Confraternitatis Charitatis pro dicto Monaſterio, & illius Conuentu agentes, eorundem bonorum ſic pro tempore legatorum, donatorum, ſeu relictorum, & aliorum bonorum earundem Curialium meretricum ab inteſtato, ſeu ſine facultate teſtandi decedentium, & propterea ad dictum Monaſterium vtpote incorporatorum pertinentium, quandocumque caſus contigerit, poſſeſſionem realem, & actualem auctoritate propria, capere, retinere & alias de illis, nomine, & ad opus dicti Monaſterij, & illius Conuentus diſponere poſſint, & valeant. Ita tamen quod de illis duo inuentaria coram authenticis, & probis viris per Notarium publicum incontinenti, & quanto citius poterunt, facere teneantur, quorum vnum Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ pro tempore exiſtenti, alterum verò dictæ Societati, ſeu Confraternitati conſignare debeant.

§. 8. Et

Confessori Monialium amplam absoluendi facultatem concedit.
Tu vide moderationem in constit. Clem. VIII. n. 115. Quacumque.

§. 8. Et insuper Correctori pro tempore existenti dictæ domus Fratrum Minimorum, sub quorum cura, regimine & directione ipsæ Moniales pro tempore existentes in spiritualibus subesse habent, eisdem Monialibus nunc & pro tempore existentibus Regulam, & normam religiose viuendi, ac statuta tam circa horarum, & diuinorum officiorum recitationem, quam alia ipsarum directionem cōcernentia condendi, & in vnum volumen redigendi, eiq; assignandi, per nos tamen prius, seu quos duxerimus ad id deputandos antequā assignentur reuidenda & mature consideranda, ac per nos Apostolica auctoritate confirmanda, & dum casus exegerit de nouo cōdendi, addendi, minuendi, cassandi, & immutandi. Ac de Confessoribus idoneis, dictis Rectoribus eiusdē Societatis seu Confraternitatis Charitatis gratis & acceptatis eisdē Monialibus pro tempore existentibus prouidendi, easdemq; Moniales, & earum singulas pro tempore existentes à quibuscumque earum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus & enormibus, etiam Apostolicæ Sedi reseruatis, de quibus corde contritæ, & ore confessæ fuerint, Apostolica auctoritate toties quoties opus fuerit, absoluendi, & in earum confessionibus eas audiendi, & pœnitentiam salutarem, iniungendi licentiam, & facultatem, dicta auctoritate concedimus.

Monasterium bona & personas sub B. Petri protectione recipit.

§. 9. Ac ipsum Monasterium sic erectum, illiusque Abbatissam, & Moniales, ac illarum res, & bona quæcumq; pro tempore existentia, sub nostra, & Sedis Apostolicæ, ac beati Petri protectione, & inuiolabili conseruatione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio esse volumus.

Indulgentias eis & benefactoribus elargitur.
Tu vide moderationem in d. bulla Clem. viij. & in alia Pij v. nu. 30. Etsi.

§. 10. Necnon eidem Abbatissæ seu Priorissæ, ac Monialibus, nunc & pro tempore existentibus eiusdem Monasterij, singulisque Christi fidelibus vtriusque sexus vndecumque existant opera charitatis, & manus adiutrices pro sustentatione Monasterij, Conuentus, & Monialium huiusmodi porrigentibus, omnes & singulas & easmet indulgentias, facultates, & peccatorum remissiones concedimus, ac easdem Abbatissam, & Moniales pro tempore existentes Orationem Dominicam, & salutationē Angelicam tantummodo recitantes, eosdem vero Christi fideles manus adiutrices porrigentes, vt præfertur, lucrari posse volumus, quas eidem Societati, seu Confraternitati Charitatis, & aliis personis inibi expressis, videlicet quod ipsi vtriusq; sexus Christi fideles Ecclesias huiusmodi Societatis, seu Confraternitatis visitantes, seu de bonis suis pro oneribus charitatis exercendis in testamento, vel alias contribuentes, legātes, seu relinquentes, aut Confraternitatem Societatis huiusmodi, hæredem partialem seu vniuersalem instituentes, omnibus & singulis, ac illis eisdemmet priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis etiam plenariis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, conseruatoriis, indultis, fauoribus, literis & gratiis, spiritualibus, & temporalibus, à Sede Apostolica in fauorem sub Imagine Saluatoris ad sancta sanctorum, & sancti Spiritus in Saxia, ac beatæ Mariæ de Populo, & sancti Iacobi in Augusta, necnon Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Cosmæ & Damiani de Vrbe, & sancti Iacobi in Compostella, Hospitalium, & Confraternitatum, ac Confratrum, ac illorum Ecclesiarū, Capellanorum, Ministrorum, Officialium, Familiarium, rerum, & bonorum quorumcumque, ac illorum Ecclesias visitantium, vel illis de bonis suis largientium, aut in totum vel in partem hæredem instituentium, communiter vel diuisim, in genere vel in specie, quomodolibet emanatis, & emanandis, quæ omnia & singula, necnon quarumcumque literarū Apostolicarum desuper quomodolibet confectarum, & conficiendarum, ac quorumcumq; in eis contentorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, etiamsi illa non sint in vsu, aut reuocari contingat, vti, potiri, & gaudere, ac literas Apostolicas super eisdem priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, conseruatoriis, indultis, fauoribus & gratiis, etiam illorum indiuiduam expressionem, & mentionem faciendo, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, inuocationibus, ac diebus ad libitum confratrum Confraternitatis huiusmodi, simul vel separatim expediri facere, in omnibus & per omnia, ac si illa non solum per clausulas generales huiusmodi, sed per illorum omnium tenorem de verbo ad verbum, expressionem & insertionem eisdem Confraternitati, illiusque confratribus, Ecclesiis, rebus, bonis, ministris, officialibus, capellanis, & familiaribus, ac eorum Ecclesias huiusmodi visitantibus, ac de bonis suis pro dictis operibus exercendis, aut alias contribuentibus, legantibus, aut relinquentibus, seu ipsas Confraternitates, hæredes partiales vel vniuersales instituentibus, sigillatim concessissemus, prout per quasdam alias nostras literas, quarum tenorem præsentibus pro sufficienter expresso & inserto haberi volumus, plenius continetur, concessimus, quas quidem indulgentias priuilegia, & alia omnia præmissa in easdem Abbatissam, seu Priorissam, ac Moniales pro tempore existentes huiusmodi, ac dictos vtriusque sexus Christi fideles Ecclesiam dicti Monasterij visitantes, & manus, vt præmittitur, adiutrices porrigentes, plenarie, dicta auctoritate transferimus.

Executores huius constit. deputat.

§. 11. Quo circa dilectis filiis Gubernatori ac Auditori Cameræ, & Vicario Almæ Vrbis nostræ, nunc & pro tempore existentibus, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios, Abbatissæ, & Priorissæ, ac Monialibus dicti Monasterij, necnon Rectoribus dictæ Confraternitatis, seu Societatis Charitatis, in præmissis omnibus & eorum singulis assistentes, faciant easdem Abbatissam seu Priorissam, ac Moniales dicti Monasterij, necnon Rectores, seu deputatos Societatis, seu Confraternitatis Charitatis huiusmodi, nunc & pro tempore existentes præmissis, omnibus & singulis plenarie, pacifice, & quiete, frui & gaudere, non permittentes eas, & eos, ac earū & ipsorū singulos desuper per quosvis quacumque auctoritate, facultate, & potestate fungentes, quoquo modo molestari, seu alias inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac inobedientes, & præmissis quovis modo, in toto vel in parte contrauenientes per censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias eorum arbitrio infligendas, & quas iteratis vicibus aggrauari possint, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato, seu etiam per eos vel eorum aliquem exhibito super hoc auxilio brachij sæcularis.

Notitiam habentes spoliorum Meretricum reuelare tenentur.
Hoc declarat Clem. vij. cit. in rubr.

§. 12. Nihilominus, vt omni fraude & dolo cessantibus bona Curialium meretricum sic decedentium, vt præmittitur, incorporata, seu aliàs dicto Monasterio relicta reuelentur, & propalentur, Rectoribus parochialium, & aliarum Ecclesiarum in Vrbe consistentibus, & quamprimum de præmissis notitiam habuerint, Rectoribus, seu deputatis dictæ Confraternitatis, seu Societatis infra certum breuem, & peremptorium terminum eis desuper etiam sub pœnis & censuris prædictis præfigendum, notificare, & reuelare habeant, præcipiant, & iniungant, & alia mandent & faciant, ac exequantur, quæ in præmissis commodo, decori, honestati, ac animarum quieti, & saluti expedire viderint.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus quibusvis concessionibus, & donationibus, & aliis contrariis dispositionibus super huiusmodi spoliis, & bonis in fauorem quarumvis personarum etiam familiarium, & Palefrenariorum nostrorum cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque & aliis decretis pro tempore factis, & faciendis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apost. Ciuibus Rom. quovis modo, sub quibusvis verborum formis, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, confirmatis, & innouatis quibusvis omnibus etiam si ad illorum sufficientem derogationem, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales id importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda foret, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illas aliàs in suo robore permansuris, hac vice specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§. 14. Cæterum quia difficile foret præsentes vbicumq; opus fuerit ostendere, vel exhibere, volumus, & eadem auctoritate

auctoritate decernimus, quod earum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius eorundem Gubernatoris, Auditoris, seu Vicarij munitis, plena vbique in iudicio, & extra fides adhibeatur, prout adhiberetur, & adhiberi deberet præsentibus si essent in medium exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 8. die 19. Maij. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimo, 14. Kalen. Iunij, Pontificatus nostri Anno octauo.

XL. Damnatio errorum Martini Lutheri, & sequacium, cum monitione, & requisitione, vt ab eis recedant.

Martinus (licet plerique conuersi sint) obduratus permansit, ideoque damnatus, & excommunicatus fuit, cum omnibus suis adhærentibus, & fautoribus, vt in seq. const.

Edita An. D. 1520. *L E O E P I S C O P V S,* *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exclamatio Pontificis aduersus Lutherum. EXurge Domine, & iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcasti solus, & ascensurus ad Patrem, eius curam, regimen, & administrationem, Petro tanquam capiti, & tuo Vicario, eiusque successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commisisti. Exterminare nititur eam aper de sylua, & singularis ferus depascitur eam. Exurge Petre, & pro pastorali cura præfata tibi (vt præfertur) diuinitus demandata, intende in causam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omnium Ecclesiarum, ac fidei magistræ: quam tu, iubente Deo, tuo sanguine consecrasti, contra quam, sicut tu præmonere dignatus es, insurgunt magistri mendaces, introducentes sectas perditionis, sibi celerem interitum superducentes: quorum lingua ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero: qui zelum amarum habentes, & contentiones in cordibus suis, gloriantur, & mendaces sunt aduersus veritatem. Exurge tu quoque, quæsumus Paule, qui eam tua doctrina, ac pari martyrio illuminasti atque illustrasti. Iam enim surgit nouus Porphyrius, quia sicut ille olim sanctos Apostolos iniuste momordit, ita hic sanctos Pontifices prædecessores nostros contra tuam doctrinam eos non obsecrando, sed increpando, mordere, lacerare, ac vbi causæ suæ diffidit, ad conuicia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum (vt inquit Hieronymus) vltimum præsidium est, vt cum conspiciant causas suas damnatum iri, incipiant virus serpentis lingua diffundere: & cum se victos conspiciant, ad contumelias prosilire. Nam licet hæreses esse ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere, eas tamen, ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coalescant, in ipso ortu, te intercedente, & adiuuante, extingui necesse est. Exurgat denique omnis Sanctorum, ac reliqua vniuersalis Ecclesia, cuius vera sacrarum literarum interpretatione posthabita, quidam, quorum mentem pater mendacij excæcauit, & veteri hæreticorum instituto, apud semetipsos sapientes, scripturas easdem aliter quam Spiritus sanctus flagitet, proprio dumtaxat sensu, ambitionis, auræque popularis causa, teste Apostolo, interpretantur, imo verò torquent, & adulterant: ita vt iuxta Hieronymum, iam non sit Euangelium Christi, sed hominis, aut quod peius est, diaboli. Exurgat, inquam, præfata Ecclesia sancta Dei, & vnà cum beatissimis Apostolis præfatis, apud Deum Omnipotentem intercedat, vt purgatis ouium suarum erroribus, eliminatisque à fidelium finibus hæresibus vniuersis, Ecclesiæ suæ sanctæ pacem, & vnitatem conseruare dignetur.

Martinus Lutherus, & sequaces multas hæreses induxerunt. §. 1. Dudum siquidem, quod præ animi angustia, & mœrore exprimere vix possumus, fide dignorum relatu, ac fama publica referente ad nostrum peruenit auditum, imo verò, proh dolor! oculis nostris vidimus, ac legimus, multos, & varios errores, quosdam videlicet iam per Concilia ac prædecessorum nostrorum constitutiones damnatos hæresim etiam Græcorum, & Bohemicam expresse continentes: alios verò respectiue, vel hæreticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, à falsis fidei cultoribus, qui per superbam curiositatem mundi gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam plus sapere volunt, quam oporteat: quorum garrulitas (vt inquit Hieronym.) sine scripturarum auctoritate non haberet fidem, nisi viderentur peruersam doctrinam etiam diuinis testimoniis, male tamen interpretatis, roborare. A quorum oculis Dei timor recessit, humani generis hoste suggerente, nouiter suscitatos, & nuper apud quosdam leuiores in inclyta natione Germanica seminatos. Quod eo magis dolemus ibi euenisse, quod eandem nationem, & nos, & prædecessores nostri, in visceribus semper gesserimus charitatis. Nam post translatum ex Græcis à Romana Ecclesia in eosdem Germanos imperium, iidem prædecessores nostri, & nos, eiusdem Ecclesiæ aduocatos, defensoresque ex eis semper accepimus, quos quidem Germanos, catholicæ veritatis vere germanos, constat hæresum acerrimos oppugnatores semper fuisse, cuius rei testes sunt laudabiles illæ constitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Ecclesiæ, proque expellendis, exterminandisque ex omni Germania hæreticis, sub grauissimis pœnis etiam amissionis terrarum, & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editæ, & à nostris prædecessoribus confirmatæ: quæ si hodie seruarentur, & nos, & ipsi vtique hac molestia careremus. Testis est in Concilio Constantien. Hussitarum, ac Vvicleffistarum, necnon Hieronymi Pragen. damnata, ac punita perfidia. Testis est toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum errorum seu multorum ex eis per Colonien. & Louanien. vniuersitates, vtpote agri Dominici piissimas, ac religiosissimasque cultrices non minus docta quam vera ac sancta confutatio, approbatio, & damnatio. Multa quoque alia allegare possemus, quæ, ne historiam texere videamur, prætermittenda censuimus. Pro pastoralis igitur officij, diuina gratia nobis iniuncti cura quam gerimus prædictorum errorum virus pestiferum vlterius tolerare seu dissimulare, sine Christianæ religionis nota, atque orthodoxæ fidei iniuria nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inserendos, quorum tenor sequitur, & est talis.

1 Hæretica sententia est, sed vsitata, Sacramenta nouæ legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem. *§. 2. Tenor articulorum hæresis Lutheri.*

2 In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare.

3 Fomes peccati, etiam si nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu cœli.

4 Imperfecta charitas morituri, fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam Purgatorij, & impedit introitum regni.

5 Tres esse partes Pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis doctoribus.

6 Contritio quæ paratur per discussionem, collationem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7 Verissimum est prouerbium, & omnium doctrina de contritionibus hucvsque data præstantius, de cætero non facere, summa pœnitentia: optima pœnitentia, noua vita.

8 Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed omnia mortalia quia impossibile est, vt omnia mortalia cognoscas. Vnde in primitiua Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9 Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10 Peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente ſacerdote, credat ſibi remitti: imo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet, non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

11 Nullo modo confidas abſolui propter tuam contritionem; ſed propter verbum Chriſti, Quodcumque ſolueris, &c. Hic, inquam, confide, ſi ſacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutum vere eris, quicquid ſit de contritione.

12 Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut ſacerdos non ſerio, ſed ioco abſolueret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

13 In ſacramento Pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ, non plus facit Papa, aut Epiſcopus, quam infimus ſacerdos: imo vbi non eſt ſacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiamſi mulier aut puer eſſet.

14 Nullus debet ſacerdoti reſpondere, ſe eſſe contritum, nec ſacerdos requirere.

15 Magnus eſt error eorum qui ad ſacramenta Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcij alicuius peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria, omnes illi ad iudicium ſibi manducant, & bibunt: ſed ſi credant, & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros, & dignos.

16 Conſultum videtur, quod Eccleſia in communi concilio ſtatueret laicos ſub vtraque ſpecie communicandos, nec Bohemi communicantes ſub vtraque ſpecie, ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.

17 Theſauri Eccleſiæ vnde Papa dat indulgentias, non ſunt merita Chriſti, & Sanctorum.

18 Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium & remiſſiones bonorum operum: & ſunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

19 Indulgentiæ his qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iuſtitiam.

20 Seducuntur credentes indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus vtiles.

21 Indulgẽtiæ neceſſariæ ſunt ſolũ publicis criminib. & proprie conceduntur duris ſolũmodo, & impatiẽtib.

22 Sex generibus hominum indulgentiæ, nec ſunt neceſſariæ, nec vtiles: videlicet mortuis ſeu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.

23 Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

24 Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25 Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in B. Petro inſtitutus.

26 Verbũ Chriſti ad Petrũ, Quodcũque ſolueris ſuper terrã, &c. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.

27 Certum eſt in manu Eccleſiæ, aut Papæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei, imo nec leges morum, ſeu bonorum operum.

28 Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret: adhuc non eſt peccatum aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium vniuerſale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29 Via nobis facta eſt enarrandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quicquid verum videtur, ſiue probatum fuerit, ſiue reprobatum à quocunque Concilio.

30 Aliqui articuli Ioannis Huſz condemnati in Concilio Conſtantien. ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Euangelici, quos nec vniuerſalis Eccleſia poſſet damnare.

31 In omni opere bono iuſtus peccat.

32 Opus bonum optime factum, eſt veniale peccatum.

33 Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem ſpiritus.

34 Præliari aduerſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.

35 Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

36 Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo; & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

37 Purgatorium non poteſt probari ex ſacra ſcriptura, quæ ſit in canone.

38 Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de eorum ſalute ſaltem omnes: nec probatum eſt vllis aut rationibus, aut ſcripturis, ipſas eſſe nec extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.

39 Animæ in purgatorio peccant ſine intermiſſione, quandiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40 Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viuentium minus beantur quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

41 Prælati Eccleſiaſtici, & Principes ſæculares non malefacerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

§. 3. Qui quidem errores, reſpectiue, quam ſint peſtiferi, quam pernicioſi, quam ſcãdaloſi, quam piarum, & ſimplicium mentium ſeductiui, quam denique ſint contra omnem charitatem, ac S.R.E. matris omnium fidelium, & magiſtræ fidei, reuerentiam atque neruum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, obedientiam ſcilicet quæ fons eſt, & origo omnium virtutũ, ſine qua facile vnuſquiſque infidelis eſſe conuincitur, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmiſſis, vtpote grauiſſimis, propenſius (vt decet) procedere, necnon huiuſmodi peſti, morboque canceroſo, ne in agro Dominico tanquam vepris nociua vlterius ſerpat, viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus, & eorum ſingulis diligenti trutinatione, diſcuſſione, ac diſtricto examine, maturaque deliberatione, omnibusq; rite penſatis, ac ſæpius ventilatis cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac regularium Ordinum Prioribus ſeu Miniſtris generalibus, pluribuſque aliis ſacræ Theologiæ, necnon vtriuſque iuris profeſſoribus ſiue magiſtris, & quidem peritiſſimis: reperimus eoſdem errores, reſpectiue (vt præfertur) aut articulos non eſſe catholicos, nec tanquam tales eſſe dogmatizandos, ſed contra Eccleſiæ catholicæ doctrinam ſiue traditionem, atque ab ea veram diuinarum ſcripturarum receptam interpretationem, cuius auctoritati ita acquieſcendum cenſuit Auguſtinus, vt dixerit ſe Euangelio non fuiſſe crediturum, niſi Eccleſiæ Catholicæ interueniſſet auctoritas. Nam eiſdem erroribus, vel eorum aliquo vel aliquibus, palam ſequitur, eandem Eccleſiam, quæ ſpiritu ſancto regitur, errare, & ſemper erraſſe. Quod eſt vtique contra illud, quod Chriſtus diſcipulis ſuis in aſcenſione ſua (vt in ſancto Euangelio Matthæi legitur) promiſit dicens: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Necnon contra ſanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque, & ſummorum Pontificum expreſſas ordinationes, ſeu canones, quibus non obtemperaſſe, omnium hæreſum, & ſchiſmatum teſte Cypriano, fomes & cauſa ſemper fuit.

Qui errores reprobi ſunt.

§. 4. De eorundem itaque venerabilium fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ac omnium, & ſingulorum prædictorum, matura deliberatione prædicta, auctoritate Omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtra, præfatos omnes, & ſingulos articulos ſeu errores, tanquam vt præmittitur reſpectiue hereticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſiuos, vel ſimplicium mẽtium ſeductiuos, & veritati catholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, ac pro damnatis, reprobamus, atque omnino reiicimus, ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus haberi debere, harum ſerie decernimus, & declaramus. Inhibentes in virtute S. obedientiæ, ac ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ, necnon quoad Eccleſiaſticas, & regulares perſonas, Epiſcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum quoque, & Prioratuum etiam conuentualium, & quarumcumque dignitatum, aut beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, aut quorumvis Ordinum regularium, priuationis, & inhabilitatis ad illa

Pont. eos dãnat tanquam hæreticos, & falſos.

illa,& alia in posterum obtinenda: quo verò ad Conuentus, Capitula, seu domos, aut pia loca sæcularium, vel regularium, etiam Mendicantium, necnon vniuersitatis etiam studiorum generalium, quorumcumque priuilegiorum indultorum, a Sede Apostolica, vel eius Legatis, aut aliàs quomodolibet habitorum, vel obtentorum, cuiuscumque tenoris existant: necnon nominis, & potestatis studium generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasuis scientias, & facultates, & inhabilitatis ad illa & alia imposterum obtinenda: Prædicationis quoque officij, ac amissionis studij generalis, & omnium priuilegiorum eiusdem: quo verò ad sæculares eiusdem excommunicationis, necnon amissionis cuiuscumque emphyteusis, seu quorumcumque feudorum, tam à Romana Ecclesia, quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda: necnon quoad omnes, & singulos superius nominatos, inhibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes, & singulos actus legitimos, infamiæ, ac diffidationis, & criminis læsæ maiestatis, & hæreticorum & fautorum eorundem in iure expressis pœnis, eo ipso, & absque vlteriori declaratione per omnes & singulos supradictos, si (quod absit) contrafecerint, incurrendis, à quibus vigore cuiuscumque facultatis, & clausularum eis in confessionalibus quibusvis personis, sub quibusvis verborum formis contentarum, nisi à Rom. Pont. vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant. Omnibus, & singulis, vtriusque sexus Christi fidelibus, tam laicis, quam clericis, sæcularibus & quorumvis Ordinum regularibus, & aliis quibuscumque personis, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existãt, & quacumque Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, etiam S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel Ministris generalibus, vel particularibus, fratribus seu religiosis, exemptis, & non exemptis: Studiorum quoque vniuersitatibus sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiã Mendicantium regularibus, necnon Regibus, Imperatori, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Cõductoribus, Domicellis, omnibusque officialibus, Iudicibus, Notariis Ecclesiasticis, & sæcularibus, Communitatibus, Vniuersitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, Castris, Terris, & locis, seu eorum, vel earum ciuibus, habitatoribus, & incolis, ac quibusvis aliis personis Ecclesiasticis, vel regularibus (vt præfertur) per vniuersum orbem, vbicumque præsertim in Alemania existentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruersamque doctrinam huiusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publice vel occulte, quovis quæsito ingenio vel colore, tacite, vel expresse fauere præsumant.

Scripturas Lutheri in quibus dicti errores Articuli continentur damnat, illasque penes aliquẽ retineri prohibet, quinimo comburi mandat.

§. 5. Insuper, quia errores præfati, & plures alij continentur in libellis seu scriptis Martini Luther, dictos libellos, & omnia dicti Martini, scripta seu prædicationes, in Latino, vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, seu eorum aliquis continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis, ac reiectis, (vt præfertur) haberi volumus, mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis eo ipso incurrendis, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne huiusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores, aut articulos supradictos continentia, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, siue defendere, per se vel alium, seu alios, directe, vel indirecte, tacite, vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis, siue aliis publicis, vel priuatis locis tenere quoquo modo præsumant: quinimo illa statim post harum publicationem vbicumque fuerint, per Ordinarios, & alios supradictos diligenter quæsita, publice, & solemniter in præsentia cleri, & populi, sub omnibus, & singulis supradictis pœnis comburant.

Pont. citari fecit Lutherũ & deinde eũdem hortatus fuit vt ab erroribus desisteret.

§. 6. Quod verò ad ipsum Martinum attinet (bone Deus) quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis omisimus, vt eum ab huiusmodi erroribus reuocaremus? Postquam enim ipsum citauimus, mitius cum eo procedere volentes, illum inuitauimus, atque tam per diuersos tractatus cum Legato nostro habitos, quam per literas nostras, hortati fuimus, vt à prædictis erroribus discederet, aut oblato etiam saluo conductu, & pecunia ad iter necessaria, sine metu seu timore aliquo, quem perfecta charitas foras mittere debuit, veniret, ac Saluatoris nostri, Apostolique Pauli exemplo, non occulto, sed palam, & in facie loqueretur. Quod si fecisset, pro certo (vt arbitramur) ad cor reuersus, errores suos cognouisset: nec in Romana Curia, quam tantopere vanis maleuolorum rumoribus plusquam oportuit tribuendo vituperat, tot reperiisset errata, docuissemusque eum luce clarius, sanctos Romanos Pontifices prædecessores nostros, quos præter omnem modestiam iniuriose lacerat, in suis canonibus seu constitutionibus, quas mordere nititur, nunquam errasse: quia iuxta Prophetam, nec in Galaad resina, nec medicus deest.

Ille vero ad futurum Concilium prouocauit.

Pij II. const. habes supra fol. 290.

§. 7. Sed obaudiuit semper, & prædicta citatione, omnibus, & singulis supradictis spretis venire contempsit, ac vsque in præsentem diem contumax, atque animo indurato censuras vltra annum sustinuit; & quod deterius est, addens mala malis, de citatione huiusmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra constitutionem Pij Secundi, ac Iulij Secundi prædecessorum nostrorum, qua cauetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos, (Frustra etiam Concilij auxilium implorauit, qui illi se non credere palam profitetur) ita vt contra ipsum, tanquam de fide notorie suspectum, imo vere hæreticum, absque vlteriori citatione vel mora ad condemnationem, & damnationem eius tanquam hæretici, ac ad omnium & singularum suprascriptarum pœnarum & censurarum seueritatem procedere possemus.

Et nihilominus Pont. totum Martinum, eique adhærentes ad conuersionem hortatur.

§. 8. Nihilominus de eorundem fratrum nostrorum consilio, Omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat: omnium iniuriarum hactenus, nobis & Apostolicæ Sedi illatarum obliti, omni qua possumus pietate vti decreuimus, & quantum in nobis est, agere, vt proposita mãsuetudinis via, ad cor reuertatur, & à prædictis recedat erroribus, vt ipsum tanquam filium illum prodigum ad gremium Ecclesiæ reuertentem, benigne recipiamus. Ipsum igitur Martinum, & quoscumque ei adhærentes, eiusque receptatores & fautores, per viscera misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quo & per quem humani generis redemptio, & sanctæ matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur & obsecramus, vt ipsius Ecclesiæ pacem, vnitatem & veritatem, pro qua ipse Saluator tam instanter orauit ad Patrem, turbare desistant, & à prædictis tam perniciosis erroribus prorsus abstineant; inuenturi apud nos, si effectualiter paruerint, & paruisse per legitima documenta nos certificauerint, paternæ charitatis affectum, & apertum mansuetudinis & clementiæ fontem.

Luthero inhibet prædicationis officium.

§. 9. Inhibentes nihilominus eidem Martino ex nunc, vt interim ab omni prædicatione, seu prædicationis officio omnino desistat.

Luthero & ei adhærentibus terminũ præfigit ad desistẽ ab eorum erroribus.

Tu s. eas quod in hoc termino Lutherus & multi sequaces impœnitentes fuerunt, nonnulli autem conuersi fuerunt habes inf. const. seq.

§. 10. Alioquin in ipsum Martinum, si forte iustitiæ & virtutis amor à peccato non retrahat, indulgẽtiæque spes ad pœnitentiã nõ reducat, pœnarũ terror coërceat disciplinæ, eundem Martinum, eiusque adhærentes, complices, fautores, & receptatores, tenore præsentium requirimus & monemus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub prædictis omnibus & singulis pœnis, eo ipso incurrendis, districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sexaginta dies, quorũ viginti pro primo, viginti pro secũdo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in locis infrascriptis, immediate sequentes numerandos, ipse Martinus, complices, fautores, adhærẽtes, & receptatores prædicti, à præfatis erroribus eorumque prædicatione, ac publicatione & assertione, defensione quoque, & librorum seu scripturarum editione super eisdem siue eorum aliquo omnino

desistant

deſiſtant, libroſque ac ſcripturas, omnes & ſingulos præfatos errores ſeu eorum aliquos quomodolibet continentes, comburant, vel comburi faciant. Ipſe etiam Martinus errores & aſſertiones huiuſmodi omnino reuocet, ac de reuocatione huiuſmodi per publica documenta in forma iuris valida, in manibus duorũ Prælatorum conſignata, ad nos infra alios ſimiles ſexaginta dies tranſmittenda, vel per ipſummet (ſi ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato pleniſſimo ſaluoconductu, quem ex nunc concedimus, deferenda, nos certiores efficiat, vt de eius vera obedientia nullus dubitationis ſcrupulus valeat remanere.

Et inobedientes pœnis hic contentis innodat.

§. 11. Alias ſi (quod abſit) Martinus præfatus, complices, fautores adhærentes, & receptatores prædicti, ſecus egerint, ſeu præmiſſa omnia, & ſingula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleuerint, Apoſtoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem, poſt primam, & ſecundam correptionem, vitandum docuit, ex nunc, prout ex tunc, & è conuerſo, eundem Martinum, complices, adhærentes, fautores, & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tanquam aridos palmites in Chriſto non manentes, ſed doctrinam contrariam catholicæ fidei inimicam, ſiue ſcãdaloſam, ſeu damnatam, in non modicam offenſam diuinæ maieſtatis, ac vniuerſalis Eccleſiæ & fidei catholicæ detrimentum & ſcandalum dogmatizantes claues quoque Eccleſiæ vilipendentes, notorios & pertinaces hæreticos, eadem auctoritate, fuiſſe & eſſe declarantes, eoſdem vt tales, harũ ſerie condẽnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus ſupradictis, volumus & mandamus. Eoſque omnes, & ſingulos omnibus ſupradictis, & aliis contra tales à iure inflictis pœnis, præſentium tenore ſubiicimus, eiſdem irretitos fuiſſe, & eſſe decernimus & declaramus.

Opera Lutheri omnia dãnat, & prohibet illa imprimi, teneri &c.

§. 12. Inhibemus præterea ſub omnibus & ſingulis præmiſſis pœnis, eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne ſcripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda vel edenda, ſeu eorum aliqua tanquã ab homine orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer ſuſpecta, & vt eius memoria omnino deleatur de Chriſti fidelium conſortio legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſiue defendere, per ſe vel alium, ſeu alios directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, publice vel occulte, ſeu in domibus ſuis, ſiue aliis locis, publicis vel priuatis, tenere quoquo modo præſumant: quinimo illa comburant, vt præfertur.

Monet omnes fideles, vt euitent ſupradictos hæreticos.

§. 13. Monemus inſuper omnes, & ſingulos Chriſti fideles ſupradictos, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna, vt hæreticos prædictos declaratos & condemnatos, mandatis noſtris non obtemperantes, poſt lapſum termini ſupradicti euitent, & quantum in eis eſt, euitari faciant, nec cum eiſdem vel eorum aliquo, commercium, aut aliquam conuerſationem, ſeu communionem habeant, nec eis neceſſaria miniſtrent.

Lutherum, eiuſque ſequaces capi mandat ſub pœnis de quibus hic.

§. 14. Ad maiorem præterea dicti Martini, ſuorumque complicium, fautorum, & adhærentium, ac receptatorum prædictorum, ſic poſt lapſum termini prædicti declaratorum hæreticorum & condemnatorum confuſionem, vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, metropolitanarum, & aliarum cathedralium, collegiatarum, ac inferiorum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium (præſertim eius congregationis, cuius dictus Martinus eſt profeſſus, & in qua degere vel morari dicitur) regularibus exemptis, & non exemptis necnon vniuerſis & ſingulis principibus, quacumque Eccleſiaſtica vel mundana fungentibus dignitate Regibus, Imperatoris Electoribus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, conductoribus, domicellis, communitatibus, vniuerſitatibus, poteſtatibus, ciuitatibus, terris, caſtris, & locis, ſeu eorum habitatoribus, ciuibus & incolis, omnibuſque aliis & ſingulis ſupradictis, per vniuerſum Orbem, præſertim in eadem Alemania conſtitutis mãdamus, quatenus ſub prædictis omnibus & ſingulis pœnis, ipſi vel eorum quilibet, præfatum Martinum, complices, adhærentes, receptantes, & fautores perſonaliter capiant, & captos ad noſtram inſtantiam retineant, & ad nos mittant; reportaturi pro tam bono opere, à nobis & Sede Apoſtolica remunerationem, præmiumque condignum, vel ſaltem eos, & eorum quemlibet, de metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, & aliis Eccleſiis, domibus, monaſteriis, conuentibus, ciuitatibus, dominiis, vniuerſitatibus, communitatibus, caſtris, terris, ac locis reſpectiue tam clerici & regulares, quam laici, omnes & ſinguli ſupradicti omninò expellãt.

Loca ad quæ declinauerit Lutherus, & eius ſequaces interdicto ſubiiciuntur.

§. 15. Ciuitates verò, dominia, terras, caſtra, villas, comitatus, fortalitia, oppida, & loca quæcumque vbilibet conſiſtentia, eorum & earum reſpectiue metropolitanas, cathedrales, collegiatas, & alias Eccleſias, monaſteria, prioratus, domus, conuentus, & loca religioſa vel pia, cuiuſcumque ordinis, vt præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquem ex prædictis, declinare contigerit, quandiu ibi permanſerint, & triduo poſt receſſum, Eccleſiaſtico ſubiicimus interdicto.

Præcipit prælatis, vt Lutherum, & ei adhærentes, hæreticos publicari faciant.

§. 16. Et vt præmiſſa omnibus innoteſcant, mandamus inſuper vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum cathedralium, ac collegiatarum Eccleſiarum prælatis, capitulis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum ſupradictorum regularibus, fratribus religioſis, monachis, exemptis & non exemptis ſupradictis, vbilibet præſertim in Alemania conſtitutis, quatenus ipſi vel eorum quilibet ſub ſimilibus cenſuris & pœnis, eo ipſo incurrendis, Martinum, omneſque & ſingulos ſupradictos, qui elapſo termino huiuſmodi mandati ſeu monitis noſtris non paruerint, in eorum Eccleſiis, Dominicis, & aliis feſtiuis diebus, dum inibi maior populi multitudo ad diuina conuenerit, declaratos, hæreticos, & condemnatos publice nuntient, faciantque, & mãdent ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius euitari.

Et conſt. iſtã publicari mãdat. & excõmunicari publicationem impedientes.

§. 17. Necnon omnibus Chriſti fidelibus, vt eos euitent, pari modo ſub prædictis cenſuris & pœnis. Et præſentes literas vel earum tranſumptum ſub forma infraſcripta factum, in eorum Eccleſiis, monaſteriis, domibus, conuentibus, & aliis locis, legi, publicari, atque affigi faciant. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & ſingulos, cuiuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint qui, quominus præſentes literæ, vel earum tranſumpta, copiæ ſeu exemplaria, in ſuis terris & dominiis, legi, affigi & publicari poſſint, fecerint, vel quoquo modo procurauerint, per ſe vel alium, ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe.

Tranſumptis credi iubet.

§. 18. Poſtremo quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca deferri, in quibus neceſſariũ foret, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis manu publici notarij confectis & deſcriptis, vel in Alma vrbe impreſſis, & ſigillo alicuius Eccleſiaſtici Prælati munitis, vbique ſtetur, & plena fides adhibeatur, prout originalibus literis ſtaretur & adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Iuſſio publicandi hanc bullam. Quam publ. non inueni, ſed his Pont. de ea teſtatur in ſeq. bulla.

§. 19. Et ne præfatus Martinus, omneſque alij ſupradicti, quos præſentes literæ quomodolibet concernunt, ignorantiam earundem literarum, & in eis contentorum omnium & ſingulorum prætẽdere valeant, literas in Baſilicæ principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon cathedralium Eccleſiarum Brandeburgen. Miſnen. & Meſpergen. valuis & affigi & publicari volumus. Decernentes, quod earundem literarum publicatio ſic facta, ſupradictum Martinum, omneſque alios & ſingulos prænominatos, quos literæ huiuſmodi quomodolibet concedunt, perinde arctent, ac ſi literæ ipſæ die affixionis & publicationis huiuſmodi, eis perſonaliter lectæ, & intimatæ forent, cum non ſit veriſimile, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Clauſula derogatoria.

§. 20. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſeu ſi ſupradictis omnibus & ſingulis, vel eorum alicui, aut quibuſvis aliis à Sede Apoſtolica prædicta, vel ab ea poteſtatem habentibus, ſub quavis forma, etiam confeſſionali, & cum quibuſvis etiã fortiſ-

simis clausulis, aut ex quavis causa, seu grandi consideratione, indultum vel concessum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto huiusmodi mentionem, eiusdem indulti tenores, causas, & formas, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, ita vt omnino tollatur, præsentibus pro expressis habentes.

Sanctio pœnalis. §. 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, reiectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis concessionis, condemnationis, subiectionis, excommunicationis, & anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 8. die 16. Iunij. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimo, xvij. Kalen. Iulij Pontificatus nostri Anno octauo.

XLI. Damnatio & excommunicatio Martini Lutheri hæretici, & eius sequacium.

Errorum eiusdem Martini damnationem, habes in const. præcedente.

Edita An. D. 1521. *LEO EPISCOPVS,*
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. DEcet Romanum Pontificem, ex tradita sibi diuinitus potestate, pœnarum spiritualium, & temporalium, pro meritorum diuersitate dispensatorem constitutum, ad reprimendum nefarios conatus peruersorum, quos noxiæ voluntatis adeo deprauata capriuat intentio, vt Dei timore postposito, canonicis sanctionibus, mandatisque Apostolicis neglectis, atque contemptis, noua & falsi dogmata excogitare, ac in Ecclesia Dei nefarium schisma inducere, aut schismaticis ipsis inconsutilem Redemptoris nostri tunicam, orthodoxæque fidei vnitatem scindere satagentibus, fauorem præbere, assistere, adhærereque non verentur, ne Petri nauicula, sine Gubernatore, & remige nauigare videatur, contra tales, eorumque sequaces, acrius insurgere, & exaggeratione pœnarum, & alias opportuno remedio ita prouidere, ne iidem contemptores in reprobum sensum dati, illisque adhærentes, falsis commentis, ac subdolis eorum malitiis simplicem turbam decipiant, ac in eundem errorem & ruinam secum trahant, ac velut morbo contagioso contaminent, & ad maiorem ipsorum damnatorum confusionem, omnibus Christi fidelibus publice ostendere, ac palam declarare, quam formidabilium censurarum, & pœnarum illi rei existant, ad hoc, vt ipsi sic declarati & publicati, confusi tandem & compuncti, ad cor suum redire, & ab eorumdem excommunicatorum, & anathematizatorum prohibita conuersatione, & participatione, ac etiam obedientia, se penitus subtrahant, vt diuinam vltionem euadant, illorumque damnationis participes minime fiant.

Hic Pont. adidit contra Lutherū const. præcedentem. §. 1. Sane alias, cum quidam falsi fidei cultores, mundi gloriam quærentes, &c.

Omittitur residuum huius narratiuæ, quoniam tota bulla est quæ immediate præcedit.

Post cuius publicationē multi illius sequaces ad fidem Catholicam cōuersi sunt. Lutherus autem peiora commisit, & sequaces multos habuit. §. 2. Cum autem, sicut accepimus, licet post literarum affixionem & publicationem post elapsum termini, seu terminorum huiusmodi in literis per nos præfixi huiusmodi seu præfixorum (quos quidem terminos elapsos fuisse & esse omnibus Christi fidelibus & per præsentes significamus, & fidem facimus) nonnulli ex eis, qui eiusdem Martini errores secuti fuerunt, ipsarum literarum ac monitionum, & mandatorum nostrorum notitiam habentes, spiritu sanioris consilij ad cor reuersi, errores suos confitentes, & hæresim in manibus nostris abiurantes, & ad veram fidem catholicam se conuertentes, absolutionis beneficium, iuxta facultatem eisdem nuntiis desuper concessam obtinuerint, & in nonnullis ciuitatibus, & locis dictæ Alemaniæ, libri, & scripturæ dicti Martini iuxta mandata nostra publice cremati fuerint, tamen ipse Martinus (quod non sine graui animi molestia, & mentis nostræ perturbatione referimus) in reprobum sensum datus, non solum errores suos infra præmissum terminum reuocare, & de reuocatione huiusmodi nos certiores facere, seu ad nos venire contempsit; verum tanquam petra scandali peiora prioribus contra nos & hanc sanctam Sedem, & fidem Catholicam scribere & prædicare, & alios ad hoc inducere non est veritus, propter quod, sicut ipse iam hæreticus est declaratus, ita & alij etiam non paruæ auctoritatis & dignitatis, propriæ suæ salutis immemores, ipsius Martini pestiferam hæreticorum sectam publice & notorie sequentes, eique palam & publice auxilium, consilium, & fauorem subministrantes, ipsumque Martinum in suis inobedientia & contumacia confouentes, & alij publicationem dictarum literarum impedientes, pœnas in dictis nostris literis contentas damnabiliter incurrerunt, & hæretici merito sunt habendi, atque ab omnibus Christi fidelibus euitandi, dicente Apostolo, Hæreticum hominem, post vnam; & secundam correctionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.

Martinum idē & eius sequaces anathematis & aliis pœnis incurrisse decernit. §. 3. Vt igitur cum Martino & aliis hæreticis excommunicatis, & anathematizatis, & maledictis merito copulentur, & sicut in delinquendo dicti Martini pertinaciam sequuntur, ita pœnarum & nominis participes fiant, secumque Lutherani vocem, & debitas portent pœnas, cum præmissa adeo manifesta, & notoria sint effecta, & permanentes, ita vt nulla probatione aut monitione vel citatione indigeant, prout sic fore decernimus & declaramus. Martinum & alios, qui eundem Martinum in suo prauo, & damnato proposito obstinatum sequuntur, ac etiam eos, qui eum etiam præsidio militari defendunt, custodiunt, & propriis facultatibus, vel alias quomodolibet sustentare non verentur, ac auxilium, consilium, vel fauorem, quovis modo præstare & subministrare præsumpserunt, & præsumunt, quorum omnium nomina, & cognomina, & qualitates, etsi quavis celsa vel grandi præfulgeant dignitate, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, ac in illorum publicatione vigore præsentium facienda nominatim exprimi possent, decernimus; excommunicationis, & etiam anathematis, necnon maledictionis æternæ, & interdicti, ac in eos, & eorum descendentes dignitatum, honorum, & bonorum, priuationis, & inhabilitationis ad illa, necnon bonorum confiscationis, & criminis læsæ Maiestatis & alias sententias, censuras, & pœnas, etiam in hæreticos à canonibus inflictas in dictis literis contentas damnabiliter incidisse.

Interdictum Ecclesiasticū apponit. §. 4. Ciuitates quoque, terras, castra, oppida, & loca, in quibus tunc pro tempore fuerint, & ad quæ eos declinare contigerit, ac quæ in illis sunt, ac alias etiam cathedrales & metropolitan. monasteria, & alias religiosa & pia loca, etiam exempta, & non exempta, quocumque Ecclesiastico interdicto supposita esse, ita vt illo durante, illis, prætextu cuiusvis indulti Apostolici, præterquam in casibus à iure præmissis, & in illis, non alias quam ianuis clausis, ac excommunicatis, & interdictis exclusis, nequeant missæ & alia diuina officia celebrari, Apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus, illosq; pro excommunicatis, & anathematizatis, maledictis, interdictis, priuatis, & inhabilibus, vbicumque locorum denuntiari, & publicari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius euitari præcipimus & mandamus.

Illosque à Prælatis excommunicatos publicari mandat. §. 5. Et vt in omnibus tantū in Dei Ecclesiæ suæ vilipendium Martini & sequacium & aliorum inobedientium obstinatæ temeritatis audacia innotescat, ne morbida pecus gregem inficiat, parsque syncera ad infectionem trahatur, vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, patriarchalium, metropolitan. cathedralium,

chedralium,& collegiatarum Ecclesiarum prælatis, capitulis,& personis Ecclesiasticis, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium religiosis exemptis, & non exemptis vbilibet constitutis,in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommonicationis latæ sententiæ pœnis, mandamus,quatenus ipsi & quilibet eorum,si & postquam vigore præsentium requisiti fuerint, infra tres dies, quorum vnum pro primo,& alium pro secundo,& reliquum pro tertio & peremptorio termino, ac canonica monitione præmissa assignamus, eosdem Martinum, & alios excommunicatos, anathematizatos, maledictos & hæreticos declaratos, aggrauatos, interdictos, priuatos, & iohabiles, & in præsentium executione nominatos in eorum Ecclesiis,Dominicis, & aliis festiuis diebus(dum maior inibi populi multitudo conuenerit ad diuina)cum Crucis vexillo, pulsatis campanis, & accensis candelis, ac demum extinctis, & in terram proiectis, & conculcatis, cum trina lapidom proiectione, aliisque cæremoniis in similibus obseruari solitis, publice nuncient, & faciant, & mandent ab aliis nuonciari, & ab omnibus Christi fidelibus arctius euitari. Ad maiorem insuper præfati Martini, aliorumque hæreticorum supradictorum adhærentium & sequaciom, & fautorum confutationem, in virtote sanctæ obedientiæ, mandamus omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, vt sicut ipsi, ad sedandum schismata, auctore Hieronymo, constituti fuerunt, ita nunc, vrgente necessitate, provt eorum incumbit officio, constituant se murum pro populo Christiano, non tacendo tanquam canes muti non valentes latrare, sed incessanter clamando, & exaltando vocem & prædicando, & prædicari faciendo verbum Dei, ac veritatem fidei Catholicæ, contra damoatos articulos, & hæreticos supradictos.

Et contra Martini hæreses ardenter prædicari iubet.

§. 6. Necnon omnibus, & singulis parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac religiosis quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, exempris & non exemptis, vt præmittitur, similiter in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt sicut ipsi nubes à Domino constituti sunt, ita spiritualem imbrem in pupulo Dei seminare, & contra supradictos articulos, vt præfertur, damnatos, sicut etiam eorum incumbit officio, publice publicare non vereantur. Scriptum est enim, quod perfecta charitas foras mittit timorem. Vos igitur, & vestrum singuli onus tam meritorij negotij deuota mente suscipientes, vos in illius executione sic solicitos, ac verbo, & opere studiosos, atque diligentes exhibeatis, quod ex vestris laboribus, diuina nobis fauente gratia, sperati fructus aduenient, ac per sollicitudinem nostram, quæ causas pias gerentibus pro retributione debetur, palmam gloriæ, non solum consequi mereamini, verum etiam apud nos & Sedem prædictam non immerito valeatis, de exacta diligentia vestra vberius commendari.

Formam publicationis præscribit.

§. 7. Verum quia difficile foret præsentes declarationis, & publicationis literas ad præsentiam, & personam propriam Martini, & aliorum declaratorum, & excommunicatorum huiusmodi personaliter deducere, propter eis fauentiom potentiam, volumus, vt affixio, & publicatio præsentium literarum in valuis duarum cathedralium seu metropolitan. aut vnius cathedralis, & alterius metropolitanæ in dicta Alemania consistentium Ecclesiarum, per vnum ex Nunciis nostris ibidem existentibus facta, ita eos liget & arctet, Martinumque & alios declaratos, damnatos huiusmodi, demonstret in omnibus, & per omnia ac si eis, & eorum cuilibet personaliter, intimatæ, & præsentatæ fuissent.

Transumptis credi declarat.

§. 8. Et quia etiam difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferre, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod earum transumptis, sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici, seu ex Nunciis nostris prædictis munitis, & manu alicuius publici Notarij subscriptis vbique stetur, provt præsentibus originalibus literis staretur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Quibuscumque non obstan.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in prioribus literis nostris prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, præcepti, mandati, assignationis, voluntatis, & decreti, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 8. die 3. Ianu.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo, tertio Nonas Ianuar. Pont. nostri octauo.

XIII.

Institutio Tertiæ Regulæ, pro Fratribus, & Sororibus Tertij Ordinis S. Francisci Assisiensis, de Pœnitentia nuncupatis, sub tribus votis essentialibus in communi viuentibus.

Tertiam Regulam huiusmodi B. Franciscus constituerat pro sæcularibus, vt videre est sup. in const. 2. Nicol. IV. Supra montem. Sed cum aliqui religiose viuentes, illi regulæ se addixissent, ideo hoc Pont. eam illis accommodauit, vt hic legitur. Quos tamen Pius V subiecit Prælatis Ordinis Fratrum de Obseruantia in const. 63. Ea est. Et hanc subiectionem declarauit Six. V. in const. 28. Romani. Ac de electione Prælatorum huius Tertij Ordinis habemus constit. 33. Clem. VIII. Decet. Qui in alia sua const. 51. illius priuilegia confirmauit. Et tandem Prouinciam Dalmatiæ, & Iustinopolitanen. Vicario generali subiecit in const. 91. Pro nostri.

Alia autem quæ totum Ordinem S. Francisci respiciunt, indicaui vobis sup. in const. 5. Honor. III. Solet.

L E O P A P A X.

Edita An. D. 1521.

Dilectis filiis Fratribus, & Sororibus Tertij Ordinis B. Francisci sub tribus votis essentialibus in Congreg. viuentibus.

Exordium.

INter cætera nostro regimini credita, ea nos potissime sollicitos reddunt, per quæ frenatis mundi carnisque concupiscentiis, innocentiæ, primæque pacis celitus tranquillus status ad suam primæuam reduci cognoscitur originem.

Nic. IV. regulam Tertij Ordinis à B. Francisco editam confirmauit in sua const. citata sub.

§. 1. Dudum siquidem huius gratia Nicolaus Papa IV. prædecessor noster, Tertiam Regulam B. Francisci, quam de Pœnitentia appellauit, per quam almus Confessor, homines vtriusque sexus fideles, Spiritu Dei plenus salutare contendebat, confirmauit, & approbauit.

Cui Ordini non solum sæculares se addixerunt, sed etiam regulares.

§. 2. Verum quia temporis decursu spirante illo Spiritu sancto, non solum viri coniugati, mundique huius incolæ, pro quibus à Francisco præfata Tertia Regula edita fuerat, verum etiam innumeratum Virginum Chori, tribus essentialibus, & à quibusdam etiam clausulæ, nostra auctoritate assumptæ, votis, constructisque Monasteriis quamplurimis, non sine militantis Ecclesiæ fructu multiplici, & ædificatione præfati Tertij Ordinis iugo, sua colla subdiderunt.

Hic ideo Pont. illam regulam pro illis regularib. accommodat.

§. 3. Et quoniam in dicta Tertia Regula, quædam maritatis accommoda, cælibi vero, virgineoque statui sub huiusmodi Tertia Regula Domino famulantibus nullatenus decentia innectuntur, ob quod castrorum animorum nitidi affectus ac iuxta Domini voluntatem, pretiosum à vili separantes, eandem Tertiam Regulam in modum qui sequitur distinctam, de nouo confirmamus, & approbamus, ac vobis, & successoribus vestris, seruandam transmittimus, cuius tenor sequitur, & est talis.

De Nouitiorum, seu Nouitiarum ingressu. Cap. I.

De Nouitiorum receptione. Ad hoc ut la

FRatres, seu Sorores ad hunc Tertium Ordinem recipiendi, debent esse fideles, Catholici, de hæresi non suspecti, in obedientia Rom. Ecclesiæ firmi, matrimonio non

denda est ib- stu, 71. Sixt. V. Cum de, & ibi not.

non ligari, debitis expediti, corpore sani, animo prompti, nulla vulgari infamia maculati, cum proximis reconciliati. Et de iis omnibus, antequam recipiantur, ab eo qui recipiendi habet facultatem, sunt diligenter examinandi.

De his, quæ habent promittere Fratres, & Sorores in Professione huius Tertiæ Regulæ. Cap. II.

Habitus Fratrum, & Sororum, & forma professionis.

FRatres, & Sorores, postquam per vnum integrum annum habitum probationis detulerint (qui de vili panno, arbitrio Visitatoris esse debet) si conuersatio laudabilis fuerit apud Conuentum in quo quis, vel quæ habitum probationis portauerit, de consilio dicti Conuentus, ad professionem dicti Ordinis recipiatur. In qua Professione promittat seruare mandata Dei, ac satisfacturum de transgressionibus, quas facere posset in futurum contra hanc Tertiam Regulam, vbi à Prælatis requisitus fuerit, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.

De Ieiunio Cap. III.

Ieiunio.

FRatres, & Sorores, perpetuis temporibus, feria secunda, quarta, sexta, & Sabbato (excepto Dominicæ Natiuitatis festo) carnes non comedant. Et à festo omnium Sanctorum vsque ad Resurrectionem Domini, omni feria quarta, & sexta ieiunare teneantur. Ac similiter qualibet sexta feria totius anni. Item à festo B. Martini, vsque ad Natiuitatem Domini ieiunent quotidie, inuncta Quadragesima vniuersalis Ecclesiæ, vsque ad Resurrectionem Domini, quam tamen à Quinquagesima incipere debent. Diebus vero, quibus non ieiunatur, bis tantum die duntaxat comedant. Excepto quod a festo Paschæ vsque ad mensem Octobris, laborantes pœnoso, seu graui labore, ter in die refici poterunt, ieiuniorum semper diebus exceptis. Poterunt autem itinerantes, infirmi, debiles, tempore necessitatis ieiunium soluere.

De diuino officio, & oratione. Cap. IV.

Silentio, confessione, & communione.

FRatres, & Sorores in Ecclesia seruent silentium, præsertim quando Missa celebratur, vel sermo Dei proponitur. In aliis verò locis, seruent quod per suos Superiores circa silentium illis fuerit ordinatum. Debent etiam quolibet die in sacro, intra se, & Deum, cogitare quid fecerint, dixerint, vel cogitauerint. Quolibet autem die (si potuerint commode) debeant audire Missam. Et procurare debent, quod habeant virum religiosum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat, & eos ad pœnitentiam, & virtutes inducat. Illi autem, vel illæ, qui vel quæ horas canonicas sciunt per se dicere debent horas canonicas secundum vsum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ persoluere. Qui verò horas canonicas nesciunt dicere, dicant duodecim Pater noster pro matutino, & pro qualibet aliarum horarum septem, addito Gloria Patri in fine cuiuslibet Pater noster, addito etiam Credo, & Miserere mei Deus in principio Primæ, & Completorij. Et quia præmissa nesciunt, ter Pater noster, pro pœnitentia dicere debeat. Quoties autem prandium, vel cibum sumunt, gratias Deo reddere debent. De Confessione verò Sacramentali, & sacra communione sumenda, seruabunt ordinationem Nicolai Papæ Quarti, quod ter in anno confiteantur, atque communicent, vel etiam Statuta à suis Superioribus super hoc ordinata.

De Prælatorum, & officiorum ordinatione. Cap. V.

Officiorũ ordinatione, & subiectione Ordini Fratrum Minorum.

Tu intellige de Obseruantia ex constit. 51. Clem. viij. Ratio.

QVælibet domus, si Monesterium virorum fuerit, habebit Superiorem istius fraternitatis, qui Minister localis appellabitur. Si verò mulierum, Mater dicetur. Et eligentur per suos Conuentus, vel instituentur per suos Prouinciales Superiores, seu Visitatorem Generalem. Ita tamen, quod nullus sit perpetuus, sed certi temporis. Qui Ministri, & Matres obedient per omnia, quæ ad præsentem Regulam spectant, Prouincialibus Ministris Ordinis Minorum B. Francisci, & Visitatoribus deputatis ab ipsis Ministris, quamdiu in dictis officiis fuerint. Quo verò ad alia officia intra domum, seruabunt statuta sua.

De modo interius, exteriusq; conuersandi. Cap. VI.

Qualitate vestium, & conuersatione.

CVm Fratres, & Sorores huius fraternitatis dicantur de Pœnitentia, oportet eos ab omni curiositate, tam in vestibus, quam in aliis quibuscumque abstinere. Et iuxta Apostolicum Principis B. Petri salubre consilium, depositis certis vanis huius sæculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, nisi solum humile, & necessarium tegumentum corporis sui. Debent etiam ab accessu Curiarum Principum, Dominorum, vbi mollia huius mundi (Domino testante) habentur, omnino cauere. Nec vllo vnquam tempore choreis, ludis, iocis, & aliis histrionum vanitatibus interesse. Debent quoque esse parci in verbis, & locutionibus, quæ raro sine peccato multiplicantur. Et super omnia ab omni mendacio, & iuramento quocumque iuxta mandatum Domini, nisi pro pace, fide, calumnia, & testimonio perhibendo, cauere debent. Et omni die in sero, inter cætera, debent examinare se, si vel mendacium, vel iuramentum aliquod fecerint, & pro quolibet, ter Pater noster dicere debent.

De visitatione, & cura infirmorum. Cap. VII.

Infirmis.

SI quis Frater, vel Soror, huius Fraternitatis in infirmitate ceciderit, Minister domus, vel Mater, semel quotidie, per se, vel per aliam personam visitare teneatur. Et de bonis communibus, omnia necessaria diligenter faciat illi ministrari. Teneatur quoque infirmum vel infirmam monere ad pœnitentiam acceptandam, veramque conuersionem ad Deum faciendam, mortis propinquitatem & iudicij diuini districtionem, simulque diuinam misericordiam proponendo.

De visitatione, quam Prælati debent facere circa Fratres & Sorores. Cap. VIII.

Visitatorum officio.

MInister Prouincialis Fratrum Minorum, vel Visitator eiusdem Ordinis, cui ipse commiserit, visitabit quolibet anno, semel tantum in qualibet domo, cum præsentia seniorum. Et facta visitatione, non debet intrare officinas, nec alia interiora Sororum. Ipse autem Visitator nunquam solus maneat, & separatus cum aliqua Sorore. Debent autem Ministri, & Matres, dicere Visitatori defectus, qui correctione indigent. Similiter, & alij Fratres, & Sorores. Et si aliqui fuerint incorrigibiles iudicio discretorum, vel discretarum domus, tanquam morbida pecora eiiciantur de Congregatione.

De officiis mortuorum. Cap. IX.

Defunctorum exequiis.

POstquam aliquis Frater, vel Soror ab hac luce migrauerit, curabit Minister, seu Mater quod eius exequiæ solemniter celebrentur. Quibus exequiis omnes Fratres, vel Sorores alicuius domus, vbi ipsum mori contigerit personaliter interesse debent, nec recedere, donec corpus traditum sit sepulturæ. Et pro anima cuiuslibet defuncti, vel defunctæ, infra octo dies, quilibet Sacerdos vnam Missam, scientes autem psalterium, quinquaginta psal. nescientes verò psalt. quinquaginta Pater noster, & in fine cuiuslibet, requiem æternam dicere teneantur. In fine autem cuiuslibet anni, seu infra quemlibet annum, quilibet Sacerdos tres Missas pro defunctis, scientes psalterium, vnum psalterium; nescientes verò psalterium, centum Pater noster, cum Requiem æternam, in fine cuiuslibet dicere debeant. Et circa ista officia pro defunctis, & alia officia diuina, in præsenti serie annexa, cura imponitur Ministris, & Matribus, vt fideliter persoluantur.

De obligatione contentorum in Regula. Cap. X.

Obligatione ad tria vota & clausura.

OMnia & singula id præsenti Regula contenta, sunt, consilia ad facilius saluandas animas Viatorum

Et

Et nolla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel diuino iure aliquis alias esset obligatus. Obligantur tamen Fratres, & Sorores facere pœnitentias sibi à Superioribus impositas, quando super hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria Vota essentialia, paupertatem, nihil habendo in speciali, castitatem, quia post votum non possunt matrimonium contrahere, nec sine transgressione, vitiis carnis se immiscere, & obedientiam, quantum ad illa, sine quibus non potest commode ista fraternitas manuteneri. Tenentur etiam ad clausuram seruandam illæ quæ ipsam expresse seruare vouerint, quod omnibus, & singulis Conuentibus concedimus, dummodo hospitalitas, & charitas quam exercere solent apud infirmos, nullum cum honestate patiatur detrimentum.

Dat. P. An 8. die 20. Ianu.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima Ianuarij millesimo quingentesimo vigesimoprimo, Pont. nostri anno octauo.

XLIII. Inquisitorum hæreticæ prauitatis iurisdictio, per adiunctionem alterius Iudicis, non intelligatur diminuta, in proceden. contra Maleficos sortilegos à fide apostatantes, &c. Et officiales sæculares, absque processus reuisione, eorum sententias exequantur.

Quoad secundam partem idem statuit Innoc. VIII. sup. in sua const. 10. Dilectus, vbi notaui.

Edita An D. 1521.

LEO EPISCOPVS,
Vniuersis & singulis locorum ordinariis ac hæreticæ prauitatis inquisitoribus in dominio Venetorum consistentibus. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Hic Pont. ex causis hic expressis, dedit Nuntium suũ in adiunctum Inquisitoribus.

HOnestis petentium votis libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis. Alias ad petitionem dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Dominij Venetorum, cum in Brixiensi & Bergomensi ciuitatibus, & diœcesibus, quoddam hominum genus perniciosissimum ac damnatissimum labe hæretica, per quam suscepto renuntiabatur baptismatis sacramento, Dominum abnegabant, & satanæ, cuius consilio seducebantur, corpora, & animas conferebant, & vt illi rem gratam facerent, in necandis infantibus passim studebant, & alia maleficia & sortilegia exercere nõ verebantur, quod ita factum esse videbatur, vt ad eorum errorem extirpandum opportuna adhiberentur remedia. Volentes etiam eiusdem generis nonnullos indicibili pœna obstinate vitam potius perfide amittere, quam errorem suum cognoscere maluisse, & propterea de rigoroso nimium (vt dicebatur) vestri ordinariorum contra talca processu dubitantes, Venerabilem fratrem Episcopum Polensem, nostrum & Apostolicæ Sedis apud eosdem Ducem & dominum Nuntium vobis adiungendum duximus, cum facultate per se vel alium, seu alios processus per vos habitos, seu factos, examinandi, & reuidendi: & si vos Inquisitores processus prædictos, rite, & recte, ac iuxta formam iuris habitos fecissetis, contra tale hominum damnatorum genus vnà vobiscum, procedendi & inquirendi, necnon procuratores, & aduocatos, scribas, cæterosque ad Inquisitionis præfatæ exercitium necessarios, & opportunos, officiales, & ministros cum competentibus salariis deputandi, & homines prædictos (quod redire ad Ecclesiæ vnitatem vellent) clementer suscipiendi, eisque pœnitentiam salutarem iniungendi, & eos absoluendi, etiam in vtroque foro, & incorrigibiles condemnandi, & brachio sæculari tradendi, cæteraque quæ vos, de iure vel consuetudine facere possetis, & deberetis, faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi, prout in literis desuper confectis continetur.

Illi nonnullos condemnarũt & Curia sæculari prætoris Brixia tradiderunt, cui veneti iniu-

§. 1. Cum igitur commissionis huiusmodi vigore præfatus Nuntius, venerabilem Fratrem Episcopum Iustinopolitanum in partibus illis commorantem, ad præmissa vnà vobiscum pertractanda, & exequenda subdelegauerint, vosque & ipse subdelegatus in valle Communica Brixiensis diœcesis vbi maxime huiusmodi damnati generis homines vigent, & pullulant, processeritis, ac nonnullos culpabiles repertos, & curiæ sæculari tradendos, necnon iam condemnatos habueritis, videtur, quod per Venetorum Collegium Prætori Brixiensi mandatum fuerit, ne sententias huiusmodi exequeretur, & vobis & eisdem subdelegato, ne ad executionem illarum procederetis inhiberet, prout inhibitum fuit: ac expensas & salaria pro huiusmodi inquisitionis negotio necessaria submoueret, & detraheret: necnon processus contra culpabiles prædictos habitos & factos eis transmitteret, seu transmitti faceret: &, quod deterius est, subdelegatum prædictum ad coram eis in ciuitate Venetiarum comparendum cogeret, & compelleret, prout coactus & compulsus fuit.

& curarũ: & processus reddere voluerunt.

Hic ergo Pont. Inquisitorum iurisdictionẽ liberam esse decernit, non obstante dictione adiuncti.

§. 2. Et quia propter dictas literas, in quibus dictus Nuntius adiunctus fuit, ab aliquibus hæsitatur, an propter hoc facultas vestra diminuta existat, ita quod prout ante datas huiusmodi literas potuistis, procedere non possitis, indecensque & contra iuris & sacrorum canonum dispositionem, ac Ecclesiasticam libertatem existat, laicos de personis & causis Ecclesiasticis se intromittere, nolleque iniunctam à vobis executionem adimplere nisi processibus, ac sententiis per eos visis, & examinatis, ac si ipsi in clericos, causasque Ecclesiasticas superioritatem & iurisdictionem haberent, cum tamen in clericos, causasque huiusmodi laicis nulla facultas attributa sit, quos obsequendi & exequendi maneat necessitas, non auctoritas imperandi, propter quod inter Christi fideles non modicum surgit scandalum. Nos igitur, ne quod ad salutem animarum, & dictarum causarum faciliorem expeditionem introductum est, in damnum & perniciem conuertatur, & propterea ob diuturnitatem temporis infelices animæ huiusmodi peccatis magis grauentur, & ad omne circa hoc dubium tollendum, vos prout ante datas dictas literas, de iure & consuetudine seu priuilegio procedere poteratis, necnon etiam contra maleficos, & sortilegos, ac à fide apostantes, prout criminis postulauerit qualitas, procedere posse, & debere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, decernimus, & declaramus.

Omnesque monens mandat, vt sententias Inquisitorum exequantur absque visione processuum.

§. 3. Vobis committentes, & mandantes, vt eosdem Venetos, & illorum Ducem, ac officiales suos, ne ipsi vlterius in huiusmodi causis se intromittant, sed quod iniunctas sibi executiones & forte iniungendas, postquam requisiti fuerint, sine aliqua processuum, per dictos Ecclesiasticos iudices factorum, visione vel examinatione prompte exequantur, moneatis, & hortemini. Et si hoc facere neglexerint vel recusauerint, vos eos per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita compellatis.

Quibuscũque non obstantibus.

§. 4. Præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutisque & consuetudinibus, ciuitatum & diœcesum prædictarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. A 8. die 15. Febr.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimoquinto Februarij, millesimo quingentesimo vigesimo primo, Pont. nostri Anno Octauo.

Quod Fratres Milites, & aliæ personæ, Militiæ de Alcantara, eiusque Ecclesiæ perfruantur omnibus indultis, priuilegiis & indulgentiis concessis, & concedendis, Ordini Cisterciensi S. Benedicti. XLIV.

Consonat quoad Alios huius Ordinis milites de Calatraua const. 16. Iul. II. sup. Romani. Et vide notanda inf. in const. 30. Greg. XIII. Romani.

LEO EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1521.

Exordium.

IN Apostolicæ dignitatis specula, licet immeriti disponente domino constituti, sub regularibus institutis studio piæ vitæ vacantibus, simulque pro fidei Catholicæ defensione militantibus personis, Apostolici fauoris

præ

præsidium libenter impendimus, ac in his quæ solidationem status, & profectum, ac tranquillitatem earundem respiciunt, nos eis gratiosos, & fauorabiles exhibemus prout etiam Catholicorum Regem vota exposcunt, & id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Hon. III. exemptionem à decimis concessit ordini Cistercien. in sua const. 6.

§. 1. Dudum siquidem postquam fel. rec. Honorius Tertius, vt nullus ab Abbate monasterij Cistercien. Cabilonen. diœc. eiusque Coabbatibus, & Prioribus, ac Abbatissis, & aliis personis Cistercien. Ordinis, de terris suis ante generale Concilium acquisitis, etiam de illis quas aliis concesserant excolendas, & ad eos redierant, si, eas manibus propriis, aut sumptibus colerent decimas exigere aut extorquere præsumerent, inter alia per quasdam eius literas inhibuerat.

Mart. V. amplianit, in eius const. 8. Militanti.

§. 2. Et Martinus V. Rom. Pont. prædecessor noster, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, & aliis Ecclesiarum Prælatis ad quos suæ super hoc confectæ literæ peruenirent; expresse mandauerat, vt Cistercien. ac alios Abbates, Priores, & Abbatissas, ac omnia & singula monasteria, necnon singulas personas dicti Ordinis, tunc præsentia & futura vbicumque pro tempore existentia, à præstatione decimarum, tam de possessionibus habitis ante & post Concilium antedictum, quam ex tunc de cætero habendis, & tam de noualibus, siue ante siue post huiusmodi Concilium acquisitis, & acquirendis, quæ propriis sumptibus colebant, & colerent, quam alias quomodocumque, & qualitercumque excolerentur, necnon de hortis, virgultis, & piscarionibus suis, ac de suorum animalium nutrimentis singuli ipsorum omnino seruarentur immunes.

Sixtus IV. (cuius const. hic non habe.) similiter ampliauit.

§. 3. Piæque mem. Sixtus Papa Quartus etiam prædecessor noster literas, tam Honorij, quam Martini prædecessorum huiusmodi, ratas, & gratas habens, illas cum omnibus in eis contentis clausulis, per alias suas literas confirmauit, & approbauit, ac iuxta omnimodas earum continentias, & formas in sui roboris firmitate perpetuo subsistere decreuit. Et nihilominus Cistercien. ac omnes & singulos alios Abbates, Priores, Abbatissas, necnon omnia & singula monasteria, tunc præsentia & futura vbilibet existentia, singularesque personas Ordinis huiusmodi à præstatione decimarum, tam de possessionibus habitis, ante & post Concilium prædictum, quam ex tunc de cætero habendis, & tam de noualibus, siue ante, siue post Concilium huiusmodi, acquisitis, & acquirendis, quæ propriis sumptibus excolebant, & excolerent, quam alias quomodocumque & qualitercumque excolerentur, & etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis eatenus decimas perceperat, necnon de hortis, virgultis, piscationibus suis, & de nutrimentis ipsorum animalium, auctoritate prædicta penitus exemit, & exempta fore perpetuo decreuit.

Innoc. VIII. (& cuius const. non habes) Monasteria & alia loca illius Ordinis sub Apostolicæ Sedis protectione reseruauit, & à iurisdictione Ordinariorũ, ac solutione collectarum & subsidiorũ exemit.

§. 4. Et deinde recol. mem. Innocentio Papæ VIII. similiter prædecessori nostro pro parte nunc Cistercien. & aliorum Monasteriorum Ordinis huiusmodi Abbatum, ac dilectorum filiorum conuentuum eorundem exposito, quod licet ipsi, eorumque ac dicti Ordinis Monasteria, tam virorum quam mulierum, & alia religiosa loca, & membra, ac Monachi, Moniales, vassalli, subditi, & eis seruientes, bonaque omnia iamdudum per plures Rom. Pont. nostros, tunc ipsius Innocentij prædecessores, sub ipsorum Pontificum, & Apostolicæ Sedis protectione recepti, & recepta, ac eidem Sedi immediate subiecti & subiecta, necnon ab omni iurisdictione ordinaria, exempti, & exempta forent, eisque concessum esset, vt ad præstationem aliquarum collectarum, seu subsidiorum, aut procurationum, & aliarum exactionum per Sedem prædictam, seu eius Legatos, aut ipsorum auctoritate, & mandato, seu per locorum ordinarios, vel alios pro tempore impositorum non tenerentur, tamen ipsi desiderabant, pro maiori eorum quiete, receptioni, subiectioni, & aliis præmissis robur suæ approbationis adiici, illaque omnia per eundem Innocentium prædecessorem de nouo concedi. Idem Innocentius prædecessor, Abbatum, & Conuentuum prædictorum in ea parte supplicationibus inclinatus receptionem, subiectionem, & exemptionem prædictas, ac singulas desuper confectas literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, auctoritate Apostolica ex certa scientia per suas literas approbauit, ac perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur obtinere decreuit. Et nihilominus pro potiori cautela, monasteria, loca, membra, & bona omnia huiusmodi, tunc præsentia, & futura, Abbates, Abbatissas, Monachos, moniales, vassallos, subditos, & seruientes præfatos, tunc & pro tempore existentes, auctoritate, & scientia similibus sub Beati Petri, & sua protectione suscepit, & ab omni iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, dominio, & potestate Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Iudicum ordinariorum, eorumque Vicariorum, & officialium quorumcumque, necnon à solutione subsidiorum etiam charitatiuorum, procurationum, collectarum, & aliarum exactionum huiusmodi pro tempore imponendorum perpetuo prorsus exemit, & totaliter liberauit, ac eisdem Innocentio prædecessori, & Sedi immediate subiecit, ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Iudices, Ordinarij, Vicarij, & officiales Prælati, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua ageretur, vbicumque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipsa consisteret, nullam in eos, aut eorum aliquem, seu monasteria, loca, membra, & bona prædicta, tanquam prorsus exemptos, & exempta iurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium, vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, & interdicti, seu quasvis alias sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas promulgare præsumerent, aut possent, vel deberent quoquo modo, nec ipsi si exempti coram illis, aut eiusdem Sedis delegatis vel subdelegatis, nisi in literis eis pro tempore directis de Innocentij prædecessoris, literis huiusmodi specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fieret, ad iudicium euocari, aut quovis modo, directe vel indirecte molestati possent, vel deberent, Decernens omnes, & singulos processus, sententias, censuras, & pœnas, quos, & quas per Archiepiscopos, Episcopos, Iudices, Ordinarios, Vicarios, & Officiales prædictos, seu eorum aliquem contra Abbates, & alios exemptos, monasteria, & loca huiusmodi etiam exempta, vt præfertur, haberi, & promulgari, necnon quicquid secus super his, ab eis vel alio quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contingeret, irrita, & inania, nulliusque roboris vel momenti, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

Et quoniam Carolus Imper. Administrator Militia de Alcantara Ordinis Cisterciensis exponit Pont. quod licet Milites ipsi viuant sub regula Cistercien. tamen reuocatur in dubium an ipsi priuilegiis Ord. Cister. gaudere debeant, cum in illis specialiter nominati non fuerint.

§. 5. Cum autem sicut charissimus in CHRISTO filius noster Carolus Romanorum Rex, in Imperatorem electus Illustris, qui etiam Castellæ, & Legionis Rex, ac Militiæ de Alcantara dicti Ordinis perpetuus Administrator per Sedem prædictam deputatus existit, tam suo, quam dilectorum filiorum vniuersorum priorum præceptorum Commendatorum nuncupatorum, Militum fratrum, & aliarum personarum dictæ Militiæ nominibus nobis nuper exponi fecit, licet Magister pro tempore existens, ac omnes, & singuli Priores, Præceptores, Milites, & fratres Militiæ huiusmodi eiusdem Ordinis professores existant, & sub eadem regula militent, & viuant; nihilominus quia in literis Honorij, Martini, Sixti, & Innocentij prædecessorum huiusmodi de dicta Militia, & illius personis, monasteriis, domibus, præceptoriis alias commendatariis nuncupatis, & locis specialis mentio facta non extitit, à nonnullis asseratur, Magistrum seu Administratorem pro tempore existentem, Priores, Præceptores, Milites, fratres, & personas, necnon monasteria, domus, & loca Militiæ huiusmodi, inhibitione, mandato, susceptione, exemptione, liberatione, & decretis prædictis ac aliis priuilegiis, necnon indulgentiis, etiam spiritualibus, ac peccatorum remissionibus eisdem Ordini, & illius Abbatibus, Monachis, & personis, necnon virorum, & mulierum monasteriis, prioratibus, & locis, per Sedem prædictam concessis, vti, potiri, & gaudere non posse; præfatus Carolus Rex, & Administrator, dictis nominibus, nobis humiliter supplicari fecit, vt Magistro, seu Administratori, Prioribus, Præceptoribus, Militibus, fratribus, & aliis personis pro tempore existen. Militiæ huiusmodi, cuius etiam claræ memoriæ Ferdinandus Aragonum, & Siciliæ Rex, ad cuius supplicationem

nonnulla

nonnulla desuper concesseramus, dum viueret perpetuus Administrator, per Sedem eandem deputatus existebat, eorumque vassallis, & seruitoribus, ac monasteriis, domibus, & aliis locis quod huiusmodi inhibitione, mandato, susceptione, exemptione, liberatione, & decretis, ac aliis priuilegiis, immunitatibus, concessionibus, gratiis, & indultis, ac indulgentiis, & peccatorum remissionibus Ordinis, ac illius Abbatissis, Prioribus, Monachis, & personis, necnon Monasteriis, prioratibus, & locis prædictis, ac eorum Ecclesiis concessis gaudere possint perpetuo concedere, ac alias in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic modo Pont. declarat eos dictis indultis gaudere. §. 6. Nos igitur qui religiosarum personarum quarumlibet præsertim sub regularibus militiis pro defensione Christianæ fidei insudantium felici successui, indemnitati, & quieti quantum Cum Deo possumus libenter consulimus, Priores, Præceptores, Milites, fratres, & personas præfatos, ac eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluen. & absolutos fore censen. huiusmodi supplicationibus inclinati eisdem Magistro, seu Administratori pro tempore existenti Prioribus, Præceptoribus, Militibus, fratribus, & aliis personis dictæ Militiæ, illorumque vassallis, & seruitoribus, etiam pro tempore existentibus, ac eiusdem Militiæ virorum, & mulierum monasteriis domibus, & locis aliis, ac in districtu eorum, & dominio ipsius Militiæ consistentibus Ecclesiis, præsentibus, & futuris, vt de cætero perpetuis futuris temporibus inhibitione, mandato, susceptione, exemptione, liberatione, subiectione, & decretis, ac litteris prædictis, & aliis in eisdem literis contentis, necnon omnibus, & singulis priuilegiis, concessionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, ac indulgentiis etiam spiritualibus, & temporalibus, ac peccatorum remissionibus dicto Ordini, illiusque Abbatibus, Prioribus, Monachis, & personis, necnon virorum, & mulierum monasteriis, prioratibus, & locis, ac illorum Ecclesiis per Sedem prædictam, & alias quomodolibet in genere concessis hactenus, & in posterum similiter in genere concedendis, perindeac si eidem Militiæ, ac illius Magistro, seu Administratori, Præceptoribus, Militibus, Prioribus, fratribus, & aliis personis, ac eorum vassallis, & seruitoribus, necnon monasteriis, domibus, & locis, eorumque ac in ipsius Militiæ districtu, seu dominio consistentibus Ecclesiis huiusmodi specialiter indulta, & concessa fuissent, vti, potiri, gaudere libere, & licite valeant.

Et etiam indulgentiis. Aduerte quod reuocatæ sunt indulgent. pro quibus porrigendæ sunt manus adiutrices à Pio V. in constit. 30. Et si dominici. §. 7. Necnon omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui Monasteriorum eiusdem Militiæ, præsentium, & futurorum, ac in ipsius districtu, & dominio pro tempore consistentibus, Ecclesias deuote visitauerint, ac pro manutentione Monasteriorum, & Ecclesiarum huiusmodi, manus adiutrices porrexerint, & alia in literis indulgentiatum Cistercien. Ordini concessis, & concedendis huiusmodi contenta, iuxta tenorem illarum adimpleuerint, vt illas indulgentias, & peccatorum remissiones quas consequuntur visitantes Ecclesias Monasteriorum, & aliorum locorum Cistercien. Ordinis huiusmodi pro quibus indulgentiæ, & peccatorum remissiones prædictæ concessæ reperiuntur, & concedentur, vt præfertur, consequantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium, de speciali gratia concedimus, & pariter indulgemus. Decernentes irritum, & inane, quicquid super præmissis, aut eorum aliquo contra Magistrum, seu Administratorem, Priores, Præceptores, Milites, fratres, personas, vassallos, seruitores, ac Monasteria, domos, & loca, necnon priuilegia, concessiones, & indulta prædicta, & in eis, vel eorum aliquo contenta à quoquam quavis auctoritate fungen. seu functuro, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria. §. 8. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Militiæ prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, ac quibusuis aliis priuilegiis, ac indultis Apostolicis Ordinum Cistercien. huiusmodi sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis efficacissimis insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis irritantibus, quam etiam decretis aliis etiam iteratis vicibus concessis, & confirmatis, quibus quatenus obstent, etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, indiuidua, & expressa mentio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, necnon omnibus illis, quæ dicti Honorius, Martinus, Sixtus, & Innocentius prædecessores, in præfatis eorum literis voluerunt non obstare, ac quacumque consuetudine introducta, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Cæterum quia difficile foret præsentes ad singula loca vbi necesse fuerit deferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides vbique, in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibita vel ostensa. *Fides transumptorum.*

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimoprimo, decimo Kal. Iulij Pontificatus nostri Anno nono. *Dat. P. An. 9. die 24. Iun.*

Henricus Octauus Rex Angliæ, titulo Defensoris Christianæ Fidei donatur, quod contra Martinum Lutherum, eiusque & aliorũ hæreses, scripsit; Et ipsos hæreticos, eorumque sequaces, prosequi profitetur. XLV.

Iste Henricus deuiauit postea à Fide Catholica, & etiam Elisabeth Regina Angliæ, vt de illo videre est inf. in const. 7. Pauli III. Eius qui. Et de ista habes in Pij V. const. 101. Regnans.

LEO EPISCOPVS, &c. *Edita An. D. 1521.*
Charissimo in Christo filio Henrico Angliæ Regi illustri, Fidei defensori, salutem, &c.

Proœmium. Ex superne dispositionis arbitrio, licet imparibus meritis, vniuersalis Ecclesiæ regimini præsidentes, ad hoc cordis nostri longe lateque diffundimus cogitatus, vt fides Catholica, sine qua nemo proficit ad salutem, continuum suscipiat incrementum, & vt ea quæ pro cohibendis conatibus illam deprimere, aut prauis mendacibusque commentis peruertere, & denegare molientium sana Christi fidelium præsertim dignitate regali fulgentium doctrina sunt disposita, continuis proficiant incrementis, partes nostri ministerij, & operam impendimus efficaces. Et sicut alij Romani Pontifices prædecessores nostri Catholicos Principes, provt rerum, & temporum qualitas exigebat: specialibus fauoribus prosequi consueuerint, illos præsertim, qui procellosis temporibus, & rabida schismaticorum, & hæreticorum feruente perfidia, non solum in fidei serenitate, & deuotione illibata sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ immobiles perstiterunt, verum etiam tanquam ipsius Ecclesiæ legitimi filij, ac fortissimi athletæ schismaticorum, & hæreticorum insanis furoribus spiritualiter, & temporaliter se opposuerunt: ita etiam nos Maiestatem tuam, propter excelsa, & immortalia eius erga nos, & hanc sanctam Sedem, in qua permissione diuina, sedemus, opera, & gesta, condignis ac immortalibus præconiis, & laudibus efferre desideramus, & ea sibi concedere, propter quæ inuigilare debeat à grege dominico lupos arcere, & putrida membra, quæ mysticum CHRISTI corpus inficiunt, ferro, & materiali gladio abscindere, & nutantium corda fidelium in fidei soliditate confirmare.

§. 1. Sane

Henricus librum scripsit contra Lutherum, & hunc Pontif. misit eius approbationem petens.

§. 1. Sane cum nuper dilectus filius Iosnnes Clerk. Maiestatia tuæ apud nos Orator in Consistorio nostro cotam venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & complutibus aliis Romanæ Cutiæ Prælatis, librum, quem Maiestas tua chatitate, quæ omnia sedulo, & nihil perperam agit, fideique Catholicæ zelo accensa, ac deuotionis erga nos, & hanc Sanctam Sedem feruore inflammata, contra ettores diuersorum hæreticorum sæpius ab hac sancta Sede damnatos, nuperque per Martinum Lutherum suscitatos, & innouatos, tanquam nobile, ac salutare quoddam antidotum composuit, nobis examinandum, & deinde auctoritate nostra approbandum obtulisset, ac luculenta oratione sua exposuisset Maiestatem tuam, paratam ac dispositam esse, vt quemadmodum veris rationibus, & irrefragabilibus sacræ scripturæ, ac sanctorum Patrum auctoritatibus notorios errores eiusdem Martini confutauerat: ita etiam omnes eos sequi, ac defensare præsumentes, totius regni sui viribus, & armia persequatur, nosque eius libri admirabilem quandam, & cœlestis gratiæ rore conspersam doctrinam, diligenter, accurateque introspexissemus, Omnipotenti Deo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, immensas gratias egimus, qui optimam, & ad omne bonum inclinatam mentem tuam inspirare, eique tantam gratiam superne infundere dignatus fuit, vt ea scriberes, quibus sanctam eius Fidem, contra nouum errorum damnatorum huiusmodi suscitatorem defenderes, ac reliquos Reges, & Principes Christianos tuo exemplo inuitares: vt ipsi etiam orthodoxæ fidei, & Euangelicæ veritati in periculum, & discrimen adductæ omni ope sua adesse, opportuneque fauere vellent.

Qui illum approbat.

§. 2. Æquum autem esse censentes, eos qui pro fidei Christi huiusmodi defensione pios labores susceperunt, omni laude, & honore afficere, volentes non solum ea, quæ Maiestas tua contra eundem Lutherum absolutissima doctrina, nec minori eloquentia scripsit, condignis laudibus extollere, ac magnificare, auctoritateque nostra approbare, & confirmare.

Titulumque defensoris fidei illi donat.

§. 3. Sed etiam Maiestatem ipsam tuam tali honore ac titulo decorare, vt nostris, ac perpetuis futuris temporibus Christi fideles omnes intelligant, quam gratum, acceptumque nobis fuerit Maiestatis tuæ munus, hoc præsertim tempore nobis oblatum. Nos qui Petri, quem Christus in cœlum ascensurus Vicarium suum in terris reliquit, & cui curam gregis sui commisit, veri successores sumus, & in hac sancta Sede, à qua omnes dignitates, ac tituli emanant, sedemus: habita super his cum eisdem fratribus nostris, matura deliberatione, de eorum vnanimi consilio, & assensu Maiestati tuæ titulum hunc, videlicet Fidei defensorem donare decreuimus: provt te tali titulo per præsentes insignimus, mandantes omnibus Christi fidelibus, vt Maiestatem tuam hoc titulo nominent: & cum ad eam scribent, post dictionem Regni, adiungant Fidei defensori. Et profecto huius tituli excellentia, & dignitate, ac singularibus meritis tuis diligenter perpensis, & consideratis, nullum neque dignius, neque Maiestati tuæ conuenientius nomen excogitare potuissemus. Quod quoties audies, aut leges, toties propriæ virtutis, optimique meriti tui recordaberis, nec huiusmodi titulo intumesces, vel in superbiam eleuaberis, sed solita tua prudentia humilior, & in fide Christi, ac deuotione huius sanctæ Sedis, à qua exaltatus fueris, fortior, & constantior euades, ac in Domino bonorum omnium largitore lætaberis, perpetuum hoc, & immortale gloriæ tuæ monumentum posteris tuis relinquere: illisque viam ostendere, vt si tali titulo, ipsi quoque insigniri optabunt, talia etiam opera efficere, præclaraque Maiestatis tuæ vestigia sequi studeant.

Et eidem atque coniugi, & descendentibus benedicit.

§. 4. Quam, provt de nobis, & dicta Sede optime merita est, vnà cum vxore, & filiis, ac omnibus, qui à te, & ab illis nascentur, nostra benedictione, in nomine illius, à quo illam concedendi potestas nobis data est, larga, & liberali manu benedicentes, Altissimum illum, qui dixit per me Reges regnant, & Principes imperant, & in cuius manu corda sunt Regum, rogamus, & obsecramus, vt eam in suo sancto proposito confirmet, eiusque deuotionem multiplicet, ac præclaris pro sancta fide gestis ita illustret, ac toti Orbi terrarum conspicuam reddat, & iudicium quod de ipsa fecimus, eam tam insigni titulo decorantes, à nemine falsum, aut vanum iudicari possit: demum mortalia huius vitæ finito curriculo, sempiternæ illius gloriæ consortem, atque participem reddat.

Sanctionem pœnalem addit contra inobedientes.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ insignitionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An 9. 5. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo, V. Idus Octob. Pont. nostri Anno nono.

Indulgentiæ Confraternitatis Rosarij Beatæ Mariæ Virginis. XLVI.

Approbationem huius antiqui ritus orandi, habes sup. in const. 18. Sixti IV. Ea qua. Approbationem verò Confraternitatum Rosarij attende sup. in const. 40. Clementis VII. Cætera autem inspice in const. 86. Pij V. & const. 21. Sixti V. lib. 2.

Edita An. D. 1520.

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Pastoris æterni, qui vt humanum genus redimeret in ara Crucis immolari non abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris, id super reliqua cordia nostri vota potissimum optamus, vt cunctos fideles quos pretiosissimi sanguinis sui aspersione, Deo Patri reconciliari curauit, quorumcumque regimen, & gubernationem Nobis commisit, ad salubria pietatis opera, & præcipue ipsius pastoris, eiusque beatissimæ ac semper Virginis intemeratæ Genetricis apud ipsum pro nobis aduocatæ, cultum, & deuotionis affectum, quibus in immarcescibiles in cœlis thesauros recondere, & cœlestis patriæ ciues effici possint frequenter inuitemus, & illa quæ propterea prouide concessa fuisse percepimus, vt firma perpetuo, & illibata persistant cum à Nobis præsertim per sæculares Principes, & alias personas Nobis, & Apostolicæ Sedi gratas, & deuotas, humiliter petitur, nostræ approbationis, & innouationis libenter adiicimus firmitatem, provt in Domino conspicimus salubriter expedire.

Confraternitas Rosarij antiquitus à B. Dominico instituta nunc renouata est in Ciuitate Coloniensi.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum, Prioris, & Fratrum domus Prædicatorum Coloniensium, nuper exhibita petitio continebat, quod olim provt in historiis legitur, à Sancto Dominico quædam Confraternitas vtriusque sexus fidelium, de Rosario eiusdem Beatæ Mariæ Virginis nuncupata, ad honorem Angelicæ salutationis instituta, & in diuersis mundi partibus prædicata fuit sequentibus signis. Sed cum ipsa Confraternitas decursu temporis fere neglecta fuisset, & in obliuionem transisset, ac anno 1475. Ciuitas, & diœcesis Coloniensis grauibus bellis premeretur, eadem Confraternitas ad laudem, & honorem præfatæ Virginis, vt Ciuitas, & diœcesis prædicta, meritis, & intercessionibus eiusdem Virginis ab eis bellis liberaretur, in Ecclesia dictæ domus innouata, & de nouo instituta fuit, cum certo modo orandi, videlicet, quod Confratres, & Sorores eiusdem Confraternitatis, tribus diebus cuiuslibet hebdomadæ, ad honorem Dei, & præfatæ Virginis, ac contra imminentia mundi pericula legerent, coniunctim vel diuisim, toties Angelicam salutationem quot sunt Psalmi in psalterio Dauidico, singulis decem salutationibus huiusmodi, orationem Dominicam semel præponendo & modum orandi huiusmodi Psalterium siue Rosarium eiusdem Beatæ Virginis vulgariter appellatum.

Cardinalis Legatus de

§. 2. Quam quidem Confraternitatem in dicta Ecclesia de nouo institutam, postmodum bonæ mem. Alexander

latere in Germania ad ratificauit.

xander Episcopus Forolimensis, tunc Apostolicæ Sedis cum potestate Legati de latere per totam Germaniam Nuntius, singulari deuotione permotus, & se in eandem Confraternitatem recipi atque conscribi volens, & petens, ad preces claræ mem. Federici Tertij Romani Imperatoris, auctoritate Apostolica approbauit, confirmauit, & ratificauit.

Confratribus que indulgentiam concessit.

§. 3. Ac omnibus & singulis vtriusque sexus fidelibus dictæ Confraternitatis, Confratribus, & Consororibus, in singulis quinque ipsius beatissimæ MARIÆ Virginis præcipuis festiuitatibus, scilicet Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Natiuitatis, Purificationis centum. Et quoties per se, vel per alium dictum Rosarium legerent, vel legi facerent, seu Sabbatis, & festiuis diebus decantationi Salue Regina quod post Completorium in dicta Ecclesia eiusdem beatissimæ Virginis, vbi dicta Confraternitas instituta exstitit, & quod ipse Nuntius antea consecrauerat, cantabatur interessent, 40. dies indulgentiarum concessit.

Sixtus IV cuius const. hic non habes, ea extendit ad omnia alia loca.

§. 4. Et post vero fel. record. Sixtus Papa Quartus prædecessor noster, accepto per eum quod Confraternitas huiusmodi in dicta Ecclesia de nouo instituta fuerat, voluit, & ordinauit, quod omnes, & singuli Confratres vtriusque sexus Confraternitatem prædictam seruantes, tam in dicta Ciuitate Coloniensi, quam & alibi vbicumque locorum, tunc & pro tempore existentes, vere pœnitentes, & confessi, qui orationem Dominicam, & salutationem Angelicam prædictam, modo præmisso dicerent in singulis Natiuitatis, Annuntiationis, Assumptionis eiusdem B. Virginis MARIÆ festiuitatibus, indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum consequerentur.

Orandique modum prædictum approbauit & indulgentias sic orantibus concessit in eius constit. cit. in rub.

§. 5. Et deinde supplicationibus tunc Ducis, & Ducissæ Britanniæ inclinatus, præfatum Psalterium, seu modum orandi eadem auctoritate approbauit, illumque tolerandum fore, ac cunctis fidelibus eo modo orare licere decreuit, & declarauit, ac vt omnes, & singuli Christi fideles ad deuotionis opera, ad dictum modum orandi frequentius inducerentur, vniuersis, & singulis Christi fidelibus modo prædicto orare volentibus, vbilibet, ac tunc, & pro tempore existentibus, pro qualibet vice qua sicut præmittitur orarent, pro qualibet quinquagena præfati Psalterij, quinque annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentiis in Domino relaxauit, prout in ipsius Sixti prædecessoris literis insuper confectis, quas perpetuo durare voluit, plenius continetur.

Innocent. viij. (cuius const. hic nō habes) alias indulg. dedit.

§. 6. Et successiue piæ mem. Innocentius Papa Octauus etiam prædecessor noster, cum anno Domini 1483. alias 1484. xiij. die mensis Octobris, quidem Bartholomæus de Comarus de Bononia, tunc dicti Ordinis generalis Magister eiusdem Ordinis Prouincialibus Capitulum generale in alma Vrbe celebraret, Bartholomæi Generalis viuæ vocis oraculo, omnibus qui tunc erant, & in futurum essent de dicta Confraternitate, & per hebdomadam dicerent Psalterium B. MARIÆ Virginis huiusmodi, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, semel in vita, & semel in mortis articulo, ac etiam receptis per literas ad beneficia dicti Ordinis, non autem quæstu sed deuotionis causa, concessit, de qua concessione per literas testimoniales ipsius Bartholomæi sui secreti sigilli, seu signati vsualis impressione munitas constat.

Alter Card. in Germania Legatus Papæ, & alij Ordinarij alias etiam indulg. dederant.

§. 7. Et insuper fel. mem. Raymundus tit. S. Mariæ Nouæ, Presbyter Cardinalis, tunc per Germaniam dictæ Sedis Legatus, eisdem Confratribus, & Consororibus, pro quolibet Rosario centum dies indulgentiarum perpetuo, & similiter plures, ac diuersi locorum Ordinarij singuli indulgentiam 40. dierum concesserunt, prout etiam in Raymundi Cardinalis Legati, necnon Alexandri Episcopi, & Nuntij, & Ordinariorum huiusmodi singulis desuper confectis literis dicitur plenius contineri.

Hic modo Pōtif. de prædictorum confirmatione requisitus.

§. 8. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, dilectus filius nobilis vir Ioannes Dux, & dilectæ nobis in Christo filiæ nobiles mulieres Maria ipsius Ioannis Ducis consors Ducissa Iuliacen. & Montens. ac Sibilla Marchionissa Brandeburgensis dictæ Mariæ Ducissæ genitrix, necnon dilectus etiam filius Magister Ioannes Ingenolzel. Præpositus Ecclesiæ sancti Victoris Coloniensis Diœcesis, literarum Apostolicarum maioris præsidentiæ Abbreuiator, necnon Notarius scriptor, & familiaris, continuus Commensalis noster, ob singularem, & sinceram quam ad ipsam intemeratam Virginem gerunt deuotionem, ac dicti Prior, & Confratres cupiant, omnia, & singula præmissa etiam per nos approbari, confirmari, & innouari. Quare pro parte, tam Ioannis Ducis, & Mariæ Ducissæ, ac Sibillæ Marchionissæ, necnon Ioannis Præpositi, quam Prioris, & Fratrum Prædicatorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt præmissa omnia, & singula pro illorum substantia firmiori approbare, confirmare, & innouare, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Omnia confirmat.

§. 9. Nos igitur piis votis eis in hac parte paterne annuentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium, Confraternitatem, ac ritum siue modum orandi huiusmodi necnon omnes, & singulas indulgentias, tam per Sixtum, & Innocentium prædecessores, quam Legatum, Nuntium, & Ordinarios prædictos, vt præfertur concessas, & desuper confectas literas, ac omnia & singula in eis contenta approbamus, confirmamus, & innouamus, ipsasque indulgentias de nouo perpetuo concedimus.

Indulgentias auget.

§. 10. Et vt Ioannes Dux, & Maria Ducissa, & Sibilla Marchionissa, ac Ioannes Præpositus, necnon Prior, & Fratres præfati, necnon omnes, & singuli alij Christi fideles ea deuotionis opera, & per dictum modum siue ritum orandi eo frequentius indicantur, quo exinde facilius animarum suarum salutem consequi sperauerint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Ioanni Duci, Mariæ Ducissæ, Sibillæ Marchionissæ, Ioanni Præposito, Priori, ac Fratribus Prædicatoribus, & eorum singulis, ac vniuersis, aliisque vtriusque sexus Christi fidelibus dictæ Confraternitatis Confratribus, & Consororibus vbilibet existentibus, tam præsentibus, quàm futuris, vere pœnitentibus, & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui ter in hebdomada dictum Rosarium deuote orauerint, vt pie fertur pro qualibet vice alios decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Confessorem Presbyterum Ordinis S. Dominicis cōfratres confitentes audire, & absoluere posse concedit. Hoc intellige & limita iuxta bull. Clem. VIII. n. 115. Quæcumque infra tom. 3.

§. 11. Ac quod omnes prædicti eorum, singuli Pascha Resurrectionis, & festiuitatibus prædictis, ac tribus diebus singulis festiuitatum earundem præcedentibus, cuiuscumque Presbytero domus Ordinis Prædicatorum Fratrum professorum per eorum singulos pro tempore eligendos peccata sua confiteri valeant, ipseque Presbyter eorum confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos, ab omnibus, & singulis excommunicationibus aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, & promulgatis, necnon sacrilegiis, incestibus, adulteriis, pœnitentiarum iniunctarum & diuinorum officiorum, & ieiuniorum omissionibus, aliisque eorum peccatis, criminibus, excessibus, delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus, in singulis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus (contentis in bulla singulis annis die Cœnæ Domini legi consueta, dumtaxat exceptis) absoluere, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac iuramenta quæcumque sine alicuius præiudicio relaxare, & vota quæcumque (vltramarina, visitationis liminum beatorum Petri, & Pauli præfatorum, ac sancti Iacobi in Compostella, necnon religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare libere possit, Ordinarij, & Archidiaconi, ac Rectorum parochialium, & cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Ingredientes confraternitatem, nihil soluere tenentur.

§. 12. Quodque pro receptione, & conscriptione aliquorum Confratrum siue Consororum in dicta Confraternitate, nihil omnino temporale exigi debeat, sed sponte oblata dumtaxat recipi possint, perpetuo statuimus, & ordinamus.

Clausula præseruatiua.

§. 13. Præsentibus, quas illarumque effectuum, & in eis contenta sub cuiusvis similium, vel dissimilium indulgentiarum facultatum concessionum, & gratiarum reuocationibus, suspensionibus, vel modificationibus, etiam pro Anno Iubilæi, & in fauorem fabricæ

Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, seo expeditionis contra infideles, vel alias, quacumqoe de causa, per Nos, & Sedem prædictam, nunc, & pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed illis non obstantibus dictis Christi fidelibus omnes suffragati, ipsosque illis gaudere, seu vti debere decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Clausula derogatoria. §. 14. Non obstantibus præmissis, & constitutionibus, & ordina oibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides trãsumptorum. §. 15. Cæterum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæcumque loca in quibus expedieos foret deferri, volumus, & auctoritate prædicta etiam decernimus, quod earundem præsentium literarum transumptis, manu vnius, vel plurium Notariorum publicorum subscriptione, & sigillo alicuius prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, plena, ac tanta fides adhibeatur, & adhiberi possit, & debeat, in omnibus, & per omnia, sicut ipsis originalibus si essent in medium exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis. §. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, concessionis, & inhibitionis iofringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An 8. die 6. Octob. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimo, pridie Nonas Octobris, Pont. nostri Anno octauo.

HADRIANVS SEXTVS PONT. CCXXII.
ANNO DOMINI MDXXI.



HAdrianus Sextus, Florentinus, Belga, Vrbe Traiecto natus, Episcopus Dertusen. Presbyter Cardinalis tituli S. Ioannis, & Pauli, Creatus quinto Idus Ianuarij, Coronatus 4. Kal. Septemb. anno 1521. Vixit annum vnum, menses octo, & dies tres. Creauit Cardinalem 1. Obiit 8. Kalen. Octob. Anno Domini 1523. sepultus fuit in Basilica S. Petri, postea translatus fuit in Ædes S. Mariæ Germanorum. Vacauit sedes menses duos, dies 4.

I. **Administratio Militiarum Sancti Iacobi de Spatha, de Calatraua & de Alcantara, in Regnis Hispaniarũ institutarum, Ordinum Sancti Augustini, & Cisterciensis, Coronæ Regiæ perpetuo conceditur, cum omnibus iuribus, quæ earum magni Magistri habere consueuerunt.**

De militia S. Iacobi, habes etiam sup. in const. 5. Alex. III. Benedictus & infra in const. 32. Clem. VII. Ex Apostolica, necnon & const. 30. Greg. XIII. Romani. De Militia autem Calatrauæ habes sup. const. 16 Iul. II. Romani & inf. const. 12. Clem. VII. Romanus, & in alia const. 18. Apostolica, necnon Gregor. XIII. const. 32. Ex Apostolicæ & in alia const. 30. iam citata, De Militia autẽ Alcantara habes similiter sup. const. 44. Leon. X. Ex Apostolica & inf. in pracit. bullis Greg. XIII.

HADRIANVS EPISCOPVS, Dilecte fili; Salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. D. 1522.*

Milit. S. Iacobi de Spatha, de Calatraua & Alcantara, & Caroli V. Imperatoris opera, nonnulla regna occupata à Mauris nuper recuperata fuerunt. DVm intra nostræ mentis arcana, debita moderatiooe pẽsamus, S. Iacobi de Spatha, ac de Calatraua, & de Alcantara, in Regnis Hispania rum erectas, propterea militias institutas fuisse, vt contra orthodoxæ fidei hostes, & inimicos arma quædam, & valida præsidia essent, earumque milites in infidelium expugnatione, ac Regnorum ab ipsis infidelibus occupatorum recuperatione iugiter vacarent, strenuaque ipsorum virtute, & opera; proximis anois, non solum quamplorimas Ciuitates, loca; sed etiam aliquot Principatus, dominia, & Regna, quæ infideles Mauri occupauerant, & per multos annos detinuerant, non sine proprij sanguinis effusione, cum in gra CHRISTI nominis gloria reeuperata, & ad finem CHRISTI reducta fuisse considerantes, Insuper & animo reuoluimus, quæ charissimus in CHRISTO filius noster Carolus, Castellæ, & Legionis Rex Catholicus, in Imperatorem electus, claræ memoriæ Ferdinandi aui, & Elisabetæ Reginæ auiæ, Castellæ, & Legionis huiusmodi, ac aliorum progenitorum suorum vestigia secutus, pro vniuersa Ecclesia (cuius vt nos ad Summi Apostolatus apicem assumptione pastor, ita ipse ad sacri Imperij fastigium electione aduocatus existit) non solum insulæ Seruarum, quam ipsi Mauri detinebant expugnatione, sed etiam aduersus Martinum Lutherum per Sedem Apostolicam hæreticum declaratum executione, fecit, & in dies ipsum sub disciplina oostra à teneris educatum, ob eius deuotionem ac fidem erga nos, & hanc sanctam, in qua permissione diuina sedemus, ac vniuersam rempublicam Christianam, diuina fauente gratia facturum fore speramus; dignum merito censemus, & congruum, vt militiæ prædictæ, Coronæ, Regni Castellæ, & Legioois perpetuo applicentur, non minus vt Caroli ipsius in Imperatorem electi studia, & conatus, ad profligandos, & subiugandos infideles barbaros concedente Domino crescant, & augeantur, quam vt ipsarum militiarum felix & prosperum regimen semper in melius procedant, & illorum militum disciplina solertior euadat, ipsumque Carolum in Imperatorem, electum, eiusq; posteritatem signo specialis beneuolentię prosequamur, & quadã perpetuitatis memoria decorem.

Similiaq; facinora à Ferdinando Rege & aliis progenitoribus gloriosè acta fuerunt. §. 1. Sane cum Ferdioandus Rex, & Elisabeth Regina præfati, in humanis agentes, suorum, & ipsi progenitorum vestigia secuti, quamplurima egregia facinora & gesta fecerint, nec solum Hispaniam à Saracenis, & Mauris, qui Regnum Granatæ, ac plura alia dominia occupauerant, non sine multis laboribus, & impensis, ac magna christiani sanguinis effusione purgauerint, ac quamplurimos infideles à falsis idolorum tenebris, ad veram orthodoxæ fidei lucem reduxerint, sed pluribus etiam casibus, Oceanum mare penetrauerint, & ad diuersas ac maximas, & antea mortalibus ignotas insulas, salutiferæ Crucis vexillum detulerint, & in ipsis insulis plurimas metropolitanas, & cathedrales, ac alias Ecclesias ad CHRISTI nominis gloriam & exaltationem erigi, seque ob talia merita Catholici nomine, ab hac sancta Sede insigniti obtinuerint.

Et ad eiusmodi peragenda opera, d. militia instituta fuerunt. §. 2. Cumque in dictis Castellæ, & Legionis Regnis, S. Iacobi de Spatha, ac Calatraua, & Alcantara, S. Augustini & Cisterciensis Ordinum Militiarum Magistratus, ad eiusdem fidei exaltationem, & infidelium barbarorum maxime circumuicinarum partium depressiooem, & expugnationem instituti fuerint, vt præfertur.

§. 3. Et

Et quandoque eadem Militia eisdem Regib. aut eorū primogenitis per Sedē Apostolicam in administrationem data fuerunt: Et multis de causis eisdem perpetuo sic dari expedit.

§. 3. Et quandoque illi per Romanos Pontifices prædecessores nostros, Regibus Castellæ, & Legionis huiusmodi, seu eorum primogenitis, aut propinquioribus infantibus nuncupatis respectiue, in administrationem dum expediens fore visum fuerit concedi consueuerint, illorumque ad præsens idem Catholicus Rex in Imperatorem electus perpetuus administrator per Sedem prædictam deputatus existat, ipsarumque militiarum Magistrorum electiones, ad præceptoriam militiam huiusmodi præceptores seu milites spectare noscantur, ac inter eos, occurrente dictorum Magistrorum vacatione, super electionibus pro tempore faciendis, possent quandoque dissensiones oriri, plurimumque Regis Castellæ, & Legionis pro tempore existentis intersit, vt ipse Magistratuum huiusmodi curam, & administrationem habeat, cum Magistratus ipsi quamplurimas Ciuitates, & Arces, partim ab ipsis Regibus Castellæ, & Legionis donatas, partim per ipsos Magistros ab infidelium manibus proprij sanguinis effusione comparatas, & acquisitas possideant, & si illorum Magistri aliquando se Regi opponerent, ex illorum institutione quæ ad eorundem Regnorum pacem & quietem, ac infidelium expugnationem emanauit, grauia scandala, & pericula in Regnis ipsis, prout proximis annis cum in minoribus constituti, & dictorum Regnorum regimini & administrationi præpositi essemus, propter aspirationes ad ipsos Magistratus oculis nostris vidimus, succedere possent, si autem Magistratus ipsi Coronæ Regiæ Regis Castellæ, & Legionis huiusmodi pro tempore existentis perpetuo vnirentur, annecterentur, & incorporarentur, ita tamen quod ex illorum huiusmodi vnione tituli singulorum Magistratuum huiusmodi ad infrascriptum effectum extincti non censeantur, illi per Regem ipsum longe melius regi & gubernari possent, curaretque Rex ipse, vt illarum militiarum milites idonei, & in arte militari adeo periti, & experti essent, vt de illis merito sperari posset, quod non solum dicta regna ab infidelibus defenderent, sed ipsum Regem ad expeditionem contra Turcas, & alios infideles, maritima classe, ac terrestri exercitu suscipiendam & prosequendam, vltro sollicitarent, & inuitarent, scandalisque & dissensionibus inter ipsos præceptores, seu milites, electores, ac alijs periculis quæ exoriri possent obuiaretur; ipseque Carolus Rex in Imperatorem electus ad sanctum pacis & vnitatis Regum & Principum opus, quod pro totius christianæ reipublicæ necessaria defensione, ac contra hostes Turcas felici expeditione perficere, & concludere desideramus, pro sua religione & deuotione in hanc sanctam Sedem nos plurimum iuuare, ac rempublicam christianam à tam graui periculo in quo constituta est, diuina fauente gratia liberare possent, ac omnia fidei catholicæ exaltatione, ac infidelium barbarorum depressione, libentius & constantius facere non cessaret, similiterque eius successores facere parati essent, milites que dictarum militiarum, sub Regis huiusmodi disciplina magistrali, & experti, & ad conferendum manus contra Turcas, & infideles huiusmodi, multo promptiores & alacriores redderentur.

Ideo d. administrationē militiarum prædictarum d. Coronæ Regiæ perpetuo vnit.

§. 4. Nos præmissa diligenti consideratione pensantes, ac animo reuoluentes, qualia, & quanta eiusdem Caroli Regis in Imperatorem electi maiores, priscis, ac etiā nostris temporibus, pro expurgatione infidelium & barbarorum nationum perfecerint, quodque Regna, & Terras, ac insulas ab ipsorum infidelium manibus eripuerint, & ad Christianam religionem reduci curauerint, & quæ ipse Carolus Rex in Imperatorem electus, tam feruenti animo hac tempestate nostra pro Christianæ fidei religione, & huius sanctæ Sedis dignitate tuenda, aduersus Martinum Lutherum præfatum, & eius fautores ac alios qui contra nos, & dictam Sedem superbiæ cornua erexerunt, ac in dictæ insulæ, Seruarum expugnatione, quam diuino assistente auxilio, sibi subdidit, digne & laudabiliter effecerit, ac sperantes quod quanto maioribus beneficiis & gratiis Maiestas suaà Sede Apostolica se præmunitam & affectam cognouerit, tanto magis eidem Ecclesiæ cuius aduocatus, vt præfertur, existit, exuberantes fauores quoties opus fuerit exhibebit, ac breui tempore, pro sua ipsius singulari deuotione ac virtute, Regiaque magnanimitate & imperiali celsitudine, ad honorem DEI & nominis Christiani propagationem aduersus nefandissimos Turcas Christiani nominis perpetuos hostes, & contra spurcissimam illam gentem, quæ Christianum sanguinem auide sitit, & nostris ceruicibus imminet, iustissimum bellum suscipiet, ac tot prouincias & Regna ab ipsis Turcis & alijs infidelibus occupata recuperabit, & nomen Saluatoris Domini nostri IESV CHRISTI, longe lateque propagabit, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, matura deliberatione, ac eorum consilio & assensu, Magistratus prædictos, quorum omnium qualitates, nec non verum & vltimum vacationis modum, illorumque ac Coronæ Regiæ Castellæ, & Legionis huiusmodi regnorum veros annuos valores, præsentibus pro expressis haberi volentes, eidem Coronæ Regiæ, etiamsi Corona ipsa aliquo tempore ad mulierem spectaret, cum omnibus præeminentiis, iurisdictionibus, facultatibus, redditibus, iuribus, obuentionibus, & pertinentiis suis vniuersis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus. Ita quod ius administrandi ipsos Magistratus, siue in virum, siue in mulierem cum corona transeat, & omnia quæ ipsi Magistri, qui pro tempore fuerint, facere & exercere; & commendas ipsas, & præceptorias, ac alia beneficia militiarum huiusmodi, personis idoneis conferre libere possint, in omnibus per omnia, perinde ac si vnio huiusmodi quoad præmissa duntaxat, minime facta fuisset ipsorumque Magistratuum possessionem propria auctoritate libere continuare, seu illam de nouo. Sibi & Regi Castellæ & Legionis pro tempore existenti, etiam propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, & prouentus, in suos, ac Magistratuum huiusmodi vsus, ad quos deputati sunt, & vtilitatem conuertere, diœcesanorum locorum, & quorumvis aliorum licentia, seu consensu minime requisitis. Ita tamen quod ipse Catholicus Rex in Imperatorem electus, eiusque successores Castellæ & Legionis Reges pro tempore existentes, ea quæ spiritualia concernunt, per personas dictarum militiarum religiosas per ipsos Reges pro tempore existentes ad id deputandas, ad eorum nutum amouibiles, probe, & laudabiliter exerceri facere debeant, & teneantur. Quibus sic pro tempore deputatis personis gerendi, faciendi, mandandi, ordinandi, exercendi, exequendi, & disponendi, omnia & singula quæ dictarum militiarum Magistri pro tempore existentes, de iure vel Consuetudine, aut alias quomodolibet, facere, gerere, exercere, mandare, disponere, exequi poterant & consueuerant, auctoritate & tenore præmissis, plenam, liberam, & omnimodam facultatem concedimus, & ne in præiudicium dictæ vnionis, per milites, seu fratres dictorum Ordinum aliquid de facto teneatur, per viam electionis, vel postulationis, seu alias decedente Rege, vel Regina, qui dictos Ordines administrauerit, auferimus ab eis, omne ius ac potestatem eligendi, postulandi, vel de nouo administratore perpetuo prouidendi, & sub pœna excommunicationis, ac priuationis commendatum & præceptoriatum, ac aliorum beneficiorum, quæ obtinent, inhabilitatisque ad ipsa in posterum obtinenda, omnibus & singulis prohibemus, ne eligant, postulent, vel de eligendo aut postulando tractent, quas pœnas volumus eos ipso facto incurrere, absolutionem nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter reseruantes.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus, nostra, qua volumus quod vnionibus exprimi deberet valor etiam beneficij, cui vnio fieret, & semper commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus, ac stabilimentis, vsibus, & naturis dictarum militiarum, iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, & indultis, ac literis Apostolicis, dictis militiis, earumque præceptoribus, militibus, & conuentibus per dictam Sedē forsan concessis, illis præsertim quibus caueri dicitur, quod Magistratus de Alcantara, de Calatraua per personas regulares S. Augustini, & Cisterciensis Ordinis huiusmodi expresse

professas,& non vxoratas,ac alias certo modo qualificatas dumtaxat,obtineri possint, quibus etiamsi ad eorum derogationem,de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorum tenores huiusmodi, præsentibus pro expressis, & insertis haben. illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquis super prouisionibus faciendis huiusmodi Magistratibus,ac dignitatibus,speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in partibus generales, dictæ Sedis, vel eius Legatorum literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reseruationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas, & processus habitas per easdem,& inde secuta quæcumque ad Magistratus huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Magistratuum, aut beneficiorum aliorum præiudicium generari, & quibuscumque priuilegiis, indulgentiis, vel specialibus, & literis Apostolicis generalibus quorumcumque tenorum existant,per quos præsentibus non expressa,vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, tenoribus de verbo ad verbum habenda sit, in nostris literis mentio specialis, prouisioque dicti Magistratus debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super iis à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Prohibitio alienandi bona immobilia aut mobilia pretiosa ad Militarum. §. 6. Volumus autem quod ipse Rex pro tempore existens, ab alienatione quorumcumque bonorum immobilium,& pretiosorum mobilium, dictorum Magistratuum penitus abstineat.

Facultas exigendi intra Magistrum solita consueta. §. 7. Quodque antequam dictos Magistratus, vel eorum aliquem administrare possit, succeden. in regno huiusmodi, vobis, seu successoribus vestris canonice intrantibus, iura omnia soluere teneantur, quæ Magistri pro tempore soluere consueuerunt, quibus solutis, ex tunc confirmatio, & licentiæ concessæ sint, & esse censeantur, administrationemque libere exercere possit.

Declaratio quod certis casibus concessio, & gratia huiusmo. di irrita sit. §. 8. Et ille ex iis, qui vllo vnquam tempore, quod absit, à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis canonice intrantis,& Romanæ Ecclesiæ obedientia, & deuotione se subtraxerit, vel contra eum bellum susceperit,in eius damnum,& detrimentum honoris,aut rerum, per se vel alium, seu alios, directe, vel indirecte, machinatus fuerit huiusmodi gratia priuatus existat, præsentesque literæ nullius sint roboris, vel momenti, ipsaque vnio eo ipso dissoluta sit. Ipsique Magistratus per dissolutionem huiusmodi vacare censeantur,& de illis per Sedem prædictam libere disponi possit.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 5. die 4. Maij. Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo secundo, iv. Nonas Maij, Pontificatus nostri Anno primo.

II. Contra Christianam fidem susceptam abnegantes,sacramentis abutentes,sortilegiisque & maleficiis aliorum lædentes,ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis grauiter puniēdos.

Aduersus Maleficos, & Sortilegos, vide quæ dixi sup. ad const. 1. Innoc. VIII. Summis.

Contra Maleficos,& sortilegos cum Diabolo pactum facientes, à fideque apostatando alios lædētes sanctionem edidit Greg. XV. const. 46. Omnipotentis inf. to. 4.

Edita An. D. 1522. *HADRIANVS EPISCOPVS, &c. Inquisitori Cremonensi, dilecte fili; Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Inquisitores Cremonæ procedebāt contra maleficos & obedientiā §. 1. DVdum, vt nobis exponi fecisti, per fel. rec. Iulium Papam II. prædecessorem nostrum non sine magna tunc animi sui displicentia accepto, quod per quendam Georgium de Casali, Ordinis Fratrum Prædicatorum Professorum, & in Ciuitate Cremonensi hæreticæ prauitatis Inquisitorem deputatum in nonnullis Lombardiæ partibus, & præsertim locis, in quibus dictus Georgius Inquisitor deputatus erat, repertæ fuerunt quamplures vtriusque sexus personæ, propriæ salutis immemores, & à fide Catholica deuiantes certam sectam facientes; fidem, quam in sacri susceptione baptismi susceperant, abnegantes sanctam Crucem pedibus conculcantes; & opprobria super eam perpetrantes, Ecclesiasticis,& præsertim Eucharistiæ Sacramentis abutentes, diabolum in suum dominum, & patronum assumentes, eique obedientiam, & reuerentiam exhibentes, & suis incantationibus, carminibus, sortilegiis, aliisque nefandis superstitionibus iumenta, & fructus terræ multipliciter lædentes, aliaque quamplurima nefanda, excessus, & crimina eodem diabolo instigante committentes, & perpetrantes, in animarum suarum periculum, diuinæ Maiestatis offensam, perniciosumque exemplum, & scandalum plurimorum. *diabolo præstantes.*

Aliqui fictis opponebant. §. 2. Contra quas cum dictus Georgius tunc, vt asserebat, in dictis locis suæ Inquisitioni deputatis, prout ipsius Georgij incumbebat officio, ipse Georgius processisset, nonnulli autem tam clerici quam laici illarum partium, quærentes plures sapere quam oportet præmissa delicta ad eiusdem Georgij Inquisitionis officium non pertinere temere asserentes, præsumentes in populo errores, & scandala seminauerunt, sicque eundem Georgium in populo odiosum reddere, & dicti Georgij officium impedire conati fuerunt, prout etiam tunc impediebant, ita quod propter præmissa, personæ prædictæ delicta huiusmodi perpetrantes, remanebant impunitæ, & aliæ eorum exemplo ad similia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei opprobrium, animarum periculum,& scandalum plurimorum.

Iulius ergo q. Inquisitorem procedere contra eos iussit. §. 3. Dictus prædecessor volens (ne inquisitionis officii executio quomodolibet retardaretur, & labes hæreticæ prauitatis longe venena diffunderet) prouidere, dicto Georgio per quasdam suas in forma Breuis literas commisit,& mandauit quatenus in locis eiusdem Georgij Inquisitioni deputatis de excessibus huiusmodi cognoscere,& contra quascumque personas, cuiuscumque conditionis, & præeminentiæ forent, inquisitionis officium exercere,& exequi,ipsasque personas,quas in præmissis culpabiles reperiret, vnà cum locorum Ordinariorum Vicariis, quatenus voluissent interesse, iuxta dictarum personarum demerita corrigere, & punire deberet, secundum modum contra alios hæreticos à iure ex sacris canonibus statutum contradictores quoscumque per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris opportuna remedia compescendo. Eos verò qui in præmissis, consilium,auxilium, vel fauorem præstarent, præfatus prædecessor noster, eisdem indulgentiis vti,& gaudere decreuit,quibus Cruce signati contra alios hæreticos,ex indulto Apostolico eis concesso, tunc gaudebant, & vtebantur, prout in dictis literis plenius contineri dicitur.

Hic modo Pet. instia de causa ei delata ab Inquisitore Cremonensi. §. 4. Et sicut eadem expositio subiungebat, non solum delicta,& crimina huiusmodi contra fidem Catholicam, & Christianam religionem, sub iurisdictione Inquisitionis Cremonensis committuntur, & perpetrantur, sed omnibus aliis locis,& diœcesibus sub iurisdictione aliorum Inquisitorum dicti Ordinis Congregationis Lombardiæ, in dies perpetrantur, & committuntur. Et cum eadem sint delicta, eadem profecto prouisione, & castigatione eis est earundem literarum tenore prouidēdum. Quare tu, sicut asseris, in Ciuitate Cremonensi vbi dictæ prauitatis Inquisitor existit, tam tuo, quam omniū aliorum dictorum Ordinis,& Congregat. hæreticæ prauitatis Inquisitorum vbilibet consistentium, & deputatorum, nominibus fecisti nobis humiliter, vt literas prædictas ad vos extendere,& ampliare, aliasque desuper opportune dignaremur prouidere.

Hoc idem omnibus Inquisitoribus mandat. §. 5. Nos igitur huiusmodi supplicationi inclinati, literas prædictas, cum omnibus in eis contentis clausulis, in omnibus,& per omnia prout in eisdem literis continetur, ad te,& ad alios Ordinis, & Congregationis huiusmodi Inquisitores, tā in præsentiarū deputatos, quam in futurū perpetuis futuris temporibus deputandos, ac si

tibi,

tibi, & cuilibet Inquisitorum prædictorum dirigerentur, & directæ fuissent, Apostolica auctoritate, tenore præsentium extendimus. Ipsasque literas tibi & illis, vt præmittitur, eisdem auctoritate, & tenore concedimus.

Contrarijs derogat.

§. 6. Non obstantibus illis, quæ idem Iulius prædecessor voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§. 7. Et quia difficile foret præsentes literas, ad singula loca, in quibus de eis fides forsan fuerit facienda deferre: & Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis, manu cuiuscumque Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 20. Iul.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 20. Iulij, 1522. Pont. nostri anno primo.

III. Declaratio, & reuocatio concessionum iurispatronatus, & præsentandi ad beneficia Ecclesiastica, à Sede Apost. & eius Officialibus ab anno primo Pontificatus Innocentij Papæ Octaui citra factarum.

Edita An. D. 1522.

De hac materia notaui supra in eiusdem argumenti const. 5. Innoc. VIII. Cum Ab Apostolica.

Causa huius constit.

SAnctissimus D.N.D. Hadrianus Papa VI. Accepto per Sanctitatem suam quod nonnulli Romani Pontifices eius prædecessores diuersis personis Collegiis laicorum iuspatronatus, ac facultates, & indulta præsentandi, seu nominandi, personas idoneas ad Ecclesias etiam Metropolitanas, Monasteria, & beneficia Ecclesiastica sæcularia ac regularia, ac hospitalia, & alia pia loca ea tunc deinceps vacatura etiam interdum pro eorum hæredibus, & successoribus alias sub variis modis, & formis per diuersas eorum literas in perpetuum, vel ad certum tempus reseruarunt, & concesserunt, considerans quod per huiusmodi facultates, & indulta Romanus Pontifex sæpius impeditur quo minus personas qualificatas vtiles, & necessarias, ad Ecclesias, & Monasteria promouere, ac de beneficiis Ecclesiasticis similibus personis prouidere, hospitalia quoque & pia loca huiusmodi personis etiam vtilibus, & Monasteriis, committere, & alias de illis disponere libere possit.

Reuocatio concessionis iurispatronatus & præsentandi, quoad beneficia electiua.

§. 1. Ideo vt per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam liberius de personis bene meritis dictis Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteriis prouideatur, & de illis ac aliis dignitatibus, beneficiis, hospitalib. & piis locis huiusmodi disponatur, opportune prouidere volens, felicis recordationis Innocentij Papæ Octaui suæ Sanctitatis prædecessoris inhærendo vestigiis, omnes, & singulas reseruationes, & concessiones iurispatronatus, ac facultates, & indulta præsentandi seu nominandi personas huiusmodi, ad Ecclesias, Monasteria, Prioratus, præposituras, dignitates, personatus administrationes, officia, canonicatus, & præbendas, aliaque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura sæcularia, & Ordinum quorũcumque regularia, qualitercumque qualifica, ac hospitalia, & alia pia loca, per prædecessores, & Sedem Apostolicam, aut eius Legatos, Nuntios, executores, & subexecutores ab anno primo Pontificatus eiusdem Innocentij prædecessoris citra quibusvis Regibus, Regnis, Ducibus, & Marchionibus, ac aliis Principibus, & personis, necnon Communitatibus, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & Collegiis sæcularium personarum, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis, existentibus, etiam ex motu proprio, & ex certa scientia ac de potestatis Apostolicæ plenitudine, aut etiam consistorialiter, & alias tam simpliciter, quam sub quibusvis conditionibus, & promissionibus, & alias quomodocumque & qualitercumque & ex quibusvis causis, præterquam ratione ereptionis locorum in quibus Ecclesiæ, Monasteria, & beneficia prædicta consistunt ex infidelium manibus, & potestate, facta, & concessa quorum omnium formas, & tenores eadem sua Sanctitas haberi voluit pro expressis quoad Metropolitan. ac alias Cathedrales Ecclesias, & Monasteria necnon Prioratus, & præposituras, ac alias dignitates Conuentuales, & alia electiua etiamsi ij quibus reseruationes, & concessiones, facultates, & indulta huiusmodi facta, & concessa fuerunt quascumque conditiones eis propterea quomodolibet impositas, & promissiones per eos propterea factas adimpleuerint.

Et quoad non electiua, cum declarationibus hic positis.

§. 2. Quo verò ad illa beneficia, ac hospitalia, & pia loca huiusmodi si illi quibus reseruationes, & concessiones, ac facultates, & indulta huiusmodi facta, & concessa fuerunt, vt præfertur, illorum occasione fructus proxime dictorum beneficiorum hospitalium, & piorum locorum ad medietatem vnius anni valoris fructuum eorundem secundum communem æstimationem de propriis eorum bonis non auxerunt, vel eorum Ecclesias, aut hospitalia, & pia loca huiusmodi de nouo fundamentaliter non ædificarunt, seu funditus non reædificarunt, seu fundos in quibus ædificia in præsentiarum subsecuto non concesserunt, ac quorum augmentis ædificationis, reædificationis, & concessionis respectiuæ probationem eos, qui tali iurepatronatus seu præsentandi, & nominandi directè, vel indirectè vti voluerint eadem sua Sanctitas teneri decreuit etiamsi conditionem ad quas alias quam modis præmissis tenebantur executionis demandatæ fuissent, & in literis reformationum, & primo dictarum concessionum seu facultatum, & indultorum huiusmodi cautum sit quod dictum ius simpliciter, vel sub certis conditionibus modis, & formis ex fundatione, vel dotatione pertinet, aut pertinere censeatur, vel perinde habeatur ac si ex fundatione, vel dotatione prædicta pertineret, & quod reseruationes, primo dictas cõcessiones, facultates, & indulta huiusmodi reuocari non possint, & clausulæ etiam derogatoriarum derogatoriæ fortiores efficaciores, & insolitæ dictis literis pro illarum præseruatione desuper adiectæ sint, illarum formas, & tenores pro expressis habendo, reuocauit, cassauit, & annullauit, ac Ecclesias, Monasteria, Prioratus, præposituras, dignitates, & beneficia huiusmodi ad eorum primæuam naturam, præmissis non obstantibus reduxit. Decernens irritum, &c.

Papa subscriptio.

Placet publicetur, & describatur. A.

Publ. P. A. 1. die 9. Dec.

Lecta, & publicata fuit supradicta regula Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Domini 1522. D.N. Papa, Anno 1.

IV. Hortatur Fridericum Saxoniæ Ducem, vt Martinum Lutherum hæresiarcham dimittat, eiusque relictis erroribus, Catholicam fidem sequatur.

Errorum autem ipsius Martini, ipsorumque & ipsius damnationes, habet supra in Leonis X. const. 40. Exurge & constit seq.

Edita An. D. 1522.

HADRIANVS EPISCOPVS, &c. Dilecte, fili; Salutem & Apostolicam benedictionem.

Leo X monuit Ducẽ Saxoniæ, vt Martinum dimitteret.

SAtis, & plus quam satis sustinuimus, dilecte in Christo, si forte Dei pietas tuam animam dignetur inuisere, ac dare pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, vt resipisceres à diaboli laqueis, à quo captiuus detineris. Nouimus te paternè monitum à fel. recor. prædecessore nostro, vt à te separares perniciem illam Christianæ religionis Martinum Lutherum, & eum iam toti Orbi manifestæ essent scelestissimæ machinationes illius, sperauimus, & te ad cor penitus reuersurum.

Ille verò magis reprobus factus est. Ideo Pont. iste multis rationibus hortatur vt resipiscat.

§. 1. Sed quoniam expectauimus vuas, & ecce quia frustra conflauit conflator, militiæ enim tuæ non sunt consumptæ, coëgit nos miseratio tui, coëgit paternus amor, quo te & subditos Saxones in Domino semper fuimus prosequuti, salutaribus, & paternis monitis adhuc conuenire, vt vel tandem resipiscatis, antequam plane in vos conueniat, quod mox subdit Propheta: Argentum reprobum vocare vos, quia Dominus proiecit vos.

§. 2. Et quid dicemus vobis, quam quod Galatis sula

Saxones commendantur pacis, & propterea Greg. V natione Saxo, creauit Ducem Saxoniæ electorem Rom. Imp.

Paulus: O insensati, quis vos fascinauit veritati non obedire. Currebatis bene. Interrogate patres vestros, ac dicent vobis: maiores vestros, & annuntiabunt vobis. Quod ab ea ætate, quo vno eodemque tempore vixere Hadrianus Rom. Pont. & Carolus ille Magnus Imperator, Saxoniæ fidei plantatores, ad nostra vsque, & charissimi in Christo filij nostri Caroli tempora, & aui, & proaui vestri, atque adeo Saxones omnes, semper habiti estis veluti pacis amatores, fidei propugnatores, & per omnia obedientiæ pacifici filij, talesque, vt non immerito Gregorius V. natione Saxo, olim Roman. Pontifex, Saxoniæ Ducem in Rom. Imperatoris constituerit electorem. Quomodo ergo tam cito mutatus est color optimus; Cur tam facile transfertmini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt quidam, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi; Quis vineam Domini Sabaoth tam pulchre plantatam est demolitus; Certe exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Sed væ illud à vobis, à domesticis, & amicis, à cruciatu præcordiorum, Obsecramus te fili dilecte in CHRISTO, leua oculos tuos in directum, & vide vbi sis prostratus.

Lutherus quæ mala induxit.

§. 3. Considera quantum Ecclesiæ Christi, tot malis vndique circumuallatæ ac pene oppressæ, pro opera qua illi subuenire debueras, cladem insuper intulisti. Oppugnator foris ab infestissimo illo ac potentissimo Christiani nominis hoste. Dissident intus principes Reip. Christianæ, & in mutuam armati perniciem, cruentissimus inter se odiis confligantur, & in fraterna viscera ferrum stringunt, vt vix ethnici inter se crudelius. An hæc ita tibi visa sunt nõ satis grauia, nisi contritionẽ induceres super contritionẽ nutriens ac fouẽs serpentem illũ in sinu tuo, qui veneno linguæ suæ Ecclesiam, & terras infecit adeo, vt nunc peruenerit gladius etiã vsque ad animum? Quanto autem pluris est anima, quam corpus, tanto grauius est prædictis omnibus horrendum illud, & plus quam tartareum venenum, quo hæresum ac schismatum contagione tot myriades animarum interierunt, intereuntque. Ita tibi debemus omnes, quod nunc passim ab vnitate Matris Ecclesiæ recedatur. Quod auertatur vulgus indoctum, ac bis mille præstigiis ac fascinationibus retrahatur à fide, quam suxit ab vbere materno: Quod basilicæ sint sine plebibus, plebs sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia, & sine Christo denique Christiani: Quod sacramenta fidei, non sacra censeantur: Quod sanctuarium Christi: sanctum esse negetur: quod dies festi festiuis frustrentur solemniis: Quod moriantur homines in peccatis suis, rapiantur animæ ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliati, nec sacra communione muniti: Quod pulcherrimus ille tabernaculi ordo confusus sit, & pro Christiana pace ac tranquillitate ad rebellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia, cum magno ac manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine, veluti classico passim excitati. Pro quibus egregiis tuis in Ecclesiam Christi meritis, quo te præmio, imo quo non supplicio dignum censebimus? At dices forte, Serpens me decepit. Dignam certe recepisti mercedem, qui illum nutriuisti in sinu tuo; Sed itane stultus es ac sine corde, vt in eis maxime rebus in quibus errare, damnari est: vni homuncioni coopperto peccatis, quam tot sanctiss. ab initio Patribus, qui in lege Dei meditati sunt die ac nocte, & quam tot vniuersalibus Conciliis, aduersus quæ impudens os illud velut sepulchrum patens, se aperire non erubescit, sanctæ denique & Catholicæ Ecclesiæ, cuius ritum, consuetudinem, & decreta, à temporibus Apostolorum ad nos vsque inuiolabiliter obseruata, vnus iste sacrilega temeritate damnare præsumit, plus credere potueris? O cæcam dementiam, ac plusquam Iudaïcam cæcitatem. At fortassis hoc tibi imposuit, quod veterator ille Martinus, & eius sequaces, de capitulis scripturarum visi sunt sua conformare. Et quis tandem hæreticorum ita non fecit: An nonne sunt veteris serpentis astutiæ, qui hac veluti esca obducto hamo, miseris animabus mille technis, & versutiis semper est insidiatus, quique, quo angularem infringere veræ fidei lapidem, ac Christianam scinderet vnitatem, in scripturarum agrum, suum seminare semen, & peruersam scripturarum intelligentiam, iampridem est aggressus? Cum itaque maxime semper pars Ecclesiarum, imperita turba sit, & vix vnus reperiatur aut alter, qui spiritualibus oculis de scripturarum intelligentia digne valeat iudicare: siquidem librum signatum legimus, quem solus Leo de tribu Iuda dignatus est aperire, ac soluere, signacula eius: quæ tandem est ista diabolica excæcatio, vni carnali homuncioni, semper eructanti crapulam, & potum, quam reliquo Orbi vniuerso, quam tot spiritualibus patribus, quorum voluntas semper fuit in lege Domini, qui vitæ sanctimonia, ostensione spiritus, ac virtute, glorioso denique martyrio suam doctrinam comprobauerunt in scripturarum intelligentia plus te fidei habere potuisse? O cæcitatem nouam, & inauditam! Vous apostata tibi potius persuadere fefellisse priores vniuersos, errare posteros, & in solum se, & quos decepit peruenisse Regnum Dei, peruenisse totam miserationum Dei diuitias, ac gratiam vniuersitatis? & quid non dicimus cum Propheta: Heu, heu, heu Domine, ergo ne decepisti populum tuum; Quin potius, cur non deuitatis (secundum Apostolic. præceptum) quæstionibus ac pugnis verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum & subuertunt corda audientium, ex operibus suis, iuxta Dominicam designationem, studuistis cognoscere filium profanum istum, qui ad vos venit primum in vestimentis ouium, lupus intrinsecus rapacissimus? Siquidem non ex foliis, non ex floribus, sed ex fructibus arbor cognoscenda erat.

§. 4. An non manifesti sunt nequissimi fructus eius? Siquidem sacrilegus hic aduersus Deum, imagines sacras, atque adeo ipsam Crucem Christi, sceleratis manibus confringere, & pollutis conculcare pedibus non formidat, contra sacerdotes Dei furore impio temerarie debachans, non desinit laicos, ad lauandas sibi in eorum sanguine manus, sedulo concitare: Ecclesiam Christi parricidalibus armis oppugnans, hoc agit assiduo, vt suffocentur homines in peccatis suis: hoc vnum elaborat, ne diuina misericordia suis sacramentis, quæ peccatorum remedia efficacia esse voluit, vulneratos in Ecclesia sua curet. Ita enim ea aut substulit vniuersa, aut hæreseos suæ pestifero infecit veneno, vt toxicum magis requirat, quam animarum medicinas.

Lutheri furor & immanis audacia.

§. 5. Præcipit suis, ne indignanti Deo quis satisfaciat, ne ieiuniis, orationibus, lamentationibus peccata redimat, ne hostia illa placens Deo, corpus & sanguis Domini nostri IESV CHRISTI à sacerdotibus offeratur quotidie pro peccatis nostris. Vota decet non reddere Domino Deo suo. Et cum ipse sit apostata, ac professionis suæ desertor, vt plurimos sui faciat similes, sancta illa Deo vasa polluere non veretur, consecratasque Christo virgines, & vitam monasticam professas, extrahere à monasteriis suis, & mundo imo diabolo, quem semel abiurauerunt, reddere. Quod in veteri lege in vmbratilis sacerdotibus Dominus non tulit, quod ethnici idolorum suorum flaminibus omnes sunt abominati, Christi sacerdotes etiam vilissimis copulat meretricibus. Sanctos Patres illos, quorum vita & doctrina illustrauit vniuersum mundum; non solum debito honore non prosequitur, sed multo quam Cain scelestius decipit, deridet, contemnit, insectatur.

Lutheri improba mandata.

§. 6. Sacrosanctis omnibus vniuersalibus Conciliis impudenti ore palam contradicit, ac sacrilega lingua detrahit, libertatis specie, licentiosam quandam, nullis constrictam legibus ac fere ferinam, inducere conatur legem. Vnde & exlex homo, contemptor ac violator legum omnium, in tantum erupit mentis vesaniam, vt sanctissimorum Patrum decreta, & Ecclesiasticos canones igne publico concremare non formidarit. Et breuiter Christianam veritatem omnem rerum ordinem, pulcherrimam denique Ecclesiæ faciem, à Christo, ab Apostolis, Apostolicisque viris, ac sanctissimis Patribus ab initio constitutam vnus hic post tot centenos annos discindere inuertere ac deformare molitur.

Lutherus Conciliis detrahit, & licentiosam vitam inducere tentat.

Locus restitutus.

§. 7. Quod si nondum satis etiam internoscis de Christiano magisterio an de Antichristi spiritu ista profiteſcantur

Lutherus asserebat se esse alterum Danielem.

cātur, si ita fascinauit te præstigiator ille vt credere possis vnum hunc perfidissimum apostatam, veluti alterum Helisæum habere duplicem spiritum Heliæ, aut alterum esse, quem se iactitat, Danielem, in quo sit spiritus amplior & intelligentia scripturarum maior, quam in omnibus olim sanctissimis illis doctissimisque viris, quam in sacrosancta Ecclesia Catholica, quid est te vno cæcius? Aut si iam ex fructibus arborem cognosceus, in errore persistis tamen, quid te miserius.

Lutheri sermo iniquissimus.

§. 8. Sed esto transfiguratus sit coram te satanas ille in angelum lucis, & quæ manifesta sunt opera carnis ac diabolica, spiritus esse & Christi opera, venenata sua facundia persuadere potuerit, nunquid non vbique vel hoc ipsu prodidit, cuiusnam spiritus sit, quod omnis eius sermo amarus est, virulentus, arrogans, ac maledicentissimus nusquam non scatens conuiciis, blasphemiis, ac scommatibus plusquam venenatis, aduersus omne Christianæ pietatis, modestiæ, mansuetudinis ac benignitatis officium? Nunquid ita docuit Paulus, cuius se iactitat spiritum habere, cum nulla eius exter epistola, quæ non pacem & vnitatem, ac alias id genus virtutes redoleat? An non Romanos suos hortatur in Domino, vt in charitate fraternitatis se diligant, inuicem sectentur quæ sunt pacis, & quæ ædificationis custodiant; Corinthiis an non testatur, se docere in Ecclesiis, Deum, non dissensionis, sed pacis Deum esse? Et breuiter, nunquid non vbique clamat, vbique docet Euangelica illa tuba, vt digne ambulemus in omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vtque deponamus omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem? Quo igitur pacto maledicentiam, amaritudinem, iram, indignationem, blasphemiam, inflationē, iactationē, quæ ita huic peculiaria sunt, vt illa Paulo, ac illius discipulis vniuersis, qui mitis est ac humilis corde: nō Paulini, non Christiani, sed diabolici spiritus esse certissima iudicia, vel cæco non clarissime appareat?

Lutherus ex sermone cognosci potuit valde perfidus.

§. 9. Ex verbis illius, quomodo non intellexisti, Christum in corde suo, an vero Antichristum haberet, secundum quod ipsa veritas in Euangelio ait: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? De abundantia enim cordis, os loquitur. Et cum scriptum sit, quod maledici regnum Dei non possidebunt: Item cum in Euangelio dicat Dominus: Quicumque dixerit, fratri suo racha, reus erit Concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ incendio.

Lutherus sacerdotes ac Romanum Pont. in sermonibus suis lacerabat & infestabat.

§. 10. Illum nunc esse Antichristi Apostolum, cuiquam obscurum esse poterit? Qui non modo sacerdotes Dei, sed & principem sacerdotum Petri successorem, IESV CHRISTI in terris Vicarium, tam nefandis infamibusque nominibus, tam inauditis contumeliis, conuiciis, ac blasphemiis, nusquam non lacerat, discerpit, & insectatur, vt ea commemorare pudica refugiat lingua, & audire horreant aures castæ. Qui Apostolicam cathedram, in qua præsedit caput Apostolorum Petrus, cui præfuerunt tot sancti Pontifices, quam Ecclesiam principalem, vnde sit exorta vnitas sacerdotalis, sanctus ille, & gloriosus Martyr Cyprianus non dubitat asserere, impio ac pestilenti ore cathedram pestilentiæ, Antichristianam, diabolicam, & si quæ potuit excogitare nefandiora, toties appellare non cessat. Qui scholas Christianas, quæ tam multos doctissimos sanctissimosque viros, tam egregias in Ecclesia Dei columnas nobis protulerunt, impudica lingua sua, lupanaria, Sodomas & Gomorrhas vbique vocare non verecundatur. Qui non satis habet, omnipotentis Dei sacerdotes probris omnibus, conuiciis, contumeliis, ac blasphemiis horrendis, & inauditis, nunquam non publice ac priuatim insectari, quibusvis canibus viliores facere, nisi etiam laicos concitet ad lauandas sibi manus in sanguine ipsorum. Cum tamen quanto honore haberi velit sacerdotes suos, maxime autem principem sacerdotum, idem ipse Dominus in Deuteronomio testatus est, dicens: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venies que ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcumque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël: cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Et Samuël cum sperneretur à filiis Israël, an non dicit Dominus: Non enim te spreuerunt, sed me, ne regnem super eos, manifeste ostendens, inuisibilem se contemni, cum visibilem quis spernit sacerdotem? Quare & Moses murmuranti aduersus se populo respondit: Non aduersus me murmurastis, sed aduersus Dominum Deum vestrum. Quod si Leuiticos illos sacerdotes tanto honoris prærogatiua præcellere voluerit Dominus, qui exemplari tantum ac vmbræ deseruiebant cœlestium, in vmbratico illo tabernaculo sacrificiorum officia consummantes: quo tandem honoris loco eos haberi voluit, quibus tradidit claues regni cœlorum; tantamque tribuit potestatem, vt quæ ligarent super terram, ligarentur & in cœlis: & quæ soluerent super terram, soluta essent & in cœlis: vtique quorum ipsi dimitterent peccata, dimissa forent; quorum retinerent, forent & retenta? Qui non sanguinem hircorum aut vitulorum, sed hostiam viuam, sanctam, immaculatam, corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi offerunt quotidie pro peccatis nostris, conficiunt verbo suo, ac manibus tractant, & breuiter sacramenta omnia, quibus hominibus vita salusque tribuitur animarum, suis perficiunt orationibus. Quanto, inquam, honore hos præcellere voluerit Dominus, quis tandem dubitauit, quod nec ipse tacuit in Euangelio, cum dicit ad eos; Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit, & eum qui misit me? Et quid consequitur? Quod in eundem Christum blasphemus esset, & maledicus, qui sacerdoti Christi blasphemat aut maledicit. An non hoc primum mandatum in retributione. Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram? Qui autem maledicit patri aut matri morte moriatur. Nunquid ad carnales tantum parentes illud est referendum? Et num minus ad eos qui nos in Christo regenerauerunt, per quos Christiani sumus, qui nobis peccata dimittunt, qui cœlestibus nos pascunt sacramentis? Quid si peccatores sunt, & mali sacerdotes? Quid si patentes? Nunquid propterea eos, quos Dominus misit ante faciem suam, & ad quos dicebat: Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo aut de ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris, Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati. An non præcipit ita Apostolus, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis? Quod si malis, & peccatoribus non sit obediendum, quibus tandem? Quoniam si dixerimus, peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ouis es, noli discutere pastorem: noli te iudicem Dei constituere & Christi. An non ita præcipit Dominus in Euangelio, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi, omnia quæcumque dixerint vobis, seruate & facite, si quæ autem fecerint mala, facere nolite, manifeste significans, habere eos dignitatem, tametsi vitæ essent perditæ. Nunquid idem Dominus, cum postea tempore passionis alapam accepisset à seruo sacerdotis, dicenti sibi: Sic respondes Pontifici; aduersus Pontificem quidquam dixit contumeliose; quin magis innocentiam suam asserens & ostendens, Si male, inquit, locutus sum, exprobra de malo: sin bene, quid me cædis, An non & Paulus, cum cæderetur in concilio iussu Ananiæ, diceretque ad eum, percutiet te Deus paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti: Audiens ab adstantibus, sic insimulas sacerdotem Dei, maledicendo ipsum? tamen inane nomen, & vmbram quandam sacerdotis cogitans, expauit, Nesciebam, inquit, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principi populi tui non ma-

ledices. Quo magis miramur, quod ex istis diabolici spiritus, veluti fructibus nequissimis, arborem pessimam nondum cognouistis. Et quis tandem est ita hebes animo, vt non videat quo nunc prorumpant furiosissimi conatus istius, cum vt quisque est facinorosissimus, desperatissimus aut perditissimus latro aut homicida, sub istius vexillis ac signis, conueniant? Ecclesiam iam Christi parricidalibus ac sacrilegis manibus, non clam, sed palam oppugnantes, consecrata Deo loca, templa & monasteria cauerunt, & profanant, Christo dicatas virgines, sacerdotes Christi, & monachos crudelissime persequuntur, Ecclesiarum bona diripiunt, & breuiter, rapinis, latrociniis, cædibus ac incendiis confundunt vniuersa, excæcante nimirum eos iusto Dei iudicio, & in insaniam tam manifestam erumpere permittente, vt neminem iam latere possint scelestissimæ machinationes istius. Atque, hi qui pestifera contagione ipsius infectos sese tandem cognouerunt, schismatico errore deposito, ac hæretico furore deserto, vnitatis ac veritatis domicilium fidei sanitate repetunt, inter quos, dilecte nobis in CHRISTO IESV, cum à te non ex postremis reuersurum ad salutarem matris sinum sperauissemus, quem reuertentem libenter & obuiis excepissemus manibus, bona spe tandem nostra frustrati, videmus supra petram induratum esse te faciem tuam, videmus perniciem illam animarum Lutherum sub tuo patrocinio latitantem, super adhuc virus longe lateque spargere. Sed quoniam adhuc potens est Dominus Deus etiam de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, antequam egrediatur vt ignis indignatio eius, & succendatur, nec sit qui extinguat, ideo te fili dilecte in Christo obsecramus per viscera nostri Redemptoris Domini nostri IESV CHRISTI, per Christianam vnitatem, per patriæ charitatem, per tuam denique ipsius tuorumque salutem, miserere Ecclesiæ Christi, & tot iam malorum procellis vndique exagitatæ ac pene oppressæ tua maxime culpa, aliquando fer opem, miserere patriæ nostræ, quæ sinceræ olim fidei, eximiæ religionis, sanctæ sub iugo Domini ac religiosæ obedientiæ insigni præcellens gloria, perniciem istam religionis Christianæ, ac fidei ac pietatis publicum hostem Martinum, in suis se peperisse ac fouisse visceribus, nunc erubescit. Miserere denique tui ipsius, tuorumque misere seductorum Saxonum, quos, nisi resipiscatis, & quidem cito, manet præsens & certa vltio Diuina quam neque in hoc sæculo effugietis, neque in futuro. Hæc dicit Dominus Deus; Audi popule stulte, audi princeps qui non habes cor, qui habetis oculos, & non auditis, me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis? nunquid non audistis, quæ fecerim in diebus antiquis? Legite scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, & inuenietis, quam grauis semper fuerit, & quam terribilis Diuina vindicta in illos qui in populo Dei schismata concitauerunt. Nunquid non legistis horribilem Diuinam vltionem aduersus Dathan & Abiron, quod multitudinem aduersus Mosen concitauissent, quod dehiscens sub pedibus terra, & aperiens os suum, deglutiuit, & omnia quæ ad eos pertinuerunt, ita vt descenderent viuentes in infernum? Et aduersus Core, quem eandem ob causam cum ducentis, & quinquaginta viris cœlestis flamma deuorauit. Quod si ob durius imperium fortassis, aut quorundam pastorum seu ignauiam, seu malitiam, schismata excitanda putaris, nunquid non ex libro Regum audistis adeo indignatum fuisse Dominum aduersus decem tribus filiorum Israël, & in omne semen eorum, vt dimouerit eos, & tradiderint in direptionem, donec proiiceret eos à facie sua? Ob quam tandem culpam, nisi quod ob durius imperium Salomonis, & imprudentius arrogantiusque responsum Roboam Regis Hierusalem, scissæ fuerunt à tribu Iuda & Beniamin? Quam præsens semper fuerit Dominus vindex sacerdotibus suis, an non Saül ab regio abiectus honore, & Ozias rex Iuda percussus lepra, propterea quod quæ sacerdotum erant, contra sacerdotes Domini sunt ausi vsurpare, sufficienti vobis potuerunt esse argumento? Et breuiter. An non omnes testantur historiæ, vniuersos vltrice Domini manu infelici periisse exitu, qui in Christos Domini sacrilegas manus iniicere non formidauerunt? Contra autem, felicia omnia & longam illi, contigisse vitam, qui Christum in sacerdotibus suis venerati sunt? Moueant ergò vos exempla aliorum, & cogitate quid vobis sit expectandum, qui venerabilem Dei chorum, in manus tentatis tradere profanas. Proinde quod Dominus per Mosen præcipit vniuerso populo Israël, vt separarentur à tabernaculis, Core, Dathan, & Abiron, nec tangerent quidquam quod ad eos pertineret, ne inuoluerentur in peccatis eorum, & hoc & vobis, præcipue autem tibi dilecte fili, eiusdem Domini nostri auctoritate præcipimus, & obsecramus in Christo Iesu, vt separamini à Martino Luthero, auferatis à vobis petram illam scandali, neque tangatis quod illius est, ne & vos diuina vltio inuoluat subito in peccatis illius. Expurgate quamprimum fermentum illud, quod reliquam fidei vestræ massam corrupit, vt sitis noua conspersio, nouaque creatura.

Hortatur Ducem Saxonia vt desistat ab Ecclesia persecutione, & Diuum Paulum imitetur.

§. 11. Non dedigneris fili dilecte Paulum imitari, quem sicut vicisti in Ecclesiæ Dei persecutione, tam grauem animarum perniciem sub tuo nutriens patrocinio, ita reuersus ad cor, effice vt omnes intelligant tuam conuersionem, vtque qui per te sunt scandalizati, in te rursus glorificent Deum. Maxime autem hoc præsta quamprimum, vt impurum os illud obstruetur, vt compescatur blasphema lingua, quæ contra Deum ac sanctus eius loqui non cessat, & virus suum vndique spargit. Et vt propheticis vos verbis admoneamus, state super vias, & videte ac interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. State, inquam, & doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, per quam ambulauerunt patres vestri, quam demonstrauerunt tot myriades martyrum, docueruntque tot millia confessorum, & ambulate in ea.

Præmia conuersionis proponit.

§. 12. Quod si à vobis impetrauerimus, sicut, & sincere speramus erit, quod gaudeamus cum Angelis de peccatore pœnitentiam agente & perditam ac rursus inuentam ouem humeris nostris ad ouile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate quantum in nobis fuerit stolam vobis pristinam restituemus.

Pœnas impœnitentia denunciat.

§. 13. Quid si dixeritis, Non ambulabimus, paterne salubriterque vos monenti respondebitis, Non audiemus. Ideo audite gentes dicit Dominus, & cognoscite congregationes, quanta ego faciam eis. Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Sed & hoc tibi denunciamus in virtute omnipotentis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, cuius in terris Vicarius sumus, nec te in præsenti sæculo hoc laturum impune, & in futuro æterni te ignis expectare incendium. Viuunt vnà Pontifex Adrianus & religiosissimus Imperator Carolus, meus charissimus in Christo filius, & alumnus: Cuius tu edictum vere Christianum aduersus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non sine graui offensa ac vilipensione Cæsareæ Maiestatis violare non timuisti. Non committemus, vt quos olim cum Magno Carolo Adrianus Pontifex in Christo genuerunt, nunc Hadrianus Pontifex, & Imperator Carolus sub schismatico ac hæretico tyranno, hæresum ac schismatum sinamus interire contagione. Quare reuertimini ad cor, & resipiscite tu, tuique misere seducti Saxones, nisi vtrumque gladium, Apostolicum simul & Cæsareum, velitis experiri. Scripta Romæ D.P. An. 5. 1522.

Canonizatio S. Bennonis Episcopi Misnensis, eiusque in SS. Confessorum numerum relatio, cum eius Festiuitatis pro die 16. Maij institutione, & indulgentiarum pro ea die ad illius sepulchrum quotannis accedentibus elargitione.

Hac eadem die iste Pontifex, eorundem SS. Confessorum Catalogo B. Antoninum Archiepiscopum Florentinum ascripsit, sed sua Canonizationis

tionis literæ, illius superueniente obitu, à Clemente VII. successore expeditæ fuerunt, vt in sua const. 1. lib. 1. Rationi.

Edita An. D. 1523.

HADRIANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Deus Ecclesiam suam multorũ Sanctorum agmine illustrauit, atque muniuit.

§. 1. EXcelsus Dominus militantem Ecclesiam pretiosorum lapidum viuorum, ipso summo angulari lapidi Christo Iesu vnitorum ornatissima varietate decoram, structura mirabili fundare disposuit, hinc processerunt beati Patriarchæ, qui fide præclari sanctorum Angelorum susceptores effecti, facie ad faciem Deum videre meruerunt. Hos secuti sunt sancti Prophetæ, quibus ostendit Deus secreta sua, vt ventura quasi præsentia Spiritu sancto illuminante agnoscere, atque enuntiare potuerint. Postquam autem venit plenitudo temporis, & oriens ex alto, in assumpta sibi humanitate nos visitare, nostræque salutis mysteria sicut prædixerant Prophetæ, adimplere dignatus est, constituti fuerunt beati Apostoli diuinæ legis promulgatores, qui per orbem vniuersum genus humanum, quod sub diabolicæ potestatis iugo tenebatur, ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus Terræ finibus prædicarunt. Hos secuti sunt Martyres splendidi, qui fidei loricam induti, & inconcussæ stabilitatis baltheo succincti, ac stolas suas in sanguine innocentis agni lauantes, & candidato exercitatu Christum Iesum imitati, cum gloriosa victoria palmas manibus gestantes, se dicto viuo lapidi Christo adiunxerunt, sempiternam sui memoriam, & exemplum venerabile militanti Ecclesiæ relinquentes. Progressi sunt Doctores lucidi, qui suis doctrinis & exemplis, catholicam & orthodoxam fidem ipsam subuertere satagentibus se opponentes, dictam militantem Ecclesiam multipliciter illustrarunt; quibus eadem comitata progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Sequuntur postea Sancti Confessores, qui virtutum gemmis coruscantes, Domino rationem de talentis creditis reposcenti, vtpote fideles, & boni serui multiplicatum de suis laboribus fructum attulerunt, & in arcam cælestem reposuerunt, omniaque mundi blandimenta vt venenum aspidum fugientes, latibula in terris petierunt antris abditi, rudi victu scaturientis aquæ leni potu carnem macerantes, tegmine hircino amicti iunceo, vel stramineo fessa membra somno fouentes, nudis pedibus Dominum quæsierunt, æternamque patriam inuenerunt. Adsunt & Virgines nitidæ, mundo corpore sincero corde, sanctaq; mente, cum oleo in lampadibus suis, sponso qui est præ filiis hominum speciosus, obuiam venientes. Deuotæ tandem, continentesque Viduæ & aliæ quàmplurimæ sexus vtriusque personæ, piis & sanctis operibus semper intentæ, cum plenis manipulis eidem cælesti sponso se repræsentauerunt, cum Angelis gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis magnifice depromentes.

Et mox in ea suscitauit S. Bennonẽ qui suis meritis eam decorauit.

§. 2. Hæc omnis vnus & idem Spiritus admirando plurimum operatur mysterio, & sicut altissimus ab initio vineam suam, talibus piis cultoribus iuxta sanctam promissionem suam visitauit, firmauit, & auxit, sic semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impartitur, & eandem vineam more solito visitans, virum fortem ad huiusmodi vineæ culturam adduxit, gloriosum scilicet Confessorem beatum Bennonem, superno cœtui merito sociandum, imo verius sociatum, qui inter cæteros Christi athletas suis meritis & exemplis ipsam sanctam Ecclesiam diuina cooperante gratia multipliciter decorauit, præsentisque temporis caliginem suæ lampadis fulgore mirabiliter illustrauit. Ipse enim aduersus mundum, carnem, & dæmonem fortiter dimicauit, & in odorem altissimi currens, copiosam vtriusque sexus Christi fidelium multitudinem salubriter post se traxit, ac velut effusam super faciem terræ religiosam professionis suæ generationem dereliquit, vt ad illuminationem gentium celebri memoria tanquam rutilum sydus in Ecclesiæ firmamento seruaretur.

Miraculis etenim ac virtutibus multis in vita claruit. Quorum aliqua hic indicantur.

§. 3. De cuius quidem origine, vita, moribus, & fama, necnon mirabilibus, quæ in præmium sanctitatis eius, Deus mundo multipliciter ostendere dignatus est, ne de tam celebri viro etiam posteritas maneat ignara, pauca ex multis duximus recensenda. Siquidem Fridericus Bultẽburgensis vi nobili loco natus, pater fuit beati Bennonis, quem ex Bezela eius pia vxore susceperat. Cumque in Beato Bennone ab ineunte ætate bona indoles eluceret, ne illa æqualiũ studiis, malis moribus, ac depravatis opinionibus (vt illa ætas assolet) corrumperetur, magnopere sibi prouidendum existimauit, & eum vt primum ex infantia excessit diuo Bernardo Episcopo Hildesemensi cõmendauit, & tradidit. Qui cum negotium sibi commissum attenderet, vt puer ad virtutem recte informaretur, illum primum ad amorem Dei optimi maximique induxit, deinde verò cum vir prudens intelligeret, vtile esse si literæ eum virtute coniungerentur, beatum Bennonem à Bigario, bono sane viro & docto instruendum curauit, sub quo magnos ille progressus fecit, quamobrem ineunte iam adolescentia, cum ad bene beateque viuendum satis instructus esset, monasticam vitæ rationem suscepit. Monachus itaque cum esset reiectis voluptatibus, omnem vitæ cursum in virtute confecit, quod cum Fratres cum quibus viuebat probassent, tantumque in eo virtutis esse cognouissent, quantum Ecclesiasticis honoribus erat mandandum, defuncto eorum Abbate cunctis fere suffragiis Abbatiam illi detulerunt, sed quia res in contentionem inciderat, cum essent sed non ita multi, qui Sigiberto religioso viro suffragabantur, beatus Benno vt erat ab omni ambitione alienus, honorem recusauit, & pro Sigiberto summo studio egit, rogauitque ne se ab ea viuendi ratione, qua in tranquilitate esset distraherent, sed quo ille vehementius rogabat, eo magis Monachorum studia incendebantur. Vrgentes igitur & instantes, beatum Bennonem vel inuitum ad dignitatem rapiunt, quam ipse tertio post mense deposuit, seque ad pristinam vitam, & bene quidem institutam retulit, cœpitque eum claræ memoriæ Henricus Tertius Imperator diligere primum, qui cum videret sanctissimum hominem ad rempublicam bene gerendam natum esse, tantum virum in cœnobij angulis ætatem consummare passus non est. Sed eum à fel. record. Leone Papa IX. prædecessore nostro assensum obtinuisset, illum magnopere repugnantem è Monasterio eduxit, ac Præposituræ Ecclesiæ Bossorien. Hildesemen. diœcesis præfecit. In ea verò cum vsque ad ingrauescentem ætatem integre, casteque cõuersaretur, Canonici Ecclesiæ Misnij fama eius inducti, venerandum senem qui tunc quinquaginta sex annos natus erat, Ecclesiæ suæ præesse voluerunt. In qua cum omnia præclare, tum hoc præclarissime egit, quod Vandalos de religione Christ. malè sentiẽtes, ex pernicioso errore eripuit, eosq; traduxerit, vt vnà cum Catholica Ecclesia pari studio fidem Christianam tuerentur. Quod factũ & memorabile est, & plane diuinum. Illis namque temporibus piæ mem. Gregorius Papa VII. etiam prædecessor noster, & similis memoriæ Henricus Quartus Imperator, magnas inter se inimicitias gerebant, & ita quidem vt alter alterum de eo in quo locatus erat dignitatis gradu deiectum studeret, qua de causa vterque suos in Concilium vocabat. Paruerunt Imperatori non solum Principes, sed etiam vniuersi, & Germani, & Galliarum Episcopi; solus beatus Benno decreti Imperatoris auditor non fuit, quippe qui præclarum fore existimabat, si Ecclesiæ dignitatem quoad eius fieri posset, tueretur. Atque vt suæ erga Ecclesiam deuotionis documentum daret, Imperatorem, Marchionemq; Misnen. hostes religionis iudicatos excommunicauit, quin etiam Marchioni ingressum templi Misnen. prohibuit, seq; ad Concilium Pontificis contulit. Ad hanc magnitudinem animi quid addi potest? Sed antequam profectionem susciperet beatus Benno, in Albim magnum, & celebre flumen perfluens, Ecclesiæ suæ Misnen. claues proiecit, vt iis qui se Imperatoris causæ iniunxissent, eáque ob rem excommunicati essent, ingressus Ecclesiæ nõ pateret, ex quo facile concipi potest, quantas ille inimicitias pro Ecclesia Catholica susceperit, quantoque se obtulerit periculo. Nam cum Imperator se suosque iniuria affectos existimaret, ac suas & communes iniurias prosequi intenderet, beatum Bennonem à Concilio reuersum, vt suum expleret animum in vincula coniecit. Sed Deus omnipo

omnipotens, qui bonos scelerate oppressos erigit, diuinum hominem respexit, fuit igitur beatus Benno non ita multo post, & liberatus, & in pristinum statum restitutus. Cum autem eo tempore claues Ecclesiæ Misnen. de quibus præfati sumus desiderarentur, in dicto Albi flumine capitur piscis, in cuius visceribus claues amissæ repetiuntur, magnum sane, & haud obscurum diuinitatis specimen. Nunc verò de iis quibus Ecclesiam suam exornauit Sanctissimus homo. Et primo quidem cum videret egregium cantum rebus sacris magno ornamento esse, optimam quidem ille canendi rationem instituit, quæ hodie in templo Misnen. magno cum decore viget, Ecclesiam præterea bonis multis, atque facultatibus locupletiorem fecit, quid quod in eo loco in quem secedere solebat, si quando à cæteris curis ad contemplationem Dei Optimi se conuertere vellet Ecclesiam collegiatam extruxit, instituitque. Sed quid pluribus de propenso beati Bennonis in rem Ecclesiasticam studio? Albim flumen prædictum siccis pedibus transiuit, cumque aliquando (ita vt facere solebat) agricolas inuiseret, videretque homines de labore fessos vehementer sitire commiseratione adductus, aquam in vinum conuertit. Idemque beatus Benno alio quodam tempore, cum in valle proxima Ciuitati Misnen. concionem ad populum haberet, animaduertit multos, vt fit tempore æstiuo siti pene exanimes, vt illis subueniret terram percussit, è qua subito vberrimus, & perennis fons emanauit qui adhuc hodiernis diebus fons sacer appellatur. Campana verò ab ipso diuo Bennone consecrata, omnem vim cœli ab agris finitimis auertit, tum ager ille per quem iter facere solebat vir diuinus, omnes qui in ea vicinia sunt agros vbertate facile superat. Est præterea pagus quidem Neumberch nuncupatus, à Misna longe distans, aliquando tamen diuinitus accidit, vt vno eodemque tempore beatus Benno, & illic rem sacram faceret, & Misnæ rebus sacris interesse videretur. Marchio quidam Misnen. ad rem auidior, cum per summum scelus in possessionem bonorum Ecclesiæ Misnen. irruisset, beatus Benno, hominem recte facturum affirmauit, si ea quæ ipsi Ecclesiæ Misnensi eripuisset, restitueret, sin minus Deum aliquando pro tanta improbitate pœnas ab eo expetiturum. Quibus verbis homo furens concitatus, sanctissimum virum alapa percussit, tunc beatus Benno diuino spiritu afflatus, hanc tantã iniuriam inquit, hoc eodem tempore sequentis anni, Deus omnipotens vlciscetur. Quem Marchio ille proteruus atque superbus irrisit, ac paulo post beatus Benno ægrotare cœpit, & breui futurum spectans, vt ex hac vita ad superos, quorum consuetudo dulcis est atque æterna migraret, paulo antequam moreretur Canonicos suos adhortatus est, vt eam charitatem quam nos docuit Christus, studiose complecterentur, deinde Eucharistiam cibum illum diuinum magna cum pietate sui cepit, & cum orationes ad Deum optimum maximumque habuisset, è vita excessit, & quidem quadragesimo Pontificatus sui anno post Christum autem natum millesimo centesimo sexto. Hactenus de iis, quæ in vita non humano consilio, sed diuinitus gessit diuinus homo.

Et post mortem miraculis etiam emicuit.

§. 4. Ad ea verò quæ post mortem illius, summa cum admiratione acciderunt, nonnulla recitanda censuimus, ac primum, Marchio de quo paulo ante locuti sumus, cum tempus illud euenisset quo sanctus vir ipsum Marchionē pœnas daturum prædixerat, in hanc vocem prorupit, Benno superiori tempore nescio quod periculum nobis hodierno die euenturum minabatur, mortuus est ille non igitur est quod nobis timeamus. Vix ille hæc verba finierat subito consternitur, & auxilium eorum qui aderãt implorans, miserandum in modum, ac magno cum dolore, & gemitu moritur. Hoc facile concipi potest, diuinam potestatem diuino homini communicatam esse. Accedit huc alterum exemplum priori haud dissimile. Vvillelmus alius Marchio antedictam Misnen. Ecclesiam iniuriose tractabat, cumque Præpositus eiusdem Ecclesiæ hominem magnis precibus à malo instituto abducere vellet, ipse non solum recte monentibus parere noluit, sed etiam multo magis quam antea ipsam Ecclesiam vexauit, tum dictus Præpositus cum aliunde auxilium petere non posset, ad diuum Bennonem confugit, ab eoque precatus est vt Ecclesiam seruaret, quo factum est, vt beatus Benno Marchionem per quietem admonuerit, ne quid grauius aduersus Ecclesiam moliretur, quod cum ille vt inane somnium contemneret, quarto deinceps vehementer obiurgatus, alterum oculum amisit, periculo grauiori proposito, nisi ab improbo instituto desisteret. Vvillelmus Marchio partim metu, partim pœnitentia ductus Ecclesiæ restituit omnia, illiusque facultates quantum potuit auxit, quin etiam diuum Bennonem, & plurimi fecit, & maxime coluit. Illud verò prætereundum non est, duos esse Pagos, in quorum altero Marchionem dum fugeret se abdidit, in altero verò Vandalos à summa impietate ad fidem Christianam conuertit, in quibus vestigia pedum eius adhuc integra cernuntur, tum tugurium illud in quo apud Vandalos fuit, etsi nulla stabiliori structura firmetur, tectumque habeat stramineum vetustate confectum, illud tamen nec vnquam vitium fecit, nec igni est consumptum, cum tamen sæpenumero vicinæ ædes incendio flagrarunt. Habitus quoque Episcopalis quo corpus suum terræ commendatum extitit, vnà cum mitra Episcopali vltra ducentos annos sub terra latuit, & absque aliqua alteratione ex sepulchro effossus, hodie integer cernitur, & ostenditur. Possent hic quamplurima alia miracula afferri. Multos enim diui Bennonis meritis è mortuis excitatos constat; multos variis morbis curatos, denique qui votum fecerit neminem illius beneficium non sensisse.

Carolus ergo V. Imperator & alij Principes, pro B. Bennonis canonizatione hunc Pontificē supplicarunt.

§. 5. Propter quæ charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum, & Hispaniarum Rex Catholicus in Imperatorem electus & dilecti filij nostri Albertus S. Petri ad Vincula Presbyter, & Matthæus S. Angeli diaconus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac venerabiles fratres nostri Riccardus Treuiren. & Hermanus Colonien. Archiepiscopi per eorum patentes literas necnon dilecti filij nobiles viri Ferdinandus Archidux Austriæ, ac Georgius, & Henricus fratres Germani Duces Saxoniæ, Lantgrauij Thuringiæ, & Marchiones Misnæ, per venerabilem fratrem nostrum Ioannem Episcopum Misnen. Nuntium & oratorem ad Nos ab eis destinatum, & dilectum filium Vvillelmum de Enckenuort electum Dertusen. Datarium, & Prælatum nostrum domesticum, eorum apud Nos & Sedem Apostolicam etiam oratorem, & negotiorum gestorem humiliter supplicari fecerunt, vt præmissis diligenter inquisitis & exploratis, ad beati Viri canonizationem procedere dignaremur.

Qui post inquisitionē & processum desuper ab Alexandro VI. Iulio II. & Leone X. habitos ea mature discussa seruatis seruandis ad S. Bennonis canonizationē deuenit die vltima Maij 1523.

§. 6. Quorum quidem precibus licet libenter annuere vellemus, summopereque gauderemus huiusmodi canonizationem nostris temporibus diuino quodam mysterio contigisse, ac nobis iustum videretur, vt idem beatus Benno, quem iam Deus in cœlesti gloria Sanctorum choro dignum fecisse plurimis & manifestis indiciis, & miraculis ostenderat, in terris etiam sibi debito Sanctorum honore non defraudaretur, non statim rem tanti ponderis ac momenti faciendam, sed iuxta veterem, & laudabilem consuetudinem cunctanter matureque considerandam duximus. Post triplicem igitur inquisitionem ex recolendæ memoriæ Alexandri Sexti primo, & deinde Iulij Secundi, & successiue Leonis Decimi prædecessorum etiam nostrorũ commissionibus super hoc debite factam, tandem idem Leo Decimus tribus etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ex tribus illorum ordinibus, videlicet Venerabilibus fratribus nostris Bernardo Ostien. sanctæ Crucis Hierusalem, & Antonio Albanen. Episcopis tunc tit. S. Vitalis Presbytero, ac Ioanni SS. Cosmæ, & Damiani Diacono Cardinalium de fratrum suorum, de quorum numero licet absentes tunc eramus, consilio & assensu commisit, vt ipsi visis, & examinatis processibus editis super eiusdem beati Viri vita moribus, fama, & miraculis, ante, & post ipsius decessum, eius intercessionibus à Deo factis, aliisque cunctis ad Sanctorum canonizationem huiusmodi necessariis, se super omnibus, & singulis diligenter informarent, & per eos comperta in suo secreto Consistorio, vt moris erat, fideliter referrent. Cumque ipsi Cardinales visis, & examinatis diuersis processibus in partibus Germaniæ de Sedis prædictæ commissione habitis, & ad Curiam nostram transmissis, testiumque fide dignorum depositionibus, pro tanta rei

dignitate

dignitate debite ponderatis, de supradictis miraculis ac vitæ sanctimonia, & aliis à iure requisitis fidelem nobis relationem in pluribus etiam secretis Consistoriis fecissent, Nosque ipsorum, & omnium Cardinalium vota pro celebranda d. canonizatione conuenientia, & conformia inuenissemus, & pro celebriori executione, dilectus filius Ioannes Baptista de Senis vtriusque iuris doctor, & aulę nostrę Consistorialis Aduocatus in publico Consistorio, omnia de ipsius beati Viri vita, moribus, fama, & miraculis copiose percensuisset, Nobisque humiliter supplicasset, vt ad eiusdem beati Viri canonizationem, matura deliberatione præhabita procedere dignaremur, Nos de relatis coram Nobis, in primis maximas omnipotenti Deo gratias agentes, rogauimus omnes in eodem publico Consistorio tunc astantes, vt suis orationibus, & ieiuniis Ecclesiam Dei iuuarent, ac ne eam altissimus modo aliquo in huiusmodi canonizationis officio errare permitteret instanter orarent, demum post aliquot dies conuocatis denuo in aula nostra Consistoriali in Palatio Apostolico, vniuersis, & singulis, qui tunc aderant in Romana nostra Curia Ecclesiasticis Prælatis, Patriarchis videlicet, Archiepiscopis, & Episcopis, in præsentia eorumdem fratrum nostrorum dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, eosdem processus super eiusdem Beati vita, moribus, fama, & miraculis editos, per eũdem Ioannem Baptistam breuiter summarieque referri fecimus, quæ cum ex serie per Cardinales, ac alios quibus id munus per Nos iniunctum fuerat, enarrata, & exposita fuissent, omnesque astantes Prælati, quid sibi super huiusmodi canonizationis negotio videretur interrogati, vnanimi consensu nullo penitus discrepante respondissent, sibi videri, quod idem beatus Vir inter Sanctos merito adscriberetur, & connumeraretur. Nos iterum humiles ipsi omnipotenti Deo, quod ad beatum seruum suum debitis honoribus prosequendum corda nostra illuminare dignatus esset gratias agentes, ad ipsius canonizationem diem Dominicam primam post Pentecosten, quæ tunc occurrebat vltima die mensis Maij Anno Domini 1523. deputauimus, ac in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, amplum suggestum ligneum de more parari, & exornari iussimus super quo quidem, astante vniuerso Clero, & populo, de vita miraculis, & fama eiusdem beati Bennonis humili, deuotioneque pleno (vt moris est) sermone habito, deindeque Litania, & Hymno, Veni creator Spiritus, per omnia deuote decantatis, necnon à Procuratoribus causæ ipsius canonizationis, & ab eiusdẽ Caroli in Imperatorem electi apud Sedem prædictam constituto Oratore, à Nobis magna cum instantia petitio pronunciari, adscribi inter Sanctos eundem beatum Bennonem, cũ iam omnia consummata essent, omnesque Ecclesiæ ceremonias consuetas super ea re rite seruauissemus, Deum præ oculis habentes, ad canonizationem eiusdem Beati sub his verbis procedendum duximus, & processimus.

Ipsumque catalogo SS. Confessorum adscripsit. Festũ eius die 16. Iunij agi iubet.

§. 7. Ad laudem, & honorem sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, & exaltationis Fidei Catholicæ, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & nostra, de Fratrum nostrorum consilio decernimus, & definimus, bonę memoriæ Bennonem olim Episcopum Musnensem Sanctum esse, & in Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque in eodem Sanctorum Confessorum catalogo describimus. Statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia quolibet anno Festum ipsius, & officium, sicut pro vno Confessore Pontifice, sextadecima die mensis Iunij, hoc est depositionis suæ, deuote, & solemniter celebretur.

Indulgentiasque ea die annis singulis ad eius sepulchrũ accedentibus, elargitur; Missã deinde celebrat cum oratione & collectis S. Bennonis & astantibus indulgentiam impartitur.

§. 8. Et insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis ad sepulchrum eiusdem sancti Bennonis eadem die accesserint, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

§. 9. Quibus debite peractis, inchoatoque per Nos, ac decantato vsque ad finem à Cantoribus nostris hymno, Te Deum laudamus in illius etiam finem, Cardinali diacono in cantu dicente: Ora pro nobis beate Benno, à Choroque responso, vt digni efficiamur promissionibus Christi. Nos illico propriam Orationem de eodem Sancto alta voce decantauimus dicentes. Deus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas, & protegis: da nobis, & eius imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Deinde verò à dicto Choro responsum, Amen. Solemnem illic Missam, Nos ipsi celebrauimus de dicta tunc occurrente Dominica prima post Pentecosten. Collectas singulas sub vna conclusione terminantes, additis etiam prædicta cæterisque specialibus eiusdem sancti Bennonis collectis immediate sequentibus. Pro secreta videlicet Sanctus tuus quæsumus Domine Benno Confessor, & Pontifex, nos vbique lætificet, vt dum eius recolimus merita gloriosa, apud te semper patrocinia sentiamus, cum sua conclusione videlicet, per Christum, &c. Deinde verò post communionem subiunximus dicentes. Quæsumus Domine salutaribus repleti mysteriis, vt sancti tui Bennonis Confessoris, & Pontificis, cuius solemnia celebramus, etiam intercessione adiuuemur, cum simili cõclusione. Et ita missam ipsam ad finem vsque cum solitis ceremoniis iuxta ordinarium Apostolicum illic debite terminauimus, Indulgentiamque plenariam omnibus officiu huiusmodi tunc astantibus deuote elargiti fuimus.

Has literas desuper edit.

§. 10. Præsentes literas in præmissorum testimonium concedentes. Ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, qui in sanctis suis mirabilis est, ac gloriosus viuit, & regnat benedictus in sæcula sæculorum.

Earumque transumptis credi iubet.

§. 11. Cæterum quia difficile foret easdem præsentes literas ad omnium notitiam deferri, volumus, & decernimus, quod earundem transumptis, manu Notarij publici subscriptis, sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici munitis, fides adhibeatur indubia, in omnibus, & per omnia, & illis vbique stetur, ac si originales literæ huiusmodi essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionem pœnalem apponit.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, descriptionis, statuti, relaxationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat P. An. & die 31. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1523. pridie Kal. Iunij, Pont. N. Anno sexto

CLEMENS SEPTIMVS PONT. CCXXIII.



CLemens Septimus, Florentinus, de familia Medicea, Archiepiscopus Florentinus, Presbyter Cardinalis tituli

tituli S. Laurentij in Damaso Vicecancellarius, Iulius antea vocatus, Creatus 13. Kal. Decemb. 1523. Coronatus eodem mense. Vixit annos decem, menses totidem, ac dies septem. Creauit Cardinales 32. Obiit septimo Kalend. Octobr. 1534. sepultus fuit in Basilica S. Petri. Vacauit Sedes dies 17.

I. Canonizatio S. Antonini Archiepiscopi Florẽtini, Professoris Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici, cum institutione suæ festiuitatis pro die 2. mensis Maij, ex constitutione Hadriani VI.

Edita An. D. 1523.

CLEMENS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

RATIONI congruit, & conuenit æquitati vt ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Angelos Deus pro salute hominum destinauit.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Hadrianus Papa Sextus prædecessor noster pie præmeditans singulos, præsertim aqua regenerationis renatos populos Propheta docente misericordias Domini in æternum cantare ducere, magnaque profecto, & mirabilia esse opera misericordiæ, quibus Saluator noster IESVS CHRISTVS in salutem generis humani miserationis huius largissime sese effundere dignatus fuerat, quæ si ab initio creati hominis recensenda forent, nullæ humanæ linguæ ad id sufficere poterant, quia inenarrabile illud erat, quod cum Deus ipse hominem creasset ad imaginem, & similitudinem suam, illi vt felicitatis æternæ particeps fieri, & in cælesti patria illa consortiis Angelorum adscribi posset benigne concesserat, si datæ sibi diuinitus legis non contempsisset imperium, neque tamen ipsum legis huiusmodi transgressorem factum passa erat diuina clementia penitus interire, quinimo congruentes exhibere medicinas dignata extiterat, quibus à lege Domini aberrans in certam salutis semitam perduceretur, Angelos destinando qui ei diuinam patefacerent voluntatem, ipsique iusta suaderent, & ad implendum diuina mandata opportune adiuuarent.

Patriarchas postea misit.

§. 2. Mittendo etiam Patriarchas gratiæ suæ spiritu repletos, qui exemplo sui totum humanum genus instruerent ad salutem.

Prophetas etiam.

§. 3. Necnon Prophetas, qui Spiritu sancto illuminati omnibus non præsentia solum beneficia commemorarent, sed futura etiam prædicerent.

Filium deinde proprium.

§. 4. Illud verò erat maximum, & cui nullum aliud miserationis opus comparari poterat, quod ipse Dei Filius in persona sua, naturam nostræ mortalitatis assumere, ac ea mysteria, quæ de passione, & morte sua per sanctorum Prophetarum ora prædicata, & annunciata fuerant adimplere, ac per passionem, & mortem suam huiusmodi, nos à perpetua morte liberare dignatus fuerat.

Leo igitur agnoscens ipsius Dei nomẽ glorificari, dum viri Sãcti venerantur in terris.

§. 5. Cumque prædecessor ipse tot gratiis, & beneficiis inuitatus, ac prouocatus, nihil studiosius curare, ac efficere quam eius voluntati, ac mandatis parere, atque obedire deberet; ipsisque in illis qui sibi propter vitæ integritatem, ac sanctimoniam dilecti fuerant, & per quos diuersa, & magna miracula ostendebat, sanctissimum nomen suum glorificari, ipsosq; Catalogo Sanctorum adscribi, & ab vniuersali Ecclesia claris bonorum, ac laudum præconiis honorari mandaret, sicut etiam ipsa sancta Mater CHRISTI Saluatoris nostri huiusmodi sponsa prędecessorem ipsum docebat, vt fidelium animas superna ac cælesti beatitudine fruentes, debita reuerentia prosequeretur, quos dum in humanis adhuc agerent, ipsi Deo acceptos, post autem ab hoc sæculo migrationem in Beatorum numero collocatos, & aggregatos esse intelligebat, dum fidelibus aliquo calamitatis genere oppressis, ac eorum suffragia implorantibus, diuina omnipotentia in eorundem cœlestis beatitudinis testimonium, miraculosè subuenire dignabatur; superna quoque patria illa Ierusalem ita omnium electorum salutatione lætabatur, vt quorum præstantiora erant merita pro illorum veritoribus præmiis, copiosiora etiam gaudia percipiebat, quod in excessu mentis suæ positus Isaias Propheta sensisse videbatur, cum diceret: Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus.

Ideo Sanctum Antoninum Catalogo SS. ascribere cogitauit, sicut apud eum pro Canonizatione visitatum fuerat.

§. 6. Prædecessor igitur ipse dicendum putauit. Exultent omnes Angelorum Chori, qui de vacaturarum Sedium repletione sollicitri, humiles corde, ac bonis, & sanctis operibus præcellentes, per virtutum gradus, in beatas illas mansiones vnde superbi corruerant Spiritus, perducere gaudent. Exultent quoque animæ iustorum, qui Christi vestigia sequuti, vitæ huius stipendiis emeriti, ac mundi illecebris omnibus superatis cœlesti regno tandem perfrui meruerunt, & etiam tunc numerosiore, cœlestium ciuium populo lætarentur. Exultet vniuersum cœlum laudibus, refulgeat terra gaudiis cuius sanctorum editio lætitiam habeat plurimarum. Siquidem fidei zelus exigebat, ac iustitiæ pietas postulabat, vt quod pro salute plurimorum gerebatur, communibus vbique gaudiis, & plausibus celebraretur. Præcipue verò prædecessor ipse etiam putauit exultare debere Pontificum beatorum cœtum, & sacram illam Doctorum concionem, inter quos sanctus Antoninus postquã ex hac lachrymarum valle ad cœlestem illam, quæ sursum est Ierusalem (vocante ipsum Domino) migrauerat tanquam nouũ sydus gloriose micabat, & fulgebat. Cumque eiusdem Antonini Archiepiscopi Florentini ex ciuitate florentiæ oriundi Ordinis Prædicatorũ vitæ excellẽtia, casti mores, fructuosa prædicatio, ac sanctissimorum operum perpetua coruscatio toti fere Orbi nota esset, & ab omnibus prædicaretur. Nos tunc in minoribus constituti, & tituli sancti Laurentij in Damaso tunc sanctæ Mariæ in Dominica Diaconus, qui ex concessione Apostolica Ecclesiæ Florentinæ præesse dignoscebamur, & dilectus filius noster tunc ipsius prædecessoris, Thomas tt. Sancti Sixti tũc Ordinis Prædicatorum generalis Magister, presbyteri Cardinalis, ac tunc Priores libertatis, & vexillifer iustitiæ populi Florentini, necnon Archidiaconus, & dilecti filij, Capitulum Ecclesiæ Florentinæ, considerantes ipsius Antonini Archiepiscopi vitæ sanctimoniam, quorve, & quibus miraculis tam in vita, quam post mortẽ claruerat, & in dies clarebat, desiderantesq. ipsum iuxta morem, & ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Canonizationis dignitate præfulgere, ac Sanctorum numero, & Catalogo aggregari, piæ memoriæ Leoni Papæ X. secundum carnem fratri patrueli, etiam prædecessori nostro in dicta Ecclesia Florentina tunc existenti, Missa Pontificali, & aliis peractis solemniis humiliter supplicarunt, vt gloriosæ memoriæ dicti Antonini Archiepiscopi Canonizationi intendere dignaretur.

Ideo processum desuper fieri commisit.

§. 7. Idem Leo prædecessor eorum pio desiderio annuere volens, dilectis filiis Magistris Iacobo Symonetæ, & Guillermo Cassadoro, nostris tũc ipsius Leonis prædecessoris Capellanis, & Causarum Palatij Apostolici Auditoribus commiserat, vt ipsi, & quilibet eorum de sanctitate vitæ, cæterisque virtutibus, & miraculis eiusdem Antonini Archiepiscopi se diligenter informarent, & habita super his informatione matura ipsi Leoni Prædecessori in Consistorio suo secreto fideliter referrent, vt de fratrum suorum consilio, ad omnipotentis Dei laudem efficere posset, quæ sanctorum Patrum dogmata, & sanctorum Canonum institutiones, necnon iustitia, & Christiana charitas postularet, atque requireret. Cumq; Auditores præfati ad inquisitionem præmissorum procedentes, articulis, & interrogatoriis datis, ac citatione legitima præcedente, sexaginta duos testes corã eis productos recepissent, eosq; præuio iuramento examinassent, idem Leo prædecessor ex dicta Ciuitate Florentiæ ad Almam Vrbem, & Romanam Curiam redire proposuisset, dilectos filios Ioannem Mariam Abbatem Monasterij Vallis Vmbrosæ Fesulan. Diœcesis, & Antonium Sacramorum Canonicum dictæ Ecclesiæ Florentinæ ac Leonardũ de Guasconibus tunc Vicarium Episcopi Fesulani in spiritualibus generalem, dictorum Auditorum loco in causa Canonizationis huiusmodi subrogauerat, eisq; commiserat & mandauerat, vt ipsi, vel duo, aut vnus eorũ ad vlteriorem præmissorum inquisitionem procederent, ac testes reciperent, eorumque attestationes, ac depositiones,

&

& omnia alia acta in scriptis fideliter redacta, sub eorum sigillo clausa, ad ipsum Leonẽ prædecessorẽ remitterent.

In Commissarij processũ absoluerunt, & Leoni trãsmiserunt.

§. 8. Ipsique subrogati in causa inquisitionis huiusmodi ad vlteriora procedentes, quadraginta octo testibus coram eis productis, iuratis, & examinatis ac processu desuper formato, & absoluto, illum sub eorum sigillis clausum, ad eundem Leonem prædecessorem remiserant, & successiue nonnullis aliis testibus tam per præfatum Vicarium, quam nonnullos alios Notarios ad procuratoris fideles, Ciuitatis Floren. instantiam examinatis, & eorum attestationibus etiam sub sigillo clausis, ad eosdem Auditores remissis, & de eorum mandato per Notarium causæ in registro insertis, præfatus Iacobus præsente eodem Guillelmo die nona mensis Decembris, Anni millesimi quingentesimi sextidecimi, omnia & singula in huiusmodi Canonizationis causa, tam coram eis, quam dictis subrogatis, & Notariis acta deducta, producta, & probata, plene, fideliter, & diligenter eidem Leoni prædecessori, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in Consistorio suo secreto retulerat.

Leo prædictus eosdem processus tribus Cardinalibus iterum examinandos dedit.

§. 9. Qua relatione facta idem Leo prædecessor eam volens adhibere diligentiam, & grauitatem, quam rei magnitudo postulabat, processus in ipsius Canonizationis negotio factos venerabili fratri nostro tunc suo, Bernardino Ostien. tunc Sabin. Episcopo, & tunc in humanis agentibus bon. mem. Leonardo tit. S. Petri ad Vincula presbytero, & Bernardo S. Mariæ de Porticu Diacono Cardinalibus, per eos denuo diligenter examinandos in dicto Consistorio secreto, viuæ vocis oraculo commiserat. Cumque idem Leo prædecessor præfatum Bernardinum Cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum tunc suum Franciscum Francorum Regem Christianissimum Legatum à latere suo destinasset, in eius locum dilectum filium nostrum tunc suum Innocentium S. Mariæ in Dominica Diaconũ Cardinalem subrogauerat.

Et successiue eorum veritas, in Consistorijs Papa relata fuit.

§. 10. Ipsique Bernardinus, ac Leonardus, & Innocentius Cardinales in causa Canonizationis huiusmodi rite procedentes, ac dicto processu vnà cum Auditoribus, & Abbate præfatis, necnon dilecto filio Melchiore Baldastino Iuris Vtriusque Doctore nostræ tunc ipsius Leonis prædecessoris Aulæ Consistorialis Aduocato, iteratis vicibus diligenter examinato, & causa huiusmodi mature discussa, primo per Bernardinum Episcopum die tertiadecima Iunij Anni millesimi quingentesimi deciminoni, in vno multis, & magnis in vita, deinde in alio Consistorio secretis per Leonardum Cardinalem præfatum post mortem ipsius Antonini Archiepiscopi miraculis fideliter relatis, eodem Innocentio Cardinale præsente, & relationem per ipsos factam comprobante. Et si ex eorundem Cardinalium relationibus de vitæ sanctimonia, & humilitate, aliisque virtutibus, & miraculis eiusdẽ Antonini Archiepiscopi plenissime constat, quamplurimis tamen fide dignis testibus se offerentibus, ac super eisdem miraculis deponere volentibus.

Idem tamen Leo, alios testes desuper recipi & examinari iussit.

§. 11. Idem Leo prædecessor die vigesimaquinta mensis Ianuarij Anni millesimi quingentesimi, vigesimi eisdem Iacobo, & Guillelmo, Auditoribus, etiam commiserat, & mandauerat, vt per se, vel alium, seu alios tam in dicta Vrbe quam extra eam, & ad partes ad aliorum testium receptionem, & illorum examinationem procederent, & deinde in dicto Consistorio secreto referrent, ipsique Iacobus & Guillelmus Auditores dilectos filios venerabilium fratrum nostrorum tunc ipsius Leonis prædecessoris Archiepiscopi Senen. & Pistorien. ac eiusdem Fesulan. Episcoporum Vicarios in spiritualibus generales, ac præfatum Antonium Sacramorum Canonicum iuxta tenorem commissionis eis factæ subdelegauerant, eisque, & eorum cuilibet mandauerant, vt super miraculis in vita, & post mortem per ipsum Antoninum Archiepiscopum factis testes reciperent, & præuio iuramento diligenter examinarent, eorumque dicta, & attestationes in scriptis redigerent, & cuncta sub eorum sigillis clausa ad eos remitterent. Cuius commissionis vigore dilectus filius Ludouicus de Adimaris præfati Episcopi Fesulan. Vicarius in spiritualibus generalis, in causa Canonizationis huiusmodi rite procedens, super eisdem miraculis, centum quinquaginta & vno testibus coram eo adhibito fideli procuratore huiusmodi deductis, iuratis, & fideliter examinatis, eorumque dictis in scriptis redactis, processum per eum absolutum, & suo sigillo clausum ad eosdem Iacobum, & Guillelmum Auditores, per proprium Nuntium remiserat.

Visoque processu Auditores Rota, illũ de nouo in Cõsistorio retulerunt, & Leo alius Prælatis remissionem vltimi processus commisit, cuius relatione habita is S. AntoninũCanonizandum esse censuit de voto Cardinalium.

§. 12. Ipsoque processu per eosdem Auditores recepto, & aperto, ac diligenter examinato, & facta per eos super illum in secreto Consistorio fideli relatione, idem Leo prædecessor ipsius vltimi processus examen commiserat eisdem Bernardino Episcopo, & Innocentio Cardinali ac dilecto filio nostro tunc ipsius Leonis prædecessoris Achilli tit. Sanctæ Mariæ Transtiberim presbytero Cardinali, quem ipse Leo prædecessor loco eiusdem Leonardi Cardinalis vita functi in huiusmodi causa subrogauerat, ipsique omnibus processibus per eosdem Bernardinum, & Achillem, ac Innocentium Cardinales de nouo diligenter examinatis, facta per eos plena, & fideli relatione, ac scrutatis eorundem Cardinalium votis, in eandem sententiam conuenerunt, & Antoninum Archiepiscopum ipsum canonizandum censuerunt. Deinde alio tempore videlicet die quartadecima mensis Decembris Anni millesimi quingentesimi vigesimi, scrutatis votis omnium, & singulorum Cardinalium, qui numero trigintaseptem tunc in secreto Consistorio aderant, vna & eadem omnium sententia fuerat, ipsum videlicet Antoninum Archiepiscopum canonizandum fore.

Et publicum Cõsistoriũ pro absoluẽda Canonizatione indixit.

§. 13. Quibus peractis idem Leo prædecessor in Vigilia Pentecostes Anni millesimi quingentesimi vigesimi primi, publicum Consistorium pro sexta Feria post festum ipsius Pentecostes indixerat, & teneri mandauerat, in quo idem Melchior publicam Orationem de vita, sanctitate, moribus, ac virtutibus ipsius Antonini Archiepiscopi necnon miraculis, in vita & post mortem factis, & in processibus huiusmodi contentis atque probatis, vt ea in secretis Consistoriis relata Prælatis curiæ, ac Curialibus omnibus innotescerent, habiturus erat.

Sed morte præuentus fuit.

§. 14. Sed cum ante dictam sextam Feriam febre correptus fuisset, Consistorium illud præfata sexta Feria teneri non potuerat, Deinde impedimentis, ac postremo obitu eiusdẽ Leonis prædecessoris superuenientibus, in canonizationis huiusmodi negotio vlterius processũ nõ fuerat.

Adrian. VI. ad Pontificatũ assumptus peste in Vrbe sæuiẽte, Canonizationis absolutionem distulit.

§. 15. Idem Adrianus prædecessor post ipsius Leonis prædecessoris obitum, diuina fauente clementia, ad summi Apostolatus apicem assumptus fuerat, cum ad dictam Vrbem Domino concedente peruenisset, & à nobis tunc in minoribus constitutis, vt præfertur, ac Thoma Sancti Sixti præfato, vt venerabili fratre nostro, tunc ipsius Adriani prædecessoris, Nicolao Episcopo Cardinali de Flisco dicti Ordinis Prædicatorum Protectore, ac eisdem prioribus libertatis, & vexillifero iustitiæ populi Florentini requisitus fuisset, vt ad vlteriorem eiusdem Canonizationis expeditionem procedere dignaretur. Etsi omnino ipse Adrianus prædecessor, id facere intenderet, peste tamen in dicta Vrbe tunc vltra modum sæuiente, idipsum aliquantulum differre coactus fuerat.

Ea postea cessante S. Antoninum canonizandum esse duxit.

§. 16. Postmodum vero cum pestis ipsa per Dei misericordiam cessasset, ipse Adrianus prædecessor Christiani gregis vniuersalem curam gerens, pro debito Pastoralis officij, militantem Ecclesiam cœlesti ac triumphanti sponso illius conformare, & pro eius ædificationis implemento omnibus diligenter examinatis, ac mature discussis, ipsum beatum Antoninum in Catalogo Sanctorum referendum esse duxit.

Et pauca ex multis eius miracula recenseri iussit, quæ hic inferuntur.

§. 17. De cuius quidem Antonini Archiepiscopi origine vita, moribus, & fama omissis in præsentiarum miraculis præ multitudine illorum, quæ libello quodam impresso ex ipso Canonizationis processu per causæ procuratorem fideliter excepta, & per ipsum fideliter reuisa, atque collata continentur, aliqua ex multis ipse Adrianus prædecessor duxit recensenda.

Virginitatem infans vouit, & conseruauit.

§. 18. Antoninus igitur ipse beatus in Ciuitate Floren. quæ inter cunctas Italiæ Ciuitates cum multis aliis virtutibus, & dotibus, vrbes insignes, & præclaras faciendibus, tum maxime pietate, ac religione semper floruerat, è Nicolao, & Thomasia sub timore Domini, pie, & caste viuentibus, tanquam ex bona arbore bonum fructum faciente ortus, & ab eis bene, & pudice educatus cum primum

primum per ætatem Deum sibi cognoscere licuerat, eligens ei soli seruire, ac mundi pompis omnibus renuntiare velle, sese ipsi Deo in totum dicauerat, ac in oratorio horti sancti Michaëlis dictæ Ciuitatis ante imaginem Crucifixi, humiles ac deuotas preces porrexerat, & virginitatem, quam illi vouerat, vsque ad vltimum vitæ spiritum illius dono, & gratia conseruare posset. Imitaturus enim CHRISTVM ipsum quem de Virgine natum, virginitatem perpetuo conseruasse constat, & secreta Dei contemplaturus, nullum gratius donum petere, atque impetrare potuisset. Virginitatem namque seruanti, tantum dabatur propius arcana, & cœlestia contemplari, ac diuinarum rerum veritatem cognoscere, quantum ea virtus secretior erat, & à terrenis sordibus, omnique corporis contagione, & fœditate longius abest. Deus qui scrutator est cordium, sinceram pueri mentem, puramque animum introspiciens, humilem ac sanctam eius orationem exaudiuerat, eumque inter illos commendandum elegerat, quos in Apocalypsi præuiderat Ioannes sequentes Agnum quocumque iret, cantantes canticum nouum ante thronum Dei, quod soli modulantur, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, & labem carnis, atque immunditiam omnem execrati, amiciuntur stolis albis, & corona immortalis gloriæ decorantur.

Ieiuniaque & studia frequentauit.

§. 19. Puer igitur ipse à Deo electus, crebris ieiuniis continua ad Deum præmeditatione, frequentibus circa orationem, & studia vigiliis, etiam illum modicum ætatis calorem extinguebat.

Religionem S. Dominici anno suæ ætatis 13. ingredi petijt.

§. 20. Cumque tertiumdecimum attigisset annum, vt humanis illecebris posthabitis, atque contemptis, soli Deo, eiusque mandatis seruire, ac penitus vacare posset, Religionem sancti Dominici, quæ per ardua tendit, ingredi statuerat, & die quadam deuotionis feruore accensus ad domum eiusdem sancti Domini de Fesulis, dicti Ordinis pergens, à Priore dictæ domus habitum per fratres dicti Ordinis gestari solitum sibi exhiberi magna cum humilitate petierat. Prior ipse quem pueri tenerior ætas, & religionis austeritas ad habitum illum ipsi negandum, eius vero feruor ac deuotio ad exhibendum inducebat, secum ipse cogitando quonam modo prænaturum pueri desiderium differre posset, eum interrogauerat, quibus studiis vacaret, qui cum respondisset, se decretorum lectioni operam dare, tunc Prior modum inuenisse ratus, quo interponerentur anni donec maturior illi ætas accederet, dixerat non solere canonistis habitum dicti Ordinis exhiberi, nisi toto decretorum libro memoriæ commendato.

Sed repulsus ad domum paternam rediit, & anni spatio, integrum decretorum librum memoriæ mandauit.

§. 21. Quibus verbis fide adhibita, innocens, simplexque vt columba puer à Priore discedens, & Domum paternam repetens, decretorum lectioni totis viribus incumbere, ac vacare cœperat, adeoque sedula lectione, ac assidua oratione profecerat, vt cum sapiente merito dicere posset, Optaui, & datus est mihi sensus. Illuminatus enim ab eo qui illuminat omnem sensum, & qui lux, via, & veritas est eiusdem anni spatio decretum integrum memoriæ mandauerat, quod propter sui magnitudinem tam breui temporis spatio à quoquam vix legi posset.

Postea habitum Religionis suscepit.

§. 22. Quo peracto, lætus, & alacer, quasi ad victoriæ suæ palmam accipiendam properans, Fesulas redierat, ac priori asserens se integrum decretorum librum mandasse memoriæ, dictum habitum, qui librum huiusmodi memoriæ mandassent dari solitum magna instantia postulauerat. Prior secum considerans quam essent mirabilia opera Dei, accitis patribus ipsius domus, factoque memoriæ periculo, illis rei miraculo stupentibus, ac inter se dicentibus. Quis putas puer iste erit, de illorum vnanimi consensu, eidem Antonino ipsum genibus flexis humiliter petenti, cum benedictione Domini exhibuerat.

In qua multum profecit, & reformauit.

§. 23. In quo per quadraginta quatuor annos, tanta humilitate, ac vitæ sanctimonia perseuerauerat, talentum sibi à Domino creditum, non sudario alligans, aut terræ infodiens, sed vt prouidens dispensator in communem vtilitatem conuertens, vt qui eius innocentiam & puritatem nouerunt, dicere soliti fuerant, sibi videri quod in eo Adam non peccasset, adeoque ipsius Religionis seruator fuerat, vt omnium fratrum oculos in se tanquam lucidissimum exemplar, ac rectissimam normam conuerteret, ipsique fratres eum tunc ætate iuuenem aliorum regimini præposuerant, inuitumque coëgerant, vt dumorum dicti Ordinis Italiæ gubernacula susciperet, ac officium generalis Vicariatus Congregationis Tusciæ regularis obseruantiæ exerceret. In quo ita se laudabiliter gesserat, ac tantam animi, & corporis humilitatem ostenderat, non solum doctrina, paternisque monitionibus (vt officium illud prælationis exigebat) subditos regens, atque instruens, sed corporali etiam seruitio, & proprio seruili ministerio vtens, vt verus CHRISTI miles, eiusque sanctorum operum imitator ab omnibus iudicaretur, & in eo Dominicum istud verbum videretur impletum. Qui maior est vestrum sit ipse minister vester. Nonnullas dicti Ordinis domos in quibus regularis obseruantia relaxata fuerat, visitando eas ad veram, & sanctam regularem obseruantiam reduxerat.

Orationibus, vigiliis, ieiuniisque & prædicationibus incumbebat.

§. 24. Et vt se omnibus exemplar præberet, vltra continuos animi, & corporis labores, ac præter assiduas in orationibus, studiisque vigilias, à carnium esu quasi semper abstinuerat. Cilicium nunquam dimiserat, ac ferreo super nudam carnem cingulo cinctus, nudam terram seu ligneas tabulas pro lecto habuerat, donec ad senectutis annos peruenerat, tunc enim strato ex paleis vti cœperat, ieiuniis, aliisque corporis macerationibus supra tenues corpusculi vires continue pœnitentiam agens, horas fere omnes diei ac noctis, ad arcana Dei contemplanda, ac verbum eius euangelizandum, & ea scribendum, quæ ad communem vtilitatem, & Christianam Religionem pertinent sedulo, ac iugiter impendebat, nec solum viua voce prædicando tunc viuentibus, sed & posteris plurima librorum optimorum, tum in sacris literis, tum in naturalibus, tum maxime in moralibus scientiis monumenta vtilissima relinquendo, prodesse studuerat.

Eugen. IV. Archiepiscopum Florentinum eum, quamuis renitentem creauit.

§. 25. Quarum tam grandium, atque adeo insignium virtutum fama permotus piæ memoriæ Eugenius Papa Quartus etiam prædecessor noster, Ecclesiæ Floren. tunc Pastore carenti de persona eius præter omnem spem prouiderat, ipsumque illi præfecerat in Archiepiscopum, & Pastorem. Quod cum sibi nuntiatum fuisset, haudquaquam huiusmodi nuntio lætatus fuerat, sed vt omni humilitate plenus tale onus humeris suis impar iudicauerat, ac statim cogitare cœperat, quo pacto posset illo absolui ac liberari. Suis igitur, & amicorum literis eidem Pontifici supplicare non destiterat, vt se in minoribus inter confratres suos relinquere, ac dictæ Ecclesiæ de persona alterius, qui tantæ dignitati magis idoneus esset futurus prouidere dignaretur. Cogitauerat autem Sardiniam petere, ac ibi tantisper delitescere, donec alius eidem Ecclesiæ præficeretur, sed vt dici consueuit. Homo cogitat, & proponit, Deus autem disponit. Nam quanto magis reluctabatur, ne Archiepiscopalis dignitatis onus sibi imponeretur, tanto magis operabatur Deus, ne alius quam ipse Archiepiscopus crearetur. Siquidem ipsi Ecclesiæ, & Ciuitati Floren. pariter consolere volens, tum ipsum Eugenium Papam, tum etiam Cosmum Medices, qui tunc temporis in ipsa Ciuitate ingenio, opibus, & auctoritate cæteris præstabat, ac inter egregias animi dotes, atque virtutes Religionem inprimis colebat, inspirauerat, vt hominem partim precum blanditiis, partim censurarum timore compellerent ad consentiendum prouisioni de se factæ, qui cum illam Dei voluntatem esse agnosceret, ne illi contumacius velle resistere videretur, obedientiæ iugo collum submiserat, ac Pontificis mandatis, & Cosmi precibus (vti par erat) paruerat, & obtemperauerat, ac non solum ipsi Ecclesiæ, sed etiam vniuersæ Ciuitati Floren. illiusque populo, & gregi sibi commisso ita vtiliter præfuerat, vt inde omnes intelligerent ipsum diuino potius, quàm humano consilio ipsi Ecclesiæ pro illius populi salute in Archiepiscopum præfectum fuisse.

Opera pietatis successiue ipse exercuit in Archiepiscopatu.

§. 26. Nam secum ipse reputans ad huiusmodi dignitates vocatos non luxui, ac deliciis deditos esse oportere, sed omnibus, & præsertim subditis, frugalitatis, ac virtutis exemplar esse debere, nihil prorsus de illo tenui, ac simplici victu, quo per quadraginta quatuor annos in Religione vsus fuerat immutauerat, ipsamque paupertatem,

quam

quam veluti sponsam charissimam semper dilexerat constantissime retinuerat, etiam semper aliquid de necessariis vsibus suis detrahēs, vt largior erga pauperes, ac liberalior esse posset. Octo familiaribus inter quos vnus erat Religiosus aut tres, qui pro Archiepiscopatus negotiis vix sufficere poterant, charitatis, & misericordiæ operibus semper intentus. Nam vt hospitale quod pauperum verecundorum dicitur, in dicta ciuitate, in eoque confraternitas pro illius regimine institueretur, præfatum Cosmo vico sapientissimo plurimum adiuuante auctor fuerat; solent enim ipsius confraternitatis confratres egestate oppressis, seu mendicare erubescentibus vberes, copiosasque elemosynas elargiri. Et vt ipsi beatus Antoninus omnia misericordiæ opera præstaret, infirmos, ac etiam peste laborantes visitabat, illisque non solum de spiritualibus, sed etiam de temporalibus cibis, & medicinis opportunis prouidebat, illisque interdum sibi paratos cibos, cum alter prandere non posset, inaudita charitate largiebatur, nudos etiam propria quandoque tunica cum iam omnia erogasset vestiebat. Cumque omnes mensæ suæ Archiepiscopalis fructus, redditus, atque prouentus in pauperum alimoniam, virginum dotes, atque Hospitalium sustentationem, aliosque pios vsus erogasset, ac pro temporum angustiis esset pauperum copia, & nihil aliud superesset vnde pauperibus ipsis, & indigentibus subuenire posset, à præfato Eugenio, & recolendæ memoriæ Nicolao Quinto, ac Callisto Tertio, & Pio Secundo Roman. Pontificibus similiter prædecessoribus nostris, quibus ob vitæ sanctitatem charus erat, non paruas pecuniarum summas in huiusmodi pios vsus conuertendas recipiebat, easque pauperibus ipsis distribuebat. Denique nullum charitatis & misericordiæ genus erga carceratos, viduas, & pupillos omittebat, memor scilicet verbi Pauli Apostolici dicentis. Et si habuero omnē fidem, ita vt montes trāsferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. In administranda iustitia, nullus iudicum eo tempore illi comparari potuerat, ita vt præfatus Nicolaus prædecessor appellationes quas à suis sententiis ad Sedem Apostolicam deferri contingeret nulli alteri committi, sed ad eum ipsum examinandas remitti mandabat, ratus hominem ab omni odio, amicitia, prece, pretio, aliisque omnibus, quæ iudicantium animos in sententiis dictandis perturbare, ac peruertere solent penitus alienum esse. Causas omnes ad eum delatas cōcordia componere, aut celeri sententia definire studebat. Cuius iudicio fere omnes propterea acquiescebant, quia id ab ore sanctissimi viri, Deo sic inspirante procedere existimarent. In corrigendis vitiis emendandisque delictis ingenti vtebatur seueritate, ita tamen, vt in eo misericordia cum iustitia coniuncta esse videretur. Fidei, & Ecclesiasticæ libertatis defensorem se præbebat acerrimum, nec vllius minas formidabat. Cumque olim ciues quidam Florentini insolentiores illi voluntatibus ipsorum se opponenti minati fuissent, ita responderat, vt ostenderet nihil sibi ex bonis terrestribus adimi posse, quod valde tristaretur, & se Ecclesia sua spoliatum libēter ad Religionem & fratres suo rediturum fore, qui læti, ac libenter eum variis curarum oneribus leuatum exciperent. Clerum reformauerat, ac Populum correxerat, prauosque ciuitatis mores emendauerat, ludos omnes prohibitos, atque damnatos sustulerat, superfluos mulierum ornatus restrinxerat, ac fere omnium cordibus deuotionem spiritualem infixerat, quandoque fræno quandoque vero calcaribus pro animarum, & temporum qualitate vtens, vt semotis seditionibus sub Dei timore, & charitatis zelo viuerent, & in sancta Religione persisterent.

Tandem annū agens 70. in domino obdormiuit.

§. 27. Quibus animi virtutibus in dicto Ordine quadraginta quatuor, in Archiepiscopatu vero tredecim annos continue, absque non solum culpa, sed etiam culpæ suspicione vsus, cum annum septuagesimum ageret, quod sæpius prædixerat, susceptis de more summa cum deuotione Ecclesiæ sacramentis, bonis omnibus (si qua tunc illi remanserant) inter pauperes CHRISTI distributis, cū lacrymis imagine Crucifixi amplexa, ac sæpius his repetitis verbis: Seruire Deo regnare est, ac sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, hilari, atque læto animo coram suis charis religiosis fratribus, orantibus, & flentibus, sexto nonas Maij anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi noni, ita immaculatam animam reddiderat Creatori, vt cum Apostolo dicere posset. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.

Et miraculis postea claruit.

§. 28. Postridie præfatus Pius prædecessor, cum viri sanctitatem iampridem cognitam haberet, Florentiam ingressus, omnibus Christi fidelibus eius corpus antequam sepulchro conderetur visitantibus, indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum concesserat. Ex quo tanta non solum ipsius Ciuitatis sed etiam circumvicinorum locorum multitudo confluxerat, vt eius corpus per octo dies sepulchro tradi non potuisset, omnibus id videre, atque osculari volentibus, multisque infirmis eius intercessione sanitatem à Deo implorantibus, eamque miraculose consecutis; qui licet ex sanctis operibus suis beatus & sanctus ab omnibus eius vitam intuentibus, aut famam integerrimam audientibus certissime crederetur, eam tamen opinionem auxerat, manifesta & occulata visio Dominica cuidā Tuccio Monacho Monasterij Cistelli Floren. Cistercien. Ordinis in Ciuitate ipsa Floren. & Constantio de Fabriano, tam sanctitate vitæ claro, quam scientia, & doctrina in dicto Prædicatorum Ordine professori, in Ciuitate Æsculana oblata. Quorum vterque eadem noctis hora, qua dicta beatus Antoninus ad Dominum transiuit, eius animam ab Angelis in cœlum visibiliter portari viderant. Eandemque opinionem, fidemque postea confirmabant, magna & innumera miraculorum multitudo, quæ omnipotens Deus ipsius B. Antonini inter cœlestes beatorum choros recepti meritis, tamdum in hac misera luce vixerat, quàm vita functus, post mortem ipsam mundo manifestauerat. Siquidem eius inuocato nomine dæmoniaci à malis spiritibus liberati, diuersorum morborum generibus oppressi, & à medicia omnino destituti, ac mortui & pro mortuis vtique habiti reuixerant, ac pristinæ sanitati restituti, ac leprosi mundati fuerant. Præterea claudi incessum, surdi auditum, muti loquelam, contracti motum liberum, cæci lumen recuperauerant; eiusque sanctitatis non modicæ ipsi Adriano prædecessori, & toti populo testimonium perhibere poterant verba, quibus viuente adhuc ipso beato Antistite Antonino idem Nicolaus prædecessor in Canonizatione sancti Bernardini de Senis per eum facta vsus fuerat; asserendo non minus ad Dei laudem Antoninum viuum, quam Bernardinum mortuum inter sanctos taserendum putare.

Idem Adrianus VI. de prædictis Deo gratias egit.

§. 29. Quibus & aliis multis, quæ per eundem Adrianum prædecessorem recenseri poterant, iure, ac merito prædecessor ipse Adrianus ad ipsius Beati Antonini venerationem inducebatur. Egitque omnipotenti Deo quantas potuit gratias, quod prædecessorem Adrianum ipsum dignum reddiderat per quem Canonizatio ipsa celebraretur. Cumque præter magna & multiplicia huius beati Antonini merita, & mirabilia signa per diuinam potentiam ad eius intercessionem mortalibus ostēsa, quæ in libellum, vt præfertur à diligenti, & fideli Procuratore causa ex processu, & testium dictis, redacta & impressa, adeo multa essent, & probatissima, & vera, vt per se Adrianū prædecessorem huiusmodi ad Canonizationem eandem faciendam facile persuadere possent, sciretque ipse Adrianus prædecessor nihil vnquam fere ab omnibus Regibus, & Principibus Christianis, etiam à claræ memoriæ Maximiliano in Imperatorem electo tunc in humanis agente, maiori instantia à præfato Leone, & ab eodem Adriano prædecessoribus postulatum, ac prope flagitatum fuisse, dutum, & quodammodo impium ipse Adrianus prædecessor arbitratus fuerat, eos tam pio ac deuoto desiderio suo diutius frustrari. Ne igitur ipse Adrian. prædecessor tam præfatis Principibus pie supplicantibus, ac Spiritui sancto resistere videretur, qui per os Prophetæ laudare DEVM in sanctis suis iubet, Consistorium publicum habuerat, in quo cum pro vlteriori executione, præfatus Melchior Aduocatus omnia de ipsius beati viri vita, moribus, & miraculis

copiose pereensuisset, ipsique Adriano prædecessori pro eorundem Regum, Ducum, Principum, ac plurimorum Prælatorum, Episcoporum, Capitulorum, ac Religionum humiliter supplicasset, vt ad eiusdem canonizationem, matura deliberatione præhabita, procedere dignaretur. Idem Adrianus prædecessor de relatis coram eo in primis humiliter Deo gratias agens, magna multitudine astante, in triduum orationes, ieiuniaque indixit, vt Deus omnipotens ipsi Adriano prædecessori quod factu optimum in hac re foret ostendere dignaretur, nec pateretur militantem Ecclesiam suam errare, qui se triumphanti conformare consueuerat.

Postea conuocatis in Consistorio Prælatis, & processibus repetitis, fuit dictum quod Canonizandus est S. Antoninus.

§. 30. Triduo deinde elapso, omnes qui in Romana Curia erant Prælatos iussit in suo secreto Consistorio conuenire, qui processibus super ipsius beati Antonini vita, moribus, fama, & miraculis editis per ipsum Melchiorem Aduocatum breuiter repetitis, ad vnum interrogati quid super huiusmodi negotio faciendum censerent, in eandem sententiam conuenerunt, beatum videlicet Antoninum canonizandum esse.

Adrian. ita cæteris obijt, rite & recte peractis, S. Antoninum canonizauit, & SS. Confessorum numero adnumerauit.

§. 31. Ipse ergo Adrianus prædecessor, Dei nutum & voluntatem sequens, attendensque iustum, ac debitum esse, vt quos Deus honorat in Cœlis, venerationis officio laudarentur & glorificarentur in terris, eum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis, & gloriosus in sæcula. Diem illum Canonizationis ipsius beati Antonini in medio Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, quo maxima omnis generis, ordinisque multitudo confluxerat celebrandæ, statuerat, ibi astante populo, & vniuerso Clero, de vita & fama, & miraculis eiusdem Antonini, humili, deuotioneque pleno sermone per eundem Adrianum prædecessorem, vt moris est habito. Deinde Litania, & Hymno, Veni creator Spiritus, deuote cantatis, ac reliquis omnibus legitime peractis, prædictus Ordinis Prædicatorum in causa procurator in medio stans, dictumque illud beati Ioannis Apostoli, elata voce proponens, videlicet. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, probauerat ipsas beatæ Trinitatis personas testimonium perhibere, quod beatus Antoninus in cœlis esset. Patrem videlicet in miraculorum potentia, Filium in doctrinæ sapientia, & Spiritum sanctum in vitæ ipsius bonitate. Et propterea non solum nominibus omnium, qui antedictam canonizationem fieri supplicarant, sed etiam ex parte ipsius Sanctæ ac summæ indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quatenus ipse Adrianus prædecessor eundem B. Antoninum sanctum pronuntiare dignaretur postulauerat. Ea propter Adrianus prædecessor huiusmodi, considerans quod in eadem Canonizatione non permissurus esset Deus ipsum errare, qui omnia in ea quomodolibet requisita obseruata fuisse cognouerat, & obseruari fecerat, prout obseruauerat sub data videlicet pridie Kalend. Iulij, Pontificatus sui Anno primo de eorundem Fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumque Prælatorum in Romana Curia existentium vnanimi consensu, & maturo consilio, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisus, beatæ memoriæ Antoninum Floren. sacræ Theologiæ professorem ex gremio sacri Ordinis Prædicatorum, & ex officio Vicariatus generalis Congregationis Thusciæ regularis obseruantiæ huiusmodi, in Archiepiscopum Floren. assumptum, sanctum esse, & aliorum sanctorum Dei Catalogo adscribendum, & aggregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere decreuit, ipsumque sanctorum confessorum, & doctorum, quos sancta Dei venerabatur Ecclesia consortio solemniter adscripsit, aggregauitque, ac eum tanquam sanctum, publice, priuatimque colendum esse declarauit, ac voluit.

Festumque ipsius die secunda Maij celebrari iussit.

§. 32. Statuitque & mandauit vniuersis venerabilibus fratribus nostris tunc suis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis dictorum, ac Patriarchalium, Metropolitan. & Cathedralium Ecclesiarum, Capitulis, & quorumvis Ordinum, tam Mendicantium, quam non mendicantium professoribus, necnon quibuscumque Ecclesiasticis personis, vt festum ipsius sancti Antonini, secunda die mensis Maij, qua die nexu carnis soluta eius anima pretiosa Cœlos ascenderat, singulis annis solemniter & deuote celebrarent, diuinum officium veluti pro vno Confessore Pontifice & doctore tam publice, quam priuatim, prout contigeret persoluendum. Dilectis vero filiis fratribus dicti Ordinis Prædicatorum huiusmodi officium sub duplici festo, & maiori, cum octauis, eo modo quo aliorum dicti Ordinis Prædicatorum Sanctorum celebrare festo, tam in die quam in octauis consueuerant, etiam in vacantiis feriarum hebdomadalium in prouincia iuxta consuetudinem Ordinis præfati celebrandi concessit facultatem.

Decantato postea hymno, Te Deum laudamus, & Oratione propriam de ipso S. Antonino recitauit, & Missam tunc currentem de Dominica Trinitatis celebrauit.

§. 33. Quibus debite peractis, inchoatoque per eundem Adrianum prædecessorem, & decantato, ac ad finem vsque à cantoribus prosecuto hymno, Te Deum laudamus, In illius etiam fine Cardinali Diacono in canto dicente, Ora pro nobis beate Antonine, A choroque responso, Vt digni efficiamur promissionibus. Christi. Ipse Adrianus prædecessor illico propriam orationem de eodem sancto alta voce decantauit, quæ talis est, videlicet. Gregem tuum quæsumus Pastor æterne custodi, & quos beati præsidis Antonini à te virginitatis, & pietatis speciali prærogatiua dotati, doctrina salutis illustras, eiusdem etiam semper tuere præsidiis. Per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, &c. Deinde vero à dicto Choro responso. Amen. Solemnem illic Missam idem Adrianus prædecessor celebrauit de dicta tunc currente Dominica Trinitatis, collectas singulas sub vna conclusione terminans, additis etiam prædicta, cæterisque specialibus eiusdem sancti Antonini collectis immediate sequentibus.

Secreta.

§. 34. Munera quæ in salutiferæ passionis Filij tui memoriam sacrificantes offerimus, quæsumus, vt beato Antonino confessore tuo, atque Pontifice assistente nobis ad salutem prouenire concedas. Per eundem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, &c. Deinde vero post communionem subiunxit, dicens.

Oratio post communionem.

§. 35. Quæsumus Domine Deus noster, vt cœlesti, & admirabili sacramento salutis nostræ refecti, beati Antistitis Antonini confessoris tui auxiliis semper adiuti, & distrahamur à noxiis, & ad salutaria dirigamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum, &c. cum simili conclusione: & ita Missam ipsam ad finem vsque, cum solitis cæremoniis iuxta ordinarium Apostolicum illic debite terminauit.

Indulgentias illic assistentibus, & futuræ S. Antonini translationi interuenientibus & confessis.

§. 36. Indulgentiamque plenariam omnibus officio huiusmodi tunc assistentibus deuote, concessit. Quam etiam plenariam indulgentiam similiter, omnibus & singulis fidelibus in die qua contingeret Translatio fieri sacri corporis eiusdem beatissimi Antonini de loco vbi humiliter tunc iacebat in terra in Ecclesia sancti Marci Floren. Ordinis Prædicatorum, ad eminentiorem, & honorabiliorem locum per fratres dictæ Ecclesiæ, in eadem sancti Marci Ecclesia, ad honorem & laudem Dei, & ipsius sancti conuenientibus, & manus adiutrices porrigentibus, tam pro se ipsis viuentibus, quam pro defunctis & absentibus, seu infirmis, aut corporaliter accedere impeditis, mittentibus pro ea consequenda ad dictam Ecclesiam eleemosynam à primis vesperis translationis ipsius, & deinde per totam octauam eiusdem pro vna vice tantummodo duraturam; volens vt ad effectum prædictæ indulgentiæ consequendæ, tam Prior domus ipsius Ecclesiæ sancti Marci, quam alij duodecim fratres per eundem ibidem confessorem deputandi, possent absoluere omnes confitentes ab omnibus casibus & censuris, à quibus de iure Episcopi & diœcesani poterant, & vota similiter commutare. Ac etiam in loco sepulturæ eiusdem sancti Antonini, in depositionis suæ die videlicet secunda Maij huiusmodi perpetuo duraturam, quadraginta annorum, & totidem quadragenarum indulgentiarum annuatim condonauit.

Adrianus tamen obijt, literis non expeditis, quas hic modo Pontifex expediri mandat.

§. 37. Ne autem de canonizatione, decreto, adscriptione, aggregatione, declaratione, voluntate, statuto, mandato, concessionibus, & condonatione prædictis pro eo quod super illis ipsius Adriani prædecessoris literæ,

eius

eius superueniente obitu confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, volumus & præfata Apostolica auctoritate decernimus, quod Canonizatio, quam tam Communitatis dictæ ciuitatis Floren. quam nostri, qui eidem Ecclesiæ Florentinæ præeramus impensis, summo desiderio, ac diligentia fieri procurauimus, ac decretum, adscriptio, aggregatio, declaratio, voluntas, statutum, mandatum, concessiones, & condonatio prædictæ, perinde à dicta die pridie Kalen. Iunij suum debitum sortiantur effectum, ac super illis ipsius Adriani prædecessoris literæ sub eiusdem diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quodque præsentes literæ ad probandum plene canonizationem, decretum, adscriptionem, aggregationem, declarationem, voluntatem, statutum, mandatum, concessiones, & condonationem Adriani prædecessoris huiusmodi vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Easq; solemniter publicari iubet. §. 38. Nos enim omnes & singulos in dignitate constitutos, in virtute sanctæ obedientiæ, requirimus & monemus, quatenus vniuersis Clericis, & Populis suarum Ciuitatum & diœc. & parochialium, præsentes nostras literas solemniter publicantes, eosdem hortentur, vt DEVS ipse à quo bona cuncta procedunt, ipsius sancti doctoris & confessoris Antonini meritis & precibus exoratus, militantem Ecclesiam, Apostolicam fidem, & cunctos Christi fideles, à Paganorum & aliorum infidelium, & hæreticorum tueatur incursibus, & à periculis semper protegat atque defendat; ac illam quam nobis mundus dare non potest pacem, hostium omnium sublata formidine, firma cum tranquillitate concedat. Vtque post huius vitæ militiam, depositumque Pastoralis officij ministerium vnà cum grege nobis credito, ad sempiterna tandem gaudia peruenire mereamur.

Earum transumptis credi præcipit. §. 39. Demum quia difficile foret præsentes originales literas ad cuiuscumque notitiam deferri, volumus ac decernimus, quod earum transumptis manu publici notarij inde rogati subscriptis, & sigillo alicuius personæ Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ munitis, ea prorsus vbilibet fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctionem pœnalē adijcit. §. 40. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, constitutionis, requisitionis, & monitionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 1. die 26. Dec. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo, vigesimo tertio 6 Kal. Decemb. Pontificatus nostri Anno primo.

II. Gratiæ, immunitates, & priuilegia Abbatis Cōuentus, & Fratrum S. Antonij Viennen. Ordinis S. Augustini, ex constitutione Leonis X.

Hæc omnia approbauit Paul. III. die 28. Iulij 1536. sed eius bullam vti simpliciter confirmatoriam sedulo prætermisi.

Priuilegia autem huius Ordinis vide sup. in const. 5. Bonif. VIII. In dispositione & infra in Pij IV. const. 100. Ex debito 116.

Edita An. D. 1523. CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium. RAtioni congruit & conuenit honestati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu, literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum.

Leo X. & ante eum. §. 1. Dudum siquidem fel. recordat. Leoni Papæ X. prædecessori nostro pro parte dilecti filij Theodori Abbatis Monasterij S. Antonij de S. Antonio ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinen. Ordinis S. Augustini, Viennen. diœcesis exposito, quod licet alias præfatum Monasterium, in quo corpus eiusdem gloriosi S. Antonij requiescebat, & ad quod multi Christi fideles Altissimo, & eidem S. Antonio vota sua reddituri in dies conueniebant, per olim Francorum Regem, necnon Præceptoriæ, domus, & alia loca Religionis ipsius S. Antonij à primæua eorum institutione, aliorum Christi fidelium eleemosynis fundata extitissent, & quasi nulla alia bona immobilia haberent, fructusque, redditus, & prouentus domorum Religionis huiusmodi, seu illarum Præceptoriarum etiam generalium, in quæstis quæ per Religiosos ipsius Religionis, seu ab eis deputatos nuntios aut quæstores pro tempore per diuersa loca fiebant, & eleemosynis quæ in dies à Christi fidelibus erogabantur, consisten. incerti existerent, ac potissime in ipso Monasterio sancti Antonij, & aliis Præceptoriis, domibus & locis prædictis, seu illorum Hospitalibus, ex bonis & quæstis, ac eleemosynis huiusmodi iugis & indefessa hospitalitas obseruaretur, pauperes horrendo morbo S. Antonij nuncupato, laborantes, & languentes, & aliæ miserabiles personæ vndique confluentes, alerentur, vestirentur, & gubernarentur, ac peregrini reciperentur, & quamplura charitatis opera eiusdem sancti Antonij contemplatione exercerentur.

§. 2. Et etiam alias piæ mem. Callistus Secundus, qui singulari deuotione ductus ad Monasterium ipsum se personaliter conferens, illius Ecclesiam consecrauerat. *Callistus II.*

§. 3. Ac Vrbanus Quartus, Gregorius Decimus, Benedictus Vndecimus, Nicolaus Quartus, Martinus V. qui ex Concilio Constantien. Romam rediens ipsum Monasterium visitauerat. Callistus III. Pius II. Sixtus IV. Alexander VI. & Iulius etiam II. ac alij Romani Pontifices etiam prædecessores nostri, tunc sui ad plenum informati, & animo reuoluentes Religionem ipsam hospitalitate continua onustam, & eidem Religioni in hospitalitate huiusmodi seruanda, & vtriusque sexus illius personis manuten. ingentia onera incumbere, quæ Abbas Monasterij S. Antonij, & Præceptores Religionis huiusmodi absque quæstis, & eleemosynis prædictis, subire & manutenere non poterant, sed loca religionis & hospitalitatem huiusmodi deserere, & ab innumeris, quæ in ipsis locis celebrari & exerceri consueuerant diuinorum celebrationibus, & pietatis operibus cessare, victumque vagando, & mendicando miserabiliter quærere cogerentur, Monasterio, & Religioni sancti Antonij huiusmodi, ac eiusdem Monasterij pro tempore existenti Abbati, & dilectis filiis Conuentui, ac Præceptoribus & aliis ipsius Religionis personis, domibus, & locis quamplura & diuersa priuilegia, præeminentias, facultates, indulgentias concessiones etiam quæstuandi, & quæstas fieri, ac percipi mandandi, necnon gratias & indulta concessissent. *Vrb. IV. Greg. X. Bened. XI. Nicol. IV. Mart. V. Calist. III. Pius II. Sixt. IV. Alex. VI. & Iul. II. & alij Pont. plurima priuilegia & præsertim quæstuandi pro manutentione hospitalium concesserunt. Tu quoad quæstas obserua constit. 73. Greg. XIII. Romani.*

§. 4. Et Sixtus ac nonnulli alij ex prædecessoribus huiusmodi, quod Præceptoriæ, & alia beneficia dictæ Religionis quibusvis aliis, quam dictum Ordinem expresse professis, ac de Regis Francorum pro tempore existentis, expresso consensu non commendarentur, statuissent ac prohibuissent. *Sixtus IV. decreuit beneficia Ordinis S. Antonij, eius tantum regulam professis conferri posse, sed eam non posui, vti hic sufficienter relatam.*

§. 5. Nonnullique ipsorum prædecessorum, interdum indulgentias, & priuilegia aliis Ordinibus etiam exemptis, concessas & concessa consideratione vel causa aliqua, etiam intuitu cruciatæ contra infideles, aut spoliorum & damnorum pro fide Catholica illatorum, seu Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & aliarum Ecclesiarum, aut piorum locorum fabricarum suspendendo, Religionem S. Antonij huiusmodi illæsam præseruauissent. *Nonnulli ex dd. Pont. gratias d. Ordinis præseruarunt, etiamsi aliorū priuilegia suspenderint.*

§. 6. Eamque à quibusvis impositionibus, Apostolica vel ordinaria, aut alia auctoritate quacumque ratione impositis, necnon decimis, oneribus, & aliis grauaminibus, & solutionibus exemissent. *Exemptāque à solutione impositionum esse voluerunt.*

§. 7. Ac quod oblationes, & alia pia relicta, vota, & bona, quæ in Capellis, Oratoriis, Hospitalibus Ecclesiasticis beneficiis, & aliis piis locis, sub ipsius sancti Antonij inuocatione pro tempore offerrentur, pie largirentur, vt Religionis eiusdem S. Antonij essent & esse censerentur declarauissent. *Legata etiam pijs locis S. Antonij relicta, d. Religionis esse declararunt.*

§. 8. Necnon priuilegii, Ordini & Religionis, per eosdem prædecessores, & Sedem Apostolicam concessis, etiam prætextu clausulæ in supplicationibus apponi solitæ, videlicet, cum derogatione priuilegiorum & indultorum *Priuilegijsque d. Ordinis derogari prohibuerunt.*

 dultorum

dulrorum Religioni sancti Antonij concessorum in literis latissime extendenda minime derogari posse forsan voluisset.

Leo X supradicta approbauit, &c.

§. 9. Et idem Leo prædecessor voluisset, priuilegiaque ipsa approbauisset, provt in diuersis prædecessorum prædictorum desuper confectis literis plenius contineri dicebatur, & vt à nonnullis asserebatur, alias antequam supplicationes, Religionem huiusmodi concern. eisdem prædecessoribus porrigerentur, per Protectores ipsius Ordinis tunc existentes, an Ordini & illius priuilegiis huiusmodi contrarisrentur inspici, & si contrariæ essent, lacerati consueuissent.

Sed præfata priuilegia de facto non seruabantur, & Ordo S. Antonij multa damna patiebatur.

§. 10. Nihilominus causantibus sinistris euentibus, aut hominum malitia, & pullulante cupiditate, vel alias à certis annis tunc citra, Religionis huiusmodi sic exemptæ tot annis illæsa priuilegia, immunitates, indulgentiæ, & indulta, prætextu Cruciatarum, ac fabricarum dictæ Basilicæ, & aliarum Ecclesiarum fore annuatim, suspensa, moderata, & modificata, ac Abbas, Conuentus, & personæ Religionis huiusmodi, nedum ratione bonorum illius immobilium, sed etiam mobilium & quæstarum, eleemosynarum per illius religiosos aut ab eadem deputatos fieri solitarum, & decimarum, & impositionum, solutionum, sub diuersis censuris & pœnis compulsi, & quod deterius erat, priuilegia huiusmodi, in genere, & in specie, importunitate vel præoccupatione reuocata, ac nonnulla bona immobilia & quæstæ, ac beneficia ad ipsam Religionem spectantia ab illis Præceptoriis & Hospitalibus dismembrata, ac aliis beneficiis, absque Abbatis præfati consensu, applicata & vnita, ac forsan in alia beneficia erecta fuerant, ipsaque bona immobilia, quæstæ, & beneficia etiam absque aliqua recognitione ipsius Abbatis tanquam applicata & vnita, ac erecta, & perscripta à diuersis Communitatibus seu personis, Ecclesiasticis & sæcularibus detinebantur, & nonnullarum Ecclesiarum Capitula, necnon locorum Communitates, & earundem Communitatum particulares, ac aliæ sæculares, & regulares personæ, quæ pias eleemosynas, & oblationes ad honorem eiusdem sancti Antonij Religioni huiusmodi elargiri, & facere consueuerant, illas tunc facere minime curabant, ac contra priuilegia & indulta prædicta per longissima tempora inuiolabiliter obseruata, nonnulli locorum Ordinarij, Cathedraliumque & Collegiatarum Canonici, necnon Parochialium Ecclesiarum Rectores, suarum conscientiarum prodigi, medietatem, aut aliquam partem quæstarum, eleemosynarum prædictarum exigere, & literas licentiæ quæstas huiusmodi faciendi, Religioni seu eorum Nuntiis præfatis denegare non expauebant; nonnullique diuersorum aliorum Ordinum, Ecclesiarum, & Hospitalium quæstores, prætextu quorundam priuilegiorum illis forsan tunc nouiter concessorum, quæstas nolis & campanellis sonantibus faciebant, ac sub ficto nomine, quod eidem Sancto Antonio offerebant, surripientes nolas seu campanas, porcis & aliis animalibus appendebant, & quod dolenter referendum erat, Communitates & aliæ personæ huiusmodi, certa Oratoria, Capellas, beneficia ac forsan Hospitalia sub dicti S. Antonij nomine fieri, & in illis eiusdem S. Antonij figuram & imaginem depingi facien. Oratoria, & Hospitalia, ac beneficia ipsa, sub inuocatione eiusdem sancti, Apostolica seu Ordinata auctoritate erigi procurabant, & illorum prætextu, eleemosynas, & alia pia relicta, quæ Religioni huiusmodi pro languidorum, & pauperum, in illis Hospitalibus degentium, necnon religiosorum, die noctuque in Monasterio, domibus, Præceptoriis, ac aliis locis dictæ Religionis Altissimo famulantium substentatione relinquebantur, de facto percipiebant, detinebant, occupabant, ac in damnabiles eorum vsus conuertebant, eisdemque Abbati & Conuentui, ac Religioni subiici recusabant, in animarum suarum periculum.

Et fere ad nihilum reducebatur.

§. 11. Propter quæ Religio huiusmodi eatenus grauem passa erat, & in dies patiebatur iacturam, ac in maximam lapsa erat, & dietim labebatur ruinam, & hospitalitas in Hospitalibus Religionis huiusmodi, provt consueuerat non obseruabatur, diuinus cultus, ac Religionis huiusmodi, facultates diminuebantur, religiosique & aliæ ipsius Religionis personæ, maximis necessitatibus circumueniebantur, & Religio huiusmodi ad nihilum reducebatur.

Abbas igitur dicti Ordinis, prædictorum priuilegiorum & gratiarum innouationem & confirmationem à prædicto Leone X. petijt.

§. 12. Vnde pro parte dicti Theodori Abbatis, qui paulo ante apud Sedem Apostolicam constitutus asseuerat, se etiam ad id assiduis querelis Præceptorum & Religiosorum dictæ Religionis, ac in illius Hospitalibus degentium, vtriusque sexus languidorum, & aliarum miserabilium personarum excitatum, eidem Leoni prædecessori fuit humiliter supplicatum, vt priuilegia, præeminentias, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, facultates, indulgentias, concessiones, & indulta prædicta, approbare & innouare, alias super eis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui Leo ea innouauit & approbauit.

§. 13. Idem Leo prædecessor, qui ad sacrum Apostolatus ministerium, diuina disponente clementia euocatus, Monasteriorum, & aliorum piorum locorum, omnium suæ curæ commissorum necessitates, paterna consideratione pensabat, & vtilis ac personis in eis sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantibus, & ad ea hospitalitatis causa diuertentibus, opportuna in suis necessitatibus subsidia corresponderent, ac eorum conseruatio, quies & augmentum prouenirent, opem & operam quantum sibi ex alto concedatur fauorabiliter adhibebat, & illa quæ propterea per prædecessores suos Romanos Pontifices, prouida deliberatione concessa comperiebat, vt firmius & illibata seruarentur, libenter approbabat, ac de nouo concedebat, aliasque prouisiones congruas desuper adiiciebat, provt etiam Catholicorum Principum exposcebat deuotio, & id conspiciebat in Domino salubriter expedire; quique Religionem huiusmodi S. Antonij, in visceribus gerebat charitatis, & illã nondum conseruari, sed in melius dirigi suis potissime temporibus sinceris desiderabat affectibus, præfatum Theodorum Abbatem, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab hom. quavis occasione vel causa latis, quibus quomodolibet innodatus existebat, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum absolutus, & absolutum fore censeretur, huiusmodi supplicationibus inclinari, cõsiderationes etiam charissimorum in Christo filiorum nostrorum, tunc suorum, Caroli in Imperatorem electi Romanum, & Hispaniarum Catholici, necnon qui dicti Monasterij fundator, & protector existebat, Francisci Francorum Christianissimi Regum eidem Leoni prædecessori desuper, per eorum literas humiliter supplicantium, sub datis videlicet, 4. non. Octob. Pontif. sui anno nono, omnia & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, facultates, indulgentias, concessiones, gratias, indulta, Monasterio, Religioni, Abbatiæ, Conuentui, & personis prædictis, per præfatos & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, tunc suos, concessa, & singulas ipsorum prædecessorum, & suas desuper confectas literas, & in eis contenta quæcumque, auctoritate Apostolica approbauit & innouauit, ac ea omnia & singula, provt per prædictos prædecessores concessa fuerunt, de nouo, ita quod Abbas, & Conuentus, necnon Præceptores, & personæ præfatæ priuilegiis quibus tempore Sixti, & Innocentij, ac Alexandri & aliorum prædecessorum præfatorum vti poterant, & vtebantur, etiam in Vrbe, & Curia Romana, liberè & licitè vti possent, concessit, illaque robur perpetuæ firmitatis obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere.

Eisque non nisi certa inudata forma obseruata, derogari posse decreuit.

§. 14. Necnon de cætero perpetuis futuris temporibus, singulas prædecessorum huiusmodi, ac supra, & infra scriptas conficiendas literas, necnon priuilegia, immunitates, indulgentias, prærogatiuas, facultates, exemptiones, concessiones, gratias, indulta & alia in eisdem literis contenta, sub literis per eundem Leonem prædecessorem, alias venerabili fratri nostro, tunc suo moderno Episcopo Melden. super suspensione & modificatione indulgentiarum ac priuilegiorum dictæ Religionis sancti Antonij, sub dat. videlicet duodecima Kalendas Septembris, dicti Pontificatus anno septimo, vltimo concessis, & aliis quibuscumque etiam quæ per Leonem, & alios prædecessores huiusmodi, etiam contemplatione

Fabricæ

Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe prædicta, à quarta feria cinerum fieri consueuerant, reuocationibus, suspensionibus, modificationibus, generalibus vel specialibus, etiamsi in specie, de Religione Sancti Antonij huiusmodi specialis, nominata, & expressa mentio fieret, etiamsi subsidium sanctæ Cruciatæ, contra infideles, aut dictæ Basilicæ, necnon aliarum etiam Patriarchalium, Cathedralium, vel aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, ac aliorum quorumcumque piorum locorum, ac occasione damnorum, etiam per infideles illatorum, & bonorum ablatorum, aut in recompensam laborum Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ, etiam contra dictos infideles impensorum, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, & alias qualitercumque efficacissimis & insolitis hactenus factis, & in posterum faciendis minime comprehendi posse neque debere, sed ab aliis semper excepta, ac quoties huiusmodi suspensiones, reuocationes, & modificationes emanarent, toties, quoties in pristinum, & eum in quo antequam illæ emanassent erant statum, restitutæ, repositæ, & plenariæ reintegratæ essent; etsi illa per Leonem prædecessorem, aut eius successores Roman. Pontifices pro tempore existentes, importunitate, aut etiam motu simili, vel alias reuocari, suspendi, aut modificari contingeret, reuocationes, suspensiones, & modificationes huiusmodi, nisi ille de consilio Venerabilium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, tunc & pro tempore existentium, consistorialiter habito, & cum trina intimatione per literas Apostolicas sub plumbo, ita vt semper & qualibet vice trimestre intercederet, eisdem Carolo electo, & Francisco Regi, ac aliis Romanorum Imperatoribus electis, ac Francorum Regibus, & eorum successoribus pro tempore existentibus facienda, ac eorum per diuersas literas ipsorum propriis manibus subscriptas, & patuis eorundem sigillis munitas, & non alias aliter nec alio modo, expresso accedente consensu fierent suffragari, nec priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis dicto Ordini concessis prætextu quarumcumque specialium clausularum, præsertim illius in supplicationibus per Leonem prædecessorem, & eius successores Romanos Pontifices pro tempore existentes huiusmodi, aut de eorum mandato eatenus signatis, & pro tempore signandis, videlicet cum derogatione priuilegiorum, indultorum, & literarum Apostolicarum latissime extenden. in supplicationibus ipsis de Sixti & aliorum etiam ipsius Leonis prædecessorum priuilegiis, & Religione huiusmodi mentio fieret, non operari; necnon prædicto Sixti priuilegio derogatum non censeri, neque vigore dictæ clausulæ in eisdem supplicationibus apponi solitæ, debuisse neque posse in literis Apostolicis, tam per Cancellariam, quam Cameram Apostolicam, expeditis & expediendis ad dictum priuilegium Sixti prædecessoris extendi, nisi in dictis supplicationibus fieret specialis & specifica mentio dicti priuilegij, necnon Regis ad cuius instantiam concessum fuisset, literasque Apostolicas desuper etiam per Cameram Apostolicam expeditas, seu in futurum expediendas illis pro quibus vigore dictarum supplicationum, & illorum sumptorum expeditæ fuissent, seu in futurum expedirentur, non suffragari posse, neque debere, illasque ipsius Leonis prædecessoris, & eius successorum huiusmodi intentionis defectu carere, & pro cassis, irritis, & non legitime expeditis haberentur, & ad dictam Cameram seu Cancellariam corrigendæ remitterentur, ipsasque super supra, & infrascriptas conficiendas literas, vim contractus, & indissolubilis obligationis inter eundem Leonem prædecessorem & Sedem prædictam, ac Franciscum Regem, & eius successores, necnon Theodorum, & pro tempore existen. Abbatem præfatos obtinere. Et sic per quoscumque Iudices Ecclesiasticos & sæculares etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, in eadem Curia vel extra eam, in quibusvis causis & instantiis sententiari, decidi, iudicari, & interpretari debere, sublata eis & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decreuit & declarauit.

§. 15. Et nihilominus vt necessitatibus dictæ Religionis commodius prouideretur, quod deinceps perpetuis futuris temporibus liceret religiosis dictæ Religionis & aliis personis ab eis, vt prius deputatis, quæstas, vota, eleemosynas, pia relicta & alia etiam Confraternitatum pia suffragia, quæ in dicti Sancti Antonij honorem fierent, in quibuscumque Regnis, Ducatibus, Communitatibus, & aliis etiam Imperatoris dominij, ac diœcesis, etiam in Vrbe & Curia prædictis, Ordinariorum locorum, & quorumcumque aliorum licentia petita, licet non obtenta, facere; ac Ordinarij locorum, & aliæ personæ ad quas pertinere dignosceretur, literas, seu mandata licentiæ quæstuandi huiusmodi nullis, nisi à præfato Theodoro, & pro tempore existen. Abbate dicti Monasterij & generali Capitulo eiusdem Religionis Sancti Antonij per eorum literas paten. specialiter deputatis, concederent, ac illa ipsis deputatis absque ea, quam contra dicta priuilegia, & indulta exigere solebant pecuniarum exactione sub excommunicationis latæ sententiæ, ac aliis censuris & pœnis in dictis priuilegiis desuper concessis, contentis concedere tenerentur, nec vltra vnum florenum pro dictis literis & mandatis, iuxta priuilegia prædicta percipere possent; & si quid vltra percepissent, ad restitutionem eius Religiosis, & deputatis præfatis faciendam, sub anathematis pœna tenerentur.

Et quæstuandi facultatem iterato concessit. Tu in hoc vide & observa constitut. 73. Gregor. VIII. Romani cum ibi notatis.

§. 16. Quodque Abbas Monasterij, & Præceptores, & aliæ religiosæ personæ Religionis huiusmodi, etiam in Vrbe & Curia huiusmodi occasione quæstarum, votorum, eleemosynarum, relictorum, confraternitatum, & aliorum piorum suffragiorum, & quorumcumque bonorum mobilium & immobilium, ad solutionem alicuius decimæ subsidij, aut alterius impositionis talliarum, gabellarum, iucundorum aduentuum, etiam Imperatorum, Regum, Legatorum etiam de latere, seu Nuntiorum Sedis prædictæ, etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliorum quorumcumque Prælatorum Ecclesiasticorum, quavis etiam Apostolica, vel alia quavis auctoritate, impositis seu imponendis minime tenerentur, nec ad id compelli, aut propterea interdici, suspendi, vel excommunicari, aggrauari, reaggrauari, & beneficiis suis priuari possent.

Exemptionemque à decimis & aliis impositionib. elargitus est. Ad hoc habes etiam bullam Bonif. VIII. ext. in rub.

§. 17. Quodque de cætero, etiam perpetuis futuris temporibus supplicationem, tam gratiam, quam iustitiam, & alia negotia dictæ Religionis concernentia, aut impetrationes beneficiorum, seu præceptoriarum dicti Ordinis, etiam in Vrbe, & Curia huiusmodi consistentium continentes, per ipsum Leonem prædecessorem & pro tempore existentem Romanum Pontificem, seu de eorum mandato non signarentur, aut per Referendarios pro tempore existen. non referendarentur, sed tunc ei pro tempore existenti dictæ Religionis Protectori mandarentur, & ipse Protector supplicationes huiusmodi, si dictæ Religioni præiudicare non cognosceret, manu sua signaret, & Leoni prædecessori, vel pro tempore existenti Rom. Pontif. aut Cardinali, seu alteri curam Signaturæ habenti signandas remitteret, & quæcumque gratiæ eidem Religioni præiudicantes, absque manu dicti Protectoris de cætero concedendæ, subreptionis, & obreptionis vitio subiacerent, nulliusque roboris vel momenti existerent.

Supplicationes gratiam vel iustitiam concernentes, circa negotia & causas Ordinis S. Antonij non nisi certa hic data forma expediri posse decreuit.

§. 18. Ac quod Religionis huiusmodi consisten. Præceptoriæ, & alia beneficia, etiam in Vrbe, & Curia huiusmodi nullis nisi dictum Ordinem expresse professis, ac de expresso consensu Regis Francorum, ac Abbatis pro tempore existentium prædictorum, per Leonem prædecessorem, aut successores suos huiusmodi, necnon Sedis prædictæ Legatos etiam de Latere, & Nuntios legatorum de latere, potestate fungentes, etiam ad tempus commendari, aut in administrationem dari possent, & si commendas de illis per Leonem prædecessorem, aut successores suos Legatos, & Nuntios huiusmodi fieri contingeret, commendæ huiusmodi defectu intentionis Leonis prædecessoris & successorum eorundem carerent, literæque desuper pro tempore confectæ nullæ, irritæ, & inualidæ existerent.

Beneficia d. Ordinis etiam tantum religiosis conferri voluit.

Capellas & Oratoria, ac pia loca omnia sub inuocatione S. Antonij constructa & construenda, Abbati S. Antonij subiecit.

§. 19. Ac quod Hospitalia, Capellæ, Oratoria, beneficia, & alia pia loca, etiam in Vrbe & Curia huiusmodi, seu aliis quibuscumque terris, dominiis, & locis, sub dicti S. Antonij inuocatione fundata, constructa ædificata, & erecta, & quæ in posterum perpetuis futuris temporibus fundari, construi, ædificari, & erigi contingeret, cum eorum applicationibus, appropriationibus, vnionibus, annexionibus, & incorporationibus, factis, & deinceps faciendis, ad Abbatem, & Religionem huiusmodi spectarent & pertinerent, illisque subiicerentur, & subiecta existerent, & à dicto Monasterio dependerent, illaque per eiusdem Religionis Canonicos & Religiosos, non autem per alios, Ecclesiasticos & sæculares, etiam oppidorum, locorum, & villarum, & communitatum personas, nisi de Abbatis & Conuentus prædictorum expresso consensu, regi & gubernari deberent; & in signum recognitionis, superioritatum huiusmodi de aliquo annuo rationabili canone, censu per eosdem Abbatem & Conuentum, ac Definitores generalis Capituli huiusmodi imponendo, & eis singulis annis persoluendo respondere deberent & tenerentur, ac in euentum rebellionis, aut non subiectionis, ac remissionis singulares Communitatum, & aliæ personæ huiusmodi, maioris excommunicationis sententia per Leonem prædecessorem, & eius successores præfatos innodatæ, earumque Ecclesiæ interdictæ essent, & esse censerentur; nec ab huiusmodi maiori excommunicatione per Leonem prædecessorem, aut successores prædictos absolui, aut interdicta ipsa relaxari possent, nisi ad id, Abbatis & Conuentus prædictis expressis per eorum patentes literas accederet assensus; liceretque Theodoro & pro tempore existenti Abbati & Conuentui, necnon Præceptoribus huiusmodi, beneficia, Oratoria, Hospitalia, & alia loca, sub nomine eiusdem S. Antonij pro tempore, etiam in Vrbe & Curia prædictis, fundata & dotata, quæ eidem Theodoro & pro tempore existenti dicti Monasterij Abbati & Conuentui, ac Præceptoribus huiusmodi obedire, seu subiici, aut annuam responsionem soluere recusare contigerit, solo æquare, aut demoliri, & imagines à parietibus delere, seu per easdem Communitates, & alias personas, Ecclesiasticas & sæculares, solo æquari & demoliri, ac imagines huiusmodi deleri, sub excommunicationis latæ sententiæ, interdicti, ac aliis censuris & pœnis, etiam cum inuocatione auxilij brachij sæcularis facere.

Eleemosynas nolis sonantibus colligere, & nolas animalibus appendere posse d. Ordini tantummodo permisit.

Ad hoc vide [redacted] & declarationem Greg. VIII. in eius const. 73 Romanus, cum sibi nos.

§. 20. Quodque etiam deinceps perpetuis futuris temporibus, etiam in Vrbe, & Curia huiusmodi, nullis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis forent nisi dictæ Religionis Religiosis, aut ab eis deputatis procuratoribus, seu nuntiis, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ, & vigintiquinque ducatorum auri de Camera, Cameræ Apostolicæ applicandorum pœnis, liceret quæstas huiusmodi facere, ac vota, legata, eleemosynas, oblationes, & alia pia suffragia qualitercumque donata, seu donanda petere, quærere, exigere, colligere aut recipere nolis, seu campanis sonantibus, aut per sonitum nolarum, seu campanellarum huiusmodi, nec campanellas seu nolas, porcis & aliis animalibus quomodocumque nuncuparentur, appendere, seu appendi facere, auctoritate Apostolica prædicta statuit & ordinauit.

Vniones & suppressiones beneficiorum d. Ordinis prohibet & annullat.

§. 21. Et insuper quascumque vniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, applicationes, erectiones, & institutiones factas, ac ex tunc, prout eodem die, & è contra, perpetuis futuris temporibus faciendas, etiam in Vrbe, & Curia huiusmodi, absque Abbatis & Conuentus, ac Capituli generalis, seu Definitorum prædictorum expresso consensu, de Præceptoriis, beneficiis, Hospitalibus, Oratoriis, Confraternitatibus, quæstis, & aliis bonis, ad dictam Religionem Sancti Antonij quomodolibet spectan. & pertinentibus, aut quocumque titulo spectarent, & pertinerent, Apostolica auctoritate prædicta, reuocauit, cassauit, irritauit, & annullauit; ac Præceptorias, Hospitalia, Oratoria, Beneficia, Confraternitates, quæstas, & vota prædicta, in pristinum & eum in quo antequam huiusmodi vniones, annexiones, incorporationes, suspensiones, applicationes, erectiones, & institutiones fierent, erant statum, restituit, reposuit, & plenarie reintegrauit; necnon vniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, applicationes, approbationes, erectiones, & institutiones prædictas, nullas, irritas, cassas, & inanes, illarumque prætextu, quæstas, & alia bona, mobilia & immobilia huiusmodi præscripta non esse, neque præscribi posse, neque debuisse, locum cuicumque præscriptioni contra eandem Religionem, & illius bona, non esse, neque in futurum fore; liceretque deinceps Theodoro, & pro tempore existenti Abbati, & Conuentui, ac Præceptoribus præfatis, bona prædicta, etiam in Vrbe, & Curia huiusmodi recuperare, ac illorum corporalem possessionem apprehendere, & apprehensam continuare; dictasque vniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, applicationes, & approbationes, ac Oratorium, & Capellarum, Imaginum, & Hospitalium sub inuocatione dicti Sancti Antonij erectiones, etiam in Vrbe, & Curia huiusmodi, absque Abbatis & Conuentus, ac Capituli prædictorum consensu, per Leonem prædecessorem, & eius successores præfatos, seu eorum & dictæ Sedis Legatos, aut locorum Ordinarios huiusmodi, fieri non posse, neque debere; & si quæ fierent illas concessas, irritas & inanes existere, etiam decreuit.

Ordinemque S. Antonij super prædictis molestari interdixit.

§. 22. Districtius inhibens, omnibus & singulis Commissariis, etiam Fabricæ dictæ Basilicæ, ac quibusuis aliis Nuntiis Apostolicis, & aliis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existen. & quacumque auctoritate, etiam Apostolica vel mundana, etiam contra exemptos, & eorum priuilegia tunc fungentibus & functuris, necnon quibusuis sæcularibus, & quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, etiam de Obseruantia nuncupatorum regularibus personis, etiam in Vrbe, & Curia huiusmodi, tunc & pro tempore existen. ne Abbatem & Conuentum Monasterij, ac Præceptores, & personas Religionis huiusmodi, directè vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio, sub dicta excommunicationis latæ sententiæ, & aliis etiam pecuniariis censuris & pœnis, arbitrio pro tempore existen. dicti Monasterij Abbatis, moderandis, & Cameræ Apostolicæ ac Religioni prædictis applican. ratione cuiusuis decimæ, aut impositionis, in dictis quæstis, & bonis, etiam prætextu quarumcumque suspensionum molestarent, turbarent, inquietarent, seu molestari, turbari, inquietari facerent, aut permitterent; necnon omnibus locorum Ordinariis, & eorum officiariis, & aliis quibusuis vbilibet, etiam in Vrbe, & Curia huiusmodi constitutis personis, quacumque etiam Apostolica auctoritate fungentibus, ne literas quæstuandi cum campanellis: quorumuis Ordinum personis de cætero concederent, ac decernens ex tunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obst.

§. 23. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterij & Ordinis prædicti, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, necnon priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, per prædictos & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, tunc suos, ac etiam ipsum Leonem prædecessorem, & Sedem eandem, etiam consistorialiter, etiam per viam legis & statuti perpetui, ac stipulati contractus, etiam iuramento vallati, etiam in fauorem Cruciatæ, & Basilicæ prædictarum; & fidei Catholicæ, ac motu simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusuis efficacissimis & insolitis etiam irritatiuis & cassatiuis, reuocatiuis, præseruatiuis, mentis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in contrarium quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda foret, & in eis caueretur expresse, quod illa nullatenus derogari posset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita obseruata inserti

inserti fuissent, eidem Leoni prædecessori pro sufficienter expressis haben. illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, specialiter & expresse derogauit, contrariis quibuscumque; aut si locorum ordinariis vel quibusvis aliis communiter vel diuisim à dicta esset Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possent, per literas Apostolicas non facien. plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sumariisque lite. rarũ transum. ptis idem Leo X credi iussit.

§. 24. Cæterum quia difficile erat super supra, & infrascriptis conficien. literis huiusmodi, ad singula quæque loca, in quibus de illis fides facienda esset, deferri, voluit idem Leo prædecessor, & Apostolica auctoritate prædicta decreuit, earum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eandem prorsus fidem, in iudicio & extra adhiberi debere, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si præsentialiter essent exhibitæ vel ostensæ.

Sed quia dictæ literæ eius superueniente obitu expedita nõ fuerunt, ideo hic Pont. Clem. VII. à die data earum validas esse decreuit.

§. 25. Ne autem de absolutione, approbatione, innouatione, concessione, decretis, declaratione, statuto, ordinatione, reuocatione, cassatione, annullatione, restitutione, reintegratione, inhibitione, derogatione, & voluntate Leonis prædecessoris huiusmodi, pro eo quod super illis ipsius Leonis prædecessoris, eius superueniente obitu, literæ non confectæ fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, ipseque Theodorus, & pro tempore existens dicti Monasterij Abbas, illorum frustrentur effectu, volumus & dicta Apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, approbatio, innouatio, concessio, decreta, declaratio, ordinatio, reuocatio, cassatio irritatio, annullatio, restitutio, repositio, reintegratio, inhibitio, derogatio, & voluntas Leonis prædecessoris huiusmodi, perinde à dicta die quarto nonas Octobris, suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Leonis prædecessoris literæ, sub eiusdem diei datis confectæ fuissent, prout superius enarratur.

Et hanc bullam prædicta omnia sufficiẽter probare decreuit.

§. 26. Quodque præsentes literæ ad proban. plene absolutionem, approbationem, innouationem, concessionem, decreta, declarationem, statutum, ordinationem, reuocationem, cassationem, irritationem, annullationem, restitutionem, repositionem, reintegrationem, inhibitionem, derogationem, & voluntatem Leonis prædecessoris huiusmodi vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Executores prædictorum omnium deputat.

§. 27. Quocirca vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac personis in dignitate Ecclesiastica vbilibet constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel plures, aut eorum vnus, per se vel alium, seu alios, omnes & singulas prædictas, & præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Theodori & pro tempore existentis Abbatis, & Conuentus, ac Præceptorum præfatorum desuper requisiti fuerint publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten. faciant auctoritate nostra, literas ipsas, ac priuilegia præeminentias, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, facultates, concessiones, gratias, & indulta, ac alia in eis contenta huiusmodi, firmiter obseruari, ipsosque Abbatem & Conuentum, ac Præceptores, quæstores, & alios quos literæ ipsæ concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes illos, aut eorum aliquem desuper modo aliquo indebite molestari, aut impediri, aut inquietari, contradictores, molestatores, impeditores quoslibet & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, & pœnas, ac alia in eis remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis, seruatis processibus, censuras & pœnas prædictas quoties opus fuerit, aggrauando & reaggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis non obstantibus omnibus supradictis.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 1. 26. Nouem.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimo tertio, sexto Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

III.

Institutio Collegij 60. virorum, ad curandum perfectionem Fabricæ basilicæ S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, cum facultate deputandi Iudicem, ad cognitionem causarum interesse d. Fabricæ concernentium.

Huius Collegij præsidens & moderator, est Cardinalis pro tempore Archipresbyter S. Petri, ex const. 102. Six. V. Cum ex vbi hæc iurisdictio iterato conceditur.

Ante hanc bullam, Iulius II. sup. in sua const. 23. Liquet. & Leo X. amplas facultates Fabricæ Collegio dederunt in exigendis legatis piis & incertis, & deinde etiam iste Clem. inf. in const. 9. Dudum. Necnon Paul. III. qui illas Iul. II. & Leon. X. refert infr. in const. 31. Dum ad vniuersas ac Iul. III. in const. 15. Accepimus, & Pius V. in const. 96. Decet. & const. 97. Exigit. Scias etiam pro hac Fabrica duas sententias conformes constituere rem iudicatam, vt inf. in const. 95. Pij V. Et si omnium.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. Di. 1525.*

SS. Petrus & Paulus Apost. Romæ fidem Catholicam firmarunt.

ADmonet nos suscepti cura regiminis, & auctoritas Pontificalis inducit, vt ad ea potissimum intendamus, per quæ gloriosi Principes terræ Petrus & Paulus, qui primi Euangelium CHRISTI in Alma Vrbe prædicarunt, in eaque postquam Christianam Religionem fundarunt & erexerunt, ac vniuersum Orbem sacræ doctrinæ splendore, & miraculorum fama repleuerunt, sancti martyrij coronam sub eodem persecutore, ac eadem die, eodemque loco susceperunt, eo maiori veneratione à Christi fidelibus colantur, quo maioribus meritis inter alios Apostolos excelluerunt. Quorum licet Saluator noster peculiarem curam semper habuerit, quippe qui, vt alia innumera omittantur, Petrum in fluctibus ambulantem, ne mergeretur, dextera sua erexit, Paulum vero tertio naufragantem; de profundo pelagi liberauit, ipsum tamen Petrum, cui claues Regni Cœlorum dedit plenitudinem potestatis habere, aliorumque Apostolorum Principem esse voluit. Et propterea non conuenit, Ecclesiam seu Basilicam sub eius nomine dedicatam, apud quam Palatium Apostolicum existit, & in qua super ipsius B. Petri Altari, Romani Pontifices quolibet anno missas Pontificales solemniter celebrare consueuerunt, necessaria instauratione, ac reparatione carere, & ab illis qui deuotionis causa, ad eorundem Apostolorum limina visitanda confluunt, quasi desertam atque relictam conspici.

Constantinus Imperator eorum Ecclesias Romæ iisdem ædificauit.

§. 1. Sane considerantes quod in ipsa Vrbe Roma, in qua omnipotens primatum Ecclesiæ suæ sanctæ, statuit atque firmauit, claræ memoriæ Constantinus, qui Monarchiam tenebat imperij, postquam à B. Syluestro per sancti baptismi sacramentum, veritatem fidei, & spem salutis æternæ suscipere meruit, in proprio Lateranensi Palatio, Ecclesiam in honorem Saluatoris Mundi erexit eorundemque Apostolorum basilicam pari prope forma & magnitudine à fundamentis ædificauit, ac propriis humeris duodecim cophinos terræ ex earum fundamentis exportauit, ac eas ipsas eodem die ab ipso beato Syluestro consecrari obtinuit, aliaque multa mente reuoluentes, ad officium nostrum pertinere arbitramur, vt postquam fel. record. Iulius Papa II. prædecessor noster existimans quemadmodum ipse Petrus Apostolorum Princeps habetur, ita eius Basilicam ædificij pulchritudine & magnificentia, inter alias principatum obtinere debere, ipsam propterea demoliendum mandauit, vt longe ampliore, ac magis admirabili ædificio reficeretur, ac instauraretur.

Hic modo Pontifex vt Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis fit

§. 2. Nos qui eiusdem B. Petri successores sumus, ipsumque peculiari deuotione prosequi tenemur, quod ipse Iulius prædecessor morte præuentus successiueque Leo X. Adrianus VI. Romani Pontifices etiam prædecessores

ceteris prædecessoribus nostris virtute vestrinnerit illud Collegium, ad illius Fabricæ perfectionem curandam.

cessores nostri, variis causantibus impedimentis, perficere non potuerunt, id omni conatu, ac totis viribus nostris aggrediemur. Attendentes autem hoc sacrum, & sublime B. Petri templum non nostri, neque cuiusque esse proprium, sed omnium Christianarum nationum commune, quando a Domino Deo, Deique Filio, ipsi Petro super omnes gentes potestas est data, ipseque & successores eius Romani Pontifices pro salute omnium mediatores apud Dominum nostrum Iesum Christum esse debent, cogitauimus propterea Collegium vnum LX. virorum Curialium quarumcumque nationum instituere, & ordinare, qui dictæ Basilicæ, fauente Deo, reficiendæ diligentem curam habere debeant. Et cum singularum nationum in nostra Romana Curia degentium, Curiales digniores ex eis numerum LX. non excedentes ad hoc de mandato nostro elegerint. Nos vt exinde optatus subsequatur effectus, & fabrica ipsius basilicæ, cuius absolutionem sincero cordis affectu desideramus, prosperiores complectatur successus, ac suffragia pro eadem fabrica, pia Christi fidelium deuotione eroganda, fideliter exigantur, & conseruentur, necnon prouentus illi in fabricam ipsam, & non aliam causam debite conuertantur, opportune prouidere volentes, ac quoscumque Præfectos officiales ad opus dictæ fabricæ cuiuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis fuerint, etiamsi Pontificali dignitate aut Cardinalatus honore præfulgeant, per dictos prædecessores, & nos, ac Sedem Apostolicam hactenus deputatos, ac omnes commissiones, & facultates eis desuper sub quacumque verborum forma factas & concessas reuocantes, ipsosque Præfectos & officiales ab huiusmodi præfectione, & aliis officiis, & commissionibus alias eisdem specialiter, vel generaliter factis absoluentes, Motu proprio, non ad aliquorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, vnum Collegium fabricæ basilicæ beati Petri nuncupandum omnium Oratorum, Christianorum Regum, & Principum, Rerumque publicarum, ac ex singulis nationibus huiusmodi, vt præfertur, electorum, loco quorum pro tempore decedentium, vel se diutius absentantium, alij earundem nationum similiter eligi possint, sic tamen quod dictum numerum LX. non excedant, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Illudque soli Sedi subiecit. Immo Sixt. V. cit. in rubr. illud subiecit Archipresbytero S. Petri.

§. 3. Collegium huiusmodi, & pro tempore existentes singulares personas eiusdem, ab omni superioritate, dominio, potestate, iurisdictione, & auctoritate quorumvis personarum, quacumque dignitate, & excellentia, etiam si Cardinalatus honore, & Legationis de latere officio, ac quavis facultate pro tempore fungentium, etiam ratione Archipresbyteratus dictæ Basilicæ, quoad omnia & singula quæ fabricam huiusmodi concernunt, auctoritate & tenore prædictis eximimus, & totaliter liberamus, ac sub nostra & Sedis prædictæ suscipimus protectione, nobisque & eidem Sedi, ita vt nullum alium quam nos, & successores nostros Romanos Pontifices in superiores recognoscere debeant, nulli alij in eos aliquam superioritatem, dominium potestatem, iurisdictionem, aut auctoritatem quoquo modo exercere valeant, immediate subiicimus.

Collegio facultatem deputandi Iudicem causarum d. Fabricæ, aliosque Officiales concedit. Immo Six. V. eadem d. Archipresbytero concessit.

§. 4. Ipsisque Collegio omnimodam administrationem, curam, & directionem, ac omne regimen dictæ fabricæ plenarie committimus, ac eisdem Collegio, vt de eorum gremio Officiales ad tempus per eos statuendum, tam ad specialem curam ipsius fabricæ, ac quæcumque alia inferiora illam concernentia, quam etiam (dummodo ex dignioribus, doctioribus & clericis eligantur) ad iustitiam ministrandum, qui iuxta facultatem eis per eosdem Collegium tribuendam, contra debitores dictæ fabricæ, prout iustitia exegerit, procedere possit, eligere, & ipsis officialibus electis salaria decentia constituere, ac omnia & singula quæ cætera Collegia quæcumque tam in dicta Vrbe & Curia Romana quam alibi, de iure vel consuetudine statuere, ordinare, & disponere possunt, & debent, tam prosperum regimen, & debitum ordinem ipsius Collegij, quam multas committentium fraudes in dispensatione prouentuum fabricæ huiusmodi, & alias fabricam ipsam concernentia, quæ postquam per eos structa, ordinata, & disposita fuerint, eo ipso dicta auctoritate Apostolica approbata & confirmata sint, & esse censeantur, prout illa ex nunc, prout ex tunc, & è contra approbamus, & confirmamus, statuere, ordinare, & disponere libere & licite valeant, plenam & liberam facultatem, auctoritatem, & potestatem, auctoritate Apostolica & tenore supradictis concedimus.

Qui Officiales iuramentum præstare debent pro recte administrando.

§. 5. Et insuper vt omnia per ipsos Collegium gerenda, omni odio, amore & sinistra machinatione postpositis, secundum Deum, & rectam conscientiam dirigantur, eisdem auctoritate & tenore statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli de dicto Collegio, ac per eos pro tempore eligendi Officiales, sub attestatione damnationis æternæ, quod ipsi in huiusmodi fabricæ administratione, cura, & directione, ac regimine, & Officialium electione secundum Deum absque dolo, fraude, odio, vel rancore, prout cuilibet eorum conscientia dictauerit, procedent, & votum dabunt, ac officium exercebunt, iuramentum, quod per præfatos Collegium aut ab eis deputandos, quoties qualitas negotij id exegerit, & Officialibus deputandis pro tempore expedire visum fuerit, reperi possit, præstare teneantur.

Eleemosynæque & oblationes omnes in opus Fabricæ exponantur.

§. 6. Ac quod omnia & singula, pecunias, res, & bona debita, & debenda, etiam piæ oblationes tam in dicta Vrbe quam extra eam, operi dictæ fabricæ erogandæ, penes Collegium seu Officiales eligendos, prædictus, aut Depositarium per Collegium deputandum permanere, & per eos claues arcarum & truncorum, vbi pecuniæ & eleemosynæ in ipsa Vrbe reponantur, custodiri, ipsæque pecuniæ omnes per eosdem Collegium & Officiales ad hoc ab eis deputandos seu eligendos, ad opus dictæ fabricæ & non ad alium vsum omnino distribui, exponi, & conuerti debeant, etiamsi nos & successores nostri Romani Pontifices aliter disponeremus & ordinaremus, etiam per quæcumque mandata tam in scriptis quam etiam viuæ vocis oraculo sub quibusvis pœnis & censuris facienda, quibus Oratores Regum Principum necnon Rerumpublicarum in dicta Curia residentes, pro eisdem Collegio firmiter resistere, & in huiusmodi euentum præfati Collegium pecunias, res, & bona omnia prædicta, nomine omnium Oratorum deponere, nec dicti Oratores aut Collegium ratione resistentiæ huiusmodi aliquas censuras siue pœnas incurrere, neque Collegium præfati ad aliud quam ad deponendum, vt præfertur, adstringi possint, ipsique Oratores eo casu pecunias, res, & bona huiusmodi ad aliud opus quam dictæ fabricæ exponere nequeant, & qui contrarium fecerint, ad restitutionem de proprio, damni eidem fabricæ eorum culpa vel facto illati teneantur.

Cum debitoribus Fabricæ transigere possint. Vide bullas cit. in rubr.

§. 7. Quodque omnia & singula per inferiores officiales prædictos pro tempore acta & gesta cum subscriptione Officialium deputandorum & sigillo Collegij prædictorum munita valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, ac in iudicio & extra fidem faciant, ac si per Camerarium nostrum & Præsidentes Apostolicæ Cameræ gesta & facta. Et similiter dilationes, pacta, transactiones relaxationes seu remissiones per Collegium præfatos pro quiete mentis debitorum ipsius fabricæ faciendæ, illas vim & auctoritatem habeant, quas haberent, si nobiscum, & cum successoribus nostris præfatis, ac Camerario & Præsidentibus Cameræ huiusmodi confecta & celebrata forent, nec in aliquo aliu per Camerarium & Præsidentes præfatos, seu quoscumque alios Officiales molestari, aut inquietari possint.

Collectoresque deputare ad exigenda legata. Vide ibidem.

§. 8. Ac quod Collectores pro exigendis hæreditatibus, legatis, & aliis bonis ex donationibus causa mortis, seu irreuocabiliter inter viuos dictæ fabricæ factis seu faciendis, ac piis eleemosynis tam in Curia & Basilica prædictis, quam extra eandem Curiam, & in quibuscumque Ciuitatibus, Diœcesibus & locis erogandis deputari, eligi, & transmitti non possint per alios quam per Collegium præfatos, ac per ipsos Collegium pro tempore deputati, & electi, vt sine impedimento aliquo & cum mentis quiete officium eis commissum exercere valeant; eorumque familiares clerici dumtaxat ad opus fabricæ huiusmodi deseruientes, durante eorum officio,

&

& illius exercitio dumtaxat, ab omni superioritate & iurisdictione quorumcumque Ordinariorum Ecclesiasticorum liberi & exempti, ac sub nostra & dictæ Sedis protectione constituti sint,& esse censeantur. Quodque Communitas, Ciuitas, vel Vniuersitas loci in qua seu quo Collector deputatus fuerit,adiungere debeant vnum ciuem laicum bonæ famæ,& facultatibus idoneum, qui simul cum Collectore exactionibus interueniat, & computum teneat, ac de actis fidem Collegio præfatis faciat, ac gratiis spiritualibus,& temporalibus quibus gaudebit Collector, gaudeat.

Et pecunias inde redigendas in opus Fabricæ exponant.

§.9. Quodq; omnia,& singula bona,seu hæreditates, & legata dictæ fabricæ, donationes ex causa mortis seu inter viuos seu alias quomodolibet relicta,& facta,vltimo emptori & plus offerenti siue dicta bona in mobilibus siue immobilibus rebus, seu nominibus debitorum consistant,publicè subhastari & vendi debeant,ac ex redditibus & bonis prædictis pecuniæ prouenturæ penes Collegium,seu Depositarium per Collegium deputandum,ad effectum vt opus dictæ basilicæ continuari & finiri possit,deponi debeant.

Iuditio causar. Fabricæ facultas summarie,&c. & etiã Sede vacante, causas Fabricæ cognoscendi.

§.10. Et ne ipsi Collegium,& ab eis pro tempore eligendi Officiales pro exigendis oblationibus, bonis & rebus dictæ Fabricæ tam ratione contractuum quam quarumcumque dispositionum inter viuos & vltimarum voluntatum pro tempore debitis, in diuersis tribunalibus litigare cogantur,& per varias cauillationes, & subterfugia solutiones differantur, sicque prosecutio fabricæ huiusmodi impediatur vel retardetur, quod Collegium præfati ordinariam iurisdictionem exercere, & de quibusuis causis quorumcumque dictæ fabricæ debitorum, etiam quarumcumque maximarum summarum, & ex quauis causa contractorum cum peritorum consilio cognoscere, & iudicare,ac ad instantiam œconomi, seu procuratoris ipsius fabricæ ex quibusvis causis debitores cuiuscumque dignitatis, gradus, vel conditionis fuerint, præsentes videlicet in dicta Curia manu regia, constito de debitis per instrumenta quæcumque, seu per testes idoneos parte citata examinandos,clare & concludenter debitum probantes,aut alias legitimas probationes, etiamsi debitum mediate ex quovis titulo,etiam cessionis libere & sine fraude, nec ad commodum aliquod cedentis factæ, seu applicationis ad ipsam fabricam pertineat, solemnitate à iure naturali introducta, vel si expedierit, vnica citatione dumtaxat personaliter, vel ad domum eorum solitæ habitationis, si videbitur, facienda præcedente, absque alia tela iudiciaria, etiam singulis diebus, & tempore quarumcumque feriarum, non tamen ad Dei honorem pro tempore indictarum, etiam nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus à Romana Curia absentibus,ac etiam Sede vacante, vsque ad effectualem executionem; necnon contra Capitula,Collegia,Communitates, & Vniuersitates, ac personas,res,& bona ad dictam fabricam spectantia habentes, & detinentes etiam vigore monitorij pœnalis per ipsos Collegium,sub censuris & pœnis eidem fabricæ, si res & bona huiusmodi non restituerint,applicandis,decernendi,ac contra contumaces vnica vel pluribus citationibus, si videbitur præcedentibus, etiam per affixionem in valuis seu ianuis ipsius basilicæ Principis Apostolorum, etiam per censuras & pœnas Ecclesiasticas,ac alia opportuna iuris remedia procedere; & mandatum executiuum, loco sententiæ ferendæ, seu literarum decernere: necnon singulos prædictos, etiam per edicta publica in locis publicis circumuicinis affigenda, quæ ipsos perinde arctent, ac si eis personaliter intimata forent, constito, summarie & extraiudicialiter, de non tuto ad eos accessu, more Auditorum causarum Palatij Apostolici absque alia speciali, nostra vel successorum nostrorum commissione,citare & monere.

Censuras & pœnas infligendi.

§.11. Et tam præsentes quam absentes debitores, etiam si absentes personaliter vel alias comparuerint,nisi soluerint, seu de solutione legitime docuerint, necnon singulares personas Capitulorum, Collegiorum, Communitatum, & Vniuersitatum detinentium res & bona fabricæ huiusmodi, absque alia iuris solemnitate, excommunicationis sententia innodare, à diuinis suspendere, ac excommunicatos & suspensos declarare, ac excommunicationis & alias censuras, & pœnas prædictas quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggrauare, ac contra eos auxilium brachij sæcularis innouare, & interdictum generale vel speciale, tam in Ecclesiis, quam ciuitatibus & locis, in quibus debitores & detinentes præfati moram traxerint,& ad quæ eos declinare contigerit, apponere,illudque suspendere,tollere, seu reuocare,ac quæcumque alia remedia per præsidentes Cameræ Apostolicæ exerceri solita, donec de debito ipsi fabricæ fuerit integre satisfactum, exercere libere & licite valeant.

A sententia d. iudicis appellatio deuetur solummodo ad Collegiummet.

Tu scias semel etiã tantum appellari posse, vt statuit Pius v. in const. 95.

§.12. Et si contingat dictos debitores animo differendi solutiones prout verisimiliter præsumi potest, ante vel postquam ad soluendum totum illud in quo reperti erũt veri debitores,condemnati fuerint, per varia subterfugia & remedia confirmare grauamina eis allata seu inferenda, etiam nullitatis & telæ iudiciariæ non seruatæ, & propterea causas appellationis, seu appellationum,ac nullitatis & nullitatum,aliquibus iudicibus,in dicta Curia vel extra eam committi procurauerint, quod omnes & singulæ causę dictam fabricam concernentes, tam negotij principalis in præiudicium iurisdictionis concessæ, Collegio huiusmodi, quam appellationis & nullitatis, seu appellationum & nullitatum per ipsos Collegium, seu officiales deputandos decidi debeant, nec cuiquam iudici committi, neque commissiones per quemcumque à nobis, & Sede Apostolica ad commissiones iustitiæ signandas deputatum, etiam si dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis fuerit, nec per eiusdem S. R. E. Vicecancellarium, aut illius Locumtenentem pro tempore existentes, nisi per nos & successores præfatos manu nostra,vocatis dictis Officialibus prius,signari possint, ac de nullitate processus non possit in dubium deduci, neque cognosci, sed perinde reiectis nullitatibus, etiam censurarum,ac si de nullitate declaratum fuisset propter periculum animarum,etiam si ex actis de illis constaret,de nouo in negotio principali procedi possit, nisi de iustitia negotij principalis ex actis constiterit, seu alias infra breue tempus apparere possit.

Iudicis prædicti mandata à quocumque exequi debẽt, & nullatenus impediri possunt.

§.13. Et quod decreta & mandata de soluendo per officiales Collegij huiusmodi, exigente iustitia, contra debitores præfatos facta per quoscumque Officiales ipsius Vrbis, etiam Barisellum, & Marescallos exequi debeant. Nec talia mandata,& executiones per quoscumq; Officiales, etiam præfatos Cardinales,etiam Sede vacante, etiam collegialiter, quouis quæsito colore,aut etiam per Camerariũ nostrũ,& Præsidẽtes Cameræ huiusmodi, seu etiam per literas salui conductus, ac dilationes datas ad persoluendum,etiam cum idonea cautione, impediri, seu retardari valeant, omnesque literæ salui conductus & dilationes per Camerarium, & dictæ Cameræ Præsidentes præfatos, seu per Collegium S.R.E. Cardinalium etiam dicta Sede vacante, vel Romano Pontifice à Romana Curia absente concedendæ, nullius roboris vel momenti existant, ac illis non obstantibus, mandata & decreta huiusmodi per Officiales, quibus illa fuerint præsentata exequi debeant.

Dispositiones ad fauorem Fabricæ non impediatur neque occultentur.

§.14. Ac quod omnes qui executiones seu perceptiones pecuniarum & bonorum quorumcumque, tam mobilium quam immobilium, ex quavis causa & dispositione vltimæ voluntatis, seu inter viuos ad dictam fabricam spectantium impediuerint,& eadem bona vel instrumenta, seu testamenta, codicillos, vltimas voluntates, donationes, tam ex causa mortis, quam inter viuos, occultauerint, seu quominus ad notitiam Collegij & Collectorum, tam in dictis Vrbe, & Curia, quam extra ea deputandorum peruenire valeant, impediuerint, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, & tam per Collegium & illius Officiales pro tempore deputatos, quam etiam per eosdem Collectores in partibus, & locis vbi deputati fuerint, pro excommunicatis, declarati & publicari possint,nec per alios quam dictos Officiales, seu Collectores, etiam in vim quarumcumque literarum, & facultatum, etiam Cruciatæ quibusuis Principibus concedendæ, nisi prius satisfecerint, vel si in mortis articulo constituti fuerint præstita

cautione de satisfaciendo per se, si conualuerint, alias hæredibus & executoribus satisfactionem iniungendo absolui, huiusmodique absolutionem Officiales & Collectores ipsi patentibus talium impedientium & occultantium, qui de iure pro impedimentis & occultationibus per eos præstitis & factis obligati fuerint, impendere possint.

Notarij cur notificent Fabrica. §. 15. Quodque Notarij, Rectores parochialium Ecclesiarum, seu Vicarij, vel quicumque alij de donationibus prædictis rogati, seu de illis notitiam habentes, illas infra mensem, Collegio, seu Collectoribus, & si Collectores præsentes non fuerint, in Curia Episcopali loci intimare teneantur & debeant.

Clausula præseruatiua. §. 16. Decernentes & declarantes pro potiori præmissorum robore, quod si aduersus illa vel eorum aliqua, quævis literæ Apostolicæ, tam quascumque declarationes, concessiones, & clausulas generales vel speciales etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores, efficaciores, & insolitas, ac irritantia decreta, necnon mandata etiam pœnalia, sub quacumque forma & verborum expressione in se continentes, etiam præsentibus expresse derogantes, etiam motu proprio, & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, à nobis, seu successoribus nostris præfatis, aut nostra vel eorundem successorum nostrorum auctoritate, seu aliis quibusvis modis emanauerint, aut aliquo vnquam tempore apparuerint, per quæ effectus earundem præsentium retardari vel impediri, aut illis quomodolibet derogari, vel præiudicium aliquod in aliqua sui parte quovis modo afferri posset, quod illa cum omnibus & singulis inde secutis executionibus, & processibus, pro infectis habeantur, nulliusque roboris vel momenti existant, ipsæque præsentes literæ vim validi & efficacis pacti, & contractus, inter nos & Collegium præfatos initi etiam iuramento vallati, ad effectum vt non liceat nobis, nec successoribus nostris prædictis præmissa reuocare, habere censeantur. Et sic in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid secus super præmissis vel eorum aliquo per quascumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executorum huius bullæ. §. 17. Quocirca vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Patriarchalium, & Metropolitanarum, ac aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ac eorundem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus & Vicariis in spiritualibus, & temporalibus vbilibet constitutis, motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Collegij, & ab eis pro tempore deputandorum Officialium, & Collectorum prædictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi, sub censuris & pœnis Ecclesiasticis firmiter obseruari, non permittentes Collegium, & ab eis pro tempore deputatos Officiales & Collectores præfatos desuper per quoscumque quavis auctoritate fungentes quomodolibet molestari, impediri, seu perturbari, contradictores, molestatores quoscumque & rebelles, per easdem censuras & pœnas, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas quoties opus fuerit, aggrauando, necnon loca in quibus eos morari, & ad quæ declinare contigerit, Ecclesiastico interdicto subiiciendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum. §. 18. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, ciuitatibus, & locis, ac Capitulis, Collegiis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Iudicibus, & personis cuiuscumque dignitatis & conditionis existentibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus & insolitis clausulis concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua mentio fieri deberet, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis & insertis habentes, quoad præmissa specialiter & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse, & aduersus præsentes nemini suffragari posse decernimus, ac quorumvis tribunalium consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim à dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 19. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda foret, loca deferre, etiam volumus, & eadem Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis manu publici notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. *Transumptorum fides.*

Nulli ergo omnino, &c.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo tertio, pridie Idus Decemb. Pontificatus nostri Anno primo. *D.P.A.I. die 12. Decemb.*

Iurisdictio Iudicis Curiæ Ripettæ Almæ Vrbis, cognoscendi causas ciuiles occasione mercium per Ripettam vehendarum, & nonnullas causas criminales. IV.

Alias istius iudicis iurisdictiones, vide inf. in Pauli III. const. 6. Cum nobis, & in aliis constit. quas ibi indicabo.

Reformationem autem huius Curiæ edidit Paul. V. vt in sua const. 71. Vniuersi, tit. 8. vbi notabo.

CLEMENS EPISCOPVS, *Motu proprio, &c.* *Edita An. D. 1524.*

NVper fel. rec. Adrianus Papa VI. prædecessor noster ad supplicationem dilectorum filiorum & vniuersitatis Nautarum siue Barcarolorum Tyberonis & Anienis, seu Tyberonis Ripettæ Almæ Vrbis nonnulla statuta, & in Camera Apost. discussa & concessa Apost. auctoritate approbauerat, quibus inter alia cauebatur expresse, quod præfati Consules deputati pro tempore in aliquibus controuersiis, & causis super quibusdam rebus, & bonis per fluuium Tyberis & Anienis deuectis, in certis pecuniarum summis haberent iurisdictionem cognoscendi & terminandi, sola facti veritate inspecta, etiam manu Regia. *Iurisdictio antiqua Consulum Artis Barcarolorum.*

§. 1. Cum autem, sicut accepimus, multas quæstiones & controuersias quotidie in facto oriri, non solum inter ipsos Barcarolos, sed etiam inter Ciues Romanos, aliosque mercatores se exercentes in dicto flumine ventilandas, quæ in apicibus iuris inuolutæ, deberent decidi & cognosci consilio iurisperitorum, & propterea præfatos Consules penitus ignaros indigere summopere viro iuris peritia insignito. *Quam hic Pontif. ex causis hic expressis.*

§. 2. Nos qui ipsius Vrbis præcipuam curam gerere tenemur, prospero statui, ac felici regimini, ac tam Romanorum Ciuium & Curialium, ac forensium Mercatorum in fluminibus se exercitantium, & ad ipsam Vrbem victualia multa, & alias merces deferentium, ac *Transfert in Iudicem deputandum à Præside Riparum.*

ac deferri facientium, quam præfatorum Consulum & Vniuersitatis Barcarolorum commodo, & vtilitati prouidere volentes, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & quælibet statuta, priuilegia, facultates per Adrianum prædecessorem præfatum Consulibus, & Vniuersitati Barcarolorum quomodolibet concessa approbamus, confirmamus, & ampliamus. Eisdem etiam omnibus ac singulis priuilegiis, facultatibus, Nautis, & Mercatoribus Ripæ Vrbis, concessis ac concedendis, in rebus & bonis per dicta flumina conducendis pariter, in omnibus & per omnia vti, potiri, & gaudere, libere ac licite possint & valeant, auctoritate prædicta indulgemus. Volumus autem quod per Præsiden. Cameræ nostræ Apostolicæ, seu eius Decanum pro tempore existentem, deputetur aliquis iurisperitus, qui in eorum tribunali iustitiam cuique administrare possit & valeat.

Qui causas ciuiles ripales omnes, criminales autem hic expressas priuatiue quo. ad alios cognoscit.

§. 3. Et eidem sic vt præmittitur deputato quascumque causas, controuersias, quæstiones, seu contentiones, ac differentias, super, & pro quibusvis rebus, & bonis, ac mercibus per dicta flumina ad Vrbem deuectis, & quomodocumque ad eam deuehen. concernen. tangen. ac quibusvis pecuniarum summis propterea debitarum, ac exigen. Necnon criminales, & præsertim à rixis, ac blasphemiis, in Deum, & eius matrem Virginem, ac Sanctos etiam per dictos Barcarolos, & huiusmodi mercatores inibi exercen. prolatis prouenien. in quibus tamen pœna pecuniaria, & non sanguinis, venit imponenda, cum omnibus & singulis suis emergentibus inciden. dependen. annexis & connexis, summarie, simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta, etiam manu regia audien. cognoscen. deciden. fineque debito terminan. ac dictos criminosos, & blasphematores, & cultus diuini contemptores qui pœna pecuniaria, pro tertia parte Cameræ Apostolicæ, pro alia tertia dictæ vniuersitati, & reliqua tertia parti exequenti applican. mulctandi venient, & debite puniendi, ac omnia & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facien. plenam & liberam auctoritatem & licentiam, auctoritate Apostolica concedimus & impartimur. Eidemque deputato, & pro tempore deputando, eiusque iurisdictioni, omnesque & singulas causas cum præfati inciden. & annexi, illarumque actores, & reos subiicimus, & submittimus, ita & taliter, vt ne quis eorum quolibet alio tribunali simili occasione præmissarum rerum, & allegata iurisdictione huiusmodi fori non nisi nulliter procedi posse. Item quæcumque quæ per ipsum vt præmittitur, deputatum alias rite ordinari, statui, pronuntiari, & decerni contigerit, valida & efficacia fore & firmiter obseruari. Sicque per quoscumque Iudices, &c. Sublata, &c. Iudicari debere, irritum quoque, &c. decernimus.

Executorum deputatio.

§. 4. Mandantes dilectis filiis Præsiden. & Clericis Cameræ Apostolicæ, ac eisdem Consulibus & vniuersitati Barcarolorum, ac eorum Iudici, vt dicitur deputan. ad nutum eorundem Clericorum amouibili in præmissis pacifice gaudere faciant, nec eos desuper quomodolibet impediri, perturbari, vel molestari permittant, ac quascumque literas necessarias desuper, quatenus opus fuerit, tradant & concedant.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Vrbis Ripæ & Ripettæ prædictæ, iuramento, &c. roboratis, statutis, consuetudinibus, reformationibus & decretis, necnon quibusvis priuilegiis, indultis, & concessionibus, illis aut aliis quomodolibet in contrarium forsan concessis, & confirmatis, quibus derogamus, ac eis aduersus præmissa, nullatenus suffragari posse volumus, etiamsi talia forent, quæ de verbo ad verbum inseri deberent, quorum tenores & compendia pro expressis habemus, cæterisque contrariis quibuscumque.

PP. subr. Fiat vt petitur. I.

Et motu proprio, & ad beneplacitum Cameræ. Fiat. I.

Dat. P. An. 1. 31. Ianuarij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idibus Ianuarij, anno primo.

Priuilegia pro abundantia rei frumentariæ; & agricultura in districtu Almæ Vrbis.

Horum priuilegiorum aliqua reuocarunt, nonnulla declararunt, & quædam etiam pro temporum conditione concesserunt Pius V. inf. in const. 19. Cupientes, & Clem. VIII. in const. 49. Frumenti; & in alia const. 72. Inter multiplices.

V1

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1524.

Proœmium.

AD sacram beati Petri Sedem, meritis licet imparibus, diuina dispositione vocati, continua meditatione vrgemur, vt iuxta commissi nobis pastoralis officij debitum, circa ea, per quæ Almæ Vrbis nostræ, in qua Sedis ipsa dignoscitur collocata, prosperitati, illiusque incolarum, & ad eam confluentium personarum commodo, & necessitati opportune consuli possit, sollicitis studiis intendamus, ac incolarum, & personarum earundem dispendiis, congruentibus remediis occurramus, prout temporum qualitate mature pensata conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sixtus IV. cuius const. hic non habes, licentiam omnib. concessit; arandi & colendi tertiam partem tenutarũ & agrorum, territorij Vrbis & Patrimonij. &c. ad quoscumque etiam loca ipsa spectantium, habita licentia ab aliquo ex Iudicibus deputatis. &c.

§. 1. Sane licet dudum fel. record. Sixtus Papa IV. prædecessor noster, attendens quod à pluribus tunc retroactis annis omnis regio dictæ Almæ Vrbi finitima frequenter habuerat steriles frumenti, & bladorum prouentus, cum graui populorum in ea degentium, iactura & afflictione, & considerans id præter & vltra cœli naturalem cursum & dispositionem, potissime etiam prouenire ex raritate culturæ agrorum, qui propter aliquam forte maiorem vtilitatem inde prouenientem eorum domini potius seruabantur inculti, vt essent in pascua animalibus brutis, quam colerentur, aut coli sinerentur in alimentum, & sustentationem hominum, per suas literas statuerat & ordinauerat, quod ex tunc deinceps, perpetuis futuris temporibus liceret, omnibus & singulis agros arare, & colere volentibus in prædictæ Vrbis nostræ territorio, & Patrimonij B. Petri in Thuscia, ac Campaniæ maritimæ, rumpere & arare, ac colere, alias debitis & consuetis temporibus, tertiam partem vniuscuiusque tenimenti, seu tenutæ, quam eligendam duceret, tam ad quævis monasteria, capitula, seu alias Ecclesias, & pia loca, quam ad quasvis priuatas & particulares personas, cuiusvis status vel conditionis spectantes & pertinentes, petita tamen, licet non obtenta, eorum ad quos spectaret licentia, dummodo iudicium tunc desuper deputatorum seu alicuius eorum auctoritas interueniret. Et mandauerit propterea omnibus & singulis tenimentorum, seu tenutarum huiusmodi dominis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, cuiusvis status vel conditionis existerent, & quavis dignitate præfulgerent, vt absque vlla prorsus resistentia sinerent omnes & singulos colere volentes, tenutas ipsas pro eorum arbitrio & voluntate, iuxta statuti huiusmodi tenorem & formam, rumpere, & arare, nullum omnino eis, aut alicui eorum, vel ipsorum famulis & ministris, per se, aut alios, impedimentum, aut molestiam inferentes.

Hoc autẽ declaratur hic infra, & reuocauit Clem. VIII. cit. in rubr.

Differentias præmissorũ occasione oriundas, præcipit per Iudices deputatos cognosci.

§. 2. Volueritque tam super tempore rumpendi, quam super electione tertiæ partis huiusmodi tenutarum, quæ arari deberet, ac responsione pro arata, & culta parte dominis facienda, & super aliis quibuscumque differentiis, & controuersiis, si forte aliquas differentias, seu controuersias super iis quovis modo oriri contingeret inter eos qui arare & colere vellent, & quorum tenutæ ararentur, præcipue super damnis & interesse, si quæ forsan illo primo anno prætendere possent prædicti domini tenutarum, seu eorum conductores se ex inspe-rato eorum cultu pati, vtraque pars præfatorum iudicum, aut duorum ex eis iudicio & determinationi, stare & acquiescere tenerentur, neque possent aut deberent se mutuo super huiusmodi, aut quibusvis aliis differentiis ex huiusmodi statuti tenore quovis modo prouenientibus coram quibusvis aliis iudicibus conuenire, aut iudices ipsi quacumque etiam potestate & auctoritate fungerentur, eos audire, vel se de ipsis contro-

Hoc cessat stante d. reuocatione.

uersiis

uersis impediri, & si secus forsan actum foret, id totum irritum & inane, ac nullius roboris vel momenti esse decreuerit.

Iulius ij eiusdem const. hic non habes, innouauit dictam const. Sixti iv.

§. 3. Et deinde piæ memoriæ Iulius Papa II. etiam prædecessor noster literas prædictas per quasdam innouauerit, & quamvis ex prouisione sua huiusmodi plurimi agriculturæ se dedissent, & in territorio dictæ Vrbis, & aliis locis circumvicinis magna frumenti, & aliorum bladorum quantitas colligeretur, & ex illa dictæ Vrbis necessitatibus abundantes subueniri posset.

Baronibusque & aliis mandauit ne interdicerent eorum subditis delationem frumentorum ad Vrbem, ne que illos inducerent ad vendend. eis vt carius ipsi venderent.

§. 4. Quia tamen Barones, & Domicelli dictæ Vrbis domini temporales oppidorum circumvicinorum eorum subditis, ne frumentum, & alia blada ad dictam Vrbem deferre præsumerent, interdicebant, & ab eisdem subditis, qui non sine magnis sudoribus illud recollegerent, vili pretio habere, illudque eis eum frumentum aliis carius vendidissent, persoluere nolebant, ab agriculturæ huiusmodi laudabili, & pernecessario exercitio, in animarum suarum periculum, & incolarum Vrbis, & Curialium huiusmodi non modicum præiudicium, & grauamen desistere compellebantur, idem Iulius prædecessor motu proprio, & ex certa scientia, per alias suas literas omnes & singulos Barones, & Domicellos Romanos, ac quascumque alias personas, tam Ecclesiasticas quam sæculares, oppida, terras, & villas infra quinquaginta milliaria à dicta Vrbe possidentes, ab eorum subditis, frumenta & blada, præterquam pro vsu & necessitate victus domus eorum, emere, & ad dictam Vrbem deferri, interdicere, & prohibere, aut illa ad alia loca, quam ad eandem Vrbem absque speciali sua, seu Cameræ Apostolicæ sibi nota licentia deferre præsumentes, ac in præmissis auxilium, consilium, vel fauorem, publicè vel occulte, directè vel indirectè, quouis quæsito colore præstantes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis, etiam si Cardinalatus honore fulgentes forent, requisiuerit, & monuerit, eisque districtè præcipiendo mandauerit, quatenus infra quindecim dierum spatium, postquam posteriorum literarum prædictarum notitiam haberent, videlicet Communitates, & vniuersitates, ac Barones, & alij in præmissis auxilium & fauorem præstantes, ab emptionibus & prohibitionibus, ac interdictionibus huiusmodi, ex tunc deinceps penitus, & omnino desisterent, alioquin lapsis dictis quindecim diebus, Barones, ac Communitatum, & Vniuersitatum singulares personas, & alios, auxilium, consilium, vel fauorem præstantes, ex tunc prout ex ea die, & è contra, excommunicationis sententiam, à qua ab alio quam Romano Pontifice, & facta de eo speciali, & expressa mentione, præterquam in mortis articulo constituti, & præuia satisfactione, absolui nequirent, innodauerit. Archiepiscopos vero, Episcopos, & alios Prælatos suspenderit à diuinis, & nihilominus, si aliqui ex prædictis Baronibus, & alij ciuitates, oppida, & terras, in feudum seu vicariatum, aut alias quouis titulo obtinentes, lapsis aliis ex tunc sequentibus quindecim diebus à præmissis non desisterent, dominio dictorum feudorum omnino & penitus priuauerit, Fiscoque Apostolicæ Cameræ applicauerit, & eorum ciuitates, terras, oppida, & villas Ecclesiastico subiecerit interdicto ipso facto, quod nisi præuia satisfactione relaxari per alium quam per ipsum Iulium prædecessorem interdixit, & prohibuit. Si verò vltra semestre dictos vltimos quindecim dies immediate sequentes in eorum prauo proposito, & duritia obstinatè perseuerando mandatis suis huiusmodi non parerent, sed parere contemnerent, ex tunc ipso iure omnibus & singulis ciuitatibus, oppidis, terris, villis, feudis & iuribus, quæ à Romana, & aliis Ecclesiis, aut alias obtinebant, vel recognoscebant, eadem auctoritate priuauerit, & ad illa & alia obtinenda perpetuo inhabilitauerit, priuatosque & inhabiles esse, ac ciuitates, oppida, terras, villas, & iura huiusmodi Cameræ Apostolicæ pleno iure incorporata decreuerit, & declarauerit, prout in eisdem literis plenius continetur.

Hic modo Pontifex dict. Sixt.

§. 5. Et in ipsa præsentiarum propter multiplicationem & augmentum illius incolarum habitatorum, maior copia frumenti, quam antea notorie sit necessaria, nihilominus exercitium artis agriculturæ, & colendorum agrorum huiusmodi in regione dictæ Vrbi finitima, & illius territorio prædictis vltra medietatem ab eo, quod viginti annos existebant, diminutum fuerit, & cultus exercendæ agriculturæ huiusmodi, etiam docente experientia rerum magistra, propter multitudinem vaccarum rubearum in eodem territorio existentium, in dies prætermittatur, & ars ipsa quodammodo pereat, quo fit vt in dicta Vrbe frumenti penuria inualescat. Nos considerantes terram præfatæ Vrbi finitimam, qua illius domini ad pascua multorum animalium vtuntur, sub isto cœlo fæcundam existere, & conuenientius fore, vt terra ipsa vomere & aratro scindatur & aretur, ac potius semen ex ea ad vsum hominum, quam fænum, quod sua sponte ad vsum animalium producit, recolligatur, & quod ex cultu agricolturæ huiusmodi homines ad laborem nati in exercitio honesto se poterunt exercere, & aër salubrior reddetur, & non solum dictæ Vrbi, & illius incolis, & curialibus, ac cæteris hominibus in terris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectis de frumento necessario prouideri, verum etiam illud per mare ad alias nationes grano indigentes deferri poterit. Ac propterea volentes artem agriculturæ, & colendorum agrorum huiusmodi in pristinum statum restituere, ne rei frumentariæ in dicta Vrbe opulentiæ prouidere, & futuræ illius penuriæ obuiare, Motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, literas Sixti & Iulij

iv. & Iul. ij. bullas confirmat & extendit.

Sed illa, vt iam dixi sunt renouata.

prædecessorum huiusmodi, ac in eis contenta quæcunque, ita vt tertia pars omnium tenutarum & possessionum, & casalium, tam in territorio, & Patrimonio, ac Campania maritima prædictis, quam circa Vrbem infra viginti milliaria consistentium, tam ad Ecclesias, monasteria, & hospitalia quæcumque, ac Cameram Apostolicam, quam Barones, Domicellos, & ciues Romanos, ac forenses cuiuscumque dignitatis, & conditionis, etiam si Prælati, Commendatarij, vel etiam S.R.E. Cardinales fuerint, aut eorum domini quacumque alia dignitate, tam Ecclesiastica quam mundana & temporali fulgeant, quomodolibet pertinentium, absque vlla exceptione vel prohibitione singulis annis pro frumentis ferendis, & recolligendis, scindi, arari, & coli possit, & debeat, à die publicationis præsentium liceat vnicuique tenutas, possessiones & casalia prædicta ad tenutas & possessiones ipsas pro futuro anno rumpendum, & colendum ingredi, sic tamen, quod si domini earundem tenutarum & possessionum illas pro dicta tertia parte colere, vel per alios coli facere voluerint, dummodo frumenta in illis recolligenda ad dictam Vrbem deferantur, non liceat aliis in eorum casalibus aliquid innouare, aut illorum possessiones sed eisdem dominis tenutas, & possessiones ipsas colere nolentibus, liceat aliis ciuibus, vel mercatoribus Vrbis habitatoribus, vel quibusuis aliis personis tertiam partem tenutarum, & possessionum huiusmodi in quolibet casali, pro eorum arbitrio, & vbi eis melius videbitur, absque aliqua prohibitione, & impedimento, sub pœna quingentorum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ applicandorum pro qualibet vice, per prohibentes vel impedientes eo ipso incurrenda, rumpi, arari, & coli facere, ita vt cultores ipsi cum dictis possessionibus pascuale pro pascendis bobus laborantibus necessarium habeant, & laboratores illo indigentes, easdem possessiones pro pascualibus reseruatas quolibet anno à principio mensis Augusti custodiri, & culturas eligendas in principio mensis Ianuarij, vel post, prout eisdem commodius & opportunius videbitur, rumpi & arari facere possint, nec pro interatura pro rubro terræ aliquid, vel tantum pro quolibet rubro terræ laboratæ in pecunia, sed solum, & dumtaxat de tenutis, possessionibus, & casalibus infra octo milliaria ab ipsa Vrbe consistentibus, quintam partem frumenti, vel bladorum recollectorum in dicto territorio fideliter, & more boni coloni, in frumento bono & recipienti, ac mercantili arbitrio Consulum artis soluere teneantur. Et pro tenutis, possessionibus, & casalibus in eodem territorio ab octo milliaribus

miliaribus vltra distantibus ab Vrbe, vsque ad quindecim vel sexdecim milliaria, similiter de septima parte frumenti recollecti pro quolibet rubro, modo & forma præmissis, respondere debeant, sic tamen quod sub tenutis & possessionibus prædictis, non comprehendantur, nec comprehensa censeantur, quo ad responsionem septimæ partis fructuum tenutæ & possessionibus in Latio, & Campania maritima consistentes, pro quibus propter faciliorem earum culturam, & multitudinem laboratorum de quinta parte fructuum respondetur & in quibus consuetudo hactenus seruari solita seruetur, & si contingat illas per aliquos præsentium vigore laborari, responderi debeat modo præmisso, ac pro tenutis, & possessionibus vltra dicta XVI. milliaria, citra, & vbicumque consistentibus (dummodo non sint loca vicina fluminum Tyberis, in quibus consuetudo loci, quoad responsiones seruetur) cultores illorum dominis eorum decimam partem frumenti, & bladorum, quæ illis sic cultiuatis & laboratis excreuerint, respondere tenenantur, exceptis dominis illarum eas colere volentibus, qui aliis præferantur, dummodo blada ipsa etiam illa, de quibus daretur tracta, ad Vrbem prædictam deferantur, ac per flumen & fauces Ostiæ extrahantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, ac vim, & vigorem perpetuo habere, vbibusque subsistere & obseruari, debere decernimus.

Agricultores eximij à represalijs & molestationibus pro debitu, & tractas concedit. De primo vide Pium v. & de secundo Clem viij. etiam sub.

§. 6. Et nihilominus pro potiori cautela præmissa omnia de nouo modo supradicto, ac quod cultores præfati cum animalibus, bobus, & equabus necessariis ab omni represalici receptione, & retentione, tam in Vrbe, quam extra, liberi & exempti existant, nec occatione alicuius debiti vel obligationis etiam in forma dictæ Cameræ, & Ripæ & Ripettæ molestari, capi, pignorari, nec eorum animalia vel frumenta tolli, pignorari, seu auferri possint. Et quotiescumque pretium frumenti in præfata Vrbe non excedet decem & octo iulios, pro quolibet rubro ad mensuram maiorem, Pala batuta nuncupatam, debeat dari cuilibet mercatori tracta quinquaginta rubrorum pro quolibet aratro, cum solutione tractæ duorum iuliorum pro rubro, & non vltra, de quibus vnus iulius cum dimidio dictæ Cameræ, medius vero iulius pro quolibet rubro Militibus S. Petri cedat, quæ quidem tracta dari debeat pro vna tempore recollectionis frumentorum, & pro alia medietatibus in festo Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, & interim tractæ dari non debeant aliis, donec ipsi eorum frumenta vendiderint, vel nauigio ad alia loca deferri fecerint. Possint tamen dari tractæ per ad id deputatos pro maiori summa, quando esset maior abundantia, eorum arbitrio, ita quod in Vrbe ipsa propterea penuria non proueniat, iuxta voluntatem nostram, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium, & discretionem executorum infrascriptorum.

Locationib. ad longum tempus renuntiare possit.

§. 7. Ac quod liceat habentibus locationes casalium, etiam ad longum tempus ab Ecclesiis & monasteriis Vrbis vel hospitalibus huiusmodi renuntiare in perpetuum dictis locationibus, quas in huiusmodi euentum cassamus, irritamus, & annullamus, ad effectum præmissum, nec teneantur ad solutionem alicuius summæ vltra tempus quo tenutas, possessiones, & casalia huiusmodi tenuerunt, & illorum fructus perceperunt. Nec liceat alicui habere armentum vaccarum rubearum in dicto Vrbis territorio infra decem milliaria, excedens centum & viginti quinque vaccas ad plus.

Romaniq; & incolæ forensibus præferuntur.

Hæc cessant stante d. reuocatione.

§. 8. Quodque in tenutis, possessionibus, & casalibus Ciuium Romanorum laicorum illas colere, & agriculturam exercere volentium, non possint alij forenses laborare, sed solum & dumtaxat alij Ciues Romani, de quibus domini illorum contententur, & alij habitantes in dicta Vrbe artem prædictam exercere volentes, dummodo tenutæ, & possessiones ipsæ pro dicta tertia parte cultiuentur, & laborentur, auctoritate, & tenore prædictis statuimus, & ordinamus.

Inhibitio contra molestantes eos.

§. 9. Districtius inhibentes omnibus & singulis tenutarum, seu possessionum, & casalium prædictorum dominis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, quavis dignitate præfulgentibus, ne tenutas & possessiones ipsas colere volentibus, seu eorum ministris & famulis præfatis, per se vel alium, directe vel indirecte impedimentum, vel molestiam aliquam inferre quoquo modo præsumerent sed eos absque vlla prorsus resistentia, tenutas, & possessiones prædictas pro eorum arbitrio, & voluntate, iuxta prædictarum, & præsentium literarum tenorem, rumpere & arare permitterent.

Prohibitiones Iul. q. contra Dominos & Barones emdentes frumenta subditis vltra vsum familiæ aut blada ad Vrbem deferri interdicentes, illorumque fautores innouat.

An hoc vide bullas cit. in rubr.

§. 10. Et nihilominus præfatos Barones, & domicellos Romanos, ac quascumque alias personas, tam Ecclesiasticas quam sæculares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentes, etiam Cardinalatus honore fulgentes, oppida, terras, & villas in dicto territorio possidentes, requirimus, & monemus, eisque districtè præcipiendo mandamus, quatenus ab eorum subditis frumenta & blada, præterquam pro vsu & necessitate victus & domos eorum, vt præfertur, emere, & ad dictam Vrbem deferri, interdicere, & prohibere, aut illa ad alia loca, quam ad eandem Vrbem absq; speciali nostra seu Cameræ prædictæ nobis nota licentia deferre, aut in præmissis, auxilium, vel consilium, aut fauorem, publice vel occulte, directè vel indirectè, quovis quæsito colore præstare vlterius præsumant. Alioquin si contrafecerint, ex nunc prout ex tunc, & è contra ipsos omnes & singulos excommunicationis, suspensionis, interdicti, priuationis, inhabilitatis, applicationis, & incorporationis, ac alias censuras, & pœnas in posterioribus literis Iulij prædecessoris huiusmodi contentas post terminos in eisdem posterioribus literis contentos incurrisse declaramus, ac quicquid secus attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Executores illius constit.

§. 11. Quocirca venerabili fratri Antonio Episcopo Prænestinen. & dilecto filio nostro Andreæ tituli sanctæ Priscæ presbytero Cardinali, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, ac venerabilis frater noster Bernardus Episcopus Gerustin. modernus, & pro tempore existens in dicta Vrbe Gubernator, necnon dilecti filij Magister Philippus de Senis notarius noster dictæ Cameræ Clericus, & Iacobus de Fricapanibus, ac Iulius Petri de Matthæis Romanus, & Iacobus de Rucellariis Florentinus ciuis, & illis deficientibus per eundem Gubernatorem eorum loco subrogandi, seu tres, aut plures ex eis, per se vel alium prædictas & præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum colere volentium desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, singulas literas, & in eis contenta huiusmodi, iuxta illarum tenorem, quacumque recusatione, vel præterquam ad nos interposita reclamatione non obstante, firmiter obseruari, non permittentes eosdem colere volentes, desuper dominos præfatos, seu quoscumque alios quomodolibet molestari, impediri, vel perturbari. Necnon communitates, vniuersitates, barones, & alias personas præfatas, auxilium, consilium, fauorem præstantes, quoties opus fuerit excommunicatos, & à diuinis suspensos publicent, & ac aliis etiam nominatim, nuntiari & publicari, & ab omnibus Christi fidelibus, donec meruerint absolutionis beneficium obtinere, arctius euitari. Et demum etiam ciuitatibus, oppidis, terris, feudis, & iuribus prædictis priuatos, & illa eidem Cameræ incorporata fore, etiam omissis solemnitatibus positiui iuris, instantet etiam Fisci nostri Procuratore, declarent, & ad declarationem huiusmodi, etiam brachio militari, & gentium armorum, ad nostra & eiusdem Romanæ Ecclesiæ stipendia militantium exequantur. Contradictores, molestatores, impedientes, perturbatores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio imponendas, & realiter exigendas, ac alia opportuna iuris remedia compescendo.

Clausula derogatoria.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac literis institutionis Militũ prædictorum, necnon Vrbis terrarum, oppidorum, & villarum, prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consue-

tudinibus, reformationibus, & decretis, priuilegiis quoque & indultis Apostolicis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Baronibus, ac aliis præfatis à dicta Sede forsan concessis, quæ eis quoad præmissa nolumus suffragari necnon pactis & conditionibus in dictis locationibus forsan appositis, ac omnibus illis, quæ dicti prædecessores in præfatis literis voluerunt non obstare contrariis quibuscumque. Aut si Communitatibus, Vniuersitatibus, Baronibus, & aliis præfatis, vel quibusuis aliis, communiter vel diuisim, ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma publicat. istius const. §. 13. Cæterum ne quenquam de præmissis hæsitare, aut ignorantiam allegare forsan in posterum contingat, volumus pariter & decernimus, quod præsentium literarum tenor per omnia loca publica dictæ Vrbis solemniter publicari, ac præconizari debeat, sic publicatus & præconizatus à die qua publicatus fuerit, perinde arctet omnes quos concernit, ac singulis eorum personaliter intimatus fuisset. Nulli ergo &c.

Dat. P. An. 1. die 20. Febr. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo tertio, x. Kal. Martij, Pontificatus nostro Anno primo.

VI. Iurisdictio & facultates Conseruatorum Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Paula, in eius litibus, causis, & controuersiis.

Hic Franciscus in Sanctorum numerum relatus fuit à Leone X. prædecessore, vt sup. in eius const. 38. Excelsus.

De hoc Ordine plene notaui sup. in const. 5. Sia. 4. Sedis. Reuocauit quascumque electiones de Iudicibus Conseruatoribus factas, & nouiter de eis, eorumque electionibus disposuit Gregorius XV. in const. 9. Sanctissimus, inf. tom. 4.

Edita An. D. 1524.

CLEMENS PAPA VII.

Vniuersis & singulis venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus & Prioribus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, necnon eorundem Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus, vbilibet constitutis.

Ordo exposuit Papa multa grauamina quæ patiebatur, circaquartam canonicam, decimas, & funeralia, & Apostatas, seu extra claustra vagantes. *Tu de quarta funerali habes Concil. Trid. sess. vlt. cap. 13.*

Conquestionum dilectorum filiorum Generalis, & Prouincialium, ac aliorum Correctorum, & vniuersorum Fratrum Ord. Minimorum S. Francisci de Paula percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati, & Rectores, eorumque Vicarij & officiales, ac Clerici, & aliæ Ecclesiasticæ personæ, tam Religiosæ quam sæculares, necnon laici, Communia ciuitatum & diœcesum, ac aliarum diuersarum partium, qui nomen Domini vacuum recipere non formidant, à prædictis Correctoribus & Fratribus quartam canonicam seu alias portiones ex rebus, & bonis, eis ratione funeralium, & Christi fidelium piorum legatorum ad certos & determinatos vsus, præsertim ad fabricam Ecclesiarum, domorum, & locorum suorum, seu in eleemosynam, aut alias sibi pie relictis, vel erogatis, ac decimas fructuum ex possessionibus, & petiis terrarum ad eos legitime spectantibus & pertinentibus prouenientium, contra priuilegia, & indulta Apostolica, eis & Ordini, ac domibus prædictis concessa, exigunt, & in dies exigere conantur, ac relicta & erogata huiusmodi indebite occupata detinent, seu ea detinentibus, aut decimas, & portiones huiusmodi exigentibus, præstant auxilium, consilium, vel fauorem, & alias ipsis super his, ac aliis libertatibus, priuilegiis & indultis, domibus & Ordini prædictis, illorumque personis, tam à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quam alias rite à Regibus, & aliis principibus sæcularibus concessis. Necnon bonis, & rebus, & aliis iuribus ad dictas domos, illarumque Sacristias spectantibus, multiplices molestias, iniurias, & iacturas inferunt, eosque coram diuersis tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus iudicibus ad iudicium trahunt. Nonnulli etiam dictum Ordinem professi post emissam ab eis Regularem professionem, apostatantes ad aliorum Ordinum loca se transferunt, & sæpius per sæcularium habitationes, secundum vana sui cordis desideria vagando, insolenterque & scandalose viuendo, se ab obedientia, & subiectione suorum Prælatorum, etiam prætextu indultorum, seu licentiarum à Sede Apostolica surreptione impetratarum, subtrahunt in contemptum Religionis, & animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum.

§. 1. Quare generalis, & prouinciales, ac alij correctores, & fratres prædicti, nobis humiliter supplicare fecerunt, vt cum eis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Sedem prædictam habere recursum, prouidere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. *Et supplicauit pro opportuna prouisione.*

Hic ideo Pit. iudices Conseruatores ordinis cũ amplis facultatibus deputat. Ad hoc vide Concil. Trid. sess. 7. cap. 14. & bullam Cl. viij. 39. infra.

§. 2. Nos igitur qui pro debito pastoralis officij, Religiosarum personarum quarumlibet dispendiis occurrimus, & profectibus libenter intendimus, aduersus exactores, occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores, ac subtrahentes se ab obedientia huiusmodi illis volentes eisdem Correctoribus, & Fratribus subuenire, per quod illorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur. Discretioni vestræ, per hæc scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conseruatores, & Iudices, prædictis Generali, Prouincialibus & aliis Correctoribus & Fratribus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super libertatibus, priuilegiis, indultis, rebus, & bonis prædictis ab eisdem, & quibuslibet aliis indebite molestari, vel eis grauamina, vel damna, seu iniurias irrogari, aut coram quibuscumque iudicibus, ordinariis vel delegatis, etiam Apostolicis, quauis occasione, vel causa, etiam criminali, eosdem fratres trahi, facturi Generali, Prouincialibus, & aliis correctoribus, ac fratribus prædictis cum ab eis vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de prædictis & aliis personis quibuslibet, super restitutione bonorum, ac rerum & iurium prædictorum, necnon libertatum, priuilegiorum, & indultorum prædictorum & aliorum eis pro tempore concessorum, obseruatione, necnon professorum, & se ab obedientia subtrahentium huiusmodi ad regularia loca dicti Ordinis reuocatione, & reductione, de quibuslibet molestiis, iniuriis, atque damnis præsentibus & futuris, in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem: summarie simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, in aliis verò prout qualitas eorum exegerit, iustitiæ complementum ministrare. Inhibendo etiam quibuscumque iudicibus prædictis, tam in principio, quam in medio, vel in fine causæ, ne in causis dictorum Fratrum, etiam criminalibus eisdem inuitis se quomodolibet intromittant, ac occupatores, seu detentores, exactores, præsumptores, molestatores, ac iniuriatores huiusmodi, necnon inobedientes, & rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque, & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Et nihilominus legitimis super his habendis seruatis processibus, illos, quos censuras & pœnas per vos pro tempore latas incurrisse constiterit, eas incurrisse declarare, (& quoties opus fuerit etiam iteratis vicibus) aggrauare curetis. Cæterum, si per summariam informationem super his per vos habendam, etiam vobis constiterit, quod ad loca in quibus occupatores, detentores, exactores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, ac alios quos præsentes literæ concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus ipsis, & citationibus de eis faciendis, tutus non pateat accessus, Nos vobis citationes,

citationes, & monitiones quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis, & partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quoad notitiam citandorum, & monendorum huiusmodi peruenire valeat, plenam & liberam concedimus, tenore præsentium facultatem, ac volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod monitiones sic factæ, perinde eosdem citatos & monitos arctent, ac si eis personaliter intimatæ extitissent.

Contrarijs omnibus derogat.

§. 3. Non obstantibus tam fel. record. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis dummodo non vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, quam aliis quibuscumque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, tam de iudicibus delegatis, & conseruatoribus, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocantibus, necnon quibusvis priuilegiis & indultis Apostolicis, quibusvis personis, sæcularibus vel regularibus, Militiis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Capitulis, Castris, Villis, Terris, & locis prædictis, ac quibusvis Cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, aut aliis Ecclesiis, Capitulis, Conuentibus, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis piis locis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, etiam de non trahendis eorum subditis vel personis ipsarum Ecclesiarum, Ciuitatum, Vniuersitatum, Castrorum, Villarum, & locorum respectiue extra eas, aut coram illis iudicibus, & personis, quam eis etiam vigore quarumcumque literarum Apostolicarum, aut alias quibusvis modis, & qualitercumque & sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam plena, expressa, specialis, specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus. Quodque vos filij Canonici, Officiales, & Vicarij de personis quæ deputari possint Conseruatores non sitis, seu aliquibus, communiter vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, & earum personis locis, & ordinibus, & nominibus propriis mentionem, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ampliat Conseruatorũ facultates.

§. 4. Ceterum volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico impeditus.

Ampliatque magis.

§. 5. Quodque à datis præsentium sit vobis, & vnicuique vestrum in præmissis omnibus, & eorum singulis, cæptis & non cæptis, præsentibus & futuris, perpetua potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus, cæptis & non cæptis, præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & singula coram vobis cœpta fuissent, & iurisdictio vestra, & cuilibet vestrum in prædictis, omnibus & singulis per citationem, & modum alium perpetua legitimum extitisset, constitutione prædicta super Conseruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita, non obstantibus.

Transumptis credi iubet.

§. 6. Volumus etiam, & Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

D. P. A. 1. die 19. Martij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo nono Martij, 1524. Pontificatus nostri anno primo.

VII. Facultas Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum quærendi eleemosynas pro opere dictæ Redemptionis, non obstante quacumque prohibitione contra quæstores.

Huius Ordinis institutionem & alia, vide sup. apud const. 1. Innoc. III. Operante, & alia const. 9.

Edita An. D. 1524.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus in Christo fratribus Archiepiscopis, dilectisque filiis ac filiabus nostris Abbatissis, Prioribus, Priorissis, exemptis, Decanis, Presbyteris, ac aliis Ecclesiarum Rectoribus, ac Capellanis, curatis & non curatis (ad quos præsentes literæ peruenerint.) Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

GRatum Deo credimus impendere famulatum, cum Christi fideles, ad ea opera misericordiæ nunc exhortamur, per quæ salus mundi, animæ vtilia procurantur.

Causa huius indulti.

§. 1. Cum itaque Ministri ac Fratres Ordinis Sanctæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum Fratrum nostrorum Christianorum totis viribus elaborent, transeundo ad partes vltramarinas, pro afflictis, ac captiuis Christianis redimendis, in manibus inimicorum fidei Christianæ captiuis, ac detentis. Et cum dicti fratres pro dictis captiuis redimendis, corpora sua, mortis periculo subiacere non verentur, videntesque dictos Captiuos doris ac diuersis tormentis assuetos ac cruciatos. Et cum pro dictis pauperibus Captiuis redimendis, qui à Paganis captiuantur, (Altissimo permittente) ipsisque ab huiusmodi captiuitate liberandis, Domino coadiuuante, auxilio, totis viribus, attendentes, quod ad ea exercenda, (propter diuersarum onera expensarum) eisque propriæ non suppetant facultates, ac ad id opus tam pium, ac laudabile peragendum, eleemosynæ fidelium sint quamplurimum opportunæ.

Ordinarij faueant Fratribus Ordinis in quærendis eleemosynis.

§. 2. Hinc est, quod vobis omnibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, mandamus ac præcipimus, firmiter iniungentes, quatenus, cum Fratres dicti Ordinis Sanctæ Trinitatis, ac Redemptionis Captiuorum prædictorum, seu Procuratores, aut eorum Nuntij, ad vos accesserint, cum fueritis requisiti, vestras bonas, fortissimas, ac gratiosas pro petendis eleemosynis ad sustentationem prædictorum literas diœcesanas, eisdem liberaliter concedatis.

Abbates & cæteri benignè recipiant & adiuuent.

§. 3. Et vos Abbates, Priores, exempti, ac non exempti, similiter Presbyteri, Curati ac non Curati, ac omnes alij, prædictos Fratres, Procuratores, vel eorum Nuncios in Ecclesiis vestris benignè, gratiosè, ac fauorabiliter, & honestè recipiatis: ac eisdem ob reuerentiam Sedis Apostolicæ transeundo ministretis, ac sine tristitia. Decani, Presbyteri, Curati, & non Curati, ac Ecclesiarum rectores, dictos Fratres Procuratores, aut eorum Nuntios prædicare verbum Dei, quia sic eis indultum est per sanctam Sedem Apostolicam ipsosque permittentes in prædictis Ecclesiis, populo (prout à latore præsentium Fratribus, vel eorum Nunciis fueritis requisiti) diligenter, ostiatim, ac nominatim conuocando de domo in domum, omnes Parochianos vestros vtriusque sexus, ætatem habentes, in Ecclesiis vestris in vnum congregari faciatis ad idem, locum, ac horam, quas lator præsentium vobis assignauerit, ipsosque spontanea spectatione pacifica, intra missarum solemnia. Caueatis etiam, ne ad diuina officia accedere præsumatis, quousque verbum Dei, ac necessitates dicti Ordinis fuerint diligenter declaratæ.

Ipsique enim fratres non sunt quæstores, sed religiosi quærentes eleemosynas ad opus redemptionis.

§. 4. Non obstante aliqua inhibitione facta per prædecessores nostros in Capitulo de Quæstoribus, in Concilio Lugduoen. siue in aliis Capitulis. Quia isti non sunt Quæstores, sed sunt viri Religiosi, & approbati.

Ideoque ab aliis religiosis impediri non debent.

§. 5. Item districtè vobis præcipimus ac mandamus, quod nullum verbum exhortationis, seu prædicationis per aliquem Religiosum, seu per aliquos Religiosos, Mendicantes vel non Mendicantes, Quæstores, ad populum exponere permittatis illa die qua ad vos accesserint fratres prædicti, Procuratores vel eorum Nuncij.

Etiam tempore interdicti.

Tu vide Conc. Trid. sess. 25. cap. 14.

§. 6. Volumus insuper ac præcipimus, quod cum dicti Fratres, Procuratores, vel eorum Nuncij, ad aliquas Ecclesias aduenerint interdictas, in eorum iucundo aduentu Ecclesiæ aperiantur, ac campanæ pulsentur, ac

quod ibidem, campanis pulsatis, & ianuis apertis, diuina officia celebrentur, ac corpora mortuorum, ibidem Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ: nisi excommunicati nominatim fuerint, aut eorum publici vsurarij.

Non ab aliquo molestiã pati.

§. 7. Inhibemus insuper, ac sub pœna canonica, ne quis dictis Fratribus, Procuratoribus, vel eorum Nuntiis mandatum nostrum Apostolicum secum deferentibus, in aliquo iniuriare præsumant, in aliquibus Ciuitatibus, Castris, Villis, seu Ecclesiis, in quibus fractio, seu iniuriatio facta fuerit, vel mandatum impeditum, seu etiam perturbatum, aut dictorum Fratrum, Procuratorum, vel Nuntiorum ipsorum, bona detenta, fuerint destituta, Ecclesiastico supponentes Interdicto nulla ibidem celebrentur diuina officia, præter baptismum paruulorum, ac pœnitentiam morientium, quovsque Fratribus, Procuratoribus, vel nuntiis supradictis, de illatis iniuriis fuerit plenarie satisfactum.

Perturbatores eorum excommunicantur.

§. 8. Quicumque autem, mandatorum nostrorum extiterint contemptores, rebelles, ac inobedientes, seu perturbatores in aliquo, eosdem denuntietis, campanis pulsatis, candelis extinctis, excommunicatos, auctoritate nostra Apostolica, ac anathematizatos, ac nunquam à prædicta denuntiatione cessantes, donec de eorum absolutione à Sede Apost. impetrata, vobis appareat competenter. Plebes vobis subditas piis exhortationibus, ac salutaribus monitis inducentes, vt de bonis à Deo super terram collatis ad sustentationem præmissorum pias elargiãtur eleemosynas, ac grata subsidia charitatis ministretis, vt illa penuria valeat cõsummare vos, ab incipientibus pariter verbo, ac exemplo: vt per hæc, & alia bona, quæ vos, ac ipsi Domino suspiciente, feceritis, ad æterna mereamini felicitatis gaudia peruenire.

Benefactores indulgentias hic annotatas consequũtur.

Tu scias Piũ V reuocasse omnes Indulgentias pro quibus porrigendæ sunt manus adiutrices in const. 30.

Et si domini. tu. Vide igitur si has comprehendit.

§. 9. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus benefactoribus dicti Ord. Sanctæ Trinitatis ac Redemptionis captiuorum prædictorum, vere pœnitentibus & confessis, vel infra annum confiteri volentibus, post declarationem nostrarum indulgentiarum, vere pœnitentibus & confessis, vel infra annum confiteri volentibus, post declarationem nostrarum indulgentiarum, vere pœnitentes, ac confessi fuerint, pro nostris indulgentiis acquirendis in festiuitatibus D.N. Iesu Christi, videlicet, Natiuitatis, Circuncisionis, Apparitionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, ac S. Trinitatis, Eucharistiæ, ac in quatuor festiuitatibus S. Mariæ Virg. per singulos dies dictarum festiuitatum, septem annos, & totidem quadragenas, eisdem benefactoribus, de iniunctis sibi pœnitentiis, duximus indulgendos, & per omnes octauas dictarum festiuitatum tres annos, ac 3. quadragenas. Item ac per totã Quadragesimã, singulis diebus, vnum annum, ac quadraginta dies. Si quis verò clericus, vel laicus dictis Fratribus secundum quantitatem substantiæ suæ, ac qualitatem criminis de bonis suis dederit, vel transmiserit ad sustentat. præmissorum, pro prædictis indulgentiis acquirendis, ac si in capite eiusdem anni, vere pœnitens, ac confessus moriatur, volumus, ac de gratia speciali concedimus, quod ab omnibus peccatis suis in Domino permaneat absolutos.

Redemptionẽ impediens excommunicatur.

§. 10. Si quis verò clericus, & laicus hoc impedierit ictu, verbo, vel opere, Diabolo instigante, quod non credimus, sciat se excommunicatum esse, ac anathematizatum, ac beneficium suæ absolutionis, nullatenus obtinebit, quovsque de damnis dicti Ordinis Sanctæ Trinitatis, & contemptu Romanæ Ecclesiæ, satisfecerit competenter.

Adiuuans premium consequitur.

§. 11. Sacerdotibus verò, clericis, ac viris religiosis, tam viris, quam mulieribus, dictum negotium diligenter tractantibus, ac de bonis suis, misericorditer erogantibus, quicquid in diuinis officiis ac horis canonicis dicere omiserint per negligentiam, aut per defectum librorum, seu per infirmitatem corporis, misericorditer in Domino absoluimus.

Indulgentia Ordinis confirmantur.

§. 12. Ac omnes indulgentias à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, dicto Ordini S. Trinitatis, ac Redemptionis concessas, ex certa scientia confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus.

S.D.N. Paul.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si qui autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

V. quæ notaui in const. 16. Romanum.

Sanctio pœnalis.

Dat. Perusij, decimo quinto Kalen. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

Dat. P. An. 1. die 17. Apr.

Confirmatio & extensio constitutionum à Prædecessoribus Pont. editarum circa ea, quæ obseruanda sunt, quo ad impetrationes beneficiorum Ecclesiasticorum Consistorialium. VIII.

Habes in hoc Leonis X. constit. 35. Cum Sixtus, supra vbi notaui.

CLEMENS EPISCOPVS, &c. Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1524.

CVm dudum fel. recor. Sixtus Papa IV. & Iulius II. ac nonnulli prædecessores nostri, prouidendo ne illis de quorum personis Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis, ac Monasteriis Consistorialibus prouidetur, seu ipsa Monasteria commendantur, prorogatio Consistorij præiudicium siue occasionem litigandi inferret, constituerint & ordinauerint quod supplicationes desuper signarentur, & datarentur, ad quarum datas cedulæ Consistoriales retrotraherentur, alias nullius essent roboris vel momenti: necnon vt Camera Apostolica, & sacrum dilectorum filiorum Cardinalium Collegium cum periculo promotorum animarum in eorum iuribus, & annatis non defraudarentur, similiter constituerint, & ordinauerint, quod literæ prouisionis, seu commendæ Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, ac Monasteriorum Consistorialium, sine literis dispensationum retentionum Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, secularium & regularium, ac pensionum quarumque non expedirentur.

Sixtus IV. Iulius II. & alij constitutiones ediderũt, quo ad impetrationes de quibus in rub.

§. 1. Ac deinde piæ mem. Leo Papa X. & Adrianus VI. etiam prædecessores nostri intellecto per eos, quod supplicationes dispensationum huiusmodi retentionum Monasteriorum & beneficiorum, ac pensionum prædictarum ad partem signabantur, & de illis in cedulis Consistorialibus nulla mentio fiebat, ad effectum vt literæ Ecclesiarum, & Monasteriorum prædictorum contra ordinationes prædictas libere ad personarum prouisarum libitum expediri possent, Motu proprio, & ex certa scientia, mandata & ordinationes prædictas extendentes, de nouo statuerint, decreuerint, & ordinauerint, quascumque supplicationes & motu simili, sub quibusvis datis in posterum signandas dispensationum retentionum quorumcumque Monasteriorum & beneficiorum, regularium, & secularium, ac quarumcumque pensionum, & similium beneficiorum vacantium, & pensionum, per huiusmodi prouisiones & commendas Consistoriales nullius esse roboris vel momenti, nec in aliquo eisdem personis prouisis suffragari, sed Monasteria & beneficia prædicta per huiusmodi prouisiones impetrari posse, ac pensiones cassatas & extinctas intelligi debere, nisi in cedulis prædictis super illis dispensarentur, & de beneficiis sic vacantibus prouisum esset, ac supplicationes prædictas sub quibusvis datis desuper signatas, nisi ad hoc quod ad illarum datas cedulæ prædictæ retrotraherentur, eis nequaquam suffragari possint.

Leo etiam X. & Adrian. VI. Ego tamen posui solummodo bullam Leon. prætermissis aliis vtr similib.

§. 2. Nos prædecessorum prædictorum vestigiis inhærentes, ac fraudibus occurrere cupientes, constitutiones, mandata, ordinationes, statuta, & decreta prædecessorum huiusmodi innouamus, illaque iuxta eorum continentiam & tenorem obseruari debere decreuimus, ac ad commendas beneficiorum quorumcumque per supplicationes etiam sub data cedula &c. Consistorialium ad partem signatas, & signandas extendimus & innouamus.

Hic Pont. ea approbat & extendit.

§. 3. Man

Et ab omnibus Officialibus seruari præcipit.

§. 3. Mandantes dilecto filio nostro Pompeio Basilicæ xij. Apostolorum de Vrbe Presbytero Cardinali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, & eiusdem Cancellariæ Regenti, necnon dilectis filiis de maiori præsidentia Abbreuiatoribus, & aliis Officialibus ad quos expeditione dictarum literarum etiam per Cameram pertinet, præsentibus, & pro tempore existentibus, vt mandata, ordinationes, statuta, & decreta prædecessorum prædictorum, ac nostrorum huiusmodi inuiolabiliter obseruent & obseruari faciant & mandent. Necnon ordinantes Datario nostro, & agentibus pro eo, quod supplicationes dispensationum, retentionum, & capacitatis beneficiorum quorumcumque promotis, & translatis, ac commendatariis Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, ac Monasteriorum Consistorialium extra cedulas Consistoriales, & extra supplicationes commendæ huiusmodi Monasteriorum ad partem signatas non darent, nec transire permittant.

Clausula præseruatiua.

§. 4. Volumus autem, quod huiusmodi mandato, & constitutioni per nullas clausulas in supplicationibus siue cedulis oppositas, etiam cum illius derogatione, & sub quibusvis attentationibus præseruatiuis, nisi per mandatum speciale manu nostra signatum, tantum derogari posse.

Clausula derogatoria.

§. 5. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Papæ subscriptio.

Placet, & ita Motu proprio mandamus. I.

Publ. P. A. 1. die 19 Apr.

Lectum & publicatum fuit suprascriptum mandatum Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto die vero decima nona mensis Aprilis, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ Septimi Anno primo.

IX. Facultas Collegij deputatorum Fabricæ Basilicæ S. Petri de Vrbe, componendi pro subuentione d. Fabricæ super legatis, loco pio, vel personæ incertæ aut ignotæ & pro male ablatis maléve ablatorum restitutione relictis, ac bonis Ecclesiarum & beneficiorum occupatis, &c.

Istud Collegium erexit hic Pont. in const. 3. Admonet supra. Eo quoad dispositam hac bulla, ac cætera de Fabrica ibi plene tibi indicaui.

Edita An. D. 1525.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

DVdum admonente nos cura regiminis, & auctoritate Pontificali inducente, vt ad ea potissimum intenderemus per quæ gloriosi Principes terræ Petrus videlicet & Paulus Apostoli, qui primum Euangelium DEI in Alma Vrbe prædicarunt, in eaque postquam Christianam religionem ibidem plantauerant, ac vniuersum Orbem sacræ doctrinæ splendore, & plurimis miraculis repleuerant, gloriosi martyrij coronam sub eodem persecutore, ac eadem die susceperunt, eo maiori veneratione à Christi fidelibus colerentur, quo maioribus meritis, inter alios Apostolos excelluerunt.

Iulius II. iussit basilicam S. Petri destrui, & magnificentius reædificari vt in eius const. 23. sup.

§. 1. Quia tamen Saluator noster IESVS CHRISTVS Petrum aliorum Apostolorum Principem & eum eiusque successores plenitudinem habere voluit mente reuoluimus ad nostrum officium pertinere, vt postquam fel. rec. Iulius Papa Secundus prædecessor noster existimans quemadmodum ipse Petrus Apostolorum Princeps haberetur. Ita etiam Basilicam sub eius inuocatione in dicta Vrbe dedicatam, ædificij pulchritudine & magnificentia inter alias principatum obtinere debere, ipsam propterea demoliendam duxerat, vt eam ædificio longe ampliori & magis admirabili reficeret, & instauraret.

§. 2. Quod ipse Iulius morte præuentus, successiue Leo X. & Adrianus VI. Romani Pontifices, etiam prædecessores nostri variis causantibus impedimentis perficere non potuerunt id omni conatu ac totis viribus aggrederemur, dignum quin potius debitum duximus, quod illius Fabrica etiam communi fauore & diligentia prosequenda esset.

At ipse & successores Pont. hoc opus perficere non valuerunt.

§. 3. Et vt Fabrica ipsa prosperiores successus amplecteretur, ac pia Christi fidelium suffragia pro eadem Fabrica eroganda fideliter exigerentur, conseruarentur, & in Fabricam ipsam & non alium vsum conuerterentur, prouidere volentes, reuocatis per nos primitus quibuscumque Officialibus præfectis ad opus dictæ Fabricæ, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis forent, etiamsi Pontificali dignitate, aut Cardinalatus honore præfulgerent per dictos prædecessores, & nos, ac Sedem Apostolicam catenus deputatis, ac omnibus commissionibus & facultatibus eis concessis & factis, eisque ab huiusmodi perfectione, & suis officiis ac commissionibus absolutis, vnum Collegium fabricæ beati Petri de Vrbe nuncupandum omnium Oratorum Christianorum Regum & Principum; Rerumque publicarum ac singularum nationum, in nostra Romana Curia degentium Curialium dignorum ex eis numerum sexaginta non excedentium, ad hoc de mandato nostro tunc electorum, loco quorum pro tempore decedentium, vel se diutius absentantium, alij earundem nationum similiter eligi possent, sic tamen quod dictum numerum sexaginta non excederent, auctoritate Apostolica Motu proprio ereximus & constituimus, ipsique Collegio administrationem curam, & directionem ac omne regimen dictæ Fabricæ plenarie commisimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Et ideo hic Pont. ad curandam perfectionem d. Fabricæ Collegium Deputatorum erexit vt in const. 3. sup.

§. 4. Cognoscentes autem ad tanti operis absolutionem, facultates Cameræ Apostolicæ quam pluribus debitis & aliis oneribus grauatæ, non sufficere, & opus ipsum tam sublime & excelsum, ad finem optatum, absque piis & largis Christi fidelium erogationibus, & aliis subsidiis, perduci non posse, ac considerantes indulgentias, & alias gratias tam spirituales quam temporales, per præfatos Prædecessores in fauorem dictæ Fabricæ concessas iamdudum expirasse, Motu simili & ex certa scientia ac Apostolicæ potestatis plenitudine, præfatis Collegio & ab eis ad infrascripta, in genere vel in specie deputandis, aut subdelegandis, vt ad biennium à publicatione præsentium literarum in valuis dictæ Basilicæ tribus diebus continuis faciendas computandum, & deinde ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum, cum quibuscumque vtriusque sexus Christi fidelibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis, etiam Religiosis quam sæcularibus per totum Orbem constitutis.

Et modo pro subuentione eiusdem Fabricæ, dat Collegio auctoritatem componendi super.

§. 5. Super quibuscumque male ablatis, incertis, vel per vsurariam prauitatem quæsitis, etiam certis quæ fœnerator ab alio fœneratore extorsisset, & quæ ipse requisitus vsuras restituere paratus non esset.

Male ablatis incertis.

§. 6. Vel alicui priuatæ Ecclesiæ deberentur, in quibus tamen Romana Ecclesia de iure communi succedere posset.

Debitis Ecclesiæ cui Romana succederet Ecclesia.

§. 7. Ac etiam bonis quæ ad alicuius manus peruenissent, & illa habentes quibus restitui deberent ignorauerint, vel dubitauerint, quanquam malè ablata per eos non existant, seu alias illa ad eos peruenerint.

Restituendis persona incerta.

§. 8. Et similiter de eis quæ Deo eius Sanctis & eorum intuitu pauperibus & aliis piis locis in genere, & absque vlla speciali determinatione, & propriis nominibus personarum non expressis, puta in diem vel sub conditione, etiam per viam substitutionis, vel translationis, aut alias quomodolibet relicta fuerunt, ac biennio & beneplacito huiusmodi durantibus relinquentur, tam pro præterito, quam futuro temporibus, etiam ante illorum purificationem vel diei aduentum aut cessionem componere, ita vt soluta aliqua quantitate pro dicta Fabrica eisdem Collegio seu deputandis vel subdelegandis ab eis dumtaxat à reliquorum sic relictorum, male ablatorum ac per vsurariam prauitatem extortorum seu ad eos alias peruenerint, & cui ea restituere debeant dubitantes ignorant, vt præfertur, restitutione

Legatis piis incertis.

absoluti existant, & vltra restituere minime teneantur eis concedere.

Inexacta etiam Ordinario donata, vel relicta pro incertis, &c.

§. 9. Ac illa quæ tempore publicationis literarum Indulgentiarum Iulij, & Leonis ac Adriani prædecessorum, huiusmodi inexacta remanserunt, etiamsi illa Ordinariis pro ipsis tamen incertis quomodolibet relicta, donata, & quæ eis quovisinodo obuenerint. Necnon quę ab ipsis Ordinariis vel eorum nomine, post ipsam publicationem exacta, & eis quoquomodo soluta, ac etiam quæ ante ipsam publicationem pro ipsis certis aut incertis personis, & locis non debebantur, sed post publicationem prædictam postea deberi cœperunt, etiamsi ea Ordinariis, vt præmittitur relicta, donata, aut obuenerint, tanquam eis indebita per ipsos Collegium, & deputandos, seu subdelegandos ab ipsis nomine dictæ Fabricæ libere exigi ac recipi, & assequi posse, & debere decernimus, etiam censuris Ecclesiasticis ac pecuniariis pœnis aliisque iuris remediis opportunis inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Bona Ecclesiarum, & beneficiorum non restituendis, &c.

§. 10. Ac cum quibuscumque qui bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumlibet haberent, & iudicialiter deficientibus probationibus, ad illorum restitutionem compelli non possent, etiamsi per eos probati posset.

Relictis pro male ablatis.

§. 11. Quæ bona omnia ac quæcumque legata, & alias quomodolibet etiam hæreditatis titulo pro male ablatorum restitutione relicta hactenos, & quæ relinqui ac largiri contigerit in futurum biennio, & beneplacito huiusmodi durantibus in quibuscumque testamentis donationibus causa mortis, codicillis, aut aliis vltimis voluntatibus per quoscumque, & vbicumque factis.

Legatis piis locis, & personis incertis vel absentibus & ignoratis.

§. 12. Et quæ durante biennio, & beneplacito huiusmodi fient quibuscumque incertis Ecclesiis, & piis locis aut personis similiter incertis vel absentibus, taliter quod propter ipsorum absentiam merito ab eis notitia haberi non posset.

Restituendis, cum receptio non competit.

§. 13. Ac etiam quæ restitutioni subiacerent, sed in eis vel ad ea personis quibus illa fieri deberet, receptio non competeret.

Exponendis in prandiis conuiuiis, & spectaculis, in diebus festiuitatum.

§. 14. Necnon omnes, & singulas pecunias, & res alias, quæ in prandiis ac conuiuiis & publicis spectaculis, in aliquibus celebritatibus ex voto statuto seu consuetudine in aliquibus locis exponi consueuerunt, & biennio ac beneplacito huiusmodi durantibus exponi debent.

Declaratio quod prædicta procedant etiam super his, & aliis lis vbi pendeat.

§. 15. Etiamsi super illis, & aliis quibuscumque rebus, & bonis ad dictam Fabricam quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, inter ipsam Fabricá, & quosvis alios eorum olim præfectos, & Officialibus eiusdem Fabricæ, aut dilectis filiis supradictæ Cameræ Clericis, seu Curiæ causarum Cameræ eiusdem generali Auditore vel quibuscumque aliis Iudicibus, & Commissariis quavis auctoritate fungentibus, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant in Romana Curia vel extra eam lis etiam in secunda vel vlteriori instantia indecisa pendeat ad ipsam Fabricam applicamus.

Cõmissio omnium causarum Fabricã concernẽtium Iudici d. Fabricæ, iuxta continentiam bullæ hãc præcedentis.

§. 16. Ac omnes, & singulas causas eandem Fabricam concernentes, in quavis instantia, vt præmittitur, pendentes, earum omnium statum, & merita præsentibus pro expressis habentes, à dictis Iudicibus, & Commissariis harum serie auocamus, illasque in eo statu in quo reperiuntur, præfatis Collegio iuxta facultates eis in dictis prioribus literis nostris per nos concessas, vlterius ad audiendas, cognoscendas, decidendas, & fine debito terminandas committimus.

Authoritas d. Collegij ad cõponendũ, cum occupantibus bona Ecclesiarum, & beneficiorum.

§. 17. Super restitutione bonorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum huiusmodi, competenti recepta portione, vel quantitate pro eis in Fabricam huiusmodi conuertenda similiter componere, & ipsos sic ea tenentes ab vlteriori eorum restitutione libere absoluere, & quod illa retinere libere, & licite possint in posterum eis concedere.

Electionemq; confessoris dãdi, eleemosynam Fabricæ præstantibus.

§. 18. Ac eisdem Christi fidelibus qui eum præfatis Collegio seu deputandis vel subdelegandis ab eis de aliqua eleemosyna pro dicta Fabrica conuenerint, vt idoneum possint eligere confessorem, sæcularem vel cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium Regularem, qui eorum confessione diligenter audita pro commissis per eligentem delictis, & excessibus, ac peccatis quibuslibet quantumque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus ac censuris Ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicuius instantiam latis de consensu partium, etiam ratione interdicti incursis, & quorum absolutio dictæ Sedi esset reseruata (præterquam machinationis in personam Summi Pontificis, occisionis Episcoporum, aut aliorum Prælatorum, & iniectionis manuum violentarum in illos, & alios Prælatos, falsificationis bullarum, & literarum Apostolicarum, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum, & censurarum occasione Aluminum Tulphæ nostræ, ac de partibus infidelium ad fideles contra prohibitionem nostram delatorum incursarum) semel in vita, & in mortis articulo, & in non reseruatis casibus, toties quoties id petierint eos absoluere, ac ei in mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem impendere ac pœnitentiam salutarem iniungere. Necnon emissa per vos vota quæcumque, vltramarino, ingressus Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis, in vtilitatem dictæ Fabricæ, si confitentis ad id accesserint facultates, sin autem, in alia pietatis opera commutare. Ac iuramenta quæcumque sine alicuius præiudicio relaxare, ac simoniæ in ordinibus vel beneficiis Ecclesiasticis commissæ labe pollutos, ad ipsum opus contribuentes, similiter absoluere, & cum eis super irregularitate si quam censuris huiusmodi ligati Missas, & alia diuina officia non tamen in contemptum clauium celebrando, aut alias in diuinis se immiscendo seu alias quomodolibet etiam beneficia Ecclesiastica præmissorum occasione vel alias debitæ occupando, præterquam ratione homicidij voluntarij, & bigamiæ contraxerint, & vt in susceptis ordinibus ministrare, ac si quæsita beneficia Ecclesiastica quæ ex tunc eis de nouo collata censeantur retinere, libere, & licitè valeant dispensare, omnemq; inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam ex eis prouenientem abolere, ac eis fructus per eos indebite perceptos, etiam ratione omissionis horarum Canonicarum, & diuinorum officiorum remittere possit, liceatque eisdem Christi fidelibus Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta ab eodem confessore vel alio sacerdote cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium Regulari per eos eligendo quocumque tempore, præterquam in Paschate Resurrectionis, & sine alicuius præiudicio recipere, nec ipsorum decedentium corpora etiam tempore interdicti auctoritate ordinaria appositi Ecclesiasticæ tradi possint sepulturæ sine pompa, ac quæcumque Ecclesiam, vel Capellam per eos eligendam deuote visitando tot & similes indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si singulis diebus Quadragesimalibus singulas dictæ Vrbis, & extra eam Ecclesias quæ à Christi fidelibus propter stationes Vrbis visitari solent personaliter visitassent. Ac vt eisdem Quadragesimalibus, & aliis temporibus prohibitis, ouis, butyro, caseo, & aliis lacticiniis, carnibus vero de vtriusque Medici consilio vti, frui, & vesci libere, & absque conscientiæ scrupulo possint, & valeant, ipsique Collegium, & quibus vices suas in genere vel in specie duxerint committendas possint summam pecuniariam pro præmissis declarare, taxare, & limitare. Ac facultatem eligendi confessorum huiusmodi per eorum patentes literas eorum sigillo sigillatas, etiam absque insertione præsentium literarum concedere. Necnon nobilibus, & Presbyteris, ac graduatis, indulgere vt habeant altare portatile, super quo cum debitis reuerentia, & honore in locis ad hoc congruentibus, & honestis etiam non sacris, & Ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate interpositis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, in sua, & suorum familiarium domesticorum præsentia Missas, & alia diuina officia per seipsos qui Presbyteri sunt, aut pro tempore erunt, celebrare, seu per alios sacerdotes celebrari facere, ac tempore interdicti huiusmodi diuinis interesse libere possint auctoritate Apostolica præfata tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus.

Ad hoc vide omnino quæ notabo infrà ad bullã Pauli III. n. 51. Damnad vniuersos.

§. 19. Mandantes vniuersis, & singulis locorum Ordinariis,

Inhibitio aduersus contrauenientes.

natiis, Abbatibus, & aliis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & præeminentiæ existant, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac quingentorum ducatorum auri Fabricæ prædictæ applicandorum pœnis ipso facto incurrendis, ne publicationem, & prædicationem earundem præsentium in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus, vbi & quando ac quoties opus fuerit faciendam impedire, neve aliquid prætextu publicationis petere, aut etiam a sponte offerentibus recipere, aut in præmissis, & circa ea aliquam fraudem vel dolum committere. Nec illos quos absolui, & cum quibus dispensari vigore præsentium ab ipsis Collegio vel deputandis aut subdelegandis ab eis contigerit quovis modo molestare vel impedire, aut pœnas aliquas pro casu in quo, vt præfertur, dispensatum fuerit, ex statuto vel consuetudine, seu alias exigere per se vel alium, seu alios quovis modo audeant vel præsumant, ac decernentes confessionalibus per præfatos Collegium, & deputandos vel subdelegandos ab eis, pro tempore concessis, & eorum sigillo duntaxat munitis plenariam fidem adhiberi debere.

Clausula derogatoria.

§. 20. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis aliis applicationibus, & concessionibus dictorum legatorum, & incertorum ablatorum, ac priuilegiis, & indultis Apostolicis quibuscumque Ordinibus, Ecclesiis, Hospitalibus & aliis piis locis, ac miserabilibus personis, in genere, vel in specie sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam motu proprio, & scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus forsan factis, & concessis, aut in posterum fiendis, & concedendis, necnon dictarum, & similium facultatum, & gratiarum suspensione, per nos in præsenti anno Iubilæi ad similiter nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum de fratrum nostrorum consilio facta, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè de simili nostra scientia, & potestatis plenitudine derogamus, ac cuiquam nolumus vllatenus suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus vel eorum Ordinibus ab eadem Sede indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Verum quia difficile foret præsentes, &c.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. F. An. 2. die 1. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimoquinto, Kalendis Iunij, Pontificatus nostri Anno secundo.

X. Approbatio, & extensio constitutionum Pij II. Pauli II. Sixti IV. Iulij II. & Leonis X. contra Homicidas, bannitos, sumentesque vindictam de propinquis offendentis, necnon brigosos, &c. Ac Barones, & Communitates eorum Territoria à prædictis non custodientes in statu Ecclesiastico.

Vltra has bullas, alias tibi indicabo infra in Sixti Quinti const. 6. Hoc nostri, vbi etiam huius constitutionis confirmatio habetur.

Edita An. D. 1524.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Sancta B. Petri Sede diuina disponente clementia, meritis licet imparibus, constituti, considerantes quod licet Deus, qui ex præcipui amoris sui dulcedine hominem ad imaginem suam creauit, in lege Veteri populo illi rudi, & infirmo mandauerit proximum diligi, inimicum vero in odium haberi permiserit; tamen secundum Euangelicam doctrinam, quæ legi veteri excellentior atque perfectior est, præcipit etiam inimicum diligi, & transgressorem huius legis vltionem expectare debere innuit, cum dixit: Qui gladio ferit, gladio peribit. Vt igitur lex ab omnibus seruetur, nec gladiorum impunitas à quoquam sperari possit, & qui virtutis amore nolunt, saltem formidine pœnæ à vetitis abstineant, ad officium nostrum spectare duximus, illa quæ pro pace, & quiete Ciuitatum, & Terrarum temporali dominio nobis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subiectarum, ac ciuium, & incolarum in eis degentium, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus statuta, & ordinata fuisse comperimus, vt eo maiorem obtineant firmitatem, quo sæpius fuerint Apostolico præsidio communita, nostri præsidij munimine corroborare, ac etiam de nouo statuere, & ampliare, prout rationabiles causæ persuadent, & in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pius II. edidit bullam hic cit.

§. 1. Dudum siquidem postquam per fel. rec. Pium Papam II. &c.

Omittitur residuum narratiuæ, quia ipsam bullam habes sup. Ad retinendas.

Paulus II. alteram edidit bullam hic indicatam.

§. 2. Et deinde cum Alma Vrbe, &c. Piæ mem. Paulus Papa, &c.

Omittitur narratiua huius bullæ quoniam ipsam bullam habes sup. Viros

Sixtus IV. approbauit bullam Pij II.

§. 3. Ac successiue recolendæ memoriæ Sixtus Papa IV. similiter prædecessor noster, accepto per eum, quod contenta in literis Pij prædecessoris huiusmodi a certis annis tunc elapsis citra non fuerant obseruata, & ex illorum non obseruantia subditi præfatæ Ecclesiæ procliuiores fuerant ad homicidia committenda, ac fere passim quotidie homicidia perpetrabantur, & homicidæ præfati ideo ad illa committenda promptiores existebant, quia sperabant latere, & suorum excessuum remissionem consequi facile posse, ac detestabilem, & horrendam talium Sicariorum nequitiam, ad aliorum cautelam iuris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habita super iis cum fratribus suis præfatæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, de illorum consilio, per suas literas decretaque Pij prædecessoris huiusmodi, ac prout illa concernebant omnia, & singula in dictis literis Pij prædecessoris præfati contenta approbauerat, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerat, ac voluerat, & de eorundem fratrum consilio statuerat, & ordinauerat, quod condemnati eatenus, & quos in posterum condemnati contingeret vbilibet, in Ciuitatibus Terris, & locis prædictis pro homicidio, siue vt principales, siue vt auxilium, consilium vel fauorem præstantes, suarum condemnationum remissionem, aut contra illas saluum conductum & licentiam secure in loco, patrati criminis, vel infra quinquaginta milliaria, vt præfertur, propinquo nullatenus obtinere possent ab alio, quam à Romano Pontifice, qui pro tempore esset, & alicuius alterius, etiam Legati de latere remissio nemini suffragaretur. Et si forsan contingeret eundem Romanum Pontificem ad remissiones, siue saluum conductum huiusmodi procedere, talis remissio per præoccupationem processisse censeretur, & nemini prodesse posset, nisi in illa veteris Sixti prædecessoris huiusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausolas idem importantes insertus foret: ac specifica, & determinata causa exprimeretur, quæ eundem Romanum Pontificem induceret ad derogandum eisdem literis Sixti prædecessoris, quæ cum tam matura deliberatione ab eodem prædecessore emanarunt.

Iulius II. edidit aliã const. hic cit.

§. 4. Et demum sanctæ memoriæ Iulius Papa II. etiam prædecessor noster, &c.

Omittitur narratiua huius bullæ, quia eam habes sup. Cum homines.

Leo X. alteram hic indicatam.

§. 5. Cum similis mem. Leo Papa X. etiam prædecessor noster, &c.

Omittimus itidem hæc narratiua bullæ, siquidem eam habes sup. Omnes.

Hic modo Pont. confirmat prædictas

§. 6. Cum autem sicuti facti notorietas attestatur plures Vrbis, Ciuitatum, Terrarum, Castrorum locorum, &

bullas Pij II. Pauli II. Sixti IV. Iulij II. & Leon X.

& tenimentorum, ac Regni, & partium prædictorum contra literas prædecessorum huiusmodi, elata ceruice, deuenire, & se aduersus Iustitiæ clypeum, & tutelam rebellea constituere præsumat, ac censuras, & pœnas prædictas in eisdem literis contentas, sensu reprobo paruiendere non vereantur, in animarum suarum perniciem, diuinæ Maiestatis offensam, & reipublicæ læsionem. Nos quorum est, sceleratorum insolentiis, quibus aduersus Deum, & proximum, ac prædictæ Sedis auctoritatem veluti Catholicæ professionis inimici sæuiunt, salubriter reprimendis, ne ipsorum inualescat præsumptio, & peruersitas extollatur intendere, sed criminosorum temeritatem (vltrice iustitia) cohibere, ne literæ prædictæ quæ prouida deliberatione ab ipsis prædecessoribus emanarunt, contemptibiles reddantur, sed excessuum perpetratores, debita animaduersione puniantur, opportunis remediis prouidere volentes, Motu proprio, non ad aliquorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, singulas Pij, Pauli, Sixti, Iulij, & Leonis prædecessorum literas huiusmodi, cum statuti, ordinationis, extensionis, additionis, inhibitionis, decreti, declarationis, confiscationis, incorporationis, applicationis, voluntatis, & mandati, ac omnibus, & singulis aliis in eis respectiue contentis clausulis, auctoritate Apostolica tenore præsentium, approbamus, & innouamus, ac perpetuæ roboris firmitate subsistere, & per singulos, quos literæ ipsæ concernunt, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, infamiæ, suspensionis, diffidationis, criminis læsæ Maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, depositionis, priuationis, inhabilitatis, & interdicti, ac aliis censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & temporalibus in eisdem literis contentis, quas contrauenientes eo ipso incurrant, perpetuo inuiolabiliter obseruari debere decernimus.

Et declarat Homicidas non solum à loco delicti per 10. milliaria, vt constituerat Pius II. sed à quibuscumque terris & locis S. R. E. exules esse debere.

§. 7. Illasque etiam ad hoc vt homicidæ, Sicarij, exitiij, criminosi, rebelles, aliique infames propter homicidia, aut alia nefanda per eos perpetrata, excessus crimina, & delicta, in Ciuitatibus, Terris, Castris, vel locis eorum, seu in quibus tunc morabantur Banniti, & condemnati, etiam habita pace ab hæredibus, filiis seu consanguineis occisorum, aut partium læsarum, non solum à locis circumvicinis vsque ad quinquaginta milliaria, sed etiam ab omnibus, & singulis Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis etiam Regni, & partium prædictorum, nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ quomodolibet mediate vel immediate subiectis, Banniti, & exules sint, & esse censeantur, nec in illis seu eorum aliquo, etiam prætextu cuiusvis licentiæ, saluiconductus, remissionis, reductionis, reuocationis, vel alterius gratiæ per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentæ, moram trahere possint, & si in eis resederint, vel reperti fuerint, capi, detineri, & incarcerari, ac iuxta criminum, & excessuum per eos perpetratorum qualitatem, & literarum Pij prædecessoris huiusmodi tenorem sub pœnis in eisdem literis contentis per Officiales Ciuitatis, Terræ, Castri, vel loci in qua, vel in quo deprehensi fuerint, debitis pœnis plecti, seu inde educi, & ad forum seu Officiales, ad quos criminum, & excessuum eorundem punitio de iure vel consuetudine pertinet remitti debeant, extendimus, & ampliamus. Et nihilominus præmissa omnia, & singula, prout per Pium, Paulum, Sixtum, Iulium, & Leonem prædecessores præfatos statuta, & ordinata, inhibita, decreta, & declarata fuerunt; ita vt Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarij Feudatarij, Capitanei, Magnates, Principes, Communitates, Ciues, Officiales, & personæ, ac alij ad quos prædictæ, & præsentes literæ concernunt, ac ipsorum singuli, literas, & in eis contenta huiusmodi non obseruantes, & illis quomodolibet, directe, vel indirecte, contrauenientes, ac eis adhærentes, eorumque fautores, & complices, singulas censuras, & pœnas prædictas, eo ipso absque alia declaratione incurrant, & incurrisse censeantur de nouo.

Receptatibus Bannitos imponit pœnas ibi expressas.

§. 8. Quodque Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini in temporalibus Vicarij, & Feudatarij Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum etiam Regni, & partium prædictorum nobis, & eidem Ecclesiæ immediate subiectorum, aliquos nostros, & dictæ Ecclesiæ hostes, & inimicos, aut subditos exules, bannitos, & facinorosos cuiuscumque status, vel conditionis fuerint, publice, vel occulte, vllo vnquam tempore recipere, & acceptare nullatenus præsumant. Et si aliquos ad eorum dominia, & territoria confugere contigerit, illos ex eorum dominiis vel territoriis, huiusmodi expellere, seu ad simplicem iussionem vel requisitionem nostram vel successorum nostrorum quo voluerimus, seu successores ipsi voluerint tute conduci facere. Ac quod præmissa à suis subditis inuiolabiliter obseruentur, omni excusatione cessante cum effectu curare, sub similibus priuationis & rebellionis, ac crimine læsæ Maiestatis pœnis, si contrafecerint eo ipso incurrendis.

Communitates, & alij sub pœnis de quibus hic tenentur capere homicidas complices & fautores. Quod confirmauit Pius IV. infra in constitut. 27. In eminenti & Pius V. const. 10. Ex superna. & Sixt. V in rub. cit.

§. 9. Necnon vt homicidæ, fautores, & complices præfati facilius capi, & puniri possint quod Communitates Ciuitatum, & Vniuersitates Terrarum, Castrorum, & locorum, in quibus seu quorum territorio districtu, & ditione, dicta homicidia perpetrabuntur, sub interdicti Ecclesiastici, & duorum millium per Communitates, ac mille ducatorum per Vniuersitates, necnon Ciuitatum, Terrarum, & locorum eorundem domicilij, Barones, Vicarij, aut alij in temporalibus domini, sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, & quinque millium ducatorum auri Cameræ Apostolicæ irremissibiliter applicandorum eo ipso, absque alia declaratione incurrendis pœnis, eosdem homicidas, complices, & fautores statim capere, ac omnem exactissimam diligentiam, de qua per publica documenta fidem etiam facere teneantur capi facere. Et si eos capere nequiuerint, statim commissum homicidium Vniuersitatibus, seu incolis, & habitatoribus Oppidorum circumvicinorum, ad quæ declinabunt, aut declinare poterunt notificari, Communitates vero, & domini in temporalibus prædicti, ad quorum ditionem tales declinabunt, cum primum id ad eorum notitiam deuenerit, eos apprehendere seu apprehendi. Quod si non potuerint, similiter id Vniuersitatibus seu incolis, & habitatoribus vicinorum Oppidorum, & locorum, ad quæ declinabunt, aut verisimiliter declinare poterunt insinuare, & captos ad eorum Iudices ordinarios traducere, & tradere sub similibus pœnis teneantur, & debeant, statuimus, ordinamus, inhibemus, & declaramus.

Facultates quibuscumque concessas absoluendi homicidas reuocat.

§. 10. Et ne facilitas veniæ incentiuum præbeat delinquendi, quibusvis dictæ Sedis Legatis etiam de latere, ac Nuntiis, & Prouinciarum Rectoribus, necnon nostris, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicariis in temporalibus pro tempore existentibus, & præfatis Communitatibus omnem super absolutionibus homicidiorum huiusmodi per nos, & prædecessores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem eandem sub quavis forma, & verborum expressione concessam, approbatam, & innouatam, auctoritatem, & facultatem, reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus. Et si quando similes absolutiones per nos, & successores nostros Romanos Pontifices ac Sedem præfatam concedi contigerit, illas per iudices, & officiales, ad quos pertinent, nisi trinæ literæ Apostolicæ, sub interuallo vnius mensis pro singulis literis huiusmodi cum expressa derogatione præsentium, desuper emanauerint, nullatenus admitti vel obseruari volumus.

Executores istius constit. deputat.

§. 11. Quocirca dilectis filiis Francisco tt. S. Mariæ in Transtiberim Presbytero Cardinali, nostro, & pro tempore existenti Camerario, Cameræ Apostolicæ Clericis, & Præsidentibus, ac vniuersis, & singulis Legatis Prouinciarum nostrarum, & aliis Rectoribus, & Gubernatoribus, ac Officialibus Ciuitatum, Terrarum, & partium prædictarum, nobis, & dictæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectarum, Motu simili mandamus, quatenus præsentes literas solemniter, in singulis Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis prædictis publicari, necnon omnia, & singula in eis contenta inuiolabiliter obseruari faciant, & mandent. Contrafacientes quosvis cuiusvis status, gradus, ordinis, vel præeminentiæ sint sententias, censuras, & pœnas antedictas damnabiliter incurrisse declarent, & declarationem huiusmodi per

eos

eos faciendam, in libris maleficiorum conscribi, & adnotari mandent, & faciant. Necnon capitalea prædictas sententias à Ministris Iustitiæ absque alicuius incursu irregularia exequi procurent. Reales autem irremissibiliter exigant, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Necnon pro exactione pœnarum pecuniarum huiusmodi contra Communitates, & Vniuersitates, ac eorundem inobedientium in temporalibus dominorum vassallos, propter eorum huiusmodi inobedientiam, represalias concedant, nec realiter, & cum effectu exequi faciant.

Domicelli, & Barones remittant homicidas, & eorum complices ad officiales Sedis Apostol.

§. 12. Attentiua hortantes, & requirentes in Domino Barones, & Domicellos, ac in temporalibus dominos dicti Regni, necnon illius Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum Gubernatores, & Officiales pro tempore existentea, vt præfatos homicidas, fautores, & complices capiant, & capi procurent, captosque ad Præsides nostrarum Prouinciarum, vnde ipsi homicidæ, fautores, & complices originem traxerint conduci, & eis realiter consignari similiter cum effectu faciant.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibua Apostolicis, ac omnibus illis quæ dicti prædecessores in præfatis eorum literis voluerunt non obstare contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas oon facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 5 die 20. Iunij

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimoquarto, Pridie Idus Iunij, Pont. nostri Aono primo.

XI. Approbatio Congregationis Clericorum Regularium (qui deinde Theatini nuncupati sunt) cum elargitione omnium gratiarum, & priuilegiorum Congregationis Canonicorum Regularium Lateranen.

Alia priuilegia hic idem Pont. postea concessit inf. in const. 38. Dudum, aliaque dedit Pius V. in sua const. 31. Ad immarcescibilem.

Andream Auellinum huius Congregationis Clericum inter Beatorum numerum retulit S. D. N. Vrban. VIII. in eius Const. 42. In Sede, inf. tom 4.

Edita An. D. 1524.

CLEMENS PAPA VII.

Venerabili fratri Io. Petro Episcopo Theatino, & dilecto filio Gaetano presbytero Vicentino, ac eorum sociis, & successoribus.

Quidam magis quieto Deo seruire volentes, sub habitu clericali, in communi, & de communi viuere cupiunt, & substantialia admittere vota, assensum Papæ petierunt.

Exponi nobis nuper fecistis, quod voa, & nonnulli alij eiusdem propositi, socij vestri, diuina, vt creditur inspiratione ducti, cupieotes eum maiori animi quiete, Deo seruire, & illi magis pio desiderio adhærere posse, tria substantialia religiosæ vitæ, paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ vota emittere, & sub solito, ac communi habitu clericali in vnum habitantes, & in communi viuentes, ac Deo humiliter, & deuote quantum ipse dederit seruientes, sub nostra, & Apostolicæ Sedis humili, & immediata subiectione, & speciali protectione, clericalem vitam ducere decreuistis, supplicatique nobis fecistis, vt de nostræ, atque huius sanctæ Sedis Apostolicæ plenitudine potestatis, solitaque clementia, in præmissis benigne annuentea, de eis, quæ ad huius vitæ propositum conducere, aut quomodolibet expedire videntur, vobis sociis, successoribusque vestris prouidere dignaremur.

Qui vitam illam amplectuntur, eosdemq. sub Sedis Apost. protectione recipit.

§. 1. Nos, qui omnium Christi fidelium piis, & honestis desideriis libenter annuimus, vestrum in hac parte laudabile desiderium, plurimum in Domino commendantes vestrisque huiusmodi supplicatiooibus inclinati, vobis, & cuilibet vestrum, vt quandocumque visum fuerit, possitis tria substantialia religiosæ vitæ, vt petitis, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota publice emittere, & in manibus cuiuscumque Presbyteri sæcularis, vel cuiusvis Ordinis regularis, solemniter profiteri, ac sub solito, & communi habitu clericali, subque nomine, & nuncupatione Clericorum Regularium in communi, ac de communi viuentes, in locis religiosis, aut sæcularibus, provt vobis ab illis, quorum loca ipsa fuerint, concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub nostra, & sanctæ huius Sedis Apostolicæ immediata subiectione, & speciali protectione in vnum habitare.

Præpositum quotannis eligendi.

§. 2. Atque ea vobia, inter voa singulis annis Superiorem eligere, Præpositum nuncupandum, qui vsque ad triennium, & non vltra confirmari possit.

Alios ad religionem recipiendi.

§. 3. Aliosque quoscumque sæculares clericos, quavis dignitate fulgentes, seu laïcos, qui, Deo inspirante, ad huiusmodi vitæ propositum, & communem viuendi modum, sese conferre voluerint, recipere, & post annuam probationem, ad talem trium votorum professionem, in manibus Superioris, seu Præpositi emittendam, ad huiusmodi communem viuendi modum admittere.

Constitutionesque opportunas edendi facultatem concedit.

§. 4. Necnon statuta quæcumque, ordinationes, & constitutiones, de omnibus, & singulis, quæ ad huiusmodi vitæ propositum conducere, moresque & institutum honeste, & deuote clericaliter viuendi concernere videbuntur, de Missis præcipue, & aliis diuinis officiis, seu his canonicis, provt vobis melius videbitur celebrandis, & recitandis, licita tamen, & honesta, rationabilia, & bonis moribus, & sacris canonibus non contraria, facere, edere, & pro tempore facta, edita, corrigere, reformare, & in parte vel in totum immutare, ac de nouo alia, provt vobis expedire videbitur, instituere, & ordinare, ac iuxta illa viuere, quæ postquam à vobis condita, edita, reformata, instituta, aut immutata. & ordinata, ac nobis, seu successoribus nostris exhibita fuerint, Apostolica auctoritate approbata, & confirmata sint, & esse censeantur.

Priuilegia & gratias Congregationis Canonicorum Lateranensium elargitur.

§. 5. Et vt omnibus, & singulis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, fauoribus, concessionibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, quibus potiuntur, & gaudent, aut in futurum potientur, & gaudebunt, Canonici Regulares Lateranensis Congregationis, personæ, & loca eorum, vos, personæ, & loca vestra, vti, potiri, & gaudere possitis. Quorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis haberi volumus, ita vt literæ Apostolicæ super eisdem priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratiis, eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, & inuocationibus, & diebus, ad libitum vestrum expediri possint, perinde, ac, si illa, omnia, & singula non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorum de verbo ad verbum expressionem, & insertionem, fuissent vobis per has nostras literas, sub hac ipsa die, expresse, & specialiter concessa, tenore præsentium ex certa nostra scientia, & ex Apostolicæ plenitudine potestatis, vobis, ac sociis, & successoribus vestris, in perpetuum concedimus pariter, & indulgemus, & ad præmissa omnia, & singula quibuscumque impedimentis, & contradictionibus amotis, liberam, plenamque auctoritatem, & facultatem elargimur.

Tu scias concessa etiam fuisse priuilegia omnium Ordinum, & signanter Societatis Iesu, in bulla cit. in rub.

Contraria derogat.

§. 6. Non obstantibus nomine, dignitate, & officio Episcopali, quæ Ioanni Petro supradicto per alias nostras literas reseruauimus, Apostolicisque aut aliis generalibus, aut specialibus constitutionibos, ordinationibus, etiam iuramento, aut alia quavis firmitate roboratis, etiam si quæ specialiter, seu de verbo ad verbum exprimenda essent, qoæ pro expressis haberi, & quibus quoad effectum præsentium dumtaaat, specialiter, & expresse derogamus, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 24 Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub anoulo Piscatoris, die 24. Iunij 1524. Pont. nostri Anno primo.

XII. Declaratio circa expensas fieri permissas Militiæ de Calatraua, Ordinis Cisterciensis, de communi Thesauro dictæ Militiæ.

De

De hac Militia atque Thesauro, vide sup. in const. Iulij II. Romani, & alia attende in const. 1. Adriani VI. Dum intra.

Edita An. D. 1525.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ROmanus Pontifex ex iniuncto sibi desuper Apostolicæ seruitutis officio, ad ea libenter intendit per quæ singuli Christi fideles, sub Regularibus præsertim Militiis, pro fidei Catholicæ defensione institutis militantes, expensas necessarias, & alia onera eis pro tempore incumbentia, absque aliquo conscientiæ scrupulo subire valeant, eorumque, & Catholicorum Regum desuper sibi supplicantium votis libenter annuit, prout id conspicit in Domino salubriter expedire.

Iulius II. edidit const. de qua hic. §. 1. Sane charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Rex Illustris in Imperatorem electus, qui etiam Castellæ, Legionis, Aragonum, & Vtriusque Siciliæ Rex, per Sedem Apostolicam deputatus Militiæ de Calatraua Cisterciensis Ordinis, perpetuus Administrator existit, suo, & dilectorum filiorum vniuersorum, Priorum, Præceptorum, Fratrum, & Militum dictæ Militiæ huiusmodi per dilectum filium Ramirum Nuñez de Aguilera Præceptorem domus de Mestanca Militiæ, & Ordinis prædictorum, Toletanæ Diœcesis, Nuntium suum super hoc ad nos destinatum, nuper nobis exponi fecit, quod postquam olim pro parte claræ mem. Ferdinandi Aragonum, & Siciliæ prædictorum tunc Regis, ac eiusdem Militiæ perpetui Administratoris per Sedem eandem etiam deputati, felicis recordationis Iulio Papæ II. prædecessori nostro expositum fuerat, &c.

Omittitur residuum narratiuæ, quia ipsa bulla Iulij est sup. Romani.

Postea ex Thesauro, suo hac Militia de Calatraua, in casus hic relatos exponere consueuit, sed pro conscientia securitate, huius Pont. permissio petitur. §. 2. Dicta Militia ex tunc Thesaurum ipsum iuxta formam statutorum, ordinationum, & literarum prædictarum habere. Et licet exinde omnes, & singulas expensas pro necessitatibus, negotiis, rebus, honore, & vtilitate eiusdem Militiæ, ac illius Monasteriorum, & locorum, aliorumque onerum eis pro tempore incumbentium necessarias supportare, & facere consueuerint, prout facere potuisse credunt? tamen ipsi, vel eorum aliqui, qui timoratæ, & scrupulosæ conscientiæ existunt, pro eorum conscientiarum tutiori cautela, illas, quas hactenos facere consueuerunt, & alias similes, vel dissimiles necessarias expensas; siue sint pro defensione, & protectione prædictis, siue etiam pro Monasteriis, & aliis locis dictæ Militiæ, eorumque fabricis, aut etiam pro expeditione quarumcumque literarum etiam Apostolicarum in fauorem Militiæ, & Monasteriorum, locorum ac personarum prædictorum expediendarum, ac satisfactione, seu remuneratione illorum, qui pro earum expeditione, ac aliis eorum, & singulorum rebus, negotiis, vtilitate, vel bonore, auxilium, consilium, vel fauorem, præstiterint, & aliorum onerum eis pro tempore incumbentium supportatione, & ex Thesauro prædicto, iuxta prouidam ordinationem, deliberationem, & consilium Caroli Regis in Imperatorem electi, & pro tempore dictæ Militiæ Administratoris, seu Magistri, & Capituli Generalis, vel Seniorum Priorum, Præceptorum, Fratrum, & Militum dictæ Militiæ Administratoris, libere facere cuperent. Quare pro parte Caroli Regis in Imperatorem electi, seu Administratoris, ac Priorum, Præceptorum, Fratrum, & Militum modernorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex de Thesauro expensas de quibus hic certo modo fieri indulget. §. 3. Nos igitur eorum laudabili desiderio in præmissis annuentes, ac Priores, Præceptores, Fratres, & Milites modernos prædictos, eorumque singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium, Carolo Regi in Imperatorem electo, & Administratori, ac pro tempore existenti Magistro, seu Administratori, necnon Maiori, & aliis Præceptoribus, Prioribus, Fratribus, & Militibus modernis, & pro tempore existentibus Militiæ huiusmodi, quod ipsi de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & singulas expensas tam pro Militia, quam Monasteriis, & aliis locis, eorumque fabricis, rebus, & personis prædictis, quam etiam pro expeditione quarumcumque literarum etiam Apostolicarum pro eis, & aliorum singulis, ac aliorum onerum eis incumbentium, necnon satisfactione, remuneratione, & recompensatione illorum, qui in illis, & aliis eorum negotiis, rebus, commodo, vtilitate, fauore, honore, vel oneribus suis, aliquid fecerint, aut ad id faciendum consilium, consensum, & fauorem præstiterint, ex Thesauro prædicto, de consilio Capituli Generalis, vel saltem Diffinitorum, aut Seniorum illius, facere libere, & licite valeant, indulgemus, ac ipsæ expensæ sic pro tempore factæ, quando videlicet per Carolum Regem in Imperatorem electum modernum, ac pro tempore existentem, Administratorem, vel Magistrum, de Diffinitorum, & Seniorum in eius Curia pro tempore residentium, quando vero per Diffinitores, & Seniores, aut Capitulum prædictos etiam modernos, & pro tempore existentes de Caroli Regis in Imperatorem electi Administratoris moderni, & Magistri pro tempore etiam existentium prædictorum eiusdem Militiæ factæ fuerint, bene factæ sint, & esse censeantur, ac pro bene factis habeantur, & reputentur, statuimus, & ordinamus, ac literas prædecessoris huiusmodi etiam ad præmissa extendimus & ampliamus.

Quibuscumque non obstantibus. §. 4. Non obstantibus præmissis, & Apostolicis, & in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Militiæ, & ordinis, eorumque Monasteriorum, & locorum prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus omnibus, quæ idem prædecessor noster, in dictis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. & die 13 Ian. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimoquinto, Idibus Ianuarij, Pont. nostri Anno secundo.

Priuilegia, indulta, & exemptiones Auditorum Rotæ Romanæ. XIII.

Confirmationem, & extensionem habes inf. in const. 12. Pauli III. Romani. Moderationes vero vide in Pij V. const. 73. Sacrosanctum, & in aliis bullis citatis hic in apost[illegible]. Et de aliis Rotam concernentibus, indicabo plene in Pij IV. const. 44. In throno.

Edita An. D. 1525.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. COnuenit æquitati Romani Pontificis digna pro meritis præmia compensantis, illis potiores gratias, & fauores impartiri efficaciter, qui non solum pro ipso Romano Pontifice, sed etiam pro vniuersali Ecclesia, ac Sedis Apostolicæ honore, & personis ad illam confluentibus iustitia ministranda grauiora sollicitudinis studia, prompta voluntate iugiter perferre, & facti euidentis designante maiora eidem Sedi deuotionis obsequia studiosius impendere dignoscuntur, vt exinde eorum deuotio augeatur, & fides illorum cunctis plenius innotescat, ac alij eorum exemplo ad similia propensius excitentur.

Causa huius constitut. §. 1. Hinc est quod nos debita consideratione pensantes continuos labores quos dilecti filij causarum Palatij Apost. Auditores, & eorum Locatenentes, nunc & pro tempore existentes circa causas ipsas audiendas, & fine debito decidendas ad publicam vtilitatem, & eiusdem Rom. Pontificis honorem permaximum in dies noscuntur sustinere, ac propterea volentes eos, qui etiam nostri, & Rom. Pontificis pro tempore existentis Capellani existunt, condignis fauoribus, & prærogatiuis prout debitum reputamus prosequi.

§. 2. Motu

Priuilegium circa pluralitatem beneficiorum.

Hoc reuocatū est in bullis cit. in rub.

§. 2. Motu proprio non ad ipſorum Auditorum, & Lateranen. vel aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, cum eiſdem Auditoribus, & Locatenen. nunc, & pro tempore exiſtentibus, ac eorum ſingulis, vt quæcumque quatuor curata ſeu alias inuicem incompatibilia ſæcularia, aut vno, vel duobus, ſeu tribus ex eis, ſeu abſque illis vnum cum cura vel ſine cura, cuiuſvis etiam Cluniacen. vel Ciſtercien. Ordinis regulare, necnon quæcumque alia tria ſimilia vel diſſimilia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium etiam Metropolitanarum, vel Collegiatarum, aut aliarum Eccleſiarum conſiſtentia, alias ſe inuicem, & cum dictis incompatibilibus beneficiis compatientia beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi alterum beneficiorum ſub eiſdem tectis conſiſtentium cum cura, aut quomodolibet eorum Canonicatus, & præbenda, & tam illa quam incompatibilia ſæcularia dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus etiam Metropolit. vel Collegiatis, & dignitates ipſæ in Cathedralibus etiam Metropolitanis poſt Pontificales maiores ſeu Collegiatis Eccleſiis huiuſmodi principalis, aut tria ex eis Parochiales Eccleſiæ vel earum perpetuæ Vicariæ ſeu talia mixtim, Regulare vero, beneficia huiuſmodi Prioratus, præpoſituras, dignitates, dignitas etiam Conuentualis, perſonatus, adminiſtratio vel officium fuerint, & ad Prioratum, præpoſituram, præpoſitatum, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes vel officia huiuſmodi conſueuerint, qui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, ſi eiſdem Auditoribus, & Locatenentibus alias canonice conferantur, aut ipſi eligantur, præſententur, vel alias aſſumantur ad illa, & inſtituantur in eis, recipere, & inſimul ſæcularia in titulum ac regulare in commendam ſub eiſdem tectis conſiſtentia, videlicet ſi duo Canonicatus, & duæ præbendæ ac totidem dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia ad annum à die habitæ pacifice per eos vtriuſque illorum poſſeſſiones computandum dumtaxat. Si vero alia fuerint, ac incompatibilia ſæcularia, necnon regulare, beneficia huiuſmodi quoad vixerint retinere, illaque ſimul vel ſucceſſiue, ſimpliciter vel ex cauſa permutationis quoties eis placuerit dimittere, & eidem commendæ cedere, ac loco dimiſſi vel dimiſſorum aliud vel alia ſimile vel diſſimile, aut ſimilia vel diſſimilia beneficium ſeu beneficia Eccleſiaſticum vel Eccleſiaſtica, quatuor dumtaxat curata ſeu alias inuicem incompatibilia ſæcularia, aut cum vno vel duobus ſeu tribus ex eis, vel abſque illis vnum cum cura vel ſine cura cuiuſvis etiam Cluniac. & Ciſtercien. Ordinis regulare, necnon quæcumque tria alia ſimilia vel diſſimilia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Eccleſiarum conſiſtentia alias, vt præfertur, compatientia ſimiliter recipere, & inſimul ſæcularia in titulum, regulare in commendam ſub eiſdem tectis conſiſtentia, videlicet ſi duo Canonicatus, & duæ præbendæ, aut totidem dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia ad annum, vt præfertur, computandum. Si vero alia fuerint, ac incompatibilia, necnon regulare beneficia huiuſmodi dummodo inter ipſa quatuor, Incompatibilia ſæcularia plures quam tres parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, & ſub ſingulis tribus tectis conſiſtentia poſt dictum annum duo Canonicatus, & duæ præbendæ, aut totidem dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia, ac regulare beneficia huiuſmodi officium clauſtrale non exiſtant, quoad vixerint, vt præfertur, retinere, necnon debitis, & conſuetis ipſius regularis beneficij ſupportatis oneribus de reſiduis illius fructibus, redditibus, & prouentibus, ſicuti illud in titulum pro tempore obtinentes de illis diſponere, & ordinare potuerunt ſeu etiam debuerunt (alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium dicti regularis beneficij eis penitus interdicti) diſponere, & ordinare liberè & licitè valeat. Ac quod ipſi Auditores, & Locatenentes, ac eorum ſinguli, naturales in omnibus regnis, dominiis, & prouinciis exiſtant, ac in ipſis, & eorum ſingulis quæcumque quocumque, & qualiacumque cum cura, & ſine cura beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia, & regularia, etiam vt præfertur, qualificata alias eis canonice conferenda perinde ac ſi ibidem oriundi, & nati fuiſſent, etiam recipere, & retinere liberè, & licitè poſſint, ac de illis aut qualitate locorum in eorum literis mentionem facere minime teneantur. Quodque ratione quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum curatorum ſeu ex ſtatuto, fundatione, aut alias factos etiam presbyteratus ordines requirentium per eoſdem Auditores, & Locatenentes, ac eorum ſingulos pro tempore obtentorum vſque ad ſeptennium à fine anni à iure conceſſi computandum, ad aliquem ex ſacris ordinibus huiuſmodi promoueri minime teneantur, nec ad id à quoquam inuiti coarctari poſſint auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus, eiſque pariter indulgemus.

Facultas abſoluendi ſicut Ordinarij.

§. 3. Et inſuper præfatis Auditoribus, & Locatenentibus, & eorum cuilibet, vt omnes, & ſingulas vtriuſque ſexus perſonas quarumcumque Parochialium Eccleſiarum, ac dignitatum vel aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum curam animarum habentium per eos pro tempore obtentorum, per ſe ipſos vel alios ab eis deputandos earundem perſonarum confeſſionibus diligenter auditis, in omnibus, & ſingulis caſibus in quibus Ordinarij locorum de iure vel conſuetudine abſoluere poſſint quoties ad eos confeſſionis cauſa confugerint abſoluere, eiſque pœnitentiam ſalutarem iniungere.

Teſtandique etiam de bonis acquiſitis ex beneficijs.

Reuocationem vide in Pio V. cit. in rub. & alijs ibi not.

§. 4. Necnon de omnibus, & ſingulis bonis mobilibus, & immobilibus vbilibet conſiſtentibus cuiuſcumque quantitatis, & qualitatis, etiamſi in pecunia fuerint quæ ad eos, & eorum quemlibet, etiam Archiepiſcopos vel Epiſcopos etiam ratione ſuarum quibus nunc præciſe dignoſcuntur, aut aliarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum ad quas eos transferri contigerit Eccleſiarum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & regularium, obtentorum & obtinendorum quomodolibet pertinent, & pertinebunt, acquiſitis, & acquirendis, tam in vita quam etiam vltima voluntate eorum inter conſanguineos, & alias quaſcumque perſonas, ac loca, necnon pro expenſis funerum, ac remuneratione eorum qui ſibi viuentibus ſeruierint diſponere, erogare, teſtari, codicillari, ac illas alias in pios, & quoſcumque alios tamen licitos vſus prout eis videbitur expedire, conuertere, libere, & licite valeant.

Transferendi & etiam reſignandi beneficia, &c.

Hoc reuocauit Pius V. ibidem.

§. 5. Ac prædicta necnon omnia, & ſingula alia beneficia Eccleſiaſtica cum cura, ſæcularia, & quorumvis Ordinum regularia per ipſos Auditores, & Locatenentes, ac eorum ſingulos in titulum, & commendam, ac inuicem ſeu aliis ad eorum vitam vnita, pro tempore obtenta, necnon in quibus, & ad quæ ius eiſdem Auditoribus, & Locatenentibus competit, & competere poterit in futurum, ac de quibus eis prouiſum etiam illorum poſſeſſione non habita, ſeu prouideri mandatum, vel conceſſum fuerit, ſimpliciter aut pro alio vel aliis ſimili, vel diſſimili, aut ſimilibus, vel diſſimilibus beneficio ſeu beneficiis Eccleſiaſtico, vel Eccleſiaſticis, cum quibuſvis perſonis cum eis permutare volentibus, ac cauſa permutationis huiuſmodi, in qua tamen nulla illicita pactio, ſeu ſimoniaca prauitas interueniat, in quorumcumque ordinariorum locorum, aut Canonicorum Metropolit. vel aliarum Cathedralium Eccleſiarum, ſeu aliarum perſonarum in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutarum ad id per eos eligendorum, vel eligendarum manibus extra Romanam Curiam, præfatæ Sedis vel cuiuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita reſignandi, commendis necnon iuri, & conceſſionibus etiam literis Apoſtolicis non confectis cedendi, ac diſſolutioni vnionum huiuſmodi conſentiendi, ipſiſque Ordinariis, Canonicis, & perſonis in dignitate conſtitutis, reſignationes, & ceſſiones huiuſmodi ab eiſdem Auditoribus, & Locatenentibus, ſimpliciter vel ex eadem cauſa etiam permutantibus perſonis ex dicta cauſa dumtaxat extra eandem Curiam auctoritate prædicta recipiendi, & admittendi, ac vniones, annexiones, & incorporationes prædictas diſſoluendi. Necnon ea quæ ſimpliciter reſignauerint, & quorum commendis, aut iuri, & conceſſionibus ceſſerint, ſeu vnionum diſſolutioni conſenſerint perſonæ ſeu perſonis idoneæ, vel idoneis ad id per ipſos Auditores, & Locatenentes nominandæ, ſeu nominandis,

miuandis, quæcumque quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, quibus, & non aliis etiamsi ante resignationes seu cessiones huiusmodi per eos nominatæ fuerint, conferri possint, & quæ ex eadem causa cum eis permutantibus. Quæ verò ipsæ compermutantes personæ resignauerint beneficia huiusmodi etiamsi, vt præfertur qualificata, & cum permutantium huiusmodi similem facultatem non habentium beneficia huiusmodi dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata seu affecta fuerint, eisdem Auditoribus, & Locatenentibus conferendi, & de illis etiam prouidendi, ac omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, ac exequendi plenam, & liberam auctoritate, & tenore prædictis motu simili facultatem concedimus.

Priuilegium circa residentiam.
Reuocationē vide in const. 91. Pij IV. In suprema, cum sbi not.

§. 6. Ac eisdem Auditoribus, & Locatenentibus, & eorum singulis etiam in dicta Curia aut aliquo beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura per eos pro tempore obtentorum residendo, in aliis beneficiis Ecclesiasticis similiter per eos in quibusvis Ecclesiis siue locis pro tempore obtentis residere minime teneantur, nec ad id inuiti compelli possint. Et nihilominus omnes, & singulos fructus, redditus, & prouentus beneficiorum prædictorum etiam, vt præfertur qualificatorum cum ea integritate (quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis) libere percipere valeant, cum qua illos perciperent si in eisdem beneficiis personaliter residerent, dictisque beneficiis per Capellanos seu Vicarios idoneos ad eorum nutum amouibiles in diuinis deseruire, & animarum curam illis imminentem exercere, ac quæcumque Ecclesiastica Sacramenta ministrari facere quoties opus fuerit, Diœcesani loci, & cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita liberè, & licitè valeant, nec ad residendum in illis per quempiam cogi possint.

Facultas recitandi horas canonicas horis postpositis.

§. 7. Eisque, & eorum cuilibet, vt quoad vixerint quoties eis placuerit per se ipsos aut cum vno, vel duobus sociis etiam familiaribus suis per eos pro tempore eligendis horas canonicas diurnas pariter, & nocturnas, ac alia diuina officia secundum vsum, & morem Romanæ Ecclesiæ, etiam anticipatis, vel postpositis horis dicere, & recitare liberè, & licitè valeant. Nec ipsi aut eligendi socij huiusmodi ad alium vsum super hoc obseruandum teneantur, nec ad id à quoquam etiam ratione beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum inuiti possint coarctari.

Facultas eligendi Confessores, qui in casibus reseruatis (exceptis hic expressis) absoluere possint. Quod declaratur hic in fin.
Et intellige vt in Clem. VII. const. 115. Quacumque.

§. 8. Quodque ipsi, & eorum singuli aliquem Presbyterum sæcularem, vel cuiusvis Ordinis regularem in eorum possint, & quilibet eorum possit eligere confessorem, qui vita eis comite in casibus dictæ Sedi reseruatis (præterquam offensæ Ecclesiasticæ libertatis, criminum hæresis, rebellionis, aut conspirationis in personam, vel statum Romani Pontificis, seu Sedem Apostolicam, falsitatis literarum Apostolicarum, supplicationum, & commissionum, inuasionis, deprædationis, occupationis, deuastationis terrarum, & maris, dictæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum, offensæ personalis in Episcopum, vel alium Prælatum prohibitionis deuolutionis causarum ad Romanam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorem ad partes infidelium, semel singulis annis, & quoties de eorum morte timendum extiterit, in aliis verò quoties fuerit opportunum confessione eorum diligenter audita pro commissis eis debitam absolutionem impendat, & iniungat pœnitentiam salutarem, necnon vota quæcumque (vltramarino, liminum Apostolorum Petri, & Pauli, ac si Iacobi in Compostella, ac Castitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat, quodque confessor quem duxerit eligendum omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, etiam semel singulis annis, & quoties de eorum morte timendum fuerit, vt præfertur, plenariā remissionem à pœna, & culpa eis in sinceritate fidei, vnitate Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostra, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus dicta auctoritate Apostolica concedere possit, sic tamen quod idem confessor de eis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eis per eos si superuixerint, vel alios si forsan tunc transierint faciendam iniungat, quam ipsi vel illi facere teneantur.

Priuilegium celebrandi ante diem, & in locis interdictis.
Hoc inferius declaratur.

§. 9. Liceatque eis habere altare portatile cum debitis reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus, & honestis, sine iuris alieni præiudicio, & cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, & antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem. Et si forsan ad loca interdicto Ecclesiastico tam ordinaria, quam Apostolica auctoritatibus supposita ipsos declinare contigerit, in illis, clausis ianuis, non pulsatis campanis, & submissa voce, excommunicatis, & interdictis exclusis, in eorum & familiarium suorum domesticorum, ac sex aliarum personarum vtriusque sexus per eos, & eorum quemlibet eligendarum præsentia, dummodo ipsi, vel illi causam non dederint interdicto, nec id eis contigerit quod specialiter interdici possint, per se ipsos qui Presbyteri fuerint, aut proprium vel alium sacerdotem idoneum sæcularem, vel regularem, Missas, & alia diuina officia celebrari, seu celebrari facere, & Ecclesiastica Sacramenta recipere, ac eorum tempore interdicti huiusmodi decedentium corpora Ecclesiasticæ tradi possint sepulturæ etiam cum aliqua funerali pompa.

Facultas consequendi Stationes Vrbis, propriam Capellam visitando.

§. 10. Et insuper duas Ecclesias, seu duo vel tria altaria in locis vbi ipsos Auditores, & Locatenentes, ac eorum quemlibet pro tempore morari contigerit, per eos, & eorum quemlibet pro tempore eligendas, seu eligenda singulis diebus Quadragesimalibus, & aliis anni temporibus, & dum in Curia resederint, eorum propriam Capellam, diebus tamen audientiæ, visitando, singulas indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si ipsi eisdem temporibus, & diebus Basilicas, & Ecclesias Stationum Vrbis, & extra eam ad id deputatas personaliter visitarent.

Facultas circa esum carnium.

§. 11. Eisque & eorum cuilibet, ac eorum familiaribus prædictis, vel diebus, & temporibus quibus esus carnium, ouorum, casei, butyri, & aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ouis, caseo, butyro, & aliis lacticiniis, ac de vtriusque Medici consilio carnibus absque conscientiæ scrupulo vti, & vesci.

Priuilegium circa expectatiuas.
Tu vid. dispositionem Pij V. in eius cōst. 75. Sacrosanctum.

§. 12. Ipsique Auditores, & Locatenentes nunc, & pro tempore existentes, ac eorum singuli literas gratiarum expectatiuarum quoties eas generaliter concedi contigerit, absque aliqua signatura desuper expedienda in prima earum expeditione ad tres collationes per eorum quemlibet eligendas, & tria beneficia cuiuscumque taxæ seu annui valoris illorum fructus, redditus, & prouentus fuerit, etiamsi vnus ex dictis beneficiis alias sub eorundem Auditorum eorumve Locatenentium gratiis expectatiuis, eorumve collationum, mutationibus, reualidationibus, & extensionibus pro tempore comprehensis eidem dispositioni Apostolicæ ex quavis causa, præterquam ratione vacationis illius apud Sedem prædictam aut familiaritatis continuæ commensalitatis nostræ, & tunc viuentis Romani Pontificis, aut cuius tempore vacationis ad id consensus requirendus foret alicuius dictæ Ecclesiæ Cardinalis generaliter reseruatum, vel ex generali Apostolica reseruatione, ac alias quomodolibet affectum fuerit expedire, & ipsum beneficium sic generaliter reseruatum seu affectum acceptare, consequi, & obtinere, necnon beneficia sub huiusmodi gratiis expectatiuis, & illarum collationum mutationibus, reualidationibus, & extensionibus comprehensa, etiam in eorum à dicta Curia absentia per procuratorem tam in dicta Curia, quam extra eam, etiam in genere acceptare, & de illis etiam prouideri facere, ac alias diligentias requisitas per se, vel alios facere, ac instrumenta in specie ex suis notis generalibus acceptationum, & aliarum diligentiarum prædictarum extrahi facere, & obtinere, ac Notarij sic in genere rogati instrumenta in specie ex suis notis generalibus desuper facta ad instantiam Auditorum, & Locatenentium prædictorum, ad quos id concernet extrahere dumtaxat, & publicare possint respectiue, & debeant.

Indultū circa formā publicandi

§. 13. Et ad satisfaciendum regulæ siue constitutioni de publicandis acceptationibus, & prouisionibus, ac illis

blicandi provisiones beneficiorum. Tu habes reuocationē in Gregor XIII const 75. Humano.

illis intimandis possessoribus, seu eis ad iudicium euocandis pro tempore editæ, etiam ratione prædictarum expectatiuarum, aut aliarum gratiarum, & reseruationum quarumcumque minime teneantur. Ac eorum fratres, & nepotes tam descendentes quam Collaterales ac amicos seu beneuolos, & familiares ipsorum in toto, vel in parte, aut simpliciter, vel quoad vnam, vel plures seu singulas gratiarum expectatiuarum eis pro tempore concessarum, & illarum murationum, reualidationum, & extensionum collationis prosequendis antelationibus, prærogatiuis, priuilegiis, & indultis eisdem Auditoribus, & Locatenen. in assecutione beneficiorum vigore gratiarum huiusmodi acceptandorum pro tempore concessis loco sui nominare, & quod sic nominatis prærogatiuis Auditoribus & Locaten. concessis, & concedendis huiusmodi in assecutionibus beneficiorum Ecclesiasticorum sub collationibus ad quos nominati fuerint comprehensorum, quæ vigore literarum desuper conficiendarum duxerint acceptanda, vti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis quibus ipsi Auditores, & Locatenentes immediate præferuntur (dilectis filiis literarum Apostolicarum de Maiori præsidentia Abbreuiatoribus, & earundem literarum Scriptoribus dumtaxat exceptis) immediate præferri, & anteferri valeant, an si eiusdem Palatij Auditores vere, & non ficte, aut aggregati per priuilegium existerent, ita tamen quod Auditores ipsi suas gratias expectatiuas, ac illarum extensiones, & collationum mutationes, seu reualidationes prosequentes præfatis nominatis etiam qualitercumque qualificatis omnino præferantur, & præferri debeant.

Indultum pro bullis gratis pro eis expediendis.

§. 14. Quodque singuli Auditores, & Locatenen. præfati quascumque prouisionum, commendarum dispensationum, vnionum ad vitam, præfectionum, reseruationum fructuum, pensionum, & aliorum quorumcumque ac facultatum mandatorum, gratiarum, & indultorum, ac alias literas gratiam, vel iustitiam seu mistim concernentes à Sede prædicta etiam ratione quarumcumque dignitatum etiam Episcopalium, Archiepiscopalium, & Monasteriorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque pro tempore per eos à nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, ac Sede prædicta qualitercumque impetrandas, ac sibi etiam motu simili, & ex certa scientia concedendas, & de personis eorum consistorialiter faciendas in dilectorum filiorum Abbreuiatorum, Scriptorum bullarum, ac registri, necnon qui etiam de nostris Apostolicis gratiis expectatiuis taxam recipiunt, Sollicitatorum literarum Apostolicarum, necnon Secretariorum & Procuratorum Audientiæ nostræ literarum contradictarum, ab aliis quibusvis dictæ Curiæ officiis gratis cum subscriptione videlicet (gratis pro Auditore, seu Locumtenente Rotæ) per Rescribendarium literarum eorundem faciendis expedire possint, sint, debeant, dicta auctoritate Apostolica earundem tenore præsentium, motu simili pariter indulgemus, Mandantes nunc, & pro tempore existentibus literarum prædictarum Rescribendario, & aliis Scriptoribus, & Abbreuiatoribus, Sollicitatoribus, Secretariis, dictæ Audientiæ Procuratoribus, & quibusvis aliis dictæ Romanæ Curiæ officialibus expeditioni literarum huiusmodi pro tempore Præsidentibus, & Ministris, sub excommunicationis latæ sententiæ, priuationis & suspensionis suorum officiorum, & perceptionis emolumentorum eorundem pœnis, per eos ad quos pertinuerit, & qui eas gratis subscribere, vel concedere noluerint eo ipso incurrendis absque alio nostro aut successorum nostrorum, & Sedis prædictæ vlteriori mandato, eas gratis subscribant, & per omnia vsque ad plumbum, & alia necessaria inclusiue omni contradictione, & dilatione cessante expediant.

Indultum exemptionis ab Ordinariis.

§. 15. Propterea Auditores, & Locatenentes prædictos nunc, & pro tempore existentes, ac eorum quemlibet ipsorumque beneficia, & officia Ecclesiastica, ac bona quæcumque quæ obtinent, & possident, & in futurum obtinebunt, & possidebunt, sub beati Petri, & Sedis prædictæ, ac nostra protectione, auctoritate Apostolica, & tenore supradictis pari motu suscipimus, & ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate quorumcumque Legatorum etiam de latere, ac Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, & Ordinariorum, illorumque Vicariorum, Officialium, Locatenentium, & Iudicum etiam à dicta Sede deputatorum nunc, & pro tempore existentium.

Priuilegium exemptionis à decimis, gabellis, &c. Moderationē vid. infr. in Paul V. const. 9. In maximis, cum ibi not.

§. 16. Ipsosque ac eorum res, & bona propria, tam in Vrbe quam extra eam, à solutione, & exactione quarumcumque decimarum etiam Apostolica auctoritate prædicta pro tempore impositarum, pedagiorum, gabellarum, & quorumcumque aliorum onerum tam ordinariorum quam extraordinariorum vbicumque locorum existentium liberamus, liberosque immunes, & exemptos omnino facimus, constituimus, & deputamus, & declaramus. Ita quod Legati, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Ordinarij, Vicarij, Officiales, Locatenentes, & Iudices prædicti etiam ratione delicti seu contractus, aut rei de qua ageretur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat, nullam in eos aut eorum aliquem seu illorum beneficia, officia, & bona huiusmodi, iurisdictionem, correctionem, visitationem, dominium, superioritatem, & potestatem exercere, aut excommunicationis, aliasve sententias, censuras, & pœnas proferre. Nec exactores decimarum, gabellarum, pedagiorum, & onerum huiusmodi eos ad aliquam solutionē cogere, compellere, & coarctare, aut quicunque alij cuiuscumque dignitatis, status, conditionis, & præeminentiæ Ecclesiasticæ, vel mundanæ existant, eos super præmissis, aut illorum vsu, etiam prætextu cuiuscumque criminis, vel delicti facti, vel perpetrati ex eorum officio, vel ad instantiam quorumcumque directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, aut alias quomodolibet impedire quoquomodo præsumant.

Clausula præseruatiua huius constit.

§. 17. Decernentes, & declarantes præsentibus literis, necnon præmissis, & aliis priuilegiis, & indultis quibuscumque eisdem Auditoribus, & Locatenentibus pro tempore concessis ex quavis etiam necessario exprimenda causa, vel occasione per nos, & Sedem eandem in genere, vel in specie, etiam per constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas etiam consistorialiter pro tempore editas, aut quascumque alias literas Apostolicas, etiam quod tenores, & formæ illorum habeantur pro expressis, seu alias clausulas, & decreta quæcumque in se continentes, etiam quibusvis dictæ Curiæ Officialibus, etiam præfatis Scriptoribus pro tempore concessas, seu etiam vigore implicitæ derogationis latissime extendere in supplicationibus desuper pro tempore signatis appositæ derogari, seu illa reuocari, cassari, suspendi, aut in aliquo alterari, seu reuocata, suspensa, vel alterata censeri. Aut ipsos Auditores, & Locatenentes sub eisdem clausulis comprehensos, vel eos illarum prætextu, nisi in eisdem desuper pro tempore signatis supplicationibus illorum omnium nomina propria, & cognomina specifice expressa fuerint; exprimi non posse, sed semper eosdem Auditores, & Locatenentes, ac in eis concessa priuilegia, indulta, & literas huiusmodi ab illis exceptos, & excepta, ac priuilegia, indulta, & literas eas concessa prædicta valida, & efficacia existere, & ipsis Auditoribus, & Locatenentibus suffragari, & quidquid in contrarium pro tempore factum fuerit, pro non facto haberi debere, necnon ex tunc de nouo eo ipso concessa, & innouata, ac in pristinum statum restituta, reposita, & plenarie reintegrata esse, & censeri.

Decretum irritans.

§. 18. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Palatij huiusmodi causarum Auditores in qualibet causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane si secus super iis à quoquam quavis auctoritate etiam per nos, & Sedem prædictam scienter, vel ignoranter attentari contigerit.

Executores istius const.

§. 19. Quocirca Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & dictæ Vrbis Gubernatori, ac in eadem Vrbe, & eius districtu nostro in spiritualibus Vicario generali pro tempore existentibus per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut

aut vnus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Auditorum, & Locatenentium, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ipsosque Auditores, & Locatenentes nunc, & pro tempore existentes illas pacifice gaudere, necnon fructus prædictos eius iuxta dicti indulti de illis percipiendis in absentia huiusmodi tenorem integre ministrari, non permittentes eos per locorum Ordinarios, & dilectos filios Ecclesiarum prædictarum Capitula, seu quoscumque alios ad residendum in eisdem Ecclesiis siue locis compelli, aut alias super præmissis contra præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores, molestatores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria. §. 10. Non obstantibus si dicti Auditores, & Locatenentes in eisdem Ecclesiis, siue locis primam non fecerint residentiam personalem. Ac super Idiomate quoad Parochialem Ecclesiam, & de non concedendo alicui gratiam expectatiuam extra nationem suam, ac non acceptando vigore cuiusvis gratiæ expectatiuæ aliquod beneficium generaliter reseruatum seu affectum, necnon de insinuandis, & publicandis acceptationibus beneficiorum vigore gratiarum expectatiuarum acceptatorum, & aliis diligentiis faciendis pro tempore editis, dictæ Cancellariæ regulis, ac fel. rec. Bonifacij VIII. contra exemptos edita, quæ incipit, Volentes, ac etiam per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis sine præfinitione temporis fieri prohibentur, necnon quæ incipiunt, Sicut bonus pastor, & quibus disponitur, Quod nullus vigore facultatum per Sedem prædictam pro tempore concessarum aliqua beneficia Ecclesiastica resignare possit, nisi illorum possessionem pacificam per quatuor menses habuerit, & nihilominus beneficia ipsa in odium resignantium vacare censeantur eo ipso, Sixti IV. & Innoc. VIII. ac per quas tertia pars omnium bonorum, de quibus per quoscumque Prælatos vigore quarumcumque facultatum eis per Sedem prædictam concessarum testari, seu alias disponi contigerit, Cameræ prædictæ Apostolicæ pro illius necessitatibus applicata dicitur, Alexandri, Sixti, & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac Lateranen. etiam nouissime celebrati, & generalis Conciliorum, & quibusvis aliis Apostolicis, necnon Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis per nos de nostrorum, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium familiarium continuorum commensalium, & aliis beneficiis Ecclesiasticis per nos, & Sedem eandem factis, & pro tempore faciendis specialibus, vel generalibus reseruationibus, affectionibus, necnon legibus Imperialibus, & municipalibus, ac Regnorum, Prouinciarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum in quibus incompatibilia, & alia sæcularia, ac regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu à quibus ipsa regularia beneficia dependere contigerit, & Ordinum quorum illa existerint iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Regnis, Prouinciis, Ecclesiis, Monasteriis, & locis, ac etiam Cluniacen. & Cistercien. Ordinibus, necnon quibusvis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam dictæ Curiæ Officialibus, & eorum Collegiis, etiam literarum earundem Scriptoribus præfatis sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam ex quibusvis, & quantumcumque maximis, & vrgentissimis etiam necessario exprimendis causis, ac cum quibusvis antelationibus, suspensionibus, restitutionibus, declarationibus, attestationibus, modificationibus, & aliis efficacissimis, & insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam generalibus expresse derogantibus, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & quod huiusmodi priuilegia, indulta, & literæ cum concessionibus, declarationibus, & decretis, ac aliis in eis contentis clausulis, sub quibuscumque derogationibus, reuocationibus, suspensionibus, vel alterationibus per quascumque alias similes, vel dissimiles literas, gratias, priuilegia, facultates, concessiones, antelationes, & indulta etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine prædictis pro tempore factis, etiam in quibus de illis specialis mentio fieret, nullatenus includantur, nec eis quomodolibet derogatum, seu illa reuocata, suspensa, vel alterata censeatur, sed semper ab illis omnibus excepta existant, & illis demum quovis modo derogaretur aut derogatum esse videretur, quoties eis derogatum foret toties illa cum omnibus in eis contentis clausulis de nouo concessa, & in pristinum statum restituta fore, & esse, ac vim stipulati contractus inter Romanum Pontificem pro tempore existentem, & Sedem huiusmodi, necnon Scriptores, & alios Officiales pro tempore existentes, ac personas præfatas habuisse, & etiam in futurum habere debeant. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, executores, & delegatos, tam in dicta Curia quam extra eam pro tempore deputatos iudicari debeant, sublata aliter iudicandi, & interpretandi facultate, aliisque etiam efficacioribus decretis, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum dominorum temporalium contemplatione, & alias quomodolibet etiam iteratis vicibus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos, & Sedem præfatam concessis, & approbatis, ac innouatis, etiam quod Regnorum, & prouinciarum nisi per oriundos, & naturales acceptari vel obtineri, ac Cluniacen. Cistercien. & aliorum Ordinum beneficia huiusmodi, nisi eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut ipsos Ordines respectiue expresse professis, ac de consensu Abbatum pro tempore existentium, & dilectorum filiorum Conuentuum, Monasteriorum Cluniacen. & Cistercien. Matisconen. & Cabillonen. Diœcesium, aut aliorum Superiorum aliorum Ordinum prædictorum commendari non possint, & alias de illis etiam per Sedem prædictam pro tempore factæ commendæ seu de illis in huiusmodi commendam obtinendis dispensationes concessæ nullæ sint, disponentibus. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, indiuidua & expressa mentio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac formas, & datas illorum, necnon decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes tanquam de eis plene informati, quoad præmissa motu simili specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque aut si eisdem locorum Ordinariis à dicta sit Sede concessum, vel in posterum concedi contingat, quod Canonicos, Rectores, & personas Ecclesiasticas suarum Ciuitatum, & Diœcesum etiam in dignitatibus, personatibus, administratione, vel officiis cōstitutas per subtractionem prouentuum beneficiorū suorum ecclesiasticorum, aut alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem, seu si Ordinariis, & Capitulis, vel quibusvis aliter communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum vel in posterum indulgeri contingat, quod Canonicis, Rectoribus, & personis suarum Ciuitatum, & Diœcesum, etiam in dignitatibus, personatibus, administratione, & officiis cōstitutis, & in illis non residentibus, aut qui in eis primam non fecerint residentiam personalem consuetam, fructus, redditus, & prouentus suorum beneficiorum Ecclesiasticorum in absentia sua ministrare minime teneantur, & ad id compelli non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus

quorumque

quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Declaratio circa indultum residentiæ, &c. vt sup.

§. 21. Volumus autem quod incompatibilia, ac sub singulis tectis consistentia, & alia sæcularia necnon regularia beneficia huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis quibus illa imminent nullatenus negligatur, sed in eis quorum fructus in absentia huiusmodi eisdem Auditores & Locatenentes percipere contigerit, per bonos, & sufficientes Vicarios, quibus de eorundem beneficiorum prouentibus, necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur, & deseruiatur inibi laudabiliter in diuinis, ac regularis antedicta, & sub singulis tectis consistentium beneficiorum huiusmodi consueta onera congrue supportentur. Ac quod ipsi Auditores & Locatenentes infra dictum annum alterum ex duobus Canonicatibus, & duabus præbendis, aut totidem dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis sub eisdem tectis consistentibus huiusmodi quos maluerint pro alio cum retentis Canonicatu, & præbenda, seu dignitate, personatu, administratione, vel officio compatibili beneficio permutare, alioquin illos ex duabus præbendis, ac totidem dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis sub eisdem tectis consistentibus huiusmodi quos primo assecuti fuerint, & quos ea tunc dictu anno elapso vacare decernimus, dimittere omnino teneantur.

Declaratio, quoad peccata commissa ob confidentiam remissionis obtinendæ à confessoribus eligendis.

§. 22. Et ne, quod absit, dicti Auditores & Locatenentes propter huiusmodi gratiam vel concessionem eligendi Confessorem reddantur procliuiores ad illicita in posterum committenda, etiam volumus quod si a sinceritate fidei, vnitate dictæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostra, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium destiterint, aut ea confidentia eiusdem remissionis vel concessionis aliqua forsan commiserint, concessio & remissio, & quoad illas præsentes literæ eis nullatenus suffragentur.

Declaratio indulti celebrandi ante diem.

§. 23. Ac quod indulto celebrandi seu celebrari faciendi ante diem parce vtantur, quia cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster IESVS CHRISTVS Dei filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce.

Declaratio circa dispositionem bonorum Ecclesiarum.

§. 24. Necnon vt in eorundem Ecclesiasticorum dispositione bonorum iuxta qualitatem residui erga Ecclesias à quibus eadem perceperint, se liberales exhibeant, prout conscientia eorum dictauerit, & animæ eorum saluti viderint expedire.

Et interessentia diuinis officiis.

§. 25. Ac quod dum diuinis officiis, in aliquibus Ecclesiis contigerit eos interesse, illum morem qui in eisdem Ecclesiis obseruabitur circa huiusmodi horas canonicas dicendas studeant obseruare.

Declaratio circa resignationes beneficiorum, &c.

§. 26. Quodque si singulorum beneficiorum prædictorum per eos simpliciter resignandorum, seu quorum commendis, aut iuri vel concessioni cesserint, aut vnionum dissolutioni consenserint, fructus, redditus, & prouentus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem valorem annuum non excedant conferentes, & illi quibus conferentur, & si ea dicta causa resignationes huiusmodi fiant, ac suorum & eis ex eadem causa collatorum beneficiorum huiusmodi fructus, redditus, & prouentus inæquales, & maioris valoris, etiamsi ipsa inæqualitas vigintiquatuor florenos similes secundum æstimationem prædictam non transcendat similiter conferentes prædicti, & illi, quibus beneficia maioris valoris huiusmodi collata fuerint, de nominibus, & cognominibus personarum, & beneficiorum eorundem, ac diebus factarum collationum huiusmodi Præsidentes dictæ Cameræ Apostolicæ aut Collectores, vel Subcollectores fructuum, & prouentuum eidem Cameræ debitorum in partibus illis pro tempore deputatos infra vnum si citra, & tres menses si vltra montes collationes factæ fuerint, iuxta Sixti, & Innocentij prædecessorum prædictorum super hoc editas literas, certificare procurent, alioquin beneficia ipsa sic collata vacare censeantur eo ipso.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 2. die 5. Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1525. Nonis Aug. Pont. nostri Anno 2.

Bullar. Magn. Tom. I.

XIV.

Confirmatio institutionis Monasterij B. Mariæ Magdalenæ, pro impudicis mulieribus, ad honestam vitam se conuertentibus in Vrbe, cum declaratione circa spolia impudicarum mulierum ei applicata.

De institutione, ac eiusdem Monasterij Iudicis iurisdictione, & aliis vide Leon. X. const. 39. sup. Saluator. Et an ab his spoliis sint exempta legata ab impudicis mulieribus facta Monasterio S. Bernardi, vide in const. 60. Sixti V. Sacrosancta.

Edita An. D. 1525.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

CVm ex corpore, & anima constet homo, & nobilitate subiecti actionis nobilitas mensuretur, CHRISTVS quod Saluator noster testatus fuerit, gaudium esse in cœlo maius super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia, manifeste apparet Monasterium Monialium B. Mariæ Magdalenæ, in quo mulieres carnis libidini & licentiosæ vitæ antea assuetæ charitatiue recipiuntur, ac in viam Domini diriguntur, earumque, & illas sequentium animabus æterna salus paratur, tanto pauperum hospitalia, in quibus Christi pauperes hospitantur, infirmi curantur, esurientes cibantur, nudi cooperiuntur, & alia vitæ subsidia ministrantur, necnon etiam aliarum sanctimonialium loca excellere, quanto anima corpus, & perpetua transitoria, ac cœlestia terrena, & spiritualia corporalia, quantoque millenarius numerus denarium numerum antecellunt.

Pont. iste, dum Cardinalis erat fundauit Monasterium Conuertitarum vt in rub.

§. 1. Vnde nos, qui in minoribus constituti, & Cardinalatus honore fulgentes, Deo à quo cuncta bona procedunt auctore, Monasterium ipsum fundauimus circa illius conseruationem, augmentum, & propagationem eo diligentius vigilamus, quo opera nostra sumpsit exordium, & maiori nunc, diuina fauente clementia, fungimur potestate, vberrimamque inde acceptabilem messem Deo in dies conspicimus prouenire.

Leo X. confirmauit, constituit, vt in eius bulla cit. in rub.

§. 2. Dudum siquidem fel. rec. Leo Papa X. prædecessor noster per eum accepto, quod, &c.

Omittitur insertio huius bullæ, siquidem ea habeatur in loco cit. in rubr.

Huius Pont. approbatio.

§. 3. Et deinde dicto prædecessore, sicut Domino placuit de medio sublato, nos diuina fauente clementia ad summum Apostolatus apicem assumpti, &c. vt literarum prædictarum votiuus succedat effectus, provide volentes, Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, auctoritate Apostolica, tenore præsentium literas prædictas, ac omnia & singula in eis contenta ab earundem literarum data, & in illorum fauorem inde secuta quæcumque approbamus, & innouamus, & valere, plenamque roboris firmitatem obtinere, ac omnibus, & singulis quorum interest suffragari debere, &c.

Gubernatoris & confessoris munus.

§. 4. Et quod Gubernatores dicti Monasterij saltem quolibet mense ad Monasterium ipsum accedere, & ex illius Abbatissa seu Priorissa, & Capellano, aliisque personis ad hæc opportunis inuestigare occurrentia, & facere sicut bonos decet pastores, ac sollicite vigilare ne Monialis aliqua dicti Monasterij de his quæ ceterius, nec aliqua Persona non Monialis dicti Monasterij quicquam nisi de expresso consensu, & licentia dictorum Gubernatorum facere possit, ordinare, necnon quæcumque statuta & ordinationes licita & honesta, Monasterium, & Ecclesiam huiusmodi, illorumque Abbatissam, seu Priorissam, Moniales, Capellanos, Confessores, & personas, ac bona quæcumque quomodolibet concernentia, quoties voluerint condere, alterare, & mutare, quascumque pœnas de quibus eis placuerit in contrauenientes apponere.

Alienandi facultas.

§. 5. Et quæcumque stabilia bona cuiuscumque valoris existant, ad Monasterium, & Ecclesiam prædicta quomodolibet nunc, & pro tempore pertinentia, pro euidenti vtilitate, aut necessitate Monasterij huiusmodi vendere, & permutare, ac in emphyteusim perpetuam vel ad

tempus locare,& quocumque alio titulo alienare, dictæ Sedis vel cuiusvis alterius licentia desuper nomine requisita.

Eligendique Protectorem Hodie Card. vnus eligitur.

§. 6. Et loco decedentis ex venerabilibus fratribus nostris Theatino,& Casertano Episcopis, quibus curam dicti Monasterij in spiritualibus commisimus, alium, ac decedente etiam reliquo,etiam alium, & sic duos Prælatos;si fieri possint,ita prouectæ ætatis sicuti ipsi Thearin. & Casertan. Episcopi,& illis in exemplari vita,modestia, sana doctrina, diligenti prudentia, & efficacia sermonis, ac aliis virtutibus quibus ipsi Episcopi à Deo decorati existunt, similes diligenti discussione maturaque deliberatione eligere, & tunc Romano Pontifici præsentare, & si ipse Romanus Pontifex ipsos præsentatos, vel eorum aliquem recusauerit, alium vel alios similiter eligere,& præsentare & sic successiue quoties aliquis ex Prælatis huiusmodi defecerit,& tam Prælati quam Deputati, & Gubernatores prædicti, omnia & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere,& exequi.

Gratia & indulgentia pro Monialibus & benefactoribus. Tu vide bullam 30 Pij V. Etsi,& bullam 113. Clem. 8. Quæcumque.

§. 7. Quodque Monasterium, & illius Ecclesia, Abbatissa seu Priorissa Moniales, Capellani, Confessores, personæ,res,& bona quæcumque ac ipsam Ecclesiam visitantes,& eidem Monasterio bene facientes omnibus & singulis priuilegiis immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis peccatorum remissionibus, indultis,exemptionibus, prærogatiuis, facultatibus, & gratiis, quibus alia quæcumque Monasteria quorumcumque Monialium Ordinum & quorumcumque etiam Mendicantium, & huiusmodi Societatis Charitatis,illiusque Confratres,Ecclesia,personæ, res, bona quæcumque ac Ecclesiam Societatis huiusmodi visitantes, & eidem Societati benefacientes quomodolibet vtuntur,potiuntur,& gaudent,ac vti,potiri,& gaudere poterunt in futurum,non solum ad instar,sed æque principaliter vti,potiri & gaudere.

Spolia meretricum applicantur Monasterio. Quod habes etiam in bulla Leon. X. citan rubr.

§. 8. Quodque tam Cortesanæ nuncupatæ, quam quæ palam in prostibolis quæstum faciunt, & alias ex quocumque turpi quæstu viuentes, & quomodolibet etiam in domibus propriis vel alibi ad instantiam certarum personarum sæcularium, vel Ecclesiasticarum tentæ vitam impudicam agentes mulieres, quæ quartam vel quintam partem bonorum suorum eidem Monasterio reliquerint vel donauerint, aut perpetuo concesserint, testamentum condere,& de reliquis earum bonis, prout eis placuerit disponere libere & licite valeant,earumque testamenta, ad dispositionem huiusmodi plenam consequantur, & consequi debeant, quoad omnia effectum. Quæ vero eis quartam vel quintam partem huiusmodi eidem Monasterio vere, & cum effectu non reliquerint, testamenti factiones,(præterquam quoad earum prolem de legitimo matrimonio habitam) careant,& siue testamentum, siue donationem causa mortis, vel inter viuos, aut aliam dispositionem fecerint siue non (nisi dispositio huiusmodi in fauorem suæ prolis de legitimo matrimonio procreatæ facta fuerit) earum bona mobilia, ac alia ædificia per eas aut ea earum bonis pro tempore constructa immobilia,se mouentia,necnon actiones,& iura quæcumque, etiam extra Vrbem vbilibet existentia, etiamsi ipsæ mulieres recreationis seu visitandi consanguineos, vel affines aut vitandi malum aërem siue alias quacumque causa extra dictam Vrbem nisi animo amplius non redeundi ad eam, recesserint, & ibi decesserint, etiamsi bona emphyteutica, & feudalia, etiam Ecclesiastica, perpetuo vel ad tempus existant, eidem Monasterio perpetuo applicata,& appropriata, ac eiusdem Monasterij existere, ipsumque Monasterium ad eadem opera ad quæ ipsæ mulieres occasione bonorum feudalium vel emphyteuticorum huiusmodi tenebantur, omnino teneri, & si ad certum numerum generationum aut nominationum eadem bona emphyteutica concessa fuerant, Monasterium ipsum non perpetuo, sed viginti annos pro qualibet generatione seu nominatione huiusmodi bona eadem absque consensu illorum domini directi tenere posse, si vere emphyteusis perpetuæ fuerint, illa Monasterium ipsum in perpetuum tenere valere.

Decimentes earum bona consignare debent.

§. 9. Et contingente obitu alicuius prædictarum mulierum omnes & singulos cuiuscumque status, conditionis, ac dignitatis Ecclesiasticæ vel mundanæ existentes infra decem dies à die obitus huiusmodi computandos bona mobilia,& immobilia,ac debita, & nomina debitorum, necnon iura, instrumenta, ac scripturas publica vel priuata hæreditatis huiusmodi habentes illa tradere,& scientes reuelare Camerario & vni ex Gubernatoribus dicti Monasterij teneri, & statim post obitum huiusmodi de tunc repertis, facta vero traditione huiusmodi, etiam de traditis bonis huiusmodi duo inuentaria per Gubernatorem Monasterij huiusmodi fideliter confici,& vnum illorum penes ipsum Camerarium, reliquum vero penes deputatos Societatis huiusmodi conseruare.

Earum bona quando deponi debeant.

§. 10. Et si infra mensem aliquis prætendens in hæreditate huiusmodi ius habere comparuerit, ipsa bona hæreditaria donec controuersia huiusmodi terminetur,apud aliquam ædem sacram,aut virum idoneum consignanda, postmodum prout iustum, & determinatum fuerit deponi debere. Et deficientes in traditione aut reuelatione huiusmodi, necnon quicumque qui impedimentum aliquod indirectè quovis quæsito colore præstiterit seu per quē steterit quominus depositum huiusmodi integre,& libere amotis omni dolo, & fraude fiat, omnis iuris sibi ad ipsa bona quomodolibet competentis priuatum ipso facto absque aliqua declaratione existere.

Filij earum ex bonis applicatis Monasterio ali, & erudiri debent.

§. 11. Necnon Gubernatores monasterij huiusmodi pro tempore existentes ea bonis applicatis huiusmodi filios, & filias, si qui fuerint curialium & mulierum huiusmodi, ali, & moribus imbui, & masculos aliqua arte qua honeste viuere possint erudire facere, fœminas vero nuptui tradere,vel in aliquo monasterio Monialium collocare, curamque filiorum, & filiarum huiusmodi pie,ac diligenter suscipere & gerere in quantum vires hæreditatis,& annorum matrum suarum suppetant,& non vltra debere.

Curati hæc publicent.

§. 12. Et quicumque curatus cuiuscumque,parochialis Ecclesiæ dictæ Vrbis quoties desuper fuerit requisitus, præmissa in eius Ecclesia, dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit publicare.

Notarij dispositiones mulierum impudicarum reuelare Monasterio tenentur.

§. 13. Et quemcumque Notarium, ac tabellionem præmissa,postquam de illis notitiam habuerit,curialibus & mulieribus huiusmodi, ad quarum testamenta seu donationes,aut dispositiones rogatus fuerit,antequam notam desuper scribere incipiat,notificare,& siue ipsæ mulieres quartam vel quintam partem huiusmodi reliquerint, aut concesserint, siue non, de illarum testamentis seu donationibus, vel dispositionibus quibuscumque saltem Camerario, & vni ex Gubernatoribus dicti Monasterij, plenam ac distinctam notitiam dare, & facere infra decem dies à die rogitus huiusmodi computandos omnino teneri,ac efficaciter obligatum esse,& Notarium quemcumque in danda notitia huiusmodi deficientem, pœnam mille ducatorum eidem monasterio eo ipso applicatorum, & si illam soluere recusauerit, seu desuper cum Gubernatoribus monasterij huiusmodi non concordauerit, & in recusatione, aut non concordia huiusmodi, per octo dies perseuerauerit, pœnam falsi,& perpetuæ inhabilitatis ad notariatus,& quæcumque alia officia in posterum exercenda incurrere ipso facto,nec sibi pœna huiusmodi,nisi dumtaxat per confratres dictæ Societatis Charitatis,aut maiorem partem illorum ex eis qui in congregatione ordinaria per eos fieri solita tunc affuerint, aliquatenus remitti,aut relaxari posse.

Dubia super præmissis emergenda per deputatos, Monasterij dirimi, & eorum decisiones tāquā leges obseruari iubentur.

§. 14. Denique quodcumque dubium, quod circa præmissa, vel eorum aliquod quodcumque quomodolibet emerserit, per deputatos, & Gubernatores societatis Charitatis,ac Monasterij huiusmodi,vel eorum maiorem partem declarari, decidi, ac determinari, libere & licite posse, ac declarationi huiusmodi tanquam generali legi à Romano Pontifice editæ vbique in omnibus stari debere, nec illi quenquam vllatenus contrauenire posse.

Contractus quoscumque facien. per deputatos approbantur.

§. 15. Ac venditiones, permutationes, locationes, & alienationes faciendas prædictas, ac inde secutura quæcumque, quæ ex nunc prout postquam factæ fuerint,& è contra, approbamus, & confirmamus,supplemusque omnes & singulos, tam iuris quam facti defectus in eisdem, ac prædictis literis forsan interuenientes,

tes, perpetuæque firmitatis robur obtinere, ac inuiolabiliter obſeruari debere.

Fides exemplorum. §. 16. Necnon præſentium literarum tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem vbique adhiberi poſſe, ac debere, quæ adhiberi poſſet atque deberet eiſdem præſentibus literis, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Iuſſio publicandi. §. 17. Ac præſentes literas poſtquam in acie Campi Floræ, ac valuis Cancellariæ Apoſtolicæ ac ſcalis Palatij Capitolij more ſolito affixæ, & publicatæ fuerint, etiam Notarios prædictos, ac alios quoſcumque, quos quomodolibet concernunt, ad obſeruationem omnium & ſingulorum præmiſſorum arctare, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi eis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Decretum irritans. §. 18. Et ſic per quoſcumque, tam ordinaria quam delegata, ac mixta auctoritate fungentes iudices & perſonas vbique iudicari, cognoſci, ac decidi debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, cognoſcendi, ac decidendi facultate, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Executores huius conſt. §. 19. Et nihilominus dilectis filiis Gubernatori, & Vicario dictæ Vrbis, ac generali Auditori cauſarum Cameræ Apoſtolicæ nunc, & pro tempore exiſtentibus, necnon vniuerſis ac ſingulis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus quatenus eorum quilibet per ſe vel alium, ſeu alios, auctoritate noſtra faciat præſentes literas, ac in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus inuiolabiliter obſeruari, nec permittat quemquam contra tenorem præſentium modo aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari, contradictores, quoſlibet ac rebelles, etiam per quaſcumque, de quibus eis placuerit, cenſuras, & pœnas, ac alia iuris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nos enim Gubernatori, Vicario, & Auditori prædictis, ac eorum cuilibet in præmiſſis, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine confectione regiſtri, & ſine quavis tela iudiciali, ſed de manu regia ad requiſitionem cuiuſvis ea deputatis, & Gubernatoribus prædictis iuſtitiam vnica ſententia, etiam per viam mandati executiui adminiſtrandi, & quod decreuerint executioni debitæ demandandi, perinde ac ſi eſſent tres conformes ſententiæ, plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus, ſublata cuilibet appellandi, ac de nullitate dicendi deſuper qualibet facultate.

Clauſula derogatoria. §. 20. Non obſtantibus noſtris de vnionibus, & vnionum confirmationibus, ac de valore beneficiorum in illorum diſpoſitionibus exprimendo, necnon bon. mem. Bonifacij Papæ Octaui ſimiliter prædeceſſoris noſtri, & nouiſſimi Lateranenſis Concilij, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, ac fundationibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, ac literis Apoſtolicis prædictis, & aliis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, necnon Collegio Cardinalium huiuſmodi, ac Populo Romano, & illius Ciuibus, ac in Vrbe, & in eius diſtrictu ædificantibus, & aliis quibuſcumque perſonis, collegiis, Eccleſiis, etiam conſiſtorialiter, ac per viam generalis legis, & ſtatuti perpetui, ac initi, & ſtipulati contractus, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritatiuis, annullatiuis, caſſatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præſeruatiuis, exceptiuis, reſtitutiuis, declaratiuis, mentis atteſtatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſeruanda foret, & in eis caueatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos, & formas ad id ſeruandos pro indiuiduo ſeruatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimoquingenteſimo vigeſimoquinto, Idibus Auguſti, Pont. noſtri Anno ſecundo. *Dat. P. Anno 2. die 13. Aug.*

Quòd Fratres Minores de Obſeruãtia Ordinis S. Franciſci poſſint componere cum hæredibus teſtatorum, ſuper legatis Ordini relictis. XV.

Alia de hoc Ordine vid. ſup. in conſt. 23. Leon. X.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filiis Miniſtris Prouincialibus Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ. *Edita An. D. 1525.*

Cauſa conſt. NVper pro parte veſtra nobis expoſitum fuit, quod forſan hactenus contigit, & in futurum etiam contingere poſſet, quod aliqui Chriſti fideles deuotionem ad veſtrum Ordinem, fratres, & loca ipſius Ordinis gerentes, in eorum teſtamentis, inſtitutiune ſeu legata fecerunt, aut facient, quorum ea veſtræ Religionis regula, & profeſſionis puritate quam ſeruatis capaces non eſtis. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt cum hæredes inſtituti ſiue executores per huiuſmodi teſtatores deputati in conſcientia ſe grauatos ſentiant ad pias defunctorum voluntates exequendas, deſuper opportuna, vobis, ac ipſis hæredibus, & executoribus conſulere, & prouidere, de Apoſtolica benignitate dignaremur.

Conceſſio facultatis componendi circa legata teſtatorum. §. 1. Nos cupientes pias ipſorum defunctorum intentiones, & voluntates quantum fieri poteſt executioni mandari, & attendentes quod in huiuſmodi legatis, & inſtitutionibus, mens illorum fuerit, & ſit, veſtram releuare penuriam, ac proinde veſtrorum ſuffragiorum ſpiritualium participes fieri, pro exoneratione quoque conſcientiarum dictorum hæredum, & executorum, huiuſmodi veſtris ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica, decernimus, declaramus, diſponimus, ac firmiter ſtatuimus, & ordinamus, ac vobis concedimus, quòd vos ſinguli Miniſtri prouinciales in prouinciis veſtris, vel Guardiani, cum aliquibus diſcretis fratribus domorum, vel locorum, quibus huiuſmodi legata, & inſtitutiones factæ fuerunt, vel in poſterum fient, quorum non eſtis (vt præfertur) capaces, mediantibus Procuratoribus, & Syndicis eorumdem locorum cum dictis hæredibus, & executoribus, ſuper præmiſſis inſtitutionibus, & legatis componere poſſitis, & valeatis, prout vobis ſecundum æquitatem, & bonam conſcientiam viſum fuerit, ad certam ſummam, & quantitatem pecuniarum, aut rerum prædictos hæredes, & executores, ſemel tantum, ſoluendam, & tradendam fratribus, & locis prædictis ad ipſorum releuandas neceſſitates, ſeu ipſa loca fabricanda, facta deſuper ipſis hæredibus, & executoribus, plena, & libera, ac perpetua abſolutione, & quietatione, quæ Apoſtolica auctoritate ſit approbata, & roborata. Ita quod deinceps prætextu talium teſtamentorum, inſtitutionum, & legatorum amplius moleſtari non poſſint, in iudicio, vel extra.

Contrariorum derogatio. §. 2. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides. §. 3. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimatertia Nouembris milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, Pontificatus noſtri Anno tertio. *Dat. P. An. 3. 23. Nouemb.*

XVI. Qund in Statu Ecclesiastien, causæ cessinnis, & discussionis bnnorum, aut dilationis quinquennalis, siue beneficij, cap. Peruenit. & cap. Odoardus, spatio trium mensium terminentur.

Quoad causas discaßionum, instantiam immat aait Pius IV. inf. ia saa const. 59. Cam aaper. Et qaoad has caasas verteates in Curia Capitolij, obserua stat. lib. 1. cap. 161.

Hæc autem beneficia, vel dilationes, denegauit in causis mercedum, alimentorum, pupillorum, & locorum piorum hic Paul. III. inf. in const. 36. Licet. Et debitoribus pretij rerum ripalium in alia eius const. 45. Cum postquam. Ac debitoribus ex causa panis abstulit Sixt. V. in const. 36. Cœlestis, In causis autem obligationum in forma Cameræ solus A.C. concedere valet, vt in const. 28. Pauli V. Eximiæ.

Edita An. D. 1529. & 1530.

C L M E N S P A P A V I I.

Causa huius constitut.

CVm ex multorum relatione non sine animi nostri displicentia accepenimus, quod noonulli Dei timore postposito, & suarum animarum, ae honoris proprij immemores, post magnum æs alienum contractum, etsi booa sufficientia pro satisfaciendis creditoribus habeant, tamen ad eos illudendos, ae laboribus, & expensis defatigandos, alij beneficium, alternatiuum, cessionis videlicet Bonorum, aut dilationis quinquennalis, alij discussionem bonorum, aut hæreditatibus etiam à Sede Apostolica impetrant, quibus impetratis ad expeditionem earundem minime incumbunt, & dictis gratiis securos cognoscentes, & difficile reputantes, quod vel creditores conueniant in eligendo, vel bonorum, & hæreditatis discussio fiat, pauperes creditores eorum credito, vel deluduntur, vel adeo protrahuntur, vt ipsi fame pereant, vel vt sæpius euenire solet moriantur, & hæredes eorum, non ita de materia informati à credito eorum penitus excludantur.

Instantia trium mensium præfinitur.

§. 1. Nos talibus inconuenientiis obuiare volentes, Motu proprio, & ex nostra certa scientia, tenore præsentium decernimus, & declaramus, quod quicumque beneficium alternatiuæ prædictum, aut discussionum bonorum, seu hæreditatis hactenus impetrarunt à die publicationis præsentium, & qui in futurum impetrabunt, à die eorum impetrationis computandis, nisi infra tres menses vsque ad sententiam exclusiue causam expediuerint, seu expediri fecerint, dictis gratiis, seu beneficiis ipso iure priuati existant, & iudices eorum, quibus tales causas ventilare continget, siue Ordinarij, siue delegati, etiamsi sint causarum Palatij Apostolici Auditores, aut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ad totalem executionem contra ipsos debitores, ad instantiam cuiuslibet creditoris procedere possint, & debeaot, perinde ac si talia beneficia ipsis talibus debitoribus minime concessa fuissent, partibus alias iustitiam ministrando.

Quam Iudex ad mensem prorogare potest.

§. 2. Et nihilominus si ex aliqua rationabili causa iudicibus prædictis visum fuerit dictum terminum trium mensium prorogari debere, dictum terminum sibi bene visum, non tamen vltra alium mensem, & non amplius, prorogandi licentiam per præsentes concedimus pariter, & facultatem.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, iuribus etiam municipalibus, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

PP. subscr.

Placet D.N. Papæ, & ita Motu proprio mandat.
A. Portuensis.

Publ. Pör. A. 9. die 20. Decembris.

Die vigesima Decembris millesimo quingentesimo vigesimo aono, intimata, affixa, & publicata fuit Romæ in locis consuetis per me Ioan. Ieruier, S.D.N. Papæ Curs.

Ita est Ioan. Valtrini magister Curs.

Sequitur extensio d. const. ad causas cap. Peruenit. de fideiuss. & cap. Odoardus, de solution.

Edita An. D. 1530.

C L E M N S P A P A V I I.
Motu proprio, &c.

Causa huius extensionis.

CVm onpet ad amputandum cauillationes eorum, qui ad fraudandum creditores, & diutius protogandum debita, alternatiuas, & discussiones bonorum à Sede Apostolica impetrauerint, vt exinde ea longissimo tempore durante nullatenus soluere teneantur, nos per motum proprium manu venerabilis fratris nostri Antonij de Munte Episcopi Portuensis mandauerimus, vt ij qui talia impetrauerant, ex tunc, qui vero talia in futurum impetrarent à die impetrationis huiusmodi infra tres menses causam expedire tenerentur, cum potestate dictis iudicibus attributa trimestre prædictum si eis videretur ad vnum mensem protogandi, quibus elapsis, & causa minime finita, ex tunc index coram quo causa penderet, ad executionem contra debitores, perinde, ac si tales concessiones minime impetrassent, procedere debeant, aliaque faciant, prout in dicto motu proprio, cuius tenorem haberi volumus pro inserto, plenius continetur.

Extensio d. constitut.

§. 1. Verum quia quod vna via prohibuimus, alia cauillosi debitores præfati consequen. alij capitulum Odoardus, alij beneficium capituli, Peruenit, à prædicta Sede Apostolica impetrantes, quæ beneficia nullatenus expedire curant, in maximum pauperum creditorum damnum, animæ suæ periculum, ac scandalum plurimorum. Talibus igitur inconuenientiis prouidere volentes, dictumque mandatum, etiam ad prædicta beneficia ampliantes, & extendentes, decernimus, & mandamus, quod quicumque aliquod dictorum beneficiorum, scilicet Capitulum Odoardus, & capitulum Peruenit, à nobis, seu Sede Apostolica hactenus impetrauerint, aut in posterum impetrabunt, ex tunc, aut à die impetrationis respectiue infra tres menses, cum potestate prorogandi ad alium mensem, iuxta, & secundum formam dicti prioris mandati causam ipsam omnino expediri facere teneantur. Quibus elapsis, & causa minime expedita iudex ad executionem contra debitores, & bona eorum procedere teneantur, concessiun. obstan. ac aliis quæ in dicto mandato volumus non obstare: minime obstantibus.

PP. subscr.

Placet, & ita Motu proprio mandamus. I.

Publ. Pör. A. 7. d. 22. Iun.

Anno millesimo quingentesimo trigesimo, Indictione tertia, die verò vigesima secũda Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Clementis diuina prouidentia Papæ VII. Anno septimo retroscripta litera publicata fuerint, & affixa in acie Campi Floræ, ac Cancellaria Apostolica, Capitolij, Reuerendiss. PP. DD. Gubernatoris, Auditoris Cameræ, ac Vicarij Vrbis, dimissis coppijs affixis per me Petrum Trastolli Cursorem.

Viuianus de Bella villa magister Cursorum.

Ordinationes obseruandæ per Notarios Reuer. Cameræ Apost. circa adnotationẽ, & extensionem consensuum, de cessionibus iuriũ, & resignationibus beneficiorum Ecclesiasticorum. Necnon circa literas Apost. desuper expediendas, ac mandata per Iudices, eorum consensuum vigore concedenda. XVII.

Edita An. D. 1526. 1530. & 1534.

Iulius II. mãdauit Notarijs Cameræ Apost. vt resignationes vsque tunc factas, adnotarent in authenticis libris.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Clemens diuina prouidentia Papa VII. Prouide attendens infrascriptas constitutiones fel. recor. Iulij II. & Leonis X. Romanorum Pontificum prædecessorum suorum fore rationabiles, ac canonicas, & iustas, per quas primo Iulius accepto per eum, quod tunc Cameræ Apostolicæ Notarij per quandam corruptelam seu abusionem resignationes beneficiorum quæ in Romana Curia in dicta Camera fiebant, ac in ordinariis authenticis libris adnotari, & scribi consueuerant, ne fraus aliqua fieri

bris ipsius Cam. infra octo dies & resignationes fien. adnotarent infra tres dies à die praestiti consensus.

fieri aut excogitari, sed quando opus esset semper de veritate doceri posset, vt plurimum in dictis libris prout consuetum erat non scribebant, sed à tergo supplicationum adnotabant, & postea supplicationes ipsas cum adnotatione resignationum huiusmodi à tergo earum partibus restituebant, nulla retenta copia seu nota, absque eo quod in protocollis vel libris eiusdem Cameræ scriptæ forent, talesque resignationes per interuallum plurium mensium parte instante absconsæ, & secretæ existebant, quo fiebat vt cum in dictis libris dum de resignationum admissionibus huiusmodi tractaretur, veritas reperiri non posset, essetque in potestate partium, in fraudem & deceptionem impetrantium ad eorum propositum resignationibus sic à tergo adnotatis vel eas celare, vt eis magis expedire videretur, huiusmodi fraudibus occurrere volens eisdem Notariis, & eorum cuilibet sub excommunicationis latæ sententiæ pœna mandauerat, vt resignationes dictorum beneficiorum tunc factas, & admissas, in margine, seu à tergo supplicationum, aut alias aliter, quam in dictis libris adnotatas, etiamsi partibus restitutæ essent, infra terminum octo dierum ex tunc proxime futurorum in libris authenticis eiusdem Cameræ scripsisse deberent, resignationes verò quas ex tunc in posterum admitti, & fieri contingeret, sub simili pœna infra tres dies computandos à die præstiti consensus super supplicationibus singulis adnotari deberent, nec ex tunc de cætero liceret eis in margine supplicationum dictas resignationes scribere vel adnotare nisi prius in literis authenticis adnotatæ fuissent, ac ex tunc resignationes aliter factæ nullius momenti fore, nec alicui suffragari debere, beneficiaque aliter resignata quamvis resignantes tunc mortui essent, non per resignationem, sed per obitum vacare decreuerat.

Leo X. confirmauit dictam const. Iul. II. addens, diem data supplicationis per eosdem Notarios in illis adnotationibus poni debere.

§. 1. Et deinde Leo prædecessor præfatus, etiam per eum accepto, quod præfati dictæ Cameræ, ac etiam Cancellariæ Apostolicæ notarij, plura loca seu folia in libris talium resignationum in albo dimittebant, vt postmodũ diem qua resignationes à tergo supplicationum adnotatæ fuerant scribere possent, & per hoc occasio præbebatur, vt alia fraus committeretur, quoniam litigantes vel eorum procuratores, qui consensum resignationis seu concessionis post signaturam supplicationis, vigore cuius facienda erat resignatio vel cessio, præstare debebant consensum per eos huiusmodi cessione præstandum ad eorum beneplacitum, & iuxta euentum litis in fraudem collitigantium præstare, aut in dictis libris adnotari facere differebant, cum consensus super huiusmodi resignationibus seu cessionibus retrotraheretur ad diem datæ supplicationis, & ex die datæ supplicationis cessiones ipsæ factæ censerentur, quo fiebat vt lites ipsæ fierent immortales, ac collitigantes & alij impetrantes supplantarentur, cum esset in potestate illorum, in quorum fauorem huiusmodi resignationes seu cessiones fiebant, sententias latas retractari, & annullari facere detegendo supplicationes & cessiones, ac resignationes præcedentes illarum vigore factas, præmissas, omnésque alias fraudes quantum potuit extirpare volens, ac resignationes, & cessiones sic dolose eatenus factas, & ex tunc in antea faciendas irritans, ac irritas, & inanes decernens, mandatum Iulij prædecessoris huiusmodi Motu proprio approbauerat, & nihilominus dictis Notariis sub dicta latæ sententiæ pœna mandauerat, quod ex tunc de cętero omnes resignationes, & cessiones quas per eos admitti, seu coram eos fieri contingeret, infra tres dies à die præfati consensus computandos super supplicatione cessionis seu resignationis signata in libris præfatis authentice, & legaliter adnotare, ac solemniter apponere tenerentur omni prorsus exceptione cessante, ita quod ex tunc de cætero nulli ex eis liceret, in margine vel à tergo supplicationibus siue procurationum dictas resignationes, aut cessiones, scribere vel adnotare, nisi prius in dictis libris authenticis adnotatæ forent. Et in adnotationibus huiusmodi fiendis, voluerat diem datæ supplicationis, cuius vigore talis resignatio vel cessio facienda erat, poni & adnotari, & tempus trium dierum prædictorum præfixum à die præstiti consensus computari debere, ac ex tunc resignationes, & cessiones aliter factas, nullius roboris vel momenti fore, nec alicui suffragari debere, beneficiaque aliter resignata, non per resignationem sed per obitum, vt præfertur vacare, sicque iudicari debere, ac irritum si secus contingeret fieri decreuerat.

Et postea declarauit vt hic.

§. 2. Itemque Leo prædecessor cum postmodum accepisset, quod nonnulli dictorum mandatorum contemptores nixi fuerant, & nitebantur per vias varias illorum dispositionem cauillari, illa de consensibus dumtaxat à tergo supplicationum seu mandatorum procurationum, non autem in aliis locis descriptis, vel mente retentis, & gestis intelligi debere, aliis verò aliter, & aliter interpretantibus, volens suum, & Iulij prædecessoris mandatum huiusmodi semotis quibusvis cauillationibus effectum sortiri, Motu simili declarauerat illam ex tunc inantea intelligi debere de omnibus, & singulis consensibus, in quacumque cessione, & resignatione, ac vnionum dissolutione, ac alia actione pro expeditione literarum Apostolicarum necessariis, siue à tergo supplicationum & mandatorum procurationum siue alibi scriptis, aut etiam aliter vigore supplicationum pro tempore signatarum quomodolibet, etiam tacite præstitis vel mente retentis, qui in libris prædictis infra tempora prædicta respectiue in posterum non adnotarentur, ac voluerat, & decreuerat, Hodie, quod in literis resignationum, & concessionum, ac dissolutionum, vnionum, ac alias in quibus consensus requiritur apponi solitum, nullum effectum de cætero operari, nec attendi debere, vbi non esset seruata solemnitas prædicta adnotandi, consensum infra triduum, modo, & forma prædictis, ac quod consensus in dictis libris vltra tres dies adnotari ante illos, de quibus ageretur facerent sufficientem probationem, de, & super eo quod dicti consensus de quibus ageretur post tres dies prædictos in dictis libris pro tempore positi fuissent, & essent, nec ad id alterius probationis adminiculum requireretur nisi contrarium ex aduerso probaretur. Et sic per Palatij Apostolici causarum Auditores, ac dictæ Cameræ Præsidentes, & Clericos, ac alios quoscumque Iudices etiam S.R.E. Cardinales iudicari debere, ac irritum, & inane, si secus super iis contingeret attentari.

Pont. iste, dictas const. Iul. II. & Leo. X. innouat & approbat & illas declarat.

§. 3. Constitutiones, & mandatum Iulij, & Leonis prædecessorum huiusmodi, ad quorum probationem illorum narratiuam prædictam, in iudicio, & extra illud sufficere voluit, per præsentem suam constitutionem approbauit, & innouauit, ac perpetuo inconcusse, & inuiolabiliter pro lege obseruari, & secundum illa de cætero iudicari mandauit, saluo quod ne quis in futurum de breuitate termini ad adnotandum dictos consensus in dictis constitutionibus, & mandatis Iulij & Leonis prædecessorum appositi conqueri possit, voluit quod in materiis Franciæ pro absentibus à Romana Curia ad consulendum commoditati sollicitatorum, qui nonnunquam in illarum expeditione coguntur partibus rescribere, & responsum ab eis spectare, habeant Notarij ad adnotandos consensus de cætero præstandos tres menses: in aliis verò quindecim dies à die præstationis eorundem consensuum computandos, consensus autem hactenus præstitus in materiis Franciæ pro absentibus infra duos menses, aliis verò infra decem dies post publicationẽ præsentis constitutionis nostræ præmissæ adnotare, teneantur ipsique Notarij qui præsentem constitutionem in aliquo obseruare contempserint, vltra dictam excommunicationis sententiam pro prima vice suspensionis à perceptione emolumentorum officiorum suorum ad tres menses per Datarium pro tempore existentem irremissibiliter exigendorum & fabricæ S. Petri de Vrbe applicandorum, & si secundario deliquerint, ipsorum officiorum priuationis pœnas incurrant eo ipso.

Publicari iubet.

§. 4. Insuper mandauit eandem constitutionem in Cancellaria Apostolica publicari, & in illius quinterno ad perpetuam rei memoriam describi, & eodem quinterno cuicumque petenti dari, vt in aliis constitutionibus extrauagantibus in ipso quinterno descriptis solitum est obseruari.

Decretum irritans.

§. 5. Decernens irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Placet, publicetur, & describatur. I.

PP. subsc.

Lecta,

Publ. Pontif. A.3. die 30. Ianuarij.

Lecta, & publicata fuit suprascripta constitutio Romæ in Cãcellaria Apost. anno Incarnationis Dominicæ 1526. die vero trigesima mensis Ianuarij, Pontificatus præfati S.D.N. Papæ Anno tertio.

Sequitur alia constitutio præcedenti connexa.

Edita An. D. 1530.

SAnctissimus in CHRISTO Pater, & Dominus noster Dominus Clemens diuina prouidentia Papa VII. Qui dudum postquam fœl. rec. Iulius Papa II. eius prædecessor, accepto per eũ quod tunc Cameræ Apostolicæ Notarij per quandam corruptelã seu abusionem resignationis beneficiorũ, quę in Romana Curia in dicta Camera fiebãt.

Omittitur sequens tenor quia habes in præced. const.

Hic idẽ Pont. deinde ex causis hic expressis, præcipit.

§. 1. Et cui postmodum innotuit, quod dicti Notarij consensus prædictos, iuxta prædecessorum, & Sanctitatis suæ constitutiones, & mandata huiusmodi adnotare prætermittentes, seu ex aliqua causa nequeuntes, instrumenta resignationum, & cessionum de quibus rogati fuerunt, tanquam coram eis, & testibus factarum partibus indifferenter dant, quorum vigore illis exhibitis literæ Apostolicæ, super resignationibus seu cessionibus ipsis illas admitti, mandando, aut etiam admittendo, absque eo quod Notarij prædicti manum à tergo ipsarum literarum apponant, tam per Cancellariam, quam Cameram Apostolicam iuxta illarum stylum expediuntur, ac quod nonnulli Iudices dictæ Curiæ transumpta supplicationum, prouisionum, beneficiorum, & aliarum gratiarum per Sanctitatem suam, & in eius præsentia signatarum & registratarum, ac etiam earundem supplicationum prætextu, literas, & mandata de adipiscenda possessione beneficiorum in illis expressorum antequam literæ Apostolicæ desuper expeditæ fuerint, expediant, & concedant, ex quo plura inconuenientia subsequuntur, & diuersæ querelæ ad aures Sanctitatis suæ proferuntur.

Notarij ne dent instrumenta resignationum, &c.

§. 2. Volens etiam huiusmodi abusibus, & inconuenientibus, congruis remediis obuiare, tam Cancellariæ & Cameræ prædictarum, quam aliis quibuscumque Notariis publicis, sub pœnis supradictis mandauit, ne de cætero instrumenta resignationum, seu cessionum beneficiorũ in dicta Curia, etiam sine supplicatione pro tẽpore factarum seu præstitorum in illis consensuum traderet.

Præsidentibus Cancellar. & Cameræ ne vigore illorum instrumentorum literas Apostol. expediant.

§. 3. Necnon tam per Cancellariam, quam per Cameram prædictas expediendarum, præsidentibus, ne prętextu dictorum instrumentorum literas Apostolicas super resignationibus, & cessionibus prædictis, cum mandato eas admittendis, constito quod illæ coram Notario, & testibus in dicta Curia factæ fuerunt, vel etiam cum earum admissione dicendo quod de illis per publica documenta extitit legitime facta fides, expedire.

Et iudicibus ne dent mandata capiendi possessionẽ beneficiorum.

§. 4. Necnon quibusvis Iudicibus dictæ Curiæ quavis ordinaria, vel delegata auctoritate fungentibus, & quocumque nomine nuncupatis, sub eisdem pœnis ne transumpta supplicationum Apostolicarum, & literas seu mandata illarum vigore possessionem beneficiorum Ecclesiasticorum apprehendendi, dare, & concedere quomodolibet præsumant, decernimus irritum, &c.

Papa subscr.

Placet, publicetur, & describatur in Cancellaria. I.

Publ. Põt. A. 7. die 22. Sept.

Lecta, & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo, die vigesimasecunda mensis Septembris, Pontificatus S.D.N. Clementis diuina prouidentia Pap. VII. anno septimo.

Sequitur alia declaratio præced. constitutionis.

Edita An. D. 1534.

SAnctissimus in CHRISTO Pater, & Dominus noster Dominus Clemens diuina prouidentia Papa VII. Constitutionem suam de consensibus in Cancellaria, vel Camera Apostolica ex tunc de cætero præstandis quoad materias Franciæ infra tres menses, in aliis verò infra quindecim dies à die extensionis eorundem consensuum computandos in libris solitis, & authenticis adnotandos, ad obuiandum fraudibus quæ in retardatione annotationis consensuum huiusmodi committebantur, nuper editam declarando.

Summa const. præins.

Declaratio temporis præfixi Notarijs adnotandi consensus.

§. 1. Voluit quod dicta tempora non à die extensionis consensuum in dictis libris cum ipsa constitutio sic nihil operaretur, nec per eam dictis fraudibus in aliquo obuiaretur, sed à die præstationis eorundem consensuum intelligi debeant. Et quoniam nonnunquam præstantur consensus super supplicationibus nondum ad registrum missis seu adhuc penes Datarium suum existentibus, & Notarij non possunt tales consensus in dictis libris adnotare, nisi videant huiusmodi supplicationes registratas, seu expeditas, & sæpe labuntur dicta tempora antequam ipsæ supplicationes ad registrum mittantur seu expediantur, voluit, & declarauit quod tunc, & eo casu dicta tempora à die quo Datarius huiusmodi supplicationes, ad registrum vel Summistam miserit, computari debeant. Diem autem missionis huiusmodi de cætero adnotabit Datarius pro tempore in calce supplicationum consensuum aliquem requirentium per hæc verba, videlicet. Missa die tali. N. Datarius, quæ verba voluit ad plenam probationem missionis prædictæ sufficere.

Declaratio quod Notarij notent etiam datam missionis & datam supplicationis.

§. 2. Præterea voluit, quod Notarij de talibus consensibus rogati in adnotatione illarum in dictis libris facienda teneantur de die missionis huiusmodi, sicut de data supplicationum, expressam mentionem facere, vt die præstationis consensuum, & die missionis supplicationũ huiusmodi simul iunctis ex illorum inspectione euidenter appareant ipsi consensus infra tempora prædicta in dictis libris adnotati, & Notarij requisiti de cætero ad ponendum aliquos consensus in libris prædictis, si ex inspectione dierum præstationis consensuum, ac missionis supplicationum viderint dicta tempora ad adnotandum consensus, vt præfertur, præfixa esse lapsa, consensus tales in dictis libris adnotare nullatenus præsumant sub pœnis in dicta priori constitutione contentis. Et nihilominus adnotatio de illis sic extra tempora prædicta pro tempore facta, ipsique consensus sic adnotati viribus omnino careant, nulliusque sint roboris, vel momenti. Narratiua quoque per verbum, Hodie, vel Nuper, in literis Apostolicis super materiis ad quarum expeditionis consensus aliquis requiritur pro tempore expeditis posita, cõtra præmissa minime attendi debeat, nec aliquẽ effectũ operetur.

Declaratio consensuum non adnotatorum propter impedimenta discessus ipsius Pontif. ab Vrbe.

§. 3. Insuper intelligens Sanctitas sua in profectione sua versus Massiliam, & durante Sanctitatis suæ ab Vrbe absentia, ac per aliquos dies, ante, & postquam plures consensus fuisse præstitos, qui propter varia impedimenta infra dicta tempora iuxta dictam constitutionem in libris prædictis adnotari non potuerunt, ad consulendum indemnitati partium, dat & concedit Notariis Cancellariæ, & Cameræ prædictis, licentiam, & facultatem, quod omnes consensus à die recessus Sanctitatis suæ ab Vrbe versus Massiliam vsque ad eius in Vrbe felicem reditum, videlicet à die nona Septembris vsque ad diem decimam Decembris 1533. ac per quindecim dies ante recessum, & alios quindecim dies post reditum huiusmodi præstiti in libris prædictis pro absentibus infra tres menses, & pro præsentibus infra quindecim dies à die publicationis præsentis constitutionis computandos adnotare possint, & valeant. Necnon consensus huiusmodi sic adnotandos, ac etiam de mandato Sanctitatis suæ, vel Datarij sui iam adnotatos, in omnibus valere, & validos esse, perinde ac si infra tempora dictæ prioris constitutionis in eisdem libris adnotati fuissent.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes sic per quoscumque Iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes in quibusvis causis, motis, & mouendis, & etiam per appellationem adhuc pendentibus, interpretari, ac iudicare debere. Ac irritum, &c. si secus fiat. Constitutione prædicta cum pœnis in ea in dictis alias in suo robore permanentibus.

Papa subscr.

Placet, publicetur, & describatur.

Pub. P. A. 11. die 4. April.

Lecta, & publicata fuit die Martis 14. Aprilis 1534. Pont. S. D. N. Anno vndecimo.

XVIII

De dispensatione Fratrum Militiæ de Calatraua Ordinis Cisterciensis, circa ordinationes quibus cauetur, quod ipsi non nudi, & cincti dormiant, & tam diurnis, quam nocturnis horis, diuina officia recitent.

De

De hac Militia, alias posui const. indicatas sup. in const. 1. Adrian. VI. Dum intra.

Edita An. D. 1526.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

APostolicæ Sedis consueta clementia, lapsis ad eam post excessum cum humilitate recurrentibus personis, sub suaui præsertim sacræ Religionis Militiæ de Calatraua Cistercien. Ordinis, pro fidei Catholicæ exaltatione institutæ, militantibus, libenter se propitiam, & benignam exhibere, & dum id humiliter petierint, suæ pietatis gremium aperire, illosque gratioso fauore prosequi consueuit, quos ad id alias propria virtutum merita multipliciter recommendant.

Fratres, & Milites de Calatraua ex ordinationibus Militia nudi, & cincti dormire, & non solum de die, sed etiam de nocte officia diuina recitare tenentur.

§. 1. Sane charissimus in CHRISTO filius noster Carolus Romanorum Rex Illustris in Imperatorem electus, qui etiam Castellæ, Legionis, Aragonum, & vtriusque Siciliæ Rex, ac dictæ Militiæ per Sedem Apostolicam deputatus perpetuus Administrator existit, suo & dictorum filiorum, Capituli, & vniuersorum Definitorum nuncupatorum, ac aliorum Priorum, Præceptorum, Fratrum, & Militum eiusdem Militiæ nominibus, per dilectum filium Ramirum Nunnez de Aguilera, Præceptorem domus de Mestanca, Militiæ, & Ordinis prædictorum, Toletanæ diœcesis, Nuntium suum super hoc ad nos destinatum, nobis nuper exponi fecit, quod licet in modo viuendi institutionibus regularibus, statutis, & consuetudinibus dictæ Militiæ, ac eis traditis, etiam forsan iuramento, confirmatione Apostolica, aut alia firmitate roboratis, inter alia cauere dicatur expresse, quod Priores, Præceptores, Fratres, Milites, & personæ Militiæ huiusmodi pro tempore existentes, vestiti, & cincti dormire, ac nonnulla Psalteria, Psalmos, Orationes, & alia officia diuina annuatim, & dietim, ac nocturnis temporibus, & horis diuersis, dicere, & recitare, & alia tunc expressa facere teneantur, & illa negligentes excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aut alias sententias, censuras, & pœnas incurrant.

Sed dicta constitutiones obseruata non fuerunt.

§. 2. Tamen à multis annis citra, illa in eadem Militia, quoad dormiendum vestitos, & cinctos, ac quoad debitum modum dicendi officium negligenter fecerunt, ac multi illa, non in totum, vel modo, aut temporibus debitis dixerunt, & recitarunt, ac nudi, & sine cingulo dormierunt, & in omnibus aliis obseruandis negligentes fuerunt.

Carolus Rex administrator d. Militia de eiusmodi illorum culpis absolutionem petit.

§. 3. Quare pro parte eiusdem Caroli Regis, in Imperatorem electi, & Administratoris asserentis, nonnullos, ex eisdem Prioribus, Præceptoribus, Militibus, & Fratribus, ac personis, ob securitatem eorum & aliorum suorum confratrum, & personarum conscientiarum, à præmissis negligentiis, & culpis absolui desiderare, eisdem nominibus nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Et hic Pont. petitam absolutionem concedit.

§. 4. Nos igitur attendentes, quod præfatæ Sedis exuberans clementia cum humilitate petentibus suæ pietatis gremium aperire non denegat, quique hodie, & alias per diuersas nostras literas, Horas, & Officium, ac Psalmos huiusmodi, in alias orationes, & versus tunc expressos, eisdem Prioribus, Præceptoribus, Militibus, Fratribus, & personis commutauimus, & circa modum viuendi, ac quod nudi, & sine cingulo dormirent, & aliqua alia tunc expressa, eis concessimus, & indulsimus prout in eisdem literis plenius continetur, Capitulum, Definitores, & alios Priores, Præceptores, Fratres, & Milites, & personas prædictas, ac eorum singulos, à quibusvis aliis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, omnes, & singulos Priores, Præceptores, Fratres, Milites, & personas Militiæ huiusmodi, à negligentiis, & culpis prædictis absoluimus, ac illis, vt aliquam eleemosynam, ad arbitrium dilecti filij Prioris Conuentus Militiæ huiusmodi, seu eius Vices gerentis, pro pœnitentia salutari, quam pro præmissis facere deberent, omnino erogare procurent, mandamus.

Priorique d. Militia in quolibet Capitulo simili absolutionem dandi facultatem tribuit.

§. 5. Ac quod deinceps perpetuis futuris temporibus quoties Capitulum generale dictæ Militiæ celebrabitur in principio ipsius Capituli pro tempore existens Prior conuentus Militiæ huiusmodi, seu eius Vicemgerentes, omnes, & singulos Priores, Præceptores, Milites, Fratres, & personas dictæ Militiæ in eodem Capitulo pro tempore interessentes, à quibusvis similibus culpis, transgressionibus, omissionibus, vel negligentiis, ac quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac rel quis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa in eus latis, inflictis, & promulgatis, aliisque eorum peccatis, delictis, criminibus, & excessibus quibuscumque quantumcumque grauibus, & enormibus, dummodo talia non fuerint, propter quæ dicta Sedes foret merito consulenda, absoluere, ac eis pro præmissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac cum eis, & eorum singulis super irregularitate per eos quovis modo, & qualitercumque contracta, & contrahenda dispensare, libere, & licite valeat statuimus, & ordinamus, plenamque & liberam ad id eidem pro tempore existenti Priori, & eius Vicemgerenti, licentiam, & facultatem concedimus.

Quibuscumque non obstantib.

§. 6. Non obstantibus præmissis, & Apostolicis, ac in prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus ac aliis Militiæ, & Ordinis prædictorum etiam similiter roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiisque, indultis, & literis Apostolicis illis concessis, confirmatis, approbatis, & etiam pluries innouatis, cæterisque contrariis, quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 3. die 17 Mart.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1526. 17. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno tertio.

Quod Syndici, & Procuratores Fratrum Minorum Ordinis S Francisci de Obseruantia, & Monialium S. Claræ, cum eorum coniugibus, atque filiis, domibus, & Monasteriis eorum seruientes, gaudeant omnibus gratiis, & fauoribus, ac priuilegio fori, quibus ipsi Fratres potiuntur, & gaudent. XIX.

Horum Syndicorum auctoritatem, explicat Paul. IV. inf. in eius const. 1. Ex clementi, vbi videas.

Edita An. D. 1526.

CLEMENS PAPA VII. *Dilecti filii, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Causa constitutionis.

DVm consideramus assiduos labores, & vigilias, quos dilecti Filij Syndici, & Procuratores domorum, & Monasteriorum Fratrum Minorum S. Francisci regularis Obseruantiæ, & Monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis, & Annuntiationis, Ordinum, & Sororum tertiæ regulæ S. Francisci, sustinere non cessant, merito nos obligant, vt animarum suarum saluti consulamus, ipsosque à quibusvis molestiis, & iniuriis, sibi pro tempore illatis, quantum cum Deo possumus releuemus.

Syndici & Procuratores Fratrum Minorum de Obseruantia potiuntur cum eorũ filiys, & vxoribus, priuilegiis ipsorum Fratrũ.

§. 1. Idcirco vni syndico, & procuratori huiusmodi cum illius vxore, & liberis, præsenti & futuro singulæ domui, & Monasterio prædictis, pro tẽpore seruientibus, quod de cætero perpetuis futuris tẽporibus, ipsi, & eorum quilibet, omnibus, & singulis Indulgentiis & peccatorum remissionibus, fauoribus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis Obseruantiæ prædictorum, vtuntur, potiuntur, & gaudent seu vti, potiri, & gaudere poterunt. quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere possint, & valeant.

Et signanter priuilegio fori.

§. 2. Et insuper in quibusvis causis, & rebus ipsos syndicum, & procuratorem concernẽtibus ciuilibus, criminalibus, & mixtis, nonnisi coram Iudicibus conseruatoribus domorum illarum, quarum ipse syndicus, & procurator fuerit, de iustitia respondere teneatur, auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus.

§. 3. Iulii

Inhibitio qua prohibetur cæteris aliis Iudicib. quam Ordinis Conseruatoribus, cognitio huiusmodi causarum.

§. 3. Inhibendo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna vniuersis, & singulis Iudicibus, Commissariis, Ecclesiasticis & sæcularibus, quacumque auctoritate fungentibus, ne de causis, contra dictos syndicos, & procuratores, motis, & mouendis, directè vel indirectè, quovis quæsito colore, seu prætextu, se intromittere quomodolibet de cætero audeant vel præsumant. Decernentes quoscumque processus, contra dictos syndicos & procuratores, per alios quam dictos Conseruatores, in causis dumtaxat contra eos motis, & mouendis habendos, & sententias ferendas, nullos, & inualidos, nulliusque roboris vel momenti fuisse, & esse, ac irritum, & inane, si secus super his, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obstan.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorũ huius bulla.

§. 5. Volumus autem, quod præsentium transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Episcopi, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud adhibeantur, quæ adhiberetur si præsentes originales literæ essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 3. die 18 Apr.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Aprilis, millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Pontificatus nostri Anno 3.

XX. Procuratori Reuer. Cameræ Apost. assignatur vigesima portio omnium pœnarum, quæ ex causis criminalibus aut ab eis procedentibus, ad eandem Cameram, ipso, vel eius substitutis procurantibus peruenient.

De munere procuratoris Fiscalis, cæterisque causas Fiscales concernentibus, vide sup. in const. 4. Innoc. VIII. Cum sicut, & inf. in const. 24. Pauli III. Cum sicut, & const. 55. Pij IV. Romanus, & alia const 58. Cum ab ipso, ac in aliis bullis ibidem citatis in apostillis. Et circa modum percipiendi d. vigesimam, habes inf. bullam 5. Clem. VIII. Inter cæteras. Et hinc vides, quod constitutio ista quamvis sit personalis, est effecta perpetua, sicut aliæ cæterorum officialium.

Edita An. D. 1526.

CLEMENS EPISCOPVS, &c.
Dilecto filio, &c.

Causa concessionis.

QVoniam nulli debet officium suum esse damnosum, nec labor, fides, & industria alicui damno esse. Idcirco nos, qui de fide, diligentia, labore, & solertia dilecti Filij Benedicti de Valentibus, nostri, & Cameræ Apostolicæ Procuratoris Fiscalis circa huiusmodi procurationis officium, & quæ officium ipsum concernunt, & alia, quæ quotidie eidem peragenda committimus, tam plurimorum fide digna relatione, quam ex facti euidentia & experientia, plenam & veram notitiam habemus, vt valeat in prædictis, & aliis eius virtutibus perseuerare, & de bono in melius procedere, & officium procurationis huiusmodi iuxta ipsius condecentiam, & dignitatem gerere, & exercere.

Assignatio pœnarum de qua in rub.

§. 1. Motu proprio, & ex nostra certa scientia per præsentem statuimus, decernimus, ordinamus, & volumus atque mandamus, quod de omnibus, & singulis pecuniariis pœnis ex causis criminalibus, & prouenientibus ab eis, quas cum effectu, Benedicto procuratore prædicto vel ab eo deputatis, & deputandis substitutis procurantibus, ad Cameram nostram prædictam peruenire contigerit, & quæ hactenus à die suæ electionis peruenerunt, idem Benedictus Procurator ad rationem quinque pro centenario, realiter, & cum effectu consequi debeat, & consequatur.

Iussio earum portionē persoluendi.

§. 2. Mandantes dilectis filiis A. tituli S. Cyriaci in Thermis Presbytero Cardinali, S.R.E. Camerario, ac Præsidentibus & Clericis Cameræ nostræ Apostolicæ, vt prædictam pœnarum partem, eidem Benedicto Procuratori prædicto, absque exceptione, vel mora, realiter cum effectu persoluat, ac per illos ad quos spectat, persolui faciat, & procuret. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Fiat vt petitur. I.

Papa subscr. Sola signatura sufficit.

Et quod præsentium sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, & quod literæ in forma breuis vel aliter, prout eidem Benedicto procuratori videbitur, & placebit, expediri possint & valeant.

Fiat, I.

D. P. A 4 die 27. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, 5. Kal. Decemb. anno 4.

XXI. Approbatio Congregationis Fratrum Minorum Conuentualium de vita Eremitica, nunc Capucinorum, Ordinis Minorum S. Francisci, præfinita delatione habitus & barbæ, gratiisque & priuilegiis eidem attributis.

Isti Minores de vita Eremitica nuncupati, nomen Capucinorum postea sortiti sunt vt videre est in Const. Pauli III. Exponi, vbi ipse nonnulla pro eorum regimine ordinauit. Eisque transitum ad Fratres Minimos S. Francisci de Paula & è contra, prohibuit Pius V. in const. 45. Sedis. Et eisdem Capucinis ad Fratres de Obseruantia, & è conuerso, transitum interdixit Six. V. in sua const. 20. pro ea. Eorumque habitum, seu consimilem cæteris prohibuit post alios Greg. XIV. in const. 11. Beati. Ac ad audiendas sæcularium confessiones, aliquos ex Capucinis in Capitulo generali deputari decreuit Clem. VIII. in const. 82. Alias fel. Et de toto Ordine Franciscano plene notans sup. in const. 5. Honor. 3. Solet.

Adeo quod istis fratribus vt in publicis processionibus vbique locorum propriam Crucē deferre possint concessit Paul. V. in Const. 107. Pastoralis infr. tom. 3. Ac super prohibitione deferendi per alios regulares eorum habitum, vel consimilem, innouauit, Const. enunciatas in præced. rubr. Greg. XV. in Const. 15. Ex iniuncto inf. tom. 4 Qui eisdem indulsit, vt possint recitare officium de communi Confessoris non Pontificis sub ritu semiduplici in die festo S. Conradi, Tertij Ordinis S. Francisci professoris in const. 47. Domini nostri. Quod verò isti fratres vere sint Minores Ordinis S. Francisci, & ex illius vera linea descendant declarauit S. D. N. Vrb. VIII. in const 68. Saluatoris. Et postea eisdem prohibuit transitum ad laxiorem Ordinem sine sedis Apostolicæ licentia, ad Carthusiensem vero sine ministri Generalis licentia in Const. 91. Iniuncti dicto tom. 4.

Edita An. D. 1528.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Ludouico, & Raphaeli de Forosempronien. Ordinis Fratrum Minorum professoribus, Sal. & Apost. bened.

Exordium.

REligionis zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, ac virtutum merita super quibus apud nos fide digno commendamini testimonio, nos inducunt, vt votis vestris, præsertim quæ animarum salutem, & religionis propagationem respiciunt, quantum cum Deo possumus fauorabilem annuamus.

Quidam de Fratribus Minoribus Obseruantiæ ad Consortium Minorũ Conuentualium translati de licentia Prouincialis Marchiæ, Eremiticam vitam sub Regula S. Francisci ducere cœperũt.

§. 1. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos olim feruore seruiendi Altissimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum ingressi, in ea professionem emisistis, per certum tempus permansistis, & deinde de licentia vestri tunc Superioris, iuxta formam literarum Apostolicarum, super vnione, & concordia inter prædictos, & Conuentuales nuncupatos Fratres dicti Ordinis edita confectarum, ad ipsorum Fratrum Conuentualium consortium vos transtulistis, & à tunc Magistro Prouinciali Prouinciæ Marchiæ dictorum Fratrum Conuentualium benigne recepti, ac aliorum Fratrum Conuentualium eiusdem

& licentiam à Sede Apost. habuerunt.

eiusdem Prouinciæ numero, & consortio aggregati fuistis, Et deinde vobis desiderantibus pro animarum vestrarum salute, ac Dei gloria, Eremiticam vitam ducere, & quantum humana patitur fragilitas, regulam B. Francisci obseruare, dictus Magister Prouincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, & à nobis, ac Sede Apostolica quæcumque ad animarum vestrarum salutem, ac Dei gloriam opportuna vobis viderentur, petendi, & impetrandi concessit.

Ac à Cardinale Ordinis protectore idē certis additis conditionibus impetrarunt.

§. 2. Ac etiam dilectus filius noster Andreas tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis, dicti Ordinis Protector, vobis, vt similem impetrationem facere, ita tamen quod vnus ex consortio vestro omnium vestrorum nomine, Magistro Prouinciali, seu Capitulo Prouinciæ dictorum Fratrum Conuentualium in qua habitaretis, singulis annis se præsentare in signum subiectionis teneretur, & ipse Magister (si sibi videretur) semel in anno, & non vltra vos visitare, & si inuenerit vos regulam prædictam non obseruare, ad eam plenius obseruandam, vos admonere, ac debitis modis compellere posset, præter hæc autem nec vos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud vobis iniungere, aut à vobis exigere valeret, sed potius vos tueri, & defendere teneretur vt in pace possetis Altissimo in diuinis famulari, prout in literis patentibus eorundem Cardinalis Protectoris, & Magistri Prouincialis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Idem postea Fratres à Papa d. licentiā opportunamque prouisionem postulaverunt.

§. 3. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis vitam Eremiticam huiusmodi ducendi facultatem concedere, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostol. dignaremur.

§. 4. Nos igitur, qui salutem cupimus animarum, vestrum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, ac literas prædictas, & in eis contenta quæcumque, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, vobis, vt secundum regulam prædictam, vitam Eremiticam ducere.

Habitum cū Caputio concedit

§. 5. Et habitum cum caputio quadrato gestare.

Aliosque recipere.

§. 6. Necnon omnes, tam clericos sæculares & Presbyteros, quam laicos ad vestrum consortium recipere.

Barbam deferre.

§. 7. Ac tam illi quam vos barbam deferre.

Eremitoriaque habere indulget.

§. 8. Et ad Eremitoria, seu loca quæcumque cum consensu Dominorū eorundem locorum vos conferre, & in eis habitare, vitamque austeram, & Eremiticam inibi agere, & in quibuscumque locis mendicare.

Priuilegia & gratias Fratrum Minorū & Monachorum, seu Eremitarum Camald. elargitur.

§. 9. Necnon omnibus, & singulis priuilegiis, indultis, & gratiis Ordini Fratrum Minorum huiusmodi, ac Eremo Camaldulen. B. Romualdi, illiusque Eremitis, in genere vel in specie hactenus concessis, & in posterum concedendis, & quibus ipsi quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt in futurum, vos quoque æque principaliter sicut ipsi vti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeatis, plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus.

Executoresq; deputat.

§. 10. Et nihilominus vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, aliisque in dignitate Ecclesiastica constitutis personis, necnon Canonicis Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum, ipsorumque Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum Vicariis in spiritualibus generalibus discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eorum quilibet, per se, vel alios seu alij, vobis, & vestrum cuilibet, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistat & faciat, vos, & vestrum quemlibet, præmissis, omnibus & singulis pacifice frui, & gaudere, nec permittat vestrum quemlibet, contra tenorem præsentium modo aliquo molestari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascumque de quibus sibi placuerit, censuras, & pœnas, & alia in eis remedia appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Obstantia tollit.

§. 11. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, etiam de vna, & consilio generali de duabus dictis edita, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, ac literis Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem prædictam, etiam per vim generalis legis, ac statuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusvis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, reuocatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis & consistorialiter quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut certa exquisita forma seruanda foret, & in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, illorum etiam tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas ad id seruandas pro indiuiduo seruatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

Datum Viterbij Anno Incarnationis Dominicæ 1528. quinto Non. Iulij Pont. nostri Anno 5. *Dat. P. An 5. die 3. Iulij.*

Communitates Ciuitatis Brixiensis de exacta pro Lutheranæ hæresis extirpatione protinus adhibita diligentia laudatur. Amplaque iurisdictio Episcopo, & Inquisitoribus datur, contra perfidum eiusmodi hæreticorum eorumque complicum genus procedendi. XXII.

CLEMENS PAPA VII.

Venerabili fratri Paulo Zana Episcopo Brixiensi, & dilecto filio Inquisitori hæreticæ prauitatis in Ciuitate Brixien. & eorum alteri, Sal. & Apost. bened. *Edita A. D. 1528.*

Commendat hic Pōt. Communitatē Brixiæ de exacta diligentia pro depulsione, & extirpatione Lutheranæ hæresis adhibita.

§. 1. PLacuit intelligere, quod non solum fraternitas tua, seu eius dilecti filij Communitas istius Ciuitatis Brixien. nolentes negligentia aut desidia eorum amittere illud optimum nomen eis à parentibus, & antecessoribus suis relictum, omni diligentia curarint, ne hæreses his temporibus de nouo pullulare possint, sed omnibus remedia adhibuerint, vt si quæ sint in ipsa Ciuitate extirpentur: & propterea cum ad ipsorum Communitatis notitiam peruenisset, nonnullos in ipsa Ciuitate, suæ famæ, & honoris prodigos, ita nefarios Dei, sanctæque Matris Ecclesiæ rebelles existere, vt non erubescerent Lutheranam doctrinam publicè declarare, & quæ palam non auderent, seorsum secreto docerent, plerosque inducentes à recta semita declinare, ac ob id fortè contra eos ira Dei magis prouocaretur, in publico eorum consilio statuerunt, tres eiusdem Ciuitatis ciues eligi debere, quorum cura, diligentia, & vigilantia, Lutheranæ diabolicæ hæresis à Ciuitate ipsa, eiusque territorio prorsus extirparetur, & eius auctores, & seminatores condigna pœna plecterentur, cum potestate etiam comparendi per procuratorem coram Sede Apostolica, & quibuscumque aliis Iudicibus Ecclesiasticis, & sæcularibus & pro præmissorum executione exponendi ex publico, quascumque pecunias necessarias, quod vt merito ex hoc illi laudari, & plurimum commendari debent, ita etiam vos, prout vestro incumbit officio circa hæreses huiusmodi, in Ciuitate, & diœcesi Brixien. idem facere, prout speramus, & desideramus, omni diligentia curabitis.

Inquisitorib. Iubet hoc idē præstare curare debere.

§. 2. Cupientes igitur errores, & peruersa dogmata in Ciuitate, & diœcesi tuis huiusmodi penitus extirpari, & illorum sectatores debita correctione reprimi, ac debitis pœnis puniri, Vobis, & alteri vestrum etiam cum

à præfatis electis requisiti fueritis, & alter vestrum requisitus fuerit, omnes, & singulas causas huiusmodi hæresum sapientes etiam criminales, tam dicta Lutherana, quam alia, & erronea, ac peruersa doctrina in ciuitate & diœcesi prædictis exortas, & quas, etiam contra quendam Ioannem Baptistam Palauicinum Ordinis Fratrum Carmelitarum, qui verbum Dei in proxima Quadragesima in Ecclesijs Brixien. prædicando publice nonnulla erronea, & à fide Catholica deuiantia prædicauit, adeo quod pias hominum aures plurimum scandalizauit, si in ciuitate seu diœcesi prædictis extiterit, mouere seu exoriri contigerit, cum omnibus, & singulis illi annexis dependentibus, & emergentibus ab eis, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura Iudicij, prout in similibus procedi consueuit, audiatis.

Et procedant appellatione remota, perinde ac si tres sententiæ conformes latæ fuissent.

§. 3. Nos enim vobis vt auditis hinc inde propositis, etiam vsque ad definitiuam sententiam inclusiue sublato quouis diffugij obstaculo, & prout sacri canones volunt, etiam approbatione qualibet remota, decidendi & fine debito terminandi, ac sententias desuper per vos, & alterum vestrum latas, & quibusuis appellationibus etiam ad nos, & Sedem prædictam interpositis, penitus reiectis, perinde ac si tres sententiæ conformes in nostræ Rotæ Auditorio latæ essent, debitæ executioni demandandi.

Cogantque testes recusantes dicere veritatem.

§. 4. Testes autem, qui fuerint nominati, si gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuras Ecclesiasticas appellatione cessante compellendi, veritatis testimonium perhibere.

Citent quoscumque.

§. 5. Ac monitiones, & citationes quaslibet, constito de non tuto accessu, seu quod pro monitionibus, & citationibus huiusmodi faciendis ipsorum monendorum, & citandorum præsentia commode haberi nequiret, & per edicta publica locis publicis affigenda, quæ perinde ipsos arctent ac si eis personaliter intimatæ fuissent, faciendi.

Inquirant contra quoscumque Lutheranæ hæresis reos, eorumque complices, cuiuscumque sint conditionis & præeminentiæ.

§. 6. Ac contra quosque cuiusque status, gradus, ordinis, religionis vel conditionis, seu præeminentiæ fuerint, & quacumque Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant, vel exemptione, ipsius Martini, & aliorum erroneorum dogmatum sectatores, sequaces, fautores, defensoresque ac illis auxilium, consilium, vel fauorem, directè vel indirectè, publice vel occulte præstantes, inquirendi, & procedendi, ac huiusmodi labe, & aliis hæresibus infectos capiendi, & carceribus mancipandi, ac iuxta canonicas sanctiones, & SS Patrum instituta, prout qualitas excessuum exegerit, vel conscientiæ vestræ expedire visum fuerit, puniendi, & pœnis debitis plectendi.

Impœnitentes multis pœnis coerceant.

§. 7. Et ad cor redire nolentes, & dictæ Ecclesiæ communionem, velut putrida membra separatos, & dimissos ac damnationi æternæ cum Satana, & Angelis eius addictos, ac perpetuo infames, ac intestabiles esse, necnon bona eorum quælibet, mobilia, & immobilia quicumque fidelium, libere, & licite inuadere, occupare, & sibi acquirere licere; personas eorum captiuare, & in perpetuam seruitutem addicere, corpora eorum postquam defuncta fuerint sepultura Ecclesiastica carere debere decernendi, denunciandi, & declarandi.

Redeuntes autem ad fidem & hæresim abiurantes, (non tamen relapsos) formatis hic expressis, absoluant, & super irregularitate incursa dispensent.

§. 8. Et qui ad veritatis lumen redire, & huiusmodi hæreses abiurare voluerint, postquam errorem suum deposuerint, idque humiliter petierint, si alias relapsi non fuerint, recepta ab eis prius abiuratione hæresis, & errorum huiusmodi, legitime, & publice facienda, præstandoque per eos iuramento, quod talia, deinceps non committent, nec talia, vel alia his similia committentibus, seu adhærentibus, consilium, auxilium, vel fauorem, per se vel alium seu alios præstabunt, ab omnibus, & singulis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, etiam in literis fel. recordat. Leonis Papæ Decimi prædecessoris nostri contra dictum Martinum editis, contentis quas præmissorum occasione quomodolibet incurrissent, ac ab huiusmodi delictis, excessibus, & criminibus, necnon alia in forma Ecclesiæ consueta absoluendi, & super irregularitate propterea quomodolibet contracta dispensandi omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam siue notam penitus abolendi, eosque rehabilitandi, & ad nostrum, & eiusdem Sedis gremium, necnon gratiam, & benedictionem restituendi, & reponendi.

Cæteraque alia necessaria ad huius hæresis extirpationem faciant, & exequantur.

§. 9. Omniaque & singula alia quæ ad huiusmodi pestem reprimendam, & radicitus extirpandam necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, ordinandi, coercendi, & exequendi, ac auxilium brachij sæcularis, si opus fuerit inuocandi.

Et ad præmissa alios idoneos viros si opportunum fuerit, deputent.

§. 10. Et ad præmissa omnia, & singula, si & quando expedire vobis, & alteri vestrum visum fuerit, viros aptos & idoneos, cum simili, vel limitata potestate subdelegandi, & deputandi, ipsosque quoties opportunum, vobis, & alteri vestrum videbitur reuocandi, ac loco ipsorum alios similiter deputandi, auctoritate Apostolica plenam, & liberam potestatem, auctoritatem, facultatemque concedimus per præsentes.

Non obstantibus quibuscumque.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ idem Leo prædecessor in suis literis voluit non obstare, & quæ pro expressis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque etiamsi in eis essent clausulæ aliquæ derogatoriæ derogatoriarum, & de quibus oporteret fieri specialis, & indiuidua mentio, & de verbo ad verbum. quas pro expressis haberi volumus, & eis derogatum esse censemus & intendimus.

Dat. P. An. 5. die 13 Iulij.

Dat. Viterbij sub annulo Piscatoris, die decima tertia Iulij millesimo quingentesimo vigesimo octauo, Pontificatus nostri Anno quinto.

XXIV. Exemptio Monachorum Eremitarum S. Romualdi Montis Coronæ Ordinis Camaldulensis, sub Regula S. Benedicti, & auctoritas eorum Maioris.

De Ordine tam Monachorum quam Eremitarum Congregationis Camaldulensis plene notaui sup. in const 1. Alexand. II. Nulli. Ab ea tamen seiuncta est hæc Congregatio Eremitarum S. Romualdi, vt latius infra in const. 1. Paul. III. Rationi. vbi habes ipsius priuilegia, & etiam in const. 35. Six. V Ea est.

Romualdus, qui Ordinem Camaldulensem instituit, inter SS. relatus est, & eius festum celebratur die 7. Februarij, vt habetur inf. in constit. Clem. VIII. Pia. inf. tom. 3.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filiis Maiori, & Vniuersis Eremitis S. Romualdi Ordinis Camaldulen. præsentibus, & futuris.

Edita An. D. 1528.

Eremitarum S. Romualdi commendatio.

VEstrum Ordinem in agro dominico speciosum ad salutem animarum in dies vtiliter fructificantem, priuilegiis, & gratiarum donis libenter ornamus, vt quietius, & decentius valeatis altissimo famulari.

Maior illius Congregationis vtatur priuilegijs Abbatum S. Benedicti præterquam in his exceptis.

§. 1. Itaque Maiori vestro, vt quibus Abbates generales vniuersorum Ordinum sub Regula Sancti Benedicti militantium, priuilegiis, immunitatibus, & gratiis vti possunt, vel consueuerunt, vti in perpetuum (citra tamen facultatem vtendi mitra, & baculo, ac aliis Pontificalibus, & benedictionem Populo solemniter impendendi possitis, & valeatis, priuilegiaque ipsis illis concessa, quorum tenores hic habemus pro sufficienter expressis, vobis concessa esse censeantur.

Congregatio eximitur à solutione gabellarum &c.

§. 2. Quodque quemadmodum alij Ordines ab Ecclesia approbati, ita etiam vos, & vester Ordo in perpetuum à quibusuis gabellis, datiis, talliis, collectis, exactionibus datiuis, decimis, & quibusuis impositionibus, ex quauis causa, & consideratione, etiam auctoritate Apostolica, impositis, & imponendis exempti censeamini, salemque pro vsu vestro necessarium, ex quouis loco Sedi Apostolicæ immediate subiecto, ad vestra Eremitoria transferre, libere, & licite possitis, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Prælati omnes hic constitutionis executioni mandant.

§. 3. Quocirca vniuersis, & singulis Archiepiscopis, & Episcopis, ac quorumuis Ordinum Abbatibus per hæc scripta mandamus, vt per se, vel alium, seu alios vobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittant vos contra præsentium tenorem à quouis indebite molestari, contradictores per censuras Ecclesiasticas

cas, & alia iuris opportuna remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contraria non obstent.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictorumque Ordinum, statutis, & priuilegiis, quibus, illorum tenores pro sufficienter expressis babentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expresse ad effectum præsentium derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis fides detur.

§. 5. Volumus autem quod præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P. A. 5. die 27. Iul.

Datum Viterbij, sub annulo piscatoris, die vigesima septima Iulij, millesimo quingentesimo vigesimo octauo, Pontificatus nostri Anno quinto.

XXIV. Cursores Papæ, & Mandatarij illarum Curiarum Vrbis, in quibus causis citare, intimare, &c. valeant.

Confirmationem, & declarationem vid. inf. in Iulij III. const. 14. Cum ea vbi alia notabo.

Edita An. D. 1529 & 1539.

CLEMENS PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alex vi. statuit Cursores tantum citare posse, &c. in causis ordinarijs coram Iudicibus Palatij Apostolici, & in causis omnium Iudicũ commissariorum.

ACcepimus nuper, quod licet dudum, cum à certo tempore præsentationes commissionum causarum in Romana Curia pro tempore vertentium, manu Romani Pontificis, aut de illius mandato signatarum, quæ ex stylo, & consuetudine dictæ Curiæ catenus inuiolabiliter obseruatis, qui pro lege habentur, Auditoribus causarum Palatij Apostolici, aliisque iudicibus, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Episcopis, & Prælatis, quibus dirigebantur, solum per Cursores Romani Pontificis pro tempore existentis præsentati, & citationes in causis ipsis fieri consueuerant, ac citationes ipsæ per alios, quam suos, & Sedis Apostolicæ Cursores fierent, in graue præiudicium nedum ipsorum Cursorum, sed etiam litigantium in Romana Curia abusumque, & peruersionem antiquorum styli, & consuetudinem dictæ Curiæ felic. recordat. Alexander Papa Sextus prædecessor noster, volens fraudibus quæ in similibus quandoque fiebant, ac indemnitati ipsorum Cursorum, & litigantium, obseruationique styli, & consuetudinem ipsius Curiæ prouidere, Motu proprio, & ex certa scientia, auctoritate Apostolica decreuit omnes, & singulas commissiones, manu sua, aut de mandato suo pro tempore signatas, ac omnes, & singulas citationes, coram quibusvis dicti Palatij Apostolici Auditoribus, iudicibus, Commissariis, vel Ordinariis in causis eis commissis, ac etiam intimationes, publicationes, & affixiones quarumcunque literarum in dicta Romana Curia, quas per alios quam per ipsos Cursores ex tunc de cætero præsentari, seu fieri contingeret, & processus illarum vigore habendos, nullius existere roboris, vel momenti, mandans inter alia dictæ Curiæ, & causarum Cameræ Apostolicæ Auditori pro tempore existenti, vt si in præsentandis commissionibus, citationibus, executorialibus, intimidationibus, & affixionibus, & publicationibus, aliter fieri reperiret, citationes, publicationes, intimationes, & affixiones, vel alia ad officium Cursorum prædictorum spectantia præsentari, seu fieri reperiret, excommunicationis, ac pecuniarias, arbitrio ipsius Auditoris declarandas pœnas incurrisse declararet, & ad exactiones pœnarum pecuniariarum, & declarationem censurarum contra inobedientes procederet, ac pro talibus publice denuntiari mandaret, & faceret.

Iul. II. confirmauit bullam Alex vi. Inhibendo Iudicib. Mādatariisque, &c.

§. 1. Ac successiue piæ memoriæ Iulius Papa Secundus similiter prædecessor noster, intelligens quod causæ propter quas decretum, & mandatum prædictæ ab eodem prædecessore emanauerant, adhuc tunc subsistebant, & similes abusus, & fraudes, ac etiam citationes per alios quam per ipsos Cursores in diuersis causis fiebant, stylum, & consuetudinem antiquos Curiæ huiusmodi peruertendo, Motu simili, non ad ipsorum Cursorum, vel alicuius alterius pro eis instantiam, sed de sua mera liberalitate, & ex certa scientia, decretum, & mandatum huiusmodi, auctoritate Apostolica innouauerit, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere decreuerit, & mandauerit, ac districtius inhibuerit omnibus, & singulis causarum dicti Palatij Auditoribus, aliisque Iudicibus, & Commissariis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Senatori, Gubernatori, & Vicario generali Almæ Vrbis, & Curiæ de Sabellis Iudicibus, eorumq; Auditoribus, Collateralibus, seu Locatenẽtibus, & Capitaneis omnibus ordinariis, nec in causis eis commissis, & in quibus eis commissiones fierent, citationes commissionũ, præsentationes executorialium, & alias informationes, ac affixiones, & publicationes per alios quã per ipsos Cursores quovis quæsito colore fieri facerent, siue permitterent, aut præsentatas, & factas reciperent, & admitterent, ac omnibus, & singulis Nuntiis, & quibusvis aliis personis quovis alio nomine nuncupatis, ne commissionum præsentationes, citationes, publicationes, intimationes, & affixiones huiusmodi, vel alia ad officium Cursorum prædictorum spectantia præsentare, seu facere, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso incurrenda quoquo modo præsumerent.

Declarauitq; & ampliauit vt inf.

§. 2. Ac decreuit, & declarauit, omnes, & singulas cõmissiones, per eum, seu de eius mandato signatas, ac etiam omnes, & singulas citationes coram quibus Auditoribus, Iudicibus, Commissariis, etiam Cardinalibus, vel ordinariis, in causis eis commissis pro tempore pendentibus, ac etiam intimationes, publicationes, & affixiones quarumcumque literarum in dicta Curia, quas per alios quam per ipsos Cursores de cætero præsentari, seu fieri contigerit, aut processus illarum vigore habendos, & inde secuta quæcumq; ac quicquid in contrarium, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contingeret, nullius roboris, vel momẽti, ipso iure etiam absq; eo, quod aliter eius dispositionem receptam esse constaret, existeret, & per cõmissarios, etiam S.R.E. Cardinales præfatos, iudicandum, sententiandumque fore, sublata eis aliter, quavis iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate. Necnon mandauerit præfato Auditori, ac pro tempore existenti Almæ Vrbis Gubernatori, vt eisdem Cursoribus super his efficacis defensionis præsidio assistentes, facerent mandatum, inhibitionem, & decretum huiusmodi inuiolabiliter obseruari, contradictores, & inobedientes, censuris, & pœnis; etiam pecuniariis, cõpescendo, prout in literis eorundem Alexandri, & Iulij prædecessorum nostrorũ desuper cõfectis plenius cõtinetur.

Hic modo Pont. prædictas constitutiones approbat cum clausula quatenus in vsu.

Quam successiue ablatis inferius.

§. 3. Nihilominus nonnulli, à quorum oculis Dei timor abscessit & quæ non sua sunt quærentes, in diuersis causis citationes, commissionum præsentationes, publicationes, intimationes, & affixiones, ac subhastationes, & alia ad officium dilectorum filiorum Cursorum nostrorum, tam ex institutione eorum officij, quam iuxta antiquos stylum, & consuetudinem Romanæ Curiæ spectantia, contra decretum, & mandatum Alexandri VI. ac inhibitionem, & declarationem Iulij II. ac etiam contra alia in prædictis literis contenta facere præsumunt in ipsorum graue præiudicium, & officiorum suorum læsionem, ac illorum exercitij vsurpationem non modicam, excommunicationis latæ sententiæ pœnam iuxtam inhibitionem Iulij prædecessoris huiusmodi damnabiliter incurrendo. Quare nos huiusmodi errores, submouere, ac ipsorum Cursorum indemnitati, prout conuenit, prouidere volentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium, decretum, & mandatum Alexandri, ac inhibitionem, & declarationem Iulij prædecessorum, ac eorum literas huiusmodi, necnon in eis contenta quæcumque, ex certa scientia (quatenus tamen sint in vsu) approbamus, & innouamus, ac illa, & eis prorsus similia de nouo decernimus, mandamus, inhi-

bemua, & declaramus, eaque perpetua roboris firmitate subsistere.

Inhibetque officialibus ne Cursores desuper impediant.

§. 4. Et per Auditores, Commissarios etiam Cardinales, Vicarium, Gubernatorem, Senatorem, & alios Iudices, ac eorum Collaterales, Locatenentes, Capitaneos præfatos, necnon omnes, & singulos nuntios, & quasvis alias personas quocumque nomine nuncupatas, prout singulos eorum concernit, sub dictæ excommunicationis latæ sententiæ, & quingentorum ducatorum fabricæ basilicæ principis Apostolorum de Vrbe irremissibiliter applicandorum pœnis, per nuntios, & alios præmissa ad officium Cursorum eios, & non aliis quibuscumque nuntiia spectantia exercentes, eo ipso absque alia declaratione incurrendis firmiter observari debere, iuxta tamen continentiam dictarum literarum Alexandri, & Iulij prædecessorum nostrorum, in quarum possessione dicti Cursores (vt etiam accepimus) existunt.

Deputatio Auditoris Cameræ in executorem.

§. 5. Necnon Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalem Auditorem pro tempore existentem contra eos ad nedum publicationem incursus pœnarum huiusmodi, ac illarum exactionem, sed etiam tanquam falsarios, vigore præsentium, absque alia commissione sibi desuper facienda procedere posse.

Decretum irritans.

§. 6. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, & quicquid secus à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus præmissis, constitutionibus, & ordinationibus Apostol. cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 5. die 16. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 16. Octobris 1528. Pont. nostri anno quinto.

Sequitur declaratio constitutionis præcedentis.

Edita An. D. 1529.

CLEMENS PAPA VII.

Motu proprio, &c.

Exordium.

CVm de Viribus literarum nostrarum præinsertarum, pro eo quod illæ nobis tunc plene non informatis, eisdem Cursoribus concedebantur (Quatenus essent in vsu, aut in dictarum literarum Alexandri, & Iulij prædecessorũ possessione) ab aliquib. in futurũ dubitari posset.

Clausulam prædictam quatenus in vsu, aufert. Prædictaque simpliciter confirmat.

§. 1. Nos igitur, ad quos spectat litium anfractus, & controuersias succidere, dubiaque tollere, de possessione dictorum Cursorum in præmissis vsu, & consuetudine roborata, ex fide, & relatione personarum fide dignarum plene informati, ac de ipsorum Cursorum iure in præmissis omnibus, & singulis veram notitiam habentes, motu simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, decernimus, & declaramus, literas nostras præfatas, cum omnibus, & singulis decretis, declarationibus, inhibitionibus, mandatis, concessionibus, & aliis in eis contentis clausulis, perinde valere, & perpetuæ firmitatis robur obtinere, & Collegio dictorum Cursorum suffragari debere, in omnibus, & per omnia, perinde ac si dicta verba (Quatenus in vsu, aut literarum Alexandri, & Iulij possessione ipsi Cursores essent) non apposita vel expressa fuissent, & ita intentionis nostræ, & voluntatis incommutabilis, fuisse, & esse attestamur. Et nihilominus pro potiori cautela decretum, & mandatum Alexandri, ac inhibitionem, & declarationem Iulij prædecessorum nostrorum, ac eorum literas huiusmodi, necnon in eis contenta quæcumque Apostolica auctoritate, & ex nostra certa scientia, approbamus, & innouamus, ac alia, & ais prorsus similia de nouo concedimus, decernimus, mandamus, inhibemus, & declaramus atque perpetua roboris firmitate subsistere.

Omnes monet ad observantiam huius constitutionis.

§. 2. Et Auditores, Commissarios, etiam Cardinales, Vicarium, Gubernatorem, Camerarium, & Cameræ Apostolicæ Clericos pro tempore existentes, Senatorem, & alios Iudices, & eorum Collaterales, Locatenentes, & Capitaneos præfatos, etiam Turris nouæ, Ripæ, & Ripettæ, necnon omnes, & singulos Nuntios, & quasvis alias personas quocumque nomine nuncupentur, prout singulos eorum concernit, sub excommunicationis, suspensionis, & interdicti latæ sententiæ, & quingentorum ducatorum fabricæ basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe irremissibiliter applicandorum pœnis, per Nuntios, mandatarios, & alios præmissa ad officium Cursorum eis, & non aliis quibuscumque Nuntiis, spectantia, & exercentia eo ipso absque alia declaratione incurrendis firmiter observari debere. Mandantea tam dictis Nuntiis, mandatariis, & officialibus officia sua in quibuscumque Curiis, & coram quibuscumque personis, nullis exceptis, ac in literarum Apostolicarum facien. executione sine affixione, aut citationibus, directe, vel indirecte, quovis quæsito colore, vel ingenio se intromittant, & intromittere tentent, vel procurent.

Gesta in contrarium damnat.

§. 3. Decernentes commissionia præsentationem, ac citationis executionem, intimationem, publicationem, & affixionem, per alios quam dictæ Curiæ Cursores pro tempore faciendas, ac processus illarum vigore habendos, & faciendos, ac nullam fidem, in iudicio, & extra illud adhibendam fuisse, nec adhiberi debere, sed fuisse, & esse nullas, & inualidas, nulliusque roboris, vel momenti, ac pro nullis, & inualidis, ac infectis, & viribus omnino vacuis haberi.

Auditorem Cameræ executorem deputat.

§. 4. Mandantes insuper, & committentes Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, tunc, & pro tempore existenti generali Auditori, quatenus Collegio dictorum Cursorum in præmissis, per se, & eius Locumtenentem efficacis defensionis præsidio assistat, eaque omnia, & singula sub prædictis aliis censuris, & pœnis observari faciat, & contra rebelles, ac inobedientes quoscumque debitæ executioni, etiam summarie, simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta, quacumque appellatione remota, debitæ executioni demandet, & demandari faciat, & exequatur.

Clausulas præservatiuas apponit.

§. 5. Decernentes, quod confirmatio, approbatio, innouatio, decretum, inhibitio, & gratia nostra huiusmodi ex quacumque causa etiam vrgentissima, & de necessitate exprimenda, de subreptionis, aut obreptionis vitio, seu intentionis defectu, notari seu impugnari minime possint, & debeant, & in præmissis omnibus, & singulis sic per quoscumque Iudices, etiam præfatos, in quacumque instantia pronuntiari, &c. Sublata eis, &c. ac irritum, &c. decernentes, & declarantes.

Clausulas derogatorias addit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem mandatariis, etiam per nos, & Sedem prædictam, sub quacumque verborum forma, & expressione, etiam motu proprio, & ex certa sciẽtia, & cum quibuscumque clausulis, etiam vrgentissimis, & de necessitate exprimendis pro tempore concessis, confirmatis, & innouatis, quibus, illarum tenores pro expressis habẽtes, latissime derogamus, & derogatum fuisse, & esse decernimus, & declaramus, cæterisque contrariis quibuscumque sub clausulis opportunis, & consuetis ad ipsorũ libitum.

Fiat motu proprio. I.

Causarum repetitio.

§. 7. Et cum absolutione à censuris ad effectum, &c. ac decreto, & declaratione prædictis, perinde, ac si dicta verba in nostris literis non fuissent expressa, latissime extendentes: & de nobis si opus fuerit, decretis, inhibitione, mandatis, approbatione, innouatione, concessione, ac aliis clausulis supradictis, quæ pro repetitis, habeantur, & de deputatione iudicis deputati, &c. vt supra. Et quod præmissa de subreptionis vitio, aut intentionis defectu, notari seu impugnari non possint, latissime extendan. Et cum derogatione statutorum, priuilegiorum, & indultorum, vt supra, latissime extenden. Et quod præmissorum omnium, & singulorum, & circa præmissa necessariorum, sola signatura sufficiat, & vbique in iudicio, & extra illud fidem faciat, Regula contraria non obstante, seu etiam maior, & verior specificatio, ac expressio fieri possit in literis, quæ per Breue nostrum ad ipsorum libitum expediri debeant. Et remanente eorundem mandatariorum, quoad causas ordinarias exercitio, quoad solitas citationes per eos fieri solitas ac in suis solitis tribunalibus, & quoad eas quibus non proceditur per commissionem primam seu dependentem.

Fiat I.

Datum

Dat. P. An. 5. die 4. Octob. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Quarto nonas Octobris, Anno sexto.

Publicatio. *Die vigesimaseptima mensis Octobris, millesimo quingentesimo vigesimo nono, præsentes literæ affixæ, & præsentatæ fuere in valuis seu portis Audientiæ Palatij Apostolici R. P. D. Almæ Vrbis Gubernatoris, Auditoris Cameræ Apostolicæ, Vicarij Papæ, Audientiæ Capitolinæ valuis Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ, per me Ioannem Serater S. D. N. Papæ Cursorem.*

Petrus Crassetti pro Magistro Curs.

XXV. De Syndicatu Iudicum, & Officialium status Ecclesiastici.

Alia quæ huiusmodi Officiales respiciunt, vide sup. in Paul. II. const. 3. Munera. Et inf. Pij V. const. 140. Et si Romani.

Edita An. D. 1528. CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. ONus pastoralis officij nobis supernæ maiestatis prouidentia, meritis licet imparibus, commissi nos inducit, ac etiam voluntarios excitat, vt non solum circa spiritualia, sed etiam temporalia Romanæ Ecclesiæ, ac illi subiecta, prouincias, ciuitates, terras, & loca, sollicita ac vigilanti cura intendamus, & vt ciuitates, terræ, & loca ipsa, prospere, & feliciter regantur, illorumque populi ab indebitis oppressionibus subleuati in semitis iustitiæ dirigantur, remediis opportunis prouideamus, ac his quæ propterea à Rom. Pontificibus prædecessoribus nostris prouide gesta sunt, vt firmius obseruentur, nostræ approbationis robur impartimur, & aliis desuper disponamus, prout ad felicem eiusdem Ecclesiæ statum, & eorundem populorum indemnitatem, & vtilitatem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Iulius II. ex causis hic expressis. §. 1. Dudum siquidem per fel. rec. Iulium Papam II. prædecessorem nostrum, tam ex diuersis querelis, ac clamoribus populorum, communitatum, vniuersitatum, ac singularum personarum ciuitatum terrarum, & locorum sibi, & dictæ Romanæ Ecclesiæ immediate subiectorum, quam aliorum fide dignis relationibus intellecto, quod nonnulli Gubernatores, & Locatenentes, eis regendis, & gubernandis per ipsum prædecessorem, ac Apostolicæ Sedis Legatos de latere deputati, precibus, pretio, odio, aut amore ducti, eo prætextu confisi, quod administrationum suorum officiorum rationem alicui reddere non erant soliti, diuersa, & varia eis grauamina, & damna etiam intolerabilia inferre, iustitiam administrare vnicuique, vt tenebantur, atrociorum quandoque delictorum impunitatem pro particulari lucro præstare, executiones indebitas facere, carceratorumque innocentium relaxationes prorogare, pœnas pecuniarias Fisco suo debitas sibi appropriare, & in proprios vsus conuertere, statutorumque rationabilium, & constitutionum prouincialium, & Cameralium, literarumque Apostolicarum formam, & tenorem non seruare, ac propriis commoditatibus intenti, subditorum quieti, ac paci, & iustitiæ administrationi modicum studere consueuisse in eorum animarum periculum, dictorumque subditorum grauamen, & præiudicium perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum.

Decreuit omnes officiales finito officio, coram Pontifice syndicatui se subiacere, & pro eis, & eorum Auditoribus, deputatis & familia rationem reddere debere. §. 2. Dictus prædecessor motu proprio, & ex certa eius deliberatione, sua in perpetuum valitura constitutione statuit & ordinauit, vt omnes & singuli gubernatores, ac eorum, seu Legatorum præfatorum Locatenentes, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, aut quavis alia, Ecclesiastica seu sæculari dignitate fungentes qui nunc, & pro tempore, perpetuis futuris temporibus prouincias ciuitates, terras, & loca, quæcumque & qualiacumque essent, nulla penitus exceptione habita præfatæ Rom. Ecclesiæ immediate subiecta ex deputatione ipsius prædecessoris, vel Legatorum, aut Gubernatorum huiusmodi pro eo, & Romana Ecclesia præfata regebant, gubernabant, & administrabant, seu regerent, gubernarent, & administrarent quavis grandi, & latissima potestate, arbitrio, & auctoritate muniti, etiam si eorum literis caueretur expresse, quod ad aliquam redditionem rationis administrationum suarum non tenerentur, nec cogi possent post finem cuiuslibet officij, & administrationis eorum infra mensem conspectui ipsius prædecessoris, aut Romani Pontificis successoris sui pro tempore existentis, seu si ab ipsis Legatis deputati, & pro tempore finiti eorum officij, Legati præfati in locis ipsarum legationum præsentes forent, coram ipsis Legatis se personaliter præsentare, ac gestorum administratorum, & omissorum, tam per eos, quam eorum Auditores, & alios officiales, deputatos, & familiam rationem reddere, querelisque & accusationibus contra eos propositis, coram eo, vel successoribus suis, vel per eos, aut ab eis deputandis, seu Legatis prædictis respectiue, de gestis, seu omissis in eorum officiis respondere, ibique per dies duodecim continuos, postquam per ipsum Iulium prædecessorem, vel successores præfatos, seu dictos Legatos, etiam respectiue examen redditionis rationis huiusmodi inceptum, seu commissum fuerit permanere, nec etiam post inde, siue sua, aut successorum prædictorum, vel ab eodem prædecessore & successoribus huiusmodi deputatorum, aut Legatorum præfatorum similiter respectiue expressa licentia reddere.

Officialibusque in syndicatu condemnatis appellare prohibuit. Quod declaratur mox infra. §. 3. Necnon de eo, in quo per prædecessorem, & successores suos, aut ab eodem prædecessore, vel eis deputatos, seu Legatos huiusmodi condemnati forent, statim omni dilatione, protelatione, & malitia, ac excusatione, appellationibusque quibuscumque cessantibus, satisfacere, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac perditionis emolumentorum eis ratione dictorum officiorum debitorum, & inhabilitatis ad quæcumque alia officia in posterum exercenda pœnis tenerentur.

Illosque antequam incipiant exercere officia iussit iurare, & cauere debere de seruando præmissa. De quo vide etiam mox infra. §. 4. Et nihilominus suis & successorum prædictorum Secretariis, vt literas Apostolicas sub plumbo, aut in forma Breuis, Cancellariis vero & aliis ab ipsis Legatis deputatis, tunc & pro tempore existentibus, ne literas patentes officiorum Gubernatorum, seu Locatenentium respectiue traderent, ipsique Gubernatores, Locatenentes officia huiusmodi exercere auderent, nisi prius in Camera Apostolica, aut si ab ipsis Legatis deputarentur, in eorum Cancellaria de præmissa omnia & singula obseruando iurassent, & idoneam cautionem dedissent.

Salariorumque Officialibus debitorum in fine officij mandauit retinere tertiam partem vsque ad finem syndicatus. Hoc non seruatur. §. 5. Necnon omnibus, & singulis Thesaurariis, Camerariis, Communitatibus, & vniuersitatibus, & aliis ad quos spectabat, & spectaret, prouinciarum, ciuitatum, terrarum & locorum dictæ Ecclesiæ immediate subiectorum, tunc, & pro tempore existentibus, ne eisdem Gubernatoribus, seu Locatenentibus de tertia parte eorum salarij, seu prouisionis in fine officij eis debita responderent, sed illam retinerent, donec eis, quod absoluti forent, legitime constaret, sub eadem excommunicationis pœna mandauit.

Proclama etiam tempore syndicatus fieri præcepit, vt grauati querelas proponere possint. §. 6. Ac voluit quod magistratus digniores quocumque nomine nuncuparentur, ciuitatum, terrarum, & locorum prædictorum statim functo officio Gubernatorum, seu Locatenentium huiusmodi, per publicum proclama omnibus & singulis, querelas seu accusationes, contra Gubernatores, aut Locatenentes exponere volentibus, vt ad ipsum prædecessorem, vel ad ipsos Legatos, si Gubernatores, seu Locatenentes ab eis deputati forent, ipsique Legati in locis suarum legationum præsentes essent, infra mensem prædictum cum eorum probationibus & iuribus accederent, recepturi infra duodecim dies iustitiæ complementum, per publicum proclama notum facerent, deputandi verò ab eodem Iulio & successoribus præfatis deputationibus, ac iustitiæ administrationem, omnes, & singulas querelas, & accusationes exponere volentes, per affixionem cedularum in valuis basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Campo Floræ certiores redderent.

Syndicatoribus facultatem summarie, &c. procedendi concessit. §. 7. atque in examinatione redditionis rationis, & administrationis huiusmodi, & aliis præmissis faciendis, ne partes ad Romanam Curiam, vel Legatos ipsos pro exponendis querelis, aut accusationibus accedentes nimium

grauarentur, summarie, simpliciter, & de plano, ac extraiudicialiter, absque aliquibus sumptibus, sola facti veritate inspecta, etiam sine scripturæ alicuius confectione procederetur, prout in literis ipsius prædecessoris desuper confectis plenius continetur.

Multi tamen cessabant querelas proponere, vt euitarent expensas ad Vrbem veniendi, &c.

§. 8. Cum autem, sicut non sine animi nostri displicentia, ad nostrum peruenit auditum, licet causæ propter quas literæ prædictæ ab eodem prædecessore emanarunt, adhuc subsint, tamen formidandum est, ne oppressi pro tempore propter impensas, quas pro querelis, aut accusationibus contra Gubernatores, & Locatenentes, eorumque Auditores, & alios officiales præfatos exponendis, ad nos, aut successores nostros Romanos Pontifices seu Legatos prædictos, iuxta ordinationem Iulij prædecessoris huiusmodi veniendo subire cogerentur, potius à querelarum, seu accusationum huiusmodi expositione abstinere habeant, quam expensas huiusmodi facere velint, sicque effectus literarum earundem impediri debeat.

Ideo Pont. iste const. dicti Iulij II. confirmat, & modificat hoc modo videlicet.

§. 9. Nos cupientes, prout ex debito ipsius pastoralis officij tenemur, felici, & tranquillo regimini, & successui, ac indemnitati populorum prædictorum, quos in visceribus gerimus charitatis, paterno affectu prouidere, ac eos à laboribus, & expensis, quantum possumus releuare, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, matura deliberatione, & de eorum vnanimi consilio, & assensu, statutum, & ordinationem, ac mandatum, & desuper confectas literas Iulij prædecessoris huiusmodi, necnon omnia, & singula in eisdem literis contenta, sub modificatione infrascripta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, approbamus, & innouamus, & perpetuæ roboris firmitate subsistere, ac plenum effectum sortiri, & firmiter perpetuo, tam per Gubernatores, & Locatenentes, ac Auditores, Iudices, & alios officiales, quam per præfatos, & alios quos literæ ipsæ concernunt, sub excommunicationis latæ sententiæ, & perditionis emolumentorum, ac inhabilitatis pœnis prædictis respectiuè obseruari debere decernimus.

Officiales syndicentur, in loco officij coram Commissario à Pont. deputando.

Hoc non seruatur, sed successor in officio, est loco commissarij.

§. 10. Et nihilominus præmissa per dictum Iulium prædecessorem, vt præfertur, statuta, & ordinata de nouo sic, quod tam Gubernatores, ac eorum, seu dictorum, Legatorum, Locatenentes, aut Vicelegati, aliique Præsidentes prouinciarum, ciuitatum, terrarum, & locorum, nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ subiectorum prædictorum, præsentes, & futuri, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali; Abbatiali, aut quauis alia Ecclesiastica, vel sæculari dignitate, vt præfertur, fungentes, & quauis facultate muniti, quam ab eisdem Legatis, & Gubernatoribus, seu eorum Locatenentibus, aut Vicelegatis, & Præsidentibus in prouinciis, ciuitatibus, terris, & locis prædictis pro tempore deputati Locatenentes, ipsorumque Auditores, Iudices, & alij quicumque officiales pro tempore existentes, si annales fuerint, functo cuiuslibet officij, & administrationis eorum anno, & si vltra annum eorum officio, in aliqua prouincia, ciuitate, vel terra durauerint, in fine cuiuslibet anni, si vero breuiori tempore eorum officia durent, in fine eorum officij, in ciuitatibus, terris, & locis, in quibus officia exercuerint, coram personis dignioribus, ciuitatum, terrarum, & locorum eorundem, videlicet coram vno Commissario, per nos aut successores nostros præfatos ex dicta Romana Curia, moderatis, ipsorum officialium, ac prouinciarum, vel ciuitatum, seu terrarum, vel si nobis, aut successoribus prædictis videbitur pro parte Cameræ prædictorum expensis mittendo, adiunctis secum Episcopo loci, vel eo absente eius Vicario in spiritualibus generali, & Procuratore Fiscali ipsius loci, vel ciuitatis per præsidentes dictæ Cameræ pro tempore deputato, & capite officij, seu magistratus ipsius ciuitatis, vel terræ, videlicet Confalonerio, vel Præposito, qui pro tempore fuerit, aut vno doctore per ipsas digniores personas, vltra Commissarium, ac Episcopum, vel Vicarium, & Procuratorem Fiscalem præfatos, eligendo, gestorum, & administratorum per eos alias, iuxta tenorem literarum Iulij prædecessoris huiusmodi, rationem reddere, & querelis ac accusationibus contra eos propositis, de gestis, seu omissis in eorum officiis, sublato quovis diffugio, respondere teneantur.

Et coram Episcopo.

Procuratore Fiscali.

Prioreq; Magistratus.

§. 11. Ac Commissarius mittendus, Episcopus, vel Vicarius, & Procurator Fiscalis, Confalonerius, seu Præpositus & Doctor eligendus præfati rationem administrationis huiusmodi, cum omni summarietate, integritate, & seueritate, audiant & procedant, ac querelæ & probationes contra Gubernatores, Vicelegatos, & Præsidentes præfatos præpositas, & factas recipiant, processusque desuper forment, & clausos, ad nos vel successores, nostros prædictos, vt nos vel dicti successores, de ipsorum Gubernatorum, Vicelegatorum, & Præsidentium, iuxta ipsorum demerita, amotione, vel ad vlterius tempus confirmatione mature deliberare possimus, fideliter mittant, ipsorum vero Gubernatorum, Vicelegatorum, & Præsidentium, Locatenentes, ac Auditores, & alios officiales præfatos, condemnando vel absoluendo iudicare, & ad restitutionem, omnibus subterfugiis, cauillationibus, & exemptionibus semotis, nisi propter casuum grauitatem, eis concordent, alias concorditer, vel Commissario præfato id nobis, vel eisdem successoribus referendum esse videretur, quo casu contra eos, seruato tenore literarum Iulij prædecessoris huiusmodi procedendum sit, cogere debeant.

Syndicatores summarie procedant, &c.

§. 12. Et si ab eorum decisionibus, & sententiis aliqui eorum se grauatos prætendant, ad nos vel à nobis deputatos, per viam recursus prouocare, & appellare possint, sic tamen, quod nisi infra mensem immediate sequentem, reuocationem, vel correctionem eorum, quæ contra eos decisa, vel determinata fuerint, non reportauerint, ex tunc absque aliqua facienda intimatione, decisiones, & sententiæ ipsæ firmæ remaneant, & executioni demandentur, perinde ac si ab eis reclamatum vel appellatum non fuisset.

Condemnati, ad Papam possunt habere recursum infra mensem expediendum.

§. 13. Et si Legatorum, Gubernatorum, Vicelegatorum & Præsidentium præfatorum Locatenentes, Auditores, & alij officiales prædicti culpabiles reperti fuerint, in eorum officiis perseuerare non permittant, sed Legatus illius Prouinciæ pro tempore existens de nouis Locatenentibus, Auditoribus, Iudicibus, & Officialibus debite prouideat, & nisi infra mensem prouiderit, tunc per Nos, aut Successores antedictos Locatenentibus, Auditoribus, & Officialibus, cum conuenienti salario eis per ipsum Legatum præstando prouideri debeat.

Et culpabiles non retineantur in officio.

§. 14. Ac quod cautiones idoneæ per deputandos ab ipsis Legatis, ac eorum Officiales de præmissis obseruandis dandæ ad dictam Cameram Apostolicam in libro particulari pro huiusmodi cautionibus annotandis ordinato, in quo cautiones per Gubernatores, & Vicelegatos prædictos præstandæ, annotandæ erunt, annotari debeant, ipsorumque Legatorum Secretarij, seu Notarij deputandi à legatis ipsis literas patentes officiorum suorum, nisi prius eis per fidem manu Notarij ipsius Cameræ factam constiterit quod cautiones prædictæ annotatæ fuerint, consignare non debeant, auctoritate & tenore prædictis perpetuo statuimus, & ordinamus.

Cautiones præstandæ per officiales scribantur in libro R. Cam. Apost.

Hoc non seruatur.

§. 15. Decernentes præsentium transumptis, etiam impressis manu tamen Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra vbilibet adhibendam fore, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Exemplorum fides.

§. 16. Declarantes præsentes nostras literas à data præsentium locum habere, & seruari debere, etiam quoad Officiales supradictos quoad syndicatum præmissum in fine officiorum suorum, etiam quod in principio eorum officij cautiones non dederint, & tempore publicationis præsentium in officiorum suorum exercitio, & possessione existant.

Vidi pluries disputari an ligaret hæc constit. cum non appareret fuisse publicatam.

§. 17. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac legibus municipalibus, & aliis Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica roboratis statutis, & consuetudinibus, ac omnibus illis, quæ præfatus prædecessor in dictis literis voluit non obstare, quæ omnia præsentibus pro expressis, & repetitis

Ideo posuit eius publicationem.

Clausula derogatoria.

habere

haberi volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Si quis.

Dat. P. An. 6. die 1. Dec.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo octauo, Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno sexto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini, 1528. Indictione prima, die vero 8. mensis Decembris, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papa VII. Anno eius sexto, præsentes retroscripta litera publicata fuere in valuis, seu portis Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, Audientia Palatij Apostolici, Cancellaria Apostolica, & acie Campi Flora, per me Ioannem Serrurier prælibati S. D. N. Papa Cursorem. Vianus de Bellauilla Magister Cursorum.

XXVI. Declaratio, quod electio successoribus huius Papæ, Bononiam, Viennam vel alibi profectum, fiat in ipsa Vrbe, si ante ad eam reditum, ipse decesserit. Et innouatio constitutionum Alex. III. Greg. X. & Clemen. V. circa erectionem Papæ.

Quoad electionem Pontificis, vide inf. const. 63. Pij IV. In eligendis, vbi notabo. Et constitutionem Alexandri III. hic cit. habes in cap. 2. de Elect. & Gregorij X. habet in c. 3. eod. tit. in 6. Et Clementis V. habes in Clem. 2. eod. tit.

Edita An. D. 1529. & 1533.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Carolus V. Imperator, pacem Italiæ afferens, Pontificem requirit, vt secum Bononiæ conueniat.

CVm charissimus in Christo filius noster, Carolus Romanorum & Hispaniarum Rex Catholicus in Imperatorem electus, intellexisset, Turcarum tyrannum potentissimo exercitu ad denuo Regnum Vngariæ inuadendum & occupandum venire, cognoscensque propterea non solum Regnum sed etiam totam Rempublicam Christianam in maximo versari discrimine, & desiderans Ferdinando Regi Vngariæ fratri suo dulcissimo ipsique reipublicæ Christianæ opem ferre, prout ad eius officium, cum aduocatus Ecclesiæ existat, pertinere cognoscebat, omnibus suis regnis dimissis, quamprimum ad Italiam venit, offerens pacem illam, quam Iesvs Christvs in cœlum ascendens suis reliquit discipulis, Regibus, & Principibus Christianis, ac Italiæ potentatibus, sine qua eidem Turcarum tyranno resisti non posse cognoscebat, & pro huiusmodi vniuersali pace facilius componenda nuper nobis suis literis significauit plurimum expedire vt in Ciuitate nostra Bononiæ quam celerius fieri posset, in simul conueniremus, vt totam Italiam tandem à tot calamitatibus liberaremus, illique pacem daremus, vt illa placata, illius potentatus ac barones vnitis animis & viribus non solum dicto Turcarum tyranno resisti, sed ipse cum toto eius exercitu profligari possit.

Ipse propterea Bononiam proficiscitur.

§. 5. Nos eius pium & honestum desiderium plurimum in Domino commendantes, etsi ex graui infirmitate, qua tot mensibus detenti fuimus, conualuerimus, tamen pristinas corporis vires adhuc non recuperauimus, occasionem tamen rei bene gerendæ, & tam necessarij boni omittere nolentes, cognoscentes ad officium nostrum pertinere pro salute gregis dominici nobis commissi, periculo vitæ nos exponere, & ad Ciuitatem ipsam Bononiæ omni celeritate & mora cessante nos conferre, in Alma tamen Vrbe nostra causarum, & literarum Apostolicarum Audientiam relinquentes, ac relinquere declarantes ad effectum, vt si ante reditum nostrum ad Vrbem ipsam nos ab hac luce migrare contingeret, in ipsa Vrbe, in qua Audientiam memoratam relinquimus, & non in Ciuitate Bononiæ seu in alio loco, in quo, tempore obitus nostri, cum nostra Curia resideremus, electio Romani Pontificis fieri debeat, nisi ipsa Vrbs tunc interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in manifesta rebellione persisteret, seu de impressione dubitaretur, sicut alias ex causis tunc expressis, proximis annis circa electionem Pontificis euentum obitus nostri, ita & nunc etiam prouidere desideramus, & intendimus.

In Vrbe causarum Audientiam, &c. relinquit, vbi post futuri Papæ electionem fieri iubet.

§. 2. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione, & diligenti examine, & de eorundem consilio, & vnanimi consensu, causarum, & literarum Apostolicarum Audientiam ipsa Vrbe post nostrum ab ea discessum remanere, ad effectum, vt si ante reditum nostrum ad ipsam Vrbem, nos ab hac luce migrare contingeret, ibi & non alibi vbi nos mori contingat, electionem Romani Pontificis celebrari debere, nisi Vrbs ipsa tunc interdicto subiaceret, vel esset aperte rebellis, aut inibi de impressione dubitaretur, vt præfertur. Super quo, maioris partis Cardinalium tunc ibidem existentium decisioni stari, & tunc in Ciuitate Castellana, seu Vrbeuetana, seu Perusina, seruato scripturæ huiusmodi ordine, fieri debere, dummodo illæ Ecclesiastico interdicto subiectæ seu rebelles non fuerint, vt præfertur.

Constitutiones Alex. III. Greg. X. & Clemen. V. innouat.

§. 3. Ac per fel. record. Alexandrum III. Licet de euitanda, & Gregorium X. in Lugdunen. Vbi periculum, & Ne Romani, incipientes, per Clementem V. Romanos Pontifices prædecessores nostros in Viennen. Conciliis circa electionem eandem hactenus editas constitutiones, & alias extrauagantes in omnibus in eis contentis seruari, & in suo robore permanere debere volumus, atque decernimus.

Electionem aliter factam irritat.

§. 4. Nos enim electionem alibi contra præsentium tenorem per eosdem Cardinales factam, nullam & irritam fore, ipsosque Cardinales ad aliam benedictionem Romani Pontificis, seruata eorundem præsentium literarum forma, procedere debere, & per eos contra præmissa nullatenus dispensari posse etiam decernimus.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis &c.

Dat. P. An. 6. die 6. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo vigesimo nono, Pridie Nonas Octobris, Pont. nostri Anno sexto.

Sequitur innouatio dictæ Constitutionis.

Edita An. D. 1533.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Causa huius innouationis.

LIcet variæ constitutiones pro euitanda discordia in electione Romani Pontificis etiam circa locum celebrandæ ipsius electionis à nostris prædecessoribus salubriter sint editæ, tamen sicut accepimus, si nos ab Alma Vrbe aliquandiu absentaremur, & ante reditum nostrum ad ipsam Vrbem nos per diuinam voluntatem decedere contingeret, à nonnullis asseritur quod per constitutiones hactenus editas circa locum celebrandæ electionis huiusmodi non sit pro conditione huius temporis ex omni parte satis prouisum.

Relatio præcedit const.

§. 1. Et id dudum cum versus Bononiam, &c.

Residuum prætermitto, quia tota ipsa bulla præcedit.

Enunciatio alterius innouationis.

§. 2. Et deinde cum nos iterum pro simili necessitate ad dictam Ciuitatem Bononiæ conferre, & inibi cum præfato Carolo Imperatore ex Germania redeunte ad similem effectum conuenire necesse fuisset, nos de simili eorundem fratrum consilio literas prædictas per alias nostras literas innouauimus, prout in eisdem literis plenius continetur.

Causa alia huius innouationis.

§. 3. Cum autem nos de proximo pro nonnullis nostris, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac orthodoxæ & Catholicæ fidei, totiusque Reipublicæ Christianæ arduis negotiis, & ex vrgentissimis causis ad Ciuitatem Viennam vel alium locum magis opportunum, minoris vel maioris ab Vrbe distantiæ, prout nobis conuenire videbitur, non sine graui nostræ, ac totius Curiæ nostræ incommodo nos conferre, ac inibi cum charissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum Rege Christianissimo conuenire, & ad certum tempus à dicta Vrbe nus abesse necesse esset.

Bononiensis præced. const.

§. 4. Nos propterea circa electionem Romani Pon-

tis, ia in euentum decessus nostri Domino ita volente ante reditum nostrum ad eandem Vrbem pati modo vt debemus prouidere volentes, habita etiam super hoc cum ipsis fratribus matura deliberatione, & de simili eorundem consilio, & assensu priores literas nostras prædictas auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, ac plenum firmitatis robur obtinere, illasque nec non omnia, & singula in eis contenta, in euentum ipsius decessus nostri ante reditum nostrum ad eandem Vrbem circa electionem futuri Romani Pontificis in omnibus & per omnia inuiolabiliter obseruari debere, ac per dictos Cardinales contra præmissa nullatenus dispensari posse, necnon totum id quidquid ab eisdem Cardinalibus quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis &c.

Dat. P. A. 10. die 3. Sept. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo tertio, tertio Nonas Septembris, Pont. nostri Anno decimo.

Publicatio. *Lecta & publicata fuit suprascripta Innouatio Romæ in Cancellaria Apostolica die Martis nona Septembris, Anno, & Pontificatus quibus supra.*

XXVII. Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas procedendi aduersus quoscumque etiam Regulares cuiuscumque Ordinis, in causis hæresis. Indulgentiasque concedendi Confratribus Societatis Crucesignatorum, pro seruitio Sanctæ Inquisitionis.

Quoad primam partem huius bullæ attende const. 51. Pij IV. Pastoris cum ampliatione Pauli V. in const. 26. Romanus. Et quoad secundam, vide const. 110. Pij V. Sacrosancta, cum ibi indicandis.

Edita A. D. 1530. CLEMENS EPISCOPVS, &c. *Dilecto filio Paulo Butigella, totius Ordinis Fratrum Prædicatorum Vicario generali, in Ferrarien. & Mutinen. Ciuitatibus & Diœcesibus hæreticæ prauitatis Inquisitori.*

Martini Lutheri hæresis quanto citius est extinguenda. CVm sicut ex relatione pro parte tua nobis facta, cum graui nostræ mentis molestia innotuit, in diuersis Italiæ partibus adeo pestifera hæresis Lutheri, non tantum apud sæculares personas, sed etiam Ecclesiasticas, & regulares, tam mendicantes, quam non Mendicantes inualuerit, vt aliquando nonnulli ex eis suis sermonibus, & verbis, & (quod deterius est) publicis prædicationibus tali labe plerosque inficiant, & Christi fideles sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ viuentes, & præcepta eiusdem Ecclesiæ seruantes non leuiter scandalizent, in hæresum augmentum, pusillorum scandalum, atque Catholicæ fidei non mediocre detrimentum.

Ne serpat nimium vt hæresis Arrij. §. 1. Nos attendentes Arrium vnam modicam scintillam fuisse in Alexandria. Sed quoniam non mox oppressus est, grande per totum Orbem incendium exsuscitasse, ac cupientes huic veneno, hæresique infirmæ, & labi pestiferæ, quam supremis extingui affectibus anhelamus, omni salubri, quo possumus remedio occurrere, & ne huiusmodi morbus excrescat vlterius, sed operante Domino passim euellatur salubriter prouidere.

Inquisitores ergo procedant contra omnes etiam Regulares, cuiuscumque Ordinis. §. 2. Tibi necnon omnibus, & singulis aliis dictæ hæreticæ prauitatis Inquisitoribus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, maxime Congregationis vtriusque Lombardiæ per vniuersam Italiam constitutis, & deputatis, ac constituendis & deputandis, eorumque Vicariis, in virtute sanctæ obedientiæ, & in remissionem peccatorum vestrorum districte præcipiendo mandamus, quatenus omnibus, & singulis etiam Carmelitarum, & aliorum Ordinum Mendicantium Religiosis, vel non Mendicantibus de huiusmodi peste diffamatis, aut aliter suspectis, præcipueque tales errores in suis sermonibus, verbis, seu prædicationibus disseminantibus, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, super huiusmodi ac qualibet alia hæresi silentium imponatis. Et postquam per vos siue Vicarios vestros, aut vestrum vel eorundem Vicariorum aliquos, siue aliquem, Præsidentes Monasteriorum, Conuentuum & aliorum locorum vbi hæreses huiusmodi vel errores seminati forent, aut inibi propinquiorum præmoniti fuerint, nisi tales infra mensem à die admonitionis computandum debita prouisione, remedia cum effectu adhibuerint, ac digna pœnitentia castigauerint, de quibus admonenti fidem facere teneantur: & si Præsidentes ipsi talia prædicarent, admonitionem Præsidenti vicinioris Conuentus vel loci respectiue facere sufficiat, contra huiusmodi exemptos vsque ad sententiam definitiuam, ad quam ferendam (si fuerit condemnatoria) cum consensu Ordinarij procedentis. Contra Carmelitas tamen confestim possitis etiam ad capturam dum prædicant populo, vel publice disputant erroneas conclusiones, aduersus non exemptos verò de tali labe diffamatos aut suspectos, veluti contra alios hæreticos (prout iura disponunt) libere inquiratis atque procedatis. Decernimus insuper vt vestros Vicarios siue Commissarios instituere valeatis, viros vestra sententia prouidos, aptos, & idoneos, dummodo ætatis trigesimum annum attigerint. Vobis etiam ac Vicariis præfatis extraiudicialiter Lutheranos occultos, & non inquisitos per Ordinarium siue alios Iudices, ac alios quoscumque hæreticos, fautores, credentes, defensores, & receptatores, necnon, & à sancta fide apostatas, eosque qui contra inhibitionem Sedis Apostolicæ, tenuerunt vel legerunt libros Martini Lutheri vel aliorum, aut eidem siue eisdem quomodolibet adhæserunt (si ad cor reuersi pœnitentes id humiliter petierint) postquam hæresim, qua polluti, & infecti erant, abiurauerint, medio iuramento promiserint de cætero ab huiusmodi hæresi penitus abstinere, absoluendi, illisque pro præmissis pœnitentiam iniungendi salutarem, eosque ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ restituendi & reducendi. Et cum clericis sæcularibus ac personis Religiosis cuiusvis ordinis, status, & conditionis, super quavis irregularitate, quam iam ex hæresi quam ex apostasia à fide, seu etiam ex eo quod censuris & pœnis Ecclesiasticis tam à iure quam ab homine quavis occasione vel causa latis, & promulgatis, quomodolibet innodati fuerint, aut ligati seu innodati diuina celebrando contraxerint, ac etiam super irregularitatibus, quas clerici Crucesignati sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine etiam quavis occasione vel causa latis, ligati seu irretiti, ac etiam ex eo quod in locis Ecclesiastico interdicto suppositis Missas, & alia diuina officia (non tamen in contemptum clauium) celebrauerint, incurrerint dispensandi.

Crucesignatis indulgentias concedant, &c. §. 3. Et quia Inquisitores præfati in ciuitatibus seu aliis locis Societates seu Confraternitates ad extirpandum hæreses & capiendum hæreticos (iuxta concessionem à Romanis Pontificibus eis factam) instituunt, & in eis Confratres recipiunt, qui in eorum receptione votum in eorundem Inquisitorum seu Vicariorum manibus emittunt, ac voto se adstringunt, dum pro parte ipsorum Inquisitorum & Vicariorum ad capiendos ipsos hæreticos requisiti fuerint auxilium, consilium, & fauorem præstare, vt eis tempore cuiusvis localis interdicti diuinis interesse & eis decedentibus eorum corpora Ecclesiasticæ sepulturæ (sine tamen funerali pompa) tradi possint, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, nec eis id contigerit specialiter interdici, ipsisque Crucesignatis per ipsos Inquisitores seu Vicarios dum in eorum manibus votum hæreticos ipsos persequendi emiserint, vt semel ex tunc, & in mortis articulo, à reseruatis, & in bulla Cœnæ Domini contentis casibus, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, aut propositum confitendi debito tempore per Ecclesiam statuto habuerint absolui, ac indulgentia plenaria, & omnium peccatorum remissio huiusmodi concedi, eisque vt singulis diebus anni, quinque altaria Ecclesiæ (si tot ibi fuerint) aut vnum loci in quo eos esse contigerit, Psalmum vnum genibus flexis recitando, vel quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam in quolibet altari, indulgentias stationum Vrbis consequi valeant *Quoad absolutiones vide constitut. 113. Clem. VIII. Quæcumque.*

etiam

etiam concedendi, & elargiendi, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus. Et nihilominus concessionem per Romanos Pontifices forsan viuæ vocis oraculo, se aliis eisdem Inquisitoribus, & Vicariis fratrum seu licentiam concessam huiusmodi approbamus, & confirmamus, ac omnia, & singula alia priuilegia, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, quibuscumque Inquisitoribus aliis hæreticæ prauitatis quorumvis Ordinum & Congregationum, & officio inquisitionis huiusmodi in quibuscumque Regnis, & Prouinciis, siue locis ac Terris, hactenus deputatis concessa, & in posterum concedenda vobis communicamus, atque iam vobis alias concessa approbamus, confirmamus, & innouamus, vniuersosque & singulos iuris & facti defectus (siqui forsan in illorum concessione interuenerint) supplemus.

Exponi & alij eis prædictis faueant.

§. 4. Mandantes omnibus & singulis venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, necnon dilectis filiis eorundem Archiepiscoporum, & Episcoporum Vicariis, in spiritualibus generalibus, quatenus præsentes literas & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra, seu Vicariorum vestrorum prædictorum, aut alicuius vestrum, siue illorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, ac vobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant præsentes literas & in eis contenta huiusmodi, firmiter obseruari, vosque illis pacifice gaudere. Non permittentes vos desuper per quoscumque quouis modo, indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac dictorum Ordinum etiam iuramento, & confirmatione Apostolica roboratis, statutis, & consuetudinibus, necnon priuilegio quod incipit, Sacer Ordo, per fel. rec. Sixtum Papam Quartum prædecessorem nostrum Ordini Carmelitarum concesso, fortassisque post aliis communicato, & quibuscumque aliis priuilegiis, & indultis Apostolicis illi ac quibuscumque aliis, etiam Mendicantium Ordinibus, etiam sub quibuscumque & verborum formis, ac cum quibuscumque clausulis & decretis, concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus (tenores illorum ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes) hac vice specialiter, & expresse derogamus, necnon quibuscumque exceptionibus, oppositionibus, & appellationibus, forsan desuper faciendis & interponendis, quæ aduersus præmissa nullatenus suffragari posse volumus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus cõmuniter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§. 6. Decernentes præsentium transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio & extra adhibendam fore quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 7. die 15. Ian.

Dat. Bononiæ sub annulo Piscatoris, die 15. Ianuar. millesimo quingentesimo trigesimo, Pont. nostri Anno 7.

XXVIII. Coronatio Caroli V. Imperatoris, in Ciuitate Bononiæ, Prouinciæ Lombardiæ.

Ante einsmodi Coronationem, hic idem Pontifex electionem de eodem Carolo in Regem Romanorum & Imperatorem per Electores Imperij factam approbauerat, vnà cum Coronatione, ab Archiepiscopo Colonien. cum corona argentea in Aquisgrano peracta, vt legi in alia ipsius bulla data die 16. Februarij, hoc eodem anno.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1530.

Carolus V. de mandato huius Papæ ante Missarũ solemnia, solita cum cæremoniis à V. Vuilhelmo Cardinali fuit vnctus.

CVm proximo Februarij mense, celebri Cathedræ Petri die, cui dispari quidem merito, pari tamen potestate successimus, dilectus filius noster Vuilhelmus tit. SS. Ioannis & Pauli Presbyter Cardinalis in Capella Palatij Ciuitatis nostræ Bononien. quod in præsentiarum habitamus, Missarum sacra nostro iussu esset peracturus, & priusquam ad ipsam Capellam accederemus, charissimum in CHRISTO filium nostrum Carolum V. Imperatorem semper Augustum nostra ex auctoritate inunxisset, reliquasque cæremonias vetusto more circa id fieri solitas peregisset.

Pontifex deinde Capellã ingressus, infra Missarum solemnia, insignia Regia & Imperatoria ei tradidit, & corona ferrea coronauit.

§. 1. Nos qui postea iis cæremoniis, & vnctione peractis, Capellam ingressi fuimus, infra ipsarum Missarum solemnia, Regia, Imperatoriaque insignia eidem Carolo tradidimus, eiusque caput corona ferrea decorauimus.

Successiue altera die festo S. Matthiæ Apostol. idem Pontifex præuijs solitis cæremoniis, eadem insignia ipsi Carolo cõtulit, & corona aurea eundem coronauit.

§. 2. Ab hinc deinde triduum, in ipso scilicet die Matthiæ Apostoli facto, qui primus dies natalis ipsi Carolo illuxit, cum aurea corona insignire volentes, ex Palatio per pensile tabulatum ob hoc ipsum instructum ad Ecclesiam Sancti Petronij accessimus, pontificiam Missam celebraturi, & cum ipse Carolus Imperatoriis omnibus perfunctus esset, quæ ad eiusmodi cæremonias exiguntur. Primo videlicet ante aram ad hunc vsum super tabulato erectam, in Canonicum Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe per nonnullos eiusdem Basilicæ Canonicos, Bononiæ tunc temporis degentes, & ibidem præsentes receptus, deinde Oratione vna ad hanc celebritatem accommodata, in Ecclesiæ huiusmodi foribus per Prænestinum, rursus altera intra ipsas fores, per Sabinen. Episcopos super caput Caroli alta voce prolatis, Idem Imperator ad quandam Capellam diuertit, vbi cultu, & ornatu Diaconorum indutus, & inde ad Sedem pro eo paratam accedens, ibidemque ab Episcopo Ostiensi inunctus, ad conspectum nostrum venit. Hoc vero Missam prosequente, Euangelio latino, græcaque lingua nondum enuntiato, eadem quæ nudius tertius Regia, Imperialiaque insignia Imperatori contulimus, annulum in primis eius digito annulari imponentes, deinde Ensem aduersus fidei hostes vibrandum, ad eius femur accingi fecimus, deinde verò aurea corona eius caput coronauimus, ac postmodum sceptrum peculiare Regibus insigne, ac globum totius Mundi imaginem repræsentans, in eius manus tradidimus, & ad pacis osculum, quo Christus nascens, prædicans, moriens, resurgens, ac regnans Ecclesiam suam docuit, admisimus. Quibus rite peractis. illic in solium Imperiale dextero lateri nostro pene contiguum sese recepit. Sacrificio deinde absoluto, & omnibus quæ veteri ex instituto in huiusmodi coronatione fieri solent peractis, ad Palatium vnde profecti eramus, equo insidentes regressi sumus.

Quæ omnia rite, & legitime gesta esse Bononiæ perinde ac Romæ, & Modicæ, ac Mediolani respectiuè acta essent, declarat.

§. 3. Et ne animis curiosis ambigi posset, an corona ferrea, quæ olim Modicen. vel in Ecclesia Mediolanen. & aurea, quæ per Romanum Pontificem Romæ in dicta Petri Basilica exhiberi fuit solita, iam vtraque Bononiæ ad supplices Imperatoris preces, & ex causis legitimis id suadentibus per nos exhibita, tantundem virium, & stabilitatis obtineat, ac si ambæ statutis in locis more veteri traditæ, susceptæque fuissent, vt hic scrupulus ex animis euellatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & ad posteritatem transmitti volumus, omnia præmissa hoc tenore, hocque in loco gesta, perinde firma, valida, & inconcussa esse, & suum robur, & stabilimentum obtinere, ac si illa ferrea coronatio, vel Modiciæ, vel Mediolanen. hæc aurea verò Romæ in dicta Basilica, seruatis omnibus cæremoniis seruari solitis, celebrata factaque fuissent.

Et ita non aliter iudicari posse decernit.

§. 4. Sicque per quoscumque Iudices, & causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, interpretandum, iudicandum, ac sententias promulgandas, adempta eis aliter interpretandi, iudicandi, & sententiam promulgandi facultate, auctoritate, & tenore prædictis decernimus.

Defectusque omnes supplet.

§. 5. Supplentes ex certa scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulos defectus tam iuris quam facti, si qui forsan interuenerint in eisdem.

§. 6. Nos

Ac super retentione Imperij, & Regni Neapolitani, quoad ipse Carol. V. vixerit, dispensat. §. 6. Nos etiam cum eodem Carolo, cum quo alias fel.rec. Leo Papa X. secundum carnem frater patruelis,& prædecessor noster, vt Regnum Neapolitan. vnà cum Imperio retinere posset, per suas literas dispensauit, pro potiori cautela, vt Regnum ipsum Neapolitanum vnà cum Imperio quoad vixerit retinere libere, & licite valear, quibusuis constitutionibus, ac literis, necnon statutis, & consuetudinibus Apostolicis, ac legibus imperialibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate, & tenore præmissis, de speciali dono gratiæ dispensamus.

Subditisque obedien. iam illi præstari iubet. §. 7. Quocirca omnibus Christi fidelibus, vassallis, & subditis præfati Imperij, cuiuscumque conditionis existant, etiamsi Regali, aut Pontificali dignitate præfulgeant, in virtute sanctæ obedientiæ, & pro quanto gratiam nostram charam habent districte præcipiendo mandamus, quatenus præfato Carolo Imperatori, vt tenentur, efficaciter pareant, & intendant.

Sanctionem pœnalem apponit. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, voluntatis, decreti, dispensationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D.P.A.7. die 1. Mart. Dat. Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1530. Kal. Martij, Pont. nostri Anno septimo.

XXIX. Institutio Rotæ, ad causas & lites cognoscendas, & decidendas, in Ciuitate Perusij, Prouinciæ Hetruriæ, in Statu Ecclesiastico.

Studium generale ibidem instituit, Clem.V. vt sup. in eius const. 2. Super specialis.

Edita An. D. 1530.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filijs Prioribus, & Communitati Ciuitatis nostræ Perusiæ, &c.

Ciuitatis Perusij preces, pro institutione Rotæ. Exponi nobis nuper fecistis per, dilectum filium Gulielmum Pontanum V.I.D. Oratorem vestrum, quod si officia Præturæ, suorumque Collateralium, necnon officium Iudicis Appellationum, Barisselli Populi nuncupatum, istius nostræ Ciuitatis, cum eorum Iurisdictionibus, ac salariis, & emolumentis in noua officia quatuor Rotæ nuncupata, assensu, & auctoritate nostra in Ciuitate erigenda, & constituenda transferrentur, seu commutarentur, in non mediocre eiusdem Ciuitatis, ac Territorij commodum, facilioremque iustitiæ, absque labis alicuius suspicione, administrationem cederet, prout in pluribus aliis Ciuitatibus, in quibus huiusmodi Rotæ Auditoria instituta fuerunt, idem contigisse experientia docuit.

Pontificis concessio & Rotæ institutio. §. 1. Nos igitur, qui Ciuitatem ipsam paterna charitate prosequimur, cupientes, vt in solida fide, & constantia, erga nos, & Sedem Apostolicam, vos perseueretis, & iustitia istic ministretur, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, officia Præturæ, suorumque Collateralium, Officialium ac Iudicatus Appellationum, seu Barisellatus, cum eorum iurisdictionibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium extinguimus, & annullamus, eaque cum eorum, cuiusque ipsorum iurisdictionibus, & salariis, ac emolumentis solitis, & consuetis in dictum Auditorium Rotæ ibidem constituendæ, & non in alios vsus conuertenda, auctoritate prædicta transferimus, & commutamus, saluis, & reseruatis Secretariorum taxis, & aliis retentionibus hactenus fieri solitis.

Facultatis elargitio, desuper constitutiones formandi. §. 2. Dantes vobis facultatem, & auctoritatem, circa ipsius noui officij institutionem, capitula quot, & quæ decentia, opportuna, ac vtilia videbuntur, cum præsentia tamen, & consensu præsentis, & pro tempore existentis venerabilis Patris Vicelegati, formandi, & componendi.

Iussio obseruantiæ earum. §. 3. Mandantes eidem Vicelegato, & aliis Officialibus, quouis nomine nuncupatis, vt ea, quæ in præmissis fuerint per vos, vt præfertur, statuta, & ordinata, inuiolabiliter obseruent, & faciant ab aliis obseruari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Præturæ, & Capitaneatus constitutione, necnon statutis, & consuetudinibus dictæ Ciuitatis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. A 7. die 28. Mart. Dat. Bononiæ, sub annulo Piscatoris, die 28. Martij, 1530. Pont. nostri Anno septimo.

XXX. Filij Presbyterorum, ex fornicatione nati, beneficia Ecclesiastica per eorum patres obtenta, minime obtinere possint.

Ampliorem dispositionem in hoc habes in Concil. Trident. sess. 25. c. 15. Et de materia illegitimorum notabo inf. ad const. 117. Pij V. Quæ ordini.

Edita An.D. 1530.

CLEMENS PAPA VII.

Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius prohibitionis. Ad Canonum conditorem non est dubium pertinere, cum statuta à se, vel prædecessoribus suis, ad animarum Christi fidelium salutem edita, propter eorum abusum, qui successu temporum malitia hominum succrescente magis in dies dignoscitur obesse, quam prodesse animaduertit, ne vlterius obesse valeat, prouidere. Sane postquam fel.rec. Alexander Papa III. prædecessor noster filios præsertim Sacerdotum in Ecclesiis paternis succedere prohibuerat, easque nihilominus, media intercedente persona filios ipsos habere disposuerat, cum passim Sacerdotes, vt Ecclesiis suis eorum filij potirentur satagentes, in Alexandri prædecessoris huiusmodi dispositione confisi Ecclesias suas, quas ad eorum peruenire filios constituebant, in fauorem personarum quæ Ecclesias ipsas, etiam illarum possessione non habita, in ipsorum resignantium filios, ex fornicatione genitos, illico mox resignare. Ipsique filij Ecclesias ipsas, dispensatione super defectu natalium, quem ex dictis Sacerdotibus resignantibus geniti, patiebantur, etiam patris nomine expresso, obtenta consequi hactenus consueuerint, profecto perniciosum semper, & abominabile, ac in grauem diuinæ Maiestatis offensam tendere, videlicet, quod ipsi Presbyteri eorum crimen, quod erat occultum, non sine turpitudine, ob inordinatum spuriorum filiorum amorem detegere non erubescerent.

Prohibitio de qua in rub. §. 1. Iudicauimus propterea quod vbi tempus, quod omnia palam facit, & præsentium ratio quid in futurum cauendum sit, admonet, merito admonemur, & ad tollendum huiusmodi abusum necessarium arbitrati sumus eiusdem Alexandri prædecessoris canonem corrigere potius, quam talia cum tanto hominum scandalo tolerare. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio, & vnanimi consensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod de cætero filij Presbyterorum ex fornicatione nati Ecclesias Cathedrales, etiam Metropolitanas, ac Monasteria, quibus eorum patres præfuerunt, seu illa, & illas dignitates, etiam maiores, & principales, personatus, administrationes, & officia, etiam curata, & electiua, & alia quæcumque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, quæ Presbyteri, & clerici, ac religiosi eorum patres in titulum, vel commendam, aut administrationem, ad tempus seu in perpetuum aliquando obtinuerunt, nullo vnquam tempore quoquo modo obtinere possint, nec cum eis super hoc dispensare intendimus. Et si quas dispensationes per nos concedi contigerit, tanquam per præoccupationem, & contra mentem nostram concessas, eis nullatenus suffragari, talesque dispensationes nostris volumus exultare temporibus, & quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus.

Derogatio contrariorum. §. 2. Non obstantibus præfati Alexandri prædecessoris, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. §. 3. Volumus autem quod præsentium transumptis manu

manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Dat. P. An. 7. die 3. Iunij.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimo, tertio Nonas Iunij, Pontific. nostri Anno septimo.

XXXI. Approbatio gratiarum, & priuilegiorũ Ordinis Fratrum ac Monialium B. Mariæ de monte Carmelo, & concessio quorumcumque aliorum indultorum, omnibus aliis Ordinibus concessorum & concedendorum. Et indulgentiarum elargitio pro Confratribus vtriusque sexus Confraternitatum institutarum in loco d. Ordinis.

De hoc Ordine plene dixi sup. ad const. 8. Honor. III. ibi videas. Confraternitatum autem eiusmodi indulgentias reformauit postremo Paulus V. in sua const. mox edenda, iam firmata, sub die 30. Octobris 1606.

Edita An. D. 1530.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

EX clementi Sedis Apostolicæ prouisione, necnon personarum Deo deuotarum sub Religionis iugo, & regulari castimonia, Domino Militantium, pia deuotione prouenire dignoscitur, vt Rom. Pont. quandoque per prædecessores suos Rom. Pont. pro personarum earundem, ac illarum locorum felici successu, & quiete, ac Christi fidelium piis operibus vacantium animarum salute concessa, approbet, & innouet, ac innouata communiat, & alia de nouo concedat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Exponitur Papæ quod Ioã. XXII. & Alex. V. indulgentias concesserunt, intrantib. Confraternitates institutas in locis Ordinis. Has cõst. prætermisi, quia continẽt elargitionem indulgẽtiarum, quæ reformata fuit vt hic dixi in rub.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Nicolai Ander Generalis, ac Prouincialium, & Priorum domorum Ordinis B. MARIÆ Virginis de monte Carmelo, necnon Confratrum vtriusque sexus Confraternitatum in Ecclesiis domorum eiusdem Ordinis institutarum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias fel. recor. Ioannes XXII. & Alexander V. Rom. Pont. prædecessores nostri, vniuersis, & singulis Christi fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, seu Confratrum Confraternitatum huiusmodi numero adscribi, ipsiusque Ordinis statuta obseruare, ac habitum dicti Ordinis deferre, seque Fratres, & Sorores dicti Ordinis appellare, ita quod si mulier virgo castitatem, vidua verò continentiam, coniugata tamen matrimonij iura prout sancta Ecclesia præcipit, tempore earum ingressus inuiolabiliter seruare velle promitterent, & obseruarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac ipsa gloriosissima DEI Genitrix sẽper Virgo MARIA, ipsorum Confratrum seu Religiosorum, ac Sororum animas post eorum transitum, suis intercessionibus continuis, piis suffragiis, & speciali protectione adiuuabit. Quodque Confratres ipsi gratiarum earundem prædecessorum participes fieri volentes, horas canonicas, iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini concessam, & ordinatam recitare. Ignari vero literarum, diebus quibus sancta Ecclesia ieiunare præcipit ieiunare, necnon quarta Feria, & Sabbato toto tempore vitæ eorum, præterquam die qua aliquam ex Feriis prædictis Natiuitatem Domini nostri IESV CHRISTI occurrere contigerit, à carnibus abstinere deberent.

Quodque alij etiam Pont. Fratribus & Sororib. d. Ordinis plura priuilegia dederunt.

§. 2. Ac etiam nonnulli alij Rom. Pont. etiam prædecessores nostri, quam plura, & diuersa priuilegia, immunitates, exemptiones, præsertim quartam funeralium Presbyteris sæcularibus non soluendi, ac indulta, indulgentias & peccatorũ remissiones, ac gratias dicto Ordini, illiusque Fratribus, Monialibus, Sororibus, & vtriusque sexus personis, ac Monasteriis Monialium, & domibus Sororum, eorumque Ecclesiis, & locis quibuscumque etiam per modum extẽsionis, seu excommunicationis, ac alias concesserunt, prout in diuersis eorundẽ prædecessorum literis desuper confectis dicitur plenius contineri.

Supplicauit Ordo pro confirmatione dictorum priuilegiorum.

§. 3. Quare pro parte Generalis, Prouincialium, Priorum, vtriusque sexus Confratrum prædictorum, asserentium refrigescente in dies fidelium deuotione, domus Fratrum, & Sororum, & Monasteria huiusmodi non modica reparatione indigere, & propterea fideles ipsos ad temporalia bona pro huiusmodi reparatione concedenda, spiritualibus donis, gratiis inuitare oportere, ac ad id inducere necesse fore, nobis fuit humiliter supplicatum, vt priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, & gratias, ac alia prædicta approbare, & innouare, & inuiolabiliter obseruari mandare, illaque pro potiori cautela denuo concedere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pont. illa innouat, & obseruari mandat.

Tu v. de notata supr. in rub. & infra in apostilla.

§. 4. Nos igitur dicti Ordinis quem præ cæteris in visceribus gerimus charitatis, prosperum, & tranquillum statum, ac animarum salutem paterno zelantes affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, Ioannis, & Alexandri, ac aliorum prædecessorum literas, ac per eosdem prædecessores, omnia, & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, etiam non soluendi quartam funeralium presbyteris sæcularibus (quoad Fratres domorum in possessione, quartam ipsam non soluendi existentes dumtaxat) ac indulta, indulgentias, citra plenarias, peccatorum remissiones & gratias, Ordini, & illius Fratribus, monialibus, Sororibus, & vtriusque sexus Confratribus, & personis, domibus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis quibuscumque etiam per modum extensionis, seu communicationis, & alias quomodolibet, etiam per nos, & Sedem Apostolicam concessa, quorum omnium tenores præsentes pro sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere.

Priuilegiaque cuiuscumque alterius Ordinis ei tribuit.

§. 5. Ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, domus, & Ecclesias, & alia loca huiusmodi, omnibus, & singulis priuilegiis immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentiis (citra tamen plenarias) peccatorum remissionibus, & gratiis quibusuis Congregationibus dicti, & aliorum Ordinũ, etiam Mendicantiũ, Fratribus, & personis, ac Confraternitatibus suæ professioni non contrariis, aliisq; Ordinibus quibuscũq; etiam non Mendicantiũ, quomodolibet concessis, & concedẽdis in genere, vti, frui, & gaudere posse, atq; debere in omnib. & per omnia, perinde ac si eis cõcessa fuissent decernim⁹.

Et de nouo concedit.

§. 6. Necnon potiori pro cautela ea omnia etiam de nouo concedimus.

Fratres eximit à iurisdictione Inquisitorum.

Hoc reuocauit. Pius V. in constit. 51. ibi not.

§. 7. Ipsiusque Ordinis Fratres ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis penitus eximimus, & sub nostra, ac dictæ Sedis protectione suscipimus, ac eisdem Inquisitoribus sub excommunicationis latæ sententiæ, & officiorum suorum priuationis pœnis districte inhibemus ne de dictis Fratribus etiam ratione criminis hæresis quoquo modo se intromittere præsumant; Decernentes irritum, & inane, quicquid per eos scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Confratribus autẽ, dat facultatem eligendi Confessores qui eos absoluãt, &c.

Hoc intellige iuxta constit. 115. Clem. VIII. Quacumque.

§. 8. Omnibusque & singulis vtriusque sexus Confratribus, & cuilibet eorum, aliquem presbyterum idoneum sæcularem, vel cuiusuis Ordinis etiam Mendicantium, & de Obseruantia regularem, in suum possint eligere confessorem, qui vita eis comite, eos & eorum quemlibet à quibusuis etiam maioris excõmunicationis, suspẽsionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa pro tempore latis, & quibusuis etiam pro tempore irretiti fuerint, etiamsi illorum absolutio Sedi prædictæ specialiter, vel generaliter (præterquam per literas in Cœna Domini legi solitas) reseruata foret, ac quorumcumque votorum, & iuramentorum, necnon Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, periuriorum, simoniæ, homicidij mentalis, vel casualis reatibus, manuum violentarum in quasuis personas Ecclesiasticas, non tamen Episcopos, vel eorũ Superiores de præterito iniectionibus, ieiuniorũ, horarum canonicarum, diuinorum officiorum, ac pœnitentiarum iniunctarum, in toto, vel in parte omissionibus, omnibusq; aliis eorũ peccatis, criminibus,

excessibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam talibus propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, in casibus dictæ Sedi qualitercumque reseruatis (exceptis contentis in dictis literis Cœnæ Domini) semel in vita, & in mortis articulo, de aliis verò dictæ Sedi non reseruatis casibus toties quoties opportunum fuerit eorum confessionibus diligenter auditis absoluere, illisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, Vota vero visitationis quæcumque vltramarina (Liminum beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, & iuramenta quæcumque sine tertij præiudicio relaxare, ac omnium eorum peccatorum semel in vita, & in mortis articulo, vt præfertur, etiamsi tunc non subsequatur plenariam remissionem, & absolutionem, auctoritate Apostolica impendere possit.

Vtendique altari portatili, in quo celebretur etiam tempore interdicti. Circa obseruantiam interdicti, attende Concil. Trident. sess. 25. c. 12.

§. 9. Liceatque omnibus, & singulis vtriusque sexus confratribus prædictis, & cuilibet eorum, habere altare portatile cum debitis reuerentia, & honore, super quo, in locis ad hoc congruentibus, & honestis, etiam non sacris, & quavis etiam Apostolica auctoritate interdictis, seu tempore cessationis à diuinis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, seu cessationi, & per eos non stet quominus pareatur Apostolico interdicto, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, seu circa meridiem cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, in eorum præsentia clausis ianuis excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce missas, & alia diuina officia per sacerdotes sæculares, vel regulares huiusmodi celebrare, ac quocumque tempore Eucharistiam, & alia sacramenta Ecclesiastica à quocumque maluerint Presbytero idoneo, & vbicumque sine rectoris parochialis Ecclesiæ præiudicio, recipere, & administrare, libere, & licite valeant. Etsi contingat eos, vel eorum aliquem tempore interdicti huiusmodi ab humanis decedere, corpora eorum Ecclesiasticæ cum aliqua honesta tamen funerali pompa tradi possint sepulturæ.

Stationes etiam Ecclesiarum Vrbis.

§. 10. Quodque singulis quadragesimalibus, & aliis cuiuslibet anni temporibus, & diebus Stationum Basilicarum, & Ecclesiarum Almæ Vrbis Romæ, extra illius muros, vnam vel duas Ecclesias, aut vnum, duo, vel plura altaria in partibus illis, vbi eos, seu eorum aliquem residere, seu quodecliorare contigerit, quas, vel quę ipsi, vel quilibet eorum duxerint eligendas, vel eligenda deuote visitando tot, & singulas, ac similes indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si singulis diebus easdem singulas dictæ Vrbis, & extra eam Ecclesias pro stationibus huiusmodi deputatas personaliter visitarent.

Indulgentias concedit omnibus eleemosynas dantibus pro reparatione Monasteriorum, &c. Reuocationem vide in constit. 30. Pij V.

§. 11. Insuper etiam omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui pro monasteriorum, & domorum reparatione, ac fratrum huiusmodi sustentatione manus porrexerint adiutrices, supradictas indulgentias consequi possint, & consequantur. Omnibus verò, & singulis aliis Christi fidelibus vtriusque sexus, qui dictum Ordinem, illiusque domos & monasteria, fratres, sorores, moniales huiusmodi suis eleemosynis, subsidiis pro tempore iuuerint, & manutenuerint, vt ipsi, & quilibet eorum omnium precum, suffragiorum, eleemosynarum, ieiuniorum, orationum, missarum, horarum canonicarum, disciplinarum, peregrinationum, & cæterorum spiritualium bonorum, quæ pro tempore in vniuersali sacrosancta Ecclesia militante fiunt in perpetuum participes fiant, & omnibus eius meritis gaudeant, ac omnibus aliis, qui gratiis eorundem confratrum gaudere voluerint aliquam eleemosynam, siue charitatem, prout eis ac præsidentibus confraternitatum huiusmodi visum fuerit, dando, & largiendo, gratiarum huiusmodi participes fiant indulgemus.

Contrarijs derogat.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, necnon priuilegiis, & indultis, & literis Apostolicis per quoscumque Rom. Pont. Prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusvis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, & confirmatis, & innouatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut exquisita forma seruanda, forent, & in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, illorumque omnium, necnon quarumcumque etiam in forma breuis literarum occasione præmissorum quomodolibet confectarum, & quorumcumque in eis contentorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas ad id seruantes pro indiuiduo seruatis habentes hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter, & expresse derogamus, necnon omnibus illis quæ præfati prædecessores in eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi iubet.

§. 13. Volumus autem quod præsentium transumptis manu alicuius publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem protsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 7. die 12. Aug.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimo, Pridie Idus Augusti, Pont. nostri Anno 7.

XXXII. Facultas Militum, & Fratrum Militiæ S. Iacobi de Spatha, testandi, ac de eorum bonis disponendi.

Hanc facultatem reuocauit Pius V. in eius const. 73. Sacrosanctum; sed Greg. XIII. eam reintegrauit infrà in eius const. 30. Romani. Et de hac Militia, & eius priuilegiis notaui sup. ad constit. 1. Adriani VI. Dum intra.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

EX Apostolicæ benignitatis officio, cunctorum fidelium præsertim sub Religionis habitu militantium, circa dispositionem bonorum, quæ viuentes possident, honestis desideriis quantum cum Domino possumus libenter annuimus.

Præceptores, & Fratres Militiæ S. Iacobi de Spatha de eorum bonis certo modo disponere possunt.

§. 1. Sane charissimus in Christo filius Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, qui etiam Castellæ & Legionis, ac Aragoniæ Rex, & Militiæ Sancti Iacobi de Spatha sub Regula S. Augustini Canonicorum Regularium perpetuus administrator, in spiritualibus, & temporalibus per Sedem Apostolicam deputatus existit, suo ac dictorum filiorum de veles Conchensis Diœcesis, & S. Marci Legionis Prioratuum, Priorum, necnon Fratrum eiusdem Militiæ nomine, nobis nuper exposuit, quod licet illius statuta, & stabilimenta dictæ militiæ, ac illa concessa priuilegia, & indulta Apostolica, Præceptores, & Fratres Milites eiusdem Militiæ, de bonis sibi à Deo collatis, ac propria cuiuslibet ipsorum industria, tam ex Præceptoriis, quam ex Parochialibus Ecclesiis Capellaniis, & aliis beneficiis ipsius Militiæ acquisitis, certis modo, & forma in illis expressis, de licentia Magistri eiusdem Militiæ siue suorum Superiorum, testari, & de illis disponere possint.

Fratres non Conuentuales clerici dubitantes id eis non licere, à

§. 2. Tamen cum Fratres clerici non Conuentuales seu pro Conuentualibus non deseruientes dictæ Militiæ, forsan in ipsis statutis, & stabilimentis, ac priuilegiis, & indultis expresse non nominentur, ipsi Fratres clerici

Carolo V. Imperatore d. Militia Administratore licentiam obtinuerit eandem auctoritatem de eorũ bonis disponendi à Sede Apostolica impetrandi.

clerici non Conuentuales, seu pro Conuentualibus non deseruientes, dubitantes se eisdem statutis, & stabilimentis, ac priuilegiis, & indultis gaudere posse, in Capitulo generali præfatæ Militiæ in Oppido Vallisoleti Palentinæ Diœcesis nouissime celebrato, eidem Carolo Imperatori, & Administratori tunc in Imperatorem electo humiliter supplicarunt, vt liceret à Sede Apostolica licentiam, & facultatem de bonis sibi à Deo collatis, & sua industria acquisitis testandi impetrari, & præfatus Carolus Imperator Administrator habita desuper cum Prioribus dictæ Militiæ, ac aliis eiusdem Consiliariis matura deliberatione, eisdem Fratribus clericis non Conuentualibus, seu pro Conuentualibus non deseruientibus, sub conditionibus ac modo, & forma infrascriptis à dicta Sede Apostolica facultatem testandi huiusmodi petendi, & obtinendi facultatem concessit.

Ideo d. Carolus pro eis d. auctoritatem ab isto Pont. petijt.

§. 3. Quare dictus Carolus Imperator suo ac Priorum, & Fratrum Militiæ huiusmodi nominibus prædictorum nobis humiliter supplicauit vt eisdem Fratribus clericis non conuentualibus, seu pro Conuentualibus non deseruientibus, de bonis suis, vt præfertur, testandi licentiam concedere, ac alias in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic modo Pont. auctoritatem concedit Prioribus Prioratuum de Veles, & S. Marci, dandi licentiam præfat.

§. 4. Nos igitur Priores, & Fratres, clericos non Conuentuales, seu pro Conuentualibus non deseruientes, præfatos, ac eorum singulos quibusvis excommunicationis, &c. huiusmodi supplicationibus inclinati, de Veles, & Sancti Marci Prioratuum prædictorũ Prioribus nunc, & pro tempore existentibus, & cuilibet eorum, vt de consilio alicuius ex antianis Monasterij in quo dicti Fratres clerici non Conuentuales, seu pro Conuentualibus non deseruientes professionem emiserint, eisdem Fratribus clericis non Conuentualibus, seu pro Conuentualibus, non deseruientibus, licentiam, & facultatem, & de quibuscumque bonis per eos tam ratione Prioratuum aliorumque beneficiorum quorumcumque, pariterque sæcularium, aut aliorum quam dictæ Militiæ Ordinum, quam alias vndecumque sua industria licite acquisitis testandi, & de illis disponendi, sic tamen quod quilibet ex eisdem Fratribus non Conuentualibus, seu pro Conuentualibus non deseruientibus, vniuersorum bonorum, iurium, actionum, & pertinentiarum suarum singulis annis alteri de Veles, & Sancti Marci Prioribus pro tempore existentibus inuentarium dare teneantur. Necnon quod licentia huiusmodi testandi per eosdem Priores concedenda, per triennium, & non vltra duret; quo elapso ipsi Fratres clerici non Conuentuales, seu pro Conuentualibus non deseruientes licentiam huiusmodi de nouo repetere singulis trienniis teneantur. Et si ex negligentia, seu malitia Fratres ipsi clerici non Conuentuales, seu pro Conuentualibus non deseruientes, inuentarium bonorũ suorum, vt præfertur dictis Prioribus dare neglexerint aut recusauerint, licentia huiusmodi per eos obtenta ac inde sequuta nullius sint roboris vel momenti, neque in aliquo suffragentur; quodque dictis Fratribus clericis non Conuentualibus, seu pro Cõuentualibus non deseruientibus obtenta licentia huiusmodi in omnibus, & per omnia succedere debeat, prout hactenus succedere consueuit. Et quod ipsi Fratres clerici non Conuentuales, seu pro Conuentualibus non deseruientes, (licentia huiusmodi per eos obtẽta) in suis testamentis, codicillis, seu vltimis voluntatibus à quibusvis dispositionibus per eos de bonis suis pro tempore factis, & conditis, ac faciendis, & concedendis, quintam partem omnium, & singulorum bonorum, iurium, actionum suarum (deductis debitis, & oneribus Conuentui Monasterij in quo professionem fecerint) reliquas vero partes bonorum huiusmodi quibusvis personis sibi gratis, & acceptis, non tamen filiis seu nepotibus ex damnato coitu procreatis, neque adulteris, siue inhonestis, aut quarum conuersatio à iure sit eis prohibita mulieribus, relinquere possint, & valeant, concedendi, & elargiendi plenam, & liberam auctoritatem Apostolico tenore præsentium cum ad hoc præfati Caroli Imperatoris, & Administratoris expressus accedat assensus auctoritatem, & facultatem concedimus.

Limitatio d. facultatis.

§. 5. Decernentes, præfatos Priores, Fratribus pro Conuentualibus, tam de Veles, & Sancti Marci huiusmodi, quam Sancti Iacobi de Spatha Hispalensis, & B. MARIÆ de Tudia, ac de Villar de Donas, & Sancti Monij de Vega, ac aliorum Conuentuum dictæ Militiæ, siue præsentibus, & residentibus, siue absentibus, licentiam huiusmodi concedere nullo modo posse, & sic per quoscumque Iudices, &c.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Militiæ iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, vsibus, & naturis, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 9. die 15. Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimoprimo, decimo octauo Kalend. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno nono.

XXXIII.

Annatæ de Beneficiis, vel pensionibus Ecclesiasticis annuum valorem 24 ducatorum non excedentibus, non debentur R. Cameræ Apostolicæ.

De materia Annatarum, & Quindenniorum plene notabo infra in Sixti V. const. 33. Cameræ vbi etiam hac bulla declaratur.

Edita An. D. 1532.

CLEMENS EPISCOPVS, Motu proprio, &c.

Causa huius constitut.

CVm sicut nobis innotuit licet ratione fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum valorem annuum vigintiquatuor ducatorum auri de auro communi æstimatione non excedentium annatæ Cameræ Apostolicæ non debeantur, nec solui aut exigi consueuerint, & minus ratione pensionum quantitatem vigintiquatuor ducatorum auri similium non excedentium, annatæ aliquæ retroactis temporibus exactæ aut solutæ fuerunt, nihilominus à certo tempore citra, Præsidentes dictæ Cameræ, & alij officiales Romanæ Curiæ ad quos exactio annatarum pertinet, sub prætextu quod in prouisionibus, & aliis dispositionibus beneficiorum Ecclesiasticorum super quorum fructibus, &c. valorem vigintiquatuor ducatorum excedentibus aliquæ pensiones annuæ cuiuscumque etiam minoris quantitatis vigintiquatuor ducatorum reseruatæ existunt, illorum medietas deduci, ac defalcari consueuerit, annatas ex pensionibus quantitatem octo ducatorum excedentibus, & vigintiquatuor non excedentibus aut attingentibus, de facto exegerint, & exigunt.

Declaratio de quo in rub.

§. 1. Nos qui vnicuique in iustitia debitores sumus, super iis congruis remediis prouidere volentes, ac ratione pensionum, quarum quantitas vigintiquatuor ducatorum auri de Camera non excedit, nullas annatas Cameræ aut Officialibus prædictis deberi declarantes, ex certa nostra scientia, & deliberatione statuimus quod de cætero ex quibusvis pensionibus quantitatem vigintiquatuor ducatorum huiusmodi non excedentibus, nulla annata quovis prætextu exigatur, nec per illos quibus pensiones ipsæ resignatæ fuerint soluatur, neque solui debeat, sic tamen quod in pensionibus, & aliis dispositionibus beneficiorum super quorum fructibus similes pensiones annuæ minoris quantitatis vigintiquatuor ducatorum, & quantitatem vigintiquatuor ducatorum similium non excedentes resignatæ fuerint, ex talibus pensionibus nihil deduci debeat.

Pœna contrafacientium.

§. 2. Districtius inhibentes Cameræ Præsidentibus, ac aliis Officialibus prædictis sub excommunicationis, & à perceptione emolumentorum officiorum suorum ad nostrum, & Apostolicæ Sedis beneplacitum suspensionis in eorum singulos latæ sententiæ pœnis, ne de cætero ratione huiusmodi pensionum quantitatem vigintiquatuor ducatorum non excedentium, aliquas annatas quovis prætextu exigere, seu quominus literæ resignationis illarum expediantur impedire, vel differre quoquo modo præsumant; alioquin literas ipsas tam per Cancellariam,

quam per Cameram Apostolicam per eos ad quos literarum expeditio pertinet, absque manuum illorum appositione libere expediri posse decernimus, ac ad id eis liberam facultatem concedimus.

Clausula derogatoria. §. 3. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Iussio pub. §. 4. Volumus autem quod præsens mandatum ad hoc quod ad plenam, & indubitatam notitiam deueniat, in Cancellaria Apostolica more solito publicetur, & in quinterno Cancellariæ ad perpetuam rei memoriam describi debeat.

Papa subscr. Placet, & ita Motu proprio mandamus.

Publ. P. A. 9. die 30. Ianu. *Lectum & publicatum fuit suprascriptum mandatum Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimosecundo, die vero Martis trigesima mensis Ianuarij Pontificatus DD. Clementis diuina prouidentia Papæ VII. Anno nono.*

XXXIV. De Officio Vicecancellariatus Papæ, cum annexione curæ, & tit. SS. Laurentij, & Damasi de Vrbe.

Hoc officium antiquißimum est, vt liquet ex lectura bullæ 3. Mart. V. In Apostolicæ sup. & ei sunt annexa multa officia vt ibidem Alia autem de materia Cancellariæ, vltra ea quæ sunt in d. bulla Mart. V. habes inf. in const. 54. Pij IV. Vniuersi, ac Pij V. const. 84. In earum. Et alia constit. 90. Romani.

Edita A. D. 1532. CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. ETsi ad singula Romanæ Ecclesiæ officia, & administrationes pro illorum, & eiusdem Ecclesiæ, ac Romanæ Curiæ, illiusque Curialium, & Officialium felici tranquillo, & prospero successu ac decore, intendere ex commisso nobis Pastorali officio teneamur, ad Vicecancellariatus tamen officium oculum nostrum, & pro tempore existentis Romani Pontificis dexterum nostræ circumspectionis intuitum propensiori cura, & studio nos prouidere debere conuenire arbitramur, vt illius regimini ministret idoneus, per cuius solertiam, felicibus dante Domino proficiat incrementis, deputetur, & pro tempore deputatus Ecclesiæ titulo, & honore condigno decoretur, ipsumque officium cum decentia, & tranquillitate, ac Curialium, & Officialium eorundem commoditate, & vtilitate exerceatur, & quæ illius perturbationem quoquo modo adducere possent, de medio submoueātur.

Collatio Vicecancellariatus de qua in rub. §. 1. Sane Ecclesia S. Laurentij in Damaso de Vrbe, quæ tituli presbyteri Cardinalis existit, & cui præfidebat, ac officio Vicecancellariatus prædicto quod obtinebat, bonæ memoriæ Pompeius tit. S. Laurentij in Damaso presbyter Cardinalis eiusdem Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius dum viueret, per obitum eiusdem Pompeij Cardinalis, & Vicecancellarij, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persoluit vacantibus, Nos considerantes ipsius officij dignitatem, excellentiam, & auctoritatem, & quod illud à memoria hominum citra per Vicecancellarium temporalem erectum, & gubernatum non extitit, sed semper Vicecancellarium perpetuum habuit, ac quod pro tanti officij regimine, & exercitio, & ne incommoda, quæ ex rerum à suo solito, & destinato cursu mutatione euenire solent, proueniant, decens, & plurimum commodum fore dignoscitur, vt dicta Ecclesia S. Laurentij cum illius palatio seu domo, & membris in eiusdem Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium pro tempore assumptum pro eius proprio titulo seu propria denominatione concedatur, & assignetur, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, cum maxime expediat nobis talem in Vicecancellarium nostrum, & Apostolicæ Sedis assumere, de quo confidere quam maxime possimus, & nullum alium Cardinalem de quo magis confidere possimus quam dilectum filium Hippolytum S. Praxedis Diaconum Cardinalem de Medicis nuncupatum secundum carnem nepotem nostrū habeamus, ac spem in Domino geramus, quod idē Hippolytus Cardinalis, cuius personam ingenij claritate, singulari prouidentia, eximia probitate, aliisque multiplicium virtutum donis, ac gratiarum muneribus illarum largitor decorauit Altissimus, gratia sibi assistente diuina per eius circumspectionem, industriam, & studium fructuosum, ac innatam benignitatem, tam Ecclesiam S. Laurentij, quam officium huiusmodi summa cum prouidentia, & fidelitate, ac exacta diligentia salubriter regere, & fideliter gubernare studebit, de ipsorum fratrum consilio ad honorē, & gloriam dictæ Romanæ Ecclesiæ, necnon Ecclesiæ S. Laurentij, & officij huiusmodi prosperum regimen, & salubrem directionem, Ecclesiam S. Laurentij cum illius palatio, domibus, membris, iurisdictionibus, collationibus, ac aliis dispositionibus beneficiorum Ecclesiasticorum, ac iuribus, & pertinentiis suis vniuersis, necnon Vicecancellariatus officium huiusmodi, siue vt præmittitur, siue alias quouis modo, quem præsentibus haberi volumus pro expresso, aut ex alterius cuiuscumque persona vacaret, similiter cum omnibus, & singulis ipsius officij honoribus, oneribus, priuilegiis, facultatibus, prærogatiuis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis debitis, & consuetis, eidem Hippolyto Cardinali auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & assignamus, ipsumque Hippolytum Cardinalem eidem Ecclesiæ S. Laurentij, in Diaconum Cardinalem præficimus, ac in dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium assumimus, creamus, constituimus, & deputamus. Sibique curam, regimen, & administrationem Ecclesiæ S. Laurentij in spiritualibus, & temporalibus, necnon officij huiusmodi, cuius ratione ab ipso Hippolyto Cardinali fidelitatis debitæ solitum recipiemus iuramentum, & quod etiam per Regentem, & alios Ministros prout alij, præfatæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarij qui pro tempore fuerunt facere consueuerunt, etiam facere, & exercere posse volumus, liberum exercitium plenarie committimus, ac eisdem auctoritate, ac tenore statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Ecclesia ipsa S. Laurentij dictæ Romanæ Ecclesiæ Episcopo aut presbytero seu Diacono Cardinali cui officium ipsum vacans concedi contigerit, pro Ecclesiæ titulo, seu pro eius denominatione eo ipso absque alio iuris vel hominis ministerio dicta auctoritate concessa, & assignata, & ipse eidem Ecclesiæ S. Laurentij præfectus sit, & esse censeatur; ita quod liceat eidem Hippolyto, & pro tempore ad dictum Vicecancellariatus officium assumpto, per se vel alium seu alios Ecclesiæ S. Laurentij, ac Palatij, seu domus membrorum, iurisdictionum, iurium, & pertinentiarum prædictarum, corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, & retinere, illamque regere, & gubernare, & alia facere, & exercere quæ Presbyteri seu Diaconi Cardinales qui illi pro tempore præfuerunt, facere potuerunt, & debuerunt.

Cum omnib. priuilegiis & facultatibus consuetis. §. 2. Ipsique Hippolyto Cardinali, & Vicecancellario, vt omnibus, & singulis priuilegiis, prærogatiuis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indultis, concessionibus, & gratiis, nobis dum in minoribus constituti illud obtineremus, & cuicumque alteri dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, ratione officij Vicecancellariatus huiusmodi aut nostræ vel illius personæ intuitu, & alias quomodolibet, tam in genere quam in specie concessis, quorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter ac de verbo ad verbum insertos habemus, & quicumque alius eiusdem Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius vtebatur, potiebatur, & gaudebat, ac vti, potiri, & gaudere poterat, vti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeat, indulgemus.

Hortatio ad fidelem officij administrationem. §. 3. Quocirca eidem Hippolyto Cardinali per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum sibi onus regiminis, & administrationis Ecclesiæ Sancti Laurentij, ac officij Vicecancellariatus huiusmodi prompta deuotione

deuotione suscipiens, curam regimen, & administrationem Ecclesiæ S. Laurentij, ac officium huiusmodi iuxta datam sibi à Domino prouidentiam, sic exercere studeat sollicite, fideliter, & prudenter, quod Ecclesia, & officium prædicta gubernatori prouido, & fructuoso administratori gaudeant se commissa, & optati fructus quos speramus, succedant, ipseque Hippolytus Cardinalis præter æternæ retributionis præmium, nostram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde vberius consequi mereatur.

Capitulum S. Laurentij. §. 4. Necnon dilectis filiis Capitulo, & clericis ipsius Ecclesiæ Sancti Laurentij, vt eidem Hippolyto Cardinali, & Vicecancellario in omnibus, & per omnia pareant, & obediant, alioquin sententiam siue pœnam, quam rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

Officialesque Cancellariæ ei pareant. §. 5. Ac omnibus, & singulis ipsius Cancellariæ officialibus, & aliis ad quos pertinet, vt ipsum Cardinalem Hippolytum ad dictum Vicecancellariatus officium recipiant, & admittant, eique tanquam vero dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario in omnibus ad officium ipsum spectantibus similiter pareant, & obediant, ac de iuribus, obuentionibus, & emolumentis consuetis integre respondeant. Non obstantibus constitutionibus, &c.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. A. 9. die 5. Iulij. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimo secundo, die 5. Iulij, Pontificatus nostri Anno nono.

XXXV. Approbatio Congregationis Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Obseruantiæ nuper institutæ, & ordinationes pro eorum bono regimine.

Alias ordinationes dedit Greg. XIV. in const. 55. Dum illas. Et iam Pius V. de domibus à Fratribus de Obseruantia eis assignandis sanctionem ediderat in const. 81. Iniunctam. Deinde Clem. VIII. eosdem vero Regulæ B. Francisci nō autem nouæ regulæ professores esse declarauit in sua const. 91. Ex iniuncto. Et contra occupantes bona Monasteriorum eis concedendorum, pœnas instituit in alia eius const. 100. Decet. Et tandem Magistri generalis, & aliorum Prælatorum de Obseruantia auctoritatem super eis, eorumque appellationibus Paulus V. declarauit in alia const. 31. Postulat, vbi notabo. Prout eisdem tradidit formam recipiendi Nouitios prædictus Clē. VIII. in const. 106. Sanctissimus. Et declarauit etiam quando eis liceat habere organa, paramenta, & vasa pretiosa, in alia const. 84. Sanctissimus.

De totius autem Ordinis S. Francisci materia, plene notaui sup. in const. 5. Hon. III. Solet.

Edita A. D. 1532. CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. IN suprema militantis Ecclesiæ specula, licet immeriti, disponente Domino constituti, inter multiplices nobis ex debito Pastoralis officij incumbentes curas, illa potissimum premimur, vt qui sub voluntariæ paupertatis habitu militantes, in humilitatis spiritu deuotum, & sedulum Altissimo impendere satagunt famulatum, non solum ad id sublatis impedimentis intendant, verum etiā id eo ardentius efficiant, quo maiores sibi viderint exhiberi commoditates. Et ex hoc fit, vt quæ antea ex rationabilibus causis à prædecessoribus nostris ordinata videbantur, ea interdum reformemus, & in melius ordinemus, prout iuxta temporum, & personarum qualitatem, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Leo X. multos Fratres vniuit sub denominatione Regularis Obseruantiæ, vt suprà in eius const. 32. lib. §. 1. Sane postquam fel. rec. Leo Papa X. prædecessor noster, ex certis tunc expressis causis, voluerat, & declarauerat, sub nomine Reformatorum, ac pure, & simpliciter Regulam B. Francisci Obseruantium, comprehendi omnes, & singulos obseruantes, tam de familia, quam reformatos sub Ministris, ac fratris Amadei de Colletaniis, Clarenis, de S. Euangelio, seu de Caputio, ac Discalceatos nuncupatos, aut alios similes quocumque alio nomine nuncuparentur, & Regulam B. Francisci huiusmodi pure & simpliciter obseruarent, ex quibus omnibus vnum corpus insimul efficiens, eosdem ad inuicem perpetuo vniuerat, ita quod deinceps, omissa diuersitate nominum prædictorum, Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ simul, vel disiunctiue nuncuparentur, & nuncupari possent, & deberent. Omnesque vt præfertur, vnitos Generali, & Prouincialibus Ministris, & Custodibus dicti Ordinis, in quorum Prouinciis, & Custodiis respectiue morabantur, in omnibus, & per omnia, secundum Regulam eandem, subiici deberent.

Postea nonnulli Fratres ad Regulam S. Francisci obseruare cupientes in maximum animarum profectum. §. 2. Cum nonnulli ipsius Ordinis professores, sicut fideli relatione percepimus, Spiritu sancto inflammati, vt beati Francisci alumni, & veri filij affectent Regulam ipsam beati Francisci pure, & plene iuxta illius literam, & declarationes bonæ mem. Nicolai III. ac Clementis V. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum firmiter obseruare; Nos, qui in sinceris eorum conscientiis delectamur quique ab ineunte ætate, ad huius Ordinis professores, & Ordinem ipsum singularem gessimus deuotionis affectum, nunc autem ex communi cura Pastoralis regiminis, quam immeriti sustinemus, ad ipsos faciendos dulcius, & gratiosis fauoribus attente prosequendos tanto prouocamur ardentius, quanto intenta mente frequentius cogitamus fructus vberes, quos ex Regulæ præfatæ arctiori Obseruantia ipsi Religioni, & toti vniuersitati Ecclesiæ speramus prouenturos. Attendentes etiā, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos grauantes remorsus, pars securior est tenenda. Igitur tam pia, & feruenti Fratrum prædictorum intentione commoti, ad peragendum diligentius quod ab eisdem desideratur, studia nostra duximus conuertenda.

Hic ideo Pontifex loca eis commoda assignari mandat. *Imo Pius V. duo in singulis Prouinciis assignari iussit in const. 81. Et intelligo si sint idonea iuxt bull. 55. Greg. XIII.* §. 3. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, ac aliis de ipso Ordine ad plenum informatis, matura deliberatione, de eorundem Cardinalium vnanimi consilio, his nostris in perpetuum valituris, statuimus, & ordinamus, ac in virtute sanctæ obedientiæ districtius præcipiendo mandamus. Quod prædictis Fratribus, dictam strictiorem Obseruantiam desiderantibus, per præfatos Generales, & Prouinciales Ministros, cæterosque dicti Ordinis Prælatos, & quemlibet ipsorum, cui, vel quibus hæ nostræ, vel earum transumpta præsentatæ, vel præsentata fuerint, assignentur loca, quantum fieri poterit, contigua, quatuor, vel quinque, iuxta numerum Fratrum eorundem. Et si in futurum plures Fratres voluerint se vitæ præcedentium conformare, & ab eis acceptati fuerint, nullus eos impedire possit. Sed Magister Prouinciæ, cum Definitoribus in Prouinciali Capitulo teneantur alia loca, quantum possibile fuerit contigua prædictis, eis assignare, & prioribus addere. Quæ quidem loca Fratres prædicti expropriare possint superfluis, & pretiosis, & ea in vtilia, & necessaria commutare mediante Syndico à Nicolao Tertio prædecessore ordinato.

Minister Generalis & alij hanc strictiorem obseruantiam impedire prohibentur. §. 4. Et Generalis ac Prouinciales Ministri, & eorum Commissarij, non possint impedire prædictos à dicta strictiori Obseruantia ipsius Regulæ, iuxta prædictas declarationes Nicolai, & Clementis. Nec à suo bono modo viuendi, quem inter se, pro dicta arctiori Obseruantia, ordinauerint. Nec etiam impediant, quin vilioribus, & asperioribus induantur. Et quin nudis pedibus ambulent. Sed, qui non poterint, portent calopodia, vt cæteris conformentur.

Forma habitus sit conformis. §. 5. Forma autem habitus, & Caputij sit in certis Obseruantiæ Fratribus conformis.

Recipiendi quomodo ac recipiendi. Tu vid. const. 25 Pauli V. Postulat. §. 6. Volumus etiam, quod Fratres recipiendi, seu vestiendi per Fratres in dicta strictiori Obseruantia viuentes, examinentur iuxta Regulam, per Ministrum Prouincialem, & ab ipso, cum consilio ipsorum acceptentur. Nec possint quicumque dicti Ordinis Prælati, sine præfatorum Fratrum consensu, ad loca prædicta mittere alios Fratres. Nec prædictos ab ipsis locis amouere, nisi ipsi petierint.

petierint. In Prouincialibus vero Capitulis remoueantur per Ministros Prouinciales, & Definitores à locis prædictis, illi Fratres, quos Custos, vt infra eligendus, cum consensu maioris partis Vocalium dictorum locorum, duxerit amouendos.

Custodem habeant illi Reformati in singulis Prouinciis.

§. 7. Insuper statuimus, quod prædicti Fratres, in dicta strictiori Obseruantia viuere volentes, habeant in singulis Prouinciis, vbi fuerint, Custodem vnum ex ipsis, quem sibi ipsi petierint, à Ministro Prouinciali, vel ab eo, qui præest Capitulo, simul cum Definitoribus confirmandum, & assignandum.

Potestas eius designatur.

§. 8. Qui habeat absolutam potestatem plenarie in hoc tantum, vt Fratres prædictos visitet, moneat, corrigat, ac manuteneat in dicta strictiori Obseruantia Regulæ, ordinationum, & gratiarum eis à nobis, & successoribus nostris, pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, & prædictis Ministris Generalibus concessarum, & concedendarum in futurum, & in dicto suo bono viuendi. Nec propter hoc impediatur Minister Prouincialis, quin visitare possit eosdem, & corrigere delinquentes. Qui etiam Custos ire possit ad Capitulum Generale, cum Ministro Prouinciæ, ad intimandum necessitates, & opportunitates dictorum Fratrum.

Vocales in Capitulis qui.

§. 9. Ordinamus etiam, quod Custos, Guardiani, & Discreti prædictorum locorum, vadant ad Capitula Prouincialia, in quibus habeant vocem actiuam, & passiuam, sicut cæteri Vocales.

In Cap. quæ peragenda.

§. 10. In quibus Capitulis Custos prædictus præsentet Ministro Prouinciali, & Definitoribus Fratres idoneos ad officium Guardianatus. Ex quibus tantum fiant Guardiani supradictorum locorum. Possit etiam idem Custos infra annum, cum consensu maioris partis Conuentus singuli remouere Guardianum ab eius officio, & alium substituere, quem Minister Prouincialis confirmet.

Custodis officium triennio expletur, &c.

§. 11. Custos verò à Fratribus prædictis eligi, vsque ad triennium. Quo custode infra annum decedente, Guardiani dictorum locorum alium, quem sibi videtur expedire, petant à Ministro, vel eius Commissario confirmari, & assignari, quem Minister ipse, siue eius Commissarius benigne confirmet, & assignet. Possit quoque dictus Custos, si Fratribus eisdem expediens visum fuerit, esse Guardianus vnius dictorum locorum.

Obseruantiā huius bullæ præcipit Papa.

§. 12. Si igitur Ministri Prouinciales, vel eorum Commissarij his prædictis contrauenerint, siue alicui eorum immediate Fratres prædictorum locorum subiiciantur Ministro Generali. Et, si, quod absit, Minister Generalis prædictus eos impedire tentauerit, vel eis in præmissis, aut in aliquo præmissorum fuerit neglexerit, volumus præfatis Fratribus, ad Apostolicam Sedem, & ad totius Ordinis Protectorem liberum patere recursum, à quo si quis eos impedire præsumpserit, sententiæ excommunicationis, quam ex nunc prout ex tunc ferimus in his scriptis, illico subiacere Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & promulgamus.

Executores deputat.

§. 13. Quocirca moderno, & pro tempore existenti Cameræ Apostolicæ generali Auditori, necnon vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque in dignitate Ecclesiastica constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli, præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Fratrum supradictæ strictioris obseruantiæ, seu alicuius eorum, super hoc requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eosdem omnibus, & singulis prædictis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebite molestari, vel quouis quæsito colore, vel ingenio, directè, vel indirectè perturbari, aut aliter quomodolibet inquietari. Contradictores quoslibet per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausulas derogatorias apponit.

§. 14. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon ipsius Leonis Decimi, & quorumcumque aliorum prædecessorum nostrorum literis, etiam Bulla aurea, Mari magno, vel aliis quibuscumque dictique Ordinis statutis, priuilegiis, & indultis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, etiam in forma Breuis, etiam anno præsenti, vel sub quibuscumque verborum formis, solemnitatibus, clausulis etiam insolitis, & quantumcumque fortissimis dicto Ordini, vel quibuscumque Prælatis eiusdem concessis, vel concedendis in futurum, etiam si ( ) les forent, quod pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio habenda foret, quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro plene sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§. 15. Cæterum, quia difficile foret præsentes literas ad quælibet loca, vbi opus fuerit, deferri, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod, transumptis earundem manu Notarij publici signatis, alicuius Prælati Ecclesiastici sigillo munitis, ea prorsus fides, in iudicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur, si præsentes originales literæ exhiberentur, & ostenderentur.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ 1532. 16. Kal. Decemb. Pont. nostri Anno nono. *D. P. An. 9. die 16. Nou.*

Extensio ad Fratres Iesuatos S. Hieronymi, omnium gratiarum, & indultorum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. XXXVI.

Quinimo ista Congregatio gaudet priuilegijs, & gratijs omnium Ordinum Mendicantium vt in bulla 50. Pij V. Romanus, vbi notabo.

CLEMENS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Congregationi S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.* *Edita An. D. 1532.*

Exordium.

SAcræ Religionis sinceritas in qua sub voluntariæ paupertatis habitu militantes, in humilitatis spiritu, deuotum, & sedulum impenditis Domino famulatum, necnon piæ vitæ, sub qua degitis obseruantia promerentur, vt petitiones vestras quantum cum Deo possumus grato admittentes affectu, vos condignis priuilegiis decoremus, & gratiis.

Congregatio supplicat pro concessione gratiarum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini cuius regulam profitetur.

§. 1. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod postquam fel. rec. Iulius Papa II. prædecessor noster ex certis tunc expressis causis Fratres tam tunc existentes Congregationis Sancti Hieronymi Iesuatorum nuncupatorum, quam illam pro tempore ingredientes, professionem, per Religiosos Ordinis Sancti Augustini emitti solitam expresse emittere, & in eorum habitu, & statu in quibus tunc existebant remanere, ac sub eorum Regularibus institutis viuere tenerentur, statuerat, & ordinauerat, vos professionem per Religiosos Sancti Augustini huiusmodi emitti solitam, expresse emittere consueuistis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis propterea, omnibus, & singulis priuilegiis, indulgentiis, prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, Ordini Fratrum Eremitarum eiusdem Sancti Augustini concessis, vti, potiri, & gaudere possitis, & debeatis, concedere, ac alias vobis in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic autē Pontifex gratias immunitates & indulta omnia Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini eidem Congregationi communicat.

§. 2. Nos igitur, vt diuinis obsequiis eo attentius insistatis, quo ampliori Apostolicæ Sedis vbertate noueritis vos foueri, vos, & vestrum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati estis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

inclinati, vobis quod omnibus, & singulis priuilegiis, indulgentiis, prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis Ordini Eremitarum Sancti Augustini huiusmodi, ac illius professoribus, tam in spiritualibus, quam in temporalibus in genere, etiam communicatiue per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, aut pro talibus habitos, ac Sedem præfatam hactenus quomodolibet concessis, ac in posterum concedendis, & quibus professores huiusmodi tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissionem, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationem, aut alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quæ omnia ac si hic nominatim exprimerentur pro expressis haberi volumus perpetuis futuris temporibus, vtamini, potiamini, & gaudeatis, ac vti, potiri, & gaudere, necnon illorum omnium participes esse possitis, & debeatis concedimus; ac priuilegia, indulgentias, prærogatiuas, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta Ordini Fratrum Eremitarum ac illius professoribus huiusmodi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus in genere, quam etiam communicatiue concessa, vt præfertur, ad vos, & Fratres vestros extendimus, & ampliamus, ac in vobis locum habere, & suum plenarium effectum in omnibus, & per omnia, absque vlla prorsus differentia sortiri debere; necnon priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, exemptionum, immunitatum, gratiarum, & indultorum eidem Ordini Eremitarum, ac illius professoribus, vt præfertur, concessorum, originalibus literis, aut transumptis authenticis pro parte vestra, ac in fauorem vestrum adducendis vel exhibendis indubiam, & eandem fidem, quæ eis si in fauorem vestrum à Sede Apostolica emanassent, & vobis fuissent immediate concessa adhiberetur, in iudicio, & extra adhiberi debere decernimus, statuimus, & declaramus.

Contrarijs derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac vestris, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 10. die 31. Ian.

Dat. Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, 1532. Prid. Kal. Februarij, Pont. nostri Anno decimo.

XXXVII. Approbatio Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, in communi viuentium, triaque vota substantialia emittentium, in Diœcesi Mediolanen. & sub Ordinarij obedientia degentium.

Istam Congregationem firmauit Paulus III. & sub Sedis Apost. protectione recepit, & circa eius statum multa ordinauit, vt in eius const. 5. Dudam, & Iulius III. Conseruatores eam amplu facultatibus dedit in eius const. 10. Ad hoc.

Istis Clericis transitum ad alios Ordines certo modo prohibuit Greg. XIII. inf. in eius const. 48. In specula, vbi hanc Congregationem S. Pauli Decollati appellat. Et ad processiones inuitos non accedere decreuit idem Gregor. vt habetur in const. 5. Sixti V. Rationi. Qui Six. modum recipiendi Nouitios eisdem præscripsit 10 const. 77. Exigit.

Edita An. D. 1533.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filiis Bartholomæo Ferrario, & Ant. Maria Zaccharia Presbyteris Mediolanen. & Cremonen.

Exordium.

VOta per quæ vos in humilitatis spiritu perennis vitæ præmij digniores effici, vestræque & aliorum animarum saluti consulere possitis, libenter ad exauditionis gratiam admittimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis.

Quidam probi viri, quietius religiose viuere volentes, supplicarunt Papa, pro licentia emittendi tria vota substantialia & insimul permanendi.

§. 1. Exponi siquidem nobis fecistis quod vos cum certibus aliis vestræ voluntatis sociis, vt liberius diuinis beneplacitis insistere, & quæ Dei sunt perquirere possitis, cupitis professionem trium votorum substantialium Religionis in manibus venerabilis fratris Archiepiscopi Mediolanensis, seu eius in spiritualibus Vicarij generalis emittere, & insimul in aliquo loco Ciuitatis, seu Diœcesis Mediolanen. per vos eligendo morari, & permanere. Quare nobis fecistis humiliter supplicari, vt piæ vestræ intentioni huiusmodi paterna annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Tu vide quod dices infr.

Qui petitam licentiam eis concedit, dummodo viuant in communi, & sub obedientia Ordinarij.

§. 2. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & vestrum singulis, vt professionem ipsam in eiusmodi Archiepiscopi, seu Vicarij, qui vero de cætero ad vos conuerti voluerint in alterius vestrum, seu Præpositi, vestræ Congregationis pro tempore existentis manibus, professionem trium votorum eorumdem emittere, & insimul, sub obedientia tamen Ordinarij loco per eos eligendo cohabitare, ac in communi viuere.

Imo viuant sub protectione Sedis Apos. vt notaui infra.

§. 3. Necnon pro vestro, & rerum vestrarum salubri statuto, & directione, quæcumque statuta, & ordinationes rationabilia, & honesta, ac sacris canonibus non contraria condere, & facere, illaque vt vobis pro temporum qualitate expedire videbitur mutare, & in totum tollere, aliaque, illorum loco de nouo facere liberè, & licitè valeatis.

Et etiam condendi statuta pro eorum salubri statu.

§. 4. Apostolicis ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Apostolica auctoritate tenore præsentium de specialis dono gratiæ concedimus, & Indulgemus eisdem præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Quibuscumque non obstantibus.

Dat. P. A. 10. die 18. Febr.

Dat. Bononiæ, sub annulo Piscatoris, die 18. Februarij 1533. Pont. nostri Anno decimo.

XXXVIII. Gratiæ, & priuilegia Congregationis Clericorũ Regularium, qui Theatini nuncupantur.

De institutione huius Congregationis, aliisque eius priuilegiis, vide sup. in const. 11. Expont. vbi notaui.

CLEMENS PAPA VII.

Edita An. D. 1533.

Venerabili fratri Petro Episcopo Theatino, ac dilectis filiis Presbytero Vicentino, & eorum Sociis, & successoribus, Clericis Regularibus nuncupatis.

Hic Pont. confirmauit istam Congregationem sup.

DVdum pro parte vestra nobis exposito, &c. Residuum est sup. vbi notaui.

Et eis eandem Congr. studijs, prædicationibus, & confessionib. vacare sane decreuisset.

§. 1. Et deinde nobis etiam pro parte vestra exposito, quod vos sub trium votorum substantialium emissione, vitam clericalem pie ducere, ac prædicationi verbi Dei, audientiæ confessionum, & sacræ Theologiæ, ac sacrorum Canonum studiis, ad vestrarum, & aliorum Christi fidelium animarum profectum, vacare decreueratis.

Hic Pont. facultatem con. Preposito super his dispensandi, &c. dedit, in const. quam hic non habeo.

§. 2. Nos vestris etiam tunc supplicationibus inclinati vobis, vt Superiores vestri, Præpositi nuncupati, pro tempore existentes, cum clericis, & sociis suis, qui in supradictis pietatis operibus, aut studio literarum sacrarum occuparentur, seu infirmitate, aut infirmorum curatione & ministerio pro tempore præpedirentur, super recitatione diuinorum officiorum, ad hoc, vt ipsi occupati, vel impediti, certum Psalmorum per ipsos Superiores eis assignandorum non minus septem, aut sex, cum diuisione, ac Orationem Dominicam septies, Symbolum Apostolorum bis, grauiter autem ægrotantes, Orationem Dominicam semel, & Salutationem Angelicam septies in die; recitando, septem horis canonicis, & toti diuino officio, satisfecisse censerentur, & cum quibusuis clericis, & sociis vestris in præueniendo, vel postponendo, vniendo, vel decidendo in communi, vel speciali horas canonicas, ac in breuiandis, & protelandis lectionibus.

Ac super ieiuniis.

§. 3. Necnon super ieiuniis etiam de præcepto, etiam Quadragesimalibus, & cum concessione vespertini ientaculi, collationis nuncupati, & comestionis, etiam panis in eis licite, & absque præuaricatione faciendæ dispensare possint per alias.

§. 4. Et postremo, vt vos, inter vos, mutuas, seu etiam alij

Et absolutione in confessionibus danda à consuetam. alij sacerdotes sæculares, vel regulares, à vobis de Superiorum vestrorum, aut Sedis Apostolicæ licentia ad hoc pro tempore eligendi vestras, ac vos eorum confessiones audientes ab absolutionibus hac forma vti possetis & illi possent, videlicet post Misereatur, &c. & Indulgentiam, &c. Dominus noster IESVS CHRISTVS te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & beatorum Apost. Petri, & Pauli, mihi concessa absoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, suspensionis & interdicti, dispenso tecum in omni irregularitate, quam quomodocumque incurristi, & restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiæ, vnionique & participationi fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Iterum eadem auctoritate, &c. per alias...... nostras in forma Breuis literas, ad hoc, vt dicta forma in absolutionibus, non solum cum sacerdotibus, sed etiam cum aliis clericis, & l[illegible]is vestræ Congregationis pro tempore existentibus, vobis pro tempore confitentibus, vti possetis extendimus, & ampliauimus, auctoritate Apostolica in perpetuum concessimus, & indulsimus, prout in illis plenius continetur.

Et modo prædicta confirmat, & ab omni superioritate eximit. §. 5. Cum aut, sicut nobis nuper exponi fecistis, pro præmissorum omnium subsistentia firmiori, ea omnia per nos innouari, & nonnulla alia pro felici huiusmodi vestri propositi directione statu, & ordinari cupiatis, & propterea nobis humiliter supplicari feceritis, vt vobis super eis, opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui fidelium omnium, & præsertim sub paupertate, obedientia & castitate Altissimo famulantium votis, quantum cum Deo possumus libenter annuimus, vestrum institutum plurimum in Domino commendantes, & approbantes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, præmissa omnia, ac alia quæcumque per nos vobis hactenus concessa, innouamus, vestrisque piis votis, & desideriis, quæ eis ca infrascripta omnia, & singula habere nobis exponi fecistis, vt sub nostra, & huius sanctæ Sedis Apostolicæ, speciali protectione, & humili subiectione, ab omni alio Superiore penitus liberi, & exempti soli Romano Pontifici canonice intranti, & Superiori vestro canonice electo pro tempore existentibus subditi, degere debeatis.

Intrantes hanc religionem implent votum intrandi religionem. §. 6. Ac qui ad vestrum communem viuendi modum se contulerint, & ad votorum professionem huiusmodi, modo, & forma præmissis admissi fuerint, voto Religionis in genere emisso, satisfecisse censeantur, perpetuo concedimus.

Superiores Ordinis ad triennium confirmari possunt. §. 7. Quodque singuli Superiores vestri, pro tempore electi, finito triennio, quo confirmati fuerint, in alio loco in superiores eligi, & ad aliud triennium ex tunc immediate sequens confirmari.

Habitus, & cæremoniarum ritus designantur. §. 8. Ac tam ipsi, quam eorum socij pro tempore existentes, ac vos ipsi vestimenta cum manicis super pallium exertis deferre. Ac tam circa vestimenta, quam circa cæremonias in officiis Ecclesiasticis, reliquo vitæ cultu, & victu seruandas, cum moribus, & laudabilibus consuetudinibus bonorum Clericorum Ciuitatis, vel loci, in qua, seu quo vos, & eos pro tempore degere, vel morari contigerit conuenire.

Officialium munus refertur. §. 9. Ac sub singulis Præpositis Archipresbyterum, qui in spiritualibus, & Archidiaconum, qui in temporalibus præsint, & vestrum curam habeant, ac Plebanum, qui curam animarum vobis imminentem exerceat, eligere valeatis.

Mensæ benedicendæ modus datur. §. 10. Et omni tempore, in benedictione mensæ Psalmum, Laudate Dominum omnes gentes recitare, nec ad alium Psalmum recitandum quoquo modo teneamini.

Vocales in Capitulo designantur. §. 11. Quodque in Capitulis vestris, illi tantum, qui ad id capitulariter admissi fuerint; vocem habeant, & alij, vt præfertur non admissi, in eo minime interuenire aut vocem habere possint, etiam perpetuo statuimus, & ordinamus.

Priuilegia & gratiæ omnium Ordinum conceduntur. §. 12. Ac insuper vobis, quod omnibus & singulis priuilegiis, indulgentiis, prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, quorumvis, etiam Cisterciensium, & Cluniacensium, Monachis, & aliorum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinum Fratribus, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, in specie, vel in genere, etiam communicatiue, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & pro talibus habitos, ac Sedem Apostolicam hactenus quomodolibet concessis, & in posterum concedendis, & quibus illi, tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut alias quomodolibet, vti, potiri, & gaudere possunt, aut poterunt quomodolibet in futurum, quæ omnia ac si hic de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis haberi volumus insererentur, præsentibus pro expressis haberi volumus, perpetuis futuris temporibus vtamini, potiamini & gaudeatis, ac vti, potiri, & gaudere, necnon illorum omnium participes esse possitis, & debeatis indulgemus. Ac priuilegia, indulgentias, prærogatiuas, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, Monachis, & Fratribus prædictis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, in specie, vel in genere, etiam communicatiue concessa, vt præfertur, ad vos extendimus, & ampliamus, ac in vobis locum habere, & suum plenarium effectum sortiri debere decernimus, & declaramus.

Tu scias fuisse etiam data *Priuilegia Societatis Iesu à Pio V. infr. in const. 35.* *Ad immutationem sublatam.*

Contrarijs derogatur. §. 13. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac vestris, & dictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis creditur. §. 14. Et insuper præsentium literarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, plenam vbique tam in iudicio, quam extra, & eandem prorsus fidem haberi, quæ originalibus literis præstaretur, si exhiberentur.

Dat. in Ciuitate nostra Bononiæ, sub annulo Piscatoris, die 7. Martij 1533. Pont. nostri Anno decimo. *Dat P. A 10. die 7. Mart.*

Contra impedientes quocumque modo, executionem literarum Apostolicarum, eorumque complices & fautores. XXXIX.

Declarationem vide inf. in Greg. XIII. const. 19. Ad Romani, vbi circa id, Tridentini Concilij cap. 20 sess. 24. interpretatur.

Contra prædictos habes etiam sup. const. Mart. V. num. 2. Quod & const. 17. Innocent. VIII. Officij, & const. 30. Leon. X. In supremo, & quotannis Romani Pont. in die Cœnæ Domini anathematis sententiam promulgant, vt videre est infra in Pauli V. const. 63. Pastoralis. §. 14. cum ibi indicandis.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1533.*

Exordium. ROmanus Pontifex, qui solet pro debito Pastoralis officij alios in sua iustitia confouere, non debet suam, & Apostolicæ Sedis iustitiam negligere, quare nos ad ea debemus sollicite intendere, per quæ nostra, & eiusdem Sedis auctoritas conseruetur, & quæ propterea à Rom. Pontific. prædecessoribus nostris prouide processisse comperimus, vt perpetuo firma & illibata persistant, libenter Apostolico munimine roboramus, ac alias nostræ prouisionis remedium adiicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Vrb. VI. (cuius const. istã hic non habes) concessit quibusdam prælatis, vt literæ Apost. sine eorum approbatione exequi non possint in eorum locis. §. 1. Sane licet olim bonæ memoriæ Vrbanus Papa Sextus in sua obedientia nuncupatur concesserit certis Prælatis, vt in eorum ciuitatibus, & diœcesibus executio literarum Apostolicarum fieri non possit, nisi literæ ipsæ eisdem Prælatis, aut eorum officialibus prius exhibitæ, & per eos approbatæ forent; Et eorundem Prælatorum officiales id in consuetudinem deduxissent: Aliqui vero prætextu statutorum prouincialium, seu synodalium etiam seruassent, quod nullus literas Apostolicas huiusmodi exequi auderet, nisi postquam Prælati, seu officiales ipsi, per suas literas, quas Vidimus, seu Placet nuncupabant, mandarent, & concederent;

cederent, vt Iudices in ipsis literis Apostolicis deputati, illas exequi possent.

Bonif. ix (cuius const. ista hic nō habe.) reuocauit cōcessiones Vrbani.

§. 2. Tamen fel. recor. Bonifacius Papa Nonus, etiam in sua obedientia nuncupatus, prouide attendens quod propter tales literas Vidimus, seu Placet nuncupatas, impetrantes Apostolici, sæpe literarum Apostolicarum effectum consequi nequiuerant, concessionem Vrbani huiusmodi, ac statuta quæcumque super his facta reuocauit, cassauit, & annullauit, ac decreuit, quod Iudices & executores quicumque in literis Apostolicis pro tempore deputati, etiam sine licentia vel consensu quorumcumque Prælatorum, vel superiorum, aut officialium eorumdem, literas Apostolicas exequi possent & deberent.

Martin. v. concessionem eiusdem Vrb. reuocauit, & literas Apost. libere exequi mandauit, vt sup. in eius const. 2.

§. 3. Et successiue fel. record. Martinus Papa Quintus prædecessor noster in Concilio Constantien. considerans quod in exordiis pestiferi, & antiquati schismatis tunc per Dei gratiam extincti, ad tollendum scandala, quæ propter executionem diuersarum literarum, quæ ab his, qui pro Romanis Pontificibus in diuersis obedientiis se gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, supradictus Vrbanus in sua obedientia quibusdam Prælatis supradictam concessionem fecerat, & quod postea ipsi Prælati, seu officiales in consuetudinem traxerant: aliqui verò prætextu dictorum statutorum principalium seu synodalium, seruabant & seruari faciebant, quod literas Apostolicas nullus exequi deberet, nisi postquam Prælati, seu officiales ipsi per suas literas, quas Vidimus, seu Placet, vt præfertur, nuncupabant, mandarent, & concederent, quod possint exequi per Iudices in eis deputatos, propter quod executio literarum Apostolicarum plus debito plerumque retardata fuerat & sæpe ipsæ literæ Apostolicæ executione caruerant totaliter, in grauem iniuriam Sedis Apostolicæ, & enorme impetrantium præiudicium, & grauamen, censensque rationi congruum, vt quod dicti schismatis calamitas introduxerunt, pacis tempore auferretur, concessionem prædictam, & quæcumque statuta circa præmissa quomodolibet facta, auctoritate Apostolica, dicto sacro Concilio approbante, reuocauit, cassauit, & annullauit, ac voluit, & decreuit, quod Iudices, & executores quicumque in literis Apostolicis deputati, & deputandi, & alij quicumque, necnon Notarij, & tabelliones super his requisiti, & requirendi, absque huiusmodi literis Vidimus, seu Placet nuncupatis, ac etiam licentia, vel assensu quorumcumque Prælatorum, Patriarchali, aut alia quavis dignitate insignitorum, & locorum Ordinariorum, aut officialium eorumdem libere huiusmodi literas Apostolicas exequi deberent, atque possent, ac eadem auctoritate decreuit, omnes & singulas sententias, quas prædicti Prælati, aut eorum officiales contra huiusmodi Iudices, vel executores, seu impetrantes, propter executiones huiusmodi per eos faciendas inflixerant, & promulgauerant, irritas & inanes, ac nullius existere roboris, vel momenti. Necnon quemcumque, qui contra præmissa aliquid attentare præsumeret, ab exercitio iurisdictionis Ecclesiasticæ per tres menses suspensum fore.

Leo x reprobauit ordinationes contrarium continētes & Bonifacij ix bullam approbauit in const. 30.

§. 4. Ac nouissime piæ memoriæ Leo Papa X. etiam prædecessor noster, cum alias in publica Signatura coram eo nonnullæ supplicationes propositæ fuissent, continentes, quod in Toletan. & Carthaginen. Ecclesiis, sub colore falsitatibus obuiandi, conditæ fuerant constitutiones synodales, quibus caueri dicebatur, vt tabelliones, & notarij, etiam à partibus requisiti, literas Apostolicas nullatenus recipere possent, nisi illæ prius per Archiepiscopum Toletan. & Episcopum Carthaginen. pro tempore existentes, aut eorum officiales examinatæ forent, & ab eodem Leone prædecessore earumdem constitutionum confirmatio peteretur, petitionem huiusmodi, vt ratione carentem (cum Romani Pontificis gesta per inferiores, & sibi subditos sine eius speciali licentia examinari non deberent) indecens, & absurdum, quinimo temerarium fore censens, quod aliquis, quavis occasione, literas Apostolicas sine Romani Pontificis speciali commissione examinare velle præsumeret, ac supplicationes ipsas, prout merito reiiciendæ erant, reiecit, & coram eo lacerari fecit. Ac super his tale remedium adhibere volens, vt aliis in posterum committendi similia aditus præcluderetur, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine literas dicti Bonifacij approbauit, & innouauit, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, illasque inuiolabiliter obseruari decreuit.

Et synodales constit. impedientes executionem literarum Apost. annullauit, & illas absque licentia exequi mandauit.

§. 5. Necnon quascumque constitutiones synodales, tam in dictis Toletan. & Carthaginen. quam quibusvis aliis Ecclesiis per vniuersum Orbem constitutis super his factas, motu, scientia, auctoritate, & potestate prædictis, cassauit, & annullauit, ac statuit, & ordinauit, quod Iudices, & executores in literis Apostolicis pro tempore deputati, ac notarij & tabelliones super his requisiti ipsas literas Apostolicas sine alicuius personæ, cuiuscumque Ecclesiasticæ, vel mundanæ dignitatis esset, licentia, vel consensu, exequi possint, & deberent.

Impedientibusque illarum executionem pœnas hic descriptas imposuit.

§. 6. Et insuper vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Primatibus, Episcopis, & aliis prælatis, & personis Ecclesiasticis, necnon Communitatibus Ciuitatum, & Vniuersitatibus, castrorum, oppidorum, terrarum, & locorum, sub interdicti singularibusque personis eorum, etiam sæcularibus, sub excommunicationis, & anathematis pœnis, quas eo ipso si contrafecissent, absque alia declaratione incurrerent, & à quibus nonnisi ab eodem Leone prædecessore, vel successoribus suis canonice intrantibus, præterquam in mortis articulo constitutæ, & debita satisfactione præmissa absolui, & interdicti huiusmodi relaxationem obtinere possent, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandauit, ne iudices, & executores literarum Apostolicarum, ac notarios & tabelliones super his requisitos quominus literas Apostolicas huiusmodi exequi possent, quoquo modo impedire præsumerent, ac eos, qui executionem literarum huiusmodi impedirent, seu impedientibus, auxilium vel fauorem quovis modo, directe vel indirecte, publice vel occulte, præstare præsumerent, etiam si Patriarchali, Archiepiscopali, Primatiali, Episcopali, vel quavis alia Ecclesiastica vel mundana, etiam Imperiali, Regali, Reginali, aut Ducali, vel alia præfulgeant dignitate eidem excommunicationis, & anathematis sententiæ, à qua non nisi, vt præfertur, absolui possent, sub acere, ac ciuitates, terras, castra, oppida, & loca prædicta, ad quæ inobedientes, & contrafacientes declinare, & in quibus moram trahere contingeret, Ecclesiastico supposuit interdicto, tamdiu firmiter obseruando, donec compuncti corde interdicti huiusmodi relaxationem, debita satisfactione præmissa, meruerint obtinere, motu, scientia, auctoritate, & potestatis plenitudine similibus decreuit.

Et contrarias constitutiones synodales cassari & deleri iussit.

§. 7. Necnon sub dictis pœnis etiam mandauit illis in quorum libris constitutiones synodales, & prouinciales huiusmodi descriptæ reperirentur, vt eas deleri & cassari facerent, vt amplius legi non possent, prout in singulis dictorum prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

Pont. iste confirmat prædictas bullas Bonifac. IX. Martini V. & Leonis.

§. 8. Cum autem nobis summè cordi sit conatibus istorum, qui executionem literarum & mandatorum Apostolicorum sic impediunt, omnibus, quibus cum Deo possumus, modis, viis, & mediis obuiare, quamvis enim de præsenti sint alias turbulentissima, & deploranda tempora & in nonnullis partibus damnatissimæ hæreses pullulent, tamen his temerariis præsumptionibus duximus necessario obuiandum. Nos igitur, qui sumus, licet immeriti, diuina prouidentia vnicus sponsus Ecclesiæ sponsæ nostræ, & non debemus nostram, & ipsius sponsæ nostræ iustitiam negligere, qui alios in sua iustitia confouemus, inducti eisdem rationibus, quibus præfatus Martinus prædecessor cum sacro Concilio prædicto, motus fuit, motu proprio, & ex certa scientia, ac de nostra matura deliberatione, & de simili potestatis plenitudine, singulas Bonifacij, Martini, & Leonis prædecessorum literas huiusmodi, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus & innouamus, plenamque roboris firmitatem obtinere, ac perpetuo inconcusse & inuiolabiliter obseruari debere decernimus.

Et quascumque ordinationes de videndis literis Apostolicis ante earum executionem damnat & cassari mandat.

§. 9. Necnon quascumque constitutiones prouinciales, & synodales de non exequendo literas Apostolicas sine placito Ordinariorum locorum, & nisi ipsæ literæ sint per eosdem Ordinarios, seu eorum Officiales, aut Sigilliferos, vel Commissarios, visæ & admissæ in supradictis, & quibusvis aliis Ecclesiis, ac Ciuitatibus, diœcesibus, & Prouinciis per totum Orbem terrarum constitutis, vt præfertur, editas, & factas, ac quomodolibet, etiam sub dicto colore obuiandi falsitatibus, & fraudibus innouatis, motu, scientia, auctoritate, & potestatis plenitudine prædictis, cassamus, & annullamus, ac ex quibuscumque libris, vbi descriptæ reperiuntur, penitus cassari, & delesi sub dictis pœnis mandamus.

Liberamque executionem permitti iubet.

§. 10. Necnon de nouo statuimos, & ordinamos, quod iudices, & executores in literis Apostolicis pro tempore deputati, ac notarij, & tabelliones super his requisiti, ipsas literas Apostolicas, libere, & sine alicuius personæ cuiuscumque Ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis fuerit, licentia, vel consensu exequi possint, & debeant. Et nihilominus vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Primatibus, Episcopis, locorum Ordinariis, eorum Officialibus, Sigilliferis, & Commissariis, ac aliis personis, tam Ecclesiasticis, quam secularibus, quavis auctoritate fulgentibos, necnon communitatibus ciuitatum, & vniuersitatibus castrorum, oppidorum, terrarum, & locorum, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis & anathematis pœna in eorum singulos, quam si contrafecerint, eo ipso, etiam absque alia declaratione desuper facienda, incurrant, à qua non nisi per nos, aut successores nostros canonice intrantes, etiam prætextu quotumcumque priuilegiorum Apostolicorum eis, etiam per nos quomodolibet concessorum, aut innouatorum, quæ eis quoad hoc nullatenus suffragari volumus, præterquam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præuia, absolui possint, districtè præcipiendo mandamus, ne iudices, & executores literarum Apostolicarum, ac notarios, & tabelliones super his pro tempore requisitos, quo minus literas Apostolicas huiusmodi libere, & absque eorum placito, licentia, & consensu exequantur, quovis modo impedire præsumant.

Contrauenientibus pœnam imponit.

§. 11. Nos enim omnes illos, qui executionem literarum ipsarum Apostolicarum impediuerint, seu impedientibos auxilium, consilium, vel fauorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè, aut quovis quæsito colore præsumpserint, etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Primatiali, Episcopali, & quavis alia, Ecclesiastica vel mundana, etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, vel alia dignitate præfulgeant, per alias nostras literas in die Cœnæ Domini publicè lectas, excommunicauimus, & anathematizauimus, prout etiam tenore præsentium eos eidem excommunicationis, & anathematis sententiæ, à qua nonnisi, vt præfertur, absolui possint, subiacere, ac ciuitates, terras, castra, oppida, & loca, in quibus dicti inobedientes, & contrafacientes manserint, & ad quæ eos declinare contigerit, Ecclesiastico supposita esse interdicto, tamdiu firmiter obseruando, donec ad eos tenerisi, interdicti huiusmodi relaxationem, debita satisfactione præmissa, meruerint à nobis, aut dictis successoribus nostris obtinere. Necnon omnes & singulas sententias, censuras & pœnas, quas dicti Ordinarij, aut eorum Officiales contra huiusmodi Iudices, & executores literarum Apostolicarum, aut illas impetrantes, seu notarios, & tabelliones propter executiones per eos factas, vel faciendas inflixerunt, & promulgarunt, aut in futurum quomodolibet infligent, aut promulgabunt, irritas, & inanes, ac nullius roboris vel momenti existere, eisdem motu, scientia, auctoritate, & potestatis plenitudine decernimus & declaramus.

Executorem huius bullæ deputat, & facultates concedit.

§. 12. Quocirca dilecto filio Curiæ causarum Cam. Apostolicæ generali Auditori, auctoritate & tenore prædictis, motu simili committimus, & mandamus, vt si, & quando, ac quoties de cætero ad eius notitiam per delationem partis cuius interest, vel Fisci nostri, seu famam publicam, aut alias quovis modo deducatur dictos Ordinarios, seu eorum Officiales, Sigilliferos, & Commissarios, aut quosvis alios, seu eorum aliquem dictis constitutionibus, vt præfertur, cassatis & annullatis, adhuc pertinaciter vti, & illas ex eorum libris non deleuisse, seu ipsos Iudices, & executores literarum Apostolicarum, ac notarios, & tabelliones super his requisitos, quominus easdem literas Apostolicas, libere, & absque eorum placito, visione, vel admissione exequantur, quoquo modo impediant, seu impedientibus præmisso, aut aliquo quovis modo auxilium, consilium vel fauorem præstent, habitis & receptis prius per eum desuper aliquibus probationibus ad instantiam partis, vel Fisci, vel etiam ex mero officio, etiam summarie, & extraiudicialiter, quantum sibi sufficere videbitur, eosdem Ordinarios, eorumque Officiales, & Sigilliferos, & Commissarios, ac quosvis alios in præmissis culpabiles, & eorum singulos, etiam nominatim, & in specie, ad instantiam partis, vel Fisci prædictorum, vel etiam ex suo mero officio, prout sibi videbitur magis expedire, vigore præsentium peremptorie moneat, & requirat, ac moneri & requiri faciat, etiam per edictum publicum in locis affigendum publicis, & partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad ipsorum monitorum notitiam peruenire valeat, ad comparendum legitimè coram eo infra terminum arbitrio suo eis præfigendum, per se, vel procuratores idoneos, & si sibi videbitur, quoad Officiales, & Sigilliferos, ac Commissarios, & alios inferiores, etiam personaliter, & non per procuratorem, sub priuationis omnium & singulorum beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum, & ad illa, & quævis alia obtinenda, & eorum officia, & alios quoscumque actus legitimos exercendum inhabilitatis pœnis eo ipso, si non paruerint, incurrendis, se de præmissis legitime excusandum, & quoad Officiales, & Sigilliferos, ac Commissarios, aliter quam quod iussu dominorum suorum id fecerint, cum hoc casu teneantur nobis tanquam maiori potestati obedire, non autem eorum dominis tanquam minori potestati nobis subiectæ, quo quidem termino elapso, & dictis monitis modo præmisso non comparentibus, vel etiam comparentibus, sed se non sufficienter, vel minus legitime excusantibus, eos omnes & singulos, etiam nominatim, & in specie, quacumque appellatione, vel exceptione remota, pro excommunicatis, & anathematizatis, ac ciuitates, castra, oppida, & loca in quibus manserint, & ad quæ eos declinare contigerit, similiter nominatim, & in specie pro interdictis vbique locorum, publicari & denuntiari faciat, ipsosque Officiales, Sigilliferos, & Commissarios, ac alios inferiores, in dictam priuationis pœnam damnabiliter incidisse, & eorum beneficia, & officia tanquam per priuationem huiusmodi, tam de iure, quam de facto vere vacantia, à nobis & dicta Sede dumtaxat libere impetrari posse, ac eos ad illa, & quævis alia beneficia, & officia Ecclesiastica obtinenda, ac eorum officia, & quoscumque alios actus legitimos exercendum penitus inhabiles perpetuo fore, auctoritate nostra declares, literasque desuper necessarias, & opportunas suo sub sigillo quibusvis petentibus det & concedat.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ Bonifacius, Martinus, ac Leo prædecessores præfati in dictis suis literis voluerunt nonobstare, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut eorum loca Ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quod quidem indultum decernimus eis quacumque auctoritate muniti sint, contra præmissa in aliquo suffragari non posse, quominus ipsi, huiusmodi sententiis, & pœnis subiaceant, & dicta loca Ecclesiastico interdicto supposita existant.

Iussio publicandi hanc bullam.

§. 14. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, volumus & mandamus, eas in Cancellaria Apostolica publicari, & in quinterno eiusdem Cancellariæ describi, & præfatum Auditorem lapsis duobus mensibus post publicationem huiusmodi, ad illarum executionem modo præmisso procedere posse decernimus & declaramus.

§. 15. Nulli

Sanctio pœnalis. §. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, cassationis, annullationis, statuti, ordinationis, declarationis, voluntatis mandatorum, & decretorum, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 11. die 29. Decemb. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimotertio, quarto Kalend. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno vndecimo.

Publicatio. *Lecta & publicata fuit anno & Pont. quibus supra die 9. mensis Ianuarij.*

XL. Approbatio Confraternitatum Rosarij B. Mariæ Virginis, & declaratio circa eius recitationem, Indulgentiarumque extensio pro Confratribus.

Hoc diploma specialiter approbatum fuit à Paulo III. die 3. Nouembris 1534. & à Iulio III. 24. Augusti 1551. quarum literas de more prætermisi. Alij autem Pont. alia statuerunt pro augmento Rosarij, eiusque Confraternitatum, quas tibi indicaui sup. in Six. IV. const. 18. Ea qua.

Edita An. D. 1534.

CLEMENS PAPA VII.
Motu proprio, &c.

Exordium. ETsi temporalium cura nos sollicite angat, tanto accuratius aciem considerationis extendere nos decet, quanto diuina humanis, & perpetua temporalibus digniora cognoscimus.

Narrat augmentum deuotionis Rosarij. §. 1. Considerantes igitur, quam Religioni nostræ salubre, ac fructuosum fuerit Rosarij institutum, quantaque exinde prouenerint, & quotidie proueniant bona, quemobrem tum clerici, tum laici, tam masculi quam fœminæ ad tantum deuotionis feruorem deuenerint, quod Deus, & ipsa Virgo ad cuius honorem fuit originaliter institutum, eosdem non solum gratiis decorare, verum etiam miraculis & signis quamplurimis illustrare non dedignatur.

Subdit. Sixtū IV & Leonem X. eius Confraternitatem approbasse, & Indulgentiis locupletasse. §. 2. Idcirco cum ad notitiam nostram deuenerit, quod dicti Rosarij Confratres, & Sorores à fel. record. Sixto IV. & Leone X. prædecessoribus nostris, nedum confirmationem, & augmentum, sed & indulgentias quamplures, & priuilegia non inmerito obtinere meruerint, prout per Apostolicas literas in forma Breuis expeditas nobis manifestissime constat.

Et ea omnia confirmat. §. 3. Nos igitur eorum vestigiis inhærendo, motu simili, ac eodem deuotionis affectu diuinitus excitati, dicta Confraternitatem, indulgentias, & priuilegia omnia per prædecessores præfatos eidem Societati quomodolibet concessas & concessa, approbamus, confirmamus, & roboramus, firmum ac robur perpetuum habere volumus & intendimus.

Declarat satis esse Rosarium in hebdomada, cursu recitari. §. 4. Sed quoniam Sixtus in literis prædictis quas hic pro expressis haberi volumus, instituendo confirmauit, quod dicti Rosarij Confratres & Sorores, ad consequendas, adipiscendas, & indulgentias prædictas integraliter obtinendas, & pro earum totali assecutione tenerentur & obligarentur semel in die, ad honorem Virginis integrum Psalterium beatæ Virginis perfecisse, propter quod nonnulli multitudine, ac negotiorum varietate impediti, hoc sibi difficillimum fore putantes, ab huiusmodi sæpius retrahebantur, & in amore, ac eorum deuotione tepescebant, ad aperiendum igitur cœlorum semitas, & vt feruentius inducantur, quo exinde facilius animarum suarum salutem consequi sperauerint, volumus & ordinamus, quod spatium vnius diei, ad spatium integræ hebdomadæ amplietur & dilatetur, & quod in vna die & vna vice fortasse tenebantur, pro die dies, pro vice vices assignamus, & nihilominus illud idem consequantur, ac si ritus antiquus integraliter seruaretur.

Approbat Indulgentias Stationum Vrbis Confratribus elargitas à Leone X. §. 5. Et quia Leo Decimus ordinando instituit, ac benigne concessit, quod quilibet ex dictis Fratribus vbicumque existentibus, visitando quinque altaria cuiuscumque Ecclesiæ, vel vnum aut duo quinquies si quinque defuerint, easdem indulgentias integraliter consequeretur, ac si omnes Almæ Vrbis stationes peregrinando circumiret, hoc idem auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac pro firmis & approbatis esse & haberi volumus & decernimus.

Auget & addit Indulgentias dictis Confratribus. §. 6. Et quia nos decet religiones, & sanctorum patrum instituta potissimum ampliare, supradictis etiam addendo volumus quod cum præfatus Sixtus Quartus omnib. præsentibus & futuris supranominatum Rosarium in tres partes illud diuidendo, idest in tres quinquagenas singulis diebus, pro qualibet quinquagena quinque annos, & totidem quadragenas misericorditer relaxauerit, ex Apostolica benignitate, vt prædicti Confratres ad huiusmodi deuotionis opera feruentius inducantur, præter huiusmodi indulgentias, omnibus Confratribus, & Consororibus prædictum Psalterium modo supra exposito, & per nos concesso recitantibus, annos duos veræ indulgentiæ concedimus.

Contrariis derogat. §. 7. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis synodalibus, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Et ita motu proprio, ac ex certa animi deliberatione volumus & mandamus.

PP. subsc. Fiat vt petitur.

Papa alia subscriptio post clausulas. §. 8. Et cum absolutione à censuris ad effectum prædictorum, & cum derogatione priuilegiorum & indultorum quorumcumque. Et quod literæ expediri possint in forma breuis, vel sub plumbo, prout dictis confratribus videbitur opportunum.

Fiat. I.

Dat. P. A. 12. die 8 Maij. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, octauo Idus Maij, Anno vndecimo.

XLI. Annullatio quarumcumque dispositionum, de beneficiis Ecclesiasticis Sedi Apostolicæ reseruatis obtentarum, contra formam concordatorum inter Sedem Apostolicam, & nationem Germanicam, à Principibus & Prælatis quibuscumque.

Ista recordata firmauit Nicol. V. vt supra in eius const. I. Ad sacram, vbi alia indicaui.

Edita An. D. 1534.

CLEMENS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ADmonet nos incumbentis nobis pastoralis officij cura, vt non solum nobis sed etiam cunctorum Christi fidelium, & præsertim Ecclesiasticarum personarum profectibus diligenter intenti, illorum occurramus dispendiis, & quæ in cuiusque ipsorum præiudicium sine noxam quavis etiam auctoritate produisse comperimus salubriter reformemus.

Prælati & Principes vsurpabant dispositiones beneficiorū contra formam Concordatorum. §. 1. Sane dudum ad nostram peruenit notitiam, qualiter nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, ac Ecclesiarum Prælati, nonnulli etiam Principes, & Domini temporales Inclytæ Nationis Germanicæ, post miserabilem Vrbis direptionem, collationes & dispositiones beneficiorum Ecclesiasticorum, nobis & Sedi Apostolicæ, etiam virtute Concordatorum inter Sedem & Nationem præfatas reseruatorum, temere vsurpare præsumpserunt, ac collationes, & dispositiones nostras, & dictæ Sedis de illis factas admittere contempserunt, nedum in nostrum & ipsius Sedis vilipendium, sed etiam in iniuria nostrorum, & eiusdem Sedis, ac illorum, quibus de ipsis beneficiis prouidimus, aut in quorum fauorem alias disposuimus, seu prouideri & disponi mandauimus, graue præiudicium. Et quamvis contra præsumptores & contemptores huiusmodi in bulla, quæ quotannis in die Cœnæ Domini de more lecta fuit, declarauerimus,

& protestati fuerimus, quod in præmissis: & aliis quibuscumque iuribus dictæ Sedi & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vndecumque & quomodocumque quæsitis, seu quærendis per quoscumque actus contrarios, aut quomodolibet præiudicantes, tacitos vel expressos, à nobis vel ab eadem Sede quomodolibet factos, vel faciendos, aut quemcumque temporis fluxum, vel patientiam, vel tolerantiam nostram, nobis aut eidem Sedi nullatenus præiudicari debere, aut quomodolibet posse: tamen, sicut non sine animi nostri mœrore intelleximus, nonnulli ex Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Principibus, & dominis prædictis, adhuc, à præmissis desistere non curarunt, nec de præsenti curant, quinimo quod deterius est, ne prouisiones Apostolicæ admittantur, per sua mandata etiam pœnalia prohibere non verentur, in animarum suarum graue periculum, & aliorum Prælatorum, ac Principum Catholicorum dictæ Nationis perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum.

Nisi ideo Pōt. collationes beneficiorum factas contra formā dictorum Concordatorum irritas, & prouisos malæ fidei possessores & ad restitutionem fructuum teneri decreuit.

§. 2. Nos igitur, qui à dictis concordatis, quæ olim Romanæ Ecclesiæ, & dictæ Nationis hominibus, pro ipsius Ecclesiæ vnione, ac pace & tranquillitate inter Ecclesiam & Nationem prædictas, perpetuo solidandis, & conseruandis laudata, conclusa, & acceptata fuerunt, nullatenus recedere intendimus, ne dicti præsumptores, & contemptores, aut per eos in dictis beneficiis intrusi ex huiusmodi temeraria præsumptione gloriari valeant, neve ipsi intrusi ex adulterinis eorum titulis aliquem fructum reportent, nec illis quibus de beneficiis prædictis, per nos, aut dictam Sedem, seu eius auctoritate prouisum extitit, & in futurum prouidebitur, per alicuius temporis fluxum, seu aliquam patientiam, vel tolerantiam præiudicium fiat, aut factum censeatur, ex Pastoralis officij debito prouidere volentes, ac Concordatis prædictis firmiter inhærentes, motu proprio, & ex nostra matura deliberatione, ac certa scientia, auctoritate Apostolica, de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium declaramus prætensas collationes, & alias dispositiones de quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, nobis & dictæ Sedi, vt præfertur, reseruatis, per Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, ac sæculares Principes, & dominos quoscumque dictæ Nationis, seu ad eorum præsentationem, vel nominationem, etiam per Ordinarios ipsorum beneficiorum collatores à tempore dictæ directionis citra contra tenorem, & formam dictorum Concordatorum quomodolibet factas, & in posterum faciendas, personis quibus, aut in quarum fauorem factæ sunt, aut in posterum fient, nisi sint per nos, aut nostra, vel dictæ Sedis auctoritate approbatæ, nullum titulum, vel colorem ipsa beneficia possidendi tribuisse, aut in futurum tribuere, sed & illos pro malæ fidei possessoribus, & mere intrusis ab omnibus haberi, & censeri, ac fructus per eos ex beneficiis huiusmodi perceptos & percipiendos, nullo vnquam tempore suos facere, sed ad illorum restitutionem in vtroque foro efficaciter obligatos esse, & ad illorum restitutionem, ad eorum quorum interest, seu etiam fisci nostri instantiam, omnibus viis iuris, & remediis compelli posse & debere, & eos nullo vnquam tempore beneficio regularum, de annali & triennali pacifico possessore gaudere potuisse, aut posse.

Prouisis autem à Sede Apost. iuxta tenorem Concordatorum, infra quæcumque reseruat, etiam agendi quandocumque contra intrusos.

§. 3. Illis vero quibus eadem beneficia, per nos, aut auctoritate nostra, vel dictæ Sedis tenore & forma Concordatorum huiusmodi seruatis collata sunt, aut in futurum conferentur, vel commendabuntur, necnon Ecclesiis & locis Ecclesiasticis, ac Collegiis, quibus perpetuo, vel ad tempus eadem auctoritate vnita sunt, aut in posterum vnientur, ac omnibus illis qui in executione literarum Apostolicarum eis concessarum per constitutiones, seu mandata Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, Principum, vel Dominorum prædictorum, hactenus quomodolibet impediti fuerunt, aut in posterum impedientur, dictas regulas, & quemcumque temporis fluxum seu patientiam, vel tolerantiam minime obstare debere, quominus contra dictos, intrusos & intrudendos quocumque tempore iudicialiter experiri valeant.

§. 4. Decernentes sic per quoscumque Iudices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Palatij Apostolici causarum Auditores, sententiari, interpretari, & iudicari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter sententiandi, interpretandi, & iudicandi, facultate & potestate, ac irritum & inane, si secus super his, ab eis vel quibusvis aliis quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hastenus, aut in posterum contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 5. Non obstantibus regulis, & aliis præmissis, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Vt autem præmissa ad omnium notitiam deducantur, volumus & mandamus præsentes in Cancellaria Apostolica more solito publicari, & in quinterno eiusdem Cancellariæ describi. *Clausula derogatoria.*

§. 6. Præterea quia difficile foret præsentes literas ad singula loca, in quibus de eis forsitan fides facienda foret deferre, eadem Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis, manu alicuius notarij publici inde rogati subscriptis, & sigillo alicuius personæ Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ munitis, ea prorsus in iudicio & extra, & alias vbilibet fides indubitata adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. *Transumptorum fides.*

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. *Sanctio pœnalis.*

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Kalend. Iulij, Pontificatus nostri Anno vndecimo. *Dat. P. A. 33. die 1. Iulij.*

Lecta & publicata fuit in Cancell. Apostolica die 13. Iulij 1534. *Publicatio.*

PAVLVS TERTIVS PONT. CCXXIV. *Creatio Papæ.*
ANNO DOMINI MDXXXIV.



PAulus Tertius, Farnesius, Romanus, Alexander antea dictus, Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Sacri Collegij Decanus, creatus 7. Idus Octobris, coronatus 3. Nonas Nouembris anno 1534. Vixit annos 15. dies 29. creauit Cardinales 71. Obiit 4. Idus Nouembris, Anno Domini 1549. in Basilica S. Petri conditus fuit. Vacauit sedes menses 2. dies 29.

I. Separatio Congregationis Eremitarum S. Romualdi Montis Coronæ, Ordinis Camaldulensis, & S. Michaëlis de Murano, sub Regula S. Benedicti; cum plurimarum gratiarum concessione, & cuiuscumque alterius Ordinis priuilegiorum communicatione ex indulto Clem. VII.

De hac Congregatione habes etiam sup. in const. 23. Clem. VII. Vestrum vbi notaui.

Edita An. D. 1534.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.



RATIONI congruit, & conuenit honestati, vt ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ Apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suum consequantur effectum.

Leo X. concessit Paulo Veneto & quibusdam alijs Eremitis S. Romualdi Camaldulensis, vt alia loca Eremitoria vbique erigere possent.

§. 1. Dudum felicis recordationis Clementi Papæ Septimo prædecessori nostro pro parte Dilectorum filiorum Maioris, Visitatorum, Priorum, & Fratrum societatis Eremit. sancti Romualdi Camaldulen. Ordinis exposito: Quod olim postquam piæ memoriæ Leo Papa X. etiam prædecessor noster quondam Paulo Veneto, & quibusdam aliis in literis tunc expressis Eremitis sacri Eremi dicti Ordinis Aretin. Diœcesis expresse professis ardore maioris Obseruantiæ, & perfectioris vitæ Eremitice feruentibus inter alia, quod in quibusvis locis etiam extra Italiam, & loca vltramarina, Monasteria, Eremitoria, & Religiosa loca erigere, & postquam erecta forent, omnibus & singulis indultis, & priuilegiis quomodolibet à Sede Apostolica Eremitis sacri Eremi huiusmodi, ac Congregationi eiusdem Eremi, & sancti Michaëlis de Murano concessis, gaudere, & habitum eiusdem Religionis aliis exhibere possent, per suas in forma Breuis literas licentiam concesserat.

Ipse Paulus cum vno socio ad locum Cryptarū accessit, & ad alios gēs multa confluit & multa loca eisdem data fuerunt.

§. 2. Et ipse Paulus cum vno Socio Eremita, vigore concessionis huiusmodi ad id electo ad locum Cryptarum nuncupatum Castri Massarij Exin. diœcef. qui tunc membrum Eremitarum sacri Eremi prædicti erat, accesserat, & ad eosdem Paulum, & Socium, diuersæ multarum partium tam Ecclesiasticæ & religiosæ, quam sæculares personæ in dies ad eosdem venientes, cum eodem Paulo, & socio se coniunxerant; & præfatis Paulo & socio, & successiue receptis personis nonnulla loca Eremitica partim fere dirupta, & partim ædificari cœpta, quæ postmodum ipsi restaurauerant, & quasi de nouo ædificauerant, tam à Sede Apostolica, quam à diuersis Christi fidelibus Ecclesiast. & sæcularibus personis donata & concessa fuerant.

Idem Paulus ad Vicarium generalem Sacri Eremi Camalduli redijt, eique omnia hæc significauit. Et ab eodem, sibi loca quinque assignata fuerunt & instituta fuit Societas Eremitarum S. Romualdi per suos Prælatos separatim regenda.

§. 3. Videnſque ipse Paulus se tot personis, ac locis quotidie multiplicari, ad olim Congregationis sacri Eremi, & S. Michaëlis de Murano Vicarium Generalem, tunc vero Gener. nuncupatum, & Visitatores accesserat, eisdemque seriem facti explicauerat, velleque tam ipse, quam cæteri socij Eremitæ huiusmodi sub eorum obedientia, & visitatione viuere declarauerat. Olim Vicarius tunc Generalis prædictus habens, vt asserebat, à Congregatione huiusmodi omnimodam auctoritatem, sinceritatem animi dicti Pauli cognoscens, præfata Eremitoria videlicet quinque Cryptarum Massarij, S. Hieronymi de Pascilupo, Cryptæ S. Benedicti in Monte Conaro, S. Leonardi de Volabrio, ac S. MARIÆ de Spiritu sancto, Esin. Eugubin. Anconitan. Firman. & Larinen. diœcesis à Sede prædicta, aliisque Christi fidelibus præfatis, eisdem Paulo, & sociis, vt præfertur, concessa, & Eremitas in illis tunc commorantes, in eorum Congregationem receperat, ipsosque Paulum & socios receptos Eremitas, eorumque Eremitoria, & Religiosa loca huiusmodi in societatem Eremitarum S. Romualdi per Maiorem, & olim Correctores, tunc autem Visitatores, Capitulum, & Eremitoriorum huiusmodi singulorum Priores, perpetuis futuris temporibus regendam, & gubernandam erexerat. Et eisdem Paulo & Eremitis præfatæ societatis, condendi, & celebrandi generalia Capitula eiusdem Societatis; Et in eis Priores, Rectores, & alios ministros eligendi, & pro eiusdem Societatis conseruatione & augmento, Missas, & alia diuina officia in eorum Capitulis celebrandi, Capitula generalia eiusdem Societatis, & pro eiusdem obseruantia quæcumque statuta, ordinationes, & constitutiones edendi, & pro tempore edita, corrigendi, reformandi, & mutandi, quæ si contra substantialia Regulæ S. Benedicti non essent à prædicto tunc Vicario, & Visitatoribus, aut præfatæ Congregationis Capituli derogari, aut innouari sine dictorum Eremitarum consensu non possent. Ac alia loca quæcumque, & personas quascumque in eadem Societate receptandi, necnon quod eiusdem Societatis superior ex tunc Maior nuncupandus, per eiusdem Congregationis Capituli de anno in annum eligendus, loca & personas, de triennio in triennium, & frequentius, si sibi videretur visitare deberet, licentiam concesserat, & omnia & singula priuilegia gratias, & immunitates Eremitis concessas, & quomodolibet concedendas, tam sacri Eremi Camaldulen. quam totius præfatæ Congregationis eidem Societati Eremir. sancti Romualdi, loca & personas communia esse, dummodo receptio, & admissio huiusmodi, per Capitula generalia Congregationis sacri Eremi, & S. Michaëlis de Murano prædictis approbaretur, voluerat. Et præfati Eremitæ vigore concessionis huiusmodi in eorum Capitulis congregati, nonnullas constitutiones, & statuta super tribus substantialibus, & forsan aliis emittendis votis, & regularibus institutis Regulæ S. Benedicti, & diuinis officiis celebrandis, ac aliis felicem dictæ Societatis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, gubernationem & directionem, ac honeste & religiose viuendi modum concernentia ordinauerant. Ac postmodum Præsidens, & definitores Capituli generalis Congregationis sacri Eremi, & S. Michaëlis prædicti per eorum speciales literas, dicta quinque Eremitoria, & Societatem huiusmodi ab eorum Congregatione penitus separauerant, & dissolutam & separatam esse declarauerant, nullumque sibi eligendi Superiorem, necnon Eremitoria, ac illorum & personas huiusmodi visitandi facultatem reseruarent; quodque præfati Eremitæ ad eorum Superioris huiusmodi electionem, prout eis visum foret procedere possent, ac in iis, quæ Eremitoria, & illorum personas prædicta concernebant, ac quicquid eidem Societati visum foret à Sede Apostolica petere possent, voluerant.

§. 4. Præfatus Clemens prædecessor prædicta omnia, & dissolutionem huiusmodi, approbauerat & confirmauerat, eisque vnum dictæ Societatis Maiorem, & Correctores, nunc autem Visitatores nuncupatos, locorum, Priores, & alios officiales, prout eis expedire videretur per seipsos annis singulis eligendi, qui eo ipso quo electi forent, confirmati esse censerentur indulserat. *Clem. VII. prædicta confirmauit.*

§. 5. Et successiue cum ipsi pro dictæ Societatis commodiori gubernatione aliquas ex prædictis constitutionibus, ordinationibus, & capitulis eis diligentius & maturius examinatis cassassent, & aliquas denuo ordinassent, & amotis quibusdam superfluis in meliorem formam reformassent, idem Clemens prædecessor illas etiam approbauerat, & confirmauerat, prout in diuersis instrumentis & scripturis Vicarij generalis, ac Visitatorum Præsidentis, & Definitorum prædictorum, ac ipsorum Leonis & Clementis prædecessorum diuersis literis dicebatur plenius contineri. *Et etiam constitutiones Societatis regimine ordinatas approbauit.*

§. 6. Ac pro parte eorundem Maioris, Priorum, Fratrum, & Eremitarum, eidem Clementi prædecessori humiliter supplicato, vt ex prædictis, & aliis eis concessis, & concedendis, locis, vnam tantum Societatem Eremitarum Sancti Romualdi, erigere & instituere, & præmissis, & aliis infrascriptis pro illorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ firmitatis adiicere, ac alias in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaretur præfatus Clemens prædecessor, qui ad ea, per quæ status religiosarum personarum florere, ipsæque personæ acceptius diuinis beneplacitis *Societatem quæ ipsam instituit nominatque dat Eremitarum S. Romualdi.*

neplacitis se coaptare possent, solertiæ suæ curas libenter dirigebat: volens Maiorem, Visitatores, Priores, Officiales, ac Eremitas Societatis huiusmodi amplioris Apostolici fauoris præsidio complecti; ac eos, & eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum absoluens, & absolutos fore censens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub dat. videlicet tertio Non. Septemb. Pontificatus sui Anno sexto, auctoritate Apostolica, ex prædictis, ac quibuscumque aliis eis, tunc & pro tempore dictæ Societati vbique terrarum concessis & concedendis, ac per eos recipiendis, & retinendis, Eremitoriis, & religiosis locis, vnam tantum omnium, ac singulorum Fratrum in eisdem Eremitoriis, & religiosis, locis pro tempore degentium Societatem Eremitarum S. Romualdi onncupandam, per Maiorem Superiorem nuncupatum Visitatores, Capitulum, Priores, ac alios officiales, iuxta ipsius Societatis statuta & ordinationes, regendam, ac gubernandam.

Regendam quoque iussit ab vno Superiore, nuncupando Maiore.

§. 7. Ita quod omnes, & singuli dictæ Societatis Fratres, præsentes & futuri, quamvis in diuersis locis etiam extra Italiam, & loca vltra marina pro tempore manerent, vnum tamen corpus, & vnica Societas Eremitarum S. Romualdi Camaldulen. Ordinis, perpetuis futuris temporibus existerent ac facerent.

Facultates hac expressas concessit.

§. 8. Cum facultate celebrandi Generalia, Prouincialia, ac alia Capitula eiusdem Societatis, & in eis Superiorem, Maiorem, Priores, Rectores, & alios Ministros eligendi, & pro eiusdem Societatis conseruatione & augmento, Missas, & alia diuina officia in eorum Capitulis celebrandi, aliaque omnia, & singula, quæ ad similes Societates pertinebant, & pro tempore pertinerent, faciendi, erexit ac instituit.

Indulta omnia & statuta confirmauit.

§. 9. Necnon separationem, dissolutionem, concessionem, & indulta, ac facultates eis quomodolibet concessa, ac constitutiones & statuta per Capitulum dictæ erectæ Societatis edita, vt præfertur, reformata, ac omnia & singula priuilegia, indulta, & gratias per Sedem eandem dictæ Societati, vel per alium facultatem habentem, etiam viuæ vocis oraculo, vel alias quomodolibet concessa, & concessas, auctoritate prædicta approbauit, confirmauit, stabiliuit, ac robur Apostolicæ confirmationis habere decreuit: supplens omnes & singulos defectus, tam iuris quam facti, siqui forsan interuenerant in eisdem.

Aliaque edendi, & barbam deferendi facultatem concessit.

§. 10. Et pro potiori cautela Maioris, Visitatorum, Priorum, & Officialium, & aliorum Fratrum præfatæ Societatis, illas, & illa quinque Eremitoria prædicta, eidem Maiori, Visitatoribus, Prioribus, & Fratribus eorum erectæ Societatis pro tempore existentibus, de nouo perpetuo concessit & assignauit: quodque omnes & singuli dictæ Societatis erectæ Eremitæ, Ordinem prædictum in ipsa Societate professi, tunc præsentes & futuri in Capitulo generali pro tempore celebrando, in eo vocem habentes, pro felici dictæ Societatis statu, & successu alia statuta, constitutiones, ordinationes, ac omnia & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus ipsius Societatis, ac eius regularis disciplinæ statum, obseruantiam, indemnitatem, & circa diuini officij, & Missarum directionem, & ordinationem, ac cærimonias absque ipsius regulæ, in substantia, vel in effectu variatione, interpretatione, vel declaratione quoquo modo concernere possent, instituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi, & alia de nouo faciendi: & sic instituta, ordinata, interpretata, declarata, & de nouo facta, in toto vel in parte, prout rerum & temporum qualitas exigeret, tollendi & alterandi, ac in melius commutandi, necnon pro honestate, & qualitate vitæ Eremiticæ huiusmodi barbam deferendi, plenam, & liberam eis concessit facultatem.

A superioritate Ordinariorum, Inquisitorum & aliorum exemit.

§. 11. Ac huiusmodi Societatem, omnesque & singulos Superiores, Eremitas, Oblatos, Nouitios, Familiares, Seruitores, & personas dictæ Societatis, tunc & pro tempore existentes, ac ipsos Monasteria, Eremitoria religiosa, & loca alia quæcumque, ac mobilia & immobilia bona, tunc præsentia & futura, ad præfatam Societatem quomodolibet pro tempore pertinentia, & in posterum eidem de nouo erectæ Societati, quandocumque, seu quomodolibet, vniri vel incorporari, seu subiici, in perpetuum vel ad tempus contingeret, à quorumcumque Legatorum etiam de latere, necnon Nunciorum dictæ Sedis, ac quorumvis Officialium Romanæ Curiæ, & Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, & Inquisitorum hæreticæ prauitatis, quacumque etiam Apostolica auctoritate aliorum quorumcumque Iudicum ordinariorum, & non ordinariorum, quavis auctoritate & potestate fungentium, ditione, auctoritate, superioritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione, & correctione, ita quod contra dictam de nouo erectam Societatem, vel eius singulares personas, necnon Monasteria, Eremitoria, & loca, & personas, ac familiares cum eis degentes ratione delicti, excessus, seu contractus, aut rei, de qua ageretur, vbicumque iniretur contractus, committeretur delictum, aut res ipsa consisteret, excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, aut alias quasvis sententias, nisi de speciali Sedis prædictæ commissione quomodolibet, directè vel indirectè, proferre seu promulgare non possent.

Quod Inquisitores hæc indulta reuocauit Pius IV. in eius bulla 52.

Et quoad Ordinarios vide moderationem in constit. 59. Clem VIII. Suscepti, & Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. & 14.

A decimarum gabellarum, &c. solutione liberauit.

§. 12. Necnon ab omnibus & singulis decimis, collectis, exactionibus, gabellis, tallis, datiis, daciis, tractis, subsidiis charitatiuis, impositionibus, ordinariis & extraordinariis, Collegiis, Parochianis, Vniuersitatibus, Monasteriis, Fabricis, & aliis quibusvis personis, quacumque auctoritate, & ex quavis causa, & consideratione, etiam pro expeditione contra infideles, aut fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, aut aliis imminentibus necessitatibus Sedis prædictæ, auctoritate eiusdem Sedis, vel quavis alia impositis, & imponendis, sub quacumque verborum, vi, & forma, etiam sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, exempti, & exemptæ censerentur, nisi de indulto, & Societate huiusmodi, specialis & expressa mentio in literis Apostolicis fieret; & tunc non veram decimam, sed mediam auri vnciam Cameræ Apostolicæ soluendo pro omnibus eorum locis, ac Eremitoriis, bonis, & personis liberationem consequerentur, prorsus exemit, & totaliter liberauit, eaque omnia, & eorum quodlibet, in ius & proprietatem beati Petri, & Sedis prædictæ, ac sub eorum & dictæ Sedis protectione suscepit. Et si Legati, & Subdelegati, Ordinarij, aut aliæ personæ prædictæ, contra exemptionem, & liberationem huiusmodi quicquam attentare quoquo modo præsumerent, ac literarum desuper conficiendarum vigore requisiti, per ipsius de nouo erectæ Societatis Prælatos, Eremitas vel Procuratores eorum, infra tres dies, à die requisitionis huiusmodi computandos, non desisterent, excommunicationis sententiæ ipso facto noscerent se subiectos; & si forte aliter factum foret, eo ipso esset irritum & inane, nulliusque roboris vel momenti.

Religiosos Ordinis ad minores Ordines promouendi, & ad sacros promoueri faciendi per quemlibet Antistitem & extra tempora, facultatem tribuit &c.

§. 13. Præterea ipsis, vt Religiosos eorum Ordinis ad primam tonsuram, & quatuor minores Ordines promouendi, ad sacros vero etiamsi tempus à Canonibus statutum non attingerent, per quemlibet Catholicum Episcopum in eorum locis, & alibi, vbicumque eis commodum foret, absque licentia diœcesani, etiam extra tempora, diebus tamen Dominicis, vel Festiuis, eos promoueri faciendi, ac illos eis libere conferendi, eundemque Episcopum pro consecrationibus Altarium, seu Ecclesiarum, ac pro Oleo sancto, & quolibet Ecclesiastico Sacramento, adeundi, & de licentia eorum Capituli Generalis, seu Prouincialis, Ierusalem & alia loca sancta visitandi, & inibi habitandi, ac loca & eleemosynas etiam ab infidelibus recipiendi, licentiam & facultatem concessit.

Primum declarat Conc. Trid. sess. 32. cap. 11.

Secundum renouatum Conc. Trid. vbi sup. c. 12. & seqq.

§. 14. Et insuper pro conseruatione puritatis eorum solitudinis, ne mulieres ad eorum Eremitoria, etiam sancti Hieronymi de Pascilupo Eugubinæ diœcesis, tunc præsentia & futura, intra videlicet per eos

præfixos,

Ingressum ad Eremitoria mulieribus prohibet.

præfixos, seu præfigendos terminos, præter illos tantum dies, quos ipsi statuerint, dummodo non vltra tres dies in quolibet anno, accedera quomodolibet sub excommunicationis pœna, auderent, vel præsumerent, cellularum tamen ipsorum ingressu, semper Prohibitio remanente, inhibuit.

Strictiorem prohibitionem edidit Gregor. XIII. in const. 28.

Stabilia alienandi ad eumdemque vtilitatem Ordinis licentiam impertitus fuit.

§. 15. Demum pro commoditate & vtilitate Eremitoriorum, & locorum huiusmodi, tunc præsentium & futurorum, de licentia eorum Capituli Generalis, seu Prouincialis, eis & cuilibet eorum, ac pro tempore existentibus, quæcumque immobilia ad eos, eorumque Ecclesias Eremitoria, Altaria & loca huiusmodi pro tempore spectantia, & pertinentia, in emphyteusim, perpetuùm, vel per tempus, sub aliquo annuo canone, siue censu quibusvis personis, in euidentem Ecclesiarum, Monasteriorum, & regulariorum locorum huiusmodi vtilitatem concedere, illaque pro aliis immobilibus vtilitatibus, permutare seu vendere & alienare, & pretium inde prouenienś in aliis immobilibus bonis eorum Ecclesiis, Eremitoriis, & regularibus locis vtilioribus, ac alias, iuxta tenorem literarum recolendæ memoriæ Pauli Papæ Secundi similiter prædecessoris nostri, de rebus Ecclesiasticis non alienandis editarum, ita quòd Priores, qui pro tempore essent locorum huiusmodi Iudices, ad hoc, vt immobilia bona huiusmodi in emphyteusim, vel censum, aut alias danda & permutanda, seu vendenda & alienanda coram eisdem Iudicibus spectarentur, eligere possent, conuertere, & cæteris Eremitoriis eorum Societatis, prout eis commodius visum foret, pro eiusdem Societatis conseruatione applicare valerent, & quæcumque bona, etiam feudalia, ac emphyteutica, etiam Ecclesiastica eidem Societati, tam inter viuos, quam causa mortis, seu testamento, vel codicillo, dari, concedi, & relinqui libere possent.

Onera ad quæ pro dictis bonis Eremitæ tenerentur. 30. annorum spatio finiri decreuit.

§. 16. Ita quòd ipsa Societas ad eadem onera, ad quæ donator seu testator huiusmodi, occasione bonorum eorundem tenebatur, & quæcumque alia, quæ ipse donator seu testator etiam imponeret, omnino tenerentur, etiamsi ad certum numerum, generationum, aut nominationum eadem bona concessa essent, ipsa Societas, non perpetuo, sed per triginta annos pro qualibet generatione, seu nominatione, huiusmodi bona eadem tenera possent: & finitis ipsis annis, bona prædicta ad eorum directos Dominos deuoluerentur, & absque eorum consensu tenere non valerent, statuit & ordinauit.

Curã animarum cæterorũ locorum Societatis, permutari posse declarauit.

§. 17. Vlterius ipsis, de licentia Capituli Generalis seu Prouincialis dictæ Societatis, curam animarum Monasterij S. Saluatoris de Monte acuto, & Parochialium S. Michaelis Archangeli, ac Prioratus S. Saluatoris de Fano, Perusin. Tudertin. & Fanen. diœces. Ecclesiarum eidem Societati perpetuo canonice vnitarum abdicare, & de consensu illorum Parochianorum in loco dictis Parochianis accommodo alias Ecclesias, quibus cura Parochianorum præfatorum applicaretur, construi facere, seu alteri Parochiali, quæ Parochianis huiusmodi accommoda foret, etiam de consensu illius Rectoris, cui pro huiusmodi cura exercenda, quod inter eos Conuentum esset, soluerent, ac illas iurisdictioni Ordinarij loci subijcere.

Noua q; Eremitoria ædificare.

Quoad hoc licentia Ordinarij requiritur ex bulla 99. Clem. VIII.

§. 18. Ac loca quæcumque, etiam per Ecclesiasticas, & Religiosas personas eis concedenda recipere, & eorum vsui applicare. Necnon loca, siue Eremitoria pro tempore recepta perficere, & alia de nouo cum Ecclesiis, Oratoriis, humili campanili, cellulis, & officinis necessariis construere, seu construi, & iam constructa pro conuenientiori eorum mansione demoliri facere, & ea ad aliorum locorum constructorum, siue de nouo construendorum vsum conuertere.

Religiosos quorumcumque Ordinum etiam Mendicantiũ ad Societatem tanquam ad arctiorem vitã recipi posse decreuit.

§. 19. Ac pro dicti Ordinis propagatione, omnes & singulos Religiosos quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, & Congreg. ac Monasteriorum ad Eremitoria præfata, tanquam ad arctiorem vitam, conuolare, & sub Societate, & eorum habitu Altissimo famulari volentes, Superiorum suorum licentia petita, licet non obtenta, absque aliqua contradictione, vel obstaculo recipere; ipsique sic recepti, & in eadem Societate, siue Ordine professi, ad omnia officia, & dignitates Societatis eorundem Eremitarum promoueri & assumi, libere & licite valerent, indulsit.

Hoc specifice decreuit Sixt. V. inf. in const. 35.

Indulta, gratias & priuilegia quorumcumque aliorum Ordinũ, huic Societati concessit.

§. 20. Postremo Maiori, ac omnibus & singulis Visitatoribus, Prouincialibus, Prioribus, & aliis Officialibus, ac Fratribus, siue Eremitis præfatis, vt ipsi, & omnes, & singuli, ac commissi, oblati, nouitij, seruitores, familiares, benefactores, & aliæ personę, ac etiã Oratoria, Ecclesiæ, Monasteria, Eremitoria, & loca, & quæcũq; bona, & cætera alia eiusdem Societ. pro tempore pertinentia, omnibus & singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus, gratiis, concessionibus, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, priuilegiis, præeminentiis, prærogatiuis, libertatibus, fauoribus licentiis, & indultis Apost. vel aliter qualiacumque essent, quibus omnes, & singuli Ordines, Congreg. Societ. & Monast sub approbatis regulis degentes, seu militantes, ac degentia, seu militantia, eorumque Superiores Generalales, Prouinciales, & particulares Monachi, seu Religiosi, Commissi, Oblati, Nouitij, familiares, seruitores, benefactores, & aliæ personæ eorumque Ecclesiæ, Oratoria, & alia quæcumque bona, quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, dictus Clemens prædecessor haberi voluit pro sufficienter expressis, coniunctim vel diuisim, eis & cuilibet ipsorum, in genere vel in specie, etiam viuæ vocis oraculo, vel alias quomodolibet concessis, seu concedendis, tam in spiritualibus quam temporalibus, & tam in communi quam particulari, seu alias quomodolibet vtebantur, potiebantur, & gaudebant, seu vti, potiri, & gaudere possent, quomodolibet in futurum absque vlla differentia, tam in communi, quam in particulari, vel alias quomodolibet vti, potiri, & gaudere, libere & licite possent, & valerent in perpetuum, ac etiam de nouo concessis pariter, & indulsit, & in eis locum habere voluit, ac si eisdem omnia, & singula præmissa, directe & expresse concessa fuissent, exceptis, quæ essent contra eorum constitutiones approbatas ac ordinationes capitulares factas, & pro tempore faciendas. Ac, vt dum priuilegiorum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum gratiarum, & indultorum eorum, & cuiuslibet dictorum Ordinum, Congreg. Societatum, & Monasteriorum originales literæ, seu transumpta authentica ex illis, prout in fauorem dictæ Societatis, eiusque Superiorum, Eremitarum, Commissorum, Oblatorum, Nouitiorum, familiarium, seruitorum, benefactorum, & personarum, ac Ecclesiarum Monasteriorum Eremitoriorum, locorum, bonorum, & aliorum cæterorum eiusdem Societatis ostenderentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhiberetur tam in iudicio quam extra, & aliis locis, quibus opus foret, ac si pro, & in fauorem eorum Societatis, Ecclesiarum, Eremitoriorum, & Monasteriorum, Fratrum, & personarum, ac bonorum prædictorum, ac prædictarum à Sede prædicta emanassent, ac eis, & cuilibet ipsorum fuissent immediate concessæ, mandauit.

Transumptis quoque credi voluit.

§. 21. Necnon quod literarum desuper conficiandarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici munitis, vbiqua staretur, prout originalibus literis staretur, & plena fides in iudicio & extra adhiberetur, quæ eisdem desuper conficiendis literis daretur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Clausulas d. bulla. præseruatiuas appofuit.

§. 22. Quodque literæ ipsæ desuper conficiendæ, cum confectæ forent, ac in eis contenta quæcumque, sub quibusvis reuocationibus, modificationibus, limitationibus, & suspensionibus quarumcumque literarum, gratiarum, & dispositionum per ipsum Clementam prædecessorem, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, seu ad Imperatoris, Regum, & Ducum instantiam concessis & concedendis, nullatenus comprehẽderentur, sed semper ab illis excapta essent, & esse censerentur. Et quoties reuocata, modificata, limitata, suspensa, aut alterata forent toties in eo statu in quo ante reuocationem modificationem, limitationem, & suspensionem huiusmodi repositæ, restitutæ, & reintegratæ, ac si opus foret de nouo concessæ essent, & esse censerentur, & quotiescunque per aliquem, aut plures actus contra ea aut ipsorum aliqua, à quoquam cuiuscumque dignitatis, status,

status, gradus, & conditionis foret, ex negligentia, vel ignorantia illorum quibus ea concedebantur, aut aliquavis causa, scienter vel ignoranter attentari, vel attentata observari contingeret; nullum tamen propterea exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis, & privilegiis, huiusmodi praeiudicium generaretur, sed ea omnia & singula in suo robore, & firmitate permanerent, easdem literas, absque aliorum instrumentorum, literarum praedictarum productione, & ostensione ad probandum plene omnia, & singula superius enarrata, & specificata, in iudicio, & extra vbique sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

Dubia in d. Societatis favorem interpretari iussit sublata aliis iudicandi facultate.

§. 23. Et si forte contingeret aliquod dubium in dictis per ipsum Clementem praedecessorem confirmatis, aut literis suis super praemissis conficiendis huiusmodi, aut aliquo eorum pro tempore emergi, data verborum ambiguitate, & iurisperitorum interpretatione dictae Societatis de nouo erectae, ac illius locorum particularium, & personarum fauorem interpretari debere. Sicque per quoscumque Iudices, ordinarios & extraordinarios, ac delegatos, & causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sententiari, iudicari, & definiri debere, sublata sit, & eorum cuilibet, quacumque alia iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, irritum quoque, & inane, quicquid secus fieri, siue attentari contingeret, decreuit.

Executores d. bullae deputauit.

§. 24. Ac voluit & concessit, vniversis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis personis, ac quarumcumque Metropolitan. & Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, necnon praefatorum Patriarcharum, ac Archiepiscoporum, & Episcoporum in spiritualibus Vicariis & Officialibus generalibus dari in mandatis, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, literas desuper conficiendas huiusmodi cum confectae forent, ac in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, ipsisque Eremitis, seu Fratribus, ac personis praedictis praemissis efficacis defensionis praesidio assistere, ac facere eosdem Eremitas, ac alias personas, omnibus praemissis pacifice frui, & gaudere, non permittentes ipsos, seu ipsas super iis per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compesci, & legitimis super iis habendis seruatis processibus, censuras, & poenas ipsas iteratis vicibus aggrauandi, inuocato etiam ad id, si opus foret, auxilio brachij saecularis.

Contrariis quibuscumque amplissime derogauit.

§. 25. Non obstantibus praemissis, ac Clementis, per quam inter alia voluerat, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis vniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, tam beneficij vniendi, quam illius cui vnio fieri peteretur, alioquin vnio non valeret, & semper in vnionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, necnon Pauli praedecessorum praedictorum, ac similis memoriae Innocentij Quarti contra exemptos edita, quae incipit, Volentes, necnon quibus cauetur, quod nullus extra suam ciuitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suae dioeces. ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede praedicta deputati extra ciuitatem vel dioeces. in quibus deputati forent, contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere praesumerent Bonifacij VIII. Rom. Pontif. etiam praedecessorum nostrorum, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo non vltra tres dietas aliquis dictarum literarum desuper conficiendarum auctoritate non traheretur, & quibusvis aliis Apostol. necnon Prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus & specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac praedictarum Ecclesiarum, Monasteriorum etiam S. Antonij de Sancto Antonio, Ordinis Sancti Augustini Viennen. dioeces. & Religiosorum locorum, ac Ordinum quorumcumque etiam Camaldulen. huiusmodi, aliorum etiam Mendicantium, & non Mendicantium, statutis, & consuetudinibus, etiam illis in quibus cauebatur, vt mulieres ad dictum Eremitorium Sancti Hieronymi de Pascilupo, sub excommunicationis latae sententiae poena nunquam accederent, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque & indultis, ac literis Apostol. Camaldulen. aliisque Ordinibus Mendicantium, & non mendicantium, & militiarum Ecclesiis, Monasteriis, & Sancti Antonij huiusmodi, necnon Vniuersitatibus, Congregationibus, Societatibus, Communitatibus, Collegiis, & caeteris aliis personis, & locis, per eundem Clementem praedecessorem, & Sedem Apostolicam, sub quibusvis verborum formis, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis, illis praesertim, quibus inter alia caueri dicebatur expresse, quod nulli Fratres, seu Monachi, de dictis etiam Mendicantium Ordinibus ad alium Ordinem etiam strictiorem transeuntes per Superiores, Priores, & alios Fratres Ordinum, aut Societatum, ad quos, si transierint, etiam de licentia eorundem Superiorum, petita, & obtenta, recipi & admitti possent, alias recipientes, & recepti, excommunicationis sententiam incurrent, ipsique sic, vel alio modo recepti, ad aliquod officium, seu Praelaturam eiusdem Ordinis, in quo recipiebantur, eligi non possent, absque Apostolicae Sedis speciali, & expressa licentia, per ipsius Sedis patentes literas concedenda, facientes plenam ac certam & determinatam, de statuto, & ordinatione huiusmodi, expressam, & indiuiduam mentionem. Quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma seruanda foret, dictus Clem. praedecessor eorum, omnes tenores & formas illorum concessionum, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, auctoritate praedicta, specialiter & expresse derogauit, caeterisque contrariis quibuscumque.

Et quoniam d. bulla Clem. VII. ob ipsius obitum expedita non fuit, hic Pontifex eam validam à die data.

§. 26. Ne autem de absolutione, erectione, institutione, approbatione, confirmatione, suppletione, concessione, assignatione, exemptione, liberatione, susceptione, inhibitione, statuto, ordinatione, indulto, voluntate, mandato, decreto, & derogatione praedictis, pro eo quod super illis dicti Clementis praedecessoris eius superueniente obitu, literae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipsique Maior. Visitatores, Priores, Officiales, & Fratres illorum frustrentur effectum, volumus, & similiter Apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, erectio, institutio, approbatio, confirmatio, suppletio, concessio, assignatio, exemptio, liberatio, susceptio, inhibitio, statutum, ordinatio, indultum, voluntas, mandatum, decretum, & derogatio Clementis praedecessoris huiusmodi, perinde à dicta die, tertio Nonas Septembr. suum sortiantur effectum: ac si super illius ipsius Clementis praedecessoris literae sub eiusdem diei datum confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes literae ad probandum plene absolutionem, erectionem, institutionem, approbationem, confirmationem, suppletionem, concessionem, assignationem, exemptionem, liberationem, susceptionem, inhibitionem, statutum, ordinationem, indultum, voluntatem, mandatum, decretum, & derogationem Clementis praedecessoris huiusmodi, vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Deputatque executores huius constitutionis.

§. 27. Quocirca vniversis ac singulis venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, ac aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Metropolitan. & aliarum Ecclesiarum Canonicis, ac eorundem Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum Vicariis in spiritualibus, ac Officialibus generalibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel per alium, seu alios, praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, vbi, & quando opus

fuerit, ac quoties pro parte Maioris, Visitator. Priorum, Officialium, & Fratrum prædictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ac singulos, quos eædem præsentes literæ concernunt, illis pacifice gaudere: non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super iis habendis, seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, iuxta voluntatem & concessionem Clementis prædecessoris huiusmodi. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus, communiter vel diuisim, à dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

D.P. Ann. 1. die 3. Non.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo quarto, tertio Non. Nouembris Pontificatus nostri Anno primo.

II. Quod omnes gratiæ & exemptiones, concessæ & concedendę per Sedem Apostolicam, locis & personis Ordinis Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captiuorum, in Prouincia Castellæ, & Legionis, ac Bethicæ, concessæ censeantur locis & personis eiusdem Ordin. in Regno Portugalliæ.

Multa de hoc Ordine notata sunt apud constit. 1. Innoc. III. Operante, sup.

Edita A. D. 1534.

PAVLVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INter curas multiplices, quæ nobis ex Apostolatus officio incumbere dignoscuntur, illam libenter amplectimur, per quam status personarum quarumlibet, præsertim religiosorum (quorum precibus assiduis, & sanctis operationibus propitiatur Altissimus) non solum vbique floreat, sed etiam, auctore Domino felicibus proficiat incrementis.

Causa huius communicationis indultorum.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Prouincialis, & aliorum Ministrorum, ac conuentuum, Monasteriorum Ordinis S. Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Regni & secundum morem ipsius Ordinis Prouinciæ Portugalliæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipsa priuilegia, exemptiones, concessiones, & indulta, Monasteriis eiusdem Ordinis Prouinciæ Castellæ & legionis ac Bethicæ, secundum morem huiusmodi, ac eorundem Prouinciæ Castellæ & Legionis, ac Bethicæ, illiusque Monasteriorum Prouinciali, & Ministris, ac Conuentibus & forsan in genere toti Ordini prædicto per Sedem Apostolicam concessa, ad Monasteria Ordinis Regni & Prouinciæ Portugalliæ huiusmodi, illorum Prouincialem, & alios Ministros, ac conuentus præfatos se extendere credant, tamen à nonnullis de huiusmodi extensione hæsitatur, maxime cum in toto Regno & Prouincia Portugalliæ prædictis, duo dumtaxat exigui valoris conuentualia Monasteria, necnon in quibus solum dicti Ordinis fratres resident, duo Eremitoria, siue Oratoria existunt, ac idem Prouincialis & alij Ministri, necnon conuentus ipsius Regni de priuilegiis huiusmodi, quibus se tueantur ob eorum paupertatem, & Prælatorum Ordinis, qui hactenus fuerunt incuriam, realiter docere nequeant, quo fit vt Prouincialis, alij Ministri, necnon conuentus præfati, ac personas Ordinis Regni Portugalliæ, illorumque Monasteriorum huiusmodi, tam in personis, quam in rebus à locorum Ordinariis, & aliis Iudicibus, Ecclesiasticis ac sæcularibus passim indebite molestentur, ac in suis iuribus opprimantur; & frequenter præfati Iudices ob priuilegiorum huiusmodi carentiam, eisdem Prouinciali, & aliis Ministris, conuentibus, & personis, etiam pro quacumque leuissima re diuersas iniurias, & diuersa opprobria inferendi occasionem assumant, quæ dicti Prouincialis & alij Ministri, ac conuentus, si huiusmodi priuilegia penes se haberent, sibi inferri non permitterent, vnde religio ab illarum partium fidelibus parupenditur, & illarum solita deuotio frigescit, ac Monasteria ipsa religiosis destituuntur, & diuini cultus in eis, necnon eleemosynæ, & piæ largitiones ab eisdem fidelibus erogari solitæ (ex quibus ipsi Prouincialis, & alij Ministri, ac personæ Ordinis, & Regni Portugalliæ prædictorum, vitæ subsidium recipiunt) in dies diminuuntur. Quare pro parte moderni Prouincialis, & aliorum Ministrorum, ac conuentuum Regni & Prouinciæ Portugalliæ prædictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis, eorumque Monasteriis, & in illis degentibus personis, vt huiusmodi priuilegiis gaudere possint, concedere, ac alias eorum incolumitati, in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Communicatio indultorum.

§. 2. Nos igitur qui ordinem prædictum in visceribus gerimus charitatis, & illius personarum prosperum statum paterno zelamus affectu, modernum Prouincialem, & alios Ministros, necnon conuentus Monasteriorum, Regni & Prouinciæ Portugalliæ huiusmodi, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula priuilegia, exemptiones, concessiones, & indulta, Prouinciali & aliis Ministris, & Superioribus, necnon conuentibus, ac singulis Religiosis personis dicti Ordinis præfatæ Prouinciæ Castellæ, & Legionis, ac Bethicæ, seu illorum Monasteriis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac per nos & Sedem prædictam, quocumque modo, ac sub quibuscumque modis, tenoribus & formis, ac verborum expressionibus generaliter concessa, & pluries confirmata, quorum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, ac in posterum concedenda & confirmanda, Prouinciali, & aliis Ministris, necnon conuentibus, ac singulis religiosis personis Ordinis, Regni & Prouinciæ Portugalliæ huiusmodi, nunc & pro tempore existentibus, ac eorum Monasteriis præsentibus & futuris, ita vt ipsi huiusmodi priuilegiis, exemptionibus, concessionibus, & indultis prædictis vbicumque in iudicio & extra, vtantur, potiantur & gaudeant, ac vti, potiri, & gaudere possint, pariformiter, & æque principaliter, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, illaque eisdem Prouinciali, & aliis Ministris, ac conuentibus, necnon singulis religiosis personis Ordinis & Regni, ac Prouinciæ Portugalliæ, illorumque Monasteriis, huiusmodi in vtroque foro suffragari, ac etiam quoad eos, etiam sub sententiis, censuris & pœnis, ac cum clausulis, necnon decretis in literis Apostolicis desuper confectis contentis, iuxta illorum tenorem obseruari, in omnibus & per omnia, ac si illa eidem Prouinciali & aliis Ministris, necnon conuentibus & singularibus religiosis personis Ordinis, Regni & Prouinciæ Portugalliæ, illorumque Monasteriis, huiusmodi, primo & principaliter concessa fuissent, si eis tali modo concederentur.

Sublata aliter iudicandi facultas.

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi, facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, necnon quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus

ralibus vel specialibus constitutionibus, ordinationibus necnon dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac quibusvis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, ac illarum Præsulibus & Capitulis, necnon locorum Ordinariis, & aliis personis Ecclesiasticis & sæcularibus cuiuscumque, etiam Archiepiscopalis dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, excellentiæ, & præeminentiæ existentibus, etiam Cardinalatus honore fungentibus: ac aliis Ordinibus, Congregationibus & conuentibus, ac monasteriis quomodolibet, ac sub quibuscumque tenoribus & formis, necnon cum quibusvis clausulis & decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis, ac concedendis, approbandis, & innouandis: quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita, obseruata insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus; ac omnibus illis, quæ in literis Apostolicis, priuilegiorum, exemptionum, & indultorum, Prouinciali, & aliis Ministris, conuentibus, & religiosis personis, ac Monasteriis, Ordinis, & prouinciæ Castellæ, & Legionis, ac Bethicæ concessorum, huiusmodi concessum fuit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum. §. 5. Decernentes, quod singulis, tam præsentium, quam priuilegiorum Prouinciæ Castellæ & Legionis, ac Bethicæ huiusmodi concessarum literarum transumptis, pro Prouinciali & aliis Ministris, ac conuentibus, & religiosis personis, necnon Monasteriis Ordinis, & Prouinciæ Portugalliæ huiusmodi, ac eorum singulis conficiendis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus, fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 13. Nou. Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Id. Nouembris, Pontificatus nostri Anno primo.

III. Qui vere sint, & familiares & continui commensales Summi Romani Pontificis.

Declarationem huius constitutionis vide inf. in constitut. 21. Iul. III. Sanctissimus, vbi notabo.

Edita A. D. 1534. & 1543. SAnctissimus in CHRISTO Pater, & Dominus noster Dominus Paulus diuina prouidentia Papa III. Prouide considerans retroactis temporibus pluries dubitatum fuisse an Referendarij & alij Officiales ex Palatio *Causa declarationis.* Apostolico panem habentes, Secretarij Apostolici, literarum Apostolicarum Scriptores, Cubicularij, Milites sancti Petri, cæterique Officiales Sanctitati suæ, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, in eodem Palatio deseruientes, aut custodiam facientes fuerint & sint Sanctitatis suæ, & Romanorum pro tempore Pontificum veri & indubitati, & non per priuilegium familiares & continui commensales.

Declaratio, qui sint veri familiares Papæ. §. 1. Eadem Sanctitas sua huiusmodi ambiguitatem in futurum tollere volens, ex certa scientia declarauit Referendarios, & alios Officiales ex dicto palatio panem habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotæ, Acolitos, Scutiferos, Secretarios, literarum Apostolicarum Scriptores, Cubicularios, ac Milites sancti Petri, reliquosque Officiales eidem Sanctitati suæ, & Romano Pontifici pro tempore existenti, in Palatio deseruientes, aut custodiam facientes, licet in eodem non habitauerint, nec habitent, nec forsan habitabunt, nec in tinello comederint, nec comedant, nec in futurum forsan comedent, in posterum veros & indubitatos Sanctitatis suæ, & Romanorum pro tempore Pontificum, & non per priuilegium, nec ficte familiares continuos commensales censeri, reputari & esse; ita vt regulis tam editis quam edendis, de veris familiaribus, & continuis commensalibus suæ Sanctitatis, & Romanorum pro tempore Pontificum loquentibus in posterum potiantur, & gaudeant, ac eis quoque quoad omnia subiiciantur, etiam ad hoc, vt Sanctitas sua, & alij Pontifices occurrentibus vacationibus beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum & obtinendorum qualitercumque qualificatorum per obitum eorundem in Romana Curia vel extra, ad collationem, prouisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, & collatricum, communiter vel diuisim pertinentium prouidere, & de illis disponere, libere & licite valeant, in omnibus & per omnia, ac si Referendarij, Secretarij, Scriptores, & alij Officiales huiusmodi, ac deseruientes supradicti in Palatio habitassent, & in tinello vere & realiter comedissent.

§. 2. Et ita per quoscumque Iudices, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & sacri Palatij Apostolici causarum Auditores, de cætero iudicari & interpretari debere statuit, sublata eis aliter interpretandi & iudicandi potestate. Decernens irritum & inane &c. *Clausula sublata, &c.*

§. 3. Constitutionibus ordinationibus, & regulis Apostolicis, priuilegiis quoque, & indultis, tam ordinariis collatoribus, quam quibuscumque aliis personis cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existen. concessis & concedendis, cum quibusvis clausulis derogatoriarum derogatoriis præseruatiuis, restrictiuis, irritatiuis, annullatiuis, & aliis decretis quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. *Derogatio contrariorum.*

Placet, publicetur & describatur. A. *Papa subsc.*

Lecta & publicata fuit suprascripta constitutio, siue declaratio in Cancellaria Apostolica, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo quarto, die Martis trigesima secunda mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ Tertij, anno primo. *Publ. Pontif. An. 1. die 12. Decembris.*

Sequitur declaratio d. constitutionis.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Paulus diuina prouidentia Papa Tertius, cui dudum postquam vnam constitutionem suam, &c. *vt hic supra.* *Edita An. D. 1543.*

§. 1. Innotuit qualiter inter cæteros in eadem constitutione nominatos Referendarij, & Auditores, Referendariatus & Auditoriatus, ac nonnulli aliorum officiorum, quæ obtinebant ratione, vt singuli de ipsorum Collegiis, necnon ex Scriptoribus vnus tanquam Referendarios officium actu exercens, & alius tanquam Decanus antiquitatis, & forsan in aliis Collegiis, vnus vel duo, aut forsan plures, & non singuli ipsorum Collegiorum ratione; panem ex Palatio Apostolico habeant, tamen custodiam non faciunt, à nonnullis asserebatur constitutionem prædictam in habentibus panem in Palatio, & custodiam facientibus coniunctim locum habere, & effectum sibi vendicare, & non alias, nec alio modo procedere. *Primum dubium ortum super verbis præcedentis const.*

§. 2. Ambiguitatis dubium submouere volens, primo viuæ vocis oraculo declarauit, & decreuit constitutionem ipsam, etiam in die publicationis illius intelligi, locumque vendicare & procedere posse & debere, siue dicti Officiales, vel quicumque alij coniunctim & diuisim, panem ex Palatio haberent, & in eodem custodiam facerent, etiamsi iidem officiales & alij, per quorum obitum beneficia, vt præfertur, vacauerint, panem non habuissent, nec in ipso Palatio custodiam fecissent, ac beneficia per eosdem officiales, & alios, vt præfertur, obtenta, per obitum etiam eorundem officialium in dicta Curia, vel extra eam vacarent, *Declaratio primi dubij.*

&

& ad collationem, prouisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem, etiam S.R.E. Cardinalium & quorumcumque aliorum collatorum, & collatricum, communiter vel diuisim spectarent.

Secundum dubii ortum ob non publicationem dictæ declarationis.

§. 3. Postea accepit quod pro eo quod de posteriori declaratione huiusmodi alias non apparebat, adhuc aliquibus in dubium reuocaretur, quod contingere posset eos, quibus de beneficiis huiusmodi per obitum dictorum officialium, ac aliorum sic, vt præfertur, vacantibus, per suam Sanctitatem prouisum, seu prouideri concessum extitit, aut in futurum prouideri concessum extitit, vel quod prouideretur concedi contigerit, desuper indebitum posse molestari.

Declaratio secundi Dubij.

§. 4. Motu proprio, &c. per aliam suam constitutionem quam & literas desuper expeditas, etiam quod in eadem Cancellaria lecta & publicata non esset, arctare voluit, sub dat. decimo nono Kalendas Septembris, eiusdem Pontificatus sui anno secundo, inter alia fidem fecit, ac in verbo Romani Pontificis attestatus fuit semper suæ incommutabilis mentis fuisse, & tunc esse, quod etiam posterior declaratio huiusmodi, etiam quod aliter in dicta Cancellaria lecta & publicata non foret, ab illius data valeret & ligaret, ac omnibus & singulis, quibus de singulis, aut pluribus beneficiis prædictis, vt præfertur, prouisum seu prouideri concessum extitit, aut in futurum prouideri, seu quod prouideatur concessum fuerit, suffragaretur, etiam in omnibus & per omnia, ac si dicta die vigesima secunda Martij in dicta Cancellaria lecta & publicata fuissent, cum de sit iudicando, & aliis clausulis etiam irritantibus decretis in literis desuper confectis latius continetur.

Tertium Dubium,

§. 5. Cum sanctitati suæ etiam nouissime innotuerit ab aliquibus etiam plusquam conueniat sapere volentibus, prætendi, constitutionem & declarationem prædictas forsan ad de numero participantes, & alios non participantes, præsertim Romanorum Pontificum prædecessorum suorum, ac etiam Pontificatus sui tempore, etiam per S.R.E. Cardinales, etiam de latere, & alios Legatos, siue Nuntios Apostolicos, etiam facultatem Legatorum de latere habentes, quorum numerus nimis iam excreuisse asseritur, pro tempore creatos Notarios Apostolicos supernumerarios nuncupatos, & omnes alios officiales in dicta constitutione nominatos & expressos, qui in eodem Palatio forsan non habitant, nec in posterum habitabunt, aut in tinello nunc non comedunt, neque forsan in posterum comedent, minusque Sanctitati suæ deseruiunt, neque Romano Pontifici pro tempore existenti in futurum deseruient, aut custodiam non faciunt, aut non facient, non extendi, neque eosdem comprehendere, neque in illis procedere, aut locum sibi vendicare.

Declaratio tertij dubij.

§. 6. Ad huiusmodi etiam vlterioris ambiguitatis dubium resecandum, constitutionem, regulamque necnon declarationem prædictas, etiam cum omnibus & singulis decretis, & aliis clausulis quibuscumque in illis respectiue contentis & expressis, pro insertis & expressis habens, decreuit & declarauit, fidemque indubiam facit, & attestatur mentis & intentionis suæ semper fuisse & esse, tam à die editionis & publicationis singularum constitutionum, siue regulæ ac declarationis prædictarum, quam etiam cuiuslibet ipsarum, tam de numero participantium, quam non participantium notariis prædictis, ac etiam omnibus & singulis aliis officialibus in dicta constitutione siue regula, & declaratione, vt præfertur, nominatis intelligi, locumque sibi vendicasse, & processisse, ac vendicare, & procedere debere; etiam quod quicumque, participantes & non participantes, notarij, aliique omnes, & singuli officiales prædicti, in dicta constitutione, siue regula & declaratione quomodolibet nominati, & expressi panem ea Palatio non habuerent, non haboerint, & non habeant, & custodiam in eo non fecerint, & non faciant, aut aliter suæ Sanctitati, & Romano Pontifici pro tempore existenti in Palatio Apostolico, vel extra, aliquo modo non seruierint, neque seruiant, vel alias quomodolibet in Palatio Apostolico non habitauerint, & non habitent, & custodiam in eo non fecerint, & non faciant, & nihilominus singulas constitutiones & declarationes prædictas, & ipsarum quamlibet, etiam cum omnibus, & singulis clausulis & decretis in illis contentis illas pro expressis, & insertis habens, ad quoscumque non participantes notarios per eosdem Romanos Pontifices, & per Sanctitatem suam creatos tantum restrinxit, & restringit & reducit; illasque minime ad non participantes, & supernumerarios notarios ab eisdem Cardinalibus de Latere, & aliis Legatis, & Nuntiis Apostolicis, etiam facultatem & auctoritatem Legati de latere habentibus creatos, in eadem regula, siue constitutione, & declaratione nullatenus comprehendi, nec comprehendi posse, nec valere, aut debere, ac si specialiter & indiuidue expressa fuissent, perpetuis futuris temporibus valere, & obseruari debere.

Decretum irritans.

§. 7. Et ita per quoscumque Iudices, etiam Palatij, Apostolici causarum Auditores, & alios quoscumque Iudices, etiam in quibuscumque causis etiam pendentibus, & in quibuscumque inter omnes & singulos iudicari, sententiari & definiri debere statuit, voluit, decreuit, & ordinauit, sublata &c.

Iussio publicandi.

§. 8. Præsentemque prove moris est in dicta Cancellaria legi & publicari, & inter alias regulas Cancellariæ, vt moris est, describi & adnotari mandauit.

Placet, & publicetur, & describantur. A. *Papa subscr.*

Lecta & publicata fuit suprascripta regula siue constitutio Bononiæ in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, die veneris decima octaua Maij. *Publ. Ann. Pont. 9 die 18. Maij.*

De Rotæ institutione in Ciuitate Bononiæ Prouinciæ Lombardiæ, & Status Ecclesiastici, causisque cognoscendis, & terminandis in ea. IV.

Studium quoque generale antiquitus ibidem institutum fuit, vt refertur in const. 3. Innoc. VI. Quasi sup. vbi notaui.

PAVLVS PAPA III. *Edita An. D. 1545.*

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

EX iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, quo vnicuique in administranda iustitia huiusmodi personis quibuslibet, præsertim nobis & Apostolicæ Sedi immediate consulitur, nostræ vigilantiæ partes propensius impartimur.

Hic Pont. in Ciuitate Bononia Rotam erigi indulsit, Auditorumque eligendorum qualitates & iurisdictiones præfiniuit.

§. 1. Exponi nobis fecerunt dilecti filij Vexillifer iustitiæ, & Quadraginta Reformatores status libertatis Ecclesiasticæ Ciuitatis nostræ Bonon. quod licet in primordio nostræ ad Summum Apostolatus apicem assumptionis, dictorum Vexilliferi, ac Reformatorum supplicationibus inclinati, quòd in dicta Ciuitate, Rota perpetuis temporibus duratura, & singulo quinquennio renouanda fieret, & erigeretur, & pro ea facienda, ac erigenda quinque Doctores excellentes, & vsu, ac peritia iudicandi præstantes, aliunde, quam ex ipsa Ciuitate, aut eius Comitatu, siue districtu oriundi, & qui in eadem Ciuitate saltem per integri anni interuallum non habitassent, qui omnes causas ciuiles dumtaxat certam summam excedentes in prima, secunda, & vlteriori instantiis, cognoscere, & terminare habeant, cum modis & ordinibus, capitulis, & prouisionibus, necessariis opportunis, ac per partita inter eosdem Vexilliferum, & Reformatores, legitime, more solito, in præsentia, & de consensu pro tempore existentis nostri in dicta Ciuitate Legati, seu eius Vicelegati, obtinenda, statuendis, & declarandis eligerentur. Et ex eisdem quinque Doctoribus singulis annis potestas eiusdem Ciuitatis deputaretur. Ipsique omnes post duos annos immediate subsecuturos, syndicatui de eis faciendo, subiacere deberent. Et dum Rotæ huiusmodi præsiderent, nullum aliud officium, nec iurisdictionem aliquam in dicta Ciuitate habere, aut obtinere possent, statuerimus, & ordinauerimus, prout in capitulis de mandato nostro signatis, plenius continetur.

Nunc Ciuitas supplicat pro indulto, ne ex d. Rota causa auocari possint.

§. 2. Nihilominus, quia contingere posset, causas in eadem Rota pendentes, vigore commissionum, ad importunam partium instantiam per nos, seu de mandato nostro pro tempore signatarum, ab illa auocari, ac aliis iudicibus, tam in partibus, quam in Romana Curia committi, ac ciues & incolæ, Ciuitatis, & Comitatus, ac districtus prædictorum, erectione Rotæ huiusmodi frustrari, & circa persecutionem causarum, & litium suarum diuersis expensis, & laboribus fatigati, in eorum graue dispendium, nobis humiliter supplicari fecerunt, vt in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Et ipse Pontifex hoc indultum concedit.

§. 3. Nos igitur, qui nostrorum, & dictæ Sedis subditorum dispendiis, quantum cum Deo possumus, libenter occurrimus, dictorum Vexilliferi, & Reformatorum supplicationibus inclinati, quod de cætero omnes, & singulæ causæ ciuiles, inter ciues & incolas pro tempore exortæ summam prædictam excedentes, in quacumque instantia, in eadem Rota, & non alibi cognosci & terminari debeant; quodque ab illa quovis modo, nisi per nos & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & in vim commissionis, per nos, seu eosdem successores nostros, nostra vel eorum propria manu, & per hoc verbum, Placet, signatæ nisi de vtriusque partis consensu, auocari non possint. Nec potestas, aut Auditores præfati, inhibitionibus, seu mandatis eius, vigore commissionum aliter quam vt præfertur, signatarum factis, etiam quascumque sententias, censuras, & pœnas etiam pecuniarias in se continentibus parere teneantur, nec ob non paritionem huiusmodi aliquibus sententiis, censuris, & pœnis prædictis innodari, aut illas incurrere quovis modo possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium, & ex certa scientia statuimus & ordinamus.

Decretum irritans apponit.

§. 4. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumq; non obstantibus.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscomque.

D. P. A. 2. die 11. Iuly.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 11. Iulij millesimo quingentesimo trigesimo quinto, Pontificatus nostri Anno primo.

V. Comprobatio Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli decollati, cum præscriptione quarundam ordinationum, & concessione priuilegiorum.

Istam Congregationem primo approbauit Clem. VII. sup. in eius const. 37. Vota, vbi plene de ea notauit.

Edita An. D. 1535. & 1543.

PAVLVS EPISCOPVS,

Seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Antonio Mariæ de Zacharijs, & Bartholomæo de Ferrariis Presbyteris Cremonen. & Mediolanen. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Refertur constitutio Clem. VII. de qua in rubr.

DVdum felicis recordationis Clementi Papæ Septimo prædecessori nostro pro parte vestra exposito, quod vos cum tribus aliis vestræ voluntatis sociis, vt liberius diuinis beneplacitis insistere, & quæ Dei erant perquirere possetis; cupiebatis professionem trium votorum substantialium Religionis in manibus tunc Archiepiscopi Mediolanen. seu eius tunc Vicarij in spiritualibus generalis emittere, & insimul in aliquo loco Ciuitatis, seu diœcesis Mediolanen. per vos eligendo morari, ac remanere; idem prædecessor vestris in ea parte supplicationibus inclinatus, vobis & vestrum singulis, vt professionem ipsam in eiusdem Archiepiscopi seu Vicarij, qui vero ad vos de cætero conuerti vellent in alterius vestrum, seu præpositi vestræ Congregationis pro tempore existentis manibus professionem trium votorum eorundem emittere, ac insimul, sub obedientia tamen Ordinarij loci, in ipso loco per vos eligendo cohabitare, & in communi viuere, necnon pro vestro, & rerum vestrarum salubri statu ac directione, quæcumque statuta & ordinationes, rationabilia & honesta, ac sacris canonibus non contraria condere & facere, illaque vt vobis pro temporum qualitate expedire videretur mutare, & in totum tollere, aliaque illorum loco de nouo facere, libere, & licite valeretis concessit, & indulsit, prout in eiusdem prædecessoris literis desuper in forma breuis confectis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, plenius continetur.

Pij viri qui istam Congr. instituerunt, Papæ supplicarunt pro his relatis.

§. 1. Cum autem sicut nobis nuper exponi fecistis, vos & nonnulli alij eiusdem voluntatis socij vestri, qui professionem aliquam nondum emisistis, diuina vt creditur inspiratione ducti cupientes cum maiori animi quiete Deo seruire, & illi magis adhærere posse, tria substantialia religiosæ vitæ, paupertatis scilicet, & castitatis, & obedientiæ vota emittere, & sub solito & communi habitu clericali in vnum habitantes, & in communi ac de communi viuentes necnon Deo humiliter & deuote, quantum ipse dederit seruientes, sub nostra & Apostolicæ Sedis humili & immediata subiectione, & speciali protectione clericalem vitam ducere, ac prædicationi verbi Dei, audientiæ confessionum, & administrationi sacramentorum, sacræque Theologiæ, & sacrorum canonum studiis ad vestrarum & aliorum Christi fidelium animarum profectum vacare decreueritis, nobis humiliter supplicari fecistis, vt vobis in præmissis benigne annuere, ac opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui eis licentiam emittendi tria vota substantialia concedit.

§. 2. Nos igitur qui omnium Christi fidelium piis & honestis desideriis libenter annuimus vestrum in hac parte laudabile desiderium plurium in Domino commendantes, vestrisque huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis & cuilibet vestrum, vt quandocumque vobis visum fuerit, possitis tria substantialia religiosæ vitæ, vt petitis, paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota publice emittere, in manibus cuiuscumque Presbyteri sæcularis, vel cuiusvis Ordinis regularis solemniter profiteri.

Habitumque clericalem deferendi, & in communi, & de communi viuendi sub protectione Sedis Apostol. ad quinquennium.

§. 3. Ac sub solito & communi habitu clericali, subque nomine & nuncupatione Clericorum Regularium, in communi, ac de communi viuentes, in locis religiosis aut sæcularibus, prout vobis ab illis quorum loca ipsa fuerint, concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub nostra & huius sanctæ Sedis Apostolicæ immediata subiectione & speciali protectione ad quinquennium dumtaxat in vnum habitare.

Hoc fuit perpetuatum, vt infrà proximè.

§. 4. Atque ex vobis, & inter vos singulis annis Superiorem, Præpositum nuncupandum, qui vsque ad triennium, & non vltra, confirmari possit, eligere.

Præpositum ad triennium eligendi.

Aliosque ad religionem recipiendi.

Tu vide cōst. 71. Sixt. V. Cum de.

§. 5. Ac alios quoscumque sæculares clericos quavis dignitate fulgentes, Episcopo tamen inferiores, ac etiam laicos, qui Deo aspirante ad huiusmodi vitæ frugem, & communem viuendi modum sese conferre voluerint recipere, & post annuam probationem ad talem trium votorum professionem in manibus ipsius Superioris emittendam, & ad huiusmodi communem viuendi modum admittere.

Officia diuina recitandi.

§. 6. Ac horas canonicas diurnas, pariter & nocturnas, necnon missas, & alia diuina officia, simul & diuisim secundum vsum & morem Romanæ, Ecclesiæ, etiam iuxta breuiarium nouiter compilatum, ita tamen quod cum publice ea recitaueritis vos inuicem conformetis in Ecclesia, dicere & recitare.

Sacramenta administrandi.

§. 7. Necnon quibuscumque fidelibus vere pœnitentibus & confessis, ad vestram Ecclesiam pro tempore accedentibus, quoque anni tempore, præterquam in festo Paschatis Resurrectionis dominicæ, Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare, libere & licite valeatis, & ad alium vsum super huiusmodi horis, missis, officiis dicendis obseruandum minime teneamini, nec ad id à quoquam inuiti compelli valeatis.

Præpositoque dat auctoritatem dispensandi cum infirmis & eos curantibus

§. 8. Necnon vt dictus Superior vester pro tempore existens, Clerici & socij vestri, qui infirmitate grauati, aut circa infirmorum in domibus vestris morantium curationem adeo impediti fuerint, vt congruum eis tempus ad diuinorum officiorum recitationem non supersit

Circa recitationem diuini officij. sit, vt infirmitate, aut circa infirmos occupatione huiusmodi durante certum psalmorum per ipsum Superiorem eis assignandorum numerum, non minus septem, aut sex, cum diuisione, & Orationem dominicam septies, ac symbolum Apostolorum bis, grauiter autem ægrotantibus orationem Dominicam semel, & Salutationem Angelicam septies in die recitando, septem horis Canonicis, & toti diuino officio satisfecisse censeantur, & cum quibusvis Clericis, & sociis vestris super præuentione, vel postpositione temporis recitationis horarum Canonicarum, aliqua subsistente causa legitima, dispensare.

Et etiam circa ieiunia. §. 9. Quodque tempore ieiunij, etiam de præcepto, etiam tempore Quadragesimæ, cum his qui indiguerint, quorum conscientiæ acquiescant, vt collationem etiam cum pane facere possint, & valeant, auctoritate nostra dispensare.

Formamque hic relatã in absoluẽdis cõfitentibus, omnibus de Congregatione cõcedit. §. 10. Ac quod vos inter vos mutuas, seu etiam alij sacerdotes, sæculares vel regulares à vobis, de Superiorum vestrorum licentia ad hoc pro tempore eligendi, vestras, ac vos dum illi confessores vestri fuerint eorum confessiones audientes, in absolutionibus, congrua tamen satisfactione præmissa faciendis sic inter vos faciendis hac forma vti possitis, & illi possint, videlicet, post Misereatur, &c. & Indulgentiam, &c. Dominus IESVS CHRISTVS te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli mihi commissa, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, maioris vel minoris, suspensionis & interdicti præterquam Apostolica auctoritate, latæ vel lati, necnon ab omni irregularitate, præterquam occasione homicidij, aut ex causa à beneficiis Ecclesiasticis quocumque modo dependente, & restituo te sanctis sacramentis Ecclesiæ, vnionique & participationi fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Iterum auctoritate Apostolica, &c.

Templũ quoque sub inuocatione sancti Pauli construendi. §. 11. Vobisque insuper, qui speciali deuotionis affectu ducti erga doctorem gentium Paulum Ecclesiam, sub eius nomine, etiã Apostolica auctoritate insignitam habere cupitis, vt primum templum, quod construi feceritis, quod tamen sine alicuius præiudicio vos facere volumus, sub ipsius Pauli nomine, ac inuocatione habere liceat, & denominare, ac ab aliis denominari & appellari mandamus.

Priuilegia Cõgregationis Canonicorum regulariũ Lateranen. elargitur. Hac vide sup. in const. 2. Paschal. § Quãto. §. 12. Necnon vt omnibus & singulis priuilegii, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, fauoribus, concessionibus, & gratiis, spiritualibus & temporalibus quibus potiuntur & gaudent, ac in futurum potientur & gaudebunt Canonici regulares Congregationis Lateranen. ac personæ, & loca eorum, quorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, ita vt literæ Apostolicæ super eisdem priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratiis eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, inuocationibus, & diebus ad libitum vestrum expediri possint, perinde ac si omnia illa & singula, non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorem de verbo ad verbum, expressionem & insertionem fuissent, vos personæ, & loca vestra, vti, potiri, & gaudere possitis, vobis per has nostras literas, tenore præsentium, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, concedimus pariter & indulgemus.

Cõtrariis derogat. §. 13. Non obstantibus præmissis & Apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, etiam siqua specialiter, seu de verbo ad verbum exprimenda essent, quæ pro expressis haberi, & quibus quoad effectum præsentium dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 25. Iulij. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, octauo Kalend. Augusti Pont. nostri anno primo.

Sequitur perpetuatio dictarum gratiarum.

PAVLVS PAPA III. *Edita An. D. 1549.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. PAstoralis officij cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa nos excitat & inducit, vt circa statum fidelium quorumlibet, præsertim sub regulari obseruantia trium votorum substantialium religionis degentium prospere dirigendum, operosis studiis iugiter intendentes, eosdem fideles vt vota sua Altissimo quietius persoluere possint benignis fauoribus & gratiis confoueamus aliasque desuper disponamus prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Refertur constitutio præinserta. §. 1. Dudum siquidem nobis pro parte dilecti filij Bartholomæi de Ferrariis, & tunc in humanis agentis quondam Antonij Mariæ de Zaccariis, Mediolanen. & Cremonen. Presbyterorum expositio, &c.

Omittitur residuum narratiuæ bullæ, quia ipsa est quæ præcedit.

Perpetuatio prædictarum gratiarum de quibus in praeinserta. §. 2. Nos igitur, qui Deo deuotorum votis quantum cum Deo possumus libenter annuimus Bartholomæum & eius socios præfatos, & eorum singulos, à quibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes & absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati Bartholomæo, & eius sociis præfatis, quod de cætero perpetuis futuris temporibus sub solito & communi habitu clericali, subque nomine, & nuncupatione Clericorum Regularium in communi & de communi viuentes, sub nostra & eiusdem Sedis humili & deuota subiectione, ac speciali protectione in vnum habitare, ac omnia & singula alia in eisdem literis nostris contenta facere & exequi valeant eadem auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus, & indulgemus.

Clausula derogatoria. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A 10. die 1. Dec. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quadragesimo, tertio Kalend. Decembris, Pont. nostri Anno decimo.

Iurisdictio Camerarij & Iudicis Curiæ Ripæ Almæ Vrbis, quoad causas Ripales. VI.

Iudicis autem alterius Ripæ iurisdictionem habes suprà in const. 4. Clem. VII. Nuper. Prout illius reformationem inspice in constitut. 71. Pauli V. Vniuersi. §. 9. Indulta autem Mercatorum istarum Riparum habes hic infra in const. 45. Cum postquam.

PAVLVS EPISCOPVS, Edita An. D. 1533.

Motu proprio, &c.

Clem. VII. Motus proprius de quo in rub. CVm nobis constet per fel. rec. Clementem Septimum prædecessorem nostrum præinsertum Motum proprium fuisse concessum & ad vtilitatem Romanæ Vrbis & Sedis Apostolicæ redundare videatur.

Confirmatur. §. 1. Nos ea quæ per prædecessores nostros facta rite & ratione congrua cognoscimus, & propterea approbare & confirmare omni studio & conatu debere arbitramur, ac propterea dictum præinsertum Motum proprium & omnia eo contenta tam coniunctim quam diuisim confirmamus, & quatenus opus sit de nouo concedimus.

Adduntur illi clausulæ præseruatiuæ. §. 2. Addentes præterea quod dicto Motu proprio præinserto per nos aliquo modo derogatum esse non censeatur, nisi de verbo ad verbum in supplicationibus seu Motu proprio aut per alias signaturas nostras, & etiam per dilectos filios Præsidentes & Clericos Cameræ nostræ Apostolicæ mentio de dicto Motu proprio facta non fuerit.

Iurisdictio in causis criminalibus amplianda.

§. 3. Et quod dicti Officiales Almæ Vrbis quacumque auctoritate fungentes, in causis criminalibus in dicta Rips & eius districtu, in causis Ripalibus vel in Ripis quocumque modo prouenientibus, etiam cum effusione sanguinis, intromittere possint nec valeant, sed executio dictarum causarum & cognitio ad Dominum Camerarium Ripæ spectet & pertineat.

Carcerationes carcerati sine eius consensu relaxari non possint.

§. 4. Ac etiam per Visitatores Carcerum aliquem pro debito Ripali incarceratum in quacumque Curia Romana Vrbs relaxare non possit, nisi de consensu & voluntate Camerarij Ripæ & interuentu Notarij dictæ Ripæ.

Quique executores sancti eius mandata exequantur. Correxit Pius IV. in constit. 58 §. 31.

§. 5. Necnon executores Rom. Vrbis & Barisellus non possint aliquas executiones pro debito Ripali in ipsa & eius districtu facere & si forsan factæ fuerint nullæ & inualidæ sint & existant. Ac dictis executoribus possint per dictum Camerarium Ripæ de facto relaxari absque aliqua solutione executionibus ac carceria.

Iusso obseruandi hanc bullam.

§. 6. Mandantes propterea dilectis filiis Almæ Vrbis Gubernatori, Auditori Cameræ, Senatori Vrbis, Vicario, Barisello & aliis quibuscumque Rom. Vrbis Officialibus, quatenus sub excommunicationis & mille ducatorum auri pœnis contenta in præsenti Motu proprio obseruent ac ab aliis obseruari faciant & permittant.

Nulla obstantibus.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, stylo palatij cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

D. P. An. 1. Subscrip. PP. Clericorum subscriptio.

Pontificatus nostri Anno primo.

Placet & ita mandamus. A.

Visa Philippus Cameræ Apostolicæ Decanus.

Visa Io. Carolus Cameræ Apostolicæ Clericus.

VII. Damnatio & excommunicatio Henrici VIII. Regis Angliæ, eiusque fautorum & complicum, cum aliarum pœnarum adiectione.

Iste Henricus, contra Martinum Lutherum, & alios hæreticos ante scripserat, & propterea titulo defensoris Christianæ fidei à Leone X. donatus fuerat, vt sup. in eius const. 45. Ex superna. Elisabeth quoque Regina Angliæ damnata fuit à Pio V. vt infra in eius const. 101. Regnans.

Edita An D. 1535. & 1538.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

EIus qui immobilis permanens sua prouidentia ordine mirabili dat cuncta moueri, disponente clementia, vices, licet immeriti gerentes in terris, & in sede Iustitiæ constituti, iuxta Prophetæ quoque Hieremiæ vaticinium dicentis: Ecce te constitui super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, ædifices, plantes, præcipuum super omnes Reges vniuersæ terræ, cunctosque populos obtinentes principatum, ac illum qui pius, & misericors est, & vindictam ei, qui illam præuenit paratam tempetat, nec quos impœnitentes videt seuera vltione castigat, quin prius comminerut, in assiduæ autem peccantes, & in peccatis perseuerantes, cum excessus misericordiæ fines prætereunt, vt saltem metu pœnæ ad cor reuerti cogantur, iustitiæ vires exercet, imitantes, ex incumbenti nobis Apostolicæ sollicitudinis studio perurgemur, vt cunctarum personarum nostræ curæ cœlitus commissarum salubri statui solertius intendamus, ac erroribus, & scandalis, quæ hostis antiqui versutia imminente conspicimus, propensius obuiemus, excessusque, & enormia, ac scandalosa crimina congrua seueritate coërceamus, & iuxta Apostolum inobedientiam omnium promptius vlciscendo, illorum perpetratores debita correctione si compescamus, quod eos Dei iram prouocasse pœniteat, & ex hoc aliis exemplum cautelæ futuraris accedat.

Henricus postquam à Leone X. titulo Defensores Fidei donatus fuit ex causa hic expressa, vt etiâ à fide de mum & in enormia commisit.

§. 1. Sane cum superioribus diebus nobis relatum fuisset, quod Henricus Angliæ Rex, licet tempore Pontificatus fel. record. Leonis Papæ X. prædecessoris nostri diuersorum hæreticorum errores sæpe ab Apostolica Sede, & sacris Conciliis præteritis temporibus damnatos, & nouissimis nostra ætate per perditionis alumnum Martinum Lutherum suscitatos, & innouatos, zelo Catholicæ fidei, & erga dictam Sedem deuotionis feruore inductus, non minus docte, quam pie per quendam librum per eum desuper compositum, & eidem Leoni prædecessori, vt eum examinaret, & approbaret, oblatum confutasset, ob quod ab eodem Leone prædecessore vltra dicti libri cum magna ipsius Henrici Regis laude & commendatione, approbationem, titulum Defensoris Fidei reportauerit, à recta fide & Apostolico tramite deuians, ac propriæ salutis, famæ, & honoris immemor, postquam charissima in Christo filia nostra Catharina Angliæ Regina Illustri sua progenie coniuge, cum qua publice in facie Ecclesiæ matrimoniũ contraxerat, & per plures annos continuauerat, ac ex qua, dicto constante matrimonio prolem plures susceperat, nulla legitima subsistente causa, & contra Ecclesiæ prohibitionem dimissa, cum quadam Anna Bolena, muliere Anglica, dicta Catharina adhuc viuente, de facto matrimonium contraxerat, ad deteriora prosiliens, quasdam leges, seu generales constitutiones edere non erubuit, per quas subditos suos ad quosdam hæreticos, & schismaticos articulos tenendos, inter quos & hoc erat, quod Romanus Pontifex Caput Ecclesiæ, & Christi Vicarius non erat, & quod ipse in Anglica Ecclesia supremum caput existebat sub grauibus etiam mortis pœnis cogebat. Et his non contentus, diabolo sacrilegij crimen suadente, quamplures Prælatos etiam Episcopos, aliasque personas Ecclesiasticas, etiam Regulares, necnon sæculares sibi vt hæretico, & schismatico adhærere, & articulos prædictos sanctorum Patrum decretis, & sacrorum Conciliorum statutis, imo etiam ipsi Euangelicæ veritati contrarios, tanquam tales alios damnatos approbare, & se qui nolentes, & intrepide recusantes capi, & carceribus mancipari. Hisque similiter non contentus, mala malis accumulando, bonæ memoriæ Io. tt. S. Vitalis Presbyter Cardinalis Roffen. quem ob fidei constantiam, & vitæ sanctimoniam ad Cardinalatus dignitatem promoueramus, cum dictis hæresibus & erroribus consentire nollet, horrenda immanitate, & detestanda sæuitia, publice miserabili supplicio tradi, & decollari mandauerat, & fecerat excommunicationis, & anathematis, aliasque grauissimas sententias, censuras, & pœnas in litteris, ac constitutionibus recolendæ mem. Bonifacij VIII. Honorij III. Roman. Pontificum prædecessorum nostrorum desuper editis contentas, & alias in tales à iure latas damnabiliter incurrendo, ac Regno Angliæ, & dominiis, quæ tenebat, necnon regalis fastigij celsitudine, ac præfati tituli prærogatiua, & honore se indignum reddendo.

Clemens VII. (eius constitut. hic non habes) tandem illum excommunicauit, qui in censuris insordescēdo deterior euasit.

§. 2. Nos licet ex eo, quod prout non ignotabamus, idem Henricus Rex in certis censuris Ecclesiasticis, quibus à piæ memoriæ Clemente Papa VII. etiam prædecessore nostro, postquam humanissimis literis, & paternis exhortationibus, multisque nuntiis, & mediis, primo, & postremo, etiam iudicialiter, vt præfatam Annam à se dimitteret, & ad prædictæ Catharinæ suæ veræ coniugis consortium rediret frustra monitus fuerat, innodatus extiterat, Pharaonis duritiam imitando, per longum tempus in clauium contemptum insorduerat, & insordescebat, quod ad cor rediret vix sperare posse videremus, ob paternam tamen charitatem, qua in minoribus constituti donec in obedientia, & reuerentia Sedis prædictæ permansit, eum prosecuti fueramus, vtque clarius videre possemus, an clamor qui ad nos delatus fuerat, (quem certe etiam ipsius Henrici Regis respectu falsum esse desideramus) verus esset, statuimus ab vlteriori contra ipsum Henricum Regem processu ad tempus abstinendo, huius rei veritatem diligentius indagare.

Idem Pont. ista contra Regem complices, &

§. 3. Cum autem debitis diligentiis desuper factis clamorem ad nos, vt præfertur, delatum, verum esse, sinulque, quod dolenter referimus, dictum Henricum Regem

fautores decreuit procedere, vt hic.

Regem ita in profundum malorum descendisse, vt de eius resipiscentia nulla penitus videatur spes haberi posse, reperterimus. Nos attendentes veteri lege crimen adulterij notatum, lapidari mandatum, ac auctores schismatis hiatu terræ absorptos, eorumque sequaces cœlesti igne consumptos, Elimamque magnum viis Domini resistentem per Apostolum æterna seueritate damnatum fuisse, volentesque ne in districto examine ipsius Henrici Regis & subditorum suorum, quos secum in perditione trahere videmus, animarum ratio à nobis exposcatur, quantum nobis ex alto conceditur prouidere contra Henricum Regem, eiusque complices, fautores, adhærentes, & sequaces, & in præmissis quomodolibet culpabiles, contra quos ex eo quod excessus, & delicta prædicta adeo manifesta sunt, & notoria, vt nulla possint tergiuersatione celari, absque vlteriori mora ad executionem procedere possemus, benignius agendo, decreuimus infrascripto modo procedere.

Regem itaque hortatur, vt ab huiusmodi erroribus desistat.

§. 4. Habita itaque super his cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, & de illorum consilio, & assensu præfatum Henricum Regem, eiusque complices, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces, ac quoscumque alios in præmisso, seu eorum aliquo quoquo modo culpabiles, tam laicos, quam clericos, etiam regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis præeminentiæ, & excellentiæ existant (quorum nomina, & cognomina perinde ac si præsentibus insererentur, pro sufficienter expressis haberi volumus) per viscera misericordiæ Dei nostri hortamur, & requirimus in Domino, quatenus Henricus Rex à prædictis erroribus prorsus abstineat, & constitutiones, seu leges prædictas, sicut de facto eas fecit, reuocet, casset, & annullet, & coactione subditorum suorum ad eas seruandas, necnon carceratione, captura, & punitione illorum qui ipsis constitutionibus, seu legibus adhærere, aut eas seruare noluerint, & ab aliis erroribus prædictis penitus, & omnino abstineat, & si quos præmissorum occasione captiuos habeat, relaxet.

Cõplices verò & fautores monet, vt abstineant Regi desuper fauere vel adhærere.

§. 5. Complices verò, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces dicti Henrici Regis in præmissis, & circa ea ipsi Henrico Regi super his de cætero non assistant, nec adhæreant, vel faueant, nec ei consilium, auxilium, vel fauorem, desuper præstent.

Inobedientesque maioris excommunicationis sententia innodat.

§. 6. Alias si Henricus Rex, ac fautores, adhærentes, consultores, & sequaces, hortationibus, & requisitionibus huiusmodi non annuerint cum effectu, Henricum Regem, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces, ac alios culpabiles prædictos, auctoritate Apostolica, ac ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, à qua etiam prætextu cuiuscumque priuilegij, vel facultatis, etiam in forma confessionalis, cum quibuscumque efficacissimis clausulis à nobis, & Sede prædicta quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus innouatis, ab alio quam à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, ita tamen, quod si aliquem absolui contingat, qui postmodum conualuerit, nisi post conualescentiam, monitioni, & mandatis nostris huiusmodi paruerit cum effectu, in eandem excommunicationis sententiam reincidat, absolui non possint.

Rebellionis quoque & amissionis Regni pœnã imponit, Regemque & complices monet, vt infra certũ terminũ compareant aliquin in pœnas his expressas incidisse declarat.

§. 7. Necnon rebellionis, & quoad Henricum Regem, etiam perditionis Regni, & dominiorum prædictorum, & tam quoad eum, quam quoad alios monitos supradictos supra, & infrascriptis pœnis quas si dictis monitioni, & mandatis, vt præfertur, non paruerint, eos, & eorum singulos, ipso facto respectiue incurrere volumus, per præsentes monemus; eisque & eorum cuilibet districte præcipiendo mandamus, quatenus Henricus Rex per se, vel procuratorem legitimum, & sufficienti mandato suffultum, infra nonaginta, complices verò, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces, ac alij in præmissis quomodolibet culpabiles supradicti, sæculares & Ecclesiastici etiam regulares, personaliter infra sexaginta dies compareant coram nobis, ad se super præmissis legitime excusandum, & defendendum, alias videndum & audiendum contra eos, & eorum singulos, etiam nominatim, quos sic monemus, quatenus expediat, ad omnes, & singulos actus, etiam sententiam definitiuam, declaratoriam, condemnatoriam, & priuatoriam, ac mandatum executiuum procedi. Quod si Henricus Rex, & alij moniti prædicti intra dictos terminos eis, vt præfertur, respectiue præfixos non comparuerint, & prædictam excommunicationis sententiam per tres dies, post lapsum dictorum terminorum animo, quod absit, sustinuerint indurato, censuras ipsas aggrauamus, & successiue reaggrauamus, Henricumque Regem priuationis Regni, & dominiorum prædictorum, & tam eum, quam alios monitos prædictos, & eorum singulos, omnes & singulas alias pœnas prædictas incurrisse, ab omnibusque Christi fidelibus cum eorum bonis perpetuo diffidatos esse. Et si interim ab humanis decedat, Ecclesiastica debere carere sepultura, auctoritate & potestatis plenitudine prædictis decernimus, & declaramus, eosque anathematis, maledictionis, & damnationis æternæ mucrone percutimus.

Et quæcumque Ciuitates, Ecclesias, & alia ad quæ ipsi declinauerint interdicto supponit.

§. 8. Necnon quæ præfatus Henricus Rex quomodolibet, & ex quavis causa tenet, habet, aut possidet, Quandiu Henricus Rex, & alij moniti prædicti, & eorum singuli in aliis per dictum Henricum Regem non tentis, habitis, aut possessis permanserint, & triduo post eorum inde recessum, & alia quæcumque ad quæ Henricum Regem, & alios monitos prædictos post lapsum dictorum terminorum declinare contigerit, Dominia, Ciuitates, Terras, Castra, Villas, Oppida, Metropolitanasque, & alias Cathedrales, cæterasque inferiores Ecclesias, necnon Monasteria, Prioratus, Domus, Conuentus, & loca religiosa, vel pia cuiuscumque, etiam S. Benedicti, Cluniacen. Cistercien. Præmonstraten. ac Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini Carmelitarum, & aliorum Ordinum, ac Congregationum, & Militiarum quarumcumque in ipsis Dominiis, Ciuitatibus, Terris, Castris, Villis, Oppidis, & locis existentia, Ecclesiastico supponimus interdicto, ita vt illo durante in iis etiam prætextu cuiuscumque Apostolici indulti Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Domibus, Conuentibus, locis, Ordinibus, aut personis, etiam quacumque dignitate fulgentibus concessi, præterquam in casibus à iure permissis, ac etiam in illis alias quam clausis ianuis, & excommunicatis & interdictis exclusis, nequeant Missæ, aut alia diuina officia celebrari.

Filiosque eorum de dignitatibus, gratiis, & priuilegiis ac dominiis, & bonis omnibus priuatos, & ad alia de cætero obtinenda inhabiles esse declarat.

§. 9. Et Henrici Regis, complicumque, fautorum, adhærentium, consultorum, sequacium, & culpabilium prædictorum filij, pœnarum, vt hic in hoc casu par est, participes sint, omnes & singulos eiusdem Henrici Regis ex dicta Anna, ac singulorum aliorum prædictorum filios natos, & nascituros, aliosque descendentes, vsque in eum gradum, ad quem iura pœnas in casibus huiusmodi extendunt (nemine excepto, nullaque minoris ætatis, aut sexus, vel ignorantiæ, vel alterius cuiusvis causæ habita ratione) dignitatibus, & honoribus in quibus quomodolibet constituti existunt, seu quibus gaudent, vtuntur, potiuntur, aut muniti sunt, necnon priuilegiis, concessionibus, gratiis, indulgentiis, immunitatibus, remissionibus, libertatibus, & indultis, ac dominiis, Ciuitatibus, Castris, Terris, Villis, Oppidis, & locis, etiam commendatis, vel in Gubernium concessis, & quæ in feudum, emphyteusim, vel alias à Romanis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & locis Ecclesiasticis, ac sæcularibus Principibus, Dominis, Potentatibus, etiam Regibus, & Imperatoribus, aut aliis priuatis, vel publicis personis quomodolibet habent, tenent, aut possident, cæterisque omnibus bonis, mobilibus & immobilibus, iuribus, & actionibus, eis quomodolibet competentibus priuatos, dictaque bona feudalia, vel emphyteutica, & alia quæcumque ab aliis quomodolibet obtenta, ad directos dominos, ita vt de illis libere disponere possint, respectiue deuoluta, & eos qui Ecclesiastici fuerint, etiamsi Religiosi existant, Ecclesiis etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, necnon Monasteriis & Prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, & præbendis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis per eos quomodolibet obtentis priuatos, & ad illa, ac alia

in

in posterum obtinenda inhabiles esse, similiter decernimus, & declaramus; eosque sic respectiue priuatos ad illa, & alia quæcumque similia, ac dignitates, honores, administrationes, & officia, iura, ac feuda in posterum obtinenda, auctoritate & scientia, ac plenitudine similibus inhabilitamus.

Subditosque à iuramento fidelitatis & subiectione liberat. Et eisdem mandat vt ab obedientia omnino recedant.

§. 10. Ipsiusque Henrici Regis, ac regni omniumque aliorum dominorum, Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, Villarum, Fortalitiorum, Arcium, Oppidorum, & locorum suorum, etiam de facto obtentorum Magistratus, Iudices, Castellanos, Custodes, & Officiales, quoscumque necnon Communitates, Vniuersitates, Collegia, Feudatarios, Vassallos subditos, ciues, incolas, & habitatores etiam forenses, dicto Regi de facto obedientes, tam sæculares, quam si qui rationis alicuius temporalitatis ipsum Henricum Regem in superiorem recognoscant etiam Ecclesiasticos, à præfato Rege, seu eius complicibus, fautoribus, adhærentibus, consultoribus, & sequacibus supradictis deputatis, à iuramento fidelitatis, iure vassallitico, & omni erga Regem, & alios prædictos subiectione absoluimus, ac penitus liberamus. Eis nihilominus sub excommunicationis pœna mandantes, vt ab eiusdem Henrici Regis, suorumque officialium, iudicum, & magistratuum quorumcumque obedientia penitus, & omnino recedant, nec illos in superiores recognoscant, neque illorum mandatis obtemperent.

Henrico & complicibus alias pœnas imponit.

§. 11. Et vt alij eorum exemplo perterriti, discant ab huiusmodi excessibus abstinere, eisdem auctoritate, scientia, & plenitudine, volumus, ac decernimus, quod Henricus Rex, & complices, fautores, adhærentes, consultores, sequaces, & alij in præmissis culpabiles, postquam alias pœnas prædictas, vt præfertur respectiue incurrerint, necnon præfati descendentes, ex tunc infames existant, & ad testimonium non admittantur, testamenta, & codicillos, aut alias dispositiones, etiam inter viuos concedere, & facere non possint, & ad alicuius successionem ex testamento, vel ab intestato, necnon ad iurisdictionem, seu iudicandi potestatem, & ad Notariatus officium, omnesque actos legitimos quoscumque ita vt eorum processus, siue instrumenta atque alij actus quicumque, nullius sint roboris, vel momenti inhabiles existant, & nulli ipsis, sed ipsi aliis super quocumque debito, & negotio, tam ciuili, quam criminali, de iure respondere teneantur.

Christi fidelibus sub pœnis hic expressis præcipit vt infidelium commercium euitent.

§. 12. Et nihilominus omnes, & singulos Christi fideles sub excommunicationis, & aliis infrascriptis pœnis, monemus, vt monitos, excommunicatos, aggrauatos, interdictos, priuatos, maledictos, & damnatos prædictos euitent, & quantum in eis est, ab aliis euitari faciant, nec cum eisdem, seu præfati Regis Ciuitatum, Dominiorum, Terrarum, Castrorum, Comitatuum, Villarum, Fortalitiorum, Oppidorum, & locorum prædictorum ciuibus, incolis, vel habitatoribus, aut subditis, & vassallis, emendo, vendendo, permutando, aut quamcumque mercaturam, seu negotium exercendo, commercium, seu aliquam conuersationem, seu communionem habeant, aut vinum, granum, sal, seu alia victualia, arma, pannos, merces, vel quasvis alias mercantias, vel res per mare in eorum nauibus, triremibus, aut aliis nauigiis, siue per terrã cũ mulis, vel aliis animalib. deferre, aut conducere, seu deferri, aut conduci facere, vel delata per illos recipere, publice vel occulte, aut talia facientib' auxiliũ, consilium, fauorem publicè vel occultè, directè, vel indirecte, quovis quæsito colore, per se, vel alium, seu alios quoquo modo præstare præsumant. Quod si fecerint, vltra excommunicationis prædictæ, etiam nullitatis contractuum, quos inirent, necnon perditionis mercium, victualium, & bonorum omnium delatorum, quæ capientium fiant, pœnas similiter eo ipso incurrant.

Prælatis & cæteris personis Ecclesiasticis mandat sub pœnis hic obtentis, quatenus de Regno Angliæ discedant, vt hic.

§. 13. Cæterum quia conuenire non videtur, vt cum his qui Ecclesiam contemnunt, dum præsertim ex eorum pertinacia spes corrigibilitatis non habetur, hi qui diuinis obsequiis vacant conuersentur, quod etiam illos tuti facere non posse dubitandum est, omnium & singularum Metropolitan. & aliarum Cathedralium, cæterarumque inferiorum Ecclesiarum, & Monasteriorum, domorum, & locorum Religiosorum, & piorum quorumcumque, etiam S. Augustini, S. Benedicti, Cluniacen. Cistercien. Præmostraten. ac Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, aliorumque quorumcumque Ordinum, & Militiarum, etiam Hospitalis Hierosolymitani, Prælatis, Abbatibus, Prioribus, Præceptoribus, Præpositis, Ministris, Custodibus, Guardianis, Conuentibus, Monachis, & Canonicis, necnon Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisque quibuscumque personis Ecclesiasticis in regno & dominiis prædictis commorantibus, sub excommunicationis, ac priuationis administrationum, & regiminum Monasteriorum, dignitatum, personatuum, administrationum, ac officiorum, Canonicatuumque, & præbendarum, Parochialium Ecclesiarum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque quomodolibet qualificatorum, per eos quomodolibet obtentorum pœnis mandamus, quatenus infra quinque dies post omnes, & singulos terminos prædictos elapsos, de ipsis regno, & dominiis, dimissis tamen aliquibus præsbyteris in Ecclesiis, quarum curam habuerint, pro administrando baptismate paruulis, & in pœnitentia decedentibus, ac aliis Sacramentis Ecclesiasticis, quæ tempore interdicti ministrari permittuntur, exeant, & discedant, neque ad regnum, & dominia prædicta reuertantur, donec moniti, & excommunicati, aggrauati, reaggrauati, priuati, maledicti, & damnati prædicti monitionibus, & mandatis nostris huiusmodi obtemperauerine meruerint à censuris huiusmodi absolutionis beneficium obtinere, seu interdictum in regno, & dominiis prædictis fuerit sublatum.

Ducesque & alios monet sub pœnis supradictis, vt Henricum & eius complices de Regno expellere & cat. procurent.

§. 14. Præterea si præmissis non obstantibus Henricus Rex, complices, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces prædicti in eorum pertinacia perseuerauerint, nec conscientiæ stimulus eos ad cor reduxerit, in eorum forte potentia, & armis confidentes, omnes & singulos Duces, Marchiones, Comites, & alios quoscumque tam sæculares, quam Ecclesiasticos etiam forenses, de facto dicto Henrico Regi obedientes, sub eiusdem excommunicationis, ac perditionis bonorum suorum (quæ, vt infra dicitur, similiter capientium fiant) pœnis, requirimus, & monemus, quatenus omni mora, & excusatione postposita, eos, & eorum singulos, ac ipsorum milites, & stipendiarios, tam equestres, quam pedestres, aliosque quoscumque, qui eis cum armis fauerint, de regno & dominiis prædictis, etiam vi armorum, si opus fuerit, expellant, ac quod Henricus Rex, & eius complices, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces mandatis nostris non obtemperantes prædicti de Ciuitatibus, Terris, Castris, Villis, Oppidis, Fortalitiis, aut aliis locis regni, & dominij prædictorum, se non intromittant, procurent, eis sub omnibus & singulis pœnis prædictis inhibentes, ne in fauorem Henrici, eiusque complicum, fautorum, adhærentium, consultorum, & sequacium, aliorumque monitorum prædictorum mandatis nostris non obtemperantium, arma cuiuslibet generis offensiua, vel defensiua, machinas quoque bellicas seu tormenta (artellarias nuncupata) sumant, aut teneant, seu illis vtantur, aut armatos aliquos, præter consuetam familiam parent, aut ab Henrico Rege complicibus, fautoribus, adhærentibus, consultoribus, & sequacibus, vel aliis in regis ipsius fauorem paratos, quomodolibet quavis occasione vel causa, per se vel alium seu alios publice vel occulte, directe vel indirectè teneant, vel receperent, aut dicto Henrico Regi, seu illius complicibus, fautoribus adhærentibus, consultoribus, & sequacibus prædictis, consilium, auxilium, vel quomodolibet ex quavis causa, vel quovis quæsito colore siue ingenio publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, per se vel alium seu alios præmissis, vel aliquo præmissorum præstent, seu præstari faciant quoquo modo.

Principum Christianorũ confœderationes, & obligationes contractas cum Henrico nullas & inualidas declarat.

§. 15. Præterea ad dictum Henricum Regem facilius ad sanitatem, & præfatæ Sedis obedientiam reducendum, omnes & singulos Christianos Principes, quacumque etiam Imperiali & Regali dignitate fulgentes, per viscera misericordiæ Dei nostri (cuius causa agitur) hortamur & in Domino requirimus, eis nihilominus, qui Imperatore & Rege inferiores fuerint, quos propter

excellen

excellentiam dignitatis à censuris excipimus, sub excommunicationis pœna mandantes ne Henrico Regi eiusque complicibus, fautoribus, adhærentibus, consultoribus, & sequacibus, vel eorum alicui per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, etiam sub prætextu confœderationum aut obligationum quacumque etiam iuramento, aut quavis alia firmitate roboratarum, & sæpius geminatarum, à quibus quidem obligationibus, & iuramentis omnibus, nos eos & eorum singulos eisdem auctoritate & scientia, ac plenitudine per præsentes absoluimus, ipsasque confœderationes & obligationes tam factas, quam in posterum faciendas, quas tamen (in quantum Henricus Rex & complices, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces prædicti circa præmissa, vel eorum aliquod se directe vel indirecte iuuare possent) sub eadem pœna fieri prohibemus, nullius roboris vel momenti, nullasque, irritas, cassas, inanes, ac pro infectis habendas fore decernimus & declaramus, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstent, quinimo si qui illis, aut eorum alicui ad præsens quomodolibet assistant, ab ipsis omnino, & cum effectu recedant. Quod si non fecerint postquam præsentes publicatæ & executioni demandatæ fuerint, & dicti termini lapsi fuerint, omnes & singulas Ciuitates, Terras, Oppida, Castra, Villas, & alia loca eis subiecta, simili Ecclesiastico interdicto supponimus, volentes ipsum interdictum donec ipsi principes a consilio, auxilio, & fauore Henrico Regi & complicibus, fautoribus, adhærentibus, consultoribus, & sequacibus prædictis præstando, destiterint, perdurare.

Principibus & aliis mandat, vt contra Henricum & complices arma capiat.

§. 16. Insuper tam principes prædictos, quam quoscumque alios, etiam ad stipendia quorumcumque Christi fidelium militantes, & alias quascumque personas, tam per mare, quam per terras, armigeros habentes, similiter hortamur, & requirimus, & nihilominus eis in virtute sanctæ obedientiæ mandantes, quatenus contra Henricum Regem, complices, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces prædictos, dum in erroribus prædictis, ac aduersus Sedem prædictam, rebellione permanserint, armis insurgant, eosque & eorum singulos persequantur, ac ad vnitatem Ecclesiæ, & obedientiã dictæ Sedis redire cogant, & compellant, & tam eos, quam ipsorum subditos, & vassallos, ac Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, Oppidorum, Villarum, & locorum suorum incolas, & habitatores, aliasque omnes & singulas personas supradictis mandatis nostris, vt præfertur, non obtemperantes, & quæ præfatum Henricum Regem postquam censuras, & pœnas prædictas incurrerit, in dominum quomodolibet, etiam de facto recognouerint, vel ei quovis modo obtemperare præsumpserint, aut qui eum, ac complices, fautores, adhærentes, consultores, sequaces, ac alios non obtemperantes prædictos, ex regno & dominiis prædictis, vt præfertur, expellere noluerint, vbicumque eos inuenerint, eorumque bona, mobilia & immobilia, mercantias, pecunias, nauigia, credita, res, & animalia, etiam extra territorium dicti Henrici Regis vbilibet consistentia, capiant.

Infideles, & inobedientes capientiũ seruos, & eorundem bona occupantiũ fieri decernit.

§. 17. Nos enim eis bona, mercantias, pecunias, nauigia, res, & animalia prædicta sic capta, in proprios eorum vsus conuertendi, eisdem auctoritate, scientia, & potestatis plenitudine, plenariam licentiam, facultatem, & auctoritatem concedimus, illa omnia ad eosdem capientes plenarie pertinere, & spectare, & personas ex regno, & dominiis prædictis originem trahentes, seu in illis domicilium habentes, aut quomodolibet habitantes, mandatis nostris prædictis non obtemperantes, vbicumque eos capi contigerit, capientium seruos fieri decernentes, præsentesque literas quoad hoc ad omnes alios cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis vel conditionis fuerit, qui ipsi Henrico Regi, vel eius complicibus, fautoribus, adhærentibus, consultoribus, & sequacibus, aut aliis monitionibus, & mandatis nostris huiusmodi quoad commercium non obtemperantibus, vel eorum alicui victualia, arma, vel pecunias subministrare, aut cum eis commercium habere, seu auxilium, consilium, vel fauorem, per se vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis modo contra tenorem præsentium præstare præsumpserint extendentes.

Prælatis & aliis mandat sub pœnis de quibus hic, vt in eorum Ecclesiis Henricum & complices qui supradictas pœnas, & censuras incurrerint, excommunicatos publice nuntient, & nuntiari faciant.

§. 18. Et vt præmissa facilius iis quos concernunt innotescant, vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Patriarchalium Metropolitan. & aliarum Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, aliisque personis Ecclesiasticis sæcularibus ac quorumvis Ordinum Regularibus, necnon omnibus, & singulis, etiam Mendicantium Ordinum professoribus, exemptis, & non exemptis, vbilibet constitutis, per easdem præsentes sub excommunicationis, & priuationis Ecclesiarum, Monasteriorum, ac aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, graduum quoque & officiorum, necnon priuilegiorum, & indultorum quorumcumque etiam à Sede prædicta quomodolibet emanatorum pœnis ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, quatenus ipsi, ac eorum singuli, si, & postquam vigore præsentium desuper requisiti fuerint, infra tres dies immediate sequentes præfatum Henricum Regem, omnesque alios, & singulos, qui supradictas censuras, & pœnas incurrerint, in eorum Ecclesiis Dominicis, & aliis festiuis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, cum Crucis vexillo, pulsatis campanis, & accensis, ac demum extinctis, & in terram proiectis, & conculcatis candelis, & aliis in similibus seruari solitis ceremoniis seruatis, excommunicatos publice nuntient, & ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arctius euitari faciant, & mandent, necnon sub supradictis censuris, & pœnis, præsentes literas, vel earum transumptum, sub forma infrascripta confectum, infra terminum trium dierum, postquam, vt præfertur, requisiti fuerint, in Ecclesiis, Monasteriis, Conuentibus, & aliis eorum locis, publicari, & affigi faciant.

Publicationẽ istius const. impedientib. easdem pœnas imponit.

§. 19. Volentes, omnes, & singulos cuiuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui quominus præsentes literæ, vel earum transumpta, copiæ, seu exemplaria, in suis ciuitatibus, terris, castris, oppidis, villis, & locis legi, & affigi, ac publicari possint, per se, vel alium, seu alios, publice, vel occulte, directe vel indirecte impediuerint, easdem censuras, & pœnas ipso facto incurrere. Et cum fraus, & dolus nemini debeant patrocinari, ne quisquam ex his, qui alicui regimini, & administrationi deputati sunt, infra tempus sui regiminis, seu administrationis prædictas sententias, censuras, & pœnas sustineat, quasi post dictum tempus sententiis, censuris & pœnis prædictis amplius ligatus non existat, quemcumque qui dum in regimine, & administratione existens, monitioni, & mandato nostris, quoad præmissa, vel aliquid eorum obtemperare noluerit, etiam deposito regimine, & administratione huiusmodi, nisi paruerit, eisdem censuris, & pœnis subiacere decernimus.

Publicari mandat hanc const. in locis hic expressis. Sed hæc forma immutata est vt hic in fine.

§. 20. Et ne Henricus Rex, eiusque complices, & fautores, adhærentes, consultores, & sequaces, aliique quos præmissa concernunt, ignorantiam earundem præsentium literarum, & in eis contentorum prætendere valeant, literas ipsas (in quibus omnes, & singulos, tam iuris, quam facti, etiam solemnitatum, & processuum, citationumque omissarum defectus, etiam si tales sint, de quibus specialis, & expressa mentio facienda esset propter notorietatem facti, auctoritate, scientia, & potestatis plenitudine similibus, supplemus) in Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ de Vrbe, & in partibus in Collegiatæ B. Mariæ Burgen. Tornacen. & Parochialis de Dunkerke Oppidorum Morinensis Diœcesis, Ecclesiarum valuis affigi, & publicari mandamus, decernentes quod earundem literarum publicatio sic facta, Henricum Regem, eiusque complices, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces, omnesque alios, & singulos, quos literæ ipsæ quomodolibet concernunt, perinde eos arctent, ac si literæ ipsæ eis personaliter lectæ, & intimatæ fuissent, cum non sit verisimile, quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Transumptis credi iubet.

§. 21. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, ad quæ necessarium esset deferri,

singula

volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earum transumptis manu publici Notarij confectis, vel in Alma Vrbe impressis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, vbique eadem fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionem pœnalem apponit.

§. 22. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, aggrauationis, reaggrauationis, declarationis, percussionis, suppositionis, inhabilitationis, absolutionis, liberationis, requisitionis, inhibitionis, hortationis, exceptionis, prohibitionis, concessionis, extensionis, suppletionis, mandatorum, voluntatis, & decretorum, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 1. die 30. Aug.

Datum Romæ apud sanctum Marcum, Anno incarnationis Dom. 1535. 3. Kal. Sept. Pont. nostri Anno 1.

Sequitur suspensio executionis dictæ bullæ, & tandem eius reuocatio, & executio.

Edita An. D. 1538.

PAVLVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CVm Redemptor noster ideo illum qui ipsum negauerat, Petrum videlicet, vniuersæ Ecclesiæ præficere voluerit, vt in sua culpa disceret aliis esse miserendum, non immerito Romanus Pontifex, qui ipsius Petri in dignitate successor existit, debet etiam in officio exercendæ misericordiæ ipsius esse successor. Sed cum in eum dirigitur misericordia, qui ex hoc fit insolentior, & obstinatior, aliosque secum trahit in perditionem, debet ipse Romanus Pontifex postposita in eum misericordia omnem seueritatem adhibere, quo membrum illud putridum ita à corpore separetur, vt reliqua membra absque metu contagionis salua remaneant, præsertim cum pluribus curis adhibitis, & multo tempore in hoc consumpto morbum quotidie magis inualescere, ipsa experientia comprobat.

Refertur cōst. præcedens.

§. 1. Alias cum nobis relatum fuisset, quod Henricus Angliæ Rex, præter ea quæ matrimonium de facto, & contra prohibitionem Ecclesiæ temerarie contractum, concernebant, quasdam leges, seu generales constitutiones subditos suos ad hæresim, & schisma trahentes ediderat, & bonæ memoriæ Ioann. tit. Sancti Vitalis Presbyterum Cardinalem Roffen. publice, damnari, & capite puniri, ac alios quamplures Prælatos, necnon alias personas Ecclesiasticas hæresi, & schismati huiusmodi adhærere nolentes carceribus mancipari fecerat; Nos licet illi qui talia nobis retulerant tales essent, vt nullo modo de veritate suorum dictorum ambigendum esset, cupientes tamen respectu ipsius Henrici Regis, quem antequam in has insanias incideret, peculiari quadam charitate prosequebamur, prædicta falsa reperiri, de eis informationem vlteriorem habere procurauimus, & inuenientes clamorem ad nos delatum verum esse, ne nostro officio deessemus, contra eum procedere decreuimus, iuxta formam quarundam literarum nostrarum, quarum tenor sequitur. Et est talis, &c.

Omittitur insertio, quia bulla ipsa est quæ præcedit.

Supersessoria per annos 3.

§. 2. Dum autem postea ad dictarum literarum executionem deueniendum esse statuissemus, cum nobis per nonnullos Principes, & alias insignes personas persuaderetur, vt ab executione huiusmodi per aliquantum tempus supersederemus, spe nobis data, quod interim ipse Henricus Rex ad cor rediret, & resipisceret, Nos qui, vt hominum natura fert, facile credebamus, quod desiderabamus, dictam executionem suspendimus, sperantes, (vt spes nobis data erat) ex ipsa suspensione, correctionem, & resipiscentiam, non autem pertinaciam, & obstinationem, ac maiorem delirationem, vt rei effectus edocuit, prouenturam.

Henrici magis improba & sæua proterua.

§. 3. Cum itaque resipiscentia, & correctio huiusmodi quam tribus fere annis expectauimus, non solum postea sequuta non sit, sed ipse Henricus Rex quotidie magis se in sua feritate, ac temeritate confirmans in noua etiam scelera prorupuerit, quippe cum non contentus viuorum Prælatorum, & sacerdotum crudelissima trucidatione, etiam in mortuos, & eos quidem quos in sanctorum numerum relatos, vniuersalis Ecclesia pluribus sæculis venerata est, feritatem exercere non expauit. Diui enim Thomæ Cantuarien. Archiepiscopi, cuius ossa, quæ in dicto Regno Angliæ potissimum ob innumera ab omnipotenti Deo illic perpetrata miracula, summa cum veneratione in arca aurea in Ciuitate Cantuarien. seruabantur, postquam ipsum Diuum Thomam, ad maiorem religionis contemptum, in iudicium vocari, & tanquam contumacem damnari, ac proditorem declarari fecerat exhumari, & comburi, ac cineres in ventum spargi iussit, omnem plane cunctarum gentium crudelitatem superans, cum ne in bello quidem hostes victores sæuire in mortuorum cadauera soliti sint, ad hæc omnia ex diuersorum Regum, etiam Anglorum, & aliorum Principum liberalitate donaria, ipsi arcæ appensa, quæ multa, & maximi pretij erant sibi vsurpauit, nec putans ex hoc satis iniuriæ religioni intulisse, Monasterium Diuo illi Augustino, à quo Christianam fidem Angli acceperunt, in dicta Ciuitate dicatum, omnibus thesauris, qui etiam multi, & magni erant, spoliauit, & sicut se in belluam transmutauit, ita etiam belluas quasi socias suas honorare voluit, feras videlicet in dicto Monasterio, expulsis Monachis, intromittendo, genus quidem sceleris non modo Christi fidelibus, sed etiam Turcis inauditum, & abominandum.

Hunc S. Tho. canonizauit Alex. III. vt sup. const. 4. Redditi.

Iussio publicandi hanc bullam renouatione præinsert. d. suspensionis.

§. 4. Cum itaque morbus iste à nullo quantumuis peritissimo medico alia cura sanari possit, quam putridi membri abscissione, nec valeret cura huiusmodi, absque eo, quos nos apud Deum causam hanc nostram efficiamus, vlterius retardari, ad dictarum literarum (quas ad hoc, vt Henricus Rex, eiusque complices, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces, etiam super excessibus per eum nouissime, vt præfertur, perpetratis, intra terminum eis, quoad alia, per alias nostras literas prædictas respectiue præfixas, se excusare, alias pœnas ipsis literis contentas incurrant, extendimus, & ampliamus) publicationem, & deinde, Deo duce, ad executionem procedere omnino statuimus. Et quia à fide dignis accepimus, quod si ipsarum, & præsentium literarum publicatio Diepe Rothomagen. vel Boloniæ Ambianen. Diœc. Oppidis in Franciæ, aut Ciuitate Sancti Andreæ, seu in Oppido Calistreo. Sancti Andreæ Diœc. in Scotiæ regnis, vel in Thuamen. & Artifertem. Ciuitatibus, vel Diœc. dominij Iberniæ fiat, non solum tam facile, vt si in locis in dictis literis expressis fieret, sed facilius ipsarum literarũ tenor, ad Henrici, & aliorũ, quos concernunt, præsertim Anglorum notitiam deueniret, Nos volentes in hoc opportune prouidere, motu, scientia, & potestatis plenitudine prædictis decernimus, quod publicatio literarum superius insertarum, quarum insertioni superius factæ, ac ipsis originalibus quoad validitatem publicationis, seu executionis præsentium, fidem adhiberi volumus, in duobus ex locis præsentibus literis expressis, alias iuxta supra insertarum, & præsentium literarum tenore facta, etiam si in locis extra Romanam Curiam in dictis præinsertis literis specificatis, huiusmodi publicatio non fiat, perinde Henricum Regem, & alios, quos concernunt præsertim Anglos afficiat, ac si Henrico Regi & aliis prædictis præsertim Anglis personaliter intimatæ fuissent.

Fides transumptorum.

§. 5. Quodque præsentium transumptis, iuxta modum in præinsertis literis expressum factis, tam in iudicio quam extra, eadem fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnõ omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus nõ obstare, cæterisque contrariis quibuscũque.

Sanctio pœnalis.

§. 7. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostri decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli, Apost. eius se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 5. die 17. Dec.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1538. decimo sexto Kal. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno quinto.

Approba

VIII.

Approbatio, & publicatio absolutionis Clementis VII. de Hæreticis, & infidelibus Regni Portugalliæ, & algarbiis ad fidem conuersis. Et confirmatio indultorum eis concessorum, & extensio eorum.

Ad hæc videri poterit infr. alia bull. Iulij III. infr. num. 6. Illius.

Edita A. D. 1535.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

ILlius vices in terris gerentes qui non vult mortem transgressorum, sed potius conuersionem, transgressoribus, huiusmodi ianuam pietatis, & misericordiæ libenter aperimus.

Clem. VII. (cuius consil. hic nō habes) accepit hæreses in partib. Portugalliæ, & Algarbiorum extare, & ideo contra eos Inquisitorem deputauit.

§. 1. Dudum siquidem, postquam per fel. record. Clementem Papam VII. prædecessorem nostrum, accepto, quod in plerisque partibus Regni Portugalliæ, & dominis charissimi in Christo filij nostri Ioannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis illustris, nonnullis ex Hebraica perfidia ad Christi fidem conuersi, Christiani noui nuncupati, ad ritum Iudæorum, à quo discesserant, redire, & alij qui Hebraïcam sectam nunquam professi erant, seu Christianis parentibus procreati, ritum eundem obseruare, & alij Lutheranam, & alias deprauatas hæreses, & errores sequi, ac sortilegia hæresim manifeste sapientia, instigante humani generis inimico, committere non verebantur, in grauissimam Dei offensam, & orthodoxæ fidei scandalum, dictus prædecessor dilectum filium Didacum de Silua Ordinis Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula professorem, in suum. & Apostolicæ Sedis commissarium, ac super præmissis Inquisitorem in Regno, & dominis prædictis, cum plena facultate contra de huiusmodi criminibus reos, aut suspectos inquirendi, eosque carcerandi, puniendi, & corrigendi, per quasdam constituerat, & deputauerat.

Postea eius facultatē ad beneplacitum suspendit.

§. 2. Et deinde ex certis rationabilibus causis, prædictas, & quascumque alias literas suas, ac per illas eatenus eidem Didaco, & quibusuis aliis etiam locorum Ordinariis super præmissis concessas facultates, & commissiones per alias ad suum beneplacitum suspenderat, ac venerabili Fratri Marco Episcopo Senogallen. nostro, tunc suo, & dictæ Sedis apud dictum Regem Nuntio inter alia in mandatis dederat, vt Didaco, & Ordinariis prædictis, ac aliis Inquisitoribus in partibus illis existentibus, posteriores literas prædictas intimaret, & suspensionem huiusmodi inuiolabiliter obseruari faceret.

Postea per alias eius literas (quas hic nō habes) conuertentes se ad fidem infra terminum hic expressum absoluit, & pœnas condonauit & remisit.

§. 3. Ac postmodum per eundem prædecessorem, etiam accepto, quod nonnulli ex suspectis de criminibus prædictis à quadraginta annis vel circa, ex Iudaismo, & Mahometica, & aliis sectis quibus tunc obcæcati erant, ad fidem Christi, & illius sacrum baptisma suscipiendum coacti fuerant, alij verò licet sponte sua conuersi, seu de parentibus Christianis procreati fuissent, tamen ob prædictorum indiscreta commercia, vel alias diabolica instigatione persuasi, etiam in prædictis, & alias diuersas hæreses, & errores eodem instigante inimico lapsi fuerant, aliaque quam plurima crimina commiserant, & in dies committebant, idem prædecessor, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, per alias suas sub plumbo literas omnes, & singulos vtriusque sexus, tam noniter conuersos, quam alios quoscumque de præmissis culpabiles, aut suspectos ex dictis regnis, & dominiis oriundos, ac in eis degentes forenses, & alienigenas vndecumque venissent, qui tempore publicationis ipsarum posteriorum literarum per eundem Marcum Episcopum, & Nuntium, vel ab eo deputandos, in singulis Ciuitatibus, & Diœcesibus regnorum, & dominiorum huiusmodi faciendæ, in illis domicilium, vel habitationem habuissent, ac etiam illorum filios, nepotes, & descendentes, tam tunc præsentes, quam absentes, seu qui ab eisdem regnis, & dominiis alias recessissent, etiamsi exules, & banniti forent, qui eidem Marco Episcopo, & Nuntio, vel alicui alteri ex sacerdotibus, & confessoribus per ipsum Marcum Episcopum, & Nuntium ad id deputandis, præsentes videlicet in regnis, & dominiis prædictis infra tres à die eiusdem publicationis, absentes verò ab eis infra quatuor, seu plures aut pauciores, qui arbitrio dicti Marci Episcopi, Nuntij viderentur esse necessarij, à die earundem posteriorum literarum per eos habendæ notitiæ computandos menses, prædicta, & alia quæcumque, quotcumque & qualiacumque sua crimina, excessus, delicta, & peccata confessi forent, ac quorum nomina, & cognomina in aliquo libro, vel memoriali per eosdem confessores descripta forent, etiamsi illi Ecclesiastici sæculares, aut quorumvis Ordinum regulares, Militiarum milites, ac in quibusvis gradibus, dignitatibus, & ordinibus constituti, & tam illi quam alij laïci, & vtriusque sexus personæ cuiusvis status, & ordinis existerent, etiamsi illi eatenus, & in futurum dictis mensibus durantibus in regnis, & dominiis prædictis, vel extra illi tanquam hæretici sententialiter condemnati, & vt tales ipsi, & illorum bona publicata aut pro talibus accusati, inquisiti, publice, vel occulte diffamati, & vt tales habiti reconciliati, & contra eos sententiæ desuper latæ, & executæ, vel illi propterea carcerati extitissent, ab omnibus, & singulis per eos eatenus perpetratis, etiam hæreses & ab eadem fide apostasias, blasphemias, & alios quoscumque, etiam maximos errores sapientibus, etiam quantumcumque grauibus, & qualificatis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, etiam sub generali expressione de iure, vel alias non venientibus, & specialem notam requirentibus, necnon excommunicationum, suspensionum, interdictorum, & aliis Ecclesiasticis, & temporalibus, corporalibus, etiam capitalibus sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, etiam à præfatis, & qui pro tempore forent, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis huiusmodi præmissorum, & alia occasione, vel causa latis, & promulgatis, etiamsi in illis ab eisdem quadraginta, & vlterioribus annis insorduissent, ac illorum absolutio eidem prædecessor, & pro tempore existenti Romano Pontifici, & eidem Sedi, etiam iuxta illarum quæ in die Cœnæ Domini legi consueuerant, & aliarum literarum, & processuum Apostolicorum tenorem, & alias quomodolibet reseruata existerent, quorum omnium qualitates, quantitates, & circumstantias, etiam haberi voluit pro expressis, à prauitatis videlicet hæreticæ huiusmodi in vtroque foro ciuili, criminali, & contentioso, conscientiæ, & animæ penitus, & plenarie, à reliquis verò criminibus prauitatem huiusmodi non sapientibus in foro conscientiæ duntaxat, ex tunc prout ex ea die, & è contra, præuia quoad forum conscientiæ, cordis contritione, & oris confessione, auctoritate Apostolica absoluit, ac eosdem carceratos, vel aliàs detentos, & exules etiam à carceribus, exiliis, & bannis, quibus occasione criminum hæresis, & apostasię, ac blasphemiæ huiusmodi detenti, & condemnati existebant, relaxauit, & liberauit, ac relaxari, & liberari mandauit. Et tam illis quam aliis alia occasione, vel causa detentis, vel exulibus, donec ab eis à quibus detinebantur, relaxarentur, & ab eis ad quos id spectaret, saluus conductus & alię necessariæ securitates eis concederentur, dicti menses currere non inciperent, dummodo ipsi à die notitiæ, posteriorum literarum, in aliquam hæresim cecidisse, vel in veteri errore perstitisse non conuincerentur, concessit.

Illisque & eorum successores ad dignitates habilitauit, & indultu Christianorum vti posse decreuit.

§. 4. Necnon, cum eis tam præsentibus, quam absentibus, ac etiam cum clericis, & aliis sęcularibus, & quorūuis Ordinum Regularibus Ecclesiasticis personis, etiam quæcomque quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, etiamsi sæcularia, Canonicatus, & præbendas, dignitates etiam maiores post Pontificales, & principales, ac Conuentuales, personatus, administrationes, & officia etiam Curata, & electiua in Cathedralibus, etiā Metropolitanis & Collegiatis Ecclesiis, regularia vero beneficia huiusmodi Monasteria, etiam dignitates Conuentuales, præceptoriæ etiam curatæ, & electiuæ, & alias cuiuscumq; qualitatis essent obtinentibus, etiamsi Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, Magistrali, & alia quacumque dignitate præfulgerent, super irregularitate per eos præmissorū hæresis, & apostasiæ, & blasphemiæ criminum occasione, vel causa, ac etiam quia sic legati Missas, & alia diuina officia forsan non tamen in contemptum clauium, cele-

braßent, aut alias illis se immiscuissent contracta, & cum ijs qui promoti non erant, vt ad omnes, etiam sacros, & Presbyteratus ordines promoueri, & in illis, tam illi, quam qui tunc, etiam post dicta crimina perpetrata, & absolutionem huiusmodi promoti erant, etiam in altaris ministerio ministrare, ac beneficia Ecclesiastica, etiam, vt præmittitur, & alias qualitercumque qualificata, eis canonice conferenda recipere, illaque & alia per eos tunc obtenta retinere, ac etiam tam ipsi Ecclesiastici, & regulares, ac milites, quam laici, ac mulieres, eorumque filij, nepotes, & descendentes, ad gradus, honores, ordines, officia, & alia assumi, illaque suscipere, & exercere, ac illis, & alijs similibus, & dissimilibus iam susceptis vti, necnon vestes sericeas, & panni cuiuscumque, etiam rubei coloris, ac aurum, argentum, gemmas, & alia iocalia, necnon ensem, & arma eorum statui condecentia deferre, super equos, & mulas equitare, ac alijs omnibus, & singulis priuilegijs, exemptionibus, fauoribus, gratijs, immunitatibus, libertatibus, & concessionibus, quibus alij Christi fideles eorumque filij, & nepotes, ac ab eis descendentes vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere libere, & licite valerent in omnibus, & per omnia, perinde ac si ipsi, eorumque aui, proaui, parentes, & alij genitores veri Christiani fuissent, & nunquam à fide deuiassent, dispensauit, eisque pariter indulsit. Necnon omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam siue notam circa eos præmissorum occasione, tam ex proprijs, quam illorum parentum, consanguineorum, & affinium culpis, & sententijs, eorumque executionibus, & aliàs quomodolibet insurgentes, ab eis penitus, & omnino aboleuit.

Confiscationes bonorum Fisco non incorporatorum, & processus & sententias cõtra eos latas deleuit.

§. 5. Ac confiscationes bonorum si quæ hactenus factæ fuerant, quorum tamen possessio pro eodem Fisco apprehensa non fuerat, necnon processus contra eos formatos, sententiasque latas, ac dictis mensibus durantibus formatas, & ferendas, necnõ informationes, & alia quæcumque acta, & gesta, ordinaria, & extraordinaria, in iudicio, & extra contra eos hactenus facta, ac ex tunc prout ex ea die, & è contra, eisdem mensibus durantibus facienda, quorum omnium tenores, status, & merita similiter haberi voluit pro expressis, cassauit, irritauit, aboleuit, & annullauit, ac cassata, irrita, deleta, & annullata fore decreuit, ipsaque bona sic confiscata, & confiscanda eis à quibus ablata fuerant si eidem Fisco incorporata non essent, remisit, donauit, & restituit, illosque, & illa in pristinum, & eum in quo ante præmissa, & tempore quo baptizati fuerant, erant, statum restituit, reposuit, & plenarie reintegrauit.

Habentes fidẽ à Confessoribus vel in eorũ libros annotatos, securos esse declarauit.

§. 6. Necnon statuit & ordinauit, quod omnes, & singuli confessores prædicti quibusuis eis durantibus mensibus supradictis, confessis etiam de dictis criminibus, non culpabilibus neque suspectis in dicto libro describendis, si id petiissent, pro illorum super præmissis tutiori cautela aliquam cedulam, vel scripturam authenticam manu propria subscriptam, vel ipsius Nuntij sigillo munitam, in testimonium præmissorum gratis, & absque alia exactione concedere possent, & deberent, qua perpetuis futuris temporibus per eos exhibita vel ostensa illam habentes, vel etiam absque illa in dicto libro descripti, & annotati, tuti & securi permanerent, & de prædictis criminibus hæresim, apostasiam, & blasphemiam sapientibus, per ipsos culpabiles, vel suspectos perpetratis vsque ad diem Datæ eiusdem cedulæ, vel testimonij, seu in eodem libro annotationis, & descriptionis nullatenus inquiri possent; ac quod præmissorum occasione ipsis describendis, vel suas cedulas prædictas habentis, & illorum filijs, & descendentibus in nullo præiudicari, nec præiudicium afferri, nec reconciliari censeri, etiam ex eo quod dictorum delictorum, seu aliquorum ex eis veniam petiissent, vel ab eis absoluti fuissent; nec etiamsi forsan in aliquem prædictorum errorem in posterum reincidissent, vel alias quomodolibet deprehensi extitissent, relapsi viderentur; neque aliquod iudicium, etiam minimum contra eos oriri, allegari, vel deduci posse in iudicio vel extra, indulgentia, remissio, & alia in damnum, iniuriam, vel aliud incommodum illorum retorqueri nequirent.

Condemnatos de hæresi publice illas abiurare debere decreuit.

§. 7. Quodque si aliqui iam essent condemnati de criminibus hæresis huiusmodi, vel eorum crimina iam essent in iudicio omnibus notorie probata, ipsi secundum Ecclesiastica statuta errores suos abiurare, illisque publice renunciare deberent. Quibus abiuratis, & renunciatis idem Nuntius eius arbitrio pœnitentias eis iniungendas, vel iniunctas, non tamen in alias publicas sed secretas pœnitentias commutare, ac reconciliare, quibus aliqua publica pœnitentia per quoscumque iudices, & Inquisitores fuisset iniuncta, etiam illam veluti ipsi Inquisitores etiam commutare potuissent, vel consueuissent, in alia pietatis opera commutare, & cum illis dispensare valeret. Ac quod si ex supradictis condemnatis, vel inquisitis accusatis, aut reconciliatis, seu relapsis fuissent aliqui qui se contra iustitiam grauatos esse assererent, ac propterea cuperent vt iterum eorum causæ audirentur, liceret eis ad dictum Nuntium recurrere, & personaliter coram eo comparere, & se ipsos in eo statu in quo tunc esse reperirentur, de integro defendere; sic tamen quod si iterum in defensione sua ipsos succumbere contingeret, tunc tanquam ob causam delictorum huiusmodi relapsi legitima pœna punirentur, cæteri vero secretam pœnitentiam susciperent, quæ loco legitimæ, & canonicæ pœnæ quam pati debuissent, ipsius Nuntij arbitrio ipsis imponeretur. Et nihilominus ij qui relapsi non essent, dictis literis, & illarum effectu gauderent.

Condemnatis sententiis se grauatos, ad Nuntium recursum concessit.

§. 8. Ac quod dicti condemnati, aut inquisiti accusati, vel reconciliati si iterum in hæresis crimen relabi eos contingeret, pro relapsis puniri possent. habita tamen diligenti deliberatione, quod si ex ipsis aliqui essent, qui se violenter ad fidei sacramentum suscipiendum pertractos esse docerent, illis non ita imputentur culpæ, vt in posterum relapsorum pœna tenerentur.

Relapsos debita pœna puniri iussit.

§. 9. Quodque ij qui publice de crimine hæresis diffamati non tamen conuicti, seu accusati essent, quorum perfidia ex publica voce, & fama ad aures ipsius Nuntij perueniret, proprio iuramento, & duobus vel tribus testibus compurgatoribus fide dignis per eundem diffamatum eligendis seipsos secrete, & extraiudicialiter coram Nuntio, vel ab eo deputandis prædictis, seu eorum aliquo purgare, seu crimina huiusmodi de quibus diffamati essent, sua sponte, & cum iuramento secrete, ac etiam extraiudicialiter coram eorum Nuntio, seu deputato aliquo in præsentia duorum testium, vel proprij sacerdotis loco eorum abiurare possent.

Diffamatos coram Nuntio abiurare seu se purgare posse mandauit.

§. 10. Qui omnes accusati, inquisiti, condemnati, reconciliati, & publice diffamati, modo, & forma præmissis, cæteri vero præmissa tantum confessione, & absque aliqua publica pœnitentia eis iniungenda, plenariam, & totalem veniam, & alia supradicta consequi, & obtinere, ipseque Nuntius, & omnia & singula supradicta, & quæcumque alia quæ alij Inquisitores, Commissarij quicumque per quascumque prædicti prædecessoris, & dictæ Sedis literas, ac etiam de iure, vel consuetudine facere, gerere, & exercere possent, facere, gerere, & exercere libere, & licite valeant. Ac quod si aliqui ex prædictis omnibus, tam nouiter conuersis, quam alijs, præsentibus, & absentibus reperirentur, qui huiusmodi gratiam modis præmissis durantibus dictis mensibus suscipere nollent, lapsis eisdem mensibus, gratijs per dictas posteriores literas concessis, nullo modo gaudere possent. Qui tamen ad sui excusationem aliquid afferre vellent, benigne, & secundum Christianam mansuetudinem audirentur, & eorum iura, & defensiones ad eundem prædecessorem per dictum Nuntium sub suo sigillo clausa mitterentur.

Contra nouiter Conuersos, & eorum filios, & descendentes, quorũ excusationes ad ipsum Põtif transmissæ erant, supersedere præcipit.

§. 11. Quodque contra nouiter conuersos, ac filios, & descendentes eorum, confessos, vel non confessos, quorum tamen excusationes per Nuntium, aut deputatos præfatos, siue eorum aliquem receptæ, & ad dictum prædecessorem transmisisse, essent, in negotio inquisitionis, vel visitationis ordinariæ vel extraordinariæ super criminibus prædictis iuxta formam literarum prædictarum vsque ad annum à die ipsarum publicationis, etiam supersederetur, quia interim dictus prædecessor, tam super eodem negotio, quam etiam circa illorum futuram vitam opportune prouidere intendebat.

§. 12.

Inhibuitque omnibus Prælatis ne de cætero molestarent eos qui gratiam super delictis eorum obtinuerant.

§. 12. Districtius inhibens omnibus, & singulis etiam Iudicibus, Ecclesiasticis, & sæcularibus, ac Prælatis, Inquisitoribus, Ordinariis, seu Delegatis quacumque auctoritate, potestate, & dignitate, etiam Pontificali, Archiepiscopali, Primatiali, & Patriarchali, ac statu, gradu, conditione, & præeminentia, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac tali qualitate de qua expressa mentio fieri deberet pollentibus, à præfato prædecessore, seu Sede prædicta, etiam ad instantiam eiusdem Regis deputatis, sub excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis, ac beneficiorum, & officiorum per eos obtentorum priuationis pœnis, ne aliquos de præmissis hæresis, apostasia, blasphemia culpabiles, aut suspectos, qui gratiis prædictis iuxta posteriorum sub plumbo literarum tenorem gaudere deberent, si quos sub aliqua custodia vel carceribus tenerent, aut in exilium misissent, amplius detinerent, aut contra eos ad vlteriora procederent, immo captos relaxarent, & exules ad patriam secure redire permitterent, & in eorum statu in quo erant ante accusationes, condemnationes, carcerationes, exilia, & bannimenta huiusmodi existebant, reponerent; accusatoribus vero, denunciatoribus testibus Inquisitoribus, Iudicibus, promotoribus, & aliis quibusvis sub similibus censuris, & pœnis, ne contra supradictos etiam non culpabiles nec suspectos præmissorum occasione se intromittere, neque aliquos ad testificandum, vel accusandum, seu denunciandum inducere, vel alias illos super præmissis, vel illorum occasione molestare quoquo modo præsumerent.

Et contrauenientibus pœnas hic expressas imposuit.

§. 13. Ac decernentes, omnes, & singulos in præmissis inobedientes, vel contrauenturos easdem sententias, censuras, & pœnas eo ipso incurrere, & beneficia per eos tunc obtenta eo ipso vacare, & ab ipso prædecessore, ac quibusvis illorum ordinariis collatoribus impetrari, & conferri posse, ipsasque impetrationes, & collationes, ac alias dispositiones, alias legitime factas valere, plenamque roboris firmitatem obtinere; ac easdem posteriores literas de subreptionis vitio, seu intentionis defectu notari, vel impugnari non posse, nec sub quibusvis reuocationibus, modificationibus, limitationibus, & suspensionibus quarumcumque similium vel dissimilium literarum, ac etiam per eundem prædecessorem, & Sedem præfatam factis, & faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse, & quoties reuocatæ, vel limitatæ essent, toties in pristinum, & eum in quo tunc existebant statum restitutas, & reintegratas existere. Necnon illarum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo eiusdem Nuntij munitis eandem prorsus, tam in iudicio quam extra illud fidem adhiberi debere, quæ ipsis posterioribus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Decretumque irritans adiecit.

§. 14. Sicque in præmissis omnibus per præfatos, & quoscumque alios Inquisitores, & Iudices etiam S.R.E. Cardinales in quacumque instantia, siue in iudicio coram eis etiam nunc, & in futurum penden. iudicari, sententiari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, sententiandi, & definiendi facultate. Ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, etiam per ipsum prædecessorem, scienter vel ignoranter contingeret attentari.

Executoremque eius constit. Nuntium deputauit.

§. 15. Mandans præfato Nuntio, vt per se vel alium, seu alios posteriores literas huiusmodi, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando, ac quoties opus esset solemniter publicans, ac in præmissis efficaciter assistens, faceret easdem posteriores literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando, ac quoties opus esset firmiter obseruari, ac singulos quos prædictæ posteriores literæ concernebant, illis pacifice gaudere. Nec permitteret eos desuper per Inquisitores, & Iudices præfatos, seu quoscumque alios quomodolibet impediri, molestari, vel perturbari, ac contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compesceret; inuocato etiam ad hoc si opus fuisset auxilio brachij sæcularis.

Ioannemque Portugalliæ,

§. 16. Ioannem vero Regem præfatum rogans, & hortans in Domino, vt pro sua in hanc sanctam Sedem deuotione, & obseruantia, ipsi Marco Nuntio suis auctoritate, & fauore assistent, non permittaret ipsum Marcum Nuntium circa præmissorum exequutionem, aut illos qui sub eisdem posterioribus literis comprehendebantur, quo minus iuxta ipsarum literarum tenorem gaudere possent, quomodolibet turbari, aut impediri, Non obstantibus præmissis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum suorum, ac aliis Apostolicis, necnon generalibus, ac Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, etiam ab eisdem prædecessoribus, etiam pluries emanatis, legibus Imperialibus, necnon etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, officij Inquisitionis, & Ecclesiarum ac regnorum, & dominiorum prædictorum, illorumque Ciuitatum, & locorum, etiam municipalibus statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, etiam in corpore Iuris clausulis, ac etiam in forma Breuis literis, etiam per dictos prædecessores, & Sedem huiusmodi, etiam Inquisitoribus prædictis, etiam ad instantiam eiusdem Ioannis, & aliorum quorumcumque Regum, & Reginarum, aut etiam Motu proprio, & de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, etiam Apostolicæ potestatis plenitudine ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis concessis, & innouatis, etiamsi in eis caueretur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis inibi expressis modis, & formis derogari posset; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores, ac si de verbo ad verbum, ac forma in illis tradita obseruata inserti essent, pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, Motu simili specialiter, & expresse derogauit, contrariis quibuscumque, seu si Inquisitoribus, & Iudicibus prædictis, vel quibusvis aliis, communiter vel diuisim ab eadem esset Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possent per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

& Algabriorum Regē rogauit, ut eidē Nuntio assisteret ac fauerit quibuscumque non obstantibus.

Postea per alias literas (quas hic non habes) constitutionem suā publicari prohibuit.

§. 17. Et deinde posteriores literas prædictas non alia ratione nisi vt præfato Regi qui multa ad Christi gloriam pertinentia super huiusmodi absolutionis concessione eidem prædecessori per specialem eius Oratorem significare velle præmonuerat, satisfaceret, edi, & per dictum Marcum Episcopum, & Nuntium publicari per alias in forma Breuis literas prohibuit. Ac postmodum tam dilecto filio Henrico de Meneses eiusdem Regis Nuntio ad ipsum prædecessorem ob hanc causam specialiter destinato, quam venerabili Fratri Martino Archiepiscopo Funchallen. suo apud eundem prædecessorem Oratore auditis, ac omnibus, & singulis quæ per eos aduersus prædictæ absolutionis concessionem acta, & in scriptis data fuerant, mature consideratis, sufficientique ad omnia ex vrbanitate dato responso, & quid ad ea per eundem Regem replicaretur, per quatuor menses, & plus eo expectato, per alias in forma Breuis literas statuit, declarauit, & voluit, quod literæ absolutionis huiusmodi; in omnibus, & per omnia eam vim, & auctoritatem haberent, ac si in Regno prædicto iuxta illarum tenorem publicatæ fuissent. Addens quod si per eundem Regem, ac per eius Ministros, aut populum effectum foret, vt prædicti noui Christiani secure non possent ea adimplere, quæ dictus prædecessor in prædictis absolutionis literis adimplenda esse mandauerat, vt prædictam absolutionem consequi valerent, ipsi nihilominus, in eis quæ ad potestatem ipsius prædecessoris temporalem pertinebant, quoad forum contentiosum absoluti, & liberi esse censerentur, ac nullo modo ratione prædictorum delictorum ex tunc per viam inquisitionis seu visitationis, ordinarie vel extraordinarie molestari, vel inquietari valerent.

E deinde illam publicari, & exequi mandauit.

§. 18. Mandamus eidem Marco Epiſcopo, & Nuntio, quem ad id ſpecialiter executorem conſtituerat, quod eius, & dictæ Sedis nomine illius declarationem, & voluntatem huiuſmodi ſub eiſdem comminationibus, & cenſuris exequi faceret, quæ in prædictis veniæ literis ſub plumbo datis continebantur. Non obſtantibus dictis, tam ſub plumbo quam in forma Breuis emanatis literis, quibus illorum omnium tenores pro ſufficienter expreſſis habens ipſe Clemens prædeceſſor derogauit, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Hic autem Pont. ex cauſis hic expreſſis ſuperſederi mandauit in executione dicta conſtitutionis Clem. VII.

§. 19. Poſtmodum autem cum dicti Martinus Archiepiſcopus, & Henricus etiam apud nos oratores nobis expoſuiſſent, quod licet præfatus Rex reſponſiones ſuas ad cauſas prædictas miſiſſet, putaretque per eas conſtare ad abſolutionem prædictam ſub forma præfata, etiam cauſis quæ dictum prædeceſſorem ad id induxerant non obſtantibus, procedi non debuiſſet, tamen quia præfatus prædeceſſor, cui cum infirmitate grauaretur, ipſi Martinus Archiepiſcopus, & Henricus oratores, ipſius reſponſiones, quæ tempore dictæ infirmitatis ad eorum manus peruenerant, tradere non potuerant, neſciens reſponſiones prædictas delatas eſſe, ac putans ipſum Regem, ex eo forſan quod cauſæ prædictæ ad eum miſſæ ita validæ viderentur, vt congrue ad eas reſpondere non poſſet, ipſas reſponſiones tanquam non vrgentes miſſas non eſſe, præmiſſa in vltimo datis literis contenta ſtatuerat, & ordinauerat. Quodque nos reſponſiones ipſas debite attendere, & conſiderare, ac mature in hoc negotio, ex quo dictorum regnorum quies non parum pendebat, prouidere vellemus, apud nos nomine ipſius Regis inſtitiſſent, nos reſponſiones prædictas per ipſos Oratores nobis traditas nonnullis viris, doctrina, integritate, grauitate, experientia decoratis examinandas tradidimus, ea intentione, vt habita illorum relatione, in hoc negotio, prout ad noſtrum ſpectabat officium, prouideremus; præfato Marco Epiſcopo, & Nuntio ne etiam vigore prædictorum, & quarumcumque aliarum literarum à præfato prædeceſſore emanatarum: ac vniuerſis, & ſingulis de hæreſi, & à fide apoſtaſia culpabilibus, ſeu ſuſpectis, ne modo aliquo literas abſolutionis publicare, aut ſi publicatæ forent eis vti, Inquiſitoribus autem prædictis, ne vigore literarum per ipſum prædeceſſorem ſuper eorum deputatione, vt præfertur conceſſarum, Ordinariis vero ne facultatis eis, de iure vel conſuetudine conceſſæ vigore aliquem ex dictis de hæreſi, & apoſtaſia culpabilibus, & ſuſpectis occaſione criminum per eos commiſſorum modo aliquo moleſtare, auderent, vel præſumerent, donec aliud per nos deſuper ordinatum foret. Per quaſdam interim inhibemes, voluimus quoque, vt ſi qui ob crimina huiuſmodi carceribus mancipati inuenirentur, niſi relapſi forent, data idonea cautione de ipſos carceres quoties per eos, ad quos ſpectabat, deſuper requiſiti forent, intrando, & eorum bona in manibus fiſci deueniſſent, aut ad eius infantiam ſequeſtrata eſſent, abſque alia cautione ex præfatis carceribus relaxarentur.

Sed tandem per eius literas, quas hic non habes, ſuperſeſſoriam reuocauit, & ad illius conſt. executionem procedi mandauit.

§. 20. Et demum cum prædicti viri, diſcuſſis, & mature conſideratis per eos rationibus huiuſmodi, & aliis quæ conſideranda erant, literis abſolutionis per dictum prædeceſſorem, vt præfertur, conceſſas executioni debitæ demandandas eſſe nobis retuliſſet, nos præfato Marco Epiſcopo, & Nuntio per alias noſtras etiam in forma Breuis literas dedimus in mandatis, quatenus ad executionem dictarum abſolutionis literarum iuxta illarum tenorem in omnibus, & per omnia perinde ac ſi earum executionem per dictas literas non ſuſpendiſſemus, & vt ſupradictum eſt, non inhibuiſſemus, procederet, prout in eiſdem literis, quarum omnium tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus plenius continetur.

Modo autem eaſdem conſt. confirmat, & innouat.

§. 21. Cum autem ſicut accepimus literæ abſolutionis huiuſmodi, ſi illa forma quoad nonnulla in ipſis literis contenta ſeruetur, de facili abſque ſcandalo executioni demandari non poſſent præſertim cum pro nonnullis Sedem Apoſtolicam concernentibus cauſis dictum Marcum Epiſcopum, & Nuntium qui ſuper præmiſſis executor, vt præfertur deputatus fuit, breui ad nos vocare intendimus, Nos ex præmiſſis, & aliis cauſis animum noſtrum mouentibus literas ipſas ſuum prout conueuit, ad obuiandum periculis, effectum ſortiri volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine volumus, & decernimus, quod literæ veniæ prædictæ, quæ vt accepimus, iam diu Ordinariis regni, & dominij prædictorum, vel eorum officialibus pro maiori parte intimatæ fuerunt, quoad abſolutionem & omnia alia in eis contenta eam vim & auctoritatem habeant perinde ac ſi in regno, & dominiis prædictis iuxta ipſarum literatum formam, in omnibus, & per omnia publicatæ, & noui Chriſtiani ab eiſdem deſcendentes, omneſque alij ab Hebræis originem quomodolibet trahentes in præfatis literis comprehenſi de hæreſis, & aliis prædictis criminibus culpabiles, & ſuſpecti, in regnis, & dominiis præfatis, vel extra illa tanquam hæretici inquiſiti accuſati, publice vel occulte diffamati, etiamſi eorum crimina in iudicio notorie probata fuiſſent, & tanquam hæretici ſententialiter condemnati, & vt tales ipſi habiti, conuicti, reconciliati, & eorum bona publicata, & contra eos ſententiæ deſuper latæ, & executæ, & pœnæ publicæ iniunctæ, vel illi propterea carcerati confeſſiones, abiurationes, renuntiationes, purgationes, pœnitentias iniunctas, & iuxta dictarum literarum formam iniungendas, omniaque alia in dictis literis contenta adimpleuiſſent, & per eos realiter adimpleta, & cum effectu completa fuiſſent. Decernentes quod in foro temporali, ciuili, & criminali, etiam contentioſo, de omnibus, & ſingulis criminibus per dictas literas veniæ, eis vt præmittitur, remiſſis, etiam hactenus quomodolibet per eos, qui tempore Datæ dictarum literarum ſub plumbo in regno, & dominiis prædictis morabantur, & alios ab Hebræis deſcendentes in dictis literis veniæ comprehenſos perpetratis, plenarie abſoluti, & liberari ſint, & intelligantur, prout nos etiam eos Motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus plenarie abſoluimus, & liberamus.

Illamque ampliat vt hic.

§. 22. Volentes quod quoad forum fori ad aliquam confeſſionem, abiurationem, renuntiationem, purgationem, pœnitentiam, aliorumque in dictis literis contentorum executionem, paritionem, & diligentiam non teneantur, tam quoad hæreſis, apoſtaſiæ, blaſphemiæ, & alia prædicta crimina, quam in foro conſcientiæ, dumtaxat quoad ea, & omnia alia delicta, & exceſſus prauitatem huiuſmodi non ſapientia, quæcumque quorcumque, & qualiacumque fuerint, dummodo eorum errata, & exceſſus alicui per eos eligendo confeſſori ſacramentaliter corde contriti, & ore confeſſi fuerint, abſque aliqua publica pœnitentia eis iniungenda, in omnibus, & per omnia ſuffragari volumus. Decernentes quod ob confeſſionem, & contritionem prædictas, quomodolibet omiſſas nullo pacto temporaliter, & in foro contentioſo, & ciuili, quominus plenarium præmiſſorum effectum libere conſequantur, impediri, moleſtari, ſeu perturbari poſſint, ac per eos eligendis confeſſoribus ipſos, & eorum ſingulos à præmiſſis abſoluendi plenariam, & generaliſſimam poteſtatem, & facultatem concedimus, & impartimur. Necnon eoſdem carceratos, vel alias detentos, & exules etiam à carceribus, exiliis, & bannis quibus occaſione criminum hæreſis, & apoſtaſiæ, ac blaſphemiæ huiuſmodi detenti, & condemnati exiſtunt, relaxamus, & liberamus, ac relaxari, & liberari mandamus.

Indulta quoque, & exemptionibus quibus Chriſtiani vtuntur, gaudere poſſe declarat.

§. 23. Ac omnibus & ſingulis aliis priuilegiis, exemptionibus, fauoribus, gratiis, immunitatibus, libertatibus, & conceſſionibus in dictis literis veniæ contentis, & quibus alij Chriſti fideles, eorumque filij, & nepotes, ac ab eis deſcendentes vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum vti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, in omnibus, & per omnia perinde ac ſi ipſi, eorumque aui, proaui, parentes, & alij genitores veri Chriſtiani fuiſſent, & nunquam à fide Catholica deuiaſſent, de ſpecialis dono gratiæ pleniſſime diſpenſamus, eiſque pariter indulgemus; omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam ſiue notam circa eos præmiſſorum occaſionem tam ex propriis, quam illorum parentum, conſanguineorum, & affinium culpis, & ſententiis, earumque executionibus, & aliis quomodolibet inſurgentes, ac eis penitus, & omnino abolemus. Ac confiſcationes bonorum ſi quæ hactenus etiam poſt dictas literas veniæ in dictis regnis, &

& dominiis factæ fuerint, quorum tamen possessio pro Fisco ante datam literarum veniæ sub plumbo per eundem Clementem prædecessorem nostrum concessarum apprehensa non fuerit. Necnon processus contra illos, & illorum singulos formatos, sententiasque latas, necnon informationes, & alia quæcumque acta, & gesta, ordinaria, & extraordinaria, in iudicio, & extra cōtra eos hactenus similiter etiam post dictas literas facta, quorum omnium tenores, status, & merita, etiam præsentibus haberi volumus pro latissime expressis cassamus, irritamus, delemus, & annullamus, ac cassata, irrita, deleta, & annullata fore decernimus, ipsaque bona sic confiscata eis à quibus ablata fuerint, & eis mortuis eorum hæredibus, & successoribus, si eidem fisco, vt præmittitur, incorporata non sint, plenissime remittimus, donamus, & restituimus, eosque, & illa in pristinum, & eum in quo ante præmissa, & tempore quo baptizati fuerant, erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Processus, & sententias contra eos latas annullat, & in pristinum statum reponit.

§. 14. Et insuper auctootare, & tenore supradictis statuimus, & ordinamus, volumus, & mandamus, quod prædicti liberi, & plenarie absoluo, tuti, & securi remaneant, & de hæresim, & apostasiam, ac blasphemiam sapientibus, ac aliis criminibus, & excessibus supradictis per ipsos vsque ad diem datæ præsenoum, quomodolibet perpetratis nullatenus inquiri, accusari, vel molestari possint, ac quod præmissorum occasione ipsis, vel illocum filus, & descendentibus in nullo præiudicari, vel præiudicium afferri, nec reconciliari censeri, etiam ex eo quod dictorum delictorum, seu aliquorum ex eis veniam petierint, vel ab eis absoluti fuerint, nec etiamsi forsan su aliquem prædictorum errorum in posterum reinciderint, vel alias quomodolibet deprehensi extiterint, relapsi videantur, neque aliquod ea præteritis iudicium, etiam minimum contra eos oriri, allegari, vel deduci posse, in indicio vel extra, indulgentia, remissio, & alia in damnum, iniuriam, vel aliud incommodum illorum retorqueri nequeant.

Contravenientibus pœnas hic descriptas imponit.

§. 15. Districtius inhibentes omnibus, & singulis etiam Iudicibus Ecclesiasticis, vel sæcularibus, ac Prælatis, Inquisitoribus, Ordinariis, seu Delegatis quacumque auctoritate, potestate, & dignitate, etiam Pontificali, Archiepiscopali, Primatiali, & Patriarchali, ac statu, gradu, conditione, & præeminentia, etiam Cardinalatus bonore fulgentibus, & tali qualitate de qua expressa mentio fieri debere pollentibus, etiam à nobis seu Sede prædicta, etiam ad instantiam eiusdem Regia deputatis, & pro tempore deputandis sub excommunicationis, suspensionia, & interdicti sententis, & beneficiorum, ac officiorum per eos obtentorum priuationis pœnis, eo ipso nisi paruerint incurrendis, ne aliquos de hæresi, apostasia, aut blasphemia, & aliis præmissis culpabiles, aut suspectos, qui gratis prædictis iuata præsentium tenorem gaudere debent, si quod sub aliqua costodia, vel cerceribus teneant, aut in exilia emiserint, amplius detineant, aut contra eos ad vlteriora procedant, Imo captos relaxent, & exules ad patriam redire permittant, & in eorum statu in quo fuerunt, & ante accusationes, condemnationes, carcerationes, exilia, & bannimenta huiusmodi eaistebant, reponant, accusatoribus verò denuntiatoribus, testibus, Inquisitoribis, Iudicibua, promotoribus, & aliis quibusvis sub similibus censuris, & pœnis, ne contra supradictos delictorum hæresim, à fide apostasiam, ac blasphemiam sapientium hactenus commissorum occasione se intromittere, nec aliquos ad testificandum, vel accusandum, seu denuntiandum inducere vel alias illos super præmissis, vel illorum occasione molestare quoquo modo præsumant. Ac decernentes, omnes, & singulos in præmissis inobedientes, vel contrauenientes easdem sententias censuras, & pœnas eo ipso incurrere, & beneficia, per eos vacare, & à nobis, & quibusvia illorum ordinariis collatoribus impetrari, & conferri posse, ipsasque impetrationes, & collationes, ac alias dispositiones alias legitime factas valere, plenamque roboris firmitatem obtinere, ac easdem præsentes literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu notari, vel impugnari non posse, nec sub quibusvis reuocationibus, modificationibus, limitationibus, & suspensionibus quarumcunque similium, vel dissimilium literarum, ac etiam per nos, & Sedem eandem factis, & faciendis, nullatenus comprehensas, sed ab illis semper exceptas esse, & quoties reuocatæ vel limitatæ fuerint, toties in pristinum, & eum in quo ad præsens existunt statum restitutas, & reintegratas existere. Necnon illarum trausumptis manu Notarij publici subscriptis, eandem prorsus, tam in iudicio quam extra illud fidem adhiberi debere, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Sicque in præmissis omnibus per præfatos, & quoscumque alios Inquisitores, & Indices, etiam S.R.E. Cardinales in quacumque instantia siue iudicio coram eis etiam nunc, & in futurum pendente, iudicari, sententiari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, sententiandi, & definiendi facultate, & irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores huius constit. deputat.

§. 16. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Traien. & Vlixbonen. Archiepiscopis, ac Episcopo Ferrarien. per hæc scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios easdem præsentes pro maiori prædictorum notitia, & in eis contenta quæcumque vbi & quando, ac quoties opus fuerit, etiam in Romana Curia, ac eius locis solitis, & consuetis publicantes, & in præmissis efficaciter assistentes, faciant præsentes, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando, ac quoties opus fuerit firmiter obseruari, ac singulos quos ipsæ præsentes concernunt illis pacifice gaudere. Necnon quibuscumque habentibus interesse instrumentum intimationis huiusmodi cum insertione earundem præsentium omnium contradictione, & excusatione cessante tradant, & concedant, seu tradi, & concedi faciant. Non permittentes eos desuper per Inquisitores, & Iudices præfatoa, seu quoscumque alios quomodolibet impediri, molestari, vel perturbari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus, fuerit auxilio brachij sæcularis. Ne autem super anno in quo futuræ vitæ dictorum nouorum Christianorum modus iuxta voluntatem dicti Clementis prædecessoris dari debet, aliqua dubitatio oriatur, volumus, & dicta auctoritate decernimus ipsum annum à die Datæ præsentium incipere.

Clausula derogatoria.

§. 17. Non obstantibus præmissis, ac etiam fel. rec. Bonifacij VIII. & aliorum Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum, & aliis Apostolicia, necnon in generalibua, ac prouincialibus, & synodalibua Cōnciliis editis generalibus, vel specialib. cōstitutionibus, & ordinat. etiam ab eisdem vel à nobis et àpluries emanatis, legibus Imperialibus, necnon etiam iuramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis, officij inquisitionis, & Ecclesiarū, ac regnorum, & dominiorū prædictorū. Illorūq; dignitatum, & locorū, etiam municipalib. statutis, & cōsuetudinib. sententiis, priuilegiis quoq; indultis, etiā in corpore iuris clausis, ac etiā in forma Breuis literis etiam per nos, & prædecess. nostros, & Sedē huiusmodi; etiā Inquisitoribus prędictis, etiam ad instantiam eiusdem Ioannis, & aliorum quorumcumque Regū, & Reginarum, aut etiam Motu proprio, & de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, etiam Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciotibus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis concessis, approbatis, & innouatis, etiamsi in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis inibi expressis modis, & formis derogari possit, quibus omnibua, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, ac forma in illis tradita obseruata, Inserti forent, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat barum serie, motu, scientia, & potestatis plenitudine

prædictis specialiter, & expresse derogamus contrariis quibuscumque. Seu si inquisitoribus, & Iudicibus prædictis, vel quibusvis aliis communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Declaratio.

§. 28. Volumus autem quod carcerati, vel sub cautionibus relaxati, qui de hæresi, aut à fide apostasia, seu blasphemia hæresim sapiente condemnati, aut conuicti fuerint, aut desuper confessionem fecerunt, abiurationem super hoc coram aliquo iurisdictionem habente per eos eligendo publice facere omnino teneantur. Et abiuratione huiusmodi facta, etiam absque publica pœnitentia per eos facienda, iuxta formam prædictarum sub plumbo confectarum literarum omnino relaxentur.

Dat. P. A. 1. die 12. Octob.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die duodecima Octobris, millesimo quingentesimo trigesimoquinto, Pont. nostri Anno primo.

Anno à Natiuitate Domini 1535. Indictione octaua, die verò secunda mensis Nouembris, Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D. D. N. diuina prouidentia Pauli Papæ III. Anno primo, retroscripta litera in forma Breuis in præsenti quinterno descripta affixa & publicata fuerunt in acie Campi Floræ, valuisque Cancellariæ Apostolicæ, ac in valuis Principis Apost. de Vrbe, & in aliis locis publicis, & solitis, ac consuetis Romanæ Curiæ vt moris est per me Simonem de Bellauilla Sanctiss. Domini nostri prælibati Papæ Cursorem.

Aymo Gilleon Mag. Curs.

IX.

Causæ Ciuiles, interesse Fisci Reuer. Cameræ Apostolicæ concernentes, in eadem Camera cognoscantur, in omnibus instantiis.

Ampliatur hæc dispositio à Pio IV. infra in constit. 35. Cum sicut vbi notabo.

Edita A. D.

PAVLVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Causa huius constitut.

NOn sine animi molestia accepimus causas feudales, & alias quæ inter Fiscum, & priuatum vertuntur, per diuersa Tribunalia Almæ Vrbis, vigore commissionum specialium, aut alias, non sine magno Cameræ Apostolicæ, & illius auctoritatis, & iurisdictionis præiudicio, passim audiri, & terminari, & quia causæ huiusmodi de sui natura in Camera Apostolica, & non alibi tractari, & definiri debent, volentes in præmissis opportune prouidere, nonnullorum Rom. Pont. prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo.

Auocatio causarum interesse ciuile Fisci tangentium ab omnibus Iudicibus earumque commissio in Camera.

§. 1. Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, omnes & singulas causas feudales, & alias quascumque quæ inter Fiscum, & priuatum in prima, vel vlteriori instantia, in Auditorio Rotæ, & coram Almæ Vrbis Gubernatore, & Auditore Cameræ, & Senatore, ac aliis Tribunalibus dictæ Vrbis, & aliquibus ex Clericis, seu Præsidentibus particulariter, & instructæ pendent; quomodocumque & qualitercumque in petitorio, vel possessorio, mero, vel mixto introductæ sint, ad nos aduocantes, illas vnà cum quibusvis earum inciden. depen. emergen. annexis, & cōnexis, tam coniunctim, quam diuisim penden. dilecto filio Camerario, & Præsidentibus, ac Clericis Cameræ Apostolicæ per eos more Camerali, & iuxta formam concessionum, Indultorum, & priuilegiorum ipsius Cameræ in plena Camera audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas committimus, & mandamus.

Cameræ facultas procedendi in eis.

§. 2. Dantes eis plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem prædictis, & aliis quibusvis inhiben. fuerit, in Rom. Curia, & extra eam, etiam sub censuris, & pœnis & quoad causas similes in futurum extra Cameram committendas proprio, & eorum auctoritate sine alio nostro mandato, vel signatura, inhiben. & in causis huiusmodi, non obstan. quibusvis signaturis, & inhibitioni. hactenus factis, & in posterum facien. nisi commissiones in futurum præsentandæ, manu nostra cum præsentium de verbo ad verbum insertione, & illarum derogatione signatæ fuerint, proceden. citan. declaran. aggrauan. reaggrauan. interdictumque ponen. auxiliumque brachij sæcularis inuocan. cæteraque facien. geren. & exequen. quæ in præmissis, ac circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint.

dummodo à Papa non extra eam non commissis.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, & constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, clausulis, statutis, & consuetudinibus, ac reformation. etiam iuramento &c. roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, (quibus illorum tenores, causas, & effectus pro expressis, & insertis haben. & exprimi ac de verbo ad verbum inseri posse, decernen.) latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis & consuetis.

Sola sufficit signatura.

§. 4. Volentes præsentium solam signaturam sufficere, & vbique tam in iudicio quam extra fidem facere absque alia literarum expeditione, seu quod literæ in forma Breuis ad perpetuam rei memoriam, cum maiori vera & ampliori specificatione omnium, & singulorum præmissorum, & circa ea necessariorum, latissime extendendo, quod contraria quæcumque penitus, & omnino tollantur, & non obstent. De mandato D. N. Papæ audiant præfati Reuerendissimi DD. Cardinalis Camerarius, Præsidentes, & Clerici Cameræ, citent, inhibeant, etiam sub censuris procedant, & petitur & iustitiam faciant.

Placet Motu proprio. A.

Papa subsc.

X.

Anathematizatio hæreticorum, & aliorum cōtrauenientium contentis in hac constitutione, quæ bulla in cœna Domini appellatur.

Alias de hac materia bullas, cum opportunis notis inuenies in const. 63. Pastoralis, Pauli V.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1536.

Excommunicatur, & anathematizantur iuxta antiquum morem Romanorum Pont.

COnsueuerunt Romani Pontifices prædecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis Christianæ, & ipsius vnitatem, quæ in coniunctione membrorum, ad vnum caput, Christum videlicet, eiusque Vicarium principaliter consistit, & sanctorum fidelium societatem ab offensione seruandam, arma iustitiæ per ministerium Apostolatus, in præsenti celebritate exercere, Nos igitur vetustum & solemnem hunc morem sequentes.

Hæretici eorumque fautores, & libros legentes, &c.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, omnes hæreticos, Gazaros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passagenos, Vuicleuistas, seu Hussitas, Fraticellos, de opinione nuncupatos, necnon per fel. rec. Leonem PP. X. Prædecessorem nostrum superioribus annis damnatam, impiam, & abominabilem Martini Lutheri, hæresim sequētes, ipsiq; Martino quominus puniri possit quomodolibet fauentes, & quoslibet alios hæreticos quocumque nomine censeantur, ac omnes fautores, & receptatores, librosque ipsius Martini, aut quorumvis aliorum eiusdem sectæ sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ, quomodolibet legentes, aut in suis domibus tenentes, imprimentes, aut quomodolibet defendentes, ex quavis causa publice vel occulte, quovis ingenio, vel colore. Et generaliter quoslibet defensores eorundem.

Piratæ & eorum fautores.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, cursarios, latrunculos maritimos, & illos præcipue, qui mare nostrum à Monte Argentario vsque ad Terracinam discurrere, & nauigantes in illo deprædari, mutilare, interficere, ac rebus, & bonis suis spoliare

præium

præsumpsetunt hactenus, & præsumnut, ac omnes receptatores eorundem, & eis auxilium dantes, consilium, vel fauorem.

Pedagia noua imponētes, vel prohibita exigentes.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes qui in terris suis noua pedagia imponunt, vel prohibita exigunt.

Falsificantes literas Apostolicas.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios Bullarum, seu literarum Apostolicarum & supplicationum gratiam vel iustitiam concetuentium, per Romanum Pont. vel Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut officium Vicecancellarij S.E.R de mandato eiusdem Rom. Pontificis signatatum, aut sub nomine eiusdem Rom. Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vicem prædictorum signantes supplicationes easdem extendentes cap. ad falsatiorum, eum omnibus pœnis in eo contentis ad falsificantes, seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostri signatas, & dataas, sine nostra, aut Datarij nostri licentia.

Illud cap. est 7 in tit. de crim. fal.

Arma, & alia inimicis Christiani nominis deferentes.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma ferrum, filum stannum, calybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, & alia prohibita deferunt Saracenis, Turcis, & aliis Christiani nomini inimicis, quibus Christianos impugnant, non obstantibus quibusvis priuilegiis, & concessionibus quibuscumque Principibus, & dominis, seu priuatis personis, per nos & Sedem prædictam hactenus forsan concessis, quæ illis nolumus in aliquo suffragari.

Impedientes eos qui victualia, seu alia necessaria Romā deferunt, vel eis fauentes.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes victualia, seu alia ad vsum Rom. Curiæ necessaria adducentes, ac etiam eis qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel deferantur, impediunt seu perturbant, vel qui talia faciunt, vel defendunt, cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiam si Pontificali Regali, Reginali, aut alia quavis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate.

Vexantes sine iurisdictione eos qui in Curia commorantur,

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, necnon omnes illos, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes in eadem Curia morantes, temeritate propria rapiunt, spoliant, & detinent, aut proposito deliberato verberare, mutilare, vel interficere præsumunt, & qui talia fieri faciunt, seu mandant.

Carcerantes Episcopos, &c.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes temere mutilantes, verberantes, vulnerantes, interficientes, capientes, incarcerantes, & detinentes, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, eorumque mandatores.

Lædentes eos qui ad Romanam Curiam recurrunt, vel negotia in ea prosequuntur.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium, seu alios quascumque personas, Ecclesiasticas vel sæculares ad Rom. Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, illaque in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Aduocatos, Procuratores ipsorum, vel etiam Auditores, seu Iudices super dictis causis, seu negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant.

Impedientes executionem literarum Apostolicarum.

§. 10. Ac illos, qui ne aliquas literas Apostolicas etiam in forma Breuis, tam gratiam quam iustitiam concernentes, etiam citationes, monitoria, & exequutoriales, quæ à Sede Apostolica emanarunt, & pro tempore emanabunt, sine eorum beneplacito, & examine, executioni demādent, inhibent, ac Notarios, executores, & subexecutores literarum monitorialium, & citationum ac executorialium huiusmodi excipiunt, incarcerant, & detinent, vel capi, incarcerari, detineri faciunt. Necnon qui ne literis, & mandatis Sedis prædictæ, & Legatorum, ac Nuntiorum, & Iudicum delegatorum eisdem, similiter gratiam vel iustitiam concernentibus decretisque super illis, & rebus iudicatis, processibus, & exequutorialibus, non nisi habito primum eorum beneplacito, & assensu pareatur per eorum literas exequutoriales, vel alias nuncupatas, & certo pretio soluto. Neve tabelliones, & Notarij, super huiusmodi literarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut facta parti cuius interest tradere deberent; quive sub quibusvis pœnis quibuscumque personis, in genere vel in specie ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant seu gratias ipsas à Sede Apostolica impetrent, aut impetratis vtantur, directe vel indirecte, etiam sub grauissimis pœnis prohibere, statuere, seu mandare, quive in animatum earundem periculum, seu à nostra, & Rom. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt.

Laici Iudices personas Ecclesiasticas trahentes.

§. 11. Quive ex eorum officio, vel ad instantiam quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ac eorum Tribunal audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum præter iuris communis dispositionem trahunt, ac trahi faciunt, vel procurant, directe vel indirecte quovis quæsito colore.

Statuentes aliquid cōtra libertatem Ecclesiasticam.

§. 12. Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causa, quovis quæsito colore, etiam sub prætextu literarum Apostolicarum in vsu non receptarum, seu reuocatarum hactenus, fecerunt, ordinarunt, seu publicarunt, aut facient, ordinabunt, vel publicabunt in futurum per quas, & quæ, libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis iuribus quomodolibet, tacite vel expresse præiudicatur.

Vsurpantes bona & iurisdictiones Ecclesiarum, &c.

§. 13. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus, prouentus ad Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum per eas obtentorum pertinentes vsurpant, vel subripiunt, seu quavis occasione, vel causa sine Rom. Pont. expressa licentia sequestrant, aut collectas, decimas, talias, præstantias, & alia onera, Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorum fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Rom. Pont. speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut à sponte etiam dantibus, & consentientibus recipiunt. Necnon qui per se vel alium seu alios directe vel indirecte prædicta facere, exequi vel procurare, aut in eisdem, auxilium, consilium, vel fauorem, aut votum suffragium, palam vel occulte, præstare non verentur cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alij potentatus quicumque etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & Terris quoquo modo Præsidentes fuerint, aut quavis etiam Pontificali dignitate præfulgeant; innouamusque decreta super his, tam per sacros canones, & Concilia generalia, quam etiam in Lateranensi Concilio nouissime celebrato edita, etiam cum interdicti Ecclesiastici, ac aliis censuris, & pœnis in eis contentis.

Auocantes causas à Iudicibus Ecclesiasticis, aut eorum expeditiones quoquo modo impedientes.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Consiliarios ordinarios, & extraordinarios quorumcumque Regum, & Principum ac Præsidentes Cancellariarum, & Consiliorum, ac Parlamentorum, necnon Procuratores generales eorundem vel aliorum Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, necnon Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Commendatarios, eorumque Vicarios, & Officiales, qui per se vel per alium seu alios, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum, necnon decimarum, ac beneficiales, ac alias spirituales, & spiritualibus annexas causas ab Auditoribus, & Commissariis nostris (vt eorum verbis vtantur) auocant, ac executiones monitoriorum, citationum, inhibitionum, sequestrorum, exequutorialium, & aliarum literarum Apostolicarum, tam gratiam, quam iustitiam concernentium à nobis, necnon Camerario, & Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, ac

Auditoribus, & Commissariis Apostolicis in eisdem causis pro tempore emanatarum, illarumque cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, & Collegia causas ipsas prosequi volentes, auctoritate laicali impediunt, & se de illarum cognitione tanquam iudices intromittere, ac partes actrices, quæ illam committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum, seu reuocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanauerunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, ordinant, vel compellunt, vel alias executionem literarum Apostolicarum, vel executorialium, etiam sub prætextu violentiæ prohibendæ impediunt, declarantes nihilominus, ac protestantes, prout tenore præsentium declaramus, ac expresse protestamur, absolutionem hodie, vel alias etiam solemniter per nos faciendam præfatos supranominatos, & qualificatos, ac Cancell. Vicecancellarios, Consiliarios, procuratores ac alios excommunicatos prædictos, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publice reuocauerint, & ex archiuiis, seu capitularibus locis, aut libris in quibus adnotata repetiuntur, deleri, & cassari, ac nos de reuocatione, & cassatione huiusmodi certiores fecerint, & alias à præmissis, cum vero proposito vlterius similia non committendi destiterint comprehendere, nec illis aliter suffragaturum fore, ac in præmissis omnibus, & singulis, ac aliis quibuscumque iuribus Sedis Apostolicæ, ac S.R.E. vndecumque, & quomodolibet quæsitis, seu quærendis per quoscumque actus contrarios, aut quomodolibet præiudicantes, tacitos, vel expressos, à nobis, vel à Sede Apostolica quomodolibet factos, aut faciendos, aut quemcumque temporis fluxum, vel tolerantiam, seu patientiam nostram vllatenus præiudicari debere, aut quomodolibet posse.

Offendentes peregrinos ad Vrbem euntes commorantes & recedentes.

§. 15. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes mutilantes, vulnerantes, aut interficientes, seu capientes, & detinentes, seu deprædantes Romipetas, & peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel recedentes ab ipsa, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

Occupantes bona Sedis Apostolicæ.

§. 16. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directe, vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, occupant, detinent, vel hostiliter destruunt, seu inuadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumunt, in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regna Siciliæ, seu Trinacriæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, terras citra Pharum, patrimonium beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinen. Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimæ prouincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, Ciuitatesque nostras Bononiam, Ferrariam, Regium, Mutinam, Fauentiam, Imolam, Forliuium, Rauennam, Ceruiam, Cesenam, Ariminum, Beneuentum, Perusiam, Auenionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Camerinum, & alias Ciuitates, terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam spectantia, & pertinentia, & adhærentes, ac fautores, & defensores eorum, seu in his dantes auxilium, consilium vel fauorem.

Diripientes sacra Ecclesiarum vrbis.

§. 17. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Sanctarum Reliquiarum, & ornamentorum Ecclesiasticorum quorumcumque, calicum, crucum, candelabrorum, thuribulorum, vasorum argenteorum, & aureorum, vestium sacrarum ad diuinum cultum, & vsum deputatarum, ex Basilicis, & Ecclesiis, tam Vrbis quam extra illius mœnia consistentibus, & aliarum quarumcumque rerum in ipsa Vrbe tempore illius direptionis vsque in præsentem diem nequiter ablatarum, ablatores, & illorum occupatores, ac quoscumque alios ad quorum manus res ipsæ quocumque titulo, & ex quavis causa scienter peruenerint, & existant, cuiuscumque fuerint ordinis, vel præeminentiæ, conditionis, ac status, etiamsi Pontificali, Regali, Reginali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, nisi restituerint res ablatas huiusmodi eorum veris dominis si quorum notitiam habuerint, vel cum ipsis dominis desuper amicabiliter concordauerint, seu si eosdem dominos ignorauerint, nisi res ipsas ad manus personarum ad hoc per nos deputatarum consignauerint realiter, & cum effectu.

Contrariorum derogatio.

§. 18. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, & indulgentiis, ac literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, eis vel eorum alicui, vel aliquibus cuiuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint etiamsi (vt præmittitur) Pontificali, Imperiali, Regali, Reginali, seu quavis alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, à prædicta Sede, sub quavis forma, vel tenore concessis, quod excommunicari, vel anathematizari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, ac Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, & obseruantiis, scriptis, & non scriptis, & aliis contrariis quibuscumque, per quæ contra nostros processus huiusmodi, ac sententias, quo minus concludantur in eis se se iuuare valeant, vel tueri, & quæ quoad hoc penitus tollimus, & omnino reuocamus.

Absolutionis reseruatio, quæ non iuuet non desistentes à præmissis.

§. 19. Et à quibus quidem sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus absolui possit. Nec etiam tunc, nisi de stando Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mandato satisfactioni, & sufficienti cautione præstitis, etiam prætextu confessionalium, seu quarumvis facultatem verbo, literis, aut quavis alia scriptura, etiam in qua, quod sola signatura sufficeret, concessum, & quævis derogatoriarum derogatoriæ, fortiores, & efficaciores, ac insolitæ clausulæ apparerent, quibusvis personis, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status fuerint, etiamsi, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, Reginali, vel quavis alia præfulgeant dignitate, religiosis, & sæcularibus vtriusque sexus, Capitulis, Collegiis, Conuentibus, Ordinibus, etiam Mendicantium, & militiarum hospitalibus, confratriis, vniuersitatibus concessarum à nobis, vel à prædicta Sede, & quas concedi contingeret quomodolibet in futurum.

Pœna contrauenientium in absoluendo.

§. 20. Illos autem, qui contra tenorem præsentium talibus, vel eorum alicui, seu aliquibus absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint excommunicationis, & anathematis sententia innodamus, eisq; prædicationis, electionis, administrationis sacramentorum, & audiendi confessiones, officia interdicimus, prædicentes, & declarantes aperte transgressoribus, & contemptoribus prædictis non grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire cognouerimus, processuros. Et nihilominus quicquid egerint absoluendo, vel alias nullius sint roboris, vel momenti.

Forma & effectus publicationis in Vrbe.

§. 21. Vt autem huiusmodi nostri processus ad communem omnium notitiam deducantur, cartas, seu membranas processus continentes eosdem in valuis basilicarum Principis Apostolorũ, & sancti Ioannis Lateranen. ds vrbe, affigi, seu appendi faciemus quæ processus ipsos quasi sonoro præconio, & patulo iudicio publicabunt, vt ij, quos processus huiusmodi contingunt quod ad ipsos non peruenerint, aut ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætexere, seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum quod tam patenter omnibus publicatur.

Iussio hanc eandem bullam in aliis locis publicandi.

§. 22. Verum, vt præsentes literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque ciuitatibus, & locis fuerint publicata, Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus per se vel alium, seu alios, præsentes literas postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam saltem semel in anno, aut pluries, prout expedire viderint in Ecclesiis suis dum maior in eis populi multitudo ad diuina conuenerint, solemniter publicent, ad Christi fidelium mentes, deducant, nuntient & declarent.

Transumptorum fides.

§. 23. Decernentes earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Iudicis Ordinarij Romanæ Curiæ munitis,

nitis, eandem prorsus fidem, in iudicio & extra vbilibet adhibendam fore, quę ipsis præsentibus adiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, extensionis, reuocationis, innodationis, interdicti, innouationis, protestationis, declarationis, commissionis, mandati, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 2. die 13. April.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Idibus Aprilis, Pont. nostri anno secundo.

Publicatio in Vrbe.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Indictione octaua, die vero decimo tertio mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ III. Anno secundo, retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt in S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, valuis seu portis, dimissis ibidem per aliquod temporis interuallum affixis per nos Thomam Roger. & Franciscum de Grosa praelibati Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.

Petrus Corunti magister Cursorum.

XI. Approbatio secunda seu confirmatio Congregationis Capuccinorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, cum declarationibus circa munus eorum Vicarij generalis, & aliorum officialium.

Hi Fratres Capuccini, hactenus minores de vita Eremitica nuncupabantur, eorumque Congregatio à Clem. VII. approbata fuit, vt habes sup. in eius constit. 21. Religionis zelus, vbi plene dixi.

Edita An. D. 1536.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Clemens VII. Congregationem Capuccinorum approbauit: in eius const. de qua in rubr.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filij Vicarius modernus, & Fratres Ordinis Minorum Capuccinorum nuncupatorum, quod postquam fel. record. Clementi Papæ Septimo prædecessori nostro pro parte nonnullorum tunc expressorum fratrum Ordinis Minorum expositum fuerat, &c.

* Omittimus residuum, quia bullam habes in loco cit. in rubr.

Hic modo Pont. eisdem petentibus, d. constit. Clem. VII. in infrascriptis confirmat.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, literarum prædictarum vigore, nonnulli Clerici sæculares, & regulares, ac laici ab ipsis Fratribus, vt præfertur nominatis, vel vno ex eis, ac ab aliis de ipsorum commissione receptis, Congregationem Fratrum Ordinis Minorum Capuccinorum nuncupatorum constituerint, ipsique fratres cupiant literas prædictas quoad infrascripta confirmari, & extendi, & propterea nobis humiliter supplicari fecerint, vt huiusmodi eorum votis annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Eisque in omnibus suffragari decernit.

§. 2. Nos attendentes vberes fructus quos Ordo ipse Minorum in agro militantis Ecclesiæ hactenus produxit, & in posterum producturum spe firma speramus, ac dignum censentes, vt circa ea quæ ipsius Ordinis incrementum concernunt, benignos fauores impendamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, literas Clementis prædecessoris huiusmodi quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate Apostolica ex certa nostra scientia, per præsentes approbantes, & confirmantes, illas dilecto filio moderno & pro tempore existenti Vicario generali Congregationis Capuccinorum huiusmodi, ac ipsius Congregationis Fratribus, perinde ac si illæ eisdem Congregationi, & Fratribus directæ fuissent, quoad omnia, & singula in ipsis literis contenta suffragari debere decernimus.

Vicario eorundem Capituli gen. quolibet triennio cōgregādi facultatem concedit.

§. 3. Et nihilominus auctoritate, & scientia similibus per easdem præsentes, statuimus, & ordinamus, quod deinceps Vicarius generalis ipsorum Fratrum Capuccinorum, circa finem triennij, ex quo ad officium Vicariatus huiusmodi electus fuerit, vel etiam prius aut posterius iuxta præfatæ regulæ tenorem, ac ipsorum Fratrum laudabiles constitutiones, Vicarios discretos, & Custodes vocem Congregationis habentes quarumlibet Prouinciarum, & Custodiarum sibi subiectarum, in locum per ipsum Vicarium generalem deputandum, ac Capitulum conuocare possit, quorum siqui legitimo impedimento detenti ipsi Capitulo interesse non potuerint, per nuntios ab eis deputatos, vel suppletis votis eorum, iuxta ipsorum consuetudinem præsentia suppleatur.

In quo Vicarius ex Capuccinis eligatur, & electus Magistro gen. Conuentualium præsentatur.

§. 4. Qui sic congregati, omnia, & singula, quæ alij Fratres dicti Ordinis in eorum generali Capitulo, de iure vel consuetudine, & ex priuilegiis possiot, faciendi, ordinandi, & disponendi, potissime eligendi vnum Religiosum eiusdem Ordinis, & Congregationis in eorum similem Vicarium generalem facultatem habeant, & ipsius Vicarij electionem si à maiori parte eligentium celebretus, quam primum commode fieri poterit, Generali Magistro dictorum Fratrum Conuentualium nuncupatorum, sicut hactenus seruatum fuit, donec aliud desuper ordinatum à Sede Apostolica præsentent, seu præsentari faciant.

A quo confirmatur, & regimen Congregationis Capuccinorum tribuatur.

§. 5. Ipseque Generalis Magister intra triduum à præsentatione sibi facta ipsum electum Vicarium confirmare teneatur, concedendo ei, & committendo plenarie vices suas, tribuendo videlicet liberam potestatem, & auctoritatem, ac omnimodam facultatem suam, super omnes & singulos fratres eiusdem Ordinis Capuccinos nuncupatos, etiamsi alio quouis nomine nuncupentur, tam in capitibus, quam in membris, publice ac priuatim visitandi Congregationes in Prouinciis, & Custodiis omnibus eis subiectis, siue pro electione Vicariorum, Discretorum, Custodum, & Guardianorum, siue pro aliis vtilibus negotiis, faciendi, seu fieri faciendi, noua loca, Conuentus, seu Eremitoria recipiendi, Fratres subditos corrigendi, & puniendi, excommunicandi, & absoluendi, & incarcerandi, & à carceribus liberandi, contradictores ac rebelles per censuras ecclesiasticas, & alia iuris, ac dicti Ordinis remedia, etiam per inuocationem brachij sæcularis, vel Ecclesiastici, si opus fuerit, compescendi, ac generaliter, specialiterque omnia & singula circa fratres, conuentus, domos, loca, & Eremitoria huiusmodi faciendi, exercendi, & disponendi, ordinandi, administrandi, ac statuendi, quæ Generalis Magister dicti Ordinis circa Fratres, Conuentus, domos, loca, & Eremitoria Fratrum Conuentualium nuncupatorum facere posset, si personaliter adesset, vel interesset, ac easdem auctoritatem, potestatem, gratiam, & facultates per ipsum Magistrum generalem eidem Vicario generali concessas, vel earum partem, aliis fratribus quos ad hæc iudicauerit idoneos committendi, & concedendi, necnon per ipsos prædicti Vicarij Commissarios committi, & concedi faciendi, & triduo elapso, & electo non confirmato, idem electus pro confirmato Sedis Apostolicæ auctoritate cum plenaria potestate huiusmodi, vsque ad successoris electionem habeatur, & infra hoc tempus officio suo, sine scitu omnium Vicariorum, & Discretorum Prouincialium, aut maioris eorundem renuntiare nequeat. Possit tamen conuocare omnes Vicarios, & discretos sibi subiectos infra tempus officij sui in loco per ipsum deputando, quoties sibi opus visum fuerit.

Eoque Vicario deficiēte, Vicarius Prouinciæ agat de conuocādo Capitulo quod alterius electione, & interim primus Definitor exerceat officium Vicariatus.

§. 6. Si verò generalis Vicarius infra officij sui tempus ex hac luce migrauerit, seu alias ab officio amotus fuerit, Vicarius in cuius Prouincia mori, vel amoueri contigerit, quamcitius poterit omnibus Definitoribus Capituli generalis immediate præcedentis, & omnibus Vicariis prouincialibus ac de consilio, atque consensu duorum Vicariorum proximorum, determinet locum, & tempus, nisi fuissent per generale Capitolum, vel per prædictum Vicarium ante obitum ipsius, ac amotionem

tionem deputata, & conuocet qui fuerint euocandi pro successoris Vicarij electione celebranda, quo vacationis tempore, auctoritate Sedis prædictæ exerceat officium Vicariatus huiusmodi primus Definitorum prædictorum, vel ipso deficiente, secundus, & sic de aliis successiue, cum plenaria potestate præmissa.

Et hoc idem seruetur deficientibus Vicarijs prouincialibus.

§. 7. Et hoc idem censeatur de Vicariis Prouincialibus cum eis mori vel amoueri contigerit, ac Prouincias regi, & gubernari, per primum ac alios Definitores successiue Capituli prouincialis immediate præcedentis, prout supra de Vicario generali statutum extitit, salua semper & reseruata prædicti Vicarij generalis, vt præmittitur potestate.

Magister generalis Ordinis Minorum tantummodo Capuccinos visitare & corrigere possit.

§. 8. Generalis vero tam Magister prædictus, quam Minister Ordinis Minorum huiusmodi, aut quisquam Ministrorum seu Magistrorum Prouincialium, seu aliorum Fratrum dicti Ordinis, tam conuentualium quam de familia, siue de Obseruantia nuncupatorum, donec aliter per Sedem Apostolicam ordinatum fuerit, prædicto Vicario generali, seu cæteris Vicariis, vel cuipiam fratri eiusdem Congregationem de Capuccinis nuncupatæ, molestiam seu impedimentum aliquod inferre non audeat, nec præsumat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, priuationis officij, omniumque actuum legitimorum, nisi quod præfatus Magister generalis, donec aliter per dictam Sedem ordinatum fuerit, per se dumtaxat personaliter, visitare, & corrigere possit, & valeat, prædictum Vicarium generalem, seu Fratres domum, locum, & Eremitorium eorundem Fratrum Capuccinorum nuncupatorum, pie benigne, & charitatiue ad meliorem frugem, prouocando. Etsi quemquam, quod absit, reperetit criminosum, ipsum Vicarium, de consilio & assensu maioris partis Vicariorum præmissorum, cæteros vero de consilio, & assensu maioris & sanioris partis Fratrum, domus, Eremitorij, loci, vel Conuentus Visitatorum in eodem loco, & non extra, corrigere valeat & punire, pœnitentiare, ac emendare, secundum quod delicti qualitas exegerit faciendum. De regimine vero ac cura prædictorum Fratrum Capuccinorum nuncupatorum se aliter non intromittat.

Habitus Capuccinorū cæteris alius prohibetur. Imo prohibitus est etiam habitus consimilis vt infra in const. 31. Gr. XIV. Beati.

§. 9. Districtius inhibentes quibuscumque personis cuiuscumque conditionis existant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso incurrenda, ne habitum per eos deferri solitum, nisi sub præfati Vicarij generalis pro tempore existentis obedientia, & cura permaneant, gestare quoquo modo præsumant.

Declaratio circa obedientiā Ministris & Vicarijs præstandam.

§. 10. Insuper vestigiis piæ memoriæ Pij Papæ Secundi etiam prædecessoris nostri in hac parte inhærendo, qui alias ex certis causis auctoritate Apostolica ex certa scientia, in fauorem Familiæ de Obseruantia interpretatus est, ac declarauit, quod cum Apostolica Sedes Generalem totius Ordinis Minorum, Ministrum generalem, & prouinciales Vicarios Ministrorum loco, certis, piis, ac sanctis respectibus esse voluisset ac decreuisset, Vicarij ipsi qui illis præessent, & quibus ipsi ex debito eorum professionis obediebant, veri, & indubitati ipsorum Ministri, cum tales B. Franciscus dicti Ordinis institutor eos esse intellexisset, quoad vsque præfata Sedes, in cuius arbitrio consistebat, aliud alio respectu ordinare statuisset, essent, ac perpetuo forent, differentes à prædictis Ministris solo nomine, eosque qui dictis Vicariis obedirent, secundum dictæ Sedis determinationem eorum regulæ, & præcipue in ea parte vbi erat (Præcipio firmiter fratribus vniuersis, vt obediant suis Ministris) plene, & integre satisfacere, auctoritate ac scientia prædictis, declaramus, & decernimus, quod donec aliter super præmissis per præfatam Sedem ordinatum fuerit, fratres Capuccini prædicti eorum Vicariis, prout de Vicariis familiæ per dictum Pium prædecessorem, vt præfertur, statutum fuerat, obediendo, plene ac integre præfatæ regulæ satisfaciant.

Executorum huius constit. deputatio.

§. 11. Quocirca vniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, necnō dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, ac aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Vicariorum, & fratrum Capuccinorum prædictorum, siue alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, præsentes literas, ac in eis contenta huiusmodi firmiter obseruare, ac singulos, quos præsentes concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper, per quoscumque, contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, inquietari, seu perturbari, contradictores quoslibet, ac rebelles, per censuram Ecclesiasticam, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariorum derogatio.

§. 12. Non obstantibus præmissis, ac recolendæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui similiter prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, ac aliis Apostolicis constitutionibus, necnon quibusvis priuilegiis ac indultis Apostolicis, sub quibusvis tenoribus ac formis, cum quibusvis clausulis, & decretis, quæ aduersus præmissa nullatenus suffragari volumus, cæterisque contrariis quibuscumque, Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§. 13. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Canonici alicuius Cathedralis Ecclesiæ munitis, eadem fides, in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 2. die 25. Aug.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo sexto, octauo Kalend. Septembris, Pont. nostri anno 2.

XII.

Confirmatio, & noua concessio priuilegiorum, & gratiarum, Auditorum Rotæ Romanæ.

Ad hæc vide notata supra ad constitut. 13. Clem. VII. Conuenit.

Edita An. D. 1537.

PAVLVS EPISCOPVS &c.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis consueta benignitas, ea quæ per prædecessores suos, præsertim personarum, sibi & Apostolicæ Sedi continuos labores impendentium, commodum, ac vtilitatem concernentia concessa sunt, vt firma perpetuo & illibata persistant, libenter approbat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Pontifices multas grat. ac Auditoribus largiti sunt.

§. 1. Dudum siquidem fel. recordat. Iulius Secundus, Leo Decimus, & Clemens Septimus Romani Pontifices prædecessores nostri, dilectis filiis causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac eorum Locumtenentibus, tunc, & pro tempore existentibus, & eorum Collegio diuersa priuilegia, concessiones, exemptiones, antelationes, prærogatiuas, facultates, gratias, & indulta tunc expresse gratiose concesserunt, & approbarunt.

Quas hic Pontif. confirmat.

§. 2. Nos dignum quin potius debitum censentes dictos Auditores, & Locatenentes, qui pro publica vtilitate quotidie & incessanter inuigilant, & in iustitia personis ad Sedem ipsam ex omnibus mundi partibus confluentibus ministranda, immensos labores sustinent, pro eorundem laborum remuneratione illorum exigentibus meritis, & vt commodius se alere, ac sustentare valeant, non minoribus gratiis ac prærogatiuis, quam à dictis prædecessoribus nostris reportarunt, eos prosequi volumus, Motu proprio, non ad ipsorum Auditorum, seu Locatenentium, vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ac ex certa nostra scientia; omnia & singula priuilegia, exemptiones, antelationes, prærogatiuas, concessiones, gratias, facultates, literas ac indulta huiusmodi, per dictos, & alios nostros prædecessores eisdem Auditoribus, &

& Locatenentibus, ac eorum singulis, in genere vel in specie concessa quæcumq; quorumcumq; & qualiacumque sint ac cuiuscumque tenoris, & continentiæ existant, quorum omnium formas, & tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, cum omnibus, & singulis derogationibus, decretis, & clausulis in eis contentis, in omnibus, & per omnia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & innouamus, illaque sibi & eorum cuilibet, & prout dicti ac alij prædecessores concesserunt, de nouo pro potiori cautela concedimus & indulgemus.

Priuilegia Referendarijs Apostolicis concessa, & concedenda, eisdem Aud. communicat. Quæ priuilegia Referend. habes infr. in const. 23. Debita, vbi notabis.

§. 3. Ac priuilegia & gratias dilectis filiis Referendariis nostris, seu eorum Collegio concessa, ac in posterum concedenda, illa pro sufficienter expressis habentes, cum eisdem Auditoribus, & Locatenentibus, ac eorum Collegio, auctoritate, & tenore præmissis communicamus, seu illa de nouo eis concedimus, ac præsentes literas, & in eis contenta quæcumque sub quibusuis suspensionibus, derogationibus, ac reuocationibus in contrarium factis, & faciendis minime comprehendi, neque illis derogari posse, nisi eorundem Auditorum, ac Locatenentium ad id expressus accesserit assensus, ac irritum & inane, quicquid super iis à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Executores deputat.

§. 4. Quocirca pro tempore existentibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac in Vrbe in spiritualibus Vicario, per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se vel alium, seu alios præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Auditorum Locatenentium, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, eos & eorum quemlibet confirmatione, innouatione, concessione, indulto, communicatione, & decreto, ac aliis præmissis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, ac alia iuris remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, editis ac edendis, etiam perpetuis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, gratiis, ac concessionibus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem eandem sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam iteratis vicibus quibuscumque, quocumque nomine nuncupentur, & dignitate seu maioritate præfulgeant, in genere vel in specie, & seu eorum Collegiis concessis, approbatis & innouatis, ac in posterum concedendis, approbandis, & innouandis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut exquisita forma seruanda foret, ac in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, illorumque omnium tenores pro sufficienter expressis, ac insertis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie, motu ac scientia similibus derogamus, necnon omnibus illis quæ in literis eisdem Auditoribus, & Locatenentibus, seu eorum Collegio concessa voluerunt dicti prædecessores non obstare, quæ pro repetitis habeantur, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis fidem tribuit.

§. 6. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula loca, in quibus de eisdem fides forsan facienda esset deferri, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 15. Aug.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimaseptima Augusti, millesimo quingentesimo trigesimo, septimo Pont. nostri anno tertio.

Sequitur concessio exemptionis à gabella vini.

PAVLVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Edita A. D.

Causa concessionis.

ATtendentes continuos labores, quos dilecti filij causarum Palatij Apostolici Auditores, & eorum Locatenentes, pro administranda iustitia personis ad Sedem Apostolicam ex omnibus mundi partibus confluentibus, ac in causis coram eis pro tempore vertentibus iugiter perferunt, ac propterea dignum reputamus, vt illis gratiosos fauores, & opportuna commoditatis auxilia impendamus.

Exemptio Aud. à gabella vini.

§. 1. Volentes igitur eos specialibus fauoribus, & gratiis prosequi motu proprio, & ex certa scientia nostra eisdem Auditoribus, & Locatenentibus quos sicut accepimus fel. record. Clemens Papa Septimus prædecessor noster inter alia priuilegia illis concessa à solutione & exactione quarumcumque gabellarum, & onerum liberauit ac exemit, vt priuilegij huiusmodi plenarium consequantur effectum, quod ipsi, & eorum quilibet, ad nostrum & Apostolicæ Sedis beneplacitum, singulis annis pro eorum vsu, & victu quindecim vegetes cuiuscumque qualitatis vini quandocumque illis placuerit, absque alicuius dohanæ seu gabellæ, ac aliorum onerum solutione, ex Ripa, seu aliunde percipere ac habere, libere, & licite, valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de speciali gratia indulgemus, ac licentiam, & facultatem concedimus,

Prohibiti contra officiales qui eos desuper molestarent.

§. 2. Mandantes nihilominus modernis, ac pro tempore existentibus Camerario nostro, ac domus nostræ Magistro, ac Clericis Cameræ Apostolicæ, & dohaneriis, omnibusque & singulis dohanæ nostræ officialibus, ac aliis ad quos quomodolibet spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam si contrafecerint illos eo ipso incurrere volumus, quatenus de cætero in perpetuum, singulis Auditoribus ac Locatenentibus prædictis quolibet anno quindecim vegetes vini huiusmodi, absque aliqua gabellæ seu dohanæ, ac onerum solutione, & gratis quandocumque ab eisdem Auditoribus, seu eorum aliquo requisiti fuerint, tradant ac tradi faciant, nec ab eis aliquid præmissorum occasione exigant, seu exigere præsumant, ac illis & eorum cuilibet quoties opportunum fuerit mandata ad id necessaria expediant, ac expediri faciant. omnimora & exceptione cessantibus, ac per eos ad quos spectat, sub pœnis etiam pecuniariis eorum arbitrio imponendis obseruari faciant.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac locationibus, etiam Apostolica auctoritate factis ac faciendis, statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Camerario, Magistro, Dohaneriis, & officialibus, & dohanæ huiusmodi, ac quibusuis aliis locis, ac personis cuiuscumque conditionis, gradus, &c. existentibus, etiam motu simili, ac alias sub quibusuis tenoribus & formis, &c. concessis, & concedendis, quibus latissime extendens motu simili derogamus cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Sola signatura sufficit.

§. 4. Volumus autem quod præsentium sola signatura sufficiat, & vbique, tam in iudicio quam extra, fidem faciat regula contraria non obstante.

Placet, & ita motu proprio mandamus.

Papa subsc.

XIII.

Vxores non possint ab eorum maritis cautiones de non offendendo petere, aut alia de causa cum eis in Vrbe litigare, nisi prius in Monasterio, aut alio honesto loco ponantur.

Pœnas autem mulieribus, ex loco sibi assignato aufugientibus, inhonestéque viuentibus imposuit Six. V. vt inf. in eius const. 46. Ad compescendam.

PAVLVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Edita A. D.

Causa huius constitut.

CVm sicut accepimus, diuersæ mulieres coniugatæ, Almæ Vrbis seu in ea commorantes, tam Romanæ quam

quam forenses, forsan attrectantes vitam ad earum libitum inhonestam ducere, vbi se ab earum maritis super earum inhonesta vita, aut prauis moribus argui vident, eos à quibus se amari sciunt, maritis suis in fideiussores quod ipsæ eos non offendent, nec offendi facient, pro diuersis pecuniarum summis etiam excessiuis iudicialiter, aut alias similem cautionem ab eisdem maritis suis exigant: & illis eam quandoque præstare nequeuntibus illos carceribus mancipari, & quandoque ad triremes delegari procurent, & faciant, vel si earum mariti prædicti cautionem huiusmodi eis præstent, illius clypeo fretæ, vitam ad earum libitum inhonestam ducant, in diuinæ maiestatis offensam, ac scandalum plurimorum.

Sāctio de qua in rub. §. 1. Nos volentes ex debito nostri officij pastoralis præmissis occurrere, Motu simili modernis, & pro tempore existentibus Almæ Vrbis prædictæ Gubernatoris, ac Senatori, & curiæ causarū Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac quibusvis aliis Romanæ Curiæ officialibus seu iudicibus vel marescallis, quacumque auctoritate etiam sæculari fungentibus, districtius inhibemus, ne de cætero ad cuiusvis mulieris coniugatæ instantiam eius virum ad fideiubendum, & sibi sub aliqua quantumvis modica pecuniarum summa de eam non offendendo, nec offendi, faciendi, cauendum cogere, aut monere, seu ipsam mulierem coniugatam ad quovis modo cum viro suo quavis occasione litigandum admittere præsumant, nisi ipsa mulier in loco honesto, aut apud mulierem honestam, bonæ conditionis, & famæ, aut in domo sanctæ Marthæ de Vrbe, in qua quælibet mulieres coniugatæ, seu ob earum malam vitam & violatum horum offendi timentes recipiuntur, & donec cum earum maritis reconcilientur, charitatiue tractantur, & sustentantur, cum effectu habitauerit, & vixerit. Nos enim ex nūc omnes, & singulas cautiones, & fideiussiones per maritos vxoribus suis alibi quam in loco honesto, & apud mulierem honestam, seu in dicta domo S. Marthæ habitantibus hactenus præstitas, vnica tamen præcedente monitione, & in posterum præstandas, nullas, irritas, & inanes, nulliusque roboris vel momenti fore, & illarum etiamsi iuramento vallatæ sint, executionem fieri non posse, ac dictos maritos, si qui in exilium relegati, vel ad triremes transmissi propter præmissa fuerint, dictos triremes exire, & ad Vrbem libere redire posse, ac irritum &c. decernimus.

Vicarius Papæ executor deputatur. §. 2. Mandantes venerabili fratri Philippo Episcopo Salutiarum, moderno ac pro tempore existenti nostro in eadem Vrbe, eiusque districtu, in spiritualibus Vicario generali, quatenus inhibitionem, & decretum nostrum huiusmodi perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari faciat cum effectu, contradictores quoslibet, & rebelles, ac si in præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac alias opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac stylo Palatij, & curiarum Gubernatoris, Senatus, & Auditoris Cameræ huiusmodi, necnon earundem curiarum, etiam iuramento, &c. roboratis statutis, ac consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis.

Sola signatura sufficit. §. 4. Et præsentium, etiam absque eo quod registrentur, aut illius data apponatur, solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere, in iudicio, & extra, regula contraria non obstantibus, decernentibus.

Papa subsc. Placet, & ita mandamus. A.

XIV. Declaratio, & ampliatio facultatum Collegij Scriptorum Archiuij Romanæ Curiæ, in legitimandis Bastardis.

Hoc indultum confirmauit Pius. V. in sua const. 87. Pridem, & istud Collegium erexit Iul. II. in sua const. 15. Sicut, sup. vbi notaui.

PAVLVS EPISCOPVS, *Edita An.D. 1527.*
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis prouidentia circumspecta nonnunquam per eius prædecessores gesta, cum super illis dubia oriuntur, ne aliqui propterea litibus indebitis fatigentur, dilucidat, & declarat, prout conuenit, & rei qualitate inspecta conspicit in domino salubriter expedire. *Exordium.*

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Collegij Scriptorum Archiuij Romanæ Curiæ nobis nuper exhibitæ petitio continebat, quod licet dudum fel. rec. Iulius Papa II. prædecessor noster in institutione Collegij prædicti per eum erecti, inter alia eidem Collegio, seu illius Correctoribus, & Officialibus quoscumque Bastardos, Manseres, & Nothos, sine tamen præiudicio venientium ab intestato, legitimandi facultatem concesserit, ac Collegium, seu Correctores, & Scriptores præfati facultates huiusmodi vigore certas formas super huiusmodi legitimationibus faciendis ordinauerint. *Iulius II erexit istud Collegiū, & concessit facultatem legitimandi bastardos.*

§. 2. Et tam tempore ipsius Iulij, quam etiam piæ memoriæ Leonis Decimi, Adriani Sexti, & Clementis Septimi Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, ac nostri Pontificatuum temporibus facultatem huiusmodi continuantes, quamplures Bastardos, Manseres, & Nothos ex quocumque coitu procreatos, etiam stantibus legitimis, absque tamen præiudicio venientium ab intestato; iuxta dictas formas diuersimode legitimauerint, ac in possessione, seu quasi legitimandi huiusmodi pacifice, & dictæ formæ per ipsos obseruatæ hactenus fuerint, ac legitimatione per eos hactenus factæ impugnatæ non extiterint, neque de illarum validitate ab aliquibus hactenus hæsitatum fuerit. *Et multi fuerunt legitimati.*

§. 3. Nihilominus in præsentiarum à nonnullis de viribus legitimationum per ipsum Collegium de illegitimo consensu patrum legitimorum, stantibus filiis legitimis, & naturalibus, iuxta formam per ipsos traditam factarum hæsitatur, & asseritur, facultatem Collegij huiusmodi ad casum in quem pater illegitimi filios legitimos ac naturales haberet, se non extendere, cum hoc ipsa facultate specialiter expressum non reperiatur, ac solum Bastardos, Manseres, & Nothos, cum illa clausula, sine præiudicio venientium ab intestato, comprehensos esse. Quare pro parte præfatorum Collegij nobis fuit humiliter supplicatum, vt super iis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. *Dubium de quo hic excitatum fuit.*

§. 4. Nos igitur huiusmodi ambiguitatis dubium submouere, ac tam per ipsos Collegium dictæ facultatis vigore, in posterum legitimandorum, quam etiam ipsorum Collegij, quorum interpretatione formæ prædictæ traditæ fuerunt, & iuxta illas illegitimationes huiusmodi processerunt, indemnitati prouidere, ac dispendiis, necnon diuersis litibus, & forsan scandalis, quæ exinde oriri, ac subsequi possent, obuiare, necnon Status, tam Vrbis quam Romanæ Ecclesiæ, in qua legitimationes ipsæ concedentur, quieti consulere, necnon formarum, & legitimationum huiusmodi tenores præsentibus pro expressis habere volentes, ipsasque legitimationum formas, vt præfertur, traditas approbantes, confirmantes, ac innouantes huiusmodi supplicationibus inclinati, præfatos Collegium facultatis prædictæ vigore, quoscumque illegitimos, ex quocumque illicito ac damnato coitu procreatos, etiamsi eorum genitores filios legitimos, & naturales haberent, absque tamen præiudicio venientium ab intestato, legitimare posse, & legitimationes, per eos in posterum faciendas, etiam stantibus legitimis, validas, & efficaces fore suosque effectus sortiri, ac firmiter obseruari debere, & illis quibus fieri contigerit, suffragari, ac eos qui legitimati pro tempore fuerint, iuxta huiusmodi legitimationes succedere posse. *Hic idē Pontif. illud renouat.*

§. 5. Sicque in præmissis omnibus, ac singulis per quoscumque etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi, facultate, & auctoritate, iudicari, ac definiri debere, necnon quicquid secus super iis, à quoquam quavis *Et ita iudicari debere decernit.*

auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, & decernimus, ac pro potiori cautela facultatem prædictam ad hoc extendimus, & ampliamus.

Quibuscumque non obstans. §. 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, ac ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ præfatus Iulius prædecessor in litteris erectionis Collegij huiusmodi voluit non obstare, & quæ præsentibus pro repetitis haberi volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 4. die 31. Octob. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, pridie Kal. Nouemb. Pont. nostri Anno 4.

XV. Priuilegium centenariæ præscriptionis, & aliæ gratiæ, Congregationis Cassinensis, alias S. Iustinæ Monachorum, Ordinis S. Benedicti.

Cetera quæ hanc tangunt Congregationem, vide sup. in Iul. II. const. 1. Super Cathedram, vbi plene notaui.

Edita A. D. 1537. *PAVLVS EPISCOPVS,*
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Benignitas Sedis Apostolicæ consueta, ea quæ per Romanos Pontifices pro Religionis conseruatione, & augmento, ac Monasteriorum, & aliorum piorum locorum, necnon personarum deuotarum in eis sub regularis disciplinæ obseruantia Domino militantium, prospero, ac tranquillo statu, & salubri directione prouide concessa, ac etiam approbata, & innouata competit, vt eo firmius illibata persistant quo frequentiori suo fuerint præsidio pro tempore stabilita, libenter approbat, innouat, eisque vberioris Apostolici muniminis robur adijcit, ac de nouo concedit, & alias pro eorum obseruatione prouidet, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Plerique Pontifices Congregationi Cassinensi multas gratias elargiti sunt. §. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Modernorum Præsidentis, & Definitorum Capituli Congregationis, Cassin. alias S. Iustinæ de Padua Monachorum Ordinis S. Benedicti Regularis Obseruantiæ necnon ipsius Congregationis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum pro diuini cultus augmento, & Religionis propagatione, ac Regularis obseruantiæ conseruatione, Congregationi prædictæ, ac illius Præsidentibus, Definitoribus, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Monachis, Conuersis, Nouitiis, eorumque Capellanis, familiaribus, ac seruitoribus, necnon Monasteriis, Prioratibus, ac locis etiam vnitis, Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, membris, ac bonis pro tempore existentibus, quamplura, & diuersa priuilegia, immunitates, exemptiones, tam ab Ordinariorum iurisdictione, quam etiam ab omni impositione, exactione, collecta, decima, subsidio, & alio quocumque grauamine, quocumque nomine censerentur, per Romanos Pontifices pro tempore existentes, etiam pro tempore imponenda, necnon à quocumque onere, occasione Legatorum, subdelegatorum, Nuntiorum Apostolicorum, Ordinariorum, Diœcesanorum, seu alterius cuiuscumque, etiam Apostolica auctoritate imponen. ac charitatiui, & alterius cuiuscumque subsidij impositionis, collectæ, vel alterius cuiuscumque exactionis, ac oneris, personalis, & realis, vel mixti, annatarumque etiam ratione Monasteriorum, & aliorum beneficiorum, etiam vnitorum solutione, ac ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus ratione visitationis, vel subiectionis quorumcumque iure debendi quibuscumque Oratoriis, ac personis libertates prærogatiuæ, fauores, Conseruatoriæ declarationes, facultates, gratiæ, indulta spiritualia, & temporalia, tam per felicis recordationis Vrbanum Secundum, Eugenium Quartum, Alexandrũ Quintum, Martinum etiam Quintum, Nicolaum similiter Quintum, Callistum Tertium, Pium Secundum, Innocentium Octauum, Alexandrum Sextum, Iulium Secundum, Leonem Decimum, ac alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, necnon Imperatores, & Romanos Reges, ac alios sæculares Principes, etiam circa celebrationem Capituli, & electionem Prælatorum, ac conseruationem eiusdem Congregationis, ac illius Personarum salubrem directionem concessa, ac per nonnullos ex ipsis prædecessoribus, ac demum per similis memoriæ Clementem Papam VII. etiam prædecessorem nostrum approbata, & innouata extiterunt.

§. 2. Et inter alia Vrbanus, tunc & pro tempore existenti Abbati, ac dilectis filiis Conuentui Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Cassinen. Ordinis, & Congregationis eorundem, vt tunc pro tempore existens Abbas per terras sui Monasterij, habitas, & habendas, Ecclesias construere, & cum Cruce signare, ac alia Pontificalia, & spiritualia (sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & altarium, ac chrismatis consecratione, dumtaxat exceptis) exercere posset. *Vrb. II. concessit Abbati facultatẽ alia Monasteria ædificandi & Pontificalia (quibusdam exceptis) exercendi.*

§. 3. Necnon vt de iis, quæ à Catholicis Christianis eidem Monasterio Sanctissimæ Trinitatis, tam inter viuos, quam in vltima voluntate, vbicumque donata, vel legata forent, nulli Episcoporum Diœcesanorum licitum esset quartam, vel tertiam partem in ipsis legatis, seu donatis, tam in stabilibus, quam in mobilibus, etiam prætextu cuiuscumque consuetudinis exigere, concessit. *Pia legata Congregationis ab omni solutione exemit.*

§. 4. Et si processu temporis per quoscumque contra prædictorum, ac aliorum priuilegiorum per ipsum Vrbanum dicto Monasterio Sanctissimæ Trinitatis concessorum tenorem, per aliquos attentatum foret, illud, & tunc viribus vacuatum, ac præscriptionem longi temporis non currere decreuit, ac quicumque dictum Monasterium Sanctissimæ Trinitatis in suis iuribus, possessionibus, & libertatibus læderent, aut etiam perturbarent, liceret dicto Abbati, & suis successoribus, illos cuiuscumque præeminentiæ, siue status forent, auctoritate Apostolica canonica monitione præmissa, excommunicare, ac excommunicatos fore denunciare, à qua excommunicatione absolui non possent nisi digne satisfacerent, etiam quocumque priuilegio illis, quo excommunicari vel interdici non possint forsan concesso non obstante, nisi de indulto huiuscemodi, plenam ac expressam facerent mentionem, indulsit. *Perturbatores excommunicari decreuit.*

§. 5. Necnon Eugenius Abbati pro tempore existenti Monasterij sancti Pauli extra muros Vrbis eorundem Ordinis, & Congregationis, vt cum Mithra, & annulo, Sandaliis, Tunica, Dalmatica Missarum solemnia celebrare, & astanti Clero, & Populo benedicere. Ac idem Abbas, ac dilecti filij Conuentus ipsius Monasterij sancti Pauli Consecrationes Altarium, & Ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines forent promouendi à quocumque mallent Catholico Antistite Apostolica auctoritate freti suscipere, quas sine difficultate, ac prauitate exhiberi præcepit. Ipseque Abbas dummodo Presbyter esset, Minores Ordines huiusmodi Monachis suis ea Apostolica Indulgentia cum necesse foret exhibere posset, necnon eidem Abbati, etiam indumenta quæ ad vsum altaris, & in eodem Monasterio forent necessaria, benedicendi facultatem concessit. *Eugen. IV. Abbati Sancti Pauli extra muros Vrbis concessit, posse cum mitra celebrare & minores Ordines Monachis conferre.*

§. 6. Ac statuit & sanciuit, vt sicut contra Romanam Ecclesiam nonnisi centenariam secundum constitutiones canonicas, & legitimas sanctiones currebat præscriptio, ita præfato Monasterio S. Pauli minoris temporis præscriptio non obsisteret. *Centenariaque præscriptione gaudere iussit.*

§. 7. Et demum Alexander prædecessor præfatus Motu proprio, voluit, & declarauit, quicquid dubij huiusmodi priuilegiis, seu aliquo eorum pro tempore emergeret, data verborum ambiguitate, & varia peritorum interpretatione in fauorem dictæ Congregationis ac locorum particularium eius interpretari. *Alexand. VI. Priuilegia prædicta decreuit in dubijs interpretã. esse ad fauorem Congreg.*

§. 8. Necnon cuiusvis particularis Monasterij ipsius Congregationis priuilegia, toti Congregationi prædictæ & illius particularibus Monasteriis cõmunia esse, & ad illa extẽsa, ac extendi debere decreuit, prout etiã extendit. *Indulta quoque Monasterij cæteris esse communia.*

§. 9. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, Præsidens, & Definitores, ac Congregatio præfati, cupiant singula priuilegia, & indulta prædicta, vt vberiorem obtineant roboris firmitatem, etiam nostri muniminis præsidio fulciri, pro parte eorundem Præsidentis, *Congregatio supplicat Pontifici pro dictorum indultorum confirmatione.*

& Definitorum, ac Congregationis nobis fuit humiliter supplicatum, vt priuilegiis, & indultis prædictis robur nostræ approbationis adiicere, ac alias in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic idem Pontifex illa approbat.

§. 10. Nos igitur attendentes vberes fructus quos dictæ Congregationis Monachi, qui tanquam mortui mundo, soli CHRISTO qui est vita viuentes pro vniuersali Ecclesia ad Deum preces in militanti Ecclesia in dies producunt, ac præsidentem, & Definitores necnon Congregationem præfatos, & eorum singulos, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruatorias, declarationes, facultates, gratias, concessiones, indulgentias, indulta, spiritualia, & temporalia, Congregationi, & illius Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Monachis, Nouitiis, Conuersis, Personis, Capellanis, familiaribus, seruitoribus, & locis etiam vnitis, necnon Ecclesiis, Capellis, membris, & bonis, pro tempore existentibus, in genere, & in specie, tam per prædictos, & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem prædictam, quam per Imperatores, Reges & Principes, etiam particularibus Monasteriis, etiam ampliatiue vel extensiue, aut alias sub quacumque forma, & verborum expressione, communiter vel diuisim, concessa, & approbata, ac cum omnibus, & singulis decretis, & clausulis in eis contentis desuper confectas literas, & in eis contenta, & inde secuta quæcumque, quorum omnium tenores formas, datas, & effectus, ac decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, ac perpetua roboris firmitate subsistere, & firmiter obseruari, necnon Congregationi huiusmodi, & illius personis suffragari debere decernimus. Supplentes omnes, & singulos, tam iuris, quam facti defectus, si qui forsan in Imperatorum, Regum, & Principum, concessionibus huiusmodi interuenerint.

Iteratoque concedit.

§. 11. Et nihilominus pro potiori cautela, ea, omnia, & singula, prout per dictos prædecessores, ac Imperatores, Reges & Principes, etiam, vt præfertur, concessa fuerunt, de nouo, in omnibus, & per omnia, ita quod Congregatio, ac Præsidētes, Definitores, Visitatores Abbates, Priores, Rectores, Monachi, & alij supradicti, ac Monasteria, & loca prædicta, omnibus illis, tam in genere quam in specie concessis, vti, potiri, & gaudere possint & debeant, & ab impositionibus, decimis, collectis, subsidiis, & oneribus, ac omnibus aliis, & singulis supradictis, etiam ratione Apostolicæ Sedis Legatorum, etiam de latere, etiam dicta auctoritate Apostolica pro tempore imponendis liberi, immunes, & exempti existant, nec ad illorum solutionem, seu contributionem cogi, aut desuper molestati, vel inquietati possint seu debeant, auctoritate & tenore prædictis, de nouo concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus.

Inhibitio in omnes perturbatores.

§. 12. Districtius inhibentes quibusvis personis cuiuscumque Ecclesiasticæ, etiam Pontificalis, vel sæcularis dignitatis, præeminentiæ, vel auctoritatis existentibus, ne Congregationem, ac illius Præsidentes Definitores, Visitatores, Abbates, Priores, Rectores, Monachos, & alios præfatos super huiusmodi priuilegiis, & indultis, aut illorum vsu, possessione, seu quasi per se vel alium seu alios, directè vel indirectè, quovis quæsito colore vel ingenio, impedire, molestare, vel perturbare quoquo modo præsumant, ac eis præcipiendo mandantes, vt Congregationem, Præsidentes, Definitores, Visitatores, Abbates, Priores, Rectores, Monachos, & alios prædictos, illis omnibus pacifice, & quiete, frui, vti, potiri, & gaudere permittant.

Clausula huius concessionis preseruatiua.

§. 13. Necnon decernentes, eisdem priuilegiis, indultis, ac præsentibus literis, & in eis contentis clausulis quibuscumque, etiam per quascumque literas Apostolicas, etiam quasvis, generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaces & insolitas clausulas, ac irritantia decreta, sub quacumque verborum conceptione in se continentia nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi de illarum, ac præsentium literarum totis tenoribus de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac specifica, specialis, & expressa mentio facta fuerit, ac huiusmodi derogationes per tres distinctas literas eundum tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus pro tempore existentibus Præsidenti, Definitoribus, & Visitatoribus præfatis legitime intimatæ, & insinuatæ fuerint, ac ipsorum Præsidentis, Definitorum, & Visitatorum, ad id expressus accedat assensus, & aliter factæ derogationes nemini suffragari. Et sic in præmissis omnibus per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus, super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula contrariorum derogatoria.

§. 14. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ per singulos prædecessores prædictos in singulis literis prædictis concessum fuit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

D. P. A. 6. die 5 Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, Non. Nouembris, Pontificatus nostri Anno quarto.

Iurisdictio, & facultates Vincentij Cardinalis Neapolitani nuncupati, in Alma Vrbe Legati de latere deputati, ob discessum Pontificis, versus ciuitatem Placentiæ. XVI.

Huiusmodi legationum bullas, quarum magnus est numerus, superuacuas arbitratus sum, & ideo hanc solummodo, & alteram de antiquioribus, nempe Innoc. VI. const. 1. Cum onus sup. Et aliam de recentioribus Clem. VIII. Licet, n. 53. Vt concessionem iurisdictionum, tempore variari dignoscatur.

Edita An. D. 1538.

PAVLVS EPISCOPVS, &c. Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Vincentio tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbytero, Cardinali Neapolitano nuncupato, in Vrbe, eiusque territorio, & districtu nostro, & Apost. Sedis Legato, Sal. & Apost. bened.

Pontifex decreuit Placentiam se conferre.

Licet potestatis plenitudo desuper nobis commissa sit, & vniuersi gregis dominici diuina disponente clementia, curam habeamus, finem tamen humanæ possibilitatis excedere non valentes, considerantesque quod circa singula per nosmetipsos Apostolicæ seruituris debitum absoluere non possumus, nonnunquam aliquos, & præcipue Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in sollicitudinis partem assumimus, vt ipsis vices nostras supplentibus, ministerium nobis desuper commissum fauente pietate superna, facilius & salubrius exequamur. Et quamvis ad cunctorum Christi fidelium prouincias, ciuitates, & loca paternum studium, & diligentiam adhibeamus, ad Almam Vrbem tamen nostram aciem nostræ considerationis paternis affectibus dirigentes, illam ciues, incolas, & habitatores eiusdem, tanquam peculiares filios, & deuotos, diligentiori cura ionuemur, & super eorum felici regimini pacifico, & tranquillo, desiderantes specialiter prouidere, vt præseruentur à noxiis, & optatis perfruantur incrementis. Cum itaque nos, pro nonnullis arduis, & vrgentibus negotiis orthodoxæ fidei, ac publicum Reipublicæ Christianæ commodum concernentibus ab ipsa Vrbe ad aliquod tempus discedere, & ad ciuitatem nostram Placentiā Prouinciæ Mediol. nos conferre, & dimissis in eadem Vrbe Palatij nostri, & Curiæ Cameræ Apostolicæ Causarum auditentus,

necnon

necnon Gubernatore, seu Vicecamerario, ac Vicario, seu eius Locumtenente, & Senatore, ac aliis eiusdem Vrbis Officialibus, Cancellariam nostram sub plumbo, Capellа, & nonnullis eiusdem Cancellariæ, & Cur. Rom. Officialibus nobiscum ducere intendamus.

Ideo pro Vrbis & Curia Rō. regimine, Legatum de latere deputat cum facultatibus hic expressis.

§. 1. Nos volentes interim, bono & felici Vrbis, & Rom. Cur. prædictarum regimini prouidere, & potissimum ad te, quem etiam in magnis, & arduis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ negotiis versatum, eximia probitate, & fidelitate, rerumque gerendarum experientia & præcipua prudentia, ac integritate comprobatum habemus, mentem nostram conuertentes, ac sperantes, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, gratia tibi assistente diuina, circumspecte prudenter, iuste, & fideliter exequeris: Te in Vrbe prædicta, eiusque territorio, & districtu, ac terris, & locis illi adiacentibus, nostrum, & dictæ Sedis Legatum de latere, in spiritualibus & temporalibus Vicarium generalem, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. consilio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, vsque ad beneplacitum, vel ad eundem Vrbem reditum nostrum dumtaxat, creamus, constituimus, & etiam deputamus.

Facultas cognoscendi causas, & quoscumque etiā exemptos puniendi.

§. 2. Dantes tibi harum serie pariter & concedentes plenam liberam, & omnimodam potestatem & facultatem, ac auctoritatem, Vrbem, & loca prædicta cum eorum territoriis, districtibus, & pertinentiis, necnon personas, ciues, habitatores, etiam Curiales, & ipsam Romanam Curiam sequentes, seu ad eandem vndecumque venientes, dum in ea fuerint, seu in ea degentes, & incolas eiusdem, cuiuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, dignitatis, etiam Pontificalis fuerint, ac eiusdem Romanæ Cur. officiales existant, etiamsi se exemptos à quocumque Legationis officio prætenderent, nostro, & dictæ Romanæ Ecclesiæ nomine gubernandi, regendi, & administrandi prout cœlestis gratiæ infusio, & tua prudentia persuadebunt, reformandi, & corrigendi, occupata recuperandi, necnon illa, & alia deformata, in pristinum & debitum statum reducendi, & iurisdictionem omnimodam exercendi, ciuiles, & criminales, Ecclesiasticas, & spirituales, & super quibuscumque monasteriis, prioratibus, præposituris, canonicatibus, & præbendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, cæterisque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus, & quorumcunque Ordinum regularibus, & profanas ad forum Ecclesiasticam quocumque iure spectantes, ac motas quascumque, tam in dominio nostro, quam extra, per appellationes extraiudiciales, vel generales querelas, etiam non obstante quod ad ipsam Rom. Curiam legitime deuolutæ, aut in illa de iuris necessitate tractandæ, seu finiendæ non existant, illatumque, & etiam aliorum quorumcunque, & quibuscumque Iudicibus Ecclesiasticis, & sæcularibus, quacumque auctoritate, dignitate, seu præeminentia fulcitis ad nos & Romanam Curiam, ac Sedem huiusmodi, & pro quibuscumque grauaminibus, vel definitiuis sententiis pro tempore interpositis, primarum, & secundarum, & vlteriorum appellationum causas, vnà cum negotio principali, coniunctim vel diuisim, vel alias, prout tibi visum fuerit, ac omnibus, & singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, etiam summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, alias iuxta casum, & prout tibi videbitur, etiam cum potestate citandi in eadem Curia Rom. etiam extra eam, per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, ac inhiben. quibus, & quoties fuerit inhibendum, audiendas, cognoscendas, decidendas, & fine debito terminandas committendi.

Facultas cōmittēdi causas in Curia & extra.

§. 3. Et pari modo inter Auditores dicti Palatij nostri, seu eorum Locatenen. distribui (vt moris est) facien. & per Signaturam nomine nostro videlicet, si illæ iudicibus in Romana Curia per hæc verba videlicet, Placet, Domino nostro Papæ. Si vero extra eam, præterquam vbi nos fuerimus, dirigendæ, per Concessum in præsentia Domini nostri Papæ, signan. Ac omnia & singula per Signaturam iustitiæ concedi, & committi solita concedere & etiam eisdem Auditoribus, & Locatenen. seu aliis quibuscumque Prælatis vel iudicibus, tam in Rom. Curia, quam extra eam committendi, seu per te, vel alium seu alios audiendi, cognoscendi, etiam summarie, simpliciter de plano, sine strepitu, vt præfertur, etiam reiteratione terminorum ex stylo Curiæ, seu natura obseruari consuetorum, ac etiam illorum omissione, illasque decidendi, & terminandi, causasque ipsas quando tibi placuerit, ab illis, quibus commissæ fuerint, tam in dicta Curia, quam extra euocandi, & aliis etiam committendi. Et quascumque sententias, per te, seu etiam alios iudices quoscumque latas, tam in Romana Curia, quam extra eam, etiamsi in rem transiuerint iudicatam executioni debitæ demandandi, cum decreto literarum executorialium, seu mandati executiui, etiam cum inuocatione brachij sæcularis, nullitates processuum actorum, gestorum, & sententiarum, & tollendi, & finiendi ac restitutionem in integrum aduersus rem iudicatam, etiamsi tres sententiæ conformes latæ fuerint etiam gratiose concedendi, dictarum causarum cognitionem, terminationem & executionem, ac cursum instantiarum, vel etiam fatalium suspendendi, ac restitutionem ad illa etiam concedendi.

Derogandique omnibus priuilegijs & constit. per signaturam iustitiæ derogari solitis.

§. 4. Necnon constitutionibus fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus non tribus dietis, & aliis per Signaturam iustitiæ derogari solitis, & etiam quibusuis priuilegiis, & indultis, tam Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, quam aliis ordinariis iudicibus dictæ Vrbis, etiam per nos concessis, & approbatis, etiam quod illi, nisi per signaturam manu nostra, & motu proprio concessis derogari non possit, disponentibus, & hactenus obseruatis, specialiter & expresse derogandi.

Referēdariosque signaturæ iustitiæ duos vel vnum deputandi.

§. 5. Necnon si necessarium fore conspexeris, vnum vel duo Signaturæ dumtaxat Referendarios, quos malueris, & ad hoc vtiles & idoneos esse cognoueris, qui commissiones iustitiæ huiusmodi referendariare, & in signatura per te facienda tibi assistere, ac illi interesse licite valeant, durante legatione tua tantum, deputandi, & alia quæ S.R.E. Cardinales, qui hactenus signaturam iustitiæ habuerunt, & dictæ Vrbis Legati facere, & exercere potuerunt, & debuerunt, faciendi, & exercendi.

Facultas circa beneficiorum collationes.

§. 6. Omniaque, & singula beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & Ordinum quorumcumque regularia, etiamsi dignitates, etiam maiores, & principales fuerint, & ad illa consueuerint, qui per electionem aut alium modum assumi, intra limites tuæ legationis consistentia (basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Lateranensis, & B. MARIÆ Maioris Ecclesiarum Canonicatibus, præbendis, & illis; quæ ad collationem alicuius ex venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præfatis, respectu Episcopatuum, titulorum suorum presbyteralium, aut diaconalium, vel alias quocumque modo pertinent dumtaxat exceptis.) Ac quorumcunque familiarium tuorum continuorum commensalium, nunc & pro tempore existentium, etiamsi ipsa familiaritate recessissent, & in quibuscumque prouinciis, seu locis consistant beneficia Ecclesiastica, etiamsi dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias ex quavis causa etiam de necessitate exprimenda, præterquam familiaritatis nostræ, aut quoad ea quæ ad dispositionem tuam, ratione ecclesiarum, vel beneficiorū tuorum non pertinent, alicuius Cardinalis viuentis generaliter reseruata, seu ex quavis generali reseruatione affecta fuerint, cum illa per cessus vel decessus, aut alias, quavis dimissione illa nunc & pro tempore obtinentium, etiamsi, vt præfertur, reseruata fuerint, dummodo etiam illorum commendis cessantibus, vel vnionibus temporalibus dissolutis, vel alias quocumque modo vacare contigerit, quibusvis personis, de quibus tibi videbitur, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacūque beneficia ecclesiastica obtinen. & expectan. Necnon & si extra limites tuę legationis beneficia aliqua, vt supra, qualificata, in ciuitatibus, diœcesibus, & locis, per duas dietas dictæ Vrbi propinquis vacauerint, etiamsi, vt præfertur, reseruata fuerint, dummodo alicuius ipsorum beneficiorum reseruatorum, præterquam ex familiaritate nostra, in dictis Ciuitatibus, & diœcesibus vacan. huiusmodi fructus, redditus, & prouentus, summam seu valorem annuum secundum communem æstimationē viginti quatuor flore-

norum audiri de Camera non excedant, personis idoneis per te eligendis conferendi, & de illis etiam prouidendi, seu illa aliis beneficiis Ecclesiasticis ad vitam viuendi, annectendi, & incorporandi, verosque vltimarum vacationum modos, etiam si ex illis quævis generales reseruationes, etiam in corpore iuris clausæ, resultent, pro expressis habendi. Ac etiam in ipsa Vrbe quandiu ab ea absentes fuerimus, in quoscumque Curiales, & ipsam Curiam sequentes, seu Cortisanos, & officiales quoscumque ipsius Curiæ nostræ & ipsorum officiorum præsidentes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, dummodo S. R. E. Cardinales non existant, omnimodam iurisdictionem exercendi, eosque pro excessibus puniendi, & prout demeruerint, seu deliquerint, à suorum officiorum exercitio suspendendi, & prout iustitia suaserit, eos eisdem officiis suis priuandi, & destituendi.

Facultas inducendi contra Officiales Rom. Curiæ, ac Curiales, Barones, Communitates, &c.

§. 7. Necnon etiam inter Barones, & Milites, Dominos temporales, & nobiles, ac personas alias sæculares, & Ecclesiasticas, necnon Communitates, & Vniuersitates, ac populos, & omnes alios sæculares, discordes, & differentes, Vrbis terrarum, locorum, & districtus prædictorum pacem, & concordiam facien. & inter eos treguas indicendi, ipsosque ad eas, & ipsarum obseruantiam quibuscumque pœnis, districtionibus, sententiis, & censuris, prout tibi videbitur, compellen. concordes in vnitatis, & charitatis vinculo, confouendi, & confirmandi: rebelles, & delinquentes, ac eiusdem Romanæ Ecclesiæ hostes censuris, & pœnis, tam Ecclesiasticis quam aliis, etiam pecuniariis, & corporis afflictiuis, arcendi, & corrigendi, & ad nostram, & dictæ Romanæ Ecclesiæ vnitatem reducendi.

Dispensandique ad plura beneficia & circa ætatis & natalium defectus.

§. 8. Necnon cum tuis, & quinque Prælatorum se asserentium familiaribus, & continuis commensalibus, & decem, quos tu elegeris personis aliis ad duo, & si nobiles, vel graduati fuerint ad tria, seu cum dispensatione, ad duo ad tertium curata, dummodo inter alia non fuerint nisi duæ parochiales Ecclesiæ, seu alias inuicem incompatibilia sæcularia, etiam maiores, & principales personatus, administrationes, vel officia, etiam curata & electiua, in cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ fuerint, & ad duo alia, etiam similia simplicia, non tamen duos canonicatus, & præbendas, sub vno, & eodem tecto vnius, & eiusdem Ecclesiæ consistentia, si eis, & cuilibet eorum alias canonice conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eis simul ad vitam, cum potestate permutandi, & commendæ cedendi, toties quoties in titulum, & commendam respectiue obtinenda. Necnon super ætate in decimoseptimo dispensandi, super ætatis, & natalium defectibus, ad vnum, & in vigesimo ad duo, necnon super defectum patientibus ad quæcumque, quorcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica, etiam si canonicatus, & præbendæ in cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, & alias, vt præfertur, qualificata fuerint, & ad canonicatus, & præbendas cathedralium in vndecimo, & aliarum collegiatarum in octauo suarum ætatum annis, & de non promouendo ad septennium, dummodo infra primum triennium dicti septennij ad Subdiaconatus ordinem se faciat promoueri, vel aliud breue tempus prout tibi videbitur. Ac etiam de promouendo ad sacerdotium in vigesimotertio cum sæcularibus clericis, cum regularibus vero in vigesimosecundo anno. Et de suscipiendo clericatum, minores, & sacros etiam Presbyteratus ordines in Romana Curia à quocumque Antistite, & etiam extra eam, etiam extra tempora à iure statuta, in tribus tamen festiuis diebus, dispensandi.

Facultas derogandi regulis Cancellariæ, & iurispatronatus.

§. 9. Necnon quibuscumque Cancellariæ regulis, processus, acta, & merita causarum, ac etiam præmissa omnia & singula concernentibus, dummodo alteri non tollatur ius quæsitum. Ac etiam iurispatronatus laicorum quoad beneficia familiarium tuorum, & alia in limitibus tuæ legationis vacantia, vel ex tunc vacatura, quæ de illo ex consuetudine vel priuilegio fuerint, in totum, alioquin pro medietate patronorum eorundem derogandi.

Absoluendique à censuris.

§. 10. Et quascumque personas, quibus literas tuas vigore præsentium concesseris, à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet tunc, etiam ob non paritionem rei iudicatæ, aut alias in casibus in regula desuper edita expressis, innodati erunt, etiamsi per annum, & vltra in illis insorduerint, ad effectum gratiarum suarum dumtaxat consequendum absoluendi, eorumque omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia, & Ordinum quorumcumque regularia, quæ in titulum vel commendam, etiam ex quibusvis concessionibus, ac dispensationibus Apostolicis tunc obtinebunt, & expectabunt, ac in quibus, & ad quæ ius tibi quomodolibet competet, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, reddituum, & prouentuum, veros annuos valores, ac huiusmodi concessionum, & dispensationum tenores pro expressis habendi.

Concessiones in forma si in euidentem super alienationibus Eccl. concedendi.

§. 11. Necnon quascumque concessiones, si in euidentem vtilitatem, super alienationibus, & arrendationibus perpetuis, seu temporibus, etiam emphyteuticis, quorumcumque bonorum stabilium ad Ecclesias, Monasteria, dignitates, beneficia, ac loca alia Ecclesiastica, intra limites tuæ legationis consistentia, cuiuscumque valoris existant: in aliis vero locis quantumcumque remotis, vsque ad valorem centum florenorum auri de Camera dumtaxat spectantia, cum insertione tamen literarum fel. rec. Pauli Papæ II. prædecessoris nostri, quæ incipit, Cum in omnibus iudiciis, communiter vel diuisim concedendi.

Contradictores etiam coercendi.

§. 12. Insuper contradictores & rebelles quoslibet per amotiones, priuationes, depositiones, relegationes, & proscriptiones, perpetuas vel temporales, etiam sententialiter, prout ad ipsam Romanam Curiam pertinuerint, sublato appellationis obstaculo, compescendi.

Omniaque faciendi quæ Pont. mat. facere posset.

§. 13. Omniaque alia & singula, ad honorem, & statum nostri, & ipsius Rom. Ecclesiæ, & populorum commoditatem faciendi, gerendi, mandandi, ordinandi, disponendi, & exequendi, quæ necessaria quomodolibet, & opportuna fore cognoueris, & quæ nosmetipsi facere possemus.

Concessio quarumcumque aliarum facultatum aliis Legatis concessarum.

§. 14. Et nihilominus singulari integritate, fidei constantia, iustitiæ & rectitudinis zelo, clara prouidentia, ac longa, consummataque Vrbis, & Curiæ prædictarum notitia in te euidentissime comprobatis, necnon maturitate consilij per te arduis, & periculosis, nostris ac dictæ Sedis negotiis, fideli experientia testimonium perhibente præstitisti, diligenter perspectis, dignum censentes, vt te non minoribus prærogatiuis, quam prædecessores nostri Romani Pontifices, alios qui pro tempore fuerunt in Vrbe Legatos prosecuti sunt, prosequamur: vltra supradictas omnes & singulas alias facultates, quæ pro quibusvis aliis, dictæ Rom. Ecclesiæ Cardinalibus à tempore piæ mem. Alexandri Papæ VI. etiam prædecessoris nostri in ipsa Vrbe deputatis Legatis per quascumque literas, tam sub plumbo, quam in forma Breuis, sub quacumque forma, & expressione verborum concessæ comperiantur, quarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, eidem circumspectioni tuæ, harum serie concedimus, tibique vt illis omnibus & per omnia perinde ac si illæ tibi specialiter & expresse concessæ forent, vti, potiri, & gaudere, liberè & licitè valeas, indulgemus.

Approbatio gerendorum à Legato.

§. 15. Decernentes commissionibus manu tua, & vigore præsentium, de mandato nostro, ac in præsentia nostra signandis, ac derogationibus eis concedendis, in iudicio & extra, perinde ac si propria nostra manu signatæ fuissent, stari, & indubitatam fidem adhiberi, necnon omnia & singula alia eorundem præsentium vigore, per te, seu de mandato tuo alias rite pro tempore gesta, & concessa, ac quæcumque quæ inde sequentur, valida & efficacia existere & suos effectus sortiri debere.

Decretum irritans.

§. 16. Sicque per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter iudicandi,

&

& interpretandi, facultate & auctoritate, iudicari & interpretari, ac definiri debere, ac irritum & inane, quicquid secus super his scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio. §. 17. Mandantes insuper Gubernatori, Vicario eiusdem Vrbis, Auditori Cameræ, & Senatori, ac aliis officialibus quibuscumque in ipsa Vrbe præsentibus, necnon omnibus, & singulis Baronibus, Domicellis, stipendiariis, nobilibus, ciuibus, incolis, & habitatoribus; ac personis aliis Vrbis, Curiæ, districtorum, & locorum prædictorum, etiam forensibus ibidem pro tempore degentibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis per te infligendis, vt tibi in omnibus pareant efficaciter, & obediant, omni dilatione, vel exceptione cessante. Nos enim per te pro tempore facta, concessa, & acta, ac gesta quæcumque necnon processus, sententias, & pœnas, quas per te vigore præsentium fulminari contigerit, rata habebimus, & faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

Derogatio contrariorum. §. 18. Non obstantibus priuilegiis, indulgentiis, tam Apostolicis, quam aliis, generalibus vel specialibus, sub quacumque forma, & expressione verborum, cuicumque, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis, aut Ordinum, etiam Cistercien. Cluniacen. Præmonstraten. Grandimonten. Carthusien. Vallis Vmbrosæ, Camaldulen. Humiliatorum, S. Benedicti, & Augustini, Hospitalium Hierosolymitan. S. Ioannis, & S. Mariæ Teutonicorum, Calatrauen. S. Spiritus in Saxia, & S. Antonij, seu quorumcunque aliorum Ordinum existant, concessis, confirmatis, & innouatis, ac prædicti Bonifacij prædecessoris de vna, & in Concilio generali de duabus dietis edita, ac Lateranen. Pictauien. & generalis Conciliorum, necnon de valore exprimendo, & de concessione facienda in vnionibus, & illarum confirmationibus, ac de insordescentibus in censuris per tempus ibi expressum, & alias, ac de non expediendis literis executorialibus, & sequestris, nisi sub plumbo, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, in quibus sæcularia, & monasteriorum, & aliorum regularium locorum, in quibus regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu à quibus illa dependere contigerit, & Ordinum quorum extiterint, iuramento, confirmatione Apostolica, quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, & aliis quibuscumque præmissis obuiantibus, quæ omnia & singula in literis per te super eisdem præmissis concedendis latissime exprimi posse volumus. Præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis aliis priuilegiis, literis, & exemptionibus eis sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, per nos & Sedem eandem concessis, & concedendis in posterum, quorumcumque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quoad hoc cuiquam nolumus suffragari.

Legatus in suis concessionibus non tenuatur inserere hanc assistur. §. 19. Volumus autem, quod in concessionibus, gratiis & literis per te vigore præsentium faciendis, præsentes literæ nullatenus inserantur, sed absque illarum insertione perinde plenum sortiantur effectum, ac si ipsæ præsentes de verbo ad verbum insererentur.

Hortatur Legatū, vt eius munus diligenter exequatur. §. 20. Tu igitur dilecte fili munus huiusmodi deuota mente suscipiens, te in illius executione sollicitum, ac verbo, sermone, & opere studiosum, & diligentem exhibeas, quo ex tuis laboribus, diuina fauente gratia, optati fructus succedant, quos speramus. Tuque per sollicitudinem tuam, præter æternæ retributionis præmium, meritò apud nos & Sedem prædictam commendari possis.

Dat. P. An. 4. die 22. Mart. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo trigesimo, vndecimo Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno quarto.

XVII.

Constitutiones Ægidianæ, in toto Statu Ecclesiastico, in locis ei immediate subiectis, Carpenses vero in Prouincia Marchiæ obseruentur.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1538. & 1544.*

Proœmium. Officij nostri debitum, quo sumus vniuersis nostræ curæ, præsertim etiam in temporalibus creditis, in iustitia debitores, exigit, & ad hoc potissimum nos inducit, vt in his, per quæ iustitia vnicuique debite ministretur, & illam exquisitis viis conculcare satagentium malitiis obuietur, eiusdem officij partes propensius impartiamur, ac ea quæ propterea prouide ordinata, ac etiam Apostolico præsidio fulcita, & extensa comperimus, vt remota omni ambiguitate, firmiora persistant, de nouo approbemus, ac alias pro eorum obseruatione prouideamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Ægidius Cardinalis Legatus ab Innoc. VI. deputatus fuit, vt sup. in eius const. Cum onus. §. 1. Sane, sicut nobis innotuit, dudum postquam bon. mem. Ægidius tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis, tunc in humanis agens, & fel. rec. Innocentij Papæ VI. prædecessoris nostri, ac Sedis Apostolicæ in Patrimonio B. Petri in Thuscia, & Ducatu Spoletano, ac Marchiæ Anconitanæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimæ Prouinciis, necnon ciuitatibus, terris, castris, & locis, S. R. E. immediate subiectis, & infra limites tunc expressos constitutis, Legatus, necnon in spiritualibus & temporalibus Vicarius generalis, sufficienti ad id per literas dictæ Sedis facultate suffultus, pro tranquillo, & prospero statu prouinciarum, ciuitatum, terrarum, castrorum, & locorum prædictorum, plures laudabiles, honestas, & salubres constitutiones, & ordinationes prouinciales ediderat.

Sixt. IV constitutiones ab Ægidio firmatas obseruari iussit, vt in const. 15. sup. §. 2. Piæ mem. Sixtus Papa Quartus etiam prædecessor noster, tam illas, quam alias ab aliis diuersis Romanis Pontificibus, ac Legatis editas, & per dictum Ægidium Cardinalem in vnum volumen in sex libros distinctum, collectas, & redactas per eos, qui tunc erant, & pro tempore essent in prouinciis, ciuitatibus, terris, castris, & locis prædictis deputati Legati, etiam de latere, Gubernatores, & eorum Locatenentes, firmiter & inuiolabiliter obseruari debere, statuit & ordinauit, prout in ipsius Sixti prædecessoris literis.

Easque ad Vrbem & alia loca extendit. §. 3. Quas etiam ad Vrbem, ciuitates, terras, & loca specialis commissionis, & in illis, tunc & pro tempore deputatos Vicecamerarium, Gubernatores, Thesaurarios, Potestates, Iudices, & Officiales extendit, ac sub censuris in eis contentis in eiusdem Vrbe, ac specialis commissionis ciuitatibus, terris, & locis, sicut in prouinciis firmiter obseruari mandauit, plenius continetur.

Hic modo Pontifex eatumdem obseruantiam præcipit. §. 4. Cum autem, sicut accepimus, à nonnullis de viribus literarum prædictarum, & in eis contentorum hæsitetur, sub eo prætextu, quod forsan non appareat constitutiones prædictas, in Vrbe, & prouinciis, ac ciuitatibus, terris, castris, & locis prædictis, etiam specialis commissionis, aut aliquibus ex ipsis vsu receptas fuisse: Nos considerantes ex hoc necessario non inferri, quod constitutiones, additiones, modificationes, & correctiones prædictæ suum vigorem amiserint, attendentesque, quod fel. mem. Leo Papa X. etiam prædecessor noster in Lateranensi Concilio nouissime celebrato, Ægidianas constitutiones prædictas, quæ fundamentum totius fere voluminis existunt prædicti, approbauit, & confirmauit, quodque constitutiones prædictæ, vt nobis à peritis, quibus hanc curam demandauimus, relatum est, & iuridicæ, & populis vtiles, & proficuæ sunt, & propterea volentes omnino effectum suum consequi, & plenum robur obtinere, literas prædictas, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, cum extensione prædicta, & omnibus & singulis decretis, & clausulis in eis contentis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, & ex certa scientia approbamus, & confirmamus, easque tam in Vrbe, quàm prouinciis, ciuitatibus, terris, & locis prædictis, etiam specialis

commissionis, per omnes cuiuscumque dignitatis, statutus, gradus, ac conditionis extiterint; perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere.

Clausula sublata, &c. §. 5. Sicque per quoscumque etiam Palatij Apostolici causarum Auditores, & quoscumque alios etiam auctoritate Apostolica deputatos Iudices, etiam in pendentibus causis pronuntiari, sententiari, ac definiri debere, sublata eis aliter iudicandi, sententiandi, & definiendi auctoritate & facultate, irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis occasione, vel causa, & auctoritate contigerit attentari, decernimus.

Iussio publicandi. §. 6. Volumus quoque præsentes literas in valuis basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris affigi, & copiam collationatam dimitti, vt illæ ad cunctorum notitiam facilius valeat peruenire, ne aliquis de illis ignorantiam prætendere possit, nec quomodolibet allegare, eum non sit verisimile apud aliquos remanere incognitum, quod tam patenter fuerit publicatum.

Contr. derog. §. 7. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ Sixtus, & Leo prædecessores prædicti voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 4. die 30. Iulij. Datum Romæ apud sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo-octauo, tertio Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno quarto.

Sequitur bulla quoad constitutiones Carpenses.

Edita A. D. 1544. PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.*

Exordium. EX debito pastoralis officij, meritis licet imparibus, nostris humeris impositi, ad ea etiam nos conuertimus nostræ vigilantiæ curas adhibere, per quæ vniuersi populi, nostræ potissimum sollicitudini, etiam in temporalibus crediti, salubriter & prospere dirigantur, & per quæ confusionibus exstirpatis, ius æqua lance ministretur, & propterea nonnonquam his, quæ ad hoc prouide gesta compertimus, vt firma, & illibata persistant, nostræ confirmationis munimen libenter adiicimus, prout temporum & prouinciarum qualitatibus conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ægidius edidit constitutiones, vt in præinserta bulla dicitur, & hic. §. 1. Cum itaque, sicut accepimus, nuper cum constitutiones bon. mem. Ægidium tunc tituli S. Clementis olim Presbyterum Cardinalem, tunc in humanis agentem, & in certis ciuitatibus, & prouinciis S. R. E. subditis Apostolicæ Sedis de latere Legatum, & Vicarium generalem, salubrem directionem ciuitatum, & prouinciarum earundem concernentes; necnon reliquæ leges, sanctiones, ac ordinationes, per diuersos alios ipsarum prouinciarum pro Romana Ecclesia prædicta, Vicarios ac Gubernatores editæ, & per eundem Ægidium Cardinalem suis adiunctæ, & in sex libros redactæ, & partitæ, ob diuersarum aliarum sanctionum & decretorum per varios Gubernatores Apostolicos, ac etiam per literas nonnullorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, pro rerum & temporum qualitatibus, præsertim ad vsum prouinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ, postmodum editorum, & prædictis Ægidianis adiunctorum, seu alligatorum dubia, repugnantias, absurditates, & confusiones, in iudiciis, ac negotiis inter dilectos filios dictæ prouinciæ homines in varios sensus interpretarentur, ac minus clare intelligerentur, ex quo homines prouinciæ huiusmodi multiplicum litium inuolucris, dispendiis, ac incommodis afficiebantur, & inuoluebantur.

Cardinalis de Carpo illis addidit, pro vtilitate prouincia Marchiæ. §. 2. Dilectus filius noster Rodulphus tituli S. Clementis, tunc sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis de Carpo nuncupatus, cupiens prouinciæ, & hominum prædictorum subleuamini prouidere, & litibus, ac differentiis pro posse iter præcludere, de mandato nostro etiam tunc dictæ prouinciæ agentibus id sæpius à nobis efflagitantibus, singularum etiam additarum constitutionum, ac extrauagantium prædictarum repurgationis, ac reparationis cognitione nonnullis curiæ generalis eiusdem prouinciæ peritis demandata illas repurgare, corrigere, & elucidiores, ac faciliores reddere, in libros que sex ordinatim redigere, & collocare, nonnullis suis opportune interpositis decretis optime curauerit.

Hic Pont. has constitutiones sic suppletas approbat, & in d. prouincia seruari præcipit. §. 3. Nos laudabilem dicti Rodulphi Cardinalis operam in Domino plurimum commendantes, cupientesque prout nostro incumbit pastorali officio prouidere, quod constitutiones sic reformatæ, ac in faciliorem sensum redactæ, tanquam vtiles & necessariæ omnino adimpleantur, & in vitidem transeant obseruantiam, easdem Ægidianas constitutiones per præfatum Rodulphum Cardinalem, siue eius agentes, & ad id deputatos purgatas, emandatas, elucidatas, mutatas, alteratas, additas, & in dictos sex libros redactas, suisque locis ac ordinibus collocatas, omniaque & singula alia in ipsis sex libris contenta, quæ præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, ac inde secuta quæcumque tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac rata, & grata habemus, præsentisque scripti patrocinio consolidamus. Illaque omnia & singula in quibusvis causis etiam specialis commissionis vigore commissis, ac tribunalibus & iudiciis per quoscumque iudices, ac personas cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, excellentiæ, & præeminentiæ existentibus, perpetuis futuris temporibus in eadem prouincia obseruari debere, ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane fore decernimus, supplentes omnes, ac singulos iuris & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Quibuscumque non obstan. §. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ prouinciæ statutis, & consuetudinibus, reformationibus, & capitulis etiam, vt præfertur, roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. §. 5. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 10. Septemb. Dat. Perusiæ sub annulo Piscatoris, die decima Septembris millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, Pontificatus nostri anno decimo.

XVIII. Confirmatio constitutionis Iul. II. contra officiales Reuer. Cameræ Apostolicæ quomodolibet in contractibus Cameralibus participantes, & eius extensio ad omnes interuenientes in Camera, quando de illis agitur, pro eorum attinentibus.

Hæc eadem prohibuit Pius IV. inf. in eius const. 55. Romanus. Sed an Cardinalis Camerarius his prohibitionibus ligetur, vide inf. in Iul. III. const. 3. Licet.

Edita An. D. PAVLVS PAPA III. *Motu proprio, &c.*

Iulius II. prohibuit officiales Cameræ participare in contractib. Cameralibus sup. in eius const. 9 Pertinimus. ALias fel. rec. Iulius Papa II. prædecessor noster, considerans æquum non esse, vt quis in rebus propriis iudex esset, cum interesse, quod in rebus ipsis habet, eum quod iniquum est, iustum quandoque videri faciat, & illius iudicium rectum esse non sinat, Motu proprio statuit ac ordinauit, quod Præsidentes, & Clerici Cameræ Apostolicæ, ac quæcumque aliæ personæ, in dicta Camera, & loco Camerali interuenientes, etiam in Episcopali, Archiepiscopali, ac maiori dignitate fulgentes, Dohanas, Thesaurarias, Salarias, ac alios introitus, & res ad dictam Cameram spectantes, per se vel alium, in totum, vel pro parte conducere, aut cum illorum conductoribus societatem super eis inire, aut cum conductoribus ipsis quomodolibet, participare possent. Dictique Præsiden

Præsidentribus, Clericis, ac personis, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis quorumcumque officiorum per eos obtentorum pœnis ipso facto incurrendis, inhibuit, ne contra præmissa quomodolibet venire præsumerent, prout in literis desuper in forma Motus proprij confectis, etiam manu dicti Iulij prædecessoris signatis, plenius continetur.

Hic modo Pius confirmat.

§. 1. Cum autem ea quæ innouantur, magis considerari, & obseruari soleant, præmissa innouanda duximus. Dictarum itaque literarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ac præsentes ad docendum de literis, & tenore prædictis, plene sufficere, & vbique fidem, in iudicio & extra, absque alia illarum ostensione, vel documento facere, & per omnia, ac si illæ exhiberentur, & ostenderentur, decernentes, Motu simili literas Iulij prædecessoris huiusmodi, cum inhibitionibus, pœnarum adiectionibus, ac alijs in eis contentis clausulis, approbamus & confirmamus. Et nihilominus ea, quæ idem Iulius prædecessor per dictas literas, statuit & ordinauit, sub supradictis pœnis de nouo statuimus ac ordinamus.

Et extendit ut sequitur in rubrica.

§. 2. Et vt plenius in præmissis prouideatur, easdem literas ad hoc vt Clerici Præsidentes, & personæ prædictæ, quarum consanguinei, vel affines, dictas Dohanas, Thesaurarias, Salarias, ac introitus, conduxerint, seu conducere velint in eisdem Camera, & loco Camerali (dum de locationibus ipsis, & materiis illas concernentibus discutitur & tractatur) interuenire non possint, extendimus & ampliamus per præsentes. Volentes, præsentes supradictos præsidentes, Clericos, ac personas afficere, & contrauenientes præfatas pœnas incurrere, etiamsi de supradictis literis Iulij prædecessoris nullo modo constet.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ idem prædecessor in dictis literis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.

PP. subscr.

Placet, & ita innouamus, & inhibemus. A.

XIX. Iurisdictio & facultates Archipresbyteri, & Iudicis causarum Capituli, Canonicorũ, & aliarum personarum Ecclesiæ B. Mariæ Maioris de Vrbe, & habitatorum in illius Franco.

Approbauit & declarauit Pius IV. vt inf. in constit. 15. Cum sicut accepimus.

Edita A. D. 1538.

PAVLVS PAPA VII.

Motu proprio, &c.

Iurisdictio cognoscẽ. causas Capituli suæ mariæ, &c. Ad hoc vide bullam Pij IV. cit. in rubr.

CVm sicut accepimus ad parcendum sumptibus ac expensis collitigantium, & ne dilecti filij Canonici & Capitulum, ac perpetui Capellani Venerabilis Ecclesiæ S. MARIÆ Maioris de Vrbe, pro rebus ac negotiis dictæ Ecclesiæ coram diuersis Iudicibus litigare, ac conueniri contingat, & lites quascumque præsentes, ac futuras, tam contra ipsos, quam per eosdem motas & mouendas, per alias nostras literas, quas & illarum tenores pro expressis habere volumus, bon. mem. D. Paulo de Cæsis dum viueret S.R.E. Cardinali prædictæ Basilicæ Archipresbytero commiserimus, & propterea, vt creditur, dilectum filium nostrum, secundum carnem nepotem R.D. Alexandrum Cardinalem Farnesium vulgariter nuncupatum, tanquam dictæ Eccles. modernum Archipresbyterum in causis huiusmodi etiam Iudicem existere, ad omne dubium tollendum, ac dictæ Eccles. & alijs consulendum, Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Sedis Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas causas inter dictos Canonicos & Capitulum ac Capellanos respectiue, seu quemlibet eorum ex vna, & quascumque alias personas, coram quibuscumque Iudicibus Ordinariis, ac extraordinariis Commissariis, & executorib. etiam S.R.E. Cardinalibus, & Rotæ Auditoribus, & Locatenentibus, super quibuscumque rebus bonis, ac pecuniarum summis, verten. & penden. partibus ex alterã, ad nos penitus aduocantes, illamque & illas quatenus etiam opus sit denuo inchoatas & inchoandas, ac quascumque alias causas ciuiles & criminales ac mixtas, per prædictos Canonicos ac Capitulum & Capellanos, seu eorum quemlibet, contra quascumque personas, quovis nomine nuncupatas, Collegium, & Capitulum ac Vniuersitatem respectiue, motas & mouendas, & sic actiue & passiue, super quibuscumque pecuniarum, summis, censibus, canonibus, responsionibus, rebus & bonis, ad quamcumque summam pecuniarum numerum & quantitatem ac valorem ascenden. rebusque alijs in actis causæ & causarum huiusmodi latius deducti & deducen. & illorum occasione, cum omnibus & singulis suis inciden. dependen. & emergen. annexis & connexis eidem R. D. Alex. moderno Archipresbytero, tam coniunctim quam diuisim, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, ac quatenus opus sit, executiue & manu regia, absque terminorum substantialium & alicuius telæ iudiciariæ obseruatione, sine confectione registri, siue extractus, quacumque appellatione postposita, audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi, tenore præsentium de nouo constituimus ac mandamus.

Citandi qui in Curia & extra, subinuendi, &c.

§. 1. Cum potestate dictas partes respectiue, & omnes alios quos opus fuerit, & sua communiter vel diuisim interesse, etiam in executione citationis nominan. in Rom. Cur. ac extra eam, etiam per edictum publicum, constito summariè & extraiudicialiter de nõ tuto accessu tandi; ac eisdem omnibus & singulis, etiam Iudicibus suprascriptis, ac quibus & quoties opus fuerit, etiam sub censuris Ecclesiasticis. & pecuniariis pœnis suo arbitrio moderandis, & applicandis, etiam per simile edictum inhibendi; & in euentum non paritionis, pœnas ac censuras prædictas damnabiliter incurrisse declarandi, aggrauandi, & reaggrauandi, & brachij sæcularis auxilium inuocandi, locove sententiæ seu sententiarum proferendarum, mandatum seu mandata executiua, in forma solita & consueta decernendi; illudque vel illa, & quicquid per te iudicatum fuerit exequendi, expensasque taxandi, ac moderandi, omniaque alia & singula faciendi, gerendi, & exercendi, in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna.

Clausula derogatoria.

§. 2. Non obstantibus præmissis, constitutionib. & & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatij, regula Cancellariæ Apost. prohiben. mandata aliter quam sub plumbo expediri posse, facultatibus, & iurisdictionibus supradictis, sub quavis verborum forma, etiam clausulis vrgentissimis per nos forsan concessis & innouatis, quas seu illorum tenores, ac si de verbo ad verbum specialis hic mentio facta foret, pro expressis haberi volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Statum & merita causæ, & causarum huiusmodi, & nomina ac cognomina & qualitates partium & personarum prædictarum, necnon dictorum Collegij, Capituli, & Vniuersitatis, præmissorumque omnium & aliorum de necessitate exprimendorum tenores, pro plene ac sufficienter expressis habentes.

Sola signatura sufficit.

§. 3. Et quod præsentium sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat.

Fiat Motu proprio. A.

Et quod præsentis nostri Motus proprij, sola signatura sufficiat, & vbique in iudicio & extra illud fidem faciat regula in contrarium edita non obstan. & literæ expediantur sub plumbo.

Fiat. A.

D. P. Ann. 5. 23 Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, nono Kalen. Decembris anno quinto.

Causa ab Archipresbytero non auocentur.

§. 4. Beatissime Pater. Quoniam super præmissis commissionibus causarum in Vrbe nunquam literas sub plumbo expediri solitum fuit, sed solam signaturam semper sufficere compertum extitit, neque etiam tempore prædicti R. Card. de Cæsis, super dicta commissione sibi facta, fuere alias dictæ literæ expeditæ, necnon ad obuian. fraudibus & malitiis collitigantium, qui in causis huiusmodi nullum ius haben. vt illas immortales faciant, ad partes, variis sumptibus & expensis defatigent, confictis quibusdam falsis causis, & imaginariis suspicionibus, huiusmodi causas, à Reuerendissimo Moderno Archipresbytero forte auocare curarent, idcirco ad preces præfatorum

torum Canonicorum, ac Capituli & Capellanorum placeat eidem R. Moderno Archipresbytero, committere & mandare, vt in omnibus causis supradictis, iuxta tenorem præinsertæ in omnibus firmæ remanentis, perinde ac si absque illorum verborum insertione, videlicet (& quod literæ sub plumbo expediantur,) signata foret procedere, illasque expedire, & terminare, possit & valeat: Necnon concedere, vt præmissarum causarum auocatione: à prædicto Reuerendissimo Moderno Archipresbytero, seu aliquo ex eius successoribus (si illas forsan fieri contigerit) sint nullius roboris & momenti, nisi de præmissis omnibus, & singulis in præinserta contentis; eorumque toto tenore, de verbo ad verbum, & non per clausulas generales, nec etiam derogatorias, & derogatoriarum derogatoriis, specialis, & indiuidua mentio facta, ac manu S. V. per Fiat, & Motu proprio, specialiter signata fuerit, & ipso R. D. Archipresbytero, & prædictis Canonicis specialiter citatis. Præmissis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus.

Fiat. A.

Isque procedat etiam in obligationibus Cameralibus.

§. 5. Pater Clementissime. Cum ex tenore primo loco præinsertæ dignosci videatur, etiam causæ instrumentales, seu quæ ex obligationibus etiam in forma Cameræ exoriri possunt, in eadem præinserta inclusæ, seu comprehensæ censeantur, attamen vt omnis penitus dubietas tollatur, & ne etiam causarum huiusmodi, præsertim censualium, aut alias supradictæ Ecclesiæ interesse tangentium, propter superuenientiam quandocumque feriarum, expeditio retardetur, supplicant humiliter oratores prædicti, quatenus prædicto R. Moderno Archipresbytero, siue eius subdelegato, committere, & mandare, vt in causis huiusmodi, respectiue, iuxta formam primæ præinsertæ, ac etiam secundum facultatem in similibus A. C. concessas, singulis diebus etiam feriatis præterquam in honorem Dei, perinde procedere, illasque terminare, & decidere, prout ac si de eisdem, in eadem primo præinserta, specialis mentio facta foret, possit, & valeat.

Feriæ non obstant in causis appell.

§. 6. Et si alicui alteri Iudici per eandem S. V. in secunda instantia contra oratores, causa alicuius prætensæ appellationis commissa foret, de & super rebus & bonis ad dictam Ecclesiam spectan. tunc etiam, vt supradictis feriis non obstantibus, ad expeditionem causæ, & causarum huiusmodi, procedi possit, quemadmodum ante indictionem dictarum feriarum, procedi potuisset.

Indultio se extēdat etiam ad habitantes in Franc.

§. 7. Et ne causarum locorum dependentium à dicta Basilica expeditio retardetur, ad Ecclesias etiam SS. Potentianæ, & Eufemiæ, supradicto Archipresbyteratui vnitas, & accessorias. Necnon ad omnes habitatores existentes in Franco supradictæ Ecclesiæ, qui ex causa huiusmodi & ob eorum paupertatem certis exemptionibus perfruuntur, vt ab expensis & litium anfractibus subleuentur, tanquam illius membra dependentia, porrigatur, & extendatur, concedere, & largiri dignemini.

Claus. derogat.

§. 8. Non obstantibus præmissis, alias in omnibus firmis remanentibus, prædictisque obligationibus iuratis, & in forma Cameræ celebratis, feriis indictis & etiam indicendis, & cæteris aliis in contrarium facien. quibuscumque. Et quod super præmissis omnibus & singulis literæ sub plumbo expediri possint. Statum & merita causarum, & omnium ac singulorum præmissorum, nomina & cognomina Iudicum & collitigantium, obligationum formas, causas, bona, resignationes, confirmation. dictorum bonorum, omniumque aliorum hic de necessitate exprimen. tenores pro sufficienter expressis haben.

Papæ subscr.

De Mandato D. N. Papæ idem R. D. Cardinalis, & alij Iudices procedant, vt petitur feriis non obstantibus.

Placet. A.

Iurisdictio se extendat etiā contra quoscumque religiosos, & priuilegiatos.

§. 9. Beatissime Pater. Quamvis credatur, quod R. D. Guido Ascanius qui nunc supradictæ Basilicæ Archi-Presbyter existit in vim præinsertæ, quoad omnia & singula, etiam iudicia executiua, prout poterat prædictus R. Cardinalis Farnesius, procedere, facere, & exequi possit, tamen vt omnis hæsitatio, & dubietas tollatur, & vt ne magis suo, quam R. Cardinalis Farnesij tempore, tam canonici, & Capitulum, quam omnes alij & singuli oratores prædicti, per diuersa Tribunalia distrahantur, Sanctitati vestræ humiliter supplicant oratores prædicti, quatenus, eidem R. D. Guidoni Ascanio Moderno Archipresbytero committere, & mandare dignetur, vt in omnibus, & singulis supradictis, & omnibus, & per omnia, perinde ac si eædem præinsertæ sibi directæ, ac per Dominationem suam Reuerendissimam impetratæ fuissent, partibus iustitiam ministrando procedat, contra quoscumque, quomodolibet priuilegiatos & exemptos, etiam Religiosos, ac etiam tam ratione Beneficiorum, & censuum, quam pensionum, & responsionum vini ad Oratores respectiue quomodolibet spectan. & pertinen. ac alia quacumque occasione, vel causa, etiam si de eorum totis tenoribus hic habenda foret mentio specialis.

Pœnitentiarij per Archipresbyterū in d. Basilica deputantur.

§. 10. Cum potestate citandi, & inhibendi, necnon à censuris, & pœnis Ecclesiasticis quatenus oportuerit, absoluendi, Pœnitentiarios etiam ad audiendum confessiones, sufficientes & idoneos, ac timoratæ conscientiæ, supradictæ Basilicæ deputandi, alios etiam si in illa de præsenti existerent, prout sibi videbitur amouendi, & expellendi, omniaque alia & singula fac.. ndi, exercendi, & exequendi in præmissis necessaria, & opportuna.

Quibuscumque non obstan.

§. 11. Non obstantibus præmissis, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatij, priuilegiis, & exemptionibus, cum quibuscumque clausulis, etiam fortissimis, & derogatoriarum derogatoriis, etiam in vim Motus proprij, seu alias quomodolibet concessis, cæterisque aliis quibuscumque. Et quod super præmissis omnibus & singulis, literæ sub plumbo, vt supra expediri possint.

Papæ subscr.

De Mandato D. N. Papæ, audiat Idem R. D. Cardinalis, citet, absoluat, deputet, & procedat, vt petitur.

Placet. A.

Approbatio Confraternitatis sub inuocatione Sanctissimi Corporis Christi, pro decentiori eius veneratione in Vrbe institutæ, Indulgentiarumque elargitio, tam pro ea, quam pro aliis Confraternitatibus vbique locorum institutis, & instituendis. XX.

Quoad Indulgentias videnda est noua dispositio Pauli V. mox edenda, firmata die 3. Nouembris 1606. Et circa aggregationes Confraternitatum attende constitut. 115. Clemen. VIII. Quaecumque.

Festiuitatem autem Sanctissimi Corporis Christi instituit Vrb. IV. in const. 1. Transiturus sub. vbi notaui.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1539.

Christus in vltima Cœna, Sacramentum Eucharistiæ instituit vt ipsum fideles sua eximiæ charitatis memoriam recolerent.

DOminus noster Iesus Christus transiturus de hoc mundo ad Patrem, in vltima Cœna, qua Pascha cum discipulis suis manducauit, admirabile Sacramentum pretiosissimi Corporis, & sanguinis sui instituit, per quod vniuersi Christicolæ memoriā suæ charitatis eximiæ, quam in sua passione, hora eius appropinquante ostendit, recolerent. Vnde nos illius vices licet immeriti gerentes in terris, debitum censemus, vt quæ in huius Sacrosancti Sacramenti honorem, & venerationem ex pia Christi fidelium deuotione digne ordinata comperimus, vt perpetuis futuris temporibus permaneant, prompta deuotione, prout decet Apostolico præsidio solidemus, & vt ad id fidelium eorundem vota facilius concurrant, fideles ipsos spiritualibus muneribus prosequamur, & eorum pia suffragia donis cælestibus confoueamus, vt exinde diuinæ gratiæ aptiores reddantur, & Sacramentum ipsum in die peregrinationis extremæ sibi fore viaticum salutare, mereantur.

Quidam Ciues Romani, & Curiales in Eccl. B. M. super Miner.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum vniuersorum Confratrum Confraternitatis sub inuocatione Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia domus Beatæ Mariæ super Mineruam de Vrbe, Ordinis Fratrum Prædicatorum

dicatorum

nam, Corporis Christi societatem erexerunt, pro decentiori eius cultu, & veneratione curanda.

dicatorum institutæ, nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod nuper nonnulli Ciues Rom. & curiales Christi fideles, pie considerantes, Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum prædictum, in parochialibus Ecclesi. dictæ Vrbis minus honorifice, & in locis abiectis sine vlla veneratione conseruari, & cum per ipsam Vrbem pro communione infirmorum deferendum erat, ab vno tantum Capellano, sine vllis decore, & reuerentia solitum deferri, & singulari deuotione ducti, cupientes præmissis, & vt eidem Sacramento honor, cultus, & veneratio debitæ exhiberentur, quantum in eis erat prouidere, vnam Societatem, seu Confraternitatem vtriusque sexus sub inuocatione eiusdem Sacratissimi Corporis Christi in dicta Ecclesia de Minerua, ordinarunt, & instituerunt.

Cuius Confratres curare debeant, vbique Sanctissimum hoc Sacramentum honorifice custodiri.

§. 2. Ac pro eius salubri directione, & incremento, inter alia, quod Confratres Confraternitatis huiusmodi pro tempore existentes seu ab eis per singulas regiones Vrbis prædictæ deputati, aut deputandi, diligenter, ac omni cura, & studio facerent, & procurarent vt Sacramentum huiusmodi tam in dicta Minerua, quam singulis aliis parochialibus Ecclesiis Vrbis huiusmodi, ea qua decet veneratione in loco honorifico & honesto, lampadibus accensis, die noctuque conseruaretur, & custodiretur.

Si impensas ad hoc necessarias prouideant.

§. 3. Et si earundem Ecclesi. redditus ad id non sufficerent, ipsi Confratres illis de necessariis ad huiusmodi opus, necnon ad emendum vnum pallium pro singulis Ecclesiis prædictis, cum quo Sacramentum ipsum, quotiescumque illud pro communione infirmorum extra Ecclesiam deferendum esset, deferri deberet, prouiderent.

Et à Parochis illud ad infirmos decenter deferri, & Facibus accensis associari studeant.

§. 4. Ac quod Rector cuiuslibet ex Ecclesiis prædictis, seu illius locumtenentes, quotiescumque esset necessarium Sacramentum huiusmodi alicui infirmo ministrari, & ad illius domum deferri, campanam suæ Ecclesiæ certis ictibus pulsari facere teneretur, ad hoc, vt Confratres vicini parochiæ illius Ecclesiæ, se moneri & conuocari ad associandum Sacramentum ipsum cognoscerent, & per se ipsos associare si legitimo impedimento detenti non forent, alioquin per vnum de suis dignioribus familiaribus, Sacramentum prædictum, ad domum dicti infirmi, facibus accensis associari, & comitari facere tenerentur.

In dictaque Ecclesia de Minerua qualibet tertia Dominica cuiuslibet mensis solemnem Missam celebrari faciant.

§. 5. Ac quod vtriusque sexus personæ Confraternitatis huiusmodi Confratres pro tempore existentes tertia quaque die Dominica cuiuslibet mensis totius anni in dicta Ecclesia de Minerua congregati, & inibi vnam Missam in cantu, vel alias celebrari facere, ac in eleuatione præfati Sacramenti faces accensas habere deberent.

Die post festum Corporis Christi, processionaliter & honorifice circa d. Ecclesiã procedat.

§. 6. Necnon prima die Veneris statim post Festum Corporis Christi immediatè sequenti, solemnem processionem, extra & circum præfatam Ecclesiam de Minerua Sacramentum prædictum honorifice facibus accensis deferendo, annuatim facere.

Confessores infirmos visitent, & ad ipsum sacramentũ suscipiendum hortentur.

§. 7. Et si aliquem ex Confratribus Confraternitatis huiusmodi ægrotare contingeret, Rector, aut electus nominatus Ecclesiæ cuius dictus infirmus parochianus existeret, vnà cum alio Confratre eiusdem Confraternitatis per Rectorem, seu electum nominatum huiusmodi pro tempore eligendo, dictum infirmum visitare, & ad confitendum peccata sua, ipsumque Sacramentum suscipiendum pie adhortari, & commonere.

Singulisque hebdomadis quinquies Orationem Dominicam & Angelicã in commemorationem d. Sacramenti recitent.

§. 8. Necnon singulis hebdomadis totius anni, ipsi vtriusque sexus Confratres quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam in commemorationem dicti Sacramenti, deuote recitare, & commemorare tenerentur.

Mulieres non valentes, illud associare, quinquies flexisque genibus vt supra orantes, Indulgẽtias Cõ-

§. 9. Ac mulieribus Confratribus dictæ Confraternitatis, quibus indecens esset per dictam Vrbem vagari, ad associandum dictum Sacramentum, vt quoties signum Campanæ audirent, flexis genibus orationem Dominicam, & salutationem Angelicam huiusmodi quinquies, vt præfertur recitando, omnes & singulas, gratias, & indulgentias Confratribus Confraternitatis huiusmodi pro tempore concessas consequerentur, per nos concedi procurare statuerunt, & ordinarunt, prout in instrumentis, seu aliis documentis desuper confectis plenius contineri dicitur.

fratrum consequi posse à Põt. petierũt.

Alexandrum Card. Cæsarinum Protectorem elegerunt.

§. 10. Ac dilectum filium nostrum Alexandrum S. Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem de Cæsarinis nuncupatum, in protectorem dictæ Confraternitatis elegerunt.

Confirmationemq; dictarum ordinationum postularunt.

§. 11. Quare pro parte eorundem Confratrum nobis fuit humiliter supplicatum, vt institutioni Confraternitatis, ac statutis, & ordinationibus huiusmodi pro illorum subsistentia firmiori, robur Apostolicum confirmationis adiicere, ac aliis in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ergo Põt. Deo gratias agens de præmissis, omnia prædicta approbat.

§. 12. Nos igitur tantum Sacramentum omni laude, & veneratione dignum, à cunctis fidelibus, vt per hoc desideratam salutem consequi valeant, honorari, laudari, magnificari, sinceris desideriis exoptãtes, ac omnipotenti Deo, quod tam saluberrima tamque necessaria, & vtilia opera nostro tempore exerceri inceperint, gratias agentes, & vt illa perpetuo frequententur, ac Christi fideles præfati eis frequentius insistant, quo nos erga eos amplioribus, & specialioribus gratiis liberaliores, seque per hoc maiori cælestis gratiæ deuotione refici posse cognouerint, quantum cum Deo possumus prouidere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, institutionem Confraternitatis huiusmodi, necnon prædicta, ac omnia, & singula alia per eosdem Confratres circa præmissa, statuta, & ordinata, ac prout illa concernunt, omnia, & singula instrumentis, seu documentis desuper confectis prædictis contenta, & inde sequuta quæcumque ex certa nostra scientia auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem supplemus; illisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus, & ea per ipsarum parochialium Ecclesiarum Rectores, seu eorum locatenentes, pro tempore existentes, & alios ad quos spectat, firmiter obseruari debere decernimus. Et nihilominus pro potiori cautela, præmissa, omnia & singula alia per eosdem Confratres, vt præfertur statuta, & ordinata de nouo, auctoritate, & tenore prædictis, perpetuo statuimus, & ordinamus.

Indulgentias & gratias aliorum Piorũ locorum, illis Confratribus elargitur.

Tu vide quo ad indulgentias quod notaui in rubr.

§. 13. Ac Confratribus Confraternitatis huiusmodi nunc, & pro tempore existentibus, ac eorum singulis quod omnibus, & singulis priuilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, & aliis gratiis spiritualibus & temporalibus Confratribus Imaginis Saluatoris ad Sancta Sanctorum, necnon Charitatis, & Archiepiscopalis S. Iacobi in Augusta, ac Sancti Ioannis Baptistæ, necnon Sanctorum Cosmæ, & Damiani nationis Florentinæ, ac hospitalis nostri S. Spiritus in Saxia, ordinis S. Augustini, & Campi Sancti, Confraternitatum eiusdem Vrbis, pro tempore existentibus, illorumque, ac Beatæ Mariæ de Populo, etiam de Vrbe Eccles. ac Christi fidelibus illas visitantibus, per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, & successores concessis, & concedendis; & quibus illi vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum: quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis haberi volumus, ex nunc, & in perpetuum vtantur, potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa eis specialiter, & expresse concessa fuissent, & in futurum concederentur, concedimus, & indulgemus. Ipsaque priuilegia, indulta, exemptiones libertates, immunitates, indulgentias, etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, & alias gratias ad Confratres Confraternitatis Sanctissimi Corporis Christi huiusmodi, ac illius capellanos, ministros, & personas pro tempore existentes eisdem auctoritate, & tenore extendimus, & eis communicamus.

Indulgentiã Confratrũ in die ingressus, & ter in vita concedit.

Tu vide ibid.

§. 14. Necnon Christi fidelibus præfatis qui dictam Confraternitatem Sacratissimi Corporis Christi ingredientur, die illorum ingressus huiusmodi, plenariam adinstar Iubilæi, ac eorum peccatis prius confessis, & Sacramento huiusmodi per eos deuote recepto, ter

ter in vita, similiter plenariam omnium peccatorum suorum.

Et in associatione Sacramenti, & interuentum diuinorum officiorum, & visitatione Eccl. B. Mariæ super Mineruam.

§. 15. Ipsis Confratribus, qoi præfatom Sacramentum eisdem infirmis ministrandum associauerint, seu impediti associati, vt præfertur, fecerint, ac eisdem processionibus, & diuinis officiis, quæ per eosdem Confratres, vt præfertur, celebrati facere contigerit, interfuerint, quoties id fecerint centum, qui vero dictam Ecclesiam de Minerua diebus Veneris, cuiuslibet hebdomadæ totius anni deuote visitauerint, decem annorum & totidem quadragenarum iniunctarum eis pœnitentiarum indulgentias, & remissiones quoties id fecerint, misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Ac mulieribus non valentibus Sacramentum associare, sed orantibus, vt hic. Tu vide ibi.

§. 16. Necnon mulieribus eiusdem Confraternitatis, quibus propter honestatem non licet per Vrbem ipsam passim vagari, qootiea signum Campanæ huiusmodi audierint, semel orationem Dominicam, & totidem salutationem Angelicam. flcais genibus deuote recitauerint, vt omnes, & singulas indulgentias, concessiones, & gratias aliis Confratribus interessentibus concessas, consequantur, & consequi valeant.

Facultas Confratrum eligendi Confessorem, qui eos absoluat, &c. Hoc declarauit Clē. VIII. in const. 115 Quacumque.

§. 17. Ac eisdem vtriusque sexus Confratribus, & eorum singulis, vt quemcumque Presbyterum, sæcularem, vel cuiusvis Ordinis regularem, etiam in mortis articulo etiamsi mors tunc non subsequatur, in suum possint eligere confessorem; qui eorum confessionibus diligenter auditis, eos & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, per eos & eorum singulos pro tempore perpetratis, etiam Sedi Apostolicæ, & eorum Ordinariis reseruatis præterquam à contentis in literis in die Cœnæ Domini legi solitis, ter in vita absoluere, & eis pœnitentiam salutarem iniungere.

Statutaque pro regimine d. Confraternitatis ordinandi.

§. 18. Necnon eiusdem Confraternitatis administratoribus, & Confratribus pro tempore existentibus, pro illius statu salubriori dirigendo, vt quæcumque licita, & honesta statuta, & ordinationes fœlix regimen, & prosperum statum, ac gubernationem illorum, & aliorum quarumcumque rerum, spiritualium & temporalium, eos quomodolibet concernentia condere, & facere, eaque quoties videbitur mutare, & alterare, limitare, corrigere, declarare, modificare, & in melius reformare, quæ postquam edita, mutata, alterata, limitata, correcta, declarata, modificata, & in melius reformata fuerint, eo ipso per Sedem eandem confirmata sint, & esse censeantur, auctoritate, & tenore supradictis indulgemus, & plenam, ac liberam desuper facultatem concedimus.

Aliasque Confraternitates sub eadem inuocatione Corporis Christi vbique instituendas, eisdem in d. gaudere decernit.

§. 19. Et nihilominus, vt Christi fideliom deuotio ad tam salubre Sacramentum feruentius inualescat, ac Christi fideles ad illius venerationem, & similia charitatis opera exercenda, per amplius excitentur, quod omnes, & singulæ aliæ Confraternitates sub eadem inuocatione Sanctissimi Corporis Christi vbilibet institutæ, & instituendæ, eisdem priuilegiis, concessionibus, indulgentiis, facultatibus, gratiis, & indultis Confraternitati in Ecclesia de Minerua institutæ huiusmodi per nos concessis, & concedendis vtantur, potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri, & gaudere possint, & debeant, præfata auctoritate etiam præsentium tenore statuimus, & ordinamus.

Hoc intellige, & absque noua aggregatione, & concessione. Quia ita declarauit. Sacra Congregatio Card. sup. indulgen. sub die 15. Febr 1603.

§. 20. Decernentes præsentes literas, & in eis contentas indulgentias, & peccatorum remissiones, sub quibusvis reuocationibus, suspensionibus, modificationibus similium vel dissimilium indulgentiarum, & literarum etiam per nos, & successores nostros, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis pro tempore editis, etiam in fauorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de eadem Vrbe, & Cruciatæ Sanctæ, nullatenus comprehensas, sed ab illis omnino exceptas esse, & censeri. Et sic per quoscumque Iudices quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac quidquid secus attentari contigerit, irritum, & inane. Necnon præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem, in iudicio & extra adhibendam fore, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Executoresque d. constitutionis deputat.

§. 21. Quocirca venerab. fratribus nostris vniuersis, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Metropolitan. & aliarum Cathedralium Eccles. Canonicis, ac eorundem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum Vicariis in spiritualibus, & officialibus generalibus vbilibet constitutis, per Apostol. scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Confratrum Confraternitatis Sacratissimi Corporis Christi in Ecclesia de Minerua institutæ huiusmodi pro tempore existentium, desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ipsosque Confratres illis pacifice gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque contra præsentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Ac quoscumque sua interesse putantes, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, constito summarie de non tuto ad eos accessu, citando, ac illis, necnon aliis, quibus, & quoties opus fuerit, inhibendo, censurasque, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausulas contrariorum derogatorias adiicit.

§. 22. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri qua cauetur ne quis extra suam ciuitatem, vel diœcesim ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede prædicta deputati extra ciuitatem, vel diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut aliis vices suas committere præsumant, ac de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus edita, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon priuilegiis, & Apostolicis supradictis, & quibusvis aliis, Ecclesiis, confraternitatibus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma illis tradita, obseruata insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocati non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

Dat. Pontif. An 6. die 30. Nouembris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1539. pridie Kalend. Decembris Pontificatus nostri anno sexto.

Approbatio Societatis, tam Ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum nuper institutæ ad erigendum Hospitalia pro subuentione pauperum Orphanorum, & mulierum Conuertitatum. XXI.

Hæc societas translata est in Congregationem Clericorum Regularium S. Maioli, alias de Somascha, cum nonnullarum gratiarum elargitione, & profitetur regulam S. Augustini, vt videre est infra in Pij V. const. 78. Iniunctum, cui Gregorius XIII. alia priuilegia dedit, quæ leguntur in constit. 4. Sixt. V. Æquum, & quædam alia Clem. VIII. in eius Const. 22. Decet.

PAVLVS

Edita A. D. 1540.

PAVLVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Hieron. Mianus alias Æmilianus Venetus, cuiusque socij diuersa hospitalia pro pauperibus, orphanis, & mulieribus conuersis erexerunt, & pro eorum salubriori profectu, petunt à Papa licentiam constituendi vnum Superiorem, postulantque alia quæ priuilegia.

EX iniuncto nobis desuper meritis licet imparibus Apostolicæ seruitutis officio, votis, per quæ hospitalium, & aliorum piorum locorum vtilitas, & salubris directio procuratur, libenter annuimus, ad illos quoque dexteram nostræ liberalitatis extendimus, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum vniuersorum pauperum Orphanorum S. Mariæ Magdalenæ in suburbio Sancti Leonardi Bergomen. & Mediolanen. Comen. Ianuen. Papien. Brixien. & Veronen. Ciuitatum, ac Diœcesum Hospitalium Recollectorum nuncupatorum ac tam Ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum in eis deseruientium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum alias quondam Hieronymus Mianus Ciuis Venetiarum, plures pauperes Orphanos propter bellorum in Italia vrgentium tristes euentus, & famem vrgentem, passim derelictos vagari videret, idem Hieronymus deuotionis feruore, & pietate motus prædictum hospitale S. Mariæ Magdalenæ inchoauit, & deinde hospitale prædictum, tam propter ciuium in Ciuitate Bergomen. degentium feruentem charitatem, quam prouidam directionem, & salubre regimen prædicti Hieronymi, in tantum auctore Domino creuit, vt idem Hieronymus ad alia hospitalia in aliis Italiæ partibus instituenda animum applicarit. Ita quod tam in Mediolanen. quam Comen. & aliis Ciuitatibus, ac diœcesibus prædictis, similia, & in quibusdam ex eis mulierum conuersarum Hospitalia, dicto Hieronymo, & nonnullis aliis mediantibus erecta fuerunt. Vnde hospitalia ipsa de bono in melius perducuntur, in dies eorum numerus augetur, & augeri speratur, & sicut eadem expositio subiungebat, si in eisdem hospitalibus, quæ per dictos Clericos, & Laïcos insimul gubernari consueuerunt, vnus superior, vel caput, qui inibi pro tempore seruientes congregari facere, & de loco ad locum mutare valeret, existeret, hospitaliaque ipsa aliquibus prærogatiuis decorarentur, profecto salubri ipsius hospitalis, & illi deseruientium prædictorum directioni, & quieti, plurimum consuleretur, ac in illis degentes pauperes huiusmodi, & melius gubernarentur, & pertractarentur, dictæque personæ in eo confouerentur, & ad solita seruitia inuitarentur. Quare pro ipsorum pauperum, & deseruientium personarum parte nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ergo Pontifex d. licentiam concedit.

§. 2. Nos igitur qui charitatis opera vbique exerceri, sinceris desideramus affectibus, quemlibet ex pauperibus personis prædictis, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium eisdem hospitalibus, quod pauperes, & personæ in eis pro tempore degentes, & deseruientes, vnam ex personis inibi deseruientibus huiusmodi, Ecclesiasticam vel sæcularem, inter eos superiorem, vel caput quæ ipsos congregari facere, ac de loco ad locum mutare, & quæcumque statuta, & ordinationes licita & honesta ac sacris Canonibus non contraria concedere, ipsaque statuta, quoties ei videbitur mutare, ac de nouo statuere possit, eligere.

Sacerdotesque eorum diuina officia eisdem pauperibus recitare posse decernit.

§. 3. Necnon Sacerdotes eisdem pauperibus pro tempore deseruientes, horas Canonicas, diurnas pariter & nocturnas, Missas, & alia diuina officia, secundum ritum, & morem, & vsum S.R.E. etiam nouissime editum dicere, & recitare.

Et omnium in eorum locis degentium confessiones audire, & eos absoluere vti locorum ordinarios posse innuiget

§. 4. Ipsosque pauperes, ac omnes, & singulos in dictis hospitalibus deseruientes dumtaxat, eorum confessionibus diligenter auditis, ab eorum omnibus, & singulis peccatis, casibus, criminibus, excessibus, & delictis, à quibus locorum Ordinarij absoluere consueuerunt, absoluere, ac pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere libere, & licite valeant perpetuo concedimus, & indulgemus.

Defensores, & huius constitutionis executores deputat.

§. 5. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Casertan. Feltren & Visonen. Episcopis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel per alium, seu alios, auctoritate nostra faciant præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, plenum effectum sortiri, ac inuiolabiliter obseruari, illisque pauperes Sacerdotes prædictos, ac omnes, & singulos alios quos quomodolibet concernunt pacifice frui, ac gaudere, iuxta præsentium continentiam, & tenorem. Non permittentes quenquam contra illorum tenorem, modo aliquo molestari, impediri, aut inquietari. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Contraria tollit.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque indultis, ac literis Apostolicis, etiam in forma Breuis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & nos ac Sedem prædictam, etiam per viam generalis legis, & statuti perpetui, & initi, ac stipulati contractus, ac motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum quibusuis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, reuocatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis, ac derogatoriarũ derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis, etiam quibusuis locorum Ordinariis sub quibusuis verborum formis extensionibus concessis, confirmatis, & innouatis quibus (illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes) illis alias in suo robore remansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo, &c.

Dat. Pontif. An. 6. die 5. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1540. Non. Iunij, Pontificatus nostri anno sexto.

Institutio Studij generalis, in Ciuitate Maceraten. Prouinciæ Piceni, & Status Ecclesiastici, cum aliorum Studiorum generalium gratiis, & priuilegiis. XXII.

Quoad Lectores, & Scholares eiusmodi Studiorum, vide etiam Concil. Trident. sess. 5. cap. 1. & const. 88. Pij IV. In Sacrosancta & const. seq. Et in hac Ciuitate Sixtus V. instituit Rotam infra in const. 94. Romanus.

Edita An. D. 1540.

PAVLVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

IN eminenti dignitatis Apostolicæ specula, superni dispositione consilij licet immeriti constituti ad cunctas fidelium regiones nostræ vigilantiæ potissime etiam in temporalibus creditas, earumque profectus, & commoda, tanquam Pastores vniuersalis gregis Dominici nostræ considerationis aciem, quantum nobis conceditur extendentes, fideles ipsos ad quærendum literarum studia, per quæ militantis Ecclesiæ Respublica geritur, ac diuini nominis, & fidei Catholicæ cultus protendi-

tur,

tur, omnisque prosperitatis humanæ conditio augetur, nostræ sollicitudinis ope, Apostolicisque fauoribus propensius excitamus.

Causa huius constitutionis.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis Ciuitatis nostræ Maceraten. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum dicta Ciuitas, in qua Curia generalis Marchiæ nostræ Anconitanæ residet, & victualium omnium copia habetur, propter varias ipsius Ciuitatis conditiones, & commoditates, generali Studio non modicum apta censeatur, ac Reipublicæ expedire credatur, vt in ipsa Ciuitate emanet fons scientiarum irriguus, de cuius plenitudine, vniuersi literalibus documentis imbui cupientes, haurire possint, si in eadem Ciuitate, vna vniuersitas Studij generalis, cuiuscumque facultatis & scientiæ erigeretur, & institueretur, profecto Maceraten. prædictæ, & aliarum Ciuitatum, ac locorum circumuicinorum incolis, & habitatoribus in scientia proficere volentibus magna commoditas studendi pararetur. Ac ex eorundem studentium postmodum doctrina, & scientia, in Ciuitatum, Terrarum, & locorum regimine, ac ipsius fidei Catholicæ propagatione, quamplurimi fructus prouenirent. Quare pro parte præfatorum Communitatis nobis fuit humiliter supplicatum, vt super iis, ad hoc, vt in ipsa Ciuitate literarum studium, incrementum suscipiat, opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Institutio studij generalis in Ciuitate Maceraten.

§. 2. Nos igitur attenden. quod ex literarum studio, tam publica, quam priuata, spiritualia, & temporalia commoda mundo proueniunt, Communitatem præfatam, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, in eadem Ciuitate Maceraten. perpetuis futuris temporibus generale Studium cuiuscumque facultatis, & scientiæ licitæ, cum Cathedris facultatum earundem, ac potestate & facultate doctorandi, seu magistrandi, necnon Rectoriæ, & aliis pro illius prospero, & felici regimine necessariis facultatibus, & officiis, ita vt inibi generale Studium in qualibet licita facultate perpetuo habeatur & vigeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus, & instituimus. Ac eidem Studio, & illius vniuersitati, necnon Rectori, Doctoribus, Scholaribus, & personis pro tempore existentibus, ac illis, quos, inibi ad quoscumque gradus promoueri contigerit, vt omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, præeminentiis, antelationibus, prærogatiuis, honoribus, fauoribus, gratiis, concessionibus, & indultis, tam à Iure communi, quam ex concessionibus Apostolicis, & Imperialibus, vel alias quomodolibet, in genere & in specie, Bononien. Paduan. ac quibuscumque aliorum quorumcumque Studiorum generalium vniuersitatibus, illarumque Rectoribus, Scholaribus, & personis, ac in eis pro tempore promotis, quomodolibet concessis, & concedendis, & quibus illi vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterint quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere plene, liberè, & licitè possint, & debeant, etiam in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa eidem vniuersitati ipsius erecti Studij, & illius Rectori, Doctoribus, Scholaribus, & personis, ac in illa pro tempore promotis, specialiter, & nominatim concessa forent, auctoritate, & tenore prædictis, de speciali gratia indulgemus.

Rectoris, & Officialium facultas, statuta pro eius regimine condendi.

§. 3. Necnon eidem vniuersitati, ac illius Rectori, & Doctoribus pro tempore existentibus, quæcumque statuta, & ordinationes, licita & honesta, ac Sacris Canonibus non contraria condendi, & prout qualitas temporum exegerit reformandi, immutandi, ac alia de nouo edendi, quæ postquam condita, reformata, immutata, & de nouo edita fuerint, eo ipso auctoritate Apostolica approbata, & confirmata sint, & esse censeantur, plenam, & liberam facultatem concedimus.

Priuilegium Scholarium.

§. 4. Decernentes Ciues dictæ Ciuitatis, qui inibi studuerint, & eorum Conclusiones inter Aduocatos, & Procuratores ipsius Curiæ sustinuerint, & alias idonei, & sufficientes reperti fuerint, eo ipso in Collegio ipsorum Aduocatorum & Procuratorum receptos & admissos esse, & censeri, ac pro talibus haberi, eisdemque priuilegiis, & indultis Aduocatorum, & Procuratorum gaudere, & potiri, & recipi, & admitti debere.

Ciuium, Conclusiones sustinentium.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus consuetudinibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Collegij Aduocatorum, & Procuratorum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, necnon priuilegiis, & Indultis Apostolicis, eidem Collegio concessis, approbatis, & innouatis, cæterisque contrariis quibuscumque: Nulli ergo, &c.

Dat. Pontif. An. 6. die 1. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo Kalend. Iunij Pontificatus nostri anno sexto.

Priuilegia, & gratiæ Prælatorum Referendariorum vtriusque Signaturæ Romani Pontificis. XXIII.

Eorum numerum, & qualitates præfiniuit Sixt. V. infr. in eius const. 41. Quemadmodum, vbi nonnulla etiam priuilegia iterato concessit.

Edita ... 1540.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Causa illius const.

DEbita consideratione pensantes quantum venerabiles fratres Episcopi, ac dilecti filij in minoribus constituti, vtriusque Signaturæ, Supplicationum videlicet, & Commissionum per nos, seu in præsentia nostra signandarum, infrascripti Referendarij nostri, qui præ cæteris officialibus, & ministris nostris propinquius nobis assistunt, circa ipsas supplicationes, & commissiones, pro nostro, & Apostolicæ Sedis honore, ac vniuersalis Ecclesiæ vtilitate, & alias gratis, prompta voluntate, indefesse laborant, dignum, quin potius debitum reputamus, vt illos specialis beneuolentiæ fauoribus amplectamur, ac præclaris dignitatum titulis decoremus, & alias nos eis (prout conuenit) gratiosos exhibeamus.

Referendarios creat Sedis Apostol. Notarios & Comites Palatinos, ac vera Nobilitatis titulo decorat, &c. Hoc idem concessit Sixt. V. in rubr. citat.

§. 1. Hinc est, quod nos fel. record. Leonis X. & Clementis VII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eosdem infrascriptos Referendarios nostros, qui Prælati, ac etiam familiares continui commensales nostri existunt, condigni fauoris gratia, & excellentiæ dignitate sublimare, ac opportunis fauoribus munire volentes, ipsosque Referendarios, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus vel quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu Proprio, non ad ipsorum Referendariorum, vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, auctoritate Apostolica tenore præsentium præfatos Referendarios, & eorum singulos, qui præsules non sunt, ac alios infrascriptos, & eorum singulos in nostros, & dictæ Sedis Notarios gratiose recepimus, eosque, & alios qui præsulea existunt, ac eorum singulos in Sacri Palatij, & Aulæ Lateranensis Comites, necnon qui nobiles non sunt, nobiles facimus, constituimus, ordinamus, & deputamus, ac nobilitamus, necnon nobilitatis titulo, & fauore decoramus, ac aliorum nostrorum, & Sedis prædictæ Notariorum, necnon Palatij, & Aulæ huiusmodi comitum, ac ex Magno Baronum, & nobilium genere procreatorum numero, & consortio fauorabiliter aggregamus, eosque deinceps nobiles esse, & pro nobilibus reputari, nominari, teneri, censeri, & iudicari, Ac de cætero in quibusvis concessionibus, & literis, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, à nobis, seu Sede prædicta impertatis, seu impetrandis, vel eis à nobis aut aliis quibuscumque concessis, & concedendis, ac instrumentis, seu aliis scriptis

etiam

etiam authenticis, & priuatis, nobiles nominari, & pro talibus haberi posse, & debere volumus. Eisque quod omnibus, & singulis priuilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, prærogatiuis, etiam in assecutione quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam vigore gratiarum expectatiuarum, & illarum mutationum, extensionum, & reualidationum, collationum & quarumcumque aliarum gratiarum, & indultorum, quibus cæteri nostri, & dictæ Sedis Notarij de numero participantium existentes, & absque illorum præiudicio, ac Palatij, & Aulæ prædictorum Comites, necnon veri & indubitati nobiles, & ex nobilium genere ex vtroque parente procreati, tam de iure, quam consuetudine, seu alias quomodocumque vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, in iudicio, & extra, ac vbicumque locorum vti, potiri, & gaudere debeant in omnibus & per omnia, perinde, ac si Referendarij, & alij infrascripti, de dicto magno Baronum, & nobilium genere ex vtroque parente, vere & non ficte procreati, & geniti forent, concedimus. Ac eorum singulis, sublatis quibusuis obstaculis, & impedimentis, veros nobiles esse, & de nobili ex dicto genere ex vtroque parente procreatos, censeri debere decernimus, & declaramus.

Insignia sua eis donat. Sixtus V. eadem donauit vt ibid.

§. 2. Et in signum honoris, & nobilitatis huiusmodi, eis & eorum cuilibet, pro insigniis, & armis, quibus ipsi, & ab eis descendentes, & ascendentes vti possint in decorem, partem insigniorum nostrorum, si eis vti voluerint, etiam cum vel absque armis suis, si illa habuerint, vel illis vsi fuerint, aut sine ipsis, prout duxerint ordinandum, seu eligendum, assignamus, & perpetuo decoramus.

Notarios creandi facultatem dat. Hoc reuocat Pius V. dum confirmat priuilegia Archiuij in const. 87.

§. 3. Et eis illos, quos moribus, scientia, ætate, aliisque requisitis qualitatibus ad officiū Tabellionatus exercendum idoneos esse repererint, adinstar aliorum dicti Palatij Comitum, vbique locorum, extra tamen muros Vrbis, seu locum in quo Romanam Curiam residere contigerit, Notarios, Tabelliones publicos, ac Iudices ordinarios (recepto prius ab eis, iuxta formam præsentibus adnotatam, solito iuramento) creandi, deputandi, & constituendi, ac de Notariatus, & Tabellionatus, ac Iudicatus officij huiusmodi per pennam & calamare (vt moris est) inuestiendi.

Bastardosque legitimandi. Hoc pariter reuocatū postea à Pio V. ibid.

§. 4. Necnon quoscumque spurios, naturales, bastardos, manseres, nothos, & incestuosos, copulatiue, vel disiunctiue ex quocumque illicito, etiam sacrilego, vel damnato coitu, pro tempore procreatos, seu genitos viuentibus, seu mortuis eorum parentibus, legitimandi, & habilitandi, & ad hæreditates, & bona, prout Collegiū Archiuij dictæ Romanæ Curiæ, vel eius Officiales iuxta facultatem eis per piæ mem. Iulium Papam II. etiam prædecessorem nostrum concessam, vel alias ipsi Comites Palatini de iure vel consuetudine legitimare & habilitare respectiue possunt legitimandi, & habilitandi, & ad officia sæcularia, publica, & priuata, ac honores, & bona quæcumque restituendi, & reintegrandi.

Doctorandi etiā in vtroque iure, &c. Abrogauit Pius V. infra in const. 60. Quamuis.

§. 5. Necnon quoscumque idoneos (adiunctis in hoc sibi assistentibus duobus, aut tribus Magistris, seu Doctoribus, aut Licentiatis in facultate in qua promouendi, erunt, quos ad hoc duxerint eligendos, eorum votis iuratis) in vtroque, vel alterum Iurium, & Theologia, ac Artibus ad Baccalariatus, & Licentiaturæ, ac Doctoratus, & Magisterij gradus respectiue vbique locorum promouendis, eisque sic promotis legendi, disputandi, interpretandi, ac alios actus ad personas huiusmodi gradibus constitutas, quomodolibet pertinentes faciendi, & ipsorum graduum solita insignia, & auctoritatem conferendi. Ac si promoti, quod omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, nobilitatibus, concessionibus, honoribus, libertatibus, præeminentiis, & prærogatiuis, quibus alij in Bonon. Parisien. Louanien. Tholosan. ac quibusuis aliis Vniuersitatibus in quibus Studium generale viget, promoti, etiam in assecutione beneficiorum Ecclesiasticorum vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, non solum ad ipsorum instar, sed pariformiter, & absque vlla differentia, perinde ac si vere & non ficte, in aliqua ex eisdem Vniuersitatibus, rigore examinis præcedente, ac aliis solemnitatibus seruari solitis obseruatis, & alias iuxta formam statutorum, ac consuetudinum ipsarum Vniuersitatum, ac priuilegiorum illis concessorum, promoti fuissent, vti, potiri, & gaudere valeant concedendi, plenam & liberam facultatem concedimus.

Mithra Annulo, & Baculo pastorali vtendi, & solemnem Benedictionē dandi facultatē eisdem Referendarijs concedit. Concessit etiā Sixt. V. vbi sup.

§. 6. Præterea eisdem Referendariis, & aliis infrascriptis, ac eorum singulis, Monasteria, quorum Abbates pro tempore existentes mithra, & aliis Pontificalibus insignis, ex priuilegio Apostolico, vel alias vti consueuerunt, in commendam pro tempore obtinentibus, in ipsis Monasteriis perinde ac si illis vt Abbates præessent, Mithra, Annulo, & Baculo pastorali, ac aliis Pontificalibus insigniis huiusmodi vti. Necnon solemnem Benedictionem post Missarum, Vesperarum, Matutinorum, & aliorum diuinorum officiorum solemnia, super populum tunc interessentem (dummodo inibi aliquis Antistes, seu dictæ Sedis Legatus præsens non sit, vel præsens fuerit, ad id eius accedat assensus) elargiri libere, & licite valeant.

Referendarij & eorum duo familiares, Apostol. & alias expeditiones gratis obtinent.

§. 7. Illique ac alij omnes & singuli Referendarij, ac alij prædicti, vt duos familiares in rotulo familiarium nostrorum numeratos habeant; & tam ipsi Referendarij, quam duo adnotandi familiares, quoad expeditionem quarumcumque literarum Apostolicarum tam gratiam, quam iustitiam concernentium, necnon instrumentorum & aliorum quorumcumque gratis vbique in omnibus officiis, tam Cancellariæ, etiam Sollicitatorum literarum Apostolicarum Cameræ Apostolicæ, quam in Auditorio Rotæ, & in quibusuis aliis, ordinariorum & extraordinariorum Iudicum tribunalibus, absque alio speciali mandato desuper expediendo, omni contradictione & dilatione cessantibus, expediant, prout alij familiares continui commensales nostri in dicto rotulo descripti, & prout causarum Palatij Apostolici Auditores expediunt.

Vini gabella Riparum Vrbis non soluunt.

§. 8. Ipsique Referendarij, & eorum singuli pro eorum vsu ex Ripa, & Ripetibus nostræ Vrbis sexaginta vegetes vini communis singulis annis gratis ad instar Clericorum Cameræ Apost. libere extrahere possint, indulgemus.

Exemptique sunt ipsi & eorum familiares, ac beneficia à iurisdictione Ordinariorum, &c.

§. 9. Et nihilominus Referendarios, & alios prædictos, ac eorum singulos, ac illorum omnia, & singula beneficia, & officia Ecclesiastica, quæ obtinent, ac in futurum canonice obtinebunt, & in illis pro tempore deseruientes, ac Capellanos, familiares, & seruitores suos tam præsentes, quam futuros, & sua ac illorum bona, quoad vixerint, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, & Ordinariorum locorum quorumcumque, illorumque Vicariorum, & Officialium, Locatenentium, & Iudicum, etiam à dicta Sede delegatorum, aut subdelegatorum quomodolibet, nunc, & pro tempore existentium. Eosque in rebus, & bonis illorum propriis dumtaxat, cum eis contrahentes, à solutione, & exactione quarumcumque pedagij, gabellæ, collectarum, decimarum, & cuiusuis alterius oneris, tam ordinarij quam extraordinarij, vbicumque locorum, & ex quacumque causa, etiam per synodales constitutiones impositi, vel imponendi, eximimus, & totaliter liberamus, ac sub B. Petri & Sedis prædictæ, atque nostra protectione suscipimus, nobisque & dictæ Sedi mediate subiicimus, ac liberos, immunes, exemptos, susceptos, & subiectos omnes constituimus, & declaramus, & decernimus, ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Ordinarij locorum, eorumque Vicarij, Officiales, Locatenentes, & Iudices, etiam à Sede prædicta deputati præfati, & alij quicumque, etiam ratione delicti contractos, vel rei de qua ageretur, vbicumq; committatur delictum ineatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in eis, aut aliquem eorum, ac beneficia huiusmodi, & in illis deseruientes, Capellanosque familiares, & seruitores suos, præsentes & futuros, ac bona prædicta, iurisdictionem, correctionem, visitationem, dominium, superioritatem,

& potestatem exercere, aut alias iniurias, & damna irrogare, ac excommunicationis, aliasque sententias, censuras, & pœnas proferre. Nec exactores gabellarum, pedagiorum, decimarum, & onerum huiusmodi, ad aliquam solutionem eos coarctare, aut alij quicumque, cuiuscumque, Ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis, status gradus, conditionis, & præeminentiæ existant, illos super præmissis, & illorum vsu, à possessione, seu quasi etiam ex quocumque crimine, vel delicto, præterquam in nostram & Romanæ Ecclesiæ offensam perpetrato, directè vel indirectè, quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, aut alias quomodolibet impedire quoquo modo præsumant, aut debeant, seu etiam valeant, sed solum Referendarij, deseruientes, Capellani, familiares, & seruitores præfati coram nobis, & Sede prædicta duntaxat, de iustitia respondere teneantur. Decernentes quoscumque processus, sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, quos & quas per Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, locorum Ordinarios, illorumque Vicarios, & Officiales, Locatenentes, & Iudices, etiam à Sede prædicta delegatos, aut subdelegatos, ac alios prædictos, aut eorum aliquos, contra Referendarios, & alios infrascriptos, ac deseruientes, Capellanos, familiares, & seruitores præfatos haberi, seu promulgari contigerit, & quæcumque inde secuta, nulla, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti fore, & esse.

Gratiæ expectatiuæ & plura beneficia vt hic cõsequi possunt. Quod reuocatum à Pio V. in constit. 73. vbi not. Et vide etiã Gregor. XIII. const. 85.

§. 10. Cæterum Referendariis, & aliis prædictis, ac eorum singulis, vt literas gratiarum expectatiuarum, cum eis generaliter concedi contigerit, absque aliqua signatura desuper obtinenda, ad tres collationes per singulos eorum eligendas, & totidem beneficia, etiam cum creatione in Canonicum quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitan. vel Collegiatarum Ecclesiarum, sub expectatione totidem inibi præbendarum, etiam maiorum, & pinguiorum, ac dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, etiam Curatorum, & electiuorum, ac ferculorum, obligearum, additamentorum, præstimoniorum, seu præstimonialium portionum, aut simplicium beneficiorum, vnius, duorum, vel plurium cedentium, vel decedentium ipsarum Ecclesiarum, Canonicorum, seu alias in earum Ciuitatibus, seu Diœcesibus beneficiatorum aut ad tria beneficia Ecclesiastica, etiamsi duo illorum cum cura, aut Decanatus, vel Archipresbyteratus rurales, seu Vicariæ, & Capellaniæ perpetuæ, qui, vel quæ dignitates, etiam curatæ, extra tamen Cathedrales Ecclesias repræsentent, aut dignitates, vel personatus, seu singula eorum Canonicatus, & præbenda, administratio, vel officium, etiam curatum, & electiuum in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, aut vnum ex eis, cum cura vel sine cura, cuiusvis Ordinis Regulare, etiamsi Prioratus, Præpositura, præpositatus, vel alia dignitas, non tamen Conuentualis, personatus, administratio, vel officium, etiam curatum, & electiuum, non tamen claustrale, ac illud, vel vnum, ex sæcularibus beneficiis huiusmodi, ex quavis causa dispositioni Apostolicæ specialiter vel per Cancellariæ Apostolicæ regulas, aut alias ex quavis causa, etiam de necessitate exprimenda, præterquam ratione vacationis illius apud Sedem prædictam, & familiaritatis continuæ commensalitatis nostræ aut alicuius ex S.R.E. Cardinalibus viuentibus, & in Romana Curia præsentibus, quorum consensus requireretur, generaliter reseruata existant, quorum fructus, redditus, & prouentus ducentorum ducatorum auri de Camera, secundum taxationem decimæ, valorem annuum non excedant, sæcularia, videlicet, per ipsos in minoribus constitutos in titulum, regularia vero in commendam. Ac tam regularia, quam sæcularia beneficia huiusmodi per præfatos Referendarios in commendam retinenda, etiam extra nationem, in qua idioma non intelligunt, pro eis, & eorum quolibet, cum reseruationis, inhibitionis, & decreti, ac aliis clausulis opportunis expedire, ac in & sub illis comprehensorum quorumcumque, cum cura & sine cura, sæcularium & regularium cuiuscumque qualitatis existentium beneficiorum Ecclesiasticorum assecutione, quibuscumque aliis nullis prorsus præterquam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus exceptis, omnino præferri pariter, & anteferri possint, & debeant. Et quævis antelationes, prærogatiuæ, decreta, declarationes, suspensiones, & clausulæ etiam derogatoriæ, quibuscumque aliis concessæ, etiamsi in eis caueretur expresse, quod illis per alia priuilegia, literas & indulta derogari, vel illorum effectus suspendi non possent, & in assecutione per eos facienda, singulis aliis personis, etiam similes, aut illis maiores prærogatiuas pro tempore prosequentibus, omnino possent, & deberent anteferri, quominus ipsi Referendarij in huiusmodi per eos facienda assecutione potiores existant, cuiquam suffragentur, absque tamen præiudicio familiarium continuorum commensalium nostrorum descriptorum, illorum videlicet, qui pro tempore assumptionis nostræ ad summi Apostolatus apicem nostri familiares continui commensales existerent, necnon quinquaginta aliorum post vltimum ex supradictis antiquis familiaribus descriptis adnotatorum. Ipsique Referendarij ad satisfaciendum constitutioni de publicandis acceptationibus, & prouisionibus, ac illis intimandis possessoribus, seu eis ad iudicium euocandis pro tempore edendis minime teneantur, sed tantum nouam prouisionem à die notitiæ vacationis illorum habere debeant, quæ alias diligentias fieri necessarias, ac defectus suppleant, indulgemus. Et insuper eum singulis Referendariis, ac aliis prædictis, vt quæcumque quatuor curata, seu alias inuicem incompatibilia sæcularia, aut cum vno, vel duobus, aut tribus ex eis, seu absque illis, vnum cum cura, vel sine cura sancti Benedicti, vel sancti Augustini, aut cuiusvis alterius, etiam Cluniacen. Cistercien. Præmonstraten. vel Grandimonten. Ordinis Regularis, necnon quæcumque alia tria similia, vel dissimilia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Ecclesiarum, consistentia beneficia Ecclesiastica, etiamsi sub eisdem tectis consistentia, Canonicatus, & præbendas, ac tam illa quam incompatibilia sæcularia, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales maiores, seu Collegiatis Ecclesiis huiusmodi principales, aut tria ex ipsis incompatibilibus, sæcularibus beneficiis Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, regularia vero beneficia huiusmodi, Prioratus, præpositura, præpositatus, dignitas, personatus, administratio, vel officium, seu talia mixtim fuerint. Et ad Prioratum, præposituram, præpositatum, dignitates, personatus, administrationes, vel officia huiusmodi consueuerint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si eis alias canonice conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere. Et sæcularia in titulum, ac regulare in commendam sub eisdem tectis consistentia, videlicet, si singula illorum Canonicatus, & præbendæ, aut totidem dignitates, personatus, administrationes, vel officia ad annum à dio habitæ per eos illorum pacificæ possessionis computandum dumtaxat. Si vero alia fuerint illa, ac incompatibilia sæcularia, necnon regularia beneficia huiusmodi, quoad vixerint, retinere, illaque omnia simul, vel successiue, simpliciter, vel ex causa permutationis, quoties eis placuerit, dimittere, & eidem commendæ cedere, ac loco dimissæ, vel dimissorum aliud, vel alia simile, vel dissimile, aut similia, vel dissimilia beneficium, vel beneficia, Ecclesiasticum, vel Ecclesiastica, quatuor dumtaxat curata, seu alias inuicem incompatibilia sæcularia, aut cum vno, vel duobus, seu tribus ex eis, aut absque eis, vnum cum cura, vel sine cura sancti Benedicti, vel Augustini, aut cuiusvis alterius, etiam Cluniacen. Cistercien. Præmonstraten. vel Fontisebrandi Ordinis Regulare, necnon tria alia similia, vel dissimilia, sub singulis tribus tectis, quarumcumque trium Ecclesiarum consistentia similiter recipere. Et insimul sæcularia in titulum, ac regulare in commendam sub eisdem tectis consistentia, si illorum singula Canonicatus, & præbendæ, aut totidem dignitates, personatus, administrationes, vel officia ad annum, vt præmittitur, computanda dumtaxat. Si vero alia fuerint, illa, ac incompatibilia sæcularia necnon

regularia

regulare beneficia huiusmodi, dummodo inter illa omnia vitra quatuor incompatibilia & inter ipsa incompatibilia sæcularia, plures quam tres Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ. Ac post dictum annum, sub eisdem tectis consistentia, duo Canonicatus, & præbendæ, aut totidem dignitates, personatus, administrationes, vel officia, ac regulare beneficia huiusmodi dignitas Conuentualis, seu officium claustrale existant, quoad vixerint, retinere, necnon debitis, & consuetis ipsius regularis beneficij supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus, & prouentibus, sicut illud in titulum pro tempore obtinentes, de illis disponere, & ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, (alienatione tamen quorumcumque illius bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium eis penitus interdicta) disponere, & ordinare, libere, & licite valeant. Quodque ratione quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum curatorum, seu alias sacros etiam Presbyteratus ordines, etiam ex statuto, & fundatione, consuetudine, priuilegio vel alias requirentium, per eos, & eorum quemlibet, nunc, & pro tempore obtentorum, vsque ad septennium à fine anni à iure præfati computandum, ad aliquem ex dictis sacris etiam Presbyteratus ordinibus se promoueri facere minime teneantur, nec ad id à quoquam inuiti compelli possint, dispensamus.

In quibuscumque Prouinciis beneficia retinere possint, ac si in illis nati essent.

§. 11. Ipsosque Referendarios, & alios infrascriptos, & eorum singulos, omnium Regnorum, Dominiorum, & Prouinciarum legitimos, & naturales, ita quod ipsi, vel Procuratores sui illorum nomine, in regnis, dominiis, & prouinciis, huiusmodi quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, sæcularia & quorumvis Ordinum regularia, etiam vt præfertur, qualificata, etiam vigore gratiarum expectatiuarum, specialium vel generalium reseruationum, illarumque collationum, mutationum, extensionum, reualidationum per nos, & successores nostros Rom. Pont. pro tempore existentes, & Sedem prædictam eis concessarum, & concedendarum acceptare, ac de illis sibi prouideri facere. Et illa, ac si regnorum, dominiorum, & prouinciarum eorundem oriundi, ac in illis nati essent recipere, & retinere libere, & licite valeant, creamus, constituimus, & deputamus.

Referendarij absentes iussione Pontificis, aut Studij occasione, fructus Beneficiorum percipere valeant.

§. 12. Ac eisdem Referendariis, & aliis infrascriptis, ac eorum singulis, vt quoad vixerint in dicta curia, vel aliquo beneficiorum Ecclesiasticorum, per eos pro tempore obtentorum, aut si contigerit ipsos per nos, & Rom. Pontificem pro tempore existentem ad aliquem locum destinare, in eo loco residendo, aut literarum studio, in loco vbi illud vigeat generale, insistendo, omnes & singulos fructus, redditus, & prouentus quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum per eos, in quibusvis Ecclesiis siue locis, nunc & pro tempore obtentorum, & obtinendorum, etiamsi canonicatus & præbendę, & alias, vt præfertur, qualificata fuerint, ac personalem residentiam ex statuto, fundatione, aut consuetudine requirant, etiamsi fructus, redditus, & prouentus vnius beneficiorum huiusmodi, non nisi in distributionibus quotidianis consistant, & aliorum omnium cum ea integritate (quotidianis distributionibus quoad alia dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis siue locis personaliter residerent, ac primam residentiam fecissent. Ac quoad vnum ex beneficiis huiusmodi, diuinis & omnibus aliis actibus interessent, & ad residendum interim, in eisdem Ecclesiis siue locis, in quibus beneficia ipsa fuerint, minime teneantur, nec ad id à quoquam inuiti coarctari valeant, percipere.

Indultum circa residentiam. Est abrogatum infra in Pij IV. const. 91. & Conc. Trid. sess. 23. c. 1.

§. 13. Ac residendo, vbi supra, eisdem beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, sæcularibus & regularibus, quæ in eisdem Ecclesiis siue locis, in titulum vel commendam, vt præfertur, obtinent, & in posterum obtinebunt, per Capellanos seu Vicarios idoneos, ad eorum nutum amouibiles, in diuinis deseruiri, & animarum cura exerceri, & quæcumque Ecclesiastica sacramenta ministrari facere libere & licite valeant, diœcesani loci, & cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita.

§. 14. Necnon vt aliquem idoneum Presbyterum sæcularem, vel cuiusvis Ordinis regularem, in suum possint eligere confessorem, qui vita eis comite in casibus Sedi prædictæ reseruatis (præterquam offensæ Ecclesiasticæ libertatis: criminum hæresis, rebellionis, aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, seu Sedem prædictam, falsitatis literarum Apostolicarum, supplicationum & commissionum, inuasionis, deprædationis, occupationis, aut deuastationis terrarum & maris Romanæ Ecclesiæ, mediate vel immediate subiectorum, offensæ personalis, in Episcopum aut alium Prælatum, prohibitionis, deuolutionis causarum ad Romanam Curiam, delationis armorum & aliorum prohibitionem ad partes infidelium) semel dumtaxat in vita, in aliis vero quoties fuerit opportunum, confessionibus eorum diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impendat, & iniungat pœnitentiam salutarem. Necnon vota quæcumque (vltramarino, visitationis liminum Apostolorum Petri & Pauli, ac S. Iacobi in Compostella, necnon castitatis & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat. Quodque confessor, quem duxerit eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, etiam semel in vita & in mortis articulo, plenam remissionem eis in sinceritate fidei, vnitate dictæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia nostra & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, persistentium, auctoritate Apostolica concedere possit. Sic tamen, quod idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam illis per eos, si superuixerint, vel per alios si forsan tunc decesserint, faciendam iniungat, quam ipsi vel alij facere teneantur.

Confessorem sibi eligant Referendarij, qui in casib. de quibus hic absoluere, & vota hic non excepta commutare possunt.

Attende const. 115. Clem. VIII.

Facultas habendi altare portatile, & celebrandi in locis interdicto suppositis.

§. 15. Liceatque eis habere altare portatile, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, sine iniuria alieni præiudicio, & quum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, si forsan eos ad loca Ecclesiastico interdicto, tam ordinaria quam Apostolica auctoritate supposita eos declinare contigerit, in illis clausis ianuis, non pulsatis campanis, & submissa voce, excommunicatis & interdictis exclusis, in sua & familiarium suorum domesticorum, ac quatuor aliarum personarum vtriusque sexus, per eos & quemlibet eorum eligendarum præsentium (dummodo ipsi, & illi causam non dederint interdicto, aut eis vel illis contigerit specialiter interdici) possint per se ipsos, qui Presbyteri fuerint, aut proprium vel alium sacerdotem idoneum, missas & alia diuina officia celebrare, seu celebrari facere, necnon tempore interdicti huiusmodi diuinis interesse, ac Ecclesiastica sacramenta recipere, & ipsis dicto tempore decedentibus, eorum corpora Ecclesiasticæ, etiam cum funerali pompa, tradi possint sepulturæ.

Indulgentias Stationum Vrbis Referendarij consequuntur visitando altaria per eos eligenda.

§. 16. Necnon singulis Quadragesimalibus & aliis temporibus, & diebus Stationum Basilicarum, & Ecclesiarum Almæ Vrbis, & extra muros eius, duas Ecclesias, vel duo, aut tria altaria, vnius vel diuersarum Ecclesiarum, in locis vbi ipsos, & eorum singulos pro tempore esse contigerit, per singulos pro tempore eligendos, seu eligenda, visitando, omnes & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si eisdem temporibus & diebus, Stationum Basilicas, & Ecclesias Vrbis huiusmodi, & extra muros eius ad id deputatas personaliter visitarent.

Carnibus vesci possunt diebus vetitis.

§. 17. Ac eisdem Quadragesimalibus, & aliis temporibus, quibus esus carnium, ouorum, casei, & lacticiniorum, de iure vel consuetudine est prohibitus, eisdem ouis, caseo, butyro, & aliis lacticiniis, ac de vtriusque Medici consilio, carnibus, absque conscientiæ scrupulo, vti, frui, & vesci.

Horasque canonicas postpositis horis recitare possunt.

§. 18. Necnon etiam quoad vixerint, & quoties eis placuerit, per seipsos, aut cum vno, vel duobus amicis, seu familiaribus suis per eos pro tempore eligendis, horas canonicas, diurnas pariter & nocturnas, ac alia diuina officia secundum vsum & morem dictæ Romanæ

Ad quod vide Pij V. constit. 64. Quod à nobis.

Ecclesiæ, dicere & recitare, liberè & licitè valeant, & ad alium vsum super hoc observandum minime teneantur, nec ad id à quoquam, etiam ratione quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inuiti compelli possint, etiam indulgemus. Et vlterius Referendariis, & aliis infrascriptis, ac eorum singulis, vtriusque sexus Parochialium Ecclesiarum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque per eos & eorum singulos, nunc & pro tempore obtentorum, ad eos confessionis audiendæ causa, pro tempore confluentium, confessionibus illorum per eos diligenter auditis, à quibusvis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, in omnibus & singulis casibus, in quibus Ordinarij locorum de iure vel consuetudine absoluere possint, quoties opportunum fuerit, Diœcesani loci & cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, absoluere, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere.

Testarique etiam de bonis acquisitis ex beneficijs prout Auditores Rotæ.

§. 19. Necnon, vt de omnibus, & singulis bonis mobilibus, & se mouentibus, ac immobilibus vbilibet consistentibus, necnon iuribus & actionibus, quæ ad eos, & eorum quemlibet, etiam Archiepiscopos, vel Episcopos, etiam ratione suarum quibus præesse dignoscuntur, ac aliarum Cathedralium Ecclesiarum, etiam Metropolitan. ad quas eos transferri contigerit, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, sæcularium & regularium quorumcumque obtentorum & obtinendorum, quomodolibet pertinent, & pertinebunt, acquisitis, & acquirendis, prout Auditores Curiæ causarum Palatij Apostolici ex priuilegio Apostolico, eis per nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros, & præsertim præfatum Iulium prædecessorem per eius literas, quas nos vidisse, tenuisse, & legisse, etiam motu simili attestamur, etiam cum expressis clausulis derogatoriorum derogatoriis concesso, vel alias disponere, erogare, testari, codicillari, & conuertere possint, tam in vita, quam eorum vltima voluntate, aut alio quocumque tempore, ac inter consanguineos, & alias qualcumque personas, etiam non notas, & loca etiam causa mortis, aut donationis inter viuos, necnon pro expensis funerum, & remuneratione illorum, qui eis viuentibus seruierint, disponere, erogare, testari, codicillari, & ordinare, ac illa alios in pios, & quoscumque alios licitos vsus, prout videbitur expedire, conuertere absque aliquo conscientiæ scrupulo, liberè & licitè valeant.

Auditorum Rotæ facultatem etiam habes sup. in Clem. VII. const. 13.

Resignandique & permutandi beneficia.

§. 20. Et demum, eis & illorum singulis, beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, & commendam, ac vt inuicem, seu aliis beneficiis ad eorum vitam vnita obtinent, & in posterum obtinebunt, simul, vel successiue, simpliciter, aut pro alio, vel aliis simili, vel dissimili, aut similibus, vel dissimilibus, beneficio, seu beneficiis, Ecclesiastico, vel Ecclesiasticis, cum quibusvis personis secum permutare volentibus, ex causa permutationis huiusmodi, in qua tamen nulla illicita pactio, siue simoniaca prauitas interueniat, in Ordinariorum locorum, aut Canonicorum Metropolitanorum, vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum, seu aliarum personarum in dignitate Ecclesiastica constitutarum, ad id per eos, vel Procuratores suos legitimos, eligendorum seu eligendarum manibus extra Romanam Curiam præfatam, eiusdem Apostolicæ Sedis, seu cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, quoties eis placuerit, resignandi, & commendis cedendi, necnon vnionum huiusmodi dissolutioni consentiendum ipsis Ordinariis, Canonicis, & personis in dignitate Ecclesiastica constitutis resignationes ab eisdem Referendariis, & aliis infrascriptis, simpliciter, vel ex eadem causa, & ab ipsis compermutantibus personis, ex dicta causa dumtaxat, & commendarum cessiones extra eandem Curiam recipiendi, & admittendi, vnionesque huiusmodi dissoluendi, necnon ea, quæ ipsi Referendarij, & alij infrascripti simpliciter resignauerint, seu quorum commendis cesserint, aut vnionum dissolutioni consenserint idoneæ, vel idoneis ad id per eos seu Procuratores prædictos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus & expectantibus, & quæ ex eadem causa secum permutantibus personis. Quæ vero ipsæ compermutantes personæ resignauerint, beneficia huiusmodi, etiamsi, vt præfertur, qualificata, & per eos pro tempore obtenta, ex personis ipsorum Referendariorum, & aliorum infrascriptorum, vel quavis alia causa dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata, seu ex generali reseruatione Apostolica affecta fuerint (dummodo Prioratus, vel alia dignitas Conuentualis, aut in Metropolitana, vel aliis Cathedralibus post Pontificales maiores, seu Collegiatis Ecclesiis huiusmodi principales, ac compermutantium personarum similem facultatem non habentium, beneficia huiusmodi dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata, seu affecta non existant) eisdem Referendariis, & aliis infrascriptis, per eos quoad vixerint, iuxta tenorem dispensationum eis pro tempore concessarum in titulum vel commendam tenenda, conferendi, & de illis etiam prouidendi, omniaque & singula alia in præmissis & circa ea, necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi, etiamsi dicti Referendarij beneficiorum huiusmodi possessionem per quatuor menses non obtinuerint, aut illam nondum assecuti fuerint, plenam & liberam facultatem concedimus.

Referendarij officium durante vita durante, & primo admissi, cæteris præferuntur.

§. 21. Decernentes, semel admissum & receptum in Referendarium hactenus & in futurum, semper Referendarium existere, ac eius officium quoad vixerit durare, & priuilegiis aliis Referendariis concessis pro tempore gaudere, & inter illos primo quandocumque admissum, cæteris quacumque etiam Pontificali dignitate fungentibus, in officio Referendariatus huiusmodi præferri.

Decretum irritans.

§. 22. Sicque pro præmissorum omnium validitate, efficacia, & obseruatione, per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij huiusmodi Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter sententiandi, iudicandi, interpretandi facultate, sententiari, iudicari, interpretari, & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid desuper per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Defensores Referendariorum.

§. 23. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Sipontino & Episcopo Nuscano, ac dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Mediolanensis in spiritualibus generali, tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Referendariorum, & aliorum infrascriptorum prædictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, præsentes literas & in eis contenta quæcumque firmiter obseruari, ac per Referendarios, & alios infrascriptos necnon singulos alios quos ipsæ præsentes literæ concernunt, illis omnibus pacifice gaudere, ac fructus, redditus, & prouentus prædictos eisdem Referendariis, & aliis infrascriptis, iuxta huiusmodi nostræ concessionis de illis in absentia percipiendis, continentiam & tenorem, integre ministrari. Non permittentes eos per Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, Ordinarios, Vicarios, Officiales, Locatenentes, Iudices, & exactores præfatos, ac dilectos filios Ecclesiarum prædictarum Capitula, seu quoscumque alios, quacumque auctoritate fungentes, contra præmissa, vel eorum aliquod, aut præsentium tenorem quomodolibet molestari, inquietari, perturbari, aut ad residendum in eisdem Ecclesiis, siue locis compelli. Contradictores, molestatores quoslibet & rebelles per censuras, &c. Non obstantibus, &c.

Declaratio circa beneficia.

§. 24. Volumus autem quod incompatibilia sæcularia, & sub eisdem tectis consistentia, ac sacros ordines requirentia, & alia sæcularia, necnon regularia beneficia huiusmodi, debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis, quibus illa imminebit nullatenus negligatur, sed in eis quorum fructus huiusmodi

huiusmodi ipsos Referendarios, & alios infrascriptos, in absentia percipere contingeret, per bonos, & sufficientes Vicarios, quibus de ipsorum beneficiorum prouentibus necessaria congrue ministrentur, & diligenter exerceatur, & inseruiatur inibi laudabiliter in diuinis. Ac sub eisdem tectis consistentium consueta, & regularia beneficiorum prædictorum antedicta onera congrue supportentur. Ac quod ipsi Referendarij, & alij infrascripti, infra dictum annum duo ex tribus præbendis, aut totidē dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis sub eisdem tectis consistentibus quæ maluerint, pro aliis beneficiis cū retentis Canonicatibus permutare, alioquin illa duo, quæ primo assecuti fuerint, ex tunc dicto anno elapso vacare decernimus, dimittere omnino teneantur.

Et confessionale.

§. 24. Et, ne quod absit, Referendarij ipsi propter huiusmodi gratiam vel concessionem eligendi Confessorem reddantur procliuiores ad illicita in posterum committenda, etiam volumus, quod si à sinceritate fidei, vnitate dictæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostra, vel successorum nostrorum canonice intrantium, destiterint, aut ex confidentia eiusdem concessionis, vel remissionis aliqua forsan commiserint, concessio, & remissio prædictæ, & quoad illas dumtaxat, præsentes literæ eis nullatenus suffragentur.

Et celebrandi ante diem.

§. 25. Quodque indulto celebrandi, seu celebrari faciendi ante diem, parce vtantur, quia cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster IESVS CHRISTVS DEI Filius, qui candor est lucis æternæ, congruit, hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce.

Recitandique horas Canonicas.

§. 26. Ac quod dum eosdem Referendarios diuinis officiis in aliquibus Ecclesiis contigerit interesse, illum morem, qui in eisdem Ecclesiis obseruabitur circa huiusmodi horas canonicas dicēdas studeant obseruare.

Dispensandique de bonis Ecclesiasticis.

§. 27. Necnon, vt in eorundem Ecclesiasticorum dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga Ecclesias à quibus eadem perceperint, se liberales exhibeant, prout conscientia eis dictauerit, & animarum suarum saluti viderint expedire. Quodque si singulorum beneficiorum prædictorum simpliciter resignandorum, seu quorum commendis dicti Referendarij, & alij infrascripti cesserint aut dissolutioni vnionum consenserint, fructus, redditus, & prouentus vigintiquatuor florenorum auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum excedant, conferentes, & illi quibus conferentur, etsi ex dicta causa resignationis huiusmodi fiant, ac illorum, & eis ex eadem causa collatorum beneficiorum huiusmodi, fructus, redditus, & prouentus inæquales maioris valoris fuerint, etiamsi ipsa æqualitas vigintiquatuor florenorum similes, secundum æstimationem prædictam non transcendat, similiter conferentes prædicti, & illi quibus beneficia maioris valoris huiusmodi collata fuerint, de nominibus, & cognominibus personarum, & beneficiorum eorundem, ac diebus factarum collationum huiusmodi gentes Cameræ Apostolicæ, aut Collectores, vel Subcollectores fructuum, & prouentuum eidem Cameræ debitorum in partibus illis pro tempore deputatos, infra vnius si citra, & tres menses si vltra montes collationes ipsæ factæ fuerint iuxta Sixti IV. & Innocentij VIII. prædictorum super hoc editas literas certificare procurent, alioquin beneficia ipsa sic collata vacare censeantur eo ipso.

Fides transumptorum.

§. 28. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda foret, loca deferre, similiter volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & alibi vbi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

Forma autem iuramenti quod Notarij, Tabelliones, & Iudices per dictos Referendarios creandi præstabunt, talis est.

Forma iuramenti Notariorum à Referendarijs creandorum.

§. 29. EGo N. ab hac hora in antea, fidelis, & obediens ero beato Petro, & Sanctæ Rom. E. & D.N.D. Paulo Papæ III. suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio cum alio, consensu, vel facto vt vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi per se, aut literas, seu nuntium manifestabunt, & ad eorum damnum scienter nemini pandam. Si vero aliquid ad mei notitiam peruenire contingat, quod in periculum Romani Pontificis, aut Ecclesiæ Romanæ vergeret seu graue damnum, illud pro posse impediam, & si hæc impedire non potero, procurabo bona fide id ad notitiam D.N. Papæ perferre. Papatum Romanum, & regalia S. Petri, ac iura ipsius Ecclesiæ, si qua eidem Ecclesiæ in Ciuitate, vel Terra, de qua sum oriundus, habeat, adiutor eis ero ad defendendum, & recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo. Contractus in quibus exigitur consensus partium, fideliter faciam, nil addendo vel minuendo sine voluntate partium, quod substantiam immutet. Verum in conficiendo aliquod instrumentum vnius solius partis, si sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam. Instrumentum non conficiam de aliquo contractu quo sciam interuenire vim, vel fraudem. Contractus in protocollum redigam, & postquam redegero malitiose non deferam. Citra voluntatem illorum quorum est contractus, super eo conficiam publicum instrumentum, ac solito meo iusto & consueto salario. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Moderatio Priuilegij circa Gabellam Vini.

§. 30. Volumus autem quod ij ex prænominatis qui ex aliqua causa priuilegio extrahendi gratis, vt præmittitur, vinum ex Ripa & Ripetibus vtuntur, indulto vigore præsentium eis superextractione sex vegetum vini concesso, vti non debeant neque possint.

D.P.A.6. die 30. Iulij.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die trigesima Iulij, millesimo quingentesimo quadragesimo Pontificatus nostri Anno sexto.

De appellationibus non admittendis non facto deposito pœnæ, in qua rei vel eorum fideiussores ad fauorem R. Cameræ Apostolicæ, aut eius Fisci condemnantur. XXIV.

Constitutio ista confirmatur & ampliatur à Pio IV. in const. 52. Et si cuncta, vbi materiam huiusmodi appellationum notabo.

PAVLVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1540.

Causa istius constitut.

CVm (sicut ex plurimorum fide dignorum relatione accepimus) nonnulli Ciuitatum, Terrarum, ac locorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate & immediate subiectorum, & præsertim Prouinciæ nostræ Romandiolæ, ad euitandum seu differendum pœnarum condemnationes & solutiones, ad appellationes plerumque etiam friuolas recurrant, causasque appellationum huiusmodi coram diuersis Iudicibus ordinariis & delegatis, etiam in Romana Curia per diuersa rescripta nobis, vel Signatura nostra Iustitiæ extorta introduci procurent, contra formam diuersarum constitutionum plurimorum Romanorum Pontificum, & præsertim Iulij II. Leonis X. & Clementis VII. prædecessorum nostrorum, quibus inter alia cautum fuit, quod appellationes in causis condemnationum, & Fiscalibus, nisi facto deposito pœnæ ad quam appellans foret condemnatus, admitti non posset, sed ad pœnæ huiusmodi exactionem procedi deberet, prout latius in constitutionibus huiusmodi, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, continetur.

Iulij II. constit. est sup.

Confirmatio huius Papa.

§. 1. Nos prædecessorum nostrorum prædictorum vestigiis inhærendo, indemnitati Cameræ Apostolicæ in quantum possumus, prouidere cupientes, Motu proprio & ex certa scientia, constitutiones prædictas, & in eis contenta quæcumque tenore præsentium confirmamus & approbamus, illasque in quantum opus sit, innouamus.

Ampliatio. §. 2. Et nihilominus Motu, scientia, & potestate similibus, de nouo statuimus & ordinamus per præsentes, quod nullæ appellationes & prouocationes in causis criminalibus, seu mixtis ac Fiscum & Cameram Apostolicam quomodolibet concernentibus, non facto deposito pœnæ, in qua delinquentes, aut illi qui pro delinquentibus ipsis fideiussissent, vel ex contractu quoquo modo condemnandi venirent, aut hactenus condemnati fuissent, recipi, & admitti possint, sed appellationes & prouocationes huiusmodi tam hactenus in causis huiusmodi interpositas, quam in futurum interponendas, ac appellantes ipsos reiici debere.

Annullatio commissionum signatarum absque clausula, facto deposito. §. 3. Illasque, ac quæcumque rescripta, & commissiones similium causarum, ad cuiusvis instantiam, per quemcumque ad commissiones Signaturæ Iustitiæ signandas deputatum, etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices hactenus signatas, & in futurum signandas, non facto dicto deposito, nullius fore & esse roboris vel momenti, sed illis non obstantibus ad vlteriora in causis ipsis vsque ad pœnarum dictarum effectualem exactionem procedi debere, prout procedi mandamus per præsentes.

Vel Fisco, aut Thesaurario Prouincia citato. §. 4. Et insuper, nullæ commissiones, Fiscum & Cameram Apostolicam quomodolibet concernentes, per quemcumque à nobis, & Sede Apostolica ad commissiones in Signatura Iustitiæ signandas, vt præfertur, deputatum, nec etiam per nos, & successores nostros prædictos signari possint, nisi Fisci, & Cameræ præfatæ Procuratore, & Thesaurario prouinciæ, de cuius etiam interesse ageretur, si in Romana Curia præsens fuerit, citatis, & aliter signatæ nullius sint roboris vel momenti.

Clausula sublata. §. 5. Et ita per quoscumque Iudices, etiam Sedis Apostolicæ, ac de latere Legatos, Vicelegatos, Præsidentes, Gubernatores, & quosvis alios iudicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & definiendi facultate, irritumque & inane quicquid contra præsentium tenorem contigerit attentari.

Executorum huius const. deputatio. §. 6. Mandantes dilectis filiis Camerario, Thesaurario, Præsidentibusque & Clericis Cameræ Apostolicæ, quatenus præmissa, tam in dicta Prouincia, quam aliis Ciuitatibus, Terris, locis S.R.E. mediate vel immediatè subiectis, ac Alma Vrbe nostra inuiolabiliter obseruari mandent & faciant. Contradictores quoslibet & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, & alias etiam pecuniarias & priuatorias pœnas, de quibus eis videbitur, auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Cõtrariorum derogatio. §. 7. Non obstantibus omnibus & singulis supradictis, priuilegiis quoque & indultis, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam rescriptis, commissionibus etiam manu nostra contra præmissorum tenorem signatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 8. Volumus autem quod præsentium copiis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 6. die 13. Sept. Dat. in nostra Ciuitate Vrbeuetana, sub annulo Piscatoris, die decimatertia Septembris, millesimo quingentesimo quadragesimo, Pont. nostri Anno sexto.

XXV. Approbatio instituti & Religionis Clericorum Regularium Societatis Iesv.

Hoc institutum latius explicatum approbauit Iulius III. infrà in const. 9. Exposuit. Ac reiectis quibusdam oppositionibus approbauit post Concilium Trid. Greg. XIII. in const. 89. Ascendente. Nouisque impugnationibus repulsatis, itidem approbauit Greg. XIV. in const. 10. Ecclesia.

Eidem Religioni quamplura Romani Pont. priuilegia & gratias elargiti sunt, quæ longum esset hic referre, ideo videas hic infra in const. 48. Licet debitum, & in d. const. 89. Greg. XIII. Et signanter hanc religionem inter Ordines Mendicantes esse, & eorum priuilegiis gaudere censuit Pius V. in const. 131. Dum indefessæ. Conseruatores & Iudices eius causarum dedit idem Pius, vt habetur in const. 1. Greg. XIII. Æquum. Exemptionem à publicis supplicationibus tribuit idem Greg. in const. 36. Quæcumque. Et à decimis & aliis impositionibus in const. 51. Pastoralis. Priuilegiumque ædificandi vbique Ecclesias concessit in alia const. 39. Saluatoris. Vsum altaris portatilis permisit in const. 57. Vsum. Facultatem aperiendi literas sacræ Pœnitentiariæ, indulsit in const. 75. Exponi. Alienandique bona auctoritatem in const. 76. Apostolicæ, Suscipiendique ordines, omni tempore & à quolibet Antistite in const. 77. Pium. Et quod prædicare possint, etiam sacris non initiati. Et quod emissis votis ad Carthusianos tãtum transeant in const. 95. Vigore. Recipereque Nouitios etiam non seruata bulla Sixti V. decreuit Gregor. XIV. in const. 15. Exponi. Et instituere posse Congregationes sæcularium concessit Sixtus V. in const. 53. Superna.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1540.*

Exordium. Regimini Militantis Ecclesiæ meritis licet imparibus, disponente Domino, præsidentes, & animarum salutem prout ex debito pastoralis officij tenemur, sollicitis studiis exquirentes, fideles quoslibet qui vota sua in id exponunt Apostolici fauoris gratia confouemus, aliasque desuper disponamus, prout temporum & locorum qualitate pensata, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Ignatius de Loyola, & alij hic nominati in vnum conuenerunt, & Dei ac Rõ. Pont. seruitio se dedicarũt, pia opera hic expressa facientes. §. 1. Nuper siquidem accepimus, quod dilecti filij Ignatius de Loyola, & Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, necnon Claudius Iayus, & Paschasius Broët, ac Franciscus Xauier, necnon Alphonsus Salmeron, & Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, & Nicolaus de Bobadilla, Presbyteri Pampilonen. Gebenen. Seguntin. Toletanen. Visen. Ebredunen. & Palentin. Ciuitatum & Diœc. respectiue in artibus Magistri in vniuersitate Parisien. graduati & in Theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu sancto (vt pie creditur) afflati, iam dudum è diuersis Mundi regionibus descendentes in vnum conuenerunt, & socij effecti, abdicatis huius sæculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri Iesv Christi, atque nostro & aliorum successorum nostrorum Romanorum Pontificũ seruitio dedicarunt, & iam quampluribus annis laudabiliter in vinea Domini se exercuerunt. Verbum Dei præuia sufficienti licentia, publice prædicando, fideles priuatim ad bene beateque viuendum exhortando, & ad pias meditationes excitando, hospitalibus inseruiendo, pueros & personas rudes ea quæ ad Christianam hominis institutionem sunt necessaria docendo, & demum omnia charitatis officia, & quæ ad animarum consolationem faciunt, vbique terrarum vbi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo.

Et cum Romam venissent & certã viuendi Regulam instituissent, multi eorũ vitæ institutum laudarunt & secuti sunt. §. 2. Cumque ad hanc Almam Vrbem se contulerint, & in charitatis vinculo persistẽtes ad perficiendam & conseruandam eorum Societatis in Christo vnionem, quandam viuendi formulam iuxta ea quæ ad propositum sibi finem conducere vsu didicerunt, Euangelicis consiliis, & Canonicis Patrum sanctionibus conformem ediderint, factum est, vt ipsorum sociorum vitæ institutum sub dicta formula comprehensum, non solùm à multis probis viris, & Deum zelantibus laudetur, verumetiam à quibusdam ita approbetur, vt illud etiam sequi velint.

Cuius instituti Regula hic inseritur. §. 3. Formulæ autem prædictæ tenor sequitur, & est talis.

De Castitatis voto. §. 4. Quicumque in Societate nostra, quam Iesv nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare, & soli Domino, atque Romano Pontifici eius in terris Vicario seruire, post solemne perpetuæ castitatis votum, proponat sibi in animo se partem esse Societatis, ad hoc potissimum institutæ, vt ad profectum animarum in vita & doctrina Christiana, & ad fidei propagationem per publicas prædicationes, & Verbi Dei ministerium, spiritualia exercitia, & charitatis opera,

&

& nominatim per puerorum, ac rudium in Christianismi institutionem, ac Christi fidelium in confessionibus audiendis spiritualem consolationem præcipue intendas, curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quæ via quædam est ad illum semper ante oculos habere, & finem hunc sibi à Deo propositum totis viribus assequi. Vnusquisque tamen secundum gratiam sibi à Spiritu sancto subministratam, & vocationis suæ proprium gradum, ne quis forte zelo vtatur, sed non secundum scientiam, cuius proprij cuiusque gradus iudicium & officiorum discretio, ac distributio tota sit in manu Præpositi seu prælati per nos eligendi, vt congruus ordo seruetur in omni bene instituta Communitate necessarius.

Præpositi munere.

§. 5. Qui quidem Præpositus de consilio consociorum constitutiones, ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes in consilio condendi auctoritatem habeat maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente. Consilium vero intelligatur esse in rebus quidem grauioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quæ à Præposito commode conuocari poterit, in leuioribus autem & temporalibus, omnes illi, quos in loco vbi Præpositus noster residebit, præsentes esse contigerit. Iubendi autem ius totum penes Præpositum erit.

Obedientia erga Roman. Pontificem.

§. 6. Sciant omnes socij, & non solum in primis professionis suæ foribus, sed quoad vixerint quotidie animo voluant Societatem hanc vniuersam & singulos sub Sanctissimi Domini nostri Papæ, & aliorum Romanorum Pontificum successorum eius, fidei obedientia Deo militare, & quamvis Euangelio doceatur, & fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter profiteamur omnes Christi fideles Romano Pontifici tanquam capiti, ac IESV CHRISTI Vicario subesse, ad maiorem tamen nostræ Societatis humilitatem, ad perfectam vniuscuiusque mortificationem, & voluntatum nostrarum abnegationem summopere conducere iudicauimus, singulos nos, vltra illud commune vinculum, speciali voto adstringi, Ita vt quicquid modernus, & alij Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum & fidei propagationem pertinens, & ad quascumque prouincias nos mittere voluerit, sine vlla tergiuersatione aut excusatione illico quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, siue miserit nos ad Turcas, siue ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, existentes, siue ad quoscumque hæreticos, seu schismaticos, seu etiam ad quosvis fideles. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt, & antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, vt turrim hanc iuxta consilium Dominicum possint consummare, hoc est an Spiritus sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, vt huius vocationis pondus, illo adiuuante se laturos sperent, & postquam Domino inspirante, huic IESV CHRISTI militiæ nomen dederint, die noctuque succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.

Missionibus non procurandis nec vitandis.

§. 7. Ne qua autem possit esse inter nos missionum, ac prouinciarum huiuscemodi, aut ambitio, vel detractio, profiteantur singuli se nunquam directe aut indirecte de huiusmodi missionibus quicquam cum Romano Pontifice curaturos, sed omnem hanc curam Deo & ipsi Pontifici tanquam eius Vicario, & Societatis Præposito dimissuros. Qui Præpositus sicut cæteri etiam profiteatur, se nihil de suimet ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis consilio cum dicto Pontifice esse curaturum.

Præpositi auctoritate.

§. 8. Voueant singuli, se in omnibus quæ ad Regulæ huius nostræ obseruationem faciunt, obedientes fore Societatis Præposito.

§. 9. Ille autem iubeat ea quæ ad constructionem propositi sibi à Deo & à Societate finis cognouerit esse opportuna. In prælatione autem sua, benignitatis ac mansuetudinis, charitatisque CHRISTI, Petri, Paulique formulæ semper sit memor, & tam ipse, quam Consilium ad normam hanc assidue spectent. Et nominatim commẽdatam habeant institutionem puerorum ac rudium in Christiana doctrina decem præceptorum, atque aliorum similium rudimentorum, quæcumque secundum circumstantias personarum, locorum, ac temporum illis congrua videbuntur. Etenim maxime necessarium circa prouidentiam huius rei diligenter Præpositum & Consilium inuigilare, cum & in proximis ædificium fidei sine fundamento non possit consurgere, & in nostris periculum sit, ne vt quisque erit doctior ita prouinciam hanc tanquam primo aspectu minus speciosam forsitan detrectare conetur, cum tamen re vera nulla sit fructuosior vel proximis ad ædificationem vel nostris ad charitatis & humilitatis simul officia exercenda. Subditi vero tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, Præposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur, & in illo CHRISTVM veluti præsentem agnoscant, & quantum decet venerentur.

Paupertatis voto.

§. 10. Cum autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem esse vitam ab omni auaritiæ contagione quam remotissimam, & euangelicæ paupertati quam simillimam; cumque sciamus Dominum nostrum IESVM CHRISTVM seruis suis regnum Dei solum inquirentibus necessaria ad victum & vestitum esse subministraturum; voueant singuli & vniuersi perpetuam paupertatem, declarantes quod non solùm priuatim, sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione, aut vsu ad bona aliqua stabilia, aut ad prouentus seu introitus aliquos, ius aliquod ciuile acquirere, sed sint contenti vsu tantum rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi comparanda recipere.

Non tamen quoad Collegia.

§. 11. Possint tamen habere in vniuersitatibus Collegium seu Collegia habentia redditus, census seu possessiones, vsibus & necessitatis studentium applicandas, retenta penes Præpositum & Societatem omnimoda gubernatione, seu superintendentia super dicta Collegia & prædictos studentes, quoad Gubernatoris, seu Gubernatorum, ac studentium electionem, ac eorundem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, circa studentium instructionem, ædificationem, ac correctionem, victus, vestitusque eis ministrandi modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam. Sic tamen vt neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios vsus conuertere possit, sed studentium necessitati subuenire. Qui quidem post cognitum in spiritu & literis eorum profectum, & post sufficientem probationem in Societatem nostram admitti possint.

Officio priuatim recitando.

§. 12. Socij omnes quicumque in sacris fuerint, quamvis beneficia Ecclesiastica, aut eorum redditus non habeant, teneantur tamen singuli, priuatim ac particulariter, & non communiter ad dicendum officium secundum Ecclesiæ ritum.

Finis d. Regula.

§. 13. Hæc sunt quæ sub præfati domini nostri Pauli, & Sedis Apostolicæ beneplacito, de nostra professione typo quodam explicare potuimus, quod nunc fecimus, vt summatim scriptione hac informaremus, tum illos qui nos de nostro vitæ instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos, Deo volente, imitatores vnquam habebimus huius vitæ, quam cum multas magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicauimus etiam statuere. Ne quis in hac Societate recipiatur, nisi diu ac diligentissime fuerit probatus. Cumque prudens in Christo, & vel doctrina, seu vitæ Christianæ puritate apparuerit conspicuus, tunc demum admittatur ad IESV CHRISTI militiam, qui tenuibus cœptis nostris fauere dignetur ad gloriam Dei Patris, cui soli sit semper decus, & honor in sæcula. Amen.

Papa confirmatio.

§. 14. Cum autem nil in præmissis reperiatur quod pium non sit, aut sanctum. Nos (vt iidem socij qui nobis super hoc humillime supplicari fecerunt, in eorum pio viuendi proposito eo promptiores existant, quo se maiori à Sede Apost. gratia complecti cognouerint, & præmissa per nos approbari viderint) præmissa omnia & singula tanquam ad spiritualem profectum eorundem Sociorum, & reliqui Christiani gregis opportona Apostolica auctoritate, tenore præsentium ex certa scientia

approbamus, confirmamus, & benedicimus, ac perpetuæ firmitatis munimine roboramus, ipsosque socios sub nostra & huius sanctæ Sedis Apostolicæ protectione suscepimus, eis nihilominus concedentes, quod particulares inter eos constitutiones, quas ad Societatis huiusmodi finem, & IESV CHRISTI Domini nostri gloriam, ac proximi vtilitatem conformes esse iudicauerint, condere libere & licite valeant.

Clausula derogatoria.

§. 15. Non obstantibus generalis Concilij, & felicis recordationis Gregorij Papæ X. prædecessoris nostri, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apost. cæterisque contrariis quibuscumque.

Numerus Sociorum.

§. 16. Volumus autem quod in Societate huiusmodi vsque ad numerum sexaginta personarum normulam viuendi huiusmodi profiteri cupientium, & non vltra admitti, & Societati præfatæ aggregari dumtaxat valeant. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An 6. die 27. Nou.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1540. 1. Kal. Octobr. Pontificatus nostri Anno sexto.

XXVI. Approbatio Confraternitatis nuper in Vrbe institutæ, ad pauperes Orphanos pie educandos, bonisque artibus instruendos. Eiusque in Archiconfraternitatem, cum priuilegiorum elargitione, iurisdictione S.R.E. Cardinalis eius Protectoris, ad eiusdem lites & causas cognoscendas.

Quoad facultatem qua ista Archiconfraternitas vtitur, in aliis Confraternitatibus sibi aggregandis, seruare debet formam ad hoc præscriptam à Clem. VIII. in sua const. 115. Quæcumque.

Edita A. D. 1541.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

Altitudo diuinæ prouidentiæ nullis præscripta limitibus, nullisque terminis comprehensa, cælestia pariter & terrestria inscrutabili ratione disponit, & mortalium mentes ad ea charitatis opera exercendum frequẽter excitat, per quæ ipsi Deo acceptiores reddantur; & pauperum aliarumque miserabilium personarum, præsertim puerorum & puellarum parentibus orbatorum per vrbem hinc inde vagantium, quos fames cruciat, & rerum omnium egestas consumit, necessitatibus succurratur, desiderataque plurimum salus proueniat animarũ. Vnde nos quibus, meritis licet imparibus, vniuersalis Ecclesiæ regimen eadem est prouidentia creditum, iis quæ propterea facta fuisse comperimus, vt firma perpetuo & illibata permaneant, Apostolici muniminis libenter adiicimus firmitatem, & singulorum fidelium, præsertim Curialium nostrorum vota quæ ad id pertinere noscuntur, pij patris affectione prosequimur, & vt optatos sortiantur effectus opem & operam quantum cum Deo possumus impendimus efficaces, & fideles ipsos ad opportuna iis suffragia exhibendum quibusdam quasi allectiuis muneribus, indulgentiis videlicet & remissionibus inuitamus, vt per temporalia bona quæ erogauerint, præmia consequantur salutis æternæ.

Confraternitas ad colligendum pieque educant Orphanos in Vrbe, à Curialibus instituta fuit.

§. 1. Dudum, sicut nobis innotuit, nonnulli probatæ vitæ Curiales, Charitate omnium suprema virtute, circa pueros, & puellas Orphanos pauperesque, & miserabiles personas pudendas infirmas, quas Redemptor noster potissime commendauit moti, pie attendentes, quod in Romana Curia, quæ maxime forensium & ignotorum numero frequentatur, quamplures pueri pauperes parentibus orbati, claritate ingenij præditi, ac dociles & idonei reperiebantur, vt de magno illorum tam in sacræ paginæ quàm vtriusque iuris & aliis scientiis, ac diuersis exercitiis profectu, si eis ad onera & impensa ratione studiorum & exercitiorum huiusmodi incumbentia supportanda sufficerent, spes certa verisimiliter conciperetur: Cupientesque præmissis & aliis in dicta Curia necessitatibus & charitatis operibus prouidere, ac quod prouisio huiusmodi perpetuo duraret atque vigeret, conuocatis ad id quampluribus aliis Curialibus & Ciuibus Romanis, Societatem inter se iniuerunt, & quamplures parentibus orbatos acegenos pueros, & puellas hinc inde per Vrbes dispersas, ac ostiatim victum quærentes, in vnum in certo ad id deputato loco conuenerunt, & eorum expensis ac aliis Christi fidelium piis eleemosynis eisdem pueris vt à malo retraherentur, bonisque moribus imbuerentur, & virtutibus ornarentur, de prouidis Gubernatoribus & Magistris, ac victu, vestitu, & aliis necessariis prouidere curarunt. Necnon Confraternitatem in qua vigintiquatuor, & vltra, quorum aliqui S.R.E. Cardinales & Episcopi, ac alij Prælati, aliqui eiusdem Curiæ Officiales & aliqui Curiales, etiam ciues Romani existunt, instituerunt.

Quæ ab isto Pont. approbatur.

§. 2. Nos igitur, gratias Deo agentes, quod nostro tempore à dictis Curialibus tanta necessaria charitatis opera in ipsa Vrbe cœperint exerceri, cupientes vt ea perpetue frequententur, & illis Confratres huiusmodi animo hilari insistant, Confratres prædictos, eorumque singulos quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon fructuum, redditum, & prouentuum dictæ Confraternitatis verum annuum valorem, præsentibus pro expressis habentes, ipsorum Confratrum supplicationibus in hac parte inclinati, institutionem Confraternitatis huiusmodi, ac quæcumque statuta & ordinationes per eosdem Confratres edita, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa nostra scientia approbamus & confirmamus: supplentes omnes & singulos iuris & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Et de nouo instituitur.

§. 3. Ipsamque Confraternitatem sub B. MARIÆ Visitationis Orphanorum, seu alia de qua eisdem Confratribus videbitur inuocatione pro tot Confratribus, seu vtriusque sexus personis, qui eam ingredi voluerint de nouo erigimus & instituimus.

In Archiconfraternitatẽ erigitur.

§. 4. Illamque in Archiconfraternitatem, caputque omnium aliarum Confraternitatum, ac hospitalium, & aliorum quorumlibet locorum eorundem Orphanorum puerorum & puellarum vbilibet institutarum, & instituendarum Confratrum, ac erectorum & erigendorum hospitalium ac locorum puerorum & puellarum huiusmodi, auctoritate & tenore, ac scientia prædictis immediate subiicimus, & facimus membra ab Archiconfraternitate huiusmodi dependentia. Ita quod Confraternitates & hospitalia, ac loca illis subiecta, & ab eis dependentia huiusmodi, ipsam Confraternitatem vti eorum Superiorem in aliquo saltem reuerentiali obedientia singulis annis recognoscere teneantur.

Priuilegia & indulgentia aliorum locorum piorum Vrbis, d. Archiconfraternitati, eiusque personis conceduntur.

§. 5. Necnon Archiconfraternitatis confratribus, Ecclesiæ hospitalibus, domibus, & monasteriis prædictis, illorumque administratoribus, gubernatoribus, rectoribus, œconomis, familiaribus, ministris, pueris, & puellis, ac aliis personis in eis pro tempore existentibus, seu aliquam curam de Archiconfraternitate, confratribus, Ecclesia, hospitalibus, domibus, & monasteriis, ac illorum fabrica habentibus, necnon personis inibi pro tempore decedentibus, seu de bonis suis pro dictis operibus aliquid relinquentibus, quod omnibus & singulis priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, ac aliis gratiis spiritualibus & temporalibus, Imagini sancti Saluatoris ad Sancta Sanctorum, ac Charitatis, ac Archihospitale Sancti Iacobi, & Hospitale Sancti Spiritus in Saxia, ac Corporis CHRISTI, & Sacramenti, ac Campi Sancti, & aliis Confratribus Confraternitatum de dicta Vrbe, necnon eisdem Imagini, & Archihospitali Sancti Iacobi, & Hospitali Sancti Spiritus, ac Campo sancto, necnon fabricæ basilicæ Principis Apostolorum de eadem Vrbe, illiusque deputatis, eorumque, necnon B. MARIÆ de Populo, & Consolationis, ac S. Ioannis

S. Ioannis Florentinorum, aliisque eiusdem Vrbis Ecclesiis, ac illa, & illas visitantibus, vel eis benefacientibus, eorumque administratoribus, guardianis, rectoribus, familiaribus, œconomis, gubernatoribus, & aliis personis similem curam in eis sumentibus, ac pauperibus & infirmis eorum, etiam per nos, & quoscumque Romanos Pontifices, prædecessores & successores nostros, ac Sedem eandem concessis, & concedendis, & quibus illi, illæ, & illa vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, Archiconfraternitas beatæ MARIÆ Visitationis Orphanorum, illiusque Confratres, Ecclesia, hospitalis domus, & Monasteria, administratores, rectores, seruitores, familiares, ministri, œconomi, & gubernatores huiusmodi, aliæque personæ similem curam inibi sumentes, ac illa visitantes, vel eis benefacientes, ex nunc in perpetuum vtantur, potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri & gaudere, libere & licitè valeant, in omnibus & per omnia, perinde ac si eisdem Archiconfraternitati beatæ MARIÆ Visitationis Orphanorum Confratribus, Ecclesiæ, hospitalibus, gubernatoribus, & aliis personis, ac illa visitantibus, & benefacientibus pro tempore, specialiter & expresse concessa fuissent, ac in futurum concederentur.

Celebrantibus in eius Ecclesia alia datur indulgentia.

§. 6. Necnon quibusvis Presbyteris, tam religiosis quam sæcularibus, qui in ipsa Ecclesia quocumque anni tempore celebrauerint, & pro animabus Christi fidelium, qui in charitate DEI decesserint, ac pro quibus iidem Presbyteri ibi celebrauerint, aut celebrari fecerint, ac orauerint, easdem indulgentias, peccatorum remissiones, quæ celebrantibus pro defunctis in capella Scala cœli nuncupata, Monasterij trium Fontium extra muros eiusdem Vrbis, aut in capella in Præsepe Domini, sita in Ecclesia eiusdem B. MARIÆ Maioris de dicta Vrbe, & animabus pro quibus inibi celebratur, & oratur, concedimus & indulgemus, ipsasque indulgentias, gratias, priuilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates, & alias concessiones, ac remissiones, ad illos, illas, & illa extendimus & prorogamus, ac ampliamus. Et quod administratores, rectores, seruitores, familiares, ministri, œconomi, & gubernatores huiusmodi, indulgentias, priuilegia, indulta, & exemptiones, immunitates, libertates, & alias concessiones, ac remissiones huiusmodi, ac dies, & festa, in quibus, & causas propter quas illas consequi debeat ad eorum beneplacitum publicari facere.

Eleemosynas recipiendi, & quærendi facultas conceditur.

§. 7. Necnon eleemosynas Ecclesiæ, hospitalibus, domibus & monasteriis erigendis, ac pueris & puellis præfatis concedendas recipere, & ad illas recipiendas, & quærendas, ac indulgentias huiusmodi publicandas per dictam Vrbem seu alibi quæstores, seu quascumque alias personas, diœcesani loci, aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, deputare & mittere.

Statutaque condendi pro regimine opportuna.

§. 8. Necnon quæcumque statuta & ordinationes licita & honesta, tam circa regimen & tranquillum statum Ecclesiæ, hospitalium, domorum, & Monasteriorum prædictorum, diuinorumque celebrationem, quam numerum qualitates, ac ætatem puerorum & puellarum, Capellanorum, & Confratrum, ac ministrorum, rectorum, œconomorum, gubernatorum, & familiarum prædictorum, illorumque personas ac ornamenta & bona mobilia & immobilia illorum, eorumque administrationem, & alia præmissa concernentia, condere, alterare, mutare, ac de nouo edere, & per eos hactenus facta reformare, quæ postquam condita, alterata, & mutata, ac edita & reformata fuerint eo ipso dicta Apostolica auctoritate confirmata sint, & esse censeantur. Ac quascumque pœnas in contrauenientes apponere.

Confessorem quoque eligendi.

Tu vide limitationē Clem. VIII. in const. 115.

§. 9. Quodque pro tempore existentes Archiconfraternitatis beatæ MARIÆ Visitationis Orphanorum huiusmodi Confratres, administratores, rectores, seruitores, familiares, ministri, œconomi, & gubernatores præfati, ac quilibet minister, seu officialis, aut persona Ecclesiæ, ac hospitalium, domorum, & monasteriorum erigendorum huiusmodi, ipsique pueri, & puellæ quemcumque Presbyterum sæcularem, vel cuiusvis Ordinum regularem in suum possint eligere confessorem, qui eos, & eorum quemlibet à quibusvis casibus, etiam quantumcumque grauibus, ac etiam in forma quinterni Cancellariæ Apostolicæ, & dictis literis expressis absoluere: ac confessionale & altare portatile, iuxta formam & literas prædictas habere valeant licentiam, & facultatem concedimus & indulgemus.

Protectorem que & iudicem causarū Archiconfraternitatis eligendi.

§. 10. Et vt Confratres Archiconfraternitatis B. MARIÆ Visitationis Orphanorum huiusmodi ab indebitis molestiis releuentur, vnum ex S.R.E. Cardinalibus, quem ipsi confratres ad id duxerint nominandum, seu eligendum, in eorum Protectorem ac Iudicem ordinarium perpetuum, coram quo, seu ab eo deputando quævis, tam ciuiles & criminales, ac mixtæ causæ posthac contra Confraternitatem, illiusque administratores, rectores, confratres, seruitores, familiares, ministros, œconomos, gubernatores, capellanos, officiales, ac pueros, & puellas, ac personas præfatas, super bonis, & rebus cuiuscumque qualitatis existentibus ad eas pertinentibus motæ & pro tempore mouendæ, iuxta ordinariam iurisdictionem seu facultatem Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori attributam, cum omnibus & singulis eorum dependen. annexis, & connexis, ac incidentibus cognoscere, & fine debito terminare debeant, constituimus, & deputamus.

Qui summarie, &c. eas cognoscat.

§. 11. Ipsique pro tempore Protectori, per se, vel alium seu alios quoscumque quorum intererit, aut interesse poterit, tam in dicta Curia, quam extra eam per edictum publicum constito sibi summarie de non tuto accessu, ac quibusvis etiam eiusdem Curiæ iudicibus & personis quibusvis & quoties opus fuerit, sub sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, de quibus eidem Protectori videbitur, inhibendi, ac in euentum non paritionis ad declarationem incursus censurarum & pœnarum huiusmodi, illarumque aggrauationem, ac alias iuxta stylum & morem dicti Auditoris in similibus seruari solitum procedendi, ac sententiis executioni debitæ demandandi, seu demandari faciendi, contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias & alia iuris opportuna remedia appellatione postposita compescendi, ac etiam ad hoc si opus fuerit, auxilium brachij sæcularis inuocandi, omniaque & singula alia in præmissis, & circa ea, necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi plenam & liberam licentiam & facultatem etiam concedimus.

Personasque d. Archiconfraternitatis, & officiales ab aliorū iurisdictione exemptos corrigat.

§. 12. Necnon quod qui administratores, gubernatores, rectores, œconomi, seruitores, familiares, ministri, & confratres Archiconfraternitatis beatæ MARIÆ Visitationis Orphanorum huiusmodi, illiusque ac dictæ Ecclesiæ capellani, seu officiales, officia sua actu exercentes extiterint, durante eorum officio à quorumcumque Ordinariorum locorum, eorumque Vicariorum & officialium iurisdictione, correctione, visitatione, & potestate penitus & omnino exempti, & soli eidem Protectori pro tempore existenti, seu Sedi prædictæ subiecti existant, eorumque correctioni, & punitioni subiaceant, statuimus & ordinamus.

Clausulæ præseruatiuæ.

§. 13. Quodque præmissa omnia & singula, de subreptionis, obreptionis, & nullitatis vitio, seu intentionis defectu, etiam ex eo quod ea quæ super præmissis gesta fuerunt, & emanarunt, plenarie expressa, seu prout existunt narrata minime fuerunt, seu quovis alio prætextu, occasione vel causa, notari, vel impugnari, aut in aliquo annullari, vel alterari non possint, neque notata, seu impugnata, annullata, aut alterata censeantur, sed valida & efficacia existant, ac si exprimenda de necessitate, de verbo ad verbum inserta fuissent. Quodque præsentes literæ sub quibusvis reuocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, repositionibus, & exceptionibus, similium literarum, gratiarum, & indulgentiarum, etiam per nos & successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, vel eius Legatos, ac etiam per regulas Cancellariæ Apostolicæ pro tempore factas, ac in fauorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & expeditionis contra infideles nullatenus comprehendantur, sed semper ab illis penitus, & omnino excepta sint, &

esse

esse censeantur, ac eisdem præsentibus per quascumque literas, etiam quasvis clausulas generales, & speciales, etiam derogatorias, efficaciores, & insolitas, ac etiam irritantia decreta sub quacumque verborum expressione in se continentes nullatenus derogari possit, nec derogatum esse censeatur, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil omisso insertus, & huiusmodi derogationes consistorialiter factæ, etiam per trinas distinctas literas eundem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus administratoribus, gubernatoribus, rectoribus, & œconomis prædictis legitime intimatæ, & insinuatæ fuerint, eorumque ad id expressus accedat assensus, & aliter factæ derogationes nemini suffragentur.

Clausula sublata. §. 14. Sicque per quoscumque quavis auctoritate fungentes iudices & personas, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Indulgentia visitantium Ecclesiam. §. 15. Et nihilominus de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vniuersis & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui in Visitatione eiusdem beatæ MARIÆ, seu alia per eosdem administratores, gubernatores, rectores, & œconomos ad id nominando die, à primis vesperis vsque ad occasum Solis sequentis diei parochialem Ecclesiam prædictam deuote visitauerint, ac pro præmissis operibus manus adiutrices iuxta eorum arbitrium porrexerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, ac iubilæum, & remissionem misericorditer in Domino elargimur.

Deputatio executorum. §. 16. Quocirca Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & dictæ Vrbis Gubernatori, ac Vicario nostro in dicta Vrbe, in spiritualibus pro tempore existentibus, necnon vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, aliisque in dignitate Ecclesiastica constitutis personis, necnon Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ac dictorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus, ac Vicariis in spiritualibus generalibus vbilibet constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut aliquis eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Protectoris, administratorum, gubernatorum, rectorum, œconomorum, seruitorum, familiarium, ministrorum, puerorum, & puellarum, ac personarum, & officialium prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia & singula firmiter obseruari, ipsosque Protectorem, administratores, gubernatores, rectores, œconomos, seruitores, familiares, ministros, pueros & puellas, ac personas & officiales illis perpetuo pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per Confraternitatem Presbyterorum huiusmodi, seu dictos Presbyteros, aut quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet & rebelles, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas, ac alia iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super iis habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas, iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc auxilio brachij sæcularis huiusmodi.

Derogatio contrariorum. §. 17. Non obstantibus priori voluntate nostra, ac aliis præmissis, ac Lateranensis Concilij nouissime celebrati, &c.

D.P. A.7 die 7. Febr. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo primo, septimo idus Februarij, Pontificatus nostri Anno quarto.

XXVII. Excommunicationes S. Eleutherij nuncupatas, de cætero concedi, vel publicari prohibet, & concessas annullat.

Quoad excommunicationes concedendas attende dispositionem Concilij Tridentini sess. 25. cap. 3.

PAVLVS PAPA III. *Edita An. D.*
Motu proprio, &c.

Causa istius const. Licet nuper in Consistorio nostro secreto, de fratrum nostrorum consilio, ad euitanda scandala, & abusus, quæ ex concessione, & publicatione certarum excommunicationum Sancti Eleutherij nuncupatarum, in diuersis mundi partibus exoriebantur, huiusmodi excommunicationes deinceps minime fieri, & publicari omnino decreuimus; ac propterea dilectus frater noster Bartholomæus Presbyter Cardinalis Guidicionus, cui ratione Ecclesiæ Aprutinæ, cui præesse dignoscitur, huiusmodi excommunicationes concedendi competere asserebatur, ab illarum concessione, vt decebat, abstinuerit, & abstineat de præsenti, nihilominus (non sine animi nostri displicentia) accepimus, quod dilectus filius Pompeius Beneuatus de Piccolhominibus Præpositus Sancti Eleutherij, sub prætextu quod facultas dictas excommunicationes concedendi ratione Præposituræ huiusmodi, sibi competat, illas passim, vbique locorum, & forsan in Alma Vrbe concedere, imprimere, & publicare, licet forsan monitus non desistit.

Prohibitio expediendi, concedendi, vel publicandi excommunicationes S. Eleutherij. §. 1. Nos decretum in Consistorio nostro, matura deliberatione factum, omnino effectum sortiri, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari volentes, ac omnes & singulas excommunicationes huiusmodi hactenus concessas & publicatas, aut in futurum contra præsentium tenorem, quod absit, forsan concedendas, & publicandas nullas, & nullius roboris, & momenti existere, nec aliquos illis ligari, seu quomodolibet irretiri, & illis nullam fidem adhiberi debere decernentes.

Contrauenientium pœna. §. 2. Ac tam præfato Pompeio, & eius successoribus Præpositis S. Eleutherij huiusmodi, quam aliis quibuscumque, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis omnium & singulorum beneficiorum, & decem millium ducatorum auri Cameræ Apostolicæ applicandorum pœnis, ne deinceps similes excommunicationes S. Eleutherij concedere vel publicare, aut publicari, aut imprimere, vel imprimi facere, seu illis quomodolibet vti audeant seu præsumant, districtius inhibentes.

Executores illius constit. §. 3. Dilectoque filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori committimus, & mandamus, quatenus decretum ac inhibitionem nostram huiusmodi, vbique locorum publicet, & publicari, ac sub prædictis, & aliis, eius arbitrio applicandis & moderandis pœnis, tam à præfato Pompeio, & successoribus, quam aliis quibuscumque, obseruari mandet, & faciat cum effectu, cum potestate, si opus fuerit, tam Pompeium præfatum & successores, quam alios quoscumque quacumque dignitate etiam Episcopali vel maiori, aut mundana, vel alia dignitate fungentes, sub pœnis prædictis, etiam ad personaliter comparendum coram eo, si sibi videbitur, aut alias, etiam per edictum citandi, ac contrauenientes & rebelles, vt præfertur, mulctandi, corrigendi, & puniendi, aliaque faciendi, gerendi, & exercendi, in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna.

Clausula derogatoria. §. 4. Non obstantibus quacumque litis pendentia, super facultate huiusmodi excommunicationes concedendi in Romana Curia, præfato, aut aliis quibuscumque Auditoribus, seu Iudicibus inter præfatos Cardinalem & præpositum, aut alios quoscumque, necnon constitutionibus & ordinationibus Apostolicis quibusvis priuilegiis & consuetudinibus, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & nos ipsos forsan emanatis, roboratis, & innouatis, cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, quibus specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit. §. 5. Volumus insuper motu & scientia similibus, quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, &

& in iudicio & extra fidem faciat, regula contraria non obstante.

Placet, & ita Motu proprio mandamus. A.

XXVIII. De impetrationibus beneficiorum, tanquam certo modo vacantium.

Edita A. D. 1541.

Pont. iste per aliã eius const. (quã hic nõ habes) decreuit impetrationes beneficiorũ defunctis obtentas illo viuẽte & eas nullas esse.

SAnctissimus in CHRISTO Pater, & Dominus noster Dominus Paulus diuina prouidentia Papa Tertius, qui in crastino assumptionis suæ ad summi Apostolatus apicem, cupiens eorum fraudibus obuiare, qui viuentium beneficia, illorum præsertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem imminebat vitæ periculum, impetrabant, vt illis decedentibus, tanquam collitigantes in illorum iuribus facilius subrogarentur, per quandam eius constitut. inter alia voluit, vt deinceps nullus in iure, vel ad ius, in beneficio defuncti, quod illo viuente in casibus præmissis, vel similibus impetrauit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio & gratia si neutri, si nulli seu nouæ prouisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragaretur, quod etiam strictissime obseruari mandauit in impetrationibus beneficiorum, per priuationem, & amotionem, ex quibusuis criminibus & excessibus forsan perpetratis, etiamsi vsque ad definitiuam sententiam, quæ tamen in rem non transiuisset iudicatam, processum foret.

Et per alias const. (quas hic non habes) statuit, vt impetrantes beneficia ab aliis per annum possessa exprimerent quæ hic habentur.

§. 1. Ac per alias constitutiones suas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas, voluit, statuit, & ordinauit, quod quicumque beneficium Ecclesiasticum, tunc per annum immediate præcedentem pacifice possessum, & quod certo modo vacare prætenderet, ex tunc deinceps impetraret, nomen, gradum, & nobilitatem possessoris eiusdem, & quot annis illud ipse possedisset, ac specificam & determinatam, ex qua clare constare posset, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competeret, causam in huiusmodi impetratione exprimere, & infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium euocari facere, causamque ex nunc desuper, infra annum, vsque ad sententiam definitiuam inclusiue prosequi deberet, & teneretur, alioquin impetratio prædicta, & quæcumque inde secuta, nullius existerent firmitatis, & idem impetrans, de damnis & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfacere. Etsi possessorem ipsum iniuste, friuole, & indebite molestasse repertus existeret, quinquaginta florenos auri persoluere Cameræ Apostolicæ esset adstrictus, nec aliud quam præmissæ vacationis modus, etiam per literas si neutri, aut subrogationis, vel alias, sibi quoad hoc vt beneficium huiusmodi ea vice consequi, vel obtinere valeret, quomodolibet suffragaretur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeretur.

Nihilominus multi impetrabãt illa beneficia tanquã certo modo vacantia, &c. Vnde multa hic expressa arcebãtur.

§. 2. Et cum fide dignorum relatione innotuit, quod huiusmodi voluntate, statuto, & ordinatione non obstantibus, multi cæca cupiditate ducti, ad beneficia Ecclesiastica, per alios, etiam quandocumque multo antea tempore canonice eis collata & possessa, quos valetudinarios, seu senio confectos conspiciunt, aut alias certo modo, cito defecturos, vel eorum beneficia dimissuros sperant, improbe, ac per media illicita aspirantes, huiusmodi beneficia tanquam certo modo vacantia, & absque alio titulo, seu minus canonico detenta, à Sede Apostolica impetrabãt, & illorum possessoribus, litem super dictis beneficiis sic possessis, mouebãt, & causas huiusmodi cõtra eos committi faciebant, & alias illos nunc titulos fingẽdo, nunc crimina impingẽdo, in ipsis beneficiis inquietabant, & molestabant, nec causas ipsas (prout etiam iuxta constitutionẽ prædictam tenebantur) expediri facere curabant, sed in longum protrahebant, expectantes obitum dictorum possessorum, & in iure eisdem possessoribus in dictis beneficiis, vel ad alia competente subrogarentur. Sicque per indirectum eisdem impetrantibus votum captandæ mortis dictorum possessorum præbebatur, ipsique possessores indebite vexabantur, ac laboribus & expensis fatigabantur. Et sæpenumero vexationem huiusmodi illicitis mediis redimere cogebantur, & quandoque destituti, seu desperati, in anxietatem ducebantur, eorumque beneficia resignare, seu permutare, ac etiam illorum collationem, quominus de beneficiis per obitum dictorum possessorum vacantibus, & propter lites huiusmodi, malitiosè & fraudulenter motas seu confictas, libere disponere, & sua ordinaria auctoritate in præmissis vti possent impediebantur, in animarum ipsorum impetrantium periculum, & dictorum possessorum graue præiudicium, & ordinariæ potestatis huiusmodi collatorum læsionem.

Pontifex ideo formã de cætero seruandam in impetrationibus beneficiorum ponit.

§. 3. Attendentes malitiis hominum non esse indulgendum, sed potius obuiandum, ac volens ipsorum beneficia obtinentium, quieti & securitati prouidere, constitutionem prædictam innouando, & ad impetrantes beneficia illorum, qui aliquo euidenti impedimento detinerentur, quamuis senio confecti, aut infirmitate detenti non forent, extendendo, etiam voluit, statuit, & ordinauit, quod de cætero impetrantes beneficia Ecclesiastica cuiuscumque qualitatis, per priuationem & amotionem, vel alias propter commissa, excessus, & crimina, vacantia vel vacatura in supplicatione desuper porrecta, excessus, & crimina ipsa, ac eorum qualitates, necnõ modos, & causas tales, ex quibus de iure priuatio ipsa incursa, aut facienda censeatur, & similiter impetrantes, etiam per modum deuolutionis, beneficia tanquam certo modo vacantia, & ab aliis etiam non senio confectis, nec infirmitate, aut impedimento detentis, tanquam nullo, seu minus canonico titulo possessa, modum vacationis illorum in supplicatione desuper porrecta, specifice & determinate, ac dispositiue exprimere teneantur, & antequam decretum citationis à iudice cui causa cõmissa fuerit, per se vel procuratorem eorum petant, coram eo iuramentum, quod credunt ea quæ sic expresserunt, vera esse, & posse ea probare, corporaliter præstare, & deinde excessus & crimina, aut modum vacationis huiusmodi, proponere, & deducere, & intra octo dies obseruationem termini ad articulandum, per eum vel procuratorem suum suo ordine, & loco, ita quod si ipse terminus sic non seruetur, dicti octo dies, post obseruationem termini secundo loco seruati, quicumque is fuerit, cucurrisse censeantur facta immediate sequentes probare, necnon ea tunc infra annum, similiter à die impetrationis eorum computandum, causam contra eosdem possessores, vsque ad definitiuæ sententiæ prolationem inclusiue prosequi debeant, & teneantur.

Et impetrationes aliter factas inualidas & nullas declarat.

§. 4. Quodque impetrationes de beneficiis tanquam per priuationem, & amotionem, vel alias propter commissa excessus, & crimina vacantibus vel vacaturis, absque causæ seu causarum, priuationis & amotionis, aut excessuum & criminum vacationem huiusmodi causantium, necnon tanquam de certo modo vacantibus, etiam per modum deuolutionis, absque modi vacationis specifica expressione, etiam prætextu quarumcumque clausularum quomodolibet implicitarum, & quantumcumque prægnantium, etiam quod causæ, & excessus, ac crimina, necnon modi vacationum huiusmodi in literis pro expressis habeantur, vel etiam dispositiue exprimi possint, disponentium in supplicationibus insertarum, eisdem impetrantibus nullatenus, suffragentur, & quæcumque subrogationes per ipsos impetrantes de beneficiis, quæ etiam cum huiusmodi expressione impetrauerint tanquam litigiosis, in iure vel ad ius eorum, quos huiusmodi excessus & crimina perpetrasse, aut quorum beneficia per deuolutionem, aut alias certo modo vacasse narrauerint, à Sede Apostolica, vel Legatis eius quomodolibet impetrandæ, seu etiam Motu proprio concedendæ, nisi quod impetrantes excessus, & crimina, aut modum vacationis huiusmodi intra dictos dies obseruationem dicti termini ad articulandum per ipsos impetrantes, aut eorum procuratores, vt præfertur, non autem per eos aut ipsorum procuratores factam, quod excludendos, post dictos dies ipsos impetrantes à probatione excessuum, seu criminum, aut modi vacationis prædictorum nihil operari volumus contra possessores beneficiorum quæ impetrauerint, probauerint, etiamsi alia excessus & crimina, priuatione, aut priuationis declaratione digna, etiam ante lapsum dictorum octo dierum probauerint, nullius sint roboris vel momenti. Quodque subrogationes huiusmodi, si ij contra quos huiusmodi

impetra

impetrationes fient, in itinere propter id susceptum, quod post excommunicationem citationis, etiam per edictum factæ, etiamsi de dictorum citatorum notitia aliter non apparuerit, propterea attentum præsumatur, defuncti fuerint, etiamsi senes, aut valetudinarij, seu impediri, vt præfertur, non extiterint, aut etiam ij, contra quos huiusmodi impetrationes fient, morte violenta decesserint, licet nullum penitus argumentum, aut nulla coniectura habita fuerit, quod collitigans id fecerit, aut de tali morte culpabilis, seu conscius fuerit locum non habeant. Etsi post lapsum dicti anni, vel etiam eo durante, & istis octo diebus post dicti termini ad articulandum, absque probatione prædictorum excessuum, seu criminum, aut modi vacationis per ipsos impetrantes, vel eorum procuratores obseruationem elapsis, contingat possessores dictorum beneficiorum, seu aliquos ex eis decedere, aut eorum beneficia simpliciter vel ex causa permutationis, aut alias quomodolibet, in Romana Curia vel extra eam vacare, non censeantur propterea beneficia ipsa litigiosa, de huiusmodi beneficiis sic vacantibus prouideri, & alias libere disponi possit, in omnibus & per omnia, ac si contra dictos possessores aliqualis modo præmisso mota non fuisset.

Impetrantibus pœnas hic descriptas imponit. §. 5. Et nihilominus impetrantes prædicti ad ambita beneficia huiusmodi obtinenda censeantur perpetuo inhabiles, necnon vexatæ parti, omnia damna, interesse, & expensas persoluere teneantur, ac omnibus & singulis beneficiis Ecclesiasticis, per eosdem impetrantes obtentis, se triennio suspensos nouerint. Quibus, si se meis propria temeritate iniecerint, ipso iure priuati sint, ac calumnioso periurio, iuxta canonicas sanctiones, puniantur. Decernens nouas prouisiones super impetrationibus prædictis pro tempore, etiam antequam dicti octo dies elapsi fuerint, iis in quorum fauorem emanauerint, in fraudem huiusmodi constitutionis non suffragari. Etsi iis, qui impetrationes modo prædicto fecerint, beneficia sic impetrata resignauerint, quandocumque id fecerint, illis, quibus de beneficiis huiusmodi per resignationem de eis factam, & admissam prouisum fuerit, præsenti constitutioni subiacere, & in eodem statu in quo dictus resignans tempore huiusmodi resignationis erat, quoad hoc censeri & esse.

Decretum irritans. § 6. Sicque in præmissis omnibus iudicandum fore sublata, &c. irritum quoque, &c.

Papa subsc. Placet, publicetur, & describatur. A.

D. P. An. 8. 11. Decemb. *Lecta & publicata fuit in Cancellaria Apostolica die sabbati 27. Aug. & successiue vndecima Decembris anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo.*

Ial. Gentilis Pracustas.

XXIX. Spolia Ecclesiasticarum personarum, sine testamento, aut facultate testandi decedentium, vel vltra quantitatem de qua testari possunt disponentium, ad Reuer. Cameram Apostolicam spectant.

De hac materia spoliorum, plene notabo in Pauli V. constit. 18. in eminenti.

Edita A. D. 1542. *PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. ROmani Pontificis prouidentia circumspecta, dubia quæ litium dispendia afferre possent, in suæ declarationis arbitrio tollit, ac desuper statuit, & ordinat, prout rerum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Causa huius declarationis. §. 1. Cum itaque, sicut accepimus, à nonnullis nimium curiosis, qui iura Cameræ Apostolicæ vsurpare, ac Cameram præfatam illis defraudare vellent, in dubium redigatur, an res, & bona spolia nuncupata, Prælatorum, etiam Pontificali, vel alia maiori dignitate fulgentium, cæterarumque personarum Ecclesiasticarum, sæcularium & regularium, tempore obitus ipsorum remanentia, ex eo quod Romano Pontifici pro tempore existenti, & Cameræ præfatæ reseruata fore, aliqua generali Apostolica constitutione forsan non caueatur, ad Cameram prædictam iure legitimo spectare & pertinere debeant.

Declaratio quod spolia personarum Ecclesiasticarum, de quib. in rub. spectant. ad Romer. Cameræ Apostolicam. Et ita & non alias iudicari debet. §. 2. Nos & si satis euidenter constet, & appareat, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, & nostram indubiam intentionem & voluntatem semper fuisse, vt spolia huiusmodi, ad dictam Cameram, & non ad alios, spectarent & pertinerent, & quod pro eadem Camera exigerentur, & recuperarentur, cum prædecessores præfati diuersos dictorum spoliorum, vt ad Cameram prædictam spectantium, & pertinentium, collectores, & exactores, in variis prouinciis & locis deputauerint, & constituerint, & nos deputauerimus, & constituerimus, variæ quoque literæ ab eisdem prædecessoribus, & à nobis super exactione aliquorum eorundem spoliorum, in quibus spolia huiusmodi ad præfatam Cameram spectare expressa continebatur, emanauerint, ac semper de illis dicti prædecessores per plerasque alias literas, tanquam de rebus ad Cameram prædictam pertinentibus, donando vel transigendo, aut alias diuersimode disposuerint, & nos disposuerimus, necnon ea ab antiquissimo tempore citra; dictæ Cameræ nostræ nomine exacta, & inter iura ipsius Cameræ connumerata fuerint, ne tamen præmissorum veritas deprimi, & mendacium desuper in præfatæ Cameræ præiudicium, locum sibi vendicare valeant, attendentes quod iniquum esset, si ex Apostolicæ Sedis benignitate, vel alia rationabili causa, ad singula quæque loca Collectores non destinantur, iura ipsius Cameræ propterea deperéant, dubium huiusmodi enucleare, ac in præmissis opportune prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, res & bona huiusmodi, spolia, vt præfertur, nuncupata, in quibusuis regnis ac dominiis, tam citra quam vltra montes, & maria consistentia, quæ pro tempore post obitus Prælatorum & personarum prædictarum, quantumcomque etiam vt præfertur, vel alias quomodolibet qualificatarum, etiam Cardinalatus honore fulgentium, qui nullo condito testamento, vel absque sufficienti facultate, aut vltra quantitatem de qua facultatem habuerint, condito, decesserunt, decedent, remanserunt, remanent, & remanebunt, etiam quod ad illa recuperandum aliqui Collectores deputati non fuerint, ad Cameram Apostolicam, & non ad alios, etiam in quibusuis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Collegiatis, ac aliis Ecclesiis, Monasteriis, cæterisque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, sæcularibus & quorumvis Ordinum regularibus, vtcumque qualificatis successores illa in titulum, commendam, administrationem, & alias quomodolibet pro tempore obtinentes, etiam si ad illa vigore prioris tituli, ius regrediendi, seu accedendi vel ingrediendi, concessum fuerit, spectasse, & spectare, illaque tanquam ad ipsam Cameram spectantia, perpetuo colligi, & recuperari potuisse & posse, atque debere, ac ita, vt præfertur, eorundem prædecessorum, & nostram intentionem & voluntatem semper fuisse, fidem facimus & attestamur præsentes.

Et ita & non alias iudicari debet. §. 3. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque tam ordinaria quam delegata & mixta auctoritate fungentes, iudices & personas, vbique in quacomque instantia iudicari, definiri, & decidi debere, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, interpretandi, ac decidendi facultate, necnon irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executoris deputatio. §. 4 Quocirca dilecto filio Guidoni Ascanio Sfortiæ sancti Eustachij diacono Cardinali, Camerario nostro, eiusque in Camerariatus officio successoribus, committimus, & mandamus, quatenus exactioni, & recuperationi spoliorum huiusmodi incumbant, & illa ad Cameram Apostolicam prouenire, ac præmissa ab omnibus inuiolabiliter obseruari faciant, nec permittant Cameram ipsam vel eius agentes desuper modo aliquo molestari, impediri, vel inquietari, contradictores, &c. compescendo inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

§. 5. Non

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus præmissis, & quibusvis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus, constitutionibus, & ordinationibus, necnon quarumcumque Ecclesiarum, & Monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, quibus illorum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Iussio publicandi. §. 6. Volumus autem quod præsentes literæ in Cancellaria Apostolica, & Camera prædicta publicentur, & inter constitutiones extrauagantes ad perpetuam rei mem. valituræ conscribantur.

Nulli ergo &c.

D.P.A 8. die 3. Ianuary. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo secũdo, tertio nonas Ianuarij, Pont. nostri anno octauo.

Registratio. *Anno à natiuitate Domini 1542. die Lunæ vigesima Martij, præsentes retroscripta litera lectæ & publicata fuerant in plena Camera Apostolica, & ex mataro ipsius decreto registrata in libro de caria, &c.*

Publicatio. Lecta & publicata fuit in Cancellaria Apostolica die 23. Martij 1542. anno Pont. D. N. octauo.

XXX. Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas procedendi contra omnes etiam regularas, prædicantes, aut proponentes scandalosas propositiones, & à fide Catholica discrepantes.

Ad huiusmodi bullæ declarationem & ampliationem vide Pij IV. const. 51. Pastoralis, & Pauli V. const. 26. Romanus.

Edita An.D. 1542. *PAVLVS EPISCOPVS, &c.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN Apostolici culminis specula diuinæ gratiæ munere collocati, nihil magis esse nostri officij duximus quam sedulo, ac diligenter omnia circumspicere, quæ catholici nobis commissi gregis custodiæ ac conseruationi conferant, illamque in primis curam suscipere, vt quæ materiam scandali præbere possent penitus succidantur, ac radicitus extirpentur, nec ea vsque pullulare sinantur.

Causa huius constitut. §. 1. Cum itaque sicut accepimus in nostræ Bononiæ ac mediolani, & quamplurimis aliis Italiæ ciuitatibus & locis, nonnulli sæculares, ac etiam religiosi prætextu quorundam indultorum, ac concessionum seu priuilegiorum, & exemptionum à Sede Apostolica per ipsos obtentorum & ab inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in eisdem ciuitatibus & locis per Sedem Apostolicam, aut illius auctoritate deputatis illorum iurisdictione exemptos prætendentes, varias propositiones, scandalosas, & erroneas, ac piarum mentium offensiuas, & quandoque etiam hæresim sapientes, ac Catholicæ fidei minus consonas, Christianæque pietati & bonis moribus minimè conformes, publice proponere ac disputare, & pro viribus sustinere, necnon populis prædicare, non sine magno Christi fidelium animarum periculo, ipsiusque fidei detrimento, & totius religionis opprobrio temere audeant & præsumant.

Concessio facultatis procedendi, contra quoscumque regulares & Prælatos priuilegiatos non tamen Episcopos. Imo etiã contra Episcopos, vt in bulla Pij IV. cit. in rubr. §. 2. Nos qui desideranter in votis gerimus, vt fides præfata nostris prosperetur temporibus, & prauitas hæretica de finibus fidelium extirpetur, attendentes, non ideo ab Apostolica Sede, priuilegia, & exemptiones con-

cedi solitas esse, vt per ea scandala & fidei diminutio generentur, sed potius ad ea tollendum, & ipsam fidem augendum, volentesque, ne de cætero, per propositiones & prædicationes huiusmodi in perditionem, quod absit, animæ fidelium prolabãtur, obuiare, & ne exemptionum prædictarum prætextu valeant talium præsumptores in eorum tam detestabili temeritate perdurare, eorumque iniquitas remaneat impunita, morbo huiusmodi necessariam adhibere medelam, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, volumus, statuimus & ordinamus, quod Inquisitores præfati in tota Italia, & insula Chij, deputati & in posterum deputandi, contra omnes & singulos, tam sæculares quam religiosos quorumvis Ordinum etiam mendicantium professores, cuiuscumque sexus, gradus, status, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ non tamen Episcopalis existant, qui propositiones suspectas, scandalosas, periculosas, errores continentes hæresim sapientes, ac alias Catholicæ fidei minus consonas, Christianæque pietati & bonis moribus minime conformes huiusmodi, vel earum quaslibet in posterum asserere, seu publice proponere, & populis prædicare audeant vel præsumant, iuxta auctoritatem, & potestatem eis inquisitoribus, à iure, aut aliis quomodolibet, traditam & concessam, procedere & inquirere, suamque iurisdictionem exercere debeant. Necnon eis contra illos, iuxta prædictam potestatem, vt præfertur procedendi & inquirendi, & iurisdictionis huiusmodi exercendæ facultatem, quatenus opus sit eadem auctoritate de nouo concedimus.

§. 3. Decernentes præsentibus nostris literis, nisi per signaturam manu nostra signatam minime derogari posse, irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula præseruatiua.*

§. 4. Districtiusque inhibentes locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine & administratione suarum Ecclesiarum, necnon ciuitatum & locorum quorumlibet Dominis, Gubernatoribus, & Rectoribus, & aliis quibuscumque, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac bonorum suorum priuationis pœnis eo ipso, si contrafecerint, incurrendis, ne Inquisitores præfatos quo minus contra propositiones præfatas, vel earum quaslibet, sub indultorum, concessionum, priuilegiorum, & exemptionum eorundem, & quovis alio prætextu asserentes, proponentes, & prædicantes huiusmodi procedere, inquirere, eorumque iurisdictionem exercere libere possint & valeant, quovis modo, per se vel alium seu alias, directe vel indirecte impedire præsumant. *Iussio obediendi inquisitoribus.*

§. 5. Non obstantibus præmissis & Apostolicis, in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinum eorundem iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque & exemptionibus prædictis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus, & formis; & per nos & Sedem Apostolicam, concessis, confirmatis, & innouatis, quibus etsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda foret, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Clausula derogatoria.*

§. 6. Et quia difficile foret præsentes nostras literas originales, ad singula loca quo opus foret destinare, volumus, & decernimus, quod earum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides indubia, in iudicio & extra vbicumque exhibitæ fuerint, detur, ac eisdem stetur, ac si originales literæ ipsæ exhibitæ forent vel ostensæ. *Transumptorum fides.*

Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 14. Ianuarij, millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus nostri Anno octauo. *Dat. R. An. 8. die 14. Ianu.*

XXXI. Comprobatio gratiarum, iurisdictionum,& indultorum Collegij Fabricæ B. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, cum aliorum priuilegiorum concessione.

Hanc bullam iste Pontifex iterato confirmauit die 10. January 1547. Et Paulus IV. die 24. Iunij 1555. Ideo non est curandum de intermediis, & respectiue praecedentibus suspensionibus & reuocationibus. Quæ autem de his gratiis, reuocata postea aut restricta fuerint à Concilio Tridentino, & Pio IV. & Successoribus, hic in apostillis adnotabo. Prout & alia hanc Fabricam concernentia indicaui tibi sup. ad const. 3. Clem. VII. Admonet.

Edita A. D. 1542.

PAVLVS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam.

Basilica S. Petri de Vrbe, diuersis Pontificũ indultis decorata fuit.
Hæc vide in bullis in rubr. indicatis.

DVm ad vniuersas Vrbis Basilicas,& Orbis Ecclesias, pro iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, crebris vigiliis & assiduis studiis attendimus, ad sacram præcipue B. Petri Apostolici de Vrbe Basilicam, eo libentius nostræ mentis oculos conuertimus, quod Basilica in nascentis Ecclesiæ, sancta institutione, ac primorum Christianæ Religionis Clericorum norme, traditionibusque, & sacris institutis, ac diuinis regulis, eloquiisque præmunita extitit, & ab eius primæua erectione variis virtutum meritis semper resplenduit. Quamobrem nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri, innumeris Basilicam ipsam priuilegiis & dignitatum titulis decorarunt. Vnde nos, eorum ducti exemplo, decet, vt Basilicam ipsam nostris etiam gratiarum muneribus muniamus,& his, quæ pro ipsius Basilicæ augmento, ac personarum inibi vota sua exoluentium, commoditatem processerunt, ne in contentionis scrupulum labantur, sed firma & illibata persistant, nostri muniminis adiicimus firmitatem, ac vt dubia quæ in priuilegiis, & gratiis ipsis suboriri possent, nostræ declarationis adminiculo seponantur, libenter consulimus, ac desuper prouidemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Iulius II. pro subuentione Fabricæ, his qui personâ, vel pecunia ei subuenirent infrà annum à die sua concessionis, facultatem concessit.

§. 1. Sane nobis nuper pro parte Venerabilium fratrum nostrorum Francisci Aletien. Pauli Nucerin. Petri Aquen.& Philippi Burgi sancti Sepulchri Episcoporum, ac dilectorum filiorum Magistri Ioannis Baptistæ Cicadæ Notarij nostri, & causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditoris, necnon Raphaëlis de Casalibus ciuis Roman. modernorum Fabricæ dictæ Basilicæ deputatorum exhibita petitio continebat, quod nuper postquam fel. record. Iulius Papa II. prædecessor noster, qui antea, cum ad Basilicæ prædictæ restaurationem operarias manus apposuisset, cognoscens fabricam huiusmodi absque piis & largis fidelium erogationibus ad finem optatum perduci non posse, vniuersis Christi fidelibus vtriusque sexus, qui infra annum ex certo tempore tunc expresso computandum, in capsa ad id in dicta Basilica collocanda per seipsos mitterent, vel alios mitti, & poni facerent, tantum quantum eorum pia deuotio eis dictaret, in pecunia numerata, aut rebus aliis ad opus ipsum conuertendis, vel circa dictum opus se personaliter exercerent, seu tunc generali Thesaurario suo, se ad pie erogandum aliquid ad opus huiusmodi, iuxta eorum deuotionem efficaciter obligarent.

Confessorem eligendi qui certis casibus eos absolueret.

§. 2. Vt idoneum possent eligere confessorem, qui eos à certis tunc expressis casibus, absoluere,& super certis etiam tunc expressis in foro consciẽtiæ dumtaxat dispensare posset, facultatem per quasdam concesserat.

Posteaque vt huius confessionis vltramõtani etiam essent participes, d. annum ad eius beneplacitum prorogauit, & Commissariũ citra montes ad colligendum eleemosynas deputauit.

§. 3. Et deinde prouide attendens, difficile fore prædictas infra annum à die illarum publicationis & ad notitiam Christi fidelium vltra montes consistentium peruenire posse, ipsas per alias ad sui beneplacitum prorogauerat, cupiens nonnullarum Prouinciarum totam Italiam, Siciliam vltra pharum, Corsicam, Cretam, Cyprum, Rhodum vsque Ierosolymam, Dalmatiam, Croatiam, Bosniam, Vngariam Austriam, Bohemiam, & Poloniam, ac insulas maris mediterranei continentium personas, aut in eis degentes, quæ ob locorum distantiam personaliter ad dictam Basilicã se conferendi, aut per alium pias eleemosynas pro huiusmodi Fabrica in dictam capsam transmittendi omnimodam commoditatem non habebant, ipsarum indulgentiarum participes fieri. Vniuersis eisdem Christi fidelibus vtriusque sexus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis,& præeminentiæ existerent, etiam Ecclesiasticis religiosis, ac aliis sæcularibus per vniuersas Prouincias, & insulas prædictas constitutis, vere pœnitentibus,& confessis, qui infra annum, & deinde ad beneplacitum suum à publicatione priorum literarum suarum prædictarum in dictis Prouinciis & insulis facienda computandum, Ecclesias in dictis Prouinciis & insulis, quas quidam tunc ab eodem prædecessore deputatus Commissarius nominasset, iuxta illius, seu deputandi ab eo prouidam ordinationem super eo faciendam, deuote visitassent, & in capsis ad id in subsidium dictæ Fabricæ deputandis, pias eleemosynas effectualiter ponerent, peccatorum remissiones,& alia spiritualia dona concesserat & indulserat per quasdam alias.

Quo Commissario vita functo, alium deputauit, & eleemosynas elargientibus plenariã peccatorum remissionem concessit.

§. 4. Et postea eodem Commissario vita functo, idem prædecessor alium deputando, vniuersis Christi fidelibus vtriusque sexus, tam sæcularibus quam regularibus Ordinum quorumcumque Prouinciarum & insularum prædictarum, qui iuxta eiusdem Commissarij aut deputari, seu subdelegari, aut deputandorum seu subdelegandorum ab eo, prouidam ordinationem super eo faciendam, in capsis ad id deputandis, iuxta Nuncij,& Commissarij, ac deputandorum, & subdelegandorum prædictorum ordinationem, & arbitrium, pias eleemosynas effectualiter posuissent, plenissimam omnium peccatorum suorum remissiones consequerentur.

Tu scias omnes indulgentias pro quib. porrigẽda sunt manus adiutrices, reuocatas esse à Pio V. in eius cõst. 30. Etsi dominici.

§. 5. Et quia cum præfatis Commissario, seu delegandis & subdelegandis prædictia conuenirent, vt idoneum possent eligere confessorem Presbyterum, sæcularem vel cuiusvis Ordinis etiam mendicantium regularem, qui eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eum delictis & excessibus, ac peccatis quibuslibet quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam Sedi prædictæ reseruatis casibus ac censuris Ecclesiasticis, etiã ab homine, vel ad alicuius instantiam latis, de consensu partium, etiam ratione interdicti incursis, & quarum absolutio dictæ Sedi reseruata foret (præterquam machinationis in personam Summi Pontificis, occisionis Episcoporum aut aliorum Superiorum Prælatorum,& iniectionis manuum violentarum in illos aut alios Prælatos, falsificationis bullarum, & literarum Apost. delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum,& censurarum, occasione Aluminum Tulphæ suæ, ac de partibus fidelium ad infideles, contra prohibitionem suam delatorum, incursarum) semel in vita, & in non reseruatis casibus, toties quoties id petiissent,& in mortis articulo, plenariam omnium peccatorũ indulgentiam & remissionem impendere, ac pœnitentiã salutarem iniungere, & Eucharistiæ Sacramentum, præterquam in die Paschatis,& in mortis articulo aliis anni temporibus ministrare. Necnon per eos emissa vota quæcumque (vltramarino, ingressus religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare. Ac cum simoniç, in ordinibus vel beneficiis commissæ labe pollutis ad ipsum opus contribuentibus super irregularitate, si quam censuris huiusmodi ligati, missas & alia diuina officia, non tamen, in contemptum clauium celebrando, aut alias diuinis se immiscendo, seu alias quomodolibet, etiam beneficia Ecclesiastica præmissorum occasione, vel alias indebite occupando, præterquam ratione homicidij voluntarij & bigamiæ contraxissent, dispensare, eosque absoluere. Omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam, siue notam ex his prouenientem abolere,& vt in susceptis ordinibus ministrare, ac si acquisita beneficia Ecclesiastica, quæ ex tunc eis de nouo collata censerentur,& perceptos ex eis fructus, etiam ratione omissionis horarum canonicarum,& diuinorum officiorum, facta aliqua compositione cum eis concedere.

Confessorem que eligendi licentiam dedit, qui absolueret, &c.

Tu aduerte, quod confessionalia, & similia indulta, sunt redacta ad formã Conc. Trid. à Pio IV. in eius constitut. 94. in principio. Et Confessorũ eligendorum formã & facultatem declarauit Clem. VIII. in eius bulla 115. Quæcumque.

§. 6.

Commissario dedit etiā potestatem cō ponendi super male ablatis incertis, vel vsuris quæsitis, & debitis Ecclesiæ, cui Romana succederet Ecclesia, debitisque personæ incertæ vel ignoratæ, ac super legatis locis piis, vel pauperibus incertis.

Tu nota quod si nō sit compositio, integra debentur Fabricæ, vt mox infrà dispōnetur.

§. 6. Necnon super male ablatis incertis, vel per vsurariam prauitatem quæsiti, etiam certis, quæ fœnerator ab alio fœneratore extorsisset, & quæ ipse requisitus vsuras restituere paratus non esset, vel alicui priuatæ Ecclesiæ deberentur, in quibus tamen Rom. Ecclesia de iure communi succedere posset, ac etiam bonis, quæ ad alicuius manus peruenissent, & illa habentes, quibus restitui deberent, ignorassent vel dubitassent, quanquam male ablata per eos non existerent, seu illa ad eos peruenirent. Et similiter de his, quæ pauperibus, & aliis piis locis, in genere, & absque vlla speciali determinatione, & propriis nominibus personarum non expressis relicta forent, pro præterito & futuro, ex tunc temporibus componere. Ita vt soluta aliqua quantitate prædicta Fabrica, eidem Nuntio vel Commissario, vel deputando, vel subdelegando ab eo dumtaxat, in ipsis capsis ponenda, à reliquorum sic relictorum & male ablatorum, ac per vsurariam prauitatem extortorum seu quæ ad eos alias peruenissent, & cui ea restituere debuissent, dubitabant vel ignorabant, vt præfertur, restitutione absoluti existerent, vltra restituere minime tenerentur, eis concedere, ac illa, quæ ante publicationem dictarum indulgentiarum suarum inexacta, etiamsi illa Ordinariis, pro ipsis tamen incertis, quoquo modo relicta, donata, & quæ eis quovis modo obueniebant.

Exigendique indebita Ordinariis, &c.

§. 7. Necnon quæ ab ipsis Ordinariis vel eorum nomine post ipsam publicationem exacta, & eis quoquo modo soluta. Ac etiam quæ ante publicationem ipsam, pro ipsis tamen certis aut incertis personis & locis non debebantur, sed post publicationem prædictam deberi cœperunt etiamsi ea Ordinariis, vt præmittitur, relicta, donata, aut obuenta, tanquam eis indebita per ipsum Commissarium, & delegandos ac subdelegandos ab ipso, nomine dictæ Fabricæ, libere exigi, ac peti, & assequi, posse, & debere, etiam sub censuris Ecclesiasticis, ac pœnis pecuniariis, aliisque iuris remediis opportunis, inuocato etiam ad hoc, si opus esset, auxilio brachii sæcularis.

Dispensandi quosque in multis casibus.

Hanc Collegii Fabricæ facultatem abstulit, ni fallor, Pius IV. in eius bulla 62.

Et postea generaliter, ad formam Cōc. Trid. reduxit in alia eius const. 94.

Et declarauit Clem. VIII. in sua bulla 115. Quæcumque.

§. 8. Ac quoscumque qui ante ætatem legitimam ad sacros Presbyteratus ordines absq; aliqua dispensatione se promoueri fecissent, & in susceptis ordinib. etiam ministrassent, ac qui ex quavis licita aut illicita cognatione proueniente affinitate & consanguinitate, aut cognatione, carnali vel spirituali, inter leuatum, & leuātem excepto simplici aut multiplici gradu. Ac quoscumque qui publicæ honestatis iustitiæ impedimento, seu alias quomodolibet impediri matrimonium scienter vel ignoranter, in quarto vel in tertio, ac per copulam fornicariam, non tamen publicam, etiam in primo affinitatis gradu contraxissent, & carnali copula consummassent, si impedimentum huiusmodi in iudicium deductum non fuisset, vel scandalum generare non posset, ab excessu huiusmodi, ac excommunicationis sententia, quam propterea incurrissent, iniuncta inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, quæ ad Fabricam huiusmodi dirigeretur, & quod de cætero talia non committerent, nec committentibus, auxilium, consilium vel fauorem præstarent, & aliis quæ de iure forent iniongenda, absoluere, & vt de nouo inuicem matrimonium contrahere, & in illo sic contracto similiter remanere libere & licite valerent. Prolem tunc susceptam ex huiusmodi matrimonio si qua esset, & ex tunc de cætero suscipiendam legitimam decernendo, in foro conscientiæ dumtaxat, tam quoad alios quam quoad illos, qui in tertio vel quarto consanguinitatis gradu existentes, matrimonium contraxissent, vt præfertur, quos in vtroque foro absolui, & matrimonium de nouo, etiam publice, contrahere posse voluerat. Et cum eisdē promotis super irregularitate, quā etiā in dictis ordinibus ministrando contraxissent, quodque in dictis ordinibus ministrare possent dispensare.

Ampliauit etiam Fabricæ bona Ecclesiastica indebite occupata.

Relictaque pro male ablatis Incertisue locis piis, & personis.

§. 9. Ac cum quibuscumque qui bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ecclesiasticorum beneficiorum quorumlibet haberent, & iudicialiter deficientibus probationibus, ad illorum restitutionem compelli non possent, etiamsi per eos probari posset, & bona omnia, ac quæcumque legata & alias quomodolibet etiam hæreditatis titulo pro male ablatis restitutione, relicta hactenus, & quæ relinqui & legari contingeret in futurum, durante deputatione Nuntii, & Commissarii huiusmodi, in quibuscumque testamentis, donationibus causa mortis, codicillis, aut aliis vltimis voluntatibus, per quoscumque & vbicumque factis, & quæ durante huiusmodi deputatione factæ forent quibuscumque incertis Ecclesiis, & piis locis, aut personis similiter incertis vel absentibus, taliter quod propter ipsorum absentiam merito ab eis notitia haberi non posset. Ac etiam, quæ restitutioni subiacerent, sed in eis, vel ad ea personis, quibus illæ fieri deberent receptio non competeret, necnon quæcumque in testamentis, donationibus causa mortis, codicillis, aut aliis vltimis voluntatibus pro Redemptione captiuorum, etiamsi B. Mariæ de Mercede, & sanctæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Ordinibus, & S. Eulaliæ Barchinonen. relicta forent, ac hæreditates, & bona decedentium ab intestato, clericorum & laicorum, etiam ex indulto Apostolico, aut alias ad Redemptionem prædictam Captiuorum dedicata, pertinere debuissent, facultate Nuntii & Commissarii concessa huiusmodi durante.

Restituendaque eis cum recepto non competit, ac

Relicta vel debita Redemptioni Captiuorum.

Resque exponi solitas in conuiuiis & spectaculis publicis, temporis festiuitatum.

§. 10. Necnon omnes, & singulas pecunias, & res alias, quæ in prandiis, & conuiuiis, ac publicis spectaculis in aliquibus celebritatibus, ex voto & statuto ac consuetudine, in quibusvis locis exponi consueuerant, & facultate Nuntii & Commissarii huiusmodi durante, exponi debuissent, ad Fabricam huiusmodi applicauerat, & sub restitutione bonorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum huiusmodi, Competenti recepta portione vel quantitate pro eis, in Fabricam huiusmodi conuertenda, ipsos sic ea tenentes ab vlteriori eorum restitutione libere absoluere, & quod illa retinere libere possent in posterum eis concedere.

Commissario prædicto idem Iulius II. dedit facultatē interpretandi dubia exorienda in sibi commissis.

§. 11. Ipsique Nuntius & Commissarius, & quib. vices suas in genere vel in specie duxisset committendas, possent dubietates quascumque tam super qualitate personarum, quibus facultas eligendi confessorem concedi posset, etiamsi comprehenderentur communia Ciuitatum, vniuersitates, oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, ac Collegia, quæ & illorum singulares personæ absolutione à præmissis, vel aliquo modo præmissorum, ac dispēsatione super eis, vel aliquo eorum indiguissent, quam cætera alia dubia decidere, & summam pecuniariam pro consequendā indulgentia huiusmodi & aliis præmissis limitare, & taxare, ac facultatem eligendi confessorem huiusmodi concedere.

Suspendendique indulgentias alias concessas, vt hic.

§. 12. Ac quascumque indulgentias, tam à dicto prædecessore quam à prædecessoribus suis & Sede prædicta, vel eius auctoritate quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam nostro tunc suo, S. Spiritus in Saxia de vrbe, Ord. S. Augustini, & aliis piis locis, vniuersitatibus, confraternitatibus, cuiuscumque qualitatis, & ad quemcumque vsum etiam laicorum & clericorum Institutis, & singularibus personis etiam plenarias, in vitā, ac quascumque facultates quibusvis personis cuiuscumque dignitatis etiam Cardinalatus honore, aut legatione fungentibus, super præmissis vel aliquo præmissorum eatenus concessas (præterquam ratione sustentationum pauperum, & miserabilium personarum in Parisien. & S. Iacobi de Galicia, ac Portugalliæ Regnis Hospitalis degentium) quas quoad illorum vsum, in Prouinciis, in quibus dicta Hospitalia respectiue sita, secundum Cancellariæ nostræ morem terminandis, & non in aliquibus aliis locis durare voluerat, ac expeditionem contra infideles, & hæreticos concessis, etiam quascumque clausulas præseruatiuas aduersus reuocationes, & suspensiones earundem in se continentes, quando, & quoties, & ad quod tempus, Nuntio, & Commissario præfato, vel deputandis, & subdelegandis ab eo, videretur opportunum suspendere quas omnes, & singulas, idem prædecessor ad sui beneplacitum suspenderat, prohibens quæstas quascumque illarum occasione fieri solitas.

Et idē Iulius II. easdem indulgētias, animab. existentium in purgatorio suffragari decreuit.

§. 13. Et vt animarum salus eo potius procuraretur quo magis aliorum egebant suffragiis, animabus in purgatorio existētibus, quæ per charitatem ab hac luce Christo vnitæ decesserant, & quæ dum viuerent, sibi vt huiusmodi indulgentia suffragaretur meruerant succurrere cupiens, voluerat & concesserat, vt si qui parentes, amici

Tu autem recordare quod Pius V. reuocauit vt superius adnotaui.

aut cæteri Christi fideles pietate commori, pro ipsis animabus in purgatorio pro expiatione pœnarum eisdem secundum diuinam iustitiam debitarum retentis, durante commissione Nuntij & commissarij ad opus Fabricæ huiusmodi, aliquam eleemosynam iuxta eiusdem Nuntij, vel deputandi ab eo, ordinationem erogassent ipsa plenissima indulgentia per modum suffragij animabus ipsis in purgatorio existentibus pro quibus dictam eleemosynam pie erogauissent, vt præfertur, pro pœnarum relaxatione suffragaretur. Ac omnes & singulos Christi fideles huiusmodi, de simili potestatis plenitudine, & liberalitate, qui manus adiutrices ad opus Fabricæ huiusmodi porrexissent ac omnes, & singulos eorundem parentes defunctos, benefactores qui cum charitate decessissent, in omnibus precibus, suffragiis, eleemosynis, ieiuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus, & cæteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fiebant, & fieri poterant in tota vniuersali sacrosancta Ecclesia militanti, & omnibus membris eiusdem, participes in perpetuum fierent.

Leo X. prædicta omnia confirmauit, & Notarios ad ostendendum legata præfata cogi posse decreuit.

§. 14. Et deinde piæ mem. Leo Papa X. etiam prædecessor noster præmissa omnia, indulgentias, & priuilegia recensens, illaque Motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, approbans, & confirmans, & de nouo quatenus opus esset concedens, certis Commissariis suis in quibusdam prouinciis, & locis tunc expressis ad triennium ex tunc computandum deputatis, potestatem concesserat, omnes & singulos cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis forent, relicta & applicata prædicta penes se quomodolibet detinentes, ad illorum restitutionem & solutionem, & notarios ac tabelliones quoscumque de relictis prædictis rogatos, proposita illis competenti mercede, ad ostendendum eis ad præmissorum effectum toties quoties requisiti forent, eorum libros & protocolla, & dandum particulas relicta & applicata concernentes, in publicam & authenticam formam appellatione postposita, cogendi & compellendi.

Et Commissario prædicto dedit facultatem, componendi ad vtilitatem Fabricæ super legatis certis infrà annum non executis ad fauorem certorum locorũ vel personarum. Tu sciasquintam partem de his Fabricæ deberi, vt mox, infrà declaratur.

§. 15. Et quoniam sicut dictus Leo prædecessor fide dignorum testimoniis acceperat, in locis prædictis quamplures existebant, qui etiam relicta certis locis, & personis, sub aperta, & speciali expressione, & etiam ex voto post annum illa soluere, & exequi etiam requisiti contemnebant, contra defunctorum voluntatem, in animarum & locorum, & personarum quibus relicta erant præiudicium & iacturam, volens animabus, ac locis & personis prædictis opportune consulere, eisdem Commissariis in solidum etiam dederat in mandatis, vt requisiti ab executoribus testamentorum, seu locis & personis prædictis, vel eorum nomine, facta aliqua compositione cum eis, super certa parte in quam conuenirent, Fabricæ prædictæ applicanda, in quam quantum ad id, ipsorum testantium, & relinquentium in fauorem dictæ Fabricæ, motu, ac de plenitudine prædictis, & ex certa scientia voluntatem commutauerat, omnes & singulos dictorum sic relictorum detentores ad effectualem solutionem, cogerent & compellerent, ac soluentes de receptis quietandi & absoluendi, necnon ad id tot quot duxissent opportuni, cum simili aut limitata potestate substituendi, facultatem & potestatem, ipsisque soluentibus, ac quittantiam à dictis Commissariis obtinentibus plenariam indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum suorum, & si sæculares forent, quod possent ad vsum censurarum prædictarum eligere sacerdotem idoneum quem voluissent, concesserat, ac quod præfati deputati eisdem Commissariis computum & rationem de receptis reddere tenerentur.

Bonaque stabilia vendendi & immobilia ad Vrbẽ absque solutione gabellæ transferendi.

§. 16. Ac Commissarij & deputati prædicti possent & valerent, relicta, & applicata prædicta, quæ immobilia forent, per publica bandimenta plus offerenti vendere, & perpetuo alienare, & mobilia quæ transferri commode possent ad Fabricam ipsam absque solutione pedagij, seu Gabellæ transferre voluerat.

Exemitque Fabricæ Commissarios à superioritate ordinariorum & aliorum.

§. 17. Et deputandos prædictos, à potestate & iurisdictione quorumcumque Legatorum Ordinariorum omnium tam Ecclesiasticorum quam sæcularium, & nulli alteri nisi ipsi Leoni prædecessori, & certo tunc expresso Iudici voluit subiacere, certis etiam adiectis in contrafacien. pœnis exemerat.

Et super votis & peregrinationibus à testatoribus relictis & nõ executis, eosdem Fabricæ Commissarios componere posse voluit.

§. 18. Ac successiue per eum accepto, quod Commissarij per eum deputati prædicti, in prosecutione præmissorum, multa inuenerant, vota, itinera, siue peregrinationes diuersis Ecclesiis, in testamentis, & aliis vltimis voluntatibus relicta fuisse, & adhuc tunc inexecuta manere, quodque tam hæredes quam fideicommissarij huiusmodi votorum, ac aliæ particulares personæ, officiales commissioni sibi factæ conabantur opponere & contraire, aliique complures pias testatorum dispositiones, auaritia obcæcati, aut alia minus iuxta causa, violare nitebantur, & in proprias siue aliorum vtilitates conuertere, ac quod quamplures presbyteri & Clerici, ac Religiosi diuersorum Ordinum, ac piorum locorum, etiam sæculares curam habentes inueniebantur, qui non solum ad eosdem Commissarios, vt ipsis Presbyteris, Clericis, Religiosis & sæcularibus ex dictorum locorum negotiis in exigendo relicta eis, & eorum locis facta, commissarij ipsi fauerent, & cum eis pro aliqua parte in vsum dictæ Fabricæ conuertenda conuenire non curabant, verum etiam requisiti ad id faciendum, aut dicebant illa nolle exigere, & nunquam ad solutionem vexare, aut mentitis & confictis quittantiis debitorem absoluebant, in fraudem ipsius Fabricæ ac Ecclesiarum & locorum prædictorum præiudicium, ac quod notarij & tabelliones conabantur ab eis, pro testamentorum & scripturarum ostensione mercedem extorquere, declarauerat suæ intentionis fuisse, præfatos Commissarios suos vota, itinera, & visitationes prædicta, in testamentis & vltimis voluntatibus huiusmodi quomodolibet adnotata in vsum dictæ Fabricæ commutare, ac quod dicti Commissarij ipsa inquirere, petere & exigere possent.

Fraudemque contra Fabricã circa exactionem committentes, & officiales exigere volentes excommunicationi subiecit, & per Commissarios puniri iussit.

§. 19. Decernens omnes & singulos cuiuscumque dignitatis, ordinis, & religionis existentes, tam Ecclesiasticos, quam mundanos, fraudem & falsitatem aliquam committentes, aut quittantias, vel scripturas aliquas machinantes, aut facientes, propter quas præiudicium ipsi Fabricæ, aut impedimentum, vel damnum oriri potuisset, vel inferretur, & eos qui nolle exigere asseruissent, vt præfertur, maioris excommunicationis sententiæ subiacerent, Et nihilominus eosdem Commissarios suos contra suspectos in præmissis per viam inquisitionis, summarie simpliciter de plano procedere, & repertos culpabiles condignis pœnis afficere & valerent.

Notariosque cogi ad ostendendum libros oblata mercede duorũ cum dimidio pro centenario, pecunia exigenda. Tu scias notarios non cogi ex bulla ij. iv. n. 65.

§. 20. Notarios vero & tabelliones præfatos pro eorum competenti mercede, de duobus cum dimidio pro quolibet centenario, quod vigore instrumentorum suorum effectualiter exigerentur contentos esse voluerat, & eos plus petere non posse, & tamen ad ostendendum libros, & eorum protocolla teneri decreuerat, quoties ab eis fuissent requisiti absque alia expectatione mercedis, sub eadem pœna excommunicationis.

Relicta etiã ante septennium d. commissione Leon. X. comprehendi voluit.

§. 21. Relicta vero eorum, & aliorum, quibus non solum à septennio infra, sed etiam quocumque tempore vltra facta forent, voluerat sub commissionibus suis comprehendi, & ipsi Fabricæ applicata esse, prout applicauerat.

Et super rata Fabrica obuenienda componi posse.

§. 22. Ac voluerat super relictis, pro rata eidem Fabricæ obuenienda, etiam super hæreditaribus in quibus vsufructuarij, ad tempus seu ad vitam ipsorum, aut deputari, & in quibus illa soluendi à testatoribus limitatum terminum fore reperirent, etiam ante annum à die obitus eorundem testatorum computandum, ipsa relicta pro dicta Fabrica exigere.

Exactaque per Ordinarios de spectãtibus ad Fabricam indicari per Commissarios.

§. 23. Ac relicta & alia dictæ Fabricæ applicata per Ordinarios locorum, vel eorum nomine catenus exacta, ab ipsis Ordinariis, penes quascumque personas existentia pro dicta Fabrica vendicare.

Relictorũque certorum & infrà annum non executorum quintam partem capere.

§. 24. Ac etiam relictorum certis personis factorum, & infra annum etiam non executorum, quintam partem pro ipsa Fabrica, etiamsi quibus relicta ipsa facta essent, voluerint illa inexacta relinquere accipere possent, & valerent.

Legataque incerta (si non sit compositio)

§. 25. Et quoniam in literis facultatum & indulgentiarum in fauorem dictæ Fabricæ concessarum, & per dictum Leonem prædecessorem confirmatarum, inter

integra ad m... Leo II. Fabrica debeat decreuit.

inter alia continebatur vt Nuntij, & commissarij ipsarum facultatum & indulgentiarum, & ab ipsis deputandi, possent cum retinentibus relicta factis incertis personis, vel absentibus, taliter quod propter eorum absentiam, merito ab eis notitia haberi non posset, recepta competenti portione vel quãtitate, prout superius enarratis componere, ac eos absoluere. Et si nonnulli tenentes relicta huiusmodi neglexissent, eatenus cum dictis Commissariis, componere, voluerat etiam vt illos sic ea tenentes vel quomodolibet occupantes, ad consignandum illa integra eisdem Commissariis suis pro dicta Fabrica cogere, & compellere valerent summarie, simpliciter, & de plano sola facti veritate inspecta, ac omni tela iudiciaria posthabita, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & aliis pecuniariis, de quibus eis videretur inuocato etiam, si opus foret, auxilio brachij sæcularis, super quibus omnibus, & singulis, plenam eis, & eorum cuilibet in solidum, concesserat facultatem, & potestatem.

Commissarijs dedit potestatem permittendi in locis sacris sepeliri mortuos absque confessione, &c.

§. 26. Et subsequenter idem Leo prædecessor per reliquas suas literas ad certum similiter tempus duraturas, certis Commissariis, deputandis seu nominandis, inter alias consimiles supra expressas facultates, in vigintiquinque prouinciis, & sub quibus prouinciæ supra expressæ existebant, concesserat, quod ipsi Commissarij eis qui sine confessione moriebantur, etiamsi infra annum non fuissent confessi, dummodo in eis signa contritionis in articulo mortis apparuissent, vt in loco sacro sepeliri possent concedere, & contradictores similes pœnas incurrisse declarare, ac summam pecuniarum pro consequenda indulgentia huiusmodi, & aliis præmissis, ac facultatem eligendi confessorem, limitare & taxare.

Altare quoque portatile presbyteris, &c. concedendi.

§. 27. Necnon nobilibus, & Presbyteris ac graduatis, altare portatile, quod cum debitis reuerentia & honore retinerent, & super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, etiam non sacris, & Ecclesiastico interdicto, generali & speciali, tam Apostolica quam ordinaria auctoritate suppositis, dummodo causam non dedissent huiusmodi interdicto, & antequam illucesceret dies, circa tamẽ diurnam lucem in sua ac suorum familiarium domesticorum præsentia, iuxta formam Capituli Alma, de sent. excommunic. in 6. Missas & alia diuina officia per seipsos qui Presbyteri erant, aut pro tempore forent, celebrare, seu per alios Sacerdotes celebrari facere, ac tempore interdicti huiusmodi diuinis interesse, ac Eucharistiam & alia Ecclesiastica sacramenta, sine alicuius præiudicio, præterquam in die Dominica Resurrectionis, accipere, & eorundem corpora Ecclesiasticæ tradi possent sepulturæ, sine tamen funerali pompa concedere.

Ad hoc videndum est Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. post canones, & sess. 25. c. 25. de Regular.

Iuramenta atque obligationum ad effectum agendi, relaxandi.

§. 28. Necnon quæcumque iuramenta, in quibusvis contractibus instrumentis, obligationibus, præterquam in forma Cameræ appositis ad effectum agendi duntaxat, relaxare, & ab eis & à quocumque periurio, sine tamen tertij præiudicio, absoluere.

Indulgentias locorum piorum & aliorum suspendendi, &c.

§. 29. Ac quascumque indulgentias, etiam illas à media quadragesima vsque ad Pascha inclusiue, ab Ordinibus Mendicantium publicari solitas, tam ab eodem Leone, quam à suis prædecessoribus, & à Sede prædicta, vel eius auctoritate, quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam S. Spiritus prædicto, & aliis piis locis, vniuersitatibus, Confraternitatibus cuiuscumque qualitatis, & ad quemcumque vsum, etiam laicorum, & clericorum institutis, & singularibus personis cuiuscumque dignitatis, etiam Cardinalatus honore, aut Legationis officio fungentibus, super præmissis vel aliquo præmissorum hactenus tunc concessas, ac expeditionis contra Turcas, & hæreticos, etiam quascumque regulas præseruatiuas aduersus reuocationes, & suspensiones earundem in se continentes, certis locis tunc exceptis, quando & quoties, & ad quod tempus Nuntio & Commissario præfato, vel deputandis, & subdelegandis ab eo videretur opportunum suspendere, prout idem Leo illas suspensas fore declarauit, ad processiones publicæ, ad effectum indulgentiarum publicationum fieri.

Processiones ad publicationem indul-

§. 30. Et populum, ac Religiosos omnes cuiuscumque Ordinis, etiam exemptos pro huiusmodi operibus peragendis ad sonum campanæ euocari facere possent, dictique congregari tenerentur sub excommunicationis pœna procedere; relicto digniori loco deputatis & subdelegatis, ad ipsas indulgentias exequendas, & dicti Commissarij à censuris, & pœnis prædictis, satisfactione præuia absoluere, & illas remittere, ac suspensionem huiusmodi indulgentiarum relaxare valerent.

gentiarum ... ducendi. Quoad indulgentias attendere de reuocatione quæ fuit ... sub...

§. 31. Quodque etiam transumptis, & confessionalibus, in dictis prouinciis, insulis, & finibus, quibusvis personis per præfatum Nuntium & Commissarium, ac deputandos, & subdelegandos ab eo subscriptis, & suo sigillo dumtaxat munitis, fides adhiberetur, Apostolica auctoritate, per literas prædictas, licentiam, & facultatem concesserat, & voluerat, atque mandauerat.

Transumptisque Commissariorum, plenam fidem dare voluit.

§. 32. Et postremo recol. mem. Clemens Papa VII. similiter prædecessor noster. Volens opus prædictũ, quod per prædecessores prædictos perfici non poterat, &c.

Clem. VII. cite in ...multa quoad d. Fabricam disposuit vt suprà.

Omittitur residuum narratiuæ, quia bullas ipsas Clem. VII. habes sup.

Hic Pontif. Paul. IV. indulta d. Fabricæ confirmauit.

§. 33. Et postmodum per nos etiam accepto quod à quamplurimibus in dubium reuocabatur, an reuocationis per nos in crastinum nostræ assumptionis ad Summi Apostolatus apicem, in genere factæ vigore, indulgentias, facultates, & priuilegia, iam per præfatos quam Adrianum Papam VI. prædecessores nostros, Fabricæ, & Collegio præfatis concessa comprehendere intendissemus, Nos, motu & scientia similibus, indulgentias etiam plenarias, priuilegia, facultates, prærogatiuas, & indulta, per præfatos prædecessores, eisdem Fabricæ & collegio concessa, cum omnibus, & singulis decretis, & clausulis, in singulis literis desuper confectis contentis, aduersus reuocationes & suspensiones huiusmodi in pristinum statum, in quo ante easdem reuocationes quomodolibet existebant, præfata auctoritate Apostolica plenarie restitueramus reposueramus, & reintegraueramus, illasque prout per dictos prædecessores concessa erant, in omnibus, & per omnia quatenus opus esset, de nouo concesseramus.

Reuocatisque omnibus Commissarijs, totũ negotium Collegio d. Fabricæ remisit cum facultate præsertim.

§. 34. Et nihilominus, omnes, & singulos Fabricæ prædictæ Commissarios cuiuscumque dignitatis etiam Episcopalis, gradus vel conditionis existerent, eatenus quomodolibet per Collegium dictæ Fabricæ deputatos; necnon omnes commissiones, & facultates eis concessas & factas reuocantes, eosque ab huiusmodi commissionibus absoluẽtes, Collegio præfatis & quibusvis ab eis ad id deputatis, alios Commissarios idoneos, qui Ecclesias, quæ pro consequendis huiusmodi indulgentiis visitare deberent declarare, necnon super publicatione ipsarum indulgentiarum inquirere, & procedere, ac falsos Quæstores, Commissarios, & Procuratores debite punire.

Principibus dimittẽdi partem eleemosynarum pro reparandis Ecclesiis in eorum dominijs existen.

§. 35. Necnon quibuscumque Regibus, Ducibus, Principibus & aliis, tam sæcularibus quam Ecclesiasticis, personis cuiuscumque gradus, præeminentiæ, & conditionis existentibus, in quorum dominiis, districtibus, & locis aliquæ Ecclesiæ essent, quas ipsi ex eleemosynis ex dictis Ecclesiis colligendis reparare cupiebant, partem eleemosynarum prædictarum, de qua cum dictis Regibus, & aliis personis præfatis conuenissent, ad dictum effectum dare & assignare.

Componendique super ablatis in direptione Vrbis.

§. 36. Necnon super bonis in direptione Vrbis subtractis si personæ illæ quibus restitui debuissent omnino ignorabantur, ad vsum dictæ Fabricæ componere, & vt illa detinentes, si debitam diligentiam pro inueniendis ipsorum bonorum dominis fecissent, & ipsos inuenire non potuissent, soluta ea pecuniarum quantitate, de qua eisdem Commissariis videretur, ad illorum restitutionem aliter non tenerentur, concedere, libere, & licite valerent.

Et cætera dicta faciendi iuxta formam literarũ Rom. Pont. prædecessorũ, dummodo Commissarij deputãdi sint persona Ecclesiastica.

§. 37. Deputandi facultates & potestates præfatas in se etiam retinendi, ac omnia & singula in singulis literis singulorum prædecessorum, & nostris huiusmodi contenta faciendi, procurandi, exercendi, ordinandi, & exequendi, dummodo Commissarij ad hos deputandi, personæ essent Ecclesiasticæ, & speciales super eo à dicto Collegio literas haberent plenam, & liberam facultatem concesseramus.

Postea idem Paulus III.

§. 38. Ac etiam per alias, tam in dicta Basilica, quam in singulis ciuitatibus, castris, terris, & locis, per vniuer-

Societate Principis Apostolorum erexit, & Confratribus multas gratias concessit.

sum Orbem consistentibus & illorum matribus, seu aliis ad id designandis Ecclesiis, vnam vtriusque sexus Christi fidelium, tam ecclesiasticorum quam sæcularium societatem, sub inuocatione dicti Principis Apostolorum, erexeramus, & ordinaueramus. In qua nos primo, & deinde charissimos in Christo filios nostros, Carolum Rom. Imp. & Franciscum Francorum Regem ac quoscumque alios vtriusque sexus sæculares & Ecclesiasticos Christi fideles cuiuscumque conditionis existerent, qui ea eorum bonis Fabricam huiusmodi iuuarent in ipsam Confraternitatem descripseramus. Quibus confraternitatem ipsam infra triennium à die publicationis ingredientibus, & pro dicta Fabrica de bonis sibi à DEO collatis, iuxta discretionem seu prouidam ordinationem Commissariorum, desuper à nobis pro tempore deputatorum seu ab eisdem deputandorum, super eo faciendam erogantibus, tam ipsis quam per modum suffragari animabus defunctorum quæ in charitate decessissent, indulgentias, & peccatorum remissiones, etiam plenarias per prædictos prædecessores, ac per nos, in genere vel in specie ad Fabricam prædictam manus adiutrices porrigentibus, quomodolibet concessas. Et quæ visitantibus anno Iubilæi, Ecclesias ad id deputatas concedi consueuerant, necnon illis qui cum cordis contritione & oris confessione decesserant, etiam in mortis articulo plenariam peccatorum suorum remissionem consequerentur, cum communicatione omnium spiritualium bonorum, quæ fiebant, & ex tunc in perpetuum fieri poterant, in vniuersali sacrosancta militanti Ecclesia, eosdem confratres quamplurібus aliis spiritualibus bonis decorantes, concesseramus.

Hispanisque Confraternitatibus, eleemosynam Fabricæ porrigentibus plenarias indulgentias elargitus est, cum potestate.

§. 39. Ac postremo eiusdem Caroli Imperatoris & Regis, vt eidem primogenito Ecclesiæ primum locum, vt par erat, daremus subditis in Hispaniarum, & illi annexis, Regnis, Insulis, & dominiis (excepto Regno Siciliæ citra Pharum) existentibus, & in eis commorantibus, ac ad illa vndecumque venientibus, vtriusque sexus, tam sæcularibus quam regularibus Ordinum quorumcumque dictæ confraternitatis confratribus vere pœnitentibus, & confessis, seu confitendi statutis temporibus propositum habentibus, qui in Natiuitatis, & Resurrectionis D. N. Iesu Christi, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, vel tribus aliis festiuitatibus, per Commissarium per nos deputandum, quolibet ex tribus annis designandis, aliquas Ecclesias seu altaria, dicto triennio durante visitarent, & in capsis ad id deputandis, aliquam piam eleemosynam iuxta eiusdem Commissarij, seu ab eo deputandi ordinationem pro Fabrica huiusmodi prosequenda, per se vel alium effectualiter ponerent, plenissimam, etiam sacro Iubilæi centesimo anno Ecclesias Vrbis Romæ visitari solitas visitantibus, & ad recuperationem Terræ sanctæ, & sacræ orthodoxæ fidei Catholicæ, & Dominicæ Crucis hostium expugnationem proficiscentibus, ac omnes, & singulas gratias illi concessas, & concedi solitas concesseramus.

Confessorem eligendi qui absoluat, &c.
Quoad hoc seruanda est constitut. 33. Clem. VIII.
Et quoad indulgentias, vide quæ à Pio V. sunt reuocata, vt in eius const. 30.

§. 40. Cum potestate eligendi sibi confessorem, qui ad effectum indulgentias huiusmodi consequendi confessionibus auditis, eos ab omnibus, & singulis sententiis, & censuris ecclesiasticis quomodocumque, à iure, vel ab homine in eos latis, necnon peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiamsi illorum absolutio Sedi Apost. reseruata existeret, & præterquam conspirationis in personam Rom. Pontificis, aut statum Rom. Ecclesiæ, occisionis, vel verberationis Episcoporum, aut aliorum Prælatorum, & iniectionis manuum violentarum in illos, falsificationis literarum Apostolicarum, aut delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad infidelium partes, atque sententiarum, & censurarum occasione Aluminum Tulphæ nostræ, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitiones nostras delatorum, necnon Ecclesiasticæ libertatis, ac priuilegiorum Sedi Apost. etiam ex consuetudine competentium, ac aliorum id, & executionem literarum, & mandatorum Apostolicorum, etiam in bulla in die Cœnæ Domini legi consueta, ac aliis Apostolicis constitutionibus comprehensorum concernentia quomodolibet violatorum, incursarum, semel tantum absolueret, eligendi, & pro animabus defunctorum cum communicatione bonorum spiritualium prædictorum, & stationum Vrbis indulgentiarum necnon esus ouorum, butyri, & lacticiniorum temporibus prohibitis ad eorum libitum, & carnium, de vtriusque medici consilio, licentia, & concessione, & cum eisdem seu similibus facultatibus Commissariis ad id deputatis, seu ab illis subdeputandis per prædictos prædecessores nostros, seu ab eis deputari solitis, iuxta tenorem prænarratarum literarum seriatim in nostris desuper expeditis literis, descriptis, & adnotatis concessione.

Commissarijsque Fabricæ dedit potestatem dispensandi in casibus hic expressis.
In recordare quod iam has facultas est sublata vt supra sub signo ficauit.

§. 41. Necnon prædictis Commissariis, vt præmittitur, & deputandis, quod eos arctati forent, & vigesimumtertium suæ ætatis annum attingeret, vel ad omnes sacros, etiam presbyteratus ordines promoueri, & vnum beneficium Ecclesiasticum obtinere, necnon cum quibusvis religiosis professis, & non professis quorumcumque Ordinum, & quacumque licita facultate, & cum sæcularibus clericis, seu Presbyteris, qui graduari vellint, etiam in quacumque vniuersitate, etiam leges audire, eisque studere, ac in ipsis graduari, vsque ad doctoratus gradum inclusiue similiter valerent. Et cum eisdem Religiosis, qui relicto religionis habitu per sæculum vagantes, apostasiæ notam seu irregularitatem contraxerint, & deinde pœnitentiæ ducti ad cor redierint, quando inde verisimiliter scandalum expectari non posset, & cum his, qui de Ordine suo ad alium Ordinem, parem, vel strictiorem, transferri cuperent. Necnon cum ipsis, ac etiam quibuscumque monialibus, cuiusvis qualitatis, & Ordinis existerent, vt de Superiorum suorum licentia, & ea durante, monasteria exire, & cum parentibus, & aliis Ecclesiasticis personis, seu sæcularibus conuersari. Et corporalia, & alia Ecclesiæ ornamenta dummodo per Presbyterum primo, vel per eas cum chirotecis abluerentur, abluere, & mundare toties quoties opus foret, licentiam, & facultatem concedere. Quodque eos, qui moniales etiam velatas, commatres, sorores consanguineas carnaliter, damnabili, & incestuoso coitu cognouissent, aut aliud quodcumque carnale crimen cuiuscumque qualitatis existeret, commisissent, absoluere, ac eos qui in quarto, vel tertio, & quarto si tamen ab eodem stipite penderent, & non alias, affinitatis vel consanguinitatis gradibus inuicem coniuncti, ac quocumque impedimento publicæ honestatis iustitiæ, præterquam inter leuantem, & leuantem, etiam cognatione spirituali detenti, & etiam carnali copula subsecuta contraxissent, ac etiam qui huiusmodi matrimoniis etiam clandestinis internenissent, seu præsentes, & consentientes fuissent, à censuris propterea incursis absoluere, ac cum eis vt in sic contractis matrimonii remanere. Et cum his, qui in casibus prædictis contrahere voluissent, vt matrimonium ad inuicem contrahere possent dispensare valerent. Decernentes præmissa omnia per eundem Commissarium sic facienda, in vtroque foro valere quibusvis contrariis nequaquam obstantibus.

Leo itidem X. Collegio Fabricæ dedit potestatem procedendi contra quoscumque alios quæstores sub eius consilio, edita die 9 Augusti 1541. quam breuiter superfluam prætermisi.

§. 42. Cum nos per alias nostras literas similiter accepto per nos, quod nonnulli Hospitalium, etiam nostri S. Spiritus præfati, & S. Ioan. Lateranen. ac S. Iacobi Incurabilium de Vrbe, Et monasteriorum S. Sebastiani extra muros dictæ Vrbis, ac S. Antonij Viennen. Cistercien. & S. Augustini Ordinum, ac Mercedis Redemptionis Captiuorum, etiam S. Helmi, S. Bouis, S. Barnardi, S. Leonardi, Sanctæ Marthæ, Sanctæ Catharinæ Montis Sinai, S. Viti, & Sanctæ Mariæ dalla Heremita, Quæstores, & Commissarij, non obstante suspensione priuilegiorum super quæstis faciendis, & confratribus describendis, & indulgentiis publicandis concessorum, ac suppressione Capellarum sub inuocatione S. Sebastiani, ac reuocatione Commissariorum, Nuntiorum, & Quæstorum, vigore priuilegiorum prædictorum, constitutorum, ac prohibitione faciendi quæstas, & indulgentias, & alias gratias publicandi, ac confratres describendi, & confessionalia concedendi, & in certis casibus matrimonialibus dispensandi, quæstas facere, & alia prædicta exercere minime erubescant. Et successiue etiam non obstante alia prohibitione à nobis desuper narrata, nonnulli etiam quæstores, & Commissarij tam prædictis quàm aliis forsan

nomi

nominibus vigore priuilegiorum prædictorum, & forsan aliorum etiam à nobis, licet contra mentem nostram emanatorum, tam quæstas facere quam indulgentias, & alia, vt præfertur, prohibita, publicare, & exercere, ac diuersas pecuniarum summas, res & bona exigere, & aliqui forsan sibipsis, appropriare, non destiterant, omnes, & singulas pecuniarum summas, res, & bona ex quæstis, eleemosynis, & indulgentiis, & aliis prædictis eatenus prouenia, & penes quæstores, & Commissarios præfatos, ac Nuntios, Ministros, Thesaurarios, Depositarios, loca, Collegia, & Vniuersitates existentia, quæ eatenus Hospitalibus, Monasteriis, & aliis locis prædictis minime incorporata fuerant Fabricæ, & illius Collegio, & deputatis concessissemus, & applicauimus. Omnesque Quæstores, Commissarios, Nuntios, & alios officiales præfatos reuocauissemus, omnemque facultatem, potestatem, & auctoritatem quæstuandi, indulgentias, & alias gratias publicandi, confratres describendi, confessionalia concedendi, in gradibus matrimonialibus prohibitis dispensandi, ab homicidiis casualibus seu voluntariis, ac simoniæ labe absoluendi, ac vota commutandi, & forsan alia exercendi, à Quæstoribus, Commissariis, Ministris, Thesaurariis, Depositariis, & aliis prædictis, necnon Guardianis, Officialibus, & aliis Superioribus Hospitalium, Monasteriorum, etiam Redemptionem captiuorum, & aliorum locorum prædictorum, priuilegia, & facultates, eos substituendi, & deputandi habentibus, abdicauissemus, & amouissemus. Ita quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus. Quæstores, & Commissarij, & alij officiales, ad quæstas, & alia prædicta exercenda, ab aliquibus, etiam à nobis, & successoribus nostris Rom. Pont. constitui, & deputari non possent, nisi ipsis constitutioni, & deputationi Collegij deputatorum Fabricæ huiusmodi, expressus accederet assensus, cum mandato, vniuersis, & singulis præfatorum Hospitalium, Monasteriorum, & aliorum prædictorum, vt pecunias, res, & bona ex quæstis, indulgentiis, & aliis prædictis acquisita, &, vt præfertur dictæ Fabricæ, applicata, & concessa, penes ipsos existentia, & nondum, vt præfertur, incorporata præfatæ Fabricæ, & pro ea præfatis Collegio deputatorum, & illorum officialibus ad opus, & vtilitatem dictæ Fabricæ, exponenda, & conuertenda persoluerent, & assignarent. Eisdem verò & pro tempore existentibus Deputatis, & præfatis Fabricæ huiusmodi, vt Quæstores, Commissarios, & alios Officiales, ac personas penes quos pecuniæ, res & bona huiusmodi existebant, sub pœnis, & censuris, de quibus eis videretur, tam posteriorum prædictorum quam aliorum priuilegiorum dictæ Fabricæ, & illius deputatorum Collegio concessorum vigore, ad solutionem, & consignationem huiusmodi faciendam, cogerent, & compellerent, ac easdem posteriores literas, & in eis contenta quæcumque inuiolabiliter obseruari mandarent, & facerent, inobedientes, & rebelles, ac contradictores quoslibet per pœnas, & censuras prædictas, auctoritate nostra, appellatione postposita cópescendo, inuocato etiam ad hoc si opus esset, auxilio brachij sæcularis. Ac post publicationem posteriorum literarum nostrarum prædictarum nonnulli locorum Ordinarij, eorumque Vicarij, Officiales, & alij Ministri, lucri, vt creditur, cupiditate ducti in contemptum literarum nostrarum earundem, & pœnarum in illis contentarum, nonnullis Hospitalium, Monasteriorum, & aliorum locorum prædictorum, Quæstoribus, & Commissariis, quæstas prædictas faciendi, aliaque prædicta exercendi, ac diuersas indulgentias publicandi licentias per eorum patentes literas expresse concedere, & impartiri non erubescerent, vel ipsos publice quæstuare permitterent, seu dissimularent, in animarum suarum periculum, & perniciosum exemplum, ac scandalum plurimorum.

Ordinariis quæstas, &c. prohibitas.

§. 43. Nos circa præmissa prouidere cupientes, Vniuersis, & singulis, tam locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, Officialibus, & Ministris, quam aliis quibuscumque Ecclesiarum Prælatis, sub ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à diuinis, necnon excommunicationis maioris, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & duorum millium ducat. auri de camera d. Fabricæ applicádorum pœnis, per eos eo ipso absque aliqua declaratione quoties contrauenirent incurrendis, districte præcipiendo mandauimus, quatenus ex tunc de cætero aliquas quæstuandi, & indulgentias publicandi licentias, & desuper literas quibusuis quæstoribus, & aliis personis etiam prætextu cuiusvis antiquæ consuetudinis, vel possessionis, eisdem Ordinariis similes licentias concedendi, & aliquam partem, ex quæstis, & indulgentiis huiusmodi exigendi, & percipiendi, & seu vigore quorumcumque priuilegiorum, & indultorum, ac literarum Apostolicarum eis hactenus concessorum, vel in posterum concedendorum, absque expressa licentia eiusdem Fabricæ Deputatorum nullatenus concedere, vel impartiri præsumerent, nec ipsos quæstores publice quæstuare permitterent, seu tacendo dissimularent, Quinimmo eos ad parendum reuerenter posterioribus literis nostris prædictis, & in illis contentis quibuscumque omnino cogerent, ac compellerent.

Collegio Fabricæ dat potestatem procedendi contra quoscumque quæstores, & quæsta per eos Fabricæ applicandi.

§. 44. Insuperque eisdem Deputatis, eorumque Commissariis contra eosdem Ordinarios, illorumque Vicarios, & Ministros, necnon quoscumque alios Ecclesiarum Prælatos, Superiores, & personas, tam sæculares quam quorumvis etiam mendicantium Ordinum regulares, quæstas facientes, in euentum contrauentionis ad declarationem incursus censurarum, & pœnarum prædictarum procedendi, necnon Quæstores præfatos quæstas facientes, & indulgentias huiusmodi absque ipsorum Deputatorum expresso consensu vbilibet publicantes capiendi, & incarcerandi, seu incarcerari faciendi, illosque tanquam inobedientes, & rebelles mulctandi, & ad triremes perpetuo, vel ad, de quo eis videretur, tempus relegandi, ac pecunias per eosdem Quæstores occasione dictarum indulgentiarum, vel quæstarum quomodolibet acquisitas eidem Fabricæ, vt præfertur, applicatas ab eis, & eorum singulis etiam inuitis, & renitentibus violenter auferendi, necnon pro præmissis omnibus exequendis auxilium brachij sæcularis, quoties opus foret inuocandi omnimodam concessimus facultatem. Quibuscumque nobis, & eidem Sedi immediate subiecta sub eisdem sententiis, censuris, & pœnis tunc mandantes, alios vero nobis non subiectos, Iudices, & personas sæculares in Domino hortantes, vt si, & postquam pro parte dictorum deputatorum & Commissariorum forent requisiti, in præmissis, auxilium, & fauorem, ac remedium opportunum præberent, prout singulis nostris, & prædecessorum prædictorum literis, quarum singularum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, dicitur plenius contineri.

Declarat etiã d. Collegium omnibus prædictis prædecessorum indultis vti potuisse, & posse ad vtilitatem dictæ Fabricæ.

§. 45. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, à nonnullis forte nimium scrupulosis dubitatum fuerit, an priuilegia, indulta, & facultates per prædictos prædecessores Commissariis, & Collegio prædictis concessa per eosdem Franciscum, PaulumPetrum, Philippum, Episcopos, Io. Baptistam, & Raphaëlem modernos ad opus dictæ Fabricæ deputatos, aut aliquos ex eis sub nomine dicti Collegij hactenus exercere, vel eis vti potuerint, & in futurum possint, hactenusque per eos sub nomine dicti Collegij pro dicta Fabrica gesta, valida existant, pro illorum parte nobis fuit humiliter supplicatum, vt desuper opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, quibus in sacra B. Petri Sede meritis, quanquam insufficientibus collocatis, conuenit opem & operam impendere efficaces, vt eiusdem B. Petri Basilicam, ac illius Fabricæ, Rectores, & ministros, necnon priuilegia, facultates & indulta eis concessa, illæsa præseruare studeamus, considerantes diligentiam quam primò dicti Franciscus & alij deputati in opus dictæ Fabricæ, quod dicti prædecessores, vt prædicitur, perficere non potuerunt, iuxta mentem nostram reassumendo adhibuerunt, illudque omni conatu & totis viribus assidue prosequuntur. Quodque ad illius commodum & vtilitatem, priuilegiis, facultatibus, & indultis, ac gratiis huiusmodi in fauorem dictæ Fabricæ tantummodo vtuntur. Et ne Christi fideles ab elargitione & subsidiis retrahantur, sed vt ad illud promptiores reddantur, quo singula priuilegia, facultates, concessiones & indulta prædicta nouerint inuiolabiliter obseruari,

huiusmodi supplicationibus inclinati, ex certa scientia, & de potestatis plenitudine similibus omnia & singula quæ per Franciscum & alios deputatos prædictos, seu eorum aliquos nomine dicti Collegij, ac vigore literarum patentium, eis per dictos deputatos concessarum deputatos, Commissarios, & officiales dicto nomine earundem literarum patentium, & Capitulorum forma seruata, gesta, facta & executa fuerunt, fuisse & esse legitime facta, ac si priuilegia, facultates & indulta aliis Commissariis per Iulium, & Leonem, ac Collegio præfatis per Clementem prædecessores prædictos respectiue concessa, & per nos confirmata & innouata, ipsismet deputatis concessa fuissent, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus. Et nihilominus omnia & singula per primo dictos Deputatos, aut eorum aliquos, seu ab eis dicti Collegij nomine Commissarios & officiales, etiam deputatos, dummodo Commissarij, & officiales hactenus, vt præfertur, deputati prædicti formam & ordinem eis, per eorum literas patentes huiusmodi, siue capitula inter eos inita seruauerint, approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus.

Ideoque vidi Collegio iterato concedit.

§. 46. Et vt circa illa omne dubium & ambiguitas in futurum cessare debeant, ipsique Deputati opus Fabricæ huiusmodi diligentius prosequi possint, ipsis, aliisque dictæ Fabricæ pro tempore deputatis, quod omnibus & singulis priuilegiis, prærogatiuis, facultatibus, iurisdictionibus, gratiis, & indultis, tam Commissariis per Iulium, & Leonem, ac Collegio præfatis per Clementem prædecessores prædictos, ad commodum, & vtilitatem dictæ Fabricæ, quam etiam per nos, per singulas literas prædictas, Commissariisque, & Collegio præfatis per eosdem prædecessores, ac nos, vt præmittitur, hactenus respectiue concessis, sub nomine Collegij præfati, vti, & illa exercere, valeant eisdem auctoritate, & tenore, concedimus, & indulgemus, ac singulas nostras, & prædecessorum nostrorum literas huiusmodi, ad dictos etiam pro tempore deputatos, & ad vniuersas prouincias in singulis literis prædictis expressas, extendimus, & ampliamus.

Et ad beneplacitum Sedis Apost. durare & sub reuocationibus, &c. non comprehendi decernit.

§. 47. Necnon præsentes literas, ad nostrum, & successorum nostrorum Rom. Pont. canonice intrantium beneplacitum durare. Ac beneplacitum huiusmodi, & præsentes literas, per generalem reuocationem, seu Cancellariæ Apost. regulas, etiam per successores nostros prædictos pro tempore edendas, aut alias etiam nisi per alias nostras sub plumbo, cum præsentium de verbo ad verbum insertione, literas minime reuocati posse, sed quoties aliter quam, vt præmittitur, reuocari contigerit, toties de nouo concessas intelligi, sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, sententiari, & definiri debere, necnon quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Executores deputat.

§. 48. Quocirca vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Patriarchalium, & Metropolitanarum, ac aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis earundem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, Officialibus, & Vicariis, in spiritualibus, & temporalibus vbilibet constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se, vel per alium seu alios præsentes literas, ac omnia, & singula in eis contenta, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte Collegij, seu Deputatorum prædictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis firmiter obseruari, ac Collegium, & Deputatos, Officialesque prædictos illis pacifice gaudere, non permittentes Collegium, & deputatos, ac officiales prædictos, seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 49. Non obstantibus præmissis, & quibusvis dictæ Cancellariæ, regulis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon priuilegiis, & indultis, etiam Mari magno nuncupatis, eisdem Ordinibus, illorumque personis, in genere, vel in specie, sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine forsan concessis, quibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, illaque cuiquam nolumus aliquatenus suffragari, ac omnibus, & singulis, quæ nos & præfati prædecessores nostri in singulis literis prædictis volumus respectiue, non obstare contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter, vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, Cæterum quia difficile foret, &c.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, die tertia Februarij 1542. Pont. nostri Anno octauo. *D. P. An. 8. 3. Febr.*

Priuilegia Neophitorum, siue Iudæorum, & infidelium ad Catholicam fidem se conuertentium; Ordinationesque circa eorum viuendi modum. XXXII.

Consonat extrauag. 2. Ioan. XXII. in tit. de Iud. inter communes. Et de materia Iudæorum, dicam infr. ad const. 4. Pauli IV. Cum nimis.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1542.*

Infideles conuersi non perdunt eorum bona.

CVpientes Iudæos, & alios infideles quoslibet ad fidem Catholicam conuerti, & prætextu bonorum per eos antea possessorum ab eadem fide non distrahi, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium hac in posterum valitura constitutione sancimus, quod cuicumque eorundem Iudæorum, & infidelium ad dictam fidem conuerti volenti, etiamsi in patria potestate constitutus fuerit bona sua quæcumque, tam mobilia, quam immobilia, intacta, & illæsa permaneant. Ita vt etiam filiifamilias, & in patria potestate, vt præfertur, constituti, legitima, & quacumque portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de iure, seu successione bonorum eis alias debitorum, per eorum parentes fraudari, aut priuati non possint, neque debeant, sed eis integre, etiamsi contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint etiam eorum parentibus viuentibus, debeantur.

Male acquisita restituenda si persona damnificata nota sint.

§. 1. Et si bona ipsa ex vsura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, & notæ sint personæ quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur, personis verò non extantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios vsus conuertenda, bona huiusmodi eisdem Iudæis, & aliis infidelibus, in fauorem suscepti baptismatis, tanquam in pium vsum libere concedimus, eaque apud ipsos

ipsos sic vniuersos Iudæos, & alios infideles, remanere decernimus, Interdicentes sub diuini anathematis pœna, quibusvis tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis, ne vllam super bonis huiusmodi, quovis quæsito colore molestiam inferant, aut inferri patiantur. Sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales CHRISTO lucrati fuerint.

Piorum eleemosynis adiuuandi, siunt quatenus sint pauperes.

§. 2. Et quoniam, vt scriptum est, qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas DEI manet in ipso? si ipsi conuersionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam Ecclesiasticos quam sæculares, per viscera misericordiæ DEI nostri exhortamur, vt ipsis conuersis manus porrigant adiutrices, ipsi quoque diœcesani, non solum Christianos ad subueniendum ipsis exhortentur, sed etiam tam de redditibus Ecclesiarum, provt poterunt, quam de his, quæ ad pauperum vsus per ipsos conuertendos deuoluuntur, huiusmodi neophitos sustentare non negligant, ipsosque à detractionibus, & contumelijs paterna affectione defendant.

Ciues efficiuntur loci in quo baptizantur.

§. 3. Et quoniam per gratiam baptismi ciues sanctorum, & domestici DEI efficiuntur, longeque dignius existit regnare spiritu, quam nasci carne, eadem constitutione statuimus, vt ciuitatum, & locorum in quibus sancto baptismate pro tempore regenerabuntur, vere ciues sint, & priuilegiis ac libertatibus, & immunitatibus, quæ alij, ratione natiuitatis, & originis dumtaxat consequuntur, gaudeant.

In articulis fidei instruantur. & cum infidelibus ne conuersentur.

§. 4. Curent insuper sacerdotes baptizantes, & alij sacro fonte eos suscipientes, tam ante baptismum quam post, illos in articulos fidei, ac legis nouæ præceptis, catholicæque Ecclesiæ ritibus diligenter instruere, & tam ipsi quam diœcesani operam dent, ne cum alijs Iudæis seu infidelibus, saltem per longum tempus conuersentur, ne sicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam damnationem recidiuã efficiat.

Cum Christianis originarijs matrimonia contrahere studeãt.

§. 5. Et quoniam experientia teste compertum est, mutuam ipsorum neophitorum inter se conuersationem, ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum Ordinarios, vt quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent, & studeant, neophitos ipsos cum originarijs Christianis matrimonio copulare.

Ritus antiqua secta dimittant.

§. 6. Et prohibeant eisdem sub grauibus pœnis, ne mortuos more Iudæorum sepeliant, aut Sabbata, aliasque solemnitates, & antiquæ sectæ ritus quoquo modo obseruent, sed & Ecclesias, & prædicationes, provt alij catholici frequentent, & in omnibus christianorum moribus se conformes reddant.

Contemptores prædictorũ ab Inquisitoribus corrigantur.

§. 7. Contemptores autem prædictorum, per sacerdotes in quorum Parochijs degent, aut alios, ad quos de iure, vel antiqua consuetudine, de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscumque diœcesanis, seu Inquisitoribus hæreticæ prauitatis deferant, & inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, per eos taliter puniantur, quod alijs transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus in prouincialibus, & synodalibus Concilijs diligens fiat inquisitio, & tam circa Episcopos, & sacerdotes, in præmissis negligentes, quam ipsos neophitos, & infideles prædictos contemptores, opportunum adhibeatur remedium.

Redeuntes ad vomitum vt hæretici puniantur. Consonat cõst. 2. Gregor. XI.

§. 8. Si quis autem cuiuscumque gradus, vel præminentiæ fuerit, huiusmodi neophitos, ne obseruationem ritus christiani, & aliorum prædictorum complectantur, fouerit aut defenderit, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas, ipso facto incurrant, neophiti verò si se corrigere post monitionem Canonicã neglexerint, & ad vomitum iudaïzantes redire comperti sint, cõtra eos tanquam perfidos hæreticos, per Ordinarios locorum, secundum sacrorum canonũ instituta procedatur.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis priuilegijs, indultis, & literis etiam Apostolicis, seu etiam Regijs, vel Imperialibus eisdem Iudæis, vel infidelibus quomodolibet concessis, quæ quatenus detrimentum catholicæ fidei, aut nominis christiani, seu aliquorum ex præmissis, quomodolibet vergent, & ad effectum præsentium, cassamus, & irritamus, ac cassa, & irrita esse decernimus, alijs decretis, & constitutionibus Apostolicis, quæ super præmissis sunt condita in suo robore duraturis.

Hæc constitutio semel in anno in singulis Ecclesijs publicetur.

§. 10. Et vt huiusmodi sanctæ constitutionis iugis memoria habeatur, & ne quisquam ipsius ignorantiam prætendere possit, illam per singulas cathedrales, & collegiatas Ecclesias, aliaque pia loca, in quibus vberior erit fidelium concursus, semel in anno ad minus infra diuina publicari volumus, decernimus.

Fides eius transumptis detur.

§. 11. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferre, volumus, & etiam declaramus, quod earundem præsentium transumptis, seu copijs, etiam impressis, & manu alicuius notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, vbicumque forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. R. An. D. die 21. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 21. Martij, millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pont. nostri anno octauo.

Indictio sacri, & Oecumenici Concilij Tridentini, Kalend. Octobris 1542. XXXIII.

Concilium istud ab isto Pontifice, vrgentibus de causis translatum fuit in Ciuitatem Bononiæ, & deinde ad Ciuitatem Tridentinum à Iul. III. reuocatum, sed earum bullas prætermisi. Et successiue Pius IV. d. Concilium ibidem absoluit, & deinde confirmauit, vt infra in eius const. 23. Ad Ecclesiæ, & const. 73. Benedictus.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam. *Edita An. D. 1542.*

Queritur hic Pontif. quod Ecclesia Dei, Hæresum & bellorum tempestate vexetur & principes Christiani inter se dissideant.

INitio nostri huius Pontificatus, quem non ob merita, sed propter suam magnam bonitatem DEI Omnipotentis prouidentia nobis commisit, cernentes iam tum in quas perturbationes temporum, quorque incommoda rerum fere nostra pastoralis sollicitudo, & vigilia esset vocata, cupiebamus quidem mederi Christianæ reipublicæ malis, quibus illa iamdudum vexata, & propemodum oppressa est. Sed ipsi etiam, vt homines circundati infirmitate ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus, nam cum pace opus esse intelligeremus, ad liberandam, & conseruandam à plurimis impendentibus periculis rempublicam, omnia inuenimus, odijs, & dissensionibus plena, dissentientibus præsertim Principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis à DEO permissa sit. Cum vnum ouile, & vnum pastorem dominici esse gregis ad integritatem Christianæ religionis, & ad cælestium bonorum spem in nobis confirmandam necessarium duceremus, schismatis dissidijs, & hæresibus erat Christiani nominis diuulsa iam pene, & lacerata vnitas. Cum tutam, atque munitam ab infidelium armis atque insidiis rempublicam optaremus, nostris erratis, nostraque cunctorum culpa, DEI videlicet ira, peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Vngaria vexata, conceptum, & meditatum contra Italiam, contraque Austriam, & Illyricum, terra marique bellum, cum impius, & immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia, & dissensiones suam bene gerendæ rei occasionem duceret. Igitur, vt dicebamus, in tanta hæresum, dissensionum, bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, cum essemus ad moderandam, & gubernandam Petri nauiculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum coniecimus in Domino cogitatus nostros, vt ipse nos nutriret, animumque nostrum, firmitate & robore, mentem consilio, sapientiaque instrueret.

Pont. idea vt hæc mala emendare posset Concilium generale Mantuæ celebrandum

§. 1. Deinde animo repetentes maiores nostros sapientia admirabili, & sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ reipublicæ periculis, remedium optimum atque opportunissimum, œcomenica Concilia, & Episcoporum generales conuentus adhibuisse, ipsi quoque

Inchoandum indixit per alias suas literas quas hic non habes.

que animum ad generale habendum Concilium adiecimus, exquisitisque principum sententiis, quorum nobis videbatur vtilis in primis, & opportuna ad hanc rem esse consensio, cum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere inuenissemus, œcumenicum Concilium, & generalem omnium Episcoporum, aliorumque Patrum ad quos pertineret, conuentum in Ciuitatem Mantuæ indiximus, anno incarnationis Domini (sicut literis, & monumentis nostris testatum est) millesimo quingentesimo trigesimo septimo, Pontificatus nostri anno tertio, decimo Kalen. Iunij inchoandum, spem prope certam habentes fore, vt cum illic in nomine Domini essemus congregati, ipse sicut promisit Dominus, in medio nostrum affuturus, & bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas, omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset.

Concilij tamen celebrationem prorogauit ad Kal Nouemb. quia ciuitatē Mantuæ habere non potuit.

§. 2. Sed vt semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum contra omnem spem, & expectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana Ciuitas, nisi aliquas conditiones subiremus ab institutis maiorum nostrorum, & conditione temporum, nostraque, ac huius sanctæ Sedis, ac nominis ecclesiastici dignitate, libertateque prorsus alienas, quas in aliis nostris literis expressimus. Quapropter alium inuenire locum, aliamque deligere Ciuitatem necesse habuimus, quæ cum non statim nobis occurreret idonea, & apta, ad sequentes Kalendas Nouembris prorogare Concilij celebrationem fuimus coacti. Interim sæuus, & perpetuus hostis noster Turca ingenti classe Italiam adortus, aliquot Oppida in litoribus Apuliæ cepit, vastauit, diripuit prædas hominum abegit.

Vicentiam Ciuitatem Dominij Venetorū, elegit Concilium distulit ad Kalend. Maij.

§. 3. Nos in maximo timore, & periculo omnium muniendis litoribus nostris, finitimisque auxilio iuuandis fuimus occupati. Nec tamen interea destitimus consulere, & hortari Christianos Principes, vt de idoneo ad habēdū Concilium loco quid sentirent, nobis exponerent, quorum cum essent incertæ, variæque sententiæ, tempusque diutius quam erat opus, videretur extrahi, nos optimo animo, atque (vt arbitramur) etiam consilio. Vicentiam elegimus, Vrbem copiosam, & Venetorum qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia, cum aditum patentem, tum stationem omnibus liberam, atque in primis in se habentem. Sed cum iam tempus longius progressum esset, nouæque Vrbis electionem omnibus significari conueniret, iamque Kalendæ Nouembris appetentes, facultatem huius diuulgationis excluderent, hyemsque esset propinqua, rursus altera propagatione tempus Concilij differre in proximum sequens ver, Maiique futuras Kalendas compulsi fuimus.

Interim procurauit conciliare Carolū Imp. Franciscum Regem Francorum & ideo ipse & illi Nicæam se contulerunt.

§. 4. Quare firmiter constituta, atque decreta, cum, & nos ipsos, & cætera omnia ad eum bene agendum Deo iuuante, celebrandumque conuentum paremus, plurimum reputantes interesse cum celebrationis Concilij, tum vniuersæ Christianæ Reipublicæ, Christianos Principes pace inter se, & concordia consentire, charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, & Christianissimum Regem Franciscum duo præcipua Christiani nominis firmamenta, atque subsidia orare, atque obsecrare instituimus, vt ad colloquium inter se, & nobiscum vnà conuenirent, quorum quidem apud vtrumque literis, Nuntiis, & à latere nostro missis ex venerabilium fratrum nostrorum numero Legatis sæpissime egeramus, & ex simultate, & dissidiis ambo in vnum fœdus, & piam amicitiam vellent conuenire, labentibusque succurrere Christianis rebus, quarum seruandarum cum esset illis potestas à Deo præcipue tributa, si id non agerent, & ad commune Christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris, & seuera ratio eidem Deo ab ipsis reddenda esset, Qui aliquando precibus nostris annuentes, Nicæam se contulere, quos nos quoque secuti longum iter, & senili ætati nostræ vehementer contrarium, Dei, & pacis conciliandæ causa suscepimus.

Interea legatos Vicentiam misit, vt initium Concilij facerent.

§. 5. Neque prætermisimus interea cum tempus Concilij præstitutum, Kalendæ videlicet Maiæ appropinquarent, tres Legatos summæ virtutis, & auctoritatis à Latere nostro, de numero eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Vicentiam mittere, qui initium Concilij facerent, Prælatosque vndique venientes exciperent, & ea, quæ indicarent esse opus, agerent, & tractarent, quo nos ab itinere, & negotio pacis reuersi, omnia accuratius dirigere possemus. Interim verò in illud sanctum opus, maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter Principes incubuimus, & quidem omni animi studio, omni pietate ac diligentia. Testis est nobis Deus, cuius freti clementia nosmetipsos itineris, & vitæ periculo exposuimus. Nostra testis conscientia, quæ nihil habet hac in re quidem, in quo nos arguat, aut prætermissæ, aut non quæsitæ ad pacificandum occasionis. Principes, ipsi testes, quos iam sæpe, tamque vehementer Nuntiis, literis, Legatis, monitis, hortatu, precibusque omnibus obsecraueramus, vt simultates deponerent, vt societatem coirent, vt Christianæ Reipublicæ, in maximum, & propinquum iam adductæ discrimen, communibus studiis, & subsidiis opitularentur. Iam verò testes illæ vigiliæ, atque curæ, illi diurni nocturnique animi nostri labores, grauesque sollicitudines, quas ob hanc rem, & causam plurimas iam suscepimus, nec tamen ad optatum exitum nostra consilia, & acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum Domino Deo est, quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum, ipsi quidem quantum in nobis fuit nihil quod esset nostro pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quod si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem, sed tamen in dolore nostro gratias Deo omnipotenti agimus, qui ad exemplum, & doctrinam patientiæ nostræ suos voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine Iesu, qui pax nostra est, contumeliam paterentur.

Induciæ itaque decennales initæ sunt inter Imperatorem & Regem non ante Pontifice, vt hic.

§. 6. Verum in illo congressu, colloquioque nostro quod Nicææ habitum est, etsi peccatis nostris impedientibus inter duos Principes vera, & perpetua pax non potuit confici, induciæ tamen decennales factæ sunt quarum opportunitate non sperantes, & sacrum Concilium commodius celebratum iri, & deinde ex Concilij auctoritate perfici posse pacem apud Principes, institimus, vt & ipsi venirent ad Concilium, & Prælatos suos præsentes ducerent, absentesque accerserent. Qui cum de vtroque se excusassent, quod & ipsis redire in regna sua tum necesse esset, & Prælatos quos secum habuissent, itinere, atque impendiis fessos, atque exhaustos recreari, & refici oporteret, nos hortati sunt vt aliam quoque prorogationem temporis habendi Concilij decerneremus.

Concilium Pont. prorogat ad festū Paschæ ex rationibus hic assignatis.

§. 7. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, literas interim à Legatis nostris, qui Vicentiæ erant accepimus, transacto iam, & longius præterito Concilij ineundi die, vnum vix, aut alterum externis nationibus Prælatum Vicentiam se contulisse. Quo nuntio accepto cum videremus eo tempore nulla iam ratione haberi Concilium posse, ipsis Principibus concessimus, vt differretur tempus agendi Concilij vsque ad sanctum Pascha, diemque festum futuræ dominicæ resurrectionis. Cuius nostri præcepti, expectationisque decretæ literæ Genuæ anno incarnationis Domini millesimo quingentesimo trigesimo octauo, quarto Kalen. Iulij factæ publicatæque sunt, atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quod pollicitus est nobis vterque Princeps Legatos suos Romam ad nos se missurum, vt ea, quæ ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicææ ob breuitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur, & tractarentur. Et ob hanc rationem etiam à nobis ambo petierunt, vt hæc pacificationis procuratio, Concilij celebrationi præponeretur, cum ipsum Concilium pace facta, multo deinde vtilius, & salutarius Christianæ reipublicæ futurum esset. Semper enim hæc pacis spes nobis iniecta, Principum nos voluntatibus assentiri hortata est. Quam spem vehementer auxit post discessum à Nicæa nostrum, ipsorum duorum Principum inter se beneuola amicaque congressio, quæ maxima nostra cum lætitia à nobis intellecta, confirmauit nos in bona spe, vt tandem aliquando nostras preces apud Deum exauditas, & vota pacis accepta esse crederemus.

§. 8.

Deinde ex causis de quibus hic Concilij ad eius beneplacitum suspendit per quasdam eius literas quas hic non habet.

§. 8. Hanc igitur pacis conclusionem, cum, & expectaremus, & vrgeremus, nec solum duobus antedictis Principibus verum etiam carissimo in Christo filio nostro Ferdinando Regi Romanorum videretur actionem Concilij nisi pace facta, suscipi non oportere; cunctique à nobis per literas, suosque Oratores contenderent, vt alias rursus temporis prorogationes faceremus, præcipue autem instaret Serenissimus Cæsar promisisse se demonstrans his, qui à Catholica vnitate dissentiunt, se operam suam apud nos interpositurum, vt aliqua concordiæ ratio iniretur, quod ante suam in Germaniam profectionem apte non posset fieri. Nos eadem semper spe pacis, & tantorum Principum voluntate addicti, cum præsertim cerneremus ne ad dictum quidem Resurrectionis festum alios Prælatos Vicentiam conuenisse prorogationis nomen iam fugientes, quod tam sæpe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis Concilij ad nutum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendere maluimus, itaque fecimus, & de suspensione huiusmodi literas ad singulos supradictorum Principum decima die Iunij millesimo quingentesimo trigesimo nono dedimus, sicut ex illis perspicue potest intelligi. Et itaque suspensione necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum à nobis, pacisque aliqua conclusio expectatur, quæ & dignitatem postea, frequentiamque Concilio, & Christianæ reipublicæ præsentiorem salutem erat allatura, christianæ interea res in deterius quotidie prolapsæ sunt. Vngaris Rege ipsorum mortuo, Turcam vocantibus: Ferdinando Rege bellum in eos mouente: Belgis ad defectionem à Cæsare ex parte quadam incitans, cuius defectionis comprimendæ causa per Galliam amicissime, & cum Rege Christianissimo concordissime magno beneuolæ inter eos voluntatis iudicio transiens in Belgas Serenissimus Cæsar, & illinc deinde in Germaniam profectus, conuentus Germaniæ Principum, & Ciuitatum tractandæ eius quam dixerat concordiæ causa habere cœpit. Sed cum spe pacis iam deficiente, ille quoque modus curandæ in conuentibus, tractandæque concordiæ, ad maiores potius discordias concitandas* aptus esse videretur, inducti fuimus, ad pristinum Concilij generalis remedium reuerti idque per legatos nostros S. R. E. Cardinales ipsi Cæsari obtulimus. Quod etiam postremo, & præcipue in Ratisponensi conuentu egimus, cum illic Dilectus filius noster Gaspar tituli Sanctæ Praxedis Cardinalis Contarenus, summa doctrina, & integritate Legatum nostrum ageret. Nam cum (id quod ne accideret antea veriti eramus) ex eius conuentus sententia peteretur à nobis, vt ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per œcumenicum Concilium illi excuterentur, & deciderentur, idque nobis vt concederemus, neque Christiana, & Catholica veritas neque nostra, & sedis Apostolicæ dignitas permitteret, palmam potius Côcilium, vt quamprimum fieret proponi mandauimus. Neque verò in alia vnquam sententia, & voluntate fuimus, quam vt primo quoque tempore Concilium œcumenicum, & generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo, & pacem populo Christiano, & Christianæ Religionis integritatem posse recuperari: verumtamen id cum bona gratia, & voluntate Christianorum Principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus, dum obseruamus tempus absconditum, tempus beneplaciti tui ô Deus, aliquando tandem decernere compulsi sumus omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis, & ad Christianam pietatem pertinentibus consilia ineuntur.

** apertius*

Cum autem res Catholicæ reipublicæ quotidie in peius prolaberentur, Concilium in Tridentina Ciuitate celebrandum fore decreuit.

§. 9. Quapropter videntes, maximo quidem animi nostri cum dolore, rem Christianam quotidie in peius ruere, Vngaria à Turcis oppressa, Germanis Periclitantibus, cæteris omnibus metu, mœroreque afflictis, nullius iam Principis consensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem, & Christianæ reipublicæ vtilitatem attendere constituimus. Itaque cum Vicentiam amplius non haberemus, cuperemusque cum vniuersæ Christianorum salutem, tum Germaniæ nationis incommodis in eligendo per nos nouo Concilij habendi loco consulere, aliquotque locis propositis ipsam Tridentinam ciuitatem ab ipsis desiderari videremus, nos etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse iudicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem, paterna charitate deflleximus. Itaque Tridentum Ciuitatem elegimus, qua in ciuitate œcumenicum Concilium ad proximè venturas Kalendas Nouembris habeatur, idoneum locum illum statuentes, quo ex Germanis quidem, aliisque Germaniæ finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania, cæterisque prouinciis remotioribus non difficiliter Episcopi, & Prælati conuenire possent. Dies autem Concilij ea nobis spectata est, quæ spatium in se haberet, & publicandi per Christianas nationes nostri huius decreti, & facultatibus omnibus Prælatis ad veniendum tribuendæ. Quominus autem annuum tempus præfiniremus mutando Concilij loco, sicut quibusdam constitutionibus alias præscriptum est, eares fuit in causa, quod longius extrahi spem sanandæ aliqua in parte Christianæ reipublicæ, quæ tot detrimentis, & calamitatibus affecta est, noluimus. Et tamen videmus tempora, agnoscimus difficultates, quid sperari possit ea consiliis nostris incertum esse intelligimus. Sed quia scriptum est: Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, magis Dei clementiæ, & misericordiæ confidere, quam nostræ imbecillitati diffidere constituimus. Sæpe enim fit in bonis operibus incipiendis, vt quod humana consilia non valent, diuina virtus efficiat.

Indictio sacri Conc. Trid. ad Kalend. Nou. 1542.

§. 10. Huius igitur ipsius Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac beatorum eius Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi, de Ven. item fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, sublata amotaque suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per præsentes tollimus, & amouemus, sacrum œcumenicum, & generale Concilium in ciuitate Tridentina loco commodo & libero, omnibusque nationibus opportuno, ad Kalendas proximas Nouembris anni præsentis ab Incarnatione Domini millesimo quingentesimo quadragesimo secundo incipiendum, prosequendum, & eodem Domino adiuuante, ad ipsius gloriam, atque laudem, & Christiani totius populi salutem absoluendum, perficiendumque indicimus, annuntiamus, conuocamus, statuimus, atque decernimus.

Monitio & preceptum vt Prælati accedant ad Concilium.

§. 11. Omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, quam alios quoscumque, quibus iure, aut priuilegio in Conciliis generalibus residendi, & sententias in eo dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis in vi iurisiurandi, quod nobis, & huic sanctæ sedi præstiterunt, ac sanctæ virtute obedientiæ, aliisque sub pœnis iure, aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum aduersus non accedentes ferri, & proponi solitis, mandantes, arcteque præcipientes, vt ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur aut certe per suos legitimos Procuratores, & Nuncios, sacto huic Concilio omnino adesse, & interesse debeant.

Hortatio vt Imperator Reges & Principes intersint Concilio per seipsos, aut Legatos.

§. 12. Supradictos autem Imperatorem, Regemque Christianissimum, necnon cæteros Reges, Duces, Principes, quorum præsentia, si alias vnquam, hoc quidem tempore maxime, sanctissimæ Christi fidei, & christianorum omnium saluti futura est salutaris, rogantes, atque obsecrantes per viscera misericordiæ Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI, cuius fidei veritas, & religio, intus & extra grauiter iam oppugnatur, vt si saluam volunt christianã esse rempublicam, si se Domino obstrictos, & obligatos pro maximis illius erga se beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam, & negotium; ipsimet ad sacri Concilij celebrationem veniant, quo in ipsorum pietas, atque virtus communi vtilitati, salutique suæ, ac cæterorum, & temporali, & æternæ plurimum est profutura. Sin autem (id quod nollemus) accedere ipsi non poterunt, ac graues saltem viros Legatos cum auctoritate mittant, qui personam Principis sui quisque & cum prudentia, & cum dignitate possint in

Conci

Concilio referre. In primis verò, vt id eueniet quod ipsis facillimum est, vt ex suis cuiusque Regnis, ac Prouinciis Episcopi, & Prælati sine tergiuersatione, & mora ad Concilium proficiscantur. Quod maxime quidem à Prælatis, Principibusque Germaniæ, Deum ipsum atque nos impetrare æquum est, vt cum eorum præcipue causa, ipsisque cupientibus Concilium indictum sit, & in ea ciuitate indictum, quæ ab eis est desiderata, non grauentur ipsi sua cunctorum præsentia id celebrare, & ornare. Quo melius, atque commodius, quæ ad integritatem, & veritatem Christianæ religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Christianorum inter se tam Principum, quam populorum pacem, vnitatem, concordiamque pertineant, & ad quæ ad repellendos impetus barbarorum & infidelium quibus illi vniuersam Christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus præeunte, & lumen sapientiæ suæ, ac veritatis mentibus nostris præferente, agi in dicto sacro œcumenico Concilio, & conspirante omnium charitate consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamplurimum, & quam optime possint.

Forma publicationis constitutionem. §. 13. Atque vt nostræ hæ literæ, & quæ in eis continentur ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perueniant, neve quis illorum ignorantiæ excusationem prætendat, cum præsertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illæ essent intimandæ, tutos forsitan pateat accessus, volumus, & mandamus, vt in basilica vaticana principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi cum ibi multitudo populi ad audiendam rem diuinam congregari solita est, palam clara voce per curiæ nostræ cursores, aut notarios aliquos publicos legantur, lectæque in valuis dictarum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apost. portis, & Campi Floræ solito loco affigantur, vbi ad lectionem, & notitiam cunctorum aliquandiu expositæ pendeant. Cumque inde amouebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa.

Const. ista ligat post duos menses à die publ. §. 14. Nos enim per lectionem publicationem, affixionemque huiusmodi, omnes & quoscumque quos antedictæ nostræ literæ comprehendunt, post spatium duorum mensium à die literarum publicationis, & affixionis ita volumus obligatos esse, atque adstrictos, ac si ipsismet illæ coram lectæ, & intimatæ essent, transumptis quidem earum, quæ manu publici notarij scripta, aut subscripta, & sigillo personæ alicuius Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ munita fuerint, vt fides certa, & indubitata habeatur, mandamus, atque decernimus.

Sanctio pœnalis. §. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, annuntiationis, statuti, decreti, mandati, præcepti, & obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 8. die 22. Maij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1540. 11. Kalendas Iunij, Pontificatus nostri anno octauo.

XXXIV. Deputatio nonnullorum S.R.E. Cardinalium generalium Inquisitorum hereticæ prauitatis, cum amplissima auctoritate.

Cardinalium huiusmodi Congregationem præfiniuit Sixt. V. infr. in eius const. 74. Immensa, ibi videas quæ notabo.

Edita An. D. 1542. *PAVLVS EPISCOPVS,* *Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Exordium. Licet ab initio nostri ad summi Apostolatus apicem assumptionis id semper nobis cordi fixum insiterit, vt fides Catholica vbique floreret, & augeretur, ac omnis hæretica prauitas à Christi fidelibus nostra diligentia procul pelleretur, necnon diabolica fraude seducti, viam veritatis cognoscerent, & ad gremium, & vnitatem Ecclesiæ reducerentur, & si qui animi peruersitate ducti, in eorum damnato proposito persisterent, ita plecterentur, vt eorum pœna aliis transiret in exemplum. Nihilominus sperantes quandoque eosdem sic seductos, tum Dei omnipotentis misericordia, tum fidelium orationibus, ac dictorum virorum prædicationibus errores suos recognituros, & illis abiuratis ad sanctam Ecclesiam Catholicam redituros, etsi id aliquantum differrent auctoritate sacri œcumenici, & generalis Concilij, quod ad id in primis propediem celebrare sperabamus detertitos, veram, & Catholicam fidem amplexuros, & ea mediante in semitis iustitiæ ambulaturos fore, negotium inquisitionis hæreticæ prauitatis huiusmodi in hanc vsque diem distulimus.

Causa huius institutionis. §. 1. Verum cum Concilium huiusmodi ex diuersis rationabilibus causis, & præsertim bellorum turbinibus, quæ hactenus inter Principes Christianos viguerunt, nondum inchoari potuerit, & humani generis hoste procurante, fidelium animi nouis hæresibus in dies magis polluantur, omniaque schismatis dissidijs repleantur, laceretur que fere Christiani nominis vnitas, inconsutilisque Christi tunica scindatur.

Institutio Congr. Cardinalium S. Inquisitionis. §. 2. Nos ne, dum dies Concilij per nos nouissime indicti expectatur, omnia in deterius labantur prouidere volentes, ac nequeuntes per nos solos, aliis etiam arduis occupatos curis, omnia exequi, dilectorumque filiorum nostrorum Ioannis Petri Sancti Clementis, Ioannis S. Sixti, Petripauli S. Balbinæ, Bartholomæi S. Cæsarei, Dionysij S. Marcelli, & Thomæ S. Syluestri tit. Presbyterorum Cardinalium fidem doctrinam, & virtutem perspectas habentes, ac de eis plurimum in domino confidentes, eosdem Io. Petrum, & Ioannem, ac Petrum paulum, & Bartholomæum, necnon Dionysium, & Thomam Cardinales, nostros, & Apostolicæ sedis in omnibus, & singulis Reipublicæ Christianæ Ciuitatibus Oppidis, Terris, & locis, tam citra quam vltra montes vbilibet etiam in Italia consistentibus, ac in Romana Curia, super negotio fidei, Commissarios, & Inquisitores Generales, & generalissimos auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, & deputamus.

Iurisdictio & facultates d. Congregationis, procedendi contra quoscumque in negotio fidei. §. 3. Ac eis contra omnes, & singulos à via Domini, & fide Catholica aberrantes, seu de eadem fide male sentientes, aut alias quomodolibet de hæresi suspectos, illorumque sequaces, fautores, & defensores, ac eis auxilium, consilium, vel fauorem, publice, vel occulte, directè, vel indirectè præstantes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ fuerint, etiam absque ordinariis locorum, etiam in causis in quibus ipsi de iure interuenire habent, inquirendi, & per viam inquisitionis, vel inuestigationis, seu alias etiam ex officio procedendi, ac culpabiles quoscumque seu suspectos præcedentibus indiciis, carceribus mancipandi, ac contra eos vsque ad finalem sententiam inclusiue procedendi, & culpabiles repertos, pœnis iuxta Canonicas sanctiones debitis puniendi, ac vltimo supplicio damnatorum bona, prout iuris fuerit publicandi.

Officiales elligendi. §. 4. Necnon ad effectum præmissorum, procuratorem fiscalem, & notarios publicos, & alios officiales ad præmissa necessarios, & opportunos, etiam Clericos siue religiosos cuiuscumque Ordinis fuerint deputandi, & constituendi.

Degradationem Clericorum committendi. §. 5. Et si necesse fuerit aliquos Clericos sæculares, aut cuiuscumque Ordinis regulares, etiam in sacris, & Presbyteratus ordinibus constitutos propter præmissa degradari, per quemcumque Catholicum Antistitem, quem prædicti Cardinales duxerint deputandum, conuocatis, & sibi ad hos assistentibus duobus Abbatibus, aut aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ad actualem degradationem eorundem Clericorum, eorumque Curiæ sæculari traditionem, seu dimissionem, alias, prout etiam iuris fuerit, procedi faciendi.

Contradictores coercendi. §. 6. Ac contradictores quoslibet, & rebelles, sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac priuationis omnium, & singulorum beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinendi, aliisque opportunis iuris remediis, appellationis diffugio remoto, compescendi.

§. 7. Et

Auxilium brachij sæcularis innocandi, &c.

§. 7. Et auxilium brachij sæcularis inuocandi, omnisque & singula alia, quæ prædicti Cardinales ad hæreses, & in fide huiusmodi errores ad præsentes in Republica Christiana vbilibet vigentes reprimendos, & radicitus extirpandos, necessaria fore cognouerint, & ad officium inquisitionis hæreticæ prauitatis de iure pertinent faciendi, gerendi, ordinandi, exequendi, & exequendi.

Inquisitores vbique locorum deputandi.

§. 8. Necnon ad præmissa omnia, & singula in quibusvis Ciuitatibus, terris, & locis, de quibus eisdem Cardinalibus videbitur, & quoties ipsi Cardinales opus esse cognouerint, alias personas Ecclesiasticas idoneas, literatas, & Deum timentes in Theologia Magistros, seu in altero iurium Doctores, licentiatos, Baccalaureos in aliqua Vniuersitate Studij generalis graduatos, in trigesimo eorum ætatis anno ad minus constitutos, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicos, vel alias dignitate Ecclesiastica præditos, cum simili aut limitata facultate, substituendi, & subdelegandi, ac eos in toto, vel in parte, simul, vel successiue ad eorundem Cardinalium libitum etiam in negotiis, & causis per eos tunc inceptis reuocandi, & loco ipsorum alios similiter qualificatos deputandi, ita tamen, quod prædicti Cardinales, & alij ab eis pro tempore deputati, de absolutionibus, & reconciliationibus reorum, qui ad veritatis lumen redire voluerint, quas nobis expresse reseruamus, ac aliis quam hæresis crimen sapientibus delictis, & excessibus, se intromittere nequeant, plenam, & omnimodam facultatem eisdem auctoritate, & tenore concedimus.

Appellationes ab aliis Inquisitorib. interpositas.

§. 9. Et nihilominus auctoritate, & tenore præmissis statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singulæ appellationes per eos contra quos vigore præsentium procedi contigerit, à quibuscumque per ipsos Cardinales deputatis pro tempore interponendæ, ad eosdem Cardinales deuolui debeant, ipsique Cardinales causas appellationum huiusmodi cum omnibus, & singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis audire, cognoscere, & decidere.

Ac in quacumque instantia fuerint, fine debito terminare, ac executioni debitæ demandare.

In Curia & extra citandi, & inhibend.

§. 10. Et tam in causis appellationum huiusmodi, quam alias ad effectum præmissorum omnium, quos opus fuerit, tam in dicta Curia, quam extra eam, & in partibus etiam per edictum publicum, constito summarie, & extraiudicialiter de non tuto ad eos accessu, citare, ac quibus inhibendum fuerit inhibere, & appellantes simpliciter, vel ad cautelam à quibuscumque excommunicationis, & aliis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis in eos latis, absoluere possint, prout de iure fuerit faciendum. Decernentes quæcumque per ipsos Cardinales, seu ab eis deputatos in præmissis quomodolibet pro tempore gesta, plenam roboris firmitatem obtinere, & perpetuo inuiolabiliter obseruari debere.

Clausula sublata.

§. 11. Et sic per quoscumque Iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, quicquid secus super his, à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra Ciuitatem suam, vel diœcesim nisi in certis casibus, & in illis, vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis, ad iudicium euocetur, seu ne Iudices qui à Sede prædicta deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali editis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, aut si personis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca, ad iudicium euocari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibusvis aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus & formis quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis, per quæ præsentium literarum, & iurisdictionis ipsorum Cardinalium in præmissis executio impediri quomodolibet vel differri possit, quæ quoad hoc ipsis, aut alicui eorum minime suffragari posse, vel debere decernimus.

Sanctio pœnalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominũ liceat, hanc paginam nostræ Constitut. deputationis, reseruationis, concessionis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An 8. die 21. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1542. 12. Kal. August. Pont. nostri Anno octauo.

XXXV. Iurisdictio Cardinalis, Archipresbyteri, & Iudicis causarum Capituli Canonicorum, & aliarum personarum Ecclesiæ S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, vel eorum interesse concernentium.

Hanc iurisdictionem ampliauit Six. V. in sua const. 102. Cum ex debito, ideo prætermisi aliam bullam Pij IV. editam die 22. Septemb. 1556. quæ istam confirmabat.

PAVLVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1542.

Hic Pőt Archipresbytero Ecclesiæ B. Mariæ Maiorum, iurisdictionem dedit de qua supr. in constit. Cum sicut.

CVm Dilectus filius Alexander S. Laurentij in Damaso Diaconus Cardinalis Farnesius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, secundum carnem Nepos noster, Archipresbyteratus Principis Apostolorum de Vrbe tunc certo modo vacan. assecutus fuerit, & nos eidem Alexandro dum alias Archipresbyteratus S. Mariæ Maioris, de Vrbe obtineret, ne Canonici, & Capitulum, ac Capellani dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Maioris, pro rebus, & negotiis suis, & dictæ Ecclesiæ coram diuersis Vrbis Iudicibus litigare, & conueniri contingeret, ac laboribus, & expensis fatigarentur, omnes, & singulas causas tunc præsentes & futuras, tam contra ipsos, quam per ipsos contra quascumque personas, quovis nomine nuncupatas, Collegium, Capitulum, & vniuersitatem motas, & mouen. etiam ciuiles, & criminales etiam super quibuscumque pecuniarum summis, censibus, canonibus, responsionibus, etiam instrumentales etiam ex obligationibus in ampliori forma Cameræ Apostolicæ orientes, coram quibuscumque Vrbis Iudicibus, & S.R.E. Cardinalibus, & Rotæ Auditoribus ad nos aduocan. illas prædicto Alexandro Card. etiam similiter summarie simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura Iudicij sola facti veritate inspecta, & quatenus opus esset extraiudicialiter audien. & deciden. commisissemus, prout in aliis diuersis rescriptis etiam Motu proprio &c. manu nostra signatis, quas & illorum tenores totos, & compendis, ac si de verbo ad verbum præsenti inserta forent pro sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, ipseque Alexander Cardinalis, & Archipresbyter, in dicta basilica Venerabilem fratrem nostrum Franciscum Sfondratum Vicarium suum constituerit, & deputauerit.

Eadem modo tribuit Archipresbytero S. Petri.

§. 1. Nos qui dictam basilicam Sancti Petri, & illius Canonicos beneficiatos, & Clericos, & dictæ Basilicæ proprios Capellanos, ac alios in eadem Basilica deseruien. non minori dilectione quam prædictam Basilicam S. Mariæ Maioris prosequimur, paremque etiam respectum ad id dictum Alexandrum Cardinales, & Archipresbyterum haben. omnes, & singulas iurisdictiones, potestates, auctoritates, & facultates, sibi aliis tanquam d. basilicæ S. Mariæ Maioris Archipresbytero concessas, ad eundem Alexandrum Cardinalem ad præsens Basilicæ prædictæ Archipresbyterum suosque in dicta Basilica successores extendimus, & ampliamus.

Imo de nouo concedit. Tu quoad causas criminales vi. de quod dixi in med.

§. 2. Et nihilominus motu, & scientia similibus, omnes, & singulas causas etiam beneficiales, prophanas, & mixtas, & compromissas, tam ciuiles, quam criminales, inter dictos Canonicos, & Capitulum, ac beneficiatos, & clericos, atque Capellanos respectiue seu quemcumque

eorum ex vna, & quascumque personas alias, loca, collegia, vel vniuersitates, quæ inter dictos Capitulum, & Canonicos, vel eorum quemlibet & beneficiatos clericos, seu Capellanos præfatos, vel quemcumque eorum coram quibuscumque Iudicibus ordinariis, commissariis, & executoribus, etiam S.R.E. Card. & Rotæ Auditoribus, & Locaten. super quibuscumque rebus bonis, & pecuniarum summis verten. & penden. partibus ex altera respectiue ad nos præsentes auocan. illamque & illas in statu, & terminis in quibus ad præsens reperiuntur, & quas in futurum moueri etiam de nouo contigerit, tam actiue, quam passiue, per Priores, Canonicos, Capitulum, beneficiatos, clericos, capellanos, seu eorum quemlibet beneficiatos clericos contra quascumque personas quouis nomine nuncupatos, Collegium, capitulum, & vniuersitatem, societates, hospitalia, & loca quæcumque quantuncumque respectiue priuilegiatos, & priuilegiata, etiam per prædictos canonicus, & Capitulum contra beneficiatos, clericos, capellanos prædictos, super quibuscumque pecuniarum summis, beneficiis Ecclesiasticis, censibus, responsionibus etiam vinearum, rebusque & bonis ad quamcumque summam pecuniarum, numerum, quantitatem, & valorem ascenden. rebusque aliis in actis causæ, & causarum huiusmodi latius deductis, & deducen. & illorum occasione, cum omnibus & singulis suis inciden. depen. emergen. annexis, & connexis, eidem Alexandro Archipresbytero, & præfato Vicario, necnon eiusdem Alexandri successoribus, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Iudicij, sola facti veritate inspecta, & quatenus opus sit executiue, etiam manu regia, absque terminis substantialibus, & alicuius telæ iudiciariæ obseruatione, sine confectione registri siue extractus quacumqua appellatione postposita, etiam nõ friuola, audiend. cognoscend. deciden. finaque debito terminan. tenore præsentium de nouo committimus, & mandamus perpetuis temporibus duraturarum.

Cum potestate citand. in Curia, & extra, &c.

§. 3. Cum potestate dictas partes respectiue, & omnes alios, quos opus sit, & sua communiter, vel diuisim interesse putan. in executione citationum nominan. in Rom. Curia, & extra etiam per edictum publicum constito summarie, & extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi, ac eisdem omnibus, & singulis Iudicibus supradictis, & quibus, & quoties opus fuerit, etiam sub censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis pœnis suo arbitrio moderan. & applican. etiam per simile edictum inhiben. & in euentum non paritionis, pœnas & censuras prædictas damnabiliter incurrisse, & incidisse declarandi, aggrauandi, reagrauandi, interdicen. & brachij sæcularis auxilium inuocan. loco vel sententiæ seu sententiarum prolatarum, mandatum, & mandata executiua in forma solita, & consueta decernendi, illudque vel illa, & quicquid per eos, vel alterum vestrum, iudicatum fuerit exequendi, expensas quascumq; taxandi, moderandi, in causisque & omnibus, & singulis prædictis, vel eorum quolibet seu quolibet præmissorum etiam singulis diebus, & horis præterquam in honorem Dei feriatis procedendi.

Iuramentaq; personarum Basilicæ ad effectum agendi, &c. relaxandi.

§. 4. Necnon Canonicos, & Capitulum, ac beneficiatos clericos, & capellanos prædictos siue eorum quẽlibet à vinculo iuramenti ad effectum agendi, aliisque censuris Ecclesiasticis, & pœnis quatenus oportuerit absoluen. omniaque alia, & singula faciendi gerendi, & exercendi in præmissis necessaria seu quomodolibet opportuna.

Quibuscumque non obstant.

§. 5. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, stylo palatij, regula Cancellariæ Apostolicæ prohibentis mandata executiua alias quam sub plumbo expediri non possint facultatibus, & iurisdictionibus Cardinalibus, & quibuscumqua Vrbis Iudicibus, sub quavis verborum forma, & regulis vrgentissimis, per nos eisdem concessis, & innouatis, quas etiam, & illarum tenores, ac si de verbo ad verbum specialis mentio facta foret pro expressis haben. cæterisque contrariis quibuscumque. Statum, &c. & merita causæ, & causarum prædictarum, nominaque & cognomina, qualitates patrium, & personarum prædictarum, necnon rerum Collegij, & Capituli &c. præmissorumqua omnium singulorum, ac aliorum de necessitate exprimen. tenores pro insertis, & sufficienter expressis haben. Et quod præsentium sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat.

Papa subsc.

Fiat Motu proprio. A.

Et quod præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique in Iudicio, & extra, fidem faciat, regula contraria edita non obstan. & de extensiona, & noua commissione, & mandato prædictis, ad vitam prædicti Reuerendiss. Alexandri, seu quandiu Archipresbyteratum Basilicæ S. Petri obtinuerit tantum.

Declaratio iurisdictionis.

§. 6. Et quoad causas criminales, citra tamen pœnam sanguinis, & corporum afflictiuam. Et quoad causas pendentes inter alias quam ipsius Basilicæ personas, pro rebus Canonicos, & Capitulum, ac beneficiatos S. Petri huiusmodi tangen. dumtaxat.

Dat. Romæ apud S. Petrum Kal. Nouemb. anno 9.

Publ. P. A. 9. die 1. Nou.

Iurisdictio, & facultates Vicarij Summi Pontificis, in alma Vrbe, eiusque districtu. XXXVI.

De hac iurisdictione, aliquid vid. sup. in constit. 1. Pauli II. licet & const. 28. Iulij II. Decet. Et circa lites mouendas ab vxoribus contra maritos, habes hic infra in const. 13. Cum sicut. Quo vero ad causas Hebræorum, necnon, & Clericorum, ac obligationum in forma Cameræ declarata est hac iurisdictio Iul. III. infr. in const. 2. Cum sicut, & à Pio V. in const. 18. Considerantes, & à Clement. III. in const. 65. In conferendis, & postremo à Paul. V. in const. 71. Vniuersi, §. 4. & 7.

Habet etiam Vicarius cognitionem causarum Puellarum Despersarum nuncupatarum, in Vrbe, ex bulla 66. Clem. VIII. Debitum. Necnon causarum Hospitalis S. Spiritus, vt in d. Clem. const. 118. Cum sicut & pariter causarum Collegij Scholarium S. Hieronym. ex bulla 8. Pauli V. Altitudo.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Venerabili fratri Philippo Episcopo Burgi S. Sepulchri, in nostra Vrbe, ac eius suburbys, & districtu nostro in spiritualibus Vicario. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 1540.

Exordium.

Licet Ecclesiarum omnium vniuersalis cura, & populi Christiani regimen, ad vigilantiam nos inducat, Romana tamen, Vrbs inclyta, quam caput orbis diuina clementia stabiliuit, mentem nostram sollicitat, vt de ipsius Ecclesiarum statu prospero, & salubri, attentius, & diligentius ita procuremus, vt specialiter, & temporaliter felicioribus successibus congruum suscipiant incrementum.

Deputatio Vicarij cum facultatibus.

§. 1. De tua ergo laudabili vita, morum grauitate, probata fide, & circumspectiona, aliisque virtutum donis quibus personam tuam etiam familiari experientia præditam esse iam dudũ etiam in magnis almæ Vrbis nostræ gubernio, ac fabricæ Basilicæ Principis Apost. de Vrbe negotiis, & arduis causis tibi commissis percepimus, firmam in Domino spem gerentes, & sperantes quod ea quæ tibi committenda duxerimus, prudenter, & fideliter exequeris, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, Te qui etiam Capellanus Prælatus domesticus, & in vtraque Signatura referendarius noster, ac ad eandem Basilicam per nos deputatus existis, necnon vnum ex officiis scriptoriæ litterarum Apost. ex indulto Apost. obtines, in præfata Vrbe, eiusque suburbiis, & districtu Vicarium nostrum in spiritualibus quandiu vixeris, cum honoribus, oneribus, redditibus, & emolumentis consuetis, auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus & deputamus.

Monasteria & religiosos visitandi & corrigend.

§. 2. Tibique omnia & singula, Ecclesias, Monasteria etiam Monialium, & alia loca Ecclesiastica sæcularia, & regularia Ordinum quorumcumque Vrbis, & eius districtus, & Religiosos quoscumqua vtriusque sexus in illis commorantes, & ad dictam Vrbem confluentes

pro

pro tempore, ac etiam Ecclesias S. Athanasij, S. Sebastiani, S. Pauli, & ad Tres Fontes, S. Agnetis, S. Laurentij, & S. Sabbæ, ac alia Monasteria quæcumque exempta, & non exempta eorumque personas visitandi, ac in capite & membris reformandi, necnon earum & cuiuslibet ipsarum excessus, & crimina mulctandi, corrigendi, & puniendi, prout secundum Deum videris expedire. Necnon ædificia quæ in Ecclesiis per te visitandis videbis ruinis supposita, auctoritate propria demoliendi, & demoliri faciendi, & Rectores ad Ecclesiarum reparationem per fructuum subtractionem, vel alias prout tibi videbitur cogendi, mulctasque ipsas; prout etiam tibi videbitur, moderandi, & Cameræ Apostolicæ applicandi.

Causas ciu. flor. & mercedum summarie, & alias iuxta stylum Curiæ, commissarias iuxta clausulas cognoscendi.

§. 3. Ac causas ciuiles & ordinarias, eas videlicet in quibus non agitur de maiori summa redditus sexaginta florenorum auri de Camera, aut illius summæ valoris æstimationem communem non excedente, etiam de locatione, & euacuatione, ac pensione, responsione & deuolutione Casalium, prædiorum, & domorum, ac ratione vinearum, & mercedibus etiam cuiuscumque summæ, & valoris existant, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, cum aliquali petitione verbali, apud acta tamen redacta, seu per viam monitorij, nullis terminis seruatis, etiam qui de stylo, seu ordinatione d. Palatij Apost. seruari soliti sunt; Alias vero more solito, & iuxta stylum, consuetudinem Curiæ officij Vicariat. huiusmodi, Ac alias Commiss. iuxta illarum commissionum tenores, & formas, Ac etiam crimin. per te, vel per te pro tempore deputatum Auditorem audiendi, decidendi, & fine debito terminandi.

Appellationem à quinque infrà reiiciendi.

§. 4. Hoc etiam adiecto ad lites abbreuiandum, & partes à laboribus, & expensis releuandum, quod à processibus, & sententiis à quinque ducatis infra, auditis, & intellectis partibus, & cuiuslibet ipsarum iuribus, in principali negotio non possit per aliquem quomodolibet appellari, seu de nullitate dici, & appellatione, & nullitate prædictis, ac omnibus aliis inde secutis non obstantibus seruatis aliis seruandis ad executionem dictarum sententiarum libere procedere possis.

Causas miserabilium, & alias non exced. duc. 60. summarie cognoscendi.

§. 5. Necnon omnes, & singulas causas alimentorum, & alias miserabilium personarum, ac etiam aliorum quorumcumque quæ non excedunt summam sexaginta ducatorum auri de Camera summarie, simpliciter & de plano, sola facti veritate inspecta, manu regia, sine confectione registri, sicut tibi visum fuerit, recognoscendi, iudicandi, & fine debito terminandi.

Moratorias in eis denegandi.

§. 6. Dilationes moratorias quascumque etiam quinquennales, in causis mercedum, & alimentorum, censuum, pensionum, responsionum, & in causis miserabiliū personarum, viduarum, pupillorum, ecclesiarum, & piorum locorum, ac obligationum iuratoriarum reiiciendi, & illis reiectis (nisi causa cognita concessæ fuerint, aut aliter à nobis Motu proprio, & ex certa scientia rescriptum fuerit) debitores ad soluendum remediis opportunis, etiam per censuras ecclesiasticas, vel via executiua, prout tibi videbitur, compellendi.

Carceres visitandi.

§. 7. Carceres quoque visitandi, votum dandi, ac de carceratorum liberatione vel condemnatione, ad pecuniarum solutionem, cum cæteris visitantibus statuendi, & ordinandi.

Iudæorum causas, & alias iudicandi.

§. 8. Iudæos omnes, etiam vsurarios, bancarios: quoscumque clericos, & beneficiatos Vrbis, ac eius districtus, religiosos etiam mendicantes, ac regulares omnes vtriusque sexus, Fraternitates etiam laicorum, Hospitalarios, omnesque in Ecclesiis & Monasteriis beneficiatos, ac deseruientes, eorumque omnium res, & bona iudicandi, & tam ciuiliter quam criminaliter coërcendi & puniendi.

Ad hoc vide Bullam cit. in rubr.

Vsurarios, & alias causas iudicandi.

§. 9. Vsurarum excessus etiam dictis Iudæis toleratos ad honestissimum modum reducendi, Matrimoniorum causas, omnesque alias, quæ de iure ad Vicarium nostrum dignoscuntur pertinere, audiendi, & fine debito terminandi.

Synodum congregandi.

§. 10. Synodum in Romano Clerico pro correctione malorum morum, & pro necessitate, iuxta temporum opportunitates, in Clero occurrentes, vbi & quando libuerit, celebrandi, & congregandi; statuta, & ordinationes, seu constitutiones pro tempore obseruanda edendi.

Ordines conferendi.

§. 11. Necnon per te, vel aliquem catholicum Antistitem, gratiam & communionem Apost. sedis habentem, quem ad hoc cum opus fuerit duxerit eligendum, & deputandum, ordines conferendi temporibus à iure statutis, ac alia ecclesiastica sacramenta.

Ecclesias consecrandi.

§. 12. Ecclesias Vrbis, ac illius districtus prædictorum, illorumque Cœmeteria consecrandi, ac polluta (aqua tamen prius per te, vel eundem vel alium Antistitem, similes communionem & gratiam habentes, benedicta) reconciliandi.

Festiuis diebus vetita exercitia puniendi.

§. 13. Ac eos qui festiuis diebus vetita à iure exercitia fecerint, compellendi, & puniendi.

Blasphematores, & alios coercendi.

§. 14. Blasphematores, vsurarios, iudæos, periuros, & quoscumque alios committentes crimen, quod ad Ecclesiasticum forum, & ad Curiam & iurisdictionem Vicarij nostri etiam iuxta facultates tibi, & prædecessoribus tuis concessas, simpliciter vel mixtim de iure, vel consuetudine, seu statuto pertineat, non obstantibus quibuscumque significationibus ab aliis iudicibus factis seu faciendis, cognoscendi, & puniendi.

Pœnas piis operibus applicandi.

§. 15. Ac tam pro vasis, vestibus, tunicellis, planetis, & similibus, quæ de necessitate ad diuinum honorem requirentur, tam pro ordinibus sacris celebrandis, quam pro sustentatione Episcopi ordinantis, ministrorumque eius, ac Notariorum qui, vt accepimus, pro sigillo nihil accipiunt, saltem pro meris laboribus persoluendis, & aliis quæ de necessitate ad curam & regimen tui officij fieri debere videbuntur, de pœnis in dicta Curia disponendi.

Cætera ad officiū spectantia exequendi.

§. 16. Omniaque alia & singula faciendi, gerendi, disponendi, ordinandi, mandandi, & exequendi, quæ ad huiusmodi Vicariatus officium de iure, vel consuetudine: aut alias quomodolibet pertinere dignoscuntur, & quæ omnes alij Vicarij Vrbis de iure, consuetudine, vel priuilegio, facere, dicere, & ordinare potuerunt.

Inobedientes coercendi.

§. 17. Necnon contradictores, & facultati, potestatique tuæ huiusmodi contrauenientes & illam perturbantes, ac rebelles quoscumque quavis auctoritate fungentes, per Ecclesiasticas, & alias pecuniarias pœnas pro arbitrio infligendas, & moderandas, etiam per represalias, vbi & quando opus fuerit, correctionemque personalem iuris remedio opportuno appellatione postposita compescendo, plenam liberam, & omnimodam, auctoritate Apostolica tenore præsentium facultatem concedimus.

Causas ciuiles, & criminales hic indicatas cognoscendi.

§. 18. Et insuper qui, vt accepimus, huiusmodi Vicariatus officij vigore Vicario pro tēpore existenti, tam in Ciuilibus, quam in Criminalibus, clericorum Vrbis, & eius districtus matrimoniorum spiritualium, illorumque connexorum, Iudæorum quoque ac hospitalium, & hospitalariorum, necnon Confraternitatum laicorum quorumcumque ac Collegiorum Ecclesiasticorum, & aliorum quorumvis, etiam forensium, ac quorumcumque in quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, & capellis Vrbis prædictæ deseruientium, & residentium, locorum piorum & religiosorum quorumcumq; vtriusque sexus, Fratrum Monachorum etiam Mendicantium quorumcumque tam in dicta Vrbe commorantium, quam ad illam pro tempore confluentium causis iurisdictio attributa fuerit, Nihilominus super præmissis, seu aliquibus eorum per Gubernatorem, necnon Senatorem Vrbis, ac Auditorem Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generalem Conseruatores Cameræ Vrbis, & diuersos alios Iudices & officiales pro tempore existentes, dictum Vicariatus officium pro tēpore obtinentes quam sæpe nonnullarum, vt ipsi asserunt per Sedem Apost. eis concessarum literarum prætextu, perturbari, & impediri contingit, & aliquas ex huiusmodi causis ad se appropriare nituntur, in grauem dicti Vicariatus officij iacturam, ac damnum. Nos iis occurrere, & obuiare, ac dicti Vicariatus offici[illegible]emnitati prouidere volentes, Motu simili in præmi[illegible], etiam actiue & passiue, tibi & pro tempore existenti Vicario iurisdictionem huiusmodi hactenus semper competiisse, & competere.

Alienationibusque & permutationibus de bonis Ecclesiasticis.

§. 19. Ac te in singulis venditionis, permutationis, & alienationis rerum, & bonorum Ecclesiasticorum causis etiam per supplicationem Apostolicam commissis, & committendis, tam in Vrbe, quam illius districtu prædictis, Iudicem & executorem quandiu vixeris fore, & esse. Ac venditiones, permutationes, & alienationes huiusmodi sine cognitione, & approbatione tuis, pro tempore factas, minime valere decernimus, & declaramus.

Vicarius in his causis iudex est ordinarius.

§. 20. Ac pro potiori cautela te successoresque tuos in dicto Vicariatus officio Vicarios in præmissis causis, & circa præmissa competentem Iudicem, quandiu vixeris, vt præfertur constituimus, & deputamus. Et in euentum in quem per Nos, vel Sedem prædictam huiusmodi tua iurisdictio in præmissis per præoccupationem vel alias, tibi diminuta, & abdicata, ac illa præfatis Gubernatori, aut Senatori, vel Auditori Conseruatoribus, & quibuscumque aliis Iudicibus, & Officialibus, quacumque auctoritate fungentibus attributa fuisset, ex nunc illam Motu simili restituimus, & plenarie reintegramus. Ac omnes, & singulos processus, & sententias, quos & quas in Gubernatorem, vel Senatorem, seu Auditorem, Conseruatores, seu quoscumque Iudices & Officiales præfatos, in præiudicium attributæ & concessæ tibi iurisdictionis prædictæ, haberi vel promulgari contigerit, nullos, & nullas, nulliusque roboris, vel momenti fore, & esse: Ac res, & personas, sub tua, & tui Vicariatus officij iurisdictione constitutas, alicui alteri Iudici quacumque auctoritate etiam Cardinalatus honore fungenti, ex quacumque occasione, causa, vel contractu sub quavis forma celebrato, minime subesse, nec subiici posse. Et ita per quoscumque Iudices etiam causarum dicti Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales interpretari, sententiari, & declarari debere, sublata eis, & cuilibet ipsorum quavis aliter interpretandi, sententiandi, & iudicandi facultate, & auctoritate. Ac quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane, eiusdem motu, & scientia decernimus, & statuimus per præsentes.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 21. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis super præmissis in præiudicium dictæ, vt præmittitur, per nos tibi attributæ iurisdictionis, aut coërcitionis eisdem Gubernatori, Senatori, Auditori, Conseruatoribus, & aliis Iudicibus, & officialibus, præfatis, ac quibuscumque aliis personis, sub iurisdictione Vicariatus huiusmodi existentibus, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus & formis, per Nos, aut prædecessores nostros, & Sedem præfatam concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, pro illorum sufficienti derogatione specifica, & expressa, ac indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, sed de verbo ad verbum habenda mentio foret, eorum tenores pro sufficienter expressis habentes, harum serie specialiter & expresse, motu simili derogamus, & aliis præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus personis, aut Ecclesiis, Monasteriis, vel Ordinibus, aut quibusvis aliis à prædicta sit Sede indultum, quod capi, detineri, & interdici, suspendi, & excommunicari, aut visitari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, & nostra propria manu non fuerint subscripta, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quoad præmissa cuiquam nolumus aliquatenus suffragari. Irritum quoque, & inane quicquid contra præmissa, vel aliquod præmissorum [illegible]teri contigerit, decernentes.

Vtique omnes in prædictis obediant.

§. 22. Et vt officium prædictum melius, & liberius prosequi valeas, Mandamus omnibus, & singulis ad quos spectat, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, quatenus tibi in exequendis iis, quæ ad officium tuum prædictum pertinere dignoscuntur, omnibus possibilibus auxiliis, consiliis, ac fauoribus opportunis assistant, tibique pariter obediant, prout nobis.

Iussit officium sollicite administrandi.

§. 23. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus officium Vicariatus huiusmodi deuote suscipiens, illud sic prudenter, sollicite, & fideliter exequaris, quod exinde optati fructus proueniant quos speramus, tuque præter æternæ retributionis præmium, nostram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam vberius consequi merearis.

Dat. P. An. x. die 3. Non.

Dat. Anno Incarnationis Dominicæ, Pontificatus nostri Anno nono.

Institutio Hospitalis, & Monasterij in Vrbe, pro Neophytis, Cathecumenis, Iudæisque & Infidelibus ad Catholicam Fidem se conuertentibus. Et erectio Archiconfraternitatis pro eorum regimine; Iurisdictioque S. R. E. Cardinalis Protectoris, & Iudicis causarum, eorum interesse concernentium. XXXVII.

Huiusmodi infidelibus se conuertentibus vbique locorum, indultu, & priuilegia hic idem Pontifex elargitus est, ordinationesque circa eorum viuendi modum præfiniuit sup. in constit. 32. Cupientes. Et pro virginibus Neophytis, d. Monasterium in Vrbe ædificari iussit Pius IV. & illud Pius V. transtulit ad Ecclesiam S. Basilij in regione Montium, sed eorum Bullas tanquam minus necessarias prætermisi.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Edita A.D. 1543.

Proœmium.

ILlius, qui pro Dominici gregis redemptione in Ara crucis in pretium immolari non erubuit, quique post eius mortem &, à mortuis resurrectionem, præordinatis testibus, sæpe sæpius apparens, tandem ascensurus ad patrem, suos nolens discipulos relinquere orphanos, Spiritus Sancti paracliti consolatione visitauit, & eos hospitales ad inuicem fore debere, charitatisque dona, quæ omnes alias virtutes superat, exorare præceperat, nos quanquam immeriti vices in terris gerentes, quamvis ex debito pastoralis officij mens nostra rerum pro tempore ingruentium occasione, ad multiplices cogitatus se diuertat, incessanter curis affigimur assiduis, vt Iudæi, & infideles ex eorum Hebraïca cæcitate ad veri luminis agnitionem conuerti, ac conuersi in catholica fide institui, & ad id hospitalie, deputataque loca ad salubrem statum, & hospitalitatis obseruantiam prouenire valeant, & vt ad præmissa cunctorum Christi fidelium vota, concurrant, fideles ipsos per confraternitatis spiritualis tanquam membra suo capiti adhærentia, nexum quibusdam spiritualibus & allecturis muneribus prosequimur, vt exinde gratiæ diuinæ reddantur aptiores.

Petitio facultatis erigendi hospitale, & Monasterium pro Iudæis conuersis.

§. 1. Sane pro parte dilecti filij Ioannis de Torano Rectoris Parochialis Ecclesiæ S. Ioannis de Mercato Regionis Campitelli de Vrbe, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ad omnipotentis Dei, & totius curiæ cœlestis laudem & gloriam, & orthodoxæ fidei exaltationem, et augmentum, nonnulli Hebræi, seu Iudæi diuinitus inspirati, tenebrosam cæcitatem, qua tunc detinebantur abiecerint, & ad veri luminis agnitionem se conuerterint, ac lauacro baptismatis baptizati fuerint, & ob diuersa munera, & gratias ex Sedis Apostolicæ benignitate eis concessa, quamplurimi alij Hebræi, & Iudæi simili desiderio accensis eandem cæcitatem abiicere, & ipsum verum lumen agnoscere cupiant, & in dicta Vrbe nullus locus existat in quo ipsi Iudæi, & infideles ex Iudaïca cæcitate ad fidem

Christi

Christi conuersi recipi possint, pro parte dicti Ioannis nobis fuit humiliter supplicatum, vt sibi prope dictam Ecclesiam vnum Monasterium pro puellis, & vnum hospitale pro viris Iudæis conuersis construi faciendi licentiam concedere, ac alias in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio dictæ facultatis.

§. 2. Nos igitur temporibus nostris tantam gratiam ab Altissimo diuino miraculo nobis, meritis licet imparibus, allatam fuisse reputantes, ac desuper eas quas valemus gratias eidem Altissimo agentes, ac de fide, & integritate, necnon bonorum operum zelo præfati Ioannis in Domino plurimum confidentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præfato Ioanni facultatem erigendi Monasterium, & hospitale prope dictam Ecclesiam in loco ad id designato, vnum Monasterium pro puellis, & vnum hospitale, sub S. Ioseph seu alia de qua eidem Ioanni videbitur inuocatione, pro viris Iudæis, ac infidelibus quibuscumque volentibus se sponte, & libere ad eandem fidem conuertere, in quibus recipi, & charitatiue tractari possint, ex bonis eidem Ioanni à Deo collatis, ac Christifidelium eleemosynis ad id concessis, & concedendis construendi, & ædificari faciendi, auctoritate Apostolica tenore præsentium, ex certa nostra scientia de Apostolicæ potestatis plenitudine licentiam, & facultatem concedimus. Illaque postquam constructa fuerint in Monasterium, & hospitale eorundem Iudæorum conuersorum, sine alicuius præiudicio, perpetuo erigimus, & instituimus, illisque pro eorum dote bona quæcumque illis eroganda, & relinquenda perpetuo applicamus, & appropriamus.

Institutio Archiconfraternitatis in d. Hospitali.

§. 3. Ac in Monasterio, & hospitali prædictis vnam Archiconfraternitatem, quæ caput omnium aliarum Cōfraternitatum, & hospitalium, & Monasteriorum, & aliorum quorumcunque locorum, eorundem Iudæorum, & Hebræorum, & infidelium conuersorum vbilibet institutarum, & instituendarum Confraternitatum, erectorum & erigendorum Monasteriorum, hospitalium, & locorum Iudæorum, & Hebræorum huiusmodi immediate subiicimus, & facimus membra ab eis dependentia. Ita quod Confraternitates, Monasteria, hospitalia, & loca illis subiecta ab eis dependentia huiusmodi ipsam Confraternitatem vti illorum in aliqua saltem reuerentia singulis annis cognoscere teneantur, Cuius Archiconfraternitatis præfatus Ioannes quoad vixerit, & eo vita functo, vnus ex Confratribus clericis per eos tantum de triennio in triennium eligendus, caput seu Rector, Præpositus nuncupandus, ac duodecim clerici, seu Presbyteri sæculares, exemplaris vitæ, & religionis zelatores, quos præfatus Ioannes, ac ipsius Confraternitatis Præpositus pro tempore existens duxerit eligendos, esse debeant erigimus, & instituimus, & quod de numero eorundem clericorum, seu Presbyterorum Confratrum nullus Prælatus, seu alicuius Ordinis professor esse possit. Ipsique clerici seu Presbyteri, Ioanni ac pro tempore existenti Præposito prædicto, omnimodam & plenariam obedientiam, & reuerentiam vti eorum superiori præstare, illumque in cura & administratione Monasterij & hospitalis prædictorum coadiuuare, ipsique duodecim Presbyteri, seu clerici, vt circa præmissa liberius attendere valeant, nulli alteri Confraternitati, seu societati aggregari, seu ad illam admitti valeant: Ac præfato Ioanne vita functo, Præpositus Archiconfraternitatis huiusmodi per Confratres prædictos clericos tantum de triennio in triennium ex eorum gremio eligi, eorumque officium per triennium, & non vltra durare debeat.

Ad eius gubernium, & curam infidelium se cōuertentium.

§. 4. Et ipsi Confratres quoscumque Iudæos, seu Hebræos, & infideles quoscumque ad fidem catholicam conuerti volentes, recipere, illisque victum, & vestitum ex ipsius hospitalis bonis assignare, & ipsi Iudæi, seu Hebræi, & infideles quicumque ante eius conuersionem per vnum annum, seu aliud tempus de quo eidem Præposito videbitur in ipso Monasterio, & hospitali Cathecumeni manere, ac in dicta Ecclesia vti eorum parochia, missas & alia diuina officia audire, & Dominico, & aliis festiuis diebus solemnibus in ipsa Ecclesia ad effectum audiendi verbum diuinum accedere teneantur, & nulla sæcularis, seu cuiuscumque ordinis regularis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existens, & quauis auctoritate fungens persona, in Monasterio & hospitali prædictis, illorumque bonis, & rebus, atque administratione absque Confratrum prædictorum expresso consensu se intromittere, aut in illis aliquam auctoritatem, seu iurisdictionem exercere possit, & valeat. Et si pro tempore contigerit quod in ipsis Monasterio & hospitali, charitatis opera non exerceantur, illorum fructus Archihospitali incurabilium S. Iacobi in Augusta eo ipso applicata sint, & esse censeantur, ipsumque Archihospitale, illiusque Rectores seu Guardiani bonorum prædictorum fructus, redditus, & prouentus, vti eorum & dicti Archihospitali S. Iacobi bona percipere, ac de illis in illius pauperum, & non alios vsus disponere libere & licite valeant, nec ad id desuper per quoscumque molestari, perturbari, aut inquietari possint, eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuo statuimus, & ordinamus. Necnon eidem Ioanni, mappas, tobalias, & reliqua altarium paramenta sacerdotalia, & vestimenta quæcumque necessaria benedicendi licentiam, & facultatem similiter concedimus.

Cōfratribus, & benefactoribus gratias & Indulgent. concedit.

§. 5. Necnon Confratribus Monasterij, hospitali construendo, ac Ecclesiæ prædictis, illorumque administratoribus, gubernatoribus, rectoribus, œconomis, seruitoribus, familiaribus, ministris, & conuersis, ac aliis personis in eis pro tempore existentibus, seu aliquam curam de illis, ac hospitalis, & Monasterij prædictorum fabrica habentibus, necnon personis inibi pro tempore decedentibus, seu aliquid de bonis suis pro dictis operibus relinquentibus, quod omnibus & singulis priuilegiis exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, ac peccatorum remissionibus, & aliis gratiis spiritualibus Imagini S. Saluatoris de Sancta Sanctorum, & Charitatis, ac eidem Archihospitali S. Iacobi in Augusta, & S. Spiritus hospitalibus ac Corporis Christi & Sacramenti, ac Campi Sancti, & aliis Confratribus Confraternitatum de Vrbe, necnon eisdem Imagini, & hospitali Sancti Spiritus, ac Campo Sancto, necnon fabricæ basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, illiusque deputatis, eorumque necnon B. Mariæ de Populo, & Consolationis, ac S. Ioannis Baptistæ Florentinorum, aliisque eiusdem Vrbis Ecclesiis, ac illa, & illas visitantibus, vel benefacientibus, eorumque administratoribus, & guardianis, rectoribus, œconomis generalibus, aliis personis similem curam in eis sumentibus, ac Iudæis, & conuersis, ac quibuscumque eorum etiam per nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & successores, ac Sedem eandem concessis, & concedendis, (quæ omnia, & literas desuper confectas haberi volumus pro expressis,) & quibus illæ, illi, & illa vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, Archiconfraternitas, illiusque Confratres Monasterium construendum, hospitale, Ecclesia, illorumque administratores, rectores, familiares, ministri, œconomi, & aliæ personæ similem curam inibi sumentes, & illa visitantes, ac eis benefacientes, ex nunc & in perpetuum vtantur, potiantur, & gaudeant, vti potiri, & gaudere libere, & licitè valeant in omnibus & per omnia perinde ac si de Monasterio, & hospitali, ac Ecclesiæ, & Confratribus prædictis, illorumque rectoribus, administratoribus, gubernatoribus, œconomis, seruitoribus, familiaribus, ministris, & conuersis, ac aliis personis, ac illa visitantibus, & benefacientibus pro tempore specialiter & expresse concessa fuissent, & in futurum concederentur. Necnon Presbyteris prædictis, qui in Monasterio, seu hospitali, aut Ecclesia prædictis quocumque anni tempore celebrauerint, & pro quibus iidem Presbyteri inibi celebrauerint, & orauerint, easdem indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ celebrantibus in Scala Cœli nuncupata, Monasterium Trium Fontium extra muros Vrbis Cisterecien. Ordinis, Cum Capella in Præsepe Domini, sita in Ecclesia Beatæ Mariæ Maioris de Vrbe, ac animabus pro quibus inibi iidem Presbyteri celebrauerint, & orauerint, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus, ac indulgentias

Tu quoad Indulgētias vide reuocationem in Pij V. const. 30. & 51. & Clem. VIII. constit. 119. Quacumque & S. D. N. Pauli V. const. mox publicandam.

SS 3

dulgentias

dulgentias, priuilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates, & alias concessiones, ac remissiones huiusmodi, ad illos, illas, & illa extendimus, & prorogamus, ac ampliamus. Et quod Ioannes, ac pro tempore præpositus, & administrator, rector, gubernator, œconomus, seruitores, familiares, ministri, & conuersi, ac aliæ personæ præfatæ, indulgentias, gratias, priuilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates & alias concessiones, & remissiones huiusmodi, ac dies, & festa, in quibus, ac causas propter quas illa consequi debeant ad eorum beneplacitum publicare facere. Necnon eleemosynas Monasterio, & hospitali, ac conuersis, seu alias concedendas recipere, & ad illas recipiendas, & quærendas, ac indulgentias huiusmodi publicandas per dictam Vrbem, & alibi eosdem Presbyteros seu clericos, aut alios quæstores, seu quascumque alias personas, cuiusvis licentia minime requisita, deputare & mittere, & Ioannes, ac eo vita functo pro tempore Præpositus prædictus quæcumque statuta, & ordinationes, licita & honesta tamen, tam circa regimen, & tranquillum statum Monasterij, hospitalis, Confratrum, Presbyterorum, Iudæorum, Hebræorum, & conuersorum, ac diuinorum celebrationem, quam munerum, & qualitates, ætates capellanorum, confratrum, ac ministrorum, & habitum Iudæorum, ac conuersorum prædictorum, eorumque personas, & Monasterij, & hospitalia prædictorum ornamenta, ac bona, mobilia & immobilia, eorumque administrationes, & alia præmissa concernentia condese, & alterare, mutare, ac de nouo edere, quæ postquam condita, alterata, mutata, & reformata fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate confirmata sint, & esse censeantur, ac quascumque pœnas in contrauenientes apponere.

Personis Archiconfraternitatis, Hospitalis, & Monasterij, Confessorem eligendi concedit facultatem. Tu vide moderationem in bullis mox indicatis.

§. 6. Ac quilibet Confrater, minister, seu officiales, & personæ Archiconfraternitatis, Monasterij, & hospitalis huiusmodi quemcumque Presbyterum sæcularem in suum possint eligere Confessorem, qui eos, & eorum quemlibet, à quibuscumque casibus quantumcumque grauibus, etiam in quinterno Cancellariæ Apostolicæ in dictis literis expressis, ac etiam Apostolicæ Sedi reseruatis absoluere, ac confessionale, & altare portatile iuxta formam, & literas prædictas habere possint licentiam, & facultatem concedimus & indulgemus.

Protectori & Iudici causas eorum cognoscendi, iurisdictionem tribuit.

§. 7. Ac vt ipsi Confratres, & rectores, administratores, gubernatores, œconomi, & aliæ personæ ab indebitis molestiis releuentur, vnum ex S.R.E. Cardinalibus, quem ipsi ad id duxerint admittendum, seu eligendum, in eorum Protectorem, & iudicem, cui & nulli alij subiecti existant, & coram quo seu ab eo deputando quævis, tam ciuiles quam criminales causæ, per, & contra Archiconfraternitatem illorum administratores, rectores, gubernatores, ministros, familiares, œconomos, & alias personas præfatas super bonis & rebus cuiuscumque qualitatis existentibus, ad Archiconfraternitatem, Monasterium, & hospitale prædicta pertinentibus motæ, & pro tempore mouendæ & iuxta ordinariam iurisdictionem, seu facultatem Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori attributam, cum omnibus & singulis earum incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis, cognoscere, ac fine debito terminare valeat, & debeat, constituimus, & deputamus. Ipseque pro tempore Protector, per se vel alium, seu alios quoscumque quorum intererit, vel interesse poterit, tam in Romana Curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi summarie, & extraiudicialiter de non tuto accessu, ac quibusvis etiam in dicta Curia iudicibus, & personis, quibus, & quoties sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, de quibus eidem Protectori videbitur, inhibendi, & in euentum non paritionis ad declarationem incursus censurarum, & pœnarum huiusmodi, illarumque aggrauationem, ac alias iuxta stilum, & morem Curiæ dicti Auditoris in similibus seruari solitum procedendi, ac sententias executioni debitæ demandandi, seu demandari faciendi. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, ac omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi plenam, & liberam licentiam & facultatem concedimus.

Tu sciat Paulum IV iurisdictionem etiam concessisse in constit. 6. Dudum.

Clausula huius concessionis præseruatiua.

§. 8. Decernentes præsentes literas, ac indulgentiam infrascriptam, sub quibusvis reuocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, repositionibus, & exceptionibus similium literarum, gratiarum & indulgentiarum, etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem eandem, vel eius Legatos, ac etiam per regulas Cancellariæ Apostolicæ pro tempore factas, etiam in fauorem Fabricæ Apostolic. Principis de Vrbe, & expeditionis contra infideles nullatenus comprehensas, sed semper ab illis, & omnino exceptas esse, & censeri, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & reintegratas fore, ac eisdem præsentibus literis per quascumque literas, & quasvis clausulas generales vel speciales etiam derogatorias efficaciores, & insolitas, ac etiam irritantia decreta sub quacumque verborum expressione in se continentes nullatenus derogari posse, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, & huiusmodi derogationes consistorialiter etiam per trinas distinctas literas eundem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus Præposito, confratribus, administratoribus prædictis legitime intimatæ, & insinuatæ fuerint, eorumque expressus ad id accedat assensus, & aliter factæ derogationes nemini suffragari.

Decretum irritans.

§. 9. Sicque per quoscumque iudices & personas, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Alia Indulg. pro Confratribus. Tu vide reuocationes præcitatas.

§. 10. Et nihilominus de Omnipotentia DEI misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vniuersis & singulis eiusdem Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore existentibus vere pœnitentibus & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui in eiusdem sancti Ioseph, & Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI, seu aliis per eosdem Præpositum, rectores, administratores, & gubernatores, ad id nominandis festis, seu diebus à primis vesperis vsque ad occasum Solis sequentis diei, Monasterium & hospitale, ac Ecclesiam huiusmodi deuote visitauerint, & pro præmissis operibus manus adiutrices iuxta eorum arbitrium porrexerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, ac Iubilæum, & remissionem in Domino elargimur.

Deputatio executorum huius const.

§. 11. Mandantes nihilominus dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, aliisque in dignitate Ecclesiastica constitutis personis, necnon Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ac venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Vicariis in spiritualibus, generalibus & officialibus vbilibet constitutis, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Ioannis, ac pro tempore existentis Præpositi, & administratoris, & rectoris, & gubernatoris prædictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, eos & eorum quemlibet, ac alios quos præsentes literæ concernunt, illis pacifice frui, & gaudere, &c.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus de non concedendis indulgentiis ad instar, ac aliis Apostolicis, necnon in Prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§. 13. Volumus autem quod præsentium literarum, ac priuilegiorum, indultorum, exemptionum, indulgentiarum, ac aliarum huiusmodi transumptis manu alicu-

ius

ius Notarij publici subscriptis, & sigillo eiusdem literatum Protectoris, aut alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut alicuius Curiæ Ecclesiasticæ munitis, in iudicio, & extra, eadem fides adhibeatur, quæ originalibus literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ adhiberetur, eisdem præsentibus post viginti annos quoad indulgentiam plenariam, & remissionem prædictas nullatenus valituris.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 9. die 19 Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quadragesimotertio, 11. Kalend. Martij, Pontificatus nostri anno nono.

XXXVIII. De electione Prioris generalis & aliorum Priorum Congregationis Monachorum Siluestrinorum Ordinis Sancti Benedicti, ad triennium tantum, eiusque auctoritate circa regimen d. Congregationis.

Istam Congregationem approbauit Innoc. IV. supr. in sua constit. 5. Religiosam. Et eidem communicauit priuilegia omnium Mendicantium. Pauls V. die 23. Nouembris 1606. cum clausula Quatenus sint in vsu, & Conc. Trid. vel ipsius Congregationis constitutionibus non contrarientur, & præter facultatem eligendi Conseruatores, sed hanc bullam habes infr. tom. 3. sub dicti Pauli V. const. 106. Sanctorum.

Edita An. D. 1543.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

EXposcit debitum Pastoralis officij, cui disponente Domino præsidemus, vt ad ea sollicite intendamus, per quæ Monasteria, & alia Religiosa loca, per nostræ operationis ministerium salubriter dirigantur, & in eis regularis disciplinæ norma seruetur, ac omnis bene viuendi institutio, cum æternæ vitæ præmio salubriter adimpleatur.

Congregatio in Priorem generalē elegit Hieronymum Pacificum, ad eius vitam,

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Pacifici de Saxoferrato Monachi, & vniuersorum modernorum Definitorum, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Syluestrinorum, ac Priorum, & Rectorum, Prioratuum, & beneficiorum eorundem Ordinis, & Congregationis, petitio continebat. Quod alias Prioratu Eremi Montisfani Camerinen. Diœcesis eorundem Ordinis, & Congregationis tunc certo modo vacante, tunc Definitores, Priores, & Rectores Prioratuum & Beneficiorum prædictorum, aut eorum maior pars Romæ in præsentia vener. fratris nostri Joan. Dominici Episcopi Ostien. ipsius Congregationis Protectoris, de mandato nostro capitulariter super hoc congregati, præfatum Hieronymum Ordinem ipsum expresse professum, in eorum & dicti Prioratus Priorem ad eius vitam, iuxta priuilegia & indulta Apostolica, illis seu eorum Ordini desuper concessa, aut alias elegerunt & deputarunt, ac forsan alias, & alia fecerunt, prout in eorum patentibus literis desuper confectis, dicitur plenius contineri, ipseque Hieronymus postmodum electionis & deputationis huiusmodi vigore, ipsius Prioratus possessionem forsan assecutus fuit.

Sed postea vtilior visa fuit electio ad triennium dicti Prioris, cū prohibitione reeligēdi durantibus aliis duobus triennijs.

§. 2. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat à nonnullis de viribus electionis huiusmodi hæsitetur, & asseratur Prioratum ipsum forsan alias quam vt præmittitur, vacauisse, & vacare, & si electio, & deputatio prædictæ ad triennium reuocarentur, & reducerentur, ac illæ quoad triennium tantum approbarentur, & confirmarentur, ac in dicto Prioratu qui conuentualis existit, & cuius Prior pro tempore existens, perpetuus & generalis Ordinis, & Congregationis prædictorum esse consueuit, titulus perpetui Prioris supprimeretur, & extingueretur, ac ille per Priorem triennalem regeretur, & gubernaretur, ac quod præfati Definitores, Priores, & Rectores in dicto eorum Capitulo generali ad hoc propterea celebrando, vnum religiosum eiusdem Ordinis, Ordinem ipsum expressè professum, quem pro ipsius Ordinis prosperis successibus vtiliorem fore putarent, in Priorem generalem dicti Prioratus de triennio in triennium eligere possint. Ita quod sic electus lapso huiusmodi triennio reeligi non posset, donec duo alia triennia elapsa forent. Quodque Priores & Rectores Prioratuum & aliorum beneficiorum Ordinis & Congregationis huiusmodi, vltra triennium in eisdem Prioratibus & beneficiis per eosdem Capitulum confirmari non possint statueretur & ordinaretur, & hoc profecto feliciori Ordinis & Prioratuum & beneficiorum eorundem, nec illorum personarum statui, in spiritualibus & temporalibus salubriter consuleretur, & prædictus Ordo augmentum cum animarum salute susciperet.

Ideoque Congregatio supplicauit huic Pont. pro opportuna prouisione.

§. 3. Quare pro parte dictorum modernorum Definitorum, Priorum & Rectorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt pro ipsius Ordinis salubri directione super iis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui propterea d. electionem Hieronymi ad triennium reducit.

§. 4. Nos igitur qui Monasteriorum omnium, & in illis Domino famulantium personarum salubrem statum, & regularis obseruantiæ augmentum, sinceris exoptamus affectibus, eosdem modernos Definitores, Priores, Rectores, ac eorum singulos, à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, verumque & vltimum dicti Prioratus vacationis modum, etiamsi ea illo quævis generalis reseruatio, in corpore iuris clausa resultet pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, electionem & deputationem in Priorem generalem Præfati Prioratus de dicto Hieronymo ad vitam factas prædictas ad triennium, Ita quod finito triennio, idem Hieronymus ab huiusmodi Prioratus & Generalatus officio, libere amoueri possit auctoritate Apostolica tenore præsentium reuocamus, reducimus, illasque sic reuocatas & reductas, ac prout illas concernunt, omnia & singula alia in dictis literis contenta & inde secuta quæcumque, licita tamen & honesta, quoad huiusmodi triennium dumtaxat, ex certa scientia approbamus & confirmamus, ac illis plenum firmitatis robur adiicimus.

Et ad triennium iterato illum deputat.

§. 5. Et nihilominus eundem Hieronymum in Priorem dicti Prioratus ad triennium dumtaxat constituimus & deputamus, necnon in dicto Prioratu, cuius fructus, redditus & prouentus ad sexaginta tres florenos auri in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, nomen & titulum perpetui Prioris, ita quod nunquam illius nisi ad effectum triennalis electionis vacatio occurrat, etiam ea nunc perpetuo penitus & omnino auctoritate & tenore prædictis, supprimimus & extinguimus, ac suppressa & extincta esse & censeri.

Annatamq; de d. Prioratu de quindennio in quindennium Cameræ Apostol. solui iubet.

§. 6. Et propterea annatam dicti Prioratus occurrente illius pro tempore vacatione, Cameræ Apostolicæ aut quibusvis aliis debitam, nisi de quindecim annis, in quindecim annos minime solui, & ipsius Prioratus pro tempore existentes Priores ad illius solutionem, alias quam vt præfertur, non teneri, nec ad id cogi, aut propterea aliquibus censuris innodari posse & debere decernimus.

Prioratum triennio consumi decernit.

§. 7. Necnon quod de cætero perpetuis futuris temporibus Prioratus ipse per Priorem triennalem dumtaxat, per solam Capituli huiusmodi electionem de triennio in triennium deputandum, regatur & gubernetur, ac regi & gubernari debeat.

Electionem Prioris ad Capitulū generale remittit prohibens reeligi in Priorem durante secundo successiue triennio.

§. 8. Quodque huiusmodi electio postquam per Capitulum præfatos facta fuerit, Apostolica auctoritate approbata & confirmata sit & esse censeatur eo ipso; nullusque inibi in Priorem vltra triennium eligi aut deputari possit, sed is qui vno triennio in Priorem ipsius Prioratus præfuerit; vltimo ipsius triennij die Prior esse desinat,

desinat ac in eiusdem Prioratus Priorem immediate de nouo per ipsos Capitulum, reeligi seu reassumi nō possit; donec duo triennia elapsa sint & si ante illorum lapsum eligatur, electio huiusmodi nulla sit. Et nihilominus sic scienter eligentes, sententiam excommunicationis incurrant, nec etiam ipsum triennium prorogari valeat.

Auctoritatem Prioris durante triennio totalem esse affirmat.

§. 9. Quodque præfatus Hieronymus, & alij dicti Prioratus Priores taliter electi & confirmati, durante triennio, ac Prioratus & illius Conuentus huiusmodi, omnibus & singulis, potestate, auctoritate & facultate, etiam conferendi beneficia & officia, ac immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, honoribus, priuilegiis, indulgentiis, prærogatiuis, gratiis, fauoribus & indultis, in spiritualibus & temporalibus, quibus alij perpetui eiusdem Prioratus Priores, qui pro tempore fuerunt, vti, potiri & gaudere potuerunt, seu etiam debuerunt, ac possent, & deberent quomodolibet in futurum, vti, potiri & gaudere, ipseque pro tempore Prior existens, finito eius triennio eius successori in Priorem electo, ac duobus per Capitulum præfatos, nominatis & deputatis, reseruata sibi annua pensione vigintiquinque scutorum pro vestimentis & aliis suis necessariis, deductis expensis, sibi per præfatos Ioannem Cardinalem & Protectorem, ac Capitulum assignata ratione de reliquis per eum durante triennio huiusmodi administratis reddere teneantur.

Omnium Priorum cōfirmationem vltra triennium prohibet.

§. 10. Quodque Priores aut Rectores, Prioratuum & beneficiorum Ordinis & Congregationis huiusmodi, vltra triennium in eorum Prioratibus & beneficiis confirmari nullatenus possint, perpetuo statuimus & ordinamus.

D. Prioratum de cætero nemini etiam S. R. E. Cardinali commendari interdicit.

§. 11. Et insuper ex nunc quascumque collationes & prouisiones, seu commendas, & quasvis alias dispositiones, de quibusvis personis, etiam S.R.E. Cardinalibus, de dicto Prioratu, etiam per Sedem Apostolicam pro tempore factas, nullius roboris vel momenti existere; & sic per quoscumque Iudices etiam eiusdem S.R.E. Cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi & interpretandi auctoritate & facultate, iudicari & definiri debere, necnon quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Executores huiusque concilis.

§. 12. Quocirca dilectis filiis Abbati Monasterij sancti Blasij & sancti Venantij, ac sancti Nicolaï de Fabriano, Camerinen. diœcesis, sæcularium, & Collegiatarum Ecclesiarum existentium Definitorum & Priorum, ac Rectorum, eorundem Ordinis & Congregationis, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra reuocationem, reductionem, approbationem, confirmationem, suppressionem, statutum, ordinationem & decretum prædicta firmiter obseruari, ac singulos, quos præsentes concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Contrarijs derogat.

§. 13. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Prioratus, & Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, necnon quibusvis priuilegiis, indultis, ac literis Apost. eidem Ordini, & illius locis & personis, in genere & in specie, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis & innouatis, etiam quod illis per quascumque literas Apostolicas quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, & insolitas clausulas in se continentes, derogari, nec derogatum censeri, nullatenus possit, nisi modis & formis in eisdem contentis derogatio huiusmodi facta fuerit disponentibus. Quibus omnibus etiam pro eorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, 12. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo.

Dat. P. A. 10. die 21. Mart.

XXXIX.

Impositio annui subsidij trecentorum millium scutorum, à subditis Status Ecclesiastici, annis singulis, quacumque exemptione non obstante, ad triennium, Reuer. Cameræ Apostolicæ persoluendi, omnibus extraordinariis exactionibus interim interdictis.

Exemptiones omnes à solutione onerum Cameralium reuocatæ fuerunt à multis Pont. & postremo à Paulo V. in sua const. 9. In maximis.

PAVLVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1542. & 1544. Exordium.

DEcens esse censemus, vt ij qui speciali priuilegio donati, cæteros antecellant, in supportatione onerum, illos adiuuent, qui fortè inferiores existunt, præsertim dum vrgens necessitas imminet, & exinde publica vtilitas resultare dignoscitur.

Impositio de qua in rubr. Tu scias adhuc eam ex eisdem causis durare.

§. 1. Nuper siquidem ad sustinen. expensarum molem hoc tempore, pro orthodoxæ fidei, ac Status S.R.E. tutela nobis incumbentem, subsidium 300. mill. scutorum auri in auro, annis singulis, per dilectos filios subditos dictæ Romanæ Ecclesiæ ad tres annos, proximè futuros Cameræ Apostolicæ persoluen. exigere; & interim ab augmento salis, ac omnibus aliis extraordinariis exactionibus abstinen. decreuimus. Prouinciæque nostræ Romandiolæ, Exarcatus Rauennæ, Marchiæ, Vmbriæ, Perusiæ, & Patrimonij, onus huiusmodi cum summa alacritate, ac fidei obseruantia acceptauerunt.

Reuocatio quarumcumque exemptionum. Ad hoc vide hic inf. declarationem.

§. 2. Et quia publice interest, exactionem huiusmodi fieri, volentes illam facilitare, ac reliquos subditos dictæ Romanæ Ecclesiæ ad illud soluen. promptiores reddere, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, tenore præsentium, statuimus & ordinamus, quod durante triennali contributione trecentorum millium scutorum huiusmodi, omnes & singuli S. R. E. subditi sæculares, etiamsi regimini ciuitatum & locorum præsint, ac Marchiones, Barones, feudatarij, personæ & officiales, & quiuis alij quacumque dignitate & excellentia præditi, & quantumcumque exempti & priuilegiati fuerint, ad soluen. ratam dictæ contributionis eis tangen. omnino teneantur, & ad id cogi & compelli possint. Nos enim quæcumque priuilegia, exemptiones & indulta illis concessa, ac consuetudines & iuris communis dispositiones in eorum fauorem facien. per triennium præfatum, quoad contributionem eandem, illis alias in suo robore permansuris omnino suspendimus, ac illis suffragari minime posse volumus.

Clausula sublata, &c.

§. 3. Decernentes sic per quoscumque, tam ordinaria quam delegata, & mixta auctoritate fungen. Iudices, personas, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vbique iudicari, cognosci ac decidi debere, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate; necnon irritum & inane, quicquid secus super his, à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quo

Deputatio executorum.

§. 4. Quocirca dilecto filio Guidono Ascanio Sfortiæ sancti Eustachij diacono Cardinali de Sancta Flora, Camerario nostro, quem super præmissis vltra ordinariam sui Camerariatus officij facultatem, Commissarium, & executorem nostrum generalem facimus, constituimus & deputamus, per præsentes committimus & mandamus, quatenus easdem præsentes & in eis contenta quæcumque, plenum effectum sortiri, & inuiolabiliter obseruari, mandet & faciat. Contradictores resisten. & rebelles, per censuras ecclesiasticas, & pœnas etiam pecuniarias, arbitrio suo infligen. & applican. & alia iuris remedia opportuna, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, priuilegiis quoque, indultis, ac literis Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter, vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

D. P. A. 9. die 2. Septemb.

Dat. Maceri, Albanen. diœcesis, sub annulo Piscatoris die secunda Septembris millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, Pontificatus nostri Anno 9.

Sequitur declaratio d. constitutionis quoad exemptiones.

Edita A. D. 1544.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Relatio supradictæ impositionis.

EX debito Pastoralis officij, ad ea, vt debemus libenter intendimus, per quæ prouide ordinata seruentur, & vt plenum sortiantur effectum, opem & operam impendimus efficaces. Dudum siquidem pro nostris & Apostolicæ Sedis necessitatibus, ac subditis nostris ab extorsionibus, & aliis grauaminibus, quæ per Commissarios Collectores onerum pro tempore impositorum eis passim inferebatur, opportune subleuádis, subsidium trecentorum millium scutorum auri in auro, annuatim, nobis & Cameræ Apostolicæ, triennio tantum durante, per subditos ipsos persoluendorum, imposuimus, & interim ab exactione augmenti pretij salis, ac quorumcumque aliorum onerum extraordinariorum abstinere decreuimus. Et vt facilius subditi ipsi subsidium huiusmodi præstare possent, per alias nostras in forma Breuis literas, voluimus & ordinamus, quod omnes & singuli exempti, & priuilegiati sæculares, vtcumque qualificati, ac contributionem subsidij huiusmodi omnino tenerentur, prout in dictis literis plenius continetur.

Declaratio quoad personas & bona exempta & non exempta.

§. 1. Cum autem postmodum, sicut accepimus, nonnulli ex priuilegiatis & præfatis, solutionem subsidij huiusmodi fugere volentes, causam & causas in Auditorio Rotæ, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & forsan aliis iudicibus & personis in Romana Curia & extra eam, certis sub prætextibus committi obtinuerint, & hoc modo subditos alios deuote & faciliter soluentes, contra mentem nostram litibus inuoluant, illosque gratia per nos eis concessa, quod exempti in præstatione subsidij huiusmodi, pro communibus necessitatibus, vt nos & nostros subditos præfatos à Catholicæ fidei hostibus, quos ita propinquos habemus defendere possimus, impositi, contra publicam vtilitatem retardatur, ac volentes vt par est, in præmissis opportune prouidere, motu proprio, & ex certa sciétia, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, quascumque causas desuper pendentes ad nos aduocamus, & lites penitus extinguimus, quoad ea quæ contributionem subsidij huiusmodi tangunt dumtaxat. Ac volumus, quod omnes & singuli exempti, & quantumcumque priuilegiati sæculares, etiamsi Curiales ciuitatis nostræ Maceraten. existant, & regimini ciuitatum præsint, ac Almæ Vrbis, & quorumcumque aliarum ciuitatum, oppidorum, & locorum, ciues vel quicumque nobiles, Barones, feudatarij, aut alias etiam priuilegio iuris in corpore clauso, exempti, & Capitulum, Collegium, vel Vniuersitas, aut Communitas sint, contributionem subsidij huiusmodi simpliciter, & omnino, Clerici vero pro bonis ad eos, ex parentum & propinquorum, vel aliorum successione delatis, vel per eos acquisitis, ac Clerici ipsi & Religiosi, pro fructibus & bonis mobilibus seque mouentibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum quorumcumque, sæcularium vel regularium, etiamsi Archiepiscopali, Episcopali, aut alia maiori dignitate præfulgeant, in gabellis, ad iuuandum, & facilitandum solutionem subsidij huiusmodi pro aliqua honesta parte dicti subsidij vniuersaliter impositis, vel imponi, aut augere permissis, dicto triennio durante, contribuere teneantur, & ad id cogi & compelli, iuris & facti remedijs necessariis & opportunis, possint & debeant, quibusvis exemptorum, clericorum & religiosorum huiusmodi, priuilegiis, exemptionibus, concessionibus, fauoribus, declarationibus, sententiis, gratiis & indultis, alias in suo robore permansuris.

Claus. sublata, &c.

§. 2. Decernentes sic & non aliter per quoscumque etiam dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Rotæ Auditores, tam ordinaria quam delegata, & mixta auctoritate fungentes, iudices & personas, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, vbique iudicari & definiri debere. Nos enim status huiusmodi, & quarumcumque aliarum etiam ante impositionem huiusmodi subsidij quomodolibet introductarum litium, & causarum, ac priuilegiorum, indultorum, literarum, & scripturarum quarumcumque, occasione præmissorum quomodolibet confectorum tenores, causas, & effectus, nomina & cognomina iudicum & colligitantium, aliaque etiamsi maiora sint expressis, de necessitate exprimenda, præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, irritum & inane decernimus, quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§. 3. Quocirca dilecto filio Guidoni Ascanio Sfortiæ sancti Eustachij Diacono Cardinali de sancta Flora sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, quem vltra sui Camerariatus officij facultatem super præmissis executorem generalem, cum plena & libera auctoritate & potestate quoscumque citandi, ac illis, quoties opus fuerit, etiam sub censuris & pœnis; etiam pecuniariis, arbitrio suo infligendis & applicandis, inhibendi, ac quæcumque dubia & difficultates, circa præmissa, vel eorum aliquod, ac illa vel subsidium huiusmodi concernentia, & vltra præsentium, & aliarum literarum nostrarum prædictarum tenores, tollendi & remouendi, & inuiolabiliter obseruari faciendi, facimus, creamus, constituimus ac deputamus, tenore præsentium, committimus & mandamus, quatenus præsentes literas & alias prædictas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicando, faciat illa plenum effectum sortiri, & inuiolabiliter obseruari, nec permittat quenquam contra illarum tenores, vel mentem nostram præfatam quomodolibet perturbari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, per prædicta & alia de quibus ei videbitur, iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariorum derogatio.

§. 4. Non obstantibus præmissis, & Apostolicis, ac Prouincialibus & Synodalibus constitutionibus & ordinationibus, statutis & consuetudinibus, & nouis reformationibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam per viam legis & statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus, editis, concessis, confirmatis & innouatis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 5. Nulli

Sanctio pœna-lis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ aduocationis, extractionis, voluntatis, decreti, factionis, creationis constitutionis, deputationis commissionis & mandati, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 10.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, Pontificatus nostri Anno decimo.

XL. De falsi, & decupli, aliisque pœnis Ministrorum Reuer. Cameræ Apostolicæ, & aliorũ rationes integre & fideliter non reddentium.

Ad hæc vide etiam const. 87. Pij IV. Cum inter lib. 2. vbi agitur, de modo has rationes reddendi, & iurandi.

Edita A. D. 1544.

PAVLVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Causa istius constitut.

CVm sicut accepimus, nonnulli prouinciarum Status Ecclesiastici Thesaurarij, Vicethesaurarij, mercatores, & nostræ seu Cameræ Apostolicæ ministri aliæque personæ, computa administrationum, Incarnationũ, affictuum partitorum, & exactionum reddere debentes, integra computa non exhibeant, partem introituum, & exactorum, sub diuersis prætextibus & coloribus retinen. putan. nil peius eis contingere posse, quam re detecta id quod penes eos fuerit, restituere.

Ministri Re. Cam. Apost. & alij integre computa reddere tenentur.

§. 1. Nos malitiæ huiusmodi occurrere, ac Indemnitati Cameræ opportune prouidere volentes, & vt præfati fideliter si non virtute saltem pœnæ timore procedere discant, Motu proprio &c. perpetuo statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli prænominati, & alij quicumque in Camera Apostolica computa reddere debentes, computa huiusmodi integre, videlicet integrum debitum, & integrum creditum describere debeant, nec audeant aliquid penes se vel eorum ministros, aut ab eis dependentes, retinere seu retineri facere, directe vel indirecte, quovis quæsito colore. Et si cõtingeret eos cogi per Cameram Apostolicam ad reddendum rationem de exactis vel administratis ante tempus finitum, vel durante exactione, debeant totum id quod tempore dationis rationis seu computorum, ad eorum vel ministrorum aut agentium suorum manus peruenit, integre describere, & tandem omnia diligenter ac fideliter gerere & adimplere.

Contrafacientium pœna.

§. 2. Et si secus factum fuerit in præmissis vel aliquo præmissorum, contrafacientes excommunicationis maioris, à qua nisi per nos vel Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo, absolui nequeant, ac periurij & falsi, necnon decupli cuiuslibet partiti crediti Cameræ omissæ, seu non solitæ irremissibiliter exigendæ, & dictæ Cameræ applicandæ necnon alias nostri arbitrij pœnas ipso facto incurrant, & ad decupli huiusmodi solutionem, prius & ante omnia, etiam non finitis vel solidatis computis, tanquam de re liquida, cum alia re minime compensanda, iuris & facti remediis cogi & compelli debeant, nec aduersus præmissa, excusationem aliquam eis suffragari volumus, cum nulla excusatio locum habeat in casu in quo quis tenetur integra computa dare, & totum receptum, vel ad manus eius, vel pro eo agentis, delatum in computis non describit.

Decretum irritans.

§. 3. Et sic per quoscumque &c. iudicari &c. sublata &c. necnon irritum &c. decernimus.

Sola sign. sufficit.

§. 4. Ac volumus quod præsentium sola signatura sufficiat, & vbique, tam in iudicio quam extra, fidem faciat, absque alia literarum expeditione.

Publicatio in Camera arctet omnes.

§. 5. Quodque pro lege habeantur & sint, & postquam præsentes, vel illarum transumptum in valuis Cameræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerint, omnes arctent, ac si eis personaliter intimatæ fuissent.

Claus. derog.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus, etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoque, indultis, ac literis Apostolicis, stylo Cameræ, contrariis vsibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Placet Motu proprio. A. *Papa subsc.*

Die 21. Aprilis 1544. suprascripta litera affixa fuerunt in Camera Apostolica per me Nicolaum de Mattheis Cursorem. Et die 21. Aprilis 1544. suprascriptus Motus proprius admissus fuit in plena Camera Apostolica publicatus & registratus ad perpetuam rei memoriam.

Michelangelus Collatinus.

XLI. Quod omnes officiales Vrbis, & ditionis Ecclesiasticæ mandatis Cardinalis S.R.E. Camerarij omnino parere debeant.

Amplissima est auctoritas & iurisdictio huius Camerarij, vt videre est in bullis quas tibi indicabo infr. in const. 65. Clem. VIII. In conferendis, lib. 3. vbi late notabo.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1544*

Exordium.

ROmani Pontificis præcellens auctoritas, S.R.E. Cardinales, illos præsertim quibus eius Romanæ Ecclesiæ cura specialiter est commissa, ampliori fauore prosequitur, ac desuper prouidet & disponit, prout temporum qualitate pensata, conspicit in Domino, salubriter expedire.

Camerarius & rerum Cameræ Apost. curam gerit, & Romani Pontif. personam repræsentat.

§. 1. Sane considerantes, quod iurium ac rerum Cameræ, Apostolicæ cura, illius Camerario pro tempore existenti specialiter est commissa, ipseque Camerarius, nostram & Romani Pontificis pro tempore existentis viuæ vocis oraculum habet, nostramque & dicti Pontificis personam in his repræsentat, & propterea conueniat, vt tam Almæ Vrbis Gubernator, Auditor Cameræ, ac Vicarius & Iudices Ordinarij, quam quicumque alij in Romana Curia, ac ditione eiusdem S.R.E. constituti, eiusdem Camerarij ordinibus & mandatis pareant & obediant, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine.

Idcirco eius mandatis ab omnibus ditionis Ecclesiasticæ officialibus obediri mandat.

§. 2. Volumus, statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, tam Almæ Vrbis Gubernator, Auditor Cameræ Vicarius, Iudices Ordinarij, quam alij quicumque Romanæ Curiæ, ac ditionis eiusdem Romanæ Ecclesiæ, dilecto filio nostro Guidoni Ascanio Sfortiæ S. Eustachij diacono Cardinali, moderno, & pro tempore existenti Camerario nostro, eiusque ordinationibus & mandatis perinde ac si à nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente emanassent, omnino parere debeant, & aduersus illa directe vel indirecte, modo aliquo venire nullatenus possint.

Quibus officialib. in casu contrauentionis pœnam infligit.

§. 3. Inhibentes dilectis filiis, modernis & pro tempore existentibus, eiusdem Almæ Vrbis Gubernatori, Auditori Cameræ Vicario, & aliis Iudicibus prædictis, sub excommunicationis, ac priuationis officiorum ac beneficiorum per eos pro tempore obtentorum, necnon aliis arbitrio nostro ipso facto, si secus egerint, incurrendis pœnis, ne contra præsentium tenorem modo aliquo venire aut facere, vel attentare audeant seu præsumant.

Camerario in præmissis plenissimam facultatem concedit.

§. 4. Ac mandantes eisdem Guidoni Ascanio, Cardinali & Camerario, vt pro præmissorum obseruatione, executione & implemento, omnibus & singulis prædictis, & quibus opus fuerit, præcipiat, mandet & inhibeat, illosque citet, cogat, & compellat, ac contra eos etiam manu regia, & alias prout sibi videbitur, procedat, cæteraque alia in præmissis & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, faciat & exequatur. Nos enim motu, scientia, & potestate similibus, eidem Guidoni Ascanio, Cardinali & Camerario, vltra eius potestatem & auctoritatem, in præmissis plenissimam licentiam & facultatem concedimus.

§. 5. Non

Quibuscumque non obstan.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac in Prouincialibus & Synodalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, ac literis Apostolicis Gubernatori, Auditori Cameræ, Vicario, & aliis Iudicibus prædictis, illorumque officiis, vel quibusuis aliis, in genere vel in specie quomodolibet, etiam motu proprio & scientia similibus, etiam contra præsentium tenorem quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis, etiam disponen. quod illis non nisi sub certis modo & forma derogari possit, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facien. plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 11. die 25. Nou.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, septimo Kal. Decemb. Pontificatus nostri anno vndecimo.

XLII. Prohibitio occupandi bona naufragantia in locis maritimis S. Romanæ Ecclesiæ, præmiique designatio illa recuperantibus, vel auxilium præstantibus.

Hoc primo statuit quoad regnum Britanniæ Hon. II. in const. 1. Charissimus sup. Et specialiter quoad hæc loca maritima S. R. E. habes Iul. II. const. 20. Roman. sup. eod. lib. Et cōtra huiusmodi occupatores rerum Christianorum naufragan. legitur quotannis bulla in Cœna Domini, quarum aliquas in hoc opere posui, & earum vltima est Pauli V. num. 63. Pastoralis, ibi videas.

Quo vero ad subditos Regis Hispaniarum naufragium patientes, habes propriam Pij V. sanctionem, num. 7. Cum nobis. lib. 2.

Edita A. D. 1545. & 1549.

PAVLVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Iulij II const. est hic indicata.

ACcepimus nuper, quod dudum, cum fel. record. Iulius Papa II. prædecessor noster plurimorum lamentabili querela didicisset, quibus Christi fideles maris periculis, se & eorum merces exponebant, vt Curiæ Romanæ & illius Curialium commodis, & mercibus per eos ad eandem Curiam mari aduectis prouideretur, &c.

Residuum præterii, quia bulla Iul. II. est sup.

Quæ ab illo Pont. innouantur.

§. 1. Cum autem, sicut ex plurimorum Ripæ & Ripettæ Almæ Vrbis nostræ mercatorum, ac etiam nautarum, non sine lamentabili querela, ac nostra molestia intelleximus, præinsertæ literæ à Iulio præfato prædecessore nostro editæ in abusum, in non modicum tam ipsorum mercatorum & nautarum, quam ciuium Romanorum, & Curialium, & dictam Vrbem incolentium, transiuerint. Quamobrem nos vestigiis eiusdem Iulij prædecessoris nostri inhærere volentes, Motu scientia, & potestate similibus, tenore præsentium, præfati Iulij prædecessoris nostri literas in omnibus & per omnia, ac sub pœnis & censuris de quibus in ipsis literis, & prout in eis continetur, quatenus opus sit, confirmantes & innouantes, illas ab omnibus ad quos quomodolibet spectat & pertinet, ac spectare & pertinere poterit in futurum, sub pœnis de quibus in eis inuiolabiliter obseruari mandamus.

Executio in quo demandatur.

§. 2. Et nihilominus dilectis filiis nostro Guidoni, Ascanio, S. R. E. Cardinali de Sancta Flora nuncupato Camerario nostro, necnon Præsidentibus & Clericis Cameræ Apostolicæ, ac Dominico de Nigris, ad præsens dictæ Ripæ Præsidenti, seu Camerario, modernisque & pro tempore existentibus, quatenus literas Iulij prædecessoris nostri præfati inuiolabiliter, prout in eis continetur, ab omnibus ad quos spectat, illas per edictum publicum denuo publicantes, & publicari in locis eis visis mandantes, inuiolabiliter obseruari mandent & faciant. Contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis fuerint, per pœnas & censuras, de quibus in eis, compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon priuilegiis & indultis quibusuis personis contra tenorem literarum Iulij prædecessoris huiusmodi forsan concessis, confirmatis & innouatis: quibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, quoad effectum præsentium, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 11. die 13. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 13. Martij, millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Pontificatus nostri Anno vndecimo.

Sequitur declaratio huius bullæ.

Edita A. D. 1549

PAVLVS PAPA III.
Motu proprio, &c.

Statuta Ripæ disponunt, quod recuperatores aut auxiliū præstantes recuperationi bonorum naufragorum, lucrentur quartam partem illorum.

ACcepimus per statuta nostræ Ripæ salubrem dispositionem factam extitisse, tenoris, quod si pro tempore mercatores seu nautæ mari nauigantes, & eorum naues & barcæ, vinis & aliis mercibus, rebus & bonis, pro vsu Curialium oneratæ, versus nostram Almam Vrbem, seu dictam Ripam ducentes, & miserabiliter casu inopinato, naues & barcæ huiusmodi sic oneratæ naufragium paterentur, nauesque & barcas huiusmodi naufragas, seu bona in eis existentia, aliqui ab eorum dominis & patronis ad id requisiti, per se ipsos recuperauerint, vel in recuperatione auxilium præstiterint, tales recuperatores & auxiliatores quartam partem bonorum, & rerum mercantilium huiusmodi in dictis nauibus & barcis, sic naufragium passis existentium, eorum ope & auxilio recuperatorum lucrarentur, & aliæ tres quartæ remanentes ad dominos & patronos dictarum nauium & barcarum, spectarent, & pertinerent; & hoc quidem per fel. rec. Nicolai V. prout in suis literis desuper confectis, & in libris statutorum dictæ Ripæ registratis, plenius continetur concessum fuisse.

Et Domini locorum, ad quæ naues naufragium patiebes perueniebāt bona occupabant, & ideo Nautæ ad Ripam venire recusabant.

§. 1. Accepimus etiam, quod temporis diuturnitate statutum, & gratia huiusmodi in dissuetudinem abierunt. Et Domini locorum & terrarum, siue temporales siue Ecclesiastici, ad quorum terras & loca, naues & barcæ huiusmodi propter naufragium perueniebant, illas ad se ipsos appropriabant, & illorum domini bonis propriis priuabantur; propter quod mercatores & nautæ eorum mercibus ad dictam Ripam venire se retrahebant, & sic nostræ Almæ Vrbi, & illius Curialibus non modicum præiudicium inferri videbamus.

Ideo hic Pont. bullam hic insertam edidit.

§. 2. Propterea huiusmodi inconuenientiis per aliam nostram gratiam proximè præinsertam opportune prouidimus, per quas si aliquam ex dictis barcis naufragium pati, vel propter violentiam maris ad loca prædicta casu peruenire, vel iactum bonorum alleuiandæ nauis gratia fieri pro tempore contingat, illis tantummodo, qui à dominis nauium, & barcarum illarum personis, curam & gubernium tantum habentibus super tali naufragio in auxilium vocati fuerint, huiusmodi personis, sic vocatis, si ab imminentis, & præsentanei naufragij periculo, aut bona iam deperdita recuperauerint, his casibus quartam partem bonorum, & rerum in huiusmodi barcis existentibus, & illorum auxilio siue opera sic recuperatorum concessimus & donauimus.

§. 3. Sed

Vbi quartam bonorum recuperatorum auxiliatoribus concessit.

§. 3. Sed quia in dicta præinserta gratia nostra non fit mentio specifica de dicta quarta parte bonorum, sed quod dictæ personæ sic vocatæ tantum, statuta & consuetudinem allegare possint continetur. Et propterea etiam accepimus, quod nonnulli iudicant, & dictam nostram gratiam praue intelligentes, ad personas etiam non vocatas extendunt, & sic intelligi debere prætendunt, & illam non habere locum, nisi in casibus meri naufragij, & iactus, sed si naues & barcæ huiusmodi integræ vi tempestatis ad litus maris peruenerint, & terram dominorum aliquorum peruenerint & attigerint, maxime si pro officialium ipsorum præsentium, & iussum eorum dominorum nomine sit illis auxilium præstitum, tunc præstari debere, loci consuetudine debere allegant, & sic intelligi debere satagunt.

Et modo d. concessionem declarat.

§. 4. Nos volentes inconuenientiis huiusmodi obuiare. Motu proprio, & ex certa scientia, ac plenitudine potestatis declaramus nostræ intentionis in concessione præinsertæ nostræ gratiæ fuisse & esse, quod tantummodo vocati & requisiti ab illis dominis & personis pro prædictorum recuperatione quartam partem, pro modo bonorum & rerum recuperatarum, in dictis nauibus, siue barcis, sic naufragium passis, alleuiatis, siue aliter ad litus integre peruentis, & arenæ commissis, vel alio inopinato casu deperditis, existentium, & eorum opera & industria, ac auxilio eum prædictis mercibus recuperatis lucrentur, si tamen prædictæ recuperationi actualiter cum eorum personis, non per præsentiam tantum incubuerint & recuperauerint, (aliis personis siue dominis locorum quocumque titulo nuncupatis, siue Cardinales S.R.E. & prædictorum locorum officiales, & aliæ quæcumque personæ priuatæ, siue Ecclesiasticæ siue sæculares sint, vel pro tempore fuerint, penitus exclusis) alias autem tres quartas remanentes, fuisse & esse, ac restitui & remanere debere ipsorum dominorum, vt prius fuerant. Et pro pleniori firmamento de nouo talibus personis tantummodo, & forma quibus supra & non aliter, quartam illam pro modo & rata bonorum recuperatorum, à die dictæ præinsertæ gratiæ naufragium passorum, siue alleuiatorum, vel aliter integre ad litus peruentorum, & in futurum perueniendorum, alleuiandorum, & naufragium patiendorum, quoquo modo donamus, ac capiendi facultatem concedimus.

Occupatores autem puniri iubet.

§. 5. Alias vero personas, modo & forma præmissis non vocatas, quacumque dignitate, etiam Cardinalatus honore, & dignitate fulgentes, & Ecclesiast ca dignitate insignitas, quorumcumque locorum vel terrarum, mediate vel immediate sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectorum fures, raptores, latrones, & rebelles sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ esse censemus; ac pœnis & censuris, iuxta seriem & tenorem præinsertæ gratiæ aliarum literarum puniri mandamus. Decernentes irritum & inane, quicquid in contrarium attentari contigerit in futurum.

Clausula præseruatiua.

§. 6. Volumus etiam quod præsenti nostro motui proprio per quamcumque nostram signaturam, etiam motu proprio emanatam, & in futurum emanandam, etiamsi de eorum clausulis derogatoriis mentio fiat, nisi illius expressa mentio de verbo ad verbum habeatur, nullatenus derogatum censeatur.

Executorum deputatio.

§. 7. Præcipientes Clericis Cameræ Apostolicæ, Gubernatori, Auditoribus sacri Palatij, Senatori Vrbis, Cameræque nostræ Auditori, ac quibuscumque officialibus, & iudicibus, quavis auctoritate fungentibus, quatenus in præmissis, dominis & patronis, seu nautis nauium & barcarum, sic naufragio oppressarum, aduersus quascumque personas, etiam Ecclesiasticas, aliterque, vt præfertur, se gerentes, assistant, & pœnis dictis afficiant, cum inuocatione brachij sæcularis, quatenus opus fuerit.

Clausula derogatoria.

§. 8. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon priuilegiis & indultis ipsorum locorum, statutis & consuetudinibus quas tanquam corruptelas, & abusus iudicamus, indultisque quibuscumque personis specialiter concessis quibuscumque; aliisque in contrarium facien. non obstan. omnium præmissorum tenores & formas pro expressis habentes.

Fiat vt petitur. A.

Sola signatura sufficit.

§. 9. Et Quòd præsentis motus proprij sola signatura sufficiat, & ipsius simplex exhibitio & allegatio sufficiat, ac si esset in corpore iuris & aliarum iuris Canonici constitutionum clausa, attento; quod in fauorem Ripæ, & illius mercatorum.

Fiat. A.

Dat. P. A. 15. die 15. Mart.

Datum Romæ apud S. Marcum, id. Martij, anno nostri Pontificatus decimoquinto.

Visa Iulius Cam. Apostol. Decanus, & Riparum Præsidens.

Familiares & seruitores Prælatorum Romanæ Curiæ, salarium, & stipendium pro biennio tantum, & infrà annum à die obitus illorum petere possint. XLIII.

Confirmatur & declaratur ista constitutio à Pio V. in constitut. 15. Sanctissimus, vbi videas de prælatione harum familiarium, & aliarum creditorum.

PAVLVS PAPA III.
Motu proprio, &c.

Edita A. D. 1545.

Causa constitutionis.

CVm sicut nobis nuper innotuit, sæpius contingat, vt decedentibus Cardinalibus, & venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Referendariis nostris, necnon causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & Clericis Cameræ Apostolicæ Præsidentibus, ac literarum Apostolicarum de maiori præsidentia Abbreuiatoribus, qui vt plurimum notabilem familiarium & seruitorum numerum tenores consueuerunt, familiares, & seruitores præfati contra eorum patronos iam defunctos insurgentes salaria & stipendia eorum familiaritatis & seruitutis pro toto tempore quo eorum familiares extiterint, seu illis inseruiuerint, etiam quod de eis sibi satisfactum sit, etiam longo tempore post obitum ipsorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Referendariorum, Auditorum, Clericorum, Præsidentium, & Abbreuiatorum, petant & efflagitent, ac quandoque eorum hæredes, qui vt plurimum de his non sunt informati, super salariis & stipendiis huiusmodi etiam iudicialiter impetant & molestent, in ipsorum hæredum perturbationem & non modicum detrimentum.

Sanctio de qua in rub.

§. 1. Nos attendentes, Patriarchas, Archiepisc. Episc. Referendarios, Auditores, Clericos, Præsidentes, & Abbreuiatores præfatos, vtpote aliis maioribus negotiis distractos, vt plurimum rationes & computa salariorum & stipendiorum, familiarium & seruitorum suorum in scriptis non redigere, & propterea eos non facile, sed etiam difficile eorum hæredes, de solutione salariorum & stipendiorum huiusmodi fidem facere posse: & insuper verisimile non esse, vt qui pro mensuali salario & stipendio aliis inseruiunt, exactionem eorum salariorum & stipendiorum vltra integrum annum differant: Volentes fraudibus, quæ in præmissis fieri possent, occurrere, Motu proprio &c. statuimus & ordinamus, quod de cætero nemo cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existat, ab hæredibus Cardinalis alicuius, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Referendarij, Auditoris, Clerici, Præsidentis, vel Abbreuiatoris defuncti, cuius familiaris extiterit, seu cui inseruiuerit, salarium seu stipendium familiaritatis, seu seruitutis suæ plus quam pro integro biennio post annum à die obitus quam pro integro biennio post annum à die obitus eius patroni, petere aut exigere, seu desuper hæredes præfatos quouis modo, in iudicio vel extra, impetere vel molestare possit.

Contra quam iudicari non posse decernit.

§. 2. Districtius inhibentes modernis & pro tempore existentibus Almæ Vrbis Gubernatori, & Curiæ causarum dictæ Cameræ Auditori, ac nostro in eadem Vrbe & eius districtu, in spiritualibus Vicario generali, necnon

necnon Senatori, ac quibusuis aliis, tam dictæ Vrbis quam quarumcumque aliarum ciuitatum, terrarum & locorum, iudicibus & officialibus, ne familiares & seruitores præfatos super exactione salariorum & stipendiorum huiusmodi biennij, post annum à die obitus ipsius defuncti lapsum audire, aut ad eorum instantiam, contra hæredes præfatos, quovis modo procedere, aut ius dicere præsumant. Ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obst. §. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Vrbis, ciuitatum, terrarum & locorum huiusmodi, etiam iuramento, &c. statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Papa subscr. Placet Motu proprio. A.

Publicatio Const. An. 11. die 22. April. *Lectum & publicatum fuit statutum & ordinatio Romæ in Cancellaria Apostolica, anno incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, die vero Martis vigesima prima mensis Aprilis, Pontificatus S.D.N. Papæ anno vndecimo.*

XLIV. Iurisdictio ac facultates Prælatorum & officialium Visitationis Carcerum Almæ Vrbis; Et ordinationes ab eis obseruandæ.

Confirmauit hæc omnia Pius IV. in const. 58. Cum ab ipso. Et declarauit Pius V. in sua const. 68. Reuerendi. Multaque postremo edixit Paulus V. in const. 71. Vniuersi in §. 23. & 24.

Horum autem Carceratorum subuentionem, nedum curat Archiconfraternitas Charitatis, de qua supra in cōstit. 37. Leon. X. Illius sed etiam Archiconfraternitas Pietatis, de qua infra in const. 56. Greg. XIII.

Quoad Gubernatorem Vrbis attende quæ addidi ad Leon. X. constit. 8. Etsi pro sup. tit. 1.

Edita A. D. 1548.

IVLIVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD onus Apostolicæ seruitutis superna dispositione vocati, si omnium Christi fidelium, & præcipue pauperum, ac miserabilium personarum iura illibata seruari, & ab omni grauamine & dispendio illæsa fore cupimus, & ad id libenter nostræ sollicitudinis studium adhibemus, multo magis equidem, pro carceratis & pauperibus in Alma Vrbe nostra commorantibus protegendis, ex iniuncti nobis officij debito Apostolicæ prouisionis partes tenemur impendere, ne indebitorum oneruro & grauaminum iniurias subeant, & detrimenta patiantur.

Statuta inserta, ex causis hic expressis illo Pont. seruari iubet. §. 1. Prauas itaque, detestabiles & illicitas improborum cupiditates, ex quibus nostris subditis, & pauperibus damnosa possent prouenire dispendia, tollere cupientes, leges, decreta, & statuta infrascripta, quorum aliqua per fel. rec. Clementem prædecessorem nostrum, pro eorundem pauperum, & carceratorum commodo, ad perpetuam rei memoriam, Motu proprio, ex certa scientia, & potestatis plenitudine prouisa, & salubriter edita fuerunt, motu, scientia, & potestate similibus, in omnibus & per omnia, vt inferius describuntur, obseruari debere hac in perpetuum valitura lege statuimus, & mandamus. Decernentes irritum & inane quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis etiam priuilegiis & constitutionibus, (illorum omnium tenores pro latissime expressis habentes) non obstantibus quibuscumque. Quæ intimari & in locis publicis appendi volumus.

Carcerati quādo gratis relaxandi. §. 2. In primis quod quoties aliquis siue mandato Officialium ad quos spectat capitur, præterquam si in flagranti crimine reperiatur, vel etiamsi cum mandato captus, si culpabilis non sit repertus, vel Iudicia purgauerit, vel si iudici qui eum capi fecit, etiam extra Visitam, aut si Præsidentibus Visitæ ex aliqua causa rationabili videretur, gratis sine aliqua capturæ, & carceris solutione, & sine manu executorum libere relaxetur. Et si ad alicuius instantiam iniuste captus reperiatur, ipsius expensis captura, & carceris solutio fiat, & si à Barisello vel executoribus contra præmissa aliquid exactum fuerit, capto restituantur ad omnem eius petitionem. Et in omnibus prædictis casibus iudices in mandatis de relaxando, sub maioris excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, debeant apponere, vt gratis vbique relaxentur. Neque possit aliquid à carceratis præfatis exigi sub prætextu quod ab his qui eos iniuste capi fecerunt, recuperare poterunt. Sed executores, & carcerum custodes debitas sibi mercedes ab illis exigant, qui iniuste carceratos detineri procurarunt. Dictique Iudices omnes impensas, etiam pro alimentis per præfatos carceratos factas, eis etiam manu regia ab eisdem qui eos indebite capi, & detineri instituerunt, restitui & refici faciant.

Capti tanquam testes quomodo relaxandi. §. 3. Capti etiam pro informatione curiæ tanquam testes, nihil capientibus, soluant, nec in carceribus publicis, aut secretis aliquo modo ponantur, sed incontinenti per iudices examinentur; examinati ad sua negotia facienda relaxentur, alioquin Iudices pro qualibet vice pœna decem ducatorum pro subuentione carceratorum tantum applican. mulctentur, nisi Gubernatori, Auditori, Vicario, vel Senatori, eos carcerandos fore videretur ex causa quam Visitatoribus iustificare teneantur. Et prædictis alimenta necessaria quandiu in carceribus detinebuntur ab instigatore vel fisco præsteotur.

Carcerati infra triduum examinentur & deinde vel dimittantur, vel ponantur ad largam. §. 4. Dictique Iudices captum pro quovis crimine, in secretis carceribus vltra triduum antequam examinetur retinere nullo modo possint, sed infra triduum carceratum huiusmodi examinent, & iuxta iuris dispositionem, aut relaxent, si innocens reperiatur, vel ponant ad largam, vel in dictis secretis carceribus, prout facti qualitas expostulat, retineant; alioquin custos in prima Visita id Visitatoribus manifestare teneatur, sub pœna decem ducatorum applicandorum, vt est supra scriptum: nisi de mandato nostro aliter fuerit ordinatum, de quo mandato ipsi Iudices Visitatoribus fidem facere teneantur, vel si dicti Iudices ex aliqua iusta causa aliter faciendum Visitatoribus notificauerint.

Sine indiciis nemo capiatur nisi de mandato Gubernat. *Ad hoc, & seq. vid. Pauli V. constit. cit. in rubr.* §. 5. Iudices prædicti sine legitimis indiciis præcedentibus neminem capi mandent, nisi Gubernatori ex legitima causa aliter visum fuerit: & tunc si capiendus sine indiciis sit aliquis, docatur ad præsentiam eiusdem. Qui Gubernator instigatorem faciat cauere de damnis, iniuriis, & interesse, & prout qualitas personæ carcerandæ expostulat, vel cogat eum ad cauendum de se præsentando, vel mittat ad carceres arbitrio suo. Verum si infra biduum indicia non superuenerint, relaxetur.

Indiciorum copia detur ante torturā, nisi in criminib. exceptis. §. 6. Captum vero quemcumque, ante torturam, seu antequam torturæ subiiciant, ad purgandum indicia contra eum laborantia legitime admittant, data indiciorum copia in forma boni extractus, & non registri, cum expressione nominum testium, ad hoc vt inquisitus possit se defendere, præterquam in crimine hæresis, & aliis criminibus à iure exceptis, iuxta tamen iuris dispositionem, Et si indicia purgata non fuerint (super quo tamen prius audiatur aduocatus pauperum, vel alius quicumque ad libitum ipsius rei) tunc torquendum continuato actu torturæ, non autem in tortura per longum temporis spatium vnius aut plurium horarum, aut ad extraneos actus, etiam prandij aut cœnæ, diuertendo detineant, sed prout facti, & torquendæ personæ qualitas expostulat, incontinenti expediant: & examinatores claris verbis vtantur ad reperiendum veritatem non ad implicandum constituti intellectum.

Et nemo torqueatur non legitimato processu. §. 7. Et nullus torqueatur, nisi legitimatis prius indiciis, & testibus pro indiciis, examinatis repetitis: carceratis, & procuratore pauperum, in legitimatione & repe-

TTt tione

titione citatis : & pauperibus arbitrio iudicum, de quorum mandato detinebuntur, iudiciorum copia gratia tradatur, vel processus cum iudiciis aduocato pauperum, sine aliqua impensa ostendatur. Etsi procurator fiscalis ad dandum interrogatoria citatus, illa infra terminum in citationibus contentorum non dederit, testes pro carceratorum defensione examinari sine interrogatoriis debeant.

Captus pro vno crimine, non interrogetur super alys sine indicys.

§. 8. Iidem Iudices captum pro vno crimine, super aliis de quibus iudicia aliqua non habent, nullo modo interrogare præsumant: sed tam in his quam alias in omnibus occurrentibus iuris communia dispositionem seruare teneantur, & debeant, ac Iudices qui processerunt, dum causam in Visita proponent, habeant secum processus, vt Visitatores intelligant & videant carceratum minus vel plus debito non grauari.

Verba rei, scribantur per notarium illius idiomatis, quo prolata fuerunt.

§. 9. Ac insuper ne literarum ignari ex mala notariorum in latinum translatione, quandoque indebite damnum patiantur, decernimus quod verba super quibus interrogatus reus, eo modo quo ipse illa profert, in latinum si latine proferat, vel vulgari sermone per notarium scribantur: & si reus loquatur in volgari adhibeatur notarius illius linguæ, vel idiomatis cuius est reus, vel cum interprete illius linguæ.

Indiciorũ copie dentur in modum extractus.

§. 10. Etsi contingat reum indiciorum copiam petere velle, iidem notarij per modum extractus, & non registri, & literis minutis, & currentibus, & pro quolibet margine pleno triginta versus continente, tradant, ac pro quolibet centenario cartarum scriptarum non plus quam quinque ducatos recipiant, & sic pro rata in minori vel maiori cartarum numero, sub pœna prædicta irremissibiliter exigenda, & applicanda, vt præmittitur.

Registrum fiat actorum transportatorum.

§. 11. Si vero ad alium iudicem acta forent transportanda, tunc fiat registrum, & soluatur prout in curia eadem solui consueuit pro quolibet centenario foliorum registri.

Innocens nihil soluat.

§. 12. Et si aliquis carceratus innocens reperiatur, & pro sua innocentia debeat relaxari, nihil ab eo in aliqua curia, etiam occasione cuiusvis affictamenti exigatur.

Custodes Carcerum seruant decreta Cameræ.

§. 13. Custodes vero carcerum decreta Cameræ alias edita seruare teneantur. Turris Nonæ, pro quolibet clerico vltra carlenos veteres sex pro laico vltra tres. Custos Turris de Sabellis, vltra duos carlenos similes indifferenter, tam pro clerico, quam pro laico, etiam pro excarceratione vel liberatione non exigat. Et si vltra mensem sine culpa carceratorum ibi detineantur, nullo modo publicatio fiat, prout hactenus obseruatum fuit.

Executores idem faciant.

§. 14. Simili modo Barisellus, Marescalli, & Executores, pro mercede sua executionis decreta dictæ Cameræ seruare teneantur, sub pœna viginti quinque ducatorum pro qualibet vice incurrenda, & vt supra applicanda.

Carceratorũ cibatio.

§. 15. Pro honesta cibatione vltra vnum carlenum similem non exigant, ita tamen quod pro qualibet vice cibandi vltra dimidium carlenum non capiant, vt si de mane tantum cibatus fuerit, vel de sero dimidium, vt præmittitur. Verum pro temporis qualitate soluatur minus vel plus, dummodo non excedatur vnus grossus pro qualibet vice cibandi. Si vero nullo modo cibati fuerint, etiamsi in carceribus aliquibus diebus in secretis detenti sint, nihil exigatur. Detentus vero in larga faciat sibi expensas modo suo, & carcerum custodes non possint carceratos alimentorum expensas non soluentes vltra quinque dies in cameris detinere; quibus elapsis in publicis carceribus ponant.

Custodes præsentent Visitatoribus detentos in publicis, & notificent detentos in secretis.

§. 16. Teneantur dicti custodes tempore visitæ omnes carceratos, nemine excepto, Visitatoribus præsentare, & in secretis detentos nuntiare in scriptis, & postquam fuerint examinati, finito examine præsententur, & hoc sub pœna præmissa decem ducatorum pro qualibet vice contrauentionis.

Arresta dentur per iudicem, de cuius mandato est aliquis carceratus.

§. 17. Et insuper dicti iudices carceratos per alios non arrestent in carceribus, sed si aliam causam habent contra carceratum, significetur iudici de cuius commissione fuit carceratus, & ille in omnibus procedat contra carceratum, præter Gubernatorem, qui possit arrestare ex causa delationis armorum. Item si aliquis iudicum commisisset mandatum de capiendo aliquem, antequam Gubernator, vel alius ex dictis Iudicibus illud commiserit, nullus alius iudex possit de illo se impedire, dummodo in libro actorum constet de commissione talis mandati, & sub eadem die.

Significationes seruentur per duos menses.

§. 18. Item significationes factæ per Gubernatorem, vel alios iudices data idonea cautione seruentur, per omnes per duos menses, lapsis duobus mensibus non seruentur.

Pro eadẽ causa vnum Iud. carcerat.

§. 19. Item carceratus pro aliqua causa per vnum iudicem, eo relaxato, possit per alios iudices pro noua causa carcerari, sed non pro eadem, nisi de mandato nostro, aut Camerarij.

Visitatio singulis hebdomadis fiat.

§. 20. Item quod singulis hebdomadis Visitatores carcerum visitent omnes carceres semel in hebdomada, vel saltem bis in hebdomada duos carceres, nisi impediti fuerint; & relaxandos relaxari faciant statim ante recessum à visita.

Eius resolutiones attendantur.

§. 21. Idem id quod per commune Visitatorum votum deliberatum fuerit, firmiter obseruetur, & executioni mandetur; & custos carcerum eis parere debeat, sub pœna decem ducatorum, vt præfertur, applicanda, non obstantibus tertij contradictione, vel inhibitione, nec contradicenti, & allegandi post præstita vota fore mandatum nostrum vel Camerarij, nisi illud exhibeat, credatur sed omnino relaxatio fiat.

Relaxãdi ex decreto Visitæ non possunt arrestari.

§. 22. Item quod facto decreto de relaxando, custodes non retineant carceratum vigore alicuius arresti, nisi fuerit subscriptum ad minus manu duorum Visitatorum.

Compositionũ pecunia deponantur.

§. 23. Item facta compositione, omnes pœnæ consignentur penes depositarium nostrum, distribuendæ & soluendæ per mandatum nostrum, vel dicti Camerarij.

Eleemosyna quomodo distribuantur.

§. 24. Item quod custodes carcerum non possint aperire capsas eleemosynarũ pauperum carceratorum sine præsentia alterius ex procuratoribus dictorum pauperum; & illæ pecuniæ non dentur magistris domus carceris, sed dispensentur inter illos qui non habent modum viuendi per eundem magistrum, cum interuentu Capitanei carcerum, & vnius ex procuratoribus pauperum.

Capti omnes ad carc. publ. ducantur.

§. 25. Item capti ex cuiusvis mandato non ducantur ad alium locum, nisi ad publicos carceres, ad quos Visitatores causa Visitæ accedere solent, aut ad Castrum S. Angeli de speciali mandato nostro.

Significationes concessæ à Reuer. Cam. seruentur.

§. 26. Habentes significationes siue moratorias à Camera Apostolica concessas propter paupertatem, & præstita cautione, etiam sint obligati in forma Cameræ, ad instantiam quarumvis personarum priuatarum non molestentur auctoritate seu mandato alicuius iudicis, sub pœna arbitrio Cameræ declaranda.

Infirmi pro debito carcerati quando relaxandi.

§. 27. Infirmi carcerati, si pro debito ciuili detinentur, facta fide per duos medicos de infirmitate graui, ita quod sit periculum vitæ præstita cautione de redeundo recuperata sanitate, relaxantur. Si vero pro causa criminali ex qua veniret imponenda pœna mortis, si iam sit confessus vel conuictus, vel pro aliis criminibus minoribus, præstita cautione idonea, liberetur vt supra. Et si sit pauper, qui eam non reperiat, consignetur hospitalis Guardiano, qui quam primum conualescet, præsentare teneatur.

Bona reperta penes carceratum, custodiem.

§. 28. Bona, vel pecuniæ quæ reperiuntur in posse carceratorum, consignentur cum inuentario facto in præsentia carcerati, & coram duobus testibus custodi carcerum; qui teneatur restituere integre ad mandatum iudicis, qui eum capi fecit.

Custodes quid ab arrestantibus recipiãt.

§. 29. Custodes carcerum non exigant, nec sponte recipiant ab arrestantibus carceratos, vltra quam exigatur à carcerato pro relaxatione.

Barisellus nõ petat quicquã pro exploratoribus.

§. 30. Barisellus non exigat aliquid à carceratis ratione expensarum, quas dicit se fecisse pro exploratoribus.

Triremes bis in anno visitanda.

§. 31. Triremes visitentur bis in anno, & facta visitatione fiat verbum nobis; vel Pontifici pro tempore; & relaxandi ex mandato Visitatorum sine mora per

Capitaneum

Capitaneum triremium relaxentur, sub pœna amissionis salarij.

Carcerati quomodo transportan.

§. 32. Carcerum custodes carceratos ad alios carceres sine iudicum de quo mandato detinentur licentia, transferre, nec à carceratis aliquid exigere, dum pro stipulanda aliqua obligatione per carceratos facienda eos à carceribus extrahunt, vel à compedibus liberant, non possint.

Executorum merces.

§. 33. Mareschalchi, cæterique executores, in causis ciuilibus & criminalibus Capitolij tabulam obseruent. Et pro quibusvis executionibus realibus & personalibus, vsque ad summam quinque ducatorum, carlenum vnum, vsque ad decem, duos, vsque ad quinquaginta, quinque, & ab inde supra, quæcumque fuerit summa, ducatum vnum, & non vltra exigant. In executoribus vero pœnæ capitalis vel sanguinis, ducatum vnum. In casibus vero, in quibus eis quarta pars pœnarum secundum statuta debetur, si ex gratia pœnæ moderentur, etiamsi post executionem gratiam fieri contingat, quartam tantum eius recipiant, quod ex gratia soluitur. Barisellus vero in ciuilibus etiam illam obseruet. In criminalibus autem, & extra Vrbem in ciuilibus & criminalibus, in tantum capiat, quod per Cameram Apostolicam seu Gubernatorem fuerit ordinatum, vbi inter eum & partes dissensio super hoc foret. Pro mandato de relaxando in curia Gubernatoris, in causis criminalibus, non tamen grauioribus, soluatur notario tertia pars vnius Iulij, & pro sigillo carlenus vnus.

Carcerati quando pro carcere nihil soluant.

§. 34. Carcerati qui non acceperunt copiam processuum, non teneantur aliquid pro carceribus soluere.

Nemo pro iniurus, &c. carceretur.

§. 35. Pro iniuriis verbalibus, & altercationibus sine armis, vel sanguine factis, & in causis ciuilibus non excedentibus summam quinque ducatorum, & in similibus aliis rebus minimis, nemo carceribus mancipetur.

Pauperes vel condemnati non soluunt propinas.

§. 36. Pauperes qui per sententiam absoluuntur, & diuites qui condemnati fuerint, pro nota sententiæ, nec pro iudicum propinis, nec quibusvis iuribus Fiscalibus aliquid soluere teneantur.

Carcerati Ripæ & Burgi, vbi visitandi.

§. 37. Carcerati in Ripa, in Visitatione Capitolij, Carcerati vero in Burgo, in visitatione Turris Nonæ, præsententur. Et visitationem Camerario Ripæ, & Iudici Burgi, per procuratores pauperum, Capitolij, & Turris Nonæ intimentur.

Papa subsc.

Placet, & ita mandamus. A.

Sequitur deputatio executoris præced. constit.

Edita An.D.

PAVLVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Relatio præced. const.

CVm alias nos, &c.

Omittitur residuum bullæ, quia tota est, quæ præcedit.

Executor istius constit. deputatur Clericus qui pro tempore est carcerum Præsidens.

§. 1. Et pro præmissorum, omnium & singulorum obseruatione, & executione committimus & mandamus Episcopo Torcellan. Cameræ nostræ Apostolicæ Clerico, & ad præsens carcerum præfatæ Vrbis Visitatori, & pro tempore eorundem carcerum alteri Clerico, per eandem Cameram deputando, vt decreta prædicta per quoscumque eiusdem Vrbis iudices, notarios, executores, carcerum custodes, & alios ad quos pertinet, in omnibus & per omnia inuiolabiliter obseruari mandet, & faciat cum effectu; ac contrauenientes & inobedientes quoscumque, per censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias, ac priuationis seu suspensionis ab officio, necnon carceris, & alias etiam personales, de quibus ei videbitur, pœnas, illas etiam aggrauando & reaggrauando, mandata executiua desuper decernendo, ac brachium sæculare exercendo, quacumque appellatione postposita, coërceat & compescat, pœnasque prædictas exigat, & imponat, ac exigi & imponi faciat & mandet, tam ex eius officio, quam ad instantiam Aduocati & Procuratorum pauperum pro tempore existentium, eum facultate citandi & inhibendi, aliaque faciendi & exequendi, quæ in præmissis & circa præmissa fuerint necessaria & opportuna.

Clausula derogatoria.

§. 2. Præmissis, necnon constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, & indultis quomodolibet, etiam vim contractus habentibus, & ex causa quantumcumque onerosa, concessis & confirmatis, quorum tenores pro expressis haberi volumus, perinde ac si de verbo ad verbum, de illis indiuidua mentio facta esset, quibus specialiter & expresse derogamus, quatenus præmissis decretis & ordinationibus obstent, cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Papa subsc.

Placet Motu proprio. A.

Videat Reuerendiss. Card. Camerarius. A.

Admissio Camerarij & Cameræ P.A. 14. die 4. Iul.

Approbata fuerunt à Camerario, & approbata in Camera die 4. Iulij 1548. Pontificatus S. D. N. Pauli, diuina prouidentia Papæ III. anno decimoquarto.

Indulta Mercatorum vtriusque Ripæ Vrbis, circa prioritatem & potioritatem suorum creditorum ripalium, & circa dilationes & moratorias eorum debitoribus non concedendas. XLV.

Quoad primam partem, vide extensionem in Pij IV. const. 25. Cupientes, & Greg. XIII. const. 88. Cum alias.

Iurisdictionem autem Iudicum earundem Riparum, habes hic sup. in constitut. 6. Cum nobis. & Clem. VII. const. 4. Nuper.

Edita An.D. 1547.

PAVLVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Horū Pontif. constitutiones non posse, vbi hic plene, relatas, in quibus cauetur, debitoribus ripalibus dilationes non concedi.

CVm postquam fel. record. Innocentium Octauum, Leonem Decimum, Clementem Septimum, Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos etiam publicam vtilitatem præ oculis habentes, mercatores in Ripa & Ripetta Vrbis commercia exercendi promptiores, ad vinum, frumentum, & alias merces pro vsu, & commodo incolarum, & curialium Vrbis necessarias, per mare & terram, ad eandem Vrbem adducendas, & conuehi faciendas reddere studentes, eis inter alia priuilegia indultum, ac concessum fuit, ne sub prætextu moratoriarum, salinariarum, cessionis bonorum dilationis quinquennalis, aut quarumvis commissionum, etiam à nobis desuper diuersis Romanæ Curiæ iudicibus extortarum per debitores ipsorum occasione huiusmodi commerciorum venditorum, crediti sui, & pretij inde prouenientis exactio retardaretur, seu quomodolibet impediretur, expresseque Camerario Ripæ & Ripettæ præfatæ pro tempore mandatum, vt moratoriis & aliis præmissis non obstantibus, debitores sic morosos, ad satisfaciendum & soluendum præfatis mercatoribus compelleret, aliaque faceret, & prout in diuersis desuper signatis motibus propriis, quorum tenores & compendia veriora pro plene expressis hic haberi volumus, latius continetur.

Quidam priuilegiati hoc indultum eis non obesse prætendebant.

§. 1. Accepimus nuper nonnullos cauillosiores debitores, quod vna via reperitur prohibitum, alia extorquere satagentes, clericos, seu alios magis priuilegiatos existentes, contra se præmissa indulta & priuilegia locum non habere prætenden. beneficium decretalis, Peruenit, seu decretalis, Odoardus, impetrasse quotidie, prætextuque commissionum à nobis desuper extortarum, ac admissionum sibi illatum vigore concessarum per diuersorum Rom. Curiæ iudicum sententias, quæ etiam in rem transiuisse iudicatam dicuntur, & beneficia præfata defraudasse eosdem mercatores; quo fit vt alibi etiam quam coram dicto Camerario ordinario eorum iudice, propter fraudes has excogitatas, ad diuersa tribunalia huiusmodi contra formam dictæ Ripæ constitutionum pro credito suo litigare coguntur. Necnon quod etsi laudabili hactenus, & inueterata consuetudine fori eiusdem Ripæ introductum fuit, quod

mercatoribus eisdem, qui mercimonia prædicta, vt plurimum pretio minime præsenti interueniente, sed ad diem soluendo vendentes, notariosque præsto non habentes, seu alias pro maiori ipsorum commodo merces sic venditas aliter describi curare, nisi in eorum, & proxenetarum Ripalium libris conscripti non sunt, scriptura & adnotatio ad probandum & consequendum creditum eorum, in iudicio & extra sufficiant, nihilominus à certo tempore citra ob frequentes debitorum decoctiones, ortis litibus, & quæstionibus inter dictos mercatores, ac alios eorundem debitores decoctorum creditores, instrumenta publica etiam in ampliori forma Cameræ Apostolicæ habentes, super discussione ac prioritate in bonis debitorum coram variis iudicibus aduersus consuetudinem huiusmodi in dubium reuocant, in graue ipsorum mercatorum præiudicium, qui tempus quod in exercenda mercatura consumpturi essent, in eorum creditis recuperandis conterere coguntur, ac Vrbis maximum incommodum, cuius vbertas propterea non parum minuitur.

Hic ideo Pont. d. indultum inualidat contra quoscumque. §. 2. Nos quibus indemnitas dictorum mercatorum, ac Almæ Vrbis nostræ commodum non minori curæ nunc sunt, quam alias fuerint, inconuenientibus huiusmodi occurrere volentes, præsentium vigore, quas vim perpetuæ constitutionis habere decernimus, Motu proprio prædictos ad beneficia præfata extendentes, omnes & singulas commissiones, etiam expressam mentionem de rebus Ripalibus continentes, & à nobis illarum vigore, seu alias quomodolibet inhibitiones, significationes, decreta, & admissiones ad beneficia præfata quibusvis dictorum mercatorum occasione rerum Ripalium debitoribus, etiam dictis quantumcumque priuilegiatis per quoscumque iudices in posterum concedenda & emananda, eisdem debitoribus nullatenus, ad effugiendum vel differendum solutionem debiti occasione præfati sic contracti suffragari debere decernimus.

Mercatorum Ripalium libro iuncto libro Proxenetarum credi iubet. §. 3. Et insuper eisdem mercatoribus, vt ad probandum plene, in iudicio & extra, qualitatem mercium prædictarum ab eis venditarum pro tempore, adnotatio & descriptio de illis, de ipsorum, ac proxenetarum præmissorum libris, in iudicio & extra plene probent, ac fidem indubiam faciant, executionemque habeant perinde ac si esset obligatio in forma Cam. Apostolicæ, & alias exequatur iudex, prout in Curia Ripæ & Ripettæ executioni mandantur.

Ipsique in rebus eorum extantibus, præferantur omnibus. §. 4. Decernentes insuper quod si mercator vt supra Ripalis reperiat aliquando, vel in aliquo loco, bona quæ sua esse prætendat, illa ad se pertinere, & sua esse intelligantur, plene & sufficienter probasse, si per testes docuerit, aut proxenetam, medio iuramento eiusdem proxenetæ & alium idoneum testem, aut alias legitime probauerit, iuxta consuetudinem dictæ Ripæ & Ripettæ, & sic obseruari volumus & mandamus contra quoscumque iuxta præfatam consuetudinem; mercatoresque præfati in mercibus sic venditis penes debitores existentibus, etiam à quibusvis detentis quibuscumque aliis creditoribus, etiam expressam & anteriorem hypothecam, instrumenta publica in ampliori forma Cameræ Apostolicæ confecta & stipulata, creditum suum probantia habentibus, etiam clericis S. R. E. Cardinalibus, & aliis quibusvis cuiuscumque gradus vel conditionis existant præferri.

In aliis vero habent hypothecam & concurrant cum obligationibus Cameralibus. §. 5. In aliis vero quibuscumque debitorum bonis, cum cæteris creditoribus hypothecam, expressam seu tacitam, habentibus concurrere occasione debitorum propter merces Ripales venditas dumtaxat contentarum; ac à duabus sententiis conformibus, per Camerarium ac Præsidentem pro tempore dictæ Ripæ & Ripettæ latis, nullatenus appellari, vel prouocari, etiam ad nos & Sedem Apostolicam, quas effectum rei iudicatæ habere debere volumus. Et sic per quoscumque iudices, etiam S.R.E. Cardinales, ac causarum Palatij Apostolici Auditores, in quibusvis causis, negotiis & controuersiis, sententiari, iudicari & definiri debere; irritum quoque, &c. decernimus.

Officiales & iudices eadem obseruent. §. 6. Mandantes propterea moderno & pro tempore Camerario præfato, quatenus debitores ex causa præmissa obligatos, decretis, significationibus, admissionibus, & aliis prædictis non obstantibus, ad satisfaciendum mercatoribus antedictis de debitis sic contractis, ac eorundem debitorum bona detinentes, ad illa sibi dimittendum ad effectum consequendum satisfactionem integralem iuris opportunis remediis, ac alias iuxta stylum curiæ suæ compellat. Dantes eidem facultatem, ac omnimodam potestatem quibusvis iudicibus sæcularibus Ecclesiasticis, ac omnibus Romanæ Curiæ tribunalibus, etiã sub censuris & pœnis pecuniariis, suo moderandis arbitrio, ne exactionem debitorum ex causa præinserta contractorum quomodolibet impediant, in illisve quovis quæsito colore, & mercatoribus prædictis præcipientes, ne soluere debentes alibi quam coram se intromittant inhibentes. Et si aliquas inhibitiones per alios quoscumque iudices Vrbis ad vxorum dictorum debitorum, aut aliarum quarumcumque personarum. dominium, vel hypothecam, seu quodlibet aliud ius in bonis in domibus dictorum debitorum, existentium, seu per dictos debitores quovis modo possessis habere prætendentium factas inuenerit, per quas executio ad instantias dictorum mercatorum decreta in dictis bonis fieri prohiberetur inuenit, ne ex hoc facultas bona huiusmodi occultandi detur, eisdem inhibitionibus non obstantibus bona præfata describi, & de illis inuentarium confici, & penes aliquam idoneam personam deponi, quousque de iuribus partium discutiatur faciendi. Et si aliqui ex dictis debitoribus ab Vrbe absfuerint, literas rogatorias eis qui in eis locis, vbi dicti debitores moram traxerint iustitiæ ministrandæ præfuerint directas, vt eosdem debitores ad satisfaciendum dictis mercatoribus compellant, cum comminatione represaliarum, nisi id faciant, decernentes, mittentes; & illarum præsentationis relatione habita, neque infra terminum in illis præfixum, iustitia ministrata fuerit, represalias contra homines dictorum locorum, illorumque res & bona, iuxta stylum in Vrbe solitum, decernentes & exequentes, mandantes & facientes.

Quibuscumque non obstan. §. 7. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatij, statutis, & nouis reformationibus Vrbis, priuilegiisque indultis & facultatibus prædictis, debitoribus, & aliis, & pro tempore Auditori Cameræ Apostolicæ, Gubernatori, Vicario, Senatori, quibusvis aliis iudicibus Vrbis, eorum Curiis, etiam per nos concessis, innouatis & approbatis, & concedendis, quibus omnibus, ac si eorum tenores, &c. latissime, hac vice dumtaxat derogamus. Præsentemque nostram constitutionem, cui non derogatum per quamcumque signaturam, ac in qua, omnia & singula decreta, formas & clausulas, in motibus propriis prædictis, contentas & descriptas & repetitas censeri debere volumus, in volumine statutorum dictæ Curiæ Ripæ & Ripettæ, describi & registrari, cui sola signatura, in iudicio & extra, sufficiat, regula contraria non obstante mandamus.

Placet, & ita mandamus. A. *Papa subscr.*

Die 26. Augusti 1547. admissa fuit cedula d. motus proprij ex decreto, & collationata concordat lib. 5. Hieronymus de Tarano. *Admissio Pont. A. 14. die 26. Augusti.*

Visa Iul. Gom. Camera Apost. Decanus, & Ripa Præsidens.

Personæ Ecclesiasticæ, testandi, licentiam à Sede Apostolica non habentes, decimam tantummodo partem locis piis relinquere & donare possint.

Hanc facultatem disponendi de decima parte, vidimus reuocatam à Pio Quarto inf. in eius const. 8. Graue. De spoliis autem plene dicam inf. ad const. 18. Pauli V. Ineminenti.

PAVLVS

Edita An. D. 1548.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex, qui ex assueta Sedis Apostolicæ benignitate, in fauorem Ecclesiarum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum diuersa priuilegia concedere consueuit, si processu temporis tendunt in abusum, illa moderari, ac desuper opportune prouidere solet, prout rerum & temporum qualitate pensata conspicit in Domino salubriter expedire.

Prælati quidam, testandi facultatē non habentes, instituebāt hæredes quadam loca pia, quæ ex indulto poterant consequi huiusmodi bona: & insuper multa legata faciebant in fauorem eorum ad quos bona deuenire non poterant.

§. 1. Sane non absque animi molestia accepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi & Prælati, aliæque personæ Ecclesiasticæ, tam sæculares, quam diuersorum Ordinum & militiarum regulares, non habentes de eorum rebus, ac bonis testandi, & disponendi facultatem, Ecclesias, Hospitalia, & alia pia loca, quibus à dicta Sede Apost. capiendi res, & bona, ex testamento vel alia dispositione illorum, qui alias de rebus, & bonis eorum disponere non possent, facultas est concessa, hæredes instituunt, & in testamentis siue eorum dispositionibus plura legata, seu ordinationes in fauorem diuersarum personarum, ac alios vsus, in quos bona, & res huiusmodi transmittere non possent, faciunt Hospitaliaque Ecclesiæ, & loca pia huiusmodi, siue eorum Rectores fidem testantium seu disponentium insequen. legata ipsa, & in testamentis, seu aliis, etiam inter viuos dispositionibus ordinata adimplent, ex quo Camera Apostolica circa res, & bona, spolia nuncupata, per obitum Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum huiusmodi, absque testandi & disponendi facultate decedentium remanentia in suis iuribus detrimentum patitur & iacturam.

Hic ideo Pontifex decimā partem tantummodo sic relinqui posse declarat.

§. 2. Et quia nostrum est, in præmissis taliter prouidere quod ipsius Cameræ iurium debita ratio habeatur, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; tenore præsentium, omnia & singula priuilegia, facultates, gratias, literas & indulta, quibusvis Ecclesiis, etiam Metropolit. monasteriis, Hospitalibus, etiam ab Archihospitali sancti Iacobi in Augusta de Vrbe dependentibus, seu causam habentibus, ac aliis piis locis vbilibet constitutis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam, super capiendis seu acquirendis hæreditatibus, rebus, ac bonis, ex testamento, donatione inter viuos, vel alia quacumque dispositione quorumcumque Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum, sæcularium vel regularium, vtcumque etiam, vt præfertur, qualificatorum, & quacumque præeminentia ac dignitate & auctoritate fulgentium, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuerint, de hæreditatibus, rebus, & bonis huiusmodi facultatem disponendi non habentium, vel alias quomodolibet concessa, etiamsi vsu recepta sint, moderantes, Volumus, decernimus & declaramus, quod Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & personæ huiusmodi, de rebus ac bonis eorum, à nobis vel à dicta Sede facultatem testandi, seu disponendi non habentes, decimam partem tantum, rerum & bonorum eorundem, mobilium & immobilium, & se mouentium, ac pecuniarum, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & piis locis, capiendi & acquirendi, facultatem huiusmodi habentibus tantum per viam institutionis hæredem, seu donationis, vel legati, in vita seu in morte relinquere, & Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, & pia loca huiusmodi, seu illorum rectores, non nisi decimam partem huiusmodi capere seu acquirere possint, & ad hoc Ecclesiarum & Hospitalium, ac aliorum piorum locorum huiusmodi priuilegia, facultates, concessiones, gratias, literas, & indulta quæcumque, reducimus ac moderamur. Decernentes, sic &c. Non obstantibus.

Dat. P. A. 14. die 28. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 28. mensis Martij, millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

XLVII.

De electione Vicarij Generalis Congregationis Eremi Camaldulensis, ac S. Michaëlis de Murano, Monachorum Ordinis sancti Benedicti.

De hac Eremo vide etiam hic sup. in constit. 1. Rationi.

Edita An. D. 1549.

PAVLVS PAPA III. Dilectis filiis Vicario generali, & Visitatoribus Congregationis Camaldulensis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Causa huius constit.

EXponi nobis nuper fecistis, quod licet ab antiquo, tempore citra, morte pro tempore existentis, Generalis totius Ordinis, & Congregationis Camaldulensis adueniente, duo Visitatores, & totidem Prælati eiusdem Ordinis, loco in quo eundemmet Generalem decedere contingebat magis propinquo aliū. Congregationis huiusmodi Generalem infra annum semper eligere consueuerint. Nihilominus Generalem huiusmodi quoties eum decedere, aut illius officium cessare contigerit, si vobis & aliis eiusdem Ordinis Prælatis infrascriptis eligendis, licentia & facultas concederetur, profecto in euidentius totius Ordinis emolumentum, & decus cederet. Quare pro parte vestra, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt dicti Ordinis commodo, & decori consulere, ac alias in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui possint eligere Generalem infra mensē, si eius officium vacet.

§. 1. Nos igitur, qui personarum quarumlibet, præsertim religionis iugo deditarum votis libenter annuimus: Vos, ac Prælatos infrascriptos, vtrumque singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis auctoritate vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos, fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ac Maiori sacræ Camaldulensis Eremi, & Classensi, Rauennat. necnon sancti Michaëlis de Murano, ac sanctæ MARIÆ ad Carceres, & vallis Castri Abbatibus, necnon per Priores gubernati solitorum sancti Mathiæ de Murano, ac Angelorum Florentiæ dicti Ordinis Monasteriorum Prioribus pro tempore existentibus, quod de cętero, ipsi & vos, ac pro tempore existentes, dicti Ordinis Visitatores, in vnum in dicto Monasterio Classensi, aut alio conuenienti loco, de omnium, seu maioris partis vestrum consensu eligendo congregati, Generalem Congregationis & Ordinis huiusmodi, quoties eum decedere contigerit, infra mensem à die obitus, pro tempore existentis Generalis huiusmodi computandum, vsque ad futurum Capitulum, singulis annis iuxta eiusdem statuta fieri solitum, eligere possitis & valeatis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de speciali gratia indulgemus. Decernentes electionem, per vos ac Abbates & Priores huiusmodi faciendam, validam & efficacem fore; ac quascumque alias aliter pro tempore factas in generalem huiusmodi electiones, nullas & inualidas existere.

Qui vero post elapsum mensem.

§. 2. Ac volentes, quod si vos, ac Abbates & Priores præfatos ad Generalem huiusmodi infra vnum mensem eligendum discordes esse contigerit, quod mense huiusmodi elapso, omnes totius Ordinis & Congregationis huiusmodi Prælati, pro electione huiusmodi facienda in vnum congregari, & conuocari, ac vnum in Generalem Ord. prædicti, inuocato desuper diuino auxilio, eligere debeant & studeant.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis & ordinis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Congregationi, & Ordini huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque effica-

cioribus & insolitis clausulis, in præmissorum contrarium forsan concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, indiuidua & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 14. die 19. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimanona Iunij, millesimo quingentesimo quadragesimo nono, Pontificatus nostri Anno decimoquarto.

XLVIII. Explicatio muneris & auctoritatis Præpositi generalis, Religionis Clericorum Regularium Societatis IESV, cum diuersarum gratiarum concessione, ordinationumque pro eius bono regimine constitutione.

De his omnibus & alijs, vide hic sup. in constit. 25. Regimini, vbi plene notaui.

Edita An. D. 1549.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

LIcet debitum pastoralis officij omnibus regularem vitam ducentibus, vt in suis disciplinis, & laudabilibus institutis conseruentur & augeantur, nos reddat fauorabiles & benignos, ad Societatem vero de IESV per nos institutam & approbatam, cuius specimen, veluti ager fertilis in Domino, multiplices atque vberes fructus animarum, ad summi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie verbo & exemplo in populo Christiano, dirigentes præcipuè velut pius pater oculos mentis nostræ, dignum censemus, vt ipsam Societatem, eiusque in odorem suauitatis Altissimo deseruientes personas, specialibus fauoribus prosequamur, illaque sibi fauorabiliter concedamus, per quæ Societas ipsa vtiliter regi, & prospere dirigi, ac animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat.

Præpositi generalis libera est administratio, & perpetua.
Hoc idem est in const. Gregor. 13. & Greg. 14. allegat. in rub. const. 25. sup.

§. 1. Hinc est, quod nos dilectorum filiorum Ignatij de Loyola moderni Præpositi generalis, & aliorum sociorum eiusdem Ordinis, supplicationibus inclinati, sibi, vt Præpositus Generalis dictæ Societatis, pro tempore existens, cum primum iuxta constitutiones eiusdem Societatis in illius Præpositum electus fuerit, eo ipso verus ipsius Religionis Generalis Præpositus, cum libera generali, & omnimoda cura, & administratione omnium & singulorum, ad felix regimen, & prosperam directionem dictæ Societatis spectantium & pertinentium, sit & esse censeatur, ac suum Præpositi officium, in omnibus exercere incipiat, ac plenam in vniuersos eiusdem Societatis socios, & personas sub eius obedientia degentes, vbilibet commorantes, etiam exemptos, etiam quascumque facultates habentes, suam iurisdictionem exerceat.

Certis tamen casibus remoueri potest.

§. 2. Possitque & debeat dictus Præpositus per personas ad id à dicta Societate facultatem habentes, & ad id deputatas, in certis casibus iuxta dictas constitutiones remoueri, & alius ipsius loco, per easdem personas substitui, & alias, prout personæ deputatæ prædictæ id in Domino conspexerint salubriter expedire.

Præpositi circa missiones potestas.

§. 3. Ac ipsemet Præpositus pro tempore existens ire, & suos quocumque locorum, etiam inter infideles, cum expedire in Domino iudicabit, mittere, ac reuocare, & per Nos, ac successores nostros, ad locum aliquem missos sine temporis certi limitatione, cum id expedire ad Dei gloriam, & animarum auxilium, visum erit (super quo conscientiam dicti Præpositi oneramus) ad alia loca transmittere, libere & licite valeat; qui vbicumque morari contingat, ad nutum nostrum, & Romani Pont. pro tempore existentis, ad Sedem Apostolicam, seu quo oportuerit, & sibi per dictam Sedem iniunctum fuerit, iuxta ipsius Societatis professionem, venire debeant, concedimus.

Dignitas à Socijs absque consensu Præpositi, & à Præposito absque assensu Societatis acceptari non potest.

§. 4. Ac volumus, statuimus, & ordinamus, quod Præpositus absque Societatis, & aliquis ex sociis huiusmodi absque dicti Præpositi consensu, & expressa licentia, electioni seu prouisioni de illius persona in Episcopum, Archiepiscopum, aut aliam quamcumque dignitatem, per quemcumque Principem, vel quodcumque Capitulum, aut alias quascumque personas ad id auctoritatem habentes, pro tempore factæ, consentire, aut ad illam admitti, seu alicuius Prælationis & dignitatis in eadem Societate, si eam occulta aut manifesta ambitione quæsisse conuincetur, capax esse nullatenus possit.

Appellatio à correctione regulæ non datur.

§. 5. Quodque à correctione regulæ Societatis huiusmodi secundum ordinationes factæ (vt vigor disciplinæ melius conseruetur) appellari, aut talis appellatio per vllum Iudicem admitti, seu ab officiis absolutio, aut priuatio peti non possint.

Superiores nō tenentur aliquē ad Prælati cuiusquā ministerium deputare.

§. 6. Et tam Generalis, quam alij inferiores Præpositi eiusdem Societatis, fratres seu socios dictæ Societatis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, seu aliis Ecclesiarum Prælatis, & personis, in Socios, aut alias ad vllum eorum ministerium deputare minime teneantur, nisi auctoritate literarum eiusdem Sedis, de Societate, & indulto huiusmodi expressam facientium mentionem; & si quos deputare contingeret, nihilominus sub Ordinis correctione existant, & cum expedire iudicabunt, eosdem remouere possint.

Deputati ad negotia à Præposito transferri possunt.

§. 7. Illos vero ex fratribus, seu sociis prædictis, qui ad prædicandum crucem, vel ad inquirendum contra hæreticam prauitatem, seu ad alia similia negotia deputati fuerint, Ignatius & alij illius successores Præpositi Generales dictæ Societatis, pro tempore existentes, remouere, seu reuocare, & transferre, ipsisque quod supersedeant, iniungere, ac alios illorum loco substituere, cum expedire viderint, libere & licite valeant.

Præpositus, per se vel alios potest omnes suos absoluere, & circa irregularitates dispensare, nisi sint casus enormes iuxta bullam Sixti IV.
Hæc bulla Sixt. est sup. Regimini.
Sed tu vide constit. 111. Clem. VIII. Quæcumque.

§. 8. Ac eisdem Ignatio, & aliis Generalibus Præpositis pro tempore existentibus, vt per se vel alios ad id per eos pro tempore deputatos, omnesque & singulos eiusdem Societatis socios, & personas sub eorum obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes, ab omnibus & singulis eorum peccatis, ante vel post ingressum in dictam Societatem per eos commissis, necnon à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis & sæcularibus sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quomodolibet latis & promulgatis; & huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto, diuina officia celebrantes suscipientes ordines, sic ligatos, & propterea irregularitatem incurrentes, absoluere, ac cum eis, cum dispensatione eguerint, dispensare possint; nisi excessus absoluendorum, & dispensandorum huiusmodi, adeo graues & enormes fuerint, quod sint ad Sedem Apostolicam merito remittendi; & ne sæpe in dubium reuocetur, qui sint ad Sedem prædictam destinandi, declarationem in ea parte, per fel. rec. Sixtum Papam Quartum prædecessorem nostrum in bulla, quam mare magnum vocant, factam, confirmamus.

In censuras reincidunt absoluti, nisi mox intrent Societatē, & vota emittere parati sint.

§. 9. Volumus autem, quod postquam Societati, & consortio huiusmodi aggregari volentes, absoluti, & cum eis, vt præfertur dispensatum fuerit, nisi mox Ordinem intrare, & peractis experientiis secundum Constitutiones dictæ Societatis, vota emittere parati sint, etiamsi super hoc induciæ eis à Prælatis eiusdem Societatis concedantur, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos totaliter absolui contigerit, relabantur & reincidant.

Personæ Societatis cui debeant confiteri.
Tu vide d. bullam Clem. VIII.

§. 10. Necnon quod quilibet ex sociis Societatis huiusmodi, peccata sua proprio Præposito, vel ab eo deputato, seu deputatis, & alias secundum ordinationes Societatis prædictæ designatis, confiteri debeat, nisi super hoc à dicto Præposito alium confessorem eligendi facultatem habuerit.

Qui vota emiserint, aliorum ordinem præter

§. 11. Ac inhibemus ne quis post emissa vota secundum constitutiones prædictas, siue professus, siue Scholaris, siue Coadiutor Societatis huiusmodi sit, ad quem-

Carthusiensium ingredi non possunt. Tu vide cōst. 77. Greg. 13. Pium.

vis alium Ordinem, etiam per Sedem prædictam approbatum, Carthusiensium dumtaxat excepto, nisi de expressa ipsius Præpositi, aut dictæ Sedis licentia transferri; egressi vero alias; quam, vt præfertur, de Ordine seu consortio huiusmodi, in nullo alio, præterquam Carthusiensium præfato Ordine admitti, recipi, vel retineri possint.

Apostata, & insolentes coërceri possunt à Præposito. Tu vide ampliationem Pij V. in const. 1. Greg. XIII.

§. 12. Ipsique Generalis, & alij inferiores Præpositi, per se vel alios, illos in sic egressos, ac alios quoscumque dictæ Societatis apostatas, vt etiam alios quosvis insolentes, & qui id mereri videbuntur, in quocumque habitu apostatas prædictos contigerit inueniri, excommunicare, capere, incarcerare, & alias suæ disciplinæ submittere, & ad id si opus fuerit, auxilium brachij sæcularis inuocare libere & licite valeant.

Exemptio à Superioritate Ordinariorum.

§. 13. Ipsamque Societatem, & vniuersos illius socios & personas, illorumque bona quæcumque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum eximimus & liberamus, ac sub nostra & præfatæ Sedis protectione suscipimus.

Facultas celebrandi sup. altari portatili & tempore interdicti. Hoc post Cōc. confirmauit Greg XIII. in constitut. 57. Vsum.

§. 14. Liceatque Præpositis, & de eorum etiam facultate, vniuersis fratribus & sociis Societatis huiusmodi in Presbyteratus ordine constitutis, in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit habere Oratoria, & in eis, ac quocumque alio honesto, & congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reuerentia & honore, etiam tempore interdicti, quavis etiam Apostolica auctoritate appositi, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, submissa voce, Missas & alia diuina officia celebrare, ac Ecclesiastica sacramenta recipere, & aliis ministrare; dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici.

Familiaribusque Societatis possunt ministrari sacramenta, & sepultura.

§. 15. Iis vero, qui in ipsorum Præpositorum & sociorum morantur obsequiis, cuncta libere ministrare possint Ecclesiastica sacramenta, & ipsos, cum decedunt, in eorum cœmeteriis sepelire.

Interdicti tempore diuina possunt audire familiares, procuratores, & operarij Societatis.

§. 16. Si quando in terris in quibus Socij prædicti, vel eorum aliqui, pro tempore resederint, vel in earum personas, excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri seu familiares eorundem sociorum seruitiis deputati, ac eorum & Societatis huiusmodi negotiorum procuratores & operarij, huiusmodi sententiis obnoxij minime habeantur; ibique possint audire diuina, nisi eisdem causam dederint, vel specialiter excommunicati, seu interdici contigerit eosdem.

Contra priuilegia concessa ferri nō possunt ab vl. lo cēsura, nec dari eorū interpretatio.

§. 17. Nec vllis Prælatis, contra aliquem de prædicta Societate, vel contra alios eorum, aliquam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam contra eiusdem Societatis priuilegia, per nos concessa, (quorum interpretationem, nobis & Apostolicæ Sedi reseruamus) ferre liceat, & si tulerint, eo ipso irrita, nulliusque roboris vel momenti sint & esse censeantur.

Qui Societatis concionib. interstāt, Missas audire, & sacramenta ibidem recipere possunt.

§. 18. Ac omnes & singuli alij Christi fideles, cuiuscumque conditionis existant, qui verbi DEI concionibus, seu prædicationibus, sociorum seu fratrum Societatis huiusmodi in Ecclesiis, vbi ipsi concionabuntur, interfuerint, diebus huiusmodi, missas & alia diuina officia audire, & Ecclesiastica sacramenta ibidem recipere libere & licite valeant, nec ad id, ad proprias parochiales Ecclesias, accedere teneantur.

Volente Præposito possunt à quolibet Antistite in sacris promoueri. Hæc post Concilium confirmauit Greg. XIII in const. 78. Pium.

§. 19. Et quia eiusdem Societatis fratres & socios, de locis ad loca transferri contingit, propter quod stabilem & continuam, in certis & determinatis domibus mansionem habere non possunt, & in ipsa Societate idoneos tantum & comprobatos, ad sacros ordines promoueri intelleximus, eidem Præposito Generali, quod ordinandos socios & fratres huiusmodi Societatis, quibuscumque maluerit Catholicis Antistitibus, gratiam & communionem dictæ Sedis habentibus, præsentare, ipsisque Antistitibus præsentatos huiusmodi, absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum, fratrum & sociorum, ad omnes, etiam sacros & Presbyteratus ordines promouere.

In terris infidelium, & hæreticorum licet commorari de Præpositi generalis licentia.

§. 20. Et cum ipsi socij, magnam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pio studio bonos ad potiora dirigant, & errantes ad rectitudinis semitam laudabiliter reuocare procurent, concedimus, vt in excommunicatorum & hæreticorum, vel schismaticorum, vel infidelium terris libere commorari, & cum eisdem conuersari, de licentia tamen Præpositi Generalis, & ab eis tunc, & etiam quando per ipsas illos transire contigerit, necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeant.

Non tenentur vllam suscipere visitationem, institiam ministrationem, cuiuscumque Monialium.

§. 21. Quodque nullis ipsorum, correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium, monasteriis, vel Ecclesiis, seu quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium, & denuntiationes sententiarum interdicti, vel excommunicationum procedere, aut curam Monialium, seu religiosarum quarumlibet personarum recipere teneantur, per literas Apostolicas impetratas, vel in posterum impetrandas, nisi de hoc indulto & Ordine sociorum huiusmodi, expressam facientes mentionem, auctoritate & tenore prædictis, de speciali gratia indulgemus.

Non tenentur soluere bonorum suorum decimam, vel aliam dare contributionē seu procurationem. Hoc ampliauit Greg 13. in const. 51. Pastoralis.

§. 22. Concedentes ipsis sociis, vt de iis quæ in ornamentis, aut pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, seu pro victu, vel indumentis eorum, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus Societatis prædictæ, obligatæ forsan existant, ac de domibus & Collegiis, ac eorum prædiis, hortis, aliisque locis eisdem sociis, iuxta eorum viuendi institutum haberi concessis, aut de iis quæ sibi pro huiusmodi rebus, domibus, Collegiis, prædiis, locis, & hortis emendis per quascumque personas, pro tempore legari, aut relinqui contigerit, & aliis bonis quibuscumque per dictam Societatem, & ipsius Collegia possessis & obtentis, aliquam decimam, etiam Papalem soluere, seu canonicam portionem exhibere, seu ad præstationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nuntiorum ipsius, aut Ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum, seu subditorum, vel prouisionum quorumcumque minime teneantur, nec ad id per literas eiusdem Sedis aut Legatorum, vel Nunciorum, seu diœcesanorum prædictorum, cuiuscumque tenoris fuerint, vllo vnquam tempore compelli possint, nisi ipsæ literæ Apostolicæ, plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto & concessione huiusmodi, ac de eorum Ordine mentionem fecerint. Et si forte per Nos, vel dictam Sedem de piis legatis dispositis, & relictis, in genere vel specie, decima vel alia portio, seu quarta, alteri piæ vel non piæ causæ, quomodolibet hactenus concessa fuerit, vel illam in posterum concedi seu solui, aut dari, mandari contigerit, Socios præfatos, & illorum domos, & bona quæcumque, ac eis legata & relicta, aut alias, in eorum fauorem disposita, in concessionibus & mandatis huiusmodi, decernimus & volumus minime comprehendi nisi de ipsis, ac præsenti decreto, & voluntate nostra, non per clausulas generales idem importantes, sed vera, expressa, & specifica mentio fiat in eisdem.

Domus vel Collegia Societati donata, seu relicta eo ipso auctoritate Apostolica censentur erecta. Tu attende const. 99. Cle. VIII. Quoniam.

§. 23. Et insuper si contingat Socios ipsos, vt adiuuante aliquo Principe, Duce, Marchione, Comite, vel Communitate, vel quavis ad id potenti, & facultatibus abundanti persona, aliquam domum, Ecclesiam, aut Collegium Societatis prædictæ ædificent & construant, seu id per alicuius similis personæ testamentum mandati, vel quovis modo eis offerri domum, Ecclesias, seu Collegia huiusmodi, cum omnibus ad id necessariis & opportunis, construi & ædificari, ac locum pro huiusmodi constructione oblatum recipi posse, ipsasque domos, Ecclesias, Collegia, Cellas, Oratoria, vbilibet per dictos socios, pro tempore constructa, vel eis donata, eo ipso quod ædificata vel donata fuerint, Apostolica auctoritate prædicta erecta, approbata & confirmata.

Bona Societati donata pro Collegiorum sustentatione etiam auctoritate Apost. reputantur applicata, &c.

§. 24. Ac bona quæcumque pro Collegiorum dote, seu scholarium inibi, pro tempore commorantium sustentatione, per quoscumque Christi fideles, pro tempore donata, relicta, & legata, eo ipso prædicta Apostolica auctoritate, perpetuo applicata & appropriata esse, & censeri, nisi alias ad collationem Sedis prædictæ pertinerent.

Ecclesiæ benedici, & consecrari...

§. 25. Et Ecclesias prædictas, cum cœmeteriis, benedici, aut consecrari facere, ac primum lapidem poni,

... erari possunt à quolibet Episcopo, &c. Et de nouo vbique constru. Hoc amplianit Greg. 13. in const. 35. Saluatoris. Tu vid. const. 19. Saluatoris. Tu vid. const. 115. Clem. 8. Quoniam.

per quoscumque Episcopos (si diœcesani vltra quatuor menses id facere distulerint) posse decernimus.

§. 26. Inhibentes omnibus, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & locorum Ordinariis, ac quibusvis aliis potestatibus, Ecclesiasticis, & sæcularibus, illis nihilominus mandantes, ne ipsos socios, aut eorum domos, Ecclesias, aut Collegia huiusmodi, ad aliquorum requisitionem, ea propria eorum voluntate, si id in Domino expediens fuerit, ædificare volentes, quoquo modo huiusmodi constitutionibus impediant, perturbent, aut molestent.

Superiores possunt cum sociis dispensare. Tu vid. const. 115. Clem. 8. Quacumque.

§. 27. Et, vt Societatis huiusmodi professoribus omnis vagandi occasio, & ad Apostolicam Sedem prædictam recurrendi subtrahatur, pro posse, necessitas, Generali, & de eius licentia Prouincialibus Præpositis dictæ Societatis pro tempore existentibus, & illorum Vicariis, & Locatenentibus, vt cum eiusdem Societatis personis defectum natalium, ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quovis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus, necnon cum iis, qui ex quavis causa (præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum) irregulares fuerint, postquam in Ordine ipso vota emiserint, vt, defectu, & irregularitate huiusmodi, non obstantibus, ad quoscumque, etiam sacros, & Presbyteratus ordines promoueri, & in illis, etiam in altari ministrare, & irregulares defectum natalium patientes prædicti ad quascumque administrationes & officia dictæ Societatis eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere, & libere, & licite valeant, dispensare possint, auctoritate, tenore prædictis, concedimus, & indulgemus.

Confessores possunt confessiones audire. Tu vid. const. Pij V. 133. Romani, vbi confessores requirit approbari ab Ordinario & etiā vide Clem. 8. d. const. 115.

§. 28. Præterea cum intellexerimus populos ciuitatum, terrarum, & locorum, apud quæ habitationem iidem Socij habent, vel vbi eosdem versari, aut transire contingit, exemplo allectos, & inductos, religiosæ vitæ, quam Domino concedente ducunt, libenter ad confitendum eisdem, & sacratissimam communionem, de manibus eorum accipiendum confluere, vt illis sic confluentibus satisfacere valeant, vniuersis vtriusque sexus Christi fidelibus, vt cuilibet de Societate prædicta confiteri possint, Rectoris sui licentia minime requisita, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confessi, & absoluti fuerint, rursus confiteri.

Sacramentaque Ecclesiastica ministrare præterquam tempore Paschatis, & in articulo mortis.

§. 29. Necnon omnibus, & singulis Christi fidelibus, tam forensibus quam in ciuitatibus, & locis, in quibus socij prædicti consistunt, commorantibus, aut illac transeuntibus Eucharistiæ sacramentum (quod in suis Ecclesiis decenter tenere socios præfatos volumus) quocumque anni tempore, præterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas vrgeret, eorundem fidelium, parochialium Ecclesiarum Rectorum licentia minime requisita, accipere libere, & licite valeant.

Visitant. Ecclesias Societatis designādas indulgentias concedit. Extēdit Greg. 13. ad omnes Societatis Ecclesias in cōst. Quanta, eam tamen non posui.

§. 30. Necnon animarum profectui prouidere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus vbilibet commorantibus, vere pœnitentibus, & confessis, seu temporibus à iure statutis confitendi propositum habentibus, qui aliquam Ecclesiam, aut alium pium locum dictæ Societatis, semel singulis annis, præter annum Iubilæi, in die, per pro tempore existentē dictę Societatis Prępositū, eligendo, à primis vesperis vsque ad occasum Solis eiusdem diei inclusiue, deuote visitauerint, & inibi orationem Dominicam, ac salutationē Angelicam recitauerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, ac remissionem in forma Iubilæi, auctoritate Apostolica tenore præsentiū misericorditer concedimus, & elargimur.

Et certis anni diebus. Hoc ampliauit Greg. 13. vbi sup.

§. 31. Et insuper quatuor aliis, scilicet, Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, & Corporis CHRISTI festiuitatum, necnon Veneris, & Dominicis, & Quadragesimalibus diebus singulorum annorum, vsque ad octauam Paschatis, Ecclesias, & alia pia loca, dictæ Societatis deuote visitauerint, & inibi orationem, & salutationes prædictas similiter recitauerint, ac verbum Dei, si in illis prædicetur, deuote audierint, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus.

§. 32. Ac Præposito Generali eiusdem Societatis, vt, quos de suis idoneos in Domino iudicauerit, ad lectiones Theologiæ, & aliarum facultatum, alterius licentia ad id minime requisita vbilibet deputare possit.

Præpositus generalis lectores in Theologia, & aliis facultatib. deputare poteſt.

§. 33. Et vt, cum aliquos ex fratribus seu sociis Societatis huiusmodi in Saracenorum, & Paganorum, aliorumque infidelium terras, & prouincias alias remotissimas, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit; possit eis auctoritate nostra facultatem concedere, vt Christianos ibidem commorantes, confessione peccatorum suorum audita, & pœnitentia salutari iniuncta, eos, & eorum quemlibet, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini reseruatis, & à consequentibus censuris, & pœnis absoluere.

In terris infideliū, & partis remotissimis socij absoluere possūt etiā à casibus in bul. Cœna Domini reseruatis. Tu attende constit. 115. Clem. VIII.

§. 34. Et cum iis, qui ab infidelitate conuertentur tantum, & in locis remotissimis, qui prius in gradibus non licitis, tamen lege diuina non prohibitis, matrimonia contraxerant, vt in eisdem manere possint, dispensare.

Dispensat in gradib. à iure diuino nō prohibitis cum infidelibus. Tu vid. Clem. vbi sup.

§. 35. Ac in locis prædictis remotissimis, quæcumque Ecclesias, Hospitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac nunc, & pro tempore erecta reformare, sine alicuius præiudicio, & vestes sacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, cœmeteria (si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus inibi non adsit) benedicere, ac profanatas Ecclesias reconciliare possint. Et quæcumque statuta, & ordinationes, desuper necessaria facere, illaque postquam facta fuerint, mutare, alterare, ac illis addere, & detrahere.

Erigunt Ecclesias paramenta benedicunt, &c. Tu ad primā vid. Clem. 8. in const. 99.

§. 36. Ac Præposito Prouinciali in illis longinquis partibus residente decedente, interim, dum alius per Generalem Præpositum mittitur, loco Præpositi sic decedentis, alium eligere libere, & licite valeant.

Decedente Præposito Prouinciali, alterius electio fiat.

§. 37. Et quia in numerosis populis illarum regionum, tanta est sacerdotum raritas, vt vnus plurium curam populorum suscipere debeat, vt bis eodem die Missam celebrare, diuersis in locis valeant.

Missam bis. die quando celebrant.

§. 38. Et insuper, attenta meditatione pensantes, quantum vtilitatis ad exaltationem Christianæ fidei, & Euangelicæ veritatis, Societatis prædictæ professores afferant, & afferre valeant, omnia, & singula gratias, immunitates, concessiones, priuilegia, & indulta, antea per nos eidem Societati, & illius sociis, & personis, quomodolibet concessa, quæ hic pro specificatis haberi volumus, approbantes, innouantes, & confirmantes.

Priuilegia omnia confirmantur.

§. 39. Quod socij dictæ Societatis, qui alibi quam in Vrbe Roma, professionem emittere non possunt, literis Apostolicis, ab ipsa Societate, ad id ob aliquas causas ad tempus impetratis, non obstantibus, eisdem de licentia Præpositi Generalis prædicti, vt professionem ipsam vbilibet emittere libere, & licite valeant, concedimus, & indulgemus.

Professio vbique emitti possit de licentia Præpositi generalis.

§. 40. Necnon Ignatio, & aliis successoribus suis Præpositis Generalibus dictæ Societatis pro tempore existentibus, & indultum alias per nos eidem Societati, super habendis viginti Coadiutoribus concessum, ad alios quoscumque quos idoneos fore censuerint, sub eorum obedientia degentes extendere.

Coadiutores sine certo numero admitti possunt à Præposito prædicto.

§. 41. Et quascumque gratias, concessiones, & indulta eisdem Generalibus dictæ Societatis Præpositis pro tempore existentibus per nos concessa, per eorum Vicarios, aut personas ad id sibi bene visas, præsertim in Indiarum, & aliis partibus remotis pro tempore substitutas, exercere libere, & licite valeant.

Præpositus etiā per alios exercet munus suum.

§. 42. Ac præsentes literis, & in eis contenta quæcumque ex quavis causa, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu notari, vel impugnari nullatenus posse: ac sub quibusvis suspensionibus, derogationibus, limitationibus & aliis quibusvis contrariis dispositionibus, & gratiarum, ac indulgentiarum concessarum derogatoriis, seu reuocatoriis, etiam per nos, & Sedem eandem pro tempore concessis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas existere, ac suos plenarios effectus sortiri.

Clausula præseruatiua illarum gratiarum.

§. 43. Et illarum transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Canonici Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem quæ adhiberetur eisdem originalibus literis, si

Transumptis habeatur fides.

forent

forent exhibitæ, vel ostensæ, vbique in iudicio, & extra adhiberi debere.

Sublata est aliter iudicandi facultas.

§. 44. Et sic per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis, etiam Apostolica auctoritate, fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Societatis eiusq; persona Principib. ac Prælatis commendantur.

§. 45. Ac dilectis in Christo filiis, illustribus, & nobilibus viris, Principibus, ac Dominis temporalibus, & venerabilibus fratribus Prælatis Ecclesiasticis in quavis dignitate constitutis, prædictam Societatem ac singulos illius socios plurimum in Domino commendantes; non solum ne eos inquietari, aut eorum priuilegia violari permittant, sed vt benigne, & cum charitate, vt decet, suscipiant exhortamur, atque in Domino rogamus.

Conseruatores & executores huius const. deputantur.

§. 46. Et nihilominus vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarũ Canonicas, ac eorumdem Archiepiscoporum, & Episcoporum officialibus, & Vicariis generalibus vbilibet constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi ac quilibet eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi, vbi opus fuerit, ac quoties pro parte dictorũ Sociorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque Sociis, in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, eosdem socios literis, & in eis contentis huiusmodi pacifice gaudere, non permittentes, eos aut eorum aliquẽ super præmissis, aut quibusvis aliis rebus, & causis, per locorum Ordinarios, aut quoscumque alios, quomodolibet indebite molestari; sed eos contra quoscumque cuiuscumque conditionis, vel qualitatis existentes, & quavis, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, vel Episcopali, aut mundana dignitate, ac exemptione fungẽtes, & muniros, in quibusvis causis, iustitiæ complementum ministrantes, id quod per eos ordinatum fuerit, ad executionem debitam perduci faciant, illosque quos censuras, vel pœnas prædictas incurrisse constiterit, excommunicatos, ac interdictos declarent, ac faciant, & mandent publice nunciari, ac ab omnibus arctius euitari, & legitimis super his habitis, & habendis processibus seruatis, illos quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula contrariorum derogatoria apponantur.

§. 47. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis S. Benedicti, & S. Francisci, ac mendicantium, & aliis Ordinibus supradictis, illorumque Prælatis, & personis, etiam super non communicandis gratiis sibi concessis, & alias quomodolibet, per nos, & Sedem præfatam concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis, etiam Marimagno, Bulla aurea, & alias quomodolibet nuncupatis, quibus illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat 7. A 15. die 18. Octob.

Dat. Romæ apud. Sanctum Marcum, anno Incarn. Dom. 1549. 15. Kal. Nouemb. Pont. nostri anno 15.

XLIX. Iudices, & Officiales Romanæ Curiæ non concedant transumpta supplicationũ, neque eorum prætextu mandata adipiscendi possessionem beneficiorum, vigore supplicationũ, nisi prius literis Apostol. desuper expeditis.

Quæ autem Notarij R. Cameræ Apost. seruare debeant circa consensus cessionis iurium, aut resignationis beneficiorum sunt hic sup. in const. 17. Clem. VII. Sanctissimus.

PAVLVS EPISCOPVS, &c.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1534.

Iudicibus Romanæ Curiæ iam prohibuit concedere transumpta supplicationum, & eorũ vigore, mandata capiendi possessionem beneficiorum.

§. 1. CVm nobis inter alia innotuisset, quod nonnulli Iudices Romanæ Curiæ, transumpta supplicationum super prouisionibus beneficiorum Ecclesiasticorum, & aliis gratiis signaratum, & registratarum, ac ipsarum supplicationum prætextu, literas, & mandata de adipiscenda possessione beneficiorum in illis expressorũ, antequam literæ Apostolicæ super huiusmodi supplicationibus expeditæ essent concedebant. Volentes huiusmodi abusibus, & fraudibus congruis remediis obuiare, inhibuimus quibusvis Iudicibus dictæ Curiæ quavis auctoritate fungentibus, cum appositione decreti irritantis, ne transumpta supplicationum Apostolicarum, neve literas, seu mandata ipsarum supplicationum vigore, possessionem beneficiorum Apostolicorum apprehendendi, dare, & concedere quomodolibet præsumerent, prout in constitutione nostra desuper edita, & in Cancellaria Apostolica publicata plenius continetur.

Innouat eandem prohibitionem cum appositione pœna excom. latæ sententiæ & aliis innodat pœnas contra Tabelliones de illis rogatos.

§. 2. Nos constitutionem huiusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium innouantes, & perpetuis futuris temporibus pro lege obseruari debere decernentes, hoc perpetuo edicto, omnibus, & singulis, tam Archiuij d. Curiæ scriptoribus, quam Cameræ Apostolicæ, Gubernatoris ac Vicarij Vrbis Notariis, cęterisque officialibus dictæ Curiæ, & tabellionibus publicis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ pœna in eorum singulos qui contra fecerint earumdem tenore præsentium auctoritate Apostolica præfata inhibemus, ne de cætero de transumptis supplicationum, præterquam habentium clausulam quod earundem sola signatura sufficiat, ac de decreto, & cõcessione literarum, & mandatorum huiusmodi derogari debeant, neve illa scribere, vel subscribere, aut quovis modo authenticare, vel partibus tradere quovis modo præsumant. Volentes, & eadem Apostolica auctoritate statuentes, quod Notarij, & Officiales, & Tabelliones præfati, qui dictam excommunicationis sententiam incurrerint, ab illa, nisi per Nos, aut successores nostros canonice intrantes absolui non possint, præterquam in mortis articulo constituti. Quodque vltra eandem excommunicationis sententiam, quo prima vice vigintiquinque ducatorum, & suspensionis à perceptione emolumentorum officiorum suorum ad tres menses, per Datarium, vel Cancellarię Apostolicæ Regentem pro tempore existentes, irremissibiliter exigendorum, ac fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe applicandorum, & si secundario deliquerint ipsorum officiorum priuationis pœnas incurrant eo ipso.

Vtentibusque dictis transumptis, & mãdatis pœnam amissionis fructuum & inhabilitatis ad illa beneficia infligit.

§. 3. Necnon partes transumptis, seu literis, aut mandatis huiusmodi deinceps vtentes, ac illorum prætextu possessionem beneficiorum Apostolicorum apprehendentes, fructus quos ex illis pro tempore perceperint, suos non faciant; quinimmo ad beneficia in eisdem transumptis, ac literis, & mandatis expressa perpetuo afficiantur ipso facto inhabiles, & ad restitutionem fructuum ex illis perceptorum in vtroque foro teneantur.

Et ita non aliter iudicari mandat.

§. 4. Decernentes sic per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiamsi sint S.R.E. Cardinales, aut Palatij Apostolici causarum Auditores, in quibuscumque causis, & quibusvis illarum instantiis sententiari, & iudicari debere; sublata eis, & eorũ cuilibet, quavis aliter sentẽtiandi, & iudicandi facultate, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Priuilegiis quoque, & indultis Apostolicis, Iudicibus, Notariis, Officialibus, Tabellionibus prædictis, eorumve Collegiis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, quæ ipsis contra præmissa nullatenus volumus suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hanc const. publicari, & inter alias extrauag. describi iubet.

§. 6. Volumus autem præsentes in dicta Cancellaria, vt moris est publicari, & in illius quinterno inter alias extrauagantes ad perpetuam rei memoriam describi, ac à

die

die publicationis ligare, & sub pœnis prædictis perpetuo, inconcusse, & inuiolabiliter obseruari.

Papa subscr. Placet, publicetur, & describatur. A.

Publicatio. *Lecta, & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo quarto, die Sabbati, tertiadecima mensis Martij Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Pauli diuina prouidentia Papæ III. Anno I.*

IVLIVS TERTIVS PONT. CCXXV.
ANNO DOMINI MDL.

IVlius Tertius, de Monte S. Sabini, qui est in agro Aretino, Ioannes Maria de Monte antea dictus, Episcopus Cardinalis Prænestinus, Creatus 6. Idus Februarij, Coronatus octauo Kal. Martij Anno Domini 1550. Vixit annos 5. mensem 1. dies 16. Creauit Cardinales 20. Obiit die 10. Kal. Aprilis, & in lateritio monumento, iuxta aram S. Andreæ sepultus fuit. Vacauit sedes dies 17.

I. De auctoritate, & potestate summi Pœnitentiarij ex indulto Six. IV. & Paul. III.

De hac vide supra in const. 23. Six. IV. Quoniam. vbi dixi.

Edita A. D. 1550. *IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. RAtioni congruit, & conuenit honestati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum consequantur effectum.

Sixt. IV. edidit constit. etc. in sub. §. 1. Dudum siquidem postquam à fel. rec. Sixto Papa IV. prædecessore nostro emanauerant literæ tenoris subsequentis.

Qui omittitur, quia ipsam bullam posuit sup.

Paul. III. eius bull. non habetur, eam approbauit. §. 2. Licet, sicut fel. rec. Paulus Papa III. prædecessor noster acceperat ab inde citra literæ eiusdem Sixti prædecessoris, absque vlla exceptione per vniuersum orbem obseruatæ fuissent, & tunc obseruarentur, & ea quæ à Sede Apostolica emanasse dignoscebantur, plenam roboris firmitatem obtinerent; cum tamen Romanus Pontifex, illa libenter approbaret, & innouaret, vt ea firmius perpetuo illibata persisterent, & iuxta ipsius Romani Pontificis intentionem, sublatis quibusuis litium, calumniarum occasionibus, suum debitum sortirentur effectum, firmiterq; ab omnibus obseruarentur, ac ea firmiora censerentur, quæ Apostolicæ confirmationis munimine sæpius corroborarentur, præfatus Paulus sub dat. videlicet tertio nonas Iulij, Pontificatus sui anno quintodecimo, Motu proprio non ad dilecti filij nostri tunc sui, Raynutij tituli sancti Angeli Presbyteri Cardinalis, nostri tunc sui Maioris Pœnitentiarij, seu alterius pro eo eidem prædecessori super eo oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & ex certa scientia sua, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, decreta, declarationes, mandatum, voluntatem, & statutum, ac eum omnibus, & singulis contentis in eis clausulis, literas Sixti prædecessoris huiusmodi, auctoritate Apostolica, approbauit, & innouauit, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & sub eisdē censuris, & pœnis vbilibet obseruari debere.

§. 3. Illaque non obseruantes, seu illa, aut eorum validitatem seu præfati Raynutij, moderni, & pro tempore existentis dictæ Sedis Maioris Pœnitentiarij, super præmissis, aut eorum aliquibus potestatem, seu auctoritatem, vel facultatem, in dubium reuocantes, seu eorumdem, Raynutij, & pro tempore existentis Maioris Pœnitentiarij, literarum executionem qualitercumque impedientes, aut quominus dictæ literæ iuxta illarum formam, & tenorem debitæ executioni demandarentur, impedimentum, consilium, auxiliō, vel fauorem quomodolibet præstantes, prædictas, ac omnes, & singulas alias contra impedientes literarum Apostolicarum executionem in bulla, quæ quotannis in Cœna Domini legi consueuit contentas, & latas sententias, censuras, & pœnas, eo ipso, absque aliqua alia declaratione desuper perficienda, incurrisse, & incurrere debere decreuit, ac declarauit. *Et inobedientibus, ac Pœnitentiarij literarum executionem impedientibus, infligit pœnas contentas in Bulla Cœnæ Domini.*

§. 4. Et nihilominus potiori procautela præmissa, omnia, & singula prout per eundem Sixtum prædecessorem declarata, decreta, mandata, statuta fuerant, eisdem modo, & forma ac motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, de nouo decreuit, declarauit, & statuit ac sub eisdem censuris, & pœnis, ac inhabilitate, priuatione & confiscatione obseruari mandauit, Raynutij, & pro tempore existentis maioris Pœnitentiarij præfati, iuxta stylum prædictorū expeditas literas, quæ clausæ, & confessoribus directæ, in foro conscientiæ tantum, quæ vero apertæ, & sigillo prædicto, vt præfertur, pendente, expeditæ fuerant, & in posterum expedirentur, nisi in eis verba, (in foro conscientiæ tantum) apposita essent, in vtroque, tam pœnitentiali, quam iudiciali, & contentioso foro, intelligi, & interpretari, ac illis quibus pro tempore concederentur, suffragari. *Pœnitentiarij literas apertas in vtroque foro suffragari statuit.*

§. 5. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscomque quavis auctoritate fungentes iudices, & personas, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & interpretari, atque definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super iis à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari, similiter decreuit, ac declarauit. *Decretum irritans appositum.*

§. 6. Non obstantibus præmissis, & quibusuis Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, constitutionibus, & ordinationibus, necnon iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac partium illarum pragmaticis sanctionibus, priuilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusuis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alias decretis concessis, approbatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, idem Paulus prædecessor, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, pro sufficienter expressis, & insertis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogauit, illaque aduersus præmissa, nullatenus suffragari *Contrariorum derogatio.*

fragari posse decreuit, necnon omnibus illis, quæ idem Sixtus prædecessor in dictis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis creditur.

§. 7. Et insuper quia difficile foret literas desuper conficiendas ad singula quæq; loca, in quibus de eis forsan fides facienda foret deferre, idem Paulus prædecessor voluit, ac motu, scientia, & potestatis plenitudine præmissis pariter decreuit, quod earundem literarum desuper conficiendarum transumptis, manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ impressione munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus foret, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem desuper conficiendis literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Literæ tamen Paul. III. ob eius mortem non expeditæ fuerunt, & ideo ab isto Pont. adduntur.

§. 8. Ne autem de approbatione, innouatione, decretis, declarationibus, noua concessione, statuto, mandato, & voluntate Pauli prædecessoris huiusmodi pro eo quod super illis, ipsius Pauli prædecessoris eius superueniente obitu, literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, & ij, quorum interest, aut intererit, quomodolibet in futurum illorum frustrentur effectu, volumus, & similiter Apostolica auctoritate decernimus, quod approbatio, innouatio, decreta, declarationes, voluntas, noua concessio, statutum, mandatumque Pauli prædecessoris huiusmodi, perinde à dicta die tertia nonas Iulij suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius prædecessoris literæ sub eiusdem diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentes literæ ad probandum plene approbationem, innouationem, decreta, declarationes, nouam concessionem, statutum, mandatum, & voluntatem Pauli prædecessoris huiusmodi vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Executores deputat.

§. 9. Quocirca vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum canonicis, ac modernis, & pro tempore existentibus causarum Cameræ Apostolicæ Auditori, & nostro in Alma Vrbe, & illius districtu Vicario, ac eorundem Archiepiscoporum, & Episcoporum Vicariis seu officialibus in spiritualibus generalibus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac pro parte illorum, aut alicuius eorum, quos ipsæ literæ concernunt, & concernent, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, omnes, & singulos quos præsentes literæ quomodolibet concernunt & concernent, vt præfertur, illis, & in eis contentis quibuscumque pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eorum aliquem desuper per locorum Ordinarios, seu alios quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, & inquietari, contradictores quoslibet & rebelles, per prædictas, & quascumque alias sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias illorum arbitrio moderādas, applicandas pœnas, aliaque opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, ac censuras, & pœnas prædictas legitimis super iis habendis seruatis processibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausulas derogatorias addit.

§. 10. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ad de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 2. die 22. Febr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incar. Dom. 1550. 8. Kal. Martij, Pont. nostri anno 1.

II. Iurisdictio Vicarij Papæ, in causis Hebræorum de Vrbe.

Hæc iurisdictio quoad Hebræos baccherios data postea fuit Camerario Papæ, vt inf. in const. 65. Clem. VIII. In conferendis. Et quoad alios Hebræos declarata est nouissime à Paulo V. in sua const. 71. Vniuersi, §. 7. Quo verò ad Hebræos debitores Mercatoribus artis lanæ, coram Consulibus d. artis conueniri posse voluit Six. V. in sua const. 14. Cum alias.

IVLIVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Edita An. D.

Causa constitutionis.

CVm sicut accepimus vniuersitatem Hebræorum Vrbis, & homines illius particulares contra omnem iuris ordinem, ac bullas, & priuilegia dilecto fratri nostro Philippo Archinto Saluiatum Episcopo, nostræ Vrbis, ac illius districtus Vicario generali, in præfatos Hebræos priuatiuæ iurisdictionis per felicis recordat. Paulum Papam Tertium prædecessorem nostrum concessa, & per nos confirmata, diuersimode sine iurisdictione, & de facto coram aliis Tribunalibus, tam per vniuersitates, quam particulares pleromque ex officio curiæ & ad querelam, ac petitionem, vel Hebræorum, seu Christianorum respectiue molestantur, inquietantur, perturbentur, quo fit vt iustitia, non solum circa ciuiles, verùm etiam criminales causæ suum debitum non sortiantur effectum, & iurisdictio eiusdem Vicarij ab aliis indebite vsurpetur, cum actiue, & passiue præfati Hebræi iurisdictioni dicti Vicarij Vrbis subijciantur.

Confirmatio facultatū Vicario concessarū circa causas Iudæorum.

§. 1. Idcirco volentes sicut ordo iuris, & æquitatis suadet, vt dicta iurisdictio Hebræorum sit eiusdem Vicarij, & ab aliis præter mentem nostram non vsurpetur, Motu simili, & ex certa nostra scientia, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, dictas bullas, & priuilegia, sic vt præmittitur, prædicto fratri nostro Philippo Vicario in Hebræos concessa, actiue, & passiue inter ipsos, inter alios passiue tantum, confirmamus, & approbamus, ac robori firmitatem quatenus opus sit adijcimus.

Inhibitio Iudicibus Vrbis ne in causis Iudæorum se intromittant.

§. 2. Mandantes nunc, & pro tempore existentibus Almæ Vrbis Gubernatori, Auditori Cameræ, Senatori, Cameræ Apostolicæ Præsidentibus, & Clericis, omnibusque aliis Vrbis Iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, quacumque iurisdictione, & auctoritate fungentibus, & functuris, ne in causis Hebræorum tam Vniuersitatis, quam particularium, ciuilibus, & criminalibus, ac mixtis, se de cætero intromittant, imo illas ad eundem Vicarium nostrum iuxta formam dictarum facultatum, ac priuilegiorum remittant, inhibitionesque, ac significationes per alios quam à dicto Vicario à præfatis Hebræis obtentas, & in posterum obtinendas, per præsentes annullamus, ac pro nullis haberi volumus & mandamus.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus facultatibus, ac priuilegiis, & bullis, ac literis Apostolicis, seu motibus propriis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos dictis Gubernatori, Auditori Cameræ, Senatori, Præsidentibus, & Clericis Cameræ Apostolicæ omnibusque aliis, tam delegatis quam ordinariis Iudicibus circa iurisdictionem concessis, cæterisque contrariis, non obstantibus.

Facultas Vicarij pro obseruatione istorum concessa.

§. 4. Cum facultate præfatis Gubernatori, Auditori Cameræ, Senatori, Clericis, & Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, ac omnibus aliis Vrbis nostræ Iudicibus, vniuersitati prædictæ, ac particularibus illius hominibus, & personis, Barisello, ac omnibus aliis Vrbis executoribus, & subexecutoribus, sub pœnis pecuniariis, & censuris Ecclesiasticis imponendis, & applicandis, inhibendi, illasque euentum contrauentionis, tam per dictos Iudices, quam executores, & Iustitiæ ministros, ac quoscumque alios incurrisse, declaran. aggrauan. interdicen. auxiliumque brachij sæcularis inuocan. cæteraque omnia, & singula in præmissis, & præmissorum quolibet faciendi, dicen. geren. exercen. & plenarie exequendi.

Decretum irritans.

§. 5. Ac quicquid secus factum, seu innouatum, vel attentatum per dictos Iudices, & quoscumque fuerit, irritum, & inane decernentes, cum clausulis necessariis, & opportunis.

Placet. I. *Papa subscr.*

Innoua tio,

III. Innouatio, & noua concessio priuilegiorum Cardinalis S. R. E. Camerarij, & signanter circa eius interuentum in Camera Apostolica, dum agitur de contractibus eius Consanguineorum, & circa expeditiones à Clericis dictæ Cameræ, sub ipsius nomine, & sigillo signandas.

Quoad primam partem vide Pij IV. const. 55. Romanus, quam tamen huic derogare non puto cum specifice de Camerario non loquatur. Et quoad vltimam partem, habes confirmationem, & extensionem Greg. XIII. in eius const. 96. Quæ à Romanis, vbi notabo. Et de iurisdictione Camerarij attende Clem. VIII. const. 65. In conferendis.

Edita An. D. 1550.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Guidoni Ascanio S. Eustachij Card. nostro & S.R.E. Camerario. Sal. & Apost. ben.

Causa constitutionis.

§. 1. Licet ea quæ à Sede Apostolica emanasse dignoscuntur, plenam roboris firmitatem obtineant, nonnumquam tamen Romanus Pontifex illa præsertim S.R.E. Cardinalibus concessa libenter approbat, & innouat, vt iuxta ipsius Pontificia intentionem suum debitum, (vt par est) consequantur effectum, firmiterque obseruentur ab omnibus.

Paul. III. (cuius bulla hic non habetur) officium Camerariatus Sedis Apost. Guidoni Ascanio Card. S. Eustachij concessit.

§. 2. Dudum siquidem fel. record. Paulus Papa Tertius prædecessor noster, officium Camerariatus nostri, tunc sui, & eiusdem Ecclesiæ, quod bonæ mem. Augustinus tituli Sancti Apollinaris Presbyter Cardinalis, suus, & eiusdem S.R.E. Camerarius (dum viueret obtinebat, & exercebat, per obitum eiusdem Augustini Cardinalis, & Camerarij qui apud Sedem prædictam debitum naturæ persoluerat, vacans, cum omnibus, & singulis illius honoribus, oneribus, iuribus, & emolumentis consuetis, Tibi, qui eiusdem prædecessoris secundum carnem nepos existebas, per te quoad viueres tenendum, & exercendum, Motu proprio, & de fratrum suorum consilio concessit, & assignauit, ac te in locum dicti Augustini Cardinalis, quoad huiusmodi effectum substituit, & subrogauit. Necnon te, suum, & dictæ, Ecclesiæ Camerarium, fecit, constituit, & deputauit.

Iurisdictionemque, & prouisiones hic enumeratas dedit. Quoad iurisdictionem attende Clem. cit. in rub.

§. 3. Tibique suo, & prædictæ Ecclesiæ nomine Cameræ Apostolicæ Præsidensi, omnes, & singulos fructus, redditus, & prouentus, ad ipsum, & prædictam Ecclesiam pertinentes, ad Cameram ipsam peruenire faciendi, & de illis debita eiusdem Cameræ soluendi, officiales quoscúque in Ciuitatibus, Terris, & locis iurisdictionis temporalis præfatæ Ecclesiæ deputandi, & ab eorum officiis cum expediens fuerit amouendi, & alios eorum loco subrogandi, Gentes armigeras, suo, & dictæ Ecclesiæ statui fideles, & deuotos conducendi, & illis conuenientia, de eiusdem Cameræ prouentibus promittendi, & promissa soluendi, & generaliter omnia, & singula, quæ in iurisdictionibus & aliis quibuscumque negotiis, & causis ad ipsum Camerariatus officium de iure, vel de consuetudine quomodolibet pertinebant, & quæ præfatæ Ecclesiæ Camerarij facere, emendare, ordinare, administrare, & exequi soliti erant, faciendi, emendandi, administrandi, & exequendi, plenam, & liberam concessit facultatem.

Ad decretum Iul. II. editum contra ministros. & Clericos Cameræ in eius contractibus participantes cõfirmauit, vt supr. in eius cõst. 58. Alias.

§. 4. Et deinde cum statutum, & ordinationem piæ mem. Iulij Papæ Secundi, etiam prædecessoris nostri disponentia, quod Præsidentes, & Clerici Cameræ Apostolicæ, & quæcumque persona in dicta Camera, & in loco Camerali interuenictes, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, aut maiori dignitate fulgerent, Dohanas, Thesaurarias, & alios introitus, & res ad dictam Cameram spectantes, per se, vel alium seu alios, in toto, vel in parte conducere, aut cum illorum Conductoribus ipsi quomodolibet participare non possent, ac eisdem Præsidentibus, Clericis, & personis sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis quorumcumque officiorum per ipsos obtentorum pœnis ipso facto incurrendis, ne contra præmissa quomodolibet venire præsumerent, inhibẽdo, innouasset, & approbasset.

Illudque extendit ad interuenientes in Camera, dum agitur, de contractib. suorum affinium vel consanguineorũ.

§. 5. Ac statutum, & decretum huiusmodi, ad hoc vt Clerici, Præsidentes, & personæ præfatæ, quorum consanguinei, & affines dictas Dohanas, Thesaurarias, Salarias, & introitus conducebant, seu conducere volebant in eisdem Camera, & loco Camerali, de locationibus ipsis, & negotiis illas concernentibus discuterens, aut tractarent interuenire non possent per eius literas extendisset, & ampliasset.

Sed idẽ Paul. III. (cuius const. hic non habetur) Cardinalem Camerarium nõ ligare declarauit. Ad hoc vide quod dixi in rub.

§. 6. Quod Iulij prædecessoris, ac suis literis huiusmodi non obstantibus, etiam in futurum locationibus, & aliis præmissis, absque alicuius pœnæ, seu censuræ incursu, interesse libere, & licite valeres statuit, decreuit, & declarauit. Quodque sub statuto, & ordinatione Iulij prædecessoris huiusmodi, ac literis suis præfatis nullatenus comprehensus, sed ab illis prorsus exceptus esses, & esse censereris, prout ea tunc te excepis, in omnibus, & per omnia, perinde ac si statutum, & ordinatio, ac literæ suæ huiusmodi quoad te nullatenus emanassent decreuit.

Omnesque Iudices dictionis Ecclesiasticæ mandatis Camerarij subiecit, vt supr. in eius const. 41. Romani.

§. 7. Ac successiue, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, tam Almæ Vrbis Gubernator, Auditor Cameræ, Vicarius, Iudices ordinarij, quam alij quicumque Romanæ Curiæ, ac ditionis eiusdem Romanæ Ecclesiæ tibi, tuisque ordinationibus, & mandatis, perinde ac si ab eo, vel Romano Pontifice pro tempore existente emanassent, omnino parere deberent, & aduersus illa directè, vel indirectè modo aliquo venire nullatenus possent, voluit, & ordinauit, ac tunc, & pro tempore existentibus eiusdem Almæ Vrbis Gubernatori, Auditori Cameræ, Vicario, & aliis Iudicibus præfatis, sub excommunicationis, & priuationis officiorum, & beneficiorum per eos pro tempore obtentorum, necnon aliis arbitrio suo, ipso facto, si secus agerent incurrendis pœnis, ne contra præmissa, modo aliquo venire, aut facere, vel attentare, auderent, seu præsumerent inhibuit. Ac tibi, vt præmissorum obseruatione, executione, vel implemento, omnibus, & singulis prædictis, & quibus opus esset præciperes, mandares, & inhiberes, illosque citares, cogeres, & compelleres, ac contra eos manu regia, & alias prout tibi videretur procederes, cæteraque alia in præmissis, & circa ea, necessaria, quomodolibet opportuna faceres, & exequereris mandauit, Tibique vltra tuam potestatem, & auctoritatem in præmissis, plenissimam licentiam, & facultatem concessit.

Hoc idem habes in bul. Clem. VIII. cit. in rub.

Facultates & priuilegia omnia aliis Camerarijs quomodolibet concessa, innouauit.

§. 8. Necnon etiam omnia, & singula priuilegia, iura, iurisdictiones, potestates, auctoritates, facultates, literas, & indulta retroactis temporibus Camerariis dictæ Ecclesiæ, qui eatenus fuerunt, & Camerariatus officio huiusmodi per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores suos, ac ipsum, & Sedem prædictam, etiam super conceden. saluis conductibus, & fidantiis, causis ciuilibus, criminalibus, & mixtis, necnon moratoriis, dilationibus, salinaribus, & quibusvis aliis securitatibus, vel alias quomodolibet concessa, confirmata, & innouata, quorum omnium tenores, causas, & effectus pro sufficienter expressis haberi voluit, etiamsi maiora expressis, approbauit, & confirmauit, ac ea omnia tibi de nouo concessit, supplendo omnes, & singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan interuenissent in eisdem, ac illa perpetuæ firmitatis robur obtinere, inuiolabiliter obseruari, ac tibi, tuisque in dicto Camerariatus officio successoribus suffragari, ac eos præmissis omnibus, & singulis, vti, frui, potiri, & gaudere debere, nec desuper per quoscumque tam Apostolica, quam ordinaria, & mixta, auctoritate fungentes, Iudices, & personas, etiam dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales impediri, aut molestari posse decreuit.

Expeditiones Camerales omnesque, à Clericis sub nomine Camerarij expediri iussit. Hoc approbauit, & in falsior ampliauit Gregor. XIII. cit. in rub.

§. 9. Et insuper considerando, quod cura intima, & rerum Cameræ Apostolicæ Camerario pro tempore existenti erat commissa, ipseque Camerarius suum, & Romani Pontificis pro tempore existentis viuæ vocis oraculum habebat, suamque & dicti Pontificis personam in his repræsentabat, & propterea non conueniebat, vt rea Camerales .... per Decanum. & Clericos dictæ Cameræ, qui quicquid in dicta Camera agebant, nomine eiusdem Camerarij agebant, expedirentur, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, Decanus, & Clerici Cameræ huiusmodi, expeditiones aliquas camerales,

gratiam

gratiam vel Iustitiam concernentes, seu mixtas, aut ab illis dependentea, alias quam sub nomine Camerarij, ac sigillo penes ipsum Camerarium existente, facere, & expedire nequirent, & si aliter fierent, ex libris cassari, & deleri deberent statuit, & ordinauit, & ex tunc illas cassauit, & annullauit, & viribus euacuauit, ac pro penitus infectis haberi voluit, inhibendo Decano, & Clericis prædictis, sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis officiorum, & beneficiorum per eos pro tempore obtentorum, aliisque arbitrio suo pœnis ipso facto si secus agerent incurrendis, ne præmissis contrauenire, aut contra eorum tenorem quovis modo fieri, vel attentare auderent, seu præsumerent, ac irritum, & inane, si secus facere contingeret, decreuit. Ac tibi mandauit, vt pro præmissorum obseruatione, executione, & implemento, omnibus, & singulis prædictis, & quibus opus esset præciperes, & mandares, illisque inhiberes, ac eos citares, rogares, & compelleres, ac manu regia, & alias, provt tibi videretur, contra eos procedere, cæteraque alia faceres, & exequereris, quæ in præmissis, & circa ea, necessaria seu quomodolibet opportuna essent, & tibi viderentur. Ac etiam tibi vltra tuam potestatem, & auctoritatem in præmissis, plenissimam licentiam, & facultatem concessit, prout in eiusdem Pauli prædecessoris, tam sub plumbo, quam in forma Breuis desuper confectis literis plenius continetur.

Hic modo Pontif. dictas concessiones Paul. III. confirmat & innouat. Tu vide notata hic in rubr.

§. 10. Nos circumspectionem tuam, quam Diuina Clementia magnis illustrauit gratiarum muneribus non minoribus, quam dictus Paulus prædecessor prosequebatur fauoribus, & gratiarum prærogatiuis, prosequi volentes, ac singularum, & aliarum quarumcumque literarum, & concessionum tibi, & aliis eiusdem Ecclesiæ Camerarij prædecessoribus tuis quomodolibet concessarum, & factarum, veriores tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, concessionem, assignationem, substitutionem, subrogationem, constitutionem, deputationem, statutum, decreta, declarationem, voluntatem, ordinationes, inhibitiones, mandata, approbationem, confirmationem, ac omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, & decretis, litteras prædictas auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & innouamus. Et nihilominus tibi, potiori pro cautela, concessiones, assignationes, substitutionem, subrogationem, constitutionem, deputationem, statuta, decreta, declarationem, voluntatem, ordinationem, inhibitiones, mandata, approbationem, & confirmationem præfatas, modo, & forma præmissis de nouo concedimus, & respectiue facimus, statuimus, decernimus, declaramus, volumus, ordinamus, inhibemus, mandamus, approbamus & confirmamus.

Clericosque sigillo Camerarij vti debere præcipit.

§. 11. Ac etiam tibi, quod sigillum huiusmodi officij Camerariatus, solus, & in solidum absq; eo quod Clerici, & Præsidentes, seu Decanus Cameræ huiusmodi, aliquod aliud sigillum penes se, vel eorum aliquem, retinere possint, aut debeant, retinere possis, & valeas concedimus, & indulgemus.

Clausulas præseruatiuas huius bullæ apponit.

§. 12. Præmissaque omnia, & singula, sub quibusvis reformationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, per nos editis, & in futurum quomodolibet edendis nullatenus comprehensa, vel reuocata esse, aut posse decernimus, & quotiescumque comprehensa, vel reuocata viderentur, illa toties in pristinum statum restituta, & de nouo concessa, etiam ex nunc, provt ex tunc fuisse, & esse. Teque super præmissis, & illorum occasione, à nobis, seu successoribus, vel aliis quibuscumque molestari, inquietari, vel perturbari nullatenus posse, neque debere, ac præsentes ad eorundem præmissorum, omnium, & singulorum probationem, verificationemque, in iudicio, & extra sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, nec contrarium probari, vel vllam probationem recipi, seu admitti, ac de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis, vel alio forsan maiori defectu, aut alio quovis prætextu, notari, seu impugnari, aut in aliquo alterari nullatenus posse, sicque per quoscúque quavis auctoritate fungentes Iudices; & personas sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & interpretari atque decidi debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus, ac statuimus, & ordinamus, supplentes omnes, & singulos tam iuris quam facti, ac omissionis cuiuscumque solemnitatis & consensus etiam substantiales defectus etiam hic forsan de necessitate exprimendos, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Executores eiusdem deputat.

§. 13. Quocirca venerabilibus fratribus nostris, Cesenat. & Imolen. Episcop. ac dilecto filio Curiæ causarum Cam. Apost. generali Auditori, per Apost. scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorũ, per se, vel alium, seu alios, tibi, & aliis quorum intererit, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, ac præmissa, omnia, & singula vbi, & quoties expedierit, fuerintque; desuper requisiti solemniter publicantes, non permittant vos contra præmissa per quoscumque Cam. Apost. Clericos, aut Præsidentes, Aduocatos, & Procuratores Fisc. aut alias quasvis personas, quavis auctoritate fungentes, directe, vel indirecte, quomodolibet impediri, seu molestari. Contradictores, molestatores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis, seruatis processibus, censuras, ac pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Contrariis omnibus derogat.

§. 14. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon de iure quæsito non tollendo, ac aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis editis, & edendis, ac priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis quibusvis, ac sub quibuscumque tenoribus, & formis etiam motu simili concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus, illorum omnium formas, & tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse, motu, & scientia similibus derogamus, necnon omnibus illis, quæ dictus Paulus prædecessor in eius literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Clericis, Præsidentibus, & aliis personis prædictis, vel quibusvis aliis, communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede, indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1550. 8. Kal. Martij, Pont. nostri anno 1. *Dat. P. An. 1. die 22. Febr.*

IV. Iurisdictio, & potestas Gubernatoris vtriusque Burgi Almæ Vrbis, & generalis Capitanei Custodiæ Romani Pontificis.

Iudex istius Gubernatoris in causis criminalibus citato Fisco Reu. Cam. Apostolicæ, & in ciuilibus, præterquam obligationum in forma Cameræ, mercedum, & miserabilium personarum, procedere potest, ex bulla 58. Pij IV. Cum ab ipso.

Ad hanc iurisdictionem attende, constitut. 71. Pauli V. in §. 10. 11. & 12.

IVLIVS PAPA III.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita An. D. 1550. Deputatio Ascanij de Cornea in Gubernatorẽ Burgi S. Petri, & Capitaneum Custodiæ Sanctissimi.

AD fidei constantiam, & animi magnitudinem cæterasq; virtutum dotes, qui in nostro, & Sedis Apostolicæ fulgere dignosceris, nostræ considerationis intuitum extendentes, & propterea volentes te, qui secundum carnem, noster nepos existis, condignis fauoribus, & gra-

tiis sublimate. Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine te militum Custodiæ generalem, cum omnibus, & singulis honoribus, oneribus, prouisionibus, stipendiis, emolumentis, priuilegiis, prærogatiuis, iuribus, pertinentiis, facultatibus, & iurisdictionibus ad Capitaneatus huiusmodi officium quomodolibet de iure aut ex speciali gratia, tibi etiam præsentium vigore facta spectantibus, & pertinentibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus.

Facultates eiusdē cognoscendi causas ciuiles, & criminales in prima instantia habitatorū Burgi priuatiue quoad alios Iudices. Tu vide bul. Pij IV. cit. in rubr.

§. 1. Necnon tibi per te ipsum, vel alium, seu alios aut Iudicem, seu Iudices, per te pro tempore deputatos, vel deputandos, omnimodam in temporalibus ciuilem, & criminalem iurisdictionem, ordinariam, seu etiam delegatam, ac merum & mixtum imperium, gladiique potestatem, etiam Sede vacante duraturam, in dilectos filios incolas, & habitatores vtriusque Burgi nostri S. Petri citato prius in causis criminalibus pro tempore existente iurisdictionis nostræ huiusmodi Burgi Procuratore Fiscali. Ita tamen quod nullus deinceps ex quibusvis Almæ Vrbis nostræ Iudicibus, tam ordinariis, quam extraordinariis, aliquam superioritatem, aut superintendentiam, in te aut Curiam ipsius Burgi, seu pro tempore per te deputatos, & deputandos illius Iudices, Notarios, Barisellos, executores, subexecutores, etiam prætextu facultatum, priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum, etiam per nos, aut prædecessores nostros, sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam Motu simili, quomodolibet hactenus concessorum, habere, aut per se, vel executores suos, de quibusvis, tam ciuilibus, quam criminalibus dictæ Curiæ Burgi causis, in prima instantia pro tempore indecisis pendentibus, ante latam in eis definitiuam sententiam, quovis alio quæsito colore se intromittere.

Executores cuiuscumque Curiæ absque licentia Iudicis, in Burgo non exequantur.
Reuocauit Pius IV. vt cit.

§. 2. Aut Barisellus dictæ Curiæ, seu cuiuscumque alterius Curiæ eiusdem Vrbis executores pro tempore existentes, quodcumque mandatum executiuum, per eosdem Iudices contra quascumque personas in ipso Burgo pro tempore habitantes, & degentes, aut illorum res, & bona quæcumque decretum, seu relaxatum, aut pro tempore decernendum, & relaxandum, sine tua, aut Iudicis dictæ Curiæ Burgi pro tempore existentis expressa licentia, siue consensu exequi non possint.

Ibidem habitantes alibi non conueniantur. Tu vid. quod dixi in rub.

§. 3. Nullusque nullave cuiusvis status, gradus, & conditionis existat, incolas, & habitatores Burgi huiusmodi, seu in eo, & illius iurisdictione hospitantes, aut moram trahentes, conuenire, aut molestare, nec conueniri, vel molestari, neque ad aliud iudiciū siue tribunal trahere, seu trahi facere, actiue vel passiue, ex quavis causa, aut actione, personali, reali, ciuili, criminali, aut mixta, durante prima instantia, præterquam solum, & dumtaxat in iudicio, & coram Iudice dictæ Curiæ Burgi pro tempore existentis, sub pœnis contentis in Bannis in iurisdictione præfati Burgi publicatis, seu in futurum quando opus fuerit, publicandis, audeat, vel præsumat, sed te iurisdictionem, & potestatem tuas prædictas, ab omni, & quacumque superioritate, auctoritate, seu gladij quacūque potestate maiori, atque etiam à quocumque Vrbis prædictæ Iudice, seu Superiore siue Magistratu, & Commissario cuiuscumque auctoritatis, & in quocumque Tribunali, ac officio dictæ Vrbis pro tempore existente, seu etiam quibuscumque Stratarum Magistratibus, & aliis Iudicibus, etiam Commissariis ipsius Vrbis per nos pro tempore deputatis, præterquam nostra ac Rom. Pont. pro tempore existentis superioritate, auctoritate, seu potestate liberam, immunem, & exemptam habeas. Ac eisdem, & quibuscumque aliis quibus pro tempore opus fuerit, etiam sub sententiis, & censuris Ecclesiasticis, ac aliis etiam pecuniariis tuo, seu dictæ Curiæ Burgi Iudicis arbitrio imponendis, moderandis & applicandis, ne de præmissis causis, tam ciuilibus quam criminalibus in eadem prima instantia, donec sententia definitiua per præfatum Iudicem Curiæ Burgi pro tempore existentem lata fuerit, quoquo modo se intromittant, seu in eis procedere, aut se intromittere quomodolibet audeant, seu præsumant inhibendi, eamque in eos exercendi.

Facultas dicti Iudicis ciuiliter, & criminaliter procedendi.

§. 4. Ac inter, & contra ipsos, ciuiliter, & citato dictæ nostræ iurisdictionis Burgi Procuratore Fiscali criminaliter procedendi, ac ius dicendi, statuendi, & ordinādi, ipsosque & eorum quemlibet iuxta eorum demerita puniendi, & mulctandi, ac delinquentes, qui ex eorū culpa, & demeritis vigentibus vltimo supplicio, ac pœna capitali affici meruerint, condemnandi, & in eodem Burgo, seu illius iurisdictione & pertinētiis dictæ Curiæ morti standi faciendi, seu illis indulgendi, ac ipsos absoluendi, & liberandi.

Facultas d. Gubernatoris Iudicem, Procuratore, Fiscalem, Notarios, & Barisellos Burgi deputandi.

§. 5. Necnon omnes, & singulos Iudices, Procuratorem, Fiscalem, Notarios, Barisellos, & executores, ac subexecutores, quoscumque. Commissarios, ipsius Curiæ Burgi, cum honoribus, oneribus, emolumentis, salarij, & aliis regalibus, sibi propterea debitis, & exhiberi solitis, & consuetis, ita quod, tam Iudex Procurator Fiscalis, Notarius, Barisellus, & alij executores, & subexecutores, ac Commissarij eorum officia per loca quæcumque dicti Burgi libere, & licite, absque contradictione resistentia, oppositione quibuslibet sub prætextu locorum quomodolibet reseruatorum libere, & licite exercere possint, debeant ponendi, & deputandi.

Custodesque portarū Burgi eligendi, &c.

§. 6. Et insuper quoscumque, tam Portanarios omnium, & singularum portarum dicti Burgi Custodes, ad Capitaneatus officium huiusmodi spectantes, & pertinentes, quomodolibet ad tuum nutum amouibiles, quam dictos ad Commissarios ad tui libitum, & voluntatem ponendi etiam, atque reuocandi, restituendi, & amouendi, ac quando & quoties tibi videbitur alios illorum loco, cum honoribus, oneribus, & emolumentis solitis, & consuetis, vt præfertur, simul, & successiue substituendi, subrogandi, etiam deputandi.

Bannimenta quæ in Burgo publicādi, & cætera alia necessaria faciendi.

§. 7. Cæterum tibi quæcumque banna, & alia desuper necessaria, & opportuna in ipso Burgo per quemcumque Tubicinem, aut Bannitorem, per te aut tuos officiales eligendum, publicandi, & publicari faciendi, ac omnia, & singula; tam per te, quam Iudicem, Notarium, Barisellum, Commissarios, & alios officiales tuos prædictos per hactenus deputatos nunc pro tempore existentes, ac quoa pro tempore deputari contigerit, & quæ circa iurisdictionem dictæ Curiæ Burgi, & alias per eos, seu eorum quemlibet hactenus facta, gesta, dicta, & exequuta fuerint, valida, & efficacia existant, vobisque & colligantibus in Curia Burgi huiusmodi perinde valeant, & suffragentur, ac si præsentes literæ à die assumptionis nostræ ad summi Apostolatus apicem emanatæ extitissent, gratiamque præsentem tunc à nobis reportassent, cætera alia in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna, faciendi, gerendi, exercēdi, & exequēdi, seu fieri, & exequi faciendi, plenam, & liberam, ac omnimodā merique & mixti Imperij ac etiam gladij potestatem, facultatem, auctoritatem concedimus, atque pariter indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis Cameræque Apostolicæ, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, necnon Vrbis generalibus, vel specialibus, ac etiam particularibus, & Cameræ prædictæ, decretis, contractibus, consuetudinibus, etiam ab immemorabili obseruatis, necnon etiam longissimi temporis præscriptionibus, priuilegiis, quoque indultis, licentiis, concessionibus, & literis Apostolicis, etiam in forma Breuis, quibusvis personis cuiusvis dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis, existentibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, necnon etiam fortioribus clausulis, irritantibus quoque, & aliis decretis, & contractibus, cum eadem Camera super præmissis, necnō etiam quibusvis aliis pecuniis, etiam ipsius Cameræ Commissariis forsan celebratis, seu etiam per fel. rec. Paulum Papam III. seu alios Rom. Pont. prædecessores nostros, aut etiam per nos forsan, sub quibuscumque tenoribus, & formis etiam pari motu, vel alias quomodolibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis, necnon cuiusvis Tribunalis prædictæ Vrbis, ac dilectorum filiorum supradictæ Cam. Clericorum, significationibus, mandatis, & inhibitionibus, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, ac illorum loco datis, & totis tenoribus, necnon nominibus, & cognominibus personarum huiusmodi specialis, specifica, indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita

forma,

forma, ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 1. die 22. Sept.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 22. Februar. 1550. Pont. nostri anno primo.

V. Indulta Curialium, & Incolarum Vrbis disponendi de eorum bonis in Vrbe, & eius districtu existentibus, etiam ex fructibus bonorum Ecclesiasticorum acquisitis, & ad fauorem incapacium. Et facultas proximiorum in illis succedendi ab intestato.

De hoc priuilegio primum disposuit Six. IV. in const. 8. Et si vniuersi, sup. Et tandem Paul. V. infr. in cōst. 18. In eminēti. vbi videas quæ tibi indicabo.

Edita An. D. 1550.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Causa indultorum.

CVpientes, vt Alma Vrbs nostra, in qua beatus Petrus Apostolorum Princeps, sibi, & suis in Christi Vicariatu successoribus Sedem constituit, & ad quam veluti communem omnium fidelium patriam frequens est hominum accessus, spiritualibus fauoribus, & prærogatiuis decoretur, & qui illam pro tempore incolunt, seu Romanam Curiam sequuntur, tam in iis quæ ad victum hominis pertinent, quam in suorum dispositione bonorum, & post eorum obitum hæredes sui in eorundem bonorum assecutione plena libertate fruantur, & Vrbis decori, ac Curiæ prædictarum frequentiæ, necnon Vrbem incolentium, & Curiam huiusmodi insequentium indemnitati consulere.

Facultas Curialium disponendi de eorum bonis in Vrbe & districtu consistentibus.

§. 1. Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate, & ex certa scientia nostris plurium Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, qui eandem Vrbem diuersis gratiis, & priuilegiis decorarunt, vestigiis inhærendo &c. statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli Vrbis Incolæ, seu Curiam huiusmodi sequentes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis existant, etiamsi Cardinalatus honore, aut Patriarchali, Archiepiscopali, Abbatiali, vel quavis alia, Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant, si eos in dicta Curia, seu eius districtu decedere contigerit, de omnibus, & singulis eorum immobilibus, mobilibus, & se mouentibus bonis, pecuniis, iocalibus, iuribus, actionibus, & de rebus aliis in dicta Vrbe, & eius districtu pro tempore consistentibus, & per eos etiam ex fructibus, redditibus, & prouentibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum, per eos etiam ea quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, vel commēdam, aut administrationem, seu alias quomodolibet obtentorum, aut alias (licite tamen) acquisitis, cuiuscumque quantitatis, qualitatis, summæ, valoris, & pretij seu conditionis existant, etiamsi talia sint, quæ sub generali verborum expressione non comprehendantur, sed speciali nota digna sint, tam donatione inter viuos, & causa mortis quam testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, & quavis alia vltima voluntate in fauorem consanguineorum, & affinium suorum, ac quarumvis aliarum personarum, etiam penitus extranearum, ac de iure incapacium seu alias prohibitarum, etiam diuitum, potentium, ac natorū suorum illegitimorum seu spuriorum, ac Collegiorū, & Vniuersitatum, Ecclesiarum, & piorum locorum, & non piorum disponere, ac in eis consanguineos, affines, & quasvis alias personas, ac natos etiam, vt præfertur, procreatos, necnon Collegia, Vniuersitates, Ecclesias, & pia loca, hæredes particulares, & Vniuersales pro libito eorum voluntatis instituere libere, & licite valeant.

Successio hæredum in bonis Curialium exclusa Rev. Cam. Apost.

§. 2. Quodque si Vrbis incolæ, aut Curiam huiusmodi sequentes ab intestato decesserint, eorum bona pecuniæ, iocalia, iura, actiones, & res huiusmodi non ad nos, & pro tempore existentes Romanos Pontifices, aut Cameram Apost. sed ad ipsorum pro tempore decedentium proximiores agnatos, & alios qui eis, nisi beneficiati essent, de iure succedere deberent, alias iuxta iuris communis dispositionem libere deuoluantur, nec per Cameram præfatam, aut pro ea agentes, etiam prætextu quod hæredes præfati in Curia tunc non existant, aut quod aliqui eisdem defunctis sanguine coniuncti in eadem Vrbe non reperiantur, vel alias ratione dilapidationis bonorum, pecuniarum, iocalium, & rerum huiusmodi occupati, aut inuentariari possint, sed si hæredes præfati in Curia non fuerint, aut aliqui eisdem pro tempore defunctis sanguine coniuncti in Vrbe non reperiantur, tunc, & eo casu, bona, & pecuniæ, ac alia huiusmodi per ad id pro tempore deputatos singularum rationum, quarum ipsi defuncti fuerint, apprehendātur, & iuxta iuris formā inuētarientur, & sub fideli custodia pro eisdē hæredibus conseruentur.

Inhibitio contra officiales R. C. Apostol. inobedientes.

§. 3. Districtius inhibemus dilectis filiis moderno, & pro tempore existenti Camerario nostro, & Clericis eiusdem Cameræ Præsidentibus, ac aliis nostris, & Vrbis, ac Curiæ prædictarum officialibus, necnon Ecclesiarū Monasteriorum, & beneficiorum prædictorum Prælatis, Capitulis, Conuentibus, & Rectoribus, ac illa pro tempore obtinentibus quocumque nomine nuncupentur, ne de bonis, pecuniis, iocalibus, iuribus, actionibus, & rebus per Episcopos pro tempore decedentes in dicta Vrbe vel infra eius districtum, vt præfertur, pro tempore relictis se intromittere, aut illa petere, seu vendicare, vel hæredes, & successores decedētium personarū huiusmodi illorum occasione impetere, seu alias quomodolibet molestare præsumant. Ac decernentes ex nunc irritum, & inane si secus super iis à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apost. ac Cam. necnon Eccles. & Monasteriorum prædictorum etiam in quibus beneficia huiusmodi fuerunt, etiam iuramento, confirmatione Apost. vel quavia firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apost. eisdem Cam. Ecclesiis, Monast. & beneficiis, ac quibusvis aliis sub quibuscumq; tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiā derogatoriarū derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie quomodolibet etiam Motu proprio concessis, ac etiam iteratis vicibus, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idē importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habētes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 1. die 10. Martii

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1550. sexto Idus Martij, Pont. nostri anno 1.

VI. Absolutio omnium Hæreticor. (præterquam sub generali Inquis. Regnorum Hispaniæ & Portugalliæ comprehensorum) ad Catholicam fidem, & S. R. E. gremium redeuntium.

Ad hæc videri poterit, bulla 8. Paul. III. Illius supr.

Edita A. D. 1550.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ILlos qui misericors, & miserator existens non solum septies, sed etiam septuagies septies ignosci debere mandauit, vices licet immeriti gerentes in terris, etiam iis, qui à fide Christi aliquando aberrant, ianuam pietatis, & misericordiæ aperimus, ac pœnas quas iuris seueritas in eos statuit, Apostolicæ Sedis clementia moderamur,

mur, vt aberrantes huiusmodi, dictæ Sedis benignitate allecti, eorum erroribus abiuratis Catholicæ fidei zelum, & obseruantiam in eorum cordibus firmius recipiant, & si in eorum falsis opinionibus perseuerare præsumpserint, in eo vehementius animaduertatur, quo obstinatiores se in erroribus sui præstiterint.

Multi ad fidē non redibant perhorrescentes publicam pœnitentiam.

§. 1. Sane cum sicut nuper accepimus, diuersi fideles diabolica fraude decepti, se in diuersas erroneas, & ab eadem fide alienas opiniones, paulatim deduci permiserint, & modo publicam pœnitentiam abhorrentes, & potius placida huius sæculi quam salutem animæ suæ sectantes, ne infamia aspergantur ad ouile Christi redire differant.

Hic modo Pont. ad priuatam pœnitentiam admittit.

§. 2. Nos animarum saluti quantum cum Deo possumus consulere cupientes, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & certa scientia nostris, omnes, & singulos vtriusque sexus, tam laicos, quam clericos, sæculares, & quorumvis Ordinum, & militiarum Regulares, tam milites, quam Presbyteros, non tamen sub generali Inquisitione Hispaniæ, ac Portugalliæ Regnorum comprehensos, de præmissis culpabiles cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis, aut præeminentiæ existant, etiamsi Pontificali, aut alia quacumque, etiam maiori, Ecclesiastica, vel mundana dignitate præfulgeant, qui infra tres menses à die publicationis præsentium, modo, & forma infrascriptis faciendæ computandos, coram Inquisitoribus Ciuitatum, in quibus ipsi degunt, se personaliter exhibuerint, & suas hæreses coram eis priuatim abiurauerint, & se ad pœnitentiam priuatam eis per dictos Inquisitores iniungendam adimplendum paratos obtulerint, eamque postmodum cum effectu adimpleuerint, ab omnibus, & singulis eorum hæresibus, & à fide Christi apostasiis, ac quibusvis aliis in eadem fide erroribus, quantumcumque grauibus, & enormibus, necnon excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris, & pœnis tam Ecclesiasticis quam temporalibus, etiam bonorum priuatiuis, & corporis afflictiuis, ac capitalibus ab iure, vel ab homine latis, & promulgatis (dummodo hactenus inquisiti, aut in hæresim relapsi non fuerint) Apostolica auctoritate, tenore præsentium, in vtroque foro penitus, & omnino absoluimus, & liberamus, necnon cum eis super irregularitate per eos præmissorum occasione, etiam quia sic ligati forsan Missas, & alia diuina officia, etiam forsan in contemptum clauium celebrarunt, aut illis alias immiscuerunt contracta. Quodque ea, & aliis præmissis non obstantibus non promoti ad omnes, etiam sacros, & presbyteratus ordines promoueri, & in illis tam ipsi, quam qui iam etiam post incursam hæresim promoti existunt, etiam in altaris ministerio ministrare.

Ipsosque & eorum successores ad honores restituit.

§. 3. Necnon tam clerici, quam laici, & vtriusque sexus personæ, eorumque filij, nepotes, & descendentes ad gradus, honores, ordines, officia, & alia quæcumque assumi, illaque suscipere, & exercere libere & licite valeant, auctoritate, & tenore prædictis, de specialis dono gratiæ dispensamus, eisque pariter indulgemus. Necnon inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam circa eos præmissorum occasione quomodolibet insurgentem, penitus & omnino abolemus.

Impœnitentes autem, inquisitoribus nunciari præcipit.

§. 4. Quod si forte culpabiles præfati infra dictum terminum resipiscere, & ad cor reuerti noluerint, seu distulerint, ad hoc vt eorum notitia haberi, ipsique debitis pœnis affici possint, Motu & deliberatione, ac scientia prædictis, omnes, & singulas vtriusque sexus personas etiam, vt præfertur, qualificatas, de aliquibus ex hæreticis, seu alias culpabilibus prædictis quomodolibet notitiam habentes, seu eos hæreticos esse, aut fuisse scientes, dicta auctoritate tenore præsentium requirimus, & monemus, ac eis, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub incursu hæresis, ac omnibus contra hæreticos de iure inflictis, & promulgatis, tam Ecclesiasticis, quam temporalibus sententiis, censuris, & pœnis districte præcipiendo mandamus, quatenus infra spatium triginta dierum, terminum prædictum immediate sequentium, quorum decem pro primo, & alios decem pro secundo, ac reliquos decem dies pro tertio, & peremptorio termino ac monitione canonica, eis, & eorum cuilibet iis scriptis assignamus, hæreticos, seu alias culpabiles prædictos, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis Ciuitatum suarū, si prius, vt præfertur, aut alias absoluti non fuerint denuntiasse, & notificasse debeāt realiter, & cum effectu.

Et per Inquisitores generales eosdem impœnitentes appellatione remota coercere mandat.

§. 5. Et nihilominus venerabili fratri Io. Petro Episcopo Tusculan. Neapolitan. & dilectis filiis nostris Ioanni S. Clementis de Burgos, ac Marcello S. Crucis in Hierusalem, Ceruino, & Francisco S. Anastasiæ, tit. Sfondrato nuncupatis, presbyteris Cardinalibus, Inquisitoribus generalibus per Sedem Apostolicam deputatis, per Apostolica scripta, & pari motu mandamus, quatenus ipsi per se, vel alium seu alios, eosdem requisitos & monitos, monitioni, & mandato nostris prædictis non parentes, quos hæresim, & alias sententias, censuras, & pœnas prædictas propter non paritionem huiusmodi incurrere constigerit, ex nunc prout ex tunc, & è contra, hæreticos ac sententiis, censuris, & pœnis prædictis irretitos tandiu publice nuntient, & faciant ab aliis nuntiari, donec ipsi hæresim huiusmodi abiurauerint, & rehabilitationis gratiam obtinere meruerint, Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apost. non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Formam publicandi hanc bullam præscribit.

§. 7. Cæterum vt præmissa omnia ad eorum quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam iuste prætendere, aut se legitime excusare possit, volumus; & dicta auctoritate Apostolica decernimus quod præsentes literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores, in Basilica principis Apostolorum de Vrbe, & Ecclesia Lateranen. dum inibi multitudo populi ad diuina audienda congregari solet, plana, & clara voce legantur, & lectæ in earundem Basilicæ, & Ecclesiæ valuis, ac in porta Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ necnon in singularium Cathedralium, & Metropolitan. Ecclesiarum valuis affigantur, vbi ad lectionem, & notitiam cunctorum aliquandiu affixæ pendeant, & cum inde amouebuntur earum exempla in eisdem locis remaneant affixa. Quodque per lectionem, affixionem, & publicationem huiusmodi omnes, & singulæ personæ sub præsentibus comprehensæ post spatium trium mensium, & triginta dierum huiusmodi respectiue, ita sint obligatæ, & adstrictæ ac si illæ eis coram, & personaliter lectæ, & publicatæ essent.

Transumptis credi iubet.

§. 8. Et quod earum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Formam abiurationis subnectit.

§. 9. Volumus autem quod de personali exhibitione, & priuata abiuratione per dictos culpabiles, vt præfertur facienda, per scripturam manu propria ipsiusmet se exhibentis, & abiurantis, seu per publicum Notarium confectam, ac ipsius Inquisitoris, coram quo exhibitio, & abiuratio huiusmodi fieri continget manu suscripta, ita vt si ipsi culpabiles in eosdem, vel similes errores reinciderint, relapsi omnino esse censeantur, constare debeant, alias eædem præsentes, ac per eas dictis culpabilibus absolutio, & liberatio, ac dispensatio, & indultum concessa huiusmodi eis nullatenus suffragentur.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. A. 1. die 20. Non.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1550. tertio Kal. Maij, Pont. nostri Anno 1.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1550. *indictione* 8. *die vero* 5. *mensis Iunij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Iulij diuina prouidentia Papæ III. Anno eius primo, Retroscripta literæ Apostolicæ, absolutionis, liberationis, & dispensationis ab hæresi, ac monitionis, & mandati palam publice*

publice alta, & intelligibili voce in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, dum ibidem diuina officia de mane celebrabantur, & magna populi multitudo congregata esset, de verbo ad verbum, per me Ioannem Roillard. præfati Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem lecta, & deinde affixa, & publicata fuerunt. Et successiue eadem die in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis, etiam de verbo ad verbum, hora vesperorum, per me eundem Ioannem Cursorem, lecta affixa, & publicata fuerunt, & postmodum eadem die affixa, & publicata fuerunt in valuis, seu portis Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis in suprascriptis valuis, & locis per aliquod temporis spatium affixis, & deinde amotis copiam earundem literarum in valuis, & locis suprascriptis affigendo, & dimittendo per nos eundem Ioannem Roillard. Clericum coniugatum Virdunen. Diœces. & Maturinum Menandi Clericum Cenomanen. Diœces. prælibati Domini nostri Papæ Cursores.

Ita est Ioannes Roillard. Cursor. subscript.
Ita est Maturinus Menandi Cursor.
Ita est Petrus Gomes Magistr. Cursor.

VII. Fructus beneficiorum tempore obitus Beneficiatorum etiam Cardinalium inexacti, ad successores in beneficiis, & non ad hæredes spectant, in locis in quibus non deputantur à R. Camera Apost. spoliorum Collectores: Et ornamenta Capellæ Cardinalis defuncti, debentur eidem Cameræ, vna cum pretio annuli.

Istud creditum Cameræ, cæteris aliis præfertur, ex dispositione Pij V. in const. 15. Sanctissimus.

Hæc bulla quoad fructus beneficiorum Regni Neapolis declaratur à Sixto V. in constit. 90. Cum sicut. Et de materia spoliorum plene notabo in constit. 18. Pauli V. In eminenti.

Edita A. D. 1550. & 1551.

IVLIVS PAPA III.
Motu proprio, &c.

Hæredes Beneficiatorum fructus tempore eorū obitus inexactos exigebant, debita autem, & legata eorundem, & pretium annuli Card. & ornamenta Capellæ, vensabant Cameræ Sedis Apostolicæ consignare.

CVm, sicut nobis nuper innotuit, diuersorum Beneficiatorum etiam Episcoporum, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium pro tempore decedentium hæredes, non solum bona relicta, spolia nuncupata, sic decedentium Beneficiatorum Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum, ac etiam Cardinalium, verumetiam fructus &c. ecclesiasticos, ac pecunias, & res alias per ipsos Beneficiatos Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & alios Prælatos, ac etiam Cardinales ante eorum obitum non exactos, etiamsi eorum solutionis dies ante obitum ipsorum non aduenerit, sub eo forsan prætextu quod pro tempore ante obitum huiusmodi decurso debebantur exigere, & quandoque solutionem debitorum per ipsos beneficiatos, & Cardinales dum viuerent contractorum, & Legatorum per eos in sua vltima voluntate etiam ad pias causas factorū subterfugere, ac hæredes Cardinalium huiusmodi paramenta, & ornamenta Capellæ ipsorum Cardinalium, quæ iam tanto tempore quod eius initij hominum memoria non habetur, Capellæ Apostolicæ, in qua missæ Papales celebrantur, & ex qua pauperibus Prælatis ad Romanam Curiam pro tempore confluentibus, & paramenta Ecclesiastica cum quibus in processionibus, & aliis solemnitatibus per Romanos Pontifices fieri solitis incedere possint, non habentibus subuenitur, deuolui consueuerunt, occupare, ac solutionem quingentorum ducatorum auri de Camera, qui post obitum singulorum Cardinalium pro pretio annuli eis in eorum ad Cardinalatum assumptione adhiberi soliti, Cameræ Apost. persoluuntur, declinare contendant, & satagant.

§. 1. Nos attendentes fructus &c. pecunias ac res alias occasione Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore prouenientes, licet postquam ad manus Beneficiatorum peruenerunt, & cum aliis ipsorum Beneficiatorum fructibus &c. pecuniis, & rebus commixti, seu ipsi Beneficiatis incorporati sunt, non vlterius in Ecclesiasticis, sed potius ipsorum Beneficiatorum propriis, & ab eis acquisitis bonis indican. & propterea quodammodo pro sæcularibus, & prophanis haberi, & de eis testandi aut alias disponen. facultas eisdem Beneficiatis per Sedem Apostolicam concedi consueuerit, nihilominus donec in manibus eorum, qui illos tanquam Ecclesiasticos, seu ex Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis prædictis prouenien. & pro talibus conseruant, aut vt tales detinent, ipsique Beneficiati pecunias huiusmodi realiter non exegerint, & fructus &c. non perceperint neque cum aliis eorum bonis commiscuerint & sibi incorporauerint semper ipsarum Ecclesiarum, quarum ipsi Beneficiati sunt ac vere ecclesiasticos esse, & censeri debere, & propterea iuri non congruere, vt ipsi Beneficiati de rebus certis ipsarum Ecclesiarum, quæ omni iure alienari prohibentur disponere, etiam in eorum vltima voluntate possint, nec ipsis Beneficiatis etiam Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & aliis, ac Cardinalibus pro tempore defunctis, eorum hæredes, qui vt plurimum sunt laici in præiudicium successorum Beneficiatorum fructus &c. ac res & pecunias inexactos huiusmodi, os boui triturantis alligando exigant, & hæredes Cardinalium mala malis addendo, bona Capellæ Apostolicæ debita occupent, seu quod Cameræ, & creditoribus, ac legatariis debent, pro se retineant, Volentes in præmissis opportune prouidere, motu simili &c. declaramus nostræ intentionis nunquam fuisse, nec esse, quod quiuis quorumcumque Beneficiatorum etiam vt præfertur, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum, etiam Cardinalium vbilibet, etiam in Romana Curia, aut districtu, pro tempore decedentium siue ex testamento, per ipsos Beneficiatos etiam vigore facultatum quarumcumque eis in specie vel in genere, etiam prætextu quorumcumque capitulorum, ac statutorum & ordinationum, etiam nostrorum sub quibusvis tenoribus, & formis, ac alias quomodolibet concessorum condito, siue ab intestato hæredes, fructus &c. ac pecunias & res alias per ipsos sic defunctos Beneficiatos, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas & alios Prælatos, ac Cardinales ante eorum obitum non exactos, etiamsi pro tempore ante obitum huiusmodi decurso debeantur, ac eorum solutionis dies Beneficiatis, & Cardinalibus viuentibus aduenerit, & per ipsos beneficiatos, & Cardinales non steterit quo minus illos exegerint, quinimo omnem pro illorum exactione necessariam diligentiam, etiam iudicialiter agendo fecerint, quoquo modo exigere, aut etiam sponte oblatos percipere.

Hic idem Hi... declarat, hæredes fructus inexactos exi... pore non poss... sed ad successores in benef... &c. spectare; Hoc 2. modo declaratur inc infra.

§. 2. Aut cruces, candelabra, imagines, pateras, calices, & alia cuiusvis sortis, tam aurea quam argentea, vasa, & iocalia, ac quævis ornamenta, paramenta, & alia vtensilia Capellæ singulorum Cardinalium pro tempore decedentium, cæteraque tam ad ipsam Capellam, quam eius ministros, circa altaris Ministerium, & celebrationem missæ pertinentia, pro se retinere, aut solutionem quingentorum ducatorum huiusmodi euitare possint, sed quod de cætero perpetuis futuris temporibus fructus &c. ac pecuniæ, & res, vt præfertur, inexacti huiusmodi ad ipsorum sic defunctorum beneficiatorum etiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum, & Cardinalium in Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis prædictis successores, qui ex illis, quorum solutionis dies ante obitum Beneficiatorum huiusmodi aduenerit, omnia ipsorum Beneficiatorum, etiam vt præfertur, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum, etiam Cardinalium debita, & ad pias causas facta legata, si aliunde ex aliis ipsorum beneficiatorum bonis solui non possint, soluere teneantur, libere deueniant & in posterum deueniant; ac

Ornamenta Capellæ ad R. Cameram spectare decernit.

per eos, & non hæredes prædictos exigi possent, & in posterum possint. necnon cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, vasa, iocalia, ornamenta, paramenta, vtensilia, & alia ad Capellam singulorum Cardinalium, & eius ministros, vt præfertur, pertinentia, & ad eandem Capellam Apostolicam pertinerent, & spectarent, ac in posterum pertineant, & spectent, & per agentes pro ea, realiter, & cum effectu capi, & apprehendi possent, & deberent, ac in posterum possint, & debeant. Ac hæredes Cardinalium tam hactenus defunctorum, quam pro tempore decedentium quingentos ducatos huiusmodi eidem Cameræ persoluere tenerentur, & in posterum teneantur. Et propterea successores in Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis huiusmodi fructus, &c. ac pecunias, & res per eorum successores non exactos, libere & licite percipere, exigere, & leuare ac solutis, si aliunde vnde soluant non erit, vt præfertur, debitus, & legatis prædictis, quod residuum fuerit in suos vsus, & vtilitatem conuertere. Necnon agentes pro Capella Apostolica, cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, vasa, iocalia, ornamenta, paramenta, vtensilia, & alia prædicta propria auctoritate libere capere, & apprehendere posse. Ac hæredes Cardinalium, tam hactenus defunctorum, quam aliorum pro tempore decedentium, ad cruces, candelabra, & alia prædicta agen. pro dicta Capella Apostolica, realiter, & cum effectu consignandum. Et eosdem quingentos ducatos agentibus pro eadem Camara, vt præfertur, soluendum teneri, & obligatos, esse, ac ad id omnibus, iuris, & facti remediis, cogi, & compelli posse.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque in præmissis, omnibus, & singulis casibus ad præsens occurren. seu penden. per quoscumque, &c. in quavis causa, & instan. sublata, &c. iudicari, & definiri debere, ac irritum, &c. decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, &c. priuilegiis quoque indultis, ac testandi, & alias de dictis rebus, & bonis disponendi facultatibus, Capitulis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam per modum statuti, & ordinationis perpetuorum, Motu proprio, &c. aut alias quomodolibet etiam per nos ac dictam Sedem concessis, initis, & emanatis, quibus omnibus etiamsi de illis, &c. eorum tenores, &c. hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Limitatio quoad fructus exactos.

§. 5. Volumus autem, hæredes ipsorum beneficiatorum, qui iam ante præsentium publicationem pecunias, ac fructus per ipsos beneficiatos exactos huiusmodi exegerint, per successores in beneficiis huiusmodi, amplius præsentium vigore molestari non posse.

Iussio publicandi.

§. 6. Necnon præsentes in Cancellaria Apostolica, vt moris est, publicari; & in illius quinterno inter alias constitutiones perpetuas ad perpetuam rei memoriam describi.

Papa subscr.

Placet motu proprio I.

Publ. P. A. t. die 26. Iun.

Lecta & publicata fuit suprascripta regula, constitutio, & ordinatio Romæ, in Cancellaria Apost. Anno Incarnationis Dominicæ 1550. die vero 26. Iunij Pontificatus prædicti Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Iulij diuina prouidentia Papa III. Anno primo.

Prima declaratio dictæ constitutionis.

Edita A. D. 1550.

IVLIVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Refertur constit. praeced.

DVdum ex certis tunc expressis rationabilibus causis per quandam constitutionem nostram perpetuo duraturam, inter alia Motu simili declarauimus, &c. vt sup.

Causa huius declarationis.

§. 1. Cum autem sicut plurium fide dignorum relatione nobis nuper innotuit, constitutioni nostræ prædictæ per Beneficiatos, ac hæredes prædictos diuersæ fraudes fieri possint, per Beneficiatos videlicet fructus, &c. ac pecunias & res alias, vt præfertur, non exactos, legatis per eos in extremo eorum vitæ, & dum vlterius viuere desperant, ad pias causas pro tempore factis absorbendo, per hæredes vero diuersa debita iam extincta, & de quorum extinctiona successores in Beneficiis informari esse non possunt, pro validis, & veris supponendo, sicque successores præfatos fructibus, &c. ac pecuniis, & rebus aliis non exactis frustrando in animarum suarum periculum & successorum prædictorum detrimentum non modicum.

Declaratio prædicta constit. circa legata, & debita.

§. 2. Nos fraudibus huiusmodi occurrere, & ne verbis & non rebus legem imposuisse videamur, prouidere volentes, Motu simili, &c. Constitutionem nostram prædictam, solum legata quæ per ipsos Beneficiatos etiam Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Prælatos & Cardinales dum in sanitate constituti extiterint, ad pias causas facta fuerint, & debita quæ occasione Beneficiorum ad quæ fructus, &c. ac pecuniæ, & res inexacti huiusmodi pertinuerint, contracta extiterint, de quibus successores in beneficiis informationem verisimiliter habere possunt, & debent, comprehendere, & in eis tantum intelligi debere, ac successores præfatos ad aliorum quam, vt præfertur ad pias causas factorum legatorum, & occasione ipsorum beneficiorum contractorum debitorum solutionem minime teneri, nec ad id etiam vigore constitutionis nostræ prædictæ cogi, aut compelli posse.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque in omnibus & singulis, etiam ad præsens occurrentibus seu pendentibus casibus per quoscumque, &c. in quavis causa, & instan. sublata, &c. iudicari, & definiri debere, ac irritum, &c. decernimus, & declaramus.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus omnibus quæ in dicta constitutione nostra voluimus non obstare.

Iussio publicandi.

§. 5. Decernentes, præsentes in dicta Cancellaria, vt præfertur publicari, & describi debere.

Papa subsc.

Placet & ita Motu proprio decernimus, & declaramus. I.

Publ. P. A. t. die 4. Aug.

Lecta, & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1550. die vero 4. mensis Augusti, Pontificatus prælibati S. D. N. Iulij diuina prouidentia Papæ III. Anno I.

Sequitur secunda declaratio dictæ constitutionis.

Edita An. D. 1551.

IVLIVS PAPA III.

Motu proprio, &c.

Causa istius declarationis.

§. 1. CVm autem, sicut nobis nuper innotuit, licet nos per constitutionem nostram prædictam, solum Ecclesiis Monasteriis, & beneficiis in locis in quibus Collectores fructuum, & prouentuum Cameræ Apost. debitorum deputari, seu esse non consueuerant consistentibus, & circa quæ ius commune seruari debet, prouidere intellexerimus, nihilominus diuersæ personæ eandem constitutionem nostram ad Ecclesias, Monasteria, & beneficia, etiam in locis in quibus Collectores huiusmodi deputari, seu esse consueuerunt, consistentia, & in quibus diuersæ consuetudines diuersaque particularia iura, seu priuilegia vigent, trahere, & extendere conentur contra mentem & intentionem nostras, ac in fraudem & detrimentum quamplurium.

Declaratio quod dicta constitut. non se extendit ad beneficia locorum, in quibus Collectores à Camera deputantur.

§. 2. Nos fraudibus, & detrimentis huiusmodi occurrere, ac mentem, & intentionem nostras in præmissis declarare volentes, Motu simili, &c. Constitutionem eandem solum Ecclesias, Monasteria ac beneficia Ecclesiastica in locis in quibus Collectores prædicti deputari, seu esse non consueuerant, comprehendere, & ad tantum extendi, nec in Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis, in locis in quibus iidem Collectores deputari, seu esse consueuerunt consistentibus locum habere, aut affectum aliquem sortiri posse, aut debere. Et omnino ea non obstante, consuetudines, & particularia iura, seu priuilegia cuiuslibet loci in quo Collectores huiusmodi deputari, seu esse consueuerunt, in præmissis vigentia obseruari, & executioni demandari.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque in præmissis, omnibus & singulis, etiam ad præsens occurrentibus casibus, seu pendentibus causis, per quoscumque, &c. sublata, &c. iudicari, & definiri debere, ac irritum, &c. decernimus, & declaramus.

§. 4. Non

Clausula derogatoria. §. 4. Non obstantibus omnibus quæ in eadem constitutione nostra volumus non obstare.

Iussio publicati. §. 5. Præsentes in præfata Cancellaria, vt præmittitur publicari, & describi debere decernentes.

Papa subsc. Placet & ita declaramus.

Publ. P. A. 2. die 18 Iunij. *Lecta, & publicata fuit supradicta Regula, siue Declaratio Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, die vero Iouis decima octaua mensis Iunij, Pontificatus prælibati Sanctiss. D. N. Iulij, Diuina prouidentia Papa III. Anno 2.*

VIII. Quod Fratres Ordinis Seruorũ B. MARIÆ Virginis qui officium Pœnitẽtiarij, vel beneficia in titulum vel commendam tenent, non habeant vocem actiuam nec passiuam, neque in locis Ordinis commorari possint.

Alia de his Fratribus vide apud const. I. Benedicti XI. Dum leuamus hic sup.

Philippus Benitius Florentinos huius Ordinis professor dum vixit, fuit inter Beatos postea relatus, de eo officium recitandi certis personis concessit facultatem Paul. V. in const. 110. Domini nostri inf. Tom. 3.

Edita An. D.

IVLIVS PAPA III.
Motu proprio, &c.

Causa huius constitut. CVm, sicut accepimus, Fratres Ordinis Seruorum, sub Regula S. Augustini, Congregationis eiusdem Ordinis, beneficia Ecclesiastica ex dispensatione Apostolica, seu officium Pœnitentiarij tenentes in domibus Ordinis & Congregationis prædictorum permanere, & ibi officia, quæ inter Fratres ipsarum domorum distribuuntur, exercere, & priuilegiis, & immunitatibus & indultis eiusdem Ordinis, & Congregationis vti & gaudere, vocemque actiuam & passiuam habere velint, & contendant, & hæc omnia constitutionibus Ordinis, & Congregationis huiusmodi, necnon professioni, quæ per eosdem Fratres emittitur, maxime aduersetur, & cæteris Fratribus materiam scandali præstent.

Fratres huius Ordinis beneficia Ecclesiastica obtinentes, vel officiũ Pœnitentiarij non habeant vocem actiuã neque passiuam, & in domibus Ordinis nõ commorentur. §. 1. Nos huiusmodi inconuenientibus, prout nostro incumbit Pastorali officio, occurrere volentes, hac in perpetuum valitura constitutione, Apostolica auctoritate, ex certa nostra scientia statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Fratres Ordinis & Congregationis prædictorum, beneficia Ecclesiastica, vel quorumvis aliorum Ordinum regularia in titulum vel commendam pro tempore obtinentes, aut officium Pœnitentiariæ exercentes, quavis auctoritate & dignitate suffulti existant, in domibus Ordinis & Congregationis huiusmodi degere aut commorari, seu officia, & Prælaturas eorundem Ordinis & Congregationis obtinere, vel priuilegiis, immunitatibus, & indultis prædictorum gaudere, seu vocem actiuam, & passiuam in Ordine & Congregatione prædictis habere non possit modo aliquo.

Fratribus professis transitum ad laxiorum Ordinem prohibet, & extra domos Ordinis commorari. §. 2. Et in insuper, Fratribus, qui in Ordine, & Congregatione prædictis professionem tacitam vel expressam emiserint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna districtius inhibemus, de cætero habitum dimittere, aut ad alium Ordinem laxiorem se transferre, vel (si beneficia Ecclesiastica, aut officiũ Pœnitentiariæ non obtinuerint) extra domos Ordinis aut Congregationis huiusmodi sine sui Superioris licentia in scriptis habita degere aut commorari præsumant.

Prior Generalis & Vicarius hãc bullam publicẽt & exequantur. §. 3. Et ne aliquis, statuti, & ordinationis, ac inhibitionis nostrarum ignorantiam prætendere possit, dilectis filiis Magistro Augustino de Aretio Priori Generali totius Ordinis, & Magistro Philippo Castello de Vtino moderno Vicario Congregationis, & pro tempore existentibus Priori Generali Ordinis; & Vicario Generali Congregationis huiusmodi, sub eadem excommunicationis pœna committimus & mandamus, quatenus statutum, ordinationem & inhibitionem nostram prædictam inter institutiones, & constitutiones Ordinis & Congregationis prædictorum registrari, & per se vel alium, seu alios in singulis Prouinciis, Capitulis, & domibus eorundem Ordinis & Congregationis publicari, ac per eorum Fratres inuiolabiliter obseruari faciant. Contradictores quoslibet opponentes, aut illis auxilium, consilium, vel fauorem publice vel occulte præstantes, per censuras Ecclesiasticas, aut alias pro arbitrio imponendas pœnas, appellatione postposita compescendo, inuocato etiamsi (opus fuerit) auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsorum Ordinis, & Congregationis, etiam iuramento roboratis statutis, & consuetudinib. priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis tam sub plumbo quam in forma Breuis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis quomodolibet concessis. Quibus omnibus latissime extensis, & etiamsi de eis, &c. illorum tenores &c. hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus ac sufficienter derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sola signat. sufficit. §. 5. Præsentium etiam absque eo quod registrentur, aut illis data apponatur, solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere decernimus.

Papa subsc. Placet, & ita mandamus.

IX. Approbatio secunda instituti Religionis Clericorum Regularium Societatis IESV, melius explicati.

Aduersus hoc institutum primo à Paulo III. approbatum, nonnulla fuerũt excitata dubitationes, quæ habentur inf. in const. 89. Greg. XIII. Ascendente, & in const. X. Greg. XIV. Ecclesia. lib. II. vbi illa repulsantur, institutumque & priuilegia confirmantur. Cætera autem de hac Religione dixi sup. ad const. XXV. d. Pauli III. Regimini.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1550.*

Exordium. EXposcit debitum Pastoralis officij, cui nos, licet immeritos, prætulit diuina Maiestas, vt fideles quoslibet præsertim Religiosos, in via mandatorum Domini ad illius honorem & gloriam, & proximorum spiritualem profectum deambulantes, paternis confoueamus affectibus, vt fideles ipsi, dextera Domini sibi assistente propitia, æternæ salutis præmium feruentius exquirant, & in eorum pio proposito confoueantur.

Paulus III. cõfirmauit reg Societatis IESV, vt in rubr. §. 1. Dudum siquidem, per fel. rec. Paulum PP. III. prædecessorem nostrum, accepto. Quod dilecti filij, Ignatius &c.

Omittitur residuum narratiuæ, quia tota bulla Pauli III. est in loco cit. hic in rub.

Illa tamẽ iterum supplicat pro eius approbatione. §. 2. Vt autem prædicta omnia prius ab eodem prædecessore concessa, magis confirmentur, & simul omnia quæ ad institutum prædictæ Societatis pertinent, eisdem in literis aliarum summam continentibus comprehendantur, vt aliqua obscurius dicta, & quæ scrupulum, ac dubitationem possent inicere, per nos exactius explicentur, nobis fuit humiliter supplicatum, vt formulam qua prædictæ Societatis institutum, exactius & distinctius quam antea, edocente experientia, ac vsu rerum, expressum, eodem tamen spiritu, comprehenditur confirmare dignaremur.

Cuius tenor sequitur, & est talis.

Regula tenor. De Castitatis, paupertatis & Obedientiæ votis. §. 3. Quicumque in Societate nostra, quam IESV nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare, & soli Domino, ac Ecclesiæ ipsius sponsæ, sub Romano Pontifice, Christi in terris Vicario seruire, post solemne perpetuæ Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ votum, proponat sibi in animo, se partem esse Societatis,

ad hoc potissimum institutæ, vt ad fidei defensionem, & propagationem, & profectum animarum in vita, & doctrina Christiana per publicas prædicationes, lectiones, & aliud quodcumque verbi Dei Ministerium, ac spiritualia exercitia puerorum, ac rudium in Christianismo institutionem, Christi fidelium in confessionibus audiendis, ac cæteris Sacramentis administrandis, spiritualem consolationem præcipue intendat, & nihilominus ad dissidentium reconciliationem, & eorum qui in carceribus, vel in hospitalibus inueniuntur, piam subuentionem, & Ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout ad Dei gloriam, & commune bonum expedire visum erit, exequenda, gratia omnino & nullo pro suo in prædictis omnibus labore, stipendio accepto, se vtilem exhibeat, curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quæ via quædam est ad illud, quoad vixerit, ante oculos habere, & finem hunc sibi à Deo propositum totis viribus assequi, vnusquisque tamen secundum gratiam sibi à spiritu sancto subministratam, & vocationis suæ proprium gradum.

Præpositi Generalis auctoritate.

§. 4. Ideoque, nequis forte zelo vtatur, sed non secundum scientiam, proprij cuiusque gradus iudicium, & officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Præpositi Generalis seu prælati per nos quocumque tempore eligendi, vel eorum quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit, vt congruus ordo seruetur in omni bene instituta communitate necessarius. Qui quidem Præpositus de consilio consociorum, constitutiones ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes condendi, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente & quæ dubia esse poterunt in nostro instituto hac formula comprehenso declarandi auctoritatem habeat. Consilium vero necessario conuocandum, ac condendas vel immutandas constitutiones, & alia grauiora, vt alienare, vel dissoluere domos, ac Collegia semel erecta, intelligatur esse maior pars totius professæ Societatis (iuxta constitutionum nostrarum declarationem) quæ sine magno incommodo potest à Præposito Generali conuocari. In aliis, quæ non ita magni momenti sunt, idem Præpositus adiutus quatenus ipse opportunum iudicabit fratrum suorum consilio, per seipsum ordinandi, & iubendi quæ ad Dei gloriam, & commune bonum pertinere in domino videbuntur, ius totum habeat, prout in constitutionibus eisdem explicabitur.

Obedientia erga Roman. Pont. & Sedem Apostolicam.

§. 5. Quicumque autem in hac Societate professionem emiserint non solum in primis professionis suæ foribus intelligant, sed quoad vixerint, memores sint, Societatem hanc vniuersam, & singulos qui in ea profitentur sub Sanctissimi Domini nostri Pauli Papæ Tertij, & aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli obedientia Deo militare. Et quamuis Euangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter teneamus, omnes Christi fideles Romano Pontifici, tanquam capiti, ac IESV CHRISTI Vicario subesse, ob deuotionem tamen maiorem ad obedientiam Sedis Apostolicæ, & maiorem voluntatum nostrarum abnegationem, & certiorem sancti Spiritus directionem summopere conducere iudicauimus, singulos nos, & quicumque eandem in posterum professionem emiserint, vltra illud commune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto adstringi, vt quidquid modernus, & alij Romani Pontifices, pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quascumque prouincias nos mittere voluerint, sine vlla tergiuersatione aut excusatione illico, quantum in nobis fuerit, siue nos ad Turcas, siue ad quoscumque alios Infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, siue ad quoscumque hæreticos, schismaticos, seu etiam ad quosuis fideles mittendos censuerit, exequi teneamur. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur, an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, vt turrim hanc iuxta consilium Dominicum possint consummare, hoc est, an Spiritus sanctus qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, vt huius vocationis pondus, illo adiuuante se laturos sperent, & postquam, Domino inspirante, huic IESV CHRISTI militiæ nomen dederint, die noctuque succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.

Missionibus non procurandis nec vitandis.

§. 6. Nequa autem possit esse inter nos missionum, aut Prouinciarum huiusmodi ambitio, vel detrectatio, intelligant singuli, sibi per se vel alium, de huiusmodi missionibus, quidquam cum Romano Pontifice, non esse curandum, sed omnem hanc curam Deo, & ipsi Pontifici tanquam eius Vicario, & Societatis Præposito, dimittendam, cui quidem Præposito, sicut cæteris, nihil de sui ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice curandum erit.

Obseruantia Regulæ.

§. 7. Voueant etiam singuli, se in omnibus quæ ad regulæ huius nostræ obseruationem faciunt, Societatis Præposito.

Præpositi Generalis munere.

§. 8. Qui ad hoc munus, quam fieri possit idoneus, ad plura vota, prout in constitutionibus declarabitur, eligetur, obedientes fore. Ille autem, omnem eam auctoritatem, & potestatem habeat supra Societatem quæ ad bonam eiusdem Societatis administrationem, correctionem, & gubernationem vtilis erit. Iubeat autem ea, quæ ad constructionem propositi sibi à Deo & à Societate finis cognouerit esse opportuna, & in prælatione sua benignitatis ac mansuetudinis, charitatisque Christi, Petri, Paulique formulæ semper sit memor, & tam ipse, quàm consilium prædictum ad normam hanc assidue spectent. Singuli vero subditorum tum propter ingentes Ordinis vtilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, non solum Præposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur, sed in illo Christum veluti præsentem agnoscant, & quantum decet, venerentur.

Paupertate Domorum Professorum.

§. 9. Cum autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem esse vitam ab omni auaritiæ contagione quam remotissimam, & Euangelicæ paupertati quam simillimam, cumque sciamus Dominum nostrum IESVM CHRISTVM seruis suis regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum & vestitum esse subministraturum, sic voueant singuli & vniuersi perpetuam paupertatem, vt non solum priuatim, sed neque etiam communiter possint Professi, vel vlla eorum Domus aut Ecclesia, ad aliquos prouentus, redditus, possessiones, sed nec ad vlla bona stabilia, præter ea quæ opportuna erunt ad vsum proprium & habitationem retinenda, ius aliquod ciuile acquirere, rebus sibi ex charitate donatis ad necessarium vitæ vsum contenti.

Non tamen quoad Collegia quæ pro Studentium sustentatione, bona etiam stabilia habere possunt.

§. 10. Quia tamen Domus, quas Dominus dederit, ad operandum in vinea ipsius, & non ad scholastica studia exercenda destinandæ erunt, cum valde opportunum fore alioqui videatur, vt ex iuuenibus ad pietatem propensis, & ad literarum studia tractanda idoneis, operarij eidem vineæ Domini parentur, qui Societatis nostræ, etiam professæ velut quoddam Seminarium existant, possit professa Societas ad studiorum commoditatem, Scholarium habere Collegia, vbicumque ad ea construenda, & dotanda, ea deuotione aliqui mouebuntur, quæ simul atque constructa & dotata fuerint, (non tamen ex bonis, quorum collatio ad Sedem Apostolicam pertinet) ex nunc auctoritate Apostolica erigi supplicamus, seu pro erectis haberi, quæ Collegia possint habere redditus, census, seu possessiones vsibus & necessitatibus studentium applicandas.

Collegiorum gubernatio penes Præpositum, vel Societatem esse.

§. 11. Retenta penes Præpositum, vel Societatem omnimoda gubernatione, seu superintendentia super dicta Collegia, & prædictos studentes, quoad Rectorum seu gubernatorum, ac studentium electionem, ac eorumdem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, & circa studentium instructionem, eruditionem, ædificationem, ac correctionem, victus vestitusque & aliarum rerum necessariarum eis ministrandarum modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen, ac curam, vt neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas professa in proprios vsus conuertere possit, sed studentium necessitati subuenire. Qui quidem studentes, ingenij & morum indole tales esse debebunt, vt merito speretur, post absoluta studia

dia ad Societatem functiones idoneos fore, & sic demum post cognitum in spiritu & literis eorum profectum, & post sufficientem probationem, in Societatem nostram admitti possint.

Socij in sacris constituti officium priuatim recitare debent, &c.

§. 12. Socij autem omnes cum Presbyteri esse debeant, ad dicendum officium secundum communem Ecclesiæ ritum, sed priuatim & non communiter, vel in choro teneantur. Et in iis, quæ ad victum, & vestitum, & cætera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem, & approbatum vsum sequentur, vt quod inde pro cuiusque necessitate, vel spiritualis profectus desiderio subtractum fuerit, ex deuotione & non ex obligatione rationabile obsequium corporis DEO, prout expediet, offeratur.

Finis d. regula.

§. 13. Hæc sunt, quæ sub præfati Domini nostri Pauli, & Sedis Apostolicæ beneplacito, de nostra professione, typo quodam explicare potuimus, quod nunc fecimus vt summatim informaremus tum illos qui nos de nostro vitæ instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos Deo volente, imitatores vnquam habebimus huius viæ.

Ad cuius professionem non admittantur nisi diu multumque probati.

§. 14. Quam cum multas, magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicauimus, etiam statuere, ne quis ad professionem in hac Societate emittenda, nisi diuturnis, & diligentissimis probationibus, prout in constitutionibus declarabitur, eius vita & doctrina explorata fuerit, recipiatur, quia re vera hoc institutum, omnino humiles & prudentes in CHRISTO, & in christianæ vitæ puritate, ac literis conspicuos exigit.

Coadiutores & scholares vota sua debent emittere, & aliqui tria vota solemnia emittere possunt.

§. 15. Imo, & ij, qui in Coadiutores, tam in spiritualibus quam in corporalibus, & in Scholares admittentur, quorum vtrique, post sufficientes probationes, & tempus in constitutionibus expressum, vota sua, ad deuotionem, & meritum, maius, non quidem solemnia, præter aliquos, qui de licentia Præpositi Generalis, propter ipsorum deuotionem, & personarum qualitatem, tria vota huiusmodi solemnia facere poterunt, sed quibus teneantur, quamdiu Præpositus Generalis in Societate eos retinendos esse censuerit, emittere debeant, prout in constitutionibus latius explicabitur, nonnisi diligenter examinari, & idonei reperti, ad eundem finem Societatis, admittantur ad hanc IESV CHRISTI militiam, qui tenuibus cœptis nostris fauere dignetur, ad gloriam DEI Patris, cui soli sit semper decus & honor in sæcula. Amen.

Hic modo Pontifex approbat d. institutum, & omnia Societatis priuilegia.

§. 16. Quapropter considerantes, nihil, quod pium, sanctumque non sit, in dicta Societate, eiusque laudabilibus institutis, ac exemplari Ignatij, & aliorum sociorum prædictorum, vita, & moribus reperiri eaque omnia ad suorum & aliorum Christi fidelium animarum salutem, & fidei exaltationem tendere, Socios ac aliorum Coadiutores prædictos, & ipsius Societatis scholares, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, illosque sub nostra & Apostolicæ Sedis protectione suscipientes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, erectionem & institutionem Societatis, ac extensionem numeri illius Sociorum, ac receptionis & admissionis Coadiutorum, ac omnia & singula priuilegia, immunitates, exemptionnes, libertates, & condendi & alterandi statuta, & ordinationes, ac alia quævis indulta eisdem, Societati & illius Præposito per prædecessorem nostrum, & Sedem huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus, & formis concessa, & confirmata, ac desuper confectas, tam sub plumbo quam in forma Breuis literas, & in eis contenta, ac inde secuta quæcumque, perpetuo approbamus, & confirmamus, ac eis perpetuæ firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes & singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui interuenerint in eisdem. Eaque omnia, & singula, perpetuæ & inconcussæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere.

Et ita iudicari debere præcipit.

§. 17. Et sic per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi, facultate, & auctoritate, iudicari, interpretari, atque decidi debere, necnon quicquid secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus & declaramus.

Conseruatoresque & executores deputat.

§. 18. Quocirca vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet, per se vel alium seu alios, præfatis Præposito, & Societati, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra singulas prædictas, & præsentes literas plenum effectum sortiri, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari, non permittentes quemquam contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita compescendo, ac censuras prædictas legitimis super his habendis seruatis processibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Obstantia omnia tollit.

§. 19. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis & singulis quæ in literis prædictis idem prædecessor noster voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

Dat. R. An. D. die 21. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quinquagesimo, duodecimo Kal. Augusti, Pont. nostri Anno primo.

X.

Iurisdictio, & facultates Iudicum & Conseruatorum Congregationis Clericorum regularium S. Pauli decollati.

De d. Congregationis institutione, eiusque statu, vide sup. in Clem. VII. const. 37. Vana.

Quoad Iudices Conseruatores Regularium attende Greg. XV. const. 9. Sanctissimus inf. tom. 4.

Edita An. D. 1550.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Vniuersis & singulis venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatib. & alijs personis in dignitate Ecclesiast. constitutis, necnon Metropolitanis & aliarum cathedralium Ecclesiarum Canonicis, & eorundem Archiepiscoporum, & Episcoporum Vicariis in spiritualibus, ac officialibus generalibus vbilibet constitutis, salut. &c.

Exordium.

AD hoc nos Deus prætulit in familiam domus suæ, vt opportuna singulis prouisionis auxilia fidelis seruitutis iniunctæ prouidentia pro tempore dispensantes, illorum præsertim necessitatibus intendamus, & dispendiis occurramus, ac eos ab oppressionibus releuemus, qui studio piæ vitæ sub regularibus institutis Altissimo famulari dignoscuntur.

Congregationis supplicatio pro deputatione Conseruatorum.

§. 1. Sane dilectorum filiorum Præpositi & vniuersorum Clericorum regularium Congregationis sancti Pauli decollati Mediolanensis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, ac alij Ecclesiarum Prælati, eorumque Vicarij & officiales, necnon clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, tam sæculares quam diuersorum Ordinum regulares, exemptæ, & non exemptæ, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, communia Ciuitatum, Vniuersitates oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum ac aliæ singulares personæ ciuitatum, & diœcesis, & aliarum partium diuersarum occuparunt, & occupari fecerunt, castra, villas, & alia loca, terras, domos, possessiones, iura, iurisdictiones, priuilegia, & indulta, feuda, prata, pascua, syluas, nemora, vineas, decimas, fructos, census, redditus

redditus & prouentus, ac emolumenta, necnon bona, mobilia & immobilia spiritualia, & temporalia dictæ eorum Congregationis, & ad ipsos Præpositum, & clericos, ratione tam congregationis & quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura & sine cura, quæ etiam ex dispensatione & concessione Apostolica, in titulum, & commendam, ac alias obtinent, quam personarum suarum respectiue, communiter vel diuisim, aut alias quomodolibet spectantia, & ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel fauorem, nonnulli etiam ciuitatum, & diœcesum, ac partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem Præposito, & Clericis super prædictis castris, villis, locis, terris, domibus, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, feudis, pratis, pascuis, syluis, nemoribus, vineis, decimis, fructibus, censibus, redditibus, prouentibus, & emolumentis, ac bonis, mobilibus & immobilibus, spiritualibus & temporalibus, ac diuersis fructibus, redditibus, & prouentibus Ecclesiasticis loco pensionum annuarum, ac pensionibus annuis super similibus fructibus, redditibus, & prouentibus sibi reseruatis & assignatis, ac pecuniarum summis eis debitis, illarumque libera perceptione, & solutione seu solutionis recusatione, necnon priuilegiis & indultis, eis ac Congregationi huiusmodi, tam à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quam alias rite ab Imperatoribus, Regibus & Ducibus, ac aliis Principibus concessis, & aliis rebus ad eos, vt præfertur, spectantibus multiplices molestias & iniurias inferunt ac iacturas. Quare Præpositus & Clerici prædicti nobis humiliter supplicarunt, vt cum eis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum prouidere eis super hoc paterna diligentia curaremus.

Deputatio Conseruatorum cum amplis facultatibus.

§. 2. Nos igitur aduersus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem Præposito & Clericis remedio subuenire, per quod ipsorum occupatorum, detentorum, præsumptorum, & iniuriatorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut vnus vestrum, per vos vel alium seu alios etiamsi sint extra loca in quibus deputati estis Conseruatores & iudices, eisdem Præposito & Clericis efficacis defensionis præsidio assistentes non permittatis eos super his, ac priuilegiis, & indultis prædictis, necnon quibuslibet aliis bonis & iuribus ad eosdem Præpositum & Clericos, & per eos obtenta prædicta, & quæ eos pro tempore obtinere contigerit beneficia Ecclesiastica, communiter vel diuisim, vt præmittitur, spectantibus, necnon libera perceptione fructuum Ecclesiasticorum, & solutione pensionum annuarum eis pro tempore reseruatorum, & assignatarum, ac pecuniarum summarum, & rerum aliarum eis pro tempore debitarum, ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari vel eis grauamina, seu damna vel iniurias irrogari, facturi eisdem Præposito & Clericis cum ab eis vel procuratoribus suis fueritis requisiti, de prædictis & aliis quibuslibet, super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, locorum, terrarum, domorum, possessionum, iurium, iurisdictionum, feudorum, pratorum, pascuorum, siluarum, nemorum, vinearum, decimarum, fructuum, censuum, redditaum, & prouentuum, ac emolumentorum, necnon bonorum mobilium & immobilium, spiritualium & temporalium, ac libera perceptione fructuum Ecclesiasticorum, & solutione pensionum ac pecuniarum summarum, & rerum aliarum huiusmodi, necnon obseruatione priuilegiorum, & indultorum prædictorum, ac de quibuslibet molestiis, iniuriis, atque damnis, præsentibus, & futuris, in illis videlicet quæ iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit iustitiæ complementum, occupatores, detentores, præsumptores, molestatores & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Et nihilominus legitimis super his habendis seruatis processibus, eos quos censuras & pœnas per vos pro tempore latas incurrisse vobis constiterit, eas incurrisse declaretis, ipsasque censuras & pœnas quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggrauare curetis. Cæterum si per summariam informationem per vos super his habendam, etiam vobis constiterit, quod ad loca in quibus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, ac alios quos præsentes literæ concernunt pro tempore morari contigerit, pro monitionibus & inhibitionibus, ipsis ac citationibus de eis faciendis tutus non pateat accessus. Nos monitiones & citationes huiusmodi, ac inhibitiones quaslibet, per edicta publica locis affigenda publicis, de quibus verisimilis coniectura quod ad ipsorum monitorum citatorum, & inhibitorum notitiam peruenire valeant faciendi, necnon eisdem occupatoribus, detentoribus, præsumptoribus, molestatoribus, iniuriatoribus, contradictoribus & rebellibus, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis arbitrio vestro moderandis, inhibendi, plenam & liberam concedimus earundem tenore præsentium facultatem, ac volumus & præfata auctoritate decernimus, quod monitiones, citationes & inhibitiones huiusmodi sic factæ, ipsos monitos, citatos, & inhibitos arctent, perinde ac si eis personaliter insinuatæ & intimatæ extitissent.

Derogatio literarum Bonifacij Papæ VIII. & aliorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri quibus cauetur ne quis extra suam ciuitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices, & Conseruatores à Sede deputati prædicta, extra ciuitatem, & diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere; seu aliquos vltra vnam dietam à fine diœcesis earundem trahere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, seu quod de aliis quam manifestis iniuriis & violentiis, ac aliis quæ iudicialem non requirunt indaginem pœnis in eos si secus egerint, & in id procurantes adiectis Conseruatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, tam de Iudicibus delegatis & Conseruatoribus, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut alias editis, quæ vestræ in hac parte possent iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare. Quodque vos filij Canonici, Vicarij, & Officiales, de personis quæ deputari possint Conseruatores non sitis, priuilegiis quoque, indultis, exemptionibus, facultatibus, & literis Apostolicis, ac aliis Conseruatoriis, quibuscumque personis, cuiuscumque qualitatis, conditionis, gradus, præeminentiæ, seu dignitatis existentibus etiam Episcopali, Archiepiscopali, aut alia maiori dignitate, seu auctoritate fungentibus, ac Ordinibus, prædictis, necnon societatibus & vniuersitatibus, etiam Studiorum generalium ac Collegiis, etiam exemptis, necnon Ducibus, Principibus & temporalibus dominis, & non detrahendis illis, aut eorũ subditis extra eorum loca & dominia, aut coram aliis, quam eorum Conseruatoribus & Iudicibus, & vigore quarumcumque literarum Apostolicarum, etiam conseruatoriarum, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam per nos & Sedem prædictam, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserta forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, aliis alias in suo robore

perman

permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, vestræ iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua, cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Declaratio facultatum Conseruatorum.

§. 4. Cæterum etiam volumus, & dicta auctoritate Apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque à dat. præsentium, sit vobis, & vnicuique vestrum in prædictis, omnibus & singulis, cœptis & non cœptis, præsentibus, & futuris perpetuata potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate possit, in præmissis omnibus, cœptis & non cœptis, præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si supradicta omnia & singula coram vobis cœpta fuissent, & iurisdictio vestra & cuiuslibet vestrum in prædictis, omnibus & singulis, & per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset, constitutione prædicta super conseruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstante.

Transumptorum fides.

§. 5. Verum quia difficile foret, præsentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, etiá volumus & Apostolica auctoritate prædicta decernimus, quod ipsarum transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis ea prorsus fides in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ, eisdem præsentibus perpetuo valituris.

Dat. P. An. 1. die 11. Aug.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo, tertio Idus Augusti Pontificatus nostri Anno 1.

XI. Contra impedientes Inquisitores hæreticæ prauitatis in eorum officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes. Et contra ipsos Inquisitores, admittentes laïcos ad criminis hæresis cognitionem.

Ad hæc vide Pij V. constit. 82. Si de protegendis, vbi notabo.

Edita An. D. 1551.

IVLIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Inquisitores à multis impediebantur in eorum officij prætextibus.

Licet à diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, etiam per speciales constitutiones in corpore iuris insertas, fuerit rite, & salubriter sancitum atque decretum, vt sæculi potestates, & Domini temporales, ac Prouinciarum, ciuitatum, terrarum, & locorum quorumcumque rectores, quibuscumque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus censeantur, diœcesanis Episcopis & inquisitoribus hæreticæ prauitatis in ipso inquisitionis negotio faueant & assistant, nemoque ex prædictis potestatibus, dominiis & rectoribus, eorumque officialibus de crimine hæresis, cum mere sit Ecclesiasticum, quoquo modo cognoscat vel iudicet, neque diœcesano Episcopo vel inquisitori ipsius inquisitionis negotio incumbenti se opponere, aut ipsam aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium aut fauorem scienter dare audeat, perpetuæ damnationis sententia in eos qui contra prædicta fecerint promulgata, quam si per annum animo sustinuerint pertinaci, ex tunc velut hæretici condemnentur: vsque adeo tamen in omnibus fere, non solum Italiæ, verum etiam aliis Prouinciis, ciuitatibus, terris & locis, complurium laïcorum, vt accepimus mundanæ gloriæ processit ambitio, vel sacrorum Canonum inscitia, vel Ecclesiasticæ disciplinæ contemptus, vt in animarum suarum perniciem atque interitum, diœcesanos Episcopos, & Inquisitores à Sede Apostolica institutos inquisitionis officium exercentes, alij sub iustitiæ prætextu, ne vlli scilicet fiat iniuria, impedire, alij vero sub pietatis colore, vt sontes scilicet seuerius puniantur, se ipsis diœcesanis Episcopis & Inquisitoribus adiungere, & vnà cum eis de ipso hæresis crimine cognoscere, processus formare, formatosque suo iudicio submittere non erubescant.

Pontifex ideò præcipit, vt nemo impediat Inquisitores in negotio inquisitionis, nec se ingerat in cognoscend. crimine hæresis nisi ab inquisitoribus requisitus.

§. 1. Cui sane morbo iam nimis late progredienti, solitam ac salutarem Ecclesiæ medicinam pro nostra pastorali sollicitudine afferre cupientes, sæculi potestates, dominos temporales, ac Prouinciarum, ciuitatum, terrarum & locorum rectores supradictos, necnon quascumque alias sæculares personas, tam priuatas quá publico quouis munere fungentes, requirimus, & monemus, ac eis IESV CHRISTI Redemptoris nostri (cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris) nomine præcipimus, ne diœcesanos Episcopos & Inquisitores ipsos in suo inquisitionis negotio, vllo modo impediant seu perturbent, neque se in hæresis crimine, cognoscendo vel iudicando, quouis, etiam assistentiæ & fauoris colore, causa vel occasione (nisi quatenus ab ipsis diœcesanis Episcopis aut Inquisitoribus, spontanea & libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant, ordinationes prouisiones, & leges quascumque, de ipsius criminis cognitione latas sacris canonibus obsistentes, & Ecclesiasticam iurisdictionem impedientes sine mora abrogent & deleant, prout etiam nos eas omnes inualidas fuisse & esse decernimus & declaramus, ac ea nunc pro abrogatis & deletis haberi volumus, & mandamus.

Inobedientibusque & eorum fautoribus pœnas hic expressas imponit.

§. 2. Qui monitis his nostris non obtemperauerint, quiue scienter in prædictis consilium, auxilium, aut fauorem dederint, nouerint se, non solum per sacras dictorum prædecessorum nostrorum constitutiones, verum etiam per hanc nostram sanctionem siue sententiam & declarationem perpetuo duraturam (quam auctoritate Omnipotentis DEI, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra in ipsos non obtemperantes, quacumque illi præfulgeant dignitate, in his scriptis proferimus) communione fidelium, & omnium Ecclesiasticorum sacramentorum perceptione priuatos, ac maledictionis, ac execrationis æternæ vinculo ligatos, anathematisque & maioris excommunicationis mucrone percussos, ita vt nemo vnquam in præmissis delinquens nisi à nobis & successoribus nostris canonice intrantibus, etiam prætextu quarumcumque facultatum, concessionum, & gratiarum, etiam confessionalium nuncupatarum, etiam à nobis & dicta Sede hactenus emanatarum, vel in posterum emanandarum specificam & expressam, ac aliàs quam per verba generalia, de præsentibus nostris literis mentionem non facientium præterquam in mortis discrimine, absolui possit.

Inquisitorib. etiam easdem pœnas infligit si admittant laicos cognitione de crimine hæresis.

§. 3. Quibus etiam censuris ipsos diœcesanos Episcopos & Inquisitores subiacere volumus, si laicos secum quomodocumque de ipso crimine cognoscere aut iudicare permiserint.

Iussio publicandi, hanc

§. 4. Vt autem præmissa omnia, ad eorum quorum interest notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam iuste prætendere possit, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod præsentes literæ per aliquos Cursores nostros, aut notarios publicos in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Ecclesiæ Lateranen. Cancellariæ Apostolicæ valuis, necnon acie Campi Floræ, vt moris est publicentur, earum exemplo in singulis valuis & acie huiusmodi affixo & dimisso. Nulli ergo &c.

Dat. P. An. 2. die 18. Mart.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, quinto decimo Kal. Martij Pontific. nostri anno 2.

Publicatio.

Lecta, & publicata fuit die veneris sancti in Capella Sanctitatis suæ, dum diuina celebrarentur officia.

Anno Domini 1551. indictione nona, die vero 24. mensis Martij, Pont. S. D. N. Iulij diuina prouidentia Papa III. anno eius 2. Retroscripta literæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis seu portis Principis

Apost.

Apostolorum de Vrbe, & S. Ioãnis Lateran. & Cancellariæ Apostolica, necnon in acie Campi Floræ, dimissis copijs per nos Petrum Gomes Ereyle, & Franciscum Munos, S.D.N. Papæ Cursores.

Ita est Petr. Gomez Ereyle Curs. manu propria.

Ita est Francisc. Munos Cursor, manu propria.

Petrus Leobodie Magister Cursorum.

XII. Indulta & priuilegia Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Capella Summi Romani Pontificis Assistentium.

Similem concessionem habes in Greg. XV. Const. 32. Circumspecta inf. tom 4.

In nonnullis eiusmodi indulta reuocata, & respectiue moderata fuerunt, in bullis hic indicatis in Apostillis.

Edita A. D. 1551.

IVLIVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex ex sua circumspecta prouidentia eas consueuit personas condignis præcipuè complecti fauoribus & gratijs, quas sibi & Apostolicæ Sedi deuotas & obsequiosas, ac plurimis cognoscit meritis adiuuari.

Indultum pro Prælatis Capella Assistentibus, circa collationẽ beneficiorum.

§. 1. Hinc est, quod Venerabiles fratres Fabium Constantinopolitan. Christophorum Alexandrin. Christophorum Hierosolymitan. Ioannem Aquilegien. Patriarchas, & Andream Spalaten. Iacobum Corcyren. Franciscum Senen. Ioannem. Michaelem Materan. Scipionem Tarentin. Thadæum Consentinen. Ioannem Andream Messanen. Bernardinum Surrentin. Cæsarem Taurinen. Archiepiscopos, ac Marcum Senogallien. Thomam Feltren. Philos Asculan. Philippum Salutiarum, Nicolaum Mariam Catanien. Bernardinum Camerinen. Paulum Caturcen. Ioannem Nouiomen. Iacobum Niuernien. Leonem Foroiulien. Claudium Mirapicen. Cornelium Bitontin. Ioannem Baptistam Venafran. Ioannem Iacobum Aprutin. & Iodocum Lubicen. Episcopos, Prælatos domesticos nostros, & in Capella nostra Assistentes, eorum meritis & obsequiis exigentibus, condignis fauoribus & gratiis prosequi titulisque & honoribus decorare volentes, Motu proprio, non ad ipsorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & certa scientia, eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & eorum singulis (sine tamen quarumcumque dispensationum ad beneficia ac indultorum de fructibus in absentia percipiendis, necnon exemptionum à superioritate & iurisdictione eorum Ordinariorum sibi à Sede Apostolica, ante tamen Concilij Tridentini celebrationem concessorum, quorum omnium tenores pro expressis haberi volumus, & quæ illis tantum, quibus concessa sunt, minime denegata censeantur, sed in suo robore persistant, præiudicio) vt quandiu eorum quilibet Patriarchali, Archiepiscopali, & Episcopali cui nunc præesse dignoscitur, aut ad quam eum forsan transferri contigerit, Ecclesiæ præfuerit de quibuscumque dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus & præbendis, cæterisq; beneficiis Ecclesiasticis, cũ cura, & sine cura, sæcularibus ac quorumvis Ordinum regularibus, ad suam, ratione Ecclesiæ cui præest, collationem, prouisionẽ, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim spectantibus, & pertinentibus quæ deinceps in antea in singulis Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decemb. mensibus vacare contigerit (dummodo dispositioni Apost. generaliter reseruata, seu ex generali reseruatione Apost. affecta non fuerint) etiamsi præsentationes, nominationes, vel electiones aliorum, quæ saluæ sint, præcedere consueuerint, perinde ac si aliqua, à nobis vel dicta Sede, aut illius legatis, gratiæ expectatiuæ, ac super illis reseruationes, vniones, annexiones, & incorporationes, ac reseruãdi, vniẽdi, prouidendi, & alias disponendi, mandata cum inhibitionibus, & irritantibus, & aliis decretis nullatenus emanassent, vel in posterum emanarent, de illis videlicet ad suam separatim, per se solum vel eius pro tempore deputatum Vicarium, ad suam vero cum Capitulo Ecclesiæ suæ, coniunctim, collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & aliam dispositionem huiusmodi spectantibus, vnà cum eidem Capitulo personis sibi gratis & alias idoneis prouidere, & alias disponere, libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam, & facultatem concedimus.

Nobilitatisq; decus, cũ vsu insignium Papæ.

§. 2. Ipsosque Patriarchas, Archiepisc. & Episcopos, ac eorum singulos, Nobiles creamus, & facimus ac nobilitamus, nobilitatisque titulo & insignibus decoramus, necnon aliorum nobilium numero, & consortio fauorabiliter aggregamus, ac pro nobilibus haberi, nominari, & reputari volumus atque mandamus, eisque vt omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, derogationibus, mandatis, dispensationibus, fauoribus, gratiis, & indultis, quibus alij nobiles, etiam de nobili Comitum genere, etiam qui illustres reputantur, etiam ex vtroque parente procreati, de iure vel consuetudine, ac alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, etiam vti, potiri & gaudere, libere & licite possint & valeant vere & non ficte, in omnibus & per omnia, ac si de Illustrissimo genere ex vtroque parente procreati forent, ita quod inter eos, & ipsos illustres quoad nobilitatem, & alia ad illam necessaria, nulla penitus sit differentia, nec ficto locum habeat, auctoritate, & tenore prædictis indulgemus. Et in signum honoris, & nobilitatis huiusmodi, eis & eorum cuilibet tres Montes & alteram ex laureis, siue coronis insigniorum nostrorum, quibus eorum vnusquisque, prout melius sibi videbitur vnà cum insigniis suis, vel absque illis deinceps perpetuo vti possint gratiose donamus & impertimur.

Exemptio ab eisque à decimis.

§. 3. Ac eosdem Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, & eorum singulos à solutione cuiuscumque decimæ, etiam per nos & Sedem prædictam pro tempore impositæ, aut cuiuscumque pedagij, subsidij, gabellæ, & cuiuscumque alterius generis, ordinarij & extraordinarij vbique locorum, & ex quavis causa, impositi & imponendi.

Vectigalque vini pro sex vegetibus. De quo vide supr. Pauli VII. const. 23.

§. 4. Necnon ad instar Referendariorum nostrorum circa vectigal vini pro sex vegetibus dumtaxat, eisdem auctoritate & tenore, eximimus & liberamus, ac liberos & exemptos esse volumus.

Indultum visitandi Ecclesias, &c. & procurationes exigendi. Hoc reuocauit & declarauit Concil. Trid. sess. 24. cap. 3.

§. 5. Et insuper eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis & eorum singulis, vt Monasteria, Ecclesias, & alia quæcumque beneficia Ecclesiastica, suarum ciuitatum, & diœcesum, ac infra limites Decanatuum, Archidiaconatuum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum per eos, ex quibusvis dispensationibus & concessionibus Apostolicis, in titulum & commendam, & alias quomodolibet, nunc & pro tempore obtentorum, eorumque personas in quibus sibi ratione Ecclesiarum suarum, ac Decanatuum, Archidiaconatuum, & aliorum beneficiorum prædictorum visitationis officium, de iure vel consuetudine competit, per vnam seu plures personas idoneas, quas ad hoc duxerint deputandas, quandiu Ecclesiis prædictis præfuerint, ac Decanatos, & Archidiaconatus, & alia beneficia prædicta obtinuerint, & quoties visitationis tempus ingruerit, etiam duo, tria, seu plura ex eisdem monasteriis, Ecclesiis, seu locis vna & eadem die visitare, & procurationis iura & emolumenta quæcumque ratione visitationis huiusmodi sibi debita, etiamsi summam triginta librarum Turonen. argenti, quarum duodecim valeant vnum florenum de Florentia pro die qualibet excedat, ab eisdem Ecclesiis, Monasteriis, locis & personis taliter visitatis, in pecunia numerata recipere & exigere.

Lucrandique ad biennium fructus beneficiorum, etiã anticipata solutione. Amplia vt mox sequitur.

§. 6. Necnon omnes, & singulos fructus, redditus & prouentus mensarum suarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium, & quorumcumque monasteriorũ, & beneficiorũ Ecclesiast. cum cura, & sine cura sæcularium & quorumvis Ordinum regularium per eos, ex quibusvis concessionibus & dispensationibus Apostolicis, in titulum & commendam, aut alias pro tempore obtentorum, quibusvis personis etiam laicis, cum quibus suam & mensarum, ac monasteriorum, beneficiu

neficiorumque prædictorum conditionem efficere potuerint meliorem, vsque ad biennium à die arrendationis desuper ab eis vel suis procuratoribus faciendæ computandum, pro pretio seu pretiis, de quo vel quibus, eis vel procuratoribus suis videbitur arrendare, seu firmam vel annuam pensionem concedere, Ac pretium seu pretia huiusmodi, etiam vnico contextu, & anticipata solutione in pecunia numerata, recipere & habere, ac de habitis & receptis, soluentes quietare & liberare. Necnon fructus redditus, & prouentus huiusmodi, ac se & suos, in Ecclesiis, monasteriis, & beneficiis prædictis successores quoscumque, ad arrendationis huiusmodi sic faciendæ obseruationem pro dicto biennio, cum clausulis & obligationibus in talibus apponi solitis obligare possint, dictæque personæ, fructus, redditus, & prouentus prædictos, ad firmam seu annuam responsionem pro dicto biennio recipere & leuare, ac in suos vsus & vtilitatem conuertere, libere & licite valeant.

Indultum disponendi de eorum bonis quomodocumque acquisitis ex fructibus beneficiorũ prosentu duobus millibus etiam ad fauorẽ incapacium. Hoc vltimum reuocauit Pius V. infra in eius bulla 117.

§. 7. Necnon vt de bonis suis, mobilibus & immobilibus, ac se mouentibus, ab eisdem Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis tam per prædictas & alias Ecclesias monasteria, & beneficia Ecclesiastica qualitercumque qualificata, per eos ex quibusvis dispensationibus Apostolicis quomodolibet obtenta & obtinenda, necnon ex ingenio, industria ac labore suis, & alias quomodolibet licite acquisitis, & acquirendis, vsque ad summam duorum millium ducatorum auri in auro, in quaslibet, etiam à iure interdictas & reprobatas personas, tam inter viuos quam causa mortis, pro libito eorum voluntatis, aut pro remuneratione laborum eorum, qui eis viuentibus inseruierint, siue sint consanguinei, siue alij, & alias in pios & non pios, alias tamen licitos vsus disponere & erogare libere & licite valeant, auctoritate & tenore prædictis, de speciali gratia indulgemus.

Indultum remissionis fructuum male perceptorum, & omnis infamiæ & censuræ.

§. 8. Necnon eis & eorum cuilibet, omnes & singulos fructus, redditus, & prouentus per eos, ex horarum omissione & indebita possessionis beneficiorum apprehensione, seu cuiuscumque criminis, à iure vel ab homine, aut quavis alia quantumcumque inexcogitabili causa indebite perceptos, etiam in vtroque foro remittimus, eosque ab eorum restitutione liberamus. Necnon à quibusvis propterea quomodolibet forsan incursis sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, absoluimus & liberamus, ac absolutos & liberatos fore nunciamus, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam, siue notam ex præmissis quomodolibet prouenientem, ab eis & eorum quolibet penitus abolemus.

Inhibitio contra Gabellarios.

§. 9. Districtius inhibentes quibusvis gabellarum, pedagiorum, & onerum huiusmodi exactoribus, ne eosdem Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos vel eorum aliquem contra præsentium tenorem quoquo modo molestare vel inquietare præsumant.

Arrendationes pro biennio prosunt etiam successoribus.

§. 10. Ac decernentes, quod si contingat eosdem Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, dicto durante biennio decedere, aut regimini & administrationi suarum Ecclesiarum cedere, ac monasteria, & beneficia huiusmodi alias quomodolibet dimittere, nihilominus fructus, redditus, & prouentus prædictos pro dicto biennio obligatos remanere, & suos in Ecclesiis, & Monasteriis ac beneficiis, huiusmodi successores ad obseruationem earumdem arrendationum teneri, ac si se ad id personaliter obligassent.

Prædicta eorum testamenta valeant.

§. 11. Necnon testamenta & dispositiones huiusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, & firmiter obseruari debere.

Indultum creandi Notarios, & Milites deauratos.

§. 12. Præterea quod Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis ac eorum cuilibet Milites & equites deauratos octo, ac ad instar sacri Palatij, & Aulæ Lateranensis Comitum, quoscumque Notarios & Tabelliones publicos, ac iudices ordinarios extra Romanam Curiam creandi & instituendi, ac eisdem Militibus solita Equitum deauratorũ insignia concedi, ipsosque Notarios & tabelliones de notariatus & tabellionatus, & iudicatus officiis huiusmodi per pennã & calamare, vt moris est inuestiẽdi.

Legitimandique bastardos.

§. 13. Necnon quoscumque vtriusque sexus spurios, manseres, bastardos, aliosq; ex quocumque illicito damnato coitu pro tempore procreatos, viuentibus, seu mortuis eorum parentibus, disiunctiue seu copulatiue, ita, vt ad paternas, & alias successiones quorumcumque admitti, & in illis (sine præiudicio illorum, qui ab intestato succedere debeant) & ad quæcumque officia publica & priuata admitti, illaque gerere, & exercere possint, perinde ac si de legitimo toro procreati fuissent, legitimandi, ac omnem ab eis genituræ maculam abolendi, necnon eos ad primæua naturæ iura, restituendi, & reponendi.

Reuocauit Pius IV. const. 45.

Doctoresque creandi.

Reuocauit Pius V. in const. 60.

§. 14. Ac quoscumque idoneos, accitis, & in hoc sibi assistentibus, duobus dumtaxat Doctoribus seu Magistris in facultate in qua promouendi erunt, quos duxerint eligendos, in vtroque vel altero iurium, ac Theologiæ & Artibus necnon Medicina ac Baccalariatus, Licentiaturæ vel Doctoratus ac Magisterij gradibus respectiue cum solita insigniorum in talibus tradi solitorum exhibitione promouendi, & sic promotis, quod omnibus & singulis libertatibus, exẽptionibus, fauoribus, gratiis & indultis, quibus alij Baccalarij, Licẽtiati, Doctores, & Magistri in vtroque, seu altero iurium, ac Theologia vel Medicina huiusmodi in vniuersitatibus Studiorum generalium promoti, de iure vel consuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudẽt, ac vti, potiri, & gaudere poterũt quomodolibet in futurũ, vti, potiri, & gaudere possint, concedendi.

Sacros Ordines extra tempora conferendi.

Tu attende Conc. Trid.

§. 15. Necnon quoscumque ad omnes, etiam sacros & presbyteratus ordines promoueri cupientes, alias idoneos à suis Ordinariis literis dimissorias, seu ab eadem Sede licentiam habentes, ad omnes etiam sacros & Presbyteratus ordines huiusmodi, etiam extra tempora à iure statuta, ac etiam extra eorum diœcesim, de consensu tamen diœcesanorum, & alias rite promouendi, & dictos ordines eis conferendi.

Contra quoscumque criminosos etiam exemptos, suæ diœc. procedendi.

§. 16. Necnon per se vel alium seu alios, contra omnes & singulos criminosos, & qualitercumque delinquentes suarum ciuitatum & diœcesium cuiuscumque dignitatis fuerint, etiam exemptos inquirendi, ac eos iuxta eorum demerita, ac criminum & excessuum qualitatem & exigentiam, prout canonicæ mandant sanctiones puniendi, ac super his etiam quandocumque opportunum cognouerint, auxilium brachij sæcularis inuocandi.

Ecclesias suarum diœc. etiam exemptas visitandi.

§. 17. Necnon Ecclesias quascumque in eorum diœcesibus consistentibus etiam exemptas Ecclesias visitandi, & vt quæ reparatione indigent, reparentur, & animarum cura, si illis imminet, aliisque debitis obsequiis non defraudentur, omnibus iuris & facti remediis prouidendi.

Causas quascumque etiam criminales citra irregularitatem cognoscendi.

§. 18. Necnon cum vno assessore seu iudice, quascumque causas, etiam criminales cuiuscumque qualitatis, existant, audiendi & absoluendi, vel condemnandi, prout iustitia suadebit, & secundum Deum, ac salutem animæ suæ cognouerint, expedire, ita quod propterea nullam penitus irregularitatem, aut inhabilitatem vel infamiæ maculam siue notam, aut alias censuras seu pœnas, incurrant aut incurrere censeantur.

Indultũ circa resignationes & permutationes beneficiorum.

De forma resignandi, & aliis similibus vide bullam 85. Gr. XIII.

§. 19. Necnon omnia & singula beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, per eos, ex quibusvis dispensationibus & concessionibus Apostolicis, in titulum vel commendam, aut etiam inuicem, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum vitam vnita, per eos & eorum quemlibet nunc, & pro tempore obtenta, simul vel successiue, simpliciter, aut pro alio, seu aliis, simili vel dissimili, aut similibus vel dissimilibus, beneficio seu beneficiis, Ecclesiastico vel Ecclesiasticis, cum quibusvis personis secum permutare volentibus ex causa permutationis huiusmodi, (In qua tamen nulla illicita pactio, seu simoniaca prauitas interueniat) in quorumcumque Ordinariorum locorum, aut Canonicorum Metropolitanarum vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum, seu aliarum personarum in dignitate Ecclesiastica constitutarum ad id per eos eligendarum manibus extra dictam Curiam, præfatæ Sedis aut cuiusvis alterius licentia minime requisita, resignandi, & commendis cedendi, ac vnionum huiusmodi dissolutioni consentiendi, ipsisque Ordinariis & Canonicis, ac personis in dignitate Ecclesiastica constitutis resignationes, simpliciter, vel ex causa permutationis, ac commendarum cessiones extra dictam Curiam recipiendi & admittendi, vniones huiusmodi dissoluendi. Necnon illa

quæ simpliciter ipsi resignauerint, aut quorum commendæ cesserint, vel vnionum huiusmodi dissolutioni consenserint, idoneæ seu idoneis personis per eos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus & expectantibus, quæ vero ea causa permutationis ipsis compermutantibus personi,, & quæ dictæ compermutantes personæ resignauerint, beneficia huiusmodi, etiamsi, vt præfertur, qualificata, & per eos pro tempore quomodolibet obtenta ea quavis causa dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata seu affecta fuerint, eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per eos quoad vixerint, etiam vna cum Ecclesiis quibus præesse dignoscuntur, ac quibusvis monasteriis & beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus & quorumvis Ordinum regularibus per eos ex quibusvis similibus dispensationibus & concessionibus Apostolicis, in titulum & commendam, ac alias tunc & pro tempore obtentis, iuxta tenorem dispensationum Apostolicarum eis desuper concessarum, in titulum vel commendam retinenda conferendi, & de illis etiam prouidendi, omniaque & singula alia, in præmissis omnibus & circa, ea necessaria seu quomodolibet opportuna, faciendi, & exequendi, etiamsi ipsi Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi tempore resignationum seu cessionum, aut præstationis consensus dissolutionum vnionum huiusmodi, in aliqua infirmitate, ea qua eos postmodum infra viginti dies decedere contingat, constituti fuerint, plenam & liberam auctoritate, & tenore prædictis, facultatem concedimus.

Indultum per quinquennii à visitandis liminibus Apostolorum. Hoc reuocauit Sixt. V. infrà in eius bulla 15.

§. 20. Et insuper eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis & eorum singulis, quod postquam à dicta Curia se absentauerint vsque ad quinquennium, ex tunc computandum, limina beatorum Petri & Pauli Apostolorum (dummodo per procuratorem idoneum illa visitent) personaliter visitare minime teneantur, nec ad id à quoquam inuiti compelli, aut propterea periurij reatum incurrere possint.

Confessoremque eligendi. Quod declarat mox infra. Imò reuocauit confessionalia Pius IV. in eius const. 94.

§. 21. Necnon quod aliquem Presbyterum sæcularem, vel cuiusvis Ordinis regularem in eorum confessorem, qui eos à quibusvis, etiam maioris excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa pro tempore latis, & quibus etiam pro tempore irretiti fuerint, etiamsi illorum absolutio Sedi prædictæ, specialiter vel generaliter reseruata fuerit, ac quorumcumque votorum & iuramentorum, necnon Ecclesiæ præceptorum transgressoribus, ieiuniorum, pœnitentiarum iniunctarum, & diuinorum officiorum, in toto vel in parte omissionibus, & quibusvis aliis peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcumque grauibus & enormibus, etiam talibus de quibus esset Sedes prædicta merito consulenda, videlicet in casibus dictæ Sedi qualitercumque reseruatis (exceptis contentis in Bulla in die Cœnæ Domini legi consueta) semel dumtaxat singulis annis, & etiam in dictis exceptis, ac in Bulla huiusmodi contentis in vero mortis articulo, in aliis vero eidem Sedi non reseruatis casibus quoties opportunum fuerit, confessionibus eorum diligenter auditis absoluere, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere. Necnon vota quæcumque, quatuor maioribus dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, & iuramenta, sine tamen tertij præiudicio relaxare, ac omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti, & confessi fuerint, ter in vita, & in mortis articulo, etiamsi tunc mors non subsequatur, plenariam remissionem & absolutionem, ita vt huiusmodi plena remissio in dicto mortis articulo eis suffragetur, auctoritate Apostolica impendere, possit eligere libere & licite valeant, concedimus & indulgemus.

Clausula præseruatiua.

§. 22. Ac præsentes literas & in eis contenta quæcumque, sub quibusvis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus, & Cancellariæ Apostolicæ regulis ex quibusvis causis quantumcumque maximis, & vrgentissimis, etiam in fauorem fidei, & pro diuini cultus augmento, etiam consistorialiter, nunc & pro tempore factis & editis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas existere, & censeri, ipsosque Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, præmissis omnibus, etiam eorum à dicta Curia absentia, etiam postquam assistentes esse desierint vti, potiri, & gaudere posse.

Decretum irritans.

§. 23. Sicque in præmissis omnibus per quoscumque iudices & commissarios, quavis auctoritate fungentes; sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Executores istius const.

§. 24. Quocirca venerabilibus fratribus, Salutiarum & Albiganensi ac Balneoregiensi Episcopis, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum prædictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari. Non permittentes eos desuper per quoscumque quavis auctoritate fungentes, contra præmissa seu eorum aliquod quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 25. Non obstantibus nostra, per quam inter alia voluimus, quod si quis in infirmitate constitutus resignaret aliquod beneficium Ecclesiasticum, & postea infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, ea ipsa infirmitate decederet, ac beneficium ipsum conferretur, per resignationem sic factam collatio huiusmodi nulla esset, ipsumque beneficium nihilominus per obitum vacare censeretur, ac fel. record. Gregorij X. & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac quibusvis aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, ac legibus imperialibus, necnon ciuitatum & locorum quorumcumque etiam municipalibus, ac prædictarum & aliarum Ecclesiarum, in quibus sæcularia ac monasteriorum seu aliorũ regularium locorum, in quibus regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu à quibus ipsa regularia beneficia dependere contigerit, & Ordinum quorum illa extiterint, iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusvis vniuersitatibus, etiam generalium, & Scriptoribus Archiuij dictæ Curiæ, & aliis Collegiis, etiam motu, & scientia similibus, ac quavis etiam Imperiali, vel Regia consideratione, & ea quibusvis causis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque & aliis decretis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, etiam disponentibus quod naturales & bastardi legitimari non possint nisi de consensu legitimorum, & naturalium, & quod nullus ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, & Doctoratus ac Magisterij gradus, alibi quam in vniuersitate in qua studuerit, promoueri possit, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dũtaxat, specialiter & expresse derogamus, & sufficiẽter derogatũ esse decernimus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus cõmuniter vel diuisim, ab eadem sit

Sede

Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Declaratio circa confessionale supradictum.

§. 26. Volumus autem quod dicti Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi pœnitentiam eis per confessorem, quem singuli eorum duxerint eligendum, eis pro præmissis iniungendam, adimplere omnino teneantur. Et ne, quod absit, dicti Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi propter huiusmodi gratiam vel concessionem eligendi confessorem reddantur procliuiores ad illicita in posterum committenda, etiam volumus, quod si Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi præfati, à sinceritate fidei, & vnitate dictæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia & deuotione nostra & successorum nostrorum canonice intrantium destiterint, aut ea confidentia eiusdem concessionis vel remissionis aliqua forsan commiserint, concessio & remissio prædictæ, & quoad illas, præsentes literæ eis nullatenus suffragentur.

Declaratio circa beneficia.

§. 27. Quodque si singulorum beneficiorum prædictorum simpliciter resignatorum fructus, redditus & prouentus vigintiquatuor florenorum auri de Camera secundum communem æstimationem, valorem annuum excedant, tam conferentes quam illi quibus ipsæ collationes fient, & si ex causa permutationis & resignationis huiusmodi fiant, ac suorum, & eis ex eadem causa collatorum beneficiorum huiusmodi fructus, redditus & prouentus inæquales fuerint, id etiamsi ipsa inæqualitas vigintiquatuor florenos similes secundum æstimationem prædictam non transcendant, similiter conferentes prædicti, & illis quibus beneficia maioris valoris huiusmodi collata fuerint, de nominibus, & cognominibus personarum, & beneficiorum eorundem, ac diebus factarum collationum huiusmodi Agentes Cameræ Apostolicæ, aut collectores, vel subcollectores fructuum, redditum, & prouentuum inde Cameræ debitorum, in partibus illis pro tempore deputatos infra vnum, si citra, vel si vltra montes collationes ipsæ factæ fuerint, infra tres menses, iuxta quasdam recol. mem. Sixti etiam IV. & Innocentij similiter VIII. Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum super hoc editas literas, certificare procurent, alioquin beneficia ipsa sic collata vacare censeantur eo ipso.

Fides transumptorum.

§. 28. Cæterum quia difficile foret præsentes literas, ad singula quæque loca in quibus de eis fides forsan facienda erit, deferri, etiam volumus, & eadem auctoritate Apostolica, motu & scientia similibus decernimus, quod ipsarum transumptis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut curiæ Ecclesiasticæ munitis, in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, eadẽ prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ vel ostẽsæ.

Forma autem iuramenti, quod notarij, tabelliones & iudices per dictos Patriarchas, Archiepiscopos, & eorum quemlibet creandi præstabunt, talis est.

Forma iuramenti.

§. 29. Ego N. ab hoc antea, fidelis, & obediens ero Beato Petro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac domino Nostro D. Papæ N. suisque successoribus canonicè intrantibus. Non ero in consilio, auxilio, consensu, vel facto, vt etiam perdant, vel membrum, aut capiantur mala captione, Consilium quod mihi, per se vel literas, aut nuntium manifestabunt, ad eorum damnum scienter nemini pandam, si vero ad meam notitiam aliquid deuenire contingat, quod in periculum Romani Pontificis, aut Romanæ Ecclesiæ vergeret, seu graue damnum illi imminerer, illud pro posse meo impediam, & si hoc impedire non potero, procurabo bona fide id ad notitiam D. N. Papæ perferri. Papatum Romanum, & regalia S. Petri ac iura ipsius Ecclesiæ specialiter, si qua eadem Ecclesia, in ciuitate vel terra de qua oriundus sum, habeat, adiutor eis pro ad defendendum, & retinendum, seu etiam recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo. Contractus in quibus exigitur consensus partium, fideliter faciam, nil addendo vel imminuendo sine voluntate partium, quod substantiam contractus immutet. Si vero in conficiendo aliquod instrumentum, vnius solius partis sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam, vt scilicet nil addam vel minuam, quod mutet facti substantiam, contra ipsius voluntatem instrumentum non conficiam de aliquo contractu, in quo sciam interuenire, seu intercedere, vim vel fraudem. Contractus in Protocollum redigam, & postquam in Protocollum redegero, malitiose non differam contra voluntatem illius, vel illorum, cuius seu quorum est contractus, super eo conficere publicum instrumentum, saluo meo iusto, & consueto salario. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 6. Aprilis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus nostri anno secundo.

Dat. P. An. 2. die 6. Apr.

XIII.

Visitatores carcerum Almæ Vrbis, pauperibus carceratis dilationes dare, sed ad eorum fideiussores extendere non possint.

Facultates istorum Visitatorum tradit Pius. V. infra in const. 68. Reuerendi, & statuta ab eis obseruanda edidit Paul. III. in const. 44. Ad onus sup. & Paul. V. in const. 71. Vniuersi, §. 21. & 22.

De materia autem dilationum & moratoriarum, notaui sup. in Clem VII. const it. 16. Cum ex multorum.

IVLIVS PAPA III.
Motu proprio, &c.

Edita An. D.

Causa huius const.

CVm nuper ex rationabilibus causis quibuscumque Romanæ Curiæ Iudicibus, & aliis personis quacumque dignitate & auctoritate fungentibus, ne aliquas moratorias dilationes, aut saluos conductus, seu significationes, vel quovis alio nomine nuncupatas gratias, concedere quovis prætextu vel occasione audeant, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna præceperimus, verum quod carcerum Visitatores miserabilibus personis carceratis dumtaxat, si eis ex relatione iudicis ad cuius instantiam carceratæ fuerint, suis creditoribus satisfacere non posse constiterit, postquam carcerem per aliquod notabile temporis spatium sustinuerint, aliquam moderatam dilationem eorum arbitrio, sub cautione de se repræsentando, & non alias concedere possint, voluerimus, prout in Motu proprio desuper manu nostra signato primo, & deinde innouato latius continetur. Et quandoque, vt accepimus, præfati Visitatores dilationes per eos carceratis pauperibus huiusmodi concessas, etiam illorum fideiussoribus suffragari debere decreuerint, quod quidem valde absurdum, & inconueniens videtur, cum non ob aliud fideiussores accipiantur, nisi vt si principalis debitor tempore conuento soluere nequeat, illi persoluant, conuenientiusque sit vt illi, qui pro debitore promiserunt, eum expectent, quam creditor qui ipsorum fideiussorum fidem est secutus, aliter debitori non crediturus.

Declaratio de qua in rub.

§. 1. Idcirco nos motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Motum proprium nostrum prædictum iterum si opus sit innouan. illique adden. Apostolica auctoritate eisdem Visitatoribus carcerum, vt dilationes huiusmodi non nisi carceratis dumtaxat, ac modo, & forma præmissis seruatis, concedant, neque illas aliquo modo ad eorundem carceratorum fideiussores extendant, aut illis suffragari quovis modo decernant, præcipimus, & mandamus.

Annullatio aliter gestorum.

§. 2. Et si aliqua decreta per eos in fauorem aliquorum qui carcerati non fuerint, seu etiam carceratorum, contra formam prædictam, aut eorum fideiussorum, aut

quosvis alios præter, & contra intentionem nostram fieri forsan contigerit, illa nulla, inualida, & irrita esse, & nemini suffragari debere.

Deputatio executorum.

§. 3. Ac illis non obstan. sed penitus reiectis, dilectum filium nostrum, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalem Auditorem, & alios Romanæ Curiæ iudices, ad executionem contra eos in quorum fauorem facta extiterint, omnes, & singulos, ac si illa nullatenus emanassent, procedere posse, & debere decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Papa subsc.

Placet Motu proprio. I.

XIV. Cursores Papæ, & Mandatarij aliarum Curiarum Almæ Vrbis, in quibus causis citare, intimareque, &c. possint.

Ad hoc habes Alexand. VI. & Iul. II. & Clem. VII. constitutiones relatas super in eiusdem Clem. const. 24. Accepimus. Et quod Mandatarij possint citare in causis Capitolinis, exceptis per commissiones à principio in illo foro commissis, declarat Statutum Vrbis c. 51. in nouis.

Edita An. D. 1551.

IVLIVS EPISCOPVS, *Motu proprio, &c.*

Exordium.

CVm ea firmius illibata persistant, quæ frequentiori sunt Apostolico præsidio pro tempore stabilita.

Confirmatio const. iud. earum in rub.

§. 1. Nos singulas præinsertas, ac desuper respectiue confectas, & conficiendas literas, ac prout illas concernunt, omnia, & singula in eis contenta, & inde secuta quæcumque ex certa scientia nostra, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, cum opportuna, si opus sit, iuris, & facti, ac quarumcumque solemnitatum, etiam requisitarum forsan omissarum defectuum suppletione, approbamus, confirmamus, & innouamus, ac inuiolabiliter obseruari: Necnon modernis, & pro tempore existentibus nostris, & eiusdem Romani Pontificis Cursoribus suffragari, eosque illis omnibus, vti & gaudere, nec desuper per quoscumque quavis auctoritate, præeminentia, aut superioritate fungentes, molestari, perturbari, impediti, aut inquietari, vel eis in aliquo præiudicari, sicque per quoscumque iudices, &c. sublata, &c. irritum quoque, &c. decernimus.

Innouatio earumdem.

§. 2. Necnon prout illis concessa sunt, in omnibus, & per omnia de nouo concedimus.

Cursores tantum citent in causis commissariis etiam à principio Ordinarijs non Capitolinis.

§. 3. Insuper vt de cætero perpetuis futuris temporibus in quibusvis causis, tam Capitolij, & Ripæ, ac Ripettæ, necnon Turris Nonæ, & de Sabellis, ac Burgi S. Petri, quam quibusvis aliis Almæ Vrbis Curiis siue Tribunalibus, in quibus commissiones aliquas, manu vel de mandato nostro signatas præsentari contigerit, etiamsi causæ ipsæ ordinariæ inchoatæ extiterint post ipsarum commissionem, præsentationem, citationes, & aliæ quæ inde sequentur per alios quam eosdem Cursores fieri non possint, neque valeant. Sed dicti Cursores, citationes, & alia quæ inde sequentur, in ipsis curiis, & earum qualibet, etiam si causæ, in, & pro quibus citationes, & alia fieri contigerit commissariæ non fuerint ad partium pro quibus citationes, & alia huiusmodi fient instantiam facere, & exequi possint, & valeant. Et solummodo mandatariis dictarum prænominatarum curiarum in causis ordinariis in tribunalibus ipsarum curiarum prænominatarum, quarum mandatarij existunt, tantum citationes faciendi potestas remaneat, statuimus & ordinamus.

Prohibitio aliter faciendi, & contrauenientium pœna.

§. 4. Districtius inhiben. quibusvis dictarum curiarum, & cuiuslibet ipsarum mandatariis, & notariis, ac aliis personis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis maioris sententiæ, à qua nonnisi per nos absolui possint, ac priuationis officiorum, & beneficiorum, si quæ obtinent, inhabilitatisque ad illa in posterum obtinen. pœnis, ne statuto, & ordinationi nostris huiusmodi in aliquo contrauenire quomodolibet audeant vel præsumant. Ac decernentes, citationes per alios quam præfatos Cursores in causis ipsis commissariis, etiamsi à principio ordinariè inchoatæ fuerint, de cætero in dictis & aliis quibuscumque tribunalibus, & in quauis instantia faciendi, & processus, & actus quoscumque illarum vigore formandos, nullos, inanes, & inualidos, nulliusque roboris, & momenti fore, sicque per quoscumque, &c. decernimus.

Executorum deputatio.

§. 5. Mandantes causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, Gubernatori, ac Senatori, modernis, & pro tempore existentibus, vt præmissa omnia, & singula perpetuo, sub præfatis, & quibusvis aliis censuris, & pœnis eorum arbitrio moderandis, & applican. perpetuo inuiolabiliter obseruari faciant.

Clausula derogatoria.

§. 6. Non obstan. quibusvis literis fel. rec. Pauli prædecessoris nostri, ac quibusvis reformationibus, ac aliis dictarum curiarum statutis, &c. stabilimentis, vsibus, & naturis, etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis, quoque, indultis, & literis Apostolicis, illi, & præfato Senatori, ac Populo Romano, & illius Conseruatoribus, ac mechanicarum, & aliarum artium, ac mercatorum Vrbis Consulibus, necnon Basilicarum, & aliarum Ecclesiarum Vrbis Archipresbyteris, & Canonicis, aliisque personis, etiam motu simili, &c. in præiudicium seu contra formam præmissorum sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis etiam per nos quomodolibet concessis, &c. quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, &c. tenores, &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & ad plenam derogatum esse volumus: cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Papa subscr. Repetitio clausularum.

Placet Motu proprio I.

§. 7. Et cum absolutione à censuris, ad effectum, &c. Et cum approbatione, confirmatione, innouatione, noua concessione, decreto, statuto, ordinatione, derogatione, & aliis, de, & pro omnibus supradictis quæ hic pro sufficienter repetitis habeantur latissime extendendis. Cum opportuno decreto, quod præsens Motus proprius, de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostræ defectu, notari seu impugnari nullatenus possit: sed illi stari, & secundum huiusmodi Motum proprium nostrum, iudicari, & interpretari, & definiri debeat.

Sola signatura sufficit.

§. 8. Et quod sola præsens signatura nostra sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio, & extra, quacumque regula contraria non obstante.

Exemplorum fides.

§. 9. Ac illius transumptis manu alicuius notarij Curiæ causarum dictæ Cameræ subscriptis, & sigillo ipsius Curiæ Auditoris munito, in iudicio, & extra stari debeat, ac plenaria fides adhibeatur. Ac cum decreto quod præsentium aut illius transumptis copiæ affixæ in valuis curiarum præfatarum, aut aliorum locorum publicorum perinde arctent, & afficiant, ac si personaliter intimatæ forent.

Declaratio pro Mandatariis.

§. 10. Et de confirmatione, decreto, statuto, inhibitione, & aliis præmissis, remanente Mandatariorum Curiæ Capitolij suorum exercitio, quoad causas ordinarias etiamsi in eis postmodum aliquas commissiones præsentari contingat.

Dat. P. An. 2. die 5. Iunij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, 6. Idus Iulij, Anno 2.

XV. Declaratio, & extensio auctoritatis Collegij Fabricæ Basilicæ S. Petri de Vrbe, in exequendis donationibus inter viuos, ad pias causas factis & fiendis, & in applicanda quinta earum parte dictæ Fabricæ.

Alia de materia huius Collegij, & Fabrica indicaui tibi in const. 3. Clem. VII. Admonet. sup.

Edita A. D. 1551.

IVLIVS PAPA III. *&c.*

Dilectis filiis Oeconomo, & Præfectis Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Causa huius constit.

ACcepimus vos in prosecutione exactionis relictorum ad pias causas factorũ, & aliorum Fabricæ Basilicæ

licæ Principis Apostolorum de Vrbe per fel. record. Iulium II. Leonem X. Adrianum VI. Clementem VII. & Paulum III. Rom. Pont. prædecessores nostros applicatorum, & per nos confirmatorum, multas etiam inuenisse donationes inter viuos factas, in quibus nonnulli introitus, census, redditus, prouentus, stabilia, & mobilia bona, ac res aliæ diuersis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, locis, & personis piis, & pro donatorum, seu aliorum animabus donata, & pie elargita reperiuntur, quæ adhuc inexecuta, & non satisfacta remanent. Quodque eam hæredes, & fideicommissarij dictorum donatorum, & aliæ personæ, quæ ad huiusmodi bonorum satisfactionem de iure tenentur, commissioni nobis factæ conantur opponere, & contraire, sub prætextu quod iurisdictio vobis per prædecessores præfatos, & nos, super huiusmodi relictorum exactione concessa, ad donationes inter viuos factas minime se extendit, & ita pias donatorum præfatorum dispositiones violare nituntur.

Declaratio sine extensio auctoritatis Collegij Fabricæ, in exequendis donationibus inter viuos ad pias causas factis & quinta parte Fabricæ applicanda.

§. 1. Nos igitur vt par est, in præmissis opportune prouidere volentes, ad tollendas omnes dubietates, exceptiones, & oppositiones, per præsentes declaramus, nostræ intentionis fuisse, & esse, vt donationes inter viuos, & ad pias causas tantum factæ, & quæ pro tempore fieri contigerit per vos, & à vobis pro tempore substitutos exequerentur. Et quinta pars bonorum, & rerum in eis donatorum, ad opus dictæ Fabricæ conuerterentur, & quatenus opus sit vobis, & substitutis præfatis tenore præsentium, de nouo, vt omnes, & quascumque donationes inter viuos, in quibus aliqua bona (quæ ad donationum huiusmodi tenores hic pro expressis haberi volumus) ad pias causas à donatoribus donata, & elargita fore repereritis, viis, & remediis in vestris commissionibus, à nobis, & prædecessoribus præfatis concessis, & confirmatis exequi, & quintam partem bonorum huiusmodi ad vsum dictæ Fabricæ applicare possitis & valeatis, de speciali gratia concedimus, & indulgemus, ac donatorum huiusmodi voluntates, quoad quintam partem præfatam commutamus.

Clausula sublata.

§. 2. Et sic in præmissis omnibus & singulis, per quoscumque Iudices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere. Etsi secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dicti prædecessores, & nos, in singulis eorum & nostris commissionibus huiusmodi, ac illarum confirmationibus, volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§. 4. Verum quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæque loca, vbi opus foret deferri, volumus vt earum transumptis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio & extra, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 31 Iuly.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vltima Iulij millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus nostri anno 2.

XVI. Doctores in Alma Vrbe, à Collegio Aduocatorum Consistorialium dumtaxat, in iure ciuili & canonico creari possunt.

Doctorandi vero formam & promouendi cuiuscumque artis vel scientiæ professores vide infra in const. 88. Pij IV. In sacrosancta, cum ibi notandis. De erectione autem huius Studij videre est sup. Bonifacij VIII. const. 9. In suprema & Leonis X. const. 4. Dum suauissimos.

Edita An. D. 1552.

IVLIVS PAPA III.

Dilectis filiis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Multi iuris ignari licentias se doctorandi, vt hic à Sede Apost. extorquebant. Vnde mala hic descripta oriebantur.

CVm, sicut fide dignorum relatione nuper accepimus, multi iuris ciuilis & canonici ignari ad doctoratus gradum aspirantes indebite, sub prætextu quod in aliqua vniuersitate Studij generalis operam dando in tantum profecerint, quod idonei existant, licentiam à nobis & Sede Apostolica extorquent, vt ab aliquo Prælato, seu persona in dignitate Ecclesiastica constituta, etiam de propriis extorquendo insignia doctoratus in Romana Curia suscipere valeant, ac eiusdem licentiæ prætextu, examine ad id requisito, & aliis necessariis desuper minime adhibitis, contra sacrorum canonum statuta, & iuris dispositionem, in ipsius doctoralis dignitatis opprobrium se ad illius gradum faciant promoueri. Vnde plura absurda sequuntur, & Clerus repletur indoctis, multis aspirantibus ob priuilegia graduatorum beneficia assequi: & cum plures magistratus ex consuetudinibus & statutis locorum per iuris Doctores debeant exerceri, à pluribus indoctis sic doctoratus sæpe illi adipiscuntur, cum iustitiæ supremo detrimento, sicque bonis etiam & industriis, literatisque Doctoribus animus concidit, cum pariter doctis & indoctis gradus pateat dignitatis, iamque ex præmissis vilescat in populo doctoralis dignitas.

Pontif. idcò decernit, neminem de cætero Doctorem in Vrbe creari posse, nisi à Collegio DD. Aduocatorum Consistorialium.

§. 1. Nos igitur præmissis, prout ex debito pastoralis officij tenemur, obuiare volentes, præsertim in Vrbe ex qua vtrumque ius profluit ac descendit, & à cuius templo Orbis partes solent regulari, ac de literarum scientia, virtutibus & meritis vestris, quibus vestro Collegio Doctores in vtroque iure ciuili, & canonico creandi, & illis insignia conferendi ex diuersis priuilegiis, & antiqua consuetudine, ius, facultas & potestas competunt, & in quibus etiam potestas Sanctæ Rom. Ecclesiæ Camerarij, Gymnasijque Almæ Vrbis nostræ Cancellarij pro tempore existentium repræsentatur, Motu proprio & ex certa nostra scientia, non ad vestram seu alicuius instantiam, sed de nostra mera deliberatione, tenore præsentium, statuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cætero, perpetuis futuris temporibus, nullus etiam prætextu cuiusvis licentiæ seu facultatis sibi concessæ, seu priuilegiorum, indultorum, & literarum Apostolicarum quibusvis personis cuiuscumque dignitatis, status gradus, conditionis, præeminentiæ, nobilitatis, & excellentiæ existentibus, etiam Romanæ Curiæ officialibus, eorumque Collegiis, ac quacumque dignitate & honore fulgentibus, aut illorum contemplatione seu intuitu, etiam motu, scientia & potestate similibus, & ex titulo oneroso, ac ex quibusvis aliis etiam quantumcumque maximis & vrgentissimis causis, sub quibusvis verborum formis & expressionibus, ac cum quibusvis efficacissimis & insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, etiam talibus, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo & forma in eis contentis derogari possit, irritantibusque & aliis decretis, per nos & prædecessores nostros, ac Sedem eandem, seu alias pro tempore concessorum, ad gradum doctoratus in vtroque seu altero iurium huiusmodi ab alio quam vobis & Collegio vestro in dicta Curia assumi, seu in vtroque vel altero iurium Doctor creari possit.

Doctorumque creationes ab aliis faciend. irritas & inanes declarat.

§. 2. Ac assumptiones & creationes Doctorum, ac insignium doctoralium traditiones per vos faciendas huiusmodi, validas & efficaces existere, suosque effectus sortiri, at quascumque alias in vtroque seu altero iurium huiusmodi Doctorum creationes, ac insignium prædictorum traditiones per alios quam per vos de cætero in ipsa Curia futurum faciendas cum inde secutis, irritas, & inanes, nulliusque roboris vel momenti esse & censeri, ac nemini suffragari, ipsique ab aliis quam à vobis ad gradum doctoratus huiusmodi assumpti pro non doctoribus haberi.

Pauperes quoque gratis Doctorari debere iubet.

§. 3. Vosque quoscumque pauperes vel egenos, quos ad susceptionem graduum huiusmodi habiles, & idoneos repereritis, ad doctoratus in vtroque, seu altero iurium gradus huiusmodi gratis pro Deo, & absque aliqua pecuniarum solutione ab eis facienda assumere, seu doctores creare debere.

Clausula præseruatiua.

§. 4. Ac præsentibus ex quavis causa vel occasione, etiam per nos & Sedem prædictam, in genere vel in specie, etiam per constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas editas, ac quascumque alias literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, & quod

tenores, & formæ illarum habeantur pro expressis, seu alias clausulas, & decreta quæcumque in se continentes, etiam Officialibus, Collegiis, & personis præfatis pro tempore concessis, etiam vigore implicitæ derogationis latissime extenden. in supplicationibus desuper pro tempore signatis apposita derogari, seu illas reuocari, cassari, suspendi, aut in aliquo alterari minime posse, neque reuocatas, suspensas vel alteratas, & quoties illa emanabunt, toties easdem præsentes ab illis exceptas, & vobis concessas, ac in pristinum, & eum in quo nunc, & ante reuocationem, & suspensionem huiusmodi erat, statum, restitutas, & repositas esse, & censeri.

Decretum irritans.

§. 5. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & interpretari debere, ac ex nunc si secus super his à quoque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Executores ipsius const.

§. 6. Et nihilominus Camerario nostro, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori pro tempore existentibus per præsentes mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum præsentes mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, quando, & quoties opus fuerit, ac pro parte nostra desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, faciant illas, & in eis contenta quæcumque, integre, & inuiolabiliter ab omnibus obseruari; non permittentes quicquam per quoscumque in contrarium attentari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, ac etiam pecuniarias, & de quibus eis videbitur pœnas, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas præfatas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus, iuramento, cõfirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, prædictis, & quibusvis aliis cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ existentibus, & quacumque, etiam Episcopali, Archiepiscopali, aut alia maiori dignitate fulgentibus, in contrarium quomodolibet concessis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 2. 6. Februar.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 6. Februar. 1552. Pontificatus nostri Anno secundo.

XVII. Contra Franchitias in Vrbe retinentes, & Curiam in executione impedientes, cum approbatione constitutionum contra bannitos, &c. editarum.

Pleniorem dispositionem in hoc fecit Pius IV. vt inf. in eius const. 47. Inter cæteras, quam approbauit Greg. XIII. in eius const. 12. Et ipsa ratio, ac Six. V. in eius const. 6. Hoc nostri, vbi plene notabo de materia bannitorum.

Edita A. D. 1552.

IVLIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

CVm ciuitates, & loca omnia, in quibus sanctissimum CHRISTI nomen colitur, deceat esse facinorosis hominibus expiata atque purgata, nemo est, qui non intelligat quam maxime oporteat Almam Vrbem nostram Apostolorum Petri, & Pauli, ac tot martyrum sanguine consecratam, in qua Summus Pontifex cum sacro Cardinalium Collegio residet, & ad quam ex omnibus mundi partibus, veluti ad portum saluberrimum gentes confluunt, quæ denique communis omnium patria censetur esse ipsis facinorosis hominibus vacuum.

Plures Pont. aduersus facinorosos, & eorum fautores ediderunt bullas quas indicaui ad Six. V. etc. in rubr. quas hic Pont. confirmat.

§. 1. Sane cum à diuersis Pontificibus prædecessoribus nostris plures constitutiones aduersus homicidas, sicarios, latrones, sacrilegos, raptores, aliosque facinorosos homines, eorumque fautores, & receptatores, sine quibus delinquentes diutius latere non possunt, editæ fuerint, quæ vel temporum iniquitate, vel ad finem, & occasum vergentis sæculi corruptela, aut magistratuum negligentia, minus custodiuntur, & obseruantur, ac fere in desuetudinem abierunt, operæ pretium censuimus constitutiones ipsas approbare, & innouare, prout illas Motu proprio, & ex certa scientia, cum omnibus, & singulis censuris, & pœnis in eis contentis, harum serie approbamus, ac innouamus.

Franchitias quæ tenent, & Curiã in executione impedire prohibet.

§. 2. Et insuper quia, sicut accepimus, quorundam eousque processit licentia, vt non solum homicidas & facinorosos, ac alios prædictos, contra iuris, & sacrarum constitutionum præfatarum prohibitionem receptari audeant, sed etiam domos suas, necnon vias publicas, & plateas, quæ circa domos sunt, facinorosis ipsis totum refugium, & quasi portum esse velint, signatis etiam franchitiarum nomine quodammodo limitibus in via, quos iustitiæ ministris ingredi non liceat. Nos abominabile ac detestandum franchitiarum huiusmodi nomen penitus abolemus, ac perpetuo abolitum fore decernimus. Volumus enim causarum capitalium iudicibus, parisellis, apparitoribus, & aliis iustitiæ præfectis & ministris, quascumque vias & plateas, ædes & domos, ad requirendos, capiendos, & debitis pœnis afficiendos facinorosos homines, die, noctuque liberas & apertas esse. Si quis autem post huius nostræ voluntatis declarationem, franchitias huiusmodi adhuc habere, & tueri, ac illarum prætextu, aut aliàs quomodolibet iustitiæ ministros, in executione eorum officij impedire præsumpserit, etiamsi Baro, Domicellus, Comes, Dux, Principis cuiusvis Orator, aut, quod futurum minime credimus, Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, aut etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis extiterit, nouerit se amissionis gratiæ, ac beneuolentiæ nostræ necnon coërcitionis & emendationis, prout nobis iuxta circumstantiarum qualitatem videbitur pœnas ipso facto incursurum. Si quis vero in tantam deuenerit audaciam, vt etiam violenter & manu armata, ipsis iustitiæ ministris se opponere, & resistere ausus fuerit, tam facientes quam mandantes, eo ipso crimen læsæ maiestatis incurrere declaramus, & pro illius condigna vltione, si vltra iustitiæ ministros maiori manu opus fuerit, præcipimus dilecto filio nobili viro Camillo Vrsino Domicello Romano ac alteri cuicumque pro tempore militiæ nostræ temporalis generali Gubernatori, & custodiæ Palatij nostri Ducibus, tam pedestribus quam equestribus, ac Conseruatoribus & Capitibus regionum ipsius Almæ Vrbis, vt contra opponentes, & resistentes huiusmodi, tanquam iustitiæ pacis, & quietis perturbatores, nostrosque, & huius Sanctæ Sedis rebelles, acriter suo brachio sæculari insurgant, ac eos manu regia, & nulla tela iudiciaria seruata, seuerissime puniendos capi, & carceribus mancipari faciant.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; priuilegiis quoque, & indultis, statutis, & consuetudinibus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§. 4. Vt autem præmissa omnia ad eorum quorum interest notitiam deducantur, nec aliquis de eis ignorantiam iuste prætendere possit, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod præsentes literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores, ad basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Ecclesiæ Lateranensis valuas dum inibi populi multitudo ad diuina audienda conuenit, palam, & clara voce legantur, & lectæ in basilicæ, & Ecclesiæ huiusmodi, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, nec-

non

non in acie Campi Floræ assignantur, vbi ad lectionem, & notitiam cunctorum aliquandiu affixæ pendeant, & cum inde amouebuntur earum exempla, in eisdem locis remaneant affixæ.

Transumptorum fides.

§. 5. Quodque earum transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, certa, & indubitata fides adhibeatur, prout præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

D.P.A. 5.22. Septemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incar. Dominicæ 1552. decimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1552. indictione 10. die vero 27. mensis Septembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Iulij diuina prouidentia Papæ III. Anno 3. Retroscripta, lecta, affixa, & publicata fuerunt in locis retroscriptis, dimissis etiam inibi copiis affixis iuxta illarum formam, & tenorem per nos Iacobum Carra, & Hermanum Latum Cursores.

Ita est Hermanus Latus Curs.
Thomas Roger Mag. Curs.

XVIII. Iurisdictio Consulum artis Pistorum Almæ Vrbis, cognoscendi causas, & differentias ipsam artem tangentes. Et priuilegium, quo debitoribus, ex causa panis, dilationes concedi prohibetur.

Quoad primam partem, vide ampliationem iurisdictionis in constit. 36. Sixt. V. Cælestis. Et quoad secundam, attende aliud priuilegium in const. 71. Gregor. XIII. Cum sicut.

Edita A. D. 1552.

IVLIVS PAPA III.

Dilectis filiis Consulibus, & Camerario, ac Vniuersitati Panatariorum, seu Furnariorum Almæ Vrbis nostræ. Dilecti filij, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Furnariorum Vniuersitas edidit varia statuta, arti concernentia.

CVm sicut nobis exponi fecistis, alias, & retroactis temporibus, vos & prædecessores vestri, qui in Alma Vrbe nostra Panatarij siue Furnarij fuerunt, diuersis temporibus diuersas ordinationes, & statuta ipsius artis, fidele, & sollicitum exercitium, ad personas ad exercitium huiusmodi aptas, illarumque salaria, modos, & formas obseruandas, ac macinaturam, & macinaturæ pretium concernentia, & alia ad artem huiusmodi necessaria in vno libro descripta ediderint, fecerint, & ordinauerint, illaque omnia, prout facta fuerant, per eos qui conditorum statutorum, & ordinationum, huiusmodi temporibus fuerunt ipsius Vrbis Senatores, & Conseruatores respectiue, approbata, & confirmata fuerint, vsque Consulatum habeatis, in quo Panatariis siue Furnariis pro rebus artem huiusmodi tangentibus ius redditur.

Consules quos artis vigore eorundem statutorum inter homines de arte, vsque ad quamcunque summam, & contra alias vsque ad summam scutorum 19. ius reddebant de rebus spectantibus ad artem.

Ad hoc vide Sixt. cit. in rubr.

§. 1. Et nouissime inter cætera statueritis, & ordinaueritis, quod vestri Consules, ius & rationem inter homines artis, & pro causis ad artem huiusmodi spectantibus vsque ad quamcunque summam reddere valerent, & si aliquis ipsius artis conueniret in iudicio aliquam aliam personam, quæ non esset eiusdem artis, dummodo foret pro re ad artem ipsam spectante, dicti Consules iurisdictionem contra tales conuentos vsque ad summam viginti scutorum, & non vltra haberent, & personæ sic conuentæ iurisdictionem huiusmodi vsque ad dictam summam inclusiue declinare non possent, & casu quo illam aliqui declinare vellent, nihilominus ipsi Consules illis licentiam dare non possent, neque id pati deberent, sub pœna duorum scutorum ex eorum salario pro qualibet vice retinen. si secus facerent, ac declarauerint id quod per eosdem Consules fieret esse validum, firmum, & efficax, cum statutum huiusmodi factum foret pro eorundem Panatariorum seu Furnariorum tranquillitate, ne ipsi per diuersa eiusdem Vrbis Tribunalia pro rebus artem huiusmodi concernentibus discurrere deberent, seu discurrendo non possent publico, prout deberet, inseruire, quæ quidem, & alia vltimo dicta ordinationes & statuta per dilectos filios modernos ipsius Vrbis Senatorem & Conseruatores, tanquam rationi consonantia, approbata & confirmata fuerunt.

Leo X. (cuius literas ipse hic non habes) decreuit debitores per pretio panis ad dilationes seu cessiones bonorum non admitti.

Confirmarunt Greg. & Sixt. in rubr. cit.

§. 2. Necnon fel. record. Leo Papa X. prædecessor noster prouide attendens Panatarios, seu Furnarios maxime esse omnibus necessarios, volens indemnitatibus tunc & pro tempore existentium in eadem Vrbe panatariorum, seu Furnariorum indemnitatibus consulere, quod ex tunc de cætero in perpetuum nullæ, etiam ab eo, etiam iuxta dictæ Vrbis statutum super debitis cum ipsius Furnariis præsentibus & ex tunc futuris ratione panis ab eis accepti, in parua vel magna quantitate contractis, dilationes, etiam in sal conficiendo, aut alterius cuiusvis, & quantumcumque necessarij vsus fauorem, & per specialia rescripta, etiam in forma salui conductus, etiam ad modicum tempus, & Motu proprio, ac ex certa scientia quibusvis personis cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existerent, etiam cum derogatione literarum dicti Leonis ex tunc concedendis alicui suffragarentur, sed eo ipso quod per præoccupationem, vel importunitatem aut alias quomodocumque ab eo, & pro tempore existentis Romani Pontificis emanarent, illico reuocata essent, nec locum contra dictos Furnarios habere, aut eorum aliquem cessio bonorum impedire valeret, quo minus contra personas debitorum seu creditorum procedi posset.

Et in causa panis, à quocumque Iudice summarie, &c. procedi ordinauit.

§. 3. Quodque pro tempore existentes dictæ Vrbis Gubernator, Senatores, Conseruatores, Vicarius, & Auditor Cameræ, ac alij Iudices ordinarij, eorumque Locatenentes, in quibusvis causis coram eis per dictos Furnarios, seu eorum aliquem contra eos ratione panis per eos pro tempore crediti dumtaxat debitores, & per viam reconuentionis pro tempore mouendis, summarie, simpliciter, & de plano, nulla iudiciaria tela seruata, sed sola facti veritate inspecta, absque alicuius scripturæ confectione, & alias prout in causis mercedum, & salariorum per piæ memoriæ Iulium Papam II. etiam prædecessorem nostrum statutum fuerat, procedendum fore per suas literas statuit & ordinauit, prout in eisdem literis plenius contineri dicitur.

Furnariorum vniuersitas, petit ab isto Pont. confirmationẽ prædictorum.

§. 4. Vosque sicut eadem expositio subiungebat, cupiatis statuta, & ordinationes, ac literas Leonis prædecessoris huiusmodi pro illorum subsistentia firmiori, nostro, & Sedis Apostolicæ munimine roborari, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt omnia, & singula statuta, & ordinationes tranquillum statum, & directionem ipsius artis concernentia, ac literas Leonis huiusmodi, approbare, & innouare, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pont. ideo eorum ordinationes, ac literas Leon. X. confirmat.

§. 5. Nos igitur ad plenum informati, huiusmodi statuta, & ordinationes, ad tranquillum statum, & directionem eiusdem artis facta, rationi consona, ac literas prædictas perutiles fuisse, & esse, vos & vestrum quemlibet à quibusvis excommunicationis, & suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, ac specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium, ex certa nostra scientia, omnia, & singula præsertim vltimo dicta statuta, & ordinationes, ac literas Leonis prædecessoris huiusmodi, & in illis contenta quæcumque auctoritate Apostolica, tenore præsentium, approbamus, confirmamus, & innouamus, ac singula in eisdem literis contenta, prout per ipsum Leonem prædecessorem concessa fuerunt, vobis, & pro tempore existentibus Panetariis seu Furnariis dictæ Vrbis, iuxta literarum earundem continentiam, & tenorem de nouo concedimus, Ac omnes, & singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem, ac solemnitates, si quæ omissæ fuerint, supplemus.

Consulibusque vniuersitatis iurisdictionē de qua hic conceditur.

§. 6. Ita quod vestri & pro tempore existentes eiusdem artis Consules super huiusmodi, & in specie super statuto de iurisdictione contra allegare, iuxta illius tenorem exercenda, quoad personas de arte huiusmodi (firma manente iurisdictione iudicum, ad quos spectat & quod summarie, & sine strepitu, sola facti veritate inspecta procedatur) per præfatos modernos & pro tempore existentes Vrbis Gubernatorem, & Senatorem, ac Cameræ prædictarum Auditorem, vel alios eiusdem Vrbis Iudices prætextu obligationum in forma Cameræ Apostolicæ impediti, vel alias molestari, seu inhiberi non possint neque valeant.

Dilationesque & cessiones bonorum debitorum ac causa panis non suffragari decernit.

§. 7. Et propterea quod nullæ dilationes moratoriæ, & cessiones bonorum, sine iudebitæ quinquenniales, vel admissio ad beneficium Capituli Odoardus, etiam à nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, siue Senatore præfato, seu dilectis filiis Camerario, Clericis, & præsidentibus Cameræ, aut Salinariis huiusmodi, etiam cum præsidentium insertione, & totali derogatione, cuius personæ Ecclesiasticæ vel sæcularis, contra præsentium, & Leonis prædecessoris huiusmodi literarum tenorem suffragentur, hoc expresse addito, quod idem ius per omnia seruetur, & hominibus dictæ Vrbis, moratoriæ dilationes, salinariæ & alia prænarrata nullatenus suffragentur.

Decretum irritans.

§. 8. Et ita per eosdem Gubernatorem, Senatorem, & Auditorem ac alios quoscumque Iudices, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, interpretari atque definiri debere, decernimus.

Papa subsc.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Vrbis, & Cameræ prædictarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Gubernatori, Auditori Cameræ, & Senatori, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam super iurisdictione in omnem vniuersitatem in eadem Vrbe facientes quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus, pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, necnon omnibus illis quæ dictus Leo prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præsentatio illius constitutionis valida inhibitionis obtinet.

§. 10. Volumus autem, & dicta Apostolica auctoritate decernimus, quod præsentium literarum per vnum Mandatarium, seu aliquem Notarium ad quem pro tempore spectabit facta præsentatio, vim validæ inhibitionis habeat, ac irritum, & inane, si secus à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

publ. P. A. 3. die 2. Dec.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 2. Decembris, millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus nostri anno 3.

XIX. Facultas Collegij Physicorum Medicorum Almæ Vrbis, quoscumque promouendi ad gradus Philosophiæ, & Medicinæ priuatiue quoad alios. Et confirmatio iurisdictionis Protomedici, cognoscendi causas ciuiles, & criminales ad eius officium spectantes.

Huiusmodi promouendi formam ad quascumque artes & scientias habes inf. in Pij IV. const. 88. In sacrosancta vbi notabo.

Aliam commisit eidem Collegio facultatem Greg. XIII. examinandi omnes in Vrbe medentes, in sua const. 40. In Apostolicæ, vbi notabo de iurisdictione Protomedici.

IVLIVS PAPA III. &c.

Edita An. D. 1553.

Exemptionemque.

MEritis deuotionis vestræ, erga nos, & Romanam Ecclesiam inducimur, vt petitionibus vestris quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus.

Causa illius constit.

§. 1. Cum itaque sicut nobis exponi fecistis, multi Physici, ac medicinæ ignari, sub prætextu quod in aliqua vniuersitate Studij generalis, Philosophiæ, ac Medicinæ operam dederint, tantum se profecisse præseferant, vt veluti idonei ad doctoratus gradum se promoueri facere temere præsumant, & cum huiusmodi gradum ob eorum imperitiam in eisdem Vniuersitatibus assequi posse diffidant, licentiam à Sede Apostolica sub fictis narrationibus extorquere conantur, vt ab aliquo Prælato seu persona in dignitate Ecclesiastica constituta, ad ipsum gradum rigoroso examine, aliisque in huiusmodi promotionibus, tam de iure quam laudabili consuetudine requisitis, minime adhibitis, promoueri se faciant, in ipsius doctoratus dignitatis opprobrium, & maximum vitæ hominum exitium ac perniciem, pro parte vestrum asserentium vos à Sede Apostolica indultum, ad doctoratus huiusmodi gradum tam in Philosophia, quam in Medicina, præmisso rigoroso examine, aliisque ad id requisitis, de more solemniter obseruatis, quoscumque idoneos promouendi obtinuisse, nobis fuit humiliter supplicatum, vt priuilegia vobis concessa confirmare, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio priuilegiorum Collegij, quatenus sunt in vsu.

§. 2. Nos specialibus fauorib. & gratiis vos prosequi volentes, huiusmodi supplicationib. inclinati, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, priuilegia, & indulta, necnon gratias Collegio vestro per fel. record. Clementem VII. & alios Romanos Pontifices prædecessores nostros concessa (quatenus sint in vsu) approbamus, & confirmamus.

Facultas Collegij priuatiue quoad alios quoscumque, in philosophia & Medicina doctorandi.

§. 3. Ac statuimus & ordinamus ex nunc & de cætero perpetuis futuris temporibus, vt nullus etiam prætextu cuiusvis licentiæ, seu facultatis sibi etiam Apostolica auctoritate concessæ seu priuilegiorum, & indultorum, ac literarum Apostolicarum quibusvis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis, præeminentiæ, nobilitatis, & excellentiæ existentibus, Romanæ Curiæ officialibus, eorumque Collegiis, ac quacomque dignitate fulgentibus, vt illorum contemplatione seu intuitu, etiam Motu proprio, & ex titulo oneroso, & ex quibusvis aliis quantumcumque maximis, & vrgentissimis causis, sub quibuscumque verborum formis & expressionibus, ac ex quibusvis efficacissimis & insolitis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, etiam talibus, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo, & forma eis derogari possit, irritantibusque & aliis decretis, per nos & prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam, seu alias pro tempore concessis, ad Philosophiæ, Medicinæ, seu earum alterum doctoratus gradum, præterquam à vestro Physicorum, & Medicorum Collegio, in dicta Alma Vrbe nostra existente assumi, creari, & promoueri possit. Decernentes assumptiones, creationes, & promotiones huiusmodi per vestrum Physicorum, & medicorum Collegium faciendas, validas & efficaces existere, suosque effectus sortiri debere. Quascumque autem alias huiusmodi creationes, assumptiones, ac promotiones, per alios quam per Collegium vestrum de cætero in ipsa Curia faciendas, cum inde secutis quibuscumque ex nunc prout ex tunc, irritas & inanes, nullinsque roboris, & momenti esse censeri, ac nemini suffragari, ipsique ab aliis quam à Collegio vestro ad gradus huiusmodi assumpti, pro non promotis, aut doctoratis haberi mandamus. Volumus tamen quod vos & Collegium vestrum quoscumque pauperes vel egentes, quos ad susceptionem graduum huiusmodi habiles & idoneos reperietis, ad Doctoratus huiusmodi gradum benigne & gratiose assumere & promoueri debeatis.

§. 4. Et

Iurisdictio Protomedici cognoscendi causas ciuiles & criminales.

§. 4. Et insuper cum intellexerimus, dilectum filium Protomedicum dictæ Vrbis pro tempore existentem, in causis, tam ciuilibus quam criminalibus in prima instantia ad eius cognitionem, ratione dicti sui officij quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, à diuersis eiusdem Romanæ Curiæ, siue Commissariis, ordinariis vel extraordinariis, Iudicibus, impediri ac inquietari, in dies molestari. Nos eiusdem Protomedici, ac vestri Collegij indemnitati consulere cupientes, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac mille ducatorum auri, pro vna Cam. Apostolicæ, pro alia vero medietatibus vestro Collegio applicandis pœnis, districtius inhibendo mandamus quibuscumque huiusmodi Almæ Vrbis nostræ Iudicibus & Commissariis, ordinariis, & extraordinariis, quacumque dignitate fungentibus, ne Protomedicum prædictum in causis similib. ad eius officium, vt præmittitur, spectantib. & pertinentibus quoquo modo molestare, & impedire, vel in eis se intromittere debeant seu possint.

Inhibitiones aliorum iudicum non afficiunt ipsum protomedicum.

§. 5. Declarantes ex nunc prout ex tunc, inhibitiones quascumque & inde secuta quæcumque in dictis Iudicibus, contra eumdem Protomedicum in dictis causis ad eum pertinentibus, quomodocumque de cætero decernendas, & faciēdas, seu hucusque decretas aut inhibitas, ipso iure, & facto, fore & esse nullas ac nullius roboris & momenti, ac illis non obstantibus quod idem Protomedicus in ipsis causis procedere possit, & valeat, sine aliquo censurarum, ac pecuniarum pœnarum in huiusmodi inhibitionibus exprimendarum incursu, perinde ac si tales inhibitiones, ac alia inde secuta quæcumque non emanassent, nisi alias per nos, seu successores nostros Romanos Pontifices prouisum fuerit.

Clausula sublata.

§. 6. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum & inane decernimus.

Deputatio executorum & defensorum.

§. 7. Quocirca venerabilibus fratribus Liparen. & Balneoregien. Episcopis, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra vos præsentibus & in eis contentis quibuscumque pacifice frui & gaudere, non permittentes vos desuper contra præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores, molestatores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Claus. derog.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Vrbis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis, cuiusvis dignitatis & præeminentiæ existentibus, & quacumque, etiam Archiepiscopali, vel alia maiori dignitate fulgentibus, quomodolibet concessis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. V. A. 4. 21. Aprilis.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 21. Aprilis 1553. Pontificatus nostri Anno quarto.

Confirmatio & extensio constitutionum à plerisque Romanis Pont. editarum, contra non soluentes Reu. Cam. Apost. communia, & minuta seruitia, ac annatas. XX.

Edita A. D. 1553.

IVLIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

CVpientes Cameræ Apostolicæ ex qua non modo S.R.E. verum etiam toti reipublicæ Christianæ subsidium prouenit, & Collegij venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, ac Officialium Sedis Apostolicæ indemnitati consulere, & eorum iura, vt tenemur illæsa præseruare, his quæ à prædecessoribus nostris ad hoc prouide emanarunt, libenter adiicimus nostri muniminis firmitatem, aliasque desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pius II. (cuius constitutio non habetur) pœnas hic expressas imposuit, non soluentibus Cam. Apost. annatas.

§. 1. Dudum siquidem postquam fel. record. Pius Papa II. prædecessor noster accepto quod numerus debitorum dictæ Cameræ plurimum auctus erat, & quod obligati pro annatis beneficiorum Ecclesiasticorum, quę Apostolica auctoritate assecuti fuerant excommunicationis sententiam in eos latam, quam non soluendo in termino eis præfixo ipso facto incurrebant, minime curare videbantur, vnde animabus sic illaqueatis periculum imminebat, & continue eidem Cameræ damna subsequebantur. Cupiens tam saluti animarum, quam indemnitati Cameræ huiusmodi salubriter prouidere, per suas ordinauerat, quod omnes qui ex tunc de cætero pro annatis quorumcumque beneficiorum in dicta Camera se obligarent, si infra terminos eis præfixos dictæ Cameræ, aut collectoribus fructuum & prouentuum eidem Cameræ debitorum in illis partibus existentibus satisfacere deficerent, ipso facto lapsis terminis prædictis, non solum in sententiam excommunicationis inciderent, sed etiam beneficiis pro quibus se in ipsa Camera obligassent omnino priuati essent, ij vero qui se pro annatis huiusmodi non per se, sed pro aliis vt principales obligarent, si in terminis non satisfacerent vltra sententiam excommunicationis huiusmodi, essent omnibus beneficiis Ecclesiasticis per eos obtentis eo ipso priuati, possentque talia beneficia, per quoscumque libere impetrari.

Paul. II. aliā edidit vt in const. 6. Innoc. VIII. const. 3. Iul. II.

§. 2. Et piæ mem. Paulus etiam PP. II. prædecessor &c. vt sup.

§. 3. Ac similis memoriæ Innocentius Papa VIII. similiter prædecessor noster, &c. vt sup.

§. 4. Sanctæ memoriæ Iulius similiter Papa II. & prædecessor noster. &c.

Hæc bulla fuit omissa vti simpliciter confirmatoria.

Post prædictas constitutiones multæ vniones perpetuæ, factæ sunt & tamē in Camera obligationes de soluēdo annatas receptæ nō fuerunt, vel executæ.

§. 5. Cum autem, sicut accepimus, malitia & auaritia hominum in dies crescente, ordinationes, statuta, voluntates & decreta & declaratio Pij, & Pauli, ac Innocentij, & Iulij prædecessorum huiusmodi ad præsens plene non obseruentur, & à tempore ipsius Alexandri prædecessoris citra, tam per ipsum Iulium quam etiam fel. recordat. Leonem X. Adrianum VI. & Clementem VII. ac Paulum III. Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, diuersæ aliæ vniones, annexiones, incorporationes, & applicationes perpetuo factæ & concessæ fuerint, ac ex incuria agentium, pro Camera prædicta, seu alias obligationes de soluendis communibus & minutis, seruitiis, ac annatis, seu mediis fructibus, aut aliis iuribus solui debitis, & consuetis, factæ non fuerint; & quæ factæ sunt executioni non demandentur, in eorum ad quorum commodum vniones, annexiones, incorporationes, & applicationes prædictæ factæ fuerunt, in animarum periculum, & Cameræ ac Collegij Cardinalium, & Officialium detrimentum, necnon reipublicæ huiusmodi non leue præiudicium.

Pontifex ista ideo approbat, & innouat constitutiones prædictas, & amplius etiā

§. 6. Nos volentes in præmissis opportune prouidere prædecessorum huiusmodi vestigiis inhærendo, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & certa scientia nostris, ordinationes, statuta, voluntates,

ad beneficia de iurepatronatus Imperatoris & principum quorumcumque. decreta, & declaratione Pij, & Pauli, ac Innocentij & Iulij prædecessorum huiusmodi, necnon desuper confectas literas ac omnia, & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere, & quibuscumque tam in eisdem literis nominatis, quam non nominatis, virorum, & mulierum, sæcularibus & quorumvis Ordinum regularibus congregationibus, ac omnibus aliis sub singolis prædictis, & præsentibus nostris literis comprehensis personis, tam pro præterito quam futuro tempore inuiolabiliter obseruari, eaque omnia, ac censuras, & pœnas in singulis literis huiusmodi contentas contra omnes congregationes, & personas prædictas quoad omnia, & singula monasteria & beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia quomodolibet qualificata, quæ congregationes prædictæ quomodolibet communiter possident, etiamsi de iurepatronatus laïcorum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, Marchionum, Baronum, Comitum, & aliorum nobilium etiam illustrium, aut dummodo per ipsas congregationes possideantur, tam in Romana Curia quam extra eam inter quoscumque litigiosa existant, vigere, & locum habere, totalique, & plenariæ executioni demandari debere decernimus. Necnon ea omnia quæ singuli prædecessores prædicti voluerunt, eisdem auctoritate & tenore volumus, ac præmissa omnia, prout per ipsos prædecessores ordinata, statuta, decreta, & declarata, fuerunt, de nouo ordinamus, statuimus, decernimus & declaramus, eaque omnia ad quascumque, tam sæculares quam regulares, virorum & mulierum congregationes quantumvis priuilegiatas, & exemptas, auctoritate, & tenore prædictis, extendimus, & ampliamus.

Clausula præseruatiua. §. 7. Decernentes præsentes literas de intentionis nostræ defectu notarij, aut prætextu quod in aliquibus locis non recipiantur, aut moribus vtentium non comprobentur impugnari, aut in desuetudinem adiri, dici non posse, sed ex die earum publicationis modo infrascripto faciendæ quoscumque ligare.

Decretum irritans. §. 8. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis etiam dicta Apostolica auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate, iudicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria. §. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ singuli prædecessores prædicti, in singulis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Forma & effectus publicationis. §. 10. Vt autem præsentes nostræ literæ ad omnium quorum interest, notitiam deducantur, nullusque deinceps possit aliquam in præmissis excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, auctoritate & tenore prædictis volumus, & mandamus, quod literæ huiusmodi in valvis Cancellariæ Apostolicæ tribus diuersis diebus dum ipsa Cancellaria tenebitur, per aliquem ex Cursoribus nostris affigantur, & donec illa durauerit, affixæ teneantur, exindeque in quinterno Cancellariæ, vbi similes constitutiones describi consueuerunt, per eos ad quos spectat, ad perpetuam rei memoriam, describantur & registrentur.

Sanctio pœnalis. §. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. An. 4. die 10. Dec. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, quintodecimo Kal. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno 4.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Dominica 1554. indictione XII. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Iulij diuina prouidentia Papæ III, anno eius 4. retroscripta litera Apost. in valuis Cancellaria Apost. tribus diuersis diebus, dum ipsa Cancellaria tenebatur, & donec illa durauit, videlicet diebus Martis 9. necnon Iouis 11. & Sabbati 12. mensis Ianuarij, iuxta ipsarum literarum tenorem affixa, & publicata fuerunt per me Humbertum Hollonium prælibati D. N. Papæ Cursorem.*

Io Freide Mag. Curs.

Ecclesiarum Prælati ex Palatio Apostolico panem habentes, familiares, & continui commensales Romani Pontificis declarantur. Eorumque Beneficia ipsi Pont. reseruantur. XXI.

Aliam super eiusmodi familiaritate sanctionem edidit Paul. III. in const. 3. Sanctissimus, sup. *Edita An. D. 1538.*

Causa istius declarationis. SAnctissimus in CHRISTO Pater, & Dominus noster Dominus Iulius, diuina prouidentia Papa Tertius, cui nuper innotuit, quod à nonnullis vertitur in dubium, an Ecclesiarum Palatij panem ex Palatio Apostolico ratione personæ suæ, & non alterius officij per eos pro tempore obtenti, quotidie habentes sint Sanctitatis suæ veri, & indubitati & non ficti, aut per priuilegium, Prælati domestici, & continui commensales, considerantes panem huiusmodi eis nonnisi ratione familiaritatis continuæ commensalitatis exhiberi.

Declaratio quod Ecclesiarum Prælati panē habentes ex Palatio Apostolico, sint veri familiares, & cōtinui commensales Pontificis. §. 1. Et propterea volens dubium huiusmodi, suæ declarationis oraculo, de medio tollere, declarauit, Omnes & singulos Ecclesiarum Prælatos, qui solum ratione personæ suæ, & non alicuius officij per eos pro tempore obtenti panem ex Palatio Apostolico quotidie habent, seu habere possunt, & in posterum habebunt seu habere poterunt, licet in eodem Palatio non habitent, & vltra panem alia victui humano necessaria non habeant, nec in posterum habituri sint, Sanctitatis suæ veros, & indubitatos, & non ficte aut per priuilegium Prælatos domesticos & continuos commensales esse, ac in posterum fore, & pro talibus & vt tales censeri & reputari debere, ita vt sub regulis Cancellariæ Apostolicæ, & aliis constitutionibus suis tam editis quam edendis, de veris familiaribus continuis commensalibus Sanctitatis suæ loquentibus comprehensi, & illis quoad omnia subiecti sint ipsique illis vti, potiri, & gaudere possint.

Collatio beneficiorum istorum Prælatorum, ipsi Pontifici reseruatur. §. 2. Et Sanctitas sua de beneficiis Ecclesiasticis, per eos pro tempore obtentis qualitercumque qualificatis, & ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam indultum speciale super conferendis beneficiis ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus à Sanctitate sua, aut Sede Apostolica habentium, communiter vel diuisim spectantibus, quæ per eorum obitum in Romana Curia, vel extra eam in posterum vacabunt tanquam Sanctitatis suæ ratione familiaritatis & continuæ commensalitatis huiusmodi generaliter reseruatis prouidere, & de illis disponere libere & licite potest, in omnibus & per omnia perinde ac si ipsi Prælati in dicto Palatio habitarent, & vltra panem alia victui humano necessaria haberent.

Decretum irritans. §. 3. Sicque per quoscumque, &c. etiam Cardinales Prælatorum ac causarum Palatij Apostolici Auditores in quavis causa & instantia, sublata, &c. iudicari & definiri debere, ac irritum, &c.

Placet, publicetur, & describatur. I. *Papa subsc.*

Publ. Pontif. An. 4. die 13. Februarij. *Lecta, & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1553. die vero Martis 13. mensis Feb. Pontificat. prælibati S. D. N. D. Iulij diuina prouidentia Papæ III. Anno 4.*

A. Lomellinus Custos.

Quod

XXII. Quod Frater germanus alicuius S.R.E. Cardinalis viuentis, ad Cardinalatum promoueri non possit.

Approbauit hanc prohibitionem, & extendit Six. V. vt infra in eius const. 50. Postquam, vbi late dicam de Cardinalibus.

Edita A. D. 1554.

SAnctissimus Dominos noster D. Iulius diuina prouidentia Papa III. pro bono regimine S.R.E. ac pro felici sacri Collegij Cardinalium directione, de ipsorum Cardinalium consilio, & vnanimi assensu, præsenti decreto statuit.

Quod Frater germanus Cardinalis viuentis creari non possit in Cardin.

§. 1. Vt nullo vnquam tempore assumatur aliquis posthac in eiusdem S.R.E. Cardinalem, qui sit frater germanus alterius Cardinalis viuentis. Itaque eodem tempore duo fratres germani in eodem Collegio nullatenus esse possint. Decernens, & declarans fratres Cardinalium viuentium ad Cardinalatus dignitatem penitus incapaces, & inhabiles habendos, & reputandos esse.

Dictaq; sanctioni derogari non possit.

§. 2. Et ea nulla quantumvis vrgentissima causa aduersus hoc decretum dispensare licere.

D. P. An. 4. die 26 Ian.

Actum Romæ, die Veneris 26. mensis Ianuarij, 1554. in Coosistorio.

XXIII. Prohibitio Blasphemiarum, & Barattariarum in Alma Vrbe. Et iurisdictio generalium Inquisitorum hæreticæ prauitatis, coërcendi ipsos blasphematores, ac eos scientes & non reuelantes.

Contra hos blasphematores procedit etiam Vicarius Papa vt legitur in const. 36. Pauli III. Licet sup. Et de materia blasphematorum vide etiam Leon. X. const. 6. Superna & in Pij V. const. 5. Cum primum vbi notabo.

Edita A. D. 1554.

IVLIVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa istius constitut.

IN multis deprauatis moribos, vitiosisqoe coosuerodinibus, quæ in nostram banc Almam Vrbem, propter eius amplitudinem magnumque aduenatum vndique in eam concursum, simul cum pluribus eximiisque virtotibos, atque egregiis veræ pietatis exemplis irrepserunt, ad quas oos tollendas, & extirpandas, omnem aciem mentis, & cogitationis oostræ intendimus, oihil est quod animum nostrum magis exulceret, & confodiat, quam horribilis atque impia, & Christianis auribus intolerabilis, diuini nominis blasphemia. Cum aodiuimus sacratissimum Dei, & Iesv Christi Domini nostri nomeo, qood super omne nomen cœlestia veoerantur, terrestria adorant, inferna contremiscunt (quod ne temere quidem à quopiam, propter eius sublimitatem, ac maiestatem, vsurpandum sit) passim prauorum effœtarorumque hominum vocibus scindi, vnáque cum eius sanctissimæ Genitricis, & venerabilium Sanctorum, & amicorum ipsius summi Dei nomine, detestandis blasphemiis, maledictisqne lacerari, vt minime mirandum sit, si à Christianis populis in tantis calamitatibus constitutis, diuinæ iracundiæ flagella non amoueantur, propterea quod iuxta sapientis dictum: A viri multum iuraotis domo non discedet plaga.

Prohibitio cū pœnarum impositione contra.

§. 1. Quare nos, huiusmodi execrandum abusum simul cum cæteris omoibus, quantum cum eiusdem Dei adiutorio fieri poterit, extirpare volentes, vt hanc ipsam Vrbem, domicilium, ac Sedem Spiritus sancti, omnibos inquinamentis mundatam, ac perpurgatam Domino Deo per omnia placentem exhibeamus, in hunc qui sequitur modum, quoad præfatam horrendæ blasphemiæ crimen, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, & volontate, inuocata Dei omnipotentis iustitia, decernimus, statuimus, & ordinamus.

Blasphemātes Deum, Christum & Spiritum sanctum.

§. 2. Blasphemantes scilicet Deum Patrem omoipotentem, vel eius Filium vnigenitum, Dominum, & Redemptorum nostrum Iesvm Christvm, seu Spiritum sanctum, vel particulariter, & explicite, vel generaliter, & implicite, attribuendo diuinæ maiestati quæ illi minime conueniunt, vel remouendo quæ eam decent, primo conuicti, si diuites fuerint, compellantur ad soluendum scuta auri quadraginta, si vero pauperes, soluant decem, quæ si nequeant numerare, luant in corpore. Secunda vice conuictis, nobilibus, siue diuitibus siue pauperibus duplicetur pœna pecuniaria proportionabiliter ad primam huiusmodi mulctam. Atque insuper incurrant infamiam, & inhabilitatem ad beneficia quæcumque ad gradus, dignitates, & honores obtinendos. Vilibus conuictis perfodiatur lingua. Tertia vice conuictis nobilibus, tam diuitibus, quam pauperibus, triplicetur pœna pecuniaria respectiue vt supra, Vlterius sint ipso iure priuati beneficiis Ecclesiasticis, & officiis quibuscumque dignitatibus, titulis, magistratibus, honoribus, sint intestabiles tam actiue, quam passiue. Sint inhabiles ad ferendum testimoniom. Sint banniti publice per triennium ab Vrbe. Vilibus imponatur fastigatio, aut deportatio ad triremes per triennium, & caueant perpetuò.

Mariamque Virginem.

§. 3. Idem seruetur contra blasphemantes ipsius D. N. Iesv Christi Matrem beatissimam semper Virginem Mariam.

Sanctos & Sanctas.

§. 4. Blasphemi in Sanctos vel Sanctas Dei, corrigantur seuere arbitrio DD. Iudicum, habita ratione qualitatis, & grauitatis criminis cum cæteris circumstantiis iure attendendis.

Pœnarū applicatio.

§. 5. Volumos autem, & statuimus, vt omnes pœnæ pecuniariæ exigendæ, applicentur tantummodo sustentationi Orphaoorum vtriusque sexus Catechumenorum, & puellarum.

Iurisdictio Inquisitorū generalium in eos.

§. 6. Iudices vero tam horrendi & impij criminis, deputamus, & instituimus RR. DD. Inquisitores nostros generales, quos volumus posse addere præstitutis pœnis, & maxime io corpore, si modus blasphemiæ ob grauitatem, impietatem, vel malitiam id exposcat.

Dubiaque declaranda.

§. 7. Partes eorundem DD. Iudicum erunt, declarare si dubiom occurrat, qui nobiles, qui plebeij, qui diuites, qui pauperes sint habendi.

Scientes reuelent Blasphematores alióquin pœnas hic positas incurrent.

§. 8. Insuper ne sacrilega, & mortifera hæc pestis, si lateat, minus curari vel præcidi possit, ex omnipotentis Dei auctoritate mandamus omnibus, & singulis cuiuscumque sint gradus, & conditionis, qui sciuerint aliquos blasphemasse vt supra, quod eos denuntient infra triduum Reuerendiss. Iudicibus, vel per se ipsos, vel per chirographum, modo & ordine inferius exprimendo. Sicque omnes, & singulus in districto Dei iudicio requirimus, & eorum conscientias aggrauamus. Monendo tamen eos, quod si constiterit, aliquem scientem noluisse denuotiare, cuiuscumque fuerit status, dignitatis, & conditioois, præter vltionem iustitiæ diuinæ quam ei annuntiamus, & præter culpam mortalem, quam incurret ob ioobedientiam, & ob neglectum bonorem Dei, punientur eisdemmet pœois, quibus blasphemi, & sic eos molestari præcipimus, non enim solum digni sunt pœna aut supplicio qui ea faciunt, sed & qui non corriguot facientes.

Volentes eos denuntiare secrete, formā hic traditā.

§. 9. Cupientes denuntiare secrete, scribant in chirographo oomen Blasphemi, speciem, locum, & diem blasphemiæ, & si placuerit apponere nomen proprium, addant duos vel saltem vnum testem, si vero maluerint ipsi denontiantes supprimere nomina propria, adscribent tres vel saltem duos in chirographo, qui sint testes de blasphemia, & illud per religiosam personam, per spiritualem patrem, cui confidant, mittant vni cui voluerint ex Reuerendiss. Iudicibus ordinariis quibus ita ad deferendum electis, præcipimos in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, quod nemini habeant reuelare denuntiantes testes, vel denuntiatos, nisi tribunali iam decreto, in quo volumus seruari omnino secretos, tum denuntiantes, tum testes, non secus ac seruantur in causa fidei.

Denuntiator cum vno teste plene probat.

§. 10. In condemnando pro hoc execrabili scelere stabitur duobus testibus fide dignis, poterit haberi loco testis

testis vnius denuntians, si medio iuramento denuntiet, dil genter obseruata qualitate, integritate, & reliquis circumstantiis tum denuntiantis, tum alterius testis.

Falsus denuntiatur vel testis. §. 11. Si qui (quod Deus auertat) inuenti fuerint denuntiantes, vel attestantes falso, subeant pœnas blasphemorum, & illomet ordine, & nihilominus seuerissimis, & grauissimis pœnis, etiam in corpore, affligantur, ac ad triremes perpetuo deputentur.

Blasphemi se deferentes, nō puniuntur. §. 12. Blasphemis non accusatis, nec denuntiatis, si seipsos humili & contrito corde accusent, si de eorum iniquitate veniam petant, condonamus omnes pœnas à nobis impositas, interim tamen lacrymis, orationibus & cæteris voluntariis pœnitentiis, peccatum maxime detestabile redimant in misericordia Domini.

Prohibitio tenendi barattarias. §. 13. Quia vero compertum habemus, ludos quos barattarias vulgus appellat, præter multas iniquitates quibus causam præbent, blasphemiam maxime enutrire, gignere, & euomere, ideo auctoritate nostra, in spiritu Domini, præsenti decreto nostro, & Motu proprio amouemus, damnamus, prohibemus omnes huiusmodi barattarias tanquam semina plurium impietatum. Et qui in posterum ausi fuerint eas manutenere vel exercere, volumus ac iubemus eos carceribus mancipari de facto, & puniri pœnis à iure contra Aleatores statis, & insuper arbitrio DD. Iudicum præfatorum, &c. mulctari grauissime pro transgressione huius nostræ prohibitionis, à qua nullum excipimus, cuiuscumque sit gradus, dignitatis, vel conditionis, & pro hac causa dumtaxat cassamus, irritamus annullamus quamcumque prætensam licentiam, vel exemptionem.

Transumptorum fides. §. 14. Volumus autem quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, tam in iudicio quam extra quæ præsentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 4. die 1. Febr. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die ptima Februarij 1554. Pont. nostri Anno 4.

XXIV. Contra Hebræos retinentes libros Thalmudi & alios, in quibus nomen IESV Saluatoris nostri, &c. cum blasphemia, aut alias ignominiose nominatur.

Ampliorem dispositionem vide inf. in Clem. VIII. const. 20. Cum Hebræorum, vbi notabo.

Edita An. D. 1554. *IVLIVS PAPA III.*

Vniuersis & singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs alijs locorum Ordinarijs. Sal. & Apost. bened.

Causa constitutionis. CVm sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus, licet alias venerabiles fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales hæreticæ prauitatis in vniuersa Republica Christiana Inquisitores generales, certum Hebraicorum librorum volumen Ghemarot Thamud nuncupatum, nonnulla indigna, & legem diuinam, orthodoxamque fidem offendentia continens, de mandato nostro damnauerint, & igne comburi fecerint, nihilominus inter ipsos Hebræos adhuc esse dicantur diuersi libri diuersas contra Christum Redemptorem nostrum, eiusque sanctissimum Nomen & honorem, blasphemias, & ignominias continentes.

Iussio comburendi libros Thalmud, &c. §. 1. Nos in præmissis opportune prouidere volentes, vobis, & vestrum cuilibet per præsentes committimus, & mandamus, quatenus singulis vniuersitatibus Hebræorum infra limites iurisdictionis vestræ consistentibus ex parte nostra intimetis, & notificetis, quod elapsis quatuor mensibus à die intimationis, & notificationis huiusmodi, omnes, & singuli libri, in quibus nomen IESV Saluatoris nostri, quod Iescui Hanozri dicitur, cum blasphemia, aut alias ignominiose nominatur, tam in eorum Synagogis, & locis publicis quam priuatis domibus, & alias vbique locorum diligentissime exquirantur, & qui libros huiusmodi penes se quoquo modo habere reperti fuerint, debitis pœnis, tam pecuniariis, & confiscationis bonorum, quam si eorum contumacia, aut qualitas delicti id exegerit, corporis etiam vltimi supplicij, ac alias prout à fide Christi apostatantes puniuntur irremissibiliter puniantur, & nihilominus eisdem quatuor mensibus, elapsis per vos, vel alium, seu alios, vos ad hoc duxeritis deputandos, libros huiusmodi cum omni quos diligentia inquiratis, & studiose inuestigetis, inquirique & inuestigari faciatis, & eos, quos libros huiusmodi penes se habere reperietis, pœnis quibus apostatantes præfati puniuntur, omnino, & irremissibiliter puniatis.

Prohibitio de cætero eos vexandi. §. 2. Non permittentes de cætero eosdem Hebræos (qui in memoriam Passionis Dominicæ à sancta Matre Ecclesia tolerantur, vt aliquando mansuetudine nostra allecti ad verum Christi lumen diuino afflante spiritu, conuertantur) à quibusvis etiam Apostolica auctoritate fungentibus occasione cuiusvis sortis librorum apud eos existentium, (dummodo blasphemiam, vt præfertur, non contineant) nisi de nostro expresso mandato, quomodolibet vexari aut molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac vobis in præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias arbitrio vestro moderandas, & applicandas, ac alia opportuna iuris remedia appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsorum Hebræorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum. §. 4. Et quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis præsentium, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 29. Maij. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 29. Maij millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus nostri Anno quinto.

XXV. Contra Homicidas, Brigosos, Duellantes, & alia grauia crimina patrantes, Bannitosque & eorum complices, receptatores, & fautores.

Quamplures Pontificias in hac materia sanctiones indicatas per legem in Sixt. V. const. 6. Hoc nostri inf. tom. 2. vbi hanc etiam adnumeratam habes.

IVLIVS PAPA III. *Edita A.D.*

Motu proprio, &c.

Plerique Romani Pōt. varias cōtra homicidas, aliosque delinquētes hactenus leges ediderūt. Has omnes tibi indicatas §. 1. CVm sicut accepimus, licet alias fel. rec. Pius II. Paulus etiam II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Iulius similiter II. & Clemens VII. & forsan alij Romani Pontifices prædecessores nostri, inter alias pro Almæ Vrbis, & totius S.R.E. temporalis status quiete, & tranquillitate susceptas curas, & factas prouisiones, contra homicidas & in capitalibus inimicitiis perseuerantes, brigosos

Vide in Six V. constit. 6. Hoc nostri tit. in rubr.

brigosos nuncupatos, pacis, aut treguæ fractores, sine Romani Pontificis, aut Officialium suorum licentia, caualcatas, seu armatorum collectas facientes, ius sibi ipsis dicentes, aliosque tunc expressos delinquentes, ipsorumque homicidarum, & aliorum prædictorum, seu pro quocumque alio capitali crimine condemnatorum receptatores, aut illis, necnon quibuscumque personis singulari certamine (quod duellum appellant) pugnare volentibus, locum, auxilium, fauorem, & consilium, directe, vel indirecte, per se, vel alium, publice, vel occulte præstantes, diuersas ediderunt constitutiones, & leges cum diuersarum censurarum Ecclesiasticarum, & aliarum pœnarum comminatione, & impositione, prout in singulis eorundem Prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

In contrauenientes tamen Officiales remissius processerunt.

§. 2. Et à certis annis citra, sicut etiam facti notorietate est omnibus cognitum, nonnulli inobedientes contra tam saluferas Prædecessorum huiusmodi literas, ordinationesque inhibitiones, & decreta in illis contenta, elata ceruice, temerarioque ausu venire, & facere præsumpserint, censuras, & pœnas prædictas in eisdem literis contentas damnabiliter incurrendo, attamen qui pro tempore fuerint iudices, ad quorum officium ea cura spectabat, pro dictarum literarum obseruantia, & publicæ quietis manutentione, contra eos procedere neglexisse, seu remissius egisse reperiuntur.

Hic ideo Pōt. illas confirmat, & Gubernatori Vrbis earundem executionem, & obseruantiam committit.

§. 3. Nos considerantes quanta cum maturitate à prædecessoribus nostris literæ prædictæ emanauerint, & quantum publico bono illarum obseruantia sit profutura, & propterea nolentes vllo pacto, quantum in nobis est tolerare, quod illarum executio negligatur, literas prædictas, quarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis haberi volumus, & in eis contenta quæcumque approbantes, & innouantes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Venerabili fratri Phylo Episcopo Asculano, moderno, & pro tempore existenti Almæ Vrbis Gubernatori, vt post solemniter in publicis consuetis Vrbis locis, prout ipsi Phylo Gubernatori videbitur præsentis cedulæ faciendam publicationem, omni vlteriori mora, & quocumque alio respectu postpositis, & cessantibus, contra omnes, & singulas Communitates, Vniuersitates, necnon Duces, Marchiones, Comites Barones, Domicellos, & Dominos temporales, armorum Capitaneos, Ciuesque, incolas, & particulares personas quascumque Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, & immediate subiectorum, in dictis literis expressorum, qui singulis Prædecessorum prædictorum literis prædictis, & contentis in eis, hactenus quomodolibet contrauenerint, siue fecerint, in futurumque (quod absit) contraibunt, vel facient, ad declarationem executionemque censurarum, & prædictarum pœnarum, rigorose, & irremissibiliter procedant, & ipsorum quilibet procedat, præsentium tenore in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna præcipimus, & mandamus.

Et cōtra prædictos ne dum per viam inquisitionis, vel denunciationis, sed etiam ex officio, & per viam querela & accusationis procedi mandat.

§. 4. Et ne de modo citandi, & procedendi, probationibusque faciendis, dubitari, aut per disputationum subtilitates, & plerumque etiam cauillationes, dictorum Prædecessorum, & nostra, circa publicam tranquillitatem huiusmodi frustretur intentio, volumus, & etiam per modum legis perpetuo valituræ ordinamus, quod contra Communitates, Vniuersitates, & alios prædictos dictarum literarum transgressores, & quemlibet eorum, tam per viam inquisitionis seu denunciationis, & ex officio Curiæ, quam per viam accusationis seu querelæ à quocumque proponendæ procedi valeat.

Eosque citari posse per edictum, cuius formam hic tradit.

§. 5. Possintque ipsi contra quos fuerit procedendum, citari per edictum, hoc modo publicandum, videlicet; Vt contra Romanos Ciues, seu Incolas ab Vrbe absentes, necnon Barones, Domicellos, Communitates, Vniuersitates, Collegia, personas quascumque locorum intra quadraginta milliaria sitorum, debeant originales cedulæ edicti, per Nuntium, siue Mandatarium, aut Cursorem, vel præconem publicum affigi in valuis Curiæ Capitolij hora, qua Senator cum suis Collateralibus pro iure reddendo in aula ipsius Curiæ more solito sedebunt, & postquam ita perfecerint, in ingressu siue ianua aulæ prædictæ alta voce legi, & publicari, & deinde cedula ipsa, eodem modo affigatur & publicetur ad valuas domus habitationis cuiuslibet citandi, si in Vrbe habitationis domum habuerit, alioquin ad valuas Curiæ Gobernatoris prædicti, hora simili, qua ipse Gubernator, vel suus Locumtenens pro iure reddendo sedebit. Contra alios vero locorum distantiorum citandos quoscumque similis affixio, & publicatio fiat in valuis Ecclesiæ S. Petri, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in audientia publica literarum contradictarum, diebus videlicet, quibus audientiæ lectio celebrabitur; aliis vero diebus eiusdem audientiæ loco in acie Campi Floræ, non enim verisimilis esse poterit, neque excusabilis ignorantia rei tam patenter notificatæ, ideoque volumus quod huiusmodi citatio ipsos sic citandos respectiue, arctet, atque afficiat, perinde ac si personaliter per nuntium seu per literas citati fuissent, etiam aliter non docto, quod ad eos, eorumque personas, seu domos, tutus non pateat accessus dummodo in quolibet edicto, terminus ad comparendum apponatur congruus, Ita quod possit ad locum, ex quo quilibet reus citabitur, ipsius edicti notitia verisimiliter peruenire, & deinde citatus arrepto itinere, commodo comparere. Neminem autem putamus dubitaturum fore, quod congruus sit terminus, si pro locis intra quadraginta milliaria ab Vrbe sitis, octo dies assignentur, & pro distantioribus locis, si pro singulis viginti milliaribus distantiæ, dictis octo diebus, duo dies addantur, præsumaturque illico, præterito termino huiusmodi ipsius edicti propositio, & publicatio ad eorundem citatorum notitiam peruenisse, ita quod non recipiatur probatio in contrarium. Loca autem ex quibus rei citari, & distantia prædicta computari debeat, volumus, & decernimus esse illa, in quibus per, receptationem homicidarum, bannitorum, aliorumque prædictorum, aut alias prædecessorum huiusmodi literis contrauentum, seu contrafactum fuisse proponitur, etiamsi ipsi rei citandi tunc ibi non habitent, neque reperiantur, seu etiam à multo ante propositionem edicti huiusmodi, præterito tempore citra, aut ibi nunquam fuerint, neque habitauerint, cum eis sit imputandum, qui in talibus locis deliquerunt, & quoniam temeritatis, & delicti fomitem ibi habuerint, ac etiam de re solliciti esse debebunt, nec digni sunt, qui alibi quærantur, maxime postquam præsenti lege publicata, intelligent quo sit modo contra eos procedendum.

Et summariè ac nullo iuris ordine seruato contra eosdem processus fieri mandat.

§. 6. Volumus præterea quod in quolibet processu contra sic citatos faciendo procedatur summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, nulla terminorum qui in Curia substantiales appellantur, aut alias iudiciaria obseruatione interueniente, sed sola facti, & contrauentionis literarum prædictarum veritate inspecta.

Bannitorum receptatores & fautores ignorātia excusatione non posse decreuit, nisi receptatores sint publici hospitatores.

§. 7. Et ne etiam super culpa, vel excusatione ipsorum citatorum, forsan ignorantiam factæ contrauentionis literarum huiusmodi allegantes, disputando, literis prædictis, & prædecessorum, ac nostræ intentioni, publicæque tranquillitati huiusmodi per prauas malorum astutias & fucata media, fraus aliqua fiat, declaramus, & volumus, vt quoad illos qui hactenus deliquerunt, circa præsumendam, vel probandam eorum scientiam, si ad se defendendum, prout citati erunt, comparuerint, seruetur, qualiscumque sit iuris communis dispositio, quo vero ad illos, qui in futurum deliquisse dicentur, etiam aliis contra eos probationibus non factis, præsumantur, intelligantur, & iudicentur, scienter literis prædictis (quantum attinet ad receptionem, consilij, auxilij, victualium, loci, & fauoris præstationem) contrauenisse, pœnasque in illis contentas incurrisse, quicumque aliquem in Alma Vrbe, seu alia qualibet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immediate subiectis Ciuitatibus, Terris, & locis pro quocumque crimine capitali per ipsius Vrbis aliarumque Ciuitatum, ac Terrarum, & locorum iudices publice bannitum receptauerit, seu illi consilium, victualia,

auxilium, fauorem, ac pro singulari certamine faciendo locum præstiterit, seu præstari iusserit, curauerit, vel permiserit, aut aliquid aliud de præmissis in dictorum Prædecessorum literis prohibitis fecerit, & per cuius, etiam absentis, & ignorantis Vassallos, Officiales, Ministros, agentes, & homines quoscumque talia facta, aut permissa fuerint, æque enim peccare arbitrabamur qui per seipsum facit, & qui non curat, ne fiat per eos quos ipse cohibere potest alioquin facile esset literarum præfatarum effectum illudere, si illis, qui scire, & curare per se ipsos debent, ignorantiæ propriæ, culpæque alienæ permitteretur allegatio, nisi forte de receptione facta delari fuerint publici hospitatores, quos quuniam suorum hospitum conditionem explorare non tenentur, nolumus censeri esse in culpa, nisi probetur, quod scienter peecauerint.

Solam signaturam sufficere, & eius exempla, Notario Curia Gubernatoris subscripta fidem facere declarat. §. 8. Volumus quoque præsentis cedulæ solam signaturam, etiam absque eo quod data, & registrata fuerit, & tam ipsam originalem, quacumque constitutione vel regula forsan contraria non obstantibus, quam eius exempla per Notarium Curiæ præsentis, & pro tempore futuri Gubernatoris subscripta, vbique fidem facere.

Contrarijsque derogat. §. 9. Non obstantibus omnibus illis quæ dicti Prædecessores in suis literis prædictis voluerunt non obstare, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutisque & consuetudinibus, iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis, etiam S.R.E.Card. & alias quibusvis quacumque tam mundana quam Ecclesiastica auctoritate fulgentibus personis, concessis, & innouatis, illorum tenores etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, & totalis expressio seu insertio, vel alia certa forma requireretur, pro sufficienter expressis habentes, cæterisque contrariis quibuscumque.

Papa subsc. Placet, & ita Motu proprio præcipimus, & ordinamus I.

MARCELLVS SECVNDVS PONT. CCXXVI.
ANNO DOMINI MDLV.



Marcellus II. de Oppido Montisfani, quod est in Piceni agro, Marcellus Ceruinus antea dictus Richardi filius, Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem, Creatus 5. Idus Aprilis Anoo Domini 1555. Sedit dies 22. nullos creauit Cardinales. Obiit 3. Kalend. Maij eodem anno, sepultus fuit in Basilica Vaticana. Vacauit sedes dies 22.

PAVLVS QVARTVS PONT. CCXXVII.
ANNO DOMINI MDLV.



Paulus IV. Archiepiscopus Theatinus Neapolitanus, Petrus Carafa antea dictus, Episcopus Card. Ostiensis, & sacri Collegij Decanus, creatus 10. Kal. Coronatus 7. Kal. Iunij 1555. Sedit annos 4 menses 2. dies 27. Creauit Cardinales 19. obiit 15. Kal. Septemb. Anno Domini 1559. Corpus eius in Basilica Vaticana conditum à Pio V. in Ecclesia S. Mariæ super Mineruam translatum fuit, Vacauit sedes menses 4. diea 7.

Priuilegium Ordinis Fratrum Minorum S. I.
Francisci de Obseruantia, deputandi personas extra Ordinem, in Syndicos, & œconomos, ad exigenda legata pia, & alia negotia pertractanda, vnà cum aliarum gratiarum eiusdem Ordinis confirmatione.

Quoad secundam partem, habes infrà aliam Clem. VIII. constit. n. 51. Ratio, vbi omnia priuilegia Ordinis quatenus Concilio Tridentino non sint contraria confirmantur. Sindici autem gaudent omnibus priuilegiis Ordinis, ex indulto Cl. VII. de quo sup. in const. 19. Dum consideramus.

PAVLVS PAPA IV. *Edita An. D. 1555.*
Ad perpetuam rei memoriam.



Exordium. Ex Clementi Sedis Apostolicæ prouisione, oecnon personarum deuotarum professu sub regulari castimonia Domino militātium, pia deuotione prouenire dignoscitur, vt Romanus Pont. quandoque per prædecessores suos Rom. Pont. pro Relig. conseruatione, & augmento, ac personarum earundem quiete, & commodo concessa, approbet, & innouet, ac probata, & innouata Apost. auctoritate communiat, vt eo firmiora persistāt, quo sæpius fuerint eiusdem Sedis auctoritate circumfulta.

Ordinis Fratrum de Obseruātia merita multa sunt. §. 1. Sane pro parte dilecti filij Clementis de Monelia, Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ, oobis nuper exhibita petitio continebat, quodcum inter operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth, Dei gratia, Ordo ipse magnos probitatis, & doctrinæ, ac animarum salutis fructus semper olim attulerit, & quotidie afferre conetur, ac exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute

ſalute animarum, ab Apoſtolica Sede, cuius continue pacem, & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus eſt, tam ſpiritualia quam temporalia ſubſidiaque, ornamentaque acceperit, & accipiat, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam regularem, facilius, atque expeditius exequi, & transigere poſſint, & cæteræ religioſæ perſonæ, Ordineſque alij, exemplo ipſorum, promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſoluenda reddantur.

Cui, & alijs in ſubiectu, diuerſi Rom. Pont. Plurimas gratias concesserunt.

§. 2. Cumque etiam ex ipſius Sedis prouiſione, ac benigna dignatione prouenire dignoſcatur, vt Romanus Pontifex, quandoque prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innouet, ac innouationem, & reuocationem reſtauret, & Apoſtolica auctoritate innouata, & reſtaurata muniat, & fulciat, ac in priſtinum ſtatum reponat, & reducat. Et propterea nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri nonnullas gratias, & conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, abſolutiones etiam plenarias, libertates, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia, & ſingula priuilegia, & indulta tam ſpiritualia quam temporalia, etiam per ſolam ſignaturam, aut per oracula viuæ vocis, vel alias etiam contra apoſtatas, tam pro foro conſcientiæ, quam foro fori, tam prædictis Fratrum Minorum, quam ſanctæ Claræ, ac tertio de Pœnitentia nuncupatis Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac vtriuſque ſexus perſonis, & Monaſterijs, domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque dictorum Ordinum, nunc & pro tempore exiſtentibus, in genere, vel in ſpecie, etiam per modum communicationis, ſiue extenſionis priuilegiorum inter ſe, ac etiam cum aliis quibuſcumque Ordinibus, Mendicantibus & non Mendicantibus. Et felicis recordationis Greg. IX. Bonifac. VIII. Alex. IV. Nicol. III. Clem. V. Eugenius etiam IV. Leo X. Clemens VII. Paulus ſimiliter III. ac Iulius etiam III. ac alij Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, & Sedes Apoſtolica, tam ſuper exemptionibus, etiam ab Ordinariorum locorum, & Legatorum, etiam de latere, ac hæreticæ prauitatis Inquiſitorum, iuriſdictione, viſitatione, & correctione, quam etiam ab omni impoſitione, collecta, decima, ſubſidio, quarta, & quinta funeralium, & legatorum partibus, pedagiis & gabellis, ac alio quocumque grauamine per Sedem eandem pro tempore impoſitis, conceſſerint.

Martinus IV. (cuius bullam prætermiſi) dedit facultatẽ deputãdi perſonas extra Ordinem pro œconomis, &c.

§. 3. Ac piæ memoriæ Martinus IV. etiam prædeceſſor noſter, qui conſiderans, quod Fratres Ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ huiuſmodi pro nulla re temporali, iuxta eorundem profeſſionem, & regularia inſtituta, poſſunt in iudicio experiri, vt excluſis quibuſcumque ſollicitudinibus, liberius, & quietius diuinis poſſent vacare obſequiis, & offerentium, donantium, & concedentium, aut in vltima voluntate relinquentium, Ordini Fratrum Minorum; vel illius Fratribus prædictis aliquid propter Deum, pia intentio non defraudaretur, ac hæredum, & executorum negligentiis obuiari poſſet, ac vt ipſi Fratres ſecundum modos licitos, & congruos, ipſi Ordini relictis ſibi in teſtamentis non fraudarentur, inter alia diſpoſuit, quod Generalis, & Prouinciales Miniſtri, ac Cuſtodes vniuerſi pro tempore ipſius Ordin. Fratrum Minorum, poſſent nominare ſpeciales perſonas, quæ non eſſent de dicto Ord. pro locorum indigentia ſingulorum, quas perſonas taliter per ipſos nominatas pro tempore, in iis legitimam adminiſtrationem, & generalem, & liberam gerere, & ipſos, veros, & legitimos adminiſtratores, œconomos, ſyndicos, & actores eſſe, & de plenitudine poteſtatis conſtituendo, auctoritate Apoſt. decreuit qui res ipſas, & rerum prædictarum pretiũ, & prædictas eleemoſynas nomine R. E. (ad quam rerum, mobilium, & immobilium, quibus Fratres vti poſſunt, ius, proprietas, & dominium nullo medio ſpectat) reciperent per eoſdem in Fratrũ ipſorum vtilitates, prout eis licet ea regula, vel declaratione regulæ conuertenda, ſicut, & quãdo à Generalibus, & Prouincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus prædictis, & eorum ſingulis pro tempore, in prouincia vel cuſtodia ſibi decreta, vel ab eiſdem Fratribus de aſſenſu eorum, extitiſſent requiſiti, ac eædem perſonæ petendi, exigendi, recipiendi, alienandi prædicta, trãſigendi quoque, & paciſcendi, conueniendi, compromittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia vitanda, & veritate dicenda iurandi, & cuiuſlibet alterius generis iuramentum præſtandi, cum illis, & contra illos qui huiuſmodi res mobiles, & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemoſynas Fratribus in teſtamentis occuparent, vel violenter auferrent, ſiue contra voluntatem Fratrum quomodolibet obtinerent. Et generaliter in omnibus cauſis, rebus, & locis huiuſmodi ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus, ipſorum Fratrum vſui conceſſis. Necnon pro immunitatibus, libertatibus, & iuribus, ac priuilegiis, & indulgentiis eorundem ſine cuiuſlibet ſatiſdationis, & cautionis onere, plenam, generalem, & liberam haberent, Apoſtolica auctoritate præfata, in iudicio & extra iudicium, poteſtatem, reuocandi quoque perſonas eaſdem, & earum quamlibet, ac alias eis ſubrogandi, & vel nominandi per ſupradictum modum nominationis, quoties opportunum foret, quæ eandem in prædictis, vel ſimiliter haberent poteſtatem plenam, & liberam, per ſuas, ſub Datum apud Vrbem Veterem, quinto decimo Kalendas Februarij, Pontificatus ſui Anno 2. auctoritate Apoſtolica præfata, etiam conceſſit facultatem.

Ioann. XXII. in ſua extr. Ad conditorẽ, d. facultatem abſtulit.

§. 4. Et licet recolendæ mem. Ioannes Papa XXII. ſimiliter prædeceſſor noſter conſtitutione, quæ incipit, Ad conditorem, per quam miniſtris, & cuſtodibus, & Fratribus prædictis, ne literis, & conceſſione Martini prædeceſſoris huiuſmodi ſine Apoſtolicæ Sedis præfatæ licentia vterentur, inter cætera prohibuerit.

Mart. V. eam reſtituit.

§. 5. Nihilominus prohibitione huiuſmodi non obſtante ſanctæ mem. Martinus V. ſimiliter prædeceſſor noſter, voluit, & eadem auctoritate Apoſtolica conceſſit miniſtris, & cuſtodibus, & fratribus prædictis, quod ipſi, & eorum ſinguli literis Martini IV. prædeceſſoris, ac omnibus in eis contentis huiuſmodi libere, & licite vti valerent, tandiu, & quouſque per Sedem prædictam aliud in præmiſſis eidem Ordini vtilius foret ordinatum.

Eug. IV. eam firmauit.

§. 6. Ac etiam fel. mem. Eugenius etiam Papa IV. pariter prædeceſſor noſter, ius huiuſmodi eidem Ordini per alias ſuas literas tenore literarum Martini IV. prædeceſſoris huiuſmodi in eis præinſerto, vt dicitur, conceſſit, & conſeruari.

Nicol. V. & Sixt. IV. conceſſerunt facultatem audiendi confeſſiones, & adminiſtrandi Sacramenta Eccleſiaſtica.

§. 7. Necnon etiam piæ mem. Nicolaus V. & Sixtus IV. etiam prædeceſſores noſtri, ſuper confeſſionibus audiendis omnium perſonarum extranearum, & forenſium quarumcumque Diœceſum per Fratres Minores Ordinis, & Obſeruantiæ regularis huiuſmodi ad hoc ſuis Superioribus, vt moris eſt deputatos, necnon pro abſolutionis beneficio illis impendendo, ac ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento eis taliter cõfeſſis, omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, licite adminiſtrando, per diuerſas eorũ literas, eadem auctoritate Apoſtolica facultatem conceſſerunt, ac idem Eugenius, & diuerſi alij Romani Pontifices prædeceſſores noſtri facultatem abſoluendi huiuſmodi ſub certis modis, & forma, ac etiam in diuerſis Conuentibus Ordinis huiuſmodi tũc expreſſis (etiam viuæ vocis oraculo vt præfertur) ampliarunt, & extenderunt, prout in ſingulis conceſſionibus, & literis eorundem prędeceſſorũ plenius dicitur contineri.

Ordo nunc poſtulat confirmationem ab iſto Pont.

§. 8. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, ea quæ ſæpius Apoſtolica auctoritate præfata munita exiſtunt, maiorem obtineant roboris firmitatem, dictuſque Clemens Miniſter cupiat priuilegia, facultates, conceſſiones, indulta, diſpenſationes, & ſingulas alias gratias huiuſmodi, etiam per nos approbari, innouari, & confirmari, pro parte eiuſdem Clementis Miniſtri, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt eiſdem priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, fauoribus, conſeruatoriis, declarationibus, facultatibus, diſpenſationibus, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, & indultis pro illorum obſeruantia viridiore noſtræ approbationis robur adiicere, aliaſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Qui omnes gratias d. Ordinis confirmat.

§. 9. Nos igitur qui omnium votis præſertim illis quibus ſub ſuaui religionis iugo diuinis laudibus, & Chriſtianæ profeſſionis augmento incumbentium perſonarum tranquillitati, commoditatibus & honori conſulitur, libenter annuimus, eoque fauoribus proſequimur opportunis,

portunis, huiusmodi supplicationibus inclinati, præmissa, ac omnia, & singula alia priuilegia, immunitates, exemptiones, etiam ab Inquisitoribus præfatis libertates, prærogatiuae, fauores, conseruatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta, spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis, inter se, & cum aliis Ordinibus, Mendicantibus, & non Mendicantibus, eiusdem Fratrum Minorum regularis obseruantiæ, ac S. Claræ, & de Pœnitentia Tertio Ordinis, etiam in Congregatione sub trium votorum substantialium professione, & eorundem Superiorum Ordinis Minorum regularis obseruantiæ huiusmodi obedientia degentibus, ipsorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac vtriusque sexus etiam singularibus personis, necnon Monasteriis, domibus, Ecclesiis, & locis quibuscumque, in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam viuæ vocis oraculo, vt præfertur, aut alias tam per præfatos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam, quam Imperatores, Reges, & alios Principes sub quacumque forma, & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata. Necnon cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, singulas desuper confectas literas, & in eis contenta (etiam prout largius in aliquibus earum eis concessum est) interpretando, & inde secuta quæcumque illorum omnium tenores, & formas, datas, effectus, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate Apostolica, tenore præsentium ex certa scientia, ac de Apost. potestatis plenitudine approbamus, & innouamus, & perpetuam roboris firmitatem obtinere, & firmiter obseruari, necnon Ordinibus Fratrum Minorum regularis obseruantiæ, & sanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia nuncupato, etiam in congregatione sub obedientia Fratrum Minorum obseruantiæ huiusmodi degentibus Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis Sororibus, personis, Monasteriis, domibus, Ecclesiis, & locis præfatis, etiam per modum communicationis, & extensionis huiusmodi suffragari, illisque frui, vti, & gaudere, quando & quoties opus fuerit posse, & debere, in iudicio, & extra, ac etiam in foro conscientiæ in omnibus, & per omnia, perinde ac si specialiter, & expresse eisdem fratrum Minorum, ac Sanctæ Claræ, & Tertio de pœnitentia nuncupato Ordinibus, concessa fuissent, decernimus, Supplentes omnes, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Potestatemque concedit eligendi œconomos & syndicos.

§. 10. Et nihilominus pro potiori cautela, & ampliori dono gratiæ, illa omnia, & singula quæ per præfatos prædecessores nostros, ac Imperatores, Reges, & Principes, ac nos, & Sedem eandem, concessa, statuta, & ordinata fuerunt, etiam iuxta ampliorem, & fauorabiliorem illorum intelligentiam, & interpretationem, & præsertim vt exclusis quibuscumque sollicitudinibus liberius, & quietius diuinis possint vacare obsequiis Fratres Minorum regularis obseruantiæ huiusmodi, & animarum salute peramplius proficere, & offerentium, donantium, & concedentium, aut in vltima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus Ordinis Minorum huiusmodi aliquid propter Deum, pia intentio non fraudetur, ac hæredum, & executorum negligentiis obuietur, ac vt ipsi fratres secundum modos licitos, & congruos ipsi Ordini relictis sibi in testamentis mobilibus, & immobilibus bonis, & aliis etiam pecuniariis sibi quomodolibet oblatis, concessis, legatis, & donatis pro tempore, etiam pro Missis, & aliis diuinis officiis, eleemosynis, & aliis rebus, non fraudentur, quod Generalis de per se in toto Ordine & singuli Prouinciales Ministri, ac Custodes vniuersi pro tempore existentes ipsius Ordinis Fratrum Minorum in suis Prouinciis, & Custodiis respectiue, & ad hoc ab eis respectiue deputati Fratres pro tempore, possint nominare speciales personas, quæ non sint de dicto Ordine Minorum pro locorum indigentia singulorum, quando, & quoties opus fuerit in singulis eorum Conuentibus, quas personas taliter nominatas pro tempore, in iis administrationem legitimam, & generalem, ac liberam gerere, & ipsos veros, & legitimos administratores, œconomos, Syndicos, & actores esse de potestatis plenitudine constituendo, eadem auctoritate etiam decernimus.

Earumque facultates describit, & explicat.

§. 11. Qui res ipsas, & rerum ipsarum pretium, & prædictas eleemosynas nomine Romanæ Ecclesiæ (ad quam rerum omnium mobilium, & immobilium, quibus Fratres vti possunt ius, proprietas, & dominium nullo medio spectat) recipiant, & recipere possint, & debeant, per eosdem in Fratrum ipsorum vtilitates, etiam pro victu, & vestitu eorum, ac reparatione Conuentuum, & aliarum rerum, locorum, Conuentuum, & Fratrum huiusmodi necessitatibus pro tempore conuertenda, sicut, & quando à dictis Generali in toto Ordine, & Prouincialibus Ministris, ac Custodibus prædictis, & eorum singulis, pro tempore in Prouincia, vel Custodia sibi decreta, vel ab eisdem Fratribus de assensu eorum extiterint requisiti. Ac eædem personæ petendi, exigendi, recipiendi, alienandi prædicta, transigendi quoque paciscendi, conueniendi, compromittendi, commutandi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia, & veritate dicenda, iurandi, & cuiuslibet alterius iuramentum præstandi, cum illis, & contra illos, qui huiusmodi res mobiles, & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemosynas Fratribus in testamentis, aut alias eis donatas, & concessas occuparent, vel violenter auferrent, siue contra voluntatem Fratrum quomodolibet retinerent. Et generaliter in omnibus causis pro rebus & locis huiusmodi ad ipsam Ecclesiam spectantibus, ipsorum Fratrum vsui concessis, necnon pro immunitatibus, & libertatibus, iuribus, & priuilegiis, ac indulgentiis eorundem, sine cuiuslibet satisdationis, & cautionis onere, plenam, generalem, & liberam habeant auctoritatem, præfata auctoritate Apostolica, in iudicio, & extra illud, potestatem concedimus, Reuocandi quoque personas easdem, & earum quamlibet, ac alias subrogandi, vel nominandi per supradictum modum nominationis quoties opportunum fuerit, quæ eandem in prædictis, vel similem habeant potestatem, plenam, & liberam, etiam Generali, ac Prouincialibus Ministris, ac Custodibus huiusmodi, & eorum singulis, vt præfertur, eadem auctoritate facultatem etiam concedimus. Nec propter præmissa Fratres Minores huiusmodi contra regulam sancti Francisci quam professi sunt, & profitentur in futurum siue contra statuta regularia sui Ordinis huiusmodi in aliquo facere, nec fecisse, imo cum illius obseruatione quoad hoc, & pura, & sana conscientia sine alicuius conscientiæ scrupulo vixisse hactenus, & in posterum viuere. Et sic per quoscumque iudices, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus & declaramus.

Auctoritatem quoque audiendi confessiones administrandique Sacramenta tribuit.

§. 12. Et insuper, vt pro tempore deputatos confessores Fratres Ord. Minorum obseruantiæ huiusmodi omnium quarumcumque Diœcesum vtriusque sexus Christi fidelium ad eos pro tempore recurrentium confessiones audire, eosque etiam in casibus, & censuris, quibus eis per priuilegia Sedis Apostol. etiam per modum communicationis, & extensionis quorumcumque Ord. etiam Minimorum hactenus concessum est, possit absoluere, & singuli Ord. etiam Minorum (quorum priuilegia eidem Ordini Minorum sunt communicata, & extensa) absoluere consueuerunt, absoluendi ac pœnitentiam salutarem iniungendi, & omni tempore præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramēta Eucharistiæ tam illis quam aliis quibusvis personis licite ministrandi, Apostolica auctoritate prædicta indulgemus, ac de nouo concedimus in omnibus, & per omnia. Ita quod Ord. Superiores, Fratres, Moniales, Sorores, personæ, Monast. domus, Eccl. & loca prædicta, illis tam in genere, in specie concessis, vt præfertur, vti quam potiri, & gaudere possint, & debeant.

Exemptionē à decimis elargitur. Tu vide ampliorem con-

§. 13. Ac ab ipsis Inquisitoribus, impositionibus, grauaminibus, oneribus, decimis, quarta, & quinta etiam funeralium, & aliorum quorumcumque eis legatorum, & oblatorum ac concessorum pro tempore, necnon pedagiis, & gabellis ac omnibus, & singulis aliis supra-

dictis

cissionem in const. 11. Pij V. Dum ad vberes.

dictis, libera penitus, immunia, & exempta, auctoritate Apostolica, & tenore prædictis, etiam concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus.

Executores deputat.

§. 14. Et nihilominus venerabilibus fratribus Archiepiscopo Rothomagensi, & Episcopo Conchensi, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium seu alios, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta quæcumque plenum effectum sortiri, illisque omnes quos concernunt pacifice frui, & gaudere. Non permittentes quenquam desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet & rebelles etiam per quascumque (de quibus eis videbitur) censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo. Ac legitimis super his habendis, seruatis processibus, etiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus super cathedram, Bonifacij, & Dudum, Vniuersis Concilij, ac Clementinæ Religiosi de priuilegiis, & Dudum de sepulturis, ac etiam, Ea frequentibus, de sententia excommunicationis, ac extrauagante, Ad conditorem Ioannis XXII. cum aliis constitutionibus eandem materiam prædictæ extrauagantis tangentibus seu concernentibus, ac regulis Cancellariæ Apostolicæ, iam editis, & in futurum edendis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali de duabus dietis editis (dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præsentium ad iudicium non trahatur) & aliis Apostolicis, ac Prouincialibus, capitularibus, generalibus, & specialibus constitutionibus, & ordinationibus, etiam in vltimo generali Concilio Lateran. celebrato, & aliis Conciliis editis, necnon statutis & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione, Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apost. etiam in forma Breuis per Leonem X. Clementem VII. Paulum III. Iulium etiam III. præfatos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem eandem, etiam Motu proprio, ac scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, etiam priuilegiorum eorundem reuocatiuis, restrictiuis, præseruatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innouatis, quibusvis personis, & Ordinibus in contrarium forsan concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, & in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus. Aut si aliquibus, communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, nõ facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi iubet.

§. 16. Verum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus forte opus esset, deferri, Volumus, & pariter Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis mano Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 1. die 1. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 1. Iulij, 1555. Pont. nostri Anno 1.

Bullar. Magn. Tom. I.

Rescissio alienationum, & locationum quorumcumque bonorum Ecclesiasticorum, in damnum Ecclesiarum, vel non seruatis iuris solemnitatibus aut alias nulliter factarum. II.

Similem rescissionem fecit Leo X. & postea Iulius III. quas prætermisi tanquam minus necessarias, & eas inseruit Rodoan. in suo Tract. de Reb. Eccles. non alienan. & eandem edidit etiam Pius IV. quoad bona Sedis. Et Camera Apostolica in const. 104. Apostolica. Quamvis prius ipse hanc bullam generaliter reduxisset ad terminos iuris communis in const. 11. Prouida. Sed pius V. eiusmodi bonorum omnium Ecclesiasticorum alienationis rescissionem commisit Collegio Fabricæ Basilicæ S. Petri de Vrbe, vt in sua const. 98. Et si de singulis.

De alienationibus istis, habes sup. const. 1. Leon. I. & Paul. II. in const. 5. Ambitiosæ, & de alienationibus, ac infeudationibus Ciuitatum, Terrarum Sedis Apost. ac bonorum, quæ subditi Papæ habent in eius Statu Ecclesiast. plene dicam in const. 5. Innoc. IX. Quæ ab hac.

De bonis iurisdictionalibus ad Ecclesias, & loca pia spectantibus in feudum, vel emphyteusim non dandis, neque vltra triennium locandis, aut concessiones huiusmodi renouando seu prorogando extat nouissima const. S.D.N. Vrb. VIII. n. 51. Humanæ inf. tom. 4.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam. *Edita A. D. 1555.*

Symmachus Papa bona Ecclesiastica alienari prohibuit in c. 8. de Reb. Eccl. non alienan.

§. 1. INiunctum nobis desuper, meritis licet imparibus, Apostolicæ seruitutis officium, mentem nostram continua pulsat instantia, vt bona Ecclesiastica, quæ cæca hominum cupiditate occupata detinẽtur, nostræ operationis ministerio, ad ius, & proprietatem eorum quorum antea erant, omnino reducantur. Cum itaque (sicut nobis innotuit) licet alias fel. rec. Symmachus Papa prædecessor noster prædium Ecclesiæ pro aliqua necessitate quovis modo alienari, aut iura Ecclesiæ in vsumfructum dari prohibuerit, & lege huiusmodi omnes Custodes adstringi, ac donatorem, ac censuratorem, & venditorem honorem perdere, & qui præmissis subscriberet, anathema esse, cum eo qui daret, siue reciperet, nisi restituerentur, & quaslibet Ecclesiasticas personas contradicere, & cum fructibus alienata reposcere posse, hocque non solum in Ecclesia Romana conseruari, verumetiam in vniuersis per Prouincias Ecclesiis conuenire voluerit.

Paul. II. alienationes bonorum Ecclesiasticorum, & vltra triennium locationes, &c. interdixit in const. cit. in rubr.

§. 2. Et piæ mem. Paulus Papa II. etiam prædecessor noster omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transferretur, ac concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, prætterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, fieri prohibuerit. Et si quis contra huius posterioris prohibitionis seriem, de bonis, & rebus eisdem quicquam alienare præsumeret, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, infeudatio huiusmodi nullius omnino essent roboris, vel momenti, & tam qui alienaret, quam qui alienatas res, & bona reciperet, sententiam excommunicationis incurreret, & nihilominus res, & bona alienata huiusmodi, ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ antea pertinebant, libere reuerterentur.

Alienationes tamen multæ factæ fuerunt in damnum Ecclesiarum, vel non seruatis solemnitatibus.

§. 3. Nihilominus à nonnullis annis citra diuersæ personæ tam sæculares quam Ecclesiasticæ, complura Castra, Terras, Oppida, Ciuitates, & loca, tam Romanæ prædictæ, quam diuersarum Cathedralium, etiam Metropolitan. & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, domorum, & aliorum Regularium locorum, ac Hospitalium, & aliorum piorum locorum, prætextu diuersarum alienationum, eis de castris, terris oppidis, ciuitatibus & locis prædictis in euidens damnum Ecclesiarum,

Monasteriorum, domorum, Hospitalium, & aliorum Regularium, & piorum locorum, seu alias non seruatis solemnitatibus à iure requisitis factarum occupauerint, & occupata detinuerint, & detineant de præsenti, ac exinde factum sit, vt non solum Ecclesiarum, Monasteriorum, & domorum Prælati, ac Hospitalium, & aliorum Regularium, & piorum locorum huiusmodi Rectores, qui ex fructibus, redditibus, & prouentibus castrorum, terrarum, oppidorum, ciuitatum, & locorum huiusmodi, Ecclesias, Monasteria, & domos, Hospitalia, & alia loca prædicta gubernabant, & illustrabant, ac eorum Ministris alimoniam præbebant, notabiliter sint damnificati, verum etiam Rom. Pont. qui antea egenis, & miserabilibus personis, præsertim nobilibus ad hanc Almam Vrbem pro tempore confugientibus alimenta aliunde subministrare consueuerat, vix se & familiam suam sustentare, nedum aliis alimenta subministrare possit, in diuinæ Maiestatis offensam, & ordinis clericalis opprobrium ac plurimorum Christi fidelium scandalum.

Ideo hic Pont. alias rescindit & annullat.

§. 4. Nos præmissa conniuentibus oculis pertransire nequeuntes, quinimo cupientes eis, quantum cum Deo possemus, opportunum remedium adhibere, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas alienationes, & in emphyteusim, seu censum perpetuum, aut tertiam, vel aliam generationem, seu hominis vitam, aut aliud tempus vltra triennium locationes, vel concessiones, seu permutationes, hypothecas, & obligationes, de quibus castris, terris, oppidis, ciuitatibus, & locis, aut aliis bonis immobilibus, seu rebus, & iuribus, tam spiritualibus quam temporalibus eiusdem Romanæ, & quarumcumque Cathedralium, etiam Metropolitan. & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, domorum, & aliorum Regularium locorum, & quorumvis beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, necnon Hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumlibet, per quoscumque etiam Rom. Pont. Prædecessores nostros, seu eorum auctoritate, vel mandato, Camerarios suos, & Clericos Cameræ Apostolicæ Præsidentes, ac quosvis Ecclesiarum, Monasteriorum, & domorum Prælatos, & beneficiatos, necnon Hospitalium, & aliorum Regularium, & piorum locorum Rectores, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentes, etiamsi Cardinalatus honore pollerent, in damnum Ecclesiæ, seu non seruatis solemnitatibus à iure requisitis, aut alias nulliter hactenus factas, & contractus superinde sub quibusvis formis, & verborum expressionibus habitos, & celebratos, etiamsi iuramento vallati existant, quantumvis longa temporis præscriptione robur sumpsisse dici possint, ac ipsius Romanæ Ecclesiæ fauorem, aut commodum concernant, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, Apostolica auctoritate, tenore præsentium rescindimus, irritamus, cassamus & annullamus ac viribus omnino euacuamus, ac pro rescissis, irritis, cassis, & nullis, ac penitus infectis haberi volumus.

Detentoresque debere relaxare bona occupata, & fructus restituere declarat.

§. 5. Ipsosque detentores ad castra, terras, oppida, ciuitates, & loca occupata, ac bona, res, & iura prædicta Romanæ, & Cathedralibus etiam Metropolitan. ac aliis Ecclesiis, necnon Monasteriis, domibus, Hospitalibus, & beneficiis, ac Regularibus, & piis locis relaxandum, & de fructibus, tam hactenus perceptis, quam in posterum percipiendis, realiter satisfaciendum teneri, & ad id etiam sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, omnibusque aliis opportunis iuris & facti remediis cogi, & compelli posse.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & ipsius Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac eorum Collegium in quavis causa, & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate & facultate, iudicari, & definiri debere, ac si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c. Si quis &c. *Claus. derog.*

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1555. Pridie Idus Iulij, Pont. nostri Anno primo. *Dat. P. A. 1. die 21. Iulij.*

Leges & ordinationes à Iudæis in Statu Ecclesiastico degentibus obseruandæ. III.

Aliqua ordinauit etiam Innoc. IV. in constitut. 2. sup. Et istas ordinationes declarauit, & in quibusdam immutauit Pius IV. in constitut. 48. Dudum. Sed Pius V. eas iterato stabiliuit, in const. 6. Romanus, & etiam Greg. XIII. in const. 19. Alias pia & Clem. VIII. in constit. 10. Caca. Quinimo Pius V. eos à Statu Ecclesiastico expulit, prout in eius const. 80. Hebræorum.

Alia de Hebræis vide in Greg. XIII. constit. 70. Antiqua, & const. 92. Sancta, & Clem. VIII. const. 20. Cum Hebræorum.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1555.*

Causa harum ordinationum contra Hebræos.

CVm nimis absurdum, & inconueniens existat, vt Iudæi, quos propria culpa perpetuæ seruituti submisit, sub prætextu quod pietas Christiana illos receptet, & eorum cohabitationem sustineat, Christianis adeo sint ingrati, vt eis pro gratia contumeliam reddant, & in eos pro seruitute, quam illis debent, dominatum vendicare procurent, Nos, ad quorum notitiam nuper deuenit eosdem Iudæos in Alma Vrbe nostra, & nonnullis S. R. E. Ciuitatibus, Terris, & locis, in id insolentiæ prorupisse, vt non solum mixtim cum Christianis, & prope eorum Ecclesias, nulli intercedente habitus distinctione, cohabitare, verum etiam domos in nobilioribus Ciuitatum, Terrarum, & locorum, in quibus degunt, vicis, & plateis conducere, & bona stabilia comparare, & possidere, ac nutrices & ancillas aliosque seruientes Christianos mercenarios habere, & diuersa alia in ignominiam, & contemptum Christiani nominis perpetrare præsumant, considerantes Ecclesiam Romanam eosdem Iudæos tolerare in testimonium veræ fidei Christianæ, & ad hoc vt ipsi Sedis Apostolicæ pietate, & benignitate allecti, errores suos tandem recognoscant, & ad verum Catholicæ fidei lumen peruenire satagant, & propterea conuenire, vt quandiu in eorum errores persistunt, effectu operis recognoscant se seruos, Christianos vero liberos per IESVM CHRISTVM Deum & Dominum nostrum effectos fuisse, iniquumque existere, vt filii liberæ filiis famulentur ancillæ.

Habitent in locis à Christianorum habitatione separatis.

§. 1. Volentes in præmissis, quantum cum Deo possumus, salubriter prouidere, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, tam in Vrbe quam in quibusvis aliis ipsius Romanæ Ecclesiæ Ciuitatibus, Terris, & locis, Iudæi omnes in vno, & eodem, ac si ille capax non fuerit, in duobus aut tribus, vel tot, quot satis sint, contiguis, & ab habitationibus Christianorum penitus seiunctis, per nos in Vrbe, & Magistratus nostros in aliis Ciuitatibus, Terris, & locis prædictis designandis vicis, ad quos vnicus tantum ingressus pateat, & quibus solum vnicus exitus detur omnino habitent.

Synagogam in Ciuitate vnicam habeant.

§. 2. Et in singulis Ciuitatibus Terris, & locis in quibus habitauerint, vnicam tantum synagogam in loco solito habeant, nec aliam de nouo constituere, aut bona immobilia possidere possint. Quinimo omnes eorum synagogas, præter vnam tantum demoliri, & deuastare. Ac bona immobilia, quæ ad præsens possident, infra tempus eis per ipsos Magistratus præfigendum, Christianis vendere.

Signum glauci coloris deferant.

§. 3. Et ad hoc vt pro Iudæis vbique dignoscantur, masculi biretum, fœminæ vero aliud signum patens, ita vt nullo modo celari, aut abscondi possit, glauci coloris

palam

Hoc declarauit Pius IV. cit. in rub.

palam deferre teneantur, & adstricti sint, nec super non delatione bireti, aut alterius signi huiusmodi, prætextu cuiusvis eorum gradus, vel præeminentiæ, seu tolerantiæ excusari, aut per eiusdem Ecclesiæ Cameræ Apostolicæ Clericos, seu alias illi Præsidentes personas, aut Sedis Apostolicæ Legatos, vel eorum Vicelegatos quouis modo dispensari, aut absolui possint.

Nutrices aut seruientes Christianos non retineant. Hoc iussit etiam Innoc. cit. in rubr.

§. 4. Nutrices quoque, seu ancillas, aut alias vtriusque sexus seruientes Christianos habere, vel eorum infantes per mulieres Christianas lactari, aut nutriri facere.

§. 5. Seu Dominicis, vel aliis de præcepto Ecclesiæ festis diebus in publico laborare, aut laborari facere.

Diebus festiuis publice nō laborent.

§. 6. Seu Christianos quoquo modo grauare, aut contractus fictos vel simulatos celebrare.

Christianos non grauent.

§. 7. Seu cum ipsis Christianis ludere, aut comedere, vel familiaritatem, seu conuersationem habere nullatenus præsumant.

Cum eis non conuersentur.

Libros Italice scribant.

§. 8. Nec in libris rationum, & computorum, quæ cum Christianis pro tempore habebunt, aliis, quam Latinis literis, & alio, quam vulgari Italico sermone vti possint, & si vtantur, libri huiusmodi contra Christianos nullam fidem faciant.

Mercaturam non exerceat.

§. 9. Iudæi quoque præfati sola arte strazzariæ, seu cenciariæ (vt vulgo dicitur) contenti, aliquam mercaturam frumenti vel hordei, aut aliarum rerum vsui humano necessariarum facere.

Medici si sint Christianos non curent.

§. 10. Et qui ex eis medici fuerint, etiam vocati, & rogati, ad curam Christianorum accedere, aut illi interesse nequeant.

Christianis.

§. 11. Nec se à pauperibus Christianis dominos vocari patiantur.

Menses dierū 30. seruent, in exigendo credito.

§. 12. Et menses in eorum rationibus, & computis ex triginta diebus completis omnino conficiant, dies, qui ad numerum triginta non ascenderint, non pro mensibus integris, sed solum pro tot diebus quot in effectu fuerint, computentur, & iuxta ipsorum dierum numerum, & non ad rationem integri mensis eorum credita exigant. Ac pignora eis pro cautione pecuniarum suarum pro tempore consignata, nisi transactis prius à die quo illa eis data fuerint, decem & octo integris mensibus vendere nequeant, & postquam menses prædicti effluxerint, si ipsi Iudæi pignora huiusmodi vendiderint, omnem pecuniam quæ eorum credito superfuerit, domino pignorum consignare.

Statuta locorum seruent.

§. 13. Et statuta Ciuitatum, Terrarum, & locorum in quibus pro tempore habitauerint, fauorem Christianorum concernentia, inuiolabiliter obseruare etiam teneantur.

Contrauenientes puniantur.

§. 14. Et si circa præmissa in aliquo quomodolibet defecerint, iuxta qualitatem delicti in Vrbe per nos, seu Vicarium nostrum, aut alios à nobis deputandos, ac in Ciuitatibus, Terris, & locis prædictis per eosdem Magistratus, etiam tanquam rebelles, & criminis læsæ Maiestatis rei, à toto populo Christiano diffidati, nostri, & ipsorum Vicarij, ac deputandorum, & Magistratuum arbitrio puniri possint.

Quibuscumq; non obstantibus.

§. 15. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis tolerantiis, seu priuilegiis, & indultis Apostolicis eisdem Iudæis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros ac Sedem prædictam, aut illius Legatos, vel ipsius Romanæ Ecclesiæ, Camerarios, & Cameræ Apostolicæ Clericos seu alios illis Præsidentes sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio & & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de eis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, obseruata inserti forent præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Dat P. An. I. die 14. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Pridie Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno primo.

IV. Negantes Trinitatem aut Diuinitatem IESV CHRISTI aut eius Conceptionem de Spiritu sancto, aut eius mortem vt nos redimeret, aut Virginitatem B. MARIÆ Virginis hæretici declarantur.

Constitutionem istam confirmauit, iteratoque publicari iussit Clem. VIII. infrà in constitut. 97. Domini.

Edita A. D. 1555.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Causa istius constitut.

CVm quorundam hominum prauitas atque iniquitas eo vsque nostris temporibus processerit, vt & iis qui à Catholica fide aberrant, & desciscunt, plurimi quidem non solum diuersas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumant, & eorum exemplo multos in interitum animæ deducant.

Negantes Trinitatem, aut Diuinitatem Iesu Christi, & c. eorum errores abiurent & de abiuratione doceant coram Inquisitoribus.

§. 1. Nos cupientes, pro nostro Pastorali officio & charitate huiusmodi homines, quantum cum Deo possumus, à tam graui & pestilenti errore auocare, ac cæteros ne in talem impietatem labantur, paterna seueritate admonere, omnes & singulos, qui hactenus asseruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt, Deum omnipotentem non esse trinum in personis, & incomposita, omnino indiuisaque vnitate substantiæ, & vnum vna met simplici diuinitatis essentia. Aut Dominum nostrum IESVM CHRISTVM non esse verum Deum eiusdem substantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu sancto. Aut eundem secundum carnem non esse conceptum in vtero Beatissimæ semperque Virginis MARIÆ de Spiritu sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Ioseph, aut eundem Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum non subiisse acerbissimam Crucis mortem, vt nos à peccatis & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret. Aut eandem Beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate ante partum scilicet, in partu & perpetuò post partum, ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Apostolica auctoritate requirimus, & monemus, quatenus infra spatium trium mensium à publicatione præsentium in Romana Curia, quoad residentes in ea, modo infrascripto, extra eam vero, quoad illos in illa non residentes, modo, & forma per Diœcesanos statuendis, facienda incipiendorum, quos pro primo, secundo, & tertio, ac peremptorio termino ac monitione canonica eis & eorum cuilibet assignamus, ab eorum assertione, dogmatibus, & credulitate huiusmodi, ac quibuscumque aliis in fide prædicta erroribus, in quos hactenus lapsi sunt, resipuisse, & ad vnitatem Ecclesiæ redeundo, assertionem, dogmata, & credulitatem, ac alios errores huiusmodi in manibus Inquisitorum hæreticæ prauitatis, Ciuitatum, & locorum, in quibus ad præsens degūt, realiter, & cum effectu abiurasse, & infra alios tres menses à die abiurationis huiusmodi inchoandos, de eadem abiuratione venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dictæ hæreticæ prauitatis Inquisitoribus generalibus plenam fidem fecisse debeant.

Abiurantes & pœnitentes, plenariam remissionem cōsequentur, dūmodo delati, inquisiti, aut relapsi non sint.

§. 2. Nos enim eiusdem Dei omnipotentis exemplo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, omnes & singulos, qui vt præfertur, ab assertione, dogmatibus & credulitate, ac aliis erroribus prædictis resipuerint, & ad vnitatem Ecclesiæ redeundo, assertionem, dogmata, & credulitatem, ac alios errores huiusmodi sponte abiurauerint, & de eadem abiuratione

præfatis Inquisitoribus generalibus fidem fecerint, ac pœnitentiam priuatam per dictos particulares Inquisitores eis iniunctam cum effectu adimpleuerint, à prædictis & quibusvis aliis quantumvis grauibus & enormibus hæresibus, & à fide Christi apostasiis, ac in eadem fide erroribus, necnõ excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis censuris & pœnis, tam ecclesiasticis quam temporalibus etiam bonorum priuatiuis, & corporis afflictiuis, ac capitalibus in tales, à iure vel ab homine latis, & promulgatis, & per eos promissorum occasione incursis (dummodo delati, aut inquisiti, seu relapsi non sint) dicta auctoritate, tenore præsentium in vtroque foro absoluimus & liberamus, ac cum eis super irregularitate, quam propterea contraxerint, etiam si sic ligati Missas, & alia diuina officia, etiam forsan in contemptum clauium celebrauerint, aut illis alias se immiscuerint. Quodque ea ipsa irregularitate, & cæteris præmissis non obstantibus qui promoti: non fuerint ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines promoueri, & in illis tam ipsi, quam qui iam etiam post incursam hæresim promoti fuerint, in altaris ministerio ministrare. Necnon tam clerici, quam laici, & vtriusque sexus personæ, eorumque filij, nepotes, descendentes, ad gradus, honores, ordines, & officia, ac alia quæcumque assumi; illaque suscipere, & exercere libere & licite valeant, auctoritate & tenore prædictis, de speciali dono gratiæ dispensamus, eisque pariter indulgemus, necnon omnem inhabilitatis & infamiæ maculam siue notam, circa eos præmissorum occasione quomodolibet insurgentem ab eis penitus & omnino abolemus.

Impœnitentes vero, & alij de cætero errantes pœnas relapsorum incurrant.

§. 3. Et insuper cum errores, quos supra narrauimus, ita graues, & nefandi sint, vt illi, qui in eos decidunt, excusationem non habeant, sed subuersi potius atque immanes, quam hæretici merito dici possint, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, quod tam illi, qui hactenus in ipsos errores, vel eorum aliquem lapsi sunt, & infra supradictum terminum non resipuerint, & ea, quæ supradiximus non adimpleuerint, quam omnes & singuli alij, qui in futurum in illos, vel illorum aliquem quomodolibet prolabentur, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, pro subuersis & relapsis in hæresim haberi & vt relapsi Curiæ sæculari tradi, & per ipsam Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possint in omnibus & per omnia, perinde ac si vere & realiter in hæresim relapsi essent, & eos relapsos esse constaret.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Vt autem præmissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de illis ignorantiam prætendere, ac se legitime excusare possit.

Forma publicandi hanc constitut.

§. 5. Volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod præsentes literæ, seu earum transumptum, cui, si manu Notarij publici subscriptum, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitum fuerit, eam prorsus fidem in iudicio & extra adhiberi statuimus, quæ ipsis literis adhiberetur, si originaliter exhiberentur, in eadem Curia per aliquos Cursores nostros in Basilicæ principis Apostolorum, & Ecclesiæ Lateranen. de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ Valuis, & acie Campi Floræ, vt moris est, extra Curiam vero prædictam, modo, & forma per venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ac alios Ecclesiarum Prælatos, quibus in virtute sanctæ obedientiæ per easdem præsentes mandamus, vt literas, siue transumptum huiusmodi vbique per eorum Prouincias, Diœceses, & Ecclesias sincera charitate publicent & publicari faciant, statuendis, publicentur, earum exemplo in singulis locis, in quibus publicatio ipsa fiet, affixo, & dimisso.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ requisition. monition. assignation. absolution. liberation. dispensationis, indulti, abolitionis, sanctionis, voluntatis, decreti, statuti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apost. eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto, 7. Idus Aug. Pont. nostri anno primo.

D. P. Ann. 1 die 7. Aug.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1556. indictione 14. die vero 22. mensis Iulij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papa IV. anno eius II. præsentes retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas seu portas Basilicarum Ecclesiarum Lateranensis, & principis Apostolorum de Vrbe, & Cancell. Apostolicæ ac in acie Campi Floræ, dimissis copiis affixis, vt moris est, per me Thomam Roger præfati Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Petrus Gomes Mag. Curs.

V.

Decanatus Collegij S.R.E. Cardinalium, cum omnimoda præcedentia spectat ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia tempore vacationis præsentem, aut ex causa publica absentem, & per summum Pontificem extra eam destinatum.

Hoc idem statuit inhærendo constitutioni, Pius IV. de Decanatu Auditorum Rotæ, vt inf. in eius const. 61. Dudum.

Alia de Cardinalibus vide in constit. 50. Sixt. V. Postquam, vbi late dicam.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1555.

Cardinales sunt membra Pontificis, & ideo in Curia residere debent, & residentes, præferuntur absentib. in optionibus titulorum, & sex Ecclesiarum Cathedralium.

§. 1. CVm venerabiles fratres nostri S.R.E. Cardinales in partem sollicitudinis vocentur, vt pro tempore existenti Romano Pontifici assistant, ipseque Romanus Pontifex eorum consilio agenda disponat, & iidem Cardinales sint pars corporis, & membra ipsius Rom. Pontificis, ac diuersis Almæ Vrbis nostræ Parochialibus Ecclesiis, pro eorum Cardinalatus titulo, seu denominatione præficiantur, & in eis Episcopalem iurisdictionem habeant, & propterea in Romana Curia residere debeant, præsentesque in dicta Curia magis digni, & priuilegiati existant, quam absentes, & in optationibus titulorum, ac sex Ecclesiarum Cathedralium, quibus Cardinales pro eorum Cardinalatus titulo præfici solent, absentibus etiam ante eos in Cardinales assumptis præferantur, & si vni ex dictis Ecclesiis Cathedralibus præfecti fuerint, ex post semper alios non Episcopus Cardinales in quibusvis actibus, & sessionibus præcedant.

Hic Pont. tempore creationis erat Decanus Cardinalium & deinde Decanus Cardinalis B. fayus ab eo declaratus fuit.

§. 2. Nos ex præmissis, & diuersis aliis causis animum nostrum mouentibus, & inter cætera, vt eosdem Cardinales absentes ad residendum in Curia aliquibus vberioribus fauoribus, & prærogatiuis alliceremus, Decanatus Collegij Cardinalium huiusmodi, quem nos dum in minoribus constituti essemus, obtinebamus, & ad quem propter nostram continuam in eadem Curia residentiam ante alios Cardinales nobis in Cardinalatu antiquiores tunc ab ipsa Curia absentes perueneramus, per nostram ad summi Apostolatus fastigium assumptionem vacante, habita super his cum Fratribus nostris in Consistorio nostro secreto deliberatione matura, de eorum consilio, & vnanimi assensu venerabilem fratrem nostrum Ioannem Episcopum Ostien. S.R.E. Cardinalem de Bellayo nuncupatum, & de nobis & Sede Apostolica optime meritum, Decanum Collegij huiusmodi declarauimus, eumque ipsius Collegij Decanum vocauimus, & Decanatum ipsum sibi concessimus, prout etiam per præsentes declaramus, vocamus & concedimus.

Et modo declarat ad quë in futurũ deuenire debet.

§. 3. Et insuper ne in posterum Decanatus prædictus illius occurrente vacatione, in aliquem Cardinalem ex voluntate sua, & non ex causa publica absentem, & propter absentiam suam huiusmodi quandoque de negotiis dictæ Sedis minus informatum, in iniuriam aliorum Cardinalium tunc præsentium, & Romano Pontifici

fici assistentium, ac propterea de negotiis prædictis melius informatorum deueniat, aut super eodem Decanatu aliquæ controuersiæ, seu dissensiones inter ipsos Cardinales oriantur, prouidere volentes, Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, quod Decanatus huiusmodi de cætero perpetuis futuris temporibus, nonnisi ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem, & extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum deuenire possit.

Eique præcedentium concedit.

§. 4. Et quod Episcopus Cardinalis antiquior in Curia præsens, aut vt præfertur absens, & extra Curiam destinatus, postquam Decanatus huiusmodi ad eum deuenerit, omnes alios Cardinales, etiam antiquiores, semper in quibusuis sessionibus, & actibus publicis præcedat, nec per alios Episcopos Cardinales etiam antiquiores tunc absentes, etiamsi postmodum incontinenti ad eandem Curiam se conferant, & in ea continuo resideant, super ipso Decanatu, aut illius sessionibus, vel aliis actibus seu negotiis ad eum pertinentibus impediri, aut molestari valeat.

Clausula sublata, &c.

§. 5. Decernentes sic, & non aliter in præmissis omnibus & singulis, per quoscumque Iudices, & Commissarios quavis etiam Apostolica auctoritate fungentes, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, ac eorundem Cardinalium Collegium, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate & facultate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac stylo Consistorij nostri, necnon ipsius Collegij, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat P. An. 1. die 22. Aug.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1555. 11. Kal. Sept. Pont. nostri anno 1.

VI. Rei ex indiciis forsan torquendi pro habenda veritate criminum, non audiantur extra carceres nisi Fisco desuper audito. Et neque crimen confessi relaxentur, nisi debita prius soluta pœna.

Consonat Pij V. const. 68. Reuerendi, & const. 24. Cum sicut, & ibi notabo.

Edita An. D.

PAVLVS PAPA IV.
Motu proprio, &c.

Causa huius constitut.

LIcet ex iuris communis dispositione satis prouisum sit, vt de aliquo crimine inquisitus, dum super indiciis contra eum existentibus discutitur, an torturæ in eius persona iure locus sit, personaliter in carcere detineatur, & vt crimen confessus in quem nihil, nisi vt pœnam soluere cogatur, agendum restat, quousque ille debite punitus fuerit, non relaxetur, tamen vt nuper accepimus, rei criminum torturæ supponendi, sub cautione de se repræsentando, & confessi sub simili cautione, seu sub cautione de stando iuri, & iudicatum soluendo plerumque relaxantur, quo fit vt illis extra carcerem positis expeditionem non procurantibus, causæ huiusmodi differantur, & demum obliuioni tradantur, aut variis viis rei ipsi, post aliquod tempus, cautiones præstitas liberari procurent, sicque ipsi pœnas debitas effugiant, & delicta remaneant impunita, in graue scandalum, & pessimum cæterorum exemplum.

Rei forsan torquendi extra carceres non audiantur.

§. 1. Nos itaque huic abusui occurrere volentes, Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, statuimus, & ordinamus, vt nullus, qui & indiciis contra eum laborantibus iure torquendus veniat, seu de quo dubitetur dum de indiciis huiusmodi an ad torturam sufficientia sint disputatur, quousque aut per torturam indicia ipsa purgauerit, aut eum torturæ subiiciendum non esse cognitum fuerit, Procuratore Fisci nostri ad hæc omnia citato, & interueniente, sub quavis cautione à carcere relaxetur, neque super iis extra carceres audiatur.

Confessi non relaxentur pœna non soluta.

§. 2. Nullus etiam qui crimen in iudicio confessus fuerit contra quem nullæ sunt partes Iudicis, nisi in exequendo, etiamsi pro crimine huiusmodi pecuniaria pœna plectendus veniat, & quamcumque cautionem de illa soluendum præstare offerat, à carcere relaxetur, nisi pœna ipsa præfato Fisci Procuratore desuper audito, debite persoluta.

Clausula sublata.

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices quavis auctoritate fungentes iudicari, definiri, & obseruari debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & definiendi facultate, irritumque & inane quicquid contra præsentium tenorem à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit decernimus.

Sola signatura sufficit.

§. 4. Volumusque præsentium solam signaturam nostram sufficere, & vbique, in iudicio, & extra illud fidem facere, quacumque regula Cancellariæ, cæterisque contrariis non obstan. quibuscumque.

Placet Motu proprio I. *Papa subscr.*

VII. Prohibitio contrahendi societates, Officiorum nuncupatas, aliter quam super officiis d. Curiæ vacabilibus, & non vltra dimidium valoris ipsorum officiorum.

Quoad secundam partem, attende const. 12. Pij IV. Cum sicut vbi etiam notabo.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1555.*

Societates officiorum siue officiis fiebat, ad rationem 12. pro centenario, & super officijs etiam contrahebantur societates vltra valorem officiorum, & cum pactis illicitis. Vnde mala hic descripta oriebantur.

INter cæteras curas, quibus ex ministerio Apostolatus nobis diuinæ gratiæ munere commissi, assidue premimur, illa nos maxime vrget, vt prauæ consuetudines, & abusus, quos in hanc Almam Vrbem nostram malitiis hominum irrepsisse cernimus, nostra diligentia tollantur. Cum itaque (sicut fide dignorum relatione nobis innotuit) diuersæ vtriusque sexus personæ, tam ipsius Vrbis Ciues, seu originarij, quam Romanam Curiam sequentes, sub prætextu quod in dicta Curia super illius Officiis societates ad rationem duodecim, & quandoque plurium pro centenario passim fiant, & societatas huiusmodi licitæ reputentur, propterea quod officia ipsa fructus suos verisimiliter ad eandem rationem reddant, & pecunias ipsas in societatem recipientes, si illas dantes, aut singuli alij tunc ab eis nominati moriantur, sortem principalem pecuniarum per eos in societatem receptarum lucrentur, & è contra, si recipientes pecunias in societatem moriantur, pro eo quod officia super quibus societates huiusmodi contractæ fuerint, ipsis morientibus deficiant, eorum hæredes aut fideiussores sortem receptam restituere cogantur pecunias suas sub nomine societatis, seu amen super aliquo eiusdem Curiæ officio mutuent, & duodecim, & quandoque plura pro centenario nomine quidem fructuum ipsius societatis, sed re vera pro vsuris pecuniarum per eos mutuatarum eligant, vsurariam prauitatem committendo, & diuersi præfatæ Curiæ Officiales super officiis per eos pro tempore obtentis, diuersas societates cum diuersis personis etiam vltra valorem ipsorum officiorum, & cum pactis aliquando minus licitis sæpius ineant, & singulis personis pecunias suas eisdem officialibus intra valorem eorumdem officiorum, absque eo quod vnam alia sciat, credentibus, tam pro sorte principali, quam pro fructibus dictarum societatum fideiussionem præstent aliorum officialium, qui officia sua aliis pro maiori pecuniarum summa quam illa valeant, obnoxia & hypothecata habent, & exinde fiat, vt officia ipsa quandoque vltra decuplum eius quo vendi possent, obligata reperiantur. Et tam principales debitores, quam fideiussores non solum fidem fallant, & creditores suos pecuniis, quas illis eisdem officialibus eorum, & fideiussorum suorum fidem sequentes credunt, priuent, frustrentur, etiam iuramentis per eos in societatibus huiusmodi præstitis temere con-

traue

ttaueniendo, verumetiam facilitate societatis huiusmodi clam ineundi, seipsos & suam familiam depauperent, suamque & illorum substantiam dissipent, & annihilent in animarum periculum: & eiusdem Curiæ ignotantiam, ac complurium, qui in præmissis non delinquunt detrimentum.

Pontifex igitur societates aliter quam super officijs Rom. Curiæ incertā participationem fructuū fieri prohibet.
Hoc etiam hodie seruatur.

§. 1. Nos cupientes quantum cum Deo possumus animarum periculis obuiari, & aliis inconuenientibus prædictis occurrere, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & mera deliberatione nostris, per præsentes decernimus, & declaramus omnes, & singulas societates ad rationem certæ & determinatæ pecuniarum summæ quolibet mense, vel anno, aut alio statuto tempore soluendæ, etiam sub periculo mortis alicuius, alias quam super officiis præfatæ Curiæ de cætero faciendas, illicitas & iniustas fore, & vsurariam prauitatem continere, & ex eis alicui ius aut actionem acquiri non posse.

Officialesque pecunias vltra dimidium valoris recipere, & societati contrahere non posse decernit.
In hoc seruatur dicta const. Pij IV. cit. in rubr.

§. 2. Et insuper hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, atque statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus, tam in dicta Curia, quam in tota ditione Ecclesiastica Officialis, cuiuscumque status, gradus, ordinis conditionis, & præeminentiæ existat, aliquam societatem super officio, vel officiis ad nostri, seu Sedis, vel Cameræ Apostolicæ, vel Camerarij, Vicecancellarij Pœnitentiarij maioris & causarum Palatij Apostolici Auditorum dispositionem quomodolibet pertinere, seu pertinentibus, quæ vendi consueuerint, per eum pro tempore obtentis, cum aliqua, seu aliquibus persona, seu personis, communi, collegio, & vniuersitate vltra dimidium valoris officij, seu officiorum huiusmodi, & nisi præcedente signatura à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente obtenta, in qua substantia rei, ad hoc vt discerni possit an licita sit, vel illicita, facere præsumat. Et quod societates super officiis huiusmodi aliter factæ non valeant, nec viribus subsistant, earumque prætextu nullatenus agi possit. Nos enim signaturas huiusmodi quas absque aliarum literarum expeditione, regola contraria non obstante, sufficere volumus, per nostrum Datarium ad instar resignationem officiorum huiusmodi expediri, & pacta in ipsis societatibus pro tempore apposita, ad hoc vt licita tantum statuantur, examinari, ac societates ipsas, vt omnibus innotescere possint, nec vltra dimidium pretij ipsorum officiorum fiant, in aliquo particulari libro apud ipsum Datarium adnotari, & pro expeditione signaturæ, & adnotatione huiusmodi dimidium vnius pro quolibet centenario partes ipsas præfato Datario solui.

Societatesque iam contractas notario notificari mandat.

§. 3. Et vt fraudes, ac pacta illicita in præmissis hactenus facta detegantur, ac illis in tempore occurri possit; societates hactenus factas, & adhuc vigentes eidem Datario, seu ab eo pro tempore deputatis cum opportuna specificatione eorum qui illas, tam actiue quam passiue fecerunt, & officiorum super quibus ac pecuniarum pro quibus, & temporis de quo, & ad quod factæ fuerint, infra tres menses à die publicationis præsentium modo infrascripto faciendæ computandos, notificari volumus, & mandamus, ac nisi, vt præfertur notificatæ fuerint eas iisdem tribus mensibus elapsis, penitus & omnino extinctas esse, nec ius, aut actionem aliquam tribuere posse.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque, & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque etiam Auditores præfatos, ac Cameræ huiusmodi Clericos in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate, iudicari, & definiri debere, ac si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apost. cæterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi hanc constit.

§. 6. Vt autem præsentes literæ ad omnium, quorum interest aut interesse poterit quomodolibet in futurum, notitiam deducantur, nec vllus se aduersus eas excusare, aut ignorantiam prætendere possit, volumus easdem literas in valvis Cancellariæ Apostolicæ, & Audientiæ literarum nostrarum contradictarum, ac Cameræ Apostolicæ, & acie Campi Floræ per aliquos ex cursoribus nostris legi, & publicari, ac affigi, affixasque inibi aliquo temporis spatio dimitti, & postmodum tolli, earum exemplo cum originali collationato loco illarum affixo, & dimisso. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Nonis Octobris, Pont. nostri Anno primo. *D. P. Ann. 1. die 7. Octob.*

Lites & causæ inter Cardinales S.R.E. quomodolibet vertentes, à summo Romano Pontifice, appellatione remotâ decidendæ sunt. VIII.

De materia autem Cardinalium quam plura dicam infrà ad Sixti V. const. 50. Postquam.

PAVLVS PAPA IV.

Motu proprio, &c.

Edita A. D. 1556.

Causa huius constit.

CVm sæpius etiam dum in minoribus eramus, in mente reuoluentes, quam indecens, & scandalosum foret inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales lites iudicialiter coram alio quam summo Pontifice experiri, & postmodum ad summi Apostolatus apicem assumpti cum diuersis S.R.E. Cardinalibus colloquendo, conceptum, & intentionem nostram præfatam explicantes, huiusmodi nostrum Propositum collaudauerint, & ad inueniendum modum, per quem præmissis prouideretur nos exhortati sint. Nosque etiam in publica Signatura mentem nostram fore, quod causæ huiusmodi per nos tantum terminarentur publice declarauimus, licet super hoc aliqua scriptura confecta non fuerit.

Aduocatio causarum præsentium.

§. 1. Ac volentes omnino declarationem nostram huiusmodi plenum effectum sortiri debere, tenore præsentium omnes & singulas lites, & causas inter quoscumque, S.R.E. Cardinales super quibusvis rebus & bonis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, necnon Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Hospitalibus, & piis locis, ac aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, sæcularibus, vel quorumvis Ordinum regularibus, seu illorum spolio, vel attentatis, aut innouatis, rebusque aliis, & illorum occasione coram quibusvis Iudicibus, etiam eiusdem S.R.E. Cardinalib. aut Palatij Apostolici causarum Auditoribus in quavis instantia, ac etiam in negotio executiuo, vel restitutionis in integrum quomodolibet vertentes & pendentes, etiamsi ad id illarum instructionem & conclusionem sit procedẽdum, quorum omnium status, &c. pro expressis haberi volumus, ad nos in eisdem statu, & terminis in quibus reperiuntur, aduocamus, cognitionemque & decisionem illarũ nobis reseruamus.

Prohibitio appellandi.

§. 2. Decisionique, & terminationi per nos super illis faciendæ, appellatione quacumque etiam aliàs de iure admissibili reiecta, & postposita, standum, ac quiescendum, & patienter omnino parendum & obediendum fore, statuimus, & ordinamus.

Iudiciū causarum futurarum.

§. 3. Ac similiter in litibus, & causis, quæ de cætero inter eosdem S.R.E. Cardinales exoriri contigerit, obseruari volumus, & mandamus.

Inhibitio contra omnes iudices.

§. 4. Inhibentes omnibus, & singulis Iudicibus, tam ordinariis quam delegatis ac quacumque auctoritate fungentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ne in causis inter Cardinales Prælatos pendentibus, ipsisque ordinariis, ne in illis quæ de cætero coram eis introducerentur ad aliquem actum, absque speciali rescripto manu nostra signato, procedere, aut aliquid attentare audeant, vel præsumant, irritum quoque & inane quicquid in contrarium fieri contigerit, sublata eis alias iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, decernimus.

Iussio publicandi.

§. 5. Præsentesque in Cancellaria Apostolica publicari, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari mandamus.

Contrariorum derogatio.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque & indultis eisdem S.R.E. Cardinalibus per quoscumque Romanos Pontifices, ac nos, in genere vel in specie confirmatis, & innouatis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus expressa, ac de verbo ad verbum mentio specialis facienda foret, quorum omnium & singulorum tenores continentias

nentias & formas pro expressis haberi volumus, & cæteris contrariis quibuscumque.

Papa subsc.

Placet Motu proprio. I.

Publ. Pont. An. 1. die 9. Ianuarij.

Lecta & publicata fuit suprascripta constitutio Romæ, in Cancellaria Apostolica, Anno Incarn. Dominicæ, 1556. die verò Iouis nona mensis Ianuarij.

IX. Iurisdictio & facultates Protectoris, & Iudicis Catechumenorum, & Neophytorum. Et declaratio quod eorum Hospitali in Vrbe Iudęi Status Ecclesiastici soluere debeant quolibet anno, ducatos decem pro qualibet Synagoga, etiam demolita & alienata, vel demolienda ac alienanda.

De huius Protectoris, & Iudicis facultatibus, habes etiam sup. in Pauli III. const. 8. Iulius.

Edita An. D. 1556.

PAVLVS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iul. III. statuit Iudaeos Status Ecclesiastici soluere debere quolibet anno in Festo omnium Sãctorum, decem ducatos pro qualibet Synagoga, Hospitali Catechumenorum Vrbis, sed eius const. hic non habetur.

Dvdum postquam PP. fel. rec. Iulius III. prædecessor noster inter alia statuerat, & ordinauerat, quod quælibet vniuersitas, seu Congregatio Iudæorum, tam in Alma Vrbe, quam aliis Ciuitatibus, Terris, Prouinciis, & locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectis pro tempore consistentes, pro quolibet eorum loco, Synagoga, aut alias nuncupato, in Vrbe ac aliis Ciuitatibus, Terris, Prouinciis, & locis prædictis existente, in quo eorum superstitiones, seu cæremoniæ fieri solebant, summam decem ducatorum auri de Camera, Hospitali seu domui Catechumenorum dictæ Vrbis, aut illius pro tempore deputatis, pro eorundem Catechumenorum sustentatione in Festo Omnium Sanctorum singulis annis soluere deberent, & tenerentur. Ita tamen quod repartitio summæ huiusmodi iuxta singularum Synagogarum cuiuslibet Prouinciæ facultates, & ditior pro paupere Synagoga Prouinciæ huiusmodi contribueret, & proportionaliter soluere deberent. Ac eiusdem domus, seu Hospitalis Protectorem & Iudicem, in omnibus & singulis eorum causis ciuilibus & criminalibus dilectos filios nostros Io. Michaëlem tit. Sanctæ Mariæ in Araecœli Presbyterum Saracenum, & Innocentium S. Honufrij Diaconum de Monte nuncupatos Cardinales, per quasdam eius literas constituerat, & deputauerat.

Hic autem Pontif. decreuit, Iudaeos vnicam Synagogam habere posse, & alias demoliri, sed eius const. vti hic relata, omissa est.

§. 1. Nos ex certis causis, quod de cætero perpetuis futuris temporibus ipsi Iudæi in singulis Ciuitatibus, Terris, & locis vnicam tantum Synagogam habere deberent, nec alias de nouo construere possent, quinimmo omnes alias eorum Synagogas præter vnam tantum, demoliri, & deuastare tenerentur, & adstricti essent, per alias nostras literas, seu constitutionem sanciuimus, & ordinauimus, prout in literis, seu constitutione huiusmodi plenius continetur. Cum autem sicut accepimus, à nonnullis prætendatur, seu prætendi posset, vniuersitatem seu congregationem Iudæorum eorundem, cum tantum vnicam Synagogam in singulis Ciuitatibus, & Terris, ac locis prædictis habere possit, prætextu nostrarum literarum, seu constitutionum huiusmodi ad solutionem dictorum decem ducatorum pro quolibet loco, & vbi dicta Synagoga consistit tantum teneri, & obligatos esse, ipsosque deputatos eosdem decem ducatos ex vna Synagoga cuiuslibet loci, & non amplius percipere posse & debere.

Hinc orta est dubitatio an solutio esset etiam facienda pro qualibet Synagoga etiam demolita vel demolienda.

§. 2. Nos quorum intentionis nunquam fuit, nec est per easdem nostras literas, seu constitutionem vniuersitatem, seu congregationem Iudæorum huiusmodi à dicta solutione decem ducatorum pro qualibet eorum Synagoga, etiam destruenda exonerare, aut ipsis Catechumenis, quoad perceptionem, & exactionem dictæ summæ decem ducatorum pro qualibet Synagoga, etiam in vim dictarum nostrarum literarum, seu constitutionis destruenda præiudicare. Attendentes, solutionem decem ducatorum huiusmodi cuiuslibet dictarum Synagogarum, non tanquam locorum in quibus ipsi Iudæi ad dictas eorum superstitiones, seu cæremonias exercendas congregabantur, sed ipsorum Hæbræorum personis, & cuiuslibet ipsorum vniuersitati, & congregationi, quæ etiam sub synagogæ nomine continetur, cum Synagoga Iudæorum congregatio dicatur, per ipsum prædecessorem constitutam fuisse ad eorundem pauperum Catechumenorum sustentationem, & illasmet causas & rationes quibus ipse prædecessor ad dictæ summæ solutionem, vt præfertur, faciendam motus fuerat, ob Synagogarum prædictarum demolitionem, vel ad vnius dumtaxat Synagogæ reductionem, non solum non cessare, sed etiam huiusmodi locis demolitis cessantibus, vel ad vnum etiam redactis adhuc subsistere, & vigere magis, & eo magis quo in dies dictorum Catechumenorum numerus auctus fuit, & augetur, qui vnà cũ aliis Hebræis qui eorum Iudaïca cæcitate abiecta, & ad veri luminis cognitionem conuersi, & fonte Baptismatis, in dicto Hospitali seu domo charitatiue fuerint recepti, & quotidie recipiuntur, ac in fide Catholica instruuntur, ita quod ipsi Hebræi vltra quamplurimas, quas sentiunt, commoditates in literis prædecessoris huiusmodi expressas, releuantur etiam à sumptibus & expensis quas pateretur etiam ipsa vniuersitas Iudæorum, vel Hebræi ipsi, qui Catechumenos illos si conuersi non essent, & pauperes existerent, etiam alere tenerentur. Et propterea eum etiam prouentus ipsius Hospitalis seu domus ita adeo tenues, & exigui existant, quod ad præmissa, & alia pia opera exercenda suppetere nequeant.

Ideo hic Pont. declarat Iudaeos teneri ad solutionẽ dictorum decem ducatorũ pro qualibet Synagoga etiam demolita, vel alienata aut demolienda vel alienanda.

§. 3. Et propterea eorundem Catechumenorum indemnitatibus prouidere, & quascumque dubitationes tollere cupientes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium per præsentes fidem facimus, & in verbo Romani Pontificis attestamur, nostræ intentionis seu mentis, etiam tempore datæ nostrarum literarum, seu constitutionis huiusmodi, nunquam fuisse, nec esse per easdem nostras literas seu constitutionem, vniuersitatem, seu congregationem Iudæorum, aut Hebræorum huiusmodi à dicta solutione decem ducatorum pro qualibet Synagoga Iudæorum huiusmodi, tam in Alma Vrbe quam aliis Ciuitatibus, Terris, & Prouinciis, & locis prædictis, tempore publicationis nostrarum literarum seu constitutionum existentibus sub prætextu quod demolitæ seu alienatæ fuerint, seu demoliantur aut alienentur dictam summam decem ducatorum ab vniuersitate seu congregatione Iudæorum huiusmodi exigere, & illos ad solutionem dictæ summæ ipsi vniuersitati, & congregationi, ac in eadem Vrbe faciendam compellere possint, præiudicare voluisse seu velle. Et nihilominus potiori pro eorundem Catechumenorum cautela volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, & ordinamus, quod quælibet vniuersitas seu congregatio Iudæorum seu Hebræorum, huiusmodi pro qualibet eorum Synagoga, tam publica quam priuata, & temporali, quæ in Vrbe, & aliis Ciuitatibus, Terris, Prouinciis, & locis præfatis tempore publicationis nostrarum literarum seu constitutionum huiusmodi fuit, etiamsi illa demolita seu alienata fuerit, seu etiam alienari seu demoliri contigerit, summam decem ducatorum huiusmodi Hospitali seu domui Cathecumenorum, aut istius deputati præfatis in dicto Festo omnium Sanctorum in hac nostra Alma Vrbe singulis annis, etiam pro tempore præterito, & alias iuxta literarum prædecessoris huiusmodi continentiam & tenorem, soluere teneatur, & obligata sit, & ad id cogi & compelli possit, etiam in omnibus, & per omnia perinde ac si nostræ literæ, siue constitutio huiusmodi publicatæ, aut aliqua ex dictis Synagogis quæ tempore prædecessoris huiusmodi existebat, demolita, seu deuastata, aut alienata non fuisset neque esset, seu non fuerit, neque erit.

Omnesque congregationes Iudaeorum in solidũ esse obligatas pro tali annua solutione.

§. 4. Quodque vnaquæque vniuersitas seu congregatio Iudæorum seu Hebræorum huiusmodi, tam in Alma Vrbe quam Bononien. Ferrarien. Vrbinaten. Camerinen. & aliis Ciuitatibus, & Terris ac Prouinciis, & locis, nobis & eidem R. E. mediate, vel immediate vt præfertur, subiectis, nunc & pro tempore consisten. pro alia vniuersitate seu congregatione aut Synagoga Iudæorum seu Hebræorum huiusmodi, ad solutionem decem ducatorum, vt præfertur, hic in Vrbe singulis annis in Festo Omnium Sanctorum faciendam, in solidum & in ampliori

ampliori forma Cameræ Apostolicæ teneatur & obligata sit, prout nos eos, & eorum quemlibet, illorumque res & bona vbilibet existentia, specialiter, & expresse ad inuicem obligamur, & obligata esse, sicque obligatam cogi, & compelli posse, & debere volumus.

Ministri congregationem Iudaeorum, taxam istius solutionis iuxta congregationum facultates imponere, & ad soluendum cogere possunt.

§. 5. Quodque omnes & singuli Commissarij, aut Ministri, seu factores earundem vniuersitatum seu congregationum, dictos decem ducatos pro qualibet Synagoga etiam demolita, seu alienata singulis annis absque aliqua requisitione seu monitione, in ipsa Alma Vrbe, eidemque domo seu Hospitali Catechumenorum in dicto Festo integre ac realiter & cum effectu, soluere, & satisfacere debeant, & ad id cogi & compelli possint, & quod illi omnes & singulas congregationes & vniuersitates huiusmodi, ac Iudæos & Hebræos vbilibet commorantes, ad solutionem huiusmodi faciendam iuxta singularum Synagogarum seu congregationum cuiuslibet Prouinciæ facultates grauando vnam plus alia iuxta illius facultatem, ditiorem pro paupere Synagoga Prouinciæ huiusmodi, ac alias iuxta literarum prædecessoris huiusmodi continentiam & tenorem, inuocato etiam ad hoc si eis videbitur, auxilio eiusdem Ioannis Michaëlis Cardinalis, ac pro tempore existentis dictorum Cathecumenorum Protectoris, cogere & compellere, ac propterea eos vnica dumtaxat citatione præcedente coram eodem Protectore conueniri possint, & valeant.

Catechumenos, & Neophitos in Vrbe, & extra commorantes eorumque bona, & officiales à iurisdictione quorūcumque Iudicum eximit.

§. 6. Ac Hospitale seu domum Cathecumenorum huiusmodi ac dictos Cathecumenos Neophytos, & conuersos quoscumque, etiam in Vrbe & extra eam commorantes, ipsosque deputatos Administratores & alios officiales & personas, necnon eorum res & bona nunc & pro tempore vbilibet existentia, à quorumcumque Iudicum & aliorum dictæ Vrbis, ac aliorum locorum ordinaria iurisdictione, subiectione, potestate, auctoritate, & dominio penitus & omnino eximimus, & totaliter liberamus, ac præfati Ioannis Michaëlis Cardinalis, & pro tempore existentis Protectoris iurisdictioni, auctoritati, & dominio subiicimus, & supponimus.

Eorumque Iudicem, & Protectorem deputat Cardin. Saracenum. Ad hoc vide Paul. III. cit. in rub.

§. 7. Necnon omnes, & singulas tam ciuiles quam criminales, & mixtas causas, inter Catechumenos, Neophytos, & conuersos, deputatosque, & alios præfatos, seu quemcumque eorum ex vna, & quasvis alias personas, & loca, Collegia, & Vniuersitates coram quibusvis Iudicibus ordinariis & extraordinariis, ne executoribus super quibusvis etiam bonis vertentes & pendentes partibus ex altera respectiue ad nos aduocantes, illasque in eo statu & terminis in quibus ad præsens reperiuntur, & quas in futurum moueri de nouo contigerit, tam actiue quam passiue, cum omnibus & singulis suis incidentibus, dependentibus, annexis & connexis, eidem Ioanni Michaëli Cardinali, & pro tempore existenti Protectori summarie simpliciter & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta & quatenus opus sit executiue & manu regia, absque terminis substantialibus ac alicuius telæ iudiciariæ obseruatione, quacumque appellatione remota etiam friuola, audiendas, cognoscendas, decidendas ac fine debito terminandas committimus, etiam cum potestate citandi etiam in Romana Curia, & extra eam etiam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, ac quibusvis inhibendum fuerit inhibendi etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, atque etiā pecuniariis inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, & super quibus plenam liberam facultatem, & auctoritatem, eidem Protectori concedimus.

Confirmatque omnia priuilegia & exemptiones Cathecumenorum Neophitorum.

§. 8. Et insuper literas Iulij prædecessoris huiusmodi, necnon omnia & singula priuilegia, exemptiones, prærogatiuas, libertates, indulta, indulgentias, & alias gratias Hospitali seu domui; illiusque Ecclesiæ ac Catechumenis, Neophytis, administratoribus præfatis, illorumque personis & bonis per dictum Iulium III. ac quoscumque alios Rom. Pont. Prædecessores nostros, ac etiam nos, & Sedem Apostolicam, & cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis desuper confectas literas sub quibuscumque tenoribus concessa confirmamus approbamus, & innouamus, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari, ac Hospitali, & Catechumenis, Neophytis, administratoribus, & aliis præmissis suffragari debere. Sicque per quoscumque Iudices etiam S.R.E. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari & interpretari debere. Necnon quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum & inane decernimus illaque omnia, & singula eis, & eorum cuilibet prout concessa & ordinata fuerunt, de nouo decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non vltra tres, & quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apost. ac statutis & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apost. eisdem Iudicibus & quibusvis personis etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis ac irritantibus decretis concessis, confirmatis, & innouatis. (Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expresse derogamus) necnon omnibus illis quæ præfatus Iulius prædecessor in suis literis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 23. Mart.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima tertia Martij, millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, Pont. nostri Anno primo.

X.

Cancellariæ criminales Status Eccles. ex quavis causa, præterquam vere onerosa, quibuscūque concessæ Reu. Cameræ Apost. applicantur. Ordinationesq; per Cancell. obseruādę præfiniuntur cū priuilegiorū elargitione.

Ampliorem dispositionem desuper edidit Pius IV. vt inf. in eius const. 83. Superna, vbi hæc bulla confirmatur & extenditur.

Edita An. D. 1556.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Causa istius constit.

ROmanus Pontifex nonnunquam secundum varietatem temporum statuta mutat humana, & alias desuper disponit, prout euidens subditorum vtilitas, & aliæ rationabiles causæ id exposcunt. Cum itaque sicut nobis nuper innotuit, officia Notariatus, seu Cancellariæ, in criminalibus, Ciuitatum, & Terrarum Nobis & Romanæ Ecclesiæ subiectarum & per Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Potestates, & alios officiales ex commissione Apostolica regi & gubernari solitarum, propter diuersas salariorum ex eisdem officiis percipi solitorū inter alias personas diuisiones, diuersa onera, & grauamina patiantur, & inde fiat vt ipsi Notarij, seu Cancellarij sæpius subditos Ciuitatum, & Terrarum earundem diuersis, & iniustis exactionibus afficiant, & in illis causante contributione huiusmodi manutenerantur, & quod peius est, propter recessum, & diuersas mutationes eorundem Notariorum, seu Cancellariorum acta, sententiæ, condemnationes, instrumenta, & aliæ scripturæ officiorum huiusmodi, cum ea qua decet diligentia non conseruentur, & sæpius per eosdem Notarios & Cancellarios in diuersas mundi regiones, asportentur, in graue subditorum eorundem & Fisci ac Cameræ Apostolicæ damnum, præiudicium, & iacturam.

Reuocat hic Pont. quascūque concessiones Cancellariarum, præterquam ex

§. 1. Nos præmissis quantum possumus obuiare volentes, ac singulas prouisiones, concessiones, & quasvis alias dispositiones de prædictis Notariatus & Cancellariæ officiis in criminalibus, ac vbi ciuilia negotia per Notarium, seu Cancellarium exerceri solent, etiam de huiusmodi

causa onerosa factas, easque Camer. Apost. applicat.

iusmodi officiis quæ non sint ad dispositionem Communitatis loci etiam in ciuilibus: necnon etiam de officiis Notariatus ciuilium causarum prouinciarum, nobis & dictæ Sedi subiectarum, quæ per deputatos à Legatis & Vicelegatis pro tempore hactenus exerceri solita sint, & ad præsens exerceantur, quibusvis personis cuiuscumque dignitatis existentibus per quoscumque Rom. Pont. ac etiam nos & eosdem Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Potestates, ac alios officiales, perpetuo vel ad tempus alias quam ex causa onerosa factas, eorum veriores tenores, datas, & decreta, etiam irritantia in eis apposita, ac causas propter quas factæ & concessæ fuerunt, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie reuocantes, & annullantes, & reuocatas & annullatas esse, nullasque, & inualidas, nulliusque roboris vel momenti existere, & nemini suffragari, aut prodesse posse decernentes ipsaque officia quibusvis Legationibus, Guberniis, Potestariis, & aliis officiis penitus, & omnino perpetuo dismembrantes & separantes, ac pro tempore existentes Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Potestates, & alios officiales vlterius in eisdem officiis Notariatus, & Cancellariæ se intromittere, aut alias de illis aliquo modo disponere nullatenus posse, neque debere, illaque exercentes ab illis amouendos esse, & amoueri debere decernentes, ac eadem officia Cameræ prædictæ applicantes, & ad Cameram ipsam in futurum perpetuo spectare declarantes.

Thesaurarius deputat ad illas alienandum ad vitã tantum modo.

§. 2. Venerabilem fratrem nostrum Hieronymum Episcopum Torcellanum modernum, & pro tempore existentem Thesaurarium nostrum generalem totius Status Ecclesiæ, & Cameræ huiusmodi Commissarium generalem, ad omnia & singula Notariatus & Cancellariæ in criminalibus, & vbi causæ ciuiles, & criminales mixtim & per vnum & eundem Notarium exerceri solent, etiam in ciuilibus quarumcumq; ciuitatum, terrarum, & castrorum totius status Ecclesiastici: necnon notariatus similium causarum prouinciarum huiusmodi, etiam sub Legationibus quorumcumque S.R.E. Cardinalium, aut ipsorum Cardinalium vel aliarum personarum, ad vitam seu alias eis concessarum comprehensa cum eorum scripturis, si quæ repetiantur, necnon honoribus, oneribus & emolumentis, ac cum obligationibus, clausulis, cautelis, decretis & capitulis infrascriptis, necnon pactis & conditionibus, & pro pretio seu pretiis dicto Thesaurario bene visis, in vtilitatem ipsius Cameræ conuertendis, & applicandis, ad vitam quibusvis personis vendendum & alienandum nomine eiusdem Cameræ, & in illius vtilitatem, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium, constituimus & deputamus. Dantes & concedentes illi plenam & liberam facultatem, auctoritatem, & potestatem Cameram ipsam præmissorum occasione in amplissima forma obligandi, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria & opportuna faciendi & exercendi, ac vnum & plures Commissarios cum eisdem facultate, potestate & auctoritate, ac alias prout sibi videbitur, ad præmissa deputandi. Ac decernentes quascumque venditiones, alienationes, concessiones de eisdem officiis per eundem Thesaurarium, & Commissarios per eum pro tempore deputatos nomine eiusdem Cameræ faciendas, perpetuis futuris temporibus validas, & efficaces existere, & ad omnia quæ per eos fieri super præmissis contigerit, Cameram ipsam omnino teneri, & obligatam esse, nec personas ipsas, quibus officia huiusmodi emptionis titulo, per Thesaurarium seu Commissarios ipsos concedentur, per Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Potestates, & alios officiales præfatos pro tempore existentes quovis modo, directe vel indirecte, quovis quæsito colore vel ingenio desuper molestari seu impediri posse neque debere. Sed si ipsos desuper molestari aut impediri contigerit, Cameram ipsam ad illos defendendum, & manutenendum omnino teneri. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios etiam d. S. R.E. Cardinales, & causarum Palatij Apost. Auditores, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, ac interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & interpretari debere, ac ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cancellaria sunt resignabiles & vacabiles vti alia officia Rom. Curiæ.

§. 3. Volumus autem quod singulorum prædictorum officiorum, quãdo per illa retinentium resignationes aut obitus, seu quamcunque aliam dimissionem vel amissionem, vacare contigerit, expeditiones fiant per supplicationem, in omnibus & per omnia, prout alia officia Romanæ Curiæ vacabilia expediũtur & expediri solita sunt. Quodq; huiusmodi officia possint vendi per ipsum Thesaurarium pro eo meliori pretio quod reperitur, literasque patentes desuper expedire, & per mortem illa obtinentium vaceut, nisi prius hic in alma Vrbe nostra aut extra eam adinstar aliorum officiorum vacabilium vendita, aut cessa fuerint, quæ venditiones, seu cessiones expediri debeant more solito per supplicationes exhibendas pro tempore existenti, nostro & successorum nostrorum Romanorum Pontificum Datario.

Et desuper accipiuntur pecunia ad Societatem.

§. 4. Et insuper huiusmodi officiis liceat accipere pecunias in societatem, prout accipitur super aliis officiis vacabilibus, seruata tamen forma moderationis per nos vltimo factæ.

Prouinciales eas non possunt habere. Hoc reuocauit Pius IV. cu. in rub.

§. 5. Et quod nemini Prouincialium liceat emere officia notariatuum generalium illius Prouinciæ, quæ intelligi debeat omnis ea regio, quæ per vnum Legatum, seu Gubernatorem regi est solita. Alia verò officia particularia ciuitatum, terrarum & locorum à quovis emi possint, dummodo talis emptor non sit illius ciuitatis, terræ, seu loci, eiusque territorij & districtus.

Cancellarij gaudent priuileg. Not. Cur. Rom.

§. 6. Et insuper ipsi notarij vtantur, potiantur, & gaudeant omnibus immunitatibus, exemptionibus, prærogatiuis, honoribus, & priuilegiis, quibus notarij dictæ Curiæ vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac si in dicta Vrbe residerent. Sicq; eorum iudex eiusdẽ Cameræ Auditor generalis, excepto in rebus ab eorũ officiis dependentibus.

Arma gestare possint.

§. 7. Ipsique notarij habeant facultatem quæcumque arma gerendi per totum Statum Ecclesiast. & quoad præcedentiam cum aliis loci notariis, ac etiam quoad immunitates, & exemptiones, seruetur id quod seruari consueuerat ante venditionem huiusmodi officiorum.

Lucra cum Gubernat. nõ partecipent.

§. 8. Nec ipsi notarij & Cancellarij teneantur neque sint obligati lucra eorum participare, seu diuidere cum ipsis Legatis, Gubernatoribus, Potestatibus, Locatenentibus, aut aliis superioribus, siue Communitatibus, sed totum id, quod secundum taxas infrascriptas lucrabuntur, sit eorum liberum.

Habitationem ab eis habeant.

§. 9. Et contra Legati seu Gubernatorem, aut alij prædicti non teneantur præter voluntatem eorum, victum præstare Cancellariis & notariis ipsis, sed tantum habitationes eis dari solitas consignent.

Sigillum & secretaria est Gubernat.

§. 10. Sigillum tamen excipitur, cuius emolumentum sit Superioris. Et Secretariæ Prouinciarum sint reseruatæ.

Cancellarij tantum ferogant de pace, &c.

§. 11. Nullusque alius notarius tam in Curiis generalibus, quam in particularibus ciuitatibus, terris, & locis, possit rogari, & scribere acta seu cõtractus cautionis, pacis, & induciarum, aut alias scripturas & præcepta causarum criminalium, aut aliarum per similes Cancellarios & notarios criminales rogari solitarum. Decern. irritum, & inane, quicquid per alios esset scriptum aut receptum.

Alios contractus ipsi rogare possunt.

§. 12. Quodque ipsi notarij siue Cancellarij criminales possint etiam rogari de quibuscumque contractibus ciuilibus, dummodo non sit expresse prohibitum per statuta, ordinationes, siue priuilegia illius loci.

Taxas obseruent.

§. 13. Solutiones vero recipere non possint, nisi secundum taxas in scriptis editas in quovis loco, & vbi nõ essent taxatæ, vel taxæ per desuetudinem abrogatæ essent, secundum consuetum, quod consuetum cum interuentu Gubernatoris aut alterius officialis, declarare & taxare, easdemque taxas scribere, aut typis excudi facere, & publicare possint, & debeant Communitates locorum, adeo vt omnibus notæ sint. Et talis notarius accipiens vltra debitum, prima vice teneatur ad restitutionem parti soluenti, & quadruplum dictæ Cameræ Apost. Secunda vice, vltra restitutionem, & vltra quadruplum teneatur ad pœnam quinquaginta ducatorum auri de Camera applicandorum ipsi Cameræ. Tertia vice vltra restitutionem, ad arbitrium Iudicis possint priuari eorum officiis.

Examen non reuelent, nec dent copiã

§. 14. Nec possint ipsi Cancellarij, & notarij reuelare aliquod examen cuiuscumque rei, pro quavis causa, aut illius copiam dare, nisi prius à Iudice decretum fuerit, quod

absque iudicu decreto.

quod dari debeat, sub pœna amissionis officij, super quo procedi possit contra eos criminaliter, & accusator lucretur quartam partem.

Libros hic enunciatos teneant.

§. 15. Teneanturque, & obligati sint dicti Cancellarij & notarij tenere infrascriptos libros, videlicet. Vnum chartæ membranæ coopertum corio, in quo simul ac rogati fuerint de aliqua sententia, tam condemnatoria, quam absolutoria authenticam extendendo, cum subscriptione & signo suo infra tres dies scribere debeant sub pœna vigintiquinque ducatorum eidem Cameræ applicandorum. Et alium chartæ papyri, in quo teneantur scribere omnes inquisitiones, denuntias, & querelas. Ac alium similem in quo testium examina scribantur. Necnon alium similem in quo scribantur omnes actus ordinarij occurrentes cum productis scripturarum quarumcumque tam pro Fisco, quam pro aliis, neque aliquam scripturam restituere debeant, nisi prius in eodem libro registrata fuerit. Ac alium similem in quo scribantur omnia examina facta pro informatione curiæ, & quævis alia informatio, quæ daretur contra quemcumque reum, & omnia examina seu constituta ipsorum reorum. Et alium similem librum in quo scribantur omnes cautiones induciarum, & pacis, ac alterius cuiuscumque generis instrumenta, tam ad officium, quam ad particulares personas spectantia de quibus rogabuntur. Reliquum vero similem librum in quo scribantur omnes supplicationes gratiarum cuiuscumque generis, aut commissionum, quæ venirent super causis criminalibus, siue mixtis, nec aliquem processum cassare possent, etiam de mandato superioris, sine supplicatione, nec antequam in dicto libro sit registrata, & si secus fiet, irritum sit, & inane, ac Cancellarius siue notarius pro qualibet vice cadat in pœnam quinquaginta scutorum præfatæ Cameræ applicandorum, à qua pœna se excusare non valeat sub præcepto alicuius superioris, præterquam Romani Pontificis, necnon in eodem libro teneantur scribere omnia inuentaria simul ac fient sub eadem pœna, quæ inuentaria pro causis criminalibus, aut mixtis, nec scribi, nec fieri etiam de mandato superioris possint ab alio quam à prædicto notario & Cancellario, siue eius substituto. Quodque omnes præfati libri sint titulati secundum ipsorum continentiam, & carticulati ac bullati per ordinem paginarum, cum signo Communitatis illius loci, in quo libro infra octo dies, à die rogitus, seu præsentationis, aut productionis computandos describantur, & registrentur, & in publicam formam redigantur & subscribantur, sub pœna arbitrij syndicatorum.

Syndicatui stare debeat.

§. 16. Item teneantur & sint obligati quotiescumque mutabitur Gubernator, vel Potestas, siue alius quivis iudex aut superior qui in huiusmodi officio inseruiuerint, stare syndicatui, vnà cum eodem superiore sub eisdemmet syndicatoribus.

Scripturas finito officio consignare tenentur.

§. 17. Ac siue cesserint siue renuntiauerint huiusmodi officium, consignare omnes scripturas & libros per inuentarium subscriptum à cedente, & emente, ac Cancellario Communitatis illius loci absque reseruatione alicuius scripturæ, quod inuentarium ad euitandas fraudes seruetur penes dictum Communitatis Cancellarium. Idemque fiat si officium vacauerit per priuationem, & si vacauerit per mortem, hæredes teneantur facere huiusmodi consignationem.

Officia per substitutos exercere valeant.

§. 18. Possintque prædicti Cancellarij & notarij, huiusmodi officia exercere per substitutos eiusdem sufficientiæ ab ipsis eligendos dummodo non sint eiusdem Prouinciæ, si officia fuerint generalia, sed si fuerint particularium ciuitatuum & locorum substituti, sint earum qualitatum quæ per præsentia capitula requiruntur in Cancellariis & notariis principalibus, qui substituti admitti non possint, nisi prius in Camera ipsa idoneas cautiones præstiterint de fideliter exercendo dicta officia, & de stando syndicatui, sicut superius est ordinatum de notariis principalibus sub pœnis prædictis, cum hac declaratione quod casu quo huiusmodi substituti, & eorum cautiones non fuerint idoneæ, aut non soluerint pœnas contentas in præsentibus capitulis pro eis notarius, principalis teneatur ad omne damnum & interesse, siue restitutionem per dictos substitutos fiendam, & sub pœna amissionis officij in casibus prædictis, præterquam si substituti huiusmodi soluerent ipsi summam æquiualentem officio, & quæ de notariis ad criminalia dicta sunt & ordinata, seruare teneantur respectiue etiam notarij ad ciuilia, quorum officia iuxta supradicta vendi, & alienari possint.

Quibuscumque non obstant.

§. 19. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, ordinationibus Apost. ac ciuitatum & terrarum ac Prouinciarum huiusmodi, statutis & consuetudinibus, necnon quibusvis facultatibus, & indultis; quibusvis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, & aliis personis per quoscumque Romanos Pont. & Cameram ipsam, ac etiam nos, necnon quibusvis donationibus, concessionibus, & aliis dispensationibus quibusvis personis de huiusmodi officiis quomodolibet factis, dummodo non ex causa onerosa, quæ tamen infrascriptis legibus ac ordinationibus subiacere intelligatur, priuilegiis quoque indultis, & literis Apost. eisdem Prouinciis, ciuitatibus & terris per prædecessores prædictos, ac etiam nos, & eandem Cameram, etiam Motu proprio, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quas & quæ illorum omnium vim, effectum, datas, & tenorem pro expressis habentes ad effectum præmissorum reuocamus, irritamus, & annullamus, illisque specialiter & expresse derogamus, cæterisque cõtrariis quibuscũque. Nulli ergo, &c.

D. P. Anno à die 1. Sept.

Dat. Romæ apud S. Marcum. Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, Kal. Septembris, Pont. nostri anno secundo.

Contra occupantes aut inuadẽtes bona, terras, & loca Reu. Cam. Apost. Et contra se ingerentes in beneficiis Ecclesiasticis, non expeditis literis Apostolicis. Ac non soluentes in tempore annatas & quindennia, census, canones, aliaque regalia d. Cameræ debita. XL.

Aduersus huiusmodi occupatores vide supra Ioan. XXII. const. 8. Inter Clem. VI. const. 1. Et si solertem Leon. X. const. 13. Inter, ac bullas in die Cœnæ Domini quotannis à Summo Rom. Pont. legi solitas, quarum aliquas in hoc opere posui, & dabo notas infr. ad const. 63. Pauli V. Pastor. in rubr. circa §. 20.

Contra autem non soluentes annatas, & quindennia, notabo concord. iuf. in const. 33. Sixt. V. Cameræ. Et quoad non soluentes census & canones attende const. 63. Greg. XIII. Ad Romani, vbi dicam. Et denique contra detinentes scripturas, & alia mobilia, vide const. 4. Pij IV. Pastoralis, vbi notabo.

Edita A. D. 1556.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INcumbentia nobis & Cameræ nostræ Apostolicæ in dies grauiora onera nos admonent & cogunt, vt indemnitati ipsius Cameræ quantum cum Deo possumus diligenter intendamus.

Gregor. XII. (cuius const. hic nõ habes) pœnas hic expressas imposuit occupantibus bona R. Cam. Apost.

§. 1. Nam licet fel. record. Greg. XII. vniuersis & singulis cuiuscumque gradus, status, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, aut Regali vel Reginali, seu quavis alia, Ecclesiastica vel mundana dignitate præfulgeant, etiamsi fuerint S.R.E. Cardinales districtius inhibuerit, ne aliquid de bonis mobilibus & stabilibus, quæ ad dictam Cameram quomodolibet pertinuerint, directe vel indirecte, quovis quæsito colore, inuadere, capere, detinere, aut occupare præsumant, alioquin personæ talia præsumentes, nisi infra decem dies à præsumptionis tempore proxime enumerandos, ea restituerint, aut reuelauerint agentibus eiusdem Cameræ, vel aliis per quos ad Romanum Pontificem pro tempore existentem peruenirent, pœnam dupli, & si bona occupata valorem decem florenorum auri transcenderint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nonnisi, certis tunc expressis modo & forma absolui possint, & vltra pœnam & sententiam præfatas, si personæ Ecclesiasticæ fuerint omnibus prælaturis, dignitati

gnitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, quæ obtinent, absque aliquo hominis ministerio sint priuati, & inhabiles ad illa vel alia in posterum obtinenda: si vero laici extiterint, omnibus feudis & bonis quæ in terris ipsius Romanæ, aut aliarum Ecclesiarum obtinent, etiam sint priuati & feuda ad dominos deuoluta, & bona huiusmodi eidem Cameræ confiscata.

Alexander V (cuius const. hic nō habes) decreuit, vt prouisi de Ecclesiis expeditas facerent super prouisionibus literas Apost. infra annum, & literis non expeditis regimini Eccles. se non ingererent.

§. 2. Et Alexander V. per vnam statuerit & decreuerit, quod illi quibus in futurum, de Patriarchalibus seu Metropolitanis vel aliis Cathedralibus Ecclesiis, aut monasteriis seu prioratibus conuentualibus, etiam in administrationem vel commendam, seu alias quomodolibet prouideri contingeret, sub pœna priuationis Ecclesiarum, monasteriorum, & prioratuum huiusmodi, ac omnis iuris eis ea prouisionibus præfatis quomodolibet acquisitis, quam quemlibet negligentem incurrere voluit eo ipso, ac eius Ecclesias, monasteria & prioratus ex tunc prout ex ea die vacare, & Sedis Apostolicæ dispositioni specialiter reseruata esse decreuit & declarauit, tenerentur & deberent infra annum à die prouisionis computandum, literas super eorum prouisionibus huiusmodi in totum vsque ad earum receptionem inclusiue expedire fecisse, & interim sub eadem pœna, per se vel alios absque literis ipsis de regimine & gubernatione seu administratione Ecclesiarum, monasteriorum, & prioratuum præfatorum, vel alicuius eorum seu bonorum eorundem, in spiritualibus vel temporalibus, nullatenus se ingerere vel aliter se immiscere, aut super his vel eorum aliquo, seu dependentibus vel connexis, iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere præsumerent, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Pius II. (cuius const. hic nō habes) statuit obligatos ad solutionem annatarum, non soluentes in termino præfixo, pœnas de quibus hic incurrere.

§. 3. Ac Pius II. per aliam statuerit & ordinauerit, atque decreuerit & declarauerit, quod omnes & singulæ obligationes, quæ ex illa die super annatas quorumcumque beneficiorum in dicta Camera reciperentur, intelligerentur quod obligati si infra eis præfixos terminos Collectoribus Cameræ in partibus pro tempore existentibus satisfacere defecissent, ipso facto, lapsis ipsis terminis, tam sententiam excommunicationis incurrerent quam beneficiis pro quibus in dicta Camera se obligassent, omnino priuati esse censerentur. Illi vero qui non pro se, sed pro aliis super huiusmodi annatis se obligarent vltra incursum sententiæ excommunicationis huiusmodi, si in termino constituto, dictæ Cameræ vel eius Collectoribus non soluissent, omnibus beneficiis quæ obtinerent, ipso facto priuati esse intelligerentur, & eorum beneficia huiusmodi possent in euentum præfatum per quemcumque licite & libere impetrari.

Innoc. VIII. (cuius const. habes suprà) confirmauit const. Pij II. in § 3.

§. 4. Et Innocentius VIII. per reliquam constitutionem suam, ordinationem Pij, omniaque & singula in ea contenta comprobauerit, & statuerit quod illi qui dictæ Cameræ se ex tunc obligarent, sententiam excommunicationis, & pœnam priuationis huiusmodi, iuxta ordinationem Pij huiusmodi omnino incurrerent, & impetrantes beneficia per priuationem eandem vacantia, vel contra eos de ipsa priuatione excipientes per quoscumque Auditores audiri deberent, nec eo prætextu quod ordinatio præfata non fuisset recepta, aut moribus vtentium comprobata repelli possent. Et insuper voluerit, quod quitantiæ quas præfati obligati, à Collectoribus seu Subcollectoribus Cameræ Apostolicæ haberent, nullā fidem facerent, nisi per publicum probarentur instrumentum.

Iulius II. declarauit & ampliauit const. Alex. V. Pij & Innoc. VIII. vt in eius const. 4.

§. 5. Necnon Iulius etiam II. Romanus Pontifex prædecessor noster sua constitutione perpetuo valitura declarauerit, decreuerit, statuerit & ordinauerit, quod constitutiones Alexandri, Pij, & Innocentij prædecessorum huiusmodi, etiam quoad censuras & pœnas, etiam priuationis in eis expressas quoad futura, in omnibus, & per omnia iuxta illarum tenores omnino inuiolabiliter perpetuis futuris temporibus obseruarentur. Et quod illi quos pro annatis huiusmodi dictæ Cameræ teneri contingeret, etiamsi illas soluere non promisissent, seu ad illarum solutionem se aliter specialiter non obligassent, si literas Apostolicas, aliqua machinatione vel fraude adhibita, absque solutione annatæ, aut obligatione in eadem Camera recepissent, dummodo beneficia ipsa forent pacifice

liter assecuti, ad solutionem annatæ, & iurium prædictorum efficaciter tenerentur, & nisi infra quatuor si citramontani, & octo menses si vltramontani forent de annata debita satisfacerent eidem Cameræ vel eius Collectoribus, & de satisfactione huiusmodi per instrumentum publicum constaret, lapso termino præfato beneficiis pro quibus de annata soluenda tenentur, omnino essent & intelligerentur eo ipso priuati.

Fiscus igitur in Cam. Apost. acceptauit omnes deuolutiones & caducitates per quoscumque aliquid soluere obligatos incursas, &c.

§. 6. Et demum dilectus filius Alexander Pallentetius noster & Cameræ nostræ Apostolicæ procurator Fiscalis, coram dilectis filiis Guidone Ascanio sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali, nostro & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, ac Præsidentibus, & Clericis ipsius Cameræ tunc insimul coadunatis & congregatis, omnes caducitates, deuolutiones, priuationes iurium, amissiones instrumentorum, & contractuum resolutiones, & extinctiones, ac legales, conuentionales, & quaslibet alias pœnas per quoscumque feudatarios, vassallos, emphyteutas, censuarios, commendatarios, liuellarios & conductores, ac alios quoscumque, etiam ratione monasteriorum, Ecclesiarum, beneficiorum, & congregationum regularium, seu exemptionum eis concessarum, Cameræ Apostolicæ præfatæ responden. vel soluen. aut aliquid ab ea recognoscen. seu aliter soluere obligatos, aut debitores incursas, tam declaratas quam non declaratas. Necnon iura quæcumque dictæ Cameræ, & Sedi Apostolicæ iam quæsita, vel ex facto tunc præterito, aut nunc præsenti, seu alias quomodolibet quærenda, siue realiter, siue in spe tantum, & tam ea quæ ipso iure, & facto quærerentur, seu quæsita fuissent, quam illa quæ declaratoriam, seu sententiam requirerent, acceptauerit, ac specialiter & expresse declarauerit, reputaueritque omnes, & singulos qui eatenus non responderant, & integraliter non adimpleuerant ab ipsis debita & promissa, ac conuenta, & aliter qualitercumque contrauenerant, tam in omittendo quam in committendo, ab eorum prætensis iuribus & contractibus, necnon feudis, censibus, liuellis, monasteriis, & monasteriorum commendis, ac quibuscumque aliis rebus & iuribus cecidisse, & decadutos, priuatosque esse, & eorum commendas cessasse, & consequenter omnes eorum prætensas concessiones, omnesque contractus finitos, sopitos, & extinctos in fauorem ipsius Cameræ esse, protestatusque fuerit aliquem cuiusvis status gradus qualitatis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ essent, etiamsi Imperiali, Regali, aut mondana seu Ecclesiastica, vel quacumque alia dignitate, quæ specialem & expressam requireret mentionem præfulgerent, admitti non debere ad solutionem vel satisfactionem alicuius census, canonis responsionis vel recognitionis, aut cuiuslibet alterius rei promissæ vel debitæ, aut aliter etiam pro vsu prærogatiuarum, & exemptionum, ac bonorum, rerum ac iurium eis forsan concessorum, & illorum fructuum, redditum. & prouentuum dandæ seu soluendæ, nisi conditionaliter, scilicet sine præiudicio quorumcumque iurium Sedi & Cameræ præfatis, ac Fisco nostro quomodolibet acquisitorum & competentium, vel quæ eis acquiri & competere possens quomodocumque, & quandocumque, ex quavis ratione & causa, & particulariter ex eo, quod Regna, Ducatus, ciuitates, castra, oppida, terræ, villæ, tenimenta, casalia, lacus, syluæ, proprietates, monasteria, Ecclesiæ, hospitalia, beneficia, prioratus, præpositratus, dignitates, & alia quæcumque bona & iura corporalia, & incorporalia, ac alterius cuiuscumque generis in feudum Ducale & Regale, seu alias quomodolibet nobile & gentile seu ignobile, vel census & emphyteusim perpetuam seu ad tempus, ad generationem, & nominationem respectiue, aut alias quomodocumque & qualitercumque data, vel responsionis seu cuiusvis alterius debiti non factam, aut non perfectam, seu non congruo loco, & tempore, aut per illegitimam personam subsecutam, vel ob contrauentionem & inobseruantiam contractuum & capitulorum, seu alias quomodolibet, & ex quacumque causa, etiam inualiditatis concessionum, & titulorum, & illorum finis, aut resolutionis, seu alia quæ de iure vel facto dici & excogitari possent deuoluta, & seu venirent deuoluenda, vel spectarent & pertinerent, ac spectare, &

pertinere possent aut deberent, seu quia exemptiones & immunitates præfatæ essent finitæ & extinctæ.

Camera autē declarauit tales non soluentes incidisse in dictas pœnas.

§. 7. Ac successiue Clerici Cameræ huiusmodi, per eorum definitiuam sententiam declarauerint & procurauerint, omnes & singulos feudatarios, vassallos, emphyteutas, censuarios, commēdatarios, monasteriorum etiam consistorialium, ac aliorum beneficiorum, necnon liuellarios, conductores, & alios præfatæ Cameræ respondentes & soluentes, aut aliquid ab ea recognoscentes, seu aliter soluere obligatos, & debitores, qui eatenus non soluerant, vel non responderant, seu integraliter non adimpleuerant ab ipsis debita vel promissa, aut conuenta, seu aliter qualitercumque contrauenerāt, tam in omittendo, quam in committendo, & eorum quemlibet pro contumacibus, & vt contumaces reputandos esse, eosque sic contumaces sententiam excommunicationis, ac alias censuras, & pœnas etiam priuationis in literis Gregorij, & Alexandri prædecessorum huiusmodi, ac piæ memoriæ Pauli Papæ Tertij prædecessoris nostri, contra non soluentes & respondentes præfatæ Cameræ, & ad quæ tenentur emanatis contentas damnabiliter incidisse & incurrisse ipsos feudatarios, vassallos, aut emphyteutas, censuarios, commēdatarios, liuellarios, & conductores, aliosque dictæ Cameræ respondentes vel soluentes, aut ab ea aliquid recognoscentes, vel alias soluere obligatos, & debitores qui eatenus non soluerant, aut non responderant, vel non adimpleuerant ab eis debita vel promissa, aut conuenta, seu aliter quomodocumque contrauenerant tam in omittendo, quam in committendo, ab eorum iuribus, contractibus, feudis, censibus, liuellis, monasteriis, prioratibus, Ecclesiis, & beneficiis, ac ipsorum monasteriorum commendis, prærogatiuis & exemptionibus ac immunitatibus, necnon Regnis, Ducatibus, ciuitatibus, castris, oppidis, terris, villis, tenimentis, casalibus, locis, syluis, hospitalibus, præpositatibus, & quibuscumque aliis bonis, & iuribus, corporalibus & incorporalibus, aut cuiuscumque alterius generis in feudum Ducale, & alias quomodolibet nobile seu ignobile, aut in censum emphyteuticum perpetuum, vel temporale, seu ad generationem & nominationem respectiue, vel alias quomodocumque, & qualitercumque, datis vel concessis, cecidisse & priuatos fuisse, illorumque commendas cessasse, dictaque monasteria, etiam consistorialia & beneficia vacare, & eorum concessiones ac contractus omnes in fauorem Cameræ Apostolicæ finitos, sopitos & extinctos esse: necnon eosdem emphyteutas, censuarios, commendatarios, liuellarios, conductores, & alios, quoscumque præfatæ Cameræ respondentes vel soluentes, aut ab ea aliquid recognoscentes, vel alias soluere obligatos, aut debitores, qui eatenus iura eisdem Sedi & Cameræ non soluerant aut responderant, & integraliter non adimpleuerant ab ipsis debita promissa vel conuenta, aut alias qualitercumque contrauenerant, tam in omittendo quam in committendo, iuribus, contractibus, feudis, immunitatibus, exemptionibus, & prærogatiuis prædictis vlterius frui & gaudere non posse, & eis super illis perpetuum silentium imponendum esse.

Nihilominus occupatores bonorum R. Cam. cessant, vt hic illa restituere, & prouisi de Ecclesiis ingerunt se administrationi illarum, literis Apostolicis non expeditis & non solutis annatis.

§. 8. Nihilominus occupatores bonorum huiusmodi ea restituere, aut reuelare, & hi de quorum personis Patriarchalibus seu metropolitanis, vel aliis Cathedralibus Ecclesiis seu monasteriis pro tempore prouisi literas super eorum prouisionibus huiusmodi expediri facere non curant, quinimo literis ipsis non expeditis, & ad se non receptis, seu non solutis annatæ iuribus Cameræ debitis, de regimine, & gubernatione, seu administratione Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum & aliorum beneficiorum huiusmodi se intromittere, & iurisdictionem eisdem Ecclesiis, monasteriis, prioratibus & beneficiis incumbentem exercere, ac præfati occupatores feuda, census, liuellos, monasteria & alias res & iura, à quibus, vt præfertur, cecidisse declarati fuerunt, detinere, ac concessionibus eis factis, necnō cōtractibus iam, vt præmittitur, finitis, & sopitis, ac immunitatibus, & exemptionibus iā resolutis & cessantibus vti præsumunt, sententias, censuras & pœnas prædictas damnabiliter incurrēdo, & in eis more aspidis surdæ insurdescendo, in animarum suarum periculum, & dictæ Cameræ dispendium non modicum.

Hic igitur Pont. confirmat dictam sententiam Clericorum, & constitutiones prædecessorum.

§. 9. Nos tam animarum saluti, quam eiusdem Cameræ indemnitati prouidere volentes, tam generales quæ anno quolibet, in vigilia, & festo sanctorū Apostolorum Petri & Pauli fiunt, quam alias contra nonnullos particulares debitores, qui postmodum per eosdem clericos ad solutionem eorum debitorum condemnati fuerunt, in specie factas monitiones, & protestationes, necnon protestationem Alexandri procuratoris huiusmodi admittentes, & sententiam prædictam & in ea contenta quæcumque approbantes, & confirmantes, necnon eorundem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, non ad ipsius Alexādri procuratoris, aut alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostra constitutiones Gregorij, Alexandri, Pij, & Innocentij, necnon Iulij prædecessorum huiusmodi contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus & innouamus, ac perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere decernimus. Volentes, & Apostolica auctoritate præfata, sine tamen præiudicio sententiarum in præfata Camera vel alio tribunali, contra particulares debitores latarum, & quarumcumque litium & causarum super huiusmodi debitis, vel aliquo eorum indecisarum pendentium, ac iurium Fisco nostro, aut ab eo causam habentibus in præmissis quomodolibet competentium, quibus nullo modo præiudicare, sed ea omnia in suis statu, gradu, robore, & terminis in quibus de præsenti reperiuntur, remanere & esse volumus.

Occupatores bonorum, seu debitores R. Cam. Ap. non restituentes, vel soluentes infra duos menses à die publicationis, (quam pænā in fine) pœnas in sententia, & constitutionibus prædictis contentas incurrunt.

§. 10. Statuentes quod nisi infra duos menses à publicatione præsentium computandos quacumque præscriptione, etiam centenaria & vltra, prætensa vel prætendenda nō obstante, occupatores seu detentores bonorum Cameræ & Sedis prædictarū, ac Romanæ Ecclesiæ ea restituerint, & feudatarij, vassalli, emphyteutæ, censuarij, ac monasteriorum etiam consistorialium & prioratuū, commendatarij, liuellarij, conductores, & alij præfatæ Cameræ respondentes, seu alias etiam ratione exemptionum, libertatum, & immunitatum eis concessarum, vel annatarum, seu quindenniorum, aut aliter qualitercumque, & quomodocumque aliquid soluere obligati, seu in aliquo debitores de eo in quo Cameræ, Sedi, & Ecclesiæ præfatis tenentur integre satisfecerint, & præmissa, seu contenta, aut alias ab eis debita nō adimpleuerint, omnes & singulas sententias, & pœnas, tam Ecclesiasticas quam temporales, in singulis literis prædecessorum, & protestatione Alexandri procuratoris, ac sententia Clericorum huiusmodi contentas, & etiam priuationis feudorum, & aliorum bonorum & monasteriorum, etiam consistorialium, quorum occasione, etiam propter eorum exemptionem & immunitatem soluunt, ac eorundem monasteriorum commendarum cessationis eo ipso incurrant, & absque alia declaratione desuper fienda incurrisse censeantur, feudaque & bona ad nos deuoluta, & monasteria ipsa per alios, a nobis & dicta Sede libere impetrari possint, prout etiam nos tenore præsentium eos omnes sententiis, censuris & pœnis prædictis expresse innodamus, ac priuatos esse, commendasque cessasse ex nunc decernimus & declaramus, & nihilominus ad satisfactionem Cam. Apostolicæ omnino teneantur.

Aliae maiores pœnas imposuit Pius IV. & alij cit. in rubr.

Absolui eum sibi reseruat.

§. 11. Decernentes eos ab alio quam à Rom. Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutos, & præuia debita satisfactione absolui non posse.

Decretum irritans.

§. 12. Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque iudices & commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ac eorum Collegium, in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi auctoritate & facultate iudicari & definiri debere, ac si secus super iis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Claus. derog.

§. 13. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ singuli prædecessores præfati in singulis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Vt autem præsentes literæ ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nullusque deinceps aduersus eas aliquam

excusatio

excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare valeat, volumus, & auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, eas in valuis Cameræ Apostolicæ tribus vicibus, & tribus diuersis diebus, dum ipsa Camera fiet, per aliquem ex cursoribus nostris affigi, & affixas inibi dum ipsa Camera durabit dimitti, affixionemque huiusmodi omnes præfatos afficere in omnibus & per omnia, perinde ac si ipsis, & eorum cuilibet personaliter literæ huiusmodi intimatæ forent, ipsasque demum literas nostras in libro Cameræ prædictæ ad perpetuam rei memoriam referibi & registrari. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 2. die 23. Octob. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incar. Dom. 1557. Kal. Nouembris, Pontificatus nostri anno 2.

Publicatio. *Anno à Natiuitate D. 1556. indictione 14. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ IV. anno eius 2. diebus vero tribus, diuersis vicibus, & diebus, videlicet 26. & 30. mensis Octobris proxime præteriti, & die 3. præsentis mensis Nouembris 1556. præsentes retroscriptæ literæ Apostolicæ in forma expeditæ, affixæ, & publicatæ fuerunt in plena Camera Apost. vt moris est, in diebus superius nominatis in plena Cam. Apost. dum starent ad iura reddendum in forma solita, cum omnibus solemnitatibus in similibus solitis fieri, & consuetis, per me Thomam Roger præfati Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.*

Io. Fresle Mag. Curs.

XII. Contra eos, qui pro obtinẽdis beneficiis, seipsos pro aliis supponunt, vel annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro aliis, vt ab eis aliquid consequantur, vel pro seipsis vt aliis postea cum pensione resignent.

Hoc idem contra ita se pro aliis supponentes, vetuit Bened XII. vt sup. in eius const. 7. Quoniam. Et similem const. contra supponentes se pro aliis, vt literarum Apost. expeditionem gratis consequantur, edidit Leo X. const. 27. Inhærendo sup.

Edita A. D. 1557.

PAVLVS PAPA IV.

Motu proprio, &c.

Causa huius const. INter cæteras curas, quibus ex Apostolatus officio assidue vrgemur & premimur, ea continue animo nostro fixa fuit, vt beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia personis conferantur idoneis, quæ vellent, & possent apud ea personaliter residere, scirentque eis laudabiliter deseruire. Et ad hoc dilectos filios nostros Bernardinum sancti Matthæi Tranen. & Scipionem sanctæ Potentianæ de Pisis, ac Ioannem sancti Ioannis ad portam Latinam titulorum Reumanum, nuncupatos, Presbyteros Cardinales, qui vnà cum venerabili fratre Francisco Episcopo Gebenen. Datario nostro, distributioni, & prouisioni beneficiorum huiusmodi præessent, iam dudum deputauimus. Verum cum audiamus eosdem Cardinales, & Datarium, licet in hiis eam quam possint maiorem semper adhibuerint, & in dies, adhibeant diligentiam, personas quibus beneficia ipsa conferenda sunt, super literatura examinando de eorum vita, & moribus, ac beneficiis per eos obtentis, aliisque ad præmissa facientibus accurate inquirendo, diuersimode tamen circumueniri, & falli, ac diuersas eis fraudes in præmissis fieri, aliquibus se alios esse simulantibus, & tanquam tales se in examine supponentibus, aliis beneficia pro personis sibi cognitis, & id ignorantibus, vt postmodum cum eis beneficia, etiam per simoniacam prauitatem cōtractare, & super eis pacisci possint, aliis beneficia, tam pro se quam aliis personis, cum oblatione diuersarum pensionum annuarum diuersis personis, etiam familiaribus, continuis commensalibus nostris, aut aliis quos ipsi nobis gratos, & acceptos esse existimant, annuatim persoluendarum, & sic simoniacam hæresim incurrendo, aliis beneficia huiusmodi pro diuersis aliis, sub spe pensionem annuam, aut aliud commodum temporale ab eis consequendi, alia beneficia ipsa pro seipsis animo, & intentione, & interdum pacto expresse firmato, de eis postmodum in fauorem aliorum qui aliquando minus idonei, & non benemeriti existunt, cum simili pensione, aut commodo, aut sine illa vel illo, resignandis, & dimittendis, maxima cum instantia obtinere procurantibus.

Prohibitio supponendi se, &c. pro obtinendis beneficiis Ecclesiasticis. §. 1. Nos præmissis fraudibus, & dolis, ac hæresi simoniacæ, quantum cum Deo possumus efficaciter occurrere volentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus atque decernimus, quod de cætero omnes, & singuli, qui post publicationem præsentium in locis infrascriptis faciendam, occasione beneficiorum obtinendorum se alios esse simulauerint, & tanquam tales se in examine supposuerint, aut beneficia pro personis id ignorantibus, seu pro se, vel pro aliis, cum oblatione alicuius pensionis annuæ, aut pro aliis, cum spe pensionem annuam, aut aliud quantumvis modicum temporale commodum ab eis consequendi, vel pro seipsis principaliter, animo & intentione ea postmodum in fauorem aliorum, etiam quantumvis idoneorum & benemeritorum, cum simili pensione aut commodo, aut etiam sine eo resignandi obtinere procurauerint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiamsi Episcopali, aut alia maiori dignitate Ecclesiastica vel Cardinalatus honore seu mundana, etiam Regia, Ducali, aut Marchionali præeminentia præfulgeant excommunicationis, & anathematis, ac maledictionis æternæ sententiam, à qua nisi à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant, necnon priuationis omnium, & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumvis Ordinum regularium per eos in titulum vel commendam, aut alias quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnam eo ipso absque alia desuper facienda declaratione incurrant, ita vt constito solum summarie, & extraiudicialiter, quod ipsi contra tenorem præsentium aliquid fecerint, per curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalem Auditorem, seu Viceauditorem, vel eius Locumtenentem pro talibus, & vt talea publicari possint.

Annullatio prouisionũ sic obtentarum. §. 2. Et nihilominus, sic vt præfertur, obtentæ prouisiones, & commendæ, aliæque dispositiones nullæ sint, irritæ, & inanes, nullumque alicui ius in ipsis beneficiis, vel ad illa tribuant, nec aliquis earum vigore fructus suos faciat, sed ad eorum restitutionem teneantur, possintque beneficia, tam sic impetrata, quam per eos antea obtenta, tanquam modo præmisso vacantia, à nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente dumtaxat libere impetrari.

Extensio ad monasteria, &c. monialium. §. 3. Volumusque statutum, ordinationem, & decretum nostra huiusmodi, etiam quoad monasteria monialium, & alia beneficia per moniales, aut alias mulieres obtineri solita locum habere.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis, etiam, vt præmittitur, qualificatis, etiam in forma confessionalis, & quod interdici, suspendi, ac excommunicari nequeant, quomodolibet concessis, quæ eis contra præmissa in aliquo suffragari non posse decernimus cæterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi. §. 5. Cæterum ne quispiam statuti, & ordinationis, ac decreti nostri huiusmodi ignorantiam prætendere possit, volumus præsentes, quarum solam signaturam sufficere decernimus, in ædium residentiæ præfati Datarij, & Cancellariæ Apostolicæ valuis, & acie Campi Floræ per aliquem ex cursoribus nostris publicari, & earum exempla inibi affigi, & dimitti, publicationemque & affixionem huiusmodi omnes, & singulos arctare, perinde ac si eisdem præsentes illis personaliter intimatæ fuissent, contrariis non obstantibus quibuscomque.

Placet Motu proprio. I. *Papa subscr.*

Publ. Pontif. A. 3. die 27. Nouembris. *Affixus fuit supradictus Motus proprius die 27. Nouemb. 1577.*

Tryphon Victorellus Mag. Curs.

XIII. Restitutio Festiuitatis Cathedræ S. Petri Apostoli Romæ, pro die 18. mensis Ianuarij, in toto Orbe, præseruata alia festiuitate Cathedræ Antiochenæ iuxta ritum die 22. mensis Februarij celebranda.

Edita An. D. 1558.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

S. Petrus Cathedram Episcopalem Romæ constituit & tandē vna cum Paulo Vrbem martyrio cōsecrauit, & ideo Magistra veritatis & Orbis caput illa effecta est.

INeffabilis diuinæ prouidentiæ altitudo, quæ nullis inclusa limitibus, cœlestia pariter, & terrena disponit sui recti censura iudicij, voluit vt beatus Petrus Apostolorum Princeps, cui prius à Saluatore nostro Domino IESV CHRISTO dictum fuerat, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, postquam Anthiochiæ aliquandiu resederat, Romam veniens, Cathedram in ea constitueret Episcopalem, eamque viginti-quinque annis regeret, & demum Simonis Magis detectis fallaciis, & elusis præstigiis, ipsoque Simone Mago superato, idem Petrus, & cum eo gloriosus Coapostolus suus Paulus vas electionis Romanam Ecclesiam plantarent, & suo sanguine consecrarent, vt vbi caput superstitionis erat, illic caput existeret sanctitatis, & vbi gentilium Principes habitabant, Ecclesiarum Principes notarentur, & quæ prius erat magistra erroris, fieret magistra veritatis, essetque ibi gens sancta, populus electus ciuitas sacerdotalis, & Regia, & per sacram beati Petri Cathedram ipsa Vrbs caput Orbis effecta latius præsideret religione diuina, quam antea præsedisset dominatione terrena. Verum licet Vrbs ipsa multo plus debeat eidem Petro, qui eam per Cathedram Episcopalem inea constitutam regnis cœlestibus inserendam condidit, quam illis quorum studio prima mœnia suorum fundamenta iacta fuerunt, ex quibus is qui illi nomen dedit, fraterna eam cæde fœdauit, Festiuitatem tamen ipsius Cathedræ, quæ iuxta antiquissimorum sanctorum Patrum nostrorum testimonium quintodecimo Kal. Februarij fuit, & in diuersis Orbis Christiani, & præsertim Galliæ, & Hispaniæ partibus, dicta die solemniter celebratur, minime obseruet, celebretque solum festiuitatem Cathedræ Antiochenæ, quæ octauo Kal. Martij iuxta eorundem Patrum testimonium fuit, tanquam idem Saluator noster, qui sæpius infirma elegit, vt fortia quæque confundat, non respiciens imbecillitatem nostram, Festiuitatem Cathedræ, qua ipse Petrus Apostolus Romæ primum sedit, nostris temporibus celebrandam, seu potius antiquæ celebritati restituendam reseruauerit.

Ideo hic Pont. festiuitatem Cathedræ S. Petri Romæ, sub duplici officio celebrari iubet, sub die 18. Ianuarij.

§. 1. Quamobrem considerantes quod si in hac Vrbe Cathedram Ecclesiæ Antiochenæ pie, & solemniter veneramur, iustum esset iam, & conueniens, vt festiuitatem Cathedræ, qua præfatus Apostolus Romæ primum sedit eo solemnius, & magis pie celebremus, quo magis Vrbs ipsa illi tenetur, & debet, non dedignantes etiam inferiores Ecclesias in hoc imitari, Festiuitatem Cathedræ, qua idem beatus Petrus Romæ primum sedit, eadem die quintodecimo Kal. Februarij, non solum in hac Alma Vrbe, verumetiam in vniuersis Orbis Ecclesiis, etiam in quibus illa ad præsens celebratur, sub duplici officio annis singulis perpetuis futuris temporibus solemniter celebrari volumus, statuimus, & mandamus.

Aliud festum praseruat.

§. 2. Festiuitati alteri Cathedræ, quæ dicta die octauo Kal. Martij celebratur, nihil propter hoc detrahendo, sed illam iuxta laudabilem hactenus superinde obseruatam consuetudinem celebrari decernendo.

Sanctio pœnalis.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, statuti, mandati, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apost. eius se nouerit incursurū.

Dat. P. An. 3. die 6. Ianu.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo, 8. Id. Ianuarij, Pont. nostri anno tertio.

XIV. Contra Religiosos professos, extra Claustra Religionum vagantes, & apostatas, eorumque fautores. Cum reuocatione priuilegiorum quibuscumque Ordinibus concessorum recipiendi Religiosos alterius Ordinis.

Hæc bulla ad terminos iuris reducta fuit à Pio IV. infra in const. 3. Sedis.

Quoad regulares apostatas, & eiectos vide S.D.N. Vrb. VIII. const. 26. Sacra infr. tom. 4.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1558.

Plures Pont. multa statuerunt ad tollendum abusum apostasiæ.

POstquam diuina bonitas, nos licet immeritos, ad summi Apostolatus fastigium assumere dignata est, nunquam cessauimus, abusus qui in Ecclesia Dei, seu nimia Sedis Apostolicæ indulgentia, seu hominum malitia irrepsisse cernuntur, pro viribus tollere, & Ecclesiam ipsam in pristinum candorem restituere, diuersas ad hoc saluberrimas constitutiones edendo, & inuiolabiliter obseruari mandando. Verum cum non omnia vno, & eodem tempore excogitari, nedum perfici potuerint, quinimo circa ea sit nobis singulis ferme diebus aliquid enitendum, abusui Apostasiæ, quæ per regulares personas sub diuersis falsis prætextibus quotidie incurritur, vlterius parcendum non esse censuimus. Nam licet diuersi Romani Pontifices prædecessores nostri, per eorum constitutiones complura contra apostasiam huiusmodi ediderint statuta, & ordinationes, nondum tamen est plenum contra eam adinuentum remedium.

Religiosi diuersorum Ordinū sub varijs prætextib. extra claustra Religionis degunt, & Apostasiæ notas incurrunt, & errores multos committunt.

§. 1. Quinimo diuersi diuersorum etiam Mendicantium Ordinum Religiosi, propriæ salutis immemores, Deique timore postposito, sub prætextu. Alij videlicet, quod Religioni, & Ordini in genere ob varias confictas causas adstricti non sint, & superinde sententiam declaratoriam obtinuerint. Alij quod beneficium Ecclesiasticum curatum assecuti sint. Alij quod extra regularia sui Ordinis loca standi, & alicui beneficio Ecclesiastico deseruiendi à suis superioribus licentiam habeant, & alij diuersis aliis confictis coloribus, Alij verò nulli suffulti prætextu, sed temeritate propria contra proprium iuramentum per eos in eorum professione præstitum, & regularia sui ordinis instituta, extra claustra suorum regularium locorum degunt, & in sæculo aliqui habitu sui Ordinis retento, aliqui illo abiecto in habitu presbyterorum sæcularium, & complures in habitu laïcali temere vagantur. Et postquam Deo fidem fallere non sunt veriti, cætera omnia quantumvis grauissima, & detestanda, leuia, & licita reputantes, Alij Parochianos eorum curæ commissos falsam doctrinam docere, & prauis opinionibus, ac hæresibus replere, alij vxores ducere, alij siue paupertate eos cogente, siue diabolico instinctu sæcularibus, & mechanicis negotiis se dare, Alij seditionibus popularibus, coniurationibus contra Principes, & alios, ac quibusvis aliis sæuis actibus se implicare, & cætera omnia nequissima facere præsumunt, in grauissimam diuinæ maiestatis offensam, & religionis opprobrium, ac animarum suarum perniciem, & aliorum Christi fidelium scandalum.

Ideo hic Pont. declarat, vt qui in legitima ætate professionem libere fecerint, aut antea factam constituit, si extra claustra Religionis vagabuntur pœnas hic expressas incurrant.

Huius bulla reductionem ad terminos iuris, & sacrorum canonum à Pio IV. editam habes infra in sua const. 3 Sedis.

§. 2. Quamobrem considerantes, apostatas huiusmodi infinitis erroribus in eadem Dei Ecclesia causam præstare, & propterea volentes contra apostasiam ipsam plenius prouidere, & eam, quantum nobis ex alto conceditur, de medio tollere, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apost. potestatis plenitudine, omnes, & singulos, qui post professionem per eos in ætate legitima constitutos, in aliquo approbato, etiam militari Ordine pure, & libere emissam, vel si ante ætatem legitimam professi fuerint, post illam per eos in ipsa ætate legitima constitutos, pure, & libere, ratam, & gratam habitam temeritate propria, aut quovis prætextu vel causa, etiam si se religioni, & Ordini non adstrictos esse sine causæ cognitione, & his quæ à iure requiruntur seruari, omissis, vel non legitime probatis, declarari obtinuerint, aut beneficium Ecclesiast. etiam curatum non procedente legitima dispensatione possideant, vel alicui beneficio Ecclesiastico, etiam curato alterius nomine deseruiant, extra claustra suorum regularium locorum degunt, aut in posterum degent, omnibus, & singulis beneficiis Ecclesiast. cum cura, & sine cura, sæcularibus, aut sui, vel cuiusvis Ordinis,

regularibus, per eos quomodolibet obtentis, & de cætero obtinendis cuiuscumque qualitatis fuerint, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ecclesiasticis, eis quomodolibet reseruatis, seu assignatis, necnon Bacchalariatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magisterij, ac quibusvis aliis in iure canonico, vel ciuili, aut Theologia, seu medicina, vel artibus, aut quavis alia facultate gradibus per eosdem antequam religionem ingrederentur, obtentis, seu assecutis, necnon quæcumque ministerio ecclesiastico, Apostolica auctoritate, tenore præsentium penitus, & omnino priuamus, ac ad illa, & alia, quæcumque, & qualiacumque in posterum obtinenda, seu fructus, redditus, & prouentus Ecclesiasticos percipiendos, aut gradus assequendos perpetuo inhabilitamus, & ab executione quorumcumque Ecclesiasticorum, etiam sacrorum, & præsertim Presbyteratus ordinum, necnon omni ministerio Ecclesiastico prædicto perpetuo suspendimus, priuatosque & inhabiles, ac suspensos esse. Necnon beneficia ipsa de iure, & de facto, etiam ad hoc, vt eorum ordinarij collatores ea aliis libere conferre possint, & nisi ea infra tempus à Lateran. Concilio statutū contulerint, collatio beneficiorum eorundem ad immediatum illorum superiorē, & demum ad nos, ac pro tempore existentem Rom. Pont. deuoluatur. Patroni quoque eorundē beneficiorum personas idoneas infra tempus à iure statutū ad ipsa beneficia præsentare possint & nisi præsentauerint, eorū libera collatio ad ordinariū spectet, & pertineat, vacare, ac reseruationes fructuū, redditū, & prouentuum huiusmodi expirare decernimus, ita vt de cætero ipsi apostatæ, quādiu vixerint, aliqua beneficia Ecclesiastica obtinere, vel aliquod officium Ecclesiasticum exercere, aut fructus, redditus, & prouentus Ecclesiasticos, seu super illis pensiones annuas, percipere, vel exigere, seu curam animarum, vel aliquod ministerium Ecclesiasticum exercere, aut sacramenta Ecclesiastica ministrare, seu missam celebrare, aut prætextu ordinum in quibus constituti erunt, aliquid facere, vel exequi nequeant, & pensiones, seu commendæ, ac reseruationes fructuum, redditnum, & prouentuum Ecclesiasticorum, necnon assignationes pensionum annuarum eis etiam dicta auctoritate, etiam cum præsentium toto earum tenore inserto plenaria derogatione pro tempore factæ nullæ sint, & irritæ, ac viribus omnino careant nec aliquod eis ius, aut titulum beneficia possidendi, aut fructus, redditus, & prouentus, seu pensiones huiusmodi exigendi, vel percipiendi tribuant. Ipsique sic priuati inhabiles, & suspensi, fructus suos non faciant, sed ad illorum restitutionem teneantur. Et nihilominus si curam animarum exercere, vel Ecclesiastica sacramenta ministrare, seu missam celebrare, aut prætextu ordinum suorum prædictorum aliquid facere, aut aliquod ministerium Ecclesiasticum exequi præsumpserint, tanquam suspensi ab executione ordinum suorum, & in illis contra suspensionem ipsam, & in contemptum clauium ministrantes, condignis pœnis omnino puniantur.

Receptatoribus quoque & fautorib. pœnas infligit.

§. 3. Et vt omnis vagandi occasio apostatis huiusmodi tollatur, volumus, & sancimus, quod quævis tam Ecclesiasticæ quam sæculares personæ cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existāt, etiamsi Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori Ecclesiastica dignitate, etiam Cardinalatus honore, seu mūdana, etiam Marchionali, Ducali, aut alia maiori auctoritate seu excellentia præfulgeant, aliquem apostatarum eorundem receptare, seu outrire, vel illis quo minus ad eorum monasteriorum seu domum, vel alium locum regularem redeant fauorem, aut auxilium seu consilium præstare non præsumant, & si eos receptauerint, vel illis vt præfertur, fauerint, aut auxilium, seu consilium præstiterint, & per Ordinarium loci sui quo moram trahent commoniti à præmissis non destiterint, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant.

Patronis ... ... ad ... cia præsenta... tibus.

§. 4. Etsi patroni alicuius beneficij Ecclesiastici, siue ... laici siue clerici, aliquem ex eisdem apostatis ad ... beneficium de eorum iure patronatus existens tunc va... ... præsentauerint, præsentationes huiusmodi sint eo ipso ... ... irritæ, & inanes, ac viribus careant, & ipsi patroni ... ... præsentandi alios ad eadem beneficia pro ea vice ... ... priuati existant.

Ordinarius & superiores Ordinum, contra eos procedere iubet.

§. 5. Quodque superiores Ordinum quos ipsi professi fuerint, & Ordinarij locorum in quibus ipsi apostatæ pro tempore degent, tam coniunctim quam diuisim eosdem apostatas, vt ad eorum monasteria redeat, requirere, & si ad dicta monasteria redire cessauerint, distulerint, vel recusauerint, eos secundum Ordinis disciplinam monitione præuia, per censuras Ecclesiasticas, & pœnas etiam corporis afflictiuas ad redeundum cogere, & compellere possint, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Quod si regularis Ordo hoc non patiatur, auctoritate nostra prouidere valeant, vt talibus apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque graui scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendam inibi pœnitentiam vitæ necessaria ministretur. Si vero apostatæ huiusmodi se in his inobedientes præstiterint, sint etiam auctoritate nostra maioris excommunicationis sententia eo ipso innodati, & superiores sui eos excommunicatos esse denuntient, ac vt tales ab omnibus suis subditis nuntiari, & publicari faciant.

Apostatæ biretum de quo hic gestare tenentur.

§. 6. Teneanturque ipsi apostatæ cuiuscumque Ordinis, congregationis, & habitus fuerint, biretum nigrum duabus lineis albis ex tela confectis, & digito humano latis ab vna extremitate ad aliam extremitatem circumductis distinctum, & per totam eius circumferentiam simili linea alba suffultum, ita vt omnes lineæ præfatæ oculis intuentium manifeste appareant, continue gestare. Et si sine bireto huiusmodi deprehensi fuerint, possint pro huiusmodi inobedientia, non solum per suos superiores, verumetiam per quoscumque tam Ecclesiasticos quam sæculares Iudices, & Magistratus condignis pœnis puniri, & ad delationem ipsius Bireti, vt præfertur, distincti, & suffulti omnino compelli.

Professi, qui prætendūt extra claustra stare posse, procedere tenentur vt hic.

§. 7. Decernentes quod de cætero, qui aliquem Ordinem approbatum, vt præfertur, tacite, vel expresse professus fuerit, & se illi Ordini non adstrictum esse contenderit, vel alias quovis modo, siue retento, siue dimisso habitu extra regularia loca ipsius Ordinis de iure aliquo casu stare posse putauerit, vel quavis ratione, aut prætextu super hoc postulauerit, seu supplicauerit, literas quas à nobis, seu officio Pœnitentiariæ nostræ obtinebit, Cardinali, Protectori, seu Viceprotectori ipsius Ordinis in curia residenti, & Procuratori generali Ordinis, dirigi, & præsentari facere, ac coram eis in hoc negotio, cum plena causæ cognitione procedere teneantur, alias omnia, & singula per ipsum professum in præmissis gesta, nullius sint roboris, vel momenti, literæque aliis directæ nullam iurisdictionem tribuant.

Translationes de apostatis nulla sunt, nisi ad parem, vel arctiorē Ordinem & in obseruātia maneant.
Ad hoc habes etiam Concil. Trid. sess. 14. cap. 1.

§. 8. Quodque omnes, & singulæ translationes de apostatis ipsis ad alium Ordinē, etiam per nos aut prædecessores nostros, vel per officiū Pœnitentiariæ huiusmodi hactenus factæ, & quas deinceps fieri contigerit, nisi ad arctiorem, vel parem ordinem factæ fuerint, & ipsi sic translati in monasteriis in quibus regularis obseruantia vigeat, actu maneant, nullæ sint, & irritæ, ipsique sic translati in pristinum Ordinem, etiamsi in Ordine ad quem translati fuerint professionem in eo emitti solitam emiserint, redire teneantur. Etsi post vnam, & secundam monitionem sibi à Prælatis seu Superioribus Ordinum à quibus translati sunt, factam, redire distulerint aut neglexerint, liceat ipsis Prælatis seu Superioribus procedere contra eos, modo, & mediis contra apostatas statutis.

Translati prædicti redeant ad Ordinem alioquin pœnas hic positas incurrunt.

§. 9. Et nihilominus præfatos se translatos, & vt præfertur, non redeuntes, administratione cuiuscūque Ecclesiastici beneficij, seu officij, & prælaturæ perpetuo priuamus, & priuatos esse, necnon bona quæcūque, mobilia seu immobilia, ac census, redditus, & prouētus, iura, & actiones per eosdem fratres, tam egressos, & eiectos, quā ad alium Ordinē, vt præfertur, translatos, seu de licētia suorū superiorū extra eorū monasteria stantes tēpore quo extra monasteria sui Ordinis steterint acquisita, etiāsi acquisitiones huiusmodi ab ipsis fratribus ex redditibus beneficiorum ecclesiasticorū cū cura ab ipsis obtentorū, seu detentorū, aut ex propria industria, seu artificio, mercatura, vel ex testamēto seu successione ab intestato quorūvis cōsanguineorū, affinium, vel amicorum suorū, aut quorumcūque aliorum factæ sint, non Fisco nostro, aut Cameræ nostræ

Apostolicæ, sed religioni, aut monasteriis, in qua seu quibus primo professi fuerint, eo ipso applicata esse, & censeri debere decernimus, & declaramus, ita vt iuxta regularia religionis seu monasteriorum huiusmodi instituta omnino distribui, & dispensari, nec super illis, per Protectores, aut Superiores religionis, & monasteriorum prædictorũ, aut quosvis alios quacũq; auctoritate fungẽtes aliqua cõpositio seu cõcordia, aut remissio fieri possit.

Decretum irritans.

§. 10. Sicque & non alias, aliter, nec alio modo in præmissis, omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis etiam dicta Apostolica auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate, iudicari, & definiri debere, ac si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Priuilegia recipiendi fratres aliorum Ordinum reuocat. Aliam reuocationem habes infr. in Pij V. const. 89.

§. 11. Et quoniam experientia rerum magistra docente, cognouimus priuilegia eunctis fere Ordinibus concessa recipiendi professos aliorum Ordinum in eorum monasteriis, domibus, & regularibus locis, materiam præstare apostatis huiusmodi per sæculum euagandi, præsertim cum diuersi Ordinum huiusmodi Superiores Prælati apostatas huiusmodi recipiant, & postquam illis eorum habitum regularem exhibuerint, eis standi extra monasterium licentiam concedant, nos abusui huiusmodi occurrere volentes, omnia, & singula priuilegia, & indulta Apostolica quibusvis Ordinibus, monasteriis, & domibus, seu aliis regularibus locis (Carthusiensi, & Eremitis Camaldulensi eremo realiter degentibus dumtaxat exceptis) super recipiendis Canonicis regularibus, seu Monachis, vel fratribus aliorum Ordinum per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, sub quibusvis verborũ formis, & tenoribus, & etiam Motu proprio, aut alias quomodolibet concessa, etiam Mare magnũ nuncupata, quoad facultatem recipiendi eosdem canonicos regulares, seu Monachos, & fratres penitus, & omnino reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, & viribus penitus, & omnino vacuamus.

Locorum Ordinarij publicent hanc cõstit. illamque obseruari faciant.

§. 12. Mandantes vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque diœcesanis, & locorum Ordinariis, vt ipsi per se vel aliũ seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando ac quotiens opus fuerit solemniter publicantes, faciant dicta auctoritate nostra easdem præsentes literas plenariæ, & totali executioni, demandari, eos qui illis contrauenerint, iuxta ipsarum literarum continentiam, & tenorem, condignis pœnis plectendo, & puniendo, ac contradictores quoslibet, & rebelles, eisque in præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac monasteriorum, & aliorum regularium locorum, necnon Ordinum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam Mari magno, seu bulla aurea, aut alias quomodolibet nuncupatis, seu per officium pœnitentiariæ huiusmodi expeditis, eisdem apostatis, seu translatis ac nostro sancti Spiritus in Saxia de Vrbe Ordinis S. Augustini, & quibusvis aliis Hospitalibus, necnon B. MARIÆ Redemptionis captiuorum, & de Mercede, ac quibusvis aliis monasteriis, & regularibus locis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, aut alias quomodolibet cõcessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma publicandi hanc const. Publicationẽ nõ inueni sed habes bul. Pij IV. cit. in rub.

§. 14. Vt autem præsentes literæ ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate Apostolica statuimus atque decernimus, vt ipsæmet literæ, vel earum transumptum (cui manu notarij publici subscripto, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munito, eam prorsus fidem, in iudicio, & extra adhiberi debere volumus, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si facto, & realiter exhiberentur) in basilica Principis Apostolorum, & Ecclesia S. Ioannis Lateranen. ac Cancellariæ Apostolicæ, valuis, & acie Campi Floræ per aliquos ex cursoribus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valvis, & acie prædictis affixo, & dimisso. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dom. 1558. 13. Kal. Aug. Pontificatus nostri anno 4. *Dat. P. An. 4. die 20 Iulij.*

Quod Festum S. Dominici institutoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, die 4. Aug. sub duplici officio celebretur. XV.

Hoc Festum sub die 5. agi iusserat. Greg. IX. qui hunc Sanctum canonizauit, vt supra in eius const. 8. Fons sapientiæ, vbi dixi.

PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1558.*

Sanctorum festa sub die eorum mortis celebranda sunt.

GLoriosus in sanctis suis Deus, quia omnia operatur in omnibus, quosdam in Ecclesia sua posuit Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Doctores, quosdam Martyres, & quosdam Confessores, quos per anni circuitum, die, vt plurimum qua eos ad cœlestia regna migrare contigit, sancta veneratur vniuersalis Ecclesia, vt Christi fideles eorum venerationi per exercitium bonorum operum vacantes, piis ante Thronum diuinæ Majestatis eorum suffragiis adiuuari, & exinde Deo propitio vitam æternam facilius consequi valeant.

S. Dominicus obijt die 6. Augusti.

§. 1. Verum cum hoc in eximio CHRISTI Confessore Dominico, qui octauo Idus Augusti migrauit ad Dominum, non obseruetur, quinimo eius memoria Nonis Augusti, qua die, & festum beatæ MARIÆ à Niuibus, quæ ea die de Cœlo hic in Vrbe in ea Montis Exquilini parte, in qua nunc templum eiusdem B. Mariæ Maioris visitur, volente Domino, ecciderunt, sub officio duplici celebramus, forsan ex eo quod ipsa die octauo Idus Augusti, Transfigurationem Domini, & Redemptoris nostri IESV CHRISTI sub simili officio duplici veneramur, diem eius obitus præueniendo recolatur.

Hic Pont. ex causa hic relata, eius festum celebrari mandat die 4. Aug.

§. 2. Nos considerantes Ecclesiam venerationi ipsius Virginis Dei genitricis MARIÆ in memoriam miraculi Niuium huiusmodi plurimum occupatam, celebrationi Festiuitatis huius Almi Dei Confessoris Dominici plene vacare nequire, & exinde facile obuenire posse, vt memoria ipsius B. Dominici, qui Ordinem Fratrum Prædicatorum, inspirante Domino, fundauit, & instituit, ac inter quem plurima sanctitatis opera, & virtutis signa, quibus in carne positus claruit, diuersorum curatis languoribus, loquelam mutis, visum cæcis, surdis auditum, gressum paralyticis, & sanitatem pristinam languentibus restituit, in mentibus fidelium tepescat, & volentes in præmissis opportune prouidere, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura de eorum consilio, & vnanimi consensu Festiuitatem

tatem ipsam pridie Nonas Augusti singulis annis, perpetuis futuris temporibus in vniuersis Orbis Ecclesiis sub duplici officio solemniter celebrari volumus, statuimus, & mandamus.

Indulgentia Ecclesiam visitantibus eo die. §. 3. Necnon de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum eius Petri, & Pauli auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui in dia Festiuitatis huiusmodi Ecclesiam alicuius ex domibus dicti Ordinis, à primis vesperis vsque ad occasum Solis eiusdem Festiuitatis deuote visitauerint, & pro pace confirmanda, & vnitate Ecclesiæ Catholicæ, Domino nostro IESV CHRISTO preces pie effuderint, decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Exemplis credi iubet. §. 4. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod earum transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur vbique locorum, in iudicio, & extra, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Contrarijs derogat. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 4. die 8. Aug. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dom. 1558. 6. Idus Aug. Pont. nostri anno quarto.

Publicatio. *Anno à Natiuitate D. 1559. indictione 2. die vero 30. Iulij, retroscripta litera, affixa, & publicata fuerunt ad valuas, seu portas Ecclesiæ Later. & Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apost. ac in acie Campi Floræ, vt moris est, dimissis copiis affixis in locis solitis, & consuetis, vt moris est, per me Thomam Rogert Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem, & S. inquisitionis per nos Thomam Roger, & Medardi Nicolai prælibati S. D. N. PP. Curs.*

Iacobus Carra Mag. Curs.

XVI. Contra ambientes Papatum, aut Papa viuente, eosque inconsulto, tractantes de eligẽdo futuro Pontifice, ac eorum complices, & fautores.

De simoniaca autem Papæ electione, habes supra in Iul. II. const. 3. Cum tam diuino, vbi notaui. Et ibidẽ addidi sanctiones nouissime hac de re editas.

Edita An. D. 1558. *PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Detestatio criminis ambitus. CVm secundum Apostolum nemo debeat sibi honorem assumere, sed qui tanquam Aaron vocatur à Deo, facile ab omnibus iudicari potest quam grauiter excedant, errent, & peccent, qui tam inferiores quam superiores dignitates Ecclesiasticas, & ipsam denique B. Petri Sedem, ac Apostolicæ dignitatis culmen, & apicem à Deo Optimo Maximo, à quo omnia bona procedunt, nulla prorsus humana ope, nec cuiusvis auxilio, consilio, vel fauore interueniente, prouenire non arbitrantur, sed illas tanquam venales, aut alias in dispositione mortalium constitutas, diuersis modis, & mediis ambire, & assequi, seu potius vsurpare præsumant. Nam vt Romanæ, & cuiuslibet alterius, tam ante quam post Domini Dei, & Redemptoris nostri IESV CHRISTI in terris aduentum, bene institutæ reipublicæ de ambitu, & contra ambitus reos sanctissime promulgatas, & inuiolabiliter obseruatas leges, ad præsens omittamus, nonne huiusmodi detestabile ambitus scelus, etiam iure diuino grauissime punitur, cum Absalon, qui regnum genitoris sui adhuc viuentis ambiebat, ex mulo cui insederat eleuatus, capillis capitis seu quercui suspensus remansit, & à Ioab tribus lanceis in corde transfixus fuit; Nonne illud sacrorum Conciliorum à sancta Dei Ecclesia receptorum, & approbatorum auctoritas diuersimode detestatur & punit, cum quemcumque Presbyterum, aut Diaconum seu clericum, qui Papa incolumi, & eo inconsulto, subscriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pittacia promittere, seu sacramentum præbere tentauerit, aut aliquod suffragium polliceri, vel de hac causa priuatis conuenticulis factis, aliquid deliberare, & decernere præsumpserit, loci sui dignitate, & communione priuandum, anathemanisque pœna plectendum, censeat. & propter occultas fraudes, & coniurationum huiusmodi secretas insidias, siquis harum actionum particeps, consilia eorum qui de Pontificali agunt ambitu, ad notitiam Ecclesiæ deferat, & rationali probatione conuincat, eum non solum ab omni culpa purgatum remanere, verumetiam remuneratione non indigna subleuari velit, & statuat, & eadem, non modo sacrorum canonum, sed etiam sæcularium legum interpretes peritissimi, & probatissimi ambientes Papatum, aut super eo, Papa viuente, & inconsulto, tractantes seu conuenticulas facientes, crimen læsæ maiestatis in primo capite, & simoniacæ hæreseos incurrere decreuerint, non sine clara, & aperta ratione, cum omnis tractatus, de loco, dignitate, & bono alicuius viuentis, eo non consentiente ab vtroque iure prohibeatur, & reprobationis præsertim cum inde præstetur votum captandæ mortis quod sacri canones, & venerandæ leges passim abhorrent, & detestantur. Accedit quod cum inter Pontificem & Ecclesiam contrahatur spirituale coniugium, quod fortius carnali, grauissimæ pœnæ ex vtriusque iuris censura imponuntur iis, qui constante matrimonio, de alio coniuge tractare præsumunt. Quare cum peccatis exigentibus, plures in dies B. Petri Sedem, nobis viuentibus & inconsultis, ambire, & conuenticulas superinde facere dignoscantur, & ad hoc suffragia S. R. E. Cardinalium obtinere, & quodammodo subharrare procurent, & satagant.

Confirmatio, & innouatio pœnarũ quomodolibet promulgatarum contra ambientes Papatum, &c. §. 1. Nos cupientes huiusmodi detestabile ambitus, & illi coniuncta simoniacæ hæreseos, & læsæ maiestatis non solum nostris, sed etiam successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium temporibus perpetuo abolere, & non solum ex vsu, sed etiam ex mentibus hominum præsentium in electione Romani Pontificis, qui Domini Dei & Saluatoris nostri IESV CHRISTI in terris Vicarius existit, radicitus euellere, & in præmissis pro tantæ rei necessitate, & periculi magnitudine, vt tenemur, salubriter prouidere, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris ipsius S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio, & vnanimi assensu, hac nostra perpetuo valitura constitutione, Apostolica auctoritate & de nostræ Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac priuationis & quasvis alias sententias, censuras, & pœnas dudum à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, aut sacris Conciliis, seu Sanctorum Patrum nostrorum decretis, statutis, capitulis, canonibus, & constitutionibus, & ordinationibus contra sic ambientes quomodolibet latas, & promulgatas, approbamus, & innouamus, ac perpetuo obseruari, & in viridi obseruantia, si forsan in ea non sint, reponi, & esse debere.

Pœna tractantium de electione futuri Pontificis, eo viuente, & inconsulto. §. 2. Necnon quoscumque in præmissis tam nostro quam successorum nostrorum prædictorum tempore, publice, vel occulte, aut alias quomodolibet delinquentes cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori Ecclesiastica dignitate, seu Cardinalatus honore, vel mundana, etiam Ducali, Regali, Reginali, aut Imperiali auctoritate, seu excellentia præfulgeant, & eorum quemlibet, sententias, censuras, & pœnas prædictas incurrere volumus, & decernimus. Et nihilominus considerantes dignum esse, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ saltem coërceat seueritas disciplinæ, de similibus consilio, & assensu, ac auctoritate, & plenitudine potestatis volumus, & declarando statuimus, ordinamus, & decernimus, quod sententiis, censuris, & pœnis prædictis in suis robore, & efficacia remanentibus, ad effectum suum sortientibus,

 omnes,

omnes,& singuli,tam clerici quam vtriusque sexus laici, qui per se vel alios nobis viuentibus, & inconsultis, verbis, vel scriptis, aut nuntiis cum aliquo de futuro Pontifice eligendo, hactenus tractarunt, vel tentatuoe, seu in posterum,Romano Pontifice viuente,& inconsulco tractabunt,vel tentabunt,etiamsi,vt præfertur qualificati, & dignicate, honote, & auctoritate, & excellentia prædictis prædιti existant, sint ipso iuce, & facto absque alia desuper ferenda sententia excommunicari excommunicatione maioti, & maledictione æterna damnati,& ab excommunicatione, & maledictione huiusmodi per aliũ quam per nos,& Romanum Pontificem pro tẽpore existentem,prætecquam io mortis atticulo absolui non possint incurrerintque,& incurrant respectiue crimen simoniacæ hæteseos,& læsæ maiestatis io primo capite,ac piuationem omnis,etiam Episcopalis,Archiepiscopalis, & Patriarchalis,ac cuiusvis alterius maioris,vel minoris dignitatis,ac Cardinalatus honotis,necnon Ducalis,Regalis, Regnalis,& Imperialis auctoritatis,& excellenciæ,ac omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitan. & Patriarchalium, monasteriorum quoque,ac prioratuum,aliorumque beneficiorum,& officiorum ecclesiasticorum, cum cura,& sine cura,secularium ac quorumvis Ordinum regularium per eorum quemlibet obtentorum, necnon quorumvis fructuum, reddituum,& prouentuum Ecclesiasticorum, ac pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus,& prouentibus reseruatorum, & assignatorum, ac Regnorum,dominiorum, feudorum,& bonorum,spiritualium, & temporalium,vel ministrorum,etiam patrimonialium, & allodialium,necnon iurium patronatus,& iurisdictionum quarumcumque,careantque voce actiua,& passiua, ac effecti sint,& efficiantur respectiue perpetuo inhabiles,& incapaces omnium dignitatum, honorum, bonorum iurium,& legitimorum actuum, perpetuaque infamia vbique gentium sint notati, & notentur respectiue, nec infamia huiusmodi ab eis abuleri,neque ipsi vllo vnquam tempore ad vocem,dignitates,honores,bona iura, & actus huiusmodi,nisi ca speciali verbo,& mandato nostro, seu Romani Pontificis pro ceopore existentis, nostra,seu illius manu propria subscripto,ac specifica,& indiuidua teatus, & culpæ suæ qualitate expressa restitui possint.

Eorumque complicum.

§. 3. Quidque similes sententias, censuras,& pœnas respectiue incurrerint, & incurrant ipso iure, & facto,ac sine alicuius sententiæ prolatione, omnes,& singuli,etiam vt præmittitur,qualificati,& dignitatibus huiusmodi prædici, cuiusvis sexus, & ordinis existanc, qui per se vel alium seu alios à die nostræ ad summi Apostolatus apicem assumptionis, vsque in hanc diem, in præmissis aut eorum aliquod quodvis auxilium, consilium, vel fauorem, seu operam,verbis vel scriptis,aut re vel facto,seu promissione,pollicitatione,suasione, vel his omnibus insimul, aut quovis alio modo, directè,vel indirectè, principalitec, vel incidentaliter præstiterint, seu in futurum quovis etiam successorum nostrorum Romanorum Pontificum tempore præstabunt,aut in præmissis meditatoces,proxenetæ,nuntij,mandatarij,procuratores, seu trapezitæ fuerunt,vel in posterum,vt præfertur,erũt, seu alias se in præmissis quovis modo intcomiscuerunt, vel immiscuerunt seu in posterũ etiam tempore successorum huiusmodi habebunt,nisi ea nobis,aut successoribus nostris, quorum tempore id coocinget, vel alteri, cui id per nos,vel successores prædictos cõmissum fuerit, per se vel alium seu alios,cum primum commode potuerint reuelauerint, etiamsi in præmissis aliquod aliud auxilium, consilium,vel fauorem,aut opem noo præstiterint.

Reuelantibus venia & præmium propo-nit.

§. 4. Nos enim iis qui præmissa reuelauerint,etiamsi complices fuerint,non solum veniam,sed etiam gratiã, & præmia pollicemur, provt etiam successores nostros præfatos facturos esse confidimos,ad hoc,vt eorum iudicio,participes tanti criminis valeant coerceri.

Obiugantib. hanc bul. pœnas imponit.

§. 5. Et si quis vllo vnquam etiam dictorum successorum nostrorum tempore præsentes literas,& in eis contenta quæcumque iniusta illicita,vel iniqua existere, aut in toto vel in parte non valere, seu aliquo tempore non valitura esse,vel à nobis sic fieri non potuisse,aut non debuisse, ausu temerario asserere præsumpserit, cuiuscumque dignitatis existat, etiamsi Cardinalatus honore, aut Regia,vel Imperiali præeminentia,& excellentia præfulgeat, ipso iure & facto anathematis mucrone percussus sit,& contra eum, tanquam vere schismaticum,& hæreticum ioquiri, & tanquam calis puniri,eiusque memoria damnari possit.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon cuiusvis conclauis capitulis etiam iuramento, coofirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis, necnon irritantibus,& aliis decretis, quibusvis personis sub præsentibus comprehensis, per quoscumque Romanos Poncifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem Apostolicam,etiam Motu proprio,& ex certa scientia, ac simili potestatis plenitudine,aut consistorialiter seu alias quomodolibet concessis,& etiam iteratis vicibus approbatis,& innouatis,(quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis,specifica,expressa,& indiuidua,ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio,seu quævis alia expressio habenda,aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi,ac si de verbo ad verbum,nihil penitus omisso,& forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus,) cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi committit.

§. 7. Vt autem præsentes literæ ad omnium quorum interest noticiam deducantur, nec aliquis eorum ignorantiam prætendere valeat, volumus eas in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,& Cancellariæ Apostolicæ,ac acie Campi Floræ,per aliquos ex Cursoribus nostris publicari, earumque copiam inibi affixam dimitti, necnon publicationem,& dimissionem copiæ affixæ huiusmodi sufficere, & omnes quos eædem literæ tangunt arctare perinde,ac si eis personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Sanctionem pœnalem adijcit.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis,innouationis,declarationis, statuti, ordinationis,derogationis decretorum,& voluntatum infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius,se nouerit incursurum.

Dat.Romæ apud S.Petrum,Anno Incarn.Dom.1558. 17.Kal.Ianuarij,Pontificatus nostri anno 4. *D. P. Ann. 4. die 16 Dec.*

Confirmatio,& ampliatio constitutionum Apostolicarum, circa solutiones annatarum, & quindenniorum,pro beneficiis Ecclesiasticis R.Cam. Apost. debitorum. XVII.

Alias vide declarationes,& extensiones inf. in Pij V. const. 38. Apostolica,& Six. V. const. 33. Camera, vbi notabo de materia.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1558.*

Exordium.

DEcens esse censemus, & æquum,vt qui alios in sua iustitia confouemus, Cameræ nostræ Apostolicæ iura non negligamus, quinimo ea vsurpare satagentibus opportunis remediis, etiam medio declarationis nostræ occurramus, nec patiamur illa cauillationibus, aut calumniosis litibus ea debentium,in discrimen aut dubium aliquod deduci.

Annatarum exactio in recognitionẽ dominij introdu. illa fuit antiquitus. Et post Cõc.Vien.

§. 1. Nuper sane accepimus, quod licet communium seruitiorum, & annatarum exactio in recognitionem vniuersalis dominij introducta, sit antiquissima, ita vt etiam peritissimi,& probatissimi iuris interpretes,qui tempore Concilij Viennensis,iam ducentis quadraginta, &

& Constantien. talē exactionem approbarunt.

& vltra, annis celebrati, & post illud scripserunt, expressam de ea fecerint mentionem, & asseruerint eam in dicto Concilio roboratam fuisse, & in Concilio Constantien. ante centum, & quadraginta annos celebrato statutum fuerit, vt de Ecclesiis, & monasteriis virorum, vacantibus, & vacaturis, soluerentur pro fructibus primi anni à die vacationis summæ pecuniarum in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, quæ communia seruitia, etiam tunc nuncupabantur, de cæteris autem dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis, sæcularibus, & regularibus valorem viginti quatuor florenorum de Camera excedentibus, quæ auctoritate Sedis Apostolicæ, non tamen vigore gratiarum expectatiuarum, aut ea causa permutationis conferentur, vel de quibus prouideretur, soluerentur annata, seu medij fructua, iuxta taxam solitam.

Eug. IV & Callistus III. eadem fecerunt.

§. 2. Ac fel. rec. Eugenius IV. & Callistus III. Rom. Pontifices prædecessores nostri, super solutione mediorum seu integrorum fructuum primi anni dictæ Cameræ ratione monasteriorum, & prioratuum, ac aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vnitorum facienda disposuisse leguntur.

Paul. II. statuit de beneficijs pijs locis vnitis, & de cætero nō vacan quindennia solui Cam. Ap. vt in eius consti: 6. sup. Iul. II. confirmauit constit. Paul. II. in const. 4.

§. 3. Et piæ memoriæ Paulus Papa II. etiam prædecessor noster, vt tam ipse quam dicti Eugenius, & Callistus prædecessores, ac recolendæ mem. Martinus V. & Nicolaus etiam V. ac Pius etiam II. Romani Pontifices similiter prædecessores nostri tunc sui complura diuersorum Ordinum monasteria, prioratus, Præpositturas, Præpositatus, dignitates, &c. vt sup.

§. 4. Et sanctæ mem. Iulius Papa similiter II. prædecessor noster, accepto quod ea prædictis, & aliis, quæ postea per similis memoriæ Sixtum IV. Innocentium VIII. & Alexandrum VI. Romanos Pontifices, &c. vt sup.

Iul. III. confirmauit, & ampliauit Pauli II. Paul. II. & Iulij II. constitutiones vt sup. in sua const. 19.

§. 5. Et sanctæ memoriæ Iulius Papa III. prædecessor noster accepto quod ordinationes, statuta, decreta, & declaratio Pauli, & Iulij II. prædecessorum huiusmodi plene non obseruabantur, & à tempore ipsius Alexandri prædecessoris vsque in eam diem, tam per ipsos Iulium II. & Iulium III. quam felic. recordat. Leonem X. Adrianum VI. & Clementem VII. ac Paulum pariter III. Romanos Pontifices prædecessores nostros, tunc suos diuersæ aliæ vniones, annexiones, incorporationes, &c.

Hic Pont. etiā approbauit Iul. III. & prædecessorum cōst.

§. 6. Et postremo nos præmissa omnia per papyri cedulam manu nostra motu proprio signatam approbauerimus, & innouauerimus, prout in singulis literis prædecessorum, & cedula huiusmodi plenius continetur.

Nihilominus quædam Congreg. prætendunt, non teneri ad solutionem annatarum, &c.

§. 7. Nihilominus tam sancti Gregorij in Alga, sub prætextu quod dictus Eugenius prædecessor, Rectores, & Canonicos ipsius Congregationis S. Georgij, à sententiis, censuris, & pœnis, quibus ob non solutionem mediorum, seu integrorum fructuum primi anni, monasteriorum, & beneficiorum per ipsum Eugenium prædecessorem, vel dictam Sedem, eorum monasteriis, prioratibus, Ecclesiis, & beneficiis, siue locis eatenus vnitorum innodati erant, per suas literas absoluerit, & quascumque obligationes, per eos dictæ Cameræ propterea factas, ac medios seu integros fructua huiusmodi eis liberaliter remiserit, & de illis, & aliis quibuscumque quæ præfatæ Cameræ eatenus soluere quomodolibet obligati erant, generalem quitantiam fecerit, decernens eos ad illorum solutionem non teneri, nec ad id cogi posse, ac irritum & inane quidquid ex tunc contra tenorem earumdem literarum, scienter vel ignoranter contingeret attentari. Et Cassinen. alias sanctæ Iustinæ de Padua huiusmodi sub prætextu quod dictus Leo prædecessor ipsam Cōgregationem Cassinen. illiusque monasteria, & loca, ac Abbates, & conuentus ad solutionem annatarum communium, minutorum seruitiorum, & aliorum iuriū Cameræ Collegio, & officialibus prædictis, ratione quorumvis monasteriorum, prioratuum, & beneficiorū Congregationi Cassinen. & illius monasteriis, seu locis prædictis eatenus perpetuo vnitorum, super quibus nulla obligatio in eadem Camera reperiebatur, aut ad obligationem de eis soluendis facienda minime obligatos fuisse, nec ad illas condemnari aut cogi posse, & literas Pauli ac Iulij II. aliorumque prædecessorum suorum huiusmodi, ac super illis, & illorum prætextu, decreta, monitoria, & mandata quoad ipsam Congregationem Cassinen. & illius monasteria, & personas locum sibi vendicare non potuisse, omnesque & singulas, de monasteriis, & locis Congregationis Cassinen. huiusmodi, tanquam per dissolutionem votorum prædictarum, aut priuationem de illis, vel alias ob non solutionem annatarum communiū, & aliorum prædictorum, vel ob non factam obligationem huiusmodi vacantibus factas prouisiones, commendas, vniones, & alias dispositiones, & inde secuta quæcumque nulla, irrita, & inania fuisse, & esse, monasteriaque & loca Congregationis Cassinen. huiusmodi ob non solutionem annatarum communium, & iurium, ac non factam obligationem huiusmodi nullatenus vacasse, nec in futurum vacare, attestatus, & interpretatus fuerit, ac decreuerit, & declarauerit. Necnon procuratori Fisci, & agenbus pro Camera, ac Cardinalibus, & officialibus præfatis silentium desuper imposuerit. Et paris memoriæ Clemens VII. pariter prædecessor noster literas Leonis prædecessoris huiusmodi cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, per suas literas approbauerit, & innouauerit, ac perpetua roboris firmitate subsistere, & inuiolabiliter obseruari debere. Necnon Congregationem Cassinen. præfatam, & illius prælatos, & personas contra tenorem literarum Leonis prædecessoris huiusmodi nulliter, iniuste, & indebite molestatos, & perturbatos fuisse, & sic iudicari debere, & si secus contigerit attentari, irritum, & inane decreuerit. Quam diuersæ aliæ regularium, & forsan sæcularium personarum congregationes, & forsan aliæ personæ, forsan ex eo quod à nonnullis nimium scrupulosis, & plusquam oportet sapere contendentibus hæsitetur, an vniones ante ipsum Martinum prædecessorem per alios Romanos Pontifices prædecessores suos factæ, sub literis Pauli prædecessoris huiusmodi comprehendantur, & forsan diuersis aliis prætextibus communia minuta seruitia, annatas, & alia iura Cameræ, & Collegio, ac officialibus prædictis ratione vnionum eis, de monasteriis, prioratibus, & aliis beneficiis ecclesiasticis hactenus factarum debita persoluere recusent, censuras, & pœnas in singulis literis prædictis contentas damnabiliter incurrendo in animarum suarum periculum, & Cameræ, ac Collegij, & officialium prædictorum detrimentum.

Declarat igitur hic Pont. omnes Congregationes, & alios ad quorū fauorem beneficia vnita fuerīt teneri ad solutionem Annatarum, &c. & ad se obligandum de illis soluendis. Hoc idem voluit Pius V. in rub. cit.

§. 8. Nos considerantes præfatum Eugenium prædecessorem per eius literas successoribus suis Romanis Pontificibus, cum par in parem non habeat imperium, & per consequens Collegio Cardinalium, & Officialium Romanæ Curiæ causam ab ipsis Romanis Pontificibus habenobus præiudicare non potuisse, & propterea ius nostrum, & collegij, ac Officialium prædictorum illæsum remansisse, & remanere, ac literas Leonis, & Clementis prædecessorum huiusmodi, cum contra ordinationes, statuta, decreta, & declarationem Pauli, & Iulij II. prædecessorum huiusmodi, ac causa non cognita, & non vocatis, nec auditis quorum intererat, emanauerint, & per eas ius tertij contra tenorem constitutionum per eos editarum manifeste tollatur, effectum sortiri non debere, omnium, & singularum literarum prædictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, ac singulas literas Eugenij, & Leonis, ac Clementis prædecessorum huiusmodi, ad viā, & terminos iuris reducentes, & reductas esse decernentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac de mera deliberatione nostra, omnes, & singulas vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, submissiones de quibusvis Monasteriis, Prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus, & quorumvis Ordinum, seu Militiarum regularibus quibuscumque Collegiatis Ecclesiis, seu earum mensis capitularibus, seu Collegiis. Vniuersitatibus, & vtriusque sexus Congregationibus tam sæcularibus, quam regularibus, etiam Sancti Georgij in Alga, & Cassinen. prædictis, ac Montis Oliueti, & Camaldulen. necnon domibus, fabricis, Hospitalibus, & aliis piis locis, quæ ex eorum perpetuitate non vacant, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros

quocumque

quocumque tempore, etiamante ipsum Martinum prædecessorem, ac nos sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis perpetuo factas, & de cætero, tam per nos, quam successores nostros similiter perpetuo faciendas sub literis Pauli prædecessoris huiusmodi comprehendi, & includi. Et propterea tam Cassinen. & Montis Oliueti, ac Camaldulen. necnon S. Georgij in Alga, & quascumque alias Congregationes, quam quosvis alios, in quorum fauorem vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones huiusmodi factæ fuerunt, etiamsi se superinde in Camera non obligauerint, ad solutionem communium, & minutorum seruitiorum, ac annatarum, & aliorum iurium prædictorum eisdem Cameræ Collegio, & Officialibus satione earumdem vnionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & submissionum singulis quindecim annis à die quo illæ suum effectum sortitæ fuerint, alias iuxta tenorem literarum Iulij III. prædecessoris huiusmodi faciendam teneri, & obligatos esse, & ad id nec non ad se communibus, & minutis seruitiis, ac annatis, & aliis iuribus prædictis de quindecim annis in quindecim annos realiter, & cum effectu soluendis in forma solita obligandum, etiam per sententias, censuras, & pœnas etiam priuationis, & dissolutionis vnionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & submissionum prædictarum in literis Pauli, Iulij II. ac Iulij III. prædecessorum huiusmodi contentas cogi, & compelli posse, necnon Monasteria, Prioratus, præpositutas, præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, & beneficia vnita huiusmodi onus solutionis communium, & minutorum seruitiorum, ac annatarum, & aliorum iurium prædictorum semper habuisse, & ad præsens habere.

Decretum irritans.

§. 9. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios quavis etiam dicta auctoritate Apostolica fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & dilectos filios nostros Io. Michaëlem S. Anastasiæ Saracenum, & Virgilium S. Simeonis tit. de Spoleto nuncupatos Presbyteros, quibus alias omnes, & singulas causas occasione præmissorum pendentes commisimus, & quosvis alios S.R.E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate iudicari, & definiri debere, ac si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus.

Cardinalis Saracenus, & Card. de Spoleto Iudices istarum causarum procedant iuxta formam illius const.

§. 10. Mandantes eidem Io. Michaëli, & Virgilio Cardinalibus, vt omnes, & singulas causas coram eis inter dilectos filios Procuratorem nostrum Fiscalem & Officiales præfatos ex vna, & quascumque Congregationes, seu alias personas ex altera partibus, super solutione communium, & minutorum seruitiorum, ac annatarum, & aliorum iurium prædictorum, vel eorum occasione pro tempore pendentes, iuxta præsentium tenorem terminent, & decidant.

Beneficiaque indultum nō soluē di quindenniahabētia notificentur Cardinalibus prædictis.

§. 11. Et insuper, vt ratio communium minutorum seruitiorum, ac annatarum, & aliorum iurium prædictorum clara habeatur, nec vlterius in ambiguo, aut obscuro versetur, volumus, & auctoritate Apostolica præfata decernimus, statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli in quorum fauorem vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones huiusmodi emanarunt, necnon Cathedralium, etiam Metropolitanarum, seu Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, & tam virorum, quam mulierum sæculares, & quorumvis etiam exemptorum Ordinum regulares Congregationes, & Collegia, ac Hospitalia, & alia pia loca, quibus à Sede prædicta indultum est, vt Abbates, seu Priores, vel alios Prælatos suos ad tempus, & non ad vitam eligere possint, seu quorum Abbates, vel Priores, aut alij Prælati non ad vitam, sed ad tempus eliguntur, seu etiam ad vitam electi absque confirmatione eiusdem Sedis administrant, infra terminum eis à præfatis Io. Michaële, & Virgilio Cardinalibus præfigendū omnia, & singula Monasteria, Prioratus, propositutas, præpositatus, Ecclesias, Capellanias, & alia beneficia Ecclesiastica, quæ possident, & ea specifice, & expresse quæ facultatem, & indultum huiusmodi habent, seu quorum Abbates, seu Priores, vel alij Prælati, ad tempus eliguntur, seu ad vitam electi, sine confirmatione prædicta administrant, vnà cum illorum fructuum, redditūum, & prouentuum vero annuo valore præfatis Io. Michaëli, & Virgilio Cardinalibus notificasse & intimasse debeant, & ad id per sententias, censuras, & pœnas in singulis literis prædictis contentas cogi, & compelli possint.

§. 12. Non obstantibus literis Eugenij, Leonis, & Clementis prædecessorum huiusmodi, & aliis præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis Congregationi Camaldulen. Eremitarum, & S. Michaëlis de Murano Torcellan. Diœc. per dictum Leonem prædecessorem in eius erectione, & institutione, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, necnon omnibus illis quæ singuli prædecessores præfati in singulis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. *Claus. derog.*

Sanctio pœnalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reductionis, declarationis, mandati, voluntatis, statuti, ordinationis, derogationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incar. Dom. 1558. 10. Kal. Februarij, Pontificatus nostri anno 4. *Dat P. An. 4. die 23. Ian.*

De Lenonibus eorumque complicibus, vltimi supplicij pœna certis casibus in Vrbe plectendis. XVIII.

Alios casus habes eadem pœna plectendos in crimine adulterij, vt in Six. V. const. 46. Ad compescendam. *Edita An. D.*

Hic Pōt. mādauit Gubernatori Vrbis vt pœnas hic descriptas promulgaret per publicum proclama prout fecit contra.

SAnctissimus Dominus noster Dominus Paulus diuina Prouidentia Papa Quartus. Volens sceleribus, quæ ex vitio, & luxuria carnis in dicta Vrbe in dies patrantur, quantum cum Deo potest occurrere, viuæ vocis oraculo statuit, & decreuit, ac sua irrefragabili constitutione sanciuit, quod omnes, & singulæ vtriusque sexus personæ, quæ aliquam puellam, aut aliam iuuenculam ex eius patria, aut alio loco in quo tunc honeste viueret, vestes, aut alia id genus bona eis pollicendo, seu quavis alia corruptione seduxerint, easque aut aliquem puerum in eadem Vrbe quomodolibet prostituerint, tanquam omni priuilegio cuiuscumque Ordinis, vel dignitatis (iuxta constitutionem fel. rec. Innocentij Papæ Quarti prædecessoris sui, quæ incipit, Pro humani generis) priuati, & nudati, ac per leges sæculares ipso iure, & facto condemnati, per Ordinarios Sanctitatis suæ Iudices sæculares, nulla ab eadem Sanctitate sua desuper expectata declaratione, seu mentis suæ intentione, irremissibiliter hoc modo puniantur.

Lenones in prostituendis pueris, aut virginibus.

§. 1. Lenones videlicet, & lenæ, circa prostitutionem masculorum versantes, & cum eis circa prostitutionem ipsam agentes, vel consentientes, necnon lenones, & lenæ puellam, seu aliam iuuenculam inuitam assumentes, & ad necessitatem nutrientes, ac postmodum prostituentes,

tes,& lucrum,ex eius prostitutione captantes,quotquot fuerint,vltimo supplicio afficiantur.

Complices lenon. quoad stupra. §. 2. Hi vero qui corrupto comite stuprum puero suaserint,aut puellam virginem super violatione eius pudicitiæ interpellauerint, seu ad hoc quicquam donauerint, vel pretium, vt id assequerentur dederint, aut domum ad hoc eis commendauerint, seu quicquid aliud ad effectum præmissorum fecerint,flagitio perfecto,capitali pœna plectantur,eo autem imperfecto, in aliquam Insulam deportentur,& inibi perpetuo relegentur,qui in præmissis comites corrupti fuerint, eisdem pœnis subiaceãt.

Lenones in alijs casibus. §. 3. In cæteris verò casibus lenones,& lenæ huiusmodi qui de cætero lenonicij artem exercuerint,fustibus per Vrbem publicè cæsi, ab hac Vrbe perpetuo exulare cogantur.

Domos eis locantes. §. 4. Et qui domos suas eisdem lenonibus, vel lenis de cætero scienter locauerint,vel si ignorãter id fecerint, nisi postquam hoc eis notificatum fuerit illos expulerint domum sic locatam eo ipso amittant, & ea realiter, & cum effectu priuentur,& spolientur, & insuper pœnam mille scutorum auri ab eis auferendorum, & in pios vsus conuertendorum ipso facto incurrant.

Hoc decretum habet vim Motus proprij. §. 5. Voluit quoque eadem Sanctitas sua,& præfato Gubernatori simili viuæ vocis oraculo mandauit,vt statutum, & decretum,ac sanctionem suam huiusmodi,quæ perinde ac si sub nomine Sanctitatis suæ in scripos redacta,& per eandem Sanctitatem suam Motu proprio subscripta, & signata forent, & literæ Apostolicæ desuper sub plumbo confectæ essent, plenariam fidem facere, & eis indubiam fidem adhiberi debere decreuit, per publicum bannimentum, & proclama omnibus quorum interest denuntiari, & intimari facere.

Denuntiatio ista per proclama ligat, prout si personaliter intimata foret. §. 6. Decernens denuntiationem, & intimationem huiusmodi,eos omnes ligare,& arctare,perinde ac si præmissa omnia eis ex parte Sanctitatis suæ, aut per literas Apostolicas personaliter intimata,& notificata,ac de verbo ad verbum recitata fuissent,in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

XIX. Inuocatio quarumcumque censurarum,& pœnarum contra hæreticos, & schismaticos quomodolibet promulgatarum. Et aliarum pœnarum impositio,in cuiuscumque gradus & dignitatis Prælatos,& Principes, hæreticæ, vel schismaticæ prauitatis reos.

Confirmatur hac const. à Pio V. infra in eius bulla 22. Inter multiplices

De pœnis autem per alios Pont. in eiusmodi hæreticos latis,habes supra in Nicolai III.const.2. Nouerit. Innoc.IV. const.8. & 9. & const.18. & seqq. Alex. IV. const.9.113.& const.14. Et habes etiam alias aliorum Pont.const.in præcitatis locis indicatas.

Edita An. D. 1559. PAVLVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. CVm ex apostolatus officio, nobis, meritis licet imparibus diuinitus credito,cura Dominici gregis nobis immineat generalis,& exinde teneamur pro fideli illius custodia,& salubri directione, more vigilis Pastoris, assidue vigilare, & attentius prouidere,vt qui hac ætate, peccatis exigentibus,propriæ prudentiæ innitentes licentius, & perniciosius solito contra orthodoxæ fidei disciplinam insurgunt,& superstitiosis,ac fictitiis adinuentionibus sacrarum Scripturarum intelligentiam peruertentes,Catholicæ Ecclesiæ vnitatem & inconsutilem Domini tunicam scindere moliuntur, ab ouili Christi repellantur,nec magisterium erroris continuent, qui discipuli veritatis esse contemnunt.

Causa huius constit. §. 1. Nos considerantes rem huiusmodi adeo grauem,& periculosam esse,vt Romanus Pontifex, qui Dei, & Domini Nostri IESV CHRISTI vices gerit in terris, & super gentes, & regna plenitudinem obtinet potestatis, omnesque iudicat, à nemine in hoc sæculo iudicandus, possit, si deprehendatur à fide deuius, redargui, & quod vbi maius intenditur periculum, ibi est plenius, & diligentius consulendum, ne pseudoprophetæ, aut alij etiam sæcularem iurisdictionem habentes, simplicium animas miserabiliter illaqueent, innumerabilesque populos eorum in spiritualibus aut temporalibus curæ, & regimini commissos, secum in perditionem, & damnationis interitum trahant, nec aliquando contingat nos abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta in loco sancto videre, cupientes quantum cum Deo possumus pro nostro munere Pastorali vulpes vineam Domini demoliri satagentes capere, & lupos ab ouilibus arcere,ne canes muti videamur nequeuntes latrare, & perdamur cum malis agricolis, ac mercenario comparemur.

Confirmat hic Pontif. omnes pœnas in hæreticos & schismaticos latas. Tu eas vide in const. cit. in rub. §. 2. Habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura de eorum consilio, & vnanimi assensu omnes, & singulas excommunicationis,suspensionis, & interdicti,ac priuationis,& quasvis alias sententias,censuras,& pœnas à quibusvis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris aut pro talibus habitis,etiam per eorum literas extrauagantes, seu sacris Conciliis ab Ecclesia Dei receptis, vel sanctorum Patrum decretis,& statutis,aut sacris canonibus, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contra hæreticos, aut schismaticos quomodolibet latas, & promulgatas, Apostolica auctoritate approbamus,& innouamus,ac perpetuo obseruari,& in viridi obseruantia, si forsan in ea non sint, reponi, & esse debere, necnon quoscumque qui hactenus à fide Catholica deuiasse, aut in aliquam hæresim incidisse, seu schisma incurrisse,aut excitasse,seu commisisse comprehensi, aut confessi, vel conuicti fuerint, seu (quod Deus pro sua clementia,& in omnes bonitate auertere dignetur) in posterum deuiabunt, seu in hæresim incident,aut schisma incurrent,vel excitabunt, seu committent,& deuiasse,seu incidisse, aut incurrisse, vel excitasse,seu commisisse deprehendentur, aut confitebuntur, seu conuincentur, cuiuscumque status, gradus,ordinis, conditionis,& præeminentiæ existant, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, Primariali, aut alia maiori dignitate Ecclesiastica, seu Cardinalatus honore, & Apostolicæ Sedis vbivis locorum, tam perpetuæ quam temporalis Legationis munere, vel mundana etiam Comitali, Baronali, Marchionali, Ducali,Regia,& Imperiali auctoritate,seu excellentia præfulgeant,& eorum quemlibet sententias, censuras, pœnas prædictas incurrere volumus atque decernimus.

Prælatis, & Principibus à fide deuiantibus alias pœnas imponit. §. 3. Et nihilominus considerantes dignum esse, vt qui virtutis amore à malis non abstinent,metu pœnarum ab illis deterreantur,& quod Episcopi, Archiepiscopi,Patriarchæ,Primates,Cardinales,Legati,Comites,Barones, Marchiones, Duces,Reges,& Imperatores,qui alios docere, & illis bono exemplo, vt in fide Catholica contineantur, esse debent, præuaricando grauius cæteris peccant, cum non solum seipsos perdant, verumetiam alios innumerabiles populos eorum curę,& regimini creditos, seu alias eis subditos, secum in perditionem,& puteum interitus trahant, de similibus consilio,& assensu, hac nostra in perpetuum valitura constitutione, in odium tanti criminis,quo nullum in Ecclesia Dei maius,aut perniciosius esse potest de Apostolicæ potestatis plenitudine sancimus, statuimus, decernimus, & definimus, quod sententiis,censuris, & pœnis prædictis in suo robore,& efficacia remanentibus,ac effectum suum sortientibus,omnes, & singuli Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates, Cardinales, Legati,Comites,Barones, Marchiones,Duces,Reges, & Imperatores, qui hactenus,vt præfertur, deuiasse, aut in hæresim incidisse, seu schisma incurrisse,excitasse,vel commisisse deprehensi,aut confessi, vel conuicti fuerint,& in posterum deuiabunt,aut in hæresim incident, seu schisma incurrent,vel excitabunt,aut cõmittent,& deuiasse, seu in hæresim incidisse,vel schisma incurrisse,aut excitasse,seu commisisse deprehendentur, aut confitebuntur,seu conuincentur,cũ in hoc inexcusabiliores cæteris reddantur,vltra sententias,censuras, & pœnas prædictas,sint etiam eo ipso,absque aliquo iuris aut facti ministerio,suis Ordinibus, & Cathedralibus etiam Metropolit. Patriarchalibus,& Primatialibus Ecclesiis,

clesiis, ac Cardinalatus honore, & cuiusvis Legationis munere, necnon voce activa, & passiva, omnique auctoritate, ac Monasteriis, beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus, & quorumvis Ordinum regularibus, quæ ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, & administrationem, aut alias quomodolibet obtinuerint, & in quibus vel ad quæ ius aliquod habuerint, necnon quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus annuis super similibus fructibus, redditibus, & proventibus eis reservatis, & assignatis, Comitatibus quoque, Baroniis, Marchionatibus, Ducatibus, Regnis, & Imperio penitus, & in totum, perpetuo priuati, & ad illa de cætero inhabiles, & incapaces, habeanturque pro relapsis, & subversis in omnibus & per omnia, perinde ac si prius hæresim huiusmodi in iudicio publice abiurassent, nec vllo vnquam tempore ad eorum pristinum statum, aut Cathedrales, Metropolitanas, Patriarchales, & Primatiales Ecclesias, seu Cardinalatus, vel alium honorem, aut quamvis aliam maiorem, vel minorem dignitatem, seu vocem activam, vel passivam, aut auctoritatem, seu monasteria, & beneficia, vel Comitatus, Baronias, Marchionatus, Ducatus, Regna, & Imperium restitui, reponi, reintegrari, aut rehabilitari possint, quinimo sæcularis relinquantur arbitrio potestatis animaduersione debita puniendi, nisi apparentibus in eis veræ pœnitentiæ indiciis, & condignæ pœnitentiæ fructibus, ipsius Sedis benignitate, & clementia in aliquo Monasterio, aut alio Regulari loco ad peragendum perpetuam in pane doloris, & aqua mœstitiæ pœnitentiam retrudendi fuerint. Quodque pro talibus ab omnibus cuiuscumque status, gradus ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentibus, ac quacumque etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & Primatiali, aut alia maiori Ecclesiastica dignitate, & etiam Cardinalatus honore, seu mundana, etiam Comit. Baron. March. Ducali Regia, & Imperiali auctoritate, excellentia pollentibus haberi, tractari, & reputari, & vt tales euitari, omnique humanitatis solatio destitui debeant.

Iuspatronatus aut nominandi habentes ad beneficia propter hæresim vacantia tenentur infra legitima tempora præsentare alias personas.

§. 4. Et qui iuspatronatus, aut nominandi personas idoneas ad Cathedrales, etiam Metropolitanas, & Patriarchales, Primatiales Ecclesias, seu Monasteria, vel alia beneficia Ecclesiastica per priuationem huiusmodi vacantia habere prætenderint, ne illa diutinæ vacationis exponantur incommodis, sed de seruitute hæreticorum erepta personis concedantur idoneis, quæ illarum populos in semitas iustitiæ fideliter dirigant, teneantur, ad Ecclesias, Monasteria, & beneficia huiusmodi alias personas idoneas infra tempus à iure, vel ex eorum concordatis seu compactatis cum dicta Sede initis statutum, nobis seu pro tempore existenti Romano Pontifici præsentare, alioquin tempore huiusmodi elapso plena, & libera Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum prædictorum dispositio ad nos, & Romanum Pontificem prædictum eo ipso pleno iure deuoluatur.

Fautoresque hæreticorum pœnas hic descriptas incurrunt.

§. 5. Et insuper qui ipsos sic deprehensos, aut confessos vel conuictos scienter quomodolibet receptare, vel defendere, aut eis fauere, vel credere, seu eorum dogmata dogmatizare præsumpserint, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant, efficianturque infames, nec voce personas scriptis, vel nuntio, aut procuratore aliquo ad publica, seu priuata officia, aut consilia, seu synodum, vel Concilium generale, vel prouinciale, nec conclaue Cardinalium, aut aliquam fidelium Congregationem, seu electionem alicuius, aut testimonium perhibendum admittantur, nec admitti possint. Sint etiam intestabiles, nec ad hæreditatis successionem accedant, nullus prætetea cogatur eis super aliquo negotio respondere. Quod si forsan Iudices extiterint, eorum sententiæ nullam obtineant firmitatem, nec aliquæ causæ ad eorum audientiam deferantur, & si fuerint Aduocati, eorum patrocinium nullatenus recipiatur, si verò Tabelliones extiterint, instrumenta confecta per eos nullius sint penitus roboris, vel momenti. Et insuper clerici omnibus, & singulis Ecclesiis, etiam Cathedralibus, Metropolitan. Patriarchalibus, & Primatialibus, ac dignitatibus, Monasteriis, beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, etiam, vt præfertur, qualificatis per eos quomodolibet obtentis, & tam ipsi, quam laici, etiam vt præmittitur qualificati, & dignitatibus prædictis præditi quibuscumque Regnis, Ducatibus, Dominiis, Feudis, & bonis temporalibus per eos possessis priuati existant eo ipso, Regnaque, Ducatus, Dominia, Feuda, & bona huiusmodi publicentur, & publicata sint, efficianturque iuris, & proprietatis eorum qui illa primo occupauerint, si in sinceritate fidei, & vnitate S.R.E. ac sub nostra, & successorũ nostrorũ Rom. Pontificum canonice intrantium obedientia fuerint.

Prælati & Pontifices qui ante eorum promotionem apparuerint à fide Catholica deuiasse, eo ipso priuati sint omni auctoritate, & officio & promotio nulla est, & nullo pacto conualidari potest.

§. 6. Adiicientes quod si vllo vnquam tempore apparuerit aliquem Episcopum, etiam pro Archiepiscopo, seu Patriarcha, vel Primate se gerentem, aut prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, etiam vt præfertur, Legatum, seu etiam Romanum Pontificem ante eius promotionem, vel in Cardinalem, seu Romanum Pontificem assumptionem à fide Catholica deuiasse, aut in aliquam hæresim incidisse, seu schisma incurrisse, vel excitasse, aut commisisse, promotio, seu assumptio de eo etiam in concordia, & de vnanimi omnium Cardinalium assensu facta, nulla, irrita, & inanis existat, nec per susceptionem muneris consecrationis, aut subsecutam regiminis, & administrationis possessionem, seu quasi, vel ipsius Romani Pontificis inthronizationem, aut adorationem, seu ei præstitam ab omnibus obedientiam, & cuiusvis temporis in præmissis cursum, conualuisse dici, aut conualescere possit, nec pro legitima in aliqua sui parte habeatur, nullamque talibus in Episcopos, seu Archiepiscopos, vel Patriarchas aut Primates promotis, seu in Cardinales, vel Romanum Pontificem assumptis, in spiritualibus, vel temporalibus administrandi facultatem tribuisse, aut tribuere censeatur, sed omnia, & singula per eos quomodolibet dicta, facta, gesta, & administrata, ac inde secuta quæcumque viribus careant, & nullam prorsus firmitatem, nec ius alicui tribuant, sintque ipsi sic promoti, & assumpti, eo ipso absque absque aliqua desuper facienda declaratione, omni dignitate, loco, honore, titulo, auctoritate, officio, & potestate priuati, liceatque omnibus, & singulis sic promotis, & assumptis, si à fide antea non deuiassent, nec hæretici fuissent, neque schisma incurrissent, aut excitassent, vel commisissent.

Subditisque eorum liceat ab obedientia & deuotionem impune recedere.

§. 7. Subditis personis, tam clericis sæcularibus, & regularibus, quam etiam laicis, necnon Cardinalibus, etiam qui electioni ipsius Pontificis antea à fide deuij, aut hæretici, seu schismatici interfuerint, seu alias consenserint, & ei obedientiam præstiterint, eumque adorauerint, ac Castellanis, Præfectis, Capitaneis, & Officialibus etiam Almæ Vrbis nostræ, & totius Status Ecclesiastici, etiã eisdem sic promotis vel assumptis homagio, seu iuramento, vel cautione obligatis, & obnoxiis, ab ipsorum sic promotorum, vel assumptorum obedientia, & deuotione impune quandocumque recedere, eosque vt magos, ethnicos, publicanos, & hæresiarchas euitare, eisdem subditis personis fidelitati, & obedientiæ futurorum Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Primatum, Cardinalium, & Rom. Pontificis canonice intrantis nihilominus adstrictis remanentibus, & ad maiorem ipsorum sic promotorum, & assumptorum si eorum regimen, & administrationem continuare voluerint, confusionem, contra eosdẽ sic promptos, & assumptos, auxilium brachij sæcularis implorare, nec propterea tales ab ipsorũ sic promotorum, & assumptorũ fidelitate, & obedientia, præmissorũ occasione recedẽtes, tanquam tunicæ Domini scissores aliquarum censurarum, seu pœnarum vltioni subiaceant.

Contrariorum derogatio.

§. 8. Non obstan. constit. & ordinationib. Apostolicis, necnon priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis eisdem Episcopis, Archiepiscopis, Patriarch. Primatibus, & Cardinalibus, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiã Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu etiã consistorialiter, aut alias quomodolibet concessis, & etiã iteratis vicibus approbatis, & innouatis, ac etiam in corpore iuris clausis, necnon quibusvis capitulis conclauis, etiã iuramento, aut confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & per nos ipsos iuratis. Quibus omnibus eorũ tenores præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permãsuris, hac vice dũtaxat specialiter,

cialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

Non inueni hanc public. ideo sufficit publicatio bullæ Pij V. cit. in rubr.

§. 9. Vt autem præsentes literæ ad omnium quorum interest notitiam deducantur, volumus eas, seu earum transumptum (cui manu notarij publici subscripto, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munito, plenam fidem adhiberi debere decernimus) in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ valuis, atque in acie Campi Floræ per aliquos ex cursoribus nostris publicari, & affigi, earumque copiam ibi affixam dimitti, publicationemque, affixionem, & copiæ affixæ dimissionem huiusmodi sufficere, & pro solemni, & legitima haberi, nec aliam publicationem requiri, aut expectari debere.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, sanctionis, statuti, derogationis, voluntatum, decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1559. 15. Kal. Martij, Pontificatus nostri anno 4.

Papæ subscr.

† Ego Paulus Catholicæ Ecclesiæ Episc. ss.

Card. subscriptiones.

† Ego Ioan. Bellayus Episcopus Ostien. ss.
† Ego R. Card. de Carpo Episcopus Portuen.
† Ego F. Card. Pisanus Episcopus Tusculan.
† Ego Fed. Card. Cæsius Episcopus Præn.
† Ego P. Card. Episcopus Albanen.
†
† Ego R. Card. S. Angeli Maior Pœn.
† Ego T. Card. Crispus.
† Ego Fuluius Card. Perusinus.
† Ego Ioan. Mich. Card. Saracenus.
† Ego Ioan. Card. S. Vitalis.
† Ego Ia. Card. Puteus.
† Ego Hier. Card. Imolen.
† Ego B. Card. Tranen.
† Ego Diomedes Card. Arianen.
† Ego Scipio Card. Pisarum.
† Ioan. Card. Reumanus.
† Ioan. Antonius Card. S. Pancratij.
† Ego Tha. Card. Galdus.
† Ego Virg Card. de Spoleto.
† Ego F. M. Card. Alexan.
† Ego Clem. Monilianus Card. Arac.
† Ego G. Asc. Diac. Card Cam.
† Ego N. Card. de Sermoneta.
† Ego Ia. Card. Sabellus.
† Ego Hier. Card. S. Georgij.
† Ego Innoc. Card. de Monte.
† Ego Aloy. Card. Cornelius.
† Ego C. Card. Carafa.
† Ego Alfon. Card. Neapolit.
† Ego Vitellotius Card. Vitellius.
† Ego Ioan. Baptista Card. Consiliarius.

Locus Signi. Dominus mihi adiutor.

XX. Reuocatio quarumcumque exemptionum concessarum à solutione subsidij triennalis in Statu Ecclesiastico impositi.

Hoc subsidium imposuit Paul. III. sup. in eius const. 39. Decens. Et exemptiones reuocarunt quamplures Pont. & postremo Paul. V. in const. 9. In maximis, vbi dicam.

Edita An. D. 1559.

PAVLVS PAPA IV.
Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

CVpientes indemnitati Cameræ Apostolicæ, quæ vt omnibus notum est, multo ære alieno grauata existit, quantum cum Deo possumus consulere, quæ in eius grauamen emanasse comperimus, de medio tollere curamus, vt exinde suum, prout decens est, & honestum, consequi possit.

Paul. III imposuit subsidium triennale. Sed pluribus personis exemptiones & libertates concessæ fuerunt.

§. 1. Nuper sane nobis innotuit, quod licet alias fel. rec. Paul. Papa III. prædecessor noster, de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus consilio, cunctis impositionibus extraordinariis sublatis, vnum vnicuique subsidium trecentorum millium scutorum per totam ditionem Ecclesiasticam pro triennio soluendum, & exigendum imposuerit, & impositio huiusmodi de triennio in triennium successiue prorogata, & semper exacta fuit, nihilominus exactio huiusmodi causantibus diuersis exceptionibus, libertatibus, & immunitatibus à solutione ipsius subsidij diuersis Communitatibus, & vniuersitatibus, ac particularibus personis, necnon Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis nostri Status Ecclesiastici concessis, & factis, diuersarum portionum eiusdem subsidij donationibus seu remissionibus, via ad dimidium summæ trecentorum millium scutorum huiusmodi ascendit, ex quo eidem Cameræ, quæ aliunde non habet vnde onera illi in dies incumbentia sufferre possit, & illius creditoribus, qui sua credita ab ipsa recuperare nequeunt, maximum succedit detrimentum.

Eas propterea hic Pontifex reuocat.

§. 2 Quapropter præmissis occurrere, & vt tam Camera, quam creditores præfati, quod suum est consequi possint, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas exemptiones, libertates, & immunitates à solutione subsidij huiusmodi quibusvis Communitatibus, & Vniuersitatibus, ac particularibus personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existen. necnon Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis dicti Status, sub quocumque etiam Comitali, Marchionali, Baronali, vel Ducali, aut quovis alio tam maiori, quam inferiori titulo, vel per aliquem S.R.E. Cardinalem regantur, & gubernentur, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritant, & aliis decretis sub quocumque titulo, vel colore, ex quibusvis quantumcumque vrgentissimis causis, & quoque etiam Comitum, Marchionum Ducum, & quorumvis aliorum Principum, seu etiam ipsius R.E. Card. intuitu, & contemplatione per quoscumque Rom. Pont. præd. nostros, ac nos, & Sedem Apost. etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, aut alias quomodolibet concessas, & factas, quarumvis ipsius subsidij portionum donationes, seu remissiones, vel alias gratias, ac quascumque superinde, tam sub plumbo, quam in forma Breuis confectas literas, earum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, Apostolica auctoritate, tenore præsentium reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac viribus penitus euacuamus, necnon reuocatis, cassis, irritis, & nullis, ac viribus penitus & omnino vacuis haberi, & nemini superinde suffragari posse volumus. Cameramque ipsam aduersus exemptiones, libertates, immunitates, donationes, & remissiones prædictas ad pristinam, & eum, in quo antequam illæ emanarent quomodolibet erat statum, restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, restitutamque, repositam, & plenariæ reintegratam esse decernimus, in omnibus & per omnia, ac si exemptiones, libertates, immunitates, donationes, remissiones, & gratiæ huiusmodi nunquam emanassent.

Et subsidium ab omnibus exigi mandat.

§. 3. Mandantes Thesaurariis prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum & locorum ditionis & Status prædictorum ac quibusvis aliis ipsius subsidij exactoribus, ac cæteris ad quos spectat, vt subsidium prædictum, iuxta illius impositionis continentiam, & tenorem à Communitatibus, Vniuersitatibus, personis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis & locis huiusmodi integre exigant, & exigi curent, & faciant.

Quibuscumque non obstan.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat P. An. 4. die 15. Apr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 15. Aprilis, 1550. Pont. nostri anno 4.

Archie

XXI. Archiepiſcopi & Epiſcopi cuiuſcumque Ordinis profeſſores, ad clauſtra ſuorum Ordinum redeuntes, ad eius officia, & dignitates aſſumi non poſſint.

Edita An. D. 1559.

PAVLVS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN ſacra B. Petri Sede, meritis licet imparibus, diuina diſpoſitione collocati, ad ea per quæ ſub religionis iugo, Domino famulantium quieti conſulitur, & ambitionis via præcluditur, diligenter intendimus, & in his noſtri Paſtoralis officij partes fauorabiliter impartimur, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Cauſa iſtius conſtit.

§. 1. Cum itaque ſicut nobis innotuit, nonnulli Epiſcopi, & Archiepiſcopi diuerſorum Ordinum profeſſores, dignitates, & officia, etiam ſuperioritates nuncupatas ſuorum Ordinum ambientes, ad hoc vt ad illa aſſumi, eaque obtinere valerent, ab eorum Eccleſiis quibus præerant, etiam munere conſecrationis per eos ſuſcepto, per Sedem Apoſtolicam abſolui procurauerint, & ad clauſtra ſuorum Ordinum redeuntes, ſe ad dignitates, & officia, ac ſuperioritates huiuſmodi diuerſis modis, & viis aſſumi, eaque conſequi ſategerint, & exinde quamplures diſſenſiones, & contentiones, ac religionis inobedientiæ exortæ fuerint, & in dies exoriantur in animarum ſuarum periculum, & dictorum Ordinum opprobrium ac ſcandalum plurimorum.

Archiepiſcopi & Epiſcopi redeuntes ad clauſtra ſuorum Ordinũ, ad officia aſſumi non poſſint.

§. 2. Nos præmiſſis, prout ex debito Paſtoralis officij tenemur, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia volumus, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus cuiuſvis Ordinis, ſeu Religionis profeſſor, Epiſcopus ſeu Archiepiſcopus poſtquam munus conſecrationis huiuſmodi ſuſceperit (etiamſi à vinculo Eccleſiæ cui præfuerat per Sedem eandem abſolutus, eique quod in ſuo Ordine remanere, & ad dignitates, ac officia, & ſuperioritates huiuſmodi aſſumi, eaque obtinere poſſet per ſedem eandem, ſeu illius auctoritate conceſſum fore) ad dignitates, aut officia, ſeu ſuperioritates huiuſmodi cuiuſcumque qualitatis exiſtant, & quovis nomine nuncupentur eligi, ſeu aſſequi, aut obtinere nullatenus poſſit, & ineligibilis; ac ad ea obtinenda perpetuo inhabilis exiſtat.

Diſpenſationes deſuper conceſſa annullantur.

§. 3. Ac quævis indulta, conceſſiones, diſpenſationes, & facultates, ac aliæ gratiæ ei, tam à nobis, & Sede prædicta, etiam per literas Apoſtolicas, etiam in forma Breuis, vel alias ab eius Legatis, ſeu Nuntiis, aut Maiori Pœnitentiario noſtro, quam à Superioribus dictorum Ordinum, ac quibuſvis aliis etiam ad id poteſtatem & auctoritatem habentibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu & ſcientia ſimilibus, & deſuper hactenus conceſſa, & in poſterum conceden. nulla & inualida, nulliuſque roboris vel momenti ſint & eſſe cenſeantur.

Eligentes eos ad officia ſcienter iure eligendi, ac voce actiua & paſſiua priuantur.

§. 4. Et ſi quis eum de cætero ad dignitates ſeu officia, aut ſuperioritates huiuſmodi ſcienter elegerit, iure eligendi perpetuo careat, ac voce actiua & paſſiua eo ipſo priuatus exiſtat; Reuocantes caſſan. annullan. omnia & ſingula indulta, conceſſiones, diſpenſationes, facultates, & gratias huiuſmodi, quorum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis. Ac decernentes irritum, &c.

Clauſula derogatoria.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum Ordinum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Epiſcopis & Archiepiſcopis prædictis, ac quibuſvis alias conceſſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 6. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus, quod præſentium literarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, &c.

Dat. P. An. 5. die 19. Iulij.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 19. Iulij, Pont. noſtri Anno 5.

Publicatio.

Die 22. Iulij 1559. retroſcripta litera Apoſtolica in forma Breuis affixa & publicata fuerunt in valuis Cancellariæ Apoſt. ac acie Campi Floræ, dimiſſis copiis affixis per me Medardum Nicolaum S.D.N. Papæ Curſ.

Nicolaus de Matthæis Mag. Curſ.

FINIS TOMI PRIMI.